


ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE STILTINGO, CONSTANTINO SUYSKENO, JOANNE PERIERO
JOANNE CLEO

E SOCIETATE JESU

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

SEPTEMBRIS TOMUS SEXTUS

QUO DIES DECIMUS NONUS, VIGESIMUS, VIGESIMUS PRIMUS, VIGESIMUS SECUNDUS, VIGESIMUS TERTIUS ET VIGESIMUS QUARTUS CONTINENTUR.

PRÆMITTITUR DISSERTATIO DE FRATRIBUS DOMINI JACOBO JOSEPHO JUDA ET SIMONE QUA QUERITUR AN ULLUS EX ILLIS FUERIT INTER APOSTOLOS DUODECIM




PARISIIS ET ROMÆ

APUD VICTOREM PALME, BIBLIOPOLAM

1867

Septembris Tom VII.



Parisiis V. Palmé

C. F. Fritzsch Sculpsit

MARIÆ AMALIÆ

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ
SLAVONIÆ, DALMATIÆ, ETC.

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, GELDRIÆ
STYRIÆ, CARINTHIÆ
CARNIOLIÆ, MEDIOLANI, ETC., COMITI FLANDRIÆ
HANNONIÆ
NAMURCI, TYROLIS, ETC., ETC.

Post plura volumina de Actis Sanctorum Serenissimis Fratribus ac Sororibus Tuis dicata, modo ad Te reverenter accedimus, SERENISSIMA ARCHIDUX, ut sextum mensis Septembris tomum, totius Operis quartum et quadragesimum, nomini Tuo dicatum, venerabundi deferamus. Hunc speramus eo a Te accipiendum favore, quo nos ipsos olim excipere dignata es, quando non solum affa-

bilitate Tua recreati sumus, sed mira etiam verborum gratia, quæ tenellam ætatem longe superabat, in admirationem rapti. Habebis autem in oblato volumine numerosam legionem fortissimorum militum, qui pro imperio Romano arma gesserunt, pro fide, pro pietate, pro justitia ad mortem usque strenue decertarunt. At non hi soli, sed reliqui etiam Sancti, de quibus agitur, sive viri illi fuerint sive mulieres; sive juvenes sive senes; sive pauperes sive divites; sive sæcularem vitam duxerint sive ecclesiasticam aut monasticam, præstantissimi fuerunt milites, robustissimi bellatores. Cum enim vita nostra super terram sit perpetua militia, et nemo ad coronam perveniat, nisi qui legitime certaverit; omnes Sancti bella sibi gerenda censuerunt, omnes arma sibi idonea corripuerunt, omnes admirabili fortitudine hostes animæ suæ superarunt. Quanta quamque excelsa sit Sanctorum fortitudo, **SERENISSIMA ARCHIDUX**, nequit paucis exponi. Non in lacertis illa sita est, neque in viribus corporis; sed in animi firmitate, qua omnibus vitiis resistitur, omnes virtutes proteguntur. Tanta vero hæc fuit Sanctorum firmitas, divino roborata subsidio, ut nullis enervaretur blanditiis, nullis cederet illecebris, nullis terreretur periculis, nullis frangeretur molestiis, nullis suppliciis, nec morte ipsa superaretur. Longum esset inquirere, quibus conatibus ad sublimem adeo virtutem ascenderint Dei amatores. Variis enim modis pro diverso vitæ instituto incensum Dei amorem in cordibus suis accendere

magisque

magisque semper inflammare studuerunt. Ut vero amor ille divinus contra omnia adversantia fortior evaderet et robustior, terrenarum rerum cupiditates, perniciosas veræ virtutis hostes, primum expugnare et ejicere laborarunt. Avaritiam, qua multi ad interitum pertrahuntur, opum contemptu expulerunt. Superbiam, vitiorum venenatam radicem, perpetuo oppugnarunt, debilitarunt, exstinxerunt. Blandam luxuriæ voluptatumque tyrannidem, qua innumeri mortales misere pereunt, constanti vigilia continuerunt, vitaque austera et corporis macerationibus eliminarunt. Calcatis viriliter mundanis studiis, superatisque divitiarum, honorum, voluptatum, commodorum cupiditatibus, gravissima pro Dei honore certamina intrepide subiverunt, in iisque eximia patrarunt virtutis facinora. Juvabit pauca producere specimina ex tomo Tibi dicato, **PRINCEPS REGIA**. Sanctus Apostolus *Matthæus* primum, vocante Christo, patrem domumque et opes paternas reliquit, ut pauperem cum Jesu vitam duceret. Deinde, relicta patria, in Æthiopiam longe dissitam profectus est, ut fidem gentilibus prædicaret. Quanti animi erat, virum pauperem, omnique humano solatio carentem, tanto itineri se committere sine pecunia, sine supellectile, sine jumentis, sine ullis peregrinantium commodis? Quantæ fortitudinis, adire gentem barbaram et ignotam, rituum suorum amantem et tenacem, ut eam ab avita superstitione ad veram religionem, ad novos ritus, ad fidem Christianam traduceret? In itinere sibi augurari poterat extremam

mam paupertatem, rerum omnium indigentiam, viarum incognitarum difficultates, labores insuperabiles, sexcenta alia incommoda et pericula. In ipsa Evangelii prædicatione nihilo leviora exspectanda noverat, videlicet petulantis plebeculæ irrisiones, contumelias, calumnias, maledicta, aliorum sinistra judicia, detractiones, impugnationes; sacerdotum gentilium invidiam, odia, persecutiones; principum indignationem, iracundiam, crudelitatem, indeque carceres, pœnas, mortem ipsam violentis cruciatibus inferendam. Hæc omnia, aliaque similia, quæ sibi obventura, Christo prædicente, dudum intellexerat, deterrere a cœptis potuissent virum minus fortem. At amor Dei animum *S. Matthæi* omnium periculorum metu majorem fecerat. Eximia igitur animi magnitudine iter laboriosum suscepit, perpetua inter incommoda ac mortis pericula fidem prædicavit, eamque demum fuso sanguine confirmavit. Eximiam *S. Matthæi* virtutem imitati sunt plures fidei prædicatores, qui et patriam suam reliquerunt, et gravissimos susceperunt labores, et caput suum mille objectarunt periculis, ut gentiles ad veram perducerent religionem. Tales fuerunt *Andochius* presbyter et *Thyrsus* diaconus, fidei dilatandæ studio ex Asia in Galliam profecti, illustrique inter labores martyrio coronati. Talis fuit *Emmerammus* antistes, qui cum patria sedem episcopalem deseruit ad fidem in Hungaria prædicandam; detentusque in Bavaria, apostolicis prædicationibus se addixit, mortemque gloriosam consecutus est.

Talis

Talis fuit *Gerardus*, Chanadiensis in Hungaria episcopus, qui patriæ similiter nuntium remiserat ad excidendas gentilitiæ superstitionis in Hungaria reliquias, ubi et palmam martyrii per furibundos gentiles adeptus est. Tales fere fuerunt *Theodorus*, archiepiscopus Cantuariensis, qui patriam habuit Tarsum in Cilicia, prædicationis palæstram in Britannia; *Chunialdus* et *Gisilarius* presbyteri, qui fidem Christianam dilatarunt in Bavaria. Nam et hi, etiamsi violenta morte non fuerint sublati, multos suscipere labores, plurimis se exponere periculis non dubitarunt. Si modo aliorum antistitum, qui sedes habuerunt, ubi Christiana religio erat stabilita, res gestas attente inspexerimus, luculenter videbimus, illis quoque gravia non defuisse certamina, in iisque admirabili constantia stetisse invictos. Unicum brevitatis causa producam *S. Liberium* Papam, ex cujus virtute de aliis Sanctis non improbabilis fiet conjectura. Pontificatum *Liberius* gessit annis quatuordecim, totidem adversus Arianos, multitudine, potentia, dolis fraudibus, violentis consiliis metuendos, constanter decertavit. Vix dignitatem Pontificiam adeptus erat, quando Ariani cum ipso imperatore Constantio instare cœperunt apud *Liberium*, ut in condemnationem S. Athanasii, quem fictitiis criminibus insimulabant, suo suffragio consentiret. Facile prævidere poterat, quanta futura esset imperatoris indignatio, si resisteret, cum Athanasius accusaretur ut imperatoris inimicus; stetit tamen invictus pro sancti antistitis innocentia, imo et pro fidei causa, quæ istis

cuniculis oppugnabatur. Laceratur itaque fama Pontificis apud populum Romanum, Pastoris sui amantem; sed ille non terretur. Congregantur ab imperatore concilia, in quibus antistites alii aperta vi Athanasium damnare coguntur, alii exsilio mulctantur. Nec horum exsilio, nec illorum lapsu flectitur *Liberius*. Romam a Constantio mittitur Eusebius eunuchus, qui promissis et comminationibus tentat Pontificem : at nec blanditiæ virum constantem emolliunt, nec minæ frangunt. Trahitur tandem ad imperatorem, qui omni molimine laborat *Liberium* permovere. Ipse Athanasium accusat, ab orbe universo damnatum dicit, quanto eum odio prosequatur, declarat; instat, urget, exsilium intentat. At adeo prudenter ad omnia respondit vir fortissimus, ut nec majestatem imperatoriam læserit, nec Athanasium deseruerit; sed constantiæ præmium habuerit exsilium. Pari fortitudine tulit diuturni exsilii incommoda. Pari constantia post exsilium hæreticis restitit, quando decepti ab Arianis erant in concilio Ariminensi antistites. Nam Liberius cum paucis fortiter se opposuit, Arianorum triumphos reddidit irritos, vulnus Ecclesiæ sanavit, lapsos ad pœnitentiam revocavit. Tanta fuit perpetuas inter Arianorum molitiones *Liberii* constantia, etiamsi illa calumniis fuerit obscurata; tanta sanctorum episcoporum omnium, qui pro fide et justitia fortiter certare, exsiliaque et carceres, mortemque ipsam perferre non recusarunt. Oculos modo, **SERENISSIMA ARCHIDUX**, in sanctos martyres tantisper conjiciamus. Præ-

ter

ter alios complures intuebimur sex fere Thebææ legionis millia, viros omnes fortissimos, qui miro consensu, pari virtute et gloria pro fide et justitia fortiter pugnarunt, vicerunt, triumpharunt. Militabant fideliter pro Romani imperii incolumitate, neque belli pericula detrectabant, parati contra hostes quoslibet arma sumere. Verum cum Maximianus, Christianorum acerrimus inimicus, eorum opera uti vellet in Christianis ad supplicia perquirendis; negant sibi per Dei leges licitum esse ejusmodi exsequi mandata, et Christianos se fatentur. Durum quidem erat generosis militibus detrectare imperium, cum rebellionis notam sibi inurendam, pœnamque infligendam, non ignorarent. At lex divina, a qua vir fortis nec ignominiæ nec pœnæ metu recedit, liberum Christianis militibus dictavit responsum. Maximianus igitur legionem decimari jubet, occisoque quolibet decimo, impia mandata iterari. At fortissimi milites, nec visa commilitonum cæde, nec proprio periculo terrefacti, sacrilega ministeria obituros se negant. Rursum decimus quisque, inspectantibus aliis, trucidatur. Nec moventur ferali spectaculo viri constantes, nec ad vitæ suæ defensionem excitantur: non deflent mortem Sociorum, sed laudant, eosque sequi desiderant. Itaque Maximianus, acceptis iterum eorum responsis, piis æque ac modestis et liberis, reliquos omnes mactari jubet. Illi vero gloriosa morte ad præmia evolarunt sempiterna. Eadem virtute, simili constantia, reliqui Martyres, de quibus agimus, per ignominias, contumelias, cruciatus varios, mortemque

temque

temque cruentam, ad palmam martyrii pervenerunt. Neque virorum hæc tantum est gloria, **SERENISSIMA ARCHI-DUX**. Tenellæ etiam virgines pari fortitudine invictas se præbuerunt. ***S. Thecla***, ut virginitatem servaret illæsam, ursis ac leonibus devoranda objici non timuit; ad conspectum flammarum, quibus exurenda erat, non exhorruit. Bis morti divinitus erepta, deinde adversus corrupta mundi judicia, dæmonum impugnationes, carnis illecebras, felicissime dimicavit. ***Pomposa, Susanna, Digna, Merita, Drosis,*** omnes virgines, illustri martyrio docuerunt, veram virtutem nec principum iracundia, nec tyrannorum crudelitate, nec suppliciorum acerbitate superari; sed invictam in quibuslibet malis perstare, ac de omnibus constanti patientia triumphare. Accedunt et aliæ heroides, ***Salaberga*** abbatissa, ***Lutrudis, Maura,*** pluresque virgines, quæ fidei gladio armatæ, et spei clypeo protectæ, per viam angustam, multisque hostium insidiis infestam, ad regnum cælorum perruperunt. Hisce perpetuum cum multis hostibus fuit bellum, crebra cum pravis animi affectionibus pugna, frequens cum insanis mundi amatoribus conflictus. Mitto jam dicta certamina, quibus avaritiam, superbiam, luxuriam fortiter expulerunt. Non exponam, quam constanti in omnes homines amore invidiam penitus exstinxerint; quam potenter gulam coercuerint, necessariaque dumtaxat alimenta corpori indulserint. Non recensebo perpetuos labores, utiles occupationes, statas orandi cælestiaque meditandi aut legendi vices, quibus desidiam, otium,

obmurmurantemque

obmurmurantemque frequenter commodorum libidinem in fugam egerunt, nulloque apud se loco passæ sunt consistere. Præteribo austeram vivendi rationem, crebra prolixaque jejunia, habitationis lectique paupertatem ac duritiem, somni omnisque quietis parsimoniam, silentii et solitudinis amorem, innumeras alias afflictiones corporis, quod multis modis animæ imperio subesse, eique accurata divinæ Legis observatione cogebant obedire. Unum illud, **SERENISSIMA ARCHIDUX**, breviter expendam, quam fortiter Christianam caritatem, qua omnes homines, sive amicos illi se exhibeant sive inimicos, jubemur habere proximos, contra insurgentes iracundiæ indignationisque motus protexerint, quam virili animo odium omnemque vindictæ libidinem longe a se amandirant. Cum *stultorum*, sive hominum improborum, qui alia omnia sectantur in mundo, quam quibus veram æternamque felicitatem consequi possent, teste Ecclesiaste, *infinitus* sit *numerus*; fieri nequit, ut Sancti, qui per vias multum diversas gradiuntur, illorum iniquitate aliquando non exerceantur. Alii ex illis existimant et ægre ferunt vana studia sua contrariis Sanctorum moribus improbari. Alii non considerant, probis tantum saltem licentiæ concedendum esse ad præcepta Dei observanda, quantum sibi arrogant impii ad offendendam divinam Majestatem. Accedunt plurimæ aliæ ex improborum avaritia, superbia, invidia, iracundia, aliisque vitiis occasiones, quibus in Sanctos nihil mali meritos sic inflammantur; ut absentes calumniis impetant, præsentes pro-

bris afficiant et contumeliis, aut graviora etiam inferant innocentibus mala. Quid in ejusmodi occasionibus Sanctorum caritas? Liberasne iracundiæ effundet habenas? calumniasne calumniis referet, contumelias contumeliis, probra probris? An pœnas meditabitur data occasione sumendas? An fortasse, quæ nequit inferre, mala gravissima inimico precabitur? Nihil horum noverunt Sancti: neque enim virorum fortium illa sunt, sed imbecillium et ignavorum, quos ira confestim vincit, primoque impetu prostratos multo gravius lædit, quam lædere valeat inimicus. At Sancti, qui contra indignationis motus pugnare didicerunt, iracundiam reprimunt, animum vincunt, mentis tranquillitatem servare laborant, totisque viribus enituntur, ut caritatem tueantur illæsam. Itaque nec probris aut calumniis adversarium student superare, nec ultionis desiderio pœnas cogitant expetere, nec Deum acceptæ injuriæ poscunt aut desiderant ultorem: sed aut calumnias et contumelias, quibus lædi se non existimant, generoso animo perferunt, aut modesta utuntur defensione, si famæ, honori, fortunisve suis consulendum censent. Quin et longius progreditur robustissima Sanctorum caritas. Cum enim noverint, tanto gravius lædi homines iniquos, quanto atrociores inferunt injurias; ad opem miseris ferendam, eosque ad meliora reducendos consilia excitantur. Hunc igitur in finem beneficiis et monitis, si qua spes est homines ab iniquitate ad probitatem convertendi, benignissime improbos aggrediuntur, bona reddunt pro malis, benevolentiam

pro

pro odio, beneficentiam pro damno. Si vero perspiciunt tantam esse adversariorum perversitatem, tantam improbitatem, tantam in violentis consiliis pertinaciam, ut nullum ex suis beneficiis emolumentum, nullum ex laboribus fructum sperare valeant, homines miserrimos luctu et lacrymis prosequuntur, eorumque emendationem ac salutem humillimis precibus omnipotenti Deo commendant. Itaque Sanctorum caritas merito *fortis* dicitur *ut mors*; neque enim ullis terroribus aut periculis ab officio recedit, nec ulla hominum improbitate exstinguitur, quemadmodum mortis impetus nulla hominum industria, nulla arte, nulla potentia frangitur aut superatur. Adumbravimus breviter, **SERENISSIMA PRINCEPS**, insignem Sanctorum in laboribus, in doloribus, in periculis, in adversis quibuslibet magnanimitatem, quam et justitiæ et prudentiæ et temperantiæ legibus conformem esse facillime demonstrari potest. Nam pro Deo, cui et se et omnia debent, fortes se exhibuerunt Sancti. Quid hac virtute justius? Pro sempiterna corona in cælo obtinenda breves non timuerunt subire labores. Quid hac fortitudine prudentius? Maluerunt gravia quælibet perpeti, quam aut Deum offendere, aut homini vel minimo justam præbere offensionis causam. Quid hac magnanimitate temperantius? Sic eleganti nexu cum aliis etiam virtutibus conjuncta est Sanctorum fortitudo, omnesque tuetur et sustentat. Si vero enumerare voluero amplissima præmia, quæ fortibus Sanctorum gestis reposita sunt in cælo, finem dicendi non inveniam. Qua-

cumque

cumque igitur ratione Sanctorum virtutem consideremus, cedat illi necesse est omnis alia hominum fortitudo. Quapropter **REGIA PRINCEPS**, Augustissimi Majores et Genitores Tui, bellica quidem virtute præclarissimi fuerunt, eaque potentissimis hostibus frequenter restiterunt, et gloriose etiamnum resistunt, ut loquuntur relatæ in Bohemia et Lusatia victoriæ; fortitudinem tamen Sanctorum, qua quis in prosperis et adversis Deo fideliter servit, semper prætulerunt, et constanter præferunt, suoque exemplo Te ad sequendum invitant, hortantur, impellunt. Nos vero, dum præsens volumen devotissimo animo venerabundi offerimus, Deum oramus, ut Te Sanctorum virtute roboratam cum Augustissimis Parentibus et Serenissimis Fratribus et Sororibus diu incolumem servare dignetur.

SERENISSIMA ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi Clientes

JOANNES STILTINGUS
CONSTANTINUS SUYSKENUS
JOANNES PERIERUS
JOANNES CLEUS

SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI SEXTI

DE ACTIS SANCTORUM
SEPTEMBRIS

Prodit de Actis Sanctorum tomus quadragesimus quartus, complectens dies sex a decimo nono Septembris; Sanctos aut Beatos, quorum nomina innotuerunt, ultra centum et quinquaginta, Anonymorum vero aliquot millia. Præfixa est collectioni Actorum Dissertatio, qua elucidatur ac defenditur sententia Majorum nostrorum de *Jacobo et Juda*, fratribus Domini dictis, a Jacobo Alphæi et Juda Thaddæo distinguendis.

Unicus ex Veteri Testamento occurrit *Jonas* propheta, de cujus gestis, prædicatione et cultu disseritur.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Primum hic locum damus *Matthæo*, apostolo et evangelistæ, qui alio nomine vocatus est *Levi*, patremque habuit *Alphæum*. Hinc frater creditur *Jacobi Alphæi*, quod tamen multi negant neoterici, qui nolunt Jacobum Alphæi a Fratre Domini distinguere. De Evangelio a *Matthæo* Hebraice scripto consentimus Patribus, de prædicatione in variis provinciis, maxime in Æthiopia, disserimus, uti et de corporis translationibus. Acta gemina damus, sed parum fidei iis attribuimus. Tres Pontifices Romanos tomus offert, videlicet *Linum*, S. Petri successorem, qui vitam martyrio finivit; *Agapetum*, qui Pontificatum non diuturnum egregiis gestis et morum sanctitate illustravit. Tertius est *Liberius*, quem et Patrum elogia, et vetusta Martyrologia commendant. At hunc Pontificem, quantumvis rebus præclare gestis illustrem, infamarunt hæreticorum et schismaticorum calumniæ, Epistolæ ipsius nomine confictæ, supposita S. Hilarii nomine Fragmenta, interpolata quædam sanctorum Patrum Opera, ut medii ævi credulitas passim asseruerit, ipsum Arianorum communione et S. Athanasii damnatione maculatum fuisse. Neutrum satis esse probabile, antiquorum auctoritate conati sumus evincere, et ad omnia argumenta respondimus. Inter alios Italiæ antistites illustris est *Januarius*, episcopus Beneventanus, cum sex Sociis martyrio coronatus Puteolis in Campania. *Januarium* civem suum non immerito credunt Neapolitani, qui et corpus ejus olim possederunt, et post aliquot translationes, iterum possident, quemadmodum et caput et sanguinen, perpetuis prodigiis celebrem. Socii in martyrio fuerunt *Sosius* diaconus Misenas, *Festus* diaconus et *Desiderius* lector Beneventani, *Proculus* diaconus, *Eutyches et Acutius* Puteolani. De hisce omnibus diligenter actum, editaque monumenta complura. Edita similiter sunt Acta *Alexandri*, incertæ civitatis episcopi, qui via Claudia in Etruria coronatus est. Pauciora fuerunt disserenda de reliquis Italiæ episcopis, nimirum de *Theodoro* Veronensi, de *Joanne* Spoletano, qui et martyr occubuit; de *Glycerio* Mediolanensi; de *Septimio* Æsino, martyrii palmam consecuto; ac de *Projecto* Foro-Corneliensi. Ex Germaniæ et vicinæ Galliæ episcopis primum ponimus *Emmerammum* patria Gallum, Apostolica prædicatione in Bavaria, martyrioque et miraculis illustrem, cujus Acta gemina cum libris miraculorum edita et illustrata. *Goerici* episcopi Metensis gemina item Vita edita. De *Mileto* Trevirensi sola fere agunt Martyrologia. *Eustochius* quoque Turonensis non nisi paucis gestis innotuit. Pluscula subministrarunt *Arnulphus* Vapincensis, *Laudo* Constantiensis, *Castor* Aptensis; pauciora *Rusticus* Arvernensis, quorum omnium gesta collecta et examinata. Anglia *Theodorum* veneratur Cantuariensem præsulem, de cujus gestis multa fuerunt disserenda; Vita vero auctorem habet venerabilem Bedam. Minus notus est *Lolanus*, quem Scotia celebrat episcopum. *Gerardus*, Chanadiensis in Hungaria episcopus, gloriam prædicati Hungaris Evangelii auxit martyrii palma. Acta ejus, ab Anonymo suppare conscripta, quæ mutato stylo ediderat Surius, damus ex codice Ms. Aliam Vitam, quæ postmodum fabulose composita est, prorsus improbamus, pluresque opiniones ex ea aut aliunde natas refellimus. In Polonia cultum habuit *Joannes Prandotha*, Cracoviensis antistes, cujus Vitæ compendium editum, multisque aliunde collectis illustratum. Ex quatuor martyribus

tyribus Ægyptiis, qui in Palæstinæ metallis laborantes, ducis sævitia flammis fuerunt traditi, duo fuerunt episcopi, *Peleus* et *Nilus*, tertius presbyter, quem *Eliam* vocant Græci, quartus vero laicus, *Patermuthius* dictus. *Isacius et Meletius* in Fastis Græcorum celebrantur, ut episcopi in Cypro insula. Hisce ex secundo sacerdotii ordine accedunt *Chunialdus et Gisilarius* presbyteri, qui cum S. Ruperto fidem prædicarunt in Bavaria aliisque vicinis regionibus, ac Salisburgi coluntur. *Florentius* item presbyter fuit in Gallia, vixitque in monte Glonna ducatus Andegavensis. Hujus corpus frequenter translatum, Acta etiam scripta et edita, licet dubiæ sint fidei. Celebres in Gallia sunt *Andochius* presbyter et *Thyrsus* diaconus, qui ex Asia in Galliam missi sunt ad fidem prædicandam, non a S. Polycarpo, ut diu creditum fuit, sed a Polycrate Ephesino episcopo, ut probabilius credimus. Hac enim ratione tollitur præcipua Actorum difficultas. Passi sunt hi Martyres, et cum iis *Felix*, in Gallia adjunctus, apud Sidolocum in territorio Augustodunensi.

EX STATU MONASTICO.

Inter vetustiores hujus ordinis Sanctos repeриuntur aliquot abbates egregii. Galliam illustravit condito monasterio in territorio Lingonensi *Sequanus*, a S. Gregorio Turonensi laudatus, cujus Vita a scriptore incertæ ætatis composita. Alter in Gallia abbas floruit *Geremarus* Flaviacensis, cujus Acta similiter a nobis edita, uti et Translationis historia. Non minus illustris est *Ysarnus*, abbas S. Victoris Massiliensis, cujus Vita ab auctore synchrono fideliter et eleganter scripta est. *Adamnanus* abbas Hiensis in Iona Scotiæ insula magnam rebus gestis famam consecutus est, scriptis etiam nonnullis Opusculis. *Jonas* monachus et presbyter in Palæstina monasterium S. Sabæ incoluit, virtutibusque et miraculis celebratur. Quinque anachoretæ in Sicilia prope Messanam habitasse dicuntur, nimirum *Nicander*, *Gregorius*, *Petrus*, *Demetrius et Elisabetha*. Horum etiam Vita scripta, sed fidei est admodum dubiæ. Accedunt Beati duo ex Ordine Prædicatorum, *Marcus* Mutinensis, Pisauri in Italia defunctus, de cujus gestis pauca innotuerunt; et *Dalmatius Monerius*, qui Gerundæ in Catalonia obiit. Hujus Acta ex variis collecta. *Paphnutius* martyr, cui centenos aliquot Socios Acta attribuunt, in iis vocatur *anachoreta*. Verum Acta magis sunt fabulosa, quam ut de numero Sociorum certi esse possimus, aut de statu *Paphnutii*.

EX STATU SECULARI.

Ingens hic se offert Militum numerus Agauni in Vallesia coronatus, videlicet tota fere Legio Thebæa, quæ suo exemplo præclare docuit, majoris esse animi fortitudinis gravia quælibet mortemque ipsam pro Deo sustinere, quam hostes vincere. Ex hisce Martyribus præ ceteris noti sunt *Mauritius* primicerius, *Exuperius* campiductor, *Candidus* senator militum, *Victor* miles veteranus, *Innocentius et Vitalis* milites. Nominantur et alii complures in locis, ubi coluntur. Acta conscripsit *S. Eucherius* antistes Lugdunensis, eaque edita et contra objectiones hominis heterodoxi, qui ipsum quoque Sanctorum martyrium iniquo consilio oppugnare voluit, diligenter sunt defensa. Magnum quoque inter martyres nomen est *Eustathii*, quem recentiores passim *Eustachium* vocant, passi Romæ cum *Theopiste* uxore, et filiis *Agapio et Theopisto*. Horum Acta Græca, etiamsi non videantur fabulis carere, data sunt, et Martyrum memoria aliunde illustrata. Meliora sunt Acta Græca *Trophimi*, *Sabbatii et Dorymedontis* martyrum. Horum duo Priores Antiochiæ in Pisidia fortiter pro fide certarunt, ibique *Sabbatius* martyrium complevit. At *Trophimus* Synnadis in Phrygia socium accepit *Dorymedontem* senatorem, ibique simul palmam adepti sunt. *Phocas* hortulanus martyrio coronatus est Synope in Ponto, multisque inclaruit miraculis. Martyribus etiam accensetur *Gerulphus* adolescens, Trunchinii in Flandria lethali vulnere percussus, pieque defunctus, ac miraculis clarus. Addo breviter, ob loci angustias, plures variarum regionum martyres, in hoc tomo celebratos. Italia habet Nuceriæ *Felicem et Constantiam*, Romæ *Pamphilum*, Pisauri *Terentium* : Gallia Parisiis *Paxentium* et *Albinam* : Africa *Andream*; *Joannem*, *Petrum* et *Antonium*. Ecclesia Orientalis jam recensitis addit *Theodorum*, *Philippam* matrem ejus, *Socratem* et *Dionysium*, Pergæ in Pamphylia passos; *Faustam*, *Evilasium* et forte *Maximinum* Cyzici in Hellesponto; *Dionysium*, *Privatum* et forte *Dorotheum* in Phrygia; *Joannem* Ægyptium in Palæstina. *Artemidorum*, *Thaletem* et *Priscum* colit Constantinopolis. Accedunt confessores, quorum pauciora innotuerunt gesta. Eximia *Constantii*, qui Anconæ floruit, pietas præcipue innotuit ex S. Gregorio : corpus translatum Venetias. In hac urbe cultum etiam promeruit *Petrus Acotantus*, misericordia in pauperes insignis. Leprosii Biturigum in Gallia coluntur *Silvanus* et *Silvester* confessores cum *Rodena* virgine.

EX

EX FEMINEO SEXU.

Illustrissimum inter virgines semper fuit nomen *Theclæ*, licet Acta ejus prima fuerint fabulis inquinata, nec ulla deinde satis fideliter conscripta. Defectum Actorum supplent sancti Patres, qui præclara *Theclæ* certamina multis elogiis celebrarunt, cultusque vetustissimus et miracula. *Martyr* merito dicitur, quamvis fortasse non obierit in martyrii certamine. Illustris quoque virgo et martyr *Pomposa* sanctimonialis, passa sub Mauris Cordubæ in Hispania, cujus Acta scripsit S. Eulogius. Acta Græca *Susannæ* virginis, quæ coronata est Eleutheropoli in Palæstina, non videntur repudianda. Dubiæ magis fidei sunt Acta, quæ dantur, *Dignæ et Meritæ* (aut *Emeritæ*), quæ virginitatem Romæ martyrio illustrarunt. *Drosis* virgo, quæ Socias martyrii forsan quinque habuit, celebratur a Chrysostomo. Ignota fere sunt gesta *Sophiæ*, quæ ut virgo martyr Sortini in Sicilia colitur. Accedunt mulieres, quæ virtutum merito ad cælum evolarunt. Inter has præ ceteris notissima est *Salaberga* abbatissa, cujus Acta dudum fuerunt edita. Celebris etiam *Maura* virgo Trecensis, quæ antistitem habuit virtutum suarum præconem. *Lutrudis* virgo, quæ in diœcesi Catalaunensi defuncta, Vitæ scriptorem nacta est incertæ ætatis. Illius soror *Ama*, quæ Jovisvillæ colitur, ex Actis sororum innotuit. Cultu notæ sunt *Lucia de Monte* virgo Sampiniaci in Lotharingia, *Gunthildis* ancilla virgo in episcopatu Eustadiensi, et *Helena ab Oleo*, vidua Bononiensis. Ultimæ non defuerunt præcones, sed iis non fidimus.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 *Decembris* 1692 *et* 19 *Julii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et Opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet : cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis ;*

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Aloysio Centuriono, concedo Bernardo Alberto vander Plassche *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum ; videlicet. Tomum sextum de Actis Sanctorum Septembris, collectis et illustratis per Joannem Stiltingum, Constantinum Suyskenum, Joannem Perierum, et Joannen Cleum, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* IV *Octobris* MDCCLVII.

JOANNES BAPTISTA TYBERGHEIN



SUMMA

SUMMA PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Stiltingi e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die XXVI Septembris anno MDCCLIII.

Signat J. H. HENRICY.

Et ego Joannes Stilting Societatis Jesu permitto Bernardo Alberto vander Plassche, ut Tomum sextum de Actis Sanctorum Septembris, nostro permissu apud ipsum impressum, publicet. Datum Antverpiæ IV *Octobris* MDCCLVII.

APPROBATIO

ORDINARII

Legi hunc Tomum sextum mensis Septembris, continentem dies sex, usque ad 24 Septembris inclusive, de quo idem censeo, quod de duobus præcedentibus, et dignissimum proinde, qui in publicum prodeat. Datum Antverpiæ IV *Octobris* MDCCLVII.

J. F. DE BRUYN Præfes Seminarii Episcopalis, S. Theol. Licentiatus, cathed. Ecclesiæ Antverpiensis Canonicus Graduatus, Examinator Synodalis, librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve hic relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc sextum tomum Septembris denuo protestamur.



INDEX

A D

DISSERTATIO

De Fratribus Domini Jacobo, Josepho, Juda et Simone : qua quæritur, an ullus ex illis fuerit inter Apostolos duodecim.

PRÆFATIO

J. S.

Occasio hujus Dissertationis, et status controversiæ expositus.

Occasio hujus Dissertationis,

Henschenius noster, *quando ad* I *Maii illustranda susceperat Acta* S. Jacobi *Apostoli, qui eo die cum S. Philippo in Ecclesia Latina colitur, examinandam suscepit dubitationem notabilem, utrum* S. Jacobus Alphæi, *qui certo est ex numero duodecim Apostolorum, idem sit cum* Jacobo, *qui* Frater Domini *passim vocatur, et primus fuit episcopus Hierosolymitanus. Illos distinxerant nonnulli* B *ante Baronium, quorum sententiam doctissimus Annalista breviter refellit, et magis rejicit, quam operose examinat ad annum* 44 *num.* 35 *et seqq. Baronii sententiam operosius examinavit et refutavit Florentinius in Exercitatione* 2 *ad Vetustius Martyrologium, S. Hieronymo attributum, a pag.* 95, *ubi distinguit inter* Jacobum Alphæi et Jacobum Fratrem Domini, *et affert auctoritatem aliquorum non contemnendam. Itaque Henschenius, cum perspiceret sententiam illam Florentinii verisimillimam esse, multisque auctoritatibus confirmari posse, non solum ex Patribus, sed etiam ex sacra Scriptura, ejusmodi de ea controversia ex sacris Litteris, ex Patribus, et ex aliis monumentis vetustis concinnavit Dissertationem, ut ea videatur sufficere posse viris eruditis ad eam sententiam amplectendam, sicut revera non pauci eam amplexi sunt. Verumtamen eamden non pauci etiam, duce Tillemontio, aut refutare conati sunt, aut certe sequi noluerunt, suamque oppositam ita pro certa tenuerunt, ut statim sine multo examine, sine idoneis rationibus aliis, tamquam improbabile et fundamento destitutum rejecerint, quidquid in Actis Sanctorum aliorum nequit* C *componi cum illa opinione de* Jacobo Alphæi *et* Jacobo Fratre Domini *non distinguendo.*

cum variis Sanctorum Actis connexæ.

2 *Hoc incommodum expertus sum, quando ad* XXI *Septembris illustrare cœperam Acta S. Matthæi Apostoli, qui alio nomine dicitur* Levi Alphæi : *ex quo cognomine aliqui credunt fratrem fuisse* Jacobi Alphæi, *viam huic opinioni sternentibus Chrysostomo et Theodoreto. Etenim adverti, illam opinionem censoria gravitate a variis rejici, tamquam attentione indignam, et facile deprehendere potui, id hac maxime de causa fieri, quod* Jacobus Alphæi *credatur* Frater Domini, *quod si verum est, certo non est frater Matthæi. Major etiam orietur necessitas aliquid certi de illa controversia stabiliendi ad* XXV *Septembris, ubi agetur de S. Cleopha, qui Fratrum Domini, certe aliquorum, pater creditur, et de quo adversarii nostri conjecturas, nescio quas, facere coguntur : ac maxime demum ad* XXVIII *Octobris, quando coluntur* SS. Simon et Judas *Apostoli, quos ambos alii, alii solum Judam inter Fratres Domini numerant. Nos vero existimamus, nullum ex iis, quos Evangelia* Fratres Domini *nominant, duodecim Apostolorum collegio adscriptum fuisse, illudque sufficienter probari posse ex ipsis Evangeliis secundum interpretationem sanctorum Patrum intellectis, et hanc esse sententiam Patrum quasi omnium, quos sequi nos decet. Itaque argumenta illa, quæ ex sacra Scriptura breviter insinuavit Henschenius, latius deducam, et allegandos sacræ Scripturæ textus ex mente sanctorum Patrum exponam. Horum vero gravissimam auctori-* E *tatem pro sententia nostra iterum producam, simulque expendam responsa Tillemontii, et argumenta ipsius examinabo tam fideliter, ut non dicam ullam ipsius rationem, sed ne verba quidem ulla ad quæstionem spectantia sim prætermissurus. Verumtamen, ut disputationi nostræ plus perspicuitatis et ordinis accedat, non recensebo Tillemontii dicta eo ordine, quo ea ipse protulit; sed ad argumenta nostra singula docebo, quid ipse ad ea infirmanda protulerit : deinde argumenta referam, et quam sint levia, ostendam. Demum, si quid ab aliis Tillemontii dictis additum repero, similiter sedulo illud discutiam.*

et status controversiæ exponitur,

3 *Hisce dictis de ordine Dissertationis, restat, ut pauca quoque dicamus de statu quæstionis. Henschenius ad* I *Maii disputavit de solo* Jacobo Fratre Domini, *ut ostenderet, hunc necessario distinguendum a* Jacobo Alphæi, *cum illorum solum Acta ibidem illustraret. Ego autem disseram de omnibus quatuor, qui in Evangelio* Fratres Domini *vocantur. Horum nomina exponuntur Matth.* 13 ỳ 55 *hoc modo* : Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria; et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? *In textu Græco pro* Joseph *scriptum est* Joses, *uti etiam* F *apud Marcum, qui eos cap.* 6 ỳ 3 *ita recenset* : Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph*, et Judæ, et Simonis? *Hos quatuor nominari* Fratres Domini *agnoscit Tillemontius : nec ullus alius notus est eo nomine. Itaque hi quatuor ubique videntur designari, quando generatim vocantur* Fratres Domini, *ut variis locis fit in Evangeliis et in aliis sacræ Scripturæ locis. Henschenius autem, etiamsi de solo* Jacobo *disputaverit ad* I *Maii, aliis tamen locis abunde declaravit mentem suam de aliis Fratribus, nimirum nullum ex illis fuisse in numero duodecim Apostolorum. Jam vero de laudatis Domini Fratribus non examinabo, quare honorificum illud nomen obtinuerint, aut in quo consanguinitatis gradu cum Jesu essent connexi; neque inquiram, an omnes fuerint fratres germani, ex eodem patre et matre nati, de quo dubitant nonnulli. Illud unum inquiro, utrum sacræ Scripturæ et sanctis Patribus satis consona videatur sententia illorum, qui* Jacobum, *aut* Judam, *aut* Simonem *duodecim*

* Græce Ἰωσῆ.

AUCTORE J. S.

Apostolis annumerant: *nam de* Josepho *aut* Jose *nulli id incidere potuit, cum duodecim Apostolorum nullus id nomen habeat.*

CAPUT I

Ex Evangeliis ostenditur et Actis Apostolorum, nullum e Fratribus Domini fuisse inter Apostolos duodecim.

Fratres Domini non credebant in Christum, quando Apostoli

Primum argumentum, quod vel solum sufficere videtur ad controversiam decidendam, desumo ex Evangelio Joannis cap. 7, *ubi hæc leguntur*: Post hæc ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum Fratres ejus : Transi hinc et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim Fratres ejus credebant in eum. *Nullus negabit, aut certe negare poterit, duodecim Apostolos fuisse electos, antequam hæc contigerunt: nam Judæi quærebant Jesum interficere; quæ scelerata eorum cogitatio non suscepta est, nisi postquam Jesus Apostolos diu elegerat. At probatio clara et evidens reperitur apud ipsum Joannem cap.* 6; *ibi enim postquam Jesus disputaverat de Corpore et Sanguine suo fidelibus dando,* ℣ 67 *dicuntur* multi *a Jesu recessisse, subditurque* ℣ 68 : Dixit ergo Jesus ad duodecim *(Apostolos utique :)* Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes : et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim. *Hæc dicente Domino, electi certo erant duodecim Apostoli, de quibus repetita fit mentio. Mox autem sequuntur verba data* : Posthæc *etc.*; *ut nullum possit esse dubium, quia Joannes dicat de tempore, quo electi dudum erant Apostoli* : Neque enim Fratres ejus credebant in eum. *Fatentem hic habemus Tillemontium tom.* I *Nota* I *in Jacobum Minorem, ubi de his disserit, et agnoscit* anno ante mortem Christi *hæc facta esse*; *electionem vero Apostolorum figit annis duobus ante Domini mortem. Quid autem responsi attulerit, mox dicam.*

dudum erant electi, ideoque ab Augustino, Chrysostomo,

5 *Verum prius audiamus, quid clarissimi Patres colligant ex allegatis verbis. S. Augustinus Tract.* 28 *in Joan. Evang. in illa verba* : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis : *scribit sequentia* : Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim Fratres, id est consanguinei, Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt. Dictum est in Evangelio; non enim hoc nos audemus opinari *(id est, ex opinione solum dicere)*; modo audistis : *nimirum verba illa* : Neque enim Fratres ejus credebant in eum. *Plura disserit Augustinus, inquirens causam incredulitatis Fratrum Domini, quæ prætermitto. At verba jam allegata solum expendo. Primum ait*: Opera Domini Discipulos non latebant, sed istos *(Fratres scilicet)* latebant. *Augustinus igitur non annumerabat eo tempore Fratres Domini Discipulorum, et minus Apostolorum numero; sed illos clarissime a discipulis distinxit ob incredulitatem ab Evangelista assertam. Chrysostomus Hom.* 48 *(alias* 47*) in Joannem ubi ostenderat, Fratres Christi in ipsis verbis dedisse incredulitatis signa, duos ex illis laudat ab emendatione post secuta, ita scribens* : Tu vero Christi virtutem considera : ex his enim, qui talia dicebant, primus fuit Jerosolymorum episcopus, beatus Jacobus, de quo Paulus dicit : « Alium autem Apostolorum vidi neminem, » nisi Jacobum fratrem Domini. » Dicitur et Judas mirabilis fuisse. *Plura ex Chrysostomo adducam, postea : hic solum observo, nec* Jacobum, *nec* Judam, *nec ullum ex Fratribus Domini ab ipso Apostolis annumeratum, idque ob locum Joannis supra datum, ut ipse fatetur Tillemontius. Consentit S. Cyrillus Alexandrinus in Joannem lib.* 4 *pag.* 398 *eumdem exponens locum, et hæc scribens* : Notat porro commode sapientissimus Evangelista, ejus Fratres nondum in eum credidisse. Absurdissimum enim esset, eos tam frigidorum verborum reos esse, si jam per fidem Deo congruentem de ipso cognitionem hausissent. Sed postquam, intellecto magno illo mysterio, crediderunt, eo pietatis ac virtutis evehuntur, ut et Apostoli vocati sint, et pietatis laude mirifice inclaruerint. *His verbis insinuat Cyrillus, nullos ex Fratribus excipere se ab illa incredulitate, sicut nec Augustinus, nec Chrysostomus ullum excepit: nam qui postea* Apostoli *vocati sunt, præ ceteris sunt* Jacobus et Judas.

et Cyrillo Alexandrino generatim Apostolorum numero excluduntur.

6 *Ne quis porro dicat, Cyrillum credidisse, ex duodecim Apostolis fuisse istos Fratres; audi, lector, quid paulo ante pag.* 392 *dicat in verba Petri superius data,* Et nos credidimus etc. Mira *inquit*, est sanctorum Apostolorum fides, fervida confessionis ratio, eximia et præcellens consensio. *Vidit igitur, non posse duodecim Apostolis annumerari Fratres Domini, qui paulo post dicuntur non credidisse. Itaque ex mente laudatorum Patrum argumentum deduco hoc modo. Fratres Domini non credebant, quando duodecim Apostoli credebant, excepto Juda, qui aut fidem aut certe morum innocentiam jam tum perdiderat, et Christum erat traditurus. Ergo* Fratres Domini *non erant de numero duodecim Apostolorum. Judam excipit Christus ipse, quando dicenti pro omnibus Petro;* Et nos credidimus *etc. respondit* : Nonne ergo vos duodecim elegi? Et ex vobis unus diabolus est; *ut observat Chrysostomus Hom.* 47 *his verbis* : Quia enim ille dixerat, Et nos credidimus, excipit (*Christus*) ex numero Judam. *Existimabat Petrus, omnes credere; sed unum excipit Christus, ut advertit etiam Cyrillus pag.* 394 : *et Augustinus tract.* 27. *Quid ad istud argumentum recte responderi possit, plane non video.*

Quæ ad hoc argumentum respondit Tillemontius, partim aperte falsa sunt,

7 *Tillemontius tamen aliquid saltem dicere breviter conatur, dissimulans magis vim argumenti, quam aliquid apte respondens. Natalis Alexander tom.* 2 *Historiæ ecclesiasticæ recusæ pag.* 16 *Tillemontio inhærens, responsum ejus Latine sic effert* : S. Joannes Chrysostomus Homilia 5 in Matthæum, Jacobum Jerosolymorum episcopum ex eorum numero esse ait, qui in Jesum Christum non crediderunt ante illius Resurrectionem, quod in Evangelio scriptum sit : « Fratres ejus non credebant » in eum » : sed cum S. Judam apostolum excipere necesse sit, cur non et S. Jacobum Minorem excipiamus? *Hic est sensus Tillemontii, qui tamen duo*

A *duo aut tria addit, nimirum* omnes, *quantum existimat,* consentire, *excipiendum esse* S. Judam *a numero Fratrum non credentium, et sententiam Chrysostomi non cohærere cum opinione veterum de* Jacobo *ordinato episcopo Hierosolymitano ante Pentecosten; demum aliquos e Fratribus statim credere potuisse, alios diu manere incredulos. Hæc Tillemontius et Alexander. Quam vero inepta sit tota illa responsio, attentus lector statim percipiet. Primo non capio illum disserendi modum, quo asserit,* omnes consentire, *inter duodecim Apostolos numerandum esse* Judam, *fratrem* Jacobi, *quandoquidem sciverit, Chrysostomum et Henschenium, contra quos disserit, id negare; ipseque contra eos id probare tentet Nota* 2 *in* S. Judam. *Quam inepte sine auctoritate sanctorum Patrum et omnino contra Patrum auctoritatem* Judæ *apostolatum ibi probare velit, suo loco ostendam. Hic solum observo, falso asserere Tillemontium, de* Juda *omnes consentire, nec ignorasse se falsa dicere. Quid igitur virum alias eruditum in ejusmodi scopulos impegit, nisi inopia respondendi? Liceat candide verum dicere; respondere aliquid verisimile non potuit, tacere tamen noluit. Hinc fucum saltem*
B *facere conatus est, et assumpsit ut admissum ab omnibus; quod ab illis ipsis, quos oppugnabat, diserte negabatur. Secundo quod asserit de Chrysostomo,* Jacobum *non credidisse, nisi post Resurrectionem Christi, ab illo Doctore non asseritur, saltem tam clare, ut aliter nequeat exponi. Verba ipsius Hom.* 5 *in Matthæum hæc sunt de omnibus Domini Fratribus:* Nam qui illum *(Christum)* vituperabant viventem, ita post mortem ipsum admirati sunt, ut cum alacritate magna vitam pro ipso profunderent : quæ virtutem Resurrectionis cum primis demonstrant. *Hæc, inquam, verba, quæ dicuntur occasione illius textus :* Neque enim Fratres ejus credebant in eum; *non insinuant satis clare, post Resurrectionem solum credidisse* Jacobum *et Fratres. Nam Chrysostomus opponit tempus, de quo illud Joannes de incredulitate asseruerat, tempori posteriori Resurrectione Christi, et ipsorum incredulitatem summæ eorumdem fidei, quam virtuti Resurrectionis attribuere videtur; sed minime edicit, utrum numquam credere cœpissent, vivente Christo. Verum hæc pro explicanda mente Chrysostomi, quæ alias ad propositum nostrum non pertinent.*

omnia vero destituta fundamento, et Patribus contraria.

8 *Jam vero responsum ipsum Tillemontii et Alexandri excutiamus. Dicit generatim Joannes Apostolus :* Neque enim Fratres ejus credebant in eum. *Fratres Christi quatuor enumeraverant Matthæus et Marcus, laudati num.* 3; *neque id ignorare poterat Joannes, qui post alios Evangelistas scripsit Evangelium. Prætera præ ceteris* S. Jacobus *in Epistola ad Galatas vocatur* Frater Domini. *Joannes tamen post omnia illa scribens Evangelium, generatim edicit:* Neque enim Fratres ejus credebant in eum. *At, inquiunt, oportet excipere* Judam, *et consequenter licet excipere* Jacobum. *Quæro ego, cujus auctoritate illos excipere liceat, et nullam invenio. Non excepit S. Augustinus, non S. Chrysostomus, non S. Cyrillus, qui locum exposuerunt : non excepit ullus sanctorum Patrum mihi notus, aut ab ipsis allegatus. Qua igitur auctoritate ipsi excipiunt? qua etiam ratione? qua necessitate? Nulla certe ullius Patris auctoritate, cum nullum pro sua exceptione producant. Nulla similiter ratione, cum rectæ rationi consonum non sit existimare, Evangelistam generatim dixisse de Domini Fratribus, quod verum non erat, nisi de duobus ex quatuor. Necessitatem quoque nullam esse illius exceptionis, docebit tota hæc Dissertatio, qua ostendam, nihil in sacris Litteris reperiri, ex quo ullus Patrum, (excepto juvene Hieronymo, qui illud argumentum ipse postea improbavit) deducere voluit, apostolum ex duodecim fuisse* Jacobum *aut* Judam; *nihil, ex quo id per sanam dialecticam deduci possit; sed miserum esse sophisma, quod pro sua opinione allegant adversarii. Quapropter non dubito de illa Tillemontii exceptione asserere, eam omni fundamento carere in sacra Scriptura, et non modo a Patribus non fuisse assertam, sed iis esse contrariam.*

[illegible] I. 8.

Ex aliis Evangeliorum locis clare colligitur

9 *Post præclarum istud responsum Tillemontius consequenter subjungit hæc verba :* Nihil igitur habetur in sacra Scriptura, quod impedit, quo minus credamus, S. Jacobum Hierosolymitanum episcopum esse eumdem cum S. Jacobo Alphæi. *Attamen multos alios ex sacra Scriptura textus allegaverat Henschenius in* S. Jacobo § 2, *ad quos Tillemontius nihil respondit. Quapropter secundum ex iis argumentum desumo. Apud Matthæum cap.* 12 ℣ 46 *hæc leguntur :* Adhuc eo loquente *(Jesu nimirum)* ad turbas, ecce Mater ejus et Fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam : Ecce Mater tua, et Fratres tui foris E stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est Mater mea, et qui sunt Fratres mei? Et extendens manum in Discipulos suos, dixit : Ecce Mater mea, et Fratres mei *etc. Eadem referuntur apud Marcum cap.* 3 ℣. 31 *his verbis :* Et veniunt Mater ejus et Fratres : et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum, et sedebat circa eum turba : et dicunt ei : Ecce Mater tua et Fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis, ait : Quæ est Mater mea et Fratres mei? Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait : Ecce mater mea et Fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea et mater est. *Rursum apud Lucam cap.* 8 ℣ 19 : Venerunt autem ad illum Mater et Fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. Et nuntiatum est illi : Mater tua, et Fratres tui stant foris, volentes te videre. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea, et Fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt. *Hæc apud laudatos Evangelistas leguntur satis diu post electionem Apostolorum : nec ullum esse existimo, qui electionem duodecim Apostolorum non præponat historiæ modo relatæ. Consentit certe ipse Tillemontius* F *tom.* I *in Jesu Christo art.* 9. *At nos mentem sanctorum Patrum scrutemur.*

Fratres Domini, electis jam Apostolis, necdum fuisse ex illis,

10 *Chrysostomus Hom.* 44 *(alias 45) in Matthæum agit de allegato loco, laudatque textum alium de Fratribus Jesu, qui Matth.* 13 ℣. 55 *ita sonat :* Nonne Mater ejus dicitur Maria; et Fratres ejus, Jacobus et Joseph, et Simon, et Judas? et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? *Marcus cap.* 6 ℣ 3 : *Eadem his dicit verbis :* Nonne hic est faber, Filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? Nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? *Jam vero non est necesse, opinor, multis probare, illos hic nominari Fratres, qui supra cum S. Maria dicuntur foris stetisse, quando ad discipulos suos turbamque congregatam loquebatur Jesus. S. Epiphanius Hær.* 78 *pag.* 1041 *aperte edicit, illos, qui cum S. Maria foris steterunt, fuisse* Jacobum, Jose, Symeonem, Judam. *S. Hieronymus in Matthæi cap.* 12, *explicans illa verba Christi :* Ecce Mater mea, et Fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est : ipse meus frater, et soror, et mater est : *post aliqua huc minus spectantia, sic habet :*

AUCTORE J. S.

bet : Apostolos cognationi prætulit, ut et nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus. *Et mox ex Fratribus, quos clare cum Evangelio ab Apostolis distinguit, meminit* Jacobi Minoris et Joseph et Judæ. *S. Hilarius in Matthæum cap.* 12 *eumdem locum ita commentatur :* Et quia *(Jesus)* totum istud in paternæ Majestatis virtute loqueretur, nuntianti sibi quod foris a Matre atque a Fratribus expectaretur, manum in discipulos extendens, eos sibi Fratres esse Matremque respondit, et quicumque voluntati paternæ obsecutus esset, eum esse et fratrem et sororem et matrem : formam seipsum universis agendi sentiendique constituens, propinquitatum omnium jus atque nomen jam non de contentione * nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum. *Et post alia, quibus ostendit, Matrem non fuisse contemptam a Christo :* Est autem etiam, *inquit*, in eo typica ratio servata ut Mater ejus et Fratres foris starent, cum utique ingrediendi ad eum haberent, ut ceteri, potestatem. Sed quia in sua venit, et sui eum non receperunt; in Matre ejus ac Fratribus synagoga et Israelitæ præfigurantur, ingressu ejus atque aditu abstinentes. *Similia quoque observant Hieronymus loco mox allegato : et S. Ambrosius in Lucam cap.* 8 ℣. 21, *clare item insinuans, ab Apostolis se distinxisse Fratres, qui cum Matre Domini foris stabant. Nam subdit :* Itaque qui se intelligeret propter divinum in terras venisse mysterium, Ecclesiæque conventum, relictis navem ascendit parentibus ; *id est Matre et Fratribus sive consanguineis. Ait, Christum in navim ascendisse, quia id sequitur apud Lucam. Non disputo, an id statim sit factum; sed solum expono mentem Ambrosii de illis Fratribus, quos ait relictos fuisse, utique extra navem, cum mox Apostolos cum Christo in navi collocet, ut certum sit, illos ab Ambrosio non existimatos Apostolos.*

* conditione(?)

B

qui Christum sequebantur;

11 *Liceat modo post laudatos Patres, a quibus dissentientem reperi Patrem nullum, ostendere, Fratres illos, qui cum sanctissima Virgine Matre veniebant ad Jesum, discipulis suis prædicantem, et foris stabant, non fuisse ex duodecim Apostolis. Etenim illud,* extendens manum in Discipulos suos, *insinuat, Apostolos fuisse prope Christum, ideoque certo distinctos a Fratribus foris stantibus. Deinde Apostoli passim aderant prædicationibus Christi; at Fratres illi aliunde cum sanctissima Virgine adveniebant ad loquendum cum eo. Itaque Fratres illi non videntur Jesum secuti fuisse, ut sequebantur Apostoli : idque clarius etiam insinuat alter locus, ubi omnes recensentur :* Nonne Mater ejus dicitur Maria? et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon et Judas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? *Insinuant hæc, omnes illos Christi cognatos in eadem civitate habitasse cum Sanctissima Matre, nec Jesum prædicantem secutos fuisse usque ad tempus, quo illa diceban rut. Hinc Chrysostomus in Joannem Hom.* 23 *(al.* 22*) quærens, cur venerit Capharnaum cum Matre et Fratribus, ut dicitur Joan.* 2 ℣ 12, *ita loquitur :* Ut mihi quidem videtur, quia paulo post iturus erat Jerolosymam, ideo tunc abiit, ne Matrem et Fratres ubique secum traheret. Abiens igitur, illicque in Matris honorem paulum commoratus, iterum miracula aggreditur, cum illam ibi reliquisset. *Demum si addamus causam, cur sanctissima Maria cum dictis Fratribus venerit ad Jesum, prout exponitur apud Marcum cap.* 3 ℣ 21 *nullum remanere videbitur dubium, quin Fratres distinguantur ab Apostolis, et eo tempore cum sanctissima Virgine habitarent. Nam ita habet Evan-*

C

gelista : Et cum audissent sui *(mirabilia Christi)*, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est *(in textu Græco* ἐξέστη extra se est *aut* excessit). *Hoc alii forsan dicebant, et certe non dixit sanctissima Virgo. Attamen illa comitata est Fratres Domini, ut facere poterat, ne illi ipsi contra Jesum excederent, si quid forte de eo mali etiam ipsi suspicabantur. Tillemontius ipse in sanctissima Virgine art.* 5 *hunc locum de S. Maria et Fratribus Domini exponit cum aliis passim interpretibus. At oblitus est hic excipere* Jacobum et Judam, *quos facit Apostolos : Apostolorum enim non erat domi manere, et exire ad Jesum a prædicatione avocandum, aut certe timoris alicujus causa, cum ipsi Jesum melius nossent, sequerentur et audirent.* D

12 *Porro quoniam in exponenda sacra Scriptura Patres sequor, audiamus etiam Origenem in locum num.* 10 *datum Matth.* 13, *ubi quatuor Fratres nominantur. Ille tom.* 3 *novissimæ editionis pag.* 463 *quæ noverat de istis Fratribus, ita exponit :* Jacobus autem is est, quem se vidisse Paulus profitetur in Epistola ad Galatas, dicens : « Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini ». *Tum refert ea, quæ de* Jacobo *scripsit Josephus Hebræus, et* ad Judam *pergit hoc modo :* Et Judas Epistolam scripsit, paucorum quidem versuum, plenam vero efficacibus verbis gratiæ cælestis, qui dixit initio : « Judas Jesu Christi servus, frater autem « Jacobi. » De Joseph autem et Simone nihil habemus compertum. *Ita in locum Matthæi de quatuor Domini Fratribus commentatur Origenes, qui* Jacobi *aut* Judæ *apostolatum inter duodecim si novisset, minime de eo siluisset, cum præcipua ipsorum decora referat, et de* Joseph et Simone *nihil sibi compertum fateatur. At mox clarius etiam insinuat, nullum illorum duodecim Apostolis fuisse aggregatum, dum sequentia verba :* Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? *ita exponit :* Videtur mihi tale quidpiam significare : Nostra sapiunt, non ea, quæ sunt Jesu, neque quicquam inusitatum et novum habent eximiæ intelligentiæ, quemadmodum habet Jesus. *Hæc expositio, quam ad omnes extendit Origenes; dicens mox, quod* nihil cuiquam cognatorum simile haberet *Jesus, non poterat Origeni incidere, nisi omnes Apostolorum numero exclusos voluisset, cum saltem Apostoli illud accepissent præ ceteris hominibus a Jesu, et cum eo simile haberent, quod patrarent miracula. Malim tamen illud Matthæi,* apud nos sunt, *et Marci,* hic nobiscum sunt, *sensu magis obvio de habitatione intelligere. At ex habitatione in eadem urbe, dum Jesus Galilæam et Judæam cum Apostolis peragrabat, non minus certo colligitur, Fratres illos non fuisse Apostolos.*

sed in eadem urbe habitasse cum sanctissima Virgine;

E

F

13 *Hoc rursum confirmatur ex Evangelio Joannis cap.* 7, *ubi Christus invitatus a Fratribus, ut simul irent Hierosolymam, eo cum ipsis proficisci noluit; postea tamen, dum illi discesserant, profectus est. Priora verba dedi num.* 5. *Deinde* ℣ 8 *hæc leguntur :* Vos ascendite, *inquiebat Jesus Fratribus,* ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt Fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. *Chrysostomus Hom.* 49 *(al.* 48*) in Joannem ad verba data notat sequentia :* Hæc (ut ascenderunt Fratres ejus) significant, ipsum noluisse cum illis ascendere. Quamobrem ibi manet, neque sese manifeste ostendit, licet id illi suaderent. *Cyrillus in Joannem pag.* 401 *locum sic explicat :* Negat Dominus aperte tandem, se cum Judæis

ut rursum colligitur ex loco, ubi Fratres sine Jesu ad festum accedunt.

A Judæis festum celebrare velle, aut una proficisci, umbraticam lætitiam simul cum ullis *(illis)* percepturum. Quod enim ad paucos dictum est, qui Fratres habebantur, ad totum Israelitarum genus significatione pertinet. *Hæc ubi confirmaverat, docueratque, Christum non odio Fratrum, sed festivitatis Judaïcæ, noluisse ad festum proficisci, ita rursum loquentem ad Fratres inducit :* Vos igitur, inquit, qui umbram adhuc diligitis, quique crassius et Judaico more de his sentitis, ascendite ad celebritatem typicam et umbratilem *etc. Deinde pag.* 404 *observat, Christum deinde profectum esse Hierosolymam,* non ut festum una cum ipsis *(Judæis)* celebraret, sed ut cum eis dissertaret ; *et ita recte tollit apparentem contradictionem. Nunc vero edicant adversarii, an verisimile sit, Christum noluisse proficisci cum Apostolis suis, aut permisisse, ut Apostoli sui celebrarent festivitatem Judaïcam, quam ipse celebrare nollet. An ipsi etiam Apostoli voluissent, relicto Jesu, ad festum se conferre ? Hoc certe nequaquam est verisimile, cum paulo ante Joan.* 6 ℣ 68 *roganti Christo,* Numquid et vos vultis abire? *omnium nomine respondisset Petrus :* Domine, ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes.

Aliud argumentum ex verbis Christi :

14 *At Fratres illos non fuisse Apostolos, rursum clare insinuant verba Christi ad illos Joan.* 7 ℣ 7 : Non potest mundus odisse vos : me autem odit. *Quis enim credat discipulos primarios non potuisse odio esse illis, qui oderant Magistrum? Certe Christus Joan.* 15 ℣ 18 *Apostolos suos alloquitur his verbis :* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Rursum Joan.* 17 ℣ 14 *orans pro Apostolis, Patrem ita alloquitur :* Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit *etc. Non erant igitur Apostoli, quando eis dicebat Christus :* Non potest mundus odisse vos. *Clariora hæc esse puto, quam ut necesse sit Patrum verba adducere, licet Augustinus, Chrysostomus et Cyrillus opportuna ad propositum nostrum adjecerint. Solum itaque ex Chrysostomo Hom.* 48 *observo, Christum dixisse Fratribus,* Vos ascendite ad diem Festum..., ut permitteret Judaïcos servare ritus. *Et ex Cyrillo pag.* 398, *post notam ipsorum illius temporis incredulitatem, de subsecuta eorumdem fide, sequentia :* Fratres enim, *inquit,* qui ante fidem spreverant, et verbis modo allatis vociferantes in eum propemodum insurrexerant, congregati sunt C per fidem, et locuti sunt bona de ipso, cæteris opitulantes, ac fidei doctrinam tuentes. *Non autem existimo, eos solum credere cœpisse post Resurrectionem Christi, ut Chrysostomum male exposuit Tillemontius, sed etiam ante Passionem Domini. Cum enim Matth.* 27 ℣ 56 *et Marc.* 15 ℣ 40 *inter mulieres, Christi passionem* de longe aspicientes, *recenseatur* Maria Jacobi Minoris et Joseph mater, *quæ jam Christum secuta cum aliis dicitur* in Galilæa, *verisimillimum est, matre ipsorum Jesum sequente, similiter secutos fuisse filios, quos cum Apostolis etiam in cœnaculo fuisse, et cum ipsis Spiritum sanctum accepisse videbimus ; ut satis appareat verisimile, Fratres illos deinde fuisse inter Discipulos septuaginta duos. Nam electio horum discipulorum videtur posterior omnibus illis, quæ de Fratribus Domini adducta sunt. Illam tamen quæstionem hic examinare nolo, quia nihil certi reperio in sacra Scriptura.*

aliud ex Actibus Apostolorum.

15 *Restat argumentum aliud ad omnes Domini Fratres ab Apostolis duodecim distinguendos. In Actibus Apostolorum cap.* I *enumerantur Apostoli undecim, qui ingressi sunt in cænaculum post Christi Ascensionem, ut simul orarent, et Spiritum sanctum acciperent. Undecim autem Apostoli dicuntur ibi orasse* cum mulieribus, et Maria Matre Jesu, et Fratribus ejus, *Jesu nimirum, ut liquet ex Græco, ubi illud* ejus *est* αὐτοῦ. *Hinc Chrysostomus Hom.* 3 *in Acta Apostolorum ad illa verba,* Et Fratribus ejus, *ait :* De iis loquitur, qui prius non credebant in eum. *Jam vero lubet interrogare adversarios, cur S. Lucas dicat generatim, undecim Apostolos ibi fuisse cum Fratribus Jesu, si ex illis undecim duo erant Fratres, aut tres, ut nonnulli crediderunt, qui etiam* Simonem *Apostolis duodecim annumerarunt ? Tres illi ibidem a Luca vocantur,* Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. *Si Fratres Domini fuissent illi tres, aut ex illis duo, an non videtur istud insinuaturus fuisse Lucas, ne lector Fratres Domini ab illis perperam distingueret, ut distinxit attentissimus ad omnes sacræ Scripturæ apices Chrysostomus? Certe nequeo ego judicare ita Lucam scripsisse, ut intra paucos versus bis easdem personas poneret modis diversis, et Fratres Domini, qui eo tempore notissimi erant, generatim Apostolis adjungeret, si duos aut tres* E *ex ipsis in numero Apostolorum recensuisset.*

Actes 1. 5.

Ratio prima distinguendi Jacobum Alphæi a Fratre Domini,

16 *Pergamus modo ad singulos Fratres, ac primum quidem* Jacobum *ab apostolo* Jacobo Alphæi *distinctum, alio etiam argumento ostendamus. Duodecim Apostoli enumerantur Matth.* 10, *Marc.* 3, *et Luc.* 6. *Et post lapsum Judæ proditoris, reliqui undecim recensentur in Actibus Apostolorum cap.* I. *Ubique* Jacobus Alphæi *sine ulla nominis mutatione in dictis catalogis ponitur. At extra catalogos Apostolorum de* Jacobo Alphæi *numquam in Scripturis fit mentio, certe cum* Alphæi *cognomine. De* Jacobo *autem Fratre Domini modis multum diversis mentio fit in Scripturis. Apud Marcum cap.* 15 ℣ 40 *vocatur* Jacobus minor, *Græce* Jacobus parvus. *In Epistola ad Galatas cap.* I ℣ 19 *dicitur* Jacobus Frater Domini, *qualis fuisse dicitur Matth.* 13 ℣ 55, *et Marc.* 6 ℣ 3. *Demum in Actis Apostolorum variis vicibus* Jacobus *nude nominatur. Nunc primum quærere mihi liceat, qua de causa in omnibus Catalogis Apostolorum tam sollicite semper ponatur* Alphæi *cognomen, nisi ad distinctionem aliorum ; et cur numquam ibi vocetur* Frater Domini, *quo titulo ab omnibus clarissime fuisset distinctus? Sane, qui Catalogos istos texuerunt, Matthæus, Marcus et Lucas, Fratres Domini non ignorabant, et duo priores om-* F *nium nomina recensuerant. Lucas vero de* Jacobo Fratre Domini *crebram facturus erat mentionem, ut facile possent ipsum eo titulo in catalogis Apostolorum a reliquis* Jacobis *distinguere. Qua igitur de causa id ipsos non fecisse dicemus, nisi quia* Jacobus Alphæi et Jacobus Frater Domini *erant homines diversi, ut aliis argumentis jam probavi, et veneranda Patrum antiquitas tradidit ?*

altera non plane eluctabilis,

17 *Secundo* Jacobus Alphæi *idem est ac* filius Alphæi, *quemadmodum* Jacobus Zebedæi, Simon Joannis, *et alia multa ejusmodi nomina. Consentientem habeo Augustinum in libro Locutionum Genesis tom* 3 *Operum part.* I *col.* 329, *ubi hoc ipsum adducit exemplum, ita scribens :* Sicut cum dicitur Jacobus Alphæi, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur : et multæ sunt tales locutiones Scripturarum, ubi filius tacetur, et intelligitur. *De hac veritate non dubitavit etiam Chrysostomus, qui Hom.* 32 *(al* 33) *in Matthæum, explicans catalogum Apostolorum, Judam Jacobi a proditore distinguit, et ita loquitur :* Erat enim alius

alius Judas Lebbæus, qui cognominabatur Thaddæus, quem Jacobi esse filium ait Lucas, dicens : Judas Jacobi. *Græce quidem solum legitur* Ἰακώβου φησὶν εἶναι, *ad verbum* quem Jacobi dicit esse. *At ridebitur merito ab omnibus, siquis negaverit recte ab interprete* filium *exponi. Itaque* Judas Jacobi *Chrysostomo idem est ac* filius Jacobi, *sicut Augustino* Jacobus Alphæi *est* filius Alphæi. *Alqui nullus ex Fratribus Domini dicitur fuisse* filius Alphæi *aut* filius Jacobi, *imo de nullo alio Alphæo fit mentio in Scripturis, nisi de patre* Matthæi *apostoli, et de patre* Jacobi *apostoli, sive is idem sit Alphæus, et pater utriusque apostoli, quod hic non inquiro, sive duo fuerint Alphæi, ambo alicujus apostoli patres.*

ad quam adversarii nonnulla inepte,

18 *Verum huic argumento multum inhærere nolo, ne in immensum crescat disputatio. Tam varia enim respondentur ab adversariis, ut videam aliquid saltem ex omnibus, quæ dicuntur, verum esse posse, eaque de causa argumentum non esse ineluctabile. Itaque breviter edicam, quid respondeant. Respondet Tillemontius Nota* I, *certum non esse* Jacobum *dici* Alphæi, *quod* Alphæi *esset filius,* quia cognomina illa variis de causis imponi possunt,
B *inquit. Laudat pro ea ratione S. Hieronymum contra Helvidium. At loco illo, quem assignat, Hieronymus plane dicit contrarium, et Helvidio dilemma proponens, ita loquitur:* Apostolum vis esse, an non? Si apostolus est, Alphæi filius erit *etc. Itaque inepta est illa Tillemontii responsio, et Hieronymo æque ac Augustino et Chrysostomo contraria. Secundo respondet,* Jacobum *apostolum non necessario distinguendum a Fratre Domini, etsi credatur filius Alphæi, idque se ait ostensurum Nota* 2. *Hoc autem loco allegat Bedam, dicentem, Cleopham, quem aliqui Patres* Jacobi *patrem dicunt, posse eumdem esse cum Alphæo, additque nonnullos eruditos credere, idem in lingua Orientali esse nomen* Alphæi *et* Cleophæ. *At hæc de eodem nomine jam refutata sunt a Papebrochio nostro ad* XXVI *Maii in Alphæo num.* 6, *nec admissa est, ut satis verisimilis, responsio de gemino Alphæi aut Cleophæ nomine.*

aliaque sine idoneo fundamento respondent.

19 *Tertio ait Tillemontius, dici etiam posse, Mariam sororem beatissimæ Virginis Mariæ primis nuptiis maritum habuisse Alphæum, ex eoque genuisse* Jacobum, *post mortem vero Alphæi nuptias contraxisse cum Cleopha. Hæc conjectura*
C *præcedentibus minus displiceret, si necesse esset facere conjecturas, eo quod aliunde constaret, duos illos* Jacobos, *de quibus disputatur, eumdem esse hominem. At aliunde constat de opposito. Quarto ait credi ab aliis, Mariam Cleophæ fuisse filiam Cleophæ, primi mariti S. Annæ, uxorem vero Alphæi. At hæc inepta rursum est conjectura, rejectaque apud nos ad* IX *Aprilis in S. Maria Cleophæ, et ulterius ad* XXVI *Julii in S. Anna. Hæc ille ibidem, rediens tandem ad* Alphæum, *cujus filium* Jacobum *mavult credere, quam Cleophæ. Itaque, ne prolixior fiam, generatim ad omnes istas conjecturas observo, nullum haberi in sacris Litteris fundamentum, nullum in Operibus sanctorum Patrum, quo conjecturæ illæ fulciantur; nullamque esse necessitatem Alphæum aliquem consanguineis Christi addendi. Quam enim levia sint argumenta, quæ ex sacris Litteris adduxit Tillemontius ad* Jacobum Alphæi *statuendum unum e Fratribus Domini, mox ex illorum refutatione planum fiet.*

Judas etiam nominatim a Juda apostolo ex Scriptura distinctus.

20 *De* Juda *Fratre Domini minus disputatum est a sanctis Patribus, quia minus inclaruit, licet fuerit inter viros Apostolicos, et subinde nominatus Apostolus. Hunc autem distingui a* Juda Thaddæo *apostolo, non solum evincunt argumenta, quibus omnes Fratres Domini ab Apostolis distinximus, sed nominatim etiam hunc* Judam *distingui, sacra Scriptura satis innuit, præsertim si auctoritatem Hegesippi, hac in parte passim admissam, conferamus. Apostolus* Judas, *quem cum Fratre Domini eumdem vult Tillemontius, in catalogis Apostolorum varie nominatur. Matth.* 10 *dicitur* Thaddæus, *uti et Marc.* 3. *At Luc.* 6 *et Act.* 1 Judas Jacobi. *Jam vero, testibus Augustino, Chrysostomo et Hieronymo laudatis num.* 17, *qui eam regulam ex consuetudine sacrarum Litterarum statuunt,* Judas Jacobi *idem est, acsi diceretur* Judas filius Jacobi. *Fuit igitur Judas apostolus filius alicujus Jacobi alius ignoti. Alqui nullus hactenus, quantum novi, dixit* Judam *Fratrem Domini filium esse alicujus Jacobi. Idque prorsus sine fundamento fingeretur. Evangelia igitur, etiam nominatim de* Juda *insinuant, distinctum esse a Juda Apostolo. De* Simone *nihil affero, nisi silentium Scripturarum; nam de omnibus Fratribus abunde probatum est, non fuisse illos ex numero duodecim Apostolorum, eumque esse communem Patrum consensum, deinde luculente ostendam. At prius videamus, quid Tillemontius* E
pro sua opinione ex sacris Scripturis attulerit.

CAPUT II.

Excutiuntur et refutantur argumenta, quæ Tillemontius ex sacra Scriptura afferre voluit.

Observantur nonnulla de occasione, qua S. Hieronymus

T*illemontius, ut aliquid posset afferre ex sacra Scriptura pro sua opinione, adoptavit argumenta S. Hieronymi contra Helvidium. Ut autem studiosus lector intelligat, ratiocinia illa non debere majoris esse auctoritatis, quia ea aliquando protulit S. Hieronymus, pauca veniunt observanda. Nam primo argumentum, ex Apostoli verbis Gal.* 10 ℣ 19 *sumptum, solvit deinde ipse Hieronymus, quando scripsit in Epistolam ad Galatas, ut fatetur Tillemontius. Secundo aliud ratiocinium ex comparatione* Minoris *ad Majorem, quod similiter ab Hieronymo mutuatur Tillemontius, lusus potius videtur Hieronymi, imperitum adver-* F
sarium confundentis, quam argumentum serium. Respondebat enim ad illa Helvidii verba : Ecce Jacobus et Joseph filii Mariæ, iidem, quos Judæi Fratres appellaverunt. Ecce Maria Jacobi Minoris et Josetis mater : Minoris autem Jacobi ad distinctionem Majoris, qui erat filius Zebedæi *etc. Ita loquebatur Helvidius post allegata loca sacræ Scripturæ, in quibus commemorantur Fratres Domini, ut non minus imperite quam impie inferret, Mariam illam, Jacobi Minoris et Josetis vel Joseph matrem, esse ipsam Mariam Dei Genitricem, cujus virginitatem impugnabat. Tertio ex illa comparatione* Minoris *et* Majoris *advertere poterat Hieronymus, duos tantum* Jacobos *imperito Helvidio innotuisse; cumque sciret* aliud esse docere discipulum, aliud adversarium vincere, *ut ipse loquitur in Apologia pro libris contra Jovinianum num.* 13, *noluit incidentem quæstionem de duobus aut tribus Jacobis penitius examinare. Nam ex duobus solum Jacobis admissis luculente consequebatur, ut neuter sit filius sanctissimæ Virginis Mariæ*

A *riæ et S. Josephi, cum alterius pater sit Zebedæus, alterius Alphæus. Ea igitur opinio admodum erat opportuna S. Hieronymo ad cavillationem Helvidii penitus destruendam, non item altera de tertio* Jacobo, *cum hujus pater ex sacris Litteris non innotescat. Quapropter si S. Hieronymus certam credebat sententiam de duobus tantum Jacobis, debebat eam fortiter asserere, et, quam poterat, firmissime stabilire. Hoc tamen non facit, nec umquam clare asserit, duos solum fuisse Jacobos, aut* Jacobum Alphæi *et Fratrem Domini eumdem esse; sed solum interrogando et ratiocinando aliqua profert, quæ eo videntur conducere.*

pro sententia Tillemontiana argumentari visus est,

22 *Ipsa S. Hieronymi verba ex libro contra Helvidium num.* 13 *huc transfero :* Nulli dubium est, *inquit,* duos fuisse Apostolos Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedæi et Jacobum Alphæi. Istum, nescio quem, Minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit, et credet in Jesum, et non erit de illis Fratribus, de quibus scriptum est *:* « Neque enim tunc Fratres ejus cre« debant in eum. » Si non est Apostolus, sed ter- B tius, nescio quis Jacobus; quomodo est Frater Domini putandus, et quomodo tertius ad distinctionem Majoris appellabitur Minor, quum Major et Minor non inter tres, sed inter duos soleant præbere distantiam; et Frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente : « Deinde post triennium veni « Jerusalem videre Petrum, et mansi apud illum « diebus quindecim. Alium autem Apostolorum « vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domi« ni? » . . . . Restat conclusio, ut Maria ista, quæ Jacobi Minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphæi, et soror Mariæ Matris Domini, quam Mariam Cleophæ Joannes Evangelista cognominat. *Hoc ultimum tamen inferius relinquit ambiguum, ita scribens :* Verum in hac parte contentiosum funem non traho. Alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Jacobi et Josetis, dummodo constet, non eamdem Mariam Jacobi et Josetis esse, quam Matrem Domini. *Nihilo magis contendisset Hieronymus, opinor, ad matrem* Jacobi *Minoris uxorem Alphæo attribuendam, aut Fratrem Domini eidem Alphæo filium, modo admisisset Helvidius, illum filium non fuisse Josephi et* C *Mariæ.*

magis quæstionem proponens, quam sententiam suam edicens.

23 *Nullibi enim clare sententiam suam de duobus aut tribus Jacobis edicit; videturque adversariorum opinionem potius ex Helvidii assertis inferre, quam docere. Siquis igitur considerare voluerit ea, quæ scripsit S. Hieronymus in Apologia pro libris adversus Jovinianum num.* 13, *ubi ait* aliud esse γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς, *non existimabit, sententiam S. Hieronymi satis nosci posse ex verbis modo allatis. Nam* in priori *ait* vagam esse disputationem, et adversario respondentem, nunc hæc, nunc illa proponere : argumentari, ut libet; aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, ostendere, lapidem tenere. *Et post multa ad hoc propositum allata, multorumque adducta exempla, utitur his verbis* : Turbæ parabolas, discipuli audiunt veritatem. Proponit Dominus Pharisæis quæstiones, et non edisserit. Aliud est docere discipulum, aliud adversarium vincere. *Itaque videant adversarii, an S. Hieronymus non proposuerit potius quæstiones Helvidio, quam aliquid docuerit verbis allegatis, quæ tam avide arripuerunt. Ad meum vero propositum parum interest, tenueritne aliquando adversariorum sententiam in juventute Hieronymus, an quæstiones ex Helvidii verbis illatas proposuerit, cum constet, Hieronymum postea nostram variis locis docuisse sententiam, ut ostendam* § 3; *et ipse agnoscit Tillemontius.*

[illegible]

Ex Hieronymo argumentum sumens Tillemontius,

24 *Quod autem spectat ad argumenta, quæ verbis nonnihil mutatis proposuit Tillemontius, horum infirmitatem studiosus lector, audito Tillemontio, statim perspiciet.* S. Hieronymus, *inquit,* propugnat contra Helvidium, Fratrem Domini esse Jacobum Alphæi, cum sit certum per S. Paulum, quod sit Apostolus. *At ex S. Paulo saltem nequit certum fieri, Fratrem Domini esse ex duodecim Apostolis, ideoque locus ille S. Pauli nihil probat, cum non quæratur, an fuerit Apostolus, sed an fuerit ex duodecim Apostolis, idemque cum* Jacobo Alphæi. *Apostolum autem fuisse, sed non ex duodecim, docet ipse Hieronymus in Commentario in Epistolam ad Galatas, ubi locum S. Pauli exponit. In hoc autem* Commentario δογματικῶς *scribit ad Paulam et Eustochium : in quo scribendi genere* aperta frons, et, ut ita dicam, ingenuitas necessaria est, *ut ipse ait loco supra allegato ad Pammachium. Eumdem ad Galatas locum exposuerunt SS. Augustinus, Chrysostomus, aliique* Patres *complures; sed nullus eorum ex Pauli verbis inferre voluit,* Jacobum *Fratrem Domini unum fuisse ex duodecim Apostolis.* E

ab ipso Hieronymo solutum : solutionem ipsius

25 *Hisce observatis, audiamus Tillemontium, non pro Hieronymo scribentem, sed contra Hieronymum:* Posset ad hoc responderi, *inquit,* per S. Hieronymum ipsum, qui *(in Epistolam ad Galatas, cap.* I ℣ 19) nos docet, nomen Apostoli datum fuisse omnibus illis, qui Christum viderant viventem, et doctrinam ipsius prædicabant post mortem ejus, et qui, ut minimum, erant quingenti : idem quoque nomen postea datum fuisse iis, qui electi erant a duodecim Apostolis modo particulari ad regendam Ecclesiam, nimirum, quantum videtur, episcopis. *Hæc ille de mente S. Hieronymi. At non dixit S. Hieronymus,* quingentos, ut minimum, fuisse, *qui Christum viventem viderant, et eum postea prædicabant eo modo, ut* Apostoli *vocarentur. Hoc Hieronymo attribuit Tillemontius sine idoneo fundamento, et deinde assumit ad observationem S. Hieronymi refutandam. Nam ita pergit :* Verum difficulter dici potest, illam observationem tam esse congruam loco S. Pauli, quam sit vera. *At mihi congrua non minus videtur observatio S. Hieronymi, quam vera,* F *quia docet, qua de causa,* exceptis duodecim, quidam vocentur Apostoli. *Hos vero, ut minimum, quingentos fuisse ex iis solum, qui Christum viderant, nec dicit S. Hieronymus, nec vere dixisset, opinor. Nam quingentos ex iis, qui Domino convixerant, in diversas orbis partes profectos fuisse ad fidem prædicandam, aut saltem in una aliqua civitate prædicasse episcopali auctoritate, quemadmodum Hierosolymis fecit* S Jacobus, *non ostendet umquam ullus Tillemontii vindex. Ex dicti illius falsitate colliget æquus lector, quam inania sint, quæ contra Hieronymum ratiocinari pergit : præcipua enim ratio impugnandi observationem S. Hieronymi ex illo figmento petitur. Verba audiamus.*

falsis rationibus impugnat.

26 Nam primo, *inquit,* S. Paulus ibi loquitur de apostolatu S. Jacobi, sicut de apostolatu S. Petri. *Respondeo hoc falsum esse, si eumdem plane Apostolatum utrique attributum velit, ut ostendo sequenti exemplo. Si quis nobilis viator diceret :* Deinde post tres annos veni in Galliam videre Ludovicum, et mansi apud eum diebus quindecim : alium autem regum vidi neminem, nisi Stanislaum Poloniæ

AUCTORE J. S.

Poloniæ regem. *Si alter diceret:* Profectus sum in Germaniam videre Augustum Poloniæ regem: alium autem regum vidi neminem, nisi Electorem Bavariæ. *Primus non significaret, Stanislaum gaudere eadem auctoritate regia in Polonia, qua gaudet Ludovicus in Gallia; nec tamen locutus fuisset improprie. Alter ne insinuaret quidem, Electorem Bavariæ regem esse; nec tamen ullus reprehenderet modum illum loquendi, quia Elector ille habet aliquid splendoris regii.* Secundo, *ait Tillemontius,* cum S. Paulus manserit tunc quindecim diebus Hierosolymis cum S. Petro, difficulter contendi potest, nullum ibi ab ipso visum ex quingentis discipulis, qui viderant Jesum Christum resuscitatum. *At illa observatio non ferit S. Hieronymum, qui solum observat, eos fuisse vocatos Apostolos, qui Christum viderant,* et eum postea prædicabant, *quos fuisse* quingentos *non dicit. Multos autem eo tempore fuisse Hierosolymis, qui Christum prædicabant, non facile quispiam ostendet. Qui enim Apostolatus munus acceperant, id Hierosolymis obire non debebant, cum ibi* Jacobus *episcopus relictus, sive ad prædicandum esset constitutus. Præterea si S. Paulus minus late sumpsisset significationem vocis* Apostolus, *quam* B *innuunt data Hieronymi verba, id nihil prodesset Tillemontio, cum saltem in eadem Epistola se Apostolis annumeret, ideoque voce Apostolorum non solos duodecim primos significet.*

argumentumque novo ratiocinio juvare

27 Tertio, *inquit,* si iter illud Hierosolymitanum id ipsum est, quod describit S. Lucas Act. 9 ℣ 27 et 28, de quo nullus dubitat, certum est, a Paulo ibi visum esse Barnabam, cui Ecclesia hodie Apostoli nomen magis tribuit, quam ulli alteri, qui non est ex duodecim, post S. Paulum, et qui erat unus ex septuaginta secundum plures antiquos. Hæc ratio, *inquit,* tam efficax videtur personis eruditione et judicio præstantibus, ut existiment, debere illam prævalere cunctis rationibus cunctisque auctoritatibus, quas Bollandus coacervat ad sustinendam opinionem Græcorum hodiernorum. *Ita intrepide Tillemontius contra omnes sanctos Patres, qui hanc quæstionem attigerunt. Pro sanctis autem Patribus sibi adversantibus personas substituit eruditione et judicio præstantes, de quibus nescimus, an linguam Latinam noverint, an Scripturas umquam legerint, an dialecticam vel a limine salutarint, cum neminem illorum nominet. Vel sic tamen sententiam Hen-* C *schenii, quem perperam vocat* Bollandum, *ubique vocat* recentiorum Græcorum opinionem, *quamvis agnoscat, eam esse Gregorii Nysseni, Chrysostomi, Theodoreti, Epiphanii, Cyrilli Hierosolymitani, Eusebii et Hieronymi, contra nonnullos tamen ex posterioribus excipere conatus. Verum excutiamus rationem a viso Barnaba petitam, quam tanti fecerunt viri illi eruditi. Respondeo itaque, Barnabam tunc revera a Paulo visum Hierosolymis, cum Act.* 9 ℣ 27 *Barnabas dicatur Paulum duxisse ad Apostolos, nisi Apostolus loquatur de alio itinere Hierosolymam instituto, de quo dubitat Chrysostomus Hom.* 21 *in Acta Apostolorum. At laudatus Chrysostomus observat, necdum eo tempore inter Apostolos numeratum fuisse vel Paulum vel Barnabam. Hoc ipsum probatur ex sacris Litteris. Nam Act.* 9 ℣ 26 *dicitur:* Cum autem venisset *(Saulus sive Paulus)* in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos *(utique ad Petrum et* Jacobum *Fratrem Domini,)* et narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum *etc.*

frustra conatur.

28 *Itaque distinguenda sunt tempora, et inanitas observationis Tillemontianæ facile deprehendetur. Ordinatus est Barnabas una cum Paulo Apostolus per manus impositionem Act.*13 ℣ 3 *et* 4, *quod Tillemontius ipse in Chronotaxi sua figit toto septennio post ea, de quibus agimus. At* S. Jacobus *ordinatus erat apostolus, sive episcopus Hierosolymitanus, ut rursum narrat ipse Tillemontius cum sanctis Patribus, non multo post Resurrectionem Christi. Itaque* Jacobus *erat eo tempore Apostolus, non item Barnabas;* Jacobus *erat inter eos, de quibus Paulus dicit:* Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos *(videlicet statim post conversionem, licet postea venerit ad Petrum, et* Jacobum *viderit:) nam apostolatum acceperat multis annis ante Paulum et Barnabam. Quare totum illud argumentum, quod tanti fecit Tillemontius, miserum est sophisma: nam* Jacobus *eo loco vocatur* Apostolus, *non quia erat ex duodecim; sed quia ordinatus erat episcopus sive Apostolus Hierosolymitanus; sicut Paulus et Barnabas ipsi post ordinationem suam statim Act.* 14 *bis* Apostoli *nominantur. An autem S. Barnabas fuerit inter septuaginta duos, ut pauci veteres voluerunt, hic operose non inquiram, cum parum* E *faciat ad propositum nostrum. Solum observo, contrarium esse probabilius, cum Act.* 4 ℣ 37 *legatur agrum habuisse et vendidisse, ideoque potius videatur conversus inter primos post Resurrectionem Domini, ut dictum est ad ejus Acta,* XI *Junii data. Dicta responsio de Apostolatu* S. Jacobi *mox magis illustrabitur. At prius audiamus sequentia Tillemontii ratiocinia.*

Aliud Tillemontii ratiocinium plane ridiculum:

29 S. Hieronymus, *inquit,* allegat etiam cognomen Minoris quod a S. Marco datum est Jacobo filio Mariæ et Fratri Josetis, et quod nobis dat locum credendi, non nisi duos Jacobos fuisse inter discipulos. *Erat ea observatio alicujus acuminis, dum fluebat ex calamo S. Hieronymi, imperitum adversarium in propriis verbis capientis. At hoc tempore ne trium quidem mensium dialectico digna est; præsertim cum constet, Græce legi* Μικροῦ parvi, *ideoque cognomen* Minoris *eamdem habere significationem in sacris Litteris. Medio ævo inducta est consuetudo Jacobum Zebedæi* Jacobum Majorem *vocandi, et Fratrem Domini* Jacobum Minorem. *Tillemontius ipse Nota* 6 *in* S. Jacobum *Minorem ait, probabilius a statura, quam ab ulla alia causa,* Minorem *sive* Parvum *dictum* F *esse* Jacobum. *Audiamus tamen sequentia ipsius verba:* Nam, *inquit,* quod respondetur in textu Græco non appellari Minorem sed Parvum; facile est advertere, duo illa nomina (Minor et Parvus) idem in adjunctis significare. Et, licet cognomen illud habuisset, quia corpore parvus erat, ut fieri potest, illud saltem verisimiliter habebat, ut distingueretur ab uno Jacobo, non a duobus. *Ignoscat benignus lector, si risum continere nequeam ad ejusmodi ratiocinia, quæ vel pueris grandiusculis risum moverent. Adeo frequentia sunt exempla hominum qui cognomento* parvi, *aut* magni, *aut* sapientes, *aut* simplices *fuerunt dicti, ut sit simplicitatis plane puerilis contendere, aut* Carolum *imperatorem dictum fuisse* Magnum, *aut* Pipinum *regem* Brevem, *aut* Carolum *alterum* Sapientem, *alterum* Simplicem, *ut singuli ab uno tantum, non a pluribus, distinguerentur: nec alia est ratio* Jacobi Minoris *aut* Parvi, *cum Jacobus Zebedæi numquam* Major *dictus legatur in sacris Litteris.*

30 *Post data verba subjungit Tillemontius:* Duabus

alia ejusdem ratiocinia, bus his rationibus, quas S. Hieronymus credidit sufficientes, addi potest, quod, quantumcumque auctoritatis S. Jacobo præberet episcopatus Hierosolymitanus, ipsum tamen parem non faceret Apostolis. Nihilominus videmus, ipsum a S. Paulo saltem æquari cum primis Apostolis, quando dicit, Jacobum, Cepham et Joannem visos esse columnas Ecclesiæ. At clarum est, ipsum etiam prælatum esse S. Judæ, quia hic Apostolus vocatur Judas Jacobi, sive frater Jacobi.... Itaque quoniam Deus dederit S. Jacobo auctoritatem, quam eminentem inter Apostolos dicere possumus, ut liquet ubique ex Actis et ex S. Paulo, videtur illa non potuisse aliud habere fundamentum, quam dignitatem Apostolatus, præsertim cum id magni sit momenti ad conciliandum Epistolæ ab ipso scriptæ auctoritatem et fidem, quam divinis debemus Scripturis. Et sane Bollandus * vult, eamdem ipsi cum duodecim Apostolis fuisse auctoritatem, elevatumque fuisse ad apostolicam dignitatem vocatione extraordinaria, sicut S. Paulum et S. Barnabam : quod videtur etiam dicere Florentinius. At recentes illi auctores rem tantam asserunt sua auctoritate sine ulla proba-
B tione. Nullo sacræ Scripturæ loco extraordinaria hæc vocatio relata est, sicut narratæ sunt vocationes S Matthæi, S. Pauli et S. Barnabæ. Nihilo magis credo, illam probari posse ullo sanctorum Patrum textu claro. Itaque deducenda est per sequelas, quæ semper sunt admodum periculosæ in materia religionis, quando Ecclesia non loquitur. *Hactenus Tillemontius, qui tot nugas nobis non venderet, si posteriora sua verba serio considerasset, et sequi voluisset. Certe sancti Patres, quos pro interpretatione sacrarum Litterarum debebat sequi, non norunt nova ipsius ratiocinia, et in tota hac sua Dissertatione ne ullum quidem Patrem pro sua interpretatione allegat, præter locum Hieronymi contra Helvidium, ab ipso Hieronymo postea in Commentariis revocatum. Quare merito de Tillemontio dicere hic possum, quod de imperito quodam obtrectatore dixit Hieronymus in Epistola ad Domnionem, col.* 238 : Voluit scilicet homo peritissimus, ut veteranus miles, uno rotatu gladii percutere utrumque *(Henschenium et sanctos Patres)* et ostendere populis, quod, quidquid ipse vellet, hoc Scriptura sentiret.

* *imo* Henschenius

in quibus incerta pro certis 31 *Nunc singula Tillemontii ratiocinia et dicta examinemus. Quod ait, S. Hieronymo suffecisse duas rationes jam refutatas, falsum est : nam illa ipsa verba, quæ pro fundamento sui ratiocinii allegat Tillemontius, Helvidio etiam objecit S. Hieronymus. Quod autem spectat ad ratiocinia Tillemontii, in omnibus miscet incerta pro certis, aut falsa pro veris. Incertum est enim primo, an S.* Jacobus, *qui cum Cepha et Joanne memoratur Gal.* 2 v 9, *sit episcopus Hierosolymitanus. Divisi sunt ea de re sancti Patres. S. Hieronymus favet Tillemontio, quia credidit, S. Jacobum Zebedæi occisum fuisse, antequam facta sunt, quæ ibi narrantur a S Paulo. At S. Augustinus in Expositione Epistolæ ad Galatas existimat, a Paulo ibi indicari S. Jacobum Zebedæi, hæc scribens :* Petrus autem et Jacobus et Joannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte *(tempore scilicet transfigurationis)* Dominus ostendit. *Eamdem sententiam insinuat Ambrosiaster in dictum S. Pauli locum : neque ullus negare potest, tres illos Apostolos præ ceteris omnibus a Christo honoratos fuisse. Locum objectum cum antecedentibus et sequentibus huc traduco.* Sed econtra *(ait Paulus Gal.* 2 v. 7*)* cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis, (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes;) et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras mihi dederunt et Barnabæ societatis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : tantum ut pauperum memores essemus; quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. *Si quis modo locum hunc recte considerare voluerit, non inveniet, cur Jacobum Zebedæi, fratrem Joannis, memoratum neget : erat enim Jacobus Zebedæi inter tres præcipuas Ecclesiæ columnas.*

[illegible] §. 5.

sine probatione obtrudit, 32 *Unica ratio, quæ Hieronymum in contrariam impulit opinionem, ea fuit, quod mortuum crediderit Jacobum Zebedæi, dum memorati Apostoli Paulo et Barnabæ dextras dederunt societatis, ut ipsi gentilibus prædicarent. At varia insinuant, hoc ante mortem S. Jacobi Zebedæi contigisse. Etenim in Actis Apostolorum cap.* 10 *narratur conversio Cornelii centurionis gentilis; et mox cap.* XI *S. Petrus indignantibus de ejus admissione Judæis rationem reddidit, probavitque etiam gentiles ad fidem admittendos. Tum subditur* v. 20, *fidem Antiochiæ etiam gentilibus prædicatam, multosque conversos.* Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ,quæ erat Jerosolymis super istis : et miserunt Barnabam usque Antiochiam. E
Et v. 25 : Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum : quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conversati sunt ibi in ecclesia, et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. In his autem diebus supervenerunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam : et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. *Tum cap.* 12 *sequitur mors S. Jacobi Zebedæi, Hierosolymis per Herodem occisi. Ex hisce autem colligo, dextras ab Apostolis datas Paulo et Barnabæ ante mortem S. Jacobi Zebedæi. Nam id facere potuerunt, dum illi anno integro docuerunt Antiochiæ, per litteras aut per Christianos, Hierosolymis Antiochiam tendentes. Et omnino res peracta videtur illo tempore ob ea Pauli verba :* F
Tantum ut pauperum memores essemus. *Nam hæc Apostolorum commendatio effecisse videtur, ut Antiocheni per Paulum et Barnabam eleemosynas miserint Hierosolymam. Si quis tamen voluerit, dextras præsentibus Paulo et Barnabæ datas, res peracta fuerit Hierosolymæ non multo ante mortem Jacobi,dum illi cum eleemosynis eo venerunt. Quapropter nihil est, cur non credamus, S. Jacobum Zebedæi cum SS. Petro et Joanne a S. Paulo in dicto ad Galatas loco nominatum, prout illa verba:* Qui videbantur columnæ esse, *omnino insinuant. Sic etiam inveniemus, qua de causa S. Jacobus ante ipsum Petrum Apostolorum principem fuerit nominatus, nimirum quia Apostolatui martyrium adjunxerat, et inter triumphantes in cælo erat, viventibus Petro et Joanne, dum ad Galatas scribebat S. Paulus.*

et falsa pro veris. 33 *Ex his colligat studiosus lector, qualis sit tota illa structura Tillemontiana, quamque ruinoso nixa fundamento. Cum hoc enim stare nequeat, structura simul tota concidat, necesse est. Alterum ratiocinii Tillemontiani fundamentum magis*

gis etiam est ruinæ obnoxium : nam pro re certa ponit, Judam Jacobi *Apostolum, et* Judam, *unum e Fratribus Domini, sive fratrem* Jacobi *Hierosolymitani, eumdem esse; licet non ignoraret, id negari ab Henschenio et S. Chrysostomo, contra quos disserit; nec ullum allegare posset ex sanctis Patribus, qui id dixerit, aut crediderit. Vel unam ex sacris Litteris talem peto locutionem, qua cognomine in genitivo frater alicujus designetur, ut his vocibus* Judas Jacobi *fratrem Jacobi designatum vult Tillemontius. Verba S. Augustini, dicentis in similibus locutionibus* filium *intelligi, allegavit ipse Tillemontius Nota* 3 *in* S. Jacobum *Minorem, ubi locum Augustini exprimit Gallice, ut ad verbum Latine reddo :* Dicit *(S. Augustinus)* his vocibus Jacobus Alphæi, nihil aliud intelligi, nisi S. Jacobum fuisse filium Alphæi. *Si autem vocibus* Jacobus Alphæi, *nihil aliud intelligatur nisi* filius Alphæi, *ut generatim asserit S. Augustinus, velim cognoscere ex quocumque Tillemontii patrono, cur vocibus* Judas Jacobi *aliud intelligatur, quam* filius Jacobi*; et cujus sancti Patris auctoritate hic* fratrem Jacobi *intelligere debeamus. Vel sic tamen Tillemontius illud variis vicibus pro*
B *certo obtrudit, quod sacrarum Litterarum consuetudini, et sanctorum Patrum auctoritati contrarium est, ideoque improbabile. Itaque funditus corruunt omnia, quæ ex ejusmodi assertis, quæ ne probare quidem tentavit, ratiocinando elicere studuit.*

quæque ad propositum ipsius sunt inutilia :

34 *Verumtamen fingamus vera esse, quæ de insigni auctoritate* S. Jacobi *Hierosolymitani disputavit Tillemontius : neque enim negare volo, magnam fuisse* S. Jacobi *auctoritatem; cum illa ex Actis Apostolorum aliis locis innotescat. Si S. Paulus præclare gestis et virtutibus Apostolicis tantam venerationem fidelium promereri potuit, ut non modo multis Apostolorum par habeatur, sed etiam plerisque præferatur, etiamsi non fuerit ex duodecim; quis prudens negaverit, etiam* S. Jacobo *Hierosolymitano, ab episcopatu, ab eximia sanctitate, a laboribus Apostolicis, a cognatione Christi Domini, tantam conciliari potuisse auctoritatem, quantam ipsi attributam legimus? Ad evincendum contrarium inutilia semper erunt quæcumque ratiocinia. Tale est illud, quod ait de auctoritate con-*
C *cilianda Epistolæ* S. Jacobi : *ea enim ratio nequit influere in majorem aut minorem alterutrius sententiæ probabilitatem. Deinde Epistola* S. Jacobi *non habebit plus auctoritatis, si fuerit unius ex duodecim Apostolis, quam si fuerit* Jacobi *Fratris Domini, qui Spiritum sanctum cum Apostolis accepit, et Apostolicam auctoritatem habuit, quemadmodum Paulus et Barnabas. Certe Evangelia Marci et Lucæ, Actaque Apostolorum et S. Pauli Epistolæ non carent debita auctoritate, etiamsi non fuerint conscripta ab ullo ex duodecim Apostolis.*

prout etiam falso et frivole carpit Henschenium.

35 *Demum quod ait Tillemontius de extraordinaria vocatione* Jacobi *per Henschenium asserta, minime est accuratum. Nam Henschenius tom.* I *Maii pag.* 755, *quem locum assignat, asserit extraordinariam vocationem S. Pauli, pari cum duodecim Apostolis ad regendam Ecclesiam potestate donati, additque de* S. Jacobo *hæc verba :* Quam potestatem etiam in Jacobo Fratre Domini agnoscimus. *At non explicat ibi, illamne potestatem acceperit* Jacobus *ordinaria, an extraordinaria vocatione, quia id nullibi in Scripturis dicitur. At ipsa potestas Apostolica* S. Jacobi *satis clare asseritur Act.* 5 : *neque illam negat Tillemontius. Itaque caute locutus est Henschenius, eumque immerito carpere studet Tillemontius. Nam quod ex*
D *Scripturis innotuit, solum affirmavit Henschenius : quod Scriptura indictum reliquit de vocatione* S. Jacobi, *similiter tacuit. Ita* Jacobum Alphæi, *Thomam, Judam Thaddæum et Simonem dicimus ex duodecim Apostolis fuisse, quia id Scriptura dicit; vocationem tacemus, quia Scriptura tacet. Novimus tamen ex S. Paulo* I *Cor.* 15, *Christum* Jacobo *particulariter apparuisse ante Ascensionem suam : nam quod ait* ℣. 7, Deinde visus est Jacobo, *passim exponunt interpretes de* Jacobo *Fratre Domini. Chrysostomus Hom.* 38 *in data verba sic commentatur :* Mihi videtur dicere Fratri suo. Ipse enim *(Christus)* dicitur ei manum imposuisse, ac ipsum ordinasse, et primum episcopum fecisse Jerosolymis. *Idem fere dicit S. Hieronymus in Epistolam ad Gal. cap.* I ℣. 19, *ita loquens :* Sed præcipue hic Frater dicitur, cui filios Matris suæ ad Patrem vadens Dominus commendaverat. *S. Epiphanius Hær.*78, *pag.* 1039, *de* Jacobo *Fratre Domini ait :* Idem ille primus episcopalem cathedram cepit, cum ei ante cæteros omnes suum in terris thronum Dominus tradidisset. *Eamdem rursus opinionem insinuat Chrysostomus Hom.* 3 *in Acta, ubi agit de electione Matthiæ, dicitque :* Vide autem Jacobi modestiam. Ille namque Jeroso- E
lymorum episcopatum accepit, et tamen hic nihil loquitur. *Hæc laudati Patres, illisque consentiens Tillemontius in S. Jacobo Minore art.* 4. *Alii tamen volunt, ab Apostolis ordinatum fuisse* Jacobum *episcopum. Quam quæstionem aliis libenter decidendam relinquam, ut pergamus ad ea, quæ disserit ad* Judam *fratrem* Jacobi *duodecim Apostolorum numero inserendum.*

Tillemontius de S. Juda disserens contra Chrysostomum,

36 *Agit de eo Tillemontius Nota* 2 *in S. Judam, ubi statim agnoscit, contrarium sibi esse Chrysostomum Hom.* 47 *in Joannem, subditque Origenem ut minus faventem. At hunc quoque satis aperte contrarium dicere potuisset cum aliis Patribus. Verum audiamus, quam belle Chrysostomum refutet.* Quod spectat ad Chrysostomum, *inquit,* admodum verisimile est, ipsum non attendisse hoc loco ad illud, quod ipse agnoscit in alio loco, nimirum, Judam Thaddæum, unum ex duodecim Apostolis, eumdem esse cum Juda Jacobi, ut discimus ex S. Luca, qui illud asserit duobus locis. Verisimiliter non dubitasset, quin hic Judas Jacobi idem sit cum Juda fratre Jacobi, Epistolæ Canonicæ scriptore. Omnes, ut credo, consentiunt, F
hunc Jacobum esse episcopum Hierosolymitanum, dictum Fratrem Domini. Et quomodo post hæc dubitari potest, quin Judas, frater ipsius, idem sit cum Juda, qui cum S. Jacobo inter fratres Domini ponitur? Connexio omnium harum rerum tam naturalis est, ut Florentinius non timeat dicere, indubium esse, Judam Jacobi unum fuisse ex duodecim Apostolis. *Hactenus Tillemontius, quem non crederem tam stupide ratiocinari potuisse, nisi viderem, ipsum ubique pro certo obtrudere, Judam Jacobi esse fratrem Jacobi. Attamen ejusmodi ratiocinium simplicibus et imperitis imponere potest, et iis maxime, qui nequeunt textus ab ipso in margine assignatos, et infideliter Gallice relatos, consulere.*

rursum ex falso principio ipsum oppugnat,

37 *Verum ridicule admodum contra Chrysostomum ea omnia texuntur, ut statim liquebit ex illo ipso Chrysostomi loco, qui allegatur Hom.* 32 *(al.* 33*) in Matthæum, ubi sic habet :* Erat enim *(præter proditorem)* alius Judas Lebbæus, qui cognominabatur Thaddæus, quem Jacobi esse filium *(Græce ὃν Ἰακώβου φησὶν εἶναι, quod interpres recte exposuit)* ait Lucas, Judas Jacobi. *Sic enim vocatur a Luca in Evangelio cap.* 6 *et in Actis Apostolorum*

A *stolorum cap.* I. *Allegata verba assignat Tillemontius, ideoque aut locos a se allegatos non intellexit, aut non potuit non videre,* Judam Jacobi, *idem esse Chrysostomo, ac* Judam filium Jacobi. *Noverat etiam Tillemontius eamdem regulam statui ab Augustino, cujus verba dedi num.* 17, *et quidem generaliter, nam assignata Augustini verba ipse quoque assignat Nota* 2 *in S. Jacobum Minorem. Debuit similiter legere Hieronymum, de his consentientem in libro adversus Helvidium num.* 13, *ubi de* Jacobo *Minore dicit :* Si Apostolus est, Alphæi filius erit. *Nam ex eo Hieronymi loco argumenta sua desumpsit Nota* I *in* Jacobum. *Qua igitur fide, aut quo stupore ait, non dubitaturum fuisse Chrysostomum, si ad verba sua attendisset, quin* Judas Jacobi, *sive* filius Jacobi, *esset idem ac* Judas frater Jacobi? *An igitur Chrysostomus credere debuit, eumdem esse filium et fratrem Jacobi? Itaque Tillemontius non debuit ut certum assumere, et sine ulla probatione asserere contra Chrysostomum, id diserte negantem, contra Hieronymum ipsi consentientem, et contra generalem S. Augustini regulam, ex sacris Scripturis sedulo perlectis haustam,* Judam Jacobi, *esse idem ac* Judam fratrem Jacobi. *Hoc erat probandum, aut potius acquiescendum erat eruditissimis Patribus,* B *qui contrarium asserunt. Detecta autem falsitate illius asserti, sequentia ipsius ratiocinia in fumos abeunt; cum in iis duo Jacobi diversi, nimirum* Jacobus *pater Judæ apostoli, et* Jacobus *Hierosolymitanus episcopus, pro uno obtrudantur, et sic nectantur ambages nihil significantes. Quod additur de Florentinio, verum est, ipsum credidisse,* Judam *fratrem Domini fuisse apostolum. At nos non requirimus auctoritatem scriptoris neoterici, licet in alio studiorum genere satis eruditi; sed sanctorum Patrum, qui dies noctesque impenderunt ad sacram Scripturam recte intelligendam.*

et multa ridicule nugatur contra Henschenium,

38 *Post modo refutata ratiocinia, Tillemontius se vertit contra Henschenium, et nihilo melius, quam ratiocinatus est contra Chrysostomum, adversus ipsum sic declamat:* Sat novi, Henschenium contendere, Judam Jacobi et Judam fratrem Jacobi duas esse personas diversas, quia pro regula assumit, quod Judas Jacobi aliæque expressiones similes insinuant semper filium. Verum cum regulam illam ponat sua auctoritate sine ulla probatione ; alii credent, sibi non minorem esse auctoritatem ad illam C negandam, quam ipsi ad affirmandam : et existimo, non pauciores fore illis consentientes, quam ipsi, ex omnibus, qui huc usque scripserunt. *Qua fide dixerit Tillemontius, regulam illam ab Henschenio propria auctoritate positam, plane non video. Nam, si credidit se vera dicere; ubi viri memoria? Ut modo mittam Chrysostomum et Hieronymum, allegavit ipse Nota* 2 *in S. Jacobum regulam ab Augustino prolatam his verbis :* Intelligitur filius ; sicut cum dicitur Jacobus Alphæi, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur *etc. Dedi reliqua verba num.* 17. *Si autem* nihil aliud intelligitur *in ejusmodi locutionibus, quam* filius, *auctore Augustino, id non sua, sed Augustini et aliorum auctoritate Henschenius asseruit ; et Tillemontius non debuit* fratrem *intelligere, aut saltem fateri, id se facere contra auctoritatem Patrum. Quod addit, multos consensuros illis, qui satis auctoritatis sibi arrogabunt ad dictam regulam negandam, non probavit hactenus, nec illorum auctoritas movebit viros in sacris Litteris eruditos, qui norunt, Scripturas esse exponendas ex mente sanctorum Patrum.*

Epiphanium

39 *Addit fundamento rursum nullo :* Habebunt saltem S. Epiphanium diserte sibi consentientem in causa S. Judæ ipsius. *Audi, lector, locum assignatum, et mirare hominem alia pro aliis obtrudentem.* De quibus adeo mihi commotus videtur in apostolo Juda Spiritus sanctus, hoc est in Catholica ipsius Epistola (Judas ille porro est, qui Jacobi atque etiam Domini frater appellatus est.) In qua per Apostoli vocem *etc. Nescio, quid ex allegatis verbis pro se sumere velit Tillemontius ; adeo ineptus est ad propositum totus locus. Si velit Fratrem Domini hic dici* Judam Jacobi, *ineptissima est objectio, quia non dicitur* Judas Jacobi, *sed asseritur frater Jacobi et Domini. Quod ex verbis Latinis satis liquet, id indubitatum est ex ipsis Epiphanii verbis Græcis* ὁ ἀδελφὸς Ἰακώβου καὶ Κυρίου λεγόμενος, *ad verbum,* Frater Jacobi et Domini dictus. *Si fortasse insinuare voluerit,* Judam *Fratrem Domini* Apostolum *vocari ab Epiphanio, nihil id facit ad allegatam regulam. Præterea id argumentum, ab* Apostoli *nudo nomine desumptum, non valere in controversia nostra, agnoscit ipse Tillemontius Nota* I *in Jacobum Minorem, ubi ait, adducere se posse nonnullos Patres, qui* Jacobum *Fratrem Domini nominarunt* Apostolum. *Tum addit :* Verum illa probatio minus est valida, quandoquidem S. Epiphanius, qui idem facit uno loco, E ubi fuse admodum loquitur de S. Jacobo, in alio loco eumdem satis clare excludit numero duodecim Apostolorum. *Itaque nihil pro Tillemontio habet S. Epiphanius, nec ullum allegavit regulæ S. Augustini et Henschenii repugnantem. Nihil tamen ipsum diligentiæ omisisse ad evertendam laudatam regulam, colligo ex Nota* 2, *ubi eumdem lapidem inutili labore rursum versat. Cum enim nullum in sacris Litteris locum invenire posset sibi faventem, recurrit ad Josephum Hebræum, qui in Vita sua pag.* 989 *mentionem facit de quodam Matthia, Simonis Pselli filio, isque ab eo dicitur,* Ματθίας ὁ Ἠφλίου λεγόμενος, *ad litteram,* Matthias Ephlii *(aut Ephliæ)* dictus. *Verum hoc exemplum nihil magis ostendit, quam Tillemontium inutiliter quæsivisse, ut generalem S. Augustini regulam everteret. Nam exemplum plane est dissimile ob adjunctam vocem* λεγόμενος dictus, *quæ ostendit esse cognomen aliunde acceptum. Non quærit laudatus Augustinus, quid indicet cognomen, quando vox* dictus *aut alia similis additur, sed quærit, quid similibus locutionibus* Jacobus Alphæi, Judas F Jacobi, Levi Alphæi, Jacobus Zebedæi, Simon Joannis *aut* Jonæ, *significetur, et generatim edicit,* nihil aliud *intelligi, quam filium. Clamet modo Tillemontius, aut quiscumque ipsius patronus, quantum placuerit. Longe majori jure inutiles illos clamores contemnemus, quam ille auctoritatem sanctorum Patrum in tota hac quæstione contempsit. Mitto quædam Henschenio perperam objecta, sed huc non spectantia, ut ad ultimum Tillemontii argumentum veniamus.*

inutiliter et loquax.

Aliud Tillemontii argumentum ridiculum

40 Ut redeamus ad Chrysostomum, *inquit,* existimo, posse etiamnum ex S. Paulo probari apostolatum S. Judæ Fratris Domini. Nam (I*Cor.* 9 ℣. 5) inter Apostolos, qui mulieres secum ducebant, satis clare numerat Fratres aliquos Domini. Hoc referendum non est ad S. Jacobum Minorem, qui fixam habebat habitationem Hierosolymis. Itaque oportebit illud intelligere de S. Juda : neque enim alium habemus Apostolum, qui Frater Domini fuisse dicitur. Tertullianus, Origenes, et major pars aliorum Patrum, qui citarunt Epistolam S. Judæ, ut videbimus Nota 4, ipsi dederunt titulum Apostoli. *Ita Tillemontius, præ inopia meliorum reducens argumentum de nudo* Apostoli

AUCTORE J. S.

Apostoli *nomine, quodantea fassus erat minus validum. Quam autem ridiculum sit argumentum, quod ex S. Pauli verbis contra Chrysostomum intorquet, patebit ex ipsis S. Pauli verbis, quæ subjungo :* Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et Fratres Domini, et Cephas? Aut ego solus, et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? *Cum* Fratres Domini *numero plurali dicat Apostolus, eosque separet, saltem nomine, ab Apostolis, ineptus esset, qui ex eo loco vellet inferre Fratres Domini fuisse Apostolos ex duodecim.*

pro Apostolatu S. Judæ contra Chrysostomum.

41 *At longe magis ridiculum est, ex pluribus generatim nominatis Apostolatum unius inferre, non nominati particulariter, prout hic facit Tillemontius. Quare audiamus potius Chrysostomum, contra quem tam ridicule disserit, Hom.* 21 *in* I *Cor. in allegata verba disserentem :* Vide sapientiam : Coryphæum ultimum posuit : nam, quod inter capita fortius est, tunc ponit. Neque enim ita mirandum erat, alios ostendere id facientes, ut primum, et eum, cui traditæ sunt claves regni cælorum. Cæterum non solum ponit, sed omnes, acsi diceret : Sive inferiores quæras, sive superiores, B omnium posita sunt exempla. Etenim Fratres Domini a priore incredulitate liberati inter clariores erant, etsi ad Apostolos non pervenerant, ideoque in medio illos posuit, summis utrimque positis. *Hactenus Chrysostomus. Itaque concludere licet, nihil ex sacra Scriptura invenisse Tillemontium pro apostolatu* S. Judæ *Fratris Domini, præter duas illas voces* Judas Jacobi, *quas voluit suo sensu exponere contra auctoritatem sanctorum Patrum. Nullum quoque adduxit Patrem sibi consentientem. Solum observavit, ab aliquibus* Apostolum *vocari, quod argumentum ipse fatetur minus validum, quodque plane ineptum esse, postea ostendam.*

CAPUT III.

Probatur auctoritate sanctorum Patrum et veterum monumentorum, nullum Fratrum Domini fuisse ex duodecim Apostolis.

C

Sententiæ nostræ patroni sunt SS. Augustinus, Ambrosius, Hilarius,

Auctoritas sanctorum Patrum in quæstionibus Scripturisticis maximi ponderis esse debet, ut nemo ignorat, præsertim quando magno consensu in idem conspirant, ut fit in controversia, quam examinamus. Hac de causa, etiamsi multos jam adduxerim, ut ostenderem, nos sacram Scripturam exponere, sicut illi exposuerunt, plures etiam accumulabo Tillemontianæ sententiæ adversantes, et ostendam, nullum ex omnibus adductum esse, ipsi, saltem clare, faventem. Verba S. Augustini dedi num. 5, *dicentis, non credidisse in Christum Fratres Domini, eosque a discipulis Christi distinguentis, quando, fatente Tillemontio, Apostoli dudum erant electi. Hoc autem Augustini testimonium tanto gravius est, quanto clarius ab ipso ex sacra Scriptura colligitur. Ambrosii verba, uti et Hilarii, recitavi num.* 10, *ostendique ab utroque Fratres Domini ab Apostolis fuisse distinctos. Ibidem similiter dedi verba Hieronymi, Apostolos a cognatione sive Fratribus Christi generatim distinguentis. Alia rursum Hieronymi verba recitavi num.* 25, *ubi* D *solvit objectionem, quam instar problematis Helvidio proposuerat. Ne quis tamen existimet, dubiam esse S. Hieronymi sententiam, quia adversariorum opinionem juvenis utcumque defendit, lubet alia quoque, quæ senex scripsit, huc transferre.*

Hieronymus, quem aliqui frustra conantur excipere,

43 *Itaque S. Hieronymus lib.* 5 *Commentariorum in Isaiam, explicans cap.* 17 ℣. 5 *et* 6 *ita loquitur :* Duas olivas, et tres, et quatuor, et quinque, quatuordecim Apostolos interpretantur, id est, duodecim, qui electi sunt, et tertium decimum Jacobum, qui appellatur frater Domini, Paulum quoque Apostolum vas electionis. *Clarissime hæc Hieronymi verba* Jacobum *distinguunt a duodecim Apostolis, cum illum faciant* tertium decimum. *Negat tamen novissimus editor Veronensis, eam esse Hieronymi sententiam, ad verba data annotans sequentia :* Eusebii sententia est, quam ipse ex Origene expressit, et in quam tantum abest, ut noster Hieronymus concesserit (quod putavit Montfauconius in Notis ad hunc Eusebii locum) ut eam sub aliorum nomine huc referat, et jamdiu ante in libro contra Helvidium reprobaverit. *Hæc editor, dans ipsa quoque Eusebii verba, quæ ab Hieronymo data contendit. At ea observatio prorsus* E *mihi videtur improbabilis, primo quia multis quoque aliis locis Hieronymus insinuat sententiam nostram, ut certum videatur, hanc ipsius omnino fuisse opinionem, prioremque mutatam, si illam tamen firmiter contra Helvidium tenuerit. Secundo non ita exacte opinionem Eusebii expressit Hieronymus, ut dici possit solum commentatoris officio functus, cum Eusebius Paulum præponat* Jacobo, *Hieronymus vero Paulum recenseat post* Jacobum. *Itaque sicut eum saltem ordinem in Eusebii verbis mutavit; sic poterat pro* Jacobo *Barnabam substituere: aut saltem indicare debebat,* Jacobum *perperam excludi numero duodecim Apostolorum, nisi ipse credidisset, omnino excludendum esse, ne lectores suos in errorem induceret. Tillemontius quoque observat, S. Hieronymum in secunda ejusdem loci expositione (quæ allegorica est lib.* 7 *col.* 280) *inter Apostolos quatuordecim cum Paulo posuisse Barnabam. Verum id est, sed nihil facit ad propositum, quia ibi* duas olivas *explicat* Paulum et Barnabam, *et congruenter, quia illi simul ad munus apostolicum ordinati sunt. Potest Barnabas æque ac* F Jacobus *primariis Apostolis annumerari : sed sicut Barnabam primo loco non recenset inter duodecim, etsi de illo tacet; sic nec secundo loco* Jacobum; *sed nunc hunc, tum alterum ponendo, insinuat, ambiguum esse, uter præferri debeat.*

non solum in Commentariis in Isaiam, sed etiam

44 *Verum lubet plures allegare Hieronymi locos, ut prudens lector perspiciat, Hieronymum in nostra sententia constantem fuisse in omnibus Operibus post librum adversus Helvidium scriptis. Hieronymus lib.* I *adversus Jovinianum, allaturus testimonium ex epistola* Jacobi, *ita in laudem ejus præfatur :* Transeamus ad Jacobum, qui Frater Domini dicebatur, tantæ sanctitatis, tantæque justitiæ, et perpetuæ virginitatis, ut Josephus quoque historicus Judæorum, propter hujus necem Jerosolymam subversam referat. Hic primus episcopus ex Judæis Jerosolymæ credentis ecclesiæ, ad quem Paulus cum Tito Barnabaque pergebat, loquitur in Epistola sua. *Lubet modo interrogare adversarios, an satis serio credant, ab Hieronymo, qui* Jacobum *celebrat, ut* Fratrem Domini dictum, *ut sanctum, ut justum, ut virginem, ut primum Hierosolymitanum episcopum, ut visitatum a Paulo cum Tito et Barnaba, omissum fuisse Apostoli titulum*

A *titulum tamquam inutilem, si hunc* Jacobo *credebat debitum jure strictissimo, quod fuisset ex duodecim?*

clare in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum,

45 *Hoc argumentum fortius urget in libro de Viris illustribus, sive de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi S. Hieronymus certo non debuit omittere, ex duodecim Apostolis fuisse* Jacobum *Fratrem Domini, et* Judam *ipsius fratrem, si revera existimabat, Apostolos ex duodecim fuisse. Agit in illo libro de omnibus Apostolis, quorum scripta habemus, nec in ullo prætermittit titulum Apostolatui debitum. De Petro cap.* I *sic loquitur:* Simon Petrus, filius Joannis, provinciæ Galileæ, e vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli, et princeps Apostolorum *etc. De Matthæo cap.*3: Matthæus, qui et Levi, ex publicano Apostolus *etc. De Paulo cap.* 5: Paulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum *etc. De Barnaba cap.* 6: Barnabas Cyprius, qui et Joseph Levites, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus *etc. De Joanne demum cap.* 9: Joannes Apostolus, quem Jesus amavit plurimum, filius Zebedæi, frater Jacobi Apostoli *etc. Vides, opinor, studiose lector, quam sollicite S. Hieronymus observaverit, quidquid* B *de dignitate Apostolica singulorum dici poterat, et ne illud quidem prætermisisse, quod Petrus et Joannes fratrem singuli habuerint Apostolum. Itaque, nisi decipere nos voluit, quod nefas est suspicari, nec* Jacobum *nec* Judam, *de quibus agimus, credidit Apostolos stricte dictos, cum nihil de illorum apostolatu commemoret. De* Jacobo *enim cap.* 2 *ita orditur:* Jacobus, qui appellatur Frater Domini, cognomento Justus, ut nonnulli existimant, Joseph ex alia uxore, ut autem mihi videtur, Mariæ sororis Matris Domini, cujus Joannes in libro suo meminit, filius, post passionem Domini statim ab Apostolis Jerosolymorum episcopus ordinatus *etc. Nulla hic occurrit vox, quæ insinuet Apostolum fuisse, nec magis in sequentibus. Nihilo magis cap.* 4, *ubi de* Juda *agit, alterutrius apostolatus insinuatur, sed simpliciter dicitur:* Judas, frater Jacobi, parvam, quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. *Si hæc non sufficiunt ad perspiciendum, qualis fuerit de illis S. Hieronymi sententia, nescio, quid tandem adversariis nostris possit sufficere: nam omnia, quæ de* Jacobi *apostolatu visus erat inferre contra Helvidium, hic silentio premit, et tacite retractat, aut potius jam ante retractarat, quando commen-* C *tabatur in Epistolam ad Galatas.*

in Epistolam ad Galatas, et in Evangelium Matthæi.

46 *Objecerat Helvidio locum Apostoli ad Gal.* I ℣. 19: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini: *interrogando tamen magis et disserendo, quam docendo. At in Commentariis ad illum locum observat, etiam alios quosdam,* exceptis duodecim, *vocari Apostolos, et sic innuit, ex dicto Apostoli loco validum non sumi argumentum pro apostolatu* Jacobi *inter duodecim. In elogio autem* Jacobi *eadem verba rursum allegat, sed non ut probet ipsum ex duodecim fuisse Apostolis, quod alias de ipso æque diceret ac de reliquis. Contra Helvidium dicit:* Si Apostolus est, Alphæi filius erit. *At hic nec* Alphæi *cognomen ipsi tribuit, nec* Alphæum *ejus patrem videri, insinuat: quod tamen ibi interrogando et disserendo inferre tentaverat. Contra Helvidium luserat in cognomine* Minoris *et* Majoris, *arripiens occasionem ab imperito homine oblatam. At hic de cognomine Minoris ne meminit quidem in elogio* Jacobi *Fratris Domini, nec in Joanne de cognomine* Jacobi Majoris, *quod an usitatum fuerit apud antiquos, necdum inveni. Quapropter necesse est, ut dicamus, omnia illa, quæ contra Helvidium de Apostolatu* Jacobi Minoris *disseruerat S. Hieronymus, in duobus Operibus post scriptis saltem tacite revocata fuisse. Neque contendent, opinor, adversarii, nihil Hieronymum discere potuisse, quod ignorabat, quando juvenis scripsit contra Helvidium, et sincero veritatis amore mutare sententiam, quam antea aut veram aut satis probabilem crediderat. In Commentariis in Matthæum, aliquot annis post librum jam laudatum scriptis, rursum Fratres Domini numero Apostolorum excludit cum Evangelio. Nam lib.* 2 *in Matth. cap.* 12 *in illa verba Christi, manum in Discipulos extendentis, quando Mater ejus et Fratres foris stare dicebantur:* Ecce Mater mea, et Fratres mei *etc. ita commentatur:* Isti sunt Mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant. Isti sunt Fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Non ergo juxta Marcionem et Manichæum Matrem negavit, ut natus de phantasmate crederetur; sed Apostolos cognatione prætulit *etc. Et post pauca:* Nos autem, sicut in libro, quem contra Helvidium scripsimus, continetur, Fratres Domini, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi E Minoris, et Joseph, et Judæ, quos in alio Evangelii loco Fratres Domini legimus appellatos. *Quare his omnibus consentientia scripsit Hieronymus in Isaiam, quando* tertium decimum *inter Apostolos posuit* Jacobum *Fratrem Domini.*

suevmz J. S.

Nostram quoque sententiam docent SS. Epiphanius,

47 *De sententia S. Epiphanii, qui amicitia junctus fuit cum S. Hieronymo, et ipso ætate major erat, nullam litem nobis movet Tillemontius. Quapropter satis erit unum ipsius locum adducere ex Panario, in quo Hær.* 79, *pag.* 1060, *ita loquitur:* Post hæc Petrus et Andreas Jacobus, et Joannes, Philippus et Bartholomæus, Thaddæus* et Jacobus Alphæi, et Judas Jacobi, et Simon Cananæus, et Matthias, ad supplendos duodecim suffectus: illi, inquam, omnes et Apostoli delecti sunt, ac toto terrarum orbe sacram Evangelii functionem administrarunt, cum Paulo et Barnaba ac cæteris: iidemque mysteriorum auctores atque conditores fuerunt, una cum Jacobo Domini Fratre, primo Hierosolymorum episcopo. *Hæc* Jacobum *Fratrem Domini clare distinguunt a duodecim Apostolis, æque ac Paulum et Barnabam. Quæ subdit Græce Epiphanius, Latine ad verbum exprimo:* A quo episcopo, et prædictis Apostolis constitutæ sunt successiones episcoporum et pre- F sbyterorum in domo Dei. *Hæc rursum non minus clare* Jacobum *episcopum numero Apostolorum stricte dictorum excludunt. Laudatus pater Hær.* 78 *plurima disserit de* S. Jacobo *Hierosolymitano, et nonnulla etiam de Josete aut* Joseph, *et de* Simone *ac* Juda, *quos omnes credidit filios S. Josephi ex priore quadam uxore, omnesque Apostolorum numero excludit, aut potius ne minimam quidem de illorum apostolatu inter duodecim suspicionem insinuat.*

* *lege Matthæus*

Chrysostomus multis locis, quem dubium

48 *Chrysostomum jam frequenter laudavi, clarissimaque ipsius verba protuli pro nostra sententia. Non negavit quidem Tillemontius, Chrysostomum nobis patronum esse, nonnulla tamen disputat, quibus contendit, eum non inhæsisse firmiter nostræ sententiæ. Itaque ait primo, Chrysostomum in Commentario in Epistolam ad Galatas cap.* I *ad illa verba:* Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini, *observare,* S. Jacobum *a S. Paulo vocari honoris causa* Fratrem Domini, *etiamsi proprie Frater Domini non esset. Itaque, si credimus Tillemontio, poterat simile quid*

AUCTORE J. S.

quid observare de dignitate Apostoli *ipsi attributa, nisi Apostolum credidisset. Respondeo inanem esse cavillationem : nam Paulus* Jacobum *vocabat* Fratrem Domini, *sed non vocabat* Apostolum, *nec dicebat* Jacobum Apostolum. *Innuebat quidem, Apostolum esse, aut stricte aut late dictum, sed nec Apostolum esse late dictum negabat Chrysostomus, nec omnia ubique repetere debebat. Vel sic tamen eo loco significavit sententiam suam, quando dixit sequentia :* Etenim si tantum indicare voluisset eum, de quo loqueretur, poterat alia nota declarare, si dixisset Jacobum Cleopæ *(Græce* τὸν τοῦ Κλωπᾶ) quod cognomen posuit Evangelista. *Nam dixisset* Jacobum Alphæi *vocari potuisse, ut vocatur in Evangeliis, si eumdem credidisset. At* Jacobum Domini Fratrem *cum multis aliis filium Cleophæ existimavit, quia Joan.* 19 ℣. 25 soror *sanctissimæ Virginis Mariæ vocatur* Maria Cleophæ. *Tillemontius ipse hunc locum adduxit Nota* 2 *in Jacobum, ut ostenderet, secundum Chrysostomum* Cleophæ *filium esse Jacobum. Qua igitur vitilitigandi libidine ex illo ipso loco, in quo Fratrem Domini a* Jacobo Alphæi *clare ipso cognomine distinguit, contrarium ratiocinando evincere nititur Tillemontius? Altera ipsius objectio æque frivola est, et petitur ex Homilia* 26 *Chrysostomi in Acta Apostolorum, ubi num.* 2 *ad illa verba Act.* 12 ℣ 2, Occidit autem *(Herodes)* Jacobum fratrem Joannis gladio; *ita animadvertit Chrysostomus :* Quia vero alius erat Jacobus, frater Domini, ideo designavit, dicens : Fratrem Joannis. *Addit Tillemontius :* Non dicit, tertium fuisse Jacobum. *At neque necesse erat de tertio loqui, quia tertius ille, sive* Jacobus Alphæi, *non erat Hierosolymis. Agebatur autem de persecutione ab Herode Hierosolymis excitata, ubi erant duo illi Jacobi, et de utroque fit mentio in eodem capite. Accurata igitur est observatio Chrysostomi de altero* Jacobo *in eadem Homilia sæpius memorando, et frigidissima animadversio Tillemontii, Patrum verba frequenter sine adjunctis considerantis, et sic non raro corrumpentis.*

B

frustra facere studet Tillemontius

49 *Demum ad infirmandam Chrysostomi auctoritatem ait, ipsum parum examinare difficultates ejusmodi historicas, assignans hæc sancti Doctoris verba ex Homilia* 33 *in Acta Apostolorum :* Sive hic, sive ille sit, non ulterius inquirendum. *Verum nullus est sanctorum Patrum, qui subinde quæstiones historicas non prætermittit, et nullus videtur magis sollicite examinasse dicta omnia sacræ Scripturæ de* S. Jacobo *et Fratribus Domini. Audiamus specimina aliqua et ordiamur ab ipsa Homilia laudata. Initium est de* S. Jacobo *tale :* Hic episcopus erat in Jerosolymitana ecclesia: ideoque postremus loquitur. *Et mox de eodem :* Vide autem et hujus prudentiam, qui ex novis, et ex veteribus Propheticis sententiam suam confirmat. Non enim poterat aliquod opus *(prædicatæ in variis provinciis fidei)* ostendere, ut Petrus, ut Paulus. *Et post pauca observat, a* Jacobo *antiqui prophetæ testimonium adduci,* quod antiquus non esset, *sive ex primis Apostolis,) ideoque minorem haberet auctoritatem. Hunc locum, ut sibi contrarium, allegavit ipse Tillemontius. Rursum Hom.* 46 *in Act.* 21 ℣. 18, *ubi mentio fit de* Jacobo, *ait :* Hic Frater erat Domini, et episcopus Jerosolymorum, vir magnus et mirabilis. *Rursum Hom.* 3 *in Acta num.* 1 *in illud Act.* 1 ℣. 14. Et Fratribus ejus, *Græce,* et cum Fratribus ejus, *Christi nimirum, qui cum Apostolis ingressi sunt in cœnaculum; hæc observat :* De iis loquitur *(Lucas,)* qui prius non credebant in eum, *scilicet Joan.* 7 ℣. 5.

C

D

Hæc rursum percutiunt Tillemontium, uti et alia, quæ ibidem habet num. 2, *ubi observat de S. Josepho sponso Mariæ, ipsum ante omnes credidisse in Christum, Fratrumque Domini præteritam incredulitatem opponit, ita scribens :* Fratribus vero dicebat Christus *(Joan.* 7 v. 7) « Non potest mundus odisse vos : me autem odit. » *Hunc ipsum locum adduxi num.* 14 *ad ostendendum, Fratres Domini non fuisse Apostolos. Alia Chrysostomi verba, nominatim* Jacobum *et* Judam *non credentibus annumerantis, dedi num.* 5. *Rursum ejusdem recitavi verba num.* 38, *ubi dicit, Fratres Domini* inter clariores *fuisse,* etsi ad Apostolos non pervenerant. *Ex Homilia* 5 *in Matthæum jam textum adduxi adversariis nostris clare contrarium num.* 7. *Adjungo alium, qui ibidem legitur num.* 3, *ubi Chrysostomus virginitatem B. Mariæ defendit, et objectionem solvit ex Fratribus Domini petitam, ita scribens :* Quo pacto ergo, inquies, Jacobus et alii ejus Fratres appellantur? Quemadmodum et Joseph vir Mariæ esse existimabatur. Multa enim erant posita velamina, ut hujusmodi partus occultaretur, ideoque Joannes illos sic *(id est Fratres)* vocabat his verbis : « Neque « enim Fratres ejus credebant in eum ». Attamen ii, qui prius non crediderant, admirandi et præclari postea exstiterunt. Quando ergo dogmatum causa Paulus Jerosolymam ascendebat, Jacobum statim adiit, qui ita admirandus erat, ut illius urbis episcopatum primus acciperet. *Mitto alia, ne lectori tædium augeam, quod ex accumulatione locorum jam nunc concipere potuit.* E

Eusebius S. Jacobum an numerat septuaginta discipulis,

50 *Eusebium ægre etiam patronum sententiæ nostræ concedit Tillemontius, etiamsi de eo nullum debeat esse dubium. In Historia ecclesiastica lib.* 1 *cap.* 12 *editionis Valesianæ, ubi agit de septuaginta discipulis, ita loquitur de* Jacobo *Fratre Domini :* Inde Jacobo illum apparuisse testatur. Unus hic ex septuaginta discipulorum numero, ac præterea ex Fratribus Domini fuisse perhibetur. *Paulo liberius hæc Latine sunt reddita, et Valesius in Annotationibus ad hunc locum observat, Græcas voces nonnullas in variis codicibus Mss. omissas esse; sed integrum textum se dedisse ex codice regio. Quapropter ipsa verba Græca adducam, cum ut examinemus, an verisimile sit, voces Græcas, quas in variis codicibus non haberi notat Valesius, non fuisse scriptas ab Eusebio, tum ut interpretationem demus ad verbum :* εἷς δὲ καὶ οὗτος τῶν φερομένων τοῦ Σωτῆρος μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ ἀδελφῶν ἦν. F *Ex his in aliquot codicibus omissas dicit sequentes voces :* μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ, *ut in illis codicibus legi debeat :* εἷς δὲ καὶ οὗτος τῶν φερομένων τοῦ Σωτῆρος ἀδελφῶν ἦν. *Nunc utramque lectionem ad verbum reddam Latinam, ut intelligamus, quænam sit improbanda. Prior habet :* Unus vero et hic dictorum Salvatoris discipulorum, præterea et Fratrum erat. *Hic sensus optimus est, quia egerat de septuaginta discripulis, et pauca tantum de apparitionibus Domini interposuerat. Dicit autem non ex mente aliorum, sed omnino affirmat Eusebius, unum ex septuaginta discipulis fuisse* Jacobum Fratrem Domini. *Accipe, nunc lector studiose, et alterius lectionis interpretationem, et vide, quam illa sit adulterina et plane ridicula.* Unus vero et hic dictorum Salvatoris Fratrum erat. *Non agebat Eusebius de Fratribus Domini, nec ullum de illis verbum protulerat, quomodo ergo dicere poterat.* Unus vero et hic dictorum Salvatoris Fratrum erat? *Mihi certe clarum apparet, sic loqui non potuisse virum prudentem, corruptosque esse codices, in quibus illa leguntur. Quod autem Rufinus illa non habeat, verum*

A *rum est, sed id parum ad rem facit, cum Rufinus multa alia omiserit, truncarit, addideritque et mutarit. Attamen ex eo nemo suspicetur, Rufinum credidisse,* Jacobum *Apostolis annumerandum. Sic enim habet :* Post etiam dicit, eum visum esse Jacobo, qui erat unus ex his, qui Fratres Salvatoris appellabantur.

et duodecim Apostolorum numero clare excludit. De S. Juda

51 *Eusebius porro* Jacobum *Fratrem Domini duodecim Apostolorum numero clarissime excludit in Comentariis in Isaiam prophetam, editis a Montfaucono, pag.* 422, *ubi exponit caput* 7 ỷ. 6, *et olivis quatuordecim comparat Apostolos, ita scribens :* Ex quorum numero duodecim quidem primos Apostolos esse dicas, et illis non virtute minorem Paulum, qui et ipse vocatus Apostolus est, et Jacobum Fratrem Domini, qui primus Jerosolymitanæ ecclesiæ episcopus ab Salvatore constitutus memoratur. *Cum ex his de sententia Eusebii certo constet (neque enim quidquam ullibi scripsit contrarium , certe suo nomine) plura de* Jacobo *non adduco; sed pauca de aliis duobus Domini Fratribus,* Juda *nimirum et* Simone *vel* Simeone. *De* Juda *lib.* 3 *cap.* 19 *mentionem* B *facit, ita scribens :* Cum vero idem Domitianus *(imperator)* universos, qui a Davide generis sui originem ducerent, interfici jussisset, vetus fama est, posteros Judæ ejus, qui secundum carnem Frater Christi fuerat, a quibusdam hæreticis esse delatos, utpote qui a Davidis stirpe essent oriundi, et ipsius Christi propinquitate fulgerent. Et hæc quidem testatur Hegesippus. *Tum plura subjicit ex Hegesippo postea laudando. Rursum lib.* 3 *cap.* 32 *sic loquitur :* Alios præterea nepotes unius ex Domini Fratribus, cui nomen erat Judæ, ad hoc usque Traiani imperium vitam produxisse, idem scriptor *(Hegesippus)* refert. *Hæc mihi sufficere videntur, ut liqueat de mente Eusebii : neque enim de* S. Juda *tam frigide et sine ullo honoris titulo locutus fuisset, si unum credidisset ex duodecim Apostolis.*

et Simone fratribus ita loquitur, ut de eorum Apostolatu nihil sit suspicatus.

52 *De* Simone *aut* Simeone *Fratre Domini, quem ipse quoque Tillemontius non fuisse Apostolum fatetur, plura profert Eusebius, quia secundus fuit episcopus Hierosolymitanus. Lib.* 3 *cap.* XI *de electione ipsius hæc scribit :* Post martyrium S. Jacobi *ait convenisse Apostolos, ut fama est, aliosque Discipulos Domini una cum propinquis Christi secundum carnem, ex quibus plures etiam tum superfuisse ait, de successore* Jacobi *consu*C*luisse.* Omnes itaque, *inquit,* uno consensu Symeonem filium Cleopæ, illius, cujus in Evangeliis fit mentio, episcopali sede dignum judicaverunt. Creditur autem Symeon patruelis fuisse Servatoris. Nam Cleopam fratrem fuisse Josephi testatur Hegesippus. *Dein lib.* 3 *cap.* 32 *agit de martyrio* S. Symeonis *episcopi sub Trajano. Ubi enim dixisset persecutionem excitatam, subdit :* In qua Symeon Cleopæ filius, quem secundum ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopum constitutum esse docuimus, martyrio vitam finiisse memoratur. *Hæc rursum satis declarant,* Simeonem *non fuisse habitum ab Eusebio pro uno ex Apostolis duodecim. Itaque necesse non est, multa de* Simeone *ratiocinari, cum eruditi hodie passim consentiant, non fuisse eum ex duodecim Apostolis, ipseque in primis Tillemontius tom.* I *in S. Simone Apostolo et tom.* 2 *in S. Simeone episcopo Hierosolymitano martyre, hac de re consentiens disputatis apud nos de* S. Simeone *ad* XVIII *Februarii.*

Hegesippus ita loquitur de SS. Jacobo,

53 *Hegesippus antiquissimus scriptor, et vicinus temporibus Apostolorum, ut Eusebius et Hieronymus consentiunt, de Fratribus Domini frequenter meminit apud Eusebium, qui scripta ejus habuit et magni fecit, ipsaque ejus verba variis locis recitavit. Laudatus autem Hegesippus de* Jacobo, Juda *et* Simone *ita semper loquitur, ut numquam* Apostolos *nominet, et omnino credidisse videatur, Apostolos non fuisse. Primo apud Eusebium lib.* 2 *cap.* 23 *ex* quinto Commentariorum libro *hæc ejus verba recitantur :* Ecclesiæ administrationem una cum Apostolis suscepit Jacobus frater Domini, qui jam inde a Christi temporibus ad nostram usque ætatem Justus cognominatus est. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocabantur. *Tum amplum subdit elogium de sanctitate ipsius, et in eo martyrium fuse enarrat. In illo autem elogio frequenter repetit nomen* Jacobi *et cognomen* Justi; *at numquam vocat* Apostolum. *Quis igitur credat, ab Hegesippo* Apostolum *fuisse existimatum* Jacobum, *cum ille referat præcipua ipsius decora a pueritia usque ad mortem, et de Apostolatu, inter prima memorando, altum sileat? At non modo de Apostolatu silet; sed satis aperte innuit, Apostolum non fuisse, quando dicit :* Ecclesiæ administrationem una cum Apostolis suscepit Jacobus Frater Domini. E *Nisi enim ab Apostolis eum distinguere voluisset, saltem dixisset,* cum reliquis Apostolis. *Præterea illud,* Multi Jacobi vocabantur, *insinuat, inter viros Apostolicos primæ Ecclesiæ plures fuisse Jacobos, quam duos illos, qui duodecim Apostolis annumerati sunt. Idem dictum ostendit, quam nullo nitatur fundamento persuasio illa Tillemontii, qua contra usum Scripturæ et Patrum auctoritatem, cognomen* Judæ *Apostoli, qui* Judas Jacobi *dicitur, nititur explicare de fratre et non de patre, acsi non potuissent plures esse Jacobi apud Judæos, et plures Judæ.*

[illegible] I, S.

Juda et Simone fratribus, ut nobis clare faveat.

54 *De* Juda *autem Fratre Domini lib.* 3 *cap.* 20 *recitantur hæc verba Hegesippi :* His temporibus *(sub Domitiano)* adhuc supererant quidam ex cognatione Christi, nepotes Judæ illius, qui secundum carnem Frater Christi vocabatur. *Rursum lib.* 3 *cap.* 32 *apud Eusebium Hegesippus de* Simeone *ita scribit :* Ex eodem hæreticorum numero quidam Symeonem Cleopæ filium detulerunt, quod ex stirpe Davidis oriundus et Christianus esset. Atque ita Symeon, cum annos centum ac viginti natus esset, martyrium subiit *etc. Paulo inferius* Simeon *dicitur* ὁ ἐκ θείου τοῦ Κυρίου natus ex patruo Domini *et* υἱὸς Κλωπᾶ filius Clopæ, *alias* Cleopæ *Græcis, et Latinis* Cleophæ. *Docet* F *ibidem Eusebius,* Mariam Cleophæ *fuisse matrem* Simeonis. *Verum Valesius ibi male interpretatur, Mariam* τοῦ Κλωπᾶ filiam Cleopæ, *cum* uxorem *dicere debuisset, ut saltem colligere poterat ex communi utriusque filio* Simeone.

S. Gregorius Nyssenus noster est, ut et Cyrillus Hierosolymitanus.

55 *S. Gregorius Nyssenus Orat.* 2 *in Resurrectionem Domini ad propositum nostrum sic loquitur :* Marcus autem *(cap.* 15 ỷ. 40*)* Jacobi Parvi et Josæ matrem eam vocavit, quoniam alter erat Jacobus Alphæi, magnus idcirco, quia duodecim Apostolis connumeratus erat. Nam Parvus non erat de numero eorum. *S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech.* 14 *num.* 21, *explicans verba S. Pauli* I *Cor.* 15 ỷ. 7 : Deinde visus Jacobo, *subdit :* Fratri quidem suo, primo vero parœciæ hujus episcopo. Cum igitur talis episcopus principaliter Christum Jesum resuscitatum viderit, tu qui discipulus ejus es, ne fidem abneges. *Si Apostolum credidisset Cyrillus, ipsius in episcopatu successor, non diceret* talis episcopus, *nec de Apostolatu ejus taceret. Similiter tamen ab eo titulo abstinuit Catech.* 4 *num.* 28 *ubi sic habet :* Nam

Nam de hujusmodi cibis, *(qui idolis sunt oblati)*, non mihi solum hoc tempore, sed jam ipsis Apostolis, et Jacobo hujus ecclesiæ olim episcopo studium et cura fuit. *Hic non solum* Apostoli *titulus omittitur, sed* Jacobus *etiam Apostolis superadditur, tamquam ab illis distinctus, et quidem clarius Græce* καὶ τοῖς ἀποστολοῖς καὶ Ἰακώβῳ, et Apostolis et Jacobo. *Bis certe ponebat* Jacobum, *nisi distinctum credidit.*

quem frustra excipere studet Tillemontius.

56 *Cyrillum nobis concedere detrectat Tillemontius. Fatetur, Cyrillum præ ceteris omnibus obstrictum fuisse pro honore ecclesiæ suæ ad agnoscendum Apostolatum* S. Jacobi, *primi illius pastoris. Attamen ad secundum locum ita respondit :* Verum nescio, quid inveniatur difficultatis in illis verbis : mihique videtur iis naturaliter uti debuisse etiam homo, cui persuasissimum erat de Apostolatu S. Jacobi. *Ad priorem locum respondet :* Si quis ex eo loco colligat, S. Jacobum non fuisse ex duodecim, oportebit similiter excludere S. Petrum, quandoquidem S. Paulus dicat, Jesum Christum apparuisse Cephæ, deinde duodecim : quod S. Cyrillus etiam narrat. *Utraque responsio est frigidissima. Non vidit Tillemontius, quid* B *lateat contra se difficultatis in verbis objectis. At vidit eam difficultatem novissimus editor Operum S. Cyrilli, Antonius Augustinus Touttée, qui ad Catechesin* 14 *pag.* 216 *hæc observat :* Notandum, sive in hoc loco, in quo sancti Jacobi auctoritatem et dignitatem maxime extollit Cyrillus : sive Cat. 4 num. 28 solam illi episcopalem dignitatem tribui, nusquam Apostolicam : imo eum utrobique ab Apostolis secernere videtur. *Quod ait deinde Tillemontius de S. Petro similiter excludendo, si excludamus ob allata verba* Jacobum, *ineptum est, quia S. Cyrillis de Cepha solum recitat verba S. Pauli, iisque nihil addit; sed de* S. Jacobo *multa addit : nec* Episcopum *vocare debebat sine mentione dignitatis Apostolicæ, si volebat, ut nos crederemus, Apostolum fuisse* Jacobum, *quod nobis pro honore ecclesiæ suæ in aliquo saltem Opusculo suo debebat manifestare. Aliter ipsum sine ulla affectatione loqui potuisse, jam ostendi.*

Nostri item sunt S. Proclus, Origenes,

57 *S. Proclus Constantinopolitanus antistes, et Chrysostomi discipulus, in tractatu de Traditione divinæ Missæ pag.* 580 *Operum, editorum a Vincentio Riccardo, clare item* Jacobum *Fratrem Domini excludit numero duodecim Apostolorum,* C *ita scribens :* Multi quidem et alii divinæ Ecclesiæ pastores et doctores, qui sacris successerunt Apostolis, sacrosanctæ Missæ editionem scriptis demandantes tradiderunt Ecclesiæ : quorum primi iique præclarissimi censentur, beatus nimirum Clemens, summi illius Apostolorum Principis discipulus et successor, qui, sacris Apostolis ei dictantibus, illam edidit; et divus Jacobus qui Jerosolymitanam ecclesiam nactus est in sortem, ejusque primus a primo magnoque illo summo Pontifice Christo Deo nostro fuit constitutus episcopus. *Verba Origenis, de quatuor Fratribus Domini varia coacervantis, jam dedi num.* 12. *Fatetur Tillemontius Nota* 2 *in S. Judam, Origenem agere de* Jacobo *et* Juda *fratribus, nec quidquam dicere de ipsorum Apostolatu, nihil tamen etiam dicere contrarium. At mihi satis aperte insinuare videtur Origenes, nec* Jacobum *Fratrem Domini se confudisse cum* Jacobo Alphæi, *nec* Judam *aut* Simonem *cum Apostolo cognomine. Qui enim de* Jacobo *observat, eum commemorari a S. Paulo Gal.* I v. 19; *an non multo magis annotasset, ipsum in Evangelio Matthæi, quod exponebat, jam ante cap.* 10 *vocatum fuisse* Jacobum Alphæi, *et Apostolis annumeratum? Qui de* Juda D *scripsit, ipsius esse unam ex Epistolis Canonicis, an non æque dixisset, in Catalogis Apostolorum alias* Thaddæum, *alias* Judam Jacobi *vocari, si in ea fuisset opinione? An* Simonem *credidit Apostolum, qui ait,* nihil *sibi de eo esse* compertum? *Hac ultima observatione utitur ipse Tillemontius Nota in* Simonem, *ut ostendat,* Simonem *ei non esse visum Apostolum. Poterat idem fateri de* Jacobo *et* Juda, *et generatim de omnibus Fratribus Domini, cum Origenes in iis adjunctis minime debuisset ipsorum Apostolatum silere, si Apostolos credidisset.*

S. Cyrillus Alexandrinus, S. Isidorus Pelusiota.

58 *S. Cyrilli Alexandrini verba dedi num.* 5, *et alia æque clara num.* 14, *ubi docet, Fratres Domini,* qui ante fidem spreverant, *postea credidisse,* cæteris *(utique Apostolis)* opitulantes ac fidei doctrinam tuentes. *S. Cyrillo contemporaneus in Ægypto fuit S. Isidorus Pelusiota, qui lib.* I *Epist.* 93 *mentem suam de his satis insinuat, de Apostolatu* Jacobi *silendo. Epistolam, cum perbrevis sit, totam recito.* Nolite multi magistri fieri, fratres, scribit Justus Jacobus. Nolite multi magistri effici, monachi, scribo ego minimus Isidorus, etsi minime probus monachus, at certe Jacobi auditor. E Æquum itaque fuerit, vos, etiamsi auditoris vilitatem rejiciatis; at certe justam viri justi ac sapientis sententiam vereri. *Poterat certe Isidorus* Apostoli *titulo auctoritatem* Jacobi *magis commendare, quam titulo* Justi *et* sapientis, *si Apostolum credidisset.*

Theodoretus.

59 *Theodoretus in Epistolam S. Pauli ad Galatas cap.* I v. 19, *explicans illud :* Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini, *hæc scribit :* Vocatur quidem Frater Domini, sed non erat natura : sed nec fuit Josephi filius, ut quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus; sed erat quidem Cleophæ filius; Domini autem consobrinus. Habuit enim matrem Matris Domini sororem. *Hæc quidem satis clara sunt, cum* Jacobus Alphæi *non sit* Cleophæ, *sed* Alphæi *filius. Clarius tamen Theodoretus utrumque distinguit in Psalmum* 67 *pag.* 659, *ubi primum loquitur de S. Paulo Apostolo, deinde de aliis pluribus, quam duodecim, scribens in illa verba :* Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtalim, *ubi sic habet :* Ex his namque tribubus ceteri Apostoli originem duxerunt. Et illi quidem, qui vocabantur Fratres Do- F mini, ex tribu Judæ plane genus traxerunt. Petrus autem, et Andreas, et Jacobus et Joannes, et Philippus ex vico Bethsaida fuerunt : Matthæus et Jacobus *(nempe Alphæi)* dicti sunt habitasse Capharnaum. Simon Zelotes Cananæus dictus est. Omnia autem hæc loca Galilææ sunt. Zabulon autem et Nephtalim ibi suam habuerunt sortem. *etc. Hunc locum ut sibi contrarium allegavit ipse Tillemontius : et clarum est, duos præter Fratrem Domini inter Apostolos numerari Jacobos, eosque ex tribu Zabulon aut ex tribu Nephtali secundum Theodoretum, Fratres vero Domini ex tribu Juda. Uti autem Theodoretus ait,* Jacobum Alphæi *habitasse Capharnai; ita Chrysostomus Hom.* 32 *in Matthæum (al.* 33) Jacobum Alphæi *dicit fuisse* publicanum, *quod certe nemo dixerit de* Jacobo *Fratre Domini.*

S. Prosper, Ambrosiaster :

60 *S. Prosper in Chronico (col.* 703 *Operum S. Prosperi) de ordinatione* S. Jacobi *sic loquitur :* Ecclesiæ Jerosolymorum primus episcopus ordinatus est Jacobus, qui habitus est Frater Domini. *Deinde col.* 704 *de morte ejusdem :* Jacobus Frater Domini, quem omnes Justum appellabant, a Judæis

A dæis lapidibus opprimitur : in cujus thronum Simeon secundus assumitur. *Cur* Apostolum *non nominat Prosper, si apostolum credidit? Certe in aliis Apostolis, de quibus agit, titulum illum minime omittit, sed sæpe repetit de Petro, de Paulo et de Joanne, ut videri potest a col.* 703 *usque ad* 708. *Idem observat in S. Marco, quem bis nominat, sed non sine titulo* Euangelistæ. *Cur ergo in solo* Jacobo *titulum* Apostoli *omittit, nisi quia Apostolum non credidit? Sic Apostolum non facit* Simeonem, *de cujus morte col.* 708 *ita loquitur :* Simon filius Cleophæ, qui in Jerosolymis episcopatum tenebat, crucifigitur. *Antiquus auctor Latinus, qui Epistolas S. Pauli exposuit, et multis seculis pro S. Ambrosio habitus est, nunc vulgo* Ambrosiaster *dictus, in Epistolam ad Galatas cap.* I ℣. 19 *ad verba S. Pauli ait :* Jacobum vidit Hierosolymæ, quia illic erat constitutus ab Apostolis episcopus, qui et ipse prius fuerat incredulus, sicut dicit Euangelista : Quia nec Fratres ejus, inquit, adhuc credebant in eum. *Hunc quoque locum sibi contrarium agnoscit Tillemontius.*

et demum Martyrologia Hieronymiana.

61 *Ex Martyrologio Hieronymiano apud Florentinium ad* XXII *Junii hæc solum adduco :* In Persida natalis S. Jacobi Alphei Apostoli. *At* Jacobus *Frater Domini ad* XV *Martii annuntiatur* B *Hierosolymis, et aliis quoque diebus commemoratur, ut satis expositum est ab Henschenio. Ad Martyrologium Hieronymianum, in quo* S. Jacobus Alphæi *collocatur in Perside, respondet Tillemontius, multa in illo Martyrologio menda reperiri. At menda illa saltem nequeunt evincere, collectores illius Martyrologii et interpolatores non credidisse,* Jacobum Alphæi *distinctum esse a* Jacobo *Fratre Domini; cum in omnibus fere antiquissimis apographis illa annuntiatio* Jacobi Alphæi *legatur; et unicuique vel mediocriter docto constaret,* Jacobum *Fratrem Domini Hierosolymis esse passum. Prætermitto Constitutiones Apostolicas, aliaque monumenta fidei non satis probatæ, uti et scriptores omnes medio seculo* V *posteriores, et sacros Græcorum et aliarum gentium Fastos, ne prolixior fiat Dissertatio.*

CAPUT IV.

Examinantur ea, quæ Tillemontius C pro sua sententia adferre studuit.

Tillemontius Clementem Alexandrinum pro sua opinione

Si paupertatem Tillemontianam ostenderimus in hac controversia, nolim id æquus lector attribuat ignorantiæ ipsius, qui vetusta monumenta et Opera sanctorum Patrum satis diligenter perscrutatus est; sed causæ, quam defendendam sumpsit, extremæ inopiæ. Primum, aut potius solum, in aciem educit Clementem Alexandrinum, non ex Opere aliquo ad nostra usque tempora conservato, sed ex verbis aliquot ab Eusebio recitatis. Clare perspicitur, *inquit,* S. Clementem Alexandrinum non agnovisse nisi duos SS. Jacobos Apostolos, fratrem Joannis, et episcopum Hierosolymitanum. *Verum mihi tam clarum id non videtur. Quapropter omnia, quæ ex Clemente recitat Eusebius lib.* 2 *cap.* I, *huc transfero.* Clemens certe in sexto Institutionum libro ita tradit. Ait enim, post Salvatoris ascensum Petrum, Jacobum et Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset,

non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum episcopum elegisse. *Hæc certe non prosunt causæ Tillemontianæ; sed potius nocent. Audiamus sequentia :* Idem, *inquit Eusebius,* in septimo ejusdem Operis libro hæc de illo etiam dicit : « Jacobo, inquit, Justo, et Joanni et Petro « Dominus post resurrectionem scientiæ donum « impertiit : quod illi ceteris Apostolis, hi vero « septuaginta Discipulis, quorum unus fuit Barna« bas, tradiderunt. Ceterum duo fuere Jacobi; « alter, cognomento Justus, qui ex templi fasti« gio præcipitatus, et a fullone fuste percussus « interiit; alter, qui capite truncatus est. » Porro Jacobi illius Justi meminit etiam Paulus, ita scribens : « Alium autem ex Apostolis vidi neminem, præter « Jacobum Fratrem Domini. » *Hactenus Clemens apud Eusebium.*

AUCTORE J. S.

allegat in Opere fabulis inquinato,

63 *Jam vero, lector, considera, qualem contra agmen sanctorum Patrum militem producat Tillemontius. Quis patienter audiat fabulas illas, quas narrat de dono sapientiæ Jacobo, Joanni et Petro per Christum impertito, per tres illos ceteris Apostolis, per Apostolos septuaginta discipulis; cum constet, omnes Apostolos et multos saltem ex septuaginta discipulis, donum sapientiæ maxime ac-* E *cepisse per missionem Spiritus sancti in die Pentecostes? Si ejusmodi nugas in dictis Institutionum vel Hypotyposeon libris narravit Clemens, non immerito illos graviter accusat Photius, fabulisque et blasphemiis multis inquinatos dicit; imo nec immerito dubitat, utrum ipse Clemens ea scripserit,* an quis alius, ejus personam indutus, *cum in aliis Operibus eumdem rectius scripsisse observet. Verum parum interest ad propositum nostrum, Clementisne sint allegata verba, an alterius : neque enim umquam ex illis probabitur,* Jacobum *Fratrem Domini ab auctore confusum esse cum* Jacobo Alphæi. *Observat ille quidem, duos fuisse Jacobos, sed non negat fuisse etiam tres, neque affirmat, duos illos, quos memorat, ambos fuisse ex duodecim Apostolis. Non tam accuratus in loquendo fuit auctor illius Operis, multa perturbate miscens secundum Photium, ut ex duobus assertis Jacobis inferre debeamus, tertium ab eo ignoratum.*

ex quo tamen nihil certi potest concludi.

64 *Sic Gregorius Nyssenus, cujus verba num.* 52 *dedi, occasione unius* Jacobi Parvi, *sive Fratris Domini, ait,* Quoniam alter erat Jacobus Alphæi. *An dicemus, ipsi ignotum fuisse* S. Jacobum Zebedæi, *quia ibidem de illo non meminit? Non fa-* F *ciet hoc ullus Tillemontii defensor. Rursum Chrysostomus, num.* 45 *laudatus, occasione occisi Jacobi Zebedæi advertit, etiam alium esse* Jacobum *Fratrem Domini dictum. Nitebatur ex illa observatione inferre Tillemontius, tertium* Jacobum *tunc quasi ignotum fuisse Chrysostomo. At jam ibi ostendi, quam inanis sit ea consecutio, quia de duobus tantum meminisse debuit, quod solum duo Hierosolymis tunc versarentur, vel quod duo in eodem Actorum capite commemorarentur. Simili de causa de duobus meminisse potuit Clemens eo loco, vel quia duo martyrio coronati sunt Hierosolymis, vel quia duo magis innotuerunt ex Actibus Apostolorum, vel alia quapiam de causa nobis ignota; vel etiam sine causa alia, quam quod necesse non credidit omnes simul commemorare : neque enim aliam invenio causam, cur Nyssenus* Jacobum *Fratrem Domini diserte distinxerit a* Jacobo Alphæi, *et indictum reliquerit* Jacobum Zebedæi. *Quidquid sit, sive justam ita loquendi causam habuerit Clemens, quod ex avulso textu cogno-*

AUCTORE J. S.

scere nequimus, sive ita locutus sit sine causa ex negligentia aliqua accurate loquendi; certum est, non posse ex verbis ipsius recte concludi, Jacobum Alphæi *ab ipso confusum esse cum Fratre Domini.*

Quod S. Jacobus aliquando nominatur Apostolus,

65 *Uni Clementi Alexandrino, quem perperam allegatum, aut certe dubia solum ratione in partem nobis contrariam pertractum jam vidimus, non potuit adjungere Tillemontius ullum ex sanctis Patribus ut sibi faventem, licet omni modo conatus sit inopiam sententiæ suæ occultare, et modo verbis supplere defectum auctoritatis, modo nomina saltem allegare voluerit.* Possent, *inquit,* allegari plures Patres, qui S. Jacobo Hierosolymitano tribuunt Apostoli titulum sine explicatione, aut restrictione, ut S. Augustinus, qui illam dat auctori Epistolæ Canonicæ, quam S. Jacobi Hierosolymitani esse nullus dubitat, ut monachi Constantinopolitani in libello supplici, scripto anno CDXXX, ubi ipsum quidem nominant ante S. Joannem, ut Vita authentica S. Euthymii cap. XVI. Verum hæc probatio minus est valida, cum S. Epiphanius, qui idem facit in uno loco, ubi fuse admodum loquitur de S. Jacobo, ipsum alio loco satis clare numero duodecim Apostolorum excludat. *Laudo saltem*
B *tem candorem Tillemontii, quod fateatur, nomina se afferre rebus destituta. Poterat addere S. Hieronymum num.* 40 *laudatum, ubi inter* Apostolos *quatuordecim primarios statim post* duodecim *ipsum ponit* tertium decimum *ante S. Paulum, sicut quartum decimum ponit Eusebius. Poterat et alios allegare Patres, qui ab illo titulo pluribus, quam duodecim tribuendo, non magis abhorrent, quam S. Paulus, qui se ipse frequentissime* Apostolum *vocat, quamvis non sit ex duodecim prioribus tempore. At non se solum, sed et plures alios S. Paulus vocat Apostolos, ut ostendere juvabit, quia nonnulli scriptores, qui statum controversiæ hujus parum videntur intelligere, ubi* S. Jacobum *Fratrem Domini inveniunt* Apostolum *nominatum, continuo credunt id sufficere ad eumdem duodecim Apostolis annumerandum.*

ei commune est cum aliis multis; et nihil facit pro opinione Tillemontii.

66 *Epistola utraque ad Thessalonicenses scripta est nomine SS. Pauli, Silvani, et Timothei, habetque hoc initium :* Paulus, et Silvanus, et Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium *etc. In prima autem cap.* 2 ℣. 7 *hæc leguntur :* Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nu-
C trix foveat filios suos. *Nomen* Apostoli *hic datur non soli Paulo, sed etiam Silvano et Timotheo. Rursum S. Paulus Philip.* 2 ℣. 25 *ait :* Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos. *Epaphroditum hic a S. Paulo vocari* Apostolum, *jam observavit S. Hieronymus in Epistolam ad Galatas cap.* I ℣. 19, *ubi et rationem hanc allegat :* Paulatim vero, tempore procedente, et alii ab his, quos Dominus elegerat, ordinati sunt Apostoli : *et eumdem allegat locum. Barnabas quoque Act.* 14 *et alibi, æque ac Paulus, vocatur* Apostolus. *Itaque minime mirari debemus, si nomen* Apostoli *etiam sancti Patres subinde latius extenderunt, quam ad duodecim primos; si Fratres Domini, quos S. Paulus* I *Cor.* 9 ℣. 5 *Apostolis latius sumptis annumerat, uti et se et Barnabam, a sanctis Patribus glorioso Apostolorum nomine quandoque fuerint honorati. Certe S. Cyrillus Alexandrinus in Joannem cap.* 7 ℣. 5, *ubi Fratrum Domini, tunc non credentium, quando credebant Apostoli, facit mentionem, statim addit, eos postmodum credidisse, eoque* pietatis ac virtutis *eve-*
ctos, ut et Apostoli vocati sint, et pietatis laude mirifice inclaruerint. *Sic S. Marcus et S. Lucas* Apostoli *vocantur ab auctore antiquo et docto Synopsis sacræ Scripturæ, quæ S. Athanasio fuit attributa, tom.* 2 *Operum S. Athanasii pag.* 202. D
Non quæritur ergo, utrum SS. Jacobus *et* Judas *aliquando fuerint appellati* Apostoli *a nonnullis Patribus aut scriptoribus antiquis, quod facile fatebimur; sed an in iis adjunctis fuerint dicti* Apostoli, *ut Patres videantur credidisse, illos fuisse ex duodecim Apostolorum numero. Quare Tillemontius poterat illud argumentum non modo* minus validum, *sed plane* nullum *dicere, cum ne statum quidem controversiæ attingat.*

Eidem Hieronymus, ut ipse fatetur, non favet.

67 *Pergit ille multiplicare nomina, de S. Hieronymo hæc subjiciens :* S. Hieronymus dedita opera sustinuerat in Tractatu contra Helvidium, Jacobum Alphæi esse Fratrem Domini. Verumtamen videtur contrarium tenere in Commentario in Epistolam ad Galatas. Quin imo deinde in prima expositione capitis 17 Isaiæ, diserte Fratrem Domini cum S. Paulo locat extra numerum duodecim. Verum in secunda mutavit hunc locum, et pro S. Jacobo posuit S. Barnabam. *Attendat, obsecro, studiosus lector.* Sustinuerat S. Hieronymus, E
inquit. Vidit igitur Tillemontius, S. Hieronymum mutasse sententiam : neque ea de re ullum potest esse dubium attento lectori. Nam S. Hieronymus non scripsit deinde contrarium ex negligentia aliqua : nec immemor erat eorum, quæ contra Helvidium allegaverat : nam in ipso ingressu expositionis illius loci, Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum Fratrem Domini : *meminit libri adversus Helvidium scripti, et approbat ea, quæ ibi scripserat de Fratribus Domini, nimirum ad ostendendum, illos non esse sanctissimæ Virginis Mariæ filios, etsi* Fratres Domini *fuerint vocati. Deinde post aliqua in laudem* S. Jacobi *prolata, studiose incipit ostendere, ex allegatis Apostoli verbis non consequi, ut* Jacobus *ille fuerit ex duodecim Apostolis, cum alii etiam fuerint* Apostoli *vocati. Itaque solvit ipse Hieronymus argumentum, quod juvenis Helvidio objecerat : et si cum Hieronymo discere voluisset Tillemontius, non tanti fecisset illud argumentum, ab Hieronymo in juventute adhibitum, et postea reprobatum, et omnibus aliis Patribus incognitum, etiamsi plerique laudata Apostoli verba in commendationem* S. Jacobi *allegarint. Porro quod observat Tillemon-* F
tius de substituto Barnaba pro Jacobo *in secunda expositione capitis* 17 *Isaiæ, nihil facere ad propositum nostrum jam observavi num.* 40 : *cum enim Apostolos solum quatuordecim cum quatuordecim olivis comparare vellet, merito dubitare poterat, utrum præter duodecim primos, et S. Paulum, deberet inter quatuordecim primarios numerare,* Jacobum *an Barnabam; sicque alterum primo, alterum secundo loco iis annumeravit.*

Alia dicta Tillemontii

68 *Pergo ad verba Tillemontii necdum examinata, omissis iis, quæ jam ante refutavi. Ait, nullam esse necessitatem distinguendi* S. Jacobum Alphæi *a Fratre Domini,* quoniam antiqui, *inquit,* et neoterici in ea controversia sunt divisi. *Viden, lector studiose, arte Tillemontiana nuda nomina jam in auctoritates excrevisse? Dum singulos exhibet, non audet nisi unum Clementem Alexandrinum, ut sibi aperte faventem exhibere, et quidem perperam, ut supra ostendi; addit tamen nomina Augustini, et aliquot monachorum, agnoscens non valere argumentum, quod ab illis mutuari posset; Hieronymum quoque nominat, ut faventem uno loco, pluribus vero et posterioribus sibi contrarium, et jam*
aliud

A *aliud agendo agmen instruxit, quod clarissimorum Patrum auctoritati possit opponere, jam audet pronuntiare, antiquos in illa controversia fuisse divisos. At ego amantior veritatis esse cupio, quam ut facile credam dicenti Tillemontio, et nihil probanti. Quare diserte nego, ullum ex antiquis Patribus fuisse sententiæ Tillemontianæ, aut id probari posse etiam de Clemente Alexandrino: Hieronymi vero auctoritatem tanto magis nobis favere dico, quanto minus sine solida ratione solent Patres aliique scriptores opinioni ante assertæ contraria docere, quam amplecti opinionem aliquam, de qua nihil dixerunt. De recentioribus vero litem non movebo Tillemontio : lubens agnosco, ipsius sententiam medio ævo fuisse receptam, et nostram pene fuisse desertam apud Latinos. At infra ostendam, ex quo fonte illa profluxisse videatur opinio, nimirum ex fabulosa Historia Apostolorum, Abdiæ Babylonio attributa, ex qua in omnium Apostolorum Vitas innumeræ fluxerunt fabulæ.*

examinantur, 69 *Redeo ad verba Tillemontii.* Notum est, quot errores ejusmodi vigeant apud Græcos recentiores. Æthiopes, qui æque ac illi credunt, Jacobum Hierosolymitanum distinctum esse a Jacobo Alphæi, id existimant ob auctoritatem Constitutionum, quas venerantur ut sacræ Scripturæ librum. Pearsonius existimat, illam opinionem quasi communem esse factam apud Græcos causa illarum Constitutionum. *De hisce fidem habebimus Tillemontio et Pearsonio, dum quis melius probaverit, Græcos et Æthiopes id non potuisse ex sanctis Patribus discere, et ex sacra Scriptura per sanctos Patres exposita. Post allegatum Cotelerium, dicentem, quod sacra Scriptura potius faveat sententiæ Tillemontianæ, quam nostræ, allegat pro se Chronicon Alexandrinum sive Paschale, in quo revera pag.*213 Jacobus Alphæi, Frater Domini secundum carnem, qui dictus est Justus, *Apostolis annumeratur, et uterque Jacobus confunditur. Non negabo Tillemontio patronum illum, cui ingentem Græcorum numerum opponere possem, si non puderet ad scriptores medii ævi, eosque fabulis plenos, quale est Chronicon Paschale, pro controversia sacræ Scripturæ recurrere. In eadem Apostolorum enumeratione ibidem undecimus ponitur* Simon Cananites, dictus Judas Jacobi, *ut habent Græca. Ibi duo Apostoli, nimirum* Simon, *et* Judas

C Jacobi *in unum confunduntur. Decimus ponitur* Thaddæus, qui et Lebæus, cognominatus Barsabas. *Illos errores ne refutatione quidem dignos credidit Tillemontius, qui Chronicon Paschale nobis obtrudit, ut attentione aliqua dignum in hac quæstione. Cur itaque sibi non objecit ex eadem pagella* Cepham, *qui inter discipulos septuaginta enumeratur his verbis :* Cephas Petro cognominis, cum quo congressus est Paulus de Judaïsmo. *Agit Tillemontius de S. Petro per S. Paulum reprehenso Nota* 33 *in S. Petrum. At ne nominat quidem laudatum Chronicon, quod facere tamen poterat, si in hisce aliqua attentione dignum censebat. Quare inopiæ Tillemontii condonabimus, quod auctorem fidei tam exiguæ protulerit in hac quæstione; et ultro adjungemus Abdiam Babylonium, ipsi similiter faventem.*

et prorsus inutilia 70 *Tillemontius mox ita prosequitur :* Hisce addere debemus, nihil apud antiquos inveniri de Jacobo Alphæi, si ipsum distinguamus a Jacobo Hierosolymitano. Quod enim Græci modo asserunt, ipsum prædicasse Eleutheropoli, Gazæ, Tyri, in regionibus circumvicinis, et in Ægypto, ac tandem crucifixum esse Ostracinæ, quæ civitas est in limine Ægypti versus Palæstinam, non sunt scriptoris antiquioris Niceta Davide *(alias Paphlagone)* qui scripsit seculo IX. Imo Menologium, seculo X concinnatum jussu imperatoris Basilii, generatim habet, ipsum prædicasse Evangelium Judæis et Græcis; et tandem Judæos, (qui non dominabantur Ostracinæ), post illata ipsi multa tormenta fustibus ei mortem intulisse. Quæ facile possunt esse sumpta ex martyrio Jacobi Hierosolymitani. Si auderemus distinguere Jacobum Alphæi a Fratre Domini, potius sequeremur Martyrologium S. Hieronymi nomine insignitum, in quo S. Jacobus Alphæi figitur in Perside, quia aliquod illius Martyrologii exemplar exscriptum dicitur a mille annis ex alio antiquiore. Verum, quantacumque sit antiquitas huic Martyrologio attributa, non caret tamen multis mendis : et illi ipsi, qui illud adducuut ad distinguendum Jacobum Alphæi a Fratre Domini, rejiciunt assertum in Perside martyrium. Alia exemplaria assignant Galliam, quod similiter non admittitur. Pearsonius credit, omnino probabile esse, Jacobum Alphæi eumdem esse cum episcopo Hierosolymitano, et hanc esse Eusebii sententiam. *Hactenus Tillemontius, qui non producit plura pro vindi-* E *cando Apostolatu* S. Jacobi *Fratris Domini; pro* Juda *vero fratre ipsius ne ullius quidem antiqui scriptoris auctoritatem allegavit; sed solum observavit, a quibusdam antiquis Patribus, qui Epistolam* S. Judæ *laudarunt,* Apostolum *fuisse vocatum, quod invalidum ipse agnoscit, et refutatum est num.* 62 *et* 63.

71 *Jam vero expendamus, quam infirma sint* *ostenduntur,* *ultima illa Tillemontii ratiocinia. Quod pauca innotuerint de gestis sive prædicationibus* S. Jacobi Alphæi, *eaque non admodum certa appareant, id* S. Jacobo *commune est cum plerisque Apostolis. Adeat curiosus lector ipsa Monumenta historiæ ecclesiasticæ Tillemontii tom.* I, *legatque attente, quæ ibidem disseruit de prædicationibus sanctorum apostolorum Thomæ, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Judæ Thaddæi, Matthiæ, imo et Andreæ et Jacobi Zebedæi; et clare videbit, quam pauca et diversa de ipsorum prædicationibus et morte fuerint conscripta, quamque omnia illa incerta sint visa Tillemontio. In editione Parisiensi anni* 1701 *de* S. *Andrea, relatis iis, quæ leguntur in sacris Litteris, pag.*319 *subjungit :* Id fere totum est, quod pro ipsius Historia habemus indubitatum. *Simile quid asserit pag.* 327 *de S. Ja-* F *cobo Zebedæi, cujus martyrium in sacra Scriptura est relatum. De S. Thoma pag.* 357 *ait:* Verumtamen nihil particulare innotuit de iis, quæ fecit in prædicatione Evangelii. *De S. Philippo pag.* 384: Hoc totum est, quod de ipso invenimus in Evangelio, dicique potest, totum esse, quod de ipso innotuit. *Nota* 3 *in S. Bartholomæum hoc titulo insignitur,* Quod nihil innotuerit de vita et de morte S. Bartholomæi. *De S. Matthæo pag.* 391 *ait :* Hoc totum, quod de ipso reperimus in Evangelio, et totum, quod asserere possumus indubitatum esse pro Historia vitæ ejus, nisi velimus adjungere, quod asserit Clemens Alexandrinus *de abstinentia a carnibus, non de prædicatione. Nihil quoque certi invenit de prædicationibus SS. Simonis, Judæ et Matthiæ, ut apud ipsum videri potest. Itaque istud argumentum Tillemontii, quod pauca innotuerint de* Jacobo Alphæi, *et nihil de prædicatione apud antiquos sit relatum, nullius plane est ponderis : nam Nicetas David, qui seculo* IX *de omnibus Apostolis coacervare studuit, quantum potuit, de aliis plerisque plura non attulit, quam de* S. Jacobo Alphæi, *quem sub initium Orationis disertis verbis distinguit a* Jacobo *Zebedæi et a* Jacobo

AUCTORE J. S.

cobo *Fratre Domini. Quæ dicit de Menologio Græcorum Tillemontius, nihil ipsum juvare possunt, cum in illo Menologio* Jacobus *Hierosolymitanus gemino elogio, et utroque multum diverso, clarissime distinguatur a* Jacobo Alphæi, *ut videri potest ad* XXX *Aprilis et* XXIII *Octobris. Quare contra ipsum pugnant Menologia Græcorum æque ac Hieronymiana Martyrologia. Pearsonio demum credemus, opinionem Tillemontii probabilem esse, si quis talem probabili ratione ostendit. At in omnibus Tillemontii ratiociniis nihil hactenus inveni, quod eam probabilem facere videatur.*

Primus auctor Tillemontianæ sententiæ videtur Abdias Babylonius,

72 *Primus scriptor, qui tres Fratres Domini, videlicet* Jacobum, Simonem *et* Judam *duodecim Apostolis annumeravit, videtur fuisse Abdias Babylonius: nec adversarii nostri, quantum existimo, ostendent antiquiorem illius sententiæ patronum. Certe pseudo-Abdias de tribus his, ut vult, Fratribus in Historia Apostolica agit lib.* 6, *quem sic orditur:* Simon, Cananæus cognomine, ac Judas, qui et Thaddæus, et Jacobus, quem Fratrem Domini quidam appellant, fratres germani fuerunt, ex Cana Galilææ oriundi, parentibus Alphæo et Maria, Cleophæ filia. Quorum postremus B ex eadem matre, sed patre diverso natus fuit, Josepho scilicet Justo, eo, cui desponsata beatissima Dei Genitrix Maria fuit: unde et Frater Domini, subintellige, quoad carnem, Jacobus appellatus est, quia Joseph Jacobi pater, desponsatam, verum minime nuptam, Mariam Virginem habebat, quæ Spiritu sancto postea imprægnata, Salvatorem mundi Christum Jesum Dominum nostrum Virgo peperit. Itaque ob hujus vinculi occasionem a Christo inter discipulos tres hi Mariæ Cleophæ filii recepti sunt, et posterius ad Apostolatus fastigium sublevati *etc. Non est ullum dubium, quin hic omnes dicantur* Apostoli, *et fratres asserantur uterini. Quod autem* Jacobo *non* Alphæum, *sed S. Josephum patrem attribuat auctor imperitus non minus, quam mendax, ignorantiæ ipsius imputandum est, cum videatur ignorasse,* Jacobum Alphæi, *non aliunde quam a Patre suo cognomen* Alphæi *habuisse, ac credidisse* Fratrem Domini *dici non potuisse, nisi Josephum habuisset patrem. Similiter ignorasse videtur,* Simonem *et* Judam *dictos fuisse* Fratres Domini, *ideoque ipsis attribuisse, patrem* Alphæum, *qui* Jacobi Alphæi C *fuit pater. Omnium matrem facit* Mariam, *quam dicit* filiam Cleophæ, *cum Cleophæ uxor fuerit secundum Hegesippum. De patria Cana nihil dico, licet et hæc non videatur convenire omnibus tribus.*

scriptor fabulosus, ex quo illam accepisse videntur Latini:

73 *Quod autem præcipue spectat ad propositum nostrum, illud est. Quidquid fere medio ævo de Apostolis aliquibus tradiderunt scriptores, magna ex parte ex Abdiæ Babylonii Historia depromptum est, de iis, inquam, Apostolis, quorum gesta erant obscuriora, quod de eorum prædicationibus nihil legatur in sacra Scriptura, et nihil aut perparum apud sanctos Patres. Hoc quilibet clare videre poterit, maxime in gestis SS. Bartholomæi, Matthæi, Thomæ, Simonis et Judæ, aliorumque nonnullorum, scriptis ante exortam severiorem crisim. Itaque ex eodem fonte ad Latinos medii ævi scriptores fluxisse videtur confusio* Jacobi Alphæi *cum Jacobo Fratre Domini. Beda ipse Retract. in Acta Apostol. cap.* I ꝟ 13 *insinuat, se ex Historia Apostolorum fixisse mortem SS. Simonis et Judæ apostolorum* in civitate Suanir: *quod ibi retractat, ut desumptum ex Historia apocrypha. Hinc Tillemontius in S. Simone Apostolo colligit, ex pseudo-Abdia profluxisse, quod Venantius Fortunatus lib.* 8 *carm.* 4 SS. Simonis et Judæ *mortem figat in Perside. Similiter pag.* 391 *in S. Matthæo insinuat, a laudato Fortunato ex Abdia videri sumptam* Nadaver *civitatem nemini notam, ubi dicebat esse corpus S. Matthæi; et rursum pag.* 392 *ait, mortem Matthæi sic narrari a Floro, ut videatur Abdiam secutus. Rursum Nota* 3 *in S. Bartholomæum suspicatur, Latinos martyrologos aliosque medii ævi historicos ex Abdia sumpsisse, quod mortem S. Bartholomæi figant* in India: *neque dubitari potest, quin pleraque de SS. Bartholomæo et Matthæo a recentioribus relata ex Abdia fluxerint, ut ipse deprehendi in illustrandis utriusque Apostoli gestis. In S. Thoma Nota* 4 *Nicephorum quoque fabulas quasdam de S. Thoma ex Abdia hausisse suspicatur; quod tamen de scriptore Græco minus est probabile, quam de Latinis. Similia suspicatur Nota* 2 *et rursum Nota* 3 *in S. Andream. Jam vero si Tillemontius probabili ratione credat, multa fabulosa, quæ de Apostolis narrarunt scriptores Latini, ex fabulosa Abdiæ Historia profluxisse, non est, cur sectatores ipsius inficiari velint, non minus esse probabile, confusionem duorum Jacoborum ex eadem origine natam esse, cum æque sacræ Scripturæ ac Patribus videatur contraria.* E

D

illa item propagata videtur ex Isidoro de Vita et morte Sanctorum,

74 *Non tamen inficiabor, Latinos medii ævi scriptores ex alio etiam Opere opinionem suam haurire potuisse, nimirum ex Opere de Sanctis, quod S. Isidori Hispalensis nomine editum fuit, quodque laudatus Beda etiam se secutum fatetur, ita scribens:* Porro Isidorus arbitratur, hunc Simonem *(Apostolum)* esse, qui post Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum rexit ecclesiam, ac sub Trajano crucis martyrio coronatus est, cum centum et viginti esset annorum: quem et nos olim in primo Actus Apostolorum libro secuti sumus, non ea, quæ scripsit, scrupulosius, discutientes, sed simpliciter ejus dictis auscultantes, rati, quod hæc ipse de certis veterum historiis didicerit. Quod ne adhuc quidem negare audemus, maxime cum ille (*pseudo-Abdias*) qui præfatas Apostolorum Passiones scripsit, ipse se certissime incerta et falsa scripsisse prodiderit. *Hæret Beda ambiguus inter auctoritatem pseudo-Abdiæ et Isidori. Hunc tamen non carpit, ut falsa scribentem, sed magni fecisse videtur. Nam, retractata et alia opinione, quam ex Hieronymo posuisse se dicit, hæc subjungit:* Non autem mihi imputandum errorem F reor, ubi auctoritatem magnorum sequens doctorum, quæ in illorum Opusculis inveni, absque scrupulo suscipienda credidi. *Hæc ingenue Beda, ex cujus dictis colligere possumus, quem præcipue auctorem secutus sit in cap.* I *Actorum, ubi* Jacobum Alphæi *eumdem facit cum episcopo Hierosolymitano, et* Simonem *ac* Judam *fratres ipsius et Apostolos, quemadmodum etiam habet Isidorus lib. de Sanctis circa finem. Pro confundendo autem utroque* Jacobo *Beda etiam secutus est S. Hieronymum contra Helvidium, quem laudat non solum, sed cujus argumenta etiam repetit. Itaque Beda in contrariam nobis sententiam concessit, partim ob disputata Hieronymi contra Helvidium, ab ipso Hieronymo postmodum improbata, partim ob Isidorum, cujus exemplo tres fratres Domini* Jacobum, Simonem *et* Judam *fecit Apostolos, sicut etiam Abdias fecit. At de* Simone *noluit Bedæ assentiri Tillemontius.*

quod opus non caret erroribus variis, Bedæ tamen cum

75 *Recepta semel a Beda tali de tribus Fratribus opinione, mirari non possumus, eamdem invaluisse apud Latinos posteriores, apud quos magna erat Bedæ auctoritas, et Adonem, Usuardum, aliosque martyrologos Bedæ exemplo non meminisse*

Abdia præluxit. nisse *de* S. Jacobo Alphæi. *Si autem Tillemontio tanta non sit auctoritas Bedæ, Latinorumque plurimorum, qui Bedam seculi sunt, pro* S. Simone, *ac pro* Jacobo *et* Juda; *nobis quoque sufficere non debet recentiorum auctoritas, ut contra Patrum fere omnium consensum aut* Jacobum *aut* Judam *Apostolis annumeremus, præsertim cum constet, illam opinionem ortam post fabulosas Abdiæ et Isidori Historias de Apostolis, Bedamque fateri iis usum se esse Historiis, uti et argumentis Hieronymi contra Helvidium utitur. Quam porro profligatæ fidei, et fabulis plena sit Historia personati Abdiæ Babylonii, notum hodie est eruditis passim omnibus, et multis locis indicat Tillemontius ipse, prout et nos indicavimus ad* XXV *Augusti in S. Bartholomæo Apostolo. De opusculo Isidori, cui Beda multum auctoritatis tribuisse videtur, quod crederet esse S. Isidori Hispalensis, non multo melius sensit Tillemontius. Nota* 6 *in S. Jacobum Majorem ait, in illo Opusculo Isidori* de Vita et morte Sanctorum, *esse* multa mendacia, indigna, quæ attribuantur S. Isidoro Hispalensi, *et vocari a Baronio* pseudo-Isidorum, *nimirum ad annum* 816. *Nota* I *in S. Philippum de eodem Opusculo sic pronuntiat :*
B Hoc certum est, Tractatum illum nimiis mendis et mendaciis plenum esse, ad rationem illius habendam, et ad credendum magni illum esse S. Isidori Hispalensis. Et, quamvis illius etiam esset, non posset esse magnæ auctoritatis, cum Sanctus ille obierit seculo VII multum provecto. *Baronius similiter in Annotatis ad Martyrologium Romanum* XXV *Julii observat, merito in controversiam trahi, an Opusculum illud sit S. Isidori,* cum complura in eo indigna Isidoro reperiantur coagmentata mendacia. *Hæc illi, fortasse justo severius : neque enim historicum statim mendaciorum arguendum censuerim, si in aliquot inciderit errores. Alii revera credunt, Opusculum esse S. Isidori Hispalensis, ut videri apud nos potest ad* XXV *Julii in S. Jacobi Majoris prædicatione* § 7 : *at illi etiam non negant, varios in illud Opusculum irrepsisse errores historicos, sive quod auctor nimis fuerit credulus, variaque collegerit ex auctoribus minus probatis, sive alia de causa nobis ignota. Mihi satis est ostendisse, illum præluxisse venerabili Bedæ, et utrumque verisimiliter recentioribus pluribus; indeque factum videri, ut opinio illa apud Latinos invaluerit.*

C *Attamen illa opinio generatim recepta non est,* 76 *Verumtamen ne vel sic quidem sententia illa, qua idem creditur* Jacobus Alphæi *et Frater Domini, communem umquam apud Latinos consensum obtinuit, nec umquam videtur præcipuis Martyrologiis aut libris ecclesiasticis inserta, tamquam indubitata. Beda in Acta Apostolorum cap.* I *ostendit, controversiam fuisse suo tempore, id est, seculo* VIII, *ita scribens :* Putant quidam duos fuisse Apostolos Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum videlicet Zebedæi et Jacobum Alphæi, tertium vero Jacobum Fratrem Domini, non Apostolum, sed episcopum fuisse Hierosolymorum. *Hanc quidem opinionem refutare ex Hieronymo contra Helvidium, cui consentientem habebat Isidorum et pseudo-Abdiam; suam vero, jam ante in Commentariis ad evangelia assertam, conatur stabilire. Vehementer tamen suspicor, Bedæ postmodum innotuisse infirmitatem opinionis suæ, et de ejus veritate saltem dubitasse : nam scribens in Epistolam ad Galatas cap.* I, *ubi agitur de viso* S. Jacobo *Fratre Domini, et de Petro per Paulum visitato, etiamsi multa posset allegare ex S. Hieronymo in illum locum, maluit nihil dicere de Petro et Jacobo, et multos versus sine Commentario transsilire. In Retractatione vero in Acta Apostolorum cap.* I *ad verba Lucæ de Fratribus Domini cœnaculum ingressis cum Apostolis, ita scribit :* Curavit namque beatus Lucas intimare legentibus, quia Fratres Domini eo tempore fidei ejus erant participes, de quibus ante passionem ejus dictum erat : « Neque enim Fratres ejus credebant in eum. » *Attendat studiosus lector, qua ratione hæc scribere potuerit Beda, si tres ex quatuor Fratribus credebat Apostolos, uti Apostolos credidit* Jacobum, Judam *et* Simonem, *quando primum scripsit in idem caput Actorum. An forte quis dicet, Apostolos fuisse et non credidisse? At resistet ipse Beda in caput* 7 *Joannis, ubi adoptat multa S. Augustini verba :* Opera Domini Discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim Fratres, id est, consanguinei, Christum consanguineum habere potuerunt : credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt : ideo continuo Evangelista secutus est : Neque « enim Fratres ejus credebant in eum. » Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant *etc. Pleraque hæc sunt ipsa S. Augustini verba. Neque tamen Beda alios Domini Fratres somniavit, quam qui noti sunt in Evangelio,* Jacobus, Joseph, Judas *et* Simon, *ut ipse clare indicat in caput* 3 *Marci. Itaque necessario dicendum est,* E
aut Bedam secum pugnantia tradidisse diversis locis, quod minus attenderet ad omnia sacræ Scripturæ loca invicem conciliandum, aut retractasse tacite sententiam, qua tres Domini Fratres Apostolis annumeraverat : neque enim de quatuor Fratribus generatim observare poterat, ipsos ante Passionem, *id est, in ultimo Tabernaculorum festo, sive septem circiter mensibus ante mortem Christi, non credidisse, si tres ex illis credebat Apostolos.*

nec Martyrologiis aut præcipuis Breviariis inserta est. 77 *Quod modo spectat ad præcipuos martyrologos, nimirum Bedam, Florum, Rabanum, Wandelbertum, Adonem, Usuardum, Notkerum, et hodiernum Martyrologium Romanum; ubique ad Kalendas Maii videas* Jacobum *Fratrem Domini cum S. Philippo Apostolo annuntiatum; sed nullibi invenias ullam vocem additam, ex qua consequitur, ut fuerit confusus cum* S. Jacobo Alphæi. *Eadem cautio adhibita est in Breviario Romano, cui nulla vox inserta est, quæ non congruat soli* Jacobo *Fratri Domini. Imo si quis lectiones de SS. Philippo et* Jacobo *conferat, illas nostræ potius quam adversariorum sententiæ faventes reperiet.* F
Nam lectio quarta de Philippo sic orditur : Philippus Bethsaidæ natus, unus ex duodecim Apostolis *etc. Quinta de* Jacobo *tale habet initium :* Jacobus Frater Domini, cognomento Justus *etc. Nec* Alphæi *ponitur cognomen, nec ex* duodecim Apostolis *dicitur, imo ne* Apostolus *quidem vocatur. Itaque, sicut negare nolo,* S. Jacobum Alphæi *in dictis Martyrologiis et Breviario omissum videri, quod suspicio invaluisset, eumdem esse cum* S. Jacobo *Fratre Domini, ita nullus merito negaverit, nominis* Alphæi, *et duodecim Apostolorum numeri, nullam videri mentionem factam in* Jacobo *Fratre Domini, quod minime certum videretur, unum eumdemque* Jacobum *utroque nomine fuisse designatum. Fuit quidem in ea opinione Eminentissimus Baronius; nec tamen ausus est opinionem suam Martyrologio aut Breviario Romano inserere. Dixit quidem in Annalibus ad annum* 44 *num.* 36 *hæc verba contra sententiam nostram :* Sed satis ad ejus sententiæ confutationem esse videtur, si, unde est deducta, repetatur origo. Ex rejectis enim illis Clementis nomine scriptis Recognitionum

AUCTORE J. S.

tionum libris de tribus Jacobis auctoritas semel sumpta in nonnullos est inconsultissime propagata. *At hæc refutatione non indigent, cum nostra sententia tradatur a Patribus, qui illam ex sacra Scriptura collegerunt, et verisimiliter Recognitionum libros numquam viderunt. Non ita ostendent adversarii, suam opinionem non fuisse præcipue exortam ex fabulosa Apostolorum Historia, cum a nullo Patrum tradita videatur, nisi dubitanter ab Hieronymo contra Helvidium, a quo nostram sententiam aperte postmodum variis locis traditam ostendimus.*

Totius Dissertationis conclusio.

78 *Ceterum si cui hæc Dissertatio longius protracta videatur, quam necesse fuerit pro controversia præsenti, consideret æquus lector, agendum fuisse contra homines contentiosos, qui sacram Scripturam exponere volunt, non ex mente Sanctorum Patrum, sed secundum opinionem præconceptam. Imbiberant verisimiliter illi opinionem de* Jacobo Alphæi *non distinguendo a Fratre* D *Domini ante serium totius controversiæ examen: in ipso autem examine Tillemontius magis videtur fuisse sollicitus ad quærendas qualescumque rationes, quibus ad gravissimam Patrum auctoritatem utcumque responderet, quam ad ponderanda utriusque opinionis momenta. Verum si quis voluerit sine ullo præjudicio et serio veritatis studio expendere sacræ Scripturæ locos utrimque allegatos, inveniet certissime, illos omnes, qui pro nostra sententia allegantur, eo expositos modo, quo a sanctis Patribus exponuntur; pro locis vero a Tillemontio allegatis, quatenus illos nobis contrarios exhibere nititur, nullam sanctorum Patrum auctoritatem reperiet, nisi Hieronymi contra Helvidium disserentis, et postea contrarium docentis. Totam quoque antiquitatem nostræ favorabilem, et sententiæ Tillemontianæ oppositam deprehendet, si auctoritates allegatas utrimque mature expenderit. At hæc satis de tota hac controversia.*

B E

INDEX

SANCTORUM

AD TOMUM VI SEPTEMBRIS

A

23 Andreas

F

Pars

L

Sabbatius

S

T

V

Y

INDEX
CHRONOLOGICUS

ANTE NATUM CHRISTUM.

SECULO I.

SECULO II.

SECULO III.

SECULO IV.

SECULO V.

SECULO VI.

SECULO VII.

SECULO VIII.

SECULO IX.

SECULO X.

SECULO X.

Eodem

SECULO XII.

SECULO XIII.

SECULO XIV.

SECULO XV.

SECULO XVI.

SECULO XVII.

NOTITIA FIGURARUM

ORNANTIUM HUNC TOMUM



A

ACTA SANCTORUM D

SEPTEMBRIS

TOMUS SEXTUS

DECIMA NONA DIES

SANCTI QUI XIII KAL. OCTOBRIS COLUNTUR

Sanctus Felix M. S. Constantia M.	Nuceriæ in Italia.
S. Trophimus M. S. Sabbatius M. S. Dorymedon M.	Antiochiæ in Pisidia, et Synnadis in Phrygia.
S. Januarius episc. S. Sosius diac. S. Festus diac. S. Proculus diac. S. Desiderius lect. S. Eutyches S. Acutius	MM. Puteolis in Campania Felice. Acta imprimenda circa finem tomi.
S. Pileus episc. S. Nilus episc. S. forte Elias presb. S. Patermuthius et forsan alii.	MM. in Palæstina.

B

S. Theodorus episcopus Veronensis in Italia.

S. Eustochius episc. conf. Turonis in Gallia.

C

S. Miletus episc. conf. Treviris in Belgica prima.

S. Joannes episc. mart. Spoleti in Umbria.

S. Sequanus abbas conf. in territorio Lingonensi in Gallia. E

S. Goëricus seu Abbo episc. conf. Metis in Belgica prima.

S. Theodorus archiep. conf. Cantuariæ in Anglia.

S. Nicander S. Gregorius S. Petrus S. Demetrius S. Elisabetha	anachoretæ prope Messanam in Sicilia.

S. Pomposa Virgo Sanctimonialis mart. Cordubæ in Hispania.

S. Arnulphus episcopus Vapincensis conf.

S. Lucia de monte Sampiniaci in Lotharingia. F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Sancti Amandi *elevatio hodie est in Florario Ms., in pluribus Fastis postridie. De illa actum est in* S. Amando *Trajectensi episcopo ad* vi februarii.

S. Seznius, *abbas in Armorica, ad hunc diem refertur ab Alberto le Grand in Opere Gallico de Sanctis Armoricæ pag.* 379, *ubi Vitam enarrat, et episcopum nominat. At in fine observat,* S. Seznium *coli etiam die, quo de ipso apud nos actum est* vi martii.

Kortilæ *Verdensis episcopi elevatio signatur in Menologio Scotico Dempsteri, et in Annotatis Catalogi generalis apud Ferrarium. Sextus dicitur fuisse episcopus Verdensis apud Albertum Krantzium in Metropoli lib.* I *cap.* 29, *qui dicit, e gente Anglorum aut Scotorum fuisse; sed nihil fere de ipso innotuisse.* Rortila *ibi impressum est nomen, sed* Kortila *legitur ibidem in Catalogo episcoporum Verdensium circa finem Operis. In spicilegio ecclesiastico Germaniæ tom.* 5 *pag.* 895 *datur Catalogus episcoporum Verdensium, ibique sextus ponitur* sanctus Kortyla. *Similiter in alio Catalogo apud nos Ms. sextus ponitur cum titulo* Sancti. *Plura hic non investigo, tum quod non satis constet de cultu ecclesiastico : neque enim auctoritas Dempsteri sufficit ad elevationem corporis pro certa habendam ; tum quod ab iisdem martyrologis memoretur die, quo jam aliqua in Prætermissis dicta sunt, quoque plura dici poterunt in Supplemento Operis, si de cultu et gestis plura innotescant* xxviii Martii.

Beati episcopi *sine assignatione loci mentio fit in Hieronymianis*

A *Hieronymianis Florentinii, et in codice Corbeiensi. Omissio loci ostendit,* Beatum *illum auctori suo non satis fuisse cognitum. Forte erit* S. Beatus, *de quo actum* IX Maii.

S. Mariani *confessoris memoria est in tribus auctis codicibus Martyrologii Usuardini apud Sollerium, annuntiaturque* in territorio Bituricensi; *in quarto, qui est codex Rosweydi, additur* episcopi, *ut etiam apud Grevenum die præcedenti, quemadmodum ibi dictum est. Idem* Marianus *hodie in territorio Bituricensi memoratur a Maurolyco, et in Florario Ms. sine loco. De* S. Mariano *eremita territorii Bituricensis, qui sepultus est et colitur in vico Evahonensi, actum est apud nos ad* 19 *Augusti, ubi dubitavit Sollerius noster, an distinguatur ab hodierno, et illius rei examen ad hunc locum remisit. Qua de causa, omnibus consideratis, hic declaro, eumdem videri* Marianum, *qui ad* 19 *Augusti, et ad* 19 *Septembris, in variis Fastis memoratur. Rationes hæ sunt. Primo Bernardus Guidonis, cujus verba in* Mariano *num.* 4 *adduxit Sollerius, aperte insinuat,* Marianum *jam suo tempore duobus locis cultum* B *fuisse, videlicet* apud Euvahonium in diœcesi Lemovicensi. *Vicus est cum prioratu diœcesis Lemovicensis in confinibus trium provinciarum, nimirum Bituricensis, Lemovicensis et Arvernicæ, dictus* Evahonium *aut* Evahonum in Convallibus, *vulgo* Evaux en Combraille. *In hoc loco sepultus est Sanctus, secundum Bernardum Guidonis, corpusque ibidem servatur. Colitur item, eodem teste, in loco, ubi reclusus vixit. Nam* multos, *inquit,* usque hodie vocat ad reclusorium suum in territorio Bituricensi. *Vixit autem* Marianus *eremita apud* Spinolaium vicum. *An hic sit* Espineul *vicus aut oppidum diœcesis Bituricensis in ducatu Borboniensi, ut suspicor, certius noverint incolæ. Quidquid sit de loco habitationis, certe S. Gregorius Turonensis clare insinuat, non esse sepultum in eodem loco, ubi eremeticam vitam duxerat. In uno igitur modo colitur propter habitationem, in altero propter sepulturam. Secundo nihil dicit S. Gregorius Turonensis de* Mariano *suo, quod non facile possit consistere cum iis, quæ narrantur de* Mariano *in elogio mox dando, ut nequaquam veresimile* C *sit, duos fuisse* Marianos, *ambos eremitas, ambos in eadem provincia et eodem tempore: neque enim ulla est ratio id asserendi ex qualicumque diversitate elogiorum, cum S. Gregorius Turonensis paucissima tantum memoraverit, maxime de Sancto invento mortuo, quod studiose omitti potuit in elogio Breviarii. Itaque, sicut Galli plerique* Marianos *non distinxerunt, ita et nos distinguendos non credimus. Elogium tamen ex Labbeo tom.* 2 *Bibliothecæ pag.* 432, *ex Breviario vetusto ecclesiæ Bituricensis, quia necdum datum est, huc pro supplemento transfero:* Marianus ingenuis parentibus Bituricæ urbis procreatus, a primævis florentibus annis sponsam suam cum omnibus mundi hujus illecebris derelinquens, Deo se summa mentis integritate devovit; et cum per sex annos sub S. Faterio in monasterio Princiaco monachus extitisset, apud Spinolaium vicum per XLIV annos eremeticam vitam ducens, illic Deo omnipotenti orationibus, jejuniis, ac vigiliis vacans, multis claruit miraculis. Cumque ibidem quadam vice S. Animius nepos ejus ab eo sollicita percunctatione rimaretur, qualiter defiguratum inedia D corpus ipsius tantam vigiliam posset sustinere, respondit: Ego olim aliquoties hic per adversantis tentationes et insidias soporatus, dulci fui requie pressus: quod dum ageretur, subito serpentium multitudo totam cellulam meam replevit, et cum in me circumquaque irruentes sibilis et torvis aggressibus vulnus mihi lethiferum minitarentur, mox galea salutis armatus, et crucis vexillo signatus, ut ad orationem redii, fugientes nunquam comparuerunt. Unde postmodum nullo excubiarum tempore sopore depressus sum. Deinde cum post aliquod tempus Tetradius Bituricensis pontifex basilicam ipsius Sancti dedicasset, et cum presbyterii honore vellet insignire, abnuit, dicens: Non propter honorem sæculi, sed propter humilitatem, cujus sublimitas Christus est, se vastam solitudinem expetiisse. Et cum ipse pontifex certam sibi caritative pecuniam offerret, velut noxia venena contingere noluit. Annó denique, quo polorum alta conscendit, Terentia abbatissa partem barbæ ipsius Sancti, quam radi fecerat, in nitida capsula pro singulari præsidio in Dei nomine tamquam pretiosissimas reliquias E super pectus suum recondidit: propter quam postmodum multas virtutes Deus operatus est. *Hactenus elogium, quod non æque certum est pro singulis factis, ac illa, quæ de* S. Mariano *scribit Turonensis. Nihil tamen continet, quod nequeat verum esse. De Faterio et Animio, etiamsi vocentur* Sancti, *nihil alibi invenio, uti nec de Princiaco monasterio, aut de abbatissa Terentia. De hisce plura similiter non invenit Cointius ad annum* 512, *ubi de* S. Mariano *agit num.* 6; *nec Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ in abbatiis diœcesis Bituricensis col.* 120. *De* S. Mariano *plura vide ad* XIX Augusti.

SS. Timothei, Agapii *et* Theclæ *MM. Gazæ in Palæstina hodie memoria est in Synaxario Græco, quod Sirmondi olim fuit. Verum in aliis plerisque Fastis et apud nos sunt* XIX augusti.

SS. Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ *et* Erasmæ, *virginum et martyrum, memoriam repetit Ferrarius in utroque Catalogo suo, eumque secutus est Castellanus. Nos de iis jam egimus cum ipso Ferrario et Martyrologio Romano ad* III Sept.

S. Materni *episcopi confessoris memoria est in aliquot auctariis Usuardinis, et in Florario Ms.* F *Agitur apud nos de* S. Materno XIV Septemb.

Euphemiæ *nomen aliis immixtum martyribus sine loco occurrit in apographis Hieronymianis. Existimo nomen esse repetitum celeberrimæ* Euphemiæ, *cujus Acta data ad* XVI Septemb.

S. Ferreolus *M. redit in Hieronymianis, de quo ad* XVIII Septemb.

De Januario, *tamquam* beato confessore, *meminit Primus Aloysius de Tattis in Martyrologio Novocomensi. Verum ex iis, quæ affert in Annotatis, nequeo satis certo colligere cultum publicum immemorialem, aut etiamnum perseverantem. Verba, quibus laudatus auctor* Januarium *annuntiat, hæc sunt:* Biogi apud Mellum in Valle Tellina B. Januarii confessoris, cujus corpus sub ara majori ecclesiæ S. Joannis maxima confluentium ex tota Valle populorum veneratione, præsertim tempore siccitatis, quo indicta quandoque supplicatione delatum est, colitur. *Hæc quidem insinuant cultum publicum* Januario *aliquando delatum fuisse; quando corpus ipsius in*

A *in agmine supplicantium circumferebatur. Sed nescimus, quandonam id factum sit, et an continuatum post decreta Urbani VIII, cultum non satis antiquum abrogantia, præsertim cum laudatus scriptor in præfatione ad Historiam suam Novocomensem insinuet, iis decretis factum esse, ut cultus plerorumque, qui particulariter in diœcesi Novocomensi erant in veneratione, omitteretur. Præterea, ut auctor observat in Annotatis ad Martyrologium, aliqui crediderunt,* Januarium *illum unum esse ex septem fratribus, filiis S. Felicitatis, qui coluntur* 10 *Julii*, eo quod in monte, qui Biogio imminet, olim exstaret ecclesia, eorumdem Sanctorum fratrum nomine nuncupata. *At magis credit Tattius,* Januarium *fuisse eremitam tertii Ordinis S. Francisci,* vitamque duxisse solitariam apud præcitatam sanctorum septem fratrum ecclesiam. Probatur hoc nobis, *inquit*, non solum traditione majorum, et seniorum testimonio, qui Lazaro Carafino episcopo Comensi *(anno* 1629*)* id ipsum in prima diœcesis suæ visitatione jurati detulerunt; sed etiam ex cœnobio, quod Biogi inhabitabant tertii Ordinis B Religiosi. *Tum ex Francisco Bordono in Chronico Fratrum et Sororum tertii Ordinis S. Francisci id ipsum confirmat, aitque ex eodem,* Januarium *dictæ religioni nomen dedisse,* solemni edita professione anno Domini MCDVIII. *Addo reliqua :* Multis multa præstitit Deus beneficia B. Januarii intercessione, quorum nonnulla attigit memoratus episcopus in prædicta sua visitatione anni MDCXXIX. In iis primum sibi locum vindicat pluvia totius vallis Tellinæ incolis exorata, dum segetes et vites insueta soli ariditate tabescerent. Quod obitus vel depositionis certa dies exciderit, ad decimam nonam Septembris diem, qua sanctum episcopum et martyrem Januarium Neapolitanorum patronum universalis Ecclesia veneratur, consueverunt Mellenses B. Januarii festum recolere. Meminit hujus beati idem Lazarus Carafinus in Catalogo Sanctorum et Beatorum, quorum corpora in civitate et diœcesi Comensi requiescunt. *Hactenus Tattius : nec plura novimus de* Januario, *de cujus perseverante cultu solum dubitamus.*

Simonem, *aut* Simeonem *monachum et eremitam Camaldulensem, cum titulo* Sancti *ad hunc* C *diem prædicant martyrologi Benedictini, Wion, Menardus, Dorganius. Ferrarius in Catalogo generali his verbis eum annuntiat :* Camalduli beati Simeonis eremitæ. *Poterat saltem sufficere titulus* Beati, *quem* Simoni *item attribuit Thomas de Minis Florentinus in Catalogo Sanctorum et Beatorum Ordinis Camaldulensis pag.* 15, *ubi de ipso pauca hæc scribit :* B. Simon eremita sacræ eremi obiit anno MCCXCII, die XVII Septembris *(lege* XIX*)* sepultus in sacra eremo, ut dominus Augustinus in Hist. Camald. part. 1 lib. 2 cap. 50. *Ipsa laudati Augustini Fortunii verba huc transfero :* Quievit item, *inquit,* et placida morte ipse venerabilis Simon eremita, inclusus in cella D. Papæ, mira sanctitatis insignia præ se ferens, XIII Cal. Octob. MCCXCII. *Fuit sacerdos, et confessarius B. Peregrini, de quo apud nos actum est die* 3 *Junii, ut liquet ex laudato Fortunio, qui paulo ante refert, B. Peregrinum visionibus gavisum esse mirabilibus,* quas, *inquit,* alteri venerabili eremitæ Simoni, magna itidem sanctitate viro, qui ejus confessiones audiebat, seorsum enarravit. *Lubet eximiam vitæ sanctitatem, qua* D *floruit* Simon *Camaldulensis, confirmare testimonio scriptoris contemporanei ex Ordine Minorum, qui scripsit Vitam B. Humilianæ de Cerchis, datam tom.* IV *Maii ad diem* XIX. *Nam in Laudata Vita pag.* 395 *num.* 36 *hæc leguntur :* Amabilis dilectrix Sponsi *(B. Humiliana)* omnes veros amatores ipsius fideliter diligebat et illum magis, quem sciebat majori caritate fervere. Quapropter quemdam sanctum virum Ordinis Camaldulensis, nomine Simonem, quem numquam viderat, sed quia intellexerat eum amore divino ardere, non modicum diligebat : cujus reverentia volens scire aliquod ejusdem sanctitatis vestigium, orationi cœpit affectuose insistere, ut Deus benignus suæ benignitatis gratia aliquid illius sibi ostenderet sanctitatis. Cujus Deus vota exaudiens, ostendit ei prædictum Virum, rutilanti facie decoratum valde, duobus candentibus et decoris angelis ad lævam et dexteram sociatum : de cujus propera visione gaudio magno repleta est *etc. Hactenus dicta satis ostendunt, sanctis moribus et virtutibus ornatum fuisse* Simonem. *Attamen titulum* Sancti *aut* Beati *eidem non ausim attribuere, non* E *solum quia ab eo titulo abstinuit Fortunius; sed magis quia Papebrochius noster anno* 1662 *Camaldulum cum Henschenio invisit, summaque humanitate exceptus, opportunitatem habuit omnia investigandi, quæ spectant ad cultum Beatorum et Sanctorum ibi quiescentium, nec tamen invenit cultum venerabilis* Simonis. *Præterea Andreas Vallemanius, Ordinis Camaldulensis, abbas S. Laurentii Massacii, de cultu Beatorum Camaldulensium multa humaniter et diligenter Majoribus nostris submisit; sed nihil de cultu* Simonis, *licet hunc laudet ut Virum sanctum. Idem observo in Opere Italico Silvani Razzii de Sanctis et Beatis Camaldulensibus : nam fol.* 74 *in B. Peregrino hunc quidem* Simonem *laudat, ut sanctitate ornatum, sed a titulo* Beati, *æque ac Vallemanius, religiose abstinet. Idem et nos facimus : vel sic tamen spectantia ad* Simonem *hic lector collecta inveniet*

Alphonsus de Orozco, *Ordinis Eremitarum S. Augustini, vir sane insignis, multis laudibus ornatur, et* beatus *vocatur in Alphabeto Augustiniano pag.* 24 *et* 25, *ac in gemino epitaphio ibidem recitato dicitur obiisse anno* 1591, *hac die* 19 *Septembris. Corpus etiam anno* 1624 *de-* F *centiori loco fuit positum. Plura dici poterunt, si quando* Alphonsus *auctoritate Apostolica Beatis adscribatur.*

Agnetis et Delphinæ, *virginum Ordinis Minorum, fit mentio in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. At illæ ne apud Franciscanos quidem martyrologos hoc die memorantur.*

Alphonsus a Palenzuela, *ex Ordine Minorum episcopus Ovetensis, memoratur cum titulo* Beati, *sed sine cultu, in Martyrologio Franciscano apud Arturum a Monasterio, ubi et plures ex Ordine Franciscano sequuntur. Ultimæ duæ ejusdem Ordinis sunt moniales, de quibus idem auctor etiam consuli potest in Gynæceo.*

Servatius, *Ordinis Prædicatorum, Lovanii in Brabantia, cum titulo* Beati *ad hunc diem refertur apud Marchesium in Diario Dominicano, et apud Lafonum in Anno Dominicano. Uterque asserit,* beatum *vocari ab omnibus historiographis sui Ordinis. At non aliud videtur esse fundamentum illius tituli, quam quod in Cantipratano*

tipratano lib. 1 *de Apibus cap.* 1 *num.* 13 *hæc de* Servatio *legantur* : Vidi et alium ejusdem Ordinis *(Prædicatorum)* in eodem loco *(Lovanii,)* Servatium nomine, dilectum valde mihi et in amicitia specialem. De isto beatissimo et emerito valde viro fratres, qui cum eo in Ordine Prædicatorum triginta quinque annis fuerant conversati, veritate testatissima referebant, quod in tanto temporis spatio, ex quo intraverat Ordinem, numquam fratrem, numquam hominem ex sua culpa aut incuria pertubasset. Humilitatis et mansuetudinis tantæ fuit, quantæ numquam hominem meminerim me vidisse. Compassionem vero et caritatem erga proximos miram et vehementem habebat. Hic mortis exitui debilitate corporis appropinquans, oculis et manibus cælestibus inhiabat. Cum autem a fratre quodam rogaretur, ut sibi super statu pacis suæ conscientiæ responderet, dixit humiliter et devote : Pax certa et firma est inter me et nostræ salutis Auctorem : nec ullo modo diutius ab ejus contemplatione frustrabor. *De pluribus viris et mulieribus, ob virtutes venerabilibus, consuli possunt laudati scriptores.*
B *Raissius in Auctario Molani* Servatium *refert ad* 18 *Octobris, sed solum ut venerabilem.*

Cotolas frater Acsui *memoratur in Fastis sacris ecclesiæ Alexandrinæ per Ludolfum editis, quos secutus est Castellanus non sine errore, cum* Acsui *habeat pro fratre* Cotolæ, *et* venerabilem *vocet. At si qua fides danda libris ritualibus Æthiopum,* Acsui *fuit soror ipsius, et cum ipso simul annuntiatur. Sic ambo ad hunc diem annuntiantur in Menologio Coptorum, quod nobis minus perite Latinum fecit aliquis linguarum Orientalium peritus, qui dicit :* Sanctus Cutalias et sancta Acsua soror ipsius. *Quin et elogium ipsorum Latine redditum habemus ex Synaxario, in quo* Cutlosus *vocatur. Totum, lector, accipe.* In hac die martyrio coronatus est S. Cutlosus una cum sorore sua Acsu. Hi Sancti erant filii Saporis, regis Kzototensis. Hic rex ignem et solem colebat, cruciabatque Christianos. Filius autem ipsius Cutlosus habebat amicum, nomine Thetidem, Christianum. Factum est autem, ut Cutlosus, cum cognovisset Thetidem esse Christianum, mitteret ad eum Hipparchum quemdam, ut eum examinaret.
C Hipparchus cum cognovisset Tethidem esse Christianum, jussit eum projici in fornacem ignis ardentis : qui statim exstinctus remansit. Miratus est autem Cutlosus, dixitque Tethidi : Quomodo didicisti hanc artem magicam? Respondit ei Tethis, dicens : Non est ars magica hæc, sed virtus Dei, quæ datur credentibus in Christo. Hæc audiens Cutlosus, dixit : Si ego credidero hæc, similia faciam? Respondit ei Tethis : Imo majora his. Credidit propter hæc itaque Cutlosus in Christo, accedensque ad ignem, signavit eum signo crucis, et statim ignis reversus est. Hæc videns Hipparchus, scripsit regi Sapori, narrans ei, quidquid acciderat sanctis Tethidi et Cutloso. Rex autem jussit ad se mitti Sanctos. Quo facto, jussit statim obtruncari caput Tethidis; Cutlosum autem cruciavit variis cruciatibus : postremo tradidit eum in manus cujusdam præfecti; misitque ad eum sororem ejus Acsu in carcerem, ut eum dimoveret a fide Christiana. Sed contrarium accidit : nam ipse Cutlosus convertit eam ad Christum, misitque post presbyterum quemdam, qui eam statim baptizavit secreto. Ipsa autem reversa ad patrem regem, narravit ei, quidquid sibi acciderat. Rex furore accensus, jussit eam cruciari usque ad mortem. Cutlosum autem jussit ligari caudis equorum, eumque raptari per montes usque ad mortem. Post quam resciderunt corpus ipsius in tres partes, et projecerunt in montibus, ut carnes ejus a volatilibus cæli ederentur. At Dominus revelavit presbyteris quibusdam sanctis, et ministris Ecclesiæ, qui omnes nocturno tempore iverunt : et collegerunt corpus sanctum, quod relucebat tamquam nix, ipsumque involverunt in pannis candidis, posueruntque in monumento quodam secreto. *Hactenus elogium. Hoc autem si cui sufficere videbitur, ut* Cutlosus *et* Acsua *annumerentur Sanctis Martyribus, habebit hic omnia, quæ de illis ad nos pervenerunt. At mihi neque hoc elogium sufficit, neque Fasti Alexandrinæ Ecclesiæ. Præterea non leguntur illi in Martyrologio Arabico Ægyptio, quod in gratiam P. Athanasii Kircheri Latinum ex Arabico fecit Gratia Simonius Maronita.* D

Julius Akfahasensis *sine alio titulo sequitur in Fastis laudatis apud Ludolfum, et apud Castellanum. In Menologio nostro Coptico, quod barbaro sermone Latine redditum est,* Julio *adduntur socii martyres. In elogio etiam Synaxarii, quod melius Latine redditum est, martyrii socios habet* Theodorum *filium, et* Junium *fratrem, in Fastis Ludolfi similiter notos, servos, aliosque plurimos* ad numerum mille quingentorum. *Verum elogium istud tam fabulosum est, ut nihil umquam ineptius legerim : nam præter alias fabulas dicitur* Julius *ipse mortem minatus præfecto urbis, nisi mortis sententiam in se et alios diceret. Præterea non legitur* Julius *ille* Acfasius, *ut in laudato elogio scribitur, in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod melioris utcumque notæ est, quodque nullos hoc die martyres continet præter quinque aliunde etiam notos, de quibus agemus.* E

Aristus *sequitur apud Ludolfum, et apud Castellanum, ubi additur* in Æthiopia. *Hunc ego in aliis Fastis Orientalibus non invenio.*

Plebæus, *nescio quis, cum titulo* Sancti *memoratur a Camerario in Menologio Scotico, ubi solum addit :* De eo Dempsterus et alii. *At nec in Menologio Dempsteri, nec alibi* Plebæum *invenio.* F

Victorinæ et Pretiæ ejus filiæ *memoriam* in Gallia *generatim annuntiat Ferrarius in Catalogo generali; sed in Annotatis satis insinuat, se parum de iis fuisse instructum. Saussayus in Martyrologio Gallicano* Preciam *et* Victorinam *celebrat, ut filias S. Goërici episcopi Metensis, de quo hodie agitur; idemque facit Arturus a Monasterio in Gynæceo, ubi utramque ut Sanctam annuntiat. Adeat igitur studiosus lector Acta S. Goërici hodie danda, ubi dicetur, si quid certi reperiatur de* Victorina *et* Precia.

S. Januarii martyris, *passi* Romæ, *memoria annuntiatur in Martyrologio Mediolanensi* Varisii *ob corpus ibi servatum. Nomen* Januarii *commune est plurimis martyribus, inter quos Romæ passi sunt non pauci. Certe jam decem Romani* Januarii *in Opere nostro memorati sunt, si distinguantur omnes, qui variis modis in Hieronymianis annuntiantur.*

Sophia *abbatissa Ordinis Cisterciensis in Hoven diœcesis Coloniensis, ut* beata *celebratur in Menologio Cisterciensi impresso, uti etiam apud Henriquez*

A riquez et Chalemot. Gelenius in sacris et piis Fastis Agrippinensibus ad hunc diem Sophiæ item meminit, ut venerabilis virginis. Arturus in Gynæceo beatam vocat more suo. Totum fundamentum Beatam vocandi videtur petitum ex Opere Cæsarii Heisterbacensis, qui lib. 10 cap. 16 Sophiam celebrat, defunctam anno præcedente, et mirabilia quædam de ipsa narrat. Verum nullum uspiam invenio cultus indicium.

Balsamus, monachus Italus Ordinis Cisterciensis, in Clara-valle defunctus, similiter ut beatus memoratur apud Henriquez; sed sine argumentis publicæ venerationis.

Monicæ, ut virginis martyris, meminit Ferrarius in Catalogo generali, ubi eam annuntiat Cordubæ in Hispania, laudatque Mariettam lib. 4 de Sanctis Hispaniæ, acsi ibi diceret Monicam aliquam Ordinis S. Benedicti monialem anno 855 martyrio fuisse coronatam. Ferrarium secutus est Arturus a monasterio in Gynæceo, sine alio examine, opinor. At Monicam nec apud Mariettam invenio, nec alibi, ut cogar suspicari, ex solo errore natam esse. Cum autem ad hunc diem memoretur S. Pomposa virgo mar-
B tyr, et Ordinis Benedictini monialis, de qua agit Marietta lib 4, cap. 26, forte ex Hispanica voce monja, monialis, nomen Monica sibi confinxerit Ferrarius.

Albertus, nobilis Belga, et aliquot monasteriorum conditor, hac die ut venerabilis, et vitæ sanctitate conspicuus, commemoratur a Fiseno in Floribus ecclesiæ Leodiensis, quia in diœcesi Leodiensi condidit Rodam, monasterium Ordinis S. Augustini, quod et deinde usque ad mortem rexit per annos octodecim. Obiit autem, ut in vetusta Vita Ms., quam ante me habeo, simplici stylo narratur, anno 1122, die XIX Septembris, uti etiam scribit Fisenus, qui Vitæ dat compendium. Miror non invenisse me hujus Alberti memoriam apud Belgicos martyrologos, Molanum, Miræum, Raissium. De ipso tamen etiam scribit Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana tom. 3 col. 1003. Verum nescio, unde acceperit, quod scribit de condita per hunc Albertum abbatia Clari-Fontis in Theorascia, et in diœcesi Laudunensi. Certe de ea fundatione altum silet Vita venerabilis Alberti: et illustrissimus Hugo in Annalibus Ordinis Præmon-
C stratensis tom. I col. 515 alium abbatiæ Clarifontis fundatorem assignat. Digna esset Vita venerabilis Alberti, quæ locum haberet in Opere nostro, nisi modo propositum nobis esset de aliis non agere, quam qui cultu honorantur publico, quo Albertum coli non invenio. Itaque de eo videri potest Fisenus jam laudatus.

Rolandus aut Rothlandus, archiepiscopus Arelatensis, videtur annumerari sanctis aut beatis episcopis Arelatensibus tom. I januarii pag. 25 in Historia translationis S. Honorati. Verum, licet ibi sepultus dicatur cum aliquot episcopis Sanctis, cultu caret, et merito. De obitu ejus hoc die videri potest Aimonius lib. 5 c. 23.

Theodorus monachus memoratur in Ephemeridibus Moscorum figuratis; sed nobis ignotus est; nec credimus, ipsum coli a Catholicis.

Eusebii Constantinopolitani episcopi memoriam habet auctor Florarii Ms., sed ex errore, cum inter episcopos Constantinopolitanos nullus reperiatur Eusebius præter Eusebium Arianum hæreticum, qui ante erat Nicomediensis episcopus et in sedem Constantinopolitanam male intrusus fuit.

Lucii, Martialis et Luciani martyrum nomina re- D
censentur in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum.

Quadraginta martyres Cæsareæ annuntiantur in Martyrologio Ms. Trevirensi S. Martini. Qualescumque illi fuerint, ad hunc diem non pertinent.

Dominici confessoris commemoratio est in Martyrologio Ms. S. Maximini Trevirensis. Plures sunt Dominici, sed nullus spectat ad hunc diem.

Columbanus episcopus in Scotia annuntiatur a Ferrario, qui secutus est Thomam Dempsterum, ut liquet ex Annotatis. Ast nullus Columbanus spectat ad hunc diem, nec umquam, opinor, talis fuit, qualem illi memorant.

Saturnini in Martyrologiis Rhinoviensi et Richenoviensi ita fit mentio, acsi ad S. Januarium spectaret, et Neapoli annuntiaretur. Verum in aliis codicibus Saturninus, aut Saturus, spectat ad illos, de quibus hodie agitur in Peleo, Nilo et Sociis.

S. Zenonis M. mentio fit in multis auctariis Martyrologii Usuardini, uti etiam in Ms. Florario Sanctorum, et apud Maurolycum, sed ubique
sine loco, et sine adjunctis, ex quibus posset in- E
notescere. In uno codice et in secunda Belini editione Genonis, in alio codice Beonis scribitur; at idem ubique insinuatur. Nomen Zenonis commune est multis Martyribus, quorum unus fuerit a loco suo avulsus, et ad hunc diem translatus, ut non raro contingit.

Florentii episcopi meminit Florarium Ms., ut etiam Bedæ vulgatum nomine Martyrologiam, ubi additur, et martyris. Idem est in Calendario Stabulensi, et postridie recurrit in Greveni Martyrologio. At cum nihil addatur, quo innotescit, difficulter dici potest, quis ex pluribus sit ille Florentius.

Hereme, aut Hermei, aut Heremitis, mentio est in Hieronymianis apud Florentinium. Vide dicta nostra ad hunc diem in SS. Felice et Constantia.

SS. Demetrii, Niceti et Castoris MM. meminit Grevenus in auctariis Usuardi. Eosdem habent Martyrologia varia Hieronymiana, ibique junguntur cum Peleo et Nilo episcopis, de quibus hodie agitur. Itaque de his consuli possunt dicenda in Peleo, Nilo, etc.

Turgii episcopi, Pii diaconi cum aliis CLIV, mentio F
est apud Sollerium nostrum in Auctariis Usuardi ex codice Rosweydi. Ex Greveno item memoria est Turgi episcopi et confessoris. At in Hieronymianis Trogus vocatur et annuntiatur ut martyr cum multis aliis, de quibus hodie agitur in mox dictis Peleo, Nilo etc.

S. Eustachii M. hodie meminit Wandelbertus in Martyrologio suo metrico. Apud alios paucos additur uxor Sancti cum filiis. Spectant ad sequentem diem XX Septemb.

Privati mentio est in variis apographis Hieronymianis apud Florentinium, ubi in uno Privatæ legitur. Verum redit Privatus postridie in iisdem codicibus, et in aliis longe pluribus, ut omnino spectet ad diem sequentem, quo agemus de SS. Dionysio et Privato, XX Septemb.

S. Susannæ V. M. memoria hodie est in Menæis et in Synaxario: sed in plerisque Fastis etiam Græcis die sequenti. Castellanus hodiæ memorat Susannam, quæ virili habitu sexum occultabat. At illud ipsum narratur de S. Susanna V. M., quam cum Romano dabimus ad XX Septemb.

Theodori M. memoria occurrit in Usuardo Bruxellensi

A *xellensi, et in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Verum a die suo avulsus fuerit: nam verisimiliter designatur* S. Theodorus, *de quo postridie agemus cum Martyrologio Romano* xx Septemb.

Maria de Corvelione, *virgo Ordinis B. M. V. de Mercede,* Barchinone in Hispania, *annuntiatur in Martyrologio Romano, quod anno* 1746 *impressum est Antverpiæ. Festivitas vero celebratur, et Vita dabitur ad* xxv Sept.

Eustochiæ *virginis mentio est in antiquo Calendario Stabulensi apud Martenium tom.* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 676. *Existimo, non aliam esse, quam* S. Eustochium, *de qua agetur ad* xxviii Septemb. D

S. Bavonis *confessoris Gandensis mentio est in gemino Martyrologio Ms. Antverpiensi, altero abbatiæ S. Michaelis, altero S. Salvatoris. At de* S. Bavone *agemus ad* 1 Octob.

Eligii episcopi confessoris *meminit Grevenus; si Noviomensis, ut verisimile est, Vita dabitur* 1 Decembris.

DE SS. FELICE ET CONSTANTIA

MART. ET FORTE ALIIS

J. S.

NUCERIÆ IN ITALIA

Ex Martyrologiis.

B

Sub Nerone. Felix et Constantia, sub Nerone martyres,

Qui hodie in Martyrologio Romano leguntur Felix et Constantia, *in antiquissimis quidem Fastis inveniuntur, sed tanta cum varietate in apographis Hieronymianis, ut eos vix satis discernere possemus, si opem non afferrent martyrologi, qui medio ævo floruerunt. Ado ipsos clare ad hunc diem annuntiat, ita scribens :* Apud Nuceriam, natalis sanctorum martyrum Felicis et Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt. *Adonis verba repetiit Usuardus. Notkerus modice verba mutavit, ita scribens :* Apud Niceriam *(lege Nuceriam)* sancti martyris Felicis et Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt. *Eadem de his Martyribus, omisso tamen martyrii die, habet Bellovacensis lib.* 9 *cap.* 56. *Apud Florum, si tamen ea sunt Flori, quod non definio, ad præcedentem diem hæc leguntur:* Et passio sanctorum Felicis et Constantii; qui passi sunt sub Nerone imperatore. *Vides, opinor, studiose lector, hic non modo diem mutatum, locumque martyrii omissum, sed etiam* Constantium *dici illam, quæ apud alios vocatur* Constantia. *Ex eo colligimus depravationem summam, quæ modo circa hos Martyres regnat in codicibus Hieronymianis, vetustam esse. Attamen, consideratis* C *diligenter omnibus, nihil invenio probabilius, quam quod Romano Martyrologio inseruit de hisce Baronius ex Adone, Usuardo et Notkero, dum ita scripsit :* Nuceriæ natalis sanctorum martyrum Felicis et Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone.

in Hieronymianis ad varios dies repetiti.

2 *Etenim de nomine* Felicis *nullum oritur dubium, cum ubique eodem plane modo efferatur. Nomen vero* Constantiæ *toties recurrit in Hieronymiamis, ut illud videatur omnino retinendum, ac pro mendis habenda nomina* Constantini *et* Constantii, *sicubi illa junguntur cum* Felice. *Pro die similiter sequendi videntur Ado, aliique martyrologi ipsum secuti, licet martyrii dies minus sit certus, cum de laudatis Martyribus ad quatuor forsan dies diversos mentio fiat in Hieronymianis, nimirum ad* xv, xvii, xix *et* xx *Septembris, et ultimo etiam die bis repetantur. Tot repetitiones mihi minime persuadent, geminandos esse* Felicem *et* Constantiam. *Nec satis probabile puto, alium fuisse* Constantinum *vel* Constantium, *aliam* Constantiam. *Video tamen, magis esse dubium, an præter* Felicem *et* Constantiam *non fuerint alii quidam martyres circa eosdem dies passi, interque eos* Constantius *aut* Constantinus : *de quibus agam inferius*

E

Alii quidam ibidem videntur

3 *Nunc ex Hieronymianis Florentinii subjungo diversas annuntiationes huc spectantes : Ad* xv *Septembris* : Et in Nocera Campaniæ natalis sancti Constanti. *Epternacense habet :* Et in Nuceria Campaniæ natalis Constanti. *Eodem fere modo Corbeiense, sed in fine,* sancti Constantii, *Sic* Constantii *nomen sine ullo socio huc spectante reperitur in omnibus contractioribus, et in Rhinoviensi ac Richenoviensi locus additur,* in Nuceria. *Ad diem* xvii *in textu Florentinii laudatus martyr videtur socium habere. Nam ibi hæc leguntur :* In Nocera natalis sanctorum Constantini. Sanctini. *In Corbeiensi :* In Nuceria Natalis sanctorum Constantii. Sunctini. *In Epternacensi vero :* Et in Niceria natalis Constantiæ et Sanctiæ. *In Rhinoviensi et in Richenoviensi omittitur socius, et solum legitur :* In Nuceria, Constantiæ. *Attamen rursum mentio fit* Sanctini *in tribus Martyrologiis, in quibus locus omittitur, videlicet in Gellonensi, Augustano et Labbeano.*

diversis diebus adjecti.

4 *Florentinius ad textus allegatos utroque die varias producit conjecturas, non ineptas illas quidem, sed, ut fit in similibus, aliis alias magis verisimiles, omnes incertas. Priusquam illas examinem, dabo etiam alia, ad* Felicem *et* Constantiam *clarius spectantia. Ad* xix *Septembris in textu Florentinii legitur :* In Nocere Hereme, *et post alios male interjectos.* Felicis et Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone. *Tum sequitur :* Privati, Euphemiæ *etc., qui certo huc non spectant. Omnia in illo contextu sunt mixta. Non minor est corruptio codicis Corbeiensis, in quo septem martyres videntur Nuceriæ attribui, cum non nisi duo aut tres sint Nucerini.* In Nuceria, Hermei, Beati episcopi, Felicis, Constantiæ *etc. Mitto alios aliunde notos, et huc non spectantes, sicut huc non spectat* Beatus ; *nam apud Florentinium clare alio relegatur his verbis,* et alibi Beati episcopi; *imo ne ad hunc quidem diem pertinere* Beatum *in Prætermissis observavi. Epternacense Martyrologium paulo melius sic habet :* In Nucerua Heremitis, item Felicis et Constantiæ *etc. In codicibus contractioribus de Nucerinis martyribus nihil ad hunc diem legitur; sed redeunt ad diem sequentem.*

magna cum varietate et corruptione :

5 *Apud Florentinium in textu post martyres Orientales, acsi ad illos quoque spectarent, ita bis repetuntur*

AUCTORE J. S.

A *petuntur :* Felicis. Constantiæ. Felicis. Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone. *Epternacense etiam non sine mendis hoc modo :* Et in Nuceria Felicis, Privati, Constantiæ, item Felicis, item Constantiæ. *Duo repetuntur, ut clarum est,* Privatus *vero, de quo postridie agetur cum Dionysio, non est martyr Nucerinus. In codice Corbeiensi prius post Orientales ponuntur, deinde recte seorsum. Verba subjungo :* Felicis, Constantiæ, item Felicis. In Nuceria natalis SS. Felicis et Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone. *In codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi* Nuceria *omittitur, sed mentio fit* Constantini, Felicis *post martyres Orientalis Ecclesiæ. Ita* Constantia *et* Felix *reliquis immixti cernuntur in Gellonensi, Augustano et Labbeano. Hactenus Martyrologia : nam mitto pauca, quæ de his leguntur in Martyrologiis per Martenium et Georgium editis, cum nihil faciant ad amovenda dubia ex hisce orta. Verum necesse modo est, subjungere aliquas observationes, ex omnium collatione fluentes.*

sed illi non tam clare memorantur, ut non potuerint

6 *Primo de* Felice *et* Constantia *Nuceriæ passis nullum superesse videtur dubium. Passos quoque sub Nerone, Martyrologia unanimi consensu testantur. Secundo non æque certum est, an præter* B Constantiam *Nuceriæ passus non sit aliquis* Constantinus *aut* Constantius, *qui ad* XV *solus, ad* XVII *cum* Sanctino *memoratur. Si autem admittatur* Constantius, *admittendus similiter videtur* Sanctinus *socius : præcipua enim ratio distinguendi* Constantii *a* Constantia *est socius* Sanctinus, *cum* Constantia *socium habeat* Felicem. *Distinctionem certe utcumque insinuat ille socius; at non omnino persuadet, nedum certum facit. Cum enim nullus medii ævi martyrologus* Sanctinum *illo die memoraverit, aut Nuceriæ attribuerit; verendum est, ne ex vocis* sanctus *aut alterius corruptione natus, aut ab alio die perperam ad illum sit translatus, præsertim cum* Sanctinus *non constanter in omnibus compareat apographis, neque in omnibus eo die legatur* Constantius *aut* Constantinus; *sed in tribus* Constantia. *Quare non ausim* Constantium *certo distinguere a* Constantia, *neque* Sanctinum, *ut satis probatum et certum, Operi nostro inserere, licet nolim prorsus improbabilem dicere conjecturam Florentinii, in Annotatis ad* XV *existimantis,* Constantium *aliquem aut* Constantinum *Nucerinum a* Constantia *distinguendum. Alia tamen Florentinii conjectura, qua in Annotatis ad* XVII *suspicatur,* C *pro* Noceriæ *legendum esse* Dronerii apud Salutias, *quia ibi passus legitur aliquis* Constantius, *magis mihi apparet improbabilis.*

oriri ex nominum corruptione et repetitionibus.

7 *Tertio alia oritur dubitatio ex Hieronymianis ad hunc diem* XIX *Septembris, ubi alia aut alius martyr videtur Nuceriæ attribui, in textu Florentinii* Herene, *in Blumiano* Heremæ, *in Corbeiensi* Hermei, *in Epternacensi* Heremitis *nomine insinuatus. Observat Florentinius, nomen illud in omnibus Hagiologiis fuisse prætermissum; idque ipsum experior, consultis longe pluribus Martyrologiis, quam edita erant Florentinii tempore, aut ab ipso visa. Vel hac sola de causa pro certo martyre ipsum habere non possumus, cum notus non sit, nisi in codicibus illo ipso loco maxime corruptis. Itaque solos habemus martyres ex hisce Nucerinis satis certos* Felicem *et* Constantiam.

Gesta SS. Felicis et Constantiæ ignota præter martyrium.

8 *Acta vero horum nulla innotuerunt, vel quod numquam fuerint conscripta, vel quod perierint in persecutione forsan Diocletiani, qui omnes Christianorum libros abolere conatus est. Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 96 *solum de* SS. Felice *et* Constantia *hæc scribit :* Felix presbyter et Constantia martyres tempore persecutionis Neronis imperatoris apud Nuceriam civitatem passi sunt. Qui, rabie dicti cæsaris in Christianos grassante, dum Christum confiteri non dubitassent, gladio capite cæsi, martyrium consummaverunt. Hæc Ado. *At Ado non habet, presbyterum fuisse* Felicem, *aut capite cæsos esse Martyres nostros, ita ut videatur laudatus Petrus illa solum ex incertis conjecturis addidisse, neque haberi possint pro compertis. Conjecturas jam dictas adoptavit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc die, locumque proprius designat, in quo Martyres credidit passos, ita scribens :* Felix presbyter et Constantia mulier ob fidei Christianæ confessionem in Neronis imperatoris persecutione Nuceriæ in Picentinis martyrio coronati sunt. Cum enim comprehensi diis renuerunt immolare; sed fortes in fidei proposito persisterent, gladio animadverti jussi sunt, XIII Kal. Octobris. *Ita Ferrarius* ex Adone, *inquit,* et aliis. *Plura de hisce Martyribus narrat Jacobillus in Opere Italico de Sanctis Umbriæ tom.* I, *pag.* 728; *sed ipse satis ostendit, nulla sibi præluxisse monumenta vetusta. Quapropter necesse non puto examinare prolixius, quæ ille de patria, de gestis, de adjunctis martyrii, sine idoneis testibus asseruit.*

de cujus loco dissentiunt duæ civitates.

7 *Quod vero spectat ad locum martyrii, dissentit Jacobillus a Ferrario, Sanctosque Umbriæ suæ adscribere nititur. Etenim præter alias Italiæ civitates, quæ latine Nuceriæ fuerunt dictæ, duæ ejusdem nominis civitates episcopales, ambæ vulgari nomine* Nocera *dictæ, altera in Umbria, altera in Campania sive in Principatu Citeriore, inter Neapolim et Salernum, hosce Martyres sibi attribuere nituntur. Ughellus, quod mireris, utrique Nuceriæ* Felicem *et* Constantiam *attribuit. Nam tom.* I *secundæ editionis col.* 1064 *ex* Felicis *et* Constantiæ *martyrio sub Nerone, quod ibi figit Nuceriæ in Umbria, probare vult, fidem Nuceriæ prædicatam fuisse tempore Apostolorum. Rursum tom.* 7 *col.* 525, *agens de Nuceria* Paganorum *deinde cognominata, quam in Campania inter Neapolim et Salernum sitam jam dixi, eodem utitur argumento ut ibidem Apostolorum tempore fidem prædicatam fuisse ostendat. Attamen non credidero, Ughellum ejus fuisse sententiæ, ut Martyres geminos fuisse, et utroque loco passos crediderit; sed utroque loco inhæsisse opinioni illorum, de quorum civitate scribebat; nec meminisse prioris sententiæ, quando secundam proferebat. Idem contigit nuperrimo scriptori Francisco Orlendio in Orbe sacro et profano : nam part.* 2 *lib.* 3 *cap.* XI *num.* 3 *palæstram horum Martyrum facit Nuceriam Umbriæ; et part.* 2 *lib.* 4 *cap.* XI *num.* 4 *Nuceriam Paganorum. Itaque horum scriptorum auctoritas non prodest ad controversiam dirimendam.* F

Nuceriæ Paganorum utcumque favent Hieronymiana, et traditio :

10 *Inutile porro esset, quærere omnes scriptores, qui uni aut alteri civitati prædictos Martyres attribuerunt. Magis quærendum est, utri civitati antiquiora faveant monumenta. Martyrologia Hieronymiana ad* XV *Septembris, quo* Constantium *forte non distinguendum a* Constantia, *solum memorant, magis favent Nuceriæ Paganorum, cum ibi Nuceriam* Campaniæ *nominent. Verum hoc argumentum multo fortius esset, si eo die* Felix *et* Constantia *annuntiarentur simul; nunc solum valet ad Constantium aliquem, aut* Constantiam *(si hæc eadem sit) una cum* Felice *attribuendum Nuceriæ Paganorum. Interim nullum tale argumentum invenio pro Nuceria Umbriæ, nec admodum verisimile est, duas Nucerias diversas in locis tam vicinis Martyrologii memoratas sine ulla additione, qua secunda a prima distingueretur. Præterea Antonius Beatillus, scriptor Societatis nostræ frequenter*

AUCTORE J. S.

ter in hoc Opere laudatus, anno 1639 *ad Bollandum misit observationem sequentem :* In civitate Nuceriæ, quæ dicitur Paganorum, est ecclesia S. Mariæ Annunciatæ, et in eo sacellum, seu capella S. Mariæ de Monte Virginis, ubi super altare est marmor albi coloris cum hac inscriptione : Hic est locus sanctorum Felicis et Constantiæ. *Hæc favent Nuceriæ Paganorum.*

pro Nuceria Umbriæ multa dicuntur, quæ nequeunt probari,

11 *Contra Nucerinis in Umbria longe magis faverent asserta Ughelli et Jacobilli, si hæc idoneis documentis probari possent. Lubet Latina Ughelli verba, quibus fere consona sunt Italica Jacobilli, huc transferre* : Hæc *(inquit de Nuceria)* prima civitatum Umbriæ digna reperta est, quæ pro Servatore Christo per sanctos Felicem presbyterum Constantiamque matronam sanguinem profunderet. Hi enim Nucerini cives illustrem palmam tulere martyrii sub prima Neronis persecutione, anno a reparata Salute LXIX, die XVII mensis Septembris, uno tantum milliario plus medio a civitate procul viâ Flaminia, quem etiam nunc incolæ locum Neronis Turrim appellant. Eorum Martyrum corpora ibidem tumulata sunt in ecclesia, quam hodie S. Mariæ Magdalenæ sacram
B Nuceria veneratur. Anno MDXC eadem in cathedrale templum intulerunt, uniusque ipsorum caput Pisaurum transtulerunt, ubi ingenti fidelium veneratione asservatur. *Hactenus Ughellus. At quæ dicuntur de anno, die et loco martyrii, imo etiam de loco primæ sepulturæ, sine ullo idoneo testimonio affirmantur, ideoque non proderunt apud eruditos ad* Felicem et Constantiam *Umbriæ attribuendam.*

præter translationem aliquam reliquiarum et cultum;

12 *Jacobillus plura addit, asseritque diu perdita fuisse corpora* SS. Felicis et Constantiæ ; *sed inventa circa annum* 1580, *regente ecclesiam Nucerinam Hieronymo Manellio episcopo, prope civitatem in loco, dicto* Mercato, *ubi vestigia sunt vetustæ ecclesiæ. Hæc ille in Sanctis Umbriæ tom.* I. *pag.* 729. *Rursum scripsit de* SS. Felice et Constantia *in Opusculo Italico de Nuceria, impresso serius, nimirum anno* 1653, *ibique affirmat, corpora fuisse inventa die* II *Aprilis anni* 1565, *et ab episcopo ad ecclesiam cathedralem*

C

translata. Addit ibidem, corpora fuisse deposita D *in alia theca, locataque in sacrario, atque exponi publicæ fidelium venerationi in festivitate ipsorum, et per totam Octavam. Eodem teste, festivitas celebratur a clero Nucerino, non die* XVII, *quo ante in priore Opere coronatos dixerat, sed* XIX *Septembris, quo passos hic dicit : Officium vero peragitur ritu duplici cum Octava. Quod spectat ad corpora, agnoscit Jacobillus, non tota fuisse inventa : solum dicit ossa fuisse inventa cum parte unius capitis ; de altera vero capitis illius parte credi, eam servari in monasterio Corporis Christi, Ordinis S. Claræ, Pisauri.*

sed reliquiæ item habentur Nuceriæ Paganorum.

13 *Alterum caput cum parte corporis attribuit Nuceriæ Paganorum, cujus incolæ, inquit, dicunt, illud se habere in ecclesia sua cathedrali, et festivitatem eodem die celebrant. Addit Jacobillus, in territorio Nucerino erectam fuisse ecclesiam,* SS. Felici et Constantiæ *dicatam, in villa, quæ vulgari nomine vocatur* il Molino di Chiorre, *ibique etiam celebrari festivitatem ; ac demum imagines eorum videri pictas in choro ecclesiæ cathedralis Nucerinæ cum hisce inscriptionibus :* S. Fœlix presbyter et martyr de Nuceria. Sancta Constantia Nucerina martyr. E *Hæc Jacobillus de cultu. Nam quæ ibi de adjunctis martyrii et sepulturæ protulit, non assero, quia conjecturæ sunt gratis assertæ, ne mera dicam somnia, cum de illis nihil ex antiquis innotuerit, quam passos Nuceriæ sub Nerone. Ceterum facile credam, reliquias Sanctorum fuisse translatas ad ecclesiam cathedralem Nucerinam, ibique honorari. Verum necdum certo probatum est, illas fuisse* Felicis et Contantiæ, *de quibus disputamus. Ait quidem Jacobillus, inventa fuisse cum inscriptione, quæ insinuabat, illorum esse Martyrum: nec tamen inscriptionem ipsam producit. Nomina autem* Felix et Constantia *talia sunt, qualia attribui solent martyribus, quorum proprium nomen ignoratur. Quidquid sit, cum Jacobillus ipse Nuceriæ Paganorum tribuat partem reliquiarum* SS. Felicis et Contantiæ, *ex inventione reliquiarum nihil concludi potest de loco martyrii contra Nuceriam Paganorum, cui antiquiora monumenta magis favent.*

F



DE

AUCTORE J. S.

DE SS. TROPHIMO, SABBATIO

ET DORYMEDONTE MM.

ANTIOCHIÆ IN PISIDIA ET SYNNADIS IN PHRYGIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Sanctorum in sacris Fastis memoria, et cultus : Acta fidelissima Græco-Latina edenda : alia Metaphrastæ olim edita : observationes aliquot præviæ.

Circa CCLXXVIII. Hodierni Martyres in Fastis Latinis et Græcis memorati,

Baronius ad hunc diem tres Martyres, diversis diebus et locis passos, Martyrologio Romano inseruit his verbis : Eodem die sanctorum martyrum Trophimi, Sabbatii, et Dorymedontis, sub Probo imperatore : quorum Sabbatius Antiochiæ *(in Pisidia)* jussu Attici præsidis tamdiu flagris cæsus est, donec emitteret spiritum ; Trophimus vero, Synnadam ad Perennium præsidem missus, post multos cruciatus cum Dorymedonte senatore capitis decollatione martyrium consummavit. *Hoc elogium, ex Menologio Sirletiano concinnatum, in paucolis emendari poterit secundum Acta inferius danda. Longius elogium ex Actis contexuit Galesinius; sed non sine aliquot mendis, quæ facile corrigi poterunt. Molanus eosdem Martyres breviter sic annuntiavit* : Die decima nona, sanctorum martyrum Trophimi, Sabbatii et Dorymedontis. *Hoc eodem die laudati Martyres annuntiantur in Menæis, Menologiis, Typicis, Synaxariis, aliisque Græcorum libris ritualibus, uti et in Fastis Moscorum. Verum pleraque elogia aliquid levioris erroris continent. Nam in Menologio, quod Sirletus Latinum fecit, et Henricus Canisius edidit*, Sabbatius *tamdiu* flagris cæsus *dicitur, donec emitteret spiritum. Hisce consensit Baronius, con-* C *sonantque Menæa impressa, et res peracta dicitur* Antiochiæ, *acsi passus esset Antiochiæ in Syria. At ex Actis constat,* Sabbatium *Antiochiæ in Pisidia ungulis ferreis in lateribus et ventre tanto tempore excarnificatum esse, ut non multo post tormenta fuerit defunctus, non tamen in ipsis cruciatibus.*

cultique apud Græcos.

2 *Menologium Basilii imperatoris jussu compositum illa satis recte exponit; sed alium continet errorem, quem adoptavit Galesinius. In eo enim* Dorymedon *dicitur Christianus factus, quando venit ad* Trophimum. *At Acta habent, Christianum antea fuisse, et pietate præstantem. Dictis tamen erroribus caret elogium, quod eodem die legitur in Synaxario Constantinopolitano Sirmondi, frequenter a nobis laudato. Nam illud Actis plane est conforme, sed breve, et minime necessarium, cum omnia in Actis abunde exposita habeamus. Quapropter finem dumtaxat illius elogii huc transfero, quia assignat ecclesiam, in qua Sancti coluntur.* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ σεπτῷ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου καὶ κορυφαίου ἀποστόλου Παύλου ἐν τῷ ὀρφανοτροφείῳ. Celebratur vero ipsorum festivitas in veneranda ecclesia sancti et primarii apostoli Pauli in Orphanotrophio. *Erat hæc S. Pauli ecclesia Constantinopoli, ut videri potest apud Cangium in Constantinopoli Christiana lib. 4 pag. 114, ubi docet, secundum Theophanem SS. Petro et Paulu dicatam fuisse; sed a pluribus recentioribus soli Paulo sacram dici.* E *In illa igitur ecclesia præcipue Sancti colebantur Constantinopoli. Attamen non dubito, quin in aliis etiam culti fuerint, cum Officium de ipsis hoc die præscribatur in Menæis, et in novissimis quoque Græcorum libris ritualibus, impressis anno* 1738.

In Hieronymianis ad XVIII Septembris,

3 *Apud martyrologos Latinos medii ævi de* Trophimo, Sabbatio *et* Dorymedonte *vix quidquam reperio. In Hieronymianis tamen apographis memorati sunt : sed magna cum varietate et confusione in istis codicibus modo leguntur, et diebus variis.* Sabbatius *cum aliis numquam jungitur, sicut revera et ante illos passus est, et in alia civitate. De* S.Trophimo *apud Florentinium fit mentio ad* XVIII *et* XIX *Septembris, sed non sine mendis. Ad* XVIII, *quo passus est cum* Dorymedonte, *ut habent Acta, in omnibus fere apographis reperitur, sed civitatibus adscribitur diversis. In textu Florentinii legitur* : In Alexandria natalis sanctorum Trophimi, *in codice Blumiano*, S. Trophimi, *uti etiam in Corbeiensi. Quemadmodum in hisce codicibus Alexandriæ, sic in aliis nihilo rectius Chalcedoni* Trophimus *attribuitur, videlicet* F *in Epternacensi, in Rhinoviensi, in Richenoviensi et in Rabani Martyrologio. In aliis tribus, videlicet Gellonensi, Augustano et Labbeano,* Trophimi *similiter fit mentio, sed sine loco, ut in illis passim contingit. In multis auctariis Martyrologii Usuardini, et apud recentiores aliquot martyrologos* Trophimus *conjungitur cum Oceano et Sixto, ut in Prætermissis ad* XVIII *Septembris observatum est. Florentinius in Annotatis conjicit,* Trophimum *illum distinguendum esse a* Trophimo *socio* Sabbatii *et* Dorymedontis. *Verum, cum ex Actis constet,* Trophimum *nostrum die* XVIII *passum esse, magis credo, transcribentium negligentia contigisse, ut* Trophimus *a* Dorymedonte *socio divideretur, duobus diebus repeteretur, et civitatibus attribueretur, ubi alii passi erant Martyres : neque enim id inusitatum est in Fastis Hieronymianis, in quibus ad singulos fere dies similia deprehenduntur.*

et rursum ad XIX annuntiatur Trophimus, ad XX vero Dorymedon :

4 *Ad hunc diem* XIX *Septembris, quo tres Martyres nostri maxime coluntur apud Græcos,* Trophimus *recte annuntiatur Synnadis aut Synnadæ in Phrygia, sed nomine ubique luxato. Apud Florentinium in textu est* : In Synada Frigiæ natalis sancti

AUCTORE J. S.

sancti Trofi, *pro* Trophimi. *In Corbeiensi :* Et in Synnada Phrygiæ, natalis sancti Trophi. *In Epternacensi nomen magis est deformatum hoc modo :* Et Sinnada Frigiæ Alotropi. *Verum, quantumcumque corruptum sit nomen, nulla potest esse dubitatio, quin designetur* Trophimus, *socius* Dorymedontis. *Attamen mirum apparet,* Dorymedontem, *qui eodem die passus est, in apographis a* Trophimo *separatum, translatumque ad sequentem diem, ubi et alios videtur habere socios. Certe apud Florentinium ad* XX *in textu hæc leguntur :* Sinada civitate natalis sanctorum Dormidoni. Dorothe. Privati. Felicis. Constantiæ *etc. In Epternacensi pauciores sunt, sed ibi etiam urbis nomen corruptum est hoc modo :* In Syria Frigia *(Synnada Phrygiæ)* natalis Doromis Dionysii. *Corbeiense habet ;* Synnada Phrygiæ, natalis sanctorum Dormidoni, Dorothei, Privati *etc. Quamvis nomen* Dorymedontis *varie corruptum sit, etiam in Hieronymianis contractioribus, et in codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi legatur in* Syria, *pro in* Synnada, *non est tamen justa ratio dubitandi, quin insinuetur* S. Dorymedon *socius* Trophimi, *die* XVIII
B *Septembris passus. Nomen quidem varie tortum est, sic tamen ut cognoscatur, dum* Doromi *in duobus, in aliis* Dormidoni, *in uno* Dormidioni, *in uno rursum* Josmidoni *fit mentio. Nam et nomen urbis additum, et ordo nominum clare insinuant, eumdem ubique prædicari. Quod vero spectat ad Socios,* Felix *et* Constantia, *martyres Nucerini, satis ostendunt, aliquos perperam, et ex sola confusione fuisse adjunctos. De* Dionysio *et* Privato, *qui inter illos reperiuntur, agetur ad diem* XX, *quo annuntiantur. Verisimile est, aliquos Christianos innotuisse tyranno occasione martyrii aut sepulturæ Martyrum nostrorum, et non diu post coronatos, ac fortasse simul cum* Dorymedonte *sepultos aut cultos. At de his suo loco.*

et fortasse Sabbatius ad XXVII *Augusti.*

5 *Quod modo spectat ad* S. Sabbatium, *qui diebus non paucis ante alios passus est Antiochiæ in Pisidia, ubi captus fuit cum* S. Trophimo, *hunc in Hieronymianis annuntiari existimo ad* XXVII *Augusti, idemque suspicatus est Florentinius in Annotatis ad* XVIII *Septembris. Etenim ad* XXVII *Augusti apud Florentinium hæc leguntur :* In Antiochia natalis sanctorum Sabasti. Alexandri abbatis. *In Corbeiensi :* In Antiochia natalis sanctorum
C Sabasti. Alexandri abbatum, Emeritæ. *In Epternacensi :* In Antiochia Sabbati, et Alexandri. *Idem* Sebasti *nomine* Antiochiæ *annuntiatur in Rhinoviensi et Richenoviensi, ac in minori Corbeiensi.* Sabastus *item aut* Sebastus *primo loco ponitur in Augustano, Labbeano et Gellonensi, ac in duobus vetustis Martyrologiis, quæ edidit Martenius tom.* 3 *Anecdot., in quibus omnibus nulla fit mentio* Alexandri, *licet hic in aliis tamquam socius adjungatur. In Rhinoviensi tamen pro* Alexandro *sequitur* Alexandria *civitas. Porro omnibus illis consideratis, vehementer suspicor, non alium esse a* Sabbatio *nostro, qui* Sabastus, Sabbatus *et* Sebastus *vocatur in laudatis Fastis, sociumque* Alexandrum, *aut ex confusione et errore additum esse, aut quia deinde cum* Sabbatio *cultus est* Alexander *aliquis. Conjecturæ meæ favent Acta, secundum quæ* Sabbatius *passus est Antiochiæ in Pisidia diebus non paucis ante* Trophimum *et* Dorymedontem, *die* XVIII *Septembris coronatos. Nam ex illorum dierum computatione martyrium* S. Sabbatii *facile incidere potuit in* XXVII *Augusti, aut certe ab eo die non longe abfuerit. Verumtamen cum hæc conjectura non sit omnino certa, ad* XXVII *Augusti breviter data sunt, quæ de* Sebasto *et* Alexandro *in Martyrologiis leguntur.* D

Acta hactenus edita sunt Metaphrastæ : danda alia vetusta et accurata.

6 *Acta* SS. Trophimi, Sabbatii *et* Dorymedontis *non alia hactenus edita sunt, quam quæ Metaphrastes ex vetustioribus concinnavit. Edidit ea primum Lipomanus tom.* 6, *ac deinde recudit Surius ad hunc diem* XIX *Septembris. Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum in articulo de S. Felice Papa agit de Martyribus nostris secundum dicta Metaphrastæ Acta, quæ aliquid pulchri habere dicit, et ex vetustioribus composita credit. Utrumque verum est; nam præ manibus habeo Acta vetustissima et accuratissima Græca; nec dubitare possum, quin ea Metaphrastæ præluxerint, cum facta omnia in iis relata satis bene expresserit; in dictis vero Martyrum et tyrannorum plusculum libertatis sumpserit. Dicta enim utrimque suo ingenio exornare voluit, nec pauca addidit, nec pauca omisit, et plura etiam mutavit. Contra Acta illa Metaphrastæ duo tantum objecit Tillemontius, quod crederet, ea non fuisse in Actis vetustis reperta ; reliqua vero omnia admitti ut vera posse existimavit. At illa ipsa etiam reperiuntur in Actis vetustis, quæ accuratissima mihi apparent. Nam omnia fere videntur profluxisse ex Actis notariorum, aut potius ipsa Acta notariorum ab aliquo tam fideliter connexa sunt, ut non nisi paucissima addantur, eaque ad connectenda notariorum Acta omnino necessaria. Hinc ne sepultura quidem Martyrum in Actis relata est. De tormentis vero Martyrum fere nihil refertur, nisi verbis tyrannorum ea imperantium aut Martyres alloquentium, quæ conscripta fuerunt a notariis. Itaque, ut eruditus quis videat fidelia esse hæc Acta, tantum necesse est legere.* E

In his asseritur persecutio sub Probo,

7 *Attamen respondendum est ad objectiones Tillemontii, cum hisce Actis non minus repugnent, quam Actis Metaphrastæ. Observat ille primo, in Actis mentionem haberi de mandatis imperatoris ad persequendum Christianos, et respondet potuisse quidem casu aliquo Martyres nostros pati sub imperio Probi, quod tenuit ab anno* 276 *usque ad* 282; *non esse tamen admittendam sub Probo persecutionem. Fateor, hanc quasi communem esse opinionem eruditorum posterioris ævi. At, si fundamentum illius opinionis perscrutemur, facile videbimus, non aliud esse, quam quod scriptores seculi* IV, *nimirum Lactantius, Eusebius, aliique Probum persecutoribus Ecclesiæ non annumeraverint. Verum illi similiter tacuerunt de pluribus aliis quorum persecutio aliunde innotuit. Solum igitur inquirendum est, an idem dici non debeat de persecutione sub Probo.* F

quam similiter agnovit S. Leo papa.

8 *Sanctus Leo Papa, qui floruit seculo* V, *clarissimis verbis asserit persecutionem sub Probo, in Sermone* 2 *de Pentecoste cap.* 6 *de Manete hæresiarcha hæc scribens :* Manes ergo minister falsitatis diabolicæ, et conditor superstitionis obscenæ, eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus et sexagesimus annus impletus est, Probo imperatore, Paulinoque consulibus, cum octova jam in Christianos persecutio ebulliret, et innumera martyrum millia ipsis suis victoriis probavissent, impletum esse, quod Dominus promiserat, dicens : Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini *etc. Clara sunt Leonis verba de persecutione sub Probo imperatore. Utrum vero illa octava sit persecutio dicenda, an nona, aut potius appendix ad octavam vel nonam, quam Aurelianus sub finem vitæ inchoavit, quamque Probus instaurasse videtur*

A *videtur, non inquiro. Nam scriptores in enumerandis persecutionibus decem non omnino consentiunt. Annus quidem æræ Christianæ non recte exprimitur in verbis allegatis, (quod mirum non est, cum anni a nato Christo necdum numerarentur tempore S. Leonis) consulatus tamen Probi imperatoris et Paulini designat annum Probi secundum, vulgaris æræ* 277, *ut modo consentiunt eruditi. Qua de causa mirum mihi apparet, viros eruditos, Pagium dico, Ruinartium, aliosque, qui laudata S. Leonis verba produxerunt, ea interpretatos esse de persecutione Aureliani, quam paucorum mensium fuisse credunt, et extinctam ante Probi imperium. Ea enim interpretatione S. Leonem erroris arguunt; cum hic dicat, anno secundo Probi persecutionem ebulliisse.*

Illam persecutionem non recte negarunt neoterici, cum Aureliani persecutio

9 *Plusculum attentionis merebantur ea S. Leonis verba. Nam silentium aliorum antiquorum de persecutione sub Probo exigui potest esse ponderis, cum nullus eorum omnes persecutiones exacte enumeraverit. Omnes videntur tantum decem persecutiones numerare voluisse, indeque factum, ut nonnullas tamquam aliarum appendices præterierint. S. Augustinus lib.* 18 *de Civitate cap.* 52
B *persecutiones fuisse plures, quam decem, solide probat; vulgares vero decem ita enumerat:* Primam quippe computant, a Nerone quæ facta est, secundam a Domitiano, a Trajano tertiam, quartam ab Antonino, a Severo quintam, sextam a Maximino, a Decio septimam, octavam a Valeriano, ab Aureliano nonam, decimam a Diocletiano et Maximiano. *Deinde ostendit, multo plures fuisse. Orosius lib.* 7 *cap.* 23 *similiter nonum inter persecutores Ecclesiæ ponit Aurelianum. Ruinartius in Præfatione generali ad Acta martyrum sincera, etiamsi Aurelianum pag.* LVIII *annumeret persecutoribus Christianorum, persecutionem tamen illius in numero decem persecutionum non ponit, quia brevissimam fuisse credidit, opinor. Brevissima certe fuisset, si cum Aureliano simul sublata fuisset persecutio. Nam Lactantius de Mortibus persecutorum cap.* 6 *de celeri pœna Aureliani sic loquitur:* Aurelianus..... iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ cogitaverat, licuit; sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta scripta pervenerant, et jam Cœnofrurio, qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam
C suspicione ab amicis suis interemptus. *De brevitate temporis, quo superfuit Aurelianus post edicta contra Christianos data, consentiunt et alii scriptores.*

videatur continuata aut instaurata sub Probo,

10 *Ex dictis igitur liquet et consentiunt eruditi neoterici, Aurelianum non nisi exiguo tempore vixisse post edicta adversum Christianos lata. Contra multi Martyres dicuntur passi in persecutione Aureliani. Quapropter non tot Martyres, vivente Aureliano, videntur coronam adepti, quot in ejus persecutione passi leguntur, ut dicendum sit, eamdem persecutionem etiam durasse post mortem Aureliani. Inter Aurelianum et Probum post interregnum diuturnum imperavit Tacitus aliquot tantum mensibus. An toto illo tempore continuata fuerit Aureliani persecutio, edicere nequeo: nullum hactenus sub Tacito inveni Martyrem. Imo Metaphrastes in Vita S. Charitonis apud Surium ad* XXVIII *Septembris asserit, Charitonem in persecutione Aureliani captum fuisse et excruciatum, sed e carcere dimissum edicto successoris, qui fuit Tacitus. An id satis probabile videatur de S. Charitone, examinabitur suo loco: nam auctoritas Metaphrastæ exigui est momenti ea in re. Verum, quidquid sit de Tacito, Acta Martyrum nostrorum mihi persuadent, Probum voluisse Aureliani vestigiis insistere, et excitatam ab eo persecutionem, si fuerat interrupta, instaurare.* AUCTORE J. S.
Fortasse non diu duravit renovata per Probum persecutio, quod mentem mutaverit: nam pauci sub ipso reperiuntur Martyres. At renovatam fuisse, Acta fidelia docent, idque confirmat S. Leo: neque a moribus Probi, quantumcumque laudati apud gentiles principis, abhorret mandatum de cogendis ad sacrificandum Christianis; sed illud ingenio ipsius omnino videtur conforme.

Aureliani amico, cujus moribus omnino congruit.

11 *Nam et superstitiosus deorum gentilium cultor erat Probus, et a sanguine humano minime abhorrebat, ut satis liquet ex Vopisco. Hoc teste pag.* 239, *ad senatum misit coronas aureas, quas omnes Galliæ civitates ipsi obtulerant.* Et has, *inquit in litteris suis ipse Probus,* Jovi optimo maximo cæterisque diis deabusque immortalibus vestris manibus consecrate. *Eodem rursum testante Vopisco pag.* 240, gladiatorum paria trecenta *simul uno die depugnare, sive sexcentos homines mutuis confici vulneribus jussit. Præterea maximo in pretio apud Aurelianum fuit Probus, ut verisimile sit, non sine hujus consilio persecutionem ab illo fuisse motam. Similiter Probus, non omnem* E
quidem crudelitatem Aureliani, sed nimiam certe ejus severitatem sedulo imitatus est. Hinc Julianus apostatata in Cæsaribus pag. 337 *Silenum inducit Probi severitatem his verbis carpentem:* Tu vero, qui nihil umquam cuiquam condonasti, cum in tota tua ratione longe severior et asperior, quam par erat, fueris, iniquam, sed tamen meritam calamitatem pertulisti. *Hoc dicit, quia fuit a militibus suis occisus. Verum ad propositum nostrum, si nemini quidquam condonavit Probus, non debemus mirari, quod neque Christianis contemptum legum et deorum (ut gentiles loquebantur de religione Christiana) condonare voluerit, quodque persecutionem ab amico suo Aureliano cœptam aut continuaverit aut instauraverit. Itaque sicut Diocletiani persecutio multis annis continuata est sub imperatoribus sequentibus, aut sicut Decii instaurata est a Gallo; sic Aureliani persecutio a Probo continuata fuerit aut instaurata: indeque contigerit, ut non modo multi in ea Martyres occubuerint, sed ut ipsa quoque persecutio inter decem præcipuas fuerit numerata ab Augustino, et aliis ejusdem temporis scriptoribus.* F

Vicarius in Actis memoratus,

12 *Altera objectio Tillemontii contra Acta Metaphrastæ, nostris in illo capite consona, petitur a vicario, coram quo Antiochiæ in Pisidia comparuerunt* SS. Trophimus *et* Sabbatius. *Asserit laudatus auctor, vicarios primum institutos a Diocletiano, et pro ea opinione allegat Opus Lactantii de Mortibus persecutorum cap.*7. *At Lactantius ibi solum dicit, ministros imperii multiplicatos esse a Diocletiano, interque eos numerat vicarios præfectorum, quos non dicit institutos, sed multiplicatos. Quare, omissa inutili illa objectione, ulterius observo, in Notitia imperii, quam Pancirolus Commentario illustravit, inter vicarios imperii Orientalis primo loco recenseri vicarium diœceseos Asianæ, sub cujus dispositione erant hæ provinciæ,* Pamphylia, Lydia, Caria, Lycia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia Pacatiana, Phrygia Salutaris. *Hæ quidem omnes Asiæ Minoris provinciæ suos habebant præfectos, sed vicario subjectos, ita ut magna vicariorum esset dignitas et potestas. Nescimus tamen, an tempore Probi tot provinciæ essent sub vicario diœceseos Asianæ: nam novæ aliquot subinde accesserunt provinciæ ex divisione unius in plures.*

13 *Hinc*

AUCTORE J. S.

et Phrygia Salutaris tempore Probi :

13 *Hinc alia potest formari objectio. Nam Joannes Malala in Chronica sua historia part.* 2 *pag.* 9 *scribit de Constantino Magno* : Idem Constantinus imperator Phrygiam Salutarem provinciam fecit. *Hoc si verum esset, Actis videretur contrarium. At auctoritas illius scriptoris pro temporibus Constantini non potest esse magna, aut potius nulla est, cum multis seculis sit posterior, et errores in iis, quæ scribit, committat innumeros, non modo circa tempora Constantini, sed in tota Historia sua. Qua de causa non solum Acta nostra præferenda sunt Joanni Malalæ; cujus asserta ubique erroribus plena; sed etiam silentio scriptorum antiquorum, apud quos non potui invenire nomen Phrygiæ Salutaris seculo* III *usitatum fuisse, aut duas jam tunc fuisse Phrygiæ Magnæ provincias. Etenim divisionem provinciarum imperii Romani non satis perspectam habemus pro tribus primis ære Christianæ seculis, nec solidum potest haberi argumentum ex solo scriptorum silentio ad neganda in Actis relata, præsertim cum* D *in hisce omnia apte cohæreant, omniaque modo maxime verisimili enarrentur.*

tempus martyrii et locus.

14 *Ceterum de loco et tempore martyrii non est magna difficultas. Probus imperium adeptus est anno* 276, *illudque sexennio tenuit. At, cum magis videatur continuasse aut instaurasse persecutionem Aureliani, quam novam excitasse, sub initium imperii factum istud videtur, eaque de causa Sanctorum nostrorum martyrium fixi circa annum* 277, *quo S. Leo persecutionem viguisse docet. Locus geminus plane indubitatus est : nam* S. Sabbatius *certamen suum inchoavit et finivit Antiochiæ in Pisidia, cujus est metropolis. In eadem urbe* S. Trophimus *captus fuit et prima vice excruciatus; sed missus in vicinam Phrygiam*' *in urbe Synnadis, Phrygiæ Salutaris metropoli, palmam adeptus est cum* S. Dorymedonte, *qui ibidem præsidis jussu post cruciatum iterum* S. Trophimum *comprehensus fuit.*

ACTA

B E

Auctore anonymo

Ex codice Medicæo bibliothecæ regiæ Parisiensis, interprete J. S.

CAPUT I.

Probo ecclesiam persequente, capiuntur Trophimus et Sabbatius : Trophimus multa patitur; Sabbatius post tormenta moritur Antiochiæ Pisidiæ : Trophimus Synnada missus, iterum plurima patitur.

Mota persecutione, Antiochiæ in Pisidia,

Imperante Probo cæsare, lex per totum orbem transmissa est. Legis vero tale erat argumentum. « Imperator Probus augustus, tribunitiæ potestatis, « provinciarum præfectis et consiliis, et omnibus « hanc legem videntibus, salutem. Cum multam pa« cem et stabilitatem per nos et deos obtineatis, obe« dite iis, quæ vobis mandamus, et studiosi estote « contra religionem Christianorum, ut cogatis ipsos C « diis sacrificare : et si quidem parere velint, sacri« ficantes omni periculo solvatis. Si qui vero con« tradixerint, hos jubet divinitas nostra *a*, variis « cruciatos tormentis, vita privari. Valete. » Ubi præsides per totam provinciam *b* mandata illa acceperant, relictis publicis necessitatibus, persecutioni Christianorum vacabant. Exorta itaque magna persecutione in toto orbe, multisque propter nomen Domini nostri Jesu Christi vita privatis, contigit, ut Antiochiæ in Pisidia Apollinis celebrantur natalitia. Trophimus autem aliquis et Sabbatius, venientes ex terra peregrina, et ingredientes civitatem, viderunt fumum maximum in civitate, audiveruntque sonum organorum instrumentorumque musicorum et summum ultro citroque cursitautium murmur, et alios aliter laudantes deos suos.

a

b

apprehensi Trophimus et Sabbatius. Trophimus interrogatus c

2 Ut perspexit beatus Trophimus errorem satanæ, gemens et clamans, cum lacrymis dixit : O Deus seculorum ! O Deus Angelorum ! O Filii tui dilecti Jesu Christi Pater! erue servos tuos ab omni errore. Adhuc eo loquente, concursus aurariorum *c* factus est : et comprehensos abduxerunt ipsos usque ad

Βασιλεύοντος Πρόϐου τοῦ Καίσαρος, ἐξῆλθεν καθ᾽ ὅλης τῆς οἰκουμένης νόμος · ἦν δὲ ἡ περιοχὴ τοῦ νόμου τοιαύτη. Βασιλεὺς Πρόϐος Αὔγουστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας, τοῖς κατὰ ἐπαρχίαν ἄρχουσι καὶ βουλευτηρίοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἐντυγχάνουσι τῳδὲ τῷ νόμῳ, χαίρειν. Πολλῆς εἰρήνης καὶ εὐσταθείας παρά τε ἡμῶν καὶ τῶν θεῶν τυγχάνοντες, πειθαρχήσατε τοῖς παρ᾽ ἡμῶν προσταττομένοις ὑμῖν, καὶ σπουδαῖοι γίνεσθε κατὰ τῆς θρησκείας τῶν χριστιανῶν, καταναγκάζοντες ἑαυτοὺς F θύειν τοῖς θεοῖς, καὶ, εἰ μὲν θέλοιεν πεισθῆναι, θύσαντας αὐτοὺς ἀπολύειν ἀκινδύνως · εἰ δέ τινες ἀντιλέγοιεν, τούτους κελεύει ἡ ἡμέτερα θειότης αἰκιζομένους αἰκισμοῖς διαφόροις τῆς ζωῆς ἀποστερεῖσθαι · εὐτυχεῖτε. δεξάμενοι δὲ κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν οἱ ἄρχοντες τὰ προστάγματα, καταλείψαντες τὰς δημοσίας χρείας, περὶ τὸν διωγμὸν τῶν χριστιανῶν ἠσχολήθησαν. Διωγμοῦ δὲ γενομένου μεγάλου ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ, καὶ πολλῶν τῆς ζωῆς ἀποστερομένων ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔτυχεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Πισιδίας γενέθλια τοῦ Ἀπόλλωνος ἐπιτελεῖσθαι. Τρόφιμος δέ τις καὶ Σαϐϐάτιος, ἐλθόντες ἀπὸ ξένης, καὶ εἰσελθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἴδον καπνὸν μέγιστον ἐν τῇ πόλει· καὶ ἤχους ἤκουσαν ὀργάνων καὶ πανδουριστῶν, καὶ διαδρομὴν μεγίστην ἐν τῇ πόλει, καὶ ἄλλους ἄλλως εὐφημοῦντας τοὺς θεοὺς αὐτῶν.

2 Θεωρήσας δὲ ὁ μακάριος Τρόφιμος τὴν πλάνην τοῦ σατανᾶ, στενάξας παὶ βοήσας, μετὰ δακρύων εἶπεν : ὁ Θεὸς τῶν αἰώνων· ὁ Θεὸς τῶν ἀγγέλων· ὁ τοῦ παιδός σου τοῦ ἠγαπημένου Ἰησοῦ Χριστοῦ Πατὴρ. ῥύσαι τοὺς δούλούς σου ἀπὸ πάσης πλάνης . ἐτι δὲ λαλοῦντος αὐτοῦ, συνδρομὴ τῶν αὐραρίων ἐγένετο· καὶ κρατήσαντες αὐτοὺς,

A αὐτοὺς, ἀπῆγον ἕως τοῦ πραιτωρίου τοῦ βικαρίου, ἐπιβοῶντες· ἁγνὲ δικαστὰ, πρόσελθε πρὸ βήματος κατὰ τῶν ἱεροσύλων τούτων. εἰσελθὼν Σελήνιός τις κουριοσὸς, ἀνένεγκεν τῷ βικαρίῳ τὰ λεγόμενα ὑπὸ τῶν αὐραρίων. μὴ δυνάμενος δὲ ἀντείπειν ὁ βικάριος, ἐκαθέσθη πρὸ βήματος δημοσίᾳ, καὶ καθεσθεὶς, εἶπεν τοῖς αὐραρίοις· ποίαν αἰτίαν ἐπιφέρετε τοῖς ἀνθρώποις τούτοις; οἱ δὲ εἶπον· ἡμῶν εὐφημούντων τοῖς θεοῖς, οὗτοι οἱ ἱερόσυλοι ἔκραζον, λέγοντες· Χριστὲ ῥῦσαι δούλους σου ἀπὸ πάσης πλάνης· ἀκούσαντες δὲ ἡμεῖς συνελαβόμεθα αὐτοὺς, καὶ παρεστήσαμεν τῇ σῇ φιλανθρωπίᾳ. Ἀττικὸς Ἡλιόδωρος βικάριος εἶπεν· διαχωρίσαντες αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἕνα καὶ ἕνα μοι παραστήσατε. ὡς δὲ προσήγαγον τὸν Τρόφιμον, Ἀθάμας βοηθὸς κομέντων εἶπεν· ἕστηκεν Τρόφιμος, δέομαί σου. ὁ βικάριος εἶπεν· τίς καλῆσαι; τὸ κατὰ σάρκα ὄνομα Τρόφιμος καλοῦμαι. ὁ βικάριος εἶπεν· ποίας εἶ τύχης; Τρόφιμος εἶπεν· δοῦλος δι' ἁμαρτίαν, ἐλεύθερος δὲ καὶ εὐγενὴς διὰ Χριστόν. ὁ βικάριος εἶπεν· ποίας εἶ τύχης, καὶ θρησκείας, ἀνοσιώτατε; Τρόφιμος εἶπεν· τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας χριστιανός. ὁ βικάριος εἶπεν· ἀνέγνως τὰ προστάγματα τοῦ βασιλέως; Τρόφιμος εἶπεν· ναὶ ἀνέγνων. ὁ βικάριος εἶπεν· ποίησον οὖν καθῶς προσέταξαν οἱ αὐτοκράτορες, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς. Τρόφιμος εἶπεν·
B ἀλλ' οὐ δεῖ ἡμᾶς ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν καὶ ἀσεβεστάτων προστάγμασιν ὑπακούειν, ὅτι χριστιανοί ἐσμεν δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μεγάλου βασιλέως.

3 Ὁ βικάριος εἶπεν· περιελόντες αὐτοῦ τὸ πάλλιον, καὶ τείναντες αὐτὸν ἐκ τεσσάρων, χρήσασθε αὐτῷ τοῖς βουνεύροις. ὡς δὲ ἐξέτειναν αὐτὸν, ὁ βικάριος εἶπεν· τί σοι ἔδοξεν, κακὴ κεφαλὴ, τοὺς αὐτοκράτορας βλασφημεῖν; Τρόφιμος εἶπεν· ἐγὼ οὐκ ἐβλασφήμησα, ἀλλὰ ἀλήθειαν εἶπον· τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι οἱ μὴ γινώσκοντες τὸν ζῶντα Θεὸν ἀσεβέστατοί εἰσιν; ὁ δὲ βικάριος ἐκέλευσεν αὐτὸν τύπτεσθαι. ὡς δὲ ἔτυπτον αὐτὸν, εἶπεν αὐτῷ ὁ βικάριος· θῦσον ἀνόητε· ὁρᾷς γάρ ὅτι τὸ αἷμά σου ῥέει επὶ τῆς γῆς. Τρόφιμος εἶπεν· ἐὰν τὸ αἷμά μου ἐγχυθῇ * ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἂν ἡ ψυχή μου εἰς αἰώνιον κόλασιν εἰσέλθοι, καθὼς γέγραπται ἡμῖν· συμφέρει ἵνα ἓν τῶν μελῶν μου ἀπώληται, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά μου βληθῇ εἰς γέενναν πυρός. ὁ βικάριος εἶπεν· φείσασθε αὐτοῦ· καὶ λέγει· θῦσον, ἀνόσιε Τρόφιμε, εἰδὲ μήγε, Ἐρινίῳ Διονύσῳ τῷ ἡγεμόνι Φρυγίας Σαλουταρίας παραπέμπω ὑμᾶς, ἵνα κολάσας, τῆς ζωῆς ὑμᾶς ἀπαλλάξῃ· Τρόφιμος εἶπεν· οὐ μόνον ἐπί τοῦ ἡγεμόνος, ἀλλά καὶ ἐὰν τῷ βασιλεῖ παραπέμψῃς ἡμᾶς, οὐκ ἀρνησόμεθα τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ.

* ἐκχυθῇ (?)

C 4 Ὁ βικάριος εἶπεν· κρεμάσατε αὐτὸν καὶ εὐτόνως ξέσατε αὐτοῦ τὰς πλευράς· ὡς δὲ ἐκρεμάσθη, ὁ βικάριος εἶπεν· ὁρᾷς, δόλιε, ὅτι παριστήκεισάν σοι οἱ μέλλοντες ἐξεντερίζειν; ὡμολόγησον οὖν θῦσαι, καὶ ἀπαλλαγηθήσῃ. Τρόφιμος εἶπεν· μὴ νομίσῃς, ἀφρονέστατε, ἐκφοβεῖν με διὰ τῶν ἀπειλῶν σου· οὐ γὰρ παιδίον εἰμὶ δυνάμενον αὐστηρίᾳ λόγων ἀνθρώπων ἀπατηθῆναι. ὁ βικάριος εἶπεν· ἅψασθε αὐτοῦ τῶν πλευρῶν. ὡς δὲ ἐξέετο, φωνὴ οὐδὲ μία ἠκούετο αὐτοῦ, εἰ μὴ μόνον· Χριστὲ βοήθει μοι, τῷ δούλῳ σου. ὁ βικάριος εἶπεν· ξέοντες αὐτὸν λέγετε αὐτῷ· ποῦ ἐστιν ὁ Χριστός σου; Τρόφιμος εἶπεν· μετ' ἐμοῦ ἐστιν, καὶ παρέστηκέν μοι. οὐδέποτε γὰρ τῶν ἰδίων δούλων ἀπολείπεται· ἀλλὰ πάρεστιν βοηθῶν αὐτοῖς. Ὁ βικάριος εἶπεν· φείσασθε αὐτοῦ· καὶ κατένεγκαν αὐτόν. καὶ λέγει αὐτῷ· θύεις Τρόφιμε, ἢ καὶ ἑτέρας βασάνους ἑτοίμως ἔχεις ὑποδέξασθαι; Τρόφιμος εἶπεν· οὐ μόνον βασανισθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀποθανεῖν ἑτοίμως ἔχω ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ· ὁ βικάριος εἶπεν· οὗτος μὲν ἀναληφθήτω ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, βληθεὶς εἰς τέσσαρα κεντήματα. προσαχθέτω δὲ ὁ ἕτερος.

5 Ἀθάμας λέγει βοηθὸς κομέντων· ἑστήκεν Σαββάτιος, δέομαί σου. ὁ βικάριος εἶπεν· οὐχ ἐξετάζω σε, εἰ χριστιανὸς εἶ, ἀλλὰ τὴν ἀξίαν σου βούλομαι μαθεῖν,

prætorium vicarii, acclamantes : Caste judex, procede ad tribunal contra sacrilegos istos. Ingrediens vero Selenius quidam curiosus *d*, retulit vicario dicta aurariorum. Vicarius, non valens contradicere, sedit publice pro tribunali, sedensque dixit aurariis : Quid crimini datis hominibus illis? Illi vero dixerunt : Nobis deos laudantibus, sacrilegi illi clamarunt, dicentes : Christe, erue servos tuos ab omni errore. At nos id audientes, apprehendimus illos, et stitimus clementiæ tuæ. Atticus Heliodorus vicarius dixit : Separate illos, et singulos mihi sistite. Ut vero Trophimum adduxerunt, Athamas adjutor commentariensis *e* dixit : Adstat Trophimus, rogo te *f*. Vicarius dixit : Quod tibi nomen? [Trophimus respondit *g* :] Nomine secundum carnem Trophimus vocor. Vicarius dixit : Cujus es conditionis? Trophimus dixit : Servus sum per peccatum; liber vero et nobilis per Christum. Vicarius dixit : Cujus es conditionis et religionis, impiissime? Trophimus dixit : Christianus sum Ecclesiæ Catholicæ. Vicarius dixit : Legistine mandata imperatoris? Trophimus dixit : Etiam legi. Vicarius dixit : Fac igitur, sicut præceperunt monarchæ; et sacrifica diis. Trophimus dixit : At non oportet nos obedire mandatis hominum peccatorum *h* et impiissimorum, quia Christiani sumus, servi E Jesu Christi, magni Imperatoris.

3 Vicarius dixit : Auferentes ipsi pallium, et extendentes ipsum ex quatuor partibus, nervis bubulis in eum utimini. Ubi ipsum extenderant, vicarius dixit : Ut quid tibi visum est, malum caput, monarchas blasphemare? Trophimus dixit : Non blasphemavi, sed veritatem dixi. Quis enim nescit, impiissimos esse, qui viventem Deum ignorant? Vicarius vero jussit ipsum verberari : et dum ipsum cædebant, dixit ad eum vicarius : Sacrifica, insensate : vides enim, sanguinem tuum humi defluere. Trophimus dixit : Si sanguis meus effundatur pro nomine Christi, anima mea non incidet in pœnam æternam, sicut scriptum est nobis : Expedit, ut pereat unum membrorum meorum, et non totum corpus meum mittatur in gehennam ignis. Vicarius dixit : Parcite ipsi; dicitque : Sacrifica, impie Trophime. Nisi id feceris, Herennio Dionysio *i*, Phrygiæ Salutaris præfecto, vos transmitto, ut puniens vitam vobis eripiat. Trophimus dixit : Non solum si ad præsidem, sed etiamsi ad imperatorem nos transmiseris, numquam negabimus Dei nomen. F

4 Vicarius dixit : Pendite illum, et latera ipsius fortiter radite. Ubi vero erat suspensus, vicarius dixit : Viden, versipellis, adstantes, qui tibi eximent intestina? Consenti igitur ad sacrificandum, et liberaberis. Trophimus dixit : Noli existimare, insanissime, te mihi terrorem minis tuis illaturum : neque enim puerulus sum, ut decipi valeam austeritate verborum humanorum. Vicarius dixit : Tangite latera ejus. Quando radebatur, nulla ejus vox audiebatur præter hanc : Christe, adjuva me servum tuum. Vicarius dixit : Scalpentes eum, ipsi dicite : Ubi est Christus tuus? Trophimus dixit : Mecum est, et mihi assistit : numquam enim servos suos deserit; sed adest illos adjuvans. Vicarius dixit : Parcite ipsi. Et dimiserunt illum. Dicit ei : Sacrificasne, Trophime, an alia etiam tormenta sustinere paratus es? Trophimus dixit : Non solum cruciari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini mei Jesu Christi. Vicarius dixit : Hic quidem recipiatur in carcere, conjectus in nervum quatuor foraminum *k*. Adducatur vero aller.

5 Athamas adjutor commentariensis dixit : Adstat Sabbatius, rogo te. Vicarius dixit : Non interrogo te, an Christianus sis; sed tuam dignitatem volo discere

A. [illegible]

d

e

f

g

h

tortusque variis modis, constantem

i

se præbet et carcere recluditur.

k

A. ANONYMO. Sabbatius, diutissime tortus, paulo post moritur.

discere. Sabbatius dixit : Dignitas mea et nobilitas Christus est, Rex seculorum. Vicarius dixit : Colaphum impingite *l*, dicentes ipsi : Alia pro aliis ne respondeas. Sabbatius dixit : Interrogasti me de dignitate : et dixi tibi omnem nobilitatem meam; cur irasceris? Vicarius dixit : Priusquam in punitionem et cruciatus incidas, sacrifica diis. Sabbatius dixit : Et mortem contemnere paratus sum, et injurias tormentorum sustentare propter Christum. Unde, si tibi placet tormenta inferre, torque. Ego enim execrando tuo dogmati repugno. Euschemon commentariensis dixit : Respondet, quia ipsi parcis, et contemnit tribunal tuum. Vicarius dixit : Suspendite eum in ligno. Quando suspensus erat, vicarius dixit : Consenti publice sacrificare, nec periculum feceris cruciatuum. Sabbatius dixit : Quod vis, hoc et fac. Spero enim in Patre Christi mei, me etiam tortum victoriam de te, et de diabolo, qui illa tibi suggerit, relaturum. Vicarius dixit : Ungularum ipsi inferte cruciatus. Ubi vero radebatur, vicarius dixit : Quare fles, impie? Sabbatius dixit : Non tibi ex voto accidat, imprudentissime, ut secundum animam fleam : nam hoc corpus lutum est et fluit. Postquam defecerant tortores *m*, disruptis jam ejus lateribus, præcepit vicarius alteri ordini, ut scalperet ipsum in ventre. B Dum autem scalpebatur, dixit vicarius : Quid lucraris, miserrime, crucians animam tuam? Sabbatius dixit : Si pro Christi nomine punitus fuero, in die suprema requiem æternam consequar. Cum vero longo tempore raderetur, tortores defecerunt. Perspiciens igitur vicarius se nihil proficere, jussit ipsum dimitti. Eo autem dimisso, vicarius dixit : Nihil tibi profuit, miserrime, neque tibi opem tulit, quem confessus es. Accede igitur, et sacrifica : neque enim cedo tibi *n*. Non poterat respondere Sabbatius, quia animo vires defecerant : erant enim et venter ejus et latera disrupta. Ubi vidit vicarius mori ipsum, jussit eum foras eijci. Ut vero elatus est, illa ipsa hora, sicut agnus innocens, tradidit spiritum. Egressus autem princeps *o*, nuntiavit vicario, obiisse Sabbatium.

Trophimus mittitur Synnada,

6 Dixit vero vicarius principi : Fac, paratus sit clavicularius *p*, ut impium Trophimum mittam ad præsidem Phrygiæ Salutaris. Fecit autem talem causæ relationem *q* : Vicarius præstantissimo præsidi Phrygiæ Salutaris salutem. Summa et spectabilis dominorum mundi potestas legem dedit omnibus sub C sole positis, ut, qui religionis sunt Christianorum, diis sacrificent, aut vita priventur. Adducto autem impio Trophimo, et me quidem cogente ipsum ad sacrificandum, ipso vero nolente, transmisi eum ad tuam jurisdictionem, ut, si quidem bono animo mandata peragere voluerit, vita fruatur, sin minus, vitam amittat. Vale. Postridie venit irenarcha *r*, ut a vicario acciperet relationem causæ. Præcepit vicarius, ut indueretur Trophimus calceis ferreis, intus habentibus fibulas acutas, mandans, ut illis non exueretur, donec ad memoratum præsidem venisset. Acceperunt igitur Trophimum irenarcha et clavicularius; et posteaquam ejusmodi calceis eum induerant, iter instituerunt ad præsidem. At Christi gratia effusa est in sanctum ipsius martyrem Trophimum, ita ut obstupescerent omnes, cernentes nequaquam cedentem Trophimum in progrediendo, incedentem ipsum cum alacritate, et omnino cruciatum non sentientem : nam et equos ipsorum in via præcedebat. Itaque, instituto trium dierum itinere, perveniunt Synnada *s* urbem Phrygiæ, ubi degebat præses.

7 Postridie irenarcha, præside sedente pro tribunali, ingressus monstravit causæ relationem vicarii.

Σαββάτιος εἶπεν· ἡ ἐμὴ ἀξία καὶ ἡ εὐγένεια ὁ Χρι- D
στός ἐστιν, ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων. Ὁ βικάριος εἶπεν·
τουνδήσατε αὐτὸν, λέγοντες αὐτῷ. ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων
μὴ ἀποκρίνου. Σαββάτιος εἶπεν. ἐξήτασάς με περὶ
ἀξίας, καὶ εἶπόν σοι πᾶσαν τὴν εὐγένειάν μου, τι θυ-
μοῦσαι; ὁ βικάριος εἶπεν· πρίν σε εἰς κόλασιν καὶ τι-
μωρίας ἐμπεσεῖν, θῦσον τοῖς θεοῖς. Σαββάτιος εἶπεν·
καὶ θανάτου ἑτοίμως ἔχω καταφρονεῖν, καὶ βασάνων
ὑποφέρειν ὕβρεις διὰ τὸν Χριστόν· ὅθεν εἴ σοι δοκεῖ
βασανίζειν, βασάνιζε· ἐγὼ γὰρ τῷ μιαρῷ σου δό-
γματι ἀντιτάσσομαι. Εὐσχήμων κομενταρήσιος εἶπεν·
ἀποκρίνεται διὰ τὸ φείδεσθαί σε αὐτοῦ, καὶ κατα-
πτύει σου τοῦ δικαστηρίου. ὁ βικάριος εἶπεν· κρε-
μάσετε αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ξύλου. ὡς δὲ ἐκρεμάσθη, ὁ
βικάριος εἶπεν· συγκατάθου ἐπὶ τοῦ δήμου θῦσαι· καὶ
οὐ μὴ πειραθῇς βασάνων. Σαββάτιος εἶπεν· ὃ θέλεις,
τοῦτο καὶ ποιεῖ· ἐλπίζω γὰρ ἐν τῷ Πατρὶ τοῦ Χριστοῦ
μου, ὅτι καὶ βασανιζόμενος νικῶ σε, καὶ τὸν ὑποβάλ-
λοντά σοι ταῦτα καθ' ἡμῶν διάβολον. ὁ βικάριος εἶπεν·
προσαγάγετε αὐτῷ τὰς τῶν κεράτων βασάνους· ὡς δὲ
ἐξέετο, ὁ βικάριος εἶπεν· διάτι κλαίεις ἀνόσιε; Σαβ-
βάτιος εἶπεν· μή σοι καλῶς, ἀφρονέστατε, ἵνα ἐσὼ
κλαύσω τῇ ψυχῇ μου. τοῦτο γὰρ τὸ σῶμα πηλός ἐστι
καὶ ῥέει· ὡς δὲ ἠτόνησαν οἱ κυεστιονάριοι, ἤδη τῶν
πλευρῶν αὐτοῦ διεῤῥηγμένων, ἐκέλευσεν ὁ βικάριος ἑτέ- E
ρᾳ ζυγῇ ξέειν αὐτὸν ἐπὶ τὴν κοιλίαν. ὡς δὲ ἐξέετο,
ὁ βικάριος εἶπεν. τὶ ὠφελεῖς τρισάθλιε τιμωρῶν τὴν
σεαυτοῦ ψυχήν; Σαββάτιος εἶπεν· ἐὰν ὑπὲρ τοῦ ὀνό-
ματος Χριστοῦ τιμωρηθῶ, ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ ἀνά-
παυσιν αἰώνιον εὕρω. ἐπὶ πολλὴν δὲ ὥραν ξεομένου
αὐτοῦ, οἱ κυεστιονάριοι ἠτόνησαν. Θεωρήσας οὖν ὁ βι-
κάριος, ὅτι οὐδὲν ὠφέλει, ἐκέλευσεν αὐτὸν κατενεχ-
θῆναι. ὡς δὲ κατένεγκαν αὐτὸν, ὁ βικάριος εἶπεν. οὐ-
δὲν σε ὠφέλησεν τρισάθλιε, οὐδὲ ἐβοήθησέν σοι, ὃν ὡμο-
λόγησας. πρόσελθε οὖν, καὶ θῦσον. οὐ γὰρ ἐνδίδωμί
σοι. οὐκ ἠδυνήθη δὲ ἀποκριθῆναι Σαββάτιος διὰ τὸ
παραδιδόναι αὐτὸν τὴν ψυχήν. ἦν γὰρ καὶ ἡ κοιλία
αὐτοῦ καὶ τὰ πλευρὰ διεῤῥηγμένα. θεωρήσας δὲ ὁ βι-
καρίος, ὅτι ἀποθνήσκει, ἐκέλευσεν αὐτὸν ἐκβληθῆναι
ἔξω. ἐξενεχθέντος δὲ αὐτοῦ, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ὡς ἀρνίον
ἄκακον, ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα. καὶ ἐξελθὼν ὁ πρίγκιψ,
ἐδήλωσεν τῷ βικαρίῳ τεθνᾶναι τὸν Σαββάτιον.

6 Εἶπεν δὲ τῷ πρίγκιπι· ἕτοιμον ποίησον τὸν καπι-
κλάριον· ὅπως τὸν ἀνόσιον Τρόφιμον παραπέμψω τῷ
ἡγεμόνι Φρυγίας Σαλουταρίας. ἐποίησε δὲ ἀναφορὰν
τοιαύτην· βικάριος τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι Φρυγίας Σα-
λουτάριας χαίρειν· ἡ μεσίστη καὶ περίβλεπτος ἐξουσία
τῶν δεσποτῶν τῆς οἰκουμένης νόμον ἐξέθετο πᾶσι τοῖς
ἐν τῇ ὑφηλίῳ, καὶ τῆς θρησκείας τῶν χριστιανῶν θυείν
τοῖς θεοῖς, ἢ τῆς ζωῆς ἀποστερεῖσθαι αὐτούς. προσαχθέν- F
τος δὲ τοῦ ἀνοσίου Τροφίμου, καὶ ἐμοῦ μὲν καταναγκά-
ζοντος αὐτὸν, ὅπως θύσῃ, καὶ μὴ βουληθέντος, πα-
ρέπεμψα αὐτὸν τῇ σῇ καθοσιώσει, ὅπως εἰ μὲν θέλοιεν
εὐγνωμονῆσαι πρὸς τὰ κελευσθέντα, ζωῆς ἀπολαύσῃ·
εἰ δὲ μήγε, τῆς ζωῆς ἀποστερηθείη· ἔῤῥωσο. τῇ δε
ἑξῆς ἡμέρᾳ ἦλθεν ὁ εἰρήναρχος λαβεῖν τὴν ἀναφορὰν
παρὰ τοῦ βικαρίου· προσέταξε δὲ ὁ βικάριος ὑποδε-
θῆναι τὸν Τρόφιμον ὑποδήματα σιδηρὰ, ἔχοντα ἔσωθεν
περόνας ὀξεῖς, παραγγείλας μὴ ὑπολυθῆναι αὐτὸν, ἕως
ὅτου τῷ ἡγεμόνι παραστῇ. Παραλαβόντες δὲ τὸν Τρό-
φιμον ὅ τε εἰρήναρχος καὶ ὁ καπλικλάριος, καὶ ὑποδή-
σαντες αὐτὸν τὰ ὑποδήματα, ὥδευσαν πρὸς τὸν ἡγε-
μόνα. ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ χάρις ἐπληθύνθη ἐπὶ τὸν ἅγιον
αὐτοῦ μάρτυρα Τρόφιμον, ὥστε ἐκπλήττεσθαι πάντας,
θεωροῦντας μὴ ἐνδίδοντα τὸν Τρόφιμον τοῦ προτρέχειν,
αὐτὸν βαδίζοντα προθυμίᾳ, μήδ' ὅλως αἰσθανόμενον τῶν
βασάνων. ἦν γὰρ ἐν τῇ ὁδῷ προφθάνων καὶ τοὺς ἵπ-
πους αὐτῶν· ὁδοπορήσαντες οὖν διὰ τριῶν ἡμερῶν,
κατάγονται ἐν Συναίδοις πόλει τῆς Φρυγίας, ἔνθα ὁ ἡγε-
μὼν διέτριβεν.

7 Καὶ τῇ ἑξῆς ὁ εἰρήναρχος, καθεζομένου τοῦ ἡγε-
μόνος ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰσελθὼν, ἐνεφάνισεν τὴν ἀνα-
φορὰν

A φορὰν τοῦ βικαρίου. ἀναγνοὺς δὲ ὁ ἡγεμὼν, ἐκέλευσεν παραχρῆμα στῆναι τὸν Τρόφιμον. Δημήτριος βοηθὸς κομένταρ(ησίων) εἶπεν· ἕστηκεν Τρόφιμος, δέομαί σου· Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· σὺ εἶ ὁ λεγόμενος Τρόφιμος; Τρόφιμος εἶπεν· ἐγώ εἰμι ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· οἶδας, ἄθλιε, ὅτι πολλοὶ διὰ τὸ ὄνομα τοῦτο τῆς ζωῆς ἀπεστερήθησαν; ὅθεν θῦσον, ἵνα μὴ βασανισθεὶς, τὸ φέγγος τοῦ ἡλίου καταλείψῃς. Τρόφιμος εἶπεν· οὔτε σὲ ἐντραπήσομαι, οὔτε τὰς βασάνους σου, οὔτε τὸν πρόσκαιρον θάνατον φοβηθήσομαι. κατεφρόνησα γὰρ τοῦ σου θανάτου, ἐνδυσαμένος τὸν ἀθάνατον ἄνθρωπον. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· τείναντες αὐτὸν ἐκ τεσσάρων, εὐτόνως τύπτετε τοῖς βουνεύροις, λέγοντες αὐτῷ· πείθου τοῖς βασιλέως προστάγμασιν· Τρόφιμος εἶπεν· ἐγὼ τὸν βασιλέα ἔχω τὸν μέλλοντα ἔρχεσθαι μετὰ φωτὸς ἀϊδίου κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· φείσασθε αὐτοῦ. ὡς δὲ ἐφείσαντο αὐτοῦ, Διονύσιος εἶπεν· πρόσελθε, καὶ θῦσον τοῖς θεοῖς, πανάθλιε, καὶ ἀπελλάττου πολλῶν βασάνων, καὶ μεγίστης τιμωρίας. Τρόφιμος εἶπεν· ἐγὼ τὰς βασάνους σου οὐ φοβηθήσομαι· αἱ γὰρ βάσανοί σου πρόσκαιροι οὖσαι, ἐμὲ μὲν ὠφελοῦσιν, ἵνα

B παιδευόμενος μᾶλλον φοβηθῶ τὸν τῆς ἀληθείας Θεὸν, σὲ δὲ κατακρινοῦσιν εἰς τὴν αἰώνιον κόλασιν· Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· ἐνέγκαντες ὄξος καὶ σίνηπι μεμιγμένα, ἐγχέατε κατὰ τῶν μυκτήρων αὐτοῦ. Τρόφιμος εἶπεν· τὸ ὄξος καὶ τὸ σίνηπί σου ἐμοὶ μωρία εἰσίν· οἱ γὰρ ὑπηρέται σου καταπαίζουσίν σοι.

8 Διονύσιος εἶπεν· Προστάξατε αὐτὸν τῷ ξύλῳ καὶ εὐτόνως βασανίσατε αὐτὸν, ξέοντες αὐτοῦ τὰς πλευράς. ὡς δὲ ἐκρεμάσθη ὁ ἅγιος Τρόφιμος, Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· ἕως πότε ἄνθρωπε τιμωρῇς τὴν σεαυτοῦ ψυχήν; ὡμολόγησον εἶξαι τοῖς βασιλεῦσι, καὶ κέρδησον τὰς βασάνους. Τρόφιμος εἶπεν· ἐγὼ οὐ τιμωρῶ τὴν ἐμαυτοῦ ψυχήν· ἀλλὰ σώζω αὐτὴν, καθὼς γέγραπται· πολλαὶ αἱ θλίψεις τῶν δικαίων. ἐὰν οὖν ἐνταῦθα θλιβῶμεν, τὰ αἰώνια ἀγαθὰ κληρονομήσομεν· πιστὸς γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος ἀποδοῦναι ἡμῖν, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, ὅσα ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Διονύσιος εἶπεν· ποῖά ἐστιν ἀγαθὰ, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς ὑμῶν· Τρόφιμος εἶπεν· ἀνάπαυσιν καὶ σωτηρίαν, τρυφὴν παραδείσου καὶ στέφανον ζωῆς αἰωνίου, ἔνδυμα ἀφθαρσίας καὶ κόσμον ἐνάρετον, φῶς ἀμίαντον, θρόνους δόξης, καὶ βασιλείαν οὐρανῶν· ταῦτά ἐστιν τὰ ἀγαθὰ, ἃ ἐπαγγείλατο ἡμῖν ὁ Θεὸς ἡμῶν.

C Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· θῦσον καὶ ἀπαλλάγηθι· οὐδὲν γάρ σε ὠφελήσουσιν αἱ μυθολογίαι αὗται. τίς γάρ ἐστιν ὁ ἀνελθὼν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ κατελθὼν, ὃς ἐδήλωσεν τὰ ἐκεῖ ὄντα· Τρόφιμος εἶπεν. ἀλλὰ ἡμῖν αἱ γραφαὶ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν δηλοῦσιν, καὶ πιστεύομεν· οὐ γάρ ἐστιν ψεύστης ὁ Θεός. ὅθεν χείρων σου γένομαι ἐνώπιον τοῦ βήματος Χριστοῦ, ἐὰν καταλείψας τὸν ζῶντα Θεὸν, λίθοις προσκυνήσω.

9 Διονύσιος χολέσας εἶπεν· ξέσατε αὐτοῦ τὰς πλευράς, λέγοντες αὐτῷ· ἀπαλλάττου τῆς μωρίας· ὡς δὲ κατέφερον τὰς πλευρὰς αὐτοῦ, φωνῆς μήτε μιᾶς γινομένης, Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· οὐδέπω ᾔσθου τῶν βασάνων; Τρόφιμος εἶπεν· ἐὰν σὺ αὐτοῦ καθεζόμενος αἰσθάνῃ ἀλγηδόνας, οὕτως κἀγὼ αἰσθάνομαι. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· προσελθόντες ἕτεροι κυεστιονάριοι ξέσατε αὐτὸν ἐπὶ τὰ ἀντικνήμια. ὁ δὲ Τρόφιμος ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως εἶπεν· ὁ τῶν ἀβοηθήτων βοηθὸς, ὁ τῶν ἀσθενούντων ἰατρὸς, ὁ τῶν ἁμαρτωλῶν κριτὴς, ὁ τῶν χριστιανῶν βασιλεὺς, ἐπίβλεψον ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἴδε τὴν ταπείνωσίν μου, καὶ τὴν βίαν μου· ὅτι διὰ τὸ ὄνομά σου ταῦτα πάσχω· Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· ἐνέγκαντες ὄξος καὶ ἅλας βασιλικὸν, χρίσατε αὐτοῦ τὰς πλευράς. Τρόφιμος εἶπεν· μὰ τὸν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ οὐκ αἰσθάνεταί μου ἡ ψυχὴ οὐδὲ ἡ σάρξ τῶν βασάνων σου· ἀλλ' εἰ ἔχεις

Lecta, ea præses jussit sisti continuo Trophimum. Demetrius adjutor commentariensis dixit : Adstat Trophimus : rogo te. Dionysius præses dixit : Tune es, qui vocaris Trophimus? Trophimus dixit : Ego sum servus Dei. Dionysius præses dixit : Nosti, miser, multos propter illud nomen vita privatos esse? Quare sacrificia, ne cruciatus, lumen solis relinquas. Trophimus dixit : Neque te curabo, neque cruciatus tuos, neque temporariam mortem formidabo : contemno enim mortem tuam, indutus hominem immortalem. Dionysius præses dixit : Extendentes ipsum ex quatuor partibus, fortiter verberate nervis bubalis, dicentes ipsi : Obedi imperatis mandatis. Trophimus dixit : Ego Imperatorem habeo illum, qui venturus est cum lumine sempiterno ad judicandum vivos et mortuos, et dandum unicuique secundum opera sua. Dionysius præses dixit : Parcite illi. Ut vero pepercerunt ei, Dionysius dixit : Accede et sacrificia, miserrime, et liberare multis cruciatibus, et pœna maxima. Trophimus dixit : Ego cruciatus tuos non timebo : cruciatus enim tui temporarii mihi quidem prosunt, ut iis institutus magis timeam verum Deum; te vero condemnant ad pœnam sempiternam. Dionysius præses dixit : Ferte acetum et synapi simul mixta, et effundite in nares ipsius. E Trophimus dixit : Acetum et synapi tuum mihi fatuitas est : nam tibi illudunt ministri tui.

A. anonymo. ibique rursum jussu Dionysii præsidis

8 Dionysius dixit : Applicate eum ligno, ipsumque vehementer cruciate, scalpentes latera ejus. Ut suspensus erat sanctus Trophimus, Dionysius præses dixit : Quo usque animam tuam crucias, o homo? Fatere, cessurum te imperatoribus, et lucrare cruciatus. Trophimus dixit : Ego non crucio animam meam; sed ipsam servo, sicut scriptum est : Multæ tribulationes justorum. Si ergo hic affligimur, æterna bona hereditate obtinebimus. Fidelis enim est, qui promisit daturum se nobis, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Dionysius dixit : Qualia sunt bona, quæ Deus vester præparavit? Trophimus dixit : Requiem et salutem, delicias paradisi et coronam vitæ æternæ, indumentum corruptioni non obnoxium et ornamentum præstantissimum, lumen purum, thronos gloriæ, et regnum cælorum. Hæc sunt bona, quæ annuntiavit nobis Deus noster. Dionysius præses dixit : Sacrifica et liberare : nihil enim tibi proderunt fabulæ istæ. Quis enim in cælum ascendit et rursum descendit, qui nuntiavit ea, quæ ibi sunt? Trophimus dixit : At nobis illa annuntiant Scripturæ Dei nostri et credimus : neque enim est mendax Deus. Unde pejor fiam quam tu coram tribunali Christi, si, relicto Deo vivo, lapides adoravero. F

variis modis cruciatur.

9 Dionysius iratus dixit : Radite latera ejus, dicentes : Desiste a stultitia. Ubi vero cruciarunt ejus latera, nulla voce prolata, Dionysius præses dixit : Non sentis cruciatus? Trophimus dixit : Si tu sedens ibi dolores sentis, ita et ego sentio. Dionysius præses dixit : Accedentes alii tortores, radite ipsum in tibiis. Trophimus vero aspiciens in cælum, sic locutus est : O Adjutor eorum, qui carent auxilio! o infirmorum Medice! o peccatorum Judex! o Rex Christianorum, respice de cælo, et vide humilitatem meam, et vim mihi illatam, quoniam propter nomen tuum hæc patior. Dionysius præses dixit. Ferentes acetum et salem regium, fricate latera ejus. Trophimus dixit : Per Christum Filium Dei, non sensit anima mea neque caro cruciatus tuos. At, si quid habes ulterius, excogita. Credo enim Patri Christi mei, quod, etiam cruciatibus affectus, te sim victurus

et fortissimum se præbet.

A. ANONYMO. rus, et patrem tuum Satanam, qui ista tibi contra nos suggerit. Dionysius præses dixit : Et graviores hisce corpori tuo cruciatus excogitabo. Trophimus dixit : Quoscumque etiam excogitaveris et jactaveris, occurro malis, quæ cogitas : me enim Christus confortat. Dionysius præses dixit : Afferte candelas, et applicate ad latera ejus. Trophimus dixit : Requiesco, quia contumeliis affectus te superabo per Christi nomen. Benedictus Deus, qui ad hanc quæstionem nos vocavit, ut nomen ipsius confiteamur coram hominibus. Dionysius præses dixit : Dimittite ipsum e ligno. Postquam eum dimiserunt, Dionysius præses dixit : Interim quidem recipiatur carcere, injectus in quatuor nervi foramina, donec vehementiores in ipsum cruciatus præparentur.

τι πλέον, ἐπινόησον . πιστεύω γὰρ τῷ Πατρὶ τοῦ Χριστοῦ μου, ὅτι καὶ βασανιζόμενος νικῶ σε, καὶ τὸν πατέρα σου τὸν σατανᾶν, τὸν ὑποβάλλοντά σοι καθ' ἡμῶν ταῦτα · Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · καὶ τούτων χαλεπωτέρας βασάνους ἐπινοήσω τῷ σώματί σου. Τρόφιμος εἶπεν· ὅσα ἐὰν ἐννοηθῆς καὶ καυχήσῃ, ὑπαντῶ σου ταῖς κακίαις, αἷς ἐπινοεὶς · ἔστιν γὰρ ὁ ἐνδυναμῶν με Χριστός · Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ἐνέγκαντες κανδέλας, προσάψατε αὐτοῦ ταῖς πλευραῖς . Τρόφιμος εἶπεν · ἀναπαύομαι ὅτι αἰκιζόμενος νικῶ σε διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ. εὐλογητὸς δὲ ὁ Θεὸς καλέσας ἡμᾶς ἐπὶ τὴν ἐξέτασιν ταύτην, ἵνα τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὁμολογήσωμεν ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν· κατενέγκατε αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ξύλου · ὡς δὲ κατένεγκαν αὐτὸν, Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · τέως μὲν ἀναληφθήτω ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, βληθεὶς εἰς τέσσαρα κεντήματα, ἕως ὅτου μειζότεραι βάσανοι ἐπισκευασθῶσιν αὐτῷ. D

ANNOTATA.

a *Id est, dii nostri jubent. Erat probus, ut dictum est in Commentario, in cultu falsorum deorum admodum superstitiosus. Hinc eorum auctoritate utitur contra Christianos.*

h *Vox* ἐπαρχία *significat præfecturam; auf provinciam, ut exposui. Forte tamen hic sumitur pro*
B *imperio Romano; ut sensus sit* per totum imperium. E

c Aurarii *sunt laudatores, sive adulatores, quales erant illi, qui falsorum deorum laudes celebrabant.*

d Curiosus *vox Latina est ad Græcos translata, ut et vox* vicarius, *multæque aliæ similes, quibus officia aut dignitates significabantur. Cum enim Græci subessent Romanis, coacti sunt uti vocibus Latinis ad officia designanda, quæ Græcis vocibus exprimere non poterant.* Curiosorum *autem varia erant officia, interque alia, ut nuntiarent principibus aut præfectis, si qua nova contigerant. Reos etiam aliquando adducebant, ut liquet ex Chrysostomo, qui a Curioso adductus est, dum in exsilium expellebatur, ut ipse scripsit ad Innocentium Papam. Plura de* Curiosis *videri possunt apud scriptores, qui agunt de officiis et dignitatibus imperii Romani, et in utroque Glossario Cangii.*

e Commentariensis *est unus ex custodibus carceris, qui captivorum nomina et delicta in commentarios referebat, et alia quædam curabat. At adjutor commentariensis videtur tantum esse servus illius aut adjutor, qui reos adducebat ignobiles, non nobiles aut senatores, ut infra patebit.*

f *Illud,* δέομάι σου, *licet tantum videatur vox salutantis, tamen a me expressum est* rogo te. *Eædem voces semper recurrunt in Actis probatissimis SS. Tarachi, Probi et Andronici apud Ruinartium, sed ibi in textu Latino illæ voces, ut plures aliæ, neglectæ sunt.*

g *Voces illæ :* Trophimus dixit, *in apographo nostro sunt omissæ, sed minime dubitandum, quin adfuerint.*

h *Nimirum, quando contra Deum aliquid præcipiunt, ut hic fiebat.*

i *Apud Metaphrastem vocatur* Dionysius Perennius. *Hic infra ubique* Dionysius *tantum. At hoc loco scribitur* Ερινίῳ Διονυσῳ, *pro* Διονυσίῳ, *quod nolui corrigere. De vero ipsius nomine nihil alibi invenio.*

k *Illum locum Metaphrastes sic exponit :* Extenditur in quatuor foraminibus ligni ad torquendum comparati. *Hoc quibusdam factum esse, docet Eusebius lib.* 8 *cap,* 10 *ita scribens :* Quidam etiam post tor-
C menta in nervo jacuerunt, pedibus ad quatuor usque foramina divaricatis, ita ut supini esse cogerentur, F
cum ob recentes plagarum cicatrices, quos toto corpore gerebant, stare omnino non possent. *Apud Ruinartium in Actis SS. Tarachi, Probi et Andronici num.* 2 *idem, quod in Actis nostris, sed verbis parum mutatis, dicitur hoc modo :* εἰς τέσσαρα κεντήματα αὐτὸν διατείνατε, per quatuor loca nervorum hunc extendite. *Alias verti potest :* per quatuor *ligni aut nervi* foramina hunc extendite. *Omnibus porro consideratis, quæ varii scriptores maxima cum varietate de nervo protulerunt, rem ita concipio. Instrumentum erat ligneum, quod aliquando a materia* lignum, *sed frequentius* nervus *vocabatur, quia captivi eo constringebantur, sicut nervis. Nervus poterat solos constringere pedes, quando duo tantum habebat foramina; poterat et manus, quando quatuor foramina habebat, poterat et collum, dum quinque erant foramina. Alii ergo in nervo erant, solis pedibus per duo foramina divaricatis. Alii vero et manus per alia duo foramina trajicere cogebantur, ut de* S. Trophimo *hic dicitur. Certe molesta admodum sanctis Martyribus erat ea corporis positio, præsertim cum vulneribus et doloribus essent pleni. Erat tamen magis etiam crudelis vinctura, qnando quintum accedebat foramen, per quod caput trajiciebatur, quoque collum continebatur.*

l *Vocem Græcam* τουνδήζατε *quæ infra recurrit, nullibi reperire potui, ita ut, suspicio mihi inciderit, vocem esse Latinam* tundo, *ex quo formatum fuerit* τουνδέω *aut* τουνδήζω. *Quidquid sit, ex adjunctis utroque loco satis liquet, præcepisse vicarium, ut alapa percuteretur Sanctus. Nam judices Romani alapa passim compescere volebant reos, quos nimis credebant in loquendo liberos. Metaphrastes Latine habet :* Judex autem libero Martyris responso arbitratus se esse extrema affectum contumelia, et impingit alapam *etc.*

m *Græce* κυεστονάριοι, *a voce Latina* quæstionarius, *quæ significat carnificem, torquentem eos, qui quæstioni sunt subjecti.*

n Non cedo tibi, *ait vicarius, quia Sanctus dixerat, se victoriam de eo relaturum.*

o Princeps, *vox Latina, ad Græcos etiam translata, significat eum, qui in re quapiam præcipuus est. Hic*

A *Hic autem designat principem officii, qui præerat reliquis officialibus, et agenda disponebat. In Notitia imperii, quando recensetur officium, sive ministri omnes præfecti prætorio, proconsulum, comitum aut ducum, qui provinciis præerant, vicariorum, consularium, præsidum, semper primo loco inter ministros recensetur* princeps.

p *Vox Græca* καπικλάριος, *et Latina* clavicularius, *significat unum ex carceris custodibus, eum nimirum, cui commissæ erant claves. Aliqui confundunt commentariensem et clavicularium, fortasse quia in minoribus civitatibus utrumque officium idem homo obibat; at distincta fuisse officia, hæc Acta clare insinuant.*

q *Vox Græca* ἀναφορὰ *apud jurisconsultos significat relationem causæ, quando reus ad alium judicem transmittitur, ut hic sit.*

r Εἰρήναρχος *Latine* Irenarcha, *erat magistratus inferioris ordinis, ad concordiam servandam constitutus. Nam tumultus debebant compescere irenarchæ, et deliquentes capere, et ad judicem perducere. Videri potest Pitiscus in Lexico antiquitatum Romanarum, ubi de irenarchis plura suggerit.*

f *De Synnadis, apud scriptores ecclesiasticos frequenter* Synadis, *jam locutus sum in Commentario num.* 14.

t *Sic habent Græca ad litteram est: Lucrare cessationem cruciatuum.*

CAPUT II

B *Dorymedon senator Trophimum invisit: Christum confessus, capitur, et graviter torquetur: Trophimus rursum cruciatur: Martyres feris objecti, his parcentibus, capite minuuntur.* E

Ἅμα δὲ τὸ ἀπενεχθῆναι τὸν μακάριον Τρόφιμον ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, Δορυμέδων τις, πρῶτος τοῦ βουλευτηρίου, ἀνὴρ εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν εἰσελθὼν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἀνέψυχεν τὸν μακάριον Τρόφιμον ἐκ τῶν βασάνων, παραγγείλας αὐτῷ ποιεῖσθαι πᾶσαν τὴν ἐπιμέλειαν, ὥστε ἀγάλλεσθαι τὸν μακάριον Τρόφιμον ἐπὶ τῇ ἐπιμελείᾳ Δορυμέδοντος· ἡμερῶν δέ τινων διελθουσῶν, ἐγένετο γενέθλια ἐπιτελεῖσθαι ἐν τῇ Συναδέων πόλει τῶν Διοσκούρων· καὶ ἀπέστειλεν ὁ ἡγεμὼν ἐπὶ τὸ βουλευτήριον κούρσωρα, λέγων· δεῦτε κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως, συνθύσατε ἡμῖν. καὶ ἀπῆλθον σὺν αὐτῷ πάντες εἰς τὸ πραιτώριον τοῦ ἡγεμόνος. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν, εἶπεν· ποῦ ἐστιν Δορυμέδων, ὁ πρῶτος τοῦ βουλευτηρίου; οἱ δὲ ἔφησαν, μὴ ἑωρακέναι αὐτὸν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. ὁ δὲ ἡγεμὼν ἀπέστειλε κούρσωρα, λέγων· εἰπὲ Δορυμέδοντι τῷ πολιτευομένῳ· ἐλθὼν σύνθυσον ἡμῖν κατὰ τὸ πρόσταγμα τῶν αὐτοκρατόρων· ὁ δὲ κούρσωρ, εὑ-
C ρὼν τὸν Δορυμέδοντα, ἀνήγγειλεν αὐτῷ τὰ ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος λεχθέντα· ὁ δὲ Δορυμέδων εἶπεν· ἀπελθὼν εἰπὲ τῷ ἡγεμόνι· τάδε λέγει Δορυμέδων· ἐγὼ χριστιανός εἰμι, βουλευτὴς τῆς πόλεως τοῦ Χριστοῦ, πᾶσα ἀξία καὶ εὐγένεια τυγχάνει· οὐ δύναμαι οὖν καταλεῖψαι τὸν ἄρχοντα τῆς βουλῆς, καὶ ἀνθρώπων προστάγμασιν ὑπακούειν· οὔτε γὰρ δίκαιόν ἐστι, οὔτε ὅσιον, καταλεῖψαι ζῶντα Θεὸν, καὶ δαιμονίοις νεκροῖς προσκυνεῖν. ὁ δὲ κούρσωρ ἀπελθὼν, ἐδήλωσεν πάντα ταῦτα τῷ ἡγεμόνι. Θυμωθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν, ἔπεμψεν ἐπὶ αὐτὸν σιγγουλαρίους, παραγγείλας αὐτοῖς ἐν τάχει αὐτὸν ἆξαι πρὸς αὐτόν.

11 Ὡς δὲ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς αὐτὸν, εἶπεν αὐτῷ ὁ ἡγεμὼν· ποίας ἕνεκεν προφάσεως, δεύτερον ἀποστείλαντός μου πρὸς σὲ, οὐκ ἤρχου; Δορυμέδων εἶπεν· ἐπειδὴ ἐπὶ πρόσταγμα ἀσεβείας ἐκάλεις με, διὰ τοῦτο οὐκ ἠρχόμην. Διονύσιος εἶπεν· ἀσέβειά ἐστιν, ἐάν τις προσκυνῇ τοῖς θεοῖς; Δορυμέδων εἶπεν· οὐ μόνον ἀσέβεια καὶ ἁμαρτία, ἀλλὰ καὶ θάνατος αἰώνιος τὸ ἐγκαταλεῖψαι Θεὸν ζῶντα, καὶ κτίσμασιν ἀνθρώπων προσκυνεῖν, καθὼς γέγραπται· ὅτι πάντα τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἀργύριον καὶ χρυσίον, ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων· στόμα ἔχουσιν, καὶ οὐ λαλήσουσιν· ὀφθαλμοὺς ἔχουσι, καὶ οὐκ ὄψονται· ὦτα ἔχουσι, καὶ οὐκ

Quo tempore B. Trophimus abducebatur ad carcerem. Dorymedon primarius senator, vir pius et timens Deum, ingrediens in carcerem, recreabat beatum Trophimum ex cruciatibus, promittens, se omnem de eo curam habiturum, ut exsultaret beatus Trophimus ob sollicitudinem Dorymedontis. Elapsis vero aliquot diebus, celebrata sunt in urbe Synnadorum natalitia Castoris et Pollucis *a*, misitque a
præses cursorem ad senatum, dicens: Venite secundum mandatum imperatoris, et mecum sacrificate. Abierunt cum illo omnes ad prætorium præsidis. Præses vero dixit: Ubi est Dorymedon, primus in senatu? Illi responderunt, quod ipsum eo die non vidissent. At Præses misit cursorem, dicens: Dic Dorymedonti reipublicæ administro, ut veniat nobiscum sacrificaturus secundum præceptum monarcharum. Cursor invento Dorymedonti nuntiavit dicta præsidis. Dorymedon vero reposuit: Abi, et dic præsidi: Hæc dicit Dorymedon: Ego Christianus sum, F
senator civitatis Christi, quæ omni ornata est dignitate et nobilitate. Nequeo igitur relinquere istum senatus præsidem, et hominum mandatis obedire, Nam neque justum est neque sanctum, relinquere Deum viventem, et dæmonia mortua adorare. Abiit cursor, omniaque ista præsidi nuntiavit. Iratus præses, misit ad ipsum singularios *b*, præcipiens illis, b
ut eum velociter ad se perducerent.

S. Dorymedon Trophimum solatus, recusat adesse festo gentilium,

11 Ubi ipsum adduxerant, dixit ad eum præses: Cujus prætextus gratia, bis ad me vocatus, non venisti? Dorymedon dixit: Quia ad impium mandatum me vocasti: ideo non veni. Dionysius dixit: Impietasne est adorare deos? Dorymedon dixit: Non solum impietas et peccatum, sed etiam mors æterna est, relinquere Deum viventem, et opera hominum adorare, sicut scriptum est, quia omnia « simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum « hominum. Os habent, et non loquentur: oculos « habent, et non videbunt: aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt: manus habent,

eaque occasione Christianum se professus, blanditiis,

A. ANONYMO. « habent, et non palpabunt: pedes habent, et non « ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Si- « miles illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confi- « dunt in eis. » Dionysius præses dixit: Hodie maneat sub custodia c usque in diem crastinum, ut intelligam, quo prætextu importuno illa fecerit. Postquam illo die dæmoniis sacrificaverat præses; postridie sedit pro tribunali, advocatisque senatoribus dixit: Nunc ite, hortamini illum; maxime quia junior est. Illi vero abierunt, cœperuntque ad ipsum dicere: Quo furore dii te potarunt, ut faceres rem adeo absurdam? Adjuramus te per deos: dignitatem senatus injuria ne afficias; sed vadas æquo animo et sacrifices, ne et nos ludibrio simus aliis civitatibus. Dorymedon vero eis respondit, dicens: Discedite a me consiliarii tenebrarum, et ignis æterni hæredes. Si cognosceretis verum Deum, paterer vos ad bona hortantes. Per Christi coronam non patior vos; neque formidabo humanas contumelias, neque sacrificabo dæmoniis. Illi vero abeuntes, præsidi illa ipsa nuntiarunt.

B *minis, contumeliis, cruciatibus tentatus*

12 His auditis, præses dixit officio: Afferatur liber senatus Synnadorum. Eo allato, Dionysius præses dixit: Impius Dorymedon excidat dignitate senatoria: sic illi congruit: nam monarchæ eum honorarunt. Ipse vero superbe contempsit illos, qui dederunt nobilitatem. Quare per adjutorem commentariensem, ut plebeius, introducatur. Demetrius adjutor commentariensis dixit: Adstat Dorymedon, rogo te. Dionysius præses dixit: Indigne et impie, quid heri animo concepisti, ut pertinaciter nolueris obedire mandatis imperatoris? Dorymedon dixit: Pulchre me indignum vocas, cum tali dignitate sim indignus, quia dignitas mea in cælis est. Unde Christo indignus fio, si timeam minas tuas, et dæmoniis sacrificem. Dionysius præses dixit: Percutite ipsum, dicentes: Ne respondeas cum audacia et arrogantia. Dorymedon dixit: Audacia mea Christus est, propter eum cum libertate respondeo. Neque enim ego sum qui loquor; sed Spiritus sanctus est, qui loquitur in me. Dionysius præses dixit: Per Æsculapium, impie, nisi mihi morem gesseris, vehementer cruciatum feris projiciam, in exemplum hujus civitatis. Dorymedon dixit: Per Christum Regem seculorum, cruciando me nihil proficies, neques vinces me com- C minationibus tuis: Christus enim, cui servio, adjuvat me.

fortissime se gerit.

13 Dionysius præses dixit: Obeliscos igne candentes facite, et latera ejus comburite. Dorymedon dixit: Chiste Jesu, paratus esto ad horum insipientiam, et veni ad opem mihi ferendam, ut, me tolerante, hi omnes cognoscant, te solum esse Deum, et non alterum. Dionysius præses dixit: Suspendite eum in ligno, et inferte ipsi cruciatus, ut videamus, an veniat Christus ad eum adjuvandum. Dorymedon dixit: Et opem mihi præstitit et præstat usque ad finem, ut tibi ostendam, vanum te esse, et vanis servire. Dionysius præses dixit: Radite ejus latera, dicentes: Ne contumelia afficias eos, qui te honorarunt. Dorymedon dixit: Honor et dignitas mea Christus est, quem honoro et honorabo usque ad finem. Nam dignitas illa temporaria potius mihi nocebit, et nihil mihi proderit. Dionysius præses dixit: Radite ejus latera, dicentes: Ne cito obloquaris. Dorymedon dixit: Per Christum Dei Filium, quamdiu anima mea in me est, non tacebo unum verbum amentiæ tuæ oppositum. Dionysius præses dixit: Dimittite eum de ligno, et constituite supra carbones

ἀκούσουσι · ῥῖνας ἔχουσι, καὶ οὐκ ὀσφρανθήσονται · χεῖ- D ρας ἔχουσι, καὶ οὐ ψηλαφήσουσι · πόδας ἔχουσι, καὶ οὐ περιπατήσουσιν· οὐ φωνήσουσιν ἐν τῷ λάρυγγι αὐτῶν. ὅμοιοι αὐτῶν γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · τὴν σήμερον γενέσθω ὑπὸ φρουρὰν ἕως τῆς αὔριον, ἵνα γνῶ περὶ ποίας προφάσεως ἀκαίρου τὴν ἔνστασιν ταύτην ἐποιήσατο. ὡς δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔθυσεν ὁ ἡγεμὼν τοῖς δαιμονίοις, τῇ ἑξῆς ἐκαθέσθη πρὸ βήματος · καὶ καλέσας τὸ βουλευτήριον, εἶπεν αὐτοῖς · νῦν ἀπελθόντες, νουθετήσατε αὐτὸν, μάλιστα ὅτι καὶ νεώτερός ἐστιν. οἱ δὲ ἀπελθόντες, ἤρξαντο λέγειν αὐτῷ · ποίαν μανίαν οἱ θεοί σε ἐπότισαν, ἵνα τοῦτο τὸ ἀτόπημα διαπράξῃ; ὁρκίζομέν σε τοὺς θεοὺς, μὴ τελήσῃς ἐνυβρίσαι τὴν ἀξίαν τοῦ βουλευτηρίου · ἀλλ' εὐγνωμόνως ἄπελθε, καὶ θῦσον, ἵνα μὴ καὶ ἡμεῖς γέλως ἐσώμεθα ταῖς ἄλλαις πόλεσιν. ὁ δὲ Δορυμέδων ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, λέγων · ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ σύμβουλοι σκότους, καὶ πυρὸς αἰωνίου κληρονόμοι. εἰ γὰρ ἐγινώσκετε τὸν τῆς ἀληθείας Θεὸν, ἄρα ἠνεσχόμην ὑμῶν συμβουλευόντων μοι ἐπὶ τὰ ἀγαθά. μὰ τὸν στέφανον τοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἀνάσχομαι ὑμῶν, οὐδὲ φοβηθήσομαι αἰκισμοὺς ἀνθρωπίνους, οὐδὲ θύσω δαιμονίοις. οἱ δὲ ἀπελθόντες, ἀπήγγειλαν ταῦτα τῷ ἡγεμόνι.

12 Ἀκούσας δὲ ὁ ἡγεμὼν ταῦτα, εἶπεν τῇ τάξει · E ἐξενεχθήτω τὸ βουλογράφιον Συναδέων · ὡς δὲ ἠνέχθη, Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · γενέσθω ὁ ἀνόσιος Δορυμέδων ἀπόβουλος · οὕτως γὰρ αὐτῷ πρέπει · τοῦτον γὰρ οἱ αὐτοκράτορες ἐτίμησαν · αὐτὸς δὲ ὑπερηφανεύσατο τοὺς δεδωκότας αὐτῷ τὴν εὐγένειαν · ὅθεν διὰ τοῦ βοηθοῦ τῶν κομέντων, ὡς δήμιος, εἰσαχθήτω. Δωμήτριος βοηθὸς κομέντων εἶπεν · ἕστηκεν Δορυμέδων, δέομαί σου · Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ἀνάξιε καὶ ἀνόσιε, τί ἐνθυμηθεὶς τῇ χθὲς ἡμέρᾳ, ἐνέστης μὴ τελήσας πειθαρχῆσαι τοῖς προστάγμασι τοῦ βασιλέως; Δορυμέδων εἶπεν · καλῶς με ἀνάξιον καλεῖς · τῆς γὰρ τοιαύτης ἀξίας ἀνάξιος τυγχάνω · ὅτι ἡ ἐμὴ ἀξία ἐν οὐρανοῖς ἐστιν. ὅθεν γένομαι ἀνάξιος τοῦ Χριστοῦ, ἐὰν φοβηθῶ τὰς ἀπειλάς σου καὶ δαιμονίοις προσκυνήσω. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · τουνδήσατε αὐτὸν, λέγοντες αὐτῷ · μὴ μετὰ θράσους καὶ ἀλαζονείας ἀποκρίνου. Δορυμέδων εἶπεν · τὸ ἐμὸν θράσος ὁ Χριστός ἐστιν, δι' ὃν καὶ παῤῥησιαζόμενος ἀποκρίνομαι · οὐ γὰρ ἐγώ εἰμι ὁ λαλῶν, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλοῦν ἐν ἐμοί. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · μὰ τὸν Ασκληπιὸν, ἀνόσιε, εἰ μή μοι πεισθῇς, βασανίσας σε εὐτόνως, θηρίοις παραβαλῶ εἰς ἐπίδειξιν ταύτης τῆς πόλεως. Δορυμέδων εἶπεν · μὰ τὸν Χριστὸν, τὸν βασιλέα τῶν αἰώνων, οὐδὲν ὠφελήσεις βασανίζων με, οὐδὲ νικήσεις με F διὰ τῶν ἀπειλῶν σου · ὁ γὰρ Χριστός μου, ᾧ λατρεύω, βοηθεῖ μοι.

13 Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · πυρώσαντες ὀβελίσκους, τὰς πλευρὰς αὐτοῦ καταφλέξατε. Δορυμέδων εἶπεν · Χριστὲ Ἰησοῦ, παρασκευάσθητι πρὸς τὴν τούτων ἀφροσύνην, καὶ ἐλθὲ εἰς τὸ βοηθῆσαι μοι, ἵνα, ἐμοῦ καρτερήσαντος, γνῶσι πάντες οὗτοι, ὅτι σὺ εἶ Θεὸς μόνος, καὶ οὐχ ἕτερος. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · κρεμάσατε αὐτὸν ἐπὶ τοῦ ξύλου, καὶ ἐπαγάγετε αὐτῷ βασάνους, ἵνα ἴδωμεν εἰ ἔρχεται ὁ Χριστὸς βοηθῆσαι αὐτῷ · Δορυμέδων εἶπεν · καὶ ἐβοήθησέν μοι, καὶ βοηθεῖ μοι ἕως τέλους, ἵνα σοι δείξω ὅτι μάταιος ὢν ματαίοις προσκυνεῖς. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ξέσατε αὐτὸν ἐπὶ τὰς πλευρὰς, λέγοντες αὐτῷ · μὴ ἀτίμαζε τούς σε τιμήσαντας. Δορυμέδων εἶπεν · ἡ ἐμὴ τιμὴ καὶ ἀξία ὁ Χριστός ἐστιν, ὃν καὶ τιμῶ καὶ τιμήσω ἕως τέλους. ἡ γὰρ ἀξία αὕτη ἡ πρόκαιρος μᾶλλον με βλάψει, καὶ οὐδέν με ὠφελήσει. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ξέσατε αὐτοῦ τὰς πλευρὰς, λέγοντες αὐτῷ · μὴ εὐθέως ἀντιτασσόμενος φθέγγου. Δορυμέδων εἶπεν · μὰ τὸν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἕως οὗ ἡ ψυχή μου ἐστὶν ἐν ἐμοί · οὐ μὴ σιοπήσω ἕνα λόγον πρὸς τὴν ἀφροσύνην σου ἀντιτασσόμενος. Διονύσιος ἡγεμὼν

A μὼν εἶπεν · κατενέγκαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ξύλου ἐπιστήσατε αὐτὸν ἐπὶ ἄνθρακας ζέοντας. Δορυμέδων εἶπεν · καὶ τῷ πρωῒ εἶπον, καὶ νῦν λέγω ὅτι οὐδὲν ὠφελήσεις βασανίζων με · δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ Χριστὸς δι' ἐμοῦ νικῆσαι τὴν μανίαν σου. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · τίλλετε αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸν πώγωνα, λεγοντες αὐτῷ . οἱ ἀτιμάζοντες τοὺς αὐτοκράτορας, οὕτω πάσχουσιν · Δορυμέδων εἶπεν · μὰ τὸν Χριστόν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν δυνάμενον ἀλλάξαι τὸν καιρὸν τοῦτον, ἐὰν καὶ χείρω μοι ποιήσεις τούτων, οὐ μὴ ἀρνήσομαι τό ὄνομα αὐτοῦ, οὐδὲ μὴ ἐγκαταλείψω αὐτὸν, ἕως τοῦ θανάτου μου · Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ἀναληφθήτω ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ἵνα τῇ αὔριον ἡμέρᾳ θηριομαχήσῃ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντες οἱ τῆς θρησκείας ταύτης φοβηθῶσιν.

14 Παραστήτω δὲ ὁ ἕτερος, ὁ παραπεμφθεὶς παρὰ τοῦ βικαρίου. Δημήτριος βοηθὸς κομένταρ εἶπεν · ἕστηκεν Τρόφιμος, δέομαί σου · Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · πείσθητι, Τρόφιμε, καὶ θῦσον, εἴξας τοῖς προστάγμασι τῶν αὐτοκρατόρων. Τρόφιμος εἶπεν · ἐγὼ ἔπεισα ἐμαυτὸν ἵνα ὥσπερ χριστιανὸς ἐγεννήθην, οὕτω καὶ ἀπαλλάξω τοῦ ματαίου βίου τούτου. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · εἰδὼς ἔσω, ὅτι, ἐὰν μὴ θύσῃς, θηρίοις σε κατάβρωμα παραδώσω μετὰ τοῦ ὁμοίου σου Δορυμέδοντος.
B Τρόφιμος εἶπεν · οὐ μόνον θηρίοις, ἀλλὰ καὶ πυρὶ ἐὰν παραδώσῃς ἡμᾶς, οὐ μὴ ἀρνησώμεθα τὸν Θεὸν, οὐδὲ μὴ καταισχύνωμεν τὴν χάριν τῶν χριστιανῶν · τίς γὰρ ἡμῶν ὠφέλεια ἔσται, ἐὰν φοβηθέντες ἀνασχόμεθά σου; κ' ἂν ὀλίγον γὰρ ἐπιβιώσωμεν χρόνον, καὶ τοῦτο γέλως ἐσώμεθα, καὶ μετέπειτα τῇ γεέννῃ τοῦ πυρὸς παραπεμφθείημεν. μὰ τὸν σταυρὸν τοῦ Χριστοῦ · οὐ μὴ φοβηθῶ, οὐδὲ μὴ θύσω δαιμονίοις. οὐδὲ ἐγκαταλείψω ζῶντα Θεόν. Διονύσιος ἡγεμὼν χολέσας εἶπεν · κρεμάσατε αὐτὸν. ὡς δὲ ἐκρεμάσθη, εἶπεν πάλιν ὁ ἡγεμὼν · ποίας ἕνεκεν αἰτίας ἢ προφάσεως, ἀνόσιε, οὐ θέλεις θῦσαι τοῖς θεοῖς; ἢ οἱ θεοὶ ἡμῶν ἥττονες τοῦ Θεοῦ σου εἰσίν; οὐκ ὁρᾷς οἵας ἐνεργείας ποιοῦσιν, καὶ προγνώσεις οἵας λέγουσιν; Τρόφιμος εἶπεν · μὴ πλανῶ, ἀφρονέστατε · ταῦτα γὰρ πάντα μῦθοι εἰσὶ, καὶ ἀνθρώπων κατασκευάσματα · οὐδεὶς γάρ ἐστι προγνώστης, εἰ μὴ ὁ τῆς ἀληθείας Θεὸς, καθὼς γέγραπται ἡμῖν · οὗτοι δὲ οἱ θεοί σου ἔσωθεν μέν εἰσι πηλὸς, ἔξωθεν δὲ χαλκοὺς · καὶ οὐ βεβιώκασιν οὐδέποτε. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · δεῖξον ἡμῖν τὰς γραφὰς ὑμῶν, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἀναγνῶμεν, καὶ γνῶμεν, τίς ὁ Θεὸς ὑμῶν, καὶ ποῖα
* αὐτοῦ δύναμις αὐτῶν * ἐστιν. Τρόφιμος εἶπεν · ἄνοιξον τὴν καρδίαν, καὶ εὑρήσεις τὰ λόγια τοῦ Κυρίου μου. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ξέσατε τὰ πέλματα αὐτοῦ, λέγοντες αὐτῷ · καθὼς οἱ βασιλεῖς προσέταξαν, οὕτως ποι-
C εῖτε καὶ μὴ περισσαφρονεῖτε. Τρόφιμος εἶπεν · ὑμεῖς περισσαφρονεῖτε · οἱ γὰρ τὸν Θεὸν τὸν ἐν ἀρχῇ ὄντα καταλιπόντες, καὶ τὰ ἔργα τὰ ἴδια προσκυνοῦντες, περισσαφρονεῖτε · εἰ γὰρ ὑμεῖς λαβόντες ξύλα καὶ λίθους γλύψαντες ἐποιήσατε ὁμοιώματα ἀνθρώπων καὶ προσκυνεῖτε αὐτοῖς, σποδὸς ἡ ἐπίνοια ὑμῶν, καὶ ξύλου σαθρότερος ὁ βίος ὑμῶν. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · κατενέγκατε ἀπὸ τοῦ ξύλου, καὶ ὀβελίσκοις πεπυρωμένοις ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ἐκκεντήσατε. Τρόφιμος εἶπεν · εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι κατηξίωσέν με ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς μου ἐκκεντηθῆναι. Διονύσιος ἡγεμὼν εἶπεν · ἀναληφθήτω ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ · καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τοῦ βήματος, ἀπῆλθεν ἐν τῷ πραιτωρίῳ, εἴπων τῷ πρίγκιπι · βούλομαι τῇ αὔριον ἡμέρᾳ κυνήγια θεωρῆσαι, καὶ τοὺς ἀνοσίους ἐκείνους δημοσίᾳ τιμωρήσασθαι.

15 Καὶ ἀναστὰς, ἀπῆλθεν ἐν τῇ ἀρίνᾳ, προστάξας καὶ τοὺς μάρτυρας τοῦ Θεοῦ ἀχθῆναι. καθίσαντος δὲ αὐτοῦ ἅμα τῷ ὄχλῳ, ἐκέλευσεν τούς ἁγίους ἀχθῆναι . εἰσαχθέντων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ σταδίῳ, ὑπογράφει ὁ ἡγεμὼν ὑπογραφὴν ἀθεότητος ἐπιφερομένην αὐτοῖς τὴν ἀπόφασιν · καὶ ἀπολύεται ἐπ' αὐτοὺς ἄρκτος δεινοτάτη, ἥτις ἐξελθοῦσα, δρομαῖα γενομένη, προσεκύνησε τοῖς ποσὶν τοῦ ἁγίου Δορυμέδοντος. ὁ δὲ

ignitos Dorymedon dixit: Et ante dixi, et nunc A
dico, nihil te lucraturum cruciando me: potest enim Christus per me vincere insipientiam tuam. Dionysius præses dixit: Vellite caput et barbam ipsius dicentes: Qui monarchas contumelia afficiunt, hæc patiuntur. Dorymedon dixit: Per Christum Dei Filium, qui potest mutare hoc tempus, si his etiam pejora mihi feceris, non negabo nomen ipsius, neque derelinquam ipsum usque ad mortem. Dionysius præses dixit: Recipiatur in carcere, ut cras cum bestiis pugnet, et per eum timeant omnes, qui illius sunt religionis.

14 Sistatur vero alter, qui transmissus est a vicario. Demetrius adjutor commentariensis dixit: Adest Trophimus, rogo te. Dionysius præses dixit: Obedi, Trophime, et sacrifica, cedens mandatis monarcharum. Trophimus dixit: Ego mihi persuasi, ut, quemadmodum Christianus factus sum, ita et discedam a vana hac vita. Dionysius præses dixit: Scito, te, nisi sacrificaveris, cibum dandum bestiis una cum Dorymedonte simili tui. Trophimus dixit: Non solum, si bestiis, sed igni quoque si tradideris nos, non negabimus Deum: neque confundemus gratiam E
Christianorum. Quæ enim nobis erit utilitas, si timentes revereamur te? Etsi modico adhuc viveremus tempore, et in hoc ludibrio essemus, ac deinde gehennæ ignis traderemur. Per crucem Christi non timebo: neque sacrificabo dæmoniis, neque derelinquam Deum viventem. Dionysius præses iratus dixit: Suspendite eum. Ubi vero pependit, rursum præses dixit: Cujus causæ aut prætextus gratia diis sacrificare detrectas, impie? an dii nostri Deo tuo sunt deteriores? Non nosti, quam efficacia operentur, quantaque prædicant? Trophimus dixit: Ne erres, amentissime. Omnia enim illa fabulæ sunt, et hominum inventa. Nam nullus futura novit, nisi verus Deus, sicut scriptum est nobis. Illi vero dii tui intus sunt lutum, foris æs, nec umquam vixerunt. Dionysius præses dixit: Ostende mihi Scripturas vestras, ut et nos illas legamus, et sciamus, quis sit Deus vester, et qualis potestas ipsius *d* sit. Trophimus d
dixit: Aperi cor tuum, et invenies oracula Domini mei. Dionysius præses dixit: Radite plantas ejus, dicentes ipsi: Quemadmodum imperatores præceperunt, sic facite nec sapite supervacanea. Trophimus dixit: Vos sapitis supervacanea: nam derelinquendo Deum ab initio existentem, et opera vestra F
adorando supervacanea sapitis. Cum enim vos, acceptis lignis sculptisque lapidibus, similitudines hominum efformetis, easque adoretis; cinis est cogitatio vestra, et ligno infirmius vitæ vestræ institutum. Dionysius præses dixit: Dimittite eum de ligno: et obeliscis ignis oculos ejus pungite. Trophimus dixit: Benedictus Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, quia hac me gratia dignatus est, ut pro nomine ipsius oculi mei expungerentur. Dionysius præses dixit: Recipiatur in carcere, surgensque a tribunali, abiit in prætorium, dicens principi: Volo die crastina venationes videre, et impios illos publice punire.

Trophimo rursum diu torto,

15 Surgens *e* autem abiit ad arenam, datis quoque mandatis de adducendis Dei Martyribus. Ubi consederat cum turma populi, jussit induci Sanctos. Hisce vero in stadium deductis, subscribit præses scriptum impium, continens ipsorum sententiam *f*. Mox solvitur contra ipsos ursa ferocissima, quæ egressa cucurrit, et advoluta est pedibus sancti Dorymedontis. Dorymedon vero apprehendens auriculas ursæ, traxit eam,

ambo Martyres feris objiciuntur, iisque parcentibus, decollantur.

e
f

A. ANONYMO. g eam, ut irata se vita solveret *g*. Ursa vero ut agnus innocens trahebatur, non resistens. At præses excandescens, jussit aliam solvi feram. Illi solverunt pardum, fœminam ferocissimam, quæ egressa, S. Trophimi vulnera linxit. Obstupescente omni populo ad facta, pardus femina ad caveam abiit, nullo Sanctis illato malo. Iratus vero præses, præfectumque bestiarum nervis bubalis cædens, jussit aliam emitti bestiam. Ille vero præsidis metu solvit sævum admodum leonem. Cum leo e cavea sua egredi nollet, evocator egressus est, vocavitque leonem, ut egrederetur contra sanctos Martyres. Egressus autem leo, sanctos quidem non attigit; gladiatorem vero arreptum occidit; moxque rediens, in caveam ingressus est. Præses vero, nesciens quid faceret, ira incensus diabolica, jussit duos ingredi carnifices, et capita sanctis Martyribus amputare. Et sic beati Martyres in Christo obdormiverunt, in sacra urbe Synnadorum, decimo quarto Kalendas Octobris, id est, mensis Septembris die decimo octavo, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria et imperium honorque et adoratio, una cum Patre principii experte, et vivificante spiritu, nunc et semper, et in
B sæcula sæculorum. Amen.

Δορυμέδων ἐπιλαβόμενος τῶν ὠτίων τῆς ἄρκτου, εἶλ- D
κεν αὐτὴν, ὅπως θυμωθεῖσα τοῦ ζῆν ἀπαλλάξῃ · ἡ δὲ ἄρκτος *h*, ὡς ἄρνιον ἄκακον, ἐσύρετο μὴ ἀντιτείνουσα. h
θυμωθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν, ἐκέλευσεν ἕτερον θηρίον ἀπολύεσθαι · οἱ δὲ ἀπέλυσαν ἐπ' αὐτοὺς πάρδον θηλείαν δεινοτάτην, ἥτις ἐξελθοῦσα, τοῦ ἁγίου Τροφίμου τοὺς μώλωπας περιέλιχεν. θαυμάζοντος δὲ τοῦ ὄχλου παντὸς ἐπὶ τοῖς γινομένοις, ἡ παρδοθηλεία ἀναστάσα, ἀπῆλθεν εἰς τὸν ζωγρὸν, μὴ ἀδικήσασα τοὺς ἁγίους. Θυμωθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν, καὶ τὸν ἐπιστάτην τῶν θηρίων βουνευρίσας, προσέταξεν ἕτερον θηρίον ἀπολύεσθαι. ὁ δὲ διὰ τὸν φόβον τοῦ ἡγεμόνος ἀπέλυσεν λέοντα χαλεπὸν πάνυ. τοῦ δὲ λεόντος μὴ βουλομένου ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ζωγροῦ, προσφωνητὴς ἐξῆλθεν, καὶ προσεφώνει τὸν λεόντα ἐξελθεῖν ἐπὶ τοὺς ἁγίους μάρτυρας. ὁ δὲ λέων ἐξελθὼν, τῶν μὲν ἁγίων οὐχ ἥψατο, τὸν δὲ λουδάριον καταλαβὼν ἀνεῖλεν · καὶ εὐθέως ὑποστρέψας εἰς τὸν ζωγρὸν εἰσῆλθεν. ὁ δὲ ἡγεμὼν μὴ εἰδὼς ὁ πράξει, θυμῷ τοῦ σατανᾶ ληφθεὶς, ἐκέλευσε δυσὶ κυεστιοναρίοις κατελθεῖν, καὶ τὰς κεφαλὰς τῶν ἁγίων μαρτύρων ἀποτεμεῖν · καὶ οὕτως οἱ μακάριοι μάρτυρες ἐν Χριστῷ ἐκοιμήθησαν, ἐν τῇ ἱερᾷ Συναδέων πόλει, τῇ προδεκατεσσάρων καλανδῶν ὀκτωβρίων, τοῦτ' ἔστιν μηνὶ
σεπτεμβρίῳ ιη, βασιλεύοντος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ E
Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, τιμήτε καὶ ἡ προσκύνησις, ἅμα τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ καὶ τῷ ζωοποίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Græce* Διόσκουροι, *quasi* Jovis filii, *ut passim vocantur Castor et Pollux, quos imaginariis diis gentiles annumerarunt.*

b Singulares *aut* singularii *in notitia imperii Romani noti sunt. De eorum officio latius disputat Pitiscus in Lexico. Ex hoc loco satis liquet, singularios etiam fuisse adhibitos ad reos adducendos.*

c *Sub custodia quidem, non tamen in carcere. Dedit hoc dignitati senatoris, de quo ad voluntatem suam reducendo spem necdum abjecerat.*

d *Græce in apographo legitur* αὐτῶν eorum, *forte exscribentium errore, nisi præses ipse, solitus de diis loqui, lapsu linguæ sic dixerit.*

e *Nimirum præses sequenti die abiit ad arenam, sive ad amphitheatrum ad spectandum pugnam Sanctorum cum bestiis, aut potius, (cum Martyres feris non solerent repugnare) quomodo Sancti ab illis lacerarentur et occiderentur.*

f *Sententia sive condemnatio præmittitur, quia erat pœna mortis. At collector Actorum illam sententiam verisimiliter non habuit.*

g *Tale quid se facturum, scribebat S. Ignatius martyr in epistola ad Romanos, ut videri potest tom.* I *Februarii pag.* 26. *Ex eadem Epistola liquet, non raro contigisse, ut feræ sanctis martyribus parcerent.*

h *In exemplari nostro exscripto pro* ἄρκτος ursus, *ubique legitur* ἄρκος, *quod lapsa exscribentis*
C *factum existimo, et ut mendum satis clarum correxi.* F



A

AUCTORE J. S.

DE SS. MARTYRIBUS ÆGYPTIIS

PELEO ET NILO EPISCOPIS

PRESBYTERO FORSAN

ELIA DICTO, PATERMUTHIO ET ALIIS

IN PALÆSTINA

SYLLOGE

Ex Eusebio et Martyrologiis Latinis ac Græcis.

An cccx. Ex Martyribus Ægyptiis, in Palæstina laborantibus in metallis,

Martyres aliquot Ægyptios in Palæstina passos, qui magna cum varietate in Martyrologiis commemoratur, duobus locis recenset Eusebius in Historia ecclesiastica, prout ea edita est a Valesio. Primo lib. 8 *cap.* 13, *ubi agit* de præsidibus ecclesiarum, *qui variis locis pro fide passi sunt, ita habet :* Sed et quidam Ægypti sacerdotes *(id est* Episcopi, *ut habet vox Græca)* Peleus ac Nilus cum aliquot aliis illic *(in Palæstina)* flammis absumpti periere. *Tempus, quo laudati Martyres agonem suum compleverunt, et alia ad eos spectantia, exponit Eusebius in iis, quæ post librum* 8 *edita sunt de Martyribus Palæstinæ cap.* 13, *ita ordiens :* Septimus jam persecutionis annus ad exitum vergebat, et res nostræ, sensim sine sensu calumniantium molestia liberatæ, ad octavum usque annum processerant. Cumque in metallis æris apud Palæstinam maxima confessorum multitudo in unum congregata, incredibili libertate frueretur, adeo ut ecclesias etiam exstruerent; præses provinciæ, vir sævus atque improbus, ut ex iis, quæ adversus Martyres gessit, perspici facile potest, illuc delatus, audita illorum vivendi ratione, rem statim ad imperatorem retulit, quæcumque ipsi visum fuerat, calum-
C niose in eos scribens. Dehinc præpositus metallorum eo adveniens, velut ex imperiali præcepto confessores varias in turmas distribuit; et alios quidem apud Cyprum, alios in Libano jussit incolere : reliquos per varia Palæstinæ loca dispersos, diversorum operum molestiis vexari omnes mandavit.

quatuor selecti per ducem militiæ igni traduntur.

2 Quatuor deinde ex illis seligens, qui ceteris antecellere videbantur, ad ducem, qui militaribus copiis illic præerat, eos mittit. Horum duo erant Ægyptiorum episcopi, Peleus ac Nilus : tertius presbyter quidam : quartus fuit Patermuthius, vir ob prolixam erga omnes benevolentiam cunctis notissimus. A quibus cum dux ille postulavisset, ut religionem suam abnegarent; repulsam passus, flammis eos absumi præcepit. *Hactenus Eusebius, ad cujus verba observationes nonnullas adjungam. Primo octavus persecutionis annus, quo hi Martyres coronam adepti sunt, concurrit cum anno æræ Christianæ* 310. *Hoc igitur anno martyrium ipsorum figendum. Verum jam ante diuturnum sustinuerant martyrium, cum damnati essent ad metalla effodienda. Nam hi non modo multos labores et ærumnas perferebant; sed membris etiam quibusdam solebant mutilari, antequam eo relegarentur. Sexto persecutionis anno plurimi confessores ex Ægypto in Palæstinam ad metalla missi sunt, ut habet Eusebius cap.* 8, *atque illis omnibus sinister per nervorum excisione et adustione debilitatus est, et dexter oculus mucronibus confossus, et cauterio perustus, ut latius dixi in* E
S. Paphnutio episcopo Ægyptio, qui eamdem pœnam sustinuit, tom. III *Septembris pag.* 779. *Itaque verisimiliter biennio fere laudati Martyres in laboribus metallorum versati erant : nec dubitandum videtur, quin dictas quoque alterius pedis debilitationes et mutilationes oculi alterius sustinuerint, præsertim cum Eusebius, paulo inferius de aliis agens Ægyptiis, illas rursum commemoret, tamquam reliquis communes. Tertio presbyter ille, qui in editione Eusebii non nominatur, sed ita Græce exprimitur;* καὶ πρεσβύτερος ἄλλος, et alius presbyter, *forte* Elias *dictus fuerit. Certe illud* ἄλλος alius *ibi non satis congruam format dictionem, cum nullum ante nominasset auctor presbyterum, longeque perfectior esset phrasis, si legeretur* Ηλίας, *ut etiam observavit Tillemontius. Quidquid sit, in Græcis Martyrologiis* Eliam *hisce annumeratum videbimus.*

Multo plures cum illis in Hieronymianis Alexandriæ annuntiati,

2 *Quæ modo ex Eusebio dedimus, quatuor tantum insinuant Martyres simul passos, et igne tandem consumptos. Verum plures illis adjunguntur in quibusdam Martyrologiis tam latinis quam Græcis. Hoc autem factum existimo, quia multo* F
plures ex illis, qui ad metalla damnati fuerant, circa idem tempus martyrii palmam adepti sunt, licet non eodem plane loco, nec eodem forsan die. Nam longe plures occisos Eusebius ipse deinde testatur. Apographa Hieronymiana apud Florentinium ita habent : In Alexandria natalis sanctorum Dimetri. Palei. Nili. Parimadi. Heli. Castoris. Saturi. Niceti episcopi. *Ad eamdem classem videntur pertinere, qui ibidem post alios interpositos sequuntur hoc modo :* Et alibi natalis sanctorum Trogi episcopi, Pii diaconi. Quapilei. Nili. Paterni. Musicii cum aliis CLIII. *Annuntiantur* Alexandriæ, *non in Palæstina, verisimiliter quia omnes simul Alexandriæ colebantur, quod plerique essent Ægyptii. Numero Martyrum hic expresso Græcorum Fastos consentientes videbimus. Interim observandum, reliquos codices, quibus utitur Florentinius in Annotatis et pro lectionibus variantibus, quoad locum cultus, et numerum Martyrum satis consonare, licet nomina multorum varie torta et luxata sint, ut passim fit in codicibus Hieronymianis.*

4 *Quare hic solum observabo variationes nominum,*

AUCTORE J. S

sed nomina variorum luxata.

num, omissis nominibus, quæ ubique eodem modo sunt expressa. Pro Demetri, *in codice Corbeiensi Florentinius notat legi* Dunetri, *sed ex eodem codice Acherius edidit* Demetrii. *Pro* Palei, *ut etiam est in Corbeiensi apud Acherium, ex Epternacensi notavit legi* Pallei; *at legendum ex Eusebio* Pelei. *Pro* Nili, *in Corbeiensi legitur* Nilipaci, *in Blumiano* Nilipari, *juncto nimirum initio vocis sequentis cum* Nili *nomine. Pro* Parimadi *et* Heli *in Corbeiensi est unica vox* Madihelii, *in Blumiano* Madi *et* Heli, *Epternacensis habet* Parimadi *et* Heli. *Pro* Saturi, *in Corbeiensi* Saturini, *in Epternacensi* Saturni. *Pro* Niceti episcopi, *in solo Corbeiensi* Ceti episcopi, Casti, Julii, *qui duo ultimi in nullo alio leguntur. Deinde pro* Trogi episcopi *in Epternacensi* Georgii episcopi. *Pro* Quapilei, *in Corbeiensi* Capilei, *in Epternacensi,* Quapili. *Pro* Nili, *in Epternacensi,* Mili. *Pro* Musici cum aliis CLIII, *in Corbeiensi,* Musci cum aliis centum quinquaginta : *in Epternacensi,* Nurci, et aliorum CL. *In Blumiano,* Muscii cum aliis CL. *Ex hac collatione liquet, ultra centum et quinquaginta Martyres simul annuntiari, et ubique primo loco poni* De-
B metrum *vel* Demetrium, *qui similiter in Hieronymianis contractioribus occurrit cum aliquot Sociis. Verum, cum in brevioribus illis Fastis ubique tantum pauci ex toto numero recitentur, missa illa facio. Interim conjicio* Demetrium *fuisse unum ex Martyribus ad metalla damnatis, et cum multis aliis passum esse, quando ingens ille Confessorum numerus in varias turmas divisus est, ut num.* I *ex Eusebio diximus.*

In Fastis Græcis centum et quinquaginta fere Martyres memorantur,

5 *Pro numero Græci consentiunt cum Hieronymianis. Nam eorum Fasti habent, centum aut plures ex Ægypto, ex Palæstina vero quinquaginta passos esse. In Menologio Sirletiano memorantur ad* XVII *Septembris hoc modo.* Eodem die natalis sancti Petri *(alias* Pelei) et Nili, quid apud Palæstinam martyrium compleverunt. Commota siquidem adversus Christianos persecutione, ex Ægypto comprehensi sunt Petrus et Nilus episcopi, et duo celeberrimi Patremateus *(alias* Patermuthius) et Elias, et una cum illis centum Viri, ex Palæstina vero quinquaginta. Cumque illi centum persuaderi non possent, ut Christi fidem abnegarent, effossis oculis, et ad metalla traditi, ita beatum finem acceperunt. *Hæc minus accurate Latina sunt facta, quantum apparet, quia eadem leguntur in*
C *Menæis Græcis, ubi quatuor nomina, cum in elogio, tum in versiculis additis, sic exprimuntur :* Peleus, Nilus, Patermuthius *et* Elias. *Præterea additur in Menæis, sinistri pedis curvitates omnibus gladio concisas et igne adustas fuisse, prout ante dictum est de damnatis ad metalla. Attamen illud etiam Menæorum elogium imperfectum est, cum sileat de ultimo Sanctorum agone. In solis versiculis quatuor illi, qui nominantur, combusti dicuntur, uti et quinquaginta Martyres ex Palæstina. At centum Ægyptii dicuntur capite truncati, ut modo dubium fiat horum supplicium : nam in aliis rursum Fastis omnes asseruntur flammis traditi.*

qui omnes combusti asseruntur in Menologio Basiliano,

6 *Menologium Basilianum omnes eodem ignis supplicio sublatos tradit, et eorum memoriam ad* XIX *Septembris ita annuntiat :* Certamen Sanctorum centum et quinquaginta martyrum, Nili, Pelei, Heliæ et Sociorum ejus *(imo* ipsorum, *Græce* αὐτῶν.) *Subjungo elogium, prout in Urbinate editione redditum est Latine, corrigendum tamen, ubi erit necesse.* Horum Sanctorum Martyres quidem centum ex Ægypto erant, qui, cum Christiani essent Christumque libere prædicarent, [ideo] ab idololatris comprehensi, effosso dextro oculo, præcisisque sinistri pedis articulis et nervis, gladio mutilantur. Deinde in caminum injecti, vivendi finem faciunt. *Observa hic, lector, non ita hæc intelligenda esse, acsi omnia illa supplicia eodem tempore Martyribus essent illata. Nam dexteris oculis, et nervis sinistri cruris mulctati sunt, antequam mitterentur ad metalla; postea vero combusti sunt. Si Menologii collector aliud voluit, certo erravit. At reliqua audiamus.* Quinquaginta autem alii, ex Palæstina orti, propter Christum eadem supplicia, ac Socii, a regionis præfecto passi, truduntur in carcerem : deinde cum ceteris reis ad metalla damnantur. Postremo ad tribunal ducis producti, cum modo hortationibus, modo minis ad negandum Christum, et sacrificandum idolis stimularentur, nec ad id faciendum induci possent, lata sententia, ut flammis traderentur, in succensam ingentem fornacem injecti, gaudentes Deumque glorificantes occubuerunt. *Clare hic auctor asserit, omnes flammis traditos esse; sed ita de Ægyptiis loquitur, acsi credidisset, non fuisse ad metalla missos. Itaque vel erravit, vel voluit idem dicere de omnibus : supplicia certe, damnatis ad metalla infligi tum solita, de Ægyptiis etiam commemoravit.* E

at non in Synaxario Sirmondi.

7 *Brevius elogium habetur in Synaxario Constantinopolitano, quod Sirmondus olim communicavit Majoribus nostris. Nam ad hunc quoque diem* XIX *hæc ibi leguntur :* Ἄθλησις τῶν ἁγίων Πελέως, Νείλου, Πατερμουθίου, Ηλία, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἑκατὸν πεντήκοντα. Certamen Sanctorum Pelei, Nili, Patermuthii, Eliæ, et Sociorum ipsius centum et quinquaginta. *Tum sequitur tale elogium :* Τούτων οἱ μὲν ἑκατὸν ἀπ' Αἰγύπτου ὁρμώμενοι, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ἀγάπην τοὺς δεξιοὺς ἐξορυχθέντες ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς τῶν ἀριστερῶν ποδῶν ἀγκύλας ξίφει διατμηθέντες, καὶ πυρὶ καταφλεγέντες, τῇ τῶν μετάλων κακοπαθείᾳ παρεδόθησαν. Οἱ δὲ πεντήκοντα ἐκ Παλαιστίνης, οἱ τὰ ὅμοια παθόντες, ἐπὶ τῆς χώρας Ζοώρας ἐν ταῖς ἐργασίαις τῶν μετάλων βληθέντες, καὶ ὕστερον προσαχθέντες τῷ δουκὶ, καὶ μὴ πεισθέντες, τῷ πυρὶ παραδοθέντες ἐτελειώθησαν. Ex hisce centum quidem, ex Ægypto oriundi, postquam pro Christi amore dexteri effossi erant oculi, et sinistrorum pedum curvitates gladio dissectæ igneque exustæ, duris metallorum laboribus fuerunt addicti. Quinquaginta vero ex Palæstina, similia passi, in loco Zooro metallorum operibus traditi, ac deinde ad ducem perducti, F cum nollent obedire, in ignem conjecti finem vitæ habuerunt. *Hic soli quinquaginta posteriores dicuntur combusti, finis vero centum Ægyptiorum tacetur.*

Versiculi Menæorum, centum capite minutos, reliquos combustos asserunt.

8 *Qua de causa subjungo etiam versiculos, qui de illis Martyribus leguntur ad* XVII *Septembris in Menæis impressis. Primo de centum Martyribus Ægyptiis hi ponuntur :*

Δεκὰς δεκαπλῆ μαρτύρων Αἰγυπτίων
Μιᾷ κεφαλὰς τέμνεται προθυμίᾳ.
Decem decades Martyrum Ægyptiorum
Una capitibus minuuntur alacritate.

Sequuntur in sanctos Peleum *et* Nilum *episcopos duo similiter versiculi; sed tam obscuri, aut mendose impressi, ut totos exponere nequeam, licet ex fine colligatur* in medium ignis *ingressos esse, de quo constat ex Eusebio. Tum subduntur alii duo in Martyres Palæstinos, quorum hic est titulus.* Εἰς τοὺς ἐν Παλαιστίνῃ μς' μάρτυρας, *id est,* in Martyres in Palæstina quadraginta sex. *Insinuant hæc verba, illos solum* quinquaginta *vocari, quia fere sunt quinquaginta. Verisimile est, Ægyptios pari modo dici* centum, *licet fortasse paulo plures aut pauciores fuerint.*

AUCTORE J. S.

A *fuerint. Versiculi porro de illis quadraginta et sex hi sunt :*

Θεοφρονοῦντες ἄνδρες ἐξ εὐβουλίας,
Πυρὸς καταφρονοῦσιν ἐξ εὐτολμίας.
Qui divina sapiunt Viri bono consilio,
Ignem contemnunt prudenti fiducia.

Tandem in SS. Patermuthium et Eliam :

Πατερμούθιος ἐμπεσὼν τῇ καμίνῳ,
Πρὸς ζῆλον ἴσον ὀτρύνει τὸν Ἠλίαν.
Patermuthius in rogum incidens,
Ad zelum æqualem hortatur Eliam.

Hactenus versiculi, qui reliquos igne absumptos insinuant ; at centum Ægyptios capite truncatos. Hoc certum videtur ex Eusebio, Peleum, Nilum, Pathermuthium, *et alium, qui hic* Elias *vocatur, duci militari traditos fuisse et combustos. Eidem duci alio die tradi potuerunt quadraginta et sex Palæstini, et similiter comburi ; sed de horum mortis genere tam certa auctoritate non constat, uti neque de supplicio centum Ægyptiorum.*

Apud martyrologos Latinos Peleus et Nilus bis memorati,

9 *Martyrologi Latini, exceptis Hieronymianis ante laudatis, tantum istorum Martyrum numerum non agnoscunt. Auctor Romani parvi, per Rosweydum editi, de his ad hunc diem solum dicit :* Et Pelei, et Nili. *Ado ex Rufino lib.* 8 *cap.* 14 *ita habet :* Eodem die in Palæstina, natalis sanctorum martyrum Pelei et Nili episcoporum, qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericis pro Christo igne consumpti sunt. *Verum hic martyrologus* Peleum ac Nilum *etiam commemoravit ad* XX *Februarii cum Tyrannione episcopo et sociis multis, ut ad illum diem apud nos observatum est in Tyrannione. Cum autem Tyrannionem apud Græcos nullibi nominatim expressum reperiam, poterit ille esse cum multis sociis inter anonymos hodie* Peleo *et aliis adjunctos. Usuardus, qui* Peleum *similiter et* Nilum *(pro quo* Linus *irrepsit) cum Tyrannione et pluribus ante commemoraverat, hic rursum habet :* Item in Palæstina, sanctorum martyrum Pelei et Nili episcoporum, qui tempore persecutionis cum plurimis clericis pro Chisto igne consumpti sunt. *Notherus ad* XX *Februarii ipsum Usuardi mendum, quo* Linum *habet pro* Nilo, *adoptavit, et hodie adjungit* Marcum, *nisi scriptum fuerit* martyrum, *ut mihi magis sit verisimile. Verba ipsius ita sunt impressa :* Eodem die in Palesna *(lege* Palæstina) natalis sancti Marci *(forte* SS. Mart.) Palei et Nili episcoporum, qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericis pro Christo igni consumpti sunt.

quibus ex Græcis Elias in Romano jungitur.

10 *Hosce scriptores præcipue secutus est Baronius in martyrologio Romano : sed* Eliam *addidit ex Græcis; ex quibus* Patermuthium *pari modo sumere potuisset. Verba ipsius hæc sunt :* In Palæstina sanctorum martyrum Pelei, Nili et Eliæ episcoporum Ægypti, qui tempore persecutionis Diocletiani cum plurimis clericis pro Christo igne consumpti sunt. *Jam dixi,* Eliam *ex Græcis desumptum; episcopatum tamen ipsi adscriptum non inveni apud antiquos. Ceterum Tillemontius tom.* 5 *Monum. pag.* 461 *observat, apud S. Epiphanium.* E *hær.* 68, *quæ est schisma Meletii, pag.* 718 *inter martyres et confessores nominari* Peleum, *tamquam ejusdem sententiæ cum Meletio de neganda lapsis venia. Verum non constat, an idem sit* Peleus, *quem nominat S. Epiphanius : nihilo magis constat, an priori opinioni ille usque ad schisma inhæserit. Imo satis certum videtur, aut alium fuisse* Peleum *hodiernum, aut memoratum ab Epiphanio non esse factum schismaticum, cum hodiernus Martyribus sit annumeratus.*

DE S. THEODORO EPISC. VERON.

IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

C. S.

De ejus cultu et tempore sedis.

C

Sanctus hic martyrologis pene ignotus

Ex *triginta et sex episcopis, quos vetusta celebrisque Italiæ civitas Verona, velut sanctos suæ sedis antistites variis diebus annuo cultu honorat, multi in Opere nostro dati jam fuere, et hodie unus denuo occurrit* S. Theodorus, *cujus uti sacra antiquaque veneratio certa et indubitata est, ita ordo et tempus sedis, gestaque plane incomperta sunt. Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum illum ad hunc diem sic annuntiat :* Verona S. Theodori episcopi. *In annotatis autem inter alia laudat Martyrologium Maurolyci; verum Theodorus ille, qui sine sedis nomine in eo legitur, haud dubie non est episcopus* D *Veronensis, sed Cantuariensis archiepiscopus, de quo hoc eodem die in Martyrologio Romano, aliisque frequens fit mentio, et in Opere nostro agitur. Idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad præcitatum diem ejusdem* S. Theodori *Veronensis elogium texuit ex monumentis, ut ait, ecclesiæ Veronensis et libello Augustini Valerii episcopi Veronensis de Sanctis illius ecclesiæ, quod subdo.*

F

antiquum cultum Veronæ habet.

2. Theodorus episcopus Veronæ decimus, S. Mauro in episcopatu suffectus est, vir eximia in Deum pietate, et omnibus episcopalibus virtutibus insignis. Vir acri judicio in rebus decernendis præditus, erga se adeuntes perhumanus, ac moribus optimis exornatus, et ecclesiastica eloquentia clarus, præ cæteris virtutibus sobrietatem maxime coluit ; ubi autem ecclesiæ suæ summa cum laude aliquandiu præfuisset, cessit e vita XIII Kal. Octobris, in æde S. Stephani sepultus, ex qua postea corpus ejus in cathedralem basilicam beatæ Virgini Deiparæ dicatam, et ab Urbano III Pont. Max. consecratam, unanimi totius cleri et populi consensu translatum est, et in marmoreo sarcophago reconditum. *Hæc ipse, ex quibus quæ tuto admitti possint, ex infra dicendis apparebit. Inter ceteros martyrologos nullum reperi, qui ipsum memoret, præter Castellanum, idque tantum in Tabula seu Indice Sanctorum, ubi notat,* Theodorum Veronensem *in Martyrologio suo omissum, ad diem* XIX *Septembris memorari. De antiquissimo*

AUCTORE C. S.

quissimo tamen ejusdem sancti Episcopi apud Veronenses suos cultu, ut supra dixi, dubitari non potest, idque modo ostendere aggredior.

Corpus ejus in vetustissima S. Stephani ecclesia

3 *Onuphrius Panvinius lib.* 4 *Antiquitatum Veronensium, cap.* 4 *agens de basilica S. Stephani, quam unam e vetustissimis Veronæ ecclesiis paulo extra portam in via Tridentina ædificatam, et cathedralem olim fuisse, ex traditione observat, marmoream quamdam tabulam ejusdem affixam muro laudat, in qua inter sacras ejusdem ecclesiæ reliquias corpus* S. Theodori *nostri recensetur. Juverit hanc venerabilis antiquitatis tabellam iisdem verbis, quibus eam Panvinius exhibuit, hic attexuisse.*

IN. HAC. ECCLESIA. SANCTORUM
CONFESSORUM. HUJUS. CIVITATIS
CORPORA. EPISCOPORUM. REQUIESCUNT
SCILICET. SIMPLICII. PETRONII, INNO
CENTII. FELICIS. SALVINI. THEODORI
SENATORIS. PROBI. ANDRONICI
MAURI. ET. ETIAM. MAMMAE. CON
FESSORIS. ATQUE. VIRGINIS. CHRIS
TI. VENERABILIS. PLACIDIAE. ET.
B RELIQUIAE. DE LIGNO. CRUCIS
DOMINI. DE CAPILLIS. VIRGINIS
MARIAE. ET. S. STEPHANI. PRO
TOMARTYRIS. ATQUE. ALIORUM
QUADRAGINTA. MARTYRUM. ET
CAETERARUM. INNUMERABILIUM
SANCTARUM

diu depositum, ab aliquot seculis ad cathedralem

4 *Illustrissimus ac eruditissimus vir Scipio Maffejus in Verona illustrata parte* I, *lib.* XI, *col.* 342 *de eadem tabula cum laude meminit, eamque cum nullam temporis notam adscriptam habeat, ex omnibus indiciis seculi undecimi aut duodecimi esse credi posse existimat, sic tamen, ut negare nolit, eamdem non paulo vetustiorem esse posse. Raphaël Bagata et Joannes Baptista Perettus in Antiquis monumentis sanctorum episcoporum Veronensium, eorumdemque Vitis ab Augustino Valerio, ejusdem sedis episcopo ac postea Cardinali, contextis, scribunt, sacrum illud corpus ibidem in crypta multis annis cum insigni monumento et altari in eadem confessione in ejus honorem erecto jacuisse, laudantque antiquum ecclesiæ cathedralis Lectionarium in ejus Vita. Ex hisce ergo habemus,* S. Theodori *Veronensis episcopi corpus inter sacras ecclesiæ S. Stephani reliquias habitum fuisse. Idem* C *corpus deinde ad ecclesiam, quæ jam a multis seculis cathedralis est, et sanctissimæ Dei Matri in cælos assumptæ dedicata, translatum fuit, ubi hodiedum religiose honoratur. Laudatus illustrissimus Maffeius col.* 343 *inter vetusta Mss. ejusdem cathedralis ecclesiæ, quæ inter annum* 900 *et* 1200 *exarata fuisse conjectat, unum admodum notabilem esse ait Ordinem Veronensem,* Carpso *dictum, et a Stephano presbytero et cantore compilatum. In hoc autem observat, non modo depositionem* S. Theodori, *verum etiam translationem annotatam, cujus Sancti corpus certe jam a principio anni* 1100 *in laudata S. Mariæ nunc cathedrali ecclesia, ac probabiliter etiam non paulo ante jacuisse asseverat.*

translatum fuit,

5 *Argumentum, quo nititur, non allegat; nisi forte id ex memorati codicis, sive Ordinis Veronensis vetustate evinci, voluerit indicare. Porro cum in supra recensita S. Stephani ecclesia idem corpus ibidem requiescere dicatur, consequenter inde merito confirmat ejusdem tabulæ antiquitatem; quæ certe non ad seculum duodecimum, sed ad summum ad undecimi finem referri potest, si sacrum illud pignus jam inde ab assignato tempore in cathedrali ecclesia requieverit. Augustinus* D *tamen Valerius, vel quorum collectione ille usus est, Raphaël Bagata et Perettus in Antiquis monumentis Sanctorum Veronensium, quique illos secutus fuit Ferrarius supra relatus, sic dubie loquuntur, quasi eadem translatio non nisi post dedicatam ab Urbano III Papa sæpe dictam cathedralem ecclesiam, adeoque non ante seculum* XII *jam decrepitum, peracta fuisset. Sed quidquid hac in parte ipsi senserint, malo eruditissimo Maffeio, antiquitatis sedulo scrutatori, tam affirmate asserenti, credere.*

et in profana urna depositum; unde orto dubio,

6 *Illud vero animadversione dignum est, quod venerabile sancti Episcopi corpus in marmorea profani cujusdam, ac verisimilius gentilis hominis Julii Apollonii, vel ejusdem conjugis Attiæ Valeriæ sepulcrali urna depositum, multorumque annorum spatio sine ulla exteriori inscriptione, quæ sanctum illum thesaurum indicaret, servatum fuerit, uti omnes, qui de eo egerunt, testantur. Profanam hanc inscriptionem ex Raphaële Bagata exhibet Ughellus tom.* 5 *Italiæ sacræ recusæ col.* 693 *hoc modo :*

P. Julius Apollonius sibi et Actiæ Valeriæ
Conjugi Obsequentissime vivus paravit, E
Ejusque corpus in arca condidit, et locum
Servio dedicavit.

Eamdem recitat laudatus Augustinus Valerius; sed pro Actiæ, *habet* Attiæ obsequentissimæ *pro* obsequentissime, *et pro* ejusque corpus *reponit mendose, ut apparet*, et ejusque dei corp. *etc. Verum quidquid sit de hac scriptionis differentia, quæ ad propositum nil facit, manifestum est, ex hujusmodi inscriptione suspicionem oriri debuisse de profani ac gentilis hominis corpore potius, quam de sancti Episcopi venerandis reliquiis in arca asservatis.*

hac aperta seculo XIII, *corpus cum inscriptione repertum est,*

7 *Licet enim antiquioribus Christianis inusitatum non fuerit, gentilium urnas ad fidelium etiam sanctorum martyrum corpora recondenda adhibere, cum tamen incisa marmori inscriptio nil nisi ethnicum aut profanum sonaret, merito sane prudentioribus religio injecta est atque consilium de eadem inspicienda. Factum hoc Onuphrius, Bagata vel Augustinus Valerius, aliique ad episcopatum Jacobi reponunt, quem laudatus Ughellus col.* 838 *Jacobum de Bragantia appellat. Panvinius idem illud ad annum* 1226 *retulit : at alii Veronenses scriptores uno anno citius collocarunt, teste Maffeio superius laudato. Aperta arca, in-* F *spectaque, omnis justi dubii ratio cessavit: inventa enim in ea fuit una cum sacro corpore plumbea lamina, quæ istud* S. Theodori *esse docebat, et, si Bagatæ vel Valerio credimus, etiam manifesta episcopalia insignia. Inscriptio laminæ plumbeæ incisa hæc erat:* Hoc est corpus S. Theodori episcopi. *Eruditissimus Maffeius col.* 344 *præterea docet, hujus rei gestæ memoriam saxo incisam fuisse, cujus fragmentum, longi temporis edacitate corrosum, in obscuri loci pariete casu quodam sub oculos cecidit. Fragmentum istud ibidem col.* 368, *instrumento* 68 *sic recenset :*

DIE VINT. MADIO
APTA FUIT ARCA SCI
DEODORI EPI - - - -
- - - - - - - - - - -

et seculo XV *versus arcæ incisi : altare ipsi erectum :*

8 *Post hæc* S. Theodori *corpus in eadem arca usque ad annum* 1489 *ita permansit, quando, teste Bagata, Peretto, vel Valerio, ne simile dubium deinde oriretur, eadem arca denuo inspecta est, et in ipso ejusdem operculo sequentes versus incisi fuerunt :*

Theodori corpus Verone præsulis almi

Hoc

A Hoc jacet in tumulo, conscendit spiritus astra.
Sic est, ut clerus vidit, populusque fidelis,
Mille quadringentis novem et octoginta sub annis.

De loco, quem in prædicta S. Mariæ Virginis cathedrali ecclesia, cultuque, quem ibidem antiquitus obtinuit, apud sæpe laudatum Augustinum Valerium hæc legere est : Corpus S. Theodori ex ecclesia S. Stephani translatum, positum fuit in monumento marmoreo in Australi parte ipsius ecclesiæ *(S. Mariæ scilicet)* et ante monumentum altare decenter statutum in ipsius honorem, ut ex prædicto Lectionario, *nempe* antiquo ecclesiæ cathedralis, *ut præmiserat, habetur. Nescio, an istud altare sit, de quo Maffeius col. 344 in quodam libro liturgico legi asserit :* Consecratum fuit altare beati Theodori, *additque annum* 1264.

deinde ad sacellum et altare B. Mariæ translatum est.

9 *Seculo decimo sexto idem sacrum corpus in sacellum B. Mariæ Virginis, quod in eadem ecclesia est, denuo translatum fuit, qua de re apud Valerium ita legitur :* Sed postea nostris temporibus sub Joanne Matthæo Giberto, episcopo Veronensi, inde translatum fuit cum eodem monumento marmoreo in altare capellæ S. Mariæ Vir-
B ginis in eadem ecclesia cathedrali, erecta effigie S. Theodori in palla ejusdem altaris S. Mariæ, et in eadem ecclesia est titulus S. Theodori. *Hic Joannes Matthæus Gibertus ad Veronensem episcopatum evectus fuit anno* 1524, *ejusque possessionem adiit anno* 1527, *ac eumdem denique anno* 1543 *moriens reliquit, teste Ughello in Italia sacra tom* 5, *col.* 958 *et sequentibus; intra quos annos postrema hæc translatio consequenter debuit contigisse. Jacet ibidem hodieque sub ejusdem sanctissimæ Deiparæ Virginis ara, ut habet laudatus marchio Maffeius loco supra citato.*

Reliquiæ ejus alibi, alia cultus indicia.

10 *De ejusdem sacris reliquiis alibi asservatis, laudatus Valerius vel Bagata aut Perettus, hæc denuo ait :* In consecratione altaris S. Jacobi ecclesiæ sanctorum Apostolorum repositæ fuerunt etiam reliquiæ S. Theodori episcopi Veronensis. In ecclesia, seu monasterio S. Sylvestri, et in ecclesia S. Michaelis ad Portas, inter reliquias, quæ ibi asservantur, sunt etiam reliquiæ sancti hujus Episcopi. *Ex eodem denique discimus, seculo decimo quinto Veronæ jam fuisse pium quoddam sodalitium, sub ejus etiam invocatione erectum, et a Callisto III Papa sacris indulgentiis ditatum, ac*
C *ejusdem denique festum hoc ipso die* XIX *Septembris ibidem celebrari soluisse. Sic enim habet :* Calixtus Papa III concessit indulgentiam societati S. Mariæ Novellæ, S. Theodori, et S. Sebastiani, sitæ in ecclesia cathedrali Veronæ, ut in Bulla apud monasterium S. Mariæ in Organis, die 2 Januarii MCDLVIII, ubi dicitur : Die XIX Septembris, in festo S. Theodori etc. *Hisce antiquior est quidam Ordo Romanus, quem Maffeius ibidem sub imperatoribus Ludovico et Lothario scriptum esse ait, et in bibliotheca capitulari Veronæ asservari, atque in eo in certis Sanctorum invocationibus sub finem etiam S. Proculum, S. Zenonem, et* S. Theodorum *recenseri.*

Officium proprium sine lectionibus.

11 *Ad manum quoque mihi est* S. Theodori *Officium proprium Ms., quod eruditissimus simul ac humanissimus pater Josephus Blanchinus, Romani Oratorii in Vallicella presbyter, inter varia Mss. de Sanctis Veronensibus nobiscum communicavit. Officium hoc ipsius manu propria ex codice ecclesiæ Veronensis descriptum, Invitatorium, antiphonas omnes ac responsoria habet propria; Matutinum in tres Nocturnos partitum est; sed nullam lectionem propriam habet, sive quod in eo codice nulla pariter fuerit, sive quod eruditus vir eas potius omittendas esse censuerit. Porro cum omnes antiphonæ istæ nihil singulare de Sancto nostro doceant, eaque tantum contineant, quæ cuilibet sancto episcopo confessori possunt adaptari, neque ego operæ pretium duxi eas hic excudere. Ceterum existimo, annuam ejusdem memoriam per diœcesim Veronensem etiam ab omnibus utriusque sexus religiosis personis Officio ritus duplicis celebrari; cum hic inter eos sit, quos congregatio synodalis anno* 1503, *ac deinde Joannes Matthæus Gibertus episcopus sic honorari præcepit, uti apud laudatos Bagatam et Perettum videre est.*

auctore C. S.

Nullam Sancti Vitam habemus,

12 *Quod ad Sancti gesta attinet, ea antiquitatis tenebris involuta, penitus latent. Laudat quidem Panvinius lib.* I *Antiq. Veron., cap.* 22 *Gesta* S. Theodori, *ejusdemque Vitam ex antiquo Lectionario ecclesiæ cathedralis citant Bagata et Perettus apud Valerium; verum hanc suspicor eamdem esse cum illa, in qua de Jacobo de Bragantia, Veronensi episcopo, mentionem fieri ait Ughellus tom.* 5 *Italiæ sacræ auctæ col.* 838; *quæque propterea seculo decimo tertio antiquior esse nequit, nec in Sancti gestis enarrandis magnæ esse potest auctoritatis. Sed neque gesta illius in eadem con-* E
tineri, argumento est Augustini Valerii, qui Vitas sanctorum episcoporum Veronensium a Bagata et Peretto collectas contexuit, altum de iisdem silentium, quippe qui non alia habet, quam quæ Ferrarius supra num. 2 *ex ipso recensuit. Illustrissimus quoque Maffeius col.* 342, *quæ circumferuntur, eorumdem episcoporum Vitas velut fide indignas rejicere non dubitavit.*

et si qua exstet.

13 *Nihil pariter luce dignum ac in parte invenisse dicendus est supra laudatus Blanchinus, qui cum Veronensia de Sanctis suis monumenta diligenter scrutatus sit, de* S Theodoro *tamen præter Officium num. præced. memoratum nihil nobiscum communicavit. Quapropter si aliqua alia exstet ejus Sancti Vita, crediderim eam unam ex illis esse, de quibus Aloysius Lipomanus, Veronensis episcopus, tom.* 4 *Vitarum Sanctorum in Præfatione sic ait :* Licet ergo in hac sancta insignique ecclesia *(Veronensi,)* quod pene incredibile videtur, triginta trium episcoporum sanctorum celebris agatur memoria, et anniversaria festa cum solennibus Missis recolantur, nullius tamen eorum per certum aliquem virum Vita describitur, sed omnia incertis authoribus edita proferuntur. Quini- F
mo quæ de eis habentur Historiæ, tanta barbarie, tantaque rusticitate ac inconcinnitate plenæ sunt, ut eas legere nedum gravis pœnitentia sit, sed pudor vel maximus.

ea luce indigna videtur.

14 Sanctos meæ ecclesiæ non solum hæc civitas, sed pene totus mundus veneratur et suspicit; sed ego eorum Vitas, quales habentur, si in medium proferrem, non modo contra institutum meum agerem, verum etiam omnibus ridendum me exponerem. Qua autem id ratione factum sit, ut Sanctorum meorum Vitæ vel luculento, vel saltem ecclesiastico stylo scriptæ non fuerint, aut si fuerint, (quod fateri omnino non dubito) cur in manibus non habeantur, si quis me interroget, id vestustati, quæ omnia corrodit et consumit, seu etiam tot tantisque urbis istius cladibus adscribam, in qua non chartulæ solum manu scriptæ, sed et alta palatia, famosa theatra, templa pulcherrima, cæloque æquata ædificia, jam inde a Longobardorum temporibus, qui in ea multis annis rerum potiti sunt, ceciderunt et perierunt. Doleamus igitur sanctorum patrum nostrorum, qui ecclesiam hanc suis egregiis doctrinis et mirificis exemplis illustrarunt,

AUCTORE C. S.

runt, vitas minime reperiri descriptas. *Hæc Lipomanus, ex quibus omnibus hactenus allatis abunde liquet, laborandum mihi non esse pro* S. Theodori *Vita comparanda.*

Incompertum est seculum

15 *Obscurum, æque ac gesta, tempus ac ordo est, quo Sanctus Veronensem cathedram tenuit. Certe Panvinius lib.* 4 *Antiq. Veron., cap.* 7 *ipsum inter eos nominat, quos, quia ad certum tempus et successionis seriem referre non poterat, ordine alphabetico recenset. Maffeius vero jam sæpe laudatus col.* 341 *de episcopis Veronensibus sequentia habet sermone Italico :* In monumentis Veronensibus nec diptychum, nec catalogus occurit : quam ob rem variis *(episcoporum Veronensium)* nominibus ex monumentis variarum ecclesiarum collectis, eorumdem tempus, successio et gesta disposita fuere pro arbitrio ingenioque eorum, qui seculo decimo quinto et sequenti historiam nostram ecclesiasticam concinnare cœperunt. Deinde integra series in Italia sacra relata est; quam erronee, colligi potest conferendo episcopos, quos hactenus memoravimus. *Ex hisce porro monumentorum tenebris orta est ordinis, quo sederint, in variis tabulis, quas vidi, diversitas.*

B

et ordo, quo episcopatum Veronensem gessit,

16 *Nam in catalogo post Alexandrum Canobium a Joanne Baptista Peretto anno* 1588 *edito, in quo præter aliquot alios ordine alphabetico recensentur episcopi centum et septem, qui cum subjectis nominibus suis numeroque in aula synodali Veronæ depicti visuntur; in hoc, inquam, Catalogo* S. Theodorus, *velut unus ex illis centum ac septem, decimo loco memoratur, quo ipsum etiam Ferrarius supra num.* 2 *sedisse affirmavit. At vero in alio Catalogo per eosdem auctores confecto auctoque, et anno* 1602 *edito, idem* S. Theodorus *vigesimus sextus et inter annum* 531, *et* 585 *recensetur. Ughellus tom.* 5 *Italiæ sacræ auctæ, col.* 693 *eumdem in ordine decimum tertium, sed sine tempore statuit. Nicolaus Coletus, qui Ughellianum Opus auxit, decimum quintum fuisse ibidem in margine annotavit : sed horum omnium nullus rationes, quibus nititur, producit. Neque vero in tam spissis vetustatis tenebris produci posse existimo, meritoque ab erudito Maffeio supra dictum esse, catalogos illos ex compilatorum arbitrio, nempe cum monumenta deessent, concinnatos fuisse. Fatemur itaque, nos nec ordinem, nec tempus, quo* S. Theodorus *Veronensi episcopatu functus fuerit, posse assignare, cum ipsum seculum, quo floruerit, incompertum sit.*

C

D

sed post seculum IV sedisse videtur,

18 *Illum tamen seculo quarto posteriorem esse, nec inter octo primos ejus sedis episcopos numerandum, omnino verisimile facit auctor anonymus, qui tempore Pippini, Caroli Magni filii, Italiæ regis, rhythmicam Veronæ descriptionem composuit, quam Ratherius, seculo decimo ex Lobiensi monasterio episcopus Veronensis, ad monasterium suum rediens, Lobiam attulit, ex ejusque codice Mabillonius tom.* 1 *Veterum Analectorum excudit. Eamdem etiam exhibet Maffeius in supra laudata epistola sua ad Nicolaum Coletus, ubi affirmare non dubitat, nullum hoc de eadem re instrumentum vetustius sinceriusque a se repertum esse, additque, eidem plane consonare Joannem ecclesiæ Veronensis diaconum, qui plus quam ducentis annis, ut asserit, ceteros ejus argumenti scriptores præcessit. Hic anonymus octo primos Veronenses episcopos, ordinemque, quo sibi invicem proxime successerunt, diserte recensens, nullum inter eos* Theodorum *numerat, et octavum statuit Zenonem, qui non videtur alius fuisse, quam is, cujus S. Ambrosius meminit in epistola ad Syagrium ejusdem successorem. Ambrosii verba habes in Opere nostro tom.* 2 *Aprilis pag.* 69, *ubi de eodem actum est.*

nec inter octo primos episcopos numerandus.

19 *Seculo quinto et sequentibus usque ad Luitprandi regis tempora, sive usque ad octavum seculum, tam incerta est eorumdem episcoporum series, ut nescias, cui loco in tanto temporum et antistitum numero* Theodorus *rectius inseri possit. Maffeio in Verona illustrata col.* 342 *multum credibile apparet, auctorem tabulæ, quam num.* 3 *exhibuimus, in sanctis episcopis, qui in ecclesia S. Sebastiani quiescebant, recensendis, ordinem temporis observasse, quo ipsi, intermediis tamen aliis, episcopatum obtinuerint; sicut* S. Theodorus *post SS. Simplicium, Petronium, Innocentium, Felicem, Salvinum, et ante Senatorem, Probum, Andronicum et Maurum collocandus sit, licet inter hos ipsos etiam alii intercesserint. Confirmari id existimat ex eo, quod anonymus Pippinianus, de quo mox meminimus, Simplicianum, qui in eadem tabula primus occurrit, inter octo primos episcopos tertium collocaverit. Verum non habeo, unde eruditi viri opinionem confirmem, et eorumdem episcoporum ætas incerta est. Ceterum idem anonymus inter sanctos episcopos in memorata ecclesia depositos etiam Probum, Andronicum et Maurum, sed alio ordine recenset, sed de* Theodoro *et sex aliis silet.*

F

DE S. EUSTOCHIO EPISC. TURON.

J. C.

SYLLOGE

Anno Christi CCCCLXI. S. Gregorii Turonensis testimonium de S. Eustochio

P*ræter ea, quæ de* S. Eustochio *paucis complectitur S. Gregorius Turonensis, vix quidpiam nobis innotuit. Ejus meminit lib.* 2 *Hist. Francorum cap.* 1 *his verbis :* Cui *(Briccio)* post quadragesimum septimum episcopatus annum defuncto sanctus Eustochius successit, magnificæ sanctitatis vir. *Ejusdem libri cap.* 14 *annos episcopatus ejus ita determinat et successorem in Turonensem cathedram assignat :* Apud urbem vero Turonicam, defuncto Eustochio episcopo septimo decimo sacerdotii sui anno, quintus post beatum Martinum Perpetuus ordinatur. *Denique lib.* 10, *cap.* 31, *num.* 5 *breve hoc illius texit elogium :* Quintus Eustochius ordinatur episcopus, vir sanctus et timens Deum, ex genere senatorio. Hunc ferunt instituisse ecclesias per vicos, Brixis, Iciodorum, Luccas, Dolus. Ædificavit etiam ecclesiam infra muros civitatis, in qua reliquias sanctorum Gervasii et Protasii martyrum condidit, quæ sancto Martino de Italia sunt delatæ, sicut S. Paulinus in epistola sua meminit. Sedit autem annos septemdecim, et sepultus est in basilica, quam Briccius episcopus super sanctum Martinum struxerat. *Hæc paucis perpendemus , proposita prius* S. Eustochii *in sacris fastis memoria.*

et ejusdem

2 *Martyrologium Romanum ita Sanctum nostrum hoc die annuntiat :* Turonis S. Eustochii episcopi magnarum virtutum viri. *Consentiunt in Auctariis*

AUCTORE J. C.

A *Auctariis Usuardinis codices Antverpiensis, Antverpiensis Maximus, Ultrajectinus, Lovaniensis, Bruxellensis et alii plurimi, nisi quod corrupte, ut advertit Sollerius,* Eustachius *pro* Eustochio *scribant, quem errorem secutus est Grevenus, correxit Molanus. Miror in Martyrologio antiquo ecclesiæ Turonensis, quod edidit Martene tom.* 3. *Anecdotorum, nullam fieri de* S. Eustochio *urbis illius episcopo mentionem. Baronius Nota g Bedam citat, sed auctum: de Sancto enim silet noster et Dacherii metricus. Eadem de Sancto habet Florarium nostrum Sanctorum cum Molano. Breviarium ecclesiæ Turonensis impressum anno Christi* 1612 *Officium de* S. Eustochio *præscribit ritu semiduplici, Lectio* 4, *quæ sola est de Sancto propria, ea ipsa continet, quæ ex Gregorio recensui. Breviarium aliud ejusdem ecclesiæ annis post* 23 *editum eamdem Lectionem recitat, sed indicitur recitandum Officium ritu duplici et hanc præterea adjicit Orationem propriam :* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per hujus sancti confessoris tui atque pontificis Eustochii, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur
B adversis. Per Dominum *etc.*

annus obitus et aditi episcopatus :

3 *Annum emortualem* S. Eustochii *S. Gregorius Turonensis ita designavit libro* I *de miraculis S. Martini cap.* 6. Anno sexagesimo quarto post transitum gloriosi domini Martini beatus Perpetuus Turonicæ sedis cathedram sortitus est dignitatis. *Sancto nostro successit S. Perpetuus : igitur, cum nihil contrarium suadeat, eodem illo anno sancti* Eustochii *obitus illigandus est. Porro Henschenius noster tom.* I. *Aprilis ad diem* VIII *in Vita S. Perpetui annum hunc cum Christi anno* 461 *composuit ex epocha mortis S. Martini, quam ad Kalendas Februarii ante Vitam S. Sigiberti regis Austrasiorum* § VII *ostenderat contigisse anno Christi* 397 *: unde ad prædictum annum fluunt anni* 64, *quos Gregorius ponit medios. Henschenii epocham secuti sunt Cointius in Annalibus, Joannes Maan in Ecclesia Turonensi, Grandamicus, Bailletus hic, Historiæ Litterar. Franciæ scriptores tom.* 2 *pag.* 619 *aliique, reclamantibus Pagio, Gervasio præposito S. Martini Turonensis et aliis non paucis. Ego hactenus Henschenio cum laudatis scriptoribus adhæreo, statuoque* S. Eustochium *anno* 444 *Turonensem sedem adiisse atque ex illa in cælum migrasse anno* 461 ; *ab hac sententia recessurus, si aliorum rationes prævaluerint, quod ad Vitam S. Martini examinabitur.*

pauca in S. Greg. verbis observanda.

4 *Circa dicta S. Gregorii observandum est,* S. Eustochium *lib.* 2 *cap.* 14 *post S. Martinum quartum statui Turonensem episcopum, libro vero* 10 *cap.* 31 *in ordine quintum. At Gregorius secundo loco a Gratiano seriem orditur, non computatis Justiniano et Armentio, qui Turonis sederunt, expulso per injuriam S. Briccio,* S. Eustochii *præcessore; libro autem* 2 *ordinem ducit a Briccio, quarto Turonensium episcopo, inter quem et* S. Eustochium *locum dat duobus illis episcopis, quibus in ordinem receptis, recte statuitur Sanctus noster quartus a S. Martino; nec vitiosus videtur locus, ut putavit Henschenius in S. Perpetuo. Ceterum* E *pagos, ubi sanctus* Eustochius *ecclesias instituit, ita enumerat et designat Ruinartius in Notis :* Brixis *Valesio est* Brisag, *Iciodurum* Iseure *in finibus Turonum et Pictonum, Luccæ,* Loches, *locus celebris ad Andriam,* l'Indre. *Dolus denique locus haud procul ab eodem fluvio. Observat deinde ibidem epistolam S. Paulini, quæ hic, libro* I *de gloria Martyrum cap.* 47, *laudatur, periisse. Interfuit* S. Eustochius *concilio Andegavensi anno* 453 *celebrato. Sancti Episcopi corpus in ecclesia Turonensi S. Martini longo tempore honoratum, mense Majo anni* 1562 *a Calvinistis profanatum et direptum fuit, sicut docet Gervasius in Inventario, quod Vitæ S. Martini ex instrumentis authenticis subnectit.*

DE S. MILETO

EPISCOPO TREVIRENSI

IN BELGICA PRIMA

J. C.

C

ANNO CIRCITER CCCCLXX. *S. Mileti episcopi Trevirensis,*

Sancti Mileti *Trevirensis episcopi varie luxatum nomen hodie sacris Fastis inscriptum legitur. Hieronymiana apographa Florentinii, certatim* in civitate Triveris S. Militi episcopi *depositionem nuntiant. Labbeanus codex in Opere nostro excusus tom.* VI *Junii in Append. partis* 2 *ita habet :* Niceti, Castoris Militis, Trogi *etc. Augustanus ibid.:* Castoris Militis, Trecæ, *corupte ex* Trogi. *Interpunctione posita, legendum puto* Castoris, Militis : *quod nomen Sancti nostri ex* Militi *ab amanuensi corruptum sit. Certe inter Bedæ auctaria tom.* II *Martii præfixa codex Barberinianus eamdem pene inflexionem adhibet, dum his verbis sancti* Mileti *agit memoriam :* Treveris civitate depositio S. Miletis episcopi. *Deinde in Hieronymianis apographis* Militi *passim* Trogo *præponitur, nec fuit* Castor *miles. Sanctum hoc die habent etiam ex Usuardinis Auctariis plurima, et Florarium nostrum Ms. cum Galesinio, Canisio, Ghinio et aliis. Ejusdem etiam meminit Ferrarius in Catalogo, sed die tantum* XXV *Septembris, secutus Tabulas Trevirenses. De Tabulis illis quidquid sit, certum est hoc die Treviris coli sanctum* Miletum, *quo de illo inter Officia propria diœcesis præscribitur* IX *Lectio ex communi Conf. Pontif.*

cujus est frequens hodie in sacris fastis memoria

2 *Porro* Miletum, *præ* Melitum, Melitium, Militum, Meletium *et* Myletum *legendum duxi, tum quod inter illa Officia, tum etiam in vetustioribus catalogis ita scriptum Sancti nomen inveniatur. Ceterum nuda est ubique sancti* Mileti *annuntiatio, solus pro more Saussayus prolixius elogium illius contexuit, ex iis, opinor, magis, quæ conjectat accidisse, quam quæ facta invenit ; sunt enim sancti Viri gesta omnino obscura. Browerus Annal. Trevir. lib.* 5 *fol.* 306 *pauca hæc de illo scribit :* Miletus per id tempus *(cum Childericus Francorum rex varias Galliæ ditiones subjugaret)* Treviris naturæ concesserat, vita innocenter acta in Divorum fastis ad undevigesimum Septembris diem venerandus. *Quod si ita est, colligere licet, Sancti obitum contigisse Childerici temporibus non primis. Childericus aliis anno* 479, *aliis biennio post*

AUCTORE J. C.

post regnare et vivere desiit. Cum aliunde incertum sit, quo anno sanctus Præsul Trevirensem cathedram adierit, quo inde ad Superos excesserit, censui, ejus mortem circa Christi annum 470 *figi posse.*

gesta obscura sunt.

3 *Vixit itaque et Trevirensem rexit ecclesiam sanctus* Miletus *difficillimis luctuosissimisque temporibus, quibus urbs Trevirorum omnisque circum regio, non semel ferro flammaque vastata est a Francis, barbarica adhuc superstitione ferocibus. Credibile est, Sanctum Præsulem oblatam occasionem exercendæ Christianæ fortitudinis et charitatis avide arripuisse, et non sola vitæ innocentia, sed iis etiam virtutibus emicuisse, quas temporum calamitates in tanto Præsule requirebant. Ceterum* S. Miletus *a Wilhelmo Juliacensi et Petro Mersæo in Hist. Archiep. Trevir., quos secuti sunt Sammarthani, in Catalogo ponitur ordine* 42 *illius sedis archiepiscopus. Gesta Trevirorum excusa a Calmeto ad calcem tom.* I *Hist. Loth. col.* 12 Miletum *successorem assignant Volusiano; laudati Sammarthani, cum historia Trevirensi, quam Dacherius Spicilegii sui tom.* 12 *inseruit, medios illis interponunt Hildolphum et Severinum, quorum tum hic tum in aliis catalogis nuda fere sunt nomina.* D

DE S. JOANNE EPISCOPO MART.

SPOLETI IN UMBRIA

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B

Sancti mentio apud recentiores; Acta; corporis translationes; cultus.

E

Circa medium Sec. VI. *Memoria Sancti*

Loco *non uno occasione aliorum Sanctorum, quorum hactenus discussa fuerunt Acta, hujus sancti Episcopi martyris facta est mentio in Opere nostro, ex instituto autem tom.* I *mensis Julii pag.* 5 *inter Prætermissos; quia nimirum Ludovicus Jacobillus in Opere Italico de Sanctis et Beatis Umbriæ tom.* 2 *de eodem agit ipsis Kalendis dicti mensis, tamquam martyrii ipsius propriis. At quia tum ipse Jacobillus tum Ughellus in Episcopis Spoletanis tom.* I *col.* 1256 *Italiæ sacræ secundæ editionis asserunt recoli festum* S. Joannis *die* XIX *Septembris, ad hunc ipsum remittere tum visum fuit examen gestorum ejus. Præiverat etiam Ferrarius in utroque Sanctorum Catalogo (nam in Fastis sacris antiquioribus Sancti memoriam non reperi) eodem die Septembris ipsum annuntians in generali Sanctorum Catalogo his verbis :* Spoleti sancti Joannis episcopi et Martyris, sub Theodorico rege ; *id est, qui floruit sub Theodorico,*
C *ut infra ex ipsomet patebit: in annotatis vero, unde ejus notitiam nactus sit, indicat sequentibus:* Ex Tab. eccles. Spoletanæ, ubi Acta illius Ms. legimus, Vitamque in Catalogo nostro SS. Italiæ transscripsimus.

apud Ferrarium

2 *Ut Vitæ Sancti præviam aliquam ideam habeat lector, juverit eam ex laudato Ferrario etiam transtulisse; sic habet :* Joannes Spoletii loco minime obscuro natus, a puero in Christiana religione educatus, et sacris Litteris adolescens eruditus, totum se divino ministerio mancipavit, in clericorum numero adscriptus, et ab ecclesia non recedens. Factus archidiaconus, postea Meletio archiepiscopo ex humanis sublato successit, cui etiam in archidiaconatu successerat. In munere autem episcopali adeo præclare se gessit, ut non in Umbria tantum, sed etiam per totam fere Italiam fama sanctitatis illius pervagaretur ; erat pauperum pater, et oppressorum advocatus ; facultates suas alendis egenis, et ecclesiis reficiendis insumens. Floruit sub Theodorico rege, cujus gratiam consecutus, multa impetravit, et multis profuit. At sub Totila multa passus, populum tamen orationibus sublevavit. Visitaturus Apostolorum limina, vix iter aggressus, in milites incidit; qui illum lanceis confossum obtruncant. Corpus, cum milites recessissent, a clericis non sine lacrymis et ingentibus suspiriis apud urbem sepelitur, ubi, cum ad centum annos delituisset, exactis ex Italia Gothis a Narsete, cælesti inditio repertum est : nam cum cælum, quasi ignea columna, super locum noctu coruscare videretur, odores suaves exhalarentur, cantusque resonantes exaudirentur; Gondecara nobilis femina, monasterii S. Euphemiæ abbatissa, tot signis excitata, noctu comitata, pergit ad eum locum, sublatisque lapidibus, sacras reliquias latentes invenit, et in suam transtulit ecclesiam. Quod ubi civitati innotuit, tumulus sancti Martyris venerationi esse cœpit, multis super diversis morbis laborantibus miraculis subsecutis. *Hactenus Ferrarius* ex monum, et lectionib. eccles. Spoletinæ.

3 *Henschenius noster una cum Papebrochio Spoleti fuit sub annum* 1660, *ibidemque, sicut ipse indicat tom.* 3 *Martii pag.* 30, *deperditos intellexit tres libros permagnos et antiquos, qui solebant* F *exstare in archivo episcopali cathedralis ecclesiæ Spoletanæ, et Lectionarii seu Passionarii nomine appellari, quod ex iis lectiones ad Matutinum recitari solerent, exque frequentius continerent Passiones Martyrum. Equidem vix dubito, quin memorati libri eadem sint monumenta, quæ citat Ferrarius, ex quibus vitam* S. Joannis *a se transcriptam esse asserit, quæque dein deperdita sunt : neque enim video, quid cohibuisset Spoletanos, quominus hæc, antea Ferrario concessa, exhiberent Majoribus nostris. Hanc jacturam utcumque compensavit laudatus supra Jacobillus, qui iisdem Majoribus nostris Fulginii hospitantibus, cum jam tunc absolvisset tres tomos memorati Operis sui, copiam collectionis Ms. concessit ex iisdem libris extractæ sub hoc titulo :* Ex archivio episcopatus in cathedrali Spoleti in tribus libris permagnis antiquis, ex archivio per D. Bartholomeum Tiberium Spoletinum extracta.

ex Mss. Spoletinis:

4 *Ea collectione Ms., quæ plurimas Sanctorum Umbriæ Vitas continet, utcumque, inquam, jacturam compensavit Jacobillus ; non plene : nam ab imperito librario tam misere deturpata est, totque mendis*

Acta ejus a quo

A *mendis passim scatet, ut ægre sæpe, etiam conjectando, ad auctoris sensum valeas pertingere. Eas inter Vitas complectitur etiam Sancti nostri Passionem, corporis translationem et aliquot miracula, desumpta ex tomo primo pag.* 110 *dicti Lectionarii seu Passionarii; sed non omnia in iis leguntur, quæ legimus supra in Ferrario, quæque refert Jacobillus, quamquam hic dictum Lectionarium et ex eo Vitam Sancti citet in margine, uti ostendam, postquam pauca disseruero de auctoris nomine, statu ac ætate. Nomen ac statum suum prodit sub finem prologi ita Sanctum invocans* : Sancte Joannes martyr Christi pro Joannis monachi peccatoris intercede delictis. *Deinde se Casinensem monachum insinuat, talemque fuisse asserit Jacobillus, habitasseque in quodam monasterio prope civitatem Spoletinam.*

et quando conscripta : 5 *Haud multo difficilius est reperire ætatem; scripsit enim, sicut in eodem prologo significat, rogantibus monialibus et Berta abbatissa monasterii Spoletini, quod ante a* S. Euphemia *nomen habuerat, tum vero a* S. Joanne *episcopo martyre appellabatur; postquam nimirum sacrum hujus corpus a Gunderada, una ex iis, quæ nominatæ*
B *Bertæ in abbatissæ munere præcesserat, translatum fuisset in dicti monasterii ecclesiam temporibus Ottonis secundi imperatoris, uti denuo ipsemet clare significat, itaque senescente seculo decimo. Sed monasterium illud, quod derelictum esset, concessum fuit ab Henrico II imperatore sub annum* 1012 *Heriberto Spoletino episcopo, qui ex eo palatium episcopale sibi construeret, uti scribit Jacobillus. Jacobillo consonant Ughellus in episcopis Spoletanis et Augustinus Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ, præterquam quod hic annum notet* 1015; *uterque vero perperam scribat Henricum tertium; atque hinc sequitur, scripsisse auctorem nostrum sub finem seculi* 10 *vel sub initium* XI, *ac proinde plus quam seculis quatuor post Sancti obitum, quem et ipse et alii recentiores contigisse significant sub medium seculum sextum. Nullibi indicat, utrum vel ex quibus monumentis antiquioribus gesta Sancti ac Martyrium a se descripta deprompserit, nec consequenter, quanta fide digna illa sint.*

quædam in iis omissa adduntur ex aliis, 6 *Pauca, quæ de Sancti vitæ gestis et martyrio exaravit jam designatus biographus, quantum ex Ms. nostro colligere possum, alii recentiores, prout superius innui, auxerunt adjunctis aliquot. Sic*
C *ille nude dicit, Sanctum natum esse in civitate Spoletina; addunt Jacobillus in Vita Italica et Bernardinus e comitibus de Campello tom* I *Historiæ Spoletinæ pag.* 250 ex nobili familia. *Ille paucissimis verbis relato ejus studio sacrarum Litterarum et pietatis, mox subdit,* ad sacerdotalem infulam dignis præconiis sublimatus est*: ipsi vero præmittunt, Sanctum archidiaconatus dignitate prius decoratum fuisse in cathedrali Spoletina, ac mortuo Meletio antistiti suo fuisse subrogatum; imo adjicit Jacobillus, ipsum ut talem confirmatum fuisse et consecratum cum titulo archiepiscopi a Symmacho Papa anno* 500. *Denique biographus ne nomen quidem exprimit Theodorici regis; ipsi sicut et Ughellus, dicunt, Sanctum ab hoc rege Ariano gratias ac favores consecutum fuisse. Credere fas est, horum aliqua ab incurio librario prætermissa fuisse in nostro so Ms., vel certe ex monumentis Spoletinis accepta et adjecta fuisse per nominatos scriptores. Præsertim quia Ferrarius, hisce anterior, eadem habet pene omnia, ut supra vidimus, testaturque, se Acta Ms. legisse Spoleti, Vitamque transcripsisse.*

auctoris J. P. nominatim ex Jacobillo, qui tamen corrigitur, 7 *Verum unde unde acceperit Jacobillus, quod adstruit de consecratione Sancti facta per Symmachum Papam anno* 500, *id erroris convincitur ex Actis synodi primæ sub eodem Papa Romæ celebratæ, ubi inter subscriptiones episcoporum diserte legitur* Joannes Spoletanus, *ut videri potest apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col.* 1315, *dein eodem nomine occurrit etiam inter episcopos subscriptos Actis synodi tertiæ et* Joannes Spoletinus *inter scriptiones ad Acta quartæ, quintæ ac sextæ synodorum sub eodem pontifice celebratarum. Itaque Joannes erat episcopus ante Kalendas Martias anni* 499, *quando dicta prima synodus celebrata est; et hinc non tantum erroneum esse sequitur, quod scribit Jacobillus de anno consecrationis, sed omnino dubium, an eadem consecratio facta sit a Symmacho vel dum hic pontificatum tenebat, ad quem tantum evectus fuit mense Novembri anno* 498. *Porro titulum archiepiscopi non solus Jacobillus sed et Ughellus et Campellus* S. Joanni *attribuunt; et Campellus quidem, eum in vetustissimis imaginibus cum pallio archiepiscopali depictum esse ait, atque in Vita S. Joannis Paranensis apud Mombritium appellari Metropolitam. Accedit etiam Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XVI *Decembris, quo recolit memoriam S. Meletii, et ubi sequentem annotationem* E
subjicit : Ecclesia Spoletana seu Spoletina olim metropolitana fuit: pluresque habuit archiepiscopos, quibus uti suffraganei Nursinus, Trebias, Mevanas, Hispellas, Fulginas et alii episcopi subjecti erant. In iis Meletius, Joannes, Laurentius post Britium floruere.

et ex Vita 8 *Vitam Joannis Paranensis, in qua* Joannem *nostrum Metropolitam appellari aiebat Campellus, nempe quia auctor de Spoleto loquens* civitatem metropolim *compellat, ex Spoletino aliisque Mss. ac Mombritio ediderunt Majores nostri tom.* 3 *Martii pag.* 31 : *unde nonnulla, quæ ad Sanctum nostrum pertinent, et a biographo nostro similiter omissa sunt, juvat transcribere. Narrat primum auctor, S. Joannem Paranensem ex Syria venisse in Italiam,* circa civitatem metropolim *(Spoletum indigitari mox videbitur), angelo jubente quievisse sub arbore, quæ (id factum dicitur mense Decembri)* floruit sicut lilium, *illic inventum et interrogatum fuisse a transeuntibus venatoribus : ac demum prosequitur his verbis :* Attendentes autem ad arborem (arbor vero fulgebat sicut lilium) tunc cognoverunt viri, quia Dominus erat cum illo, et nuntiaverunt hoc factum B. Joanni episcopo Spoletanæ civitatis. Et dum hoc audisset B. Joannes F
episcopus, repletus est gaudio magno : et exurgens perrexit ad locum, ubi B. Joannes servus Dei Dominum deprecabatur. Et dum vidissent se invicem, præ gaudio lacrymas fuderunt ad Dominum. Et inquisivit ab eo B. Joannes de omnibus his, quæ scripta sunt. Tunc omnes, qui aderant, egerunt gratias; Domini autem misericordia collecta multitudo populi ædificavit ibi monasterium et habitavit ibi cunctis diebus vitæ suæ, et sedit in eo loco annis quadraginta quatuor.

S. Joannis Paranensis. 9 *Ferrarius ad diem* XIX *Martii in Catalogo Sanctorum Italiæ laudans denuo monumenta ecclesiæ Spoletinæ, monasterium illud a Sancto nostro exstructum esse asseruit, idemque Galesinius in Martyrologio ad diem eumdem, ita scribens :* Spoleti S. Joannis confessoris. Hic in Syria ortus, in Italia ad urbem Pinnensem Dei admonitu venit; ubi monasterio sibi per Joannem Spoleti episcopum exædificato, quatuor et quadraginta annis pie sancteque vixit. *Citat autem in Notationibus suis Usuardum, Adonem ac Bedam; et sane priores duo longum Joannis Paranensis dant elogium ex Actis deductum;*

AUCTORE J. P.

ctum; at neuter meminit S. Joannis *episcopi Spoletini. Subdit demum idem Galesinius* : Sed in Martyrologio Cremonensi pluribus illius *(Joannis Paranensis)* Vita narratur, quæ a Joanne episcopo Spoleti scripta putatur. *Postremum hoc, intellectum scilicet de Sancto nostro, et Vita tom* 3 *Martii excusa, minus verisimile fit, quia tum apud Mombritium tum in Ms. Spoletino constanter appellatur* Beatus Joannes episcopus, *quo titulo se ipse non erat ornaturus ; imo omnino improbabile est, si Joannes Paranensis, imperante Justiniano, ut statuit Ferrarius, vel Justino seniore, ut vult Campellus, tantum in Italiam venerit : nam cum in Vita et in elogiis apud Adonem, Usuardum aliosque dictum monasterium annis quatuor et quadraginta dicatur gubernasse, mors ejus statui non poterit certe ante annum* 560, *quo juxta omnium calculos diu vivere desierat* Joannes episcopus; *utpote occisus a Gothis Arianis, quorum regnum in Italia diu ante annum* 560 *exstinctum fuit.*

Tempus martyrii; corpus tertio translatum

10 *Non convenit inter laudatos scriptores de anno martyrii; Ughellus et Jacobillus annum notant* 541, *Campellus differt in* 547, *post obsessum scilicet et captum a Totilæ exercitu Spoletum; biographus vero noster obscurius loquitur, quam* B *ut ex eo quidquam statuere queam : atque idcirco obitum supra latius signavi circa medium seculum sextum. De loco autem ac modo martyrii et sepulturæ, et de prodigiosa corporis inventione ac prima translatione, facta circa finem seculi decimi, nihil addo, quoniam de illis satis convenit inter eosdem auctores, sufficienterque instrui potest lector ex Ferrarii verbis num.* 2 *recitatis, et ex Vita debitis annotatis elucidanda. Restat igitur, ut, quæ de reliquiis ejus et cultu addunt alii, paucis memorem. Servatum est itaque sacrum ejus corpus et variis miraculis, quæ similiter a biographo nostro descripta dabimus, claruit in monasterio, primum S. Euphemiæ et dein* S. Joannis *appellato, usque ad tempora Heriberti episcopi Spoletini et S. Henrici imperatoris, non multum provecto seculo* XI, *quando, ut supra dixi, idem monasterium in palatium episcopale transiit.*

nunc servatur in ecclesia S. Petri apostoli

11 *Tum autem, teste Jacobillo, jussu ejusdem Heriberti episcopi translatum est sacrum corpus ad antiquam ecclesiam cathedralem, quæ extra civitatem sita erat et dedicata S. Petro, depositumque in veteri monumento lapideo; in hoc autem servatum fuit usque ad annum* 1500, *quo Fran-* C *ciscus Herulus episcopus Spoletinus id aperuit ac visitavit. Anno demum* 1619 *die* XXI *Martii per Laurentium Castruccium episcopum item Spoletinum, assistente, uti addit Campellus, magistratu, translatum fuit sacrum corpus in monumentum honorificentius, repositumque sub ara principe ejusdem ecclesiæ, ubi usque nunc honoratur una cum corpore S. Petri ejusdem civitatis episcopi. Ita fere Jacobillus, qui deinde subdit Sancti nostri quotannis in civitate ac diœcesi recoli memoriam ritu duplici die* XIX *Septembris cum Missa et Officio de pontifice martyre; Campellus vero ait, eum haberi inter præcipuos patronos, unamque e duodecim urbis regionibus illius nomine appellari.*

cum corpore Petri episcopi Spoletini.

12 *De Petro episcopo mox memorato facta est mentio apud nos inter Prætermissos diei* XXIX *Junii tom.* 5 *pag.* 397. *Agit de ipso etiam Jacobillus tom.* I *Operis sui ad diem* XXI *dicti mensis, eademque de corpore ejus, anno* 1619 *sub ara principe reposito, repetit, quæ jam memoravimus; sed non indicat, an dies aliquis ejus cultui sit proprius, vel an celebretur Officium : in nullis etiam Fastis sacris, ne in Ferrarii quidem Catalogis,* D *ejusdem Petri occurrit memoria. Quapropter donec certa specialis cultus afferuntur indicia, consuli possunt præter laudatum Jacobillum Campellus et Ughellus. Accipe interim breve ipsius elogium ex Vita* S. Joannis, *quod laudat in margine idem Jacobillus* : Plurimi vero archiepiscoporum ipsius æqua sanctitate pollebant, quibus unus Petrus sanctissimus fulsit, cujus opera et virtutes marmoreis tabulis lirica versificatio manifestat; aliique nonnulli simili carmine signis et prodigiis clarificati in beati Petri apostoli aula serena pace quiescunt. *Hactenus biographus noster.*

Acta quomodo recudenda.

13 *Hæc autem huc transtuli, quia partem Passionis seu Vitæ Ms. majorem, hæc et similia de episcopis aliis, de ducibus Spoletanis, deque variis Spoletanæ civitatis vicissitudinibus continentem, rescindendam putavi : tum quia ad Sancti gesta et martyrium vix aut ne vix quidem pertinent, tum quia, ut monui, tam vitiose descripta sunt, ut adhibita etiam frequentissima correctione ægre restaurari queant. Ceterum ut pars alia ad Sanctum proprie spectans, utcumque apta fieret prelo, eum modum servavi: clariora librarii, qui vel negligentissimus fuit vel vix primis Grammaticæ rudimentis imbutus, menda correxi ipse, dubia* E *vero notavi in margine, et quæ restaurare nequivi, relicto spatio, prætermisi; idem servavi in miraculis, Vitæ seu Passioni subnectendis.*

PASSIO

TRANSLATIO CORPORIS ET MIRACULA

Auctore Joanne monacho Casinensi

Ex lectionario Ms. Spoletano.

Prologus auctoris.

Compellitis me, o sacratissimum collegium, una cum devotione Bertæ ductricis vestræ cœnobii sancti martyris Joannis, quod ab imo fundatum in honore beatissimæ virginis Euphemiæ a devotissima Gunderada recolimus abbatissa, ut si- F gna et virtutes atque miracula præfati Martyris, cujus assidue custodire corpus meremini, stilo proprio propalare non denegem. Periculosum quidem injungitis opus, sed devotionis præmium profuturum *a*.... sed quia Christus pauperrimos magis piscatores elegit, quam dialecticos et rhetores faleratosque superbos, confisus in eo aggrediar, quod rogatis, speratus* ab eo remedium, cujus signa et miracula... pandere studuistis. Sancte Joannes martyr Christi pro Joannis monachi peccatoris intercede delictis. Amen.

* sperans

Sancti gesta et episcopatus.

2 Itaque vobis... urbe prædicta *b* ortus et altus est, et ab ipsa pubertatis infantia sacris Litteris eruditus, sacræque religionis vitam omni conamine concupiscens ad sacerdotalem infulam dignis præconiis sublimatus est. Totus se Deo omni hora committens jejuniis et orationibus, operibus misericordiæ et pietatis die ac nocte vacabat *c*. Cum autem his operibus esset intentus, subito rumor perditionis ut super sonuit *d*. Quo terrore concussi omnes, ut valebant, præsidium evadendi petiverunt : inter quos et ipse beatissimus velut robusstissimus

A bustissimus consolator interclausus *e*, lacrymis et gemitibus assidue Dominum deprecans, permanebat. Cum vero aliquantis diebus ita perageret, ingenio malignitatis et insidiæ quasi terrore transacto, in perpatulis locis ad capiendos innocentes Getulorum * catervæ permanebant.

e

* Gothorum

Martyrium.

3 Jam vero, quia Sanctus se videbat peragrare Sanctorum ecclesias more solito non posse, armatus fide, signoque salutis roboratus, ut fortissimus prœliator, deprecaturus Dominum pro tantæ calamitatis periculo, maceratus jejuniis innumerisque afflictus suspiriis, egrediens martyrum corpora frequentabat intentus. His vero peractis operibus, sacrisque mysteriis celebratis, cum reverteretur *f*, occupatus insidiis, et videlicet mansuetissimus aries subsistens jugulationis mortem intrepidus exspectabat. Subito autem circumdatus canibus, ludentium lanceolis undique perfossus, ad ultimum capite plexus, ut sacris erat indutus orationibus, ipso in bivio, anima penetrante cælo *, sanctissimum ejus derelictum est corpus. Quod postea, sedato pavore, ipso in loco ejus concives antiquissimo calatho *g* nimium gementes locaverunt.

f

* cælum

g

B 4 Anno quoque post hæc pene centesimo *h*, cum jam post ruinam prædictæ civitatis circumquaque omnipotens Dominus loca Sanctorum, crescente populo, reædificare concederet, cœpit ipsius sanctissimi Martyris pignus ipso in loco, ubi sepultus erat,.... urbem, eo quod prope erat quasi stadia duo, stupentibus signis clarescere. Nam frequenter locus ipse videbatur cælitus coruscare luminibus : aliquando vero cantus nimiæ suavitatis ibi audiebatur. Nonnumquam quasi columna ignis corusco fulgore usque cælum erecta mirabiliter visa est. Nullius quoque viantium pondus aut sarcinam sanctissimum ipsius Martyris recipiebat sepulcrum. Vasculis namque... longe ab ipso sæpius projectis, plurimi sunt experti : quique etiam innumera alia signa alterutrum referentes multis coram positis confitebantur. Quando enim luminibus locus ipse fulgebat, nullus nocturno in tempore ejus sepulcrum transire ausus est; sed concussus timore longe extra viam iter suum fugiendo perficiens.

Corporis prodigiosa inventio

h

7 His vero signis atque virtutibus cum multa citraque * Sanctus ipse claresceret, conati sunt aliquanti tam pretiosissimum pignus clancule rapere, suisque in ecclesiis decenter locare. Sed noluit omnipotens Deus tanto salutis dono sacratissimæ virginis et martyris Eufemiæ frustrare cœnobium, ut et urbs Spoletana per ipsum permaneret incolumis et omnes in ea habitantes meritis et intercessionibus ejus ab omnibus inimicorum insidiis stabiles et securi consisterent. Visum est itaque Deo dilectæ abbatissæ, Gunderadæ nomine, prædicti monasterii, ut sanctissimum corpus in ecclesiam suam transferret cœnobii : quæ devotissime in hora noctis silentii, duabus vel tribus virginibus adhibitis, suoque simul venerabili sacerdote ministro, cum linteaminibus pretiosis et thimiamatibus accesserunt ad corpus : facta itaque oratione, tanta celeritate tegmen sacri levatum est corporis, ut sexus femineus robustissimus videretur virilisque; subito miris odoribus respersæ, collecto sancto pignore, cum exultatione lætitiæ ad propria sunt reversæ *i*, statimque inito consilio, juxta altare beatissimæ virginis memoratæ in præfato monasterio, quod juxta episcopatum *k* Genitricis Domini nostri situm est, altare * constructo in partibus Aquilonis, secundo piissimo regnante Ottone, studiosissime locaverunt.

et translatio.

* *forte* ultra citraque

i

k

* altari

ANNOTATA.

a *Quæ hic subduntur ad rectum sensum reducere nequivi, ac propterea prætermisi, quod toties a me factum meminerit lector, quoties similia puncta occurrerint. Porro per prætermissa, quantum colligo, suam ad scribendum incapacitatem causatur, quod antiquis biographis satis commune est.*

b *Spoleti nimirum, de qua civitate post prologum disserit multis, a me recisis ob rationem in fine Commentarii prævii allatam.*

c *Lege* operibus misericordiæ et pietatis die ac nocte vacabat. *Hanc enim periodum non emendatam reliqui, ut ex eo specimine librarii imperitiam agnoscat lector.*

d *Procul dubio auctor voluit dicere,* ut superius dictum est, personuit, *nempe rumor de adventu exercitus Gothorum, Italiam devastantium, de quibus, sub nomine Saracenorum, meminerat in parte, quam prætermisi; vide lit.* b *et in Comment. num.* 13.

e *Notandum, quod, testibus Campello, et Jacobillo, ecclesia S. Petri apostoli, extra civitatem sita, ea tempestate esset cathedralis, ita ut biographi sensus hic esse videatur, quod Sanctus, appropinquante hostium exercitu, cum reliquis se in civitatem receperit.* E

f *Hæc ita exponunt Ferrarius et Jacobillus, acsi Sanctus iter ingressus Romam ad limina Apostolorum, haud procul Spoleto a militibus interceptus et occisus fuisset. Sed verisimilius Campellus per* Sanctorum ecclesias, *quas civitate egrediens frequentabat, intellexit ecclesiam cathedralem S. Petro, et aliam S. Paulo dedicatas et extra civitatem sitas.*

g Calathus *proprie corbem seu vas aliquod sonat; hic tumulum designare debet.*

h *Totidem annos notant etiam Ferrarius et Campellus; cum igitur secundum allata in Commentario passus sit Sanctus circa medium seculum sextum, primordia eorum, quæ mox narrantur, statuenda sunt circa medium seculum septimum.*

i *Facta sunt ista, regnante Ottone secundo, sicut mox dicitur, ac proin post medium seculum decimum; Jacobillus signat annum* 975. *Unde colligas, sacrum corpus, postquam relatis signis clarescere cœperat, eodem in loco relictum fuisse plusquam tribus integris seculis.* F

k *Vox ista contracte scribitur in Ms.* Epatum, *perque eam, etiam alibi eodem modo expressam, episcopatum designat librarius. Sed non satis intelligo, cur ecclesia S. Mariæ, juxta quam intra civitatem situm erat monasterium S. Euphemiæ postea* S. Joannis, *eo titulo veniat tempore, quo scripsit auctor, existente nimirum etiam tum dicto monasterio. Non quod cathedralis esset, nam hæc S. Petro dicata erat, ac sita extra civitatem : nec ecclesia S. Mariæ, secundum Jacobillum, qui varia citat in margine instrumenta archivii Spoletini, facta est cathedralis, nisi postquam destructum monasterium S. Euphemiæ seu* S. Joannis *transiit in palatium episcopale. Quapropter existimem, vel hic denuo esse mendum librarii, vel dictam ecclesiam ab auctore appellari* episcopatum seu episcopalem; *quia ad episcopum pertinebat aut quia is in civitate commorans ibidem divina Officia celebrabat.*



MIRACULA

Ex eodem Lectionario Ms.

Præfatio ad miracula;

Jam recitatis Actis mox subnectuntur aliquot miracula, quæ patrocinante Sancto, patrata sunt eo tempore, quo sacrum ejus corpus in ecclesia monasterii S. Euphemiæ servatum fuit, et, quantum conjicio, ab eodem auctore collecta, sed et ab eodem librario multis locis tam turpiter corrupta, ut cum aliquando verba verbis connectere non valerem, ad assequendum auctoris sensum operam dederim et alio charactere rem ipsam expresserim, omissis adjunctis. Sic præfatur auctor : His itaque gestis, cœpit beneficiis sanitatis ejus tumulus exuberare, nam diversis ægrotationibus afflicti, cum devotione fidei venientes ad eum, sanabantur. Paralytici vero vel febricitantes, Christo adjuvante, ejus adhærentes sepulcro sanati sunt. His vero virtutibus pollens, per aliquot annorum spatia quievit; sed quia eum Conditor omnium ad majora et stupentiora mirabilia provehit, recentiores et novas illius virtutes, quas plurima (plurimas *vel* plurimi *legendum*) ex ipsa civitate mihi, et maxime illius sacri cœnobii grex conglobatus, detulerunt, voto nostræ parvitatis propalare aggrediar.

B

crura confracta illico restituuntur.

2 *Ex primi miraculi narratione hunc sensum colligo. Unus e judicibus civitatis Spoletinæ, visione in somno accepta, intellexit, corpus* S. Joannis *non satis decenter esse tumulatum : quapropter expergefactus summo mane tumulum novum plaustro imponi jussit ad ejus ecclesiam devehendum. Plaustrum autem non jumenta protrahebant, sed homines atque hos inter verisimiliter etiam judex ipse; at cum prope ecclesiam perventum esset, sub plaustro cecidit, et a pertranseunte rota utrumque ei crus confractum fuit : invocato autem Martyris auxilio, illico in pedes se erexit, ac velocissimo cursu in ecclesiam ingressus est, a monialibus signum dari jussit, et convocati clerici Dominum laudantes corpus sacrum tumulo imposuerunt.*

contracti;

3 *Hic aliqua interjicit auctor de multitudine miraculorum, quæ ibi patrata sunt, ac secundum his verbis exponit :* Quidam vero omnibus membris dissolutus, totus contractus et glomeratus ex longinquis regionibus advectus est. Nocte quadam in domo cujusdam juxta monasterium illud quiescebat. Hic in profundæ noctis hora Petrum et Paulum atque Joannem nimio cum splendore se vidisse testatus est, qui subito eum arripientes unus per verticem aliique per pedes maxima cum virtute extenderunt, ita ut expergefacta domus familia ad clamores et stridores illius surrexere... gratias agentes Deo meritisque beati Joannis; qui postmodum... iterum contractus tibia reversus est, sanusque recessit. *Puncta designant prætermissa, quæ ad perfectum sensum reducere non potui.*

C

et cæci

4 Nec tacendum est; alius de fulgenti *(forte de* Fulginate *territorio seu)* comitatu qualiter sanatus est : cum et ipse quiesceret in domo juxta prædictam ecclesiam, apparuit ei sanctus Martyr, dicens : Surge, et propera ad me in ecclesia. Et ille : Quomodo, inquit, Domine, venire possum, qui gressu et luce careo? Et Sanctus : Excita hunc, qui juxta te dormit, ut accipiat lumen et educat te : quo excitato, præcedente lumine, ocius ejus perrexerunt ad aram. Moxque cum stridoribus [et] horrida vociferatione extentus et illuminatus est. Hora vero matutinalis imminebat, cum hæc fierent, et jubilante cœtu congregationis in choro, gloriam Deo magis ac magis cum exultatione dederunt. *Sequitur alterius miraculi narratio, ex qua intelligo, quod vir enormiter curvus,* cum sacratissimum corpus attingeret, terribiliter *sit* erectus; *quodque nobilis quidam provinciæ, qui sub idem tempus* causa refrigerii et sanitatis *illuc adveniens, comitibus suis promiserat, fore, ut, si miraculum aliquod videret, munus ecclesiæ impertiretur, agnito hoc miraculo, votum persolverit et incolumis abierit.*

D

sanantur;

5 Nec minori quidem miraculo operam dare quiescam. Anconitanus quidam cum nullo modo nisi terratenus pergeret, ut ipsemet, seriatim pandere studuit, ante ejus sepulcrum deductus, et, ut egrederetur incolumis, impetravit, ipsumque etiam sanum conspeximus et valentem. Orbatus namque præterea, et Tudertino comitatu satus et alitus, auditis tanti Martyris signis, cogitare cœpit, qualiter sepulcrum illius adire potuisset; cumque sæpius hoc in animo revolveret, die quadam egressus domo, sic ad Orientem conversus, oravit dicens : Deus æterne, qui es verum lumen et ductor recti itineris, perduc me ad domum Martyris tui, qui cæcus sum, et nescio, quo pergere debeam. Ad hanc vocem subito, qui numquam viderat, conspecto ordine cæli et terræ, præ gaudio magna voce clamabat : Benedictus Dominus, Rex omnium seculorum, qui me illuminat meritis martyris sui Joannis, quia semper in tenebris eram, et modo video. Ad hoc factum omnes vicini ejus convenerunt, glorificantes Dominum Jesum Christum, mirabilia facientem in cœlo et in terra. *Subduntur aliqua, quibus significatur illuminatus perrexisse ad Sancti ecclesiam, ut gratias persolveret.*

E

mulier brachio

6 Quædam itaque post ista ex longinquo muliercula, ejus tumulum videre cupiens, est egressa. Hujus enim brachium ita pendens inhæserat lateri, ut videretur ab omnibus omnino brachium non habere; cujus etiam indumenta nec foramen aliquod ex illa videbantur habere parte. Hæc dum staret hora Matutini in ecclesia, subito uni ex sororibus exclamavit : Arripe, inquit, cultrum, et hic indumenta scindere festina, quia mox ut omnium Sanctorum Matutinum decantare cœperitis, salva ero. Arrepto itaque ferro, mox, ut petierat, fecit, et ea, quam prædixerat, hora salvata est, elevatoque brachio, totum apparuit cruentatum, quæ illico vociferando beneficia Conditoris omnibus... ostendebat. *Additur alterius mulieris sanatio, sed a quo morbo et quo pacto, ne conjecturando quidem assequor.*

F

et vir membris debilis; puella visu orba,

7 Quidam namque artubus debilitatus, nisi vectus animalibus, incedere non valebat; cum autem per aliquot dies ibi maneret, subito sanitatis donum in vasculo vinario, ubi quiescebat, accipere meruit, ita ut ante ipsum vasculum mane facto inveniretur erectus, qui mox gratias Christo referens, firmis gressibus lætus abscessit. Et hoc memorare, non mirum audientibus gaudium præstare credimus. Puella quædam utrisque orbata pupillis, nutrice ducente, longo fatigata spatio gradiebatur. Cumque portam civitatis intrarent, quæ beati Laurentii nuncupatur; dixit matri suæ : O mater, ecce omnes istas domos conspicio : sine duce etenim incedere possum. Quæ mox ad tumbam Martyris veniens gratias agebat; mox recedens illæsa claris recuperata * luminibus.

* *l.* restituta

8 Horridus quidam gravi laborabat lepræ periculo

A riculo, cum autem semptam (septa *haud dubie*) circuiret cœnobii, vas quoddam lapideum ante ecclesiam, aquam continens, respiciens stetit. Subito vero cælitus instigatus, stabilitus fide, ac perlotus, mirabiliter est mundatus, qui et ipse gratias sancto referens Martyri, sanus gaudensque recessit. Et hoc pretium operis est stilo currente referre : quidam admodum nobilis pro vitæ suæ remedio pauperrimum confovebat nutricium. Cum autem fama sanctitatis huc illucque sancti Martyris pervolasset, quadam die, quasi per jocum... affatus est inopem. Vade, inquit, et ex mea parte dic, ut sanet te sanctus Joannes. Qui statim, ut erat simplici animo, perrexit, et mox ut accessit ad tumulum, sanus exiliens, qui fuerat paralyticus et contractus, gratiam pro dono rependens, cum gaudio et exultatione ad suum reversus est nutritorem.

vir lepra infectus, alter paralysi percussus,

9 Multa sunt et plurima, dilectissimi fratres, quæ... ad gloriam sui nominis, suorumque fidelium salutem operatus est Christus Dominus noster, quæ ideo scribere vitamus, ne prolixitate verborum animus audientium fastidiat, aut legentibus studiosis in odium vertatur. De multis enim pauca narravimus, quod sufficere ad gloriam Dei, suique martyris Joannis, vel ad salutem credentium apostolicorum nullus credere dubitet. *Post pauca, quæ facile restaurare nequeo, ita tandem concludit auctor :* Translatio ejus celebratur IV Calendarum Septembrarum : consecratio quoque illius venerabilis altaris, regnante Jesu Christo Domino nostro, qui cum Patre sanctoque Spiritu vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. *Festum* S. Joannis, *uti in Commentario dictum est, hodiedum colitur die* 19 *Septembris seu* XIII *Kalendas Octobris.*

AUCTORE J. P. *et alii plures curantur.*

DE S. SEQUANO ABBATE

B

IN TERRITORIO LINGONENSI IN BURGUNDIA

E

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. C.

Sancti memoria in Fastis, nomen, cultus. Acta edenda an ab auctore synchrono et indubitatæ fidei scripta ?

CIRCA MED. SEC. VI. *S. Sequanus in Fastis sacris.*

T*erritorium Lingonense veneratur hodie peculiari cultu* S. Sequanum, *quem ita Usuardus nuntiat :* In territorio Lingonicæ civitatis S. Sequani presbiteri; *supple* depositio *ut est in Martyrologiis Hieronymianis non nullis apographis; horum aliqua post* Sequani *interjiciunt* abbatis plurimæ justitiæ, *aliqua* monachi. *Ado ad hunc diem ita habet:* In territorio Lingonicæ civitatis S. Sigonis presbyteri, *ex quibus, ni fallor, duplex Sancto nostro nomen Grevenus attribuit, dum ita ad hunc diem loquitur :* In territorio Linguonicæ civitatis S. Sequani (seu Sigonis) presbyteri. *Dubitat Florentinius, an satis correcte; an scilicet idem sit sanctus* C *ille Sigo, qui in aliis Fastis* Sigonus, Segonus, Sego, Sigonius, Segomus, Segomius, Seguncus, Signus, *imo et* Sequatius *appellatur. Dubium Florentinio movisse potuit, non tam nominis varietas, a qua, qui arguere voluerit, sex facile hic sibi diversos Sanctos figet, quam Flori de* S. Sigone *ad diem* XVIII *Septembris memoria, et aliorum lectio codicum, qui Sanctum duplicare videntur. Florus ad prædictum diem* XVIII *ita habet :* In territorio Lingonicæ civitatis, monasterio Segestro, depositio S. Sigonis presbyteri et confessoris. *De* S. Sequano *apud illum nulla est mentio. Inter Fastos alios hoc modo nuntiat Martyrologium S. Sabini de Levitania :* Eadem die (XVIII *Septembris)* in territorio Longanicæ civitatis monasterio Setgestro depositio S. Segonis presbyteri confessoris; *et mox die subsequenti* XIX : In territorio Lingonico depositio S. Sequani abbatis. *Ita Bruxellense :* In territorio Lingonicæ civitatis depositio S. Sequani abbatis, et S. Sigonis plurimæ justitiæ presbyteri, *ubi manifeste distincti duo, et in S. Sabini de Levitania ad diversos quidem dies relati, exprimuntur.*

2 *Quod ad Florum spectat, ego transpositionem illam amanuensium oscitantiæ, vel ejus ipsius errori adscribo, cum apud illum de* S. Sequano, *quem omnia pene ad hunc diem Adoniana et Usuardina Martyrologia loquuntur, nulla fiat mentio, territoriumque et monasterium, ubi obiisse diem dicitur, ita ullum indigitent, ut illi soli convenire videantur. Neque tanta est reliquorum duorum apographorum auctoritas, ut Florentinii dubio pondus addant: scriptorem quippe Bruxellensem licentissime suum interpolasse, variaque ex variis corrasisse, omnibus in comperto est, et singulæ pene probant paginæ. Neque amplius tribuendum videtur primo illi, qui et passim frequentissimis mendis scatet, et hic* S. Sigonem, *quem ex Floro hauserat, ad præcedentem diem ejus exemplo reduxit, ac deinde* S. Sequanum, *alios secutus codices, diei subsequenti annexuit. Umbram illis fecisse errantibus potuit* F *diversitas tum nominis, quod Sancto tribuitur, tum territorii et civitatis, ubi ejus depositionem commemorant, quod mendose, aliaque et alia inflexione scriptum repererunt in iis voluminibus, unde suum compilarunt. Sane unum eumdemque* S. Sequanum *diversis illis nomenclaturis designari, constans et communis est inter eruditos opinio, cui pariter adhærebo, donec tale quid proferatur de* S. Sigone, *quod non apprime, et soli quidem* Sequano *congruere videatur. Huic, si vixit ille Sigo, coævus fuit, vel post illius floruit tempora, cum manifestum sit,* S. Sequanum *monasterium Segestrense condidisse, primosque ibi monachos instituisse. Atque inde tot inter scriptores, qui res illius loci et temporis pertractarunt, facilior fiet perquisitio, quæ dum minus dubitantibus succedit, eorum silentium nobis favere perget.*

variis nominibus designatur

3 *Porro si conjectare liceat, posset attributi duplicis nominis* (Sequani *et* Segonis, *ad quæ derivata reliqua facile reducuntur) ratio aliqua adferri. Segestre, ut plerique veteres scribunt, locus est non procul situs ab ore celeberrimi fluminis Sequanæ, ubi monasterium suum Sanctus construxit, ubique*

de iis conjectura.

AUCTORE J. C. *ubique doctrinæ et virtutum fama floruit. Proprium itaque Sancto nomen* Sego, *territorio a proximo Sequanæ fonte agnomen fuerit* Seqaunum: *facile ab eo potuit* Sego, *herilis istius loci dominus,* Sequanus *dici; potuit et conditi ibidem monasterii Auctori abbatis* Sequani *appellatio adhærere, sub qua deinde, pro temporum illorum more, apud circumjacentium cœnobiorum monachos venerit, ab iisque ad nos transierit. Quod si mavis Sancto nostro nomen natale* Sequanum *fuisse, est et unde eum* Segonem *cognominatum opiner;* Sego *enim a* Segestre *deductum videtur. Territorii certe pars, ubi suum ascelerium* S. Sequanus *instituit,* Segestræ *nomine gaudebat, illique hereditario jure debebatur, ut recte ex nostro Ms., male ex eo, quod Mabillonius edidit, colligitur. Jam vero quid vetat a proprio istius loci nomine, vel quia illum suo secessu et condito ibidem cœnobio nobilitavit, vel quia illi hereditarius fundus erat,* Segonem *dictum fuisse. Frequenter profecto jam olim agrorum suorum fundorumque nominibus homines designabantur. Sed et Sequana, ut recte notat Ruinartius, non raro Segona et Sigona appellatur a Fredegario. Unde pari ratione* Sego *vel* Sigo, *ut a Sequana* Sequanus, *Sanctus appellari potuit.* B

Cultus Sancti antiquissimus. 4 *Antiquissimum esse* S. Sequani *cultum testantur apographa Hieronymiana antiquissima, in quibus ejus fit memoria; testatur Vita S. Benedicti abbatis Anianensis, scripta a S. Ardone initio seculi* IX, *ubi ejus monasterium ante annos* 40 *jam tum* S. Sequani *nomine insignitum dicitur. De illo S. Gregorius Turonensis cap.* 88 *libri de Gloria confessorum, quem elucubravit seculo* VI, *loquitur ut de Viro magnæ virtutis miraculisque, dum viveret, et post obitum celeberrimo. An autem jam tum cultus fuerit, mihi incertum est. Celebrari illum quotannis die festo per totum territorium asserunt Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Christ. col.* 693. *Sanctæ ejus exuviæ in monasterio, quod condidit, hactenus conquiescunt, magnoque accolarum concursu celebrantur. Fuisse jam olim ecclesiam* S. Sequano *dicatam, ejusque appellatam nomine, liquet ex veteri charta, quam ex Mabillonio ad Vitam Sancti in Act. SS. Ordin. S. Bened, Sec.* I *fol.* 263 *refero.* Godefridus episcopus *etc.* Diu habita est controversia inter monachos S. Sequani et Albertum dominum villæ, quæ Dréez dicitur. Ad pacis bonum reformata est. Est in Magnimontensi C comitatu multæ antiquitatis possessio, Valeriacus nomine, et in ea beati Sequani ecclesia, et nomini dicata et juri subdita. Intra fines hujus villam superius nominatam, Dréez videlicet, cum capella ædificavit dictus Albertus. Hanc capellam uti in finibus parochiæ suæ sitam, a nobis monachi repetebant, Albertus autem contra nitebatur *etc. Godefridus episcopus Lingonensis, cujus hæc charta est, floruit paulo post initium seculi* XII. *Valeriacus pagus ab indigenis* Verri *hodiedum dicitur, seu* Verri sous Dréez, *ut distinguatur ab alio cognomine, qui aliquot centenis passibus inde distat. Eo secessit primum* S. Sequanus *flagrans desiderio austerioris vitæ, cujus ibidem adhuc puer fundamenta posuisse creditur. In hujus memoriam eo loci illi ecclesiam erectam fuisse suspicor. Meminerunt etiam supra laudati Sammarthani Translationis* S. Sequani, *quam recoli aiunt* 2 *Januarii. An autem exaltatio S. corporis facta, an pars ejus alio avecta, an denique totus sacer ille thesaurus ex uno loco in alium translatus sit, eaque quo tempore quave occasione contigerint, non edicunt. In codice Pratensi, teste Bouillartio, ad diem* XXIII *Maji recentiori charactere Usuardo adscriptum legitur:* Loco Sigestro dedicatio ecclesiæ S. Mariæ et S. Sequani. D

Vita edita et edenda 5 *Vitam et Acta* S. Sequani *primus integra edidit in Vita S. Joannis abbatis Reomaënsis, cap.* 3 *pag.* 31 *Roverius noster ex codice Ms. ejusdem monasterii. Hanc commentatur Coïntius Annal. eccles. Franc. tom.* I *ad annos Chr.* 518 *et* 534. *Eamdem ex alio Ms., non nihil a Roveriano discrepante, dedit Mabillonius inter Acta SS. Ord. S. Bened. Sec* I, *fol.* 263, *ex eaque suam concinnavit Bailletus tom.* 3, XIX *Septembris. Geminum aliud habemus Ms., olim ad Majores nostros missum, de quo Sollerius in suo Usuardo ad hunc diem. Unum a Petro Francisco Chiffletio exaratum est, et notatur in margine:* Ex Ms. Accincti monast. et Carneoli et Divionensi. *Hoc in paucissimis a Mabillonæo diversum illustrabo, et cum illo conferam. Ms. alterum brevius multo est, itaque præfert:* Ex Ms. D. Belfortii. *Ex adverso autem, in limbo paginæ habetur :* Descripsit hæc D. Belfortius ex Ms. Long-pont : *et paulo infra :* Eadem, quæ in Reomaënsi, extat in Ms. 79 reginæ Sueciæ. *Belfortianum ex primo nostro contractum videtur, multisque annis eo recentius apparet. Paucula ex illo observata dabo. Mabillonius et quotquot post illum de* E *Actis et Vita* S. Sequani *egerunt, existimarunt ab auctore synchrono, ejusdem Sancti discipulo, conscripta esse. Et laudatus quidem jam sæpe Mabillonius hæc præfigit capiti Vitæ* S. Sequani : Auctore anonymo æquali, ut ex num. 13 apparet. *Idem asserit in Annal. tom.* I, *lib.* 7 *ad ann. Chr.* 580 *fol.* 179, *num.* 8. *Illum secuti sunt Bailletus, in Tab. crit. tom.* 3, *et Benedictini S. Mauri in Hist. lit. Franc. tom.* 3 *sec.* VI, *pag.* 367, *indeque inferunt,* de auctoritate horum Actorum dubitari non posse.

non videtur scripta esse ab auctore æquali; ex ejus verbis 6 *Ego tantæ, tamque certæ auctoritatis fundamentum non invenio : videamus, quo nitatur Mabillonius, et erroris originem investigemus. Numerus apud illum* 13, *ubi auctorem æqualem apparere asserit, est hic :* Cœpit ex illo famosissimus esse (Sequanus) et divulgari celeberrime miraculis, magis quam fuerat. Multa quidem innumerabilia in conspectu populi sui sanitatum perfecit miracula : sed, quæ vidimus succinctæ brevitati sufficere, ea in hoc curavimus digerere volumine. Præ cunctis vero, quæ ad monasterii usum atque utilitatem Sequanus vir sanctissimus instituit, ecclesiam quoque laboribus propriis fabricatus est, in qua nunc ejus ossa pacifice requiescunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est honor F et gloria, in secula seculorum. Amen. *Quis, quæso, inde auctorem synchronum eruat? Perpendi consideravique attente omnia, neque tamen tale quid reperire potui. Nimirum deceptus, ni fallor, fuit vir eruditissimus voce* vidimus, *cujus ibidem significationem, ut ut obviam, et ex adjunctis claram, elabi sibi passus est. Certe in eo hallucinati sunt Historiæ litterariæ Franciæ scriptores, dum loco supra citato asserunt,* profiteri hujus Vitæ auctorem, nihil se scribere, præter ea, quorum oculatus testis fuisset. *In eumdem errorem, ceteris in eo cautior, quod* vidimus *ad sola miracula restringat, impegit Bailletus, in Notis crit. ad hunc diem dicens :* Discipulum hunc S. Sequani ea tantum miracula narrare, quæ propriis oculis spectasset.

dubia est ætas scriptoris. 7 *Itaque non se alibi æqualem profitetur Vitæ scriptor, neque occurrit aliquid, unde id magis deduci possit, quam ex hoc loco :* Sed quæ vidimus succinctæ brevitati sufficere *etc. Mediocriter autem lingua Latina instructis manifestum esse debet, verbum* vidimus *idem hic significare, quod* judicavimus; *sensumque esse* : sed ea, quæ judicavimus, existimavimus, succinctæ brevitati sufficere, ea in hoc

AUCTORE J. S.

A hoc curavimus digerere volumine. *Profecto in ea, quam eruditissimi scriptores illi affingunt, significatione, sumi non potest, nisi subsequentia verba* succinctæ brevitati sufficere, *deleta cupiant, itaque mutilatum auctoris sensum in suum detorqueant. Igitur, cum certi nihil inde habeamus, examinemus reliqua. Quod stylum spectat, quo Vita hæc et Acta conscripta sunt, concisus est, et non ubique sibi constans: nunc altius elata phrasi assurgens, nunc humili depressus et repens; plerumque studio exquisitis verbis, iisque non satis propriis, contortus. Narratio factorum, præter illorum temporum et synchronorum auctorum morem, brevis, prolixior luxuriansque locorum et similium multumque ornata descriptio. Indulget hæc supra laudata Historia literaria Franciæ scriptori candido, bonæque fidei, qui tantum ea traderet, quæ propriis oculis vidisset. Ego, etsi in eo hallucinatos eruditissimos auctores ostenderim, scriptori tamen huic nostro neque candorem, neque bonam fidem erepta cupio. Verum cum de tempore, quo Acta scripta sunt, ambigere liceat, incertumque sit, qua via* S. Sequani *Vita ad illum pervenerit, quædam subjicio, quæ dubium aliquod* B *de narratorum veritate ingerere possunt iis, qui non facilem prodigiis fidem adhibent, nisi indubitata aliunde fide probentur.*

et narratorum veritas

8 *Antequam e paterna domo* S. Sequanus *recederet, dicitur ita memoria tenuisse totum Psalterium,* ut similis illi in recitatione posset quispiam minime reperiri. *Secedit in villam,* cui nomen Valeriacum,... ubi septa, etsi vilissima,... manu propria construxit... Cumque *ibidem* se... saluberrimis jejuniis... per tres fere annos oblectaret, ad tantam corporis tabe et fœditatis macie perductus est necem, ut... arida cutis ejus ossibus inhæreret. *Ducitur ad Eustadium presbyterum Magnimontensem, virum sanctissimum,* qui ejus capitis verticem Dominico charactere signatum totondit;... et ex eo tempore cœpit religiosissimus Sequanus Eustadio presbytero morigerari, et pedissequus ejus fieri;... denique convocatis populis ejus ecclesiæ *(Magnimontensis),* quoniam et ipsi experti fuerant tantæ sanctitatis atque abstinentiæ fructus in Sequano, eum Levitico ministerio consecraverunt apud episcopum testimoniis. Erat autem beatissimus Sequanus, quando Leviticam gratiam est adeptus, annorum fere quindecim;... gessit autem Leviticum officium annis quinque. Deinde... C ad presbyterii gratiam promovetur, *anno scilicet ejus vigesimo. Stupenda narrantur hic paucis multa. Erat annorum fere quindecim, cum diaconatu insignitus; quod est contra expressam sacrorum canonum auctoritatem, qui annum omnino vigesimum quintum requirebant, trigesimum vero, ut quis ad presbyterii promoveretur Ordinem, quem* Sequanus *anno ætatis vigesimo consecutus memoratur. Insigne enimvero privilegium, quod paucis admodum, et vix umquam sine prævio manifesto divinæ voluntatis testimonio concessum legitur, quando destituti pastore greges, ingensque Christianæ rei bonum tale exigebant!*

ex nimis præmatura ordinatione

9 *Præpropera hic descripta* S. Sequani *ordinatio vexavit, quotquot hanc Vitam illustrarunt et eos maxime, qui indubitatam iis Actis dandam fidem existimabant. Coïntius ad ann. Chr.* 518 *pag.* 308 *rotunde negat, hæc ita contigisse, corrigendumque in eo biographum censet. Roverius Annot.* 60 *pag.*517 *conjectat, interdicta et pœnas canonum, aut nondum nota ibidem, aut nondum fuisse observata, maxime cum Sozimus suspensionem ab officio episcopis immaturos ordinantibus comminatus quidem esset, sed nondum inflixisset. Verum nota erant statuta canonica Magnimontensi clero, cum* Sequanum *vel ideo eorum transgressorem per invidiam arguerent. Ceterum, an ita sentiens Roverius episcopi illius Lingonensis, quisquis fuerit, famæ et observantiæ erga Romanam sedem satis consulat, non indago: certe mox alio confugit, sanctumque Remigium, et alios ante præfixum tempus ordinatos in sui subsidium, et synchroni fidique scriptoris defensionem advocat. Idem hoc facit Mabillonius Nota B. Verum ut in præclarissimis sanctissimisque illis viris ordinandis statutum tempus præveniretur, urgebat necessitas ecclesiarum, quibus pastores et episcopi, non obscura Dei voluntate destinabantur. Nihil id in sancto* Sequano *magnopere exigebat; neque enim magna fuit in Magnimontensi oppido sacerdotum penuria, ubi de præposito sibi* Sequano *quidam clerici conquerebantur. Deinde non existimo* S. Sequanum, *qui, mortuo Eustadio, statim inde recesserit, addictissimos sibi populos sufficientibus pastoribus destitutos relicturum fuisse. Denique* Sequanus *hic anno suo* 15 *diaconus ordinatus dicitur, quod nulli illorum sanctorum in tam tenera puerilique ætate concessum legitur, indeque majorem prærogativam magis mirari licet, si non negare acceptam.*

E *et puerili ætate*

10 *Sunt et alia non pauca, nec minus stupenda, quæ de veritate narratorum scrupulum aliquem injicere nata sunt. Antequam Leviticum ordinem adipisceretur* Sequanus, *aliquo tempore Eustadio convixit, illudque oportuit non admodum breve fuisse, ut prudenter Eustadii jussu convocati populi, talia de eximia* Sequani *virtute et sanctitate (quam non invenio tum temporis prodigiis probatam fuisse) testimonia dederint, quæ Lingonensem episcopum moverint, ut statuta sacrorum canonum infringeret, nihilque sibi ab intentatis eorum transgressoribus censuris et pœnis metuens, toto plane decennio fixum ordinandis tempus præveniret. Demus itaque duos minimum annos, quibus* Sequanus *apud Eustadium agens, singularem suam constantemque virtutem usu Magnimontensibus probaverit, ita ut annos circiter tredecim natus, tonsura clericali insignitus sit. Demo illis fere tres, quos ante in villa Valeriaco solitudini consecravit, habeoque decennem fere puerum, totum jam pridem Psalterium ita edoctum, ut illud de memoria recitaret integrum indies, omnesque fida recitatione superaret. Habeo infantem pene, tam constanter tantoque cum ardore clericatus officium postulantem, ut contrariis parentum votis et curis obniteretur strenue, nec ulterius repulsam ferens,* F *decennis ex eorum domo recederet, ipseque sibi propria manu septa construeret, in quibus per tres annos delitesceret. Et vero quomodo parentes ejus,* qui filium suum tenerrime diligebant, eo quod unicum eum haberent, sperantes per illum suæ stirpis mortalis germina pullulare, *secessum hunc si non fugam potius, solitariam tenelli pueri vitam, jejunia, vigilias, corporisque vexationes immodicas otiosi spectarunt? Neque enim verosimile est, illa omnia ignorasse illos, qui conspicui haberentur in Magnimontensi oppido, unde Valeriacus pagus uno dumtaxat milliari Gallico distabat. Profecto non persuadebit mihi Bailletus ægerrime tulisse hæc parentes ejus, tulisse tamen, ne mœrore afficerent filium, quem tenerrimo amore prosequebantur: sic enim amor ille cæcus nimium et præposterus fingitur.*

et aliis mirandis.

11 *His adjice nec miranda minus, quæ dicuntur de finitimis illius loci, quem* Sequano *Thiolaïfus ostendi; nimirum, quod humanis carnibus et cruore vescerentur bestiarum more; quæ tam sunt incredibilia*

AUCTORE J. S.

credibilia, ut qui de narratorum veritate ambigere non audebant, tamen hæc metaphoris et figuratis locutionibus adscripserint, ut feroces homines nobis representarent. Similibus dictionis ornamentis annumerare potuissent etiam ea, quæ subjicio : Erat quippe *(spelæum, ad quod* Sequanus *ægre penetrans silvam, quæ erat* longum numquam violata per ævum *pervenerat)* diversorium sævientium dæmonum atque latronum,... latibulum spirituum immundorum. *Tum illud* : Et post constructionem monasterii, non post multum temporis spatium, multitudo ad locum congregata est monachorum, opinione Sequani viri prudentissimi a quatuor elicita mundi partibus; *quæ non minus hyperbolen sapiunt, si non potius fabellas, ut solent ejusmodi de dæmonibus narrationes, nisi indubitata fide asserantur. Certe non capio, quomodo eo tam cito monachi ex quatuor mundi partibus advolarint. Atque ex his statuat lector, quo hæc Acta loco habenda sint : nos dicamus aliquid de anno, quo* S. Sequanus *e vivis decessisse ab aliquibus memoratur.*

Valde incertum est, S. Sequanum obiisse

12 *Initio hujus commentarii late medium seculi sexti* S. Sequani *depositioni assignavi, ratus certi prætereanihil figi posse. Mabillonius tamen, Bailletus, Historiæ literariæ auctores et alii ejus obitum referunt ad annum circiter octogesimum sexti seculi. An satis solidis rationibus nixi, conjecturam hanc suam stabiliant, examinemus.* Sequanus, *Mabillonio teste, in Ms. cœnobii Cheminonensis dicitur* plenus dierum quievisse in pace : *ergo quadraginta annis circiter supervixit S. Joanni Reomaënsi. Ita jam laudatus scriptor conjicit ad numerum* 13 *Vitæ Sancti nostri, quem secuti videntur reliqui. Ratiocinium suum firmare nititur Mabillonius ex eo, quod* Sequanus adhuc juvenis Johannis abbatis Reomaënsis disciplinæ se tradiderit. *Verum, quam debile sit inde deductum argumentum, quis non videat ? Demus enim S. Joannem annos natum quadraginta (nemo, opinor, plures requiret, qui ejus Vitam legerit) monasterium Reomaënse condidisse : his adjiciamus (ut pergamus liberales esse) viginti alios, quibus sensim doctrina, monasticæ disciplinæ peritia, virtutis et sanctitatis fama ita claruerit, ut nomen ejus cunctas peragrarit provincias, et* S. Sequanum *spiritualis sibi vitæ doctorem quærentem eo allexerit.* Sequano, *cum illuc se recepit, ætatem concedamus, quam possumus infimam, ita ut vigesimus quintus ejus annus cum sexagesimo Joannis concurrat. Vixit hic, ut iidem testantur auctores, et ex ejus Vita manifestum est, annis centum viginti. Residuos itaque sexaginta annos Joannis Reomaënsis adde viginti quinque annis* Sequani, *Reomaüm ad sexagenarium Joannem accedentis et utrumque eodem anno Christi* 539, *quo, ut figit Mabillonius, Joannes obiit, mortuum finge : nonne sic dici poterit* Sequanus, *pene nonagenarius senex,* plenus dierum quievisse in pace ? *Quod si lubet quadraginta alios superaddere, cave ne nimios illi dies tribuas. Certe ad centum viginti quinque annos* Sequanum *pervenisse, ex conjectura undequaque arbitraria non admittent Historiæ literariæ eruditissimi scriptores, qui tom.* 3 *pag.* 285 *non videntur S. Joanni Reomaënsi centum viginti annorum senium concessuri, id nisi evinceret indubitata auctoritas.*

anno circiter 80 seculi sexti.

13 *Ceterum quamvis nihil sit, quod certo persuadeat, illo circiter abbatis Reomaënsis anno sexagesimo potius, quam aliis posterioribus, contigisse* S. Sequani *tyrocinium, paucula tamen suadent, illum circa seculi sexti medium vel etiam ante obiisse. S. Gregorius Turonensis librum de Gloria confessorum scripsit circa annum* 590, *teste Mabillonio, forte etiam ante, potuit enim jam pridem scripto adjicere, caput* 106 *de S. Radegunde, et pauca sequentia, quibus illum concludit. Porro Gregorius cap.* 88 *de* S. Sequano *agens, narrat miraculum, quod ad ejus sepulcrum acciderat. Eo tamquam ad asylum confugerant tres viri, iram Guntchramni regis veriti ; quo comperto, rex eos catenis vinciri jubet. Media nocte lux in basilica, humana luce clarior, exoritur : dissiliunt catenæ, vincti laxantur. Ex quo suspicor, aliquot jam tum annis, cum hæc scriberet Gregorius, mortuum fuisse* S. Sequanum : *videtur enim prodigium illud referendum ad prima tempora Guntchramni regis, dum venandi immodica libido tam gravem vindictam de ablato cornu venatorio exigit, ut hujus furti insimulatis non liceret tutis esse ad Sanctorum sepulcra, sed in locis etiam sacris caperentur, ibique vinculis stringerentur : alia enim fuit postmodum pii sanctique regis erga sacra omnia veneratio. Regnum adiit Guntchramnus anno* 561: *hæc contigerint paulo post, mortuo jam ante annos aliquot* S. Sequano, *quo deinde longævam magis* S. Sequano *vitam concesseris : quoque citius mortuum statueris, eo propius ad sexagesimum Joannis annum reduces moram Sancti nostri in Reomaënsi monasterio, in quo certe sacra disciplina instructus videtur fuisse, antequam S. Joannes latendi studio ad Lirinense cœnobium clam aufugit. Hæc Joannis Reomaënsis fuga Cointio et Mabillonio accidit initio seculi* 6, *litteras enim Gregorii Lingonensis episcopi ad illum Lirini degentem datas, statuit anno Chr.* 507 : *itaque octogenarius Joannes in illo monasterio ignotus inter juniores vixit, quod an verum sit, et an idem ille S. Gregorius sit, qui anno* 506 *eam cathedram adiit, hic non discutio. Certe difficile creditu est, Joannem natum annos* 88 *ignotum apud Lirinenses delituisse : quod admittendum est ab iis, qui* 120 *annos natum anno* 539 *obiisse statuunt. Illud interim mihi certum manet, quod chronologica nulla nota ex Vita S. Joannis Reomaënsis vel Actis* S. Sequani *petita cogat hujus mortem post annum* 540 *figere.*

VITA

Auctore anonymo, incertæ ætatis

Ex Ms. et Mabillonio, a quo textus Ms. Chiffletii in paucis verbis discrepat.

PROLOGUS.

Quamquam beatissimorum vita virorum, quæ attestante Domino spiritali articulo in immortali libro conscribitur, mortalium monimentis non egeat literarum; est tamen operæ pretium, voluminibus eam quoque commendare chartarum ; facundissimo enim vetustatis studio inventum est, stylo et opere literarum actus prætereuntium personarum oculis nescientium offerre ; ut si fides adsit scriptis, id sit legere, quod videre.



CAPUT I.

A

CAPUT I.

Acta S. Sequani usque ad fundationem monasterii Segestrensis.

S. Sequani ortus, educatio, secessus in solitudinem.

a b c Sequanus itaque vir moribus probatissimus, Dei gratia, priusquam in materno utero formaretur *a*, est præventus: ab ipsis autem cunabulis pene universis populis fructuosis operibus cognitus, Magnimontensi *b* oppido ortus, atque ibidem Christianis est parentibus *c* educatus. Divina ergo providentia, sancti Spiritus inflammatus ardore, infantili adhuc impeditus ætate, robustissime intra sui recessus pectoris præcepta Domini complebat Salvatoris. Postquam autem annos infantiles excedens, ad puerilem gradum profectus est, sic Psalterium omne, subsequente ei memoria, tenacissime adeptus est, ut similis ei *d* in recitatione posset quispiam minime reperiri. Parentes vero ejus, B eo quod eum unicum haberent, tenere eum diligebant, et sperantes per illum suæ stirpis mortalis germina pullulare, a clericatus officio prohibebant. Verum ille, per quem splendidissimæ sobolis palmes propagandus fuerat spiritualis, videns suis votis vota parentum opposita, secedens paulululum a communi habitatione, in villa, cui nomen est Valeriaco *e*, septam * sibi vilissimam, sanctitati tamen atque utilitati ejus congruam, manu propria construxit *f*, cœpitque in prædicto loco continuatis momentis votiva * orationum libamina Christo offerre, et abstinentiis impuberes artus, et molle adhuc corpusculum macerare: neque enim prius cibum sumebat, quam Psalterium totum in oratione perseverans recitasset. Gerebat autem sub ipso habitu laïci mores monachi lenissimi *, et sub intonsi capitis crine tonsi pectoris frugem. Cum se ergo saluberrimis jejuniis, et fructuosis parcitatibus per tres fere annos oblectaret, ad tantam corporis tabe, et fœditatis macie perductus est necem, ut contracta atque arida cutis ejus ossibus inhæreret.

* Mab. correctius, septa vilissima

* Mab. devota

* Mab. lectissimi

Tonsura clericorum insignitur ab Eustadio;

2 Quodam igitur die, dum eum parentes ejus viribus effœtum, atque mortali pallore aspicerent circumseptum, cum ejulatu nimio prorumpentes, dixerunt: Si tonsuram desideras, et ob hanc tui vigorem corporis amisisti, ipsi te nunc horum crinium, ut putas, onere sublevamus. Tunc quidam ex vicinis ejus, qui eorum comitatui *g* adhærebat, procax ac temerarius, forficem rapiens, nitebatur cæsariem sacratissimi Viri manibus resecare: sed cum vibratis forficibus suæ palmæ digitos super verticem antefati Viri extenderet, illico sinuosis anfractibus in præcordiis ejus gelidus timor illapsus, tremore quodam forfices de manu ejus excussit *h*; et factum est primum claritatis ejus miraculum, calyps de manu dirigentis excussus. Tunc vero parentes illius, novo stupore attoniti, sacerdotem devoverunt accersiri: qui, præmissa benedictione, cæsariem reverentissimi Juvenis inciderunt*. Erat autem tum temporis in Magnimontensi oppido presbyter moribus et ætate, nomine Eustadius *i*, vir Deo dignus atque sanctissimus, ad quem parentes beatissimi Sequani ad tondendum eum cum lætitia adduxerunt *k*; qui cum venisset, precibus Deo profusis, ejus capitis verticem Dominico charactere signatum *l* totondit, et post de-

* Mab. incideret

tonsionem casta oscula capiti atque labiis ejus infi- A. 520 circ. gens, benedixit eum, dicens: Adsit tibi, Fili, nostri potentia Salvatoris, cujus te jam præventum video *m* munere majestatis. Admoneo te, dilectissime, ut paululum abstinentiæ parcas, et obediens apostolicis præceptis modico vino propter stomachum et propter frequentes tuas infirmitates utaris: cibis quoque, qui possunt exile corpus tuum reparare, indulge.

cui deinde convivit; et ad diaconatum,

3 Ex eo itaque tempore cœpit religiosissimus Sequanus Eustadio presbytero morigerari, et pedissequus ejus in Dei gratia fieri. Insistentibus ergo illis frequentissime in excubiis Domini, et orationibus atque jejuniis, revelatum est sanctissimo Eustadio, quod pater futurus esset Sequanus populorum multorum, ad requiem prædestinatorum. Denique convocatis populis ejusdem ecclesiæ, quoniam et ipsi experti fuerant tantæ sanctitatis atque abstinentiæ cultus * in Sequano, eum Levitico ministerio, ante annos ætatis suæ, consecraverunt apud *n* episcopum testimoniis. Erat autem beatissimus Sequanus, quando leviticam *o* gratiam est adeptus, annorum fere quindecim; qui ita honoris sui dispensare cœpit sine offensione dignitatem, ut nullarum querimoniarum ætatis immaturæ occasionem E quærentibus hominibus præstitisset *. Senioribus reverenter obsequium sui gradus, sodalibus caritatis affectum, populis vero devotissimæ humilitatis reddere non desinebat officium. Ita igitur omnibus se omnia exhibebat, ut se sanctitatis respectu ornaret, et ad exemplum sui totius ordinis atque ætatis pectora provocaret: in quem procul dubio ille sermo Prophetæ impletus est, dicentis: Ut erudiret principes suos sicut se, et seniores suos prudentiam doceret.

* Mab. fructus

* Mabil. præstaret

quinquennio post ad presbyterium promovetur.

4 Gessit autem leviticum officium annis quinque; deinde peracto quinquennio, propter suæ humilitatis ac continentiæ fulgidum decus ad presbyterii gratiam promovetur. Tunc quidam clericorum Magnimontensis oppidi, ætate primi, moribus tamen ultimi, videntes sibi præponi secundi sacerdotii honore *p* Sequanum, contra eum musitare cœperunt, et obliquis eum obtutibus intuentes, quasi canonum transgressorem redarguere nitebantur. Sed ille Vir bonus, atque sinceræ doctrina caritatis cælitus eruditus, non solum illis mala pro malis non reddidit, verum etiam pro malis bona retribuit. Fere in diebus illis, quibus hæc acta sunt, beatus Eustadius de terris migravit ad cælum. Tunc Deo F placitus Sequanus decrevit ecclesiasticum officium relinquere et monachicam vitam silentio amicam arripere: sed quoniam monasticarum expers fuerat Regularum, vota ipsius sunt paulisper à dispositione propria demorata. Per dies itaque singulos sagaci indagatione archimandritam quærebat, qui eum vitam monasterii doceret, et sanctissimorum patrum collationibus atque institutionibus magis ac magis erudiret.

A S. Joanne in cœnobio Reomaënsi sacris litteris et præceptis religiosæ vitæ institutus.

5 Erat autem in diebus illis in * Tornodorensi monasterio * abbas *q*, Joannes vocabulo, cujus singularis sanctitas universas provincias peragrarat: ad eum ergo, illius opinionis comperta signacula, Sequanus sanctissimus declinavit. Quo cum summa lætitia suscepto, puro mentis affectu *r*, regulari solertia ita eum brevi tempore imbuit, et in ejus cordis intima lumen veritatis infudit, ut speculum esset cunctis bene viventibus, et ad Deum tota mentis devotione tendentibus. Sequanus ergo vir venerabilis, postquam se vidit omnium divinarum Scripturarum dogmatibus instructum et monasterii laudabili diligentia eruditum, locum fabricandi sibi monasterium aptum frequentissime scrutabatur

* Tonnerre

* Mab. cognominato Reomaus

A. ANONYMO. scrutabatur; cumque per momenta singula confinia loca circuiret et ad amicorum suorum notitiam voluntatis suæ decretum perduceret, quidam propinquorum suorum, Tiolaïfus nomine, dixit ei: Quia sciscitatus es me, et consilia tua sunt mihi sinceriter depalata, pandam tibi sanctissime * locum, atque ostendam, in quo poteris consistere, si Dei ardore inita sunt, quæ præparas adimplere. Est denique locus hæreditario tibi *s*, ni fallor, jure perdebitus, sed loci illius finitimi bestiarum more carnibus humanis ac cruoribus depascuntur, ita ut nulli sit facilis trames per eos, nisi multitudine stipatus fuerit armatorum.

* Mab. certissime

locum construendo monasterio quærit,

6 Ad quem beatus Sequanus: Tu tantum mihi locum cognitum demonstra, et si Divinitatis instinctu mea sunt vota concepta, omnis ferocitas illorum in columbæ simplicitatem delinita convertetur. Assumptis ergo secum comitibus, profecti pervenerunt ad locum, de quo concionati fuerant. Erat autem sylva longum nunquam violata per ævum, cujus arborum summitas pæne nubes pulsabat. Tunc requirentibus illis aditus, quibus possent sylvæ penetrare secretum, callis quidam B artuosus eorum refulsit obtutibus, tantum angustior * atque sentuosus, ut difficile possent plantæ uniuscujusque per eum æquiparo gradu incedere, sed prolatum vix pedem pes sequebatur, impediente densitate ramorum. Attamen, licet non sine suo labore, neque vestimentorum discerptione in asperrima sylvæ penetralia pervenerunt. Tunc curvantes se solotenus, perspicuo visu tenebrosa latibula investigare cœperunt. Fixo ergo in uno obtutu diutius inhærentes, aspexerunt spelæi cujusdam angustissimas fauces labruscis ac filicibus obumbratas: desuper autem ita impliciti inter se ramorum frondes tenebrosum reddiderant spelæum, ut illius etiam feræ formidarent accessum: erat quippe spelunca latronum et latibulum spirituum immundorum.

* Mab. angustus

cujus fundamenta ponit in silva.

7. Cumque ad eum appropiarent, Sequanus vir Deo amabilis in ejus ingressum curvatis poplitibus, toto se corpore vepribus superjaciens lacrimabilis preces Deo effudit, dicens: Domine, qui fecisti cælum et terram et omnia, quæ in eis sunt, qui das votum optandi et benedicis annos justi, a quo est omne boni principium, et sine quo vacua sunt, quæ humana temeritas nititur, si jubes me in hac eremo conservari *, ostende, quæso, obtutibus famuli tui, et effectui mancipa devotio- C nis meæ a te mihi concessum exordium. Perfecta autem oratione, surrexit et oculorum aciem lacrymis humectatam cum palmis ad cælum extendit *. Cognoscens ergo se, duce potentia Salvatoris, ad squalidam sylvam fuisse delatum *t*, benedictione præmissa, extemplo parvæ cellulæ, in quo loco genua ad orationem fixerat, fundamenta molitus est: cujus adventus rumore pennigero ad aures est delatus circumhabitantium possessorum, qui adorantes * se certatim, nutu divino compulsi, profecti sunt ad eum: quo viso cominus, ita ex lupis mansuetissimi, ac si oves, effecti sunt, ut, qui erant dudum causa terroris, illico fierent ministri juvaminis. Factus est autem ille locus ex eodem tempore habitaculum innocentium, qui fuerat diversorium sævientium dæmonum atque latronum.

* Mab. conversari

* Mab. tetendit

* Mab. correctius adhortantes

ANNOTATA.

a *Scriptoris simplicitati ignoscendus est hic loquendi modus, non satis ad rigidioris Theologiæ trutinam exactus.*

b *Magnimontensis pagus, indigenis* Maimont, *oppidum quondam comitatus titulo insigne fuit,* D *ut liquet ex veteri charta, quam ex Mabillonio dedi Commentarii prævii num. 4. Spectari ibidem etiamnum collapsæ arcis rudera, et virorum illustrium sepulcra, testatur jamjam laudatus scriptor. Hodie ignobilius est, quam ut de eo in Lexicis geographicis fiat mentio. Secundum mappam D. de Lisle quarto milliari Gallico a Segestrensi monasterio distans, quinto infra Divionem in finibus Burgundiæ situm est. Districtum olim habuit amplissimum qui monasterium Segestrense complecteretur, ut patet ex Præcepto Caroli Crassi apud Sammarthanos tom. 4 instrumento 10 ecclesiæ Lingonensis.*

c *Patrem* S. Sequani *comitem Magnimontensem faciunt continuatores Galliæ Christianæ tom. 4 col. 696, legique id aiunt in Sancti nostri Vita seculo* I *SS. Ord S. Bened. pag. 263. Ego paginam illam totamque Vitam volvi revolvique sæpius, neque tale quid offendi, unde suaderi vel per umbram possit, quod asserunt; imo ex Mabillonii Actis, ubi* tibi *prætermissum est, ne liquet quidem parentes Sancti nostri habuisse sibi prædia propria: illud enim* Hæreditario jure perdebitus, *æque ad Thiolaïphum, quam ad* S. Sequanum *referri potest.*

d *Monui in Commentario, reponenda hæc esse* E *inter exaggerata prodigia, nisi scriptor Actorum comparationem institutam velit* Sequanum *inter et adolescentes paulo provectioris ætatis.*

e Valeriacum, *Vernacule* Verri sous Drées, *uno milliario versus* Sequani *monasterium a Magnimontensi oppido dissitum, forte ex prædio vel villa, ut hic appellatur, in pagum sensim excrevit.*

f *Quæcumque hic de* S. Sequano *narrantur severioris vitæ initia, tam sunt similia iis, quæ in Vita S. Joannis Reomaënsis legere est, ut, si huic duos pueros socios, illi inferiorem aliquot annis ætatem adimas, una ex alteris desumpta suspiceris. Quæ ex iis miratus sum maxime Commentarii prævii numero penultimo collegi.*

g *Comitis titulus primo derivatus videtur ab eo, quod ex intimis regum principumque familiaribus essent, eosque ubique comitarentur: unde illud Taciti:* Comitatui principis adjectus est, *pro in aulam ejus est receptus. Verum qui Comitum titulo, prout hodiedum sonat, eos omnes condecorat, quorum comitatui adhæret, næ ille sibi Comites facit eos omnes, quorum consortio utitur: comitatus enim et consortium idem est Ciceroni et omnibus Latinæ linguæ peritis. Inutilis visa fuisset hæc Nota, nisi eruditissimos Galliæ Christianæ continuatores in ea voce hallucinatos* F *suspicarer, dum parentes* S. Sequani *Comitum titulo insignes fuisse asserunt.*

h *Quid sibi velint hæc, non satis assequor. Vicinus certe ecclesiasticum interdictum nullum violavit: exempla enim non pauca istius temporis suppetunt Sanctorum virorum, qui contra Ecclesiæ præceptum incidi sibi a laïcis crines non tulissent. Quinimo omnino in usu fuisse et licitum, patet ex Thomassino de vet. et nov. Eccles. discip. tom* I, *part.* I, *lib.* 2, *cap.* 37 *et seq.; neque enim sola capitis tonsione magis olim clerici fiebant, quam ea fiunt hodie. Tonsurati, si qui a laïcis essent, deinde ab episcopis et sacerdotibus, quorum est aliquem in hereditatem Domini adlegere, clero aggregabantur. Igitur, qui hic temeritatis et procacitatis pœnas luere dicitur, vel non solum tondere* Sequano *caput meditabatur, sed presbyterorum munus sibi insuper arrogabat, vel joco et ludibrio rem sacris destinatam tractabat, vel Deus hoc miraculo non tam illius audaciam punivit, quam ostendit, velle se,* S. Sequanum *servis suis adlectum, vel denique*

A *nique etiam hæc inter fabellas reponenda sunt.*

i *Alius est hic Eustadius ab eo, qui primus abbas fuit S. Benigni, quique paulo post hæc tempora floruit. Eustadius Magnimontensis in eo oppido obiit, videturque ex toto hoc contextu presbyter secularis et pastor istius loci fuisse.*

k *Non videtur dubium, quin olim presbyteris, saltem iis, quibus cura alicujus ecclesiæ commendata esset, potestas fuerit tonsuram conferendi, eosque, quos vellent, in clerum assumendi. Roverius et Coïntius in hanc rem proferunt canonem* 18 *concilii Emeritensis: ubi carpuntur ii pastores, qui negligentiores essent in adsciscendis suæ ecclesiæ clericis, hoc tenore :* Sunt enim nonnulli (Parochitani presbyteri, *ut paulo ante dixerat*) qui ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, et solicitudo illis nulla est habendi clericos... proinde instituit hæc sancta synodus, ut omnes parochitani presbyteri juxta ut in rebus sibi adeo creditis sentiunt habere virtutem, de ecclesiæ suæ familia clericos sibi faciant, quos etc. *Sed vereor, ut ibi tam certo parochitanis presbyteris collata tonsurandi facultas probetur, quam carpatur aliquorum avaritia, qui pecunias ecclesiasticas corradebant,*
B *parcoque clero in suis ecclesiis utebantur, ne plures ex suis proventibus alere tenerentur. Ut ut est, res hæc ex conciliorum Carthaginensium canonibus satis liquet apud eosdem auctores.*

l *Id est, corona clericali. Fuisse autem illam in speciem tenuis circuli, qui rasum caput ambiret, colligitur ex Gregorio Turonensi Vit. Pat. cap.* 17, *ubi hæc habet de S. Nicetio Trevirorum episcopo* : S. Nicetius ab ipso ortus sui tempore clericus designatus est. Nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantum, a capillis nudum cernebatur : in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares, ab iisdem coronam clerici fuisse signatam.

m *Commentarii prævii num.* 7 *monui, Bailletum testimonium oculatum ad sola miracula restrinxisse. Neque volent, opinor, reliqui, qui illud perperam ad Acta latius extenderunt, quæcumque hic narrantur pro authenticis haberi, sed orationem Eustadii, ejusque adhortationem synchroni, ut ipsi arbitrantur, scriptoris inventioni concedent, ne, dum* S. Sequanum *tam longævum senem faciunt, multo plures annos concedere cogantur perpetuo huic Sancti comiti, qui res ab eo in infima pueritia gestas viderit, visasque post ejus*
C *mortem fideliter literis mandarit.*

n *De præmatura* S. Sequani *ordinatione satis dixi in Comm, prævio. Porro incertum est, quis fuerit episcopus Lingonensis, de quo hic agitur. Aliqui arbitrantur fuisse S. Gregorium, quem anno* 6 *seculi sexti ad illam cathedram evectum statuunt; eumdem ipsum, a quo datas literas asserunt ad S. Joannem Reomaënsem, cum e latibulo suo Lirinensi ad suos Reomaüm redire abnueret. Verum hæ meræ conjecturæ sunt, ne quidem satis sibi cohærentes : iidem enim ipsi abbatem Reomaënsem annos natum* 120, *seculi sexti anno* 39 *diem obiisse tradunt. Igitur anno primo episcopatus Gregorii Joannes agebat octogesimum octavum vitæ suæ. Facilis profecto fidei sit, qui credat nonagenarium senem, tanto tempore apud Lirinenses monachos inter juniores deputatum fuisse et incognitum egisse.*

o Sequanus *hic a tonsura, seu clericatu, ad Leviticum gradum seu diaconatum assumitur, more illis temporibus valde usitato, ut liquet ex Cæsario Arelatensi et aliis apud Roverium Nota* 59. *Nimirum minores Ordines omnes sub clericatus nomine continentur, iique cum ipsa tonsura passim conferebantur. Subdiaconatus autem in diaconatu comprehendebatur, uti videre est apud Morinum de sacris Ordin., Thomassinum et alios.*

p *Variat hic in codicibus lectio et obscurum sensum relinquit. Roverianus habet :* Videntes sibi præponi secundi sacerdotem honoris Sequanum : *Mabillonianus,* præponi Sequanum secundi ordinis sacerdotii honore : *Belfortianus,* præponi Sequanum *contracte de more, omissis reliquis. Noster videtur correctior, ibi sensus esse potest : Videntes sibi proponi* Sequanum *gemina ordinatione, vel potius dignitate presbyterii, quod secundum sacerdotium non raro appellatur, ut episcopalis dignitas primum.*

q *De S. Joanne Reomaënsi egit Bollandus die* XXVIII *Jan. Ejusdem Sancti Acta et Vitam habes in Actis SS. Ord. S. Benedict. Sec.* I *pag.* 633 *ex Ms. S. Germani Pratensis, diverso ab eo, quod Roverius edidit. In postremo hoc adventus* S. Sequani *in monasterium Reomaënse ita describitur :* Vir quidam nobili intentione præventus, Sequanus nomine, comperta famuli Dei Joannis fama, in institutione priorum Patrum; quam et ipse flagranti sitiebat amore, quadam nocte a partibus Magnimontensium inter densa tenebrarum adveniens, basilicam latenter introiit, communem Dominum orationibus pulsans. Quod divinitus viro Dei *(sancto Joanni)* revelatum est. Citoque ministro imperat, ut concito gradu pergat, tactoque signo sodales excitet, quia frater communis Sequanus abscondite fores ecclesiæ penetrans, Dominum orationibus pulsat. Quod ita esse, certissima est inventione compertum, et venerando Famulo Dei per plurimum ardentissima fratrum charitas officium debitum hospitalitatis persolvit. *Ad quæ studiose inquirit Roverius, ad quid de nocte et clam eo* Sequanus *accesserit, conjicitque id factum, ut a primo ingressu sciret* Sequanus, *rem sibi esse cum viro, quem nihil lateret et cui divinitus cuncta revelarentur.* E

r *Regulam sancti Macarii sequebatur S. Joannes, eamque* S. Sequanus *ab eo acceptam suis præscripsit, facta tamen aliqua in iis mutatione, ut apparet ex paralytico, quem in ecclesiam ad Missam et Communionem ipso die festo Paschæ recepit, quod Reomaënsibus Regulis erat vetitum; expetenti enim Agrestio, ut* ab ore Joannis corpus consecratum Christi mereretur accipere,... egredere, inquit Joannes, Agresti foras... ne videamur sanctorum patrum irrita præcepta facere, neve præsumamus regularem laxare censuram. *Macarianam Regulam diu tenuit utrumque monasterium, deinde Benedictinam amplexum est, quare uterque sanctus fundator Sanctis Ordinis S. Benedicti annumeratur ab ejus instituti scriptoribus* F

s *Quod additur hic,* tibi, *restringit sensum, qui ambiguus est in Mabillonii codice. In eodem omissa sunt :* illius opinionis comperta signacula : puro mentis affectu : in ejus cordis intima lumen veritatis infudit : ad Deum tota mentis devotione tendentibus, *et alia non pauca his similia : in iis noster magis cum Roveriano congruit. Ms. Belfortii hic est valde contractum, iisdem deinde pene verbis ornatissimam illam sylvæ descriptionem prosequitur.*

t *Territorium, ubi* Sequanus *sui cœnobii constructionem orditur,* Segestre, *et antiquitus* Sicastre *dictum, ditionis erat Magnimontensis oppidi, ut liquet ex Præcepto Caroli Crassi : deinde monasterium multorum ædificiorum accessione auctum excrevit in oppidum, quod* S. Sequani, *Gallice* S. Seine, *appellatur. Suam sibi monasterium*

A. ANONYMO. *jurisdictionem seorsum a Magnimontensi obtinuit, cui subjacent tum oppidum illud, tum vicus proximus, qui etiamnum hodie* Segestre *seu* Sestre *dicitur. Ceterum Roverius arbitratur*, Segestre *a* Segete *derivatum esse; unde* Segestria, *strameum involucrum, Latini efformaverunt pridem. Si ita est, magis mirari quis poterit, silvam longum numquam violatam per ævum, spelæis abditissimis horrentem, in agro non admodum spatioso, cui a numerosa luxurianteque segete nomen fuerit. Monasterium hoc distat Divione milliaribus quinque, totidemque fere a Magnimontensi pago. Ejus abbates jus sessionis habent in comitiis generalibus Burgundiæ.*

CAPUT II.

Reliqua S. Sequani gesta, miracula ab ipso patrata, obitus.

S. Sequanus condit monasterium. Instabant autem structores operis, ii, qui advenerant, finitimi; pars fundaminis solidare juncturas, pars parietes erigere, pars autem umbrosæ sylvæ nemora detruncare et futuris monachis habitaculum præparare : non post multum temporis spatium, multitudo ad locum congregata est monachorum opinione *a* Sequani viri prudentissimi, a quatuor elicita mundi partibus. Ille autem probatissimus Vir, sapientiæ munere singularis, ita eo tempore venientem ad se monachorum multitudinem erudivit, ut propositi eorum continentiam atque obedientiam, sacrarumque literarum augmentum cætera nimis * monasteria mirarentur. Facta est igitur celeberrima in omnibus Galliæ finibus Viri sanctissimi fama. Omnes autem, qui vario morbo vel languoribus tenebantur afflicti, aut pedibus se suis portantes, aut aliorum vectati cervicibus, Viri beatissimi monasterium appetebant : quos fructuosis gemitibus, nomine Domini invocato, et vexillo Crucis fronti eorum imposito, oleo sanctificato *b* perungens, sanitati pristinæ reformabat. Si quando ad eum spiritibus immundis vexati veniebant, usque adeo se cum eis saluberrimis jejuniis, nec non et orationibus affligebat, quousque inventorem malorum excluderet, C et quod erat habitaculum dæmonis, templum faceret Christi gloriosissimi Redemptoris. Quidam autem eorum, qui sanitatem recipiebant, regrediebantur, quidam vero orationi instantes, ibidem Christo, per cujus gratiam sanabantur, perpetuo servituri, monachorum consortio jungebantur.

* Mab. in ejus cænobio

Cæco visum restituit. 9 Quidam igitur temporali cassatus lumine, dieique hujus privatus fulgore, præsentatur obtutibus, quo viso, interrogavit eum, dicens : Quid vis, ut faciam tibi? Cæcus autem respondit : Bonæ opinionis tuæ meis auribus odor fragravit, propterea huc delatus sum, ut per tuas orationes lumen recipiam. His auditis, se illico Vir beatissimus solo prosternens, his verbis Christo orationem effudit : Deus, qui ab hoc te mundo aspiciendum præbuisti, ut aperires oculos cæcorum, et educeres vinctos de tenebris ad lucem, et eis, qui in umbra mortis constituti fuerant *c*, fugatis umbris tetriferi, splendorem redderes claritatis, da, quæso, huic lumine privato, per invocationem nominis tui, visum recipere, et imaginem tuam, quam inlecebritatis * nisum est vitium deformare, perspicuæ visionis pulchritudinem lucemque sæculi hujus aspicere. Cumque hæc et his similia die ac nocte jugiter Domino effudisset, intra brevissimum tempus visum, qui non videbat, recepit, D decrevitque pro tanti luminis munere in eodem monasterio Deo servitium exhibere. Tunc, laici habitu cum moribus commutato, catervæ monachorum est sociatus.

* mendose. Rov. in celebri parte

Paralytico sanitatem reddit. 10 Paralyticus quoque quidam, comperta fama beatissimi Sequani, et sanitatum miracula *, quæ per eum Dominus Jesus Christus frequentissime operabatur, deprecatus est eos, quibus consanguinitate proximus erat, ut eum ad Sequanum sanctum deportarent : qui adquiescentes precibus ejus, ad præfatum Virum cunctis virtutibus adduxerunt præcipuum *d*. Erat autem, quando delatus est, sanctus dies vigiliarum Paschæ. Vir autem beatissimus Sequanus, tam pro solemnitate diei, quam paralytico fidentissime sibi adlato, in orationibus atque excubiis Domini tota nocte pervigilans perseveravit, et quemadmodum Deo fretus cæterorum languentium sanctificati olei liquore ad secludendam valetudinem perungebat, paralytici quoque artus singulos, invocato Christi nomine, perunxit. Perfecta autem nocturna Vigiliarum celebritate, et diei festi radiante fulgore, Vir E beatissimus libamina certo diei tempore Deo obtulit. Erat autem coram altaribus toto Sacrificii tempore hic, quem dixi, paralyticus supplici mente prostratus. Consummato itaque Sacrificiorum officio, Eucharistiam Domini corporis, atque cruoris laticem ori jacentis paralytici Sequanus beatissimus prærogavit. Post perceptionem igitur corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, sursum Vir sanctissimus oculos erigens, signum Crucis imposuit super membra jacentis. Cujus vigor ita in ejus ossibus penetravit, ut se numquam putasset morbosæ ægritudinis impeditum fuisse prolixitate : statim autem, ut Crucis signaculum ægrotus recepit, fesso vires, medullæ ossibus, nervis conjunctio restituitur; contracta cutis extenditur, plantarum bases consolidantur; verus vultui color, secluso pallore, redditur, et membrorum omnium vis ad antiqua reparatur officia; et qui portitorum manibus ad sanctum delatus fuerat Sequanum, vestigiis propriis nitens, cum Dei laudibus ad suos tripudians penates revertitur.

* Mab. melius miraculis

Tempestatem sedat. 11 Sed nec illud justum esse reor præterire miraculum, quod non impari est Dei munere cæteris muneribus propagatum. Cum jam temporis qualitate fænum in pratis maturesceret, et ad metendum se sua quodammodo maturitate manus mortalium invitasset, proficiscitur una cum suis F monachis ad metendum fænum vir laudabilis Sequanus. Pariter ergo pergentes ad pratum, quo tendebant, venerunt. Tunc de more laborantium extensis uncis falcibus cum rotato ictu fæni segetem ad terram dejicerent, ecce subito acta turbinis modo tempestas irruit, et vertigine ferocissima terram vorans et fæni manipulos per aerem spargens*communes messores positos exanimavit, et ad nimiam vitæ desperationem perduxit. Cum autem ad locum procellæ procacitas devenisset, in quo monachi pariter cum præfato Viro labori operam dabant, sicco aëre, nubibus desistentibus, mirabile dictu *e*! in imbrem tempestas conversa est. Qui vero affuerunt vicini pectora tondentes, videntes hæc signa, obstupuerunt admirantes; postea autem in se conversi, dixerunt: Vere hic Vir sanctissimus est, cui enim aliquando talia concessa sunt, ut sævientium tempestatum vertigines in liquidissimam pluviam commutaret? Cœpit ex illo famosissimus esse, et divulgari celeberrimis miraculis magis quam fuerat. Multa quidem et innumerabilia in conspectu

* Mab. communis.

A populi sui sanitatum perfecit miracula; sed, quæ vidimus succinctæ brevitati sufficere, ea in hoc curavimus digerere volumine. Præ cunctis vero, quæ ad monasterii usum atque utilitatem Sequanus vir sanctissimus instituit, ecclesiam quoque laboribus propriis fabricatus est, in qua nunc ejus ossa pacifice *f* requiescunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Opinio hic pro fama sumitur, seu passive, pro ea, quam homines de* S. Sequano *habebant.*

b *De oleo sanctificato, quo et hic infirmos, et infra dicitur* S. Sequanus *paralyticum inunxisse, multis discurrit Roverius Nota* 63 *et* 64 *pag.* 519. *ostenditque fuisse oleum in hunc finem benedictum. Consule, si lubet, Gretzerum nostrum lib.* 2 *de benedictionibus cap.* 22 *et seqq.*

c *Multo contractior est Mabillonii codex; noster, tum hic, tum alibi, ut superius monui, ubi prolixior est, magis ad Roverianum accedit.*

d Præcipuum, *quod in nostro et Roveriano habetur, vel abundat, vel nomen est istius paralytici proprium.*

e *Conqueri merito hic posset aliquis, inter* innumerabilia, quæ S. Sequanus perfecit miracula, *talia a scriptore seligi, quæ solis verbis mira videantur. Equidem multum dubito, an, quod hic describitur, apud omnes prodigii loco habendum sit. Quantum ex congestis verbis maleque contortis periodis assequor, in diversa parte prati maturum fœnum secabant rustici, in adversa monachi. In eam partem, quam rustici tenebant, turbo seu tempestas incubuit, lateque disjecit omnia, qui in adversam, ubi cum suis* S. Sequanus *metebat, desinens, in imbrem resolutus est, et vento a circum dilapsis nubibus repulsus Sanctum nostrum ejusque monachos et maturum jam siccumque fœnum aspersit; quod an illi beneficio, et nos prodigio apponere debeamus, asserere vix ausim.*

f *Post* ad suos tripudians penates revertitur, *omisso ultimo miraculo, ita prosequitur et desinit codex Ms. cœnobii Cheminonensis apud Mabillonium Nota ultima* : His et aliis multis miraculis et virtutibus beatus Sequanus fulsit in sæculo dum viveret, et post mortem etiam multa miracula fecit Christus per Famulum suum, et plenus dierum quievit in pace, et sepultus est cum gloria et honore in ecclesia, quam fundaverat. *Multa* Sanctus Sequanus *hic dicitur post mortem patrasse miracula, de unico speciatim constat nobis ex S. Gregorio Turonensi, quod subjicio.*

APPENDIX

S. GREGORII TURONENSIS

Libri de Gloria Confessorum

CAPUT LXXXVIII

De S. Sequano abbate

Magnæ autem virtutis fuit et ille Sequanus, Lingonici abbas territorii, qui vivens sæpe homines a vinculo diabolici nexus absolvit, et post obitum *a* ad sepulchrum suum ergastuiari catena revinctos, liberos meritis suis abire permisit. Denique Guntchramnus rex, cornu, cujus voce vel molossos colligere, vel illa corneorum *b* arboreorum armenta effugare consueverat, furto ablatum perdidit : quæ res multos in vincula conjecit, nonnullos facultate privavit : ex quibus tres viri memorati Confessoris monumentum petierunt : quo rex comperto, jussit eos catenis atque compedibus necti; factum est ita. Media nocte vero lux in basilica humana luce clarior oritur : dissiliunt ferrearum pedestrium repagula, catenarumque disruptis baccis *c*, vincti laxantur. Quo audito, rex exterritus velocius eos liberi arbitrii potestate donavit.

ANNOTATA.

a *Laudati sæpius Mabillonius* et *Bailletus, hic in vita* S. Sequani, *ille in Nota ultima affirmant, S. Gregorium hoc capite* 88 *asserere,* S. Sequanum jam tum multis miraculis post mortem claruisse. *Forte quia idem miraculum pluribus factum innuitur.*

b *Cervorum, quorum cornua speciem præferunt ramorum.*

c Bacca *quandoque sumitur pro gemma. Hæc nomen suum dedisse potuit annulo, cui inseri soleret; indeque hic* bacca *pro annulo poni. Exempla alia dat Cangius in Glossario.*



DE

AUCTORE J. C.

DE S. GOERICO SEU ABBONE

EPISCOPO CONF. METIS

IN BELGICA PRIMA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

S. Goërici in Fastis sacris memoria; Acta edenda, Vitæ aliqualis chronotaxis; Sancti prosapia, et posteritas; miracula.

Anno Christi DCXLII vel DCXLIII S. Goërici seu Abbonis

Sancti Goërici *seu* Abbonis, *quem trigesimum catalogi statuunt Metensium episcopum, frequens est in sacris Fastis recentioribus memoria ad hunc diem. Ita illum in Additionibus Usuardinis, nuntiant apographa Hagenoyense, Bizunticense, Lubeco-Coloniense, et Grevenus.* Metis S. Goërici episcopi et confessoris: *paulo aliter Florarium nostrum Ms.:* apud Metim civitatem Goërici episcopi et confessoris : *fusius Molanus :* Metis S. Goërici episcopi et confessoris, qui cognomento Appo vitæ sanctitate fuit admirabilis, et omnibus sibi commissis amabilis. *Sanctum nostrum ita celebrat Martyrologium ecclesiæ cathedralis Metensis :* Civitate Meti depositio S. Goërici episcopi et confessoris : *Germanicum vero Canisii :* Metis sancti episcopi et confessoris Goërici, cognominati Appo, fortis et celebris bellatoris, orti in Aquitania. Cum plurimas de barbaris hostibus victorias retulisset, cæcus factus est; quod patienter tulit. Angelico monitu ivit Metim, ubi a S. Stephano sanatus est, et sacerdos consecratus. Successit S. Arnulpho in episcopatum, et, postquam populo suo exemplo et doctrina longo tempore præfuisset, dormivit in pace. *Amplissimo elogio* S. Goëricum *etiam Saus-* C *sayus prosequitur, ejusque est apud Martyrologos Gallos passim obvia memoria ad hunc diem. Chronicum Metense apud D'acherium tom.* 6 *pag.* 652, *quod Stephani sedentis tempore conscriptum est, ut liquet ex epilogo, adeoque seculo* XII, *decimum octavum Kalendas Octobris* S. Goërici *decessioni assignat; repugnant Mss. nostra et instrumenta reliqua, quæ omnia Sancti obitum hoc die consignant. Sed istius Chronici fides vacillat sæpius alibi, tum etiam hic, ubi* Goëricum *Metis sedentem exhibet* sub Apostolis Vitaliano et Adeodato; *quorum ille Romanam cathedram non adiit ante annum Christi* 657, *illique anno ejusdem seculi* 72 *deinde Adeodatus successit, dudum e vivis ad Superos translato* S. Goërico; *ita ut morari hæc nos non debeant. Ceterum, qui in laudatis Martyrologiis* Appo, *alibi* Abbo, Addo, Abdo, Albo *et* Adbo *corrupte cognominatur, ejusque etiam primum nomen quandoque variat, cum* Godericus *et* Gohericus *a quibusdam dictus reperiatur.*

in sacris Fastis memoria.

2 *Kalendario, quod præfixum est Breviario antiquissimo nostro manuscripto, inscriptus quoque die* XIX *Septembris legitur* S. Goëricus, *de eoque exstat Officium novem Lectionum in Breviario ecclesiæ Tullensis, impresso Parisiis anno* 1535. *Præter commune Confessoris pontif. præscribuntur sequentes antiphonæ : in primis Vesperis ad Magnif.*

Almi Patris in natalitio
Hilarescat cælestis unio,
Psallat clerus ferventi studio
Et sic crescat plebis devotio. E
Spinalensis exultet natio
Tanti Regis fulta præsidio.

AD BENEDICT.

Adolescens orans in carcere
Vinculorum attritus onere
Sanctum sibi videt assistere,
Cujus vincula solvuntur munere,
Fores patent, carcer evomere
Deglutitos cogitur prospere,
Disponuntur omnia prospere
Et ad fugam custodes cedere
Et a morsu bestia parcere.

IN 2 VESP. AD MAGNIF.

O qui rore spiritali
Corporalis ignem mali
Sanas potentissime,
Prece tua redime
Nos ab igne gehennali,
Quo cremantur animæ.

Oratio denique : Deus, qui beatum Goëricum pontificem tuum scientiæ lumine et prædicationis efficacia clarescere voluisti, da populis tuis tanti intercessione Pastoris suorum veniam peccatorum et tuæ F pietatis adipisci gaudia sempiterna. *Hæc eadem habetur prima inter tres præscriptas cum communi conf. pontif. in Missali Virdunensi typis edito Parisiis* 1554. *Lectiones novem, quæ leguntur in Breviario citato Tullensi, ad verbum conveniunt cum Ms. nostro Spinalensi, terminanturque Actorum, secundo loco dandorum, medio numero tertio, ad hæc* domique reportabat. *De cultu antiquo* S. Goërici *nullum relinquit dubium Vita Adalberonis seculo* 10 *ab ejus æquali conscripta, ubi consecratum a Theodorico primo Metensium episcopo Sancto nostro templum memoratur, cujus etiam meminerunt Acta nostra numero ultimo.*

Edita sunt Acta ejus apud Vincentium Bellovac. Surium etc.

3 *Res gestas* S. Goërici *Vincentius Bellovacensis suo Speculo Historiarum inseruit parte* 2 *lib.* 23 *cap.* 74 *et seqq., quas S. Antoninus in Summam suam Hist. tit.* 13 *cap.* 6 § 12 *transtulit. Surius ad diem* XIX *Septembris ejusdem Sancti Vitam edidit ex vetustissimo Ms. codice ecclesiæ Trajectensis, cum quo, ipso etiam teste, correspondet pene ad verbum illa, quæ est in Vincentii Speculo. Vitæ alterius Ms. Sancti-Montis meminit eruditissimus Calmetus in sua Hist. Loth. aucta lib.* 9 *col.* 412, *Nota* 1 : *at*

et

AUCTORE J. C.

A *et illa, quantum ex ejus verbis colligo, in paucis a prædictis discrepat. Ruerus in Antiq. Vosag. Actis, quæ apud Surium legerat, subjungit aliqua ex traditionibus et aliis Mss., quæ, ut profitetur, asservabantur in cœnobiis Vosagi montis. Sunt autem talia :* In puritate vitæ ducens (S. Goëricus, *inquit lib.* 5 *pag.* 71) dies suos tandem voluit insistere vestigiis felicis sancti, quem institutorum prædecessorem et exemplum habuerat conversationis, sanationis, professionis et dignitatis, nihil negligens, quod conduceret ad perfectionem Christianam. Igitur sensim aulæ negotiis se subducens, ad alteram Vosagi solitudinem secessit ad Mosellæ ripam, ubi mox monasterium exstruxit, quod sancto Mauricio dedicavit, in gratiam filiæ suæ nomine Præciæ, quam sacro virginitatis velo ornaverat. Cujus tanta fuit integritas, ut cum plurimas congregasset virgines, iisque præfuisset sub patris instituto et Regula S. Columbani, Sanctæ nomen meruerit, hodieque, ut Pater ejus, sancta veneratione celebretur, non ab incolis tantum, sed ab aliis etiam, qui pie visitant sanctas exuvias. *Hæc paulo fusius recensui, quia infra de* Præcia *recurrit sermo. Interim, quæ memorat hic de* S. Goërici *secessu in* B *eremum post gestum episcopatum, unde hauserit, nescio; sane Acta reliqua innuunt Sanctum Metis ad Superos assumptum esse.*

habemus ampliora ex Mss. auctore anonymo,

4 *Præter hæc ad manum habeo Mss. exemplaria duo Vitæ* S. Goërici *olim ad Majores nostros missa, et a Boschio sæpius prænuntiata in Commentario ad Vitam S. Arnulphi. Horum alteri, quod unde et a quo desumptum sit, mihi non innotuit, præfixum legitur :* Collatum cum Ms. S. Maximini Treviris. Habebatur in Ms. D. Belfortii, sed videbatur contractior : non contuli. *In margine notantur ea, in quibus Ms. S. Maximini ab altero discrepat. Secunda Acta Mss. diligentissimi deque Sanctis optime meriti Chiffletii nostri manu exarata sunt, atque hanc notam in fronte præferunt.* Ex Monast. Accinti, et ex Ms. Spinalensi ; *utriusque pariter varia lectio in limbo folii indicatur. Ms. S. Maximini Trevirensis laudat Calmetus, illudque, ex iis, quæ viderat, optimum arbitratur. Est hactenus, quod sciam, editis longe prolixius, cum eoque passim Mss. tria reliqua conveniunt. Quo autem auctore hæc Vita scripta fuerit, est omnino incompertum, cum nec seipsum prodat uspiam, nec ab aliquo detegatur. Certum est, si ab eodem,* C *prout illa habemus, sint scripta Acta integra, biographum vixisse post initium seculi* XI *: miminit enim Spinalensis monasterii, quod* Deodericus Major *Metensis episcopus fundavit in pago Calvimontensi. Certe, qui Deodericum Majorem appellavit, minorem seu secundum novisse debuit, quocum comparatus alter Major seu senior dictus sit. Atqui Deodericus seu Theodoricus secundus ante annum* 1005 *sedem Metensem non occupavit, ut ex Ms. codice S. Vincentii aliisque instrumentis apud Calmetum patet : restat igitur, ut ante illum annum non scripserit, adeoque certo biographus totis pene seculis quatuor* S. Goërico *sit posterior.*

forte ex Surianis coagmentata. Edenda utraque.

5 *Ex duobus nostris exemplaribus Mss. primum, quod cum codice S. Maximi Trevirensis collatum est, non habet in fine epocham, quæ a tempore Deodorici majoris eruitur, tota enim translatio corporis* S. Goërici *et fundatio Spinalensis monasterii ibidem prætermissa est, unde ceteris Mss. poterit quibusdam videri antiquius, de quo non lubet litigare. Menda grammaticalia occurrunt in illo plurima et periodi imperfectæ : res, quæ in aliis, ibidem eædem narrantur. De codicum antiquitate unde copiæ desumptæ sunt, nihil nihi compertum est. Adhibita a Chiffletio in suo exemplari describendo signandisque lectionibus variantibus diligentia facit, ut credam codicem, quem præ oculis habuit, fuisse satis antiquum ante Vitam ipsam illi visam non contemnandam. Cum Ms. S. Maximini, quod excudam, fere consonat ; discrepantiam indicabo moneboque in Annotatis lectorem, ubi Ms. nostrum anonymum desinat. Præmittam tamen Acta* S. Goërici *a Surio ex vetustissimo, ut testatur, Ms. edita. Apographis nostris contractiora sunt, at quæcumque apud illum et Vincentium Bellovacensem de* S. Goërico *leguntur, tam sunt similia iis, quæ sparsim in Mss. nostris narrantur ut easdem periodos et verba eadem non raro reperias. Hinc certum mihi fit alterutra ex alterutris contracta esse vel coagmentata : at an Suriana ex nostris excerpta sint, an nostra ex illis apud interpolatorem quempiam coaluerint, discernere omnino non possum. Sunt, qui in similibus tamquam regulam statuunt, biographos breviores rebus gestis viciniores esse; at, quam non sit generaliter accipienda, ostendunt Acta innumera, quæ passim in Opere nostro occurrunt, quæque, quamvis ampliora, genuina tamen et contractioribus præferenda esse, ex certis signis dignoscitur. Ea quidem, quæ* E *Mss. nostra, præter illa, quæ Surius narrat, continent, luxuriantis puerilisque eloquentiæ panegyrim magis redolent, quam narrationem historicam, sed ea ipsa causa esse potuit, cur illa Surius vel alius quispiam, quem secutus est, præciderit, Denique, quam fuerit iis ferme seculis incompta styli luxuries in usu, nemo est, qui nesciat. Igitur nihil ego hic definio, Actis Surianis nostra subjiciam ex Ms. S. Maximini Trevirensis, collato cum Mss. tribus reliquis, ut facilius sit suum cuique de hac re judicium. At prius veniunt observanda aliqua.*

Adivit S. Goëricus episcopatum Metensem anno 625.

6 *Difficultatem, quam Acta* S. Goërici *illustraturo mihi parere debebat tempus mortis ordoque successionis in Metensem cathedram, pene omnem sustulit Petrus Boschius noster, dum Commentarii prævii ad Vitam S. Arnulphi tom.* IV *Julii ad diem* XVIII *pag.* 423 § III *num.* 29 *et seqq. plausibilibus argumentis probavit, S. Arnulphum sacris infulis orriatum fuisse anno Christi* 610, *illasque post annos* 15 *dies* 10 *transtulisse in* S. Goëricum ; *quæ epocha in annum* 625 *excurrit. Restat levior dissensio circa annum, quo* S. Goëricus *episcopatum cum vita deposuit, quam indicavit etiam* F *laudatus Boschius, sed reliquit intactam, quod inde nihil contra chronotaxim suam confici posse arbitraretur. Huc autem quæstio recidit. Catalogi episcoporum Metensium passim* S. Goërico *octodecim annos episcopatus concedunt ; Acta ejus Mss., Vita S. Clodulphi, tum nostra, quam dedimus* VIII *Junii num.* 18, *tum illa, quam edidit Mabillonius in Actis SS. Ord. S. Bened. sec.* 2 *pag.* 1044 *num.* 17, *septemdecim tantum annis Metis sedisse* S. Goëricum *asserunt. Et hæc quidem viderentur facile conciliari posse, incompletos catalogis, plenos vero Actis si concedas. Verum advertit Boschius Chronica et Catalogos in computu annorum, quibus reliqui sederunt præsules, annis solidis superaddere menses et dies reliquos, qui* Goërici *episcopatui nulli assignantur, unde censet annos octodecim designari vel omnino, vel proxime integros. Catalogos illos non unis mendis deturpatos esse jam dudum eruditis innotuit, unde non est, quod tuto eorum fide stetur. Sed Majorem Mss. nostris Actis non concessero, quippe quæ seculis forte quinque, ut supra ostendi, post sancti præsulis obitum conscripta sint. Nec denique suis vitiis caret utraque S. Clodulphi Vita, ut ibidem notat Boschius*

AUCTORE J. C.

schius. Igitur, cum de incertæ fidei instrumentis, sibi in eo puncto oppositis, agatur, nec aliunde occurrat aliquid, unde hæc illis præferantur, annum 642 *vel* 643 S. Goërico *emortualem assignavi.*

natus inter annum Christi 565 et 575:

7 *Nec annus locusque, quo* S. Goëricus *mundo natus est, certo determinari possunt. Aquitaniam quidem natale Sancto solum fuisse scribunt biographi; at amplissimæ regionis civitatem aliquam vel locum certum non indicant. Verisimile est, natum fuisse sanctum Præsulem in ducatu Albiensi, ubi plurimos ex Ansbertina familia ortos esse, memorant scriptores. Tempus, quo* S. Goëricus *natus sit, non magis docent biographi, nec ex gestis, quæ narrant, certo erui potest. Non credo S. Arnulphum ad sacros Ordines et Metenses infulas promoturum fuisse virum plus quam sexagenarium : nec narratorum ordo sinit opinari, minorem quinquagenario fuisse Sanctum dum episcopus consecratus fuit, ut consideranti cuilibet luculentum fiet. Cum autem anno* 625 *S. Arnulphus e Metensi sede recesserit, illamque Sanctus noster adierit, dici posset natus inter annum* 565 *et* 575. *Sic quidem statuitur paucis annis S. Arnulpho, cui in cathedram* B *successit, senior; sed illud non videtur incongruum, si illo fuerit una generatione ex eodem proavo Tonantio Ferreolo prior quod ex genealogia Ansbertina, multis acribusque eruditorum dissertationibus inclyta, determinari debet. Fatentur porro scriptores esse ibi tenebras plusquam cimmerias, quas tot disceptationes minime dissiparunt. In illis palpare non lubet. Quapropter ea tantum attingam, ad quæ me Acta nostra compellent, illam nimirum Ansbertinæ genealogiæ partem, qua* S. Goëricus *ad S. Arnulphum reducitur, sic tamen ut partem illam ipsam supponam potius, quam probem, vel pro probata habeam.*

dicitur fuisse filius Gamardi,

8 *Itaque tres potissimum apud defensores genealogiæ Ansbertinæ opiniones sunt circa gradum consanguinitatis, quo* S. Goëricus *S. Arnulphum attigit. Prima est eorum, qui statuunt Ferreolum patrem quinque fratrum, inter quos Ansbertus sit S. Arnulphi avus, Gamardus Ansberti frater et* S. Goërici *genitor. Alii Gamardo Godinum filium, et ex illo* S Goëricum *nepotem assignant. Alii denique hæc invertunt omnia, itaque genealogiam texunt, ut Gamardum faciant S. Arnulphi patrem, sanctum vero* Goëricum *fratrem Ansberti, atque ita S. Arnulphi propatruum. Hanc postremam opi-* C *nionem qui teneat, inveni hactenus neminem, refert tamen illam eruditissimus Calmetus Historiæ Lotharing. auctæ lib.* 9 *col.* 412, *et validissime impugnat ex eo, quod longæva nimis ætas* S. Goërico *adscribi deberet, ut nepoti suo propatruus in episcopalem sedem successisse intelligeretur. Secundam sequuntur Gemelli Sammarthani in Historia Geneal. lib.* 6 *cap.* I; *subdubie Dominicius, Choletus lib.* I *cap.* 26 *aliique; sed nec illa satis firmo fundamento nititur, videturque tantum conficta in monumentis, quæ ejus patroni adferunt, ut* S. Goëricus *uno gradu consanguinitatis a S. Arnulpho remotior, illi proprior sit tempore, commodiusque succedere possit; contra enim militat epistola* S. Abbonis *nostri ad Desiderium Cadurcensem episcopum, quæ recusa extat apud Boucquetium Scriptorum Galliæ tom.* 4 *fol.* 46, *ubi Gedenum, qui procul dubio Godinus ille est, germanum suum* S. Goëricus *appellat, quique proinde ejus pater statui non potest.*

qui probabilius propatruus fuit S. Arnulphi.

9 *Primam denique ex recensitis opinionibus amplectuntur illustrissimus Meurissius in episcopis Metensibus lib.* 2 *fol.* 125, *Dominicius in Familia Ansberti rediviva cap.* 7 *et alibi, Jordanus noster in Critica aliique plurimi, estque ea, quæ* D *videtur omnino ceteris præferenda, cum suffragentur illi testimonia antiqua non pauca nec contemnendæ penitus auctoritatis. Auctor Vitæ S. Clodulphi, in Opere nostro tom.* 2 *Junii fol.* 126 *ab Henschenio illustratæ cap.* I *num.* 2 *ita scribit :* Arnoaldus patrem habuit Anspertum, qui ditatus non solum rerum opulentia, verum fratrum dignitate et consociali excellentia gloriosus effulsit. Sanctum namque Aigulfum Metensium pontificem, ex filia Chlodovei regis procreatum dicunt... Deotarius Arisidi pontifex, et Firminus Ucetiæ itidem pontifex, et Gamardus S. Goërici præsulis genitor, et Remfridus, fratres hujus Ansberti extiterunt. *Acta autem S. Arnulphi secundo loco excusa tom.* V *Julii pag.* 444 *num.* 19 *manifestius adhuc loquuntur et rem confirmant his verbis* : Contigerat autem illis diebus, ut vir illustris nomine Goëricus, filius Gamardi, fratris avi paterni hujus beati Arnulphi, ab Aquitania monitu angelico devenisset. *Luculenta sunt bina hæc biographorum testimonia Gamardo genitum fuisse* S. Goëricum : *horum fide, qui stare noluerit, proferat meliora; certe id apud prudentes obtinere debent, ut præponderent conjecturis multo incertioribus et magis novis.* E

Acta S. Arnulphi, Clodulphi et Mss. nostra S. Goërico regis titulum tribuunt,

10 *De rebus gestis* S. Goërici *ante aditum episcopatum succedunt dicenda aliqua. Si Mss. nostris credimus, fuerunt per quam illustria : ea admodum parce recenset anonymus Surii biographus, solamque laudat ejus fortitudinem bellicam, et patientiam in tolerandis cæcitatis incommodis. Noster inter multa, per varios militiæ titulos Sanctum ad solium evehit, connubio jungit et duas illi filias Præciam et Victorinam natas asserit.* Quia id *(inquit noster num.* 2) primores regni deprehenderant, cœperunt eum (S. Goëricum) summatim per gradus militaris officii promovere : ac primum militaribus armis militaribusque vestibus eum adornant et patribus parem efficiunt : donec antiqua Dei bonitate post comitatus dignitatem, post ducatus ordinem, ultimo Galliæ Aquitanicæ rege defuncto, ex genere parentibusque regiis fascibus communi assensu, communique devotione omnis ordo, omnis ætas, omnis conditio omnisque sexus sublimare festinant, ac Deum benedicentes, qui semper in benefactis Sanctorum benedicitur, magnificatur ac Deus gloriosus prædicatur, solio patrum elevatur et exaltatur. *Quæ tenebræ? quid quæso regis titulus, quid paternum seu patrum solium, quid fasces regii? Contendit quidem Dominicius in Fam. Ansb. red. cap.* 7, *duces quandoque reges, provincias regna appellata fuisse, quod, ex prolatis ab eo testimoniis, inducor ut credam, quamvis rarissime contigisse, idque non nisi nuda regis vel regni voce adhibita. Verum cum iis adjunctis depictam ducis dignitatem invenit, opinor, alibi nuspiam. Profecto qui inauguratum monarcham lectoribus suis exhibere vellet, vix habet, quibus id præstet, verba clariora. Deinde num.* 3 *talia commemorat biographus, ut* S. Goëricum *nobis repræsentet pacis bellique leges pro imperio moderantem.* F

qui forte latius sumi debet pro ducis dignitate,

11 *Sed demus hæc biographo, eo forte scribenti tempore, quo, ut contendunt aliqui, toti erant scriptores in exornanda Ansbertina familia, certe dignitatem hic nobis depingit, ad quam promotus fuerit Sanctus noster, quæ uno minimum gradu vulgarium ducum ordinem superarit, cum ex illo cum tanto molimine et primorum suffragio ad aliud quoddam munus evectus sit. Majoratum domus, præfecturam palatii vel similem dignitatem vetat intelligere silentium omnium historiographorum, qui res illius temporis presse sequuntur calamo, quique similium magistratuum, eorumque potissimum qui*

A *qui virtute et fortitudine bellica claruerunt, frequenter mentionem faciunt. Fuerit igitur alia quæpiam* S. Goërico *collata dynastia, quam administrans dici potuerit* Rex officio, *ut loquitur S. Arnulphi biographus. At quæ illa fuit? Eruditi Historiæ Occitaniæ scriptores tom.* I *lib.* 6. *num.* 95. *fol.* 327 *opinantur* S. Goëricum *in Albiensem præfecturam suffectum fuisse Siagrio ad Massiliensem ducatum translato. Verum hæc opinio non subsistit. Præterquam enim, quod contradicant biographo nostro, qui disertis verbis ait* Mortuo *illum* successisse ; *statuunt Siagrium anno Christi* 625 *Massiliensibus datum, quo eodem anno* S. Goëricus *infulas Metenses accepit, nec proinde ducatum adivit aliquem. At in eorum computu Sanctus noster tantum anno* 627 *Metensem ecclesiam regendam suscepit. Id quidem evertitur ex bene stabilita chronotaxi Boschii : demus tamen ita esse. Ergo biennii spatio præfecturam adiit, multa gessit in bello præclare, visu orbatus fuit, varia dedit Christianæ patientiæ indicia, Metas ad S. Arnulphum properavit, a fundamentis exstruxit ecclesiam S. Petri et consummavit, divinitus sanatus, sacris Ordinibus initiatus, ac denique episcopus consecratus fuit; quæ omnia ita conglomerata nemo, opi-*
B *nor, tam arcto temporis spatio credet contigisse.*

non videtur visu orbatus Metas abiisse

12 *Deinde repugnant hæc iis, quæ in Vita prima numero primo dicuntur:* Eo tempore *(cum angelus dudum cæco* Goërico *apparuit)* regnabat in Gallia Theodobertus, in Metensi urbe præsidebat pontifex beatus Arnulphus. *Is cathedram Metensem adiit, ut probavit Boschius, anno Christi* 610. *Theodobertus in Gallia, Austrasia scilicet, regnavit usque ad annum* 612, *quo, post acceptas binas a fratre Theodorico in Tullensi Campania et ad Tulbiacum clades , interiit. Igitur angeli apparitio inter duos illos annos contigit, si quæ biographo fides, qualem illi scriptores laudati habere videntur non infimam. Quamquam epocha hic assignata ægre videtur componi posse cum verbis Desiderii Cadurcensis episcopi. Is apud Chesnium tom.* I *Scriptorum Galliæ pag.* 878 *sic scribit ad* Abbonem *nostrum.* Rogamus ergo, ut istum famulum harum optarem frequenter, si possibilitas arrideret, sacris vestris interesse colloquiis, ut sicut nos sub seculi habitu in contubernio serenissimi Flotarii principis mutuis solebamus relevare tabellis, ita jam
C nunc, illa ad plenum deposita vanitate, dulcia liceret Christi ruminare præcepta... proinde effusa gratulatione peroro, ut, quem nunc et affatibus bonis et benigna charitate consolastis, semper in memoriam vestri interni intimum teneatis. *Hæc, inquam, difficulter componuntur cum biographi asserto, maxime ab iis, qui opinantur* Goëricum *in Austrasia præfecturam gessisse, simulque verba Desiderii ita accipiunt, ac si iis conficeretur, Desiderium cum* Abbone *in Chlotarii regis aula convixisse. Quippe non satis verisimile videtur* Goëricum, *magistratum aliquem in Austrasia gerentem, in inimici regis aula, superstite Theodoberto, versatum fuisse.*

ante regnum Chlotarii in Austrasia.

13 *Chlotarius ante Theodoberti mortem et annum Christi* 613 *rerum in Austrasia non est potitus, adeoque post hunc annum referendum videri potest* Goërici *cum Desiderio in aula illius regis contubernium: quæ profecto pugnant cum biographo asserente Theodoberti regis tempore* Goëricum *visu orbatum fuisse, post quæ certe ad Chlotarii aulam non accessit. Itaque nisi Desiderii dicta ita accipias, ut intelligas solum illum, alibi degente* Abbone, *apud Chlotarium versatum atque hujus litteris recreatum fuisse, censendus est errasse biographus, cui, utpote incertæ ætatis anonymo iniquum esset auctoritatem et fidem tribuere magis, quam Desiderio viro sancto et scriptori contemporaneo, secundum cujus asserta chronotaxis reliqua non ægre fluit. Demus quippe* S. Goëricum *Chlotarii, universa jam Galliarum monarchia potiti, per tres quatuorve annos aulam frequentasse, anno circiter* 618 *cæcitate laborare cœpisse, atque biennio post Metas ad S. Arnulphum properasse, intelligetur, quomodo Siagrius* Goërico *in Albiensem ducatum succedere ac deinde ad Massiliensem promoveri potuerit, cohærebunt etiam quoad chronotaxim reliqua biographorum asserta, ubi, si contra censueris, Thodoberto adhuc regnante, Sanctum oculorum usu privatum Metas ivisse, longa ejus eo loci tredecim vel quatuordecim annorum mora videbitur minus verisimilis.*

[illegible]

Ejus pater forte fuit Babo frater S. Segolenæ.

14 *Ceterum pro asserenda* S. Goërico *Albiensis comitatus præfectura facere videtur, quod legitur in Vita S. Segolenæ scripta ab auctore æquali et Sanctæ familiari excusaque in Opere nostro tom.* V *Julii ad diem* XXIV *ejusdem mensis pag.* 630 *et seqq., ibidem capite* 4 *sic scribit auctor:* Quodam autem tempore, cum esset dies Litaniarum venerabilis, quæ in unum plures Christianos collegerat, erat ibi dux germanus ejus, Babo nomine, E
nobilitate et sapientia pollens, qui per Albica arva incolas gentes regebat. *Quis fuerit ille Babo, non deciderunt Mabillionius et Cuperus noster, neque videtur certo decidi posse propter titubantem instrumentorum fidem, ortasque inde crassas tenebras in familia* S. Goërici *adornanda. Gamardum* S. Goërici *patrem Babonem cognominatum fuisse disertissimis verbis testantur genealogiæ duæ antiquæ apud Dominicium in Appendice ad Familiam Ansberti redivivam. Babo S. Segolenæ frater si Gamardus* Abbonis *parens fuerit isque idem dux Albiensis, patri mortuo, seu, ut biographus loquitur, in* patrium solium *succedere potuit* Goëricus, *pro quo tempus, quo id contigisse debuit, initium scilicet seculi septimi satis quadrat. At in eadem S. Segolenæ Vita cap.* 2. *Babonis pater Chramsicus, frater Sigibaldus episcopus cap.* 5 *vocantur : quantum hæc nomina differunt a Tonnantio Ferreolo et Firmino Useciensi, Deotario Arisitensi, Aigulpho Metensi episcopis, quorum hi fratres Gamardi, ille pater statuitur in stemmate Ansbertino! Fateor,* F
nec omni destitutus testimonio, asserere velim Tonantium Ferreolum simul Chramsicum, et aliquem e fratribus episcopis Sigibaldum agnominatum fuisse, at illis, qui perturbatas chronologicas series et non uno loco sibi invicem oppositas negligunt, suspicionem meam qualemcumque lubuit indicare, ut si forte instrumentis illis credant, Gamardum simul Babonem nominatum fuisse, quod id unanimiter asserant, licet discrepent in reliquis, Chramsicum illum et Sigibaldum detegant, quod cum hic instituti nostri non sit, ad S. Goërici *Acta redeo.*

Dicitur S. Goëricus genuisse duas filias Præciam et Victorinam.

15 *Vincentio Bellovacensi et Surio pariter ignota sunt, quæ habent Mss. nostra de filiabus* S. Goërici. *Expresso nomine designantur in omnibus exemplaribus, unaque Præcia, altera Victorina vocatur. Uxoris Sancti nomen nullibi comparet neque exprimitur, quo, postquam Metas a Patre deductæ essent confirmatæque in virginitatis servandæ proposito, demum evaserint filiæ. Ruerus cit. num.* 3 *his adjicit Præciam sacro velo ornatam a Parente, monasterio S. Mauritii præpositam, ibidem sancte obiisse, atque suo tempore cultam ut Sanctam. Meurissius in Hist. lib.* 2 *pag.* 120 *hausta, ni fallor, ex Ruero vel Actis, liberius paulo atque ornatius memorat, additque confluentibus eo sacris multis virginibus*

AUCTORE J. C.

virginibus, aliisque circum septa sensim ædificantibus domos, Spinalensem inde urbem coaluisse. Natas S. Goërico *duas hasce filias biographo nostro credere licet, cum nihil aliunde producatur, quod ejus elevet testimonium : at, quæ Meurissius de condito per* S. Goëricum *Spinalensi monasterio commentatur, sustineri nullo modo possunt : etenim in Actis nostris num. ultimo, et in Vita Adelberonis scripta a synchrono disertis verbis dicitur Deodericus Major, qui anno* 964 *cathedram Metensem adiit, monasterium illud Deo et* S. Goërico *erexisse.*

quartum prima fertur esse Aprincia. De utriusque cultu

16 *Hæc ne ita interpreteris, ut dicas cœnobium primo a* S. Goërico *exstructum, labascens deinde a Deoderico restauratum fuisse, obstant clara nimium utriusque scriptoris verba, uti et Henrici II Confirmatio apud Calmetum tom.* I *colum.* 565 *monasterii Spinalensis,* quod divæ memoriæ *(verba sunt Chartæ)* Theodoricus episcopus in honorem Sanctissimi martyris Mauritii sanctique Goërici confessoris a fundamentis ibidem erexit pariter et consecravit. *Quibus similia repetuntur sæpius in Instrumentis, quæ ibidem laudatus scriptor subjicit et nuspiam mentio fit antiquioris originis* B *istius parthenonis. Quæ ulterius de Præcia narrat Ruerus, unde habuerit, non scio. Traditiones aliquas et instrumenta monasteriorum Vosagi appellat : at illa cujus fuerint fidei, quis dicat? Frustra scrutatus sum plurima, ut illi tuto consentirem. De Præcia in antiquis sacris Fastis nuspiam verbum. In indice tamen Martyrologii universalis ita legitur ad diem* XXII *Junii :* Sancta Præcia (Aprincia) quæ colitur Metis ad S. Clementis. *Nomina quidem hæc satis videntur propinqua, at eadem ne iis designetur discernere non possum; debile enim non raro est argumentem a sola nominis propinquitate petitum. Pauca de S. Aprincia tom.* IV *Junii ad diem* XX *dedit Papebrochius ex transmissa ad illum scheda ex Monasterio S. Clementis Deinde ex relatione Wilthemii capsam describit, qua sacræ illius exuviæ cum aliorum Sanctorum reliquiis continentur, aitque S. Aprinciæ effigiem argenteam, qua deforis ornatur lypsanotheca, quasi abbatissam sanguinis regii corona pedoque insignem repræsentare. Hæc quidem suspicionem non levem injicere nata sunt, at utinam talia de S. Præciæ cultu, quem ex solo fere Ruero obscure didici, nobis monumenta submittantur, ut certius aliquid dicere liceat!*

nobis non constat. Miracula ad S. Goërici tumulum

17 *Multo adhuc obscuriora sunt, quæ ad Victorinam pertinent. Illam cum sorore a Ferrario, Saussayo et Arturo memorari, in Prætermissis ad hunc diem dictum est ; pari nobiscum omnes penuria, ad probandum cultum laborasse videntur, nec enim quidpiam adferunt præter ea, quæ jam dixi, quæque ex Actis* S. Goërici *proferuntur, nec sufficere videntur, ut specialem inter Sanctos pro instituto nostro locum inveniant. Ceterum plurima et illustria fuisse miracula ad* S. Goërici *tumulum patrata testatur biographus Adelberonis apud Labbe tom.* I *Bibliothecæ Manuscriptæ scribens pag.* 682 : Et beatus Goëricus nostris temporibus memorabilis miraculorum operator *ibidem humatus est. In Antiphona ad Benedictus, præscripta in Breviario Tullensi, de quo supra num.* 2, *aliqua confuse narrantur, quæ ibidem, si lubet, vide. Alia nec magis distincte commemorat laudatus biographus Adelberonis fol.* 673. Sanctus confessor Christi Goëricus *(inquit)* quid in vita sua promeruerit, quid apud Deum valuerit, cunctis miraculorum signis et prodigiis declarans, fama sui longe lateque crebescente, populis gentibusque innotuit. Ut ergo gloria Dei nota fieret, et magnificentia bonitatis ejus plus plusque manifesta clarescerei, in Burgundiæ cunctis finibus clades D pessima multidudinem maximam populorum invasit, qua manibus pedibusque ardentes miserabili pœna, hic perdito uno, hic utroque truncatus pede, hic medio adustus, aliquis tunc primum adури incipiens non multum sero veniens, audito sancto Pontificis rumore, innitentes baculis, aut carriotis * undecumque devecti confluebant. *Laudat deinde Adelberonis humilitatem caritatemque, qua miserorum lavabat fœtentia vulnera, et concludit :* Quæ idcirco dixerimus, ut in una eademque re duorum sacerdotum duo facta memoriæ dignissima prædicaremus, et posteris imitanda vel admiranda traderemus, dum in beato Goërico virtutum insignia, et in domino Adelberone abjectionis omnisque vilitatis humanæ appetentiam et summum amorem demonstraremus.

* alias plaustris vel rhedis

et in corporis ejus translatione

18 *Aliud prodigium, quod contigit ad reliquias* S. Goërici, *describitur in Historia episcoporum Tullensium cap.* 46 *his verbis :* Rursum quoque prælibatus Mediomatricorum præsul *(Deodericus seu Theodoricus)* egregii confessoris Goërici corpus transtulerat, ac in cœnobio sanctimonialium Spinalensium, ubi honorifice veneraretur, locare decreverat, atque ad hoc peragendum consortem E sibi nostrum pontificem *(S. Gerardum Tullensem episcopum)* invitaverat. Ergo binis præparatis thecis, ubi beatæ servarentur reliquiæ, una exteriore argenteorum fulgida nomismatum decoramine, altera interiore ferri nexa ligamine, sacra deferuntur pignora ad locum destinatum, præeunte ac subsequente magna lætantium frequentia populorum. Sed insperato repentina suboritur mœstitia, quæ præsentium perturbavit pectora paulo ante exultatione redundantia; qui cum minor theca debuit majori juxta morem inseri, reperta est interior quantitate enormi, dum improvidus opifex mensuram utramque incaute direxerit, nec argentum coopercnlum ad mensuram pedis claudi valuit. Cunctis ergo hinc non modice mœstificatis, beatus noster pastor *(Gerardus)* agendis præparatur Missis, atque pro præsentium tristitia Dominum supplicibus exorat votis. Dum autem ab eo clausula sanctæ Consecrationis alta voce proferretur, antequam ad Dominicæ verba orationis perveniatur, subito illud male prominens scrinium suo loco stabilitur, hians cooperculum, nullis imminentibus, cum magno collisum fragore, sua sponte clauditur : præsentium mœstitia convertitur in gaudium : fit cunctis indubium ibidem Christum adesse propitium : quod licet in beati Goërici possit reputari meritis, tamen non exstat incredibile illic affuisse virtutem nostri sancti præsulis *(Gerardi)* cujus piæ preces vultum adierunt omnipotentis Altissimi. F

patrata : ejus reliquiæ Metis.

19 *Historia episcoporum Tullensium, unde hæc desumpta sunt, excusa est apud laudatum sæpius Calmetum tom.* I *Hist. Loth. primæ edit. pag.* 83 *inter instrumenta, crediturque scripta ab Hermirico, quem dicunt circa finem seculi decimi floruisse, variisque cœnobiis præfuisse. Ceterum apud Meurissium et Calmetum invenio, caput* S. Goërici *etiamnum asservari Metis in ecclesia S. Symphoriani, ubi primum conditus fuerat sanctus Præsul, reliquas vero sanctas exuvias ad Spinalensem parthenonem translatas esse dignoque honore haberi et coli. In Vita S. Romarici apud Mabillonium in Actis SS. Ord. S. Benedicti Sec.* 2 *pag.* 420 *narratur diaconus vidisse* S. Goëricum *inter Cœlites illustrem, sanctumque Romaricum in cœlum excipientem. Nunc subnecto utramque* S. Goërici *Vitam dubiæ fidei, utpote ab auctore anonymo incertæ ætatis conscriptam.*

VITA

A

VITA PRIMA

Auctore anonymo

Edita a Surio ex vetustissimo codice Ms. ecclesiæ Trajectensis.

S. Goëricus militiam secutus excitate affligitur,

Sanctus Goëricus primo quidem miles egregius de Aquitania, corpore, non voto, sæculi actibus serviens, cum apud Deum et homines in magna honestate floreret, licet, quæ pacis sunt sectaretur, quandocumque tamen paganorum *a* infestatio perurgebat, primus aciei militari se opponens, barbaricam rabiem, Dei fretus auxilio, potentissime devincebat et spolia amplissima reportabat. Denique subito oculorum et visus amissione percellitur, virtute tamen patientiæ undique munitus, Deo gratias agens dicebat : Sicut Domino placuit, ita factum est etc. Eo tempore regnabat in Gallia *b*, Theodobertus, in Metensi B urbe præsidebat pontifex B. Arnulphus. Tunc sancto viro Goërico in silentio noctis quiescenti angelus Domini affuit, dicens : Serve Dei excelsi, venit tempus, quo mœror tuus in gaudium transferatur, quo etiam lux amissa tibi restituatur.

divinitus sanatur et consecratur Metensis episcopus.

2 Ergo Metensem civitatem aggredere, et limina beati Stephani devote ingredere, Deoque preces ibi funde, et recipies ilico visum et totius corporis sospitatem. Arnulphus autem tibi carus amicus et propinquus ibi pontifex residet, cui Spiritus sanctus te ilico affuturum præmonstrabit, et quidquid Deus tibi impositurus est, manifestabit. Expergefactus ergo Vir sanctus, milites convocavit, et de Aquitania ad præfatam urbem iter arripuit. Cui appropinquanti sanctus Arnulphus adfuit, et facta oratione dataque benedictione, eum in domum induxit. Qui obtentu sancti Stephani visum et totius corporis sanitatem recepit plenissimam. Posthæc sanctus Arnulphus spiritali mentis intuitu videns, Goëricum successorem sibi fore dignissimum, consentiente clero et populo, eum constituit, et diu desideC ratam eremum petiit. Igitur Goëricus, qui alio nomine dicitur Albo *c*, pastorali cura adstrictus, vocibus et moribus cæteros informabat, et quoniam ante episcopatum corpus districtissimis jejuniis attriverat, enarrare fas non est, quam dura jejunia cumulabat, quot etiam dies incibatus usque in diem alterum pertransibat : quantum biduanas et triduanas alacri vultu et mente abstinentias celebrabat.

S. Arnulphi corpus transfert Metas

3 Defuncto autem sancto Arnulpho in eremo, cum beatus Goëricus, assumptis Tullensi *d* et Virdunensi episcopis, sanctum corpus ad sedem, cui præfuerat, transferret, sole ad occasum vergente, forte villam iniqui et incesti hominis *e* offenderant, quam intrare volentes sacrarum reliquiarum portitores divinitus, retenti repente subsistunt. Sanctus autem Arnulphus, dum viveret, præfatum iniquum sæpe, ut resipisceret, commonuit, nec quid efficere potuit, idcirco nunc ejus hospitium subire contempsit. Quia vero nox imminebat, et nulla alia villa tantæ multitudini apta præsto erat, orante sancto Goërico, affuit quidam dives, qui dixit : Est mihi * præsidium in hac patria, vobis quidem non satis contiguum, sed novi ad cuncta necessaria præsentem Deum nostrum. Hoc autem Sanctus audiens, corpus sanctum illuc verti omnesque sequi imperat.

** Vinc. Bellov. Præsidium legit.*

Ex Mss.

Miracula in itinere patrat : moritur.

4 Cerneres tantam in eundo esse velocitatem, ut quod unius diei integri spatio vix peragi credere posses, duabus vel tribus horis impletum mirareris. Cumque ad villam pervenissent, cerevisiæ parum se habere homo, ministris conferentibus, comperit. Et iterum fide repletus, sancti Goërici meritis et precibus hoc committit : qui nota præsidia petens Deum suorum necessitatibus subvenire postulat : tantaque populi multitudo ex parvo liquore (quod vix credibile est) abundantissime est satiata. Quievit autem in pace vir Domini XIII Kalendas Octobris, quo die ejus festum celebratur *f*, ac tumulatus est in ecclesia Metensi.

ANNOTATA.

a *Varia circa illa tempora cum barbaris bella gesta sunt. Anno circiter* 595 *Childebertus Warnos rebellantes maxima clade repressit. Paulo post Hunni Turingiam invaserunt Theodobertus cum fratre Wascones debellavit anno circiter* 602; E *aliquot annis post cum Alamannis et Saxonibus pugnatum est. Denique Gothi conterminι, et Aquitania ferocibus cincta populis potuerunt sæpius exercendæ virtutis bellicæ occasionem* Goërico *subministrare.*

b *Hæc innuere videntur,* S. Goëricum *jam pridem cæcitate afflictum, sub Theodoberto rege angeli monitis recreatum fuisse. Theodobertus vitam cum regno amisit anno Christi* 612, *biennio, postquam S. Arnulphus Metis sedere cœperat. Eo igitur intervallo apparitio illa contingere debuit, et* S. Goëricus *pluribus annis cæcus apud S. Arnulphum egit, vel aliquot tantum annis postquam divinitus convaluerat, in S. Arnulphi locum assumptus est; ab hac enim epocha ad annum* 625, *quo S. Arnulphus infulas in* S. Goëricum *transtulit, anni fluunt minimum tredecim, et plures aliis, qui anno tantum* 627 *initium ejus episcopatus figunt. Quomodo ergo anno* 625 *Siagrio suffectus est dux Albiensis? Vide quæ circa hanc epocham observavi, Comment. præv. num.* 12 *et seqq.*

c *Præmonui in Commentario prævio num.* 1, S. Goëricum, *qui hic* Albo *dicitur cognominatus, in aliis Mss.* Appo, Addo, Abdo *dici, vitio, ni fallor,* F *amanuensium pro* Abbo, *quod nomen sancto Viro passim tribuitur.*

d *Sedebat tum temporis Virduni S. Paulus, de quo actum est in Opere nostro ad diem* 8 *Februarii. Tullensibus vero præerat episcopus Theodefredus, qui Theodefridus, Theufridus et Teupectus. Vide Roserium tom.* 3 *Stemmatum Loth. Hist. cap.* 48, *Analecta post Vitam S. Sigiberti tom.* 1 *Februarii* § 3 *num.* 19, *Calmetum tom.* 1 *Hist. Loth. col.* 413.

e *Vincentius Bellovacensis in Speculo Hist. lib.* 23 *cap.* 78 *hominem hunc Cunitam vocat, ejusque villam in pago Calvomontensi collocat, secutus scriptorem Vitæ S. Arnulphi num.* 29.

f *Nonne hinc merito conjectare licet, Vitam non exiguo tempore post mortem Sancti scriptam esse? Porro sepultus est S. Goëricus in ecclesia S. Symphroniani, ut habent Mss. nostra et Vita Adelberonis apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ Mss.*

* * *
* *
*

A. ANONYMO.

VITA ALTERA

auctore anonymo

Ex Ms. S. Maximini Trevirensis collato cum Mss. Accinti monast. et Spinal. et alio anonymo.

CAPUT I.

S. Goëricus variis in seculo dignitatibus functus, visum amittit, prodigiose recuperat et Metensis episcopus consecratur. Ejus virtutes episcopales.

B

S. Goëricus pietate et scientia probe instructus, a

Sanctus igitur ac venerabilis Goëricus, vir in Deo et in Christo ejus, magni et præclarissimi meriti, hanc *a* tantæ nobilitatis generositatem fidei integritate et pietatis devotione transcendens, et in ipsis puerilis ætatis rudimentis Deum amare incipiens, quia id Infantis dulcissima indoles expetebat, a sanctis parentibus * literarum studiis committitur inbuendus, et quia eum omnipotentis Dei gratia suæ sanctæ Ecclesiæ præviderat atque constituerat præficiendum, crescebant in eo indies et virtutum insignia et literarum permagna docibilitas, sensimque Dei gratia perfundebatur, ut a Deo et hominibus plenissime amaretur. In quantum enim tenera ætas ferre poterat, sollicitudini fraternæ, infirmantium compassioni, lectionis et orationis assiduitati, jejuniorum et abstinentiæ rigori, vigiliarum continuationi, majorum subjectioni, omniumque virtutum stipendiis studium exhibens, evidentibus documentis, cunctis, qui eum nosse poterant, quis et qualis futurus erat, C innotescebat. Cumque fælicibus omnium votis in se * fælix et beatus in virile robur paulatim succresceret, et per ætatis incrementum in juventutis auspicium Deo præsule transurgeret, vera dicimus, plus virtutum culmine, quam non solum horarum et momentorum profecerat tempore.

* Spinalense Patribus

* Mss. reliqua ipse

militiæ applicatur, obtentoque comitis et ducis titulo,

2 Sic ergo annuente eo, qui cuncta justa et honesta annuit, Deo videlicet omnipotente, ab scholis recedens, jam fonte omnis scientiæ omnisque sapientiæ suavissimæ debriatus, jam illa viva aqua, quam promisit Dei Filius Sanctis in se credentibus seque puro corde sequentibus, saliente in eo in vitam æternam, jam quia multum sitierat, et quia post sitim biberat, profluentibus ex ventre ejus aquis vivis, quia id primores *b* patriæ deprehenderant, cœperunt eum summatim per gradus militaris officii promovere. Ac primum militaribus armis militaribusque vestibus eum adornant, et patribus * parem efficiunt, donec antiqua Dei bonitate post comitatus *c* dignitatem, post ducatus ordinem, ultimo Galliæ Aquitanicæ rege defuncto, ex genere parentibusque regiis *e* fascibus communi assensu, communique devotione, omnis ordo, omnis ætas, omnis conditio, omnisque sexus sublimare festinant, ac Deum benedicentes, qui semper in benefactis Sanctorum benedicitur, magnificatur, ac Deus gloriosus prædicatur, solio patrum elevatur, et exaltatur. Videre mirum erat, quanta gloria, quanta honestate quantoque decore adeptum officium illustraverit et præclarum reddiderit, dum per datam a Deo sapientiæ moderationem quæque erant virtutum insignia, quæque erant mundanarum rerum justa documenta, ipse prius opere complens, subditis pia admonitionum exhortatione sedule monere non desistebat. D

b

* Spin paribus

c

d

e

multa edit specimina fortitudinis bellicæ

3 Et licet, quæ pacis sunt, semper sectaretur in invicem et in omnes et pacem sequeretur cum omnibus et sanctimoniam, sine qua sciebat neminem posse Deo placere, tamen quandocumque belli necessitas ingruebat, quandocumque paganorum infestatio perurgebat (nam dextro sinistroque latere, et ut plus dicam, undecumque Deo adversæ gentes Saracenorum *f*, Gothorum, Wasconum ceterarumque diabolicarum pestium, vastissimo turbine tum temporis Aquitaniæ regnum et tota Francia quatiebatur) hic Miles egregius et Rex gloriosus, primus inter primos acie militari sese opponens, barbaricam rabiem, Dei fretus auxilio, potentissime devincebat, et spolia amplissima de hoste triumphans patriæ domique reportabat: eratque mirum dictu, inter seculi et diversarum provinciarum populorumque multam et maximam frequentiam, inter quotidianarum rationum discernendas causas, inter militaris officii coæquandas res, inter varii vulgi quotidiana judicia hinc inde sedanda, assiduus et verissimus Dei cultor, et quæ sunt Dei Deo perfectissime reddens, quæ etiam mundi erant, pro injuncto sibi divinitus officio, proque etiam rerum opportunitate justissimus justissime pertractabat, et, ut quondam sanctissimus ille patriarcha simul et propheta David, sedulis seculi occupationibus defisus * et defatigatus, multimoda etiam præliorum ac seditionum infestatione depressus et circumvallatus, a Dei tamen opere numquam vel cor, vel mentem relaxans, media semper nocte ad confitendum Deo surgebat: in die autem septies laudes debitas Deo omnipotenti reddebat super judicia justitiæ ejus. E

f

* Mss. reliqua defessus

virtutumque plurimarum, et duas filias, Deo desponsat.

4 Quod autem omnino rarum est, in multa eloquentia erat verbo verissimus, in discernendis causis justissimus, in acceptis responsis promptissimus, fide rectissimus, spe certissimus, caritate diffusus, Deum tota virtute, totoque corde diligens, proximum quoque non minus ac se amare studebat. His et hujusmodi virtutum insigniis Vir beatus perfectissime pollens et decentissime perlustratus, et Deo hominibusque acceptissimus, quia id regia poscebat * dignitas, nobilissimi generis duxit uxorem *g*, ex qua filias duas forma speciosissimas, Deo donante, suscipiens in sanctitatis proposito eas perseverare deliberavit, et castitatis ac virginitatis splendidissimum decus eas servare instituit: quarum una Præcia * *h*, altera Victorina *i* est dicta. Certe amori Christi numquam quicquam præferens, sed parentes, filios, agros et quicquid vel haberi, vel concupisci potest, licet necdum corpore, mente jam plene despiciens et ad perfectum spernens, maluit filias dilectissimas Christo Domino cælesti sponso desponsari et consecrari, quam generorum mortalium caduco ac per hoc vano gaudio, præsentialiter collætari. Itaque transeunt tempora *k*, transeunt dies, et beatus vir Goëricus corpore, non vero seculi actibus serviens, Deum vero tota mente et vero corde diligens, claudorum pes effectus, oculus cæcorum, pater orphanorum

* Anonym. majestas

g

* Spinal. Prætia

h i

k

A phanorum, baculus senum, fraterque structionum, omnibus omnia factus erat, ut omnes lucrifaceret, et ad viam veritatis ac salutis, quos poterat, et quantum poterat, advocaret.

a Deo probatur cæcitate

5 Cum autem jam constitutum tempus adesset, quo supernæ prædestinationis provisio impleretur, et, quæ ex beato Viro divina præscientia impleri decreverat, populis et mundo palam fieret, et ut meritum sancti Viri per ignem passionum, et per flammas tentationum, velut aurum, quod per ignem probatur, decoctum undecumque clarescerct ac rutilaret, ut quondam beatissimus Job et sanctus Tobias, ad cumulum perfectionis et ad augmentum gloriæ, hic rerum amissione et totius corporis usque ad putredinem infirmitate prægravatus, ille oculorum cæcitate multatus, [nam* ex hoc a Deo dicitur, non est similis ei in terra, vir justus et simplex ac timens Deum et recedens a malo, alter autem per Archangelum et cælestis militiæ inter principes principem visitari ac sanari meruit.] Beatus Goëricus dum apud Deum et homines, dum mundo cæloque in magna honestate floreret, et magnis divitiis multoque seculi splen-B dore fulgeret, et, quod majus est, sanctitate ac pietatis proposito quaqua terrarum decentissime polleret, ac bono odore suavissime redoleret, subita oculorum et visus amissione percellitur *l*, et quod gravissimum erat, inter regales aulas, inter deliciarum abundantissimam copiam, interque militum et multorum populorum maximam frequentiam bonis præsentium rerum uteretur non utens, et frueretur non fruens : ei tamen hac infirmitatis molestia durissime oppressus et gravissime constrictus virtute patientiæ undecumque munitus, undecumque conseptus, gratias Deo réferens, benedicebat Deum in omni tempore semperque laudes Dei in ejus ore resonabant.

* hæc desunt in Ms. anonymo

l

quem patientissime et sanctissime tolerat.

6 Magnificabat Deum, et exaltabat nomen ejus in idipsum, ei cum beato Job fideliter aiebat : sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum : Sancta namque beati Viri anima nullo pacto meritorum detrimentum pati sciens, sed per tentationum fornacem, non ut palea uri, sed ut aurum probari festinans elaborabat ut virtutum profectus in eo plus plusque proficeret. Sane eleëmosynarum largitas, fraternæ compassionis affabilitas, orationum instantia, jejuniorum continuatio, vigiliarum pernoctatio, omnis-C que boni operis devotio in dies in beato Viro effervescebant, et ad æternæ patriæ gaudia totis nisibus totisque votis et omni anhelitu suspirans, tendebat : nec erat quicquam spatii, præter corporis necessarios et inevitabiles usus, quin aut oraret, aut psalleret, aut lectiones sacras coram se legere faceret, et quæque sunt instituta divini servitii aut impleret, aut, dum implerentur, studiosissime aures cordis et corporis, Vir Deo acceptissimus, Vir cum quo Deus erat, apponeret.

Angeli monitu

7 His temporibus in Gallia Belgica, quæ Sequanæ fluvio a Meridie et Rheno ab Aquilone circum clauditur, quæ ob bellorum assiduitatem Belgica sive Bellica *m*, Francia autem ob animorum ferocitatem est nuncupata, regnante gloriosissimo rege Theudeberto *, in Metensi urbe, [quæ* altero nomine Mediomatricum dicitur, quoniam quidem circumfluentibus duobus fluviis Mosella et Sallia (nam ipsum murum pene lambere videntur) ipsa media, ut mater nobilissima, statuta est *n*. Vel Mediomatricum dicitur, quia Tullo, Virduno ac Treveri, civitatibus circumpositis, ipsa media mater filias opulentia rerum enu-

m

* Anonym. Theudeberico

* interjecta desunt in Anonymo.

n

trit ac fovet] beatus Arnulfus in Dei rebus spectatissimus residebat *o*, qui se suosque sapientia et sanctitate decentissime regens, longe lateque, fama prodente, innotuerat, et supra sanctæ Ecclesiæ mirabile candelabrum lucerna lucidissima lucebat. Dum ergo, ut ad cœpta redeam, beatus Goëricus in infirmitatibus libenter gloriaretur, ut inhabitaret in eo virtus Domini nostri Jesu Christi, nam (ut ait beatus Apostolus) virtus in infirmitate perficitur, et gratia Dei in eo vacua non esset, sed semper in eo maneret, et gratia Dei esset, quod erat, dum jam tentationum finis et remunerationum tempus fælicibus votis adesset, sancto Viro in silentio noctis quiescenti, et per somnum ad dormiendum membris relaxatis *, Angelus Domini adest, et in hæc verba ora relaxans, Venit, inquit, tempus Serve Dei altissimi, venit tempus, quo mæror tuarum infirmitatum in gaudium et lætitiam transferatur, quo lux amissa clarior puriorque plus umquam tibi restituatur.

A. AUCTORE ANONYMO.

o

* Accinct. lassatis

Metas proficiscitur, Patrem comitantibus Præcia et Victorina,

8 Ergo, quæ dicam quæque jubebo velocissime implens, Metensem civitatem aggredere, et limina protomartyris Stephani, cruore *p* ejusdem sancti Martyris insignita, pia devotione ingredere, preces intentissimas Deo inibi funde, delicta juventutis et ignorantias tuas tibi remitti deposce, fratribus spiritualibus et proximis in Christo peccatorum veniam expete, et fidem in Deo certissimam retinens noveris te visum et totius corporis sanitatem illico recepturum. Arnulphus venerabilis, carne et sanguine *q* tibi propinquus, in eadem civitate sedi pontificali præsidet et infulas sacerdotales, dum adornatur, adornat. Huic Deus et Spiritus sanctus adventum tuum revelans, te illico affuturum præmonstrabit, et quicquid erga te pietatis et misericordiæ Dei antiqua bonitas impensura est, manifestabit. Expergefactus igitur Vir beatus cubicularios excitat, milites convocat, iter injunctum actutum parari jubet, et sine ulla dilatione viam dilectissimam, moram pati nescius, arripit. Transiit Aquitaniam *r*, ingressus est Franciam, et sic, annuente Deo, urbem dilectissimam et per angelicam visionem sibi præmonstratam, lætus pervenit. Adduxit secum duarum filiarum Deo consecratarum exoptatissima gaudia, Præciam videlicet et Victorinam, quibus in eundo salutis monita dulcissime inculcans, ut in virginitatis proposito, sicut cœperant, perseverarent, pius Pater arguens, obsecrans, increpans efflagitabat. F

p

q

r

et a S. Arnulpho divinitus præmonito amicissime exceptus,

9 Appropinquante autem eo civitati, adest obviam beatus Arnulfus, decus orbis, lumen patriæ, stabilimentum populorum, gloria sacerdotum, lucerna in tenebris sedentium, ornamentum non suæ solum, sed etiam omnium sanctarum ecclesiarum, et in oscula, præ gaudio plena fletibus, ruens, quæque etiam acta et dicta erant, Spiritu sancto revelante, se scire referens, domum, quæ erat et est caput civitatis, facta oratione et data benedictione, sanctus Sanctum inducit. Beato Arnulfo res ecclesiasticas divinam et humanam procurante et sanctissime gubernante, S. Goëricus orationum instantia et bonorum operum vigilantia, quæ sibi promiserat Dei omnipotentis misericordia, deposcere non desistebat. Sane sanctus Angelus, dum per divinam revelationem de adipiscenda sanitate beatum Virum, quid ageret, præmoneret, hæc inter cætera suggessit. Quamprimum ad destinata loca deveniret, ecclesiam, in honore beati Petri apostolorum principis ex propriis sumptibus ædificaret, et possessiones ex paterno maternoque jure sibi competentes ad dotem sanctæ ecclesiæ componendam

A ANONYMO. ponendam sub legali testamento Deo omnipotenti traderet, qui pro se proque æterna vita adipiscenda cuncta relinquentibus centuplicata, et hæc perpetua reddere novit.

exstructaque S. Petro ecclesia. 10 Mox certe ut advenit, paucis admodum diebus defatigata membra quiete aliquantula refocillans, ad locum, quo basilica construenda erat, se duci petit, et ut erat non videns, dictante et docente Spiritu sancto, ipse propriis manibus fundamenta componens, quia divino lumine intus et in anima summa claritate fulgebat, præsentibus futurisque palam fiebat. Insistitur itaque cœpto operi *s*, et mirum dictu mirumque videre erat, quanta velocitate quantaque prosperitate fabrica divini operis votis fælicibus exurgebat, et in perfectum * sese dilatabat. Perficitur ergo opus honestissimum, et, ut hodie cernere potest domus Deo et omnibus ejus Sanctis dignissima, cunctis gaudentibus cunctisque lætantibus, completur. Quæ etiam major domus sancti Petri *t* ex tunc appellatur, ad relationem alterius ecclesiæ, quæ a beato Clemente primo Metensis urbis episcopo, in honore pii magistrii (sancti Petri) constructa, Minor domus sancti Petri denominatur : in cujus contiguo domus est *u*, quæ sancti Clementis fuisse a cunctis circummanentibus dicitur.

s — * Accinct. Provectum — *t* — B — *u*

S. Stephani, cujus ibidem pretiosæ reliquiæ asservantur, intercessione visum recipit : 11 Consummato autem fælicis templi opere, et maximis prædiorum copiis sancta ecclesia, quæ est sponsa Christi abundantissime dotata, tandem Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, [pater * misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, qui, antequam invocetur, dicit, Ecce adsum], S. Goërico oranti et sanitatem animæ et corporis deposcenti manum porrigit salutarem, et dexteram divinitatis exerit ad auxiliandum, obtentuque sancti Stephani dilectissimi protomartyris Christi, visum et corporis et animæ intimam et plenissimam reddidit claritatem. Dum vero sanctus Vir, donante Deo, [cujus * oculi semper super justos sunt, et cujus aures semper sunt in preces Sanctorum,] lumen ac visum recepit, et dum continuis precibus Jesum filium David, ut sui misereretur jam fixerat *, jamque ei dixerat : respice, fides tua te salvum fecit, dicere possibile non est, quantus concursus populorum, quantus strepitus in accurrendo virorum ac mulierum, nobilium et ignobilium, laïcorum et clericorum, senum, juvenum, infantium, Deum et sanctam Trinitatem vocibus et cordibus, quam excelsis, quam devotis poterant, collaudantium, quia exaltatum est nomen ejus solius, et confessio ejus super cælum et terram est.

* *desunt in anonymo.* — * *desiderantur apud Anonymum* — * *Anonym.* Flexerat — C

post quæ S. Arnulphus, quod dudum conceperat mente, 12 Sanctus autem Arnulfus venerabilis præsul, quia diebus suis visitavit Deus plebem suam, et quia Propinquo suo Deus miserans sanitatem corporis et animæ reddidit, oblitus dignitatis, oblitus officii accurrit, et lacrimis usque in pedes ac terram defluentibus, adest, et mutuis amplexibus sibi invicem adstringentes mutuæ consolationis pietate sese demulcebant et consolabantur, orationeque longissima, quam dulcedo mentis subministrabat, effusa, insertis manibus alter alterum consolans, episcopali domui inducit; ubi de divinis diu tractatum est : et quod ab ipsis mundi initiis multæ fuerint tribulationes justorum, et de omnibus his liberavit eos Dominus, sacris verbis revolutum. His ita peractis, tempus aderat, quo ea, quæ beatus pontifex Arnulfus diu mente pertractaverat, implerentur, et affectus sancti desiderii effectum plenissimum consequeretur : nam non solum post adeptam sacerdotii dignitatem, verum diu adhuc in laïcali proposito constitutus, ipsis etiam palatii fascibus defatigatus eremi solitudinem concupierat, et solus soli Deo placere votis omnibus desideraverat. Jam sacris monitis et dulcibus alloquiis beatum Romaricum *x* terrena despicere et amare cælestia instruxerat, jam venditis omnibus, usibusque pauperum cunctis, quæ possederat, dispersis, ut haberet thesaurum perennem in cælis Christum sequi instituerat, et ad eremum fugere fecerat.

D — *x*

exsequi statuit, impetrataque ab aula licentia, 13 Sancto Goërico post receptam sanitatem Dei servitio se totum devovente et tradente, ac quotidiana operum exhibitione sibi Deum fidelissime complacante, beatus Arnulphus spirituali mentis intuitu videt affore dignissimum sibi successorem, et ob idem tempus adesse, quo relictis cunctis mundi indumentis, Christum pauperem pauper et nudus sequi potuisset. Paratis ergo sumptibus regem Dagobertum *y* aggreditur, et pro his, quibus patrem ipsius Clotarium sæpe precibus defatigaverat, depulsans, item itemque petit dari sibi missionem, quo libere Deo servire ac Domini verba per Psalmistam monentis impleri possit, dicentis : Vacate et videte, quoniam ego sum Deus, eumdemque Psalmistam imitari valeret Deo canentem : Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine; exspectabam eum, qui salvum me faceret. Rex, quem idem venerabilis pontifex *z* omnia sapientia et omni honestate sic imbuerat, sicque nutrierat ut nemo eo sapientior, neque præclarior umquam in Sicambria * gente præcesserit, mærore usque ad mirabilem lacrymarum effusionem tactus et attritus, dulcibus primum verbis ab intentione cœpta revocare nitebatur : dehinc sic non prævalens, minas inferre non erubescens, primo filium ejusdem venerabilis patris occidere minitans *aa*, dehinc armis et gladio eum appetere ausus est; sed ab adstantibus militibus, regina etiam intercurrente, prohibitus, non solum, quæ voluerat, non implevit, verum etiam cum eadem Deo devota regina terræ et pedibus sancti sese prosternens, veniam sibi dari summa devotione postulabat.

y — E — *z* — * *Anon, et spinal.* Sicambrica — *aa*

episcopales infulas in S. Goëricum transfert *bb* 14 . . . . *bb* Dataque sibi licentia et impetrata de eligendo sibi successore auctoritate, exiit, benedicto rege atque regina, et iter versus propriam sedem, quam cito poterat, accelerat, veniensque clerum et populum convocat, sacerdotem sibi dignum ut eligant commonet : se plus moram pati non posse, quin ea, quæ Deo dudum in juvenili ætate devoverat, impleret, et eremi solitudinem se velle arripere denuntiat. Cunctis autem undecumque confluentibus, undecumque accurrentibus in lacrymas ac nimios clamores irruentibus, quanto dolore quantoque mærore dulcissimi patris absentiam ferrent, et quam indignos se tanti viri benedictionibus judicarent, videre poteras. Beatus autem Arnulfus mæstitiam multitudinis alloquiis piissimis et paterna affabilitate compescens, quæ instabant, ut agerent, commonet, et sanctissimum virum Goëricum, qui etiam Abbo altero nomine cognominabatur, pontificem sibi eligerent, quia Deus sibi prænuntiaverat; cunctisque licet proprii pastoris recessu mærentibus et usque ad cordium interiora dolentibus, recuperata spe, quia non impar meriti Pastor eis dabatur, favent votis, favent dictis, favent factis, et beatum virum Goëricum, qui et Abbo dicebatur, elevatis in cælum manibus et vocibus, pastorem sibi fore inclamant, et plausibus humanis angelicisque, cælo gaudente, terra plaudente, episcopali cathedra, ut supersederet, collocatur *cc*.

F — *cc*

15 Felix et beatissima mater ecclesia, dum orbata

A *qui gregem suum exemplis et doctrina,* bata patre sanctissimo, non minoris sanctitatis, sed ejusdem meriti ejusdemque pietatis meruit Pastorem recipere; dum Sanctus sancto, justus justo succedit! Exaltatus igitur votis omnium solio pontificatus et infula sacerdotali decentissime circum amictus, jam quidquid boni operis egerat parvi pendens et ut nihil deputans, cœpit novus homo fieri, et qui interim seque suamque animam ad Dei servitium omnino delegaverat, nunc pastorali cura adstrictus subditos vocibus ac moribus, factis et dictis, ut idem agerent, informabat, quotidianaque prædicatione divini verbi semina sulcis fidelium cordium disseminabat et pluviis divinæ scientiæ dulcissime irrigabat : et qui ante episcopatum corpus et membra districtissimis jejuniis et nimia parsimonia attriverat, enarrare fas non est, quam multiplicia jejuniis jejunia cumulaverit, quam assidue cibos etiam concessos ori et ventri subtraxerit, quot dies incibatus usque in alterum diem pertransierit, et quod majus est, non solum quotidianas, verum etiam biduanas et triduanas alacri vultu et mente abstinentias celebraverit.

pauperes largissimis eleëmosynis pascit. 16 Nec ut quique arrogantes incultis pilis et inculta facie, ut appareret hominibus jejunans, incedebat, sed lotis et decoris genis, acsi omnibus divitiis satiatus et adprime refertus se videntibus monstrabat. Cum gaudentibus congaudebat, cum lugentibus lugebat, cum divitibus dives erat, cum pauperibus pauper erat, et proximorum bona vel mala sua æstimans, damnis vel lucris in Christo fratrum, acsi sibi provenirent, aut congaudebat, aut compatiebatur. Vix umquam sol oriens vel occidens vidit eum iratum; vix, nisi Dominica die, aut Sanctorum natalitiis, idem sol lucens viderat eum comedisse : hordeacius panis cibus ei pene quotidianus, aqua potus habilissimus erat; divina mysteria pene omni die celebrans, indefessis lacrymis et suspiriis ex imo corde procedentibus id peragere maximi habebat; nec patiebatur spiritum Deo deditum aliqua hora vel momento quapiam desidia vel corpore devinci, quin aut oraret, aut psalleret, aut utilitatibus subditorum solers incumberet, aut ecclesiarum instaurandarum ruinis resarciendis propensius insisteret. Gaudebat populus, gaudebat clerus, gaudebat omnis ætas omnisque sexus, continuis beati pontificis fælicissimique patris Goërici benedictionibus jocundati, alloquiis ad bene agendum semper suasi, et ut in meliora semper proficerent adhortati, Deumque benedicentes, ut tanti Patris longiturna vita frui mererentur, intimis precibus exorabant.
C

ANNOTATA.

a *Fallor, nisi hinc conjectare liceat deesse Mss. nostris exordium : videtur enim præmisisse anonymus aliqua de stemmate et majoribus* S. Goërici, *ad quæ pronomen* hanc *referatur. De Ansbertina familia et* S. Goërici *prosapia videri possunt Dominicii, Cantarelli Fabri, Chocetii, Jordani nostri opuscula, et quæ observavi Comment. præv. num.* 8, *et seqq.*

b *Exempla non desunt, quæ nos doceant primorum suffragio tum temporis aliquos ad præcipuas dignitates evectos fuisse : habe, quæ id confirment ex Fredegarii chronico cap.* 54. Chlotarius, *inquit,* cum proceribus et leudibus Burgundiæ Trecassis conjungitur, cum eos sollicitasset, si vellent mortuo Warnachario, alium in ejus honoris gradum sublimare. Sed omnes unanimiter denegantes se nequaquam velle Majorem-domus eligere, regis gratiam obnixe petentes cum rege transigere. A. ANSBERTO.

c *Comites passim Civitatibus, Duces provinciis vel civitatibus aliquot et comitibus præfecti erant, ut notat ex Altaserra Cangius. Hinc illud Fortunati :*

Qui nunc dat Comitis, det tibi jura Ducis.

Dubium est, ad quam his altiorem dignitatem, Goëricum *anonymus noster evehat.*

d *Albiensis forte ducatus hic designatur; rex mortuus Gamardus* Goërici *genitor. Consule Comment, præv. num.* 14. *At ne vel sic quidem combinantur biographi asserta. Lahierus noster in Scheda a Cupero ad Vitam S. Segolenæ tom.* v *Julii pag,* 629 *producta Sanctum* Proregis Aquitaniæ *titulo condecorat, qui cum insolitus sit, ut credatur collatus, certius requirimus, quam biographi nostri testimonium.*

e *Simile habes in Vita S. Desiderii in Bibliotheca Labbeana tom.* I *pag.* 701, *ubi dicitur* Siagrius jam in fascibus constitutus, *hoc est alicui provinciæ dux præfectus.*

f *Est hic non obscurus Biographi anachronismus. Neque enim Saraceni, nisi integro post hæc seculo, in Gallias irruperunt. Gothi Meridionalem Aquitaniæ tractum seu Septimaniam Pirenæos inter et Mediterraneum mare sitam eamque pene totam oram maritimam usque ad Rhodani ostia obtinebant. Vascones seu Wascones, gens Hispaniæ Tarraconensis sub Chlotarii primi filiis ac nepotibus Novempopulanam provinciam, Pyrenæis vicinam, mediam regna Francorum inter et Gothorum magna ex parte occupaverant, eamque a suo nomine Wasconiam seu Vasconiam appellarunt. Aliis Aquitania tertia et Auxitania provincia, Gallis* la Gascogne *vocitatur. Ita fere Valesius in Notitia Galliarum. Theodobertus et Theodoricus ingenti Clade anno circiter* 602 *Vascones attrivere sibique tributarios fecere, imposito illis duce Geniali. At sæpius postea jugum excutere tentarunt, et partem Aquitaniæ Australem excursionibus infestarunt.* E

g *De illa nullum uspiam verbum potui reperire.*

h *Præciam, ut sanctam coli asserit Ruerus; ejus nobis cultum, si ab Aprincia diversa est, probari desideramus. Vide Commentarii præv. num.* 15 *et seqq.*

i *Neque Victorinæ hujus uspiam apud antiquos inveni vestigium.*

k *Phrasis hæc satis aperte innuit plus uno alterove anno provinciam gubernasse* S. Goëricum, *secus ac scriptores Historiæ Occit. contendunt. Consule sis Comment. præv. num.* 12 *et seqq.* F

l *Suspicatus sum Comment. prævii num.* 13 *anno circiter* 618 *cæcitate afflictum fuisse* S. Goëricum, *postquam forte aliquot annis, Chlotario II Aquitaniam obtinente, Albiensibus dux præfuerat.*

m *Varias Origines vocis Belgicæ dat Valesius in Notitia Galliarum, ubi explodit Guilielmi Brittonis ridiculum commentum Belgarum nomen a Bergue seu Bergis S. Winoci, quod est oppidulum sesqui milliari in Meridiem Dunkerca distans, cujusque vix seculo* 8 *fit mentio, derivantis. Ceterum quam Galliam Belgicam intelligat anonymus noster satis explicat, cum paulo superius illam Sequana flumine a Meridie, Rheno autem a Septentrione claudit.*

n *Mediomatricum, Divodurum, Mettas et Mettos non raro dictum invenies. Etymon, quod hujus vocis adfert biographus secundo loco ridet laudatus Valesius; primum non recenset, sed non meretur censuram mitiorem. Est porro Salia seu Sallia fluvius Belgicæ primæ, oriturque ex lacu Lindrensi*

A. ANONYMO. *drensi haut procul Friburgo, unde 20 circiter milliarum itinere in Mosellam infra Metas effluit. De illo Fortunatus lib. 3 carm.*

Huic dextra de parte fluit qui Sallia fertur,

et lib. 1.

Seu qui Mettin adit de sale nomen habens.

De his plura qui desiderat adeat Valesium in Notitia Galliarum, et Meurissium in Præfatione historica § 1, 2 *et* 3.

o *Consule quæ dixi Comment. præv. num.* 12. *et seqq., ubi Desiderii Cadurcensis episcopi verba dubium faciunt an* S. Goëricus *Angeli monitu abierit, regnante adhuc Theodoberto.*

p *Ad hæc ita Saussayus ex Meurissio;* Metis... in basilica protomartyris silex, quo in capite percussus fuit inclytus ille Christi testis, ejusdem adhuc tinctus cruore ac aliquot capillis adglutinatus, religione multa servatur.

q *Supposita Ansbertinæ familiæ genealogia, probabiliorem videri eam opinionem, quæ S. Arnulphum statuit* S. Goërici *ex patruo Ansberto abnepotem, dixi Comment. prævio num.* 9 *et seqq.*

r *Sic non male iter Albia Metas describitur.*

B s *Quæcumque hic Metis, antequam ad episcopales infulas* S. Goëricus *assumptus esset, gesta narrantur, commode sexennii spatio illigari possunt.*

t *Madaurensis episcopus in* S. Goërico *addit his; ecclesiam illam etiam S. Petri ad imagines, Gallice* S. Pierre aux images, *appellari. Corrupte tamen, ut ipse arbitratur, pro S. Petri ad homagia,* S. Pierre aux hommages. *Proditum enim invenerat Mss. et traditionibus, eo loci, ubi condita est ecclesia, Mediomatricos Romanis fidem jurare solitos et tributa solvere in tabula marmorea, quæ etiam ejus tempore ibidem spectabatur. Valeat hæc ejus observatio, quantum Mss. et traditionum fides, qua nititur. Ceterum dedicationem illius ecclesiæ ad diem* XVI *Novembris annuntiat Martyrologium ecclesiæ cathedralis Metensis his verbis :* Dedicatio ecclesiæ S. Petri Majoris infra domum, quam sanctus Goëricus construxit episcopus.

u *Hæc referenda sunt ad ecclesiam S. Petri Majoris, testibus Meurissio et Saussayo, qui subdit :* In qua Mystarum collegium instituit (*S. Goëricus*) nunc usque titulo sodalitii canonicorum Majorisdomus S. Petri conspicuum. *Porro, quæ hic narran-*

C *tur de S. Clemente ut S. Petri discipulo, examinanda venient ad diem* XXIII *Novembris, quo S. Clementis Metensis episcopi nomen aliquot Martyrologiis inscriptum legitur. Interim consuli possunt Meurissius pag.* I *et seqq. et laudatus sæpe Calmetus in Dissertatione de episc. Metensibus, quæ præfixa est tom.* I *Historiæ Lothar. colum.* XIII.

x *De S. Romarico agendum erit ad diem* VIII *Decembris. Quæ huc faciunt vide in Actis S. Arnulphi tom.* IV *Julii die* XVIII *pag.* 435 *num.* 6, *et Notam intercalarem Boschii nostri littera* f. *De eodem egi in Comment. præv. num. ultimo.*

y *Ejus nominis primum, quem Chlotarius pater anno* 622 *Austrasiis regem dederat.*

z *Multis scilicet curis in aula Chlotarii regis detinebatur : huc spectant hæc anonymi coævi in Vita præcitata num.* 16*:* Quibus relictis *(literis, quas S. Arnulphus ad illum dederat,)* mox Clotharius rex non modicis repletur angoribus ab omni se auxilio destitutum clamitans, si S. Arnulphus a frequentia palatii cessasset. *Sicambri porro seu gens Sicambrica Vahalis, Mosæ et Rheni accola, sæpius cum Francis et Austrasiis confunditur, ut notat Browerus apud Boschium Nota* b.

aa *Laudatus S. Arnulphi biographus ita loquentem Dagobertum inducit:* Dilectissimi filii tui, D quia ita admissum habet, nisi nobiscum consistas, caput amputabo. *Et duos illi filios natos ex Doda uxore scribit num.* 5 *: horum S. Clodulphus, cujus Vita exstat in Opere nostro* VIII *Junii natu major fuit. Alterum Ansigisum sive Anchisum Paulus diaconus aliique vocant. Pergit deinde laudatus biographus cap.* 2 *num.* 18 *furorem regis aliaque hæc fusius exponere. Umno autem cap. itidem* 2 *num.* 18 *adstantem S. Audoënum regisque sedantem iras exhibet. Videntur ex alterutro non pauca huc translata esse.*

bb *In omnibus exemplaribus nostris videntur deësse aliqua, sensus enim claudicat.*

cc *Anno* 625, *ut in Commentario prævio ad sæpe citatam S. Arnulphi Vitam probat Boschius noster.*

CAPUT II.

S. Goëricus ecclesiam pretiosa supellectile locupletat, transfert corpus S. Arnulphi decessoris et meritis plenus moritur. E

Suam pretiosis muneribus

Interim sanctus pontifex Goëricus mente pertractans et quotidiana visione cernens virtutem beati Arnulfi predecessoris sui, quam in redibitione argentei disci *a*, quem olim idem beatus Arnulfus pauperibus distribuerat, et eodem anno mortuo feneratore, qui vocabatur Hugo, quod a Clotario rege sancto Stephano, cujus fuerat, redditus sit; cupiens semper, quæ poterat honoris et decoris in domo Dei addere et utilia providere, discum alterum ejusdem metalli ejusdemque ponderis construere studuit, qui hodieque impressis literis nomine ejus insignis habetur *b* : prior enim discus septuaginta librarum in Gestis sancti Arnulfi esse describitur; qui uterque discus ob divinum honorem cruce dominica cum crucifixo aureo miri fulgoris et magnitudinis in altum collocata, dextra lævaque statuti consistunt. Ut enim homo dispensator in magni patris familias domo F constitutus, triticum et quæ sunt sanctæ ecclesiæ compendia juste dispensans, spem retributionis æternæ apud Deum reponere posset, satagebat viribus cunctis et omni conamine thesaurum indeficientem et pecunias, quas duplicatas Christo Domino reportaret, mercari; ut conductis nummulariis et bonam usuram *c* fæliciter mercatus, quia super pauca fidelis fuerat, in gaudium Domini sui supra multa constitutus intrare meruisset.

exornat ecclesiam.

18 Nam cum alimoniis pauperum et usibus subditorum cuncta distrahere putaretur, tanta in struendis monasteriis et ecclesiis impertiebatur, tanta etiam munera vel ornamenta iisdem conferebat, ut qui tantam viri sedulitatem in recreandis pauperibus cernebat, aliquid ecclesiis posse conferre diffideret; et item qui tantam ejus solertiam in ordinandis monasteriis intuebatur, aliquid posse dare pauperibus, omnino non crederet. Et cum virtute humilitatis cunctis bonis esset subjectus, imparemque se meritis et inferiorem cunctis pia æstimatione judicaret, sic in resecandis pravorum vitiis erectus erat, ut si adesses, et eum intus et in animo non cognosceres, nihil humilitatis et pietatis

A. ANONYMO.

A tatis eum habere putares. Denique cum sancto sanctus erat, et cum viro innocente innocens erat, et cum electo electus erat; ita ut sicubi servos Dei, quamvis remotioribus locis, habitare comperisset, statim adesse, et eorum dulcibus alloquiis ad cælestia desideria et ad æterna munera capescenda animari et accendi festinaret. Inter hos namque sacros discursus, et inter servorum Dei frequentem visitationem sanctum Arnulfum *d* prædecessorem suum, qui corpore adhuc in terris degens, animo et bona conversatione cælestibus jam intererat, et beatum Romaricum *e* itidem sanctitate et nimia bonitate pollentem, duo mundi clarissima lumina, sancti Heliæ et beati Joannis Baptistæ, eremi et vastæ solitudinis inhabitatione piissimos sequaces sæpissime visitabat, et seminando carnalia spiritualia et sancta metebat.

Mortui S. Arnulphi corpus,

19 Nam quia pro æternæ remunerationis summa intentione mundum, et ea quæ mundi erant cuncta reliquerant, et Christum Deum, qui in terris degens ubi caput reclinaret non habuerat, perfectissime secuti fuerant, hujus viri sanctissimi, videlicet Goërici pontificis, subsidiis et adminiculo B jugiter refocillabantur et sustentabantur. Sane adveniente tempore, quo laborum merces et beata remuneratio beato Arnulfo condonaretur et beatus spiritus illuc tripudians ascenderet, quo jugibus præcibus et longis suspiriis fælix tetenderat, margaritum cæleste ex pulvere terreni contagii assumptum, in regiam æternam translatum et collocatum est. Anima quoque sanctissima, maximis Angelorum frequentiis comitantibus, cælo inducta est, venerabile corpus in ecclesiola, quam idem beatus vir, omni paupertate contentus, ad serviendum Deo sibi paraverat, sepulturæ traditum est. Sancto Romarico cum multa monachorum et pauperum, qui semper sua maxima cura fuerant, adveniente et vocibus lacrymisque inedicibilibus inclamante, spiritus cælo, corpus terræ commendatur. Latuit * beati Arnulfi sanctissimum corpus in loco, quo conditum est, unius anni spatio : quo tempore toto beatus Goëricus pontifex gloriosus, ejusdem sancti Arnulfi successor inclytus, de translatione cogitabat, et qualiter ad propriam sedem, Metensem videlicet urbem sanctissimi viri gleba reveheretur, sedulo animo revolvebat.

* *Accinct.* Expleto autem fere unius anni spatio, memoria dignus beatus etc.

quod per annum exiguo in sacello quieverat,

20 Tandem sanissimo reperto consilio *f*, mittens accersiit duos venerabiles episcopos, Tullensis videlicet civitatis et Virdunensis : harumque trium civitatum clericis et monachis, divitibus et pauperibus concurrentibus, beatus Goëricus Vosagum iter aggreditur : tumuloque effosso sanctum corpus novis et pretiotissimis pannis induit, et feretro *g* ex more super imponit. Aguntur per totam noctem vigiliæ, decantantur Deo psalmi, funduntur preces, funduntur orationes. In crastinum vero ab episcopis reliquisque sacerdotibus dicuntur Missæ : inferiores vero gradus consuetas oblationes offerunt : thura vero et multorum aromatum mirifici odores accenduntur. Fit per auras nebula suavissima, et fragantia fumi delectabiliter redolentis per aëra late sese diffundebat. Peractis erga corpus beati viri, quæ pertinent ad divinum cultum, postque cælestia mysteria refectioni corporali sese indulgentes, et inter epulas Deo magnas gratias agentes, tandem iter assumunt Metensibus ex tunc fælicissimum, et quam citius poterant, unde venerant, redire festinant. O quantus populorum concursus! O quanta vox Deum collaudantium! O quantus plausus manuum! O quantus strepitus pectora percutientium! O quanta multitudo flentium et inter fletus gaudentium! qui omnes non quasi extinctum, sed velut vivum et quasi sibi colloquentem se recipere lætabantur.

summa cum pompa

21 Nec defuere superna miracula, sed comitantibus utriusque sacerdotis meritis, quod Psalmista longe ante Deo cantaverat, plenissime implebatur : Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram. In uno siquidem eodemque miraculo et sanctorum virorum merita, et cujusdam iniqui hominis pravitas plenissime innotuit : nec aliquid pertinere aut convenire fidelem cum infidele, nec esse aliquam societatem inter lucem et tenebras, aut conventionem Christi ad Belial nullam esse luce ipsa clarius palam erat : nam ex Vosago exeuntes et Calvomontensis *h* regionem intrantes, cum jam sol ad occasum festinans diei finem dare acceleraret, beatus Goëricus pontifex cum reliqua vulgi multitudine, glebam sancti Arnulfi ferente, mansione et hospitio indulgere decernit, et membra fessa quieti dare imperat. Sed forte villam iniqui hominis et incestuosi offendunt, quam intrare cupientes, dum sanctarum reliquiarum primi portitores jam pene ingrederentur, divinitus fixi subsistunt : et quia non est in hominis potestate via ejus, in sese cælica E virtute coacti deprehendunt. Certe dum beatus Arnulfus adhuc in hac vita subsisteret, et pastorali auctoritate virum, cujus villa erat, ut ab iniquitate resipisceret sæpe commonuisset, ut viam melioris vitæ susciperet, corripuisset, ut scelera intermitteret et caste honesteque abhinc viveret, efficere omnino non potuit.

Metas transfert,

22 Idcirco dum ejus beata membra portarentur, et ad possessionem ejusdem pessimi et scelerati vectores devenirent, vir beatus, cujus animam jam cælum retinebat, hospitium iniquum subire contempsit, et quia jam ei inhæserat, qui non solum bonus, sed etiam bonitas est, non solum justus, sed etiam justitia est, domum iniqui et peccatoris intrare recusabat. Ergo dum ii, qui portabant pignora sancti et justi viri, loco omnino moveri non possent, populus quidem miraculo stupefactus stabat attonitus : sanctus autem Goëricus præsul venerandus, rem bene considerans, dicebat coëpiscopis et consacerdotibus reliquæque plebi sanctum Arnulfum detestari consortia pravitatis, et quem corrigere vivens non poterat, nec unius noctis spatio ei cohabitare dignari. Quo vero se verterent, quid agerent, consilium non habentes (nam mox imminebat, et villa nulla alia F tantæ multitudini apta præsto erat) sanctum Goëricum sollicitare cæperunt, quo effusa prece Deum, cui impossibile nihil est, et a quo omne consilium et omnis sapientia est, peteret dare de cælis auxilium *i*, et æstu longissimi diei multum defatigatis diverticulum quietis præstare dignaretur exoraret, obnixe deprecantur. Orante sancto Goërico, mora nulla fuit quin divinum solatium adesset, et fidelibus suis opportunum auxilium impertiret.

et post patrata in itinere miracula

23 Huic itineri Notho dux venerabilis, sapientia et divitiis famossissimus intererat, qui divina inspiratione tactus et ad fidem accensus, Est mihi, inquit, prædium hac in patria, nobis quidem non satis contiguum, sed novi Deum nostrum ad cuncta necessaria atque utilia præsentem, qui longum iter potentia sua breviare prævalet et sub velocitate, quo tendimus, pius perducat. Beatus autem Goëricus hæc audiens gaudio repletus, et sciens omnia possibilia esse credenti, glebam sancti Arnulfi illo vertere jubet, omnesque ut subsequantur imperat. Cerneres tantam in eundo esse velocitatem

A. ANONYMO. velocitatem, ut non currere, verum (ut sic dicam) avium more, quia alis non poterant, pedibus volare putares, et quod unius diei integri spatio vix peragi posse crederes, duabus aut tribus horis impletum multum mirareris. Perveniunt igitur ad villam, quæ ex nomine possessoris Nothonis *k* Curtis * vocabatur et vocatur, et quia viniferax omnino patria non est, cervisiæ parum se habere idem dux, ministris referentibus comperit : sed item fide repletus sancti Goërici precibus et meritis id committit. Sanctus Goëricus nota præsidia petens, ut Deus et Christus ejus orationibus sancti Arnulfi populi necessitati subveniret, exposcit.

* *Anonym.* Curia *k*

in templo ad SS. Apostolos honorifice condit.

24 Non diu oratum est, sub celeritate subventum est; et tanta populi multitudo ex parvo liquore, quod vix credibile est, abundantissime satiata est. Propter quod miraculum idem liberalissimus dux possessionem ipsam cum omnibus appendentiis suis Deo et sancto Arnulfo tradere festinavit. Paucis intercurrentibus diebus summa alacritate urbi appropinquant, beati viri membra portantes; et ecce concursus populorum promiscui sexus et ætatis, ordinis et conditionis fælices se clamantium et dicentium : Benedictus qui venit in nomine Domini.
B Accenduntur cerei, cruces et Evangelia obviam deportantur, magnisque gaudiis et plausibus primo civitati et domui, quæ est caput ejusdem civitatis, Basilicæ videlicet sancti Stephani protomartyris inducuntur : celebratisque nocturnalibus vigiliis, et altero die cum magna reverentia dictis Missis et datis oblationibus, xv Kalendas Augusti idem corpus sancti Arnulfi ad ecclesiam, quæ tunc temporis ad *l* sanctos Apostolos vocabatur, deportant et sepulturæ honestissimæ tradunt. Sic expleta sepultura, venerabiles sacerdotes reliquusque populus ad propria cum magno gaudio redeunt.

l

Non diu post

25 Translationem autem beati Arnulfi huic opusculo inserere utile judicavimus, quo sollicitudinem sancti Goërici erga injunctum officium et benevolentiam erga prædecessorem et consanguineum sanctissimum præsentibus et futuris palam faceremus. Dum enim beatus vir Goëricus non est passus populum sibi commissum proprio frustrari patrono, sed quam citius potuit eum, qui pro Dei et Christi ejus amore pauper et peregrinus, dum viveret, effectus fuerat, defunctum etiam cæli incolam, civibus civem reddere studuit; quan-
C ta vis dilectionis et caritatis in Deum et in servos ejus fervesceret luce ipsa clarius innotuit. Multarum ergo virtutum et perfectissimorum meritorum exercitiis plenissime approbatus, jam Deo et omnibus sanctis ejus dilectissimus effectus, jam vitæ sanctitatis et conversationis puritate et mentis sinceritate supernorum civium consocialis effectus, jam bonorum operum et dierum plenitudine consummatus, ecclesiasticis rebus bene depositis et optime ordinatis, subditis per sapientiam a Deo sibi datam summa pace collocatis, et mutuæ dilectionis affabilitate invicem conglutinatis *m*, corporis molestia tactus lectulo illo nobili, cineribus et cilicio decentissime ad animæ utilitatem ornato atque decorato decubat.

m

meritis plenus

26 Et corpus quidem languore deprimitur, spiritus autem quia semper bene proprios rexerat artus ad Deum et ad ea, quæ Dei sunt, vivacissime intendebat, et ab oratione neque cor, neque os, neque manus cessare permittebat. Cumque per dies, aliquot languor sensim incresceret, ac pondus ægritudinis spiritum, quo semper intenderat transire cogeret, in ipso etiam sui transitus articulo a divinis laudibus minime cessans fælicissima pace et beatissima quiete spiritum datori, et D
omnium creaturarum Creatori ipse fælix et beatus reddidit, et piis laboribus adquisita præmia, Sanctis omnibus consociatus, cæli palatio fæliciter intromissus, recepit. Enarrare possibile non est, quantus concursus populorum, quantus fletus et gemitus pro dulcissimi Patris et piissimi Pastoris transitu fuerint, peregrinorum et monachorum, clericorum et laïcorum, virorum ac mulierum, qui omnes clamabant ac dicebant miseros se et omnino indignos, qui tanti Pontificis non mererentur contubernio frui et affabilitate benignissima deinceps uti; fatebantur se verisimile scire beatum Virum pro meritis æterna præmia recepturum, et fælices manipulos in messem Christi reportaturum; sed heu se infælices, qui tali Patre orbati morsibus gravissimorum luporum forte laniandi relinquebantur, et incursibus malignorum hominum, ut timebant, paterent.

27 Recessit beatus Goëricus XIII Kalendarum Octobrium, anno episcopatus sui XVII, plenus dierum *n* et virtutum, plenus sanctitatis et pietatis, plenus honestatis et magnificentiæ, sepultusque est extra urbem ad plagam Meridianam in monasterio sancti Symphoriani martyris Chri- E
sti retro altare Sanctorum Crispini et Crispiani; ubi per multos annorum decursus frequentissimis et potentissimis claruit virtutum insigniis et quæ, quantum, quid apud Deum ejus fælicissima anima posset ad ejus tumulum sacrum fatebantur cæci illuminati, contracti erecti, surdi auditum recipientes, energumeni curati, dissenterici et febricitantes pristinæ sanitati restituti. Post *o* multa vero annorum curricula *p* Deodericus major Metensium antistes gloriosus inter cætera bonorum operum insignia, quibus episcopatum honorifice decoravit, in pago Calvomontense locum quemdam inter Mosellam, et montem qui in devexo sui castrum habens, ex accidenti rusticorum lingua Spinal vocatur, divino famulatui aptum reperiens monasterium construxit, consecrans illud Deo et sancto Goërico, cujus sacra ossa ab urbe Metensi transferens digna veneratione collocavit, et patriæ patrocinium fælicissimum præparavit. In omnibus et per omnia laus et gloria Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto, qui in unitate Trinitatis vivat et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

moritur XIX Septembris.

n

o

p

F

ANNOTATA.

a *Hæc eadem narrantur ab anonymo Gestorum S. Arnulphi scriptore num.* 14 *et eodem numero apud Umnonem.*

b *Nonne hinc liquet biographum esse Sancto non paucis annis posteriorem? Uterque biographus S. Arnulphi dicit discum fuisse* 72 *librarum. Ex alterutro tum hæc, tum non pauca alia noster hausit.*

c *Intellige censum, pro quo vox usura non raro apud antiquos venit. Campsores autem Nummularii vocantur apud Cangium in Glossario.*

d *Locum ad quem se recepit S. Arnulphus descriptum vide a Ruinartio in Notis ad Fredegarii caput* 58 *et Mabillonio in Annal. ad annum Christi* 627 *num.* 62, *citatis a Boschio Commentarii ad Vitam S. Arnulphi num.* 40.

e *Præerat tum temporis S. Romaricus monasterio Habendensi, quod a situ et ejus nomine postea* Romarici mons, *Gallis* Remiremont *dictum est.*

f *Quo hæc anno contigerit translatio certo statui non potest. Sigebertus mortem S. Arnulphi anno*

A *anno* 640 *collocat, sequenti videtur illam illigare Umno. Alii anno* 631, *alii denique* 639 *ejus obitum reponunt.*

g *Feretrum apud Cangium in Glossario passim sarcophagum, sæpius etiam capsam seu lypsanothecam significat. Putem hic sumi in propria significatione pro eo instrumento, cui loculus superponitur.*

h *Pagum Calvomontensem, qui etiam* comitatus Calvomontissæ *dictus est, opinatur Valesius in notitia Galliarum, fuisse tractum ad Mosellæ ripam, ubi hodie urbs Spinalensis est, vel haud procul inde situm.*

i *Desiderantur sequentia in Ms. S. Maximini Trevirensis, quæ ex aliis exemplaribus supplevi. Porro qui paulo infra* Notho, *idem in Vita S. Arnulphi num.* 30 *vocatur* Noddo, *ibique paulo aliter hæc omnia narrantur.*

k Curtis *seu* Cortis, *inquit Cangius in Gloss. scriptoribus inferioris ævi est villa, habitatio rustica ædificiis colonis, servis, agris et ad rem agrestem necessariis instructa, alias* Colonia *dicta.* Curia *scribit anonymi Ms. auctor, quod itidem prædium rusticum, non raro significat. Videtur biographus noster hanc vocem pro nomine proprio male accepisse.* A. anonym.

l *Sæpe laudatus Madaurensis præsul ecclesiam illam vocat* S. Joannis Evangelistæ, *quæ deinde a sacris S. Arnulphi exuviis ejus nomine insigniri cœpit.*

m *Si translatio S. Arnulphi anno* 641 *contigit pauco admodum tempore supervixit* S. Goëricus.

n *Juxta chronotaxim nostram potuit* S. Goëricus *fussse septuaginta circiter annos natus cum ad superos translatus est. Vide si lubet Commentarii prævii num.* 7.

o *Non habet Ms. anonymum, quæ sequuntur usque ad* in omnibus, *ut prænotavi num.* 5. *Ceterum totidem pene verbis leguntur hæc in Vita Adelberonis tom.* 1 *Biblioth. Mss. Labbeanæ pag.* 673, *unde, ni fallor, huc translata sunt.*

p *Vide, si lubet, ea, quæ observavi de Deodorico secundo Metensium episcopo Commentarii prævii num.* 4.

B

DE S. THEODORO ARCHIEPISC.

E

CANTUARIÆ IN ANGLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. C.

§ I. Illustria apud scriptores S. Theodori elogia, ejus memoria in sacris Fastis, cultus et natales, vitæ institutum usque ad susceptum episcopatum, missio in Angliam.

Anno DCLXXXX. *S. Theodorus laudatur*

Sanctum Theodorum, *sextum a S. Augustino Dorovernensem seu Cantuariensem archiepiscopum summis laudibus extollunt non scriptores Catholici tantum, sed et heterodoxi pene omnes, qui cum aliqua eruditionis fama illustrissimæ gentis Anglorum res antiquas pertractarunt. Nimirum monumenta vix ulla eru-*
C *derant antiquitatis amantes, quæ* Theodorum *non loquantur ex Italia cum Romana fide scientias ad Anglo-Saxones deferentem, scholas, gymnasia instituentem, totamque insulam sacra profanaque doctrina imbuentem. Adeo ut ad illum, tamquam ad inductarum scientiarum feliciorumque temporum auctorem, præclarissimarum academiarum suarum exordia referenda esse eruditissimi scriptores Angli non pauci contendant. Ut innumeros mittam, et inter illos venerabilem Bedam, cujus prolixiora de* S. Theodoro *elogia inter Acta inferius referam, ita de illo scribit Wilhelmus Malmesburiensis lib.* I *de Gest. reg. Angl. cap.* I *sub finem :* At vero filius *(Ercomberti regis Cantuariensium)* Egbertus per annos IX patrio throno retento, nil memorabile fecit tam brevi imperii compendio, nisi quis adventum Theodori archiepiscopi et Adriani abbatis temporum illorum imputet gloriæ, doctorum virorum, et qui omnem literaturam imis medullis combiberant; quod, nisi esset usquequaque detritum, libenter pergerem referre, quantum lucis tunc per eos orbi Britannico infulserit, quomodo hinc Græci, hinc Latini, palæstras literarum, certantibus studiis, in unum contulerint, et insulam tyrannorum quondam nutriculam familiare philosophiæ domicilium effecerint.

scriptoribus pene omnibus

2 *Quæ ille ut usquequaque detrita omnibusque notissima, pressius stringit, fusius Gervasius monachus Dorobernensis, qui, si Twisdeno in Præfatione Collectionis suæ credimus, scripsit circa annum* 1170, *in Actis pont. Cant. prosequitur.* Theodorus autem, *inquit* mox peragrata Anglia lubentissime ab omnibus suscipiebatur, et audiebatur. Rectum enim vivendi ordinem et Pascha
F celebrandi, Adriano coöperante, disseminabat: isque primus in archiepiscopis erat, cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. Et quia literis sacris simul et secularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris cotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant; ita ut metricæ artis, et astronomiæ, et arsmeticæ * disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Neque umquam prorsus, ex quo Britanniam expugnaverunt Angli, feliciora fuere tempora, dum et fortissimos Christianissimos haberent reges, barbaris nationibus formidabiles, et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent. *Birchingtonus apud Whartonum in Vitis arch. Cant. ita breve sed mendis plenum texit elogium :* Theodorus natione Romanus, monachus, Tharsis Siciliæ natus successit... hic Græca et Latina lingua eruditus ob harum eminentiam vocatus est Magnus Theodorus. *Neque inferior fuit* S. Theodori *apud exteros existimatio : certe tanti illum fecit pontifex Romanus Agatho, ut synodum Romanam contra Monothelitas cogendam*

** arithmeticæ*

AUCTORE J. S.

gendam longius distulerit, sperans futurum ut ad illam Theodorus *ex Anglia remearet. Id testatur ipse Agatho apud Baronium ad annum Christi* 680. *in epistola ad imperatorem, in qua dilati concilii rationem reddit, his verbis:* Sperabamus de Britannia Theodorum confamulum atque coëpiscopum nostrum, magnæ insulæ Britanniæ archiepiscopum, et philosophum... exinde ad humilitatem nostram conjungere; et hac de causa huc usque concilium distulimus. *Aliorum catholicorum scriptorum elogia passim obvia sunt.*

qui res Angliæ tractant:

3 *Verum si illustrius est ab hoste laudari, et ea denique vera laus est, quam præclara virtus ab invitis velut extorquet, audiamus heterodoxos ipsos sancti Præsulis hujus virtutem doctrinamque deprædicantes. Illum Weuerus in Monum. pag.* 229 *vocat* dignum æternâ memoria ob insignes virtutes: *Spelmannus in conciliis Angliæ pag.* 152 cum moribus, tum literis illustrem admodum et laudatum. *De eo ita scribit Camdenus in sua Britannia pag.* 294 Incredibile est quantum Cantuaria floruit, cum archipiscopali dignitate, tum meliorum literarum schola, quam Theodorus instituit. *Denique ne infinitus sim, Usseriumque, Foxum, aliosque pene innumeros congeram, sufficiat duo addidisse illustrium Anglicæ sectæ scriptorum* B *de* S. Theodoro *testimonia. Horum alterum est Goduini in Vita hujus sancti Præsulis num.* 7, *ubi ita loquitur:* Numquam ante hæc tempora (S. Theodori *in Angliam adventum*) tot simul homines vidit Anglia, literis et eruditione præstantes: quorum tamen numerus brevi postea vehementer auctus est. Scholam dicitur hic Præsul erexisse, nisi mavis dicere academiam apud Crecoladam; ita nimirum dictam (ut nonnulli autumant) a Græcis ibi loci Græcas literas docentibus; qui tandem inde migrantes Oxoniam, academiæ celeberrimæ postmodum enatæ fundamenta jecisse conjectura sane haudquaquam absurda existimantur.

etiam heterodoxis.

4 *Alterum est Parkeri, de* S. Theodoro *nostro elogium in ejus Vita num.* 7 *apud auctorem Florum Historiæ ecclesiasticæ gent. Angl. his verbis:* Erat Theodorus iisdem disciplinis instructus, quibus diximus Adrianum, *(quem,* virum in sacris literis et omni disciplinarum genere instructissimum *paulo ante appellarat)* vir ætate etiam venerandus. Hic bibliothecam copiosam tam ex Græcis, quam Latinis libris secum in Angliam C advexit, quorum nonnulli Græco idiomate conscripti apud nos manent. Huic omnis ecclesia Anglicana libenter se subjecit, isque, peragrata tota insula, Pascæ celebrationem reliquosque Romanos ritus ubique stabilivit, tantumque abfuit, ut aliquid a Romana Ecclesia alienum faceret, ut ejus authoritatem contentiose nimis putetur propugnasse. Hujus Viri virtutes vulgares non fuerunt. Post Britanniam ab Anglis occupatam feliciora tempora, et eruditione ditiora, non fuerunt, quam cum ille Cantuariæ præsidebat. Præter reliquas ejus virtutes, eximie doctus fuit, ac post mortem in discipulis, qui multi erant et præclari, quasi vivens. *Apud Twynum citatum ab Alfordo ad annum* 669 *ita legitur:* Theodorus archiepiscopus Cantuariensis, per omnes chronicas commendatur, luciferos radios rationis unas cum Adriano abbate orbi Britannico infulsisse, et infulam quondam nutriculam tyrannorum in familiare philosophiæ domicilium contulisse. Horum ubique rationis evidentia, memoria reducitur modernorum per illam villulam, quæ laus Græcorum Greekeslade, a Theodori disciplina, ubi scholas primitus tenuit, nuncupatur. In illo enim lacu, refulsit quasi sol Theodorus, a sole justitiæ illustratus. *Hæc* D *de virtute et eruditione* S. Theodori *auctores illi. Solus, quod scio, in* S. Theodorum *virulentum calamum strinxit mendacissimus Balæus. Spurci hominis stygias calumnias pudet referre. Igitur transeo ad sacros Fastos, quibus* S. Theodori *celebratur sanctitas.*

Ejus in Fastis sacris memoria

5 *Præter Romanum Martyrologium Baronii* S. Theodorum *nostrum inter Sanctos ad hunc diem recensent Galesinius et Wion. Memoratur etiam in Kalendario Vaticano, quod Georgius Adoni subnexuit et in Florario nostro Ms. a Greveno apud Sollerium in Auctariis Usuardi his verbis celebratur:* In Anglia beati Theodori archiepiscopi Cantuariensis et confessoris. hic (teste Beda lib. 4) natus Tarso Ciliciæ, divina et humana literatura Latine Græceque instructus, probis moribus et ætate venerandus, cum esset annorum sexaginta sex a Vitaliano papa Dorovernensis seu Cantuariensis episcopus consecratus, totius Angliæ ecclesias exemplo et doctrina replens, plenus dierum quievit in pace. *His consonat Molanus, nisi quod in fine Bedam citet. Prolixius est sancti Præsulis in Martyrologio Anglicano elogium.* Cantuariæ depositio S. Theodori archiepiscopi illius sedis et confessoris, qui natus Tarsi in Cilicia nobilibus E parentibus, factus est monachus venerabilis ordinis S. Benedicti, et postea ordinatus est archiepiscopus Cantuariæ et illuc missus Roma a Papa Vitaliano. Celebravit duas provinciales synodos in nostra insula, unam Hartfordiæ, alteram Hertfeldiæ de Reformatione cleri in Anglia. Et postquam sancta et devota conversatione gubernasset prædictam sedem Cantuariæ XXII annis, sanctissime tandem requievit in Domino, circa annum Christi DCLXXXX, et sepultus est Cantuariæ. *In Ms. Martyrologio ad usum Ecclesiæ Salisburiensis, ut in titulo præfert, quod deinde excusum est Londini anno* 1526, *auctore Richardo Wilford, ita Anglice Sancti nostri fit memoria.* Festum etiam S. Theodori archiepiscopi Cantuariensis, qui in Angliam missus est a Papa ad instruendum populum, ubi multas scholas erexit, tum Græcæ tum Latinæ linguæ, et sancta vita et magnis miraculis multum ædificavit Ecclesiam Christi. *Denique celeberrima est ejus in Benedictinorum sacris Fastis omnibus memoria.*

cultus

6. *Antiquissimum* S. Theodori *cultum esse manifestum fit ex Historia Translationis reliquiarum S. Augustini Cantuarensis archiepiscopi et* F *Sociorum ejus, ad venerabilem Cantuariensem archiepiscopum Anselmum, scripta a Gocelino monacho anno septimo ab ea Translatione et Christi* 1097. *Illam edidit in Opere nostro Papebrochius tom.* 6 *Maji ad diem* XXVI *illius mensis pag.* 411 *et seqq. Ibi hæc de* S. Theodoro *lib.* 2 *cap.* 3 *pag.* 438 *num.* 21 *leguntur.* De plurimis electissimi primo transferuntur quinque Cantuariæ archipræsules, velut quinque Dominicæ aulæ prætores; præcluentissimus scilicet ac sanctissimus Theodorus, suique sancti successores. *Deinde numero sequenti:* Prænominatissimi autem Theodori remoto in translatione tumbæ operculo, sua omnibus affatim satisfecit thurificatio, ita ut in claustrum Fratrum etiam hæc erumperet oblectatio. Jacebat uti a primordio erat depositus, integra forma metropolitani Sacerdotis, pallio et monachili tantum obductus cuculla. Tanta erat gratia, ut arbitraretur adhuc solida vigere carne et appositis manibus Fratres eum niterentur velut integrum assumere. Verum antea immotus pulvis integritatis prætendebat imaginem, tactus autem probavit resolutionis fidem, resolutio vero gratiam sanctitatis

A ctitatis addidit venerabiliorem. Nam ille pretiosissimus cinis, gloriæ beatæ resurrectionis destinatus, ita ex tactu potentiori vernabat fragrantia, ut ex tritura solent prorsus redolere aromata. Excipit itaque theca plumbea illa sacro-sancta pignora, attentissime pro gemmis optimis collecta : induitur præcipuis ornatibus, imponitur feretro a duobus quam leviter fratribus; verum non ea levitate effertur. Intonatur Responsale præconium, procedit solemne collegium, invadunt electi quatuor Fratres exponendum lucis ferculum : hæret humi gleba, quasi radicata : duplicatur auxilium; nituntur totis viribus cum precibus, et octonis humeris vix assumitur : gravissime evehitur, etiam summo labore vix ad gradus presbyterii pervenitur. Ibi tandem omnium ferentium vel succurrentium conatus et robur concidit : omnes præponderans, omnes fixit; quo plures successerant, eo inaniori nisu anhelantes velut exanimes reddidit. Jamque obruendi erant sua sarcina, cum tandem ad preces et lacrimas conversi, pectus tundere, indignitatem suam accusare, veniam poscere, emendationem vitæ spondere cœpere; tantum Sanctus pateretur B efferri se.

antiquus,

7 His ille placatus votis, continuo fit levis, et ad principale altare locumque paratum gestatur a paucis, qui paulo ante non poterat a cunctis. Mirantur gaudentes Dei templum et Spiritus sancti habitaculum tam grave vacuis, tam suave devotis effectum. Reconditur itaque in dextro latere altaris, in tumba parata, in qua a duobus tantum Fratribus deponitur cum plumbea theca. *Ex quibus facile colligitur,* Theodorum *jam tum in Anglia ut Sanctum habitum et cultum fuisse : an autem ante, et jam a temporibus Bedæ, quod videtur innuere Mabillonius, sacer illi honor delatus sit, certo asserere non ausim.* Theodori *sanctitatem pluribus passim extollit ille; verum nec parcior est in laudandis aliis præclaris episcopis abbatibusque, qui, cum hæc scriberet, certe nondum ut Sancti colebantur. Denique neque* S. Theodori *memoriam uspiam inveni in Martyrologiis, quæ Bedæ nomen præferunt, quibus cur insertus non sit, si jam tum cultus illi deferebatur, non est facile judicare; maxime cum Beda Martyrologium suum in fine vitæ scripsisse dicatur. Sanctum nostrum ad hunc diem nuntiari in Martyrologio ecclesiæ Christi Cantuariensis Ms. quod servatur in Bibliotheca* C *Lambethana, asserit Whartonus in Anglia Sac. part.* I *pag.* 93 : *verum cum nesciam, cujus illud ævi et auctoritatis sit, ulterius inde pro antiquitate cultus* S. Theodori *conficere nihil possum.*

dies et annus emortualis, vitæ scriptores.

8 *Ceterum dum scribit Beda;* Anno autem post hunc, quo Ceadwalla Romæ defunctus est, proximo, id est sexcentesimo nonagesimo Incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ functus est, *tam distincte sancti Præsulis emortualem annum designat, ut nullum relinquat dubium. Neque minus certus est dies depositionis ejus ex epitaphio, cujus partem recitat idem Venerabilis scriptor lib.* 5 *cap.* 8 *cujusque versus hic penultimus,*

Namque diem nonam decimam September habebat,
Cum carnis claustro spiritus egreditur,

hunc diem indicat, quo ejus in sacris Fastis memoriam agit Ecclesia. Porro Vitam ejus et Acta ab inito episcopatu accurate describit Beda lib. 3, 4, *et* 5 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum. Quæ ibi sparsa sunt, collegerunt Capgravius, Surius, et Mabillonius, qui ea adjecit Actis SS. Ord. S. Bened. Sec.* 2 *pag.* 1030. *Surii collectionem, quod selegerit aliqua adjeceritque ex Beda, quæ historiam temporis hujus resque gestas* Theodori *delucidant, hic sequar, notisque de more illustrabo. Apud Balæum in* Wighardo *inveni Lelandum citantem* libellum de Vita Theodori, *quem frustra quæsivi. Si ex Beda desumpta sunt omnia, quod ibidem Lelandus innuit, non est difficile eo carere.* S. Theodori *Gesta ex eodem Beda collegit in episcopis Cantuariensibus Gervasius monachus Dorobernensis. Quæ notatu digna apud illum occurrent, Commentario huic interseram : prius tamen aliqua præmittenda sunt, ne intercalares Notæ nostræ longius excurrant.*

[illegible] J. C.

Tarsi Ciliciæ natus est S. Theodorus,

9 *Tarsi Ciliciæ ortum* S. Theodorum *expressis verbis scribit venerabilis Beda. Tarsus S. Pauli apostoli patria, urbs est Asiæ minoris Cydno amni quinque ultra ostium milliaribus imposita, totius Ciliciæ, florentissimæ quondam regionis, metropolis. Scribit Strabo, civitatem fuisse populosissimam et præpotentem, tantumque philosophiæ ceterarumque ejusmodi disciplinis scientiarum floruisse, ut Athenas Alexandriamque ea fama superaverit. Quatuor facile milliaria, quantum Lucæ tom. 2. Itin. Asiæ Min. ex murorum ruderibus colligere licuit, suo ambitu complectebatur. Hodie Turcis paret, tantumque antiquæ nobilitatis amisit, ut nomen urbis vix amplius mereatur.* E *Pauca, quæ supererant pristini splendoris indicia, eodem Luca teste, anno hujus seculi* 5 *excisa sunt, locumque segeti fecerunt et vilibus casis. Anno* 681 *archiepiscopali adhuc sede insignis erat; subscribit enim synodo œcumenicæ* 6 Theodorus misericordia Dei episcopus Tarsi metropolis primæ Ciliciæ. *Porro seculi septimi anno* 2 *natus ibidem est* S. Theodorus *noster, ut ex verbis Bedæ et reliqua vitæ chronotaxi luculentum fiet.*

incertum an ex nobili familia.

10 *Wilsonus in Martyrologio Anglicano præcitato* Theodorum *nobilibus Tarsi parentibus oriundum scribit. Id unde acceperit, non indicat, neque aliunde facile est assequi. Sane nobilis illius prosapiæ nuspiam vestigium ullum invenire potui. Vereor, ne pium id Wilsoni figmentum sit, ejusmodi scriptores imitantis, qui, dum deesse aliquid ad Sanctorum laudem, nescio qua stulta opinione seducti, existimant, nisi præclaro orti sanguine et longa majorum serie illustres exhibeantur, emendicatis a phantasia titulis et conficta nobilitate natales eorum condecorant : quod quantum est a vera laude alienum, tantum auctorum illorum fidem elevat et prodit ineptias. Igitur cum nihil sit, quod nobili domo natum esse* S. Theodorum *certo persuadeat, imo* F *ne suadeat quidem, malim rem illam incertam relinquere, quam vel conjecturis stabilire id, cujus admodum parum interest. Stabunt enimvero sancto Præsuli sua præclara doctrinæ virtutumque fama, ardoris Apostolici excellentia et illustris sanctitatis gloria sine conquisitis ab incerto stemmatis splendore adminiculis. Illa igitur prosequamur.*

Athenis eruditus,

11 *Zacharias Papa epistola decima ad S. Bonifacium Moguntinensem archiepiscopum et Germaniæ apostolum, unum nos docet, quod Beda et alii siluerunt.* Primum capitulum, *inquit,* pro synodo provinciæ, in qua natus et nutritus es, quam.... novissime tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus, ante philosophus et Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio sublimatus, ad præfatam Britanniam transmissus judicabat et gubernabat. *Ex quibus constat,* S. Theodorum *scientias, quæ in sua jam forte patria languerant, restauratis reflorescentibusque post Justiniani imperatoris tempora et curas Athenis, quæsivisse. Sub philosophi autem appellatione rem aliam ambiguam reliquit, quæ spectat ad vitæ institutum sancti Præsulis antequam ad monachos accesserit, de quo nec*

AUCTORE J. C.

nec aliquid aliunde nobis innotuit. Sectamne hic, seu certæ sectæ professionem publicam per philosophi nomen designare voluerit, dicere non possum, cum aliam eamque non unam significationem habeat et interpretationem patiatur. Non credo interim, vitam monasticam hic philosophiæ nomine venire, dum enim antiqui pro ea illud usurpant, talia passim adjiciunt V. G. Christi, sacra *etc., unde luculenter videas, aliud omnino ea voce, quam profanam eruditionem designari. Itaque vel propter eximiam in philosophicis disciplinis excellentiam, vel quia ante illam scientiam, forte Athenis pro illorum temporum more professus fuisset, philosophum hic a Zacharia Papa appellatum arbitror.*

Monachus fuit forte Orientalis :

12 *De tota* S. Theodori *ætate rebusque gestis usque ad annum ejus sexagesimum sextum, præter conjecturas dici vix aliquid potest. Erat enim ea ætate venerandus, quando illum S. Adrianus Vitaliano Pontifici ordinandum obtulit : a qua epocha narrationem suam de Sancto nostro orditur venerabilis Beda. Docet autem statim initio fuisse illum monachum: scribit enim :* Erat ipso tempore Romæ monachus Adriano notus, nomine Theodorus. *Deinde post pauca innuit, illum Orientalium instituB tutis, forte sub aliqua SS. Basilii vel Athanasii Regula, adhæsisse : quippe* Subdiaconus ordinatus per quatuor menses expectavit, donec illi coma cresceret, quo tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium S. Pauli Apostoli. *De Tonsura hac consuli potest Alfordus Ann. Eccles. Anglo-Sax. tom* I *ad annum Christi* 664 *num.* 12 *et seqq., ubi prolixe æque ac docte de illa agit. Ex illis pauca accipe. Orientales toto capite rasi, in eo imitari se Apostolum dicebant, quem Nazaræorum more Hierosolymis tonsum fuisse Acta Apostolorum probant, quemque hanc tondendi formam clericis suis prescripsisse, vel suo saltem exemplo commendasse contendebant. De eo quidquid sit, ex S. Isidoro apud Thomassinum liquet, peculiarem sibi hanc tondendi normam Græcos habuisse. Porro hic mos ne ad Occidentales pervaderet, et in ipsam penetratret Angliam, ubi haud ita pridem dissensiones et turbæ ex diverso tondendi modo ortæ fuerant, cavit Vitalianus; ideoque* S. Theodorum *ea insignivit, quæ erat Occidentalium communis et S. Petri dicebatur, cujus usum Britanniæ episcopos contra S. Colmannum ejusque Scotos multum propugnasse laudatus Alfordus ostendit.*

C

ea lege, ut S. Adrianus

13 *Verbis ultimo loco superius citatis præmiserat Beda :* Hunc (Theodorum) offerens Adrianus Pontifici, ut episcopus ordinaretur, obtinuit; his tamen conditionibus interpositis : ut ipse eum perduceret in Britanniam,... et ut ei doctrinæ coöperator existens, diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei, Græcorum more, in ecclesiam, cui præesset, introduceret. Benedictus etiam cognomento Biscop, *teste Gervasio in Actis Pont. Cant.*, natione Anglus, vir prudens cum eo missus est, ne Anglicanas institutiones Græca commutaret novitate. *Ex his non pauci deducunt, fuisse* S. Theodorum, *non tantum instituto Græcum, sed etiam Vitaliano Papæ eo nomine in fide suspectum. Illis totum se opponit Alfordus ad ann. Christi* 667 *num.* 3, *contenditque Pontificem nihil adversi de Sancto nostro suspicatum, vel veritum fuisse; comites tamen addidisse, sicut prudentes reges legatis suis jungere viros graves solent, qui consilio juvent, auxilio sustentent, ac denique splendorem eorum comitatui addant. Verum plusculum aliquid Bedæ verba innuunt, quapropter malim media inter utrosque via incedere. Non sine maxima quidem imprudentiæ nota Vitalianus cum tanta potestate in Angliam, ubi fidei primordia* D *vixdum adoleverant, legasset virum, de cujus vero Catholicoque sensu et doctrina merito prudenterque dubitasset. Tale igitur nihil neque de* Theodoro, *neque de Romano Pontifice illo suspicari ausim neque tamen contendo, hunc fuisse omnino de illo securum.*

illi socius assisteret, ordinatur,

14 *Erat* Theodorus *novus homo inter Latinos, Vitaliano hactenus ignotus, Græcus ipse educatus et versatus semper inter Græcos, ubi tum temporis plurimi errores colluctabantur et pessimæ grassabantur hæreses, a quibus poterat aliquid Sancto nostro; etiam inscio, adhæsisse. Hæc profecto nata erant levem aliquam suspicionem, vel timorem potius injicere Vitaliano, viderique debebant aliqua cautela indigere. Deinde merito veritus fuit cautissimus Pontifex, ne* Theodorus *haud dudum Latinos ritus instituta que edoctus, Orientalium ceremonias multum a Romanis Anglicisque diversas, induxisset in eam insulam, quæ novitate sua eos populos percellerent, turbasque excitarent in novello Christi grege, qui non una jam in similibus controversia miserrime fuerat luxatus. Certe hunc sensum facile Gervasii ferunt verba, nec Bedæ omnino respuunt : veritati enim fidei non raro dicuntur ea* E *contraria, quæ in levioribus etiam ab Ecclesiæ usu et consuetudine recedunt. Mille enim sunt loci obvii, ubi fides consuetudinem et morem Ecclesiæ sonat. Verum sive mitiorem hunc postremum sensum amplectaris, sive ex prioribus etiam aliquid Vitalianum movisse censeas, ut hanc cautelam adhiberet, stat sua pura et integra* Theodoro *fides, et commendatur Romani supremique Pastoris vigilantia, commisso sibi gregi undequaque et quantum poterat cautum volentis.*

et per Gallias,

15 *Neque erat hæc etiam qualiscumque suspicio tota ratio et causa, quare illi Adrianum comitem pactus sit Pontifex. Addit enim Beda :* Eo quod jam bis *(Adrianus)* partes Galliarum diversis ex causis adiisset, et ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum, *apud quos hospitio excipi, et pro dignitate haberi poterant, turbatis Ebroïni tyrannide miserum in modum Galliæ rebus, ecclesiasticis æque ac secularibus. Denique stetit his conditionibus S. Adrianus, et* S. Theodorus *ordinatus est, a Vitaliano Papa anno Dominicæ Incarnationis* 668 *die* XXVI *Martii. Duos post hæc men*F*ses Romæ* Theodorus *et Adrianus egerunt tandemque* XXVII *Maji Massiliam, Narbonensis Galliæ emporium nobile, navigarunt, et inde terrestri itinere Arelatem profecti, ad Joannem illius urbis episcopum, commendatitiis Vitaliani literis muniti, diverterunt. De Joanne illo pauca admodum, vixque nisi hoc Bedæ testimonio fulta, proferuntur. Ab eruditis Galliæ Christianæ auctoribus primus ejus nominis, Arelatensium præsulum vigesimus octavus numeratur : in Dypticis illius ecclesiæ apud Mabillonium in Analectis venit ordine trigesimus octavus; Petrus Saxius inter Scriptores rerum Germanicarum Menkenii Joannem hunc secundum nomine, quadragesimum primum in serie recenset. Ex hac varietate liquet, quam incerta sint plurimorum Arelatensium episcoporum series et successio, de quo jam apud nos dictum est aliquid ad diem* V *Martii, agique ulterius poterit* XXIX *Decembris, ubi discutienda venient Acta S. Trophimi, primi illius sedis episcopi. Interim narrantem Bedam, Sanctosque nostros in itinere sequamur.*

ubi diutius moratus apud S. Agilbertum,

16 *Excepit nimirum humanissime tantos hospites Joannes, tamdiuque apud se habuit, donec profectionem urgentibus copiam prosequendi itineris*

A *ris fecisset Major-domus Ebroïnus, vir vaferrima crudelitate et insatiabili ambitione notissimus. Habebant sancti Advenæ, unde sibi timerent ab eo homine, qui haud ita pridem S. Ennemundum nefarie trucidari curaverat, cuique per fas et nefas tantum non regnanti, omnia non poterant non esse suspecta. Cautissime itaque Joannes* S. Theodoro *et Adriano consuluit, iisque ab Ebroïno veniam impetravit, quaqua vellent per Gallias discurrendi. Ea munitus Sanctus noster Parisios, alio divertente S. Adriano, profectus est. Sedebat eo tempore Parisiis S. Agilbertus, obitis jam tum per 24 facile annos inter Britones Saxonesque apostolicis laboribus clarissimus. Ad illum* S. Theodorus, *sicut procul dubio a Pontifice in mandatis habebat, se recepit. Nemo Agilberto melius Archiepiscopo Cantuariensi, homini extraneo consiliis monitisque prodesse poterat, quippe cui res Angliæ longo recentique adhuc usu probe perspectæ erant. Oblata occasione usus* Theodorus, *multos menses apud illum transegit, gentisque Anglorum mores, ecclesiarum consuetudines, dissensiones, religionis per varias provincias et regna statum et pericula, aliaque quæ profutura sibi prævide-* B *bat et studiosius indagare poterat, perdidicit.*

creditur privilegium primatus

17 *Arbitratur Alfordus in Ann. Eccles. Ang. ad annum Christi* 669 *num.* 12 *(unde suum numerum* 3 *ad hunc annum, ut passim alibi alia, nullo citato scriptore, desumpsit Pagius) ad hoc tempus referendam esse epistolam Vitaliani Papæ, qua* Theodoro *primatum omnium in Anglia Ecclesiarum, amplissimamque in illa insula in omnes clericos potestatem concedit. Suspicatur enim,* S. Theodorum *ex sancto Agilberto intellexisse, Gregorium magnum Augustino Dorobernensium primo antistiti plurima indulsisse Pontificiæ auctoritatis privilegia, quibus illi in omnes Britanniæ ecclesias jurisdictio concessa fuisset: eamdem illam a Vitaliano petiisse* Theodorum, *ab eoque, cum adhuc Parisiis degeret, impetrasse. Quamquam hæc epistola ulterius differenda videatur post adventum* S. Theodori *in Angliam, dum in ipsis statim initiis Apostolici muneris judicavit* S. Theodorus, *tantam sibi potestatem contra aliquot durioris cervicis homines omnino utilem fore, Vitaliani tamen litteras hic annecto, ne rerum gestarum ordinem postea interrumpam. Recitat illas Malmesburiensis lib.* I *de Gestis Pontif. Angl. pag.* 209, *solusque eas, quod sciam, Wilkinsus nuper suæ conciliorum Collectioni inseruit ex* C *Ms. Cott., hoc tenore.*

a Vitaliano Papa

18 Dilectissimo fratri Theodoro Vitalianus episcopus, servus servorum Dei. Inter plurima, quæ nobis per vestras syllabas intimari jussisti, cognovimus etiam desiderium vestrum pro confirmatione diœcesis, quæ tuæ subjacet ditioni, quia in omnibus ex nostræ Apostolicæ auctoritatis privilegio splendescere desideras: nos vero vestræ petitioni annuentes, quia congruit pastorali sollicitudine circa ecclesias Dei, quæ a priscis temporibus ab hac Apostolica sede statuta intelligimus, irrefragabili voluntate volumus, ut sicut a nobis et a nostris successoribus perpetua stabilitate muniantur. Unde nobis visum est te exhortari, ac in præsenti commendare tuæ sagacissimæ sanctitati omnes ecclesias in insula Britanniæ positas. Omnia ergo, quæ a sancto Gregorio prædecessore nostro Augustino sincello suo statuta sunt atque firmata, vel etiam per sacrum usum pallii concessa, nos tibi in ævum concedimus, et Doroverniam civitatem, ubi primitus per revelationem Jesu Christi Domini nostri fides Catholica secundum institutionem sacrorum canonum suscepta est, habeto.

auctore J. C.

19 Ex auctoritate autem beati Petri Apostolorum principis, cui a Domino Deo potestas data est ligandi atque solvendi in cælo et in terra, nos, licet immeriti, ejusdem beati Petri clavigeri regni cælorum vicem tenentes, tibi, Theodore, tuisque successoribus, sicut ab olitanis temporibus fuerunt condonata, ita in perpetuum in ipsa tua metropolitana sede, quæ sita est in civitate Dorovernia, immutilata concedimas detinenda. Si quis vero, quod non optamus, contra hanc nostræ Apostolici diffinitionis privilegii auctoritatem venire temptaverit, si quidem episcopus, vel presbyter, aut diaconus fuerit, ex hac Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut episcopus ordine præsulatus careat, et presbyter vel diaconus se noverint a suis Ordinibus dejectos: ex numero autem laïcorum tam ex regibus quam principibus, sive magna vel parva persona fuerit, sciat se alienam a participatione corporis Domini nostri Jesu Christi. Hanc autem privilegii paginam suffultam auctoritate beati Petri Apostolorum principis, cujus ministerio fungimur, tibi, Theodore, tuisque successoribus in perpetuum obtinen- E dam delegamus. Deus te incolumen custodiat, dilectissime frater. *De hoc privilegio infra recurret sermo.*

obtinuisse,

in Britanniam appellit

20 *Dum apud S. Agilbertum* S. Theodorus *morabatur, nuntius in Angliam pervaserat ad Ecgbertum regem, venisse tandem in Gallias episcopum, quem tanto tempore Roma avidissime expetierat et exspectabat. Moræ ulterioris impatiens rex, pro eo, quo erat erga Catholicam religionem virosque ecclesiasticos et evangelii præcones animo, statim in Galliam præfectum aulæ suæ Redfridum misit, qui destinatum Cantuariensi ecclesiæ Antistitem cum honore exciperet, et in Angliam transveheret. Redfridus cum Parisios pervenisset, sui regis mandata* Theodoro *et Ebroïno exposuit. Consensit hic in illius abscessum, sed Adrianum diutius retinuit, suspicatus habere illum ab imperatore, quæ apud Britanniæ reges adversus nefarias suas molitiones pertractaret. Adriano itaque relicto,* Theodorus *cum Redfrido iter in Angliam aggressus, Quentavicum, urbem quondam Picardiæ maritimam ad Cantiæ fluminis ostium, deductus est. Hic tantisper infirmitate detentus, tandem solvit in Angliam, quo cum feliciter appulisset, a rege amicissime exceptus, sexto* F *denique Kalendas Junias, secundo postquam consecratus fuerat anno, ecclesiæ suæ datus est.*

cum S. Benedicto Biscopo,

21 *Mirum videri potest in tota illa itineris apud Bedam descriptione de S. Adriano agi passim et nullum de S. Benedicto Biscopo, quem* Theodoro *a Vitaliano comitem datum fuisse superius Gervasius scribit, verbum uspiam fieri. In Vita S. Benedicti, eodem Beda auctore, apud Mabillonium Sec.* 2 *pag.* 1002 *hæc habentur, quæ nullum dubium relinquunt.* At vero Papa Apostolicus, ne legatariis obeuntibus legatio religiosa fidelium fructu competente careret, initio consilio elegit de suis, quem Britannias archiepiscopum mitteret, Theodorum videlicet seculari simul et ecclesiastica philosophia præditum virum, et hoc in utraque lingua Græca scilicet et Latina, dato et collega et consiliatore, viro æque strenuissimo ac prudentissimo Hadriano abbate; et quia venerabilem Benedictum sapientem, industrium, religiosum ac nobilem virum fore conspexit, huic ordinatum cum suis omnibus commendavit Episcopum, præcepitque, ut relicta peregrinatione, quam pro Christo susceperat, commodo

auctore J. C.

modi alterioris intuitu patriam reversus, doctorem ei veritatis, quem sedulo quæsierat, adduceret. Cui, vel illo pergenti, vel ibidem docenti pariter interpres exsistere posset et ductor. Fecit, ut jusserat; venit Cantiam; gratissime sunt suscepti. Theodorus sedem episcopatus conscendit, Benedictus suscepit monasterium B. Petri apostoli ad regendum, cujus postea præfatus Adrianus factus est abbas.

relicto in Gallia S. Adriano.

22 *Atque his consonant de* S. Theodoro *et Benedicto ea, quæ leguntur in Sermone in Natali ejusdem sancti abbatis, qui inter Opera venerabilis Bedæ editionis Basileënsis anni* 1563 *habetur tom.* 7 *col* 464 *num.* 50 *his verbis:* Ibi *(Romæ)* ergo eruditus *(S. Benedictus)* in Christo, illis in partibus *(Lirini)* attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis, ibi totum vitæ suæ erat exacturus, si non Apostolica domini Papæ prohiberet auctoritas, qui eum propter ducendum in Britanniam sanctæ recordationis episcopum Theodorum in patriam redire præcepit. *De hac quidem homilia dubitat laudatus Mabillonius, quia in antiquissimis omnibus Bedæ Martyrologiis nulla fit mentio de S. Benedicto, qui eo sermone ut Sanctus exhibetur, cuique hæc fit panegyris. Bollandus tamen noster ad diem* XII *Januarii illam indubiæ Bedæ adscribit. Certe ejus stylum perfectissime præfert. Quidquid sit, ex iis, quæ primum attuli et ex Florentio Wigorniensi certum est, cum S. Benedicto ductore* S. Theodorum *nostrum in Angliam pervenisse. Ceterum cum constet ex S. Benedicti Vita, illum in Britanniam reversum, biennio præfuisse monasterio S. Petri, et Beda scribat lib.* 4 *cap.* I: Statim ut ad illum (S. Theodorum) pervenit *(Adrianus)*, dedit ei monasterium S. Petri apostoli... præceperat enim Theodoro abeunti domnus Apostolicus, ut in diœcesi sua provideret et daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset, *oportet Adrianum toto fere biennio in Gallia ab Ebroïno detentum fuisse, vel illud* statim *latius extendendum est; quod potius suadent ejusdem Bedæ verba, asserentis S. Adrianum in apostolicis laboribus* S. Theodoro *ab ipso statim ad cathedram adventu socium et coöperatorem fuisse.*

§ II. Res in Anglia a S. Theodoro præclare gestæ, dissidia cum sanctis Ceadda, Winfrido et Wilfrido: concilia sub S. Theodoro convocata.

S. Theodorus eximiam mox famam consecutus

V*ix pedem in Anglia fixerat* S. Theodorus, *cum universam percurrens insulam, suam omnibus sanctitatem probavit et eruditionem. Dum enim artem metricam, astronomiam, rationes ecclesiastici computus, linguarum Græcæ et Latinæ præcepta sacris institutionibus intermiscuit, atque iis, quibus plurimum excellebat, scientiis avidam eruditionis gentem imbuit. Cælestem doctrinam suavius populorum animis instillavit, tantamque brevi eruditionis laudem ex eaque auctoritatem consecutus est, ut ab omnibus et lubentissime audiretur susciperetur que,* primusque esset in archiepiscopis, cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. *Hac prærogativa fretus liberrime insectabatur vitia, quæ non pauca nec exigua tum de novo irrepserant, tum ab idololatria inhæserant, dissidia componebat arbiter, errores funditus exstirpabat. Hos inter unus a Quarto-decimanis Asiaticis, ut videtur, profectus, dudum fideles vexaverat, viros aliunde summos sæpe invicem commiserat, illique evellendo sanctus quondam Augustinus secutique illum ad hæc usque tempora præsules multum, sed frustra laboraverant. Spectabat is ritum celebrandi Paschatis, quod Scotis Britonibusque non paucis alio, quam Romanis, die recurrebat.*

inveteratos in Anglia errores exstirpat.

24 *Contendebant quippe illi, celebrandum Pascha eo Dominico die, qui decimam quartam inter et vigesimam lunam occurreret, reclamantibus aliis, juxtaque Romanum morem lunam decimam quartam excludentibus. Hinc autem fiebat, ut quando decima quarta luna in Dominicum incidebat, Scoti cum suis solemnem et Paschalem haberent eum diem, qui reliquis Palmarum erat; unde incommoda maxima contentionesque nascebantur, quæ sopitæ sæpius et repressæ identidem repullulabant.* S. Theodorus *itaque id totis viribus contendit, ut errorem radicitus exscinderet; quod quidem tam feliciter assecutus est, ut, condito ea super re in Herudfordiensi concilio canone, omnes per totam Britanniam unanimi consensu Pascha Romano ritu celebrarent. His ita statutis fixisque fidei et unitatis fundamentis, ad ea curas convertit, quæ ad rituum ecclesiasticorem splendorem majestatemque facerent. Hunc in finem, cum ipse omnibus sufficere non posset, aliunde viros accersivit qui Anglos modum cantandi in ecclesia docerent, ita ut non immerito venerabilis Beda scribat, numquam feliciora tempora vidisse Angliam, quam ea, quæ in illam* Theodorus *adduxit.*

Durioris regiminis accusatur

25 *Verum, ut se habent humana quæ numquam sunt undequaque perfecta, inter res Ecclesiæ tam præclare gestas a* S. Theodoro, *irrepsit aliquid, quod tanto nomini maculam inussisse aliquam plurimis scriptoribus videtur. De eo ita Malmesburiensis lib,* I *de Gestis pontif. Angl.:* Eum (S. Theodorum) ab Apostolica Sede missum Beda commemorat primum omnium Antistitum Cantuariæ vigorem pontificalem in tota Britannia exercuisse. Denique et citra et ultra Humbram episcopos hos pro beneplacito abegisse, hos posuisse. In ipsa Eboraco aliarum urbium præsules consecrasse, et, ut in Vita beati Wilfridi legitur, ejusdem civitatis pontifices Ceddam et ipsum Wilfridum, seu ratione, seu vi expulisse. Ubi videri potest humana miseria, quod videlicet quantalibet quis sanctitate polleat, non ad plenum pervicaces mores exuat: quia illi duo oculi Britanniæ controversias inter se egerint. Siquidem Theodorus Wilfridum injuste, quantum nostra habet conjectura, ejecerit, Wilfridus Romano Papæ Agathoni, multis ante periculis jactatus, querelam detulerit. Modeste sane, ut nec ab Apostolica Sede directum, accusationibus urgeret, nec tamen innocentiam suam fluctuare permitteret: *ita ille. Durius* S. Theodorum *nostrum in causa maxime Wilfridi perstringit Eddius, quem sequuntur alii non pauci, sancti Præsulis nostri culpam nimium exasperantes. Visum est dissidiorum causas paula fusius percensere, ut prudens lectori stet judicium in re, ubi Sancti unius excusatio alterius Sancti accusatio videri debet.*

a scriptoribus, sed iniquius,

26 S. Theodoro *jurisdictionem fuisse concessam in omnes Anglorum ecclesias Vitaliani Papæ ostendunt literæ, quas præcedenti paragrapho, num.* 18 *et seq. retuli. Concedit in iis pontifex* Theodoro *quæcumque olim Gregorius S. Augustino largitus fuerat privilegia, quæ sunt sane amplissima, ut videre est apud Bedam lib.* I *Hist. cap.* 29, *ubi Eboracensis episcopus etiamsi pallii prerogativa gaudeat, Archiepiscopo Cantuariensi jubetur subjici,* ac

A *ac deinde dicitur* : Tua vero fraternitas non solum eos episcopos, quos ordinaverit, neque hos tantummodo, qui per Eburacæ episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Deo Domino nostro Jesu Christo auctore, subjectos. *Eadem pene ex Gregorii epistola archiepiscopis Cantuariensibus concedunt Bonifacius, Honorius et Formosus. Ex quibus ita scribit Baronius ad annum Christi* 676 *pag.* 518 : Ex his autem majores crevere S. Theodoro labores, cui non solum Dorovernensis ecclesiæ, sed totius Angliæ a Romano Pontifice veluti Apostolicæ Sedis legato cura credita erat, adeo ut ejus penderet arbitrio, quem vellet episcopum sedere, vel sede moveri. *Denique concessam illi fuisse potestatem, quas vellet justa de causa dividere cathedras, non vidi qui negent; at non pauci arbitrantur, quod sanctus noster obtenta facultate imperiosius usus sit, quod porro restat inquirendum.*

etenim videtur S. Ceaddam jure deposuisse

27 *Tres sunt potissimum episcopi, propter quorum depositionem durioris regiminis* S. Theodorus *passim arguitur. Sanctum Ceddam, qui Ceadda a Beda et aliis plerumque nominatur, primum Malmesburiensis commemorat. De illo scribit* B *Beda in Vita, quam damus, num.* 7. *Rem ita tradit Eddius in Vita S. Wilfridi cap.* 14. Quodam igitur tempore, adhuc sancto Wilfrido episcopo trans mare non veniente, Oswiu rex, male suadente invidia, hostis antiqui instinctu, alium præarripere inordinate sedem suam edoctus consensit ab his, qui Quartadecimanam partem contra Apostolicæ Sedis Regulam sibi elegerunt, ordinantesque Servum Dei religiosissimum ... Ceadda, adhuc eo ignorante, in sedem episcopalem Eboracæ civitatis indocte contra canones constituerunt, *Et cap.* 15 : Postquam ergo... Theodorus... primo ingressu illius regionis rem contra canones male gestam a veris testibus audivit, quod prædonis more episcopus alterius episcopi sedem præripere ausus sit, indigneque ferens, Ceaddam episcopum de aliena sede jussit deponi. *Acerbior paulo enarratio eam causam depositionis Ceaddæ innuit, quam suspicatur Alfordus, nempe quod in alienam sedem intrusus esset ab iis, quorum non esset episcopos vel ordinare, vel ecclesiis præficere. Certe Beda non obscure significat, fuisse in ipsa Ordinis substantia peccatum, cum* S. Theodorum *exhibeat arguentem, quod Ceadda non esset rite* consecratus *et* C *mox addat;* Ipse ordinationem ejus denuo Catholica ratione consummavit. *At quis ille error fuerit non lubet divinare.*

ab Eboracensi cathedra,

28 *Sufficere hæc debent, ut omnem culpam a* S. Theodoro *amoveant, qui, quem illegitime ordinatum compererat, ne quidem ab episcopali dignitate rejiciendum putavit, sed reordinandum, relictaque, in quam fuerat intrusus contra S. Wilfridi jura, sede, alteri cuipiam ecclesiæ præficiendum curavit, ut clarissimis apud Bedam verbis* S. Theodorus *profitetur. Quod autem nec peculiari aliquo in virum sanctum seductus odio talia fecerit, tum hæc ipsa probant, tum quæ sanctus idem historicus lib.* 4 *cap.* 3 *narrat.* Eo tempore provinciæ Merciorum rex Wulphere præfuit, qui, cum mortuo Jarumanno sibi quoque, suisque a Theodoro episcopum dari peteret, non eis novum voluit ordinare episcopum, sed postulavit a rege Osuio, ut illis episcopus Ceadda daretur, qui tunc in monasterio suo... quietam vitam agebat... et quia moris erat eidem reverentissimo antistiti, opus Evangelii magis ambulando, quam equitando perficere, jussit eum Theodorus, ubicumque longius iter instaret, equitare, multumque renitentem studio et amore pii laboris, ipse eum manu sua levavit in equum, quia nimirum sanctum esse virum comperit, atque equo vehi, quo esset necesse, compulit. *In quibus satis elucessit* S. Theodori *pietas et paterna cura, ut nihil iniquæ famæ timeat ab eo, quod jure primum adversus S. Ceaddam gesserat.*

uti et Winfridum ab Lichfeldensi.

29 *Alia fuit causa depositionis Winfridi, quem Eddius Wulfridum nominat : illam Beda fuisse inobedientiam aliquam tradit lib.* 4, *cap.* 6; *at quænam, quave in re fuerit, nuspiam explicatum reperio. Verisimillima est Whartoni conjectura, quam in sua Anglia Sacra part.* I *pag.* 126 *tradit Inde desumenda sunt aliqua, quæ controversiæ cum Winfrido, Wilfridoque non parum lucis adferunt. Igitur ita rem laudatus Whartonus expedit. Crescente indies fidelium numero, consultum videbatur* Theodoro *plures ordinare episcopos, qui propius gregem suum pascerent, magisque curas suas contraherent. Animum de eo suum tum ab ipsis initiis sui archiepiscopatus ostenderat, tum congregatis in Herutfordiensi concilio præsulibus manifestarat. Hinc ibidem capitulo nono* tractatum est, ut plures episcopi, crescente fidelium numero, augerentur. *His concilii verbis additur :* Sed E de hac re ad præsens siluimus, *quæ ab alio quopiam adjecta esse putat Whartonus; nec videtur omnino contemnenda suspicio, nec enim concilii verba præferre videntur, nec in versione Saxonica inveniuntur. Putem tamen vere concilio adscribi, ne totum illud capitulum excludere lubeat, quæ enim præcedunt, æque meram narrationem potius, quam concilii acta sapiunt. At similia hinc et inde inter aliarum synodorum decreta occurrunt. Arbitror itaque, agentem de multiplicandis sedibus in concilio* Theodorum *episcopos aliquos expertum esse obnitentes, quod suis rebus plus æquo timerent.*

Discordiarum origo fuit multiplicatio

30 *Ut ut est, ea mens* S. Theodoro *constanter inhæsit, ut episcoporum numerum augeret, præcipue in Merciorum provincia, quæ dimidiam fere Angliam tum temporis complexa, unico antistiti subdebatur. Quod igitur desperabat communi consensu fieri posse, decrevit refragantibus nequidquam episcopis, ex concessa sibi ab Apostolica sede potestate urgere et perficere. Nec in eo, quod tot fidelium necessitas exigebat, suo jure* S. Theodorus *abusus videtur : etenim executioni mandabat, quod olim ad S. Augustinum Gregorius Papa rescripserat. Epistola habetur apud Bedam lib.* I F *cap.* 29, *quam supra citavi, ubi enixe commendat Pontifex, ut episcopales sedes multiplicentur, donec Northanymbrorum regnum ad tredecim episcopos numeraret. Quod tum S. Augustinus perficere non potuerat,* Theodorus *fretus auctoritate, qua valebat plurima, molitus est, atque hæc origo videtur fuisse variarum dissensionum, dum episcopi non nisi ægerrime patiebantur, partem aliquam a suis diœcesibus avelli, portionemque earum quandoque maximam in duos tresve alios distribui. Atque contra hoc* Theodori *consilium offendit, ni fallor, Winfridus, dum Archiepiscopo, immensam provinciam ejus dividere cupienti, sese opposuit; quapropter Lichfeldensi sede pulsus sit, suffecto in locum ejus Sexuulfo, qui paulo post partem suæ provinciæ cessit novæ Herefordiensi sedi. Verum in his omnibus nihil est, quod* S. Theodoro *Apostolica secuto mandata vitio verti possit.*

episcopalium sedium.

13 *Magis intricata sunt dissidia cum S. Wilfrido gesta, nec quæ undequaque culpæ in* S. Theodoro *suspicionem amoliuntur. Eorum causæ in eamdem illam dividendarum diœcesium* Theodori *voluntatem recidunt. Namque si forte non inde maxime*

AUCTORE J. C.

maxime sed ad Ermenburgæ reginæ invidia avaritiaque profecta sunt mala, quæ sanctus Eboracensis episcopus pluribus annis pertulit, credo tamen inde occasionem suis furtis atque patrocinium reginam quæsivisse, quod dudum propensum in dividenda egregiæ Eboracensis ecclesiæ in plures episcopos bona S. Theodorum, *renuentemque Wilfridum vidisset. At rem omnem ab antiquis potius scriptoribus accipiamus. Illam venerabilis Beda paucis enarrat lib. 4 cap. 12, totamque malorum causam in Ecgfridum regem rejicit, nulla facta* S. Theodori *mentione : eamdem prolixior Eddius acri stylo describit cap. 24, ubi postquam reginam apud maritum a nimiis opibus possessionibusque et fastu contra Wilfridum perorantem, captumque talibus illiciis regem exhibuit, ita prosequitur :* Ad auxilium suæ vesaniæ archiepiscopum Theodorum cum muneribus, quæ excæcant etiam sapientum oculos, quasi Balach Balaam contra Dei voluntatem invitaverunt. Veniente ergo Archiepiscopo ad eos, quid mente agerent in contemptu ejus patefacientes, et sine aliquo culpandi periculo inique damnare (quod absit) consensit. *Acerba est hæc oratio, quam paulo etiam amplius exacuendam censuit Malmesburius de Gest. pontif, Angl. lib. 3 pag. 262.*

B

quam acrius urgebat.

32 Cucurrit ergo, *inquit* tam invidiosa relatio *(Ermenburgæ et Ecgfridi regis)* ad archiepiscopum Cantuariensem Theodorum. Is non moratus, sed xeniorum obtentu vigorem animi enervans, inconsulto Wilfrido, tres alterius regionis episcopos in ejus diœcesim introduxit. Prætendebant autem causam justitiæ, ut inde tres alerentur episcopi, unde unus tumebat : sufficere tantos sumptus tantæque diœcesis circuitum, quatuor episcopis. Et hæc quidem recte dicta possent videri, si eum, qui sua industria omnia conquisiverat, vel non omnino spoliatum dejiceret, vel saltem cum consensu ejus ageret. *Hæc quidem illi ; at ut candide fatear, quod sentio, videtur Eddius, exacerbato ut erat in* S. Theodorum *animo, plusculum hic suo affectui indulsisse, eumque secutus Malmesburiensis. Enimvero quamvis non contendam, ab omni prorsus culpæ nævo in S. Wilfridi causa immunem fuisse* S. Theodorum, *non facile tamen Virum sanctum tam improbum mihi exhibebo, qualem atrato sua bile penicillo mihi Eddius depingit. Credo passum humani in eo aliquid sanctum Præsulem, at illum tam improbum mihi fingere non possum, ut avaritia seductus, muneribus aliquot S. Wilfridi bona, jura, quietem, et tantum non ipsam vitam improbe et sacrilege vendiderit, quo nihil minus dicere videtur Eddius. Suspicor potius* S. Theodorum, *cum minus faventem suis votis de multiplicandis cathedris comperisset Wilfridum, occasionem arripuisse, ut quasi vi faceret, quod cum ejus consensu se confecturum diffidebat. At vel sic peccasse* Theodorum *agnosco, maxime si, quod aiunt, summum jus summa injuria est. Poterat enim diœcesis dividi, relecta sua S. Wilfrido Eboracensi sede, a qua non nisi per injuriam (ut advertit jam paulo mitior Malmesburius) videtur expelli potuisse, cum de injuria expostulanti adferri non potuerit culpa, quæ tale quid mereretur.*

C

Non excusatur ab omni

33 *Atque hanc meam opinionem pridem tradidit monachus Dunelmensis in Historia episcoporum Dunelmensium in Tuda, ait enim :* Anno demum 678 Theodorus archiepiscopus Cantuariensis, qui Wilfridum de pluribus episcopis in amplissima Northanimbrorum provincia constituendis sæpius incassum interpellaverat, assentiente Ecgfrido rege, tres episcopos auctoritate propria ordinavit,... relicta Wilfrido Lindisfarne, antiqua episcoporum Northanimbriæ sede. *Postrema hæc, si vera sunt, multum de culpa* S. Theodori *quam jam agnovi, decedit. Sic nimirum S. Wilfridus maxima quidem provinciæ suæ parte spoliatur, at relinquitur illi Lindisfarnensis ecclesia portioque possessionum non exigua. Relictam S. Wilfrido hanc sedem utcumque etiam innuit Malmesburiensis ipse citatus supra, dum inter prætextus, quibus inimicos S. Wilfridi illatam illi injuriam tegere voluisse asserit, fatetur dixisse illos,* sufficere tantos sumptus tantæque diœcesis circuitum quatuor episcopis : *juxta quæ, tribus novis, quos Beda enumerat, accensendus S. Wilfridus videtur, nisi dicas pro causæ subsidio ita hujus jactari divitias, quæ pluribus etiam, quam creati fuerint, episcopis sufficere possent. Quidquid sit, videtur* S. Theodorus *hic aliquid humanitus passus, sive tota sede sua, quem flectere non poterat, frangere volens, Wilfridum expulerit, sive parte bonorum, quæ ipse sibi episcopus Eboracensis comparaverat, sive divitiis omnibus (quod ex ipsa* Theodori *infra recitanda confessione verisimilius apparet) spoliari permiserit. Certe totum ejus in hac causa agendi modum non probavit Pontifex, atque adeo nec ego illum penitus excusatum cupio.*

D

E

culpa saltem nimiæ conniventiæ et tepiditatis

34 *Duriora adhuc sunt ea, quæ S. Wilfridi in Romano concilio absolutionem (de quo plura § sequenti)* S. Theodoro *vel connivente vel cooperante, secuta sunt. Namque reversus Roma in Angliam Wilfridus* vexillum victoriæ ferens, *(Eddii verba sunt cap. 33)* hoc est Apostolicæ Sedis judicium secum deportans, pacifice salutans regem adiit, regique humiliter scripta Apostolicæ Sedis judicia, cum totius synodi consensu et subscriptione ostendens, cum Bullis et sigillis signatis reddidit. Deinde omnibus principibus ibidem habitantibus, nec non servis Dei in locum synodalem accersitis, ad audienda salutifera consilia ab Apostolica Sede causa pacis ecclesiarum transmissa. *Verum vel sic nihil profecit, quin potius magis regis et aulicorum animum exacerbavit :* cum enim vidissent, *quædam difficilia et suis votis contraria iis contineri, contumaciter respuerunt, causantes scripta pretio coëmpta esse et fraudulenta. Quin imo* jussione regis et ejus consiliatorum, cum consensu episcoporum, qui ejus episcopatum tenebant, in custodiam ducere, et novem menses sine ullo honore custodire censuerunt : *donec divina ultio sacrilega reginæ furta repressit; omnibus enim afflicta membris, maloque vexata dæmone, horrorem regi aulæque faciebat, cum terrificæ vindictæ causam detexit sancta mulier Æbbe. Cui* rex obediens... sanctissimum sacerdotem resolutum, cum sanctis reliquiis et suis sociis congregatis, a se libere discedere concessit, et regina sanata est. *Sed vel sic tamen S. Wilfridus in sedem suam, et jura pristina non est restitutus : at pluribus adhuc annis exsul, regum iras, incommodaque innumera perpessus, occiso Ecgfrido, anno Alfridi, qui post illum regnavit, secundo bona sua ac deinde Eboracensem cathedram recuperavit.*

F

in S. Wilfridi expulsione.

35 S. Theodori *in his omnibus silentium et conniventiam nihil attinet extenuare, culpam ipse suam confessus est, gloriosaque retractatione reparavit. De eo narrantem audiamus Eddium Stephanum, quem paulo ante vidimus erga Sanctum nostrum animo acerbiore, unde non est, quod adulantem suspicemur.* Eodem quoque tempore *(inquit, quo nimirum Cedwalla ad regnum evectus plurimis beneficiis S. Wilfridum cumularat)* Theodorus gratia Dei archiepiscopus auctoritatem Apostolicæ Sedis, a qua missus fuerat, metu agitante honorificans

A honorificans, cum beato Wilfrido episcopo nostro diu exule spoliato vere amicitiam inire diutius moratus non distulit. Nam cum Theodorus archiepiscopus in senecta uberi frequenti infirmitate anxiatus est, ad Londoniam civitatem Wilfridum et Ercenwoldum (Erkenwoldus et Earconwaldus *alibi dicitur, de quo videri potest Beda lib.* 4 *cap.* 6) suos episcopos ad se invitavit. Venientibus autem illis, Archiepiscopus sapienter totius vitæ cursum cum confessione coram Domino pure revelavit, dicens : Et hoc maxime scrupulum me premit, quod in te, sanctissime episcope, commisi, consentiens regibus, sine causa peccati propriis substantiis spoliantibus te, et, mœrentibus subjectis tuis, in longum exsilium exterminantibus (heu proh dolor!) omnis mali. *Legit hic Mabillonius* exterminantes, *verum ita non restituit sensum, qui videtur insuper aliunde mutilus.*

Illum tamen qualemcumque culpam

36 Et tunc : *(pergit* Theodorus *apud Eddium)* confiteor Domino et sancto Petro apostolo, et vos, sancti episcopi mei, testes estote, ut cunctos amicos meos regales et principes eorum ubique ad amicitiam tuam, pro remissione peccati mei, per B omnem modum volentes nolentesque constringens atraho. Scio enim post hunc annum appropinquantem vitæ meæ terminum, secundum Domini revelationem, et ideo adjuro te per Dominum et S. Petrum mihi consentire, ut in sedem meam archiepiscopalem superstitem et hæredem vivens te constituam, quia veraciter in omni sapientia et in judiciis Romanorum eruditissimum te vestræ gentis agnovi. Tunc S. Wilfridus episcopus dixit : Det tibi Dominus et S. Petrus remissionem omnis controversiæ commissæ, et ero pro tua confessione orans, pro te amicus in perpetuum. Et modo primum mitte nuntios cum literis ubique ad amicos tuos, ut nostram reconciliationem in Domino, et me olim innoxium exspoliatum agnoscant, et mihi per tuam adjurationem in Domino, secundumque præceptum Apostolicæ sedis partem aliquam substantiæ meæ restituant, et postea, Deo volente, quis dignus sit sedem episcopalem post te accipere, cum consensu tuo in majori consilio consulemus.

sincera confessione, scriptisque ad reges literis

37 Deinde archiepiscopus, post pactum veræ pacis initum, ad Alfridum regem Aquilonalium misit literas, per quas adjuravit eum, ut propter timorem Domini, præceptaque Apostolicæ sedis C præsulum, et pro redemptione animæ Egfridi regis, qui prius episcopum nostrum privatum omnibus de patria innocentem exterminavit, reconciliare sub fœdere pacis ad multorum salutem cum eo dignatus sit. Non solum autem hunc regem archiepiscopus ad concordiam excitavit, sed sibi ubique amicos, quasi prius inimicos, facere diligenter excogitavit. Nam ad Ælfledam sanctam virginem et abbatissam suas literas emisit, in quibus commendans secundum auctoritatem Apostolicæ sedis, ut pacem cum sancto Wilfrido episcopo sine dubio iniret : nec non ad Ethelredum regem Merciorum adjurans, et in sua et Christi charitate, secundum quod prius in mente habebat, suscipere eum his sequentibus dictis præcepit.

pro S. Wilfridi restitutione in Eboracensem cathedram,

38 Gloriosissimo et excellentissimo Ethelredo regi Merciorum Theodorus, gratia Dei archiepiscopus, in Domino perennem salutem. Cognoscat itaque, fili mi dilectissime, tua miranda sanctitas, pacem me in Christo habere cum venerando episcopo Wilfrido, et idcirco te, charissime, paterna dilectione ammoneo, et in Christi charitate tibi præcipio, ut ejus sanctæ devotioni, quantum vires adjuvant, præstante Deo patrocinium, sicut semper fecisti, quandiu vivas, impendas : quia longo tempore propriis orbatus substantiis inter paganos in Domino multum laboravit. Et idcirco ego Theodorus, humilis episcopus, decrepita ætate hoc tuæ beatitudini suggero, quia Apostolico hoc velut sanctis commendat auctoritas, ut ille supra nominatus sanctissimus in patientia sua, sicut dicit Scriptura, possideat animam suam injuriarum sibi injuste inrogatarum (immemor) humilis et mitis caput suum Dominum Salvatorem sequens, et medicinam expetens : et si inveni gratiam in conspectu tuo, licet tibi pro longinquitate itineris durum esse videatur, oculi mei faciem tuam jucundam videant, et benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Age ergo fili mi, fili mi taliter de illo supra fato viro sanctissimo, sicut te deprecatus sum. Quod si Patri tuo non longe de hoc seculo recessuro obedieris, multum tibi proficiet ad salutem. Vale in pace, vive in Christo, dege in Domino, Dominus sit tecum.

AUCTORE J. C.

abunde reparavit.

39 *Literæ, quas ad Ælfledam et Alfridum regem* S. Theodorus *de eodem argumento dedit, desiderantur. Credibile est, non minoris fuisse ponderis et efficaciæ; quippe eodem Eddio teste,* Alfridus rex sapientissimus S. Wilfridum episcopum de exilio, secundo anno regni sui, venerabiliter secundum E præceptum Archiepiscopi ad se invitavit, *eique monasterium in Hrypis ac deinde Eboracensem sedem, et cedentibus reliquis episcopis, provinciam reddidit universam. Ita nimirum* S. Theodorus *studuit illatam Wilfrido injuriam reparare, ut ambigi possit, an non expedierit, illum ex humana fragilitate ita labi, ut ex divina misericordia gloriosius resurgeret. Tantum enim, si non amplius, ex Christiana hic demissione animi, sincera confessione peccati, publicaque nimiæ conniventiæ et teporis condemnatione propria, illi laudis et gloriæ accedit, quantum vix aliis præclaris factis consequi potuisset. Certe qui in ceteris omnibus sublimis excelluit, exhibuit hic se in humilibus summum. Atque hinc ad alia redeamus, quæ pro fide Catholica fortiter et præclare gessit* S. Theodorus, *et resumamus tempora, unde longius discessimus, ut continuata serie totam illam S. Wilfridi causam prosequeremur.*

Tria concilia habuit. Twyfordensis Acta,

40 *Ut Catholicam fidem; quam tot tantisque laboribus fundabat in Anglia, magis magisque consolidaret, et Evangelii præcones unanimi consilio in doctrinam divinam disseminandam incumbe-* F *rent, varia* S. Theodorus *concilia convocavit. Ex his tria sunt præcipua, quorum meminit Beda. Primum habitum est Herudfordiæ anno Christi* 673, *die* XXIV *Septembris Indictione* I, *in quo episcopis quinque* una cum eis, qui canonica Patrum statuta et diligerent et nossent, magistris ecclesiæ pluribus... ea, quæ unitati pacis ecclesiasticæ congruerent... quæque decreta ac definita sunt a sanctis et probabilibus Patribus... et canonice antiquitus decreta custodienda proposita sunt, *a subsignantibus omnibus confirmata fuere. Decem hujus concilii canones habes in Vita num.* 12, *inter quos unus est de congreganda singulis minimum annis synodo. Concilium aliud coëgit* Theodorus *Hertfeldiæ ex Agathonis Pontificis mandato per Joannem archicantorem S. Petri ad ipsum perlato, quamvis ejus occasio et causa ad solum Sanctum nostrum, ut illius præsidem apud Bedam referatur. Tertium denique anno* 684 *a* Theodoro *coactum est in Ottadinis ad Alaunum fluvium, ubi Twyford oppidum, a quo concilium Twyfordense dictum est, inquit Alfordus.*

41 *Miratur idem in Annal. ad annum Christi* 684

AUCTORE J. C.

quæ supersunt, sunt spuria :

684 *clarissimum Spelmannum, qui ceteras omnes synodos satis accurate collegit, Twyfordensem omisisse, cum tamen ubique dicatur non parva fuisse, et plures eo episcopi convenerint. Illius meminit Beda in Vita S. Cuthberti his verbis :* Nec multo post, congregata synodo non parva sub præsentia piissimi ac Deo dilecti regis Egfridi, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiscopus præsidebat, unanimo omnium consensu Cuthbertus ad episcopatum ecclesiæ Lindisfarnensis electus est. *Et lib. 4 Historiæ cap.* 28 : Contigit, ut congregata synodo non parva, sub præsentia regis Egfridi, juxta fluvium Alne in loco, qui dicitur Adtuisirdi, quod significat Ad duplex vadum, cui beatæ memoriæ Theodorus archiepiscopus præsidebat. *Unde credo, Spelmannum non ignorasse istam synodum, rationem autem, cur illius non meminerit, credo fuisse, quod Acta illius nulla invenerit, quæ locum in Collectione mererentur. Ea in suam nuper retulit Wilkinsus ex Monastico Anglicano tom.* I *pag.* 46, *sed profecto talia sunt, ut nemini facile fidem faciant, quod observavit Henschenius noster tom.* III *Martii in Vita S. Cuthberti Comment. præv.* § I
B *num.* 4 : *præfigitur enim annus Christi* 685, *cum præcedenti habitam fuisse synodum constet. Subscribunt Cedd Orientalium Saxonum, Ceadda Lichefeldensis episcopi, quorum hic tredecim ante annis, ille etiam prius, vita excesserant. Atque hæc, ut alia taceam, aperta sunt falsitatis indicia. Porro ex iis, quæ circa tempus hujus synodi contigisse narrat Beda, verosimile est, quod de Tomberto scribit Godwinus in Cat. episc. Dunel.* Tumberto, *inquit*, per synodum Twyfordiæ congregatam (quam ob causam nescio) exauctorato, Cuthbertus illi substitutus est.

nec habemus Acta integra synodi Hertfeldensis,

42 *Quod ad concilium Hertfeldense spectat, certum est, non habere nos illius Acta integra, dicente Beda :* Et post multa ejusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hæc quoque sancta synodus suis literis addidit : Suscepimus etc. *Quæ multa nemo, quod sciam, hactenus protulit, nisi quis velit fuisse Acta synodi Martini papæ, quæ in Angliam Joannes detulerat. Harpsfeldius Sec.* 7 *cap.* 22. *pag.* 82 *ab eadem synodo Merciam in quinque episcopales sedes discretam fuisse teste Wilkinso in Notis, conjicit ex Ranulpho Higdeno*
C *scribente :* Quo in tempore *(concilii Hertfeldensis,)* provincia Merciorum, quam solus Sexvulphus tunc regebat, divisa est in quinque parochias ; una apud Ligecestriam, alia apud Wigorniam, tertia apud Lichefeld, quarta in Lindeslia apud Sideneiam, quinta apud Dorcestriam : sed Putta mansit apud Herefordiam quondam institutus per Sexvulsum. *Nec est conjectura improbabilis,* S. Theodorum *id tandem per concilia fieri curasse, quod, dum ex suo jure tentabat, innumeras ubique difficultates experiebatur. Certe ita etiam Twyfordensi synodo episcopatuum divisio superius adscribitur. Ad concilium Hertfeldense referenda etiam videtur confirmatio privilegii, quod nuper S. Benedictus Biscopus Roma attulerat. De illo Beda in Historia Abbat. cœnobii sui :* Missis Romam monachis tempore recordationis Papæ Sergii, privilegium ab eo pro tuitione monasterii instar illius, quod Agatho Papa Benedicto dederat, accipit *(Ceolfridus)* quod coram synodo patefactum, præsentium episcoporum simul et magnifici regis Aldfridi subscriptione confirmatum est ; quomodo etiam prius illud sui temporis regem et episcopos in synodo publice confirmasse non latet, *synodo enim Hertfeldensi rex et Joannes archi-cantor adfuere, et procul dubio etiam Benedictus, qui recens hoc privilegium acceperat, et eam occasionem elabi* D
non est passus.

in quo non fuit confirmatum privilegium Monasterii Medamsthedensis.

43 *Alios episcopos, qui illi synodo interfuerunt, putat Alfordus dignosci posse ex subscriptionibus privilegii monasterii Medamsthedensis. Verum nullam omnino fidem meretur illud scriptum, propter rationes, quas allegat Pagius ad annum Christi* 679 *num.* 7 ; *et alias non paucas. Eodem loco reponendum est aliud, quod ibidem substituit ex Monastico Anglicano tom.* I *pag.* 67 : *quamquam enim illud non tot fabellis scateat, non tamen iis caret nævis, quibus falsitatem suam manifeste prodit. Etenim subscripti leguntur Wilfridus, Waldherus Londinensis et Putta Rofensis episcopi : nec tamen eo tempore, quo concilium Hertfeldense celebratum fuit, adesse in Anglia Wilfridus potuit, qui sedit in Romana synodo anno* 680 *feria* 3 *Paschalis habita ; nec Waldherus Londinensem cathedram adiit ante annum* 687, *quo etiamnum illam tenebat Erconwaldus, cui deinde successit ; nec Putta Rofensi ecclesiæ præfuit post annum* 676, *ut testatur Beda lib.* 4 *cap.* 12. *Deinde inter episcopos ita subscribit Adrianus :* Ego Adrianus Apostolicus legatus et comes et suffraganeus reverentissimo Theodoro, *quæ mihi* E
subscriptio apparet admodum insolita, nec eam sapiens ætatem. Hæc omnia et alia, quæ occurrunt, omnem videntur illi fidem adimere. Credo interim aliqua privilegia, rogante Wilfrido, concessisse Agathonem dicto monasterio, quæ deinde ab Edilredo, ac postea ab episcopis confirmata fuerint.

§. III. Chronotaxis rerum gestarum a Wilfridi expulsione usque ad synodum Romanam in causa turbarum Anglicarum sub Agathone Papa celebratam.

Circa annum habiti concilii Hertfeldensis aliqua apparent confusa

Supersunt alia spectantia ad concilium Hertfeldense, quæ sunt satis intricata, et de quibus non convenit inter scriptores. Concurrunt scilicet in paucos annos quatuor minimum concilia, quorum altera ab alteris secundum res actas quodammodo dependent. Constantinopolitanum, Romanum magnum, Romanum alterum et Hertfeldense in Anglia, de quo nunc egimus atque iterum sequenti § agemus. Confundant aliqui utrumque Romanum, illudque anno 680 *vel* 679 *affigunt ; alii eodem anno* 680 *Romanum illigant cum Hertfeldensi quod rursum alii præcedenti anno celebratum contendunt, aliis iterum Romanum ad* 679, *Hertfeldense vero ad sequentem rejicientibus. Ex diversis illis opinionibus magnæ in istam partem historiæ Anglicæ, resque* Theodori *et Wilfridi condensantur tenebræ, quas (teste Pagio in Crit. ad annum Christi* 677 *num.* 9*) nemo satis depulerat. Itaque chronotaxim texere nisus est ipse Pagius, et ex illa res, quæ Wilfridi expulsionem secutæ sunt, illustrare. Neque irriti ejus conatus fuere, maxime in iis, ubi Chiffletium nostrum ductorem habuit. Sed cum in ceteris illi ubique consentire nequeam, visum est, quod ad Acta* S. Theodori *nostri proxime pertineant, accuratius indagare epocham expulsi Wilfridi, atque ex illa cum subsecutorum conciliorum epochis chronotaxim aliquam elicere.*

45 *Itaque videtur in annum sexcentesimum septuagesimum*

ex rerum gestarum circa ea tempora ordine dissolvenda. Eodem anno expulsus

A *ptuagesimum septimum incidisse expulsio S. Wilfridi ab Eboracensi cathedra, nam Beda aliique passim scriptores omnes, qui ejus meminerunt, eidem anno illigant ortam dissensionem episcopum illum inter et* S. Theodorum *nostrum, quo per trimestre apparuisse asserunt cometam, quem etiam dissidiorum illorum prænuntium aliqui faciunt. Manifestissime Beda lib.* 4 *cap.* 12. Anno, *inquit,* Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo septimo (*vulgaria Bedæ exemplaria habent* 678) qui est annus regis Ecgfridi octavus, apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur cometa. Quo etiam anno orta inter ipsum regem Ecgfridum et reverentissimum antistitem Wilfridum dissentione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus. *Et in Epitome ad calcem suæ Historiæ :* Anno sexcentesimo septuagesimo septimo cometa apparuit : Wilfridus episcopus a sede sua pulsus est ab Ecgfrido rege. *Utramque rem eidem pariter anno innectunt Ranulphus Higdenus, in Polychronico, aliique passim scriptores, qui res illorum temporum Britannicas scriptis mandarunt; ita ut dubitari vix possit, quin eodem anno visus fuerit cometa, et* B *Wilfridus sua sede deturbatus.*

est S. Wilfridus, quo contigit apparitio cometæ;

46 *Bedæ autem, cometæ apparitionem anno* 677 *figenti, non pauci etiam scriptores alii suffragantur. Sigebertus Gemblac. in Chronograph. ad annum Christi* 677 *scribens :* Ab Augusto per tres menses stella radiis cælos penetrans a parte Orientis a galli cantu usque in mane apparebat, et maxima mortalitas a parte Orientis subsequuta est. *Westmonasteriensis in Floribus Hist. :* Anno gratiæ sexcentesimo septuagesimo septimo Donus Papa sedit in cathedra Romana, anno uno, mensibus tribus, diebus decem; et cessavit sedes mensibus decem, diebus quindecim... Sub his quoque diebus cometa per tres menses apparuit et uno quoque die mane velut sol resplenduit. *Chronicon Alberici editum a Leibnitzio :* Anno sexcentesimo septuagesimo septimo AgathoPapa annis quatuor et dimidio... Ab Augusto per tres menses stella radiis cælos penetrans *etc., ut Sigebertus, quem citat. Florentius Wigorniensis ad eumdem annum* 677 *:* Apparuit mense Augusto stella cometes, quo etiam anno, orta inter ipsum regem Ecgfridum et reverentissimum antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem antistes sede sui episcopatus. *Quæ* C *cum singula ex Beda desumpta sint, et ad annum* 677 *relata, patet, corruptam fuisse notam chronologicam, quam vulgata Bedæ exemplaria hic præferebant.*

anno scilicet Christi 677,

47 *Accedit aliud pro eodem anno* 677 *testimonium ex Catalogo præsul. Eborac., quem Labbeus ex Ms. Epistolarum Ivonis episc. Carnot. tom.* I *Biblioth. Manuscriptorum pag.* 322 *edidit : nempe :* Interea Oswio rege mortuo, successit filius ejus Hegfridus in regnum, qui post beatam Etheldritam, quam nomine tenus conjugem primo duxerat, Ermenburgam sortitus est in matrimonium, in cujus corde malignus hostis sibi hospitium fecerat, ubi odiorum et invidiæ contra beatum Wilfridum conficiens fomenta, per linguam mulieris incendit animum regis ad expulsionem usque pontificis. Sed quia rex pontificem de sua sede præter consensum Theodori archiepiscopi pellere nequibat, mandavit archiepiscopo, ut adesset. Auditis, quas accusatores finxerant, causis, pulsus est ab episcopatu Wilfridus anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo septimo, qui est annus sui episcopatus duodecimus, et per decennium exsulavit. *Quæ paulo fusius huc transtuli, quia ad ea etiam multum faciunt, quæ superiori § de dissidiorum origine dixi.*

non vero sequenti, ut habent

48 *Porro notat Pagius hic in catalogo* anno DCLXXVII, *et non* DCLXXVIII, *ut ediderat Seldenus in Scriptoribus Angliæ pag.* 75 *ex Epistola Simeonis Dunelmensis, legendum esse, cum annus duodecimus episcopatus Wilfridi, qui ibidem assignatur, cum* 678 *concurrere non possit. Mitto locum ex Anastasii Biblioth. libro de Gestis Romanorum Pontificum, quem pro nostra hac cometæ epocha urget laudatus Chiffletius, quia opinor, parum, aut nihil certi inde confici posse. Demus enim, nec est tamen undequaque certum, Donum Romanam cathedram ascendisse* 1 *Novembris* 676; *non inde recte concludetur, id, quod accidit mense Augusto* cum electus esset, *quæ verba Anastasii sunt, ad annum sequentem esse reducenda, cum ejus electio aliquot mensibus, dum ab exarchis imperialibus approbaretur, ordinationem præcesserit, in quod tempus si cometæ apparitio incidisset, vera essent Anastasii verba, cometaque anno* 676 *illigandus esset, quo, hunc ipsum, nisi fallor, ob locum, illum reposuit Hermannus Contractus ex Anastasio. Sed ea, quæ prius attulimus, sufficiunt, ut constet eodem anno reponenda esse ortum infesti sideris, Wilfridoque illatam ab Ecgfrido injuriam* E *Illum autem incidisse in mensem Augustum anni sexcentesimi septuagesimi septimi apertissima, quæ jam attuli, testantur plurimorum scriptorum testimonia; restat igitur, ut eodem anno* 677 *expulsum ab Eboracensi cathedra Wilfridum statuamus.*

mendosa quæpiam Bedæ exemplaria. Contra horum

49 *Contra sic fixam epocham expulsionis S. Wilfridi aliqua facere videntur, quæ sunt pridem pleraque a laudatis Chiffletio et Pagio repulsa. Quod enim in citatis ex Beda locis tam in Historia, quam Recapitulatione legendum sit* anno DCLXXVII *et non* DCLXXVIII, *ut vulgata exemplaria habebant, ex manuscriptis suis optimæ notæ codicibus Chiffletius ostendit, petitoque ex ipso Beda testimonio plane evicit. Scribit enim venerabilis auctor lib.* 4 *cap.* 5 *:* Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus, ex quo Britanniam venit Theodorus, Oswi rex Northanymbrorum pressus est infirmitate, qua et mortuus est anno ætatis suæ LVIII... Qui defunctus die decima quinta Kalendarum Martiarum Ecgfridum filium regni hæredem reliquit. *Igitur annus regni Ecgfridi octavus inchoatur mense Februario anni* 677, *eodemque mense sequentis anni* 678 *terminatur, ac proinde, quæ* F *eodem loco, quo mendose* 678 *ponitur, Wilfridi expulsio dicitur contigisse anno regni Ecgfridi octavo, ad præcedentem reducenda est, cum mensis Augustus anni* 678 *cum anno Ecgfridi octavo neutiquam, et non nisi cum præcedenti vulgaris æræ concurrere possit. Atque hoc detecto correctoque errore, facile emendatur epocha apud scriptores illos, qui eamdem ex Bedæ Historia, hac parte mendosa et corrupta, in sua Opera transtulerunt.*

emendationem nihil evincunt petita

50 *Quamquam sunt, qui contra annum* 677 *seu Bedæ emendationem, difficultatem movent ex textibus aliis duobus, Chronicon Saxonicum habet ad annum Christi* 678. Hic apparuit cometa stella : Wilfridus autem episcopus ab episcopatu suo per Ecgfridum regem pulsus est. *Paraphrasis autem Saxonica Alfredi regis ita commentatur Bedæ locum ex lib.*4 *cap.* 5, *de quo num.* 46 *:* Erat autem annus circiter secundus, ex quo Etheleardus Merciorum rex Cantii terram diripuit, isque nonus est annus imperii regis Ecgfridi, et apparuit mense Augusto stella etc. *In omnibus vero exemplaribus Bedæanæ Historiæ, etiam correctis, eodem capite* 12 *paulo ante*

AUCTORE J. C.

ante dicitur : Anno autem Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo sexto, cum Æthilred rex Merciorum, adducto maligno exercitu, Cantiam vastaret... etc. *Igitur ad annum* 678 *remittenda sunt ortus cometæ et Wilfridi expulsio, quæ biennio circiter post annum* 676, *seu post Cantiæ vastationem, contigisse memorantur. Verum dubius videri potest locus Chronici Saxonici. Nulla ibidem in annorum serie fit mentio anni* 677; *quam enim facile ex amanuensium oscitantia potuit huic numero unitas accessisse. Possunt et sub eadem nota res gestæ duorum annorum comprehendi, neque aliquid vetat credere, Chronicum illud ad mendosum Bedæ exemplar exactum fuisse. Ita ut inde, vel parum, vel nihil deduci queat.*

aliunde testimonia

51 *Ad versionem Saxonicam opinatur sæpe laudatus Pagius in Crit. num.* 10, *in dubium revocari debere, an Beda, cum de depositione Wilfridi ab Eboracensi sede agit, Incarnationis Dominicæ epocham expresserit, aitque moveri se ex eo, quod verisimile non sit, Alfredum regem inventum in Historia Incarnationis annum expuncturum fuisse, ut peregrinam a Cantii depopulatione petitam epocham substitueret priori illi vulgatissimæ. Conje-* B *ctura est, nec ipsa satis verisimilis, cui alteram opponere liceat, cum aliunde nihil suppetat, unde certi aliquid eruatur. Credo ego in codice, quem præ manibus Alfredus habuit, expressum fuisse Incarnationis annum, sed mendose, ut vulgaria Bedæ exemplaria habent, sexcentesimum septuagesimum octavum : credo, doctissimum regem advertisse annum illum componi non posse cum anno octavo regni Ecgfridi, cujus initium circa* XV *Kalendas Martias anni* 670 *consignatum apud Bedam invenerat, atque ideo posteriorem epocham annorum Ecgfridi, primæ, seu annis Incarnationis accommodasse, et nonum, pro octavo, quem apud Bedam invenerat, substituisse; ubi contra Incarnationis epocham ad Ecgfridi annum octavum exigendam esse, superius num.* 49 *ex Chiffletio demonstravi.*

quæ expulsionem illum in annum sequentem differunt.

52 *Atque hæc, nisi fallor, opinio multo est verisimilior, quam Pagii conjectura : divinare enim velle, cur in Paraphrasi alio quidpiam modo explicetur, quam in textu inveniatur, apparet mihi omnino insolens nimiumque debile fundamentum, cui aliquid superstruatur : certe in Versione illa Saxonica, ut in paraphrasi assolet, plurima aliis notis exprimuntur, quam Latina Bedæ verba, imo* C *et sensus ferant, a quibus, editore teste, non raro multum deflectit. Quid mirum igitur, si hic notis chronologicis vulgatis alias easque propius a rebus Angliæ petitas, suffectas invenimus? Utrumque interim elevandæ difficultati sufficit, sive Pagii conjecturam sequaris, sive meam : quippe si Alfredus præfixam epocham non invenit, sed ex propria opinione, quod suspicatur Pagius, adjecerit, illa nos morari non debet, contra tot aliorum scriptorum aperta testimonia; si vero invenit quidem, sed mutavit (quod ego opinor) errasse illum consequitur ex iis, quæ ex ipso Beda attuli. Assertis itaque anno* 677 S. Theodorum *inter et Wilfridum dissidiis ad rerum gestarum seriem redeo, circa quam recedentem a Chiffletio Pagium deserere cogor.*

S. Wilfridus ab Eboracensi sede

53 *In hunc modum chronotaxim suam adornat Pagius. Statuit Wilfridum illo anno* 677 *sua sede a* S. Theodoro, *mense Januario vel initio Februarii deturbatum, non tamen ante extremum autumnum ex Anglia navigantem in Frisiam : ad annum Christi* 679, *num.* XI. *Profectum inde mense Februario sequentis anni* 678 *sistit ante medium mensem Martium apud regem Dagobertum II in Austrasia Adrhenana : ad annum Christi* 678 *num.* 8, *et* 14. *Romæ deinde apud Agathonem Pontifi-* D *cem mense Octobri coram concilio exhibet suam causam agentem : ibid. num.* 10. *Interim occiditur Dagobertus II num.* 12 *et seq. Consignat anno* 679 *synodum Romanam contra Monothelitas feria* 3 *Paschatis, seu die* V *Aprilis habitam, ibid. num.* 15. *Eodem anno reversum per Austrasiam, Frisiamque Wilfridum in Britanniam mense Novembri reducit; ibid. num.* 17 *et seqq. Concilium Hertfeldense sequenti anno* 680 *mense Septembri collocat : ibid. num.* 26 *et ad annum Christi* 679 *num.* 6. *S. Wilfridum denique anno* 687 *in pristinam dignitatem Eboracensis cathedræ post decennii exsilium restituit : ibid. num.* 12, *et ad annum Christi* 677 *num.* 12. *Horum pleraque videntur non posse admitti : aliqua enim meris nituntur conjecturis levibus admodum, nec pauciora adversantur manifestis coævorum scriptorum assertis, quod brevibus ostendere conor, expulsum Wilfridum secuturus.*

expulsus non est mensibus Januario vel Februario

54 *Cum Pagius scriberet ad annum Christi* 679 *num.* XI *in fine, Wilfridum de sede pulsum Januario vel Februario mense anni* 677, *non nisi eo anno in finem vergente, navem conscendisse, excide-rat viro erudito, quid paucis ante foliis statuisset :* E *nimirum ad annum Christi* 677 *num. ult.* Malmesburiensi *(inquit)* consentit Beda lib. 5 cap. 20, ubi ait, Wilfridum navem conscendisse flante Favonio et pulsum esse Fresiam, indeque colligo, eum, ineunte autumno, mense scilicet Septembri, depositum fuisse, et ante Kalendas Novembres in Frisiam appulisse. *Ita ille, sicque aperte S. Wilfridi e cathedra depositionem mense Septembri figit, quam paulo post ad Januarium vel Februarii initium reducit. Ait enim citato numero undecimo* : Porro cum Ecgfridi regis annus nonus die XV Februarii hujus Christi anni (679) desinat, et decimus inchoetur, non solum Elfuinus ejus frater ante diem illum periit, sed etiam anno DCLXXVII, eodem die, quo Elfuinus hoc anno (679) vitam amisit, Wilfridus de sede pulsus est; qui tamen non nisi anno in finem vergente Romam profecturus ad appellationem suam prosequendam navem conscendit. *Quæ æquivalent huic ratiocinio : Eodem mense et die biennio ante ab aula repulsus est Wilfridus, quo Elfuinus anno* 679 *occisus est : sed hujus cædes anno* 679 *ante medium Februarium, quo finitur annus Ecgfridi nonus, contigit; igitur et Wilfridus biennio ante mense Januario vel primis Februarii diebus a sua* F *sede depositus repulsam in aula passus est.*

anni Christi 677,

55 *Viderat scilicet, menses aliquot exturbato ab Eboracensi cathedra Wilfrido concedi debere, quos apud Edilredum Merciorum regem transegerit, alibique suis consolandis monachis, rebusque disponendis insumpserit, antequam ex Anglia solverit in Frisiam; vexabatque illum dies cædis Elfuini, qui ex Eddii et aliorum narratione anniversarius esse debuit illius, quo aulæ proceres expulso Wilfrido et de illata sibi injuria conquerenti cachinnis insultaverant; quare Wilfridus eis imminentem, ex cadaveris occisi Elfuini, eodem anniversario die aspectu mœrorem minatus fuerat. Hæc vero in chronotaxi, quam jam adornaverat, componi non poterant : mors enim Elfuini apud Bedam consignatur anno regni Ecgfridi nono, qui, inchoatus* XV *Februarii anni Christi* 678, *eodem ejusdem mensis die sequentis anni* 679 *terminatur : cum autem ex prima ejus opinione Wilfridus pœnam proterviæ minatus sit proceribus Septembri vel Octobri mense, iisdem debuisset contigisse mensibus Elfuini clades, quæ eodem anniversario die Wilfridi vaticinium sequeretur. At menses illi noni Ecgfridi anni concurrere*

A *currere non possunt cum anno Christi* 679, *quam epocham Beda in Epitome, aliique passim omnes veteres Angliæ scriptores eidem Elfuini cædi adscribunt. Igitur ad Januarium et Februarium anni* 679, *qui soli menses cum nono Ecgfridi anno fluere possunt, fuit rejicienda Elfuini cædes, et illata Wilfrido ab aulicis injuria, reducendaque ad initium anni* 677 *Wilfridi expulsio, ut iis mensibus vaticinari posset mœrorem aulæ ex Elfuini clade obventurum, anniversario aliquo die, qui non nisi in illos menses incidere poterat.*

sed circa illius finem, Novembri scilicet vel Decembri.

56 *Et ita quidem nodum tacita retractatione utcumque solvit Pagius, sed alium aliunde stringit. Beda ceterique omnes Wilfridi depositionem cometæ apparitioni subtexunt, præponit nemo: unde non obscure deducitur, hanc illi præcessisse: imo memorant alii inimicum sidus dissidia* S. Theodorum *inter et Wilfridum portendisse. At in Pagii chronotaxi Wilfridi expulsio totis minimum sex mensibus cometæ apparitionem præcessit, atque adeo cometa portendit id, quod semestri ante contigerat. Multo profecto tutius est Chiffletii via incedere, ubi singula, servato scriptoribus naturali* B *ubique verborum sensu, sibi apte succedunt hoc ordine. Mense Novembri vel Decembri anni* 677, *postquam per tres menses visus fuerat cometa, absens Wilfridus de sua sede deponitur:* Nam tres episcopos *(inquit Eddius cap.* 23) aliunde inventos et non de subjectis illius parochiæ in absentia pontificis nostri in sua propria loca episcopatus sui noviter inordinate solus (Theodorus) ordinavit. *Agebat forte Wilfridus in Medeshamstedensi monasterio, vel alibi pastoralis muneris officiis vacabat, cum ad illum infaustus nuncius perlatus est. Eo autem accepto, Eboracum rediit, examinavit sedulo omnia, cum amicis episcopis monachisque contulit consilia, atque interim annus* 677 *elapsus est.*

Non eo anno tamen ex Anglia

57 *Anni sequentis* 678 *initio, Januario mense, S. Wilfridus* regem et Archiepiscopum adiit, interrogans, quid causæ esset, ut sine aliquo delicti peccato suis substantiis, a regibus pro Deo donatis, prædonum more defraudarent. *At illi ita de injuriarum causa expostulanti* responderunt *(pergit narrare Eddius)* famosum verbum coram omni populo, dicentes: Nullam criminis culpam in aliquo nocendi tibi adscribimus, sed tamen statuta de te judicia non mutamus. Ille vero episcopus noster *(Wilfridus)* tali judicio fraudabili non contenC tus, cum consilio coëpiscoporum suorum judicium Apostolicæ Sedis magis elegit: sicut Paulus apostolus sine causa damnatus a Judæis cæsarem appellavit. Deinde autem sanctus pontifex noster conversus a tribunali regali, adulatoribus cum risu gaudentibus dixit: Hoc anniversario die, qui nunc ridetis in meam pro invidia condemnationem, tunc in vestra confusione amare flebitis. *Atque ita digressus, post unum alterumve mensem solvit in Frisiam: quæ omnia aptissime inter se cohærent, et conveniunt cum scriptorum dictis: sicque inchoatur Wilfridi expulsio, cum episcopi in ejus absentis cathedram locantur, finiturque, quando Britanniam deserit: quinimo ita etiam conciliantur Historici, quorum alii Wilfridi expulsionem anno* 677, *alii sequenti innectunt.*

navigavit Wilfridus in Frisiam, sed

58 *Insurgit in hanc opinionem Pagius in Critica ad annum Christi* 677 *num.* 9 *his verbis:* Hæc Chiffletius: *(de emendatione exemplarium vulgatorum Bedæ)* qui tamen discessum Wilfridi ex Anglia perperam distulit usque in annum sequentem. *Satis rotunde: sed utinam sua tam solide probaret, quam asserit confidenter. Id vero quam parum hic præstet, quamquam ex iis, quæ jam dixi, abunde liqueat, juverit tamen opinionem nostram ulterius confirmare, sparsimque refellere, quæ contra movet. Ac primo quidem scribit Eddius cap.* 23, *S. Wilfridum circumstantibus regem adulatoribus aulicis, querelas suas explodentibus. minatum esse invidiæ pœnam, eodem* hoc anniversario die *illis imminentem, et pergit deinde narrare, quam misere illis cesserit sancti viri vaticinium:* Et sic secundum prophetiam Sancti evenit: nam eo die anniversario Elfwini regis occisi cadaver in Eboricam delatum est; omnes populi amarel acrymantes vestimenta et capitis comam lacerabant. *Ex his ita arguitur: Beda nono regni Ecgfridi anno, etiam in correctissimis exemplaribus, et anno Christi* 679 *cædem Elfuini consignat. Hæ duæ epochæ concurrere non possunt, nisi duobus primis mensibus anni* 679, *ut supra num.* 55 *ostensum est. Igitur oportet, S. Wilfridum Januario vel Februario anni* 678 *in Anglia fuisse, ut vere prædixerit* hoc anniversario die *mortem Elfuini, quæ uno ex iis mensibus anni* 679 *contigit, petulantes cachinnos in luctum versuram.*

verno tempore sequentis,

59 *Eo ratiocinio nihil videtur simplicius, nec tamen arridet Pagio, quia aliquot mensibus præter* E *ejus chronotaxim Wilfridum in Anglia moratur. Quinimo contendit, hunc esse fontem erroris, in quem lapsi sunt omnes recentiores historici chronologique, qui S. Wilfridi expulsionem in annum* 678 *differunt. Audiamus, hunc quomodo fontem obturet.* Verum *(inquit num.* 14) nequaquam hoc *(cædem Elfuini anno proxime vaticinium sequenti accidisse)* asserit Eddius, sed tantum anniversarium diem suæ depositionis futurum illis, qui cum cachinno insultabant, diem mæroris et tristitiæ, quod verum fuisset, etiamsi decem annis integris a Wilfridi depositione, eodem, quo dignitate dejectus est, die Elfwinus occisus esset, aut cadaver ejus in urbem illatum. Certe inter Sermones S. Leonis Magni quatuor habemus, quorum titulus, tam in editis, quam in Mss. plerisque est in anniversario die assumptionis ejus ad Romanæ Sedis culmen et onus, quos nullus dicet, uno eodemque die post annum ejus ordinationis recurrente, habitos fuisse. *Atque hac observatione totam illorum auctorum opinionem in ventos difflat.*

ut ostenditur contra Pagium,

60 *Notum est omnibus, qui vel primis digitis Lexica volverunt, anniversarium diem non solum eum esse, qui elapso primo, sed etiam qui sequentibus recurrit annis. At nec diffiteri potest Pagius,* F *quod proprie etiam proxime sequentis anni recurrentem diem significet, maxime ubi alterius anni epocha nulla adjecta legitur, ut fit eo Eddii libro. Contrarium tamen probare debebat, si quid evictum volebat: nituntur enim illi, quos impugnat, aliorum etiam non omnino recentium scriptorum testimonio, asserentium mortem Elfuini proxime sequenti anno contigisse, atque de eo intelligendum Eddium. Eadmerus in Vita S. Wilfridi scribit:* Intuens autem quosdam satis fœdo suis casibus insultare cachinno, et O, inquit, filii, prosperitate ducatis tempora longa: sed noveritis, quantocius sors infesta resolvet gaudia vestra: nec prius hunc annum transisse videbitis, quam istas, quas super me derisiones habetis, acerbo mœrore luatis. Quæ prophetia veritas facta est. *Eadem habet Fridegodus; nec minus aperta Malmesburiensis lib.* 3 *de Gestis pontif. Ang. pag.* 262, *ita loquentem Wilfridum inducens:* Hæc derisio, quam de meo abscessu modo facitis, in magnum mærorem vobis commutabitur futuro anno, hoc eodem die.

ibique sanctus præsul

61 *Antiquos vero scriptores hos omnes errasse solus dicat Pagius. Ego judico ab apertis testimoniis*

apud Algisum Frisonum regem

niis illorum, qui res gestas propius attigerunt, eaque, quæ narrant, ex aliis forte etiam monumentis, quibus nos caremus, hauserunt, recedendum non esse, nisi manifesta id ratio suadeat, quam dum ille adferre non potuit, manet his fides integra visque argumento nostro, et statuitur Wilfridus verno tempore anni 678 *ex Anglia navigans in Frisiam; quo illum sequor, cum res ibidem gestæ nostram etiam chronotaxim confirment, inde ad concilia deducendam. Eddius itaque, postquam Wilfridi in Frisiam adventum regi Algiso gratissimum memoravit, ita pergit:* Tunc statim sanctus pontifex noster cum licentia regis verbum Dei gentibus quotidie prædicavit... deinde eo anno, accepta prædicatione, omnes principes, exceptis paucis, et multa millia vulgi in nomine Domini baptizavit. *Et cap.* 27 : Postquam Deo amabilis pontifex in Freis hiemaverat, populum multum Deo lucratus, verno tempore adveniente cœptum iter, Deo adjuvante, ad Sedem Apostolicam cum comitibus carpebat. *In Pagii sententia vix ultra tres menses concedi potest Wilfrido Frisones ad Christum convertenti, cum circa Kalendas Novembres eo appulsum, medioque Februario inde in Austrasiam profectum velit.*

B

62 *At quis credat tantillum temporis spatium annum appellari ab Eddio,* eo anno, *nulla uspiam facta mentione alicujus epochæ, ad quam referri debeat? Huic adde, quod sic nimis prodigiose operosus exhibeatur S. Wilfridus, qui trium mensium, eorumque brumalium spatio, multa millia barbarorum et eorum principes pene omnes salutaribus fidei mysteriis imbuerit. Id quamvis non negem peculiari modo cooperante Deo, fieri potuisse, non tamen factum admisero, nisi indubitato testimonio asseratur. Quapropter credo potius maxima anni parte in Frisonum conversione laborasse sanctum præsulem : cui opinioni non obscure patrocinatur Beda lib.* 5 *cap.* 20 : Ibi ergo, *inquit,* hiemem cum nova Dei plebe *(ergo jam ante Christo per baptismum asserta,)* feliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit. *Antequam cum Wilfrido Romam propero, corrigendus hic obiter Mabillonii error, quo Eboracensi præsuli adjutores in Frisonum prima conversione addit, atque ita elevat vim argumenti, quod a brevi tempore illis convertendis impenso, deduxi. Sec.* 4 *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti parte* I *pag.* 691 *ad eum locum Eddii, ubi Wilfridi moram in Frisia memorat, hanc Notam Mabillonius subnectit :* Toto hoc intervallo Wilfridus pro Frisiorum conversione multum collaboravit cum S. Willibrordo, ut canit Fridegodus. Et quidem comitante Acca, ex Bedæ lib. 3 cap. 13 : qui rursus in lib. 5 cap. 20 tradit, Wilfridum in Frisia cum Willibrordo hiemem exegisse.

C

integro fere anno egit multos ex illis Baptizans

63 *Hæc, inquam, laudatus sæpe scriptor male huc retulit. Nam primo falsum est, quod S. Willibrordo hoc tempore in Frisia collaboraverit Wilfridus. Ipse Mabillonius Sec.* 3 *parte* I *pag.* 603 *in Obs. præv. advertit, S. Willibrordum natum esse anno Christi* 663, *proindeque hoc anno agebat ætatis decimum quintum, nec eo potuit collaborare S. Wilfrido, cum, ut aperte in Willibrordi Vita dicitur, is ante* 33 *ætatis suæ, qui Christi anno* 696 *respondet, non navigarit in Frisiam. Falsum est secundo, id canere Fridegodum : habe versus, qui huc faciunt.*

Post modicum multis tribuens * baptisma salutis.
Et fundavit eas Wilbrordus, quas habet arces,
Equiparans tantum fidei fervore magistrum.

* Wilfridus

ubi non exhibet S. Willibrordum sociam Wilfrido hoc tempore operam præstantem, sed postea ejus vestigiis insistentem. Falsum est tertio, Accam in hoc itinere S. Wilfrido socium fuisse, utpote qui *(teste Ricardo Hagustaldensi de Statu epis. Hagust. cap.* 14) in pueritia in clero sanctissimi ac Deo dilecti Bosan Eboracensis archiepiscopi nutritus atque eruditus fuit. *Bosa tantum anno prælerito labente in Eboracensem sedem a* S. Theodoro *consecratus est, ergo hoc tempore Acca ad summum erat* in pueritia, *nec S. Wilfridum comitatus est Romam.* D

dudum antequam eo pervenisset S. Willibrordus.

64 *Falsum est quarto, Bedam lib.* 5 *cap.* 20 *tradere Wilfridum in Frisia cum S. Willibrordo hiemem exegisse. Ecce ejus verba...* Honorifice susceptus *(Wilfridus)* a barbaris ac rege illorum Adelgiso, prædicabat eis Christum et multa illorum millia verbo veritatis instruens, a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit, et, quod postmodum Wilbrord reverentissimus Christi pontifex in magna devotione complevit, ipse primus ibi opus Evangelicum cœpit. *Nisi multum fallor,* postmodum *futurum seu succedens tempus denotat, et qui* complet, *habet aliquid inchoatum, et S. Willibrordus dicitur hic postea perfecisse, quam S. Wilfridus inceperat barbarorum conversionem. Quinto denique falsum est, ea, quæ Beda scribit lib.* 3 *cap.* 13 *huc spectare. Locus, qui virum eruditissimum his erroribus implicuit, est hic :* Denique reverentissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vadens, apud sanctissimum Frisonum gentis episcopum Wilbrordum cum suo antistite Wilfrido moraretur, crebro eum audierit *etc. Hæc, inquam, non sunt referenda ad præsens S. Wilfridi iter, sed ad aliud posterius, quando post* 20 *facile annos iterum sua sede pulsus, sub Sergio et Joanne Pontificibus eadem via Romam remeavit, quod testantur Eddius et Ricardus, qui pariter asserunt, Accam in illo itinere S. Wilfrido comitem fuisse. Atque de his plusquam satis, ad chronotaxim redeo.* E

§ IV. Figuntur epochæ conciliorum Romani propter turbas Anglicas coacti, et Hertfeldensis in Anglia sub S. Theodoro celebrati. Liber Pœnitentialis illi adscriptus.

F

Ante concilium Romanum magnum anno 680 celebratum

Juxta deductam usque huc chronotaxim nostram S. Wilfridus reliquum annum 678 *inter Frisones agit, sequenti vere per Austrasiam profecturus Romam ad Agathonem Papam, causam suam dicturus, sessurusque in magno concilio contra Monothelitas coacto. Synodus hæc* 125 *episcoporum celebrata est* in sancto Pascha tertia die, *ut loquitur Eddius Stephanus in Vita S. Wilfridi, qui ibidem, eodem teste Eddio,* Apostolicam Sedem appellans et ab hac potestate absolutus, et cum aliis 125 coëpiscopis in synodo judicii sede constitutus pro omni Aquilonali parte Britanniæ et Hiberniæ insulis... veram et Catholicam fidem confessus est et cum subscriptione sua roboravit. *Baronius et quotquot fere ante Pagium de prædicta synodo scriptores egere, illam anno Christi* 680 *illigarunt. Baronii criticus eamdem sine ulla prorsus ratione ad antecedentem reduxit, ne scilicet juxta chronotaxim suam Wilfridum per tres fere annos Romæ morari cogeret. Cum Acta non supersint, ex quibus nova Pagii opinio certo convelli possit,*

A *sit, nostro utemur jure, et Baronii ceterorumque sententiam, quam nullis argumentis impugnavit, nedum expugnavit criticus, sequemur, concilium hoc Romanum anno* 680 *reponentes. At ante illud quædam Romæ in causa* S. Theodori *et Wilfridi acta sunt, quæ difficultatem pariunt.*

aliudibidem, in quo auditus fuit S. Wilfridus,

66 *S. Wilfridum Romæ in concilio coram Agathone Papa causam dixisse et absolutum fuisse tradit Eddius, tum verbis superius prolatis, tum fuse cap.* 19 *Vitæ illius sancti Eboracensis episcopi, ibique, postquam ejus adventum Romam descripserat, dicit, Agathonem congregasse episcopos et presbyteros plusquam quinquaginta, ut cum illis ageret de ortis* Theodorum *inter et Wilfridum dissidiis. Acta in illo conventu deinde subnectit Eddius. Beda ejusdem rei etiam meminit lib.* 5 *cap.* 20 *his verbis* : Ibi ergo *(in Frisia)* hiemem cum nova Dei plebe feliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit, et, ubi causa ejus ventilata et præsente Agathone Papa et pluribus episcopis, universorum judicio absque crimine accusatus fuisse et episcopatu esse dignus inventus est. Quo in tempore idem Papa Agatho, cum synodum congregaret Romæ cxxv episcoporum adver-
B sus eos, qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari jussit et Wilfridum, atque inter episcopos considentem dicere fidem suam etc. *Malmesburiensis de Gestis pontif. Angl. lib.* 3 *in Wilfrido de synodo, in qua absolutus est, agit, ejusque ibidem Acta producit; quibus recitatis, sic pergit* : His decretis gloriabundus episcopus *(Wilfridus)* etiam jussu Papæ jussus est residere in numero sanctorum episcoporum cl, qui agitabant concilium contra illos, qui unam operationem prædicant in duabus naturis Domini nostri Jesu Christi.

convocatum fuit. Acta alia,

67 *Duo itaque procul dubio concilia, quo tempore Romæ egit Wilfridus, habita sunt. Illud, in quo absolutus est Wilfridus, anno integro ante aliud collocat Pagius, creditque mense Octobri anni* 678 *celebratum fuisse : an recte, infra videbimus. Porro hujus concilii Acta circumferuntur duplicia. Altera Eddius et Malmesburiensis locis citatis ediderunt; altera Spelmannus suæ Colletioni conciliorum Angliæ ex antiquo, ut testatur, Manuscripto eruta inseruit. Altera appello, quæ plerique hactenus ejusdem synodi Acta atque a se invicem tantum avulsa crediderunt. Exstant autem*
C *tum locis citatis, tum etiam apud Labbeum tom.* 6 *col.* 579; *ubi, quæ ex Malmesburiensi collegit, vix differunt ab Eddii verbis. Antequam pluribus prosequor meam conjecturam aperire, juverit paucis lectori utrorumque Actorum, si forte ad manum non sunt, analysim tradere. Spelmanni itaque Acta (sic ea voco, quæ primus ipse ex Ms. edidit,) sic inchoantur* : In nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis, Constantino majore imperatore anno vicesimo sexto, post consulatum ejus anno decimo; sed et Heraclio atque Tiberio novis Augustis ejus fratribus vicesimo secundo, Indictione septima, mense Octobri, præsidente Agathone... in basilica Domini nostri Jesu Christi, quæ appellatur Constantiniana, consedentibus... episcopis : *qui deinde sedecim, cum presbyteris* 35 *enumerantur, omnes nomine proprio.*

ab Eddio Stephano et Malmesburiensi,

68 *Pro his habet Malmesburiensis* : Agatho sanctissimus Papa concilium quinquaginta tam episcoporum, quam abbatum, in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiana, coëgit. *Atque his similia Eddius. Perorat deinde eodem fere tenore apud omnes Pontifex, docetque, convocasse se episcopos, ut cum illis cognoscat de dissidiis exortis in Anglia, quorum relationem tum ore advenientium, tum scriptis aliorum dicit apud Eddium et Malmesburium se accepisse. In Spelmanni exemplari respondent Andreas et Joannes episcopi* : Clarum constat universis, quod multo pontificalis successu ecclesiæ in Britannia insula positæ indigent. Primum quidem, quod dissensio ibidem inter sanctissimum Theodorum archiepiscopum et ceteros ejusdem provinciæ præsules *(deest forte* orta sit) quam cum Dei præsidio sola possit Apostolica auctoritas mitigare. *Hæc apud Eddium multum diversa sunt, iidem perorant quidem episcopi, sed post aliquot laudes Romanæ Sedis ita referunt* : Verum erga quod nobis est injunctum ab Apostolica vestra censura, ante hos dies, consedentibus nobis una cum nostris coëpiscopis et confamulis, relegimus singula scripta, quæ de Britannia insula directi Apostolico vestro Pontificatui detulerunt, tam ea, quæ, ex persona Theodori reverentissimi archiepiscopi illic ab Apostolica Sede olim directi, missa sunt, aliorumve cum eisdem scriptis relationes adversus quemdam episcopum subterfugientem, ut asserunt, quem huc venisse arbitrati sunt, quam ea, quæ a Wilfrido Deo amabili episcopo Eboricæ E
sanctæ ecclesiæ oblata sunt, qui de sua sede ejectus a prænominato Sanctissimo, Apostolicam Sedem appellans huc usque pervenit.

[illegible] J. C.

alia a Spelmanno

69 *Laudant deinde Wilfridi modestiam, asseruntque, falsis criminationibus impetitum fuisse et Pontificis sententiam exquirunt. Advertis, ni fallor, lector, quæcumque Eddius recitat ad S. Wilfridum seu ejus cum* S. Theodoro *dissidia speciatim et unice pertinere, ubi contra in Actis Spelmanni nulla fit Wilfridi, nulla ejus causæ mentio. Eodem tramite procedunt reliqua : respondet apud Spelmannum Agatho, urgendam esse exsecutionem eorum, quæ diu ante a S. Gregorio pro Britannia decreta et a synodis statuta atque a Romana Sede approbata et confirmata fuerant. Apud Eddium dicit Pontifex, morari præ foribus Wilfridum postulantem admitti petitionem suam, quæ deinde omnibus annuentibus a Joanne notario concilio prælegitur, estque satis prolixa, et tota adversus injuriam sibi a* S. Theodoro *illatam. Pro his in Spelmanni Actis Crescens episcopus ecclesiæ Vinonensis et Juvenalis Albanensis episcopus dixerunt* : Consideratis omnibus atque tractatis, F
quæque ex diversorum venientium relatione cognovimus, quæque ex scriptorum diversis vocibus huc ad Apostolicam Sedem directorum colligi potuerunt, solicitius flagitantes, prævidimus communi consensu hanc definitionis sententiam promulgare.

ex Manuscripto edita sunt, quæ a non paucis

70 Unde ex auctoritate beati Petri... definimus atque statuimus, ut unumquodque regnum in Britannica insula constitutum habeat secundum moderaminis mensuram provinciarum episcopos, ita statutos, ut simul omnes cum archiepiscopo duodecim ecclesiarum præsules numerentur, quos archiepiscopus, qui pro tempore ab hac Apostolica Sede pallii honore decoratur, provehat, atque sacerdotali gradu eos canonice ordinet, ipsiusque tantum sint ordinationi subjecti, hac dispositione interposita, ut nullus audeat de episcopis in alterius præsulis jura semetipsum immergere, sed illibata sua unumquemque servare et in admonendos et convertendos populos studere. *Prohibetur præterea, ne clerici armis utantur, citharædas habeant, symphoniam, jocos aut ludos coram se exhiberi permittant. Juverit hic observasse, statuta hæc omnia* S. Theodoro *imprimis favere, qui multiplicandos episcopos omni nisu contenderat, et Ceadam, ab iis,*

quorum

AUCTORE J. C.

quorum non erat episcopum ordinare, intrusum ex sede, quam possidebat, expulerat. Quantum autem Archiepiscopo adversa sunt, tantum Wilfrido favent, quæ post lectam Eboracensis episcopi petitionem secuta esse Eddius commemorat : ibi enim postquam iterum Agatho Wilfridi modestiam et patientiam laudarat, universa synodus... dixit.

ejusdem concilii Acta

71 Statuimus atque decernimus, ut Deo amabilis Wilfridus episcopus episcopatum, quem nuper habuit, recipiat, salva definitione superius ordinata, et quos cum consensu concilii ibidem congregandi elegerit sibi adjutores episcopos, cum quibus debeat pacifice conversari secundum regulam superius constitutam, a sanctissimo Archiepiscopo promoti ordinentur, expulsis procul dubio eis, qui in ejus absentia in episcopatum innormiter missi sunt. *Posthæc solita clausula finiuntur Acta. Rogarat in sua petitione Wilfridus, ut suffecti in locum suum a* Theodoro *episcopi Apostolico mandato pellerentur.* Et si rursus in eadem parochia, cui præfui, *inquit,* præsules adhibere providerit, saltem tales jubeas providere promovendos, cum quibus possim, pacifica atque tranquilla concordia B inter nos obtinente, Deo unanimiter deservire, *quo potissimum spectat concilii responsum. Quo vergant hæc,* Salva definitione superius ordinata, *et* Secundum regulam superius ordinatam, *certum videtur, ad Acta scilicet Spelmanni : nisi partium studio abreptus Eddius, quædam Wilfrido minus faventia prætermiserit. Ut ut est, hic terminatur apud illum et Malmesburiensem synodus.*

a se invicem avulsa

72 *In exemplari Spelmanni post ea, quæ recitavi, Agatho censet saluberrimum fore, si de ecclesiasticis statutis in Anglia, de serie episcoporum et de fide Anglo-Saxonum cognosceretur. Andreas Ostiensis et Joannes Portuensis aiunt :* Verum est enim, quod vestræ Sanctitati injunctum est, ut Apostolica censura ex hinc illic hæc decretalis dispositio per epistolas ac virum prudentem et idoneum et bene imbutum dirigatur ad Theodorum reverendissimum atque sanctissimum episcopum Cantuariorum,.. ut ipse Theodorus illis in partibus ex tua sancta auctoritate et nostra synodali unitate concilium congreget, et cum universis fidelibus, senioribus majoribusque natu totius Saxoniæ publicam œcumenicamque faciant synodum. *Placuit id consilium Agathoni et congregatis episcopis,* cœperuntque simul omnes unanimiter quæ- C rere et invenerunt, Christo auspice, virum venerabilem Joannem archicantorem ecclesiæ sancti apostoli Petri et abbatem monasterii beati Martini, qui a Roma per jussionem Papæ Agathonis in Britanniam est directus. *Sequitur, quam bonam spem ex his decretis patres conceperint, deinde Agatho* synodum beati Martini papæ conscriptam... præfato religioso abbati Joanni tribuens, ut secum in Britanniam veniens beato Theodoro archiepiscopo afferret, non solum ad suæ legationis testimonium atque confirmationem, sed etiam quidquid sanctus Theodorus archiepiscopus cum sapientibus... profuturum melius ac religiosius in Christo invenire potuissent, cum prædicta auctoritate roborare atque transcribere commendaverat.

credita sunt. Refelluntur, quæ pro unitate Actorum referuntur,

73 *Et sic terminantur Spelmanni Acta, in omnibus pene, ut consideranti patet, diversa ab aliis, a quibus tamen tantum avulsa esse plerique opinantur. Pauca sunt, quæ illorum opinioni in speciem favere possint, idem scilicet in utrisque numerus episcoporum congregatorum, iidem perorantes semel Andreas Ostiensis et Joannes Portuensis episcopi, quæpiam in initio iisdem verbis expressa, ac denique id, quod de alia ordinatione et* D *regula superius lata scribit Eddius, quodque ad Spelmanni Acta conjectant referre debere. Verum non solide arguitur ab eodem fere præsentium numero, et iisdem interloquentibus episcopis pro synodi unitate, cum diversis iidem interesse facile potuerint, maxime cum, quicumque in prooemio apud Spelmannum expresso nomine enumerantur, sedes habuerint Romæ propinquas, ubi proinde commorari, vel quo facile convocari potuerint. Eadem, quæ in ambobus iisdem verbis exponuntur, non ad ipsam rem, quæ agebatur, sed ad inductionem pertinent, quæ etiam in diversis synodis eadem esse potest. Neque Eddii allegata verba quidpiam efficiunt, ad Acta enim Spelmanni referri debent, licet ea toto ante anno condita fuerint, nisi forte Eddius, ut superius innui, decreta aliqua alia prætermiserit.*

statuiturque diversi concilii seu sessionis

74 *Ego sane inducere in animum non possum res tam disparatas, quarum nulla in alteris minimum sit vestigium, colligatas primum ac deinde a se invicem avulsas fuisse. Imo credo res Angliæ saltem, quæ ad Wilfridum specialiter pertinent, tum, cum synodus seu Sessio, cujus Acta Spelmannus exhibet, celebrata fuit, non penitus perspectas Romæ Agathoni et episcopis fuisse; sane ea de* E *turbis in Anglia exortis ita generatim agunt, ut Wilfridus ibi nominetur nuspiam, nedum ut ejus causa discutiatur. Enimvero si jam pro Wilfrido decisum erat, antequam Roma mitteretur in Angliam Joannes, cur illi nihil demandatum fuit? Cur Joannes in concilio Hertfeldensi, cui interfuit, non solum nihil pro Wilfrido perfecit, sed ne tentavit quidem? Erat ibi sane locus pro ejus causa agendi, si jam ante concilium Romanum deciderat, expellendos episcopos, inter quos* Theodorus *Eboracensem diœcesim diviserat, atque alios in concilio ex Wilfridi delectu sufficiendos, ut numero nostro* 71 *Eddius asserit. Quod si in Hertfeldensi concilio fuit tentatum simile quidpiam, cur Beda, cur ipse Eddius Stephanus, qui tam operose collegit quæcumque S. Wilfrido laudi cedunt, illud omisit?*

Acta esse, sic ut, quæ Spelmannus edidit, condita sint

75 *Repeto, quod dixi, credo, Joannem jam Roma profectum fuisse, antequam Wilfridi causa coram Pontifice agitata fuerit, atque adeo concilium seu (quod mihi perinde est) Sessionem, cujus Acta Spelmannus edidit, prius altero, imo antequam Romam advenisset Wilfridus, celebratum fuisse. Horum certe alterum mihi ex altero fluere* F *videtur. Neque enim credibile est, Wilfridum, si Romæ tempore prioris synodi adfuisset, non auditum vel consultum fuisse : non fuisse autem persuadet mihi altissimum de illo illiusque expulsione, quæ turbarum Anglicarum erat origo præcipua, silentium. Atque hæc, quæ pro distinguendis synodis seu sessionibus hactenus protuli, si non omnino certo evincunt, quod cupio, certe præponderant rationibus, quas alii pro uniendis allegant. Ex mea itaque opinione chronotaxim producere pergo. Quo tempore apud Frisones Wilfridus agebat anno* 678, *Romæ prima synodus, illa, inquam, cujus apud Spelmannum Acta sunt, fuit coacta. Ex præfixis notis chronologicis duæ, annus decimus scilicet post consulatum Constantini et Indictio septima mense Octobri in hunc annum Christi* 678 *conveniunt, dissident reliquæ, tum ab his, tum inter se omnes; igitur ad has duas reducendæ sunt, ut contendit Pagius, in quo illi facile assentior.*

anno 678, agente adhuc in Frisia Wilfrido,

76 *Stabilitam hactenus concilii Romani epocham porro confirmare aggredior ex epocha concilii Hertfeldensis circa quam rursus a Pagio cogor recedere. Is enim, ut suæ chronotaxi consulat, illud* ad

A *ad annum* 680 *differt, ego præcedenti illigandum contendo : rationes accipe. Beda lib.* 4. *Historiæ cap.* 17 *sic Hertfeldensis concilii sub* Theodoro, *præsente Joanne Archi-cantore, celebrati Acta orditur :* Imperantibus Dominis piissimis nostris Ecgfrido rege Hymbronensium anno decimo regni ejus sub die decima quinta Kalendas Octobres, Indictione octava, Edilredo rege Mercinensium, anno sexto regni ejus, et Adwlfo rege Estanglorum, anno decimo septimo regni ejus et Hlotario rege Cantuariorum, regni ejus anno septimo. *Notæ hæ omnes concilii Hertfeldensis Actis præfixæ, unam si forte excipias, in annum Christi* 679 *conspirant. Porro lib.* 4 *Historiæ cap.* 18 *sic scribit Beda :* Intererat huic synodo *(Hertfeldensi)* pariterque fidei decreta firmabat vir venerabilis Joannes archicantor ecclesiæ sancti Petri et abbas monasterii beati Martini, qui nuper venerat a Roma per jussionem Papæ Agathonis. *Igitur concilium Romanum, a quo Joannes mense Octobri missus fuit, anno certe precedenti adeoque* 678 *celebratum fuit. At Pagius in Critica ad annum Christi* 679 *num.* 6 *Hertfeldensem synodum a præfixis notis chronologicis fere omnibus avulsam et ad sequentem* B *dilatam cupit. Audiamus quibus argumentis suam opinionem stabiliat.*

et xi mensibus ante concilium Hertfeldense,

77 *Beda inquit, utitur Indictione Constantiniana, quæ die vigesima quarta septembris exordium habet Acta Hertfeldensis concilii id habitum testantur* xv *Kalendas Octobres seu die* xvii *Septembris, Indictione octava. At hæc in Bedæ computu inchoatur* xxiv *Septembris anni Christi* 679, *atque adeo dies* xvii *Septembris Indictionis octavæ anno* 680, *neutiquam autem præcedenti venit. Verum est indictionem Constantinianam secutum esse Bedam, idque ex ejus ipsius verbis demonstravit Pagius. Sed non est hic, de quo agitur, Bedæ computus, at concilii Hertfeldensis. Etenim citato lib.* 4 *cap.* 17 *Historiæ sic scribit :* Quarum literarum *(ab ea synodo conditarum)* istud est exordium : In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris. Imperantibus Dominis piissimis *etc., quæ superius recitavi. Unde luculentum fit, ipsas literas synodales authenticas nobis exhiberi a Beda, atque adeo a peculiari ejus computandi ratione perperam hic contra usitatissimum et communem in Anglia morem a mense Septembri inchoandarum Indictionum arguitur. Non igitur* C fefellit Baronium aliosque Indictio Octava cum die xvii Septembris; quæ hoc anno (679) a Kalendis Septembris in cursu fuit, *sed sua ipsum Pagium inconsiderantia, dum notas chronologicas ab ipsa synodo adscriptas, tam quam a Beda adjectas, ex illius computandi ratione sumendas repræsentat.*

quod anno Christi 679 coactum est, quo eodem

78 *Melius contra fixam superius Hertfeldensis concilii epocham arguit Pagius ex locis aliis ipsius Bedæ. Is in Recapitulatione synodum, de qua agimus, apertis verbis anno Christi* 680 *innectit. Deinde Edilredus rex Merciorum tantum regnare cœpit anno Christi* 675, *ut testatur idem Beda scribens in Epitome :* Anno sexcentesimo sexagesimo quinto, Wolfere rex Merciorum, postquam septemdecim annis regnaverat, defunctus, Edilredo fratri reliquit imperium. *Unde fluit, annum regni ejus sextum, qui inter notas chronologicas concilii superius assignatur, non nisi anno* 680 *inchoari. Respondeo : fatentibus omnibus eruditis, atque ipso inter illos Pagio, suspectæ sunt notæ chronologiæ Bedæ, quas alii valde deturpatas ab amanuensibus, alii ab interpolatore posteriore adjectas, et perperam historico illi attributas censent. Parum igitur aut nihil inde evinci potest contra concilii epochas, quas clarum est ex epistola synodali exscripsisse Bedam. Demus tamen etiam tum has, tum illas eodem probabilitatis gradu consistere : illegitime adhuc ex uno alterove loco contra tres vel quatuor alios eosque conjunctos pugnaretur. Hic autem apud eumdem Bedam pro anno* 679 *stat octava Indictio, ut probavi, conspirant etiam annus decimus Ecgfridi et Lotharii septimus, nec dissentit Adulphi decimus septimus : accedunt aliunde Henrici Huntindoniensis, Alfredi regis in Versione Saxonica, abbatis Jornalensis et aliorum antiquorum fere omnium pro anno* 679 *suffragia : corrigendi sunt igitur loci, tot epochis contrarii, et manet anno Christi* 679 *fixum Hertfeldense sub* S. Theodoro *concilium, Romanum vero præcedenti innexum,*

Romæ auditus et absolutus fuit Wilfridus. Solvuntur difficultates

79 *Eodem anno, quo synodum in Anglia convocavit* S. Theodorus, *Romæ auditus et absolutus est S. Wilfridus. Is enim in mea chronotaxi, postquam anno circiter integro in Frisia prædicaverat, verno tempore anni* 679 *in Austrasiam Adhenanam ad Dagobertum II regem perrexit, a quo humanissime exceptus et, non multis sibi transactis mensibus, per* Campaniam *seu Liguriam cum socio et ductore Deodato Dagoberti episcopo, ut loquitur* E *Eddius, Romam missus est. Contra Pagium probare non lubet, quod Wilfridus anno* 679 *Dagobertum Austrasiæ regem convenire potuerit; notum enim est, illius regis cædem, quam ille anno* 678 *illigat, probabilissime a non paucis ad annum* 680 *differri. A Deodato, quem Wilfrido socium Dagobertus dedit, contra chronotaxim nostram etiam arguitur. In concilio Romano, cujus Acta Spelmannus edidit, inter alios episcopos numeratur* Deodatus Tullensis. *Hunc eumdem fuisse volunt Dagoberti episcopum, qui Wilfridum Romam perduxerat; unde inferunt, Eboracensem præsulem eo pervenisse, antequam synodus Spelmanni celebrata sit. Eumdem esse Tullensem Deodatum, cui Dagobertus Wilfridum in itinere commisit, conjectura est, cui non lubet refragari; at certe illegitime inde infertur, Wilfrido adhuc in Frisia agente, Deodatum Romæ non fuisse. Quasi vero is inde in Gallias ad concilium ibi convocatum regredi, atque eo celebrato, cum Wilfrido ad magnum synodum reverti non potuerit.*

contra hanc chronotaxim

80 *Unica restat nec minima difficultas, quæ contra deductum hactenus duobus §§ rerum gestarum ordinem moveri potest. S. Wilfridus in Catalogo præsulum Eboracensium edito a Labbeo in Bib.* F *Mss., ex quo num.* 47 *verba excerpsi, dicetur* per decennium *exsulasse. Sede sua pulsus est sanctus antistes anno* 677, *vel si decessum ejus ex Anglia pro exsilii initio sumpseris,* 678; *igitur ex computu laudati Catalogi, in sedem suam dici debet restitutus anno* 687 *vel sequenti. Atque hoc sine scrupulo admittit Pagius in Critica ad annum Christi* 677 *et* 687 ; *sunt tamen aliqua, quæ diutius protrahendam Wilfridi in sedem suam restitutionem suadere videntur. Beda pluribus locis* S. Theodori *mortem illigat anno* 690, *atque cum illo circa hanc epocham conveniunt scriptores omnes, quos vidi, ita ut non nisi temere in dubium vocari possit. Eddius Stephanus, ubi sancitam pacem sanctos illos inter episcopos enarrat, sic loquentem ad S. Wilfridum inducit* S. Theodorum *nostrum :* Scio enim post hunc annum appropinquantem vitæ meæ terminum secundum Domini revelationem, *unde sequi videtur, quod* S. Theodorus *anno* 690 *mortuus, præcedenti anno* 689 *S. Wilfrido reconciliatus fuerit. Jam vero ante reconciliationem illam nondum in suam sedem restitutus fuerat Eboracensis episcopus, nam eodem tempore pro Wilfri-*

do ad Edilredum regem scripsit Theodorus, *ut num.* 39 *advertimus : Edilredus autem post acceptas Archiepiscopi literas Wilfrido* multa monasteria et regiones proprii juris reddidit, *quibus auctus* aliquamdiu honorifice in exsilio deguit, *inquit Eddius ; nondum igitur tum sedem suam recuperat ; atque adeo falsum fuit* S. Theodori *de imminente sibi proximo anno vitæ termino vaticinium, vel Wilfridus plus decennio exsulavit.*

motæ. Expenduntur S. Theodori

81 *Scribit quidem idem Eddius :* Alfridus rex sapientissimus S. Wilfridum secundo anno regni sui venerabiliter secundum præceptum Archiepiscopi ad se invitavit, et primum cœnobium cum possessionibus adhærentibus in Hagustaldesæ indulgens : ut post intervallum temporis secundum beatissimi Agathonis Apostolicæ Sedis Præsulis et sanctæ synodi judicium propriam sedem episcopalem in Eborica civitate... reddidit, *sed hæc difficultatem non penitus tollunt. Alfridi regis annus secundus cum anno Christi* 687 *concurrit quidem, et sic post decennium Wilfridi exsilium finitum aliquo modo dici posset, quando in partem possessionum suarum revocatus est, licet omnes, atque cum his suam Eboracensem sedem nondum recuperasset. At* B *quodnam illud archiepiscopi præceptum, secundum quod Wilfridum ad se Alfridus invitavit? Suspicarer pridem apud reges facti pœnitentem* Theodorum *pro Eboracensi episcopo egisse, efficacius tamen, cum jam mortem sibi imminentem videret : ad priora tempora spectare* Theodori *ad Alfridum præceptum, ex quo partem bonorum receperit Wilfridus, sicque jam ab exsilio reductus dicatur, posteriores autem* Theodori *literas effecisse, ut sedem deinde Eboracensem receperit : at obstat Wilfridus num.* 36 *orans* Theodorum, *ut apud amicos intercedat, ut* aliquam partem substantiæ ejus restituant.

de morte sua prædictiones. Inter lucubrationes

82 *Hæreo : si* Theodori *de morte sua vaticinium sic latius extendas, ut* post hunc annum *significet* instant ultima tempora vitæ meæ, *quod fecit Eadmerus, parum ponderis apud audientes addet divina revelatio asserta vaticinio Viri senis, innumeris laboribus fracti, asserentisque se post annum moriturum, si illud* post *ad tres quatuorve alios extendere liceat. An non forte de aliis* Theodori *amicis, quam de regibus, a quibus jam aliqua receperat, Wilfrido sermo est? Quidquid sit, ad magis restrictum sane de morte* S. Theodori *vaticinium referenda sunt, quæ habet Beda lib.* 5, *cap.* 8. Anno, C *inquit,* sexcentesimo nonagesimo Incarnationis Dominicæ Theodorus beatæ memoriæ archiepiscopus senex et plenus dierum, id est, annorum octoginta octo, defunctus est; quem se numerum annorum fuisse habiturum ipse jam dudum somnii revelatione edoctus suis prædicere solebat. *Nunc aliqua de* S. Theodori *scriptis dicenda supersunt. Balæus Scriptorum Britanniæ Centuria* 13 *sic illa enumerat : Summam Pœnitentialem lib.* I; *Priorum Patrum canones lib.* I; *Ordinationes sui cleri lib.* I; *De fide contra Eutychen lib.* I; *Commentaria quædam lib.* I; *Epistolas ad diversos lib.* I.

S. Theodoro tributus est liber Pœnitentialis

83 *Hæc singula, ubi repererit, non vacat indagare. Capitula aliqua* S. Theodori *et Decreta allegantur a Burchardo, Ivone, Gratiano et Thoma Rudborne in Historia majori Wintoniensi, alia etiam alibi occurrunt. Præter ea, quæ a conciliis, quibus præsedit, condita ipsi tribuuntur, inter ejus Opera, si quæ sunt alia, celeberrimus est liber Pœnitentialis illius nomine inscriptus. Is jam olim in Ecclesia insignis fuit. Ad annum Christi* 676 *scribit in Chronico Regino abbas Prumiensis :* Theodorus archiepiscopus peccantium judicia, a quantis scilicet annis pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili et discreta consideratione describit. D *Idem Regino de his, quæ episcopus vel ejus ministri in suo districtu vel territorio inquirere debeant per vicos, pagos atque parœcias suas cap.* 95 *seu ultimo, parochum interrogandum docet :* An habeat Pœnitentiale Romanum, vel a Theodoro episcopo, aut a venerabili presbytero Beda editum. *Unde conficias, Reginonis ætate* S. Theodori *Pœnitentialem librum multum celebratum fuisse. In Chronicis Radulphi de Diceto et Joannis Bromtoni eadem fere, quæ apud Reginonem habentur. Martene seu Barrius potius in nova editione Spicilegii Acheriani tom* I *pag.* 486 *et Mabillonius in Observat. præv. ad Vitam* S. Theodori *affirmant, ejus Pœnitentialem librum a Beda laudatum fuisse.*

jam olim in Ecclesia celeberrimus.

84 *Acherius tom.* 9 *Specilegii sui in Præf. num.* 6 *Bedæ hæc de* Theodoro *verba retulerat :* Peccantium judicia, quantis scilicet annis pro unoquoque peccato quis penitere debeat, mirabiliter scripsit, *quæ nuspiam ego potui reperire, uti nec mentionem aliquam de libro Pœnitentiali locis a Mabillonio et Barrio citatis. In pœnitentiali edito a Spelmanno atque iterum a Davide Wilkinso Collectioni conciliorum magnæ Britanniæ tom.* I *col.* 115 *inserto, quem ipsi Egberto Eboracensi episcopo,* E *alii Bedæ tribuunt, cap.* 2 *dicitur.* Theodorus sanctus et pius episcopus constituit hanc lectionem in exemplum et doctrinam omnibus illis, qui delicta sua apud Deum emendare volunt, et dixit : Legimus in Pœnitentiali, quod pœnitentia facienda sit pro capitalibus criminibus annum vel duos vel tres in pane et aqua : et pro minoribus criminibus hebdomadam vel mensem. *At hæc satis ambigua sunt, nec sufficientia ad probandum Pœnitentialem librum a* Theodoro *compositum fuisse, neque ego alibi manifestius pro hac re testimonium uspiam apud Bedam invenio. Unde inhæret mihi aliqualis dubitatio, an non forte inter libros plurimos Græcos, quos secum in Angliam invexit, Pœnitentialis liber Orientalium quispiam fuerit, cui, quod eo* S. Theodorus *quandoque uteretur, quodque illum in Decretis aliquoties citaret,* Theodori *tamquam auctoris nomen adhæserit. Nescio enim, an consultum Archiepiscopo, homini Græco atque eo nomine Pontifici utcumque suspecto, videri potuerit, quod tamen illi laudi adscribunt plurimi posteriores scriptores, regularum pœnitentialium usum, qui nullus adhuc fuerat in Latina ecclesia, in Occidentem invehere.* F

Hodie Capitula aliqua

85 *Quidquid sit, abunde ex Reginone liquet insignem fuisse in Ecclesia nomine* S. Theodori *nostri Pœnitentialem librum. Morinus in Præfatione ad codices suos Mss. Pœnitentialium ait, unicum se legisse Spelmannum, qui testaretur* S. Theodori *Pœnitentialem Ms. se vidisse in celebri bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiensi. Baronius tamen in Annalibus ad annum* 51 *num.* 24 *scribit :* Sed quod pertinet ad suffocata, in antiquo Theodori Pœnitentiario, quod habemus apud nos Ms., injunctam pœnam invenimus his, qui vesci præsumpsisset suffocatis. *De Pœnitentiali, quem Spelmannus viderat Cantabrigiæ, sic infit :* Cum prolixior sit, quam ut commode hic inseratur, nec facile concedatur venia transcribendi totum codicem, nos Capitula solummodo, vel potius Capitulorum fastigia annectemus, *quod mox præstat tom.* I *Conciliorum Angliæ pag.* 155, *Capitula septuaginta et octo enumerans. Porro ex his Spelmanni verbis abunde liquet, quam exiguam partem laudati Operis Ms. habeamus. Ingemuit sane antiquitatis amator Acherius, quod Spelmannus librum non ediderit integrum et tam celebre monumentum orbi literario elabi*

A *elabi passus sit, Ipse jacturam, quantum potuit, reparaturus ex Burchardo, Ivone, et Gratiano, tum etiam ex Pœnitentiali Ms. Corbeiensi et Sangermanensi selegit redegitque in ordinem Capitula* 120 *Spicilegio suo tom.* 9 *inserenda. Capitula hæc ulterius divisa auctaque viginti posterioribus, unoque aut altero interjecto, ex vetusto codice septingentorum annorum emendata, notisque ex Martenii schedis illustrata, recudit Barrius in Spicilegio tom.* I *pag.* 486, *ubi, sicut apud Acherium,* S. Theodori *nomine inscripta sunt, sic tamen ut ejus Capitula, non vero Pœnitentialis liber vocentur.*

S. Theodori nomine

86 *Sub titulo Pœnitentialis* Theodori, *quæ ex variis Mss. corradere potuit, in lucem edidit duobus tomis Jacobus Petit Parisiis anno* 1677, *cujus, lucubrationem ad manum non habeo. Ceillerius tom.* 17 *Historiæ Scriptorum sacrorum pluribus de illa agit, affirmatque, pleraque a Petito corrasa, inter Acherii Capitula reperiri. De eodem Petiti Opere non paucis etiam agunt Caveus et Oudinus in* Theodoro, *ubi commissos invicem et pueriliter rixantes videre licet. Quæcumque igitur hactenus* B *edita sunt, non nisi pro laciniis haberi possunt, nec habemus laudatum multum* S. Theodori *librum Pœnitentialem integrum, si sincerus est, quem Spelmannus vidit, Cantabrigiensis Ms. codex. Illum frustra quæsivisse videtur Caveus, veretur certe ut uspiam supersit in Anglia. Mabillonius ad calcem partis* I *Sec.* 3 *SS. Ordin. S. Benedicti in Additionibus scribit :* Theodoro familiaris et carus fuit Hedda. Argumento est id, quod legitur in Pœnitentiali Ms. collegii Corporis Christi in academia Cantabrigiensi, in quo post Responsa Gregorii M. ad Augustinum hæc subduntur :

Te nunc sancte speculator,
Heddi, pie præsul, precor,
Pontificum ditum decor,
Pro me tuo peregrino,
Preces funde Theodoro.

Ex quibus verbis colligo, Theodori librum Pœnitentialem Heddæ nostro fuisse nuncupatum. *Ita Mabillonius. Laudatum hunc Pœnitentialem librum Ms., si editus non est, examinare possent, qui Spelmanni negligentiam incusant.*

circumferuntur, inter quæ certe aliqua

87 *Cujus auctoritatis sit, qualisque codex Ms., quem Baronius citatus laudat, nescio; inquiri etiam id posset atque ita Oudino dubium evelli; vix enim dubito quin asservetur in bibliotheca* C *Vallicellensi. Ceterum talia sunt Capitula, quæ hactenus laudavi, ut cento videantur ex canonibus, ritualibus pœnitentialibusque Regulis, et tam incertæ officinæ laciniis consutus, ut non nisi perperam, saltem omnia, censeam* S. Theodoro *nostro adscribi posse. Capitulum* 10 *et* 26 *Barrii e diametro Acherianis* 7 *et* 14 *adversantur, idque tanta ambiguitate, ut quid alteri præferas, vix statuere audeas.* Theodorus *etiam inter illa citatur in persona tertia, tamquam pondus Regulæ addens. Nec sanus quispiam, opinor, sine scrupulo* S. Theodoro *tribuet, quæ subdo. Capitulum* 140 *apud Barrium, quod Acherio fuerat* 113, *sic habet:* Laïcus, a quo recessit mulier, cum consensu episcopi post duos annos aliam accipiat; si in captivitatem per vim ducta est, post annum aliam accipere potest. *Ibidem* 143, *Acherio* 116 : Cujus uxor fornicata, licet eam dimittere et aliam accipere, mulieri non licet fornicantem alium accipere. *Accedat, quod apud Barrium solum invenio* 31 : Cui uxorem hostis abstulerit, et non potest repetere eam, licet ei aliam accipere; melius est quam fornicari : nam si postea redeat uxor, non debet recipere eam, si aliam habeat. Ipsa accipiet alterum virum, si unum ante habuit. *Ac denique ex Martenii Capitulis* 84 *et* 111 *conflatum Petiti, ni fallor, secundum, a Natali Alexandro in Hist. Eccles. seq.* 7 *cap.* 4 *articulo* 10 *citatum.* Presbyter fornicans, si postquam compertum fuerit, baptizaverit, iterum baptizentur illi, quos baptizavit. Si quis presbyter ordinatus deprehendit se non esse baptizatum, baptizetur, et ordinetur iterum, et omnes, quos prius baptizavit.

AUCTORE J. C.

perperam sancto et doctissimo Præsuli adscribuntur

88 *Hæc enimvero Evangelio et Ecclesiæ decretis manifeste contraria, Græcanicos errores nimis aperte sapiunt, ut Anglis a* S. Theodoro, *inspectante Adriano, præscripta credantur. Præsedit sanctus archiepiscopus noster concilio Herudfordiensi, ubi hic est canon decimus* pro conjugiis. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium; nullus incestum faciat; nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quispiam propriam expulerit conjugem, legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, vel propriæ reconcilietur conjugi. E *Ecce Catholicam veramque* S. Theodori *de divortiis secundisque nuptiis doctrinam, haustam, quantum apparet, ex concilii Milevitani canone* 17, *qui reperitur etiam in Codice canonum ecclesiæ Africanæ. Ab hac, quam est aliena illa, quæ spuriis in Capitulis continetur, tam manifestum est, hæc perperam sancto Præsuli nostro tribui. Verum de his pro instituto nostro satis : nunc sancti Viri gesta ex Bedæ Historia colligo.*

VITA

Auctore venerabili Beda

Ex Historia Ecclesiastica gentis Anglorum excerpta.

PARS. 1.

S. Theodorus ordinatur episcopus a Vitaliano Papa et mittitur in Angliam. Ejus labores et curæ initio episcopatus. Ex lib. 3 cap. 29 et 30, et lib. 4 cap. 1 et 2. F

Mortuo Wighardo, Vitalianus Papa

Reges Anglorum nobilissimi, sive provinciæ Northanymbrorum, et Ecgbert Cantuariorum, habito inter se consilio, quid de statu ecclesiæ Anglorum esset agendum, (intellexerat enim veraciter Oswi *a*, quamvis educatus a Scotis, quia Romana esset Catholica et Apostolica Ecclesia,) assumpserunt cum electione et consensu sanctæ ecclesiæ gentis Anglorum virum bonum et aptum episcopatui presbyterum, nomine Wighardum *b*, de clero Deusdedit episcopi, et hunc ordinandum Romam miserunt; quatenus accepto ipse gradu archiepiscopatus, Catholicos per omnem Britanniam ecclesiis Anglorum ordinare posset antistites. Verum Wighardus Romam perveniens, priusquam consecrari in episcopatum posset, morte præreptus

A. VENER. BEDA

præreptus est, et hujusmodo literæ regi Oswi Britanniam remissæ sunt. Domino excellentissimo filio Oswio regi Saxonum, Vitalianus Episcopus servus servorum Dei. Desiderabiles literas excellentiæ vestræ suscepimus, quas relegentes cognovimus ejus piissimam devotionem ferventissimumque amorem, quem habet propter beatam vitam. Et quia, dextera Domini protegente, ad veram et Apostolicam fidem sit conversus, sperans, ut, sicut in sua gente regnat, ita et cum Christo de futuro conregnare... Quamobrem oportet vestram celsitudinem, utpote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter principis Apostolorum, sive in Pascha celebranda, sive in omnibus, quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus et Paulus, qui, ut duo lumina cæli illuminant mundum, sic doctrina illorum corda hominum quotidie illustrat credentium...

Scribit ad Oswium regem Northanymbrorum

2 Hominem denique docibilem et in omnibus ornatum antistitem, secundum vestrorum scriptorum tenorem, minime valuimus *c* nunc reperire, pro longinquitate itineris. Profecto enim, dum hujusmodi apta repertaque persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, ut ipse B et viva voce, et per divina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum divino nutu eradicet. Munuscula a vestra celsitudine beato principi Apostolorum directa pro æterna ejus memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro ejus incolumitate jugiter Deum deprecamur cum Christi clero. Itaque, qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina Apostolorum, pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus... Paterna itaque affectu salutantes vestram excellentiam, divinam jugiter precamur clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, ut cum Christo regnetis in futuro seculo. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. Eodem tempore provinciæ Orientalium Saxonum post Swithelmum *d* præfuere reges Sighere *e* et Sebbi *f*, quamvis ipsi regi Merciorum Wulfhere *g* subjecti. Quæ videlicet provincia, cum præfatæ *h* mortalitatis clade premeretur, Sighere cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei Sacramentis, ad apostasiam conversus est. Nam et ipse rex et plurimi de plebe sive optimatibus, diligentes hanc vitam et futuram non quærentes, sive etiam C non credentes, cœperunt fana, quæ derelicta erant, restaurare, et adorare simulacra, quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius ejus ac cohæres regni ejusdem Sebbi, magna fidem perceptam cum suis omnibus devotione servavit, et magna (ut in sequentibus *i* dicemus) vitam fidelem felicitate complevit.

Orientales Saxones, qui a fide defecerant, a Jarumanno convertuntur.

3 Quod ubi rex Wulfhere comperit, fidem videlicet provinciæ ex parte profanatam, misit ad corrigendum errorem revocandamque ad fidem veritatis provinciam Jarumannum *k* episcopum, qui successor erat Trumhere *l* : qui multa agens solertia, juxta quod mihi presbyter, qui comes itineris illi et cooperator verbi exstiterat, referebat. Erat enim religiosus et bonus vir, longe lateque omnia pervagatus, et populum et regem præfatum ad viam justitiæ reduxit; adeo ut relictis sive destructis fanis arisque, quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola vivere cupientes. Quibus ita gestis, et ipsi sacerdotes doctoresque eorum domum rediere lætantes. Anno memorato præfatæ eclipsis *m* et mox sequentis pestilentiæ, quo et Colman episcopus unanima D Catholicorum intentione superatus ad suos reversus est, Deusdedit *n* sextus ecclesiæ Doruvernensis episcopus obiit, pridie Iduum Juliarum : Sed et Erconberh rex Cantuariorum eodem mense ac die defunctus, Ecgberto filio sedem regni reliquit, quam ille susceptam per novemdecim annos tenuit.

Vitalianus mortuo, quem angli consecrandum miserant, Wighardo,

4 Tunc cessante non pauco tempore episcopatu, missus est Romam ab ipso simul et a rege Northanymbrorum Oswio, ut præcedenti paucis libro diximus, Wighardus presbyter, vir in ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum, petentibus hunc ecclesiæ Anglorum episcopum ordinari : missis pariter Apostolico Papæ donariis et aureis atque argenteis vasis non paucis. Qui ubi Romam pervenit, cui Sedi Apostolicæ tempore illo Vitalianus præerat, postquam itineris sui causam præfato Papæ Apostolico patefecit, non multo post et ipse et omnes pene, qui cum eo advenerant, socii ejus, pestilentia superveniente, deleti sunt. At Apostolicus Papa, habito de his consilio, quæsivit sedulus, quem ecclesiis Anglorum archiepiscopum mitteret : erat autem in monasterio Niridano *o*, quod est non longe a Neapoli Campaniæ, abbas Adrianus *p*, vir natione Afer, sacris literis diligenter imbutus, monasterialibus E simul et ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter et Latinæ linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum Papa jussit, episcopatu accepto, Britanniam venire. Qui indignum se tanto gradu respondens, ostendere se posse dixit alium, cujus magis ad suscipiendum episcopatum et eruditio conveniret et ætas.

onus episcopale detrectantibus Adriano et Andrea,

5 Cumque monachum quemdam de vicino virginum *q* monasterio, nomine Andream, Pontifici offerret, hic ab omnibus, qui eum novere, dignus episcopatu judicatus est; verum pondus corporeæ infirmitatis, ne episcopus fieri posset, obstitit. Et rursum Adrianus ad suscipiendum episcopatum actus est, qui petiit inducias, si forte alium, qui episcopus ordinaretur, ex tempore posset invenire. Erat ipso tempore Romæ monachus Adriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tarso Ciliciæ, vir seculari et divina literatura, Græce et Latine instructus, probus moribus, et ætate venerandus, id est, annos habens ætatis sexaginta sex. Hunc offerens Adrianus Pontifici, ut episcopus ordinaretur, obtinuit : his tamen conditionibus interpositis. Ut ipse eum perduceret in Britanniam, eo F quod jam bis partes Galliarum diversis ex causis adiisset, et ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum : et ut ei doctrinæ cooperator exsistens, diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati *r* fidei, Græcorum more, in ecclesiam, cui præesset, introduceret. Qui subdiaconus ordinatus quatuor exspectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium *s* S. Pauli apostoli.

ordinat S. Theodorum episcopum Cantuariensem, qui per Gallias

6 Qui ordinatus est a Vitaliano Papa anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die septimo Kalendarum Aprilium, Dominica. Et ita una cum Adriano sexto Kalendas Junias in Britanniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, ac deinde per terram Arelatem pervenissent, et tradidissent Johanni *t* archiepiscopo civitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis, retenti sunt ab eo, quousque Ebroïnus Majordomus regiæ copiam pergendi quoquo vellent tribuit eis. Qua accepta, Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum episcopum

A pum, et ab eo benigne susceptus, et multo tempore habitus est. Adrianus vero perrexit primum ad Emme Senonum, et postea ad Faronem Meldorum episcopos, et bene cum eis diutius fuit : coëgerat enim eos imminens hiems, ut, ubicumque potuissent, quieti manerent. Quod cum nuntii certi narrassent regi Ecgberto, scilicet episcopum, quem petierant a Romano Antistite, in regno Francorum esse, misit illo continuo Redfridum præfectum suum ad adducendum eum. Quo cum pervenisset, adsumpsit Theodorum cum Ebroïni licentia, et perduxit eum ad portum, cui nomen Quentawic *u*; ubi fagitatus infirmitate, aliquantisper moratus est. Et cum convalescere cœpisset, navigavit in Britanniam.

in Angliam proficiscitur; ubi mox laboribus

7 Adrianum autem Ebroïnus retinuit, quoniam suspicabatur cum habere aliquam legationem imperatoris ad Britanniæ reges adversus Galliæ regnum, cujus tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum tale nihil illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absolvit eum, et post Theodorum ire permisit. Qui statim ut ad illum pervenit, dedit ei monasterium B. Petri *w* apostoli, ubi archiepiscopi Cantiæ sepeliri solent. Præceperat enim Theo- B doro abeunti Domnus Apostolicus, ut in diœcesi sua provideret et daret ei locum, in quo cum suis commode degere posset. Pervenit autem Theodorus ad ecclesiam suam secundo, postquam consecratus est, anno *x*, sub die sexta Kalendarum Juniarum, Dominica; et fecit in ea annos viginti et unum, menses tres, dies viginti sex. Moxque peragrata insula tota, quaquaversum Anglorum gentes morabantur, (nam et libentissime ab omnibus suscipiebatur et audiebatur) rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Paschæ canonicum, per omnia comitante et cooperante Adriano, disseminabat. Isque primus erat in archiepiscopis, qui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret.

apostolicis se dedit, doctrina clarescit, summamque auctoritatem obtinens

8 Et quia literis sacris simul et secularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant : ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ, et arithmeticæ ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcamque linguam, æque ut propriam, in qua nati sunt, no- C runt. Neque umquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum fortissimos Christianosque habentes reges, cunctis barbaris nationibus essent terrori, et omnium vota ad nuper audita cælestis regni gaudia penderent, et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent. Sed et sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias discere cœperunt : primusque, excepto Jacobo *y*, de quo supra diximus, cantandi magister Northanymbrorum ecclesiis Eddi cognomento Stephanus fuit, invitatus de Cantia a reverendissimo viro Wilfrido, qui primus inter episcopos, qui de Anglorum gente essent, Catholicum vivendi morem ecclesiis Anglorum tradere didicit.

variis locis episcopos constituit.

9 Itaque Theodorus perlustrans universa, ordinabat locis opportunis episcopos, et ea, quæ minus perfecta reperit, his quoque juvantibus, corrigebat. In quibus et Ceadda *z* episcopum, cum argueret non fuisse rite consecratum, respondens ipse voce humillima; Si me, inquit, nosti episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo : quippe qui neque me umquam hoc esse dignum arbitrabar, sed obedientiæ causa jussus subire, quamvis indignus, consensi. At ille audiens responsionis ejus humilitatem, dixit, non eum episcopatum dimittere debere : sed ipse ordinationem ejus denuo Catholica ratione consummavit. Eo autem tempore, quo, defuncto Deusdedit, Dorovernensis ecclesiæ episcopus quærebatur ordinandusque mittebatur, Wilfridus quoque de Britannia in Galliam ordinandus est missus *aa*. Et quoniam ante Theodorum rediit, ipse etiam in Cantia presbyteros et diaconos, usque dum Archiepiscopus ad sedem suam perveniret, ordinabat. At ipse veniens mox in civitate Rofi *bb*, ubi, defuncto Damiano *cc*, episcopatus jam diu cessaverat, ordinavit virum magis ecclesiasticis disciplinis institutum et vitæ simplicitate contentum, quam in seculi rebus strenuum, cui nomen erat Putta *dd*, maxime autem modulandi in ecclesia more Romanorum, quem a discipulis beati Papæ Gregorii didicerat, peritum.

A. VETER. BEDA.

ANNOTATA.

a *De hoc rege Oswio multa passim Beda lib.* 3 *suæ Historiæ. Ibid. cap.* 25 : Qui nimirum Oswi, *inquit*, a Scottis edoctus ac baptizatus, illorum etiam lingua optime imbutus, nihil melius, quam quod illi docuissent, autumabat : *ideoque cum illis de celebratione Paschatis et tonsuræ forma consentiens, a consuetudine Romanæ Ecclesiæ recesserat; errore intellectus scilicet, non pervicacia voluntatis. Præmisit enim pulcherrimam pro unitate et concordia præfationem in conventu Streaneshaldensi, quo super iis materiis Scoti Romanique disputaturi advenerant. Victo Colmanno, qui Scotorum partes tuebatur, Oswius* Wilfrido subridens *(scribit Eddius)* interrogavit omnes, dicens : Enuntiate mihi, utrum major est Columcille, *quem ut illius ritus auctorem adduxerat Colmannus*, an Petrus apostolus in regno cælorum? *Respondente synodo, Dominus judicavit, qui dixit* : Tu es Petrus.... tibi dabo claves regni cælorum *etc* , *resumpsit Oswius* : Ille est ostiarius et clavicularius, contra quem colluctationem controversiæ et judiciorum ejus in vita mea non facio, nec facientibus consentio. *Atque ita a Scotorum ritibus recessit, multaque deinde præclare gessit, et sancte obiit anno Christi* 670. *Inter Prætermissos ad* 15 *Februarii breviter de illo actum est.* F

b Miserat Ecgbertus, *inquit Beda in Hist. Abb. monasterii Wiremuthensis*, electum ad episcopatus officium virum nomine Wighardum... cupiens eum sibi Romæ ordinari episcopum, quatenus suæ gentis et linguæ habens antistitem, tanto perfectius cum subjectis sibi populis vel verbis imbueret fidei vel mysteriis, quanto hæc, nempe non per interpretem, sed per cogniti et contribulis viri linguam simul manumque susciperet. *Exteri scilicet fuerant hactenus vix non omnes episcopi Cantuarienses, sperabantque reges, fore populis suis utilius, totique clero gratius, si quem de popularibus suis præsulem haberent. Ceterum, Lelando juniore teste, erat Wighardus a literis multum commendatus, variaque scripsit Opuscula, quorum et ipsi tituli interierunt.*

c *Mirum videri potest, quod illo tempore tam destituta esset Ecclesia viris idoneis, ut reperire non potuerit Pontifex, quem in Angliam mitteret archiepiscopum. Quamquam credo id muneris detrectasse plurimos, causatos, quod innuit Vitalianus, longinquitatem itineris; nisi forte aliquem de Anglorum*

A. VENER. BEDA

Anglorum gente, *quod regibus gratissimum fore senserat, ordinandum judicarit, quod deinde consilium mutare coactus sit.*

d *Swythelmus filius Sigibaldi, qui et Swytelinus et Suidelmus alibi dicitur, in regnum Orientalium Saxonum successerat Sigeberto fratri suo, sacrilege trucidato, circa annum Christi* 661. *Swythelmus tantum regnavit tribus annis.*

e *Est Sigherus filius Sigberti, cognomento Parvi, qui regnum cesserat Sigeberto filio Sigibaldi. Vide, si lubet, Malmesburium de Gestis reg. Angl. cap.* 6.

f *De S. Sebbo actum est apud nos ad* XXIX *Augusti, quo die ejus nomen sacris Fastis inscribitur. Erat S. Sebbus frater Sigberti Parvi, et patruus Sigheri.*

g *Wulpherus, qui sub varia etiam nominis inflexione venit, Weda seu Peada per insidias uxoris e vivis sublato, rebellantibusque contra Oswium populis, regnum Merciorum obtinuerat, illudque, multis in rem Christianam splendide gestis, septemdecim annis tenuit. Cui deinde successit Ethelredus frater. Porro, quo se extenderet regnum Orientalium Saxonum, quomodoque eo-*
B *rum reges Wulphero subjecti fuerint, videri potest apud Malmesb. cit. littera* e.

h *De mortalitatis illius seu pestilentiæ lue, quæ totam late insulam depopulata est, egerat Beda lib.* 3 *cap.* 27, *ubi illam anno Christi* 664 *illigat. De eadem agunt Westmonasteriensis ad hunc annum, Huntindonius lib.* 3 *et alii.*

i *S. Sebbi laudibus totum caput* 2 *libri* 4 *impendit Beda.*

k Jarumannus Anglicus, *inquit Thomas Chesterfeld in Historia de episcopis Conv. et Lichf.,* sed a Scottis episcopis ordinatus, post Trumphere rexit episcopatum Merciorum annis IV, sub rege Merciorum Wlfero, et obiit anno Domini DCLXVII. *Post ejus obitum biennio vacavit sedes, cujus interim curam gessit Wilfridus, Ceadda Eboracensem cathedram occupante. Ceaddam deposuit* Theodorus, *redditoque Wilfrido Eboracensi ecclesiæ, paulo post Merciis dedit episcopum. De Jarumanno plura Beda lib. cap.* 3.

l *De Trumhere agit Beda cap* 24 *lib.* 3. *Tribus annis rexit Merciorum ecclesiam, obiitque anno* 662, *teste citato Thoma Chesterfeld.*

m *Anno* 664, *inquit Westmonasteriensis*, ecli-
C psis solis facta est mense Majo (hora circiter diei decima, *ut habet Beda lib.* 3 *cap.* 27) et secuta est mortalitas inaudita, *quam Beda in Epitome pestilentiam vocat :* Britanniam et Hiberniam, *teste Huntindonio* magna strage devastavit, *ex eaque Ceddus Londinensis et Tuda Lindisfarnensis episcopi obierunt. Ceterum de sancto Colmanno egit Henschenius ad diem* 18 *Februarii pag.* 83 *et seqq. Conflictum super celebratione Paschatis percensent Beda lib.* 3 *cap.* 24, *Eddius Stephanus in Vita S. Wilfridi cap* 10.

n *Colitur S. Deusdedit* 15 *Julii, ad quem diem, si lubet, plura vide in Opere nostro.*

o *De monasterio illo nihil potui reperire, quod ex hoc Bedæ loco fluxisse non videatur. Mabillonius in Notis prævüs Niridanum statuit non ita procul a Cassino monte.*

p *S. Adriani Gesta illustravit Bollandus die* 9 *Januarii, quo sacris Fastis inscriptus est. Cum ejus gesta multum cohæreant cum Actis* S. Theodori, *vide Bollandi Notas. Cur autem Ortelius in Thesauro S. Adrianum vocet episcopum Neridani, non facile dixero.*

q *Quis fuerit Andreas ille, quodve cœnobium vicinum virginum, non satis aliunde liquet.* D

r *Circa adhibitam a Vitaliano cautelam videri potest Commentarius prævius* § I *num.* 14, *ubi dixi, illud, contrarium fidei paulo mitius explicandum videri, ita ut Vitalianus veritus sit, non quidem ne Græcanicos errores in fide per Angliam spargeret, sed ne ritus Græcos hisque similia in illam inveheret ecclesiam, unde discordiæ nascerentur.*

s *De hac tonsura egi paucis Commentarii prævii num.* 13. *Circa tonsuram Scotorum, de qua etiam disceptatum est dudum, pulcherrimus est locus apud Eddium cap.* 45, *ubi inter alia his verbis expostulantem Wilfridum inducit :* Nonne et ego... curavi, ut Scoticæ virulenta plantationis germina eradicarem, ad verumque Pascha, et ad tonsuram in modum coronæ, quæ antea posteriori capitis parte abrasa vertice, secundum Apostolicæ Sedis rationem... permutando converterem?

t *Præter ea, quæ dixi, de Joanne Arelatensi episcopo Commentarii prævii num.* 16 *aliqua advertit Bollandus in suis Annotatis littera* k, *ubi etiam plura de iis, quæ hoc et sequenti numero occurrunt, quæ, si lubet, consule.*

u *Quentavicus seu* Quentovicus, *quasi* Quantiævicus, *nobile quondam fuit emporium, sic dictum a* Quantia, *sive* Cantæia *fluvio, a cujus ore sesqui miliari distabat. Porro Quantia Picardiæ fluvius est, ortus in Artesia circa fines Occidentales territorii Albiniacensis. Arcuato mox versus Meridiem Alveo in Occidentem reflectitur atque Hedinum novum secat, unde aliquot auctus amnibus Monasteriolum alluit, tertioque inde in Occidentem milliari Oceano Britannico immergitur. Monasteriolum autem inter et proxima maris litora, ad lævam Quantiæ, medium fere est cœnobium S. Judoci, vernacule* Saint Josse, *a cujus Septentrionali latere multa etiammum rudera, antiqui Quentavici reliquias, spectari asserunt incolæ.* E

w *De monasterio S. Petri videri possunt plura ad* 6 *Januarii, ubi de S. Petro illius abbate actum est, et apud Bedam lib.* 1 *cap.* 33.

x *Advertit Bollandus littera* k, *male scripsisse Westmonasteriensem, advenisse in Angliam* Theodorum post biennium *a consecratione, quia anno* 669, *dies sextus Kalendarum Juniarum, incidit in Dominicam, non autem anno sequenti sexcentesimo septuagesimo. Rectius hic Beda* : anno secundo : *consecratus enim fuerat* Theodorus *a Vitaliano* 26 *Martii seu septimo Kalendas Apriles.* F *Obscurus est apud eumdem locus lib.* 4 *cap.* 5 : Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus, ex quo Britanniam venit Theodorus, Oswi rex Northanymbrorum, pressus est infirmitate, qua et mortuus est. *Si enim Oswius obiit* 15 *Februarii, quo die ejus est in Martyrologio Anglicano memoria, non facile intelligitur, quomodo mortuus sit anno secundo, ex quo Britanniam venit* Theodorus, *nisi venisse jam tum censeatur, cum iter in Britanniam aggressus est, vel annos civiles hic Beda computet.*

y *De illo ita Beda lib.* 2 *cap. ultimo in fine :* Reliquerat autem *(Paulinus)* in ecclesia sua Eboracensi Jacobum diaconum, virum utique ecclesiasticum et sanctum..., qui quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus... etiam magister ecclesiasticæ cantionis, juxta morem Romanorum seu Cantuariorum, multis cæpit existere.

z *De hac Ceaddæ ab Eboracensi cathedra expulsione, vide Commentarium prævium* § 2 *num* 28. *Fuerat Ceadda, mortuo Deusdedit, ad quem ordinandus venerat, consecratus a Wini Occidentalium Saxonum*

A *Saxonum episcopo. Hic Simoniace sedem Londinensem pecunia emerat a Wulfero Merciorum rege, ut scribit Malmesburiensis de Gest. pontif. Angl. lib. 2 in initio, et de Gestis reg. Angl. cap.* 3.

aa *Postquam S. Colmannus Eboracensi sede cesserat, noluit in eam ordinari S. Wilfridus ab episcopis Scotis et Britonibus, eo quod a communione Apostolicæ Sedis rescissi et schismatici haberentur. Igitur navigavit in Galliam, ibique a S. Agilberto, adstantibus undecim aliis episcopis, consecratus est anno Domini* 664. *Atque inde sequenti vel alterius initio rediit in Britanniam. At occupata per S. Ceaddam sede Eboracensi, ad monasterium Ripense recessit, unde accersitus ab Ecgberto Cantuariorum rege, presbyteros in Cantia atque inter illos Puttam ordinavit.*

bb *Quod hic Rofi, alibi* Roffi, Rhofi, Roffa *et* Rofa *scribitur*, oppidum est, *Malmesburio*, situ nimium angustum, sed quod in edito locatum, fluvio volantissimo alluitur, hostibus sine periculo non accessibile. *Hodie Rocestria appellatur, estque urbs Angliæ Meridionalis in Cantio ad Meduvacum fluvium, qui* 5 *milliaribus Anglicis infra in Thamesis æstuarium se exonerat: media inter Cantuariam ad Ortum et Londinum ad Occasum,* B 20 *miliaribus ab utroque distans. Ita Baudrandus in Lexico.*

cc *Fuit quintus Roffensium episcopus, de quo nihil in serie, præter nomen, profert Willelmus. Ex Gervasio et Beda lib.* 3 *cap.* 20 *constat, fuisse de genere Westsaxonum ordinatumque a Deusdedit.*

dd *Eadem pene de illo Malmesburiensis et alii. Cantum ecclesiasticum a Paulino forte, vel Jacobo diacono didicerat. Hic certe usque ad Bedæ tempora supervixisse dicitur lib.* 2 *cap.* 16.

PARS II.

S. Theodorus concilia celebrat, variisque locis episcopos ordinat: diœceses partitur. Ex lib. 4 *cap.* 5, 6 *et* 12.

C

Mortuo rege Oswio, Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus, ex quo in Britanniam venit Theodorus, Oswi rex Northanymbrorum pressus est infirmitate, qua et mortuus est anno ætatis suæ quinquagesimo octavo: qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ et Apostolicæ institutionis, ut si ab infirmitate salvaretur, etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret, Wilfridumque episcopum ducem sibi itineris fieri, promissa non parva pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus die decima quinta Kalendarum Martiarum, Ecgfridum filium regni heredem reliquit. Cujus anno regni tertio *a*, Theodorus cogit concilium episcoporum una cum eis, qui Catholica Patrum statuta diligerent et nossent, Magistris Ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea, quæ unitati pacis ecclesiasticæ congruerent, eo, quo Pontificem decebat animo, cœpit observanda docere. Cujus Synodicæ actionis hujusmodi textus est.

S. Theodorus convocat synodum, 11 In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, regnante in perpetuum ac gubernante suam Ecclesiam eodem Domino nostro Jesu Christo, placuit convenire nos juxta morem canonum venerabilium, tractaturis de necessariis Ecclesiæ negotiis. *A. vetera. Beda.* Convenimus autem die XXIV *b* mensis Septembris, Indictione prima, in loco qui dicitur Heorutford *c*. Ego quidem Theodorus, quamvis indignus, ab Apostolica Sede destinatus Dorovernensis ecclesiæ episcopus, et consacerdos ac frater noster reverendissimus Bisi Orientalium Anglorum episcopus, affuimus; cum quibus etiam frater et consacerdos noster Wilfridus Northanymbrorum gentis episcopus *d* per proprios legatorias affuit: affuerunt et fratres et consacerdotes nostri Putta episcopus Castelli *e* Cantuariorum, quod dicitur Rofecester, et Leuterius *f* episcopus Occidentalium Saxonum, Winfridus *g* episcopus provinciæ Merciorum.

ubi decem unanimi consensu 12 Cumque in unum convenientes juxta ordinem suum quique resedissemus: Rogo, inquam, dilectissimi fratres, propter timorem et amorem Redemptoris nostri, ut in communi omnes pro nostra fide tractemus, ut quæcumque decreta ac definita sunt a sanctis et probabilibus Patribus, incorrupte ab omnibus nostris serventur. Hæc et alia complura, quæ ad charitatem pertinebant unitatemque Ecclesiæ conservandam, prosecutus sum. Cumque explessem prolocutionem, interrogavi E unumquemque eorum per ordinem, si consentirent ea, quæ a patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes, dixerunt: Optime omnibus placet, quæ definierunt sanctorum canones Patrum, nos quoque omnes alacri animo libentissime servare. Quibus statim protuli eumdem librum canonum *h*, et ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaveram, quia maxime nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi, et ut hæc diligentius ab omnibus susciperentur, rogavi.

conduntur capitula 13 Primum capitulum: Ut sanctum diem Paschæ in commune omnes servemus Dominica post quartam-decimam lunam primi mensis.

II Ut nullus episcoporum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis.

III Ut, quæ monasteria Deo consecrata, nulli episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere.

IV Ut ipsi monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii abbatis; sed in ea permaneant F obedientia, quam tempore suæ conversionis promiserunt.

V Ut nullus clericorum relinquens proprium episcopum, passim, quo lubet, discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis literis sui præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, et noluerit invitatus redire; et susceptor, et is, qui susceptus est, excommunicationi subjacebit.

VI Ut episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique illorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu episcopi, in cujus parochia esse cognoscitur, agere.

VII Ut bis in anno synodus congregetur. Sed quia diversæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, ut Kalendis Augusti in loco, qui appellatur Clofeshooh *i*, semel in anno congregetur.

VIII Ut nullus episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus et ordinem consecrationis suæ.

IX Capitulum in commune tractatum est, ut plures episcopi, crescente numero fidelium, augerentur *k*. Sed de hac re ad præsens siluimus.

10 Pro

A. vener. Beda.

x Pro conjugiis. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium, nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam, nisi ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit conjugem, legitimo sibi matrimonio junctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.

quibus omnes subscribunt;

14 His itaque capitulis in commune tractatis ac definitis, ut nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur contentionis scandalum, aut alia pro aliis divulgentur, placuit, ut, quæ definita sunt, unusquisque nostrum manus propriæ subscriptione confirmaret *l*. Quam sententiam definitionis nostræ Titillo notario scribendam dictavi. Actum in mense et Indictione supra scriptis. Quisquis igitur contra hanc sententiam juxta decreta canonum, nostra etiam confessione ac subscriptione manus nostræ confirmatam, quoquo modo minuere, eamque infringere tentaverit, noverit se ab omni officio sacerdotali et nostra societate separatum. Divina nos gratia in unitate sanctæ Ecclesiæ suæ viventes custodiat incolumes.

B Facta autem est hæc synodus anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo tertio, quo anno rex Cantuariorum Ecgbert *m* mense Julio obierat, succedente in regnum fratre *n* Lothere, quod ipse annos undecim et menses septem tenuit. Bisi autem episcopus Orientalium Anglorum, qui in præfata synodo fuisse perhibetur, ipse erat successor Bonifacii *o*, cujus supra meminimus, vir multæ sanctitatis et religionis. Nam Bonifacio post decem et septem annos episcopatus sui defuncto, episcopus ipse pro eo, Theodoro ordinante, factus est. Quo adhuc superstite, sed gravissima infirmitate ab administrando episcopatu prohibito, duo sunt pro illo Acci et Baduini *p* electi et consecrati episcopi : ex quo usque hodie provincia illa duos habere solet episcopos.

deinde variis locis

15 Non multo post hæc elapso tempore, offensus a Winfrido Merciorum episcopo per meritum cujusdam *q* inobedientiæ Theodorus archiepiscopus, deposuit eum de episcopatu post annos accepti episcopatus non multos, et in loco ejus ordinavit episcopum Sexwlfum *r*, qui erat constructor et abbas monasterii, quod dicitur Medesnamsteni in regione Girviorum *s*. Depositus vero Vinfrid rediit in monasterium suum, quod dicitur ad Barue *t*, ibique in optima conversatione vitam finivit. Tunc C etiam Orientalibus Saxonibus, quibus eo tempore præfuerunt Sebbi et Sigheri, quorum supra meminimus, Earconwaldum *u* constituit episcopum in civitate Lundonia, cujus videlicet viri in episcopatu et ante episcopatum vita et conversatione fertur fuisse sanctissima, sicut etiam nunc cælestium signa virtutum indicio sunt. Quartus Occidentalium Saxonum antistes Leutherius fuit. Si quidem primus Birinus *w*, secundus Agilberctus *x*, tertius exstitit Wini. Cumque mortuus esset Coinwalch *y*, quo regnante idem Leutherius episcopus factus est, acceperunt subreguli regnum gentis, et divisum inter se tenuerunt annis circiter decem : ipsisque regnantibus, defunctus est ille, et episcopatu functus est Heddi *z* pro eo : consecratus est a Theodoro in civitate Lundonia. Cujus episcopatus tempore, devictis atque amotis subregulis, Ceadualla *aa* suscepit imperium, et cum duobus annis hoc tenuisset, tandem superni regni amore compunctus reliquit, eodem adhuc præsule ecclesiam gubernante, ac Romam abiens, ibi vitam finivit, ut in sequentibus latius dicendum est.

ordinat episcopos.

16 Anno autem Dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo sexto, cum Edilred rex Merciorum, adducto maligno exercitu, Cantiam vastaret, et ecclesias ac monasteria sine respectu pietatis vel divini amoris fædaret, civitatem quoque Rhofi, in qua erat Putta episcopus, quamvis eo tempore absens, communi clade absumpsit. Quod ille ubi comperit, ecclesiam videlicet suam, rebus ablatis omnibus, depopulatam, divertit ad Sexwlfum Merciorum antistitem, et accepta ab eo possessione ecclesiæ cujusdam *bb* et agelli non grandis, ibidem in pace vitam finivit, nihil omnino de restaurando episcopatu suo agens : quia sicut supra diximus, magis in ecclesiasticis, quam in mundanis rebus erat industrius; sed in illa solum ecclesia Deo serviens, ubicumque rogabatur, ad docenda ecclesiastica carmina divertens. Pro quo Theodorus in civitate Rhofi Wichelmum *cc* consecravit episcopum. Sed illo post non multum temporis, præ inopia rerum, ab episcopatu decedente, atque ad alia loca secedente, Gefmundum *dd* pro eo substituit antistitem.

Dissidia cum S. Wilfrido.

17 Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo septuagesimo septimo *ee*, qui est annus imperii regis Ecgfridi octavus, apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur cometa, et tribus mensibus per- E manens matutinis horis oriebatur, et excelsam radiantis flammæ quasi columnam præferens : quo etiam anno orta inter ipsum regem Ecgfridum *ff* et reverentissimum antistitem Wilfridum dissentione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus, et duo in locum ejus substituti episcopi, qui Nordanhymbrorum genti præessent, Bosa *gg* videlicet, qui Deirorum, et Eata *hh*, qui Berniciorum provinciam gubernaret. Hic in civitate Eboraci, ille in Augustaldensi *ii*, sive Lindisfarnensi ecclesia cathedram habens episcopalem, ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum adsciti. Cum quibus et Eadhed *kk* in provincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Ecgfrid, superato in bello et fugato Wlfere, obtinuerat, ordinatur episcopus. Et hunc primum eadem provincia accepit proprium præsulem, secundum Ediluinum, tertium Eadgarum, quartum Cyniberctum, quem in præsenti habet. Habebat enim ante Eadhedum antistitem Sexwlfum, qui etiam Merciorum et Mediterraneorum Anglorum simul episcopus fuit, unde et expulsus de Lindissi, in illarum provinciarum regimine permansit. Ordinati sunt autem Eadhed, Bosa et Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro : qui etiam F post tres abscessionis Wilfridi annos *ll* horum numero duos addidit antistites, Tunbertum *mm* ad ecclesiam Augustaldensem, remanente Eata ad Lindisfarnensem, et Triumvini *nn* ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta. Eadhedum de Lindissi reversum, eo quod Edilfred provinciam recepisset *oo*, Rhipensi ecclesiæ præfecit.

ANNOTATA.

a *Mendum est, corrigendum ex aliis Bedæ locis, legendumque* quarto, *nisi velis (quod ægre intelligitur) annos tantum completos designari. Ecgfridus enim regnum adiit medio Februario anni* 670, *unde eo mense anno* 673 *terminatur annus ejus tertius et quartus inchoatur.*

b *Dissonant hic notæ chronologicæ. Conspirant pro anno* 672 *annus Ecgfridi* 3, *et indictio* 1 : *nec obsunt anni* 9 *Ecgberti, qui Ercomberto anno* 664, *die* 14 *Julii successerat, si ultra eum diem anni* 672 *superfuit. At infra aperte Beda concilium et Egberti mortem anno sequenti illigat, et in Epitome*

A *tome scribit:* Anno DCLXXIII Egbert rex Cantuariorum obiit, et synodus facta est ad Herudforda, *quæ repugnant reliquis epochis. Non est operæ pretium visum multis disceptare, utræ alteris præferendæ sint. Scribit idem Beda lib.*4 *cap.* 26: Quo videlicet anno, qui est ab Incarnatione Dominica DCLXXXV Hlotheri Cantuariorum rex, cum post Ecgbertum fratrem suum, qui IX annis regnaverat, ipse XII annis regnasset, mortuus erat VIII Idus Februarii. *Ex eo computu, si anno* 672 *obiisset Ecgbertus, annum* 13 *mense Julio anni* 684 *inchoasset Lotharius. Igitur indictionem* 2 *substitue, et Egfridi annos, neglectis* 7 *mensibus, (quod ego non ausim) computa, vel pro* 3 *repone* 4, *et cum Alfordo ceterisque synodum anno* 673 *illigabis.*

c *Ita Paraphrasis Saxonica; Chiffletius cum reliquis* Herudford. *Alii scribunt* Thedford, Heortfort, *et* Hereford. *Camdeno aliisque non paucis sola arrident* Herudford *seu* Herford, quod nomen, *inquit*, alii Rubrum vadum, alii Cervorum vadum interpretantur, *poniturque ab eo in Cattieuchlanis.*

d *Quare ad primam illam synodum non venerit ipse S. Wilfridus, non liquet. Tum forte reæ-*
B *dificanda ornandaque Pauliniana Eboraci basilica detinebatur.*

e *Id est Roffa, quod, quare Cantuariorum castellum hic dicatur, vide ad partem præcedentem littera* bb *et Camdenum in* Cantia.

f *De Leutherio seu* Eleutherio *in Episcopis Wintoniensibus agit Malmesburiensis, cujus* § *integrum hic transfero, quia plura continet ad hanc partem Historiæ Anglicanæ pertinentia. Ita scribit:* Post eum *(Birinum)* Agilbertus natione Gallus provinciæ præsulatum tenuit. De cujus adventu et abscessu in Beda latius lecturus, hic cognosces compendio. Sub introducto in episcopatum Wintoniæ Wine vocabulo, homine Anglo, sed apud Gallos ordinato, absessit infensus. Nec diu invasor fovit otium, sed ejusdem regis tyrannide pulsus ad Wlferium regem Merciorum fecit confugium, emptoque ab eo episcopatu Londoniæ dies vitæ residuos comsumpsit, sævo exemplo posteris, ut non facile discernas majore peccato et infamia, an illius, qui rem sacram vænum proposuerit, an illius qui emerit. Tum Agilbertus per nuntios exoratus a rege ut rediret, excusavit adventum, quod Parisiaci episcopatus vinculis teneretur adstrictus. Ne tamen spem postulantis eluderet, misit nepotem Leutherium,
C qui prono provincialium assensu exceptus, et a Theodoro archiepiscopo consecratus, septem annis West-Saxonum rexit ecclesiam. Quod ideo non tacui, quia de annis episcopatus ejus Beda nihil expressum reliquit, mihi ex Chronicis cognitum dissimulare silentio præter religionem videbatur,

g *De Winfrido, præter ea, quæ infra damus, hæc habet Beda lib.* 4 *cap.* 3: In cujus *(S. Ceaddæ)* locum ordinavit Theodorus Winfridum virum bonum et modestum, qui, sicut prædecessores ejus provinciis Merciorum et Mediterraneorum Anglorum et Lindisfarorum episcopatus officio præesset... Erat autem Winfridus de clero ejus, cui ipse successerat, antistitis, et diaconatus officio sub eo non pauco tempore fungebatur.

h *Videtur fuisse codex aliquis, in quo Canones conciliorum et sanctorum Patrum vel redacti in ordinem, vel certe erant compacti. Neutiquam autem canones ab ipso* Theodoro *conditi. Neque enim iis assensum episcoporum rogaverat, neque illi dederant. Ceterum, quæ subjiciuntur capitula* 10, *quoad verba et apices eadem non sunt, quæ in libro illo notaverat* Theodorus, *sed tantum inde secundum circumstantias deducta factisque et locis particularibus applicata.*

i *Alias* Clovesho, Clyff, Clif, Clobeshoas *et Latine* Cloveshovia. *De ejus situ nihil certi occurrit: Alfordus asserit fuisse in Cantia. Porro de conciliis juxta hæc statuta tempore* S. Theodori *habitis, altum est silentium. Varia postmodum eo convocata fuere sub Cuthberto, Æthelardo, Wulfredo archiepiscopis Cantuariensibus, quorum Acta exstant apud Spelmannum et alios.*

A. VETER. BEDA.

k *De hoc Capitulo secundum posteriorem periodi partem dubitant aliqui, cum ea non habeatur in Saxonica Versione. Verba sint* Theodori, *epistola synodali Acta concilii cum clero communicantis.*

l *Omissa sunt apud Mabillonium usque ad* Quisquis, *typothetæ, opinior, incuria.*

m *In regnum successerat patri Ercomberto anno* 664, *illudque* 9 *annos solidos tranquille tenuit.*

n *Alias* Hlotere, *et* Lotharius. *Qua sorte fraternum regnum adierit, neglecto Ederico Ecgberti filio, incertum est. Ab eo variis appetitus bellis Lotharius, tandem jaculo transfixus occubuit.*

o *De Bisi vix aliqua occurunt alibi. De Bonifacio paucis egerat Beda lib.*3 *cap.*20. *Ortus erat in Cantia, ordinatusque ab Honorio anno circiter* E
651. Bregilsus *etiam et* Bertgilsus *appellatur.*

p *Apud Malmesburiensem* Heta, *alibi* Æcca, *sedit Dumvici. Bedwinus, qui et* Badwini, Baldwinus *et* Eadewine *dicitur, sedem episcopalem habuit apud* Elmham *seu* North-Elmham, *in agro Norfolciensi, sanctamque Ositham sacro velo induit, ut in ejus Vita narratur.*

q *Conjecturam ex rebus gestis illius temporis perquam probabilem dedi Commentarii prævii* § 2 *num.* 29. *Tribus circiter annis Merciis præfuit, ordinatus anno* 672 *vel sequenti.*

r *Sexwlfo curam construendi istius monasterii, quod deinde Petriburgum appellatum fuit, demandarant Peada, ac deinde Wlferus Merciorum reges. Constructo primus abbas datus est, indeque ad pastorales infulas assumptus a* Theodoro.

f *Populi, qui palustria in Northamptonensi comitatu habitabant.*

t Id est, Ad nemus, in provincia Lindissi, *inquit Beda lib.* 4 *cap.* 3. *Winfridus, qui Eddio* Wulfridus *dicitur, anno* 678 *navigavit in Galliam, forte de injuria apud Pontificem Romanum conquesturus. At a S. Wilfridi Eboracensis episcopi hostibus, deceptis errore nominis, captus, et spoliatus omnibus, nudus humi misere derelictus est. Rem* F
narrat Eddius cap. 14.

u *Ejus Acta illustrata habes in Opere nostro ad diem* XXX *Aprilis.*

w *Inter Sanctos colitur* S. Birinus, *Martyrologio Romano inscriptus die* 3 *Decembris. Eximias ejus laudes paucis colligit Malmesburiensis de Gest. pont. lib.* 2.

x *Agilbertus, qui et* Ægilbertus, Aglibertus, Aglebertus *non raro scribitur, ortus in Gallia ibidemque ordinatus episcopus, anno circiter* 641 *trajecit in Hiberniam, indeque ad Orientales Saxones profectus est, ubi et episcopalem sedem obtinuit per annos facile decem; expulsus deinde anno* 664, *in conventu Streaneshalensi S. Colmannum in celebri de Paschate concione vicit, ac paulo post remeavit in patriam. Vide dicta superius littera* f.

y *Coinwalch, alias* Kenewalchius, *Occidentalium Saxonum regnum per annos facile* 30 *tenuit, obiitque circa annum* 673.

z *Hedda, alibi* Headda, *et* Hedde *appellatur, coliturque die* 7 *Julii, ad quem de illo actum est in Opere nostro.*

aa *Cedualæ regni initium reponit Alfordus an-*

A. vener. Beda.

no 686. *Ejus nomen recentioribus aliquod Martyrologiis inscriptum legitur* xx *Aprilis. Censuerunt Majores nostri, cultum ejus antiquum non satis probari, quapropter inter Prætermissos ad illum diem relictus est.*

bb *Ad hæc ita Warthonus tom.* I *Ang. Sac. pag.* 424: Sexulfus igitur, qui Winfridum excepit, ut Theodoro morem gereret, episcopalem sedem apud Herefordiam instituit anno 676, et institutæ præfecit Puttam, cui tantillam diœcesis suæ partem largitus est. *Ex Godwino, ni fallor, id collegit, atque ille ex Malmesburiensi, apud quem de Gest. pontif. Ang. lib.* 4. *primus Herefordensium episcopus ponitur Putta. Verum idemne hic cum Rhoffensi? Multum dubito: certe non id suadet Beda, dissuadet omnino Gervasius in Chronico, ubi paucis post relictam sedem annis illum obiisse tradit. Sed et ipse Malmesburius scribit*: Putta... ad Sexwulfum... secessit Cujus liberalitatis munere ecclesiam campestrem et agellum adeptus, quod reliquum erat ævi pacifice consumpsit. *Ex quibus non videtur ad aliam postmodum cathedram admotus.*

cc *De Wichelmo, quem Malmesburiensis* Quichelmum *nominat, obscura sunt cetera.* B

dd *Gebmundus annis pluribus Roffensem rexit ecclesiam, nec enim obiit ante annum* 693.

ee Septimo *legendum esse et non* octavo, *ut habent vulgata Bedæ exemplaria, ostensum est in Commentario* § 3 *num.* 49.

ff *Beda, ubicumque illorum dissidiorum meminit, causam culpamque in Ecgfridum regem conjicit, vix facta* S. Theodori *mentione. Reverentiæ erga tantum Antistitem Bedæ silentium plerique tribuunt. Vide Commentarii prævii* § 2 *num.* 32 *et seqq.*

gg *Bosæ, qui et* Bossa *et* Boza *dicitur, subtimide locum inter Sanctos dedit Henschenius, ad diem* 9 *Martii, tantumque Beati titulum tribuit. Aliqui mortem ejus anno* 686 *illigant; at si vere Malmesburiensis de Gest. pont. Angl. lib.* 3 *narrat Bosam, expulso iterum e sua sede Wilfrido substitutum fuisse, debuit usque ad seculi* 8 *initium, vel alterius certe finem supervixisse, maxime cum innuatur paulo ante secundam Wilfridi restitutionem obiisse.*

hh *Eata, qui et* Æta, *Martyrologiis recentioribus aliquot et Anglicanis inscriptus est ad diem* 26 *Octobris, ubi dispiciendum erit, an inter Sanctos locandus sit. Ricardus Prior Hagustaldensis ejus obitum anno* 685 *consignat. Corrige interim hunc Bedæ locum, ubi inverso ordine,* Hic, ille *positum est: Bosa enim Eboraci sedit, Eata in Haugustaldensi cathedra.* C

ii *Lindisfarna, Anglis* Holy island, *id est* Insula sacra, *sita est in Northumbriæ littore, Lindoque fluvio, unde nomen traxit, objicitur. De illa Beda lib.* 3: *cap.* 3 Veniente igitur ad se episcopo *(Aidano)* rex *(Osualdus)* lodum sedis episcopalis in insula Lindisfarnensi, ubi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus recedente rheumate bis quotidie instar insulæ maris circumluitur undis, bis renudato litore contiguus terræ redditur. *Circuitum sex milliarium Anglicorum illi adscribit Baudrandus in Lexico.*

kk *Lindisfarorum provincia,* Lindisch *etiam et* Lindissi *Anglo-Saxonibus vocitata, si Martiniero in lexico credimus, est hodiernis Britannis* Licolnshire. *Confutat ibidem Bailletum, asseritque scribere Bedam, provinciam, quam* Lindissi *appellas, ab Humbro flumine in Meridiem ad mare protensam fuisse, habuisseque urbem* Lindocolinem *nomine. Hæc si vera sunt, facile inducor, ut credam,* Lindissi *hodiernum fuisse comitatum* Lincolniensem, Lindocoluiam *vero,* Lindum *hodiernum comitatus caput.* D

ll *Anno scilicet* 680, *vel sequentis initio.*

mm *Alibi* Trumbertus *vocatur, brevique admodum tempore episcopatum gessit, depositus in synodo Twyfordensi. Ceterum difficultatem sibi fecerunt aliqui circa locum istius episcopatus. Lubinus in Notis ad Martyr. Tab.* I *pag.* 9 *arbitratur, Augulstadiam seu Hagulstadiam urbem fuisse sitam in insula Lindisfarnensi, de qua litt.* ii: *in quam opinionem etiam inclinat Baudrandus in Lexico. Verum id est omnino a vero alienum, quomodo enim exigua adeo insula episcopales sedes duas habuisset? Beda sane in Vita S. Cuthberti cap.* 16 *suspicatur, mirum videri debuisse aliquibus, quod ibidem præter episcopi sedem abbatia fuisse memoretur. Ait enim*: Neque aliquis miretur, quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permodica sit, et supra episcopi, et nunc abbatis et monachorum esse locum dixerimus: revera enim ita est, namque una eademque servorum Dei habitatio utrosque simul tenet, imo omnes monachos tenet. E *Sed illorum auctorum errorem apertius confutat Ricardus Prior Hagustaldensis, qui seculo* 12 *floruit, scripsitque de statu antiquo et novo suæ ecclesiæ, quæ Seldenus Collectioni suæ colum* 289 *et seqq. edidit. Ibi Agulstadia seu Hagulstandia, incolis* Hestoldesham *et* Herham *in Nortanymbrorum provincia, haud procul a Tina flumine ad Austrum sita dicitur. Villa primum fuerat, quam S. Wilfrido Ethelreda regina cesserat. Amplissimum ibidem cœnobium condiderat exornaveratque Wilfridus (teste Eddio et aliis) quod in episcopalem sedem, ad normam Lindisfarnensis erexit* S. Theodorus, *illique Tumbertum præfecit. Consule, si lubet, Monasticum Anglicanum tom.* 2 *pag.* 9 *et seq. Porro videtur Hagustaldensis ecclesia* 15 *circiter milliaribus Eboraco abfuisse, inquit Harpsfeldius pag.* 97.

nn *Picti, gens bellicosissima, hodiernæ Scotiæ partem Meridionalem incolebant. Vide Commentarium prævium ad Vitam S. Niniani Pictorum Apostoli* 16 *Septembris.*

oo *Circa episcopatum Lindissi, ut tum solebant cum regnis mutari episcoporum cathedra, plurima paucis annis gesta sunt. Senescenti Wlfero extremisque regni annis* 673 *vel sequenti, Ecgfridus rex Lindissiensem provinciam eripuerat. Sexwlfus anno* 676, *regnante post Wlferum Edilredo, Merciis, expulso Winfrido, datus est episcopus: ejus deinde anno sequenti jurisdictioni erepta fuit provincia Lindissiensis, ubi consecratus fuit episcopus Eadhedus, sedemque habuit Sidnacestriæ, quæ urbs Alfordo sita fuit, ubi Trenta fluvius* Gainsborouw *oppidum alluit. Anno deinde regni Ecgfridi nono et Christi* 679 *initio, conserto gravi prælio, Lindisfarorum provinciam victor Edilredus recepit, regnoque Merciorum adjunxit: unde coactus fuit Eadhedus recedere. Atque eodem anno post concilium Hertfeldense, consentiente Edilredo rege, in episcopales sedes quinque amplissimæ Merciorum ditiones divisæ fuerunt, seditque Ethelwinus in Lindissiensi provincia, unde excesserat Eadhedus, qui porro Ripponensi ecclesiæ, in agro Eboracensi præfectus est. Erat scilicet ibi cœnobium celebre, quod S. Wilfridus exstruxerat, de quo Beda lib.* 3 *cap.* 5 *et Eddius sæpius.* F

PARS

A

PARS III.

Theodorus concilio Hertfeldensi præsidet, rebusque in Anglia præclarissime gestis, sancte moritur. Ex lib. 4 cap. 17, 18, 21, et lib. 5 cap. 8.

Congregata Hertfeldiæ, curante

His temporibus audiens Theodorus fidem Ecclesiæ Constantinopoli per hæresem Eutychetis multum esse turbatam, et ecclesias Anglorum, quibus præerat, ab hujusmodi labe immunes perdurare desiderans, collecto venerabilium sacerdotum doctorumque plurimorum cœtu, cujus essent fidei singuli sedulus inquirebat, omniumque unanimem in fide Catholica reperit consensum: et hunc synodalibus literis ad instructionem B memoriamque sequentium commendare curavit. Quarum videlicet literarum istud exordium est.

et præsidente S. Theodoro, synodus,

19 In nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris, imperantibus dominis piissimis nostri Ecgfrido rege Hymbronensium, anno decimo regni ejus, sub die quinta decima Kalendas Octobres, Indictione octava, Edilredo rege Mercinensium, anno sexto *a* regni ejus; et Adwlfo rege Estranglorum, anno decimo septimo regni ejus, et Hlothario rege Cantuariorum, regni ejus anno septimo: præsidente Theodoro Dei gratia archiepiscopo Britanniæ insulæ et civitatis Dorovernis, una cum eo sedentibus cæteris episcopis Britanniæ insulæ viris venerabilibus, propositis sacro-sanctis Evangeliis, in loco, qui Saxonico vocabulo Hetfeld *b* nominatur, pariter tractantes, fidem rectam et orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster Jesus Christus Incarnatus tradidit discipulis suis, qui præsentialiter viderunt et audierunt sermones ejus, atque sanctorum Patrum tradidit Symbolum, et generaliter omnes sancti * et universales synodi, et omnis probabilium Catholicæ Ecclesiæ doctorum chorus. Hos itaque sequentes nos pie atque orthodoxe, juxta divinitus inspiratam doctrinam eorum professi credimus consonanter, C et confitemur secundum sanctos Patres, proprie et veraciter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate consubstantialem, et unitatem in Trinitate, hoc est, unum Deum in tribus subsistentiis, vel personis consubstantialibus, æqualis gloriæ et honoris.

* *l.* Sanctæ

in qua contra Monothelitarum hæresim

20 Et post multa ejusmodi, quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hæc quoque sancta synodus suis literis addidit: Suscepimus sanctas et universales quinque synodos beatorum Deo acceptabilium Patrum; id est, qui in Nicæa congregati fuerunt, trecentorum decem et octo, contra Arium impiissimum et ejusdem dogmata; et in Constantinopoli centum quinquaginta, contra vesaniam Macedonii et Eudoxii et eorum dogmata; et in Epheso primo ducentorum contra nequissimum Nestorium et ejusdem dogmata; et in Chalcedone ducentorum et triginta contra Eutychetem et Nestorium et eorum dogmata; et iterum in Constantinopoli, quinto congregati sunt concilio, in tempore Justiniani minoris, contra Theodorum et Theodoretum, et Ibæ epistolas et eorum dogmata contra Cyrillum. Et paulo post: Et synodum, quæ facta est in urbe Roma, in tempore Papæ Martini beatissimi, Indictione octava, imperante Constantino piissimo anno nono suscepimus, et glorificamus Dominum nostrum Jesum Christum, sicut et isti glorificaverunt, nihil addentes vel subtrahentes, et anathematizamus corde et ore, quos anathematizaverunt, et quos susceperunt, suscipimus; glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium ejus unigenitum, ex Patre generatum ante secula, et Spiritum sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut prædicaverunt hi, quos memoravimus supra, sancti Apostoli, et Prophetæ, et Doctores. Et nos omnes subscripsimus, qui cum Theodoro archiepiscopo fidem Catholicam exposuimus.

A. VENER. BED.

fides Catholica exposita

21 Intererat huic synodo pariterque Catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Johannes archicantor *c* ecclesiæ sancti Petri et abbas monasterii beati Martini, qui nuper venerat a Roma per jussionem Papæ Agathonis, duce reverentissimo abbate Bisi *d* episcopo, cognomine Benedicto, cujus supra meminimus. Cum enim idem Benedictus construxisset monasterium Britanniæ, in honorem Apostolorum principis, juxta ostium E fluminis Wiri *e*, venit Romam cum cooperatore ac socio ejusdem operis Ceolfrido *f*, qui post ipsum ejusdem monasterii abbas fuit, (quod *g* et ante sæpius facere consueverat) atque honorifice a beatæ memoriæ Papa Agathone susceptus est: petiitque et accepit ab eo in munimentum libertatis, quod fecerat, epistolam privilegii *h* ex auctoritate Apostolica firmatam, juxta quod Ecgfridum regem voluisse, ac licentiam dedisse noverat, quo concedente, et possessionem terræ largiente, ipsum monasterium fecerat. Accepit et præfatum Johannem abbatem Britanniam perducendum, quatenus in monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctum Petrum Romæ agebatur, edoceret, egitque abba-Joannes, ut jussionem acceperat Pontificis, et ordinem videlicet, ritumque canendi ac legendi viva voce præfati monasterii cantores edocendo, et ea, quæ totius anni circulus in celebratione dierum festorum poscebat, etiam litteris mandando, quæ hactenus in eodem monasterio servata, et a multis jam sunt circumquaque transcripta.

et stabilita est in Anglia:

22 Non solum autem idem Johannes ipsius monasterii fratres docebat, verum de omnibus pene ejusdem provinciæ monasteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant. Sed et ipsum F per loca, in quibus doceret, multi invitare curabant. Ipse autem, excepto cantandi vel legendi munere, et aliud in mandatis ab Apostolico Papa acceperat, ut cujus esset fidei Anglorum ecclesia, diligenter edisceret, Romamque rediens referret. Nam et synodum beati Papæ Martini *i* centum quinque episcoporum consensu non multo ante Romæ celebratam, contra eos maxime, qui unam in Christo operationem et voluntatem prædicabant, secum veniens attulit, atque in præfato religiosissimi abbatis Benedicti monasterio transcribendam commodavit. Tales namque eo tempore Constantinopolitanæ ecclesiæ fidem multum turbaverant, sed Domino dante proditi jam tunc et victi sunt. Unde volens Agatho Papa, sicut in aliis provinciis, ita etiam in Britannia, qualis esset status ecclesiæ, quam ab hæreticorum contagiis castus, ediscere, hoc negotium reverentissimo abbati Joanni Brittanniam destinato injunxit. Quamobrem, collecta pro hoc in Brittannia synodo, quam diximus, inventa est in omnibus fides Catholica inviolata, datumque ei exemplar ejus Romam perferendum.

A. VENER. BEDA.

ferendum. Verum ille patriam revertens, non multo postquam oceanum transiit, arreptus infirmitate, ac defunctus est, corpusque ejus ab amicis propter amorem sancti Martini, cujus monasterio præerat, Turonis delatum atque honorifice sepultum est. Nam et benigno ecclesiæ illius hospitio, cum Brittanniam iret, exceptus est, rogatusque multum a fratribus, ut Romam revertens illo itinere veniret, atque ad eam diverteret ecclesiam.

his aliisque præclare gestis,

23 Denique ibidem adjutores itineris et injuncti operis accepit, qui etsi in itinere defunctus est, nihilominus exemplum Catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab Apostolico Papa, omnibusque, qui audiere vel legere, gratantissime susceptum. Anno regni Ecgfridi nono *k*, conserto gravi prælio inter ipsum et Edilredum regem Merciorum juxta fluvium Treanta *l*, occisus est Elfuini, frater regis Ecgfridi, juvenis circiter decem et octo annorum, utrique provinciæ multum amabilis. Nam et sororem ejus, quæ dicebatur Osthrid, rex Edilret habebat uxorem. Cumque materies belli acrioris et inimicitiæ longioris inter reges populosque feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus antistes, divino fretus auxilio, salutifera B exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium; adeo ut pacatis alterutrum regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo mulcta pecuniæ regi ultori daretur. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna durarunt.

sancte moritur Theodorus.

24 Anno autem post hunc, quo Cedualla Romæ defunctus est, proximo, id est, sexcentesimo nonagesimo Incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ archiepiscopus senex et plenus dierum, id est, annorum octoginta octo, defunctus est, quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse jam dudum somnii revelatione edoctus suis prædicere solebat. Mansit autem in episcopatu annis viginti duobus, sepultusque est in ecclesia sancti Petri, in qua omnium episcoporum Dorovernensium corpora sunt deposita, de quo, una cum consortibus ejusdem sui gradus, recte ac veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt et nomen eorum vivet in generationes et generationes. Ut enim breviter dicam, tantum profectus spiritualis tempore præsulatus illius ecclesiæ Anglorum, quantum numquam antea potue- C re, cœperunt. Cujus personam, vitam, ætatem, et obitum epitaphium quoque monumenti *m* ipsius versibus heroïcis triginta et quatuor palam ac lucide cunctis illo venientibus pandit; quorum primi sunt:

Hic sacer in tumba pausat cum corpore Præsul,
Quem nunc Theodorum lingua Pelasga vocat.
Princeps pontificum, felix, summusque sacerdos
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Ultimi vero:

Namque diem nonamdecimam September habebat,
Cum carnis claustro spiritus egreditur.
Alma novæ scandens felix consortia vitæ,
Civibus angelicis junctus in arce poli.

ANNOTATA.

a *Legendum est*, quinto. *Edilredus enim defuncto Wulfero fratri successit in regnum anno 675; unde ejus annus quintus tantum inchoatur anno 679, quem ex reliquis epochis huic synodo vindicamus in Commentario § 3 num. 74 et seqq.* D

b *Alias* Hedtfelt et Hartfeld. *Plurima loca eo nomine appellata fuerunt; existimat tamen Alfordus,* Hatfeldiam, *Anglis* Bishopshatfeld, *forte ab eo episcoporum conventu, in Cattieuchlanis et Hertfordiæ comitatu designari.*

c *Quæ hic de Joanne narrat Beda, habes fere in Actis synodi Romanæ Spelmanni, de qua in Commentario prævio § 3 num. 68 et seqq.*

d *Ita editio Chiffletiana, sed mendose; neque enim uspiam memoratur fuisse episcopus. Lege itaque cum reliquis exemplaribus* Abbate Biscopo, *quod sancto illi viro nomen passim Beda aliique attribuunt proprium. Ejus nomen 12 Januarii Martyrologio Romano inscriptum est, ubi ejus Acta illustrata habes a Bollando. Alia ex Bedæ Historia de Abbatibus monasterii sui dedit Mabillonius Seculo 2 pag. 1001.*

e *Wirus,* Were, *seu* Vedra *Ptolomæo, fluvius ex tribus rivulis coalescit circa Northumbriæ fines, indeque multis auctus fontibus in ortum prorumpit, medioque Dunelmensi episcopatu ad* E *antiqui Vinovii rudera cursum inflectit in Aquilonem, et quinque infra Tinæ ostium milliaribus in mare se exonerat. Ad Septentrionalem Wiri ripam monasterium suum S. Petro exstruxit Benedictus, ut testatur Beda. Et ita scribit Wilielmus Malmesburiensis de Episcopis Eliensibus:* Hic *(Benedictus)* Wiræ amnis utrasque ripas... monasteriis prætexuit, sub apostolorum Petri et Pauli nomine. *Quomodo, hæc si vera sunt, S. Pauli cœnobium ad Tinam fluvium situm fuit, eo loci, ubi nunc* Iarrouw *cernitur, ut Mabillonius et alii autumant? Nonne in eorum opinione utrumque cœnobium eamdem Wiræ ripam Aquilonarem occupat?*

f *Ceolfridum, qui fuerat in exstruendo Wirmuthensi monasterio adjutor, exstructo cœnobio S. Pauli præfecit Benedictus. De illo vide, si lubet, plura apud Mabillonium laudatum.*

g *Referenda sunt hæc ad ea, quæ præmiserat de itinere Romano, jam enim ante ter Romam profectus fuerat Benedictus.*

h *De Privilegio illo egi in Commentario § 2 num. 43.*

i *Acta scilicet concilii Lateranensis, Romæ anno 649 sub Martino Papa celebrati. Eorumdem meminit synodus Romana Spelmanni.* F

k Anno DCLXXIX, *inquit Beda in Recapitulatione suæ Historiæ,* Elfuini occisus est: *igitur pugnatum est mense Januario vel Februarii initio, cujus 15 die illius anni inchoatur annus regni Ecgfridi decimus.*

l *Fluvius est Angliæ Borealis, qui Lincolniæ fines rigat, quam provinciam a victo Ecgfrido recepit Edilredus.*

m *Situm sepulchri* S. Theodori *habes in Icone tom. 6 Maji in Gestis S. Augustini Cantuariensis episcopi; de S. Theodoro sexque ejus antecessoribus ibidem conditis, est Tetrasticon vetus:*

Septem Primates sunt Anglis et Proto-patres;
Septem Rectores, septemque per æthra Triones;
Septem sunt Stellæ, nitet his hæc area cellæ;
Septem Cisternæ vitæ, septemque Lucernæ.

DE

A

AUCTORE C. S.

DE SS. NICANDRO, GREGORIO,

PETRO, DEMETRIO ET ELISABETHA ANACHORETIS

PROPE MESSANAM IN SICILIA,

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Horum memoria in Martyrologiis hoc die, qui non est eorumdem natalis : Vita ex Græca Latine versa, sublestæ fidei, danda tamen.

Hic dies, quo in recentioribus Martyrologiis

Horum quinque sanctorum Anachoretarum memoriam ad præsentem Septembris diem in variis recentioribus Martyrologiis consignatam reperio. Franciscus Maurolycus, Messanensis abbas, in Martyrologio suo eos sic annuntiat : Messanæ in freto Siculo, sanctorum Nicandri abbatis et sodalium, Gregorii, Petri, Demetrii et Elisabethæ, qui sub quodam specu solitarii vixere, inediam, sitim, æstum et algorem pro Christo tolerantes ; ubi pariter in pace quieverunt. *Eadem prorsus in una et altera Usuardini Martyrologii, aucti per Molanum, editione leguntur apud Sollerium nostrum in ejusdem Usuardi auctariis. Accedit Felicius in Kalendario historico ad eumdem diem, ubi Italice ait :* Nicander abbas cum sociis, Gregorio, Petro, Demetrio et Elisabetha, qui pœnitentiam agentes in quodam specu propre Messanam, ibidem magna cum sanctitate in Christo obierunt. *De iisdem hoc pariter die agunt Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo, Franciscus Carrera in Pantheo item Siculo, Arturus a Monasterio in Gyneceo sacro, et qui suo Ordini eosdem vendicare volunt, Arnoldus Wionius in Ligno Vitæ, Benedictus Dorgaïnus in Kalendario* C *Benedictino, et Gabriël Bucelinus in ejusdem Ordinis Menologio.*

hi Sancti inscripti sunt, non est eorum natalis,

2 *Philippus Ferrarius eosdem etiam hodie memorat in utroque Catalogo ; sed in horum altero, quem de Sanctis Italiæ edidit, id singulare habet, quod solum* S. Nicaudrum *hoc die vita functum esse velit, ceteros autem quatuor eodem simul die propter vitæ, non mortis, societatem hononorari. Verba ejus accipe :* Nicander una cum Gregorio, Petro, Demetrio et Elisabeth sociis apud Messanam in scopulo asperam vitam duxit. Ibi enim ecclesia et cellulis exstructis, vitam plane cælestem in jejuniis, orationibus, vigiliis, meditationibusque agebant, Nicandro tamquam patri obtemperantes. Qui post multa virtutum et sanctitatis signa (ob quæ non Messanæ modo, sed et in locis Siciliæ finitimis, magnam venerationem habet) XIII Kalendas Octobris migravit ad Christum. *Tum laudatis Maurolyci Martyrologio et monumentis ecclesiæ Messanensis, sequentia annotat :* Etsi socii diversis diebus et temporibus migrarunt, hac tamen die eorum simul memoria ob societatem (quod in aliis Sanctis etiam usu venit) celebratur. *Suspicor, ex hoc Ferrarii loco inductum fuisse Castellanum, ut ad eumdem diem solum* S. Nicandrum *Martyrologio suo universali insereret,* Messanæ, *inquiens,* S. Nicander abbas, cujus exstat ecclesia, ejus nomine E dicata, prope eam urbem.

sed ob inventionem corporum institutus.

3 *Verum in hisce Ferrarii assertis non unum displicet Octavio Cajetano, vel qui hujus Opus de Vitis Sanctorum Siculorum perfecit ediditque, Petro Salerno. Nam quod huc spectat, asserit, horum omnium emortualem diem ignorari, diemque* XIX *Septembris eorumdem sacræ memoriæ, non ob natalem in cælis, sed ob corporum inventionem dicatum esse. Probat id ex Græco anonymo, de quo infra agemus, qui in elogio, quod* Commemorationem inventionis SS. Nicandri, Gregorii, etc. *inscripsit, et in quo diem mortis eorum ignotum esse agnoscens, ait ;* Institutus dies est, quo die festa celebritate sacer clerus ac pius Christianorum populus præclaram sanctorum corporum inventionem coleret. *Hunc porro diem Cajetanus ait esse* XIX *Septembris, eoque ipsos coli ab ecclesia Messanensi. Atque hac quidem in parte Cajetano libenter assentior ; cum tam ex tota horum Sanctorum historia, quam etiam ex iis, quæ alii de iisdem scripserunt, satis superque manifestum sit, eorumdem tempus emortuale omnino ignotum esse, et, si qua fides Actis habenda, etiam semper ignotum fuisse. De Ferrario sermo recurret.* F

Sanctorum Vita seu elogium ab anonymo

4 *Eorumdem gesta non alia habemus, quam prædictus Græcus anonymus, Basilianus verisimiliter monachus, recensuit in oratione, quam in annua illorum corporum inventionis festivitate ad fratres suos dixisse videtur, quamque ex Græca Latine redditam ab Augustino Florito, Societatis Jesu presbytero, Octavius Cajetanus ejusdem Societatis sacerdos, vel ejus, ut supra dixi, editor Petrus Salernus, tom. 2 de Vitis Sanctorum Siculorum vulgavit cum hoc titulo :* Commemoratio inventionis SS. Nicandri, Gregorii, Petri, Demetrii et Helisabethæ. *Verum dolendum est, nihil vetustius certiusque de ipsis haberi, quam instrumentum illud, cujus auctor ab eorumdem Sanctorum tempore admodum remotus, et antiquioribus monumentis, quantum apparet, destitutus, carebat necessariis adjumentis ad illorum gesta posterorum memoriæ commendanda. Ita ante me judicavit Cajetanus vel Salernus, in Animadversionibus ad eamdem Commemorationem, ubi horum alter de prædicto scriptore sequentem censuram tulit.*

Græco conscriptum

5 Monumentum hoc sanctorum Ascetarum Græce exstat in Ms, membranis bibliothecæ monasterii S. Salvatoris

AUCTORE C. S.

S. Salvatoris juxta Messanam, Latine redditum a P. Augustino Florito nostræ Societatis. Quo tempore, quove principe, hi sanctissimi Ascetæ floruerint, nondum exploratum habui; neque ex scriptore lux ulla effulget ad chronologiam illustrandam. Obscure enim ab eo tradita omnia, quæ ad cognitionem intererant patriæ, parentum, ævi, principum. Necque explicat nomina eorum, qui commemorantur, ut duorum episcoporum, aut locorum, e quibus in Siciliam navigarunt. Id vero minime quidem scriptoris vitio, sed temporum verterim; quod scriptor longe abfuerit ab excessu sanctorum Ascetarum, eaque in panegyrim collegit suam, quæ a senioribus per manus tradita certo constabant. *Hæc ipse; a quibus ego non dissentiam, si postrema sic accipias, ut anonymus ille ea tantum scripserit, de quibus ipse per traditionem satis certo constare sibi persuadebat.*

admodum dubiæ fidei est;

6 *At vero eumdem illum cuicumque traditioni satis credulum fuisse, abunde indicat, dum* S. Nicandrum, *instar magni Nicolai Myrensis, ubera matris suæ feria quarta sextaque non nisi semel sub vesperam sugere soluisse affirmans, traditionem laudat his verbis :* Dicam enim, quod audivi; B cum non desint, qui patrem id postea tradidisse autument, ac proinde nemo sit, quin fidem nobis velit habere. *Ecce hic certam fidem sibi adhibendam contendit de isto sancti Pueri prodigio, quod non deessent, qui autumarent, istud ad ejusdem patre traditum fuisse. Et erat quidem illa traditio, ut aliquam fidem invenire posset, a* Nicandri *patre repetenda, sine cujus testimonio secundum ipsius anonymi narrationem nihil tale sciri potuerat; verum cum idem scriptor a Sanctorum ætate longe remotus, etiam alia tamquam certa referat, quæ magnas difficultates patiuntur, non potest etiam non suspecta esse ea aliquot hominum opinio de prædictæ traditionis auctore, cui tamen a nemine fidem negandam esse affirmat. Porro ut id constet, quod assero, totum istud elogium breviter percurrendum est.*

uti ex ejusdem narratione

7 *Illorum omnium patria, ipso teste, Italia fuit, sed nullus Italiæ locus, nulla civitas, nulla provincia assignatur.* S. Nicander *nobilibus piisque parentibus ortus, in ipsa infantia per prædictam a materno lacte abstinentiam futuræ sanctitatis indicium dedit. Cum primum pubesceret, a parentibus ad nuptias destinatur; quas ipse aversatus, caute dissimulat, captataque opportunitate,* dat se C in fugam, et in longinquam exteramque regionem proficiscitur. *Ibi ab ejus loci episcopo (tam hunc quam illum divinandum reliquit anonymus) cui forte occurrebat, benigne detinetur, et post data illustris sanctitatis specimina ad sacerdotium, multum reluctatus, promovetur; celebratisque sacris primitiis gratia curandi morbos omnes divinitus dotatur. Post hæc honorum fugitans, tres sibi socios jungit,* Gregorium *scilicet,* Petrum *atque* Demetrium, *ad quos accessit etiam* Elisabetha *vidua, cum iisque in Siciliam appulsus, specum, in quo solitariam vitam cum suis ageret, eligit. Specum ingressi, Deum orant unanimi prece, ut, quos eadem vitæ ratio junxerat, eadem quoque hora, idemque temporis momentum, ex hac vita emitteret.*

compendiose relata,

8 *Vitam ibi in perpetuis asceticæ vitæ exercitiis, quæ anonymus recenset, sub* Nicandro *sanctissime traducunt, et inter corporum afflictationes cælestibus deliciis recreantur. De eorumdem morte nihil habet anonymus; sed de corporum inventione sic pluribus prosequitur. Non multis post annis quidam pastor hiemali tempore cum ovibus suis in specum se repiciens, mirabili splendore,* D *odoreque suavissimo percellitur, et Sanctorum corpora miro modo fulgentia reperit. Nec mora, episcopus (cujus nomen tacetur,) ab eodem admonitus, cum clero, monachisque et populo accurrit; antrumque ingressus,* sepulchrum augustissimum *ibidem reperit,* scatens suavissimis odoratissimisque liquoribus, *et* suavissimi odoris liquorem *inde haurit, quo varii morbi curantur. Fit maximus fidelium ad eumdem specum concursus, beneficia et miracula cumulantur. Verum cum id male omnes habebat, quod ne nomina quidem Patronorum suorum novissent,* S. Nicandri *pater, fama miraculorum etiam per Italiam late didita excitus, inter ceteros religionis ergo illuc opportune adveniens, Filium suum, tot annis amissum, agnovit, populumque, quis esset, edocuit.*

breviterque discussa,

9 *Neque id satis; sed* ex magnitudine corporum *(sociorum illius)* eorumque facie, proprie uniuscujusque, digna monumentis sempiternis, nomina dicebat. *Idem denique, ut uxorem suam de rei veritate convinceret, a sancti Filii sui manu digitum, in quo notum sibi signum deprehenderat, abscidit, et ad ipsam secum asportavit. Indigenæ vero templum ædificarunt, sacrasque Anachoretarum reliquias in lipsanotheca incluserunt, et festum* E *inventionis diem celebrandum sanxerunt. Habes hic, erudite lector, totius Vitæ compendium, ex qua consequitur, quæcumque de horum Sanctorum gestis usque ad eorumdem ab ignoto illo episcopo discessum, anonymus enarrat, ea omnia a* S. Nicandri *patre tradita fuisse oportere, ut a Messanensibus sciri potuerint. Sed nec ipse pater eorumdem maximam partem, nisi ex eodem illo ignoto longinquæ regionis episcopo, ad quem sanctus Filius ejus fugerat, ejusve familiaribus, potuit addiscere; quod ita factum esse, anonymus nusquam insinuavit.*

ostenditur.

10 *Ponamus tamen, eadem ex prædicti episcopi aula ad patris notitiam pervenisse : quis facile credat, eumdem illum patrem* ex magnitudine corporum, eorumque facie, uniuscujusque... nomina *edixisse? Illorum scilicet, quos filius ejus* Nicander in longinqua et extera regione, *ad quam,* cum primum pubesceret, *insciis parentibus confugerat, et ubi dudum exercitatus sacerdotio fuerat initiatus, sibi socios adjunxerat et in Siciliam secum avexerat. Quis, inquam, biographo, ab illorum ætate tam remoto, facile credat, exteros illos, a* S. Nicandri *patre numquam visos, et anachoreticæ vitæ asperitate in rudi spelunca haud dubie non parum ema-* F *ceratos, ex solo cadaverum conspectu ab eo notos fuisse? Nempe hæc traditionis sapiunt vulgi, anilibus fabulis nimis sæpe permixtas. De vita in specu illo acta pauca quidem habet anonymus; sed quæ nec a* Nicandri *patre, nec ab aliis discere potuit, si tam ignoti hominibus vixerint, uti ipse insinuat. Attamen cum ea vitæ ratio, quam describit, anachoretis passim usitata sit, ex facili conjectura eam potuit referre, excepta tamen prece pro uno eodemque omnibus communi mortis momento impetrando, de qua sermo infra recurret.*

Eadem tamen Vita Latine tantum recudenda.

11 *Ad hæc anonymus ille, oratoris more panegyricum conscribens, in laudandis Sanctis suis stilo hyperbolico plus æquo indulsisse videtur : cujus rei inter alia argumento est, quod asserere non dubitarit,* S. Nicandrum, *dum etiam apud memoratum episcopum degeret, tum eximiæ virtutis fuisse,* ut vix umquam aut ante aut post quisquam illi par aut fuerit, aut futurus sit. *Ceterum ætatem suam anonymus ille nusquam indicat, nec quidquam habet, ex quo aliud de ea erui possit, quam quod ab illorum temporibus longe abfuerit. Hæc porro paulo latius deducenda statui, ne cui elogium*

A *elogium istud tam incerti dubiæque fidei auctoris, sublestæ fidei temere arguisse viderer. Hinc licet Græcum ejusdem exemplar ex bibliotheca monasterii S. Salvatoris Messanensis habeamus, operæ pretium non arbitramur, illud Latine denuo vertere; præsertim cum vitiosissime scriptum sit, lectuque difficile; ideoque Augustini Floriti versionem Latinam ex Octavio Cajetano tantum dabimus.*

Aliæ eorumdem Vitæ recentiores.

12 *Inter varios recentiores, qui in Opusculis suis de iisdem Sanctis meminerunt, præcipuus est Antoninus Laguidara Messanensis, utriusque juris doctor, qui Vitam illorum, in tres libros partitam, Italice conscripsit, annoque* 1685 *Messanensibus typis vulgavit. Verum hic ejusdem anonymi asserta ex conjecturis ingenioque tam audacter amplificavit, et liberiori stilo tam enucleate exposuit, ut, licet ipse rebus gestis dictisque præsens fuisset, non potuisset ea penitius explicare. Nec hujus igitur Opusculum ad eorum gesta illustranda utile mihi esse potest, nisi in quantum habet aliqua ad eorumdem cultum spectantia, et aliunde petita. Exstat quoque eorumdem elogium apud Franciscum Carrera in Pantheo Siculo, verum hoc non est aliud, quam supra dicti ano-* B *nymi Græci panegyrici compendium. Nonnullos alios auctores sequenti § laudabimus.*

§ II. Examinantur quædam de sanctis asserta : notitia specus in quo habitarunt : eorum ætas incerta : S. Nicandri ecclesia et monasterium : Sanctorum postrema translatio, miracula et cultus.

Laguidaræ suspicio de Sanctorum patria.

D*iximus supra* SS. Nicandrum *Sociosque ejus ab anonymo Græco in Italia natos dici, nulla certa Italiæ civitate aut regione assignata. At vero Antoninus Laguidara in mox citato Opusculo divinat Corfinium, quod vetusta Pelignorum civitas fuit, Straboni et Paterculo apud Cluverium lib.* 2 *Italiæ antiquæ* Italica *etiam dicta,* S. Nicandro *patriam obtigisse. Rationem, cur ita sentiat, libro* 3 *hanc allegat. Existimat, veram de* C S. Nicandri *sociorumque gestis relationem, quam Messanenses ab illius patre acceperant, dominantibus in Sicilia Saracenis deperditam esse, in eaque scriptum fuisse* Italica, *quæ vox deinde multo post tempore ob similitudinem vocabuli in* Italia *commutata sit, et a Græco illo anonymo pro tota regione accepta. Verum hoc sine ullo fundamento divinare est. Deinde quatuor* Nicandri *Socii, si quid in eadem relatione verum sit, alterius civitatis, imo et regionis fuisse dicendi sunt, quos tamen omnes, æque ac* Nicandrum, *anonymus* in Italia regione selectissima, ampla et bonorum omnium feraci *natos esse asseverat.*

Incertum est, quinam ex illis

14 Nicandrum *multi, ut supra jam vidimus,* abbatem *appellant, quod tamen non alia de causa factum videtur, quam quod is quatuor suis Sociis ad anachoreticam vitam dux auctorque fuisse et inter eos primatum tenuisse in Vita dicatur. Eumdem sacerdotio initiatum fuisse, in eadem diserte asseritur.* Gregorium *de vitæ sanctimonia tantum laudat idem anonymus, sed de* Petro *ac* Demetrio *sic dubie loquitur:* Petrus et Demetrius, duæ sedes ac receptacula præpotentis beatæque Trinitatis, quæ sacrorum novi Testamenti mysteriorum ministros effecerat : *quibus sane verbis indicare videtur, eos quoque aliquo sacro Ordine insignitos fuisse. Et pro sacerdotio quidem favet titulus, Elogio præfixus in nostro Græco exemplari, quem subdo :* Ὑπόμνημα εἰς τὴν εὕρεσιν τῶν λειψάνων τῶν ὁσίων καὶ ἱερέων Νικάνδρου, Γρηγορίου, Πέτρου καὶ Δημητρίου, καὶ τῆς ὁσιάς Ἐλισάβετ; *id est,* Commemoratio in inventionem reliquiarum sanctorum et sacerdotum Nicandri, Gregorii, Petri ac Demetrii et sanctæ Elisabethæ.

auctore C. S.

fuerint presbyteri. Datur notitia

15 *Contra quo minus sacerdotium ad omnes quatuor extendamus, suadet idem anonymus, qui rationem reddens, cur* S. Nicander *ceteris præfuerit, ipsius sacerdotium mox allegat, sic inquiens :* Ex his Sociis et in sancto proposito commilitonibus primas tenebat Nicander, ut qui sacrosancto sacerdotio, ut diximus, esset insignitus. *Ex eodem forte titulo Græco (nam in Latina Floriti versione voces* et sacerdotum *non leguntur) Rochus Pirrus lib.* 4 *Siciliæ sacræ, Notitia tertia, et Bucelinus in Menologio Benedictino, eosdem quatuor* presbyteros *appellaverunt. Verum ego ex tam incerto instrumento nihil ausim affirmare. De loco, quem* E *Sancti illi inhabitarunt, certiora nobis reliquit traditio, per religiosum cultum continuata. Augustum istud antrum seu specum, circa quem limpidus torrens fluebat, fuisse* in collibus maritimis, qui Europæ partem e regione spectant, *scribit biographus. Cajetanus in animadversionibus eumdem specum mille fere passibus in Septemtrionem a Messanensi urbe abesse asserens, de eodem sic loquitur :* Sane cum torrens, tum proxima vicinia (haud quidem, ut ait Ferrarius, castrum ; nullum enim est in toto territorio Messanensi castrum S. Nicandri) nomen a S. Nicandro habet : specus Messana distat mille fere passus versus Septentrionem.

in quo sancti habitasse

16 *De eodem specu agit Antonius Laguidara in Vita Italica lib.* 2, *ubi primo ait, non admodum procul a muris Messanensibus inchoari viam, jucundis hortis edibusque ornatam, quæ illuc ducit, et a* S. Nicandro *nomen habet. Deinde speluncam ipsam his verbis describit.* Porro specus, sepulcrum potius, quam habitaculum etiam silvestre, appellandus erat; cum præter obscurum horrorem admodum profundus esset, ita ut, antequam ad ejusdem solum perveniretur, per declive æque præruptum ac obscurum, descendendum F esset. Idem, prout hodiedum videtur, similiter angustus potius quam amplius est ; nam præter spatium, quod duodecim graduum scalæ occupant, longior non est, quam sex perticis *(pertica mensuræ genus est, apud varios variæ longitudinis.)* Altitudo vero latitudinem æmulari videtur : quemadmodum enim hæc, licet ab initio tres circiter perticas extendatur, semper tamen magis angustatur, donec intra sex palmos constringatur; ita etiam illa initio ad sex cubitos elevatur, et deinde circa finem (veluti ad orationem invitaret) non patitur hominum, nisi genibus flexibus ultra procedere. Idem specus humidissimus pariter est, etiam in æstate; in hieme vero pluviarum distillatio potius est, quam repagulum; quia aquæ pluviales in venas montis penetrantes per superiora antri versus illius sinum confluunt, ibique exiguo lacu sponte formato, illud stillis suis continue exagitant.

et obiisse creduntur

17 *In hoc itaque specu hi quinque Sancti anachoreticam vitam duxisse et beato fine coronasse creduntur, uti communis Messanensis traditio, locique*

AUCTORE C. S.

locique veneratio persuadet. Hinc Cajetanus Philippum Ferrarium, et Laguidara Rochum Pirrum erroris arguunt, quod hic lib. 4 *Siciliæ sacræ, notitia* 3 *Sanctos ibidem* in tugurio, *iste vero supra num.* 2 *relatus, eosdem in* ecclesia et cellulis exstructis, *vixisse affirmassent. Porro si Laguidara credimus, sancti nostri Anachoretæ severioris solitudinis desiderio in montibus illis ab invicem secreti aliquo ante mortem tempore vixerunt, sic tamen, ut ad eumdem communem specum de rebus divinis conferendi gratia statis temporibus convenirent. Quæ tamen loca singuli incoluerint, fatetur ignorari, præter locum* S. Demetrii, *quem a communi specu unum milliare dissitum, ecclesiaque ejusdem nomini dicata olim illustratum fuisse affirmat, cujus aliqua vestigia suo tempore etiam exstabant. Verum scriptor ille multa leviter asserit; ideoque non possum hæc secreta Sanctorum habitacula, ipsi sine teste credere; quamquam res ipsa a verisimilitudine minime abhorreat, et in* S. Elisabetha *etiam decentior videatur.*

Non satis probatur, eosdem omnes

18 *Laudatus Laguidara et ante ipsum Cajetanus volunt, hosce quinque Anachoretas in eadem spelunca uno eodemque temporis momento Vita functos esse. Ita asserunt, nixi anonymo Græco, qui apud nos in Vita num.* 10 *id Sanctos a Deo precatos fuisse scribit, cum in Siciliam recens appulsi, speluncam primum intrarent. Quapropter Cajetanus in Animadversionibus dicta Ferrarii, qui num.* 2 *relatus illos variis diebus obiisse dixerat, his verbis excepit:* Vir doctus hic longe errat, dignusque excusatione, qui Vitam non legerit; nam uno simul die, horaque ac puncto demortui, quod precibus a Deo impetraverant. Ita Acta, ita ceteri scriptores; *nempe, quos subdit, Primus (imo Joannes) Cabillonensis episcopus, et abbas Maurolycus. Sed ea ipsa Sanctorum petitio, qua isthæc sententia nititur, merito in dubium revocari potest. Nam Græcus ille orator, incerto quidem, sed certe longo post eorumdem Sanctorum obitum tempore floruit, neque usquam insinuat, antiqua monumenta sibi præluxisse, ac præterea nimiæ credulitatis, ut supra ostendimus, haud injuria suspectus est. Difficile autem captu est, quomodo Messanenses, aut ipse orator tum preces ipsas pro morte eodem simul momento temporis obeunda, tum hujusmodi socialem mortem, dedicerint, si, uti iidem volunt, tam ignoti hominibus vixerint, ut, nisi* S. Nicandri *pater Sanctorum cadavera* C *agnovisset, ne nomina quidem eorum Messanenses resci*turi fuissent.*

uno eodemque die ac momento obiisse.

19 *Mihi sane perquam verisimile apparet, ejusmodi opinionem ex vulgi traditione ortam fuisse; qui cum sanctos illos Confessores uno die coli videret, uno etiam eodemque die ex voto suo mortuos esse crediderit. Non fuisse autem biographum a vulgaribus traditionibus admittendis alienum, satis constat ex dictis. Quod ad duos alios scriptores, a Cajetano laudatos, spectat; horum primus apud eumdem sic habet:* Messanæ apud vallem Septemtrionalem in specu Nicander cum Demetrio, Petro, Gregorio et Elisabetha sociis, anachoretæ simul migrant. *Secundi, Maurolyci scilicet, verba num.* I *dedimus. Verum hujus ex voces,* ubi pariter in pace quieverunt, *non necessario de eodem mortis die accipienda sunt: cum adverbium* pariter *æque societatem loci, quam temporis obitus possit indicare. Simili modo explicari queunt prioris dicta; aut, si non possint, is auctor recentior est, quam ut rem certam facere possit. Hæc tamen non eo a me dicta sunt, quod Ferrarii assertum pro indubitato habeam; sed quod non* D *improbabile judicem ex aliorum hominum, etiam sanctorum, communi exemplo, qui, etsi simul vivant, variis tamen temporibus e vita solent migrare. Non probatur autem, in* S. Nicandri *sodalitio aliter contigisse.*

Incertum est, quo seculo floruerint,

20 *Gestis etiam obscuriora sunt tempora, quibus Sancti illi floruerint; nec quidquam tradit biographus, unde saltem aliquod seculum probabiliter erui possit. Nullum quoque instrumentum hactenus repertum novi, ex quo de eorumdem ætate utcumque statui queat; atque hinc divinandi locus historicis Siculis relictus est. Franciscus Maurolycus lib.* I *Sicanicæ Historiæ, cum de S. Conone, monacho Basiliano in Sicilia, dixisset, hunc sub Rogerio rege anno* 1136 *obiisse, de* S. Nicandro *subdit:* Præterea aut huic synchronum, aut antiquiorem facio (certum enim tempus non lego) Nicandrum abbatem, qui cum Gregorio, Petro, Demetrio et Helisabetta sodalibus, specum juxta Messanam incoluit, cujus memoriam XIX Septembris Messenii recolunt. *Laudati S. Cononis Vitam ex Græca Latine edidit Cajetanus seu Salernus tom.* 2 *de Vitis Sanctorum Siculorum, et apud nos ad diem* XXVIII *Martii, quo colitur, ex eodem Opere recusa est. Sed in ea S. Conon, non anno* E *1136, sed toto seculo serius, nempe anno* 1236 *obiisse dicitur, ideoque Maurolycus, vel ejusdem librarii hac in parte erroris arguuntur ab eodem Cajetano in animadversionibus.*

aliis eos ad seculum 12, aliis ante annum 800 probabilius

21 *Josephus Frassica, a Cajetano in Animadversionibus laudatus,* S. Nicandrum *sub Rogerio regi pariter vixisse, annoque* 1140 *obiisse statuit. Ad seculum duodecimum eumdem sic dubie refert Josephus Bonfilius in Historia Sicanica apud Laguidaram, ut addat, forte multo ante floruisse, Contra Cajetanus existimat, si* S. Nicander *sociique seculo duodecimo vixissent, eorumdem certam distinctamque historiam apud Majores suos non facile perituram fuisse. Hinc mavult ipsos ante annum* 800 *reponere,* cum nondum, *ut ait,* Sicilia ab hoste Sarraceno vexata, pace fruebatur sua. *Cajetano consentit laudatus Laguidara. Porro ex relatis opinionibas ea admitti non potest, quæ sanctos anachoretas nostros synchronos facit S. Cononi, qui ex supra dictis anno* 1236 *obiisse in sua Vita dicitur; uti nec ea, quæ* S. Nicandri *mortem anno* 1140 *illigavit. Ratio est, quod infra ostensuri simus, monasterium,* S. Nicandrum *appellatum, anno* 1131 *apud sæpe memoratum specum jam exstitisse.* F

referentibus: incertum etiam, an monachi fuerint.

22 *Cajetani sententia verisimilior apparet, nullasque difficultates patitur; sed tamen certa non est, cum Sancti potuerint etiam seculo nono ante Saracenorum in Siciliam adventum quem Pagius in Critica inter annum* 824 *et* 829 *figendum censet; aut etiam iisdem ibi jam dominantibus, ibidem vixisse. Verum cum pro eorumdem ætate certo seculo affigenda nullum solidum argumentum produci possit, rem in dubio relinquo, donec eruditi Siculi certiora e monumentis suis eruerint. Æque supervacaneum est quærere, an iidem monachi, et cujus ordinis fuerint; cum pro neutra parte ullum exstet monumentum. Mihi tamen istud* S. Elisabethæ *cum ceteris contubernium, quod in Vita asseritur, pene persuadet, eosdem nullius monasterii monachos fuisse. Interim Arnoldus Wionius in ligno Vitæ, Dorgaïnus in Kalendario, et Bucelinus in Menologio ipsos Benedictinos faciunt, quibus consonans Arturus a Monasterio in sacro Gynæceo,* S. Elisabetham *Benedictinam pariter dixit. At vero* Messanæ, *inquit laudatus Cajetanus,* etiam monachi Basiliani ut suos sibi vindicant, ex

A ex eo fortasse, quod S. Nicandri ecclesia, quæ super specum horum Sanctorum ædificata, plures ante annos Ordini S. Basilii attributa est. *Nunc id unum superest, ut de eorumdem cultu agamus.*

Ecclesia apud eorum specum erecta,

23 *Auctor Vitæ edendæ asserit, post inventa Sanctorum corpora, ecclesiam ipsis exstructam, sacrasque eorumdem reliquias lipsanothecæ inclusas, fidelium venerationi expositas, et diem quo eorum memoria celebraretur, indictum fuisse, ut supra vidimus. Ad prædictam ecclesiam, quæ super vel juxta sæpe memoratum specum condita erat, accessit etiam monasterium, a* S. Nicandro *appellatum. Josephus Bonfilius lib.* 1 *Descriptionis urbis Messanensis, quæ a Laurentio Mosheimio ex Italica Latina facta exstat in vol.* 8 *Thesauri Antiq. Siciliæ, per Joannem Georgium Grævium vulgato, de ea sic scribit :* In pago S. Nicandri abbatia ejus nominis, in fastigio collis sita conspicitur. Observant autem hæ tres abbatiæ *(nempe præter hanc abbatiæ S. Mariæ a Massa, et S. Gregorii, quas præmiserat)* instituta Græca S. Basilii; nec quidquam in se memorabile, quum exiguæ sint, continent, præter venerationem principis illius optimi *(præmisit Rogerium comitem, velut abbatiarum*
B *S. Mariæ sancti Gregorii fundatorem)* qui eas condidit, et memoriam austeræ et solitariæ vitæ S. Nicandri et Sociorum ejus.

additaque abbatia, de qua quædam observantur.

24 *De eadem* S. Nicandri *abbatia pluribus agit Rochus Pirrus lib.* 4 *Siciliæ sacræ, Notitia tertia; sed quo tempore ea condita fuerit, non constat. Exstabat tamen jam illa anno* 1131, *ac forte diu ante exstiterat, ut habemus ex diplomate, in quo Hugo episcopus Messanensis, rogatus a Rogerio Siciliæ rege,* S. Nicandrum de Messana *cum ceteris omnibus ejusdem instituti abbatiis archimandritæ S. Salvatoris Messanensis subjecit, prout apud laudatum Rochum Pirrum legere est in Notitia prima. Rursus ibidem in diplomate ejusdem Rogerii anni* 1134 S. Nicander apud Messanam *inter illa monasteria recensetur, quæ archimandritæ S. Salvatoris sic subjecta erant, ut tamen a propriis abbatibus gubernarentur. Deinde* anno MCLXXIX, *inquit idem Pirrus in Notitia prima,* monasterium Basilianum extra Messanæ muros *(id est monasterium* S. Nicandri, *ut habet in Notitia tertia)* pœne collapsum, factis a Sixto PP., et a Ferdinando rege facultatibus, ad preces senatus Messanensis Leontius *(archimandrita S. Salvatoris)*
C archimandritatui univit, et novis ædificiis construxit etc. *Perrexit tamen abbates suos habere, eodem Pirro teste, sed* nunc, *ut ibidem addit,* eidem inserviunt duo tantum monachi, qui subjiciuntur ab anno MDXCVIII eorum abbati generali, eliguntur que a monachorum cœtu.

Corpora diu abscondita, denuo reperta,

25 *Horum porro Sanctorum corpora longo tempore sub terra latuerunt, donec tandem denuo inventa sunt. Qua vero occasione, quove tempore humo condita fuerint, ignoratur. Laguidara lib.* 3 *id dominantibus in Sicilia Saracenis factum fuisse non inaniter suspicatur. Inventionem eorumdem anno* 1611 *affigit, laudans Bonfilium, equitem Messanensem synchronum, in Historia Siciliæ part.* 3, *lib.* 5, *addensque, id etiam se accepisse ex ore aliorum, qui inventioni interfuerant. Atque hinc Rochum Pirrum redarguit, qui in Notitia tertia asserit, inventionem illam in annum* 1597 *incidisse, hæc scribens :* Horum sane Sanctorum ossa eodem in tumulo pervetusto ex cujusdam viri pii revelatione sub anno MDXCVII, abbate generali Ordinis Basiliani Theodoro de Judice, die XIX Septembris, cum festum celebratur, inventa, inde ad magnum S. Salvatoris Messanense cœnobium magna cum celebritate transferuntur. *Modum, quo eadem reperta fuere, aliaque, quæ deinde secuta sunt, citatus Laguidara exponit, præfatus tamen, nec hæc, nec ipsa reperta corpora authentice recognita, probataque fuisse.*

auctore C. S.

post trinam apparitionem, S. Nicandri

26 *Rem autem sic factam narrat sermone Italico :* Haud ita procul a Sancti ecclesia quidam nobilis Messanensis habebat prædium, in quo quidam fidus servus illius, erga Sanctum pie affectus, licet in ejusdem palatio aurigæ munere præcipue fungeretur, frequenter commorari solebat, illuc missus, modo velut præfectus operariis, fidusque rerum domini sui curator, modo ad equorum pascua pro officio suo curanda. Huic ibidem degenti gloriosus S. Nicander quadam nocte in somnis apparuit, veneranda majestate cælestique splendore conspicuus, visusque ipsi est manu sua prehensa se prope exteriorem ecclesiæ suæ murum, qua Meridiem respicit, deducere, eumdemque locum digito commonstrans, imperare, ut ad primam lucem consurgens, vicini monasterii *(S. Salvatoris Messanensis)* abbati indicaret, suum suorumque Sociorum sacra corpora sub eo loco abscondita jacere. Expergefactus auriga, somnii sui recordatus est, E sed parere minime curavit, non quidem ex defectu pietatis erga Sanctum; sed quia illud non aliud quam merum nocturnæ agitationis partum reputabat, quod sibi in somno fuerat exhibitum.

eadem exhumari jubentis.

27 Verum secunda nocte eadem visio aurigæ jam dormienti denuo contigit; quam cum simili modo nihili fecisset, in causa fuit, ut Sanctus cum intolerabili luce et veneranda severitate tertio videndum sese illi præbuerit. Videbatur autem ipse sibi non solum de negligentia sua ab illo increpari, sed etiam percuti. Mandavitque ipsi severissime, ut sacrum corpus suum ex prædicto loco exhumaret, et mandata sua comminationibus firmavit, et ex oculis evanuit. Surrexit auriga, non uti biduo ante, sed quodam gelido pavore nec vulgari tremore concussus. Deinde cum primum illucesseret, sine ulteriori mora ad regium patrum Basilianorum monasterium se contulit, et illius abbati omnia exposuit. Ili pii Religiosi, re audita, cum ipso tempore de velocitate certabant, cum nec vel temporis punctum otiosum elabi permiserint. Ad designatum locum concesserunt, omniaque, quæ auriga dixerat, vera esse compererunt. *Subdit* F *deinde Laguidara, Messanenses ingenti lætitia festisque inventionem illam celebrasse, et Sanctos quoque sua in miseros contulisse beneficia, de quibus sic denuo prosequitur.*

Inter alios ægros paralyticus sanatur.

28 Solo horum sacrorum ossium, aut ipsius loci, in quo reperta fuerant, attactu teterrima acutissimaque mala ex humanis corporibus evanuerunt, et infelices energumeni, vix in conspectum ecclesiæ, in qua sacra corpora asservabantur, licet eminus adducti, stridore suo et horridis vocibus satis manifestarunt, quantum maligni spiritus timerent præsentiam harum sacrarum reliquiarum, per quas ex obsessis corporibus subito erant expellendi. Franciscus Pizzinga (cujus frater senex, dictus Paulus, qui natus est vixitque in agro S. Nicandri, hæc omnia oculatas testis mihi narravit) gravissima paralysi correptus, longo tempore in lecto, velut in equuleo, omnibus corporis motibus destitutus jacuerat. Audita post hæc Sanctorum inventione, et miraculorum frequentia, iteratis precibus institit, ut ad locum, ubi reliquiæ repertæ fuerant, deferretur. Quo cum adductus esset, conspecta scrobe, ex qua Sanctorum corpora exhumata

AUCTORE C. S.

exhumata erant, plenus viva fide, curavit sese in eadem scrobe deponi, ibique dulci somno suaviter oppressus, totam noctem non secus ac in mollibus plumis, extensus mansit. Deinde expergefactus mane, liberum se tam atroci morbo deprehendit, exsiliitque e scrobe cum membris naturali agilitati restitutis, et una cum omni populo Deum ejusque Sanctos laudavit.

Eadem corpora ad monasterium S. Salvatoris sublata.

29 Elapso interim aliquo temporis spatio *(prosequitur Laguidara)* Basilianis patribus visum est Sanctorum corpora ad vicinum suum *(S. Salvatoris)* monasterium referre, ut eo sacro venerandoque thesauro propius gauderent; uti etiam reipsa fecerunt. Atque ibi sanctæ illæ reliquiæ hodiedum splendide asservantur. *De translatis illuc eorumdem lipsanis consonat Rochus Pirrus verbis, quæ num.* 25 *recitavimus. Consonat et pater Apollinaris Agresta, qui, teste Laguidara, in ultima editione Vitæ S. Basilii, fol.* 576 *enumerans sacras reliquias, quæ in laudato monasterio honorantur, sic ait :* Præterea quinque corpora integra sanctorum confessorum, Nicandri abbatis, Gregorii, Petri et Demetrii fratrum, et S. Elisabethæ sororis. *Utrum tamen hi fratres ac soror fuerint, non inquiro. Ab hisce Laguidara progreditur ad eorum Sanctorum cultum, quo suo tempore, id est, seculo* XVII *pene decrepito, apud Messanenses gaudebant, miraculis etiam tum, uti asserit, illustrari solito. Verba ejus ex Italicis Latine subjungo.*

B

Sanctorum et specus veneratio,

30 Dies Sanctis nostris sacer celebratur XIX Septembris, concurrente quotannis Messana, ut devoto fervore sese accendat, considerando eam asperam vitam, quam Sancti tam fortiter tolerarunt, venerandoque devotissime eorumdum speluncam, in qua erectum altare est cum antiquissima sanctæ viduæ Elisabethæ, S. Nicandri sociæ, imagine, in quo etiam Missa celebratur. Beneficia, quæ per horum gloriosorum cæli Principum opem a Deo impetrantur, quotidiana sunt. Dico specum illum non modo a piis honorari, sed etiam frequentari ab ægris, illuc accurrentibus, ut Sanctos supplici prece exorent, et ex creta *(speluncæ)* accipiant. Hæc creta adversus quoslibet morbos devote adhibita mirabiles effectus producit; quapropter vulgata per Mesanam fama est de virtute cretæ S. Nicandri. Sola nominis S. Nicandri ex sincero affectu invocatio pios clientes ejus quacumque adversitate liberat. Per mensuram imaginum ejusdem fiunt mirabilia.

C

beneficiis confirmata :

31 Id ego ipse scio, qui per efficacissimam Sancti opem fratrem vivere agnosco. Hic validissimo morbo conflictatus, cum tanti mali violentiæ natura amplius resistere nequiret, in singula momenta mortualitatis nostræ tributum sepulcro pensurus erat. Verum quod terrenis remediis nullo modo fieri poterat, id per S. Nicandri opem facile fuit. Ad Sancti itaque patrocinium recursum est, et cum fide forsitan tam viva quam successus desperandus videbatur, mensuram Sancti illius velut exanimi corpori imposuimus. Cum ecce statim post hæc, contrectatæ manus pectusque moribundi aliquantulum calere deprehensa sunt; corpus omni vigore jam ante destitutum, melioris vitæ signum cum aliquo motu dedit, oculique, qui ad supremæ illius separationis ictum clausi jam erant, pro omnimoda nocte solis lucem denuo conspexerunt. Miraculum tanto fuit manifestius, quanto mutatio fuit magis repentina, nobisque argumento fuit, ex quo magnitudinem tam Sancti, quam nostræ obligationis agnosceremus. *Non satis hic explicat auctor, an æger ille subito, an paulatim deinde convaluerit; quod tamen ad miraculum asserendum utique faciebat. Post hæc profitetur, se multa alia miracula brevitatis causa prætermittere.*

D

eorumdem Officium, et Missa S. Nicandri.

32 *In fine Opusculi sui de Sanctorum Officio ecclesiastico hæc habet :* Dominus Calamatus, pius et doctus sacerdos Messanensis, in Collectione Officiorum de Sanctis Siculis, Officium S. Nicandri sic notat : « Die XIX Septembris. Festum S. Nicandri, Gregorii, Petri, Demetrii et Elisabethæ « viduæ, confessorum, non pontificum, semiduplex. Omnia de Communi confess. non pontif., « lectio I Nocturni de Scriptura occurrente. In secundo et tertio, quæ habentur secundo loco in « Communi confes. non pontif. Oratio, Deus, qui « nos beatorum Nicandri et Sociorum confessorum « annua solemnitate lætificas, concede propitius, « ut, quorum natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum etc. » *Subdit denique alias orationes de* S. Nicandro, *ex antiquissimo, ut ait, Missali Gallicano et Messanensi, quarum primam etiam in Breviario haberi affirmat. Sunt autem hujusmodi. Prima :* Sancti Nicandri confessoris tui atque abbatis merita nos, quæsumus, Domine, pretiosa tueantur, in quibus tuæ Majestatis opera prædicantes, præsens et futurum capiamus auxilium. Per Dominum etc. *Secunda :* Grata sit tibi, Domine, nostræ servitutis oblatio, pro qua sanctus Nicander abbas intercessor existat, et nobis desiderata intercedendo obtineat. Per Dominum etc. *Tertia :* Divina, Domine, quæ sumpsimus, Sacramenta nos ab omni crimine et adversitate defendant, et B. Nicandro abbate apud misericordiam tuam intercedente, et postulata concedas, et choris cælestibus clementer adjunge. Per Dominum etc. *Plura de hisce Sanctis non habeo, ideoque eorum qualemcumque Vitam subjungo.*

E

VITA

Auctore anonymo Græco

Ex editione Octavii Cajetani, et Petri Salerni.

F

Auctoris præfatio. a

Oportebat *a* enimvero, auditores, nemine impellente, ad sanctorum nos Ascetarum laudationem nostrapte sponte percurrere; sed cum forte fortuna nimium rerum fluxarum studium, tamquam necessario cum ignorantia conjunctum, rerum ante gestarum oblivionem socordiamque creaverit, age jam in posterum, quando ita nos cogitis, et ardentissimo audiendi desiderio flagratis, demandatam hanc provinciam suscipientes, fœdissimum corporis socordiæque cœnum excutiamus, sanctorum Ascetarum prius ope subsidioque implorato *b*. Et sane pulchra, ad quæ neque mens, nec oculorum pertingit obtutus, si menti nostræ aptentur, firmum stabilemque sui amorem excitare consueverunt; perinde atque paratum fomitem corripiunt admotæ flammæ; quin eos animo stimulos injiciunt, ut, qui omni disciplinarum genere sunt destituti, ii, vel quæ negata sunt viribus humanis, non dubitent balbutiendo explicare. Quo fit, ut, si pro dignitate Sanctos hosce ad finem usque nostra b

A stra laudaverit oratio, iisdem sint gratiæ merito persolvendæ : rursus, si quid peccetur, (ut peccandum omnino reor) id vero omne audaciæ, inscitiæque meæ tribuendum putetis.

Sancti in Italia nati : Nicander nobiliter genitus, c

2 Et vero patria Sanctis hisce, de quibus est instituta panegyris, Italia *c* agnoscitur, regio selectissima, ampla, et bonorum omnium ferax. Sed ut a Nicandro, sacerdote famuloque Dei integerrimo exordium sumanus (deinceps enim de reliquis dicetur) parentibus ille natus est piis et orthodoxis, non minus divitiis, quam nobilitate insignibus; quamquam eorum, qui se Christo mancipare statuerunt, nobilitas minime quidem ex genitorum splendore metienda est. Adulatorum isthæc sunt lenocinia, et qui in fluctuoso corruptæ hujus vitæ oceano misere natant. Verum ii profecto quidem nobiles sunt censendi, qui imaginem ac similitudinem Dei ab omni fœditate intactam ad finem usque vitæ conservare studuerunt; utpote ad divinam naturam proxime accedentes, atque adeo ipsius Dei per adoptionem participes effecti. Sed jam eo revertatur oratio nostra, unde digressa fuerat, sequaturque suæ laudationis cursum.

adhuc infans miram abstinentiam servat; d

3 Ille igitur, ubi in hujus lucis usuram venit, cumque adhuc in cunis infantium more vinciretur (dicam enim, quod audivi, cum non desint, qui patrem id postea tradidisse autument, ac proinde nemo sit, quin fidem nobis velit habere *d*; etiam quæ supra vires ac præter opinionem nostram sunt, Deus optimus maximus cum et omnia præstare possit, et mirabilium sit rerum architectus, solo nutu continuo perficit, uti nos in sui rapiat admirationem) quarta ille ac sexta feria, quemadmodum de magno Nicolao accepimus, semel in die, idque sub vesperam, parentis ubera attingebat; omen constantiæ ac solitariæ vitæ, quam in perfecto vivendi instituto ad antiquum sanctorum Patrum exemplum rite educatus, esset traducturus. Verum cum primum pubesceret, parentes ejus, ut qui in eo omnes spes haberent suas, cogitare cœperunt, qua ratione Filius jam ætate grandior uxorem duceret.

adolescens nuptias fugiens in longinquam regionem, e

4 Sed Adolescens solitudinis studiosissimus, postquam diligenter rem est subodoratus, consilia sua rite silentio tegens, simulansque animum nihil a nuptiis abhorrentem, quin sibi gratas jucundasque futuras, tempus fugæ opportunum expectabat, et nactus jam idoneum tempus, dat se in fugam, et in longinquam exteramque regionem proficiscitur. Eo loci episcopus *e* integerrimus ac Deo acceptissimus forte illi occurrens, quæ erat hominis mansuetudo, et in pastorali munere sedulitas, precibus a Nicandro enixe contendit, apud se manere ne gravetur. Ibi magnus Nicander constanti alacrique animo se noctu atque interdiu sacrarum Literarum commentationibus exercere, ac penitus dedere se spiritalibus studiis, ac cibo potuque abstinere, humi cubare, ad ultimum tempus stare, in summa denique vivendi duritie atque acerbitate carnem spiritus imperio subjicere, continentibus laboribus et perpetuis cum adversario certaminibus Deo adhærere, illumque sibi propitium conciliare studens, in animo contrito et spiritu humilitatis, ut loquitur propheta.

ab episcopo benigne detinetur, et sacerdotio

5 Verum ubi præclaras fervidasque Nicandri exercitationes sanctissimus episcopus cognovit, vas electionis futurum, non dissimulanter omnibus prædicavit. Mox hominem hortari, docere, admonere; quos enim initio ferebat labores, ii futuræ vitæ sanctimoniam integritatemque portendebant. Etenim semen in fertilem terram. projiciens, assiduarum adhortationum cultura studebat, ut centum redderet : ille vero tum episcopi monitis, tum suapte sponte multo magis, tamquam fructuosus ac maxime fertilis ager subactus, ac multiplici calore fotus, tempestivos fructus edere maturabat. Perculit animum episcopi tanta tamque insignis sancti Viri in ferendis laboribus tolerantia, adeo ut omni ope ab eo contenderet, ne se sacris Ordinibus initiari ullo pacto recusaret, aut in aliud tempus differret. Ille graviter molesteque rem ferre, mœrore se conficere, nec anceps animi aliud dictitare, quam eo se munere indignum omnino atque minime idoneum, qui immortalis ac vivifici Corporis se ministrum aliquando exhiberet, ac instar Seraphin se præstaret in terris, semperque viventem beatissimæ illius ac felicissimæ Divinitatis gemmam suis ipse manibus contrectaret.

initiatus, curandi morbos gratia

6 Eorum tamen, qui præerant, vis et suffragia Nicandrum nolentem et recusantem regia sacerdotis dignitate cohonestandum declarant. Itaque episcopus non diaconatus tantum munere insignivit, sed ad sacerdotii etiam celsitudinem evexit, ut cælestem viventemque Hostiam Deo offerret, licet vix sero id potuerit impetrare. Proinde gravis incessit Hominem ardor spiritualium exercitationum ac certaminum, spe præmiorum, quæ in E cælo asceticis athletis proposita esse sciret. Ad hæc labores laboribus, defatigationibus defatigationes cumulabat; totum cælestem ac pene materiæ carnisque expertem præbens, ac maximo studio nitens illum in suo corpore profligare, qui corporeæ molis particeps non esset, ope tamen subsidioque sanctæ Crucis. Igitur simul sacerdotio est inauguratus, ac pie religioseque incruentam Victimam puramque Hostiam magno cum timore ac reverentia Deo optimo maximo obtulit, mox vis quædam ac potestas in morbis omnibus depellendis cælitus Nicandro concessa esse visa est. Hinc infinita prope hominum multitudo ad illum confluebat, ut monitis ac præceptis salutaribus informata, ad salutis viam dirigerentur.

et virtutibus splendet. Sanctioris vitæ desiderio f

7 Etenim videre erat non hominem quidem, sed omnis virtutis exemplum ac documentum, normamque vivendi omnibus numeris absolutam, ita ut vix umquam aut ante aut post quisquam illi par aut fuerit aut futurus sit *f*. Sed seipsum semper habens suspectum, cordis sui desideria diligenter expendebat, ac veluti sedulus gubernator eo omnem operam ponebat suam, ut navim in salutis portum incolumem perduceret; magno cum timore et F tremore vigilans, ne ab absurdarum cogitationum procellis aliquid caperet detrimenti; probe enim tenebat illud Salomonis : Fascinatio nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Itaque nihil aliud sibi faciendum statuit, quam ut tres alios asseclas ac in Christo fratres sibi conjungeret, simul cum sanctissima ac prudentissima femina Helisabetta. Atque ii tam arcto inter se vinculo firmaque societate coaluerant, ut quamvis quinque essent personæ vultu atque imagine diversæ, una tamen omnino erat omnibus anima, unum atque idem propositum, quo rite Deo vacare statuerant, ac totis viribus totisque præcordiis illum exquirere, illi uni se mancipare, illiusque gratia, tamquam præclaro indumento tegi.

cum tribus sociis et Elisabetha vidua

8 Atque ex his sociis atque in sancto proposito commilitonibus primas tenebat Nicander, ut qui sacrosancto sacerdotio, ut diximus, esset insignitus, maximaque animi contentione ad præpotentis Dei cultum se totum dedisset ac devovisset. Deinde Gregorius in sui custodia vigilantissimus, in divinis contemplationibus assiduus, Deoque

A ANONYMO. Deoque adjunctissimus. Post hos sanctissimi viri Petrus et Demetrius, duæ sedes ac receptacula præpotentis beatæque Trinitatis, quæ sacrorum novi Testamenti mysteriorum ministros effecerat *g*. Postremo beata et omni ævo memorabilis Helisabetta femina, ut verum eloquar, prudens ac velut altera Evangelii Anna, quæ quidem vidua cum esset, corruptibilem ac terrenum amorem cum sempiterna cælestique pulchritudine commutavit, eaque se lege in eorum societatem stabili constantique sententia insinuavit, ut necessitatibus Sanctorum communicans, quemadmodum est in divo Paulo, floridum esset inter mulieres pratum ac paradisus, suavis regiorum sublimiumque thalamorum odor, et sponsa ornatissima ad cælestes nuplias destinata.

in Siciliam appulsus, in specum ingreditur, cum iisque

9 Hi sane omnes navigii velis, alisque animorum expansis, navigantes, ac superatis fluctibus maris, ventarumque tempestatibus, periculosissimi freti augustias trajicientes, ad præclarissimam Siciliæ insulam appulerunt. Hic quietem tranquillitatemque suis exercitationum studiis idoneam invenere. Etenim in collibus maritimis, B qui Europæ partem e regione spectant, rupis foramen, atque ibi torrentem forte nacti, eo loci habitare decreverunt, angustissimumque antrum *h*, dixerim melius sepulchrum, aptam sibi domum existimantes; Hæc, dicebant, carissima, jucundissimaque nostra sit domus, hoc tabernaculum, quo duce cælestis Hierusalem cives incolasque nos aliquandofore speramus. Vilis hæc tenuisque nullis architecti fabricata manibus, sed felicissima ac beatissima habitatio præpotenti Deo nos sedulo vacantes excipiet. Hæc aliaque id genus summo gaudio delibuti dictitabant, ac procumbentes in genua ad precationem, Domine Deus, inquiunt, cui humanæ carnis indumento tegi (ea enim nostri te cepit commiseratio) grave ac vile minime fuit, quique tuæ Divinitatis societate despectam abjectamque nostræ naturæ conditionem ad Deitatis, ut ita loquar, dignitatem evexisti, in spiritali hac piarum exercitationum palæstra da fortitudinem atque constantiam, uti nos hujus mortalitatis sarcina impediti cum adversariis spiritibus cum victoria dimicemus ad laudem et gloriam sanctissimi et gloriosissimi nominis tui, immense expersque principii Pater, una cum Filio tuo unigenito, tecum mundi imperium tenente, ac Spi- C ritu sancto, bonitatis vitæque rebus omnibus auctore.

Deum precatus, ut omnes etiam simul morerentur,

10 Fove nos, benignissime Deus, educa atque enutri verbo oris tui; et quemadmodum communi omnium sensu quinque numero animi uno eodemque caritatis tuæ vinculo arctissime colligati sumus, te unum super omnia bonum amabilemque fortissimo proposito expetentes, ita etiam atque etiam a te petimus, ut unum idemque sit tempus, dies, hora, punctus nobis omnibus, cum ex hujus vitæ miseriis ad tuam misericordiam et felicitatem evocaveris, unus communisque omnibus vitæ exitus eveniat placidissimus atque jucundissimus ad tuæ pulchritudinis splendorem commigrantibus. Ne siveris, misericordiarum Pater, ac Deus totius consolationis, nostram hanc societatem, conjunctionemque separari aut in varias distrahi partes; sed sicuti in hoc carnis contubernio conjuncti sumus, ita in cælestes delicias translati * neutiquam divelli aut sejungi patiare. Tu enim ex utero matris Deus noster es, tua immensa bonitate nos ad te trahens. Itaque tuæ curæ atque custodiæ non omnes tradimus atque committimus *i*.

* translatos

11 Habita hujusmodi ad Deum oratione, ad D spiritualia certamina sedulo se comparant, perpurgantesque internos animæ oculos, quo cælestes in divina contemplatione radios melius reciperent, et in acerrimo cum nefariis hostibus congressu certam victoriam reportarent. Nunc quid referam de summa omnium contentione, qua in perfectæ veritatis via progressus facere studebant? Integris noctibus pedibus stare, assiduas præcationes Deo affundere, divinum Numen sibi propitium ac benignum reddere, parce duriterque vivere, ut nihil de laboribus, de jejuniis dicam, deque humicubationibus, utque vitam exigerent in vigiliis, in fame et siti, in frigore et nuditate. Non deerat tamen *k* cælestium consolationum esca atque ambrosia, quæ, sicuti Eliæ vati sanctissimo cælitus delatam a divina Providentia sacris Literis accepimus, ita iis perpetuo suppeditabatur, quasi fructus ad præmium tam egregiæ virtutis *l*. Quid enim caussæ est, cur hujusmodi epularum deliciis eos Deus optimus non remuneraretur, qui fluctuosissimum, omnibusque laboribus ac mysteriis * refertissimum hujus seculi mare velocissimis desiderii alis fugientes, ut tutissimum salutis portum, Christique obsequium sese receperunt *m*. E

vitam ibidem sanctissime exigit.

* miseriis

Pastor specum ingressus et miro fulgore perculsus,

12 Quæ cum ita essent, non multis post annis contigit, ut pastor, nescio quis, per montem iter haberet, ubi sacrosanctum ac beatum Sanctorum sepulchrum condebatur. Is propter hyemis frigorisque sævitiam in antrum cum ovibus suis se penetrat: ibi cum esset, partim metu ac tremore, partim insolito æstu et calore percellitur. Nam derepente oblata est ei species inopinata atque insolita, dignaque, quæ æternis literarum monumentis consignetur. Statim veluti ex quodam foramine, remoto repagulo, purissimus ac lucidissimus splendor exsilire per totum antrum videbatur, et odor suavissimus exhalare. Hærere homo rusticus; nec quid consilii caperet in præsentia, scire. Aspiciens vero in antri latus, perterrefactus ac pene examinatus, vidit condita jam Sanctorum corpora splendentia ac micantia, adeo ut solem ipsum superarent. Homo agrestis ac plane rudis, rei novitate perterritus, animoque consternatus, in subitam amentiam incidebat, nisi virtus auxiliumque Sanctorum præsto esset, sanamque illi mentem firmaret. Quippe vidisses hominem sudore toto corpore manantem, surrectisque capillis hærere, animique angi. F

episcopum advocat: qui eorum corpora invenit,

13 Tandem resumpto animo, se adhortans, paulloque audentior factus, relicto antro, quoad potest, se dat in pedes, ad civitatis episcopum *n*, universumque populum de iis, quæ viderat, edocendum. ubi vero de tanto prodigio narratum est, mox universi congregantur, sacer clerus, piaque Religiosorum virorum monasteria, consequente infinita Christiani populi multitudine; procedebantque psalmos sacrosque hymnos pie decantantes. Et jam in nemorosum locum, ubi veneranda spelunca latebat, incedunt: ibi antrum ingressi, sepulchrum augustissimum *o* reperiunt, scatens suavissimis odoratissimisque liquoribus. Tum peractis, quæ in ejusmodi celebritatibus fieri consueverunt, ceremoniis, concinentesque gloriam in præpotentis Dei honorem ac laudem, suavissimi odoris liquorem a perenni fonte hauriunt, quo cæsi visum, claudi incessum reciperent, fœdissima lepra contaminati emundarentur, liberarentur energumi, omnes denique mortales, quibuscumque vexati morbis, curarentur.

14 Mox tanti miraculi fama ubique divulgata innumerabilem

A innumerabilem hominum multitudinem ad sacram tumbam ciebat, atque ex ingenti concursu nullus omnino erat, quin recuperata valetudine reverteretur, modo fide ac fiducia plenus sacras reliquias inviseret. Quin sanctissimi vatis Helisei miracula *p*, (quæ in sui amantes studiososque præpotentis Dei munificentia semper esse solet) ea tempestate denuo coruscavere. Muliercula enim obscuro loco nata, quæ omnes spes vivendi suas in uno filio collocarat, eo, misella, fato concedente, orbatur femina ardentissimis desiderii facibus inflammata ac firmissima fide prædita, id cepit consilii. Simul animam edidit puer, cadaver juxta sanctorum corpora compositum maxima cum spe ac fiducia locat, fore enim, ut numquam desiderio frustraretur suo ex illa sanctissimorum corporum propinquitate ac conjunctione. Protinus præter omnium expectationem vivus exurgit filius, ac confestim parenti mandat, esurientem idoneo cibo recreet, viresque confirmet. Sic puer ad pristinam vivendi rationem firmus valensque est revocatus.

apud quæ puer ad vitam revocatur

p

15 Cujus etiam prodigii rumor in omnes diffusus, infinitam prope dixerim hominum vim, non incolarum modo, sed ab exteris etiam regionibus ad Sanctorum corpora pertraxit, qui tametsi variis morborum generibus essent affecti, sacrosanctum sepulchrum pie ac cum fide tangentes, pristina valetudine donabantur. Sed illud omnes dolebant, quod Sanctorum nomina ignorarent (neque enim id ullæ literæ demonstrabant) quibus scilicet scriptis tabellis collata in se beneficia gratis animis testarentur. Verum enimvero cum tantæ tamque admirandæ rei, ut dicebamus, fama per omnes regiones divagata, Italiam etiam pervaderet, ita ut omnes eo confluendi ingenti desiderio inflammarentur, forte contigit, ut naturalis Nicandri pater ad Sanctorum reliquias pie visendas pedes adventaret. Is in antrum ingressus, sancto tumulo precaturus propius accedere non dubitat, accensas faculas manu gestans. Cum vero quinque numero corpora videret, cœpit Filii peregrinationem memoria repetere, nec non inter quinque initam olim societatem; atque inter hos fuisse mulierem.

multique ægri sanantur. Nicandri pater inter ceteros

16 Tum Sanctorum aspectus accuratius inspicere, eorumque lineamenta considerare, num inter hos Nicander filius etiam reperiretur; reque diligentius perfecta*, certo comperit, Filium ibi suum conditum esse. Tum exclamare homo, lacrymas instar rivi alicujus affatim ex oculis mittere, in capillos involare *q*, humum facie verberare eamque assiduo fletu irrigare. Tandem bene juvante rerum omnium Opifice Deo, vix doloris acerbitatem consolationis freno potuit continere : illorum enim, quæ vehementer amamus, præsentia solet esse assidua dolorum recordatio, eorumdemque aspectus mentem animi acrius inflammare, instar silvæ facibus injectis, sic species per oculos ad animum transmissa, incredibile est, quam graviter cor afficiat atque percellat. Verum qui optimis studiis ab ineunte ætate se exercuerunt, facili negocio in calamitatibus, adversisque fortunæ ictibus consolationem inveniunt, feruntque æquo animo quamcumque jacturam; contra ignavi inertesque in contrariis fortunæ casibus, perinde atque in procelloso mari, misere jactantur.

illuc adveniens

* *forte* perspecta

q

17 Verumtamen pater animi pendebat, qua ratione, quæ ipse liquido novisset, conjugi rite nuntiaret, adeo ut illa, ut crederet, adduceretur. Sciebat enim, incredulum esse mulierum genus, ac plerumque, quæ oculis videntur, consuevisse in dubium vocare. Itaque cum animadverteret, Nati digitum certo atque immutabili signo notatum esse, statuit hunc ad uxorem perferre, quasi indicem ac testem rerum gestarum; statimque illum a sanctissima Filii manu gladio recidens, ingentique gaudio delibutus, et ardentissimis amoris facibus incensus, qua decuit reverentia, una cum suavissimis odoribus in capsula reponens, in domum suam reditum ornat, ferens secum ipse sacrosanctas ac sibi lugubres Nati reliquias, et tum et nostra tempestate certissimum sanctorum corporum indicium. Atque hinc quotidianis hominum investigationibus, quæ ardentissimo desiderio de cognoscendis Sanctorum nominibus assidue fiebant, modus aliquis factus est.

filium suum agnoscit, et eorum gesta

A. ANONYMO.

18 Ille enim rei veritatem cuicumque sciscitanti apariebat. Quin ex magnitudine corporum, eorumque facie, propria uniuscujusque, digna monumentis sempiternis, nomina dicebat *r*. Sed profecto quis parentis lacrymas ac suspiria possit oratione explicare, cum hæc aliis enarrabat? Quippe cui viva defuncti imago Filii in oculis atque adeo in animo semper obversaretur; nam e durissimis etiam saxis, ut ita dicam, lacrymas extorquebat, et certe ibi diutius consedisset, nisi de re omni certiorem facere conjugem statuisset. Cum itaque de Sanctorum nominibus nihil præterea esset, de quo ambigeretur, institutus dies est, quo die festa celebritate sacer clerus ac pius Christianorum populus præclaram sanctorum corporum inventionem coleret *f*, extructo templo *t*, ædificataque theca, qua venerandæ reliquiæ inclusæ ad curanda quæcumque morborum genera, augendamque populi pietatem rite servarentur *u*. Quamquam particulæ aliquæ variis ecclesiis distributæ sunt, ut ubique Sanctorum beneficia in omnes dimanarent ad laudem et gloriam sanctissimæ Trinitatis, Patris et Filii una cum Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

narrat : festum inventionis decernitur.

r

s t

u

ANNOTATA.

a *Titulum, qui cum in Latina versione apud Octavium Cajetanum, tum in Ms. nostro Græco huic panegyrico præfixus legitur, dedimus in Commentario prævio num.* 4 *et* 14.

b *Ex hisce liquet, auctorem, quem Basilianum monachum fuisse suspicor, elogium hoc in ipsa verisimiliter annua festivitate inventionis sacrorum corporum ad concionem dixisse; nisi forte stilum suum tantummodo voluerit exercere.*

F

c *Hisce satis indicat anonymus, se de Sanctorum patria parum instructum fuisse, cum nullam Italiæ civitatem aut provinciam assignet. Laguidaræ opinionem vide in Commentario num.* 13.

d *Adi Commentarium num.* 6.

e *Quis hic episcopus fuerit, quave in civitate aut regione sedem suam habuerit, divinandum reliquit anonymus; non alia, credo, de causa, quam quod a Sanctorum ætate longe remotus, id ipse nesciverit. Verum hinc mirandum magis est, unde* S. Nicandri *cum ignoto illo episcopo gesta eidem tam perspecta fuerint, quam ipse præ se fert.*

f *Hyperbole hæc videtur, uti in Commentario num.* XI *observavi.*

g *Consule Commentarium num.* 14 *et* 15.

h *De hoc specu prope Messanam, additaque ecclesia et monasterio, variis in locis egimus in Commentario.*

i *Difficile*

A. ANONYMO.

i *Difficile captu est, unde has sanctorum preces biographus didicerit. Vide Commentarium num.* 18.

k *Vocem hanc substitui; nam in edito vitiose legitur* tamta.

l *Non satis capio, an hic velit, Sanctos hosce cælestibus animi deliciis, an corporeis cibis, divinitus oblatis, pastos fuisse. Postremum insinuat adductum exemplum Eliæ prophetæ, qui lib. 3 Regum, cap. 17, urgente fame per corvorum ministerium aliquamdiu alitus fuit. Verum utut hæc se habeant, non liquet, unde ea omnia acceperit biographus.*

m *Agendum hoc loco fuerat de Sanctorum obitu, de quo etiam in nostro Græco Ms. nihil dicitur.*

n *Si vera narrat, fuerit hic Messanensis episcopus; sed tam hujus nomen, quam tempus inventionis omnino ignotum est.*

o *Ad hæc notat Cajetanus, vel hujus editor Petrus Salernus :* Nemo ambigat, sanctissimis Ascetis, una defunctis, sepulcrum angelorum ope præparatum, et a cœlitibus in eo conditos, ut D S.Clementi, S. Catharinæ, aliisque factum legimus. *Neque ego ambigerem, si per certiorem scriptorem, quam Græcus noster sit, de invento augustissimo illo sepulcro certo constaret.*

p *Nempe vel pueri Sunamitidis ad vitam revocati, lib. 4 Regum, cap. 4; vel mortui per attactum ossium ipsius ibid. cap. 13 resuscitati.*

q *In suos scilicet, id est, Cæpit præ dolore capillos sibi vellicare.*

r *Tota hæc de* Nicandri *patre narratio non potest non esse suspecta, prout in Commentario num. 9 et sequenti ostendimus.*

s *Diem hunc esse 19 Septembris, eumque a Messanensibus celebrari, affirmat Cajetanus in Animadversionibus.*

t *Consule Commentarium num. 23 et seqq.*

u *Quid de augustissimo illo sepulcro factum fuerit, nec anonymus, nec alii tradiderunt; forte quia numquam exstitit. Aliam harum reliquiarum translationem vide in Commentario num. 25 et seqq.*

B E

DE S. POMPOSA, VIRGINE SANCTIMONIALI

ET MARTYRE

CORDUBÆ IN HISPANIA

C. S.

SYLLOGE PRÆVIA

De Sanctæ cultu, monasterio Pinna-Mellariensi, vita, et tempore martyrii.

ANNO DCCCLIII. *Hoc die in Martyrologiis recte relata;*

Ad diem XVII *hujus mensis dedimus S. Columbam, vita in Tabanensi monasterio sanctissime acta, deinde martyrio quoque late celebrem. Hujus exemplum alteram virginem martyrem,* Pomposam *nomine, mox peperit, vita pariter ac martyrio ipsi plane similem, et sepulturæ denique* C *sociam. De ea Romanum Martyrologium Baronii ad hunc diem sic habet :* Cordubæ in persecutione Arabica, sanctæ Pomposæ, Virginis et martyris. *De eadem more suo paulo prolixius egerat Galesinius in Romano item Martyrologio, eodemque die, verbis, quæ subdo.* Cordubæ in Hispania, sanctæ Pomposæ Virginis et martyris, quæ parentum admirabili pietate, sanctitatisque studio permota, fluxis rebus humanis abjectis, in religionem Deo dicata, in cœnobio S. Salvatoris vitam, virginalem cum assiduis vigiliis, jejuniis, precibus, sacrarumque Litterarum studiis conjunctam egit; martyrii vero desiderio flagrans, divine factum est, ut ad judicem Arabicum, fidei hostem veniret, apud quem religionem Christianam libere professa, datis pro Christo cervicibus, cælesti corona redimitur. *Ita ipse ex S. Eulogio, quem etiam Baronius in Annotatis laudavit.*

Cordubæ tamen colitur die 22.

2 *Ad eumdem diem eam in Martyrologiis Benedictinis, tamquam sui Ordinis virginem martyrem, Wionius, Bucelinus, Menardus et Dorganius retulerunt. Alios neotericos martyrologos prætereo; in vetustioribus autem, puta Adone et Usuardo, nulla ipsius memoria exstat, uti nec in hujus quidem auctariis apud Sollerium nostrum. Quamquam porro hic dies ipsi vere emortualis et natalis in cælo sit, ut ex laudato S. Eulogio probabimus, non hunc tamen sed* XXII *ejusdem mensis ipsi apud Cordubenses suos sacrum esse, discimus ex Kalendario apud Martinum de Roa libro de Festis et Sanctis Cordubensibus præfixo. De cultu vero ex ejusdem titulo constat, qui talis est :* Kalendarium Festorum et Sanctorum, de quibus scribitur in hoc libro; ad dies, quibus eos celebrat ecclesia Cordubensis. *In eo autem Kalendario, ut dixi, ad* XXII *Septembris legitur* S. Pomposa virgo et martyr; *additur tamen :* Fuit die XIX. *Ceterum ne eadem crebro repetere cogar, ad hanc pariter spectant, quæ de Officiis martyrum Cordubensium a Sede Apostolica approbatis ad diem* XV *in SS. Emila et Hieremia, num. 6, 7 et 8; ad diem* XVI *in SS. Rogellio et Servio-Deo, num. 3, et ad diem* XVII *in S. Columba, num. 8, ex Martino de Roa retulimus. Plura tamen, quam hæc de S.* Pomposæ *cultu non invenimus.* F

Parentes ejus condunt cœnobium

3 *Diximus supra,* S. Pomposam *S. Columbæ civi suæ vita plane similem fuisse. Certe prout hæc in Tabanensi monasterio a fratre, sorore et hujus conjuge erecto, vitam monasticam virtutibus claram coluit; ita et ipsa in Pinna-Mellariensi cœnobio, a parentibus suis in ipsius, ut videtur, gratiam condito, monacha similiter ceteris preluxit. Res ipsa in Vita seu Elogio dando satis explicabitur; at de monasterii situ ceterisque eo spectantibus aliqua hic annotanda sunt. De eo S. Eulogius sic ait:* Parentes ejus, distracto patrimonio, præfatum cœnobium

A nobium construentes in eo loco, qui ex eo, quia ab antiquitus congestos in illa excelsiori rupe apum industria favos, qui usque hodie permanent, majores nostri viderunt, PINNA MELLARIA vocatus est. *Hæc Eulogii verba Ambrosius Morales in Scholiis ad prædictam Vitam sequenti observatione illustrat.* Permanent etiam, *inquit,* usque in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neque enim dubium est, quin de eo sublimiore colle et rupe divus Eulogius intelligat, quæ quarto ab urbe milliario in vicinorum montium vertice supereminet, supra nobilem fundum, qui dicitur EL ALBAYDA.

Pinna-Mellariense, cujus

4 Saxum ipsum, Sancii Mirandæ rupes appellatur. Ibi apes in petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis ejus radices fons dimanat permagnus, qui vicinos hortos, citriorum omnis generis arboribus consitos, rigat. Situs est monasterio admodum opportunus, et vestigia ædificiorum cum ruinis, non uno loco apparent. Meminisse autem oportet, cap. VIII divum Eulogium hoc monasterium haud procul ab urbe constituisse: ideo hanc rupem ipsum signare credendum est. Alio-
B qui insignem locum ad Gaudiati fluminis ripas intelligere potuimus, qui ab apum per rupes mella conficientium multitudine, APIARIA vulgo nominatur. Sed locus visegimo ferme ab Corduba distat milliario. *Hactenus Morales; et recte. Nam apud S. Eulogium cap. 7, (pro quo 8 perperam in laudatis scholiis assignatur) monasterium istud* S. Salvatoris... haud procul a civitate Cordubæ in parte Septentrionis ad radicem Mellaris pinaculi situm *dicitur. Hisce addo et alterum argumentum ex ipsa Sanctæ Vita petitum.*

notitia datur:

5 *In ea apud nos num. 4 scribit idem Eulogius,* Pomposam, *dum ad martyrium properaret, post persolutas nocturnas Deo laudes, ex monasterio suo egressam,* ante lucis crepusculum *ad urbem Cordubensem pervenisse, eamque* clarescente mane *ingressam esse. Id autem quam facile de quatuor Hispanicorum milliarium itinere intelligi potest, tam parum de viginti milliarium distantia credibile est, præsertim in Virgine, quæ viam pedes instituebat; nisi quis velit, hic aliquod prodigium intercessisse; quod prius probandum foret. Hisce denique addo et Aimoinum monachum S. Germani a Pratis, qui in Translatione SS. Georgii et Aurelii, lib.* I *cap.* 2, *num.* 10 *in Opere nostro ad diem*
C XXVII *Julii, pag.* 462 *ejusdem cœnobii ab urbe Cordubensi distantiam sic notavit:* Disparabatur a civitate plus minus milliariis quinque. *Hæc de situ sufficiunt. Fuisse autem etiam hoc monasterium duplex, quale Tabanense in Commentario prævio ad Vitam S. Columbæ num.* 12 *et duobus sequentibus fuisse ostendimus; virorum scilicet ac mulierum, liquet tum ex ipsius* S. Pomposæ *Vita danda, in qua de fratribus ibidem habitantibus, deque* Felice monacho ejusdem cœnobii abbate *expressa fit mentio; tum ex eodem S. Eulogio ejusdem libri* 3 *cap.* 7, *ubi S. Fandila, postea martyr, in Tabanensi cœnobio monachus,* diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobii S. Salvatoris, quod haud procul a civitate Cordubæ in parte Septentrionis ad radicem melliaris pinaculi situm est, ad officium sacerdotale *ibidem obeundum* præelectus invite *et promotus dicitur.*

in hoc ipsa vixit usque ad martyrium

6 *Quid autem causæ fuerit, ob quam non æque hoc ac Tabanense monasterium a Sarracenis tum temporis destructum jam fuerit, uti de Tabanensi in S. Columba vidimus, exploratum mihi non est. Extabat tamen adhuc anno* 858, *quando ejusdem abbas Samson presbyter corpora sanctorum martyrum Georgii et Aurelii, quæ ibidem sepulta jacebant, Usuardo, celebris Martyrologii auctori, et Odilardo ejus socio concessit, Parisios transferenda, prout loco supra mox citato legere est. Set ut ad* S. Pomposam *nostram redeamus, ex hoc cœnobio, audito S. Columbæ martyrio, ad urbem et judicem per male obseratam portam, Christum confessura perrexit; mirabili quidem facto; sed cujus exemplum S. Digna, cujus martyrium in Opere nostro ad diem* XIV *Junii relatum habes, ac deinde etiam Columba jam dederant, quodque ad sancti Spiritus impulsum referendum est, ut in ejusdem S. Columbæ Commentario observavimus. Certe S. Eulogius in Vita num.* 4 *illam incuriam monachi, portam male obserantis, divinæ providentiæ adscribit, ut Virgini ad martyrium dudum anhelanti, et eo usque a suis prohibitæ, via panderetur. Consule etiam Commentarium de laudata S. Columba num.* 21.

Acta a S. Eulogio scripta: tempus martyrii.

7 *Vitam Sanctæ, ut jam sæpe insinuavi, S. Eulogius, Cordubensis presbyter et ante martyrium electus archiepiscopus Toletanus, auctor synchronus, suo Memoriali Sanctorum lib.* 3 *cap.* XI *inseruit, laudans Felicem monachum et abbatem monasterii Pinna-Mellariensis, in quo ipsa vixit; addensque se plura de ea ex eodem didicisse, quæ* E *prætermisit, ut ad enarrandum ipsius martyrium festinaret. Martyrii vero tempus hoc modo signavit:* XIII Calendas Octobris, Era DCCCXCI; *id est, die* XIX *Septembris anni æræ Christianæ vulgaris* 853. *Atque ita quidem in editione Francofurtana, studio et opera Andreæ Schotti, qua utimur, legitur; verum Ambrosius Morales ibidem in Scholiis sequentia observat:* Era DCCCXCVII: ita aperte fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto: siquidem S. Columbæ martyrium Pomposam eodem ipso die concitavit; et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus plane convincitur. *Sic ipse et merito: capite enim* 12 *Eulogius scribit, S. Abundeum presbyterum,* decem mensibus interjectis *a* S. Pomposæ *martyrio, passum esse* V Idus Julii, Era DCCCXCII, *id est, die* XI *Julii anno Christi* 584, *adeoque ipsam Æra Hispanica* DCCCXCI *coronatam fuisse dicere voluit. Præterea S. Eulogius* XIII *Calendas Octobris Æræ Hispanicæ* DCCCXCVII *sive* XIX *Septembris anno Christi* 859 *in vivis non supererat, martyrio coronatus die* XI *Martii ejusdem anni, prout ad dictum diem in Opere nostro ostensum est. Passa autem est Sancta nostra sub* F *Mahomado Maurorum in Hispania rege, qui patri suo Habdarrahgmano, qui regiam suam Cordubæ habebat, in regnum successerat.*

VITA ET PASSIO

Auctore S. Eulogio presb., mart.

Ex ejusdem Memoriali Sanctorum, lib. 3, cap. XI.

In cœnobio Pinna-Mellariensi a

Igitur cum ad multorum notitiam ipso die rumor consummati martyrii prædictæ virginis *a* pervenisset, et non solum totam civitatem, verum etiam viciniora loca inserperet, virgo quædam venerabilis, nomine Pomposa, ex cœnobio S. Salvatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellarisæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus et cognatis, Christo

A. S. EULOGIO. Christo militatura contulerat *b* (ex quo antea beatissimus Fandila, ejusdem loci sacerdos, olim descenderat *c*;) mox ut illud martyrium a dicentibus comperit, alio die cita occurrit. Hæc *d* namque Virgo beata parentum et propinquorum sanctam conversationem, quam gerebant in Corduba, ex qua erant progeniti, cernens; confestim avida mente tali se voto assignans, cum his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, mansuraque perenniter toto nititur conatu appetere.

sanctissime vivens,

2 Quapropter parentes ejus, distracto patrimonio, præfatum cœnobium construentes in eo loco, qui ex eo, quia ab antiquitus congestos in illa celsiori rupe apum industria favos, qui usque hodie permanent, majores nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad exercitium vitæ monasticæ collocantes, tradunt beatam hanc Virginem inter illum suorum conventum pulchriorem gratia sanctitatis floruisse; et quæ ultimum per ætatem gradum tenebat, fit cæteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis merito sublimata. Tantoque in Scripturarum meditatione fortis-
B sima permanebat, ut, si fieri posset, non diebus, non noctibus a lectione vacaret, nisi quarumdam ingruentium tempestatum impediretur procellis. Si quid forte ad suam exaggeratum sentiret injuriam, illa, quæ macte humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigiliis, jejuniis et orationibus crebrius incubabat, quibus favente Domino inviolabiliter votum posset conservare promissum.

ad martyrium exemplo S. Columbæ

3 Plura sunt, quæ de ejus sanctitate, referente nobis famulo Christi Felice monacho, ejusdem cœnobii abbate, cognovimus, quæ obtentu evitandi fastidium relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cælo præmisit, quam propere festinamus. Cum enim summæ sanctimoniæ studium gereret, serviretque Deo fideliter, mox ut B. Columbæ martyrium comperit, illico interius igne conflagrata martyrii, fit admodum lætior, tali nuntio recreata; et quibus ad id possit pertingere passibus, tacito et singulari cogitamine ruminat. Et o miram vocationem Domini, et supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus martyrii gloria defraudatur *e*; quo nemo cœtui Sanctorum adscriptus, humana potest illaqueatione teneri! Ferunt namque, quod multo satis ante hoc tem-
C pus hæc Virgo ad martyrium convolasset, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam causa sævientium persequutionum alta servabant custodia

inflammata, noctu egressa ad judicem properat,

4 Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis, quando, sicut scriptum est, Nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant, qui humaniter se quippiam custodire arbitrantur? Etenim ipsa superveniente nocte, consummata in Dei laudibus nocturna vigilia, unus e fratribus suis cæteris quiescendi gratia regredientibus ad cubile, quasi divinitus moneretur et certe non sine providentia Domini, arrepta clave portam monasterii inconsuetus aperuit, minimoque tantummodo clavo superposito, retrusit. Ad quam illa silenter accedens, et clam ostium reserans, vadit per tenebras noctis cælesti lumine illustrata; totumque illud iter vasta horridum solitudine ante lucis crepusculum transiens, clarescente mane urbem ingreditur *f*, seseque obtutibus judicis præsentari non differt.

5 Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum *g* simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio trucidandam decer-
D nit, sicque ante fores palatii constituta, exempto capite, consternatur XIII Calendas Octobris *h*, Era DCCCXCI *i*. Cujus cadaver in flumen projicientes, quorumdam mercenariorum studio in quadam fovea congestum * desuper multo pulvere tumulatur *k*. Ex quo iterum, Christo favente, post dies pene viginti industria quorumdam monachorum inde abstractum, ad prædictum beatæ virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem sacerdotum et religiosorum ministerio ad pedes S. Columbæ humatum est. Quod nihilominus divina credimus dispensatione peractum; ut, quæ se in vita sua tanta charitate dilexerant, morte etiam ac sepultura indivisæ manerent *l*, regnante Domino Jesu Christo in secula seculorum.

et Christum confessa, decollatur, corpus denique sepelitur.

* *forte congesto*

ANNOTATA.

a *Loquitur de S. Columba, virgine pariter Cordubensi, cujus vitam ac martyrium cap. præcedente conscripserat, quod nos ad diem* 17 *hujus mensis, quo contigit, dedimus.*

b *De monasterio hoc, quod deinde* Pinna Mellaria *appellatur, a pia ista Sanctæ familia exstructo et inhabitato, consule Syllogen præviam num.* 3 *et sequentibus, uti et mox dicenda in hac ipsa Vita.* E

c *Fuit is Tabanensis primum in monasterio a S. Columbæ familia fundato, sub Martino abbate monachus; inde ad Pinna-Mellariense pene invitus translatus est, ut sacerdotis munere ibidem fungeretur, ac denique martyrio coronatus hoc ipso, quo* S. Pomposa, *anno* 853 *die* 13 *Junii, ad quem de eo consule Opus nostrum.*

d *Ambrosius Morales in Scholiis ad hæc lectorem sic monet:* Hæc omnia usque ad studia et sacrarum Litterarum meditationem, *(id est, usque ad,* Tantoque in Scripturarum meditatione *etc.)* tanto opere in veteri exemplari fuere corrupta, ut nullus pene sensus eliceretur. Nos quoquo modo potuimus, emendavimus, unum atque alterum verbum superaddentes. *Hactenus Morales.*

e *Id est, non quilibet prædestinatus; sed quilibet ad martyrium prædestinatus, ejus gloria non fraudatur.*

f *Distabat autem monasterium Pinna-Mellariense quatuor aut quinque milliaribus Corduba, ut in Sylloge prævia dictum est.* F

g *Mahometum scilicet, cujus impietatem Mahomad Maurorum rex, qui regiam suam Cordubæ habebat, cum suis sectabatur.*

h *Ambrosio Morales in Chronico generali, lib.* 14, *cap.* 22, *visum fuit, sententiam illam pridie, nempe die* 18 *latam, die vero* 19, *ut hic dicitur, exsecutioni primum mandatam fuisse. Ita sensisse videtur, quia putabat,* S. Pomposam *nocte martyrium S. Columbæ, quod die* 17 *acciderat, proxime subsecuta, monasterio excessisse, atque ita postero mane die* 18 *judici se stitisse. Verum id Eulogii narratio nec exigit, nec ipsi satis conforme est. Itaque tempus sic ordinandum puto. Die* 17 Pomposa *intelligit S. Columbæ martyrium, ejusque exemplo ad similem gloriam accensa, viam e monasterio evadendi meditatur; hæc autem secunda post nocte quæ inter diem* 18 *et* 19 *intercessit, ex cujusdam monachi incuria sese offert, eaque ipsa usa, mane Christum coram judice confessa est, ac mox decollata. Simili plane ratione cum S. Columba actum fuerat.*

i *In veteri exemplari, quo usus est Morales in editione*

A *editione sua, eodem teste, legebatur,* Era DCCCXCVII; *sed manifesto describentis vitio, prout in Sylloge prævia num.* 7 *cum eo probavimus. Æra autem recte substituta cum anno Christi* 853 *concurrit.*

k *Passim creduntur mercenarii illi Christiani fuisse, aut a Christianis conducti, ut venerabile corpus flumini Bæti subductum, humi mandarent.*

l *De S. Columba in basilica S. Eulaliæ, in* vico Fragellas, *nunc ignoto, honorifice sepulto, consule ipsius Vitam num.* 15. *Tamayus ad hunc ipsum* D *diem in Martyrologio Hispanico recitat epigramma Cypriani archipresbyteri Cordubensis de* S. Pomposæ *martyrio, communique cum laudata virgine sepultura. Verum Nicolaus Antonius tom.* I *Bibliothecæ Veteris Hispaniæ istud inter supposititia rejiciendum docet. Ceterum S. Columbæ corpus deinde alio translatum in Commentario ad ejus Vitam prævio vidimus; sed quid de* S. Pomposæ *venerandis exuviis factum sit, ignoramus.*

DE S. ARNULPHO EPISCOPO VAPINCENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. C.

Locus depositionis, cultus, tempus aditi episcopatus, obitus, Acta edenda.

B

INTRA ANNUM MLXX ET MLXXIX *Locus depositionis*

Præter morem nostrum locum nullum, unde S. Arnulphus *ad cælos transierit, præfixi; rationem accipe. Martyrologium Parisiense ita ad hunc diem Sanctum nostrum nuntiat :* Romæ ad Sanctam Priscam S. Arnulphi ex monacho Vindocinensi Vapincensis episcopus. *Quæ, ne aliud quidpiam, quam Sancti ibidem depositionem significare censeantur, ita explicantur in indice :* Arnulphus episcopus Vapicensis mortuus Romæ ad Sanctam Priscam. *Fuerat scilicet illa ecclesia cum monasterio, ubi duodecim monachi habitare debebant, juncta cœnobio Vindocinensi, cujus abbates, ut ostendit Mabillonius in Annalibus ad annum Christi* 1066 *num.* 32 *et* 100, *Cardinalis dignitate tituloque S. Priscæ perpetuo gaudebant. In illo Romano monasterio Alexander II morari jusserat* S. Arnulphum *Vindocinensem monachum, antequam ad insulas Vapincenses promoveretur, in illa deinde mortuum asserit martyrologus Parisiensis. At nisi sacrum* S. Arnulphi *corpus inde postea translatum fuerit, de quo nihil uspiam reperi, illi repugnant* C *Sammarthani fratres, tom.* 3 *Gall. Christ. in episcopis Vapincensibus num.* 13 *asserentes,* S. Arnulphum *tumulatum esse in æde S. Joannis Rotunda, quam illis consentiens Mabillonius apud Vapincum collocat.*

S. Arnulphi

2 *Dionysius Sammarthanus, qui Galliam Christianam auxit, de Sammarthanorum asserto videtur dubitasse, quippe tom.* 1 *col.* 460 *præsules Vapincenses recensens, ea verba expunxit, solumque refert* S. Arnulphi *obitum ad hunc diem. Unde id illi dubium subortum fuerit, nescio; si fuit, miror virum domesticis monumentis divitem rem ulterius non indagasse. Certe quæcumque aliunde de Sancti reliquiis adferuntur, aliaque, talia sunt, ut nihil inde pro re præsenti concludi certo possit. Et Sammarthani quidem, quæ ex illis ad Mabillonium et Dionysium transierunt, hæc referunt ex Proprio Vapincensi :* Episcopus, qui tum præerat, Armandus nomine, vita pius, habitu monachus cum clero devotus accessit, ac orationi incumbens, tumuli lapidem revolvi præcepit : quo veneranter amoto, et illato in monumentum lumine, veste incorrupta, integrum invenit corpus. Tunc astantibus visum est, ut ad

E

veritatis notitiam brachium a Sancti corpore secaretur, et extra sepulcrum retentum posterorum memoriæ servaretur.

videtur fuisse Vapincum.

3 *Verum ex his ne liquet quidem, quænam illa sit ecclesia, ubi fuerit* S. Arnulphi *tumulus, unde præsectum brachium Armandus abstulit. Alibi id forte indicat Vapincense Proprium, quod ad manum non habeo. Quamquam, ut conjicio, parum illud mihi esset profuturum; etinem sæpe laudati Sammarthani ita articulum Armandi ordiuntur.* Armandus ex religioso ad episcopatum provehitur, qui D. Arnulphi decessoris sui sacra lipsana, ut conjectura est, transtulit in pulpitum ecclesiæ, XIII Junii trigesimo anno a felici obitu sancti Præsulis. *Quibus non obscure innuunt, relata omnia non nisi conjecturis niti, quæ an vel ipsæ satis sint probabiles, quis dicat? In hac caligine, quam viri eruditi dispellere non tentarunt, unum id dicere licet; videri* S. Arnulphi *corpus ibi primum depositum fuisse, ubi sacrum brachium a reliquo corpore ablatum est, atque ibidem etiam loci fuisse asservatum : neque enim fingenda est translatio, cujus nullum exstat uspiam vestigium. Jam vero Acta, quæ præ manibus habeo, numero* 14 *asserunt, tum temporis* S. Arnulphi *prodigiosum brachium in Vapincensi ecclesia ostendi solitum fuisse : unde non incongrue conjectare licet, ibidem etiam depositas fuisse reliquas Sancti exuvias. Si insuper eo loco obiisse* S. Arnulphum *credas, ubi sepultum suspicaris, Sammarthanis assentieris. Certe ego hactenus nihil inveni, quod martyrologo Gallo faveat.* F

Colitur Vapinci, et Vindocini

4 *Certiora iis sunt, quæ de* S. Arnulphi *cultu dicenda veniunt. Ad hunc diem* XIX *Septembris, teste Mabillonio in Observationibus præviis, ejus in Vapincensi ecclesia festivitas celebratur ritu duplicis. Pari cultu illius agit memoriam annuam Vindocinense celebre Benedictinorum monasterium, quod Sanctus noster præclaris virtutum exemplis illustravit. Breviarium ecclesiæ Foro-Juliensis anno* 1529 *typis editum, de* S. Arnulpho *nostro hoc etiam die sex Lectiones et Orationem propriam præscribit. Illæ ex Actis nostris desumptæ videntur; hæc ita recitatur:* Deus, qui B. Arnulphum Confessorem tuum in terris vita laudabili decorasti, et in cælis gloria æterna sublimasti, ejus, quæsumus, suffragantibus meritis, vita nostra apud te commendetur.

AUCTORE J. C.

Sacris etiam Fastis nonnullus aliis S. Arnulphus *die* XIX *Septembris inscriptus legitur. Ferrarius suo Catalogo Sanctorum illum inseruit, ejus meminerunt Saussayus ceterique passim martyrologi Galli. Prolixius exstat* S. Arnulphi *elogium apud Dorganium, Menardum et Bucelinum, apud quos inter Sanctos sui Ordinis ad hunc diem locum habet.*

episcopatum adiit

5 *Porro Vapincum, ubi* S. Arnulphus *sacras infulas gessit*, Vapingum, Vapicum, *et* Vapigum *etiam, et indigenis* Gap *dicitur, unde Latini aliqui Scriptores* Guapincensem *et* Gapensem *urbem appellarunt. Est civitas Delphinatus, amniculo, seu rivo, quem* Bene *apud Blauium vocitatum reperio, apposita. Vapincensis ager Ebredunensi clauditur ab Ortu, a Meridie sejungitur a Provincia Durantiæ fluminis aquis, quibus secundo circiter milliari infra rivus, qui Vapincum alluit, immiscetur. Ratione jurisdictionis ecclesiasticæ ad provinciam Narbonensem secundam et Aquarum Sextiarum metropolim pertinet. Vapincum jam a tredecim facile seculis suos numerat sacros præsules; quorum tamen series est valde incerta : quippe* S. Arnulphus, *de quo agimus, a Sammarthanis recensetur ordine decimus tertius illius urbis episcopus, Dionysius vero in Gallia Christiana aucta decimum octavum in serie collocat. Nec certius est, quo anno Sanctus noster illam cathedram adierit, indeque ad Superos assumptus sit. Sunt, qui opinentur,* S. Arnulphum *Vapincensibus episcopum datum fuisse anno* 1055, *eamque dignitatem deposuisse, vel morte, vel alio certe casu interveniente, ante annum* 1060 : *alii contra arbitrantur, illum Vapinci non sedisse ante annum circiter* 1064, *tantumque decennio circiter post ad Superos translatum fuisse.*

anno circiter 1065,

6 *Primam opinionem sequitur Dionysius Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ auctæ colum.* 460 *in Episcopis Vapincensibus, ubi asserit, in Sancti Vita legi, consecratum et Vapincum missum fuisse illum a Victore secundo, qui Romanam cathedram ab anno Christi* 1054 *ad* 1057 *occupavit. At nescio, in qua id legerit vir eruditissimus* S. Arnulphi *Vita. Certe in Actis, tum nostris, tum Mabillonianis, tum aliis aliunde citatis, nullum uspiam verbum fit de Victore, sed ubique disertissimis verbis, non semel, at pluries dicitur ab Alexandro secundo morari Romæ jussus, atque deinde Vapincensi ecclesiæ datus episcopus : quæ funditus evertunt illius opinionis fundamentum, cum Alexander II Christi Ecclesiam non cœperit regere, ante annum Christi* 1061, *ante quem proinde Vapinci, qui ab Alexandro consecratus dicitur episcopus, non sedit* S. Arnulphus. *Melius hæc componuntur cum chronotaxi Sammarthanorum et Mabillonii, statuentium anno circiter* 1065 S. Arnulphi *episcopatus initium : sancto enim* Arnulpho *paucos saltem annos, quibus sub Alexandri II Pontificatu Romæ ad S. Priscam moratus sit, antequam ad sacras infulas promoveretur, concedendos recte arbitrantur.*

indeque ad Superos translatus est

7 *Iidem laudati Sammarthani opinantur, Vapinci sedisse* S. Arnulphum *annis circiter* 10, *mortuumque circa annum Christi* 1074. *Menardus Sancti obitum anno* 1070 *illigat. Mabillonius nihil definit et fatetur, annum incertum esse. Dionysius Sammarthanus jam sæpe laudatus, contendit* S. Arnulphi *mortem ante annum* 1060 *figendam esse, nisi forte deposuerit pedum, antequam e vivis excesserit. Tutissimum est in hac caligine Mabillonium sequi, neque enim occurrit aliquid, unde emortualis Sancti annus certo determinari possit; quamquam indubitatum videatur, illum in id temporis intervallum incidisse, quod Commentario præfixi. Certe nihil vetat illud extendere ad annum usque* 1079, *quo in epistola Gregorii VII Leodegarius Vapincensis episcopus invenitur, inter quem et* S. Arnulphum *non eruitur medius ex satis certis monumentis. At Ripertus Vapincensis episcopus anno Christi* 1060 *S. Victori Massiliensi dedit ecclesiam S. Petri de Rionia, atque iterum anno* 1075 *Bernardo abbati S. Victoris donationem facit in castello, quod* Traselens *vocatur, ad condendum monasterium : ita contra movet Dionysius Sammarthanus tom.* I. *col.* 461, *atque Ripertum, quem ab Hildrebando Victoris II legato propter Simoniæ labem sede expulsum arbitratur, rursus in seriem episcoporum reducit, postque* S. Arnulphum *nostrum denuo sedentem exhibet anno* 1060.

inter annum 1070 et 1079.

8 *Respondeo : mirum videri posse, non comparere chartas illas Riperti inter Instrumenta Vapincensis vel Massiliensis ecclesiæ, mirum non indicari locum, ubi legi et examinari possint. Earum mentionem non inveni apud Boucheum in Historia, Guesneum in Cassiano illustrato, Martenium in Collectione amplissima tom.* I, *Henricum Massiliensium episcopum nuper cum bonorum omnium luctu defunctum, Mabillonium in Annalibus, qui tamen res ad Massiliense S. Victoris monasterium spectantes, vel ex professo tractant, vel ita attingunt, ut plurimas donationum chartas et diplomata, quæ circa illa tempora præfato monasterio concessa fuerunt, vel citent, vel suis etiam Operibus inserant. Quamquam non est magna disquisitione opus : demus enim laudatas chartas sinceras esse, prima, quæ anno* 1060 *data legitur, nihil nobis oberit. Est enim mera Dionysii conjectura, Ripertum jam ante ab Hildebrando, qui postea Gregorius VII fuit, pulsum fuisse, et ad annum usque* 1065 *Vapincensem ecclesiam suis criminibus non maculasse. Quod si id etiam supponas verum esse, potuit expulsus Ripertus episcopi Vapincensis titulum retinuisse, si hic illi in laudatis chartis adscriptus legitur, et non est alius ab eo diversus. Atque hæc sufficiunt, ut etiam secunda charta, quæ anno* 1075 *data ab illo legitur, opinioni meæ non repugnet.*

Acta edenda sunt scripta a biographo, verosimiliter dudum posteriore.

9 *Restant nunc de Actis edendis eorumque auctore dicenda paucula. Acta Mss., quæ præ manibus habeo, olim ad Majores nostros missa fuerunt, et hanc præferunt verticalem notam :* Ex Ms. D. Du Chesne cosmographi regis Christianissimi. *Cum illis tam in omnibus conveniunt ea, quæ Mabillonius edidit in Actis SS. Ord. S. Benedicti Seculo* VI *part.* 2 *ex Ms. monasterii SS. Trinitatis, ut vix in paucissimis verbis discrepent. Biographi nomen et ætatem fatetur laudatus editor fuisse sibi incomperta, neque mihi occurrit aliquid, unde alterutrum certo eruatur. Observo tamen, non fuisse anonymum nostrum biographum* S. Arnulpho *æqualem, ut manifestum sit ex iis, quæ narrat num.* 14. In cujus sceleris testimonium, *inquit,* multo post tempore, cum sanctum corpus erigeretur de terra *(si de prima elevatione sermo est, illa contigit anno trigesimo post Sancti obitum, post quod proinde tempus hæc scripta sunt)* repertum est sanctum brachium cum pelle et carne integrum... in violenti percussoris testimonium brachii mutilatione cum sanguine purpureo, ac si recenter fieret, eminente, quod adhuc *(hinc non obscure sequitur, quod asserui : quo enim magis particulam* adhuc *extenderis, eo longius biographum a* S. Arnulphi *temporibus removebis)* in ecclesia Vapiensi cernere volentibus ostensum est. *Imo, quæ deinde numero* 17 *et seq. scribit, videntur suadere, illum aliquot etiam forte seculis post* S. Arnulphi *obitum scripsisse : etenim jam pridem ante illum Acta Sancti nostri scripserant Vapincenses, et*

A *et Vindocinenses, inter quæ non erat, quod narrat miraculum ex traditione vel relatione, ut apparet, non admodum recenti, subditque :* Locum autem, quo factum est istud miraculum, Cappam antiquitas nominavit. *Via profecto proavorum ætas recte antiquitatis nomine venit. Atque ex his esto judicium de Actis, quæ subjiciam.*

Historia lacrymæ Vindocinensis,

10 *Porro occurrit ibi prodigiosæ lacrymæ Vindocinensis mentio, circa quam sub hujus seculi initium acrem contentionem suscitavit Joannes Baptista Thiersus notus criticus. Narrant autem hanc Christi lacrymam, cum ad resuscitandi Lazari cadaver Salvator lacrymaretur, ab angelo ampulla exceptam fuisse, datamque Mariæ Lazari sorori. Inde quomodo Vindocinum pervenerit, variant, qui eam tuentur. Volunt plerique, prodigiosam guttam ab ipsa S. Maria Magdalena deportatam in Gallias fuisse, datam S. Maximino primo Aquensi episcopo, atque ab ejus obitu in ea servatam ecclesia usque ad Constantini tempora, quo imperante, Constantinopolim relata sit, ibique custodita usque ad annum circiter* 1042, *tum enim datam memorant a Michaele Paphlagone imperatore Gaufrido Martello, Vindocinensis mo-*B *nasterii conditori ad illum ab Henrico I Galliæ rege cum militum manu in subsidium contra Saracenos misso. Sunt autem, qui aiunt, Thiersum, ita hujus commenti ineptias demonstrasse, ut judicaverit Mabillonius, ejus defensionem tuto suscipi non posse. Defendit tamen is Vindocinensium causam quamvis ita, ut magis rigidas pro discernendis veris reliquiis Thiersi regulas evertat, quam rem ipsam probet, vel probandam suscipiat, data ad illustrissimum Blesensem epistola, quæ exstat inter ejus Opera posthuma tom.* 2 *pag.* 361, *ibique ita famosæ lacrymæ historiam refert. Aureæ capsæ sunt, in quibus servatur sacer thesaurus variis inscriptionibus insignitæ. Alia est antiqua fabrica arcuata, sub qua capsulæ recluduntur, variis elaborata iconibus. Utraque æri incisa exhibetur tom.* 4 *Annal. Bened. pag.* 535 *et seq. Atque ex his conjectat* 1, *sanctam lacrymam a Maria Lazari sorore acceptam primum, postea ad patriarcham quempiam Constantinopolitanum vel Hierosolymitanum pervenisse.* 2 *Imperatorem, nescio quem, illam dedisse quibusdam equitibus de se optime meritis, atque ab iis Frisingam de-*C *latam fuisse.* 3 *Nitkerum seu Nitkarium illius urbis episcopum sacrum thesaurum obtulisse Henrico cuidam, forte primo illius nominis Galliæ regi, vel Henrico III postea imperatori.* 4 *Ab alterutro ad Gaufridum vel conjugem ejus Agnetem, atque ab his ad Vindocinenses illum transiisse.*

oppugnata a Thierso et a Mabillonio defensa.

11 *His aliisque probationibus, quas ex inscriptionibus deductas in laudata epistola* exstantes *vocat,* literarias *ibidem adjicit. Chartas scilicet Joannis Crassi et Burchardi comitis, conditas sub finem seculi* XII, *anathemata deinde atque his similia, unde constet, ex illo tempore sanctam lacrymam Vindocini religiose cultam fuisse : ac denique subjicit hoc ipsum anonymi nostri testimonium. Ad hæc ita respondit Thiersus, data etiam ad eumdem Blesensem præsulem epistola, ut laudatus Mabillonius, qui prius non inepte dixerat, non esse quævis propter errores aliquot historicos rejicienda, atque prodigiosæ lacrymæ applicarat, quod olim Innocentius III lib.* 4 *de Missæ myst. cap.* 30 *de Jesu Christi præputio dixerat :* Melius est Deo totum committere, quam aliud temere definire, *postea in Annalibus loco citato rem omnem concludat his erudito candidoque viro dignissimis verbis :* Hæc si lacrymæ Christi veritatem non satis probant, saltem ejus antiquitatem ostendunt, et antiquam Vindocinensium nostrorum possessionem ab origine monasterii *(anno* 1032) assertam, et bonam *(quam turpissime impugnarat Thiersus)* eorum fidem. *Quod est sane verissimum. Atque hæc pro re nata brevibus dicta hic sufficiant. Plura qui desiderat, laudatos scriptores consulat.*

AUCTORE J. C.

VITA

Auctore anonymo,

Ex Ms. D. Andreæ du Chesne Cosmog. regis Christ., cum quo pene ad verbum convenit Ms. monasterii SS. Trinitatis Vindocinensis excusum a Mabillonio in Actis SS. Ord. S. Bened. Sec. VI *part.* 2.

E

CAPUT I.

S. Arnulphi natales, vita monastica et præclaræ virtutes.

Sicut fructiferas vinea fertilis nutrit et emittit gemmas, vitesque uberes prorumpunt in palmites, sic sacræ Religionis et ordinis monastici gratia viros nutrit industrios atque magnificos, sacræ obedientiæ, humilis sanctitatis, candidæ castitatis suscipit alumnos, divinis dogmatibus nutriendos. Hujus vineæ, id est hujus Religionis, et sacri Ordinis præcipuus et excellens incola enituit clarissimus monachorum pater et dux, meritis et nomine Benedictus, qui post se beatos homines imbuit regulis artis animos retundi, et colla semper jugo Domini subjugare. Ille vero Benedictus, tam per se, quam per suos discipulos, divina opitulante gratia, per mundi climata diversa monasteria construxerat; suis autem sequacibus recte vestigia F patris imitantibus, quamvis non habitu, mente tamen religiosi homines monachorum sacram conversationem conspicientes, ad honorem prædicti sancti Benedicti ad ædificandum monasteria de bonis, quæ Deus eis conferre dignatus fuerat, devotissime contulerunt, ut meritorum et orationum eorum participes fieri mererentur. *Proœmium.*

Vindocinensis monasterii,

2 De hac nempe vinea, id est, de hujus extensione religiosi Ordinis, per Prophetam Deus prædixerat : Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. Usque ad flumen extendit propagines B. Benedicti sanctorumque virorum Religio, cum divino miraculo sub nomine sanctæ et individuæ Trinitatis per Legdum *a* fluvium Vindocini monasterium est constructum. Hujus autem monasterii divino præmonitus oraculo fuit fundator tam venerabilis quam nobilis Gaufridus *b* comes Andegavorum cum Agnete uxore sua, diebus Clementis *c* Romani Pontificis, posueruntque ibi venerabiles monachos, quibus et dederunt patrem religiosum virum et venerabilem abbatem Odericum *d*, eosque ditavit comes pro victu et provisione monasterii sufficientibus

A. ANONYMO. cientibus redditibus. Alexander vero Papa *e* privilegiis præcellentibus, Deus autem suæ sanctæ lachrymæ *f* dono, per ministerium prædicti venerabilis comitis decoravit, abbati vero præcipuum filium et patrem, qui patri decus et honor, exemplis operum lumen fratribus exhiberet. Hic enim fuit beatus Arnulphus Vindocinensis monachus et alumnus, postea vero Vapiensi in ecclesia a prædicto Alexandro Romano pontifice Dei gratia præsul datus.

claris ortus natalibus,

3 Hic itaque beatus Arnulphus, Vindocini claris parentibus ortus, ab annis puerilibus literis traditus fuit imbuendus. Cœpit itaque circa religiosos cum incolis sanctæ et individuæ Trinitatis monasterii conversari, non sicut solent cæteri, quos doctrinæ vel gratiæ defectus cogit ad vicos, spectacula, vel theatra decurrere, sed bonorum et simplicium consortium sequebatur, nec signum malum in actibus suæ pueritiæ videbatur. Poterat enim in ejus vultu, nec non et actibus signum futuræ indolis prænotari, juxta hoc, quod dicit Sapiens: Ex studiis suis cognoscetur puer. Videns autem abbas venerabilem in Puero simplicitatem, contemplansque morum in animo teneri Pueri ma-
B turitatem, cum ad se benigniter accersivit, et ei collobium *g* tradidit monachale, non prece, nec pretio, nec amicorum, vel magnatum suavis favoris motus alloquio, sed sola Dei gratia, quæ abbatis maturam prudentiam, et bonitatis eminentiam commovebat.

alumnus fit S. Arnulphus, ubi variis

4 Adducitur igitur Puer bonæ indolis et voluntatis ad monasterium, spe comitatur claustralium consortium, non ut dominetur, sed ut serviat, ut jejunet, non ut comedat, non ut præeat, sed ut obediat, non ut ditetur, sed ut pauper fiat. Et cum majorem ætatem conscenderet, eo magis satagebat, ut virtutum apici semper ejus animus inhæreret. Ita beatus Arnulphus de mundo eripitur, in monasterio inseritur, in fontem vivus inducitur, ut de fonte vivus hauriatur, et in fontem insurgat, et cæteris fontibus et rivulus latices adaugescat, de labrusca botrus in vineam, de deserto lilium proferatur in viridarium, ut plus fructificet, et odorem suum longius hinc exhalet. Hic est, de quo scriptum est: Justus florebit, in domo Domini plantatus; et iterum: Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Sicut cedrus Libani multiplicatus fuit, cum in monasterio præ cunctis Fra-
C tribus scientia et Dei sapientia, cunctisque virtutibus enituit et ad summum gradum sacerdotii meruit promoveri.

mox fulget

5 Cum igitur incepisset sic beatus Arnulphus in domo Domini operari, ut nihil bonæ indolis deficeret, erat enim pietatis rore propitius, prudentia strenuus, humilitate gratiosus, castitate et pudicitia gloriosus, sobrietate succinctus, quietus et pacificus, pervigil in orationibus, carnem jejuniis macerabat, corpus spiritui servire cogebat, in obedientia primus, in patientia placidus, in omni familiaritate conspicuus, diligebat paupertatem, perpendens in omnibus honestatem, nihil propter corpus agebat, in omnibus ad salutem animæ laborabat, amore Dei fervebat, fervore charitatis abbatem et Fratres omnes præcipue diligebat, nullum lædens, nullum diffamans, nulli detrahens, sed cum timore Dei cunctorum obsequio promptus erat.

virtutum ornamentis.

6 Talibus, ut prædiximus, placere meruit Deo et hominibus, juxta id, quod scriptum est; Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est. Talem Deus illum exhibuit, ut abbas prudenter Filium diligeret, in omnibus illum consuleret, sine eo nihil ageret, semper secum D
omnia faceret, et nullus propinquior ei esset. Non sicut adulatores, qui, ut possint obtinere administrationes monasterii, proficere student abbati, sed in omni fidelitate, magis quam sibi, reliquis et reipublicæ monasterii proficere laborabat. Non ordinationem mandatorum nostri patris sancti Benedicti prævaricari, vel sibi mulcere vel minuere satagebat, sed etiam augebat. Timebat enim semper, quod suæ saluti animæ satis laborare non posset, juxta illud, quod in Evangelio scriptum est: Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus.

Cum abbate Oderico Romam proficiscitur

7 Eo tempore venerabilis abbas Odericus propter negotium *h* monasterii Romam adiit, ut cum Alexandro papa haberet colloquium; nam idem Alexander dictum monasterium curæ multum habebat, eo quod in diebus suis divino miraculo constructum fuerat, ut præcipue abbatem et monachos diligeret. Duxit autem abbas secum beatum Arnulphum, merito sibi cæteris plus dilectum. Cum vero adessent, et Papæ consortium frequentarent, vidit Alexander Papa beatum Arnulphum elegantem et placidum, bonæque conversationis E
religiosum virum, et eum corde cœpit diligere. Quoniam fuit honesta dilectio, celare diutius noluit, sed abbati benigniter indicavit. Petiit itaque, ut beatus Arnulphus prope mansionem suam moraretur, ut sancti Viri visione et ejus grato necnon utili colloquio sæpius frueretur. Est enim ibi satis prope ecclesiam beatorum Petri et Pauli ecclesia *i*, in honore Dei ac beatæ Priscæ virginis et martyris in monte Aventino dedicata, quæ data fuerat monasterio sanctæ et individuæ Trinitatis. In hac ecclesia petiit Alexander Papa, ut beatus Arnulphus monachus moraretur, cujus petitionibus abbas humiliter obedivit.

ibique Alexandri secundi jussu moratur.

8 Mansit igitur beatus Arnulphus Romæ in prædicta ecclesia prope mansionem Alexandri Romani Pontificis. Gaudebat enim dictus Pontifex de affinitate ipsius ac consortio, et quanto plus Beatus ipsius consortium frequentabat, tanto plus Papa sanctum Arnulphum et ardentius diligebat. O quam amanda et venerabilis est dilectio, quam solius castitatis procurat operatio, nec prosapiæ sublimitas, nec divitiarum fallacitas, nec munerum aut conviviorum prodigalitas, sed solius charitatis incomparabilis bonitas. Iste vero beatus Arnulphus non erat de genere regum ortus vel principum *k*, F
nec divitiarum pomposus affluentia, sed sola Dei gloriosus erat gratia. Pauper enim erat et modicus, vilibus, ut decet monachum, protectus vestibus: eo magis religiosus Pontifex religiosum Monachum diligebat, quem tum humiliorem spiritu et viliorem habitu conspiciebat. Ejus grato et amabili gaudebat colloquio, ejus sancto et utili fruebatur consilio. Ipsius consilii sermonem apud se dicebat auctoritatem, in eis maxime, quæ ad Deum pertinent et ad animarum salutem. Non propter tanti viri summi Pontificis obsequium, suum sanctum mutavit propositum, sed magis ac magis cum humilitate se servabat inolitum, in paupertate conspicuum, castitatis floribus decoratum, nihil terrenum, nihil carnale concupiebat, sed cælestem patriam totis viribus anhelabat,

ANNOTATA.

a *Gallice* le Loir, *Latine Lædus et aliis* Ledericus, *fluvius est comitatus Andegavensis ab Ortu in Occidentem Andegavum versus fluens. Illi aliquot ab ortu milliaribus Vindocinum impositum est,*

A *est, unde Flexiam devehitur. Vidocinum porro, indigenis* Vendôme, *castrum est, quod Galliæ tractui in Belsia provincia nomen dedit, ducatusque gaudet titulo. Vindocinensis ager agro Pertico a Septentrione, Blesensi ob Ortu, provincia Turonia a Meridie et Cenomanensi clauditur ab Occasu. Ita fere Baudrandus. Monasterii ibidem conditi initia ad annum* 1032 *refert Mabillonius in Annal. tom.* 4 *pag.* 378.

b *Gaufridi Martelli, de quo hic agitur, gesta pluribus descripta habes tom.* 10 *Spicilegii Acheriani inter Acta consulum Andegavensium. Agnes ejus uxor comitissa, primum nupta fuerat Willelmo Magno Pictonum comiti, ex quo Agnetem filiam susceperat, Henrici III uxorem. Mabillonius ait, incesto conjugio junctam illam fuisse Gaufrido, a quo deinde toro expulsa fuit. De his plura qui desiderat, Mabillonium adeat in Annal. ad annum* 1032 *num.* 2 *et sæpe alibi.*

c *Animadvertit laudatus Mabillonius, biographum nostrum male Vindocinensis monasterii exordia sub Clementis Pontificatu figere, cum ille tantum anno* 1046, *sexcennio scilicet post jam dedicatam ecclesiam, Romanam cathedram adiverit.*

B d Odericum, *quem etiam* Orricum *et* Auricum *appellatum invenio, Sancti titulo condecorat Ferrarius in Notis ad suum Sanctorum Catalogum, hoc die* XIX *Septembris. Illo ceteri abstinent, neque ejus nomen ullis sacris Fastis inscriptum reperi. Laudatus sæpe Mabillonius in Annalibus ad annum Christi* 1040 *num.* 21 *putat, Odericum anno* 1044 *successisse Rainaldo, qui primus fuit Vindocinensis monasterii abbas; ibidem tamen pag.* 466 *Rainaldi mortem anno* 1045 *illigat cum initio præsulatus Oderici, quem ad tringinta octo annos extendit, licet iterum anno Christi* 1082 *ejus obitum referat.*

e *De Alexandro II, qui anno* 1061 *Romæ sedere cœpit, hæc intellige, ut deinde num.* 9 *expressis verbis scribit. Ille porro præter alia beneficia, Vindocinensibus monachis datam ecclesiam Romanam S. Priscæ confirmavit, ejusque abbati Oderico et successoribus in perpetuum presbyteri Cardinalis dignitatem sub ejusdem S. Priscæ titulo concessit. Consule, si lubet, Bullam tom.* 4 *Annalium Benedict. in Appendice recusam pag.* 752.

f *Vide, si lubet, Commentarii prævii num.* 10 *et seq.*

C g *Colobium a Græco* χολοβὸς *curtus vel mutilus, inquit Cangius in Glossario, erat tunica absque manicis saltem longis, quæ ultra cubitum pertingerent. Fuit vestis aliquorum monachorum propria; unde Cassianus de Habitu monachi cap.* 5. Colobeis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus.

h *Fuit negotium illud, quod secundo Odericum Romam impulit, verosimiliter vexatio aliqua, quæ fecit, ut confirmationem privilegiorum sui monasterii apud Pontificem sollicitaret. Confirmavit illa amplissime Alexander II, Bulla citata ad lit.* e, *dataque* 8 *Idus Maji, Pontificatus ejus anno* 2, *Christi* 1063. *Quæ omnia conspirant, ut initium episcopatus* S. Arnulphi *anno circiter* 1065 *statuatur. Vide comment. præv. num.* 5. *et seq. Ceterum miraculum, quo constructum Vindocinense monasterium hic memorat biographus, non aliud videtur fuisse a visione, quæ construendo occasionem potius tribuit, narraturque in Acherii Spicilegio tom.* 10 *pag.* 482. *Aspectantibus scilicet sidera Gaufrido et Agneti visæ sunt tres stellæ puteo illabi, super quem, consultis religiosis de ea visione viris, altare SS. Trinitati, et monasterium ædificarunt.* A. ASORTUO.

i *De Vaticana agitur, quæ procul abest a S. Priscæ ecclesia. Hinc mihi hæc suspecta sunt.*

k *Nisi hæc interpreteris de* S. Arnulpho, *qui se jam omnibus exuerat, hinc colligi videtur, non fuisse Sanctum parentibus ortum admodum claris, quod aliqui facile conjectarent ex num.* 3.

CAPUT II.

S. Arnulphus ad episcopalem cathedram promotus jura Ecclesiæ defendit et miraculis clarus moritur.

Cum igitur beatæ memoriæ Alexander secundus Apostolico fungeretur officio ac Vapiensium ecclesia, Simoniaca reperta intronizatione cujusdam *a*, jamdudum attrita ingluvie, pastoralis curæ careret auxilio, universi populi habito consilio, clerus supradictæ ecclesiæ præmemorati papæ præsentiam adiit, et ut laboranti eorum misereri dignaretur basilicæ, non inexauditis precibus postulavit. Quorum justis petitionibus et honestis ipse volens satisfacere, circumspexit animo diligenter, quem inveniret, qui tali sacerdotio fungeretur. Nec invenit in conscientia, divina cum illo disponente gratia, beato Arnulpho honestate, moribus et sapientia digniorem. Considerans igitur illud Evangelium, quod ipsius ore Veritatis dicitur, Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, sed super candelabrum, ut, qui in domo sunt, lumen videant, Vapiensibus tradidit beatum Arnulphum, erat enim lucerna lucens intentionis bonæ, nec non operationis lumine, qui doctrinæ et prædicationis suis fulgeret sermonis claritate. *Vapincensi ecclesiæ præficitur* E

10 De hoc iterum recte dicitur, Beatus ille servus, quem constituit Dominus super familiam suam. Susceperunt igitur Vapienses beatum Arnulphum episcopum gaudentes et laudantes Dominum, cujus gratia talem meruerunt habere patronum, Ipse vero beatus Arnulphus pondus suscepit pontificii, non honoris fastigium ambiens, non divitiarum cumulum cupiens, non suis carnalibus bona ecclesiæ vel præbendas præbere carnaliter intendens, non vana motus gloria, sed sola motus Dei gratia, Romanique Pontificis obedientia; non ut præeat, sed ut obediat, non ut dominetur, sed ut serviat. Onus suscepit, non honorem, non requiem, sed laborem, juxta præceptum Apostoli dicentis : Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, non ut præsit, sed ut prosit. *S. Arnulphus, et invicta* F

11 Igitur pontificali cathedra sublimatus, cum suscepisset dignitatem, non mutavit animi paupertatem, sed simplex et humilis, misericors et amabilis, studens omnibus proficere, sibi nihil gestiens attribuere, sed sui gratiam laborat in omnibus acquirere Conditoris ovibus. In omni suo judicio libram rectam diligere satagit justitiæ, nec timet homines, sed propter justitiam multa pericula, multos lacescentium latratus sustinuit et labores. Cum vero tunc temporis censuræ ecclesiasticæ satagerent contraire, ipse fortis Athleta lorica circumtectus justitiæ, non permittens pravorum pedibus jus et censuram Ecclesiæ conculcari, sancti Spiritus accinctus gladio, suæ eruditionis clypeum, non *animi fortitudine jura Ecclesiæ defendit*

A. anonymo. non deses aut remissus viriliter iis objecit. Inter eos erat quidam malignus persecutor, claves sanctæ matris ecclesiæ vilipendens. Cum in eum sæpius excommunicationis sententiam intulisset, et sanctum Episcopum et ipsius sententiam contempsisset *b*. vili morbo arreptus, et subita morte turpiter rapitur ad extrema. Sic occulto Dei judicio factum est, ut quemquam ulterius non moveret præsumptio, sanctionibus, maxime beato Arnulpho pontificalis cathedræ tenente regimen, insultare.

et multis 12 Ut vero divinis illuminata radiis beati sanctitas Pontificis clarius emineret, voluit divina dispensatio Servum suum miraculis multimodis decorare. Cum itaque quadam die sanctus Arnulphus manus ablueret, venit ad eum quidam cæcus suppliciter postulans, ut ei benedictionis subsidium largiretur, videlicet, ut eo subveniente, qui solvit compeditos et cæcos illuminat, ipsius meritis visum recipire se gauderet. Audita oratione cæci hominis, Sanctus ex aqua, quam manibus acceperat, cum digitis infundit in oculos, et illico cæci vigor divinitus respiravit. Quod videntes clerus et populus Deo, qui per Sanctum suum B cæcum illuminaverat, gaudentes gratias retulerunt. Interea fuit sanctimonialis multis diffamata criminibus, uno quidem pessimo crimine inter cetera perpetrato, solo Dei judicio, sic arrepta a dæmonio fuit furibunda, ut necessario catenis ferreis vinciretur. Quam sanctus Arnulphus conspiciens, fusa oratione, signo Crucis dæmonem expulit, santimonialem dissolvit, et, a Deo impetrata venia, restituit sanitati.

miraculis 13 Cum sanctus Pontifex ecclesiam consecraret, accidit, ut quidam temerarius in altum conscenderet, qui cum inordinate conscendendo se gereret, lapsu gravi corruit in terram, et sic graviter membris totoque corpore lapsus est. Quod beatus Arnulphus audiens, accurrit velociter, et pietate motus, pro eo rogavit Dominum, ut miseri misereretur, et, facta oratione, miser et fractus illico restituitur sanitati. Cum vero inimici quidam Ecclesiæ, imo Dei, censuram Ecclesiæ deprimere satagerent, Deum præ oculis non habentes, sacrosanctæ matris Ecclesiæ claves vilipenderent, Dei Viro viriliter obsistente, accidit, ut quidam temerarius filius iniquitatis, spiritu seductus dæmonico in sanctum Patrem manus dirigeret violentas, C et, arrepto gladio, brachium mutilavit.

clarus 14 In cujus sceleris testimonium multo post tempore, cum sanctum corpus erigeretur de terra *c*, repertum est sanctum brachium cum pelle et carne integrum, hærentibus pelli pilis, ac si viveret, et in violenti percussoris testimonium brachii mutilatione cum sanguine purpureo, ac si recenter fieret, eminente, quod adhuc in ecclesia Vapiensi cernere volentibus ostensum est. Noctu sequente diem, quo sanctus Pontifex mutilatus est brachio, arreptus est morte subita impius percussor, et gehennæ dæmonibus mancipatus. Nam, sicut ait poëta, Semper enim Deus injustas ulciscitur iras : et ut sanctus Vir agnosceret, quali vindicta, vel quali justo judicio Deus pastorem ulciscitur, impium ei per visum gehennæ incendio damnatum perpetue revelavit.

moritur. 15 Evitatis mundanis latebris, superatis carnis illecebris, effugatis errorum tenebris, hostis antiqui pulsis insidiis, cum divinæ dispensationi placuit, sancti Pontificis dies affuit, qua talentum sibi traditum ab eo Deus expetiit, et ad se Servum bonum et fidelem benigniter accersivit. Reddidit igitur pater venerabilis et sanctus pontifex Arnulphus gaudens et confidens terræ corpus *d*, D et cælis animam, eam angelis sibi sociantibus, ubi bravium vitæ suscepit immortalis. Ad sancti corporis ipsius tumulum illuminati sunt cæci cumvenientes, surdi, claudi, muti, leprosi, et omnes infirmi gavisi sunt, se restitui sanitati. Ater morbus ipsius meritorum solo medicamine radicitus eraditur et curatur, sunt et vitæ mortui restituti.

16 Unum de miraculis istius sancti Pontificis cum præponendum fuisset, quia nimirum necesse fuit, ad ultimum transtulimus describendum, eo quod a Vapiensibus, quibus fuit pontifex, et qui noverant, cætera inter descripta miracula nullatenus reperimus *e*. Vindocinenses enim de ipsius actibus conscripserunt, sed tamen usque nunc, hujus fama miraculi a nemine delata : et pium est credere, tot et tantis meritis tantum miraculum evenisse. Est enim miraculi talis famosa relatio. Cum beatus Arnulphus Vapiensis ecclesiæ cathedræ sumpsisset regimen a Romano Pontifice, venit Vindocinum. Ut autem erat benignus et obediens et affluens visceribus charitatis, quatenus ab abbate et benedictionem et licentiam acciperet, et Fratribus suis dilectionis et charitatis osculo potiretur, et se eorum orationibus commendaret. E

Ejus pallio aquis exstinctus

17 Cum igitur accessisset ad introitum castri Vindocini, vidit juxta ripam fluvii Legdi quemdam puerum nudum et defunctum, qui casu fortuito, cum in aqua lasciviendo corpus immergeret, submersus fuerat, et cunctis cernentibus mortuus apparebat. Quod videns pius Vir et misericors, motus visceribus pietatis et miserens, nudo cadaveri quoddam pretiosum pallium, quod habebat, exposuit, et eo cadaver operuit nudum. Quo facto, tantæ charitatis operi Deus volens dilectionis suæ Viro sancto signum certum ostendere, animam corpori defuncto restituit, et cunctis cernentibus apparuit puer vivus. Sanctus vero pallium monasterio sanctæ Trinitatis obtulit, et de eo cappa *f* facta fuit. Locum autem, quo factum est istud miraculum, Cappam antiquitas in ejus memoria nominavit, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

puer ad vitam revocatur.

ANNOTATA.

a *Ripertus hic designatur Vapincensis pseudoepiscopus, qui usque eo Simoniaca labe infectus fuit, ut teste Honorato Bouche in proverbium abierit* Simonia Ripertina. *Quo anno eam cathedram invaserit, cuive successerit incertum est. Mabillonius hic Feraldum illi præcessorem assignat, Dionysius Sammarthanus Radulphum illis medium inserit. Consule Comment. præv. num.* 5 *et seqq.* F

b *Fortene is ipse est, de quo ita narrat Dionysius Sammarthanus?* Communionem interdixit S. Arnulphus cuidam militi nomine Laidet, domino de Charance, qui canonicum ecclesiæ Vapincensis acerbius tractaverat ; qui etsi delicti veniam Romæ obtinuisset, postea tamen, cum in S. Arnulphum debacchatus esset, fortuito casu canterii mox interiit miserrime. *Sed nec satis conveniunt omnia, nec adfert sui asserti vadem.*

c *Ex his numero ultimo Commentarii prævii deduxi, biographum nec* S. Arnulpho *contemporaneum, nec forte supparem fuisse.*

d *Incertum est, quo anno obierit. Nihil velat episcopatum ejus usque ad annum* 1078 *extendere, ut ostendi Comment. prævii num.* 7 *et seq.*

e *Fallor, nisi ex his omnibus sequatur, biographum*

A *phum longe Sancto posteriorem esse. Vide Comment. prævii num.* 9.

f *Notat Mabillonius Vindocinenses cappam illam hodieque inter sacras reliquias asservare.*

DE S. LUCIA DE MONTE VIRG.

SAMPINIACI IN LOTHARINGIA

SYLLOGE

Ignota martyrologis classicis et vulgaribus S. Lucia colitur Sampiniaci in Lotharingia.

Sanctæ Luciæ *nostræ nuspiam mentionem invenio in Martyrologiis vulgaribus. Dempsterus Historiæ ecclesiasticæ gentis Scotorum librum undecimum orditur ab ejus elogio. Camerarius libro de Scotorum Pietate ad diem* XXI *Septembris de* S. Lucia *aliqua collegit ex Officio, ut ipse testatur, perantiquo. Inter catalogos Sanctorum Scotiæ et Hiberniæ, quos habemus plurimos, unum reperi olim missum ad Rosweydum a*
B *P. Sebastiano Vito, in quo* S. Lucia *hodie nuntiatur. Pater Franciscus Lahier in Menologio sanctarum Virginum, edito Insulis anno præteriti seculi* 45, *tom.* 2 *pag.* 393 *locum Sanctæ nostræ dedit, ejusque laudes ex monumentis loci, Camerario et aliis prosequitur, atque eodem cum Camerario die* XXI *Septembris obiisse sanctam Virginem tradit. At, nisi dies ille Sampiniaci* S. Luciæ *festus est, rationem ignoro. Certe infra num.*8 *disertis verbis decimo tertio Calendas Octobris ad Superos translata dicitur. Porro idem Lahierus anno deinde* 1648 XX *Julii epistolam dedit ad Bollandum, cujus, quod huc spectat, tale est fragmentum :* Habemus in Lotharingia Sampiniaci, ubi vitam exegit *(S. Lucia,)* sacrum ejus corpus. Ibi ecclesiam habet, et peregrinatio frequens est ad montem. Officium festi Vitam continet in Lectionibus. Titulus est : Officium beatæ Luciæ virginis de Monte, Ad Matutinas, ad Missam et ad utrasque Vesperas. *Officium, quod transmissurum se laudatus Lahierus spondet, pridem* anno 1648 a clarissimo viro Joanne Jacobo Chiffletio ex Ms. codice montis S. Luciæ *acceperat Bollandus, ut ipse in margine annotavit. Ex illo, vel simili desumpserunt pene omnia, quæ-*
C *cumque Dempsterus, Camerarius Lahierus de* S. Lucia *protulerunt.*

Officium de Sancta,

2 *Paucula, quæ apud ipsos nova sunt, subjiciam; at in aliorum instrumentorum penuria prius exhibeo Officium eo ordine, quo transcriptum est : omissis tamen iis, quæ ex communi Virginum sparsim interjecta sunt.*

Responsorium in primis Vesperis :

Extremum peragens felix Lucia laborem,
Virgo Beatorum merito perrexit in arcem,
Qua divina videns diademate virginitatis
Fulgebit semper. * Tua nunc solatia præbens
Sydereum Regem nobis deposce favere.

Versiculus :

Implora veniam, cura nos, cuncta secunda,
Ore jugi mala nostra fuga, pete commoda solers,
* Tua nunc etc. Gloria Patri etc.

Hymnus :

Sanctæ Luciæ præconia
Vox una promat omnium,
Laude redundent labia,
Vocem præformet gaudium.
Virgo prudens et humilis,
In vase custos olei,
Lampas inextinguibilis,
Luce refulsit fidei.
Sexus oblita fragilis,
Manum misit ad fortia,
Signis et vita nobilis,
Coöperante gratia.
Simplici laus essentiæ,
Patri, Proli, Paraclyto,
Qui nos conformet gloriæ,
Pro sanctæ Luciæ merito.

3 Antiphona ad Magnificat :

ex antiquo codice ad nos olim

Sponsa Dei Lucia memor * ... esto catervæ,
Quæ tua gesta canens, a te petit auxiliari :
Natalis dum grata tui solemnia pollent,
Et te quærentes scelerum fac peste carere.

E *forte nostræ*

Ad Matutinas horas invitatorium :

Præcelso Regi, cui machina subjacet orbis,
Qui sibi sacravit Luciam dote beatam,
In labiis hujus memores et corde canamus.

In i Nocturno Antiphona : Spetiosa virgo Lucia, dum carnales sprevit illecebras, superni Regis promeruit gratissimos amplexus.

In 1 Nocturno responsorium : Beata virgo Lucia, præstita sibi divinitus a primæva ætate gratia, * immaculato corpore, nec non mente Christo perpetuum exhibuit famulatum.

Quam fælices tantæ sobolis genitores, quæ in hoc sæculo præcipuarum vinculis ligata virtutum. * Immaculato etc.

4 In 2 Nocturno responsoria : Advenisse Montem ejus sacrum corpus Virginis in regione latere non potuit. Tamquam audirent vocem ejus de excelso : * Salus sum omnium : venite qui laboratis ad me.

missum antiphonas

3 ℟ Tu nostris adhuc miseris animabus et corporibus sanitatem imploras. * Salus sum etc. F

Flos sudans rorem ascendit ad montis honorem,
* Et super hunc florem Deus inspiravit odorem.
Flos, virgo, ros, grata salus, odor, aura salutis.
* Et super hunc etc. Gloria Patri etc.

In 3 Nocturno. Antiph.

Multorum dulci medicamine vulnera curans,
Aula Dei radians, domus et Deitatis amica,
Fer curam nostri, nobisque benigne faveto.

In 3 Nocturno responsoria : Carnis terens adolescentiam, Dei tantum quærens notitiam, * Regnum linquens, notos et patriam, gressum vertit in Lotharingiam.

Optans Christo sponso conjungi, voluntarie mundanam vicit gloriam. * Regnum linquens etc.

2 ℟. O lampas Ecclesiæ rivum fundens olei, medicina gratiæ, nutrimentum fidei * Tutelam præsta pavidis, calorem minus fervidis, languidis medelam.

In te veritas oliva fructifera, cujus lucet puritas, et resplendent opera. * Tutelam præsta etc.

6 Ad

AUCTORE J. C. *et Lectiones habet proprias,*

5 Ad Laudes antiphonæ. Venerabilis virgo et prudens Lucia, spretis mundi floribus, Regis æterni promeruit gratissima fieri famula.

Gaudia festivæ præcurrant ora diei Christicolæ plebis, celebrat quæ læta virgineum decus ad laudem Domini Luciam.

Hæc est Virgo nitens, quæ clara jam te sponso obviam processit, factura perenniter illi obsequii pensum, Divis sociata choræis.

Aula capax lucis, verique domus pia solis,
Quæ medicante manu miseros compassa fovebas;
Nunc, petimus, nostris occure per omnia morbis.
O felix Ancilla Dei, nos pondere pressos
Exonera, et fessos mordacibus exue culpis,
Ætheris et pateat, te supplice, janua nobis.

Antiphona ad Benedict. Gloriosam Christi Sponsam nobilemque virginem glorificemus Luciam laudibus, postulantes, ut, eadem supplicante, perfrui paradisi mereamur gloria per sæcula.

Ad Magnificat antiphona : O virgo Lucia, virgo prudens et honesta, ægrotos cura, mœstis solatia præsta, cum prece devota famulatum suscipe et vota, et cæli porta per te sit nobis B aperta.

quæ sanctæ gesta continent. Ex paterna Scotiæ aula * Lect. 1

6 * Venerabilis virgo beata Lucia, ancilla Dei devota, regis Scotiæ filia devotissima, a primæva ætatis infantia in palatio parentum honorifice fuit nutrita, ac eleëmosynis larga, in vigiliis et orationibus continua, in jejuniis et bonorum operum exhibitionibus perfecta, ecclesias Dei frequentans, jugiter in laude Christi permanens. A sacerdotibus et ministris Christi frequenter requi- * Lect. 2 rebat tota dilectione mandatorum Dei viam. * Quadam die, dum esset in ecclesia, audivit verba sancti Evangelii prædicare; Si vis esse perfectus, vade et vende omnia, quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me. Et alias : Amen amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia et sequuti estis me, centuplum accipietis et vitam æternam possidebitis. Qua de re toto corde succensa, totam se subegit servitio Christi, ut tantæ consors esse mereretur promissionis. Ab illo ergo die cogitavit abnegare se, patriam derelinquere et alienam terram adire.

clam aufugit et Sampiniaci subsistit miraculo retenta, * Lect. 3

7 * Quid amplius moram facio? In nomine Dei iter arripuit, Franciam pertransiens, Lotharingiam, Domino ducente, pervenit. Factum est autem dum supra Mosam in episcopatu Virdunensi staret, quasi ex miraculo divino aquæ creverunt in tantum, quod ultro transire nequiens, in monte ibi propinquo hospitari voluit. Ibidem vero quemdam virum Deo devotum, nomine Theobaldum, invenit, qui eam benigne recepit, ac sibi de bonis a Deo collatis abundanter distribuit. Et beata virgo Lucia cum bono viro per longa tempora permansit, nec non in bonis operibus semper intenta extitit, juxta verba Apostoli, dicentis : Qui non laborat, non manducet. Nam gloriosa Puella de die oves pascebat, et de nocte secreto loco nere vole- * Lect. 4 bat. * Per lapsum vero temporis, divina disponente gratia, hospite ejus, uxore ac eorum liberis defunctis, beata Lucia sola in bonis temporalibus eorumdem successit. Temporalia in spiritualia convertens, ecclesiam in honorem sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, gloriosæque Virginis Mariæ, beatorum Petri et Pauli apostolorum in propria domo ædificavit. Dicta autem ecclesia nunc in honore beatæ Luciæ virginis consecrata est, ac in illis partibus a Christi fidelibus solenniter venerata.

* Lect. 5 8 * Dum adhuc viveret in corpore in prædicta ecclesia per totam vitam suam devotis orationibus D et obsequiis Deo humiliter servitium exhibuit. Vixit autem non solum corpore pudico semper, sed et animo, fidei, charitatis ac spei vinculis radicata, in seculo amplius quadraginta annis. Defuncta est vero plena dierum tertio decimo Kalendas Octobris, humataque in pace in basilica in monte sita, in medio ejusdem ecclesiæ. * Post transitum beatæ virginis Luciæ sepulchro ejus lampas assignata serviebat, quæ instar scaturientis fontis olei rivos derivabat, accedente quoque miraculo, derivatum oleum languentium dolores mirabiliter curabat, in tantum pariter in melius mutata natura. Arsit enim ignis in lampade præter olei consumptionem, lampade mutata in fontem olei in medicinam. Itaque de miraculo corporis lampadis miracula corporum operatur in terris, sed veriores rivos sinibus animarum infundit, de mensura bona et coägitata et supereffluente in cælis. Quapropter jam dignum est, ut dignis eam laudibus glorificemus, suppliciter postulantes, ut, ea intercedente, a peccatorum nostrorum vinculis in sæculo sic absolvamur, quatenus, tribuente Christo, requie perenni perfrui mereamur. Qui vivit etc.

ubi hospitis sui ditata bonis, ecclesiam exstruit, sancte moritur et miraculis fulget. * Lect. 6

E

De Actorum fide certi nihil statui potest.

9 *Porro exiguam fidem hæc qualiacumque Acta merentur, ut solent, quæ in Lectionibus dudum post Sanctorum obitum scribi solitis, reperiuntur, nisi constet, unde primitus desumpta sint, quod hic scire neutiquam licet. Antiquus quidem codex erat, quem vidit Camerarius, at ut ex codicis antiquitate de Actorum merito caute judicaretur, sciri certe deberet tempus, quo Sancta obiit. Atque hoc tamen tam est incertum, ut frustra quis divinare tentet. Nihil occurrit uspiam, unde vel ad ducentos annos conjectura restringi possit. Solus nominatur Theobaldus, qui tam est ignotus alibi, ut nullum ejus vestigium inveniatur. Nec enim volet, opinor, quispiam Theobaldum hunc sibi fingere Barri comitem, in Historia Lotharingiæ celebrem, qui et liberos post se reliquit, et seculo* XIII *vixit. Undecumque Acta profecta sint, verisimile est scriptorem Sanctæ tempore propinquum præteriturum non fuisse regis nomen, cujus filiam prædicat, celeraque adjuncta plurima, ut contemporanei et suppares solent. Quæ, cum ubique desint, suspicari licet, Acta tam concisa et vaga multis forte etiam seculis posteriora esse, unde eorum fides vacillare potest. Profecto vereor, ut solo incerti hujus scriptoris testimonio satis probetur eruditis,* S. Luciam F *fuisse regis cujusdam Scotiæ filiam, atque ex Catholica parentum aula Sampiniacum clam aufugisse. Sunt enim non pauci, qui, nec plane immemerito, suspecta habent, quæcumque ex illis oris huc, incertis vectoribus, nec debitis munita testimoniis transvehuntur. Eorum suspicionibus indulgere non lubet, cum nihil occurrat, quod, utut dubiam Actorum, fidem aliquo modo elevet. Illud ex iis, quæ jam dixi et ulterius proferam, certum est, coli Sampiniaci sanctam virginem* Luciam, *multis miraculis claram.*

Certus tamen cultus est.

10 *Sampiniacum porro, indigenis* Sampigni, *fuit olim castrum non una bellica expeditione celebre. Hodie pagus est in Occidentali Mosæ ripa, et extremis Virdunensis diœcesis finibus ad Meridiem. Haud procul inde collis visitur, cujus vertici imposita est ecclesia, in qua* S. Luciæ *sacræ reliquiæ quiescunt, multoque accolarum concursu celebrantur. Ab illo colle, ubi RR. PP. Ordinis S. Francisci de Paula, quos Minimos vocant, domicilium habent, quemque sancta Virgo, dum viveret, virtutibus et post obitum miraculis illustravit, cognomentum, opinor,* de Monte *sortita est. Dempsterus laudatus*

A *laudatus refert, fontem ex ejus sepulchro natum varios languores sanare, illique subscriptos legi versus tres :*

Flos sudans rorem ascendit ad montis honorem,
Et super hunc florem Deus inspiravit odorem,
Flos, Virgo, ros, grata salus, odor, aura salutis.

Illene fons etiam hodie scaturiat in ecclesia S. Luciæ *dicata, mihi incompertum est. Prodigium aliud his addit Lahierus : nimirum eo loci, ubi gre-* D *gem pascere solebat Sancta, crescere usque hodie lignum insolitæ speciei, natum, ut creditur, ex* S. Luciæ *colo terræ infixa, atque revirescente. Faciunt, eodem teste, ex eo ligno globulos precatorios indigenæ, iisque contra varios utuntur morbos, Sanctamque manu colum tenentem ovesque pascentem passim depingunt. Quorum omnium sit apud laudatos scriptores fides.*

DIE VIGESIMA SEPTEMBRIS

SANCTI, QUI XII KAL. OCTOBR. COLUNTUR.

S. Eustathius, S. Theopiste uxor ejus, S. Agapius filius, B S. Theopistus filius — MM. Romæ.

S. Theodorus, S. Philippa mater ejus, S. Socrates, S. Dionysius — MM. Pergæ in Pamphylia.

S. Fausta, S. Evilasius et forte S. Maximinus aut Maximus — MM. Cyzici in Hellesponto.

S. Joannes Ægyptius martyr in Palæstina.

S. Artemidorus, S. Thales aut Thalelæus — MM. culti Constantinopoli.

S. Priscus martyr, cultus Constantinopoli. E

S. Dionysius, S. Privatus et forte S. Dorotheus — MM in Phrygia.

S. Susanna Virg. M. Eleutheropoli in Palæstina.

S. Glycerius seu Clicerius episc. Conf. Mediolani in Insubria.

S. Agapetus Papa Conf. apud Constantinopolim.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Sancti Amandi *episcopi Trajectensis* elevatio *pluribus Fastis recentioribus inserta est,* C *ut dictum ad ejus Acta die* VI Februarii.

S. Walburgis *V. translatio memoratur apud Dorganium. Vita apud nos data est ad* XXV Februarii.

S. Quiriaci *presbyteri et confessoris translatio annuntiatur in duabus editionibus Usuardi, et in Florario Ms. In codice Hagenoyensi* Quiriacus *idem Treviris annuntiatur, acsi esset natalis. At omissio vocis* translatio *efficere nequit, quominus idem sit ubique* Quiriacus, *de quo actum est die* VI Martii. S. Quiriaci apostoli et martyris *in Usuardo Coloniæ impresso,* et Quiriaci philosophi et martyris *apud Grevenum fit mentio. Plurimi quidem reperiuntur martyres, nomine* Quiriaci *aut* Cyriaci, *quod idem est. Attamen cum sine loco annuntietur, ideoque parum videatur cognitus fuisse illorum Martyrologiorum collectoribus, non alius forte fuerit ille* Quiriacus, *uno loco* apostolus, *altero* philosophus, *utroque* martyr *dictus, quam* Quiriacus *presbyter, cujus translationem modo memoravi : nam in titulos Sanctorum non raro errores irrepunt, et ex erroribus aliquando geminantur. Si vero alius est* Quiriacus, *a die sibi propria fuerit avulsus, nec assignari potest in tanto numero. Vide itaque dicta de* S. Quiriaco *presbytero ad* VI Martii. F

S. Eulogii *presbyteri et martyris Cordubensis hodie memoriam annuntiavit Usuardus. De eo cum Romano Martyrologio actum est* XI Martii.

Cuthberti episcopi *memoria est apud Grevenum. Colitur* S. Cuthbertus *episcopus Lindisfarnensis, et Acta ejus data sunt, die* XX Martii.

S. Landelini *elevatio recolitur apud Dorganium. Vita Sancti data ad* XV Junii.

S. Salvii episcopi et confessoris *elevatio apud* Valentianas in Hannonia *memoratur in Florario Ms. Sanctorum. De* S. Salvio, *qui Valencenis colitur, tamquam* episcopo martyre, *actum est apud nos ad* XXVI Junii.

S. Navitus *Tungrensis episcopus memoratur in Florario Ms. ad hunc diem, quo* S. Navitum *obiisse etiam scribit Claudius Robertus in episcopis Leodiensibus. Apud nos de* S. Navito *actum est ad* VII Julii.

S. Vincentii Madelgarii *translatio celebratur apud Molanum, aliosque recentiores maxime Benedictinos, Sonegiis in Hannonia. Acta* S. Vincentii

A centii *data sunt ad* xiv Julii.

Cybtacus *presbyter, quem* Sybtaccum *vocat Ferrarius, hodie signatur in prima editione Martyrologii Anglicani Joannis Wilsoni, in secunda vero editione habetur die 30 Junii. Cum autem ipsum dicat* nepotem S. Columbæ, *non dubitamus, quin eumdem designet cum Camerario ad 7 Augusti, ubi eum* in Scotia episcopum et Pictorum apostolum *facit. Præterea suspicamur, ex Camerario aut Dempstero in Anglicanum Martyrologium fuisse translatum, ideoque de cultu vehementer dubitamus, ut dictum est in Prætermissis ad* vii Augusti.

S. Privatus *episcopus Gabalitanus et martyr hodie memoratur apud Maurolycum et Canisium : in Romano et apud nos ad* xxi Augusti.

SS. Bonosi et Maximiani *MM. mentio est in Martyrologio Ms. Trevirensi S. Maximini. At hi Martyres spectant ad* xxi Augusti.

S. Avitus *Claromontensis in Arvernia episcopus memoratur apud Ferrarium, et apud Saussayum in Supplemento. Apud nos datus est* xxi Augusti.

B SS. Ptolemæus et Romanus *MM. ad hunc diem leguntur in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. De illis jam actum ad* xxiv Augusti.

SS. Hypatii *episcopi et* Andreæ *presbyteri, martyrum pro defensione sacrarum imaginum sub Leone Isaurico, memoria hodie annuntiatur apud Græcos in Menæis impressis, in Menologio Sirletiano, in Synaxario Ms., et in aliis quibusdam Fastis. De iis actum est apud nos cum Martyrologio Romano ad* xxix Augusti.

Æmiliani et Geronii *memoriam* in Hispania *annunciat Galesinius, et in Annotatis ait, eos se habere* ex Calendario Cordubensi. *Attamen Martyres illos non invenio in Calendario Sanctorum, quorum festa particulariter Cordubæ celebrantur, quod Martinus de Roa exhibet ante Opus suum de Sanctis Cordubensibus, nisi nomina multum sint luxata. Suspicionem meam de non inventis his Martyribus in Calendario Cordubensi non parum auget Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico ad hunc diem. Nam, ut evincat, admittenda esse verba*
C *Galesinii, non ipsum adducit Calendarium Cordubense; sed fictitia scripta Dexteri et Juliani, et scriptores recentiores, qui figmenta illa secuti sunt. Nicolaus Antonius in Scriptis posthumis, quæ communicata habemus, apud nos pag.* 78 *suspicatur,* Emilæ et Hieremiæ *martyrum Cordubensium reproduci corrupta nomina, ut alios quoque credidisse, observat ipse Salazar.* Emila *enim ab aliis etiam* Æmilianus *fuit dictus,* Hieremias, *Hispaniæ* Geremias, *potuit deformari in* Geronium. *Quidquid sit de illa conjectura, cum nullus noverit Calendarium Cordubense, in quo leguntur* Æmilianus et Geronius; *certum est, illos a nobis admitti non posse, et aliquid erroris obrepsisse Galesinio, sive deceptus fuerit falsa alicujus relatione, sive nominum corruptione repetierit* Æmilam et Hieremiam, *de quibus actum est ad* xv Septembris.

SS. Rogelli et Servidei *memoria est apud Ferrarium in Catalogo Generali. Acta data sunt ad* xvi Septemb.

Tobiam *Hierosolymitanum episcopum annuntiat Ferrarius. Vide dicta de* Tobia *in Prætermissis ad* xvii Septemb.

S. Richardis *imperatrix, memoratur a Camerario. Actum de ea est ad* xviii Septem. D

SS. Felix et Constantia *martyres Nucerini hodie repetuntur in Fastis Hieronymianis. Vide disputata de illis ad* xix Septem.

Candidæ, *ut Virginis et martyris, memoria ad hunc diem Martyrologio Romano adscripta est his verbis :* Carthagine S. Candidæ virginis et martyris, quæ sub Maximiano imperatore plagis toto corpore dilacerata, martyrio coronatur. *In Annotatis Baronius allegat Galesinium et tabulas ecclesiæ Cordubensis ab illo laudatas, ut nullum videatur ducem habuisse præter Galesinium. At Galesinius ipse in Annotatis ait,* Candidam *se habere* ex Breviario tabulisque ecclesiæ Cordubensis ; *et nihil preterea allegat. Castellanus in Martyrologio Universali ad marginem observat;* Candidam *non reperiri in Calendario Carthaginensi; ego vero ulterius inquirens, in nullo eam ante Galesinium Martyrologio reperire potui. Itaque, cum Galesinius allegaverit tabulas et Breviarium Cordubense, consului opus Hispanicum Martini de Roa Societatis Jesu de Sanctis Cordubensibus, nec in hoc etiam Opere ullam de* Candida *mentionem inveni, cum tamen ille auctor scripserit de Sanctis, qui Cordubæ coluntur. Ex eo igitur colligo, nullam ibi* Candidam *coli ; et consequenter suspectum fit de errore, quod tamquam ex Cordubensi Breviario produxit Galesinius; præsertim cum Roa in Opusculo Latino egerit de Martyribus et Breviario Cordubensi, et antiqua omnia illius ecclesiæ Breviaria viderit. Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico* Candidam *memorat cum* Susanna et Martha, *et omnes ex supposititio Chronico Flavii Dexteri Hispaniæ attribuit. Hic quidem scriptor allegat varia, tamquam ex Breviario Cordubensi deprompta : ut contra Galesinium ostendat, passam fuisse Carthagine in Hispania, non in Africa. Verum, dum ex illo Breviario* Evelasium *idolorum sacerdotem a* Candida *conversum fingit,* Candidæque *in certamine conjungit* Susannam et Martham, *aperte ostendit, sibi non modo Chronica supposititia præluxisse, sed etiam Breviaria æque fictitia. Etenim* Candidæ *affingit Acta S. Faustæ, quæ* Evilasium *aut* Eveiasium *idolorum sacerdotem ad fidem convertit,* F *et cum eo Cyzici coronata est, ut videri potest in eorum Actis hodie dandis. Præterea S. Susannam, quæ non pertinet ad Hispaniam, ut liquet ex Actis hodie item edendis, in Hispaniam perperam trahit, et Martham ipsius matrem, quæ nec martyr est, nec Sancta,* Candidæ *sociam facit. Nimis aperta sunt illa figmenta, ut dudum observavit Nicolaus Antonius in scriptis posthumis, quorum exemplar habemus scriptum, eaque de causa non plus fidei merentur Breviaria, quæ hoc loco laudat ille martyrologus, quam ipsa fictitia Chronica. Itaque nihil de* Candida *habemus præter assertum Galesinii, quem secutus est Baronius, cumque Roa nihil de illa videatur invenisse in Breviariis Cordubensibus; cogor dubitare, an non prolata sit ex errore a Galesinio ; aut certe, si* Candida *aliqua revera Carthagine sit passa, quod de se satis est credibile, plura de illa non novimus.*

Eulogius *presbyter* in eremo Scytopolis *annuntiatur apud Maurolycum, apud Ferrarium rectius* in Ægypto apud Scetim : *eumdem etiam habet Felicius. Hi ducem habent Petrum de Natalibus, qui* Eulogium *illum presbyterum brevi ornat elogio lib.* 8 *cap.* 99. *In vitis Patrum apud*

A *apud Rosweydum lib.* 2 *cap.* 14, *pag.* 472 *prolixius ejusdem* Eulogii *est elogium, ibique in Annotatis assignatur Sozomenus lib.* 6 *cap.* 28, *Nicephorus lib.* XI *cap.* 34, *Historia Tripartita lib.* 8 *cap.* I. *Agunt illi omnes cum laude de* Eulogio *presbytero, tamquam occulta hominum peccata cognoscente. At nullus eorum* Sanctum *nominat; nec memoriam illius* Eulogii *antiquis Fastis Græcorum aut Latinorum insertam invenio.*

Dorothei *aut* Dorotheæ *nomen est in aliquot apographis Hieronymianis; sed forte corruptum est ex* Dionysio, *ut hodie dicetur in* Dionysio *et* Privato, *quibus addi videtur.*

Clemens Collianus *canonicus, cum duobus parochis, uno monacho, et pluribus laicis, qui simul anno* 1569 *occisi sunt a Calvinistis* Domitiaci *in ducatu Nivernensi et diœcesi Autissiodorensi, memoratur a Castellano pag.* 738 *ad hunc diem, ubi* beatos martyres *vocat. At nulla affert publici cultus indicia præter honorificam corporum translationem ad aliam sepulturam, anno* 1578 *factam. Sed hæc ad cultum non sufficit.*

B Gerardum *eremitam laudat Grevenus, ut* Sanctæ memoriæ. *Eadem in Martyrologio Germanico Canisii est expressio, eaque sane tolerabilis. At nimis leviter alii* Sanctum *nominarunt, et ut talem annuntiarunt hoc die, quales sunt Galesinius, Ferrarius, Wion, Menardus, Dorganius. Etenim verisimile non est,* Gerardum *umquam cultum fuisse ut Sanctum vel Beatum. Natus fuit* Gerardus *in diœcesi Coloniensi, profectusque in Ægyptum, vitam ibi vixit solitariam. Mors ipsius revelata est S. Lidwinæ virgini, visionibus claræ,* spiritumque ejus *S. Lidwina* vidit evolantem ad æthera. *Sanctæ libenter credimus,* Gerardum *ad cœlum fuisse translatum, cum omnia, quæ ipsa de absentibus dixit, vera fuerint reperta, quando veritas poterat cognosci. At, ut* Gerardum *pro Sancto habeamus, insuper requiritur publicus in Ecclesia cultus. Quapropter de* Gerardo *eremita curiosus lector consulere poterit Vitam S. Lidwinæ tom.* 2 *Aprilis pag.* 351 *et* 352, *ubi dicitur obiisse* millesimo quadringentesimo vigesimo sexto Domini anno, die duodecimo mensis Octobris. *Idem obitus dies designatur in prima Vita*
C *S. Lidwinæ, ubi de* Gerardo *agitur pag.* 291 *et* 292.

Florentii episcopi et martyris *meminit Grevenus, sed sine aliis adjunctis, ut jam die præcedente dictum est.*

Susannam *geminam, utramque cum socia* Martha, *ad hunc diem in Martyrologio Hispanico memorat Joannes Tamayus, alteram* Carthagine Spataria, *alteram* Gadibus. *At unica hodie est* Susanna, *de qua agimus, eaque matrem habuit* Martham; *sed hæc minime Sancta est. Quapropter mera sunt figmenta, quæ de* Susannis *et* Marthis *suis prædicat Tamayus ex Chronicis aliisque scriptis supposititiis; eaque hausta partim sunt ex Actis SS. Faustæ et Evilasii, de quibus disputamus infra; partim ex iis, quæ in Martyrologiis leguntur de* S. Susanna, *ejusque matre* Martha *et patre Arthemio idolorum sacerdote.*

Guilielmus Estius, *doctor Duacenus scriptis Operibus notissimus, inter pios ad hunc diem recensetur a Raissio in Auctario Molani.*

Candida, *patria Novocomensis, virgo Ordinis S. Augustini, anno* 1515 *Brixiæ defuncta, memoratur ut* beata *in Martyrologio Novocomensi* D *apud Primum Aloysium de Tattis. Verum nulla proferuntur publici cultus indicia vel argumenta.*

Ladislaus ab Hungaria, *Ordinis Minorum, in Martyrologio Franciscano* Beatus *vocatur, ut reliqui omnes, etiamsi ecclesiastico cultu careant. Reliquorum nomina et gesta ibidem videri possunt.*

Ivo Mayeuc *ex ordine Prædicatorum, episcopus Redonensis, cum titulo* Beati *memoratur apud Lafon in Anno Dominicano. Defunctus est anno* 1541, *die* 20 *Septembris, et sic non totis centum annis ante bullam Urbani VIII, qua impedimur, quo minus* Beati *titulum* Ivoni, *licet virtutibus floruerit et miraculis, attribuamus, priusquam hunc ei titulum Sedes Apostolica concesserit. Castellanus* Ivonem *annuntiat ut venerabilem. Plures venerabiles laudantur apud Lafonum et Marchesium.*

Franco de Laken, *conversus Cisterciensis,* Villarii in Brabantia *memoratur apud Henriquezium ut beatus, apud Saussayum rectius inter pios.*

Joannes *cognomento* Eustachius, *abbas Ordinis Cisterciensis, et variorum monasteriorum reformator, ut* beatus *celebratur apud Henriquezium* E *et Chalemotum in Menologiis Cisterciensibus, item apud Menardum in Benedictino, apud Saussayum in Gallicano, apud Raissium in Belgico. At Miræus in Fastis Belgicis rectius* venerabilem *vocat.*

Michaël *princeps Zernichoviensis, aut Czernihoviensis, et* Theodorus *ejus famulus memorantur hodie in Ephemeridibus Moscorum figuratis. At non constat nobis, Catholicine fuerint an schismatici. Non coli tamen apud Catholicos, habemus ex notitiis Polonicis.*

Eunobius *quidam cum titulo* Sancti *et confessoris memoratur apud Castellanum in* Æthiopia. *In Fastis Alexandrinis apud Ludolphum ponuntur* Eunobius, *et mox* Andreas filius ejus. *Neutrum satis novimus, neutrum invenimus eo modo in aliis Orientalium Fastis annuntiatum. Dubito tamen, an non sint* Hyatius *et* Andreas, *qui hodie apud Græcos annuntiantur, quique etiam reperiuntur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod Gratia Simonius Maronita, deinde episcopus Tripolitanus, Latinum reddidit in gratiam Kircheri nostri, et in altero Co-* F *ptico, quod alius Maronita magis mendose Latinum fecit. Quidquid sit, non novimus* Eunobium *et* Andream, *nisi forte sint* Hypatius *et* Andreas, *de quibus jam egi supra.*

Iphigenia *virgo hodie est apud Ghinium; sed in Romano ad* XXI Septemb.

S. Isaacum *episcopum M. in Cypro ad hunc diem sine necessitate memorat Ferrarius, cum postridie sit in Martyrologio Romano* XXI Septemb.

S. Meletii *episcopi memoria est in Menæis impressis, sed redibit postridie in pluribus Fastis* XXI Septemb.

S. Matthæi *vigilia in multis Calendariis, in auctariis Usuardi, et in plerisque Fastis recentioribus memoratur. Festivitas celebratur* XXI Septemb.

Tecla *martyr reperitur in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ. Si sit famosa* Thecla *Iconiensis spectat ad* XXIII Septemb.

SS. Cosmæ et Damiani ecclesiæ dedicatio Romæ *celebratur in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Coluntur* SS. Cosmas *et* Damianus *die* XXVII Septemb.

Amadæus

A Amadæus *episcopus Lausanensis ex abbate Cisterciensi memoratur in Kalendario Cisterciensi impresso ut* beatus. *Henriquez eumdem commemoravit die 7 Januarii, ubi a Majoribus nostris in Prætermissis laudatus est, remissusque ad diem, quo obiisse a variis scribitur, quoque cultus latius examinabitur,* XXVII Septemb.

S. Eustochiæ virginis *meminit hodie Grevenus. Non dubito, quin designetur* S. Eustochium, *in scriptis S. Hieronymi notissima, de qua agendum est ad* XXVIII Septemb.

S. Martini *abbatis Vertavensis mentio est in Kalendario Ms. abbatiæ S. Salvatoris Antverpiensis. Verum spectat* S, Martinus *ad* XXIV Octobris.

Salama *est in Fastis Æthiopicis apud Ludolphum, qui in Annotatis ad finem num.* 2 *docet*, S. Frumentium *Æthiopiæ Apostolum eo nomine designari apud Habessinos. De* S. Frumentio *agi poterit ad* XXVII Octobris.

SS. Martini *Papæ martyris,* Maximi *confessoris, aliorumque, qui cum ipsis contra Monothelitas certarunt, memoria hodie est in Menæis impressis Græcorum. At, cum diebus diversis colantur, de* S. Maximo *et Sociis quibusdam apud* B *nos actum est ad* XIII Augusti. *De* S. Martino *Papa agetur ad* XII Novembris.

Hereswida, *S. Edwini regis Northumbriæ ex Hererico filio neptis, Ethelherii Orientalium Anglorum regis conjux, ac deinde monialis in monasterio Calensi in territorio Parisiensi, hodie ut* Sancta *annuntiatur in Martyrologio Anglicano secundæ editionis. In prima editione eamdem commemorat 23 Septembris, quo et Ferrarius in Catalogo Generali et Arturus in Gynæceo* Hereswidam *annuntiant, uti et Saussayus in Martyrologio Gallicano. Dorganius in Calendario Benedictino eamdem commemorat ad 30 Decembris. At Bucelinus in Menologio Benedictino ad* I *Decembris solum attribuit titulum* venerabilis, *sicut etiam Castellanus ad 23 Septembris. Quare, etiamsi* Hereswida *etiam sec. 2 Bened. in indice Sanctorum commemoretur a Mabillonio, cum Castellanus, utpote canonicus Parisiensis, cultum optime nosse potuisset, si quis esset, non audemus Beatis aut Sanctis* Hereswidam *annumerare. Beda quidem lib. 4 Hist. gentis Angl. cap. 23, agens de S. Hilda abbatissa, et* Hereswidæ *sorore, quæ etiam in Calensi monasterio vitam degere cupiebat, de* Hereswida *ait*: Nam et in eodem monasterio soror ipsius Hæresvid, mater Adulphi regis Orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis, ipso tempore coronam expectabat æternam. E *Ex quo Eduardus Maihew ad* I *Decembris colligit, ipsam beate obiisse. At hæc non sufficiunt. Res ulterius examinari poterit, si quis cultum probaverit ad* I Decemb.

D

DE SANCTIS EUSTATHIO

UXORE EJUS THEOPISTE ET FILIIS AGAPIO ET THEOPISTO

MARTYRIBUS ROMÆ

J. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sanctorum Martyrum nomina varie scripta ; illorum Acta varia : Græca, quæ habemus, præferunt auctorem Sanctis coævum, nec C videntur, ut certe tota fabulosa, rejicienda. F

Sub annum Christi CXVIII. Varie scripta passim sanctorum Martyrum nomina.

Sancti Eustathii *nomen, cujus hodie ex Romano Martyrologio gesta illustranda veniunt, pluribus aliis affine est; unde apud scriptores aliquos orta, ut solet, confusio. Græcum est ab* Εὐστάθεια *constantia, atque inde pluribus Martyribus commune. In Opere nostro ad diversos dies occurrerunt hactenus* Eustasii *novem, martyres præter unum omnes,* Eustathii sex, *et ipsi fere omnes laurea coronati, duo* Eustochii, *quorum alter sanguinem pro Christo dedit; denique, tum apud nos tum apud Martyrologos sæpius occurrunt nomina* Eustochium, Eustochia, *quæ illustri sancti Martyris nostri nomini vicina sunt.* Eustachios *martyres tres apud nos designatos invenio, atque apud omnes fere martyrologos tum antiquos, tum recentiores ita sancti Martyris nostri Romani nomen scriptum reperio; malui tamen ex Actis Græcis, quæ ceteris meliora visa sunt,* Eustathium *scribere, uti et* Placidam, *gentile ejusdem nomen, pro* Placido, *quod alibi passim lego. De confusione ex tot vocum affinitate orta lectorem monebo, ubi infra sancti Martyris memoriam in sacris Fastis indicabo. Nec minius varia est inflexio nominum sanctorum Sociorum ejus. Sunt qui uxorem* Theospitam *et* Theospitem, *imo* Philistam, *et ante susceptum baptismum* Trajanam *nominent : unde, ni fallor, nata est ea opinio, quæ* S. Eustathium *Trajani generum fingit. Filiorum etiam alterum* Agapitum, *alterum* Theospitum *appellatum non raro invenies, quæ ego ex Actis itidem Græcis corrigenda duxi, vocandamque sanctam uxorem* Theopistam, *quæ ante baptismum* Tatiana *dicitur; Filios vero* Agapium *et* Theopistum, *quorum etiam a Græco etymon est passim obvium.*

Eorumdum Acta habemus in plurimis codicibus

2 *Porro celebratissimi* S. Eustathii *seu* Placidæ *res gestas illustraturo copia instrumentorum, undequaque summa cura conquisitorum, est ad manum maxima. Nec desunt, ut est Eustathiana Historia famosissima, eruditorum lata jam olim de illa judicia. Instrumenta prius nostra enumero, relaturus deinde opiniones neotericorum in judicia contraria abeuntium*

A *abeuntium, eorumque rationes discussurus.* Martyrium *itaque sancti* Eustathii et Sociorum *exhibent codices nostri Mss. quatuor, notati P 159, P 97, P 91, Q 5, satis antiqui omnes, atque inter hos unus egregius et pervetustus. Præter hæc habemus exemplaria tria Mss. ex variis desumpta codicibus. Horum primum ex codice veteri abbatiæ S. Galli in Helvetia describi curavit nobis et transmisit anno abhinc tertio P. Mauritius Chardonus Societatis nostræ. Secundum extractum est ex bibliotheca Bertiniana, collatumque cum Mss. Ultrajectino S. Salvatoris, Trevirensi S. Maximini, codice Cardinalis Mazarini, Paduano anonymo, Osnatensi D. Schenckingk et alio Audomarensi, ut verticales notæ indicant. Tertium desumptum ex Ms. altero S. Maximini Trevirensis, enumeratis hactenus contractius est, ejusque discrepantia cum Ms. monialium S. Joannis Capuæ, signis marginalibus indicatur. Idem collatum est cum Mss. Aquincinctino, tribus reginæ Sueciæ, quorum unum initio et fine mutilum signatur num.* 136, *alterum num.* 569, *tertium denique* 1604.

et exemplaribus Mss.,

3 *Accedit hisce ex schedis Papebrochii nostri fragmentum* Vitæ S. Eustachii cognomento Placidi, *quæ exstat in Ms. Cisterciensi, post librum Petri Alphonsi ex Judæo Christiani, complexa versus circiter* 550, *hoc exordio :*

Claruit in Roma, Trajano sceptra regente,
Vir, genus egregium ducens ab utroque parente.
Dum puer esset adhuc, virtute virum faciebat;
Unde placens cunctis Placidus se nomen habebat.

Hactenus recensita omnia Latina sunt : unicum habemus exemplar Ms. Græcum ex Ms. Medicæo regis Franciæ, *ut in fronte moneor. Acta sanctorum nostrorum Martyrum typis excusa exstant etiam plurima, in varias etiam linguas translata. Latina habes apud Lipomanum, Surium et alios ex Græcis Simeonis Metaphrastis versa. Athanasius Kircherus antiquitatis scrutator celeberrimus, quæ præ oculis habuit ex Metaphraste, Baronio, S. Joanne Damasceno et Nicephoro* S. Eustathii *Gesta, suo stilo exornata exhibet parte* I *Historiæ Eustathio-Marianæ, quam Romæ in lucem edidit anno præteriti seculi sexagesimo quinto. De illa duas etiam literas scripsit ad Majores meos, quæ ad hunc diem*
C *sepositæ fuerunt. Præter recensitos jamjam auctores, plurimum usus videtur laudatus Kircherus Vita* S. Eustathii, *quam tribus libris triginta circiter ante annos ediderat Italico sermone Joannes Baptista Manzinus : inde enim aliqua tantum videntur in Latinum sermonem transiisse.*

quæ etiam exstant impressa variis linguis,

4 *Mirabilia sancti Martyris Acta Gallico etiam idiomate non semel prodierunt, testibus Combefisio et Tillemontio. Denique eadem Hispanice, Teutonice atque vernacula etiam hæc nostra lingua excusa comperi : ita ut dici possit, Eustathiana Historia vix esse inter sacras aliam toto orbe celebriorem. Inter Acta impressa omnia dignitate eminet Martyrium sanctorum* Eustathii, Theopistes *ac Liberorum ex Græcis Mss. bibliothecæ regiæ erutum versumque in Latinum sermonem a Combefisio, et Parisiis cum Notis subjectis in lucem datum anno* 1660. *De illa laudandi sæpius Combeficii lucubratione infra erit agendum uberius, pauca hic de enumeratis prius, tum Mss., tum impressis* S. Eustathii *Gestis prænotare lubet, atque lectorem monere, quo singula apud me loco, quave sint auctoritate. De scriptoribus, qui Historiam sancti Martyris patrio sermone ediderunt, dici generatim potest ; maximam esse, imo effrenam aliquorum saltem licentiam, dum quisque pro gentis suæ et idiomatis ratione luxurianti calamo, ut in similibus, ubi miranda facta auctores ad scribendum impellunt, fieri solet, aliis illa atque aliis coloribus exornavit, amplificavitque talibus adjunctis, quibus nulla minus, quam nostra ad oblectandum legentem egebat historia. Solus paulo parcior Manzinus ex iis, quos vidi, non tam facta exaggerat, quam documentis moralibus illustrat.*

AUCTORE J. C.

et omnia ex eodem fonte Græco promanarunt.

5 *Huc reduci potest Vita Latina Athanasii Kircheri, novis verborum phaleris exornata, et nonnullis etiam aucta adjunctis, quæ auctoritatem illi conciliare non possunt apud criticos. At de illa, cum multa in fronte promittat eruditis, venient dicenda inferius speciatim aliqua. Quod ad Acta Mss. attinet, pleraque vix verbis a se invicem discrepant, saltem usque ad numerum penultimum, ubi Ms. maximum S. Maximini Trevirensis, avulso, nisi fallor, folio, mutilum est, et a reliquis discedit Ms. S. Galli. Ecgrapha duo sunt aliis contractiora, secundum scilicet S. Maximini Trevirensis, et Capuanum ; at verba, non facta, quæ in aliis narruntur, præcisa sunt. A Latinis omnibus abest prooemium, Actis Græcis tum nostris, tum Combefisianis præfixum. Ceterum in oculos* E *incurrit, ex uno omnia fonte, Actis nostris Græcis, opinor, vel similibus promanasse, verosimiliter etiam ante Metaphrastis tempora, vel certe priusquam ejus interpolatio, qua Latina Mss. pura sunt, manibus tereretur. Denique res in omnibus tum Græcis, tum Latinis eædem plane narrantur, quibus etiam nituntur recentiorum lucubrationes prelo editæ : proinde omnium sors una esse debet, quamdiu narratorum sinceritas, ex narratis ipsis seu factis, oppugnatur, vel defenditur.*

Eruditorum de illis judicia opposita.

6 *Porro de Historia* Eustathiana *ita litigant eruditi, ut si suffragiorum numero decidenda lis est, multo inferiores sint, qui illam propugnant, quam qui inter fabellas aniles rejectam cupiunt. Inter alios Actorum sinceritatem vendicat Leo Allatius, contendens Græca nostra habere auctorem Sanctis synchronum. Talem etiam suo Martyrio multo conatu accersere molitur Combefisius in Notis. Laudatus supra Kircherus nihil etiam non tentat, ut ex monumentis antiquis Eustathianæ Historiæ veritatem stabiliat. Ex adversa parte stant cum pluribus Tillemontius et Bailletus, qui misere hæc Acta proscindunt. Ad illos utcumque accedere videtur Sollerius noster in Observationibus ad* F *Usuardum die* 2 *Novembris, ubi tamen in dandam Baronii censuram apparet pronior. Mitius de* S. Eustathii *et Sociorum Gestis sentiunt, et mediam quasi viam ineunt Baronius et Papebrochius noster, quorum hic tom* I *Maji ad Ephemerides Græco-Moscas ita pronuntiat pag.* XXXXII : Sunt et Latinis et Græcis celeberrimi ex Actis utraque lingua conscriptis : quibus an non aliquid poëticæ inventionis admixtum sit, erit suo tempore discutiendum. *Præiverat eminentissimus Annalium auctor, paulo tamen rigidius judicium suum, ad annum Christi* 120 *num.* 4, *ita exprimens :* Putamus tamen eis *(Actis Eustathianis)* multa superaddita esse. *Mitto alios pro hac, vel illa parte scriptores recensere, quod iisdem fere, quibus jam enumerati, rationibus nitantur, atque illas porro examino : ac eorum imprimis, qui omnem indubie Actis illis fidem negatam volunt.*

Examinentur rationes Tillemontii et Bailleti.

7 *Laudatus Tillemontius Monum. eccles. tom.* 2 *pag.* 226 *Historiam Eustathianam usque adeo judicio eorum omnium, qui a falsis vera discernere norunt, proscriptam censet, ut quavis eam ulteriori discussione indignam pronuntiet. Eamdem resumit tamen pag.* 585 *in Notis ad Persecutionem Adriani,*

AUCTORE J. C.

Adriani, occasione oblata ex editis versisque in Latinum sermonem a Combefisio Actis, atque ibidem rursus definit, tam certo et merito ab eruditis Historiam illam ad fabellas rejectam esse, ut censuræ suæ peculiarem rationem reddere supervacaneum ducat; dumque ita Leonem Allatium, Combefisium, Manzinum, Athanasium Kircherum, aliosque non paucos eruditorum suorum albo eradit, in explodendis Actis Eustathianis solo isto nititur eruditorum judicio, fundato in sola succedentium sibi longo ordine eventuum mirabilium mira insolentia. Eadem machina Tillemontium sequens Bailletus Historiam nostram quatit; ac denique, quotquot hactenus vidi illam impugnantes, hoc potissimum, et fere unicum telum intorquent, quo statim subruisse se omnem Actorum fidem rati, cetera velut ingloria rudera negligunt.

qui omnem indubie Eustathianis Actis fidem

8 *Verum hæc illorum censura posset videri rigidior, si Acta secundum omnes partes ita improbentur, ut nihil eorum ab illa eximatur, judiceturque fundamentum ipsum Historiæ fabulosum esse, quo nihil minus innuere videntur laudati critici. Certe quod tantum tribuere debuerint non discusso illi eruditorum judicio, ut censuerint, non* B *solum Acta tota, quanta sunt, fabulosa esse, sed nec digna, quæ argumentis solitis juxta critices regulas impugnarentur, posset non statim omnibus probari. Argui posset, quod sola mirabilium eventuum catena historiæ alicujus falsitatem certo non evincat. Inveniri in sacris Literis Josephi, Estheris, Danielis, Susannæ, Jonæ et aliorum res gestas aliquas, quarum non est minus mirabilis connexio, et continuata per insolentissimos casus successio, quasque tamen divina auctoritas facit nobis omnino indubias. Reponant, similia non nisi eam fidem obtinere, quam facit asserentis auctoritas, concludere possent alii, incertæ saltem fidei seu dubiæ haberi debere hujusmodi Acta, dum scriptoris fides incerta est; cum eo casu, ut nihil vetat fuisse nullam, sic nec probat aliquid, non fuisse non penitus contemnendam. Concludere, inquam, possent, propter incertam fidem scriptoris Gesta quæpiam, quibus similia alibi invictis testimoniis firmata habemus, certo fabulosa judicari non posse.*

ademptam cupiunt. Aliqua,

9 *Difficile esset sic arguentibus respondere. At similia argumenta philosophorum potius sunt, quam criticorum, qui experientiæ suæ et artis regulis, utut dubiis, non raro nec semper immerito* C *tribuere amplus solent, quam rationibus philosophicis, quas proinde hic ego pro Actis Eustathianis intorquere nolo. Vellem tamen Historiam nostram meliori, et cum aliis nonnullis Actis communi loco reliquissent laudati critici, soliti Acta alia, utcumque fabulis male cohærentibus et absurdis aspersa sic rejicere, ut figmenta indicent, reliqua, si evertere non possint, dubia vel suspecta relinquant. Certe Honoratus a S. Maria in Observat. super Reg. Crit. Dissert. 6 art. 3 § 2 ex ipsius Tillemontii principiis demonstrat* S. Eustathii *et Sociorum Passionem cum aliqua utilitate inter dubiæ fidei narrationes recenseri posse. Huic quidem conclusioni ex alienis regulis deductæ laudatus auctor non videtur assentiri, neque ego Acta illa secundum totam eorum latitudinem pro mere dubiis haberi velim, quamvis prærogativas aliquas habeant, quæ rarissime in aliis historiis fabulosis reperiantur, quasque paulo infra enumerabo. Pro dubiis tamen nihil vetat admittere ea, quæ minus commenta sapiunt, quæque videri possunt partes Passionis Eustathianæ præcipuæ.*

10 *Itaque cum Papebrochio credo, aliqua, seu potius cum Baronio suspicor, plurima sanctorum* D *Martyrum nostrorum Actis adjecta et superaddita fuisse, inter quæ nonnulla sunt, quæ seipsa statim produnt. Apparet inter cervi cornua Salvator, atque* Eustathium *ad suscipiendam fidem hortatur. Paucissimis horis in fide instruuntur* Eustathius *et uxor ejus* Theopiste, *atque mox baptizantur, mox sacro-sancto Salvatoris Corpore et Sanguine pascuntur; sic loquuntur de divinis, sic exempla doctrinasque ex sacris Litteris commemorant, ut agnoscas homines non unius aut alterius diei Christianos. Implexa sunt maleque cohærentia, quæ* Agapius *et* Theopistus *in mutua agnitione commemorant. Parati sunt ex utraque fluminis ripa leo et lupus, qui hinc et inde* Eustathii *Liberos rapiant et incolumes accurrentibus rusticis reddant.* Theopiste *feliciter eo loco alienigenæ hortum custodit, quo Filii ejus militaturi conveniunt, illos audit opportune suos sibi casus narrantes, agnoscit, visceribus commovetur; differt tamen se manifestare atque Magistrum militum convenit rogatura, ut se extorrem in patriam reducat; Maritum ex certis signis agnoscit, illique felicissime mox detectos ambos Filios exhibet; quæ omnia, utut possibilia, apparent tamen fide minus digna, ni certo vade asserantur.* E

rejectis plurimis, videntur

11 *Suspiria* Eustathii *exsulis ad Deum aliaque non nulla narrantur, quæ profecto nescisse scriptor debuit, Sanctum errantem procul dubio non comitatus: ejus proinde inventioni tum hæc tum hujusmodi alia, atque imprimis oratio* Eustathii *jamjam igne consumendi, qua nescio an sit alia uspiam insulsa magis, sine scrupulo adscribi possunt. Quod si hæc ab Actis avulseris, reliqua videntur utcumque ut dubia defendi posse, sic tamen ut hæc ipsa etiam probare nemo possit, non esse non conficta, quod videtur non nisi inique exigi posse. Certe, si alia quæpiam ex aliis Actis, quibus tamen fabulas aspersas esse manifestum sit, ut probabilia desumunt critici, non video quare id præcipuis Historiæ nostræ partibus negari possit, quæ sane aliunde supra eas, ex quibus aliqua admittunt alii, probabilitatis tantum habet, ut a viris prudentibus tota quanta est pro sincera et genuina recepta fuerit. Et hi quidem, qui Acta Eustathiana defenderunt, quæ expendi et refutari saltem mereantur, argumenta protulerunt, quæ porro audiamus.*

inter dubiæ fidei narrationes admittenda.

§ II. Expenduntur argumenta petita ab antiquitate Actorum. F

Combefisius sæpe laudatus ab antiquitate Actis nostris præcipwe subsidium repetit. Antiquitatem porro illam veteremque in Ecclesia Historiæ nostræ æstimationem ostendere nititur ex S. Joannis Damasceni Oratione 3 de Imaginibus, in qua locum satis prolixum ex illa totidem fere verbis recitat, quem in Notis intercalaribus indigitabo. Adversus hæc observare videtur Tillemontius, S. Joannem Damascenum scriptorem esse seculi octavi, qui circa annum 730 floruit, sex nimirum seculis post S. Eustathii *tempora, a cujus proinde testimonio parum aut nihil auctoritatis narrationi huic accedere possit. Et hæc quidem recte, sed non contra eos, qui auctoritatem a S. Joannis Damasceni testimonio Actis non emendicant, sed antiquitatem. Facile Tillemontio in eo quilibet assentietur, quod non sit sanctus ille accuratus in seligendis Actis, nec a referendis*

Acta antiqua sunt,

A *referendis fabellis omnino immunis: at non facile quisquam credet, usque eo imprudentem et incircumspectum illum fuisse, ut pro tuendo sacrarum imaginum cultu exempla retulerit ex recentibus instrumentis, quorum nulla tum esset in Ecclesia saltem ab antiquitate commendatio. Itaque verisimile est, quod, cum Actis Eustathianis Iconoclastas impugnet S. Joannes, ea jam tum temporis pro antiquis et sinceris habita fuerint. Ceterum Combefisius et Leo Allatius contendunt, Historiam nostram non solum habere auctorem antiquum, sed ipsi etiam* S. Eustathio *coævum vel saltem supparem; aiuntque id ipsum scriptorem testari in prooemio.*

contenditque Combefisius, scriptorem profiteri se

13 *Atque inde arbitrantur indubiam fidem Actis accedere, opinati, ni fallor, omnia pro sinceris haberi debere, nisi mendacii et imposturæ coævum scriptorem convincant, qui ejus narrationem ad commenta et fabellas relegant, vel probent, aliqua postmodum primigeniæ Historiæ ab interpolatore assuta fuisse. Jurene, an injuria tales probationes a criticis exigant, infra videbimus: interim Combefisium audiamus. Ecce ante omnia locum, unde contemporaneum auctorem elicit:* Πρόκεινται δὲ καὶ ἐκ τῶν Θείων γραφῶν διδασκαλίαι παμ-
B πληθεῖς· καὶ πράξεις ἀνδρῶν μακαρίων καὶ ἀοιδίμων, οἵ εἰκόνες τινές εἰσιν ἔμψυχαι πρὸς μίμησιν τῶν ἀγαθῶν κατορθωμάτων, τοῖς βουλομένοις ἕπεσθαι ταῖς αὐτῶν ἀρεταῖς. Οὐδὲν οὖν ἧττον προεθέμην προσθεῖναι ἐγγράφως τῶν ἀρχαίων ἀνδρῶν ἀνδραγαθίας, καὶ τά νῦν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντα, πρὸς εὐεργεσίαν μὲν τῶν ἀκουόντων, ἐπιστροφὴν δὲ τῶν φασκόντων, μὴ δύνασθαι, νῦν οἷα τοιαῦτα κατορτοῦσθαι, ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις, ἵνα γνῶσι πάντες, πῶς οὔτε χρόνων, οὔτε καιρῶν δυσχέρειαι, οὔδε ἀναστροφὴ ἀπηγορευμένου βίου ἐκπόδιον γίνεται, πρὸς κατόρθωσιν τῶν ἀγαθῶν ἔργων· ἐὰν γὰρ θελήσῃ τις πρῶτον τῷ φυσικῷ νόμῳ ἑπόμενος, ἔτι δὲ καὶ ταῖς διδασκαλίαις τῶν προειρημένων ὁσίων πατέρων ἀκολουθεῖν, ῥαδίαν εὑρήσει ὁδὸν τῆς ἐναρέτου πολιτείας.

sanctis Martyribus

14 *Hæc ita vertit Combefisius:* Quin ex divinis quoque Scripturis prostant doctrinæ plurimæ; beatorum item ac clarorum virorum gesta inclyta ac facinora, qui plane animata quædam simulacra, æmulationem virtutum, quibus præclare egregiaque laude functi sunt, volentibus hæc illorum magisteria sequi, exhibeantur. Perinde igitur mihi constitutum, ut tum veterum heroum præclara gesta scripto consignem, tum eorum, qui nuper nostrisque temporibus virtutis laude claruerunt: quo sci-
C licet auditores quidem commodum sentiant, ii vero, qui oppido inficiantur, posse nos modo talia præstare, qualia antiquis temporibus, errorem abjiciant, sciantque omnes, neque temporum, neque articulorum molestias, neque vero projectæ vitæ anteactas rationes impedimento esse, quin præclara quis designet, ac rite virtutem colat: modo enim animo constitutum habeat, ut primum naturalem legem, tumque etiam sanctorum, quos diximus, Patrum doctrinas consectetur, ejus disciplinæ viam, quæ virtute nitet, facilem nanciscetur. *Ita, inquam, laudatus Actorum editor, qui deinde in subjectis Notis asserit, auctorem æqualem hisce prodere se et significare; nec falso, ut ait, se colligere ex charactere viri Christiana simplicitate solertissimi.*

coævum. Verum illud

15 *Confidit insuper, Baronium, a se edita si Acta vidisset, scripturum non fuisse, quæ habet in Annalibus ad annum Christi* 120 *num.* 4. Putamus tamen eis multa superaddita esse; *sed pro suo candore mitiori censura habiturum, seu potius* digna, *inquit,* tanti Martyris Acta, cujus Romæ memoria egregiis illustrata monumentis, quin urbe agroque Parisiensi tutela pignoribus charissima, quin utroque orbe Christiano florentissima, summeque veneranda; sic augusta, sic plena, sic fuco omni carentia veneraturum, laudaturum; iis ceu gemma pretiosissima ac pulcherrima amplissimos Annales suos ornaturum. *Egregium enimvero elogium, quod utinam adoptare liceret! Quod ad Baronium spectat, notat laudatus sæpe Tillemontius, eadem in Combefisii editione prodigia, admiranda insolitaque gesta narrari, quæ habent Acta Metaphrastis, quæque Baronius viderat et repudiarat; proindeque suspicatur, non mitius illum Combefisiana illa excepturum fuisse, contra quæ eadem militaret ratio*

ex Actis, quæ ipse edidit,

16 *Atque horum unum est omnino certissimum, quippe si pauca excipias, eaque levissimi momenti, non solum nova non adjecit Metaphrastes, verum ea ipsa, quæ in Combefisianis Actis minus cohærere videri possunt, ita disposuit exposuitque, ut appareat sensisse eum difficultatem, perceptamque tollere studuisse. Sed dubitari posset, an Baronius factorum insolentiam adeo suspectam habuerit, ut, si nactus fuisset fidei suæ vadem auctorem supparem, censuram non mutasset, cum in Notis ad Martyrologium, adducta antiqua constantique in utraque Ecclesia sancti martyris* Eustathii *et Sociorum memoria, satis se Historiæ nostræ propitium exhibeat. Quamquam inutile* E
est similibus conjecturis diutius inhærere: ad Combefisii prooemium revertamur. Recte observat idem Tillemontius, nihil ex eo pro antiquitate, saltem ea, quam inde deducere Combefisius tentat, Actorum confici posse. Si enim attentius verba biographi, Perinde igitur mihi constitutum, ut tum veterum heroum præclara gesta scripto consignem, tum eorum, qui nuper nostrisque temporibus virtutis laude claruerunt, *quibus nititur laudatus editor, considerentur, manebit ad minimum dubium, veteresne heroes inter computandus sit* Placidus, *cujus gesta aggreditur scribere, an potius eorum unus sit, quos suo tempore virtutis laude claruisse, anonymus scriptor asserit.*

confici neutiquam potest.

17 *Dico*: Manebit ad minimum dubium, *nam periodus non obscure innuit,* Eustathium *ad priscos illos seu antiquos referendum esse; cum ejus Gestis prooemium præfixum sit, et plane ex allatis verbis fiat verisimile, auctorem ab antiquorum narrandis factis opus suum inchoasse. Unum hic ego maxime miror, Combefisium scilicet, qui Leonis Allatii Diatribam de Simeonum Scriptis ha-* F
buit, ut testatur, sibi deposito traditam, atque ex ea locum a suo Ms. diversum, unde id, quod tanto molimine contendebat, plausibili ratione confici videbatur, indicat, non hæc ipsa Allatii Acta, quæ procul dubio obtinere facile potuit, potius edidisse, quam sua, unde nemo scriptorem coævum extundet. Quidquid sit ecce textum Allatii, quem producit in Diatriba p. 108: Οὐδὲν οὖν ἧττον προεθέμην προσθῆναι ταῖς τῶν ἀρχαίων ἀνδρῶν ἐγγράφοις ἀνδραγαθίαις, καὶ τὰ νῦν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντα *etc. pro quibus habet Combefisius:* οὐδὲν οὖν ἧττον προεθέμην προσθεῖναι ἐγγράφως τῶν ἀρχαιῶν ἀνδρῶν ἀνδραγαθίας, καὶ τὰ νῦν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντα.

Idem contendit Allatius, ex Actis quæ citat.

18 *Porro tum hæc, tum alia, quæ ibidem profert, ad verbum quadrant cum Ms. nostro Mediceo; unde non dubito, quin idem illud fuerit, quod præ oculis habuit. Quapropter prooemium nostrum fere integrum, prout illud Latinum feci, hic repræsento, ut a toto contextu facilius de præcitatorum verborum sensu judicari possit. Est itaque tale*: Habent homines ab ipsa natura ad egregium virtutum exercitium domesticam in se palæstram, quæ docet, ea a quolibet facienda proximo, quæ ipse sibi

AUCTORE J. C.

sibi ab altero præstari vellet; illas beneficiorum omnium largitori Deo gratias referendas esse, quas et quisque ab eo, cui benefecerit, exigeret. Proponuntur vero in divinis Scripturis instructiones plurimæ gestaque beatorum ac illustrium virorum, velut imagines quædam animatæ ad æmulationem recte præclareque factorum iis, qui virtutes illorum imitari volunt. Itaque *(ecce verba in quibus Allatii et nostrum Ms. a Combefisiano differt)* pariter apud me statutum est, antiquorum generosis facinoribus, quæ litteris mandata sunt, etiam ea adjicere, quæ nunc hac nostra ætate egregie gesta sunt, ad utilitatem audientium, conversionem vero eorum, qui existimant, non posse hoc tempore talia recte præstari, qualia priscis temporibus cum laude gesta sunt; atque ut agnoscant omnes, neque tempora, neque horum temporum difficultates, neque reprobæ vitæ pravam consuetudinem impedimento esse virtuti perfecte colendæ.

et nos habemus Mss.: nec improbabiliter.

19 Quippe si modo quis nitatur, primum naturæ legem sequens, deinde etiam sanctorum, quos dixi, Patrum præceptis obsequi, facilem inveniet viam in disciplina præclaræ virtutis. *Hic, inquam, contendit Allatius scriptorem se sancto Martyri coævum aut supparem profiteri, dum ait, scriptis pridem antiquorum præclaris gestis ea subnexurum se, quæ* νῦν ἐν τοῖς καίροις ἡμῶν, *tunc sua ætate, suo tempore contigerant, quæ de gestis aliorum, quam* Eustathii, *quibus etiam procemii materia apprime quadrat, intelligi non possunt. Et hæc quidem satis probabilis est eruditi viri opinio, at non certa: qui enim præoccupato adversus Historiam Eustathianam animo ad examinandum proæmium accederet, posset, neque difficulter, non nihil ambigua scriptoris verba eo detorquere, ut vera eum scripturum fuisse suadere vellet, etiamsi duobus et amplius seculis post Sanctorum nostrorum tempora vixisset. Arguere nimirum posset, non nihil obscurum esse, quos biographus antiquos nominet, quorum gestis coævorum suorum præclara facinora opponit* Τὰ νῦν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντα *vertis, inquiet criticus :* Quæ nunc hac nostra ætate præclare gesta sunt : *verum nihil vetat* Nunc hic nostris temporibus *sensum pati ampliorem. Certe si de antiquis illis tantum sermonem esse dixeris, quorum gesta in divinis Litteris expressa sunt, non admodum incongrue asseres, plura* C *etiam secula, quin et totum illud spatium, quod ab Apostolorum temporibus fluxerat, sub* νῦν ἐν τοῖς καιροῖς *comprehendi. Profecto dubium etiam est, quorum* antiquorum Patrum *nobis hic præcepta commemoret, cum nullorum ante mentionem uspiam fecerit.*

Tantam antiquitatem non adimunt

20 *Quamquam videtur Allatio reliquendus scriptor, qui se Sanctis coævum vel supparem profitetur, nulla enim cogit necessitas obvium magis sensum ab ejus verbis avertere, maxime cum parum valere debuerint exempla multis seculis præterita apud eos, qui negabant suo tempore tam præclara præstari posse, quos tamen anonymus dedocendos suscipit. Sane quæ ulterius contra tantam Actorum vetustatem moventur, non inepte refelli possunt. Unum est atque negativum illud argumentum, quod difficultatem non exiguam quibusdam creare solet. Altissimum scilicet illud pluribus seculis de Historia nostra silentium in Fastis omnibus et monumentis tum secularibus et profanis, tum ecclesiasticis et sacris. Et vero mirum videri posset de tot bellicis expeditionibus victoriisque, de tam præclari nominis duce verbum nullum, nullam apud scriptores, qui gesta Trajani tempore describunt, occurrere uspiam* Placidæ *vel* Eustathii *mentionem; mirandum magis, celebrem* D *adeo Historiam locum non invenisse apud Eusebium, Hieronymum aliosque sanctos Patres et antiquos scriptores ecclesiasticos, qui non videntur eam neglecturi fuisse inter plurima, quæ ad æmulationem Christianis proposuerunt virtutis et constantiæ exempla, si eo tempore extitisset. Sensit difficultatem ex hisce ortam contra scriptoris suorum Actorum ætatem Combefisius, eamque nititur elevare in Notis.*

petita aliunde argumenta. Forte Placidus,

21 *Et quod ad profanos scriptores spectat, censet laudatus editor, Romæ Romanisque in rebus novum hominem esse et peregrinum, qui nesciat abunde fuisse, quod Christianæ superstitionis reus obierit* Eustathius, *ut omnium etiam præclarissimorum facinorum memoria Phalaritico bove absorberetur. Sane non est a verisimilitudine alienum et sine exemplo, quod ait, in id gentiles incubuisse, ut Christianorum tamquam rebellium et facinorosorum nomina monumentis exsularent, iisque cum laude inscripta eraderentur, vel, quæ ipsi præclare gesserant, aliis adscriberentur: ita ut ex hac parte, quam habet* Placidas *cum nonnullis aliis communem, nihil Historiæ antiquitas pati videatur posse. Porro laudatus Combefisius secutus Baronium in Notis ad Martyrologium,* Placidæ *nostri memoriam, quam apud gentiles scri-* E *ptores penitus deletam agnoscit, a Flavio Josepho repetit, cui ait* Placidum *in bello Judaico fuisse notissimum, uti et Trajano imperatori, qui in eodem bello decimam legionem ducebat. In Josephi Vita editionis Basileensis anni* 1559 *pag.* 565 *ad Ptolemaida cohortes duas et turmam equitum ducit* Placidus, *multisque velitationibus cum Josephi copiis contendit, irruptionem in Galilæam meditans. De Bello Judaico lib.* 3 *cap.* 3 *tribunus* Placidus *equites mille sexque millia peditum regens a Vespasiano mittitur subsidio Sepphoritis, et Josephi copias varie vexat. Cap.*4. *Jotapatam irrito impetu primum tentat, at cap.* 13 *inter primos cum parentibus sibi cohortibus irrumpit et expugnat.*

Flavio Josepho notus in bello Judaico,

22 *Libro deinde quarto cap.* 2 *Itaburio monte,* F *pulsis Judæis, potitur. Lib.* 5 *cap.* 3 *mittitur a Vespasiano adversus eos, qui Gadaris aufugerant, illos assecutus cædit, vicum Benthenabrum expugnat et diripit, Judæos, qui inde evaserant, ad ripam Jordani compulsos internecione delet, ac denique totam regionem trans flumen Romanis parere jubet. Hæc fere de* Placido *Josephus. Verum eumdem hunc* Placidam *nostrum esse, non certo affirmaro. Tribunus erat Josephi* Placidus *initio belli Judaici, cujus initium anno Christi* 66 *juxta Pagii chronotaxim, sed præcedenti juxta alios innectitur. Adrianus, sub quo passus est* S. Eustathius, *imperium, mortuo Trajano, adiit* XI *Augusti anno Christi* 117. *Si tribuno* Placido, *tot bellicis expeditionibus capacem viginti quinque annorum ætatem concedimus,* Eustathio *martyrii lauream adipiscenti sub Adriano, tribuendi erunt anni fere octoginta : quæ senectus forte videbitur quibusdam non convenire cum Filiorum ejus et Uxoris ætate, cum belli laboribus et ceteris, quæ narrantur paulo ante supremam lauream ab* Eustathio *gesta.*

idem sanctus Martyr noster est.

23 *Quod si quis tam decrepitæ ætatis Virum, Trajani exemplo, qui eodem tempore in Judæa militaverat, et paulo ante subjugando Orienti immortuus fuerat, belli incommodis ferendis idoneum judicaverit, videat is, ne fixam Trajano omnium longissimam annorum sexaginta trium vitæ periodum excedat. Certe si natus est Trajanus, ut Pagius et alii contendunt,* XVIII *Septembris anni* 56, *quando Japham apud Josephum lib.* 3 *cap.* II *expugnasset*

AUCT. AC. J. C.

A pugnasset xxv die mensis Junii anni Christi 67, annum ætatis nondum complevisset duodecimum: quod, qui volet, admittat. Verisimilius mihi est, quod conjectat Tillemontius in Trajano, Josephi Trajanum hujus imperatoris patrem fuisse. Porro, qui Eustathiana Acta sic defendunt, ut hæc, quæ contra Combefisii opinionem faciunt, pro suspectis habeant, possunt ex Josephi testimonio utcumque conjectare, de Sancto nostro ibi sermonem esse : exigua enim est in nomine diversitas, et usque ad Adriani tempora non difficulter supervivere potuit Eustathius et martyrio coronari, licet non videatur verisimile, ea a tam provectæ ætatis Sene gesta esse, quæ forte illi a fabulatore anonymo afficta sunt.

Contra Historiæ antiquitatem

24 Magis laborat Combefisius in evellendo scrupulo a silentio auctorum Cristianorum injecto. Eustathii meminerunt, inquit,.. etiam Latini, Usuardus et Ado 2 Novembris, si tamen Ado, non ejus Appendix, ac quod Romanum vocant Eusebianum. Mirum, nullam exstare in Rosweydiano Martyrologio cjus memoriam, si modo illud vere antiquum Romanum est... Quamquam non raro celebrior B aliis locis Sanctorum memoria atque Martyrum, quam quibus vixere seu functi agone sunt. Titulus, qui Romæ exstat Eustathii , quam antiquus, me latet. Haud certe illi recentior, vel aperienda illius origo, si quis dicti jam Martyrologii , seu etiam Gregorii in libro Sacramentorum silentio recentiorem illi Eustathii memoriam ac cultum contendit. Ita ille, pro more satis obscure. Esse in vetustis aliquot Martyrologiis S. Eustathii memoriam , § 4 ostendam : de titulo ecclesiæ Romanæ ejus nominis pariter agetur infra, ubi et instrumenta aliqua antiqua de ejus cultu proferentur. At hæc omnia, ut ut antiquissima sint, probant quidem, exstitisse sanctum Martyrem, Historiæ vero nostræ antiquitatem non evincunt, cum nuda passim sit ejus annuntiatio in Fastis, reliqua vero non nisi dubie ad priora illa tempora retrahi possint.

non efficaciter arguitur a veterum silentio.

25 Plerumque argumenti hujusmodi negativi usum suspectum habere prudentiores solent, non uno exemplo edocti, eos ipsos, qui illo utuntur, non raro suismet principiis irretiri. Et vero exigua ejus vis est et passim levem conjecturam non excedit, nisi arctis regulis circumscribatur. Inter illas, cum passim eam admittant critici, quod ab iis, qui uti negativis argumentis voluerint, ostendi C debeat, factum, contra quod a scriptoris silentio arguunt, illi latere non potuisse, tum etiam, si perspectum habuerit, id scriptis suis debuisse inserere, non multum a citatorum auctorum silentio Actorum antiquitas quatitur, cum non unam habeamus antiquiorem historiam, quam illi ignorarunt, indeque conjectare liceat, facile accidere potuisse, ut nec nostra hæc ad illos pervenerit. Ceterum sæpe laudatus Tillemontius ex stilo Actis Eustathianis probabilem illam antiquitatem, natamque ex scriptore coævo prærogativam adimere, vel certe extenuare conatus est : ait enim : Procemii stilus neutiquam est ille, quo usi sunt Sancti, qui secundo seculo scripserunt. Hisce, si recte mentem ejus assequor, duo innuit : alium scilicet stilum præfationis esse, alium subnexæ Historiæ. Secundo non fuisse eum, qui procemii est, Sanctis, Christianis, ni fallor, secundi seculi usitatum, etsi forte fuerit aliis ejusdem ævi scriptoribus.

stilo,

26 Cum Acta defendenda non susceperim, non est operæ pretium scrupulosius inquirere, quot quosque Sanctos secundi seculi scriptores habuerit laudatus criticus, quorum illi stilus pro cote et norma fuerit, ad quam cetera scripta probaret et in quo stilus ille a coævorum aliorum auctorum methodo differat. Leonis Allatii, Combefisii et aliorum de stilo judicium, quod hic speciatim rogandum duxi, Tillemontii opinioni, saltem ubi de Græcis agitur, præponendum credo. Censent autem illi, stilum anonymi nostri, ab eo, qui primorum seculorum Græcis etiam Catholicis erat usitatus, non esse alienum. Ceterum nemo diffitebitur procemii stilum graviorem esse et sublimem magis eo, quo reliqua Historia exarata est. At quam fuerit omnis ævi scriptoribus maximeque biographis tum Græcis, tum Latinis usitatum, in præfationibus oratorio stilo assurgere, postea descendere et gesta sui Herois calamo levi magis et fluido prosequi, norunt omnes, qui vel primis manibus similia monumenta tractarunt. Inepte igitur inde aliquid contra biographi ætatem movetur.

rationibusque, quas Bailletus.

27 Bailletus in Tabula critica confidenter ita pronuntiat : Allatius et Combefisius contendunt, Actorum scriptorem contemporaneum fuisse S. Eustathio : quod si recte probassent, potius persuasissent nobis, Sanctum una cum auctore vixisse sub imperatoribus Constantinopolitanis , quam evicissent, utrumque floruisse sub imperatoribus Romanis Trajano et Adriano. E Confidenter, inquam, satis, sed sine probatione. Enimvero non video, ex quibus dialecticæ regulus conclusurus esset, biographum vixisse sub imperatoribus Constantino posterioribus, si quis demonstret, illum sanctis Martyribus æqualem fuisse. Non ex stilo : etenim Acta Græca ne legisse quidem videtur. Fortene quia tum latius serpere et liberius grassari cœpit fabulandi licentia? At ita arguere philosophis est Principium petere : neque enim certis argumentis demonstravit Bailletus, Eustathiana Acta fabulosa esse, secundum eorum partes præcipuas, quæ saltem ut dubiæ defendi possunt. Quod si id etiam tantisper demus eruditorum plurimorum judicio, esse Historiam illam fabellis aliquot ab inventione petitis non solum vestitam, sed etiam totam non nisi figmentis cohærere, nondum cohærebit Bailleti ratiocinium, nisi ostenderit, ante imperatorum Constantinopolitanorum tempora nullos fuisse fabulatores, nullos in Ecclesia corruptores Actorum; quod est sane falsissimum.

et alii allegarunt. Non magni tamen fit

28 Mitto laudatum Bailletum sine ulla ratione ita anonymum nostrum criminari tamquam effrontem nimis et impudentem, qui res sui temporis fabellis plurimis corruptas ad imperatores F alios longeque anteriora tempora retulerit, dum simul istorum seculorum homines fatuos omnes et stolidos exhibet, qui talia commenta rebus sibi notis immixta pro veris habuerint et crediderint. Credidisse enim et pro veris habuisse, suspicari licet ex iis, quæ de S. Joanne Damasceno dixi superius. Porro sunt, qui antiquitatem Actorum Eustathianorum inde oppugnant, quod Magister militum creatus dicatur a Trajano imperatore Eustathius. Contendunt illi cum Pancirolo, munus seu dignitatem Magistri militum ab Alexandro Severo tantum fuisse institutum; unde arguunt, post hujus tempora Passionem nostram scriptam fuisse. Atque hæc contra versionem Latinam obtinere forte aliquid possunt, nihil autem contra Acta primigenia Græca, ubi pro Magistro militum legitur Στρατηλάτης, quæ vox Imperatorem exercitus et aliam quamvis fere militarem dignitatem æque, si non frequentius, quam Magisterium militum significat. Maneat igitur Eustathianis Actis scri-

 ptor,

AUCTORE J. C.

ptor, qui se profiteatur supparem sanctis Martyribus, quorum gesta enarrat, seu potius innumeris ornamentis deturpat.

id anonymi de sua ætate testimonium.

29 *Quamquam hoc anonymi scriptoris testimonium, non magni ponderis esse posset apud criticos magis severos. Reponent enim illi, non uno exemplo se edoctos esse, quod fabulatores maxime astuti soleant se rebus, quæ narrant, propinquos fingere, ut tantum amplius auctoritatis saltem apud simplices homines et credulos suis figmentis accersant. Quod si severioris eos censuræ arguas, contendasque, malam cujuspiam fidem debitis argumentis evinci debere; facile responderi poterit, illum ex nota ejus consuetudine fabulandi, sine injuria hic etiam saltem suspectum haberi posse. Quod si tamen ardentius institeris atque prætensam ætatem illi reliquendam contenderis, urgebunt, facere te tanto magis impudentem fabulatorem, qui res sui temporis tam insolentibus commentis asperserit, totamque illis poëmatis speciem induerit, et quidem non exercendi procul dubio stili gratia, sed fallendi lectores studio, quippe quos instruere se, non tantum delectare, profitetur velle. Jurene hæc, an injuria dici possint, judicet lector: profecto apud me, sive supparem, sive posteriorem* B *Sanctis biographum statueris, non obtinebis, ut credam, omnia bona fide relata esse.*

§ III. Nota erroris in fide rigidius auctori impingitur. Proferuntur quæ ulterius Acta utcumque commendare videntur: statuitur denique, quo loco haberi possint.

Hæresios a rigidioribus arguuntur Acta,

Hesselius, *criticus non admodum severus, judice Tillemontio, in Cens. Hist. cap.* XI *ita brevibus rem omnem expedit.* Vita S. Eustathii, *inquit,* quæ incipit « In diebus Trajani »... displicet. Quia præter fabulosa, contra Catholicam fidem dicit: Quod, cum adoraret idola et dæmonibus serviret, plenus erat cunctis virtutibus, et quod dignus erat vocari a Deo, et quod timebat Deum et acceptus esset illi, et quod eleëmosynæ ejus commemoratæ essent in conspectu Dei, et quod esset alter Cornelius C Centurio. *Hesselii censuram admittit Tillemontius, atque de ea ita Bailletus tom.* 3 *col.* 263 *pronuntiat:* Instructio, quæ videretur illius *(Eustathianæ Historiæ)* finis vel fructus esse, non est sine periculo, si verum est, Opus illud plurima continere, quæ fidei adversantur, ut notarunt eruditi aliqui. *Plurima hujusmodi non invenio; sunt tamen ibidem quæpiam crudius asserta, quæque si nude ad rigorem theologicum exigantur, adstruere videntur meritum in operibus moralibus hominis ethnici. At similia, etiam sine periculo, conniveri solent biographis, maxime si ante hæreses, in quas incaute impingere videntur, scripserint, eorumque dicta mitiori sensu possint accipi. Sane cum noster* Eustathii *opera cum Cornelii centurionis operibus comparet, videtur jam tum fidem in Deum agnovisse in* Eustathio, *ut ut exteriori forte adhuc idolorum cultui indulgenti. Hoc sensu, quem alia insuper nonnulla insinuare videntur, si anonymi dicta accipiantur, erunt utcumque tolerabilia, ut in Annotatis ostendam.*

31 *Habent id Acta Eustathiana peculiare inter ea forte omnia, quæ in falsi suspicionem venerunt, quod sine ingentibus congestisque prodigiis ita* D *cohæreant, ut, sola Dei jugi providentia regente, intra solitum naturæ ordinem fieri potuisse videantur fere omnia, quæ narrantur. Etenim, si apparitiones aliquot, duoque vel tria non admodum insolentia miracula dempseris, pleraque non sunt a communi rerum ordine exorbitantia, atque ita cohærent, ut scrupulosissime scrutanti non solum impossibile nihil in eis occurrerit, sed vix dum aliquid, unde natam ex mirabili casuum variorum connexione suspicionem commenti confirmes; ita ut, fabulatorem anonymum hunc nostrum oporteat valde prudentem fuisse, qui loca varia designarit, sparsim tempora expresserit, itinera atque his similia, quæ scopuli sunt, ad quos fere fabulatores allidunt, ita descripserit, ut vix uspiam sui oblitus appareat; imo nihil adstruxerit, quod aliorum scriptorum, qui res illius temporis tradiderunt, contrarium assertis videatur, ut infra liquebit, ubi Actorum Eustathianorum chronotaxim aliquam adornabo.*

quæ id inter fabulosa alia peculiare habent,

quod vix uspiam scriptor sui oblitus

32 *Unus est locus, qui cum eo, ad quem refertur, inter omnes non minime fabulam sapit, ubique biographus sui oblitus, fabulatorem se prodere videtur. Colloquium scilicet* Agapii *et* Theopisti E *num.* 16 *suos sibi casus narrantium. Etenim numero* 10 Eustathius, *translato Filiorum uno in adversam ripam fluminis, ad alterum pariter transvehendum regreditur, jamque medium alveum tenet, cum videt illum ab irruente leone rapi et in sylvam abduci. Revertitur mœstus Pater ad illum, quem vado transmiserat: sed et hunc cernit a lupo abripi. Citato autem num* 16 *narrat primogenitus* Agapius, *se a leone ablatum fuisse, additque, quid juniori Fratri in adversa ripa contigerit a lupo, quæ tamen nescisse debuit, jam scilicet prius abreptus a leone. Hæc pars narrationis, quæ de* Theopisto *est, a Græco tum nostro tum Combefisiano abest, sed Latina omnia ita loquentem* Agapium *exhibent:* Lupus veniens rapuit illum minorem Fratrem meum: et antequam ad me appropinquasset *(Pater)* subito de sylva exiliens leo rapuit me, *quod facit, ut suspicer, illa etiam olim in Græcis fuisse, maxime cum respondeat* Theopistus: Ἐγνώρισα γὰρ, ἃ διηγήσω μοι καὶ οἱ ἐμὲ γὰρ ἀναθρεψάμενοι ταῦτα μοι ἔλεγον· ὅτι ἐκ λύκου σε ἐῤῥυσάμεθα. Novi enim, quæ narrasti mihi, nam et illi, qui educaverunt me, dicebant mihi; quia de lupo eruimus te, *quæ non obscure talem* Agapii *sermonem præsupponunt. Metaphrastes, ut superius innui, hunc biographi errorem sensisse videtur et ita conatus corrigere, ut dicat* Agapius, *tamquam uno signo dato utrosque se a feris raptos fuisse: sed vel sic parum intelligibile apparet quomodo fratris casus ex adversa ripa discere potuerit; maxime cum in Actis Metaphrastis* § X *apud Surium magis etiam, quam in nostris liqueat, primum natu dudum ante juniorem raptum fuisse. Quidquid sit, hæc procul dubio ad commentum amandari possunt.*

appareat, sic sua enarrans

33 *Felicior alibi est anonymus usque ad chronotaxim ipsam circumspectus. Lubet hic aliqualem texere, ut prudentiam ejus et in fabulando dexteritatem mireris, nisi potius suspiceris, historiam* S. Eustathii *primigeniam quampiam ipse præ oculis fuisse, quam in hisce caute secutus sit. Itaque Trajanus imperium adivit mense Januario anni Christi* 98, *illudque mense Augusto anni* 117 *cum vita deposuit. Primum bellum Dacicum passim anno imperii ejus quarto figitur, quod biennio vel triennio post secuta est expeditio alia, qua Decebalum fœderatasque illi gentes debellavit, Daciamque et adjectas*

A *jectas aliquot regiones juris Romani fecit. Sub idem tempus Palma præfectus Syriæ Arabiam Petræam subegit, qua de victoria Romæ ludi celebrati sunt. Anno deinde Christi* 106 *in Orientem profectus est Trajanus, sequentisque anni initio S. Ignatium Antiochiæ condemnavit, atque ex Oriente, victis Armenis subjugatisque vicinis aliquot regionibus, ut censent hodiedum ex numismatibus eruditi, reversus est Romam, atque sub annum* 112 *iterum adversus Parthos processit, Adiabenen, Assyriam, totamque Persidem, et omnes sinus Persici accolas Romano imperio subjecit; dumque Oceanum versus navigaret sub annum* 116, *Judæi aliique populi plurimi rebellarunt, adversus quos, tum ipse profectus est, tum varios duces misit, qui vario successu pugnarunt. Denique Trajanus, frustra tentato obsidione Atra, alii Agaram legunt, Arabum munimento, ægritudine correptus, Romamque reversurus, Selinunte in Cilicia extinctus est. Hæc fere de Trajano Tillemontius ex Plinio, Dione, Xyphilino, Eutropio et aliis.*

ut cum aliorum scriptorum

34 Placidas *ipso statim initio Actorum dicitur præfectus militibus a Trajano imperatore; quod anno imperii ejus secundo vel tertio, Christi* 99 *vel* 100 *contigisse potuit, quorum postremo vel sequenti*
B *si mirabilem* Eustathii *corversionem colloces, annumque unum infortuniis, quibus res ejus domesticæ diffluxerunt, fugæque Ægyptium versus concedas, iisque quindecim annos adjicias, quibus Badyssi agrorum custodem egit, ejus recognitio in annum Christi* 116 *excurret. Inde perductus est* itinere quindecim dierum *ad Trajanum, tunc in Oriente forteque in Arabia agentem, conscripsit militem, adversus barbaros processit, Hydaspen fluvium superavit, in hostium interiorem regionem penetravit, et, gesto ubique feliciter bello, Romam cum victore exercitu reversus est anno circiter Christi* 118, *cum ante illum annum Romam non venerit Adrianus, sub cujus imperii initium passum* S. Eustathium *Acta satis innuunt. His ita statutis, reliqua fere obscuriora dilucidare poterit, qui voluerit conjecturis indulgere liberius. Ac primo quidem ad illam* Placidæ *perquisitionem anxietatemque Trajani, quæ videntur minus credibilia de fastuoso et ambitioso principe, qualem Trajanum scriptores passim depingunt, reponere poterunt, mirum nihil id apparere debere, magnanimum ceteroqui virum, tum animo concidisse, cum tot annorum labores immensasque pecunias universali fere devictorum populorum tumultu vidit*
C *ad nihil defluxisse.*

testimoniis de rebus

35 *Certe non minus ægritudine animi, quam corporis confectum fuisse Trajanum innuit Xyphilinus ex Dione, dum asserit, plurimum illum aqua intercute laborasse, quam et inter præcipuas mortis causas assignat. Quin et Dio apud Baronium ad annum Christi* 114 *scribit, quod tædium maximum bellorum, post hos rebellantium undequaque populorum tumultus Trajanum invaserit, atque una varios numerat duces, Lusium, Maximum, Erucium Clarum, Alexandrum aliosque, quos sub id tempus ad reprimendos barbarorum impetus cum copiis misit imperator, inter quos forte* Placidas *copias ducendas accepit. De Badysso palpatur in tenebris. Si quæ Actis fides, videtur non procul abfuisse vicus ille a fluvio, ubi Liberos suos dicitur* Eustathius *amisisse. Circa hæc ita scribit Jacobus de Vitriaco in Narratione seu lib.* 3 *Hist. Orient. apud Martenium tom.* 3 *Anecdot. col.* 273 Libanus mons est Phæniciæ, a cujus radice Farfar et Albana fluvii Damasci oriuntur. Montis Libani, et planities Arcados transfluit Albana se mari Magno copulans in illis partibus, in quibus Eustachius ab Uxore privatus et Filiis recessit desolatus.

AUCTORE J. C.

Trajani tempore gestis non ægre,

36 *Sunt (apud Calmetum in lib.* 4 *Reg. cap.* 5 ℣ 12*) qui Syriam Damascumque lustrarunt, asseruntque nullum se ibi invenisse vestigium nominum Parphar et Albana. Alii ibidem contra referunt, fluvium, qui Damascum secat, etiam hodie Farfar et Farfaro appellari. Albanam plurimi cum Oronte confundunt, plurimis iterum reclamantibus. Certe inter Monumenta recentia Missionum Orientalium tom.* 6 *pag.* 126 *in confiniis Damasci assignantur hi duo fluvii, eorumque cursus describitur. Cursus Oriontis in Tabula D. de L'isle non multum deviat a descriptione Albanæ, quam dat hic Jacobus de Vitriaco. Apud Cellarium in Notitia orbis antiqui lib.* 3 *pag.* 242 *anonymus fluvius planitiem Arcadis seu Arcenæ, quod oppidum Phœniciæ est, alluit, atque hinc in Occidentem labitur, et ad Tripolim mari immiscetur. At sive is, sive aliis quispiam fuerit, cujus jam alveus vel alio aversus sit, vel exhaustus canalibus scrobibusque ad irrigandos agros et urbes refocillandas effossis, de Phœnicia, Antiochene vel Seleucide scriptori nostro sermo est, ubi si delituit* Eustathius, *commode combinantur, quæ hic in Actis narrantur. Alii opinantur in Cilicia, Ægypto, Arabia* E
Petræa illum appulisse cum uxore et Liberis, iisque deinde omnibus amissis, haud procul inde habitasse, in quorum etiam conjectura nihil est, quod narratis repugnet, cum eo certe tempore in Oriente, forteque in ipsa Arabia egerit Trajanus, ad quem dierum quindecim itinere *non est proinde incredibile eum pervenire potuisse.*

saltem conjectando,

37 *De barbaris, quos debellasse dicitur, pariter nil est, quod illorum temporum scriptoribus adversetur. Hydaspen fluvium superavit cum victore exercitu* Placidas, *atque in interiorem profligatorum barbarorum ditionem irrupit. Duplicem illius nominis fluvium ex scriptoribus delineant cosmographi: Indicum alterum, Indo fluvio, cui immergitur, Orientalem: alterum Persicum, qui Susianam irrigat, et Medus vocatur, quod in Mediæ finibus seu oriatur, seu post meatum subterraneum erumpat. Is ab aliquibus cum Choaspe et Eulæo confunditur, distinguitur ab aliis, ab omnibus locatur proximus Tigris ostiis. De utro in Actis nostris sermo sit, si divinandum est, pro Persico stare debet opinio. Adversus Trajanum rebellarunt procul dubio populi, solos si forte Parthos Meseniosque exceperis, qui late Susianam ambiunt, atque contra hos* F
mitti potuit cum exercitu Placidas. *Ultra Parthiam ab Oriente victorias suas extendisse Trajanum, non est satis certum; inde autem ad usque Hydaspen Indicum nimium est terrarum spatium, ut eo* Placidas *penetrasse credatur.*

componi possint.

38 *Ceterum Ms. S. Galli ea parte, qua a reliquis dissidet, de postrema expeditione* Eustathii *habet:* Et omnes in fugam versi sunt et Pannoniæ fines sic liberati sunt: *quibus luculenter innuitur* Eustathio *cum Dacis vel vicinis barbaris rem fuisse. Et Dacos quidem, et nuper cum illis victas proximas gentes sæpius conatos jugum excutere Romanorum, ex Xyphilino discimus. Est verisimile etiam, tumultus eos excitatos maxime fuisse, postquam ex Pannonia, ubi cum copiis egerat, Adrianus anno Christi* CXI *vel sequenti cum Trajano in Orientem abscesserat, atque adeo in id tempus incidisse, quo postrema* S. Eustathii *adversus rebelles barbaros contigisse expeditio debuit. Si bellum in Pannonia gessit illud non protendit usque ad Hydaspem fluvium: inde enim usque in Susianam vel Indiam hostes repellere et urgere, est tractum orbis terrarum*

AUCTORE J. C.

rum immensum cum exercitu percurrere; quod factum, nec Acta suadent, neque ego credidero. Igitur biographo nostro fluvius aliquis circa Panno- niam, Thraciam vel Mysiam Hydaspis nomine venit, vel in Oriente bellum gessit Eustathius, quo etiam perductam a barbaro nauclero ejus conjugem Theopisten, pronius esset credere, quam ex Oriente, quo navigarant, ad vicinas Pannoniæ regiones reductam fuisse. Utut est, ex his omnibus liquet nihil ex Actis nostris erui, quod eorum scriptorum testimoniis contrarium sit, qui rerum tum temporis gestarum nobis memoriam reliquerunt: proindeque ex hac etiam parte habent aliquid, quod alibi in Actis aliis fabulosis et tam prolixis vix reperias.

Quænam ut dubia relinqui possint

39 Ceterum inquiri hic ulterius posset, quænam mihi Historiæ Eustathianæ partes præcipuæ illæ sint, quas præceteris inter dubiæ fidei narrationes relictas cupiam. Respondeo: Licet certæ aliquæ determinari certo non possint, eas omnes mihi pro dubiis esse, quæ simpliciores sunt, et non habent nimis apertam poëmatis superinductam speciem. Hujusmodi quaspiam sparsim hactenus enumeravi procul dubio ad commenta rejiciendas; hisce B accenseat, qui voluerit, apparitiones, non refragabor; at cetera quoad rem ipsam, siquidem hinc et inde modum, quo narrantur facta, pertinacius volueris culpare, mihi saltem dubia remanent. Profecto in animum inducere non possum, imo, nec suspicari, totum historiæ illius corpus falsum esse et a scriptoris inventione petitum, ne Eustathium ipsum ejusque Uxorem et Liberos mortalium albo eradamus, credamusque fabulosos camporum Elysiorum heroës. Eo usque progressus videtur Usuardi Pratensis editor, dum ait in Observationibus ad hunc diem: Cæterum non miror, quod Usuardus Eustachium e suo codice (nimirum XX Septembris) expunxerit sed valde miror, quod umquam (2 novembris) admittere potuerit. Quibus, ni fallor, vel ipsum Eustathii nomen Fastis sacris erasum cupit.

ex Actis, quæ ut fabulosa,

40 At illi, inquam, ego consentire non possum, cum de S. Eusthathio tam antiqua sit in Ecclesia, tamque celebris memoria, qualem sequenti § proferam, quæque apud me facit, ut credam certo Historiæ hujus fundamentum verum esse, licet suspicer cum Baronio, esse illi plurima, a scriptoris inventione superaddita. Operæ prætium esset ulterius indagare, an inter dubia illa, nulla sint vera et certa, et hæc ulterius a suspectis aliis præcidere: C atque illud præstituros nos ad hunc diem, spopondisse videntur Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis et Sollerius in Observationibus ad Usuardum I Novembris; quapropter Bailletus in antecessum, nescio an satis sincere, nobis gratias habuerit referendas. Majorum meorum utcumque dubiis promissis, et eruditorum votis lubenter satisfacerem, verum candide fateor, impigre, sed frustra tamen id tentasse me ea destitutum eruditione longoque annorum usu acquisita experientia, quæ sola hic Majoribus meis videntur adjumento futura fuisse; imo cum instrumenta testimoniaque Actis nostris antiquiora, et vel ad eorum ætatem accedentia, atque ex iis ipsis non profecta, non reperiantur, desunt meo judicio omnia, unde cum aliqua probabilitate et certitudine fieri possit desiderata discretio.

edemus Græca et Latina

41 Facile esset ex Actis nudam quampiam historiam cudere: asserere Eustathium nobilem in militia virum fuisse, vocatum ad fidem, Uxorem et Liberos in bello amisisse, recepisse postmodum, ac denique post Christianæ fidei possessionem martyrii laurea cum Uxore et Liberis coronatum fuisse. At qua hæc auctoritate, præter solum ultimum, cui innumera in sacris Fastis testimonia suffragantur, asserentur? plane nulla. Igitur circa ea, quæ D non significavi sine scrupulo præcidi posse, judicium lectori relinquo, et Eustathiana Acta, ut fabulosa excudam Græca ex Ms. codice Medicæo regis Galliæ, quæ videntur omnium priora esse et correctiora. Versionem Latinam adjungam pariter vetustissimam ex codice nostro egregio et perantiquo notato Q Ms. 5, quam, ubi deficit, cum aliis manuscriptis conferam, vel ipse supplebo, et de more annotatis illustrabo, ubi præmisero, quæ ad sanctorum Martyrum cultum spectant, ac deinde Athanasii Kircheri pia molimina examinavero.

§ III. S. Eustathii et Sociorum in Fastis sacris antiqua memoria, cultus variis in locis, reliquiæ.

E

S. Eustathii et Sociorum memoria reperitur

Usuardus ad diem 2 Novembris S. Eustathii quam, ut volunt ad XX Septembris expunxerat, reducit memoriam, his verbis: Romæ temporibus Adriani imperatoris, passio beatorum Eustathii, cognomento Placidi (Pratensis, editore teste, habet Placidæ) et uxoris ejus Theospis, cum filiis Agapio et Theospite, quorum miri Actus leguntur. Propriam hanc esse Usuardi annuntiationem, arbitratur Sollerius, sic tamen ut non neget, in antiquioribus monumentis Sanctorum reperiri memoriam. Florentinius ad diem I Novembris sic notat: Ad Macedoniæ sive dedicationem basilicæ, seu Martyrum memoriam, præcedit in Martyrologio Corbeiensi veneratio S. Eustachii martyris cum Uxore et Filiis, quæ tamen, cum non exstet in libris nostris, neque in M. Antverpiensi, ejusque festum tam in Latinorum Hagiologiis, quam Græcorum Menologiis celebretur die XX Septembris, ex pia alicujus antiquarii devotione illic additum existimarem. Notavit ad hæc Papebrochius: Non ita de illo D'Acherius tom. 4 Spicil. pag. 680, sicque nimirum significat, se Florentinii judicio non subscribere; nec immerito: nulla est enim ratio allata, quare hic Corbeiensem, quem non raro præ suis adoptat, rejiciat, quia scilicet altero die in Græcis et F Latinis Fastis memoratur; namque hoc ipsum plane falsum est.

in omnibus fere antiquissimis martyrologiis,

43 Etenim, ut Usuardina sileam fere omnia, quæ I vel 2 die Novembris S. Eustathium nuntiant, Hieronymiana apographa, et, quæ eo reducuntur, ejus illis diebus agunt non pauca memoriam. Martyrologium laudatum Acherii ad Kalendas Novembris sic habet: Et passio S. Eustachii martyris cum Uxore et Filiis. Consonat ad eumdem diem Corbeiense apud Martenium Anecdot. tom. 3 col. 1585, uti et Corbeiense nostrum tom. VI Junii, nisi quod die 2 Novembris sanctorum Martyrum mentio fiat, quo etiam celebrantur in Richenoviensi ibidem excuso, his verbis: Eustachii et Sociorum ejus martyrum. Ad Hieronymiana reduci pariter potest Kalendarium antiquum monasterii Lyrensis, apud laudatum Martenium Anecdot. tom. 3 col. 1605, quod fere solum inter antiqua cum veteri Kalendario Neapolitano nuper invento XX Septembris S. Eustasii et Filiorum meminit. Silet Bedæ martyrologium metricum Acherii de Sanctis nostris, at in Opere nostro tom. 2 Martii inter Flori Auctaria ex Mss. Atrebatensi et Tornacensi ita memorantur. Ipso die (Kalendis Novembris) passio sanctorum

A sanctorum martyrum Eustachii et uxoris ejus Theospidis et filiorum Agapiti et Theospidis, qui tempore Adriani imperatoris, cum nollent sacrificare diis, missi pariter in boven igneum igni succensi sunt. *In exemplari vero Barberiniano :* Et alibi depositio Eustachii militis cum Uxore et duobus filiis.

quæ Hieronymo tribuuntur, uti et in

44 *Ibidem notatur, priorem annuntiationem etiam in Lyrinensi ad sequentem diem reperiri. Apud Martenium Collect. amp. tom.* 6 *col.* 652 *et seq. tres antiqui Fasti, qui huc spectare possunt, sanctos Martyres celebrant. Kalendarium vetus Anglicum* IV Non. Novembris S. Eustathii martyris *memoriam recolit, Consonat ad eumdem diem Martyrologium insignis ecclesiæ Autissiodorensis,* Romæ passio S. Eustathii cum Uxore et duobus Filiis. *Calendarium Stabulense ibidem bis, ni fallor,* S. Eustathii *memoriam renovat : quippe ad diem* I *Novembris ita nuntiat :* Passio S. Eustachii cum Filiis suis, *præmiserat autem ad* XIX *Septembris* S. Eustochiæ *corruptum nomen ex nomine Sancti nostri, nisi forte contendat quispiam,* S. Eustochium *Turonensem episcopum, de quo ad diem præcedentem, designari. Ut ut est, die* XX *Septembris ibidem* B *nuntiatur etiam* S. Eustathius *in Calendario veteri Verdinensi. Mitto alia, quæ ad Bedam seu Florum referri solent, monumenta recensere, ad Adonem descendo. Tres laudatissimi codices reginæ Sueciæ, qui Georgio illustrandi conferendique Adonis Rosweydiani incitamentum solaque fere causa fuerunt, ad diem* 2 *Novembris unanimiter ita annuntiant :* Romæ passio S. Eustachii martyris, qui antea Placidus vocatus est, cum Uxore et duobus filiis Agapio et Theopiste, quorum miri Actus leguntur.

Bedæ seu Flori Apographis, et pluribus codicibus Adonianis.

45 *Ab his paucis verbis ita dissentit Martyrologium antiquum Fuldense, quod Georgius laudatus post Adonem excudit :* Romæ natalis sancti Eustachii martyris, qui antea Placida vocatus est, cum Uxore et Filiis, quorum miræ passiones leguntur. *Ibidem brevibus etiam* Eustathii *meminerunt ad* XX *Septembris Calendaria Vaticanum et utrumque Mediolanense. Rosweydus inter Auctaria Adonis sui hæc retulit ad eumdem diem :* Romæ natalis sanctorum martyrum Eustachii, Agapiti, Theopisti atque Philistæ, *et deinde* 2 *Novembris :* Item passio S. Eustachii, Uxoris ac Filiorum ejus. *Ex tot tamque insignibus monumentis antiquis saltem scrupulus videtur suboriri de-* C *buisse iis, qui* Eustathii *et Sociorum elogium certo adjudicandum censuerunt Hieronymo seu Eusebio, Bedæ, Floro et Adoni. Ego illud illorum nemini plane adscribendum contendo, assero tantum apparere id mihi utcumque dubium, falsum autem esse, quod Florentinius scripserat, ad* XX *Septembris* S. Eustathium *celebrari in Fastis sacris, cum Latini fere omnes antiquissimi vel* IV *Nonas Novembris, vel ipsis Kalendis, quibus eum suo Corbeiensi inscriptum legerat, sancti Martyris memoriam locent. Illis suffragantur Acta Latina omnia, quæ vidi, ut in Annotatis ibidem videri licet.*

Apud martyrologos alios ad diversos dies,

** XIII Kal. Octobris*

46 *Ad alios præterea dies relata est* S. Eustathii *mentio. Wandelbertus ita canit :*

Virtutis specimen patiendi et forma decusque.
Martyrii Eustachius terno denoque * triumphat.

In Kalendario antiquo Romano Frontonis ita legitur pagina mihi 137 : Die XI mens. Sept. natal. S. Eustochii, *(eadem reperiuntur in Kalendario Altivillariensi apud Martenium tom.* 5 *Anecdotorum col.* 76 *littera* l) *quæ ad S.* Eustathium *nostrum referenda esse censent Fronto cum Tillemontio, Sollerio aliisque passim, cum errorem suum ipsum Kalendarium prodat, signans jam ante* XVI *memoriam SS. Luciæ et Euphemiæ : proindeque monent corrigendum diem, legendumque* XXI, *imo* XX. *Porro idem sanctus Martyr noster cum Sociis in Martyrologio de Peregrinis apud illustrissimum de Aste in Notis ad Martyrologium Romanum, et in manuscripto Casinensi nuntiatur* XX *Maji; apud Ludolphum vero in Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ a Coptis celebratur* XV *hujus mensis Septembris* Eustatius, *ut ibidem inter Prætermissos dictum est, verisimiliter idem ille, qui apud eumdem hoc die* XX *Septembris his verbis indicatur :* Eustathius cum Filio et Uxore.

iteratis etiam vicibus, sancti Martyres,

47 *Inter recentiores martyrologos Canisius bis, Maurolycus ter sanctorum Martyrum mentionem reducit. Nostrum Florarium Mss. die* XX *Septembris ita habet :* Romæ sanctorum martyrum Eustacii, cognomento Placidi, et Theopiste Uxoris ejus, Agapiti et Theopisti filiorum suorum, quorum mira temptatio, et ab invicem separatio, et iterum mira recognitio, et sub Adriano imperatore gloriosa passio legitur. Horum festivitas potissime recolitur in crastino Omnium Sanctorum; *ubi deinde ita legitur :* Romæ temporibus Adriani imperatoris passio beatorum Eustacii, cognomento Placidi, et Uxoris ejus Theospite cum filiis Agapito et Theospito, quorum miri actus leguntur. Horum festivitas cum duodecimo Kalendas Octobris habeatur, hic tamen in eorum translatione plenius recolitur. E *Ceterum mitto martyrologorum agmen ad diversos dies Sanctorum memoriam agentium. Græci omnes, quos vidi, sacri Fasti cum Kalendario Allatii, Menologio Basiliano impresso, nostrisque Mss., Synaxario Sirmondi, Fastis Æthiopum duobus Seldeni, Ephemeridibus Græcæ-Moscis apud nos excusis tom.* I *Maji, Anthologiis antiquo et recenter Venetiis recuso, hoc* XX *Septembris sanctos* Eustathium *et Socios celebrant.*

in Fastis tamen Græcis constanter ad XX *Septembris,*

48 *Eodem die in Martyrologio Romano Baronii ita nuntiantur :* Romæ passio Sanctorum martyrum Eustachii et Theopistis Uxoris ejus cum duobus filiis Agapio et Theopisto, qui sub Hadriano imperatore damnati ad bestias, sed Dei ope ab iis nil læsi, in bovem æneum candentem inclusi martyrium consummarunt. *Quæ in Fastis Græcis sunt, elogia passim cum Metaphrastis interpolatione magis conveniunt. In Menæis ita canitur.*

Εὐστάθιον βοῦς παγγενῆ χαλκοῦς φλέγει,
Καὶ παγγενῆ σὺ τοῦ Θεοῦ σώζεις λόγε. F
Εἰκάδι Εὐστάθιος γενεῇ ἅμα ἐν βοῒ καύθη.

Eustathium bos omnimode æneus urit,
Et tu omnimode, Sermo Dei, illum servas.
Vigesima Eustathius cum domo tota in bove comburitur.

Menologium Basilianum tali Sanctos celebrat elogio : Magnus martyr Eustathius, dux militiæ, Romæ claruit, Trajano imperatore, eique prius nomen erat Placidas, Uxori vero Tatiana. Ob ejus autem eleëmosynam voluit Deus illius saluti consulere. Visus est enim venanti Eustathio Christus specie cervi inter cornua Crucem solis radios splendore vincentem habentis et in medio imaginem Christi : prodiitque ex cervo vox, inquiens : Placida, quid me persequeris? Ego sum Jesus Christus.

nuntiantur. Elogia, quæ ibidem

49 Credens itaque in illum baptizatus est una cum Uxore et Filiis, totaque Domo. Adeo autem à diabolo oppugnatus fuit, ut non solum facultatum suarum jacturam fecerit, sed et Uxorem captivam duci, Filiosque a feris rapi, seipsum vero nudum in terra aliena, et mercenaria opera victum

AUCTORE J. C.

ctum quærere coactum viderit. At Deus Uxorem ei, et Filios et divitias restituit : quæsitus enim ab imperatore, in pristino dignitatis gradu collocatur. Sed postea cognitus Christianus esse, in æneum candentem bovem una cum Uxore et Filiis injectus, decessit. *Hæc, ut liquet, ex Actis contracta sunt. Ceterum, quæ est in Martyrologiis Calendariisque celeberrima* SS. Eustathii *et Sociorum memoria, in Fastis sacris aliis illustris est, itidemque ad diversos dies relata. In antiquissimis duobus Breviariis, quæ habemus Mss,. illorum mentio fit* 2 *Novembris, sic tamen ut de sanctis Martyribus nihil sit in officio proprium. Spirense impressum anno* 1478 *eodem die* S. Eustathium *et Socios colit ritu semiduplici, habetque tres Lectiones proprias, continentes fuse ea omnia, quæ in Actis nostris narrantur. In aliis etiam ecclesiis particularibus, ut ex Calendariis et Breviariis liquet, prædicto die* 2 *Novembris cultus præscribitur, qui deinde, sicut a Kalendis Novembris, ubi in vetustissimis Fastis et appendice Sacramentarii Gregoriani apud Gavantum nuntiatur, propter inductam festivitatem Omnium Sanctorum, in hunc diem retractus fuit, sic postea in dies alios propter oc-* B *currentem Commemorationem Fidelium defunctorum rejectus est. Hinc in diœcesi Parisiensi* III *ejusdem mensis in festo solemni S. Marcelli fit de sanctis Martyribus commemoratio.*

exstant, uti et in

50 *In Romanis tamen antiquis, quæ habemus excusa Venetiis anno* 1479 *et* 1518, *uti et in recentioribus, constanter ponitur eorum memoria* XX *Septembris. Observat circa hæc Bailletus ex Gavanto, usque ad medium seculum decimum sextum festum universale per Ecclesiam non fuisse nisi simplex, imo Pium V Pontificem sustulisse Lectionem de* S. Eustathio, *atque ejus loco reponi jussisse Homiliam de Vigilia S. Mathæi Evangelistæ : Urbanum VIII postea anno* 1625 *festum ad ritum semiduplicem, ac denique Clementem IX, imo X, die scilicet* XXVI *Januarii* 1671, *ut notat Meratius, ad duplicem evexisse, quo hactenus sancti Martyres colendi præscribuntur in Breviario Romano, ubi et tres Lectiones ex Actis contractæ sunt de illis propriæ. Habemus* Breviarium Romanum completissimum impressum Venetiis per nobilem virum dominum Lucam de Giunta Florentinum anno a nativitate domini MDXXII, *in quo ad* XX *Septembris talis præmittitur rubri-* C *ca* : In Vigilia S. Mathæi fit de S. Eustachio et Sociis ejus tamquam de festo simplici. Festum S. Eustachii, si in Dominica venerit, transfertur, et fiunt de eo novem Lectiones, non obstante Rubrica, quia dictum est sepe, quod nullum festum transeat propter Commemorationem. Et sic est ordinatum etiam et fit a Fratribus. Non tamen est festum ubique solemne, quamquam sit festum, quod non transit. Quare Ordinarium ponit in Missali, quod missa sit de Vigilia S. Mathæi et Commemoratio de S. Eustachio.

Breviariis quibusdam antiquis.

51 Et ideo si venerit die Lunæ hoc festum Eustachii, tunc in Dominica nullo modo mutabitur a Cap. pro ipso festo S. Eustachii, quia secundum omnes numquam fuit festum, cui Dominica cessit vel cedit, et etiam non habet propria Responsoria, nec est privilegiatum, nisi quod non mutatur de loco suo. Imo secundum Ordinarium antiquum est festum minus, quam sit festum simplex 9 Lectionum, quia festum simplex 9 Lectionum occurrens in Dominica transferebatur et fiebant postea de eo 9 Lectiones. *Quibus confirmatur Gavanti observatio. Porro Officium, quod ibidem præscribitur, habet Lectiones novem, et, si capitula et versus excipias, omnia propria de* S. Eustathio *atque ex* D *ejus Actis desumpta. Ut autem est sanctorum Martyrum nostrorum ubique celeberrima memoria, ita plurimæ per totum Christianum orbem sparsæ ecclesiæ eorum sacras reliquias sibi vendicant. At prænotasse juverit, de plerisque certi nihil asseri posse; etenim cum sit* S. Eustathii *nomen aliis etiam Sanctis commune et affine pluribus, imo forte tale, quod sanctis corporibus e cœmeteriis Romanis erutis, et, ut vulgo dicimus, baptizatis, imponi potuit, facile cognominis Sancti reliquiæ obtentæ vel inventæ, ut passim solet, creditæ sunt celeberrimi Martyris nostri. Hæc tamen nolim quispiam ita dicta accipiat, acsi asseram, vel omnia, vel speciatim aliquas reliquias ex recensendis perperam credi esse sacra* Eustathii *Romani martyris pignora; tantum fontem indico, ex quo confusio promanare potuit, atque probationibus et instrumentis destitutus, qualecumque de illis dubium. Itaque, ne infinitus sim, quas habui obvias* S. Eustathii *reliquias aliquas enumero.*

Sacras reliquias variæ sibi ecclesiæ vendidant. Pleræque incertæ sunt. Corpus

52 *Solum Belgium nostrum plurimis ditatum dicitur apud Raissium in Hierogazophilacio, ubi ecclesia S. Amati Duacena pag.* 45, *Epternacensis pag.* 212, *Lætiensis pag.* 280 *sacris ejus ossibus gloriantur.* S. Eustathii *dentem suis sacris thesauris adscribit Colonia Agrippina, atque partes duas alias Sancti corporis apud Gelenium pag.* 310, 266, *et* 688. *In Germania, quæ Sanctum nostrum* E Eustathium *suos inter Auxiliatores veneratur, atque eo nomine aras illi non uno loco erexit, partes binas sancti corporis habet, quæ numerantur in Lipsanographia Brunsvico-Luneburgica pag.* 8 *et* 50. *In Diario sacrarum reliquiarum ecclesiæ Pragensis in Phosphoro pag.* 518 *ad hunc diem numerantur a Pessina sancti Protectoris et Sociorum* partes aliquot, una præ cæteris insignis, allatæ per Carolum anno MCCCLXX. *Aliæ procul dubio in aliis urbibus et ecclesiis honorantur, at singulas percensere longum esset. Tamayus in Notis ad Martyrologium Hispanicum die* XX *Septembris monet, videndum Hieronymum de Quintana Hist. Madritens. lib.* 3 *cap.* 113 *pag.* 444 *pro translatione exuviarum Sancti nostri Roma Madritum ad cænobium regale sanctimonialium excalceatarum, S. Claræ sacrum, atque adscribit in margine* : Corpus apud Madridium. *Laudatam Quintanæ Historiam ad manum non habeo, consului Relationem historicam fundationis illius monasterii Hispanice scriptam a Joanne Carillo, Ordi-* F *nis S. Francisci de Observantia, ubi texitur catalogus sacrarum reliquiarum, quas regium cænobium possidet. Nullam inter illas reperi* S. Eustathii *nostri, nec credo sancti corpus post annum* 1616, *quo edita est jamjam laudata lucubratio, Madritum delatum esse.*

sancti Martyris perperam Tamayus contendit Madriti quiescere, cum Romani

53 *Igitur Tamayus, qui omnes fere totius orbis sacros Thesauros in Hispaniam calamo avehere nisus est, partem sancti corporis forte exiguam, corpus nominat, vel ex cæmeteriis baptizati, ut vulgo dicimus, aut alterius cognominis Sancti reliquias, cum celeberrimi* Eustathii *nostri exuviis confudit. Certe Piazza in Hemerologio sacro parte* 2 *ad hunc diem* XX *Septembris asserit, in ecclesia, sancti martyris* Eustathii *nomine insigni sub altari principe hastæ militaris partem servari et Sanctorum nostrorum corpora. Secundum potiorem etiam partem intellige; nam laudatus auctor subdit, S. Andreæ in monte Quirinali, et S. Cæciliæ ecclesias gloriosi martyris* Eustathii, *sancti vero Martini in Monte basilicam* S. Theopistæ *uxoris ejus, sacris exuviis ditatas esse. Instrumentum marmoreum*

A *moreum, de cujus fide dubitare non ausim, undeque probari possit, seculo duodecimo Sanctorum corpora adhuc in ecclesia Eustathiana fuisse servata, habes apud laudandum sæpius Athanasium Kircherum, Historiæ Eustathio-Marianæ parte* 5 *pag.* 158. *Ibi dicitur :* Sub majori altari in capsa Onichina (in Conchina *legit Martinellus)* sunt corpora sanctorum cum titulo marmoreo : « Hic re- » quiescunt corpora sanctorum martyrum Eustachii » et uxoris ejus Theopistæ, eorumque filiorum Aga- » piti et Theopisti. » Ego Celestinus Catholicæ Ecclesiæ episcopus cum prædictis episcopis corpora Sanctorum et oculis vidi et manibus tentavi *(Martinellus habet* tractavi, *nescio an fideliter)* et recondidi cum titulo antiquo in mausoleo sub altari.

merito id sibi vendicent, frustra contendentibus, quantum apparet, Gallis

54 *Ad hæc non advertit Bailletus, qui tom.* 3 *col.* 262 *numerum secundum ita fere orditur : Dicitur corpus* S. Eustathii *conservatum fuisse Romæ in ecclesia ejus nominis usque ad seculum duodecimum, atque porro sub hujus initium inde translatum in Gallias, depositumque in abbatia S. Dionysii. Ad superius, inquam, instrumentum marmoreum non advertit : etenim facta dicitur ibi-* B *dem Eustathianæ ecclesiæ consecratio* anno Incarnationis ejusdem *(Jesu Christi)* MCXCVI *et anno* VI D. Celestini Papæ tertii in Indictione XIV in Dominica. *Eodem certe tempore, vel paulo forte ante contigit inspectio sacrorum corporum, quæ testatur Pontifex sub altari principe recondita a se fuisse. Quomodo igitur illius seculi initio* S. Eustathii *corpus in Galliam translatum fuerat? neque enim est credibile Romam iterum intra illud tempus fuisse revectum. Certe idem Bailletus ex Dubleto refert sacra lipsana, quæ* S. Eustathii *credebantur, in regio illo cœnobio religiose servata fuisse usque ad annum* 1567, *quo a Calvinistis direpta fuerint, quæ cum hisce non suis cohærent. At quid igitur, non credam sancti Martyris corpus in prælaudata abbatia, ubi sacellum ejus nomini dicatum fuit, quievisse, dum id asserunt expressis verbis apud Dubletum pag.* 317 *et* 318 *chartæ Guilielmi de Alneto anno* 1123, *et Philippi Augusti anno* 1194, *scriptæ? Respondeo : Pluris apud me valet summi pontificis multorumque, qui præsentes fuerunt, episcoporum testimonium, quam chartarum istarum auctoritas : maxime, cum, qui eas condiderunt, sacra lipsana non inspexerint, atque adeo, illorum assertum sola* C *traditione nitatur, cui in similibus rebus minus tribui solet, quam testi oculato.*

quibusdam, illud ante duo secula in S. Dionysii abbatia servatum fuisse.

55 *Itaque credo, aliquas* S. Eustathii *exuvias eo loci venerationi expositas fuisse, atque a tot viris illustribus cultas, variisque donariis dotatas. Quod si quis probet, corpus sacrum ibidem loci quievisse integrum, dicam, quod erat alterius forte cognominis Sancti creditum fuisse sancti Martyris nostri. Si vero concesseris, aliquam dumtaxat sacrarum reliquiarum partem possedisse abbatiam S. Dionysii, facilius consentiam, non uno edoctus exemplo, partes cujusdam Sancti etiam exiguas passim liberalissime* Corpus *vulgo vocitatas fuisse. Ceterum notat Saussayus in Martyrologio Gallicano ad hunc diem, Lutetiæ Parisiorum in famosa* S. Eustachii *parœciali æde gloriosi ipsius Christi Athletæ pignorum haud exilem portionem ab aliquot annis asservari. Quæ de titulo istius ecclesiæ feruntur, valde incerta sunt. Fuit olim S. Agneti sacra : unde autem et quando sancti* Eustathii *illi nomen adhæserit, fatentur scriptores Galli sese ignorare. Aliqui apud Bailletum laudatum credunt, errorem natum, ex nomine S. Eustasii abbatis Luxoviensis, quem vulgus Eustachium nominabat, cujusque Sancti nomen titulare erat sacræ cuipiam, ædiculæ sitæ prope ecclesiam S. Agnetis. Quidquid sit, sacra sancti Martyris nostri pignora, quæ hodieque in illa ecclesia coli asserunt, scribit Saussayus desumpta fuisse ex lipsanis Dionysianis, unde ex præcedentibus esto de illis judicium.*

AUCTORE J. C.

Alicubi memoratur translatio, quæ incerta est.

56 *Ceterum superius monui, in Florario nostro Ms. bis Sanctorum Martyrum nostrorum occurrere memoriam. et ad diem quidem* 2 *Novembris legi :* Horum (S. Eustathii *et Sociorum)* festivitas cum duodecimo Kalendas Octobris habeatur, hic tamen in eorum Translatione plenius recolitur. *De qua autem hic translatione sermo sit, hactenus reperire non potui. Crassissimis tenebris involuta sunt, quæcumque de* SS. Eustathii *et Sociorum sacris exuviis, ante tempora Cœlestini III, qui anno Christi* 1196 *sancta corpora Romæ inspexit, referuntur, ut ex iis, quæ ex Kirchero sequenti* § *proferam, luculentum fiet. Exstabat jam dudum ante, ut ibidem probabo,* S. Eustathii *nomine insignis Romæ ecclesia, certumque videtur, sacra cimelia ibidem semper servata fuisse. Aliunde eo advecta non credo ; cum Romæ passi fuerint sancti Martyres ubi et eorum corpora cum antiquo titulo* E *marmoreo a præfato Pontifice inventa et examinata fuerunt. De inventione illa seu elevatione, quæ contigit Dominica, qua cantatur Modicum, non agitur hic. Igitur, qui Florarium nostrum scripsit, cum recurrentem eo die Sanctorum memoriam invenisset, ea, quæ de translatione sunt, adjecit, nisi quis credere malit, ita eum in antiquioribus Fastis, quos præ oculis habuit, scriptum invenisse. At tum conjectari poterit, assertæ translationis auctorem, quisquis fuerit, occasionem arripuisse a reperta diversis consignata diebus in diversis Martyrologiis Sanctorum nostrorum mentione.*

§ IV. Examinantur pia molimina Athanasii Kircheri circa Eustathianam Historiam, antiquumque cultum sancti Martyris in ecclesia B. Mariæ de Vulturella et Romæ.

F

Tillemontii et Sollerii nostri censuræ de Historia Eustachio-Mariana

Lucubrationis Kircherianæ de Historia Eustachio-Mariana discussionem prænuntiavit Papebrochius tom. I *Maji in Ephemeridibus Græco-Moscis, ubi illius titulum integrum expressit. Eo viso, Tillemontius Monum. eccles. tom.* 2 *pag.* 586 *in Notis ad Persecutionem Adriani,* Veremur, *inquit,* ne plus promiserit, quam possit præstare. *Sollerius vero noster in Observationibus ad Usuardum* 2 *Novembris de eodem illo Kircheri Opusculo scribit :* Non ignoro, quanta Kircherus ad tuenda ea Acta molitus sit, exstant hic etiamnum literæ ejus de eo argumento ad Majores nostros datæ : attamen licet a Nicephoro et Damasceno citentur, nemo, opinor, contra Baronium evicerit, non multa prædictis Actis, ut minimum superaddita fuisse, quibus, si fieri potest, expurgandis, suo loco operam dabimus. *Dedi, quam promiserat Sollerius operam, fassusque sum, præclusam mihi videri undequaque viam ad id præstandum, quod, si fieri posset, faciendum spoponderat : illi pariter assentior, vix aut ne vix quidem contra Baronium, positivo saltem argumento, probari posse Historiam nostram undequaque sinceram esse.* neque

AVCTORE J. C.

neque illi dissentire possum circa lucubrationis Kircherianæ censuram, quam utcumque obscure innuit; etenim quisquis tum illam, tum literas, quas de eo argumento ad Majores meos dedit, attentius consideraverit, facile perspiciet, Historiam ejus Eustathio-Marianam potius amoris, quo flagrabat maximo, erga amabilissimam Dei et nostram matrem, venerationisque erga sanctum Martyrem, quam exactæ ad critices regulas eruditionis fœtum esse, saltem secundum ea omnia, quæ ad antiquum Sancti in Ecclesia cultum probandum non pertinent.

Athanasii Kircheri non videntur iniquæ, saltem

58 Etenim quæcumque producit alia, vel ipsis Actis vulgatis nituntur, quorum proinde sinceritas fidesque inde confici non possunt, vel incerta sunt: atque inter hæc falsa non pauca. Speciminis loco sit Historiæ Eustathianæ, quam parte prima, ut monui, adornavit, asserta chronotaxis. Statuitur Placidas in bello Judaïco fuisse equitum magister XII legionis sub Trajano ductore, de quo vide, quæ dixi § 2 num. 23. Ipso statim initio præmittitur, tertio consulatus Trajani anno Placidam vicisse Decebalum Dacorum regem, moxque contra Persas profectum ingentem eorum exercitum B ad internecionem delevisse. At cum Persis, Trajano imperante, bellum Romani non gesserunt ante annum imperii ejus 9, qui Christi est 106, nisi quis velit, Persicum bellum vocare id, quo Aulus Cornelius Palma Arabiam Petræam imperio Romano subjecit, quod tempore postremæ expeditionis Dacicæ, atque adeo Trajani imperantis anno 6 vel sequenti contigit. Illud certum est, bellum Dacicum secundum non ante id tempus absolutum fuisse, ut proinde S. Eustathii conversio non nisi anno imperii Trajani 7 possit hic statui contigisse. Porro hisce si sedecim anni adjiciantur usque ad detecti Placidæ ex Badysso reditum, excurritur in annum Christi 120, cum jam a triennio Trajanus e vivis excesserat. Eapropter ibidem pag. 27 asseritur Eustathius non a Trajano, sed ab Adriano, qui illi successerat, exceptus, atque adversus Persas et Ægyptios missus. Mitto omnium scriptorum antiquorum testimonio contrarium videri, quæ hic de bello adversus Persas sub Adriano finguntur, dum ea ex Actis ipsis, quibus nititur Kircherus, satis corruunt.

secundum eam partem,

59 Acta autem omnia, tum nostra, tum Metaphrastis, luculenter asserunt, exceptum a Tra- C jano reducem Placidam adversus rebelles missum cum exercitu, ac demum hunc imperatorem vita functum, cum ille vel bellum gereret, vel ab eo victor Romam reverteretur, suffectum Trajano Adrianum inventurus. Non minus a vero alienum est, quod sequitur: locat S. Eustathii et Sociorum martyrium sub extremo Adriani imperantis tempore, subjicitque pag. 46: Nihilque inde melior factus (Adrianus) non multo post..... Cumis voluntaria veneni sumptione infami et miseranda morte ultimum vitæ terminum clausit. Non examino, quæ hic de causa mortis et loco asseruntur. Mortuus est Adrianus imperator X Julii anni Christi 138. Non videtur autem post data ad præfectos suos pro Christianis anno 126 rescripta ullo modo illis infensus fuisse. Quidquid tamen sit, uno alterove anno ante ejus obitum in chronotaxi Kircheri patitur Eustathius, qui bello Judaïco adfuit, proindeque bellum sub Adriano supremum gessit, laureamque martyrii consecutus est fere centenarius: de quo vide dicta § 2, num. 22. Anachronismum alium habemus initio cap. 4, ubi scribit Kircherus, Trajanum, quando de barbarorum tumultibus nuntium acceperat, Placidi meminisse: verum cum jam fere ad vicennium de eo, jam omnium D opinione perdito, nil innotuisset, spem ejus recuperandi deponere debuisse, nisi occulto quodam animi instinctu ad eum quærendum fuisset impulsus. Vicennio huic septem annos addo, tantumdem enim concedi debere, probavi supra num. 58, quibus Eustathius ante fugam operam suam Trajano contra Dacos probaverat, habeoque Trajanum imperantem annis fere 27, qui tamen scriptorum omnium judicio vigesimum completum non vidit.

quæ non spectat

60 Longum esset, neque operæ pretium, hujusmodi alia recensere et refellere: prætereo etiam plures, quos ornatus adhibuit, non tam Historiæ veritatem stabilientes, quam illi fabulæ speciem majorem appingentes. Ex hisce omnibus id solum liqueat, Kircherum Historiæ illius veritatem supposuisse magis, quam discutere aut confirmare voluisse. Parte 2 Historiæ Eustachio-Marianæ Genealogia S. Eustachii a primis Romanorum regum temporibus in ultima ætatis nostræ tempora traducitur: ex Octavia scilicet stirpe, ab Octavio Mamilio, Tarquinii Superbi genero, usque ad Augustum Cæsarem, atque inde cap. 2 ad usque Placidam, hoc ordine. Erat Romæ anno salutis 20 Faustinus Octavius, pater S. Clementis I, a S. Petro E ad fidem conversus: deinde anno circiter 92, teste Sabellico, floruit in Urbe Agapitus Octavius, vir splendidus et senatoriæ dignitatis, atque ex hoc natus est magnus Eustathius noster. Qua via Agapitus ille Octavius ex Faustino Octavio descenderit, non dicitur. Quod si autem probationem requiras, hunc ipsum S. Placidæ nostri parentem fuisse, accipies, ni fallor, testimonium Zazzaræ tom. 2 de nobilitate Italiæ genealogiam prosapiæ Eustathianæ texentis. Inde series, non satis tamen ubique cohærens, producitur usque ad Tertullum (de quo S. Gregorius lib. 2 Dial. cap. 3.) quem que fuisse ex parentela S. Eustathii probatur ex eo, quod Tertullus filium suum, qui S. Benedicti Discipulus sanctitate illustris et martyrio coronatus fuit, Placidi nomen imponi voluerit, in memoriam S. Placidæ nostri seu Eustathii.

ad probandum antiquum S. Eustathii in Ecclesia cultum.

61 Postremum hoc eumdem iterum testem habet solum Zazzaram, ex quibusdam antiquis monumentis ratiocinantem. Atque hinc liquet, seriem illam Eustathianæ stirpis, ut passim solent genealogiæ antiquæ, multis niti ut minimum valde incertis. Certe S. Eustathium Agapiti Octavii filium et ex Octavia stirpe oriundum fuisse, vellem efficacius probatum videre. Capite ibidem 4 familiam F Eustathianam ad comites Tusculanos protrahit ex Wione et eodem Zazzara, atque hinc ad comites Signiæ, Anagniæ, Poli et Valmontonis usque ad annum Christi 1664, atque ex ea ramum Neapolim ad illustrissimam Afflictorum, a S. Eustathii afflictionibus sic dictorum, domum propagatum contendit. Non est hujus loci et instituti nostri hæc examinare. Eustathianæ familiæ scutum gentilitium ita Kircherus exhibet, ut pars læva SS. Agapium et Theopistum, S. Eustathii liberos, a feris semiglutitos, cassis vero mirabilem Salvatoris intra cervi cornua apparitionem repræsentet.

Variæ Kircheri circa locum conversionis

62 Magis ad propositum nostrum spectant, quæ laudatus Kircherus parte 3 tractat de loco conversionis Eustathii ad Christum, quem tam certo detexisse se arbitratur, ut lectori nullum dubium superesse possit. Hunc porro ita indicat: Tibur inter et Præneste, inquit, altissimorum montium catena ex Borea in Austrum extenditur..... in altissimo horum montium a Polo oppido..... trium millium passuum spatio ascendentibus Guadagnolium, vulgo Guadagnolo, intra rupem toto Latio

AUCTORE J. C.

A tio spectabilem conditum occurrit. *Dein plura interjicit de pagi illius situ et incolarum moribus et prosequitur :* Ex Guadagnolio ad mille fere passus per viam saxosam et declivitate difficilem laboriosamque versus Borealem plagam descenditur in planitiem modicam, præcipitiis undique et undique circumdatum, in qua propositi argumenti ecclesia Deiparæ fit obviam. *Prospectum circumjacentium locorum in Mappa geographica apud Kircherum expressum habes. Tabulam alteram, quæ situm istius ecclesiæ exhibet, post laudati scriptoris exemplar represento hic ligno incisam.*

Optica Proiectio Rupis et Ecclesiæ Deiparæ de Monterella una' cum circumiacentibus locis



Sequenti lucubrationis suæ capite ita pergit Kircherus : Post ecclesiam... xx circiter palmos dissita ingens illa rupes cernitur, *in quam cervus insiliit. Rupem illam a se mensuratam, asserit* 100 *fere palmis altam esse, et subdit :* Olim inaccessa
C fuit. Successu tamen temporis, ad devotionem Fidelium explendam, excisis hinc inde ad firmanda vestigia cavitatibus, non nullum ascendentibus in apicem aditum præbuit, quamvis laboriosum et periculis plenum.

S. Eustathii conjecturæ.

63 Tantum tamen valuit veterum Christianorum in hunc locum pietas et devotio, ut in summitate rupis, quæ nonnullam latitudinem admittebat, ad perpetuam tam miraculosæ conversionis memoriam ædiculam exstruxerint, in eaque totius rei historiam depinxerint, cujus tametsi subobscura picturæ vestigia nonnulli ex senioribus hujus territorii olim adhuc sese observasse testati sint. Hodie tamen præter quaternos muros, nil aliud superesse videas. *Porro fissuram notatam* D, C, *aiunt eorumdem accolaram alii, apertam fuisse ex terræ motu, dum vitæ et salutis Auctor in Cruce moreretur. Alii insolentius adhuc asserunt apud Fatorium ibid. pag.* 90, *illam prodigiose* S. Eusthatio *viam præbuisse, vel longam ibi pœnitentiam acturo, vel apparitores eum ad martyrium quærentes declinanti. Cujusmodi hæc sint, hausta ex futilibus hominum indoctorum traditionibus, forte non multum etiam antiquis, nemo est, qui* *non videat.* Nullus itaque *(infert pag.* 96 *ex iis, quæ præmiserat)* alius tam admirandæ visionis locus esse potuit, nisi quem descripsimus ; *quemque in Tabula collem depictum habes).* Quod ut lucullentius pateat, jam singula ordine testimoniis apertissime demonstrabimus, ne lectori dubium amplius E
de vero conversionis Placidianæ loco supersit.

quarum aliæ leves admodum, aliæ non videntur


64 Primum itaque hujus rei testimonium esse possunt ipsa Placidi prædia, villæque huic loco propinquæ, uti ex præcedenti descriptione patuit. *Præmiserat laudatus Athanasius, cujus verba contraho : Jerocomium seu Hierocomium, etiam hodie indigenis Jericomio, villa fuit Trajani cæsaris magnificentissima. Distat Jerocomium septimo fere milliari ab Eustathiana rupe. Media fere interjacet illis Polustia vetus, quæ Poli nomen hodiedum obtinet : atque in hujus confiniis villas suas et prædia possedit* Eustathius, *districtus Polani quondam dominus. Asserti hujus postremi vades sunt traditio, nescio quæ et Zazzara. Secundam probationem accipe :* Secundum est *(inquit)* irrefragabilis et numquam interrupta jam a Constantini Magni *et Silvestri Pontificis temporibus in hunc usque diem perseverans* traditio, qua ad convincendas veritates efficacius quidpiam esse potest. *Nullus est, qui neget criticus utcumque severus, modo traditionis illius antiquitas satis ostendatur. At quæ capite* 4 *part.* 3 *Kircherus affirmat, Joannem nimirum, qui* Placidam *sacra unda*

AUCTORE J. C. *unda abluerat, venerationis erga hanc rupem auctorem fuisse ceteris Christianis, ex mera conjectura dicta sunt, nec proinde sufficiunt, ut antiquæ venerationis initium satis solide stabiliant.*

omnino improbabiles, licet valde incertæ sint. 65 *Melius aliqualem ejus antiquitatem probant monumenta, quæ producit. Suntque* 1 *ædicula in ipsa rupe quondam a Christianis extructa in qua totius rei historiam depictam olim fuisse narrarunt e senioribus aliqui Kirchero.* 2 *Sacellum* S. Eusthatii *in ipsa ecclesia Deiparæ de Vulturella ad sinistram tholi partem a Constantino Magno, ut contendit Kircherus, primitus cum ecclesia exstructum : quod pluribus deinde probare nititur. Ac primo quidem inter innumeras, quas Deo Sanctisque piissimus imperator exstruxit basilicas, unam commemorari inquit apud Baronium in Catalogo auctoris anonymi, ab eo imperatore exstructam in monte ad vicum Pisanum, qui hodie* Pisciano *Italis dicitur, estque ad radices montis Vulturelli seu scopuli* S. Eustathii *Orientem versus, ut in chorographia, quam ipse exhibet, spectare licet. Hisce designari arbitratur basilicam olim erectam eo loci, ubi hodie Deiparæ ecclesia est, in*
B *memoriam mirabilis conversionis* S. Placidæ, *eamque a S. Silvestro dedicatam asserit. Si in illis locis montanis ecclesiam ædificavit Constantinus, peculiari ratione quapiam, et venerationis peculiaris affectu ad id inductus fuisse credi debet. Cum vero nulla exstet illustris cujuspiam facti ibidem memoria, quam eo monumento conservare venerarique voluerit, præter traditionem, quibusdam aliis monumentis firmatam, de* S. Eustathii *ad eam rupem mirabili conversione, non est* D
incredibile hanc ipsam Constantino extruendæ eo loci ædis sacræ causam fuisse.

Illud certum videtur, in locis illis 66 *Porro ecclesiam illam arbitratur Kircherus, jam ante S. Benedicti tempora collapsam dirutamque, et ab eodem sancto cœnobiarcha ejusque filiis refectam auctamque fuisse, cum scilicet districtus ille totus monasterio Sublacensi cessisset ex testamento Tertulli, patris S. Placidi, qui fuit S. Benedicti discipulus. Est et hoc satis credibile, maxime cum veteris ibidem monasterii rudera compererit, prout in Tabula nostra apparent. Verum quacumque hactenus protulimus, meræ conjecturæ limites non excedunt, Duo restant producta a Kirchero quibus ulterius probare contendit antiquum* S. Eustathii *eo loci cultum, ejusque a Constantino Magno et S. Silvestro Papa originem deductam.* In sacello S. Eustathii, *(inquit partis* 4 *cap.* 4 § I) quod ad levam chori e regione rupis constructum cernitur, affixa videbatur vetustissima tabula ex querno ligno compacta, in qua rudi, propria istorum temporum *(Constantini Magni scilicet, quibus eam confectam arbitratur)* arte insculpta prima hujus ecclesiæ dedicatio, a S. Sylvestro facta exprimitur, quam postea dux Polanus, ne tantæ antiquitatis monumentum situ et squal- E
lore loci periret, in Polanæ arcis bibliothecam intulit, ubi et in hunc usque diem antiquarum rerum studiosis spectanda exponitur. *Tabulæ illius producit typum, summa, ut asserit, fide pictum, quem et ego a xylographo nostro incidi curavi, et exhibeo.*

Antiquissimæ Tabulæ TYPVS qua Dedicatio Ecclesiæ Deiparæ Eustachianæ a S. Sylvestro Papa I facta exhibetur.



valde celebrem. 67 *Pluribus deinde exponit singula, quæ hic in pauca contraho, neglectis iis, quæ curiosus lector in ipso satis aspectu deprehendet. Tabulæ latera* A B, C D *habent* 5 *palmos et* 8 *digitos. Latera* A C, B D *continent palmos* 4 *et* 3 *digitos. Opus totum ex querno ligno anaglyphicum est ; pictura rudis, ut*

inconditarum

A *inconditarum imaginum habitus luculenter demonstrant. Imagines, quæ supra tortuosas columnas spectantur notatæ* E G, *sanctos, inquit, Petrum et Paulum repræsentant, eadem prorsus forma, sub qua in rupis caverna supra vetustissimam mensulam, ut parte* 3 *cap.* I *docuerat, sculptæ repertæ sunt. Effigies Salvatoris, inter illas media* F *ejusdem penitus formæ est, nisi quod benedicentis manum gestumque artis imperitia præpeditus pictor stolidissime expresserit, ejusdem, inquam, formæ est, Kirchero teste,* sub qua in dedicatione ecclesiæ Lateranensis, a Constantino exstructæ, populo Romano apparuisse traditur, ejusque sub hoc habitu ectypon passim, tum in dictæ ecclesiæ chori fornice, tum in Cruce Constantini, tum denique in frontispicio exteriori templi, qua portam Appiam respicit, omnibus intrantibus prima fronte obvium cernitur. *Quæ sub duobus arcubus repræsentantur, explicatione non indigent; liquet enim, altaris dedicationem per S. Silvestrum, cujus etiam nomen adscripsit sculptor, exhiberi cum ministris adstantibus. Inscriptionem, quæ hic fronti altaris* H *insculpta legitur, pag.* 126 *ita Kircherus excudit.*

B

MEN. OC. D.
XXIIII. DE
DICATIO
BEATE MAR
IE ✝ VVLTVILLA

et antiquam esse a pluribus seculis

68 *Notat autem eamdem inscriptionem in marmorea tabula pilæ primæ ad dexteram clathri altaris insertam conspici, unde illam sic exponit :* Mense Octobris, die xxiv dedicatio beatæ mariæ in vultvilla. *Pluribus deinde inquirit in significationem seu originem vocis* Vultvilla *seu* Vultilla, *suspicaturque legendum* Vulturella, *derivato montis nomine a multitudine vulturum, in scopulosis illis desertisque locis quondam nidificantium Hæc, utut valde incerta, apparent tamen mihi credibiliora iis, quæ testatur ibidem accepisse ex quodam sacerdote asserente, se id quondam legisse in libro Ms.: nimirum;* Quod cum de construenda Deiparæ in hoc loco ecclesia consultum esset, neque convenire possent, B. Virgo S. Sylvestro in C somno apparuerit, dixeritque, eo in loco sibi ecclesiam condi se velle, in quo Filius suus tanta cum servo suo Eustathio miracula operatus fuisset : unde S. Sylvester divino monitus oraculo, ad rupem Eustathianam, ut construeretur, Constantino suasit ; verum cum loci angustiam architecti objicerent, sanctum Pontificem dixisse, ædificetur, ubi Vult illa, scilicet Deipara, unde vox Vultilla coaluerit, ecclesiæque adhæserit. *Hæc enim, quæ Kircheri verbis recitavi, non facile, opinor, apud quempiam fidem inventura sunt.*

in monte Vulturella sancti Martyris

69 *Quod in læva tabulæ parte, I exprimitur, potissimum ad nostrum sanctum Martyrem pertinet, estque effigies cervi inter cornua gestantis imaginem Salvatoris. Hinc deducit Kircherus, partem illius ecclesiæ seu sacellum in honorem* S. Eustathii *consecratum fuisse, discurritque deinde multis, quare non Cruci affixus Christus exhibeatur, quomodo ab omnibus passim scriptoribus* Placidæ *apparuisse traditur; censetque, quod Salvatorem sculpserit artifex tali forma, quæ erat tum inter Christianos notissima et celeberrima, quæque Lateranensis est; vel denique, quod ita revera* S. Eustathio *visus fuerit, concluditque* : Relinquamus itaque sancto Huberto Christum inter cornua cervi Crucifixum, et Eustathio suum inter cornua cervi Salvatorem. *Acta nostra luculenter asserunt, apparuisse* formam sacræ Crucis supra claritatem solis splendentem; *illis si credere quis malit, quam insciti sculptoris picturæ et ita lubentius primæ Kircheri conjecturæ subscribat, nullam S. Huberto facturus est, confido, injuriam, si illi apparentem inter cervi cornua Crucifixum eripiat, sanctoque* Eustathio *restituat. Ceterum in inferiori tabulæ parte* K *pavimentum repræsentare voluisse videtur rudis artifex, lenticularibus quadrangularibusque concavitatibus intercisum : ac denique ad os cervi, nomen suum expressit. Hisce ita pluribus explicatis, concludit Kircherus :* Atque hæc est tabula vetustissima..., quæ ecclesiam beatæ Virginis de Vulturella a Constantino Magno fundatam atque a Sylvestro consecratam in hoc eodem loco, ubi Christus tanta cum servo suo Eustathio miracula operari dignatus fuit, ita clare et evidenter demonstrat, ut, si continuata jam a complurium seculorum omnis de hoc loco traditio deforet, illa sola ad Historiæ veritatem demonstrandam sufficere possit.

[ser]vatas J. C

memoriam et venerationem.

70 *Ita vir eruditus, a quo cogor hic vel pene invitus dissentire, circa nimiam tabulæ laudatæ antiquitatem; neque enim mihi apparet credibile,* E *asserem ilicinum seu quercinum, cum pictura anaglyphica, tamdiu in loco humidissimo per tot temporum varietates, ad nostra usque tempora totis quatuordecim seculis perdurasse. Contrarium suadet etiam inscriptio* Magister Guilelmus fecit oc opus, *quæ profecto neutiquam tantam vetustatem præferre videtur. Figuræ, fateor, habitusque inconcinni imaginum, Græcorum more exhibitarum, exigere videntur aliquot seculorum antiquitatem neque illam ego præfatæ tabulæ ereptam cupio, lubensque agnosco, multum ex ea ponderis traditioni accedere, saltem ad probandum antiquum eo loci* S. Eustathii *cultum, licet forte non usque ad Constantini tempora perductum. Illi etiam adstipulantur variæ per totam ecclesiam primitus depictæ imagines, quæ Eustathianam Historiam atque prodigiosam imprimis Christi inter cervi cornua eo loci apparitionem exhibent. Post hæc, veteremque eo loci atque recentem a se excitam Christianorum devotionem venerationemque enarrata, parte* 5 *laudatus Kircherus procedit ad cultum* S. Eustathii *in Urbe, quo illum sequor.* F

S. Eustathii ecclesia, Romæ

71 *Itaque* fuit olim Romæ, (*inquit Eminentissimus Annalium auctor in Notis ad Martyrologium*) et hactenus perseverat ejusdem Martyris (*Eustathii*) illustris ecclesia, *cujus exordia non videntur certo satis tempore figi posse, In Actis nostris numero ultimo dicitur :* Occulte vero Christiani tollentes corpora Sanctorum, deposuerunt in celeberrimo loco : et postquam sedata est persecutio, ibidem oratorium construxerunt et deposuerunt eos. *A memorato autem hic oratorio ecclesiæ illius originem quidam repetunt, conjectantque, illic domum* Placidæ *fuisse intra Thermas Alexandri Severi, ubi hodie est ecclesia ejus nomini sacra, ubique olim sacra ejus et Sociorum lipsana in exstructo tumultuario primum opere sacello subterraneo recondita fuerunt At hæc iterum pleraque antiquis testimoniis destituta fere, nescio qua, traditione nituntur, neque satis certam apud criticos fidem invenient. Primum monumentum marmoreum consecratæ Eustathianæ ecclesiæ summa diligentia, ut testatur, exscriptum, sic exhibet authenticum Kircherus pag.* 153 : In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno Incarnationis ejusdem mcxcvi et anno

AUCTORE J. C.

anno vi D. Celestini Papæ tertii in Indictione xiiii, in Dominica, qua cantatur Modicum, dedicata est ecclesia ista cum tribus altaribus, quæ sunt in ea, quæ consecratio facta est ab eodem D. Papa, cui coadjutores fuerunt hi episcopi : Octavianus Ostiensis, Petrus Gallocia Portuensis, Joannes Albanensis, Petrus archiepiscopus Aggerensis, Anastasius Caputaquensis, Nicolaus Forisemproniensis, et Sabariscius Badensis.

tantum est renovata a Cælestino III :

72 In majori altari consecrato ab ipso D. Papa, cui etiam astitit prædictus episcopus, sunt hæ reliquiæ : de ligno Crucis Domini, de Sanguine ipsius, de spinea corona, de vestimentis ejus, de reliquiis et vestimentis apostolorum Petri et Pauli, de costa S. Andreæ, de arvina et carbonibus sancti Laurentii, de reliquiis sanctorum Eustachii, Uxoris et Filiorum ejus. Sub majori altari in capsa onichina sunt corpora Sanctorum cum titulo marmoreo : Hic requiescunt corpora sanctorum martyrum Eustachii et uxoris ejus Teopistæ eorumque filiorum Agapiti et Theopisti. Ego Celestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus cum prædictis episcopis corpora Sanctorum et oculis vidi, et manibus tentavi, et recondidi cum titulo antiquo
B in mausuleo sub altari : ad cujus consecrationis anniversarium instituimus, ut quotquot ab ipso die usque ad Octavam Pentecostes devote convenerint, duorum annorum remissiones suorum peccatorum habeant. Hæc consecratio anno et die supradicto facta est studio et labore Petri archipresbyteri cognomento Saccoccia, clero et populo auxiliante, cujus consecrationis celebritati usque ad hæc tempora nulla similis extitit. *Ceterum ex hoc instrumento non vult Kircherus tum temporis, exspirante scilicet seculo duodecimo, primum conditam fuisse* S Eustathii *ecclesiam illam, utut tunc fuerit a Cælestino III consecrata, citatque Panciroli sibi patrocinantis verba, quæ, quia aliqua ad cultum Sancti nostri spectantia nos docent, Latina facio.*

certum enim est, illam seculo 9

73 In quem errorem, *inquit Hyppolitus Pancirolus Societatis nostræ in Thesauris absconditis almæ Urbis*, adhuc lapsus est F. Santi, censens tum ab isto Papa (*Cælestino III*) ecclesiam esse ædificatam. Oportet autem multo sit antiquior, cum inter diaconias Cardinalium posita fuerit Gregorii Magni tempore. *Hic recenset Pancirolus, quæ ex Actis nostris præmisi, et subdit :* Ex multis vero
C capitibus celeberrima est ista ecclesia S. Eustathii. Primo ex loco, quia nomen suum communicavit toti illi regioni Urbis, et quia eo loci fuerunt famosissimæ Neronis, ac deinde Alexandri Severi thermæ,.... quarum usque hodie aliqua vestigia spectantur. Adhuc illustrior est illa ecclesia propter martyrium S. Eustathii, qui cum Uxore et Filiis comburendus injectus est in candentem bovem æneum, asseruntur que ibi quiescere eorum venerabiles reliquiæ.... Ibi collegium procuratorum sacellum habet S. Michaëlis, ibique die dedicationis D
conveniunt cum auditoribus Rotæ et advocatis consistorialibus ad celebrandum festum, et populus Romanus die S. Eustathii venit ad faciendam solitam oblationem calicis et cerei, et pro felici exitu belli Ferrariensis votum fecit offerendi singulis annis xxx Januarii isti ecclesiæ cum solemnitate et pompa pallium heteromallinum. Denique collegiata est et parœcialis.

exstitisse Specialis sancti Martyris

74 *Ad hæc aliqua observanda sunt. Jam a Gregorii Magni temporibus Eustathianam in Urbe ecclesiam inter Diaconias, ut vocant, adlectam fuisse, ego certo affirmare non ausim, cum nullam sancti Martyris, ejusve ecclesiæ apud Gregorium mentionem inveniam. Inter Acta Leonis III in Catalogo dicitur :* In diaconia S. Eustachii fecit vestem de fundato ; *atque iterum ibidem in Gestis Gregorii IV, qui anno Christi* dcccxxvii, *undecim post Leonem annis sedit :* Hic præclarus Antistes obtulit in basilica beati Eustachii martyris vestem de fundato unam, habentem in medio historiam de chrysoclavo : *unde saltem evincitur, ecclesiam illam esse seculo duodecimo multo antiquiorem. Probat hoc ipsum etiam laudatus sæpe Kircherus pag.* 162, *ex verbis in basilica* S. Eustathii *inter-* E
columnari coronidi a latere sinistro in ingressu templi insculptis, Ego Stefania pro anima mea et viri mei et filiorum ad duas columnas erigere feci : *contendit enim, Stephaniam hic designari senatricem Romanam, quæ sub finem seculi* x *matrimonio juncta fuerit Alberico II comiti Tusculano principi consulique Romano.*

ibidem cultus.

75 *Horum fides sit apud Zazaram, ex quo suam probationem desumpsit Kircherus. Regioni, quæ a* S. Eustathii *ecclesia nomen sortita est, notat Piazza in Hemerologio, pro insigni esse caput cervi, Crucifixum inter cornua gestantis, additque, ad S. Agnetis ad forum Agonale eidem sancto Martyri egregiam aram erectam esse. Ceterum Baronius in Notis ad Martyrologium monet, in Basilica* S. Eustathii *in memoriam tanti Martyris, qui cuncta sua in pauperes elargitus est, solemnes agapes frequentari consuevisse, idque reperisse se in antiquo Ms. Rituali, ubi et hæc Oratio legebatur :* Da, Domine, famulo tuo N. sperata suffragia obtinere, ut, qui pauperes tuos in tua sancta ecclesia recreavit, Sanctorum simul omnium et beati martyris Eustachii et Sociorum ejus mereatur consortia, cujus nunc est exempla secutus : per Christum Dominum etc. F
Ceterum, quæ superius Pancirolus commemorat, de efferendis in æde Eustathiana annis singulis ex voto donariis, populi Romani usque in hunc diem solemnis et religiosissima consuetudo approbat. Atque hæc sunt fere, quæ de celeberrimo sancto martyre nostro Eustathio *ejusque cultu reperi; nunc Acta ipsa subjicio, procul dubio multis ornamentis ab inventione vestita, atque adeo hoc sensu inter fabulosa computanda.*



ACTA

ACTA FABULOSA

Ex Ms. Medicæo regis Franciæ, auctore anonymo, qui se coævum profitetur, cum versione ex Mss. nostris antiquis cum aliis collata, suppleta, et hinc inde emendata.

PROLOGUS

Πρόκειται μὲν τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἐκ φύσεως οἰκεῖόν τι διδασκαλεῖον πρὸς τὴν τῶν ἀρετῶν κατόρθωσιν, δίδασκον ἐκεῖνα ποιεῖν τῷ πλησίον, ἅπερ αὐτὸς πάσχειν παρ' ἑτέρου βούλεται, ἐκείνας τε ἀποπληροῦν τῷ εὐεργέτῃ Θεῷ τὰς εὐχαριστίας, ὥσπερ καὶ αὐτὸς παρὰ τῶν εὐεργετουμένων ἀπαιτεῖ. Πρόκειται δὲ καὶ ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδασκαλεῖαι παμπληθεῖς καὶ πράξεις ἀνδρῶν μακαρίων καὶ ἀοιδίμων, οἷον εἰκόνες τινὲς ἔμψυχοι πρὸς μίμησιν τῶν ἀγαθῶν κατορθωμάτων τοῖς βουλουμένοις ἕπεσθαι ταῖς αὐτῶν ἀρεταῖς. Οὐδὲν οὖν ἧττον προεθέμην, προσθῆναι ταῖς ἀρχαίων ἀνδρῶν ἐγγράφοις ἀνδραγαθίαις καὶ τὰ νῦν ἐν τοῖς καιροῖς ἡμῶν κατορθωθέντα, πρὸς εὐεργεσίαν μὲν τῶν ἀκουόντων, ἐπιστροφὴν δὲ τῶν φασκόντων, μὴ δύνασθαι μὲν τοιαῦτα κατορθοῦσθαι, οἷα ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις, ἵνα γνῶσι πάντες πῶς οὔτε χρόνος, οὔτε καιρῶν δυσχέρειαι, οὔτε ἀναστροφὴ ἀπηγορευμένου βίου, ἐμπόδιον γίνεται πρὸς κατόρθωσιν τῶν ἀγαθῶν ἔργων. Ἐὰν θέλῃ τις πρῶτον τῷ φυσικῷ λόγῳ ἑπόμενος, ἔτι καὶ ταῖς διδασκαλίαις τῶν προειρημένων ὁσίων πατρῶν ἀκολουθεῖν, ῥαδίαν εὑρήσει ὁδὸν τῆς ἐναρέτου πολιτείας. Οἷοι εἰσίν, καὶ οἱ νῦν ἡμῖν προκείμενοι πρὸς διήγησιν ἄνδρες, ὧν καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς βίον ἀναγράψω, καὶ τὸν τοῦ τέλους ἔπαινον ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς ἔργων ἐπιδείξω.

Prooemium. Habent homines ab ipsa natura ad egregium virtutum exercitium domesticam in se palæstram, quæ docet ea a quolibet facienda proximo, quæ ipse sibi ab altero præstari vellet, illas beneficiorum omnium largitori Deo referendas gratias, quas et ipse ab eo, cui benefecerit, exigeret. Proponuntur vero etiam in divinis Scripturis instructiones plurimæ, gestaque beatorum ac illustrium virorum, velut imagines quædam animatæ, ad æmulationem recte præclareque factorum, eorum virtutes imitari volentibus. Itaque apud me pariter statutum est, antiquorum generosis facinoribus, quæ litteris mandata sunt, etiam ea adjicere, quæ nunc hac nostra ætate egregie gesta sunt, ad utilitatem *a* audientium, conversionem vero eorum, qui existimant, non posse hoc tempore talia recte præstari, qualia priscis temporibus gesta sunt, atque ut agnoscant omnes, neque tempora, neque horum temporum difficultates, neque reprobæ vitæ pravam consuetudinem impedimento esse virtuti perfecte colendæ. Quippe si modo quis nitatur, primum naturæ legem sequens, deinde etiam sanctorum, quos dixi patrum, præceptis obsequi, facilem inveniet viam in disciplina præclaræ virtutis. Tales sunt, qui nunc nobis ad historiam propositi sunt Viri, quorum et a principio Vitam conscribam, et mortis laudem ex eorum claris operibus exhibebo.

ANNOTATIO.

a Monui in Commentario prævio § 1 *num.* 5, *abesse a Mss. Latinis omnibus procemium : ibidem num.* 14 *indicavi etiam, discrepare nostrum, ab eo, quod Combefisius edidit. Discrepantiam ibidem ex datis ejus verbis, si lubet, vide. Inde deduxi, perperam Combefisium Actis suis auctorem synchronum emendicasse, qui in nostro non obscure apparet.*

CAPUT I.

S. Eustathius mirabili Salvatoris inter cornua cervi apparitione vocatur ad fidem, baptizatur cum Uxore ac Filiis, ad egestatem redigitur, et profugus Uxorem et Filios amittit.

Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς βασιλείας Τραϊανοῦ, τῆς εἰδωλολατρείας κρατούσης,, προήχθη παρὰ τοῦ βασιλέως στρατηλάτης, ὀνόματι Πλακίδας, γένους τοῦ κατὰ σάρκα ἐπιδόξου, πλούσιος σφόδρα, ὑπερβάλλων πάντας τοὺς ἐνδόξους ἔν τε κτήμασι καὶ χρυσίῳ καὶ ἀργυρίῳ καὶ ἀνδραπόδοις, καὶ τῇ λοιπῇ περιουσίᾳ, ἕλλην μὲν οὖν ὑπῆρχεν καὶ αὐτὸς τὴν θρησκείαν. Τοῖς δὲ ἔργοις τῆς δικαιοσύνης παντοίως ἐκεκόσμητο, ἀντιλαμβανόμενος τῶν καταπονουμένων, συνηγορῶν τοῖς ἀδικουμένοις καὶ πολλοὺς ἐκ τῶν δικαστηρίων χρήμασιν ἀνακαλούμενος, γυμνητεύουσι περιβόλαια χαριζόμενος, πεινῶντας διατρέφων, καὶ ἁπαξαπλῶς, πᾶσι

S. Eustathius adhuc gentilis, misericors erga miseros, In diebus Trajani imperatoris, dæmonum prævalente fallacia *a*, erat quidam *b* magister militum nomine Placidas, genere secundum carnem insignis, opibus pollens et cunctis in honore [*c* tam in animalibus, quam in auro et argento et mancipiis ac universis rebus substantiæ suæ] præcellens, sed et dæmonum *d* captus errore. Operibus vero justitiæ et cunctis virtutibus erat præditus et meritis *e*. Subveniebat oppressis, patrocinabatur gravatis judicio, plures etiam a judicibus injuste damnatos *f* suis opibus relevabat, nudos vestiebat, esurientes satiabat : et ut vere dicam, cunctis indigentibus in vita sua dispensans

A. ANONYMO. dispensans, ut (sicut in Actibus Apostolorum legitur *g*) etiam in his temporibus Cornelius esse videretur. Habebat vero et Conjugem eadem sub dæmonum cultura existentem, sed similem moribus Mariti sententiæ. Procreantur eis Filii duo, quos educabant pares *h* propriæ voluntati. [Erat *i* autem Vir tam clarus et celebris ob egregia facinora et gestorum munerum dignitates, ut ipsis barbaris solum nomen ejus terrori esset, atque bello fortissimi prosperaque in omnibus fortuna utentis æstimationem apud omnes haberet. Venationi etiam plurimam dabat operam, gaudebatque indies feras insequi.] Sed misericors Deus, qui semper et ubique ad se sibi dignos vocat, bona hujus non despexit opera : nec voluit benignam et Deo dignam mentem *k* sine mercede deseri idololatriæ contectam tenebris, sed secundum quod scriptum est, quod in omni gente, qui operatur justitiam, acceptus est ei, pervenit ad istum benigna misericordia et eum salvari tali voluit modo.

in venatione, a Christo, 3 Exeunte eo una die consueto more ad montes venari cum exercitu et omni gloria, apparuit ei grex cervorum depascens; et disponens solito more exer- B citum, conabatur eos insequi *l*. Cunctis vero militibus circa captionem cervorum occupatis, apparuit unus cervorum vastus ultra mensuram totius gregis et speciosus, qui resiliens a grege, impetum fecit in sylvam et spissioribus locis *m* : quem videns Placidas et desiderans eum capere, relinquens omnes, cum paucis militibus eum insequitur. Omnibus vero lassatis, qui cum illo fuerant, solus perseveravit ad insequendum. Providentia vero Dei nec equo lassante, nec ipso propter difficultatem loci *n* desistente, sed diu insequente, longius remotus est a suo exercitu : cervus autem ille rupis occupans altitudinem *o* stetit desuper. Propius vero Magister militum veniens sine comite, stetit, circumspiciens undique et considerans, quemadmodum posset capere cervum. Sed totius sapientiæ et misericordiæ Deus, qui cunctas vias ad salutem hominum providet, venantem venatus est : non sicut Cornelium per Petrum, sed sicut Paulum insequentem per suam ostensionem. Diu vero stante Placida, et aspiciente cervum, et admirante vastitatem ejus, et deficiente circa captionem *p*, demonstrat illi Deus indicium tale, quod non timeret, neque supra suæ virtutis esset magnitudinem : sed sicut sub Balaam, tribuens asinæ verbum, C arguit ejus insipientiam, sic et huic demonstravit inter cornua cervi formam sacræ Crucis supra claritatem solis splendentem, et in medio cornuum imaginem Domini nostri Salvatoris Jesu Christi *q*. Qui etiam humanam vocem imponens cervo, advocat Placidam, dicens ei :

ipsi apparente 4 O Placida, quid me insequeris? Ecce tui gratia veni, in animali isto ut appaream tibi. Ego sum Christus, quem ignorans *r* colis; eleëmosynæ, quas facis indigentibus, coram me steterunt, et veni me ostendere tibi per istum cervum et venari te et capere te retibus misericordiæ meæ, non enim justum est, dilectum meum propter bona opera, servire dæmoniis immundis et vita carentibus et vacuis et insensatis. Ob hoc ergo veni in terram in hac specie, sicut nunc me vides, salvare genus humanum. Hæc audiens Magister militum, timore repletus est maximo, et cecidit de equo in terram. Hora vero transacta, ad se rediit et surrexit, et cautius volens videre, quod apparuerat ei spectaculum, ait intra se : Quæ est ista [vox, quam

τοῖς ἐπιδεομένοις τὰ κατὰ τὸν βίον οἰκονομῶν, νέος τις Κορνήλιος ἐν τοῖς καιροῖς ἀνεφαίνετο. Εἶχε δὲ Γυναῖκα καὶ αὐτὴν μὲν τῆς τῶν εἰδώλων θρησκείας ἐπαρχουσαν, ὁμοιότροπον δὲ τῆς ἀγαθῆς αὐτου γνώμης. Τίκτονται οὖν αὐτοῖς Παῖδες δύο, οὓς ἀνέτρεφον ὁμοίους τῆς ἑαυτῶν προαιρέσεως · ἦν δὲ τοσοῦτον περιφανὴς ὁ ἀνὴρ καὶ διαβόητος ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις καὶ δυναστείαις, ὡς καὶ αὐτοὺς τοὺς βαρβάρους ἐκ τοῦ ὀνόματος μόνον φοβεῖσθαι αὐτὸν, πολεμικώτατον ὄντα καὶ δεξιᾷ τύχῃ ἐν πᾶσιν εὐδοκιμοῦντα. Ἦν δὲ καὶ περὶ τὴν θῆραν σπουδαῖος κατὰ πᾶσαν ἡμέραν ἡδέως κυνηγῶν. Ἀλλ᾽ ὁ φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς Θεὸς, ὁ πάντοτε καὶ πανταχοῦ τοὺς ἑαυτοῦ ἀξίους προσκαλούμενος, οὐ περεῖδεν τούτου τὰς εὐποιίας, οὐδὲ ἠθέλησεν τὴν ἀγαθὴν αὐτοῦ καὶ ἀξίαν Θεοῦ γνώμην ἄμισθον εἶναι ἢ ἐγκαταλειφθῆναι σκότει τῆς εἰδωλολατρείας, κατὰ τὸ γεγραμμένον, ὅτι ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν, ἔφθασεν δὲ καὶ εἰς τοῦτον τοῖς Χρηστοῖς αὐτοῦ σπλάγχνοις καὶ σώζειν αὐτὸν βούλεται τρόπῳ τοιῷδε. D

3 Ἐξελθόντος αὐτοῦ μιᾷ τῶν ἡμέρων ἐπὶ τὰ ὄρη θηρεῦσαι μετὰ τοῦ στρατοπέδου πάσης τῆς θεραπείας αὐτοῦ κατὰ τὸ σύνηθες, ὤφθη αὐτῷ ἀγέλη ἐλάφων βοσκομένη, καὶ διαστήσας κατὰ τὸ σύνηθες τὸν στράτον, ἐποιήσατο τὴν κατὰ αὐτῶν δίωξιν... περὶ δὲ τὴν E σύλληψιν τῶν ἐλάφων, ὑπερμεγεθέστατος πάσης τῆς ἀγέλης καὶ εὐειδέστερος, ὅστις ἀποσπασθεὶς ἀπὸ τῆς ἀγέλης ὥρμησε κατὰ τοῦ κρήμνου ἐν δασυτέροις τόποις τῆς ὕλης, καὶ δυσβάτοις χωρίοις · ὃν θεασάμενος ὁ Πλακίδας καὶ ἐπιθυμήσας συλλάβεσθαι αὐτὸν, καταλιπὼν πάντας, μετ᾽ ὀλίγων στρατιωτῶν κατεδίωκεν. Ἀτονισάντων δὲ πάντων τῶν συνόντων αὐτῷ, μόνος προσέκαρτέρει τῇ διώξει. Κατὰ πρόνοιαν δὲ τοῦ Θεοῦ μήτε τοῦ ἵππου αὐτοῦ ἀτονήσαντος, μήτε δὲ αὐτοῦ πρὸς τὴν δυσχέρειαν τοῦ τόπου ἀποκνήσαντος, ἐπὶ πολὺ δὲ καταδιώκων, μάκραν εὑρέθη τοῦ στρατοπέδου αὐτοῦ, ὁ δὲ ἔλαφος ἐκεῖνος καταλαβὼν ἀκρώρειαν πέτρας ὑψηλοτάτης ἔστη ἐπάνω αὐτῆς. Φθάσας δὲ πλησίον ὁ Στρατηλάτης, μηδενὸς συνόντος αὐτῷ, ἔστηκεν περισκοπῶν πάντοθεν ποίῳ τρόπῳ ἐπιλάβηται τοῦ ἐλάφου. Ὁ δὲ πάνσοφος καὶ οἰκτίρμων Θεὸς, ὁ παντοίας ὁδοὺς πρὸς σωτηρίαν ἀνθρώπων ἐπινοῶν, ἀντιθηρεύει τοῦτον ἐν τῇ θήρᾳ, οὐχ ὡς Κορνήλιον διὰ τοῦ Πέτρου, ἀλλ᾽ ὡς Παῦλον διώκοντα διὰ τῆς ἰδίας ἐπιφανείας. Ἐπὶ πολὺ δὲ ἑστῶτος τοῦ Πλακίδα, καὶ ἀτενίζοντος μὲν εἰς τὸν ἔλαφον, θαυμάζοντος δὲ αὐτοῦ τὸ μέγεθος, καὶ ἀμηχανοῦντος ποίῳ τρόπῳ ἐπιλάβηται τοῦ ἐλάφου, δείκνυσιν ὁ Κύριος τεράστιον τοιοῦτον, οὐκ ἀπεικὸς οὐδὲ ὑπερβαῖνον τῆς αὐτοῦ δυνάμεως τὸ μέγεθος · ἀλλ᾽ F ὥσπερ ἐπὶ τῷ Βαλαὰμ, λόγον ἐνθεὶς τῇ ὄνῳ, ἤλεγξεν αὐτοῦ τὴν ἄνοιαν, οὕτως καὶ ἐνταῦθα δείκνυσι τοῦτον ἐπὶ μὲν τῶν κεράτων τοῦ ἐλάφου τὸν τύπον τοῦ τιμίου σταυροῦ ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου λάμποντα, μέσον δὲ τῶν κεράτων τὴν εἰκόνα τοῦ θεοφόρου σώματος, ἣν διὰ τὴν σωτηρίαν ἡμῶν ἀναλαβεῖν κατεδέξατο, καὶ φωνὴν ἀνθρωπίνην ἐνθεὶς τῷ ἐλάφῳ, προσκαλεῖται αὐτὸν, λέγων ·

4 Ὦ Πλακίδα, τί με διώκεις; ἴδου ἕνεκέν σου πάρειμι ἐν τῷ ζώῳ τούτῳ ὀφθῆναι σοι. Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὃν ἀγνοῶν σέβῃ · αἱ γὰρ εὐποιΐαι καὶ ἐλεημοσύναι σοῦ, ἃς ποιεῖς εἰς τοὺς δεομένους παρεστήκασιν ἐνώπιόν μου, καὶ ἦλθον ἐμφανῆσαι σοι ἐμαυτὸν, καὶ ἀποκαταστῆσαι διὰ τοῦ ἐλάφου τούτου καὶ ἀντιζωτρεῦσαί σε καὶ συσχεῖν τοῖς δικτύοις τῆς φιλανθρωπίας μου · οὐ γάρ ἐστιν δίκαιον, τὸν ἐμοὶ προσφιλῆ διὰ τῶν ἀγαθῶν ἔργων δουλεύειν δαίμοσιν ἀκαθάρτοις καὶ εἰδώλοις νεκροῖς καὶ κωφοῖς καὶ ἀναισθήτοις · διὰ τοῦτο ἦλθον ἐπὶ τῆς γῆς ἐν τῷ εἴδει, ὃ νῦν ὁρᾷς με, σῶσαι θέλων τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. Ταῦτα ἀκούσας ὁ στρατηλάτης Πλακίδας, καὶ ἔμφοβος γενόμενος, ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ ἵππου ἐπὶ τὴν γῆν. Ὥρας δὲ διελθούσης, εἰς ἑαυτὸν ἐλθὼν ἀνέστη, ἀκριβέστερον ἰδεῖν βουλόμενος, τὸ

A τὸ ὀφθὲν αὐτῷ θέαμα καὶ φησί· τίς ἡ φωνή, ἣν ἀκούω; ἀποκάλυψόν μοι ὁ λαλῶν, ἵνα πιστεύσω εἰς σέ. Καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος· Σύνες ὦ Πλακίδα. Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς Χριστός, ὁ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐκ μὴ ὄντων συστησάμενος, ὁ τὴν ἀδιάκριτον ὕλην διακρίνας, ὁ τὸ φῶς ἀναδείξας, καὶ τὸ σκότος διαχωρίσας. Ἐγώ εἰμι, ὁ τὸν ἥλιον εἰς φῶς τῆς ἡμέρας κατασκευάσας καὶ τὴν σελήνην σὺν τοῖς ἄστροις εἰς φαῦσιν τῆς νυκτὸς τάξας. Ἐγώ εἰμι, ὁ καιροὺς καὶ χρόνους καὶ ἡμέρας καὶ ἐνιαυτοὺς συστησάμενος. Ἐγώ εἰμι, ὁ καὶ τὸν ἄνθρωπον ἐκ γῆς διαπλάσας, ὁ διὰ τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἐπὶ γῆς φανεὶς ἐν σαρκί, ὁ σταυρωθεὶς καὶ ταφεὶς καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθείς. Ταῦτα ἀκούσας ὁ στρατηλάτης Πλακίδας προσέπεσε πάλιν ἐπὶ τὴν γῆν, λέγων· Πιστεύω εἰς σέ, Κύριε, ὅτι σύ εἶ, ὁ ποιητὴς τῶν ἁπάντων, καὶ ἐπιστροφεὺς τῶν πεπλανημένων, καὶ ἀνορθωτὴς τῶν πεπτωκότων, καὶ ζωοποιὸς τῶν τεθανατωμένων. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος· Εἰ πιστεύεις εἰς ἐμέ, ἄπελθε εἰς τὴν πόλιν καὶ πρόσελθε τῷ ἱερεῖ τῶν Χριστιανῶν, καὶ ζήτησον παρ' αὐτοῦ τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος χάριν.

5 Λέγει ὁ Πλακίδας· Κελεύεις ἀπαγγείλω ταῦτα τῇ Γυναικί μου καὶ τοῖς Τέκνοις μου, ὅπως καὶ αὐτοὶ B πιστεύσωσιν εἰς σέ; Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος. Ἀπάγγειλον αὐτοῖς, καὶ δεξάμενοι τὴν ἐν Χριστῷ σφραγίδα διὰ τοῦ βαπτίσματος καθαρισθήσεσθε ἀπὸ τῶν μολυσμάτων τῶν ἁμαρτιῶν ὑμῶν, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε, καὶ ὀφθήσομαί σοι, καὶ ὑποδείξομαί σοι τὰ μέλλοντα, καὶ φανερώσω ὑμῖν τὰ τῆς σωτηρίας μυστήρια. Καταβὰς δὲ ὁ στρατηλάτης Πλακίδας, ὀψίας λοιπὸν ἤδη γενομένης, ἤρξατο διηγεῖσθαι τῇ Γυναικὶ αὐτοῦ τὰ μεγάλα θαυμάσια τοῦ Χριστοῦ, ἃ ἑώρακεν. Ὡς δὲ συνετέλεσεν ἐξηγούμενος τὴν ὅρασιν καὶ τὰ λαληθέντα αὐτῷ διὰ τῆς ὀπτασίας, ἀνεβόησεν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ, λέγουσα· Ὦ κύριέ μου, τὸν ἐσταυρωμένον ἑώρακας, ὃν οἱ Χριστιανοὶ σέβονται· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεός, ὁ διὰ τοιούτων σημείων προσκαλούμενος τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτόν· καὶ ἐπὶ πλεῖον ἀναβοήσασα ἔλεγεν· Ἐλέησόν με, Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, καὶ τὰ δύο μου Νήπια. Καὶ λέγει τῷ Ἀνδρί· Ἐν τῇ παρελθούσῃ νυκτὶ ἐθεασάμην κἀγὼ αὐτὸν λέγοντά μοι· Αὔριον σὺ καὶ ὁ Ἀνήρ σου καὶ τὰ Τέκνα ὑμῶν ἐλεύσεσθε πρός με, καὶ γνώσεσθε, ὅτι ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς Χριστός. Ἐβουλήθη οὖν ἐν τοιούτῳ σχήματι καὶ τῷ παραδόξῳ θεάματι διὰ τοῦ ἐλάφου σοι ὀφθῆναι, ἵνα θαυμάσας τὴν δύναμιν αὐτοῦ πιστεύσῃς εἰς αὐτόν. Δεῦρο οὖν ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ προσέλθωμεν καὶ τύχωμεν τοῦ βαπτίσματος τῶν Χριστιανῶν, διὰ τούτου γὰρ οἰκει- C οῦνται αὐτῷ οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. Λέγει πρὸς αὐτὴν ὁ Πλακίδας· Τοῦτο γὰρ καὶ εἶπέν μοι ὁ ὀφθείς μοι. Μεσούσης δὲ νυκτὸς λαθραίως λαβόντες τὰ δύο Νήπια καὶ ὀλίγους τῶν οἰκετῶν προσῆλθον τῷ ἱερεῖ.

6 Κατ' ἰδίαν γενόμενοι καταλιπόντες ἔξω τοὺς οἰκέτας καὶ ἀνήγγειλαν τῷ ἱερεῖ πᾶσαν τὴν γενομένην αὐτοῖς ὀπτασίαν, καὶ ὁμολογήσαντες πιστεύειν ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, παρεκάλεσαν αὐτὸν δοῦναι αὐτοῖς τὴν ἐν Χριστῷ σφραγίδα διὰ τοῦ βαπτίσματος. Ὁ δὲ περιχαρὴς γενόμενος καὶ δοξάσας τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν θέλοντα πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, λαβὼν κατήχησεν αὐτούς, ἐκθέμενος αὐτοῖς τὸ μυστήριον τῆς πίστεως, καὶ ἐβάπτισεν αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Τὸν μὲν Πλακίδαν ὀνομάσας Εὐστάθιον, τὴν δὲ Γυναῖκα αὐτοῦ Τατιανὴν μετονομάσας Θεοπίστην, τὰ δὲ Τέκνα αὐτοῦ, τὸν μὲν πρωτοτοκὸν ὀνομάσας Ἀγάπιον, τὸν δὲ ἕτερον ὀνομάσας Θεόπιστον. Καὶ μετέδωκεν αὐτοῖς τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς, εἰπών· Ὁ Θεὸς καὶ ὁ Χριστὸς ἔστω μεθ' ὑμῶν, καὶ χαρίσεται ὑμῖν τὴν αὐτοῦ βασιλείαν· ἔγνων γὰρ ὅτι χεὶρ Κυρίου ἐφ' ὑμᾶς ἐστιν. Ὑμεῖς δὲ ὅταν αὐλίζητε ἐν παραδείσῳ τῆς τρυ-

audio?] Revela te mihi, qui loqueris, ut sic credam in te. Et dixit ad eum Dominus: Intende Placida. Ego sum Jesus Christus, qui cælum et terram ex nihilo feci, qui indiscretam materiam distinxi, qui lucem oriri feci, et tenebras divisi. Ego sum, qui [solem ad lucem diei *s* creavi et lunam cum stellis ad lumen noctis formavi.] Ego sum, qui tempora et dies et annos constitui. Ego sum, qui hominem formavi de limo terræ, qui propter salutem generis humani in terris apparui in carne, qui crucifixus et sepultus, tertia die resurrexi. Hæc audiens Magister militum cecidit iterum in terram, dicens: Credo Domine, quia tu es, qui fecisti omnia, qui convertis errantes *t* [qui lapsos erigis] et vivificas mortuos. Dicit ad eum Dominus: Si credis, perge ad civitatem et audi pontificem Christianorum, et quære ab ipso baptismum gratiæ.

A. ANONYMO. s t

5 Respondit Placidas: Domine, si jubes me, ut renuntiem ista Conjugi meæ et Filiis meis, ut et ipsi credant in te? Dixit ad eum Dominus: Renuntia illis, et accipientes signum baptismi mundamini a pollutione idolorum *u*, et veni huc, et rursus apparebo tibi et demonstrabo tibi futura, et patefaciam tibi salutis mysteria. Descendens ergo de monte, nocte facta, cœpit exponere Conjugi suæ omnia, quæ vidit. Postquam vero explevit omnia, exponens visionem et quæ ei dicta sunt, exclamavit Uxor ejus, dicens: Domine mi, Crucifixum Dominum vidisti, quem Christiani colunt, ille enim solus est verus Deus, qui per talia signa vocat ad se credentes: [et altius exclamans, dixit: Miserere mei, Domine Jesu Christe, et duorum Parvulorum meorum.] Tunc dicit Viro suo: Transacta nocte et ego vidi eum dicentem mihi: Crastina ut et Vir tuus et Filii tui venietis ad me, [et cognoscetis, quoniam ego sum] Jesus Christus. Voluit ergo sub tali figura mirandi spectaculi per cervum tibi apparere, ut ejus mirari posses potentiam, credens in eum. Veni igitur hac nocte et eamus et impetremus sanctum baptismum Christianorum; per hoc enim ejus proprii sunt *x*, qui in illum credunt. Dixit ad illam Placidas: Hoc et mihi dixit ille, qui visus est mihi. Medio vero noctis spatio [clanculum assumptis duobus Liberis et paucis e famulis] abierunt ad sacerdotem Christianorum.

prodigiose vocatur ad fidem. E u x

6 [Et soli facti, relictis ad fores servis,] narraverunt ei omnia, quæ facta fuerant vel dicta ad eos, et confestim credere se in Dominum Jesum Christum, dicentes, supplicaverunt ab eo, ut daret eis signaculum baptismatis. Qui alacri gaudio repletus et glorificans Dominum Deum, qui vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, accipiens catechizavit eos, et exponens eis mysterium fidei, baptizavit eos in nomine sanctissimæ Trinitatis. Et Placidam quidem vocavit Eustathium, uxorem vero ejus Theopistam *y*, et filios eorum, primogenitum vocavit Agapium, et alterum Theopistum. Et contulit eis sanctum sacramentum Domini nostri Jesu Christi *z* et dimisit eos, dicens: Dominus et Jesus Christus Filius Dei sit vobiscum, et donet vobis æterna regna; cognovi namque, quod manus Domini vobiscum sit. Vos autem cum fruemini paradiso [voluptatis,] mementote animæ meæ Joannis, ita postulo vos. Mane vero facto, accipiens Eustathius paucos equites secum, perrexit ad montem

Re Uxori narrata et probata, baptizantur cum Filiis.

A. ANONYMO. montem, et prope locum veniens, ubi visionem viderat, misit milites suos, quasi sub obtentu investigandæ venationis, et solus remanens, adpropiavit ad locum, et vidit formam sibi ostensæ visionis priorem, et cadens in faciem, clamavit, dicens :

Eustathio ad locum prodigii reverso prædicuntur imminentes calamitates,

7 Supplico te, Domine, cognovi, quia tu es Jesus Christus filius Dei vivi, et credo in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et nunc veni supplicans intemeratam tuam Divinitatem, ut manifestes, quæ promiseras mihi. Et dicit ad eum Dominus : Beatus es Eustathi, qui accepisti lavacrum gratiæ meæ, et qui induisti te immortalitate. Modo superasti diabolum, modo conculcasti eum, qui te deceperat, modo spoliasti te corruptibilem hominem et indutus es incorruptibilem, permanentem in secula seculorum ; modo fidei tuæ demonstrabuntur opera, quoniam invidia commovebitur contra te diaboli, eo quod illum reliquisti, et festinat omnem ad inventionem circa te movere ; oportet enim te multa sustinere, ut accipias coronam victoriæ. Ecce
B enim exaltatus es usque modo negotiis hujus seculi et temporalibus opibus. Oportet ergo, te humiliari de alta tua vanitate, et rursus exaltari in spiritualibus divitiis. Non ergo tua virtus deficiat. nec respicias ad gloriam, quæ tibi fuerat prius, sed quemadmodum repugnans hominibus cupiebas victor ostendi, mortali imperatori festinans placere, sic et contra diabolum strenue agere festina, et mihi, immortali imperatori, fidem servare : oportet enim et in his temporibus alterum Job demonstrari per temptationes et victorem diaboli te ostendi per tolerantiam. Vide ergo, ne forte in corde tuo cogitatio blasphemiæ ascendat ; cum enim humilitatus fueris, veniam ad te, et rursus restituam te in propriam gloriam. Et postquam hæc dixit Dominus, ascendit in cælos, dicens Eustathio : Modo vis accipere imminentem tibi temptationem, an in extremis diebus ?

quas statim experitur

8 Dicit Eustathius : Supplico te, Domine Jesu, si non est possibile evitare, quæ a te nobis decreta sunt, modo nos magis accipere temptationem jube,
aa et da nobis virtutem sustinere, quæ promissa *aa* sunt, ne aliquot malignum verbum adinveniens adversarius, commoveat sensum nostrum a tua fide. Et ait Dominus : Concertare Eustathi, gratia enim
C mea vobiscum est, custodiens animas vestras, Descendens vero de monte et ingressus in domum, renuntiavit Uxori suæ omnia, quæ ei dicta fuerant a Domino, et simul flectentes genua, supplicabant Dominum, dicentes : Domine Jesu Christe, fiat voluntas tua. Paucis vero diebus transactis, contigit ægritudine pestifera affligi domum ejus, et mori omnes servos ejus et ancillas. Hoc facto, sentiens Eustathius prædictam sibi temptationem fuisse, et gratifice suscipiens, poscebat Uxorem suam, ut non deficeret tribulans, et post aliquod tempus occupavit equos ejus et alia pecora aër quidam mortifer : et mortua sunt omnia, quæ fuerant illi. Et excipiens et istam temptationem [cum gratiarum actione] discessit occulte de domo sua, una cum Uxore et Filiis [ad semotiorem locum.] Videntes autem quidam de malignis [discessum] eorum, aggressi per noctem, diripuerunt omnia, quæ possidebant : aurum et argentum [et mancipia] et vestes ; ita ut nihil relinqueretur de substantia eorum, præter ea, quibus amicti fuerant. Cum essent ergo in ejusmodi tristitia, reliqua illorum possessio et substantia ad nihilum pervenit per fraudes inimici.

φῆς μνησθῆτε τῆς ψυχῆς ἐμου Ἰωάνου, καὶ παρακαλῶ D
ὑμᾶς. Πρωίας δὲ γενομένης, λαβὼν ὁ Εὐστάθιος ὀλί-
γους ἱππους μεθ' ἑαυτοῦ, ἀνῆλθεν εἰς τὸ ὄρος, καὶ ἐγ-
γίσας γενόμενος τοῦ τόπου, ἐν ᾧ τὴν ὀπτασίαν ἑώ-
ρακεν, ἀπέστειλεν τοὺς στρατιώτας αὐτοῦ, ὡς ἐν προ-
φάσει δῆθεν ἐκζητῆσαι θήραμα, καὶ μόνος ἀπομείνας
μικρὸν, προσῆλθεν ᾧ ἔδει αὐτὸν ἐγγίσαι τόπῳ. Καὶ
ἑώρα τὸν τόπον τῆς δειχθείσης αὐτῷ ὀπτασίας τὸ πρό-
τερον, καὶ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ἐβόα λέγων·
7 Δεόμαί σου Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἔγνωκα, ὅτι σὺ
εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ πιστεύω
εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ νῦν ἥκω
δεόμενος τῆς ἀχράντου σου θεότητος, ὅπως γνωρίσῃς μοι
ἅπερ ἐπηγγείλω. Καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος·
Μακάριος εἶ Εὐστάθιε, δεξάμενος τὸ λουτρὸν τῆς Χάρι-
τός μου, καὶ ἐπαμφιασάμενος τὴν ἀθανασίαν. Νῦν
οὖν νενίκηκας τὸν πονηρὸν, νῦν ἐπάτησας τὸν ἀπατήσαν-
τά σε, νῦν ἀπεδύσω τὸν φθαρτὸν ἄνθρωπον καὶ ἐνεδύ-
σω τὸν ἄφθαρτον, τὸν διαμένοντα εἰς αἰῶνα αἰῶνος·
νῦν τῆς πίστεώς σου δειχθήσεται τὸ ἔργον, ἐπειδήπερ
φθόνῳ κεκίνηται κατά σου ὁ διάβολος, διότι ἐγκατέ-
λιπες αὐτὸν, καὶ σπουδάζει πᾶσαν ἐπίνοιαν κατὰ σοῦ
κινῆσαι, δεῖ σε τινὰ πειρασμὸν ὑπενεγκεῖν, ὃν ἐὰν
ὑπενέγκῃς, κομίζῃ τὸν στέφανον τὸν νίκης. Ἰδοὺ ὑψώθης
ἕως τοῦ νῦν ἐν ταῖς πραγματείαις τοῦ βίου τούτου τοῦ E
προσκαίρου· δεῖ οὖν ταπεινωθῆναι σε ἀπὸ τοῦ ὕψους τοῦ
ματαίου τούτου, αὖθις πάλιν ὑψωθῆναι σε ἐν τῷ πνευ-
ματικῷ πλούτῳ. Μὴ οὖν δειλανδρήσῃς, μὴ δὲ απίδῃς
πρὸς τὴν ὑπάρξασαν κοσμικὴν δόξαν, ἀλλ' ὥσπερ πο-
λεμῶν ἀνθρώποις ἀριστεύων ἐφαίνου, βασιλεῖ ἀρέσαι
σπουδάζων τῷ ἐπιγείῳ, οὕτως καὶ κατὰ τοῦ διαβόλου
ἀνδραγασθῆσαι σποῦδασον, ἐμοὶ τῷ ἀθανάτῳ βασιλεῖ
τὴν πίστιν φυλάττων· δεῖ γὰρ καὶ ἐν τοῖς καιροῖς τού-
τοις ἄλλον Ἰὼβ ἀναδειχθῆναί σε νέον ἐν τοῖς πειρα-
σμοῖς καὶ νικητὴν τοῦ διαβόλου ἀναφανῆναί σε. Ὅρα
οὖν μήπως ἐν τῇ καρδίᾳ σου λογισμός τις δυσφημίας
ἀνάβῃ, ὅταν γὰρ ταπεινωθῇς, ἐλεύσομαι πρὸς σε καὶ
πάλιν ἀποκαταστήσω σε ἐν τῇ προτέρᾳ σου δόξῃ. Καὶ
ταῦτα εἰπὼν ὁ Κύριος, ἀνῆλθεν εἰς τούς οὐρανοὺς, λέ-
γων τῷ Εὐσταθίῳ· Νῦν βούλει δέξασθαι τὸν προκείμε-
νόν σοι πειρασμὸν, ἢ ἐπι ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν;

8 Λέγει ὁ Εὐστάθιος· Δέομαί σου Κύριε, εἰ οὐκ
ἐστιν παρελθεῖν τὰ ὁρισμένα ἐφ' ἡμῶν, νῦν μᾶλλον δε-
ξασθαι ἡμᾶς τὸν πειρασμὸν κέλευσον, καὶ δὸς δύνα-
μιν ὑπενεγκεῖν τὰ ἐπαγόμενα, ἵνα μὴ λογισμός τις
ἐπελθὼν πονηρὸς σαλεύσῃ τὴν διάνοιαν ἡμῶν ἀπὸ τῆς
εἰς σὲ πίστεως. Λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ Κύριος· Ἀγωνίζου
καὶ ἴσχυε Εὐστάθιε, ἡ γὰρ χάρις μου ἔσται μεθ' ὑμῶν, F
διαφυλάσσουσα ὑμῶν τὰς ψυχάς. Κατελθὼν δὲ ἀπὸ
τοῦ ὄρους ὁ Εὐστάθιος καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν,
ἀπήγγειλεν τῇ Γυναικὶ τὰ λαληθέντα αὐτῷ, καὶ κλί-
ναντες τὰ γόνατα, ἐδέοντο τοῦ Θεοῦ λέγοντες. Τὸ θέ-
λημά σου Κύριε γενέσθω. Ὀλίγων δὲ ἡμέρων διελ-
θουσῶν, συνέβη νόσον λοιμικὴν ἐνσκῆψαι ἐν τῇ οἰκίᾳ
αὐτοῦ καὶ τελευτῆσαι πάντας τοὺς παῖδας αὐτοῦ καὶ
τὰς παιδίσκας. Τούτου δὲ γενομένου, ᾔσθετο ὁ Εὐστά-
θιος τὸν προμηνυθέντα αὐτῷ πειρασμὸν εἶναι, καὶ εὐ-
χαρίστως δεξάμενος, παρεκάλει τὴν Γυναῖκα αὐτοῦ μὴ
μικροψυχῆσαι. Καὶ μετ' ὀλίγον τινὰ χρόνον ἔφθασε κα-
τὰ τῶν ἵππων αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων κτηνῶν μοῖρά τις
θανατικὴ· καὶ παραχρῆμα ἀπέθανον πάντα τὰ κτήνη
τὰ προσόντα αὐτῷ. Καὶ οὕτως δεξάμενος καὶ ταύτην
τὴν συμφορὰν εὐχαρίστως, ἀνεχώρησε τῆς οἰκίας αὐτοῦ
λεληθότως, ἅμα τῇ Γυναικί καὶ τοῖς Τέκνοις εἰς ἀνα-
κεχωρισμένον τόπον. Καὶ θεασάμενοί τινες τῶν κακούρ-
γων τὴν ἀναχώρησιν αὐτῶν, ἐλθόντες ἐν νυκτὶ, δι-
αρπαγὴν ἐποιήσαντο πάντων τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ
ἔν τε χρυσίῳ καὶ ἀργυρίῳ καὶ ἀνδραπόδοις καὶ ἱμα-
τισμῷ, ὡς μηδὲν ὑπολείπεσθαι τῆς οὐσίας αὐτῶν,
πλὴν ὧν περιεβέβληντο. Τοιαύταις ἐπηρείαις καὶ συμ-
φοραῖς καὶ πᾶσα ἡ λοιπὴ αὐτῶν κτῆσίς τε καὶ ὕ-
παρξις

A παρξις εἰς ἀνυπαρξίαν κατέλιξεν ἐξ ἐπιβουλῆς τοῦ ἀντικειμένου.

9 Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις δημοτελοῦς ἑορτῆς ἐπιτελουμένης ἐπινικίων τῆς κατὰ τῶν Περσῶν νίκης, καὶ χαρμοσύνης, ὡς εἰκὸς, μεγίστης, ἑορτάζειν συνέβαινε καὶ τὸν βασιλέα. Ἔδει δὲ καὶ τὸν στρατηγὸν πρὸ πάντων παρεῖναι τῇ ἑορτῇ, ὡς ἅτε στρατηλάτην ὄντα καὶ πρῶτον τῆς συγκλήτου. Καὶ ἐζητεῖτο καὶ οὐχ εὑρίσκετο. Πάντας οὖν ἀμηχανία κατεῖχεν, ὅτι οὕτως ἐν μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ μηδὲν ὑπολειφθῆναι τῶν αὐτοῦ, μήτε δὲ αὐτὸν εὑρίσκεσθαι. Ἐλυπήθη οὖν ὁ βασιλεὺς, καὶ πᾶσα ἡ σύγκλητος περὶ αὐτοῦ, καὶ πᾶσα ἔκπληξις κατεῖχεν περὶ τοῦ συμβεβηκότος. Τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ· Μέχρι τίνος περιμένομεν ἐνταῦθα, Κύριέ μου; Δεῦρο λαβόντες τὰ Νήπια ἡμῶν, αὐτὰ γὰρ μόνα περιλέλειπται ἡμῖν, ἀναχωρήσωμεν τῆς χώρας ταύτης, ὅτι ὄνειδος γεγόναμεν τοῖς γινώσκουσιν ἡμᾶς. Νυκτὸς δὲ ἐπικαταλαβούσης λαβόντες τὰ δύο Νήπια ἐβάδιζον ὡς ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον. Ἡμέρων δὲ δύο τὴν πορείαν ποιησάμενοι προσέλαβον τῇ θαλάσσῃ, καὶ εὑρόντες πλοῖον προσόρμησαν τῷ λιμένι, ἐζήτουν εἰσελθεῖν εἰς αὐτὸ καὶ πλεῦσαι. Συνέβη δὲ καὶ τὸν ναύκληρον τοῦ πλοίου ἐκείνου βάρβαρόν τινα, καὶ ἀνήμερον εἶναι. Ἐμβάντες οὖν ἔπλεον, θεασάμενος δὲ ὁ ναύ-
B κληρος τὴν Γυναῖκα τοῦ Εὐσταθίου, ὅτι ὡραία ἦν τῇ ὄψει σφόδρα ἠράσθη αὐτῆς. Καὶ ἐν τῷ διαπεράσαι αὐτοὺς τὴν θάλασσαν, ἐζήτει παρ' αὐτῶν τὸ ναῦλον. Μὴ ἐχόντων δὲ αὐτῶν ἀποδοῦναι, κατέσχεν τὴν Γυναῖκα τοῦ Εὐσταθίου, ὡς ἐν προφάσει δῆθεν τοῦ ναύλου· τοῦτο γὰρ καὶ ἐβουλεύσατο ἅμα τοῦ θεάσασθαι αὐτήν· καὶ οὐκ ἤθελεν ἀποδοῦναι. Ἐπὶ πολὺ δὲ ἀντιλέγοντος τοῦ Εὐσταθίου καὶ παρακαλοῦντος, νεύει ὁ ναύκληρος ταῖς ναύταις αὐτοῦ εἰς τὸ πέλαγος αὐτὸν ἀκοντίσαι.

10 Γνοὺς δὲ ὁ Εὐστάθιος τὴν ἐπιβουλὴν αὐτῶν, ἄκων κατέλιπεν τὴν ἑαυτοῦ Γυναῖκα, καὶ παραλαβὼν τὰ δύο Νήπια, ἐπορεύετο ὀδυρόμενος καὶ λέγων· Οὐαί μοι καὶ ὑμῖν, ὅτι ἡ Μήτηρ ὑμῶν ἐξεδόθη ἀνδρὶ ἀλλοφύλῳ. Πορευόμενος δὲ μετὰ στεναγμοῦ καὶ δακρύων ψυχῆς κατέλαβέν τινα ποταμὸν, καὶ διὰ τὸ πλῆθος τοῦ ὕδατος ἐδειλίασεν τὰ δύο βαστάζων Νήπια διελθεῖν τὸν ποταμόν. Βαστάσας οὖν τὸ ἓν ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοῦ, κατέλιπεν τὸ ἕτερον ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν ὄχθην τοῦ ποταμοῦ, καὶ διαπεράσας, τίθησιν ἐπὶ τὴν γῆν τὸ Παιδίον αὐτοῦ, ὃ ἐβάσταζεν, καὶ ὑπέστρεψεν ὀφείλων διασῶσαι καὶ τὸ ἄλλο. Γενόμενος δὲ κατὰ τὸ μέσον τοῦ ποταμοῦ ἀτενίσας θεωρεῖ, ὅτι λέων ἥρπασε τὸ Παιδίον αὐτοῦ καὶ ἐπορεύετο. Καὶ ἀπελπίσας αὐ-
C τοῦ, περιεστράφη, λοίπον μόνην ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸ ἕτερον. Καὶ θεωρεῖ ὁμοίως καὶ αὐτὸ ὑπὸ λύκου ἁρπαγέν. Θεασάμενος οὖν τὰ Τέκνα αὐτοῦ θηριάλωτα γενόμενα, τίλλων αὐτοῦ τὴν κόμην τῆς κεφαλῆς καὶ ὀδυρόμενος πικρῶς ἐπειρᾶτο ἑαυτὸν καταβαλεῖν ἐν τῷ ὕδατι τοῦ ποταμοῦ. Ἐστήρισε δὲ αὐτὸν ἡ πρόνοια τοῦ Θεοῦ, ἡ προορωμένη τὰ μέλλοντα, καὶ μὴ ποιήσας τοῦτο, ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ὕδατος. Ὁ δὲ λέων λαβὼν τὸ Παιδίον καὶ διαφυλάξας ἀβλαβῆ κατὰ πρόνοιαν Θεοῦ διεπέρασε τὸν ποταμὸν ἀνωτέρω καὶ ἐπορεύετο ἐπὶ τὴν ἔρημον. Θεασάμενοι δὲ ποιμένες τὸ Παιδίον βασταζόμενον ὑπὸ τοῦ λεόντος ζῶν, καὶ μηδὲν ἀδικηθὲν, στοχασάμενοι ἐκ προνοίας Θεοῦ πεφυλάχθαι τὸ Παιδίον, ἥτις καὶ αὐτοῖς βοηθήσει πρὸς τὸ ἐξελέσθαι αὐτὸ ἐκ τοῦ θηρὸς, κατέδραμον τῷ λεόντι μετὰ κυνῶν. Κατὰ οἰκονομίαν δὲ τοῦ Θεοῦ θρυλληθεὶς ὁ λέων ἔρριψε τὸ Παιδίον σῶον, καὶ ἀνεχώρησεν. Τὸ δὲ ἕτερον Παιδίον ἁρπαγὲν ὁμοίως ὑπὸ τοῦ λύκου, διεφυλάχθη καὶ αὐτὸ ὑπὸ τῆς θείας προνοίας, ὅπερ ἰδόντες τινὲς ἀροτῆρες ἐπιδραμόντες μετὰ θορύβου ἀφείλαντο ἐν τοῦ λύκου μηδὲν ἀδικηθέν.

11 Ἑκάτεροι δὲ ὅι τε ποιμένες, καὶ οἱ ἀρατῆρες ἐκ μιᾶς κώμης ὑπῆρχον, καὶ λαβόντες τὰ Παιδία ἀνεθρέψαντο παρ' ἑαυτοῖς. Ταῦτα δὲ Εὐστάθιος οὐκ ᾔδει, ἀλλ' ἐπορεύετο ὀδυρόμενος καὶ θρηνῶν ἅμα καὶ ταῦτα

9 In illis diebus, omni populo *bb* celebrante festivitatem cum imperatore pro victoria, quæ in Persi- *fortunis omnibus spoliatus. Fugiens*
de facta fuerat, oportebat etiam et Placidam festivitatem suam facere in præsentia, quippe cum es- *bb*
set magister militum et princeps senatus. Quærebatur, et inveniri non poterat *cc*. [Omnes itaque tenebat stupor, quod uno temporis momento ita res illorum dilapsæ essent, ut nihil illis superesset eorum, quæ possederant] nec ipse posset inveniri. Mœrore perculsus est imperator, et omnis senatus de eo, et omnes stupebant de his, quæ acciderant ei. Tunc dixit ei Uxor sua: Quousque exspectamus hic? Veni et accipiamus duos Infantes nostros, ipsi enim tantum relicti sunt nobis, et recedamus hinc, in opprobrium enim facti sumus omnibus cognoscentibus nos. Et nocte superveniente, accipientes duos Infantes, pergebant ad Ægyptum. Postquam vero duorum facerent dierum iter, appropinquantes mari, et invenientes navim adplicatam, volebant ingredi in eam et navigare. Contigit autem, ut dominus navis illius barbarus esset et immitis. Ingressi ergo navigabant, et videns dominus navis Uxorem Eustathii, quod esset decora facie, valde concupivit eam. Et cum transfretassent mare, exi- E
gebat ab eis naulum. Non habentibus autem illis, unde redderent, retinuit Uxorem ejus, tamquam pro naulo, [hoc *dd* enim consilium cœperat, cum primum *dd*
illam contemplatus esset, et noluit eam reddere. Cum vero multum contra moveret et obniteretur Eustathius] innuit dominus navis nautis suis, ut in medium mare illum projicerent.

10 At, ubi sensit Eustathius insidias eorum, reliquit Uxorem suam, et accipiens duos Infantes suos, ibat ingemiscens et dicens: Væ mihi et vobis, quia Mater vestra tradita est alienigenæ marito. Pergens vero cum gemitu et lacrimis, pervenit ad quemdam fluvium, et propter abundantiam aquarum non est ausus ingredi cum duobus Filiis in aquam. Portans vero unum Infantem super humeros suos, reliquit alterum circa ripam, et transposuit Infantem, quem portaverat, super terram, et ibat ut reportaret et alterum. Cum venisset autem in medium fluminis, (nimis autem fluvius dilatatus erat) intendens vidit, et ecce leo rapuit Filium ejus, et abiit in sylvas. Et desperans de eo, reversus est in patientia, spem habens alterius, et cum abiret, vidit, et ecce simi- *Uxorem amittit et Filios.*
liter lupus rapuit alterum Filium ejus, et abiit, et F
non potuit eum consequi. Et cum esset in medio fluminis, cœpit evellere capillos capitis sui, plangens et ululans, voluit se projicere in aquam, sed constantem eum reddidit providentia Dei, quæ futura providebat; [victoque eo doloris impetu, aquis exivit.] Leo vero rapiens Puerum, servabat inlæsum per providentiam Dei [et transiens superius fluvium, abiit in desertum.] Videntes autem pastores, Puerum portari a leone vivum, [nulloque malo affectum, et judicantes, divina providentia Puerum illum servatum incolumem, eademque auxiliante, erepturos se illum bestiæ,] insecuti sunt leonem cum canibus. Per dispensationem vero Dei rugiens leo, projecit Infantem incolumem, et recessit. Alterum vero Infantem, qui raptus fuerat a lupo, [illum quoque divina providentia servavit:] namque videntes quidam aratores et insequentes lupum, liberaverunt inlæsum,

11 Utrique ergo, sive pastores, sive aratores de uno fuerunt vico; et accipientes Pueros educaverunt apud se. Hæc vero Eustathius nesciebat, sed pergebat, plangens et lugens pariter et hæc dicens: *et mercenarium agit annis 15.*

A. ANONYMO. Heu mihi quondam pollenti, ut arbores, modo vero nudatus sum! Heu mihi, qui in abundantia nimia fueram, modo captivitatis more desolatus sum. Heu mihi, qui magister militum, multitudine exercituum circumdatus fueram, modo solus relictus sum, nec Filios concessus sum habere! Sed tu, Domine, ne in finem derelinquas me, nec despicias lacrimas meas. Memini, Domine, dicentem te, quoniam oportet te temptari, sicut Job. Sed ecce plus aliquid in me fieri video. Ille enim, etsi possessionibus caruit, tamen stercus habuit, supra quod sedere concessum est illi: ego vero peregre eadem patior tormenta. Ille amicos habuit compatientes ei, ego vero in deserto immites feras habeo in consolationem, quæ Filios meos rapuerunt. Ille etsi ramis caruit, sed radicem uxoris respiciens secum consolabatur; ego vero infelix undique sine radice factus sum [nul-
ee lam *ee* scintillam generis mei videns] sed sum similis ramis in deserto, qui undique procellis conquassantur. Ne execreris, Domine, tui servi multiloquia, doleo enim, dum dico, quæ non oportet. Pone, Domine, custodiam ori meo [et ostium munitionis circa labia mea,] ut non declinet cor meum in verba malitiæ, et ejiciar a facie tua. Da vero jam,
B Domine, requiem de multis tribulationibus meis. Et hæc dicens cum lacrymis et gemitu animi, abiit
ff ad quemdam vicum, qui dicebatur Badyssus *ff*, et ingrediens in eum operabatur et acquirebat victum. Commorans vero in eo per plurimum tempus, postulavit ejusdem vici homines, et posuerunt eum custodire agros suos, et mercedem accipiens, degebat
gg ibi annis quindecim *gg*,

λέγων· Οἴ μοι τῷ ποτὲ θάλλοντι ὡς δένδρον, νυνὶ D
δὲ γυμνωθέντι. Οἴ μοι τῷ ποτὲ ἐν εὐθηνίᾳ πολλῇ διάγοντι, νυνὶ δὲ αἰχμαλώτου τρόπῳ μεμοναμένῳ. Οἴμοι ὁ στρατοπεδάρχης ὁ ὑπὸ μυριάδων λαοῦ δορυφορούμενος, νυνὶ δὲ μονώτατος καταλελειμένος, μήδε τὰ Τέκνα μου συγχωρηθεὶς ἔχειν. Ἀλλὰ σὺ, Κύριε, μή με εἰς τέλος ἐγκαταλίπῃς, μήδε παρίδῃς τὰ δάκρυά μου. Μέμνημαι, Κύριε, εἰρηκότος σου, Ὅ τι δεῖ σε πειρασθῆναι ὡς καὶ τὸν Ἰώϐ. Καὶ ἰδοὺ πλεόν τι ἐπ' ἐμοὶ γενόμενον ὁρῶ. Ἐκεῖνος εἰ καὶ τῶν κτημάτων ἐστερήθη, ἀλλά τὴν κοπρίαν ἔσχεν, ἐφ' ἣν καθεσθῆναι συνεχωρήθη, ἐγὼ δὲ ἐπὶ τῆς ξένης τὰς αὐτὰς ὑπομένω τιμωρίας. Ἐκεῖνος φίλους ἔσχεν συμπάσχοντας καὶ παρηγοροῦντας αὐτὸν, ἐγώ δὲ ἐπὶ τῆς ἐρημίας τοὺς ἁρπάσαντας. Ἐκεῖνος εἰ καὶ τῶν κλάδων ἐστερήθη, ἀλλὰ τὴν ῥίζαν τῆς Γυναικὸς βλέπων μεθ' ἑαυτοῦ παρηγορεῖτο, ὁ δὲ τάλας ἐγὼ πάντοθεν ἔκριζος ἐγενόμην μήδε σπινθῆρα γένους μου ἀφορῶν, ἀλλὰ κλάδου δίκην ἐν ἐρήμῳ ἱσταμένου πανταχόθεν κλονοῦμαι ὑπὸ λαίλαπος τοῦ πονηροῦ. Μή με ἐγκακήσῃς, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, τὸν σὸν δοῦλον πολυλογοῦντα, πόνῳ γὰρ ἀγώμενος ἄκων λέγω τὰ μὴ δέοντα. Θοῦ, Κύριε, φυλακὴν τῷ στόματί μου, καὶ θύραν περιοχῆς περὶ τὰ χείλη μου, ἵνα μὴ ἐκκλίνῃ ἡ καρδία μου εἰς λόγους πονηρίας, καὶ ἀποῤῥιφῶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου. Δὸς δέ μοι, Κύριε, E
λοιπὸν κατάπαυσιν τῶν πολλῶν μου θλίψεων. Καὶ ταῦτα λέγων μετὰ στεναγμοῦ καὶ δακρύων ψυχῆς, κατέλαβέν τινα κώμην, καλουμένην Βαδισσών. καὶ εἰσελθὼν ἐν αὐτῇ εἰργάζετο τὴν ἐφήμερον τροφήν. Διάτριψας δὲ ἐν αὐτῇ ἔτη πλείονα παρεκάλεσε τούς τῆς κώμης, καὶ κατέστησαν αὐτὸν φυλάττειν τοὺς καρποὺς, καὶ τὸν μισθὸν κομιζόμενος διῆγεν ἐπὶ ἔτη ιέ.

ANNOTATA.

a *Græce in nostro est*: Falsorum deorum cultu dominante, *apud Combefisium* τῆς εἰδωλομανίας. *Deinde lege, ut est in Medicæo*: Præfectus fuit ab imperatore militibus vir, nomine Placidas. *Verum levioris momenti hujusmodi variationes cum Ms. Græco Combefisii passim præteribo, uti et ea, quæ in Mss. Latinis minus latine dicta sunt. Hellenismos enim solœcismos et hujusmodi orationis vitia facile lector advertet, et, si volet, corriget. Reliqua, quæ fere sensum Græcum exprimunt non nisi hinc inde obiter emendabo.*

b Στρατηλάτης, *vertit ubique noster* Magister militum: *Lipomanus* Dux exercitus. *Vox Græca utrumque fert sensum: quod noto, ne quis ex hac voce evictum cupiat, scriptorem vixisse post tempora Alexandri Severi, a quo magisterium militum primum institutum fuisse Pancirolus et alii contendunt. Ms. nostrum Latinum, ceteraque passim omnia, tum hic, tum in sequentibus habent* Placidus, *pro quo ex Ms. uno reginæ Sueciæ conformius ad Græcum substituendum duxi* Placidas.

c *Supplevi ea, qua in Latino nostro desiderantur, ex Ms. contractiori S. Maximini Trevirensis,*
C *ubi pro* animalibus *lege* facultatibus, *et paulo infra*: ac ceterarum opum copia, *pro* universis *etc.* F

d *Melius Ms. Ultrajectinum S. Salvatoris*: sed dæmonum addictus servitiis.

e *Hæc omnia desunt apud Combefisium, usque ad* πολεμικώτατον *infra ad litteram* i. *Ceterum propter hæc Hesselius in Notis Hist. ad Martyr. Acta proscribit. Verum solam vocem* moralibus *interjice, cunctaque Catholice explicabis. Quod si* meritum *hic crudius sonet, asseratqne aliquis, opera utcumque moraliter bona nullo sensu proprie* merita *apud Theologos dici posse, non reluctabor; at fateri is etiam debebit vulgarem satis esse et fuisse olim, ut testatur S. Augustinus lib. de Præd. cap. 7, similem loquendi modum, saltem apud homines non Theologos. Imo apud Chrysostomum aliosque sanctos Patres antiquos non semel similes in hac materia dictiones occurrunt, quæ mitiori sensu exponi debent. Denique meminerit, qui hoc telo Acta impetit, scriptorem Græcum hic non habere vocem* Meritum, *quæ a translatore Latino adjecta est et abundat. Hunc itaque, non biographum Græcum, poterit erroris arguere.*

f *Ita Mss. pleraque: at Græce tantum est*, plurimos ex judiciis suis opibus relevabat.

g *Desunt in Græcis ea, quæ parenthesi inclusa sunt. De Cornelio Centurione agitur in Actis Apostolorum cap.* 10 *et seq. Versu autem primo dicitur*: Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Italica. ℣ 2. Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleëmosynas multas plebi et deprecans Deum semper. *Versu deinde* 12 *nuntii ad Petrum missi appellant illum* Virum justum et timentem Deum. *Versu deinde* 31 *ait angelus ad eum*: Corneli, exaudita est oratio tua et eleëmosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei; *quibus paria fere de* Placida *adhuc gentili hic in Actis nostris dicuntur. At fidem saltem in Deum habebat jam tum Cornelius, qua si caruit* Placidas, *bona ejus opera non fuerunt meritoria, adeoque scriptoris comparatio ex hac parte claudicat. S. Augustinus lib. de Præd. SS. cap.* 7 *hæc habet, quæ huc spectare possunt*: Solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat et ante quam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleëmosynæ et exauditæ orationes ante quam credidisset in Christum :....... quidquid igitur et ante quam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset,

A set, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est. *Hic vulgarem loquendi formam habes, dum* A. ABOSTHO.
sensu strictiori sumitur, a sancto patre improbatum, ne quis in similibus operibus meritum supernaturale reponeret.

h *Ms. S. Maximini Treviriensis habet :* Quos educabant pares propria voluntate : *lege ex Græco :* Quos educabant indole et propensione sibi similes.

i *Pro eo in Mss. Latinis est :* Erat vero nobilis in justitia, et potens in bello, ut et ipsi barbari subjugarentur ab eo. Erat etiam venatione industrius per omnes dies.

k *Sano hæc iterum sensu intellige, de dignitate scilicet improprie dicta, quo sensu non raro dicitur; quempiam v. g. hæreticum probissimum esse, vivere instar Sancti, dignum esse conversione ad veram fidem etc. : eodem etiam interpretare, quæ infra Salvator apparens,* Placidæ *exhibetur dixisse.*

l *In exemplari nostro Græco videntur aliqua amanuensis incuria omissa esse, quæ ex editione Combefisii ita suppleri possunt :* παντὸς δὲ τοῦ στρατοπέδου περὶ τὴν σύλληψιν ἀσχολουμένου, φαίνεται αὐτῷ εἷς τῶν ἐλάφων *etc., sicque cum Latinis nostris satis conveniunt. Quæ hic narrantur a num.* 3 *ad usque medium quarti,* Hæc audiens Magister militum *etc., totidem fere verbis habet S. Joannes Damascenus Orat.* 3 *de Imaginibus.*

m *Verte cum Combefisio :* Per prærupta et densiora sentis et dumetis loca ac plane inaccessa erumpit *etc.*

n *Solœcismum per* cum *aut* postquam *facile corriges.*

o *Consule sis, si lubet, quæ dixi Commentarii præv.* § 4 *de Athanasii Kircheri conjecturis circa hunc locum.*

p *Conformius ad Ms. nostrum Latinum legit Combefisius* τὴν ἀμηχανοῦντος δὲ πρὸς σύλληψιν. *Pressius ad nostrum Medicæum verte :* Et cum esset concilii inops, quomodo cervo potiretur.

q *In Græco est :* Imaginem divini ejus corporis, quod pro salute nostra benignissime assumpsit.

r *Id est, exercendo opera justitiæ naturalis ex recto naturæ instinctu, seu talia, quæ, si in me crede-*
B *res, per gratiam meam evaderent meritoria vitæ æternæ. Consule, quæ notavi superius.*

f *Suppleta sunt, quæ deerant in nostro, ex Ms. primo S. Maximini.* E

t *Hæc supplevi, quod in Latinis desiderabantur. Idem esto judicium de iis, quæ virgulis inclusa reperies, ubi non indicavero aliunde desumpta esse.*

u *Corrige ex Græco :* Et suscipientes signaculum baptismi in Christo, mundamini ab inquinamentis peccatorum vestrorum. *Et paulo infra :* Pandam tibi mysteria salutis.

x *Oportet prima illa visione probe de omnibus instructam fuisse* Tatianam. *quæ tam enucleate hic exponit plurima. Combefisius legit :* ἵνα θαυμάσασα τὴν δύναμίν μου, πιστεύσῃς εἰς ἐμέ, *quæ talem sensum faciunt :* Placuit igitur tali figura novoque hoc ac insolito spectaculo in cervo tibi apparere, ut meam admirata potentiam, in me crederes. *Hæc sunt verba Christi ad* Theopisten, *et sic nova fingitur apparitio.*

y *Ubique in Ms. nostris Latinis nomen ejus gentile omissum est. Acta Methaphrastis habent,* Trajana *pro* Tatiana, *ut in nostris legitur, et Christianum ejus nomen in aliquibus Mss. Actis et Fastis sacris* Theospite *scribitur, pro* Theopiste *seu* Theopista. *sed mendose; uti et* Agapitus *pro* Agapio, *et* Theospitus *pro* Theopisto. *Ceterum ex* S. Theopistæ *mendoso nomine* Trajana, *suspicor ortam opinionem, quæ* Eustathium *statuit Trajani generum : neque enim alibi uspiam reperire quidpiam potui, quo niteretur conjectura tam insolens. Ex nominis propinquitate conjectare si lubet, habes apud Dionem et alios* Tatianum, *Adriani cæsaris tutorem, virum admodum potentem, ad quem* Tatianam *referas.*

z *Ita Mss. Latina omnia. Græce est :* Et eos participes fecit sacro-sancti corporis et pretiosi sanguinis Domini nostri Jesu Christi. *Paulo infra Mss. pleraque habent :* Joannes ego postulo vos ; *at deviat hoc modo majus S. Maximini Trev. :* Commendo autem vos S. Joanni apostolo.

aa *Legit Combefisius* ἐπαγγελλόμενα, quæ indicta sunt, *et correctius; nisi* ἐπαγειν *interpretari lubet* intentare. *In Latino inferius lege :* Ne qua cogitatio inimica ; *pro* malignum verbum, *et deinde :* Decerta, Eustathi, et confortare *pro* concertare *etc.*

C bb *Pressius ad textum Græcum verte :* Cum publicum victoriæ de Persis festum cum pompa ageretur, F
et gaudium, ut par erat, esset maximum, contigit etiam imperatorem eum diem solemnem agere. Oportebat autem et Placidam ante alios adesse celebritati, eo quod esset dux militiæ et princeps senatus. *Quem hic triumphum designare scriptor velit, nisi et illum commentus est, non est facile dictu. Si divinandum est, suspicor, pridem institutam celebritatem quampiam, non gaudium ex recenti de Persis victoria, atque propter eam institutos ludos significari. Certe cum Persis primis imperii Trajani annis bellatum non est, nisi quis velit Persicæ victoriæ nomine venire invasionem Arabiæ Petrææ, quam præfectus Syriæ Palma imperio Romano subjecit. Ea quidem victoria lætitiam Urbis in secundo Trajani triumpho de Dacis non mediocriter auxit. Verum cum is ante annum Christi* 105, *imperii* 8 *secundo de Dacis non triumpharit, hæc conjectura cum chronotaxi nostra non cohæret. Igitur de festo quodam annuo, quales in Fastis occurrunt plurimi, hæc intellige. Ceterum Principatus senatus honoris genus erat, iis tantum concedi solitum, qui meritis et amplitudine præcellebant : nam Princeps senatus omnes magistratus dignitate anteibat, etsi jurisdictionem nullam haberet. Solebat is præ reliquis Princeps senatus legi, qui ex censoriis vetustissimus erat, etsi is mos non fuerit semper observatus, cum ii, quibus jus legendi competebat, quandoque viros alios egregios pro arbitrio et meritis præponebant. Asserti vades habes scriptores antiquos plurimos et antiquarios apud Samuelem Pitiscum in Lexico antiquitatum. Breve est ibidem Livii testimonium, scribentis :* Cornelius morem traditum a patribus sequendum aiebat, ut, qui primum censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum Principem legerent. Is T. Manlius Torquatus erat. Neque tamen hanc consuetudinem secutus est Sempronius, sed cum diu certatum esset verbis, suo arbitrio fecit Principem in senatu Q. Fabium Maximum consulem.

cc *Mendose habent Mss. Latina omnia,* Dubitantibus ergo cunctis, quod sic uno momento nullum de suis reliquisset : *Combefisius,* Τῶν αὐτοῦ χρημάτων. *Latina interim nostra satis ostendunt, ea jam olim abfuisse.*

dd *Discedit hic non nihil editio Combefisii a Ms. nostro. In apographis Latinis sic corrupte legitur :*
Volens

A. ANONYMO. Volens eam habere secum. Ut autem vidit Eustathius, nolebat eam dare. Diu vero contradicente eo et supplicante *etc.* D

ee *Supplevi ex Græco male cohærentis metaphoræ verba, quod in Latinis essent contorta; habet enim nostrum :* Nunc scintillam facis generis mei respiciens : *Ms. S. Maximini* respicere. *Inferius pro* Doleo *etc., repone :* Dolore enim abductus et invitus loquor, quæ non decet.

ff *Vox hæc varie et mendose legitur in variis Mss. Latinis. Ex Græco est* Badissus, *de quo nihil, nisi ex hoc loco, reperi. Sunt, qui conjectent, oppidum fuisse quoddam Persiæ, at cum aliunde nulla ejus vestigia assignent, non magno fundamento nititur eorum opinio. Vide quæ dixi Commentarii prævii* § 3, *num.* 35.

gg *Terminatur hic in Ms. nostro Græco Caput* I. *Ceterum ex determinato hic numero annorum, quos Badyssi mercenarius egit, aliqualem chronotaxim statui Comment. præv.* § 3 *num.* 33 *et seqq.*

CAPUT II.

Eustathius, imperatoris jussu ubique quæsitus, invenitur, copiis præficitur, Uxorem et Liberos recuperat, belloque feliciter functus, quod idolis sacrificare nollet, martyrio cum Uxore et Filiis coronatur.

B

Imminente bello, imperatoris Filii autem ejus educati sunt, sicut supra diximus, in altero vico, non cognoscentes alterutrum, quod essent fratres. Dominus vero navis ille alienigena, accipiens Uxorem Eustathii, perduxit ad suam patriam. Domini vero gratia obumbravit Mulierem, ut non se illi commisceret alienigena in omni illi tempore : hoc enim et postulabat a Deo, ut custodiretur ab alienigenæ communione. Contigit vero, illum alienigenam mori, et ipsam esse suæ potestatis. Post hos autem dies factus est incursus hostium in illam terram, ubi erat Uxor Eustathii ; qui exeuntes plurimas invaserunt terras *a* Romanorum. In nimio ergo tumultu consistebat imperator de invasione hostium, et commemoratus est Placidam, eo quod plerumque strenue egisset contra ipsos hostes [et renovata sæpius de eo mentione] tristabatur de subita ejus mutatione. Colligens autem exercitum, et inspiciens omnes milites, de Placida exquirebat, qui cognovissent de eo, vivere, an mori? Et dabat mandatum unicuique militum, ut inquirerent eum. Et misit per unamquamque civitatem et terram, quæ erat sub imperio suo, ut requirerent eum, dicens : Si quis eum invenerit et indicaverit mihi, ampliores addam ei honores et emolumentorum augebo solatia. Duo vero quidam milites, nomine Antiochus et *b* Achacius, qui aliquando ministraverunt Placidæ, perrexerunt ad inquirendum eum : et peragrantes omnem terram, quæ sub Romanorum esset imperio, venerunt in vicum illum, ubi degebat Eustathius. [Prætereuntes autem locum illum, ubi custodis munus obibat Eustathius, dubitabant, an illum interrogarent.] C

mandato quæritur, 13 Eustathius vero a longe considerans, ex consuetudine incessus eorum recognovit eos, et veniens in memoriam prioris suæ conversationis, cœpit perturbari, et orans dicere : Domine Deus noster, qui de omni tribulatione eruis sperantes in te, quemadmodum istos præter spem vidi, qui aliquando mecum fuerunt; jube, ut videam ancillam tuam Conjugem meam ; nam Infantes mei, scio, quod propter meam pravitatem a feris commesti sunt. Da ergo, Domine [Deus misericors, qui solus es verus Deus et Jesus Christus,] ut vel in die resurrectionis videam Filios meos. Et hæc dicente eo, audivit vocem de cælo, dicentem sibi : Confide, Eustathi, in præsenti enim tempore remeabis ad tuum priorem statum,

E Οἱ δὲ Υἱοὶ αὐτοῦ ἀνετράφησαν, καθὼς προείρηται, ἐν τῇ ἑτέρᾳ κώμῃ μὴ ἐπιγινώσκοντες ἀλλήλους ὅτι εἰσὶν ἀδελφοί. Ὁ δὲ ναύκληρος ἐκεῖνος ὁ ἀλλόφυλος, λαβὼν τὴν Γυναῖκα τοῦ Εὐσταθίου, ἀπήγαγεν εἰς τὴν ἰδίαν πατρίδα, καὶ τοιαύτη χάρις ἐπεσκίασεν τῇ Γυναικὶ, ὥστε μὴ πλησιᾶσαι αὐτῇ τὸν ἀλλόφυλον ἐν πᾶσι τοῖς χρόνοις ἐκείνοις. Τοῦτο γὰρ καὶ ἠτεῖτο παρ' αὐτοῦ Θεοῦ ἡ Γυνὴ τοῦ διαφυλαχθῆναι αὐτὴν ἀπὸ τῆς τοῦ ἀλλοφύλου κοινωνίας. Συνέβη δὲ τελευτῆσαι τὸν ἀλλόφυλον, καὶ αὐτὴν ἐπ' ἀδείας διάγειν. Μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας ἐκείνας ἐγένετο ἐπανάστασις τῶν ἀλλοφύλων ἐκείνων, εἰς οὓς ἦν ἡ Γυνὴ τοῦ Εὐσταθίου· οἵτινες ἐξελθόντες πολλὴν ἀφείλαντο χώραν τῶν Ῥωμαίων. Ἐν πολλῇ οὖν ἀδημονίᾳ ὑπῆρχεν ὁ βασιλεὺς περὶ τῆς ἐπαναστάσεως τῶν ἀλλοφύλων, καὶ ἐπῆλθεν αὐτῷ μνήμη περὶ τοῦ Πλακίδα, διὰ τὸ μάλιστα πλειστάκις ἀνδραγαθῆσαι αὐτὸν κατὰ τῶν ἀλλοφύλων, καὶ ἀνανεώσας τὴν περὶ αὐτοῦ μνήμην, διηπόρει περὶ τῆς ἀθρόας μεταβολῆς τοῦ Εὐσταθίου. Στρατολογήσας οὖν τοὺς ὑπὸ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ στρατιώτας, καὶ σκεπτόμενος περὶ τοῦ πολέμου, ἐμάνθανεν παρ' ἑκάστου αὐτῶν περὶ τοῦ Πλακίδα, τί ἔγνωσαν περὶ αὐτοῦ, ζῆν αὐτὸν, ἢ τεθνάναι; καὶ ἐδίδου ἐντολὰς ἑκάστῳ τῶν στρατιωτῶν ἀναζητεῖν αὐτὸν εἰ ζῇ. Καὶ ἀπέστειλε κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν ὑπὸ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἐκζητῆσαι αὐτὸν, εἰπών· Ὅτι ὅστις ἐάν ἀναζητήσας εὕρῃ, καὶ μηνύσῃ μοι, προσθήσω αὐτῷ τιμὴν μείζονα, καὶ ἀνόνας πλείους ὧν ἔχει. Δύο δέ τινες τῶν στρατιωτῶν, ὧν τὰ ονόματα Ἀκάκιος καὶ Ἀντίοχος, οἱ ποτὲ ἀδιαλείπτως ὑπηρετοῦντες τῷ Πλακίδᾳ, ἐπορεύθησαν εἰς ἀναζήτησιν αὐτοῦ· καὶ περιελθόντες σχεδὸν πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, ἦλθον εἰς τὴν κώμην, ἐν ᾗ διῆγεν ὁ Εὐστάθιος. Παραπορευόμενοι δὲ εἰς τοὺς τόπους ἐκείνους, εἰς οὓς ἐφύλαττεν ὁ Εὐστάθιος, ἠπόρουν ἐπερωτῆσαι αὐτόν. F

13 Ὁ δὲ Εὐστάθιος πόῤῥωθεν θεασάμενος αὐτοὺς ἐκ τοῦ τρόπου τῆς κινήσεως αὐτῶν ἐπέγνω αὐτοὺς, καὶ ἀναμνημονεύσας τῆς προτέρας αὐτοῦ διαγωγῆς, ἤρξατο προσεύχεσθαι καὶ λέγειν· Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ ἐλεήμων, ὁ ἐκ πάσης θλίψεως ῥυόμενος τοὺς ἐλπίζοντας ἐπί σε, ὡς τούτους παρ' ἐλπίδα ἐθεασάμην, τοὺς ποτὲ συνόντας μοι, κέλευσον λοιπὸν θεάσασθαί με καί τὴν δούλην σου τὴν ὁμόζυγόν μου· τὰ γὰρ ἄθλια Νήπια οἶδα ὅτι διὰ τὴν ἐμὴν κακοπραγίαν θηριάλωτα γεγόνασιν. Δὸς οὖν, Κύριε ὁ Θεὸς ἐλεήμων, ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεὸς Ἰησοῦς Χριστὸς, ὅπως κ' ἂν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως θεατὴς γένομαι τῶν Μελῶν μου. Καὶ ταῦτα λέγοντος αὐτοῦ, ἤκουσεν φωνὴν οὐράνοθεν λέγουσαν· Θάρσει, Εὐστάθιε, ἐν γὰρ τῷ παρόντι καιρῷ

A ρῷ ἐπανελεύσῃ εἰς τὴν προτέραν σου κατάστασιν, καὶ ἀπολήψῃ τὴν Γυναῖκα σου καὶ τοὺς Υἱούς σου. Ἐν δὲ τῇ ἀναστάσει μείζονα τούτων ὄψει, καὶ αἰωνίων ἀγαθῶν ἀπόλαυσιν εὑρήσεις, καὶ τὸ ὄνομά σου μεγαλυνθήσεται ἐν γενεαῖς γενεῶν. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Εὐστάθιος, καὶ ἔμφοβος γενόμενος, ἐκαθίζετο. Θεασάμενος δὲ τοὺς στρατιώτας ἐγγίζοντας αὐτῷ, κατελθὼν ἀπὸ τοῦ τόπου, οὗ ἐκαθέζετο, ἔστη ἐπὶ τῆς ὁδοῦ ἀντικρὺ αὐτῶν, καὶ πλησίον αὐτῶν γενόμενος, πλεῖον ἐπέγνω αὐτούς. Αὐτοὶ δὲ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτόν · Καὶ πρὸς αὐτὸν εἶπον · Χαίροις, ἑταῖρε. Ὁ δὲ πρὸς αὐτούς · Εἰρήνη ὑμῖν, ἀδελφοί. Λέγουσι πρὸς αὐτὸν · Εἰπὲ ἡμῖν, εἰ ἔγνως ἐνταῦθα ξένον τινὰ ὀνόματι Πλακίδαν μετὰ Γυναικὸς καὶ δύο Τέκνων; Καὶ ἐὰν ὑποδείξῃς ἡμῖν αὐτὸν, δώσομέν σοι χρήματα. Ὁ δὲ λέγει πρὸς αὐτούς · Τινὸς ἕνεκεν ζητεῖτε αὐτόν; Οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ · Φίλος ἡμῶν τυγχάνει, καὶ θέλομεν συντυχεῖν αὐτῷ διὰ πολλῶν ἐτῶν. Λέγει πρὸς αὐτοὺς ὁ Εὐστάθιος · Οὐκ ἔγνωκα τοιοῦτον ἄνδρα ἐνταῦθα. Τέως δὲ βραχὺ καταλύσατε εἰς ὃν ξενίζομαι οἶκον · καὶ γὰρ αὐτὸς ξένος τυγχάνω. Καὶ λαβὼν αὐτοὺς ὁ Εὐστάθιος ἀπήγαγεν εἰς τὴν ξενείαν αὐτοῦ, καὶ ἐπορεύθη πριάσθαι οἶνον διὰ τὸν καύσωνα.

B 14 Καὶ λέγει τῷ κυρίῳ τῆς οἰκίας ἐν ᾗ κατήγετο · Γνωστοί μου εἰσὶν οἱ ἄνθρωποι οὗτοι, καὶ διὰ τοῦτο ἥκασιν ὧδε · παράσχου οὖν μοι τροφὰς καὶ οἶνον πρὸς ἀπόλαυσιν αὐτῶν, καὶ ἀποδώσω σοι ἐν τῷ καιρῷ ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἐργασίας μου. Ὁ δὲ προθύμως παρέσχεν αὐτοῖς τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Θεραπεύων δὲ αὐτοὺς ὁ Εὐστάθιος οὐκ ἠδύνατο ὑπενεγκεῖν ἐννοῶν τὸν πρότερον αὐτοῦ βίον, ἀλλὰ συνείχετο τοῖς δάκρυσιν · ἐκπορευομένου δὲ αὐτοῦ ἔξω ἔκλαιεν, καὶ ἀπενίπτετο τὸν πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ εἰσερχόμενος πάλιν διηκόνει αὐτοῖς. Οἱ δὲ θεωροῦντες αὐτὸν, ἤρξαντο μετὰ μικρὸν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἰδέας αὐτοῦ ἔρχεσθαι, καὶ πρὸς ἀλλήλους κατ' ἰδίαν ἔλεγον · Τὶ ὅμοιος τυγχάνει ὁ ἄνθρωπος οὗτος τοῦ ζητουμένου παρ' ἡμῶν. Λέγει ὁ εἷς ἑταίρῳ αὐτοῦ · Πάνυ ὅμοιος αὐτῷ τυγχάνει. Οἶδα δὲ ἐγὼ, ὅτι εἶχεν σύσσημόν τινα οὐλὴν ἐν τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ, πληγεὶς ἐν τῷ πολέμῳ. Θεωρήσωμεν οὖν, εἰ ἔχει τὸ σύσσημον ἐκεῖνο ἐν τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ, οὗτος αὐτός ἐστιν, ὁ ζητούμενος παρ' ἡμῶν. Καταμαθόντες οὖν ἐπιμελέστερον θεωροῦσι τὴν οὐλὴν ἐν τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ, καὶ εὐθέως ἀναπηδήσαντες, κατεφίλουν αὐτὸν, καὶ μετὰ δακρύων ἠρώτων αὐτὸν, εἰ αὐτὸς εἴη ὁ τότε στρατηλάτης αὐτῶν Πλακίδας. Ὁ δὲ συσχεθεὶς τοῖς δάκρυσιν ἀπεκρίνατο αὐτοῖς λέγων · Ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγώ.

C Ἐπιδεικνύντων δὲ αὐτῶν τὸ σύσσημον ἐν τῷ τραχήλῳ αὐτοῦ, καὶ ἐξομνυμένων αὐτῶν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ στρατηλάτης Πλακίδας, καὶ περὶ τῆς Γυναικὸς αὐτοῦ καὶ τῶν Τέκνων ἐπηρώτων αὐτόν. Τότε ὡμολόγησεν ὅτι αὐτός ἐστιν · περὶ δὲ τῆς Γυναικὸς αὐτοῦ καὶ τῶν Τέκνων ἀπήγγειλεν αὐτοῖς ὅτι τεθνήκασι. Καὶ τούτων λεγομένων, συνέδραμον πάντες οἱ ἐκ τῆς κώμης, ὡς ἐπὶ μεγίστῳ θεάματι. Τότε οἱ στρατιῶται καταστείλαντες τὸν θορυβὸν ἐξηγοῦντο αὐτοῖς περὶ τῆς τοῦ Ἀνδρὸς ἀρετῆς καὶ τῆς προτέρας αὐτοῦ δόξης. Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐκ τῆς κώμης ὠδύροντο, λέγοντες · Ὦ οἷον γαυρίαμα Ἀνδρὸς · μισθωτὸς ἡμῶν γέγονεν.

15 Τότε οἱ στρατιῶται ἐνεφάνισαν αὐτῷ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως, καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν, ἐξ ὧν ἐπεφέροντο ἱματίων, παραλαβόντες δὲ αὐτὸν, ὥρμησαν ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν ὁδόν. Πάντες δὲ οἱ ἐκ τῆς κώμης ἐκείνης προέπεμπον αὐτὸν, ὁ δὲ παρακαλέσας αὐτοὺς ἀπέλυσεν. Πορευομένων δὲ αὐτῶν, διηγήσατο αὐτοῖς, πῶς ἴδεν τὸν Χριστὸν, καὶ ὅτι μετωνομάσθη Εὐστάθιος ἐν τῷ βαπτίσματι, καὶ πάντα τὰ συμβάντα αὐτῷ διηγήσατο αὐτοῖς. Καὶ διανύσαντες ὁδὸν δι' ἡμερῶν δεκαπέντε, ἦλθον πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ εἰσελθόντες ἀπήγγειλαν αὐτῷ, τὸ πῶς εὗρον τὸν Πλακίδαν. Καὶ ἐξελθὼν ὁ βασιλεὺς εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ, κατεφίλησεν αὐτὸν, καὶ πολλὰ δακρύσας ἐπυνθάνετο

et accipies Uxorem tuam et Filios. In resurrectione vero majora horum videbis, et æternorum bonorum delectationem reperies, et nomen tuum magnificabitur in generationem et generationem. Hæc audiens Eustathius, terrore perculsus sedebat. [Videns c vero appropinquantes sibi milites, descendens e loco, ubi sedebat, in via contra ipsos stetit, et propior illis factus] amplius cognovit eos. Illi autem eum non cognoverunt; qui dixerunt ad eum : Ave frater. At ille ait : Pax vobiscum, fratres. At illi rursus dicunt ei : Dic nobis si nosti hic peregrinum aliquem, nomine Placidam, cum Uxore et duobus Filiis? Et si demonstraveris nobis eum, damus tibi pecunias. Quibus ille dixit : Quapropter eum quæritis? Qui dixerunt ei : Amicus noster fuerat, et volumus eum videre post multos annos. Dicit ad eos Eustathius : Talem hic virum non cognovi *d*. [Attamen huc succedite, in domum, in qua hospitor;] nam et ego peregrinus sum. Et assumens eos duxit in hospitium suum, et abiit emere vinum, ut potaret eos propter æstum.

A αὐτῷ.

c

d

14 Et dixit ad dominum domus, in qua hospitabat : Noti mihi sunt isti homines, et propter hoc huc venerunt : præbe ergo mihi cibos et vinum, ut fruantur, et reddam ea tibi in tempore de mercede mea. Ille vero alacriter præbuit eis, quæ fuerant necessaria. Reficiens autem eos Eustathius, non poterat sustinere, recolens priorem vitam suam, sed perfundebatur lacrimis : plorabat autem foras egrediens, et lavabat faciem suam, rursusque ingrediebatur et ministrabat eis. Illi vero considerantes eum, cœperunt paulatim ad agnitionem visionis ejus venire, et ad alterum dicebant. Quam similis est iste homo illi, quem quærimus! Unus autem ait socio suo : Valde similis est illi : scio autem ego, quod habet signum aliquod cicatricis in cervice sua ex ictu belli. Consideremus ergo : si habet signum in cervice sua, ipse est, qui quæritur a nobis. Considerantes vero cautius, vident cicatricem in cervice ejus, et confestim exilientes osculabantur eum, et cum lacrymis interrogabant, si ipse esset, qui aliquando magister militum eorum fuerat. Ille vero, profusis lacrymis, dicebat : Non sum ego. Demonstrantes vero illi signum in cervice ejus et jurantes, quod ipse esset magister militum Placidas. Et de Uxore ejus et Filiis interrogabant eum et alia plura commemorabant ei. Tunc F confessus est, quod ipse esset : et de Uxore et Filiis dixit illis, quomodo mortui essent. Et dum hæc dicuntur, omnes illius vici homines, quasi ad signum et spectaculum veniebant. Tunc ergo milites [sedato tumultu] exponebant eis de virtute Viri et de priori ejus gloria. Audientes autem flebant, dicentes : Quanta exaltatio Viri, qui nobis mercede servivit!

invenitur, et ad illum

E

15 Tunc milites insinuaverunt ei præceptum imperatoris, et induentes illum vestibus optimis, accipientes illum pergebant in viam suam. Omnes vero de vico [procedebant cum eo :] ille vero osculans dimisit eos. Ambulantibus vero illis exposuit eis, quomodo vidit Christum, et quomodo denominatus est Eustathius in baptismo, et quæ contigerunt ei, omnia exposuit eis. Transacto vero quindecim dierum itinere *e*, venerunt ad imperatorem, et ingressi milites nuntiaverunt ei, quemadmodum invenerunt Placidam. Et egressus imperator in occursum ejus, osculatus est eum, [et multum lacrymans] interrogavit eum suæ discessionis causam :

adductus. copiis præficitur

e

A. ANONYMO. sam : qui per singula exposuit imperatori et cuncto senatui. Et de Uxore sua, [et Filiis : illa] quomodo in mari relicta esset, et quomodo Filii sui a feris capti sunt, et totum mœrorem suum exposuit. *f* Facta est autem magna lætitia in inventione ejus *f*. [Porro imperator eum consolatus est] et cingitur ut ante magister militum. Qui discutiens militiam, et cognoscens non sufficere ad compescendum hostium incursus, jussit tyrones colligere, [et missi sunt per omnes civitates et oppida Romani imperii, qui tyrones conscriberent.] Contigit autem, et *g* illam terram, in qua educati sunt Filii ejus *g*, describi, ut darent duos tyrones. Cuncti vero illius veci cultores illos duos Juvenes, quippe ut peregrinos *h* decernentes, tradunt expeditionem facientibus *h*. Erant autem grandi statura et decora facie valde. Congregatis vero cunctis tyronibus et adductis coram Magistro militum, qui omnes considerans taxavit in numeris. Videns vero illos duos Adulescentes, quod essent super omnes decori specie et statura, constituit eos primos in ministerio suo, et videns in eis generositatem morum, naturali affectu impulsus in amorem eorum, jussit inter convivas mensæ suæ eos adnumerari.

B

Contra barbaros proficiscitur, 16 Et post dispositam militiam, ut solitum est, profectus est ad bellum, et terram quidem, quam abstulerant barbari, liberavit; ipsis vero subjectis, *i* transiit fluvium, qui dicitur Hydaspis *i*. [Et recto *k* itinere procedentes *k* penetrarunt in interiorem terram barbarorum, quos bello superatos, late vastata eorum regione, penitus delere decrevit. Et, providentia utique Dei illum evocante, eo pervenit, ubi erat Uxor ejus, quæ, sicut diximus, Deo protegente, ab alienigenæ illius tyrannide præservata fuerat, atque, eo mortuo, discesserat, et sola habitabat in hortulo alicujus ex indigenis, cujus gerebat curam, ubique, structo tabernaculo, fructus custodiebat.] Cum igitur pervenisset in illum vicum Magister militum, castra metatus est et habitavit ibi tribus diebus repausans exercitum : oportuna enim *l* erat possessio ad omnem delectationem. Contigit *l* autem, ut tentoria ejus figerentur prope hortulum illum, quem custodiebat Mulier. Illi ergo duo Adulescentes hospitaverunt in tabernaculo Matris suæ, nescientes, quod ipsa esset Genitrix eorum. Et, facto meridie, sedentes exponebant sibi invicem de infantia sua : habebant enim [subobscure] in me-
C moria eorum, quæ contigerant eis. Mater vero eorum sedens e contra, intentius audiebat, quæ illi exponebant. Dicebat ergo frater major juniori : Ego, dum infans essem, nihil aliud in memoria habeo, nisi hoc, quia Pater meus magister militum fuerat, Mater vero speciosa valde, et duos filios habebant, me et alterum juniorem [flavis capillis] speciosum et ipsum nimis. Accipientes vero nos utrosque, egressi sunt de domo noctu, et ingressi sunt in navim nobiscum, nescio, quo volentes ire. Cum autem egrederemur de navi, Mater nostra nobiscum non erat : nescio, quemadmodum in mari relicta est.

belloque feliciter gesto, 17 Pater vero noster portans nos duos, flens pergebat. Perveniens autem ad quemdam fluvium, transmeavit cum fratre meo juniore, et me dereliquit supra ripam fluminis. Cum autem reverteretur, *m* ut et me acciperet, [lupus *m* veniens rapuit illum minorem fratrem meum, et antequam ad me appropinquasset] subito de sylva exiliens leo rapuit me, et duxit me in sylvam : pastores vero eruerunt me de ore leonis, et nutritus sum in possessione, in

παρ' αὐτοῦ τὴν αἰτίαν τῆς ἀναχορήσεως αὐτοῦ · ὁ δὲ καθεξῆς διηγήσατο τῷ βασιλεῖ καὶ πάσῃ τῇ συγκλήτῳ τὰ συμβάντα αὐτῷ · καὶ περὶ τῆς Γυναικὸς αὐτοῦ, καὶ τῶν Τέκνων, πῶς ἐν τῇ θαλάσσῃ κατέλιπεν αὐτὴν, καὶ πῶς τὰ Τέκνα αὐτοῦ θηριάλωτα γενόνασι, καὶ πᾶσαν τὴν θλίψιν αὐτοῦ διηγήσατο αὐτοῖς. Ἐγένετο δὲ χαρὰ μεγάλη ἐν τῇ ἀνευρέσει. Παρεκάλεσε δὲ αὐτὸν ὁ βασιλεὺς καὶ ζώννυται κατὰ τὸ πρότερον στρατηλάτης. Καὶ ἐπισκεψάμενος τὸν στρατὸν, καὶ γνοὺς μὴ ἐπαρκεῖν πρὸς τὴν καταδρομὴν τῶν βαρβάρων, ἐκέλευσεν τηρωνάτον γενέσθαι · καὶ ἐγράφησαν κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ κώμην τῆς Ρομανίας πεμφθῆναι εἰς τηρώνας. συνέβη δὲ καὶ εἰς ἐκείνην τὴν κώμην, εἰς ἣν ἀνετράφησαν οἱ Υἱοὶ τοῦ Εὐσταθίου, φθάσαι τοὺς εἰς τοῦτο τεταγμένους. Πάντες οὖν οἱ ἐκ τῆς κώμης ἐκείνης τοὺς δύο Νεωτέρους ἐκείνους, ὡς ἅτε ξένους, ψηφησάμενοι, παρέδωκαν τοῖς στρατιώταις...... Συναχθέντων δὲ πάντων τῶν τηρώνων καὶ προσαχθέντων τῷ Στρατηλάτῃ, θεασάμενος αὐτοὺς πάντας κατέταξεν εἰς νούμερα. Ἰδὼν δὲ ἐκείνους τοὺς δύο Νεωτέρους, ὑπὲρ πάντας εὐηδεῖς, κατέστησεν αὐτοὺς εἰς τὴν ἰδίαν ὑπερεσίαν, καὶ κατανοῶν αὐτῶν τὸ εὐγενὲς τῶν τρόπων, φυσικῇ τινι φιλοστοργίᾳ ἑλκόμενος πρὸς πόθον αὐτῶν, ἐκέλευσεν αὐτοὺς μετέχειν τῆς τραπέζης αὐτοῦ, συνεστίους αὐτοὺς καταστήσας. E

16 Καὶ δὴ τάξας τὴν στρατείαν, ὡς εἰώθει, ἐπορεύθη εἰς τὸν πόλεμον, καὶ τὴν μὲν χώραν ἣν ἀφείλαντο πρώην οἱ βάρβαροι ἠλευθέρωσεν · αὐτους δὲ τροπωσάμενος ἐξεπέρασε τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Ὑδάσπην, καὶ ἐπὶ τὸ ἔμπροσθεν προχωροῦντες ἀνέβησαν εἰς τὴν ἐσωτέραν χώραν τῶν βαρβαρῶν, κἀκείνους τροπωσάμενος καὶ πᾶσαν ἐκπορθήσας τὴν χώραν αὐτῶν. Περαιτέρω κτεῖναι ἐβουλεύσατο, τάχα τῆς προνοίας τοῦ Θεοῦ καλούσης αὐτὸν ἀπελθεῖν, ὅπου ἦν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ, ἥτις, ὡς προείρηται, διαφυλαχθεῖσα ἀπὸ τῆς τοῦ ἀλλοφύλου ἐκείνου τυραννίδος, κατὰ πρόνοιαν Θεοῦ τελευτήσαντος αὐτοῦ, ἀναχωρήσασα, καθ' ἑαυτὴν ᾤκει εἰς κῆπόν τινος τῶν οἰκητόρων, ἐκλαβοῦσα καὶ ποιήσασα σκηνὴν παρεφύλαττεν τοὺς καρπούς. Καταλαβῶν οὖν τὴν κώμην ἐκείνην ὁ Στρατηλάτης, καὶ πολιορκήσας αὐτὴν ἔπηξεν φωσσάτον ἐν αὐτῇ, καὶ παρέτεινεν ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς, διαναπαύων τὸν στρατὸν, ὡς ἐπιτηδείου ὄντος τοῦ χωρίου πρὸς ἀπόλαυσιν αὐτῶν. Συνέβη δὲ τὸν παπυλεῶνα αὐτοῦ παγῆναι παρὰ τὸν κῆπον ἐκεῖνον, ὃν ἐφύλαττεν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ. Οἱ οὖν Νεανίσκοι ἐκεῖνοι κατέλυσαν εἰς τὴν σκηνὴν τῆς Γυναικὸς, μὴ εἰδότες, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μητὴρ αὐτῶν. Καὶ μεσημβρίας γενομένης κατεζόμενοι ἐξηγοῦντο ἀλλήλοις τὰ τῆς νηπιότητος αὐτῶν · εἶ- F
χον γὰρ ἀμυδρὰν ἐν ἑαυτοῖς τῶν συμβεβηκότων τὴν μνήμην. Ἡ δὲ τούτων Μητὴρ κατεζομένη ἀπέναντι αὐτῶν ἀκρόασιν ἐποιεῖτο τῶν λεγομένων παρ' αὐτῶν. Ἔλεγεν γὰρ ὁ πρεσβύτερος ἀδελφὸς πρὸς τὸν νεώτερον· Ὅτι ἐγὼ πάνυ νήπιος ὤν, οὐδὲν ἕτερον εἰς μνήμην φέρω, εἰ μὴ τοῦτο, ὅτι ὁ Πατήρ μου στρατηλάτης ἦν, ἡ δὲ Μητήρ μου εὐμορφωτάτη πάνυ, καὶ δύο Τέκνα εἶχον, ἐμέ τε καὶ ἕτερον μειράκιον μικρότερον ἐμοῦ, ξανθὸν ταῖς θριξὶ, ὡραῖον τῇ ὄψει σφόδρα. Καὶ λαβόντες ἡμᾶς ἀμφότεροι ἐξῆλθον τῆς οἰκίας ἐν νυκτὶ, καὶ ἐνέβησαν εἰς πλοῖον μεθ' ἡμῶν, οὐκ οἶδα ποῦ βουλόμενοι ἀπελθεῖν. Ἐν δὲ τῷ ἐξελθεῖν ἡμᾶς ἐπὶ τὴν γὴν, ἡ Μήτηρ ἡμῶν οὐκ ἦν μεθ' ἡμῶν· καὶ οὐκ ἐπίσταμαι πῶς ἐν τῇ θαλάσσῃ κατελείφθη.

17 Ὁ δὲ Πατὴρ ἡμῶν βαστάσας ἡμᾶς τοὺς δύο, ὀδυρόμενος ἐπορεύετο. Καταλαβὼν δὲ τινα ποταμὸν, ἐξεπέρασε μετὰ τοῦ ἑνὸς παιδίου τοῦ μικροτέρου, καὶ ἐμὲ κατέλιπεν ἐντεῦθεν. Βουλόμενος οὖν ἀνακάμπτειν πρὸς τὸ λαβεῖν κἀμὲ, λέων ἐπελθὼν ἥρπασέ με, καὶ ἐπορεύετο εἰς τὸν δρυμὸν· ποιμένες οὖν προβάτων ἐξείλαντό με ἐκ τοῦ λέοντος, καὶ ἀνετράφην εἰς τὴν κώμην, εἰς ἣν καὶ αὐτὸς ἐπίστασαι, καὶ οὐκ ἔγνων λοιπὸν περὶ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Παιδίου, τὸ τί ἐγένοντο.

Ταῦτα

A Ταῦτα ἀκούσας ὁ νεώτερος παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου ἀδελφοῦ ἀνεπιδήσεν κλαίων, καὶ λέγων· Μὰ τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ ἀδελφός σου τυγχάνω, ἐγνώρισα γὰρ, ἃ διηγήσῶ μοι, καὶ οἱ ἐμὲ γὰρ ἀναθρεψάμενοι ταῦτα μοι ἔλεγον, ὅτι ἐκ λύκου σε ἐῤῥυσάμεθα. Καὶ περιλαβὼν αὐτὸν κατεφίλει. Ἀκούσασα δὲ ταῦτα ἡ Μητὴρ αὐτῶν, καὶ γνωρίσασα τὴν μέχρι τοῦ πλοὸς διήγησιν, καὶ στοχασαμένη περὶ αὐτῶν οὕτως ἔχειν, ἔπαθεν τὴν ψυχὴν σφόδρα, καὶ ἐταράττετο τὰ σπλάγχνα αὐτῆς· καὶ μάλιστα βλέπουσα καταφιλοῦντας ἀλλήλους καὶ κλαίοντας. Καὶ ἐπεῖχεν θεωροῦσα αὐτοὺς ἅμα καὶ διαλογιζομένη, μήπως αὐτοί εἰσιν οἱ Υἱοὶ αὐτῆς, καὶ μάλιστα περὶ τοῦ Πατρὸς αὐτῶν εἰπόντων ὅτι στρατηλάτης ἦν, καὶ ὅτι ἐν τῇ θαλάσσῃ ἡ Μητὴρ κατελείφθη. Τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ προσῆλθεν τῷ Στρατηλάτῃ ἡ Γυνὴ, λέγουσα· Δέομαί σου, κύριέ μου, ἐγὼ ἐκ γῆς Ῥωμαίων ὑπάρχω, καὶ αἰχμάλωτός εἰμι ἐνταῦτα· ἀνάγαγέ με οὖν εἰς τὴν πατρίδα μου. Καὶ ταῦτα λέγουσα τῷ Ἀνδρὶ ἡ Γυνὴ, κατενόει τὰ σημεῖα αὐτοῦ, καὶ ἐπιγνοῦσα ἐφοβεῖτο αὐτὸν ἐξετᾶσαι. Μὴ δυναμένη δὲ ἐπὶ πολὺ ἀνασχέσθαι, προσπεσοῦσα αὐτῷ, ἔλεγεν· Δέομαί σου, κύριέ μου, μὴ ἀγανακτήσῃς κατὰ τῆς δούλης σου, ἀλλ᾽ εὐμενῶς ἄκουσον, καὶ φράσον
B μοι τὴν ἀρχαίαν σου πολιτείαν.

18 Ἐγὼ γὰρ νομίζω σε εἶναι τὸν στρατηλάτην Πλακίδαν, τὸν μετονομασθέντα Εὐστάθιον ἐν τῷ βαπτίσματι, ὅστις, ὀφθέντος αὐτῷ τοῦ Χριστοῦ διὰ τοῦ ἐλάφου, ἐπίστευσεν εἰς αὐτὸν, καὶ πειρασμοῖς περιπεσὼν, λαβὼν τὴν Γυναῖκα αὐτοῦ, ἥτις εἰμὶ ἐγώ, καὶ τὰ δύο παιδία, Ἀγάπιον καὶ Θεόπιστον, ἐξώρμησεν ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον· καὶ ἐν τῷ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, ἀπώλεσεν ἐμὲ, διὰ τὸ τὸν ναύκληρον βάρβαρον εἶναι, καὶ κατασχεῖν με, ὅστις ἤγαγέν με εἰς τὴν πατρίδα ταύτην. Καὶ μαρτυρεῖ μοι ὁ δεσπότης Χριστὸς, ὅτι οὔτε ἐκεῖνος ἐμίανέν με, οὔτε ἄλλος τίς· ἀλλ᾽ εἰμὶ μέχρι τῆς σήμερον φυλάξασα τὴν σωφροσύνην μου. Εἰ οὖν σὺ εἶ, ὃν ἐγὼ ἐκ τῶν προσόντων σοι σημάντρων γνωρίζω, ἀνάγγειλόν μοι τὴν δύναμίν σοι τοῦ Χριστοῦ. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Εὐστάθιος παρ᾽ αὐτῆς, καὶ αὐτὸς ὁμοίως ἐνοπτριζόμενος τὸ εἶδος αὐτῆς, ἐπιγνοὺς αὐτὴν, ἀκατασχέτῳ ληφθεὶς χαρᾷ, δάκρυά τε πολλὰ προχέας, εἶπεν· Ἐγώ εἰμι, ὃν λεγεις, καὶ ἀναστὰς περιεπλάκη αὐτῇ, καὶ κατεφίλουν ἀλλήλους, δόξαν ἀναπέμποντες τῷ δεσπότῃ Χριστῷ, τῷ παντοίως εὐεργετοῦντι τοὺς ἑαυτοῦ δούλους, καὶ ἀνακαλουμένῳ ἐκ πολλων θλίψεων.
C Καὶ λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ· Κύριε ποῦ εἰσι τὰ Τέκνα ἡμῶν; Ὁ δὲ εἶπεν· Θηριάλωτα γεγόνασι· καὶ διηγήσατο αὐτῇ πῶς ἀπώλεσε τὰ Νήπια. Ἡ δὲ ἔλεγεν αὐτῶ· Εὐχαριστήσωμεν τῷ εὐεργέτῃ Χριστῷ, τάχα γὰρ, ὡς ἡμῖν ἐχαρίσατο τὸ εὑρεῖν ἀλλήλους καὶ ἐπιγνῶναι, παρέξει καὶ τὰ Τέκνα ἡμῶν ἀπολαβεῖν ἡμᾶς. Λέγει πρὸς αὐτὴν ὁ Εὐστάθιος· Εἶπόν σοι ὅτι θηριάλωτα γεγόνασι. Λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ Γυνὴ αὐτοῦ· Τῇ χθὲς ἡμέρᾳ ἤκουσα Νεανίσκων τινῶν πρὸς ἀλλήλους διαλεγομένων, καὶ ἐξηγουμένων τὰ τῆς νηπιότητος αὐτῶν· καὶ ἐπέγνων αὐτοὺς, ὅτι οἱ Υἱοὶ ἡμῶν εἰσιν· ἀλλ᾽ οὐδὲ αὐτοὶ ἤδεισαν ἀλλήλους, ὅτι εἰσὶ ἀδελφοὶ, εἰ μὴ ἐκ τῆς διηγήσεως τοῦ πρεσβυτέρου ἐπέγνωσαν ἀλλήλους τῇ χθὲς ἡμέρᾳ.

19 Εἰ οὖν μέχρι τῆς σήμερον ἀγνοεῖς τοῦτο, γνῶθι πῶς ἡ πολυσπλαχνία τοῦ Θεοῦ τὴν ἐπίγνωσιν ἀλλήλοις ἐχαρίσατο. Μάθε οὖν παρ᾽ αὐτῶν, καὶ ἐροῦσι σοι. Προσκαλεσάμενος οὖν ὁ Στρατηλάτης τοὺς δύο Νεωτέρους, ἐπυνθάνετο παρ᾽ αὐτῶν, τίνες εἶεν, καὶ τί τὰ συμβάντα αὐτοῖς. Καὶ διηγήσαντο αὐτῷ πάντα τὰ συμβάντα αὐτοῖς, καὶ ἐπέγνω αὐτοὺς, ὅτι αὐτοί εἰσιν οἱ Υἱοὶ αὐτῷν. Καὶ ἐπιλαβόμενος ὁ Εὐστάθιος κατεφίλησεν αὐτοὺς, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ Μητὴρ αὐτῶν περιπλεκομένη κατεφίλει αὐτοὺς, καὶ ἐπιπεσόντες ἐπὶ τοὺς τραχήλους τῶν Τέκνων αὐτῶν μετὰ δακρύων ηὐχα-

qua et ipse scis, et non potui scire de Patre meo quid sit factum, neque de Infante. Hæc audiens junior, majore fratre dicente, exiliens cœpit flere et dicere : Per Deum Christianorum, ut audio, frater tuus sum ego! [Novi enim, quæ narrasti mihi,] quoniam et qui educaverunt me, hæc dicebant : Quoniam de lupo te eruimus. Et amplexi osculabantur se invicem. Audiens vero hæc Mater eorum, et considerans quæ exposuerant usque ad navigium, [conjectansque ita circa illos contigisse omnia, valde animo movebatur] et perturbabatur in visceribus suis *n*; amplius etiam videns Adulescentes amplectentes se invicem et osculantes et flentes. Et tum considerans, diu tractare apud se cœpit, si forte ipsi essent Filii sui, maxime propterea, quod de Patre dixerint, quod magister militum fuerat, et quia in mari Mater relicta est. Altera autem die interpellavit Magistrum militum, dicens : Deprecor te, Domine, ego de terra Romanorum sum, et captiva adducta huc : perduc me ad patriam meam. Et hæc dicens, considerans, vidit signa, quæ erant in Marito suo; et cognoscens, formidabat eum interrogare. Cum vero diu continere se non posset, procidens ante eum, dicebat : Precor te, Domine, ne in- E
digneris contra Ancillam tuam, sed propitius audi me, et expone mihi priorem vitam tuam.

A. ANONYMO.

18 Ego enim puto, te esse magistrum militum Placidam, qui cognaminatus es Eustathius [in baptismo,] quem etiam dignatus est Salvator ipse per cervum ad se vocare, ut crederet in eum, et incidens in temptationes, et accipiens Uxorem suam, quæ sum ego, et duos Filios, Agapium et Theopistum, perrexit ad Ægyptum; et cum navigaremus, perdidit me, propter quod dominus navis barbarus esset [et me retineret, qui me in hanc patriam perduxit.] Et testis est mihi Christus, quia nec ipse polluit me, nec alter; sed usque hodie servavit Dominus castitatem meam. Et ecce, ego dixi tibi signa, et tu cognoscens indica mihi per virtutem Christi Salvatoris. Audiens autem hæc Eustathius, et ipse similiter considerans speciem ejus, recognovit eam, et incontinenti lætitia lacrimas effundens, [inquit : Ego ipse sum, quem dicis : et surgens ruit in amplexus, et osculati sunt se invicem,] et dabant gloriam Salvatori Christo, qui in omni parte prodest servis suis, et revocat et consolatur de multis tribulationibus. Tunc dicit ei Uxor sua : Domine mi, ubi sunt Filii nostri? Cui dixit : A feris rapti sunt : et F
exposuit ei quemadmodum perdidit eos. Et dixit ad eum Uxor ejus : Gratias agamus Christo, puto enim, quemadmodum Deus donavit *o*, ut inveniremus nos invicem, donavit etiam recognoscere Filios nostros. Dixit ad eam Eustathius : Dixi tibi, quia a feris capti sunt. Dicit ad eum Uxor ejus : Hesterna die sedens in horto, audivi quosdam duos Juvenes ad invicem loquentes [et narrantes] de infantia sua; et scio, quod Filii nostri sunt: nec ipsi invicem sciebant, quia fratres sunt, nisi per expositionem majoris fratris [agnovissent se hesterna die.]

Uxorem Filiosque, qui sub eo ignoti militabant, agnoscit, atque victor *p*

19 Nunc ergo [cum hoc hactenus ignoras] cognosce quanta sit pietas Christi, qui utrisque donavit agnitionem. Disce igitur ab eis *p*, et dicent tibi. Convocans igitur Magister militum Adulescentes, sciscitatus est ab eis, qui essent, [et quæ illis accidissent?] Et exposuerunt ei omnia, quæ facta fuerant, sicut supra exposuimus, et recognovit eos, quia ipsi essent Filii sui. Et amplexus Eustathius osculatus est eos: similiter et Mater amplexu osculata est, et [incumbentes super *q* cervices Filiorum suorum, cum lacrymis gratias agebant benignissimo Deo,

A. ANONYM. Deo, de miranda agnitione sua. Ab hora autem secunda usque ad sextam castra late percurrit rumor eorum, quæ acciderant, ita ut miraretur congregatus exercitus et exultaret propter eorum inventionem magis, quam propter victoriam *r* de barbaris relatam. Maximam vero celebritatem propter agnitionem suorum instituit Eustathius. Et postero die, Deo invocato, cum laude gratias referebat Domino Christo de maxima ejus benignitate et clementia.] Postquam vero subjecerunt universam circum terram barbarorum, reversi sunt cum victoria magna, et spolia multa portantes et captivos plurimos ducentes. Contigit igitur, antequam reverteretur Eustathius de bello, obiisse Trajanum imperatorem, et surgere alterum pro eo imperatorem, nomine Adrianum, gentilem ipsum pejorem impietatibus *s*. Reverso ergo Eustathio occurrit ei imperator, ut mos est Romanis, et victoriæ festivitatem celebravit. Et interrogans, quomodo in prælio viriliter gesserit, de agnitione Uxoris et Filiorum ejus, prolixius extendit convivium. Altera die perrexit in templum idolorum pro victoria sacrificium idolis oblaturus. Intrante vero imperatore in templum Apollinis, non cum illo ingressus est Eustathius, sed retrocedens foris stetit. B

Romam redux, renuensque diis sacrificare, bestiis cum Uxore et Filiis objicitur.

20 Imperator vero convocans eum, interrogavit, quare non sacrificaverit diis propter victoriam, et victimas *t* non obtulisset eis, maxime propter Uxoris inventionem et Filiorum. Qui dixit ad imperatorem : Ego supplico Christum Dominum meum et offero incessanter ei preces, qui misertus est humilitati meæ, et revocavit me de captivitate, et restituit mihi Uxorem et Filios : alium vero Deum neque scio, neque colo, nisi *u* Deum cælestem, qui fecit mirabilia. Tunc imperator ira repletus, jussit ei solvi cingulum, et velut transgressorem astare pariter cum Uxore et Filiis, et sic faciebat contra eum quæstionem. Considerans igitur imperator immutabilem ejus in Christo fidem, jussit eum cum Uxore et Filiis introduci in arenam, et dimitti eis leonem. Accurrens vero leo, et stans prope Beatos, submittens caput et quasi adorans recessit, et cœpit egredi de arena. Tunc ergo imperator videns mirabile spectaculum, quod non tetigisset eos fera, præcepit accendi bovem æreum, et ibi introduci *x* Sanctos. Convenit vero universa plebs Fidelium et paganorum, exspectare Sanctos, quomodo introducerentur C in æreum bovem. Introducti vero in machinam, supplicaverunt carnifices, ut darent orandi spatium. Et exstendentes manus suas [in cælum] oraverunt, dicentes : Domine Deus virtutum, qui cunctis invisibilis, nobis vero visus esse voluisti, exaudi nos deprecantes te. Ecce enim votum nostrum peractum est, quia recipientes nos invicem, et [uniti] admeruimus sortem Sanctorum tuorum recipere.

Inde illæsi Martyres, in bovem candentem injecti, martyrii

21 Sicut tres pueri [Babylone] per ignem probati sunt, et non te denegaverunt, sic et *y* nos finire jube per istum ignem. [Ft suscipiamur hoc igne in hostiam tibi toti consumpti.] Da vero, Domine, reliquiis nostris gratiam *z*, ut omnis, qui memor nostri fuerit, partem nostri habeat in regno cælorum et super terram abundantiam; vel si in mari *aa*, aut in fluvio periclitati fuerint, et invocaverint te in nomine nostro, liberenter de periculo, et si in peccatis inciderint, per humilitatem nostram supplicantibus veniam præsta peccatorum, et o-

ρίστουν τῷ φιλανθρώπῳ Θεῷ ἐπὶ τῇ παραδόξῳ ἀνευρέσει αὐτῶν. Ἀπὸ δὲ ὥρας δευτέρας ἕως ὥρας ἕκτης D διέδραμεν περὶ τῶν συμβεβηκώτων φήμη καθόλου τοῦ στρατοπέδου, ὡς πάντα συναθροισθέντα τὸν στρατὸν θαυμάζειν καὶ ἀγαλλιᾶσθαι ἐπὶ τῇ ἀνευρέσει αὐτῶν πλέον, ἢ ἐπὶ τῇ τῶν βαρβάρων νίκῃ. Ἑορτὴν δὲ μεγίστην ποιούμενος ἐπὶ τῷ ἀναγνωρισμῷ αὐτῶν ὁ Εὐστάθιος, καὶ τῇ ἑξῆς τὸν Θεὸν ἐπικαλεσάμενος καὶ εὐχαριστηρίους φωνὰς ἀναπέμπων τῷ δεσπότῃ Χριστῷ ἐπὶ τῇ μεγίστῃ αὐτοῦ φιλανθρωπίᾳ. Τροπωσάμενος πᾶσαν τὴν περὶ κύκλῳ χώραν τῶν βαρβάρων, ὑπέστρεψεν μετὰ νίκης μεγάλης, λάφυρα τε πολλὰ ἐπιφερόμενος καὶ αἰχμαλώτους πλείονας. Συνέβη δὲ, πρὶν ἐπανελθεῖν τὸν Εὐστάθιον ἐκ τοῦ πολέμου, τελευτῆσαι τὸν βασιλέα Τραϊανὸν, καὶ βασιλεῦσαι ἀντ᾽ αὐτοῦ ἕτερον, ὀνόματι Ἀδριανὸν, ἕλληνα καί αὐτὸν ὁμοίως, καὶ ἀσεβέστερον τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων τυγχάνοντα. Ἐπανελθόντος οὖν τοῦ Εὐσταθίου, ἀπαντὴν ποιούμενος ὁ βασιλεὺς, ὡς ἔθος ἐστὶν Ῥωμαίοις, ἐπινίκιον ἑορτὴν ἦγεν. Καὶ μαθὼν τὴν ἐν τῷ πολέμῳ ἀνδραγαθίαν, τήν τε εὕρεσιν τῆς Γυναικὸς καὶ τῶν Τέκνων αὐτοῦ, ἐπὶ πλεῖον παρέτεινε τὴν εὐωχίαν. Καὶ ὥρμησεν εἰς τὸν ναὸν ἐπινικίους θυσίας ἀνενεγκεῖν τοῖς εἰδώλοις. Εἰσερχομένου δὲ αὐτοῦ εἰς τὸν ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, οὐ συνεισῆλθεν αὐτῷ ὁ Εὐστάθιος, ἀλλ᾽ ἀποπηδήσας ἔστη ἔξω. E

20 Ὁ δὲ βασιλεὺς προσκαλεσάμενος αὐτὸν ἐπυνθάνετο παρ᾽ αὐτοῦ, διατί οὐκ ἐπέθυσεν τοῖς εἰδώλοις, ἐπανελθὼν ἀπὸ τῆς νίκης. Ἔδει σε γὰρ, φησι, εὐχαριστηρίους σπονδὰς ἀναπέμψαι τοῖς θεοῖς μάλιστα διὰ τὴν ἀνεύρεσιν τῆς Γυναικός σου καὶ τῶν Τέκνων σου. Ὁ δὲ Εὐστάθιος λέγει πρὸς τὸν βασιλέα · Ἐγὼ τῷ Χριστῷ μου ἀνέπεμψα, καὶ ἀναπέμπω ἀπαύστως δεήσεις καὶ ἱκετηρίας, ὅτι ἐλέησέν μου τὴν ταπείνωσιν, καὶ ἀνεκαλέσατο με τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ ἀπέδωκέν μοι τὴν Γυναῖκα μου καὶ τοὺς Υἱούς μου · ἕτερον γὰρ Θεὸν οὔτε οἶδα, οὔτε σέβομαι, εἰ μὴ τὸν Θεὸν τὸν ποιήσαντα ἑνὶ λόγῳ τὰ πάντα. Τότε κελεύει ὁ βασιλεὺς διαδεχθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς, καὶ ἐκέλευσεν ὡς παγανὸν παραστῆναι αὐτὸν ἅμα τῇ Γυναικὶ καὶ τοῖς Τέκνοις, καὶ οὕτως ἐποιεῖτο τὴν κατ᾽ αὐτῶν ἐξέτασιν. Θεασάμενος δὲ ὁ βασιλεὺς τὸ ἀμετάθετον αὐτοῦ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, ἐκέλευσεν αὐτὸν καὶ τὴν Γυναῖκα αὐτοῦ καὶ τὰ Τέκνα εἰσαχθῆναι εἰς τὸ στάδιον, καὶ ἀπολυθῆναι αὐτοῖς λέοντα. Προσδραμὼν δὲ αὐτοῖς ὁ λέων καὶ πλησίον στὰς τῶν Μακαρίων καὶ ἀοιδίμων, ὑποκλίνας τὴν κεφαλὴν καὶ τρόπῳ τινὶ προσκυνήσας αὐτοὺς ἀνεχώρησε, καὶ ὥρμησεν ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ σταδίου. F Τότε ὁ βασιλεὺς θεασάμενος τὸ παράδοξον θέαμα, ὅτι οὐχ ἥψατο αὐτῶν τὸ θήριον, ἀπορηθεὶς ἐκέλευσεν βοῦν χαλκοῦν ἐκκαῆναι, κἀκεῖ ἐμβληθῆναι τοὺς Ἁγίους. Συνήρχετο δὲ πᾶν τὸ πλῆθος τῶν πιστῶν, καὶ τῶν ἑλλήνων θεάσασθαι τοὺς Ἁγίους, ἐμβαλλομένους ἐν τῷ χαλκουργήματι. Προσαχθέντες δὲ τῷ μηχανήματι, παρεκάλεσαν οἱ Ἅγιοι τοὺς δημίους δοῦναι αὐτοῖς διορίαν εἰς τὸ προσεύξασθαι. Καὶ ἐκτείναντες τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν προσηύξαντο, λέγοντες · Κύριε ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, ὁ πᾶσιν ἀορατος, ἡμῖν δὲ ὁρώμενος ὡς ἠβουλήθης, ἐπάκουσον ἡμῶν δεομένων σου. Ἰδοὺ γὰρ ἡ εὐχὴ ἡμῶν πεπλήρωται, δίοτι ἀπολαβόντες ἀλλήλους καὶ ἑνωθέντες κατηξιώθημεν τῆς μερίδος τῶν Ἁγίων σου τυχεῖν.

21 Ὡς δὲ τρεῖς παῖδες οἱ ἐν Βαβυλῶνι διὰ πυρὸς δοκιμασθέντες, καὶ μὴ ἀρνησάμενοι σε, οὕτως καὶ ἡμεῖς τελειωθῶμεν διὰ τοῦ πυρὸς τούτου. Καὶ προσδεχθείημεν τῷ πυρὶ τούτῳ ὁλοκαυτούμενοι. Δὸς Κύριε χάριν καὶ τοῖς λειψάνοις ἡμῶν . . . σχῇ μέρος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, καὶ γῆς εὐθηνίαν · κἀν ἐν τῇ θαλάσσῃ κἀν ἐν ποτάμῳ κινδυνεύοντες, ἐπικαλέσωνταί σε διὰ τοῦ ὀνόματος ἡμῶν, ῥυσθῶσιν ἐκ τῶν κινδύνων · τοὺς ἐν ἁμαρτίαις διὰ τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν προσπίπτοντάς σοι συγχώρησιν χάρισαι τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ πάντων τῶν μεμνημένων καὶ δοξαζόντων σε, παντὶ

A παντὶ βοηθὸς καὶ εὐεργέτης γενοῦ. Δὸς δὲ Κύριε καὶ τὴν ἀπειλὴν τοῦ δεινοτάτου πυρὸς εἰς δρόσον μεταβληθῆναι, καὶ ἡμᾶς ἐν αὐτῷ τελειωθῆναι. Εὐδόκησον τὰ σώματα ἡμῶν, μὴ διαχωρισθήτωσαν, ἀλλ' ὁμοθυμαδὸν αὐτὰ κατατεθῆναι εὐδόκησον. Καὶ ταῦτα εὐξαμένων αὐτῶν, φωνὴ αὐτοῖς ἦλθεν ἀπὸ τῶν οὐρανῶν, λέγουσα· Οὕτως ἔσται ὑμῖν καθὼς ᾐτήσασθε καὶ περισσότερον τούτων γενήσεται ὑμῖν. Ὅτι ἀθληταὶ διὰ βίου ἐγένεσθε πολλοὺς καὶ μεγάλους ὑπομείναντες πειρασμοὺς καὶ μὴ ἡττηθέντες, δεῦτε ἐν εἰρήνῃ ἀποληψάμενοι τοὺς στεφάνους τῆς νίκης ἡμῶν, καὶ ἀντὶ τῆς προσκαίρου κακοπαθείας εἰς αἰῶνας αἰώνων ἀπολαύσαντες τῶν ἡτοιμασμένων ἀγαθῶν τοῖς Ἁγίοις. Καὶ ταῦτα ἀκούσαντες οἱ Μακάριοι προθύμως ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῷ πυρὶ, καὶ ἐμβληθέντων αὐτῶν ἐν τῷ χαλκουργήματι, εὐθέως ἡ ἀπειλὴ τοῦ πυρὸς κατεστάλη. Καὶ δοξάσαντες τὴν ἄχραντον καὶ πανύμνητον Τριάδα, ᾄσαντες ᾠδὴν ἐπινίκιον ἀπέδωκαν ἐν εἰρήνῃ τὰς θεολόγους αὐτῶν ψυχάς· καὶ οὐχ ἥψατο αὐτῶν τὸ πῦρ μέχρι καὶ οὐδὲ τριχός. Καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας παρεγένετο ὁ ἀσεβέστατος βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τόπον, καὶ ἐκελεύσεν ἀνοιγῆναι τὸ χαλκούργημα, πρὸς τὸ θεάσασθαι, τό τι ἐγένοντο τὰ σώματα τῶν αὐτῶν, καὶ εὑρόντες ζῶα τὰ λείψανα τῶν Ἁγίων, ἐνόμισαν αὐτοὺς
B ζῆν, καὶ ἐξενέγκαντες ἀπέθεντο ἐν τῇ γῇ.

22 Θαῦμα δὲ ἔσχεν πάντας τοὺς περιεστῶτας, ὅτι οὔτε τριχὸς αὐτῶν κατεκυρίευσε τὸ πῦρ, ἀλλ' ἦσαν τὰ σώματα αὐτῶν λάμποντα ὑπὲρ χιόνα. Καὶ φοβηθεὶς ὁ ἀνοσιώτατος βασιλεὺς ἀνεχώρησε. Τὰ δὲ πλήθη ἀνέκραξεν· Ἀληθῶς μέγας ἐστὶν ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν, εἷς μόνος ἀληθινὸς Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος ὅς ἐφύλαξε τοὺς Ἁγίους αὐτοῦ, καὶ οὔτε τριχὸς αὐτῶν κατεκυρίευσε τὸ πῦρ. Λάθρα δὲ οἱ Χριστιανοὶ κλέψαντες τὰ σώματα τῶν ἁγίων Μαρτύρων, κατέθεντο αὐτὰ ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ, καὶ μετὰ τὸ παυσθῆναι τὸν διωγμὸν, οἶκον εὐκτήριον οἰκοδομήσαντες κατέθεντο αὐτοὺς, ἐπιτελοῦντες τὴν μνήμην τῶν ἁγίων Μαρτύρων τῇ εἰκάδι τοῦ Σετεμβρίου μηνός. Αὕτη ἡ πολιτεία τῶν ἁγίων καὶ ἀοιδίμων Μαρτύρων, τοῦτο τὸ τέλος τῆς ἐνδόξου αὐτῶν ἀθλήσεως. Πάντες οὖν, οἱ καταξιούμενοι ἐπιτελεῖν τὴν μνήμην αὐτῶν, καὶ ἐπικαλεῖσθαι αὐτοὺς εἰς βοήθειαν, τυγχάνουσι τῶν ἐπηγγελμένων ἀγαθῶν τοῖς δικαίοις διὰ τῆς χάριτος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

omnibus memoriam nostri habentibus et glorificantibus te, auxilium præsta et subveni. Da vero, Domine, et *bb* comminationem ignis in terrorem transferri, et in hoc finire nos jube. Et complace in corporibus nostris, ut non separentur, sed hic simul reponi ea jube. Et hæc illis dicentibus, vox ad eos venit de cælo, dicens: Ita erit vobis, sicut supplicastis, et amplius ab his fiet. Quia certatores per bonam vitam facti estis, multas et magnas sustinentes temptationes, et non victi estis, venite in pace recepturi coronas victoriæ, et pro temporalibus malis in sæcula sæculorum fruimini præparatis bonis [Sanctis.] Et hæc audientes Beatissimi, alacriter semet ipsos tradiderunt igni, [et illis immissis in æneam machinam] statim comminatio ignis compressa est. Et glorificantes intemeratam, et laudabilem Trinitatem, et cantantes hymnum, reddiderunt cum pace animas suas; et non tetigit eos ignis, neque capillus capitis sensit odorem ignis. Post tres autem dies venit impiissimus imperator in locum, et præcepit aperiri æream machinam, ut videret, quid factum esset de reliquiis Sanctorum, et videntes corpora eorum, putaverunt eos adhuc vivere, et ejicientes, posuerunt eos super terram.

A. ANONYMO.

bb

E

22 Admiratio autem cunctos habuit circumstantes, quia neque ad capillum dominatus fuerat in eis ignis, sed erant corpora splendentia super nivem. Et formidans imperator abiit in palatium suum; multitudo vero, quæ circumstabat, exclamaverunt, dicentes: Magnus Deus Christianorum, unus et verus Deus Jesus Christus, et non est alius, quia [servavit Sanctos suos, et] nec in capillis eorum dominatus est ignis. Occulte vero Christiani tollentes corpora Sanctorum, deposuerunt in celeberrimo loco *cc*, et postquam sedata est persecutio, ibidem oratorium construxerunt, et deposuerunt eos, celebrantes memoriam reliquiarum Sanctorum Kal. Novemb. *dd*. Illa est vita [sanctorum ac inclytorum Martyrum,] et hic finis gloriosi eorum certaminis. Omnes ergo, qui merentur celebrare memoriam eorum et invocare eos in præsidium, impetrant, quæ promissa sunt Sanctis, per gratiam Domini nostri Salvatoris Jesu Christi, cui est gloria et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

laurea coronantur.

cc

dd

ANNOTATA.

C a *Vide, quæ de his dicta sunt Comment. præv.* § 3 *num.* 34 *et seq. Certe quæcumque hic narrantur valde aliena videntur a Trajani viri bellicosissimi gloriæque cupidissimi effigie, quam nobis antiqui scriptores depingunt. Vide tamen quæ ibidem observavi.* F

b *Græce est Acacius et Antiochus. Quinam porro hi fuerint (non gregarii, ut apparet, milites, cum infra,* Eustathium *amicum suum vocitent, nisi id per simulationem dictum asseras), frustra quis divinare tentet. Certe Antiochi nomen non videtur Romani hominis fuisse. At nomina hæc, ut cetera plura, finxit, nisi fallor, fabulator. Quæ infra virgulis inclusa vides, ferme ex Combefisio supplevi.*

c *Locum hunc itidem supplevi, quod in Mss. Latinis valde corruptus legeretur.*

d *Difficile esset respondentem ad Acacii et Antiochi interrogationes* Eustathium *tum hic, tum infra a mendacio excusare. Operæ pretium non est id moliri, maxime cum hæc scriptori relinqui debeant, et nihil cogat Sanctos credere a similibus peccatis, si qua adesse videretur fingendi ratio, fuisse omnino immunes.*

e *Agebat tam imperator in Oriente, quomodo igitur ab illo Romæ coram senatu, ut paulo infra asseritur, exceptus est? Respondeo: Græce est* Σύγκλητος, *quod noster vertit per Senatum: at vox Græca, non solum senatum seu reipublicæ Romanæ patres significat, sed non raro etiam coronam aulicorum et procerum, qui procul dubio bellanti Trajano adfuerunt, et coram quibus potuit* Eustathius *suos casus narrare.*

f *Suppleta sunt ex Combefisio; qui liberiore paulo versione delectatur, legat:* Porro imperator eum hortatus est, ut animos resumeret; illumque Magisterii militum pridem gesti cingulo induit.

g *Qui amat palpare in tenebris, divinet, quis hic locus fuerit, ubi educati dicuntur ejus liberi. Græce dicuntur ad illud oppidum præ reliquis primum pervenisse tribuni, atque sic accumulantur eventus mirandi.*

h *Ex computu poterat senior tum habere annos circiter viginti tres, unum aut alterum minus junior. Quippe numero superius* 10 *et antecedentibus passim nominantur Infantes. Deinde navi egressus*

 Eustathius

flumen transmeare. Præterea num. (the opening words of this line on the page, *non ausus, onustus utroque,*, are given with the line below)

A. ANONYMO. Eustathius *innuitur utrumque tulisse, non ausus, onustus utroque, quæ sibi in mari contigerant. Demus hunc*
16 *senior confusam tantum profitetur memoriam eorum, atque his adde* 15, *quibus* Eustathius *in vico*
igitur annos natum fuisse septem, cum a leone obriperetur, sicque maturos militiæ Filios Heroi suo concedit
commoratus est, et ad 23 *seu sequentem excurres, quæ cum La-*
scriptor. Combefisis hic in Græco interjecta habet: ἦσαν δὲ εὐμεγέθεις, καὶ ὡραῖοι τῇ ὄψει σφόδρα, *ita corrige:*
tinis nostris conveniunt. Pone sequentem solœcismum translatori nostro valde familiarem in ordines retulit.
Congregatos tyrones omnes atque coram se adductos Magister militum considerans,

i *De Hydaspe fluvio Virgilius Georgicorum* 4 ℣ 211 : Nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes. *Et Horatius lib.* 1 *ode* 22 *versu* 8 : Quæ loca fabulosus lambit Hydaspes. *De eodem Strabo lib.* 15, *Arrianus lib.* 5 *cap.* 3. *Curtius lib.* 5 *et alii. Septuaginta libro Judith cap.* I ℣ 6 *habent* Ἡδάσπην, *pro eo, quod Hieronymus vertit* Jadason. *Porro de diversis fluviis sub eodem nomine loquuntur auctores illi. De eodem quidem agunt Strabo, Arrianus et forte Horatius, estque fluvius in India, Indo flumini proximus, in quem recepto Sinaro, Acesinique immersus exoneratur. Hydaspes vero Septuaginta idem procul dubio est, de quo Virgilius et Curtius, vocaturque ab aliis* Eulæus, (Eulai *Dan.* 8 *versu* 2) *ab aliis* Choaspes. *Ortum habet in Media, unde Virgilio Medus dici potuit, Susam alluit et Susianam rigat, de quo Curtius : ad Occidentem proximus est Tigri et Euphrati, ac denique Elymaïdem præterfluit; quæ optime conveniunt, cum versione Septuaginta, textuque Græco ac Syriaco. De his qui plura desiderat, consulat Cellarium Geog. Ant. t.* 2 *lib.* 3 *cap.* 19. *Interim de Hydaspe Indico hic sermo esse non potest, cum eo Trajani tempore numquam Romani penetrarint; Medus seu Choaspes ab Occidente Arabiam Petræam habet, quam sub Trajano subegit Palma, populi non raro rebellarunt, eo imperante. At hanc inter et Hydaspem media jacent, Arabia deserta, Chaldæa, Tigris et Teredon apud Cellarium, plura etiam apud Delisle in mappa geographica, ubi multo aliter hæc omnia disposita sunt. Ut ut est, Arabum testimoniis refert laudatus Delislius, ex Auranitide decem dierum itinere in Babyloniam pervenire, nec longior est tractus in Cellarii Geographica ex Arabia Petræa ad fluvium Hydaspem. Vide, quæ* E
B *observavi Comment. præv.* § 3 *num.* 37 *et seq. Sed hæc tam credibilia non sunt, quam possibilia.*

k *Desunt in editione Combefisii hinc omnia usque ad* τάχα τῆς προνοίας. *Supplevi hic iterum, quæ in Mss. Latinis valde luxata sunt.*

l *Tota hæc periodus usque ad* καὶ μεσημβρίας *omissa est apud Combefisium, sicque ab ejus Ms. abest unus, non ex minime mirabilibus, casus.*

m *Quæ hic narrantur, non videntur satis cohærere. Consule, si lubet, Commentarium prævium* § 3 *num.* 32. *Absunt quidem hæc, quæ uncis inclusa vides, ab ambobus manuscriptis Græcis, at cum reperiantur in Latinis omnibus, ubi similes interpolationes alibi nuspiam occurrunt, multum suspicor, ea ab aliquo, ineptiam forte subodorato, in Græcis expuncta fuisse. Certe paulo infra reponit junior :* Novi enim, quæ narrasti mihi, *quæ vicissim Latini non habent, et eamdem difficultatem patiuntur. Difficile est nimirum sic fabulari, ut nuspiam desipias.*

n *Legit Combefisius :* βλέπουσα τοὺς Νέους περιλαμβάνουντας ἀλλήλους, *quæ melius cum Latinis nostris conveniunt.*

o *Pergit Combefisius :* Παρέξει καὶ τὰ Τέκνα ἡμῶν ἀπολαβεῖν ἡμᾶς, *et vertit :* Forsitan enim, qua pietate, ut alter alterum inveniremus, concessit, ut etiam liberos recipiamus, præbebit : *quibus pro nostro* Ἐπιγνῶναι *interjice :* Et agnosceremus. *Ceterum paulo infra pro* in horto sedens, *quod est in Latinis, habet ille :* Κατεζομένη ἐν τῷ κήπῳ.

p *Qui pro mero figmento totam hanc Historiam habent, possunt scriptorem hic inscitiæ arguere. Enimvero si fabulam texere luberet, nollem talem matrem fingere, quæ tenerrime filios diligat, dudum amissos doleat, ex signis indubiis subito tandem præsentes agnoscat, visceribus totis commoveatur, differatque tamen suum gaudium et amorem prodere, dum convenerit ignotum hactenus sibi hominem (ut ut statuatur etiam ex audito* Placidæ *nomine aliquid suspicata) exercitus ducem rogatura, ut se extorrem in patriam reducat.*

q *Variat paulo ante Ms. Combefisii, sed in solis verbis. Hic ita interpungendum duxi, ut* ab hora
C secunda, *cohæreat cum* discurrit, *non vero cum* gratias agebant, *ut vertit noster. Porro post* et exposuerunt ei, *discedit ab aliis Ms. S. Galli, et ita ad finem usque prosequitur :* Ad barbarorum pervenit fama exercitum, quod Placidus contra eos iret in prælium bellator magnus, et omnes in fugam versi sunt, et Pannoniæ fines sic liberati sunt. Eustathius est reversus cum gaudio. Adrianus cæsar effectus exivit obviam Eustathio revertenti tunc cum victoria. Dum diis suis in templo offerret victimas et adoraret cum omni simul militia, Magister militum sprevit cum suis idola. Tyrannus dixit ad eum : Accede, immola. Ille respondit : In istis non est divinitas : nos Deum colimus verum, qui fecit omnia, qui nos post tantam lætari facit tristitiam, per quem speramus æterna habere gaudia. Adrianus crudelis ira repletus est, et præcepit leonem magnum ei dimittere. Cœpit bestia pedes Sanctorum lingere. Imperator leonem jussit occidere et bovem æreum jussit igni succendere. Dum illi æreum bovem igni succenderant, Eustathius supplicavit ad Deum taliter : Domine Deus, quod posco, tu mihi tribue. Nemo jam corpora nostra possit dividere, sed sub uno sepulti *(forte* sepeliri : *nam adverto, amanuensis incuria in exemplari nostro plurima luxata esse)* cupimus cespite. Adhuc te Rex angelorum peto suppliciter, nemo jam corpora nostra possit dividere : tuum nomen quicumque per nos petierit, exaudi preces eorum, Pater piissime, ut liberati a malis vivant feliciter. Vox resonavit de cælo : Sic exauditus es. Tunc toti quatuor missi in bovem æreum consummaverunt in bono martyrium suum, et meruerunt habere Christi consortium, et in uno sepulti sunt omnes tumulo, ubi in multis florent virtutibus. *Hæc quantum sunt a Græcis et Latinis aliis diversa, tantum discrepat stilus ab iis, quæ in eodem Ms. præmissa sunt, et fere cum reliquis conveniunt : ita ut meridiana luce clarius sit, esse ea aliunde pridem quæsita, vel postmodum ab aliquo contracta. Scribendi methodus magis quam nostra, antiquorum brevitatem præferre videtur, sed oratio illa non est multo minus absurda.* F

r *Hæc in apographis Latinis sic male luxata habebantur :* Incurvantes se supra Filios gratias agebant Christo ab hora secunda usque ad sextam propter inventionem eorum. Discurrit igitur fama hæc

A hæc per omnem exercitum et omnes congregati mirabantur, et exultabant in inventione eorum, amplius etiam propter barbarorum expugnationem. Altera vero die maximam celebritatem facientes, Deo gratias egerunt propter magnam ejus pietatem. A. ANONYMO.

s *In Græco est :* Gentilem et ipsum quoque, et omnes retro imperatores impietate superantem. *Adrianus imperium adiit* XI *Augusti anni Christi* 117, *quo proinde, vel sequenti, passum* Eustathium *Acta perhibent.*

t *Lege :* Oportet enim, inquit, te in gratiarum actionem victimas offere diis; maxime *etc.*

u *Græce est :* Nisi Deum, qui uno verbo cuncta creavit. *Miror hic scriptorem nostrum institutam ab Adriano quæstionem suo calamo non adornasse. Forte trita ab aliis via incedere noluit, doctus subtilius fabulari.*

x *Kircherus Hist. Eustathio-Marianæ parte* 5 *pag.*167 *scribit, asserere canonicos Romanos.* S. Eustathii *sacellum, quod hodie S. Michaëlis est, fuisse olim eidem Sancto sacrum, utpote impositum loco, ubi ante subterraneum Christianorum oratorium fuerat, et in quo sacra sancti Martyris nostri et Sociorum lipsana religiose culta fuerant. Addit ex traditione, ibidem etiam passos dici, ut et sepultum jacere æneum bovem, quem tandem sperat divina providentia ruderibus eruendum. At non facile, opinor, prudens quispiam in eo perquirendo operam ponet.*

y *Insulsa est satis hæc comparatio, a qua fere stultam orationem orditur scriptor. Plura de his præfatus sum Comment. præv. num.* XI, *quæ, si lubet, consule.*

z *Nisi vitio amanuensis corruptum sit exemplar nostrum, oportet hic mutilum esse Ms. Medicæum. Combefisii Acta habent :* Δὸς δὲ Κύριε χάριν καὶ τοῖς λειψάνοις ἡμῶν, ἵνα πᾶς ὁ μνημονεύων ἡμῶν σχῇ μέρος, *quæ sensum perfectiorem faciunt, et cum Latinis conveniunt.*

aa *Hic terminatur Ms. S. Maximini Trevirensis, reliquis procul dubio iniqua manu avulsis.*

bb *Antiphrasin Latinam ex Græco corrige :* Ut minæ sævissimi ignis vertantur in rorem. *Sequentia*
B *apud Combefisium omissa sunt usque ad* καὶ ταῦτα εὐξαμένων αὐτῶν, et hæc dicentibus illis. E

cc *De Sanctorum nostrorum reliquiis et ædibus illis sacris pluribus egi Comment. præv.* § 4 *: vide etiam dicta hic ad lit.* x.

dd *Ita Mss. Latina omnia cum Fastis non paucis itidem Latinis : inde transiit sanctorum Martyrum memoria apud Latinos ad diem sequentem. Hinc Usuardus :* Horum festivitas cum in Kalendis habeatur, hic tamen (IV *Nonas Novembris)* plenius recolitur. *Inde etiam postea ob Commemorationem fidelium defunctorum in sequentem et alio rejecta est At Græci omnes cum Actis Græcis, tum nostris, tum Combefisianis et Fastis Latinis aliquot et Romano moderno Martyrologio,* XX *Septembris* S. Eustathium *et Socios celebrant. Porro ex hac tota periodo liquet, scriptorem aliquot certe annis post Sanctorum passionem scripsisse : etenim Adriani persecutio recensita a Severo Sulpitio et Hieronymo, licet Adrianus nullo novo edicto fideles vexaverit, non cessavit ante Christi annum* 126, *quo apologiis SS Quadrati et Aristidis fractus imperator, non solum rescripta dedit ad præfectos pro Christianis, sed etiam templa Christo erigere voluisse dicitur a Lampridio. Denique, cum non obscure innuat anonymus, pluribus Sanctos, post extructum illis oratorium, patrocinatos fuisse; obtentis beneficiis aliquot etiam anni concedendi certo sunt. De Oratorio illo vide plura* § 4.

DE SS. THEODORO

PHILIPPA MATRE EJUS, SOCRATE ET DIONYSIO MM.

C **PERGÆ IN PAMPHYLIA** F

J. S.

Sylloge ex sacris Fastis maxime Græcorum.

CIRCA CCXX, UT FERTUR *Quatuor hi Martyres, a Baronio sejuncti,*

Quatuor *hosce Martyres, quos simul variis diebus memorant Græcorum Menæa et Menologia, ad diversos dies retulit primum Galesinius, ac deinde Baronius in Romano Martyrologio. Ad hunc diem Baronius sic habet :* Perge in Pamphylia sanctorum Theodori et Philippæ matris ejus, ac Sociorum martyrum sub Antonino imperatore. *Duos Socios, quos hic non nominat, dedit ad* XIX *Aprilis, prætermisso martyrii loco, sequentibus verbis :* Eodem die sanctorum martyrum Socratis et Dionysii, qui lanceis confossi sunt. *Menologium Sirleti effecit, ut Galesinius et Baronius minus perspexerint, quatuor illos Martyres reperiri conjunctos apud Græcos, tamquam simul passos. Etenim in dicto Menologio ad* XIX *Aprilis omnes quidem annuntiantur, sed diversis elogiis, acsi duo posteriores nihil cum prioribus haberent commune. De* Theodoro *primum hæc leguntur :* Eodem die commemoratio sancti martyris Theodori apud Pergen Pamphyliæ, qui imperatore Antonio et præside Theodoto, ligno affixus ac suspensus tribus diebus vixit, et postea migravit ad Dominum : cujus sanctas reliquias unguentis et velis religiosi quidam viri curantes, insigni loco deposuerunt. *Tum sequitur :* Eodem die sancta martyr Philippa, sancti Theodori mater, gladio consummatur. *Et mox de aliis :* Eodem die sancti martyres Socrates et Dionysius, lanceis vulnerati, martyrio functi sunt. *Eodem modo primum* Theodorus *cum prolixo elogio, mox breviter* Philippa, *et deinde* Socrates et Dionysius *eadem brevitate seorsum commemorantur in Menæis impressis ad* XIX *Aprilis.*

AUCTORE J. S.

lis. Singulis quoque de more adduntur versiculi, qui de genere martyrii consonant jam datis Menologii verbis, et elogio Menæorum inferius recitando. Verum ex hoc elogio intelligitur, non modo Philippam, *sed etiam* Socratem *et* Dionysium *occasione* Theodori *fuisse passos.*

conjunguntur uno elogio Basiliano :

2 *Idem collígitur ex Menologio Basiliano, in quo ad* XXI *Septembris* Theodorus *annuntiatur solus his verbis* : Certamen sancti martyris Theodori, qui in Perge Pamphyliæ urbe martyrium passus est. *Elogium vero, quod ex editione Græco-Latina huc Latine solum transfero, omnium continet martyrium, his verbis expositum :* Theodorus martyr claruit, Antonino Romanorum cæsare, ante S. Theodorum, qui Amaseæ martyrium subiit, annos septuaginta sex natus. Militavit autem et ipse in tyronum legione, quod et ætate florens, et statura magnus, et forma oris venustus esset. Sed cum idolis sacrificare cogeretur, neglecta terrestri militia, atque imperatore corruptioni obnoxio, Ego, inquit, cælesti regi Christo stipendia facio, ex quo baptizatus sum : terreno autem servire nolo. Quare correptus a præside cæsusque, in fornacem injicitur. Sed cum inde, B ne minimum quidem detrimentum passus, exiisset, ea res milites duos, Socratem et Dionysium, miraculi magnitudine attonitos, ad fidem Christi pertraxit : statimque capite damnati sunt una cum Philippa sancti Theodori matre, quæ paulo ante visendi Filii studia venerat. Theodorus autem variis primum tormentorum generibus excruciatus, novissime in crucem actus, in cælos lætus evolavit. *Hactenus istud Menologium. At hæc non consonant in omnibus prolixiori elogio Menæorum, nec elogio breviori, quod ad* XXI *Septembris habetur in Synaxario Ms. Constantinopolitano, quod fuit Sirmondi.*

Theodorus hic annis 76 passus dicitur ante Theodorum Amasenum.

3 *Præterea dubito, an apta sit interpretatio Latina in principio dati elogi. Itaque verba Græca huc traduco :* Θεόδωρος ὁ μάρτυρ ὑπῆρχεν ἐπὶ Ἀντωνίνου καίσαρος Ῥωμαίων, προγενέστερος τυγχάνων, τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, τοῦ ἐν Ἀμασείᾳ μαρτυρήσαντος, ἔτη ἑβδομηκονταέξ. *Quæ mihi videntur sic Latine reddenda :* Theodorus martyr claruit sub Antonino Romanorum cæsare, S. Theodoro, qui Amaseæ martyrio coronatus est, annis septuaginta et sex antiquior. *Ætas utriusque* Theodori *etiam confertur* C *in Synaxario mox laudato, in quo hæc leguntur :* Οὗτος ὑπῆρχεν ἐπὶ Ἀντωνίνου, . . . προγενέστερος τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ ἐν Ἀμασίᾳ καὶ Εὐχαΐτων, μαρτυρήσας πρὸ ἔτων ἑβδομήκοντα. Hic claruit sub Antonino,... antiquior S. Theodoro, qui est Amaseæ et Euchaitarum, annis septuaginta ante coronam adeptus martyrii. *Hisce autem si quid tribuendum sit, oportebit martyrium* Theodori *figere sub ultimo Antonino, sive sub illo, quem alii* Heliogabalum, *alii* Alagabalum, *alii* Elagabalum *cognominant. Nam hujus imperium Pagius orditur ab anno* 218, *et producit usque ad annum* 222. *Itaque, si passus est circa annum* 220, *verum fortasse erit, non nisi septuaginta et sex annos ante S. Theodorum Amasenum martyrio coronatum fuisse* Theodorum *Pergensem. Video quidem martyrium S. Theodori Amaseni ab aliquibus figi anno* 306; *sed non deprehendi, epocham illam tam bene firmatam esse ut nequeat ulterius examinari, an forte passus non sit aliquot annis ante generalem persecutionem. Verum istud examen remitto ad* IX *Novembris, quo colitur Theodorus Amasenus ; cumque auctoritas Menologii aut etiam Synaxarii non sit tanta, ut ex eo certum fieri possit, hunc* Theodorum D *annis septuaginta et sex, aut solum septuaginta, altero esse antiquiorem ; solum dubitanter Martyres hodiernos sub Antonio Elagabalo fixi. Collatio enim illa ætatis utriusque non legitur in Menæis.*

Elogium S. Theodori ex Menæis,

4. *Verum et alia quædam diverso modo ibidem referuntur. Quare totum elogium fideliter Latinum facio, et subjicio, quale ibidem legitur ad* XIX *Aprilis* : Imperante Antonino, et præfecturam Pergæ in Pamphylia gerente Theodoto, multi juvenes elegantes et speciosi ad ordinem tyronum adlecti sunt. Tunc cum pluribus aliis et beatus hic Theodorus ad præfectum perductus est. Cum igitur, ut ceteri, veste indutus fuisset et signaculo ; hoc rupit, dicens : Ego signatus sum a ventre matris meæ ab imperatore meo Christo, alteri imperatori non milito. Præfectus vero dixit : Et quali imperatori militasti ? Sanctis dixit : Ei, qui fecit cælum et terram. Præfectus dixit : Neque diis nostris sacrificas ? Sanctus dixit : Dæmonibus immundis numquam sacrificavi. Tunc jussit ipsum cædi verberibus : cæsusque vehementer, constitutus est ad quæstionem. Dicit autem præfectus : Modo respondere prudenter didiceris ? Sanctus reposuit : Utinam tu ipse cognoscas, ut ego, Creatorem tuum, et adores illum ! Tunc in fervente craticula extentum, sulphure, pice, ceraque ignita ipsum consperserunt. E Et illi quidem sic faciebant. Deus vero magnum quid et obstupescendum cæcatis ostendit. Facto enim ingenti sonitu, terraque in duas partes scissa, ubi ignis et craticula erant posita, aqua ebulliens (o prodigium !) craticulam et omne extinxit incendium. Sanctus vero exsurgens omnino sanus, dicit præfecto : Quod vidisti, proconsul, non est potestatis meæ opus, sed Christi, et Dei mei, cui servio. Si ergo vis deorum tuorum nosse potentiam, alium incende rogum, et aliquis militum tuorum super craticulam extendatur in nomine illorum · et tunc scies insuperabilem Dei mei potestatem.

Dioscorus idolorum sacerdos conversus et passus,

5 Milites vero mox dicta excipientes, Non sic, inquiebant, feceris, domine : sed potius sacerdotem deorum craticulæ impone. Illum utique ut sacerdotem exaudient et manebit illæsus. Hæc audiens præfectus, Adducatur sacerdos, inquit. Ubi autem coram illo sacerdotem stitissent; dicit ad ipsum præfectus : Quod tibi nomen? Ille vero dixit, Dioscorus. Tum præfectus : Dic mihi. Dioscore, quia magia utuntur Christiani contra ignem, quandoquidem Theodorus mansit illæsus ? Dioscorus dixit : Christiani non sunt magi, absit ; sed ubi F Christi nomen enuntiatum est omnes præstigiæ et incantationes dissolvuntur, et dæmones contremiscunt. Et præfectus : Potentiorne est Christus Jove ? Dioscorus dixit : Jupiter et ceteri sunt idola surda, et sensu destituta. Quopropter rogo te, ne me cogas craticulæ me imponere. At, si volueris Jovis potentiam discere, hunc rogi craticulæ impone. Tunc præfectus : Et quis ausit hoc facere ? Dioscorus dixit : Ego tuo mandato hoc faciam : et, si vindictam de me sumpserit, credam potentem esse. Et præfectus : Nonne hactenus sacerdos es, ut quid talia profers ? Dioscorus dixit : Mentis inopia eram sacerdos : at videns B. Theodorum non potuisse a te superari, confirmatus sum ; et nunc ipsius commilito fieri cupio. Et præfectus : Quandoquidem ita loqueris, inquit, rogum ascende, Tunc Dioscorus Sancti pedibus provolutus, Ora, inquit, pro me Serve Dei. Oranteque Sancto, expansus est Dioscorus supra rogum craticulæ, gratias agens, et alta voce clamans : Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, Deus Theodori ! Et : Accipe spiritum meum in pace. Hæc dicens, tradidit animam Christo.

6 Continuo

AUCTORE J. S.

A *conversi Socrates et Dionysius :*

6 Continuo comprehensus Sanctus, conjicitur in carcerem. Postridie indomitis equis constrictus pedibus, et ad currum alligatus est. Equi autem sine ordine currentes, in præcipitium lapsi perierunt. Sanctus vero divina virtute, oculis minime percepta vinculis solutus, servatusque prorsus illæsus, omnes reddidit attonitos. Ex his Socrates et Dionysius, qui Sanctum equorum currui alligaverant, affirmabant, inusitatum et tremendum, equis concitatis, vidisse se spectaculum, quod et intellectum et mentem percelleret. Narrabant enim se intuitos esse quasi igneum currum, eumque quasi de cælo descendentem, qui et Sanctum religatum vinculis solvit, ipsumque sustulit, et ex alto illæsum ad prætorium transtulit; equos vero tamquam ab aliquo vi adactos in præcipitium impulit. Qui hæc adstantes et credentes audiebant, exclamarunt : Magnus Deus Christianorum! Præfectus vero ipsos et Sanctum conclusit carcere : et caminum accendi jubet. Hoc facto, Sanctoque cum militibus in caminum injecto, ros superne delatus ipsos refrigeravit, et cœperunt colloqui. Sermo autem in memoriam reducebat matrem B S. Theodori. Cum enim a tribus annis illa fuisset capta, et cum aliis multis ad terram peregrinam abducta, narrans captivitatis modum, illam videre desiderabat. Et exclamabat : Domine Jesu Christe mirabilium Domine, ostende mihi Matrem iis, quibus nosti, modis; (nihil non potes) ut omnes noverint magna tua mirabilia. Hæc quidem erat collocationis materia.

ad alios tres accedit Philippa Theodori mater :

7 Ubi vero, extincta flamma, somno fuerunt correpti; angelus adstans Sancto, Ne timeas, inquit, Theodore : adest enim Mater tua. At ille expergefactus visa narravit Militibus. Narratione autem illa necdum ad finem perducta, in medio camini adstitit Sancti mater Philippa, sic nominata. Hæc vero perspiciens Filium, quem cernere cupiebat, exsultavit ipsumque salutavit et Milites socios ipsius. Deinde edoctus a Matre Sanctus, unde veniret; elatis ad cælum manibus debitas Deo egit gratias. Transacta nocte, ubi mane surrexerat, præfectus dixit : Existimo, ne os quidem relictum esse in camino, in quem Theodorus cum Sociis suis conjectus fuit. Cum hæc dicebat, supervenit aliquis a camino, talia præfecto nuntians : Theodoro Jesum implorante, extincta est flamma; et Ma- C ter ipsius, ex terra peregrina subito superveniens, ingressa est in caminum : sedentesque ibi tamquam in cubiculo, colloquuntur de Deo suo. His auditis, exterritus est præfectus, veniensque ad caminum, vocavit Sancti Matrem, eique dixit : Tune es mater Theodori? Respondit illa : Sum utique. Tunc præfectus : Persuade Filio tuo, ut diis sacrificet, ne et ille male pereat, et tu orba relinquaris. Reposuit Philippa : Filius meus a te in crucem actus Deo suo verum offeret sacrificium, nimirum Domino meo Jesu Christo, Deo vero.

omnes quatuor diversis modis occiduntur.

8 Et præfectus : Si igitur tu invenisti mortem Filii tui, hoc omnino fiet. Mox autem jussit præfectus sanctum quidem Theodorum de cruce suspendi; Milites vero in medio camini lanceis transfigi, et Matris Sancti caput gladio amputari. Hoc modo coronam martyrii sunt consecuti. At sanctus Theodorus clavis confixus tribus diebus pependit vivus : pendensque deinde ad Dominum transmigravit. Tunc aliqui ex fidelibus Sanctorum corpora, unguentis delibuta et linteis involuta, honesto in loco deposuerunt. *Hactenus Menæa, quibus consentit Synaxarium Ms. Sirmondi in præcipuis rerum capitibus, non item in adjunctis variis, quæ revera non sunt probabilia. Tormenta* S. Theodoro *illata ibi brevissime, sed eodem ordine et numero recensentur; nimirum primo vehementer fuisse verberibus cæsum, secundo ferventi craticulæ impositum, tertio equis indomitis alligatum, quarto ardenti camino injectum, una cum* Socrate *et* Dionysio; *ac quinto demum cruci affixum, in eaque defunctum post triduum. Duo quoque Socii,* Socrates *et* Dionysius, *in camino lanceis confossi asseruntur.* Philippa *capite minuta similiter in Synaxario dicitur; sed occasio martyrii ipsius longe probabilius ibidem sic exponitur, post relatam* Theodori *mortem.* Ὃν θεασαμένη ἡ μήτηρ Φιλίππα θεαρέστως ἐκπεπνευκότα, καὶ τὸν Χριστὸν ἀνακηρύξασα Θεὸν ἀληθινὸν, τῇ διὰ ξίφους τομῇ συνετελειώθη. Quem videns mater Philippa morte Deo placita exspirasse, et Christum prædicans verum Deum, sectione gladii una vitam finivit. *Hæc mors certe probabilis est, uti et mortis occasio, quæ eodem fere modo refertur in Menologio Basiliano, ubi dicitur venisse ad videndum Filium.*

Nonnulla in dato elogio fabulosa,

9 *Verum non nisi pro fabulis habere possum, quæ supra ex Menæis dicuntur de ejus captivitate, de ejus subita adductione et ingressu in caminum, uti et de oratione* Theodori, *ejusque cum aliis colloquio. Mors* Socratis *et* Dionysii, *qui ubique lanceis transfixi dicuntur, præterquam in Menologio Basiliano, ubi magis innuitur, capite minutos fuisse, utcumque dubia videri potest. At magis credo, lanceis fuisse confossos, cum Menologium huic mortis generi aperte non contradicat. Verumtamen non æque certum credo, id factum esse in camino : nam ipsa* Theodori *in caminum injectio utcumque suspecta est, et minime certa, cum S. Theodorus Amasenus tali supplicio vitam finiverit, et satis verisimile fiat, ab illo ad* Theodorum *nostrum Pergensem illud fuisse cum adjunctis fabellis translatum. Nihilo minus suspecta mihi sunt, quæ asseruntur de* Theodoro *craticulæ imposito, et deinde equis indomitis alligato. Certe potius scenica videntur figmenta, quam facta historica, omnia illa, quæ post craticulæ supplicium num. 5 subjiciuntur, maxime de Dioscoro idolorum sacerdote, qui revera nullibi hodiernis Martyribus annumeratur. Non minus fabulosa videtur tota visio* Socratis *et* Dionysii, *relata num. 6, quæ alteri supplicio subjungitur. His de causis totum istud Menæorum elogium, utpote majori ex parte fabulosum, facile omisissem, nisi Papebrochius noster alicubi dixisset, illud a nobis dandum, si Acta alia non inveniremus.*

occasio martyrii aliaque exposita

10 *Sola occasio martyrii probabilius exposita videtur in Menæis, quam in reliquis Fastis. Nam ibi militiam detrectasse dicitur, ut alii non pauci fecerunt martyres, eaque de causa Christianum se professus. In aliis vero militasse dicitur in legione tironum. At merito dubitatur, an ulla umquam fuerit legio, quæ* tironum *habuit nomen. Contra magis videtur, nomen* tironis *huic nostro* Theodoro *datum, quia tironibus adscribebatur. Porro* signaculum *militiæ, quod rupisse dicitur* Theodorus, *erat plumbum collo appensum, ut liquet ex Actis sinceris S. Maximiliani martyris apud Ruinartium pag.* 301, *ubi Maximilianus, militiam detrectans, ait :* Non accipio signaculum sæculi : et si signaveris, rumpo illud.... Non licet mihi plumbum collo portare *etc. Utrum illi plumbo insculpta fuerint quædam idololatriæ signa, an vero ob crebra idololatriæ pericula, quibus expositi erant milites, a militia abhorruerint Christiani, hic non inquiro. At certum est, Christianos multos a militia abhorruisse ut periculosa aut etiam illicita* sub

AUCTORE J. S.

sub gentilibus. Mortem in cruce obiisse Theodorum *omnes consentiunt Fasti : nec de eo supplicio dubitandum credo, licet non æque certum videatur, triduo pependisse vivum. Ceterum immerito quis dubitaret, an hic* Theodorus *non sit idem cum Theodoro Amaseno, quia uterque tiro fuit. Nam illi duo abunde distinguuntur, cum hic Pergæ in Pamphylia, alter Amaseæ in Ponto martyrio sit coronatus, et diversis multum temporibus, ac sub diversis tyrannis sint passi. Accedunt tres Socii, qui hodierno adjunguntur; non item Amaseno.* D *Ceterum Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico annuntiat* SS. Theodorum *et* Philippam, *tamquam natos* Oscæ in Bœtica Hispania; *sed passos fatetur Pergæ in Pamphylia. At commenta illa sunt fabulatorum quorumdam, quos ipsi Hispani eruditi jam diu exploserunt. Inter alia istorum furta, quæ hodie plura sunt solito, hoc quoque detexit, et fuse refutavit Nicolaus Antonius in scriptis posthumis. Et sane figmentum clarius est, quam ut pluribus refutari mereatur.*

DE SS. FAUSTA

EVILASIO ET FORTE MAXIMINO VEL MAXIMO MM.

CYZICI IN HELLESPONTO

J. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

B

§ I. Sanctorum Martyrum apud martyrologos memoria. Acta edenda quæ et cujus fidei ?

E

INTER ANNUM CHRISTI CCCV ET CCCXI. *Sanctorum Fausta et Evilasii*

Primus inter martyrologos Latinos Beda vel Florus ad hunc diem Sanctorum nostrorum Martyrum Faustæ *et* Evilasii *meminit his verbis;* In Cyzico natale sanctorum Faustæ virginis et Evilasii sub Maximiano imperatore : quam idem Evilasius, cum esset primus palatii, jussit decalvari et radi ad turpitudinem, deinde suspendi ac torqueri : quo tempore coruscatio de cælis facta multos ministrorum percussit. Deinde jussit loculos adferri et eam immissam ac fixam, quasi lignum secari mediam : sed eam carnifices ferris lædere non valebant. Quæ inter stupens Evilasius Christo credere cœpit; et hoc ubi imperatori nuntiatum est, misit Præfectum, qui eum suspensum fortiter torqueret. Qui etiam jussit Faustam nudam et sine mavorte educi de carcere, et ei caput terebrari ac clavis configi : cui postmodum non solum caput et facies, C sed et pectus et totum corpus usque ad tibias clavis impletum est. Post hæc sartaginem jussit igniri, sed hæc, illa psallente, refriguit. Hæc inter veniens vox de cœlo vocavit eos, et sic tradiderunt spiritum. Erat autem Fausta annorum tredecim et Evilasius octoginta. *Ubi juverit notasse, codices aliquot* S. Faustæ *sedecim*, Evilasio *septuaginta annos tribuere, nec in metrico Acheriano illorum memoriam fieri.*

celebris est apud martyrologos

2 *Beda, ut notavit Sollerius in suo Usuardo, Rabanus ad hunc diem et Ado ita transcripserunt, ut textum ejus pene ad verbum referant. Usuardus contexuit parcius Sanctorum nostrorum elogium.* In Cizico, *inquit,* natalis sanctorum martyrum Faustæ virginis et Evilasii, sub Maximiano imperatore, quam idem Evilasius, cum esset primus palatii, jussit primo dehonestari, suspendi, torqueri, ac quasi lignum secari mediam; sed postea credens et ipse Christum, simul cum Fausta agonizatus est. *Molanus adjicit* : Cum enim eam carnifices serris lædere non valebant, stupens Evilasius Christo credere cœpit, *ac deinde cum Beda prosequitur. Parcissime Romanum parvum* In Cyzico, Faustæ virginis et Evilasii *memoriam nuntiat. Martyrologium Baronii*, *cum quo pene inter auctaria Usuardina codices Antverpiensis et maximus Lubecanus conveniunt, ita sanctos Martyres celebrat :* Cyzici in Propontide, natalis sanctorum martyrum Faustæ virginis et Evilasii, sub Maximiano imperatore : quorum Fausta ab eodem Evilasio idolorum sacerdote decalvata, et ad turpitudinem rasa suspensa et torta est. Deinde cum vellet eam mediam secare, et carnifices lædere non valerent, stupens Evilasius in Christum credidit : et dum ipse etiam imperatoris jussu fortiter torqueretur, Fausta capite terebrata, clavis toto corpore confixa, et sartagini ignitæ imposita, cum eodem, voce de cœlo vocata, transivit ad Dominum.

tum Latinos.

3 *Rabanus ad diem* VII *Januarii aliud sanctis* Faustæ *et* Evilasio *texit elogium, illusque tertium Præfectum martyrem adjungit. Habe ejus verba ex editione Canisii.* Passio sanctæ Faustæ virginis sub Maximiano imperatore, qui Evilasium F primum palatii tortorem suum patientiæ suæ virtute convertit ad fidem, nec non et Præfectum, cui jussum est eam torquere. Quæ suspensa ferramentis lacerabatur, postea bestiis tradita, a nulla earum contaminata est. Deinde clavis caput ejus confixum est. Postea ea in sartaginem ferventem pice missa, sed non læsa : sicque cum Evilasio et Præfecto in tormentis constituta, reddidit spiritum. Populi vero Christiani hæc audientes, sepelierunt corpora Sanctorum. *Totidem verbis sanctorum Martyrum Notkerus meminit, ad eumdem diem* VII *Januarii, quo etiam nuntiantur in Martyrologio S. Maximini Trevirensis et Carthus. Colon., ut ibidem a Bollando in Prætermissorum catalogo, et a Sollerio in Auctariis Usuardinis notatum est.*

tum Græcos memoria, apud quos illis jungitur Maximinus seu Maximus.

4 *A Græcis in Menæis die* VI *Februarii nuntiatur* commemoratio sanctorum martyrum Faustæ, Evilasii et Maximi, *prolixumque satis subjungitur illorum elogium, quod vix aliud continet ab iis, quæ ita eodem die leguntur in Menologio Basiliano :* Fausta Christi martyr, Maximiano imperatore, ex Cyzico urbe divitum piorumque parentum

A rentum filia. Iis mortuis, cum adolescens et opulenta esset, seculi tamen voluptates spernens, in virginitate, jejunio, vigiliis et eleëmosynis dies transigebat, Deo inserviens, sacrorumque librorum lectioni intenta. Quam ob rem, cum illius fama ad imperatorem pervenisset, misit ad illam Evilasium prætorem, qui ei persuaderet idolis immolare. Ubi vero patrata ab illa miracula Evilasius vidit, in Christum credidit. Tunc mittitur Maximus pro-prætor, ut Faustam et Evilasium torqueret, qui in ferventem lebetem æneum Sanctos conjecit. Sed cum eos illæsos cerneret, suscepta et ipse Christi fide, ultro seipsum in lebetem demisit, atque per hunc modum omnes consumpti sunt.

Acta eorum

5 *Et hæc quidem hactenus sacri Fasti. Acta sanctorum Martyrum nostrorum prolixiora exstant, tum Græce, tum Latine scripta. Græca producit Lambecius in Commentariis de bibliotheca cæsarea lib.* 8 *ex codice Ms.* XI *pervetusto, qui* Magni Menologii Græcorum mensis Februarius *inscribitur, in quo pag.* 53 *sub hoc titulo, Latine ni fallor, scripto*, Martyrium sanctorum martyrum Faustæ,
B Evelasii et Maximini, auctore Simeone Metaphraste, *ita Sanctorum Acta inchoantur.* *Μαρτύριον τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων Φαύστας, Ἐυηλασίου καὶ Μαξιμίνου. Κατ' ἐκείνους τοὺς καιροὺς ἦν ἡ ἁγία μάρτυς τοῦ χριστοῦ Φαύστα ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ βασιλέως ἐν Κυζίκῳ τῇ πόλει etc.* Martyrium sanctorum et gloriosorum Christi martyrum Faustæ, Evilasii et Maximini. In illis temporibus erat sancta martyr Christi Fausta in Cyzico civitate *etc., quod est ipsissimum exordium Actorum* S. Faustæ *et Sociorum, quæ dat Surius ad diem* VI *Februarii. Testatur laudatus Lambecius, Græca illa in reliquis omnibus cum Surianis convenire, quod nobis experiri licuit ex collatione exemplaris, quod habemus ex eodem codice bibliothecæ cæsareæ jam olim descriptum. Eadem etiam sunt, quæ exhibet Lipomanus tom.* 5 *pag.* 518.

exstant varia impressa

6 *Mombritius Martyrium Sanctorum* Faustæ, Evilasii *et* Maximini *etiam describit tom.* I *pag.* 297, *quod nescio, an idem dicam, an diversum a jam laudatis Actis. Certe phrasis multum differt, multum variant adhortationes colloquiaque sanctam Martyrem inter et* Evilasium *et* Maximinum,
C *atque aliqua hic expressius, adjectis etiam nominibus propriis, narrantur, quam ibi, licet facta asserantur eadem. Præter hæc, Mss. exemplaria quatuor ad manum habeo, ex variis codicibus descripta. Primum notatur,* Ex veteri Ms. Narniensi : *secundum,* Passio S. Faustæ virginis et martyris, cujus ossa Lucæ sunt : *et hæc inter se, ne verbo quidem differunt, multum vero ab aliis omnibus. De illis agam infra, ubi de sacris sanctæ Martyris reliquiis. Tertium Actorum exemplar desumptum est ex Ms. S. Maximini Trevirensis ; quartum denique habeo in codice Ms., qui quondam fuit abbatiæ Vercellensis Ordinis Cisterciensis, unde ad clar. virum Balthasarem Moretum, atque ab eo ad nos transiit. Postrema duo ita etiam inter se conveniunt, ut vix ad verbum varient. Ostendit phrasis, fuisse illa ex Græco translata, videnturque Mombritiana ex iis vel similibus crevisse.*

Mombritianis paulo contractiora sunt Mss, quæ habemus

7 *Conjecturæ locum facit, quod ubi in Ms. nostro narrantur aliqua a Surianis diversa, eadem apud Mombritium ita occurrant aucta, ut interpolatorem non obscure prodant. En bina ipso statim exordio specimina.* Cum pervenisset *(ita incipiunt Mss. nostra)* ad aures Maximiani, quod quædam virgo, nomine Fausta, filia Gemelli prorectoris, orbata parentibus nutriretur in Christi justificationibus, (erat autem sancta Infantula annorum circiter tredecim) mittens primum palatii, nomine Evilasium in Cyzicum *etc. Hæc apud Mombritium ita leguntur :* Sub Maximiano imperatore in Cyzico Sanctorum metus pervenit ad aures ejusdem imperatoris : quoniam quædam virgo, nomine Fausta, filia Gemelli prorectoris, derelicta orphana a patre et matre, nutrita est in Christi justificationibus. Erat autem sancta Puella annorum tredecim et mensium sex. Quo audito, Maximianus Evilasium primum palatii sui, hoc est autem magistrum militum, adesse præcepit, et misit eum in civitate, cui nomen erat Cyzico. *Interpretatio vocis* primi palatii, *annis adjecti menses sex mihi videntur plane commentatorem detegere, sive is translator ipse fuerit, sive alius quispiam antiquior. Certe non credo nostrum ut ut contractorem supponas, annos tredecim et menses sex, per totidem* circiter *annos expositurum fuisse. Atque ex his et ejusmodi plurimis conjicio, Acta nostra Mss. esse Mombritianis antiquiora, et forte qualia in antiquissimo Passionario membranaceo Ms archivii Lateranensis, unde sua desumpsit pleraque, extabant.*

AUCTORE J. C.

E

et edemus. Ex his illa coaluisse videntur.

8 *Ceterum non est, quare Surianis Actis præponantur : licet enim Passionarium illud Lateranense jam tum seculo decimo quinto Mombritio pervetustum videri potuerit, est tamen incertum, an Græca, unde Suriana translata sunt, non sint antiquiora. Lipomanus quidem, Surius, Baronius et alii ea Metaphrastæ attribuunt, illudque tam certum Tillemontio visum est, ut asserat, ægre de eo dubitari posse. Apud Allatium tamen in Diatriba de Simeonum scriptis non fit de hoc Opusculo, nequidem inter dubie Metaphrastæ adscribenda, mentio. Discutere id pluribus non lubet : fatentur omnes, ipseque etiam Tillemontius, si a Metaphraste scripta sunt, verosimiliter illi præluxisse historiam vetustiorem, unde sua elogia Beda, seu Florus et alii contraxerunt. At ea ex Metaphrastæ interpolationibus excerpere velle et destinguere, est oleum et operam perdere, Mss. nostra, si, ut conjicio, ex Passionario, quo usus est Mombritius, desumpta sunt, forte priora censeri possunt temporibus Metaphrastis, ne seculo* 15 *Codex Lateranensis quadringentos annos vix superarit, atque adeo valde antiquus videri non* F
potuerit. Denique cum Facta ipsa a Surianis vix discrepent, nec meliora suppetant, Manuscripta nostra ex Græco translata, ut ipsa luculenter phrasis probat, hic excudam et illustrabo.

Tillemontii de Actis illis

9 *Verum cum ex tempore, quo scripta supponuntur, certa illis fides conciliari nequeat, indagandum restat, quantam aliunde mereantur. In illa, cum gesta prodigiaque narrentur eadem cadit censura Tillemontii, quam tom.* 5 *Monument. art.* 63 *pag.* 61 *fert de Actis Surianis. Totam lubet hic Latine reddere.* Habemus Acta Sanctorum illorum, *inquit*, apud Surium. At censet Baronius, esse a Metaphraste conscripta, de quo ægre dubitari potest. Potuit illi præluxisse historia quædam antiqua, fulta testimoniis Bedæ, Usuardi, Adonis et plurimorum aliorum Latinorum, qui satis ample loquuntur de Sanctis illis. At ex quocumque fonte fluxerint, talia sunt, ut dicere liceat, nullam esse in illis veri speciem. Beda ipse, ceterique deinde Latini, plura asserunt, quam ut illis fidem habeamus. De Maximino nullum verbum faciunt, traduntque Faustam et Evilasium spiritum reddidisse, postquam vox de cælo audita fuerat, quæ illos eo evocabat, quod ignorarunt Græci. Addunt, Faustam non nisi tredecim, Evilasium octoginta annos natum

AUCTORE J. C.

tum fuisse. Nescio unde Baronius didicerit, Evilasium fuisse idolorum sacerdotem.

censura rigidior

10 *Rigida est hæc Tillemontii censura. Verum nescio quis carpendi æstus hic, ut non raro alibi, eruditissimum virum longius abduxit. Examinemus singula. Liquet ex notis ad Martyrologium Romanum, quæ Tillemontius laudat, vidisse Baronium Acta sanctorum nostrorum Martyrum, quæ Mombritius et Surius ediderant. Apud Surium ita adversus* S. Faustam *insurgit* Maximinus : Scelestum caput, quomodo ausa es venerandum sacerdotem Evelasium a diis maximis avellere? *Ibi de eodem* Evilasio *dicitur* : Ipse enim erat procurans sacrificia omnibus diis. *Et infra* : Dixit autem ad eam præfectus *(Maximinus,)* mala et vilis nata, cur ausa es sacerdotem deorum rapere et tradere Deo tuo? *Ex his hausit Baronius,* Evilasium *fuisse sacerdotem idolorum, quod nescio, quomodo nescire Tillemontius potuerit, nisi forte Acta ipsa ne viderit quidem, quod ego multum suspicor: nisi enim de solis martyrologis illi sermo sit, falsum est etiam illud, quod asserit, ignorasse Græcos sanctos Martyres cælitus vocatos fuisse: illud enim in Menologio magno Græcorum, de quo* B *Lambecius, disertissimis verbis affirmatur.*

apparet, videtur enim fides

11 *Nec etiam Latini omnino silent de* Maximino : *Rabanus enim sanctis* Faustæ *et* Evilasio *Præfectum, lecto licet nomine, Martyrem jungit, qui in Menologio Basiliano* Maximus *vocatur, cujusque martyrium siletur a Græcis etiam in Menæis, et sola narratur ejus ad Christum conversio. Tribuunt quidem Latini tredecim tantum annos* S. Faustæ. *cum martyrio coronata est, forteque hallucinati sunt in eo, quod, cum illam tredecim annorum fuisse invenirent, quando parentibus orbata est Sancta, eam ætatem ad mortem ejus transtulerint; vel arbitrati sunt, eodem illam anno pro Christo passam fuisse. At nec contrarium evincere Tillemontius posset, et datus etiam ultro error, levior est, quam ut inde aliquid contra Actorum fidem repetatur. Et quænam denique illa sunt, quæ Beda et alii referunt, tanta, ut omnem fidem superent? Reperitne aliquid Tillemontius, quod aliis sanctis Martyribus certa auctoritas non asserat? Non putem.*

saltem dubia relinquenda Actis illis,

12 *Certe ego in Actis illis nihil tale reperio. Accumulata sunt, fateor, non pauca prodigia et* C *tormenta, imperator Maximianus in scenam ducitur, colloquia, intermiscentur plurima, adhortationesque sententiis sacris fartæ et studio exquisitæ; insolentia sunt, quæ de picta imagine, quam fieri* Fausta *rogarat; minus verisimilia, quæ de proposito præmio illi, qui atrocissimum cruciatus genus excogitaret, narrantur; at nescio, an talia sint, ut tuto ex illis cum Tillemontio inferri possit:* Igitur ex quocumque fonte illa Acta fluxerint, nulla inest illis veri species, *quo, non video quid acerbius de lucubratione quapiam historica dici possit: Et vero colloquia adhortationesque passim scriptorum inventioni relinquendas, imperatores in Acta ab auctoribus solitos compelli, ut plus illis splendoris accederet, admittunt nobiscum plerique critici. In ceteris Passionis hujus stilus valde præcisus est, quod illam possit commendare. Multiplicata prodigia et tormenta si objeceris, huc illud translatum esto, quod ait Tillemontius:* Credibilia sunt hæc omnia de potentia et misericordia Dei, si Græci testes essent utcumque authentici. *Laudatum criticum Metaphrastis et Græcorum fidem non nihil plus æquo extenuasse, videri potest apud Honoratum a S. Maria tom.* I *Dissert.* 2. *Eruditissimi scriptoris hujus rationibus, cum non possim non in hoc puncto* D *subscribere, meliori loco Acta hæc nostra ponenda censeo, et a suspecta utcumque Græcorum fide pro dubiis et suspectis edenda.*

ex quibus sub dubio Sanctis Martyribus accensetur Maximinus

13 *Atque ita quidem de edendis Actis ego judico: esse veris aliqua ex commentis adjecta; quæ cum secerni omnino non possint, suspecta reddunt quidem omnia, sed non omnino fabulosa et falsa. Atque adeo de singulis lectori judicium relinquo. Certe, quæ cum iis, quæ Beda seu Florus narrat conveniunt, videntur ceteris tutiora. Quod ad* Maximinum *spectat, utut in Actis omnibus, quæ Latine exstant, et Græcis bibliothecæ cæsareæ* SS. Faustæ *et* Evilasio *jungitur, illum tamen, tum quod a martyrologis Latinis illius, expresso saltem nomine, mentio non fiat, tum quod* Maximus *in Menologio Basiliano et Sirletiano vocetur, nec ejus Martyrium asseratur in Menæis, non nisi dubie* SS. Faustæ *et* Evilasio *adscribendum censui. Ceterum monui, Græcos* VI *Februarii sanctorum Martyrum nostrorum in Fastis suis memoriam agere. Eodem etiam die passi dicuntur in Actis Lambecii, Lipomani et Surii. In Actis nostris Mss. asseruntur martyrio coronati* XII *Kalendas Octobris, quo, Martyrologium Romanum de more secuti de illis hic agimus. Circa an-* E *num certaminis nihil certo definiri potest. Cœpit persecutio sub Diocletiano, instigante Maximiano Galerio, de quo procul dubio hic sermo est, anno Christi* 303. *Maximianus,* posteaquam nomen imperatoris accepit, exuto socero *(Diocletiano, quod contigit anno Christi* 305,*)* tum demum furere cœpit *in Christianos potissimum, teste Lactantio, cujus hæc verba sunt. Certe quamvis ante illud tempus in Christianos sævierit, credibile non est, id eum fecisse Cyzici, quæ in Mysia minori cum esset, ad ipsum non pertinuit, antequam imperio potitus sit. Retinuerat quippe in partitione Diocletianus omnes illas provincias, quæ trans Ægeum mare erant. Inter illas verisimiliter Cyzicus fuit, civitas in Mysia minori, Propontidi adjacens. Certe Diocletiano parebat Bythinia, ut ipse Praxagoras consentit. Denique, si quæ Actis fides, erat Maximianus imperator, cum illi de* S. Fausta *nuntiatum est. Igitur Sanctæ martyrium eo spatio includendum est, quod annis Christi* 305 *et* 311, *quo Maximianus interiit, interjacet.*

§ II Lucensium et Narniensium de sacris S. Faustæ exuviis contentio discutitur. F

Lucenses et Narcienses

De *pretiosis sanctæ virginis et martyris* Faustæ *reliquiis restat nunc dicendum aliquid. De illis Lucenses gloriantur apud Franciotum de Sanctis Lucensibus pag.* 260 *et alibi. Narnienses* S. Faustæ *Cyzicenæ sacras exuvias vel partem earum aliquam, sibi vendicare videntur, neque enim alterutrum distincte uspiam expressum invenio. Tantum ita conjicio ex iis, quæ Papebrochius tom.* I *Maji ad Acta S. Juvenalis pag.* 406 *ex pugillaribus suis, quæ coram Narniæ viderat et notarat, recitat, atque ego infra exhibebo. Certe, ut illi, sic hi sanctam Martyrem peculiari cultu celebrant. Fatentur Lucenses, illud* S. Faustæ *corpus, quo gloriantur, Narnia Lucam translatum fuisse. neque id Narnienses diffitentur. Translationis tamen occasionem modumque diversimode referunt, diversisque fabellis implicant. Narnienses contendunt, in Ms. veteri, quod Papebrochius citatus pag.* 390 *excudit, sacrum thesaurum trium sancto* rum

A *rum corporum, Juvenalis scilicet, Cassii et Faustæ, ablatum sibi fuisse ab Adelberto Tusciæ marchione. Longum satis commentum vide, si lubet, a Papebrochio laudato explosum.*

sibi reliquias

15 *Franciottus videns, ni fallor, fabularum male cohærentium absurditatem, aliam sibi viam ineundam duxit. At tam infeliciter illi successit negotium, ut merito miretur Papebrochius, virum, ceteroqui prudentem, tam absona commenta adornasse, vel a popularibus mutuata adoptasse. Ne actum agam, curiosum similium lectorem ad laudatum Papebrochium remitto : fabulam Franciotti propositam inveniet et refutatam pag.* 418 *num.* 60 *et seqq. Porro Papebrochius non dubitat, quin ea translatio contigerit, neque ego de ea, præcisis figmentis, ambigo. Credo corpora SS. Juvenalis Cassii et Faustæ Narnia Lucam transiisse. Verum non hic hæret aqua: discutiendum superest, illane* S. Fausta *virgo et martyr Cyzicena fuerit, cujus sacrum corpus Narnienses primum possederint, atque his ablatum Lucenses acceperint. Non pauca sunt, quæ in contrarium judicium Papebrochium olim, aliosque plurimos traxerunt, et me porro trahunt. Ex iis subjicio aliqua.*

sanctæ Faustæ, Cyzicenæ vindicant.

16 *Narnienses non solum non probant, ante translationem sanctorum corporum Lucam, ossa* B S. Faustæ *Cyzicenæ apud se quievisse, sed ne ullum quidem vestigium ostendunt alicujus cultus nostræ Sanctæ tum temporis delati. Inopiam suam in eo genere non ipsi solum candide, sed Lucenses etiam fatentur ultro. Imo solus, quem vidi, Jacobillus tentavit viam assignare, qua Narniam* S. Faustæ *Cyzicenæ corpus pervenisset. Facillimæ hic fidei scriptor tom.* 3 *Sanctorum Umbriæ pag.* 262 *duas mox sanctas* Faustas *distinguit, quarum sacra corpora Narnienses possederint, quarumque una fuerit S. Cassii uxor, altera sancta Martyr nostra. Hujus porro reliquias dicit concessas fuisse S. Cassio anno Christi* 540, *atque ab eodem, ut Faustæ uxoris suæ sancto desiderio et pietati satisfaceret, translatas, ad ecclesiam cathedralem, ubi quieverint usque ad annum* 910, *quo Lucam ablatæ fuerunt. Recte quidem duas hic* Faustas *discernit; at, ut credamus,* S. Faustæ *Cyzicenæ corpus obtinuisse S. Cassium, et hujus, non alterius, postea sacra ossa Lucam translata fuisse, testem utriusque asserti requirimus; neque enim solemus, ubi antiqua illi testimonia desunt, Jacobillo fidere,* C *maxime, ubi reclamant in adversum aliqua.*

Verum videtur non S. Faustæ

17 *Porro non solum illi adversatur Narniensium silentium, sed aperta etiam Lucensium confessio, se antiquis instrumentis, unde id probari possit, destitui. Audiamus Franciottum laudatum pag.* 260, *ejusque verba Latine reddamus. Postquam annum translationi alium, quam Jacobillus, scilicet annum* 845 *assignavit, ita subjicit :* Et nisi Lucæ secuta fuissent incendia, maxime in archivio S. Frigidiani, forte potuisset inveniri, quomodo et qua occasione corpus illud S. Faustæ Cyzicenæ fuerit latum Narniam. Cum autem ibi non supersint scripta aliqua, non possum, nisi auctoritate antiquæ traditionis, respondere objectioni aliquorum, qui suspicantur, corpus illud non esse sanctæ virginis et martyris Cyzicenæ, sed vel istius, quæ fuit uxor S. Cassii, quam ex ejus epitaphio manifestum est ibidem sepultam fuisse juxta corpus S. Cassii, quæque Fausta nominabatur, vel alterius. *Hinc liquet Franciotto, qui pro rei momento et suo erga Lucensem civitatem affectu, procul dubio et Narniæ et Lucæ sedulo perquisivit omnia, defuisse instrumenta, unde vel per speciem antiquam Narniensium, a qua Lucensium causa pendet, sancti corporis possessionem probaret : atque inde etiam suspicari licet, solius Jacobilli inventum esse, quod adfert.*

avectum J. C. nostræ corpus, sed Faustæ

18 *Quod ad Franciottum spectat, nullius ponderis est ejus conjectura, forte invenienda fuisse vetera de hac re testimonia, nisi ignis manuscripta absumpsisset. Mirum profecto esset ita incendio rei tantæ memoriam et Lucæ et Narniæ exstingui, ut nuspiam esset ejus vestigium, nisi in traditione populari, quæ nescio, an tam antiqua sit, quam persuadere nobis vellet. Ut ut est, ejusmodi traditiones non raro erroribus nituntur, vel errores ipsæ generant. Certe hic alia insuper sunt, quæ probabilissimum nobis faciant, non* S. Faustæ *Cyzicenæ, sed alterius cognominis matronæ corpus Narnia Lucam delatum fuisse. Exstat etiamnum Narniæ, teste Papebrochio, sepulcralis lapis, cui hæc verba insculpta leguntur :*

Cassius immerito præsul de munere Christi,
Hic sua restituo terræ, mihi credita, membra :
Quem fato anticipans consors dulcissima vitæ,
Ante meum in pace requiescit Fausta sepulchrum.
Tu, roga, quisquis ades, prece nos memorare benigna,
Cuncta recepturum te noscens congrua factis.
SD. ANN. XXI. M. IX. D. X. RQ. IN PACE
PRID. KAL. IVL. P. C. BASILII V. C. ANN. XVII. E

uxoris S. Cassii

19 *Ea itaque Fausta juxta S. Cassii corpus sepulta fuit; eamdem ante ejusdem episcopatum mortuam. servata in conjugio continentia, Virginem crediderunt, et credunt etiam hodie Narnienses. An umquam ut Sancta culta fuerit, nescio. Verisimillimum est, fuisse eam summo in honore a Narniensibus habitam, cum aliqua sanctitatis opinione, quam illis seculis interdum generabat sanctorum virorum sola pene cum illis consuetudo familiaris. Profecto si verum est, vel saltem creditum eo tempore fuit, Faustam servasse virginitatem in conjugio, id unum sufficere tum potuit, ut Sanctæ nomen apud suos adipisceretur : maxime, si suum erga illam affectum et venerationem ostenderit S. Cassius. Quidquid sit, de hujus Faustæ corpore, quod constat S. Cassio consepultum fuisse, post SS. Juvenalis et Cassii ablata corpora nihil amplius auditum apud Narnienses, aut Lucenses. Quo ergo corpus illud, quod credibile non est plane neglectum fuisse, evasit? Fallor, nisi prudens quisque judicare debeat, illud cum sacris ossibus S. Cassii, quibus contumulatum fuerat, simul ablatum fuisse, atque, cum alterius nuspiam ante* F *illa tempora mentio exstet, eam ipsam Faustam S. Cassii uxorem esse, quæ Lucæ vel coli cœpit tunc primum, cum ejus corpus obtinuerunt, vel cujus jam Narniæ pridem cœptus cultus, ibi perseveravit, quæque deinde Virginis et martyris Cyzicenæ titulum consecuta sit.*

Narnia Lucam ablatum fuisse

20 *Contra has conjecturas aliqua opponi possunt, quæ non difficulter refelluntur. In veteri Ms., quod Papebrochius ad Vitam S. Juvenalis Narniensis episcopi excudit pag.* 390, *auctor Narniensium ejulatus et lamenta in urbis suæ excidio, et ita cives ingeminantes exhibet, num.* 8 : Fausta amantissima, nobilis et decora vultu angelico, virgo gloriosa, fulgida nimis, spes optima, cur nos dimittis? vel tu cum tuis morere, mori quæ in martyrio timida non fuisti ! *Hic nimirum luculenter Martyr vocatur ea* Fausta, *cujus jam jam exuvias Adelbertus Tusciæ comes Lucam erat avecturus. Conjectare hic nihil invidiosius lubet, de Sancta, quæ in eodem instrumento alibi tantum semper Virgo appellatur, cujusque S. Cassius Pastor dicitur. At præterquam, quod variæ sunt* SS. Faustæ, *etiam*

AUCTORE J. C.

Martyres, de quibus jam egimus in Opere nostro ad diem IV *Januarii,* XV *Martii,* II *et* X *Junii, omnes a Cyzicena diversæ, nullam meretur fidem scriptum illud, ut loco citato et cap.* 8 *Papebrochius ostendit. Cumque verisimillimum sit, fabulatorem istum tribus vel quatuor post rem gestam seculis scripsisse, ejus auctoritas asserere Narniensibus antiquam corporis* S. Faustæ *Cyzicenæ possessionem non potest.*

quod primum a Lucensibus,

21 *Aliud contra movet Franciottus, laudatis superius suis verbis hæc subjiciens :* Quamquam, pius et prudens lector non moveatur tam levibus : verum primo supponat tantisper, esse illam uxorem S. Cassii : *(quam nimirum Lucenses colunt.)* Certum est, quod, sicut, quando Lucam pervenerunt duo illa corpora, in tabulas redactum est, unum illorum esse S. Cassii episcopi Narniensis, sic etiam, si alterum fuisset Faustæ uxoris ejus, illud notandum fuisset, vulgandum et per manus tradendum, sicut traditum fuit de altero. Consideret secundo : quod constet per antiquam traditionem numquam interruptam, et per vetustissima Frigidianensis ecclesiæ Manuscripta, quod semper celebretur festum S. Faustæ cum titulo Virginis B et martyris. Quæ duæ conditiones non conveniunt Faustæ Narniensi, quæ nec est Martyr, neque ulla uspiam voce commendatur ut Sancta vel Beata. *Hoc Franciotti ratiocinium cursim explosit Papebrochius num.* 75, *nec immerito : facile enim ineptum sophisma contra ipsum invertitur, et quæritur; Quare Lucenses nacti sacra corpora, sicut litteris consignarunt, unum illorum esse S. Cassii Narniensis episcopi, etiam in tabulas non retulerunt; alterum esse* S. Faustæ, *illustris Cyzicenæ martyris? Certe utriusque faciendi par, ut minimum, imo major de* S. *Fausta Cyzicena erat ratio, quæ poterat popularibus esse ignotior.*

ac deinde Narniensibus,

22 *Quod si id factum quidem fabuletur, sed instrumenta incendio periisse : testem requiro; atque idem contigisse instrumentis de* Fausta *Narniensi matrona confectis pari jure replico. Et quænam tandem sunt vetustissima instrumenta ecclesiæ Frigidianensis, unde constet semper Lucæ celebratum fuisse festum* S. Faustæ *cum titulo Virginis et Martyris? Martyrologia, opinor, vel Breviaria, cetera enim monumenta antiqua, ipso teste, igne consumpta sunt. At ibidemne asseritur, ejus* Faustæ, *Virginis et Martyris solemnem me-* C *moriam agi, cujus sacræ reliquiæ Narnia Lucam avectæ fuerunt, atque eam Cyzicenam esse ? Si valde antiqua sunt, non putem; atque adeo nihil inde pro se concludere Franciottus potest. Traditiones allegat antiquas et numquam interruptas, at nullo nixas fundamento, quarumque, quamvis initium assignari certo non possit, occasionem assignare non est admodum difficile. Putat Papebrochius, eam ipsam fuisse, quam longo usu didicerat multis similibus erroribus præbuisse initium. Arbitratur scilicet, martyrologia ipsa Lucenses induxisse in errorem, dum nacti corpus Faustæ Narniensis, sacrumque se thesaurum adeptos rati, illum statim diem sacrum fecerunt, quo in suo Martyrologio cognominem* Faustam *invenerunt assignatam; unde sensim utraque confundi, et alterutrius gesta obliterari cœperint.*

pro S. Martyris Cyzicenæ,

23 *Hæc conjecturæ limites non excedunt quidem, at illam exempla innumera Papebrochio fecerant, et faciunt nobis indies occurrentia probabilissimam. Ea, donec aliquis pro* S. Fausta *Cyzicena, saltem verisimiliora protulerit, stabimus, credemusque, Lucæ non esse alias Faustæ reliquias, nisi illius, quæ S. Cassii uxor fuit. Quod ad Narnienses attinet, credo, in eodem illos errore esse ; quas enim habent* Faustæ *reliquias, videntur Luca* D *recepisse. Ut ita judicem, faciunt ea, quæ Papebrochius anno præteriti seculi sexagesimo coram Narniæ in suos pugillares retulit : aliqua ex iis recitat ad Acta S. Juvenalis* III *Maji pag.* 406, *asseritque inter alia, vidisse se recenti opere depictam in pariete sacelli veteris, unde S. Juvenalis corpus elevatum fuerat, effigiem* S. Faustæ, *cum hac epigraphe :*

Hanc civis virgo, tum Martyr Fausta, revisit :
Visere et hanc debes, Narnia, corde frequens.

Ubi revisisse Fausta Narniensem civitatem dicitur, quia ejus reliquiæ inde ablatæ, redditæ deinde civitati fuerunt, procul dubio a Lucensibus. Quod si ita est, multum vereor, ne quæ Narniensis seu Virgo seu matrona inde rapta fuerat, Luca redierit Martyr, et quidem Cyzicena.

sacris reliquiis haberi capit.

24 *Ceterum de die, quo* S. Fausta *utroque loco colitur, non satis conveniunt scriptores. Papebrochius dicit, Narniæ ejus memoriam agi* XX *Septembris; Jacobillus illi diem* XXV *ejusdem mensis, quo etiam a Lucensibus, teste Franciotto, colitur, assignat; idque suadent Acta* S. Faustæ, *quæ tum Narnia, tum Luca accepimus. Eodem die in uno alterove apographo Usuardino* Fausta *aliqua* virgo *nuntiatur, de qua ad illum diem erit inquirendum.* E *De Actis porro, quæ nobis inde submissa sunt, superest dicendum aliquid. Utraque, ut superius monui, ad verbum conveniunt. Contractiora sunt reliquis omnibus, quæ habemus, atque ab iis plurimum differunt, ita tamen, ut aliqua ex Surii Actis et iis, quæ excudam desumpta esse, manifestum sit. Majus ceteris omnibus scatent sententiis sacris, aliorum prodigiis illud etiam additur, quod semel, iterum, ac tertio orantis* S. Faustæ *vincula soluta sint, fueritque in carcere concentu cœlesti recreata. Denique talia sunt, ut non difficile sit judicare, esse ea edendis nostris multo posteriora.*

PASSIO,

Ex Ms. S. Maximini Trevirensis collato cum Ms. nostro.

F

S. Fausta teneræ adhuc ætatis puella

Cum pervenisset ad aures Maximiani imperatoris, quod quædam virgo nomine Fausta filia Gemelli protectoris *a*, orbata parentibus nutriretur in Christi justificationibus (erat autem sancta Infantula annorum *b* circiter tredecim) mittens primum *c* palatii, nomine Evilasium, in Cyzicum, jussit requiri Christi Sponsam ac suadere illi immolare diis. Si vero non consensisset, jussit, ut in fluctibus mergeretur *d*. Hic vero Evilasius venit in Cyzicum *e* et invenit Puellam valde delicatam et infantulam. Cumque adducta fuisset ad eum, cogebat eam sacrificare. Fausta vero ait ei : O Evilasi, ego talibus diis non sacrificabo, qui surdi et cæci et opera sunt manuum hominum : habeo enim Salvatorem Sponsum meum Jesum Christum, qui est in cælis, et non possum derelinquere eum, ne perdam mercedem meam, quam habeo apud eum.

blanditiis tentatur ab Evilasio ut idolis sacrificet :

2 Evilasius vero ait ad eam : Audi me Fausta sicut patrem tuum, et consenti mihi, ut possis sacrificare deo magno Jovi, et invictissimo Marti, et Apollini, et Asclepio *f* : scio enim, quoniam consenties mihi, cum didiceris, quæ adversum te data

A data est sententia. Fausta dixit ei : Ne putes, me unam ex insipientibus esse : etsi ætate parvula sum, mens mea perfecta omnimodo devota est Deo. Tunc Evilasius jussit eam decalvari ad turpitudinem *g*. Et cum traheretur nihil dicebat, tantum cælos intuebatur, Jesum Christum videns, quem amabat. Evilasius vero officialibus ait : Ferramenta fabri *h* afferte ante eam, nisi enim experta fuerit asperitatem horum tormentorum, non mihi consentiet, sic ut sacrificet. Officiales vero fecerunt præceptum et attulerunt ferramenta. Tunc Evilasius ait Faustæ : Vidisti ferramenta, per quæ crucianda es? Fausta respondit : Vidi, sed anima mea non est perterrita. O crudelis et vir sanguinum Evilasi.

deinde variis tormentis, a quibus

3 Evilasius iratus jussit eam suspendi et torqueri valde. Cumque torqueretur, sustulit oculos suos in cælum et ait : Deus pater Domini nostri Jesu Christi, qui affuisti tribus pueris in camino, qui eruisti Theclam *i* ex igne spectaculi, et Danielem de ore leonum, qui eduxisti Moysen per mare Rubrum, sicut per aridam, qui eduxisti Petrum illæsum de carcere et solvisti vincula ejus, qui respicis B terram et facis eam tremere, propitius esto mihi peccatrici. Et statim coruscationes factæ sunt de cælo ita ut plures morerentur *. Evilasius, ut vidit, timuit, ne ars magica esset, et interficeret eum, sicut *k* ministros ejus, et clamans ad eam, ait ei : Fausta, illusisti mihi, faciendo opera malefica et magica. Fausta ait ei : Evilasi, audi me, et fac imaginem *l* habentem similitudinem meam, et affer omnia ferramenta tormentorum, et fige ei. Evilasius vero gavisus, credens aliquid se proficere, jussit imaginem fieri, et ait ei : Ecce imago, secundum quod voluisti, facta est, jam dic mihi, quæ est cogitatio tua.

* ombritius habet, mirarentur.

evadit incolumis. Hinc magiæ arguitur

4 Fausta vero ait ad eum : Si prudens esses et rationabilis, adverteres intentionem meam. Evilasius ait : Per deos et per salutem imperatorum, quia necdum adverti intentionem tuam. Jam dic mihi, quid est hoc? Et Fausta respondit : O Evilasi, qui punit imaginem istam, quid ei nocet, nisi quod laborem tantum sibi facit? Evilasius dixit : O dii, quod a Puella irrideor. Fausta vero ait ad eum : Non te irrideo, sed volui tibi ostendere, quia nihil proficis torquendo me. Quomodo enim hæc imago non sentit, cum torquetur, ita nec ego, cum torqueor : vanum tibi laC borem imponis : amplius, quantum vis, fac ; subjacet enim tibi corpus meum, cujus habes potestatem, in anima autem mea Deus habet potestatem. Evilasius audiens dictum ejus, jussit loculum *m* afferri, et ibi eam mitti, et stunulis *n* acutis clavari, et secari eam mediam. Carnifices vero fecerunt juxta præceptum, et secabant tamquam in ligno ; sancta vero Fausta sic psallebat, cum esset in loculo : Non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine.

ab Evilasio ; at iterum iterumque prodigiose servata,

5 Lassati vero sunt secatores et debilitabantur a Spiritu sancto : et iterum dicebat : Jesu Christe, adjuva me miseram. Tunc recesserunt carnifices, euntesque renuntiaverunt Evilasio, dicentes ei : Fæminam istam, quam nobis dedisti, ab hora prima usque sextam secantes nihil prævalere potuimus : mutavimus enim serras, et non pervenerunt ad eam, et ignem apposuimus in loculo, et ipsa psallebat, dicens : Etsi per ignem transeam, non uret me. Hæc audiens Evilasius, non parvo lassabatur cogitatu, propter ultionem, quæ illi proposita erat. Et ait ei : Fausta, illusisti me faciens opera magica : sum enim annorum octoginta, et non vidi aliquando talia. Juro tibi per salutem imperatoris et omnium deorum, quia te nihil lædam, si consenseris et sacrificaveris : scio enim, quoniam fluctibus mergar tui causa : nocere enim te non possum, laboro enim, Deo repugnans. Jam mihi pande veritatem.

Ex Ms.

Evilasium, piis adhortationibus et prodigiis,

6 Fausta ait ad eum : Evilasi, si dixero veritatem, et amplius iratus fueris, non me poteris lædere : permitte me loqui. Et permisit eam loqui. Et ait Fausta : Intende et appone sensum tuum, quæ enim dicentur, magnæ virtutis sunt, sicut vidisti. Celerius te suadebo esse mecum in religione *o*. Audiens hæc Evilasius a sancta Fausta, in remotum locum [recessit, auditurus Sanctam Virginem, de salute sua verba exhortatoria facturam,] vidensque seipsum paganum esse et sacrificantem diis, in Christianorum vita se pene constituit. Hæc audiens Fausta, dicebat Evilasio : Sic agit Deus omnipotens, cujus opera sunt super justos et bene operantes, qui idola interficit, et deos vestros dæmonia esse ostendit, et mundi mala odio habet, et ipse delet terrestria et reprobat ; cælestia autem amantes et virginitatem custodientes, et eos, qui mandata ejus cognoverunt, approbat, et summis bonis numquam deficientibus ditat, quia non est Deus præter ipsum : hic enim morimur, apud ipsum E autem vivimus.

ad Christi fidem convertit ;

7 Audiens vero Evilasius superexcellentem misericordiam Dei, patefactum est a Spiritu sancto cor ejus, et cœpit aperiri ad bonum, et jam non formidans imperatoris sententiam, minus curam gerebat præfecturæ, et jussit eam in relaxatione esse. Currens vero unus puer Evilasii nuntiavit imperatori, dicens : Anteposuit tibi Evilasius Christum, et Christianus erit, nisi cito apprehenderit eum majestas tua. Tunc clamans Maximianus imperator Præfectum, ait ei : Jura mihi per deos, quod te non tradas confitentibus illum Crucifixum. Et juravit Præfectus, et missus est contra Evilasium in Cyzicum, et interrogavit eum, dicens : Pessimum caput, quare ausus es fallere deos, et dare te insensatis Christianis? Evilasius respondit : Per filium Dei, si cito agnoveris de Deo vivente et permanente in sæcula, beatus eris, dii enim * dæmones sunt. Audiens autem Præfectus ab Evilasio terribile sacramentum, expavit, et ipse enim erat sacrificans diis : iratus vero jussit eum suspendi et torqueri valde.

* *nostrum :* Dæmones enim sunt isti, quos colis, non dii

qui et ipse cum S. Fausta

8 Evilasius autem clamabat, dicens : Fausta, columba Christi, quæ munda et immaculata es, invoca Sponsum tuum pro me, qui te multum nocui : per te enim agnovi Filium Dei ; fuisti mihi ducatrix in lumine, eruisti me de tenebris, liberasti me a diabolo : accipe et erige me in tuis humeris, et da mihi ubera, sicut filio ; ne verecunderis, quod senior sum, desursum volo esse jam, quod deorsum est, contemnens : ne irascaris mihi, memorans tormentorum tuorum malorum, quæ in te exercui : obsecro te, Domina mea, hoc mihi remedium sit in die salutis. Audiens vero Fausta preces Evilasii, oblita pristinorum tormentorum, ait : Deus meus, perfecta gratia remunera me, et excipe Evilasium in gregem ovium tuarum, et computa eum in numero Justorum. Audiens Præfectus, a sancta Fausta conversum Evilasium, jussit eam adduci. Carnifices vero euntes invenerunt delicatam Puellam orantem, multa *p* enim signa faciebat in carcere posita.

variis tormentis afficitur,

9 Et tollentes eam carnifices trahebant nudam et sine mavorte *q*, unde credebant eam erubescere. Illa vero currebat gaudens, veniebat ut Sponsa Christi. Dixit autem Præfectus ad eam : Pessima

Ex Ms.

ma et scelerata contra ratiocinationem nisa es Sacerdotem deorum a nobis eruere et dare Deo tuo? Fausta vero ait Præfecto: Credo in Deum, qui vocavit Evilasium, olim patrem dæmoniorum, nunc filium veritatis, quia et te vocabit ad se. Præfectus vero ait: Ne putes tecum Evilasium agere, modo enim carnes tuas soli ostendam, quem non vis confiteri. Fausta respondit: Subjacet tibi corpus meum, quod vis, fac. Præfectus autem indignatus jussit ei clavos * terebrari et clavos infigi. Et cum factum fuisset, sancta Dei Famula non sentiebat, possidebatur enim a divina potentia. Videns Præfectus, talem ultionem nihil prævalere, clamans ad officia, ait: Si quis mihi invenerit aliquam maximam pœnam, promovebitur.

** nostrum correctius Talos.*

a quibus prodigiose

10 Et respondit quidam, nomine Claudius: Feris mittatur. Et jussit Præfectus in crastinum feroces bestias procurari, et accedente eo ad spectaculum, sanctam Faustam trahebant carnifices, et exspoliantes eam nudam velut a matre, statim dimiserunt ad eam leænam, quæ currens adoravit eam. Tunc videns Præfectus, jussit dimitti et omnes bestias ad eam, et currentes ad pedes ejus, B accubuerunt. Præfectus vero videns novum miraculum, jussit eam trahi nudam. Et cum traheretur, clamavit ad Dominum, dicens: Domine Jesu Christe, tege facturam tuam. Et statim nubes de cælo cooperuit eam, sicut Sponsam Christi. Præfectus autem dixit ad officiales: Si quis invenerit mihi pessimam pœnam, sicut jam dixi, in promotione erit, et ego ei addam annonas. Quidam autem, nomine Eusebius, dixit Præfecto: Da mihi potestatem in eam, et ego ei suadebo sacrificare. Præfectus vero dedit potestatem in eam. Et adduxit clavarium cum mille clavis, et clavavit ei caput, et frontem, et faciem, et pectus, et tibias, et clavata est sicut crepido *r* militum.

servantur. lis motus Præfectus,

11 Et his perfectis, orabat Sancta, dicens: Domine Jesu Christe, qui vivis et permanes in sæcula, sol justitiæ in terra, qui non occidis, qui es corona Sanctorum, qui et me peccatricem advocasti, da huic Præfecto *s*, qui idola adorat, hoc scire, quia non est Deus præter te. Videns autem Eusebius, quia nihil profecit, victus ab Infantula, jussit sartaginem adferri, et projecit ibi picem, et succendi jussit, et mitti ibi eam cum Evilasio: quibus psallentibus, sartago refrigerata est *t*. Tunc Præfectus videns fidem Christianorum, C dixit: Deus, qui annumerasti Evilasium cum columba tua Fausta, et me computa cum duobus, ut ego trinitatem compleam. Sancta Fausta dixit: Ita Domine ostende, quia immemor es malorum, et fac in celeritate. Et hæc dicente ea, statim aperti sunt cæli, et visus est Filius Dei et omnis exercitus angelorum, et Justi splendentes sicut lumen.

fidem amplectitur, et cum Fausta et Evilasio

12 Et videns Præfectus mysterium magnum, clamavit ad Dominum, dicens: Accipe me sicut Evilasium in sinu Sponsæ tuæ. Et currens venit juxta sartaginem, et elevavit oculos in cælum et dixit *u*: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et ego vobiscum sum. Et Fausta gaudio repleta est, quod exaudivit eam Dominus, et extendebat manum et adstringebat eum sicut Evilasium, et non tetigit eum dolor. Fausta vero clamabat: Ego ego sum in medio, sicut vitis fructifera, sicut Dominus ait: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, et ego sum in medio eorum; triplex enim funis non disrumpitur *w*. Et hæc ea loquente, venit vox de cælo, dicens: Venite, jam opus vos habet Pater; et hæc audientes cum gaudio reddiderunt spiritum, die XII Calendas Octobris *x*. D

martyrio coronatur.

13 Tunc Maximianus imperator audiens, quid acciderit Evilasio et Præfecto, maledixit deos suos, quoniam non potuerunt salvare homines suos a Christianis, maxime Apollo, Mars et Asclepius *y*: populi vero Christi præsentes et audientes hæc, gaudentes sepelierunt corpora Sanctorum, et abierunt unusquisque in domum suam, glorificantes et laudantes Dominum Patrem, Filium et Spiritum sanctum, cui est honor et gloria et potestas nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Alibi passim* Prorectoris *legitur, sed mendose. Protectores erant, qui latus principum protegebant, seu corporis custodes, ut est in lib.* 9 *Cod. Theod. de Protectoribus. Ita Cangius in glossario, ubi protectorum dignitatem et munus latius exposita, si lubet, vide.*

b *Dixi Commentarii prævii num.* I, *alicubi sedecim annos* S. Faustæ *tribui. Carpit Tillemontius Acta ex imbecilli nimium sanctæ Martyris ætate, sed perperam: videntur enim tredecim tantum* E *anni* S. Faustæ *tribui, cum parentibus orbata est. Quantum temporis inde usque ad ejus martyrium fluxerit, dici certo non potest. Eodem hic anno passam fuisse apertius, quam alibi, videtur innui. At desuntne exempla plurimarum, quæ ea fere ætate gloriose pro Christo certarunt?*

c *Id Mombritius exposuit* Magistrum militum, *non recte opinor, videtur enim, si munus aliquod designetur, illud magis ad curiam vel aulam imperatoriam, quam ad militiam pertinuisse.*

d *Surius habet:* Sin minus *(sacrificet idolis)* projice eam in fluentum: *Mombritius,* Quod si minus fecisset, ipsum Evilasium in profundo maris cum ipsa demergi faceret: *at sic non cohæret sensus. Dubie Mss. nostra, an ad* Evilasium, *an ad* Faustam *referendum sit supplicium intentatum. Tale quid* Evilasio, *nisi* S. Faustæ *expugnasset animum, minatus videtur imperator: dicit enim infra* Evilasius *num.* 5: Scio enim, quoniam fluctibus mergar tui causa.

e Cyzicus, *quod* Cisicum *et* Cizycum *scriptum invenio, alias* Spiga, *urbs est antiquissima Mysiæ minoris ad Hellespontum et Propontidem, inter ostia Rhyndaci et Esapi fluminum, instar insulæ* F *continenti ponte conjuncta, media inter Apameam seu Myrleam urbem Bithyniæ et Lampsacum ejusdem oræ. Ita fere illustrissimus Asteus in Notis. Tristissimam Cyziceni carceris imaginem vide apud Baronium in Notis ad Martyrologium.*

f *Hæc deorum nomina in Actis aliorum expressa non sunt. Asclepius filius fuit Machaonis, et Æsculapii nepos apud S. August. lib.* 8 *de Civit. Dei cap.* 26. *Hic ipse Æsculapius significatur Græca voce* Ἀσκληπιὸς *quam non vertit translator. Æsculapius insignis fuit medicus, estque in fabulis Apollinis et Coronodis nymphæ filius. Varia habuit sibi sacra delubra, et Romæ quidem in insula Tiberis. Vide Plinium.*

g *Baronius prolixam eruditamque de his Notam habet ad Martyrologium suum, ostenditque ex sacris profanisque scriptoribus, turpissimum fuisse decalvari. Illum, si lubet, consule.*

h *Forte, quibus candentibus membra ustularentur, vel comprimerentur.*

i *De S. Thecla, (de qua hic sermo est) agendum nobis erit ad diem* XXIII *Septembris. Interim orationem hanc, ceterasque similes occurrentes, scriptoris*

A *ptoris inventioni adscribe.*

k *Illud* Sicut *forte exponendum est per conjunctionem* Et, *ita ut intelligatur* Evilasius *sibi et suis mortem timere, non vero significet illam jam aliquibus vel fulgure territis, vel ictis accidisse : secundum quæ paulo superius cum Mombritio legendum erit* Mirarentur, *non* morerentur, *ut habet noster.*

l *Eadem hæc habent Suriana Acta. Nemo non videt, quantum fabulam sapiant. Illam Mombritius totidem fere verbis refert. Pro* Fige ei, *legit* depinge eam. *Sensus saltem noster perfectior est.*

m *Loculus* feretrum *significat, at non raro sumi solet pro quavis arca, qua aliquid conditur.*

n *Codex noster vocem hanc omittit, ita ut tamen ex voce* acutis, *quæ sequitur, manifestum sit aliquid desiderari. Mombritius tantum habet,* Et configi intus. *Quid porro significet seu* Stunulis *seu* Stuvulis, *vix enim discernere licet in M. alterutrum ab altero, nescio. Credo legendum* Stimulis, *quibus undequaque intus capsula seu arca horrebat, ut, quocumque se verteret sancta Martyr, novis novisque plagis torqueretur.*

o *Suriana Acta hic habent* S. Faustæ *exhortationem bene longam, quam certe adornavit scriptor,* B *si* Evilasius *cum* S. Fausta *in locum remotum et secretum auditurus secessit. Idem esto judicium de iis, quæ noster, tum hic, tum infra subjicit sanctorum Martyrum verba. Quæ post hæc uncis inclusa sunt, non habentur in Ms nostro.*

p *De signis a* S. Fausta *in carcere editis, nihil est apud Surium.*

q Mavors, Mafors, Maphorte *etc. a Græco* μαφόριον, *velum seu tegumentum capitis significat, maxime fœminarum. Vide Georgii Notas ad Martyrologium Adonis, et Cangium in Glossario.*

r Crepida *legendum puto, a Græco* Κρηπὶς, *estque calceamenti genus, cujus ligneæ tabellæ suppedales pluribus clavis compingebantur.* Ex Ms

f *His Ms. nostrum habet :* Da mihi et Præfectum in hac hora, ut sciant, qui idola adorant, quoniam non est *etc. Ceterum dixi in Commentario prævio a Rabano Præfectum sanctis Martyribus jungi, eumdemque* Maximinum *passim in Latinis Actis,* Maximum *in Menologio Græcorum appellari*

t *Nescio, quare Tillemontius studiose, ut apparet, notatum cupiat,* Maximum *a Græcis dici martyrium cum* S. Fausta *et* Evilasio *consummasse igne* ἐν τεγάνῳ. *Certe in Menæis est* ἐν τῷ τηγάνῳ, *in sartagine.*

u *Sæpius inter fabulas occurunt ejusmodi apparitiones cælestes. Ea, si revera hic contigit, procul dubio* Maximinus *mysteria fidei edoctus est, quæ statim tam distincte profitetur. Porro hæc ita narrantur a Surio :* Statimque currens, venit prope sartaginem, ubi erat S. Fausta et S. Evelasius, et cum extendisset oculos suos in cælum et se signasset signo Crucis per totum corpus, dixit : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, et ego vobiscum sum. Cum vero exuisset suas vestes et rursus fecisset id, quod est in Christo signaculum, se jecit in E sartaginem. *Quæ si vera sunt, compelluntur Theologi recurrere ad peculiarem sancti Spiritus impulsum, ut factum* Maximini, *sponte in mortem ruentis, excusent.*

w *Quis credat, talia protulisse* S. Faustam, *qualia hic illi male contorta affinguntur?*

x *Apud Græcos, ut in Commentario monui, dicuntur passi* 4 *Februarii.*

y *Mombritius hic addit :* Et cognoscens, nihil eos esse, jussit cessare persecutionem; *quæ si vera sunt, anno Christi* 311 *esset illigandum Sanctorum martyrium.*

DE S. JOANNE ÆGYPTIO MART.

IN PALÆSTINA

J. S.

Ex Fastis Græcorum et Eusebio.

C

F

ANNO CCCX. Joannes hodie nominatim in Menæis annuntiatus.

De *multis martyribus, qui ad laborandum in metallis mutilato prius ac debilitato corpore, damnati fuerunt, et post laborem aliquot annorum demum gloriosa morte coronati; variis jam locis actum est in hoc Opere. Ad præcedentem diem ex illis dedi* Peleum *et* Nilum, *episcopos Ægyptios, cum* Patermuthio *et alio, in Fastis* Elia *nominato, flammis traditos, quibus ingentem anonymorum numerum jungunt Fasti Græcorum et Latinorum. Hodie Menæa Græca producunt* Joannem *Ægyptium, cui et socios addunt quadraginta. Verba Græca Latine reddita, quibus* Joannes *annuntiatur, huc transfero :* Et memoria maximi inter confessores Joannis Ægyptii. *Tum subditur breve elogium, his verbis concinnatum.* Οὗτινος τὴν παῤῥησίαν μὴ ἐνεγκὼν ὁ παρανόμος Μαξιμιανὸς, ἐκέλευσεν ἀναιρεθῆναι αὐτὸν μετὰ καὶ ἄλλων τεσσαράκοντα. Hujus libertatem non ferens impius Maximianus, jussit ipsum occidi cum aliis quadraginta. *Eadem fere verba leguntur in Synaxario Collegii Parisiensis Societatis Jesu, ut dudum vidit Henschenius noster, quando ad diem* VI *Maii egit de S. Silvano, episcopo Gazensi, et Sociis triginta novem aut quadraginta, ut videri potest tom.* I *Maii pag.* 468.

2 *Poterat eo loco Henschenius simul de* Joanne *agere : iidem enim Socii, qui modo* S. Joanni *attribuuntur, erant socii S. Silvani, uti et ipse quoque* S. Joannes. *Nam secundum Eusebium occisi sunt uno die triginta et novem Martyres, quorum princeps erat Silvanus episcopus, et inter quos egregiis dotibus eminebat* S. Joannes *Ægyptius. Maluit tamen Henschenius particulare* S. Joannis *elogium in hunc diem differre, quod* S. Joannem *hodie nominatim Fastis Græcorum insertum videret. Porro, etiamsi nomen* S. Joannis *tantum expressum inveniam in Fastis supra laudatis, ipse tamen in præcipuis Græcorum et Latinorum Martyrologiis inter anonymos repetitis vicibus annuntiatur. Certe quoties S. Silvanus cum quadraginta martyribus annuntiatur, inter illos comprehenditur* S. Joannes *Ægyptius. Illi autem quadraginta cum S. Silvano annuntiantur in Hieronymiano codice Epternacensi, aliisque pluribus huic consonis, in Martyrologiis Adonis, Usuardi, Notkeri, aliisque recentioribus, uti et in hodierno Romano. Similiter apud Græcos variis locis memorantur quadraginta* *alias in plerisque Fastis cum S. Silvano est inter anonymos.*

AUCTORE J. S.

ginta illi aut potius triginta novem, inter quos præclara confessione egregius erat S. Joannes, *quemadmodum videre est in laudata collectione Henschenii de S. Silvano et Sociis ad* IV *Maii. Hic ex martyrologis solum addo Castellanum, qui* Joannem *cum Sociis hodie sic annuntiat* : Eodem die, martyrium S. Joannis Ægyptii et quadraginta aliorum cum ipso sub Maximino Deza.

Virtutes S. Joannis et insignem

3 *Eusebius de Martyribus Palæstinæ cap.* 13, *postquam observaverat, octavum persecutionis annum, id est, annum* 310, *fuisse inchoatum, narrat martyrium SS. Pelei, Nili et Sociorum, de quibus egimus die præcedente. Mox pergit ad S. Silvanum Gazensem et ejus socios, de quibus ad propositum nostrum hæc scribit* : Erant una cum illo *(Silvano)* Ægyptii complures : inter quos fuit Joannes quidam, qui præ cunctis nostræ ætatis hominibus memoria valuit. Et hic quidem jam antea luminibus erat orbatus. Nihilominus tamen in confessionum certaminibus, in quibus maxime enituit, cum ipsi perinde ac ceteris alter pedum candente ferro debilitatus esset, oculi quoque, licet lumine orbati, cauterio perusti sunt; crudelitate scilicet et inhumanitate carnificum ad id usque feritatis ac diritatis progressa. Porro hunc Virum ob mores quidem et philosophicam vivendi rationem nihil attinet prædicare, præsertim cum hujus rei causa non tantum admirationis sit consecutus, quantum ex memoriæ præstantia. Quippe qui totos divinæ Scripturæ libros non in tabulis lapideis, quemadmodum ait divinus Apostolus, nec in membranis animalium, aut chartis, quæ vermibus et longinquitate temporis consumuntur, verum in carneis cordis tabulis, in anima scilicet candida et in purissimo mentis lumine perscriptos habuerit. Adeo ut quoties vellet, interdum legis Mosaïcæ, interdum Prophetarum libros; nonnunquam sacræ Historiæ locos; alias Evangelica et Apostolorum scripta memoriter, velut ex literario quodam penu, proferret.

B

memoriæ vim extollit Eusebius.

4 Fateor certe, obstupuisse me, cum illum in frequentissimo ecclesiæ cœtu medium stantem, et quosdam divinæ Scripturæ locos recitantem primitus vidi. Etenim quamdiu quidem vocem duntaxat hominis audire mihi dabatur, quædam illum, ut in ecclesiastico cœtu moris est, legere existimabam. Verum ubi proxime accedens, id quod res erat, deprehendi, ceteros quidem, qui in circuitu astabant integra oculorum acie pollere, illum vero

C

D

solis intelligentiæ oculis præditum instar Prophetæ cujusdam oracula edere, et reliquis corpore valentioribus multo præstare; facere omnino non potui, quin Deum summis laudibus efferrem ac prædicarem. Et evidens ac certissimum argumentum reapsa mihi cernere videbar, quo constaret, hominem vere esse, non eum, qui in externa corporis specie apparet, sed illum potius, qui in animo et intelligentia residet. Quippe corpore licet mutilato, nihilominus majorem facultatis suæ vim ac virtutem exerebat. *Hactenus de eximiis* S. Joannis *dotibus.*

qui et ipsius cum reliquis martyrium enarrat.

5 *Tum ad omnes redit Eusebius, hæc subjiciens* : Porro supradictos Viros, qui seorsum degentes orationibus et jejuniis, et hujusmodi exercitationibus more solito incumbebant, Deus quidem beato ac salutari exitu donare jam parabat, adjutricem illis porrigens manum. *Et paulo post* : Sic igitur undequadraginta homines jussu sceleratissimi Maximini uno eodemque die capite truncati sunt. *Hosce Martyres seorsum ab aliis, qui in metallis laborabant, degisse, paulo ante dixerat, quia* ob senectutem, aut membrorum debilitatem, aut propter varios corporis morbos, ab opere faciundo immunes erant. *Certe* S. Joannem *vel sola cæcitas excusare poterat, et impedire, quominus operaretur. Locus Palæstinæ, in quo* Joannes *cum reliquis capite truncatus est, non exprimitur ab Eusebio; nec dies, quo passi sunt. Itaque solum novimus, in Palæstina passos esse anno* 310. *Jussu autem Maximini, cui Palæstina tunc erat subjecta, occisos fuisse, clare edicit Eusebius. Quapropter corrigenda sunt Menæa, in quibus occisi dicuntur jussu Maximiani. Potest tamen utcumque ipsorum martyrium sub Maximiano Galerio figi, quia ille tunc primum inter imperatores habebat locum. Ceterum breviter observo, apud nos ad* XIX *Maii actum esse de S. Joanne martyre, cujus corpus Constantinopoli Venetias translatum est. De eodem agit Flaminius Cornelius senator Venetus in egregio Opere Latino, quod nuper de Ecclesiis Venetis in lucem emisit, tom.* 4 *pag.* 168 *in Monasterio S. Danielis prophetæ, ubi Joannis illius corpus etiammum integrum servatur. Verum non potui certa satis reperire indicia, quibus existimem, corpus esse* S. Joannis *hodierni, quod ibidem servatur; prout nec Papebrochius invenit, nec Cornelius. Nihilo magis probari potest, alterius esse* Joannis.

E

F

DE SS. ARTEMIDORO

ET THALE AUT THALELÆO MM.

J. S.

CULTIS CONSTANTINOPOLI

Ex Fastis Græcis.

Horum Martyrum memoria

Duo Martyres in paucis Græcorum Fastis et brevissime hodie memorantur, ita ut primum suspicatus sim, avulsos esse a die sibi proprio, et alio die celebrius annuntiari, vel ambos simul, aut singulos seperatim. Attamen post diligentem satis inquisitionem reparire non potui, hosce Martyres ad alium spectare diem, aut eosdem esse cum commemoratis ad alios dies synonymis. Quare breviter dabo pauca illa, quæ de his apud Græcos reperio. Menæa impressa hodie sic habent : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων μαρτύρων, Ἀρτεμιδώρου καὶ Θαλοῦ. Eodem die, sanctorum martyrum Artemidori et Thalæ. *Mox sequuntur duo hi versiculi* :

Ἀρτεμίδωρον καὶ Θαλῶν * κτείνει ξίφος,
Μὴ προσκυνοῦντας Ἄρτεμιν ξενοκτόνον.
Artemidorum et Thalem occidit gladius,

* l. Θαλὴν

Non

A Non adorantes Dianam peregrinorum interfectricem.

Versiculi indicant, gladio occisos esse Sanctos, eo quod nollent cultum exhibere Dianæ. Hæc autem vocatur peregrinorum interfectrix *per allusionem ad Dianam Tauricam, cui, si credimus poëtis, peregrini immolabantur.*

et cultus Constantinopoli.

2 *Porro coli apud Græcos, aut saltem olim cultos fuisse, laudatos Martyres, liquet ex Synaxario Constantinopolitano, quod servatur in Collegio Ludovici Magni Parisiis, et dudum Majoribus nostris communicatum fuit. Nam in eo annuntiantur hodie, et locus, ubi fuerunt culti, assignantur; sed* Thales *ibi vocatur* Thalelæus, *et primo loco ponitur. Verba Græca huc transfero:* Μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Θαλελαίου καὶ Ἀρτεμιδώρου· τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν τῷ μαρτυρείῳ αὐτῶν, τῷ ὄντι ἔνδον τοῦ ἁγίου Θεοδώρου, ἐν τῷ Κοσμιδίῳ. Memoria sanctorum martyrum Thalelæi et Artemidori. Agitur vero illorum conventus in ipsorum martyrio intra ecclesiam S. Theodori in Cosmidio. *Græci scriptores* Cosmidum *vocant monasterium SS. Cosmæ et Damiani extra Constantinopolim, de quo consuli potest Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4 *pag.* 182. *Monasterium fuisse amplissimum, abunde liquet ex iis, quæ habet ex variis scriptoribus Cangius. Itaque intra septa illius monasterii fuerit aliqua ecclesia S. Theodoro sacra, uti plures erant Constantinopoli; et in illa ecclesia fuerit sacellum aut altare* SS. Thalelæo *et* Artemidoro *dicatum, ubi verisimiliter depositæ erant ipsorum reliquiæ; et in quo festivitas peragebatur. Maximus Cythereorum episcopus eosdem* Martyres, *memorat,* Artemidorum *et* Thalem *illos nominans, et verba Menæorum tantum repetens.*

DE S. PRISCO MART.

B CONSTANTINOPOLI E

J. S.

Ex Menæis aliisque Græcorum et Latinorum Fastis.

S. Priscus fidem Christi confessus.

Priscum *martyrem, quem postridie plerique Græcorum Fasti celebrant, ad hunc diem retulit Galesinius, huncque secutus est Baronius,* Priscum *in Martyrologio Romano memorans his verbis:* Item sancti Prisci martyris, qui punctim pugionibus transverberatus, capite plexus est. *Menologium Sirletianum ad sequentem diem de eodem sic habet:* Commemoratio sancti martyris Prisci, qui cum viventem aquam in corde gestaret, carnis incendium non pertimescens, ad cælestem patriam translatus est. *Ex duobus Menæorum versiculis, qui post brevissimam* Prisci *martyris annuntiationem ibidem sine alio elogio subjiciuntur, desumpta videntur verba jam data. Certe versiculi hi sunt:*

C

Φέρων ὕδωρ ζῶν Πρίσκος ἐν τῇ καρδίᾳ,
Ἐμπρησμὸν οὐ δέδοικε τὸν τοῦ σαρκίου.
Ferens aquam vivam *(id est, fidem)* Priscus in corde,
Non timuit carnis incendium.

Videntur hæc innuere, Priscum *flammis traditum, et incendio vitam finivisse, sed Menologium Basilianum et Synaxarium etiam laudandum, non sinunt nos eam opinionem amplecti, et fortasse poëta per incendium carnis generatim quæcumque tormenta significare voluit. Quidquid autem voluerit, genus martyrii, quo* Priscus *ad coronam pervenit, rectius expositum credo in Menologio Basilio.*

variis tormentis affectus, demum capite plectitur.

2 *Quapropter Sancti elogium inde huc transfero ex interpretatione, quæ habetur in postrema editione Urbinate.* Priscus Christi martyr, Dei amore incensus, summaque divini baptismi cupiditate flagrans, posthabita patria impietate, Christianus efficitur. Quare longe lateque pervagatus, Christum libere prædicabat, Christianorum omnium animos ad martyrium subeundum incendens; Græcorum etiam multos a se instructos et ad Christum conversos baptizans. Quæ cum faceret, ab idololatris ad regionis præfectum defertur, quod maximis diis contumeliam inferret, et neglectis imperatorum mandatis, auctor omnibus esset, ut Deum crucifixum colerent et adorarent. Quamobrem exarsit vehementi iracundia præfectus, ac milites inclamare cœpit, ut quam primum maleficum Priscum adductum torquerent. Correptus igitur gravissime cæditur: deinde suspensus in lateribus depectitur, punctimque pugionibus lancinatur: postremum capite plexus, migravit ad Deum. *Hactenus Menologium, cui quoad genus martyrii satis consentit Synaxarium Ms. Constantinopolitanum, quod servatur Parisiis in Collegio Societatis Jesu; sed alia quædam adduntur ad propositum nostrum.*

Colitur Constantinopoli cum SS. Martino et Nicolao,

3 *Ipsum itaque textum Græcum huc transfero cum interpretatione nostra Latina:* Μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Πρίσκου, Μαρτίνου καὶ Νικολάου. Οὗτοι διαβληθέντες τοῖς ἕλλησιν, ὡς τὸν ἐσταυρωμένον, Θεὸν ἀλήθινον κηρύττοντες, ξέονται ὑπ᾽ αὐτῶν τὰς πλευρὰς ἕως βάθους, καὶ μετὰ ξιφῶν κατακεντοῦνται, καὶ τέλος τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνονται. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν σύναξις ἐν Βλαχέρναις. F Memoria sanctorum martyrum Prisci Martini et Nicolai. Hi accusati apud gentiles, quod Crucifixum prædicarent verum Deum, ab ipsis in lateribus profunde raduntur, deinde gladiis transfiguntur, ac demum capite minuuntur. Celebratur vero ipsorum synaxis in Blachernis. *Ex his habemus,* S. Priscum *cum duobus aliis Sanctis coli Constantinopoli in Blachernis, qui locus unum est ex suburbiis Constantinopolitanis. Verumtamen non existimo, tres illos Sanctos simul esse passos; sed collectorem Synaxarii ex errore attribuisse omnibus tribus simul, quæ de uno referenda erant* Prisco, *qui solus ponitur in aliis omnibus Fastis. Occasio omnes conjungendi orta videtur ex cultu omnium trium simul; cultus vero tribus simul delatus videtur, quod illorum reliquiæ in eadem servarentur ecclesia.*

ubi et ecclesiam habet sibi et S. Nicolao dicatam.

4 *De constructa hac a Justiniano imperatore ecclesia Procopius lib.*1 *de Ædificiis Justiniani cap.* 6 *ita habet:* Post SS. Prisco ac Nicolao novum templum ædificavit; quod frequentare gaudent Byzantii, partim cultu et admiratione Sanctorum præsentium *(per reliquias,)* partim voluptate illecti, quam ex aspectu capiunt concinnitatis templi. Sic-

licet

AUCTORE J. S.

licet imperator, illata vi maris fluctibus, in alto procul fundamenta jecit, quibus ædem imposuit. *Hæc ille post relatam constructionem ædis* Deiparæ in Blachernis, *ut ecclesiam* SS. Prisci *et Nicolai similiter* in Blachernis *fuisse ordo insinuet. De illa ecclesia Cangius in Constantinopoli Christiana lib.* 4 *pag.* 130 *plura collegit, nec dubitat, quin esse S. Nicolai Myrensis episcopi, prout revera dubitandum non est. Quare etiam non dubito, quin sit S. Nicolaus, magnus ille Myrensis antistes, qui cum* S. Prisco *memoratur in Synaxario; isque verisimiliter ultimo loco ponitur, quia con-* D *fessor fuit, non martyr. Qui vero utrique interponitur* Martinus, *videtur omnino esse* S. Martinus *Papa et martyr, cujus corpus Constantinopolim fuit translatum, et depositum in ecclesia* Deiparæ in Blachernis, *ut in Menæis ad* XX *Septembris in* Martini *elogio dicitur. De* Martino *Papa rursum in Menæis fit mentio ad* XXII *Septembris ut variis diebus cultus fuisse videatur in diversis ecclesiis. Quidquid sit, de* S. Prisco *unice hic ago, de* Martino *vero ad* XII *Novembris, de* Nicolao *ad* VI *Decembris plura examinabuntur.*

DE SS. DIONYSIO

ET PRIVATO ET FORTE DOROTHEO MM.

IN PHRYGIA

J. P.

Ex Martyrologiis.

E

Nomina Sanctorum in Fastis antiquis

Frequens in Martyrologiis SS. Dyonysii *et* Privati *est mentio, sed præter nomina et regionem, in qua passi sunt, nihil certi reperire est. Usuardus sic eos annuntiat:* In Phrigia SS. Dionisii *et* Privati. *Usuardum secuti sunt pene ad verbum Bellinus, Maurolicus, Galesinius et cum aliis recentioribus Baronius in Martyrologio Romano, ad hunc eumdem diem :* In Phrigia sanctorum Martyrum Dionysii et Privati. *Addit idem Baronius in annotatis, Usuardo et recentioribus consentire vetera manuscripta. Memorantur quoque in Hieronymianis apographis sed confuse admodum.* Privati *nomen non modo hac die in omnibus legitur, verum etiam in multis die præcedenti, sicut in Prætermissis ibidem significatum;* Dionysius *in variis omissus est, vel uti visum est Florentinio, expressus plane corrupto nomine. Textus apud Florentinium hic est:* Sinada civitate natalis sanctorum Dormidoni. Dorothe. Privati. Felicis. Constantiæ. Felicis. Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone. *Antverpiensis codex ita habet:* In Syria Frigia natalis Doromis, Dionysii. Et in C Nuceria Felicis, Privati, Constantiæ; item Felicis item Constantiæ *Corbeiensis vero sic:* Sinnada Phrygiæ natalis SS. Dormidoni, Dorothei, Privati, Felicis, Constantiæ, item Felicis. in Nuceria natalis SS. Felicis et Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone.

et in plerisque confusa ac mutila.

2 *Quam perturbata ac mutila sint nomina tum in his tum in contractioribus Hieronymianis apographis, jam satis observavimus ad diem præcedentem, ubi actum est de S. Dorymedonte una cum SS. Trophimo et Sabbatio, dictumque, martyrio coronatos esse hunc Antiochiæ in Pisidia, illos Synnadis in Phrygia. De Felice et Constantia actum est similiter ad diem præcedentem, eorumque martyrium statutum Nuceriæ in Italia sub Nerone. Itaque ex omnibus, qui in recitatis Hieronymianis memorantur, duo tantum* Dionysius *et* Privatus, *ac forte tertius* Dorotheus *ad hunc diem pertinent. Forte, inquam, quia sat verisimilis est conjectura Florentinii,* Dorotheum *eumdem esse, qui ab Usuardo et aliis* Dionysius *nuncupatur. Sane non tantum in textu Florentinii et in codice Corbeiensi, sed etiam in contractioribus multis Hieronymi apographis* Dorotheus *cum* Privato *conjungitur, omisso* Dionysio. *Augustanum ita habet:* Vigilia S. Matthæi. Josmidoni, Dorotei, Privati *etc. Labbeanum:* Dormidoni, Dorothei, Privati *etc. Corbeiense brevius:* Sinnida Frigiæ sanctorum Dormidoni, Dorothei, Privati *etc. Gellonense apud Acherium:* Dormidioni, Dorothei, Privati *etc. Verumtamen, quia et* Dorotheus *et* Dionysius *expresse ponuntur non tantum in Epternacensi, sed etiam in Rhinoviensi et Richenoviensi hoc eodem modo :* In Syria Doromi, Dionisii et Privati *etc, ausus non sum dictæ conjecturæ plenum assensum præbere, maluique* Dionysio *et* Privato, *quos solos exhibent cum Usuardo Baronius et reliqui supra citati, dubitanter adjicere* Dorotheum *ex Hieronymianis. Contra, quamquam satis verisimile sit ex iisdem Hieronymianis, Sanctos nostros Synnadis, quæ Phrygiæ civitas est, cum Dorimedonte aut forte paulo post eum passos esse,* F *quia tamen incertum id est, malui nullum figere tempus martyrii, hujusque palæstram cum Usuardo et aliis latius statuere in Phrygia. De peculiari ipsorum cultu nihil reperi, præterquam in Ms. apographo Kalendarii Dolensis Parisiis impressi anno* 1519, *ubi ad præsentem diem lego sequentia :* Dionysii et Privati m. 3 l. *unde conjicio, eos coli officio trium lectionum.*



DE

AUCTORE J. S.

DE S. SUSANNA VIRG. M.

ELEUTHEROPOLI IN PALÆSTINA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Memoria Sanctæ in Fastis maxime Græcis : cultus : Acta Græca edenda.

Sub Juliano. Susanna sine loco in Romano Martyrologio annuntiata,

Sanctæ hujus Susannæ *memoriam ex Menologio Sirletiano hausit Baronius, et primus Martyrologio Romano inseruit, sed non sine aliquo defectu : nam et locum martyrii omisit, quod videret eum in laudato Menologio non recte exprimi, ut conjicio; et ita verba Baronii fuerunt initio impressa, ut Martha, quæ solum ut mater* Susannæ *memoratur in Menologio,* Susannæ *videretur adjungi ut socia. At posterior hic defectus, qui poterat esse imprimentium, cum observatus fuisset, correctus fuit in editionibus posterioribus, in quibus ita legitur :* Item sanctæ martyris Susannæ, filiæ Arthemii idolorum sacerdotis et Marthæ. *Locus caute omissus est a Baronio, quia videbat, opinor, male* Heliotropolim *scribi in Menologio. At alii Græcorum Fasti, et Acta ipsa nos docent, Sanctam* Eleutheropoli, *quæ urbs notissima est in Palæstina, coronatam fuisse. Fabulatores nonnulli, qui Hispaniam, Sanctis undique quæsitis implere conati sunt, ex omissione loci in Martyrologio Romano occasionem sumpserunt* Susannam *pertrahendi in Hispaniam, eique et* Martham *addiderunt, ut martyrii Sociam ; imo geminam eodem die* Susannam *geminamque* Martham *annuntiarunt. Verum inepta illa commenta acriter redarguit Nicolaus Antonius in Scriptis posthumis, cujus habemus exemplar Ms. Cum autem eruditis Hispanis abunde constet, pseudo-Chronica, ex quibus illa profluxerunt, nulla esse fide digna; et de loco martyrii* S. Susannæ *nullum superesse possit dubium, necesse non est plura de illis dicere.*

elogio commendatur in Basiliano Menologio, ut Passa Eleutheropoli :

2 *In Menologio Basiliano ad* xx *Septembris* S. Susanna *commemoratur, laudaturque elogio, quod satis fidele continet Actorum compendium. Verba Latina subjungo ex editione Urbinate :* Susanna sancta martyr ex regione Palæstinæ fuit, sacerdotis idolorum nomine Arthemii filia. Mortuis autem parentibus, verbum veritatis a Silvano presbytero edocta, baptizatur. Deinde erogatis in pauperes suis facultatibus, mundum relinquens, abiit in monasterium , et monasticum institutum amplexa est , virilem habitum ferens ; seque Joannem nominavit; ne a quoquam agnosceretur. Cum autem pro viro haberetur, insimulata fuit a muliere quadam, diaboli suggestione commota, quod rem secum habuisset : et explorata a virgine inventaque femina, magnum attulit accusanti dedecus. Post hæc Eleutheropolim profecta, ob suam virtutem ab episcopo diaconissa ordinatur. Quæ eum libere Christum prædicaret, correpta a præfecto, multumque torta, et in carcerem detrusa, migravit ad Dominum. *Dixi, hoc satis fidele esse Actorum compendium. Multa tamen omissa sunt; et causa comprehensionis Sanctæ modo utcumque diverso in Actis exponitur : nam comprehensa dicitur, quod ingressa esset templum gentilium, precibusque effecisset, ut omnia idola corruerent. Hæc autem causa comprehensionis magis congruit cum temporibus Juliani apostatæ, quibus passa fuit* Susanna. *Quamvis enim in Actis Julianus non nominetur, omnia tamen insinuant, non potuisse Sanctam pati ante tempora Constantini Magni, et ne sub Licinio quidem, ut necesse sit dicere, passam fuisse sub Juliano.*

nata videtur sub Maximiano aut Maximino, et passa sub Juliano.

3 *In aliis Græcorum Fastis nonnulla adduntur, quæ similiter ex Actis videntur deprompta. Primo mater Sanctæ dicitur* Martha *fuisse vocata, genusque duxisse ex Judæis, tam in Menologio Sirleti, quam in Synaxario Constantinopolitano Ms. In Menæis impressis, ubi primum annuntiatur ad* xix *Septembris cum adjuncto Carmine jambico, et rursum* xv *Decembris cum longiori elogio, mater Sanctæ* Judæa *fuisse dicitur, nomen tacetur. In Actis vero* Martha *non solum origine Judæa asseritur, sed filiam quoque* Susannam *dogmatis Judæorum imbuisse. In laudato ad* xv *Decembris elogio* Susanna *dicitur fuisse sub* Maximiano, *quod de Galerio intelligendum puto, aut fortasse de Maximino, qui subinde etiam* Maximianus *vocatur, et cum Galerio Maximiano imperium administravit, eique biennio superstes fuit, anno* 313 *defunctus. Verum in Actis parentes Sanctæ dicuntur fuisse* tempore imperii Maximi; *quod forte describentium incuria irrepsit pro* Maximini *aut* Maximiani. *Ex Actis ulterius liquet, non passam, sed natam fuisse* Susannam *sub* Maximiani *aut* Maximini *imperio, ideoque non poterimus multis annis aberrare, si natam statuamus circa annum* 310. *In Actis dicitur ad fidem conversa, mortuis parentibus, et bona sua petiisse a tutoribus, quando annos habebat quindecim, id est, circa* 325. *Deinde distributis bonis suis in pauperes, virilem sumpsit habitum, venitque Hierosolymam, et accessit ad monasterium Philippi abbatis, in quo viginti circiter annis vixisse dicitur, donec accusata, sexum suum prodere coacta est. Itaque credere possumus, ipsam circa* 326 *ad monasterium venisse, indeque recessisse circa* 346, *quando diaconissa facta est Eleutheropoli. Reliquum vitæ tempus ibidem exegit, et demum capta et martyrio coronata est, quod contingere debuit anno* 362 *aut* 363, *si vera sunt, quæ in Actis narrantur. Si autem certo constaret,* Susannam *obiisse mense Septembri, quo colitur; figendum esset ipsius martyrium anno* 362, *quo imperabat Julianus : nam hic ante Septembrem anni* 363 *occisus est.*

Acta Sanctæ, quibus nonnullæ difficultates objici possunt,

4 *Tota hæc chronotaxis certior non est, quam fides Actorum, ex quibus fluit. Acta vero severioribus criticis forte non videbuntur fidei esse indubitatæ, cum multa contineant mirabilia, de quibus alibi*

AUCTORE J. S.

alibi nihil invenimus, præterquam in Fastis Græcorum; illaque omnia, quæ in libris ritualibus Græcorum leguntur de Susanna, ex Actis procul dubio profluxerint. Dicta tamen difficultas tanto minus Actorum fidem labefactare potest, quanto magis communis est, et in optimis etiam Actis reperitur. Nam et sancti Patres et historici antiqui multa prætermiserunt Sanctorum gesta, quæ ex ipsorum Actis innotuerunt, et pro indubiis habentur. Historiam vero hujus Susannæ, etiamsi cognitam habuissent, facile poterant omittere, quia habitatio Virginis inter viros non erat imitanda, sed potius miranda, uti et vestis virilis gestatio. Alia quoque oritur difficultas ab episcopo, qui Sanctam dicitur Eleutheropolim duxisse, postquam agnita erat mulier, cum nominetur Cleopas, et inter Eleutheropolitanos nullum reperiam Cleopam. Augetur hæc difficultas ex catalogo præsulum Eleutheropolitanorum, quem texuit Lequienus in Oriente Christiano tom. 3 col. 633 et seqq.: nam videtur sufficientes seculo IV produxisse episcopos. Verumtamen, omnibus recte in illo catalogo expensis, nihil obstare video, quo minus Cleopas aliquis circa annum 350 Eleutheropoli sedere
B potuerit: cumque Cleopas solum nominetur in agnitione S. Susannæ; non item in ejus sepultura nomen episcopi exprimatur; potuit Cleopas paucis annis ecclesiam Eleutheropolitanam administrare, tantoque minus innotescere, quanto breviorem gessit episcopatum. Præterea potuit geminum esse episcopo nomen, alterumque usurpatum fuisse in his Actis, alterum in subscriptionibus conciliorum aut litterarum; et sic Cleopas posset esse unus ex illis, quos recenset circa medium seculi IV Lequienus. Quidquid sit, difficultas illa multum Actis obesse nequit, quia nec locus prorsus deest Cleopæ in Catalogo Lequieni; nec omnes, quos circa id tempus profert, certis argumentis probantur Eleutheropolitani episcopi; nec ullus ex illis est, qui alio nomine Cleopas dici non potuit; nec raro contingit, ut episcopus aliquis ex uno tantum monumento innotescat.

aliunde confirmantur, uti et chronotaxis data:

5 Quapropter dicta in Actis de Cleopa initio quidem dubium mihi injecerunt de fide Actorum, quamdiu non inveniebam Philippum abbatem, sub quo monasticam vitam professa est Susanna. At illam difficultatem nullius fere ponderis credidi, ubi uno tandem loco memoratum inveni Philippum abbatem ejusque monasterium circa me-
C dium seculi IV in Palæstina, et in partibus Hierosolymitanis. Rufinus lib. XI cap. 28 hæc scribit: Juliani temporibus, velut relaxatis frenis, efferbuit in omnem sævitiam feritas paganorum. Ex quo accidit, ut apud Sebasten Palæstinæ urbem sepulcrum Joannis Baptistæ mente rabida et funestis manibus invaderent, ossa dispergerent, atque ea rursum collecta igni cremarent; et sanctos cineres pulveri immixtos per agros et rura dispergerent. Sed Dei providentia factum est, quosdam de Jerosolymis ex monasterio Philippi hominis Dei orationis illuc causa per idem tempus venisse. Qui cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed ferina mente, fieri viderent, mori gratius habentes, quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant, mixti, diligentius, in quantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus vel insanientibus subtraxere, et ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere. Ille supra se ducens tantum thesaurum propriis servare vigiliis, ad pontificem maximum (Alexandrinæ ecclesiæ) tunc Athanasium hostiæ immaculatæ reliquias... mittit etc. Hic locus varia docet ad propositum nostrum: nam intelligimus Phi- D lippum fuisse magni nominis abbatem, qualis in Actis describitur, ipsumque monasterio præfuisse in territorio Hierosolymitano, et Juliani temporibus, ut habent similiter Acta. Videmus insuper, Philippum fuisse amicum S. Athanasii, et consequenter bene Catholicum: et chronotaxim nostram, qua ex Actis solis mortem Sanctæ sub Juliano fixi, egregie confirmari, cum Philippus adhuc viveret, quando coronata est S. Susanna. Quod vero Rufinus dedit de Jerosolymis, intelligendum est de territorio Hierosolymitano ex consuetudine illius temporis, quo monasteria extra urbes construebantur.

Acta ex stylo videntur scriptoris fere contemporanei,

6 Nunc Acta ipsa proprius inspiciamus; neque enim inficiari possum de illarum fide initio me multum dubitasse. Stylus est simplex et satis purus, ut omnino congruat seculo IV. Adjuncta personarum et rerum tam enucleate in Actis exposita sunt, ut ea prorsus videantur scriptoris contemporanei aut supparis. Etenim scriptor aliquis longe posterior non expressisset nomina, conditionem et religionem utriusque parentis, et nomina episcopi Eleutheropolitani, abbatis Philippi, Alexandri præfecti, Aquilæ delatoris, multaque alia E minutim relata; aut certe, si quis omnia illa confingere voluisset, facile deprehenderetur in mendacio, cum admodum sit difficile omnia tam apte comminisci de rebus diu præteritis, ut nihil reperiatur a temporibus et locis abhorrere. Miranda quidem est in Virgine assumptio vestis virilis, et habitatio diuturna inter monachos, nec tamen est ulla ratio dubitandi de illo facto, cum constet, et alias plures fecisse similia. Miranda rursum fides Sanctæ, qua Deum oravit et exoravit, ut omnia gentilium idola subito corruerent. At hoc ipsum non magis est incredibile, quam quod eodem fere tempore Juliano contigit prope Antiochiam, quando jussit corpus S. Babylæ transferri ex templo Daphnitico, ut in eo sacrificaret Apollini. Nam, teste Chrysostomo, qui adesse potuit et cuncta videre, simul ac loculus (S. Babylæ) ad urbem protractus est, de cælo fulmen in statuæ (Apollinis) caput immissum cuncta combussit. Plura de his Chrysostomus in Homilia de S. Babyla, et apud nos ad XXIV Januarii. Mirari etiam possumus, Sanctam tormentis aliquibus, mortem alias inferre natis, vitam non amisisse; sed id rursum eidem est commune cum multis aliis martyribus, qui inter tor- F menta manserunt illæsi.

optimeque congruunt cum persecutione Juliani,

7 Jam vero omnia, quæ ad occasionem martyrii ipsumque Sanctæ martyrium spectant, tam accurate congruunt cum persecutione Juliani, ut hac maxime de causa existimem, Acta fide bona fuisse conscripta. Nam, ut notum est ex scriptoribus, Julianus jussit aperiri deorum templa, iisque offerri sacrificia volebat; at Christianos ad sacrificandum necdum cogi jusserat. Atqui secundum Acta Alexander præfectus populum Eleutheropolitanum invitavit ad sacrificandum, non vero coëgit, aut nolentibus pœnas interminatus est. Susannam vero comprehendi jussit, quia delata erat ob eversa idola, non quia erat Christiana. Eamdem non invitavit ad cultum idolorum, nec dixit, mandato imperatoris eidem offerenda esse diis sacrificia; sed interrogavit semper de Deo, quem coleret, ut ex liberis ipsius contra idola responsis occasionem captaret ipsam puniendi. Sic omnino volebat Julianus, ut Christiani non viderentur pro fide pati aut occidi, sed tamquam rebelles, aut alia de causa supplicio digni. Præterea Julianus nullibi nominatur in Actis, atque hoc ipsum ejus persecutioni est congruum; cupiebat

A *piebat enim, ut civitates et præfecti Christianos persequerentur, teste Nazianzeno in Oratione* I *in Julianum pag.* 74, idque, *inquit*, haud publico edicto, verum ex eo quod impetum audaciamque minime reprimebat, velut proposita quadam lege non scripta, id se velle promulgans. *Idem Orat.* 2 *in Julianum ait* : Provinciarum porro imperia non optimis et moderatissimis, sed crudelissimis hominibus mandabantur. *Quod optime congruit cum iis, quæ in Actis dicuntur de Alexandro, et cum violentia, qua sanctam Virginem vix auditam occidi jussit.*

ut fideliter scripta videantur et pro talibus sint edenda.

8 *Quapropter Acta* S. Susannæ *minime repudianda existimo ; sed pro factis saltem admittenda, ut vetusta, ut locis, temporibus et personis congrua. Neque hic dixerit criticus aliquis, mirabilia in iis relata, discursusque Actis insertos, stylum redolere Metaphrastis, ut solemne habuerunt nonnulli de Actis Græcis pronuntiare. Nam hæc Acta qui vellet Metaphrasti attribuere, vel hoc ipso ostenderet, stylum Metaphrastis parum sibi esse cognitum : cum horum Actorum stylus longe sit simplicior. Verumtamen non eo usque fidem* B *Actorum suspiciendam credo, ut ipsa quoque dicta Sanctæ aut aliorum, quæ in illis referuntur, eodem plane modo prolata existimem. Magis opinor, scriptorem ea usum esse libertate, quam plerique scriptores, cum profani tum sacri, sibi indulserunt, ut loquentem induxerit Sanctam aliosque, prout secundum gestorum adjuncta loquendum ipsis credidit, aut prout fere locutos intellexerat. Ceterum Acta illa Græca, hactenus inedita, Majores nostri acceperunt Parisiis ex schedis Cl. V. Francisci Olivarii, ut legitur in margine. In Catalogo nostro Ms. Vitarum notatum est, eadem Acta haberi Romæ in Bibliotheca Vaticana et Viennæ in Cæsarea. In Catalogo impresso bibliothecæ regiæ Pariensis tom. 2 eadem Acta assignantur codice 1491 cum hac tamen initii mutatione, ut ibi legatur* κατὰ τοὺς καιροὺς, *cum in exemplari nostro sit* κατὰ τὸν καιρόν. *Ceterum observo, in exemplari nostro nonnullas voces vitiose scriptas. Itaque lectorem moneo, me menda illa, quæ clara et certo sunt, correcturum; relicturum vero ea, quæ certa nequeunt corrigi ; sed aliquid de iis aut in margine aut in Annotatis moniturum : Latinam vero interpretationem daturum, quam potero, fidelissimam.* E

V I T A

Auctore anonymo

Ex membranis, Cl. V. Franc. Olivarii. Interprete J. S.

Κατὰ τὸν καιρὸν τῆς βασιλείας Μαξίμου ἦν τις ἱερεὺς τῶν εἰδώλων ἐν τοῖς μέρεσι τῆς Παλαιστίνης, ὀνόματι Ἀρτέμιος, πλούσιος μὲν σφόδρα, λοιμὸς δὲ τοῖς τρόποις, καὶ ἐχθρὸς διάπυρος τῶν Χριστιανῶν. Οὗτος ἔγημεν γυναῖκα Ἰουδαίαν, ὀνόματι Μάρθαν· ἔτεκεν δὲ αὐτῷ θυγατέρα, καὶ ἐκάλεσεν ἡ μήτηρ τὸ ὄνομα αὐτῆς Σωσάνναν, λέγουσα, ὅτι ἐκ τοῦ ἔθνους τῶν πατρῶν ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς, καὶ οὐχὶ ἐκ τῶν ἑλλήνων. ἀνέτρεφεν δὲ C αὐτὴν ἡ μήτηρ τοῖς τῶν Ἰουδαίων ἤθεσί τε καὶ μαθήμασι· ἐγένετο δὲ τελευτῆσαι τοὺς γονεῖς τῆς παιδὸς ἔτι νηπιαζούσης· ἐνεστήσατο δὲ ὁ πατὴρ αὐτῆς τελευτῶν δύο ἐπιτρόπους αὐτῇ, ἐντειλάμενος αὐτοὺς ἐν τῇ διαθήκῃ, ὡς αὐξηθῆσαν αὐτὴν, καὶ γάμῳ προσομιλήσασαν, τὸ τηνικαῦτα ἐντὸς γενέσθαι κυρίαν τῶν χρημάτων. ἦν δέ τις πρεσβύτερος, ὀνόματι Σιλυανὸς, τῆς ἁγίας πίστεως τῶν Χριστιανῶν· οὗτος, περιόντων τῶν γονέων τῆς παιδὸς ἐν τῷ βίῳ, ἐν συντυχίᾳ αὐτῶν ἦν, ὥστε ἐκ γειτόνων οἴκων. καὶ δὴ λοιπὸν, αὐξηθείσης τῆς Σωσάννης καὶ ἐχέφρονος οὔσης, συχνὰς συντυχίας ποιουμένη πρὸς τὸν προῤῥηθέντα πρεσβύτερον Σιλυανὸν, ἐστηρίζετο ὑπ' αὐτοῦ ἐν τῇ πίστει τῶν Χριστιανῶν· ἤκουσε τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ εὐαγγελίου λέγοντος· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀγροὺς, ἢ γονεῖς, ἢ τέκνα, ἢ ἀδελφοὺς, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθήσει ὀπίσω μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἐν δὲ τῷ μέλλοντι ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.

2 Τούτων τοίνυν τῶν τιμίων ῥημάτων ἐπακούσασα, ἡ ὄντως δευτέρα σώφρων Σωσάννα, καὶ θέοθεν κατανυγεῖσα, ἀπέστειλεν ἕνα τῶν παίδων τῶν συνόντων αὐτῇ, πρὸς τὸν πρεσβύτερον Σιλυανὸν, ἀξιοῦσαι ἐλθεῖν πρὸς αὐτήν. τοῦ δὲ παραγενομένου, ὑπαντήσασα προσεκύνησεν αὐτόν. εἶτα ἐπευξάμενος, ἐκάθισαν ἀμφότεροι, καὶ ἤρξατο ἡ Σωσάννα ἀξιοῦν τὸν πρεσβύτερον, ἐπιλῦσαι αὐτῇ

Sanctæ parentes infideles : docetur a Sylvano presbytero, a

Imperante Maximo *a*, erat quidam sacerdos idolorum in partibus Palæstinæ, nomine Artemius, dives admodum, sed moribus perversus, et fervens hostis Christianorum. Hic uxorem duxit Judæam, Martham dictam: peperit vero ipsi Filiam, et hanc mater nominavit Susannam, dicens: Ex gente Patrum nomen habebit, et non ex Gentilibus. Filiam mater educabat secundum Judæorum mores et dogmata. Verum contigit, ut Puellæ parentes morerentur, dum adhuc erat parvula. Moriens vero pater ipsius duos eidem constituit tutores, mandans illis in testamento, ut ipsa, dum matura esset et nuptiis illigata, bonorum suorum absoluta fieret domina. Erat autem quidam presbyter, nomine Silvanus *b*, sanctæ Christianorum fidei, qui, viventibus adhuc Puellæ parentibus, cum ipsis conversabatur, utpote in vicinia habitans. Deinde, cum crevisset Susanna et prudens esset, frequenter accedens ad prædictum presbyterum Silvanum, confirmabatur ab eo in fide Christianorum : audivit quoque Christum in Evangelio dicentem : Amen dico vobis, qui dimiserit domus, aut agros, aut parentes, aut filios, aut fratres, adhuc autem et animam suam; et tollat crucem suam et sequatur me, centuplicia accipiet in hoc seculo, et in futuro vitam æternam hæreditabit *c*. F b

et ab eodem conversa et baptizata,

2 Auditis igitur venerandis hisce verbis, cum continentia vere altera esset Susanna, excitata a Deo, unum ex servis secum habitantibus misit ad presbyterum Silvanum, ut dignaretur ad se venire. Illo autem adveniente, obviam progressa ipsum dimisse venerata est. Postea, illo bene precante *d*, ambo consederunt, et cœpit Susanna rogare presbyterum, d

A. ANONYMO. byterum, ut lectorum verborum vim sibi exponeret. Sanctus vero et venerabilis vir ei consequenter explicuit, quæ spectant ad amorem Dei, ad castitatem, ad misericordiam, ad paupertatem, et ad regnum cælorum. Beata, ubi illa audiverat, lacrymis perfusa, rogabat, ut ad societatem Christianorum adjungeretur. At ille nonnihil differens, post absolutionem divinæ liturgiæ introduxit ipsam in baptisterium, perfectisque de more exorcismis, eidem tribuit lavacrum regenerationis, baptizans ipsam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Deinde sic eidem communicavit sanctum Corpus et pretiosum Sanguinem Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum.

bona parentum mortuorum a tutoribus petit, eaque obtenta

3 Hisce igitur recte procedentibus, in domum suam abit Susanna, gaudens et exsultans de his, quibus dignata fuerat bonis. Domum reversa, advocatis tutoribus suis dixit: Ecce flos ætatis meæ appropinquavit: reddite modo mihi relicta a parentibus meis bona. Illi vero eidem responderunt: Domina, noli irasci: ecce enim bona tua salva sunt: ecce servi tui ministrant tibi, et nos ipsi sumus servi tui. Tum illa: Non est nunc ejusmodi
B verbis opus: sed restitutionem bonorum meorum mihi confestim facite. Illi seposuerunt: Audi, domina: pater tuus mandavit, ut legitimo juncta matrimonio bonorum tuorum perfectum dominium acquireres. Illa vero dixit: Quandoquidem Legislator Christus me liberaverit parentum meorum imperio, in mea nunc potestate est aut nubere, aut non nubere. Ecce, abstinuistis a nuptiis: at bona mihi restituite. Erat autem annorum quindecim, quando ita sapiebat et agebat. Tutores vero, hæc audientes, scientesque factam esse Chistianam, omnia eidem restituerunt bona, tam pecunias quam possessiones relictas.

in pauperes distribuit. Tum, sumpta veste virili, petit monasterium,

4 Hisce acceptis, immobilia vendidit Beata, collectoque auro multo et argento, noctu circuibat, egenisque largiebatur. Mobilia vero, id est, servos et ancillas libertate donavit, legatisque ditatos dimisit, dicens: Ego quidem vos, o filii, temporanea hac servitute libero: si autem desideratis et veram libertatem obtinere; accedite ad eum, qui animas hominum vere liberas facit, et ille vos, a peccato redemptos, ingenuos et liberos militiæ suæ adscribet. Ubi vero et reliqua bona sibi relicta in pauperes omnia similiter distribuisset, ac-
C cersito tonsore, comam capitis sui tonsa deposuit. Mox, assumpta virili veste, profecta est Hierosolymam. Deinde ad monasterium beati Philippi progressa, portam pulsavit monasterii. Egrediens janitor, ubi ipsam vidit, credidit virum esse, et introduxit. Tum rogavit, quid vellet, et unde veniret. Illa vero dicit: Multum desideravi hic orare, et benedictionem vestram accipere. Janitor vero abiens, nuntiavit omnia beato Philippo, dicens: Adest juvenis quidam formosus, dicens orationis causa se venire, et ut vestram obtineat benedictionem. Ille dixit: Duc ipsum ad oratorium, deinde simili modo ad me. Fecit, ut jussus erat: et post ipsam similiter introduxit ad abbatem. Ingressa illa, venerata est beatum Philippum prostrata in terram; deinde et adstantes. Beatus Philippus dixit: Bene venisti, frater: unde, et qua de causa venisti ad nos humiles? Tum illa, Veneror te, pater: Cæsareæ in Palæstina vitales auras hausi, relictisque parentibus, huc venio, Deo me ducente, ut facias me sicut unum ex fratribus, qui tecum sunt, et salva fiat anima mea. Dicit ei beatus Philippus: Quod tibi nomen est. Illa dixit: Joannes vocor. Adstantes fratres dixe-

τῶν ἀναγνωσθέντων τὴν δύναμιν. ὁ δὲ ὅσιος καὶ τίμιος D
ἀνὴρ καθεξῆς ἐπέλυσεν αὐτῇ τὰ περὶ τῆς εἰς Θεὸν ἀγάπης, καὶ ἁγνείας, καὶ ἐλεημοσύνης, καὶ ἀκτημοσύνης, καὶ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Ταῦτα ἀκούσασα ἡ μακαρία, καὶ συγχυθεῖσα τοῖς δάκρυσιν, ἠξίου καταταγῆναι ἐν τῇ τῶν Χριστιανῶν προσηγορίᾳ. Τοῦ δὲ ὑπερθεμένου, μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τῆς θείας λειτουργίας, εἰσαγαγὼν αὐτὴν ἐν τῷ φωτιστηρίῳ, καὶ ἀφορκίσας αὐτὴν κατὰ τὸ ἔθος, ἔδωκεν αὐτῇ τὸ λουτρὸν τῆς ἀθανασίας, βαπτίσας αὐτὴν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. καὶ εἶθ' οὕτως μετέδωκεν αὐτῇ τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

3 Τούτων τοίνυν οὕτως προβάντων αἰσίως, ἄπεισι ἡ Σωσάννα ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῆς, χαίρουσα καὶ ἀγαλλιαμένη ἐφ' οἷς ἠξιώθη ἀγαθοῖς. καὶ ἐλθοῦσα ἐν τῇ οἰκίᾳ, προσκαλεσαμένη τοὺς ἐπιτρόπους αὐτῆς, ἔφη αὐτοῖς· ἰδοὺ ὁ καιρὸς τῆς ἀκμῆς τῆς ἡλικίας μου ἤγγικεν· ἀπόδοτέ μοι λοιπὸν τὰ καταλειφθέντα μοι χρήματα ἀπὸ τῶν γονέων μου. Οἱ δὲ εἶπον αὐτῇ· κυρία, μὴ ὀργίζου· ἰδοὺ γὰρ τὰ χρήματά σου σῶά εἰσιν· καὶ ἰδοὺ καὶ οἱ οἰκέται σου ὑπηρετοῦσίν σοι, καὶ ἡμεῖς δὲ αὐτοὶ δοῦλοί σου ἐσμέν. ἡ δὲ ἔφη αὐτοῖς· οὐ χρεία νῦν τῶν λό- E
γων τούτων· ἀλλὰ τὴν ἀποκατάστασιν τῶν χρημάτων μου τάχος ποιήσατε. οἱ δὲ εἶπον αὐτῇ· ἄκουσον, κυρία. ὁ πατήρ σου ἐνετείλατο, ἐννόμῳ γάμῳ σε προσομιλήσασαν, τὸ τηνικαῦτα ἐντὸς γενέσθαι τῶν χρημάτων. ἡ δὲ εἶπε· τοῦ νομοθέτου Χριστοῦ ἐλευθερώσαντός με ἐκ τῆς τῶν πατέρων μου ἀνάγκης, ἐν ἐμοὶ νῦν ἀπόκειται τὸ προσομιλῆσαι γάμῳ καὶ μὴ προσομιλῆσαι. Ἰδοὺ, ἀπέσχετε* τοῦ γάμου· τὰ δὲ χρήματα ἀποκαταστήσατέ μοι· ἦν δὲ ἐτῶν τότε πέντε καὶ δέκα, ὅτε ταῦτα ἐφρόνει καὶ ἔπραττεν· οἱ δὲ ἐπίτροποι ἀκούσαντες ταῦτα, καὶ γνόντες ὅτι Χριστιανὴ γέγονεν, ἀπεκατέστησαν αὐτῇ πάντα τάτε χρήματα καὶ τὰ κτήματα ἀναλιπῶς.

4 Ἅτινα λαβοῦσα ἡ μακαρία, τὰ μὲν ἀκίνητα διαπέπρακεν, καὶ συναγαγοῦσα χρυσίον ἱκανὸν καὶ ἀργύριον, περίει τὰς νύκτας καὶ διεδίδει τοῖς δεομένοις. Τὰ δὲ κινητὰ, τοῦτ' ἔστιν τοὺς δούλους αὐτῆς καὶ τὰς δούλας, ἐλευθερώσασα, ἀπέλυσεν αὐτοὺς, εἰποῦσα· ἐγὼ μὲν ὑμᾶς, ὦ τέκνα, τῆς προσκαίρου ταύτης δουλείας ἐλευθερῶ· εἰ δὲ βούλεσθε καὶ τῆς ἀληθινῆς ἐλευθερίας ἀξιωθῆναι, προσέλθατε τῷ ὄντως ἐλευθεροῦντι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων· καὶ αὐτὸς ὑμᾶς ἐξαγοράσας τῆς ἁμαρτίας, γνησίους καὶ ἐλευθέρους προσγράψει εἰς τὴν ἑαυτοῦ στρατείαν· ὁμοίως δὲ καὶ τὰ καταλειφθέντα αὐτῇ λοιπὰ χρήματα πάντα εἰς τοὺς πτωχοὺς ἀναλώσασα, μεταστει- F
λαμένη κουρέα, ἐκήρατο τὴν κομὴν τῆς κεφαλῆς αὐτῆς. καὶ ἀμφιασαμένη σχῆμα ἀνδρικὸν, ἔδωκεν ἑαυτὴν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα· καὶ δὴ ἀπελθοῦσα εἰς τὴν μονὴν τοῦ μακαρίου Φιλίππου, ἔκρουσεν εἰς τὸν πυλῶνα τοῦ μοναστηρίου· ἐξελθὼν δὲ ὁ θυρωρὸς, καὶ θεασάμενος αὐτὴν, ἔδοξεν ἄνδρα εἶναι, καὶ εἰσήγαγεν αὐτὴν ἔνδον. εἶτα ἐπηρώτησεν, τί ἂν βούλοιτο, καὶ πόθεν ἥκει. ἡ δὲ λέγει· πόθον ἔσχον πολὺν τοῦ εὔξασθαι ἐνταῦθα καὶ εὐλογηθῆναι παρ' ὑμῶν. Ὁ δὲ θυρωρὸς ἀπελθὼν, ἀνήγγειλεν ἅπαντα τῷ μακαρίῳ Φιλίππῳ, λέγων· πάρεστίν τις νεανίσκος εὐειδὴς, φάσκων εὐχῆς χάριν ἥκειν, καὶ εὐλογηθῆναι παρ' ὑμῶν. ὁ δὲ εἶπεν· προσάγαγε αὐτὸν ἐν τῷ εὐκτηρίῳ, εἶθ' οὕτως πρὸς μέ. ὁ δὲ ἐποίησεν ὡς διετάχθη· εἶθ' οὕτως εἰσήγαγεν αὐτὴν πρὸς αὐτόν. ἡ δὲ εἰσελθοῦσα προσεκύνησεν τῷ μακαρίῳ Φιλίππῳ ἐπὶ τὴν γῆν, ἔπειτα καὶ τοῖς παρεστῶσι. ὁ δὲ μακάριος Φίλιππος ἔφη· καλῶς ἦλθες, ἀδελφέ. πόθεν, καὶ τίνος χάριν ἦλθες πρὸς ἡμᾶς τοὺς ταπεινούς. ἡ δὲ εἶπεν· ἐγὼ δέομαί σου πάτερ· ἀπὸ Καισαρείας εἰμὶ τῆς Παλαιστήνης, καὶ ἀποβεβληκὼς τοὺς γεννήσαντας, ἥκω νῦν ἐνταῦθα τοῦ Θεοῦ με ὡδηγήσαντος, ἵνα ποιήσῃς με ὡς ἕνα τῶν ἀδελφῶν τῶν ὄντων μετα σοῦ, καὶ σωθῇ μου ἡ ψυχή. λέγει αὐτῇ ὁ μακάριος Φίλιππος· τί τὸ ὄνομά σου. ἡ δὲ εἶπεν· Ἰοάννης καλοῦμαι

* an forte ἀπόσχετε abstinete

A λοῦμαι. οἱ δὲ παρεστῶτες ἀδελφοὶ εἶπον· καλὸν ὄνομα ἔχεις, ἐὰν καὶ τὴν προαίρεσιν κτήσῃ.

5 Τότε ἤρξατο αὐτὴν ὁ μακάριος Φίλιππος ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν νουθετεῖν, περὶ ταπεινοφροσύνης, περὶ ὑπακοῆς, περι ἐγκρατείας, περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ἁπαξαπλῶς, καθῶς καθήκῃ παραινέσας αὐτὴν, καὶ καιροῦ καλέσαντος, ἔδωκεν αὐτῇ καὶ τὸ τῶν μοναχῶν ἅγιον σχῆμα· ἥτις λαβοῦσα τὸ σχῆμα, ἐκτενῶς προσεῖχεν τῇ ἀσκήσει, ἐπιδεικνημένη πᾶσαν ταπεινοφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν, ἀγρυπνίαν τε καὶ κλαυθμὸν, καὶ αὄκνως ταῖς εὐχαῖς προσκαρτεροῦσα, ὡς ἅπαντας χαίρειν ἐν αὐτῇ, καὶ δοξάζειν τὸν Κύριον· ἐγένετο δὲ χρόνους ἱκανοὺς ποιῆσαι αὐτὴν ἐν τῇ καλλίστῃ ταύτῃ πολιτείᾳ, ὡς περίπου τὰ εἴκοσι ἔτη· καὶ οὐδεὶς ἠδυνήθη τῷ τοσούτῳ χρόνῳ γνῶναι, ὅτι γυνὴ ὑπῆρχεν. Ἦν δέ τις ἀσκήτρια τῷ σχήματι, καὶ οὐ τῷ πράγματι ἀπὸ Ἐλευθεροπόλεως· αὕτη ἔθος ἔσχεν εἰσιέναι ἐν τῷ μοναστηρίῳ εὐλαβείας χάριν πρὸς τὸν μακάριον Φίλιππον. εἰσιοῦσα οὖν καὶ ἐξιοῦσα ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ἐν συντυχίᾳ γέγονε καὶ τὸν μακαρίας ταύτης Σωσάννης ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, ὅθεν καὶ εὐλογηθεῖσα ὑπ' αὐτῆς, ὁσάτε ὑπὸ ἀνδρός. Ὁσάκις ἂν εἰσήρχετο ἐν τῷ μοναστηρίῳ B πρὸς τὸν μακάριον Φίλιππον, ἐν συντυχίᾳ καὶ ὁμιλίᾳ πλατυτέρᾳ ἐγίνετο καὶ αὐτῆς, οἰομένη αὐτὴν εἶναι ἄνδρα, ὡς ἐκ τούτου ἐγένετο αὐτῆς ἐν ἐπιθυμίᾳ αἰσχρᾷ ἡ δῆθεν ἀσκήτρια. ἐπὶ πολλοῦ οὖν χρόνου τοῦτο διανουμένη, καὶ πυρπολουμένη ἔνδοθεν τὴν ψυχὴν, μὴ εὑρίσκουσα δὲ καιρὸν εὔθετον πληρῶσαι τῆς ψυχῆς αὐτῆς τὴν ἀπώλειαν, συκοφαντίας δράμα ἐπιπλέκει τῇ σώφρονι καὶ δικαίᾳ Σωσάννῃ, ὅσατε προπέμπων αὐτὴν ἀπὸ τοῦ μοναστηρίου, βιασάμενος καὶ φθείρας αὐτήν.

6 Καὶ δὴ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, ἐξελθοῦσα ἐκ τοῦ μοναστηρίου ἐπορεύετο δεινῶς ὀδυρομένη καὶ κοπτομένη καὶ βοῶσα, κατὰ συγκυρίαν, μᾶλλον δε κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ὑπήντησεν αὐτὴν ὁ ἐπισκόπος Ἐλευθεροπόλεως ὁ ὅσιος Κλεώπας, καὶ ἰδὼν αὐτὴν οὕτως κοπτομένην καὶ θρηνοῦσαν, εἶπεν αὐτῇ· τί σοι ἐστιν, γῦναι, καὶ τί πέπονθας, ὅτι οὕτως πικρῶς στενάζεις καὶ βοᾷς; ἡ δὲ εἶπεν ὀλοφυρωμένη· δέομαί σου δέσποτα, ἄκουσόν μου τῆς ταλαιπώρου· ἐξ ἱκανοῦ ἀπιοῦσα ἐν τῷ μοναστηρίῳ τοῦ κυροῦ Φιλίππου εὐλογίας χάριν, οὐδὲν πέπονθα δεινὸν ἢ ἄτοπον ποτέ. Καὶ τὰ νῦν, οὐκ οἶδα πόθεν ἐδέξαντο νεανίαν εὐειδῆ, ὀνόματι Ἰωάννην, ὅστις ὡς προφάσει προπέμπων, ἐβιάσατό με, καὶ ἔφθειρέν μου τὴν παρθενίαν· καὶ ἕνεκα τούτου θρηνῶ. ὁ δὲ C τίμιος καὶ ὅσιος ἐπίσκοπος Κλεώπας, τοῖς πειθανοῖς αὐτῆς λόγοις, μᾶλλον δὲ ἀπατηλοῖς, πεισθεὶς, λέγει αὐτῇ· ὑπόστρεφε ἅμα ἐμοὶ εἰς τὸ μοναστήριον· ἐκεῖ γὰρ πορεύομαι συντυχίας χάριν· καὶ ἤγαγεν αὐτὴν ἐν τῷ μοναστηρίῳ. εἰσελθὼν ἂν ὁ ὅσιος ἐπίσκοπος ἐν τῷ μοναστηρίῳ πρὸς τὸν μακάριον Φίλιππον ἠσπάσατο αὐτὸν, καὶ καθισάντων αὐτῶν, ἤρξατο ἐπεγκαλεῖν ὁ ἐπίσκοπος τῷ μακαρίῳ Φιλίππῳ, λέγων· ἰδοὺ χάριτι Χριστοῦ πεντήκοντα καὶ πρὸς ἔτη ἔχεις ἐν τῷ μοναστηρίῳ τούτῳ, καὶ οὐδεὶς πώποτε κακόν τι ἤκουσεν περὶ σοῦ, ἢ περὶ τῶν οἰκούντων σύν σοι· καὶ ἡμεῖς δὲ αὐτοὶ, καὶ οἱ καθεῖς ἐρχόμενοι, ὡς πρὸς ἄνδρας Θεῷ ἀνακειμένους ἐρχόμεθα.

7 Καὶ τίς ἐστιν οὗτος, ὃν ἔχεις ἐν τῷ μοναστηρίῳ σου, φθορέα ψυχῆς ἀνακειμένης Θεῷ, ὀνόματι Ἰωάννην, ὅστις ἐβιάσατο τὴν παρθένον τὴν ἐξ ἔτους φυτῶσαν ἐνταῦθα εὐλογίας χάριν, καὶ ἔφθειρεν; ἣν καὶ ὑπαντήσας βοῶσαν καὶ κοπτομένην ὑποστρέψας, ἤγαγον ἐνταῦτα. Καὶ ἐκέλευσεν ὁ ἐπίσκοπος ἀχθῆναι τὴν ἀσκήτριαν. ἡ δὲ ἐλθοῦσα, ταῦτα εἶπεν καὶ ἐπὶ τοῦ ἀββᾶ Φιλίπποῦ, ὅτι τὰ καὶ τὰ ἐποίησέ μοι ὁ μονάζων σου. ὁ δὲ μακάριος Φίλιππος ἔφη τῷ ἐπισκόπῳ· δέομαι τοῦ ἁγίου σου ἀγγέλου. Ἐγὼ οὕτως ἔχω, ὅτι καὶ ἐμοῦ ἡσυχά-

runt: Pulcrum habes nomen, si et bona sis voluntate.

A. ANONYMO.

5 Tunc beatus Philippus cœpit ex sacris Scripturis ipsam admonere de humilitate, de obedientia, de continentia, de vigilia, et prorsus, quemadmodum decet, ipsam adhortatus, temporeque monente, dedit ipsi sanctum monachorum habitum. Illa, accepto habitu, omnibus viribus ad exercitationem suam incumbebat, ostendens omnimodam humilitatem et continentiam, vigiliisque et luctui dedita, et impigre precibus insistens, ut omnes de ea lætarentur, et gloriam Domino darent. Optimum hoc vitæ institutum longo tempore continuavit, ut viginti fere essent evoluti anni: nec ullus tanto tempore cognoscere potuit, mulierem esse. Erat porro quædam habitu, non operibus, ascetria Eleutheropolitana: hæc solebat pietatis gratia ingredi monasterium ad beatum Philippum. Cum itaque monasterium ingrederetur et egrederetur, die quodam in societate fuit beatæ hujus Susannæ: unde et benedictionem ab ea accepit, tamquam a viro. Quoties autem monasterium ingrediebatur ad beatum Philippum, cum ipsa etiam diutius conversabatur et colloquebatur, existimans virum esse: unde et ejus libidine excitabatur lasciva illa ascetriam præferens. E Ad longum igitur tempus illud in mente volvens, et cupiditatis flammam in anima nutriens; sed opportunam minime inveniens occasionem, qua in ruinam animæ suæ scelus meditatum perficeret, sycophantiæ scenam instruit contra castam et justam Susannam, acsi comitans ipsam e monasterio, vim intulisset et corrupisset.

receptaque a Philippo abbate, ibidem diu optime vivit.

6 Et consequenter die quodam, cum e monasterio fuisset egressa, per viam ibat vehementer lamentans, plangens et clamans, quando permittente aut potius dispensante Deo, occurrit illi episcopus Eleutheropolitanus sanctus Cleopas *e*, vidensque ipsam adeo plangentem et lugentem, dixit eidem: Quid tibi est, mulier, aut quid passa es, quod tam amare gemas et clames? At illa ejulans dixit: Rogo te, domine, audi me misellam. A multo tempore benedictionis gratia adire soleo monasterium domni Philippi; nec umquam aliquid passa sum grave aut absonum. At nunc, nescio unde, juvenem in monasterio exceperunt formosum, nomine Joannem, qui prætextu quodam comitans, vim mihi intulit, et virginitatem meam abstulit: hac de causa lugeo. Venerabilis et sanctus F episcopus Cleopas, persuasibilibus ipsius aut potius fraudulentis verbis fidem habens, dicit eidem: Revertere mecum ad monasterium; nam eo tendo colloquii causa: ipsamque duxit ad monasterium. Ingrediens igitur sanctus episcopus in monasterium ad beatum Philippum, salutavit ipsum: cumque consedissent, cœpit episcopus arguere beatum Philippum, dicens: Ecce per gratiam Christi quinquaginta *f* et eo amplius annos habes in hoc monasterio; nec ullus umquam quid mali audivit de te, aut de habitantibus tecum: et nos ipsi, et quicumque singulatim accedunt, venimus tamquam ad viros Deo intentos.

Calumnia appetitur Sancta, acsi virginem violasset, *e*

f

7 Quis igitur ille est, quem habes in monasterio tuo, corruptorem animæ Deo unice intentæ, nomine Joannem, qui vim intulit virgini, benedictionis gratia huc venienti de more, ipsamque corrupit? Hanc clamantem et lamentantem cum obviam habuissem, redire jussam huc duxi. Tum jussit episcopus adduci ascetriam. Hæc vero ingressa, coram abbate Philippo eadem dixit, nimirum hæc et illa in me commisit monachus tuus. At beatus Philippus dixit episcopo: Veneror sanctum angelum

et coram episcopo Eleutheropolitano accusata,

A. ANONYMO. gelum tuum: ego sic mihi persuadeo, vel me tacente, Deum liberaturum fratres meos omni malo. Quod spectat ad Fratrem, de quo talia dicitis, existimo ipsum esse ex virorum perfectorum et compunctorum numero; et in oculis Fratrum ex illis est, qui maximis splendent virtutibus. Vigesimus enim jam currit annus, ex quo sanctis ejus permotus precibus monasticum ipsi habitum concessi: nec ullus in bono cespitantem deprehendit, nullus otiosa loquentem: omnimodæ humiliationi, compunctioni, fletui, et psalmorum cantui constanter insistit: in obedientia vero promptus est, ut nos omnes de ipso gaudeamus. Si vero id sic evenit, mitto ipsum nunc ad vos: et, ubi adstiterit coram nobis, interrogando ipsum veritatem exquirite: si autem noxius fuerit deprehensus, aufero ei habitum, quem eidem dedi, et potestatem habes faciendi de ipso, quodcumque placuerit. Reponit episcopus: Audi, domne abbas: Deus quidem conservare potest gregem suum, sive in sanctis ecclesiis sive in martyriis constitutum; sed negligentiæ, pigritiæ, et intempestivæ indulgentiæ rationem Deo reddere oportebit nos, quibus invigilandi
B cura commissa est, quia non admodum solicite et operose secuti sumus canones, nobis traditos a sanctis Patribus. Dic ergo mihi, obsecro: cujus utilitatis, aut cujus ædificationis animæ est, quæ vero lex spiritalis permittit, qualemcumque assuefacere mulierem ingredi [monasterium] virorum, qui se Deo consecrarunt, qui in mundo sunt peregrini, qui in silentio degere elegerunt? Secundum ipsam apparentiam nonne motorum scandalorum mala illa consuetudo est causa? Si enim jubemur parentes relinquere, non tamquam ipsos odio prosequentes, sed ne ipsos magis quam Christum diligamus; quanto magis ob animæ detrimentum prohibemur peregrinam mulierem in domum virorum introducere, et familiarem facere, et cum ipsa perire?

et vix non condemnata, 8 Vocetur igitur requisitus Frater, ut rem manifeste cognoscamus. Advocata vero beata Susanna, venerata est episcopum prostrata in terram, deinde abbatem Philippum, et omnes adstantes fratres, et stetit. At inhonesta illa et impudens, falsique nominis ascetria, perspiciens beatam Susannam, leænæ instar feræ currens, apprehendit pallium ipsius impudenter, clamavitque ad omnes: Hic est ille deceptor, hic est corruptor virginitatis meæ, hic est, qui animam meam maculavit.
C At vere beata et casta Susanna, Deum in se habens, stetit animo minime turbato. Ad quam episcopus, tamquam ad virum dixit: Pulchre fecisti, Frater, habitu humiliationis et pietatis secundum Apostolum indutus, vim inferendo et corrumpendo hanc virginem. Illa vero tacuit. Rursum ad illam dicit episcopus: Nihilne respondes? Quid illa contra te testatur? Tunc beata Susanna respondens, dixit episcopo: Veneror te, Domine. Non sum mihi conscius alicujus mali in mulierem illam patrati. Si vero feci etiam, ut dicit, veniam flagito: nam pœnitentium est Deus. Et, his dictis, accidit ad pedes episcopi, ut sibi ignosceret, rogans. Episcopus vero ad ipsam dixit: Ut quid mihi ad pedes provolveris? Nescis, peccatum tuum minime simplex esse et vulgare? Nam scelus patratum est in animam, quam humiliasti, et non tibi solum miseriam affert et jacturam crimen commissum, sed etiam omnibus in monasterio habitantibus. Tunc beatus Philippus, magnopere indignatus et vehementer constristatus surrexit, petiitque, ut habitus monasticus ab ea, tamquam condemnata, auferretur.

9 At ipsa ad illum dixit: Exspecta paululum,

ζοντος, ὁ Θεὸς διαφυλάττει τοὺς ἀδελφοὺς ἀπὸ παντὸς κακοῦ· ἀλλὰ καὶ ὁ ἀδελφὸς, περὶ οὗ λέγετε ταῦτα, νομίζω ἐν τοῖς τελείοις κατανενυγμένοις ἀνδράσιν αὐτὸν ὑπάρχειν, καὶ ἐφ' ὄψεσιν τῶν ἀδελφῶν ἐν τοῖς μεγάλως κατορθοῦσιν ἐστίν. Εἰκοστὴν γὰρ ἄγει ἔτος, ἀφ' οὗ εὐχαῖς αὐτοῦ ὁσίαις δέδωκα αὐτῷ τὸ μοναστικὸν σχῆμα· καὶ οὐδὲ ἀδιαφοροῦντά τις ἴδεν αὐτὸν, οὔτε ἀργολογοῦντα, ἀλλ' ἐν πάσῃ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ κατανύξει, καὶ κλαυθμῷ, καὶ ψαλμῳδίᾳ προσκατερεῖ, καὶ ἐν τῇ ὑπακοῇ δὲ πρόθυμος, ὥς πάντας ἡμᾶς χαίρειν ἐπ' αὐτόν. εἰ δὲ τοῦτο οὕτω γέγονεν, μεταστέλλομαι αὐτὸν νῦν ἐφ' ὑμῶν· καὶ ὡς παρίσταται ἡμῖν, ἀνακρίνοντες αὐτὸν, μάθετε τὸ ἀσφαλὲς παρ' αὐτοῦ. καὶ ἐὰν ὁραθῇ ὑπεύθυνος, ἀφαιρῶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ σχῆμα, ὃ δέδωκα αὐτῷ, καὶ ἐξουσίαν αὐτοῦ ἔχεις, ὃ θέλεις, πρᾶξαι εἰς αὐτόν. Λέγει αὐτῷ ὁ ἐπίσκοπος· ἄκουσον κῦρι ἀββᾶ· ὁ μὲν Θεὸς τὴν ποίμνην αὐτοῦ τὴν ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις, καὶ ἐν τοῖς μαρτυρίοις, ἱκανός ἐστιν διαφυλάξαι· τὸν δὲ ἀμελείας, καὶ ῥαθυμίας, καὶ ἀκαίρου συμπαθείας ἡμεῖς, οἱ ἐγχειρισθέντες ἄρχειν αὐτῶν, ἀπαιτούμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τὴν δίκην, ὅτι οὐκ ἐπιμελῶς ἄγαν καὶ πεπονημένως ἐξηκολυθήσαμεν τοῖς παραδοθεῖσιν ἡμῖν κανόσιν ὑπὸ τῶν E
ἁγίων πατέρων. εἰπέν μοι οὖν, παρακαλῶ· ποία ὠφέλεια, ἢ ποία οἰκοδομὴ ψυχῆς, ἢ ποῖος κανὼν πνευματικὸς ἐπιτρέπει, ἐθίζειν οἵαν δή ποτ' οὖν γυναῖκα εἰσιέναι τῶν τῷ Θεῷ ἑαυτοὺς ἀφιερωσάντων, καὶ τοῦ κόσμου ξενωθέντων, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ διάγειν ἐπανῃρημένων; κατὰ τὸ φαινόμενον οὐχὶ τῶν νυνὶ κινουμένων σκανδάλων τὸ πονηρὸν ἔθος τοῦτο πρόξενον; εἰ γὰρ καταλίπειν τοὺς γεννήσαντας κελευόμεθα, οὐχ ὡς μισοῦντες, ἀλλ' ὡς μὴ ὑπεραγαπᾶν τοῦ Χριστοῦ, πόσῳ μᾶλλον ψυχῆς ἕνεκα βλάβης, ξένην γυναῖκα εἰσοικίζειν ἐν μοναστηρίῳ ἀνδρῶν, καὶ οἰκειοῦσθαι καὶ συναπόλλυσθαι;

8 Κληθήτω οὖν ὁ ἐπιζητούμενος ἀδελφὸς, ἵνα γνῶμεν τὸ σαφές. κληθεῖσα δὲ ἡ μακαρία Σωσάννα, προσεκύνησεν τῷ ἐπισκόπῳ ἐπὶ τὴν γῆν, εἶθα τῷ ἀββᾷ Φιλίππῳ, καὶ πᾶσι τοῖς παρεστῶσιν ἀδελφοῖς, καὶ ἔστη. ἡ δὲ ἄσεμνος ἐκείνη καὶ ἀναιδὴς ψευδασκήτρια, ἰδοῦσα τὴν μακαρίαν Σωσάνναν, δραμοῦσα ὥσπερ λέαινα ἀγρία, ἐπέσχεν αὐτῆς τοῦ παλλίου ἀναιδῶς, καὶ ἐβόα ἐπὶ πάντων· οὗτός ἐστιν ὁ πλάνος, οὗτός ἐστιν ὁ φθορεὺς τῆς ἐμῆς παρθενίας, οὗτός ἐστιν ὁ κηλιδώσας μου τὴν ψυχήν. ἡ δὲ ὄντως μακαρία καὶ σώφρων F
Σωσάννα, τὸν Θεὸν ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ, εἱστήκει ἀταράχῳ λογισμῷ. Πρὸς ἣν ὁ ἐπίσκοπος, ὡς πρὸς ἄνδρα, ἔφη· καλῶς πεποίηκας ἀδελφὲ, σχῆμα ταπεινώσεως καὶ εὐλαβείας κατὰ τὸν ἀπόστολον περιβεβλημένος, βιασάμενος καὶ φθείρας τὴν παρθένον ταύτην. ἡ δὲ ἐσιώπα. Παλὶν λέγει πρὸς αὐτὴν ὁ ἐπίσκοπος· οὐδὲν ἀποκρίνει; τί σου καταμαρτυρεῖ αὕτη; Τότε ἡ μακαρία Σωσάννα ἀποκριθεῖσα, ἔφη τῷ ἐπισκόπῳ· δέομαι σου, δέσποτα· οὐ συνοῖδα ἐμαυτῷ τι κακὸν πεπραχέναι εἰς τὸ γύναιον τοῦτο. εἰ δὲ καὶ ἐποίησα, ὡς λέγει, συγγνώμην αἰτῶ· ὁ γὰρ Θεὸς τῶν μετανοούντων ἐστί· καὶ ταῦτα εἰποῦσα, προσέπεσε τοῖς ποσὶ τοῦ ἐπισκόπου, αἰτοῦσα συγχώρησιν. ὁ δὲ ἐπίσκοπος πρὸς αὐτὴν εἶπεν· τί προσέπεσάς μοι; οὐκ οἶδας ὅτι τὸ ἁμάρτημά σου οὐκ ἔστιν ἀπλῶς* καὶ ὡς ἔτυχεν; περὶ ψυχῆς γάρ ἐστιν τὸ κινούμενον, ἧς ἐταπείνωσας· καὶ οὐ μόνον σοι ἐπιφέρει θλίψιν καὶ κάκωσιν τὸ γεγονὸς, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν ἐν τῷ μοναστηρίῳ. τότε ὁ μακάριος Φίλιππος μεγάλως ἀγανακτήσας, καὶ λυπηθεὶς σφόδρα, ἀναστὰς, ἐζήτησεν ἆπαραι ἀπ' αὐτῆς τὸ μοναχικὸν σχῆμα, ὡς κατακριθείσης.

* forte ἁπλοῦν

9 Ἡ δὲ εἶπεν αὐτῷ· ἐπίσχες ὀλίγον, πάτερ, ἐμοὶ, καὶ

A καὶ ὄψη τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ · καὶ ἀναστᾶσα ἀπὸ τῆς γῆς, εἶπεν τῷ ἐπισκόπῳ· παρακαλῶ σε διὰ τὸν Κύριον, δέσποτα, κέλευσον διὰ τάχους παραγενέσθαι δύο διακονίσσας, καὶ δύο παρθένους· ἔχω γάρ τι ἀναθέσθαι αὐταῖς, ὅπερ καὶ ὑμᾶς θεραπεύσει. ὁ δὲ ἐπίσκοπος ἀπέστειλεν εὐθέως ἐν Ἐλευθεροπόλει, ἄγειν τὸ τάχος τὰς δύο διακονίσσας καὶ τὰς δύο παρθένους· τῶν δὲ παραγενομένων, παραλαβοῦσα αὐτὰς ἡ μακαρία Σωσάννα, ἄπεισι μετ' αὐτὰς * ἐν τῷ διακονικῷ * τοῦ μοναστηρίου, καὶ ἀποδυσαμένη ἔμπροσθεν αὐτῶν, ἔδειξεν αὐταῖς, ὅτι καὶ αὐτὴ θηλία ἐστὶ τῇ φύσει, καὶ συνπαρθένος αὐτῶν, ὡς ἐγεννήθη, ὑπάρχει, καὶ ἕνεκεν τοῦ σωθῆναι αὐτῆς τὴν ψυχὴν μετῆλθεν τὸ ἀγγελικὸν τοῦτο σχῆμα, καὶ μετωνόμασεν ἑαυτὴν Ἰωάννην, Σωσάννα δὲ κέκληται τὸ ὄνομα αὐτῆς. αἱ δὲ τίμιαι γυναῖκες ἐκεῖναι, ἰδοῦσαι καὶ ἀκούσασαι ταῦτα, ἐκπλαγεῖσαι ἀνεβόησαν φωνῇ μεγάλῃ, λέγουσαι· μέγας ὁ Θεός, ὁ δούς σοι χάριν τοιαύτην, καὶ ὑπομονήν. Ἀκούσαντες δὲ τὴν βοὴν ὅ τε ἐπίσκοπος, καὶ οἱ μοναχοί, καὶ οἱ παρόντες λαοί, ἐταράχθησαν πάντες καὶ συνέδραμον, γνῶναι τὴν βοὴν τὴν γενομένην. ᾤοντο γάρ, μή τι αἰσχρὸν καὶ εἰς ταύτας ἐπεχείρησεν. τότε αἱ διακόνισσαι καὶ αἱ παρθένοι, ἐλθοῦσαι πρὸς τὸν ἐπίσκοπον, εἶπον· ἀληθῶς νῦν ἴδομεν νέαν Σωσάνναν· συκοφαντία τοίνυν ἐστὶ τὸ πρᾶγ-
B μα. ἃ γὰρ αὕτη ἡ παναθλία ἐπονηρεύσατο, ὡς ἀνδρί, καὶ οὐδὲν ἤνοισεν, ἀντεπήγαγεν δόλῳ τῇ σώφρονι καὶ δικαίᾳ ταύτῃ, διὸ πυρίκαυστος ἡ ψευδασκήτρια αὕτη γενέσθαι· ἡ τιμία γὰρ αὕτη ἄνθρωπος θηλία ὑπάρχει τῇ φύσει, καὶ συμπαρθένος ἡμῖν ἐστιν, καὶ Σωσάννα καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῆς, μετενόμαζε δὲ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἰωάννην διὰ τὴν εἰς Θεὸν ἀγαθὴν ἐλπίδα, καὶ τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν. Ταῦτα τοίνυν ἀκούσαντες ἅπαντες ὑπὸ τῶν τιμίων διακονισσῶν καὶ παρθένων, θαυμάσαντες τὴν πολλὴν πίστιν, καὶ σωφροσύνην, καὶ ἁγνείαν τῆς μακαρίας Σωσάννης, φωναῖς ἐπινικίαις ἀνύμνουν τὸν Θεὸν τὸν ἅγιον, ὅτι οὐχ εὑρέθη ἐν αὐτῇ μῶλος πονηρός.

*l. αὐτῶν

*forte διακονίῳ

*f ὥσπερ

10 Τότε ἐκινήθησαν οἱ ἀδελφοὶ πάντες λιθοβολῆσαι καὶ ἀνελεῖν βουληθέντες τὴν ψευδασκητρίαν· ἡ δὲ μακαρία Σωσάννα, πολλὰ δεηθεῖσα αὐτῶν καὶ ἱκετεύσασα, καὶ ἐπὶ τὴν γῆν προσπεσοῦσα, ἔπαυσεν αὐτοὺς τοῦ τοιούτου βουλήματος καὶ ἐγχειρήματος. ὁ δὲ ὅσιος ἐπίσκοπος Κλεώπας περιβοηθῆναι αὐτὴν καὶ ἐκβληθῆναι τῆς ἐνορίας ἐκείνης πεποίηκεν. Μετὰ δὲ τὸ γενέσθαι ταῦτα πάντα, λαβὼν ὁ τρισόσιος ἐπίσκοπος τὴν μακαρίαν Σωσάνναν, ἀπήγαγεν αὐτὴν ἐν Ἐλευθεροπόλει, καὶ κατέστησεν αὐτὴν ἡγεῖσθαι τοῦ ἀσκητηρίου τῶν
C παρθένων τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, ποιήσας αὐτὴν καὶ διάκονον τῆς αὐτῆς ἁγίας ἐκκλησίας, ὡς τιμίας καὶ εὐλαβεστάτης καὶ παρθένου ὑπαρχούσης. Γνωστὸν δὲ ἐγένετο τοῦτο ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ἐκείνῃ, καὶ ἦν δοξαζομένη καὶ τιμωμένη ὑπὸ πάντων· πολλοὺς δὲ τῶν ἐχόντων ποικίλαις νόσοις καὶ ἀσθενείαις διὰ τῶν ταύτης τιμίων εὐχῶν ὁ Κύριος ἰάσατο· ὁμοίως δὲ καὶ πολλοὺς ἀπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων καὶ πονηρῶν ὀχλουμένους δι' εὐχῆς ἐκάθηρεν. τῶν τε πτωχῶν ἐπιμελῶς πρόνοιαν ἐποιεῖτο, καὶ ἀπαξαπλῶς ἦν διαλάμπουσα ὡς φωστὴρ διαυγέστατος, ὑπὸ Θεοῦ ἀποσταλεῖσα τῇ χώρᾳ ἐκείνῃ.

11 Χρόνου δὲ πολλοῦ προβάντος, ἐπεδήμησεν ἐν Ἐλευθεροπόλει ἡγεμών, ὀνόματι Ἀλέξανδρος, δεινὸς καὶ ἀπηνὴς καὶ λοιμὸς τοῖς τρόποις. Οὗτος προσκαλεσάμενος τοὺς πρώτους τῆς πόλεως ἐκέλευσεν αὐτοὺς κηρύξαι ἐν τῇ πόλει, ὥστε πάντας αὐτοὺς προθύμως συνέρχεσθαι ἐπὶ τὸν ναὸν τοῦ διὸς τοῦ ἀποδοῦναι θυσίας καὶ προσκυνήσεις τοῖς θεοῖς. Πάντων δὲ προθύμως συντρεχόντων κατὰ τὸ κελευσθὲν ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος, καὶ τὴν προσκύνησιν καὶ θυσίας ἀποδιδόντων τοῖς ματαίοις εἰδώλοις, ἀκούσασα ταῦτα ἡ μακαρία Σωσάννα, ἔδραμεν ἐπὶ τὸν ναόν, καὶ ἰδοῦσα τοὺς ἐμψύχους ἀνθρώπους προσκυνοῦντας ἀψύχοις λίθοις, ἔπαθεν τῇ ψυχῇ. εἶτα ἀπελθοῦσα κατ' ἰδίαν, καὶ ἐκτείνασα τὰς χεῖρας

pater; et videbis gloriam Dei. Et surgens de terra dixit episcopo : Obsecro te per Deum, domine, jube velociter adesse duas diaconissas et duas virgines : est enim aliquid ipsis intimandum, quod et vobis usui erit. Episcopus vero statim misit Eleutheropolim, ut velociter adducerentur duæ diaconissæ et virgines duæ. Ubi vero hæ advenerant, cum ipsis abiit beata Susanna ad diaconiam monasterii, vestesque coram ipsis exuens, ostendit, et se natura feminam esse, et cum ipsis virginem existere, ut nata erat : docuitque, se ad salutem animæ suæ obtinendam assumpsisse habitum illum angelicum ; et nomine mutato Joannem se dixisse; sed vero nomine Susannam fuisse vocatam. Honorabiles autem illæ mulieres, postquam omnia ista viderant et audiverant, attonitæ voce magna exclamaverunt, dicentes : Magnus Deus, qui dedit tibi gratiam et tolerantiam tantam ! At episcopus, monachi et populus præsens, ubi vocem audierunt, turbati sunt omnes et accurrerunt, inquisituri causam vocis factæ : suspicabantur enim, et in ipsas fortasse quid turpitudinis molitum esse. Tunc diaconissæ et virgines venerunt ad episcopum, et dixerunt : Enimvero novam vidimus Susannam : et res tota non nisi pura est calumnia. Quæ enim miserrima illa malitiose egit, tam- E
quam in virum, et minime perfecit *g*, hæc dolo objecit castæ isti et justæ, quod ipsa lidibinis flamma est incensa. Nam persona illa venerabilis natura est femina, et nobiscum virgo, et verum ipsius nomen Susanna. Mutavit vero nomen suum cum nomine Joannis propter bonam in Deum spem et propter regnum cælorum. Hæc igitur omnes audientes a venerabilibus diaconissis et virginibus, admirantes magnam fidem, prudentiam et castitatem beatæ Susannæ, vocibus et hymnis festivis laudabant Deum sanctum, quod nulla mali labes in ea esset inventa.

A. anonymo. prodere cogitur, se mulierem et virginem esse.

g

10 Tunc fratres omnes commoti sunt ad obruendam lapidibus et occidendam falsi nominis ascetriam. At beata Susanna, multum ipsos obsecrans et obtestans, et in terram se prosternens, talem ipsorum voluntatem et conatam cohibuit. Verum sanctus episcopus Cleopas curavit infamiam ejus vulgari, ipsamque e finibus illis ejici. Postquam omnia ista erant peracta, sanctissimus episcopus assumptam beatam Susannam duxit Eleutheropolim *h*, ipsamque præposuit asceterio virginum sanctissimæ ecclesiæ, ejusdem etiam ecclesiæ dia- F
conissam ordinans, quod honorabilis esset, et maxime religiosa et virgo. Factum istud innotuit in omni terra illa, eratque in gloria et in honore apud omnes. Multos vero ex illis, qui variis detinebantur morbis, per sanctas ipsius preces sanavit Dominus : similiter et multos ab immundis et malis spiritibus vexatos per orationem mundavit. Pauperum quoque diligentem habuit curam, eratque prorsus fulgens, ut lampas lucidissima, divina providentia ad illum locum transmissa.

Deinde Eleutheropoli virginibus præfecta, miraculis claret :

h

11 Transacto multo tempore, Eleutheropolim venit præfectus, nomine Alexander, vehemens, sævus et perversus moribus. Hic, advocatis primariis civitatis viris, ipsos per urbem promulgare jussit, ut omnes alacriter convenirent ad templum Jovis ad offerendum diis sacrificia et adorationes. Omnibus prompte ad templum concurrentibus secundum præfecti mandatum, adorationemque vanis idolis et sacrificia afferentibus, cum rem intellexisset beata Susanna, ad templum cucurrit, vidensque homines animatos inanimatis honorem deferre lapidibus, animo commota est. Deinde seorsum secedens, extensis in cælum manibus

et populo idolis sacrificante, ad ejus preces omnia corruunt :

A. ANONYMO. nibus, Deum oravit, et dixit : Domine Deus virtutum, qui Verbo tuo omnia fecisti,tam visibilia quam invisibilia, exaudi hac hora me inutilem famulam tuam, et jube omnia hæc idola immunda et inanimata confestim concidere et conteri, quia tu solus es Deus et te decet gloria in secula. Amen. Ubi ipsa orationem compleverat, auditum est tonitru, et sonitus ingens, ita ut omnes exterrerentur : et simul ceciderunt idola omnia in conspectu omnis populi, factaque sunt cineris instar tenuissimi. Exorto hinc multo tumultu et turbatione magna, vir quidam, nomine Aquilas, dixit : Quid frustra turbamini? Ego ipse vidi Christianam Susannam hic præsentem. Illa invocans Deum suum, hanc nobis creavit molestiam.

hinc capta interrogatur, libereque respondens,

12 Tum continuo currens, Alexandro præfecto rem nuntiavit, dixitque : Veneror te, domine. Est quædam puella hic habitans Christiana, nomine Susanna, instituto virgo, quæ veniens ad templum deorum, vidensque sacrificia ipsis a populo inculpate oblata, zelo correpta est, invocansque Deum, quem colit, omnes deos nostros dejecit, et in cinerem redegit. Præfectus, his auditis in furorem
B actus, comprehensam illam confestim sisti jussit. Qui missi erant, duxerunt ipsam, et coram præfecto constituerunt. Hic eidem conspectæ dixit : Virgo, audivi de te, acsi magna quædem, et laude nequaquam digna fueris operata. Verum dic mihi, qualem colis Deum; quia hunc invocans, ut dicunt, deos nostros dejectos in cinerem omnes redegisti? At beata Susanna dixit : Audi, o præfecte. Ego famula sum Dei, qui fecit cælum et terram et mare, et omnia, quæ in illis sunt. Verumtamen, mihi etiam dicito, talesne sunt dii tui, ut a majore et vero Deo dejecti, quemadmodum tu dixisti, non potuerint sibi ipsi opem ferre, sed facti sint cinis et pulvis? si dii sint, restituant et juvent se ipsi. Profecto risu et convitio digna sunt simulacra vestra. Tunc præses, istis verbis excandescens, dixit ministris : Abducite ipsam ex prætorio, abscissasque mamillas ejus, projicite a volucribus cæli devoranda : neque enim in conspectu meo punitam videre possum.

mamillarum abscissione mulctatur; sed mox divinitus sanatur :

13 Carnifices autem abductæ extra prætorium Sanctæ duas mamillas absciderunt,illaque in escam volucribus cæli projecerunt. Verum simul atque hoc fieret, ecce angelus Domini rapuit ambas Sanctæ mamillas, easque loco suo restituit, faciens
C ipsam æque sanam, ac ante erat. Carnifices vero intuentes admirandum istud prodigium, et obstupescentes dixerunt : Nonne ambas ejus mamillas nos ipsi abscidimus? Ecce sanguis etiamnum in manibus nostris est. Sane, nisi magni Dei esset famula, non tam facile is posset curam de ipsa habere. Præfectus vero dixit ministris : O pessimi ministri, quid susurratis inter vos? At illi dixerunt : Abi a nobis, inimice veritatis. Ab hoc enim tempore non amplius credimus fallacibus et vanis idolis nec illa amplius colimus; sed vero et viventi serviemus Deo, qui venerabilem hanc Virginem ex tanto eruit supplicio. Ecce enim manùs nostræ, ut vides, stillant sanguine mamillarum ejus; et illa sana est, quemadmodum prius : induxeruntque ipsam in conspectum ejus. Præfectus autem, cum sanctam Virginem videret sanam, pudore affectus, jussit decollari ministros, dicens, per hosce, si viverent, multos a diis avellendos. Cum vero occidendi abducerentur, dixerunt : Domine, Deus ancillæ tuæ Susannæ, annumera et nos credentibus in te : nos enim, Domine bone et mise-

εἰς τὸν οὐρανὸν, προσεύξατο πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ εἶπεν· D
Κύριε ὁ Θεὸς τῶν δυνάμεων, ὁ τὰ ἅπαντα ποιήσας διὰ τοῦ λόγου σου, τάτε ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, ἐπάκουσόν μου ὥρᾳ ταύτῃ· τῆς ἀχρείας σου δούλης, καὶ κέλευσον παραχρῆμα πάντα τὰ εἴδωλα τὰ ἀκάθαρτα καὶ ἄψυχα ταῦτα καταπεσεῖν καὶ συντριβῆναι, ὅτι σου εἶ μόνος Θεὸς, καὶ σοὶ πρέπει ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Καὶ πληρωσάσης αὐτῆς τὴν εὐχὴν, ἐγένετο βροντὴ καὶ ἦχος μέγας, ὥστε πάντας θροηθῆναι· καὶ παραυτὰ ἔπεσον τὰ εἴδωλα πάντα ἐφ' ὄψεσι παντὸς τοῦ λαοῦ, καὶ ἐγένοντο ὡς ἡ κόνις λεπτά. Θορύβου δὲ πολλοῦ γενομένου καὶ ταραχῆς, ἀνήρ τις, ὀνόματι Ἀκύλας, εἶπεν· τὶ μάτην ταράσσεσθε; ἐγὼ αὐτὸς ἑώρακα τὴν Χριστιανὴν Σωσάνναν παροῦσαν ἐνταῦτα. Αὕτη ἐπικαλεσαμένη τὸν Θεὸν αὐτῆς, τοῦτο ὑμῖν πεποίηκεν τὸ δεινόν.

12 Καὶ παραυτίκα δραμὼν ἀπήγγειλεν Ἀλεξάνδρῳ τῷ ἡγεμόνι, λέγων· δέομαί σου, κύριε, ἔστιν τις κόρη ἐνταῦθα οἰκοῦσα Χριστιανὴ, ὀνόματι Σωσάννα, παρθένος ὑπάρχουσα. αὐτη παραγενομένη εἰς τὸν ναὸν τῶν θεῶν, καὶ ἰδοῦσα τὰς θυσίας αὐτοῖς ὑπό τοῦ λαοῦ ἀμέμπτως προσαγομένας, ζήλῳ λήφθεῖσα, καὶ ἐπικαλεσαμένη τὸν Θεὸν, ὅν σέβεται, τοὺς θεοὺς ἡμῶν πάντας καταβαλοῦσα, τέφραν πεποίηκεν. ὁ δὲ ἡγεμὼν ἀκούσας ταῦτα, καὶ ἐμμανὴς γενόμενος ἐκέλευσεν συλληφθεῖσαν αὐτὴν τὸ τάχος παραστῆσαι. οἱ δὲ ἀποσταλέντες ἤγα- E
γον αὐτὴν καὶ παρέστησαν τῷ ἡγεμόνι. ὁ δὲ θεασάμενος αὐτὴν, εἶπεν· παρθένε, ἤκουσταί μοι περὶ σοῦ, ὡς ὅτι μεγάλα τινὰ καὶ οὐκ ἄξια ἐπαίνου πέπραχας ἔργα, ὁμῶς εἰπέ μοι, ποῖον Θεὸν σέβῃ, ὅτι τοῦτον ἐπικαλεσαμένη, ὡς φάσιν, τοὺς θεοὺς ἡμῶν καταβαλοῦσα ἐτέφρωσας πάντας. ἡ δὲ μακαρία Σωσάννα εἶπεν· ἄκουσον, ὦ ἡγέμων· ἐγὼ δὲ δούλη εἰμὶ τοῦ Θεοῦ, τοῦ ποιήσαντος τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. ὅμως εἰπέ μοι καὶ σὺ, τοιοῦτοι εἰσὶν οἱ θεοί σου, ὅτι ὑπὸ τοῦ μείζονος καὶ ἀληθινοῦ Θεοῦ καταβληθέντες, ὡς σὺ φῂς, οὐκ ἴσχυσαν ἑαυτοὺς βοηθῆσαι, ἀλλὰ γεγόνασι τέφρα καὶ κόνις. Εἰ εἰσὶν θεοὶ, ἀναστήτωσαν καὶ βοηθησάτωσαν ἑαυτοῖς. ἀληθῶς ἄξια γέλωτος καὶ λοιδορίας τὰ σεβάσματα ὑμῶν. τότε ὁ ἡγεμὼν ὀργισθεὶς ἐπὶ τοῖς λόγοις τούτοις, εἶπεν τοῖς ὑπηρέταις· ἄρατε αὐτὴν ἔξω τοῦ πραιτωρίου, καὶ κόψαντες τοὺς μασθοὺς αὐτῆς, ῥίψατε εἰς βορὰν τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, οὐ γὰρ οἷος τε εἶμι ὁρᾷν ἐφ' ὄψεσι μου τιμορουμένην αὐτήν.

13 Οἱ δὲ δήμιοι λαβόντες τὴν ὁσίαν ἔξω τοῦ πραιτωρίου, ἀπέτεμον αὐτῆς τοὺς δύο μασθοὺς καὶ ἔρριψαν τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ εἰς βοράν. καὶ ἅμα τοῦτο γέγονεν, ἰδοὺ ἄγγελος Κυρίου ἥρπασεν τοὺς δύο μασθοὺς τῆς ὁσιας, καὶ ἀπεκατέστησεν αὐτοὺς εἰς τὸν τόπον F
αὐτῶν, ποιήσας αὐτὴν ὑγιῆ, ὡς τὸ πρότερον. οἱ δὲ δήμιοι, ἰδόντες τὸ παράδοξον θαῦμα, καὶ ἐν ἐκπλήξει γενόμενοι, εἶπον· οὐχὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐκόψαμεν τοὺς δύο αὐτῆς μασθούς; καὶ ἰδοὺ ἀκμὴν τὸ αἷμα ἐν ταῖς χερσὶν ἡμῶν. ὄντως εἰ μὴ ἦν αὕτη μεγάλου Θεοῦ δούλη, οὐκ ἂν οὕτως εὐθέως πρόνοιαν αὐτῆς ἐποιήσατο. ὁ δὲ ἡγεμὼν εἶπεν τοῖς ὑπηρέταις· ὦ κάκιστοι ὑπηρέται, τί ψιθυρίζατε καθ' ἑαυτούς; οἱ δέ εἶπον· ἄπελθε ἀφ' ἡμῶν, ἐχθρὲ τῆς ἀληθείας. οὐκ ἔτι γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν τοῖς ψευδέσι καὶ ματαίοις εἰδώλοις πειθόμεθα, ἢ προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τῷ ἀληθινῷ καὶ ζῶντι Θεῷ δουλεύσομεν, τῷ ῥυσαμένῳ τὴν τιμίαν ταύτην παρθένον ἐκ τῆς τοιαύτης τιμωρίας. ἰδοὺ γὰρ αἱ χεῖρες ἡμῶν, ὡς ὁρᾷς, ἀποστάζουσιν τὰ αἵματα τῶν μασθῶν αὐτῆς, καὶ αὕτη ἐστὶν *f.* ὥσπερ
ὑγιὴς, εἴπερ * τὸ πρότερον, καὶ εἰσήγαγον αὐτὴν ἐφ' ὄψεσιν αὐτοῦ. Ἰδὼν δὲ ἡγεμὼν τὴν ὁσίαν παρθένον ὑγιῆ, αἰσχυνόμενος ἐκέλευσεν τοὺς ὑπηρέτας ἀποκεφαλισθῆναι, εἰπὼν, ὅτι ἐὰν οὗτοι ζήσωσιν, πολλοὺς ἀποστήσωσιν ἀπὸ τῶν Θεῶν. Ἀπαγόμενοι δὲ ἐπὶ τὸ τελειωθῆναι, εἶπον· Κύριε ὁ Θεὸς τῆς δούλης σου Σωσάννης συναρίθμησόν καὶ ἡμᾶς μετὰ τοὺς εἰς σὲ πιστεύοντας. ἡμεῖς γὰρ, δεσπότα ἀγαθὲ καὶ φιλάνθρωπε, ἀδιστάκτῳ πίστει

πρὸς

A πρὸς σε ἐρχόμεθα. καὶ ταῦτα εἰπόντες ἐτελειώθησαν ὑπὸ τοῦ ξίφους.

14 Μετὰ δὲ ταῦτα προσκαλεσάμενος ὁ Ἀλέξανδρος τὴν μακαρίαν Σωσάνναν, εἶπεν αὐτῇ· ὄντως μεγάλαι εἰσὶν αἱ μαγεῖαι σου, κόρη, καὶ ἐξέστησας ἡμᾶς. ἡ δὲ τιμία Σωσάννα εἶπεν· ἡ ἐμὴ μαγεία, ἡγεμών, Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Κύριος, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, ὁ πανταχοῦ παρὼν, καὶ ἐμοὶ βοηθῶν, καὶ ἐνισχύων, σοῦ δὲ καταργῶν τὰς ἐπινοίας καὶ τοὺς δαίμονας. ὁ δὲ θυμομαχήσας εἶπεν· νῦν ἴδω ἄρτι εἰ ῥύεταί σε ὁ Θεός σου, ἐφ' ὃν πέποιθας, ἐκ τῶν χειρῶν μου. Καὶ προσέταξεν ἐνεχθῆναι λέβητα χαλκοῦν, καὶ λυθῆναι μολιβδὸν ἐν αὐτῷ, εἶθ' οὕτως ἐπιτεθῆναι χώνην ἐν τῷ στόματι αὐτῆς, καὶ ἐνεχθῆναι τὸν μόλιβδον βράζοντα, καὶ χεθῆναι ἐν τῷ λάρυγγι αὐτῆς. Καὶ τούτου γενομένου, τῇ χάριτι καὶ δυνάμει τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὥσπερ ὕδωρ ψυχρότατον ἐν καιρῷ καύσονος, οὕτως καὶ ὁ βρασμὸς τοῦ μολίβδου ἐγένετο ἐν τοῖς σπλάγχνοις τῆς ἁγίας παρθένου. Τότε πάντες οἱ παρεστῶτες, ὡς καὶ οἱ ὑπηρέται, φωνῇ μεγάλῃ ἐβόησαν· ὄντως μέγας ὁ Θεὸς τῆς Σωσάννης. καὶ προσκαλεσάμενος Ἀλέξανδρος ὁ ἡγεμὼν τὴν ἀθληφόρον τοῦ Χριστοῦ καὶ μάρτυρα, εἶπεν αὐτῇ· εἰπέ μοι κόρη, ποῖός ἐστιν ὁ Θεός σου, ὁ συνεργών σοι ἐν ταῖς μαγείαις; ἡ ὁσία εἶπεν· ὁ ἐμὸς
B Θεὸς, ἡγεμὼν, κνίσαις δαιμονικαῖς καὶ σπονδαῖς μιαραῖς οὐκ εὐδοκεῖ, ἀλλὰ καρδίαις ἀμέμπτοις καὶ καθαραῖς ἐμβατεύει, ὡς ἐπὶ θυσίαις ἀμώμοις. ὑμεῖς δὲ, οἱ πονηροῖς καὶ ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, ὡς θεοῖς ἐπανηρημένοι καὶ λατρεύοντες, οὐ δύνασθε ἐπιγνῶναι τὸν ὄντως ἀψευδῆ Θεὸν καὶ φωτοδότην τῶν ψυχῶν ἡμῶν. αὐτὸς γάρ ἐστιν μόνος ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ αὐτὸς παρέχει τοῖς γινώσκουσιν αὐτὸν τέλεια καὶ ἀψευδῆ τὰ δωρήματα. Τότε χολέσας ὁ ἡγεμὼν, ἐκέλευσεν ἐκταθεῖσαν αὐτὴν τύπτεσθαι ῥάβδοις ἀνηλεῶς, ὡς δὲ ἔδοξεν ἱκανῶς ἔχειν, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι αὐτὴν ἐν τῇ φυλακῇ, ἕως οὗ σκέψηται περὶ αὐτῆς.

15 Εἰσελθοῦσα δὲ ἐν τῇ φυλακῇ ἡ ὄντως ὁσιόμαρτυς καὶ δούλη τελεία Χριστοῦ, καὶ ἀμνὴ, καὶ παρθένος Σωσάννα, κλίνασα τὰ ἅγια γόνατα, ἐδεῖτο τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ, προσδεχθῆναι αὐτῆς τὸ πνεῦμα. Καὶ ἔτι προσευχομένη, καὶ τῆς εὐχῆς οὔσης ἐν τῷ στόματι αὐτῆς, παρέδωκεν τὴν τιμίαν καὶ ἁγίαν αὐτῆς ψυχὴν τῷ Θεῷ· δικαίων γὰρ ψυχαὶ, ὥς φησὶ ἡ σοφία, ἐν χειρὶ Θεοῦ καὶ οὐ μὴ αὐτῶν ἅψηται θάνατος. ἔδοξαν γὰρ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνάναι· οἱ δέ εἰσιν εἰς τὸν αἰῶνα. διὰ τοῦτο ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς ἀναλάμψωσιν, ὡς ὁ ἥλιος. καὶ ταῦτα μὲν εἰς τοσοῦτον. οἱ οὖν πιστεύσαντες δι' αὐτῆς τῷ Θεῷ, εἰσελθόντες ἐν τῇ φυ-
C λακῇ, καὶ γνῶντες τὴν ἔνδοξον αὐτῆς κοίμησιν, ἀνήγαγον τῷ ἐπισκόπῳ τῆς πόλεως τὴν τῆς ἀθληφόρου τελείωσιν, ὡς παραχρῆμα κηρυχθῆναι ἐν τῇ πόλει πεποίηκεν ὁ ἐπίσκοπος, τῆς ὁσίας καὶ ἀθληφόρου τὴν κοίμησιν· συνέδραμον οὖν πάντες ἐν τῇ φυλακῇ, ὅ τε ἐπίσκοπος τῆς πόλεως σὺν τῷ εὐλαβεστάτῳ αὐτοῦ κλήρῳ, καὶ τῷ πιστωτάτῳ καὶ ὀρθοδόξῳ λαῷ. ἠκούσθη δὲ καὶ ἐν τῷ μοναστηρίῳ τοῦ ἁγίου Φιλίππου, ἐν ᾧ καὶ τὸ μοναχικὸν σχῆμα εἰλήφει ἡ ἀοίδιμος αὐτὴ καὶ μακαρία Σωσάννα, ὅτι ἐν Χριστῷ κεκοίμηται· καὶ ἐξῆλθον πάντες οἱ μοναχοὶ, βαΐα μετὰ καὶ κηρῶν ἐπικομιζόμενοι, καὶ ἦλθον καὶ αὐτοὶ ἐν Ἐλευθεροπόλει ἐν τῇ φυλακῇ. καὶ οὕτως ἅπαντες ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς ἀνήγαγον αὐτὴν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τελείᾳ καὶ πρεπούσῃ ταφῇ παραδόντες. τελεῖται δὲ ἡ πάντιμος καὶ ἔνδοξος μνήμη τῆς ἁγίας ὁσιομάρτυρος καὶ θαυμαστῆς παρθένου Σωσάννης, μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ιθ, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ ἡ δόξα σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

ricors, indubitata fide ad te venimus. Et hæc dicentes gladio mortem oppetiverunt. *A. anonymo.*

14 Postea Alexander accersivit ad se beatam Susannam, eique dixit: Sane insignes sunt præstigiæ tuæ, puella, et attonitos nos reddidisti. Venerabilis Susanna reposuit: Ars mea magica, præfecte, est Dominus Jesus, Filius Dei viventis, qui ubique præsens est, et me adjuvat et confortat; tuas vero irritas reddit inventiones et dæmonum conatus. At ille exacerbatus dixit: Modo videbo, an Deus, de quo confidis, e manibus meis te sit liberaturus: jussitque afferri lebetem aheneum et plumbum in eo liquefieri, deinde infundibulum ori Sanctæ imponi, plumbumque fervens allatum gutturi ipsius infundi. Hoc peracto, gratia et virtute Domini nostri Jesu Christi, sicut aqua frigidissima in tempore æstus, ita fervor plumbi factus est in visceribus sanctæ Virginis. Tunc omnes adstantes, uti et ministri, magna voce exclamarunt: Vere magnus est Deus Susannæ. Advocans autem Alexander præfectus gloriosam triumphis Christi Martyrem, eidem dixit: Dic mihi, qualis est Deus tuus, qui tecum operatur in magicis? Sancta respondit: Deus meus, præfecte, nidoribus dæmoniacis et libaminibus execrandis non delectatur, sed acce- E
dit ad corda inculpata et pura, tamquam ad sacrificia immaculata. Vos vero, qui pravos in immundos dæmones, tamquam deos, suscipitis et colitis, non potestis cognoscere veracem Deum, animarum nostrarum illuminatorem, ipse enim solus est verus Deus, et ipse cognoscentibus eum dona largitur perfecta et vera. Tunc iratus præses jussit ipsam extensam immisericorditer virgis cædi. Ubi vero abunde cæsam credidit, eamdem ad carcerem abduci voluit, donec perpenderet, quid agendum de ea esset.

aliis quoque cruciatibus afficitur,

15 Ubi carcerem ingressa erat sancta prorsus martyr, et perfecta Christi serva, et agna et virgo Susanna flexit sancta genua sua, oravitque misericordem Deum, ut acciperet spiritum suum. Adhuc orabat, et oratio versabatur in ore ejus, quando venerabilem et sanctam animam Deo tradidit. Nam justorum animæ, ut inquit Sapientia, in manu Dei; et non tanget ipsos mors: visi sunt oculis insipientium mori: illi vero sunt in seculum. Quapropter in tempore visitationis fulgebunt ut sol. Et hæc quidem huc usque. Itaque qui per ipsam in Deum crediderant, ingressi carcerem, et intelligentes gloriosam ejus dormitionem episcopo F
civitatis retulerunt victricis Virginis transitum. Episcopus autem continuo curavit, ut sanctæ et gloriosæ Victricis obitus in civitate vulgaretur. Concurrebant igitur omnes ad carcerem, episcopus civitatis cum reverendissimo clero suo, et cum fidelissimo et orthodoxo populo. Auditum quoque est in monasterio sancti Philippi, in quo venerabilis et beata Susanna monasticum habitum assumpserat, ipsam in Christo obdormivisse: et exiverunt omnes monachi, ramos palmarum una cum candelis gestantes; ibantque et ipsi Eleutheropolim ad carcerem. Hoc modo omnes cum psalmis, hymnis et canticis spiritalibus tulerunt ipsam ad ecclesiam *i*, perfectæque ac decenti tradiderunt sepulturæ. Peragitur vero honorabilis et gloriosa memoria sacrosanctæ martyris et admirabilis virginis Susannæ mense Septembri, die XIX, in Christo Jesu Domino nostro, cui est gloria cum Patre, et sancto ac vivifico Spiritu nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

ductaque ad carcerem, orans moritur, et honorifice sepelitur.

ANNOTATA.

a Maximianum Galerium *aut* Maximinum *intelligendum, monui in Commentario.*

b *Quis fuerit ille* Silvanus *presbyter, et an postea factus sit episcopus, ignoramus, cum varii fuerint seculo* IV *Silvani, partim episcopi, partim presbyteri. Mirari porro non debemus, ipsum fuisse conversatum cum idolorum presbytero, cum Christiani id facerent spe ipsos convertendi, aut eorum liberos. Talem conversionem filii idolorum sacerdotis Antiocheni narrat Theodoretus lib.* 3 *Historiæ cap.* 14. *Occasio conversionis fuit familiaritas matris cum diaconissa Antiochena, quæ filium convertit et ad fugiendum induxit eo ipso tempore, quo pater ipsius cum Juliano apostata impiis sacrificiis quam maxime erat occupatus.*

c *Allegata verba ex variis Evangeliorum locis conjuncta sunt.*

d Ἐπευξάμενος *legitur in exemplari meo Ms.; sed forte legendum* ἐπευξάμενοι, *quia phrasis Græca tunc erit perfecta, et sic sensus erit :* Postea, cum orassent, ambo consederunt.

e *Cleopam episcopum Eleutheropolitanum, nisi geminum habuerit nomen, aliunde non innotescere, monui in Commentario prævio, qui potest consuli.*

f *Quod hic dicitur de annis quinquaginta peractis a Philippo in monasterio, antequam hoc contingerent, nolim stricte accipiat lector, nam sic monasterium ipsius esset vetustius, quam S. Hilarionis, qui creditur primus vitam cœnobiticam induxisse in Palæstinam. Potest tamen verum esse assertum, si Philippus juvenis in solitudinem se recepit circa finem seculi tertii, diuque solus habitavit, ut fecit S. Antonius, aut cum uno solum alterove socio. Verum auctor fortasse sic loquentem inducit episcopum, quia noverat Philippum ultra annos quinquaginta monasterio suo præfuisse; et forte non consideravit, ipsum deinde multis adhuc annis superfuisse.*

g *Pro voce Græca* ἤνοισεν, *quæ mendosa videtur, legendum suspicor* ἤνυσεν perfecit, *quia ex antece-*
B *dentibus constat, mulierem quidem illam scelus meditatam fuisse, sed nihil effecisse, aut etiam defectu* E
occasionis tentasse; eaque de causa delapsam esse ad calumniam.

h *De origine et situ urbis Eleutheropolis exacte non constare, fatentur passim geographi. Attamen constat florentem fuisse seculo* 4, *et sitam fuisse in ea parte Palæstinæ vel Judææ, in qua sedes habuit tribus Juda. Episcopum certo habebat anno* 325, *quando Macrinus Eleutheropolitanus subscripsit concilio Nicæno. At nec in sacris Litteris ullibi memorata est Eleutheropolis, nec apud Ptolemæum nec apud Josephum Hebræum, ut admodum sit verisimile non extitisse seculo* I, *ante eversam a Tito Hierosolymam, et Judæam subactam, nisi fortasse alio nomine. Verum, si alio nomine exstiterit, non fuit Hebron, ut nonnulli crediderunt, cum S. Hieronymus inter Hebronem et Eleutheropolim clarissime distinguat, uti et S. Epiphanius mox allegandus. Aliqui primum Eleutheropolis episcopum statuerunt* Jesum Justum, *unum ex Christi discipulis, ut apud nos dictum est tom.* 4 *Junii pag.* 67. *Verum, ut ibi episcopatus ille relictis est incertus, quia non habet auctores fidei satis probatæ, ita et mihi incertus manet. Illud unum suspicari possum, ex ruinis Hierosolymæ natam esse aut crevisse Eleutheropolim, et sic episcopum ibi esse potuisse sub finem seculi* I. *At malim originem urbis incertam prorsus relinquere, quam meræ suspicioni indulgere. Quod vero spectat ad situm, hæc Acta prorsus insinuant, territorium urbis Eleutheropolitanæ fuisse vicinum aut contiguum urbis Hierosolymitanæ territorio, ut etiam liquet ex S. Epiphanio illis partibus nato, qui Hæresi* 20 *ait, Petrum, illius hæresis auctorem, habitasse in* Eleutheropolis et Hierosolymorum finibus,... tertio ab Hebrone lapide. *In Itinerario, quod vulgo* Antonini *dicitur, Eleutheropolis locatur inter Æliam (sic Hierosolyma tempore Adriani restituta vocabatur) et Ascalonem, viginti passuum millibus ab Hierosolymis. Ulterius ex dictis collige, monasterium Philippi abbatis, in quo* S. Susanna *habitavit, fuisse inter Hierosolymam et Eleutheropolim : et huic quidem urbi propinquius fuisse, Acta hæc prorsus insinuant.*

i *Omnia, quæ dicuntur de pompa funebri, perfecte congruunt temporibus Juliani apostatæ, quemadmodum et dicta de martyrio Sanctæ. Etenim religio Christiana et Ecclesia optime fuerat constituta sub Constantino et Constantio; nec eo usque impietatis ausus est pervenire Julianus, ut exercitium Chri-*
C *stianæ religionis impediret, aut Christianos idolis sacrificare cogeret. Gaudebat tamen, quando præ-* F
fecti idololatriam restituere conabantur, et Christianos aliis prætexibus crudeliter persequebantur, ut latius jam dixi in Commentario. Si quis existimet, publicam per urbis plateas pompam funebrem non satis esse verisimilem, cum Sancta jussu præfecti fuerit subjecta cruciatibus mortem inferre natis; cogitare poterit, in Christianorum ecclesia maxime esse peracta, quæ narrat auctor. Dubitari tamen etiam potest, an præfectus fuerit ausus Christianorum pietati se opponere, cum quia verisimiliter numero longe prævalebant, tum ob mirabilia, quæ contigerant, ac demum, quia non fuerat Sancta de ullo crimine convicta, sed potius ex subitis iracundiæ motibus morti adjudicata.



A

AUCTORE J. P.

DE S. GLYCERIO SEU CLICERIO

EPISC. CONF.

MEDIOLANI IN INSUBRIA

SYLLOGE

Circa annum CDXXXVIII. Gesta Sancti pene omnino ignota.

Sedem Mediolanensem seculo quinto ab hoc Antistite occupatam fuisse, satis constat ex unanimi antiquorum monumentorum, et recentiorum scriptorum consensu, sed sicut de Actis ejus ante et in episcopatu nihil aut pene nihil posterorum memoriæ relictum est, ita de annis, quibus hunc adiit, tenuit, ac moriens deseruit, adeo diversa notantur, ut Tristanus Calchus Mediolanensis lib. 3 *Historiæ patriæ in hunc modum scribere non dubitaverit:* Vixit autem in episcopatu Simplicianus annis quatuor. Cui successit Venerius: huic Marolus Syrus; ab eo Martinianus; postea Glicerius, quorum indistincta tempora posui; quia ob inopiam et discordiam scriptorum, insulsa nimis tradentium, nihil, quod hic insererem, inveni. *Ita auctor, qui scripsit sub initium seculi decimi sexti. Haud multum ablusit, certe quoad inopiam monumentorum, Josephus Ripamontius decade prima lib.* 6 *Historiarum ecclesiæ Mediolanensis, sub initium seculi sequentis edita; ubi, postquam pauca, ad ætatem Maroli antistitis Mediolanensis pertinentia, memoravit, ita prosequitur:* Par silentium et oblivio Martinianum et Glicerium secutos antistites involvit: nisi, quod utrumque Acta conventus Ephesini, Martinianum vero etiam sua scripta vindicavere, queis Nestorianam sectam evertit. *Ad posterius hoc Ripamontii assertum infra nonnihil observabo.*

B

Anni episcopatus

2 *Quod de inopia et discordia scriptorum allegavit Calchus, facile admittet lector, si modo advertere velit, quam diversimode de tempore episcopatus jam nominatorum antistitum loquantur vetusti catalogi et scriptores dein secuti. Demus aliquot specimina de solo* Glycerio. *In catalogo ex Ms, bibliothecæ Ambrosianæ signata* P 246, *per Henschenium anno* 1662 *Mediolani extracto et postea edito per Papebrochium ante tom.*VII *Maji, ita lego:* S. Glycerius sedit annos XXIV, depositus XVII Kalendas Octobris. *Monet tamen mox Papebrochius, alibi legi* annos XVIII. *Et vere in altero catalogo seu indice ex veteri codice ejusdem bibliothecæ, signato* B *num.* 245, *descripto ac edito per Mabillonium tom.* 1 *Musei Italici, sic habetur:* Clycerius sed. ann. XVIII. dep. XVII Kal. Oct. ad S. Nazarium. *Nec dissonat tertius, quem ex codicibus metropolitanæ bibliothecæ exhibet Muratorius tom.* 4 *de Scriptoribus rerum Italicarum pag.* 141, *cujus hæc verba sunt:* Glicerius episcopus sedit ann. XVIII. Obiit XVII Kal. Octubris, sepultus ad basilicam Apostolorum. *Totidem etiam annos exprimit Gualvaneus de la Flamma, auctor seculi* 14 *non multum provecti, in Opusculo, cui* Manipulus Florum *nomen indidit, quodque Muratorius vulgavit tom.* XI *laudatæ collectionis.* Clicerius, *inquit,* sanctus Mediolanensis archiepiscopus XVII, ordinatur anno Domini CCCCXXIII; sedit vero annis XVIII. Jacet ad S. Nazarium. *Accedit Donatus Bossius in Chronica, typis Mediolanensibus impressa* anno salutis Christianæ MCCCCXCII Calendis Martiis, *sic scribens:* Anno Domini CCCCXX beatus Clicerius archiepiscopus Mediolani XVIII efficitur, et sedit annis XVIII, et jacet ad S. Nazarium.

C

a variis

3 *Hisce non obstantibus, octo dumtaxat annos episcopatus Sancto adscribunt recentiores: Joannes de Deis in Opusculo de Successoribus S. Barnabæ in ecclesia Mediolanensi ex bibliotheca Vaticana et Mss. Sirleti Cardinalis collecto jussu Pii V Papæ anno* 1571, *sic ait:* Glicerius Landrianus civis, a Celestino primo Pont. ob morum sanctitatem creatus archiepiscopus, admirabili prudentia ecclesiæ Mediolanensi præfuit annis VIII et sanctitate clarus Xisto III Pont. quievit in Domino XII Kal. Octobr. etc. *Non nisi octo annos ei similiter tribuunt Tabula archiepiscoporum Mediolanensium ex decreto concilii pvovincialis* IV *edita anno* 1582; *lectiones propriæ Breviarii Ambrosiani, jussu S. Caroli Borromæi anno eodem impressi; Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, citans idem Breviarium et Acta ecclesiæ Mediolanensis; Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* 63; *Ughellus tom.*4 *Italiæ sacræ col.* 50; *Ripamontius supra laudatus, et, ut alios mittam, Bollandus ac Henschenius saltem tacite, tom* 1 *Januarii pag.* 89, *ubi de S. Martiniano* S. Glycerii *proximo decessore, et tom.* 2 *Frebruarii pag.* 521, *ubi de S. Lazaro ejusdem successore proximo actum est: Martiniani enim finem collocant circa annum* 431; *Lazari vero, qui annos* XI *sedit, circa* 449; *ita ut octo circiter anni Sancto nostro relinquantur.*

E

F

varie notati,

4 *Porro ideo minus difficiles fuisse credo recentiores Mediolanenses ad recedendum a Mss. suis catalogis, tum verisimiliter, quia in his una eademque manu primi antistites notati quidem erant, sed anni, quibus quisque obiit, manu diversa, sicut de suo testatur Papebrochius, tum quia alioqui gesta nonnulla, de episcopis suis narrata alibi, cum temporibus recte conciliari non poterant. Sic quia S. Martinianus scripta sua contra Nestorium ad Ephesinum concilium misisse traditur, ejusque sub nomine* Martini *mentio fit in epistola schismaticorum dicto concilio adversantium his verbis:* Martinus sanctissimus Deoque dilectissimus Mediolanensium episcopus, *necesse visum est hujus episcopatum protrahere usque ad annum saltem* 431, *quo dictum concilium celebratum est; et per consequens auferre saltem annos decem ab annis octodecim, qui passim tribuebantur* Glycerio, *ut anni* XI *servarentur S. Lazaro* Glycerii *successori.*

mortuus creditur circa annum 438.

5 *Dixi annos* saltem *decem: nam Papebrochio, qui in suo catalogo legerat annos* 24 *episcopatus Sancti nostri, propter idem Ephesinum concilium, visum est, rescindere annos omnino viginti, ita ut obitum Martiniani et electionem* Glycerii *annectat*

AUCTORE J. P.

nectat anno circiter 435, *atque cum ceteris passim omnibus obitum* Glycerii *statuat circa annum* 438, *quem et ego notavi supra in margine. Haud pluris fecerunt vetustos catalogos Joannes de Deis aliique scriptores Itali num.* 3 *laudati, dum diem Sancto emortualem signarunt, quam dum statuerunt annos episcopatus. In illis quippe constanter dicitur obiisse* XVII *Kalendas Octobris, ipsi tamen maluerunt reponere* XII *Kalendas Octobris seu diem* XX *Septembris; forte quia eo die in antiquis Kalendariis Sancti nomen occurrit, eodemque nunc colitur. Verumtamen ea correctio non videtur adeo necessaria: potuit quidem errore transcribentium in catalogos irrepsisse* XVII *pro* XII; *sed nec alienum est a verisimilitudine, translatam fuisse annuam Sancti memoriam a die* XV *in* XX *Septembris, ne perderetur pro die* XV *Septembris antiquior cultus S. Nicomedis, ut suspicatus est etiam Papebrochius.*

Patria Mediolanum: nonnulla ex conjecturis de ipso tradita.

6 *Sanctum nostrum patria Mediolanensem fuisse asseruerunt plurimi, nec hactenus nobis inventus est, qui negaret; imo ortum esse ex nobili gente Landriana addunt præter alios, qui eum agnomine* Landrianum *appellant, Franciscus Besutius* B *in Historia pontificali Mediolanensi; Paulus Morigia tum in Opere de Nobilitate Mediolanensi, tum in Historia de antiquitate ejusdem civitatis; Sansovinus de Origine et gestis illustrium familiarum Italiæ, et Ughellus in Italia sacra; qui posterior etiam affirmat, quod supra num.* 1 *habuimus ex Ripamontio, ita inquiens:* Ante obtentam dignitatem Ephesino concilio interfuit, et tamquam Martiniani legatus assedit. *Sed hoc non nisi ex conjecturis haustum esse, ipsemet sufficienter insinuat Ripamontius loco supra citato, ubi sic deinde loquitur:* Par majestas oris, Glicerio Landriano perhibetur, Is Martiniano successit anno quadringentesimo trigesimo altero, et in octavum annum pontificatum extendit, sua clarior virtute, quam ecclesiæ rebus. Paterna bona divisit in pauperes, floruit ingenii gloria, candidissimos obtinuit mores, et vulgo Angelum appellabant. Quod vero interfuerit Ephesino conventui, id ita accipiendum, ut Martiniani legatus ierit, cui quidem legationi Philippi cujusdam litteræ fidem adstruunt. Nam ille cum de concilii totius eventu scriberet ad Pontificem maximum, sic retulit: " Italici nominis episcopi aut adfuere ipsi, aut pro se lega- C tos misere. " Qui porro credat, aut, cum cæteri mitterent, Mediolanensem non misisse, aut si mittere vellet, potiorem Glicerio quemquam habuisse, qui nimirum et fuerat in ipsius disciplina et rerum gerendarum adjumentis excellebat. *Sed totum hoc ratiocinium quid continet præter meram conjecturam?*

Corpus ejus in ecclesia S. Nazarii sepultum,

7 *De loco sepulturæ satis convenit inter scriptores passim omnes, quamquam diverso nomine eum efferant; dum enim alii scribunt:* Jacet ad S. Nazarium; *alii:* Sepultus est in basilica Apostolorum; *alii:* In basilica Romana, *eamdem omnes basilicam designant, prout videri potest apud Paulum Morigiam in Sanctuario Mediolanensi pag.* 37; *ubi agit de reliquiis ecclesiæ S. Nazarii. Sed Hallucinatus est haud dubie Ripamontius, dum decade prima Historiarum lib.* 7, *agens de S. Geruntio,* S. Glycerii *successore tertio, in hunc modum locutus est:* Geruntius anno sexto sui muneris decessit: in basilica divi Simpliciani est sepultus. Ibi condiderat ipse Marolum, Glicerium, Lazarum, cum obscuriorem antea tumulum essent nacti. *Hallucinantem secutus versimiliter est Ughellus, ita inquiens in Geruntio:* Sepultusque D est in basilica S. Simpliciani, quo ipse SS. Maruli, Glycerii et Lazari paulo ante reliquias transtulerat. *Nam citati hactenus scriptores omnes, qui certe Geruntii temporibus posteriores sunt, dicta corpora ecclesiæ S. Nazarii attribuunt, nullus de translatione, ad aliam ecclesiam facta, mentionem ingerit. Imo Joannes de Deis in eodem Geruntio oppositum docet:* Corpora, *inquit,* sanctorum archiepiscoporum Maroli, Glicerii et Lazari in decentiori loco in basilica Romana reponenda curavit.

a S. Carolo Borromæo inventum

8 *Adhæc ex relatione testis oculati docemur, corpora* S. Glycerii *et aliorum Sanctorum in eadem ecclesia S. Nazarii inventa fuisse anno* 1578 *a S. Carolo Borromæo, et post solemnem processionem ibidem sub novo altari reposita fuisse anno proximo* 1579. *Testis ille est illustrissimus Carolus a Basilica Petri episcopus Novariensis in Vita ejusdem S. Caroli lib.* 5 *cap.* 6 *ubi postquam cap. præcedenti retulisset acta concilii provincialis quinti, in eadem Mediolanensi civitate celebrati, prosequitur his verbis:* Concilium autem ornavit translatio reliquiarum basilicæ Apostolorum, quemadmodum et translatio ipsa ex episcoporum præsentia valde illustrata est. Moverat eas Carolus superiore anno (1578;) cum canonici antiquam E ædem instaurare atque ornare vellent. Sed in loco destinato non reposuerat, ut honore celebritateque majore, cum haberetur concilium, per urbem gestarentur, et omnino earum esset translatio splendidior, et ad populum pie excitandum efficacior. Cum igitur altare præcipuum ex media ecclesia tolleretur, invenimus sub eo, quemadmodum a majoribus traditum erat, corpora sanctorum antistitum nostrorum Venerii, Clicerii, Maroli atque Lazari, non satis commode tamen aut distincte, ac in rudibus quibusdam lapideis labris posita.

et sub novo altari reconditum;

9 *Exponit dein ceterarum reliquiarum, ibidem inventarum seriem, ac tandem ita pergit:* Has igitur reliquias Carolus inventas, pie manibus suis collegit, nobis sancto officio inservientibus; quos jubebat ejusmodi semper actionibus adesse. Absoluto autem, ut dicebamus, episcoporum concilio, hæc corpora religiosa admodum celebrique pompa extulit, et congruo viarum ambitu, portans ipse cum episcopis sancta feretra, populo frequentissimo ad venerationem proposuit. Commemoratas reliquias omnes collocavit sub novo magno altari, F præter illas ab ecclesiæ latere dextro ablatas. *Ita laudatus S. Caroli Borromæi biographus: unde discimus, Sancti nostri sacra lipsana, nam de recentiore translatione nihil hactenus inaudivimus, etiam nunc servari sub altari principe in eadem S. Nazarii seu sanctorum Apostolorum ecclesia. Paulus Morigia tum in Sanctuario, tum in Historia Mediolanensi, jam narratam translationem solemnissime factam esse ait die* X *Maii dicti anni* 1579, *ad eamque confluxisse præter civitatis incolas, plusquam trigesies mille peregrinos.*

cultus antiquus; memoria in Martyrologio Romano et aliis;

10 *Dubium mihi non est, quin* Glycerium *tamquam Sanctum venerati sint semper Mediolanenses, sed etiam satis evidens, eam venerationem plurimum auctam esse ab exposita jam inventione ac translatione. Nomen quippe ipsius in Kalendariis Missalis anno* 1522, *ac Breviarii Mediolanensis* 1539 *impressis inscriptum reperitur ad diem* XX *Augusti his verbis* Sancti Cliceri episcopi Mediolani, *verum absque Officii aut Missæ præscriptione. Nulla ante ejus memoria occurrit in generalibus Ecclesiæ Fastis sacris; at sub ipsa inventionis tempora inseruit eum Martyrologio suo Galesinius, et postea*

A *postea Baronius hodierno Romano ; sic illum annuntians :* Mediolani sancti Clicerii episcopi et confessoris. *Secuti sunt recentiores alii, atque hos inter Brautins in Martyrologio poëtico totius Italiæ sequenti versu :*

Te merito colimus, quia pastor ovile Cliceri
Rexisti Christi, cum pietate vigil.

cultus hodiernus; 11 *Haud ita dudum post translationem in Breviario Ambrosiano, S. Caroli Borromæi jussu edito, Officium et præscriptum est ritu solemni cum lectione tertia propria, ut discimus ex ejusdem Breviarii, anno* 1635 *recusi, exemplari. Denique anno* 1642 *in libello, continente lectiones proprias et communes pro secundo ac tertio nocturno Sanctorum ecclesiæ Mediolanensis, ad usum eorum, qui ritu Romano utuntur, assignatur ipsi ad hanc diem Officium ritu duplici recitandum cum lectionibus quarta et quinta propriis, reliquis de communi ibidem præscripto præter nonam, quæ fit de Homilia vigiliæ S. Matthæi. Oratio est* Exaudi, *Missa* Sacerdotes, *Evangelium* Videte. *Ceterum in lectione propria, quæ legitur in Breviario, non est facta immutatio, nisi, quod in duas partes hic divisa sit, ut sequitur.* B

lectiones Officii propriæ; 12 Lectio iv. Clicerius, civis Mediolanensis, vir in primis pie, juste ac temperanter vitam degens, beato Martiniano ob virtutum merita successit. Et vero, ut ille juvandæ Ecclesiæ studio, ac vitæ vere pastoralis exemplo, episcopalisque officii laude præluxit; ita hic, in illius locum proxime suffectus, eximia fuit imitatione clarus disciplinæ, cujus exemplis atque institutis alter ecclesiam Mediolanensem illustrarat. Lectio v. Beatus igitur Clicerius admiranda erga Deum pietate cælestisque vitæ studiis, quæ cum verbi prædicatione conjunxerat, cum eniteret, fuit etiam instar virginis verecundus, vultuque virgineo imaginem præ se ferebat divinarum mentis suæ cogitationum. Religiose autem cum ecclesiam annos octo administrasset, magna ac præclara sanctitatis suæ testificatione quievit in Domino duodecimo Calendas Octobris. *AUCTORE J. P.*

vetus epigramma a S. Ennodio compositum. 13 *Quæ de Sancti virginea verecundia hic memorantur, utcumque congruunt epigrammati, quod olim S. Ennodius, Ticinensis episcopus eidem suppar, panxit sub hoc titulo :* De venerabili Glycerio episcopo. *Editum illud est cum aliis de quibusdam Sanctis Mediolanensibus episcopis epigrammatis, per eumdem Ennodium concinnatis, ab Andrea Schotto, et dein a Jacobo Sirmondo Societatis Jesu sacerdotibus, ac demum a Joanne Puricello in Dissertatione Nazariana cap.* 66, *unde huc transfero.*

Suffusus minio *, perque optima facta rubescens, (* *al.* nimio)
Virginei vultus Glycerius sequitur,
Puram sanguineo maculat dum rore figuram,
Picta genas facies simpliciter placuit.
Candentem crocea gestans aspergine frontem, E
Læta verecundis tinxerat ora notis.
Indeptus sceptrum, tribuit quod testis imago,
Purpura quem mentis prodidit imperio.
Hunc habet et populus parvo vix tempore felix.
Sed rursus Magni missus ad obsequium.

Penultimum carmen ita incipit Schottus : Hinc avo et populus; *Sirmondus vero sic :* Hunc habuit et populus, *et ille suspicatur legendum :* Hinc avus *etc; hic :* Hunc habuit populus : *sed quoquo modo legatur, oppido obscurum est totum carmen.*

DE S. AGAPETO I PAPA

APUD CONSTANTINOPOLIM

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

J. C.

§ I. Actorum S. Agapeti apud scriptores chronotaxis a variis varie tradita.

C F

Anno Christi DXXXVI. *Sanctus Agapetus pulcherrimis elogiis* Sanctus Agapetus *illius nominis primus, quem alii* Rusticum Agapetum *nominant, post Joannem II Romanam S. Petri Cathedram adivit, difficillimisque Ecclesiæ temporibus heroïca Constantia, doctrinæ et sanctitatis gloria mirifice illustravit. Ejus Acta aliqua, præter Anastasium Bibliothecarium in Catalogo Pontificum Romanorum, posteris scripta reliquerunt Liberatus Diaconus, auctor contemporaneus, in Breviario cap.* 21, *et S. Gregorius Magnus lib.* 3 *Dialogorum cap.* 3. *Accedit his auctor anonymus laudatus a Baronio, cujus Libellum de rebus a sancto Pontifice Constantinopoli gestis, ejus obitu et funere ad calcem hujus Sylloges exhibeo. Gesta* S. Agapeti *quæpiam alia ex concilio Constantinopolitano alia ex ejus ipsius literis eruuntur, quæ singula eo, quo poterimus, ordine temporis prosequemur. Res vero brevissimo Pontificatus tempore tantas tamque præclare gessit celebratissimus Pontifex, ut quotquot de illo scriptores agunt, tum antiqui, tum recentiores, de palma in accumulandis ei laudibus certare videantur.*

ab Orientalibus æque 2 *Inter Orientales suavissime ad* S. Agapeti *nomen aludit Marianus monachus et archimandrita monasterii B. Dalmatii in Supplicatione ad Justinianum imperatorem, recitata in concilio Constantinopolitano sub Menna Actione* I. Misit, *inquit,* Deus huic civitati Agapetum, qui vere ἀγαπητός, id est, dilectus est Deo et hominibus. *In ejusdem laudes ita excurritur in concilio Act.* IV : Venit in hanc regiam urbem, ipsius Numine annuente, Agapetus sanctæ ac celebris memoriæ Papa beatissimus, qui statim sacris canonibus manum cum Deo porrexit. *Gratianus de Consecrat. Dist.* I *C.* 22 *his verbis illum celebrat :* Agapetus vas Catholicum, Evangelii tuba, præco justitiæ, sacra altaris sedisque velamina, sacrilegi Anthimi infecta flatibus, suis Catholicis precibus eluit. *Denique, ut infinitos mittam, e recentioribus Baronius tali elogio sancti Pontificis Acta concludit :* Agapeto haud scio (*inquit ad annum Christi* 536 *num.* 70) an similis alius inveniri possit, qui adeo brevi temporis spatio Ecclesiæ Catholicæ præsidens, talia

AUCTORE J. C.

talia tantaque perfecerit, cujus æque apud Occidentales atque Orientales sint amplissima conclamata præconia, quique Fidelibus cunctis, ex hac vita decedens, sui ardentius reliquerit desiderium, quod etiam de optimis privatus amor adimere consuevit; qui denique in deplorata adeo incidens tempora, magis sacerdotali vigore nituerit, constantiorque apparuerit Pontificia potestate.

ac Occidentalibus celebratus est.

3 *Non immerito scribit Eminentissimus annalista, in deplorata tempora incidisse* S. Agapeti *Pontificatum, cum scilicet Eutychetis hæresis haberet in aula vaferrimam protectricem Theodoram quæ astu omni in quascumque poterat sedes, marito Justiniano vel impie politico cooperante, vel turpiter uxori nimium indulgente, intruderet perditissimæ sectæ homines, qui late omnia corrumperent, et turpissimis sceleribus sancta quæque profanarent; atque aliunde ipse etiam Justinianus imperator, nescio ex quo alicujus doctrinæ fumo cæcutiens, in summi Pontificis jura involaret, legesque ecclesiasticas condere machinaretur. Fuit profecto tot malis præcavendis avertendisque opus tanta animi fortitudine, tanta eruditione et constantia, quanta præditum fuisse videbimus sanctum Pontificem, cujus hic gesta illustramus. Ea* B *porro difficultate non carent quoad chronologicum ordinem, quem, antequam tractemus reliqua, investigemus. Atque primo ob oculos ponamus epochas, quæ eruditos non mediocriter vexant, quæque origo sunt difficultatis non exiguæ in figendo tempore Pontificatus* S. Agapeti, *atque ejus factis ordinandis.*

Gestorum ejus chronotaxis

4 *Anastasius in Catalogo tempus, quo sanctus Pontifex Romanam S. Petri Cathedram occupavit, ita circumscribit :* Sedit menses XI, dies XVIII : *pro quibus edidit Papebrochius in Conatu dies* XX; *Uterque Pagius Anastasianis mensibus unum detrahit, diebus vero superaddit alterum, atque legendum contendit :* sedit menses X, dies XIX. *Hunc dierum numerum asserit reperiri in veteribus pluribus Catalogis et Mss. etiam Apographis Anastasianis; at mensem illum unum pro solo arbitrio resecat, ut chronotaxim obitus* S. Agapeti *figat : nullum certe uspiam resectionis hujus ducem antiquum profert. Baronius in Annalibus ad annum Christi* 535 S. Agapeti *Pontficatum, ipsi ineuntis anni hieme inchoatum, ultra alterius initium ad aliquot menses extendit. In Officio Vaticanæ et La*C *teranensis ecclesiæ, quod est ad hunc diem* XX *Septembris de* S. Agapeto *cum tribus Lectionibus propriis, Lectione* VI *non solum ultra anni unius periodum, sed et ad alterum fere integrum videtur dilatari Præsulatus sancti Pontificis nostri; dicitur enim obiisse* , expleto nondum biennio *: quæ non putem mere negative, ut aiunt, sumenda esse, sed ita, ut duos fere annos completos significent.*

difficultates patitur non exiguas. Variæ circa illam

5 *Pater Stephanus Souciet Societatis nostræ scriptor, variis Opusculis celeberrimus, ad nonam Inscriptionem Augustæ Prætoriæ Salassarum inventam, eruditissime pluribus disputat de tempore Pontificatus* S. Agapeti, *occasione oblata ex anno* Tertio P̄C̄ Paulini Jun V̄ C̄C. *quem inscriptio præfert. Laudatæ ejus Animadversiones Ephemeridibus Trivoltianis mensis Maji anni* 1720 *insertæ sunt, ibique contendit,* S. Agapetum *sedisse anno* I *mensibus* X, *diebus* XIX. *Horum priusquam auctorum opiniones discutimus, juverit exhibuisse epochas alias, quæ cum superioribus notis chronologicis Anastasii non videntur componi posse, atque in quibus etiam inter se conciliandis, rei difficultas omnis sita est. Habe illas, lector, ex editione Labbei nostri tom.* 4. *Conciliorum, columna* 1745, 1788 *et seqq., nullo ordine chronologico hactenus observato, subjectas. Epistola Joannis II ad Justinianum, qua laudat ejus inter alia erga Apostolicam Sedem venerationem, est* Data Romæ VIII Kalendas Aprilis, domino nostro Justiniano PP. Augusto IV et Paulino viris clarissimis consulibus. *Alia ejusdem Pontificis ad episcopos Galliæ de Contumelioso* Data *est* VII Idus Aprilis, Flavio Paulino juniore V C consule. *Ubi legendum censet Soucietus* Flavio Justiniano IV et Paulino. VV. CC. Coss. D

scriptorum sententiæ. Proponuntur notæ

6 *Scribit ad* S. Agapetum *Justinianus imperator, rogatque, ut insertam professionem fidei, quam Joannes II,* Agapeti *decessor, pridem probarat, Apostolico et ipse assensu firmaret. Hæc epistola, secundum eam partem, quæ ad* Agapetum *directa est, nullam habet ibidem notam chronologicam, at prout inserta est responsoriis* S. Agapeti, *signatur a Justiniano imperatore* Data pridie Iduum Martiarum Constantinopoli, Flavio Belisario viro clarissimo consule. *Ex autem literæ responsoriæ sancti Pontificis nostri ibidem subscriptæ leguntur* XV Kalendas Aprilis Constantinopoli, Flavio Belisario viro clarissimo consule. *Alteram professionem fidei, quæ incipit,* Prima salus, *exhibet Labbeus colum.* 1801. *Hæc ita subnotatur :* Datum XVIII Kalendas Aprilis, Constantinopoli, Flavio Belisario viro clarissimo consule. E *Cubare hic errorem in numeris, perspicuum est, cum Idus Martii in eum diem incidant, nec habeat dies residuos ante Kalendas Aprilis plures, quam septemdecim. Dederat ad* Agapetum *epistolam Reparatus episcopus Carthaginensis, qua significaverat, paratam jam fuisse alteram, quam ad Joannem II sancti Pontificis nostri decessorem mittere decreverat : sed* inter navigii suscipiendi moras, quas hiemis continuatæ generabat asperitas, ordinationem *(S. Agapeti sibi)* omnipotentis Dei beneficio nuntiatam *fuisse, atque eo nomine ipsi fuerat gratulatus. Respondit* Agapetus *epistola* data V Idus Septembris, post consulatum Paulini viri clarissimi. *Eumdem diem, sine ulteriori nota consulari, præferunt responsa sancti Pontificis ad episcopos Africanos, de Arianis ad Ecclesiam reversis.*

chronologicæ epistolarum

7 *Ut Ariani ad pristinas dignitates, quibus inter suos functi fuerant, ad Ecclesiam reversi admitterentur, urserat apud Pontificem Justinianus, forte per legatos, nam imperatoris de ea re literas nuspiam invenio. Ut ut est, totus est* S. Agapetus *in dissuadendo, damnandoque eo consilio. Responsum hoc signatum est* Datum Idibus Octobris, *sine* F *ulteriori iterum nota chronologica. Denique ad S. Cæsarium Arelatensem episcopum duas epistolas* Agapetus *dedit : alteram in causa Contumeliosi, alteram de bonis ecclesiæ, quorum, ad sublevandos inopes, vendendorum facultatem flagitaverat Cæsarius. Utraque signatur* Data XV Kalendas Augusti, post consulatum Paulini junioris viri clarissimi. *Hisce epochæ duæ aliunde accedunt, et huc maxime pertinent. Prima repetitur ex concilii Constantinopolitani Actione* I, *habita* Post consulatum Flavii Belisarii viri clarissimi, sexto Nonas Maji, Indictione decima quarta, *ubi dicitur :* Assistentibus..... ceteris clericis ipsius Sedis Apostolicæ, qui simul erant cum Agapito sanctæ memoriæ.

S. Agapeti, et aliorum

8 *Altera eruitur ex cod. Vat. Ms.* 4961, *producto a Norisio, multumque laudato apud Pagium in Critica ad annum Christi* 536 *num.* 6, *ubi legitur:* Exemplar Libelli Mennæ presbyteri ac xenodochi, qui factus est episcopus Constantinopolitanus sub die III Idus Martias, iterum post consulatum Paulini Junioris viri clarissimi. *S. Mennas patriarcha Constantinopolitanus consecratus est a* S. Agapeto. *et in Anthimi hæretici locum suffectus, ut*

AUCTORE J. C.

A *ut ejus Acta probant. Posset et hic locum habere epocha mortis Joannis II, decessoris* S. Agapeti, *quam Mss. plurimi Catalogi Anastasiani, Freherianus scilicet, duo Thuanei, regius et Mazarinus, et scriptores, Ordericus lib.* 2, *Luitprandus, Abbo et Marianus Scotus in Chronicis apud Pagium in Critica Baronii ad annum* 535 *num.* 2, *signant contigisse,* sexto Kalendas Junias, *seu die* XXVII *Maji. De ea epocha obitus Joannis II, teste sæpe laudando Soucieto, convenit inter eruditos ; eamdem nos hic, ut certam tantisper supponemus. Ceterum dicit Anastasius, post Joannis II mortem vacasse sedem* dies septem, *vel ut habent alia exemplaria,* dies sex. *Hisce stantibus, conficiunt qui Anastasianum Catalogum commentantur, quique illos sequuntur recentiores chronologi,* S. Agapetum *Romanam Cathedram ascendisse die tertio mensis Junii, Dominico nimirum, quo consecratum fuisse sanctum Pontificem censere debemus, cum nihil obstet.*

ad ipsum.

9 *Itaque inter instrumenta jam allata, quatuor habemus signata more orientalium : tria sub consulatu Belisarii confecta, decimo quarto scilicet, decimo octavo, et die aliquo posteriore mensis Martii, neque enim pro mendoso* XVIII Kalendas B Aprilis, *determinatus alius substitui hactenus debet. Superest Constantinopolitana synodus sub Menna, cujus Actio I notatur post consulatum Belisarii die* 2 *Maji, quo jam e vivis excesserat* Agapitus, sanctæ memoriæ. *Instrumenta reliqua, vel notam consularem nullam habent, vel stilo Occidentis data dicuntur* Post consulatum Paulini junioris V. C. *Epistola* S. Agapeti *ad Cæsarium Arelatensem,* XVIII *Julii, altera ejusdem ad Reparatum Carthaginensem episcopum die* IX *Septembris signantur. Epochas hasce omnes hactenus considero ut sinceras, correcturus postea, si quid emendandas certo suaserit. Interim ex allatis patet, primo,* S. Agapeti, *Pontificatum restringendum esse inter diem* VII *Aprilis, sub consulatu* IV *Justiniani et Paulini, quo die scripsit Joannes II, ejus decessor, ad episcopos Galliæ de Contumelioso, atque secundum Maji post consulatum Belisarii in Oriente, ubi Actione I synodi Constantinopolitanæ jam dicitur* Sanctæ memoriæ. *Liquet etiam, nullum ex allatis supra instrumentis, nisi forte initium epistolæ ad Reparatum, quod infra discutiam, suadere, extendatur tempus ejus Pontificatus ultra* XVIII *Julii* post consulatum Paulini, *quo scriptæ sunt primæ* S. Agapeti *literæ ad Cæsa-* C *rium, et medium mensis Martii, Flavio Belisario* v. c. *consule in Oriente.*

Recentiorum in iis componendis

10 *Nunc recentiorum circa hæc labores videamus. Baronius, Pagius, Norisius, Labbeus, Sirmondus, aliique, qui anni periodo* Agapeti *Pontificatum includunt,* IV *Justiniani et Paulini consulatum componunt cum anno* 534; *Belisarium vero, cessante in Occidente consulatu, sequenti anno* 535 *in Oriente sine collega consulem statuunt : atque ita ipsis annus* Post consulatum Paulini junioris, *cum consulatu Belisarii, in annum Christi* 535 *concurrit. Hisce positis, quæritur, quomodo Justinianus professionem fidei* Agapeto *Pontifici inscribere potuerit* Pridie Iduum *seu die* XIV *Martii atque* Agapetus *illi respondere quatriduo post, seu* XV Kalendas Apriles Flavio Belisario V. C. consule, *si* Agapetus *non ante* III *Junii illius anni, qui in Occidente signabatur* Post consulatum Paulini, *in Oriente vero* Flavio Belisario V. C. consule, *consecratus sit Pontifex, atque Joannes II, ejus decessor, usque ad* XXVII *Maji ejusdem anni superstes fuerit, Nodum hunc secantes Labbeus et alii, ex conjectura crediderunt, notas chronologicas omnes literarum* Agapeti *ad Justinianum, et hujus ad illum, corruptas esse, et arbitrati sunt, ubique substituendum esse,* Post consulatum Flavii Belisarii V. C. *Subsidii aliquid habebat hæc opinio, ab Actione* I *concilii Constantinopolitani, eodem procul dubio anno habiti; quo in Oriente egerat, et obierat* Agapetus, *quæque hac epocha revera insignitur.*

molimina Labbei, Pagii

11 *Conjecturæ tandem pondus addidit Cardinalis Norisii felix inventum. Is enim in Dissertatione Historica* De uno ex Trinitate carne passo, *apud Pagium in Critica ad annum Christi* 535 *num.* 5, *codicem Vaticanum produxit, in quo revera tales notæ consulares epistolarum* Agapeti *ad Justinianum reperiuntur, quales ex conjectura emendatas laudati chronologi desiderabant. Vaticani illius codicis talem nobis notitiam suggerit Pagius, ad annum sequentem num.* 6 : Notatur num. 4961. Illum Marcellus II Pontifex, cum Eugubinam antea ecclesiam administraret, a monachis sanctæ Crucis Fontis Avellanæ acceptum, Vaticanæ bibliothecæ donavit. In ea Epistolæ 243 Pontificum Romanorum, a Siricio usque ad Vigilium, ac quorumdam etiam imperatorum, præfectorum urbis, ac præsidum, una cum gestis Ecclesiasticis leguntur. *Illi codici omnia Norisius et Pagius tribuunt, atque ex eo hujusmodi statuunt chronotaxim Acto-* E *rum* S. Agapeti. *Consecratus est Pontifex* III *Junii anni Christi* 535, *qui in Occidente, Post consulatum Paulini junioris, in Oriente, Consulatu Flavii Belisarii, notabatur. Ejusdem anni* XVIII *Julii ad Cæsarium Arelatensem,* IX *Septembris (vel Decembris, ut vult Pagius, de quo infra) ad Reparatum episcopum Carthaginensem datæ sunt a sancto Pontifice literæ.*

et aliorum vulgaris chronotaxis

12 *Sub ejusdem anni* 535 *finem, vel alterius initio,* Agapetus *profectus est Constantinopolim, atque eo pervenit ante Februarii finem anni* 536, *qui inscribitur* Post consulatum Belisarii. *Ibidem mense Martio professiones fidei a Justiniano accepit, et ad illas rescripsit, deposuit Anthimum hæreticum patriarcham, et pro eo Mennam ordinavit* Die III Idus Martias, iterum post consulatum Paulini junioris V. C. *et Romam denique reversurus, obiit* XXII *Aprilis, exactis in Pontificatu mensibus* X, *diebus* XVIII, *vel* XIX. *Atque hæc, admissa notarum consularium emendatione, in eorum chronotaxi non male cohærent, nisi quod ita corrigendus sit etiam Anastasius, asserens,* S. Agapetum *ambulasse Constantinopolim* X *Kalendas Majas, et secunda remaneat difficultas illa ex Reparati verbis, quæ Baronium* F *in eum errorem induxit, ut crederet* S. Agapetum *ipsa hieme dudum ante tertiam Junii mensis anni Christi* 535 *fuisse consecratum. Hanc declinat Pagius, pro arbitrio et sine necessitate mutans iterum unam notam chronologicam. De Anastasii loco recurret alibi sermo, Secunda difficultas etiam locum habet in chronotaxi Soucieti subjecta, quare illam hic discutiamus.*

non cohæret, nisi aliquæ mutentur epochæ. Consecrati Agapeti

13 S. Agapetus *epistolam suam ad Reparatum episcopum Carthaginensem apud Labbeum tom.* 4 *Consil. col.* 1792 *sic orditur :* Fraternitatis tuæ litteris indicasti, post epistolam decessori meo dirigendam inter navigii suscipiendi moras, quas hiemis continuatæ generabat asperitas, ordinationem nostram tibi omnipotentis Dei beneficio nuntiatam ; et gratulatum te fraternitatis affectu, quia Pontificatus mihi Divinitas indulsit officium, quod de sinceritate tua non sumus admirati. *Atque ea epistola* Agapeti *est* data v Idus Septembris, post consulatum Paulini V. C. *Igitur, cum destinatas ad Joannem II Reparati literas hiemis continuatæ asperitas moraretur, muntiata est Carthagine* S. Agapeti

AUCTORE J. C.

peti consecratio. *At hæc quomodo hieme Reparato nuntiatur, cum, provecto jam vere, tertio scilicet Junii die ordinatus sit sanctus Pontifex? Ea propter censuit Baronius, ut supra innui, consecrationem* Agapeti *ad ipsam hiemem retrahendam. Pagius alium huic nodo cuneum cudit ad annum* 535 *num.* 4., *contenditque, non nisi mense Novembri, cum jam sequens sæviret hiems, sancti Pontificis ordinationem Reparato innotuisse, atque hunc eodem mense de ea gratulatum fuisse* Agapeto, *qui Reparati literis responderit nona Decembris, non Septembris, ut habent vulgata omnia istarum literarum exemplaria.*

nuntius probabilius eodem, quo ordinatus est, mense,

14 *Soucietus, conquestus, vulgares notas iterum pro solo neoterici illius arbitrio mutari, mensem Septembrem retinendum censet, opinaturque, eodem anno, qui in Oriente signabatur consulatu Belisarii, scripsisse* Agapetum *ad Justinianum, eodemque dedisse literas ad Reparatum, signatas more Occidentalium,* Post consulatum Paulini V. C. *Quomodo primam difficultatem in sua chronotaxi salvare conetur, et* S. Agapetum *sub consulatu Belisarii in Oriente sistat, jamjam videbimus, de secunda solum hic agimus. Porro non videtur hæc*
B *in ejus chronotaxi penitus tolli; etenim juxta illam, mense Septembri, consule Belisario, Constantinopoli agebat* S. Agapetus: *at videtur indubitatum, quod Roma, et non ex Oriente, ad Cæsarium et Reparatum scripserit. Id suadet formula Occidentalibus usitata* Post consulatum Paulini V. C., *qua non videtur usurus fuisse Constantinopoli ad hos episcopos scribens sanctus Pontifex, qui instrumenta, quæcumque ibi alia condidit, Orientalium more Belisarii Consulatu insignivit. Suadet idem temporis ratio, neque enim mihi apparet credibile, consecrationem* Agapeti *Africanis episcopis, inter quos et Romanam Sedem tum temporis tam frequens erat commercium, non nisi post sex vel octo menses innotuisse; maxime cum Roma Carthaginem tam exiguus trajectus sit, ut paucis diebus conficiatur.*

Carthaginem pervenit, atque paulo post

15 *Ego certe suspicor, eodem mense, quo consecratus est Romæ* S. Agapetus, *nuntium Carthaginem ad Reparatum pervenisse, atque hunc paulo post epistolam dedisse ad Pontificem, quæ mense Augusto, vel forte prius, per legatos patrum Africanorum Romam perlata sit, ad illamque responsum, per eosdem legatos reddendum, miserit*
C S. Agapetus v Idus Septembris, *quæ est vulgaris epistolæ valgata nota chronologica. Necque sic torquentur recitata superius ex epistolæ initio Pontificis verba, apud eos saltem, qui non delectantur strictissima ubique expositione verborum, ut infra latius videbimus. Certe hiemem, seu turbines procellasque hiemales, in urbibus maritimis littoris Africani, quandoque extendere usque ad provectum Aprilem, non est rem adstruere inauditam. Demus juxta hanc opinionem meam, hiemem, quam Reparatus videtur innuere, illo anno ultra solitum protractam fuisse, usque ad finem Aprilis perdurasse, ventos brumales et contrarios spirasse, imo nec Reparatum sic invigilasse, ut primam mox mittendæ epistolæ occasionem aucupatus sit, non ægre intelligentur* S. Agapeti, *seu potius Reparati in sæpe jam laudata epistola verba. Nunc laudandum sæpius Soucietum audiamus.*

missi sunt inde ad Pontificem legati. Stephani Soucieti

16 *Postquam monuit arbitrarias criticorum emendationes notarum chronologicarum, quæ in antiquis instrumentis reperiuntur, eliminandas esse, si cum illis chronotaxis reliqua, debito fundamento nixa, sine vulnere componi possit, sic eorum, qui in literis* Agapeti *ad Justinianum, et hujus ad illum, legi cupiunt* Post consulatum Belisarii, *Achillem quatit.* Verum est, *(inquit Gallice pag.* 910) D
quod Cardinalis Norisius in Historia controversiæ de uno ex Trinitate passo, pag. 90 et 91 citet Manuscriptum bibliothecæ Vaticanæ notatum num. 961 *(Pagius in Crit. ad an.* 536 *num.* 6. *habet* 4961*)* continens CCXLIII epistolas Pontificum, a Siricio usque ad Vigilium, asseratque in illo tria instrumenta, de quibus nobis sermo est, signari anno Post consulatum Belisarii. *Pergit deinde Soucietus manuscripti istius auctoritatem impugnare, et* Primo, *inquit,* quale est Ms. illud? Nihil allegatur, quod id nobis commendet, nihil quod ejus probet antiquitatem. Secundo; asserit Cardinalis Norisius, Baronium eodem Ms. usum esse, plurima inde excerpsisse præclarissima priscæ ætatis monumenta, quæ in ejus translata Annales, pretium illis, si quæ alia, addiderint.

17 Hæc si ita sunt, si notam consularem ibi invenit Baronius, qualem producit Norisius, censuitque Ms. alicujus in hac re auctoritatis esse, quare notas chronologicas hasce, quibus ad stabiliendam chronologiam opus habebat, non desumpsit, quare ex illis rem non confecit, quare ne assignavit quidem? *Atque hæc Soucieti observatio talis est, ut Norisii emendationem primo statim intuitu suspectam reddat. Per temporis angustias non licet mihi examen et judicium de laudato Ms. Roma exposcere; interim codicis, cujus prima fere notitia a Marcello II repetitur, auctoritate, contra plurium aliorum Mss. testimonium stare nollem, nisi satis stabilita aliunde chronologia talem emendationem suaderet, quod utrumque sequenti § probabo. Exhibeamus hic Soucieti chronotaxim. Illi Justiniani* IV *et Paulini junioris consulatus cum æræ Christianæ anno* 535 *concurrit. Anno sequenti, cessante in Occidente consulatu, Belisarius in Oriente sine collega processit.* S. Agapetus *statuitur consecratus Pontifex* III *Junii sub consulatu* IV *Justiniani imperatoris et Paulini junioris, seu anno Christi* 535, *sub cujus finem, vel sequentis initio, creditur profectus Constantinopolim, atque ibi scripsisse ad imperatorem, ab eoque accepisse professiones fidei, signatas more Orientalium Consulatu Belisarii.*

de codice Vaticano laudato a Norisio judicium.

E

18 *Eodem anno Christi* 536 *in illa chronotaxi scribit* Agapetus *Constantinopoli ad Cæsarium Arelatensem et Reparatum Carthaginensem episcopos, signatque literas formula Occidentalibus usitata,* Post consulatum Paulini V. C. *Denique sequenti anno Christi* 537 *apud Constantinopolim moritur Pontifex, non diu ante Actionem* I *concilii ibidem celebrati* sexto Nonas Maji, post consulatum Belisarii V. C., *exactis in Pontificatu anno* I, *mensibus* X *et aliquot diebus. Et hæc quidem, in quantum ad Acta* S. Agapeti *pertinent, satis limpide fluunt, sed obsunt aliunde non pauca, ne admittantur. Ac primo, Soucietus hic toto anno receptum ab aliis æræ Christianæ exordium antevertit, neque satis probat* IV *Justiniani et Paulini consulatum cum anno Christi* 535, *et non cum præcedenti ex aliorum omnium chronologorum sententia componendum esse.* Putem, *inquit pag.* 904 *et seq.*, posse probare me, primum Christi annum, seu initium æræ vulgaris, esse annum consulatis Cossi Cornelii Lentuli, dicti Isaurici, et L Calpurnii Pisonis, qui Augustus dictus fuit. Id quidem hic suppono, nam probationum deductio longius me aveheret.

Ejusdem chronologia nova F

19 Atqui a consulatu Lentuli et Pisonis usque ad IV consulatum Justiniani imperatoris consulatus DXXXV numerantur; igitur Paulini consulatus incidit in annum Christi DXXXV. *Si recte eruditissimi*

neque satis solide probata est,

A *simi scriptoris mentem assequor, consentit cum Onuphrio Panvinio in figendo initio vulgaris æræ, sed retinet, quos ille omisit, ut rediret in viam, anno Christi* 277 *consules M. Aurelium Probum Augustum, et M. Aurelium Paulinum, sicque in subsequentibus annis pergit uno anno consulatus producere. Quod spectat ad primum, solidis plane argumentis opus esset, ut quis contra eruditorum pene omnium sententiam evinceret. Christum natum esse Consulibus Augusto Cæsare* XIII *et M. Plautio Silvano, adeoque initium æræ vulgaris a proxime subsequenti Kalendis Januarii consulatu Cornelii Lentuli et Calpurnii Pisonis, desumendum esse. Certe res hæc probari merebatur, cum Pagius in Dissert. de Periodo Græco-Romana, in Apparatu Chronologico et alibi chronologi alii, non contemnendas pro sua sententia rationes protulerint. Quamquam, admisso hoc æræ Christianæ initio, nescio, an quæ inde pro se deducit laudatus scriptor, satis cohæreant.*

neque inde ea commoda 20 *Sirmondus ad concilii Aurelianensis* III *in collectione Labbei tom.* 5 *col.* 304 *subscriptionem hanc :* Lupus in Christi nomine ecclesiæ Lugdu-B nensis metropolitanus episcopus. .subscripsi. Not... die Nonarum mensis tertii, quarto post consulatum Paulini junioris viri clarissimi anno XXVII regni domni Childeberti regis, *sic observarat :* In Lugdunensi autem *(codice Ms.)* omisso Childeberti regis anno, Indictionis numerus adjectus est, hoc modo : « Lupus in Christi nomine episcopus consensi et » subscripsi, quarto post consulatum Paulini junio- » ris, Indictione secunda. » Verum Indictio secunda non congruit mensi Majo hujus anni, sed prima. Quare manifestum est mendum. *Labbeus ad eamdem subscriptionem notavit in margine :* Additur in qq. cc Indictio secunda, male : fuit enim prima dumtaxat. *Postquam hæc retulit Soucietus sic fere prosequitur : Cardinalis Norisius, Schelstratius, Pagius, et quotquot alii chronologiam Bellarmini sequuntur, in eodem casu sunt circa Indictionem illam.*

sequuntur, quæ 21 *Quod ad me spectat, pergit Soucietus, nullam hic difficultatem patior ; Paulini consulatus in annum Christi* 535 *incidit, adeoque quartus post consulatum Paulini, est vulgaris æræ* 539, *quo, mense Majo, fluebat secunda Indictio. Asserta hactenus sic deinde probat eadem pagina* 905, Indictio secunda non nisi cum anno Christi C DXXXIX concurrere potest ; nam cum Indictiones inchoatæ sint anno CCCXII, si CCCXII subtraxeris annis DXXXIX, supererunt CCXXVII, quos si diviseris per XV, invenies quindecim Indictiones, et annos duos residuos, adeoque anno DXXXIX est indictio II. Si igitur annus quartus post consulatum est II Indictio, is alius esse non potest, quam DXXXIX Christi, non vero DXXXVIII, ut Baronius et Pagius crediderunt. Et si annus quartus post consulatum Paulini est annus Christi DXXXIX, ipse annus consulatus ejus est DXXXV ejusdem æræ. *Ita Sirmondum, Labbeum, aliosque fere omnes chronologos ex nova sua chronotaxi correcturus laudatus scriptor. Verum is ipse in ultima probatione, nisi fallor, errorem suum manifeste prodit, et suam ipsius chronotaxim subvertit.*

promissit sibi, neque 22 *Vulgarem æram anticipat anno integro, interim Indictionum exordium a consulatu Constantini* 2 *et Licinii* 2, *recte quidem cum aliis, repetit ; sed is consulatus, qui reliquis chronologis anno Christi* 312 *correspondet, in ejus chronotaxi in sequentem differendus est, sumendumque initium Indictionum ab anno Christi* 313, *nisi velit Acta omnia, quæ Indictionibus notata sunt, evertere, et ad annum posteriorem pertrahere, quo rursus Indictiones cum omnibus aliis notis chronologicis non convenient. Facile esset id, quod assero, ex innumeris instrumentis probare, at ne longius a* S. Agapeti *temporibus excurramus, sufficiat Souciéti computum ad synodum Constantinopolitanam sub Menna experiri. Ejus prima Actio signata est :* Post consulatum Flavii Belissarii V. C. sexto Nonas Majas, Indictione decima quarta. *Eodem modo reliquæ ejusdem concilii Sessiones, secunda nimirum et tertia eodem mense Majo, quarta et quinta mense Junio, eodem anno consulari, eadem Indictione decima quarta notantur. Annus Post consulatum Belisarii Soucieto est annus Christi* 537 ; *igitur ex ejus methodo operemur. Annis* 537 *subtraho* 312, *supersunt* 225 ; *divido per* 15 ; *proveniunt* 15 : *atque ita Indictionem* 15 *habeo, mense Majo et Junio, cum anno Post consulatum Belisarii currentem; non decimam quartam, quæ in Actis notantur.* anno J. C.

23 *Porro sicut secunda Indictio, quam in subscriptione concilii* III *Aurelianensis reperit Sirmondus, in ejus et aliorum plerorumque scriptorum chronologia uno anno est reliquis notis posterior, et cum illis tamen in chronologia Soucieti eodem anno convenit, ita quæcumque Indictiones in illorum chronographorum sententia cum annis consularibus conspirant, cum iisdem necessario pugnabant in computu Soucieti cum ibi consulares anni, uno ubique vulgaris æræ anno retrocedant. Non censeo notas chronologicas omnium fere antiquorum monumentorum evertendas, ut mendosam concilii Aurelianensis subscriptionem tueamur, neque igitur novam chronotaxim amplecti possum. Quod si errorem in initio Indictionum velit quis, retentis ceteris, emendare, nihil proficiet, ut sequenti § demonstrabo ; eadem enim, ni fallor, in chronologia vulgari obtinebunt.* *satis cohæret* E

§ II. Examinatur, quo mense et die S. Agapetus Cathedram ascenderit et mortuus sit. Ejusdem in Fastis sacris memoria.

F *Inquiritur, an tempore consulatus*

Correcto in sistemate Soucieti Indictionum exordio, videntur reliqua huc reduci posse : An S. Agapetus *Romanam cathedram adierit sub consulatu* IV *Justiniani et Paulini junioris, an tantum sequenti anno, qui in Oriente notabatur consulatu Belisarii, et in Occidente Post consulatum Paulini. Primum tenet laudatus scriptor, secundum chronologi reliqui fere omnes. Porro Soucietus nihil pro sua sententia hic subsidii habet ab anticipata uno anno vulgari æra ; etenim, cum ab annis Christi nulla hic desumi possit uspiam epocha, chronotaxis gestorum sancti Pontificis eadem plane juxta annos consulares ordinari poterit ; ita ut pro utraque chronologia eadem prorsus hic argumenta faciant, quæ nunc examino. Primam opinionem, sedisse nimirum* S. Agapetum *anno uno, mensibus decem et diebus aliquot, non pauca commendant, eaque talia sunt, ut, nisi aliunde non pauciora, nec minus gravia repugnarent, manibus pedibusque in illam irem. Acta sancti Pontificis perpendenti, offert se primum aliquorum mensium brevissimum spatium, quo in vulgata Pagii et aliorum chronotaxi res tot tantæque geri debuerunt. Et quamvis singulæ non plane ine-*

AUCTORE J. C.

pte ordinatæ dispositæque ibidem exhibeantur, apparent tamen intra tam angustam periodum cum aliqua violentia compulsæ.

Paulini junioris, an annum tantum sequenti

25 *Insuper certum est, ut laudatus Soucietus pag.* 907 *advertit, quod nulla Joannis II, præcessoris* S. Agapeti, *Acta, quæ habemus, cogant ejus Pontificatum extendere ultra consulatum Paulini junioris, cum sub eo, et quidem ante mensem Majum, signata sint, quæcumque nobis ejus monumenta supersunt. Accedit aliud a notis chronologicis Anastasii in Catalogo, quæ iterum nullo modo in contracta Pagii et aliorum chronotaxi integræ servari possunt. Scribit Anastasius:* Qui vero Agapitus ambulavit Constantinopolim x Kalendas Maji, ingressus Constantinopolim, et susceptus est Agapitus episcopus cum gloria. *Nullum mensem Majum in laudatorum chronologorum computu egit* Agapetus, *consecratus die* III *Junii et mense Aprili anni sequentis mortuus Quocumque igitur sensu ambiguam Anastasii phrasim accipias, sive credas* x Kalendas Maji *connectendum cum* ambulavit Constantinopolim, *sive cum* ingressus est, *sive denique* ambulavit Constantinopolim, *exponas*
B *per* profectus est, *Roma scilicet, numquam chronotaxim cum ejus verbis compones, quæ tamen in priori opinione optime combinantur.*

S. Agapetus Cathedram adierit,

26 *Deinde, cum in illa toto fere tempore consulatus Belisarii statuatur* Agapetus *in Oriente fuisse, servantur etiam illæsæ illorum instrumentorum, quæ sub eodem consulatu Constantinopoli condiderunt Pontifex et imperator, notæ chronologicæ, quæ rursus a Pagio et aliis luxari et emendari debent, uti etiam ultimo producta epocha apud Bibliothecarium, pro qua substituendum judicant,* x Kalendas Martias. *At cum testem hic iterum neminem antiquorum habeant, atque in omnibus Mss. Catalogis legatur* x Kalendas Majas, *posset videri tota auctorum illorum chronotaxis ex mere arbitrariis notarum chronologicarum luxationibus consuta. Quamquam, hisce non obstantibus, nequeo a secunda sententia avelli. Qui unius alicujus Pontificis solum gesta examinant, liberius non raro solent tempus Pontificatus ejus extendere, vel contrahere, parum curantes, quid de aliis aliquot, qui illum præcesserunt in Cathedra, vel subsecuti sunt, faciendum sit. Recte ne id faciant, judicent eruditi. Certe ne ego initium Pontificatus* S. Agapeti *ad Paulini*
C *junioris consulatum, seu annum, in vulgari chronologia* 534, *retrahere audeam, facit primo chronotaxis Actorum præcedentium aliquot Pontificum, satis solide, quoad annorum saltem numerum, apud laudatos auctores stabilita.*

Probabilior est sententia, qua

27 *Illam, inquam, perturbare nec ausim, nec relim, maxime, cum id fieri non videatur posse, nisi expunctis et mutatis innumeris notis chronologicis vulgati Anastasii, dum ejusdem una hic alterave tanto cum molimine defenderetur. Verum quidem est, quod Acta nulla Joannis II reperiantur signata post Aprilem mensem sub Paulini consulatu, sed nec instrumenta hactenus prolata sunt, quæ ante Junium, Post ejusdem consulatum subscripsisse* S. Agapetum *probent, proindeque par est hactenus utrimque vis argumenti negativi. Nostro aliunde subsidium accedit maximum : etenim cum sanctus Pontifex* x *Kalendas Majas sub consulatu Belisarii Constantinopolim in prima chronotaxi ingressus sit, jam per undecim fere menses Romanam Cathedram occupaverat, et instrumenta omnia, quæ habemus ejus nomine insignita, Constantinopoli condidisse debuit, quod mihi apparet prorsus incredibile. Certe* S. Agapetus *profectus in Orientem, inde numquam postea reversus est. Literæ etiam omnes, quas sanctus Pontifex subsignavit, notas chronologicas habent posteriores* XXII *Aprilis, quo die ex* D
Anastasii loco supponitur ingressus Constantinopolim, nam signatæ sunt Post consulatum Paulini, *qui annus certe cum Belisarii in Oriente consulatu concurrit, et earum nulla ante mensem Julium data legitur, ut Commentarii hujus num.* 5 *et seqq. videre licet.*

exordium Pontificatus ejus

28 *Porro ex ipsis illis epistolis luculentissimum fit, Cajum et Petrum episcopos, atque Liberatum Diaconum, legatos a synodo Africana Romam missos fuisse, atque ibidem legationis negotia cum Pontifice tractasse. Non est minus manifestum, Roma per eosdem illos legatos responsa misisse* S. Agapetum *ad Reparatum ceterosque synodi Carthaginensis episcopos, non vero Constantinopoli, ubi ex prima opinione tum temporis agere debuisset sanctus Pontifex. Confirmari id potest ex ipsis epochis, quibus instrumenta illa insignita sunt: epistolæ enim illæ notas chronologicas habent Occidentalium more scriptas, ubi contra monumenta omnia, quæ Constantinopoli noscitur condidisse* Agapetus, *Consulatu Belisarii, formula Orientalibus usitata, subsignata sunt. Neque dicet, opinor, aliquis, profecto jam in Orientem Pontifice, legatos Carthaginenses Romam appulisse, compertaque ejus absentia, il-* E
lum eo subsecutos fuisse; hæc enim credibilia non sunt, cum de itinere illo apud Liberatum nulla uspiam fiat mentio. In hac opinione, non solus etiam Reparatus, sed omnes insuper congregati Carthagine episcopi mortem Joannis II, cui illorum epistola inscripta est, anno fere integro ignorassent, quod non est magis credibile.

anno Christi 535, qui in Fastis est

29 *Certe* S. Agapetus *in illa opinione menses residuos consulatus Paulini, et unum etiam alterumve sequentis anni, statuitur moratus in Italia, atque adeo legati Africani Romam tantum venissent sub finem primi anni Pontificatus ejus, vel forte etiam sequentis initio, quod mihi nullo modo apparet verisimile. Atque hæc sunt, quæ faciunt, ut a Labbei, Pagii et aliorum chronotaxi hic non discedam. Restant quidem in illa corrigendæ notæ chronologicæ instrumentorum a* S. Agapeto *in Oriente conditorum, quæ, si Belisarius Kalendis Januarii Post consulatum Paulini in Occidente, consulatum in Oriente accepit, et eodem die sequenti anno Syracusis deposuit, nec notata sunt Constantinopoli instrumenta ejus consulatu, donec ibidem de deposito* F
constitit, nullo modo salvari possunt. At emendationem illam suadet Ms. a Norisio productum. Quamvis vero illud ab antiquitate et præstantia auctoritatem tantam forte non mereatur, quantam illi laudati superius critici tribuunt, cum tamen illi faveat chronologicus ordo reliquus gestorum S. Agapeti, *emendatio nostra hæc chronotaxim sibi faventem habet. et ducem scriptorem saltem antiquum, quorum alterutro carent mutationes aliarum epocharum in prima opinione faciendæ.*

Post consulatum Paulini, illigat

30 *Corrigendus etiam in chronotaxi nostra est Anastasii locus:* Ambulavit Constantinopolim x Kalendas Maji, *atque pro eo legendum* Martii, *Mensis forte ab Anastasio duobus literis* Ma *notatus, pronissimam errandi occasionem amanuensi præbuisse potuit, atque ideo facilius est toleranda emendatio. Igitur ex hactenus disputatis* S. Agapetus *Romanam Cathedram adivit* Post consulatum Paulini V. C., *qui cum anno Christi* 535 *in vulgari chronotaxi concurrit; ulterius nunc in mensem et diem inquiramus. Dixi quidem* § I *num.* 7, *Soucietum tamquam certum a Pagio mutuari, ordinatum esse sanctum Pontificem die* III *Junii; cui opinioni aperte suffragantur ii Anastasii codices qui die* XXVII *Maji Joannis II obitum locant diesque*

A *que deinde sex vel septem interpontificii determinant. Verum, quod hic Anastasii auctoritati conceditur, aliunde ipsi decedat necesse est. Etenim, ut fatetur Pagius in Critica ad annum Christi* 536 *num.* 10, *in exemplaribus Anastasianis et omnibus Catalogis Pontificum Romanorum* Agapeto *tribuuntur menses* XI, *dies* XIX *vel* XVIII; *quæ, si mortuus est, ut scribit Anastasius,* X *Kalendas Maji, neutiquam cohærent; cum sic menses tantantum* X *et dies* XIX *sedisse potuerit.*

debili fundamento nititur Pagius in figendo

31 *Non hæsitat quidem ad hæc laudatus criticus, sed sine scrupulo pronuntiat, corrigendum Anastasium, legendumque* menses X: *ne scilicet* S. Agapetus *statuatur supervixisse initio synodi Constantinopolitanæ, ubi* sanctæ memoriæ *dicitur, vel Joannes II non obiisse* XXVII *Maji anni superioris, quod tamen habet ut indubitatum. Sed non satis firma mihi apparet talis ratiocinandi methodus: constanter et ubique asseritur* S. Agapetus *sedisse menses* XI *et dies aliquot: hæc tamen nota chronologica certe mendosa est, quia scriptores aliqui et Catalogi notas alias quaspiam chronologicas habent, quæ cum hac non cohærent, dum interim alii codices, atque ii non pauciores, variant* B *in iis notis, ad quas constanter assertam aliam emendatam cupit. Credo ego, huic potius adhærendum, quam illis, juxtaque hanc ordinandas et exigendas reliquas. Itaque examinandum est, an initium Pontificatus* S. Agapeti *retrahi non possit eo, unde usque ad Aprilem anni sequentis,* XI *menses et dies consignati fluant. Constans est in Anastasianis codicibus epocha mortis* S. Agapeti. Defunctus est, *inquit,* Constantinopoli X kal. Maji; *hinc retrogredientibus per menses* XI *et dies* XIX *vel* XVIII *occurrit sexta Maji, quæ anno* 535 *erat Dominica: sed ab ea, usque ad* XXII *Aprilis sequentis anni, numerantur menses* XI *et dies tantum* XVI.

die aditi Pontificatus. S. Agapetus

32 *Igitur mendosæ sunt alterutræ notæ chronologicæ Anastasii, nisi consecrationem sancti Pontificis a Dominico die in feriam quintam vel sextam rejicias, quod conciliandis illis non facile concessero. Alia igitur via incedere lubet. Græci omnes constanter in Fastis sacris, de quibus infra,* S. Agapeti *obitum figunt die* XVII *mensis Aprilis, quo ejusdem agitur apud illos memoria, ut videre licet apud Papebrochium in Conatu. Is ibidem asserit, Græcis in ea re, quæ apud ipsos contigit, potius credendum esse, quam nostris absentibus, et Ana-* C *stasio innumeris mendis scatenti. Æquius est illud eruditi scriptoris judicium, quam insolens conjectura Pagii, asserentis, eum diem Græcis non esse* S. Agapeti *emortualem, sed celebrem, propter memoriam ædificati olim sancto Pontifici templi, cujus scilicet vestigia nulla uspiam assignat. Itaque Papebrochio assentior, credoque eam fidem circa* S. Agapeti *emortualem diem Græcis habendam, quam illis attribuit. Porro sic, servatis integris fere reliquis Anastasii notis, statui deberet ejus accessus ad Romanam sedem die* XXIX *Aprilis, Dominica, inter quam et* XVII *ejusdem mensis anni sequentis, notati menses* XI *et* XIX *dies intercurrunt.*

mortuus est XVII *Aprilis; Cathedram vero ascendit*

33 *At quid igitur de Joanne II ejus decessore? Is, Anastasio teste,* Sedit annos duos, menses quatuor, dies sex.... Qui et sepultus est in Basilica B. Petri Apostoli VI Idus Junias, post consulatum iterum Lampadii, et cessavit episcopatus diebus septem. *Respondeo: Anastasianis illis notis, nemo, quem vidi, hactenus inhæsit, cum non ex una parte claudicent. Liceat igitur et mihi ab iis recedere. Papebrochius noster circa annos et menses Pontificatus Joannis II subscribit vulgato Anastasio, at pro diebus sex, legit dies* III. *Hos si ab illo mutuemur, fluet facilis chronotaxis utriusque Pontificatus. Joannes II in Papebrochii Conatu dicitur* Ordinatus XVIIII Decembris in Dominica, *anno scilicet Christi quingentesimo trigesimo secundo.* Sedit *annos* II *menses* IV, *dies* III, *atque adeo usque ad* XXII *Aprilis anni* 535. *Vacavit Sedes dies sex completos, vel incompletos septem, et* Agapetus *est* ordinatus anno DXXXV, XXIX Aprilis in Dominica tertia post Pascha, *quod eo anno inciderat in diem* VIII *ejusdem mensis.*

die XXIX *ejusdem mensis anni præcedentis. Illustris*

34 *Sedit* Agapetus *menses* XI, *dies* XIX, *vel* XVIII, *atque ita excurritur in* XVII *Aprilis sequentis Christi anni, quem diem illi emortualem Græci statuunt. Atque hæc chronotaxis ut nuda et simplex est, mihi præplacet aliis, in quibus, dum conciliandus secum Anastasius assumitur, idem ipse non minus luxatur. Deinde in nostra hac non difficulter intelliguntur, quæ de Reparati ad* Agapetum *epistola § præcedente num.* 15 *observavi; sic enim facile sancti Pontificis ordinatio potuit illi, nondum penitus remissa hieme, Carthagine nuntiari. Nunc antiquum Sancti cultum ex Fastis sacris eruamus. Ibi ad tres potissimum dies* S. Agapeti *mentionem invenio; ad* XVII *scilicet, ad* XXII *Aprilis, et ad hunc* XX *Septembris. Maurolycus quidem* XXIII *Aprilis, et ad hunc* XX *septembris. Maurolycus quidem* XXIII *Aprilis* Agapetum *Papam nuntiat, cui consonant codices Victorin. et reginæ Suec. signatus num.* 130, *inter Auctaria Usuardina apud Sollerium: apographum vero Hagenoyense* XXI *ejusdem mensis ita ibidem illum celebrat:* Romæ S. Agapiti Papæ, qui multum in Gestis Pontificalibus laudatur. Hic ingressus est Constantinopolim, et Justinianum imperatorem ab errore revocavit Arthemii, ipsum Arthemium destituendo, et Menam Catholicum virum constituendo. Hic Arthemius in Christo duas negabat naturas. Et obiit Papa Constantinopoli, et transfertur in Romam, et cum gloria sepelitur in ecclesia S. Petri Apostoli. Hic etiam Constitutiones fecit. E

sancti Pontificis memoria in Latinorum

35 *Verum satis liquet ejus memoriam a die* XXII *Aprilis, quo Anastasius sancti Pontificis obitum figit, avulsam esse. Eo certe die apud illustrissimum de Aste in Notis ad Martyrologium Romanum memoratur in veteri Kalendario Holstenii, Mss. Romanis Barberiniano et Vaticano S. Petri, et Appendice ad Adonem; et apud Sollerium in Auctariis Usuardinis Ultrajectensi, Leydensi, Albergensi, Danico, Bruxellensi, Aquicinctino, uti et a Galesinio, Maurolyco, Greveno et Molano. Præiverat hisce Notkerus ad* X *Kalendas Majas nuntians:* Item Agapiti Pontificis, qui sedit Romæ undecim menses, et ingressus Constantinopolim ad Justinianum imperatorem, Anthemium episcopum Constantinopolitanum, qui duas naturas in Christo negabat, deposuit, et in ejus loco Menam Catholicum consecravit. *Et hic quidem dies est ut jam monui, quo a Latinis creditur obiisse sanctus Pontifex: dies vero translationis corporis ejus ex Oriente Romam hodiernus est, quo hisce verbis in Martyrologio Romano ejus memoria celebratur:* Eodem die S. Agapiti Papæ, cujus sanctitatem beatus Gregorius Magnus commemorat. *Mirari hic aliquis nec immerito posset, ab Adone et Usuardo nullam celeberrimi Pontificis mentionem fieri. Prolixiora apud Græcos sunt de eo elogia ad diem* XVII *Aprilis, quo ejus obitum signant. In Menologio Basiliano ita celebratur:* Sanctus pater noster Agapetus, Justiniano imperante; in vetere Roma natus, propter religiosæ vitæ exercitia et ceteras virtutes ad summi Pontificatus dignitatem ascendit. F

pariter et Græcorum Fastis

36 Fuit autem et editis miraculis clarus: cum enim aliquando ex urbe Roma egressus Constantinopolim

AUCTORE J. C.

tinopolim navigaret, ut imperatorem inviseret, ac in Græciam venisset, ibique hominem quemdam mutum, et præ infirmitate immobilem invenisset, manu apprehensum incolumem reddidit. Deinde cum auream portam subiret et in cæcum quemdam ibi sedentem incidisset, manu ei imposita, visum ipsi restituit. Unde apud imperatorem et senatum adeo venerabilis fuit, ut et Anthimum Trapezuntis episcopum, Constantinopolitano throno incubantem ac Eutychiana hæresi imbutum, ejecerit, et illius loco sanctissimum Menam ordinaverit. Post hæc infirmitate correptus ex hac vita decessit, et in templo sanctorum Apostolorum sepultus fuit. *In Menæis simile est elogium, nisi quod magis conveniat cum narratione Gregorii, quam dabo infra.*

§ III. Res gestæ Agapeti in Italia.

S. Agapeti parentes :

Stabilita chronotaxi sancti Pontificis, Acta illustria chronologico, quantum licet, ordine digeramus. Fuit, teste Anastasio. S. Agapetus natione Romanus ex patre Gordiano presbytero, clericus ad S. Joannem et Paulum, *antequam ad supremam* B *in Ecclesia dignitatem assumeretur. Quo circiter anno natus sit, quidve ante Pontificatum gesserit, non liquet, uti nec quis fuerit Gordianus ille* S. Agapeti *pater. Agapeto tribuitur a Procopio* Rustici *nomen, quod unde contraxerit, non est pronum dicere. De* S. Agapeto *cap.* 21 *sui Breviarii orditur Liberatus Diaconus, auctor contemporaneus, his verbis :* Verum mortuo Joanne Mercurio, Agapetus archidiaconus Romanæ Ecclesiæ Papa ordinatur, in Regulis ecclesiasticis apprime eruditus. *Petrus de Natalibus lib.* 4 *cap.* 77 *sanctum* Agapetum *Cardinalis titulo insignit, quem etiam ad patrem ejus Gordianum extendit Robertus Barus, citans Onuphrium Panvinium. Hujus verba sunt num.* 58 : Sanctus Agapetus Gordiani presbyteri Cardinalis SS. Joannis et Pauli TT Pammachi filius, Romanus.

res gestæ ante Pontificatum obscuræ;

38 *Ea adoptat Ciaconius, ubi* S. Agapeti *gesta sic orditur :* Sanctus Rusticus Agapetus, Gordiani presbyteri Cardinalis sanctorum Joannis et Pauli, titulo Pammachii ex legitimo matrimonio filius Romanus. S. R. E. archidiaconus, presbyter Cardinalis, C in basilica sanctorum duodecim Apostolorum. *Id unde ab his haustum sit, nescio, eadem tamen apud plures etiam alios Catalogorum Pontificum commentatores recentiores asserta invenio.* Hic (Agapetus, *prosequitur Anastasius)* libellos anathematis, quo, invidiæ dolo extorserat Bonifacius presbyteris et episcopis contra canones et contra Dioscorum, in medio ecclesiæ congregatis, incendio consumpsit, et absolvit totam Ecclesiam de invidia perfidorum. *Ita scilicet sanctus Pontifex, ubi primum sanctam Petri Cathedram ascenderat, pastorales curas ad commissi sibi gregis tranquillitatem convertit. Est autem Bonifacius, quem hic invidiæ et fraudis arguit Anastasius, Papa illius nominis secundus, qui ante Joannem II,* S. Agapeti *decessorem, sederat : Dioscorus vero, in quem anathema latum scribit, idem verosimilius ille legatus in Orientem missus ab Hormisda, inter cujus epistolas exstant relationes legationis obitæ. Dioscorus is cum Bonifacio de Romana Sede contenderat. De contentionibus illis earumque origine varii varie sentiunt.*

dissolvit anathema a Bonifacio II

39 *Baronius in Annal. ad annum Christi* 530 *num.* 3 *et seqq. opinatur, Dioscorum simoniæ labe infamem fuisse, imo nec obscure innuit, illum, emunctis pecunia suffragiis, ad Cathedram Petri* D *ascendere voluisse, conficitque ex Justiniani edicto ad Joannem Romanum Pontificem, illum ideo post mortem anathemate perculsum fuisse. Papebrochius noster in Paralipomenis ad Conatum pag.* 49 *num.* 8 *credere mavult, id crimen Dioscoro per invidiam et calumniam impositum fuisse, cum non obscure Anastasius Bonifacium sugillet tum verbis superius allatis, tum etiam ante, ubi Bonifacii Gesta recensens, scribit :* Ipsis diebus *(quibus e vivis ereptus est Dioscorus)* Bonifacius zelo et dolo ductus, cum grandi amaritudine sub vinculo anathematis chirographi reconciliavit clerum : quem chirographum archivo Ecclesiæ reclusit, quasi damnans Dioscorum; et congregavit clerum : cui tamen in episcopatu nullus subscripsit, dum plurima multitudo fuisset cum Dioscoro. *Ex his Papebrochii opinio videtur mihi admodum probabilis : ita enim optime intelligitur, quod cum Baronio sentientibus difficultatem parere debet, quomodo Anastasius non sine laude referat factum* S. Agapeti, *latum per invidiam et fraudem in Dioscorum anathema tollentis.*

latum in Dioscorum. Ab Africanis episcopis legatos accipit

40 *Cujus vero potior causa fuerit, Bonifaciine, an Dioscori, decidant alii. Sane, si, quod plurima suadent, senatus sub Gothorum gemens imperio cum paucissimis e clero Bonifacio, homini Gotho, ut patris ejus Sigisbuldi nomen suadet, favebat, clerus vero pene omnis, detrectans jugum sibi ab Arianis regibus impositum sub Gothicæ aulæ examine Pontifices eligendi a Dioscoro stabat, res erat nata miserum schisma in Ecclesia parere, id nisi Deus, sublato post paucos dies Dioscoro, avertisset. Ad* S. Agapeti *gesta redeamus. Redacta per Belisarium sub Justiniani imperium Africa, respirare cœpit ecclesia Africana, statimque, ut ejus bono consulerent, Carthaginem convenerunt episcopi* 217 *cum Datiano, Florentiniano et Reparato illius urbis præsule consultaturi, quo facillime modo collapsis pene fidei rebus subvenirent. Inter alia, difficultates potissimum duæ occurrerunt. Altera de Arianis episcopis et sacerdotibus, qui ad Catholicam Ecclesiam accederent : essentne scilicet in communionem receptis ii relinquendi gradus et dignitates, quibus pridem gaudebant inter suos. Altera erat de parvulis apud Arianos baptizatis :* utrum soleant, vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari. *Super his Apostolicæ Sedis oracula exquisiverunt, missis Romam ad Joannem* F *Pontificem legatis Petro et Lucio episcopis, cum Liberato ecclesiæ Carthaginensis diacono et literis, quos recitat Baronius num.* 27 *ad annum* 535.

primis Pontificatus sui mensibus.

41 *At legati, cum Romam pervenissent, mortuum Joannem II, et in ejus locum suffectum invenerunt* S. Agapetum *nostrum, cui proinde patrum Carthaginensium literas tradiderunt. Atque hæc initio Pontificatus ejus gesta sunt, medio aliquo mense inter Aprilem et Septembrem; epistola enim, quam* Agapetus *ad Africanos patres rescripsit, signata est* V *Idus Septembris, exstatque apud Labbe tom.* 4 *col.* 1791. *Ibi inter alia, ita loquitur :* Redeuntibus Cajo et Petro fratribus et coëpiscopis nostris, atque Liberato diacono filio nostro, proferimus sincerissimam consilii vestri caritatem : quoniam sicut et sapientes decebat et doctos, immemores principatus Apostolici non fuistis : sed quæstionis illatæ volentes vincula dissolvere, ab ejus Sede requisivistis (sicut decebat) aditum, cui potestas est indulta claustrorum. *Et post aliqua, ita quæstiones dissolvit :* Sed ejusmodi (sicut et nobis cautissime visum est) præstemus officium in observatione pastorum, ne, cum perdita volumus congregare, pereamus, et, cum sub nimia relaxatione absolvimus, obnoxii (quod avertat Dominus)

A nus) cadamus in culpam: maxime, cum priorum nostrorum sententia redeuntes ad nos ex Arianis, quolibet modo, in qualibet ætate illius pestilentiæ labe pollutos, tanta * caritate in fide complexa est, ejusmodi justitia et sub dilectione redarguit, tanta ratiocinatione de ambitu honoris exclusit: ut erubescerent aliud magis quærere, quam redire.

* *forte quanta.*

eorumque quæstionibus respondet, et scribit ad Reparatum:

42 De eo vero, quod piissima compunctione requisistis, utrum ad officium suum debent suscipi, aut eos non oportet omnino promoveri, an alimoniarum saltem utilitatibus adjuventur. Laudamus, hortamur, amplectimur, ut revera ejus promotionem aut officium, in quo fuerint, abnegantes, canonum vos reverentiam judicent omnes appetere potius, quam gerere cupiditatis ardorem. *Cum hisce responsis ad patres Africanos peculiarem dedit* Agapetus *epistolam ad Reparatum Carthaginensis sedis episcopum, eodem signatam die, quæ Baronium seduxit in eum errorem, ut crederet,* Agapetum *hieme ad Cathedram promotum fuisse. Hoc illius est exordium apud Labbeum laudatum:* Fraternitatis tuæ literis indicasti, post epistolam decessori meo dirigendam inter navi- B gii suscipiendi moras, quas hiemis continuatæ generabat asperitas, ordinationem nostram tibi omnipotentis Dei beneficio nuntiatam, et gratulatum te fraternitatis affectu, quia Pontificatus mihi divinitas indulsit officium.

Baronii circa hæc error

43 *Hæc, inquam, Baronium moverunt, ut crederet,* S. Agapeti *consecrationem ante mensem Martium contigisse, cum hieme Reparato nuntiata dicatur. Correcturus Baronium Pagius, non ea hieme, quæ anni* 535 *excepit exordium, sed alterius hiemis subsequentis initio, mense videlicet Novembri, scripsisse Reparatum ad Pontificem num.* 4 *contendit, atque ea propter emendandam notam chronologicam epistolæ* Agapeti, *legendumque, pro* quinto Idus Septembris, *ut habet vulgata a Baronio et Labbeo,* quinto Idus Decembris. *At nihil arbitrarium illam emendationem multum suadet, ut ostendi* § I *num.* 12 *et seqq. Certe sine illa satis commode explicantur omnia: potuit enim non post admodum multos dies consecrati* XXIX *Aprilis* Agapeti *nuntius Carthaginem pervadere. Itaque, si circa initium mensis Maji ordinatio* Agapeti *Reparato innotuerit, facile intelligetur, quomodo mense Septembri per legatos rescribere potu-* C *erit Pontifex, quomodoque hoc eodem anno Kalendis Augusti Constantinopoli, acceptis ex Carthaginensi concilio literis, Justinianus imperator scripserit ad Salomonem præfectum prætorio Africæ. Certe, quid inde pro se Pagius conclusum cupiat, non satis assequor. Denique ipsa Reparati phrasis satis contra Pagium innuit, non de hiemis exordio, sed de fine sibi sermonem esse, totaque* Agapeti *epistola satis suadet, per eosdem illam legatos Africanos ad Reparatum missam fuisse.*

Eodem anno, mense Julio

44 *Sed non eo toto tempore pastorales* S. Agapeti *curas solæ res Africæ occuparunt, suas habuit et Gallia: duæ enim exstant apud Labbeum laudatum sancti Pontificis Epistolæ ad S. Cæsarium, magnum illum Arelatensium episcopum. Utraque signata est* XV Kalendas Augusti post consulatum Paulini junioris V. C. *anno Scilicet* 535. *Harum altera prolixior, tota est in causa Contumeliosi, episcopi Regiensis, qui sedem illam turpissimis criminibus fœde contaminasse dicitur. Processerat contra illum S. Cæsarius cum aliis Galliæ episcopis, indignumque pastorem sua sede pellendum, ex sacris canonibus contenderat. Actionem itaque contra illum institutam Romam miserat ad Joannem II, qui tum temporis S. Petri Cathedram obtinebat. Rescripserat Joannes ad Cæsarium epistolam, quam Labbeus exhibet tom.* 4. *col.* 1756 *et seq., aliasque de eadem re literas dederat ad episcopos Galliæ, alias ad presbyteros et diaconos Contumeliosi. Utrasque excusas habes ibidem. Porro posteriores duæ signatæ sunt* VII Idus Aprilis, Paulino juniore viro clarissimo consule. *Prima ad Cæsarium, omni caret nota chronologica: suspicari tamen licet, eodem illam tempore, vel paulo etiam ante, scriptam fuisse, cum hujus in illis meminisse videatur Pontifex.*

rescribit ad S. Cæsarium de causa Contumeliosi

45 *Pauca hinc delibo, quæ ad rem præsentem propius spectant;* Dolemus *(inquit Joannes paulo post initium)* de amissione pontificis; rigorem tamen canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum *(Contumeliosum)* ab episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas: neque enim fas est, pollutum criminibus, sacris ministeriis deservire; sed, te ordinante, in monasterium dirigatur, ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo, qui omnibus miseretur, Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum visitatorem constituite, donec proprium ecclesia, quæ evacuata E est ejus sacerdotio, merere valeat sacerdotem. *Et paucis interjectis, ita claudit:* Quæ vero de his canones præcipiunt, subter adjecimus, ut, quæ facienda sunt, possitis cognoscere. Deus te incolumem custodiat, frater carrissime. *In laudatis aliis literis eadem pene repetit Joannes. In iis tamen, quæ ad clerum Contumeliosi datæ sunt, paulo prolixius mentem suam et curas ita explicat:* Pervenit ad nos a fratribus et coëpiscopis missa relatio, ubi Contumeliosus de criminibus suis confessus legitur atque convictus. Et quia hujusmodi sceleribus implicatus sacerdotii non potest ministeria jam tractare, necessaria, vobis solatia credimus visitatoris adjungere: et ideo in ecclesia ejus visitatorem dari nostra decrevit auctoritas, ut ecclesia, suo privata præsule, summi nequeat Pontificis solatiis indigere: cui vos in omnibus parere decernimus ad ea tantummodo, quæ sacris sunt gerenda mysteriis, ita tamen, ut nihil de ecclesiastica facultate præsumat, et clerus in eo, quo nunc est, Ordine constitutus, nullis gradibus promoveatur, donec proprium sacerdotem possit habere. F

episcopi Regiensis, quem Cæsarius sua sede expulerat.

46 Omnem vero hanc solicitudinem Cæsario fratri et coëpiscopo nostro injungimus, ad cujus curam cuncta, quæ necesse sint, pertinere censuimus. *Joannes itaque Pontifex omnem in Contumeliosi causa curam, suorumque mandatorum exsecutionem S. Cæsario commiserat. Hic nihil moratus, latam in episcopum Regiensem sententiam videtur exsecutus fuisse. At reclamavit Contumeliosus atque Romam appellavit ad Pontificem,* nec Petitorio, *quod in epistola ad episcopos, se misisse, Joannes asserit, subscribere voluit, conquestus forte etiam, quod ultra culpæ modum pœnæ extenderentur. Quamquam ex illorum temporum monumentis potius, quæ possumus, eruamus. Tota est de ea re, quam superius laudavi,* S. Agapeti *nostri epistola ad Cæsarium, illam totam exhibendam censui, ut, quid inde merito deduci possit facilius sit judicare. Est autem ejusmodi.* Optaveramus, frater amantissime, ut, episcopi Contumeliosi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret necessitas, judicii, nec nobis causa censendi. Maxime, quia in suprascripti viri accusatione communis honoris reverentia quodam modo videtur incursata. Unde, quatenus præsumptione

AUCTORE J. C.

sumptione, sicut asserit, innocentiæ, ad appellationis voluit auxilium convolare, orationibus assiduis hoc innitamur *, ut eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium restituat absolutum.

** forte enitamur.*

improbatque S. Cæsarium.

47 Delegaturi enim, Deo nostro adjuvante, sumus examen, ut secundum, canonum venerabilium constituta, sub consideratione justitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de hujusmodi negotio acta gestave sunt, diligentissima vestigatione flagitentur. Neque enim convenit, eventu prius habitæ cognitionis urgeri, quippe cum et ipse judicium petierit. Non avertatur voluntas animi a precibus infirmorum, cum in necessitate fuerint: ne nobis, quod avertat Dominus, ea, quæ leguntur in Proverbiis, dici possint: Qui obturat aurem suam, ut non audiat infirmum, et ipse invocabit Dominum, et non erit, qui audiet eum. Quid est enim infirmius episcopo Contumelioso, qui in tribulatione positus, et de præteriti judicii pudore confunditur, et cognitionis, quæ futura est, exspectatione turbatur? Quia quamlibet ei, quod optandum est, puritas forte suffragetur innocentiæ, non potest judicii solicitudinem non ha-

B bere. Et nos quidem, quamvis culpatus a nobis Emeritus defensor, memoratum episcopum reversum ad ecclesiam suam caritatis tuæ voluntate * firmaverit, usque ad exitum judicii, quod delegaverimus, episcopum Contumeliosum, reddita sibi modo propria substantia, suspensum interim volumus ab administratione patrimonii ecclesiastici et celebratione Missarum, quia id, quod sibi viderat, judicio fuisse sublatum, gloriosius, si ei veritas suffragatur, judicio receperit, quam usurpationibus occuparit.

** forte interjiciendum, refragante.*

eo appellante ad Romani Pontificis judicium, processisse ad exsecutionem

48 Melius autem fecerat fraternitas tua, si postcaquam, Sedis Apostolicæ appellatione interposita, desideravit examen, circa personam ejus a tempore sententiæ nihil permisisset imminui, ut esset integrum negotium, quod interposita provocatione quærerctur. Nam, si in executionem mittitur prima sententia, secunda non habet cognitio, quod requirat. Addendum, quia etsi non esset prædictus episcopus judicationi refragatus, privatam magis potuit secundum canones expetere secessionem, quam severitatem Religionis excipere. (Suspensus igitur, sicut præfati sumus, episcopus Contumeliosus habeat tantum, quam præsumpsisse di-

C citur, celebrationem Missarum,) et patrimonio ecclesiæ in gubernatione archidiaconi ejusdem ecclesiæ constituto, ita ut alimoniæ sufficienter episcopo non negentur, visitatoriam in ejus loco præcipimus ordinari personam, et patienter expectare judices, quos, inspirante nobis Domino, constituerimus, audire. Præterea, ne quid esset, quod caritati tuæ videatur incognitum, studio dilectionis constitutorum, fecimus capitula subterannecti, ut scientia communicemur canonum, sicut participamur affectu etc. *Quæ se hic annexuisse capitula dicit* Agapetus, *non invenio.*

sententiæ, a Joanne II pridem latæ,

49 *Porro locum, quem uncis inclusum vides, recte, ut patet ex antedictis, quorum hæc est repetitio, ita correxit Harduinus ex cod. regio Ms.:* Suspenso igitur, sicut præfati sumus episcopo Contumelioso ab ea tantum, quam præsumpsisse dicitur celebratione Missarum. *Ex his omnibus videtur colligi posse primo, Contumeliosum ad primam sententiæ declarationem reclamasse cum non paucis aliis, contra quos, ni fallor, prodiit a S. Cæsario satis acre illud scriptum, quod apud Labbeum Joannis II epistolæ 6 subnectitur. Secundo, canonem 22 synodi Epaönensis ab*

Agapeto *ignoratum fuisse, ex quo Cæsarius Contumeliosum depositum in monasterium detruserat, cum id factum Pontifex improbet, uti etiam, quod Contumeliosus propria substantia seu bonis exutus fuisset. Denique Cæsarium quidem ab* Agapeto *reprehensum fuisse, at ejus statuta tamen pene omnia relicta fuisse integra, ita ut, appelatione etiam admissa, vis quidpiam ab inflictis jam pœnis remiserit Pontifex. Sunt, qui multum laborent, ut utrumque Sanctum ab omni hic etiam præcipitationis suspicione liberent. Cæsarium, nequidquam ad Pontificem reclamante Contumelioso, sententiam exsecutioni mandantem, et* Agapetum *carpentem, quod hic ex Joannis II et episcoporum Gallorum sententia rem egisset.* D

50 *Quamvis non id alterutrius Sancti gloriam imminuat, si ex humana fragilitate, quod vix nemini non aliquando contigit, errasse dicantur, non credo tamen, ab alterutro hic peccatum fuisse. S. Cæsarius omnia ex summi Pontificis Joannis II voluntate et præcepto gesserat. Si mox ad Apostolicam Sedem a sententia appellavit Contumeliosus, censuit forte Cæsarius, crimen fassi nullam esse appellationem ad judicem, a quo jam, lata sententia, fuerat condemnatus, atque adeo illam tollendo scandalo remoram esse non debere. Sane quæcumque Contumeliosus, toto tempore Pontificatus Joannis per Emeritum aliosve amicos suos Romæ moliri potuit, nullum videntur effectum consecuta, sed rejecta aut saltem neglecta fuisse. Novi Pontificis ad Cathedram accessus visa est patronis Contumeliosi opportunitas resumendæ urgendæque appellationis, quam admisit, ut ex superioribus liquet, S.* Agapetus. *Hunc ignorasse decessoris sui in eadem causa statuta, quamvis difficile creditu aliunde videatur, suspicor tamen, propter apparens in ejus literis de Joannis sententia silentium. Solet certe passim alibi sanctus Pontifex decessorum suorum statutis plurimum niti. Quod si hic Joannis II sententiam judicasset debito asperiorem fuisse, alicubi procul dubio apertius id significasset, nec Cæsarium tamquam totius rei auctorem et judicem rigidiorem exibuisset.* E

quam forte ignoravit

51 *Quidquid tamen sit, sive ignorarit* Agapetus, *quæ in eadem causa decessor ejus gesserat, sive a Contumeliosi patronis inductus fuerit, ut latam ab illo sententiam mitigandam, et ea propter diligentius examen instituendum duxerit, nihil in eo est a prudentiæ legibus alienum. Certe, discussa rursum causa, Contumeliosi appellationem videtur rejecisse Pontifex, neque enim illius postmodum ullibi inter Galliæ episcopos nomen occurrit. Alteris ad eumdem sanctum Arelatensem præsulem literis non minus rigidum se sacrorum canonum cultorem et patronum probat* S. Agapetus. *Expenderat S. Cæsarius ita res omnes suas in pauperum gregem, ut jam, quo eorum miseriis subveniret, sibi superesset. Fecit calamitatum magnitudo et sancti præsulis commiseratio, ut ad bona ecclesiæ suæ immobilia oculos converteret. At sacri obstabant canones, similium bonorum alienationem vetantes. Scripserat ad Pontificem Cæsarius, petieratque, ut in egenorum gratiam aliquid ab eorum rigore relaxaretur, sibique liceret quædam suæ ecclesiæ prædia vendere.* F

S. Agapetus, qui probat se

52 *Respondet* Agapetus, *laudato multum Cæsarii affectu erga pauperes:* Revocant nos veneranda Patrum manifestissima constituta, quibus prohibemur prædia jure ecclesiæ, cui nos omnipotens Dominus præesse constituit quolibet titulo ad aliena jura transferre. Qua in re vestræ quoque sapientiæ credimus esse gratissimum, quod in

rigidissimum canonum patronum.

A in nullo contra priscæ definitionis constituta vel regulas, pro qualibet occasione, vel sub cujuscumque personæ respectu, venire præsumimus. Nec tenacitatis studio, aut secularis utilitatis causa hoc facere nos credatis, sed divini consideratione judicii necesse nobis est, quidquid sancta synodalis decrevit auctoritas, inviolabiliter custodire. *In eamdem sententiam ad Justinianum imperatorem scripsit sanctus* Agapetus *Idibus Octobris, ac proinde hoc ipso anno Christi* 535. *Dederat ad* Agapetum *per Heraclium presbyterum Justinianus literas, quibus illi gratulabatur aditum Pontificatum, regni statum exponebat, ac demum, impiæ forte Theodoræ inductu, multis instabat, ut Arianis episcopis et sacerdotibus, qui ad Ecclesiam revertebantur, sui honores, prærogativæ, sedes et dignitates relinquerentur.*

Datis a Justiniano de adito Pontificatu gratulatoriis

53 *Ad singula respondet sanctus Pontifex, laudatoque imperatoris ardore pro fide amplificanda, subjungit* : Cujus studii benevolentiæ vehementius insistentes, etiam nos in acquirendis iis, quos Arianam significatis vitare velle perfidiam, paternæ traditionis existimatis declinare posse censu-
B ram; scilicet ut et in his honoribus, in quibus fuerunt apud hæreticos, perseverent, et promoveantur ad alios. Quapropter bonum hoc equidem, et summa laude præcipuum, quod omnes ovili Dominico per veram fidem cupitis aggregare : sed non opportet nobis eos, qui non recte ingredi moliuntur, excipere, beato Paulo apostolo commonente : Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Quantum autem paternarum constitutionum, si sic recipiantur, quod absit, incurrant offensionem, ne quid pietatem vestram latere contingeret, ipsas quoque regulas credidi subnectendas, quæ specialiter censuerant, ne quis talium reconciliatus, aut ecclesiastici Ordinis provectibus augeatur, aut desideret honores ulterius possidere, quos se dubitare jam non debet culpabiliter amisisse. Ex quibus pietas vestra melius poterit æstimare, si quo modo tam aperta et synodalia Sedis Apostolicæ licet infringere constituta, cum sententia clamet Apostoli : Si tamen, quæ destruxi, ea iterum reædifico, prævaricatorem me ipse constituo.

respondet Pontifex 15 Octobris, et imperatorem

54 *Adjectis deinde in eamdem rem plurimis, subjungit responsum ad ea, quæ Justinianus pro excusando Epiphanio Constantinopolitano patriarcha attulerat. Ordinaverat hic Achillem quempiam, ab Arianis forte reversum ad Ecclesiam, alicujus sedis episcopum, vel illum certe ad dignitatem aliquam ecclesiasticam promoverat; nec enim Achillis nomen, neque hoc ipsum Epiphanii factum uspiam alibi apud Scriptores enucleatius descriptum potui reperire, neque exstant illæ Justiniani literæ, unde quid certius constare possit. Imperator itaque merito suspicatus* S. Agapetum *magnopere improbaturum id, quod contra canones tentatum fuerat a Constantinopolitano episcopo, ab eo omnem culpam transferre in se mandantem conatus fuerat. Respondet sanctus Pontifex* : Quod autem clementia vestra fratris et coëpiscopi nostri Epiphanii dignata est excusare personam, quia in prædicti Achilis consecratione vestra potius jussio, quam illius ordinatio pervenisset : credimus quod et ipse cognoverit jure culpatum, qui præter alia, quæ deliquit, hoc certe excusare vix poterit, quod tam piissimo ac clementissimo principi, beati quoque Petri privilegia defensanti, non vel opportune vel importune suggesserit, quid in hac parte Sedis Apostolicæ reverentiæ deberetur.

AUCTORE J. C.

ac S. Epiphanium non obscure

55 De quo simul negotio..... quid servato beati Petri, quem diligitis, principatu, et vestræ pietatis affectu plenius deliberari contigerit, per eos, quos ad vos dirigimus legatos (Deo propitio) celerrime intimamus. *Ita scilicet heroïca libertate Epiphanii patriarchæ temeritatem acriter reprehendit, atque Justiniani ipsius mandata non obscure sugillat sanctus Pontifex. Epiphanius ille alias non raro aliqua confidentius contra Romanam Sedem attentarat, a quibus deinde resipuit et inter Sanctos relatus est. Ejus fit memoria ad diem* XXV *Augusti, ad quem in Opere nostro locum habet. Quid de Achille deinde actum sit, ignoro. Si ad episcopalem cathedram ab Epiphanio promotus fuerit, verisimile est, illum a legatis, vel ipso deinde* S. Agapeto *ea deturbatum fuisse. Certe ejus nomen non reperitur subscriptum uspiam magnæ synodo Constantinopolitanæ sub Menna congregatæ, ad quam plurimi Orientalium episcoporum convenerant. Quinam vero fuerint legati illi ab* Agapeto *ad Justinianum missi, conjectari potest ex Actis ejusdem synodi, cui Pontificis mortui loco, iidem verisimiliter, interfuerunt.*

reprehendit. Scholas Romæ erigere meditatur;

56 *Actione* I, *et sæpe alibi, iisdem pene verbis ita recensentur* : Et a dextra quidem parte considentibus ei *(S. Mennæ patriarchæ)* et coaudientibus, juxta pium jussum Christo amantissimi et a Deo custoditi E imperatoris nostri Justiniani, sanctissimis ac Deo amantissimis episcopis Sabino Canusino, Epiphanio Asculano, Asterio Salernitano, Rustico Fesulano, Leone Noiano, omnibus ex Italiæ regione prius quidem missis a Sede Apostolica, deinde vero unanimiter consentientibus advenienti huc sanctæ memoriæ Agapeto Papæ antiquæ Romæ *etc. Ceterum Baronius et alii non pauci rerum gestarum ordinem perturbant, dum alias ante hanc epistolam datas ab* Agapeto *ad Justinianum literas credunt, de quibus, eorumque scriptorum hallucinatione recurret agendum infra, et jam aliquid* § 2 *hujus Commentarii diximus. Ceterum, ubi ad Romanam Cathedram* S. Agapetus *ascenderat, animadvertit rem Christianam multum pati ex cleri inscitia et divinarum Literarum ignorantia. Vicissitudines scilicet imperii Gothici, sub quo gemebat Italia, turbæ et bellorum strepitus, dum florerent artes et seculares scientiæ reliquæ, ita divinas expulerant, ut pauci iis imbuti invenirentur.*

sed bellis impeditur.

57 *In id igitur incubuit sanctus Pontifex, qui ex propria illas experientia æstimare noverat, ut ex-* F *plicandis Scripturis sacris, colendæque scientiæ ecclesiasticæ, scholæ instituerentur. Testatur id Cassiodorus, cum quo consilium* Agapetus *communicaverat, in præfatione libri de Instit. Divin. liter. his verbis* : Nisus sum ergo cum beatissimo Agapito Papa urbis Romæ, ut sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum ab Hebræis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholæ potius acciperent Christianæ, unde et animo susciperet æternam salutem, et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur. *At utriusque magni viri consilium prudentissimum suborta deinde bella, et turbulenta tempora, ut idem Cassiodorus testatur, effectu frustrarunt, ut deinde queritur idem Cassiodorus. Ceterum sanctus Pontifex, referente Stella, ordinavit, ut diebus Dominicis processiones fierent in ecclesiis.*

Narrat Sophronius S. Agapeto, episcopi cujusdam,

58 *Ad hæc etiam tempora, dum adhuc* S. Agapetus *Romæ ageret, spectat, quod narrat prodigium Sophronius in Prato spirituali cap.* 150 *his verbis* : Narravit nobis abbas Theodorus Romanus, dicens,

AUCTORE J. C.

* Formellum

dicens : Est non procul a Romana urbe breve oppidum, quod Rumellum * dicitur. In eo oppidulo episcopus erat magnæ virtutis et meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum Antistitem Agapetum, accusantes episcopum suum ac dicentes, quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex clericis, ut vinctum episcopum et pedibus iter agentem Romam perducerent. Venientem vero continuo misit in carcerem. Cum ergo tres dies in carcere egisset episcopus, venit Dominicus dies. Et cum Papa quiesceret, illucescente Dominico die, vidit in somnis quemdam adstantem sibi ac dicentem : Hac die Dominica, neque tu offeras salutarem hostiam, neque alius quispiam episcoporum, qui sunt in urbe ista, nisi solus episcopus, quem habes in carcere inclusum : illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa et de visione, quam viderat hæsitans, dicebat in seipso : Talem contra illum accusationem suscepi, et ipse habet offerre?

falso apud illum accusati, innocentiam prodigiose

59 Venit igitur ei secundo vox in visione, dicens : Dixi tibi, ut episcopus, qui est in carcere, solus offerat. Ambigenti adhuc, tertio apparuit illi, eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex misit in carcerem, et, accersito ad se episcopo, percunctabatur eum, dicens : Quod est opus tuum? Episcopus autem nihil illi aliud respondit, nisi : Peccator sum. Cum vero episcopo persuadere non posset, ut aliud diceret, tunc ait ad eum Papa : Hodie tu offerre debes. Cum ergo sancto altari assisteret, et Papa prope illum adstaret, diaconis altare circumdantibus, cœpit sancta Missarum solemnia episcopus. Et cum complesset orationem Oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundo, ac deinceps tertio, et quarto dicere ipsam sanctam Oblationis orationem. Cunctis vero eam moram moleste ferentibus, dicit ei Pontifex : Quid hoc est, quod jam quarto hanc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit episcopus : Ignosce mihi, Pater sancte : quia non vidi juxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcirco non terminavi orationem. Sed, sancte mi domine, diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remove, ego enim illi dicere non audeo.

probatam fuisse. Horum fides auctori relinquitur.

60 Tunc jussu S. Agapeti recessit diaconus, et continuo vidit episcopus et Papa sancti Spiritus adventum. Sed et velum, quod altari superimpositum erat, ultro sublatum est, texitque Papam et episcopum et diaconos omnes, qui sancto altari adstabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapetus, agnita sanctitate episcopi ex perspecto miraculo, quamque falsam calumniam perpessus esset, cognoscens, quod illum ita vexaverat, tristis effectus, statuit non jam amplius per surreptionem quippiam agere, sed cum maturo consideratoque judicio et magna longanimitate procedere. *Hæc Sophronius, scriptor seculi septimi, satis credulus prodigiorum et plurimarum fabellarum compilator. Iisne accensenda sint, quæ hic narrat, certo dicere non possum. Ætas auctoris, quæ vix seculo a* S. Agapeti *temporibus distat, exigit ut aliquid illi tribuamus, cum nihil occurrat, unde hic falsi arguatur. Omnia tamen, tacentibus synchronis, Sophronii, atque illi hæc narrantis abbatis Theodori fidei relicta sunto.*

* * *
* *
*

§ IV. Commentum de S. Agapeto : ejus iter Roma Constantinopolim, res ibidem gestæ, obitus.

Fabulosa sunt, quæ de S. Agapeto et Childeberto

Priusquam sanctum Pontificem nostrum Constantinopolim sequamur, referenda venit fabella ingens, quam scriptores aliqui anno Christi 536 *annexuerunt. Laudat Oldoinus, et ex illo Piazza in Ephem. Vaticanis, heroicam* S. Agapeti *constantiam et fortitudinem in conservandis propugnandisque Ecclesiæ immunitatibus, ex iis, quæ lib* 3 *Chronographiæ Genebrardus ita narrat.* Childebertum regem Francorum, Clodovæi filium, excommunicavit, *(S. Agapetus)* quod sua manu in templo Galterum Ivetotensem occidisset, ac Galteri successores e jure regum Franciæ exemit. Quocirca ad hunc usque diem Ivetotense solum in media Normannia regni titulo gaudet. *Et hæc quidem ex Froissardo, vel Gilleso, ad Genebrardum, ab eo ad Gaulterium, atque inde ad alios transiisse* E *videntur. Quamquam Froissardus Chlotario I Francorum regi tribuit, quæ hic de Childeberto narrantur; dicitur etiam Gualterius Ivetotensis territorii dynasta fuisse, et occisus a rege die Veneris sancto, cum sacris interesset in ecclesia Suessionensi. Et porro Ivetotum in Normannia et agro Caletensi, duobus Caudebeco, sex vero milliaribus Rothomago dissitum.*

scriptores aliqui seculo 15 commenti sunt.

62 *Adjunctum habet territorium non grande, quod ab aliis paulo aliter, a rege ipso scilicet in illatæ injuriæ redemptionem regni titulo et exemptionis privilegio donatum narratur. At ea omnia, quam sint fabulosa, erudite, teste Martiniero in Lexico Geographico, ostenderunt DD. de la Roque et de Vertot, qui strenue hanc materiam discusserunt. Et hujus quidem Dissertatio de Origine regni Ivetotensis Ephemeridibus academiæ regiæ anni* 1714 *inserta dicitur, quam qui plura de his desiderat, uti et lucubrationem prioris consulat. Sufficiat hic mihi fabellam Brieti verbis relatam et explosam exhibere. Scribit is ad annum Christi* 535. Ad hoc tempus pertinet regnum fabulosum Yvetotii in Normannia conflatum ex XVII pagis, in gratiam, ut creditur, Gualteri nobilis viri, F quem redeuntem ex bello Saracenico, et instructum literis Agapeti Pontificis Clotarius in die Parasceves sua manu dicitur interemisse. Commenti cujus primus auctor Gaguinus, bonus monachus, qui sub Carolo VIII vixit, et Nicolaus Ægidius, qui sub Ludovico XIII scripsit, hoc est DCCCC annis a re gesta. Quæ autem proponunt pro se domini d'Yvetot, probant tantum, hanc terram sui juris esse, et ætate nostra legitimi principes, quam ridiculi reges esse maluerunt.

S. Agapetus, urgente Gothorum rege Theodato.

63 *Exactis Romæ reliquis anni* 535 *mensibus, crevit* S. Agapeto *nostro laborum seges et meritorum; dirigente Divina providentia, ut quos pro Gothici regis incolumitate incommoda subire coactus est, in Ecclesiæ emolumentum et sanctæ fidei incolumitatem cederent.* Hic missus est *(subjicit Anastasius citatis superius verbis)* a Theodato rege Gothorum ad domnum Justinianum Augustum in legationem, quia eodem tempore dominus Justinianus imperator Augustus indignatus est Theodato regi, eo quod occidisset reginam Amalasintham filiam Theodorici regis commendatam sibi, qui eum regem fecerat. *Hæc, ut notat Bencinus, ex Procopii*

A *pii libris de bello Gothico Anastasius hausit. Idem Procopius in Arcana historia cap.* 16 *scribit, ab impia Theodora per Petrum impulsum fuisse Theodatum in celeberrimæ reginæ cædem. At potuit hoc uxoris, sibi a mariti in Amalesuntham affectu metuentis, scelus ignorasse Justinianus, et ira justissima in ingratissimum regem exarsisse. Quidquid sit, certe exercitum in Siciliam jam traduxerat Belizarius, totique regno suo ab imperatoris copiis metuebat imbellis Gothorum rex, et petita non semel frustra, iniquissimis etiam conditionibus, pace, totius Urbis excidium Romano senatui minatus est, nisi pacem apud Justinianum sibi exorarent.*

obligata fisco sacra supellectile, ad Justinianum proficiscitur

64 *Rem narrat Liberatus Diaconus in Breviario cap.* 21. Quo tempore *(inquit)* Theodatus rex Gothorum scribens ipsi Papæ *(Agapeto)* et senatui Romano, interminatur, non solum senatores, sed et uxores et filios filiasque eorum gladio se interempturum, nisi egissent apud imperatorem, ut destinatum exercitum suum de Italia submoveret. Sed Papa, pro eadem causa legatione suscepta, Constantinopolim profectus est. *Igitur regis voluntati et senatus, populique Romani precibus obsequens* S. Agapetus, *iter Constantinopolim adornavit;* B *at pecunias obeundæ legationi confecturus adeo exhaustum invenit Romanæ Ecclesiæ ærarium, ut in necessarios sumptus neutiquam sufficerent. Quapropter sacram supellectilem fisco obligare coactus est. Narrat id Cassiodorus lib.* 12 *Variarum epistola* 20, *quam Thomato et Petro regiis arcariis scripsit postquam sacrorum vasorum redemptionem a rege pecuniæ avidissimo impetrasset.* Retinetis mecum *(inquit)* fidelissimi viri, sanctum Agapitum, urbis Romæ Papam, cum ad Orientis principem legationis gratia mitteretur jussione regia, datis pignoribus, a vobis tot libras auri, facto pictatio, solemniter accepisse, ut cui providus Dominator jussit, ad subitum ejus etiam urgeret excessum.... Nostra præceptione commoniti, et regia jussione securi, Sanctorum vasa cum obligatione chirographi auctoribus S. Petri apostoli sine aliqua dilatione refundite. *Comitati sunt sanctum Pontificem e clero plurimi, ut constat ex concilio Constantinopolitano, cui post mortem* S. Agapeti *interfuerunt.*

circa initium anni 536, et in itinere hominem

65 *Quo autem anni mense Roma profectus sit* S. Agapetus, *quo Constantinopolim pervenerit, non satis liquet. Scribit quidem Anastasius, quem Ciaconius et alii secuti sunt,* Qui vero Agapitus ambulavit Constantinopolim, x Calendas Maji, ingressus Constantinopolim, et susceptus est Agapitus episcopus cum gloria : *at* § 2 *num.* 30 *ostendi, notam illam chronologicam mendosam esse, legendumque* x Kal. Martii : *certum enim est, ut probat Pagius,* S. Agapetum *jam die decima tertia Martii Constantinopoli fuisse, quod planum fiet ex iis, quæ numero* 71 *adferam. Igitur, anno* 535 *expirante, vel altero vixdum nato, eo profectus est, et itineris incommodis accessit hiemis asperitas. At sancti Viri labores lenivit superna bonitas, dum ingenti miraculo ejus virtutes decoravit : huc enim spectat, quod S. Gregorius Magnus lib.* 3 *Dialog. cap.* 3 *ita narrat :* Post non multum vero temporis, exigente causa Gothorum, vir quoque beatissimus Agapitus hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex, cui, Deo dispensante, deservio, ad Justinianum principem accessit. Cui adhuc pergenti, quadam die in Græciarum jam partibus curandus oblatus est mutus et claudus, quin neque ulla verba edere, neque de terra umquam surgere valebat.

AUCTORE J. C.

mutum et claudum prodigiose sanat.

66 Cumque hunc propinqui illius flentes obtulissent, Vir Domini sollicite requisivit, an curationis illius haberent fidem. Cui, dum in virtute Dei ex auctoritate Petri, fixam salutis illius spem habere se dicerent, protinus venerandus Vir orationi incubuit, et Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolavit. Quo peracto, ab altari exiens claudi manum tenuit, atque, assistente et aspiciente populo, eum mox a terra in propriis gressibus erexit, Cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumque mentes illico metus et reverentia invasit, cum videlicet cernerent, quid Agapitus facere in virtute Domini ex adjutorio Petri potuisset. *Ita nimirum Deus Servi sui sanctitatem in ipso statim ingressu Orientalibus probavit, eamque illi conciliavit reverentiam auctoritatemque, qua ad res tantas gerendas debebat pollere maxima. Etenim vix Constantinopolim pervenit, cum perardua illi accidit cum imperatore, quam testatur Liberatus laudatus his verbis* : Et primum quidem honorifice suscipiens directos sibi ab imperatore, sprevit tamen animo præsentiam, eumque ad salutandum suscipere noluit. *Erat scilicet inter* E *eos, quos ad salutandum Pontificem Justinianus miserat, Anthimus cujus nomen pro* animo *ponendum, et legendum esse,* Anthimi præsentiam, *ipsa satis Liberati phrasis ostendit.*

Constantinopolim ingressus, Anthimum hæreticum,

67 *Erat Anthimus vir vafer et ad simulationem compositus, imperatrici Theodoræ, impiæ hæreticorum fautrici, imprimis carus. De illo ita scribit Liberatus Brev. cap.* 20 : Ea tempestate, mortuo Epiphanio Constantinopolitano episcopo, Theodora augusta Anthimum transtulit in eamdem sedem, qui fuit episcopus Trapezuntis regionis Ponti, latenter Chalcedonense concilium non suscipientem. *At* Agapeto *illius hæc hypocrisis jam innotuerat ex variorum relatione, dicentibus Orientalibus monachis in Supplicatione ad imperatorem, quæ refertur in concilio Constantinop. Actione* I : Iste ergo honorabilis vir *(Agapetus)* sciens per libellos plurimorum nostrorum, ea, que inique contra ecclesias præsumpta fuere, ea ipso visu semel accipiendo, neque ad visum suscipere voluit Anthimum. *Libellus, quem Marianus cum suis monachis contra Anthimum aliosque hæreticos* S. Agapeto *obtulerat, forte antequam ad eum Anthimus advenisset, satis prolixus in ejusdem concilii eadem Actione* I *recitatur.* F *Itaque sanctus Pontifex hæreticum episcopum et pseudo-patriarcham a suo conspectu repulit; ut ne vel sic aliquo modo cum eo communicare videretur. At ea res stomachum movit Theodoræ, quæ omnem apud Justinianum lapidem movit, ut* Agapetus *in communionem Anthimum suscipere cogeretur, atque illud ut tentaret, facile marito persuasit.*

ad se missum ab imperatore,

67 Deinde, *(inquit Liberatus)* viso principe, causam agebat *(Agapetus)* legationis susceptæ. Imperator autem pro multis fisci expensis, ab Italia destinatum exercitum avertere nolens, supplicationes Papæ noluit audire. *Ex his falsi arguitur Anastasius, scribens :* Qui vero Agapitus Papa omnia obtinuit, ex qua causa directus fuerat; *rejecta enim fuit ab imperatore Theodati postulatio de exercitu ab Italia removendo. Quid egerit Pontifex repulsam passus, docet nos prosequens Liberatus.* At ille *(Agapetus)* quod suum fuit, Christi legatione fungebatur. Denique petentibus principibus, ut Anthimum Papa in salutatione et communione susciperet, ille fieri inquit posse, si se libello probaret Orthodoxum, et ad cathedram

AUCTORE J. C.

suam reverteretur. Impossibile esse, aiebat, translatitium hominem in illa sede permanere. Augusta vero clam promittente munera multa, et rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem. *Sic blanditiis et minis sancti Pontificis constantia tentata est, sed non expugnata.*

in conspectum admittere renuit,

69 *At totius hujus rei seriem fusius ita Anastasius narrat :* Et primum cœpit habere altercationem cum piissimo principe Justiniano Augusto de religione. Cui beatissimus Agapitus episcopus constantissimæ fidei Apostolorum responsum reddidit, dicens : Dominum nostrum Jesum Christum Deum et hominem esse, hoc est, duas naturas esse in uno Christo. Et dum contentio verteretur, ita Dominus affuit, ut episcopum Constantinopolitanum, nomine Anthimum, inveniret hæreticum. *Etiamsi callide is errores suos tegeret et plurima* Agapeto *promitteret se facturum, non credidit vafro homini Pontifex, quod ægerrime tulit imperator.* Et cum contentio verteretur cum Augusto et Agapito Papa, dixit ei Justinianus imperator *(codices regius, Mazarin. et Thuanus correctius legunt :)* Sed cum contentio diu verteretur
B inter Augustum et Agapitum Papam, dixit ei, *Justinianus scilicet)* aut consenti nobis, aut exilio te deportari faciam. Tunc beatissimus Agapitus Papa respondit cum gaudio, dicens ad imperatorem : Ego quidem peccator ad Justinianum imperatorem Christianissimum venire desideravi, nunc autem Diocletianum inveni, qui tamen minas tuas non pertimesco. Tamen ut scias te *(melius Baronius legit* tu eum) idoneum non esse religioni Christianæ, episcopus tuus confiteatur duas naturas in Christo.

et hæreseos convictum

70 *Ex his videtur Justinianus credidisse, Anthimum Catholice, ut forte loquebatur, sentire, atque illud maxime ursisse, ut Constantinopolitanam sedem retineret, a qua etiam Catholicum expellendum* Agapetus *contendebat; nisi id parum curarit imperator, eadem forte hæresi, ut ex Paulo Diacono Aquilegiensi referam, infectus, quid clam sentiret Anthimus, modo conjugi suæ gratificaretur. Ut ut est,* Tunc *(pergit Anastasius)* ex præcepto Augusti accersito episcopo Constantinopolitano, nomine Anthimo, et discussione facta, numquam voluit confiteri in doctrina Catholicæ responsionis ad interrogationem beati Papæ Agapiti, duas naturas in uno Domino Jesu Christo. Quem convi-
C cit sanctus Papa Agapitus, et glorificatus est ab omnibus Christianis. Tunc piissimus Augustus Justinianus gaudio repletus, humiliavit se sanctæ Sedi Apostolicæ, et adoravit beatissimum Papam Agapitum. Eodem tempore ejecit Anthimum a communione, et expulit in exilium. Tunc piissimus Augustus Justinianus rogans beatissimum Agapitum Papam, et in locum Anthimi episcopum consecravit Catholicum.

sede expellit, et S. Mennam substituit

71 *Eadem fere scribit Liberatus.* Anthimus vero, *inquit,* videns se sede pulsum, pallium, quod habuit, imperatoribus reddidit, et discessit, ubi eum Augusta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa principis favore Mennam pro eo ordinavit antistitem, consecrans eum manu sua in basilica S. Mariæ. *Hanc prærogativam reliquis Mennæ dignitatis titulis adnumerat* Agapetus *in Epistola circulari, quæ in concilio Constantinopolitano Actione* I *recitatur. scribens :* Et hoc dignitati ejus additum esse credimus, quod a temporibus Petri apostoli, nullum alium umquam Orientalis ecclesia suscepit episcopum, manibus nostræ Sedis ordinatum. *Consecratus est autem Mennas die decima tertia mensis Martii, ut liquet ex codice Vati-* D
cano, quem laudat Pagius, ut ubi ita legitur pag. 45 : Exemplar libelli Mennæ presbyteri ac xenodochi, qui factus est episcopus Constantinopolitanus sub die III Idus Martias, iterum post consulatum Paulini junioris viri clarissimi. *Ex his evincitur,* S. Agapetum *ante illum diem Constantinopolim, imo pridem ante pervenisse : neque enim, quæ narravimus gesta cum Justiniano Mennæ ordinationem præcedentia, unius alteriusve diei, imo nec hebdomadæ spatio contigisse videntur, ac proinde valde verisimile est,* S. Agapetum, *etiam ante Martium mensem Constantinopolim attigisse.*

die 13 Martii 536, atque ea de re epistolam circularem mittit ad

72 *Expulso Anthimo, suffectoque in ejus locum Menna, ne quos ille fugitivus forte episcopos falleret, prudentissimo consilio synodalem epistolam per Orientem misit* S. Agapetus, *eo plenam spiritu, quo pro Ecclesiæ Catholicæ incolumitate fervebat. Ejus exemplar datum ad Petrum Hierosolymitanum episcopum recitatur in sæpe laudato concilio Constantinop. Actione* I *apud Labbeum tom* 5 *col* 47, *unde pauca delibo.* Cum itaque, *inquit post aliqua,* pervenimus ad comitatum serenissimi nostri imperatoris filii nostri, invenimus se- E
dem Constantinopolitanæ ecclesiæ contra omnem canonum honestatem ab Anthimo ecclesiæ Trapezuntiorum episcopo inconvenienter usurpatam, cujus animam non solum secundum istam partem, sed quod majus est, in confessione veræ fidei a perditione reducere desideravimus. Sed Eutychis errori insistens ad viam veritatis venire contempsit. Unde cum ipsius in fide pœnitentiam expectassemus, neque Catholico, neque sacerdotis nomine dignum esse, interea lata sententia declaramus, donec omnia a Patribus tradita, per quæ veræ religionis fides et disciplina custoditur, et secundum congruentem satisfactionem suscipiat.

Orientales episcopos, eos sugillans, qui utcumque Anthimi consecrationem confirmassent.

72 *Post pauca deinde Petri, qui in Anthimi promotionem utcumque coactus consentire visus fuerat, pusillanimitatem ita perstringit :* Et supra modum quidem admirati sumus, quod istud opus ita aperte contrarium decretis Patrum vestra fraternitas non solum ad notitiam nostram adducere neglexit, sed et reprehensibili consensu confirmavit. *Interjecto denique pulcherrimo Mennæ elogio, concludit :* Commune itaque gaudium, fratres, pia exultatione suscipite, et quantum vos Apostolicæ Sedis nostræ judicium comprobatis, con- F
sueta rescriptione significate, habentes duplicem exultationis causam, et quod mala sine mora corrigantur, et quod pro his optata subsecuta fuerint, de cetero præcaventes, ne rursus canonicis sanctionibus quid contrarium per vos (quod non credo) fiat, aut vestro accedente consensu, firmetur, quandoquidem sicut error ejus, qui semel peccavit, venia dignius est, sic frequens transgressio motum austeritatis deposcit. *Atque ita* S. Agapetus *paternis monitis, acribusque in delinquentes reprehensionibus, fidei incolumitati consuluit, supremamque suam in ecclesia auctoritatem abunde probavit. Sane* Primatum, *inquit apposite Pagius, quem Constantinopolitani patriarchæ hactenus non semel negare tentaverant,* gloriosius exercere non potuit Romanus Pontifex, quam Constantinopolitanum patriarcham hæreticum exauctorando, et in ejus locum alium ordinando, nulla convocata synodo.

Professionem fidei a Menna excipit et Justinianum,

74 *Ceterum* Agapetus, *quamvis de Menna ita sentiret, ut scripserit in laudata epistola :* Etenim alicui neque scientia, neque vita fuit ignotus,

A tus, sed et fidei integritate et sacrarum Scripturarum studio atque etiam piæ administrationis officio sic prædicti viri fama resplenduit, ut ipsi tardius venire videretur, quo dignus habitus est, *tamen ejus fidem, quantum potuit, omnibus probatam voluit et firmatam. Quapropter non solum ab illo præscriptam pridem ab Hormisda Orientalibus professionem publicam fidei scripto obtinuit, verum etiam a jam consecrando libellum, quod se omnes hæreticos, atque eos vel maxime, qui tum suis erroribus Ecclesiam turbabant, damnare, et cum Ecclesia Romana in omnibus sentire testaretur, publice coram omni populo exegit et excepit. Exemplar hujus libelli ex Ms. Vaticano eruit Cardinalis Norisius, cujus titulum dedi supra num.* 71, *ejusque meminit Vigilius Papa in epistola ad imperatorem, quæ exstat tom.* 5 *Conciliorum col.* 315. *Jam vero ad ea, quæ Justinianum inter et* S. Agapetum *gesta sunt redeamus.*

forte Eutychiana hæresi infectum,

75 *Scriptores non pauci opinantur, imperatorem Eutychiana labe infectum fuisse. Paulus Diaconus lib.* 17 *pag.* 675 *scribit :* Facta cum eo *(Justiniano)* collatione reperit *(S. Agapetus)* eum in B Eutychetis dogma corruisse. *Et Aimoinus de Gestis Francorum lib.* II *cap.* 6 *:* Quo etiam tempore sanctissimus Agapitus, Romanæ Sedis Pontifex, ad regiam urbem profectus, Justinianum principem in Euthycis sectam delapsum, ad veram et Catholicam fidem reduxit. *Sunt, qui opinentur, hæretici nomen imperatori adhæsisse, non quod hæretice sentiret, sed quod cum Anthimo communicasset, ejusque causam iniquam iniquius contra Orthodoxos episcopos defendisset. At Justinianum in ipsos Eutychetis errores et hæretica dogmata prolapsum fuisse, non erit difficile creditu illi, qui plenam fidem adhibet Arcanæ Procopii historiæ. Sane contubernium cum vaferrima Theodora, pridem illa peste infecta, cui nimium deferebat, ipsiusque ejus superbia, qua religionis arcana scrutabatur, de iisque decidebat confidentius, imperatorem facile seducere potuerunt, atque id deprehendere* Agapetus *in concertationibus, quas in causa Anthimi cum illo habuit. Quod si ita est, convicit Justinianum Pontifex et ab errore reduxit, procul dubio antequam in Anthimi expulsionem, tantum mutatus, consentiret.*

errorem dedocet : ab eodem professiones fidei accipit.

76. *Deinde, sive ita omnem hæresis suspicionem a se amoliri voluerit, sive alio respexerit imperator, literas dedit ad* S. Agapetum, *rogans, ut Apostolica auctoritate edictum suum contra Acæmetas monachos, Nestorium, et Eutychianos, pridem a Joanne II firmatum, iterum confirmaret. Hæc Justiniani epistola exstat tom.* 4 *Conciliorum col.* 1789, *illique titulus præfigitur :* Epistola Justiniani ad Agapetum. More majorum fuorum apud Pontificem Romanum, recens electum, fidei suæ professionem edit, eamdem, quam supra ad Joannem II miserat : *et subscribitur :* data pridie Iduum Martiarum Constantinopoli, Flavio Belisario viro clarissimo consule, *quæ notæ annum Christi* 535 *designant. Cardinalis Baronius in Annalibus ad præci tatum annum eamdem illam Justiniani epistolam num.* 24 *recitat, opinaturque eadem de causa, quam præfert titulus illi ab editoribus conciliorum præfixus, datam fuisse. Idem sine scrupulo Bailletus admittit, pro more primum obvium sine multo examine secutus. At perperam ii omnes sic censent : præterquam enim ea, quæ duobus primis* §§ *disputavimus, ipsæ aliæ notæ chronologicæ ostendunt, id cum eorum chronotaxi non cohærere.*

77 *Est enim certum,* S. Agapetum *quatriduo post responsorias dedisse ad imperatorem, signatas Constantinopoli sub eodem consulatu. Jam vero, initio Pontificatus sui non erat Constantinopoli* Agapetus, *sed Romæ; unde certe responsa mittere non potuit ad epistolas quatriduo ante scriptas Constantinopoli, utpote, quæ eo tantillo temporis intervallo perferri non potuerunt. Accedit hisce, quod nihil in textu suadeat, esse eam gratulatoriam, solitam mitti ab imperatoribus ad recens consecratos Romanos Antistites. Aditum Pontificatum* S. Agapeto *gratulatum fuisse Justinianum, omnino certum est sancti Pontificis rescribentis verbis. Verum credo ego, epistolam istam imperatoris intercidisse, fuisseque eam ipsam, qua urgebat, ut Ariani episcopi resipiscentes in dignitatibus ecclesiasticis permanere possent, de qua egi num.* 52 *et seqq. Denique Vaticanus codex Norisii, habet hic* Post Consulatum Belisarii V C., *quod cum anno nostro* 536 *convenit. Igitur Justinianus, vel convictus erroris ab* Agapeto, *vel hæresios apud illum suspectus, suam illi fidem probatam voluit, quapropter Pontifici professionem fidei obtulit, cujus initium est ;* Reddentes honorem Apostolicæ Sedi *apud Labbe tom.* 4 *col.* 1742.

AUCTORE J. C. Harum prima scripta est 14 Martii, ad quam

E

18 Martii, carpens imperatoris arrogantiam,

78 *Tertio ab edita professione die,* XV *scilicet* Kalendas Aprilis, *Pontifex rescripsit epistolam, excusam ibidem col.* 1789, *tali initio :* Gratulamur, venerabilis imperator. *Ea laudat* Agapetus *Justiniani zelum pro Catholicæ fidei puritate conservanda stabiliendaque, at non minus sugillat arrogantiam laici hominis, præsumentis leges Ecclesiæ condere.* Cupis enim, *inquit* venerabilis imperator, ut tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione, nuper ad beatæ memoriæ prædecessorem nostrum Joannem Romanæ Sedis Antistitem per Hypatium atque Demetrium episcopos destinatam, et a præfato Præsule roboratam, nostra quoque auctoritate firmemus. Laudamus, amplectimur : non quia laïcis auctoritatem prædicationis admittimus, sed quia studium fidei vestræ Patrum nostrorum regulis conveniens, confirmamus atque roboramus. Per quod jam et unitas provenit Ecclesiæ, et reliqua Catholicæ membra Ecclesiæ ad ejus compagem Christianitatis constantia reditura confidimus.

respondet. Alteram deinde a Justiniano

79 Cujus professionis vel epistolæ vestræ tenorem inferius annectentes, studium, quod circa Deum integre geritis, nostra auctoritate firmamus, prædicantes hujusmodi fidem omnibus Patrum nostrorum regulis convenire, et Apostolicæ Sedis F concordare dogmatibus : constituentes, ut, si quis nostræ Catholicæ fidei contraire tentaverit, quam pro submovenda hæreticorum suspicione paternis regulis consonantem præsenti definitione firmamus, sancte communionis efficiatur extraneus. *Damnat deinde iterum Cyrum ejusque sequaces hæreticos Acœmetas, negantes Christum unum esse ex Trinitate, inserit epistolam imperatoris olim ad Joannem missam, et concludit :* Huic igitur, ut prædictum est, confessioni, et huic fidei quisquis contradicere præsumpserit, a Catholica communione se noverit alienum. Datum XV Kalendas Aprilis Constantinopoli, Flavio Belisario viro clarissimo consule, *pro quo ex codice Vaticano jam sæpe laudato, substitue :* Post consulatum Flavii Belisarii V. C. *Præter primam illam Justiniani professionem fidei exstat alia, hoc exordio :* Prima salus est rectæ fidei regulam custodire, *notaturque* XVIII Kalendas Aprilis *mendose procul dubio, cum inter Kalendas Apriles et Idus Martias non nisi* XVI *dies intercurrant. Plerique legendum monent,*

XVII

AUCTORE J. C.

XVII Kalendas: *at pro solo arbitrio et sine teste substituitur dies is determinatus inter alios, qui usque ad Kalendas Apriles fluunt.*

professionem fidei accipit et libellos variorum adversus

80 *Certe postrema hæc professio passim consonat, nisi quod verbis prolixior sit, cum Regula fidei quam præscripserat Hormisdas Papa, atque in fine dicitur:* Et profitemur ista inconcussa servari, et compellere, ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi quidem patriarchæ ad vestram faciant sanctitatem, metropolitani vero patriarchis, et alii ut faciant suis metropolitanis. *Unde liquet, non tam professionem propriam Justiniani esse, quam vulgarem episcopis præscriptam. Hinc ego suspicor, Justinianum, prima* S. Agapeti *responsione perculsum, vulgarem hanc et communem ipsi obtulisse, vel præter suam eam etiam probari petiisse, quæ reliquis facienda præscriberetur. Quidquid tamen sit, ad illam non invenitur respondisse Pontifex, forte jam morbo impeditus. Ceterum* S. Agapeto *plurimi etiam alii oblati libelli fuerunt ab episcopis et monachis Orientalibus adversus Severum pseudo-patriarcham Antiochenum, Petrum Apamæensem, Zonaram, seu Zoaram, monachum Syrum, aliosque* B *hæreticos Eutychianos. Libellos illos recitat Baronius num. 32 ex Actis Constantinopolitani concilii. Inter illos unus, post Anthimi expulsionem oblatus,* S. Agapeti *erga illum commiserationem et paternam lenitatem ostendit.*

hæreticos. Uno illorum improbatur nimia

81 *Siquidem inde liquet, sanctum Pontificem Anthimo aditum apertum reliquisse ad sedem suam pristinam Trapezuntinam, si quando resipisceret, et damnatis erroribus, Catholicam fidem candide profiteretur Et hic quidem commiserationis affectus Archimandritis nimius visus est, quod Pontifex ne certum quidem temporis spatium fixisset, intra quod, nisi ad fidem Catholicam rediret, nullus illi pateret ultra aditus ad pristinam sedem. Quare ita supplicant Pontifici:* Quia igitur iste *(Anthimus)* juste a vobis punitus fuit, et de sede hujus regiæ urbis ejectus, et fidelissimus imperator noster justam vestram super hunc indignationem approbarit, ipso etiam adjuvante ac divinos canones et Catholicam fidem tuente, et non vultis omnimodam hujus perditionem, sed ut convertatur (imitamini enim Christum Deum nostrum, qui venit vocare non justos, sed peccatores) et omnino paternis visceribus suscipitis, si recognoverit proprium C peccatum et convertatur.

lenitas et indulgentia erga Anthimum.

82 Adjuramus vestram Beatitudinem (licet audax quid faciamus) per sanctam et consubstantialem Trinitatem, ac per principem Apostolorum Petrum, et salutem ac victoriam piissimi imperatoris nostri, ut ne contemnatis divinos canones, qui ab ipso pessundantur: neque ecclesiam ei traditam quæ ab ipso despicitur, sed sequendo in omnibus eos, qui ante vestram Beatitudinem in Sede vestra claruerunt, facere in ipsum, adhuc nunc contra authoritatem canonum invalescentem, et qui prætulit vitam degere cum hæreticis, quam cum propria ecclesia, ea, quæ sanctum Cælestinum contra Nestorium liquet fecisse, assignando ei terminum, sicut et ille Nestorio, intra quem nisi occurens prædictum libellum Apostolicæ vestræ Sedi porrexerit, ac vestræ Beatitudini, et sanctissimo archiepiscopo urbis regiæ, et a morbo hæretico seipsum liberarit, atque ad ecclesiam Trapezundarum sibi creditam proficiscatur, diffinite, Sanctissimi, ipsum alienum esse et nudum ab omni pontificali dignitate atque potestate, et seipsum submittere condemnationi prædictorum hæreticorum et partem illorum accepisse, alterum vero pro isto ecclesiæ Trapezuntinæ ordinandum esse.

83 *Illisne acquieverit sanctus Pontifex certumque resipiscendi spatium præfixerit, incertum est. Videtur morte præventus fuisse, cum tempus illud deinde a concilio Constantinopolitano Anthimo definitum legatur. Credo, post Mennæ consecrationem etiam esse decreta condita, quibus aliorum hæreticorum errores perculit. Et Severum quidem aliosque hæreticos, contra quos libelli oblati fuerant, condemnatos fuisse a* S. Agapeto, *liquet ex laudata synodo, ubi in illorum causa Mennas pronuntiat Actione* IV: Nos, sicut vestra charitas Apostolicam Sedem sequimur et obedimus, et ipsius communicatores habemus, et condemnatos ab ipsa condemnamus. *Et Actione* V. *iterum:* Contempserunt quidem Ecclesiam Romanam successorem Apostolorum, quæ sententiam contra ipsos tulit... Propterea igitur sequentes sanctorum Patrum nostrorum sententias, contra Severum, Petrum et Zonaram.... illos tamquam lupos irruentes in ovile Christi abjicimus, et simili anathemate ferimus. *Et illi quidem omnes, mortuo* S. Agapeto, *pulsi sunt in exsilium a Justiniano, Novella 42 imperante, ut decreta Pontificis executioni mandarentur. Concilium contra illos convocasse* Agapetum, *scribit Theophanes ad annum* 537, *illud nimirum, quod mense* E *Majo sub Menna inchoatum est, cuique ejus legati, in quibus ejus auctoritas et potestas gloriose supervixit, adfuerunt.*

D *Libellis aliis satisfacit, condemnando hæreticos,*

et indicto concilio, moritur.

84 *At sanctus Pontifex tot tantisque laboribus et curis fractus, jam ante ad Superos transierat, ut testantur illius concilii Acta, ubi* sanctæ memoriæ Papa Antiquæ Romæ *ipso statim exordio appellatur. Diem mortis ejus superius fiximus et signat Anastasius, ita prosequens:* Post dies vero aliquantos *(a consecratione Mennæ)* ægritudine commotus, defunctus est Constantinopoli x *(imo* xv, *ut numero* 32 *ostendimus.)* Kalendas Maji. Cujus corpus in loculo plumbeo translatum est usque in basilicam beati Petri Apostoli, ubi et sepultus est XII Kalendas Octobris. Hic fecit Ordinationes duas in urbe Roma, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca undecim. *Liberatus Diaconus ita res gestas* S. Agapeti *claudit cap.* 22 *Breviarii:* His peractis, *(consecratione Mennæ)* constituens Papa apud imperatorem apocrisiarium ecclesiæ suæ Pelagium diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit. *Loculo plumbeo, quo ex Oriente Romam sacra ejus exuviæ translatæ sunt, teste Paulo de Angelis et* F *Piazza, tale legitur ab aliquo ex successoribus ejus insculptum epitaphium.*

Ejus epitaphium, et vetus monumentum

85 Mente pia vivens Christi nutritus in aula,
Et sola gaudens simplicitate boni:
Blandus in obsequio, et puro plenus amore,
Pacificam vitam jure quietis agens.
Qui gratus populis et celso dignus honore
Sumpsisti meritis Pontificale decus.
Commissumque tibi pascens, bonitate magistrat,
Servasti cunctum sub pietate gregem.
Atque tuum rite venerans Agapetus honorem,
Præstitit hæc tumulo munera grata tuo,
Qui nunc Antistes Romana celsus in urbe
Sedis Apostolicæ culmina sacra tenet.

Nunc subjicio monumentum vetus, de quo Oldoinus in Notis ad Ciaconium et Baronius in Annalibus ad annum Christi 536 *num.* 59, *pauculis notis illustratum. Testatur Baronius, se illud eruisse ex bibliotheca Vaticana, locumque ita in margine indigitat:* Biblioth. vat. lib. num. 1538 apud Regest. S. Greg. pah. 194. *Addit, sibi apparere scriptum ab aliquo, qui tum interfuit: sed depravatum valde esse Ms., at illud se, ut licuit, restituisse. Quod ad scriptoris*

A *scriptoris ætatem spectat, quamvis nihil illud magnopere suadeat, nolim tamen ab eo dissentire, cum nihil manifeste contrarium evincat. Videtur Gratianus illud præ oculis habuisse, cum laciniam inde transtulerit, quam num. 2 ex illo exhibui. Scriptor se nusquam prodit. Opinatur Baronius Latinum fuisse et latine scripsisse, cum aliqua ex epistola D. Hieronymi ad Alethium de funere Rufinæ desumpta sint.*

de rebus gestis Constantinopoli.

86 *Epistolam D. Hieronymi ad Alethium dudum frustra quæsivi. Unam inveni datam ad Alethium a S. Paulino Nolano, quæ est* 33 *inter ejus literas: at nullum ibi verbum, quod huc translatum videri possit. Tandem casu in eam D. Hieronymi epistolam incidi, quæ est ad Eustochium et inscribitur* Epitaphium, *seu, ut habent codices alii,* Vita S. Paulæ, *exstatque in editione Vallartii* 108 : *atque ibi tandem columnis* 715, 716 *et* 717 *ea inveni, quæ infra virgulis inclusa dabo. His addere poterat pro sua opinione Baronius, versum num.* 3, Et jam fama volans tanti prænuntia luctus *ex Virgilii Æneidos lib.* 2 *descriptum esse ab anonymo, nisi hunc ipse forte substituerit iis, quæ in Ms. ægre legi poterant. Operæ pretium non est scrupulosius scrutari* B *Baronii opinionem. Suspicor tamen, aliquos fore, quibus ex phrasi et attributo ecclesiæ Constantinopolitanæ ejusque episcopo* Universalis *et* Apostolicæ *titulo scrupulus inhæreat, ne a Græco scriptum fuerit. Quidquid sit, antiquum certe monumentum est, quod subjicio.*

APPENDIX

De rebus gestis Constantinopoli ab Agapeto Papa, deque ejus obitu et funere;

Auctore anonymo forte æquali

Ex vet. Ms. biblioth. Vatic. edit. a Baronio.

C

S. Agapetus a Theodato Gothorum rege mittitur

Anno ædificationis Romanæ Ecclesiæ quadringentesimo nonagesimo *a*, Agapitus, qui primæ Sedis Antistes fuit, a Theodato Gothorum nequissimo rege ob postulandam a Justiniano Augusto pacem Constantinopolim venit. Confestim *b* uterque rex et Pontifex sancta delibans oscula, et alter alterum veneratus, diem duxere in vesperam, legationis dumtaxat pace negata. At vero Agapitus juxta præceptum Petri universis profuturus ecclesiis, quæ per id tempus omnes in se inclinatæ *c* recumbebant, in ipsarum se necessitatem convertit, columnamque se suffulsit immobilem *d*. Hactenus Romanum Pontificem Constantinopolim advenisse dixi, nunc Anthimum universalem *e* ecclesiam invasisse dicam. Epiphanio siquidem vigesimo regiæ urbis episcopo vita defuncto, Anthimus, qui, relicto dudum apud Trapezuntium *f* civitatem episcopatu, Constantinopolim venerat, vitamque suam jejuniis commendabat *h*, sive Patrum decreto *h*, sive Augusti favore, sive procerum voto, hæreticorum pecuniis et seditiosorum turbis fretus in Constantinopolitanæ ecclesiæ sedem irruit improvisus, adulter invasit et apostolicum thronum, ingemiscente clero, populoque A ad cælum oculos referente, homo inimicus insedit, atque cunctis cæteris insaniam suam tacitus seminavit, stipem egenis Simoniaco ritu disseminans.

Constantinopolim, ubi Anthimum patriarcham deposuit,

2 Talem hunc ecclesiæ adulterum et populi seductorem Agapitus Papa sine ullis morarum obstaculis ecclesia expulit, et pœnitentiæ eidem tempus indixit, quod cum sine mora repelleret, et antiquam ecclesiam, quam reliquerat, reprobaret, perfidiamque suam alta mente reponeret, Papæ Agapeti voce et canonica secure percussus est, complicesque ejus Severus et Petrus Antiochenæ et Apamenæ civitatum quondam episcopi, de exilio in exilium deportati. Zoaras *i* quoque presbyter eorumque sequax Apostolica voce ligatus est. Agapitus vero Papa, vas Catholicum, Evangelii tuba, præco justitiæ *k* sacra altaris sedisque velamina sacrilegi Anthimi infecta flatibus, suis Catholicis precibus eluit, omnesque templi ædes ab inflictis inibi per Anthimum maculis orthodoxis obsecrationibus expiavit, mercenario lupoque ovium a Dominica caula detruso extra ecclesiæ parietes. Ecclesiarum ministri, Catholico principe sibimet arridente, concilium unanimes ineunt: Agapeto Præsuli Mennam *l* presbyterum ordinandum sibi episcopum suis vocibus commendantes, in medium proferunt. Agapetus Papa libellum ejus instar fidei suæ manu propria editum flagitat *m*; scilicet Romæ cum per se beato Petro apostolo porrecturus. E

Mennam substituit, et moritur.

3 Edito Mennas juxta præceptum creatoris sui fidei libello, et Agapito Papæ in conspectu ecclesiæ suæ oblato, ab eodem omnium episcoporum principe *n*, imposita manu, universalem *o* episcopatum adeptus est, solusque vigesimus primus *p* ecclesiæ suæ episcopus a Romanæ Sedis Antistite meruit ordinari. Huc usque Agapiti præceptoris nostri monitis lætati sumus, in his, quæ dicta sunt nobis: nunc subita iufirmitate ejus turbati mœremus. [Quis enim potuit siccis oculis Agapitum narrare morientem! Incidit in gravissimam valetudinem: imo, quod optabat, invenit: ut nos desereret et temporum malis mox subsequentibus *q* careret, et Domino plenius cum sanctis patribus jungeretur. Defecerat spiritus, et anhelans in morte anima erumpere gestiebat, ipsumque stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat *r*] Necdum spiritum exhalaverat, necdum debitam Christo reddiderat F animam, et jam fama volans tanti prænuntia luctus totius orbis populos, quibus civitas repleta erat, ad exequias convocavit. Aderant diversarum provinciarum numerosi episcopi et sacerdotum monachorumque chori pene urbem repleverant. Tota ad funus ejus Byzantum turba convenit. Sacrilegium putabat, qui non tali Pontifici ultimum reddidisset officium. Sonabant psalmi et excelsa tecta domorum reboans in sublime Alleluia quatiebat.

Exequiarum celebritas

4 Hinc juvenum choros, hinc senum videres. Quæ carmina, laudes sacerdotales, et facta feruntur! Nemo quandoque totius orbis vel episcoporum vel imperatorum vita defunctus, inter tantas exequiarum copias funeratus visus est. Explorate procedentium et catervatim in exequiis ejus multitudinem fluctuantem: non plateæ, non porticus, non eminentia desuper tecta capere poterant prospectantes. Tunc suos in unum populos urbs regia prospexit. Favebant omnes sibi in gloriam defuncti Sacerdotis. Nec mirum, si de ejus fide homines exultarent, de ejus prædicatione Angeli lætabantur in

A. ANONYMO. in cælo. [Quod mirum sit, nihil pallor mutarat in facie: sed ita dignitas quædam et gravitas ejus ora compleverat, ut eum non mortuum, sed dormientem putarent s.]

ANNOTATA.

a *Juxta hunc computum Romanam Sedem condidit S. Petrus anno vulgaris æræ* 46, *quod cum satis communi sententia congruit. Vide Henschenii Diatribam ante tom.* I *Aprilis, Papebrochii Anamnesim et Janningi Commentarium ad Acta SS. Petri et Pauli tom.* v *Junii pag.* 401 *et seqq., Pagium in Crit. ad annum Christi* 536 *num.* 2, *aliosque ab illis laudatos.*

b *Nisi aliqua exciderint ex Ms., ignoravit auctor, vel dissimulavit dissidia Pontificem inter et Justinianum in causa Anthimi, a primo statim congressu orta. Consule sis syllogen num.* 66 *et seqq.*

c *Subjicit Baronius*: Etenim ubi Constantinopolim venit, plures ei de miserando statu ecclesiarum libelli oblati sunt. *Recitantur illi in concilio Constantinopolitano sub Menna, narranturque in iis* B *tot ac tanta scelera, quæ hæretici publice Constantinopoli machinabantur, ut creditu perdifficile sit, ignorasse illa Justinianum. Ex his non temere suspicari licet, quod Procopius in Historia Arcana non uno loco arguit, imperatorem gloriæ et opum immensæ cupiditati fidem et omnia posthabuisse; nisi cui potius credere lubeat, tam imbellem et uxorium fuisse illum, ut coram ante oculos hæc omnia invitus spectarit, ut Theodoræ suæ, insolentis supercilii mulieri, gratificaretur.*

d *Transitio hæc videtur innuere, plura præcessisse, quam a Baronio exhibeantur.*

e *Hic titulus, qui recurrit iterum infra, de peculiari quadam ecclesia, etiam patriarchali, tam est insolitus Latinis, quam fuit familiare Græcis, Constantinopolitanam ecclesiam ejusque episcopos, Romanis semper merito reclamantibus,* œcumenicos, *seu* universales *appellare. Vide si lubet Syllogen numero ultimo.*

f Trapezus, *urbs est Asiæ minoris in Cappadocia, ampla, archiepiscopalis et præfecturæ cognominis caput; Gallis* Trebisonde *vocatur, habetque portum capacissimum in ora Ponti Euxini. Ita fere Baudrandus.*

g *Anthimi hypocrisim, tum quæ hic narrantur, tum ea, quæ paulo infra, ubi dicitur emunctam* C *Simoniace pecuniam in pauperes effudisse, satis probant. In Actis concilii C. P. sub Menna passim dicitur* fictam vitæ continentiam assumpsisse. *Ejusdem concilii Actione* IV *fertur dixisse Justiniano,* se omnia facere quæcumque summus Pontifex magnæ Sedis Apostolicæ decerneret: et ad sanctissimos patriarchas *scripsisse,* se sequi per omnia D Apostolicam Sedem.

h *Sacerdotes plurimos et episcopos aliquos etiam Orthodoxos, Anthimo, sive ejus dolis decepti, sive donis Theodoræ corrupti, sive minis territi fuerint, favisse, vel ejus saltem promotionem probasse, liquet ex epistola* S. Agapeti *ad Petrum Hierosolymorum episcopum. Zonaras in Ann. parte* 3 *in Justiniano scribit*: Non nulli e primoribus sacerdotibus Agapeto Papæ Romano in imperatricis gratiam sunt refragati: ab eadem quoque largitionibus corrupti. Quos tamen ille, qui veritatem defenderet, omnes superavit.

i *De Severo, Petro, Zonara, horumque sequacibus hæreticis, dicta vide Sylloges num.* 80 *et synodi Constantinopolitanæ Actionem* I, *ubi recitatur libellus Mariani.*

k *Ea inde transtulit Gratianus, ut dixi num. penult.*

l *De S. Menna seu Mena, actum est in opere nostro ad diem* XXV *Augusti, et in Historia Chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum in fronte tomi* I *Augusti pag.** 65.

m *De hac fidei professione et libello Mennæ egi in Syllog. num.* 74 *et seqq. Ejus meminit Vigilius Papa in epistola ad Justinianum, quæ exstat apud* E *Labbeum quarta, tom.* 5 *Concil. col.* 315. *Subscriptionem exhibet Baronius ad annum Christi* 536 *num.* 31, *titulum Norisius ex Ms. Vaticano, et nos ex illo Sylloges num.* 71.

n *De hac prærogativa scribit* S. Agapetus *ad Petrum Sylloges num.* 71.

o Subjectarum sibi provinciarum videlicet, *subinfert Baronius. Vide notam* e.

p *Anonymus supra Epiphanium vigesimum, hic Mennam vigesimum primum statuit patriarchas, neglecto, qui Constantinopolitanam sedem medius inter illos nefarie occuparat, Anthimo. S. Mennas apud nos in Hist. Chron. pag.* * 65 *venit ordine vigesimus nonus. Baronius num.* 60 *asserit, exclusis schismaticis et hæreticis intrusis, non plures numerari a Metrophane, quam noster anonymus computet. At, nisi Arsacium et S. Atticum, qui, per injuriam expulso S. Joanne Chrysosthomo, illam cathedram adierunt, expunxerit, inveniet seriem duobus auctiorem.*

q *Paulo post gravissima mala Ecclesiam vexarunt, orta tum a bellis, tum ab iniquis Theodoræ et Vigilii machinationibus.*

r *Quæ hic, et in fine virgulis inclusa sunt, totidem sparsim verbis habentur in Epistola S. Hieronymi ad Eustochium de funere S. Paul. col.* 715 F *in editione Vallarsii. Consule, si lubet, Sylloges numerum penultimum.*

s *Liquet, ni fallor, narrationem fine mutilam esse.*



DE

A

DIES VIGESIMA PRIMA SEPTEMB.

D

SANCTI, QUI XI KAL. OCTOBR. COLUNTUR.

Sanctus Jonas Propheta, in Palæstina.

S. Matthæus Apostolus et Evangelista, in Æthiopia.

S. Alexander episcop. Mart., via Claudia in Italia.

S. Pamphilus Mart., Romæ.

S. Eusebius Mart., in Phœnicia.

S. Isacius episc. } in Cypro
S. Meletius episc. }

B S. Castor episc. conf. Aptæ Juliæ in Provincia Galliæ.

S. Gerulphus Mart., Trunchinii in Flandria.

S. Jonas presbyter monachus, in monasterio S. Sabæ in Palæstina.

S. Maura Virgo, Trecis in Campania Galliæ.

B. Joannes Prandotha, episc. conf. Cracoviæ in Polonia.

B. Marcus Mutinensis, conf. Ord. Prædicatorum, Pisauri in ducatu Urbinate. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

S*ancti* Vincentii *M. brevissima mentio est in Auctariis Usuardi apud Sollerium ex codice Vaticano. At, cum nullius* Vincentii *natalis hoc die occurat, verisimile est translationem aliquam reliquiarum aut aliam festivitatem insinuari. Itaque forte erit illa, quæ in aliis Fastis veniet ad* 23 *Septembris memoranda, celeberrimi* Vincentii *Hispani festivitas. Acta* S. Vincentii *data sunt ad* XXII Januarii.

S. Wereburgæ Virginis *mentio hodie est in Auctariis Usuardi Solleriani ex codice Altempsiano. Vita* S. Wereburgæ *regiæ virginis data est ad* III Februarii.

B. Marci de Marconibus *Mantuani, Ordinis B. Petri de Pisis sive Pisani, meminit Pape-*
C *brochius noster tom.* 3 *Junii in B. Petro Gambacurta Pisano, ibique pag.* 543 *videtur insinuare, de* B. Marco *agendum ad hunc diem. Verum, ubi ulteriorem de illo Beato informationem Mantuæ petiimus, per litteras R. P. Josephi M. Bianchi, rectoris Mantuani Societatis Jesu, edocti sumus,* B. Marcum *coli die, quo de eo agendum in Operis Supplemento* XXIV Februarii.

S. Walburgis *virginis translatio memoratur apud Ferrarium, et in variis Fastis Benedictinis. Vide dicta ad ejus Acta* XXV Febr.

S. Pusinna *virgo hodie est in Florario Ms. Vita est ad* XX Aprilis.

S. Victor *martyr hodie* Mediolani *annuntiatur in Fastis Hieronymianis. At cum nullus* Victor *Mediolani colatur hac die, ut liquet ex Martyrologio Mediolanensi; verisimile est,* S. Victorem *Maurum ob aliquam translationem aut alia de causa memorari. Fateor tamen, plures* Victores *Mediolani passos videri. At si alius est, plura de ipso non novimus. Quare lectorem remitto ad celeberrimum* Victorem *Maurum, de quo actum est* VIII Maii.

S. Peregrini, *episcopi Autissiodorensis et martyris translatio annuntiatur in Martyrologio Gallicano. Ea apud nos relata est ad Acta, edita* XVI Maii.

S. Constantinus *confessor ad hunc diem annuntiatur apud Ferrarium in Catalogo Generali* Bovæ in Calabria : *sed in Annotatis observat, videri illum* Constantinum *Magnum imperatorem. Idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* 21 *Maii scribit de* Constantino *Magno Bovæ in Calabria culto, dicitque festivitatem* Constantini *Magni Bovæ celebrari* ob ejus reliquias, quæ ibi habentur. *At rursum subdit annotationem, qua monet, nonnullos credere,* Constantinum *illum,* qui Bovæ colitur, Bovensem civem fuisse. *Verum, si Bovensis est, quod non existimo, de ipso plura non novimus. Quapropter adire poterit studiosus lector Commentarium historicum, de* S. Constantino *Magno datum, et videre dicta ibidem num.* 7, *ad* XXI Maii. F

S. Codrati, *Latinis* Quadrati, *hodie mentio fit in omnibus fere Græcorum Fastis, uti etiam apud Moscos, et in Fastis Ægyptiorum et Æthiopum ecclesiæ Alexandrinæ. Apud Græcos de eo ponitur commemoratio in Officio hodierno in Menæis impressis; sed in Anthologio novissimo commemoratio ponitur postridie. De tempore martyrii Menæa et Menologium Sirletianum habent, passum esse* sub Adriano, *postquam prædicaverat Athenis et Magnesiæ. At Menologium Basilianum nihil habet de prædicatione Atheniensi, facitque episcopum Magnesiæ, passumque sub Decio et Valeriano. Hac de causa Henschenius noster ad* 26 *Maii, ubi egit de* S. Quadrato *episcopo Atheniensi, qui Apologiam pro Christianis obtulit Adriano imperatori, teste S. Hieronymo, recte annotavit, duos* Quadratos *et forte etiam plures a Græcis confusos esse, omniaque protulit et examinavit, quæ hoc loco de Magnesiensi* Quadrato *dici possent. Quare non censui, de* Quadrato *Magnesiensi iterum agendum, præsertim, quod Atheniensis et Magnesiensis distinctio recte*

A *recte quidem observata sit et verisimillima; non tamen omnino certa ob modicam auctoritatem documentorum, ex quibus distinctio habetur. Si enim falsum sit assertum Basiliani Menologii de martyrio* Quadrati *sub Decio, jam ipsa etiam distinctio fit incerta. Præterea, etiamsi distinctionem plane certam credere velimus; non æque statim fiet certum, utrumque ut Sanctum coli, cum unus tantum colatur apud Græcos. Tillemontius tom. 2 in Persecutione Adriani art. 7 et Nota 7 necdum contentus est memorata distinctione; sed præterea* Quadratum *Apologistam a* Quadrato *Atheniensi episcopo distinguendum contendit contra auctoritatem S. Hieronymi, qui eumdem credidit. Videamus igitur, an Tillemontius S. Hieronymum recte refutaverit. Opponit Hieronymo Eusebium, contenditque loca Eusebii cum Hieronymo conciliari non posse. At ego ne dubito quidem, quin Tillemontius Eusebium male intellexerit et explicaverit. Locos Eusebii ab ipso assignatos huc traduco. Eusebius lib.* 3 *cap.* 27 *ait :* Eadem tempestate floruit etiam Quadratus, qui cum Philippi filiabus prophetica gratia illustris fuisse memoratur. *Hic locus satis congruit* B *cum asserto S. Hieronymi de visis a* Quadrato *quibusdam, qui a Christo Domino erant sanati aut a morte suscitati. Credamus tantisper, illos fuisse visos a* Quadrato *circa annum* 70 *aut* 80, *licet multo diutius vivere potuerint, nihil illa liberalitas mea proderit Tillemontio. Eusebius ipse lib.* 4 *cap,* 3 *locum allegat ex Apologia* Quadrati, *qui de sanatis a Domino solum dicit, diu illorum aliquos post mortem Domini superfuisse,* adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint. *Hæc tamquam verba* Quadrati *allegat Eusebius, ubi etiam dicit, Apologiam a* Quadrato *fuisse oblatam Adriano. Quod vero inde argumentum sumit Tillemontius, quia de ejus episcopatu ibi non meminit Eusebius, infirmum est, Nam Eusebius frequenter de aliis quoque episcopis loquitur sine mentione illorum episcopatus, et fieri etiam potest, ut episcopus non esset* Quadratus, *quando Apologiam obtulit, sed non diu post ad episcopatum sit promotus. Pergamus igitur ad alium locum, quem prædictis contrarium credidit Tillemontius. Eusebius lib.* 4 *cap.* 23 *recenset plures epistolas S. Dionysii Corinthiorum episcopi, interque eas unam* C *ad Athenienses, de qua sic loquitur :* Altera vero ad Athenienses scripta, excitans ad fidem, et ad vitam ex præcepto Evangelii traducendam : qua in re negligentiam arguit Atheniensium, quippe qui a fide propemodum descivissent, ex quo Publius ipsorum episcopus in persecutionibus tunc temporis excitatis martyrium subierat. Meminit etiam Quadrati, qui post martyrium Publii episcopus Atheniensium est constitutus : ejusque labore et industria cives denuo in ecclesiam convenisse, et redivivum fidei ardorem in illis reparatum esse testatur. *Ex hoc loco, qui optime cum reliquis congruit, Tillemontius collegit,* Quadratum *vixisse eodem tempore cum S. Dionysio Corinthio, qui circa annum* 180 *defunctus est; factumque esse episcopum sub Marco Aurelio Antonino, sub quo decessorem ipsius S. Publium vult passum. Imo sua illa somnia verbis Gallicis ita exprimit, acsi in ipso legerentur Eusebio. Attamen nihil illorum dicit Eusebius, et satis clare de rebus præteritis loquitur Dionysii nomine. Hortabatur Dionysius, teste Eusebio, Athenienses ad fidem, quia tempore præterito, quando S. Publius ipsorum episcopus martyrio coronatus erat, sub Adriano verisimiliter, forte etiam* D *sub Trajano, de quo non constat, fere a fide desciverant. Verum illa verba,* in persecutionibus tunc temporis excitatis, *retulit Tillemontius ad tempus S. Dionysii, sive ad tempus, quo scripserat illam Epistolam: At clarum est, designari, tempus persecutionis anterioris illis vocibus* tunc temporis, *cum* Quadratus *postea jacturam fidei reparasset. Præterea* Quadratus *jam defunctus fuisse videtur, quando illa scribebat Dionysius, qui de eo vivente non meminit, et cujus ad fidem exhortatio non adeo fuisset necessaria, si* Quadratus *ipse vixisset. Videamus modo, an chronotaxis* Quadrati *Atheniensis nequeat consistere, nisi distinguatur a* Quadrato *Apostolorum discipulo et Apologista Christianorum. Fuerit hic natus circa annum* 70 *aut* 80. *Sic ejus temporibus vivere facile poterant aliqui per Christum sanati : sic non nisi quinquaginta aut sexaginta numeraverit annos, quando Adriano obtulit Apologiam suam pro Christianis, ita ut multis annis superesse potuerit post Adrianum. Quin imo omnia consistere poterunt, etiamsi credere velimus, natum fuisse circa* 50 *annum* E *Christi, licet hoc minime sit necesse. Verum hæc satis de illa opinione Tillemontii, qui certo Eusebium male intellexit et exposuit. Plura de* Quadrato *ad* xxvi Maii.

S. Landelini *martyris mentio est in codice Hagenoyensi Usuardino, et apud Grevenum. Verum observat Sollerius noster in Usuardo suo, eumdem omnino videri cum* Landelino *S. Autberti Cameracensis discipulo, abbateque et confessore, de cujus elevatione mox agam. Habemus quidem Vitam impressam anno* 1621, *cujus titulus est :* Historia de vita et martyrio S. Landelini, qui sexto post Nativitatem Christi seculo, vigesimo primo Septembris passus, miraculis etiamnum claret. opera et studio R. P. F. Martini Stephani, Prioris D. Ethonis et S. Landelini cœnobii in lucem edita. *Quin et Vitam Ms., quæ laudato Priori præluxit, accepimus ex codice Bodecensi per Gamansium nostrum, qui eam anno* 1641 *misit ad Majores nostros. Vita ista fuit scripta circa annum* 1200, *id est, sex circiter seculis post tempus, quo* Landelinum *occisum statuunt. Uterque biographus asserit, Scotum origine esse* Landelinum, *venisse vero in Germaniam, ut vitam duceret eremiticam, brevique post adventum,* F *dum habitationem sibi in sylva quadam paraverat, a venatore crudeliter occisum. In loco cæsi* Landelini *conditum postea monasterium asserunt, quod* Cella-monachorum *fuit nominatum, alias* Ettonis-monasterium, *aut etiam* Ettenheimium. *Satis notum est cœnobium, quod etiamnum exstat ad ingressum Silvæ Nigræ, ut videri latius potest in Gallia Christiana tom.* 5 *col.* 864. *Illud miror, me nullam de* S. Landelino *mentionem invenire apud illos, qui fundationem aut instaurationem enarrant, ne in testamento quidem Ettonis episcopi Argentinensis, qui illud instauravit variisque donationibus ditavit. Testamentum istud, scriptum anno* xi *Pipini regis, id est, æræ Christianæ anno* 763, *edidit Guillimannus in Episcopis Argentinensibus pag.* 106. *Quapropter, considerato silentio martyrologorum vetustorum, scriptorumque, qui de Alsatia et Francia Orientali diligentius agunt, de* Landelino *martyre; vehementer suspicamur, reliquias* Landelini *abbatis in Hannonia, quas ad nonnulla Germaniæ loca delatas multi affirmant, ad illud quoque*

A que monasterium pervenisse; indeque ortam occasionem alicui, gestorum S. Landelini ignaro, martyrem ex confessore, et ex Belga aut Gallo Scotum faciendi. Miracula posterioribus seculis patrata omnino vera esse possunt, etiamsi commissus credatur error ejusmodi. Priora vero æque ac martyrium et gesta omnia, prout relata sunt, plane suspecta videntur. Suspicionem nostram auget dies, quo martyrio sublatus dicitur Landelinus, cum hic sit ille ipse dies, quo facta est elevatio Landelini abbatis. De hoc autem apud nos actum est ad xv Junii

S. Landelini abbatis translatio annuntiatur in codice Usuardino Bruxellensi: et apud Molanum elevatio. Consentiunt plerique Fasti Benedictini et Ferrarius. Vita data est, actumque una de translatione ad xv Junii

S. Philippi Benitii, Ordinis Servorum, translatio annuntiatur apud Ferrarium in Catalogo generali. Consule Acta S. Philippi illustrata ad xxiii Augusti

SS. Hypatius et Andreas, ex Fastis Græcis heri memorati hodie leguntur in Martyrologio Romano B Gallico anni 1620, apud nos ad xxix Augusti.

S. Vincentius presbyter et martyr ponitur in Martyrologio Hispanico Bisolduni in Cathalonia, ubi colitur prima Dominica Septembris. De illo breviter actum est ad i Septemb.

SS Eusebius, Nestabus et Zenon, fratres et martyres, brevissime memorantur in Menæis impressis. In Synaxario Constantinopolitano, quod Sirmondi fuit, adduntur alii duo, nimirum Nestor et Busiris, brevique omnes ornantur elogio. Recte quidem hoc elogium pro tribus prioribus contractum est ex Sozomeno. At pro Nestore, qui in ipsis tormentis defunctus non est, nonnulla eget correctione. Busiris vero perperam reliquis videtur adjectus, aut certe non memoratur cum iis apud Sozomenum lib. 5 cap. 9, ubi trium Fratrum et Nestoris ipsorum consobrini martyrium enarrat. Scribit quidem ille lib. 5 cap. xi de aliquo Busiride ab hæresi Encratitarum ad fidem Catholicam converso multaque ab infidelibus passo, sed ille ad Gazæos non spectat. Apud nos cum Martyrologio Romano de Eusebio, Nestabo, Zenone et Nestore C actum est ex Sozomeno, ubi et commemorationes hodiernæ, quæ tunc Acta illa illustrantem latuerunt, prout latuisse videntur Baronium, addi possunt pro cultu horum Martyrum apud Græcos, ad viii Septem.

Naninus episcopus bis annuntiatur apud Ferrarium, ante in Hibernia, deinde in Scotia. Suspicor esse nomen corruptum S. Niniani: Ferrarius enim laudat Canisium, qui Ninianum habet duobus diebus, numquam Naninum, sicut etiam in aliquot catalogis Sanctorum Hiberniæ Naninus ad hunc diem ponitur, Maninus etiam uno loco dictus, sed nuspiam Ninianus. Apud Dempsterum quidem Ninianus ad xx et ad xxi Septembris Naninus ponitur: sed ille Sanctos non raro multiplicat. De Niniano actum est ad xvi Septemb.

S. Lamberti episcopi martyris translatio notata est in Florario Ms. Vita cum translationibus data est ad xvii Septemb.

S. Lucia virgo, quæ Scotorum regis filia dicitur, ad hunc diem refertur a Camerario, qui longum magis, quam certum eidem texuit elogium. Eamdem hodie memorat Arturus a Monasterio. De S. Lucia illa, cognominata de Monte, actum est ad xix Septemb.

S. Evilasius, ex idolorum sacerdote martyr, qui D passus fuerit Carthagine Spataria in Hispania, postquam a Candida virgine, de qua disputatum est die præcedente, conversus fuerat ad fidem, commemoratur in Martyrologio Hispanico Tamayi. Verum nugas illas esse quorumdam fabulatorum, satis ostendi ad præcedentem diem, ubi de SS. Fausta et Evilasio actum, uti et in Prætermissis de Candida xx Sept.

S. Theodorus martyr Pergensis, de quo hodie in nonnullis Græcorum Fastis, datus est cum Philippa et aliis ad xx Septembris.

S. Priscus M. apud Græcos commemoratur, sed in Martyrologio Romano ad xx Septemb.

B. Venturini confessoris Ordinis Prædicatorum his ipsis verbis mentio fit in Mss. Additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Laudatus Venturinus jam a Majoribus nostris memoratus est in Prætermissis ad 28 Martii, ubi dicunt, Vitam apud nos servari, sed eam Operi nostro non inserendam prius, quum a Sede Apostolica Beati titulus ei noviter conferatur; vel constet Smyrnæ, uti anno MCCCXLVI hoc die (28 Martii) Sancte obiit,... congruum tali appellationi cultum eidem a fidelibus fuisse delatum, dum eam E adhuc urbem Latini tenerent. Verba hæc satis clara sunt, perperam tamen exposita ab Antonio Touron, Ordinis Prædicatorum, acsi requireremus, ut auctoritate Apostolica declararetur, constare de cultu exhibito olim Venturino; et cultus ille asseretur ab aliquibus. Videri possunt verba Gallica Touroni in opere de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum tom. 2 pag. 274, ubi Venturini Vitam cum titulo Beati enarrat; sed cultum nullo modo probat. Attamen pag. 298 asserit, cultum fuisse inchoatum Smyrnæ, continuatumque, ut fertur, donec urbs iterum occupata fuerit a Turcis. Hoc forte fieri potuisse propter Viri eximias virtutes, sanctitatem vitæ et miracula, videbant Majores nostri, sed nullum inveniebant testimonium de tali cultu. Quapropter gratissimum nobis officium præstabit Touronus, aut alius quiscumque præclari Ordinis Prædicatorum, si legitimo testimonio scriptoris satis vetusti ostendere potuerit, Venturinum umquam Smyrnæ seculo 14 fuisse cultum; assertumque Touroni non pro- E fluere ex verbis Bollandi male expositis. Nihil enim magis desideramus, quam nullum omittere Beatum, cujus cultus legitime probari potest. At Venturini cultum non posse probari, mihi prorsus persuadeo.

Anna, cognomento Viterbiensis, tertiaria Ordinis S. Dominici, Viterbii annuntiatur apud Jacobum Lafon in Anno Dominicano ad hunc diem, quo defuncta dicitur anno 1306. Laudatus auctor, cujus Opus impressum est anno 1708, asserit, corpus Venerabilis Annæ etiam tum integrum et sine ulla corruptione conservatum fuisse in ecclesia S. Dominici Viterbiensis, multaque ibidem patrata esse miracula. Attamen nulla allegat publici cultus indicia, nec illa ipsa, quæ asserit de incorruptione corporis et miraculis, aliunde confirmare possum, cum in nupera Historia Viterbiensi sat multa quidem reperiam de monasterio et monialibus S. Dominici, sed nihil de Venerabili illa Anna, quam nec Marchesius exhibet. Alii nonnulli, quibus titulum Beati similiter attribuit Lafonus, apud ipsum videri possunt, cum nihil de eorum cultu reperiam, uno excepto Marco Mutinensi, cujus cultum aliunde didicimus, et de quo agimus. 28 S Francarius

A S. Francarius *hodie annuntiatur* Clissonii (à Clesse) *in Pictonibus* confessor *apud Castellanum, qui illum Gallice Vocat* Francaire. *Idem in Aëmeris pag.* 784 *ponit Sanctum, quem ibi Gallice nominat* Fragaire, *dicitque coli in ecclesia quadam diœcesis Constantiensis in Normannia. At in Indice observat, eumdem esse* Francarium, *qui Gallice* Francaire *et* Fragaire *scribitur. In Addendis pag.* 1003 *memorat* Fracanum *aliquem, patrem, ut volunt, S. Winwaloëi abbatis, de quo apud nos actum est ad 3 Martii, quem dicit esse patronum ecclesiæ* Plou fragan, *prope oppidum S. Brioudi in Armorica.* Fracanum *illum et alii ibidem faciunt patronum, sicut etiam Simon Mothier in Catalogo Sanctorum Galliæ, quem dedit post Martyrologium Romanum Gallice versum,* Francarium *confessorem ad hunc diem refert in Pictonibus. Verum cum omnia illa nomina fortasse sint corrupta, ut passim accidit in Sanctis Galliæ, et nihil de* Francario *inveniam certi, libenter eruditis Gallis examinandum relinquam, an diversis illis nominibus idem ubique designetur Sanctus:*
B *imo etiam, an non Sanctus aliquis suo nomine magis notus, corruptis nominibus repetatur.*

S. Gliolaphi *martyris translatio hac die, anno* 1649, *magna cum solemnitate fuit celebrata Styræ in Austria superiore in Collegio Societatis Jesu. De festivitate illa anno* 1650 *libellus fuit Lincii impressus, et Majoribus nostris transmissus, ex quo pauca ad propositum nostrum excerpam. Corpus* S. Gliolaphi *inventum fuit Romæ in* cœmeterio Priscillæ, *indeque extractum* cum vase sanguinis ejusdem Sancti *ab Eminentissimo Cardinale Ginetto, summi Pontificis Innocentii X Vicario generali, qui illud donavit Florentio Montmorencio Societatis Jesu Assistenti Germaniæ cum facultatibus illud aliis donandi et ad cultum publicum exponendi. Montmorencius vero illud misit collegio Styrensi Societatis Jesu in Austria, ubi* ex commissione serenissimi archiducis Austriæ Leopoldi, pro tempore episcopi Passaviensis, *debite recognitum fuit, et publicæ venerationi expositum, peractaque festivitate summo cum splendore, et maximo populi concursu, reverenter in dicto Societatis collegio est reconditum.*

C Geronis martyris *mentio est apud Grevenum sine aliis adjunctis, ex quibus cognosci possit. Verisimiliter est nomen corruptum, forte ex* Gerulphi, *qui hodie colitur, nomine Gallico* Geronem *efformaverit martyrologus.*

Vascus Pirez, *Lusitanus Societatis Jesu sacerdos, hoc die, anno* 1590, *obiit Ulyssipone virtutibus clarus, et institutione egregia novitiorum, quibus diu præfuit.* Ejus corpus *sexennio post mortem* integrum una cum vestibus repertum est, *ut legitur sub imagine hujus Viri venerabilis Romæ impressa.*

In Corbeia monasterio, dedicatio basilicæ domni Albini et Marcellini episcoporum. *Annuntiatio est Martyrologii Corbeiensis apud varios impressi.*

Iphigenia *virgo ex Actis S. Matthæi apostoli hodie dandis a martyrologis aliquot recentioribus, et ab ipso etiam Baronio commemorata est in Martyrologio Romano. Nobis satis erit de ea diligenter annotare ad Acta S. Matthæi, quæcumque inveniemus notatu digna.*

Basæ martyris Tyriæ *memoria hodie est in Synaxario Græco Ms; sed plura de illa nullibi invenio.* D

Antonius Ariminensis, *Ordinis S. Franscisci presbyter, ad hunc diem refertur ut* beatus *a Jacobillo in Sanctis Umbriæ tom.* 2 *pag.* 265. *Secutus est Jacobillus Martyrologium Franciscanum, nec quidquam pro cultu affert.*

Bernardina de Monte-majore, *tertiaria Ordinis S. Francisci, cum titulo* Beatæ *annuntiatur apud Arturum a Monasterio in Martyrologio Franciscano et in Gynæceo. Eamdem similiter* Beatam *vocat Castellanus in Martyrologio universali, sed nec tempus, quo defuncta est, nec locum præter Hispaniam contra morem suum assignat, ut parum videatur fuisse instructus de pertinentibus ad* Bernardinam. *Verum nec Fortunatus Hueberus in Menelogio Franciscano* Bernardinam *titulo* Beatæ *exornat, nec Waddingus in Annalibus Minorum eam videtur novisse, nec Benignus Fremaut, qui anno* 1708 *Vitas Franciscanorum illustrium Belgice edidit,* Bernardinæ *Vitam ad hunc diem exhibet, nec martyrologi Hispani, quos ego quidem noverim, de* Bernardina *quidquam habent, ut plane mirer, et minime perspiciam, unde ipsam* Bea- E tis *adnumeraverit Castellanus. Nam id minime mirandum de Arturo, qui omnes, quos memorat, solet* Beatos *nominare. Plures viri, virtutibus, vitæ sanctitate, et gestis illustres, videri possunt apud Arturum a Monasterio et Hueberum, cum de illorum cultu nihil inveniamus.*

Anna Maria de Vitriola, *Ordinis S. Augustini, defuncta* in conventu Mantuano S. Augustini 21 Septembris anno MDLXVII, *celebratur apud Herreram in Alphabeto Augustiniano, ut* pœnitentia et mortificatione *insignis, et divinis etiam revelationibus illustris.*

Sanctorum sex Martyrum, satellitum imperatoris Maximiani, *ad hunc diem* commemoratio *legitur in Menologio Sirletiano, consonantibus Menæis impressis, ubi adduntur duo solum versiculi. Hi latine ita sonant:* Pro Deo, qui caput in ligno inclinavit, sex Martyres caput sub gladio inclinant. *Fuerint hæc deprompta ex Actis cujusdam Martyris, sed necdum nobis constat, ex quibus; et nihilo magis, an sex illi particularem habeant cultum, cum locus martyrii non assignetur.*

F

S. Juliana *virgo et martyr Romana hodie memoratur in Martyrologio Mediolanensi his verbis:* Romæ S. Julianæ virginis et martyris, cujus ossa Cesani, caput vero Mediolani in ecclesia S. Philippi Nerii summo honore servantur. *Est autem* Cesanum *vicus cum ecclesia parochiali in diœcesi Mediolanensi. In annotatis additur, corpus fuisse effossum* ex cœmeterio Cyriacæ; *non item, an nomen* Julianæ *in sepulcro fuerit inventum. Attamen verisimile est, una cum corpore nomen S. Julianæ repertum, uti aliquando contingit. Certe nomen non est tale, quod conveniat omnibus virginibus martyribus, qualia passim sunt nomina, quæ Sanctis sine nomine inventis imponuntur. Præterea constat,* Julianam *aliquam Romæ esse passam, quæ ex Fastis tantum Hieronymianis cum multis martyribus apud nos memoratur ad 5 Junii, et aliunde non innotuit. Posset igitur illa ipsa esse* Juliana, *cujus corpus Mediolanum, indeque, excepto capite, ad ecclesiam Cesani translatum est. Res tamen incerta est, quia et aliæ Julianæ, quarum nomen*

A *men satis est commune, Romæ pati potuerunt. Quidquid sit, corpus donatum fuit comiti Bartholomæo Aresio a Cardinale Aloysio Homodeo, Laudatus comes caput donavit Sanctimonialibus S. Philippi Nerii; ossa vero transtulit ad ecclesiam parochialem pagi Cæsani, quam* suo ære ampliorem *instauraverat, ut pluribus narrat martyrologus Mediolanensis.*

Conon *Papa, ut* Sanctus, *hodie annuntiatur apud Maurolycum, Felicium, Octavium Cajetanum in Martyrologio Siculo, Ferrarium in Catalogo generali, et in Martyrologio Germanico, Canisii nomine impresso. At horum auctoritas non sufficit, cum nulla uspiam cultus indicia reperiam.*

Joannes de Speculo, *alias,* de Cureghem, canonicus *Regularis et diaconus monasterii Viridis-vallis in Brabantia, obiit hoc die anni* 1358 *in opinione sanctitatis, quæ fuit etiam visionibus confirmata. Habemus Vitam ex Ms. Viridis-vallis acceptam, compositamque a Religioso ejusdem monasterii, qui defuncto convixerat. Titulus Vitæ est:* Planctus venerabilis fratris Wilhelmi Jordani, canonici Regularis Viridis-vallis, super
B obitu fratris Johannis de Speculo *(quod erat nomen maternum)* alias de Cureghem, ejusdem cœnobii devotissimi diaconi. *Agebat annum ætatis vigesimum quartum, et religiosæ vitæ septimum, brevique promovendus erat ad sacerdotium, quando defunctus est. Exempla virtutis plura continet Vita; sed hæc nequit Operi nostro inseri, quia nihil habemus de cultu, ac ne nomen quidem hujus* Joannis *notum est apud martyrologos Belgas inter venerabiles.*

S. Januarii *cujusdam memoriam Romæ haberi ad hunc diem notatam, ob reliquias in ecclesia S. Silvestri, scribit Pancirolus in Opere Italico de Ecclesiis Romanis pag.* 398. *At fatetur, nesciri, cujus* Januarii *sint reliquiæ.*

Hilarius, *episcopus Vesontionensis, ad hunc diem ut* Sanctus *commemoratur apud Saussayum in Supplemento Martyrologii Gallicani. Secutus est, opinor, Joannem Jacobum Chiffletium, qui in Vesontione part.* 2 *omnes primos episcopos Vesontionenses* Sanctorum *titulo honorat. Verum apud nos tom.* I *Junii pag.* 681 *annotatur ex Petro Francisco Chiffletio Societatis Jesu, ex omnibus illis* decem dumtaxat aut undecim *vetustis*
C *insertos fuisse Martyrologiis, illique ibidem enumerantur. Inter hos autem non reperitur* Hilarius, *nec ullam mihi aliunde se offert sanctitatis ipsius argumentum.*

Edilhunus *confessor legitur in Martyrologio Anglicano Joannis Wilsoni, qui in prima editione laudat Bedam Hist. Angl. lib.* 6 *cap.* 27, *et in secunda etiam Catalogum Sanctorum Hibernorum; et apud Ferrarium in Catalogo generali. Verum, cum Wilsonus adnotato asterisco designet, ipsum non fuisse in vetusto Martyrologio aut Calendario Anglicano, non existimamus,* Edilhunum *umquam in publica veneratione fuisse, remittimusque ad Historiam Bedæ lib.* 3 *cap.* 27, *ubi ornatur elogio.* D

Dedicatio basilicæ *Fontenetensis in Burgundia Ordinis Cisterciensis, peracta ab Eugenio Papa III, commemoratur apud Chalemotum.*

Dedicatio ecclesiæ B. Mariæ de Oliveto *Ordinis Cisterciensis in provincia Bituricensi occurrit apud laudatum scriptorem.*

Dedicatio majoris ecclesiæ *hodie memoratur* Augustæ Taurinorum *apud Ferrarium.*

Bonifacius, *abbas vigesimus secundus Cisterciensis, insertus est Calendario Ordinis Cisterciensis impresso, et cum titulo* Beati *ponitur apud Henriquez in Menologio, ubi additur* Martinus *ex eodem Ordine Cardinalis; sed sine ullis publici cultus indiciis. Uterque etiam refertur apud Saussayum in appendicibus, sed sine titulo* Beati.

Angelus de Joyeuse, *vir præcipuæ nobilitatis, qui, relictis dignitatibus suis, Ordinem Capucinorum ingressus est, ibique primaria officia præclare administravit, refertur in Martyrologio Gallicano inter venerabiles.* E

Gregorius *sine adjunctis hodie memoratur in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ apud Jobum Ludolfum. In Martyrologio Coptorum, quod aliquis Maronita Latinum facere conatus est, vocatur* S. Gregorius monachus, discipulus S. Pachomii monachi. *At vel sic non satis nobis innotescit, nedum cultus ipsius.*

S. Laudi, Laudonis *aut* Lautonis *(sic varie nomen exprimitur) episcopi memoria hodie est in quibusdam auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum, uti etiam apud Canisium, Ferrarium, Saussayum, Castellanum, in aliquot Calendariis, in Florario Ms., ac demum in Martyrologio Parisiensi. Postridie quoque reperitur in Fastis plurimis, et in Martyrologio Romano, quod pro die passim sequimur. Saussayus autem in Serie Sanctorum cum* S. Laudo *conjungit* Possessorem, *cujus cultus una examinabitur* XXII Septemb.

S. Lutrudis *mentio fit apud Ferrarium, et in Florario Ms. Spectat ad* XXII Septemb.

S. Geremarus *abbas, memoratur in aliquot Fastis Benedictinis, uti et apud Galesinium et Ferrarium, sed non sine errore* Flaviniaci *ab his ponitur. De eo agetur cum martyrologio Romano ad* XXIV Septemb. F

S. Marcus *opilio M. Claudiopoli hodie annuntiatur a Castellano. In Romano cum pluribus est ad* XXVIII Septemb.

S. Lucas *Evangelista hoc die memoratur in Fastis Hieronymianis; sed colitur in Ecclesia die* XVIII Octobris

Papolus *episcopus Metensis ponitur in Florario Ms. At defunctum et Martyrologio Metensi insertum dicit Meurissius die, quo de cultu disputari poterit,* XXI Novembris.



DE

AUCTORE J. C.

DE S. JONA PROPHETA

IN PALÆSTINA

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. S. Jonæ, qui typus Christi fuit, memoria in Fastis ecclesiasticis, cultus.

S. Prophetæ gesta apocrypha sunt præter ea, quæ in sacris Litteris

Sancti Jonæ *prophetæ, cujus hodie in Romano Martyrologio memoria occurrit, proindeque gesta miranda pro instituto Operis nostri illustrantur, quæcumque aliunde Acta, quam ex sacris Litteris petuntur, apocrypha, multisque figmentis conspersa sunt. Hujusmodi habentur* B *pseudo-Epiphanii et pseudo-Dorothei ineptiæ quas vel tum, cum genuinæ putabantur, exploserunt interpretes, nosque, ubi operæ pretium videbitur, refellemus. Ejusdem farinæ sunt aliqua Rabinorum somnia, et, ni fallor, Vita* Jonæ *prophetæ, auctore anonymo scripta, et ab eruditissimo Assemanno in Bibliotheca Orientalium tom.* 3 *pag.* 286 *assignata. Ego itaque miranda sancti Prophetæ gesta ex sacris Litteris repetam, et pro more nostro commentabor, relinquamque interpretibus discutiendas conjecturas ad institutum nostrum fere inutiles, quas tamen hinc et inde assignabo.* Jonæ *Hebraïcum nomen, Latinis* Columba *est. Hinc* S. *Hieronymus in epistola ad Paulinum* : Jonas, Columba pulcherrima naufragio suo Passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat, et sub nomine Ninive gentibus salutem nuntiat.

memorantur. Ejus nomen Martyrologio Romano

2 *Duplici potissimum titulo Christi typus fuit* Jonas : *ipse namque solus ex omnibus veteris Testamenti prophetis ad gentes missus fuit, in eo præfigurans Salvatorem, qui vixdum natus apparuit gentibus, eas etiam oves ad suum ovile adducturus. Deinde cum tribus diebus in ceti visceribus delituit, de quo Salvator Matthæi* 12 ℣ 40 : Sicut C enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius Hominis in corde terræ. *Inter prætermissos ad diem* XXVII *Januarii monuit antesignanus noster Bollandus, nuntiari* S. Jonam *in Auctariis Usuardinis, Codice Cartusiæ Coloniensis, memorari a Canisio, Petro de Natalibus, Maurolyco et aliis. Antiquioribus Martyrologiis classicis ejus nomen non est inscriptum, at illud commune habet sanctus Propheta cum aliis pluribus veteris Testamenti Sanctis. Hodie in Martyrologio Romano his verbis celebratur* : In terra Saar sancti Jonæ prophetæ, qui sepultus est in Geth, *quibus addunt Tabulæ ecclesiæ Nucerinæ apud illustrissimum de Aste* : Cujus ossa Nuceriam in Picentinis translata sunt, *et inter Prætermissos ad* XIX *Aprilis notarunt Majores nostri, illo die ibidem coli* S. Jonam, propter corpus ex Terra-sancta illuc ab equitibus S. Joannis translatum.

inscriptum in Fastis Græcis celebre est.

3 *In Kalendario Coptico Jobi Ludolphi et Menæis eodem die sancti Prophetæ fit mentio, quæ in Menologio Basiliano ad sequentem dilata est, eoque etiam invenitur in Kalendario Moscorum figurato. In Metrico sic canitur* :

Εἰκάδι δὲ πρώτῃ τὸν ΙΩΝΑΝ γαῖα κάλυψεν.

Prima et vicena tumulo occultatur Jonas.

Quæ in Martyrologio Romano de terra Saar et S. Jonæ *sepultura in Geth asseruntur, discutiemus infra. In concilio Constantinopolitano sub S. Menna patriarcha libello, quondam S. Agapeto Romano Pontifici oblato; subscriptus legitur* Phocas presbyter et prior monasterii, quod dicitur Jonæ juxta Secundum. *Hinc conficit Bailletus tom.* 4 *col.* 309 § 2 *de cultu* S. Jonæ, *fuisse Constantinopoli sub imperatoribus Byzantinis Catholicis ecclesiam* S. Jonæ *adjectumque illi monasterium. Verum incertum est, fueritne cœnobium illud, quod* ad Secundum *vocatur, Constantinopoli; deinde an a sancto Propheta nostro nomen habuerit.* E

Variæ ecclesiæ ejus reliquiis gloriantur

4 *Multo sunt recentiora, nec fere certa magis, quæ* S. Jonæ *cultum illustrant. Variæ quidem ecclesiæ sacris ejus exuviis gloriantur, at unde illas obtinuerint, nesciunt, vel quæ se scire arbitrantur, debitis testimoniis, quæ certam fidem faciant, non confirmant. Ughellus tom.* 5 *Italiæ sacræ antiquæ editionis col.* 1259, *corpus* S. Jonæ *prophetæ basilicæ Venetæ S. Apollinaris adscribit. Papebrochius in Itinere Romano Ms., inter ea, quæ Ravennæ annotavit, ait* : In templo PP. Franciscanorum Conventualium corpus S. Liberii archiepiscopi venerati sumus. In sacello, quod choro dextrum est, post tumbam, quæ altaris usum habet, armarium est magnum, continens prædicti Sancti et Jonæ prophetæ capita, cum variis minus notabilibus reliquiis. *Ejusdem Sancti costam sibi vendicant Casinenses, ut videre licet in Instrumento in Opere nostro tom.* VII *Maji in Appendice ad diem* X *excuso pag.* 669 *num.* 14. *Inter prætermissos ad* XIX *Aprilis ita notavit Henschenius* : S. Jonas propheta colitur hoc die Nuceriæ propter corpus ex terra-sancta illuc ab equitibus S. Joannis translatum. *Mitto alias minus notabiles reliquias, quibus se ditatas arbitrantur aliæ ecclesiæ, percensere.* F

at satis incerta sunt, quæ pro asserenda earum possessione

5 *De corpore* S. Jonæ, *quod sibi Veneti vendicant, sic scribit eruditissimus vir Flaminius Cornelius, senator Venetus, in Ecclesiæ Venet. antiq. monument. Decade* 4 *pag.* 154 : Ex antiqua hujus ecclesiæ traditione quiescere dicitur in ea *(basilica S. Apollinaris)* corpus S. Jonæ prophetæ, cujus deductio unde et quando peracta sit, ignoratur. Venerandum ejus caput ad aram lateralem marmoreo loculo includitur, reliqua vero lipsana ignoto loco recondita latent, cujus memoria vel ex temporum injuria, vel ex virorum desidia omnino deperiit. *Ex his patet, sine aliqua Venetorum injuria, partes aliquas sancti corporis aliis ecclesiis concedi posse, cum non contendant, vel saltem non probent, habere se illud usque hodie integrum. Debile etiam nonnihil est pristinæ possessionis assertum. Profecto quot quantique sint errores ex similibus traditionibus popularibus nati, dum facile, ut affinia sunt Sanctorum nomina, reliquiæ confunduntur, et nos sæpe notavimus, et eruditis in confesso est.*

6 *Quod*

A *adferuntur Traditiones*

6 *Quod ad caput spectat, si illud integrum loculo marmoreo inclusum habent Veneti, fateantur Ravennates necesse est, se hactenus in errore fuisse, nisi velint bicipitem nobis* Jonam *facere. Lis, ni fallor, amice inter eos componi posset, utrisque partem capitis, quæ caput, ut passim in similibus solitum est, vocata sit, relinquendo. Certe unde vel partem obtinuerint Ravennates, unde costam Cassinenses, expressum non invenio. Ex Majorum meorum schedis disco, a Beatillo cum Vita S. Prisci, de qua ad diem* IX *Maji pag.* 360, *submissam fuisse relationem de translatione* S. Jonæ, *de qua in Prætermissis ad* XIX *Aprilis: sed instrumentum a Vita S. Prisci avulsum frustra quæsivi. Astæus laudatus schedas Antonii Caraccioli assignat, illæ quo fundamento nitantur, pariter ignoro. Tumulo* Jonæ, *ejusque venerandis exuviis etiam Turci gloriantur, et gemino quidem loco. Cornelius de Bruyn in Itinere Orientali cap.* 61, *postquam narravit, quomodo Nazaretho pervenisset Ramam, ita loquitur Flandrice :* Cum inde *(Rama)* paullum progressi essemus, ostensa mihi sunt in rupe expressa signa quæpiam vestigiorum Jonæ prophetæ.

Orientalium de Jonæ

7 Post hæc a sinistris in conspectu est vicus Misdesh, ubi caverna est, in qua, ut ferunt indigenæ,
B tumulatus est Propheta ille. Cavernæ Turci superædificarunt fanum, quod ibi quiescat Propheta, quem peculiari veneratione colunt. Atque ea tanta est, ut non patiantur, quempiam Christianorum eo accedere. *Locum illum vocat Franciscus Quaresmius tom* 2 *Elucidationis Terræ Sanctæ lib.* 7 *cap.* I *pag.* 855 Michieth, *dicitque Nazaretho in Aquilonem distare quatuor milliaribus. Porro ita narrat.* Michieth creditur patria Jonæ, ubi sepulchrum ejus esse fertur. Ibi enim ostenditur non inelegans Turcarum Mesquita, intra quam sacellum est clausum, in quo corpus S. Jonæ sepultum esse perhibetur. Desuper per foramen lampadem demittunt Turcæ ad honorem Prophetæ, et in latere per aliud inspicitur. Permittunt illi Christianis in Mesquitam ingredi, solutis tamen de pedibus calceamentis, et quæ diximus, videre, ut fide digni, qui ibi fuerunt et viderunt, narraverunt mihi.

sepulcro in Geth Opher

8 *De eo fere solo, ut vides lector, conveniunt hi duo scriptores, quod Turci locum illum pro tu-*
C *mulo* S. Jonæ *habeant et colant. Credo, circa reliqua posteriori potius habendam fidem, qui pluribus annis in Palæstina versatus, curiosius cuncta exquirere potuit. S. Hieronymus ad Chromatium in Præfatione ad Commentarium in* Jonam, *hæc habet, quæ huc pertinent :* Porro Geth in secundo Saphorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsaræa, euntibus Tyberiadem, haud grandis est viculus, ubi et sepulchrum ejus (Jonæ) ostenditur. Quamquam alii juxta Diospolim, id est Liddam, cum et natum et conditum velint, non intelligentes hoc, quod additur, Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim sive Diospolim, hodie quoque monstrantur. *Idem itaque locus est, quem Hieronymus et alii assignant, vocaturque ab Adrichomio* Getheser, *et* Getacopher, *alias* Geth, *quæ est in* Opher, *sive* Ofer.

antiquæ et probabiles.

9 *Distat Geth-Opher* 2 *fere milliari tum a Rama vico, tum Diocæsarea seu Saphuria, cujus rudera haud longe absunt a monte Tabor, ut nos docet mappa geographica Monumentis Missionum Orientalium inserta. Observat autem Quaresmius laudatus, Geth esse terram seu districtum, in qua est Michieth, quasi* Vicus Geth, *corrupto non nihil nomine. Calmetus cum Bailleto et aliis Præfatione in Jonam, opinatur, Geth-Opher Jotapatam esse, in Historia famosissimam. Verum illud mihi apparet omnino improbabile, et S. Hieronymi testimonio prorsus contrarium; Sephoris enim, seu Diocæsarea, secundum mappas geographicas tum antiquas, tum recentiores, octo et ultra milliaribus Jotapata distat, quæ civitas etiam non est in via Sephori Tiberiadem euntibus, sed quarto milliari in Septentrionem Tiberiade, et æquali fere cum illa spatio Sephori dissita. Atque hæc secundum eam opinionem dicta sunto, in qua laudati scriptores esse videntur, quæque videtur mihi valde verosimilis, quod eo loco natus Propheta sit, ubi sepultus creditur.*

ANTE ÆRAM J. C.

Baronii error.

10 *Ex his aliisque, quæ sequuntur, corrigendum est Romanum Martyrologium, quod post Chronicum Paschale* Jonam *nuntiat* in terra Saar : *hæc enim ubi sit, imo umquam fuerit, non est facile dictu. Certe illam nuspiam in mappis aut Lexicis geographicis reperio. Affinia illi nomina sunt* Saara, Saron, Sarim *et similia : at Geth-Opher in eorum territorio non est situm. Igitur vel locum diversum a sepultura* S. Jonæ *assignat Baronius, vel male illum locat* in terra Saar. *Geth vicus* E
alius, de quo S. Hieronymus supra laudatus, erat in confiniis Liddæ et Eleutheropolis, Saara *item oppidum* in finibus Eleutheropoleos contra Septentrionem euntibus Nicopolim, *inquit Hieronymus. Potuerunt vicina esse duo illa oppida, et unum forte alterius districtu contineri : at sic certe apertis Hieronymi monitis refragatur Baronius : Eleutheropolis enim, Diospolis et Nicopolis civitates, quas interjacet Saara, remotissimæ sunt a tribu Zabulon, ubi* S. Jonæ *ortus et sepultura locanda sunt. Saara enim (alii legere malunt* Zarea) *primum tribui Judæ Josue cap.* 15 ℣ 33, *deinde Danitis cessit ibid. cap.* 19 ℣ 41. *(Vide inferius pag.* 894 *addenda ad hunc locum.)*

Alia S. Jonæ sepultura a Turcis ostenditur.

11 *Quaresmius, jam sæpe laudatus, alium insuper locum assignat, qui pro sepultura* S. Jonæ *prophetæ habetur.* Nestoriani sive Chaldæi *(inquit loco supra citato)* docent, corpus Jonæ esse in Chaldæa in nova Ninive civitate, quæ Arabice dicitur MEDINETH EL MUSOL, quæ distat a veteri Ninive, nunc destructa, circa decim milliaria. Locus, ubi dicitur esse corpus Prophetæ, est ultra flumen civitatis, circa dimidium milliaris. Chaldaice NEBI JONAM, Arabice NEBI JUNES, id est Pro- F
pheta Jonas appellatur. Locum hunc tenent et venerantur Turcæ, qui, ut eumdem visitent Christiani, permittunt. *Nova Nivine passim* Musol *appellatur et* Mussal, *adjacetque Tigri fluvio. Cornelius a Lapide in cap.* 3 Jonæ ℣ 3 *ait, se ex R. P. Joanne Antonio Marietti, paria fere de* Jonæ *ibidem sepulchro accepisse, illudque summo Christianorum confluentium concursu visitari; tumbam vero, seu loculum, tam longum et latum esse, ut oporteat* Jonam *pene gigantem fuisse, si, quod Turci indigenæ narrant, totum illud spatium ejus implent exuviæ.*

in Musol, ubi non videtur

12 *Paulo aliter hæc narrat Tavernerus, qui locum lustravit : ait enim, nulli Christiano fas esse eo accedere, nisi clam ex speciali favore, et pretio prius soluto. Adivisse se locum cum duobus patribus Capucinis, sed noctu, et exutis prius de more calceis. In medio mosquitæ, inquit, colli impositæ et satis elegantis, visitur sepulchrum tectum pretioso tapete Persico, quod a quatuor angulis cingunt candelabra ingentia Ænea quatuor, cum cereis, circumque lampades plurimæ ovaque struthionum, quæ pendent ex tabulato. Ceterum summam esse incolarum erga tumulum venerationem,* tum

AUCTORE J. C.

tum ipse, tum alii testantur : at unde et quomodo eo pervenerint sancti Prophetæ reliquiæ, non edicunt. Credibilius est, Jonam *in Palæstina obiisse. Verum id negant Orientales illi, utque suam urbem Musol eamdem cum Ninive, seu quæ ex illius ruderibus exsurrexerit, statuunt, facile etiam fabulari possunt, Prophetæ tumulum inter miserrimum urbis excidium illæsum stetisse, hodieque perdurasse.*

nisi mausoleum illi erectum. Sancti apparitio,

13 *Malim ego, quam tot somniis et nugis fidem habere, suspicari cum Cornelio a Lapide, celeberrimum quondam apud Ninivitas* Jonæ *nomen ab his ad posteros pertransisse, atque eo titulo Prophetæ a quopiam mausoleum erectum fuisse, quod postea ejus sepulcrum creditum, vel corradendæ pecuniæ causa confictum fuerit. Apparitionem aliquam* S. Jonæ *ita narrat S. Gregorius lib.* 4 *Dialog. cap.* 34 : Quidam noster Religiosus vir vita valde laudabilis, cum ante hoc quadriennium moreretur... in hora exitus sui Jonam prophetam, Ezechielem quoque et Danielem cœpit aspicere, eosque dominos suos ex nomine clamare, quos dum ad se venisse diceret, et depressis luminibus B eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est. *Aliqui apud laudandum sæpe Cornelium a Lapide in cap.* 2 *Jonæ* ℣ XI *conjectant, Prophetam, qui peculiari modo Christi sepulti et resurgentis typus fuit, cum Christo etiam resurrexisse, testem gloriosæ resurrectionis ejus, atque deinde cum illo ad cælos assumptum esse cum anima et corpore.*

elogium apud Græcos.

14 *At quo loco sint habendæ similes conjecturæ, norunt critici. Profecto id si verum est, perperam laudatæ superius ecclesiæ de sanctis* Jonæ *exuviis glorientur. Porro antequam ad Sancti gesta propius accedimus, juverit hic adjunxisse elogium, quo celebratur sanctus Propheta in Menologio Basiliano ad diem* XXII *Septembris.* Jonas magnus et gloriosus propheta ex regione Judæorum fuit, jussusque a Deo in urbem Niniven abire et prædicare, fore, ut post triduum Ninive subverteretur, cum bene nosset Deum, qua est in homines clementia, veniam daturum Ninivitis, si pœnitentiam agerent, recusato divino mandato, navigium conscendit, fugam meditans. Sed mare divina voluntate sic efferatum est, ut eum devorare voluerit. Quamobrem nautæ per sortes explorantes, illius causa in tanto se versari salutis descrimine, C arreptum præcipitem in mare deturbant. Et fluctus quidem maris statim detumuere; Jonam vero cetus devoravit, tertio autem post die in terram illæsum exposuit.

Aliquæ ejus prophetiæ perierunt,

15 Tunc igitur profectus Niniven, præceptum Dei implevit. Mox in regionem suam regressus, abducta matre, alienam terram petiit, cum eum puderet in patria sua versari, quod vaticinium suum falsum fuisset; nam Deus pœnitentium Nivitarum misertus est. Cumque multa alia prophetasset, decessit. *Hæc fere omnia ex Pseudo-Dorotheo, Pseudo-Epiphanio et Hebræorum fabulis desumpta sunt. Non omnes* Jonæ *prophetias scriptas fuisse, vel si scriptæ fuerint, periisse aliquas, manifestum fit ex libro quarto Regum, ubi capite* 14 ℣ 25 *dicitur :* Ipse *(Jeroboam)* restituit terminos Israël ab introitu Emath non procul a Damasco, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per servum suum Jonam, filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Hopher. *Inter illa multa alia, quæ prophetasse dicitur in elogio Basiliano, numerant aliqui, quæ in Chronico Paschali post supposititios Epiphanii et Dorothei* D *fœtus ita leguntur.*

aliæ illi falso adscribuntur.

16 Et dedit prodigium (Jonas) super Hierusalem et totam terram : cum viderint lapidem clamantem lamentabiliter, instat finis et cum viderint in Hierusalem omnes gentes, tunc civitas delebitur. *Quæ de Christo, qui lapis angularis est, flente super Jerusalem recte exponuntur quidem, sed post Hierosolymitanum excidium conficta, vel certe ex lutoso fonte profecta, nullam fidem apud eruditos obtinent. Porro ex loco, quem adduxi ex libro* 4 *Regum, constat,* Jonam *natum esse in Geth-Opher, de quo supra num.* 9; *dubitari enim non potest, quin idem is ipse sit, qui et missus est ad Ninivitas. Persuadet hoc nomen patris Amathi, quod ubique idem est, antiquissimaque apud Josephum lib.* 9 *Antiq. Judaic. cap.* XI *inter Hebræos traditio, cui suffragatur unanimis omnium fere sanctorum Patrum consensus. Obstrepunt Rabbini aliqui apud S. Isidorum in* Jona, *qui tradunt,* Jonam *nostrum esse filium viduæ, quem a mortuis Elias suscitavit.*

Hebræorum et nonnullorum aliorum de parentibus

17 *Addunt alii, eum fuisse filium Abdiæ prophetæ, quem arbitrantur fuisse maritum viduæ Sareptanæ. Refragatur etiam pseudo-Epiphanius, pseudo-Dorotheus, Chronicum Paschale,* E *Rupertus, aliique illos secuti, afferentesque,* Jonam *ortum fuisse in* Cariathmaus juxta Azotum. *Verum eorum auctoritas jam abunde ex sacris Litteris sanctoque Hieronymo elevata est. Assertum quoque Hebræorum, etsi ex eo satis corruat, quod nullis testimoniis nitatur, inde etiam convellitur, quod sic fere anni centum ætatis tribuendi sint* Jonæ, *cum prospera Jeroboamo vaticinatus est, atque illis adjiciendi sint præterea aliquot, antequam Ninivitas ad pœnitentiam sua prædicatione converterit. Primis ferme Achabi annis, puta sexto vel septimo, ut sacræ Historiæ ordo docet, filium mulieris Sareptanæ resuscitavit Elias, inde autem ad usque initia Jeroboami fluunt anni* 91, *quibus si deinde addas* 20, *statues plus quam centenarium* Jonam *missum in Niniven, quod ex solis Rabbinorum somniis nemo facile admittet.*

Sancti conjecturæ improbabiles.

18 *Paulo minus ex hac parte fatiscunt conjecturæ aliæ Hebræorum, in Seder Olam asserentium,* Jonam *fuisse adolescentem missum ab Eliseo, ut ungeret Jehu in regem* 4 *Reg.* 9 ℣ I *quique laudavit Jehu ob excisam domum Achab ibid.* 10 ℣ 30; *sed nec ipsæ solidis fundamentis nixæ sunt. Eodem* F *recidit opinio quorumdam antiquorum Patrum, suspicantium, quod* Jonas *filius sit mulieris Sunamitidis, quem primum sterili matri in hospitalitatis præmium precibus obtinuit Eliseus* 4 *Reg.* 4 ℣ 16, *ac deinde mortuum revocavit ad vitam ibid.* ℣ 34 *et seqq. Hæc, inquam, opinio meris conjecturis nixa, eodem recidit, præterquam, quod illi hoc etiam contrarium accidat, quod provectæ admodum ætatis statui debeat prædicasse Ninivitis, et sic pater ejus Gethæus non fuerit Amathi, sed Abdias natus in urbe Sunam, ut iidem conjectant.*

§ II. Refelluntur opiniones aliquæ de tempore prædicationis Jonæ. Ejus historiæ pars.

Bailletus sine fundamento

U*t annus nativitatis* S. Jonæ *determinari certo nequit, ita nec tempus, quo primum cœpit vaticinari*

A *vaticinari. Bailletus in Historia vitæ* S. Jonæ *num.* I *affirmat*, Jonam *ante Osee ceterosque omnes prophetas tum Majores, tum Minores vaticinia edidisse, idque probat ex eo, quod Jeroboamo II regi Israël prædixerit victorias de Syris referendas. Jeroboam vero, inquit, regnavit ante Oziam regem Juda, sub quo aliorum prophetarum figuntur exordia. Sed non subsistit hoc ratiocinium contra sanctorum pene omnium Patrum interpretumque non levibus argumentis stabilitam sententiam, nisi evincat Bailletus*, Jonam *prædixisse Jeroboamo felices bellorum successus, antequam vel is rex esset, vel certe antequam Ozias seu Azarias regnaret in Juda.* Anno quinto decimo Amasiæ filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas, regis Israël, in Samaria quadraginta et uno anno 4 *Reg.* 14 ℣ 23. *Ibidem vero* ℣ 17, Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas, filius Joachaz regis Israël, quindecim annis.

omnium Prophetarum primum

20 *Ex quibus sequitur, Jeroboamum regnasse cum Azaria Amasiæ filio et successore residuis annis* 26, *nam quod dicitur* 4 *Reg.* 15 ℣ I, anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israël regnavit
B Azarias filius Amasiæ regis Juda, *explicandum est de duodecim aliis annis, quibus Jeroboam cum patre Joa regnum administravit. Atque hoc evidens fit ex computu annorum Amasiæ. De illo enim* 4 *Reg.* 14 ℣ 1 *et* 2 *dicitur* : In anno secundo Joas filii Joachaz regis Israël, regnavit Amasias filius Joas regis Juda..... viginti autem et novem annis regnavit in Jerusalem. *Si anno* 15 *Amasiæ post patris obitum Jeroboam regnum obtinuit, residui sunt solum anni* 15 *incompleti, quot post initia regni Jeroboam supervixit Amasias, atque adeo illi filius Ozias successit anno* 15 *Jeroboam, non vero* 27, *nisi duodecim annos adnumeres, quos in regni consortio cum patre transegit. Reliquos autem* 26 *annos regnavit in Israël, sceptrum Juda gerente Azaria, seu Ozia, filio Amasiæ.*

ordine temporis statuit.

21 *Jam vero, cum incertum sit, quoto regni anno Jeroboamus terminos Israël Damascum usque extenderit, quotque ante annis* Jonas *id futurum prædixerit, incertum etiam est, an ante Oziæ tempora prophetarit* Jonas. *Recentiores quidem aliqui cum Bailleto figunt initium vaticiniorum* Jonæ *primis Jeroboami annis, at nullis argumentis suam opinionem stabiliunt, atque adeo nihil inde fatiscenti ratiocinio Bailleti subsidii accedit. Malim*
C *profecto ego sanctorum Patrum, aliorumque antiquorum sententia stare, quam ex imbellibus conjecturis, nullaque vel apparenti ratione, Prophetarum ordinem invertere, et* Jonam *Osee præponere. Malim credere, Prophetam ante Oziæ tempora non prædixisse Jeroboamo regi Israël victorias de Syris. Scio ab aliter sentientibus reponi posse,* Jonam *inter Prophetas locum obtinere, secundum eam tantum prophetiam, quæ est de missione in Niniven. Verum ut est rursus fundamento destituta opinio, ita nihil valet hoc pro illa effugium, manetque non stabile Bailleti ratiocinium.*

Perperam etiam adstruit, Sanctum seculo integro prophetasse,

22 *Insolens magis est, quod idem adstruit sub finem num.* I *et sequentis initio. Hic asserit, plusquam* 50 *annos fluxisse inter prima* Jonæ *vaticinia ejusque missionem in Niniven; ibi spondet, ostensurum se,* Jonam *seculo integro prophetasse. Posterioris asserti probationem nullam uspiam nec probationis apud illum umbram invenio, at contra sui oblitus in Tabula chronologica vaticinia* Jonæ *annorum* 54 *terminis circumscribit. At ne vel tot quidem illi necessario tribuendi sunt, quod ostendo. Quam sint variæ de successione et tempore regum Assyriorum sententiæ seu conjecturæ potius, ut in rebus obscuris solet, norunt eruditi. Tres non sunt ignobiles, quarum nulla cogit periodum prophetiarum* Jonæ *ultra triginta annos extendere. Prima Tirini est et plurimorum interpretum, qui Oziæ anno* 9, *adeoque* 24 *Jeroboami regis Israël, divisionem regni Assyriorum per Arbacem Medorum et Phul-Bel-Ochum Babyloniæ præfectos illigant.*

AUCTORE J. C.

nihil enim vetat

23 *Ninivitarum pœnitentiam sub Sardanapalo omnium hominum mollissimo effeminatissimoque rege Assyriorum statuunt contigisse. Illi novemdecim annos regni assignant, atque adeo is in illorum chronotaxi, quinto tantum anno post Jeroboami initia sceptrum Assyriæ obtinuit. Igitur, quo anno Sardanapali libuerit, fige prædicationem* Jonæ, *neque triginta, imo viginti annorum periodum vix excedes : ab initio scilicet regni Jeroboam, usque ad Sardanapali pœnitentiam, cum is tribus fere annis obsessus fuerit in Ninive, quo certe tempore eo non est ingressus* Jonas. *Alii cum eruditissimo Plumyoen decano ecclesiæ cath. Iprensis in Diss. de reg. Babyl. pag.* 200 *autumant, Ctesiam, Clitarchum, ceterosque fere omnes historicos, quæ de Assyriis agunt, perperam duos Sardanapalos confudisse, quos Calisthenes apud Suidam debite distinguit. Illi itaque Sardanapalum I, etiam Phulem appellatum credunt, eumdemque* E
Anchialis et Tarsi Ciliciæ urbium conditorem seu restauratorem potius, ex Diodori lib. 2 *Athenæi lib.* 12, *Strabonis lib.* 14 *et aliis scriptoribus faciunt.*

prophetias ejus

24 *Hunc denique credunt ab Arbace et Belesi parte quidem regni mulctatum fuisse, sed* Jonæ *prædicatione excitum ex voluptatibus, desidiam excussisse, moxque, cum concessisset rebellibus Babyloniis et Medis quasdam immunitates, Mesopotamiam, Armeniam, Aliasque cis Euphratem regiones sub jugum, quod excusserant, redegisse. Secundum illi Sardanapalum Assaradonis per Anacyndaraxim nepotem, annis fere* 150 *primo posteriorem faciunt, et Tonosconcolerotem vocitant; atque illi demum attribuunt, quidquid de Sardanapali luxu et inaudita mollitie, quidquid de Ninives destructione, et ingloria regis inter concubinas morte, tradiderunt historici. Hæc opinio solis nititur Calisthenis verbis : forte tutius cum Harduino candide fateremur, reges Assyrios præter Phulem, de quo* 4 *Reg.* 15, *et* 1 *Paralip. cap.* 3, *per longam annorum seriem ignotos, vel certe valde dubios esse.*

periodo

25 *Hunc autem Phulem, seu Sardanapalum eumdem esse qui Ninive regnarit, cum ibidem prædicavit* Jonas, *ex conjectura (neque enim institutum meum postulat operosius ea rimari) facile concessero : potuit enim is pluribus annis regnasse in* F
Ninive, antequam cum exercitu venerit in Samariam, illique tributum penderit Manahem, qui anno quadragesimo nono Azariæ regis mortuus est. His si addas 15, *quibus ante Azariam solus regnavit Jeroboam, summam invenies annorum* 64. *At neque Manahem postremis regni sui annis suppetias a rege Assyrio petiit, sed potius primis, imo verisimiliter secundo, cum scilicet antecedenti, occiso Sellum, omni conatu frustra sibi sceptrum, quod usurparat, stabilire contendisset. Atque jam tum Phul pluribus ante annis regnare apud Assyrios potuit. Illi certe* 48 *annos tribuit Tirinus, et horum priorum aliquo nil vetat* Jonam *venisse in Niniven, atque adeo nihil cogit iterum primam ejus prophetiam ab prædicatione in Ninive plus quam triginta annorum intervallo sejungere. Hujus quidem primi Sardanapali, seu Phulis, patroni initia Jeroboami figunt anno* 825 *ante vulgarem æram, illique credunt fausta fuisse vaticinatum* Jonam,

20 *regni*

AUCTORE J. C.

20 regni anno; missionem vero Niniviticam locant anno circiter ante vulgarem æram 778: *Itaque secundum hos* Jonæ *prophetiæ annorum* 27 *periodo includuntur.*

triginta annorum

26 *Sed nihil suadet, fateor, usque ad* 20 *Jeroboami annum primam* Jonæ *prophetiam differre; at, neque suadet aliquid prædicationem in Ninive retrahere usque ad annum ante æram vulgarem* 778, *quæ non male ab aliis rursus anno* 810, *adeoque* 32 *annis maturius figitur. Jacobus Usserius denique, quem secuti videntur Bailletus et Calmetus hic, ita in Annalibus chronotaxim ordinat, ut cum præcedentibus credat,* Jonam *primum prophetasse anno mundi* 3197, *qui Jeroboami* 20 *erat, ante æram vulgarem* 808. *Porro Usserius Phulem Assyriorum regem suspicatur fuisse Sardanapali patrem, quem Julius Africanus Acracarnem, Eusebius Ocrosapem, Stephanus Cyndaraxem, Strabo, Arrianus et Suidas Anacyndaraxem, Athenæus lib.* 12 *Dipnos. Anabaxarem nominent. Illius irruptionem in terram Israël figit anno mundi* 3233, *ante Christum* 771; *initia vero Jeroboami* 3179, *qui ante Christum est* 825. *Igitur intervallum est annorum* 54. *Deinde idem chronographus Jeroboami mortem illigat anno* B *mundi* 3220, *ante vulgarem æram* 784, *creditque, jam tum in Assyria regnasse Phulem, et ante Jeroboami obitum ibidem prædicasse* Jonam. *Annum propius non definit.*

innectere.

27 *Stante hac chronotaxi, prophetiæ* Jonæ *triginta iterum annorum spatio illigari possunt, si nempe statuas, medio circiter Jeroboami regno, Assyriæ sceptro potitum Phulem, pauloque post deliciis voluptatibusque domesticis indormientem, a* Jona *excitatum fuisse. Senset quidem Calmetus ad cap.* 3 ℣ 4 *cum Usserio,* Jonam *prædixisse Jeroboami victoriam de Syris, vivente adhuc ejus patre Joa: at vel sic, modo statuas, Prophetam anno circiter* 25 *Jeroboami Ninivitis prædicasse, triginta annorum periodum non excedes. Deinde nulla est ratio, cur prædictiones Jeroboamo factæ, vel uno anno ante eorum successum statuantur; proinde in Usserii chronologia figi non debent diu ante expugnatam Damascum, quæ expeditio ab eodem refertur quidem ad annum mundi* 3179, *sed vage inclusa eo spatio, quod usque ad annum* 3194, *sive usque ad mortem Amasiæ fluxit. Atque hoc ipsum valde incertum est: namque nihil suadet, Jeroboamum quindecim primis regni annis potius, quam aliquot posterioribus gravissimum contra Syros bellum gessisse, adeoque* Jonam *ante Azariæ seu Oziæ tempora prophetasse.*

C

Monitus Jonas de prædicando Nives excidio, fugit.

28 *Ruit igitur Bailleti ratiocinium et insolens assertum, Prophetam per integrum seculum prædicasse. Nunc* S. Jonæ *gesta historica ex sacris Litteris delibemus.* Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge et vade in Niniven civitatem grandem et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me; *inquit sacer textus* ℣ 1 *et* 2. *Sub mollissimo scilicet et spurcissimis voluptatibus immerso rege, raro populus licentissime libidini non laxat habenas. Difficile dictu est, quare hoc Dei mandatum ita* Jonam *perculerit, ut veluti mentis impos, divinæque obnitens voluntati, ejus oculos veluti effugere voluerit.* Surrexit *(enim)* Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini et descendit in Joppen. *Fugæ suæ causam obscure ipse Propheta innuit cap.* 4 ℣ 2. Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis et ignoscens super malitia.

29 *Plerique interpretes hæc ita exponunt, ac si prævidisset* Jonas, *convertendos ad suam prædi-* D *cationem Ninivitas, indeque falsi prophetæ nomen et ignominiam timuisset. Et hunc sensum utcumque verba ferunt; vix credo tamen, usque adeo proprii nominis amantem fuisse Prophetam, ut cum tantillo sui dispendio, Dei noluerit præceptis obsequi, maxime cum prodigiosus prophetiæ comminatoriæ eventus, tam subita perditissimæ civitatis pœnitentia, quam solam, ut suspendendæ divinæ ultionis causam metuere potuisset, suam abunde cælitus missionem populis probare debuisset. Alii credunt, insolentia et difficultate rei absterritum* Jonam *divina mandata declinare voluisse. S. Hieronymus hic et Naziansenus in Apologia censent, causam fugæ Prophetæ fuisse nimiam pietatem in gentem suam, ne ea periret.* Eo quod *(inquit S. Hieronymus)* pœnitentia gentium ruina sit Judæorum, idcirco amator patriæ suæ, non tam saluti invidet Ninivæ, quam non vult perire populum suum.

Fugæ causa expenditur.

30 *Nonne etiam forte prænoverat imminentia genti suæ ab Assyriis mala, et perverso patriæ amore præoptabat imminens jamque divinitus intentatum hostibus gentis suæ excidium, quod sua illa prædicatione erat aversurus? Certe hanc expositionem non ægre patiuntur* Jonæ *verba ex cap.* 4 E ℣ 2 *allegata. Ut ut est, negari non potest, Prophetam humanitus hic aliquid passum esse, atque vel in eo maxime, quod delirantis instar, Dei, quem ignorare non poterat ubique præsentem, mandata saltem fugere voluerit. Erat Joppe celeberrimus jam a Salomonis tempore* 2 *Paralip.* 2 *portus Judæorum, in ora maris Mediterranei; hodiedum* Jaffa *et* Japha *vocatur, atque eo appellunt, qui Hierosolymam, vigesimo ferme milliari inde dissitam, peregrinantur. Tarsis autem sive Tharsus metropolis Ciliciæ, cujus populi quondam late mari dominati sunt, a quo Cilicum dominio ipsum mare Mediterraneum Tharsim vocatum fuisse, ostendit Cornelius a Lapide.*

Navigans Tharsum Ciliciæ, vectoribus adfert naufragii periculum:

31 *Ibidem etiam monet, S. Hieronymum ita hic Tharsim exponere, ac si* Jonas *timidus et fugitivus, non de Cilicia, vel alio certo loco, quo se reciperet, cogitasset, sed tremebundus mare et fugam sola respexisset. Cornelio tamen ceterisque passim interpretibus præplacet naturalis vocis Tharsis significatio, atque illam non obscure exigunt sequentia:* Et invenit navim euntem in Tharsis. Et dedit naulum ejus, et descendit in eam, ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. *Ubi Tharsus Ciliciæ tamquam navigationis terminus, non vero mare tantum designari videas. Vix inde vela solverant,* Dominus autem misit ventum magnum in mare et F facta est tempestas magna in mari et navis periclitabatur conteri..... et dixit vir ad collegam suum: Venite et mittamus sortes et sciamus, quare hoc malum sit nobis.

32 *Quamquam adhuc hodie, quod de infidelibus lib.* 3 *epist.* 5 *summo cum animi dolore conquestus est S. Franciscus Xaverius, sciamus nautas etiam Christianos et Catholicos sortilegiis et vanis observantiis esse perverse deditos, totus tamen contextus sacer abunde innuit, prodigii aliquid in oborta hic tempestate intervenisse: neque enim apparet credibile, viros ceteroqui satis religiosos, ut sequentia docent, quarumcumque naturali via et modo obvenientium in mari tempestatum causas in vectores conjecisse, et sortibus explorasse. Quidquid sit, de quo plura fabulantur Judæi, sortilegium ad providentiæ et potentiæ suæ ostentationem direxit Deus: quippe:* Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam: Et dixerunt ad eum: Indica nobis, cujus causa malum

A malum istud sit nobis. *Narravit autem illis* Jonas *totius rei seriem et suum fugiendi propositum.* Et timuerunt viri timore magno, *vindictam nimirum divinam, quam* Jonæ *sibique propter ejus causam videbant imminere.*

in mare

33 *Nec audebant tamen cultorem et Prophetam veri Dei a se expellere, veriti, ne vel sic pœnas injustæ crudelitatis penderent. Quem igitur jam Prophetam norant, interrogant:* Quid faciemus tibi, *ut et nos præsentissimo naufragii periculo liberemur, et tibi non sit male?* Tuum est *(inquit illorum ore S. Hieronymus)* imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo furore testatur. *Revelata procul dubio jam erant pœnitenti Prophetæ divinæ providentiæ circa se consilia;* Et dixit ad eos tollite me et mittite in mare, *quod certe suadere non licebat sine divino instinctu, quem, cum non nossent nautæ, cum summo sui discrimine maris furori quavis via obniti maluerunt, quam Prophetam Dei maris et aridæ, etiam volentem divinæque iræ causam in se rejicientem, fluctibus mergere. Quapropter* Remigabant viri, ut reverterentur ad aridam, Jonam *exposituri incolumem.* Et non valebant, quia mare ibat et intumescebat super eos.

B

ejicitur. Hebræorum circa hæc conjecturæ

34 *Tandem omnibus in cassum adhibitis subsidiis, ut Prophetam servarent salvum et se periculo eximerent, suamque hanc coram Deo testati voluntatem.* tulerunt Jonam et miserunt in mare. *Rabbi Eleazarus, qui, teste Tirino et Aria circa Christi ætatem divinos libros interpretatus est, prodigiis, quibus* Jonæ *historia referta est, aliud ex traditione addit, nisi id ipse forte ex verisimilitudine fabricarit. Ait autem, nautas* Jonam *funibus alligatum in mare sæpius collo tenus immersisse, rursumque in navim eduxisse, experturos, num ejus causa tantum naufragii periculum adirent; quoties autem demitteretur* Jonas, *mare detumuisse, atque iterum, quoties in navim attolleretur, insolentius infremuisse; eoque signo certiores factos divinæ voluntatis, tandem penitus solutum funibus mari permisisse. A narratione illa admittenda non alienum se præbet laudatus sæpe Cornelius a Lapide: at aliis, quibus etiam comperta est Rabbinorum fabulandi licentia, verisimilis quidem apparet ex nautarum erga Prophetam in sacris Litteris testata solicitudine, sed illa tantum verisimilitudine, quæ meram conjecturam pariat.*

C

incertæ, Deglutitur Jonas a pisce,

35 *Ejusmodi furfuris conjecturis annumerari potest traditio Orientalium, apud Eugenium Rogerium asserentium, Prophetam in fluctus deturbatum fuisse, duobus milliaribus ab Antipatride in Meridiem; ut ut enim contextus suadeat, non longius a littore abfuisse nautas, cum prodigiosa tempestas illis incubuit, non facile tamen determinatum hunc locum persuaderi sibi ab Orientalibus prudentes patientur. Projecto* Jona, stetit mare a fervore suo, et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. *Pro pisce grandi vertunt* LXX Cetum, *atque ita etiam S. Matth. cap.* 12 ℣ 40*:* Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti *etc. Pluribus hic disputant interpretes, cujus speciei is piscis fuerit, genericum enim illis est ceti nomen. Negari non potest ceti nomen balænis quasi antonomastice tribui, licet aliis majoris molis et magnitudinis piscibus nonnumquam etiam conveniat: qui igitur prudenter judicaverit, potius credet balænam, cui magis proprie et duplici ex capite id nomen convenit, quam alium quemvis piscem fuisse.*

auctore J. S. qui [illegible] millius balæna fuit,

36 *At reclamant hypercritici, qui se physicos et naturalistas nominant, contenduntque, balænis arctiores fauces esse, quam ut hominem integrum illæsumque intromittere possint. Quis ad hæc non rideat? Unde didicerunt viri illi, nihil hic inter tot ac tanta miracula prodigii intervenisse, atque ita balænæ guttur recipiendo Prophetæ non fuisse divinitus dilatatum? Deinde tot sunt in contrariam partem pro immensa balænarum tum gutturis, tum ventriculi latitudine testimonia, ut facile credulus haberi non possit, qui his fidem habet. Testimonia illa, neque enim iis enarrandis terere tempus lubet, videri possunt apud Tirinum ad cap.* 40 *Jobi* ℣ 20 *et seqq., et Calmetum in Dissertatione peculiari de hoc pisce, quam Commentariis in Prophetas Minores præfixit pag.* 36 *et seqq. Porro non defuerunt jam a primis Ecclesiæ seculis, qui totam illam vorati atque in ventre ceti per tres dies morati* Jonæ *historiam impio dente arroderent, atque ad aniles fabulas, sopiendis infantibus fabricatas, relegarent.*

et in ejus ventre prodigiose servatur incolumis.

37 *Testatur id S. Augustinus epist* 102 *in Quæst.* 6 *de* Jona. *Hos secuti sunt nonnulli nostri temporis increduli, qui quæcumque pro summa, quam habent de se opinione, intellectu non capiunt, rejiciunt, atque ita in sanctos Patres et Deum ipsum* E *sacrarum Scripturarum primarium auctorem sacrilegum calamum stringere non exhorrent. Multo conatu evincere nituntur illi, illæsum* Jonam *a ceto nec vorari, nec per tres dies in stomacho servari potuisse. Id nos quidem, ut ut non pauci contendant absque miraculo saltem ingenti fieri potuisse, lubenter concedemus, naturali via factum non fuisse; verum respondemus cum S. August. contra Porphyrium loco citato:* Aut omnia divina miracula credenda non sunt, aut hoc cur non credatur, causa nulla est. *Neque enim hoc factum contradictionem, ut scholæ loquuntur, involvit, atque adeo divinæ omnipotentiæ, quæ tres pueros inter flammas fornacis Babylonicæ servavit illæsos, limites non excedit, et eumdem habet, qui ceterorum prodigiorum est, assertorem Deum, fidei nostræ vadem et remuneratorem. Sed diutius his immorari piget.*

§ III. Jonas a pisce in littus ejectus prædicat Ninivitis. Eorum pœnitentia. Prophetæ immitis dolor a Deo reprehensus. F

Propheta a ceto ejicitur in littus

Circa tempus, quo Jonas *in ventre ceti perduravit, alia suboritur inter commentatores quæstio, non majoris fere utilitatis, difficultatis paris et incertitudinis. An scilicet per tres dies et noctes integros in ventre piscis delituerit, an vero instar mortui et sepulti Christi, cujus hic typus fuit, horas tantum circiter triginta quatuor. In postremam opinionem inclinare videtur S. Hieronymus, et id quidem adæquatæ similitudinis ratio exigeret. At negant alii, poni a Christo tantam inter se sepeliendum resurrecturumque et* Jonam *undequaque æqualitatem. Malim, cum res incerta sit, Hieronymo adhærere. Ceterum videtur Propheta aliquo tempore fluctibus immersus jacuisse, antequam a pisce, instante jam mortis periculo, absorptus sit. Id certe innuunt versus* 4 *et* 6 *cantici, quod recitavit* Jonas *ad Dominum de ventre*

AUCTORE J. C.

tre piscis: Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt... Circumdederunt me aquæ usque ad animam. Abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.

non maris Rubri, aut Ponti Euxini,

39 *Hæc de Jona in ventre ceti jam delitescente exponi possunt, simplicius tamen magisque ad mentem S. Hieronymi, primo sensu intelliguntur.* Et dixit Dominus pisci: et evomuit Jonam in aridam. *Rabbini, si uspiam fabulando desipiunt, hic sua produnt deliria. Ea videri possunt apud Calmetum in laudata Dissertatione pag.* 40 *et seq. Iidem asserunt,* Jonam *ejectum fuisse in littus maris Rubri, et sic cetus trium dierum spatio magnam orbis terrarum partem circumnatasset. Josephus lib.* 9 *Antiquitatum cap.* XI *ait, sanctum Prophetam in littus Ponti Euxini evomitum fuisse, atque ita cetus ultra mille milliaria Romana debuit confecisse, quod miraculum sine necessitate adstruitur. Sulpitius Sev. lib.* I *hist. in Jona et Gregorius M. lib.* 6 *Moral cap.* 12 *opinantur, de littore Ninivæ sermonem esse; at vel hic non littora maris, sed Tigris fluminis ripam intelligunt, vel littus Ninives appellant oram Persicam Oceani Orientalis, aut Sinus Persici, vel impingunt in geographiam,* B *ex qua Ninive Tigri imposita a mari erat remotissima.*

sed Syriæ, ubi hodieque rupes ab hoc prodigio

40 *Deinde eadem hos manet difficultas, sic enim piscis, emensis maribus Mediterraneo, Athlantico, Æthiopico, Indico, et Arabico, Tigrim ascendere debuit, quo vix quidpiam apparet minus credibile. A Lapide et alii censent,* Jonam *rejectum fuisse in littus Phœniciæ et Syriæ, haut procul a Joppe, unde solverat, atque inde mox terrestri itinere perrexisse in Judæam et, gratiis Deo Hierosolymis actis, per Mesopotamiam Niniven pervenisse. Eugenius Rogerius lib.* I *cap.* 12 *apud Calmetum scribit, tradere Orientales, redditum* Jonam *ad pedem montis, qui longius mari protenditur, cuique usque hodie nomen montis* Jonæ *adhæsit. Interjacet autem Berytum et Tripolim. Tavernerus Itin. Pers. lib.* 2 *cap.* I *docet, aliam ab Orientalibus rupem, in quam ejectum Prophetam credunt, assignari secundo milliari in Septentrionem ab Alexandretta, juxta oppidum Païassas in ora Ciliciæ.*

cognominata creditur. Ejectus Jonas mittitur

41 *Circa traditiones opinionesque hasce ultimas, quæ verisimilitudinem non excedunt, in tantis tenebris pronuntiari nihil nisi temere videtur posse. Singulis itaque suas conjecturas relinquamus, et historiam ex sacris Litteris resumamus.* Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo dicens: Surge et vade ad Niniven civitatem magnam et prædica in ea prædicationem, quam ego loquar ad te. *Verosimile est,* Jonam *tum temporis in Judæa vel Samaria fuisse, atque inde profectum in Niniven, ut facilius missum inde veri Dei Prophetam Ninivitæ agnoscerent. Porro suo malo edoctus divinæ voluntati parere,* surrexit Jonas et abiit in Niniven juxta verbum Domini: et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum. *De urbis Ninives situ varia, nec fere minus incerta proferuntur. Diodorus Siculus lib.* 2 *cap.* I *illam ad Euphratem collocat: at ceteri omnes antiqui, Ptolomæus, Plinius, et Herodotus asserunt, sitam fuisse ad Tigrim: et ex his rursum alius Niniven ad lævam, alius ad dexteram fluminis illius ripam locat.*

in Niniven maximam civitatem in ripa fluminis Tigris,

42 *Sunt, qui contendant, aliqua usque hodie ejus rudera superesse: at ea ab aliis iterum in oppido Musol, de quo superius num.* XI, *ab aliis sesqui inde milliari, ab aliis denique decem inde milliaribus ostenduntur. Illud certum videtur, Niniven, quæ tot seculis fuerat potentissimorum Assyriæ monarcharum regia, cum eo accessit* Jonas, *numerosissimam civibus et amplitudine stupendam fuisse: numerabantur enim, ipso Divino oraculo cap.* 4 ℣ XI *testante, plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciebant, qui esset* inter dextram et sinistram: *id est, qui usu rationis nondum compotes, discernere non poterant inter bonum et malum. Hinc ex computu, si ad quintam civium partem ea ætas restringatur, numerabat Ninive incolas* 600000. *De hujus urbis magnitudine scribit Diodorus Siculus lib.* 3 *cap.* I, *aitque stadia* 480 *in circuitu, longitudinis* 150, *latitudinis* 90 *habuisse; cum primum a Nino condita seu ampliata fuisset. Hinc Ptolomæus et Strabo apud Tirinum affirmant, eam non solum majorem fuisse Babylone, sed et aliis omnibus urbibus, quæ ante vel post eam conditæ fuerunt.* D

ubi prædicit excidium urbis

43 *Denique ejus amplitudinem satis innuit vox* Magna, *quæ hic illi quasi per excessum tribuitur, et asserta pariter dimensio itineris trium dierum. Erat circuitus ejus* 25 *fere leucarum Gallicarum ex stadiorum computu, proindeque iter unius diei esset leucarum octo. Imo sunt, qui cum Tirino ex comparatione cum aliis magnis urbibus, asserant,* E *Niniven totidem fere milliaria longitudinis diametralis habuisse; quod ego non facile credidero. Etenim ambitus* 25 *leucarum Gallicarum sufficiens est, ut urbs anatomastice* Magna *appelletur, utque intelligi possint, quæcumque de Ninive sacræ Paginæ et profani scriptores tradidere. Quidquid sit,* Et cœpit Jonas introïre in civitatem itinere diei unius: *quod, si ita exponendum est, ut censeatur percurrisse tantum spatii, quantum uno die confici solet, dicendus est, urbem circuire cœpisse, quæ S. Hieronymi opinio est, vel per vicos et mæandros viarumque flexus gyrasse, atque ita tertiam urbis partem concionando obivisse, ut Theophylactus et alii autumant.* Jonas *autem* clamavit et dixit, Adhuc quadraginta dies (dies tres *habent Septuaginta, de quo vide a Lapide hic,)* et Ninive subvertetur.

imminens: at supplicium subita conversione

44 *Pluribus diebus hæc et similia prædicasse Ninivitis Prophetam censent, ut ad singulos cives vocem et minas* Jonæ *credant pervenisse, et sic motiva efficaciora convertendis Ninivitis subministrent. Certe statim subdit sacer textus:* Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, *eorumque rege mandante et exemplo præeunte, stupendam pœnitentiam prosequitur. Tam subitæ conversionis, ne imprudenter Ninivitæ processisse videantur, causas et motiva exquirunt nonnulli Theologi, contendentes, præter internam Dei illuminationem inspirationemque, fuisse signa quædam externa, quæ simul moverint homines ethnicos, ut crederent, hominem extraneum et ignotum, veri Dei Prophetam esse, atque inde tam insolitas ejus minas pertimescerent. Hæc illorum opinio est valde probabilis ex verbis Christi Matthæi* 12 ℣ 38 *et seqq., ubi signum a Christo quærentibus Scribis respondet Salvator:* Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ *etc. et Lucæ* XI ℣ 30: Sicut fuit Jonas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis, generationi isti. F

avertunt Ninivitæ, quibus forte

46 *Ex his enim arguunt, Ninivitis signum datum esse unde moverentur ad credendum,* Jonam *a Deo missum fuisse; prodigiosam scilicet Prophetæ per tres dies in ventre ceti moram, atque hujus prodigii alia adjuncta mirabilia, sicut Judæis dandum erat signum mortis, sepulturæ et resurrectionis Salvatoris. Porro ut hoc circa* Jonam *patratum*

tum in mari miraculum respectu ipsorum signum fuerit, debuit id illis innotuisse fuisseque prudenter credibile. Conjectant igitur, id per Jonam *illis propositum fuisse. At quare hoc potius prodigium, quod et insolitum magis et incredulis ridicula fabula videri poterat, asserente* Jona, *crediderunt, quam imminens urbi suæ, eodem minitante, exitium? Addunt itaque, idem illud jam per nautas sparsum fuisse per totum Orientem. Potuerant sane ex vectoribus, cum quibus Tharsum navigare contendebat* Jonas, *fuisse aliqui vel Ninivitæ vel Assyrii, qui* Jonam *projectum in mare et a ceto vorari spectassent.*

quæ Jonæ in mari contigerant.

45 *Ex his certe narrantibus totam subortæ depulsæque tempestatis historiam accipere Ninivitæ, atque eumdem illum esse, qui prius ob inobedientiam punitus, nunc quasi redivivus, intentatam illis divinitus perniciem prædicaret, intelligere potuerunt. At hæc solum conjecturæ sunt : quis enim neget, mille vias divinæ providentiæ patuisse, quibus summam Prophetæ suo apud istos æstimationem et facilem illorum prudentemque fidem conciliaret? Stupendam tum regis, tum subditorum conversionem pœnitentiamque et Dei circa illos* B *misericordiam versibus sex, quos prætermitto, descriptam habes. Deinde cap. 4, cum jam quadraginta dierum instaret finis, monitus fuit a Deo, sive ex tanta Ninivitarum pœnitentia prævidit Propheta, oraculum suum frustrandum effectu, neque, ut prædixerat, subvertendam civitatem.*

Dolet Propheta, vaticinium

46 Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est, *sive quod mitissimus Deus tam facilis esset in condonandis enormibus criminibus, sive quod immoderato zelo præposteroque gentis suæ amore flagraret, sive denique quod nomini suo timeret,* et oravit ad Dominum et dixit : Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharsis : scio enim, quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis et ignoscens super malitia, *quæ verba postremos duos sensus facile ferunt, ut ostendi num.* 29 *Posthæc in gravissimos indignationis affectus Propheta prorupit, dixitque :* Domine, tolle, quæso, animam meam a me quia melior est mihi mors, quam vita. *Sed sui Prophetæ indiscretum zelum, mire confudit divina boni-* C *tas : quippe egressus civitate* Jonas *ex parte Orientis Ninives, ex foliis umbraculum construxit sibi, spectaturo inde, quid tandem urbi accideret, nihilne suæ indignationi et expostulationibus Dominus concederet, et ex parte saltem vindictam sumeret de patriæ suæ hostibus, a quibus certa illam pernicies manebat.*

suum effectu carere, sed, exsiccato prodigiose,

47 *Adornando umbraculo singulari modo allaboravit divina providentia,* Et præparavit Dominus Deus hederam et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus et protegeret eum (laboraverat enim) *prædicando scilicet, et interno inconsiderato ardore æstuabat. Pro* Hedera, *Hebraice est* Kikaion, *quod Septuaginta, textus Syriacus et Arabicus exponunt, per* Cucurbitam. *Notæ sunt S. Augustini super hac Hieronymi versione querelæ, et hujus ad illum responsiones. Secutus fuerat S. Hieronymus Aquilæ, Symmachi et Theodotionis versionem, et non reperiens propriam Latine vocem, quæ plantam illam, seu virgultum in specie determinateque significaret, genericam illi appellationem adoptavit. Neoterici unanimes fere consentiunt, Hebræum* Kikaion, *Ægyptiis* Kiki, *Latinis* Ricinum *esse, ab hodiernis* Palma Christi *appellatum. Hujus virgulti Calmetus duas assignat species; unam liliis satis similem, alteram ex Dioscoride lib.* I *cap.* 38, *quæ excrescit ad altitudinem minoris fici.*

AUCTORE J. C.

quod ei erat pro umbraculo,

48 *De illa Plinius editionis Delchampii Hist. Natur. lib.* 15 *cap.* 7 : Proximum *(oleum)* fit ex Cici arbore in Egypto copiosa : alii Crotonem, alii Trixim, alii Sesamum Sylvestre appellant : ibique non pridem : et in Hispania repente provenit, altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, semine uvarum gracilium pallidarumque : nostri eam Ricinum vocant a similitudine seminis, *cum Ricino scilicet, quod pediculorum genus canes et oves sugendo excruciat. Virgultum hoc in patriam hanc nostram jam pridem allatum est, crescitque sine magna etiam hortulani cura ad altitudinem sex et amplius non raro pedum. Suo se caule, cavo tamen instar arundinis, crassoque ad tres et quatuor digitos, sustentat : folia habet instar Platani, sed amplissima, et ad duos palmos fere extensa. Denique illi, tum in crescendo celeritas, tum umbra, quam facit, tum caulis vacui infirmitas, hodiernorum, credo, opinionem conciliavit.*

virgulto, ignotæ nobis speciei,

49 *Unum est, quod facit, ne ceteroqui etiam satis incertæ conjecturæ subscribam. Genus virgulti, quod Hebræi* Kikaion *vocant, atque ipse* Hederam *verterat, probe noverat sæpiusque viderat et describit Hieronymus. Sedulo, postquam ex contentiones super sua versione, tum Romæ, tum in Africa exortæ fuissent, examinavit, quæcumque ad illud spectarent; nec tamen Latinum nomen expressit uspiam, nec verosimiliter invenit. Credemusne, illum ignorasse, quid de Ricino Plinius dixisset? Credemusne, nescivisse ceteros omnes, qui translationem ejus carpebant, atque ipsi causanti, quod sermo Latinus hanc speciem arboris non haberet, verum nomen non suggessisse? Non credidero, potiusque fatebor, ignotam nobis esse arbusculam, vel talem certe, quæ tum Latinis ignota fuerit, et forte postea, ut solet, ab iis, qui extranearum plantarum culturæ student, nomen acceperit.*

a Deo

50 *Visa hedera, cui divina manus in crescendo celeritatem addiderat, lætatus est* Jonas, *et densissima ejus umbra contra ardores solis tectus, divinamque erga se providentiam expertus, in placidum somnum incidit. At non tam Prophetæ sui commodis consulebat Deus, quam viam sternebat ad increpandam dedocendamque indiscretam indignationem ejus contra Ninivitas.* Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam et exaruit. *Virgultum, si caule cavo fuit, facile potuit a verme arrodi et dejici, ita ut experrectus* Jonas *hederam eversam vel certe arescentem et, demissis foliis, fatiscentem invenerit.* Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti; et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat : et petivit animæ suæ, ut moreretur et dixit : Melius est mihi mori, quam vivere. *Ad tantam tristitiam, afflictionem et pene desperationem perductum Prophetam interrogat Dominus :* Putasne bene irasceris tu super hedera?

misericordiam erga peccatores docetur.

51 *Ad hæc immoderatius suo victus dolore* Jonas, *dixit :* Bene irascor ego usque ad mortem : *id est : recte, non sine ratione affligor, contristor, ita ut mortem exoptem.* Et dixit Dominus : Tu doles super hederam, *quod excisa sit, neque amplius tibi umbram præbeat,* in qua *(condenda)* non laborasti neque fecisti, ut cresceret. *Tu doles super re tam vili,* quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte *(sequenti scilicet intermedium diem*

AUCTORE J. C.

diem) periit. Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa. *Ita fervidam Prophetæ indolem, atque hinc profectum immodicum zelum, tristitiam, querelas et aliquem veluti furorem Deus compressit, simulque mortalibus specimen dedit summæ erga homines misericordiæ.*

Ad flagitia reversa Ninive postea eversa est.

52 *Ceterum hæc Ninivitarum pœnitentia seria quidem fuit, ut vindictam divinam suspenderit, at non diuturna : unde aliquod annis post a Babyloniis et Medis expugnata est eorum civitas, et iis afflicta malis, quæ victoris exercitus furores sequi solent. Atque ita effectus vaticinii* Jonæ *quodammodo dilatus fuit, juxta id, quod in Vulgata obscure, in Græco autem ita legitur Tobiæ* 14 ỳ 5 : Fili, ecce senui et in eo sum, ut revertar de vita mea; Tolle filios tuos et vade in Mediam, fili; scio enim, quæ locutus est Jonas propheta de Ninive, quoniam subvertetur. *Quo deinde iverit* Jonas, *quidve illi acciderit, silent sacræ Paginæ, varii varia conjectant. Qui historias sacras liberiori modo expositas ampliatasque legere voluerit, adeat S. Ephrem Opera edit. Vossii pag.* 650, *ubi inveniet sermonem in* Jonam, *Sancto illi viro attributum, ornamentis probe fartum, atque inter alia* Jonam *ab rege intra civitatem invitatum, regio ductum comitatu, curruque regio revectum Jerosolymam, atque his similia et ejusdem farinæ plurima, quæ ludentis poëtæ inventa videri potius possint, quam sacri scriptoris narratio. Ego, quod illa hic finem habet, pariter finem facio.* D

DE S. MATTHÆO APOSTOLO ET EVANGELISTA

B IN ÆTHIOPIA E

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria Sancti in Fastis variarum gentium diversis diebus annuntiata : Acta plura aliaque de Sancto monumenta enumerantur.

Sec. 1. Memoria et cultus Sancti apud Latinos ad XXI *Septembris ;*

Quandoquidem *pauca de gestis* S. Matthæi *apostoli et evangelistæ comperta sunt et indubitata, eamque ob causam plura de eo examinanda veniunt, quam simpliciter enarranda; enumerare primum placet vetustiora Martyrologia, quibus Sancti memoria legitur inserta; et mox non modo assignare, sed etiam utcumque ponderare documenta varia, ex qui-* C *bus gesta* S. Matthæi *haurienda sunt. Ecclesia Latina* S. Matthæum *præcipue celebrat die* XXI *Septembris, quo omnibus fere Martyrologiis et Calendariis Latinis memoria ejusdem inserta est. Hac enim die legitur in Martyrologiis Hieronymianis, in Romano Parvo, apud Bedam, Florum, Rabanum, Wandelbertum, Adonem, Usuardum, Notkerum, in Martyrologiis et Calendariis plerisque particularium ecclesiarum, ac demum in Romano Martyrologio et Breviario et in omnibus passim recentioribus. Elogia hic nulla affero, quia suis singula producam locis, ubi expedire videbitur ad prædicationem, mortem, aut alia ad Sanctum spectantia elucidandum. Martyrologiis consonat liber Sacramentorum a Menardo editus, et S. Gregorio attributus, in quo ad hunc diem legitur Missa de* S. Matthæo, *et pridie notatur vigilia, quemadmodum ejusdem vigilia annuntiatur in multis Calendariis et Martyrologiis recentioribus.*

et aliis diebus; translatio memorata ad VI *Maji :*

2 *Celebratur tamen aliis quoque diebus* Matthæus *in aliquot Martyrologiis Latinis. Nam in Hieronymianis etiam legitur ad* I *Maji, rursum ad* VI *Maji, et ad* IX *Octobris. In aliquot etiam codicibus, videlicet in Epternacensi, Corbeiensi, aliisque* S. Matthæi *fit mentio ad* XXI *Maji, ubi apud Florentinium legitur* Mathiæ; *nec potest certo edici, utra lectio sit magis genuina, cum ne sciamus quidem, qua de causa* S. Matthæi *memoria in aliis Fastis toties fuerit repetita. Suspicari possumus, priores corporis translationes, ortasque inde festivitates designari; sed nec de tempore priorum translationum satis constat, nec designari potest ea translatio, qua Sancti corpus acceperunt Salernitani,* F *cum hæc laudatis Martyrologiis longe sit posterior. Attamen Salernitana translatio recentioribus Fastis inserta est. In Ms. Florario Sanctorum ea commemoratur ad* XXVIII *Aprilis, ut ibi dictum est in Prætermissis. In Hagenoyensi codice Usuardini Martyrologii eadem translatio annuntiatur ad* VI *Maji, quemadmodum et in codice Vaticano, qui sic habet :* Apud Salernum, translatio sancti Matthæi apostoli et evangelistæ. *Secutus est Baronius, qui sic habet in Martyrologio Romano :* Salerni, translatio sancti Matthæi apostoli, cujus sacrum corpus olim ex Æthiopia ad diversas regiones, et demum ad eam urbem delatum, ibidem in ecclesia ejus nomine dicata summo honore conditum fuit. *Consonant Officia propria ecclesiæ Salernitanæ, quæ seculo* XVI *impressa habemus : in iis enim notatur Officium translationis cum Octava ad* VI *Maji. In laudato Florario Ms. eodem die notatur translatio* S. Matthæi, *sed non additur, Salernitanam esse, uti additur ad* XXVIII *Aprilis. Plura de translationibus disseram suo loco.*

apud Græcos aliosque Orientales ad XVI *Novembris.*

3 *Græci, eosque passim sequentes Mosci,* S. Matthæum *præcipue celebrant ad* XVI *Novembris. Ad hunc diem in omnibus, quos consului, Græcorum Fastis memoria Sancti hujus Apostoli recolitur,*

A *tur, et festivitas solemnis celebratur. Menæa impressa prolixissimum exhibent elogium, sed fabulosum, ex quo suis locis afferemus ea, quæ ad propositum nostrum conducere videbuntur, quemadmodum etiam ex elogio minus prolixo, quod insertum est Menologio Basiliano.* Matthæum *una cum reliquis Apostolis Græci etiam colunt die* xxx *Junii, ubi et brevia exhibent elogia in Menæis et Menologio mox laudato. Græcis pro festivitate* S. Matthæi *celebranda die* xvi *Novembris consentiunt etiam Armeni, ut habeo ex Ordine perpetuo celebrandi Officia et festivitates apud Armenos, quem Latine reddidit et in Bibliotheca Orientali tom.* 3 *pag.* 645 *edidit doctissimus Assemanus. Ægyptii demum et Æthiopes eumdem elegerunt diem* xvi *Novembris, quo* S. Matthæus *annuntiatur in Fastis Coptitarum per Ludolfum editis, et in duobus aliis Menologiis eorumdem aut Synaxariis Mss. Apud Ludolfum* Matthæi *apostoli item fit mentio ad* ix *Octobris; sed eam illo die non reperio in laudatis Fastis Mss. Hæc interim de Martyrologiis sufficiant.*

Acta S. Matthæi in plurimis codicibus conscripta,

4 *Acta* S. Matthæi *apostoli, quæ in Ecclesia Latina a multis seculis nota fuerunt, et ex quibus recentiores hauserunt, quæ de* S. Matthæo *scriptis mandarunt, in plurimis exstant codicibus Mss., iisque valde antiquis; non tamen eodem prorsus modo in omnibus. Habemus nos ea in septem diversis codicibus, quorum vetustiores seculo* ix *videntur conscripti. Contuli codices istos, ut examinarem, an præcipua vitia, quibus Acta laborant, reperiantur in omnibus; nec ullum inveni ex codicibus nostris, in quo non legantur vitia mox memoranda, quæ similiter leguntur in apographo, quod habemus ex codice Ultrajectino, et in aliis pluribus, quibuscum apographum istud olim est collatum. Auctor illorum Actorum, sicut et aliorum Apostolorum, vulgo vocatur* Abdias, *qui se primum Babyloniæ episcopum mentitus est. In S. Bartholomæo tom.* v *Augusti pag.* 32 *satis ostendi, totam Historiam Apostolorum pseudo-Abdiæ non esse fide dignam, ibique adduxi verba Bellarmini, hæc de eo pronuntiantis :* Vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam veræ narrationi. *Communis hic modo est eruditorum consensus de illa Historia universa. Lubet tamen addere censuram Joannis Hesselii Lovaniensis, quæ impressa habetur post Usuardum*
C *Molani.* Passio, *inquit*, sancti Matthæi non placet. *Tum dat initium prologi :* Quoniam Deo cura est de hominibus : *et mox Actorum :* Erant itaque duo magi Zaroes et Arfaxat. *In omnibus codicibus nostris, uno excepto, in quo omissus est prologus, idem est plane utrumque principium. In Ultrajectino similiter utrumque reperitur principium; sed præmissa sunt pauca de nomine* Matthæi, *quæ alterum ibi faciunt prologum. Rationes Hesselii modo audiamus.*

multis erroribus et fabulis inquinata sunt :

5 Dicit, eunuchum illum, quem Philippus baptizavit, vocatum Candacem, cum Lucas Act. 8 dicat, reginam Æthiopum dictam Candacem. Est enim Candace nomen reginarum Æthiopiæ, sicut Pharao regum Ægypti. Dicitur in eadem Historia, quod Christus terrestrem paradisum aperuit latroni et animabus sanctis de corpore exeuntibus; in die autem novissimo resurgentibus regna cælorum : cum secundum Paulum et fidem Catholicam animæ Sanctorum jam etiam ante resurrectionem adeant cælos. Dicit et primum hominem potuisse loqui in paradiso cum omnibus animalibus. Ejusdem auctoritatis est, cujus Vita S. Bartholomæi, ut patet ex philosophia ejus de virginitate terræ, ex qua homo sanctus est. *Hactenus Hesselius, qui hisce adjungit auctoritatem Bedæ, Historiam illam pseudo-Abdiæ reprobantis. Beda autem lib. Retractationis in Acta Apostolorum cap.* i *laudat dictam Historiam pro Simone et Juda apostolis, atque ita loquitur ad propositum nostrum :* Hos referunt Historiæ, in quibus Apostolorum Passiones continentur, et a plurimis deputantur apocryphæ, prædicasse in Perside, ibique a temporum pontificibus in civitate Suanir occisos. *Leguntur hæc apud Abdiam cap.* 6 *circa finem. Post pauca rursum Beda hæc scribit :* Cum ille, qui præfatas Apostolorum Passiones scripsit, ipse se certissime incerta et falsa scripsisse prodiderit. Dicit enim, quia Candacis eunuchus, quem baptizasset Philippus in Judæa, eo tempore fuerit in Æthiopia, quo Matthæus ibi docebat, eique docenti auxilium tulerit, cum manifestum sit Candacen nomen esse non viri, sed fœminæ; id est, non eunuchi, sed dominæ ejus, reginæ videlicet Æthiopum, quæ, sicut ex veterum monimentis comperimus, omnes antiquitus sic appellari solebant. *Hæc Beda, non solum Acta pro apocryphis habens, sed eorum etiam auctorem mendacii arguens. Possent et multa alia ex Actis allegari ad fidem iis detrahendam, cum auctor ab initio usque ad finem* E *mirabilia magis narret, quam credibilia; multaque plura nugetur de paradiso terrestri, quam observavit Hesselius; et conceptionem beatissimæ Virginis exponat modo incongruo et indecenti, ut mittam alia. Verum dicta sufficiunt ad omnem fidem Abdiæ personato abrogandam : ut ex his alia mihi oritur dubitatio.*

in codice aliquo Vaticano crassioribus erroribus

6 *Anno* 1753 *in bibliotheca Vaticana invenimus alia* S. Matthæi *Acta in codice Latino* 1188, *eaque exscribenda curavimus, et nos ipsi cum codice contulimus. Hæc Acta carent omnibus vitiis modo relatis, ob quæ Hesselius Acta pseudo-Abdiæ reprobavit, sed eamdem de rebus gestis* S. Matthæi *continent relationem. Quare dubitari potest, utrum pseudo-Abdias vetustiora sancti Apostoli Acta interpolaverit, et multis ineptiis impleverit; an vero nonnemo Abdiæ de* S. Matthæo *lucubrationem crassioribus erroribus voluerit expurgare, et sic Acta hujus Apostoli utcumque probabilia reddere. Utrumque fieri potuit; sed secundum verisimilius est ob varias rationes. Primo ex allegatis Bedæ verbis habemus, apocrypham illam de gestis Apostolorum Historiam certo antiquiorem esse seculo* viii, *cum Beda floruerit sub initium illius* F *seculi et illam Historiam alleget, non ut novellam aut nuper confictam, sed ut multorum judicio apocrypham. Ex eo ulterius collige, jam seculo* vi, *quo florebat Venantius Fortunatus, vetustam visam esse illam Historiam, cum verisimiliter ex illa dicat, corpus* S. Matthæi *esse in* Naddaver. *Tanta certo non est vetustas codicis Vaticani, in quo tolerabiliora exstant* S. Matthæi *Acta. Quapropter videntur in illo codice nonnihil correcta fuisse, et absurdioribus vitiis expurgata, præsertim cum reliqui passim codices Acta contineant, qualia sunt apud Abdiam, et necdum alium viderim codicem, qui consentiat cum illo Vaticano. Præterea in hoc codice præfatio vulgaris omissa est, et substituta alia, quæ cum ipsis pugnat Actis. Nam secundum præfationem* S. Matthæus *passus est* in Perside, *secundum Acta* in Æthiopia. *Actis ipsis assutum est aliud principium de scripto per* Matthæum *Evangelio, et post illud sequuntur Acta personati Abdiæ, sed nonnihil expurgata. Itaque vix dubitare possim, quin hæc recentiora sint, eademque cum aliis, sed utcumque emendata.*

7 *Verumtamen*

AUCTORE J. S.

sic expurgata sunt, ut probabilia tamen non fiant,

7 Verumtamen non tanta adhibita fuit correctio, ut gesta in iis relata fierent satis probabilia, etiamsi non constaret de origine ex fonte impuro. Nam primo statim advenienti in Æthiopiam Matthæo dicitur occurrisse eunuchus reginæ Candacis, qui baptizatus erat a Philippo Act. 8, ut auctor omnino asserat, Matthæum venisse ad urbem, in qua regina Candace regnabat, quando dictus eunuchus fuit conversus. At ibi tum dicitur fuisse rex Egyppus, regina Eufenissa. De Candace, quæ paulo ante regnasset, nulla fit mentio. Itaque nomen reginæ Eufenissa videtur contrarium verbis Bedæ mox datis, cum asserat, omnibus commune fuisse nomen Candace. Consentit Plinius lib. 6 cap. 29 docens, regnare fœminam Candaocem, quod nomen multis jam annis ad reginas transiit, in illo nimirum Æthiopiæ regno, cujus metropolis erat Meroë. Asserit autem laudatus Plinius, ea de regnis Æthiopiæ et Meroës cognita et relata fuisse per exploratores Neronis. Regnabat igitur regina Candace, Nerone imperante, et diu Candace aliqua ibidem regnaverat, saltem a temporibus Augusti, ut colligitur ex Strabone, qui sub Augusto
B floruit. Strabo enim lib 17 pag. 820 narrat bellum, quo Candace, quæ per nostra, inquit, tempora Æthiopibus imperavit, Romanos Ægypti dominos impetiit, imperante Augusto. Itaque regnarunt in Æthiopia reginæ, quibus nomen erat Candace, saltem ab Augusto usque ad Neronis tempora; nec addit Plinius, alio modo suis temporibus administratum fuisse Æthiopiæ regnum. Atqui S. Matthæus, si prædicavit in Æthiopia, eo verisimiliter venit ante imperium Neronis, aut certe Nerone non diu imperante. Omnia igitur, quæ de statu regni Æthiopiæ traduntur in Actis, prorsus videntur fictitia, nec ullam merentur fidem.

multaque contineant

8 Non minus fictitia videntur, quæ de progressu fidei Christianæ in Æthiopia tradunt Acta. Si quis enim Actis credere voluerit, convertit S. Matthæus regem Egyppum, reginam Eufenissam, eorumque filium, a morte prius suscitatum, qui Eufranon vocatur, filiamque Ephigeniam, modo Iphigeniam passim dictam. Ecclesia quoque constructa dicitur, in qua Matthæus sederit annis XXIII. Hoc tempore multas fabricavit ecclesias, constituit presbyteros et diacones,... et per civitates et castella ordinavit episcopos. Præterea omnia simulacra, omniaque templa asseruntur destructa. Filia
C regis Ephigenia virginitatem professa, erat præposita virginum amplius quam ducentarum. Hæc omnia facta dicuntur, vivente rege Egyppo. Eo defuncto, occisoque S. Matthæo ob recusatum ab Ephigenia matrimonium cum novo rege Hyrtaco, res Christianorum modico tempore minus erant prosperæ. At cum punitus a se esset Hyrtacus, et proprio se gladio occidisset, frater Ephigeniæ dicitur regnum adeptus, illudque tenuisse annis sexaginta tribus. Omnes autem provinciæ Æthiopum ecclesiis repletæ Catholicis usque in hodiernum diem, inquit auctor, per Ephigeniam benedicunt Deum, et fiunt mirabilia magna ad confessionem beati apostoli Matthæi. Itaque, si Actis credimus, circa medium seculi II magis Catholica fide florebat ecclesia Æthiopiæ, quam ulla alia in toto mundo.

prorsus incredibilia.

9 At ea prorsus incredibilia sunt ex silentio omnium scriptorum antiquorum. Cum enim Æthiopia Ægypto sit contermina, non potuissent patres aliique scriptores Christiani, qui prioribus Ecclesiæ seculis floruerunt in Ægypto, in Palæstina, in Africa, aut etiam in provinciis ab Æthiopia magis remotis, ignorare ecclesiam regni amplissimi adeo florentem, et de eo prorsus tacere. D
Deinde vero si Christiana fides tam bene fundata fuisset in Æthiopia, non potuisset eliminari, nisi gravissimis persecutionibus et longo tempore. De his autem persecutionibus aliquid saltem innotuisset illorum temporum scriptoribus, qui de illis non tacuissent, prout non omnes tacuerunt de persecutionibus Christianorum in Perside, ubi fides numquam tam bene fuit stabilita, quam stabilitam fuisse in Æthiopia auctor Actorum confinxit. Hoc tamen argumentum nolim lector vertat contra prædicationem ipsam S. Matthæi in Æthiopia, de qua suo loco agam: magna enim est discrepantia inter simplicem fidei prædicationem cum nonnullo etiam fructu, et conversionem totius regni, quæ ad integrum fere seculum sine persecutionibus fuisset continuata secundum Acta, et sic optime firmata. Ceterum multa quoque alia in Actis sunt improbabilia, quæ breviter in Annotatis assignabo: nam hæc Acta, quamvis fabulosa sint, edere statui, quia Latini recentiores, qui agunt de S. Matthæo, omnia fere sua ex illis hauserunt.

Acta Græca prorsus fabulosa et ridicula,

10 Acta Græca, ex quibus recentiores quidam de S. Matthæo egerunt, nobis similiter ad manum sunt, descripta ex codice Vaticano 808 inter Græcos. Nihil hæc habent commune cum Latinis modo E
improbatis; sed hisce etiam magis sunt informia, magisque ridicula, cum non nisi paucorum dierum gesta fere contineant, et nihil referant præter aliquot facta et prodigia plane incredibilia. Horum Actorum compendium dat Nicephorus Callistus lib. 2 Historiæ cap. 41 De hoc compendio Baronius in Annotatis ad Martyrologium ita loquitur: Nonnulla de Matthæo scribit Nicephorus lib. 2 cap. 41; sed quæ nullius prorsus sunt testimonio comprobata. Vel sic tamen Nicephori compendium Actis ipsis minus saltem est ridiculum; cum multa omiserit adjuncta magis aperte fabulosa, et initio pauca præmiserit de S. Matthæo aliunde nota. Ex iisdem Actis contractum est elogium, quod exhibent Menæa impressa ad XVI Novembris; sed et ibi aliqua initio dicuntur ex aliis documentis accepta. Cum operæ pretium non facerem, si hæc Acta ederem, ex apographo nostro brevissimum dabo compendium, quod sufficiet ad fidem iis detrahendam.

ut brevi illorum

11 Constituitur S. Matthæus quasi ex abrupto solus in monte orans, vidensque pueros multos cum Jesu parvulo in paradiso cantantes. Mox adest F
Jesus oranti, et apostolus videns Puerum pulcherrimum, multum sollicitudinis insinuat, quo eum modo nutrire possit in loco deserto, omni cibo et potu destitutus. At Jesus explicat, quis sit et post multos sermones minime verisimiles, quibus inter alia dicit, Herodem in inferno esse ob occisa undecim puerorum millia, Matthæo dat virgam, quam jubet plantare juxta portam ecclesiæ, fundatæ ab ipso et Andrea apostolo in civitate Anthropophagorum. Virgam dicit evasuram in arborem, indeque oriturum fontem, de quo uti et de arbore adjunguntur fabellæ plurimæ; prædictoque demum martyrio Matthæi per ignem, Puer subito ad cælum revertitur. Matthæus vero ad urbem properat, quando occurrunt Phulbana regina, Phulbanus ejus filius, et hujus uxor Erba, omnes energumeni, et Matthæo minitantes, ne plantaret virgam. At his singulis manus imponens, ejecit dæmones, et mox obvium habuit Platonem episcopum cum toto clero. Congregato deinde populo, sermonem instituit, et virgam plantat, et, jubente Apostolo, Plato reginam

A *nam ejusque filium et nurum baptizat. Postridie virga in arborem creverat et fluvius ex arbore egrediebatur. Populus vero manducans fructum arboris cognovit se nudum esse, erubescentesque singuli domum cucurrerunt ad vestes comparandas. Mitto nugas similes, ut citius ad fabulæ catastrophen perveniamus.*

compendio

12 *Phulbanus rex, excitatus a dæmone, diu frustra* Matthæum *comprehendere conatur, ac demum, ubi ipsum advocaverat, cæcitate percutitur. Sanatus ab Apostolo, hunc vel sic comprehendit, et longis clavis terræ affigi jubet, materiemque multam facile combustibilem circa ipsum congregari, et sic comburi. Verum combusta quidem materia circumposita, non item læsus Apostolus. Jussit igitur rex duodecim deos aureos et argenteos circum pyram poni, ne vis flammæ impediretur; ipseque ad locum accessit. At ubi incensa est pyra, mox ignis recessit a* Matthæo, *combussitque omnes deos aureos et argenteos, fugientemque regem serpentis specie insecutus, prohibebat ab ingressu palatii sui, donec reverteretur ad* Matthæum, *ab eoque misericordiam peteret. Tum, orante* Mat-B thæo, *igneus draco evanuit; Apostolus vero orans spiritum Deo tradidit, et quidem die* XVI *Novembris, si fabulatori credimus. At necdum fabularum finis. Jubet rex defuncti corpus, aureo impositum lecto, ad palatium suum perferri: deinde inclusum arcæ ferreæ, plumbo etiam gravatæ, in mare projici, ut crederet, si corpus ex mari rediret incolume. His peractis, apparet* S. Matthæus *Platoni episcopo, monetque, ut ad mare procedat ritu solemni cum clero suo. Cum ibi essent, circa sextam diei horam videt e longinquo episcopus* S. Matthæum *inter duos viros ambulantem per mare: post horam videt crucem e mari emergentem, et ad finem crucis arcam, in qua erat Sancti corpus. Hæc autem crucem sequebatur usque ad terram.*

ostenditur.

13 *Re intellecta, accurrit populus, et rex ipse, deposita omni incredulitate, accedit, prostratus veniam petit, et fidem amplectitur. Quare honorifice ad ecclesiam portatur corpus* S. Matthæi. *Baptizato regi noctu* S. Matthæus *apparuit, et* Matthæum *vocari jussit, et presbyterum ordinavit, filium vero ejus diaconum, utriusque uxores diaconissas, omnium quoque mutatis nominibus. Rex igitur omnes in regno suo jussit esse Christianos,* C *alioque rege constituto, et mortuo post triennium Platone, factus est episcopus, uti et filius ejus post ipsum. Hactenus Acta satis prolixa, sed multo magis fabulosa, quæ patienter perlegi et in compendium contraxi, omissis tamen visionibus et aliis mirabilibus non paucis, ut quilibet videre possit, nullius quoque fidei esse tradita apud Nicephorum, in Menæis, et fortasse alibi. Civitas* Myrmene, *quæ uno tantum Actorum loco nominatur, æque fictitia est, opinor, quam reliqua omnia; et regio* Antropophagorum, *etiamsi non defuerint Anthropophagi, sive humana vescentes carne, similiter ab auctore videtur conficta.* Plato *episcopus, ejusque successor* Phulbanus, *et hujus filius non minus personæ videntur commentitiæ. Certe de Platone illo aliunde nihil invenio, nedum de aliis, ut omnino fiat verisimile, Platonem ex his quoque Actis memorari in elogio* S. Matthæi, *quod reperitur in Menologio Basiliano, et plura in isto elogio ex his Actis deprompta esse, licet non omnia congruant.*

14 *Alia rursum* S. Matthæi *Acta conscripsit Simeon Metaphrastes, quæ Græca ad manum non habeo, nec tanti facienda sunt, ut studiose modo quærenda existimem: nam ea Latine edidit Lipomanus tom. 5 fol. 137 et 138, et Surius ad hunc diem. Hæc minus fabulosa sunt, sed brevia omnino et jejuna, ut vix quidquam asserant de sancto, quod aliunde non sit notum. Pauca autem illa quæ de prædicatione Sancti dicuntur, non sunt fidei indubitatæ; sed tantæ solum auctoritatis, quanta solet in aliis esse auctoritas Metaphrastis. Surius eamdem edidit Metaphrastis lucubrationem, sed alio modo Latine redditam, quo factum est, ut Baronius diversas crediderit lucubrationes, cum non sit nisi una eademque Græca, quam inter Vitas a Metaphraste scriptas memoravit Allatius de Simeonum scriptis pag.* 126, *recitans initium Actorum Græcorum,* ἤδη μὲν τὸν παρὰ τοῦ πλάσαντος ἡμᾶς δοθεῖσαν φυλάττοντες ἐντολήν, *quod ita expressum est apud Lipomanum:* Jam quidem nos, quod ab eo, qui nos finxerat, datum fuerat præceptum, servantes. *Apud Surium vero:* Si præceptum illud, quod ab eo, qui nos formavit, injunctum nobis fuit, servare voluissemus. *Utraque expositio apta est, et in idem recidit, sicut et reliqua omnia, duobus exceptis locis, in quibus interpres alteruter aberravit, aut codicem habuit corruptum, ut latius* E *dicam, ubi agetur de prædicatione* S. Matthei, *ad quam locus uterque spectat, aut in Annotatis. Dabo hæc Acta, etiamsi non sint auctoritatis summæ, quia non habemus meliora de* S. Matthæo; *sequarque editionem Surii, altera planiorem melioremque, ut existimo, imo ab ipso etiam Lipomano datam tom. 7, ubi fol. 256 docet, interpretis esse Sirleti. Ex his autem Actis prudens lector colligere poterit, Metaphrasten non esse fabularum inventorem, ut frequenter asserunt aliqui critici, maxime Bailletus. Si enim fingere voluisset, id facere potuisset non minus de* S. Matthæo *et aliis Apostolis, de quorum gestis pauca solum commemoravit, quod non reperiret plura apud antiquiores. Non confinxit igitur Vitas fabulosas Metaphrastes, sed nonnullas adoptavit, et suo stylo exposuit.*

[illegible] J. S. Acta, auctore Metaphraste, edenda :

15 *Orationem encomiasticam de* S. Matthæo *apostolo et Evangelista etiam scripsit Nicetas David, aut Paphlago, qui eodem fere cum Metaphraste vixit tempore, paulo tamen videtur antiquior. Hanc Nicetæ Orationem Græco-Latinam edidit Combefisius in Auctario novissimo pag.* 401. *Illum recudere nequaquam lubet, quia nihil fere habet* F *de gestis* S. Matthæi *præter vocationem et Evangelium scriptum. De prædicatione vero pauciora narravit, quam Metaphrastes, cum tamen Oratio multo sit prolixior ob vagas laudationes. Afferam itaque ex ea in Commentario, quidquid utile videbitur ad propositum nostrum. Laudatus Allatius pag.* 122 *inter Vitas Sanctorum, quæ non sunt Metaphrastæ, recenset* Acta sancti apostoli et evangelistæ Matthæi, *quorum tale dat principium:* Ματθαῖος ἀπόστολος καὶ εὐαγγελιστὴς ἦν μὲν ἐκ πόλεως Ἱερουσαλήμ. Matthæus apostolus et evangelista erat ex civitate Hierosolymitana. *Auctoris est ignoti, et verisimiliter posterioris Niceta et Metaphraste. Prodit ille jam allegatis verbis, quam nihili sit faciendus, dum* S. Matthæum *facit Hierosolymitanum, cum vix ullum sit dubium, quin sit Galilæus, ut suo loco dicetur, et certe nulla sit ratio, quæ persuadere possit, Hierosolymitanum fuisse. Non habeo ad manum hæc Acta, facitque allegatum initium, ut ea studiose quærenda non censeam. Exstant et plures de* S. Matthæo *sermones, sed qui ad gesta ipsius examinanda aut enarranda*

Oratio encomiastica Nicetæ : alia Acta :

randa nihil conducunt. Tres id genus Sermones habet S. Petrus Damianus tom. 2 Operum.

Scriptores recentiores de gestis S. Matthæi.

16 *Scriptores posteriorum seculorum Latini, qui gesta* S. Matthæi *enarrare voluerunt, omnia fere hauserunt ex Actis primo loco edendis, quæ certo antiqua magis sunt, quam probabilia. Illa fere integra dat Vincentius Bellovacensis in Speculo lib.* 9 *cap.* 74 *et seqq. Jacobus Januensis cap.* 135 *ex iisdem Actis omnia deprompsit præter ea, quæ ratiocinando de virtutibus Sancti addidit. Eadem rursum Acta fere sequitur Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 100; *tam presse tamen Actis non inhæret, ut subinde non addat aliquid aut mutet secundum ea, quæ alibi legerat. Baronius in Annotatis ad Martyrologium duos sui temporis de* S. Matthæo *scriptores recenset his verbis :* Perionius alia nuper conscripsit, *Acta videlicet.* Novissime vero ex antiquis monumentis, et sanctorum Patrum scriptis collegit Rev. Dominus Marcus Antonius Columna archiepiscopus Salernitanus, et sane quidem erudite *Uterque Acta prima præ oculis habuit, et sine scrupulo secutus est : aut potius ipsa Acta pseudo-Abdiæ dedit Perionius, omissis* B *dumtaxat paucissimis, et additis initio paucis, prout Acta in codice aliquo forsan invenit : nam et in editione Historiæ Apostolorum, quam anno* 1571 *dedit Joannes Faber, non pauca sunt omissa, quæ in plerisque codicibus leguntur. Illustrissimus Columna undique sua collegit sine crisi sufficiente, quod ætati ipsius condonari potest. Reliquis tamen Actis prætulisse videtur personati Abdiæ Historiam, cui nonnulla ex Metaphraste, et plura ex Actis Græcis, sive ex compendio Nicephori adjunxit. Meliora tamen etiam dedit ex sacris Litteris et Patribus. Examinabo igitur et subinde laudabo asserta Columnæ, uti et Baronii in Annalibus, Tillemontii in Monumentis Ecclesiæ tom.* I, *aliorumque recentiorum, qui accuratiorem crisim profitentur.*

Translationis Historia Ms., quam secutus est Marsilius,

17 *Laudatus Columna archiepiscopus non solum de gestis et martyrio* S. Matthæi *Commentarium edidit, sed varias quoque corporis translationes sermone prolixo magis, quam probabili, enarravit. Vidit procul dubio Baronius non cohærere relationem Columnæ, cum illam non ignoraverit, nec tamen quidquam ex ea Annalibus suis inseruerit; quamvis ad annum* 954 *ex Leone Ostiensi, et ad annum* 1080 *ex Gregorii Papæ VII Epistola de* C *inventione et translatione corporis agat. Quapropter vel solo silentio suo Eminentissimus scriptor declaravit, suspecta sibi falsitatis esse adjuncta locorum, personarum et temporum, quæ in Historia translationum apud Columnam reperiuntur. Habeo Acta Ms., Salerno olim ad Majores nostros transmissa, ex quibus video sua hausisse laudatum Marcum Antonium Columnam Marsilium. Vellem sane, ut ea potius severa crisi castigasset, aut omnino etiam abjecisset, tamquam improbabilia. At, cum istud non fecerit, pro instituto Operis nostri id mihi faciendum video. Geminum est scriptum, alterum altero paulo prolixius; sed eadem in utroque referuntur facta. Quod brevius est, hunc habet titulum :* Sermo venerabilis Paulini, Legionensis Britanniæ urbis episcopi, de translatione S. Matthæi apostoli ab Æthiopia in Britanniam, itemque de Britannia in Italiam. *Post medium rursum hic legitur titulus :* Miracula sancti apostoli et evangelistæ Matthæi per eumdem Paulinum. *In prolixiori unicus initio est titulus ita expressus :* Incipit translatio B. Matthæi apostoli et evangelistæ. *In utroque præmittitur Actorum compendium ex pseudo-Abdiæ Historia ita desumptum, ut paucissima tamen, eaque nihilo meliora,* D *addita sint aut mutata.*

plurimis laborat vitiis et anachronismis,

18 *Deinde sequitur translatio tam ridicule conficta ex Æthiopia in Britanniam, ut vel ex ea liqueat, auctorem crisi historica prorsus fuisse destitutum Nam, ut alia mittam improbabilia, mercatores Britannos auctor perducit in Æthopiam, paucisque diebus reducit in Britanniam. Inter gentes vero, a quibus vastatam circa seculum* IV *Æthiopiam fingit, nominat Sarmatas. Utrumque certo tam improbabile videbitur historico cuilibet geographiæ utcumque perito, ut necesse non sit exagitare alia rei peractæ adjuncta plane redicula, præsertim cum auctor certo non vixerit ante seculum* X, *nec ullos nominet testes vetustos, ex quorum scriptis sua hausisset. Quin imo ipse Paulinus, Legionensis aut Leonensis in Britannia Armorica episcopus, cui scriptum illud attribuitur, persona videtur fictitia, cum Sammarthani tom.* 2 *Galliæ Christianæ, ubi dant catalogum episcoporum Leonensium, nullum inter illos exhibeant Paulinum, neque hunc alibi inveniam. Chronotaxis non est melior, quam crisis historica : nam mortuus statuitur sub Galba, id est, anno æræ Christianæ* 68 *aut* 69. *Tum dicitur trecentis annis et* E *ultra religio Christiana floruisse in Æthiopia. Mox sequitur regni vastatio et translatio, ut hæc figenda esset seculo* IV *exeunte aut seculo* V. *Attamen asserit auctor, corpus in Britanniam Armoricam venisse, dum regnabat ibidem Salomon, qui post medium seculi* IX *regnare cœpit secundum chronotaxim Lobineau in Historia Armoricæ ad annum* 857. *Rursum quadraginta et novem annos numerat a corporis translatione in Britanniam, quando Salomon rex a suis fuit occisus. At laudatus Lobineau non totos viginti annos regno Salomonis attribuit.*

ideoque non edetur : nonnulla tamen ex ea dabuntur.

19 *Mox ineptus commentorum consarcinator inducit Flavium Romanorum patricium, Salomonis occisi socerum, de ejus morte scribentem ad Valentinianum imperatorem; Valentinianum vero ingentem in Italia classem collegisse asserit, eique exercitum imposuisse, et sic expugnasse regnum Britanniæ, et ea occasione corpus in Italiam translatum. At quam illa sint inepta, nemo non videbit, modo consideraverit, ultimum ex tribus Valentinianis plus quam quatuor seculis mortuum esse ante Salomonem Britanniæ regem. Mitto adjuncta rerum plurima æque inepta, et pergo ad* F *inventionem in prolixiori solum scripto relatam. Dicitur illa contigisse anno* 954, *quando principatum Salernitanum obtinebat Gisulphus. Hæc epocha suo loco confirmanda veniet. Interim moneo, multa rursum improbabilia et inepta historiæ inventionis admisceri. Has ob causas totam illam translationis Historiam, utpote sexcentis fabulis aut ineptiis fœdatam, omittere statui. Cum tamen posteriora minus saltem vitiosa appareant, quod scriptor hisce propinquior fuerit; illa subinde conferam cum aliis documentis, et cum relatis ab illustrissimo Columna Marsilio, ut in Commentario studiosus lector sit inventurus, quidquid tolerabile in illis scriptis apparet. Ughellus tom.* 7 *Italiæ sacræ in archiepiscopis Salernitanis variis locis de translatione et inventione* S. Matthæi *agit. et multum laudat Opusculum Marsilii, quod ex Mss., de quibus agimus, concinnatum est. Quapropter studiose ex scriptoribus medii ævi singula suis locis examinare conabimur.*

—

§ II.

AUCTORE J. S.

A

§ II. S. Matthæi vocatio ex Evangelio cum observationibus Patrum : aliquot controversiæ ad Sanctum spectantes.

Vocatio S. Matthæi, sedentis in telonio prope Capharnaum,

Pauca admodum de S. Matthæo *innotuerunt ex Evangelio, in quo sola Sancti vocatio cum secuto convivio, et deinde electio ad Apostolatum enarratur, exceptis tamen nonnullis, quæ generatim de omnibus Apostolis referuntur.* Matthæus *ipse cap.* 9, *relata Capharnai sanatione paralitici,* ℣ 9 *vocationem suam narrat his verbis :* Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi: Sequere me, et surgens secutus est eum. *Marcus cap.* 2 ℣ 13 *idem enarrat hoc modo* : Et egressus est rursus *(Jesus)* ad mare : omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. B Et surgens secutus est eum. *Uterque subjungit illa, quæ facta sunt, quando in domo* Matthæi *accumbebat Jesus. At satis erit, si de illo convivio dederimus verba Lucæ, qui cap.* 5 *a* ℣ 27 *de vocatione et secuto convivio ita loquitur :* Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua, et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisæi et scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? Et respondens Jesus, dixit ad illos : Non egent, qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam. *Hactenus Evangelistæ de vocatione.*

ubi tunc habitabat Jesus :

21 *Ad allegata autem Evangelistarum verba observare possumus,* S. Matthæum *fuisse vocatum prope civitatem Capharnaum ad mare Galilææ, sive Tiberiadis, alias* lacum Genesareth *in Scripturis dictum, ubi erant solvenda vectigalia. Nam* C *Marcus clare ait* ℣ 1, *Jesum venisse* Capharnaum, *ibique sanasse paralyticum, tum rursum fuisse egressum, et* Matthæum *sive* Levi *vocasse.* Matthæus *vero dicit, Jesum venisse* in civitatem suam, *ubi nimirum tunc habitabat, ut idem* Matthæus *cap.* 4 ℣ 13 *testatur his verbis :* Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam : et relicta civitate Nazareth, venit, et habitavit in Carpharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim : ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam ; et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. *Recte Chrysostomus Hom.* 29 *aut* 48 *in* Matthæum, *de verbis allegatis dicit,* Civitatem suam hic Capernaum appellat: nam, quæ tulit ipsum Bethlehem fuit, quæ educavit, Nazareth: quæ inhabitantem habuit, Capernaum. *Habitabat igitur Capharnai Jesus, ubi* Matthæus *procul dubio eum frequenter viderat, multaque audierat miracula, quæ partim Capharnai, partim in locis vicinis patrata fuerant a Jesu, antequam ipsum vocabat, ut rursum observat Chrysostomus Hom.* 30 *aut* 31. *Datæ autem observationes sanatioque paralytici paulo ante facta ostendunt, quam inepte Julianus et Porphyrius vocationem* Matthæi *Christianis objecerint tamquam incredibilem, ut recte advertit S.Hieronymus in caput* IX *Matthæi, ubi illis plura respondet.*

Matthæi prompte sequentis obedientia,

22 *Vel sic tamen nihil detrahendum est promptæ obedientiæ* Matthæi, *de qua laudatus Chrysostomus ita ratiocinatur :* Ut didicisti Vocantis potestatem, sic disce Vocati obedientiam. Neque enim repugnavit, neque dubitans dixit : Quod hoc est ? Num me hominem hujusmodi fraudulenter vocat? Nam certe imtempestiva fuisset hujusmodi humilitas. Sed statim obedivit : neque petiit, ut domum ire liceret, ut rem cum suis communicaret, quemadmodum etiam piscatores fecerunt : ut enim illi retia, naviculam, et patrem, ita et hic teloniariam mensam et lucrum reliquit, ut sequeretur, ad omnia paratum animum exhibens: et a rebus et omnibus secularibus se statim abscindens, per obedientiam perfectam testificabatur, quam tempestive vocatus fuisset. *S. Basilius in Regulis fusius tractatis interr.* 8 *magis etiam exaggerat promptam sequentis obedientiam, ita scribens :* Matthæus vero, cum ab ipso telonio surrexit, Dominumque sequutus est, *(nos docuit:)* qui E non telonii solum emolumenta reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ a magistratibus tum sibi tum consanguineis suis impendedant, quod vectigalium rationes reliquisset infectas. *Antiquus anonymus ad Præsidium, cujus Epistola inter Opera S. Hieronymi editionis Martianææ habetur tom.* 5 *col.* 146. *observat etiam alia, ite loquens :* Matthæus sedens ad teloneum audit : Sequere me. Numquid prius ratiocinia supputavit, et reversus domum suorum passus est lacrymas, prædiorumque auctione sollicitus, nequaquam potuit Domini sequi vestigia, nisi mundi se prius onere liberaret? *Ita quidem anonymus hic cum S. Basilio videtur insinuare, rationes fuisse reddendas* S. Matthæo *de accepta ex vestigalibus pecunia, nec tamen de iis reddendis fuisse sollicitum. Verum ea observatio æque mihi incerta et parum probabilis apparet, ac aliis jam visa est, nisi eam solum intelligamus de prompta voluntate ad faciendum, quidquid juberet Dominus,cum satis nosse posset nihil mali jussurum. Quod vero spectat ad rationes officii magistratibus reddendas, conjicere possumus, aut obligatum non fuisse* Matthæum *ad eas reddendas, quod fortasse pater ipsius Alphæus etiam* F *tum viveret, aut, si* Matthæus *omnino caput familiæ suæ esset, et vectigalibus præfectus, Dominum eidem post primam obedientiam mandasse, ut vel rationes cito redderet,vel eam curam alteri demandaret. Certe convivium, quod in domo sua Christo multisque publicanis exstruxit* Matthæus, *abunde insinuat ipsum facile in alios transfundere potuisse,quidquid obligationis ex officio contraxerat.*

humilitas et candor publicanum se vocantis.

23 *Porro laudati Chrysostomus et Hieronymus cum laude observant candorem et humilitatem* S. Matthæi, *quod ipse in Evangelio professus sit, publicanum se fuisse,ususque sit nomine suo magis vulgato, cum Marcus et Lucas* Levi *ipsum nominent, dum scribunt vocationem ;* Matthæum *vero, dum eumdem Apostolis annumerant. Si idem fecisset* Matthæus *ipse, et similiter in catalogo Apostolorum* publicanum *se non nominasset, nullus deinde ex Evangelio rescire potuisset,publicanum fuisse* Matthæum, *aut eumdem cum* Levi. *Audiamus verba S. Hieronymi :* Cæteri Evangelistæ, *inquit* , propter verecundiam et honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt , Levi : duplici quippe vocabulo

fuit

AUCTORE J. S.

fuit ipse autem Matthæus secundum illud, quod a Salomone præcipitur, Justus accusator est sui in principio sermonis. Et in alio loco: Dic tu peccata tua, ut justificeris; Matthæum se et publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit, quum ipse de publicano in Apostolum sit repente mutatus. *Eadem fere observat Chrysostomus, qui adjungit etiam sequentia*: Cur porro dixit, ipsum sedisse in telonio? Vocantis vim ostendens, quod cum nondum destitisset, et improbo telonio hæreret, ex mediis ipsum malis extraxerit. *Et mox de officio publicanorum ita mentem suam declarat*: Hæc autem lucrandi ratio impudentia plena erat ac petulantia, quæstus iniquus ac mercatura illiberalis. *Hinc S. Gregorius Hom.* 24 *in Evangelia advertit, Petrum quidem aliquando rediisse ad piscationem, sed* Matthæum *numquam ad officium publicani periculo plenum*. Quia aliud est, *inquit*, victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nulla-
B tenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat. *Laudatus Gregorius lib.* 18 *Moralium in Job cap.* 27 *de magna* S. Matthæi *mutatione ita loquitur*: An non Matthæus in terra inventus est, qui terrenis negotiis implicatus, telonii usibus serviebat. Sed de terra sublatus, in fortitudinem ferri convaluit: cujus videlicet lingua, quasi acutissimo gladio, Evangelii administratione Dominus infidelium corda transfixit: et qui infirmus prius despectusque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad cælestia prædicamenta.

Matthæus alio nomine Levi dictus, ut Origines cum aliis agnovit.

24 *Quod ab Hieronymo supra dictum est de gemino nomine Apostoli, qui* Matthæus *vocabatur et* Levi, *ut omnes passim animadverterunt, et Evangelia clarissime insinuant, videtur negasse Origenes lib.* I *contra Celsum num.* 62, *ubi hæc habet*: Sit et Levi publicanus, qui Jesum secutus, sit. At non fuit ille ex Apostolorum numero, nisi juxta quædam Evangelii secundum Marcum exemplaria. *Novissimus editor Operum Origenis, Carolus Delarue, tom.* I *pag.* 376 *in Annotatis addit alios, ita scribens*: Levin a Matthæo distinguit etiam Heracleon hæreticus Valentinianus apud Clementem Alexandrinum 4 Stromat. pag.
C 502, et inter recentiores Hugo Grotius, *magnum apud Calvinianos aliosque heteredoxos nomen. Præmittit de Origine, quod* Levi *cum* Matthæo eumdem prorsus hominem esse videatur sentire in præfatione explanationis in Epistolam ad Romanos. *Verba ipsa Origenis ex antiqua editione (nam tomum* 4 *novæ necdum habemus) subjungo. Observat Origenes, multis duo aut tria fuisse nomina, interque eos nominat* Matthæum, *ita scribens*: Nam et Matthæus ipse refert de se, quod cum transiret Jesus, invenit quemdam sedentem ad telonium, nomine Matthæum. Lucas vero de eodem dicit, quia cum transiret Jesus, quemdam vidit publicanum, nomine Levi, et dixit, Sequere me... Certum est autem, Evangelistas non errasse in nominibus Apostolorum; sed quia moris erat binis vel ternis nominibus uti Hebræos, unius ejusdemque viri diversa singuli nominum vocabula posuere. *Hic non modo* Matthæum *et* Levi *eumdem declarat Origenes; sed etiam ostendit eumdem esse, cum Lucas, uti et Marcus, idem plane de* Levi *narraverit, quod* Matthæus *de se. Quapropter, si Origenes, contra Celsum scribens, revera* Levi *alium a* Matthæo *crediderit, postea* *frequentiori usu sacræ Scripturæ errorem correxit. At fortasse Origenes allegata verba solum protulit ex mente aut dictis Celsi, contra quem de re omnino alia disserebat. Quod spectat ad Heracleonem et Grotium, relinquemus illis opinionem suam improbabilem, a variis jam refutatam, et pergemus ad aliam controversiam magis ambiguam.* D

Credunt Græci, Matthæum fratrem esse Jacobi Alphæi,

25 *Recentiores Græci, sive illi, qui medio ævo floruerunt*, S. Matthæum *existimant fratrem esse S. Jacobi Alphæi apostoli; sibique faventes habent nonnullos e Patribus; sed aliqui resistunt eruditi neoterici. Henschenius noster ad* I *Maii examinavit sententiam Græcorum in S. Jacobo, sive tom.* I *Maii pag.* 19, *ubi pro illa sententia laudat Menologium Basilianum, Synaxarium pervetustum Constantinopolitanum, Menæa impressa, et varios codices Mss. Græcorum, Nicetam Davidem Paphlagonem, seculi* IX *scriptorem, aliosque. Ostendit præterea, Chrysostomum et Theodoretum ejusdem plane videri sententiæ, quia prior inter Apostolos numerat duos publicanos* Matthæum *et Jacobum, cum tamen nulla sit ratio, cur dicamus, Jacobum Alphæi fuisse publicanum, nisi quod videatur fuisse frater* Matthæi; *alter vero utrosque dicit Capharnaitas, quod similiter nulla ratione dicere poterat, nisi credidisset fratrem* Matthæi, *qui habitabat Capharnai: neque enim ullibi in Scripturis dicitur, ubi natus fuerit Jacobus Alphæi, aut quale officium ante apostolatum gesserit, Papebrochius noster tom.* VI *Maii in Alphæo, quem utriusque patrem statuit, pag.* 354 *eamdem amplexus est, et confirmavit sententiam, Ratio Græcorum haud dubie est, quod Jacobus æque ac* Matthæus *patrem habuerit Alphæum, nec ulla sit ratio dicendi, alium fuisse Alphæum patrem* Matthæi, *alium patrem Jacobi. Tillemontius in* Matthæo *agnoscit, Chrysostomum, Theodoretum, recentioresque Græcos omnes in eam conspirasse sententiam, ut SS.* Matthæum *et Jacobum Alphæi fratres crederent, quia ambo dicuntur* Alphæi, *utique filii. Asserit tamen Laconica brevitate, nullam ea in re esse veri speciem. Tillemontii Laconismum adoptavit Calmetus initio præfationis suæ in* Matthæum, *eadem plane dicens, et locum Operis nostri vitiose assignatum apud Tillemontium, eodem plane modo assignans, ut ne legisse quidem videatur argumenta Henschenii in Opere nostro.* E F

neque id credunt sine ratione idonea,

26 *Si eadem brevitate dixero, ineptam esse istam Tillemontii crisim, quam adoptavit Calmetus, nullus id ægre ferre poterit, quia, sicut opinio Majorum nostrorum visa est ipsi carere veri specie, ita et mihi assertum istud omni videtur ratione destitutum, ideoque ineptissimum. Nolim tamen solum dicere, et nihil probare. Quare rationes latius videndas locis supra dictis breviter explico. Admittit Tillemontius,* S. Matthæo *cognomen* Alphæi *esse verisimiliter a patre. Jacobus autem in omnibus quatuor Apostolorum catalogis, id est, Matth.* 10, *Mar.* 3, *Luc.* 6, *et Act.* I *constanter nominatur* Jacobus Alphæi, *nec umquam in sacris Litteris alio nomine designatur. Velim modo scire, unde* Alphæi *nomen tam constanter habeat Jacobus, nisi a patre. Certe nulla ratio dabitur idonea præter hanc. Jam vero adverto,* Alphæi *nomen nullibi in sacris Litteris reperiri, nisi ubi agitur de* Matthæo *aut* Jacobo, *ut minime dicere possimus, nomen fuisse multis commune: et hac de causa tanto verisimilius est, eumdem fuisse* Alphæum, *qui pater erat* Matthæi *et* Jacobi, *prout Græci omnes existimant post Chrysostomum et Theodoretum*

A doretum. Ratio illa ex utriusque cognomine petita non debebat certe tam imbecillis videri Tillemontio, qui eadem uti voluit Nota 2 in S. Judam Jacobi, aut Thaddæum, ubi disserit contra Chrysostomum, distinguentem inter S. Judam Thaddæum apostolum, et Judam fratrem Jacobi Minoris. Si eo in loco visum est argumentum idoneum et summi momenti, ubi tamen non valebat, quia adhibebatur ad fratrem inquirendum, non debebat hic videri carens specie veri, cum adhibetur ad communem utriusque patrem investigandum: pater enim istis cognomentis in genitivo positis solet significari, ut Simon Joannis, id est, filius Joannis, Jacobus Zebedæi, id est, filius Zebedæi; non frater, aut certe non produxit Tillemontius ullum exemplum fratris per tale cognomen indicati.

ut sententia illa videatur admodum probabilis

27 Itaque minime contemnendum videri debet argumentum: nec credo, tale visum esse Tillemontio. At habuit aliam rationem negandi, fratres fuisse Matthæum et Jacobum Alphæi, eamque, ut existimo, noluit indicare. Sustinuerat contra auctoritatem plerorumque Patrum, et contra satis clara, ut videtur, sacræ Scripturæ argumenta, B Jacobum Alphæi eumdem esse cum Jacobo fratre Domini. Quare cum certum sit, Matthæum non esse fratrem Jacobi fratris Domini, non poterat amplius dicere, fratrem esse Jacobi Alphæi; ideoque maluit argumenta Henschenii contemptim abjicere, quam difficili responso iis satisfacere. Verum illam quæstionem tum hac de causa, tum ob S. Cleopham cum eadem connexum, examinavi in Dissertatione prævia, credoque, me satis ostendisse, sententiam Tillemontii nec cum sacris Litteris conciliari posse, et Patribus certo contrarium esse, ut nihil plane ex illa haberi possit contra germanitatem Matthæi et Jacobi. Quæro itaque rationem idoneam, cur fratres esse nequeant Matthæus et Jacobus Alphæi, et nullam plane invenio. Etenim cum Matthæus convivium Christo extruxerit, cui cum multis publicanis interesse dignatus est Dominus; satis est verisimile, quosdam ex convivis fuisse convesos, et ad Christi discipulatum pertractos, et nominatim Jacobum Alphæi ea occasione secutum. Murmurantibus de illo convivio Pharisæis respondit Christus, Non veni vocare justos, sed peccatores. Cur igitur suspicari non possumus, in illo convivio aut illius occasione vo- C catum esse Jacobum Alphæi, qui in Catalogo Apostolorum Matth. 10 statim post Matthæum sequitur, quemadmodum etiam fit Act. I. In duobus aliis catalogis Thomas iis interponitur solus. Itaque ubique in catalogis Apostolorum Jacobus Alphæi sequitur non longe post Matthæum, ut verisimillimum fiat, Jacobum non diu post Matthæum a Christo ad sequendum fuisse vocatum.

et sine ullo argumento ab aliquot neotericis rejecta.

28 Dicet fortasse nonnemo, Matthæum et Jacobum Alphæi nullibi in Evangelio fratres vocari, prout fratres subinde vocantur Petrus et Andreas; Joannes et Jacobus. Verum id nequit objici a Tillemontio et Calmeto, nec ab ullis, qui Jacobum Alphæi dicunt fratrem Judæ Thaddæi. Si enim credant, hos fratres esse potuisse, etiamsi in Catalogis Apostolorum numquam fratres vocantur; immerito idem negabunt de Matthæo et Jacobo Alphæi. Imo non deerit ratio, qua horum germanitatem omittere potuerint Evangelistæ. Nam Matthæus ex proprio Evangelio notus erat, ut publicanus. Quare si Evangelistæ Jacobum Alphæi dixissent Matthæi fratrem, insinuassent simul publicanum fuisse, aut certe publicani fratrem. Atqui, ut observarunt Chrysostomus et Hieronymus, Marcus et Lucas, quando narrant Matthæi vocationem, ipsum Levi vocant, ne indicent, Matthæum fuisse publicanum. Cur igitur non potuerunt omnes de honore S. Jacobi Alphæi æque fuisse solliciti, ideoque silere fratrem fuisse publicani? Sententia igitur Chrysostomi, Theodoreti et totius Græcorum ecclesiæ, mihi admodum verisimilis apparet et probabilis, cum quia solido nititur argumento ex utriusque Apostoli cognomine Alphæi deducto, tum quia nullas patitur difficultates. Calmetus quidem in Dictionario biblico duos statuit Alphæos, alterum S. Matthæi patrem alterum patrem S. Jacobi Alphæi, eumque vult alio nomine Cleopham dictum. At respondeo, nullam esse necessitatem statuendi duos Alphæos, aut dicendi, Cleopham alio nomine Alphæum dictum, nisi illis, qui contra sanctos Patres Jacobum Alphæi cum Jacobo Fratre Domini confundunt, minimeque dubitare me, quin statim agnoscerent, fratres videri Matthæum et Jacobum Alphæi, nisi hunc Fratrem Domini esse vellent.

Matthæus septimus aut octavus inter Apostolos videtur vocatus.

29 Annum et mensem, quo contigit vocatio S. Matthæi, non inquiro, ne cogar quæstiones alias pertractare. De ordine solum, quo inter duodecim vocatus est, pauco lubet dicere. Non fuit inter primos vocatus S. Matthæus: nam certo præcesserant Andreas, Petrus, Jacobus, Joannes, Philippus et Nathanaël sive Bartholomæus, qui in omnibus quoque Apostolorum catalogis numerantur ante Matthæum. De Thoma dubitari potest, fueritne ante, an post Matthæum, discipulis Christi annumeratus. Matthæus ipse Thomam sibi præponit, et Act. I Thomas non solum Matthæo, sed etiam Bartholomæo præponitur, Apud Marcum vero et Lucam in Evangeliis Thomas Matthæum sequitur. Itaque, cum vocatio Thomæ non sit exposita in Evangeliis, et modo præponatur modo postponatur Matthæo, plane dubium est et incertum, uter ex illis vocatus sit prior. Reliqui vero quatuor, nimirum Jacobus Alphæi, Judas Thaddæus, Simon Chananæus, et Judas Iscariotes proditor, cum constanter in omnibus catalogis post Matthæum recenseantur, etiam verisimiliter post ipsum sunt vocati, ita ut Matthæus videatur septimus aut octavus fuisse inter duodecim Apostolos: in duobus enim catalogis septimus ponitur, in aliis duobus octavus. Porro electio duodecim Apostolorum a tribus Evangelistis refertur non diu post vocationem Matthæi, prætermissa vocatione F quatuor posteriorum, uti et Thomæ. Deinde nihil particulare de S. Matthæo narratur in Evangeliis aut in Actibus Apostolorum. Varia tamen referuntur de Apostolis omnibus generatim, videlicet quod Christus ipsos donaverit potestate expellendi dæmones infirmosque sanandi, ac præclaris instructos monitis, ad prædicandum per Judæam miserit; quod in ultima cœna cum Christo fuerit, exiverintque ad villam Gethsemani, et deinde, eo capto, fugerint, quod Christum variis vicibus viderint post resurrectionem, et demum in cælum ascendentem conspexerint, quod unanimiter in oratione perseveraverint cum Maria Matre Dei et aliis quibusdam, ubi et Mathias Judæ substitutus, donec ibidem Spiritum sanctum acceperint. Hæc certo de Apostolis generatim narrantur, et de S. Matthæo vera sunt. Sic videtur de omnibus Apostolis Act. 5 narrari, carceri injectos fuisse a principe sacerdotum, per angelum vero eductos; iterumque captos et cæsos, atque ita dimissos. Post quæ subjungitur ỳ 41: Et illi quidem (Apostoli) ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni

AUCTORE J. S.

Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum. *Mitto alia non æque certo de omnibus dicta.*

§ III. Evangelium scriptum : spectantia ad illud examinantur.

Matthæus primus Evangelium scripsit Hebraïce,

De *Evangelio per* S. Matthæum *conscripto, priusquam Judæa excederet, aliis quoque gentibus prædicaturus, Eusebius lib.* 3 *cap.* 23 *ita loquitur :* Matthæus cum Hebræis primum fidem prædicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id, quod præsentiæ suæ adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit. *Insinuat allegatis verbis Eusebius,* Matthæum *scripsisse sermone Hebraïco, qualis tunc erat usitatus apud Judæos, non quidem puro et vetusto, sed nonnihil corrupto ex Chaldaïco et Syriaco, ut alii jam observarunt. Innuit præterea, primum omnium ex Evangelistis scripsisse* Matthæum; *mox enim addit,* postea *scripsisse Marcum et Lucam, ac demum Joannem. Deinde cap.* B 38 *hæc allegat Papiæ, qui cum discipulis Apostolorum vixerat, de* S. Matthæo *verba :* Matthæus quidem, inquit, Hebraïco sermone divina conscripsit oracula : interpretatus est autem unusquisque illa, prout potuit. *Verba S. Irenæi laudatus Eusebius lib.* 5 *cap.* 8 *de* Matthæo *adducit hoc modo :* Matthæus, inquit, apud Hebræos propria eorum lingua conscriptum Evangelium edidit, dum Petrus ac Paulus Romæ Christum prædicarent, et Ecclesiæ fundamenta jacerent. *Data verba leguntur apud Irenæum lib.* 3 *contra Hæreses cap.* I, *ubi similiter innuitur, primum inter Evangelistas fuisse* Matthæum; *licet alias non careant aliqua difficultate pro tempore Evangelii a* Matthæo *scripti, ut postea videbimus. Adducit Eusebius lib.* 6 *cap.* 25 *etiam verba Origenis, dicentis ex traditione,* primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, .. qui illud Hebraïco sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit.

ut sancti Patres communi consensu tradunt.

31 *S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum de* S. Matthæo *ita habet :* Matthæus, qui et Levi, ex publicano apostolus, primus in Judæa propter eos, qui ex Circumcisione *(id est,* C *ex Judæis)* crediderant, Evangelium Christi Hebraïcis litteris verbisque composuit. Quod quis postea in Græcum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraïcum habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit. In quo animadvertendum, quod, ubicumque Evangelista, sive ex persona sua, sive ex persona Domini Salvatoris, Veteris Scripturæ testimoniis abutitur, non sequatur septuaginta translatorum auctoritatem; sed Hebraïcam. E quibus illa sunt : Ex Ægypto vocavi Filium meum. Et : Quoniam Nazaræus vocabitur. *Chrysostomus Hom.* I *in Matthæum de iisdem hæc scribit :* Narratur porro, Matthæum, recedentibus rogantibusque Judæis, qui crediderant, ea, quæ verbis protulerat, litteris descripta iisdem reliquisse, et Hebraïce Evangelium scripsisse. *Idem Hom.* 4 *advertit, primum ex Evangelistis scripsisse* Matthæum. *S. Augustinus lib.* I *de Consensu Evangelistarum cap.* 2 *ceteris consentit de scripto primum a* Matthæo *Evangelio, et de sermone, quo illud conscripsit, ait :* D Horum sane quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio. *Missis aliis, qui idem affirmant, solum addo verba S. Epiphanii Hær.* 51 *cap.* 5 *ita scribentis :* Matthæus igitur primus Evangelii scribendi provinciam nactus est, ut diximus; idque ei jure merito contigit. Oportebat enim, eum ipsum, qui ad conciliandam humano generi salutem advenerat, quique ita dixerat : « Non veni vocare justos, sed » peccatores ad pœnitentiam »; ad eorum, qui servandi erant exemplum, ei homini potissimum prædicandæ salutis munus injungere, qui ab innumeris peccatis conversus, et a telonio suscitatus fuerat, ac se ab omni scelere et injustitia revocarat; ut ab illo, quanta sibi esset adventu Christi humanitas collata, mortales discerent.... Hic igitur Matthæus Hebraïca lingua scripsit ac prædicavit Evangelium *etc.*

quod tamen de sermone Hebraïco negarunt alii qui heterodoxi.

32 *De scripto per* Matthæum *Evangelio, et quidem antequam alii Evangelistæ scriberent, consenserunt posterioribus saltem seculis ita omnes, ut necesse non sit plura de iis dicere. Verum, quantacumque etiam sit auctoritas et antiquitas Patrum, consentientium, scriptum fuisse sermone* E *Hebraïco, fuerunt heterodoxi nonnulli, qui illam adeo communem Patrum sententiam oppugnare non dubitarunt, et existimare maluerunt, Græce potius scriptum fuisse Evangelium a* Matthæo. *Inter hos est Samuel Basnagius, qui in Annalibus politico-ecclesiasticis ad annum Domini* 64. *num.* 13 *fatetur consensum antiquorum his verbis :* Magna antiquorum omnium conspiratio est, Hebraïco sermone Evangelium Matthæi fuisse vulgatum. *Tum subdit :* Quæ eruditis bene multis etiamnum arridens traditio, non æquis sane auribus a nobis auditur. *Fatetur igitur Basnagius, ne æquis quidem auribus a se audiri, quod toti placuit antiquitati. Audiamus hac de re judicium alterius heterodoxi, videlicet Guilielmi Cave in Historia litteraria sec.* I *pag.* 6 *in S. Matthæo.* Et quidem Historiam suam evangelicam Hebraïce scripsisse, *inquit,* miro sane consensu tradunt veteres, adeo ut totius pene antiquitatis testimonio refragari hac in re nefas sit. *At ego non expendam, quantæ sit temeritatis a tota antiquitate sacra recedere, cum noverim heterodoxos id facere solitos in rebus multo gravioribus; sed solum examinabo, an ejusmodi sint rationes Basnagii, ut natæ sint prudens* F *ingerere dubium : alios vero, qui ante aut post Basnagium simili modo antiquam sanctorum Patrum sententiam rejecerunt, prorsus relinquam indictos, ne disputatio fiat prolixior, quam sit necesse; et quia omnium Opera ad manum non habeo.*

Non contemnenda hac in re auctoritas Papiæ,

33 *Accipe igitur, lector, objectiones Basnagii :* Fons, *inquit,* traditionis hujus Papias, pertenuis ingenii credulusque scriptor . . . Tenet et fama Pantænum in India Evangelium Matthæi reperisse, quod Bartholomæus Hebraïcis litteris conscriptum reliquerat, « quod ad prædicta usque tempora » servatum esse memoratur ». Pigmentis Eusebio incognitis traditionem istam Hieronymo armari placuit : Pantænus, inquit, Matthæi Evangelium, Hebraïcis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum retulit. *Hæc Basnagius pro sua in sanctos Patres reverentia, ne dicam, stulta confidentia. Omnes Patres in errorem pertractos a Papia innuit, Papiamque pertenuis ingenii scriptorem dicit, ut insinuet, ipsum quoque facile ea in re errare potuisse. At Papias, qui cum discipulis Apostolorum vixit, ab iisque petere solebat,* quid

A quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid ceteri Domini Discipuli dicere solebant, *ut ipse loquitur apud Eusebium lib.* 3 *cap.* 38, *saltem satis habebat ingenii ad interrogandum, quo sermone Evangelium suum scripsisset* Matthæus, *et satis bonæ fidei et judicii ad illud enarrandum, sicut ab Apostolorum discipulis intellexerat. Sane si crediderit Basnagius, magno opus fuisse ingenio, ut quis circa finem primi seculi, ut quis, cum Apostolorum discipulis non raro, et subinde etiam cum filiabus Philippi conversatus, cognoscere posset, quo sermone in scribendo usus fuisset* S. Matthæus, *Hebraïcone an Græco, quo Papias ipse utebatur, multo tenuioris judicii merito videbitur, quam ingenii fuerit Papias. Quapropter auctoritas Papiæ nequaquam contemnenda est in re tam facilis cognitionis, sed potius maximi facienda ob viri antiquitatem, præsertim cum eidem nullus contradixerit : neque enim deerant alii scriptores ecclesiastici, qui contradicere poterant, si falsum dixisset. Vel sic tamen existimare non debemus, ex solo Papiæ testimonio pro-*
B *fluxisse omnia, quæ de Hebraïco* Matthæi *evangelio Patres tradiderunt, ut infra ostendam.*

nec tamen dicendum, ex illo fonte omnes hausisse Patres.

34 *At prius elucidabo argumentum, quod ex invento per Pantænum Evangelio habetur. Floruit Pantænus insigni eruditionis fama, et scholæ Alexandrinæ præfuit ineunte seculo* III. *Hunc ad Indos profectum ait Eusebius lib.* 5 *cap.* 10, *ibique invenisse relictum a S. Bartholomæo apostolo* Matthæi *evangelium,* Hebraïcis conscriptum litteris. *At non addit, istud a redeunte Pantæno Alexandriam portatum, sed solum dicit :* Quod quidem ad prædicta usque tempora servatum esse memoratur, *id est, usque ad tempora Pantæni. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum cap.* 36 *plusculum asseruit, quando scripsit de Pantæno;* Quod Hebraïcis litteris scriptum, revertens Alexandriam, secum detulit. *Hæc Hieronymi* pigmenta Eusebio incognita *vocat modestissimus Basnagius. At ego non video, cur pluscula de his cognoscere non potuerit Hieronymus, quam scripta erant ab Eusebio. Certe admodum verisimile est, non relictum in India a Pantæno Evangelium Hebraïcum, sed Alexandriam delatum; idque vel ex Commentariis Pantæni ipsius, vel aliunde didicisse*
C *Hieronymum. Undecumque autem id sanctus Doctor intellexerit, tantæ fuit integritatis, ut dicenti fidem habere oporteat, et non nisi per summam impudentiam dicere possimus, ab Hieronymo id fuisse confictum. Jam vero si Pantænus in India invenerit Evangelium* Matthæi, Hebraïcis litteris scriptum, *ut Eusebius Hieronymusque consentiunt, fuerat igitur Hebraïce a* Matthæo *scriptum, ut communi consensu Patres affirmant.*

Dantur summatim objectiones Samuelis Basnagii :

35 Multis vero de causis, *reponit Basnagius,* veterum ea traditio fidem a nobis non impetrat. *Causas igitur examinemus.* Primum omnium, *inquit,* Patrum nullus est, qui certe certoque testetur, se manibus oculisve trivisse Matthæi Hebraïcum illud Evangelium, quod tamen a Christianis Hebræis descriptum ad legendum, ubique locorum, qui Hebraïce sciebant, dispersum fuisset. *Hoc primum Basnagii argumentum. Objicit secundo, S. Hieronymo in emendando Evangeliorum textu Latino non præluxisse Hebraïcum* Matthæi *exemplar, sed Græcum. Tertio late probat, linguam Græcam fuisse magis vulgarem et longe pluribus gentibus usitatam, quam Hebraïcam, indeque inferre nititur,* Matthæum *debuisse potius Græce quam Hebraïce scribere, cum Apostoli essent jussi docere omnes gentes. Quarto observat, usum videri* Matthæum *lingua tunc Judæis usitata,* non veteri pluraque lingua, *si Hebraïce scripsit. Suspicatur tamen, Patres cogitasse de lingua pura Hebraïca.* Ex quo intelligitur, *inquit,* in veterum ea de re testimonio non multum esse præsidii. *Quinto suspicatur, Evangelio Nazaræorum deceptos fuisse patres, idque ab illis sumptum pro authentico* Matthæi. *Sexto demum ait,* Matthæi *autographum diligentissime fuisse custodiendum ab ecclesia Hierosolymitana, si in gratiam Judæorum Hebraïce scripsisset* Matthæus; *non fuisse autem conservatum nisi Evangelium Nazaræorum, hocque suspicatur fuisse non nisi antiquam versionem ex textu Græco* Matthæi *factam. Hæ sunt rationes aut imaginationes Basnagii, qui non dubitat Patres frequenter erroris arguere, ut somniis suis probabilitatem aliquam conciliet. Itaque videamus, an tantum fuerit Basnagii acumen, ut ipse multa perspicere potuerit, quæ doctissimis Patribus, loco et tempore rebus disputatis longe propinquioribus, in mentem non venerant; et ad argumenta ipsius, quæ brevitatis causa summatim tantum proposui, discutienda* E
aggrediamur.

AUCTORE J. S.

respondetur ad quatuor primas.

36 *Respondeo igitur, primum Basnagii argumentum absolutue falsum esse : nam S. Hieronymus num.* 31 *laudatus, et mox uberius laudandus, testatur Hebraïcum* S. Matthæi *Evangelium se vidisse et interpretatum esse, idemque affirmat, usui illud fuisse Origeni, et visum a Pantæno. Accipe, studiose lector, alium ex S. Hieronymo locum ex Epistola ad Damasum de Duobus filiis (quæ olim erat* 146, *in editione Veronensi est* 21 :) Denique Matthæus, *inquit,* qui Evangelium Hebræo Sermone conscripsit, ita posuit : Osanna barama, id est, Osanna in excelsis. *Quomodo verba Hebraïca* Matthæi *recitat, si Evangelium ipsius Hebraïcum non viderit? Ad secundum respondeo, S. Hieronymum non correxisse textum Latinum ex Hebraïco, sed ex Græco, quia minus erat certus de integritate et paritate textus Hebraïci, quam Græci. Ad tertium dico, usitatam revera magis fuisse* Matthæi *tempore linguam Græcam, quam Hebraïcam, in mundo : sed linguam Hebraïcam fuisse Judæorum. Quapropter, cum Christus Dominus voluerit, ut Apostoli primum prædicarent fidem Judæis, deinde genti-* F
bus, uti revera fecerunt : sic erat congruum, ut primum Evangelium in gratiam Judæorum scriberetur, et consequenter eo sermone, quem omnes intelligebant, certe in Judæa. Quod quarto irreverenter dicit in Patres, certo falsum est de Hieronymo, Epiphanio, Origene, Pantæno, Papia, Eusebio, qui non ignorabant, aut ignorare poterant, qua lingua uterentur Judæi, quando Evangelium scripsit S. Matthæus. *Imo nullus, opinor, Patrum existimavit, alia lingua Hebraïca usum esse* Matthæum, *quam usitata suo tempore. Quod vero deinde quinto et sexto objicit Basnagius de Evangelio Nazaræorum, paulo prolixius explicandum est, quia ad propositum nostrum spectat, et ea expositione ad alias quoque dubitationes respondebo.*

S. Hieronymus credidit Evangelium, quo utebantur Nazaræi.

37 *De Evangelio Nazaræorum, quod alias vocat* juxta Hebræos, *non raro loquitur S. Hieronymus, et varia ex illo adducit locis variis, quæ non leguntur in Evangelio vulgato* Matthæi. *Attamen nullum videtur esse dubium, quin S. Hieronymus existimaverit, Nazaræorum sive Hebræorum Evangelium a* S. Matthæo *fuisse scriptum, sed ab illis utcumque corruptum. In Catalogo Scriptorum*

AUCTORE J. S.

ptorum cap. 2 illud laudat his verbis: Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, et a me nuper in Græcum Latinumque sermonem translatum est, quo et Origines sæpe utitur *etc. Non poterat non optime illud nosse Hieronymus, si in Græcum Latinumque sermonem, ut affirmat, illud converterat. Atqui mox cap 3 in* Matthæo *non loquitur de alio Evangelio, quando dicit:* Porro ipsum Hebraïcum *(Matthæi)* habetur usque hodie in Cesariensi bibliotheca..... Mihi quoque a Nazaræis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describenda facultas fuit. *Hic vocat* Hebraïcum Matthæi, *quod supra* secundum Hebræos, *quoque uti Nazaræos affirmat. Liquet hoc ex iis, quæ habet aliis locis. Nam lib. 3 adversus Pelagianos circa initium sic loquitur:* In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaïco quidem Syroque sermone, sed Hebraïcis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazaræni, secundum Apostolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthæum; quod et in Cæsariensi habetur bibliotheca *etc. Assertum de Cæsariensi bibliotheca clare insinuat, illud ipsum esse, quod supra vocat* Hebraïcum Matthæi.

B *esse Hebraïcum textum Matthæi sed non purum aut incorruptum;*

38 *Rursum in* Matthæi *cap. 12 idem Evangelium sic laudat:* In Evangelio, quo utuntur Nazaræni et Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum *etc.) Cum hic de translatione sua testetur, clarum est ipsum iterum de eodem loqui Evangelio Illud ipsum se transtulisse dicit in Cap. 7 Micheæ, ubi vocat Evangelium* secundum Hebræos editum. *Demum in cap. 5 Isaiæ eodem loco clare insinuat Hieronymus mentem suam, dum ita scribit:* Juxta Evangelium, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazaræi, « Descendet super eum *(Christum)* omnis « fons Spiritus sancti » *Et mox:* In eodem Matthæi volumine legimus illud, quod in consequentibus scribitur: « Ecce Puer meus, quem elegi. » *etc. Hic idem Evangelium,* quod legunt Nazaræi, *apertissime vocat,* Matthæi volumen. *Itaque constat de mente S. Hieronymi, qui Evangelium, quo utebantur Nazaræi, et quod alias vocat* secundum Hebræos, *pro ipso* S. Matthæi *Hebraïco Evangelio habuit, non autem pro puro, ut mox videbimus.*

eadem fuit sententia S. Epiphanii:

39 *Sententia S. Epiphanii non alia est, quam Hieronymi. Nam Hæresi 29, quæ est Nazaræorum, cap. 9 ita habet:* Est vero penes illos *(Nazaræos)* Evangelium secundum Matthæum Hebraïce scriptum, et quidem absolutissimum.. Hoc C enim certissime, prout Hebraïcis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. *Ad hæc verba notandum, S. Epiphanium non vocare Evangelium istud* absolutissimum, *sive* plenissimum *(ut sonant verba ipsius Græca) quia existimabat, nihil plane corruptionis in illud irrepsisse, sed quia credebat, exemplaria Nazaræorum minus esse corrupta, quam aliorum hæreticorum. Mox enim subjungit hæc verba:* Verum illud nescio, num genealogias illas amputarint, quæ ab Abraamo ad Christum usque perductæ sunt. *Talis autem dubitatio clare insinuat, Nazaræos quoque suspectos Epiphanio fuisse corruptionis in Evangelium* Matthæi *inductæ; minus tamen, quam Ebionitas, aliosve hæreticos, qui idem magis corruperant. Laudatus Epiphanius cap. 7 dixerat, Nazaræorum sectam in* Berœensi civitate *potissimum vigere. Unde colligo, illud ipsum exemplar Hebraïcum, de quo loquitur, ab Hieronymo fuisse exscriptum, Græcoque et Latino sermone donatum: suum enim Berææ* D *a Nazaræis acceperat Hieronymus. Rursum Epiphanius Hær. 30, quæ est Ebionitarum, cap. 3 affirmat, hosce quoque Hebraïco* Matthæi *Evangelio usos esse, et quidem solo* Cerinthianorum vel Merinthianorum instar, *atque illud vocasse* secundum Hebræos. *Deinde cap. 13 de majore apud ipsos corruptione illius Evangelii sic loquitur:* Igitur in eo, quod penes illos est, Matthæi Evangelio, quamquam ne integrum quidem illud habent, sed adulteratum et mutilum, idque ipsum Hebraïcum vocant, ita scriptum est *etc. Hactenus Epiphanius, e cujus verbis manifestum est, non dubitasse, quin Evangelium Hebraïcum* Matthæi *esset conservatum apud Nazaræos, sed suspectum habuisse de nonnulla corruptione, prout Ebionitarum corruptissimum esse certo noverat.*

quibus arroganter et stulte se opponit Basnagius,

40 *Similiter S. Hieronymus, etsi Nazaræorum Evangelium non raro alleget, numquam tamen tantam ipsi auctoritatem tribuit, quantam textui Græco vel Latino ab Ecclesia recepto. Id ipse insinuat lib. 3 contra Pelagianos, ubi nonnulla ex illo Evangelio, et locum aliquem S. Ignatii martyris allegat, et mox subjicit:* Quibus testimoniis si non uteris ad auctoritatem, utere saltem ad antiquitatem, quid omnes ecclesiastici viri senserint. E *Hac de causa S. Hieronymus, quando, jubente S. Damaso Papa, textum Latinum quatuor Evangeliorum corrigendum suscepit, non est usus exemplari Hebraïco ullo, quod nullum sciret satis incorruptum; sed vetustis codicibus Græcis, ut ipse scribit ad Damasum. In eadem tamen ad Damasum præfatione docet, Hebraïcis litteris usum esse* Matthæum, *ita scribens:* De novo nunc loquor Testamento: quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraïcis litteris edidit. *Nunc lector studiosus judicet de ratiociniis Basnagii, ejusque in ratiocinando assertis. Vidit S. Hieronymus Hebraïcum Evangelium, quo utebantur Nazaræi, Græcumque illud et Latinum reddidit, et post examen tam exactum, judicavit cum S. Epiphanio, ipsum esse* Matthæi *Hebraïcum, sed aliquot locis corruptum, ideoque debita auctoritate carens; Basnagius vero, qui numquam illud vidit, contendit Evangelium illud meram fuisse versionem ex Græco* Matthæi *textu; id, inquam, contendit contra omnium Patrum auctoritatem, et sine ullo vetusti scriptoris testimonio. Ego sane non capio, quo illud judicio cogitare potuerit, qua fronte ausus fuerit edicere;* F *quandoquidem tantum non aperte pronuntiat, rectius judicare se potuisse de Evangelio numquam viso, quam doctissimum Hieronymum de eodem frequenter perlecto collatoque cum Græcis et Latinis exemplaribus.*

nullis plane rationibus adjutus

41 *Ne tamen nihil videretur ex antiquis allegasse Basnagius, locum adducit ex Epiphanio Hær. 30 cap. 3, ut probet Novum Testamentum ex Græco fuisse Hebraïce redditum. Afferam ego locum integrum, quem ille medium recitavit, ut videat lector, hunc ipsum esse Basnagio maxime contrarium.* Etenim, *inquit Epiphanius,* vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus Novi Testamenti scriptoribus Matthæum Hebraïce ac litteris Hebraïcis Evangelicam historiam texuisse. Nec defuere, qui de Joannis Evangelio confirmarent, illud Hebraïce translatum Tiberiade in Judæorum gazophilaciis asservari, et in secretioribus quibusdam penetralibus recondi: id quod nonnulli mihi, qui se ad Christi fidem e Judaismo transtulerant, accuratissime declararunt. Imo et

AUCTORE J. S.

A et Apostolorum Actus in Hebraïcum sermonem perinde conversos a Græco iisdem in thesauris haberi multorum sermone percrebuit : et qui nobis ista narrabant, indidem Christianæ amplectendæ fidei occasionem acceperunt. *Hæc Epiphanius. Ex eo autem loco discere debebat Basnagius, Patres distinxisse inter libros primum Hebraïce scriptos, et illos, qui ex Græcis redditi sunt Hebraïci; et longe accuratiores esse in factis enarrandis, quam ut ipsorum auctoritatem temere abjicere oporteat. Nam ex allegato loco inferre, etiam* Matthæi *Evangelium ex Græco Hebraïcum esse redditum, id amentis potius est, quam ratiocinantis. Quale etiam est, quod addit, ex antiquissima versione Hebraïca ortam esse traditionem de scripto Hebraïce Evangelio. Nisi enim Patres omnes intolerabili fastu velimus contemnere, ne suspicari quidem poterimus, adeo omnes fuisse deceptos, ut neque antiquissimi et Apostolorum temporibus proximi scire potuerint, qua lingua in scribendo usus fuerit* Matthæus, *nec doctissimi illorum, linguæque Hebraïcæ peritissimi, (quales fuerunt certo Hieronymus et Origenes, imo et Epiphanius) deprehendere valuerint, ex Græco* Matthæi *cusum esse Evangelium Hebraïcum, quod habebant Nazaræi.*

B *Verum plus quam satis de ineptiis Basnagii.*

Evangelium scripsit Sanctus, antequam ex Judæa longe abiret,

42 *De anno, quo* S. Matthæus *Evangelium conscripsit, nihil certi affertur. Illud tamen certum est, primum ex omnibus Evangelistis scripsisse, et Evangelium composuisse, priusquam ex Judæa discederet ad prædicandum aliis gentibus. S. Irenæus lib.* 3 *contra Hæreses cap.* I *videtur scriptionem Evangeliorum serius figere, quam reliqui Patres, nisi verba ipsius alio sensu forsan exponi valeant. Latina interpretatio in editione novissima sic habet* : Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ Evangelisarent, et fundarent Ecclesiam. *Omnibus certe Patribus contrarius erit Irenæus, si ita sit explicandus, ut eodem tempore scripserit* Matthæus, *quo Romæ Evangelium prædicabant Petrus et Paulus. At suspicor, noluisse Irenæum id indicare, sed solum insinuasse, quinam essent auctores Evangeliorum, quinam vero traditionis Romanæ Ecclesiæ, eaque de causa sic locutum esse. Certe hæreticos in illo libro refutat ex traditione primum Romanæ Ecclesiæ, cujus auctores Petrum statuit et Paulum; et ex Scri-*

C *pturis Novi Testamenti, ex quibus primum dicit Evangelium* Matthæi. *Et sane textus Græcus non est necessario exponendus eo sensu, ut Evangelium eodem plane tempore scriptum dicatur, quo Petrus et Paulus Romæ predicarunt. Verba cum litterali explicatione subjungo* : ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Matthæus quidem in Hebræis propria ipsorum lingua et Scripturam protulit Evangelii, Petro et Paulo Romæ evangelizantibus et Ecclesiam fundantibus. *Hæc verba facile sic possunt intelligi, ut S. Irenæus noluerit dicere, utrumqne eodem tempore factum. At lubens fateor, magis difficulter exponi posse verba Irenæi mox sequentia de reliquis Evangelistis : nam videtur dicere illos omnes scripsisse post mortem SS. Petri et Pauli, nisi textus sit corruptus, ut suspicatur Tillemontius tom.* 2 *Nota* 3 *in* S. *Marcum. Quidquid sit si ea sit S. Irenæi sententia, qualis apparet, malim credere, ipsum minus attendisse ad exactam illorum omnium chronotaxim, quod illa ad propositum ipsius parum conduceret, quam ad res ipsas, quas sibi habebat propositas; et sic reverenter ab ipso recedere, quam a reliquis omnibus.*

et ante divisionem Apostolorum, sed anno incerto.

43 *Baronius in Annalibus scriptum* Matthæi *Evangelium refert ad annum Christi* 41; *sed, cum illum numeret Caii imperatoris tertium, designatur ex chronotaxi Pagii et aliorum annus æræ Christianæ trigesimus nonus. Laudat Baronius pro designato anno Caii tertio Chronicon Eusebii, in quo illud legitur, prout editum Latine erat ante Baronium. At, quemadmodum observavit Tillemontius, non leguntur ea in editione Græca, nec in Latina Scaligeri, neque etiam in Chronico Latino Ms. Eusebii, quod servatur in Museo nostro. Quare saltem dubitari potest, an id umquam de* Matthæi *Evangelio scripserit Eusebius, vel etiam interpres Hieronymus; et consequenter multo etiam incertius est, an illo anno fuerit conscriptum. Tillemontius tom* I *in Indice chronologico tam dispersionem Apostolorum quam Evangelium* Matthæi *figit circa annum* 36. *Alii malunt fateri, annum esse incertum, prout annus divisionis Apostolorum nequit certis assignari argumentis. Apud nos ad* XV *Julii de Divisione Apostolorum actum est, ibique ea fixa anno æræ vulgaris quadragesimo se-* E *cundum chronotaxim Henschenii nostri, qua Christi Domini obitus figitur sub consulatu duorum Geminorum, sive anno* XXIX *æræ vulgaris, ita ut duodecimo post Christi Ascensionem anno ponatur Apostolorum divisio. Videri poterunt dicta de Divisione Apostolorum, et Diatriba Henschenii ante tomum* I *Aprilis : neque enim hic locus exigit, ut repetam alibi disputata. Dixisse sufficiat, circa idem tempus a* Matthæo *scriptum fuisse Evangelium, aut paulo ante, priusquam separati erant Apostoli.*

Illud Græce redditum est tempore Apostolorum,

44 *Porro incertum æque est, quis primus fuerit interpres Græcus Evangelii secundum* Matthæum. *In Synopsi S. Athanasio vulgo attributa, tom,* 2 *Operum S. Athanasii editionis Montfauconi pag.* 202 *hæc leguntur* : Evangelium secundum Matthæum ab ipso Matthæo Hebraïca dialecto conscriptum est, et editum Jerosolymis, interpretatumque est a Jacobo fratre Domini secundum carnem, qui et primus Jerosolymorum episcopus constitutus est a sanctis Apostolis. *Non placet hæc sententia Tillemontio Nota* 2 *in* Matthæum, *Primo ait, hæc solum legi in additione Synopsi adjecta. At nullam allegat rationem, cur existimet, illa, non esse ejus-* F *dem Synopseos partem : nec ego nullam invenio apud Montfauconum. Secundo ait, vocem Græcam* ἡρμηνεύθη *posse exponi æque de nuda explicatione, quam de translatione in aliam linguam. Vere hoc dici de voce Græca lubens agnosco, sed cum adjuncta omnia et paulo post sequentia ostendant, agi de translatione in linguam Græcam; non est satis fundata illa objectio, aut justa suspicio, vocem hic ita intelligendam : nam eadem vox frequenter recurrit de translatione in aliam linguam, de eaque ibi unice agitur. Tertio ait Tillemontius* : S. Jacobus, cui cura de Judæis Hierosolymitanis erat commissa, is erat inter omnes Apostolos, cui minor erat opportunitas et necessitas transferendi Evangelium S Matthæi in aliam linguam. *At ego non video, quis Apostolorum id officium magis opportune et commode obire potuerit. Nam Jacobus manebat Hierosolymis; Apostoli omnes ad alias proficiscebantur provincias, nec scire poterant, quamdiu in singulis civitatibus aut etiam provinciis manerent. Habitanti autem in una constanter civitate commodius est librum scribere aut interpretari,*

AUCTORE J. S.

interpretari, quam de civitate in civitatem transeunti et perpetuo peregrinanti. Itaque illa sententia saltem non minus verisimilis est, quam aliorum, qui aut S. Joanni apostolo, aut S. Paulo, aut S. Barnabæ, aut S. Lucæ, aut ipsi Matthæo *versionem Græcam attribuerunt, teste Calmeto in præfatione ad* Matthæum *pag.* 26. *Nam auctor Synopsis, etsi forte non sit Athanasius, saltem eruditus admodum fuit, et antiquior videtur aliarum sententiarum patronis. Verum, quisquis fuerit interpres, certum videtur,, interpretationem Græcam Apostolorum tempore esse factam.*

et sic inventum cum corpore S. Barnabæ in Cypro, Zenone imperante,

45 *Theodorus lector lib.* 2 *pag.* 557 *editionis Valesii in Zenone hæc scribit :* Barnabæ apostoli reliquiæ in Cypro sub arbore siliqua repertæ sunt. Super cujus pectore erat Evangelium Matthæi, ipsius Barnabæ manu descriptum. . . Id Evangelium Zeno deposuit in palatio, in æde S. Stephani. *Plura de his scribit Alexander monachus Cyprius in Actis S. Barnabæ, apud nos editis ad* XI *Junii. Nam pag.* 450 *S. Barnabas dicitur apparuisse Anthemio Salaminæ episcopo, eique indicasse, ubi depositum esset corpus suum cum Evangelio* S. Matthæi. *Verba nonnulla, quæ S. Barnabas Anthemio dixisse scribitur, huc transfero :* Sub arbore siliqua effodias: speluncam enim atque arcam invenies, quoniam illic totum corpus meum conditum est, et Evangelium manu propria scriptum, quod a sancto apostolo et evangelista Matthæo excepi. *Et mox corporis inventio refertur, et de Evangelio additur:* Invenerunt etiam Evangelium supra Barnabæ pectus impositum. *Deinde vero, cum Anthemius rem gestam exposuisset Zenoni imperatori, et obtinuisset, ut Cyprus non subesset patriarchæ Antiocheno; petiit vicissim Zeno, ut ad se mitteretur inventum* Matthæi *Evangelium.* Assensus est ejus petitioni episcopus, *ait Alexander num.* 44, et quemdam ex iis, quos secum habebat *(Constantinopoli,)* una cum fidelissimo imperatoris ministro episcopum misit, qui Evangelium illud in urbem Constantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compositæ. Evangelium illud imperator in manus sumpsit, et deosculatus est, auroque multo exornatum in palatio suo reposuit, ubi ad hodiernum usque diem servatur, et in magna quinta Paschæ feria quotannis in palatii oratorio Evangelium ex eo libro recitatur. *Hæc lectio demonstrat, Græce scriptum fuisse istud exemplar, cum sola lingua Græca Constantinopoli esset vulgaris; indeque confirmatur, versionem Græcam Apostolorum tempore factam esse.*

conjectura Papebrochii de interpretatione Græca :

46 *Papebrochius noster in Annotatis ad Verba jam data apparentis Barnabæ observat sequentia :* Nativus verborum sensus videtur esse, quod Barnabas Evangelium, primitus Hebraïce editum, propria manu exceperit ex ore ipsiusmet sancti Matthæi, illud Græce dictantis, et secum tulerit, sicut etiam fecisse dicitur S. Bartholomæus *(de Hebraïco nimirum,)* plures forsitan alii, uno eodemque tenore et tempore, citra ullam differentiam ; quæ inveniri deberet, si quisque suo marte propriam sibi versionem fecisset cujus differentiæ nullum uspiam extat indicium. Atque hinc factum sit, ut alii Jacobum, alii Joannem, alii etiam Lucam vel Paulum interpretem fecerint, prout scilicet quæque ecclesia Evangelium legebat ex hujus vel illius Apostoli authographo. *Verisimilis quidem apparet hæc conjectura; præsertim cum Apostoli non videantur profecti ad longinquas provincias ante scriptum* Matthæi *Evangelium, ut dubitari vix possit, quin singuli exemplar aliquod illius Evangelii secum tulerint. Cum autem non pauci ex illis proficiscerentur ad provincias, in quibus fere sola usitata erat lingua Græca; verisimillimum est, illos Græcum potius exemplar, ut constat de Barnaba, sumpsisse, quam Hebraïcum, ut illud in ecclesiis erigendis legendum dare possent et scribendum. Verumtamen conjecturæ tantum sunt hæ; neque certi aliquid proferri potest de rebus incertis.*

exponuntur verba Papiæ

47 *Quin et verba Papiæ, data num.* 30 *contraria videntur dictis conjecturis, si intelligenda sint eo sensu, quo passim exponuntur.* Matthæus quidem, inquit, Hebraïco sermone divina scripsit oracula: interpretatus est autem unusquisque illa, prout potuit. *Hæc verba a variis ita exposita video, acsi Papias dixisset, unumquemque pro suo ingenio agressum esse interpretationem Græcam. At ea Papiæ verborum expositio nequaquam mihi necessaria videtur, imo ne satis quidem probabilis: nam vox* unusquisque *tantum insinuat numerum interpretum, ut non fiat verisimile, Papiam locutum esse de interpretatione totius Evangelii sive translatione in linguam Græcam. Quare solum dicit, divina Oracula a* Matthæo *scripto tradita; ab aliis vero pro uniuscujusque capacitate verbo aut scripto exposita. Itaque nullo modo videtur loqui de translatione Evangelii in linguam Græcam, sed vel solum de prædicatione Evangelii, vel de expositione eorum, quæ in Evangelio* Matthæi *occurrebant difficiliora. Hoc fecisse unumquemque doctorum facile credimus : at unumquemque pro suo ingenio Evangelium* Matthæi *Græcum facere voluisse, nec verisimile est, nec dicit Papias. Sola neotericorum expositio sententiam illam Papiæ attribuit, licet vox Græca* ἡρμήνευσε interpretatus est, *illam expositionem minime requirat, sed propter adjuncta potius renuat. Certum igitur esse debet, Apostolorum tempore factam esse versionem Græcam; unicamque fuisse approbatam, cum de pluribus nullus meminerit. Reliqua ad Evangelium* Matthæi *spectantia interpretibus sacræ Scripturæ examinanda relinquo.*

§ IV. Prædicatio S. Matthæi et Martyrium.

Non videntur admittenda asserta Nicetæ de imbecillitate corporis S. Matthæi :

De prædicatione Evangelii in Judæa, antequam Apostoli in designatas sibi provincias discesserunt, nullum est dubium. Nicetas Paphlago in Oratione encomiastica apud Combefisium pag. 404 *ostendit, parum aut nihil de prædicatione* Matthæi *compertum sibi fuisse. Etenim nullam nominat provinciam aut urbem, in qua fidem prædicaverit* Matthæus, *præter Hierapolim Syriæ, in qua martyrio coronatum credidit. Hac de causa, opinor, pag.* 404 *ex sola verisimiliter conjectura dicit ipsum corpore fuisse imbecilliore, Evangeliumque scripsisse, dum alii apud varias gentes prædicabant. Pluribus sane verbis id Orator prosequitur, sed pauca sufficient, cum constet de scripto Evangelio :* Quæque adeo reliqui *(Apostoli)* gentibus linguæ munere non scripta tradiderant, hæc magnus Matthæus scripta commentatione summa colligens totum Verbi mysterium sacris prædicationibus intexuit. *Ita ipse, interprete Combefisio,* Matthæum *inducit scribentem, dum alii Apostoli per mundum discurrebant, et undique sacra Evangelii semina jaciebant. Verum nec imbecillitatem corporis, de qua nihil*

A *nihil apud vetustiores,* Matthæo *fuisse impedimento opinor, quo minus Evangelium prædicaret; nec assentior Nicetæ, tunc a* Matthæo *scriptum fuisse Evangelium, quando alii Apostoli ad longinquas profecti erant provincias; sed, cum ipse Nicetas pag.* 406 *dicat, omittere se* præclara gesta, *prædicationis nimirum et miraculorum, malim credere, oratorem nihil certi de illis invenisse, quam* Matthæum *non prædicasse: neque enim scriptio Evangelii tanto tempore Sanctum detinere debuit, ut non potuerit eodem cum aliis tempore proficisci ad provinciam sibi assignatam.*

Æthiopia ipsi dicitur obtigisse ad prædicandum,

49 *Provincia autem, quæ in Actis edendis et aliorum testimonio assignata fuit* S. Matthæo, *est Æthiopia, latissimum Africæ regnum, si vox* Æthiopia *sit intelligenda sensu maxime obvio. Rufinus lib.* 10 *cap.* 9 *hæc scribit:* In ea divisione orbis terræ, quæ ad prædicandum verbum Dei sorte per Apostolos celebrata est; cum aliæ aliis provinciæ obvenissent, Thomæ Parthia, et Matthæo Æthiopia, eique adhærens citerior India Bartholomæo dicitur sorte decreta. *Eodem fere modo Socrates lib.* 1 *cap.* 19: Cum Apostoli prædicationis causa ad gentes profecturi, eas inter se sortito B dividerent, Thomas quidem Parthiæ: Matthæus vero Æthiopiæ apostolatum sortitus est. Bartholomæo India, quæ Æthiopiæ confinis est obtigit. *Accedit Fortunatus infra laudandus cum aliis pluribus, inter quos Milo monachus in Vita Metrica S. Amandi tom.* 1 *Februarii data, pag.* 874 *ita canit:*

Mattheus Æthiopas torrente ardore crematos
Ut Geon eximius sacrato diluit amne,
Et facit in speciem lotos candere nivalem.

quod intelligendum de Æthiopia contermina Ægypto:

50 *Florentinius in Notis ad Indiculum Apostolorum in* Matthæo *pag.* 158 *ait:* Communior autem videtur sententia, Matthæum prædicasse in citeriori Æthiopia, quæ vicinior est Ægypto et quæ Sonnar hodie dicitur, ac mortuum in civitate Luch *apud a Lapide* Luach) ubi etiamnum templa in honorem S. Matthæi exstare habet ex traditionibus Æthiopum *(et litteris missionariorum, quamvis eas non laudet)* Cornelius a Lapide cap. 3 Proœmii in Matthæum. *Regnum illud Æthiopiæ, quod illi* Sonnar, *alii* Sennar *nominant, situm est inter Ægyptum et regnum hodiernum Habessiniæ. Jobus Ludolfus in Historia Æthiopica lib.* 1 *cap.*2 C *ait, regnum* Sennar *esse* partem veteris Nubiæ. *Martiniere in Dictionario geographico* Sennar *regnum cum regno Nubiæ idem facit. Verum necesse non est ad propositum nostrum latius id indagare. Satis est indicasse regnum* Sennar *esse in parte Septemtrionali Æthiopiæ et proxima Ægypto. In eadem quoque Æthiopiæ parte Apostolorum temporibus regnasse Candacen reginam, cujus eunuchus a S. Philippo diacono baptizatus est, abunde colligitur ex dictis* § 1; *at rursum non inquiro, an illa latius, aut minus late regnaret. Sententia autem illorum, qui existimant, in illa parte Æthiopiæ prædicasse* S. Matthæum, *mihi admodum probabilis apparet et verisimilis: cum quia proxima erat Romano imperio ex parte Ægypti, tum quia Eunuchus reginæ Candaces erat conversus, et de illius conversione certo constabat Apostolis, tum quia ecclesiæ* S. Matthæi, *ibidem inventæ, insinuant populi antiquam traditionem, ac demum quia scriptores testantur, Æthiopiam fuisse* Matthæo *assignatum, nec ulla regio magis proprie Æthiopia fuit vocata, quam illa, cui nomen Æthiopiæ dederunt omnes geographi antiqui.*

51 *Verumtamen ea opinio displicuit Tillemontio: nam hic Nota* 2 *in* Matthæum, *allegata opinione Cornelii a Lapide, quam Florentinius retulit potius, quam secutus est, rotunde edicit, non prædicasse* S. Matthæum *in Æthiopia Septemtrionali. Bailletus fideliter secutus est Tillemontium. Unica utriusque ratio, eaque ex errore nata, hæc est, quod Æthiopia Septemtrionalis, et Ægypto proxima, non exceperit fidem Christianam, nisi seculo* IV *per S. Frumentium. Promittit autem uterque, id se ostensurum in Vita S. Frumentii. Verum non dubito eadem brevitate respondere ex sola ignorantia et errore profectam esse utriusque objectionem, quod regnum Habessiniæ confuderint cum Æthiopia Septemtrionali; historiam vero S. Frumentii adeo non obstare* S. Matthæi *prædicatio verisimilior fiat ex illa historia. Priusquam tamen argumentum ipsius discutiam, lubet paucis ostendere, quam belle secum ipse cohæreat. Tillemontius tom.* 2 *in S. Philippo diacono exponit gesta Eunuchi reginæ Candaces, quem Philippus diaconus fidem Christianam docuit et baptizavit Act.* 8. *Laudat ibi S. Irenæum lib.* 3 *cap.*12, *S. Cyrillum Hierosolymitanum Cat.* 17, *Hieronymum, Eusebium aliosque, docentes, Eunuchum illum in Æthiopiam fuisse missum ad prædicandum Evangelium; iisque assentitur, aut certe non contradicit Tillemontius. Atqui certum est, regnum Candaces reginæ fuisse Ægypto proximum et conterminum, cum Candace aliquando sine transitu alterius ditionis in Ægyptum ex regno suo exercitum duxerit, et rursum Romani similiter ditionem ipsius invaserint ex Ægypto. Qua igitur ratione negare potuit, fidem in Æthiopia Septemtrionali prædicatam fuisse ante seculum* IV? E

auctore J. S. negat id Tillemontius, sed ipse manifeste contrarius

et imperium Habessiniæ confundens cum Æthiopia illa, in qua regnavit

52 *Audiamus modo, qua ratione Tillemontius probet in Frumentio tom.* 7 *Nota* 2, *fidem non fuisse prædicatam in Æthiopia Septemtrionali ante seculum* IV. *S. Frumentius seculo* IV, *testibus Rufino lib.* 10 *cap.* 9, *Socrate aliisque, fidem annuntiavit gentibus, quos illi vocant* Indos ulteriores, *et quibus fidem ante numquam prædicatam fuisse testantur. Ex litteris vero Constantii imperatoris apud S. Athanasium in Apologia ad Constantium tom.* 1 *pag.* 315 *ostenditur, Frumentium fuisse episcopum Auxumitanum sive Axumitanum in Æthiopia. Per Indos igitur intelligendi sunt Æthiopes, et consequitur, ut his fidem numquam ante seculum* IV *prædicatam fuisse dicamus. Respondeo, totum hoc ratiocinium tolerabile futurum, si Axuma esset in Æthiopia Septemtrionali.* F *Verum Axuma est in Habessinia, cujus olim fuit metropolis, nec est in parte Septemtrionali Æthiopiæ, de qua disputamus. Totum regnum Sennar, ut hodie vocatur, sive Nubiense regnum, aut regnum Meroës, ubi olim regina Candace late imperabat, inter Ægyptum et Auxumense vel Axumense regnum est intermedium, sicut modo regnum Sennar Habessiniam inter et Ægyptum jacet. Quapropter tale est omnino argumentum Tillemontii; acsi quis probasset, fidem non fuisse prædicatam in Frisia ante seculum* VII; *indeque inferre vellet, eamdem non fuisse ante dictum seculum in Gallia prædicatam. Princeps Auxumæ, apud quem tempore Constantii et Athanasii fidem prædicavit S. Frumentius, poterat quidem pacem cum Romanis colere aut inimicitias exercere, quia dominabatur ad sinum Arabicum; sed alias longe aberat a finibus imperii Romani; sed hæc latius examinanda venient in S. Frumentio ad* XXVII *Octobris, ubi simul inquiretur, an recte* India *vocata fuerit regio per S. Frumentium conversa.*

53 *Quod argumentum Tillemontii utcumque evincit*

AUCTORE J. S. — regina Candace, ubi olim Nubiense regnum, et modo regnum Sennar dictum.

evincit, et latius probat Jobus Ludolfus in Historia Æthiopica sive regni Habessinorum lib.3 cap. 2, fidem Apostolorum tempore prædicatam non fuisse in regno Auxumitarum sive Habessinorum, magis verisimilem facit prædicationem S. Matthæi *in Æthiopia Ægypto contermina. Hinc laudatus Ludolfus in Annotatis ad lib.3 cap.2 pag.280 ex Historia Æthiopica Balthasaris Tellezii, quam frequentissime laudat, hæc adducit et sequitur verba :* Quod nonnulli dicunt, S. Matthæum Evangelium prædicasse in Æthiopia, res inter Habessinos nova est, et fundamento caret. Cum religiosi nostri illis ex historiis nostris id narrarent, responderunt (et quidem recte, *ait Ludolfus)* hoc intelligendum esse de Æthiopia inferiori (scilicet proprie dicta, *addit Ludolfus)* quæ extenditur a Suaquena usque in Ægyptum. Quandoquidem nullam umquam notitiam habent, quod S. Matthæus aut ullus Apostolus alius Habessiniam intraverit (ante S. Frumentium, *ut rursum addit Ludolfus)* uti certo docent libri illorum atque viri illorum docti, qui maxime gnari sibi videntur esse antiquitatis. *Subdit Ludolfus :* Proxime igitur ad veritatem accedere videntur ii, qui Nubiæ conversionem Matthæo Apostolo assignaverunt, quæ indubie Æthiopiæ antiquæ et proprie dictæ pars est. *Ex hisce igitur liquet, Æthiopiam Ægypto proximam, quæ nomine maxime proprio* Æthiopia *fuit dicta tempore* S. Matthæi, *et ubi incolæ nigro sunt colore magis quam in Habessinia, nullo argumento exclusam fuisse a prædicatione* S. Matthæi.

In hac autem Æthiopia prædicasse Matthæum, verisimillimum est.

54 *Porro Æthiopiam fuisse conversam diu ante concilium Nicænum, videtur probari ex canonibus Arabicis Concilii Nicæni, quos habemus apud Labbeum tom. 2 Conciliorum : nam in his cap. 36 col. 302 ita legitur :* Ut non possint Æthiopes creare nec eligere patriarcham; quin potius eorum prælatus sub potestate ejus sit, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco patriarchæ, et appelletur Catholicus. Non tamen jus habeat constituendi archiepiscopos, ut habet patriarcha : siquidem non habet patriarchæ honorem nec potestatem. Quod si acciderit, ut concilium in Græcia habeatur, fueritque præsens hic prælatus Æthiopum, habeat septimum locum post prælatum Seleuciæ. Et quando facta fuerit ei potestas constituendi archiepiscopos in provincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis : et quicumque non paruerit, synodus eum excommunicat. *Nolim tamen contendere, hunc canonem fuisse factum a concilio Nicæno : cum non ignorem, canones Arabicos ab eruditis passim rejici. Id unum observo, canonem, si quid valet, unice valere pro Nubia, sive pro Æthiopia inter Habessiniam et Ægyptum media. Attulerat eumdem Ludolfus in Historia sua ad conversionem Habessiniæ probandam; sed postea in Annotatis pag.* 282 *vidit et indicarit anachronismum, cum Habessinia fuerit conversa post concilium Nicænum, ut ipse agnoscit. Lequienus tom.* 2 *Orientis Christiani pag.* 641 *eumdem producit canonem pro conversione Habessinorum, et vel sic eorum conversionem attribuit Frumentio post concilium Nicænum ordinato. Verum nequit pro aliorum Æthiopum fide canon ille adduci, si Nicænus credatur, quam pro Æthiopibus Ægypto proximis, et eo nomine maxime notis apud antiquos. Hos autem olim fuisse Christianos constat, nec satis innotuit, a quo fuerint conversi. Eunuchum reginæ Candaces, quæ certo in illa parte Æthiopiæ regnavit, Patres multi ibidem faciunt apostolum : at certe eunuchus ille solus, cum laïcus esset, ecclesias ibi instituere non potuit. Rufinus et Socrates, quibus consentiunt S. Gregorius, Fortunatus, Eucherius, Ado, Usuardus et Rabanus,* Matthæum *in Æthiopia prædicasse tradunt, idque probabilissimum puto, si non etiam historice certum dicere oporteat.*

Aliqui affirmant Sanctum prædicasse in Perside aut in Parthia,

55 *Verumtamen nominantur et aliæ provinciæ, in quibus prædicaverit, aut mortem obierit* S. Matthæus. *S. Ambrosius in Psalmum* 45 *num.* 20 *ait,* Matthæo *Persiam patuisse, et Thomæ Indiam, insinuans, fidem a* S. Matthæo *in Perside prædicatam. S. Paulinus Nolanus in Poëmate* 19 *ait :* Parthia Matthæum complectitur. *Consentiunt Martyrologia Hieronymiana inferius laudanda, in quibus mors Sancti in Perside figitur. Alii videntur dicere* in Parthia *Sanctum esse mortuum; sed censendi sunt Parthiam non distinxisse a Persarum imperio, quod Parthi tempore* Matthæi *dominarentur. Indiculus Hippolyti apud Combefisium tom.* 2 *col.* 831 *ita habet :* Matthæus, cum evangelium Hebraïce scripsisset, Jerosolymis edidit, obdormivitque Hiereæ Parthorum civitate. *Verum exigua potest esse auctoritas illius Indiculi, apertis aliquot erroribus fœdati, cujus auctor est incertus. Addit Combefisius in Annotatis :* Etiam Dorotheus Hieropoli Parthiæ obiisse tradit. *At pseudo-Dorotheus nihilo melior est Hippolyto. Freculphus in Chronico lib.* 2 *cap.* 4 *post elogium* Matthæi *ex S. Hieronymo datum hæc addit :* Is primum in Judæa evangelizavit, postmodum in Macedonia prædicavit; requiescit in montibus Parthorum. *Quod de Macedonia dicitur, mihi non satis fit verisimile, quia notius id fuisset Græcis, si factum esset. Eadem de causa dubito, an satis probabilis sit* Matthæi *prædicatio Hierapoli in Syria, quam adstruit Nicetas Paphlago, in eadem etiam urbe defunctum scribens.*

aut in aliis etiam provinciis, quæ sunt incerta.

56 *Metaphrastes Parthos prædicationi ipsius attribuit, sed Æthiopiam ultimam facit prædicationis* Matthæi *et martyrii palæstram. Apud Assemanum in Bibliotheca Orientali tom.* 3 *part.* 2 *pag.* 5 *Amrus, scriptor seculi* XIV, *de* Matthæo *ait :* Ferunt Matthæum Evangelistam Indiam petiisse, ibique prædicasse. *Verum nec Amri illius auctoritas tanta est, ut persuadere nobis possit usque in Indiam venisse* S. Matthæum. *Assemanus ipse pag.* 3 *observat, a Syris et Chaldæis etiam numerari* Matthæum *inter Apostolos, qui prædicarunt in Syria et Chaldæa; non tamen annumerari præcipuis illarum provinciarum Apostolis. Quod Nicephorus cum Menæis* Matthæum *Mirmenæ apud Anthropophagos ait prædicasse et occubuisse, vix referri meretur, cum oriatur ex historia fabulosa et plane ridicula. Videt studiosus lector, quantum existimo, omnia illa de* Matthæi *prædicatione magis incerta esse, quam ut aliquid tuto affirmari possit; plures tamen consentire in Persidem aut Parthiam, quæ provinciæ licet distinctæ sint, facile confundi potuerunt, cum quod invicem vicinæ sint, tum quod tempore* S. Matthæi *imperium esset apud Parthos, quod postea Persæ receperunt.*

Locus mortualis varie a variis assignatur, maxime in Persico imperio:

57 *De loco mortis aut martyrii non minus varia et invicem contraria reperiuntur. In Martyrologiis Hieronymianis quatuor diebus memoria* S. Matthæi *annuntiatur; sed duobus locus omittitur, aliis vero duobus adjungitur. Ad hunc diem textus Florentinii sic habet :* In Persida civitate Tarseum natalis sancti Matthæi Apostoli et Evangelistæ. *In Corbeiensi :* In Persida civitate Tarrium. *In Epternacensi aliis antiquiore solum legitur,* In Persida, *omissa civitate; uti etiam fit Rhinoviensi apud nos.*

A *nos. Richenoviense vero consonat Corbeiensi, habetque* civitate Tarrium, *quemadmodum et Corbeiense brevius. Reliqua Hieronymiana aut solam* Persidem *indicant, aut locum prorsus omittunt. Sic ad* VI *Maii,* In Persida *annuntiatur* S. Matthæus, *non designato propius martyrii loco. Florentinius in Annotatis ad hunc diem dat conjecturam sequentem :* Tarsiana urbs Carmaniæ seu Persiæ Ptolomæo est, et Tarsium Carmaniæ seu Persiæ promontorium, de quo Arrianus in Indicis. *Est Carmania Persidi proprie dictæ contermina ad sinum Persicum versus Indiam, eratque provincia imperii Persici, habens ad latus Septemtrionale Parthiam. ita ut facile sic explicari possent Martyrologia, quæ mortem Sancti ponunt in Perside aut in montibus Parthorum, quorum tunc erat Persicum imperium. Posset similis fieri conjectura de* Tariana *aut* Tarsiana *civitate, quam in Susiana, altera Persici imperii provincia, recenset Cellarius in Geographia antiqua pag.* 488. *Neutri conjecturæ obstabunt illi, qui dixerunt,* Matthæum *occubuisse* in montibus Parthorum, *ut Freculphus superius, et Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 100. *Anonymus apud Oecumenium,*
B *qui* Matthæum *scribit obiisse in* Hiera civitate Parthiæ, *teste Florentinio pag.* 159, *uti et supra Hippolytus, et Dorotheus* Hieropoli Parthiæ, *nominant locum plane ignotum in Parthorum imperio. Nec magnopere audiendos puto illos, qui Hierapoli in Syria prope Euphratem obiisse scribunt* Matthæum, *ut Nicetas Paphlago, et auctor Menologii Basiliani. Etenim non videntur Eusebius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, aliique Patres, qui in Syria aut Palæstina floruerunt, omnes ignoraturi aut tacituri fuisse locum mortualem* S. Matthæi, *si Hierapoli in Syria obiisset.*

plures tamen et meliores in Æthiopia.

58 *Acta edenda habent,* S. Matthæum *martyrio coronatum esse in Æthiopia, in civitate regia, quæ ibidem* Natdaber, *alias* Naddaber *scribitur. Sententia autem hæc de prædicatione et morte* S. Matthæi *in Æthiopia plures videtur habere patronos et meliores, quam ulla alia. Nam præter Rufinum et Socratem, S. Eucherius Lugdunensis, scriptor seculi* V, *in Opere de Quæstionibus novi Testamenti, tom.* 6 *Bibliothecæ Patrum edit. Lugdun. pag.* 852, *ita loquitur :* Bartholomæus in Indos, Thomas tetendit in Parthos : Mat-
C thæus Æthiopes, Andreas Scythas prædicatione mollivit *etc. S. Gregorius in librum primum Regum lib.* 4 *cap.* 4 *num.* 13 S. Matthæum *vocat* Æthiopiæ prædicatorem *S. Venantius Fortunatus Gregorio contemporaneus lib.* 5 *cap.* 2 *ita canit :*

Matthæus Æthiopes attemperat ore vapores,
Vivaque in exusto flumina fudit agro.

Idem rursum lib. 8 *carm.* 4.

Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddaver alta virum.

In sequenti carmine de Naddaver *rursum meminit Fortunatus, insinuans* Matthæum *ibi mortuum et sepultum, quemadmodum Andreas Patris, Joannes Ephesi fuerunt defuncti et sepulti : Versiculus hic est :*

Quos Patra, quos Ephesus, Naddaver arce tenet.

Hæc Fortunatus, qui procul dubio credidit Naddaver *esse urbem Æthiopiæ, cum loco primum allegato non alios, quam Æthiopes, docentem inducat* Matthæum.

59 *Attamen contrariæ opinionis est Muratorius in Annotatis ad S. Paulinum col.* 451, *ubi dicit :* Urbem Naddaverem in Parthia positam arbitrarer, quo S. Matthæi ossa post mortem fuerint translata. *Hoc ille, ut S. Paulinum conciliet cum S. Venantio Fortunato, credens in utroque regno prædicasse* Matthæum, *sed in Æthiopia defunctum, corpusque ex Æthiopia in Parthiam aut Persidem a discipulis translatum. Verum cum venia viri eruditissimi, a paucis annis defuncti, conjectura illa mihi omni verisimilitudinis specie destituta videtur, omnique carere fundamento. Si Fortunatus urbem* Naddaver *in Parthia positam credidisset, postquam docentem Æthiopes exhibuerat* Matthæum, *translati corporis etiam meminisset, ne lectores suos in errorem induceret. Facilius itaque et verisimilius dici potest, S. Paulinum aut solum loqui de prædicatione* Matthæi *apud Parthos, uti ejusdem apud Persas prædicationem solummodo affirmat S. Ambrosius; aut utrique minus perspectas fuisse regiones extra Romanum imperium positas, ideoque utrumque credere potuisse,* Matthæum *in provincia aliqua famosissimi imperii Persici aut Parthici occubuisse. Hoc certum est, neutrum edicere, in qua parte latissimi illius imperii fuerit* S. Matthæus; *ideo-* E *que illorum auctoritatem non esse hic tanti faciendam, quanti foret, si minus vage loquerentur.*

[illegible] J. S. in qua urbem Naddaver assignat Fortunatus cum Actis.

mortuum crediderunt Matthæum, eaque sententia videtur probabilior.

60 *Ado in libello de Festivitatibus Apostolorum pag.* 34 *martyrium* S. Matthæi *similiter collocat in Æthiopia, dicens :* Qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebræo sermone conscripsit. Post vero apud Æthiopiam prædicans, martyrium passus est. *Consentiunt Rabanus et Usuardus de prædicatione et martyrio in Æthiopia, recentioresque plurimi. Omnibus autem consideratis et expensis, hæc mihi sententia probabilior videtur, quam quæ in Perside aut Parthia defunctum tradit. Ratio prima est, quod Æthiopia esset Ægypto contermina, ideoque non videatur prætermittenda fuisse ab Apostolis, præsertim cum eunuchi reginæ Candaces conversio spem magnam præbere posset Æthiopiæ convertendæ. Itaque, cum non constet de prædicatione ullius alterius ex discipulis Christi in Æthiopia, Patres vero plures eunuchum ipsum ibi fidei præconem faciant; videtur omnino assentiendum illis, qui* Matthæum *eo missum asserunt : solius enim eunuchi, utpote laici, dum eo reversus est, conatus non poterat sufficere ad ecclesias erigendas, nisi accederet Apostolus, aut* F *saltem sacerdos aliquis. Hunc vero fuisse* Matthæum *tradunt scriptores satis antiqui et graves ad fidem hac in re obtinendam. Altera ratio est, quod Persica aut Parthica Sancti prædicatio solum breviter et vage sit asserta ab Ambrosio et Paulino, ex quibus in Fastos Hieronymianos transire potuit. Potuit tamen ibi quoque prædicare, et postea in Æthiopiam proficisci : nam de morte aut martyrio laudati Patres nihil affirmant. Quod vero spectat ad civitatem, quæ* Naddaver *in Actis et apud Fortunatum vocatur, nulla illius plane nominis nota est in Æthiopia. Erat tamen Augusti tempore urbs* Napata *apud Strabonem pag.* 820 *dicta, quam Petronius Romano exercitui præfectus cepit ac diruit in bello contra reginam Candacen. Napatis, teste Strabone,* Caudaces regia erat. *Jam vero alii considerent, an urbs Æthiopica, quam* Napata *vocarunt Græci, non potuerit alia expositione vocis Æthiopicæ, aut saltem corruptione* Naddaver *exprimi. Eamdem urbem alibi* Naggata *scribi observat Cellarius in Geographia antiqua lib.* 4 *cap.* 8 *pag.* 156

61 *Quod*

AUCTORE J. S.

Martyrium Sancti non omnino certum, sed probabilius:

61 *Quod spectat ad martyrium* S. Matthæi; *hoc ipsum videtur dubium. Martyrologia Hieronymiana et Acta Latina cum martyrologis omnibus medii ævi insinuant,* Matthæum *obiisse martyrem. At Menologium Basilianum ad* XVI *Novembris de martyrio clare saltem non loquitur, sed utitur voce* τελειοῦται consummatur, *quo tamen verbo martyrium innui potest, maxime cum paulo ante dicatur* multa tormenta *perpessus apud Anthropophagos. In eodem Menologio ad* XXX *Junii dicitur* lapidibus obrutus. *Metaphrastes et Nicetas Paphlago martyrium generatim asserunt. In Menæis ad* XVI *Novembris primum asseritur* per ignem consummatus, *deinde datur elogium fabulosum, in quo illæsus ab igne mox in oratione dicitur, ut etiam habet Nicephorus. Heracleon, hæreticus Valentinianus, apud Clementem Alexandrinum lib.* 4 *Stromatum, videtur negare martyrium non solum* Matthæi, *sed etiam Philippi, Thomæ et* Levis, *quem perperam a* Matthæo *distinguit, nisi forte* Lebbæum *sive* Thaddæum *eo nomine designare voluit. Attamen phrasis est obscurior, mihique ambiguum est, an revera Heracleon negare voluerit, martyres fuisse laudatos Apostolos. Quod si revera id voluerit exiguæ apud omnes debet esse auctoritatis dictum illud, cum Clemens ipse paulo post dicat* : Quem *(Christum)* imitantes Apostoli, ut qui revera essent cognitione præditi et perfecti, pro ecclesiis, quas fundarunt, passi sunt. *Quapropter mihi longe probabilior apparet sententia communis, qua martyr creditur* Matthæus : *nam nec Menologium Basilianum clare contrarium habet, nec Heracleon apud Clementem : nec horum auctoritas par esse reliquis omnibus, si omnino contrarium haberent. De tempore martyrii non constat. Chrysostomus tamen Hom.* 76, *(al.* 77) *in* Matthæum *insinuat, Sanctum fuisse defunctum ante excidium Hierosolymitanum, quod figitur anno* 70 *æræ Christianæ.*

de moribus ipsius pauca solum cognita.

62 *Ceterum de modo vivendi et virtutibus* S. Matthæi *pauca reperiuntur apud veteres. Clemens Alexandrinus lib.* 2 *Pædagogi cap.* I *victus sobrietatem laudat, ita scribens* : Matthæus itaque apostolus seminibus, baccis et oleribus absque carnibus utebatur. *Chrysostomus Hom.* 47 *(al.* 48*) in Matth. ex sacris Litteris elogium collectum ita contexuit :* Cogita mihi *(inquit)* hunc ipsum Evangelistam, etiamsi non totam ejus vitam descriptam habeamus : attamen ex paucis, quæ restant, licet imaginem ejus splendentem videre. Quod humilis et contritus esset, audi ipsum in Evangelio sese publicanum vocantem; quod autem misericors esset, vide illum omnibus exutum Jesum sequentem. Quod pius esset, palam est ex dogmatibus. Intelligentiam et caritatem ejus ex eo, quod conscripsit, Evangelio videre est : universi enim orbis curam gessit. Bonorum operum argumentum habes ex throno, in quo sessurus est : fortitudinem, quod gaudens reversus sit a facie concilii. *Hactenus Chrysostomus. Eminentissimus Bona lib.* I *Rerum liturgicarum cap.* 8 *num.* 2 *refert, exstare etiam nomine* S. Matthæi *Liturgiam aliquam, quæ* Æthiopum *esse dicitur. Liturgiam Æthiopum a variis editam invenio; sed non video attributam* S. Matthæo. *Certe Raynodotius in Opere de Liturgiis Orientalibus etiam Æthiopicas edidit : at nullam ibi nomine* Matthæi *insignitam vidi. Quare existimo, illam non diu* S. Matthæo *attributam fuisse.*

§ V. De translationibus corporis, quod inventum in Lucania, transfertur Salernum, ac brachium deinde Beneventum.

Corpus Sancti primo in Armoricum, inde in Lucaniam

Quandoquidem non habemus Acta translationis S. Matthæi, *quæ fidem merentur viri eruditi, aut eam obtinere possunt hoc tempore; et scriptores antiquiores non nisi vagam aliquam et incertam dederunt notitiam de loco, in quo corpus servabatur ante translationem in Europam; difficulter aliquid certi reperietur de occasione et tempore, quo primum in Italiam fuit deportatum. Illustrissimus Columna jam laudatus, qui majorem fidem quam crisim adhibuit in sequendo Relationis Mss., quas improbabiles esse ostendi* § I, *Historiam translationis dedit minime verisimilem. Etenim cap.* 5 *narrat, Sancti corpus ex Æthiopia delatum in Britanniam Armoricam per mercatores Britannos tempore regis Salomonis, qui regnavit post medium seculi* IX; *(nam pro fictitio nunc habetur alius Salomon, quem aliquot seculis citius in Armorica regnasse aliqui olim crediderunt) depositumque in civitate Legionensi, At non ignorassent hoc, neque tacuissent omnes scriptores Galli illorum temporum, aut paulo posteriorum, si factum esset. Deinde cap.* 6 *refert, Salomonem regem anno quinquagesimo a translatione corporis a Britannis suis occisum; eaque de causa Valentinianum imperatorem, qui aliquot seculis ante Salomonem fuit mortuus, ex Italia ingentem misisse classem ad expugnandam Britanniam, et sic, capta civitate Legionensi, corpus* S. Matthæi *in Lucaniam translatum. Hæc retulisse, omissis etiam improbabilibus translationis adjunctis, refutasse est.*

translatum creditur: inventum fuit in Lucania

64 *Mox cap.* 7 *fatetur auctor, omnem memoriam de servato in Italia corpore* S. Matthæi *paulatim intercidisse; inventionemque ait contigisse* circa millesimum et quinquagesimum annum a Christo nato. *Hisce de corpore diu abscondito et demum invento consentiunt scriptores fide digni, sed factum illud figunt toto fere seculo citius, ut mox ostendam. Interea observo, priora omnia, quæ referuntur de gemina translatione, nimirum ex Æthiopia in Britanniam, et ex Britannia in Lucaniam, ex conjecturis incertis potuisse confingi; sed tam improbabiliter fuisse exposita, ut malim ignorare, quo modo et quo tempore sacrum illud corpus in Lucaniam pervenerit, quam vel minimum ex relatione illa adoptare. De capite Sancti, quod sibi attribuunt Armorici, postea agetur suo loco. Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib.* 2 *cap.* 5 *ad propositum nostrum hæc scribit :* Quinto hujus abbatis *(Aligerni)* anno, qui est a Nativitate Domini nongentesimus quinquagesimus quartus, beatissimi apostoli et evangelistæ Matthæi corpus, quod primo apud Æthiopiam, ubi et passus fuerat, postmodum autem apud Britanniam per tempora diversa quieverat, tandem ejusdem sancti Evangelistæ revelatione repertum, atque in Salernum translatum est. *Baronius, qui data Leonis verba allegavit ad annum* 954 *num.* 2, *in margine notavit, pro vocibus* apud Britanniam, *alias legi, apud* Bithyniam.

65 *Anonymus Salernitanus in Chronico cap.* 143, *sive tom.* 2 *Scriptorum Italiæ part.* 2 *col.* 280 *de*

anno 954 et non diu post translatum Salernum,

A *de inventione ita loquitur :* In ipsius temporibus inventum est sacratissimum corpus B. Matthæi in Lucaniæ finibus, atque cum debito honore per jussionem jam fati principis Salernum deducitur. Sed quot signa et miracula, et quomodo fuerit repertum, omnimodo nunc pandere obmittimus. Postmodum, Deo annuente, fideliter innotescamus, atque huic Historiæ annectere faciamus. *Hæc Anonymus, sub Gisulpho principe Salernitano memorans inventionem,licet id non appareat loco allegato, quia totum caput, in quo de Gisulpho agitur, est eo loco omissum. In Excerptis, quæ Heremperti nomine habentur tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag* 32 *eadem clarius et melius leguntur. Verba accipe :* In ipsius principis Gisulphi temporibus inventum est sacratissimum corpus B. Matthæi in Lucaniæ finibus, atque cum debito honore per jussionem jam fati Gisulphi principis Salernum deducitur. Sed quot evenerint signa et miracula et quomodo fuerit repertum, omnimodo nunc pandere omittimus : postmodum, Deo annuente, innotescemus, atque huic Historiæ adnectere faciemus. *Hactenus auctor, quicumque sit quod non inquiro.*

ubi translationis festivitas agitur die VI *Maii.*

B 66 *De anno inventionis, quem* 954 *dixit Leo Ostiensis, etiamsi forte non omnino sit certus litem movendam non censeo : cum certe illo anno principatum Salernitanum obtineret Gisulphus Guaimarii filius, sub quo inventionem contigisse ait Anonymus Salernitanus. Ughellus tom.* 10 *col.* 157 *in Episcopis Pæstanis, et Antonius Mazza in Historia urbis Salernitanæ cap.* 4 *num.* 15 *de anno etiam consentiunt. De loco ait Ughellus, corpus inventum esse* in eversæ urbis *(Pæstanæ)* ruderibus. *Mazza solum dicit, in* Lucaniæ finibus inventum. *Translationem vero enarrat his verbis :* Gisulphus Guaimarii filius etiam parvulus patri succedendo regnavit. Beati apostoli, evangelistæ ac martyris Matthæi corpus, Lucaniæ finibus inventum,... e Pestana civitate anno CMLIV, tempore præsulatus Bernardi II, summa cum veneratione in urbem Salernitanam transtulit, cujus adventum S. Grammatius II Salernitanus episcopus, ultimis ejus vitæ horis his prædixit verbis; « Non post « multa tempora ecclesia Salernitana cælesti the- « sauro decorabitur, atque ad summum honoris api- « cem ducetur ». Festum vero dictæ translationis singulis quibusque annis pridie Nonas Maji sole- C mniter per octo dies hymnis, rosis et floribus, maximo populi concursu celebratur : universusque clerus, abbates, ac comprovinciales cuncti episcopi primis Vesperis, nec non Missæ solemni interesse compelluntur. *Hæc Mazza. Quod autem spectat ad prædictionem S. Grammatii, eam etiam refert Ughellus in Archiepiscopis Salernitanis, sive tom.* 7 *col.* 352 *in S. Grammatio, qui ibidem dicitur coli die* XI *Octobris; ad quem diem latius apud nos examinari poterit. De reliquis similiter Mazza assentitur Ughellus in Bernardo II col.* 362, *additque corpus delatum esse* in ecclesiam majorem sanctæ Mariæ. *Gaspar Musca in Compendio vitæ.* S. Matthæi *de his ait:* Anno vero CMLIV sub Agapito secundo *(Papa,)* Bernardus secundus hujus nominis episcopus, ac Gisulphus princeps Salernitanorum die sexta Maji, corpus Apostoli ex Pæstana civitate Salernum in cathedralem ecclesiam sub vocabulo sanctæ Mariæ Angelorum transferri curarunt in qua requievit annos CXXI. *De hac translatione itaque non videtur dubitandum.*

67 *Attamen alia nonnulla veniunt examinanda, quæ in corporis inventione et ante translationem Salernitanam narrat Marsilius, et breviter laudatus Musca perstringit his verbis :* Quo tempore beatissimus Apostolus Pelagiæ cuidam moniali vetulæ in somnis corpus suum manifestas *, ipa filio Athanasio monacho, qui in altari quodam a barbaris diruto, et vepribus undequaque contecto, sacrum corpus reperiens, exinde ad parvam ecclesiam prope Pæstanam civitatem locavit. Hinc vero Joannes Pæstanus episcopus ad cathedralem vocabulo Sanctæ Mariæ eximia pompa deportavit. *Marsilius cap.* 7 *una cum relatione Ms. habet, Pelagiæ apparuisse* S. Matthæum *tribus consequenter noctibus, eique varia indicasse signa, quibus sacrum corpus reperiretur, jussisseque omnia eam indicare Athanasio filio, et cum eo corpus quærere. Tertia autem nocte, si rem recte enarravit auctor, eadem visio apparuit etiam Athanasio monacho, et utrique pœnam minitatus est apparens Apostolus, nisi ad sacrum corpus quærendum se accingerent. Quapropter mane simul egrediuntur per viam indicatam, quærunt data indicia, et cito reperiunt. Fodiendo igitur altare detegunt, amotaque mensa marmorea, sacrum corpus inveniunt. Hoc vero defert Athanasius ad matris domum, ibique* asservari jubet, *inquit Marsilius*, quamdiu divina quapiam revelatione E moneatur, quid de eo sit deinceps ab ipsis agendum. *Nihil in Ms. legitur de exspectata hac revelatione, nihil quoque de mandato Apostoli, quod Marsilius astruit cap.* 8, *ut corpus transferretur Salernum.*

AUCTORE J. S.

Inventio corporis, quam præcesserunt variæ apparitiones,

* cum manifestasset

relata ex Ms Qui illud invenerat, Athanasius monachus.

68 *Post apparitiones Pelagiæ et Athanasio factas, in quarum ultima minæ erant adjunctæ, in Ms. inventio sic refertur :* Qua comminatione compulsus Athanasius, falcastrum *(instrumentum falcis instar ad rescindendum vepres)* arripiens, prædictum sibi locum curiosa indagatione cœpit inquirere. Sed is locus tanta erat veprium densitate contectus, ut nullus, qua ingredi posset, pateret aditus. Et cum veprium densitatem toto nisu succideret, tandem eversa ecclesia, ut sibi per revelationem ostensa fuerat, oculis illius apparuit : sed altare, quia congerie spinarum atque urticarum admodum erat contectum, minime poterat intueri. Tunc cæsis, quæ superant, spinis ac sentibus, ad quod jam flagranti desiderio intendebat, ipsum etiam altare invenit : inventum cum magna cautela reserare tentavit : et ut marmor, quo idem altare erat opertum, ex suo loco movisset; illico locus quadris contextus lateribus, in quo corpus F sanctissimi Apostoli et Evangelistæ quiescebat, apparuit. Inde Athanasius tremebundus corpus Apostoli detegens, cum multa diligentia in sindone munda involvit, suisque imponens humeris, ad proprium habitaculum remeavit, et pretiosum thesaurum matri custodiendum dedit. *Mox in Ms. sequitur voluisse Athanasium primo Constantinopolim, deinde Romam, cum sacro corpore navigare, sed ab utroque itinere impeditum. Eadem narrat cap.* 8 *Marsilius, sed non sine adjunctis aliquot, quibus facta in Ms. relata magis fiunt improbabilia, et magis, quam necesse est, accusatur Athanasius.*

cum non posset Constantinopolim aut Romam vehere, abscondit in ecclesia.

69 *Quare ista quoque ex Ms. huc traduco :* Interea clam sanctissimum corpus Constantinopoleos deferre meditabatur ad urbem, revera non religionis gratia, sed lucri cupiditate illectus. Ignorante itaque matre, tollens Apostoli corpus, Amalphiam adire tentavit, sperans se ibi aliquod inventurum esse navigium, quo Constantinopolim properaret. Cumque festinus lembum intrasset, velo remoque nitentibus nautis, ad locum, quo disposuerat, pergit ire. Sed ut navis paululum

AUCTORE J. S.

lulum a terra discessisset, ruunt agmina ventorum, pluvia et tempestas exorta est, in tantum equidem, ut vix ad portum, quem reliquerat, remearet. Hoc ille frustratus consilio, iterum secum cogitabat, qualiter cum sanctissimo corpore Romam properaret : sed nequaquam Dei valuit obsistere voluntati, qui tale in has partes dignatus est transmittere donum. Nam denuo navigio præparato, assumptis validis in remigando viris, placida æquora est ingressus. Sed antequam littus vix oculis reliquisset, ingens procella subito erupit, ita ut vix voraginem evaderent pelagi. Tandem, quamvis cum magna mœstitia, semivivus suos redit ad fines : cumque cognovisset veraciter, sibi Deum obsistere, et adeo contra se insensibilia elementa pugnare, in ecclesia, quæ non longe a cella illius sita erat, sacratissimum abscondit thesaurum. *Hæc in Ms., ex quo nequit certo colligi, Athanasium Constantinopoli aut Romæ sacrum corpus vendere voluisse, ut scribit Marsilius. Lucrum enim sperare poterat, etiamsi corpus non venderet, ex benevolentia et liberalitate eorum, quibus illud donaret. Alia Marsilii adjuncta* B *mitto.*

Corpus transfertur ad ecclesiam Caputaquensem;

70 *Post data verba auctor Ms. narrat, innotuisse Joanni episcopo Pæstano inventionem corporis* S. Matthæi*; eumque cum clericis aliquot perrexisse per auram pluviam et ventosam ad locum, ubi depositum erat; eoque vocari jussisse Athanasium. Hunc, ubi advenerat, de invento corpore interrogat, ac tergiversantem minis urget, et sic obtinet, ut ad videndum sacrum corpus ducatur, illudque cum clericis videat.* Episcopus vero, *ait auctor*, sacrum corpus *(jam visum)* sindone iterum involutum anuli sui impressione signavit, signatum in arca seris munita, sigillis similiter consignata, reposuit. *His factis, si credimus auctori, petiit episcopus, ut Athanasius monachus esurientibus cibum quæreret et apponeret. At ille cibos quidem habebat, sed vino prorsus carebat. Episcopus igitur inter comedendum afferri jussit vacuum vasculum, quod omnibus sufficiens vinum effudit, si vera narrat Anonymus, qui ea pluribus exponit. Marsilius vero plura etiam adjungit. Mihi, ut fatear, omnia illa magis suspecta sunt falsitatis, quam ut ipsa verba huc transferre lubeat. Apertius est commentum, quod sequitur, acsi noctu per fenestram in ecclesiam irrumpere* C *voluisset Athanasius, et sacrum corpus clam alio deportare. Æque fabulosa videntur adjuncta omnia translationis ad civitatem Caputaquensem. Itaque omissis reliquis, ultima solum verba subjungo :* Castrum, cui Caput-Aquis nomen est, ascenderunt, atque in ecclesia sanctæ Virginis Mariæ, in qua præfatus episcopus præsulatum regebat, cum omni reverentia deposuerunt. *Ex his verbis, si quid valent, recte colligitur, episcopos Pæstanos jam seculo* X *resedisse in civitate Caputaquensi, et consequenter episcopos Caputaquenses ex Pæstanis ortos, de quo dubitat Ughellus. Verum ad rem redeamus.*

inde ad cathedralem Salernitanam.

71 *Audierat Gisulphus princeps Salernitanus inventionem et translationem sacri corporis, eaque de causa* nimium de tanti thesauri inventione gavisus, *ait Anonymus in Ms.*, venerabilis vitæ Joannem abbatem aliosque honorabiles viros ad Pestanum direxit episcopum, mandans, ut patrocinium patriæ Salernitanæ adinventum sibi sub omni celeritate transmitteret. Sequenti vero die venerabilis abbas, et qui cum eo missi sunt, inæstimabili thesauro onusti revertuntur. Sed antequam urbem propius accederent, una cum Bernardo venerando præsule tota civitas obviam pergit ire. Ubi autem Apostolicum corpus adepti sunt, D tanto repleti sunt gaudio, ut gestu et vocibus exultantem lætitiam ostentarent. Præsul vero, assumpto venerabili corpore et sericis obvoluto tegminibus, cum hymnis et laudibus in urbem rediit : atque in aula Dei Genitricis debita reverentia collocavit, in qua præsentiam sui corporis Evangelista sanctissimus suis virtutum miraculis declaravit. *Mox sequuntur in utroque Ms. beneficia quædam patrocinio* S. Matthæi *miseris præstita, quæ lectoribus, prout ibi leguntur, communicabo, abscissis tamen nonnullis superfluis, quæ tradam compendio.*

Nonnulla beneficia patrocinio S. Matthæi, ut creditur, obtenta.

72 Vir quidam, Andreas nomine, cujus filia diutina infirmitate oppressa languebat, adeo ut domus tota vicinum jam ejus obitum exspectaret, paterno motus viscere diu plorans, tandem fessus somno arripitur. *Somniabat autem, filiam suam sibi e brachiis eripi a tetro spiritu; mox vero adstare virum venerabilem, qui dolenti patri filiam restituit. Rogat pater, quis sit, et munus offert. Ille autem placido vultu respondit :* Nullo tuo indigeo munere; sed scias, me esse apostolum et evangelistam Matthæum, cujus corpus hesterno E die Salernum translatum est. Et hæc dicens, ab oculis ejus ablatus est. Expergefactus Andreas cum magno tremore suam filiam requisivit : sed eam saluti jam reperiens restitutam, quod sibi in somnis ostensum fuerat, cunctis, qui aderant, enarravit. Primo autem diluculo venerabilem adiit præsulem, eique mirabile factum Apostoli, quod in filia ejus patraverat, ordine recitavit. *Verisimile est, patrem pro filia pridie opem* S. Matthæi *implorasse : id tamen auctor prætermisit.*

73 Eodem tempore mulier quædam unicam habebat filiam, cujus viscera tam gravibus contorquebantur doloribus, ut medici, impendendi remedii causa laborantes, nullum valerent conferre subsidium. Ejus cruciatus mater non sustinens, filiam ad corpus Apostoli detulit, ubi lacrymosis oblatis precibus, salutem natæ, quam ingenti desiderio postulabant, meruit impetrare, ita ut quæ alienis allata fuerat manibus, domum cum matre suis gressibus remearet.

74 *Tertium beneficium dicitur præstitum servo cuidam Rothildæ, sororis Gisulphi principis Salernitani, et viduæ* Athenolphi principis Beneventani. *Athenolphi autem illius mentionem invenit Muratorius in Annalibus Italiæ usque ad annum* F 940, *ita ut inde conjiciat, eodem anno* 940 *ipsum obiise. Mihi necesse non est, tempus obitus Athenolphi propius inquirere. Solum observo, viduam ipsius Rothildam potuisse facile superesse usque ad annum* 954, *quo omnia contigisse dicuntur, maxime cum* in viduitate perdurans, *id est, diu vidua in Ms. asseratur. Servus autem Rothildæ,* Stephanus *nomine, dicitur cum impatientia et cum invocatione diaboli aquam petiisse, acceptamque aquam ubi ebibisset, obsessus fuisse a dæmone. Res confestim innotuit non solum Rothildæ, sed etiam Gisulpho principi, cunctisque proceribus et episcopo Salernitano. Servabatur energumenus in sacello palatii vinculis constrictus, et episcopus omnes hortabatur ad preces pro eo fundendas.* Dum hæc agerentur, *ait auctor*, Athanasius intererat monachus *(corporis inventor,)* qui, ut jam diximus, de manu Pæstani præsulis dentem sanctissimi Evangelistæ susceperat *(nimirum dum eidem corpus tradidit, ubi id affirmat auctor.)* Is accedens, præfatæ Rothildæ auribus intimavit, dicens : Penes me habeo dentem apostoli et evangelistæ Matthæi. Hic manu præsulis mittatur in benedictam aquam,

A aquam, quam dum sumpserit dæmoniacus, mirabilia Dei videbis. Et hæc dicens, Rothilda annuente et deposcente, ut fieret, dentem præsuli suis tradidit manibus. Allata itaque aqua, idem præsul signum Crucis edidit, dentem in aquam misit. ablatoque dente, aquam illi, qui maligno spiritu vexabatur, obtulit comminanter, atque, ut biberet, imperavit. Qua sumpta, acriter vexari cœpit. Et quia iniquus hostis, sacro obsistente potu, per os exire non valuit, cum ingenti fœtore per posteriora egressus est. Quapropter omnes Salvatori Deo pariter gratias retulere, qui per Apostolum suum tale dignatus est operari miraculum. Athanasius autem dentem, quem ad expellendum hostem malignum dederat, recolligere satagens, multis frustra effusis precibus, nequaquam valuit obtinere. *Hactenus priora beneficia Salernitanis collata.*

Translatio brachii Beneventum,

75 *In utroque Ms. subjungitur translatio brachii Beneventum, de quo tamen nihil reperio apud Viperam aliosque scriptores Beneventanos. Quid causæ sit, nequeo divinare, nisi forte, quod brachium istud non diu manserit Beneventi. Subjungam tamen, quæ in Mss. reperio, quæque ex* B *iisdem etiam enarravit Marsilius cap.* 10. Cum autem fama signis miraculisque longe lateque vulgaretur, et Landulphus Beneventanus princeps audisset, Salernitanum populum beatissimi Matthæi corpus, Christo donante, possidere, convocans suos magnates et sapientes, Scitote, inquit, a Deo donatam salutem Salernitanis advenisse, eosque corpus sanctissimi apostoli et evangelistæ Matthæi, ipso revelante, in Lucaniæ finibus repertum, cum hymnis et laudibus intra urbis suæ mœnia collocasse. Unde, si placet, Salernitanum principem atque pontificem pariter obsecrando mandemus, ut ad tutelam nostræ quoque civitatis ex eodem sanctissimo corpore partem aliquam largiri dignentur. Illis autem principis dicta probantibus, missi sunt protinus illustres viri Salernum, magni muneris preces humillimas deferentes. Quos princeps et pontifex benigne suscipientes, atque eorum petitionibus annuentes, brachium illis sacri corporis summa cum reverentia tradunt, suis concivibus deferendum. Quo accepto, plurimum gratulantes, immensasque Deo atque Apostolo Christi gratias referentes, incomparabilique dono tripudiantes, Beneventum con-C cito gradu regressi sunt. Sed antequam urbis mœnibus applicuissent, idem princeps et episcopus, qui tunc eidem civitati præerant, cum omni populo utriusque sexus et ætatis eis obviam exierunt, atque cum hymnis et laudibus sacri corporis brachium honorabiliter transtulerunt, atque intra urbis mœnia reverenter collocarunt.

in cujus adventu beneficium captivo præstitum dicitur.

76 *His additur beneficium, quod accepisse asseritur* Laudulphus *cognomento* Græcus, *qui Beneventi carcere erat reclusus, et manibus pedibusque vinctus. Dum enim audiebat sonitus festivos, intelligebatque eos edi ob allatum* S. Matthæi *brachium, eidem Sancto se commendavit, et mox omnia vincula sua dirupta vidit, mirantibus cunctis, qui aderant.* Cumque hoc principi fuisset relatum, *inquit auctor*, eum ocius de carcere educi mandavit, atque ante suum conspectum adduci : quem placitis correptum verbis suo confestim honori restituit, pristinamque illi gratiam redonavit. *Hactenus auctor anonymus, qui verisimiliter floruit seculo* x, *cum nihil tradat de iis, quæ sequenti seculo facta videbimus ; imo vehementer suspicor, non alium esse ab Anonymo Salernitano, qui verbis num.* 65 *datis de hisce uberius se scripturum promisit,*

AUCTORE J. S.

§ VI. Corpus iterum inventum Salerni, et ad novam ecclesiam translatum : varia Sancti beneficia.

Corpus, quod forte occultatum fuerat,

Quamquam non satis novimus, quo tempore aut cujus opera corpus S. Matthæi *in Lucaniam fuerit delatum, illud tamen ibidem anno* 954 *inventum, et Salernum opera Gisulphi principis et Bernardi episcopi Salernitani translatum scriptores testantur tam antiqui, nimirum Anonymus Salernitanus, qui fere eodem vixisse tempore videtur, et Leo Ostiensis, ut fidem iis negare nequeamus. Quam facile autem illius corporis memoria interire potuerit in Lucania, ubi depositum fuerat in ecclesia prope Pæstum, civitatem bellicis motibus prorsus dirutam, clare perspiciemus ex iis, quæ sequenti seculo contigerunt in ipsa civitate Salernitana, ubi similiter primo fuit oblivione perditum, ac postea feliciter inventum. Baronius ad annum* 1080 *ex conjectura verisimillima dicit,* ob varia bellorum discrimina occultatum *fuisse, et, ut credidit,* ex hominum memoria jam effluxerat ; *sed forte solum ignotus erat locus, ubi* E *fuerat depositum. Hoc autem non raro contigit de aliis quoque Sanctorum corporibus, quæ timore nimio, ne auferrentur a quoquam, deposita fuerant loco paucis cognito, et sic aut multo tempore latuerunt aut etiamnum latent.*

Salerni iterum inventum

78 *Certum quoque est, tempore S. Gregorii Papæ VII inventum fuisse Salerni corpus* S. Matthæi, *et secundum hanc esse inventionem sacri illius thesauri in regno Neapolitano, licet Marsilius cap.* 9 *secundam inventionem cum prima confundat. Annum inventionis secundæ nullibi assignatum invenio. At cum temporibus Gregorii VII, Alphani archiepiscopi Salernitani, et Salernum tenente Roberto Guiscardo, facta sit illa inventio, ut colligitur ex litteris Gregorii ad Alphanum mox recitandis, non potest longe abesse ab anno* 1080, *quo refertur a Baronio. Nam anno* 1077 *Salernum a Roberto Guiscardo occupatum existimat Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 1077. *Alii ad* 1075 *aut* 1076 *illius civitatis expugnationem referunt.* F *Obiit autem laudatus Robertus anno* 1085, *uti et Gregorius VII, imo et Alphanus archiepiscopus secundum Ughellum. Inventio igitur certo contigit inter annum* 1075 *et* 1085, *ideoque, ut minimum, centum et viginti annis post primam, ut nulla ratione cum illa confundi valeat. Recte igitur ambas inventiones distinguit Gaspar Musca in Compendio de Vita et translationibus* S. Matthæi *et in Archiepiscopis Salernitanis.*

tempore Gregorii Papæ VII,

79 *Epistola S. Gregorii VII, ex qua jam dicta colliguntur, apud Baronium ad annum* 1080 *recitatur hoc modo :* Gregorius episcopus servus servorum Dei fratri et coëpiscopo Salernitano Alphano salutem et Apostolicam benedictionem. Divinæ pietatis respectui gratias ingentes referimus, cujus dignatio thesaurum magnum totique mundo profuturum nostris temporibus misericorditer revelavit. Non immerito tuæ quoque dilectioni gratulamur, quæ tantæ lætitiæ cælitus revera ostensæ participes nos efficere sollicite procuravit. Credimus siquidem et incuntanter asserimus, et tanti corporis

AUCTORE J. S.

corporis inventione non solum ipsum beatum Matthæum apostolum, verum etiam ceteros coapostolos cum Sanctis omnibus ipsisque cælestibus spiritibus, et gloriosa Dei Genitrice Maria, mortalibus congaudere, atque ipsorum omnium studia circa humanum genus hoc tempore, quam aliis, multo propensiora multumque esse uberantiora. Si enim cæteris temporibus Sanctorum nos patrocinia pia non deserunt; certissime tunc potissimum speranda sunt eorum auxilia, cum sanctissima eorum corpora nobis quasi rediviva divino nutu manifestantur : et sicut per corporei aspectus intuitum tamquam fides cernitur, spes jam tenetur; ita eorum beneficia tunc erga devotos renovari, uberiusque redundare credendum est. Unde etiam sancta universalis Ecclesia, dudum magnis turbinibus variisque procellis impulsa, clamorem suum a Domino exauditum non dubitet, sed ad quieti littoris securitatem alacres oculos e vicino intendens, beati Matthæi apostoli præsidium juxta contempletur; quoniam jam nunc non dubie agit in portu, cui suam præsentiam ostendit Gubernator antiquus. Quapropter de tanti thesauri revelatione tua fraternitas exultet in Domino, et beatissimas
B reliquias debitæ venerationis obsequiis dignis amplectens, gloriosum ducem Robertum, ipsiusque nobilissimam conjugem hortetur et moneat, quatenus tam insigni Patrono, qui se eis demonstrare dignatus est, reverentiam et honorem decenter exhibentes, ipsius gratiam et auxilium sibi suisque promereri nisibus summæ devotionis contendant. Dat. Romæ XIII Kal. Octob. *Hactenus Gregorius, cujus Epistola procul dubio data est, postquam pacem inierat cum Roberto Guiscardo, quod factum est anno* 1078, *ut ostendi ad* XVI *Septembris in B. Victore III* § 8; *cum honorificam de Roberto faciat mentionem. Rursum scripta certo est epistola Gregorii, antequam Roma anno* 1084 *discederet, et verisimiliter ante conditam a Roberto* S. Matthæi *ecclesiam, de qua mox agam, ut necesse sit, tam inventionem, quam scriptionem Epistolæ Gregorii figere circa annum* 1080 *: hoc enim ipso anno contigerit, aut uno alterove anno citius aut serius.*

translatumque ad novam basilicam a duce Roberto constructam,

80 *De constructo* S. Matthæi *templo post expugnatum Salernum in Chronico Casinensi lib.* 3 *cap.* 45 *leguntur sequentia :* Civitate autem potita, Robbertus ecclesiam sancti apostoli et evangelistæ Matthæi inibi construi jussit, in quam etiam sacrum ejusdem Apostoli corpus summa cum vene-
C ratione locavit, os integrum brachii ejus, argentea theca reconditum ad suam filiorumque tutelam reservans. *De hujus ecclesiæ constructione illustrissimus Marsilius cap.* 9 *pag.* 71 *ista scribit :* Regnante igitur Roberto Guiscardo, ac sedente Gregorio VII, triginta circiter anni ab inventione transierant *(imo centum et circiter virginti quinque ab inventione illa, de qua loquitur, in partibus Lucaniæ)* magnificentissimum templum divo Apostolo construitur ære ipsius Roberti peculiari, in quo per novam veluti translationem sacræ reliquiæ demum repositæ sunt, et hodie quoque religiosissime asservantur, et singulis quibusque annis pridie Nonas Maji festum ipsius divinæ translationis solemniter celebratur, quo clerus universus, abbates, et comprovinciales episcopi omnes convenire ac primis Vesperis nec non Missæ solemni pontificalibus induti interesse, certa proposita pœna tenentur. Quod et sine intermissione hactenus diligentissime servatum est, et assidue servatur. *Post hæc laudatus auctor pergit ad descriptionem regionis Picentinorum, et urbis Salernitanæ, quæ ejus est metropolis, ad mare Tyrrhenum et sinum Salernitanum sita. Tum templum* D *jam dictum, quod metropolitanum est, late describit, illudque ait esse* longitudinis passuum nonaginta, latitudinis vero triginta, et justæ itidem altitudinis.

ibique depositum sub altari in crypta.

81 *Cryptam templi subterraneam, in qua depositum est corpus* S. Matthæi, *similiter describit, et de corpore ibi servato ita loquitur pag.* 80 : Sed quod est in ipsa crypta venerabilius, et ex orbe toto Christianos homines allicit; quiescit ibidem sanctissimum et glorississimum Matthæi apostoli et evangelistæ corpus religiossime collocatum : siquidem quadratum est in media crypta spatium, quod lapidei cancellatique parietes bicubitales ambiunt ad ulnas ex omni latere duodecim, quo veluti septo altare cingitur vetustissimum, sub quo thesaurus ille repositus est, ita ut locus ipse per ferreos cancellos commode videri possit. Tanta fuit autem olim et est hodie quoque celebritas loci hujus, ut non Salernitani modo, sed omnium circumquaque provinciarum incolæ assidue concurrant : immo vero et remotissimæ quoque gentes ex Europa tota frequenter confluant, et tam ingentem visuræ beatitudinem, et a Deo Domino E ex hujus Apostoli meritis petituræ divitias, honorem, vitæ diuturnitatem, optatam denique felicitatem in hoc sæculo, et *(præcipue quidem, si sapiunt, gratiam Deo bene serviendi, obtinendique)* gloriam in futuro perpetuam. *Auget cum admiratione pietatem liquor* pretiosus et sanctus (MANNA vulgo dicitur) qui ex beatissimo corpore manat, ad mala omnia propellanda antidotus præsentissima, quemadmodum frequens docuit experientia plurium sæculorum. Hæc de sacri corporis novissima translatione sufficiant, *inquit auctor, qui transit ad miracula quædam exponenda. At nonnulla ex illis jam exposui, alia quædam ad alios potius Sanctos, quam ad* S. Matthæum *spectare videntur. Quapropter ea tantum huc traduco breviter, quatenus* S. Matthæi *patrocinio prudenter adscribi possunt.*

Nonnulla

82 *Mitto igitur, quæ cap.* XI *refert Marsilius de translatis ad ecclesiam* S. Matthæi *corporibus SS. Fortunati, Caii et Anthes martyrum : neque enim spectant ad* S. Matthæum, *et de dictis martyribus apud nos actum est ad* XXVIII *Augusti, ubi translatio illa accuratius est exposita. Quod subjungit de pia anu, cui nomen erat* Polisena. *nequit certo attribui beneficio* S. Matthæi. *Verba tamen pleraque auctoris huc transfero. Frequen-* F *tabat illa diligentissime, ut pluribus refert, ecclesiam* S. Matthæi, *quotidie accedens ad sacrum Officium.* Factum fuit, *inquit,* ut, cum solemni quodam die templum ingressa, toto corde gloriosum Apostolum salutaret, et lustrali sese aqua perfunderet, guttæ omnes, quæcumque pallium atque linteolos tetigerant, in aurum purissimum verterentur, quod et populus universus magna cum admiratione perspexit, et familiæ nomen ex accidenti indidit, que de Aurofino dicitur, prout per patrum traditiones ad hanc usque diem fama perrexit. *Verum non apparet mihi factum istud ex sola traditione satis certum, nedum certo attribuendum* S. Matthæo. *Ex traditione sola etiam fortasse scripsit Marsilius, quod subjungit de Salerno divinitus defenso contra Ferdinandum Sanseverinum principem Salernitanum. Factum tamen breviter subjicio.* Valdemontius Lotharingiæ reguli frater, *inquit,* facili negotio occupaverat Salernum, *ut pluribus narrat Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 1527. *Ferdinandus princeps,* re intellecta,

A *intellecta, confestim turmam colligit militarem ad civitatem recuperandam et cives puniendos.* Tantum abfuit, *inquit auctor*, ut voti compos existeret, ut et confestim repulsus fuerit, et plurimos ex suis militibus unius horæ spatio desideraverit. Nec vero tam felicem fortemque operam oppidani præstiterunt, qui et paucissimi inermes erant: sed stetere magno quidem numero in hostium conspectu pro civibus galeati thoracatique milites cælestis exercitus sub quatuor ductoribus eximiis, quos fuisse gloriosissimum Matthæum et tres tutelares Sanctos *(Fortunatum et Socios)* haud sane dubium fuit; cum populare fuerit spectaculum, et princeps ipse singulique milites id ipsum, pacatis postea rebus, prædicaverint. *Hactenus auctor, qui eodem seculo scripsit, rebus tamen gestis non adfuit, utpote necdum natus.*

mirabilia 83 *Subjungit aliud factum, quod ait contigisse circa idem fere tempus. Pauca nobis de illo sufficient. Fur sacrilegus locum sepulcri* S. Matthæi *expilavit. Comprehensus ille fuit alia de causa, eaque occasione istud quoque crimen ultro confessus.* Et post dies aliquot, *inquit*, tanto est fœdere B *(fœtore, opinor)* ac mœrore correptus, ut contracta propriæ carnis corruptio in pediculos fuerit paulatim conversa, quorum tanta epullulabat vis, ut non modo tunicas ejus omnes impleret, sed totum plane corpus passim eroderet. Quamobrem fœdissimis illis vermibus celeriter putruit, et justa divini Numinis ira (quemadmodum ipse palam omnibus fatebatur) eo ipso morbo miserum evomuit animam. *In pauca similiter contraham, quod anno* 1524 *et* 1525 *contigisse auctor affirmat.* Bernardinus quidam e Naccarellorum familia, *dum* feria sexta in Parasceve *prioris anni erat in ecclesia* S. Matthæi, *dubitabat de particula sacro-sanctæ Crucis, venerationi proposita,* et impia hæc verba protulit: Ehu! quid si Christi crux mons ipse Vesuvius fuisset? *His dictis,* statim obmutuit, *mutusque mansit usque ad eumdem diem sequentis anni; licet de peccato suo multum doleret. Pridie illius diei, cum ad ecclesiam pergeret, monetur a mendico S. Geminiani episcopi Mutinensis opem implorare. Quando autem postridie in ecclesia* S. Matthæi *divino servitio intererat, proferente episcopo verba illa,* Ecce lignum crucis, *ait auctor,* Bernardinus, qui summa devotione prociderat, divino Spiritu agitante, clamavit voce magna: C Ecce lignum Crucis, cæteraque verba singula deinceps explicuit, quæ per antistitem dicta sunt, et statim veluti mortuus cecidit. Tunc vero, quia notus civibus erat, et nemo ignorabat, illum antea loqui non potuisse, acclamavit populus universus. Miraculum! miraculum! Et tametsi per id tempus nullus sit in ecclesiis campanarum usus, sed ex veteri Ecclesiæ ritu ligneis instrumentis soleat strepitus excitari lugubris, quamdiu jacuit in sepulcro Salvator, pro miraculi tamen hujus novitate, omnes campanæ confestim pulsatæ sunt, cæteraque instrumenta omnia, quæ habentur in ecclesiis ad psallendum.

et beneficia 84 Interim ad se reversus Bernardinus palam fecit omnibus, quod hactenus agitaverat corde tantum, nempe ante annum ea ipsa die impium se infidelemque fuisse, quod sacratissimæ Crucis particulam adulterinam et commentitiam crediderit; ideoque loquendi facultate merito privatum fuisse: nunc vero præcedenti illa nocte secum in somniis locutum fuisse beatum Geminianum Mutinensem, monuisseque, ut eadem ipsa hora, quæ tunc anno recurrente jam jam appetebat, eodem loco suum deploraret peccatum coram gloriosissimo apostolo Matthæo; et crederet veram illam Crucis esse portionem, in qua Salvator Jesus pro humana gente pependit: fecisse se paulo ante, quidquid vir ille sanctus monuerat, et sanctissimum Matthæum exorasse, ut fidei suæ protestationem Christo Domino dignaretur offerre, ac statim loquendi vim amissam recuperasse. Hæc omnia fusius ipse perque multos gemitus palam exposuit; rogavitque præsulem, ut miraculum istud curaret in acta referri ad perpetuam rei memoriam. Quamobrem publicis documentis jussit hoc diligenter comprehendi: quod tum ipsius Bernardini jurejurando, tum canonicorum omnium, qui præsentes fuerant, solemni fuerant attestatione firmata. AUCTORE J. S.

85 *Post hæc pergit auctor ad beneficium defensi divinitus contra classem Turcarum Salerni. Hoc accidit, ipso saltem vivente, sed necdum Salerni degente. Secundum Annales Muratorii res facta est anno* 1544. *Audiamus Marsilium, rescissis tamen adjunctis aliquot non necessariis:* Quo tempore . . . Carolus V Romanorum imperator, et Franciscus I Gallorum rex de totius fere Italiæ primatu contendebant, impetravit Gallus a Solymano Turcarum principe classem validam et E numerosam, Hariadeno Barbarussa præfecto, ut maritimas oras, quæ cæsareæ factionis erant, vexaret atque diriperet. *Factum hoc anno* 1543. *At, cum sequenti anno Franciscus I terribilem illam classem, quæ nihil utilitatis attulerat, meliori consilio remitteret; Barbarossa in transitu varias civitates maritimas et insulas partim frustra tentavit, partim cepit et deripuit, ut pluribus exponit auctor. Salernum similiter invadere voluit.* Plane ubi in ejus conspectum devenit, *inquit Marsilius*, armorum fulgore et aspectus feritate terribilis, civibus cunctis catenas et compedes, urbi autem barbaram vastationem denuntiabat. Quocirca ad trucem tympanorum sonitum et minaces tibiarum modulos, usque adeo populus universus expavit, ut demigrantes incolæ animo consternato, et summa cum trepidatione fere omnes ad montana confugerent. Fervebat tum maxime æstas sub septimum Kalendas Quinctiles, et tanta erat cæli marisque tranquillitas, ut immobile plane videretur pelagus: Barbarussa autem prædensa navigiorum acie jam jam accedens, tormentis in fronte collocatis, pronuntiavit, ut milites descensionem facerent, et prædæ atque incendiis incumberent: cum F ecce tempestas turbulentissima repente exoritur, et veluti prodigioso ac horribili terræ motu mare concutitur inter Amalphiam atque Salernum: inusitata præterea diversorum ventorum conjuratione usque adeo commotum intumuit, ut immensis fluctibus jactata classis in littus adigeretur, navesque omnes nutantibus malis, atque inter se proris adversis ac puppibus concurrentes, ingenti calamitate collisæ ac diffractæ, luctuoso naufragio mergerentur. *quæ S. Matthæi patrocinio*

86 Accessit quoque miraculo visus in cælo senex summæ proceritatis, ipsaque prolixæ barbæ spectanda canitie conspicuus, qui videbatur illam excitare procellam, et pro sua quasi civitate pugnare: visæ sunt etiam validissimæ promptissimorum militum et civium cohortes, fulgentibus per muri coronam galeis atque thoracibus, urbem perpetua quasi statione defendere. Unde constat, immanem illum barbarum ea die contremuisse, et paucissimis triremibus, quæ vix evaserunt incolumes, ultra Palinurum, invalescentibus ventis, raptum fuisse. Cætera navigia cujuscumque generis vel plane quassata sensim absorpta sunt, vel fatali in *adscripta fuerunt.*

AUCTORE J. S.

litore desederunt, prædaque omnis, quam per fas et nefas barbarus undecumque collegerat, ad Salernitanum litus ejecta, incolis occupantibus est quæsita. Cum igitur imminentem cladem tam felici eventu, non humanæ vires, sed Deus Opt. Max. avertisset, acceptum id Salernitani tulerunt precibus et meritis Matthæi et Andreæ apostolorum : hic Amalphitanam, ille Salernitanam plagam defenderat. Quamobrem sequenti die Salernitanus populus Deo ingentes gratias egit : et deinceps quotannis ea ipsa die miraculi memoria renovatur, quia et proprium ob id Officium celebratur in choro majoris ecclesiæ, et per civitatem solemni processione discurritur, in qua alternis precibus Divi Divæque omnes propitiantur, et sacrum Missæ solemne conficitur. *Hactenus Marsilius annis circiter triginta quinque post rem peractam, quando multi procul dubio vivebant Salernitani, qui factum illud viderant, et de adjunctis omnibus poterant judicare. Eadem brevius referunt Musca, qui Marsilio convixit, in Archiepiscopis Salernitanis pag.* 56, *Mazza in Historia Salernitana cap.* 6, *et Ughellus tom.* 7 *in Archiepiscopis Salernitanis in Nicolao Rodulpho, qui tunc præerat Salernitanæ ecclesiæ. Redeo ad Marsilium.* B

et a Marsilio

87 Novissime placet illud non reticere, *inquit*, quod nobis ipsis in hac ecclesia sedentibus ante biennium contigit. Tametsi enim ab eo die, quo locus ille fuit per sacrilegium contaminatus, ubi gloriosissimus Apostolus jacet, divinus liquor perexiguus semper emerserit, adeo ut vix multorum dierum spatio modica potuerit ejusdem quantitas hauriri; advenientibus tamen illustribus ex Sarmatia viris Georgio Radziroil, episcopatus Wilnensis coadjutore, et Alberto Radziroil fratre, et duce in Olica, ac devote petentibus, ut et loci vivendi et mannæ ipsius in patriam deferendæ copiam faceremus, libenter utrumque concessimus : lagenamque ipsam, quæ pridie arida pene fuerat, sacro humore adeo repletam udantemque * reperimus, ut liberaliter principibus ipsis viris eorumque comitibus potuerimus ipsam distribuere. Immo vero et duas ampullas eodem liquore plenas ad Gregorium XIII P. M. deferri curavimus, quas ei gratissimas extitisse per litteras accepimus. Tantæ igitur rei novitatem valde admirati sumus; et veriti, ne beatissimus Apostolus huic populo ob scelera multa succenseat, precari numquam desistimus illum, ut civitatem istam civesque omnes dignetur pro sua consueta bonitate protegere. C

* *f. undantemque*

archiepiscopo,

88 Tandem et illud placet inter miracula recensere, quod ex universa provincia frequentissime afferuntur homines utriusque sexus, qui malis spiritibus acerrime divexantur : et eos omnes ante ipsum D. Matthæi altare constitutos sacerdos unus imposita manu liberat. Quod sane, tametsi ab ipso translationis initio factitatum assidue fuit; quia tamen ad hæc usque tempora perseverat : et nobis etiam videntibus quandoque peractum est, non fuit ulla ratione prætereundum silentio. *Ita auctor. Ex ultimis verbis colligo, multa* S. Matthæi *beneficia scriptis consignata non fuisse : neque enim energumenorum liberationes invenio scriptas.*

et aliis

89 *Ex illis unum Sancti beneficium Salernitanis præstitum refertur a Romualdo II archiepiscopo Salernitano, qui omnia præsens videre potuit, cum patria fuerit Salernitanus, et secundum Ughelli chronotaxim jam patriæ suæ præesset archiepiscopus, quando res peracta est, aut quadriennio post archiepiscopus fuerit factus ex chronotaxi Gasparis Musca. Factum a Muratorio in Annalibus Italiæ refertur ad annum* 1162, *atque ita exponitur a Romualdo tom.* 7 *Scriptorum Italiæ col.* 205. *Guilielmus I Siciliæ rex, cognomento* Malus, *post compressos rebellionis motus in regno Neapolitano*, et sic recuperata terra tota, *(cum exercitu)* Salernum venit. Et quia indignatus erat Salernitanis civibus, urbem intrare noluit, sed juxta eam tentoria fixit. Cœpit autem a civibus magnam pecuniam petere. Quam quum illi statim solvere non possent, inventa occasione plurimum indignatus, quosdam ex eis suspendi fecit, comminatus aliis, quod, nisi pecuniam cito solverent, urbem destrueret. Beatus autem apostolus Matthæus, qui Salernitanæ civitati a Deo patronus datus est et defensor, civitatem suam in tanto discrimine non reliquit. Nam quum rex in eo esset proposito, quod multa mala Salernitanis inferret, media die, quum tanta esset serenitas, quod nulla in aëre nubes appareret, subito a Septemtrione ventus validus cum ingenti pluvia, et turbo impetuosus erupit, qui totius exercitus tentoria universa dejecit, et tentorium regium in eminenti positum sic a loco, in quo fixum fuerat, impulit et commovit, quod regem dormientem pene prostravit. Expergefactus rex, et tanta inundatione attonitus, cœpit fugere, et Apostoli auxilium invocare, et vix in quodam parvo tentorio fugiens se recepit. E

90 Et licet rex animi sui timorem super hoc facto dissimularet, magnates tamen curiæ et viri prudentes manifeste noverunt, hoc miraculum virtute Apostolica perpetratum. Apostolos enim in hoc facto et commisso sibi populo et regi manifeste consuluit, dum et commissum sibi populum a periculo eruit, et regem, ne propositum malum perficeret, impedivit. Rex ergo, quod factum fuerat, secum recogitans, et indignationem Apostolicam pertimescens, quum se moraturum circa Salernum aliquantulum disposuisset, mutato proposito, altera die galeas *(id est triremes)* intravit, et festinanter in Siciliam rediit. *Hugo Falcandus, qui eodem etiam seculo scripsit, in Historia Sicula, ibidem post Romualdi Chronicon edita, de facto prodigioso plane consentit; sed causam prodigii attribuit morti alicujus innoxii Salernitani, qui regis jussu cum aliis fuerat suspensus. De turbine hanc, ut credit, ob causam exorto, ita loquitur col.* 299 : Cum enim adeo serenus esset aër, ut nullum prorsus in eo nubis vestigium appareret, tanta repente tempestas exorta est, tonitrua, coruscationes, et imbrium inundatio subsecuta, ut per totum exercitum instar rapidissimi torrentis aqua decurreret, et tam ipsius regis, quam cæterorum omnium tentoria, paxillis avulsis ruptisque funibus, procella subverteret : tantusque regem et universum exercitum terror invasit, ut, rerum omnium jactura posthabita, cogerentur de salute propria desperare. *Hoc ille, ut dixi, evenisse putat ob cædem civis innocentis, Romualdus ad conservationem urbis et plurium innocentium a damnis inferendis. Occulta Dei consilia neuter scire potuit; at mihi conjectura Romualdi præferenda videtur, quia terribilis ille turbo eum revera effectum produxit, ut nullum præterea damnum Salernitanis sit illatum; sed vitam occiso non reddidit.* F

relata.

§ VII.

A

§ VII. Reliquiæ variis locis servatæ : loca aliquot sacra S. Matthæo dicata.

Brachium et dens Sancti in sacrario Salernitano :

Restant nonnulla dicenda de reliquiis S. Matthæi, *quæ a reliquo corpore separatæ servantur. Mazza quidem in Historia Salernitana cap.* 6 *dicit,* S. Matthæi *apostoli* corpus integrum, excepto dente ac brachio, *servari in altari eidem dicato, de quo egi num.* 81. *At illud certiori testimonio sive ossium inspectione probatum vellem, et certe tam stricte sumendum non est, ut credendum sit, nihil reliquiarum* S. Matthæi *ad alia quoque loca pervenisse. Interim laudatus auctor testatur, dentem unum et brachium Sancti* in superiori sacrario *ejusdem ecclesiæ conservari. De utroque etiam loquitur Marsilius cap.* 9 *pag.* 79, *ubi exponit servata in sacrario, atque dentem illum positum esse in cruce argentea variis reliquiis ditata.*
B In dextra *(parte Crucis)* gloriosissimi Matthæi dens alius, de quo et nos, *inquit,* supra locuti sumus. *Insinuat igitur, esse illum ipsum dentem, qui concessus fuerat Athanasio monacho corporis inventori, ut dictum num.* 74; *quique eidem ablatus deinde est, quemadmodum expositum est num.* 74. *De brachio laudatus Marsilius ita loquitur* : Est et D. Matthæi brachium illud, quod Beneventanus quondam princeps a Gisulpho precibus impetraverat : et quamvis argento concluditur, ex cancellis tamen carnis et ossium aspectus intuentibus patet. *Hæc Marsilius, non explicans, qua occasione brachium, quod seculo* x *Beneventum translatum asseritur, postea relatum fuerit Salernum. Verum sicut corpus S. Januarii seculo* IX *translatum fuit Neapoli Beneventum, indeque rursum alio delatum, demumque Neapolim relatum, tali aut simili modo brachium* S. Matthæi *Salernum redire potuit. Certe illud modo Salerni esse, uti et dentem, etiam asserit Musca in Compendio jam laudato.*

aliud os brachii, quod sibi servaverat Robertus Guiscardus,

92 *Si autem illud ipsum sit brachium, quod fuit seculo* x *Beneventi ; videtur et alterum brachium a reliquo corpore separatum fuisse seculo* XI. *Quippe Robertus Guiscardus ex invento corpore integrum os brachii pro se retinuit, ut vidimus*
C *num.* 80. *De illo osse in Chronico Casinensi lib.* 3 *cap.* 57, *relata Roberti morte, hæc leguntur :* Hic interea *(Robertus)* ad diem obitus sui brachium sancti apostoli et evangelistæ Matthæi capellanis suis, filio suo Salerni reportandum, atque reddendum reliquit. Sed illi substantia pauperes, ac fide pauperiores, thecam argenteam, in qua sanctum brachium erat reconditum, inter se dividunt, indeque Jerusolimam pergentes, sanctas reliquias usque ad diem obitus sui apud se retinuere celatas. Ad mortem autem venientes, supradictas reliquias, insciis sociis, pueris suis contradunt, qui qualiter sanctum brachium temporibus Girardi abbatis ad hunc locum detulerint, loco suo scribemus. *Deinde lib.* 4 *cap.* 73 *laudatus auctor hæc scribit :* Hic interea abbas *(Casinensis, Girardus)* cum apud Beneventum in Apostolici servitio permaneret, et certo certius brachium sancti apostoli et evangelistæ Matthæi in eadem civitate reconditum esse didicisset, ad se jam dicti brachii custodes convocans, qualiter, vel quo ordine ejusdem sancti Apostoli brachium habuissent, percontari studiosissime cœpit. Qui dum retulissent, qualiter illud secum Robbertus dux detulisset in expeditione, quam contra Alexium imperatorem habuerat, ac demum capellanis suis ad mortem reliquerat, ipsique postmodum in die obitus sui sibi dimiserant; abbas monere illos attentius cœpit, ut tanta pignora Casinensi cœnobio conferrent.

AUCTORE J. S.

translatum ad loca varia, et demum Casinum.

93 Illi autem ocius se hæc adimplere fatentur, si abbas illos quacumque hora ad conversionem venire vellent, absque aliquo pretio illos in hoc monasterio reciperet. Quod cum abbas libentissime se impleturum spopondisset, illi confestim sanctas reliquias ad hunc locum ferendas eidem abbati contradunt. Suscipiens igitur idem abbas sanctas reliquias, diuque deosculans, per hujus nostræ Congregationis Fratres ad hoc monasterium transmittere studuit. Ad cujus adventum omnes, qui hanc terram inhabitabant, cum ingenti devotione et gaudio, obviam processerunt. Sane cum hæc ad hujus nostræ Congregationis notitiam pervenissent, inæstimabili exultatione repleti, ac solempnibus vestimentis induti, cum lampadibus et thimiamatibus usque ad portam veterem exierunt, ac terræ prostrati sanctum Evangelistam adoraverunt : surgentesque cum maxima reverentia deosculaverunt, et cum ymnis E et laudibus illud in monasterium introducentes, atque in argentea capsa, turrium instar aptata, sanctum brachium recludentes, in argentea trabe ante beati Benedicti altarium suspenderunt, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo secundo. *In Annotatis Angeli de Nuce editoris additur, brachium illud modo servari,* in theca argentea, brachii forma. *Papebrochius noster in Itinerario Ms., quod a mora Romana usque ad reditum in Belgium conscripsit, pag.* 100 *inter reliquias, quas vidit in sacrario Casinensi, illud os brachii* S. Matthæi *recenset.*

Ecclesia S. Matthæi Romæ

94 *Romæ in variis ecclesiis reliquias nonnullas* S. Matthæi *exhibet. Inter numerosas autem Urbis ecclesias una est* S. Matthæo *dicata, quæ cognominatur* in Merulana, *pro* in Mariana, *quia propinqua est tropæis Marii, ut varii scriptores asserunt. Martinellus in Roma sacra pag.* 257 *agit de hac* S. Matthæi *ecclesia* in Merulana, alias Mariana, in regione Montium, eundo a Basilica S. Mariæ Majoris ad Lateranum. *Annexum habet monasterium, et, ut laudatus auctor observat, olim erat Fratrum, qui appellantur Cruciferi,* nunc est sub cura Fratrum S. Augustini, *nimirum* Hybernorum, *ut addit auctor recentissimus. Observant præterea* F *auctores, ecclesiam illam recenseri inter titulos Cardinalitios, et quidem inter antiquiores, ut plerique addunt. Nonnulli etiam asserunt, constructam fuisse circa annum* 600, *quod non lubet examinare. Hoc certius est, dedicatam fuisse a Paschale II, sive id factum fuerit post constructionem primam, sive post instaurationem. Etenim laudatus Martinellus longam recitat inscriptionem, qua consecratio illa asseritur in hunc modum* : In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno Incarnationis Dominicæ MCX, Indictione III, Feria VI quartæ Dominicæ in Quadragesima, die Incarnationis ejusdem D. N. Jesu Christi, pontificatus D. Paschalis Papæ II anno XI *(omnes notæ concordant anno* 1110) dedicata est venerabilis hæc ecclesia in honorem Dei, B. Mariæ semper Virginis, et beati apostoli et evangelistæ Matthæi, cum quatuor altaribus, quæ sunt in ea. Quæ consecratio facta est a præfato domino, et venerabilissimo Pontifice Paschali II Papa. In majori siquidem altari celebravit idem D. Papa Missam in honorem B. Matthæi. Coadjutores vero ejus fuerunt septem ; videlicet Raynerius de Ostia, Riccardus de Portu

AUCTORE J. S.

Portu, Petrus de Tiburc, Julianus de Ferentino, Anastasius de Alba, Petrus de Tusculano, Antonius de Amelia, præsentibus omnibus S. R. E. Cardinalibus presbyteris et diaconibus, nec non innumera cleri et populi Romani multitudine.

ejusque reliquiæ ibidem in variis locis :

95 In majori autem altari, consecrato a præfato D. Papa, cui etiam præfati episcopi astiterunt, fuerunt hæ reliquiæ conlocatæ : et primo de ligno sanctæ Crucis, brachium sancti Matthæi, de lapide sepulcri Christi *etc*... Et ego Paschalis Papa universalis Ecclesiæ cum præfatis episcopis has Sanctorum reliquias oculis propriis vidi, manibusque meis attrectavi, et recondidi cum antiquo titulo in arca marmorea sub altari majori. *Addit indulgentias visitantibus ecclesiam illam a die consecrationis* xxv *Martii* usque ad Octavam Pentecostes; *et in festo* S. Matthæi xxi *Septembris. Ceterum per* brachium S. Matthæi, *quod in altari reconditum, aliquod os brachii intelligendum puto, non totum brachium. Pancirolus in Opere Italico de Thesauris absconditis Romæ in ecclesia* S. Matthæi *pag.* 127 *asserit, aliud brachium* S. Matthæi *servari in basilica S. Mariæ Majoris, aliud rursum in ecclesia* B *S. Marcelli Papæ : et in indice reliquiarum adjungit* S. Matthæi *costam haberi in ecclesia S. Nicolai in Carcere. His omnibus consentit Piazza in Hemerologio sacro ad hunc diem, ubi addit, nonnihil etiam reliquiarum* S. Matthæi *servari in basilica Vaticana S. Petri, et in ecclesiis Sanctorum Apostolorum et S. Cæciliæ; variaque enumerat Romæ* S. Matthæi *sacella, quæ brevitatis causa mitto.*

item ecclesia Bononiæ, ibique et Neapoli reliquiæ : Venetiis ecclesia et reliquiæ :

96 *Masinus in Bononia perlustrata pag.* 460 *testatur, Bononiæ esse ecclesiam paræcialem* S. Matthæo *dicatam, in qua ipsius festivitas præcipue celebratur; in alia vero ecclesia parochiali, S. Nicolao sacra, ejusdem Apostoli brachium aliquod conservari, ibique solemnitatem ejus celebrari cum indulgentiis plenariis. Laurentius Beyerlinck in Theatro vitæ humanæ tom.* 6 *ad vocem* Reliquiæ *recenset pag.* 303 *reliquias multas Neapoli servatas, interque eas* S. Matthæi *reliquias tribuit ecclesiæ* S. Mariæ de Sapientia, *et pag.* 304 ossa S. Matthæi S. Mariæ de Virginibus. *Inter ecclesias plurimas urbis Venetæ una quoque est parochialis* S. Matthæo *sacra, ut accurate exponit illustrissimus scriptor nobisque amicissimus, Flaminius Cornelius, senator Venetus, in eleganti Opere de* C *Ecclesiis Venetis Dec*, 4 *pag.* 173, *ubi recitat fundationis litteras ex autographo. Ex his recte deducit, fundationem fuisse factam*, mense Februario *anni* 1155 more Veneto *et aliorum illius temporis, ut liquet ex* Indictione iv *in litteris adjecta, qua designatur annus* 1156; *sed mense Februario pergebat tunc currere annus* 1155 *usque ad Pascha, aut certe usque ad festum Annunciationis, sive diem* xxv *Martii. Fundator ecclesiæ fuit Leonardus Cornarius, cujus litteræ recitantur, quemadmodum et alia donatio, quæ anno* 1166 *ad primam accessit. Deinde* ex vestustate fatiscens templum instauratur anno Domini mdcxv, ut ex inscriptione marmorea edocemur parieti affixa, *inquit Cornelius, illam recitans. Idem paulo post ait :* Postremo cum nostris hisce temporibus ad ruinas vergeret, Nicolai Milesii plebani studio a fundamentis in elegantiorem formam restituitur, sacraque supellectile et ornamentis copiose instruitur anno Domini mdccxxxv : inde die xxiii Septembris anno mdccxliii per Aloysium Foscarum patriarcham Venetum consecratur. *De reliquiis ejusdem ecclesiæ auctor pag.* 175 *scribit :* Nonnullis ditatur Divorum lipsanis, nempe ex ossibus sancti Apostoli Tutelaris *etc.* *Plura de illa ecclesia diligenter ibidem observata* D *videri possunt.*

alia loca eidem sacra et reliquiæ in Italia et Sicilia.

97 *Cornelius autem in Opusculo de Ecclesiis Torcellanis, quod priori addidit, duo assignat monasteria monialium* S. Matthæo *sacrata. Primum est* monasterium S. Matthæi de Majurbio *Ordinis Cisterciensis, quod antea in alia insula fuerat constructum, videlicet* in Constantiaco, *indeque de consensu episcopi Torcellani in Majurbium insulam fuit translatum, ut late exponitur part.* i *illius Opusculi pag.* 299 *et seqq. Prima fundatio notatur facta anno* 1218 in Constantiaco *pag.* 316; *sed ante finem ejusdem seculi monasterium suum ad insulam Majurbium transtulerunt moniales. Alterum est monasterium monialium Ordinis S. Benedicti in insula* Muriana *ejusdem diœcesis Torcellanæ, ut exponit Cornelius part.* 2 *a pag.* 201. *Fundatio pag.* 204 *notatur facta anno* 1280, *datumque tunc est monialibus vetustum oratorium* S. Matthæo *dicatum, ut ibidem latius videri potest. In catalogo reliquiarum utriusque monasterii nullas* S. Matthæi *invenio. At* S. Matthæi *reliquiæ anno* 1554 *inclusæ fuerunt in altari S. Abundii, quod Sublaci in Latio tunc consecravit Andreas Crucius episcopus Tiburtinus, ut habet inscriptio, data tom.* vi *Augusti pag.* 635. *Rocchus Pirrus in Sicilia sacra tom.* 2 *pag.* 474, *ubi enumerat reliquias ecclesiæ cathedralis Cephalæditanæ, ait eam gaudere* pede integro cum pelle B. Matthæi. *Siclis, insigne oppidum Siciliæ, in valle Netina et diœcesi Syracusana, non procul a Netina civitate,* S. Matthæum *veneratur patronum titularem, cui dedicata est primaria ecclesia parochialis. Non dubito, quin et aliæ serventur particulæ reliquiarum* S. Matthæi *in Italia et Sicilia; sed omnes enumerare non est tantæ necessitatis, quantæ difficultatis. Itaque in Germaniam transeo, nonnullas et ibi assignaturus.* E

S. Matthæi reliquiæ variis locis in Germania,

98 *Pragenses in Bohemia multas ecclesiæ suæ attribuunt* S. Matthæi *reliquias. Thomas Joannes Pessina in Phosphoro Pragensi pag.* 518 *eas sic enumerat :* S. Matthæi apostoli et evangelistæ pes integer, et brachium cum pelle : costa argento circumdata, et dens. Item alia quatuor ossa, simul in argentea theca composita : alia iterum notabilis pars. *Hæc dicitur* pars de humero *in Catalogo impresso reliquiarum Pragensium, quæ anno* 1645 *ex arce regia Carlsteina in metropolim sunt translatæ, in quo et reliquæ recensentur. Quin et ibi in septimo ordine num.* 56 *adduntur sequentia, nescio, an satis recte :* S. Matthæi apostoli et evangelistæ brachium utrumque cum pelle et carne. *At in catalogo Ms. reliquiarum, ex Calendario Pragensis ecclesiæ extracto, quem anno* 1647 *huc misit P. Theodorus Moretus, hæc solum leguntur ad* xxi *Septembris :* S. Matthæi apostoli et evangelistæ, qui apud Æthiopiam prædicans martyrium passus est. Cujus reliquias, videlicet imaginem magnam cum argento et auro decoratam, tenentem costam ejus in manibus, quas invenit piissimus princeps Carolus IV, etc. donavit ecclesiæ Pragensi. *Hæc ibi : at ego lubens ipsis Pragensibus examinandum relinquam, quantum habeant reliquiarum* S. Matthæi. *Bucelinus in Sacrario Benedictino, quod edidit anno* 1656, *ad* xxi *Septembris de reliquiis* S. Matthæi *hæc tradit :* Hujus magni Evangelistæ insignis portio asservatur in Andechs *(monasterio Bavariæ)*, ubi et aliæ duæ ejusdem partes ostenduntur. Dens Elnone *(alias* S. Amandi *monasterium vocatur in Flandria.)* Duo molares dentes et alia nonnulla in Weingartten ; *quod Sueviæ est monasterium cum oppido cognomine. Plurimas quoque* S. Matthæi *reliquias Coloniæ attribuit in Opere*

A *re suo Gelenius, nimirum pag.* 264 duas particulas *ecclesiæ collegiatæ S. Gereonis*: *pag.* 372 de capite S. Matthæi *aliquid ecclesiæ abbatiali S. Panthaleonis : pag.* 412 *aliquid reliquiarum parochiali ecclesiæ S. Lupi, uti et pag.* 442 *ecclesiæ S. Catharinæ Ordinis Teutonicorum, pag.* 458 *ecclesiæ Cartusianorum, pag.* 483 *ecclesiæ Carmelitarum, pag.* 547 *ecclesiæ S. Maximini monialium Ordinis Augustini, pag.* 560 *ecclesiæ monialium ejusdem Ordinis in majore Nazareth, pag.* 584 *ecclesiæ S. Vincentii tertiæ regulæ S. Francisci, et demum pag,* 627 *sacello S. Margaritæ. At omnes istæ modicæ videntur esse particulæ, ut difficultatem numerus nullam pariat.*

caput, aliæque reliquiæ in Belgio.

99 *In Belgio nostro plurimis etiam locis ostenduntur* S. Matthæi *reliquiæ, interque eas una valde notabilis. Et sane mirandum nemini esset, si de hujus Apostoli reliquiis plus obtigisset Belgio, quam aliis provinciis, cum Carolus V imperator in Belgio natus et sæpe degere solitus sit, idemque aliquando Salerni fuerit, ubi eas accipere potuit, et inde in Belgium portare aut transmittere. Aliis quoque modis reliquiæ* S. Matthæi *in* B *Belgium diu ante transferri potuerunt. At quomodo allatæ fuerint, non invenio apud Rayssium, qui eas recenset in Hierogazophylacio Belgico. Primum certe locum meretur caput Sancti, quod pag* 394 *attribuit oratorio aulæ Bruxellensis his verbis*: Locum hunc præterea mirum in modum venustat rarum illud pignus, sanctissimi videlicet apostoli et evangelistæ Matthæi caput integrum, sumtu et valore maximo reclusum in argentea imagine, eumdem Apostolum pectore tenus, naturalem hominis altitudinem excedentem referente, circa cujus humeros circumvolitans angelus atramentarium illi vasculum porrigit. Erigitur in prædiviti ex ebeno pegmate artificiosissime elaborato, in quo præcipua dicti Apostoli miracula argenteis crustis et laminis incisa, variaque artis elegantia condecorata complectuntur. *Idem pag.* 463 *adscribit* ossa S. Matthæi, *id est, aliquid ex ossibus, ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris Brugis in Flandria: rursum pag.* 314 *ecclesiæ cathedrali Tornacensi* de sancto Matthæo apostolo et evangelista duo ossa, unum grande, aliud mediocre; *pag.* 451 *Rutilensi Cartusiæ* ad Mosam *(lege* Mosellam) *in ducatu Luxemburgensi* S. Matthæi apostoli et evangelistæ os magnum, *pag.* 430 *abbatiæ Phalempinensi Or-* C *dinis S. Augustini in Flandria argenteum brachium,* ubi, *inquit,* eximia pars brachii S. Matthæi... asservatur; *et pag.* 216 *nonnihil de reliquiis* S. Matthæi, *obtentum dono Margaritæ principis Flandriæ, haberi dicit in abbatia Flinensi virginum Cisterciensium. Lætiensis et Maricollensis abbatiæ, ambæ Benedictinæ in Hannonia, aliquid similiter de ossibus* S. Matthæi *possidere se credunt. Priori pag.* 279 *Rayssius tribuit* partem digiti S. Matthæi apostoli et evangelistæ una cum carne; *alteri pag.* 296 *aliquid* de costa *ejusdem. Canonici Ordinis S. Augustini in abbatia S, Nicolai Ogniacensis ad Sabim habent, eodem teste pag.* 387, *altare portatile Jacobi de Vitriaco S. R. E. Cardinalis, in eoque cum aliis reliquiis aliquid de* S. Matthæo; *de quo nonnihil demum attribuit pag.* 401 *abbatiæ Parcensi Ordinis Præmonstratensis in Brabantia prope Lovanium. Hæc laudatus Rayssius, qui et dentem Elnone, sive in S. Amandi cœnobio, jam supra memoratum, reliquis accenset.*

100 *Transeo in Galliam, ubi variis locis credunt se habere caput* S. Matthæi. *Albertus le Grand in Opere Gallico de Sanctis Brittanniæ Armoricæ pag.* 600 *in Vita S. Tanguidi abbatis refert, caput* S. Matthæi *seculo* VI *per mercatores Armoricos clanculum fuisse ablatum ex Ægypto, translatumque in Britanniam Armoricam, ibique in diœcesi Leonensi constructum monasterium, in quo Sancti caput fuerit depositum. Addit geminum prodigium, videlicet scopulum in mari extantem fuisse a navi perruptum, dum caput advehebatur; alterum in constructione monasterii patratum; sed utrumque indiget documentis multo antiquioribus, quam proferri possint, ut fidem inveniat. Ipsa quoque allatio capitis ex Ægypto non videtur certior, quam ante memorata corporis ex Æthiopia translatio. Verumtamen dictam capitis translationem narrant etiam Carolus le Cointe in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 555 *num.* 21, *Ludovicus Bulteau in Compendio Historico Ordinis S. Benedicti lib.* 2 *cap* 28 *num.* 2, *uti et constructionem monasterii,* S. Matthæo *dicati, de qua nequit dubitari. Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* I *pag.* 152 *ad annum* 563 *fundationem monasterii exponit, de translatione vero capitis* S. Matthæi *dubitanter loquitur hoc modo:* Dein monasteria a Paulo *(episcopo Legionensi, de quo apud nos actum tom.* 2 *Martii a pag.* 108) constructa, in primis Gerberense, cui Tan- E guidus abbas præfectus, is qui S. Matthæi monasterium in extremo Armoricæ apud Leonenses promontorio sub medium seculum sextum construxisse perhibetur, ob id IN FINIBUS-TERRÆ cognominatum. Occasionem tradunt sancti Apostoli caput ex Ægypto a quibusdem mercatoribus Leonensibus allatum. Novum asceterium consecravit Paulus, eoque Tanguidus e Gerberensi monasterio, cui Relecense successit, coloniam duxit. Perstat ad nostrum tempus S. Matthæi monasterium sub S. Mauri congregatione, situm, ut mox dicebam, in diœcesi Leonensi, haud procul a Conquitto, paulo longius a Brestensi celeberrimo portu. Nulla fere de hoc monasterio vetera monumenta supersunt post varias ab Anglis illatas clades; tametsi antiquum ejus splendorem arguit insignis basilica, quæ variis Sanctorum reliquiis ornata est. *Ceterum persuasio de capite* S. Matthæi *servato in illo monasterio viguit saltem a seculo* XIII: *nam Matthæus Westmonasteriensis ad annum* 1295 *de classe Anglorum eo perlata, fugientibus incolis monasterii, hæc scribit:* Post hæc abbatiam S. Matthæi quam plu- F res ingressi, ecclesiastica utensilia cum capite ejusdem Sancti ablato ad dominum Eadmundum ducem exercitus contulerunt. Quæ omnia sequestrata fecit dominus Eadmundus viris ecclesiasticis restaurari. *Ex his tamen recte deduci nequit, integrum esse caput, quod ibidem habetur pro capite* S. Matthæi : *neque enim id asserit Westmonasteriensis. An vero caput illud, quod ibi habetur, sit* S. Matthæi, *non inquiro.*

AUCTORE J. S. Monasterium Sancto dicatum in Armorica, cui tribuitur caput.

quod et Bellovaci, et Carnuti,

101 *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XXI *Septembris consentit cum sententia fere communi de corpore Sancti Salernum translato; additque:* E quo *(corpore)* excerptum venerandum caput, pridem in Galliam delatum fuit, reconditumque in summa basilica Bellovacensi, in qua egregio cultu conservatur, dempto vertice, qui Carnuti in sacrario nobilis ædis Virginis Deiparæ magna cum veneratione habetur. *In Necrologio Bellovacensi, quod laudatur tom.* 9 *Galliæ Christianæ col.* 742, *in Milone I episcopo Bellovacensi inter alia leguntur sequentia:* Dedit *(Milo)* caput B. Matthæi apostoli et virgam Aaron. *At unde illud caput acceperit, non adjungitur in laudata Gallia Christiana. Fuit Milo in Ægypto cum crucesignatis*

AUCTORE J. S.

crucesignatis, fuit similiter notabilili tempore in Italia. An vero etiam fuerit Constantinopoli, ibique caput illud acceperit, ut refert Bailletus ad hunc diem in S. Matthæo, *et quidem tempore Philippi Augusti, anno* 1223 *defuncti, nuspiam invenio. At videtur Bailletus Necrologium conciliare voluisse cum scriptis a Cangio, et sic dixisse, quod nemo ante dixerat. Certe Cangius, quem etiam laudat in Historico tractatu de Capite S. Joannis Baptistæ, alia omnino dicit, recensens pag.* 104 *reliquias a Latinis post occupatam Constantinopolim in Occidentem missas. Nam de capite* S. Matthæi *sic loquitur:* Gervasius de Chasteauneuf, canonicus Carnotensis, et postea episcopus Nivernensis, donavit ecclesiæ Carnotensi caput S. Matthæi. *Consentit Sebastianus Rouillard in Historia Carnotensi cap.* 8 *pag.* 207. *Itaque Carnotenses crediderunt, accepisse se caput illud Constantinopoli; sed probare nequeunt, caput* S. Matthæi *umquam Constantinopoli fuisse, ut Carnotensis æque ac Bellovacensis ecclesiæ traditio admodum videatur incerta.*

et in abbatia Rengis-Vallis, conservari scribunt alii.

102 *Jam vidimus, tribus locis caput* S. Matthæi *assignari in Gallia. Accedit et quartus in Lotharingia, nimirum abbatia Præmonstratensis in diœcesi Tullensi,* Rengis-vallis *dicta, non confundenda cum altera, quæ* Regia vallis *dicitur, ejusdemque est Ordinis et in eadem diœcesi. Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ad* XXI *Septembris annuntiat venerationem* S. Matthæi *hodierni* in cœnobio Regis Vallis, *ut aliquando etiam vocatur, et adjungit:* Cujus... pars capitis laureati,... dicto in monasterio honorificentissime asservatur, et hodie colenda religiosissime exhibetur. *Partem capitis dicit, opinor; quia jam caput Bellovaco et Carnoto asseruerat. Certe Calmetus in Historia Lotharingiæ tom.* 2 *primæ editionis col.* 22 *caput* S. Matthæi *abbatiæ Rengis-vallis attribuit, et col.* 275 *ait, ex Palæstina allatum fuisse per Gobertum Asperi Montis dominum. Hugo in Annalibus Præmonstratensibus tom.* 2 *col.* 649 *de illo capite scribit sequentia in abbatia Rengis-vallis:* S. Matthæi caput argentea inclusum capsa, populorum concursu a seculo XIV celebre: neque enim antehac in veteribus monumentis legimus quidquam, unde ulterior ei possit antiquitas adjudicari. *Satis animadvertet studiosus lector, non posse omnia illa esse capita* S. Matthæi, *si integra, aut fere integra sint. Quapropter ipsi examinare poterunt, an forte habeant modicam capitis particulam factitio capiti impositam, eique capitis nomen fuerit impositum, uti alias factum esse experimentis plane certis didici; an vero habeant reliquias Sancti alicujus incerti, quæ per errorem* S. Matthæi *fuerunt creditæ, quemadmodum etiam non raro contingit.*

Aliæ reliquiæ in Gallia et Lusitania

103 *Memorantur et aliæ reliquiarum particulæ aliis locis. Inter reliquias plures, quæ anno* 894 *delatæ sunt Remis in pagum Veromanduensem, depositæque in vico Memnico in ecclesia S. Martino dicata, recensetur etiam aliquid reliquiarum* S. Matthæi, *ut videri potest tom.* 1 *Januarii pag.* 180. *Tom.* III *Februarii pag.* 99 *in Vita S. Angilberti, abbatis Centulensis in Pontivo (nunc* abbatia S. Richarii *passim vocatur) qui floruit tempore Caroli Magni, refertur constructio et dedicatio templi Centulensis B. Mariæ cum tredecim altaribus et reliquiis, quæ in singulis sunt positæ. Ad propositum autem nostrum ibi hæc leguntur:* Altare S. Matthæi, in quo reliquiæ ejus, et Marci, et Lucæ. *Rursum pag.* 103, *ubi datur scriptum nomine Angilberti, enumerantis reliquias, quas ope Caroli Magni et aliorum ex variis regionibus obtinuerat, cum plurimis aliis recensentur* S. Matthæi *reliquiæ. Non additur tamen, utrum fuerit aliquid ex ossibus Sancti, an solum de vestimentis. In Catalogo prolixo reliquiarum, quæ anno* 1585 *Ulyssiponem translatæ sunt, ibidemque donatæ domui professæ Societatis Jesu, enumerantur etiam reliquiæ* S. Matthæi apostoli, *apud nos tom.* 2 *Januarii pag.* 612. *Verum sufficiat hæc enumeratio, cum nequeant ulla humana industria enumerari omnes reliquiarum particulæ, quas habent ecclesiæ aut personæ privatæ, præsertim cum per donationes frequenter ab uno loco ad alterum transferantur. Ejusmodi particulam penes me habeo, dum hæc scribo, acceptam anno* 1753 *Venetiis ab excellentissimo domino Flaminio Cornelio, senatore Veneto, superius laudato, qui et aliam sibi retinuit.*

Celebre S. Matthæi monasterium in Mesopotamia.

104 *Loca* S. Matthæo *sacra, præter memorata hactenus in Occidente, certo plura exstant et aliqua etiam in provinciis Orientalibus. De celebri monasterio* S. Matthæi *in Mesopotamia, quæ nunc* Diarbechia *dicitur, apud urbem* Mosul *aut Niniven novam, frequenter meminit Assemanus in Bibliotheca Orientali tom.* 2. *Ex iis autem, quæ pag.* 408 *refert de illo monasterio, clare liquet, saltem exstitisse a seculo* V. *Idem tom.* 2 *pag.* 403 *meminit* cœnobii Chuchtæ, quod monasterium S. Matthæi dicitur in monte Elpheph. *Ex illo autem monasterio duodecim monachi cum episcopo Ninives occisi dicuntur jussu Pherozis Persarum regis in urbe Ninive sive Mosul. Eadem historia narratur apud Assemanum tom.* 3 *pag.* 393, *ubi vocatur similiter* cœnobium Cuchtæ, hoc est, S. Matthæi in monte Elphephio; *monachique in illo monasterio dicuntur cum metropolita Ninives comprehensi, ductique Niniven, ubi postea occisi sunt, quod consentire nollent in hæresim Nestorianam. Ex eo autem, quod metropolita Ninives in monasterio comprehensus est, quodque omnes Niniven fuerunt ducti, satis certo colligitur, idem hoc esse monasterium cum præcedente apud Mosul aut Niniven. Pro eodem etiam habuit Assemanus, apud quem plura de illo monasterio videri poterunt, cum illa ad* S. Matthæum *minus pertineant.*

ACTA

Ex codice Vaticano 1188 *inter Latinos*

Auctore incerto.

PROLOGUS.

Præfatio postea Actis addita, et cum iis non consentiens.

Matheus apostolus et evangelista, qui Latine vocatur Donatus *a*, qui etiam ex tribu sua Levi *b* sumpsit cognomen, in qua ortus fuit, In Latino autem ex opere publico nomen accepit; qui ex Publicanis fuit electus a Domino, et in apostolatum translatus. Hic scripsit in Judea Evangelium litteris et sermonibus Hebreis *c*, initians ab humana Christi nativitate, dicens: Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, significans Christus descendens * corporaliter ex semine Patriarcharum, sicut per Spiritum sanctum promissum est per prophetas. His etenim eumdem Redemptorem natum et passum annuntians, in similitudine hominis animal primum *d* comparatur

* Christum descendisse

A comparatur. Prius quidem in Judea evangelizavit; postmodum in Macedonia *e*, et passus in Persyda. Requiescit in montibus Portorum. Undecimo Kalendas Octobris *f*.

ANNOTATA.

a *Apud Hieronymum lib. de Nominibus Hebraicis,* Donatus quondam.

b *De origine ex tribu Levi consentit Petrus de Natalibus. Nomen* Levi, *quod* Matthæus *habuit, illi conjecturæ occasionem dedit; sed ad id censendum non sufficit.*

c *Latius hoc probavi ex consensu sanctorum Patrum contra nonnullos heterodoxos, qui dixerunt,* Matthæum *Græce potius scripsisse. Videri potest Commentarius prævius* § 3.

d *Per quatuor animalia, quæ vidit Ezechiel propheta cap.* I, *quatuor Evangelistas designari, passim notum est. Per primum autem animal, cui* ỳ 10 *erat* facies hominis, *indicari* Matthæum, *quia ab humana Christi generatione orsus est, communis est sententia.*

B e *Quod dicitur de prædicatione in Macedonia, ex Freculpho, in Commentario num.* 55 *laudato, forsan est sumptum, uti et illud* requiescit in montibus Portorum, *pro* Parthorum. *At neutrum satis est verisimile.* Martyrium in Perside *a pluribus asseritur, ut ibidem ostendi num.* 56. *Attamen probabilior est sententia illorum, qui Sanctum in Æthiopia occubuisse asseruerunt, ut dixi num.* 60, *consentientibus his Actis, quibus hoc initium a librario quodam postea est assutum, ut ex hisce abunde liquet.*

f *Hic novus sequitur titulus ejusmodi :* Passionis ejusdem et vitæ narratio. *Necdum tamen sequuntur Acta, qualia sunt apud Pseudo-Abdiam.*

CAPUT I.

Prædicatio Sancti in Judæa, deinde in Æthiopia, ubi regem totamque fere regionem convertisse ad fidem dicitur.

C

Sancti prædicatio in Judæa et Evangelium ibi scriptum

Beatus Matheus apostolus et evangelista primo Hebreis Christum Dominum prædicaverat. Verum cum pararet transire ad Ethiopiam, quæ in sorte predicationis advenerat, patria lingua, hoc est Hebrea, Evangelium composuit : et ea, quæ predicaverat, comprehendens, his, a quibus proficiscebatur, ad memoriam reliquit *a*.

Cum duo magi essent in Æthiopia,

3 Eo itaque tempore erant duo magi Zaroes et Arphaxat apud Ethiopas in civitate eorum magna, quæ dicitur Natdaber *b*, in qua erat rex nomine Egyppus *c*. Hunc itaque ludificabant hi duo magi, ut dicerent, se deos esse, et credebat eis omnis populus, etiam ipse rex memoratæ urbis; et ibat opinio eorum per totam Ethiopiam, ita ut ex longinquis regionibus Ethiopie venirent et adorarent eos. Faciebant enim subito homines gressu figi, et tamdiu immobiles stare, quamdiu ipsi voluissent : similiter et visum hominum et auditum suo officio refrenabant. Imperabant serpentibus, ut percuterent, quod et morsibus facere solent : et ipsi incantando curabant, et, ut dici solet, magis malignis major reverentia exhibebatur.

A. INCERTO. Illis se opponit S. Matthæus,

4 Curam ergo, ut sepe dictum est *d*, Deus hominum gerens, Matheum contra hos apostolum misit. Qui ingressus civitatem, cœpit detegere vestigia eorum : omnes enim, quos illi figebant, hic in nomine Jesu Christi solvebat : quos illi cæcabant, hic illuminabat: quibus illi auditum tulerant, iste reddebat: serpentes etiam, quos illi ad percutiendos homines excitabant, hic convertebat in somnum; et percussiones eorum facto signo Domini percurabat.

ad quem accedit eunuchus reginæ Candacis, multique convertuntur.

5 Hunc cum vidisset Ethiops eunuchus Candacis *e* regine, qui fuerat a Philippo baptizatus, projecit se ad pedes ejus, adorans et dicens . Respexit Deus civitatem istam, ut liberet eam de manu horum duorum magorum, quos putant stulti homines deos esse : et suscepit in domum suam. Veniebant ad eum omnes amici Eunuchi Candacis regine, et audientes verbum vitæ, credebant Christo Jesu Domino nostro, et baptizabantur plurimi, videntes, quod omnia, quæ magi faciebant male hominibus; hic Dei Apostolus evacueret. Ideo enim illi vulnerabant, quos poterant, ut vulnerati ipsos rogarent. Quos ideo curare putabantur, quoniam E a lesione cessabant. Matheus autem apostolus Christi non solum hos curabat, quos illi ledebant, sed etiam omnes, qui ad eum ferebantur, infirmitatibus diversis obsessos. Predicabat autem populo Dei veritatem, ita ut omnes mirarentur de eloquentia ejus.

Apostolus, interrogante eunucho, exponit confusionem linguarum,

6 Tunc Candacis eunuchus, qui eum susceperat cum omni affectione, interrogavit eum, dicens : Obsecro, ut digneris indicare mihi, quomodo, cum sis Hebreus, nosti Græcam et Egyptiam et Ethyopicam *f* sermocinationem; ita ut, qui in eis nati sunt, ita sermocinari non possint. Apostolus respondit : Totus mundus unam sermocinationem omnium hominum habuisse cognoscitur. Sed nata est presumptio hominum talis, quæ eos turrem tantæ magnitudinis facere hortaretur, ut cacumen ejus perveniret ad celum. Hanc presumptionem Deus molientium hoc ordine respexit, ut nullus posset sibi loquentem advertere. Facta sunt autem plurima linguarum genera, et visa est illa conspiratio, mala presumptio, quæ non sanctis meritis ire volebat ad celum. Veniens autem Filius Dei omnipotentis ostendere volens, quo ordine perveniamus edificando ad celos, nobis duodecim discipulis suis F misit Spiritum sanctum de celo, cum sederemus in uno loco, venitque super unumquemque nostrum, et inflammati sumus, sicut ferrum inflammatur ab igne.

et missionem Spiritus sancti cum dono linguarum.

7 Post hec vero, cum a nobis pavor simul et splendor abscessisset, cœpimus variis linguis loqui gentibus magnalia nativitatis Christi, quo ordine sit natus Deus, qui originem non habet : qualiter sit natus Deus homo de intacta Virgine, lactatus et nutritus, temptatus et passus, sepultus, et die tertia resurrexit, et in celum ascenderit, et ad dexteram Dei Patris omnipotentis sederit : Unde sit venturus, ut judicet omne seculum per ignem. Non ergo, ut tu putas, istas quatuor, sed et omnium gentium linguas scimus nos XII discipuli ejus, non mediocriter, sed perfecte cognoscimus. Nunc ergo edificatur turris non de lapidibus, sed de virtutibus Christi. Omnibus enim, qui baptizantur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, aperitur turris, quam Christus extruxit.

Dracones a magis adductos primum sopit,

8 Hæc et iis similia multa cum mystico sermone dissereret, venit, qui diceret, magos cum singulis draconibus advenire. Dracones autem erant galeati, flatus eorum flammiferum ardorem emanabant.

A. INCERTO.

emanabant, sulphur spargebant auribus et naribus, quarum odor homines inficiebat. Tunc consignans se Matheus apostolus, cœpit exire. Prohibebat autem illum eunuchus clausis hostiis *, dicens: Per fenestram, si jubes, loquere magis istis. Dicit illi Apostolus: Tu mihi aperi, et per fenestram tu considera magorum istorum audaciam. Aperiens autem Apostolus hostium, mox egressus est. Et ecce illi duo magi, singulos dracones ante se habentes, veniebant: et mox autem, ut venerunt, ambo dracones ante pedes Apostoli obdormierunt. Tunc dicit illis Apostolus: Ubi est ars vestra? si potestis excitare eos? Ego autem si non rogassem Dominum meum Jesum Christum, omnem furorem, quem nunc * exacuistis, in vos retorsissent. Sed quousque omnis populus conveniat, quia nullus accedere ausus erit huc, ego excitabo eos, et jubebo illos redire ad locum suum cum omni mansuetudine. Conabantur arte sua magica excitare eos, et penitus non poterant neque oculos aperire, neque excitare se.

* ostiis

* al. in me

deinde excitatos abire jubet:

9 Rogabant autem populi, dicentes Apostolo: Rogamus te, Domine, ut liberes populum et civitatem ab his bestiis. Dicit eis apostolus Matheus: Nolite timere: Ego enim faciam eos hinc cum omni mansuetudine recedere: et conversus dixit: In nomine Domini mei Jesu Christi, qui natus est ex Spiritu * sancto et Maria Virgine, qui post crucem sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, in ipsius nomine et virtute adjuro vos dracones, ut nullum omnino contingentes, ad loca vestra cum omni mansuetudine revertamini. Ad hanc vocem elevantes caput serpentes, cœperunt ire: atque apertis portis egressi urbem, nusquam comparuerunt.

* *incongrua locutio*

Discursus Apostoli de lapsu hominis, Christi Incarnatione,

10 Tunc omnem populum beatus Matheus apotolus allocutus est ita: Audite me, fratres et filii, et omnes, qui vultis liberare animas vestras a dracone diabolo. Propter vestram salutem misit me Deus ad vos, ut relicta vanitate idolorum ad ipsum convertamini, qui vos creavit. Deus enim, quando fecit hominem, posuit eum in paradiso delitiarum cum muliere pariter, quam de ejus costa effecerat. Persuasione autem maligni angeli (de celo *g* propter superbiam ruerant) dum de ligni vetiti fructu gustassent: qui immortales, si Dei mandatum conservassent, semper futuri essent: non solum ipsi de eodem loco delitiarum expulsi mortem incurrerunt; sed per omne etiam eorumdem genus hominum, quod ab ipsis exortum est, transmiserunt. Novissimis autem his diebus misit Deus Filium suum ad reparationem hominum, natum de Virgine, qui per carnem, quam de intacta Virgine sumpserat, hominibus subveniret.

g

C

passione, resurrectione, et missione Apostolorum etc.

11 Hic itaque cum in mundo apparuisset, duodecim nos Apostolos elegit. Qui cum inaudita seculo signa faceret, invidia Judaici populi crucifixus est, ac die tertia resurrexit. Cumque per dies XL nobiscum commoratus esset, videntibus nobis atque stupentibus ad celos ascendit. Tantam autem nobis, qui ei credidimus, potestatem largitus est, ut non solum omnes morbos et infirmitates curemus; sed et ipsos mortuos suscitemus. Unde, fratres, credere vos oportet huic Deo vero, et Patri ejus, simulque et Spiritui sancto, qui in tribus Personis unum colimus Deum, ut abluti purificationis baptismatis, et eternam possitis mortem evadere, et ad semper mansura gaudia pervenire.

12 Cumque hec et hiis similia loqueretur Apostolus, ecce tumultus luctuosus subito exortus est, in quo regis filius mortuus plangebatur. Ad cujus funus stabant biduo magi: qui cum non possent eum suscitare; studebant * regi hunc a diis raptum in collegio, ut sit unus ex diis, cui oportet et simulacrum fabricari, et templum. Tunc ingressus Candacis eunuchus, ad reginam dixit: Istos magos jubete custodiri, et rogate, ut veniat ad vos apostolus Dei Matheus: et si ipse eum vobis suscitaverit, istos jubete vivos incendi; quia omnia mala per ipsos in civitate vestra veniunt. Tunc missi sunt cum eunucho honorati viri a latere regis, qui rogarent Apostolum, et cum honore introduxerunt eum ad regem. Ingrediente autem Matheo, prostravit se Eufenissa *h* regina Ethiopum ad genua ejus, et dixit: Agnovi te Apostolum a Deo missum pro salute hominum, et ejus esse discipulum, qui mortuos suscitabat et omnes egritudines ab hominibus suo pellebat imperio *i*. Nunc ergo veni, et invoca nomen ejus super filium meum defunctum, et credo, quia, si hoc feceris, reviviscet.

D

Mortuum regis filium, petente regina,

* *in Ms. nostro* suadebant

h

i

ad vitam revocat.

13 Dicit ei Apostolus: Adhuc predicationem Domini mei Jesu Christi ex ore meo non audisti; et dicis, Credo. Ideoque scias, tibi redditum filium vivum. Ingressus Apostolus, expandit manus suas ad celum, et dixit: Deus Abraham, Deus Ysahac, Deus Jacob, qui ad restaurationem nostram unigenitum filium de celo ad terras misisti, qui nos ab errore converteret, et te verum nobis Dominum demonstraret; memor esto dicentis Domini nostri Jesu Christi filii tui: Amen dico vobis, quoniam omnia, quæ in nomine meo petieritis a Patre meo, dabuntur vobis. Ut cognoscant ergo gentes, quia præter te non est alius, et vera est assertio oris mei, excitetur puer iste: et apprehendens manum defuncti, ait: In nomine Domini mei Jesu Christi crucifixi surge Eufranan *, et confestim surrexit puer.

E

* *in Ms. nostro* Eufranon

Converso populo multo ecclesia exstruitur.

14 Ad hoc signum expavit cor regis: et statim jussit deferri coronas ei et purpuram, et precones misit per civitates, et per diversas provincias Ethyopie, dicentes: Venite ad civitatem, et videte Deum *k* in effigie hominis latentem. Cumque venisset omnis multitudo cum cereis, et lampadibus, et cum diversis thimiamatibus, ac diverso sacrificiorum ritu, sanctus Matheus hac voce omnes alloquitur: Ego Deus non sum, sed servus Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei omnipotentis sum, qui me misit ad vos, ut relicto errore simulacrorum vestrorum, ad verum Deum convertamini. Quod si me hominem similem vobis, Deum putatis, quanto magis hunc Deum debetis credere, cujus me servum esse confiteor: in cujus nomine ego mortuum hunc regis filium excitavi. Et omnes nunc, qui capaces estis ad tam evidentissimam rationem, aurum, et coronas, et argentum ab oculis meis tollite: sed ite, et templum Domino fabricate, ut ibi congregemini ad audiendum verbum ejus. Quo audito, intra XXX dies sexaginta millia hominum sanctam ecclesiam consumaverunt, et vocavit nomen ecclesiæ Matheus Resurrectio, quia causa edificationis eorum extiterat.

k

F

deinde alias plures, et Matthæus pacifice fidem promovet.

15 Sedit autem in hac ecclesia Matheus annis XXXII, et constituit presbyteros et diacones, et multas fabricavit ecclesias, et per civitates et castella ordinavit episcopos. Baptizatus est autem rex Egyppus, et regina Eufenissa cum filiis ejus Eufranan, qui suscitatus est; et filia ejus Ephigenia *l*, virgo permanens: Zaroes autem et Arfaxat, illi duo magi, ab hora, qua suscitavit Matheus

A ab incerto.

A theus in nomine Jesu Christi filium regis, fugientes ab Ethyopia in Persidem sunt devoluti, ibi nihilominus pejora facientes. Et quoniam longum est narrare per singula, quanti cæci illuminati, quanti paralytici curati, quanti leprosi mundati, quanti a demoniis liberati, quanti etiam mortui suscitati: quam christianissimus fuerit rex, quam religiosissima extiterit uxor, quam devotus omnis exercitus; quomodo omnia simulacra, omniaque templa destructa: hæc omnia propter nimietatem *m*, ut dixi prætermittens, quo ordine passionem Dei Apostolus sanctam celebraverit, retexemus.

m

ANNOTATA.

a *Hæc, quæ certa sunt, addita sunt, opinor, ab auctore, qui Historiam Pseudo-Abdiæ nonnihil emendare studuit. Mox vero dictam Historiam exscribere incipit, eamque prosequitur usque ad finem, omissis tamen fabulis dictisque aliquot absurdioribus.*

b *Apud Abdiam et alios* Naddaber.

c *In Ms. aliquot* Eglyppus.

B d *Dictum hoc est in Præfatione, in nostris Mss. addita, sed omissa in Ms., quod edimus, ut hinc etiam liqueat, hoc ex illis desumptum esse.*

e *Apud Abdiam eunuchus nominatur* Candaces, *quod hic correctum, cum nomen illud sit reginæ Æthiopum. Conversio autem illius eunuchi per Philippum diaconum videri potest in Actis Apostolorum cap.* 8.

f *Verisimiliter hanc interrogationem confinxit auctor, ut exponeret confusionem linguarum Gen.* XI *relatam, et missionem Spiritus sancti cum linguarum dono legendam Act.* 2. *At plures, quam duodecim Apostoli, acceperunt Spiritum sanctum, ut colligitur ex iis, quæ cap.* I ℣ 13 *narrantur de ingressu in* cœnaculum.

g *Sensus relictus est imperfectus omissione aliquot vocum de lapsu angelorum. In Mss. nostris longa est descriptio paradisi, non carens multis ineptiis hic omissis.*

h *Regina Æthiopum eo tempore vocabatur* Candace, *ut probavi in Commentario num.* 7. *Itaque auctor, qui illum eunuchum* Candacis reginæ *asserit, hic oblitus est sui, cum Pseudo-Abdia Eufenissam reginam inducens. Colligat hinc studiosus lector, quam nulla sit commentitio-*
C *rum Actorum fides.*

i *Reginam cito doctam facit auctor, uti et mox humilem fecit. At necesse non est multa observare, cum omnia fere improbabili modo sint exposita.*

k *Hoc, æque ac sequentia, commentitium videtur.*

l Ephigeniam *virginem et* Eufemiam *matrem ejus, quæ* Eufenissa *in his Actis vocatur, Martyrologio suo ad* 24 *Septembris inseruit Grevenus. Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 101 Ephigeniæ, *quam* Iphigeniam *vocat, contexit elogium ex Actis. Hinc variis neotericorum Martyrologiis inserta fuit* Iphigenia, *etiam Romano apud Galesinium et Baronium: verum cum nihil de* Iphigenia *aut de matre ejus nobis innotuerit, quod non profluxerit ex hisce Actis aut Abdiæ Historia, de illis plura non observo. Ceterum* Ephigenia *deinde in Ms. scribitur* Effigenia.

m. *Magis credo, auctorem de omnibus illis nihil novisse.*

CAPUT II.

Mortuo rege, successor Hirtacus, petitis frustra Ephigeninæ nuptiis, ecclesiam turbat et Matthæum occidit. At, eo defuncto, rursum floret ecclesia in Æthiopia.

Rex Egyppus, senectute expleta, perrexit ad Dominum, et accepit Hyrtacus exadelphus *a* ejus imperium. Hic cum vellet accipere Effigeniam, filiam defuncti regis, uxorem, jam Christo dedicatam, quæ sacrum velamen acceperat de manu Apostoli, quæ etiam erat præposita virginum amplius quam ducentarum: sperabat rex Hyrtacus, quod per Apostolum posset ejus animum promovere. Cœpit ergo cum sancto Matheo E agere, dicens: Dimidium regni mei accipe, tamen suade, ut Effigeniam possim matrimonio copulare: Cui Apostolus ait: Juxta propostium predecessoris tui regis, qui omni die Sabbato conveniebat, ubi verbum Domini predicabam, illic jube convenire universas virgines, que cum ea sunt, simul cum ipsa, et audies in populo quanta bona de bono conjugio loquar; quoniam satis Deo sunt accepta conjugia. Quo audito, Hyrtacus gratulatus est, et jussit congregationi illi interesse Effigeniam, quasi audituram ex ore Apostoli, ut conjux fieret Hyrtaco, et consentiret ei.

Mortuo rege cum Hirtacus rex vellet Ephigeniam uxorem, a

17 Facto autem in congregatione magno silentio, aperiens os suum Apostolus, dixit: Audite sermonem meum, omnes filii Ecclesiæ: audite, et intelligite omnia, que auditis, ut maneant scripta in cordibus vestris. Deus enim noster nuptias benedixit: et ipse precepit, ut vir diligat uxorem suam, et mulier diligat virum suum. Ecce enim videmus frequenter evenisse, et ut uxor virum suum usque ad interitum, et venenum, et gladium et repudium; similiter et vir suæ conjugi moliatur interitum. Hæc prosequente Matheo, F rex Hyrtacus *b* clamosis laudibus cum suis comitibus perstrepebat, estimans eum hæc ideo dicere, ut animum Effigenie cito ad ejus conjugium inclinaret: sed postquam diutissime clamatum est in ejus laudem, sermones repetunt. Factoque silentio, Apostolus dixit: Et matrimonia dum copulantur, boni operis honestate ornantur, si sancte, et juste, et integre, et irreprehensibiliter copulantur. Nam si desponsatam regis servus regis usurpare audeat, non solum offensam, sed etiam crimen tam grave incurisse dignoscitur, ut merito vivens tradatur flammarum incendiis. Ita etiam et tu, fili karissime rex Hyrtarce, sciens Effigeniam, filiam regis prædecessoris tui, sponsam Regis celestis effectam, et sacro velamine consecratam, quomodo poteris sponsam potentioris te tollere, et tuo eam matrimonio copulare?

Matthæus vero ejus propositum de servanda virginitate laudaret, b

18 Ad hunc sermonem Hyrtacus, qui per singulas distinctiones Apostoli laudator extiterat, ira accensus abscessit. Apostolus autem intrepidus, et constans, et eo magis alacrior, prosecutus est, dicens: Audite me, qui timetis Deum: Rex terrenus pauci temporis dominationem habere

iramque terreni regis non timendam doceret,

A. NUBRTO. bere cognoscitur; Rex autem cœlestis eternum imperium, et sicut inenarrabilia *c* gaudia facit habere eos, qui fidem suam ipsi custodiunt: ita inenarrabilia tormenta irrogat his, qui a fide ejus et sanctitate discedunt. Quod si timenda est ira regis, cujus magis ira timenda est, hominis, an Dei? Nam ira hominis, sive suppliciis, sive ignibus, sive ferro coherceat, intra momenta temporum desinit; ira autem Dei eternas gehenne peccantibus flammas succendit. Unde Dominus, et magister veritatis Jesus Christus, prescius futurorum, dixit: Apud reges stabitis *d*, qui cum flagellaverint, aut occiderint vos, ultra non habent, quid faciant: et ideo dico vobis, ne timeatis eos; illum autem timete, qui, postquam occiderit, potestatem habet perdere in gehennam. Dico vobis, hunc timete.

eique et reliquis virginibus hunc in finem

19 Tunc Effigenia prostravit se coram omni populo ad pedes apostoli Mathei, dicens: Obsecro te per ipsum, cujus Apostolus es, ut ponas super me manus, et super omnes has virgines, per verbum tuum Domino consecratas, ut possimus evadere, quia adhuc vivente patre meo et matre multa minabatur, et multis minis terrebat, multisque muneribus invitabat: et, si hoc viventibus illis audebat, et temptabat, quid modo eum facturum putas? Tunc Apostolus confidentiam habens in Deum suum et penitus non timens Hyrtacum, imponens velamina super capite omnium virginum, quæ cum ea erant, hanc benedictionem dixit: Deus plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis etatem, non sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam; sed omnis creaturæ tuæ æqualis es redemptor: tu has famulas, quas ex omni numero gregis bonus Pastor eligere ad conservandam perpetuæ coronam virginitatis et castimoniam animæ dignatus es, tuæ protectionis scuto circumtege, ut vincentes carnis illecebras, et illicita conubia recusantes, insolubilem Filii tui Domini nostri Jesu Christi copulam mereantur.

bene precatur;

20 His petimus, Domine, arma suggeras non carnalia, sed spiritualia virtutis tuæ potentia, ut te muniente earum sensus et membra *e*, in corpore non possit dominari peccatum: atque sub tua gratia vivere cupientibus, nihil sibi defensor malorum, inimicus bonorum, de his vasis jam tuo nomini consecratis prevaleat vindicare: omnem etiam gehenninum calorem imber gratiæ tuæ celestis exstinguat: lumen vero perpetuæ castitatis accendat. Facies scandalis pudica non pateat, nec incautis occasionibus tribuat negligentiam delinquendi: sitque in eis casta virginitas, et ornata pariter et armata fides integra, spes certa, caritas sincera, ut preparatis animis ad continentiam virtus tanta prestetur, quæ superet diaboli universa figmenta, atque contemnentes præsentia, futura sectentur. Jejunia epulis carnalibus preferant, et lectiones sanctas conviviis et potationibus anteponant; ut orationibus pastæ, et eruditionibus expolitæ, illuminatæ vigiliis, opus gratiæ virginalis exerceant. His virtutum armis has tuas famulas interius exteriusque communiens, presta eis inoffensum cursum virginitatis implere; per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum, et cum eodem Spiritu sancto vivit et regnat in eterna secula seculorum.

per sicarium in ecclesia Matthæum occidit.

21 Cumque omnes respondissent: Amen, et mysteria Domini essent celebrata, et missas *f* accepisset omnis ecclesia, et unusquisque ad domum propriam remeasset; Matheum apostolum suum Christus in ecclesia retinuit juxta altare, ubi Corpus ab eo Christi fuerat confectum, ut illic martyrium apostolicum exaltaret. Nam expansis manibus orantem spiculator missus ab Hyrtaco, a tergo punctum, ictu gladii feriens Apostolum Dei, Christi martyrem effecit: quo audito, omnis populus ad palatium cum igne veniebat. Cui furenti populo occurrerunt omnes presbyteri, et omnes diaconi, et omnes clerici, et omnes religiosi viri simul cum discipulis defuncti Mathei apostoli, dicentes: Nolite, fratres, contra preceptum Dei agere: sed celebremus omnes cum gaudio martyrium Apostoli, et quid Deus ordinare voluerit, exspectemus.

Hirtacus, tentata variis modis Ephigeniæ constantia,

22 Effigenia autem sacratissima virgo Christi, quicquid in auro, et argento, et gemmis habere potuit, omnia contulit sacerdotibus, et omni clero, dicens: Obsecro vos, postea quam dignam Apostoli Christi fabricaveritis ecclesiam, quicquid superfuerit, pauperibus erogetis: me autem oportet habere certamen cum Hyrtaco. Factum est autem post hæc, secundum verbum Effigenie, omnium nobilium uxores fecit venire ad eam; sperans, quod aliqua ratione possit ad ejus venire consensum. Quod cum nulla penitus potuisset ratione efficere, convocavit magos, ut demonum illam ministerio caperent. Quod cum minime hoc facere valerent, fecit circumdari igne pretorium, quo cum virginibus Christi commanens, Deo suo die noctuque famulabatur. Sed cum per circuitum ignis arderet, apparuit angelus Domini cum Matheo apostolo, et dixit ei: Effigenia, firma esto, et noli expavescere hos ignes: ad illum enim, a quo tibi sunt suppositi, revertentur.

se ipse tandem occidit:

23 Igitur cum per girum pretorii sanctæ Effigeniæ flammæ perstreperent, excitavit Dominus ventum validissimum, et emundavit omne illud incendium a domo virginis suæ; et ita consumpsit palatium Hyrtaci, ut non inde potuerit aliquid ex facultatibus regis liberari. Ipse autem Hyrtacus cum filio suo unico vix evasit: sed melius fuerat incendio interisse. Nam filium ejus vehementissimus demon implevit, qui illum cursu rapidissimo ad apostoli Mathæi sepulcrum adducens, a tergo manibus ab ipso diabolo colligatis, confiteri eum patris crimina compellebat. Ipsum autem Hyrtacum elephantiæ vulnera a capite usque ad ultima pedum vestigia replevit. Quem medici cum curare non possent; ipse in se gladium imponens, occubuit: ut qui a tergo Apostolum Domini percuti jusserat, ipse se ipsum stomacho perforaret.

et frater Ephigeniæ fit rex, sub quo ecclesia rursum floret.

24 Universus autem populus insultans morti ejus, comprehendit cum omni exercitu fratrem Effigeniæ, nomine Ugor, qui per Effigeniam germanam suam in manu Mathei fuerat gratiam Domini consecutus, ut super se, Domino opitulante, regnaret. Hic cum esset juvenis, vicesimo quinto etatis suæ anno cœpit regnare, et regnavit per annos sexaginta tres. Facti sunt autem omnes anni ejus, quibus vixit, octoginta octo: et, se vivente, constituit unum filium suum ducem omni exercitui; alterum vero regem, et vidit filios filiorum suorum, usque in quartam generationem, et habuit pacem firmissimam cum Romanis, et Persis. Omnes autem provinciæ Ethyopum, ecclesiis repletæ Catholicis *g*, usque in hodiernum diem per Effigeniam benedicunt Deum, et fiunt mirabilia magna ad confessionem beati apostoli Mathei in virtute et potentia Domini nostri Jesu Christi. Passus est autem beatissimus Matheus apostolus et martyr undecimo Kalendas Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor,

A honor, et gloria cum Deo Patre, et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Exadelphus *exponitur* fratris filius *in Glossario Cangii. De Hirtaco autem illo apud alios auctores, qui non hauserunt ex his Actis, nihil invenio; et suspicor personam esse fictitiam, quales forte sunt omnes, qui memorantur de familia regia, cum regnum Æthiopiæ videatur eo tempore fuisse sub regina Candace.*

b *Scenica aut fabulosa hæc omnia magis videntur, quam historica aut vera.*

c *In Ms. hoc mendose legebatur,* enarrabilia, *quod correxi ex nostris.*

d *Sensus variorum Evangelii locorum hic datur, at non ipsa exacte verba.*

e *In Ms. rursum mendose* sensibus et membris *legebatur, quod rursum correxi ex nostris, uti mox paucula alia clare mendosa.*

f Missas accipere, *hic est dimitti.*

g *Si vera essent omnia, quæ hic asseruntur, non potuissent non innotescere antiquis Patribus;* B *nec hi siluissent de florente adeo ecclesia in latissimo Æthiopiæ regno. At silentium Patrum, qui parum loquuntur de fide apud Æthiopes recepta, cogit nos existimare, fidem quidem ibi prædicatam fuisse, sed non tanto cum fructu, quantum fabulator comminiscitur, omnia, ut minimum, supra modum exaggerans.*

ACTA ALTERA

Auctore Metaphraste, interprete Sirleto.

Ex editione Latina Lipomani et Surii.

Hominem lapsum erigere volens Deus, carnem assumpsit, et Apostolos elegit: a

Si præceptum illud, quod ab eo, qui nos formavit, injunctum nobis *a* fuit, servare voluissemus, beata illa paradisi habitatione et vita frui nobis licuisset, omniaque corporea commoda negligentes, solis divinis rebus mentem occupatam haberemus, ac eas assiduis cogitationibus semper meditaremur. Cum ille, qui a divina familiaritate simul atque a gloria excidit, in qua prius erat, generi humano invideret, ob idque ad suam ruinam secum una omnibus machinis illud præcipitare studeret, author fuit homini, ut primi illius præcepti oblivisceretur. Itaque homo ipse, qui omnium primus a Deo formatus est, miserabili quodam modo, proh dolor! paradiso privatus fuit. Non tamen ipsius, qui nos formavit, benignitas patiebatur, ut ad tantam ruinam prolapsi despiceremur, neque ut, prima illa dignitate omissa, tam ignobili statu condemnati relinqueremur. Ille igitur ipse, qui ab initio cum Patre semper fuit, qui coæternus est, ex paterno sinu descendens, seipsum exinanivit, et propter humani generis salutem matrem Virginem subiit, carnem gestavit, et humana omnia sustinuit præter peccatum: humana enim omnia suscepit, ut peccatum mundi tolleret, et his, qui sunt in terra, novum quemdam ad cælos aditum præpararet. Quoniam vero ejus rei ministros habere oportuit, per quos divinæ dispensationis et mysteriorum disciplinam Deus patefaceret, atque homines ipsos ad salutis viam perduceret, ob eam causam vocati sunt Andreas, Petrus, Jacobus, Johannes, et Matthæus, de quo nobis hoc loco dicendum est. *A. Metaphraste.*

hos inter Matthæus vocatus prompte sequitur, b

2 Hic, inquam, Christi discipulus, olim fuerat publicanus, pecuniarum exactor et ratiocinator, quippe qui omnes quæstus faciendi vias et artes noverat, mentis acrimonia, multoque rerum usu ita præstans, ut inter publicanos principem locum *b* teneret. Postea vero quam pro salute mundi Christus Dominus in terra versari cœpit, (Videte, quæso, repentinam, celerem, admirabilem et plane divinam hominis conversionem) cum præteriret aliquando, et intimas cordis partes inspiceret hominis in telonio sedentis, cumque virtutis studium atque ardorem in ejus animo latentem, ut rerum occultarum cognitor, et cordis perscrutator bene cognosceret, et qualisnam ex eo, qui tunc erat, postea futurus esset, optime prospiceret, illum vocavit, ac sequi se jussit. Sic enim de illo scriptum legimus: Cum transiret Jesus, vidit publicanum, nomine Levi, in E telonio sedentem, eique dixit: Sequere me. Ille vero non pecuniarum copia, non eorum, qui circumstabant, multitudine, non terrena et fragili hujus mundi gloria detentus est: nihil denique illorum omnium curavit, quæ in terris humanam mentem servituti subjicere, et ad se attrahere solent: sed ita, ut erat, statim surrexit, et secutus est Dominum. Non longa oratione illi opus fuit, neque multo tempore, non miraculorum spectatione, non denique diligentiore aut diuturniore consuetudine; sed cum primum optabilem illam et jucundam vocem audivit, Sequere me, statim telonium dereliquit, et exigendæ pecuniæ socios, omnemque honoris pristini cupiditatem adjecit, ac toto illo argento et auro, quod antea possidebat, preciosam margaritam mercatus est.

et Christo constanter adhæret.

3 Ita qui Levi antea dicebatur, cum mores pristinos admirabiliter mutavisset, appellatione quoque superiore mutata, Matthæus *c* dictus est, qui deinceps cum ipso Jesu versabatur, ita ut, cum postea Christus ipse in ejus domo recumberet, una cum illo et Matthæus discubuerit. Qua de re cum Pharisæi dubitarent, et ab ejus discipulis quærerent, curnam eorum Magister cum publica- F nis cibum sumeret: ille, his auditis, respondit: Non opus habent medico, qui bene valent, sed qui male se habent. Item illud: Euntes discite, quid sit, misericordiam volo, et non sacrificium. Quare declaravit, se venisse, non ut justos omnino, sed ut peccatores ad pœnitentiam invitaret. Ex illo tempore Matthæus ita mundum dereliquit, ut et ipsi mundo, et omnibus mundanis cupiditatibus, cruce suscepta, renunciaverit, soli Deo vivens, et ejus vestigia sequens, omniumque signorum ac miraculorum ipsius spectator et particeps factus: quippe qui per totum dispensationis divinæ tempus una cum Jesu versatus fuit, cum summis ejus discipulis connumeratus, et cum temporis progressu faciens virtutis progressionem. Cum vero tempus illud salutare advenisset, quo Jesus crucem passus est, et Domini corpus post Crucem ipsam sepulturæ traditum fuit, et ille post resurrectionem aliquando Discipulis suis apparuisset, sæpius vero illorum oculos latuisset, postremo in cælum assumptus est, et Spiritum paracletum illinc sub ignea linguarum specie ad Apostolos suos misit, ut per ejus ipsius Spiritus afflatum gentibus

A. Metaphraste. bus gratiam nunciaret. Tunc Discipuli, alio alii, profecti sunt ad totius orbis terrarum gentes *d*, prout unusquisque ab illo ipso Spiritu ducebatur.

Evangelium scribit, 4 Cum igitur hæc ita se haberent, et Discipuli regiones alias alii agressi fuissent, tunc admirabilis et magnus apostolus Matthæus, tantarum bonarum rerum solus particeps esse noluit, sed aliis etiam beneficium impartivit. Itaque cum se totum collegisset, Evangelium suum, et religionis ac pietatis doctrinam, literarum monumentis consignavit, ut videlicet, quæ alii ore ac lingua docuissent, ea ipse scriptis mandaret. Altius igitur inde usque ab ipso Abraham Christi originem exorsus, atque ita deinceps progressus, primum Christi originem secundum carnem nobis nunciavit, deinde quemadmodum baptizatus fuit, discipulos elegit, tentationes superavit, et ipse a Jesu vocatus est, quemadmodum etiam sacra divinarum rerum mysteria edocuit, partim parabolis, partim aperte discipulis et turbis ea pronuncians. Scripsit idem miracula supra humanæ naturæ captum ab eodem Jesu facta, item ægrotantium curationes, eorum, qui a dæmonibus vexabantur, liberationes, panes illos, quibus ipse benedixit, et multos pavit, quemadmodum per mare pedibus ambularit, et in monte Thabor in aliam quamdam formam se transtulerit. Deinde alterum ejus adventum diligentiori oratione conscripsit: quæque de mystica ejus cœna, et de ipsius proditione facta erant, perstrinxit. Ad hæc falsum illud Pilati judicium, et ejus, qui venit, ut juste alios judicaret, iniquam condemnationem, sepulturam, resurrectionemque; et quemadmodum apud Galilæam apparuit Apostolis, quo tempore datam sibi dixit omnem potestatem in cælo et in terra.

illudque variis gentibus prædicat, 5 Cum igitur, ut summatim dicam, totam Christi dispensationem explicavisset, Parthos adiit, qui nondum Persarum *e* imperio adjuncti erant, ipsisque salute nunciata, Palæstinæ regionis fines peragravit, ubi cum ingenti multitudine variis linguis prædita congressus est, cum fame, siti et crebris ærumnis ac periculis luctatus, quorum alia superstitiosæ impietatis præsides, alia acerbissimi populorum tribuni crudelissime afferebant. At ille nihilominus tamen Salvatorem Christum, et mente et voce libera prædicabat, et eos, qui errore decepti fuerant, ad divinam cognitionem perducebat, ab erroris fallacia remotos et ad veritatis cognitionem translatos. Impia igitur gentium superstitione de medio sublata, omnes homines vero et soli Deo adjunxit, neque suæ prædicationis doctrinam illis tantum finibus contineri voluit, sed ad Æthiopiam *f*, quam sortitus fuerat, pervenit: cujus regionis homines cum ad veritatis notitiam perduxisset, Christianæque fidei gymnasium illis constituisset, et quoscunque potuit prædicationis suæ retibus inclusisset, multaque miracula, Christi ope adjutus, effecisset, et eos, qui ad Dei fidem conversi erant, per aquam et spiritum Christo adjunxisset, ecclesiam sanctam ipsi ædificandam curavit, presbyterosque ac diaconos constituit, singulis diebus concionem habens, partim ad veritatem retinendam illos adhortans, partim mysteria tradens: eos vero, qui languoribus et morbis vel dæmonum malitia oppressi, de vita periclitabantur, verbo et manus attactu ab omnibus molestiis statim liberabat.

et martyrio coronatur. 6 Postea vero quam opus exegit sua vocatione dignum, et debitum opus complevit, ad quod vocatus fuerat, per martyrium in Domino quievit, et nobis, qui versamur in terris, corpus reliquit gloria et hymnis ornatum, eosque, qui memoriam ejus celebrant, vicissim multo splendore ornans, ac sanctos efficiens: id quod multi ex eorum numero, qui per Apostolum ipsum salute digni facti sunt, sacris orationibus consuetam et sanctam ejus celebritatem honorifice admodum prosecuti, memoriæ prodiderunt. Ipse vero sine intervallo aliquo puro aspectu Domini Jesu Christi faciem contemplatur, et in ejus immensæ gloriæ corona decoratur, atque cum eo simul versans, exultat perpetuo: cui convenit omnis gloria, honor, adoratio et magnificentia, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Nobis, *in primo nimirum parente Adamo. Hoc autem initium modo nonnihil diverso Latine expressum esse apud Lipomanum tom.* 5 *fol.* 137, *indeque credidisse aliquos, alia esse Acta, quæ dedit Lipomanus, annotavi in Commentario num.* 14, *ibique ostendi, Acta esse eadem, diversos vero interpretes.*

b *De hoc inter publicanos principatu dubitari merito potest, etiamsi solum credamus, ingenio et dexteritate principem asseri, ut locus clare exponitur apud Lipomanum.*

c *Existimavit auctor, non fuisse dictum* Matthæum *ante vocationem, sed* Levi. *Certum est, nomen* Levi *eidem fuisse etiam ante vocationem; at nomen* Matthæi *postea tantum ab ipso usurpatum, non existimo, cum* Matthæus *ipse cap.* 9 ℣ 9 *contrarium innuat, ubi dicit:* Vidit *(Jesus)* hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine. *Itaque jam tum habebat geminum nomen.*

d *Non tam cito Judæa excesserunt Apostoli, quam hic auctor insinuat: neque* Matthæus *videtur mansisse in Judæa ad scribendum Evangelium, quando alii jam proficiscebantur ad longinquas regiones, ut mox innuit; sed Evangelium scripsit ante divisionem Apostolorum. Vide dicta in Commentario num.* 42 *et* 43.

e *Apud Lipomanum pro* Parthos adiit, *dicitur prædicasse* apud Thebanos, qui imperio Persarum nondum accesserant. *Uter rectius textum Græcum expresserit, certo scire nequeo, cum Acta Græca præ oculis non habeam. Attamen conjicio, lectionem Surii esse probabiliorem, cum alii etiam dicant, apud Parthos prædicasse* Matthæum; *Parthique, qui tempore* Matthæi *habebant in illis partibus principatum, postea multis seculis fuerint sub imperio Persarum. At de prædicatione* Matthæi *apud Thebanos nullus loquitur, nec illi postea fuerunt sub Persarum imperio. Itaque videtur Metaphrastes credidisse,* Matthæum *aliquo tempore prædicasse in imperio Parthorum, deinde regressum esse in Palæstinam, ac demum profectum in Æthiopiam. Hic autem ordo prædicationis ipsius non est improbabilis, ut colliget prudens lector ex disputatis de prædicatione* S. Matthæi *in Commentario* § 4.

f *Hic rursus multum dissentit editio Lipomani, et pro Æthiopia substituit Hierapolim his verbis:* Nolens autem eo usque suam sistere doctrinam, ad ei forte attributam Syriæ Hierapolim, sitam prope partem Euphratis, accedit *etc. At rursum non capio, quo modo hic de Hierapoli referantur omnia, quæ apud Surium de Æthiopia. Quare dubitare vix possum, quin corrupta et interpolata sint Acta, quæ edidit Lipomanus, et certe alterutra sunt duobus locis corrupta. Combefisius in Auctario novissimo part.* 1 *pag.* 494 *dat Annotationes in Orationem Nicetæ in* Matthæum, *ibique bis asserit, Acta illa Metaphrastæ, sicut edita sunt a Lipomano*

A *Lipomano*, probatiora *esse Surianis, quæ ab ipso etiam Lipomano edita sunt tom. 7 fol. 265; sed nullam addit rationem : et sane difficuller dedisset idoneam. Etenim probabilius est, apud Parthos prædicasse* Matthæum, *quam apud Thebanos, nescio quos, qui postea Persarum imperio adjuncti fuerint; probabilius quoque est, Æthiopiam eidem obtigisse prædicatione illuminandam, quam civitatem unam Syriæ Hierapolim.* D *In hisce autem solis Acta differunt, in reliquis consonant præter diversitatem interpretationis. Verum de prædicatione* S. Matthæi *et de loco martyrii aut mortis plura disserui in Commentario* § 4.

DE S. ALEXANDRO EPISC. MART.

VIA CLAUDIA IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Memoria in Fastis sacris, Acta qualia; tempus ac locus martyrii.

SECULO II. *Annuntiatur in Fastis hoc die, et 26 Novembris:*

B*aronius in Martyrologio Romano ad diem* XXI *Septembris ita sanctum hunc Episcopum Martyrem annuntiat :* Via Claudia vigesimo ab urbe milliario, passio sancti Alexandri episcopi, qui sub Antonino imperatore pro fide Christi vincula, fustes, equuleum, lampades ardentes, ungularum laniationem, bestias, ac fornacis flammas superans, tandem gladio cæsus, vitam adeptus est gloriosam. Ejus corpus postea beatus Damasus Papa in Urbem transtulit sexto Kalendas Decembris, quo die festivitatem ejus celebrandam instituit. *Eisdem verbis die eodem præluxerat Baronio Usuardus; præterquam quod hic non referat translationem reliquiarum factam a Damaso Pontifice; sed et hic duces habuit laudatus Baronius auctorem Romani parvi, et Adonem ad diem* XXVI *Novembris, ad quem in Romano parvo sic legitur :* Et beati Alexandri episcopi et martyris, passi XI Kalend. Octobris, a Papa Damaso VI Kalend. Decembr. translati, quando festivitatem ei dicavit.

quo prolixam

2 *Ado* S. Alexandrum *etiam memorat hodie paucis hisce verbis :* Eodem die, passio S. Alexandri episcopi sub Antonino imperatore, *Sed ad prædictum diem* XXVI *Novembris non tantum recolit* C *memoriam translationis, verum etiam ei præmittit prolixam admodum passionis Historiam, quam huc similiter transfero, quia eam solam respicit censura, lata super Actis Sancti nostri a Tillemontio, inferius laudando.* Eodem die, *verba sunt Adonis,* B. Alexandri episcopi martyris sub Antonino imperatore. Cui beato Episcopo, cum esset famosissimus in miraculis, quodam tempore delatus est quidam mortuus : cujus parentes cum hortaretur sanctus Vir, ut crederent in Christum, spoponderunt, se facturos, si isdem mortuus suscitaretur. Tunc sanctus Vir, oratione facta, conversus ad corpus, dixit : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti surge. Qui statim surgens, clamare cœpit : Audite parentes et populus universus : Ductus a duobus Ægyptiis vultu teterrimis, iraque plenis, positus sum in obscurissimo loco, ubi erat puteus : subitoque veniente quodam juvene, nimio splendore corusco, totus ille locus contremuit, et exclamavit juvenis ille splendidissimus : Remittite puerum, quia vocatur a famulo Dei Alexandro. Et ecce reductus sum in corpore. Nunc, Domine Alexander, baptiza me in nomine Dei tui, ne ultra videam, quod hodie vidi. Vocabatur is Luceius, cum quo baptizati sunt alii centum viginti quinque.

E

3 Cumque rumor beatum Alexandrum ubique spargeret, Antoninus direxit Cornelianum præsidem, ut Alexandrum episcopum ei exhiberet : qui invenit eum, die Dominica in ecclesia docentem, et Missas agentem : et sicut imperator jusserat, apprehensum perduxit Romam. Secuti sunt autem eum Crescentianus presbyter, Bonifacius et Vitalio. Præses vero, ligatis manibus ejus retro, obtulit eum Antonino : a quo interrogatus, cum de Christo constantissime peroraret, fustibus jussus est mactari, et gravissime cædi, deinde in custodiam claudi. Quo cum a militibus duceretur, Antoninus post illum clamavit : Quatuor dierum a me tibi dantur induciæ, ut deposito cultu vanitatis tuæ, ultroneus advenias. Cui sanctus Martyr respondit : Quatuor dies jam æstima præterisse; quod desideras, hodie comple. *passionis*

4 Misso igitur illo in custodiam, B. Crescentianus sedens sub arbore, cœpit plorare, et præ tristitia soporatus dormire. Cui visus est angelus Domini, et dixit ei : Jam fui ad Alexandrum, et solvi vincula ejus, et confortavi eum : et nunc ne sedeatis sub hac arbore, ne forte tyranno nuntiemini. Eductus igitur de custodia beatus Alexander, iterum sistitur Antonino, et suspensus in equuleo, jubente impio, lampades ardentes circa latera ei appositæ sunt, ac ungulis corpus illius abrasum. Deinde ex equuleo depositus, ductus est ad templum Apollinis. In quod ingressus, statim ut oravit, pars aliqua templi et simulacrum Apollinis cecidit. Antoninus vero hoc factum magicis artibus deputans, sedens pro tribunali, sanctum Episcopum ad bestias damnavit. Et cum nulla eum tetigisset, fornacem igneam parari jussit, et beatum Virum in eam jactari. Ut autem sanctus Martyr, expansis manibus, in medio fornacis oravit ad Dominum, totus ignis ita extinctus est, ut nec vestigium caloris remaneret. *Historiam* F

5 Tunc Antoninus de fornace sanctum Virum eductum decollari præcepit. Cumque jam duceretur a militibus, quidam juvenis ex officio Antonini, Herculanus nomine, exclamavit dicens, Antonine, insensate tyranne, cur cæcus et surdus perduras? Ecce Famulus Dei post virgas, post equuleos tuos et lampades, atque ungularum attactus, post templi et idoli tui ruinam, post leonum et ursorum rabiem devictam, post fornacis ignem extinctum, nunc ad decollandum gaudio repletus vadit. Quis dubitet, verum Deum esse, qui ita suos confortat? *dat*

AUCTORE J. P.

tat? Antoninus hæc audiens; Infelix, inquit, juvenis, quid tibi factum est, ut tales sermones loquaris? Et iratus, jussit juvenem teneri, quem cum diversis cruciatibus afflixisset, gladio consummavit.

Ado.

6 Beatus vero Alexander cum duceretur, obviavit ei quædam vidua, quam beatus Martyr rogavit, dicens : Commoda mihi orarium. At illa præstitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri : Perdidisti orarium tuum. Facto itaque signo Crucis, expoliavit se beatus Martyr tunica, et in linea stans, texit sibi orario oculos; dein positis genibus, suscepit gladium via Claudia, vigesimo miliario ab Urbe, et factus est terræ motus et vicus et thermæ ceciderunt; sanctus autem Crescentianus et hi, qui cum illo erant, revelante Martyre, tulerunt sanctas reliquias ejus et sepelierunt in loco, ubi orans fornacis ignem extinxerat. Et posuit supra scriptum marmor continens : Hic requiescit sanctus et venerabilis martyr Alexander episcopus, cujus depositio celebratur undecimo Kalendas Octobris. Cui Papa Damasus postmodum cryptam condignam faciens, illic eum sexto Kalendas Decembris transposuit ; quando et festivitatem ei dicavit. Orarium porro illud sibi præstitum, unde sibi Martyr oculos texerat, mox ut decollatus est, mulieri per quemdam puerulum, quem angelum fuisse, non est dubium, reformatum * est. Quod illa non sine grandi stupore recepit, et vere martyrem confessa Alexandrum, Christo credidit. *Hactenus Ado, quem descripsit Surius ad eumdem diem* XXVI *Novembris.*

* certe reportatum

Acta, quorum scriptor se testem oculatum dicit,

7 *Actorum martyrii, ex quibus verisimillime, saltem pro majori parte compendium contraxit Ado, quæque hactenus prelo vulgata non novi, quatuor habemus Mss. apographa : primum desumptum notatur ex vetustissimo Ms. Audomarensi, collatumque cum altero item Ms. clarissimi Puteani; secundum huc transmisit ex Mss. codicibus Ludovicus Nicquet, bibliothecarius Cælestinorum Suessionibus anno* 1666, *idque Suessionense vocabo; tertium habetur in codice Musei nostri signato* P *Ms.* 6; *quartum in codice membraneo etiam apud nos signato* P *Ms.* 158. *Ea inter se collata apprime congruunt in rebus narratis omnibus, imo et in verbis, si pauca, eaque minus notabilia excipias, quod vix aliter contingit, dum eadem instrumenta antiqua, a diversis descripta, producuntur. Auctor se ubique Crisentianum vocat, idemque est haud dubie, quem Ado S. Crescentianum appellavit. Is a* S. Alexandro *presbyterum se ordinatum esse asserit; adfuisse* Alexandro, *dum captus est, subsecutum esse, dum ad imperatorem ductus est, inter milites stetisse, dum ab imperatore interrogatus et cædi jussus est, atque omnia annotasse se insinuat, quæ ipse vidit et audivit. Addit, se annotata sua contulisse cum aliis, quæ Protasius quidam, dictante ipsomet Corneliano, præcipuo tyranni ministro, scripserat, atque adjecisse ex his, quæ non habebat, puta, quia audire vel præsens adesse nequiverat. Denique exponit, qua occasione Cornelianus præses martyrii historiam dictaverit Protasio et quomodo hic illam, facta collatione, repetierit, atque in bibliotheca sua honoranter reponi voluerit. Unde equidem suspicor, ipsum Protasium occulte Christianum fuisse. Certe, si Actis standum, eximius Christianorem fuit fautor.*

examinata, non videntur ob rationes,

8 *Nactus hujusmodi Acta martyrii, quippe quæ, nisi valde corrupta, supposititia vel interpolata reperiantur, plurimum solent æstimari ab eruditis, attentius cœpi examinare adjuncta temporum ac personarum, locorum item et similium, in quibus facile aberrant, qui ficta pro veris obtrudere nituntur : neque ea inter tam grave aliquid offendi, unde solide elicerem, nedum ostenderem, Acta esse certo fabulosa. Stylum deinde et scribendi ordinem consideravi, eumque satis simplicem censui, ut credi non debeat, a recentiore calamo fuisse immutatus notabiliter vel exornatus. At quid de rebus ipsis a biographo narratis? Audiamus primum sententiam Tillemontii ad Adonis compendium superius relatum. Is tom.* 2 *Monumentorum Eccles. Nota* 7 *ad persecutionem Marci Aurelii Antonini de Sancto nostro ejusque passione pronuntiat, ut sequitur.*

a Tillemontio contra Adonis Historiam

9 Nihil de S. Alexandro episcopo compertum nobis est, præterquam ex Martyrologiis. Sed Ado ad XXVI Novembris tam fuse de eo loquitur, ut annotandum id esse censuerimus. Nam quæ de ipso refert, pro Actis haberi possunt, et quidem sat longis, addi a nobis posse cuperemus, etiam bonis. At nihil in iis videtur præter prodigia et facta Metaphrastica, absque ulla veritatis et antiquitatis verisimilitudine. Ex iis, quæ tradit, videtur Sanctus fuisse episcopus in civitate quadam Romæ vicina, sed in qua, invenire non potuit Baronius. Juxta Adonem deductus fuit Romam, ut ab imperatore interrogaretur ac suppliciis afficeretur. Eapropter nos eum inter martyres Romanos recensemus. Prætendunt tamen, itum esse, ut ipsi caput amputaretur, ad viginti illinc milliaria in via Claudia, nulla allata ratione rei tam parum credibilis *etc. Ita ille, dum Adonem solum legerat, minus absolute pronuntiaturus forsitan, si Acta ipsa, quæ integra exhibebimus, inspicere ipsi licuisset.*

allatas.

10 *Nam quod de loco martyrii parum credibile ipsi visum est, credibilius fecissent rationes, prætermissæ quidem ab Adone, sed sufficienter expositæ a biographo, qui, cum pene ubique se testem oculatum ac rerum narratarum participem exhibeat, profiteaturque se ea, quæ præsens spectare vel audire nequiverat, accepisse ex ipsius præsidis dictamine, majorem antiquitatis similitudinem præbuisset etiam Tillemontio. Restant igitur, præter leviores difficultates mox memorandas, sola prodigia et facta Metaphrastica seu mirabilia (quod idem sonare debuit Tillemontio, cum certe Ado Metaphraste antiquior sit,) quæ non minus frequentia sunt in Actis, quam in Adoniano compendio, quæque non possunt non formidinem ingerere super eorum sinceritate. Sed neque ex eo uno capite veritatis similitudinem iis negare potuisset Tillemontius, utpote a tali auctore relata. Imo, inquis, hujuscemodi larvam induunt fabulatores, quo facilius fidem obtineant, nec raro interpolatores sub tutela testis oculati, Actis veris facta fabulosa immiscent : non inficior, id aliquando contigisse, neque ausim spondere, non contigisse hic : attamen priusquam biographo alicui tam turpis imposturæ nota inuratur, illud temere præsumendum non est, sed gravibus rationibus probandum. Sane his deficientibus, varia Acta tamquam sincera et authentica amplectuntur ac laudant viri eruditi et veræ criseos periti, etiamsi non minus prodigiis referta quam nostra. Nolo id, ne æquo longius excurram, hic exemplis demonstrare : verumtamen cum Acta Sancti nostri nunc primum integra, quod sciam, typis vulgentur, haud abs re fore visum est, breviter conferre in Annotatis præcipua prodigia in his contenta cum prodigiis, quæ leguntur in aliis, ut dispiciat lector ipse, an illa potius, quam hæc, ex isto capite sint repudianda.*

Præ

A *Præ celeris autem utar Actis SS. Theodoti et septem virginum martyrum, ac SS. Tarachi, Probi et Andronici, quæ a Tillemontio et aliis probantur, et quorum prima habes apud nos tom* IV *Maii pag.* 149, *altera inter Selecta apud Ruinartium edita anno* 1713 *pag.* 423.

absolute repudianda; res, quæ parum credibilis

11 *Celerum cum raro accidat, ut Acta, primis fidei seculis exarata, adeo illæsa ad nos perveniant, quin aliquibus difficultatibus laborent, et aliquoties tam implicatis, ut dissolvi facile nequeant, prout fatetur Tillemontius tom.* 5 *Operis cit. pag.* 660, *ubi aliquas proponit in Notis ad Acta S. Theodoti, etiam suas patiuntur Acta* S. Alexandri, *non tamen satis graves, ut idcirco amovenda videantur ex ordine sincerorum, vel postponenda jam laudatis authenticis. Passim commode exponi possunt, vel attribui amanuensibus, qui sicut frequenti experientia discimus, sive ex negligentia, sive ex eo, quod voces aut periodi antiquitate detritæ aut obscurius scriptæ essent, omiserunt, addiderunt et pro arbitrio suo expresserunt: quod postremum hic speciatim observo, quia in nostris apographis adjunctum unum et alterum* B *non legitur, quod Ado expressit; quamquam alioqui is rebus narratis presse inhæsisse videatur Actis nostris, iisdemque nonnumquam utatur verbis. Sed hæc facilius exponentur in Annotatis. Pauca subjungo, unde credibilius fiat, quod Tillemontio parum credibile visum est, quia Ado, utpote compendium tantum exhibens, rationem afferre prætermiserat, cur* S. Alexander *ductus fuisset extra Urbem in viam Claudiam, ibidemque martyrium subiisset.*

eidem visa est,

12 *Crescentianus seu Crisentianus biographus, postquam narravit modum, quo comprehensus est Sanctus, et quo ipse simul cum sociis Romam pervenit, ita prosequitur :* Eodem tempore Antoninus sibi via Claudia miliario septimo decimo mausoleum fabricabat. Cumque venissemus Romam, dictum est Corneliano, quod Antoninus in partes Tusciæ ambulasset, in quo loco prædia electa habebat, ideo quasi ad vexandum * frequenter exibat. Cumque cognovisset Cornelianus, festinanter pertransiit Urbem. Cumque pervenissemus in locum, qui dicitur Clivus Parralis, ibi eum de jumento deponens, retro manibus ligatis, ad prætorium Fusci perduxit. Ego vero etc. *Unde apparet, extra Urbem fuisse actum, quidquid de Sancto commemorat Ado. Porro tres seculo secundo imperatores Antonini nomine veniunt. Titus Antoninus Pius, Marcus Aurelius Antoninus, et Lucius Verus* C *Antoninus, licet posterior rarius eo nomine designetur.*

* *al.* venandum

exponitur.

13 *Ut nusquam apud veteres memoriam reperi mausolei ab aliquo Antonino fabricati in via Claudia : quamquam satis constet, eosdem Antoninos, Pium certe et Verum in partibus Tusciæ et prædia habuisse et ædificia erexisse. Nam Antoninus Pius* educatus *est* Lauri in Aurelia, ubi postea palatium extruxit, *inquit Julius Capitolinus in Vita ipsius. Aurelia autem via, teste Isaaco Casaubono in Capitolinum, petebantur Etrusci;* Laurum *vero,* Lorium *vel etiam* Loria Villa, *ubi omnium consensu idem Pius mortuus est, distabat duodecimo Milliario ab Urbe. Idem Capitolinus in Vita Lucii Veri hæc tradit :* Villam præterea extruxit *(Verus)* in via Clodia famosissimam, in qua permultos dies et ipse ingenti luxuria debacchatus est, ... et Marcum Aurelium rogavit... qui venit... quinque diebus in eadem villa residens. *Hujus villæ vestigia, ut notat Aringhus lib.* 4 *cap.* 38 *Romæ subterraneæ, ad hæc usque tempora exstant ad lacum Sabatinum seu Braccianum, de quo mox.*

AUCTORE J. P.

Tempus martyrii late figitur seculo 2;

14 *Sub iisdem quoque imperatoribus Corneliani meminit idem Capitolinus in Vita Marci Antonini his verbis :* Fuit eo tempore etiam Parthicum bellum, quod Vologesus, paratum sub Pio, Marci et Veri tempore indixit, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. *Forte is ipse est, quem designat biographus noster. Sed hoc etiam supposito, ne vel sic, ut patet, determinari potest, sub quo Antonino passus sit* S. Alexander. *Baronius in Annalibus ejus martyrium annectit anno Christi* 154, *ac proin Antoninum Pium intellexit; Tillemontius differre maluit ad imperium Marci Aurelii, qui illud una cum Lucio Vero primum, et post hujus mortem solus tenuit. Equidem dum rationes sufficientes non reperi., cur uni potius quam alteri attribuam, latius signandum putavi seculo secundo, intra annos* 138, *quo Pius imperare cœpit, et* 180, *quo mortuus Marcus.*

quo circiter loco

15 *Martyrii palæstram eodem ab Urbe loci intervallo statuit biographus, quo Ado, vigesimo scilicet milliario : addit tamen nonnulla, unde conjicere liceat, ad quam circiter viæ Claudiæ partem res tota peracta sit, et quo in loco primum sepultus sit sanctus Martyr. Nam num.* 10 *Sanctum in fornacem missum fuisse scribit in* vico Baccatensi *seu* Baccanensi, *ut legitur numero ultimo, ubi* thermæ publicæ *erant. Beccanæ autem, teste Baudrando, est* vicus Hetruriæ, cujus fit mentio in Itinerario Antonini, nunc Beccano dictus, in ditione ecclesiæ et in provincia Patrimonii, XV mil. pass. ab urbe Roma... exiguum habet lacum, qui vulgo il lago di Beccano dicitur... eique adjacet Mœsia sylva, quæ il Bosco di Beccano nominatur. *Vicum, lacum et sylvam eodem nomine, eodemque circiter ab Urbe itineris intervallo notat etiam in partibus Tusciæ Kircherus in Chronographia Latii juxta veterem et novum situm.* E

Sanctus

16 *Verumtamen aliquantum remotius ab Urbe iisdem in partibus exhibetur apud laudatum Kircherum locus, dictus Italice* Bracciano, *de quo Baudrandus bis agit in Lexico; primum his verbis :* Braccianum, Bracciano, aliis Bracenum, oppidum Italiæ, in ditione Ecclesiæ et in provincia Patrimonii S. Petri, ducatus titulo insigne Ursinorum, ad lacum cognominem et Sabatiæ tractus caput. *Addit dici etiam* Arcenum, *et illuc lectorem remittit. Hic autem ita scribit :* Arcenum, oppidum Hetruriæ in Sabatia tractu Livio, quod Bracennum aliis, et Brygianum Catoni, nunc Bracciano oppidum Italiæ... ad Sabatium lacum... parvum est sed lepidum, XX milliaribus distans ab urbe Roma. *Ad eumdem lacum erant balnea, quæ, ut scribit Leander Albertus in Descriptione Tusciæ,* Cæretana balnea saluberrima Strabo dicit... et hoc ævo Balnea Sabatina dicuntur a lacu Sabatino, qui et Bratianus. *Addit Aringhus cap.* 40, *num.* 13 *citatus :* Vulgari nunc corruptoque vocabulo Balnea Vicarelli sive vici Aurelii appellantur, quo potissimum loco spectatissimæ quondam villæ Veri imperatoris vestigia ingentis quidem magnitudinis conspiciuntur. F

passus

17 *Atque hinc non satis certum mihi est, Baccanas a biographo nostro designatas fuisse. Nam sicut in Mss. tam diversa est lectio, ut in uno eodemque codice, unde Acta describam, legatur* vico Baccatensi *et* Baccanensi, *in Audomarensi vere apographo* Baccarense; *ita dubium esse potest, an non ubique mendose exaratum sit, ac legendum* Bracennensi, Bracenensi *aut* Braccinensi. *Accedit, quod distantia ab Urbe Roma per biographum*

AUCTORE J. P. *phum et Adonem expressa, minus faveat Baccanis, quam Bracciano vel etiam Vico Aurelii, qui a lacu adjacenti forte vicus Bracenensis aut Braccianensis dictus fuit. Nam si recte notat Baudrandus, Braccianum vigesimo milliario distat Roma, vicus Aurelii vigesimo primo : Baccanæ vero decimo quinto dumtaxat : dicit autem biographus, Sanctum, jubente imperatore, eductum e loco, ubi erat fornax, decollatum fuisse vigesimo ab Urbe milliario; igitur si Baccanas intelligimus, statuendum est, quod satellites cum Sancto progressi fuerint ad quinque milliaria; quod et minus credibile apparet, et utcumque contrarium menti imperatoris, quæ juxta biographum talis videtur fuisse*, *ut decollaretur Sanctus* in conspectu omnium.

ac sepultus sit, disquiritur. 18 *Porro in eodem loco, ubi fornax exstitit, ab ipsomet biographo sepultum fuisse sufficienter edocebimur in Actis; at quod dicitur in veteri Romano et Adonis Martyrologiis de corporis translatione, ac de festivitate ipsi dicata per S. Damasum Papam, qui post medium seculum quartum Ecclesiam gubernavit et re vera, ut in Vita ejus* B *legitur*, multa corpora sanctorum Martyrum requisivit et invenit, *nuspiam plenius expositum inveni. Adeo ut ignoremus, ubinam cryptam ab Adone memoratam ei fecerit sanctus Pontifex, et an sacræ Martyris exuviæ hodiedum alicubi peculiari in honore serventur. Nunc Acta subnecto prout habentur in codice nostro signato* P. *Ms.* 158, *quia in eo multo correctior est scriptio, quam in aliis; notabiliores tamen lectiones variantes, etiam mendosas in hisce occurrentes, dabo vel ad marginem vel inter Annotata. Quoniam autem propter dicta num.* 10 *paulo frequentiora ac prolixiora futura sunt Annotata, ad majus commodum Acta ipsa, quamquam non admodum prolixa, in tres partes divisi.*

ACTA MARTYRII

Auctore Crisentiano presbytero, teste oculato.

C *Ex codice membraneo cum aliis Mss. collato.*

PARS I

Sanctus mortuum ad vitam a In diebus illis cum essent insidiæ paganorum *a* adversus Christianos sub Antonino imperatore, beatissimus Alexander episcopus, gratia Dei perfusus, omnes cepit a cultura ydolorum amovere, et ad viam vitamque æternam reducere *. Cum- (* al. perducere) que duceretur quidam mortuus in locello *b*, veniens beatissimus Alexander dixit ad parentes ejus * : Si credideritis in Patrem et Filium et Spiritum sanctum et baptizati fueritis, reviviscet vester filius. Tunc responderunt parentes ejus et dixerunt : Si apparuerint opera Dei per operationem * tuam, et nos credemus, et omnes, qui nobiscum venerunt. Et cum hæc dixissent *, infantem deponi præcepit, et annuens manu, silentium fieri jussit. Et prosternens se in orationem, cum lacrymis oravit ad Dominum, dicens : Domine Jhesu Christe, Fili Dei vivi, qui cæcos illuminasti, leprosos mundasti, et mortuum in tuo nomine suscitasti : qui dixisti discipulis tuis : Petite, et dabitur vobis; querite et invenietis; pulsate et aperietur vobis : ego peto, quæro et pulso : exaudi me Servum tuum. Exigit enim tempus, ut virtutem tuam omnibus pandas; et sicut suscitare dignatus es Lazarum de monumento, ita nunc suscita puerum istum. Exaudi me, Domine, Servum tuum, ne dicant gentes : Ubi est Deus eorum? D

(* al ad eos; * al. orationem; * al. dixisset)

revocat, et multos baptizat; 2 Et cum hæc dixisset, conversus est ad corpus, et dixit : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti surge. Et statim surrexit, et stans voce excelsa cœpit clamare : Audite parentes, et intelligite * populus cunctus. Videbar hodie a duobus Ægyptiis duci, quorum vultus ira erant pleni et furore *c*. Et duxerunt me per loca deserta, et deposuerunt me in locum obscurum; et erat ibi puteus, septem sigillis signatus, et tradiderunt me, ut mitterer in puteum illum, et subito factus est terræ motus et infernus contremuit totus : et venit juvenis, cujus aspectus erat sicut fulgur, et exclamavit voce magna, dicens : Remittite puerum, quia vocatur a famulo Dei Alexandro : et ecce reduxerunt me in corpus meum. Et hæc dicens, exclamavit voce magna, dicens : Domine meus Alexander, baptiza me in nomine Domini Jhesu Christi, ne videam jam puteum illum, quem ego hodie vidi : ubi mittuntur non baptizati, aut quicunque non fuerint Christum confessi. Unde indubitatum est omnibus, ut fierent Christiani. Et quia Martii mensis inter initia erat, die *d* sancti Paschæ omnes sunt baptizati. Fuit enim numerus eorum, qui baptizati sunt, quatuordecim millia, centum triginta duo *e*. Et non solum mortuum suscitavit, sed etiam cæcis visum in Christi nomine renovabat, et alia plura per jejunia et orationes per baptismum sine timore curabat. (* al. intelligat) c E d e

comprehenditur. 3 Cumque hæc agerentur, pervenere ad auditum Antonini tyranni omnia, quæ fiebant. Tunc Antoninus tyrannus ordinavit Cornelianum primum palatinum *f* cum centum quinquaginta militibus, ut eum exhiberet. Veniens autem Cornelianus, invenit nos in ecclesia die Dominico populum Dei docentes; nondum enim Missæ fuerant celebratæ. Cumque ingressus fuisset, qui * esset Alexander, inquirere volens; videns multitudinem populorum, cepit timere, et cum reverentia cepit dicere, pro qua causa venisset. Cui dixit Alexander : Nec nos latet, pro qua re venisti; verumtamen eamus. Multitudo autem populi lapidibus eum interficere cogitabat; cumque cognovisset cogitatum eorum, dixit ad eos : Filii et fratres, quod cogitatis, impendite * mihi; si autem dimiseritis et meam coronam tenebitis et vestra gaudia non amittetis. Hæc eo dicente, explicitis Missis, data oratione benedixit populum, et dimiserunt nos *g*. Ego vero, qui ab eo sum presbyter ordinatus, simul cum conjuge mea *h*, sorore ejus, quæ cum eo vixit sine querela, sumentes simul et Bonefacium et Vitalionem *, venimus Romam. f (* al. quis) F (* cod. alt. impedit) g h (* al. additur uterque ad imperatorem ducitur)

4 Eodem tempore Antoninus sibi via Claudia miliario septimo decimo * mausoleum fabricabat. Cumque venissemus Romam, dictum est Corneliano, quod Antoninus in partes Tusciæ ambulasset, in quo loco prædia electa habebat, ideo quasi ad vexandum *i* frequenter exibat. Cumque cognovisset Cornelianus, festinanter pertransiit Urbem. Cumque pervenissemus in locum, qui dicitur Clivus Parralis *k*; ibi eum de jumento deponens, retro manibus ligatis, ad prætorium Fusci *l* perduxit (* al. XVIII) i k l

A perduxit. Ego vero cum quibus eram, usque ad locum secutus, sub arbore applicantes, de Martyris gestis sollicitus eram. Ingressusque Cornelianus stetit ante tyrannum. Tunc Antoninus dixit: Corneliane, ubi est, ad quem ambulasti? Cornelianus dixit: Ligatis manibus ante consistorium reliqui eum. Antoninus tyrannus sedens pro tribunali, jussit eum ingredi coram se.

interrogatus fortiter respondet;

5 Ego vero sollicitus sequens, inter milites cepi stare, et audivi, quomodo Antoninus dixit Alexandro: Tu es Alexander, qui partem Orientis dampnasti *m*, et subvertis bene viventes, et decipis homines multos, suadendo eis, ut credant in hominem desperatum, quem a suis fratribus interfectum audivimus? Si enim ex Deo fuisset, ut homo non esset passus. Alexander vero tale reddidit responsum: Ob hoc, cum esset Dominus majestatis, de cælo descendit, hominis formam suspiciens, ut, quem fecerat, liberaret a morte, et pro nobis omnibus pati dignatus est Christus. Antoninus dixit: Multum mihi, Juvenis *n*, nolo loquaris: nega Deum tuum et sacrifica diis, et faciam te primum in palatio meo *o*. Quod si me nolueris audire, diversa tibi parabo B tormenta, et non te liberabit Deus tuus de manibus meis. Cui Alexander episcopus dixit*: Hoc tracta tu: ut quid me venire fecisti, ut modo sedens verbis hiis surdos lapides istos me suadeas adorare? Fac, quod desideras; nam me non mutabis a sensu meo.

* *Cod. alt.* respondit

cæsus carceri includitur; auctor ab angelo monetur.

6 Antoninus dixit: Extendatur et fustibus mactetur, donec deficiat iste. Ignoras, in cujus præsentia loquaris talia verba? Injuriam mihi facis, cui subjacet seculum totum? Alexander episcopus hilari vultu respondit: Noli te ipsum de tua potentia tantum jactare, ut tibi dicas seculum subjacere, quod ipse dimittes invitus, vadens, quo tu non vis. Audiens Antoninus, jussit eum in custodiam mitti. Cumque a militibus duceretur, Antoninus Alexandro clamans dixit: Quatuor dierum a me tibi dantur induciæ, ut, deposita formidine vanitatis *p*, ultroneus ad nos venire procures. Cui Vir venerabilis episcopus dixit: Quatuor dies jam æstima præterisse; quod desideras, hodie comple. Misso igitur eo in custodia*, ego reversus ad locum, ubi applicati eramus, et sedens sub arbore, cepi plorare, et ponens caput soporans cepi dormire. Visus est mihi angelus Domini, qui et dixit mihi: C Ego sum Michaël Angelus, missus a Deo: jam fui ad Alexandrum, et solvi vincula ejus confortans eum, et veni dicere tibi: sub arbore ista nolite sedere, ne vos videant isti, qui tyranno volunt placere, et nuntient illi, et erunt vobis molesti. Et ad quem tendere locum deberem, dixit mihi *q*.

* *cod. alt.* in custodiam

ANNOTATA.

a *Dixi in Commentario num.* XI, *Acta* S. Alexandri, *seposita etiam factorum mirabilium copia, aliis laborare difficultatibus, non tamen sufficientibus, ob quas repudientur; cum a similibus immunia non sint alia maxime probata. Eas inter præcipua hic se offert in ipso limine. Certum est quidem, ethnicos seu gentiles antiquis seculis etiam* paganos *fuisse dictos: sed de vocis origine disputant eruditi. Sunt, qui dicant, paganos olim vocatos fuisse eos, qui milites non erant, atque hinc ita appellatos fuisse a veteribus Christianis gentiles, quod Christi milites non essent. Salmasius in Vopiscum ex ipsa vocis radice originem deducit:* Paganos, *inquit,* vulgus pro gentilibus dicebat: nam pagus apud Latinos idem etiam, quod ἔθνος vel gens. *Quidquid sit, nullum alivd exemplum assignari posse putem, quo probetur, gentilibus illud nomen inditum fuisse, antequam imperatores Christi fidem amplexi sunt, ac proinde magis inclinor in eorum sententiam, qui statuunt, quod cum Constantini Magni et filiorum edictis ab urbibus et civitatibus proscriptus esset idolorum cultus, in pagos se receperint gentiles, ibidemque clandestina sacra peragentes, a Christianis* pagani *appellari cœperint. Hinc dici potest, quod mendose hic substituta fuerit ab amanuensi vox* paganorum *pro* gentilium, *vel multo verisimilius, quod exordium illud adjectum fuerit Actis ab eorum collectore post datam Christianis a Constantino pacem, uti de exordio Actorum S. Justini Philosophi, alioqui sincerorum ac germanorum, judicarunt Papebrochius, Tillemontius et Ruinartius, quod, fatente posteriore, alias sæpius factum est, quodque probabilius fiet ex Annotatis ad ultimam Actorum periodum.*

A. Cæsentiano presb.

b *Id est,* loculo *seu* feretro, *quo mortui includuntur.*

c *Hinc variant apographa. Ms. Audomarense habet:* quorum vultus ira erant et pleni furore. *Codex alter:* quorum vultus erant ira pleni et furore. E

d Die *legitur in solo Ms. Suessionensi; in aliis mendose* dies. *Hujusmodi minutias, quæ marginibus facile inseri nequeunt, et a librariis profectæ apparent, deinceps negligam, ne nimium accrescant Annotata.*

e *Ita habent quatuor nostra Mss. Forte auctoris mens fuit, quod postquam puer iste, ejusque parentes, et qui cum his venerant, baptismum susceperant, numerus baptizatorum, in iis partibus degentium, ad quatuordecim millia etc. ascenderit. Malim tamen credere, in numeris errasse librarium: maxime quia Ado tantum habet:* cum quo baptizati sunt alii centum viginti quinque. *Adoni consonat codex Ms. pergamenus bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani notatus* H 224, *unde idem miraculum anno* 1752 *descripsit unus e collegis nostris; præterquam quod ibidem legatur* centum viginti duo: *verisimiliter lectum fuerit* CXXII *pro* CXXV, *aut contra. Verisimiliter etiam librarii incuria in nostris apographis excidit nomen pueri ad vitam revocati. Ado enim clare exprimit:* Vocabatur is Luceius: *Ms. Mediolanense:* Vocabatur autem is Lucius. F

f *Id est, qui primarium in palatio officium administrabat. De Officiis palatinis sic meminit Trebellius Pollio in Gallieni imperatoris Vita:* Quum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur. *Vopiscus item in Vita Aureliani:* Quum consedisset Valerianus Augustus... præsente exercitu, præsente etiam officio *palatino.*

g *Præ timore verisimiliter non est ausus Cornelianus apprehendere sanctum Episcopum, nisi post finita divina Officia, et acceptum consensum multitudinis; hanc autem oportet fuisse valde numerosam, utpote quæ metum faceret duci, centum quinquaginta militibus stipato; imo et locum oportet fuisse peramplum, qui tantam multitudinem caperet. Atque idcirco, quamquam nullo indicio assequi valeam, cujus civitatis episcopus fuerit* S. Alexander, *suspicor tamen, hanc ab urbe remotiorem fuisse, quam putarint alii. Nam, dato etiam, quod sub Antoninis minus atrox fuerit persecutio, verisimilius mihi est, illos, insignes, ut infra ostendam, falsorum deorum cultores, non passuros fuisse tanta fidei Christianæ incrementa prope urbem Romanam. Vide insuper lit.* i.

h *Puta, quam duxerat ante ordinationem, ac tum*

A. CRESCENTIANO PRESB.

tum habebat, tamquam non habens.

i *In aliis Mss legitur* venandum. *Consule super hic narratis Commentarium prævium num.* 12 *et seqq., et adverte insuper, etiam hic utcumque confirmari conjecturam, quam indicavi ad lit. g. Nisi enim remotior fuit locus, in quo captus est Sanctus, non videtur ignoraturus fuisse Cornelianus imperatoris ab urbe absentiam.*

k Paralis *in aliis Mss. Sed locum frustra quæsivi in partibus Tusciæ; credibile est, aliud illi postmodum nomen fuisse inditum.*

l *Nec majore fructu investigavi in* Prætorium Fusci. *Vocis* prætorium *variam notionem assignat Pitiscus in Lexico antiquitatum. Ego huic loco ut magis propriam, deligo, quam dat verbis sequentibus:* Prætorium appellabatur etiam villa sumptuosissima, atque ædificium extra urbem.... per quandam significationis similitudinem; quia longe super rusticorum tuguria et casas eminebat; quemadmodum in castris amplitudine, splendore et magnificentia longe eminebat præ aliis ipsius imperatoris tabernaculum : *nempe quæ primaria est prætorii significatio. Villa ista fortasse exstructa fuerat a Fusco, cujus meminit Spartianus in Vita*
B *Adriani imperatoris his verbis :* Fuscum, quod imperium præsagiis et ostentis agitatus speraret, in summa detestatione habuit.

m *Sensum esse crediderim : Tune is es, qui parti, quæ Romæ Orientalis est, damnum intulisti; populum avertendo ab idolorum cultu etc.?*

n *Juvenem compellat, seu quod revera Sanctus non esset ætate multum provectus; seu quod ex corporis et vultus specie juniorem opinaretur. quam erat; seu denique quod eo titulo blandiri vellet, et inducere ipsum ad acceptanda ea, quæ promittebat, uti clarius eruitur infra num.* 10.

o *Tillemontius tom.* 3 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 701 *nihil communius esse ait in Actis falsis aut suspectis, quam magnas promissiones, factas Christianis, qui erant sacrificaturi; ac nescire se, an satis communes sint in authenticis. Sed hic relata promissio non magis obesse debet auctoritati Actorum nostrorum, quam narrata apud nos tom.* 4 *Maii pag.* 159 *in Passione S. Theodoti Ancyrani et sociarum martyrum, in qua præses eumdem Theodotum, conditione cauponem, sic alloquitur :* Ita faciens, toti urbi dominaberis, factus sacerdos Apollinis.

C p *Ado :* ut deposito cultu vanitatis.

q *Hæc aliæque hujusmodi visiones seu apparitiones, infra recurrentes, verisimiliter inter prodigia et facta Metaphrastica comprehensæ sunt a Tillemontio; sed cur magis elevent auctoritatem hujus, quam aliarum Passionum, nominatim S. Theodoti, mox laudati, in qua miræ admodum apparitiones memorantur num.* 16, 18 *et* 19? *Ceterum cum dixerit Angelus, soluta esse* Alexandri vincula, *suspicio esse potest, hic prætermissa esse, quæ habet Petrus de Natalibus in Compendio Passionis lib.* 8 *cap.* 102, *nempe Sanctum carcere solutum fuisse, denuo prædicasse ac secundo captum esse. Verum cum neque Ado horum meminerit, angeli verba sic intelligi possunt, ut confortando et consolando vincula Sancto leviora et jucundiora reddiderit.*

PARS II.

Mane autem jam facto, Antoninus vocavit Cornelianum, ordinavitque eum præsidem, et consulatum ei jussit dari *a*, dicens : Prout * jussa mea implesti, et comdempnatum illum cum injuria adduxisti, pretorium, in quo * invenisti, a me tibi scias donatum, et quæcumque volueris a me, tibi non negabo. Ego vero simul cum quibus eram, pauperum more secus viam vicinalem *b* sedentes, expectabamus in loco, quo mihi præcepit angelus Domini. Post quatuor dies transactos Antoninus in prædio Nevianorum sibi tribunal et ludum ferarum parari præcepit; cumque omnia fuissent parata, sedens pro tribunali Antoninus tyrannus, Alexandrum episcopum adduci præcepit. Cumque advenisset vir venerabilis Alexander episcopus, facto signo Crucis, stetit ante tyrannum. Sollicite ego audivi Antoninum dicentem : Quid est Alexander, deliberasti esse amicus noster? Alexander episcopus respondit : Noli temptare Christum Dominum meum : quia et pater tuus diabolus aliquando voluit eum temptare, ita ut diceret ei : " Si filius Dei es, dic, ut lapides isti " panes fiant. " Et Dominus dixit : " Vade Sathana : " Scriptum est enim : Non temptabis Dominum " Deum tuum *c*. " Ita et tibi dico : Non temptabis Famulum Christi.

(al. quia — a; D Sanctus secundo sistitur imperatori; * al. additur me)*

8 Antoninus autem iratus, in eculeo eum suspendi, et lampades ardentes circa latera ejus supponi præcepit; post hæc eum ungulari, et ustura lampadum jussit cruciari *d*. Venerabilis vir Dei Alexander de eculeo dixit : Miror, ut insensatus aliquando saperet : ecce aliquantum factus es homo, ut faceres de aqua frigida corpus lavari et modo de spongia molli facias tergi *e*. Post hæc jussit eum deponi, et dixit : Vides, Alexander, quandiu pro te faciunt dii, et non obtemperas. Per Deum Jovem et solem invictum et per magnum Apollinem, qui continet mundum et gubernat omne seculum *f*, si volueris gratis eis exhibere culturam, ita te habeo tamquam fratrem et erunt tibi divitiæ multæ. Et Alexander vir venerabilis episcopus dixit : Et ubi sunt dii tui, eamus ad eos, et sacrifico eis *e*.

(varie torquetur, E)

9 Antoninus gaudio ductus, jussit præconem clamare, ut ad templum Apollinis venirent. Veniens autem Antoninus primus ad templum Apollinis, et cum eo quasi tria milia virorum *. Antoninus primus introïvit in templum, exclamans voce magna : Gratias tibi, Apollo, qui acquisisti tibi magnum cultorem, qui potest tibi et omnibus complacere *h*. Cum autem introisset beatissimus Alexander, facto signaculo Christi, oravit ad Dominum, et statim cecidit idolum illud et pars tertia templi *i*. Confusus autem Antoninus, jussit ibi * amphitheatrum parari, et sedens ibi pro tribunali, Alexandrum episcopum ad feras subrigi præcepit. Cumque dimissi ei fuissent quatuor ursi, venientes, ubi ambulaverat Famulus Dei, vestigia pedum ejus lingebant. Videns autem tyrannus, jussit ei leones dimitti : cumque venissent duo leones, humiliaverunt se ad pedes ejus, plantasque lingebant *k*.

*(orans idolum et fanum destruit; inter bestias; * al. hominum; F; * al. sibi)*

10 Cumque hæc agerentur, universus populus una voce clamabat : Justum et sanctum episcopum imperator vis perdere sine causa *l*? Antoninus dixit : Iste per maleficia sua se vincere dixit. Et conversus ad Officium dixit : Fornacem mihi fortiter ignitum præparate, ubi eum faciam nimio cruciatu exuri. Euntes ministri in vico Baccatensi præparaverunt fornacem, quoniam thermæ publicæ in eodem loco populum exhibebant *m*. In earum fornacem sanctum Alexandrum mitti præcepit. Cumque venisset beatus Alexander, videns fornacem nimium ardentem, suspirans respexit in cælum, et cepit ante fornacem stare. Antoninus dixit :

(et in mediis flammis)

A dixit: Noli perdurare in malo, Cogita tecum: quia video te juvenem, et doleo de te, ne citius hujus solis lumine careas. Juro te * per deos omnes, quoniam si negaveris Deum tuum, eris mihi magnus amicus: aurum et argentum exuberabit tibi, et, si jubes *n*, dabo tibi præfectoriæ dignitatem, et secundus in palatio meo eris.

* al. tibi

n

illæsus servatur

11 Beatissimus Alexander subridens dixit ad eum: Nec laudo frontem tuam, nec possum respicere in faciem tuam *o*: quoniam canis melior satis est, prudentiorque quam tu. Semel tibi dixi: Non tentabis Servum Christi: tu autem ad vomitum tuum reverteris, sicut canis. Jam tibi dixi; Fac, quod facturus es. Statim Antoninus sanctum Alexandrum in fornacem mitti præcepit. Ille vero expandens manus in medio fornacis, oravit ad Dominum, dicens: Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jhesu Christi, qui tribus pueris, in fornacem missis, quartum angelum tuum, qui fuit cum ipsis, demonstrasti, et non tetigit eos ignis, sed factus est illis in servitutem refrigerii, qui paratus fuerat eis ad dolorem incendii, ne discedas a me; misericordia tua, Domine, comitetur me-
B cum, Et his dictis, extincta est fornax, ita ut nec tepor incendii, nec alitus * remansisset in ore fornacis. Venerabilis autem vir Alexander stabat in medio fornacis illæsus, ita ut nec in uno capillo esset ab igne combustus *p*.

o

* halitus

p

ac tandem, Herculano juvene se palam

12 Tunc accedens Cornelianus præses dixit Antonino: Audi me, domine imperator, nunc congruenti exemplo jube eum perire. Antoninus dixit: Quo exemplo? Cornelianus dixit: Data sententia, jube eum in conspectu omnium decollari. Antoninus dixit: Optime judicasti; et statim jussit eum de fornace eici *, et ad decollandum perduci. Cumque duceretur a militibus, quidam juvenis ex officio Antonini, nomine Herculanus, exclamavit voce excelsa dicens: Antonine, tyranne insensate, quantum excæcavit Deus oculos tuos, ut non videas, et cor obduravit, ut non intelligas, et non cognoscas Dei virtutem! Si idola tua oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, tu qui et vides et audis, quare cæcus et surdus perduras? Ecce Famulus Dei vivit a tantis centurionibus cæsus; tactus virgæ non paruit in corpore ejus; eculeos et lampades tuas non expavit; ungulis attrectatus dolori non dedit vocem; idola tua ante
C eum stare non potuerunt; templum tuum ante eum cecidit, leones honorem * dederunt; ursi pedes ejus lingebant; in fornacem missus lætior exivit, quam fuit introgressus; ad decollandum vadit gaudio repletus, lætus efficitur. Quis dubitet hunc verum Deum, qui ita confortat eos, qui credunt in eum?

* al. ejici

* al. additur Deo

Christianum profitente, capite plectitur.

13 Antoninus dixit: Infelix juvenum, quid tibi factum est, ut tales sermones loquaris, qui te Christianos dicebas exosos habere? Herculanus dixit: Ego Christianum nunquam persecutus sum, quia inter ipsos gratiam Christi percepi: nam quatuordecim annis fui in officio tuo, tecum templa intrabam, sed Christum Deum meum in corde occulte orabam. Unde me non potuit diabolus occupare. Iratus autem Antoninus, juvenem tenere * præcepit; Alexandrum ad decollandum jussit perduci. Cum autem duceretur, venerunt ad fontanam *q*, quæ est secus viam pedes duos, a vico autem plus minus pedes centum triginta. Lavit sibi manus et faciem, et commendavit Deo animam suam: venerunt autem contra miliarium vicesimum *r* viæ Claudiæ, ubi est titulus marmoreus supra altos * lapides positus, supra viam loco superiori, qui est contra ortum solis, a via pedes septem, a miliario pedes septuaginta quinque. Et explicavit se tunica, et in linea stetit, et de orario *s* suo sibi oculos texit, et, facto signo Crucis. posuit genu, suscepitque gladium; et statim factus est terræ motus, et vicus et thermæ ceciderunt utræque, a loco autem fornacis sparsit ruina *t*.

* al. teneri

q

r

* al. alios

A. Corneliano præs.

s

t

ANNOTATA.

a *In Fastis consularibus non comparet Cornelianus; forte tantum de consulatu honorario hic sermo est, vel tantum indicatur, quod eum præsidem cum potestate consulari constitutum voluerit Antoninus.*

b Viæ vicinales *vocantur, quæ sunt in vicis vel in vicos ducunt. Ms. Suessionense habet:* secus viam vicenalem sedens.

c *Verba hæc desumpta quidem sunt ex Evangelio secundum Matthæum cap. 4, sed partim ex* ỿ *3 partim ex 7 et 10 conjuncta.*

d *In aliis Mss., excipe tamen Suessionense, tantum lego:* Post hæc ungulari ustura lampadum jussit.

e *Etiam hæc haud dubie inter facta Metaphrastica computavit Tillemontius; recurrat tamen lector curiosus ad Passionem S. Theodoti, leget* E *a num. 26 usque ad 31, martyrem illum tertio equuleum subiisse, ungulis laniatum, aceto perfusum, lampadibus ustulatum et aliis tormentis affectum fuisse, ac tam fortiter in iis perstitisse, ut num. 34 custodes ipsum appellent* virum æreum. *Hoc nisi sufficiat, adeat Ruinartium in Actis sinceris a pag. 423; ibi in Actis SS. Tarachi, Probi et Andronici, quibus, fatente Tillemontio tom. 5 Monum. Eccl., nullum fere habemus antiquitatis monumentum pulchrius et pretiosius, Tarachum num. 1 in mediis tormentis dicentem audiet, confortari se plagis; num. 2 Probum tormenta sibi esse unguentum, et similia num. 3 Andronicum.*

f *Intelligi ista possunt eodem sensu, quo in Actis S. Theodoti sic loquens inducitur præses:* Factus sacerdos Apollinis, omnium deorum maximi, propter magna, quæ confert in homines, beneficia, prædicendo futura suis oraculis, et medicinæ arte curando morborum infirmitates.

g *Per ironiam id dictum existima, quamquam ut serio prolatum acceperit tyrannus. Mens itaque Sancti hæc aut hujuscemodi fuit:* Et ubi sunt dii, quos usque adeo jactitas, ostende ac proba F veram eorum divinitatem; si feceris, camus, sacrifico. *Conditio erat impossibilis; igitur nulla promissio.*

h *Tum Antoninus Pius, tum Marcus Antoninus falsis diis plurimum addicti fuere, ut patet in utriusque Vita apud Capitolinum, juxta quem Marcus* deorum cultum diligentissime restituit: *Pius templa erexit vel restauravit,* nec ullum sacrificium per vicarium fecit, nisi quum æger fuit: *ut videri mirum non debeat, quod alteruter tam insolens et imperatoriam gravitatem dedecens gaudium exhibuerit, ubi spes affulgebat perducendi ad eorum cultum Virum, cujus opera tot homines ab eodem avocabantur.*

i *Neque illud prodigium exemplis caret: in Actis S. Basilisci martyris, quæ, ut a teste oculato conscripta, edidit Henschenius tom. 1 Martii pag. 237, idolum ad preces ejus contritum, et templum cælesti igne combustum esse dicitur. Vide etiam Acta S. Felicis M. tom. 6 Augusti pag. 548.*

k *In Actis SS. Tarachi, Probi et Andronici, supra ad lit. e laudatis, bestiæ ferocissimæ coram Sanctis mansuefactæ referuntur num. 10.*

l *Difficiles*

A. CRISENTIANO PRESB.

l *Difficilis admodum est mihi locus iste: paulo ante idolum et pars templi subversa fuerunt ad Sancti preces, et verisimiliter ethnicorum idcirco animi in ipsum exacerbati. An igitur ad ferarum spectaculum accurrerunt soli Christiani, vel an omnes ethnici, qui accurrerant, hic tandem ita perculsi sunt, ut Dei, quem colebat* Alexander, *virtute fieri crederent, quod unus imperator maleficiis tribuebat, utque omnes* una voce justum et sanctum Episcopum proclamarent? *Putem ego, exaggerasse auctorem, atque omnibus applicuisse, quod ab aliquot Christianis vel Christianorum amicis dumtaxat factum est.*

m Id est, occasione thermarum erat ibi populi multitudo. *De loco vide dicta in Commentario num.* 15 *et seqq.*

n Id est, si lubet. *Porro uti patet ex libro Machabæorum, et Actis sinceris, tyranni, ne se victos et impias suas leges contemptas esse, paterentur, nihil intentatum relinquebant; a promissionibus ad tormenta procedebant, a pœnis ad blanditias redibant: ac verisimile sæpe ampliora promittebant quam præstare vellent. Itaque cum agatur hic de pervertendo Episcopo Christiano-*
B *rum duce, sufficientem hæc veritatis speciem præ se ferunt. Redi, si lubet, ad Annotata partis primæ lit.* o.

o *In utroque altero Ms., nam Suessionense hic consonat, affirmative dicitur* : Laudo frontem tuam, quia nec possum *etc. At sic* laudo *sonat* repudio, improbo, *quo sensu etiam usurparunt veteres Latini. Ceterum duriora verba, qualibus hic tyrannum alloquitur Martyr, inter suppositionis vel interpolationis indicia non raro computat Tillemontius, tamquam digna Metaphraste, nec modestiæ Christianæ satis congrua. Neque tamen vel sic Acta S. Theodoti, SS. Tarachi, Probi et Andronici, aliaque, in quibus non minus dura occurrunt, improbavit. Videat curiosus lector simile Tillemontii argumentum solutum in Commentario prævio ad Acta S. Adriani tom.* 3 *Septembris pag.* 210 *et seq.*

p *Grande prodigium, nec tamen mirabilius, quam quod narratur in Actis S. Polycarpi martyris, quæ tamquam exemplar antiquorum et authenticorum monumentorum proponit Tillemontius. Martyr ille in medio igne illæsus stetit; corpus ejus resplendens suavem odorem edidit; ex eodem corpore, cum perfoderetur gladio, colum-*
C *ba exiit una cum cruore, quo sopitum est incendium. At vero ne Acta huc usque citata deseruisse videar, in Passione S. Teodoti narrat auctor sequens miraculum :* Tum vero pyra ingenti constructa, cadaver sancti martyris in ipsam conjecere lictores, multam materiam circum ponentes; sed quadam Dei hominibus consulentis providentia, subito apparuit suprà pyram lumen circumquaque refulgens, ita ut nemo eorum, qui ignem succensuri erant, accedere auderet, atque ita sacrum corpus intra pyram illæsum mansit. *Ita ille; an minus prodigiose, quam noster hic?*

q *Subintellige* aquam, *quæ vox facile præteriri potuit a librario: cum* fontana *apud nonnullos substantive sumpta fontem designet.*

r *Id est,* ad lapidem vigesimi milliarii indicem.

s *Juxta Adonem* orarium *seu linteum istud petiverat et obtinuerat ab obviante quadam vidua. Vide infra lit.* d *in Annotatis ad partem tertiam.*

t *Huic prodigio comparari potest id, quod narratur in Passione SS. Tarachi etc. apud laudatum Ruinartium num,* XI. *Cum enim præses jussisset corpora sanctorum martyrum permisceri* D *corporibus gladiatorum, ne a Christianis dignoscerentur,* Oravimus, *inquit auctor*, Dominum... tunc subito terræ motus factus est magnus et tonitrua et fulgura, et nimia tempestas imbrium descendebat... custodes autem fugerunt... et cum corpora inquireremus,... subito misericors Deus stellam splendidam de cælo misit, quæ sedebat super singula corpora Sanctorum. *Prodigium non multo absimile habes etiam in Passione S. Theodoti num.* 19 *apud nos tom.* 4 *Maii.*

PARS III.

Sanctus auctori apparens

Ego vero per noctem rapui corpus ejus, et posui eum, ubi eramus applicati, et misi Bonefacium ad comparandum aromata, unde Martyris corpus condirem. Ego vero cum quibus eram, fecimus criptulam modicam, in qua poneretur Martyris corpus. Sequenti autem nocte apparuit mihi Alexander martyr per visum, et dixit mihi: Crisentiane, locus iste tibi debetur et conjugi tuæ et hiis, qui vobiscum venerunt; corpus autem meum in locum * fornacis, ubi oravi Dominum, et non tetigit me ignis, ibi reconde. Tibi autem Dominus E in loco isto gratiam donabit, et vives * in Christo, et nemo tibi insolens erit. Gesta nostra secretius habe, quoniam tempus malum est, ita ut ab Antonino et Corneliano non sentiantur, quoniam si inventa fuerint ab eis, et vos persequentur, et igne ista exurent. Et, hiis dictis, pertransiit visio hæc.

* *al.* in loco

* *al.* vivens

locum corpori suo sepeliendo indicat.

15 Mane autem facto, reverso Bonefacio, narravi omnia, quæ mihi fuerant ab eo præcepta, et acceptis aromatibus, et condito corpore, posuimus, ubi mihi fuerat ab eo revelatum, et scripsi in marmore et posui super eum hæc *a*: HIC REQUIESCIT SANCTUS ET VENERABILIS MARTYR ALEXANDER EPISCOPUS, CUJUS DEPOSITIO CELEBRATUR UNDECIMO KAL. OCTOBRIS. Et exemplaria a Corneliano dicta, quæ scripsit Prothasius et mihi optulit relegenda, quæque ego relegens, quæ minus erant in istis, de illis subjunxi; quæ ipse Prothasius repetens, in bibliothecæ suæ scrinio honoranter jussit reponi *b*. Die autem quarto depositionis Alexandri, Antoninus Corneliano juvenem tradidit dicens: Quemadmodum optime nosti, pœnaliter interfice eum, et corpus ejus in alto loco absconde, ne Christiani inveniant et martyrem sibi faciant F eum.

Occiso clam Herculano, præses

16 Tunc Cornelianus vocavit milites, et, dato præmio, secretius agere jussit, ad mediumque noctis juvenem tradidit illis et magnum lapidem ad collum ejus ligari præcepit, et jussit in medium lacum jactari per noctem. Milites præsidis præceptum fecerunt. Cumque jactatus fuisset, lapis solutus est, illeque suis pedibus usque foras exivit et cœpit stare. Respiciensque dextra lævaque, oravit Dominum dicens: Domine meus Jhesu Christe, suscipe spiritum meum, et dona mihi promissum tuum. Et tu scis, Fili Dei vivi, quia in vita mea numquam ficte tibi servivi: cum Antonino templum intrabam *c*, sed semper te in corde occulte orabam. Domine Jhesu Christe, Fili Dei, ne me a famulo tuo Alexandro facias alienum. Et facta est illi vox de cælo, quæ dixit: Noli pavere, Puer meus; ego enim dilexi te: veni ad me, angeli mei suscipient te, et introducent te in paradysum ad requiem sempiternam: et his dictis, emisit spiritum *d*.

17 Milites autem videntes omnia, quæ facta fuerant, venientes Corneliano narraverunt. Septimo

A mo autem die depositionis Alexandri, venit Cornelianus ad locum, ubi corpus ejus positum erat, et agitans caput, legere cœpit ira repletus, quod Martyris nomen scriptum invenit. Statimque marmor erumpere voluit. At ubi manum extendit, arida, facta est; et cadens in terram, doloribus cœpit vexari. Pueri currunt; uxor lamentans crine soluto cucurrit, et venit ad locum, ibique virum jacentem invenit. Interrogat * eum, nichil ei respondit. Amens enim jacebat, et a suo sensu mutatus: quem levans in pavonem *e*, prætorio Fusci reduxit, et multo dolore vexatus, ad medium noctis cœpit clamare: Alexander, incendis me: rogo, subveni mihi: quem iterum relevans ad locum reduxit, ubi Martyris corpus jacebat; et jactans eum in partem sinistram, arida manus * supra Martyris sepulturam jacebat *. Et continuo manus ejus facta est sana, et statim soporatus est, dormiens usque mane. Mane autem facto, cum agnovisset Cornelianus omnia, quæ facta fuissent de eo, reversus est in prætorium Fusci; et misit et accersivit Prothasium simul et filiam suam, et indicavit eis omnia, quæ fuissent de Martyribus, et ea, quæ B ipse passus fuisset ab eis. Et tunc Prothasius, ipso Corneliano dictante, omnia evidenter scripsit *f*.

ad tumulum S. Alexandri punitur et sanatur;

* *al.* interrogans

e

* *al* jactabat

* *al* aridam manum

f

18 Agente autem Antonino tyranno, vir justus et timens, cujus opera magna erant, et eleëmosynæ multæ, hic veniens ad me, indicavit mihi dicens: Dormiente * circa tertium pullorum cantum visus est mihi vir quidam splendidus, qui suscitans me, dixit michi: Surge et vade ad pedem montis, invenies ibi corpus venerabilis pueri Herculani, et colliges eum, et sepelies in cimiterio tuo: pro hoc beneficio tibi vita donabitur. Surgens ergo veni ad fontes Crecianos *g* et puerum ibi jacentem inveni. Levavi in traga *h*, et usque ad locum perduxi, et involvi illum in syndones duas, et posui eum in cimiterio meo, quod ego excidi in ripa neotupho *i* die sexto Kal. Octobris.

S. Herculani corpus divinitus monstratum sepelitur.

* *al.* dormiens ego

g

h

i

19 Defuncto autem Antonino tyranno, Cornelianus præses prætorium Prothasio pro gratia dedit nutrimenti filiæ suæ *k*. Cumque agnovisset Prothasius, quod in vico Baccanensi publicæ termæ fuissent, ipsas termas in prætorio Fusci in priori statu ipso nomine reparavit. Cumque michi Christus gratiam Prothasii donasset, rogavi eum, ut supra sepulturam Martyris ecclesiam faceret fabricari. Qui Prothasius delegavit mihi electos quatuor artifices, C et marmora duodecim, et expensis suis ad corpus Martyris contraxerunt fundamentum: et quatuor istis * tectum fieri jussit. Iterum rogavi * eum, ut michi daret licentiam cimiterium facere, dedit mihi per circuitum loci pedes trecentos. Perfecto autem cimiterio, in Christi nomine conferente plebe, ecclesia facta est *l*. Cujus dedicatio decimo Kalendas Aprilis celebratur, Constantino secundo et Crispo secundo cæsare *m*, regnante domino nostro Jhesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Ecclesia supra corpus S. Alexandri exstruitur.

k

* *al.* rogans

* *al.* istos

l

m

ANNOTATA.

a *Ita etiam in Suessionensi, in utroque Ms. altero imperfecta phrasis est:* et posui super eum hoc ordine continentem: Hic *etc*,

b *Obscura hæc periodus elucidabitur ex num.* 17.

c *Præstans nimirum illi obsequium mere politicum.*

d *Quidquid hoc numero continetur, sicut et alia multa, prætermisit Ado, sed et aliud mortis genus Herculano attribuit, mox enim relatis, quæ noster habet de isto martyre num.* 12 *et seq, subdit:* Et iratus *(Antoninus)* jussit juvenem teneri, quem cum diversis cruciatibus afflixisset, gladio consummavit. *Forte lacu exiens Herculanus gladio militis percussus est, atque ex illo ictu emisit spiritum. At cur facti hujus, cur cruciatuum ei ante mortem inflictorum, cur aliorum, quæ mox indicabo, hic nulla mentio, dum in plerisque ante narratis tanta est inter hanc Passionem et Adonis compendium consensio? Prima ratio esse potest, quod Ms., unde nostra exemplaria profecta sunt, in hac posteriore parte vetustate exesum esset adeo, ut, quæ legit Ado, distinguere non potuerint librarii, atque idcirco, omissis nonnulis, reliqua modo, quo poterant meliore combinarint. Altera, quod Ado præ manibus habuerit, non tantum Passionem, a Crisentiano conscriptam, verum etiam eam, quam Prothasius, dictante Corneliano, exceperat et in sua bibliotheca reposuerat, uti discimus ex num.* 15 *et ex fine num.* 17: *et sic ex hac addiderit. quæ Crisentianus, operæ pretium non judicaverat annotare. Ceterum Herculanum annuntiant Usuardus et Martyrologium Romanum die* 25 *Septembris*, quarto *scilicet* depositionis Alexandri, *ut* E *exprimit noster, silente Adone, nempe genuino.*

A. Crisentiano presb.

e Pavo, *seu potius* Pabo, *vehiculum est unius rotæ.*

f *Redi ad num.* 15 *sub finem.*

g *Non satis clare loquitur biographus supra num.* 16, *ut certo distinguamus, quem in lacum projectus fuerit S. Herculanus, an in Baccanensem, an vero in Braccianensem, de quibus egi in Comment. prævio num.* 16 *et seq, At utrumvis intellexerit, vox* Crecianos *mendosa apparet, et vel* Cremeranos *vel* Cæretanos *legendum putem.* Cremera *quippe* amnis, *oritur ex lacu Baccanensi*; Cæretanus fluvius *ex Braccianensi. Prope Cremeram exstitit olim castellum in* prærupto tumulo *a Fabiis conditum, et prope Cæretanum amnem erant* Colles excelsi. *ut latius videri potest apud Cluverium lib.* 2 *Italiæ antiquæ cap.* 2 *et* 3.

h *In aliis Mss.*: Levavi ad terga: *reponendum puto* in traha, *quæ vox bene Latina est, ac vehiculum absque rotis denotat.*

i *In altero codice:* in ripaneo tupho; *correctius legendum credo*; in ripario topho, *ut sensus sit*: quod cœmeterium *vel sepulcrum* ego excidi in lapide, cui nomen tophus est, posito ad ripam fluminis, *vel* ex fluminis ripa extracto. F

k *Protasius ille, quantum ex hoc et ex num.* 17 *sub finem conjicio, filiam Corneliani uxorem duxerat.*

l *Nec ecclesiæ nec cœmeterii hujus ullum uspiam vestigium reperi: non apparet ex iis, quæ tradit hic biographus, amplam fuisse ecclesiam: suffecerit tamen capiendo exiguo verisimiliter fidelium numero, qui id temporis degebant in loco isto; ceterum cum iis temporibus minime pugnat ædificatio ecclesiæ seu loci, in quo conveniebant fideles, quoniam tales fuisse primis seculis non tantum extra sed et intra Romanam Urbem satis constat ex antiquis monumentis, ut fuse probat Florentinius in Exercitatione* De prima Romæ a D. Petro dedicata ecclesia, *quam subnexuit Notis ad primam Augusti Martyrologii Hieronymiani.*

m *Hæc ultima periodus, quæ a biographo, teste martyrii oculato, minime proficisci potuit, Actorum sinceritatem confirmat potius, meo judicio, quam infirmet. Nequeo enim persuadere mihi, auctorem, qui in tota Historia ansam non præbuit, unde solide arguatur falsitatis, usque adeo desipuisse in fine, ut manifestæ imposturæ charactees*

A *res obtruderet. Crispus enim et Constantinus Constantini Magni filii, Cæsares designati sunt anno Christi* 317 *et secundo consules fuere anno* 321. *Dicamus itaque, imperante Constantino Magno, ecclesiam* S. Alexandri, *quæ sæculo secundo erecta fuerat, restauratam fuisse ac dedicatam, prout, teste Eusebio lib.* 10 *cap.* 2 *et* 3 *Historiæ eccles., tum factitatum fuit per urbes singulas, atque ad celebrandam hujus rei memoriam verba ista adjecta fuisse* D *Actis, quæ statis temporibus in ecclesia legebantur. Denique cum eodem sæculo quarto Damasus Papa corpus sancti Martyris transtulerit, mirum non est, quod Ado dedicationis diem non annotaverit. Cur autem in Actis prætermissum sit, quod Ado subnectit de remisso per juvenem orario ad viduam, conjici potest ex dictis ad lit.* d.

DE S. PAMPHILO MARTYRE

ROMÆ

C. S.

SYLLOGE

De memoria in Martyrologiis, cultu et reliquiis.

Sanctus hic ab Usuardo, Baronio,

Eminentissimus *Baronius sanctum hunc Martyrem in Romano Martyrologio hodie sic breviter annuntiavit :* Romæ S. Pamphili marty-
B ris. *Baronio præiverant alii, ac præsertim Usuardus, quem laudat in Notis, quique hoc ipso die eumdem postremo loco recensuit,* item, *inquiens,* Romæ S. Pamphili martyris. *Unde tamen* Pamphilum *hunc Usuardus didicerit, miratur Sollerius noster in observatione ad ejusdem textum, ubi hæc ait :* Postremum locum hic occupat Pamphilus martyr Romæ, nulla alia distinctionis nota aut charactere vestitus. Asserit Baronius, Usuardo adstipulari vetera Mss. Verum, quæ aut qualia ea sint, nusquam indicat; forte quod solum citata invenerit apud Galesinium, in iis appellandis satis liberalem. Ego me fateor mirari vehementer, hunc Pamphilum ab Usuardo adjunctum, cujus antiquiorum aut æqualium nullus mentionem faciat, cum alibi notaverim, raro Sanctum quempiam apud Usuardum reperiri (Cordubenses excipio et populares Gallos) cujus apud alios vestigia saltem aliqua non occurrant. Nihilominus vere ab ipso hac die recoli, ex codicibus nostris omnibus indubitatum est. *Hactenus Sollerius, in hoc argu-*
C *mento versatissimus.*

Gellonensi Martyrologio, aliisque hodie annuntiatur.

2 *Verumtamen si Gellonense Martyrologium a Dacherio tom.* 13 *Spicilegii primæ editionis vulgatum,* ineunte seculo nono, *seu* anno circiter 804 conscriptum *fuerit, uti editor affirmavit, fatendum erit, Usuardum non omnium primum fuisse, qui Romanum martyrem* Pamphilum *die* XXI *Septembris Martyrologio inseruit. Eodem enim die in laudato Gellonensi ultimo pariter loco legitur :* Roma Pampili Martyris: *Eadem habet etiam altera ejusdem Spicilegii editio, anno* 1723 *recusi. Nec dubium est, quin* Pampilus *hic idem sit cum* Pamphilo *Usuardi, cum hujusmodi nominum luxatio in antiquis Martyrologiis frequentissima sit, et utrobique etiam* Romæ *annuntietur. Augustanum monasterii S. Udalrici, tom.* VI *Junii inter Hieronymiana contracta a Sollerio editum, hoc ipso etiam die et postremo similiter loco, sed sine palæstræ mentione, habet :* Palpili mart.; *quem eumdem cum Gellonensis Martyrologii* Pampilo *esse nemo ambiget, qui utriusque textum hujus diei conferre voluerit. Annuntiatur etiam hodie in Florario nostro Ms. Sanctorum, addito anno, quo passus fuerit hoc modo :* Item Romæ, sancti Pamphili martyris, anno salutis CCCIX. *Consonant denique recentiores alii, quibus recensendis supersedeo.*
E

Gesta ejus et tempus martyrii

3 *Porro Baronius supra recte monet, hodiernum* S. Pamphilum *diversum esse a synonymo, qui in persecutione Galerii Maximiani Cæsareæ in Palestina passus, in vetustiori Hieronymiano apud Florentinium die* XVI *Februarii, in variis antiquis ac recentioribus Martyrologiis ad Kalendas Junii inscriptus est. Utrumque certe distinxit Usuardus, dum alteri presbyteratus Ordinem et pro palæstra Cæsaream Kalendis Junii assignavit; alterum sine eo titulo Romæ coronatum hodie recensuit. Non ita quidem distinxit illos Gellonensis martyrologus, qui de Cæsareensi Pamphilo alibi non meminit; sed Romanam tamen palæstram hodierno, ut dixi, etiam adscripsit, quod ad distinctionem sufficit. In Augustano quoque Martyrologio Cæsareensis martyr nec ad diem* XVI *Februarii, nec ad* I *Junii legitur; ex dictis tamen liquet,* Palpilum, *quem hodie memorat, Romanum esse. Ad gesta quod attinet, hæc me penitus latent, uti et genus martyrii, annusque ac persecutio, in qua fuerit coronatus. Nec quidquam de hisce apud alios reperi, nisi in Florario nostro supra citato, cujus auctor tempus martyrii Pamphili Cæsareensis, anno* 308 *passi, cum unius circiter anni differentia Romano haud dubie adaptavit, quique præterea hac in* F
parte nullius est auctoritatis.

omnino latent, aliquot ejus reliquiæ Romæ :

4 *Quam ob rem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ recte dixisse videtur :* Pamphilus martyr, diversus ab illo, qui apud Cæsaream Palæstinæ Kal. Junii in Martyrologio Romano coronatus refertur;... Romæ pro Christi fide passus ab Usuardo et ab aliis memoratur hac die; cætera prorsus latent... Tempus passionis hujus Martyris nobis ignotum est, cum Usuardus, a quo Martyrologium Romanum accepisse videtur, nudam ipsius mentionem fecerit. *Laudavit quidem Baronius in Annotatis ad Martyrologium suum vetera Mss.; sed cum nec persecutionem saltem, in qua sanctus Martyr occubuit, memoraverit, satis liquet, aut hanc in ipsis non fuisse notatam, aut Baronium Galesinii dicta adoptasse, uti supra num.* I *suspicatus Sollerius est. Laudatus Ferrarius præterea fatetur, æque sibi ignotum esse, ubi* S. Pamphili *Romani corpus asservetur. At Carolus Piazza in Hemerologio sacro Romano parte* 2 *ad hunc ipsum Septembris diem saltem aliquot ejusdem reliquias, cultumque docet his verbis :* S. Pamphilus,

A philus martyr Romanus, memoratus in Martyrologio Romano. Ad S. Mariam a Populo, ubi unus ipsius digitus est, aliæ ejusdem reliquiæ sunt in S. Petri et in S. Silvestri in Campo Martio.

Ejusdem corpus an Corinalti in Italia?

5 *Præterea præ manibus habeo epistolam a Joanne Francisco Vanni, Societatis nostræ presbytero, anno* 1692 *Roma ad Janningum nostrum datam, in qua is scribit,* Corpus S. Pamphili martyris Romani, de quo Martyrologium Romanum ad diem XXI Septembris meminit, *Corinalti quiescere, ipsumque ejusdem loci tutelarem esse. Est autem Corinaltum, indigenis* Corinaldo, *Italiæ oppidum in limite ducatus Urbini, qua Marchiæ Anconitanæ adjacet, et in diœcesi Senogalliensi. Leander Albertus in Descriptione Italiæ istud recenset inter honestiora oppida castellaque, sita juxta Misam, seu Nigolam amnem, ad cujus ostia Senogallia jacet. Sed laudatus Vannius in eadem epistola fatetur, ibidem de sancto Tutelari suo nihil plane sciri, omnique studio ac labore a Corinaltensibus conquiri monumenta, ex quibus aliquid lucis his tenebris posset affundi. Hinc etiam petiit, ut si qua apud nos exstarent, ea ad se mitterentur. Quid ad hæc responderit Janningus, ignoro; at certe ego nihil simile reperi in Museo nostro; nec quidquam etiam habeo, unde vel leviter probare aut negare queam, sacrum illud corpus, Corinalti honoratum, hodierni* Pamphili *potius, quam alterius sancti martyris esse. Nescio pariter, an Corinaltensibus sua pro conquirendis monumentis diligentia, quod ipsis apprecor, feliciter cesserit. Quod si ita sit, plura de* S. Pamphilo *nostro in Supplemento Operis dari poterunt.*

AUCTORE C. S.

DE S. EUSEBIO MART.

IN PHŒNICIA

J. S.

B E

Ex Martyrologiis Latinis et Græcis.

S. Eusebius primum graviter tortus

Galesinius *et Baronius hodie ex Græcorum Fastis annuntiant* S. Eusebium *Phœniciæ martyrem. Baronii verba hæc sunt :* In Phœnicia S. Eusebii martyris, qui ultro præfectum adiens, et se Christianum esse denuntians, ab eo multis tormentis afflictus, capite cæsus est. *Menologium Græcorum, quod Latinum fecit Sirletus, de eodem sic habet :* Eodem die commemoratio sancti martyris Eusebii. Hic sponte præsidem Phœniciæ adiit, illum arguens, quod Christi gregem persequeretur. Itaque ab irato judice suspendi, et verberari jussus est. Cum vero diu asperis ac laceris pannis indutus, sale verberibus injecto, in Christiani nominis confessione perstitisset, præside ipso in horas plura et majora magis magisque addendo * tormenta, exultabat Vir sanctus, perinde acsi in alieno corpore pateretur. Denique jussit præses caput abscindi, sicque ascendit in cælum, Dei gloriam prædicans.

* addente

C *Eadem fere leguntur in Menæis impressis, sed nonnulla diversitas est in tormentis Martyri illatis ante capitis amputationem. Quare illam elogii partem Græce huc transfero :* Ὁ δὲ ὀργισθεὶς προσέταξεν ἀναρτηθέντα τὸν ἅγιον ξέεσθαι. Ἐπὶ πολὺ δὲ ξέσαντες, τριχίνοις ῥάκεσιν ἅλας ἐμβαλόντες καὶ προσδήσαντες, ἀνέξαινον τὰς σάρκας τοῦ ἁγίου. Ille vero *(nimirum tyrannus)* iratus, suspensum Sanctum jussit scalpi. Ubi vero diu scalpserant, pannis cilicinis salem imponentes et alligantes, discerpserunt carnes Sancti. *Sensus ex interpunctione, quæ diverso modo fieri potest, utcumque est ambiguus.*

capite secatur.

2 *Nam potuerunt Sanctum ab initio pannis cilicinis scalpere, et deinde affrictione salis vulnera magis exasperare. At potius existimo, alio instrumento primum usos ad scalpendum latera; deindeque corpori vulnerato pannos cilicinos sale conspersos applicuisse, et sic vulneribus vulnera addidisse : atque ita tortum revera esse* S. Eusebium, *legitur in Synaxario Constantinopolitano, quod fuit Sirmondi; sed ibi memoratur ad* XXIII *Septembris. Reliqua in Menæis plane consona sunt datis a Sirleto in Menologio, ubi et alia verisimiliter eadem fuerunt Græce. Addunt Menæa duos versiculos, quos Græce et latine subjungo :*

Εὐσέβιον κτείνουσι δυσσεβεῖς ξίφει,
Τὸν εὐσεβῶς βιοῦντα, καὶ Χριστοῦ φίλον.
Eusebium occidunt impii gladio,
Pie viventem et Christi amantem.

F

In laudato mox Synaxario Ms. non dicitur Sanctus sponte præfectum adivisse, sed ab eo captus asseritur. Potest tamen utrumque esse verum : potuit enim ultro accedens capi. Plura de S. Eusebio *non invenio, nec exprimitur, sub quo tyranno fuerit passus, nec in qua civitate. Similiter hujus* Eusebii *memoriam non invenio in Menologio Basiliano.*



DE

AUCTORE J. S.

D

DE SS. ISACIO ET MELETIO EPISC.

IN CYPRO

Ex Græcorum Menologiis et Menæis.

SS. Isacius et Meletius in Fastis Græcis

Duos Cypri episcopos ad hunc diem Romano Martyrologio inseruit Baronius, secutus utcumque Græcorum Menologium Sirletianum, licet noluerit in omnibus adoptare illius Menologii asserta; nam si Menologio presse inhærendum esset, non solum duo, sed tres memorandi essent episcopi in Cypro. At duos commemorat Baronius, et singulos separatim hoc modo : In Cypro S. Isacii episcopi, et martyris. Ibidem S. Meletii episcopi et confessoris. *Menologium vero primum duos annuntiat his verbis ;* Eodem die commemoratio sanctorum patrum et episcoporum Cypri, Meletii et Isacii, B Hi sancti et beati patres nostri, episcopi ecclesiæ Dei, quæ est in insula Cypro, viri pii et timentes Deum, quorum opus assiduum erat docere populum divina Christi eloquia, et facultates suas indigentibus distribuere, sic agentes per totam vitam, per diversa tempora migrarunt ad Dominum. *Deinde rursum :* Eodem die commemoratio sacrosancti martyris Isacii, episcopi Cypri. *Menæa impressa plane consentiunt Menologio de* Meletio *et* Isacio *confessoribus.* Isacium *quoque martyrem eodem modo annuntiant, additis solum his versiculis :*

Τὸν μόσχον Ἰσάκιε τὸν θεῖον θύων,
Ξίφει δι' αὐτὸν οἷάπερ μόσχος θυῃ.
Vitulum, Isaci, divinum sacrificans,
Gladio propter ipsum sicut vitulus mactaris.

Hoc igitur duces si sequi necessario oporteret, dicendum esset, duos esse sanctos Isacios *in Cypro episcopos, alterum martyrem, alterum confessorem.*

celebrati, ut episcopi in Cypro insula ;

2 *Verum nec tanta est auctoritas Menæorum aut Menologii, ut credamus omnia ad litteram pro certis accipienda, nec gemino* Isacio *favent alii Græcorum Fasti. In Synaxario Sirmondiano Ms. unus tantum* Isacius *episcopus in Cypro ad hunc diem* C *commemoratur, isque in pace obiisse dicitur, prætermisso ibidem* Meletio. *In Menologio Basiliano, omissa mentione* Isacii *martyris, duo confessores annuntiantur simul his verbis :* Commemoratio sanctorum patrum nostrorum Isacii et Meletii episcoporum Cypri. *Tum subjungitur hoc elogium :* Sancti beatique patres Isacius et Meletius diversis temporibus episcopi ecclesiæ Cypri fuerunt : Isacius quidem prior, Meletius vero posterior : sed pari tamen uterque pietate claruit. Quippe qui timorem Dei semper secum circumferentes, et in pontificatu conspicui, inculpate Deo Liturgiam * offerebant, omnesque suas facultates promptissimo animo pauperibus distribuebant, tota die, juxta illud Prophetæ, miserentes et commodantes, non panem solum, sed fidelem etiam in docendo sermonem. Viduarum curam gerebant, orphanos misericordia prosequebantur, jacentes erigebant animos, omnibus omnia fiebant, ut omnes lucrifacerent. Cum igitur sic vixissent, miraculorum donum promeruere; multosque admirabilibus curationibus juvantes, in E summa senectute diversis, ut fertur (*Græce* ut dictum est) temporibus, sed tamen eodem anni die ad Deum, quem ab ineunte ætate summo studio coluerant, migrarunt. *Similia leguntur id Ms. Græco monasterii S, Salvatoris Ordinis S. Basilii prope Messanam, brevius tamen, et nihil de miraculis.*

* i. e. Missæ sacrificium

sed nonnulla de his sunt dubia.

3 *Jam vero inficiari nequeo, varia de his videri parum certa, quia collectores elogiorum, quæ dedi, non videntur de Sanctis illis satis distinctam habuisse notitiam, cum solum referant aliqua, omnibus fere sanctis episcopis convenientia. Præterea* Cypri *episcopos faciunt, nec edicunt, in qua Cypri insulæ civitate fuerint episcopi. Lequienus in Oriente Christiano tom. 2 multas recenset civitates episcopales Cypri, earumque episcopos, quantum noverat, enumerat; sed nullum inter illos* Isacium, *nullum* Meletium. *In Synaxario Ms. jam laudato* Isacius *dicitur episcopus* Σίτης τῆς Κύπρου. Sitæ Cypri ; *sed* Sitam *civitatem in Cypro nullibi reperire potui. Hinc facile credo,* Isacium *et* Meletium *cultos fuisse in Cypro ; at non æque certum apparet, in eadem quoque insula fuisse episcopos : nec tamen ex omissa aut ignorata eorum civitate episcopali habetur ratio sufficiens negandi, episcopos fuisse in* F *dicta insula, cum hoc saltem omnes laudati Fasti constanter affirment. Itaque magis ambiguum videtur, utrum* Isacius *fuerit martyr : (nam duos fuisse in Cypro minus est verisimile) et in aliis Fastis ut martyr, in aliis ut confessor celebratur. Nihil igitur hac de re certi statuere valeo.*



DE

AUCTORE C. S.

DE S. CASTORE EPISC. CONF.

APTÆ JULIÆ IN PROVINCIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria Sancti in Martyrologiis : antiquus ejus in ecclesia Aptensi cultus : Officia ecclesiastica.

Inter annum CDXIX et CDXXVI. Sanctus apud varios martyrologos hoc die,

Apta Julia Vulgiensium Plinio, *Galliæ Narbonensis civitas*, *indigenis* Apt *nunc dicta*, *episcopalis est in Provincia Gallica sub archiepiscopatu Aquensi*, *uti tom.* III *Maji*, *pag.* 285 *in S. Auria martyre dictum jam est*, *ubi ejusdem civitatis situm expositum etiam reperies.* B *Hæc inter suæ sedis episcopos recenset et insigni cultu hoc die* XXI *Septembris veneratur* S. Castorem, *qui seculo* V *eam sanctissime rexit et virtutibus illustravit. Quamquam autem S. Joannis Cassiani scriptis celebratus fuerit*, *cultusque ipsius antiquissimus videatur*, *nihil tamen de ipso in Adoniano, Usuardino aliisque hujusmodi vetustioribus Martyrologiis legere est. Habent tamen ipsum et hoc die annuntiant aliquot Usuardina auctaria*, *a Sollerio nostro edita. Ex hisce codex Aquicinctinus*, *eodem Sollerio judice*, *seculo decimo tertio non posterior*, *de eo sic meminit :* Civitate Attensi, natalis beati Castoris, episcopi et confessoris. *Simillima habent codices Domini le Marne et Caudiacensis* , *in quorum primo ibidem legitur :* In civitate Attensi, natalis beati Castoris, episcopi et confessoris : *in altero* : Civitate Actensi, natalis beati Castoris episcopi et confessoris.

sed a Greveno Atheniensis perperam creditus, annuntiatur.

2 *Ut vero indubitatum est pro* Attensi et Actensi *apud recensitos martyrologos legendum esse* Aptensi, *ita certum est*, *nimium aberrasse Grevenum*, *dum hodiernum* S. Castorem *ex* Aptensi *episcopo* Atheniensem *fecit*, *sic inquiens :* Castoris episcopi Atheniensis et confessoris. *Rectius* B *Ferrarius in Catalogo generali ait :* Aptæ in Gallia S. Castoris episcopi. *Castellanus de ipsius cultu aliquid addit his verbis :* Aptæ in Provincia, S. Castoris episcopi, cujus corpus honoratur in cathedrali, quæ nomen B. Mariæ Virginis antiquavit, ut S. Castoris assumeret. *In supplemento quoque hisce addenda monet sequentia :* Ipsi acceptum debemus eximium librum de Institutionibus monasticis, quem celebris Cassianus, S. Chrysostomi discipulus, ad ipsius preces composuit pro monasterio, quod is sanctus Episcopus in agro patrimonii sui in diœcesi Nemausensi fundaverat. *Martyrologium vero Parisiense sic habet :* Aptæ S. Castoris episcopi, cujus hortatu, et in gratiam monasterii ab ipso recens conditi, Joannes Cassianus scripsit libros de Institutis monachorum. *Saussayus quoque in Martyrologio suo Gallicano hac pariter die ipsum breviter annuntiat*, Aptæ, *inquiens*, sancti Castoris, hujus sedis episcopi, qui sub Arcadio * imperatore claruit meritis apostolicæ virtutis. *In supplemento autem ejusdem Martyrologii longum ipsi elogium texuit ex gestis ejus*, *quæ suo loco examinabimus. Hisce denique addo Dionysii Sammarthani testimonium tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 351, *ubi legitur :* In pervetusto Aptensis ecclesiæ Martyrologio commemoratur XI Kal. Octobris.

* imo Honorio

Antiquus cultus ipsius

3 *Ad antiquum* S. Castoris *cultum pertinet*, *quod laudatus Galliæ Christianæ scriptor ibidem præmiserat his verbis* : Porro tam sapienter, tam feliciter commendatam sibi a Christo ecclesiam rexit Castor, totque seu virtutum, seu miraculorum signis in ea fulsit, ut præ ceteris pastoribus suis eum in E patronum elegerit. Nempe antiquitus Aptensis ecclesia S. MARIÆ ET S. CASTORIS dicebatur. *Præmiserat item pagina præcedenti :* Templum *(cathedrale Aptense)* patronam habet Deiparam Virginem. In dono castri de Sagnone, in Bulla Paschalis Papæ II, et aliis chartis B. MARIÆ adjungitur S. CASTOR. Nunc in hac ecclesia invaluit S. Annæ cultus, quæ pro tutelari a nonnullis habetur. *Chartam illam deinde exhibet inter instrumenta ad eamdem ecclesiam spectantia pag.* 75 *et sequenti*, *unde nos eam infra num.* 6 *et seqq. recudemus. In hac autem Georgius quidam et uxor ejus Deda prædictum castrum donant* ipsi Deo Domino nostro et S. Mariæ, Matri Domini nostri Jesu Christi, et S. Auspicio martyri et episcopo, et episcopo præcipuo Castori et confessori nobilissimo. *Verum licet hæc antiquam* S. Castoris *venerationem probent; (nam charta illa ex dicendis seculo* X *posterior non est*, *et forte etiam antiquior) non tamen docent*, S. Castorem *potius*, *quam S. Auspicium*, *quem Aptenses velut primum suum episcopum venerantur*, *tunc temporis istius ecclesiæ tutelarem fuisse*, *aut eamdem ecclesiam* S. Castoris *potius*, *quam* F *S. Auspicii nomine insignitam fuisse.*

in ecclesia Aptensi

4 *Potuerunt scilicet Georgius et Deda ita loqui*, *quia ambo Sancti ejusdem sedis episcopi fuerant*, *et in eadem ecclesia colebantur ; sanctumque* Castorem præcipuum episcopum *dicere*, *quia is peculiari forte cultu ibi gaudebat*, *ipsique eumdem singulari pietatis affectu prosequebantur*, *ut ex ipsa charta manifestum est. Clariora sunt Paschalis II Papæ verba pro* S. Castore *una cum sanctissima Dei Parente patrono ecclesiæ Aptensi asserendo. In Bulla enim supra memorata confirmat ejus loci canonicos*, ut in Aptensi matrice ecclesia BEATÆ DEI GENITRICIS ET SEMPER VIRGINIS MARIÆ, ET BEATI CASTORIS perpetuis deinceps temporibus clericaliter et regulariter vivant. *Exstat ea Bulla in præcitata Gallia Christiana inter instrumenta Aptensis ecclesiæ pag.* 77, *ubi notatur data Idibus Januarii anni Christi* 1115 *sed ex adjecto anno Pontificatus ejusdem decimo quinto ad annum Christi* 1114 *pertinet.*

ex instrumentis probatur ;

5 *Istud porro canonicorum collegium seculo* X *ad finem vergente fundaverat Theudericus Aptensis episcopus*, *ut patet ex charta ab eodem scri-*

AUCTORE C. S.

ptore pag. 74 *et sequenti relata, in qua is anno* 991 in præfata sede Aptense omnipotenti Deo, S. Mariæ Virginis, sanctique Petri Apostoli, atque sancti Castori * eximii confessoris, ob eorum omnium honore ac veneratione canonicos duodecim *constituit, fundavitque, Leodegarius quoque ejusdem sedis episcopus ejus nominis II, ibidem pag.* 77 *per chartam anno* 1113 *notatam quædam episcopatus sui bona, quæ perperam amissa ipse redemerat*, Deo et S. Mariæ, et S. Auspicio et S. Castori *donavit. Denique Joannes Filleti, Aptensis item episcopus, in instrumento anni* 1407, *quod habes ibidem pag.* 81, *post sanctissimam Dei Genitricem Mariam ecclesiæ suæ patronos B. Annam beatosque Auspicium et* Castorem *appellat. Porro hic observasse juverit, in omnibus prædictis instrumentis, uti et in ipsa Gallia Christiana, ubi de Aptensi ecclesia cathedrali agitur, S. Mariæ Virginis nomen ceteris semper præponi; ac proinde mirari licet, unde Castellanus num.* 2 *relatus didicerit, eamdem ecclesiam* nomen B. Mariæ Virginis *antiquasse, ut* S. Castoris *assumeret.* B

* Castoris

Donatio castri per Georgium et Dedam,

6 *Hisce ad antiquum* S. Castoris *nostri cultum spectantibus subjungimus, quæ leguntur in charta donationis per Georgium et Dedam conjuges factæ, cujus supra num.* 3 *mentionem fecimus, et ex qua discimus, hujus sancti Episcopi sepulcrum id temporis ibidem in honore fuisse, et altare ejusdem nomine Deo consecratum. In eadem etiam beneficium aliquod ipsi acceptum refertur. Præcisa itaque præfatione, quæ ad propositum non facit, in laudata Gallia Christiana pag.* 76 *leguntur sequentia :* Et ego Georgius peccator nimius, et uxor mea Deda, una per voluntatem Dei omnipotentis et omnium Sanctorum ejus, quia scio, eum esse misericordem et propitium, disposuimus dare aliquid ex honore nostro ipsi Deo Domino nostro, et S. Mariæ Matri Domini nostri Jesu Christi, et S. Auspicio martyri et episcopo, et episcopo præcipuo Castori et confessori nobilissimo; et hoc, quod offerimus in comitatu Aptensis civitatis, est quoddam castrum insigne et nobile, quod est positum supra civitatem ad Orientem, nomine Sagnone.

qui ad Sancti sepulcrum et altare vigilantes, filium

7 Ipsum castrum damus prædictæ sedi et S. Castori, ibidem quiescenti, et innumeris Sanctorum reliquiis, quorum nomina Dei solius misericordia novit. Et hoc et ejus fundum, terris cultis et incultis cum vineis et pratis et omnibus adjacentiis, et ultra Causalonem, in loco, qui dicitur Sabloned, et in olivetis, ipsi castro pertinentibus, et nunc et in æternum. Habuimus olim hæredem unum masculini generis, nomine Sisinnium; ipsum per manus paganorum perdidimus, qui ductus est ad Ispanias, ibidem commoratus per septem annorum tempora. Nos vero ejus genitores interim non cessavimus orare in jejuniis et eleëmosynis pro filio nostro, et omni hebdomade revoluta, in Sabbato vigilantes ante altare S. Mariæ et S. Castoris eramus. Apparuit autem Domini virtus et misericordia, quia post finem annorum prædictorum eramus vigilantes ante altare Domini Dei Salvatoris, et S. Castoris sepulcrum; et ecce derepente in prima noctis vigilia venit filius eorum ante eos stans, et ferens *, qua vinculatus fuerat tot annorum tempora, dicens ad eos, Recognosce, pater, filium tuum, quem genuisti; et tu mater, quem triennio ablactasti; ecce adsum cum sanitate mentis et corporis.

* adde catenam

ex captivitate barbarica receperant.

8 Quo viso, sit gaudium magnum genitoribus et omni populo et civibus; et omnes unanimes affecti reddebant Deo gratias Amen. Castrum autem, ut erat datum, voverunt cum filio, et firmaverunt privilegio et personarum testimonio Caroli tempore. *Hactenus illi; sed ex ipso contextu satis apparet, non esse istud purum donatorum instrumentum, sed ab alio quopiam interpolatum, luxatumque. Ceterum instrumentum hoc nullam notam chronologicam adscriptam habet præter* Caroli tempus, *quo nomine, an Carolus Martellus, Magnus an Calvus, aut Carolus Lotharii imperatoris filius et Provinciæ rex, vel alius denique designetur, inexploratum est. Per paganos autem haud dubie Saracenos Hispaniæ instrumenti scriptor intelligit, qui prædictorum principum seculis Galliam suis incursionibus infestarunt, et a quibus Sisinnius seu in pugna seu aliter capi potuit. Id unum certum videtur, donationem illam seculo* X *posteriorem non esse, cum in laudata Gallia Christiana col.* 354 *Nortaldus I, episcopus Aptensis, istud ecclesiæ suæ castrum Sagnone Roberto et Waraconi anno* 967 *per præstariam, ut tunc loquebantur, concessisse legatur. Incertum quoque est, an ea Sisinnii ex Hispanica paganorum captivitate liberatio, quæ* S. Castoris *meritis in dato instrumento videtur adscribi, pro miraculo vel beneficio re vera habenda sit; nam modus, quo ea contigerit, ibidem non exponitur.* E

Festum ejus natale et Revelationis ibidem,

9 *Pergo cetera de* S. Castoris *cultu enarrare. Sæpe laudatus Galliæ Christianæ scriptor col.* 358 *refert Guilielmum ejus nominis inter episcopos Aptenses primum, quem ex Bulla Adriani IV Papæ anno Christi* 1158 *sedisse, annoque* 1160, *vel, ut aliis placet,* 1161 *obiisse ait, festum* B. Castoris *instituisse; sed an ea fuerit prima ejusdem festi institutio, an instauratio vel major solemnitas, ulterius non explicat. Eodem col.* 361 *teste, Raimundus III, qui in Aptensi cathedra ab anno* 1275 *usque ad* 1303, *quo obiit, sedisse ibidem dicitur*, instituit festum Revelationis SS. Auspicii, Castoris et Martiani, die I Maji celebrandum. *De S. Auspicio episcopo supra sæpe memorato actum in Opere nostro est ad diem* 2 *Augusti, de S. Martiano autem abbate ad* XXV *ejusdem mensis; sed nec ibi, nec alibi de hac revelatione quidquam reperi, præterquam in Breviario Aptensi anno* 1532 *typis edito, in quo tamen non Kalendis Maji, sed prima die Dominica ejusdem mensis, alias non impedita, Officium istud ritu semiduplici celebrandum præscribitur. Verum nec hinc discere possum, qualis ea revelatio fuerit, aut quo tempore contigerit.* F

olim celebratum : caput argenteæ thecæ inclusum.

10 *Nam omnia desumuntur ex Communi plurimorum martyrum tempore Paschali, excepta Oratione, quam subdo.* Deus, qui occulta revelas, et quorum facinora sunt tecta, beatificas, tribue nobis, quæsumus, ut per merita et orationes Sanctorum tuorum, Auspicii, Castoris et Martiani, qui in Aptensi requiescunt ecclesia, et quorum hodie revelationem veneramur, ad celestem patriam pervenire valeamus. Per Dominum *etc. Ita ibi, sed in recentiori ejusdem ecclesiæ ac diœcesis Breviario, seu Officiis propriis anno* 1664 *excusis, istud Revelationis Officium penitus prætermissum est. Anno* 1320 S. Castoris *caput prætiosæ thecæ argenteæ inclusum fuisse per Raimundum IV, cognomento* Botti, *Aptensem episcopum, tradit idem Galliæ Christianæ scriptor col.* 362, *cujus verba huc transfera.* Raimundus Botti... quam primum sedere cœpit in S. Castoris cathedra de ipsius cultu sollicitus, ejus sacrum caput theca argentea exstantis operis inclusit, anno videlicet MCCCXX, ut constat ex membranula in hoc vase inclusa, et gentilitiis Raimundi symbolis. *De eodem Sancti capite et theca argentea inaurata meminit J. Arnoux in*

A in *Catalogo sanctorum corporum ac reliquiarum, quæ in Provincia asservantur, quem Ludovico XIII Galliarum regi anno* 1622 *inscripsit et typis vulgavit.*

Colitur ibidem Officio ecclesiastico cum Octava,

11 *Nunc ad recentiorem ejusdem cultum ecclesiasticum veniamus. Præter Officium Revelationis, modo, ut diximus, antiquatum, in prædicto Aptensi Breviario anni* 1532 *ad hunc* XXI *Septembris diem præscribitur festum ac Officium de ipso, ritu duplicis majoris et cum Octava solemni Officio S. Matthæi apostoli ritu duplicis minoris in diem posterum translato. In isthoc* S. Castoris *Officio pene omnia sunt propria, quibus gesta ac miracula ejus celebrantur, quæ propterea suis locis expendemus. In ejusdem locum, sed ad eumdem tamen diem, deinde substitutum est aliud* S. Castoris *Officium inter Propria diœcesis Aptensis, jussu illustrissimi domini Modesti de Villeneufve de Arcs, ejusdem sedis episcopi, ad normam Breviarii Romani exacta, annoque* 1664 *Aquis Sextiis excusa. Habet et hoc passim omnia propria, sed est ritus duplicis primæ classis cum Octava et lectionibus etiam propriis in singulos dies non impedi-* B *tos assignatis. Hasce infra una cum ceteris in Commentario discutiemus. Interea tamen duos ejusdem hymnos cum Oratione hic accipe.*

ex quo duo hymni

12 *Ad utrasque Vesperas ac Laudes :*

Castor Nemausi nascitur
E nobili prosapia;
Sed meritis illustrior
Apparet et virtutibus.
Præfectus abbas monachis,
Vivens fit illis regula,
Et micat in cœnobio
Insignis ejus sanctitas.
Solemniori præsulis
Aptæ peracto funere,
Invitus hic eligitur,
Et consecrandus ducitur.
Sit, Christe rex piissime.
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

et Oratio recitantur.

13 *Hymnus ad Matutinum sic habet :*

Nomen beati Castoris
Colamus et memoriam,
Nostraque sit fiducia
C Ejus juvari meritis.
Hunc, qui benignis precibus
Captivitatis vincula
Rupit, precemur, criminum
Ut liberemur nexibus.
Hæc vota, Præsul, accipe,
Memento, Pastor, ovium,
Fac nos tuis suffragiis
Cœli potiri gaudiis.
Laus et perennis gloria
Patri sit atque Filio
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

Oratio : Deus, qui precibus S. Castoris, confessoris tui atque pontificis, vincula captivorum dirupisti, fac nos supplices ejus patrociniis ita adjuvari, ut peccatorum nexibus soluti, tibi semper libera mente serviamus. Per Dominum *etc.*

Cultus ejus alibi.

14 *Eumdem sanctum Episcopum annuo Officio cum lectionibus secundi Nocturni propriis, ritu que duplici, sed propter festum S. Matthæi postridie, seu die* XXII *Septembris, honorat, aut certe honorare soluit ecclesia Nemausensis in Occitania, ut disco ex hujus diœcesis Breviario proprio typis edito, sed anno mihi incerto, quia initio aliquot paginæ desunt; et ex ejusdem ecclesiæ ordine Officii recitandi anno* 1679 *excuso. Honorem hunc Nemausenses haud dubie ipsi tamquam populari suo exhibendum decreverunt: Nemausi enim* S. Castor *natus esse creditur. Tillemontius tom.* 14 *Monument, pag.* 176 *scribit, ipsum in monasterio quoque S. Victoris Massiliensis cum ecclesia Aptensi die* XXI *similiter coli; quod nec probare nec confirmare possum. In Officiis tamen propriis ejusdem celebris monasterii, quibus annus impressionis pariter avulsus est, nihil de illo occurrit. Contra in Foro-Juliensis diœcesis, in Provincia Galliæ, Breviario, anno, ut calamo annotatum lego,* 1529 *typis vulgato, ad diem* XX *hujus mensis Officium de ipso simul et de Vigilia S. Matthæi præscribitur: quod forte in gratiam fratris ipsius, S. Leontii, episcopi sui Foro-Julienses faciendum censuerunt. Verum id ipsum in eorumdem Officiorum nova editione, anno* 1678 *facta, etiam antiquatum fuit. Atque hæc de* S. Castoris *sacro cultu sufficiat recensuisse, quem antiquum et insignem esse, ex iis, quæ hactenus produximus, manifestum est.*

AUCTORE C. S.

E

§ II. Vitæ non satis certæ auctoritatis, ex quibus una edenda : Sancti patria, gestaque in statu seculari : cœnobium ab eo conditum, et obtenta a S. Joanne Cassiano Orientalium monachorum Regula.

Exiguæ auctoritatis Vitæ ipsius sunt,

Quod in aliis multis insignis sanctimoniæ viris sæpe evenit, id in hoc quoque dolemus, quod nullum virtutum suarum, quibus Dei Ecclesiam illustravit, scriptorem habuerit synchronum supparemve, aut ejusmodi saltem, cui fides tuto possit adhiberi; vel si habuerit, ejus Opus ad nos non pervenerit. Scribit quidem Dionysius Sammarthanus tom. I *Galliæ Christianæ, col.* 361, *Raimundum, ejus nominis III episcopum Aptensem, qui, ut ibidem ait,* in nonnullis veteribus monumen- F tis appellatur eruditissimus in Officio ecclesiastico, SS. Auspicii et Castoris Vitas elegantiori stylo *conscripsisse : sed Raimundus ille, qui seculo* XIV *inchoato obiit, ab ætate* S. Castoris, *ante seculum* V *medium defuncti, longius aberat, quam ut ipse facta illius in lucem primus proferre posset; et nescimus, quibus aut quam antiquis monumentis usus fuerit. Deinde suspicari licet, Vitam illam, cujus nullum exemplar seu Ms., seu typis editum, cum ejus nomine vidi, eadem aut saltem non diversa continuisse ab iis, quæ in ejusdem Sancti nostri Officiis seu lectionibus propriis recensentur; quas quidem lectiones* ex monumentis sanctæ Aptensis ecclesiæ *desumptas esse, ibidem prænotatur.*

quæ a variis laudantur

16 *Joannes Baptista Guesnay Societatis nostræ presbyter in S. Joanne Cassiano illustrato lib.* 2, *cap.* 29, *num.* 3 *ex ejusdem ecclesiæ Aptensis Fastis, ut loquitur, brevem* S. Castoris *Vitam recenset, in qua pauciora ipsius gesta, quam in Officiis propriis recitantur. Eamdem fere, si pauca nempe circa finem excipias, exhibet Dionysius Sammarthanus tomo supra citato, inter instrumenta col.* 73 *et sequenti, ubi monet, eam legi* in pervetusto Martyrologio ecclesiæ Aptensis, XI Kal. Octobris.

AUCTORE C. S.

bris. *Aliam Vitam, in qua plura Sancti gesta referuntur, recitat Andreas Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani. Tillemontius tom.* 14 *Monument., in Cassiano art.* 8 *utramque* parum certam *judicavit; quam censuram ego quoque veram puto; cum neutra antiquitatem sapiat, nec de monumentis, quibus ambæ nituntur, constet. Denique Benedictini Historiæ Occitaniæ scriptores tom.* I, *lib.* 4, *num.* 22 *laudata ecclesiæ Aptensis monumenta pro recentioribus parumque accuratis pariter habent, aiuntque, datam sibi esse a domno Fournier, monasterii S. Victoris Massiliensis Religioso, ejusdem Sancti Vitam alteram vetustam, quam ceteris præferunt, et ex qua ipsius elogium ibidem Gallice contexunt.*

aut recitantur: ex hisce unam dabimus

17 *Huic Vitæ similem habuit Honoratus Bouche, ut liquet ex pari elogio, quod tomo* I, *libro* 2 *Historiæ Provinciæ Gallico idiomate pariter inseruit. Porro quæ in hisce narrantur, eadem fere, quamquam cum aliis subinde adjunctis, in Officiis propriis etiam legere est, nec magis quam cetera pro certis habere possumus. Nescimus etiam, eademne, an alia Vita fuerit, de qua in vetustiori* S. Castoris *Officio Aptensi, anno scilicet* 1532 *typis* B *edito, lect.* 5 *dicitur* : Qualis quantusque extiterit, Vita ejus, quæ exterioribus extat plena virtutibus, manifestat. *Cum itaque meliora mihi non suppetant instrumenta, Vitam brevem sive elogium, quod a Sammarthano excusum dixi, quodque vetustioris Officii lectionibus brevius quidem, sed tamen magnam partem simillimum est, recudam; lectiones vero Officii recentioris et elogium a scriptoribus Historiæ Occitaniæ concinnatum, ceteraque hujusmodi in hoc Commentario prævio recensebo, et, ubi opus fuerit, illustrabo.*

Sanctus Nemausi in hodierna Occitania natus,

18 *Lectio* I *secundi Nocturni in Officio ecclesiæ Aptensis, anno* 1664 *edito sic orditur* : Castor Nemausensis, natalibus clarissimis ortus, et in liberalibus disciplinis eruditissimus, primo in agendis forensibus causis mira excelluit eloquentia. Deinde in componendis publicis et privatis discordiis, jurisque implicatis capitibus enodandis sese omnibus spectabilem exhibuit; tandem vero summa cum probitatis laude judicis partes implevit. Hoc enim suscepto judiciali munere, oppresso subveniebat, pupillo judicabat, et causa viduæ apud illum ingrediebatur. *De Nemausensi patria nobilibusque pa-* C *rentibus consonant Vita edenda ceteraque omnia, neque e recentioribus quemquam reperi de patria dissentientem. Et quod ad hanc quidem attinet, id eo facilius Aptensibus credendum est, quo minus ipsorum intererat, sanctum episcopum suum, si suæ civitatis indigena fuisset, Nemauso adscribere. Porro Nemausenses ipsum ea verisimillime de causa, ut supra dictum est, Officio annuo venerantur. Est autem Nemausus antiqua urbs Galliæ Narbonensis, nunc* Nismes *indigenis dicta, in Occitania inferiori, estque episcopalis sub archiepiscopatu Narbonensi, septem milliaribus Gallicis, teste Baudrando, ab Avenione in Ortum dissita.*

fratrem habuit S. Leontium episcopum Foro-Juliensem;

19 *Sancto* Castori *fratrem fuisse Leontium episcopum, discimus ex S. Joanne Cassiano, qui in Præfatione ad decem primas Collationes patrum, quas* Castori *promiserat, et post hujus mortem laudato Leontio Helladioque dicavit, rationem hujus muneris reddens, ipsos sic allocutus est* : Nunc autem, quia derelinquens nos Pontifex supradictus, migravit ad Christum, has interim decem Collationes,... quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi jusserat sermone conscribi,... vobis potissimum, o beatissime papa Leonti, et sancte frater Helladi, credidi consecrandas. D Alter siquidem vestrum memorato Viro et germanitatis affectu, et sacerdotii dignitate, et (quod his majus est) sancti studii fervore conjunctus, hereditario fraternum debitum jure deposcit *etc. Ceterum Leontium hunc fuisse episcopum Foro-Juliensem certum videtur. Colitur autem is in eadem diœcesi Kalendis Decembris , quo de ipso apud nos agendum erit. De opera a* S. Castore *Arelate litterarum studiis feliciter navata consentiunt etiam Vita edenda et Officium vetustius. Sanctus quoque Joannes Cassianus in Præfatione ad duodecim libros de Institutis monachorum, quos ipsi inscripsit, ejusdem scientiam eloquentiamque non parum commendat. Verba ejus mox dabimus.*

ejus eloquentiæ a Cassiano laudatæ

20 *Contra Historiæ Occitaniæ scriptores in* S. Castoris *elogio, ex vetusta meliorique, ut ipsi ajunt, Vita concinnato, non negant quidem illius eloquentiam ac eruditionem, sed tamen asserunt, ipsum, cum in litterarum studiis progressum facere cœpisset, mortuo interim patre, domum suam repetere compulsum, ut matri viduæ solatio auxilioque esset. Tillemontio autem tom.* 14 *Monument. in Cassiano art.* 8, *et post hunc Historiæ* E *litterariæ Franciæ scriptoribus tom.* 2 *in* S. Castore, *visus est Sanctus ipse in epistola sua ad S. Cassianum dicere,* sese in scientiis litterisque non fuisse educatum; *laudatque in hunc finem Tillemontius hæc ipsius in eadem epistola verba* : Nos scientiæ inopes et idiotæ. *Deinde observant, his verbis consonum esse ejusdem epistolæ stilum, qui obscurus est et parum Latinus. Exhibet illam Gazæus, aliique, unde nos eam infra num.* 26 *et* 27 *recitabimus. Et sane hujus oratio talis est, ut non satis dispiciam, qua ratione S. Cassianus ipsi inter cetera dicere potuerit* : Cum sis ipse cunctis virtutibus scientiaque perfectus,... me quoque elinguem et pauperem sermone atque scientia... poscis, præcipisque, ut instituta monachorum, . . . quamvis imperito digeram stylo, non leporem sermonis inquirens, in quo ipse apprime es eruditus.

non correspondet epistola, a Gazæo edita.

21 *Non satis, inquam dispicio, quomodo ista aliaque hujusmodi Cassianus ipsi serio scribere potuerit, si genuina nec mendosa* S. Castoris *epistola sit,* quam *Gazæus ex vetusto codice Ms. Elnonensi, ut ait,* etsi nusquam alibi repertam, multisque mendis ac lituris obscuratam, tandem non exi- F guo labore ab iis expurgatam, et suæ integritati ac nitori restitutam, *tom.* I *Operum Joannis Cassiani præfixit, atque inde etiam alii recensuere. Si qua alia exstarent* S. Castoris *scripta, ex eorumdem stilo liceret de laudata epistola æstimare; sed cum unica superesse dicatur, non possum omnem de ea scrupulum, ex S. Cassiani dictis conceptum, deponere, vereorque, ut ea tam emendata sit, quam Gazæus affirmat. Frustra tamen Tillemontius ex ipsius* S. Castoris *verbis asserit, ipsum dicere,* sese in scientiis litterisque non fuisse educatum; *cum sanctus Episcopus ex humilitatis studio ita loqui potuerit, licet a juventute sua liberalioribus litteris operam probe navasset, iisque feliciter fuisset imbutus. Excelluisse autem ipsum Christiana humilitate, luculenter docet Cassianus, dum loco citato ipsum* unicum religionis et humilitatis exemplar *appellavit.*

Incertum est, an judex fuerit; videtur uxoratus fuisse,

22 *Incertiora etiam sunt, quæ de judicis munere per ipsum administrato in laudato Officio leguntur. Nam de hac re nihil apud Historiæ Occitaniæ scriptores, nihil in lectionibus vetustioris Officii, nihil in Vita edenda memoratur. Et in hac*

A *hac dicitur quidem Sanctus ante monachatum* paucorum annorum spatio... mundanis actibus et triumphis vacasse; *verum id intelligi potest de pupillorum aliorumque inique oppressorum causis forensibus, quas ipse ex Christiana caritate ut patronus strenue egisse narratur, ut mox videbimus. Nec aliunde forsan ea judicis dignitas ipsi adscripta fuit, quam ex eo, quod ipse dissidentium causas, rogatus a partibus arbiter, composuerit. Redeo ad Officium proprium recentius, cujus lectio* v *ita habet :* In matrimonio, quod cum nobili filia cujusdam viduæ Arelatensis contraxerat, quasi monachi vitam duxit. Ejus vero socru demortua, et uxore in quodam solitudinis loco arctioris vitæ propositum aggressa, ipse supra oppidum Manancham, quod ejus potissimum opera uxoris doti accesserat, virorum ædificavit monasterium, ubi, quamvis omnibus esset major, non alio tamen, quam omnium minimi titulo gloriabatur.

deinde condito cœnobio, monachus factus.

23 Quam sui abjectam existimationem iis exemplo manifestavit, qui eum in monasterio addictum coquendo pani conspexerunt; quo in humilitatis exercitio cum nullas aliquando inveniret scopas B ad detergendum calore ardens pavimentum clibani, in quem tunc panis inducendus erat, illud, admirantibus omnibus, everrit, qua utebatur, lanea veste quin vel minimus in ea pilus combureretur. *Sequitur lectio* vi. Hujus autem monasterii e vita migraturus abbas summo omnium consensu Castorem elegit, ut ipsi in monasticum regimen succederet. Quod ne acciperet, addictus humilitati Castor tamdiu recusavit, donec eum moribundus abbas ad munus suscipiendum auctoritate compulerit, asserens, hanc sibi a Deo fuisse revelatam electionem. Hoc igitur defuncto abbate, assidua successor præbuit omnibus virtutum documenta, ejusque singularis prorsus vitæ sanctitatem ex iis, quæ in sequentibus lectionibus magnifice eloquetur monasticæ vitæ amator ardentissimus, Joannes Cassianus, facile erit colligere. *Hæc ibi; ex quibus quid certum, quid contra dubium videatur, denuo expendamus.*

Alia de hisce compendiosa narratio

24 *De Sancti matrimonio nihil in Vita edenda, et in lectionibus Officii vetustioris legitur; sed in hujus responsorio ad lectionem* iv *de eodem mentio fit his verbis :* Vir Domini Castor paucorum annorum conjugalis, mundanis actibus, tandem rore divini eundem prefundens * sermonis, ad cultum C uterque veniunt religionis. ℣ Nitebatur igitur Beatissimus, amore flagrans divino, ut, quæ olim uxor, demum existeret soror. *Historiæ Occitaniæ scriptores ex Vita sua Ms. rem fere sic narrant.* S. Castor, *patre mortuo, litterarum studiis valedicere compulsus, ut matri suæ subsidio esset, studuit etiam pupillis aliisque, quos inique vexari videbat, patronum se præbere. Hanc caritatem suam præcipue exhibuit cuidam viduæ Arelatensi, quam pietas æque ac nobilitas commendabat. Etenim cum vir quidam nobilis, Auxentius nomine, hujus matronæ dominium, in loco Manancha situm, injuste invasisset et ipsa omni subsidio patronoque destituta esset,* Castor *rei indignitate commotus, ejusdem causam tam feliciter suscepit, ut iniquum possessorem occupatis rebus exuerit, et per mare ad imperatorem profectus, confirmationem sententiæ in ejusdem viduæ gratiam petierit et impetraverit.*

* *imo perfundente*

ex scriptoribus Occitaniæ et Boucheo. Sanctus pro cœnobio suo

25 *Hoc beneficio obstricta matrona filiam suam, quam habebat unicam, ipsi in matrimonium obtulit cum dote eorum omnium bonorum, quæ ejusdem opera recuperaverat. Conditionem Sanctus admisit; sed non diu post pii conjuges ex mutuo consensu a se invicem recesserunt, ut solitarii Deo servirent; et* Castor *quidem in eodem loco Manancha monasterium condidit, in quo primum monachus ac deinde abbas vixit. Eadem habet Honoratus Bouche in Chorographia et Historia Provinciæ, ubi etiam addit,* S. Castoris *uxorem simul cum filia sua unica,* Perculatita *nomine, solitariæ vitæ se dedisse. Quid porro de hisce omnibus verum sit, dicere non possumus, cum nesciamus, quanti valeat ea Vita, quam laudati scriptores secuti fuere. Istud certum est,* S. Castorem *cœnobium aliquod erexisse, et ad Orientalium monachorum normam instituere voluisse. Ita discimus ex S. Joanne Cassiano, qui in Præfatione ad duodecim libros de Institutis cœnobiorum et octo principalium vitiorum remediis, diserte asserit, sese hosce a* Castore *rogatum in eum finem conscripsisse. Epistolam, qua id Sanctus noster a celebri isto monachorum magistro et abbate Massiliensi flagitavit, ut supra dixi, recenset Alardus Gazæus, cœnobita Vedastinus, ante tom.* I *Operum ejusdem S. Joannis Cassiani, unde ego eam totidem verbis huc transfero.*

per litteras petit a S. Joanne Cassiano

26 Domno sanctitatis speciali gloria decorato, atque per omnia memorando, sed et scientiarum decore pollenti, patri scilicet Cassiano, Castor in E mundo degentium peripsema, quæ possumus servitutis humillima. Rationabiliter, pater, irrationabilibus et elinguibus pædagogi fomenta subveniunt, quia etsi non æqua omnibus moderatio pressa humanitate vigere deprehenditur, restat tamen, ut his, quibus subacta probatur, subigat emolumentum. Non enim omnia possumus omnes; quia non omnium nosse certare. Merito enim sui quisquam jacturam incurrit, qui ea, quæ potiora capere didicit, bona, quæ didicit, surripere minime ambigit. Diutina namque sunt exercitatione premendi, variisque operibus alendi, quibus aliorum discretio subrogatur. Etenim aliquotiens præsumptor sua temeritate succumbit, dum necessariis usibus apta, sua incongrua industria incertis moderationibus dispertitur. Nobis vero idiotis facile per incuriam inepta persuaderi possunt. Te ergo, charissime pater, qua possumus, charitate prævenimus, quo pia ac inexhausta exuberantia nihil promere sapientibus nobis subvenias, et quibus præemines exercitiis, sub quibus præpollens mens et membra creverunt, nos neophitos et mundialis pompæ accurationibus illectos excitare non differas. F

Instituta monachorum Orientalium ;

27. Te quidem potissimum Orientalium cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximeque Ægyptiorum et apud Thebaïdem fundatorum, præsertim cum et loca, Dominica nativitate insignia, tua sint, illustrata præsentia. Quocirca cum sis omnium studiorum Catholicorum disciplina refertus, te quoque convenit nos scientiæ inopes non præterire. Poscimus namque tuam paternitatem, ut instituta monasteriorum, quæ per Ægyptum et Palestinam florere ac institui vidisti, et servanda sanxisti, et sicut ibi a patribus tradita sunt, simplici sermone in nostro rudi monasterio adhibere complanata non abnuas, et eloquiorum tuorum melliflua suavitate exuberantia verba diffundens, nostra diu arentia corda rigare non differas, ex quo abjecta sterilitate fruges justitiæ valeant pullulare. Unde reor, si quid proficere nos possibile fuerit, te quoque potiori merito munerandum, si paterni laboris obedientia inertium mentes qualemcumque reddiderint habilem servitutem. Vale, pater Dei servorum, et memento nostrorum. *Hactenus epistola apud Gazæum, quæ tamen an genuina* S. Castoris *sit, nec ab amanuensibus vitiata, ex supra dictis dubitari potest. Paucis*

AUCTORE C. S.

cis quoque observa, eamdem a Sancto scriptam fuisse, cum jam esset episcopus, ut mox patebit.

qui ejusdem precibus obsecutus,

28 *Hisce Sancti votis obtemperans Cassianus, laudatum Opusculum conscripsit et ad ipsum transmisit una cum Præfatione, quæ cum* S. Castoris *insigne elogium contineat, ejus maximam partem hic ex eodem Gazæo subjungemus.* Veteris Instrumenti narrat historia, sapientissimum Salomonem post acceptam divinitus sapientiam, prudentiamque multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam maris innumerabilem, ita ut Domini testimonio nullus ei similis retroactis temporibus extitisse, neque post eum surrecturus esse dicatur; illud magnificum domino templum extruere cupientem, alienigenæ regis auxilium poposcisse. Qui misso ad se Hiram filio mulieris viduæ, quidquid, divina sapientia suggerente, præclarum in templo domini vel in sacris vasis moliebatur, ministerio ejus ac dispositione perfecit. Si ergo ille universis regnis terræ sublimior principatus, et Israëlitici generis nobilior excellentiorque progenies, illaque sapientia divinitus inspirata, quæ cunctorum Orientalium et Ægyptiorum disciplinas atque instituta superabat, nequaquam pauperis et B alienigenæ viri consilium dedignatur; recte etiam tu his eruditus exemplis, beatissime papa Castor, verum ac rationabile Deo templum, non lapidibus insensibilibus, sed sanctorum virorum congregatione, nec temporale et corruptibile, sed æternum atque inexpugnabile ædificare disponens, vasa etiam pretiosissima Domino cupiens consecrare, non multo auri metallo argentive conflata, quæ post rex Babylonius capta concubinarum suarum ac principum deputat voluptati; sed animabus sanctis, quæ innocentiæ justitiæ et castitatis integritate fulgentes, regem Christum in semetipsis circumferant commorantem; egenum me, omnique ex parte pauperrimum ad communionem tanti operis dignaris adsciscere.

ad ipsum scripsit, misitque

29 In provincia siquidem tua, cœnobiorum experte, Orientalium, maximeque Ægyptiorum, volens instituta fundari, cum sis ipse cunctis virtutibus scientiaque perfectus, et universis ita refertus divitiis spiritualibus, ut perfectionem quærentibus satis abundeque non modo tuus sermo, sed etiam sola vita sufficiat ad exemplum; me quoque elinguem et pauperem sermone atque scientia, ut aliquid ad explementum tui desiderii de C inopia sensus mei conferam, poscis; præcipisque, ut instituta monasteriorum, quæ per Ægyptum ac Palæstinam custodiri conspeximus, ita, ut ibi nobis a patribus tradita sunt, quamvis imperito digeram stylo; non leporem sermonis inquirens, in quo ipse apprime es eruditus, sed Sanctorum simplicem vitam simplici sermone fratribus in novello monasterio tuo cupiens explanari. Cui rei, quantum me pius ador desiderii tui provocat obedire, tantum multiplices æstuum moles volentem obtemperare deterrent. *Post hæc rationes, quibus ab hoc Opere deterrebatur, exponit, et inter ceteras eam allegat, quod argumentum istud præstantes viri, sancti scilicet Basilius et Hieronymus, aliique jam tractassent.*

duodecim libros de Institutis renuntiantium

30 *Deinde prosequitur,* Post quorum, *inquiens,* tam exuberantia eloquentiæ flumina possem non immerito præsumptionis notari, si aliquid stillicidii hujus inferre tentassem, nisi me ad hæc fiducia tuæ Sanctitatis animaret, et sponsio, quod vel tibi hæ nugæ forent acceptæ, qualescumque sunt, vel eas congregationi fratrum, in novello tantum monasterio commorantium, deputares; qui, si quid a nobis minus forsitan caute prolatum fuerit, et pie relegant, et cum venia indulgentiore sustentent, fidem potius sermonis mei, quam venustatem eloquii requirentes. Quapropter, beatissime Papa, unicum religionis et humilitatis exemplar, tuis precibus animatus, secundum vires ingenii mei opus, quod injungis, aggrediar, et ea, quæ omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris, utpote qui audita potius, quam experta, describere tentaverunt, velut rudi monasterio et in veritate * sitientibus intimabo. *Cetera, quibus argumentum Opusculi sui proponit, prætereo, quia ad* S. Castorem *non spectant, id unum observo, hunc in epistola sua etiam petiisse, ut, si quid in monasteria Galliæ introductum esset ab antiquorum institutis alienum, id etiam ipse observare dignaretur.* D

* *al.* et veritatem

et octo vitiis principalibus; Collationes quoque

31 *Ait enim Cassianus ibidem:* Id eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo, ut, si quid forte non secundum typum majorum antiquissima constitutione fundatum, sed pro arbitrio uniuscujusque instituentis monasterium, vel diminutum vel additum in istis regionibus comprobavero, secundum eam, quam vidimus monasteriorum Regulam, per Ægyptum vel Palæstinam antiquitus fundatorum, fideli sermone vel adjiciam vel recidam; nequaquam credens, rationabilius quippiam vel perfectius constitutionem novellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuisse, quam illa sunt instituta, in quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ a sanctis ac spiritualibus patribus fundata monasteria ad nos usque perdurant. *Porro idem Cassianus lib.* 2, *cap.* 9 *laudati Opusculi, aliud ipsi promiserat,* Collationes *scilicet* patrum, *quas et* S. Castor *per aliam haud dubie epistolam, quam tamen nondum vidi, ardenter desideravit, et Cassianus in ipsius gratiam conscriptas, ipso interim mortuo, Leontio et Helladio dicavit. Quia vero in hac quoque Præfatione Cassianus magna cum laude de sancto Episcopo, tum ad meliorem vitam translato, meminit, oportet etiam hic ejusdem partem recensere. Est itaque hujusmodi.* E

ipsi promiserat; sed S. Castor interim obiit.

32 Debitum, quod beatissimo papæ Castori in eorum voluminum Præfatione promissum est, quæ de Institutis cœnobiorum, et Octo principalium vitiorum remediis, duodecim libellis, Domino adjuvante, digesta sunt, in quo * tenuitas nostri suffecit ingenii, utcumque sarcitum est. Viderint sane, quid super hoc vel illius vel nostri fuerit examinis æquitate perpensum; utrum in rebus tam profundis tamque sublimibus, et quæ in usum styli, ut arbitror, antea non venerunt, dignum aliquid cognitioni vestræ, omniumque sanctorum fratrum desiderio prompserimus. Nunc autem, quia derelinquens nos Pontifex supradictus, migravit ad Christum, has interim decem Collationes summorum patrum, id est, anachoretarum, qui in eremo Scythica morabantur (quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi jusserat sermone conscribi non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas cervices pondere prægravaret) vobis potissimum, o beatissime papa Leonti, et sancte frater Elladi, credidi, consecrandas. Alter siquidem vestrum memorato Viro et germanitatis affectu et sacerdotii dignitate, et (quod his majus) sancti studii fervore conjunctus, hæreditarium fraternum debitum jure deposci; alter anachoretarum instituta sublimia non, ut quidam, propria aggressus est præsumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem, sancto Spiritu suggerente pene antequam F

* *al.* in quantum

A quam disceret, apprehendens, non tam suis adinventionibus, quam illorum traditionibus maluit erudiri *etc.*

§ III. Non geminum, sed unicum, idque in diœcesi Aptensi, cœnobium a S. Castore conditum fuisse ostenditur.

Aliqui censent, geminum cœnobium,

Ex præcedenti § certum est, monasterium aliquod a S. Castore *conditum fuisse; neque dubium etiam videtur, quin Orientalium per Ægyptum et Thebaïdem degentium monachorum Regula, temperata tamen, in eo ab eodem stabilita fuerit.* Temperata, *inquam; nam Cassianus ipse in calce primæ Præfationis ad* Castorem *hæc super re sic loquitur:* Illam sane moderationem Opusculo huic inserere præsumam, ut ea, quæ secundum Ægyptiorum Regulam, seu pro asperitate aërum, seu pro difficultate ac diversitate morum, impossibilia in his regionibus, vel dura vel ardua comprobavero, B institutis monasteriorum, quæ per Palæstinam vel Mesopotamiam habentur, aliquatenus temperem; quia si rationabilis possibilium mensura servetur, eadem observantiæ perfectio est etiam in impari facultate. *Ut vero hæc certa sunt, ita non convenit inter neotericos, ubi Sanctus monasterium illud erexerit, et utrum geminum, an unum tantum condidisse dicendus sit.*

primum prope Nemausum, alterum

34 *Guesnayus in Cassanio illustrato lib.* 1, *cap.* 49, *et lib.* 2, *cap.* 17, *duo ipsi attribuit, quorum primum ab eo nondum episcopo in patria sua prope Nemausum, in loco sui juris, cui nomen* Maunacus *erat, sub S. Faustini titulo, alterum ab eodem, ad Aptenses infulas jam evecto, in hac diœcesi exstructum fuerit. De posteriori monasterio, lapsu temporis in nosocomium converso, atque ita sua ætate etiam superstite, in fine lib.* 1, *cap.* 49 *hæc præterea observat:* Versa enim et mutata in nosocomium cœnobii forma et tamquam facies etiam nunc visitur. *Utriusque etiam meminerunt Galliæ Christianæ scriptores inter vetera Nemausensis et Aptensis diœceseon monasteria, quæ non amplius exstant; non utrobique tamen æque asseveranter. Nam tomo* 1 *Operis aucti, col.* 376 *inter veteres Aptenses abbatias* Manancha vetus cœnobium a Castore, postea episcopo Aptæ-Juliæ, constructum *tantum recenset Dionysius Sammarthanus ex schedis V. C. domini de Remerville S. Quentin, qui Aptensium episcoporum Historiæ tunc insudabat; additque in fine:* Monasterii hujus nulla putamus superesse vestigia; in cujus loco nunc est oppidum Menerbum.

prope Aptam-Juliam conditum fuisse,

35 *At vero tomo* 6 *ejusdem Operis col.* 469 *inter vetera diœcesis Nemausensis monasteria ejusdem Operis continuatores confidentius aiunt:* Vetus abbatia S. Faustini conditur a S. Castore, patria Nemausensi, qui primus ejusdem loci fuit abbas, accepta a Cassiano, Massiliensis monasterii abbate, Regula, quam ipse vocavit Speculum monachorum. Postea fuit episcopus Aptensis anno CDXIX. Hoc autem cœnobium desierat jam anno DCCCXVII, utpote cujus nulla fit mentio in recensione monasteriorum Septimaniæ, facta hoc anno in concilio Aquisgranensi. *Tillemontius tom.* 14 *Monument. in Cassiano art.* 8 *Aptense monasterium pro certo habet; de Nemausensi vero dubitat ex eo præcipue capite, quod in Chronico, Tironis Prosperi nomine vulgato, laudetur inter ejus temporis abbates in Galliis, qui non fuerunt episcopi. Etenim cum ex S. Joannis Cassiani Præfatione constet,* S. Castorem *jam episcopum fuisse, dum hic Instituta monachorum pro novello suo cœnebio ab ipso postulavit, cumque laudati Chronici auctor de* Castore *velut abbate, non episcopo, loquatur, non improbabile visum est Tillemontio, in eodem Chronico agi de Sancti prælatura in monasterio Nemausensi, ex quo ipsum ad Aptensem episcopatum protractum fuisse, aliqua Nemausensia monumenta affirmant. Porro Chronici verba apud Chesneum tom.*1 *Hist. Franc. pag.*198 *ad annum* 28 *Honorii imperatoris hæc sunt:* Honoratus, Minervius, Castor, Jovianus singulorum monasteriorum patres, in Galliis florent. *Tillemontio consentiunt Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom.* 2 *in* S. Castore.

auctore C. S.

contra quos

36 *Contra Historiæ Occitaniæ scriptores, supra laudati, Nota* 47 *unicum tantummodo* S. Castoris *monasterium, idque in diœcesi Aptensi agnoscunt, cui ipse et ante et post adeptum episcopatum abbas præfuerit; quæ sententia mihi quoque vera apparet ob rationes, quas subjungo. In primis nulla* S. Castoris *Vita, nullum antiquum monumentum profertur, in quo hic geminum monasterium condidisse dicitur; sed, ut recte observant mox memorati scriptores, videtur Guesnayus in* E *eam sententiam ivisse, quod, cum in fragmentis Vitæ ipsius, quæ ibidem recensuit, legeretur, Sanctum patria Nemausensem fuisse, et* in quodam sui juris agello *S. Faustini cœnobium ædificasse, agellum hunc non alibi, quam in Nemausensi agro quærendum esse crediderit. Deinde cum ex S. Cassiano constaret,* Castorem *jam episcopum Aptensem, cujusdam monasterii sui in diœcesi sua curam gessisse, existimavit, hoc alterum a Nemausensi fuisse, atque adeo ab ipso in eadem sua diœcesi conditum, postquam episcopatu initiatus fuit. Sane hæc argumentatio satis probabilis esset, nisi alia obstarent.*

variis rationibus ostenditur,

37 *Recte enim advertunt iidem Occitaniæ scriptores, ex iisdem fragmentis a Guesnayo laudatis oppositum plane evinci. Ut id probent, compendiose exhibent, quæ ipse lib.* 1 *cap.* 49, *num.* 6 *ex Supplemento Martyrologii Gallicani recitavit his verbis:* Abbasque factus illius cœnobii, cujus fundator erat, (sanctitate conspicua ita claruit, ut exempto ab humanis Quintino,. . tam cleri quam populi votis in ejus vicem *(ad episcopatum Aptensem)* F fuerit sublectus *etc. Post hæc subdunt, quæ ab eodem Guesnayo lib.* 2, *cap.* 39 *ex Fastis Aptensibus pariter recensentur hoc modo*: Sibi Castorem *(Aptenses)* præfici poscunt pontificem... Cum itaque in ejusdem monasterii regimine successorem sibi niteretur constituere,... compulsus est retinere etc. *Nemo autem non videt,* S. Castorem *secundum hæc prælaturam monasterii, cui nondum episcopus præfuerat, una cum episcopatu retinere compulsum fuisse, atque adeo non geminum sed unicum* S. Castoris *monasterium ex prædictis monumentis statuendum esse. Eodem modo Aptensia monumenta interpretatus est Boucheus in Chorographia et Historia Provinciæ loco supra laudato, ubi consuli potest. Restat igitur inquirendum, an monasterium illud in Nemausensi, an in Aptensi agro vel diœcesi situm fuisse dicendum sit.*

ipsum non nisi unicum,

38 *Pro Aptensi omnino stant rationum momenta a scriptoribus Occitaniæ allegata. Ipse scilicet Guesnayus asserit, primum* S. Castoris *monasterium in loco, cui nomen* Maunacus *erat, ab eo conditum fuisse. Is autem locus, haud dubie idem est, qui in Nemausensi Officio Sancti proprio* Mannacus,

AUCTORE C. S.

cus, *in officio vero antiquiori Aptensi in Responsorio ad lectionem* 5, *et in recentioris lectione* 5, *atque a Boucheo, Galliæque Christianæ scriptoribus* Manancha *appellatur, quique non procul ab Apta situs fuisse satis clare dicitur in laudati Officii hymno ad Laudes, quem infra num.* 49 *totum exhibebo. Manancham autem aiunt laudati Historiæ Occitaniæ scriptores, credi hodiernum* Manancuegno, *duobus milliaribus Apta-Julia dissitum, in diœcesi Aptensi, atque in territorio Menerbensi,* ubi etiamnum parietinæ veteris sacelli sub Sancti nostri patrocinio visuntur. *Nec alibi, quam in diœcesi Aptensi,* Mananchæ *monasterium ex domini de Remerville S. Quentin schedis Dionysius Sammarthanus collocavit tom.* 1, *col.* 376, *ubi licet existimet, nulla illius superesse vestigia, prædictis tamen fere consentiens, in ejus loco Menerbum oppidum nunc esse asseverat. Sed et in tabula geographica provinciæ ecclesiasticæ Aquensis, eidem tomo inserta, in diœcesi Aptensi, qua hæc Cabellionensi adjacet, occurrit* Manancha nunc Menerbum.

in diœcesi Aptensi

39 *Præterea observant laudati Historiæ Occitaniæ auctores, verisimile non esse, cleri populi-* B *que Aptensis corpora (ut in Vita Ms. legi asserunt)* S. Castorem, *in demortui antistitis sui S. Quintini locum sufficiendum, quæsitum accessisse ad ipsius monasterium, si hoc prope Nemausum situm fuisset. Nec magis verisimile existimant* S. Castorem *post aditum episcopatum Aptensem ejusdem monasterii, tam procul a sua sede dissiti, prælaturam tenuisse. Certe hæc non possunt non mira videri ob utriusque loci distantiam; nam Nemausum inter et Aptam spatium septemdecim horarum itineris interjectum est in tabula geographica numero præcedenti citata. Denique opinantur, unici monasterii ipsius situm in Aptensi diœcesi certum esse ex eo, quod* Manancha *vel* Maunacus, *ubi conditum fuit, in Vita Ms.* S. Castori *obtigisse dicatur ex doto uxoris, filiæ scilicet istius viduæ Arelatensis, quam Sanctus ab injusto rerum ipsius invasore vindicaverat. Verum etsi hinc quidem sequatur, necesse non esse, ut propter Nemausensem* S. Castoris *patriam monasterium illud prope Nemausum situm fuisse credamus; non video tamen, cur propter Arelatense socrus uxorisque ipsius domicilium idem istud monasterium Aptensi potius, quam Nemausensi diœcesi adscri-* C *bendum sit; cum duplo aut fere duplo major distantia Aptam-Juliam inter et Arelatensem civitatem, quam hanc inter et Nemausum tabulis geographicis notetur.*

prope Aptam-Juliam exstruxisse,

40 *Prædictis addo alterum argumentum, ab aliis præteritum. In antiquioris Officii Aptensis antiphonis ad laudes et apud Saussayum in Supplemento Martyrologii Gallicani, dicitur Sanctus, cum ad episcopatum Aptensem expeteretur, fugisse atque* in de Bresone monte *delituisse, donec, ut frustra sperabat, alter episcopus eligeretur. In Nemausensi Officio mons ille* Bresonius *etiam vocatur, sed in recentiori mons* Lebredonis *vel* Lebredo. *Boucheus sæpe laudatus in elogio* S. Castoris *eumdem Gallice montem* de Leberon *appellat; quem in tabula geographica Provinciæ, Operi prævia, haud procul ab Apta et Menerbo, exhibet, quemque lib.* 1, *cap.* 4, § 1 *a Cabellione usque ad Manuascam decem circiter milliarium Provincialium spatio in longitudinem extendi affirmat. Jam vero quam parum rationi consonum est dicere,* S. Castorem, *dum ab Aptensibus ad episcopatum suum expetebatur, ex Nemausensi suo cœnobio Aptam versus per multa milliaria fugisse, ut in montibus* D *eidem civitati proximis sibi latebras quæreret, ne in eorum manus incideret: quasi vero non esset hoc in eas potius incurrere, quam vitare. Contra autem tam hoc quam cetera omnia adversus Nemausense cœnobium adducta, plane sunt in sententia nostra, neque ulli difficultati obnoxia..*

cui ante et post initum episcopatum

41 *Etenim si unicum tantum a* S. Castore *cœnobium, idque non procul ab Apta-Julia, conditum statuatur, facile intelligitur, cleri populique Aptensis corpora ad illud accessisse, ut sanctum ejusdem Abbatem in episcopalem cathedram, per S. Quintini obitum vacantem, subrogarent; ipsumque præ humilitatis studio in proximum montem Leberonem fugisse, ut ibidem latitaret, donec alter episcopus suffectus fuisset. Nec magis mirum videbitur, quod additur; eumdem scilicet jam e latebris eductum et episcopatu initiatum, prælaturam monasterii, quod abbas rexerat, a suis pie compulsum fuisse simul cum episcopatu retinere. Nam cum in hac sententia prædictum monasterium in ipsius diœcesi, nec procul ab ejusdem sede situm esset, non difficulter poterat illud partim ipse coram, partim per suos vicarios moderari. Quod ad Tironis Prosperi Chronicon attinet, istud nos morari non debet; cum secundum dicta* S. Castor *Aptensi cœnobio ante episcopatum præesse* E *potuerit. Adversus hæc tamen objici posset, Occitaniæ scriptores, dum supra num.* 37 *verba a Guesnayo ex aliis producta compendiose recitarunt, paucula omisisse, quæ aliquam difficultatem pariunt, ideoque minime erant prætermittenda.*

potuit præfuisse.

42 *Guesnayus enim ex Sancti Vita sic habet :* Cum itaque in ejusdem monasterii regimine successorem sibi niteretur constituere, [contradicentibus, Imo lacrymosis precibus obsecrantibus monachis, et ejusdem loci pontifice jubente, quodammodo] compulsus est retinere. *Hæc eadem in vetustiori Officio proprio Aptensi leguntur. Illi autem numero mox citato pro iis, quæ ego hic uncis inclusi, sola puncta substituerunt, nulla facta pontificis jubentis mentione. Hinc porro sic argui potest:* Iste ejusdem loci pontifex *seu episcopus, quo* jubente, *Sanctus monasterium suum* quodammodo compulsus est retinere, *Aptensis certe non erat; (nam* Castor *ipse ecclesiæ jam præsidebat) atque adeo nec in Aptensi diœcesi situm erat monasterium, quod hic, eo jubente, retinere compulsus est. Ubi ergo illud rectius, quam apud Nemausum,* S. Castoris *patriam, collocabimus? Respondeo, si* F *verba ista in rigore accipiamus, nec Namausensem, nec alterius loci episcopum, Aptensi potuisse id imperare : si autem ea mitius interpretati,* jussionem *pro vehementi suasione accipiamus, per episcopum ejusdem loci hic designatum videri metropolitam, qui auctoritate, qua in provincia sua seu in diœcesibus suæ sedi suffraganeis pollebat, sanctum episcopum induxerit, ut monachorum suorum votis precibusque consentiret, et monasterium , quod eatenus rexerat, jam episcopus pergeret moderari; quod certe multo facilius Sanctus facere potuit, si monasterium illud in propria hujus diœcesi, nec procul ab Aptensis episcopatus sede conditum fuisse credamus, quam si in aliena prope Nemausum in Occitania.*

Varia Cassiani lectio circa hoc cœnobium,

43 *Istud porro observatione dignum est, cœnobium istud unicum fuisse, quod eo tempore in* S. Castoris *provincia, teste Cassiano, exstiterit; ait enim ipsi in sæpe laudata Præfatione* : In provincia siquidem tua, cœnobiorum experte, Orientalium maximeque Ægyptiorum volens instituta fundare *etc. Verumtamen hæc non nimis stricte accipienda sunt, florebat enim jam tum Lerinense, quod æque ac Apta Julia ad provinciam Narbonensem secun-*

dam

A *dam pertinuisse videtur; sed ut merito observat Tillemontius tom. 14 Monument., art. 9 in Cassiano, illud extra continentem erat et in opposita extremaque ejusdem provinciæ parte situm. Notandum prælerea est, prædictam observationem secundum Gazæi et Ciacconii editiones procedere, nec locum habere posse, si pro* experte *legendum sit* ex parte, *uti Norisius lib. 2 Historiæ Pelagianæ, cap. 1 et auctor Officii proprii recentioris legerunt, in hunc scilicet modum :* In provincia siquidem tua cœnobiorum ex parte Orientalium, maximeque Ægyptiorum, volens instituta fundare. *Utra autem horum lectio genuina sit, exploratum non habeo, nec præter laudatas editiones alia mihi ad manum est.*

quod verisimilius exstitit ante annum 419

44 *Tempus, quo suum* Castor *erexerit fundaveritque monasterium, incertum est; sed si, ut ipsius Vitæ perhibent, id ante aditum episcopatum præstiterit, oportet illud ante annum 419 jam exstitisse; cum eo anno ipsum jam fuisse episcopum infra dicturi simus. Dixi,* Si, ut ipsius vitæ perhibent; *nam Cassianus ita loquitur, ut dubitari possit, an* S. Castor *illud reipsa ante suum episcopatum condiderit. Quod spectat ad Vitam a* S. Castore *in memorato cœnobio actam, uti non dubitamus, quin* B *hæc, quocumque tempore in eo vixerit, sanctissime fuerit exacta, ita nescimus, quam certis monumentis nitantur pauca ista singularia gesta, quæ supra num. 23 ex Breviario Aptensi recitavimus.*

§ IV. Tempus episcopatus ipsius et gesta quædam : annus obitus incertus, circiter assignatur.

Aptensi ecclesiæ episcopus præficitur;

De electione ipsius ad episcopatum Aptensem sequentia habet supra laudatum Breviarium lectione quarta quartæ diei infra Octavam. Extincto Aptensi præsule Quintino, eximiæ virtutis viro, communi omnium suffragio Castor in episcopatu successor eligitur : cujus pastoritiæ dignitatis ne oneraretur sarcina, aufugit, seque in speluncam montis Lebredonis abdidit; ubi a venatoribus deprehensus, Aptam ducitur, sacrisque initiatus, præficitur invitus ecclesiæ, quam sanctissime administravit. *Historiæ Occitaniæ scriptores ex Vita Ms.,* C *quam laudant, aiunt, ipsum negasse sese id muneris admissurum, nisi prius episcopum, cui obedientiam promiserat, consuluisset, factaque illius consulendi potestate, in prædictum montem confugisse latitandi gratia, donec alter Aptensi ecclesiæ præficeretur, sed* miraculose *fuisse detectum Boucheus in Historia Provinciæ Sancti fugam et latebras postjam acceptum ab episcopo suo de admittendo episcopatu mandatum statuit. In Vita edenda (forte rectius) tantum dicitur Sanctus invitus a clero populoque e claustris sive cœnobio erutus, episcopus factus esse, ceteris adjunctis omnibus, nec non præcessoris ipsius nomine, prætermissis.*

ad ipsum anno 419 scribit Bonifacius I Papa

46 *Dionysius Sammarthanus tom. 1 Galliæ Christianæ auctæ, col. 350 Quintinum, quem Sancti titulo ornat, proximum* S. Castoris *decessorem in Aptensi episcopatu pariter statuit, laudans veterem codicem Ms. Vitæ ejusdem* S. Castoris, *ex quo sequentia subjungit :* Igitur Aptensis ecclesiæ beato Quintino pontifice ad cælestia transmigrato, beatum Castorem sibi eligunt in pastorem. *Quintinum vero anno circiter quadringentesimo Aptæ sedisse ait, quod tamen nullo argumento confirmat. Quo porro anno* S. Castor *eam sedem adierit, inexploratum habetur; id unum tuto asseri posse videtur, ipsum anno 419 memoratæ ecclesiæ jam præfuisse. Bonifacius enim I Papa in epistola sua,* data sub die Idus Junias, Monaxio viro clarissimo consule, *id est, prædicto anno Christi 419, inter ceteros Galliæ et septem provinciarum episcopos, quibus eam inscripsit,* Castorium *memorat, quem Aptensem* Castorem *esse merito judicant eruditi. In hac epistola Bonifacius Galliarum episcopis mandat, ut ante Kalendas Novembres ejus anni synodum celebrent adversus Maximum, Valentinæ ecclesiæ episcopum, qui de variis criminibus, ac de Manichæismo inter cetera, dudum accusatus, ecclesiasticum judicium eatenus nequiter subterfugerat; quæque de ipso in ea decrevissent, ad se transmittant, auctoritate sua Apostolica confirmanda. Videri ea potest epistola apud Jacobum Sirmondum in Conciliis Galliæ, Labbeum in generali Collectione conciliorum, et Petrum Coustantium inter epistolas Pontificum Romanorum. Quid tamen in hac causa seu* S. Castor, *seu ceteri episcopi, præstiterint, ignoratur.*

Fertur captivos ex ergastulis divinitus eduxisse,

47 *Redeo ad Aptense Breviarium, in quo de Sancti virtutibus ac miraculis hæc denuo legere est :* Egenis pecunia, miseris solatio, orphanis consilio semper adfuit; et ne Aptensi carcere detentis E consolatione deesset, imminenti Christi e tumulo resurgentis sacro die, eos, adorando Dominici Corporis sacramento reficiendos, a judice postulat; quod cum judex ipsi concedere renuisset, illud Castor, genibus subnixus, ab eo, cui Deus omne dedit judicium, pia flagitavit supplicatione. Bonus igitur Pastor, fusis Deo precibus, carceris januam patefecit, et captivarum solutis divinitus ovium vinculis, eas ad ecclesiam Deiparæ Virgini dicatam, tamquam ad ovile salutis, pascendas deducit. Quo judex perterritus miraculo, Antistitem rogat atque rogat, ut domus carceraria in sacellum, Domino Salvatori consecrandum, ejus opera convertatur. Quo peracto, sæpius Castor hac in ædicula Sacrum faciebat, ut, ubi Deus vi orationis ferreas diruperat catenas, ibi Sacrificii efficacitate peccatorum vincula solveret. *Hactenus lectiones quinta et sexta diei quartæ infra Octavam. Sequuntur deinde lectiones pro die octava, quas hic pariter subjicio.*

aliisque miraculis.

48 Sacrum inter Eucharisticum cælesti undique luce fulgere visus est Castor, eique sæpius Deo Patri Christum Filium immolanti ministrantes angelos in specie adolescentum, mira admodum vul- F tus et corporis dignitate, multi suspexerunt. Dum autem aliquando, sævientibus imbre ventis, monasterium noctu peteret, Divinis operaturus, uno tantum adjuncto sibi comite diacono, ardentem præ manibus cereum gerente, nec illum nec comitem furens in itinere nimbosa tempestas ullo modo tetigit, imo nec accensum procellosa vis venti cereum extinxit. Quod certe monachis ipsos excipientibus maximum stuporem creavit, illique plurimum reverentiæ adhibuerunt, quem ipsa venerabantur elementa. Aptam vero rediens, per viam occurrit miræ magnitudinis apro, qui cum suæ feritatis oblitus, agnoque factus suavior, se ad ejus pedes humiliter abjecisset, ipse cum suo ita pallio texit, ut a venatico grege canum insequente defenderit. Admirabilia sunt, quæ scripsit, quæque in episcopatu sanctitatis exempla reliquit. *Pro hisce aliisque præmissis in dicto Breviario Aptensi laudantur monumenta ecclesiæ Aptensis, quæ, ut alias monui, cujus antiquitatis sint, ignoro.*

quæ recensentur, in episcopatu

49 *In Vita edenda Sanctus quidem multis virtutibus etiam exterioribus in episcopatu fulsisse dicitur, sed nullum ejus factum peculiare recensetur.*

 In

AUCTORE C. S.

In vetustiori quoque Breviario nihil de apro illo legitur; at de liberatis e carcere captivis in Responsoriis fit mentio. De cereo quoque inter imbres ventosque non extincto, nec non de angelis ipsi sacrificanti ministrantibus hymnus in laudibus sic habet :

Castor præsul Aptensium
Aptam rexit in gratia,
Convertens infidelium
Cetus * a gastrimargia.
Tempus erat pluviosum,
Dum hic Manancham pergeret
Nubilosum et ventosum,
Ut vix se quisquam nosceret;
Sed cereus lumen dabat,
Nec hic vento extinguitur,
Quem in manu deportabat
Largus; nec ymbre moritur.
Castor Missam celebrabat,
Salvatoris ecclesia;
Nemo sibi ministrabat,
Nisi dia collegia.
Largus inde divulgare
Volens Sancti preconia :
B Sanctus ei; Noli, chare,
Revelare celestia.
Si dixeris, quæ videris,
Perdes vitæ solatia;
Mortis casu decideris
Ad loci trini spatia.
Id idem Largo contigit,
Quod his Sanctus prædixerat,
Nam mortis casu cecidit,
Quia non hæc celaverat.

* cœtus

fulsisse, et mortem, quam sanctissime obiit,

50 *De apro similiter silent Boucheus et Historiæ Occitaniæ scriptores, quorum hi tantum aiunt, varia miracula* S. Castori, *ac inter hæc prædictam captivorum ex ergastulis liberationem adscribi; sed de carcere ea de causa in sacellum mutato minime meminerunt. Boucheus contra utrumque memorat; additque unum ex subdiaconis ipsius, qui plurima ejusdem miracula viderat, ea post Sancti obitum revelasse, ac mox, ut ab eodem, dum in vivis degeret, prædictum fuerat, morte correptum fuisse. Hic forte fuerit Largus ille, qui in hymno mox recitato occurrit : verum certiora monumenta quilibet prudens lector merito requiret, ut ea omnia pro certis admittat. Pergamus cetera ex Aptensi Proprio recensere. Loco supra* C *laudato istud ita progreditur :* Morti vero proximus vicinos convocari præsules, abbates, presbyteros, curavit, et monachos, eisque obitus diem magna cum animi exultatione prædixit.

prædixisse. Hæc non anno 429, vel 431, aut circa 440,

51 Instante autem morte, multisque mirificæ humilitatis editis documentis, ultimum convocato bene precatus est clero, sumptoque Eucharistiæ Sacramento, seipsum Crucis signo munivit; deinde suspexit in cælum, et elevatis manibus, spiritum Deo reddidit, undecimo Calendas Octobris, anno Salutis quadringentesimo vigesimo nono, ejusque venerandum corpus in sancta Aptensi ecclesia honorifice colitur. *Ex hisce parum verisimile est, quod de convocatis abbatibus affirmatur; cum ex S. Cassiani dictis, num.* 43 *relatis (si tamen Gazæi et Ciacconii editionibus standum sit) habeamus,* S. Castoris *jam episcopi cœnobium unicum fuisse in ea provincia, dum idem Cassianus libros de Institutis monachorum ad ipsum scriberet; nec aliunde appareat tam paucorum annorum spatio, quod inter hosce sanctique* Castoris *beatum obitum intercessisse mox videbimus, alia vicina monasteria, quibus abbates isti præfuerint, erecta fuisse. Ob eamdem temporis brevitatem admitti neutiquam potest annus Sancti emortualis, in laudato Aptensi Proprio assignatus, multo minus annus* 431, *vel circiter* 440, *quorum primum Castellanus in Martyrologio universali, alterum Guesnayus lib.* 2 *S. Cassiani illustrati, cap,* 29, *num.* 3, *emortualem ipsi assignarunt; ut modo ostendam.* D

sed inter annos 419

52 *Vidimus supra num.* 31 *et* 32, *S. Joannem Cassianum decem primas Collationes patrum in eremo Scythica degentium,* S. Castori *jam tum episcopo in libris de Institutis monachorum promissas, post hujus mortem, ejusdem fratri Leontio et Helladio inscripsisse. Idem sanctus abbas septem Collationes patrum, in Thebaïde commorantium. Honorato atque Eucherio dedicavit, in quarum Præfatione tam de* duodecim libellis *(de Institutis monachorum)* ad beatæ memoriæ episcopum Castorem, *quam de decem prioribus Collationibus ad Helladium et Leontium missis meminit. Honoratum autem illum, quem Cassianus ipse in Præfatione in septem ultimas Collationes, quas deinde ceteris septemdecim adjecit, et ad Jovinianum Minervium, Leontium et Theodorum transmisit,* episcopum *diserte appellat, Tillemontius, Pagius, aliique merito censent, fuisse S. Honoratum Arelatensem archiepiscopum, qui cum in Lerinensi* E *insula monachis abbas præesset, ad eam ecclesiam anno* 426 *post Patrocli cædem evectus est. Porro non fuisse ipsum episcopum, sed abbatem dumtaxat, dum Cassianus laudatas septem priores Collationes ipsi dicavit, inde manifestum est, quod ab eodem Cassiano non* Papa, *uti* Castor *episcopus appellatus fuerat, sed familiari vocabulo* frater *in earum Præfatione compelletur, nullaque facta de episcopatu ipsius mentione,* ingenti fratrum cœnobio præsidens *dicatur.*

ac 426, *et quidem uno ex horum prioribus*

53 *Ex dictis consequitur, easdem septem Collationes non serius, imo forte etiam aliquot annis citius, quam anno* 426, *quo S. Honoratus in occisi Patrocli sedem suffectus est, conscriptas fuisse. Deinde cum has ipsas collationes præcesserint decem aliæ, post* S. Castoris *mortem ad Leontium et Helladium datæ, dicendum est, eumdem* Castorem *inter annos Christi* 419, *quo in epistola Bonifacii I Papæ, num.* 46 *laudata, inter vivos censetur, annumque* 426, *quidem probabilius uno ex horum prioribus annis, vita functum esse : atque adeo contra ac in Officio Aptensi asseritur, ad annum* 429, *et multo minus ad annum* 431, *uti Castellanus, aut ad* 440 *circiter, ut Guesnayus censuerunt, minime pertigisse. Scio equidem, objici* F *hic mihi posse, ipsum, de qua agimus, Præfationis titulum, quæ in gemina Cassiani Operum editione, quam præ manibus habeo, Lugdunensi scilicet Ciacconii et Duacena Gazæi, ac forte etiam in aliis,* ad Honoratum episcopum et Eucherium *inscribitur, quasi is episcopus jam fuisset, dum Cassianus eam exaravit. Hinc Gazæus in Observationibus suis affirmat, ipsum archiepiscopatui Arelatensi simul et Lerinensi cœnobio præfuisse. Sed si id verum est, cur, quæso Cassianus abbas, qui in Præfatione in duodecim libros de Institutis monachorum* S. Castorem, *Aptensem episcopum et abbatem,* beatissum Papam *constanter appellaverat, cur, inquam, S. Honoratum, Arelatensem archiepiscopum, non nisi* sanctum fratrem *nuncupavit ?*

ipsi feliciter obtigisse

54 *Gazæus tamen pro hac opinione sur laudat etiam S. Eucherium, in Præfatione lib.* I *ad Salonium, ubi ait :* Enutritus es ab Honorato patre, illo, inquam, primo insularum, postea ecclesiarum magistro. *Præmiserat etiam Cassianum in Præfatione ad septem omnium ultimas Collationes dicentem :* Septem alias *(Collationes)* beato episcopo Honorato

A Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicavi. *Verum ex neutro loco quidquam convincitur. Nam ex primo, Eucherii scilicet, sequitur quidem, S. Honoratum primo abbatem, deinde episcopum fuisse, quod nemo inficiabitur; sed non sequitur, eumdem post aditum episcopatum in monasterii regimine perseverasse. Quod autem Cassianus Honoratum in postrema Præfatione* episcopum *dixerit, quem in præcedenti* fratrem *appellaverat, id fieri potuit, quia Honoratus Arelatensibus infulis interea auctus fuerat. Pari modo idem Cassianus in Præfatione ante decem primas Collationes ad Leontium et Helladium, horum primum episcopali dignitate insignitum fuisse, alterum caruisse manifeste significavit, dum ipsos allocutus his verbis est :* O beatissime papa Leonti, et sancte frater Elladi *(vide num. 32) et tamen in Præfatione in septem sequentes Collationes utrumque* episcopum *appellavit,* Præcipientibus *inquiens,* sanctis Helladio et Leontio episcopis, utcumque digessimus *Collationes præcedentes.*

dicenda est. 55 *Quam autem hujus tam diversæ appellationis causam assignabimus, nisi quod Helladius quoque intermedio tempore ad episcopatum aliquem fuerit*
B *evectus? Credo itaque, in titulo Præfationis, Collationi undecimæ præfixæ, episcopalem dignitatem S. Honorato adscriptam fuisse a librario, qui cum celebrem istum virum Arelatensi ecclesiæ præsedisse sciret, tempora confundens, jam tum, quando Cassianus laudatum Opusculum ipsi et Eucherio dicavit, episcopum fuisse opinatus est. Non est ergo, cur* S. Castoris *beatum obitum ultra supradictos terminos differamus. Plura de hoc sancto Episcopo non habeo, ideoque Vitam subjungo.*

VITA BREVIS

Ex editione Dionysii Sammarthani tom. I *Gall. Christ.*

Sancti patria, vita in seculo et monachatus,

In Galliis, civitate Aptensi *a*, eodem ipso die S. Castoris episcopi, et confessoris præcipui, qui Nemausensis civitatis *b* indigena, nobilibus satus parentibus, et rerum præsentium copia affluens, Arelato *c* imbuendus a parentibus liberalibus litterarum studiis summopere traditus est; ubi etiam ita ad plenum hausit omnium nobilium studia *d*, ut et mundialibus abundaret divitiis, et post cælestis disciplinæ amator effectus, contemtibilibus cælestia præponeret. Denique paucorum annorum spatio vacans mundanis actibus et triumphis *e*, in quodam sui juris agello S. Faustini summo studio construxit ecclesiam, ubi deputatis monachis sub regularibus disciplinis se libere Domino serviturum certius constituit implicandum *f*; ibique epistolam hortatoriam fingens clarissimo abbati Cassiano, Massiliensis cœnobii patri, direxit, in quo ipsius sibi deposcens adfuturum auxilium, suis videlicet rudibus monachis profuturum, quod et promeruit *g*.

Regula a S. Cassiano accepta, episcopatus et mors.

2 Igitur præclarissimus prædictus abbas, qui ferme, ut vere reperimus, quinque millia *h* pater extitit monachorum, hujus precibus libenter annuens, scripsit ei Regulam, decentissime lucidenterque compositam, quam Speculum monachorum *i* vocavit, in qua normam et totius vitæ cælestis censuram exprimens distinxit, eique transmisit; quam ille non parvi pendens, se suosque his subegit disciplinis. Inde præsule civitatis Aptensis communi sorte districto, omnis clerus scilicet et ruralis plebs unanimes sibi Castorem poscunt pontificem *k*, Quem adeuntes, invitum coactumve a claustris erutum, sibi pastorem statuunt; ubi deinceps qualis quantusque extiterit, vita ejus, quæ exterioribus extitit *l* plena virtutibus, manifestat. Ceterum quæ ejus intima fuerint cordis et animæ simplicitati commoda, non nostram reor posse sentire scientiam *m*; qui se medium præbuit curæ monachorum et canonicorum; ac nec priorum studium, nec posterorum indigentiam ullo modo sinerit * incautus, talibus, ut brevi exaratum est stylo, vitam ducens studiis, apud eamdem civitatem beato fine quievit in pace *n*.

Ex edit. Dion. Sammart.

* siverit

ANNOTATA.

a *Dionysius Sammarthanus Vitam hanc, seu Vitæ compendium potius, exstare ait,* in pervetusto Martyrologio ecclesiæ Aptensis XI Kal. Octob. *De civitate Apta-Julia adi Commentarium prævium num.* I.

b Nemausus *indigenis* Nismes *dicitur. Vide Commentarium num.* 18. E

c Arelate, *vulgo* Arles, *antiquissima celeberrimaque olim Galliæ Narbonensis urbs, notior est, quam ut nostris annotatis illustrari debeat. In tabula geographica, a Dionysio Sammarthano tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 515 *provinciæ Arelatensi præfixa Nemausus paulo plus quam septem horis itineris ab Arelate collocatur.*

d *Adi Commentarium num.* 19 *et duobus sequentibus,*

e *Uxoratum illum fuisse et judicis munere spectabilem, quidam volunt in Commentario* § 2.

f *Sunt, qui geminum monasterium ab eo conditum volunt, unum ante aditum episcopatum in proprio agello suo prope Nemausum in Occitania. alterum post adeptas infulas in diœcesi Aptensi. Nos unicum, postremum scilicet, agnovimus, quod tamen ante episcopatum condidisse, ac deinde simul cum illo rexisse potuit. Vide Commentarium* § 2 *et* 3.

g *De S. Joanne Cassiano, abbate Massiliensi actum in Opere nostro est ad diem* 23 *Julii. Quod spectat ad petitam missamque ab eo monachorum Regulam, consule Commentarium num.* 25 *et sequentibus, et simul observa, ista in hac Vita episcopatui* S. Castoris *perperam præponi.* F

h *Imo* millium. *De hoc monachorum numero vide dicta in Sylloge historica de S. Joanne Cassiano ad prædictum diem* § 9, *num.* 83.

i *Exstat hoc Opusculum inter ejusdem Cassiani Opera,* De institutis cœnobiorum *vel* Renuntiantium *inscriptum et in duodecim libros partitum.*

k *Id non serius, quam anno Christi* 419, *quod ad ipsum jam episcopum exstat epistola Bonifacii I Papæ, factum diximus in Commentario num.* 46. *Porro proximus ipsius in Aptensi cathedra decessor numero citato et præcedenti Quintinus fuisse Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana Auxanium eidem successorem tribuit.*

l *In Officio proprio vetustiori legitur :* Exstat.

m Sentire scientiam *substitui ex mox laudato Officio, cum apud Sammarthanum pro gemina illa voce perperam legeretur unica* sententiam.

n *In eodem Officio in antiphona ad* Benedictus *de Sancti sepultura dicitur :* In uno carcerum, unde reos absolvit, sepeliri se jussit. *Sed nescio, quam vere : sacrum enim corpus ipsius jam ab antiquis temporibus*

A *temporibus in Aptensi S. Mariæ cathedrali ecclesia jacuisse, ostendimus in Commentario prævio* § I. *Plura de hoc sancto Episcopo in eodem Commentario reperies.* D

DE S. GERULPHO MARTYRE

TRUNCHINII IN FLANDRIA

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Notitia loci, ubi Sanctus obiit et colitur : memòria illius in Martyrologiis ad tres varios dies, quibus Trunchinii Officio celebratur : alius cultus ibidem.

CIRCA MED. SEC. VIII. *Trunchinii, cujus ecclesia dudum Præmonstratensium est,*

Trunchinium vel Truncinium, Flandris Drongene *seu* Drongem *appellatum, ob viæ ambages uno milliari a præcipua Flandriæ urbe Gandavo dissitum, jacet ad fluvium* Lisam *sive* Legiam *vernacule* de Leye *dictum, qui inde Gandavum versus fluens, ejus muros ingreditur. Eo loci in veteri pago Mempisco vel Menipisco S. Basinus* B *seculo septimo ecclesiam sanctissimæ Dei Genitrici Mariæ condidit dotavitque, quam S. Amandus, Flandrorum apostolus, canonicorum collegio, seu clericorum sub regulari disciplina conviventium, monasterio decoravit;* quod Altum monasterium in Trunchinio *etiam appellatum. Eamdem Balduinus Flandriæ comes, cognomento* Calvus, *a Normannis devastatam, anno Christi* 884 *restauravit, et canonicis restituit. Tandem anno* 1137 *vel subsequenti Præmonstratenses ex monasterio S. Martini Laudunensi ab Iwano comite Alostano evocati, cedente præpositura Odgero, iisdem clericis suffecti fuere, et ibidem hodieque Deo servire perseverant sub dignissimo abbate suo, amplissimo ac reverendissimo domino Antonio de Stoop, cujus grata memoria inferius recurret. De eodem loco consuli potest Opus nostrum ad diem* XIV *Julii, ubi de S. Basino martyre, et ad* XX *Junii, ubi de S. Aldegunde virgine, ibidem cultis, actum est.*

C *hoc die festum Sancti natale*

2 *Porro Trunchinii* S. Gerulphus *martyr a variis martyrologis, præsertim Belgis, et variis diebus annuntiatur; cum quod is ibidem occisus fuisse credatur, tum quod sacrum ejusdem corpus, miraculis clarum, ex Merendra, loco suo natali et hereditario, illuc seculo* V *translatum fuerit et ipse ibidem digno cultu etiam hodiedum honoretur. Ac primo quidem ad hunc* XXI *Septembris diem, qui pro ipsius emortuali habetur, Ms. Florarium nostrum Sanctorum de eo sic habet :* Item sancti Gerulfi martyris. Hunc ab ætate puerili tam fervens amor *(Dei)* accendit, quod vel domi commorans, vel foris ambulans, nichil aliud meditari, quam quomodo Creatori suo placere sufficeret, visus fuit *. *Inter Auctaria Usuardina apud Sollerium nostrum in codice Bruxellensi ad eumdem diem legitur :* Et Truncinis, sancti Gerolfi martyris. *In editione Greveni :* In Flandria, Gerulphi pueri et martyris. *Molanus in priori sua editione tantum habet :* Passio sancti Gerulphi martyris ; *in posterioribus vero editionibus :* Truncinii juxta Gandavum passio sancti Gerulphi.

* fuerit

a multis martyrologis annuntiatur;

3 *Hosce secutus editor Romani Martyrologii, in usum Belgii vernacule versi, sub finem ejusdem diei, diverso caractere, quo Sanctos Romano Martyrologio non insertos, sed in Belgio tamen vel adjacentibus regionibus cultos, solet annuntiare,* Gerulphum *quoque memorat verbis, quæ subdo Latine :* In abbatia Trunchiniensi prope Gandavum S. Gerulphus martyr, in Flandria natus, et circa idem monasterium occisus a quodam cognato suo qui piam ipsius vitam ultro non ferebat. *Eumdem Martyrologio suo universali hoc pariter die inseruit Castellanus, sic Gallice inquiens :* Trunchinii prope Gandavum, martyrium S. Gerulfi, cujus corpus, quod Merendram, locum suum natalem, portatum fuerat, initio seculi decimi Trunchinium relatum est. *Hisce adde Petrum Canisium, vel qui ejus nomine Martyrologium Germanicum edidit, Andream Saussayum in Martyrologio Gallicano, et Philippum Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non sunt, apud quos omnes eadem die hujus sancti Martyris memoria celebratur.* E

ad diem vero 25 Junii elevatio corporis,

4 *Alteram ejusdem Sancti festivitatem, Translationis scilicet, supra laudatus Molanus in Usuardo primæ editionis, ad diem* XXV *Junii his verbis adscripsit :* Translatio corporis sancti Gerulphi martyris; *in posterioribus editionibus locum recte adjecit;* Truncinii, *inquiens,* translatio *etc. Consonat Saussayus in supra dicto Martyrologio suo :* Trunchinii translatio S. Gerulphi martyris, qui clara habet natalitia XI Kalend. Octobris. *Hisce rectius habet Canisii Martyrologium :* Item elevatio S. Gerulphi martyris. *Rectius, inquam ; quia dicto die non recolitur sacri corporis ex Merendra Trunchinium translatio, sed ejusdem in alteram splendidiorem lipsanothecam depositio, pridie Trunchinii facta, ut infra videbimus, sed cujus annua memoria propter festum natalitium S. Joannis Baptistæ, quod eo die celebrandum est, in posterum diem* XXV *Junii transferenda fuit. Hinc ad postremum hunc diem in Opere nostro inter Prætermissos eadem translatio seu elevatio memorata fuit, et ad* XXI *Septembris de more remissa.* F

et die 8 Octobris ejusdem translatio.

5 *Tertia denique ejusdem Sancti memoria, quæ de ipsius corporis translatione, seu adventu ex Merendra Trunchinium agitur, apud aliquot martyrologos die* VIII *Octobris recurrit. De ea Molanus in priori editione Usuardi sui aucti hæc ait :* Adventus sancti Gerulphi martyris; *deinde typis minoribus subdit :* Ex Merendra Tronchinium. Qui ab Helizeo episcopo in cœnobio Blandiniensi sacro unctus chrismate, ingressus ex itinere in Deiparæ templum, diutius oravit, quam reductori patrino placeret, ac propterea ab illo ita cæsus est, ut brevi post mors sit subsecuta Scribit Mejerus in Comment. rerum Flandricarum anno DCCCCXV.

Annum

A *Annum hunc de translatione interpretare, non de nece, prout ex dicendis constabit. In aliis editionibus idem Molanus brevius habet :* Truncinii ex Merendra Adventus S. Gerulphi. *Consentit Canisius in Martyrologio Germanico, hac pariter die* VIII *Octobris dicens :* Item Adventus sancti martyris Gerulphi ex Merendra Trunchinium. *Similiter Saussayus ibidem ait :* Truncinii ad Lysam apud Gandavum advectio corporis S. Gerulphi martyris ex Merendra, ubi primum sepultus fuerat in basilica S. Radegundis, facta cælesti commonitione. *Præterea Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, ubi Molanum secutus est.*

Ibidem tamquam patronus ecclesiæ parochialis

6 *Hisce tribus prædictis diebus sanctus martyr* Gerulphus *annuis Officiis Missaque Trunchinii colitur, uti supra laudatus amplissimus ac reverendissimus dominus Antonius de Stoop, abbas Trunchiniensis, de ejusdem Sancti apud suos cultu consultus, in humanissimis litteris suis benigne nos edocuit, addito ceteris instrumentis eorumdem Officiorum exemplari typis excuso. Antequam ea proferam, juverit ex ejusdem Reverendissimi litteris observasse, Trunchiniensem ecclesiam velut* B *duplicem esse;* Chorus namque, *inquit,* cum duobus altaribus ante chorum, Conventualis est; et hujus patrona est beata Virgo assumpta. Reliqua est ecclesia parochialis, cujus patronus est S. Gerulphus. *Hisce observatis, ad Officia progredior. Præcipua Sancti festivitas ipsius in cælo natalis est, agiturque hoc die* XXI *Septembris, veluti de patrono, ritu Triplici pro more Præmonstratensium, cum Octava; ideoque festum S. Matthæi apostoli, quod in eumdem diem incidit, tranfertur ad alium. Celebratur autem in ecclesia solemniter a reverendo domino Priore conventus, ut supra laudatus abbas observavit. Officium hoc multa habet propria præter lectiones, quas idem reverendissimus prælatus ex communi martyrum ideo depromptas fuisse suspicatur, quia Sancti vitam antiphonæ et responsoria utcumque continent. Nunc ipsum Officium subjicio.*

colitur die 21 Septembris

7 *Ad Vesperas antiphona.* Illuxit nobis hodie novæ splendor lætitiæ, dum fulget in ecclesia sancti Gerulphi gloria. *Psalmi, ut in Communi unius martyris.*

Antiphona. Ut vas electum cælitus virtutibus imbutus, terrena sprevit penitus; cælestia secutus.

Antiphona. Post sanctitatis studium, in quo præfloruit, ascendit ad martyrium, quod solum ei de- C fuit.

Antiphona. Athleta fortis Domini processit præliari : vicit, Victori datum est in cælis gloriari.

Antiphona. Ejus præclara merita pangamus laude debita, ut nos post mundi prælia ducat ad cæli gaudia. *Capitulum de Communi unius martyris.*

Responsorium. Gerulphe, martyr nobilis, tuis succure famulis, * Et salva tuis precibus tuis intentos laudibus. ℣ Qui lætamur quotidie in laude tuæ gloriæ : per te sumamus præmia cælestis vitæ gaudia. * Et salva. ℣ Gloria Patri. * Et salva. *Hymnus et versiculus de Communi.*

Antiphona ad Magnificat *duplicatur.* O dilecte Deo, nostri, Gerulphe, memento, acquirens nobis æternæ gaudia lucis.

Oratio. Deus, castitatis amator, et innocentiæ auctor, concede nobis per merita et intercessionem gloriosi martyris tui Gerulphi, qui crudelissimi patrini sui gladio innocenter occubuit, ut præsentis vitæ prosperitatem, et futuræ interminabilem felicitatem adipisci mereamur. Per Dominum.

8 *Ad Matutinum. Invitatorium.* Ad jubilum vocis jungamus cantica cordis, et cum Gerulpho jubilemus in æthere Christo. *Hymnus de Communi.*

[illegible] C. S. annuo Officio de martyre

In primo Nocturno antiphona. Gerulphus almis actibus ab annis puerilibus, in lege Dei sedulus dies egit cum noctibus. *Psalmi ex Communi unius martyris.*

Antiphona. Dum convenirent populi adversus Sanctum Domini, solo fidens in Domino, vicit ejus auxilio.

Antiphona. De multis eum hostibus victorem fecit Dominus, addens ejus victoriæ donum perennis gloriæ. ℣ Gloria et honore coronasti eum, Domine. *Lectiones hujus Nocturni sumuntur ex* I *Nocturno plurimorum martyrum; de Epistola ad Romanos :* Fratres, debitores sumus.

℟ Adest sacra solemnitas S. Gerulphi martyris *, quem larga Dei bonitas summis ditavit gaudiis. ℣ Ut mundum sol illuminat splendoris sui lumine, sic ornavit Ecclesiam suo Gerulphus sanguine *. Quem.

℟ Hic Puer ab infantia detestabatur vitia : * et intendit virtutibus, sicut præcepit Dominus. ℣ Coronandus martyrio se mancipavit Domino, et gratiosus extitit tam Deo, quam hominibus. * Et intendit.

℟ Frequentabat ecclesias devotionis gratia, et E Sanctorum memorias *, cum magna reverentia. ℣ Quos jam cum Christo noverat feliciter gaudere, illorum sanctis gressibus elegit inhærere. * Cum magna etc. Gloria Patri *. Cum magna.

9 *In secundo Nocturno antiphona.* Mirificavit Dominus electum suum Famulum, quem dedicando Martyrem, mundo fecit mirabilem.

cum antiphonis et responsoriis propriis

Antiphona. Scuto protectus gratiæ palmam sumpsit victoriæ, cui cessit in præmium cælestis benedictio.

Antiphona. Honoris excellentiam et sempiternam gloriam sumpsit Martyr egregius cum vicibus cælestibus. ℣. Posuisti, Domine, super caput ejus. *Lectiones de Commnni unius martyris.*

℟ Hic Sanctus inter homines more non vixit hominum *. Nam peritura respuit, solum secutus Dominum. ℣. Flagrabat enim fortiter cælesti desiderio, et blandimenta noxia fuerunt ei tædio. * Nam.

℟ Labentis mundi gaudia contempsit ut inania *. Et reputabat frivolum, quidquid habebat terminum. ℣. Quod mundus suasit dulciter, contempsit ille fortiter, nolens fallaci gaudio summo fraudari præmio *. Et reputabat. F

℟ Quis non solemni studio Dei miretur gratiam *; Qui sancto suo Famulo talem donavit gloriam. ℣. Gementem in exilio eduxit de miseria, et gloriosum Martyrem lætum fecit in patria *. Qui sancto. ℣ Gloria. * Qui sancto.

10 *In tertio Nocturno antiphona.* Gerulphus martyr inclytus confisus est in Domino, per quem calcavit omnia, quæ florent in hoc sæculo.

per omnes Horas

Antiphona. Quem fecit esse Dominus sine mortali macula, perduxit ejus animam in cæli tabernacula.

Antiphona. Magna fuerunt prælia, quæ pertulit pro Domino, majora tamen præmia mansura sine termino. ℣ Magna est gloria ejus in salutari tuo. *Lectiones de Communi unius martyris.*

℟ Gerulphum, sanctum martyrem, devote veneremur : * ut ad superna gaudia per ipsum sublevemur. ℣ Qui Christum subsecutus est in morte salutari, in ejus semper laudibus curemus gratulari. * Ut ad.

℟ Hic Tyro sanctus Domini virtutibus armatus, dimicabat fortiter : * Nam hostis est prostratus. ℣ Hostis

AUCTORE C. S.

℣ Hostis putabat vincere, sed ipse fuit victus; nam ad honorem Martyris finitus est conflictus. * Nam hostis.

℟ Qui prius clarus extitit, ut nobilis persona, post Martyr fulsit clarior, * cum aurea corona. ℣ Ejus orationibus in terris protegamur, ut sempiternis gaudiis in cælis perfruamur. * Cum aurea corona. ℣ Gloria. * Cum aurea.

quale hic exhibetur

11 *Ad Laudes. Antiphona.* Ad laudes Domini surgamus corde libenti, lætabundi de gaudiis Gerulphi sancti martyris.

Antiphona. Jam cum lætitia cælesti vivit in aula, quem vitæ innocentia perduxit ad cælestia.

Antiphona. Ad Dominum vigilans, prima de luce cucurrit, ut videret dulcissimam virtutis ejus gloriam.

Antiphona. Ejus erat studium semper benedicere Christum, ejusque rei præmium gaudere in perpetuum.

Antiphona. Jam canit hic Sanctus Domino nova cantica lætus, quem semper totis viribus collaudet omnis spiritus. *Capitulum, Hymnus et versus de Communi.*

B *Antiphona ad* Benedictus. Erexit nobis omnibus cornu salutis Dominus, quod est cum sanctis moribus vita Gerulphi martyris.

Ad horas dicuntur antiphonæ de Laudibus cum capitulis, et versiculis de Communi unius martyris et Oratione propria ut supra. In secundis Vesperis antiphonæ de Laudibus, capitulum, hymnus et versus de Communi. ℟ Qui clarus, *ut supra.*

Antiphona ad Magnificat *duplicatur.* O Gerulphe, martyr Christi, sicut mundo lux fuisti, sic et nobis sis lucerna, qua ducamur ad superna.

Colitur item Officio die 8 Octobris et 25 Junii,

12 *Altera ejusdem festivitas, de translato Sancti corpore ex Merendra, natali ejusdem primæque sepulturæ loco, uti ex Martyrologiis supra diximus, Trunchinii celebratur* VIII *Octobris; quæ translatio seculo* X *facta est, vocaturque* Adventus S. Gerulphi martyris. *Officium autem fit tantum duplex per conventus Subpriorem idem, quod* XXI *Septembris præter orationem, quam subjicio.* Deus, qui mundum perditum ab æterna morte per adventum unigeniti Filii tui liberasti, concede nobis famulis tuis, ut, qui venerabilem adventus diem B. Gerulphi martyris tui solemniter celebramus, C ejus intercessione æternam gloriam consequamur. Per eumdem Dominum. *Tertia denique festivitas illius, quæ* Translatio S. Gerulphi martyris *dicitur, celebratur die* XXV *Junii de depositione sacri corporis illius ex veteri lipsanotheca in novam Trunchinii facta, fitque de ea, celebrante hebdomadario, Officium* celebre, *(ut loquuntur Præmonstratenses) totum ex Communi unius martyris præter antiphonas ad* Magnificat *in utrisque Vesperis et ad* Benedictus, *et nonum Responsorium, quæ dicuntur, ut in festo die* XXI *Septembris, atque Orationem, quæ hæc est :* Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut qui B. Gerulphi martyris tui translationem colimus, intercessione ejus in tui nominis amare roboremur. Per Dominum.

et commemoratione hebdomadaria: ejusdem sodalitium ibidem.

13 *Præter tria festa, singulis item feriis quintis per annum de ipso sanctoque Basino martyre ibidem fit commemoratio hoc modo : Antiphona.* Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum. ℣ Exultent Justi in conspectu Dei. *Oratio.* Sanctorum martyrum tuorum, quæsumus, Domine, Basini atque Gerulphi, et omnium martyrum tuorum precibus adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum intercessione nobis donetur. Per Christum D Dominum. *Martinus Steyt, presbyter et Religiosus ejusdem abbatiæ Trunchiniensis, in Vita Flandrica* S. Gerulphi, *quam anno* 1658 *Gandavensibus typis vulgavit, cap.* 16 *meminit de pio sodalitio sub sanctissimæ Virginis Mariæ, sanctique* Gerulphi *invocatione in eadem Trunchiniensi ecclesia parochiali ab immemoriali tempore instituto, in quo anno* 1561 *supra bis mille sodales utriusque sexus numeratos fuisse, ex ejusdem sodalitii Regesto affirmat. Ibidem subdit, sodalitium hoc, cum aliquo tempore neglectum diminutumque fuisset, ab illustrissimo Antonio Triest, Gandavensium episcopo, anno* 1629 *restitutum, et ab Urbano VIII Papa confirmatum, sacrisque Indulgentiis perpetuo dotatum esse. Inter Indulgentias plenarias, quas ibidem enumerat, una est in Sancti festo natali die* XXI *Septembris, et altera septem annorum totidemque quadragenarum in festo sanctissimæ Trinitatis,* quo die, *inquit auctor,* solemnis processio S. Gerulphi instituitur. *Hactenus de cultu ejus Trunchinii.*

E

§ II. Vita Sancti, quæ exstat, seculo x scripta a monacho Belga : Translatio et miracula edenda : ejusdem locus natalis, parentes, tempus et ætas, in qua occisus est, et sepultura.

Vita cum Translatione, quæ in Mss. exstat,

V*ita* S. Gerulphi, *Adventus seu Translatio ex Merendra Trunchinium, et Miracula exstant in Mss. et partim etiam edita fuerunt. In primis Vitam ipsius atque Adventum habemus in codice nostro Valcellensi, notato P. Ms.* 158. *Initium Vitæ est :* Creator rerum Deus omnia sapienter condens : *Adventus vero :* Scripturi Adventum beati et gloriosi martyris Gerulfi. *Eadem Vita atque Adventus legitur in altero apographo Suessionensi, quod Papebrochius anno* 1666 *acceptum esse notavit a fratre Ludovico Nicquet, Bibliothecario Patrum Cælestinorum ibidem. Utriusque denuo Opusculi exemplar aliud in Museo nostro est, ex Ms. Trunchiniensi, quod Bollandus cum codice Corsendon-* F *cano, qui* Secunda pars diversarum Legendarum inscribitur, *ipse contulit et in quo postremo multa prætermissa observavit. Trunchiniense exemplar præter jam dicta etiam Miracula continet, quorum exordium est :* Quia Dominus in Sanctis suis laudari præcipitur : *in Corsendoncano autem tam hoc quam maxima miraculorum pars desideratur. Trunchiniensem codicem, ex quo Ms. nostrum depromptum fuisse existimo, reverendissimus dominus abbas supra laudatus, Antonius de Stoop, hoc anno* 1754 *humanissime ad nos transmisit, pro Sancti Gestis illustrandis, in quo eadem Vita; Adventus ac Miracula recensentur.*

scripta est seculo x, et dicata

15 *Vita hæc atque Adventus eadem manu antiqua nitidaque exarata sunt, Miracula vero a gemina multoque recentiori. Auctor nusquam se nominat, neque certi ævi, quo scripserit, indicium præbet. Joannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii de eo sic loquitur :* Historiam ante annum millesimum circa tempus translationis *(quam anno* 915 *cum aliis affixerat,)* descriptam esse, videtur ex stylo colligi posse. Scribitur enim, eum haberi in Francia

A Francia juxta Oceani littora, et parentes habitasse in pago Mempisco, in Merendra, juris sui villa (quæ milliaribus duobus a Gandavo distat) ipsum autem elegisse sepulturam in monasterio juxta lympham Legiam, quod dicitur Truncinias. *Hactenus Molanus, cujus ego sententiam aliunde magis stabiliam et confirmabo. Jam laudatæ Vitæ aliud apographum ex Ms. monasterii S. Bertini in civitate Audomaropoli in Belgio præ manibus habeo, a Bollando nostro ad hunc diem sepositum.*

Gerardo abbati, qui forte fuit

16 *Huic præfatio quædam, quæ a ceteris enumeratis apographis, et a Trunchiniensi ac Valcellensi codicibus abest, cum hoc titulo præmittitur:* Incipit Præfatiuncula de passione sancti Gerulfi, et aliquibus per eum factis medelis. *Auctor anonymus, qui rusticum se profitetur, et ideo sub finem ejusdem præfationis nomen suum celari cupit,* ne, *ut inquit,* fastidium personæ rusticæ vilitas pariat, *monachum esse manifestat, et a Gerardo abbate jussum scribere, dum sic orditur:* Cogitis me inertem, nobilissime abbatum ac venerande pater Gerarde, arduum valde opus aggredi. B *Tempus quoque, quo scripsit, ibidem sic indicat:* Iste quidem sanctus martyr Gerulphus, quamquam nuper ferretur inventus *etc. Scripsit itaque non admodum diu post inventionem seu translationem sacri corporis, quam sub Eirardo, sive Airardo, Noviomensi et Tornacensi episcopi factam narrat, et nos intra annum 923 vel 924 annumque 932 probabilius contigisse, infra ostendemus.*

S. Gerardus abbas Broniensis

17 *Porro cum toto seculo decimo et duobus sequentibus nullus Gerardus in catalogo præpositorum et abbatum Trunchiniensium apud Antonium Sanderum tom.* I *Flandriæ illustratæ, pag. 122 occurrat; in Gallia autem Christiana tom. 5, col. 236 Gerardus I ejusdem loci abbas anno 1192 primum memoretur, biographus noster alibi, quam Trunchinii, verisimilius quærendus est. Imo ut alibi quæratur, ille ipse suadet, dum* S. Gerulphum loquelæ... barbaræ virum *appellat; neque enim videtur Sanctum, duobus circiter milliaribus a monasterio Trunchiniensi natum altumque,* loquelæ barbaræ *insimulaturus fuisse, si ipse in eodem monasterio Vitam ejus scripsisset. Præterea dum de Sancti translatione loquens verbo* ferretur *utitur; sic inquiens:* Sanctus martyr Gerulfus, quamquam ferretur nuper inventus; *satis insinuat, sese a Merendra longius abfuisse, quam sit Trunchi-* C *nium, asseverantius utique locuturus, si in hoc Vitam illam exarasset. Quam ob rem, ut hæc omnia concilientur, mihi verisimilius apparet, biographum in aliquo Belgii monasterio, ubi lingua Gallica in usu erat, monachum fuisse. Florebat autem id temporis in comitatu Namurcensi Broniensis monasterii, inter Mosam et Sabim siti, abbas S. Gerardus, qui cum ex prosapia Haganonis, Austrasiorum ducis, ortum duxisse dicatur,* nobilissimus abbatum *merito poterat appellari.*

qui etiam aliis monasteriis in Belgio præfuit.

18 *Hic S. Gerardus tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ col. 91 circa annum 934 etiam abbatiam S. Gisleni in Hannonia, annoque 944, teste Iperio in Chronico, ab Arnulpho I Flandriæ comite rogatus, Sithiensem quoque S. Bertini Audomaropoli, in quibus lingua Gallica pariter in usu est, reformandas regendasque suscepit. Sed et Blandiniensi sanctique Bavonis monasteriis Gandavi, multisque aliis simili de causa præfuisse legitur. Verisimile itaque est, Vitam hanc ipsi inscriptam, et in uno ex monasteriis istis Gallici idiomatis compositam fuisse, occasione translationis, cujus memoria tunc adhuc tam recens erat, ut biographus eam* nuper *factam dixerit. Ex dictis collige, biographum hunc translationi quidem synchronum, sed duobus circiter seculis* S. Gerulpho, *qui sub medium seculum* VIII *occisus dicitur, juniorem esse, ideoque non paris in Vita ac in Translatione auctoritatis esse, De fide tamen, qua ipse seu monumenta, seu sui temporis traditionem, in Sancti gestis enarrandis secutus est, nullam suspicandi causam præbet.*

Hanc Vitam (qua forte alia antiquior fuit) ex Ms. Bertiniano,

19 *Quamquam autem hæc antiquissima* S. Gerulphi *Vita sit, quæ ad manus meas pervenit, dubitari tamen potest, an non aliqua vetustior et ante translationem scripta, aliquando exstiterit. Dubitandi ratio est, quod alter auctor Adventus seu Translationis edendæ, de quo mox agemus, num.* I *manifeste laudet libellum Passionis* S. Gerulphi, *in quo de illius vita, cæde, sepultura et miraculis, non autem de translatione tractabatur; quod certe de Vita, de qua modo loquimur, accipi nequit. Non satis etiam liquet, an hujusmodi Vita antiquior præluxerit biographo nostro, qui in Prologo num. 3 sic ait:* Nitar ad multorum utilitatem de eo aliquid litteris comprehendere; nec pudebit me, dignum quamvis reprehensione, quamtum mihi veracium testium intimatum constat relatione scripta, Deo auxiliante, referre. *Hic etenim incertum est,* E *utrum voces* relatione scripta *ad verbum* constat, *an ad subsequens verbum* referre *sint referendæ; atque adeo utrum ipse de relatione scripta, an de ore tradita loquatur. Porro antiquiorem Vitam, si qua tamen fuerit, Trunchinii non extare, non debemus mirari, cum hujus abbatiæ bibliotheca anno 1566 a Calvinianæ sectæ rabulis penitus dissipata fuerit, uti docet ejusdem Regestum Ms. verbis, quæ subdo.* In bibliotheca libros omnes vel medios secant, vel pugionibus confodiunt, vel folia evellunt ac dilacerant. *Consule etiam Commentarium infra num. 43 et 46. Quam ob rem cum vetustiorem Vitam non habeamus, Bertinianam una cum Prologo, quem hactenus ineditum existimo, cum Trunchiniensi ceterisque Mss. collatam excudam.*

Adventum seu Translationem ex Trunchiniensi codice

20 *In codice Trunchiniensi post Vitam sequitur Translatio, quæ* Adventus S. Gerulphi *inscribitur, eademque etiam in nostro Valcellensi codice, uti et in Suessionensi et Corsendoncano apographis, sed in hoc posteriori multo tamen brevius, recensetur. Hujus auctor videtur Trunchiniensis ecclesiæ canonicus clericusve fuisse; sed nomen, nec ætatem usquam prodit. Refertur quidem ibidem in omnibus apographis post narratam translatio-* F *nem alia ejusdem sancti corporis per Flandriæ vicos circumlatio, anno 1088 facta, quo proinde antiquior scriptor Adventus esse non potest, si omnia ejusdem sint. Verum suspicor, ista ab alio adjecta esse. Nam primo quidam auctor Adventus in proœmio exponens, quid tractandum sumpserit, tantum ait, sese scripturum,* quomodo sit in ea, qua sepultus erat, ecclesia extumulatus, quomodo Truncinium translatus, quomodo, inquam, in basilica S. Mariæ Virginis digna cum reverentia exaltatus; *at de translatione ejusdem per Flandriæ pagos seculo* XI *facta nihil plane hic insinuat. Secundo stilus etiam posteriori loco minus elegans, et a priori diversus utcumque apparet. Quia tamen hæc non satis evincunt, et in omnibus Mss., editisque a Sandero, posterior translatio priori sic annectitur, quasi utraque ejusdem scriptoris esset, nihil certi possum statuere.*

uti et Miracula edemus. Quæ ex hisce edita jam sint.

21 *Verum hinc multum auctoritatis eidem decedit, quippe qui secundum hæc non citius quam versus finem seculi* XI, *id est, plus quam sesqui seculo post primam translationem scripserit. Sed nec quidquam habet in prima translatione, quod ipsum citius scripsisse persuadeat. Adventum hunc,*

qui

AUCTORE C. S.

qui in rerum adjunctis a biographo hinc inde discrepat, ex Trunchiniensi codice post Vitam subjungemus. Post Adventum sequuntur in eodem codice Trunchiniensi Miracula quædam, recentiori quidem, quam superiora, sed utcumque tamen antiqua manu conscripta, quorum recentius anno 1309 *contigisse notatur, quæ nos pariter dabimus. Subduntur denique pauca alia miracula vel beneficia. etiam recentiora, vario charactere exarata, sed tam difficili neglectoque, ut non omnia legi possint. Quæ tamen legi possunt, hujusmodi sunt, ut etiam ista non gravate prætermittam. Porro ex hactenus recensitis Vitam atque Adventum Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ, primum Antverpiæ anno* 1625, *ac deinde Insulis anno* 1639 *typis vulgavit ex codice, ut inquit, Trunchiniensi, qui forte is ipse est, quo nos modo utimur, licet editio in vocibus sæpe discrepet. Vitam alteram Flandricam conscripsit, annoque* 1658 *Gandavi edidit Martinus Steyt, sacri Ordinis Præmonstratensis in Trunchiniensi abbatia presbyter Religiosus, cui eadem Trunchiniensia Mss. præluxerunt. Præterea multos alios, itidem recentiores, qui de* S. Gerulpho *meminerunt, quosque suis locis, ubi opportunum fuerit, laudabo. A scriptoribus ad ipsum Sanctum progredior.* B

Sanctus natus in Merendra, Flandriæ pago,

22 *Sanctum* Gerulphum *natum esse in Merendra, quæ juris parentum ipsius villa erat, in pago Mempisco sita, post biographum tradunt omnes Belgæ, qui de eodem scripserunt, nec quemquam reperi, a quo id in dubium revocaretur. Inter hosce Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum Christi* 915 *sic ait :* Legimus, Gerulphum natum in Menipisco, territorio Gandensi, ac prædio paterno Merendra, Leutguoldo et Ratguera parentibus. *Situm loci, aliaque huc spectantia Antonius Sanderus tom.* I *Flandriæ illustratæ, pag.* 176 *exponit his verbis :* Merendre ad secundum ab urbe Gandavo lapidem situs est pagus, divite gleba felix et pascuis multis, aquis etiam Calæ irriguus, multæque antiquitatis, ut varia Bavonensium et Trunchiniensium rescripta docent... Ecclesia B. Radegundi sacra est. In ea annos aliquot quievit B. Gerulphus, Merendræ natus. *Exstat hodieque is pagus cum eodem nomine* Merendre *vel* Meerendre *ad sinistram ripam canalis, qui Gandavo Brugas ducit. Quin et ejusdem loci parochus, reverendus dominus J. Van Coppenole, in notitiis ad me missis ad propositum ait :* Locus nativitatis (*ipsius Sancti*) hodie *(ibidem)* assignatur triginta aut quadraginta ab ecclesia passibus. C

ex nobilibus parentibus, floruit tempore Elisæi

23 *De parentum quoque vocabulis sic convenit, ut non nisi unius ac alterius litteræ discrimen apud varios occurrat, quod tamen amanuensibus adscribendum videtur Nam quos Meyerus* Leutguoldum *et* Ratgueram *cum apographo nostro Bertiniano appellat, ii in Trunchiniensi et Valcellensi codicibus et in Suessionensi apographo* Leutwoldus *et* Ratvara *vel* Ratwara, *in editione Sanderi* Leatwoldus *et* Rathwara *dicuntur. Eosdem etiam nobiles fuisse tradit biographus,* Fuit igitur, *inquiens,* S. Gerulphus cata * seculi dignitatem parentibus inclytis oriundus; quam nobilitatem... piis conservavit moribus. *Tempus, quo Sanctus floruit, eruendum est ex tempore sedis Elisæi in episcopatu Noviomensi ac Tornacensi, a quo in Blandiniensi ecclesia apud Gandavum sacro Chrismate unctus fuerat, cum, teste biographo, ad paternam domum inde regrediens, prope Trunchinium trucidatus est. Elisæum hunc sub medium seculum octavum Noviomensi ecclesiæ præsedisse, constat ex epistola Zachariæ Papæ, ad hunc aliosque Galliæ episcopos data, quam exhibet Baronius in Annalibus, annoque* 748 *affigit, consentientibus Jacobo Sirmondo in Notis ad eamdem epistolam, Coïntio in Annalibus Francorum, et Pagio in Critica Baronii.* D

* i. e. secundum

Noviomensis episcopi, qui post S. Eunucium sedit

24 *Porro Elisæi decessor fuit S. Eunucius, cujus obitus in Opere nostro ad diem* x *Septembris, quo colitur, propter dictam Zachariæ epistolam latius fixus est ante præcitatum annum* 748, *relicta aliis ulteriori temporis emortualis ejusdem investigatione. Hoc autem a se repertum credunt Galliæ Christianæ scriptores tom.* 9, *col.* 986, *ubi S. Eunucium ante initium anni* 745, *vel etiam ante finem* 744 *obiisse statuunt. Pro argumento allegant eam ipsam Zachariæ Papæ epistolam, quæ, ut aiunt,* eodem fere tempore scripta videtur, quo celebratum est concilium Suessionense, hoc est, ineunte anno DCCXLV. *Etenim cum isthæc epistola inter ceteros episcopos etiam* Elisæo Noviomensi episcopo *inscribatur, inferunt, hujus decessorem S. Eunucium eo anno* 745 *vita functum jam fuisse. Cur tamen de laudatæ epistolæ tempore ita sentiant, non edicunt; neque ea opinio cum eorumdem alibi dictis facile potest conciliari. Iidem enim scriptores tomo citato, col.* 28 *in Abele archiepiscopo Remensi scribunt, in eodem concilio Suessionensi sancitum fuisse, ut Abel Remensium, et Ardobertus Suessionensium archiepiscopi crearentur, sanctumque Bonifacium pro hisce simul et pro Grimone, archiepiscopo Rotomagensi, pallia a Zacharia petiisse, uti constat ex litteris ejusdem Pontificis.* E

sub medium seculum VIII, *et anno* 757 *jam obierat;*

25 *Deinde vero recte observant, Zachariam in epistola* 143 *miratum esse, cur S. Bonifacius in alteris litteris, postea denuo missis, pro solo Grimone Rotomagensi pallium peteret, cum antea pro hoc et duobus aliis recensitis singula petiisset. Vivebat ergo Grimo et Rotomagensi ecclesiæ præerat post concilium Suessionense, ac proinde si supra memorata epistola Zachariæ ad Galliæ episcopos eodem fere tempore, quo concilium Suessionense celebratum est, data fuisset, Grimoni etiam erat inscribenda. Atqui tamen non huic, sed hujus successori* Raginfrido Rotomagensi episcopo *inscripta est. Itaque donec laudati scriptores rationes suas pro eadem epistola ad dicti concilii tempus admovenda protulerint, nihil cogit nos a Baronii ceterorumque eruditorum sententia recedere, aut S. Eunucii obitum ante initium anni* 745 *vel finem* 744 *collocare. Quot annis idem Elisæus Noviomensi ecclesiæ præsederit, inexploratum pariter est. Laudati Galliæ Christianæ scriptores observant, de Adalfredo ejusdem successore primam mentionem fieri ad annum* 757 *in quodam privilegio, cui subscriptus legitur; sed quotus is episcopatus ipsius annus esset, non comperi.* F

ante quem annum Sancti cædes figenda est.

26 *Restat igitur, ut* S. Gerulphi *cædem circa medium seculum octavum, sed ante annum tamen* 757 *reponamus. Hinc collige, hallucinatum fuisse Petrum Cratepolium dum in libro de Episcopis Germaniæ* S. Gerulphum *nostrum anno* 915 *sub Balduino,* Calvo *scilicet, Flandriæ comite, vixisse scripsit, annum, cui translatio a multis illigatur, immani parachronismo cum ejusdem vitæ tempore confundens. Rectius idem ipse in Catalogo Electorum ecclesiasticorum imperii pag.* 319 *eumdem Martyrem annumeravit Sanctis, qui seculo octavo floruerunt. Collige secundo, ipsum ad annum* 760, *circa quem illum Sanderus in Hagiologio Flandriæ retulit, non pervenisse. Aubertus Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis eumdem circa annum* 750 *floruisse statuit; Steytius in vita Belgica*

A *gica ejus mortem determinato anno 748 affixit; quorum sententiæ etsi non multis annis a vero possint aberrare, rectius tamen Dionysius Mudzaert Ordinis Præmonstratensis presbyter in Tongerloa, in Historia ecclesiastica universali et in Belgica, Flandrice editis, ad annum 748 ipsum sub episcopo Elisæo recensuit, nullum mortis annum determinans, qui ex supra dictis assignari non potest. De die emortuali inter omnes convenit ex biographo, qui in omnibus Mss. nostris, præterquam in Suessionensi apographo, sic ait:* Discessit autem gloriosus Domini Testis Undecimo Kalendas Octobris.

Hæc ipsi in juvenili ætate

27 *Utcumque pariter dubia est, in qua Sanctus obierit, ætas; biographo hac in parte sibi non constante. Nam in Prologo num. 2 et in Vita num. 7 ipsum* virum, *deinde vero num.* 6 puerum, *num.* 8 adolescentem *et* juvenem *appellat, et quidem de eodem loquens tempore, quo ab impio patrino suo cæsus obiit, Bertiniano apographo consonant etiam cetera nostra Mss. Et Sanderi editio.* Pueri *quoque nomine annuntiavit ipsum Grevenus, supra num. 2 relatus. At Dionysius Mudzaert in Historia ecclesiastica mox laudata, et Steytius in* B *Vita Flandrica, eumdem* juvenem *vel* adolescentem *dixerunt. In hisce dubiis ad jam sæpe laudatum abbatem Trunchiniensem recurrimus, petiimusque, quid hac super re traditio ibi ferat et si quid lucis ex ejusdem sacris reliquiis in his tenebris posset affundi. Is vero humanissimis litteris suis addidit responsum parochi Merendrensis, domini J. Van Coppenole, in quo hic testatur, traditionem Merendrensium esse,* S. Gerulphum *circa annum ætatis suæ decimum octavum martyrio coronatum fuisse. In eadem sententia esse se profitetur laudatissimus abbas, qui parochi verba excipiens,* Ita quoque suadet, *inquit,* magnitudo capitis seu cranii ipsius, *quod solum ex ejusdem sacro corpore superstes Trunchinii religiose asservatur.*

illata fuisse videtur prope Trunchinium:

28 *Certe puerum non fuisse, dum cæsus est, idem reverendissimus dominus hac ratione etiam confirmat, quod verisimile non sit, nobiles parentes permissuros fuisse, ut Filius suus in puerili ætate iter quatuor circiter horarum equo impositus conficeret, quod tamen ex biographi fide consequenter dicendum esset, cum hic ipsum ex Merendra Blandinium, et hinc rursus per Trunchinium versus Merendram equitasse affirmet. In ætate itaque* C *juvenili ipsum cæsum esse, ego quoque existimo; idque magis consonum est biographo, eumdem, ut dixi, modo* virum, *modo* puerum, *modo* adolescentem, *modo denique* juvenem *appellanti. Quod ad* martyris *titulum attinet, ex dictis constat,* S. Gerulphum *illo a martyrologis honorari, et ut talem Officio coli; non quod sub gentili tyranno pro Christi fide sanguinem fuderit; sed quod a patrino suo, ob preces in Trunchiniensi B. Mariæ Virginis ecclesia diutius ab eo fusas impotenter effervescente, barbare cæsus sit, et ex inflicto vulnere non multo post defunctus. Locum cædis, idem reverendissimus abbas asserit, medio milliari distare Trunchinio, et Steytius in Vita Flandrica cap. 4 scribit, eumdem* agrum sacelli *suo tempore appellari solitum, a sacello* S. Gerulphi *memoriæ ibidem olim erecto; quod etsi a veritate non abhorreat, aliunde tamen nequeo confirmare. At magis fabulam sapit, quod in eodem capite ait, arborem, sub qua Sanctus trucidatus est, sanguinem in foliis multo tempore protulisse.*

29 *Sancti Martyris exanime corpus non in Trunchiniensi S. Mariæ Virginis ecclesia, ut ipse moribundus patrem rogaverat, sed Merendræ in*

AUCTORE C. S.

sepelitur in Merendra, ubi hodieque ostenditur ejus sepulcrum

Radegundis, patre ita volente, humatum fuit, multisque claruit miraculis, de quibus consule Vitam num. 10 et sequentibus. Biographo consentit traditio, quæ in Merendra hodieque viget, et de qua supra laudatus parochus in prædicto responso suo hæc ait: Traditur, magnum fuisse populi cursum toto tempore, quo hic sacrum ejus corpus asservatum est; nec solum incolæ, sed et exteri et dissiti, numerose confluebant ad ejus sepulcrum: nec deerant, qui per intercessionem illius ab infirmitatibus sanarentur. *Deinde de ejusdem sepulcro, ibidem in eadem ecclesia hoc etiam tempore conspicuo, sic prosequitur:* Certum denique est, existere in diem in ecclesia parochiali de Meerendre, divæ Radegundæ sacra, constructum sepulchrale monumentum S. Gerulphi, elevatum supra reliquum ecclesiæ pavimentum ad semi pedem, tectum cippo, qui magnitudine præfert spectabilem sepulti conditionem: traditur enim habuisse genitorem loci toparcham.

olim celebre: sed Sancti cultus ibidem cessavit

30 *Auctor Adventus, quem forte seculo* XI *jam decrepito antiquiorem non esse diximus, de eodem tumulo, suo tempore anathematis claro, ita scribit:* Nunc usque in hodiernum diem in villa, quam E Merendram nuncupant, tumulus ejusdem Martyris *(corpore Trunchinium dudum translato)* non auro, non argento, non, inquam, pretiosis gemmis insignitur aut lapidibus expolitis, sed infirmorum baculis atque repentium scabellis. *Post translationem ea quoque diu viguit religio, ut quotannis in festo sanctissimæ Trinitatis corpus* S. Gerulphi *a supplicantium agmine Trunchinio Merendram deferretur, uti testatur Miraculorum scriptor infra num. 3, ubi ea occasione anno 1295 miraculum seu beneficium unum et alterum factum esse asseverat. Ex quo autem tempore, quave de causa hæc supplicatio cessaverit, non comperi; sed ex mox laudato scriptore, qui seculo* XIV *certe antiquior non est, constat, eam ejus tempore etiam viguisse. Forte hac abrogata, substituta est ea altera* S. Gerulphi *supplicatio, quam eodem die Trunchinii fieri solitam, ex Vita Flandrica num. 13 hujus Commentarii memoravimus. Ceterum sæpe dictus parochus Merendrensis in responsis suis fatetur,* Gerulphum *hocce tempore in parœcia sua invocari quidem ut Sanctum, sed nullum tamen diem suo cultui specialiter addictum habere, ita ut videatur cultus ejus ibidem quodammodo cessasse.*

F

§ III. Translatio corporis Trunchinium seculo x: aliæ ejusdem translationes: corpus a Calvinianis seculo XVI dissipatum, præter cranium, Trunchinii asservatum.

Corpus Merendra transfertur Trunchinium

B*iographo teste cap. 2 Vitæ, post varias sancti Martyris apparitiones, per quas Lamberto presbytero, Gonteri S. Radegundis ecclesiæ in Merendra parochi socio, mandaverat, ut corpus suum inde Trunchinium transferri curaret, illuc tandem, ut moriens petierat, utroque presbytero curante, solemniter translatum fuit. Tempus, quo hæc gesta sunt, signat diem* VIII Iduum Octobrium *et episcopatum* Eirardi, *sive* Airardi *vel* Airaldi, *in ecclesia Noviomensi. De episcopo dieque consentit auctor Adventus, sed et alias prætera notas chronologicas num. 3 adjungit his verbis:* Eo tempore

 Karolus

AUCTORE C. S.

Karolus rex Francorum annum regni sui agebat sextum decimum *(Sanderus in priori editione sua habet* septemdecimum, *in posteriori clarius* septimum-decimum) Balduinus, cognomento Calvus, trigesimum sextum arregnaverat annis * in comitatu Flandriarum; Eirardus quoque Noviomis sub Christo auctore rexit pontificium. *Deinde num.* 14 *etiam Christi annum adjicit,* Hæc, *inquiens,* acta sunt octavo Idus Octobris, anno scilicet nongentesimo quintodecimo Dominicæ Incarnationis.

* annum

sub Airardo episcopo Noviomensi,

32 *Per Carolum Francorum regem, Carolus cognomento* Simplex *hic designatur, annique regni illius numerantur a morte regis Odonis, in cujus regnum, ineunte anno Christi* 898, *ipse quoque successit. Itaque si cum codicibus nostris atque apographis annum Caroli* sextumdecimum *retineamus, currebat is mense Octobri anni* 913; *si vero* septimum decimum *cum Sandero legamus, idem ad annum* 914 *pertinebit. Aut si denique annus ille Caroli pro completo habendus sit, secundum Mss. nostra ad annum Christi* 914, *secundum Sanderi editionem usque ad* 915, *ab auctore Adventus assignatum, pertingemus, Balduinum II, cognomento* Calvum, *Iperius in Annalibus* B *Bertinianis, Meyerus in Flandricis, et Miræus in Belgicis Chronicis patri suo, Balduino I Flandriæ comiti, anno Christi* 879, *sed incerto mense, vita functo, successisse affirmant; cui si annos triginta quinque addiderimus, prodibit annus Christi* 914; *si vero triginta sex, ad annum* 915 *deducemur, atque ita notæ Chronologicæ Caroli et Balduini cum anno Christi ab auctore Adventus assignato poterunt conciliari.*

probabilius tamen non anno 914 vel 915,

33 *Hinc scriptores passim omnes, qui de hac* S. Gerulphi *translatione meminerunt, eam ad episcopatum Airardi, annumque Christi* 915 *solent referre. Inter hos Meyerus in Annalibus Flandriæ hæc ait:* DCCCCXV octavo Idus Octobris Balduinus comes et Aynardus *(sic ipse* Airardum *vel* Eirardum *vocat)* episcopus Noviomagensis transtulerunt corpus divi Gerulphi ex Merendra Trunchinium, in ædem Deiparæ Virginis. Gontherus et Lantbertus sacerdotes ejus rei fuere auctores, qui id se monitos esse ab Gerulpho in quiete confirmabant. *Consentiunt Molanus in Natalibus Belgicis, Dionysius Mudzaert in Historia ecclesiastica Belgii, Claudius Robertus et Sammarthani in sua quique Gallia Christiana, Joannes Cousin in Historia* C *Tornacensi, Guilielmus Gazet in Belgica, aliique, omnes alter alterum aut scriptorem Adventus secuti. Sanderus tamen tom* I *Flandriæ illustratæ, lib.* 3 *Rerum Gandensium cap.* 7, *nisi mendum typothetæ sit, eamdem translationem anno* 914 *maluit affigere. Sic autem habet:* Anno DCCCCXIV elevatur S. Gerulphus martyr in Merendra ab Eynardo, Noviomensi et Tornacensi episcopo et Balduino Calvo comite, VIII Idus Octobris, et defertur ad monasterium S. Mariæ, quod dicitur Trunchinium, comitante cœtu infinito fidelium populorum.

quo is nondum episcopus fuisse videtur,

34 *Verum laudatæ Galliæ Christianæ Sammarthanorum continuatores Benedictini tom.* 9, *col.* 990 *in Airardo observant, eam translationem dicto anno eidem episcopo perperam attribui, quippe qui non ante annum* 923 *vel* 924 *episcopatu Noviomensi, quocum Tornacensis conjunctus erat, initiatus fuerit. Id autem probant ex synodo Remensi, alterutro anno a Seulfo, Remorum archiepiscopo, celebrata, quam habes apud Jacobum Sirmondum tom.* 3 *Conciliorum Galliæ, pag.* 578, *et apud Labbeum tom.* 7 *generalis Collectionis conciliorum, col.*581. *In hac enim id diserte asseritur, dum inter episcopos, qui prædictæ synodo* D *interfuere nominatur* Airardus tunc inibi ordinatus Noviomagensis. *Manifestum autem est, secundum hæc Airardi episcopatum nec cum anno Christi, nec cum Caroli Balduinique annis, ab auctore Adventus assignatis posse componi. Statuendum itaque est, aut in annis istis, aut in Airardo erratum fuisse, et quod huic adscribitur, ejusdem decessori Rauberto, seu Ramberto, tribuendum esse; vel certe laudatæ synodi monumentum erroris arguendum. Verum cum Eirardi episcopi consilio ac benedictione translationem illam factam esse, disertis verbis etiam tradit biographus, qui cum rei gestæ synchronus esset, hac in parte nec facile potuit errare, nec errasse censendus est.*

sed inter annum 923 vel 924, annumque 932; sed an ipse

35 *Auctor vero Adventus, quem forte gemino seculo post translationem scripsisse diximus, multo facilius potuit tam in translationis, quam in Airardi episcopatus tempore assignando aliquot annos aberrare, annoque translationis semel per errorem fixo, convenientes regis ac comitis epochas recte adscribere, et tum has tum illum perperam componere cum episcopatu Airardi, sub quo translationem contigisse, aliunde constabat. Airardum itaque cum ambobus scriptoribus* E *omnino retinendum censeo; sed horum junioris auctoritas magis dubia est, quam ut ea nixus inficiari possim, eumdem Airardum in supra dicta synodo Remensi episcopum Noviomensem ordinatum fuisse. Quapropter cum Flodoardus in Chronico ecclesiæ Remensis hujus Airardi obitum anno Christi* 932 *consignet, mihi longe probabilius videtur,* S. Gerulphi *translationem ex Merendra Trunchinium inter annum* 923 *vel* 924, *annumque* 932 *factam esse; sed certum annum nequeo assignare. Rem, prout gesta est, quia et in Vita et in Adventu satis exponitur, hic non refero. Observo tantum, in utraque relatione hinc et inde aliquid discriminis occurrere. Præcipuum est, quod secundum biographi dicta videatur Gonterus parochus Merendrensis, consentiente quidem, sed non præsente Airardo, Sancti corpus transtulisse; secundum auctorem vero Adventus id episcopus ipse præstiterit. Prior enim num.* 14 *sic loquitur:* Cum consilio igitur et benedictione sui episcopi, venerabilis Eirardi, venit *(Gonterus)* assumptis secum quamplurimis sacerdotibus et clericis, turbaque promiscui sexus haud modica, ad basilicam S. Radegundis,... et inde preciosum levantes Thesaurum,... detulerunt Trancinias. F

Airardus adfuerit, dubitari potest,

36 *Alter autem num.* 12 *Airardum episcopum* longa viarum per dispendia ad usque prædictam Merendram *adducit, et translationis sacris cæremoniis fungentem facit; ut ibidem videri potest. Atque hæc quidem sententia per se verisimilior apparet; cum et usus ferat, ut in ejusmodi solemnitatibus episcopi præsentem suam operam præstent; et biographus per voces illas* cum consilio et benedictione sui episcopi *ejusdem præsentiam forte voluerit significare. Potuere tamen etiam justæ causæ intervenisse, ob quas Airardus ipse adesse nequierit, ideoque seu Gonterum seu alium delegarit, qui sua auctoritate suaque vice fungeretur. Haud ita facile assentiar eidem scriptori Adventus de modo, quo sacrum corpus exhumatum ait. Nam postquam dixerat, collectum obviam vulgus ab episcopo admonitum, ut sacrum pignus effoderet, post pauca sic prosecutus est:* Data tandem episcopi licentia, viri fœminæque ad sepulchrum certatim proruunt, terramque alii ferramentorum utensilibus, alii manuum unguibus egerunt, quæruntque sub pulvere, qui fulgebat in æthere. *Ita quidem ipse; at mihi hæc episcopi licentia, sacrique corporis a promiscua*

AUCTORE C. S.

A *scua plebe effodiendi modus, ut parum prudens parumque reverens, ita parum verisimilis, ac scriptoris, rem gestam pro suo genio exornantis, inventum apparet.*

Anno 1030 *cum aliis Sanctorum reliquiis transfertur*

37 *Huic translationi subjungo aliquot alias, quæ, dum sanctus Martyr Trunchinii jam quiescebat, contigerunt. Scriptor Miraculorum in ipso suo exordio, laudans Chronica, nescio quæ, de prima memenit anni* 1030, *quo Balduinus IV Flandriæ comes, cognomento* Barbatus et Pulchribarbus, *Aldenardæ in Flandria suæ gentis comitia indixit, multisque Sanctorum corporibus eo delatis, principem locum* S. Gerulpho, *velut patrio martyri in supplicationibus publicis voluit concedi. De hac celebri translatione Meyerus in Annalibus Flandriæ annotavit sequentia* : MXXX indictus Aldenardæ ab Balduino principe conventus, quo in conventu Hugo episcopus Noviomagensis cum omni Flandriæ dignitate, corpora item sanctorum Gerulphi, Wandregisili, Ansberti, Vulfranni, Bavonis, Amandi, Pharaïldis, Donatiani, Amelbergæ, Walburgis, Landoaldi, Vincianæ, Vedasti, Bertini, Winnoci, aliaque omnia Flandriæ sacra interfuere : quibus in cæremoniis tantus divo B Gerulpho, quod Flandrici esset generis, habitus dicitur honos, ut primum ubique sortiretur dignitatis locum, ejusque feretrum reliqua omnia præcederet. *Consonat Sanderus tom.* I *Flandriæ illustratæ, pag.* 122, *ubi eadem fere verba refert, quæ auctor Miraculorum, ut videatur aut hic ipsi, aut utrique idem vetustius aliquod Chronicon præluxisse. Causam quoque hujus conventus a Balduino indicti uterque scriptor iisdem verbis allegat :* Pro pace conjuranda.

Aldenardum ad comitia a Balduino Flandriæ comite

38 *Hisce addo continuatorem Chronici Sigeberti Gemblacensis in Ms. clarissimi viri Justi Lipsii, ab Auberto Miræo edito, in quo ad eumdem annum hæc legere est :* Comes Balduinus, qui dictus est Barbatus, congregatis marchisiæ suæ Sanctorum corporibus, Bavonis, Wandregisili, Amandi, Vedasti, Bertini, Winnoci cum aliis innumerabilibus Sanctorum reliquiis, præsente Hugone Noviomensi episcopo cum aliis pluribus episcopis et abbatibus, congregatis totius regni sui primatibus apud Aldenardum, pacem ab omni populo conjuratam firmari fecit. *Meyerus supra laudatus factum conjectura sua, illustrat, ibidem sic prosecutus :* Hunc conventum factum invenio pro pace C Flandrica; hoc est, si satis cerno, ad componendam domesticam discordiam, in qua Flandri in duas divisi partes, alii Barbato patri, alii filio ejus Balduino Insulano, ut Hugo Floriacensis scribit, adhærebant. *De eadem discordia, secutaque postmodum pace idem Meyerus paulo latius egerat ad annum* 1027, *unde ego rem hic breviter perstringo. Balduinus V, dictus* Insulanus, *post ductam Adelam, Roberti Francorum Regis filiam, (cujus nuptias Balduinus pater ipsi conciliaverat) regia fretus affinitate, adversus eumdem patrem rebellavit, eumque a suis turpiter destitutum ex comitatu Flandriæ exegit.*

indicta pro pace cum suis

39 *At Barbatus ad Robertum Normannorum ducem auxilii petendi causa confugit; qui viri sortem miseratus, collecto exercitu, rebellem filium eo brevi redegit, ut is, eodem Roberto duce arbitro, pacem supplex peteret. Supplicanti annuit Robertus, eumque patri suo, in comitatum restituto, reconciliavit.* Sic litibus compressis, *subdit,* ultra in pace et amore, quo decuit, perstiterunt. *Hæc ipse pluribus, laudans denuo Hugonem Floriacensem. Verum Hugo ille Chronicon suum ad id tempus non perduxit, aut si perduxerit, nihil horum in editis, quæ consului, occurrit; sed eadem plane verba totaque illa historia leguntur apud Guilielmum Gemeticensem in Historia Normannorum lib.* 6, *cap.* 6, *quam eodem seculo* XI *vergente ad finem conscripsit. Dicendum itaque est, Meyerum in scriptoris nomine errasse, nisi aliquod Hugonis Floriacensis Chronici exemplar præ manibus habuerit, cui ista Guilielmi Gemeticensis verba continuator quidam inseruerat. Ut ad propositum redeamus, omnino verisimile est, comitia illa Aldenardensia a Balduino Barbato indicta habitaque fuisse, ut pacem veniamque, quam filio suo, et qui huic adhæserant, rebellibus subditis pridem concesserat, solemniter confirmaret et perpetuam faceret.*

solemniter confirmanda. Aliæ translationes

40 *Nolim tamen asserere, ea omnia Sanctorum corpora, superius varie recensita, illuc tunc delata fuisse; nam et in S. Bertino tom.* 2 *Septembris, pag.* 282 *probatum est, ejus Sancti corpus eo tempore sub terra latuisse, et hujus loci non est de singulis aliis id inquirere. Sed ad* S. Gerulphum *quod attinet, nihil obstat, quo minus vera esse possint, quæ de sacro ejusdem corpore ea occasione singulariter honorato prædicti scriptores tradiderunt. Eodem etiam anno Hugo episcopus, quem iisdem comitiis adfuisse aiunt, Noviomensem ac Tornacensem ecclesiam regere jam potuit; cum is tom.* 9 E *Galliæ Christianæ col.* 995 *circa annum* 1030 *ad eam cathedram pervenisse, et hoc ipso anno ejus nomen in chartis jam occurrere dicatur. Transeo ad alia. Sanderus tom.* I *Flandriæ illustratæ, pag.* 122 *alterius seu translationis seu elevationis, anno* 1072 *factæ meminit his verbis :* Anno MLXXII facta est translatio S. Gerulphi martyris a Rabodone Tornacensi episcopo. *De eadem in Ms. Regesto abbatiæ Trunchiniensis ad citatum annum sic legitur :* Translatæ fuerunt reliquiæ sancti martyris Gerulphi a reverendissimo domino, domino Rabodone episcopo Tornacensi, præsente domino Folcardo ac fratribus.

anno 1072 *et* 1088 *factæ.*

41 *Eamdem denique etiam* ex tabulis Trunchiniensis monasterii, *iisdem forte, ex quibus nos, memorat sæpe citata Gallia Christiana col.* 996 *in Rabodone, qui ibidem* Ratbodus II *appellatur, diciturque Noviomensem et Tornacensem cathedram ab anno* 1068 *usque ad* 1098 *tenuisse. Folcardum, de quo ex Regesto Trunchiniensi facta mentio est, ejusdem Galliæ Christianæ auctores tom.* 5, *col.* 235, *et Sanderus mox laudatus scribunt, Sindrado, anno* 1068 *e vivis erepto, in præposituram Trunchiniensis ecclesiæ successisse, annoque* 1078 F *mortuum esse. Quæ tamen translatio hic memoretur, et an ea elevatio potius seu sacri corporis in elegantiorem thecam, aliumve ejusdem ecclesiæ locum, depositio fuerit, aliunde discere non potui. Magis nota est altera translatio, quæ anno* 1088 *instituta fuit. Cum enim Gedezo vel Godezo præpositus Trunchiniensis Occidentalem partem ecclesiæ eo anno dejecisset, ut eam elegantiori ædificio restauraret, visum est pro colligendis ad id opus eleemosynis sancti Martyris corpus per varios Flandriæ vicos circumferre; idque felici successu exsecutioni mandatum est, uti pluribus videri potest in Adventu num.* 15 *et sequentibus.*

42 *Rursum anno* 1257, *cum Trunchiniensis ecclesia jam ab anno* 1137 *vel sequenti Præmonstratensibus religiosis canonicis tradita fuisset,* S. Gerulphi *corpus in festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, seu die* XXIV *Junii, ex veteri lipsanotheca in novam translatum fuit per Walterum de Mandra, episcopum Tornacensem. De hac translatione festum annuum Trunchinii celebrari, ostendimus supra num.* 4 *et* 12 ; *nec plura hic addo,*

cum

AUCTORE C. S.

cum cetera huc spectantia tradat scriptor Miraculorum num. 15, *quem consule, si lubet. Nescio, quo tempore sacrum ejusdem caput a reliquo corpore separatum fuerit; sed separatum fuisse et argenteæ thecæ inclusum, ex dicendis constabit. Verum, quod dolendum est, idem illud* S. Gerulphi, *indigenæ martyris, et de Flandrica patria sua optime meriti corpus, tanto annorum spatio magna cum religione asservatum, impia hæreticorum avaritia pretiosa sua lipsanotheca spoliatum dissipavit, solo capite eorumdem rabiei feliciter subducto. De hac sacrorum strage, quæ seculo* XVI *Belgium afflixit, quantum ad Trunchinium attinet, pluribus agit ejusdem monasterii Ms. Regestum, alias jam laudatum, ex quo sequentia breviter enarro.*

Corpus anno 1566 Calvinistis tempestive subductum,

43 *Mense Augusto anni* 1566 *quodam die iconomachorum manipulus summo mane Gandavo egressus,* Trunchinium *conclamavit, illudque monasterium et ecclesiam, sacris omnibus profanatis et confractis, indignum in modum expilavit. Evaserunt tamen tunc impias manus corpora* SS. Gerulphi, *Basini et Aldegundis, cura et opera reverendissimi domini Livini Baes, tum temporis* B *abbatis, qui futuri metuens, ea alibi tuto in loco opportune collocaverat. Nam, ut habet Regestum,* provide admodum abdiderat reverendissimus dominus Sanctorum reliquias, Basini videlicet, filiæque ejus Aldegundis ac S. Gerulphi martyris, cum eorum feretris. Collocarat autem ea super cellæ vinariæ fornices, ac foramen muro obstruxerat. Metuens autem, ne non arcano satis essent ac tuto locata loco, eadem cum Sanctorum reliquiis in Cameracense absportari curavit castrum, cujus toparcha Prioris nostri, reverendi domini Hermanni van Forceste, frater erat. *Post hanc tempestatem serenior rerum facies successit, et Trunchinienses Religiosi in sua reduces, monasterium et ecclesiam restaurare cœperunt.*

ac deinde Trunchinium relatum,

44 *Relata etiam fuisse supra dictorum Sanctorum corpora, etsi id annotatum non repererim, aliunde, certum est. Sane constat, illustrissimum ac reverendissimum dominum Cornelium Janssenium, primum Gandavensium episcopum, anno* 1569, *die* 2 *Maji Trunchinii aperta S. Basini lipsanotheca, hujus corpus inspexisse, et sublatis inde ad altaria consecranda pauculis reliquiis, in eadem theca denuo conclusisse, uti in ejusdem* C *S. Basini Commentario tom.* III *Julii, pag.* 700 *ostensum est. Inter altaria autem, quæ eodem anno ibidem in parochiali ecclesia (nam ecclesiam illam in Conventualem et Parochialem divisam esse, num.* 6 *observavimus) a laudato episcopo consecrata fuerunt,* unum in memoriam S. Gerulphi *in eodem Regesto recensetur. Manserunt ibi sacra illa corpora usque ad annum* 1577 *vel circiter, quando ex nimia credulitate ejusdem prælati, cujus prudentia prius servata fuerant, perierunt. Etenim cum Belgicorum Ordinum legati Gandavense fœdus, de quo consuli potest Famianus Strada decad.* I, *lib.* 9 *de Bello Belgico ad præcitatum annum, cum, inquam, fœdus istud sanxissent, quod salva Religione Catholica, debitaque regi obedientia adversus solos Hispanos eisque adhærentes ictum ferebatur, abbas persuaderi sibi passus est, ut omnem ecclesiæ suæ supellectilem et thesaurum conjuratorum fidei crederet, ne Hispanis, ut aiebant, præda fierent.*

tandem in eorumdem manus deveniens, amissum est,

45 *De hisce plura habet Regestum, unde ista subjungo.* Omnia igitur aurea argenteaque vasa templi ipsis tradita, sacræ vestes, aliaque omnia templi ornamenta, quæ multa erant et pretiosa, Gandavum asportata, ac in scriniis curiæ civitatis cum inventario bene munito (ut putabatur) fideliter collocata. D Inter pretiosiora abbatiæ ornamenta fuere tres thecæ, sive feretra, in quibus patronorum loci reliquiæ asservabantur; ac in primis, in quo sancti martyris Gerulphi erant reconditæ, argentea celatura in integrum erat coopertum. Feretra vero S. Basini ac S. Aldegundis, ejusdem filiæ, lignea quidem erant, miro tamen opere ac arte scrulptæ erant desuper Sanctorum aliquot imagines. Omnia igitur ablata; et quod maxime dolendum ac omni seculo deflendum, cum inclusis Sanctorum reliquiis. *Porro Trunchinienses non modo ex istis omnibus nihil receperunt, verum etiam e monasterio suo postmodum expulsi fuere. Audiamus denuo Regestum :* Ut autem cuncta manus hæreticorum abstulerat, ipso divi Ægidii festo fratres omnes monasterio expellunt; et quidquid reliquum inventum est, nebulonibus cessit; fratribus interim hinc inde per Belgium vagantibus ac sedem tutam quærentibus.

præter caput, quod sub terra absconditum, receptumque,

46 *Fecit tamen Prioris in* S. Gerulphum *pietas, ut hujus cranium, quod a reliquo corpore sejunctum, et argenteæ thecæ inclusum superius diximus, communi sacrorum stragi superesset. Ita rursum habemus ex Regesto, quod post verba de* E *rebus Gandensi custodiæ traditis superiori numero recensita, sic prosequitur :* Solum autem S. Gerulphi cranium his *(feretris seu lipsanothecis)* inclusum non erat, sed argenteæ alteri thecæ, ad instar plane ejus, quam modo e cuprea habemus materia. Prior igitur Judocus Sterck, vir religiosus ac pro sancto Martyre zelosus, accepto cranio, ipsum in veteri illa, quæ apud nos est, theca collocavit, ac in ædibus magistri Livini Nemegher Gandavi abscondit. Postmodum tamen metuens ex rumoribus sparsis, ne forte in manus grassatorum deveniret, tutiori abscondere voluit loco, atque illud sublatum in horto viduæ Elisabethæ Jansens fodit prope S. Bavonem in vico, qui dicitur DE QUAETDAM: ac inde, urbe reconciliata, denuo cum reverentia ad nos est relatum; idemque adhuc est holosericum, quo hodie adhuc cranium est involutum. Mirabilis Deus in Sanctis suis, quod nec theca, quæ est e leni materia (est enim adhuc eadem, nisi * pedaneum ei coaptarint) nec holosericum humore sit putrefactum. *Porro Gandavum Deo regique Catholico reconciliatum esse anno* 1584, *docet Famianus Strada decad.* 2, *libro* 6 *de Bello Belgico, ad quod usque tempus* F *sacrum Martyris cranium in prædicto horto infossum oportuit latuisse.*

* *adde* quod

ex toto ejus corpore superest,

47 *Nescio, an simili aliqua ratione partem corporis S. Basini hæreticis subduxerint Trunchinienses, quam post luctuosa illa tempora apud eosdem superstitem memorant Steytius in ejusdem Vita Flandrica et Sanderus jam sæpe citatus pag.* 123. *Horum ultimi, Trunchinienses reliquias recensentis, verba hic refero :* Habuit olim Trunchinium corpora SS. Basini, Aldegundis ejus filiæ, et Gerulphi martyris, nunc post furores hæreticos superest cranium ejusdem Martyris, pars corporis S. Basini, ac dens S. Joannis Baptistæ, quem, Meyero teste, olim præposito Trunchiniensi donavit Balduinus Calvus ejusdem monasterii instaurator. *Ex dictis liquet, Arnoldum Rayssium tempora confudisse, dum in Hierogazophylacio Belgico, quod seculo* XVII *edidit, corpora SS. Basini,* Gerulphi *et Aldegundis Trunchiniensi ecclesiæ non dubitavit adscribere. Certe, quantum ad* S. Gerulphum *attinet, hujus solum cranium etiam hodiedum ibidem asservari, irrefragibilis testis est frequenter a me laudatus ejusdem monasterii abbas, cujus*

A *cujus verba pro coronide huic Commentario subnecto.*

et Trunchinii hodieque asservatur. 47 Respondeo *(inquit in humanissimis litteris ad nos datis)* in abbatia seu ecclesia nostra non asservari, nisi solum caput sive cranium S. Gerulphi, involutum frustulo panni holoferici coloris subflavi, quod frustulum secundum traditionem est pars totius, in quo integrum corpus ejus involutum erat in ipsa translatione et deinceps. Est autem prædictum caput cum aliorum reliquiis clausum in arca, seu cista lignea, cælatura argentea adornata; et ita exponitur in altari festis S. Gerulphi et aliorum Sanctorum diebus, quorum reliquias continet. *Plura hoc de Sancto dicenda non habeo; quare Vitam subjungo.*

VITA

Auctore anonymo

B *Ex Ms. Bertiniano, cum Trunchiniensi aliisque collatio.*

PROLOGUS.

Auctor jussus ab abbate suo scribere, a b Cogitis me *a* inertem, nobilissime abbatum ac venerande pater Gerarde *b*, arduum valde opus aggredi, quod si cuiquam philosophorum supponeretur, foret difficile. Me etenim, ex asse inscium, remini, ut video, peritum, quem nulla liberalium artium disciplina reddit politum. Puto namque charitate, qua redoletis, hoc giganteum onus imperare, cui dignum duco, licet sermone inculto, obedire. Deus quippe charitas est; et qui charitate caret, Deum profecto non habet; cum dilectione vero vestræ gestio, quamvis intolerabili, obtemperare jussioni; sed in rustico nihil urbanitatis nihilque facetæ eloquentiæ quæretis. Scitis enim, Salvatorem mundi non principes nec oratores quæsisse, quorum potestate ac prudentia redimeret sæculum; verum idiotis et piscatoribus sua dignatus est credere Sa- C cramenta, qui omnem sua instanti prædicatione ad salutem converterent mundum. Itaque hoc in me exiguo utimini exemplo, qui omni ingenio litterali careo; Deo autem benignissimo auspice, ordiar orationis, licet scabrosæ, telam; sed continuis precibus licia dictionum ordinatim imponite, quo verborum forma suavius inseri, et pulchrius queat movere.

rusticitatis et imperitiæ suæ veniam petit, c 2 Si quid ergo æqui sermonis aderit, vestræ adscribendum est sanctitati; si quidquam pravi, meæ infelicitati, qui magnorum virorum negotium impudens assumpsi. De sancto siquidem Gerulfo, ut mandastis, loquelæ, haud vitæ, barbaræ *c* viro locuturus, cavere ex toto, fateor, barbarismi atque solœcismi vitia nequibo. Quia et in tela sæpe staminis fila rupta texentis doctæ mulieris reformat industria, ac vestem fingit intuentibus gratam; enimvero ita prudentis lectoris oculus leget, quod bonum est, respuet æquanimiter, quod pravum perspiciet, sine æmulatione. Vestram quoque auctoritatem murum opponam æmulis, qui aliquando, quod ignorent, reprehendunt in aliis. Nullam ergo scientiæ artificiosæ habens fiduciam, illius solummodo corde humili, cujus mentio in mente habetur, precor misericordiam, ut suo interventu mihi misero propitium faciat Spiritum sanctum, cujus ope valeam cœptum agere absque noxa opus, et sine gravi sudore penna leviter valeat digna laude exarare. *A. ANONYMO.*

et per sanctum Martyrem a Deo opem flagitat. d 3 Iste quidem sanctus martyr Gerulfus, quamquam ferretur nuper inventus *d*, ostensis Dei mirabilibus, tamen antequam præsenti luce per carnem potiretur, electus a Deo creditur, secundum apostoli Pauli dictum: « Qui elegit nos in ipso ante « mundi constitutionem, » Neque sui homicidæ patrini malitia fecit modo eum martyrem, sed divina procurante clementia, in ipsa suæ originis hora martyrii virtus est ei collata. Unde se ita est, immo quia est, nitar ad multorum utilitatem de eo aliquid litteris comprehendere; nec pudebit me, dignum quamvis reprehensione, quantum mihi veracium testium intimatum constat relatione scripta *e*, Deo auxiliante, referre. Eo itaque orante, *e* concedat mihi loquendi recta officium, qui linguas infantum facit esse disertas, et qui asinam insipientis prophetæ fecit humano fari sermone *f*, cujusque benignitate hic Sanctus cælesti perfruitur *f* claritate. Rogo autem, in quorum forsan manus E hæc oratiuncula venerit, fratres, uti dictantis nomen nemo curiose requirat; at materiam rei sæpe sedulus legat, ne fastidium personæ rusticæ *g* vilitas pariat, et, quod optimi exempli portat, universalis fraternitas per malivolos perdat. *g*

ANNOTATA.

a *In nostro apographo Bertiniano, in quo solo ex Mss. nostris editisque hunc Prologum legi in Commentario prævio monuimus, sequens titulus præfigitur;* Incipit Præfatiuncula de passione sancti Gerulfi, et aliquibus per eum factis medelis.

b *Hunc Gerardum probabiliter fuisse sanctum Broniensem abbatem, qui inter alia monasteria etiam Bertinianum reformavit rexitque, diximus in Commentario* § 2, *ubi etiam de scriptore hujus Vitæ conjecturam nostram dedimus.*

c *Cur Sanctum* loquelæ barbaræ *virum dixisse videatur, lege conjecturam nostram in Commentario num.* 17. *Porro quem hic* Virum *appellat, infra num.* 6 Puerum, *et num.* 8 Adolescentem *et* Juvenem *nuncupat. Adi Commentarium num.* 27 F *et seq.*

d *Hinc disce ætatem scriptoris; invenio enim, seu translatio* S. Gerulphi *ex Merendra Trunchinium contigisse debuit inter annum* 923 *vel* 924 *annumque* 932, *uti in Commentario* § 3 *diximus.*

e *Adi Commentarium num.* 10.

f *Balaami scilicet asinam in libro Numerorum cap.* 22.

g *Ubique auctor rusticitatem suam sic agnoscit, ut videatur conditione rustica natus fuisse.*



CAPUT I

A. ANONYMO.

CAPUT I.

Sancti parentes et patria : pia pueritia : Sacramentum Confirmationis ipsi collatum : cædes et sepultura miraculis clara et de invidis vindicata.

Patre Leutwoldo, matre Ratguera nascitur a b

Creator *a* rerum Deus, omnia sapienter condens, diversis cælum depinxit sideribus, claritate differentibus, atque terram variis Sanctorum decoravit luminaribus *b*. Et quidem, ut stellæ in cælo solis lumine, ita Sancti in terra a Christo, vero sole, illustrantur, diffundentes passim per orbem miraculorum suorum claritatem. Ex quorum numero Sanctorum martyrem Gerulfum, divino lumine fulgidum ac signis coruscum cum aliis innumerabilibus Dei Electis gaudens amplectitur Francia *c*, juxta maris Oceani quiescentem littora, B perspicua in populis ostendentem sanitatum mirabilia, cujusque beata origo noscitur in pago extitisse Mempisco *d*. Fuit igitur S. Gerulfus cata *e* sæculi dignitatem parentibus inclytis oriundus, quam nobilitatem, dum nostro usu vixit in sæculo, piis conservavit moribus *f* : non ignotis autem parentibus hic editus Infans est; quia ejus genitor Leutgoldus nomine, genitrix vero Ratguera *g* dicta est. Felices utique ambo, quibus concessum est divinitus talem tamtamque generare prolem in hoc mundo.

in Merendra : Gandavi sacro chrismate unctus, h

5 Habitatio vero illorum in præfato extitit pago, in juris sui villa, nomine Merendra *h*, ubi est natus eorum beatus infans, jam tunc dilectus Deo Gerulfus, ibique sacri baptismatis fonte renatus, et honorifice alitus est. Tantus ergo eum ætate puerili Dei amor accendit, ut domi sedens, vel foras ambulans, nihil aliud videbatur * meditari, quam id, quomodo placere valeret Creatori. Sacerdotes etiam ac Dei ministros toto cordis *i* desiderio diligens, monasteria et ecclesias Sanctorum circuibat, et erga divinum cultum corpore et animo semper intentus erat. Qui cum talibus et aliis Deo dignis polleret actibus, atque sacro chrismate ab C episcopo nondum esset delibutus, venit quadam die ad monasterium, quod vocatur Blandinium in Gandavo, a sancto, ut fertur, constructum Amando *k*, ubi Helyseus, Noviomacensis *l* ecclesiæ episcopus, tunc temporis venerat, acturus ibi, quæ Dei erant obsequia.

(* videretur)

domum rediens, in ecclesia Trunchiniensi precatur, m n o

6 Cumque ibidem, ut cæteri, ab eodem episcopo sacri chrismatis unctionem fuisset insignitus, gaudens cœpit cum suo patrino regredi ad genitoris domum. Cum autem appropinquarent monasterio, quod dicitur Truncinias *m* juxta limpham Legiam *n*. isdem bonæ indolis Puer *o* supplici precatu rogavit patrinum, quo orationis causa declinarent in sanctæ Dei genitricis Mariæ oratorium, et post cibo refocillati ac potu, cœptum carperent iter. Audierat enim Evangelium sic exhortans : « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, « et omnia bona ministrabuntur vobis. » Quo audito, ejus patribus non tam charitate, quam corporis coactus egit necessitate. Surgentes autem a refectione, equis ascensis, concito gradu pergebant, unde venerant. Pergentes igitur pariter duo, completum est, quod legitur in psalmo : « Cum « electo electus eris, et cum perverso perverte- D « ris *p*. »

ideoque a patrino suo lethaliter vulneratur. p

7 Diaboli enim illectus suggestione, ac letifero veneno mente *q* debriatus, ejus non * patrinus jam, sed nequissimus lanista, pessimusque homicida, benigno ait Filiolo : Scito, Filiole, pro certo, quia meo mox interibis gladio. Vox ista non fuit hominis, verum diaboli intus loquentis ; qui vero in serpente locutus est prothoplasto, ille ipse et per istum *r* locutus probatur Filiolo. Quid ergo simplex humilisque dixit patrino Filiolus ; Sine, sine, inquit, pater bone, ut ne tam nefariam rem perpetres in me. Me quidem leviter vales interimere, at graviter peccabis coram communi nostro Patre. Parce autem mihi, et consule tibi; si enim, quod faris, egeris, mihi quidem, ut credo, indigno Christus misericorditer coronam patientiæ reddet in cœlis, tibi vero gehennam supplicii, in æternum permanentis. Hæc prorsus innocentis Pueri monita salutis flocci pendens ille crudelis parricida, qui parturierat injustitiam, et conceperat dolorem, et pepererat in corde iniquitatem, ense abstracto percutiens, trucidavit eum ; procidit que in terram de caballo ; non tamen cito mortuus, sed victurus in hoc sæculo tempore exiguo, ut auctorem mortis suæ detegeret ; quia divina clementia nolebat aliquem suspectum ejus cæde falso crimine inculparis. E

(q) (* al. addit. quasi) (r)

Moribundus a patre suo postulat, s t

8 Quo ergo jacente in solo semivivo, equus ejus sine humano sessore rediit domum, in qua solitus erat stare. Cumque jam dicti sæpeque dicendi *t* mater pia Adolescentis vidisset equum cruentatum sanguine, intellexit illico divino instinctu, Filium a suo patrino esse interfectum. Continuo autem fit ingens luctus ; patre ac matre Filium lamentantibus, gemens perstrepit omnis familia magnusque dolentium clamor surgit ad æthera. Tandem aliquando compresso paululum plangentium tumultu, pater cum familia virili * carpit iter quærendi Filium ; cumque præ noctis obscuritate nequirent pervenire, quo corpusculum seminecis jacebat Adolescentis, ductu tandem equi, quem isdem equitaverat Juvenis, pervenerunt illo, ubi eum pene jam mortuum repererunt. In hujus ergo scelerosi homicidæ facto primi fratricidæ Caïn invidiam animadverto. Sicut enim Caïn et Abel fratres dicuntur carnaliter, sic et isti fratres spiritualiter. Sicut etiam justus Abel nihil mali vel verbi vel operis legitur egisse Caïn fratri ; ita nec hic S. Gerulfus F nil * læsit suo spirituali patri.

(* al. virile)

(* imo quidquam)

ut Trunchinii sepeliatur, et prædium suum eidem ecclesiæ donetur : u x y

9 Caïn itaque invidia peremptus est Abel ; et hujus invidiosa malitia occidit Gerulfum innocentem. Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum, quæ et prothoplastum de paradisi ejecit felicitate, et Caïn cum ipso homicida extorris est cælesti beatitudine. Enimvero istius carnificis iniquitas pejor fore perspicitur ; quia ejus pœnitentia non auditur, Caïn vero pœnitudo in Geneseos legitur libro ; et ideo creditur requie perfrui in cælo *u*. At istis omissis, prosequar cetera. Narravit siquidem, prout valuit, sanctus martyr Gerulfus patri suo, se a patrino neci traditum, simulque postulans, ut corpusculum suum Truncinias monasterium humandum ferri juberet, ac pro suæ animæ redemptione alodium *x* juris sui S. Mariæ altario traderet, atque caballum suum clericis ibidem Deo servientibus daret. Cumque hæc verba moriens ederet, munitus corpore Christi et sanguine, relicta plena lachrimarum valle *y*, ovans ascendit in æthera, conjunctus sanctorum numerositati martyrum, cum quibus fruitur cælestium claritate virtutum, exultans et laudans Regem angelorum, qui ei dignatus est concedere eorum gloriosam

A riosam societatem. [Discessit autem gloriosus Domini Testis undecimo Kalendas Octobris *z*.]

sed in Merendra sepultus, miraculis claret.

10 Genitor denique beati jam fati martyris Gerulfi ob cupiditatem sæculi retinuit prædium, quod jusserat sanctæ tradere Mariæ; et Filii venerandum corpusculum ad suum fecit devehi domicilium, ibique in S. Radegundis basilica sepelivit *aa*, ubi etiam Dei omnipotentis operante clementia, multi diversa recipiunt sanitatum remedia, qui cum fide integra ejus expetunt beneficia *bb*. Cæci, surdi, muti, claudi, dæmoniaci, et quicumque gravantur variis infirmitatum incommodis, ibi oratum convenientes, recedunt ablatis doloribus incolumes *cc*. Candelæ namque persæpe sine materiali igne ibidem sunt luminatæ *, ostendens vera lux Christus *dd*, quod eum in lucidis mansionibus retineat repostum, et venerari oporteat palam populum *, quem illuminatione cereorum clarificat sol justitiæ Christus.

* *al.* illuminatæ

* *al. a* populo

Corpus ejus ab invidis sub terra deprimitur

11 Ante igitur, quam a præsule Rangario *ee*, qui septimus ab Heliseo episcopo extitit, hæc mirabilia fuissent audita, invidia cæcati diabolica tres clerici ex sancti confessoris Bavonis monasterio *ff*, et furore debriati nimio, euntes illo, mausoleum corporis sanctissimi, quod divina, et B ineffabilis pietas ex defossa humo in sublime levaverat, multo profundius, quam fuerat, terræ studuerunt reponere. O nefanda, quid agis, invidia? Omne, quod diligit Creator, præcipitare niteris ad ima. In motu tu ipsa laberis, ac numquam ascendes, quæ cunctis suades cadere. Tu enim nostris in paradiso parentibus perditionis foveam parasti, tu et istis clericis suasisti abscondere thesaurum, quem patefacere volebat providentia Creatoris. Paruerunt quidem tunc nequam suggestioni, paraverunt autem sibi confusionem perpetui opprobrii. Talis est ergo tua maligna promissio, quæ homines tibi parentes in lacum pertrahit infernalem, et in præsenti tribuit dolorem et verecundiam; sicut his infelicibus, quorum nunc mentionem habeo.

non sine præsenti ultione divina.

12 Hoc vero tam immane flagitium non permisit Rex supernus manere inultum. Nam unus eorum oculum dextrum amisit, quia noluit Justum videre gloriosum. Alius de equo ruens, coxa fracta, ad domum cum magno dolore relatus est suam; quoniam invidebat aliis * sanctum invisere locum. Tertius eorum, aliis astantibus ac cer- C nentibus, nimium multumque stercoris *gg* in opprobium suum emittens, verecundus abscessit; quia sancti Viri corpus, cunctis aromatibus redolens suavius, velut cæterorum infelicium hominum æstimavit corpora putentia. Hoc omnino intuitu impudentes, uti reor, egerunt, ne sui senioris *hh*, sancti videlicet Bavonis, locus et honor decresceret, ac sancti Gerulfi, cui et amentes invidebant, gloria crescendo in dies augeretur. Stulti etenim et tardi corde ad credendum, non intelligebant, quod ipsi duo, ut omnes Sancti, nec invidi, nec discordes sint, cum Deo sint pro meritis justis, qui est vera pax, et fecit utraque unum, copulati in charitate, qui vivunt cum eo in unitate dilectionis suæ, sine fine potientes inæstimabili claritate in cælis.

* *al.* cum aliis

ANNOTATA.

A. ANONYMO.

a *Ab eodem hoc exordio incipit Vita etiam in codice Trunchiniensi, Valcellensi, et apographis Suessionensi et Corsendoncano, atque editione Sanderi. Sed in apographo nostro Bertiniano præmittitur :* Incipit sancti Gerulphi martyris, exigua litteris, at magna meritis, Passio.

b *In aliis, præterquam in codice nostro Valcellensi et apographo Suessionensi legitur,* claris luminaribus. *Verum hujusmodi minutias in posterum inobservatas præteribo, ne nimiis annotationibus sine operæ pretio lectori tædium pariam.*

c *Solum Consendoncanum habet,* Flandria; *quod amanuensi dicta biographi interpretanti adscribendum est : reipsa enim designat Flandriam, quæ antiquæ Franciæ regni, qua Septemtrionem versus Germanicum mare respicit, pars erat.*

d *Trunchiniensis codex habet,* Mempisco; *Sanderus in priori editione Hagiologii Flandriæ;* Menxisco, *in posteriori rectius;* Mempisco. *Porro ex dictis ac dicendis manifestum est, veteri hoc nomine Flandriam designari, aut certe ejusdem partem, in qua Gandavum ejusque circumjectus ager sita sunt, quamque pagum Mempiscum, et Menapiscum olim appellatum fuisse, etiam aliunde novimus.*

e *Græca vox est* κατὰ, *Latine* secundum : *unde Sanderus pro ea substituit :* juxta.

f *In Trunchiniensi est :* Piis castis conservavit E et decoravit moribus. *Consonat Sanderus, omissa tamen voce* piis.

g *De exigua utriusque nominis discrepantia, quæ in Mss. editisque occurrit, lectorem monuimus in Commentario prævio num.* 23.

h *Adi Commentarium num.* 22 *et* 29.

i *Vox* cordis, *quæ in reliquis omnibus legitur, in Bertiniano apographo nostro desideratur.*

k *S. Amandi episcopi Trajectensis gesta illustrata habes tom.* I *Februarii ad diem* 6, *ubi etiam pag.* 822 *de celeberrimo illo S. Petri Blandiniensi monasterio, quod hodieque insigniter floret, actum jam est.*

l *Id est,* Noviomensis, *uti in ceteris Mss. legitur. Est autem* Noviomagum, *quod nunc* Novionum *et* Noviodunum, *Gallice* Noyon, *episcopalis civitas in Picardia, cujus episcopi Tornacensem in Belgio episcopatum, in quo Gandavum censebatur, aliquot seculis simul rexerunt, unde et Noviomenses et Tornacenses episcopi promiscue vocitati fuere usque ad annum* 1146, *quo cuique sedi suus datus est episcopus. Seculo denique decimo sexto Gandavum, Tornacensi diœcesi subtractum, proprio episcopatu illustratum est. De tempore, quo Eliseus Noviomensem ac Tornacensem ecclesiam ad- F ministravit, consule Commentarium num* 23 *et sequentibus.*

m *Nunc* Trunchinium, *Flandrice* Drongen *vocatur de quo vide Commentarium num.* I.

n Legia *alias* Lisa, *Gallis* le Lis, *Flandris* de Leye, *fluvius est in Artesia ortus, qui deinde per Flandriam labens, ac tandem non procul a Trunchinio Gandavum ingressus, Scaldi se miscet et nomen amittit.*

o *Supra in Annotatis ad Prologum lit.* c *observavimus,* S. Gerulphum *ab eodem biographo alibi* Virum, *alibi* Adolescentem, *alibi* Juvenem *appellari. Vide locum Commentarii ibidem assigatum.*

p *De hoc versu psalmi* 17 *consule interpretes.*

q *In Trunchiniensi et Corsendoncano legitur :* Letifero veneno invidiæ mentem debriatus.

r *Ibidem additur :* Miserum et miserabilem.

s *In apographo nostro Bertiniano ista sic tantum leguntur :* Prociditque in terram de caballo, victurus in hoc sæculo tempore exiguo. *Verum cum ceteras voces cum aliis Mss. etiam Valcellensis codex et Suessionense apographum haberent, suspicatus amanuensis incuriam, easdem supplendas*

A. ANONYMO. *das censui. Ex hisce porro observa, cædem Sancto ob suam in orando moram ab impio et impotentis iræ patrino illatam fuisse.*

t *In ceteris omnibus tantum legitur :* Cumque jam supradicti.

u *Nescio, ubi eam Caïni pœnitentiam legerit biographus in libro Geneseos; nam quæ ibidem cap.* 4, ỹ 13 *habentur, desperantis sunt, non pœnitentis. In ceteris omnibus Mss. nostris, uti et in editis a Sandero, eadem Caïni pœnitentia memoratur; sed quod de ejusdem salute hic subditur, ubique desideratur. Credo equidem a transcribentibus studiose omissum fuisse, quod nimium paradoxum videretur, nec ipsius biographi dictis consonum; quippe qui supra dixerat :* Caïn cum isto homicida extorris est cælesti beatitudine. *Lege tamen, si lubet, S. Hieronymum in Epistola ad Damasum, quæ inter Criticas illius prima est in editione ejusdem Operum Parisiensi anni* 1699, *tom.* 2 *col.* 565, *ubi sanctus Doctor saluti Caïni favet.*

x Alodium, alodus, alodis, alaudum *unius ejusdemque notionis vox est, inquit Cangius in Glossario, ubi de eadem voce pluribus agit. Hic pro prædio accipitur, quod Merendram passim interpretantur.* B

y *In aliis Mss.. præterquam in Valcellensi nostro et Suessionensi, additur :* Animam sanctam in manibus angelorum afflavit, ovansque *etc.*

z *Uncis inclusa desiderantur in nostro Bertiniano, sed in ceteris omnibus habentur.*

aa *De tumba, quæ* S. Gerulphi *fuisse creditur, in ecclesia parochiali Merendrensi, S. Radegundi hodieque dicata, lege dicta in Commentario num.* 29.

bb *Trunchiniense et Corsendoncanum Mss. et editio Sanderi habent :* Multi diversa receperunt sanitatum remedia, qui cum fide integra et mente sincera ejus expetierunt beneficia.

cc *Hæc quoque tota periodus in iisdem sic exstat :* Cæci lumen receperunt, surdi auditum, et muti loquelæ officium, claudi, dæmoniaci quoque optatam receperunt liberationem ; et quicumque gravati variis infirmitatum incommodis ibi oratum convenientes, recesserunt, ablatis doloribus, incolumes.

dd *Imo :* Ostendente vera luce Christo. *Trunchiniensis codex, Corsendoncanum apographum et Sanderus, ejus loco habent :* Per quam causam vera lux Christus ostendebat; *sed Valcellensis codex et Suessionense apographum nostro Bertiniano consentiunt.* C

ee Rangarius, Rantgarius, *vel* Ragenarius *etiam tom.* 9 *Galliæ Christianæ, col.* 907 *recensetur septimus ab Elisæo, sive sextus ejusdem successor in episcopatu Noviomensi et Tornacensi, de eoque mentionem fieri aiunt ad annum* 825 *et* 829. *Quid autem hic pro* S. Gerulphi *sacro corpore fecerit, fierive curaverit, nusquam reperi.*

ff *Fuit hoc alterum monasterium, Gandavi a S. Amando sub invocatione S. Petri omniumque Apostolorum erectum, quid a S. Bavone postea appellatum fuit, uti pluribus videri potest in gestis ejusdem S. Amandi Trajectensis episcopi ad diem* 6 *Februarii Verum seculo decimo sexto, petente Carolo V imperatore, per Bullam Pauli III Papæ monasterium hoc in collegium canonicorum commutatum est, quibus deinde in ecclesiam parochialem S. Joannis translatis, hæc quoque S. Bavonis appellari cœpta est, et eodem seculo facta cathedralis, eodem nomine hodieque nuncupatur. Ceterum monasterii loco idem Carolus imperator ad tutelam urbis arcem erexit. De S. Bavone denique agendum erit die* 1 *Octobris, quo colitur.* D

gg *In aliis omnibus legitur :* Omnia interiora sui corporis, *quibus verbis idem significatur, alioquin enim impius non potuisset inde, ut sequitur, abscedere. Verum cum biographus integro seculo, aut forte etiam multo amplius hisce junior sit, haud scio, quantum fidei hic mereatur.*

hh *Id est,* Domini *seu* patroni *sui.*

CAPUT II.

Sancti corpus post varias ipsius apparitiones Trunchinium translatum : miracula : auctoris epilogus.

Lambertus presbyter a Sancto sæpe monitus, *a*

Post hoc itaque tempus *a*, cum Dominus omnipotens, qui de cælo respicit super filios hominum, vidit etiam benigno intuitu charissimum sibi martyrem B. Gerulphum latenter in sepulchro jacere, et misericorditer volens tandem aliquando mortalibus pandere, quanti apud se foret meriti, hujusmodi indiciis patefecit. Divina equidem promulgante clementia, præfatus Christi martyr Gerulphus ejusdem loci in visu noctis presbytero Lamberto apparuit, multis vicibus admonens, ut eum ab illo levaret loco, in quo corpus ejus humatum inhoneste fuerat a pravis hominibus, suadente humani generis inimico, ac deferret ad jam dictum Truncinias monasterium, quo, dum viveret * se rogavit deferri atque sepeliri. Qui jussa vilipendens, diu multumque obedire distulit. Iterum autem iterumque admonitus a Sancto, jamque non audens differre, quin nuntiaret, suggessit humiliter didasculo suo, nomine Gontero *b*, sacerdoti, qualiter ei Sanctus dignatus sit apparere, quidve præceperit agere de suo dignissimo corpore, et quod non semel aut bis, verum multoties apparuerit parvitati suæ. E

* *al.* vivus

curat corpus ejus Trunchinium transferri,

14 Gonterus vero Dei sacerdos, gavisus oppido super tali mirabili narratione, gratiarum actiones ex animo retulit omnipotenti Domino; et indicto suis parochianis jejunio triduano, monuit omnes, uti misericordiam precarentur Creatoris, quo præcepta sui Martyris valeret digne ac recte peragere. Cum concilio igitur et benedictione sui episcopi venerabilis Eirardi *c* venit, assumptis secum quam plurimis sacerdotibus et clericis, turbaque promiscui sexus haud modica, ad basilicam S. Radegundis, quo, ut dixi, humatum fuerat sanctum corpus contra suam pro certo voluntatem; et inde pretiosum levantes thesaurum, cum magna, ceu dignum erat, reverentia psallentes, Deumque laudantes, ad monasterium detulerunt Truncinias, et in sanctæ Dei Genitricis Mariæ basilica venerabiliter condiderunt, cum ingenti triumpho gratias agentes et benedicentes Domino, qui ei * dignatus est largiri talem tantumque Patronum. F

* *al.* eis

ut ipse moriens petierat. Contractus

15 Sanctus etenim Martyr * hunc vivens dilexit locum, ideoque patrem moriens flagitarat, illo se deferri, cui sua cupiditas nocuit, ne impleret votum rogantis benigni Filii : ut reor autem, nequaquam extitit dignus istud sanctum agere opus, quod alio * digniori agendum servabatur. Pater ergo nimia cupiditate retinendi prædii distulit opere implere, quod rogatus est a pia Prole, presbyter vero gratanter perfecit, quod hortatus

* *al. addit.* Gerulphus

* alii

A tatus est a confratre. Pater utique uterque nequam, carnalis scilicet et spiritalis; quia unus eorum interemit, alter sepulturam tulit, quam, inspirante Salvatore, concupivit. In eumdem itaque locum, ubi primum beatum quieverat corpus, veniens quidam contractus membris omnibus, præcipueque pedibus, cum pro sanitate diu oraret Omnipotentis misericordiam, et sancti ejus Gerulfi omni cordis instantia precaretur antidotum, divina ei subvenit pietas, et reddita est, quam quæsivit, sospitas, orante sancto Martyre.

ad ejusdem tumulum sanatur,

d 16 Sanctorum *d* nempe Petri et Joannis apostolorum mirabile opus intueor in hujus claudi recuperatione, qui ad Iherosolymitani januam templi multis diebus jacentem curaverunt et erexerunt claudum, nonnullis intuentibus *e*. Distantiam autem quamdam in his duobus animadverto contractis: quia ille, ut Judæus, corporalem victus quærebat substantiam; iste, ceu Christianus, æque non corporalem *f*, sed membrorum rogabat restitutionem. Ille quippe pro ventris gulositate advenientes inquietabat; iste non in sepulchro jacentem, sed cum Christo regnantem cum lachrimis B exorabat. Adhuc etiam in his duobus aliquid altius intueri libet. Judæi enim claudicatio suæ gentis populum prædicabat in Domini lege non recte gradientem, neque firmo gressu eum sequi cupientem, qui dixit: « Ego sum via, qui « sequitur me non ambulat in tenebris, sed ha« bebit lumen vitæ. » Christiani vero contractio et claudicatio populum baptismate Christi renatum significat, qui adhæsis * sensibus corporis et animæ sæculi hujus cupiditatibus, nolunt mentis auditu percipere: « Beati immaculati in via, « qui ambulant in lege Domini. » Claudi quoque sunt, qui ecclesias Dei non frequentant, infirmos et in carcere positos non visitant, aliaque digna opera, non rectis, sed fictis gressibus agere segniter videntur. Jamque redeam cœptum prosequi opus.

* i. e. adhærentibus

energumenus liberatur,

17 Alio siquidem tempore quidam dæmoniacus ad præfati S. Gerulfi martyris memoriam, nomine Otfridus, adveniens, Deo opitulante, ac sancto Martyre interveniente, maligno ejecto dæmone, reversus est domum, de sua gaudens integra sanitate. Ne *g* ergo nobis dominetur dæmonum princeps, de quo ait Dominus, « Venit prin« ceps hujus mundi, et in me nihil suum inve-C « nit, » toto corde quæramus Sanctorum auxilia, imitemur patientiæ eorum exempla, humilitatis charitatisque documenta; et sic cum Dei ope valeamus *h* ad eorum pervenire consortium. Hostis namque humani generis assidua rebellione contra filios Adæ pugnat, maximeque in eos sævit, quos aliquid boni agere cernit. Revocare etenim nititur omnes Christianos a Sanctorum patria *i*, ex qua nostros expulit parentes invidiæ causa. Viriliter ergo agonisemus in hujus vitæ stadio, ut coronam incorruptam mereamur recipere a Domino. Quæramus tota mentis devotione * sancti martyris Gerulfi auxilium; et ipse nobis suæ concedet pietatis solamen, quo resistere poterimus adversarii suggestionem *. His ita se habentibus, quæ supersunt, cum Dei ope prosequar.

* al. intentione

* suggestioni

febris per sepulcri pulverem pellitur.

18 Alia itidem tempestate presbyter quidam, nomine Teutfridus *k* magna vi febrium æstuans, in jam fati martyris S. Gerulfi confisus sanctitate, venit ad ejus memoriam cum magna cordis humilitate orans lachrimosis precibus, quo subveniret sua misericordia infirmitati suæ, tribueret medelam sanitatis quæsitæ, quique aliis succurrebat, se miserum dignaretur curare. Oranti autem visum est, ut de Sancti sepulchri pulvere potionem factam hauriret, credens, sibi profuturum; pulverem vero cum aqua miscens et hauriens, febri ex integro amota, sospes lætusque rediit domum. Multa *l* quidem et alia signa quotidie fiunt ad Beati hujus tumbam latenter, quæ humanæ rusticitati displicent; quia sunt homines velut irrationabilia animalia bruta: carent enim intellectu, quem sub viri nomine quærebat Salvator a muliere Samaritana, dicens. « Voca virum tuum, et veni; » hoc est, Adhibe intellectum, per quem intelligere valeas, quæ tibi dico *m*. Solo namque intellectu discernimur a brutis pecoribus, quæ minime queunt discerni *, quid sit bonum, malumve. Sanctis etenim, ut efficacius credantur, mira foris operantur.

* discernere

Auctoris observatio:

19. Stulti plane et fatui, quidquid boni agere cernunt justos, malunt nequiter irridere, quam humiliter laudare: Pharisæorum utique imitantes malesanam doctrinam, qui Salvatoris justissimam renuentes prudentiam, garrulis reprehendebant interpretationibus, suorum præceptorum decepti erroribus *n*. Sancti vero et justi nihil absque Dei ope faciunt, quia sic Christus suis ait discipulis: « Sine me nihil potestis facere. » Ergo E si sine Deo nil agunt electi, qui eorum mirabiles actus subsannant, Deum profecto impudenter nimis inhonorant. Honoris itaque officia omnibus juxta nostram possibilitatem Sanctis impendamus, ut eorum assiduis interventibus æternum Regem propitium habere valeamus. Ecce patronum habentes venerabilem, fratres charissimi, Dominum et sanctum martyrem Gerulfum dignis obsequiis et laudibus prosequamur. Ne ambigamus de ejus sanctitate, non claudicemus in ejus servitute, quoniam experti sunt plurimi ab eo sanitatem *o* Martyr est inclytus, et cum angelis triumphat in cælestibus. Cum psalmista quoque fari ex isto valemus: « Nimis honorati sunt « amici tui Deus, nimis confortatus est principatus « eorum. »

dies translationis.

20 Contuendum etiam est, quod hic beatus Martyr, sicut voluit et jussit, translatus est ad monasterium Truncinias octavo Iduum Octobrium a multitudine honorabilium hominum, laudantium ac benedicentium in excelsis Deum omnipotentem, cujus ineffabilis clementia concedere dignata est eis occultum et desiderabilem thesaurum, sanctissimum Gerulphum; martyrem insignem, quem in cælesti regno complectitur et glorificat Christus cum Patre Spirituque sancto, sancta F Trinitas Deus, cui est honor et potestas per immortalia sæcula sæculorum amen *p*.

ANNOTATA.

a. *In ceteris omnibus legitur:* Post multum itaque tempus.

b *Scriptor Adventus infra num. 4 ait Gonterum hunc Merendrensis ecclesiæ parochum fuisse, qui senio pene fractus Lambertum presbyterum sibi socium adlegerat; ac propterea hic haud dubie iste hujus* didasculus appellatur.

c *De* Eirardo, *vel* Airardo, *Noviomensi ac Tornacensi episcopo, et de tempore, quo hæc translatio contigit, sat multis egimus in Commentario prævio num. 31 et sequentibus, ubi eam inter annum 923 vel 924 annumque 932 probabilius collocavimus. In Historia Adventus seu Translationis inferius danda, non Gonterus, sed ipse Airardus episcopus sacrum corpus transtulisse narratur.*

d *Quæ*

A. ANONYMO.

d *Quæ toto hoc numero leguntur, prætermissa sunt in Ms. Corsendoncano, verisimiliter, quia ad historiam non pertinent.*

e *Legesis Actus Apostolorum cap.* 3.

f *Subintellige* substantiam. *In aliis Mss. nostris legitur :* Æque corporalem, sed et membrorum rogabat restitutionem. *Omissa voce et sensus erit integer.*

g *Hæc rursus usque ad numerum sequentem desunt in Ms. Corsendoncano.*

h *In Valcellensi et Suessionensi melius est,* valebimus. *Trunchiniensis codex periodum hanc sic habet :* Ne ergo nobis dominetur dæmonum princeps,... totisque nisibus animæ et corporis quæramus prius sanctissimi Martyris Christi, et tunc ceterorum omnium sanctorum propicia amminicula, imitemur pacientiæ eorum exempla, humilitatis caritatisque documenta ; et sic cum Domini nostri Jesu Christi et S. Mariæ auxilio valebimus *etc.*

i *In Trunchiniensi additur :* Et vitæ paradyso, ex qua *etc.*

k *Omnia alia Mss. nostra et Sanderus habent :* B Dietfridus.

l *Hæc usque ad* Ecce patronum habemus, *denuo desiderantur in Corsendoncano.*

m *Sensus hic accommodatitius est et moralis, a biographo pro suo genio adhibitus.*

n *Videtur itaque biographus hic indicare voluisse, multos accepta a Deo per* S. Gerulphum *beneficia celare, ne a discolis rideantur.*

o *In omnibus aliis legitur :* Quoniam, ut experti sumus, plurimi ab eo sanati sunt.

p *In calce Ms. nostri Bertiniani, quod excudimus, subditur hæc clausula :* Explicit sancti Gerulfi Passio, brevi stylo et rustico exposita.

ADVENTUS RELIQUIARUM

Auctore anonymo.

Ex codice Trunchiniensi, cum C *aliis collato.*

Auctor translationem scripturus,

Scripturi Adventum beati et gloriosi martyris Gerulphi, ea, quæ de passione ejus egregie digesta sunt, præterimus ; reliqua vero partim experta, sed necdum publicata, subteximus, atque in audientiam fidelium sana relatione conferimus. In illo Passionis suæ libello, quæ illius erant temporis, eloquitur Passio ; hic Adventus ejus æque volvet, quæ huic congruunt festo. Ibi miraculorum series et luctus et exitus exequiarum ; hic resonat in laudem Dei vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum. Ibi palmes Dominicæ putationis, victurus in gloria, succiditur ; hic cedrus Lybani, flore perenni rutilans, in domo Dei plantatur. Ibi Martyr noster et dulcis Dei amicus thesaurum bonæ conscientiæ, quem gestabat in vase fictili, in illo ammirabili martyrum calatho collocat ; hic ossa vivifica, donec corruptivum hoc vestietur incorruptione, et mortale hoc induet immortalitatem, Virgini virginum commendat *a*.

a *Sancti patrocinium commendat.*

2 Sane quidem in oratorio perpetuæ Mariæ Virginis aptantur suo loco reliquiæ pudici Martyris ; quia virginitati semper proxima est pudicitia, nec Virginis lilio disconvenit martyris rosa. D Ipsa sane Dei Genitrix, ipsa etiam perpetua Virgo, hunc pretiosum sui Filii Militem gaudet componi in ornamentum suæ ecclesiæ, qui et ipsam æmulatus est virginitate, et Dominum Jesum passione. Nam quod sane credendum est, in epitalamio virginum exultat cum virginibus, et in calatho martyrum tripudiat cum martyribus. De habitantibus Cedar et de luto hujus miseriæ translatus est ad gloriam angelorum, factus est ibi Filio hominis dulce reclinatorium, nobisque ejus memoriam continuantibus fiduciale propitiatorium. Hic in laudem et gloriam ipsius omnes pectoris nostri cordas extendimus, ibi post incerta hujus vitæ stadia ex suffragio hujus Martyris gaudium et lætitiam expectamus. Tunc ipse nobis erit apud summum Judicem intercessio et fiducia ; et quod minus nobis suppetit ad excusationem commissi nostri, ex ejus nobis redundabit virtute et gloria. Nunc autem superest illud evolvere, quomodo sit in ea, qua sepultus erat, ecclesia extumulatus, quomodo Truncinium translatus, quomodo, inquam, in basilica S. Mariæ Virginis digna cum reverentia exaltatus. Itaque rei ordinem evolvemus.

Sancti sepulcrum Merendræ miraculis clarum.

3 Ea igitur tempestate, qua brevi sub tumulo latebat iste gloriosus Athleta Dei, necesse erat ad salutem multorum, hunc extumulari, quatinus in domo Dei suarum virtutum odoramenta latius spargeret, et lumen Christianæ fidei copiosius accenderet. E Nam de sepulchro ejus plurimi fluxerunt curationum rivi, et quantæ fuerit sanctitatis, ex miraculis erat facillimum videri. Surdi et cæci, claudi quoque, et id genus male habentium, certa ibidem meruerunt antidota, nec quisquam voti sui frustrabatur effectu, nisi quem imbecilla fides indignum fecit tanti Martyris gratia. Ipsa etiam evidens curatio corporum spem plurimis adauxit de salute animarum ; quia sane credendum est, eum potuisse veniam impetrare salvandis animabus, cujus virtus ubique clarebat in curandis corporibus. Unde usque in hodiernum diem in villa, quam Merendram *b* nuncupant, tumulus ejusdem *b* Martyris non auro, non argento, non, inquam, pretiosis gemmis insignitur aut lapidibus expolitis ; sed infirmorum baculis atque repentium scabellis. Hæc sunt pretiosa Militis Christi insignia, hæc ejus sunt plena virtutibus æraria, quæ neque fur effodere, nec corrumpere poterit tinea. F

Gonterus ejusdem ecclesiæ parochus

4 Itaque apud prædictam villam in ecclesia B. Radegundis virginis, cum aliquandiu pausarent in Christo ossa ejusdem Martyris, quidam presbyter, nomine Gonterus, vir suo tempore bonæ conversationis, et in vinea Domini Sabaoth assiduus, eamdem ecclesiam exemplo boni pastoris informabat et studio, et ne in fugam, ut mercenarius, aliquando laberetur, obfirmato pectore se opposuit insidianti lupo. Sed cum jam in area Domini fatigaretur, et sub pondere diei et æstus manus ejus gravarentur, incidit ei cogitatio a labore, quem ferre ipse non poterat, velle respirare, et alium, qui uberius in populo Dei fructificaret, in eadem ecclesia substituere. Durum erat sub pondere laboris, quo cotidie incurvabatur, persistere ; sed multo durius, deposito ecclesiæ officio, ovile Dominicum negligere. Unum suasit necessitas, alterum vetuit caritas. Cumque in uno eodemque pectore hinc necessitas, illinc charitas conflictum moveret, ipseque Gonterus incertus esset, quid potissimum ageret, tandem quemdam presbyterum, nomine Landbertum, tam sibi quam ecclesiæ satis ydoneum in eadem ecclesia fecit sibi esse vicarium.

5 Tum

sibi sociat Landbertum, cui Sanctus apparens,

A 5 Tum idem Landbertus, ecclesiæ populique sollicitus, seipsum primitus, quasi in speculo, cœpit circumspicere, suorum actuum deformitatem pura conscientia reprehendere, nichil in hiis, quod non corrigeret, negligere, postremo seipsum in exemplar sanctæ conversationis proponere. Deinde gregem sibi commissum pia sollicitudine circuire, singulorum opera explorare, bonos ad meliora incitare, malos ad veniam atque correctionem sancta ammonitione inflammare *c*. Cumque hujusmodi studio cotidie floreret, nec vel puncto temporis sibi ipsi parceret, tandem eo in soporem soluto, astitit quiescenti ei beatus Dei martyr Gerulphus, totus conspicuus, et qui homo putari non posset, sed angelus. Quem ille amica visione diu intuitus et nescio quid extra humanam habitudinem in eo ammiratus, in extasi totus rapitur, et vix in eo remanet spiritus.

jubet corpus suum transferri Trunchinium;

6 Intuetur tamen in reverberata oculorum acie hominem angelicum, ejusque captus pulchritudine suique oblitus, nichil cogitare poterat præter ipsum. Cumque ejus claritate exsaturari non posset, et inperfectum suum defleret in hoc perfe- B cto Milite Christi, tandem spiritum recollegit, dulciaque cum eo miscens colloquia, sic effari cœpit: Tu quis es, mi Domine? Quid tu tantus ad tam humilem venisti, sanctus ad peccatorem, angelus ad hominem? Tu jam in angelicam translatus naturam, nichil habes hominis; ego in hac valle lachrimarum sarcina corporis prægravatus, modicum quid differo a bestiis. Quis tamen, aut unde vel cur veneris, tuum est mihi subintimare; meum vero erit tui memoriam in omni circa regione facundo ore magnificare *d*. Tum beatus ille Dei Martyr, ut erat mitissimi pectoris, blandum prætendens sui vultus habitum, Landberto dulciter arridet; deinde ne concepto timore turbetur, ipsum intrepidum esse jubet; causam postmodum suæ præsentiæ, nomenque suum indicat, ipsumque ad transferendas sui corporis reliquias hortatur et obsecrat. Imperat, se Truncinium efferri ad basilicam B. Mariæ Virginis, utpote ad oratorium, quod Dominus Jesus præordinavit in honorem et gloriam suæ piissimæ Matris, et requiem et laudem sui dulcissimi Martyris.

non parenti secundo ac tertio idem mandat.

7 Recedente visione, Landbertus lecto excutitur, secum visa recolligit, stupet in singulis, miratur ad omnia, certæ rei fidem adhibet, occultare tamen hæc omnia disponit. Postera iterum C nocte B. Gerulphus in ea, qua prius, forma dormienti affuit, eumque de priori negotio, ut ante, commonuit. At ille humana formidans judicia, infirmæque hominum credulitati confidens, cœpit visionem tegere, quam publicare debuerat, atque inter spem et metum, quid ageret, dubius secum mente pugnabat, cum interim tertia itidem nocte B. Gerulphus solito severior, et quasdam vultu minas prætendens, suo Landberto se iratum exhibens, minis carpit, arguit negligentiæ, ipsumque ad sui elevationem cogere potius cœpit, quam petere. Nec mora, presbyter evigilat, trinæque visioni congratulans, de reliquo titubat. Noctes perinde atque dies continuat orationibus, instat vigiliis, jejunio se cruciat, et quo potissimum hæc res tractetur, a Domino consilium lacrymis flagitat.

Quarto monitus Landbertus, rem Gontero aperit.

8 Dum sic dulci prece et assiduis suspiriis sollicitat viventem in secula, adest derepente familiaris suus noster Martyr, Dei amicus, sanctissimus Gerulphus, eumque pacato vultu, lætisque oculis intuitus, Bene inquit, bene cœpisti, mi frater Landberte; sed jam cœptum de mea elevatione negotium ad usque finem honestum prosequere. De suffragio Dei noli hæsitare, neque superstitiosam vulgi loquacitatem necesse est metuere; quia consilium Dei præpedire non poterunt filii diffidentiæ. Aderit tibi, et vere aderit ille, qui non fallitur, Filius Virginis, plenamque adhibebit operam, ut de sub luto egeratur corpus sui Martyris. Sunt etiam super hac re eorum jocunda consilia, quorum pura devotione Deum sua de me exsequetur opera *e*. Tali demum ammonitione Landbertus animatus, cum recessisset visio, omni proturbato timore, Gonterum suum, cujus vicem agebat, nichil cuntatus aggreditur, trahit seorsum, ducit in secretorium, eique visionem de hoc Christi Martyre, prout quater acta est, Deo teste, eloquitur.

A. ANONYMO.

et uterque populo, quem ad translationem exsequendam

9 Gonterus hac novitate attonitus, intrat secretum mentis suæ cubiculum, oratque super hæc Dei magnalia Patrem suum cœlestem, fusisque in laudem Dei precum singultibus, postquam orationem terminat, disponit circumfluam cleri plebisque consulere multitudinem, quorum prudenti ediscat consilio, quid potissimum sit agendum de hoc abscondito Dei thesauro. Rapta deinde temporis opportunitate, et collecta quasi ad circi spectaculum tota penitus regione, ipse Gonterus medium itemque altiorem locum occupat; E cunctis stupentibus primo indicit silentium, deinde de Martyre suo abunde disputat. Inducit sane Martyris passionem, enodat diversa curationum genera, et quæ ab introëunte ævo usque ad capitis truncationem *f* Sanctus Dei egerat, ea omnia multitudini collectæ recitat. Deinde processurus ad certissimas de Martyre Dei visiones, prædictum Landbertum sani testimonii virum, et qui omnibus rei ordinem, visu teste, cognoverat, in publico ad testimonium suæ narrationis collocat. Et quia in ore duorum vel trium omne stabit verbum, Gonterus beati Martyris visionem quater actam enarrat sub testimonio Landberti, ipseque Landbertus eam corroborat certa auctoritate fidei suæ.

et ad triduanum jejunium hortatur.

10 Protinus, ut id moris est, soluto silentio, omnis illa multitudo in voces tumultuat, sonituque plebeio in laudem Dei æther concrepat. Videres quosdam altius gemere, alios in jubilum sanctæ exultationis se attollere, plures autem contuso pugnis pectore, et poplite in terram flexo, nescio quas, Deo dulces odas pulveri immurmurare. Ita prætermisso modicum spatio, Gonterus F narrandi ordinem reïterat, et velut camino oleum adjicias, anhelantem ad Deum populum exhortatione mirabili inflammat. Monet omnes ad elevationem Martyris unanimes fore, seque ipsum non defuturum, nec pigrum spondet pura mentis devotione. Testatur præter assensum omnium se nil velle præsumere, sibique utillimum videri, omnes in unam eamdemque sententiam convenire, parique consilio sanum negotium esse incipiendum, atque, remotis omnibus, constanti animo Martyrem Dei extumulandum. Postremo nulli licitum est ad has reliquias, nisi castigato corpore, peraccedere; ideoque omnibus sanum, aliquos ante dies jejunio continuare. Itaque triduanum multitudini indicit jejunium, terminatoque sermone, solvit conventum.

Eirardus episcopus Noviomensis rogatus advenit.

11 Eo tempore Karolus rex Francorum annum regni sui agebat sextum decimum, Balduinus, cognomento Calvus, tricesimum sextum arregnaverat annis * in comitatu Flandriarum; Eirardus quoque Noviomis sub Christo auctore rexit

** imo annum*

A. ANONYMO. rexit pontificium *g*. Hujus Eirardi erat studium de incremento ecclesiæ sollicitari, Dominique vestigia in mandatis ejus tota animi deliberatione velle imitari. Removebat de ecclesia illas de Cantico vulpeculas, quæ demoliebantur vineas Domini, sciens, conventionem Christo non esse cum Belial, nec partem fideli cum infideli. Gaudebat sane, ecclesias insigniri reliquiis sanctorum, quæ adversus hæreticas pravitates sanæ fidei sunt in testimonium, quia ex miraculis Sanctorum solidatur fides Christianorum. Huic viro religioso suggestum est de elevatione B. Gerulphi martyris, atque ad hoc officium eum esse unanimem postulabat devotio cleri et plebis. Assensit pater ille supplicantibus, clerumque invitabat secum cum personis laicalibus. Convenerunt pari cum festinatione nec dissimili voto plurimi, magis autem ob reverentiam Martyris nostri, quam ob imperium sui episcopi.

sacrumque corpus Trunchinium transfert,

12 His itaque interea *h* ordinatis, episcopus iter arripiens, longa viarum per dispendia ad usque prædictam Merendram pervenit, collectumque sibi obviam vulgus ad effodiendum Dei Martyrem B commonuit *i*. Cerea interim deducuntur virgineis manibus luminaria, spargunt procul odorem imposita igni timiamata, aptantur munda ossibus sacris receptacula. Data tandem episcopi licentia, viri fæminæque ad sepulchrum certatim proruunt, terramque alii ferramentorum utensilibus, alii manuum unguibus egerunt, quæruntque sub pulvere, qui fulgebat in æthere *k*. Cœpit jam illud mundissimum frumenti granum videri, quod effossum exuberabat miraculo multiplici. Remota vulgi sollicitudine, episcopus ossa vivifica elemento benedictæ aquæ aspergere properavit, eaque, ut moris est, turificata, mundo linteamine obvolvit. Instabat jam tempus, quo Truncinium cum hoc electo Christi Milite tenderetur; verum omnis vicinia plurimum ingemuit; quia tali Patrono privaretur. Accurrebant tamen luctuosi, hii humeros, illi subjicientes dexteras, miserumque se clamitabat, quem a tam nobili pondere aut senium retraxit aut carnis imbecillitas.

ubi a canonicis excipitur energumenus

13 Necdum viciniam, ad quam festinabatur, attigerant, cum ecce ab oratorio perpetuæ Mariæ Virginis cum cereis et dominicis vexillis palliata canonicorum erupit processio, susceptumque in humeros Martyrem extulerunt cum spiritali C cantico. Tali cum tripudio illud nobile ingressi oratorium Merendrensium dolorem sibi mutabant in gaudium. Locabant loco haud obscuro hunc Christi Martyrem, expolitum lapidem scilicet in ornamento supernæ Jherusalem, ubi apud Regem suum, quem in decore suo mundis aspectibus intuetur, nobis se præstat intercessorem. Procedebant sane ibi de thesauris Dei gloriosa miracula; quia campanæ in adventu S. Gerulphi absque humano impulsu puriori præter solitum sonitu feriebant aëra *l*, cereique ante altare S. Mariæ, non admoto flammarum incendio, sed solo Dei nutu procul sua spargebant lumina. Adductus est interim energumenus, a cujus ore fœdus inhabitator verba rotabat horribilia, quem undique vinctum ferrea cohibere vix poterat catena. Astabat miserandi hominis collecta in fletum consanguinitas, et in hujus miseri miseriam cum magno ejulatu S. Gerulphi inclamabat reliquias.

ibidem liberatur. Tempus hujus translationis.

14 Cumque possessus ille patulo ore totus excederet, et fronte rugata atque minacibus oculis fœdas gesticulationes moveret, quidam de astantibus canonicis os unum de hiis sacris reliquiis arripuit, quo aquis intincto, dependentes de eodem osse stillas in os patulum debachantis injecit. Dæmon S. Gerulphi non passus meritum, fœda, ut solet, relinquens vestigia, exivit illud familiare sibi subsellium, eoque fugato, arreptitius ille recepit seipsum. Succedunt igitur gaudiis gaudia, applicantur miraculis miracula, repletur jubilo et laude tota ecclesia. Reducunt illi, quem dementem adduxerant, sospitati redditum; canonici vero Martyrem suum exaltant in eadem ecclesia pro speculo sanctarum virtutum. Dicat igitur, dicat martyr noster S. Gerulphus: Hæc requies mea in seculum seculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Hæc acta sunt octavo Idus Octobris, anno scilicet nongentesimo quintodecimo Dominicæ Incarnationis *m*. D

Sacrum corpus circumfertur ad colligendas eleëmosynas

15 Anno millesimo octogesimo octavo Incarnationis Domini Occidentale opus Trunchiniensis ecclesiæ dissolvitur tempore Gedezonis *n* præpositi; ipsius etiam simulque canonicorum ac laicorum consilio, ut in majori elegantia fundaretur, quod antiquis temporibus a paganis constructum fuerat, et ejecto idolo, atque erecto vexillo sanctæ Crucis, a S. Amando in honorem beatissimæ Matris Domini Mariæ consecratum erat *o*. Unde clerus cum populo ipsius cœnobii scriniam *p* cum corpore S. Gerulphi martyris per singulas Flandriæ parrochias deportare sapienter decrevit, ut quæ minus ex E rebus suis possent explere, ex piis aliorum largitionibus copiosius ecclesiam restaurarent. Igitur cum hymnis et laudibus devotissime ad honorem Dei hujusque sancti Martyris decantatis, gloriose egressi, digniores loci et in religione commendabiliores ecclesiæ personas secum provide duxerunt, et sic procedentes, atque verbum vitæ populo communicantes, magnam ecclesiæ substantiam fideliter coacervaverunt.

pro restauranda ecclesia,

16 Quis enim, auditis hujus pretiosissimi Sancti magnalibus, viscera pietatis erga ejus fideles, nedum petentes, licet avarissimus, non largiter aperiret *q*, vel quis per bonos dispensatores mysteriorum Dei exempla vitæ ejus doctus, vias erroris, quas sine Deo auctore quisque infelix sibi invenit, citissime non desereret? Illi enim erant servi Patris familias, et dispensatores Domini, mensuram tritici fideliter erogantes, quam ab ipso acceperant. Unde Apostolus scribit, dicens: « Unicuique sicut Deus « divisit mensuram fidei. » Nam quicumque spiritale triticum sanctæ eruditionis recte minus doctis dispensaverit, fidei sacramentum et sanctæ operationis F consilium pectoribus eorum sæpissime inserit. Ergo magna pars eorum, cum per Dei famulos verbum veritatis audirent, et vitam sancti Martyris Gerulphi commendabilem in armariolo sui pectoris sæpius revolverent, a peccati via fortiter desistunt, studentes grex fieri boni Pastoris et familia sui Redemptoris. Scriptum est enim, Pastorem bonum animam suam posuisse pro suarum ovium redemptione.

dumque in pago pernoctat,

17 Nam postquam Spiritus sanctus per verba prædicantium rubiginem vitiorum in mentibus illorum ardenter consumpserat, et amorem sui firmiter infixerat, omnia, quæ ab eis quærebantur, dare non recusabant, sed ultro etiam non quæsita ministris S. Gerulphi pro æternæ beatitudinis remuneratione abunde offerebant. Quo *r* fit, cum sermo doctorum, quem Spiritus sanctus intus et extra emissum disponit, corda audientium pungat, et vitia exstirpet, et ardorem sui inflammet, recte populus sancta prædicatione ab errore conversus, justis actionibus gaudet constanter insudare. Quocirca Dei sanctique Gerulphi familia donis pietatis valde ditata, in parrochia Suiuenghem *s* ut

A ut pernoctaretur, gratulanter pervenit, et sibi a custode, ut solet, fieri cum reliquiis introitum ecclesiæ suppliciter quæsivit. Ille autem custos, nescio unde iratus, vel cujus consilio depravatus, petitionibus eorum superbe respondit, conjurans ac detestans, illi * cum S. Gerulpho numquam patere ingressum. Quo dicto, indignans eos ulterius audire, rapido cursu se illis subtraxit, et januas templi propagulis oppositis et ferreis seris, ne incederent obstruxit.

* *al.* illis

puella contracta erigitur.

18 Deinde cum scrinia S. Gerulphi ad hostium exclusa staret, magna virorum ac mulierum multitudo concurrens undique affluxit, illumque exclusum conquerens, in humeris alte sustinuit. Paulo post puella contracta, reptando cum scabellis *t*, advenit, quæ super scriniam devote ponebatur, unaque cum populo Dominum sanctumque Gerulphum sibi sanitatem cum usu membrorum reddi obnixe deprecabatur. Vix prece finita, ipsa sanitati reddita, usum membrorum *u* recepit, et recta incedens, Deum, qui suum Martyrem in conspectu populi tanto miraculo declaraverat, multis Te Deum laudamus secum concinentibus, magnificavit. Igitur custos ille videns hoc miraculum, B quod fiebat per beatum martyrem Gerulphum, pœnitentia conductus de animi sui duritia, Dominum cum aliis constanter benedixit, ecclesiam concito reserando, S. Gerulphum cum sua familia intromisit. Nec munera pietatis parca manu Deo in memoria sanctissimi martyris Gerulphi conferebant, sed quæcumque contradere poterant, ad scriniam ejus exultantes offerebant. Hic quoque exstat illud dictum Jesu filii Sirac * completum : " In omni dato " hylarem fac vultum tuum, et exultatione sancti" fica ; " quod ille quoque nobis præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

* *al.* Sirah

ANNOTATA.

a *Nempe in ecclesia Trunchiniensi, B. Mariæ Virgini dicata. Ex hisce porro omnibus deducendum videtur, scriptori Vitam quamduam* S. Gerulphi, *in qua ejusdem translatio non legebatur, præluxisse, quod de Vita, quam dedimus, dici non potest. Vide dicta in Commentario prævio num.* 19.

b *Adi Commentarium num.* 22 *et* 29.

C c *Editio Sanderi habet :* Bonos ad meliora, malos ad veniam atque correctionem sancta admonitione incitare. *Sunt et alia nonnulla in eadem editione a Mss. nostris discrepantia, quæ, quia ad rem nil faciunt, tacitus præteribo.*

d *Isthæc Landberti dicta ex conjectura sua haud dubie scripsit anonymus, translatione, ut minimum, sesqui seculo junior.*

e *Biographus illo antiquior in Vita edita multas quidem apparitiones, Sanctique de corpore suo transferendo mandatum breviter memorat, sed dicta non recenset, quæ scrptori hujus Adventus tribuenda sunt, uti et alia multa, quæ pro suo judicio exornavit.*

f *Nescio, unde hic didicerit,* S. Gerulphum *truncatum capite fuisse, quod certe cum biographi dictis, communique sensu ceterorum, qui de sancto Martyre meminerunt, nequaquam convenit.*

g *Quid de omnibus hisce chronologicis notis, quæ infra cum anno Christi* 915 *conjunguntur, censendum sit, consule Commentarium prævium num.* 31 *et sequentibus. Porro ab hac periodo incipit Translatio in Ms. Corsendoncano.*

h *In aliis legitur :* His ita in viam ordinatis. A. ANONYMO.

i *Secundum biographum in Vita data non videtur episcopus translationi adfuisse. Adi Vitam num.* 14, *et Annotata ibidem lit.* c.

k *Vide animadversionem nostram de hoc Martyrem effodiendi modo in Commentario num.* 36.

l *De hoc campanarum prodigio nihil memorat biographus, rei gestæ synchronus. Sed et candelas in Merendrensi S. Radegundis ecclesia, dum sacrum corpus ibidem quiesceret, divinitus accensas fuisse ait ; at nihil simile de ecclesia Trunchiniensi meminit.*

m *Imo aliquot annis serius. Vide dicta in Commentario, mox ad litteram* g *citato.*

n *Teste Sandero in Flandria illustrata pag.* 122, *hic* Godezo *vel* Godozo *anno Christi* 1087 *Amando, sponte deposito, electus a canonicis in præposituram Trunchiniensem successit, tenuitque usque ad diem* 8 *Maji anni* 1117, *quo obiit. De annis consentiunt Galliæ Christianæ scriptores tom.* 5 *col.* 235, *sed mortem mensi Martio illigant. Apud laudatum Sanderum legitur Folcardus ejusdem loci præpositus partem Orientalem cœnobii, anno* 1075 *prostratam, elegantius erexisse. Hunc itaque æmulatus Godezo, Occidentalem pariter restauravit.* E

o *Primam ecclesiam Trunchinii erectam fuisse a S. Basino, de quo in Opere nostro vide ad diem* 17 *Julii, et a S. Amando, de quo consule tom.* I *Februarii pag.* 822, *num.* 34, *et beatissimæ Dei Matri Virgini Mariæ consecratam fuisse lego, non autem eamdem a paganis olim conditam, et idolo erectam.*

p Scrinia *vel* scrinium, *lipsanothecam hic significat.*

q *Quæ sequuntur usque ad illa,* Nam postquam Spiritus Sanctus *etc, desiderantur in Ms. Corsendoncano.*

r *Sequentia denuo desunt in eodem Ms. usque ad :* Quocirca Dei *etc.*

s *Ita etiam habent alia Ms. nostra, sed locum hunc in tabulis non invenio. Sanderus, qui in priori editione Hagiologii Flandriæ legerat* Suinerghem *, in altera posuit* Somerghem, *quem tom.* I *Flandriæ illustratæ, pag.* 177 *pagum notat ad tertium ab urbe Gandavo lapidem, Brugas versus, ad dexteram canalis situm. Forte hunc locum eumdem putavit cum* Suivenghem *hic memorato : at si ex similitudine vocabulorum conjicere liceat, ad eumdem propius accedit pagus* Seeverghem *vel* Zeeverghem, *qui in tabula episcopatus Gandensis, sesqui circiter milliari Gandavo distat, Aldenardam versus ad Scaldim situs. Est et pagus* Swevegem *prope Cortracum.* F

t *Id est, humilibus illis fulcris, quibus reptantes innixi, movere se solent.*

u *Hanc periodum restitui ex codice nostro Valcellensi, et Suessionensi Ms., cum in Trunchiniensi codice et altero ejusdem exemplari truncata legeretur hoc modo :* Unaque cum populo Dominum, sanctumque Gerulphum sibi sanitatem cum usum membrorum recepit. *Eodem modo habet in utraque editione sua Sanderus, eumdem codicem secutus, præterquam quod* dominum S. Gerulphum *substituerit, et pro voce* usum *reddiderit* usu.



MIRACULA

Ex Ms.

MIRACULA

Ex Ms. codice Trunchiniensi.

Sancti corpus pro imploranda pace Aldenardam defertur;

Quia *a* Dominus in Sanctis suis laudari præcipitur, absurdum et penitus reprehensibile videtur Sanctorum merita et miracula, quæ Deus per merita et intercessiones eorum nobis peccatoribus ostendere dignatus est, silentio tegere et abscondere, et præcipue Flandriæ specialis Indigenæ, scilicet gloriosi martyris Christi Gerulphi, cui nutu Domini Balduinus Barbatus *b*, dudum comes Flandriæ, miles egregius, tantam reverentiam et honorem præcipuum exhibuit, sicut in Chronicis reperitur, quod anno Domini MXXX omnibus reliquiis sanctorum corporum Flandriæ in Aldenardo *c* adunatis pro pace conjuranda, scilicet S. Gerulphi martyris, Bavonis, Wandregisili, Amandi, Vedasti, Bertini, Winoci *d*, cum innumerabilibus B aliorum Sanctorum reliquiis, comes Balduinus prædictus, interrogatus, cujus reliquiæ in ordine processionis essent ceteris præferendæ, vel deponendæ, constituit ipse comes Balduinus, præsente Hugone episcopo *e* cum aliis episcopis et abbatibus plurimis congregatis, totiusque sui regni primatibus reliquias S. Gerulphi martyris, suæ patriæ indigenæ, ante omnes honorabiliter deportari, et magnifice præponi.

ejus pristinum cultum scriptor resuscitare cupit.

2 Nunc autem incolæ loci illius, in quo reliquiæ S. Gerulphi requiescunt, scilicet B. Mariæ de Trunchinio, ad cor reversi, considerantes, ob vitium malæ taciturnitatis suæ tam pretiosum thesaurum diu latuisse, et lumen miraculorum suorum multo tempore sub modio absconditum fuisse, et non super candelabrum populis et præcipue Flandrigenis, quorum specialis Indigena dignoscitur esse, resplenduisse, condolentes, sano usi consilio, metuentes argui a Domino in die ultionis, gloriosum martyrem suum Gerulphum ob negligentiam ipsorum tanto tempore fuisse sine honore in patria sua, dignum duxerunt de cetero glorificare nomen sanctum ejus, et intimare Christi fidelibus virtutes et miracula, quæ Dominus per merita C et intercessiones ejus operari dignatus est; ne fama ejus, quondam tam celebris, totam Flandriam penetrans, amplius lateat in tenebris. Sæpius autem comperimus tam in libro Passionis ejus, quam a Christi fidelibus, peregre visitantibus limina ecclesiæ de Tronchinio, in qua sacro-sanctum corpus ejus in feretro requiescit, nullum fraudatum esse a desiderio suo, qui toto corde in quacumque tribulatione auxilium consolationis suæ fideliter invocavit. Primo miracula, quæ in libro Passionis ejus reperimus, in honore et laude ipsius disseramus *f*...

Dum Sancti corpus Merendram transfertur,

3 Quamquam ea, quæ fidelium relatu referuntur, non difficile ab auditoribus æque fidelibus creduntur, multo tamen certius cogniti, ne dicam fide sciuntur, quæcumque oculis a quoquam cernuntur. Unde sicut ea, quæ a majoribus de glorioso martyre nostro Gerulpho didicimus, sic et illa, quæ oculis ipsi vidimus, stilo tradere operam impendimus. Consuetudo est apud incolas Trunchinienses semel in anno, videlicet in festo sanctæ Trinitatis deferre feretrum cum reliquiis S. Gerulphi martyris ad locum nativitatis suæ in villam, vulgariter Merendram nuncupatam. In eodem festo, anno Incarnationis Dominicæ MCCXCV D contigit, mulierem quandam ex oppido Gandensi peregre visitare limina ecclesiæ Trunchiniensis, in qua reliquiæ præfati Martyris in scrinio recondita sunt. Mulier autem ingressa atrium templi, ad pausandum resedit, expectans, donec feretrum sancti Martyris de templo efferretur, et ad locum prædictum. Quæ statim percussa est gutta *g* ingenti, ita ut ab omnibus paralitica crederetur in tibia et pede.

mulier tibiæ malo, et obsessa

4 Interea populus cum feretro sancti Martyris egreditur templum; quod videns mulier, dum vehementer cruciaretur, exclamavit voce magna: O gloriose martyr Dei Gerulphe, adjuva me ex hac infirmitate mea, ut cœptum perficiam iter in honorem et laudem nominis tui. Hæc muliere orante, statim ut feretrum ante ipsam pertransivit, infirmitas illa curata est ac penitus deleta, et mulier exiliens, profecta est cum cæteris peregrinis, sequens feretrum, ambulans et benedicens Deum, qui tanta ac talia miracula per merita et intercessiones gloriosi martyris sui Gerulphi operari dignatus est. Et inde pergentes, appropinquarunt vico, vul- E gariter Wilde *h* nominato, in quo jacebat mulier quædam a dæmone obsessa, quam vix catena ferrea cohibere poterat per biennium. Mox cognati et vicini mulieris præfatæ circumstantes eam, ut audierunt tumultum populi et clangorem nolarum, præcedentium feretrum sancti Martyris, cognoverunt, eum advenire. Qui statim genua flectentes, cœperunt invocare S. Gerulphum, ut, qui multis succurrebat, precibus suis hanc miseram dignaretur a dæmonio liberare.

dæmone, liberantur. Alter energumenus curatus.

5 Appropinquante autem sancto Martyre, et ante ostium domus, in qua mulier jacebat, transeunte, catenis ruptis, quibus mulier fuerat constricta, ipsa a dæmone liberata exiliens, cucurrit ad feretrum, amplexans et deosculans illud, et benedicens Deum cæli, qui sanctum martyrem suum Gerulphum tantis ac talibus decoravit miraculis. Item de mirabilibus ejusdem gestis hoc factum videtur nobis minime prætereundum, sed fidelibus fidelium auribus intimandum. Anno Incarnationis Dominicæ MCCCVII vir quidam in parochia Trunchiniensi arreptus est a dæmonio, quem vehementer vexare cœpit, ita ut vir ille sibi ipsi multa vulnera inferret. Quem funibus undique vin- F ctum præsentes *i* et vicini ponentes in grabato, tulerunt in ecclesiam; quam intrans, rugitum, quasi leo, emisit. Posito dæmoniaco ante sanctum martyrem Christi Gerulphum, clero ac populo circumstantibus, et misericordiam omnipotentis Dei et auxilium sancti martyris Gerulphi humiliter implorantibus, non multarnm horarum spatio elapso, dæmoniacus ille curatus est. Moxque exclamavit, se vidisse juvenem purpuratum, vultum habentem angelicum, dæmonium a se ejecisse et expulisse. Quod audientes circumstantes, cognoverunt, illum meritis et intercessione S. Gerulphi a dæmonio esse liberatum. Qui statim in hymnis et laudibus glorificaverunt Deum cæli, qui sanctum suum martyrem Gerulphum tali decoravit miraculo et gloria.

Corpus in novam thecam translatum: comitialis morbus abactus.

6 Anno Domini MCCLVII *k* in nativitate S. Joannis Baptistæ vir venerabilis, dominus Walterus de Mandra *l* episcopus Tornacensis transtulit reliquias S. Gerulphi de una capsa in aliam, in novis sudariis involvens, veteribus foris capsam reservatis; per quæ sudaria omnipotens et misericors Dominus multas virtutes operari dignatus est, quarum præcipuam et maximam recitabimus. Puer quidam

A quidam fuit in territorio Insulensi *m*, qui septies in die de morbo caduco laborabat. Parentes autem pueri, audita fama sancti martyris Gerulphi, et miraculis, quæ per eum fiebant, detulerant puerum Trunchinium, et ponentes illum ante sanctum Martyrem, impetraverunt a sacerdote particulam sudarii, in quo corpus sancti Martyris involutum fuerat; qua per filum circa collum pueri suspensa, morbus ab illo die cessavit. Post aliquantulum vero temporis filo putredine sudoris rupto, particula illa de collo pueri cecidit in terram, moxque puer cecidit, laborans iterum de morbo prædicto. Parentes pueri velociter resumentes scedulam prædictam, consuerunt illam in tunica pueri, et sic tulit illam consutam in vestimentis suis toto tempore vitæ suæ, nec tetigit eum morbus amplius.

Invocatur ut patronus adversus tempestates

7 Maxima adhuc virtus restat narranda, et auribus fidelium intimanda cum magna devotione et sollicitudine, ut misericors Dominus in sancto suo Martyre glorificetur amplius et honorificetur, et sanctus martyr Gerulphus in omni tribulatione et angustia ab hominibus devotius invocetur et adoretur. Quia sæpius comperimus a prædecessoribus nostris, qui narraverunt filiis suis a generatione in B generationem, numquam se vidisse vel audivisse a progenitoribus suis tempestatem aëris, tonitrui, seu fulguris, nocuisse vel destruxisse, vel evulsisse segetes vel arbores in parochia Trunchiniensi, ex quo B. Gerulphus ibi requievit; cum tamen in parochiis circumjacentibus multæ tempestates acciderint, et sæpius segetes et arbores evulsæ sint et perierint: per quod indicium confidunt, et pro certo scire volunt plurimi parochianorum, sæpius protectam fuisse parochiam prædictam meritis et precibus S. Gerulphi.

felici successu

8 Quod manifeste patet testimonio duorum fidelium, quondam in præfata parochia commorantium, qui narraverunt et juramento affirmaverunt, se tempore messis manipulos in agro ligasse. Cumque opus illud agerent, viderunt in nubibus imbrem validissimum imminere. Imbre de nubibus primo procul ab eis valide cadente, postea eis appropinquante, flectentes genua, cœperunt cum magna devotione et sincera fide invocare gloriosum martyrem Christi Gerulphum, ut se et segetes suas a turbine imbris precibus suis protegeret. O res admiranda et omni laude dignissima! Hæc illis orantibus, et C se limina ecclesiæ, in qua requiescit, peregre visitaturos pollicentibus, turbo imbris, quasi limites sibi constitutos non audens transgredi, diffusus est circa limites terræ illorum, terra circumjacente præ nimio turbine imbris tabo redundante, sola quidem gutta pluviæ super segetes illorum non cadente. Turbine sedato, omissis omnibus operibus suis, perrexerunt ad ecclesiam Trunchinii, annuntiantes ibi magnalia et virtutes Dei, quas operari dignatus est meritis S. Gerulphi. Omnes audientes, gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete, et præcipue Gandenses, quibus pius et misericors Dominus talem Indigenam ac tantum Patronum largiri dignatus est *n*.

Beguina frenetica sanatur

9 Anno Domini MCCCIX circa festum S. Mariæ Magdalenæ quædam puella de oppido Gandensi, degens in Ordine Beghinarum *o*, vehementer cruciabatur infirmitate, quæ frenesis nominatur, ita ut vestimenta sua manibus discerperet. Quod videntes mulieres secum manentes, omnes in lachrimas proruperunt, timentes, illam a dæmonio obsessam esse; et invocantes auxilium et consolationem S. Gerulphi, omnes una cum infirma pollicitæ sunt peregre visitare sanctum Martyrem, si Dominus precibus ejus dignetur hanc infirmam curare. Non multo post tempore elapso, mulier in se reversa, glorificare cœpit S. Gerulphum martyrem Christi, cujus precibus se confidit esse sanatam. Tunc omnes unanimes cum ipsa votum peregrinationis fideliter et devote impleverunt, annuntiantes ibi magnalia Dei, quæ per merita S. Gerulphi operari dignatus est. Ex M.

ANNOTATA.

a *Miracula, prout ea hic edimus, exstant in solo codice Trunchiniensi: nam in apographis nostris Bertiniano et Suessionensi, uti et in codice Valcellensi, et editionibus Sanderi omnino desiderantur: in Corsendoncano autem non omnia, nec eodem ordine legere est. Sed et nos hic multa resecabimus, quæ scriptor horum miraculorum ex Adventu seu Translatione mutuatus est, et nos superius recensuimus.*

b *Fuit is hujus nominis IV, comes Flandriæ sextus, qui, teste Sandero in Flandria illustrata a prolixitate subnigræ venustæque barbæ* Pulchrobarbus *cognominatus est, patrique suo Arnulpho II, anno* 988 *vita functo, in comitatum successit, et usque ad annum* 1036, *quo obiit, rexit.* E *De causa ob quam comitia, de quibus hic agitur, indixerit, consule Commentarium nostrum prævium num.* 38 *et sequentibus.*

c Aldenarda *vulgo* Oudenarde *oppidum Belgii est in Flandria, Gandavum inter et Tornacum Scaldi impositum.*

d *Ex hisce S. Bavo, cognomento Alloynus, Gandensium patronus, colitur die* 1 *Octobris; S. Winocus abbas Bergis in Flandria Gallica, die* 6 *Novembris. De reliquis in Opere nostro actum jam est: nempe de SS. Amando Trajectensi et Vedasto Attrebatensi episcopis ad diem* 6 *Februarii, de S. Wandregisilo abbate Fontanellensi ad* 22 *Julii, de S. Bertino abbate Sithivensi ad* 5 *Septembris. Porro alii plures recensent; at nolim spondere ea omnia Sanctorum corpora in laudatis comitiis Aldenardensibus adfuisse. Lege commentarium prævium num.* 40.

e *Noviomensi ac Tornacensi. Adi Commentarii prævii locum mox citatum.*

f *Sequuntur varia ex Vita et Adventu seu Translatione, supra editis descripta, quæ propterea hic omittenda censui.* F

g *Per* guttam *videtur hic catharrum, seu noxiam humorum fluxionem in tibiam significare.*

h *Steytius in Vita Flandrica asserit, hunc locum* Wilde *dictum, in parœcia Trunchiniensi situm esse.*

i *In Corsendoncano Ms. est*: Parentes.

k *Hic incipiunt Miracula in eodem Ms. Corsendoncano.*

l *Walterus hic hujus nominis III, dicitur tom.* 3 *Galliæ Christianæ auctæ, col.* 219 *episcopatum Tornacensem tenuisse ab anno* 1252 *usque ad* 1262, *quo defunctus est. In Corsendoncano Ms. pro* Walterus de Mandra episcopus *perperam legitur,* Walterus de mandato episcopi.

m Insulæ, *Flandrice* Ryssel, *Gallis* Lille, *perampla opulentaque civitas. Belgii est in Flandria Gallica, cujus caput est.*

n *In Ms. Corsendoncano hic sequuntur ea, quæ num.* 3 *et duobus sequentibus recensita sunt.*

o Begginæ *vel* Beguinæ *virgines sunt, quæ in modesto habitu, certisque regulis alligatæ, in diversis quidem ædibus, sed intra unum tamen claustrum et sub superioribus suis piam vitam ducunt. Religiosæ tamen non sunt, et ad seculum et nuptias*

A. ANONYMO.

ptias possunt transire, Regulis suis et constitutionibus, quæ a summis Pontificibus nondum approbatæ fuerunt, tantum adstrictæ, quamdiu in Begginasiis, (sic ista earumdem collegia vocantur) volunt perseverare. Hujusmodi autem begginasia, ut multa alibi in Belgio, Gandavi duo sunt, Majus et D *Minus appellata, quæ teste Sandero tom.* 1 *Flandriæ illustratæ pag.* 144 *Joannam Constantinopolitanam, Flandriæ comitissam seculo decimo tertio fundatricem agnoscunt.*

DE S. JONA PRESB. MONACHO

IN MONASTERIO S. SABÆ IN PALÆSTINA

J. S.

SYLLOGE

De cultu et gestis Sancti.

VERISIMILITER SUB INITIUM SECULI IX. *Jonas presbyter, a Græcis et Moscis memoratus,*

Quamquam *de* S. Jona *monacho in Martyrologio Romano silet Baronius, aliique Latini martyrologi passim, excepto Ferrario, eumdem prætermiserunt, de legitimo tamen cultu* Jonæ *monachi nequaquam videtur dubitandum. Etenim in omnibus fere libris ritualibus Græcorum celebratur* S. Jonas, *et Mosci in Ephemeridibus figuratis, quas dedit Papebrochius ante tom.* 1 *Maji,* S. Jonam *presbyterum similiter annuntiant ad* XXII *Septembris his verbis :* Jonas presbyter. *Addit Papebrochius has annotationes :* Monachus inter Sabaïtas vixit, pater SS. Theodori et Theophanis confessorum, qui coluntur XXVII Decembris. Ipse autem a Menæis refertur die præcedenti, nec Vitam habet ab Actis filiorum distinctam, quæ habemus Græce. *Acta illa edidit Combefisius in Originibus Constantinopolitanis pag.*191, *sed in illis pauca, et generatim solum aliqua de parentibus SS. Theodori et Theophanis dicuntur, nec nomina eorum indicantur. Attamen SS. Theodori et Theophanis, cognomento* Graptorum, *patrem fuisse* Jonam *credere facile possumus, cum id testetur collector Menologii Basiliani, qui ab ætate Sanctorum illorum non adeo fuit remotus, ut fidem ea de re mereri nequeat, præsertim cum et Menæa habeat consentientia, uti et Synaxarium Ms. ejusdem fere ætatis, et Typicum* Sabæ *dictum. In laudata autem Theo-*
B *dori Grapti Vita apud Combefisium pag.* 192 *hæc de parentibus ipsius dicuntur :* Generosi viri hujus parentibus claritatem pietas præstabat : eorum divitiæ amplaque substantia, quod a Christo nomen Christiani nuncupatione asciverant. *Hæc significant, pios fuisse et Christianos; at amplas parentum Theodori divitias, quas ex hoc loco Bailletus parentibus Theodori attribuit, ego nequaquam invenire possum. Deinde Theodorus ejusque frater Theophanes dicuntur a parentibus missi ad monasterium S. Sabæ, litteris et pietate imbuendi. Nec plura de parentibus dat Vita S. Theodori.*

monachus fuit virtutibus et miraculis clarus,

2 *In Menologio, quod seculo* X *concinnatum est jussu Basilii imperatoris, ad* XXII *septembris* S. Jonas *annuntiatur his verbis :* Commemoratio sancti Jonæ, patris Theodori et Theophanis confessorum. *Additur hoc elogium :* Presbyter fuit hic Jonas, pietate et doctrina insignis, pater autem Theodori beatissimi confessoris ac Theophanis canonum scriptoris, illius, inquam, Theodori, cujus faciem atramento inussit et vulneravit Leo caballinus *(imo Theophilus)* iconomachus, eo quod illum inducere non potuisset, ut cultum adorationemque sanctarum Christi, et ejus, quæ sine semine illum genuit, Deiparæ, omniumque Sanctorum ejus imaginum abnegaret. Hic igitur S. Jonas, remisso rebus seculi nuntio, in lauram sancti Sabæ sese recepit, et monachus factus est : tantoque studio se ipsum jejuniis, orationibus, perpetuis lacrymis, et fletu exercuit, ut, cum omnes in sui admirationem pertraxis- E set, multis cupiditatem injiceret imitandi exactam ipsius omnique virtute præditam vitam. Quamobrem donum * curationum accepit, quo accedentibus ad se profuit. Cum autem hunc in modum vixisset, omnibusque admirandus apparuisset, ad Deum migravit. *Hisce consona leguntur in Menæis impressis, et in synaxario Sirmondi Ms., quæ nominatim consentiunt de* S. Jonæ *filiis SS. Theodoro et Theophane, uti et de dono miraculorum. Menologium Sirletianum, in quo pauciora sunt, de illis tacet. Monasticam autem vitam egisse* S. Jonam *in monasterio S. Sabæ in Palæstina, omnia documenta habent. De presbyteratu omnia etiam consentiunt; et Synaxarium innuit, presbyterum ordinatum, postquam in vita monastica virtutibus splendescere cœperat. Hoc satis est verisimile, etiamsi in aliis Fastis ab initio vocetur* presbyter.

* *Græce* donum quoque

et obiisse videtur sub initium IX *seculi.*

3 *Ætas* S. Jonæ *utcumque innotescit ex certaminibus filiorum ipsius pro sacris imaginibus cum Leone Armeno et Theophilo imperatoribus iconomachis, qui imperarunt ante medium seculi* IX. *Leonem ponit Pagius ab anno* 813 *usque ad* 820; *Theophilum ab* 829 *usque ad* 842. *Prior ambos* F *flagris cæsos in exsilium egit, alter eosdem etiam gravius afflixit. Hoc autem a Pagio refertur ad annum* 835, *nec multis deinde annis vixit S. Theodorus, qui senex defunctus in Vita dicitur. Itaque* S. Jonas *pater Theodori, procul dubio annis non paucis ante ipsum obiit, licet et hic dicatur obiisse* ἐν γήρᾳ καλῷ in senectute bona, *tam in Synaxario quam in Menæis, ut verisimiliter pervenerit usque ad seculum* IX, *et fortasse annis aliquot illo seculo vixerit. De patria* S. Jonæ *conjectura fieri potest ex Vita filiorum, qui ibidem imperatori respondent, se* in Moabitide *natos, ut verisimile sit, ibi habitasse* S. Jonam *ante vitam monasticam. Verum plura de his investigari poterunt ad Vitam SS. Theodori et Theophanis, dandam ad* XXVII *Decembris. De die, quo cultus fuit a Græcis, utcumque dubitari potest, cum in Menologio Basiliano et apud Moscos ponatur ad* XXII *Septembris : at in reliquis Græcorum Fastis, nimirum in Menæis, altero Menologio, Typico, Synaxario memoratur ad* XXI *ejusdem mensis diem, quo et Ferrarius eumdem Catalogo suo Generali inseruit.*

DE

AUCTORE C. S.

DE S. MAURA VIRGINE

TRECIS IN CAMPANIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sanctæ gesta a Prudentio, episcopo Trecensi synchrono, relata in Sermone, quem dabimus.

Circa med. Sec. IX. Prudentius Trecensis episcopus

Augusta Tricassinorum sive Trecæ, indigenis Troyes dicta, ampla Galliæ urbs episcopalis sub archiepiscopatu Senonensi, et Campaniæ caput, seculo nono virginem aluit, Mauram nomine, quæ suorum natalium claritate et opibus, ceterisque mundanis deliciis spretis, in paternis ædibus et habitu seculari, se totam virtutum exercitiis addixit, et nondum exacto ætatis suæ anno vigesimo tertio, ad cælestem Sponsum suum hoc die XXI Septembris emigravit, et miraculis inclaruit. Laudatorem habuit Prudentium, ejusdem civitatis episcopum, qui alio nomine Galindo dictus fuit, et cujus aliquot aliæ lucubrationes editæ exstant, præsertim in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. 15. Ecclesia Trecensis eumdem inter Sanctos veneratur, annuoque Officio die VI Aprilis honorat; sed Majores mei ipsum inter Prætermissos tantum modo referendum censuerunt ob rationes, quæ ibidem ad citatum diem videri possunt. Non est hujus loci de ejusdem viri gestis scriptisque ac cultu hic agere, ideoque in utramque partem consuli possunt inter alios Ludovicus Cellotius in Historia Gotteschalci; Vita Prudentii anno 1725 Parisiis Gallice edita, atque Vindiciæ ecclesiæ Trecensis pro ejusdem cultu anno 1736 ibidem eodem idiomate vulgatæ, quarum auctorem Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom. 5 in Prudentio, § I, dominum Breyer, ejusdem ecclesiæ canonicum, appellant et ad quas responsum habes in Ephemeridibus Trivultianis parte 2 mensis Decembris anni 1736 a pag. 2694.

Sanctæ gesta recensuit in elogio,

2 Verum, quod ad præsens argumentum facit, Prudentius ille, seu Galindo, Adelberto in episcopatum Trecensem successit, eique jam præerat anno 846 vel 847, quo concilio Parisiensi velut Trecensis episcopus interfuisse legitur apud Labbeum tom. 7 Conciliorum, col. 1851. Ejusdem obitum Annales Francorum Bertiniani, et post hosce neoterici scriptores anno 861 affigunt. Fuit porro Prudentius sanctæ virgini Mauræ non solum synchronus, sed et familiaris, eique adstitit morienti. Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tomo supra laudato, § 2, num. 5 aiunt, ipsum ejusdem directorem, seu moderatorem conscientiæ fuisse, sed non probant. Quinimo ex ejusdem Prudentii dictis probabilius est, Leonem, abbatem Mantiniacensem seu Mentuniacensem, id officii ipsi exhibuisse: nam teste Prudentio, vir religiosissimus, Leo abbas vicinus... eam cathechizavit et regeneravit ex aqua et Spiritu sancto; et ipsa Virgo ad ejusdem monasterium, licet circiter quatuor millibus, ab hac Tricassina civitate distaret, qualibet tamen quarta et sexta feria, causa peregrinationis nudis pedibus et absque lineis, in arcto panis et aquæ jejunio adibat; et idem denique Leo ad moribundæ Virginis lectulum fideliter adhæsit.

quod a multis rogatus scripsit, et in ecclesia

3 Porro Prudentius, quam vivam optime noverat, mortuam verbis pro concione scriptisque laudavit, ea referens, quæ vel ipsemet in illa observaverat, vel a consanguineis illius aliisque personis fide dignis, quas nominavit, intellexerat. Non tamen hæc oratio, de qua agimus, in ipsius funere, ut alias usitatum est, dicta fuit; sed, quod ad ejusdem Sanctæ commendationem magis facit, in quodam die solemni, rogantibus multis, ut episcopus, de more tunc dicturus ad populum, præ quovis alio argumento, de Mauræ gestis verba faceret, eademque posteris legenda scriptis mandaret. Juverit verba, quibus hunc sermonem exorsus est hic retulisse. Instatis, inquit, charissimi filii, opportune, importune, ut loco sermonis, quem diebus solemnibus, vobis facere consuevi, de vita gloriosa et morte pretiosa sororis nostræ Mauræ non solum dicam, sed scriptum relinquam, posteris profuturum. Ad hoc etiam frater ejus Eutropius, præpositus vester, qui fuit spiritali affectione germanior, quam carnali, me ex parte vestra, et vir religiosissimus Le oabbas, vicinus noster, qui eam cathechizavit et regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, ex parte sanctorum monachorum, sollicitavit frequenter.

recitavit non admodum diu post mortem ejusdem,

4 Quanto tempore post pretiosam Virginis mortem orationem hanc habuerit scripseritve Prudentius, incertum est; et facile potuit tunc unus aut etiam pauci aliquot post istam anni effluxisse; cum ipse de ejusdem sepultura, jam tum miraculis clara, sub finem subdat : Quo (sanctæ Virginis corpore) condigne tradito sepulturæ in loco, ubi nunc a fidelibus honoratur, innumera miracula subsecuta sunt. Breyerus in Vita Sanctæ Gallica, et post ipsum laudati Historiæ litterariæ Franciæ scriptores suspicantur, eam pro S. Mauræ canonizatione dictam fuisse; quod si de beatificatione accipiamus, haud improbabile est. Nam et episcopis id olim concessum erat, et Prudentius ipsam ibidem jam in cælos receptam prædicat, cultumque miraculis comprobatum affirmat. Verumtamen hujusmodi cultus permissionem, sine Romani Pontificis auctoritate ab episcopis factam, non canonizationem, sed beatificationem tantummodo fuisse, probat Eminentissimus Prosper de Lambertinis, nunc Benedictus XIV Papa, in præclaro suo Opere de Servorum Dei beatif., et Beatorum canoniz., lib. 1, cap. 6 et 10, ubi de hoc argumento more suo erudite pluribus tractat.

quodque Camuzatus primus edidit: deinde etiam Gallice vulgatum.

5 Nicolaus Camuzatus, canonicus Trecensis, laudatum Prudentii Sermonem, qui præcipua S. Mauræ gesta complectitur, et quoddam Vitæ ipsius compendium est, primus typis vulgavit anno 1610 in Promptuario sacrarum antiquitatum Tricassinæ diœcesis, depromptum, ut ipse præmisit, ex vetusto Ms. codice, qui plerisque in locis ob characteres exesos ægre legi potuit. Ex hoc Promptuario

AUCTORE C. S.

ptuario deinde in iterata editione Surianæ Collectionis Vitarum Sanctorum suo loco insertus fuit. Post hæc anno 1725 typis Parisiensibus una cum Vita Gallica Prudentii prodiit idem Sermo, in linguam Gallicam versus, et prolixis Notis illustratus. Auctorem, qui nomen suum siluit, canonicum Trecensem Breyer, ut supra dixi, Historiæ litterariæ Franciæ scriptores nominarunt. Hic cap. x *Vitæ Prudentii præter Ms., quod Camuzatus edidit, duo alia laudat, quorum unum extitisse ait in Trecensi monasterio S. Martini in Areis, ubi Officium de* S. Maura, *ut inquit, die ejusdem festa* XXI *Septembris olim legebatur; alterum in ecclesia parochiali pagi* S. Mauræ, *uno milliari Gallico Trecis dissiti. Hoc ultimum, quo pro sua versione Gallica usus est, exaratum esse ait antiquis characteribus Gothicis in magno libro ecclesiastico, ex eoque corrigi posse aliqua in editione Camuzati. Verumtamen tam exiguum inter utrumque discrimen Breyerus ipse in suis Notis ostendit, ut operæ prætium non sit pro laudato Ms. obtinendo laborare; præsertim cum pauca illa ex prædictis Breyeri Notis in Annotatis nostris possimus recensere.*

Aliqui elogium hoc Prudentio abjudicant,

6 *Porro quia in hoc Sermone expressa mentio sit de Sacramentis Confessionis, Eucharistiæ et extremæ Unctionis, non potuit non heterodoxis* B *displicere, quorum unus et alter eum impugnavit, vel Prudentio abjudicandum censuit. Gerardus Vossius de Historicis Latinis lib.* 3, *parte* 2, *cap.* 4, *in Prudentio unum ejusdem adversarium Barthium indicat his verbis :* Prosa reliquit *(Prudentius)* Vitam B. Mauræ virginis; cui illustrandæ est Barthius adversarius. lib. XLIV, cap. XIX. *Hujus Opus non vidi, neque scio, quid adversus Vitam illam objecerit; sed Breyerus in Vita Prudentii cap.* XI *asserit, ipsum Lutheri sectatorem fuisse, ipsiusque animadversiones exigui momenti esse, nec refutatione dignas. Idem Breyerus ibidem alterum refutat, Dalæum scilicet, Calvinianæ sectæ præconem. Hic Prudentii sermonem rejiciendum pronuntiavit, quia Camuzatus fatetur, sese illum ex vetusto exesoque, ut supra diximus, codice eruisse. Verum cum duo alia Ms. a Breyero laudata, editioni Camuzati, exceptis paucissimis, quæ ad rem nihil faciunt, plane consentiant, liquet, codicem illum non tam exesum fuisse, quin Camuzatus studium ac laborem suum in eo describendo felicissime adhibuerit : atque ita codicis antiquitas non modo non obest, sed omnino favet ad laudatum Sermonem Prudentio adjudicandum.* C

alii interpolatum suspicantur,

7 *Præcipue tamen Sermo hic impugnatur ex loco quem subdo :* Statimque, *inquit Prudentius*, ad me conversa *(Sancta)* subjunxit : Hoc extremum munus a te peto, Prudenti pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ et Unctionis extremæ recipiam Sacramenta; quod et factum est. *Hic, inquam, locus non solis heterodoxis displicet, verum etiam nonnullis Catholicis de interpolatione suspectus videtur. Suspicandi rationem Catholici allegant, quod in antiquis Sacramentariis ac Ritualibus sacra infirmorum unctio susceptioni Eucharistiæ constanter præmittatur, quodque eadem Unctio sub finem tantum seculi* XII extrema *vocari cœperit;* Maura *vero* Eucharistiam *ante* Unctionem *sibi dandam petiisse, et hanc* extremam *vocasse dicatur. Ob hanc ultimam rationem Mabillonius in Præfatione ad Seculum* I *Benedictinum*, § 7, *num.* 98 *dicere non dubitavit :* Locus in Vita S. Mauræ a B. Prudentio scripta apud Camuzatum, ubi UNCTIONIS EXTREMÆ fit mentio, interpolatus videtur. Nam nec in Sacramentorum libris a Menardo editis, nec apud Udalricum in libris Consuetudinum Cluniacensium, nec apud Lanfrancum, Anselmum, Petrum Damiani, Petrum de Honestis in Regula Cleric., nec apud S. Bernardum, aut Petrum Lombardum, UNCTIONIS EXTREMÆ nomen occurrit. *Hæc Mabillonius, quæ Pagius in Critica Baronii ad annum Christi* 61, *num.* 2 *et sequentibus adoptavit.* D

quorum argumenta exponuntur.

8 *Dubitari tamen potest, an Mabillonius sententiam suam postea non mutaverit. Etenim tom.* 3 *Annalium Benedictorum ad annum Christi* 850, *num.* 12 *Sermonem hunc sine ulla exceptione Prudentio attribuit, et de memorato loco ita scribit :* Tum hæc a Prudentio petiit, ut de manu ejus EUCHARISTIÆ ET UNCTIONIS-EXTREMÆ RECIPERET SACRAMENTA : qui unus locus est apud veteres Viatici extremæ Unctioni præmissi, quæ nusquam alias, si non fallor, EXTREMA dicta legitur ante finem sæculi duodecimi. *Ad prædictas objectiones jam respondit Breyerus citatus, ostenditque, eas minime obesse posse, quo minus Sermo ille Prudentii esse credatur Et sane, etsi negari non possit, sacrum Viaticum in antiquis Ritualibus Unctioni præmitti, frustra tamen ex hoc capite iste Sermo impugnatur. Nam primo quidem ex eo, quod illius auctor,* S. Mauræ *verba referens, Eucharistiam ante sacram Unctionem nominaverit, minime sequitur, hanc ejusdem ætate in Trecensi diœcesi* E *præmitti soluisse; cum sancta Virgo, ut observat Breyerus, supremam Sacramenti Eucharistiæ dignitatem considerans, et ad illud præcipue anhelans, hoc ante illam nominare potuerit.*

et refutantur.

9 *Deinde in ejusdem Prudentii Ms. Pontificali, ex quo* Ordo ad visitandum infirmum *ab Edmundo Martene lib.* I *de Antiquis Ecclesiæ ritibus, parte* 2, *a pag.* 121 *vulgatus est, Eucharistiæ sumptio Unctioni sacræ pag.* 124 *luce clarius etiam præmittitur; ideoque ille Sermonis locus frustra objicitur, etiamsi eo, quo adversariis placet, modo accipiendus esset. Quod ad vocem* extremæ *additam* Unctioni *spectat, quo tandem argumento probabunt, eam, quod ante seculum duodecimum a nullo alio usurpata legatur, a Prudentio adhibitam non fuisse? An non potius inde inferendum fuisset, eam nuncupationem seculo* XII *antiquiorem esse? Non est scilicet ea vox una ex istis, quæ pro Catholica tessera adversus hæresim aliquam ab œcumenicis cônciliis traditæ adhiberi cœperunt; sed quæ ex ipsa Sacramenti Unctionis natura a Christo Domino instituta, et in Ecclesia semper agnita, profluxit. Est enim hæc Unctio, vere* extrema *sive ultima omnium sacrarum unctionum, quæ Christi fidelibus in hac vita conferuntur; potuitque* S. Maura *pro extremo munere, ut ipsa ait,* Unctionis extremæ *Sacramentum petiisse, licet ea appellatio ipsius ætate nondum passim recepta fuisset.* F

Elogium hoc ex Camuzato recudemus.

10 *Præter eumdem Sermonem de* S. Mauræ *gestis aliunde nihil novimus, nec aliquid aliud de iisdem reperit Bailletus, qui tom.* 3 *de Vitis Sanctorum ejusdem Sanctæ Vitam ex illo concinnavit, sed Prudentii dicta non ubique satis recte interpretatus est, uti in Annotatis observabimus. Non aliunde denique hauserunt sua Nicolaus Des-Guerrois in Historia ecclesiastica Tricassina ad annum Christi* 853, *Mabillonius in Annalibus, loco supra citato, Saussayus in Martyrologio Gallicano, Arturus in Gynæceo sacro, aliique, qui de ipsa meminerunt, ejusve elogia texuerunt. Verum hanc aliorum instrumentorum inopiam plene pensat laudatus Sermo, utpote ab episcopo erudito, Sanctæque synchrono ac familiari, conscriptus, et in eadem civitate, ubi ipsa notissima erat, coram populo ac consanguineis ejusdem publice in ecclesia recitatus. Errores autem, quos idem Prudentius alibi propugnasse*

A *gnasse dicitur*, Mauræ *sanctitati obesse non possunt, nec ejusdem gesta de falsitate suspecta reddere, cum ipse de mendacio facile convinci potuisset, si coram prædictis auditoribus falsa recitasset.*

§ II. Sanctæ parentes et patria : tempus emortuale : cultus et sacræ reliquiæ.

Sancta ex parentibus nobilibus et opulentibus

Sanctæ Mauræ *pater obtigit* Marianus, *Prudentio teste*, dives, potens et nobilis ; *mater* Sedulia, *pia et sollicita; frater* Eutropius, *ecclesiæ Trecensis præpositus, qui* nihil secum... in conversione sua de rebus paternis attulit, eas unicæ Sorori suæ ea intentione habendas reliquens, ut, ipsis mediantibus, meliores subiret thalamos, et solemnius posset matrimonium celebrare. *Quod ad locum natalem attinet, Bailletus eam in Trecensi civitate primam lucem aspexisse affirmat. Des-Guerrois vero in Historia ecclesiastica Tricassina, ad annum* B *Christi* 853 *observat, id ex Prudentii Sermone certo non constare, dubitatque, utrum Trecis, an in ejusdem civitatis territorio nata fuerit. Præterea suspicatur, eam aut parentes ejus habitasse in pago, qui deinde* S. Mauræ *ab ipsa nominatus,* quingentis tantum passibus, *ut habet Camuzatus, vel* una leuca, *ut Breyerus loquitur, Trecis distat, et ad fluvium Sequanam situs est. Suspicandi causam allegat, quod in ejusdem loci ecclesia* S. Maura *tumulata fuerit, quemadmodum infra videbimus.*

Trecis, ubi ab ineunte ætate habitavit,

12 *Ut certa ab incertis discernamus, ex Prudentio constat,* S. Mauram *jam inde* ab ineunte ætate *Trecis habitasse. De ipsa enim ait :* Ab ineunte ætate quotidie a matutinis Laudibus usque ad horam Sextam moram faciebat in ecclesia Apostolorum, *quæ cathedralis Trecensis est. Præterea dum narrat, ipsam* qualibet feria quarta et sexta, causa peregrinationis nudis pedibus et absque lineis, in arcto panis et aquæ jejunio *ecclesiam monasterii SS. Gervasii et Protasii Mentuniaci visere solitam, factum hoc a locorum distantia sic amplificat :* Licet *(monasterium illud)* apud Mantiniacum circiter quatuor milibus ab hac Tricassina civitate C distat. *Cum itaque ex hisce certum sit,* S. Mauram ab ineunte ætate *Trecis habitasse, nec de ullo alio ipsius domicilio meminerit Prudentius, non video, cur eam alibi, quam in eadem civitate natam esse credamus. Nam quod de sepultura ipsius in sui nominis pago observatur, nihil probat pro loco natali ; sed tantum utcumque verisimile facit, fuisse in ejusdem loci ecclesia sepulcrum, quod ad sanctæ Virginis familiam pertinebat. Quamquam et alia ratio nobis ignota esse potuerit, ob quam ibidem potius, quam Trecis sepulta fuerit. Interim pater ejus Marianus, qui ante ipsam defunctus est, in cathedrali ecclesia Trecensi, ut in testamento suo jusserat, humatus fuit.*

nata fuisse dicenda est.

13 *Magis dubium videri potest, an Mentuniaci, qui nunc pagus* S. Leo, *vulgo* Saint Lié *dictus creditur, in lucem edita non fuerit. Ratio est, quod Prudentius diserte affirmet, ipsam a Leone, eo loci SS. Gervasii et Protasii abbate, in fide instructam, baptizatamque fuisse. Sed neque hæc ratio satis evincit; cum ex supra dictis certum videatur,* S. Mauram *ab ineunte ætate Trecis habitasse, nec Prudentius edicat, an Leo ille, qui dicti loci abbas erat, dum Sancta obiit, eo munere jam fungeretur, ibidemque jam habitaret, dum eadem ab illo instructa et baptizata fuit. Imo etsi admittamus, Leonem jam tum in isto monasterio habitasse, aut etiam præfuisse abbaten, ne sic tamen locum Virginis natalem inde certo eruere poterimus ; quia laudatus abbas consanguinitatis affinitatisve aut amicitiæ gratia, ab illustribus* Mauræ *parentibus rogatus, ut non raro alias accidit, eam operam potuit contulisse. Cetera Sanctæ gesta commentatione non indigent, aut in Annotatis abunde illustrabuntur, præter annum emortualem, quem Prudentius non annotavit.*

obiit hoc die circa medium seculum IX, ætatis an. 32.

14 *De hoc anno id unum ex supra dictis affirmari potest, cum incidisse in episcopatum Prudentii, quem hic anno* 846 *vel sequenti certe jam tenebat, annoque* 861 *moriens reliquit. Hinc auctor Martyrologii Parisiensis* S. Mauræ *mortem circa annum* 850 *fixit, circa quem ipsam floruisse, Arturus in Gynæceo sacro pariter observavit. Castellanus vero maluit annum circiter* 845 *annotare. Res mihi incerta est, neque dicere ausim, utrum ante, an post medium seculum nonum felix ipsius obitus contigerit, ideoque cum hujusmodi annorum latitudine initio Commentarii in margine adscripta* circa medium seculi IX. *Ceterum cum Prudentius ex ipsius Sanctæ matris Seduliæ, ejusdemque fratris Eutropii testimonio dicat, illam non-* E *dum expleto ætatis suæ anno vigesimo tertio obiisse, simili modo de ejusdem anno natali censendum est. De die obitus nullum dubium reliquit Prudentius, disertis verbis asserens, ipsam festo S. Matthæi apostoli, quod hac die* XXI *Septembris celebratur, extremis morientium Sacramentis per manus suas, ut petierat, munitam, se cum aliis coram inspectante, beata morte ad Dominum commigrasse.*

Ad eumdem diem aliquot Martyrologiis inscripta est :

15 *Hinc de eadem ad hunc diem agunt varia Martyrologia recentiora, quorum dicta subjungo. In primis Florarium nostrum Ms. Sanctorum, seculo* XV *exaratum, sic habet :* In pago Trecassino, sanctæ Mauræ virginis. *Inter auctaria Usuardina apud Sollerium editio Lubeco-Coloniensis eodem die :* In pago Trecassino, sanctæ Mauræ; *additurque vox* civitatis *verisimiliter pro* virginis, *ut Sollerius ibidem observavit. Consonat Grevenus,* In pago Tricassino, *inquiens,* sanctæ Mauræ virginis. *Eadem habent Felicius et Maurolycus in suis Martyrologiis. Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, et Castellanus in Martyrologio universali ipsam in civitate Trecensi his verbis annuntiant :* Trecis S. Mauræ virginis. *Consentit Martyrologium* F *Parisiense, in quo ad eumdem pariter diem legitur :* Trecis, sanctæ Mauræ virginis. a S. Prudentio, ejusdem urbis episcopo, in suis scriptis laudatæ. *Hisce adde Arturum in Gynæceo sacro, ubi ait :* Augustæ Trecarum, S. Mauræ virginis, admiranda virtute et spiritus fervore conspicuæ. *Adde denique et Saussayum, qui in Martyrologio Gallicano breve ipsius elogium ex sæpe laudato Prudentii Sermone inseruit.*

cultus ejus ab obitu cœptus.

16 *Ejusdem cultum mox ab ejus obitu aut certe non diu post cœpisse, testis est idem Prudentius episcopus, qui Sermonem suum concludens, ait :* Quo *(Virginis corpore)* condigne tradito sepulturæ in loco, ubi nunc a fidelibus honoratur, innumera miracula subsecuta sunt, ipso operante, qui vivit et regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen. *Hanc autem venerationem in popularibus suis merito excitaverit insignis sanctæ Virginis, dum viveret sanctitas, miraculis tam in vita, quam statim post mortem illustrata. Nam, ut de hisce solum loquar, eadem hora, qua obiit, corpus suavissimo fragravit odore, quem non tantum circumstantes, sed etiam Veranus monachus in monasterio Leonis,* qui

AUCTORE G. S.

qui olfactus sensu diu caruerat, odoratus est; et aqua, qua virgineum ejusdem corpus post obitum lotum fuerat, in lac conversa, Leoncium, Mauricianæ, materteræ ipsius, ex filia Damona nepotem, febricitantem pota sanavit; et Thecia, Mauricianæ item filia, nativam in facie sua maculam per ejusdem cilicii contactum abstersit.

Officium de ipsa olim lectum et nomen illius in Litaniis. Corpus sepultum

17 *Nusquam legi, an* S. Maura *nostra a Trecensi clero Officio ecclesiastico umquam honorata fuerit, neque illius diœcesis Breviaria ad manum habeo, ex quibus id queam discere; et contrarium potius colligo ex Breyeri hac super re silentio. Eodem tamen teste in Vita Prudentii cap.* XI *Officium de illa cum lectionibus propriis ad diem* XXI *Septembris olim lectum fuit in monasterio S. Martini Trecensis in Areis, antequam reformatio canonicorum Regularium Congregationis Gallicæ, vulgo* S. Genovevæ *dictæ, in illud inducta fuisset. Sub finem quoque Notæ ultimæ in Vita* S. Mauræ *addit, ipsius nomen etiam legi in Litaniis, in quodum vetusto Psalterio, ante annos* 500 *exarato. Superest, ut de cultu sacri corporis ipsius agamus. Prudentius verbis numero præcedenti relatis asserit quidem, illud in loco, ubi tunc a fidelibus honorabatur, et innumeris miraculis jam tum inclaruerat, digne sepultum fuisse; sed sepulturæ locum non nominat; haud dubie quia hic auditoribus suis erat notissimus.*

in pago cognomine, ubi ejus sepulcrum diu superfuit.

18 *At vero Camuzatus in Notis ad eamdem Vitam, seu elogium, de eodem scribit sequentia :* Porro corpus prædictæ virginis Mauræ honorifice conditum fuit in æde sacra pagi, qui ejusdem memorabile nomen retinet et conservat, et ad fluenta Sequanæ situs est, quingentis tantum passibus a prædicta urbe *(Trecensi)* remotus. Nec vero illud tacite prætereundum; ejus nempe tumulum e regione primarii altaris in eadem æde etiamnum conspici. *Ita ipse, qui Opusculum suum anno* 1610 *vulgavit. De sepulturæ loco, tumuloque ibidem spectabili consentit etiam Nicolaus Des-Guerrois in Sanctitate Christiana seu Historia ecclesiastica Tricassina, ad annum Christi* 853, *num.* 22, *ubi in adjunctis nonnihil varians, ita Gallice loquitur :* Ubi *(in pago* S. Mauræ, *ut præmisit)* corpus ejus in ejusdem loci ecclesia honorifice inhumatum fuit, et hodiedum ibidem visitur e regione suggesti versus Septentrionem ejusdem sepulcri cippus, quatuor columnis saxeis suffultus. Locus hic una circiter leuca Trecis distat, ad unum e Sequanæ fluvii alveis situs, estque prioratus cum annexa cura parœciæ, ab abbatia S. Martini in Areis dependens. *Quid deinde tumulo illo factum sit, ignoro : nam Breyerus Nota ultima de eodem hæc scribit :* Dum Des-Guerrois anno MDCXXXVII Sanctitatem Christianam etc. vulgabat, etiam visebatur Sanctæ sepulcrum, quatuor columnis saxeis subnixum; verum deinde mutatum loco est.

Corpus deinde ibidem elevatum,

19 *Incertum quoque est, quamdiu sacræ istæ Virginis exuviæ ibidem sub terra, seu tumulo suo inclusæ latuerint, quas publicæ venerationis ergo inde sublatas elevatasque fuisse, aliunde constat. Audiamus denuo Camuzatum, qui numero præcedenti laudatus, sermonem suum prosequens, docet,* insuper ibi *(in eadem nempe ecclesia)* esse thecam ligneam, in qua pars sanctarum præfatæ Virginis reliquiarum inclusa asservatur. *Consonat Des-Guerrois, loco citato inquiens :* In eadem ecclesia quiescunt ejusdem reliquiæ, in theca lignea, auro picta, inclusæ, verumtamen non nisi magna earumdem pars ibidem est. *Reliqua porro ejusdem virginei corporis portio in prædicto monasterio S. Martini in Areis deposita fuit anno* 1415, *quo memorata lipsanotheca cum incluso corpore ex pago* S. Mauræ *ad monasterium delata, et post exemptam ejusdem portionem ad eumdem pagum postmodum relata fuit. Est autem monasterium hoc clericorum Regularium S. Augustini, vulgo* Saint Martin ez aires *dictum,* olim in suburbio, nunc juxta portam S. Jacobi Tricassinæ civitatis *situm, inquiunt Sammarthani fratres in sua Gallia Christiana tom.* 4, *pag.* 622.

annoque 1415 ad monasterium S. Martini Trecensis delatum,

20 *Translationem hanc et reliquiarum divisionem discimus ex eodem Camuzato, qui eam ex instrumento authentico probat, sacrasque illas reliquias suo tempore in ejusdem monasterii ecclesia asservatas cultasque testatur.* Reliquam vero partem, *inquit,* divi Martini Trecensis monasterium, vulgo IN AREIS dictum, tamquam pretiosissimum pignus sibi traditum accuratissime custodit. Facta autem fuit hæc theca anno MCDXV, in eamque sanctissimi corporis ossa recondita; ut constat ex instrumento tunctemporis confecto, sequenti verborum serie contexto, in eadem theca pariter inclusa. *Post hæc subdit laudatum instrumentum, quod ego quoque totidem verbis huc transfero.*

ubi ejusdem magna pars deposita fuit, ut probatur

21 In nomine S. et individuæ Trinit. etc. Noverint universi, quod an. Domini 1415 Indict. 8, Pontif. Sanctiss. in Christo patris ac D. nostri D. Joannis divina providentia Papæ 23 anno sexto, mensis vero Junii die ultima, quæ fuit dies Dominica post festum B. Joannis Baptistæ, regnante illustriss. principe ac D. D. Carolo, Dei gratia Francorum rege, concilioque generali pro reformatione universalis Ecclesiæ in civitate Constantiensi existente, in nostrum infrascriptorum, videlicet G. dicti de Ascenseriis clerici, et G. Baudeti, publicorum apostolica et imperiali auctoritate notariorum præsentia etc., per parrochianos ecclesiæ parrochialis de S. Maura prope Trecas, membri monasterii S. Martini in areis Trecens. Ord. S. Augustini, cum solemnitate debita delata fuit in choro dicti monasterii quædam vetus capsa, de qua quidem fuit per R. patrem, D. D. Stephanum Trecensem episcopum extracta certa et magna pars ossamentorum B. Mauræ virginis, et postmodum, præmissis prius approbatis, in præsenti capsa per eumdem R. patrem benedictione præcedente, adhibitisque solemnitatibus, in talibus fieri consuetis, inclusa. In quorum præmissorum testimonium etc. Præsentibus ad hæc venerabili in Christo patre, fratre ac domino, Lamberto Haberti abbate, Joanne de Campis etc., dicti monasterii Religiosis.

ex instrumento publico;

22 *Hactenus instrumentum a Camuzato relatum, in quo omnes notæ chronologicæ recte se habent præter Pontificatum Joannis XXIII; hic enim jam ab ultima die Maji ejusdem anni, quo annum sextum in Pontificatu a paucis diebus inchoaverat, eidem cesserat in concilio Constantiensi. Verum laudatum instrumentum ex hoc capite falsitatis argui non potest, cum prædictam Joannis XXIII cessionem Trecenses tum etiam ignorare potuerint, aut certe nondum pro legitima habuisse. Constat enim, Carolum VI Francorum regem, ejusque curiæ principes eamdem non statim admisisse, sed contra improbasse Constantiensium patrum adversus istum Pontificem procedendi modum, ut videri potest apud Guilielmum Franciscum Berthier tom.* 15 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ pag.* 527 *et sequentibus. Potuerunt itaque Trecenses notarii die ultima Junii laudato instrumento Pontificatum Joannis adscripsisse, quia de libera ejusdem cessione nondum satis fuerant edocti. Bailletus pro anno Christi* 1415 *habet annum* 1414; *sed tunc eædem notæ chronologicæ vitiosæ sunt; ideoque suspicari licet, mendum typographicum hic irrepsisse*

A *irrepsisse. Ceterum Stephanus episcopus, qui sacrarum reliquiarum partem ex veteri lipsanotheca exemisse in instrumento dicitur, fuit Stephanus de Givriaco, sive de* Givry, *quem Sammarthani fratres tom.* 3 *Galliæ Christianæ ab anno* 1395 *usque ad* 1426 *in episcopali cathedra Trecensi sedisse statuunt.*

in quo utroque loco reliquiæ ejus honorantur. Bailleti

23 *Camuzato in omnibus consentit Des-Guerrois tam loco supra citato, quam ad eumdem annum* 1415, *additque, sacras illas reliquias in prædicto S. Martini monasterio in altari principe quiescere. Ad annum quoque* 427, *num.* 2 *recensens reliquias, quæ suo tempore in eodem monasterio honorabantur, præmiserat sequentia :* In hac ecclesia inter reliquias asservatur brachium cum capsa lignea auro picta, in qua magna ipsius ossium pars est. *Breyerus Nota ultima scribit, maximam sacrorum ossium ipsius partem ibidem esse, vetustam vero thecam cum reliquo corpore ad ecclesiam pagi* S. Mauræ, *unde allata fuerat, reportatam fuisse. Bailletus in Vita Gallica de hisce non satis recte sic loquitur :* Sanctæ corpus ad ecclesiam delatum fuit, in qua honorifice honoratum est, et ubi Deus per patrocinium ipsius miracula facere continua-
B vit.... Corpus S. Mauræ postea partitum fuit : una portio data est abbatiæ S. Martini in Areis, quæ canonicorum Regularium S. Augustini est; altera posita fuit in ecclesia parœciali pagi S. Mauræ, quingentis passibus a civitate Trecensi ad Sequanam sita et eidem abbatiæ subjecta.

parum accurata de hisce narratio

24 Ejusdem quædam facta translatio est die Dominica, quæ dies ultima mensis Junii erat anni MCDXIV, quando Stephanus Trecensis episcopus istas reliquias ex veteri theca exemit, ut easdem in novam ligneam reponeret. *Ita Bailletus, laudans in margine Notas Camuzati, in quibus tamen ista sic non leguntur. Nam primo Camuzatus ait,* S. Mauræ *corpus primo in ecclesia pagi, qui ejusdem nomen retinet, humatum fuisse ; Bailletus id in alia factum esse insinuat. Camuzatus scribit, sacrum Virginis corpus in veteri theca sua anno* 1415 *ex prædicto pago ad monasterium delatum, et tunc ejusdem partem a Stephano episcopo inde exemptam et in nova lipsanotheca positam atque in dicto monasterio collocatam fuisse : Bailletus vero significat, partitionem illam prius factam esse, ac deinde anno* 1414 *translationem institutam, in qua laudatus Stephanus sacras illas reli-*
C *quias ex una in alteram thecam, seu ex veteri in novam transposuerit. Hisce observatis Vitam seu Elogium subjungo.*

VITA

Auctore Prudentio episcopo Trecensi.

Ex editione Nicolai Camuzati.

Præfatio auctoris.
a

Instatis *a*, charissimi filii, opportune, importune, ut loco sermonis, quem diebus solemnibus vobis facere consuevi, de vita gloriosa et morte pretiosa sororis nostræ Mauræ non solum dicam quidquam, sed et scriptum relinquam, posteris profuturum. Ad hoc enim frater ejus
b Eutropius, præpositus vester *b*, qui fuit spiritali affectione germanior, quam carnali, me ex parte D
vestra et vir religiosissimus Leo abbas *c*, vicinus c
noster, qui eam cathechizavit et regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, ex parte sanctorum monachorum sollicitavit frequenter *d*. Gaudeo in d
Domino de uberrimis vestræ devotionis manipulis, quibus non sufficit, quod virtutes Dei in illa propriis oculis aspexistis, nisi etiam pluries recitatas propriis auribus hauriatis. Ad ipsarum enim auditionem iteratam in odorem unguentorum suorum ferventius curritis, et exemplo domestico provocati, rursum laborem amplectentes, bravii fructum et honorem expectatis, quem jam prudens Virgo adepta est, quæ accepto oleo, et aptata lampade, cum Sponso ad perennes nuptias est ingressa; de quibus modo nostro cantemus interim, dum viatores, ut ad eos * recumbere valeamus comprehensores, recepti, ubi justi epulantur et exultant in conspectu Dei.

* *imo eas*

Sancta Puella patrem nobilem et divitem

2 Sedula in Christi et ecclesiæ servitio Sedulia vidua, beatæ mater Puellæ, et præfatus Eutropius frater ejus asserunt, nondum eam ætatis suæ annum XXIII peregisse, cum calcatis carnalibus nuptiis, ad prædictas cælestes nuptias est admissa. Porro Marianus pater ejus, qui in ec- E
clesia Apostolorum *e* sepultus est, paulo ante e
ipsam migravit a seculo, quem ipsa Filia, ab ipso carnaliter mundo genita, multo semine lachrymarum Deo studuit specialiter generare. Qui cum esset dives, potens et nobilis, jam ingressus erat latas seculi vias; sed per Dei gratiam ad arctam viam, quæ ducit ad vitam, duce Filia, reversus est. Revera tractabilis homo erat, et consiliis acquiescens, et qui nihil qualecunque patri suo de salutari conversione Eutropii filii sui credidit, de salute propria virgini Mauræ filiæ credere non negavit. Adduxit ad me Femina virum, Juvencula senem, Filia patrem, Ovicula leonem; et ad pedes meos procumbere faciens, admiranda cautela docuit et de commissis medullitus conteri *f*, et ple- f
narie confiteri.

ad frugem reducit : ex bonis a fratre acceptis

3 Qui etiam de consilio meo et Filiæ suæ, quam optimam habui adjutricem, temporalibus abdicatis, et ecclesiam Apostolorum hæredem constituit, et in ipsa tandem corpus proprium ex multa cordis devotione sepeliri mandavit. Gratias tibi ago, Domine Deus, qui talem nobis in tuo ministerio cooperatricem tibi complacuit concessisse, quæ sicut ignis, qui comburit sylvam, F
et sicut flamma comburens montes, prius proxima quæque, ut patet in patre et familia patris, et remota postea inflammavit igne, quem venisti mittere in terram, et, ut ardeat, voluisti. Nihil secum frater Eutropius in conversione sua de rebus paternis attulit, ea * unicæ Sorori suæ ea intentione habendas relinquens, ut, ipsis mediantibus, nobiliores subiret thalamos, et solemnius posset matrimonium celebrare. Mira res! Eutropius, ut salva pace sua loquar, vale dicens seculo, de secularibus cogitabat; Maura vero, remanens in seculo, secum de cælo tractabat; unde fructum nunc reportat in respectione animarum sanctarum, non mortalem ex nuptiis, sed vitalem ex lachrymis, ejus saporem gustans in cælis, cujus odorem olfecit in terris.

* *eas*

ecclesiæ liberaliter providet : Prudentio episcopo

4 Non doleas, Eutropi fili mi, nec te in opibus derelictis tuæ intentionis fructu frustratum causeris; revera, ipsis mediantibus, Soror tua nobiliores thalamos subiit, et solemnius connubium sortita est, de mammona iniquitatis magnos amicos et Sponsum potentem et divitem in omnes, qui invocant eum, et speciosum forma præ filiis hominum

A. PRUDENTIO EPISC. hominum acquisivit *g*. Magnus amicus Princeps Apostolorum et claviger regni cælorum; magnus S. Paulus, electionis vas, quorum obsequiis in Tricassina ecclesia et se et sua pro parte non modica dedicavit. Quis oleum ad lampades ministrabat *h*? Maura. Quis palas *i* conferebat? Maura. Quis vestimenta sacerdotalia de proprio comparabat? Maura. Pretiosius habeo super aurum et topazium collatum mihi lineum indumentum, quod propriis manibus nevit, composuit, dealbavit, et ut eo induerer inter sacra Missarum solemnia, humiliter postulavit. O Virgo liberalis et benigna; hæc fecisti, et tacui. Tacui; nunquid semper tacebo? Tempus tacendi, et tempus loquendi, cum jam cum Sponso gloriaris in cælo. Fateor, Virgo prudentissima, jam continere non possum os meum.

lineam vestem sacerdotalem donat, qua ipse aliique induti,

5 In una re duo pretiosissima munera contulisti, qua donante, non posset quicquam mihi esse nisi pretiosum et maximum; qua tribuente, omne datum est gratum, omne receptum acceptum, omne rarum est charum. Quid mihi? Plus animum pensabam, quam manum, plus affectum, quam factum, plus hilaritatem, quam tristitiam. Gratias ago, B Virgo gratiosa, gravitati tuæ, quæ tam præclarum habitum indigno contulisti. Sed nunquid solum? Non utique: donum geminasti, et abundans abunde donasti. Ornatum duplicem præbuisti, unum corporalem, et alterum spiritualem, unum exteriorem, et alterum interiorem, unum patentem, alterum latentem, quem ad apariendam divinam et tuam clementiam, et miseri cordis mei duriciam, non jam latere volo, sed patere. Ficus eram arida; etiam merito non nisi incendium exspectabam; arueram tamquam fœnum, merito mittendum in clibanum; anima mea, sicut terra sine aqua; et ideo sterilis et infructuosa. Quid expecto? Quid miseriam meam manifestius non ostendo? Dominici corporis Sacramentum cum raro devotionis butyro tractabam; quando vestem contulit memoratam, sine lactucis agrestibus Agnum edebam, sine pane lacrymarum ad Panem accedebam angelorum.

inter sacrificandum pie afficiuntur.

6 Quid plura? ipsa fortis Mulier quæsivit, non dico lanam, sed linum, et operata est consilio manuum suarum, complevitque diebus paucis opus suum, quod fecerat, in quo facientis C industria relucebat, et tandem Prudentio episcopo *dedit, quem amabat. Non abscondam amplius, Domine, misericordiam tuam a consilio multo, narrabo altissima, quæ fecisti, magnalia per famulam tuam Mauram; nam receptum indumentum statim illius antiquæ virgæ virtutem habuit, et aquam copiosam de me, duriore, quam petra, produxit *k*; quantæque postea efficaciæ fuerit, quotiens eum * plures nostrum inter sacra Missarum solemnia sunt induti, quod tam notum est et expertum, commemorare et displicet pro titillatione inanis gloriæ more fragilitatis humanæ, et placet pro Deo et Dei laude *l*. Displicet; quia timeo de amissione tanti thesauri, quem vident palam tot et tanti hostes invisibiles reportari. Placet; quia per hoc intelligo, Dei magnalia prædicari. Fœlix es, Sedulia, quæ talem, non tam mundo, quam Deo, Sobolem genuisti, et quæ in terris nata est cum angustia tua, nunc in cælis nascitur cum lætitia tua et nostra; immo magis sua, quam tua vel nostra: quippe nostra semiplena est, nam flemus pariter et gaudemus.

* id

7 Gaudemus quidem, quod talem habuimus, et ipsius æternis gaudiis congaudemus; flemus vero, quod talem amisimus, quam totius honestatis, devotionis et pudicitiæ exemplar et speculum habebamus: sua vero jam lætitia plena est D et perfecta; quia torrente cælestis voluptatis potata, gaudet de iis, quæ evasit, periculis atque pœnis, gaudet de iis, quæ invenit, præmiis, mansionibus et concivibus suis. Jam ergo, bona Sedulia, fletus absterge, sicca lachrymas, quæ de cælo vocem lapsam publice nobiscum in ejus transitu audivisti; Veni (inquit) dilecta mea, et ponam in te thronum meum; quia concupivit Rex speciem tuam. Dum enim invocaret Dominum, Deus deorum loquutus est, et vocavit Mauram, vocans eam manifesta voce, sonoque audibili, qui prius eam vocaverat inspiratione mentali. Stabam ego una ex parte grabati, et Leo abbas ex altera, qui tunc submissa voce more suo psalmos Davidicos ad caput beatæ Virginis ruminabat. Stabant etiam nobiscum Mauritius, Eutropius levita consanguineus *m* Virginis, et multa turba fidelium circumfusa.

Felix virgo, quam moribundam auctor aliique cælesti voce advocari, audierunt.

8 Tacebamus omnes, te exspectante Sedulia, quæ quandoque singultus et gemitus emittebas; cum repente præfatum organum insonuit, inæstimabili suavitate omnium aures et corda supra omnem modum humanum demulcens. Nec defuit E curiositas importuna, si quis forsitan esset intus vel extra, qui tam dulcifluam harmoniam effundere potuisset; verum veraciter deprehensum est et odore et canore, quod tunc etiam descendit in jubilatione, qui ascendit Dominus in jubilatione; nec dedignatus est, tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo, post visa longa sponsalia Sponsæ venienti occurrere, et in ejus occursu cantica lætitiæ dignanter decantare, qui eam jam disponebat traducere et sibi connubio stabili jungere, propriamque dicare. Noli jam socrus Dei ergo effecta, Sedulia, amplius lamentari, quæ ipsum audivisti Dominum in traductione Filiæ gratulari. Sed cur jam sermonem facio de egressu, qui pauca vel nulla adhuc de ingressu locutus sum aut progressu; quare jam finem teneo, nondum capite apprehenso?

In ecclesia Apostolorum quotidie a summo mane hærens

9 Revera pretiosum finem occulta *n* fide prospexi; sed te teste, Sedulia, teque constanter asserente, Eutropi, gloriosa ætatis suæ primordia intellexi. Portare quippe cœpit jugum Domini ab adolescentia, et mane manna recolligens, revera summo mane in Dominicam vineam missa est operatrix. O bone Jesu, verum prorsus est, quod F adolescentulæ dilexerunt te nimis, et in adolescentula Maura videmus completum, quod fuerat satis ante prædictum. Ab ineunte ætate quotidie a matutinis laudibus usque ad horam Sextam moram faciebat in ecclesia Apostolorum, ubi, sicut nostis, tribus modis imago Domini depingitur Salvatoris: nam repræsentatur tamquam Puer, sedens in gremio Matris suæ; et tamquam magnus Dominus, sedens in solio majestatis, et tamquam Juvenis, pendens in patibulo Crucis *o*. Porro hanc B. Maura consuetudinem a tenera observavit ætate, ut quotidie totum prædictum non cessaret expendere; primo te toto corpore posternens coram Infante; secundo coram Juvene; tertio coram Rege; nec ulla umquam necessitate potuit abstrahi, quin singulis diebus Dominum sub effigie triplici cerneret indefessa oculo corporali. Revera tritum et verum est: Ubi amor, ibi oculus; synceroque et integro Adolescentula Dominum diligens * affectu, quæ satiari non poterat ex aspectu.

* i. e. diligebat

10 Jam aperire libet, fratres charissimi, quod usque modo clausum, quod hactenus occultavi; quia

A *ex triplici Christi effigie mira audit.* quia et de cætero damnosum tacere, et fructuosum arbitror reserare; tempusque est, ut exponam spontaneus, quod ab ore suo extorseram importunus. Instabat dies vocationis suæ et velox depositio tabernaculi sui; unde cupiens ab ipsa tandem instructionem aliquam reperire testamenti, quæsivi ab ea, et quæstionem pluries iteravi, cur coram supradicta dicti Salvatoris effigie prosternebat se morose quotidie successive. Denique multipliciter obsecrata, non sine multa difficultate respondit. Fœlix, inquit, Apostolorum ecclesia, in qua frequenter audivi et Puerum in Matris gremio vagientem, et Juvenem in cruce gementem, et Regem in solio terribiliter intonantem, sed mihi virgam
p aueam amicabiliter donantem *p*. Cumque statim ei novam movere inciperem de Salvatoris nostri gemitu et vagitu quæstionem, manum meam manu sua constringens, et per hoc linguam meam compescens, hæc pauca subjunxit: Non naturæ, sed miraculis adscribendum est, si ad recolenda fidei nostræ mirifica sacramenta, et ea in mentibus fidelium roboranda, lignum aridum gemitum edit aut vagitum.

Sanctæ munificentia et peregrinationes; mappula ab ipsa donata. 11 O quam fœlix Filia nostra, laboriosa, non fœcunditate filiorum, sed sanctorum operum! O Mater tam solicita et circa plurima perturbata! Non solum enim clericorum, sed monachorum necessitatibus subvenire curabat, quod Leo abbas et sancta ipsius congregatio recognoscunt, quibus de
q proprio cucullas et mapulas *q* acquirebat. Gratiam et suffragia beatorum Apostolorum Petri et Pauli solicita quæritabat in ecclesia clericorum, et sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii patrocinia studiosius implorabat in monasterio monachorum;
r quod licet apud Mantiniacum *r* circiter quatuor milibus ab hac Tricassina civitate distat, qualibet tamen quarta et sexta feria, causa peregrinationis, nudis pedibus et absque lineis in arcto panis et aquæ jejunio visitabatur ab ipsa. Quantæ autem virtutis et efficaciæ sit mapula, quam Leoni Maura tribuit, claris indiciis protestantur et Melanus clericus et sanctissimus monachus, et Paulinus clericus, ipsius tactu a febribus liberati.

febres pellit; ipsius lacrymæ ex alterius oculo maculam eluunt. 12 Et quamvis hoc quidam mansueti Leonis meritis attribuant et ascribant, potius tamen arbitror sentiendum, quod et ipse Leo sentit nobiscum, ut illud in gloriam sanctæ Virginis convertatur, quod Sponsus suus mirabiliter operatur, ne murenulas aureas sibi præsumat alius usurpare, quas in signum dilectionis et ornamentum decoris Dilectus Dilectæ
s voluit præsentare *f*. Nondum, frater Maurici, memoria mea elapsum est, quod, te ministrante,
t occultata *t* fide cognovi. Expleta namque matu-
u tina synaxi *u*, innuisti mihi, ut Mauram aspicerem, arctius amplectentem et dulcius osculan-
x tem altare, ubi corpus beatæ virginis Mastidiæ *x* requiescit; sed et Hora sexta a fratribus decantata, ad pedes ejusdem altaris lachrymarum suarum rivulum ostendisti, quo proprios oculos linivisti: quæ linitio quantum tibi profuit, et gratia lachrymarum, quam habes, et oculi macula, quam modo non habes, certis probant et irrefragabilibus argumentis. Ipse namque mirabilium Agni et Sponsæ suæ operum, quoad vixeris, clarissimum, vivum et verum testimonium effectus es; nam laudes Christi et Mauræ etsi lingua taceat, oculus tamen, quocumque perrexeris, prædicare non cessat.

In ecclesia suburbii existens, diaconum in civitate 13 Scimus omnes, Maurici levita charissime, quod parum sonoram vocem habeas; ita ut, cum sanctum Evangelium legis, ab ostio ecclesiæ audiri vix possis. Unde ergo sonoritas illa fuit, quæ die Parasceves aures Mauræ, sed solius et longe positæ, penetravit? Dicta siquidem die inter Sextam et Nonam apud S. Aventini ecclesiam *y*, in suburbio civitatis ipsius, sanctæ prædicationis semina ego peccator miserrimus, talis qualis episcopus, pro officii mei debito in cordibus audientium jaciebam, et pro modulo meo divini sermonis hamo piscabar pisciculos, etsi paucos et parvos. Aderat et Maura, attente audiens, et sedens inter alios auditores, quæ nulla umquam occasione ab hujusmodi pia occupatione potuit revocari; sed quia ex Deo erat, verba Dei audiebat, ea in corde suo, quasi in libro, conscribens; cumque pro temporis exigentia sermonem facerem de Dominicæ passionis sacramento, repente se erigens, aliis sedentibus, stetit supra pedes suos, et totam se signo vivificæ Crucis munivit. A. Prudentio episc. y

14 Cumque quæsissem ab ea, quid ei accidisset, et quare contra morem cum aliis sedentibus non sederet; ut erat verecundo vultu et columbina simplicitate, respondit: Estne, pater, sedendum, quando sanctum legitur Evangelium? En Mauricius levita in ecclesia Apostolorum Dominicam cœpit legere Passionem; si placet astantibus, omissis paululum aliis, audiendam. Statimque, E si quid audirent, a circunstantibus, inquisivi, factoque silentio, tota multitudo se nihil audire prorsus respondit. Unde divinam intelligens in præclara Virgine affuisse virtutem, lachrymis ubertim fluentibus, nequaquam potui, quem inceperam, complere sermonem: verum illico propter infideles *z* magnalia Dei certius probaturi, ad Apostolorum ecclesiam properavimus universi, in cujus in- z troïtu facientes modicam stationem, vix tandem audire potuimus adhuc legentis Mauricii vocem tenuem et exilem. Tum finito Evangelio Dominicæ passionis, communiter offerentes Domino gloriam et honorem, offerentes Domino gloriam nomini ejus, in templo ejus omnes diximus gloriam, qui in Sanctis suis gloriosus est. Porro Virgo Dei ad pedes meos tremebunda jacebat, aliis gaudentibus, ipsa flebat, pectus tundebat, et quæ verbum salutis turbasset, se peccatricem miserrimam clamitabat. *Passionem Domini legentem audit.*

15 Paulo post illuxit dies vocationis prædictæ; dies, cui magnum præerat luminare, Matthæus videlicet Apostolus et Evangelista, tunc cujus agebatur solemnitas gloriosa; sed luminare minus adjunctum est ei, Maura videlicet, sponsa Dei, pla- F cita prorsus et grata Apostolo, quæ placet coram Deo in lumine viventium: ut jam sint duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum, par turturum aut duo pulli columbarum. Habes enim tu beate Matthæe apostole, potestatem sororem circunducendi mulierem, sicut frater Domini Jacobus et Cephas *aa*; et minus revera censes esse aa thelonarium, quam Sponsæ Christi paranymphum. Nec jam dedignaris invocantem Virginem in tuum ascisci consortium, qui te fuisse recolis publicanum. Et revera Mauræ diligis sanctitatem, qui perennem Mauritaniæ prædicasti salutem, et erga candidam Virginem dulciter mansuescis, qui Æthiopes horridos nequaquam expavescis *bb*. bb *Festo S. Matthæi proxima, patronos suos*

16 Adveniente igitur memorata solemnitate, quam B. Mauræ vocationis suæ jocunditas duplicabat, nobis videntibus, de lectulo infirmitatis, prout potuit, caput erexit, et erectum in partes quatuor inclinavit; et cur hoc faceret, a Leone familiariter requisita, respondit: En lectulum meum quatuor fortes a quatuor partibus ambiunt, cruentas bestias repellentes; Petrus videlicet atque Paulus, Gervasius et Prothasius, quibus, quoad vixi, *sibi adstantes videt; et Sacramentis munita moritur,*

A. PRUDENTIO EPIS. vixi, devotione, qua potui, deservivi; statimque ad me conversa subjunxit : Hoc extremum munus a te peto, Prudenti pater episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ et Unctionis extremæ *cc* recipiam Sacramenta : quod et factum est. Statimque oratione Dominica inchoata, cum secundam petitionem implesset, qua dicitur : ADVENIAT REGNUM TUUM, consummato supernæ vocationis jubilo, fœliciter migravit ad Dominum.

ac mox miraculis illustratur

17 Mox Mauriciana matrona, soror Seduliæ, et duæ filiæ Mauricianæ, Damona et Thecia, cilicium de sancto corpore rapientes, in quatuor particulas diviserunt, et sibi tribus retentis, quartam mihi, quam pro magno thesauro custodio, posuerunt. Corpusque de more lavantes, aquam in lac conversam, testimonium pudicitiæ virginalis, videndam meis oculis præsentarunt, quod Leoncius, filius Damonæ, dulcedine captus, abunde deglutiens, a febrili ardore sanatus est, tactuque sancti cilicii Thecia a macula quadam in facie, quam a matris utero contraxerat, et ob hoc viro displicebat, liberata est. Ipsa etiam hora migratio- B nis sanctæ Virginis, Veranus monachus, olfactus sensu diu ante prorsus amisso, eumdem odorem suavitatis sensit in monasterio Leonis *dd*, quem proximi sancto corpori sentiebant. Quo condigne tradito sepulturæ in loco *ee*, ubi nunc a fidelibus honoratur, innumera miracula subsecuta sunt, ipso operante, qui vivit et regnat in omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In editione Camuzati sequens titulus præfixus legitur :* Sermo B. Prudentii episcopi Trecensis, de vita et morte gloriosæ virginis Mauræ. *Tum sequitur :* Ex vetusto Ms. codice descriptus, qui plerisque in locis ob characteres pœne exesos ægre legi potuit, et nunc primum in lucem editus opera N. Camuzati Tricassini. *De hisce omnibus consule Commentarium* § I.

b *Hic haud dubie præpositus erat canonicorum seu clericorum ecclesiæ cathedralis Trecensis; quorum præpositura seculo duodecimo exstincta est, ut liquet ex ejusdem exstinctionis litteris anno* 1167 *signatis, apud Camuzatum fol.* 123.

C c *De hoc Leone, quem Mentuniacensem in monasterio SS. Gervasii et Prothasii abbatem fuisse colligitur, sermo non semel infra recurret, ubi etiam de Mentuniaco et monasterio ipsius paucis agetur.*

d *Obiter observa, Prudentium secundum hæc tantum ab Eutropio et Leone cleri ac monachorum nomine rogatum, hunc sermonem habuisse; Bailletus tamen in tabula critica iis duobus etiam Seduliam Sanctæ matrem adjunxit.*

e *Hæc ecclesia sanctorum Apostolorum principibus Petro et Paulo dicata Trecensis cathedralis est : observat tamen Breyerus nota* 3, *eamdem subsecutis seculis* S. Petri *tantum appellatam fuisse.*

f *Breyerus nota* 4 *ex hoc loco persuadere vult, attritionem sive dolorem ex metu gehennæ sine charitate seu benevolo amore Dei super omnia conceptum, in Ecclesia Dei tunc minime agnitam fuisse tamquam sufficientem dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ. Sed nemo non videt, quam inepte. Nam etsi vocem illam* conteri *eo, quo vult Breyerus, modo stricte sumamus; quis tamen dialecticus dicat, ex eo, quod sancta virgo* Maura *perfectiorem suaserit patri suo, sequi, minus perfectum velut sufficientem tunc agnitum non fuisse in Ecclesia? An, quia* S. Maura *et Prudentius eidem Mariano, prout mox sequitur, suaserunt, ut temporalibus abdicatis, ecclesiam Apostolorum hæredem scriberet, debent omnes sua ecclesiis legare?*

g *Bailletus ait,* S. Mauram *suum de virginitate perpetuo colenda propositum parentibus indicasse, dum hi convenientem sponsum ipsi proponebant; quod nusquam dicit Prudentius.*

h *Breyerus nota* 6 *scribit, in Ms., quo usus est, hic subdi :* Qui etiam luminaria ceræ dabat?

i *Lege* pallas. *Porro Breyerus hic varia pallarum genera recenset; quod ad propositum nostrum nil facit.*

k *Alludit ad virgam, qua Moyses aquam e petra elicuit Numerorum cap.* 20.

l *Breyerus monet hic legendum :* Pro Dei et Virginis laude.

m *Forte hic idem Eutropius est, quem ejusdem fratrem supra dixit, quique Trecensis ecclesiæ præpositus erat, quando hæc scribebat Prudentius.*

n *In margine hic annotavit Camuzatus : Forte* oculata.

o *Camuzatus scribit, ibidem in sacello sancti Salvatoris suo tempore exstitisse ejusmodi imaginem Christi crucifixi, quam eamdem cum ista esse, multi suspicabantur; verum ipse hoc non satis probabile existimat propter ejusdem ecclesiæ incendium, quod anno* 1188 *contigisse memorat. Breyerus prioribus non dubie assentitur, suspicaturque duas alias anno* 872, *cum Ottulfus episcopus eam ecclesiam reædificaret, inde amotas fuisse. Res mihi incomperta est.* E

p *Alludit ad virgam auream Assueri regis, Estheri reginæ in signum clementiæ porrectam, lib. Esther, cap.* 4.

q *Varia* mapularum *seu* mappularum *genera recenset Cangius in Glossario. Hic videntur* sudaria *designari.*

r *De* Mantiniaco *seu* Mentuniaco, *olim vulgo* Mantenay *consule tom.* III *Februarii, pag.* 748 *in S. Romano, hujus loci primo abbate ac deinde archiepiscopo Remensi; et tom.* VI *Maji, pag.* 73 *et seq. in S. Leone, ejusdem Romani in monasterii regimen successore. Ceterum hic S. Leo seculo sexto floruit, atque adeo longe diversus est ab eo, de quo in hac Vita seu Elogio agitur.*

s *Alludit ad Sponsi verba cap.* I *Cantic.* Murenulas aureas faciemus tibi etc.

t *Forte* oculata, *inquit Camuzatus.*

u Synaxi *substitui ex Breyero; nam apud Camuzatum* sinopsi *perperam legebatur. Porro* synaxis *pro divino Officio usurpatur.* F

x *De S. Mastidia virgine, et inventione corporis ipsius in eadem ecclesia Trecensi, consule Opus nostrum tom.* 2 *Maji, die* 7, *quo colitur.*

y *S. Aventini presbyteri Vitam apud nos illustratam habes ad diem* 4 *Februarii, ubi etiam* § 2 *et in Vita cap.* 3 *de hac ecclesia seculo sexto ipsi condita actum est.*

z *Id est, propter eos, qui hoc prodigium credere nolebant.*

aa *Alludit ad apostolum Paulum, in epistola* I *ad Corinthios cap.* 9 *dicentem :* Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas?

bb *S. Matthæi gesta hoc ipso die illustrata sunt; ibidemque in Commentario prævio* § 4 *de ejusdem apud Æthiopes prædicatione pluribus actum est.*

cc *Vide dicta in Commentario prævio* § I.

dd *Id est* Mentuniaci *quatuor milliaribus Trecis dissiti.*

ee *Nempe in pago, quod* S. Mauræ *nomen ab ea retinuit. Consule Commentarium prævium num.* 18 *et sequentibus.*

A

AUCTORE J. P.

DE B. JOANNE PRANDOTHA

EPISCOPO CONFESSORE

CRACOVIÆ IN POLONIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus immemorabilis; Acta.

Anno MCCLXVI Cultus Beati seculo 15

Multa cum laude hujus Antistitis meminerunt celebriores rerum Polonicarum scriptores: succincte tamen, et fere occasione aliorum, quorum gesta pertractant. *Præ ceteris memorandus est Joannes Longinus vulgo* Dlugossus, *canonicus Cracoviensis, qui non tantum in aliis infra citandis Operibus* Joannem Prandotham *laudat sæpius, sed in Vita B. Cunegundis virginis ducissæ Poloniæ, ita loquitur, ut dubium esse nequeat quin seculo* 15 *Beatus ille in Cracoviensi metropolitana insignem habuerit cultum, in quem præcipue hic inquirendum erat. Laudatus itaque auctor in Prologo ad Vitam B. Cunegundis Jacobum de Sienno, ab anno* 1460 *usque ad* 1462 *Cracoviensem episcopum, adhortans, ut dictæ Beatæ canonizationem promoveat, affatur his verbis:* Accipe itaque munus hoc ab optimo Deo reservatum tibi; et opportunitatem, ab aliis neglectam, cave, a te quoque neglectum iri; sed et optima natura tua et arte atque virtute, qua præditus es, utere; neque tot mortalium, qui ex canonizatione ipsa ædificandi et salvandi sunt, patiare discrimen. Et illud cum animo tuo frequentius trahendo revolve, quid prædecessoribus tuis Vislao et Prandothæ, Cracoviensibus pontificibus acciderit. Quorum alter, quoniam viri beatissimi Stanislai, Cracoviensis gloriosi antistitis et martyris, sub omni sui pontificatus regimine canonizationem procurare distulit, in visione per somnum et quietem non secus quam per vigiliam Falislao, diœcesis Cracoviensis militi, monstrata, amictu exuebatur pontificali, cathedra projectus Cracoviensi, cui annis citra viginti negligenter insederat, alter, qui, illi succedens, canonizationem ipsam ferventi studio, plurimis difficultatibus superatis, procuraverat, celebri memoria potitus, etiam magna miraculorum sublimitate refulget, quæ ad sui nominis invocationem Clementia divina bustum suum, in ecclesia Cracoviensi consistens, adeuntium in hanc usque diem operatur.

B

C

miraculis comprobatus

2 *Dlugossi dicta confirmat Vitæ compendium, anno* 1606 *typis Cracoviensibus vulgatum a Martino Baronio Jaroslaviensi clerico sub hoc titulo:* Beati Joannis Prandothæ Poloni episcopi Crac. Vita ex archivio almæ Castri Crac. ecclesiæ de miraculis sanctorum virorum compendiose deprompta. *In eo quippe Compendio infra recudendo, leguntur sequentia num.* 6: Tempore Nicolai Papæ V et Zbignei tituli S. Priscæ Cardinalis ac episcopi Crac., anno vero MCCCCXLIV, cum hujus Divi ossa sancta levarentur, inque alium prædictæ capellæ, ubi nunc sepulta sunt, tumulum transferrentur, ex aperto ejus sepulchro suavissimum et fragrantissimum per quatriduum spirabant odorem, qui omnes tum astantes mirifice recreabat et refocillabat, multos etiam suæ fragrantiæ virtute sanabat: sunt et alia pene innumera ab hoc anno MCCCCXLIV usque ad MCCCCLXIV creberrimis vicibus facta et sanctitatem Viri evidentissime comprobantia miracula, quæ hic brevibus adumbro. *Subditur mox enumeratio aliquorum, qui a variis morbis et periculis liberati, et duorum quidem, qui a morte revocati fuerint. P. Fredericus Schembegh Societatis Jesu sacerdos, cujus insigne elogium habes in ejusdem Societatis Bibliotheca, anno* 1616 *misit Cracovia ad Bollandum nostrum dicti compendii exemplar, impressum in folio expanso, eique propria manu adscripsit,* fideliter ex archivo cathedralis ecclesiæ Cracoviensis *desumptum esse; in epistola autem ad eumdem Bollandum addidit:* Miraculorum processum ipsemet vidi in archivo cathedralis ecclesiæ: habet ibidem sepulchrum elevatum et celebre devotione populi. *Latet tamen error in supra citatis Compendii verbis; anno quippe* 1444 *Pontifex erat Eugenius IV, non autem Nicolaus V, qui illi e vivis sublato substitutus est tantum anno* 1447.

E

magno splendore

3 *Quam eximius fuerit temporibus istis Beati cultus, docemur ex iis, quæ memorato Vitæ compendio etiam typis subnexuit laudatus Baronius, ac primo quidem ex Hymno ad eumdem ac duplici oratione, ut sequitur:*

F

Magne præsulum Prandotha,
Signis, virtutibus, vita,
Religione in Deum,
Et pietate in clerum,
Cuncti te Patrem pauperum,
Pupillorumque tutorem
Conclamant; tua numina
Christi testantur agmina.
Ad tui corporis bustum
Claudi suscipiunt gressum,
Mutorum lingua solvitur,
Languentum membra curantur.
Felix es tu Cracovia,
In qua refulgent insignia
Divorum; diebus nostris
Absit oris procul hostis.
Te, Christe, Rex piissime,
Omnes precamur hac die,
Ut in polorum sedibus,
Nos loces cum Cælitibus. Amen.

℣ Ora pro nobis, B. Joannes Prandotha;
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO. Deus, qui miraculorum splendore beatum tuum Prandotham illustrare dignatus es; concede

AUCTORE J. P. concede propitius, ut omnes, qui ejus apud te imploramus auxilium, petitionis nostræ sentiamus effectum. Per Christum Dominum nostrum, Amen. Alia. Omnipotens sempiterne Deus, qui præclara beati Joannis Prandothæ, confessoris atque pontificis merita, novissime suscitare, tuisque fidelibus diversis miraculorum prodigiis misericorditer declarare voluisti; præsta, quæsumus, ut omnes, qui de ejus speciali festivitate gaudemus, ad illam cælestem gloriam, quæ est Christus Jesus, feliciter pervenire valeamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

vigebat etiam 4 *Utrum umquam Officio ac Missa Beatum coluerint Cracovienses, nusquam comperi; at vero annuam ejus memoriam* speciali festivitate *ab illis celebratam fuisse, non obscure colligo ex Oratione secundo loco recitata, imo id verisimillimum mihi fit ex eo, quod non tantum inter primarios urbis Cracoviensis, sed et regni Poloniæ patronos fuerit numeratus. Utrumque discimus ab eodem Martino Baronio, qui ibidem exhibet* Catalogum sanctorum, utriusque sexus personarum, urbis Crac. Patronorum, *in eoque post S. Stanislaum episcopum Cracoviensem et martyrem, S. Casimirum principem Poloniæ, S. Florianum ducem militiæ, quarto loco collocat* B. Joannem Prandotham, *episcopum Cracoviensem vigesimum primum: ac, ceteris enumeratis, uni Beato nostro consecrat totum Opusculum his verbis:* Beatissimo ac sanctissimo præsuli Joanni Prandothæ Bialacovio, ex nobili et antiquissima familia Odrowasorum, Cracovien. throni episcopo, in ordine XXI, confessori Christi dilectissimo, patrono Poloniæ regni gloriosissimo, miraculis insignibus clarissimo, in laudem Dei omnipotentis et in honorem Ecclesiæ totius triumphantis posteritati in perpetuam memoriam, devote ac humili ex animo exile hoc munusculum Martinus Baronius Jaroslaviensis, additis nominibus Sanctorum Cracoviæ tumulatorum, offert ac dicat. Anno Domini MDCVI. *Demum sic totum Opusculum clauditur:* Omnia fideliter extracta ex catalogo sanctorum regni Poloniæ Patronorum, Romæ a magistro sacri Palatii approbato, et Cracoviæ a reverendo patre et domino Andrea Schoneo S. T. doctore, almæ universitatis generalis studii Cracovien. rectore approbata, ac cum superiorum consensu imprimi concessa. Per eundem authorem Martinum Baronium Jaroslavien. clericum.

inchoato 5 *Nec solius Baronii testimonio hic stare necesse est: etenim* Prandotham *ut regni Poloniæ patronum fuisse habitum, suadet etiam Ms., quod in Museo nostro servamus, sub hoc titulo:* Catalogus Sanctorum ac beatorum utriusque sexus martyrum, confessorum, virginum ac heroïnarum de numero patronorum regni Poloniæ extractus, *cum et ibidem inter primarios compareat* B. Joannes Prandota Bialacoviensis, epus Cracovien: *fuisse autem e præcipuis urbis Cracoviensis patronis, dubitare nos non sinit libellus metricus, qui excusus Cracoviæ anno* 1617, *inscriptusque:* Divi Tutelares diœcesis Cracoviensis gratulabundi, *oblatus fuit a congregatione Assumptionis Deiparæ, ad ædes Societatis Jesu instituta, illustrissimo principi Martino Szyskowski, episcopo Cracoviensi, duci Severiensi, ejusdemque olim congregationis Sodali. Nam, licet ne tertia quidem pars eorum, quos suo Patronorum Catalogo inseruit Baronius, in eo locum habeat, ita recensetur:* B. Joannes Prandotha Odrovangius, episcopus Cracoviens. Migravit ex hac vita anno D. MCCLXVI die XXI Septembr. in cathedrali Cracoviensi tumulatus.

6 *Post hæc sequenti carmine laudatum illustrissimum alloquens introducitur.* *seculo 17,*

Ego ille quondam Prandotha lynceus,
Stanisilao qui duce videram
Cælos penetrantem coruscos
Sidereas Hyacinthum in arces:
Dum episcopalem Szyskovius thronum
Stanisilai nunc adit et meum
Successor (obscuros nec inter)
Tiresiam simulem tacendo?
At te silento, candide Szyskovi,
Quos nox sepulchris tristibus occulit,
Dudum Beatum sublevavit
Me pietas et odora virtus.
Sed sublevabit celsius hæc, reor,
Exempla cum tu nostra sequax, tuis
In luce pones clariore
Exsuperans generosa factis.
Ut prisca Patrum gloria posteros
Ornat sequentes; debet honoribus
Sic grata longævos vicissim
Posteritas decorare patres.
Exacta sic post secula munerum,
Cum victor illum pro meritis thronum
Scandens in astris, qui paratur
Perpetuo stabilitus ævo,
Gratis euntem te comitabimur
Non solum ocellis, ast humeris quoque,
Quotquot recognoscis Patronos,
Suppositis simul invehemus.

Quæ hic de SS. Stanislao et Hyacintho, deque aliis ante breviter significata sunt, inferius dilucidanda servavi, ut unica non interrupta serie proponerem, quidquid pertinebat ad antiquitatem et celebritatem cultus, de quo nihil addendum mihi superest, nisi quod Simon Starovolscus, scriptor etiam præcedentis seculi, in Polonia seu Descriptione status regni Poloniæ, recusa Wratislaviæ anno 1734, Prandotham *titulo* Sancti *insigniat; ita loquens pag.* XI, *ubi urbem Cracoviensem describit:* Sed et corpora Sanctorum quiescunt in hac urbe plurima, ac præcipue, quæ miraculis clarent, sunt sanct. Stanislai, S. Prandothæ *etc.*

quo cessavit, 7 *Sed en tibi altera rerum facies: Papebrochius noster sub annum* 1671 *scripsit Cracoviam ad patres collegii Societatis Jesu, ut, quantum intelligo ex responsoriis mox memorandis, pleniorem gestorum, miraculorum et cultus Beati notitiam inde nancisceretur. Respondit perhumaniter P. Ludovicus Hoffman collegii minister die* XIII *junii anni prædicti, suamque operam lubens addixit: nec diu cunctatus, alteras die* XVIII *proximi mensis Julii litteras destinavit, significans, adisse se archivum ecclesiæ cathedralis Cracoviensis, et quæ haberi poterant circa Vitam* B. Prandothæ, *ex antiquo codice pergameno descripsisse; monens insuper, ne quid præterea expectaret Papebrochius, cum satis magnam adhibuisset diligentiam, et corpus ipsum Beati suis lustrasset oculis. His litteris junxit notitias, ex authentico codice propria manu* fideliter *et* verbo nullo immutato *descriptas, nec non observationes aliquot ad Opus laudati Simonis Starovolsci, canonici Cracoviensis de Vitis antistitum Cracoviensium, quem eodem codice usum esse ait, et quoad substantiam eadem de* B. Prandotha *scripsisse: tandem notitias et observationes conclusit hac periodo:* Corpus B. Prandothæ post illam a Sbigneo Cardinali sublevationem *(vide num.* 2) iterum anno circiter MDCXXXIII, propter Sigismundi III et Constantiæ reginæ corpora, in

A in eodem loco sepulta, motum per rev. Erasmum Kretkowski archidiaconum et officialem generalem Cracoviensem, et in cysta stannea sigillis obsignata repositum quiescit in sacrario seu thesauro ecclesiæ cathedralis Cracoviensis, ubi etiam aliquot ejus imagines depictæ proponuntur, sed de miraculis nihil innovatur, præter illud, quod est in expansa charta obiter impressum, cujus etiam exemplaria aliquot hic exstant. Cultus illius nullus est post promulgatam Bullam Urbani VIII de cultu Sanctorum, neque miraculorum illorum ullam invenire potui descriptionem, *(pleniorem scilicet ea, quam dederat Martinus Baronius.)* Anathemata, de quorum multitudine, præsertim ex cera, audivi, omnia sublata sunt.

verisimiliter ob male intellectam Bullam Urbani VIII Papæ.

8 *Perculit procul dubio ea clausula Papebrochium, atque idcirco ei, priusquam Hoffmanni notitias ac litteras seponeret, servandas in hunc diem, notam adscripsit, qua præceps canonicorum factum improbat, dicens :* Pessime fecerunt Cracovienses canonici : si Bullam Urbani executi fuissent Romani et Castellani in B. Ludovica et B. Ferdinando, non attendentes ad casum exceptionis pro ipsis B valentis, numquam obtinuissent approbationem antiqui cultus cum extensione novi. A nobis non debet propterea omitti. *Sane in tota Bulla Urbani VIII edita anno* 1625, *nihil erat, quod ad talem actum compellebat; Pontifex quidem, ut occurreret abusibus, prohibuit cultum publicum erga eos, qui beatificati aut a sede Apostolica canonizati non fuissent,* declarans *tamen simul*, quod per supra scripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel ordinarii coluntur. *Ex quibus verbis erui poterat exceptio a prohibitione pro cultu* B. Prandothæ, *qui, sicut ostensum est, tam celebris erat sub medium seculum* 15, *et seculo* 17 *tanto splendore perseverabat, per immemorabilem igitur temporis cursum ac longissimi temporis scientia ac tolerantia ordinarii : cum per longissimum tempus illiusque immemorabilem cursum intelligeret tantum Pontifex* tempus centum annorum metam excedens, *ut declaravit in altera Bulla edita anno* 1634, *proximo scilicet a suppresso per Cra-* C *covienses cultu Beati nostri.*

Acta hic danda.

9 *Papebrochii judicium de non omittendis in Opere nostro Actis Beati probavit Henschenius, ut patet ex tom.* 2 *mensis Aprilis, qui ab utroque illustratus est et editus anno* 1675, *quadriennio scilicet, postquam laudatus Hoffmannus memoratas ex archivo Cracoviensi notitias una cum recitata clausula transmisisset ad Papebrochium. Etenim dicto tom. Aprilis pag.* 745 *in Prætermissis die* XX *ejusdem mensis et remissis ad alium diem notantur sequentia* : B. Joannes Prandotha episcopus Cracoviensis, in Vita excusa hodie dicitur obiisse, sed Chronicon episcopale antiquum Ms. in archivio ecclesiæ cathedralis expresse notat diem S. Matthæi apostoli et evangelistæ, XXI Sept. *Equidem nec mihi fas esse putavi, Viro adeo insigni et antea tanto cultu honorato locum hic denegare propter factum nonnullorum præceps ac minus consideratum. Itaque Acta ejus, quanto potui studio, collecta exhibeo. Scripsi tamen interim jam dudum Cracoviam, ut, si forte quæ facta sit deinceps innovatio, ediscerem : sed hactenus responsum non tuli : ejus, si advenerit et visum fuerit operæ pretium, lectores nostros faciam participes vel in addendis ad hunc tomum vel alibi opportune.*

§ II. Beati illustre genus; promotio ad episcopatum, amor justitiæ, constantia et fortitudo in vindicanda ecclesiæ suæ injuria.

Beatus natione Polonus,

De gestis Beati ante aditum archiepiscopatum vix aliquid ad nos transmisere auctores Poloni. Martinus Baronius patriam ejus ac genus ita indicat in vitæ Compendio : Cui natale solum licet exiguum (pagi Bolezlauw dicti) sors dederit; ast familia Bialeciorum, quæ una est cum Odrowassorum illustris, nobile et magnum cognomen indidit. *Notitiæ archivi Cracoviensis, § præcedente laudatæ, sic habent :* Prandota de Bialaczow... natione Polonus, genere nobilis, de domo Odrowassch. *Dlugossus lib.* 7 *Historiæ Poloniæ* de domo Odrowasch et villa Bialaczow ortum *esse ait; Cromerus Rerum Polonicarum lib.* 8 *gente* Odrovansum, E *cognomento* Bialassovium. *Pater Simon Okolski Dominicanus in Opere genealogico, quod Orbem Polonum inscripsit, et in tres tomos divisum edidit Cracoviæ, tom* 2 *a pag.* 299 *familiæ* Odrowas *seu* Odrowaz *arma gentilitia exhibet, ejusdemque originem, potentiam ac lineam describens, pag.* 301 *producit ad annum* 1140 *Saulum comitem in Konskie, filium Sauli Odrovonz, qui et ipse plures filios habuerit, atque eos inter Ivonem episcopum Cracoviensem, anno* 1229 *defunctum, et Eustachium, qui, ut scribit pag.* 309, edidit in lucem filium Hyacinctum, vel ut antiqui efferebant (notante Cromero) Jacicum : *imo et* Jackonem, *sicut lego apud Dlugossum lib.* 6 *Historiæ his verbis :* Ivo Cracoviensis episcopus... *(Roma)* in Poloniam rediturus, Fratres a B. Dominico petiit. Alios autem obtinere non valens, tres suos comites et familiares, videlicet Jackonem canonicum Cracoviensem, qui et ipse de domo Odrowaz erat, item Ceslaum Polonum, Henricum Moravum et Hermanum Teutonicum, ad Ordinem per B. Dominicum assumi obtinuit, et illos secum in Poloniam deducens, primus Ordinem Prædicatorum in Polonia, B. Dominico adhuc superstite, plantavit. F

stirpe nobilis,

11 *Pag.* 310 *perveniens tandem Okolskius ad Beatum nostrum, sic statuit :* Prandota Odrovons descendens a sexto filio, si ipsemet sextus filius non fuerat Sauli comitis in Konskie, qui inter cetera divisa cum fratribus bona tenuit Bialaczeviam, Dæbne, Sczekocinum, ex qua notabant familiam suam, erat episcopus Cracoviensis *etc. Juxta hæc patrem vel avum habuerit laudatum Saulum comitem, fratrem vel patruum Ivonem, quod postremum verisimilius est, et certe cognatum S. Hyacinthum, uti etiam legitur in Martini Baronii vitæ Compendio :* Qua de familia pari quoque S. Hiacinthus, eidem sanguine junctus, ætate processerat. *Sancti hujus anno* 1257, *nono circiter ante* Prandotham, *defuncti Acta illustrata sunt apud nos tom.* III *mensis Augusti a pag.* 309, *ubi §* 2 *Commentarii prævii scriptorum testimoniis ostensum est, illum ex Odrowaziis genus duxisse, tamque fuse de illustrissimi illius stemmatis splendore disputatum, ut supervacaneum sit quidquam hic superaddere, sufficiatque, non minus solide probasse ex eadem etiam ortum esse Beatum nostrum. In qua parte regni Poloniæ sita sit villa Bialaczow, vel quem pagum Bolezlaw designare voluerit, as-* sequi

AUCTORE J. P.

sequi non potui : in illa autem natum esse Beatum sat clare insinuat Dlugossus; hinc tamen certum non est, idcirco cognominatum fuisse Bialaczovium; *nam cum stirps Odrowaza paulatim in diversos ramos abierit, ideo fortasse hoc ei cognomentum adhæsit, quia ad ramum, ex quo progenitus est, pertinebat* Bialaczow, *seu* Bialaczevia : *id quod innuere videtur Okolskius dicens :* Ex qua notabant familiam suam. *Denique idem auctor his et aliis de* Prandotha *in medium productis subdit :* Video Bialaczeuscios in Sendomiriensi palatinatu; si sunt de his armis, ignoro.

sacerdos et archidiaconus

12 *Martinus Baronius pauca præfatus de patria, familia et cognatis, mox pergit ad ejus sacerdotium :* Cujus, *inquiens,* B. Prandothæ episcopi et confessoris, ut ætatem juvenilem, quam in bonis artibus et theologicis studiis summa cum laude consumpserat, taceam, a Vislao, pro tunc in sede episcopali hujus urbis constituto, ad sacerdotii et archidiaconatus Crac. dignitatem sublimatus *est. Nec plura apud alios reperio, nisi, quod in Notitiis Mss. et apud Dlugossum lib.* 7 *dicatur etiam fuisse canonicus Sandomiriensis ; Vislaus autem, dictus etiam alibi Vislimirus, sedem Cracoviensem occupavit ab anno* 1229 *usque ad* 1242, *intra quos proinde* Prandotha *sacerdotio initiatus et archidiaconatu ac canonicatu ornatus fuit; at quid interea egerit, subticuit nobis eadem scriptorum parcitas.* Tandemque, *verba hæc proxime annectuntur mox recitatis ex Baronio,* ipso *(Vislao)* mortuo, ob suam admirandam vitæ morumque sanctimoniam et integritatem per beatissimum patrem Celestinum quartum sum. Pont. Rom. episcopus Crac. factus et a Fulcone archiepiscopo Gnesnen, consecratus fuit anno a Christo nato MCCXLII. *In notitiis Mss. Leguntur sequentia :* Prandotha de Bialaczow, vigesimus primus, natione Polonus, genere nobilis de domo Odrowassch, archidiaconus Cracoviensis et canonicus Sandomiriensis ab Innocentio Papa IV, Sedi tunc Apostolicæ præsidente, confirmatur in episcopatu Cracoviensi anno Domini MCCXLII. In die S. Urbani a Fulcone archiepiscopo Gnesnensi consecratur : cujus electio fuit, uti creditur, per inspirationem divinam celebrata; quia, quod raro contigit, omnes unanimiter vota sua in eum dirigentes, ipsum, nullo contradicente, concorditer elegerunt.

ad episcopatum Cracoviensem

13 *Dlugossus lib.* 7 *Historiæ electionem eodem modo commemorat :* Ab omnibus eligentibus, quod nusquam vel raro contigit, via scrutinii concorditer electus, et in die B. Urbani consecratus a Fulcone Gnesnensi, mandato Innocentii Papæ IV. *His addo anonymi archidiaconi Gnesnensis brevius Cracoviæ Chronicum, seculo* 14, *sicut ex loco non uno eruimus, exaratum, et anno* 1730 *publici juris factum a Friderico Wilhelmo de Sommersberg, equite Silesio, tom.* 2 *de Rerum Silesiacarum scriptoribus, in quo pag.* 92 *ista habentur :* Item anno Domini MCCXLII dominus Wislaus episcopus Cracoviensis defunctus est, cui successit dominus Prandotha in episcopatum. Eleccio autem fuit, ut credimus, per inspirationem divinam celebrata; quia, quod raro contingit, omnes unanimiter in eum vota sua dirigentes, ipsum, nullo contradicente, concorditer elegerunt, ad quos de jure eleccio pertinebat. *Voces ipsæ satis produnt, profluxisse eodem ex fonte, quæ a recitatis scriptoribus referuntur circa modum electionis; sed hoc mirum, quod Martini Baronii Compendium, et notitiæ Mss., quamvis ex eodem archivo Cracoviensi utraque fideliter deprompta perhibeantur, non modo discrepent in notis chronologicis. sed usque adeo, ut neutra sententia ad veros calculos accedere videatur. Etenim Cælestinus IV electus Pontifex mense Octobri anno* 1241, *e vivis excessit mense Novembri proxime sequenti, die circiter* XVII *post electionem.*

14 *Quomodo ergo mortuo Vislao, juxta omnes anno* 1242, Prandotha *episcopus factus est ab eodem Cælestino, ut tradit Baronii Compendium? Contra Innocentius IV post diuturnam Sedis Apostolicæ vacationem Pontificatum adiit tantum anno* 1243 *mense Junio multum provecto. Igitur verum esse nequit, quod dicitur in notitiis Mss.* Prandotha... ab Innocentio Papa IV, Sedi tunc Apostolicæ præsidente, confirmatur in episcopatu Cracoviensi anno Domini MCCXLII. *Imo nec verum esse potest, quod refert Dlugossus,* in die B. Urbani consecratum *fuisse...* mandato Innocentii Papæ IV; *nisi rem ita contigisse statuamus, ut electus quidem fuerit anno* 1242, *consecratus autem anno* 1244 *die* XXV *Maii sacra S. Urbano Papæ: quominus tamen ita statuamus, obstat Chronicum Poloniæ iisdem temporibus scriptum a Boguphalo II episcopo Poznaniensi, continuatumque a Glodslao, cognomento Bastcone, ejusdem ecclesiæ custode, in quo apud laudatum Sommersbergium tom.* 2 *Silesiacarum rerum pag.* 61 *in hunc modum scribit Boguphalus ad annum* 1243 : Eodem quoque anno Cunradus dux Mazovie diocesim Cracoviensem intravit, ecclesie villas spoliavit, et curias episcopi exussit, et, multis dampnis ecclesie illatis, ad propria rediit, illesus. Et ob hoc Prandotha episcopus Cracoviensis, qui anno proxime precedenti in episcopum fuerat electus et consecratus, ipsum ducem excommunicavit. Cujus sententiam dominus Ffulco archiepiscopus Gneznensis confirmavit. *Dixi, in hunc modum scribere Boguphalum, tum quia in vivis superstes fuit usque ad annum* 1253, *tum quia inferius pag.* 64 *referens gesta anno* 1249, *auctorem se clare indicat his verbis:* Ego Boguphalus episcopus Poznaniensis audivi, licet peccator *etc. Porro, quæ addit de gestis* Prandotham *inter et Conradum dabo paulo fusius, postquam recensuero, quæ anno primo episcopatus Beato nostro contigisse referuntur apud alios.*

provehitur anno 1242;

monetur de promovenda

15 *In notitiis Mss. habentur sequentia :* Mortuo Wislao episcopo, et Prandotha successore suo consecrato, in primo anno pontificatus sui, comes Falislaus talem de præfato Vislao habuit visionem. Incidens siquidem in ægritudinem, cum quadam vice in ipsa ægritudine dormitaret, videbatur sibi, quod in ecclesia majori Cracoviensi pulsarentur campanæ pro Missa, et ipse comes solicitus esset in ipsa visione, ut festinanter iret ad Missam, et cum celeritate veloci ad pedem montis pervenisset, invenit ibi prædictum Vislaum episcopum, qui se exspoliabat pontificalibus indumentis rubeis; videbaturque comiti Falislao, quod pro eodem tempore in ecclesia cathedrali Missa cantaretur : tunc cum admiratione dixit comes Falislaus ad Vislaum episcopum, quomodo cantaretur Missa absque episcopo, cum adhuc esset episcopus ad radicem montis : et episcopus conversus ad comitem dixit : Non permittor ibi venire, quia tot annis fui episcopus in Cracoviensi ecclesia, et sustinui, corpus sancti Stanislai jacere in pulvere, et procurare neglexi sancti viri canonizationem; et iccirco indumentis pontificalibus exspolior : sed tu vade et dic episcopo Prandothæ, quod non negligat pro canonisatione Sancti Dei efficaciter laborare. Cui comes

A comes Falislaus cum respondisset: Non credet mihi, adjecit, dicas ei: Trunce, trunce, quare non advertis, quali morte mortuus est beatissimus Stanislaus, et pro qua causa, et quanta et qualia ejus meritorum miracula fuerunt? Et illico evigilans, se sanatum ab ægritudine, qua detinebatur, invenit. Qua visione et oraculo fideli Prandotha episcopus Cracoviensis permotus *etc.*

canonizatione S. Stanislai episcopi martyris;

16 *Visionem camdem commemorat etiam Dlugossus lib.* 7 *Historiæ; sed et fusiore stylo eam referens in Vita S. Stanislai apud nos tom.* 2 *mensis Maii pag.* 253, *dicit, comitem illum, quem ibi Falislaum militem compellat, jussa exsequi negligentem, post tres hebdomadas recidisse in lethalem ægritudinem, ac denuo post acerbas ejusdem apparentis Vislai querelas et comminationes sanatum paruisse monitis. Huic annectit auctor idem apparitionem iterato factam matronæ ægrotanti, in qua moneri jussus est* Prandotha, *ut ossa ejusdem S. Stanislai elevaret et honorificentius deponeret; utrumque præstitit pius Antistes; primum laboravit impigre, ut canonizationem impetraret, et, hac obtenta, solemniter sacra ossa elevavit, ut suis locis ostendam; nam cum in opere isto adju-*B *tores habuerit Boleslaum Pudicum ducem Cracoviensem, Sandomiriensem ac Poloniæ monarcham, hujusque conjugem B. Kingam seu Cunegundem virginem, cujus Acta illustravimus tomo* v *Julii a pag.* 661, *cumque res ad optatum finem perducta tantum sit anno* 1253, *juverit præmittere, quæ Beatus eousque tum cum dictis principibus tum cum aliis egisse dicitur.*

Boleslaum Pudicum principatui restituit,

17 *Itaque ad primos episcopatus ejus annos pertinent ea, quæ egit adversus Conradum Masoviæ ducem, Boleslai Pudici patruum, quæque breviter relata superius ex Chronico Boguphali, hic paulo latius explicanda sunt. Invaserat Conradus Boleslai Pudici in Hungaria degentis principatum; at asperiore dominatu proceres ab illo alienati, revocarunt Boleslaum et* authore ac principe Prendota episcopo Cracoviensi, *inquit Cromerus lib.* 8 *Rerum Polonicarum,* novum ipsi jusjurandum dixerunt. Advenienti quoque, *ita Dlugossus lib.* 7, Boleslao Pudico duci suo cum consorte sua Kinga ex Hungaria et Moravia, cum magno plausu et jucunditate occurrunt, et consentiente atque rogante Prandotha Cracoviensi episcopo, ipsum in ducem et dominum, jurejurando illi præstito, assu-C munt; quorum exemplum cæteri nobiles et armigeri Cracovienses, quibus castra et munitiones Conradus dux Masoviæ commiserat, secuti, sibi, castra et munitiones, pacti vitam et veniam reddunt. *His auditis, Conradus cum ingenti exercitu advenit; sed prælio victum et* ecclesiæ Cracoviensi et suo antistiti Prandothæ, quod ejus consilio et industria ducatum Cracoviensem sibi querebatur ademptum, severa et crudelia minitantem,... in turpem fugam egit *Boleslaus.*

ejusque hostem Conradum

18 Victorioso hujuscemodi triumpho secuto, *sic prosequitur, paucis interpositis, Dlugossus,* milites Cracovienses, priori assumptione Boleslai Pudici, Cracoviensis et Sandomiriensis ducis, non contenti, iterum illum in ducem suum assumunt, et Prandotha episcopo Cracoviensi cooperante, eum in ecclesia Cracoviensi, solenniter re divina expleta, argento circumfusum intronisant. *At brevioris moræ fuit hæc lætitia; Conradus quippe dedecoris in pugna accepti vindictam spirans, Lithuanos aliosque finitimos Poloniæ populos prece et pretio in Boleslaum concitavit, qui hujus terras ingressi, easque barbarica crudelitate devastantes, ac incendentes, tantum incusserunt terrorem Sandomiriensi nobilitati, ut Boleslaum dominum suum legitimum, a quo spes nulla auxilii affulgebat, deseruerit et invasori Conrado se denuo dediderit: et parci quidem tunc jussit ille ceteris omnibus, ut scribit Cromerus, solasque Episcopi Cracoviensis possessiones crudeliter diripuit et incendit. Audi Dlugossum:* In Prandotham vero Cracoviensem episcopum, quod cum cæteris militibus Sandomiriensibus sentire noluerit, et Boleslao Pudico, duci Cracoviensi, puro, fideli et uniformi tenore adhæsit, Conradique ducis conatibus perseveranti constantia restitit, Conradus ipse furorem vehementem evomens, missis armigeris, curias episcopales, in terra Sandomiriensi consistentes, videlicet Tharsensem, quæ nunc Bodzacinensis appellatur, Kielcensem, Kunoviensem primum spoliatas incendit, et villas præfatorum trium districtuum multiplici spolio afflixit, et omnem prædam, ex curiis et villis episcopalibus congestam, in Masoviam abegit.

AUCTORE J. P.

excommunicat propter illata ecclesiæ damna,

19 Prandotha autem Cracoviensis episcopus, vir pectoris heroïci, nihil hujusmodi incendiis et spoliis consternatus, a fide et subjectione Boleslai Pudici avelli non potuit; quin etiam ducem Masoviæ Conradum prædictum censuris ecclesiasticis et anathemate, sua auctoritate suoque processu excommunicari et anathematizari ab universa Polonorum ecclesia mandavit. Cujus processum et censuras, Fulco, qui et Pelka, Gnesnensis archiepiscopus, indicta ob id apud Lancitiam synodo, confirmans, mandavit ducem Masoviæ Conradum, velut violentum bonorum Cracoviensis ecclesiæ raptorem, et incendiarium atque injustum invasorem, omnibus provincialibus episcopis consentientibus et laudantibus, anathematizatum in singulis ecclesiis denunciari et pro excommunicato et anathematizato haberi. *Hactenus Dlugossus. Unde elucent Beati nostri virtutes eximiæ; amor æqui et justi, dum simul ac ad episcopales infulas promotus fuit, laborare cœpit, ut ad Boleslaum, indignis modis a patruo oppressum, rediret principatus; fides et constantia, dum ceteris præ timore deficientibus, ipse legitimo domino adhæsit; denique dum, undique imminentibus periculis, injurias ecclesiæ suæ bonis illatas vindicavit; heroïca fortitudo, dignaque, quam Martinus Baronius memorasset in vitæ Compendio, uti fecerunt collector notitiarum Mss. ex archivo Cracoviensi, et præclariores rerum Polonicarum scriptores Boguphalus,* F *Martinus Cromerus, Mathias de Michovia, aliique.*

quæ dein restauravit Boleslaus.

20 *Laudati auctores nihil relatu dignum de Beato nostro litteris commendarunt usque ad obitum Conradi, quem innectunt anno* 1247, *et ad quem usque persequi non cessavit Boleslaum et verisimiliter etiam* Prandotham, *hujus comitem individuum. Itaque dicto anno Boleslaus pacificum ditionum suarum regimen nactus est, et procul dubio multis favoribus Antistitis fidem compensare, damnaque ecclesiæ hactenus illata restaurare cœpit. Id credere me jubent notitiæ Mss. aliquoties citatæ, in quibus præsignato anno* 1247 *referentur sequentia:* Hic Pontifex a Boleslao Cracoviensi et Sandomiriensi duce plurimas concessiones, libertates, privilegia in plena forma pro ecclesia Cracoviensi, ipsam ecclesiam angariis *, daciis *, exactionibus et quibuslibet solutionibus ordinariis et extraordinariis absolvendo, obtinuit; et has per Alexandrum Papam IV auctoritate Sedis Apostolicæ confirmari procuravit. *Alexander Papa IV totius Ecclesiæ regimen suscepit anno* 1254, *tenuitque usque ad* 1261, *ac proinde hisce verbis involvi censenda*

* *i. e.* oneribus
* tributis

AUCTORE J. P.

senda sunt beneficia, quæ ab anno 1247 usque ad ejus Pontificatus tempora ecclesiæ collata sunt, quæque simul tum confirmanda curavit Antistes Cracoviensis.

§ III Canonizatio S. Stanislai episcopi martyris obtenta, curante B. Joanne Prandotha; alia hujus præclare gesta usque ad beatum obitum.

Pro canonizatione S. Stanislai,

Dubium mihi non est, quin Beatus sub initium episcopatus sui admonitus de promovenda canonizatione S. Stanislai episcopi martyris, uti supra indicavimus, magnam mox huic negotio operam impenderit, sed non tantum profecerit, quantum voluisset, continuis nempe inimicorum incursionibus, præliis et cladibus impeditus. At post annum 1247 rebus in Polonia pacatioribus, ac B *favente Boleslao monarcha, imo et plurimum cooperante una cum B. Cunegunde conjuge, rem eo perduxit, ut anno 1250 nuntii debite instructi ad Pontificem Romanum Innocentium IV missi sint et canonizatio subsecuta anno 1253. Nolo hic totam ejus seriem pertexere; quandoquidem hæc non adeo ad propositum nostrum pertinet, et sufficienter exposita sit a Papebrochio in Commentario prævio ad Acta S. Stanislai per Dlugossum conscripta, et in Actis ipsis apud nos editis tom. 2 mensis Maji ad diem* VII*; verumtamen non abs re fuerit nonulla inde decerpere, ex quibus dignosci queat, quantam in eo negotio partem habuerit, quantamque inde sibi laudem adeptus sit beatus Antistes.*

juvantibus Boleslao et Cunegunde

22 *Ita scribit Dlugossus in Prologo ad librum tertium Actorum S. Stanislai tomo mox laudato pag.* 255*:* De principali tertia, canonizationis sancti Dei Stanislai difficultate, postquam duabus aliis propitiatione divina defungi me contigit, scrupturus, bonitatis divinæ clemens providaque ordinatio, ut illam vehementius solito stuperem et admirarer, menti incessit; quæ in id tempus, quo dilecti martyris sui Stanislai canonizationem consummari perficique decreverat, et Pontificem Cracoviensem et principem raris et singularibus virtutibus refertos C viros servavit: quorum alter Prandotha, fide, caritate et religione plenus et magnitudine virtutum egregius; alter Boleslaus, Lesthonis Albi filius, circa quem tunc rerum summa Polonicarum et monarchia consistebat, pudicitia et religione insignis, habebantur. Accessit et Boleslai principis consors Cunegundis, Hungariæ regis Belæ filia,... quæ et ipsa pro canonizatione sancti Dei Stanislai omnes suas ducales facultates magnifico et liberali spiritu effundebat. *His subdit alios, qui in rem eamdem et operam suam et sumptus etiam contulerunt, tum caput primum libri tertii ita exorditur:* Crebrescentibus magnificis et stupendis prodigiis, quæ clementia Salvatoris omnium Dei per beatissimi pontificis Stanislai merita gloriosa in Cracoviensi ecclesia et aliis quamplurimis locis ad sui nominis invocationem operabatur, Boleslaus Pudicus Polonorum princeps et monarcha, et Prandotha Cracoviensium antistes, ferventis ambo, ut præmisimus, devotionis viri in Deum, nuntios suos ac totius regni Polonici et ecclesiæ... in Lugdunum civitatem Galliarum ad Innocentium Papam IV anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo transmittunt, miracula Sancti Dei expositturos.

D 23 *Iterum ac tertio mittendi dein fuerunt ad Pontificem legati propter difficultates, moram causæ injicientes, ut videri potest locis citatis; sed unde tamen sequentia, earum occasione a Dlugosso in laudem nostri Beati dicta, transcribo:* Nihil hac dilatione vir excellens atque optimus, Prandotha Cracoviensis espiscopus, factus segnior, quæ forte alium a prosequendo desperare coëgisset, sed plenus fervore atque zelo et priores testes et plures alios novos... apud commissarios Apostolicos induxit... et anni dimidium in conficiendo hujusmodi examinationis negotio, singula per se curans et adiens, absumpsit. *Eadem tradit etiam Dlugossus in Historia Polonica. Laudant quoque Beatum occasione hujus negotii scriptores passim alii, qui vel ejus gesta memorant, vel agunt de canonizatione S. Stanislai; unum seligo auctorem Synopseos Vitæ S. Stanislai, quam ex antiquo Ms. erutam et in numeros quindecim divisam præmisit Papebrochius longiori Vitæ per Dlugossum concinnatæ, quamque ante iisdem plane verbis divisam in totidem lectiones, per octavam ejusdem Sancti in secundo Nocturno recitandas, Stanislaus Socolovius canonicus Cracoviensis* E *inseruerat Proprio Patronorum Poloniæ. Itaque laudatus auctor apud nos tom. 2 Maii pag.* 202, *et in Proprio mox dicto, impresso Antverpiæ anno* 1643, *lectione* 5 *diei octavæ, scribit in hunc modum:* Post centum tandem et septuaginta annos excitat Dominus spiritum Prandotæ, episcopi Cracoviensis, viri sancti; Boleslai item ducis cum sua conjuge Kinga, femina castissima. Qui miraculis sancti episcopi collectis, et fide publica tamquam igni probatis, legatos ad Innocentium quartum summum Pontificem mittunt; *etc.*

strenue laborat,

24 *Res tandem confecta est et decreta canonizatio anno* 1253, *super qua exhibet Dlugossus gratulatoriam epistolam a Cardinale Joanne Cajetano* Prandothæ episcopo et capitulo Cracoviensi in pergameno scriptam, per nos, *inquit,* frequentius visam et contrectatam, in scriniis Cracoviensis ecclesiæ repositam. *Legi ea potest tom. 2 Maii pag.* 258; *sequentibus vero paginis videri etiam potest, qua solemnitate primum Assisii in Umbria canonizatio ista celebrata fuerit, ac dein Cracoviæ una cum elevatione sacrorum ossium; hæc quippe eatenus tantum ad præsens institutum pertinent, quatenus Cracoviæ auctore præsertim Beato nostro peracta sunt, proindeque pluribus describi non* F *debent. Ceterum ab anno* 1254, *cui innectitur in laudato Chronico Boguphali, per Glodslaum Bastconem continuato, elevatio ossium S. Stanislai, nihil memorabile occurrit usque ad annum* 1255, *quo, cum Boleslaus Calvus, dictus etiam* Sævus, *dux Lignicensis, summa cum ignominia et feritate Thomam episcopum Wratislaviensem, venerabilem senem, una cum Præposito et canonico in carcerem et vincula conjecisset, atque idcirco per archiepiscopum Gnesnensem aliosque antistites, quos inter postremus certe non fuerit* Prandotha *Cracoviensis, anathemate percussus fuisset,* Papa Alexander, *verba sunt Dlugossi lib. 7 Historiæ,* litteris episcoporum Poloniæ et nuntii relatione in vehementem turbationem super novitate, quæ acciderat, motus, archiepiscopo Gnesnensi, et Cracoviensi ac Wladislaviensi episcopis dedit in mandatis, ut Boleslaum Legnicensem ducem, de relaxando Thoma Wratislaviensi episcopo autoritate Apostolica requirerent, et abnuentem, personam suam et facinoris complicum, censuris, terram vero suam interdicti sententiis percellerent. Qui omnia, ut jubebantur, exequuti sunt. Legnicensis *seu* Lignicensis

felici tandem eventu. Vindicandæ immunitatis ecclesiasticæ

A censis *ducatus est in Silesia, olim regni Polonici parte, illiusque præcipua civitas est Lignitia, distans, teste Baudrando, septem milliaribus Wratislavia seu Vratislavia*, Breslaw, *quæ Silesiæ caput est.*

provincia ipsi et aliis præsulibus committitur ab Alexandro IV;

25 *Nihil territus est Dux censuris ecclesiasticis, imo incitatus magis, ut captivos severius tractaret; quapropter* Prandothæ Cracoviensis, *hæc rursus ex Dlugosso*, et Volmiri Wladislaviensis episcoporum litteris Alexander Papa quartus certior factus, Boleslaum Sævum Legnicensem ducem, et monita Apostolica contemptui, et censuras ab eis fulminatas ludibrio habuisse, neque Thomam episcopum Wratislaviensem, et Boguphalum Præpositum, Hecardumque canonicum relaxare... a captivitate voluisse, zelo Dei in ecclesiastica libertate et ministris ejus defendendis accensus, insolentiam et temeritatem Boleslai Sævi Legnicensis ducis virga Apostolica compressurus, vexillum Crucis contra præfatum Boleslaum Sævum et terras suas, velut ethnicum et fidei ac religionis Catholicæ hostem decernit. *Hunc in finem litteras in Poloniam destinans, jussit moneri denuo ducem et* B *contra obtrectantem per civitates ac diœceses, propositis indulgentiis, prædicari* verbum Crucis. *Litteras integras recitat Dlugossus lib. 7. Interea temporis Thomas episcopus diri carceris pertæsus, inconsultis archiepiscopo et episcopis Poloniæ,* qui *teste eodem Dlugosso*, pro illius libertate et substantias et sanguinem parabant se effusuros, *ingenti pecuniæ summa se sociosque liberavit. Ægre id quidem tulerunt ipsi, at nihilo minus mandata summi Pontificis executi sunt; nam anno eodem, quo Pontificis litteræ scriptæ notantur, nempe* 1257, D̃nus Fulco archiepiscopus Gneznensis, *verba sunt Glodslai Bastconis auctoris coævi,* Prandotha Cracoviensis, Thomas Wratislaviensis, Boguphalus Poznaniensis *(hujus nominis tertius, alter nimirum ab auctore Chronici)* Wolimirus Wladislaviensis, Andreas Plocensis et Wilhelmus Lubucensis episcopi, ac multi abbates, prælati et canonici ecclesiarum in Lancicia *(urbe inferioris Poloniæ)* sinodum celebrarunt. In qua sinodo archiepiscopus predictus cum suis suffraganeis contra Boleslaum ducem Slesie per Alexandrum Papam datam crucem prædicarunt, *etc. Paulo longius rem hanc protrahere visum est, quia, ut satis patet,* C *non infimam in ea partem egit Beatus noster,*

animam S. Hyacinthi

26 *Ad eumdem annum* 1257 *spectant, quæ narrat Martinus Baronius in vitæ Compendio de visione, quam habuit Beatus, migrantis in cælum S. Hyacinthi :* In templo, *inquit*, cathedrali orationi uno tempore deditus, sub idemque tempus somno placidissimo correptus, animam B. Hiacincti ex hac vita, orationis suæ hora, cum disposito angelorum choro, divo Stanislao episcopo comitante, in illam cælestem patriam migrantem vidit: qui postea expergefactus, visionem in re comperit. *Mortuus est Sanctus ille Cracoviæ in conventu sanctissimæ Trinitatis Ordinis Prædicatorum anno prædicto et die* XV *Augusti, sicut probatum est* § 6 *Commentarii prævii ad ejus Acta tom.* III *dicti mensis Augusti pag.* 319 : *sepultus autem* a Prandotha Cracoviensi episcopo et populi multitudine in eodem cœnobio SS. Trinitatis, *ut tradit Dlugossus, nihil significans de visione a Baronio relata. Ejus tamen meminere passim biographi S. Hyacinthi, et hos inter Leander Albertus lib.* 5 *Operis de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum editi anno* 1517, *sed modo paulum diverso.*

in cælos migrantem

27 *Laudatus auctor in Vita S. Hyacinthi, quam, quia antiquior ad manum non erat, recudimus mox dicto tom.* III *Augusti a pag.* 339, *relata ejus morte, ita prosequitur cap.* 2 : Funus ejus Prandeta, Cracoviensis antistes, vir venerabilis cum omni multitudine civium et plebis ingenti cum luctu celebravit : *his subdit miraculum mortui eodem die ad vitam revocati, ac pergit :* Venerandus antistes Prandeta, celebrato sancti Viri funere, templum D. Stanislai ingressus est; ibique ante aram beatissimæ Virginis Mariæ procumbens, fessus labore, aliquantulum levi admodum somno captus est. Putavit, se juvenes quosdam videre tunicis albissimis indutos, binos chorum egredi, duosque præclarissimos viros subsequentes; alterum pontificali tiara præditum, prædicatoria toga alterum indutum candore scapulare et tunica immenso fulgentibus, duabusque redimitum coronis, et rei insolitæ processum admiranti sibi dixisse pontificem: Sum Stanislaus antistes, et, quem mecum cernis fratrem, Hyacinthus est ex Ordine Prædicatorum, corona doctoratus, et altera corona virginitatis ornatus, quem hac gaudebunda beatissimorum societate spirituum, in illam perpetuam ac felicem vitam, qua frui licebit Deo æterno, deduco : moxque Stanislaum incepisse dulci ac alta voce illud eulogium, LUX PERPETUA LUCEBIT SANCTIS E TUIS, DOMINE, et sanctis illis spiritibus prosequentibus, cum magno fulgore scandisse cælum cum beato Hyacintho. Quo pacto evigilans Prandeta, ad cœnobium Prædicatorum accedens, seriem visionis coram Fratrum, sacerdotum ac civium immensa multitudine non sine lacrymis narravit. *Hactenus Leander Albertus.*

AUCTORE J. P.

conspicit.

28 *Discrepant autem auctores assignati in tempore factæ apparitionis : Martinus quippe Baronius contigisse significat ipso tempore obitus S. Hyacinthi; Leander postquam sacrum illius corpus per ipsummet* Prandotham *terræ mandatum esset. Leandrum secutus est Razzius in Vitis Sanctorum Ordinis Prædicatorum, Severinus item Cracoviensis in Vita S. Hyacinthi, ex qua visionem eamdem fusius descriptam dedimus tom. citato in Commentario pag.* 320, *sed is temporis adjuncta exprimens, obscuritatem attulit : etenim S. Hyacinthum obiisse ait* in die Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ hora quasi nona, *tum post alia quædam* Peractis, *inquit*, omnibus, quæ ad sepulturam viri Dei spectabant, de more Ecclesiæ ceremoniis, venerabilis vir dominus Joannes Prandotha episcopus Cracoviensis, qui beatum Hyacinthum per F seipsum terræ mandaverat circa horam nonam ingressus est ecclesiam cathedralem sancti Stanislai martyris, Virginis gloriosæ ductus devotione, *ac denique relata visione, ita concludit :* Quæ visio facta est in die defunctionis beati viri in festo solemni Assumptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ anno Domini MCCLVII. *Scio equidem uno loco intelligi posse, imo, si vera narrat, debere intelligi horam nonam matutinam, altero vespertinam; at vero, dum ratio nulla allegatur, difficile mihi creditu est, Episcopum vesperi, servatis Ecclesiæ cærimoniis, terræ mandasse sancti Viri corpus ipso die obitus. Ceterum ipsa visio satis testata mihi videtur, circumstantia autem temporis parum aut nihil addere vel demere potest gloriæ Beati nostri, ac proin diutius morari nos non debet.*

B. Salomeæ velum tradit.

29 *Visioni jam memoratæ præmittit ista Martinus Baronius :* Duas præterea regiæ stirpis virgines, beatam videlicet Salomeam et Cunegundim cognatam suam Deo consecravit et sacro in religione S. Claræ Ordinis ac instituti S. Francisci velamine vestivit. *Sed in his ordinem temporis non curavit auctor; Salomea enim Boleslai Pudici soror*

AUCTORE J. P. *ror germana, mortuo sponso Colomanno, Gallatiæ seu Haliciensi rege, quocum in perpetua virginitate vixerat, Ordinem S. Claræ professa est in Zavichostensi monasterio, ut uno consensu tradunt Dlugossus, Mathias de Michovia et Cromerus, quod monasterium, rogantibus Salomea sorore ac Cunegunde consorte, erexit ac dotavit idem Boleslaus Pudicus anno* 1258, *sed inde anno* 1262, *quia nimis expositum erat barbarorum incursionibus, suadentibus* Prandotha *ac proceribus, transtulit in locum tutiorem, qui* Skala *alias* Lapis sancte Mariæ *appellatur, tribus milliaribus a Cracoviensi urbe distantem, et in quo sub annum* 1268 *sancte obiit Salomea. De hac fuse agit Tossinianensis lib.* I *Historiarum seraphicæ Religionis, ac Baronio in re narrata consentit, inquiens fol.* 141 *verso* : Mortuo Colomano, sancta Salomea recordans votum castistatis, rediit ad natalem patriam, existente interea Prandotha episcopo Cracoviensi, qui etiam ipsam per impositionem veli in signum virginitatis, sacro suscepto Ordine S. Claræ, sub Regula S. Francisci cum fratre Raymundo ministro Poloniæ consecravit. *De Cunegunde, quam Salo-* B *meæ conjungit Baronius, neque Tossinianensis, neque historici Poloni meminerunt, nisi forte intellectam voluerit Baronius B. Cunegundem Boleslai conjugem.*

et ab illius fratre Boleslao Pudico votum castitatis excipit;

30 *Hæc quidem beata virgo etiam S. Claræ Ordinem et institutum amplexa est, sed post mariti dumtaxat obitum, id est, post diem* x *mensis Decembris anni* 1279, *quem expresse signat Dlugossus in Vita Cunegundis apud nos tom.* v *Julii pag.* 703, *ac proin sacro velamine vestiri non potuit a* Prandotha, *ultra annos tredecim defuncto : aliam itaque Cunegundem intellexit Baronius; sin' minus ita exponendus est, ut, quod, vivente et verisimilius præsente ac probante Beato nostro, utcumque inchoatum est, et eo mortuo perfectum, Baronius eidem totum adscripserit. Nam Boleslaus ipse, superstite adhuc* Prandotha, *publice votum castitatis emisit, licet cum conjuge virgine semper permanserit, et Cunegundis tertiæ Regulæ S. Francisci se mancipavit. Audiri hic denuo meretur Dlugossus tom. mox citato pag.* 700 : Ad quam rem solenniter consummandam cum dicta dies advenisset, dux quidem Boleslaus Pudicus in manibus Prandothæ Cracoviensis episcopi in Cracoviensi ecclesia votum hujusmodi *(perpetuæ conti-* C *nentiæ, ut præmiserat auctor*) sub præsentia multorum peragit. Virgo vero Cunegundis virginitatis voto parum se astringere contenta, Boleslao duce permittente, et præsente, in ecclesia sancti Francisci Ordinis Minorum in Cracovia sub cantu Missæ sonoræ, ad id solenniter actæ, in manu Poloniæ ministri, fratris Bartholomæi, Rem divinam tunc exequentis, voto primum perpetuæ castitatis se obligans, etiam Regulam Fratrum Minorum assumit *etc.*

flagellantium sectam Cracovia exturbat,

31 *Ad annum* 1261 *pro insigni sua prudentia, zelo religionis ac fortitudine facinus exsecutus est Beatus noster, quo magnum puritati fidei Catholicæ imminens periculum avertit a regno Poloniæ ; exorta erat nuper non sine pietatis ac sanctitatis specie flagellantium secta, ac paulatim in fœdissimos errores delapsa, diffuderat se late per Italiam ac Germaniam, jamque in Poloniam penetrans, haud procul aberat, quin et hoc regnum veneno suo inficeret; sed, quantum apparet ex Dlugosso, primum repressa fuit a* Prandotha, *et ad hujus exemplum penitus eliminata ex Polonia ; imo et alibi extincta.* Dum autem, *inquit laudatus auctor lib.* 7 *Historiæ*, secta hæc primum Cracoviam advenisset, ecclesiis visitatis, et velut pœnitentiis expletis, illico de Cracovia, Prandotha D episcopo, ni celeriter inde recederet, carceres illi comminante, se evolvit. Sed et in cæteris Polonicæ ecclesiæ diœcesibus, Janussio archiepiscopo Gnesnensi et aliis episcopis Poloniæ eorum errores detegentibus, et principibus Poloniæ, ne quis Polonorum errores hujusmodi sectaretur, sub gravi pœna et bonorum confiscatione mandantibus, secta ipsa irrisa et spreta est. Apud alia vero regna igne et gladio deleta ; errorque cæteris ejus sectatoribus, illum deserentibus, et, quod laudabatur, execrantibus, subito disperiit.

pie moritur

32 *Præter hactenus allata nihil speciatim de Beati gestis observandum suggerunt historici et chronistæ; mortem ejus Glodslaus Bastco scriptor coævus signat ad annum* 1266 *his verbis :* Anno vero eodem Prandotha episcopus Cracoviensis de hoc seculo migravit ad Christum. *Dlugossus ad eumdem annum etiam diem adjicit, ut sequitur :* Vigesima prima die mensis Septembris Prandotha episcopus Cracoviensis, vir vitæ venerabilis, et canonizationis beati Stanislai præcipuus effector et promotor, omnibus Sacramentis, audiendo Missam procuratus, religiose et devote circa noctis crepusculum moritur, et in ecclesia Cracoviensi apud E capellam sancti Petri et Pauli sepelitur, cum annos decem et octo in sede Cracoviensi absumpsisset.. Cupiebat autem præfatus Prandotha episcopus Cracoviensis, vir sane optimus, et multis virtutibus clarus et celebris, dudum dissolvi, et ex hac malorum sentina ad Creatorem suum, ubi ævo fruatur sempiterno, proficisci. *Dlugossum secutus est Matthias de Michovia, omisso tamen elogio ;* Eodem, *inquit,* anno MCCLXVI die vigesima prima mensis Septembris Prandotha Cracoviens. episcopus, canonizationis sancti Stanislai promotor præcipuus, cum in episcopatu decem octo annos exegisset, circa principium noctis mortuus est; apud ecclesiam cathedralem Cracoviens. in medio capellæ Apostolorum Petri et Pauli sepultus. *Erravit uterque auctor, dum tempus sedis constrinxit ad annos octodecim ; quandoquidem ex ante dictis constet, eum a Beato occupatam fuisse ab anno* 1242; *credi tamen potest, describentium incuria apud Dlugossum errorem istum intrusum fuisse, et a Michoviensi inadvertenter etiam descriptum.* F

anno 1266.

33 *In notitiis Mss. archivi ecclesiæ cathedralis Cracoviensis annus emortualis signatur* 1265 ; *sed et hic calami mendum latere suspicor, non tantum quia in annum* 1266 *conspirant auctores omnes, sed quia iisdem in notitiis dicitur Beatus sedisse annis viginti quinque, qui ab anno* 1242 *usque ad mensem Septembrem* 1265 *reperiri nequeunt. Recte Martinus Baronius in Compendio annum obitus notans* 1266, *tempus sedis determinavit annis viginti quatuor, sed nec is suo mendo caruit, dum diem mortis statuit* XX *mensis Aprilis, contra ac habent notitiæ Mss., Dlugossus, Mathias a Michoavia ac libellus de Divis tutelaribus diœcesis Cracoviensis, num.* 5 *laudatus. Locus sepulturæ idem designatur in notitiis Mss., qui apud Baronium aliosque : tum subditur breve elogium his verbis conceptum :* Hic itaque ut re et nomine verus Procurator ecclesiæ censeretur esse, suæ ecclesiæ redditus, patrimonia et cæteras utilitates secundum æquitatem eidem congruentes dividebat. Libertatem clero omnimodam secundum Deum, justitiam et tutelam a persecutione omnimoda laïcali et patriæ liberationem studiosissime procuravit. *Denique post alia nonnulla adjicitur etiam epitaphium, cujus dumtaxat primos*

siculos

A *versiculos, distinctius descriptos, huc transfero.*

Hic jacet ecclesiæ decus, hic Pastor bonus, hic flos
Justitiæ, cleri, Prandotha præsul, honor;
Hic via veri, gloria cleri, Prandotha tota
Laus patriæ.

Reliqua tam implexa sunt, ut perfectum sensum non assequar.

VITÆ COMPENDIUM

Ex archivo Cracoviensis ecclesiæ cathedralis depromptum et anno 1606 *typis vulgatum a Martino Baronio.*

Viri illustres laudandi

Etsi laudes, quibus priorum animæ mortalium post mortem in cælis perfruuntur, sciverimus esse prope infinitas, ita ut eas, non dicam verbis et scriptis, quispiam, quantumvis sit ille disertus B ac eloquens, sed ne mente quidem pro illarum dignitate satis complecti queat, non idcirco tamen, tanta ipsarum majestate et splendore quempiam obrutum, memoriam earum in terris sepelire conveniens est. Si etenim illi gentiles, a veri Dei cognitione alieni, suorum virorum (quorum integritatis et auctoritatis apud eos celebris in vita fuerat opinio,) post ultima læthi funera tanta flagrarunt cupiditate et amore, ut quæ eorum fuerit patria, qui mores, qui affines, singula denique ad ipsorum vitam pertinentia, diligentissime perscrutati fuerint, eaque omnia, non absque exiguis * impensis, litterarum monimentis prodiderint, idque eam vel maxime ob causam, tum ut ne suo virtute præditi destituantur præmio, tum ut alii quoque ad similem traducendam vitam, eorum incitarentur exemplo.

** forte magnis*

et inter præcipuos sanctitate Polonos Joannes Prandotha,

2 Quanto magis nos, (Christi nomine insigniti tos, luceque divina collustratos, in quibus plus valere debet religiosæ pietatis affectus et studium, quam in illis terrenorum amor et inanis gloriæ cupiditas,) decet erga nostros, nostræque professionis et fidei viros, et conterraneos, qui nos non solum, dum hac luce fruerentur viva omnis sanC ctimoniæ instruebant doctrina et exemplo, sed et nunc vita hac jam functi, crebrioribus, iisque magnis incitant miraculis ad alacrius sequendum vestigia Christi; quanto, inquam, majori amore et cupiditate erga eos flagrare debemus? E quorum numero tametsi jam multa eaque præclara nostrorum Patronorum in hac celebri nostra Polonia extent monimenta, ut divorum episcoporum Adalberti, Stanislai, Casimiri principis Poloniæ, tum Hiacinthi *a*, quinque Fratrum *b*, Cantii *c*, Simonis Lipnicii *d*, Stanislai Casimiritani *e* Canonicorum Regulæ Ordinis divi Augustini; Michaëlis *f* fratrum a S. Maria ejusdem instituti, et aliorum, quorum singulorum vitam recensere longum esset; tamen non minori etiam laudum encomio, Vita et memoria beati Joannis Prandotæ, ejusdem urbis ex ordine vicesimi primi in archivio almæ cathedralis Crac. ecclesiæ episcopi ad nostra usque secula cum suis miraculis reservata, esset donanda et extollenda.

nobili genere natus,

3 Qui ut sanctitate conspicuus, ita miraculorum, (quorum seriem infra videre licebit) multitudine clarus extitit. Hic natione quondam Polonus, nunc vero polorum sedibus natus: cui natale solum licet exiguum (pagi Bolezlaw dicti) sors dederit; ast familia Bialeciorum, quæ una est cum Odrowassorum illustris, nobile et magnum cognomen indidit *g*, quod tamen et ampliori adhuc laudis accessione nomen Joannis, ex sacro fonte in ecclesia Catholica levato inditum, auxit et condecoravit. Qua de familia pari quoque S. Hiacinctus, eidem sanguine junctus, ætate processerat una cum B. Ivone *h* episcopo Crac., atque Ceslao *i*, fratre ejusdem S. Hiacincti cum B. Dominico sub Regula Ordinis Prædicatorum militantis. Cujus quidem B. Prandotæ episcopi et confessoris, ut ætatem juvenilem, quam in bonis artibus et theologicis studiis summa cum laude consumpserat, taceam *k*, a Vislao, pro tunc in sede episcopali hujus urbis constituto, ad sacerdotii et archidiaconatus Crac. dignitatem sublimatus, tandemque, ipso mortuo ob suam admirandam vitæ morumque sanctimoniam et integritatem, per beatissimum Patrem Celestinum quartum sum. Pont. Rom. episcopus Crac. factus et a Fulcone archiepiscopo Gnesnen. consecratus fuit anno a Christo nato MCCXLII *l*.

Ex arch. Crac.

episcopus Cracoviensis, piis operibus

4 Qui simul hac in sede locatus canonizationem D. Stanislai episcopi Crac. et martyris atque translationem, accidentibus impensis et diligentia beatæ Cunegundis reginæ Poloniæ, olim Boleslai E Pudici regis conjugis, apud Innocentium quartum Papam et procuravit et impetravit *m*. Domi vero capellam sub titulo S. Petri ad eandem ecclesiam, in qua nunc tumulatus quiescit, a fundamentis erexit, multaque alia pia opera in eadem ecclesia hic Athleta Christi strenuus præstitit; sed majora adhuc in viva egenorum Spiritus sancti templa afflictorum et calamitosorum contulit, tamque liberaliter, ut a cunctis Pater pauperum vicatim vocitaretur, indeque ab omnibus amabilis et honorabilis haberetur.

et revelationibus clarus. Obiit 1266

5 Duas præterea regiæ stirpis virgines, beatam videlicet Salomeam et Cunegundim cognatam suam Deo consecravit, et sacro in Religione S. Claræ Ordinis ac instituti S. Francisci velamine vestivit *n*. Sed et meriti non minoris simul in vita conspicitur Vir et gratiæ in revelationibus multis, quas omnes hæc compendiosa pagina comprehendere nequit *o*: una tamen ex eis silentio præteriri non potest. Quando in templo cathedrali orationi uno tempore deditus, sub idemque tempus somno F placidissimo correptus, animam B. Hiacincti ex hac vita, orationis suæ hora, cum disposito angelorum choro, divo Stanislao episcopo comitante, in illam cælestem patriam migrantem vidit: qui postea expergefactus, visionem in re comperit. Senio tandem confectus in votis dissolutionis et desiderio Christi immarcessibilem æternæ gloriæ coronam in cælo recepturus, sumpto Eucharistico viatico reverenter obdormivit, anno D. MCCLXVI, die vero XX April. *p* et pontificatus sui anno XXIV.

Corpus ejus elevatum 1444

6 Cujus obitum felicem certa cum totius ejusdem cathedralis Crac. ecclesiæ experientia hæc miracula subsecuta sunt. Atque primo loco sese illud offert dignum sane notatu. Nam tempore Nicolai Papæ V *q* et Zbignei *r*, tituli S. Priscæ Cardinalis ac episcopi Crac., anno vero MCCCCXLIV, cum hujus Divi ossa sancta levarentur, inque alium prædictæ capellæ, ubi nunc sepulta sunt, tumulum transferrentur, ex aperto ejus sepulchro suavissimum et fragrantissimum per quadriduum spirabant odorem, qui omnes tum astantes mirifice recreabat et refocillabat, multos etiam suæ fragrantiæ virtute sanabat: sunt et alia pene innumera

Ex arch. Crac.

innumera ab hoc anno mccccxliv usque ad mcccclxvi creberrimis vicibus facta, et sanctitatem Viri evidentissime comprobantia miracula, quæ hic brevibus adumbro.

miraculis illustratur

7 Infirmi namque ejus intercessionibus levatos esse ultro confessi sunt undecim : a dolore oculorum xvi : a pedum dolore vii : a chyragra totidem sanati : ab inflammatione gutturis 2 ; a labore dentium 2 ; a lumborum unus ; a dorsi similiter 1 ; a corrosione 1, a morbo Gallico 2 ; a febre quadriduana 2 ; a cephalica *f* v ; deploratus remansit unus *t* ; a vomitu diurno sanatus unus ; a periculo latronum evasit 1 ; de carcere liberatur 1, ab uno surdo et uno a nativitate claudo eadem audivere. Jugulatus quoque unus revixit. Cujusdam viri Nicolai Braxatoris et conjugis Swetoflawa ex platea S. Nicolai puer unius anni, nomine Flamella, in gravi infirmitate decumbens mortuus, qui tandem per parentes ejusdem pueri, voto ad sepulchrum hujus Beati facto, in eadem capella revixit anno mccccxliv die xvi Augusti. Proinde scitote : Quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum, qui ostendit nobis bona. Psal. iv.

B

ANNOTATA.

a *De quatuor hisce Sanctis Actum est apud nos; puta de S. Adelberto episcopo martyre tom.* 3 *Aprilis ad diem* 23 ; *de S. Stanislao episcopo martyre tom.* 2 *Maii ad diem* 8; *de S. Casimiro tom.* 1 *Martii ad diem* 4; *et de S. Hyacintho confessore ex Ordine Fratrum Prædicatorum tom.* 3 *Augusti ad diem* 16.

b *De sanctis quinque fratribus martyribus Benedicto, Joanne, Mathæo, Isaaco atque Christino in Proprio patronorum regni Poloniæ præscribitur officium duplex ad diem* 12 *Novembris, quo Acta ipsorum elucidari poterunt.*

c *In libello de Divis tutelaribus Cracoviensis diœcesis B. Joannes Cantius obiisse dicitur anno* 1473 *in pervigilio Nativitatis Domini, proin ejus Acta examinanda erunt ad diem* 24 *Decembris.*

d *Vita B. Simonis de Lipnica, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, illustrata est tom.* iv *Augusti ad diem* 18.

e *De gestis B. Stanislai de Casimiria bis actum est in Opere nostro; primum tomo* 1 *Maii pag.* 779, D *et iterum tom.* 7 *Maii pag.* 571, *utrobique in Appendicibus ad diem* 3 *ejusdem mensis.*

f *B. Michaëlis Gedrocii, Ordinis Canonicorum Regularium S. Mariæ de Metro sub Regula S. Augustini, Vitam dedimus tom.* 1 *Maii ad diem* 4.

g *De patria et illustri stirpe disserui* § 2 *Commentarii prævii.*

h *Ivo Cracoviensem cathedram occupavit ab anno* 1218 *usque ad* 1229, *quo pluribus egregie factis clarus obiit, ut videre est apud Dlugossum lib.* 6 *Historiæ Polonicæ ; an et quo die cultum habeat, ignoro.*

i *Beati hujus Acta illustrata sunt apud nos tom.* 4 *Julii ad diem* 16 *mensis ejusdem pag.* 182.

k *Si suppetebant instrumenta, quibus Beati gesta amplius declarari poterant, utinam minus brevitati studuisset auctor, vel saltem prologum suum omnino aut pro majori parte rescidisset. Hoc pacto multa Beato honorifica, et lectoribus utiliora ac gratiora* comprehendere *potuisset* compendiosa *ejus* pagina.

l *Discussa sunt ista in Commentario prævio num.* 13 *et seqq.*

m *Etiam hæc, quantum pertinent ad Beatum nostrum, exposita sunt in Commentario prævio num.* 21 *et seqq.* E

n *Adi Commentarium num.* 29 *et seq.*

o *Repete hic Annotata ad lit.* k *Porro de visione quam unam subdit Baronius, egi in Comment. num.* 26 *et seqq.*

p *Imo* xxi *Septembris, ut probavi in Comment. num.* 33.

q *Vel facta hæc sunt tempore Eugenii IV Pontificis, vel certe post annum* 1444; *quandoquidem Nicolaus V ad Pontificatum provectus tantum sit anno* 1447.

r *Zbigneum seu Sbigneum de Olesnica S. R. E. Cardinalem et antistitem Cracoviensem multis laudibus prosequitur, in Historia Polonica lib.*13, *et in epistola dedicatoria toti Operi præfixa Dlugossus, ejus quondam familiaris.*

s *Verisimiliter* cephalæa, *quod est inveteratum malum capitis.*

t *Id est, ni fallar, unus, de cujus vita conclamatum erat, in vivis remansit.*

C

DE B. MARCO MUTINENSI CONF.

F

ORDINIS PRÆDICATORUM

PISAURI IN DUCATU URBINATE

J. P.

SYLLOGE

De gestis ejus generatim et cultu.

Anno mccccxcix. *Beati gesta generatim*

Memoriam Viri hujus cum titulo Beati *celebrant patres Dominicani non pauci in Operibus, quæ de rebus ad Ordinem suum pertinentibus typis vulgarunt, ita tamen ut generalem quidem de virtutibus ac miraculis notitiam habuisse videantur, sed exiguam de ejus speciatim gestis. Leander Albertus ætate proximus, utpote qui jam a biennio circiter habitum S. Dominici induerat Bononiæ, quando* Marcus *obiit Pisauri, brevi hoc ipsum elogio commemorat lib.* 5 *de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum :* Marcus Mutinensis, vir multa religione et devotione pollens, plenus insignibus operibus, jam gravis annis Pesauri sanctissime spiritum efflavit circa annum Christi mccccxcviii, xi Cal.

A Cal. Octobris. Deinde post nonnullos annos sepulchrum lapideum illi positum fuit; ubi maximis præminet miraculis. *Antonius Senensis in Chronico Ordinis, anno* 1585 *Parisiis impresso, sic habet* : Anno MCCCCXCVIII obiisse scribitur frater Marcus Mutinensis, vir religiosissimus et pietate insigni præditus, cujus sanctitatem miracula plurima post ejus obitum subsequuta attestantur. *Uterque autem citatus auctor in margine adscribit titulum* Beati, *quem ipsi similiter dant alii sequenti num. citandi.*

dumtaxat . nota scriptoribus:

2 *Joannes Michaël Pio in viris illustribus Italice vulgatis, Joannes Lopez in Historia generali, Dominicus Maria Marchese in Diario, Jacobus Lafon in Anno Dominicano, quibus accedit Ludovicus Vedriani civis et theologiæ doctor Mutinensis in Monumentis de Sanctis ac Beatis patriæ suæ, paulo prolixius de Beato agunt, ejusque obitum alligant anno* 1499. *Sed hi invicem descripserunt, ac ducem habuere omnes Seraphinum Razzi auctorem Dominicanum in Vitis Sanctorum ac Beatorum laudati Ordinis, Italice editis anno* 1605, *quem idcirco et ego unum hic sequar. Itaque auctor ille part.* 1 *memorati Operis pag.* 252 *primo generatim quoque laudans* B. Marcum *a pietate et* B *spiritu, clarum sanctitate et miraculis ad vitam meliorem transiisse ait anno* 1499 *die* XXI *Septembris, sepultum esse sub altari sancti Rosarii in ecclesia patrum Prædicatorum Pisaurensi, ejusque in eadem ecclesia conspici effigiem perfecte expressam, una manu Crucifixum, altera tenentem flagellum ex catenis ferreis.*

miraculum unum et alterum ex Razzio

Deinde addit sequentia quæ ex Italicis Latina facio : Anno MDLXXII domina Lucretia, Pisauri tum temporis præfecta Rosarii, mihi coram fratre Antonino Ravenate, ibidem Priore, narravit quod, cum trium quatuorve annorum fraterculus obiisset, mater sua domina Ludovica, uxor magistri Zachariæ medici Pisaurensis, vocari jusserit beatum Marcum, et rogarit enixe pro salute filii; is autem facta oratione dixit : Filiolo tuo bene est, cælo fruitur : noli ulterius curare, ut vivum recipias; majori enim cum dolore denuo esses amissura. At ne vel sic aquiescente matre, secundo oravit ille, et arrepta infantis manu dixit : Joannes Baptista, surge in nomine Domini Jesu Christi : surgentemque mox infantem matri vivum reddidit; cui ille dein anno ætatis decimo quarto, gravissimo C cum dolore, ut Beatus prædixerat, peste sublatus est. Eadem narravit mihi, in translatione corporis Beati, quæ post pestem instituta fuit, perceptum fuisse ab adstantibus omnibus odorem suavissimum, et campanas sponte sonuisse.

ac Salvatore Salvatorio : reliquiæ ejus

4 *Jam recitato auctori consonant notitiæ, quas olim præter alia instrumenta, ad Sanctos et Beatos Pisaurenses pertinentia, propria manu Italice exaratas transmisit ad Bollandum nostrum Salvator Salvatorius, imo nonnulla elucidant, quæ minus distincte narrat Razzius, quæque nos de peculiari Beati cultu certiores faciunt. Significat itaque Salvatorius,* B. Marcum *Pisauri, ubi Prior fuit conventus Ordinis S. Dominici, defunctum esse anno* 1499, *ac primo depositum fuisse in ecclesia dicti conventus ad partem dexteram altaris S Joannis; hinc autem, exstincta peste, fuisse translatum ad sacellum sancti Rosarii, reconditumque intra parietem, qui memoratum sacellum separat a sacello tunc S. Andreæ, post S. Cæciliæ nuncupato, atque in hac translatione contigisse prodigium percepti suavissimi odoris, et sponte sonantium campanarum. Addit dein, sacrum corpus, ad majus incrementum accidentalis gloriæ Servi Dei in cælis, ex prædicto pariete sublatum repositumque fuisse ad latus dexterum altaris sancti Rosarii* ubi quolibet anno *(verba ejus ipsa sunt ex Italicis Latina)* a Vesperis primi diei per totam feriam secundam Pentecostes sacra ipsius ossa exponuntur publicæ populi venerationi.

AUCTORE J. P.

5 *Fuerunt Pisauri anno* 1660 *Henschenius et Papebrochius, in eademque patrum Dominicanorum ecclesia die* XXIX *Novembris Sacris operati sunt,* quibus absolutis, *ita Papebrochius in Ms. Diario itineris Romani,* egimus cum R. P. Petro Martyre Unda-Dei, nobili Pisaurensi, humanissimo sene, eoque deducente, vidimus in sacello Rosarii juxta altare, in quo celebraveram, conditorium E B. Marci Mutinensis, in hoc Pisaurensis conventu olim Prioris, miraculis in vita et in morte clari, cujus corpus, reserato ostiolo monumenti ad cornu Evangelii, populo cum veneratione ostenditur Dominica post Octavam Corporis Christi : appenditurque imago super lapidem, in quo memoria ejus compendio descripta ad parietem, qui inter sacellum et chorum mediat, non sine luminibus alioque ornatu : quod corpus huc delatum fuit ex ara, quæ erat ad ingressum in latere dextro prima, quæ, uti et aræ reliquæ, nunc sublata est ad instaurationem templi quod in novam formam redigitur, etc.

quotannis publicæ venerationi

6 *Hæc, quæ, ut patet, in reliquis satis congruunt relationi Salvatoris Salvatorii, dissentiunt tamen in die, quo exponi dicuntur sacræ reliquiæ : uter erraverit, certo affirmare non possumus; imo forte uterque pro tempore recte annotaverit : si nempe dicta expositio, quæ, vivente Salvatorio, fiebat feria secunda Pentecostes, postmodum affixa fuerit Dominicæ post Octavam Corporis Cristi. Porro memoria Beati, compendio descripta et in marmore incisa sub ejusdem effigie, juxta eumdem Salvatorium his verbis concipitur :* BEATUS MARCUS F MUTINENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM, CUJUS OSSA SUB ALTARI SACRI ROSARII IMMUTATIONEM EXPECTANT, VITÆ SANCTITATE ET MIRACULORUM GRATIA VENERABILIS IN HOC COENOBIO SANCTO FINE QUIEVIT ANNO DOMINI MCCCCXCIX XI KAL. OCTOB. *Hos calculos pro anno mortuali secutus sum supra in margine, tum quia ea communis pene omnium sententia est, tum maxime quia Leander Albertus, alioqui hic maximæ auctoritatis annum signans* 1498, *subdubitanter adjecit particulam* circa.

exponuntur.



DIES

A D

DIES VIGESIMA SECUNDA SEPT.

SANCTI, QUI X KAL. OCTOBR. COLUNTUR.

Sanctus Phocas hortulanus martyr, Sinope in Ponto.

S. Drosis V. M. cum aliis fortasse quinque, Antiochiæ in Syria.

S. Digna V. M.
S. Merita vel Emerita V. M. — Romæ.

S. Mauritius primicerius
S. Exuperius campiductor
B S. Candidus senator militum
S. Victor miles veteranus
S. Innocentius
S. Vitalis
aliique milites legionis Thebææ — MM. Agauni in Vallesia.

S. Silvanus Conf.
S. Silvester Conf.
S. Rodena Virgo — Leprosii Biturigum in Gallia.

S. Septimius episc. Mart., Æsii in Piceno.

S. Florentius presbyter Conf., in Glonna monte Galliæ.

S. Laudo vel Lauto episcopus Constantiensis, in Normannia Inferiore.

S. Lutrudis virgo, in diœcesi Catalaunensi Campaniæ Gallicæ. E

S. Emmerammus episcopus Martyr, in Helffendorf Bavariæ vico in diœcesi Frisingensi.

S. Salaberga abbatissa, Lauduni in Belgica secunda.

S. Gunthildis ancilla virgo, quæ colitur in Piberbach in episcopatu Eustadiensi.

S. Lolanus episcopus Conf., in Scotia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

C Inventio reliquiarum, Meloduni ad Sequanam, *celebratur apud Saussayum in Serie Sanctorum et Beatorum ad hunc diem, nimirum* Gregorii Papæ, Aspagii et Blasii episcoporum, Mariæ Magdalenæ et Agnetis virginis et martyris. *De singulis apud nos actum, nempe ad* XII Martii, *ad* II Januarii, *ad* III Februarii *ad* XXII Julii, *et ad* XXI Januar.

S. Joannis, *abbatis Reomaënsis, translatio in variis Martyrologiis annuntiatur, ut jam dictum est ad Acta vitæ et translationis, data die* XXVIII Januarii.

De monachis, qui in monasterio Bardeniensi, aut in aliis Angliæ monasteriis, anno 870 *a Danis occisi referuntur, quique ad hunc aut sequentem aliquem diem erant remissi, cum non videantur coli, nihil addendum est dictis in Prætermissis ad* XXII Martii.

SS. Terentii *et* Africani *MM. translatio hac die contigit, quando eorum reliquiæ delatæ sunt Constantinopolim, uti dictum est in* SS. Terentio, Africano *etc. ad* X Aprilis.

De S. Quadrato, *qui hodie apud Græcos colitur, vide dicta in Prætermissis hesternis, et disputata ad* XVI Maii.

S. Basillæ *M. meminerunt hodie apographa Hieronymiana, et Indiculus Sanctorum antiquissimus a Bucherio editus. At hæc omnia jam relata sunt in* Basilla *etc. ad* XI Junii. F

S. Phocas, *Sinopensis in Ponto episcopus, et diversus a Phoca hortulano, de quo hodie agimus, apud Græcos ad hunc diem æque ac hortulanus celebratur. At episcopi martyris Acta illustrata sunt ad* XIV Julii.

Higbaldi, *abbatis* in Anglia, *hodie meminit Wilsonus in Martyrologio Anglicano, sed adjecto asterisco insinuat, non inventum fuisse in Fastis antiquis. Sequitur tamen de more Ferrarius. De* Higbaldo *abbate breviter cum laude mentionem facit Beda in Historia Anglorum lib.* 4 *cap.* 3, *eaque unica fuisse videtur ratio, qua martyrologi aliquot neoterici variis diebus* Higbaldum *memorarunt. De eo jam actum est in Prætermissis ad* XXI Julii et XIII Augusti.

Platonis martyris *brevissime sine adjunctis meminit Grevenus. Forte designaverit (si tamen novit ipse, de quo ageret)* Platonem *martyrem, cujus Acta data sunt ad* XXII Julii.

Adventus *corporis* S. Germani *Autissiodorensis ex Italia in Galliam, notatur in Martyrologiis Hieronymianis aliisque, ut dictum ad ipsius Acta, edita ad* XXXI Julii.

S. Jonius

A S. Jonius, *presbyter et martyr, hodie est in Martyrologio Romano, ubi* Jonas *scribitur, et aliis quibusdam, ut dictum est, ubi de eo actum, ad diem* v Augusti.

SS. Abundius *et* Irenæus *MM. ponuntur hodie in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Acta data sunt ad* xxvi Augusti.

Iraïs *virgo Alexandrina et martyr* Antinopoli *in Ægypto hodie annuntiatur apud Galesinium, Ghinium et Baronium in Martyrologio Romano. Apud Græcos in Menæis est die sequenti, et magis die* 5 *Septembris, quo colitur, verumque nomen est* Heraïs, *et quandoque etiam* Rhais *scribitur, at nomen non recte* Iraïs *exprimitur. Hæc vocis corruptio una cum avulsione a die proprio effecit, ut non adverterimus Romano Martyrologio insertam fuisse* Heraïdem, *quando de ea scripsimus, ad* v Septembris.

Quimburga, *aut* Coënburga, *virgo, soror* Inæ *regis, et S. Cuthburgæ abbatissæ, commemoratur apud Wilsonum in Martyrologio Anglicano anni* 1640. *Cum certa cultus ecclesiastici argumenta non inveniamus, videri possunt dicta in Prætermissis ad* xii Septembris.

B SS. Eutices *et* Acutius *martyres, una cum* S. Januario *passi, hoc die coluntur Neapoli. At omnia ad illos spectantia in S. Januario et Sociis tractata sunt ad* xix Septemb.

S. Pomposæ, *V. M. Cordubensis, meminit hodie Ferrarius. Data est cum Martyrologio Romano ad* xix Septembris.

Victor *episcopus Metensis hodie annuntiatur apud Ferrarium in Catalogo Generali. In plerisque Catalogis episcoporum Metensium duo ponuntur* Victores *consequenter, nimirum quintus et sextus inter episcopos Metenses. Si credimus Meurissio in Historia episcoporum Metensium, quorum primum ad tempora S. Petri Apostolorum principis deducit, rexerint ecclesiam Metensem* Victor I *et Victor II circa medium seculi* 2. *At alii scriptores tam antiquum non existimant episcopatum Metensem. Quod magis spectat ad hunc locum, Calmetus in prima editione Historiæ Lotharingiæ tom.* i *col.* 178 *asserit, in omnibus antiquis catalogis haberi duos Sanctos* Victores quorum reliquiæ, *inquit,* conservantur in eadem arca, et quorum festum eadem die celebratur. *Attamen in Catalogo episcoporum, quem laudato tomo præmisit Calmetus col.* xxi, *neutri* Victori *titulus Sancti attribuitur; uti nec in secunda editione col.* xxiii, *licet omnes* Victorum *decessores et primus successor, multique deinde alii utroque loco nominentur* Sancti. *Idem fit apud Meurissium, et in pluribus aliis episcoporum Metensium catalogis. Præterea videtur Calmetus in secunda editione Operis sui expunxisse omnia, quæ de cultu utriusque* Victoris *dixerat in prima. Quapropter, etiamsi Meurissius pag.* 33 *asserat, utriusque* Victoris *corpus servari in ecclesia S. Clementis, cum tamen nec* Sanctos *vocet, nec cultum asserat, fatendum est, nec gesta nec cultum* Victoris *alterutrius nobis esse cognita.*

S. Florentii abbatis *mentio est apud Ferrarium, qui eum annuntiat* in monasterio Lirinensi, *uti et Saussayus. Wion et Dorganius* Florentium *abbatem annuntiant sine loco. At Vincentius Barralis in Chronologia Sanctorum Lerinensium pag.* 367 *fatetur, se nihil invenire de illo* Florentio, neque in manuscriptis Lerinensibus..., neque in typis excusis codicibus. *Verum deinde adjungit:* Indices tamen perantiqui manuscripti cœnobii Lerinensis constanter habent: S. Florentius abbas Lerinensis, quo tempore claruerit, non liquet. *Præterea in Officiis propriis ecclesiæ Redonensis in Armorica, quæ impressa habemus anno* 1610, *ad hunc diem mentio fit* Florentii abbatis, *cujus præscribitur commemoratio. At cum hodie celebretur* S. Florentius *presbyter Pictaviensis, qui a nonnullis* abbas *vocatur, facile contingere potuit, ut hic indicibus Lerinensibus adscriberetur, aut abbas crederetur, nec alterius cœnobii, quam Lerinensis, præsertim cum floruerit seculo* iv. *Quidquid sit, non habemus rationes idoneas ad asserendum* Florentium *abbatem Lerinensem.*

Silvani episcopi Nazareth et confessoris, magnæ sanctitatis viri, B. Hieronymo familiarissimi, ut patet ex gestis ejusdem, *ait Grevenus. Eumdem, ut S. Hieronymi discipulum, annuntiat Maurolycus, et utrumque secutus est Ferrarius, qui insuper assignat Petrum de Natalibus lib.* 8 *cap.* 104 *in S. Hieronymi Vita. Habet revera laudatus Petrus Historiam bene prolixam de* Silvano *Nazareno, ut vult, episcopo; sed tot refertam fabulis et anachronismis, ut nequeat sine risu legi a viro vel mediocriter critico et historico.* Silvanus *abbas apud eosdem Grevenum, Maurolycum et Ferrarium memoratur,* in eremo Scythi; *rursum ex Catalogo Petri lib.* 8 *cap.* 105, *qui tamen non indicat obitus diem. Reperitur in Vitis Patrum apud Rosweydum frequenter memoratus abbas* Silvanus. *Alius* Silvanus *multum laudatur in Vita S. Pachomii, cujus erat discipulus. Neutrius cultum invenio: sed Prior est, quem laudat Petrus de Natalibus loco assignato.* E

Romarici ac sociorum ejus quingentorum octoginta quinque *meminit Grevenus,* Landone *eos annuntians. Consonat Martyrologium Ms. Trevirense, quod fortasse secutus fuerit: locus tamen ibi scribitur* Lautonæ. *Non dubito, quin ex errore verba ista provenerint; sed fontem erroris certo detegere non æque semper est facile. Non alia melior occurrit conjectura, quam nomen* Laudonis *aut* Laudi *sumptum fuisse pro loco; numerum vero Sanctorum ex Thebæis fuisse mutuatum, et ex vitioso quodam codice* Romaricum *pro Mauritio substitutum. Non auderem ejusmodi conjecturas facere, nisi frequentia id genus Greveni spalmata didicissem, simulque viderem* Laudonem *ab ipso hodie prætermitti, numerum vero Sociorum convenire cum numero Sociorum, qui in variis Martyrologiis S. Mauritio tribuuntur, exceptis sex millibus, qui facile in aliquo codice potuerunt omitti.* F

C

Domitius *presbyter, et* Sancti Columbæ discipulus, *memoratur, ut* Sanctus, *apud Camerarium, qui assignat Historiam Scoticam Joannis Leslæi lib.* 4 *in Aidano. Mentio ibi revera fit alicujus* Domitii, *qui cum S. Columba et aliis in Albionem venisse dicitur; sed nihil affertur, quo credere possumus, ut sanctum umquam fuisse cultum. Eumdem* Domitium, *ut abbatem, commemoravit Camerarius ad* 21 *Aprilis, ut ibi in Prætermissis est observatum.*

Barbara *et* Juliana, *sine aliis adjunctis, memorantur in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ apud Ludolfum.*

S. Antranus *episcopus, de quo Maurolycus, est* S. Emmerammus *Ratisbonensis, de quo hoc die agimus.*

Dedicatio basilicæ S. Mariæ *annuntiatur,* Messanæ *in Sicilia, apud Octavium Cajetanum in Martyrologio*

A *tyrologio Siculo.*

Dedicatio ecclesiæ S. Augustini *prope Novocomum memoratur in Martyrologio Novocomensi.*

Adamus Rufus, *cum titulo* Beati, *memoratur* Barii in Apulia *apud Arturum in Martyrologio Franciscano, sed ille titulus omittitur apud Hueberum in Menologio. Dictum tamen* Beati *titulum* Adamo *aliquando etiam dat Waddingus et passim Fremautus in Vita Belgica. Miracula quædam de* Adamo *narrat Bartholomæus Pisanus in Libro Conformitatum pag.* 186, *non utitur tamen* Beati *titulo, et non* Barii, *sed* Baruli, *quod oppidum est regni Neapolitani, vulgo* Baretta *dictum, ponit obitum et sepulturam* Adami. *Rursum pag.* 157 *ita scribit* : Custodia Barolitana habet locum Barolum, in quo prædicat suis exemplis et miraculis frater Adam Rufus. *Barulum autem, vel Barolum, ut hic scribitur, ipse Pisanus a Bario clarissime distinguit, cum mox pergat ad Custodiam Bariensem Tossiniacensis tamen in Historia Seraphicæ religionis pag.* 70 Adamum Rufum *rursum Barii figit, et* Beatum *vocat. De tempore, quo floruit, etiam dissentiunt scriptores : nam*

B *Fremautus seculo* XIII *attribuit* Adamum, *Arturus toto seculo posteriorem facit. Verum, quod unice quæsivi, cultum publicum nullus probat, eaque de causa* Beati *titulus mihi nequit sufficere ad* Adami *gesta latius enarranda. Plures alii in Martyrologio Franciscano referuntur, et ibidem videri poterunt, cum nequeamus ipsorum cultum probare.*

Gerardus, *vel potius* Geraldus, *ex Ordine Cisterciensi episcopus Tornacensis, cum titulo* Beati *memoratur apud Henriquez, sed sine indiciis cultus publici. Eumdem celebrat Saussayus, ut venerabilem.*

Otto, *ex abbate Morimundensi in Lotharingia, episcopus Frisingensis in Bavaria, annuntiatur hodie cum titulo* Beati *apud Chalemotum postridie apud Menardum. Obiit hoc die anno* 1158 *Morimundi, moribus religiosis, gestisque et virtutibus non minus clarus, quam scriptis et genere illustrissimo. Attamen non invenio, umquam honoratum fuisse cultu ecclesiastico. Quare de gestis ipsius videri poterit Historia Frisingensis Caroli Meichelbeck, qui tom.* 4 *multa de* Ottone *Frisingensi conquisivit.*

C Homodei, *eremita Vallumbrosanus, annuntiatur in Martyrologiis Benedictinis Wionis, Menardi et Dorganii, ut beatus. Eudoxius Loccatelli in Opere Italico de Viris illustribus Ordinis Vallis Umbrosæ lib.* 3 *cap.* 52 *eidem cum eodem titulo elogium contexit; ex quo liquet, virum fuisse vitæ sanctæ, et maxime austeræ. Defunctum dicit anno* 1519; *sed nulla profert publici cultus indicia.*

Matthæus Bordier, Nicolaus Danes, *et* Adrianus Rossignolius, *Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, simul inter pios memorantur apud Saussayum.*

S. Theclæ *V. M. mentio est in Kalendario Ms., in Romano Martyrologio ad* XXIII Septemb.

S. Ama, *in textu mendose* Anna, *virgo* apud Jonvillæam, *Campaniæ Gallicæ oppidum, annuntiatur ab Arturo in Gynæceo. Castellanus eamdem refert ad* XXIV Septemb. D

SS. Victor *et* Ursus, *qui creduntur fuisse ex legione Thebæa, passique sunt Solodori in Helvetia, hodie annuntiantur in Martyrologio Germanico, sed in Romano et aliis ad* XXX Septemb.

S. Antoninus *aut* Antonius, *ut episcopus Meldensis, hodie annuntiatur apud Ferrarium. De eo agetur una cum S. Sanctino mox memorando, sed Meldis colitur* XXX Septemb.

B. Mauritius, *abbas Ordinis Cisterciensis, satis obscure annuntiatur apud Henriquez ad hunc diem, apud Chalemotum vero ad* 13 *Octobris, ubi et cultus publicus eidem asseritur. Habemus Vitam Ms.* B. Mauritii, *qui in ea obiisse dicitur die* V Octobris.

SS. Cassius, Florentius *et Socii martyres Bonnæ in Germania memorantur in Martyrologio Germanico hodie, in Romano ad* X Octobris

S. Sanctini, *ut episcopi Meldensis et discipuli S. Dionysii Areopagitæ, memoria est hodie in Martyrologio Romano. At cum Meldis colatur die* XI *Octobris, eo jam remissus est cum S. Antonino in Prætermissis die* 22 *Maii. Hoc tanto libentius hic sequimur, quod sic ante agi possit* E *de S. Dionysio. Itaque lector exspectet dicenda ad* XI Octobris.

S. Martini *Papæ et martyris memoria recurrit in Menæis. Colitur die* XII Novemb.

Cephas *et* Saulus *ponuntur in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ apud Ludolfum.* Saulus *certo est* S. Paulus, *de quo actum est ad* 29 *Junii. An vero* Cephas *etiam sit S. Petrus illeque a S. Paulo fuerit reprehensus, ut crediderunt SS. Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus aliique Sancti Patres, et hodie plerique interpretes, contradicentibus tamen nonnullis etiam hodie, uti ex antiquis aliqui* Cepham *illum a S. Petro distinguere voluerunt, non est hujus loci examinare. Hoc certum est,* Cepham *aliquem, tamquam unum ex septuaginta discipulis memorari in Fastis Græcorum diebus pluribus, ut jam dictum est in Prætermissis ad* 29 *Martii, et rursum dici poterit, quando recurret apud Græcos, ad* VIII vel IX decemb.

SS. Firmi, Rustici *et* Proculi *translatio* Bergomi *memoratur apud Ferrarium. De translationibus* SS. Firmi *et* Rustici *disputatum est ad ipsorum Acta, data* IX Augusti. *An recte adjunctus sit* F S. Proculus, *Veronensis episcopus, opinor examinari poterit, ubi de* S. Proculo *agetur ad* IX Decembris.

Sanctulus *presbyter, cujus mirabilia narrat S. Gregorius lib.* 3 *Dialogorum cap.* 37, *commemoratur hodie a Ghinio, ut beatus, sed sine indiciis cultus ecclesiastici. Si cultum habuerit, latius de* Sanctulo *agetur, quando memoria ejus recurrit in pluribus Martyrologiis, ad* XV Decembris.

S. Serotinus *martyr* Senonis *ad hunc diem annuntiatur apud Castellanum. Apud Saussayum et in Actis, quæ nobis missa fuerunt,* Serotinus *jungitur cum* Sabiniano *et* Potentiano, *qui in Martyrologio Romano sunt ad* XXXI Decembris.



DE

AUCTORE J. S.

DE S. PHOCA HORTULANO MART.

SINOPE IN PONTO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Acta S. Phocæ scripta ab Asterio episcopo, sed stylo oratorio,

Quæ hic alias disputanda fuissent de triplici martyre Phoca, *gemino Sinopensi, et tertio Antiocheno, dudum disputata sunt in S. Phoca episcopo et martyre Sinopensi ad* XIV Julii. *Itaque non multa hoc lòco disserenda veniunt, sed unice agendum de* S. Phoca, *hortulano et martyre, cujus Acta conscripsit Asterius, Amasenus in Ponto episcopus, qui floruit exeunte seculo* IV *et ineunte* V. *De Asterio, quem Combefisius, Ruinartius, et Tillemontius titulo* Sancti *passim honorant, quemque Ceillierus tom.* 8 *pag.* 487 *ob Homilias aliquot scriptas* B Doctoris *Ecclesiæ titulo etiam liberaliter donat, plura jam dixi in S. Euphemia Chalcedonensi ad* XVI *Septembris, ibique observavi, de cultu ipsius ecclesiastico aut sanctitatis titulo nihil nobis innotescere ex Martyrologiis aut monumentis antiquis. Itaque a titulo Sancti abstineo, etsi eo titulo usus etiam sit Cuperus noster ad* XIV *Julii. Asterium tamen veneramur, ut episcopum pium et eloquentem. Quod autem spectat ad Orationem, quam habuit de* S. Phoca *hodierno, dubitare non possumus, quin habeat aliquid exaggerationis oratoriæ in locis variis. Tale est illud num.* 4, *ubi* S. Phocam *vocat* Sanctum Sanctorum *etc. Tale illud num.* 5 : Quotquot Dominum Christum noverunt, iidem quoque ejus noverunt fidelem Servum, nimirum S. Phocam. *Hinc nescimus, an similiter exaggerata non sit acerbitas persecutionis, num.* 7 *relatæ, in qua passus est Sanctus.*

quo multa supra veritatem exaggerantur.

2 *Et certe nollem ego* S. Phocæ *attribuere, quæ illi attribuit Asterius num.* 9, *ubi* Phocas *dicitur lictoribus declarasse, se esse* Phocam, *quem quærebant. Non exagitabo tamen consilium illud Sancti, quo maluit se prodere quærentibus, quam fu*C*gere. Fuerunt et alii, qui similia fecerunt. Verum monita illa, quibus* S. Phocam *usum dicit Asterius, ut carnifices induceret, ad mortem sibi* inferendam, *ego magis Asterii esse existimo, quam* S. Phocæ. *Quis theologus dicat.* S, Phocæ *licitum fuisse, quod Asterius enarrat his verbis, quæ subjungo?* Ad hæc vero animos, ut se interficerent, exhortatione addebat : jubebatque, ne quidquam dubitarent, dicens, ne fore quidem illorum manus cædem, sed eorum facinus, qui præcepissent. Dixit, persuasit *etc, Hæc non satis, opinor, consideravit Asterius : neque enim licebat Sancto hortari carnifices ad cædem injustam, neque vere dicere poterat, ipsos culpa cariturcs, si impia jussa perficerent. Si autem constaret,* S. Phocam *revera similia fecisse, excusandus esset ob simplicitatem et ignorantiam, non laudandus, nisi ob fidem et fortitudinem. Verum cum tota Oratio exaggerationibus sit plena, dubitare nequeo, quin multo plus exaggerationis oratoriæ sit in toto illo loco, quam simplicis veritatis. Manifesta rursum est exaggeratio in illis verbis num.* XI : Non minus autem Romani Phocam colunt, quam Petrum et Paulum. *Rursum num.* XII *mire exaggerat patrocinium nautis præstitum; cum illorum etiam facit patronum,* qui Occidentalem navigant Oceanum : *acsi nautis Germanis, Gallis, Britannis, Hispanis æque notus fuisset* S. Phocas, *quam Ponti incolis. Mitto alia : nam omnia æque videntur exaggerata.* E

Oratio illa jam edita, hic recudenda.

3 *Combefisius in Annotatis ad laudatam Asterii Orationem, quam Græco-Latinam edidit in Auctario novo part.* I *a col.* 169, *existimat, Asterium confudisse duos Sanctos synonymos, Sinopenses ambos, et nonnulla* S. Phocæ *hortulano attribuisse, quæ erant Phocæ Sinopensis episcopi, sub Trajano passi, ut creditur. Sic ait a S. Gregorio Nazianzeno confusos esse duos Cyprianos, quod verum est. Miramur sane, S. Cyprianum Carthaginensem, celeberrimum Ecclesiæ doctorem, confundi a Nazianzeno potuisse cum Cypriano martyre Orientali, de quo agemus ad* XXVI *Septembris. Attamen non statim credemus, idem accidisse Asterio in gemino* Phoca *Sinopensi, præsertim cum hic loco vicinus esset, facileque scire posset, unusne apud Sinopenses* Phocas, *an duo colerentur. Quapropter non invenio istius confusionis rationes satis probabiles, cumque Asterius majorem saltem auctoritatem habeat omnibus illis, qui scripserunt de S. Phoca episcopo, omnia illa, quæ in laudem* S. Phocæ *refert Asterius, illi omnino attribuenda censeo cum hac cautela, ut nimiæ exaggerationes sano et probabili sensu exponantur. Tillemontius.* 5 *Nota* I *in* S. Phocam *suspicatur, unum tantum fuisse* S. Phocam *apud Sinopenses, quia de uno tantum meminit Asterius. Verum et hæc conjectura fuit refu-* F *tata ad* XIV *Julii in S. Phoca episcopo martyre, tamquam minus probabilis, et non satis fundata. Certe in Menæis, in Menologio Sirletiano, et in Synaxario Ms., quod fuit Sirmondi, geminus* Phocas *eodem die annuntiatur Sinope, et elogium uterque habet satis prolixum et omnino distinctum. Elogia ipsa non recito, quia compendio data sunt ex Actis edendis, sive ex Oratione Asterii, quam necessariis Annotatis illustratam ex editione Combefisii subjungo. Fuit eadem Latine edita apud Surium, sed amputata exordii parte. Titulus apud Combefisium hic præfigitur* : Ἀστερίου ἐπισκόπου Ἀμασείας ἐγκώμιον εἰς ἅγιον ἱερομάρτυρα Φωκᾶν. Asterii episcopi Amaseæ in sanctum hieromartyrem Phocam.



ACTA

A D

ACTA

SIVE ORATIO ENCOMIASTICA

Auctore Asterio episcopo

EX EDITIONE COMBEFISII

PROLOGUS

Memoria Sanctorum utilis virtutem colentibus : celebritas S. Phocæ.

Exempla Sanctorum utilia virtutem sectantibus,

Pulchra est ac utilis honesta colentibus Sanctorum memoria. Nedum enim eos, qui virtutis ac pietatis desiderio tenentur, sermone erudit, verum etiam eorum, qui recte vixerunt, actiones, locupletes magistros producit. Idcirco etiam Dominus noster egregiorum operum documenta B tradens*:* Qui autem fecerit, inquit, et docuerit, hic magnus vocabitur. Et alibi*:* Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Doctrina enim, quæ sermone consistit, inferior imbecilliorque reali operis exhibitione magistra existit : ac quanto visum auditu certiorem dicimus, tanto liquet actionem sermone potiorem esse. In hunc modum scientias addiscimus : in hunc modum edocemur artes : ut nimirum prius sermone ad disciplinam provehamur; tumque manu ac experientia obscuram eam firmemus.

sicut experientia artes discentibus necessaria :

2 Ac geometra quidem multa in libro posita opera, ac aures sermone magistri plenas habens, haud aliter variarum figurarum vim percepturus sit quam ubi puncta ac lineas, circulosque in tabella didicerit. At neque astronomiæ desiderium habentem nudus sermo disciplinam docuerit; ac nisi erudiens, scienti arte globum coram versans, ipsis oculis poli motum exhibuerit. Medicus denique, tametsi laboris plurimum in Hippocrate, ac reliquis medicæ artis doctoribus posuit, rudis est artis curandi, donec plures infirmos invisens, ab ægrotis ipsis sanandi modum didicerit. Sic nos quoque disci- C puli Martyrum fortium virorum actiones, magistrorum loco nobis ante confessionis agonem statuentes, ad extrema usque pericula pietatem servare edocemur : qui nimirum sacros eorum loculos ac sepulchra, velut columnas literis insculptas, ac martyrii certamen accurate prodentes, adspectemus.

sepulcro S. Phocæ gestorum ejus memoria renovata. a

3 Quemadmodum autem, qui accedunt ad quercum Mambre, vel ad coëmptam specum, quam Ephron *a* Chettæus vendidit in Saræ sepulturam : quo loco ipse cum filiis Patriarcha jacet; statim cum locorum aspectu animis imaginem renovant, ac mente contuentur fidelem Patriarcham; primitias illas religionis; primam in eo circumcisionem : sed et eos, qui ab illa radice germinarunt, surculos cogitant; nempe Isaac, Jacob; ac cum virorum recordatione totius eorum historiæ spectatores fiunt : sic et ego hodie, ter beati Phocæ venerabile delubrum adiens, ex loci specie omnium simul, quæ de illo gesta narrantur, memoria repleor. Video professione hortulanum, animo simplicem, hospitalem maritimæ regionis eximium decus; in mediterraneam beneficum; Sanctum illum Sanctorum; ac iis, qui Christi causa consecuti sunt gloriam, gloria potiori auctum.

Καλὴ καὶ συμφέρουσα τοῖς ἀσκουμένοις τὰ σπουδαῖα τῶν ἁγίων ἡ μνήμη. οὐ γὰρ λόγῳ παιδεύει μόνον τοὺς ἐπιθυμοῦντας ἀρετῆς καὶ εὐσεβείας, ἀλλὰ καὶ τὰς πράξεις τῶν βεβιωκότων ὀρθῶς ἐναργεῖς διδασκάλους προτίθησι. διὸ καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν, τὰς τῶν ἀρίστων κατορθωμάτων ὑποθήκας διδοὺς, φησίν· ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται. καὶ ἀλλαχοῦ· λαμψάτω E τὸ φῶς ἡμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσι τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἡ γὰρ λογικὴ παίδευσις τῆς πρακτικῆς ἐνεργείας ἥττων, καὶ ἀσθενεστέρα διδάσκαλος· καὶ ὅσῳ τῆς ἀκοῆς τὴν ὄψιν ἀκριβεστέραν εἶναι φαμὲν, τοσούτῳ διωμολόγηται τοῦ λόγου τὴν πρᾶξιν κρατεῖν. οὕτω τὰς ἐπιστήμας μανθάνομεν· οὕτω τὰς τέχνας ἐκπαιδευόμεθα, λόγῳ πρότερον πρὸς τὴν μάθησιν ἐναγόμενοι· εἶτα χειρὶ καὶ πείρᾳ τὴν ἀμοιδρὰν * κρατύνοντες. *l. αμυδρὰν

2 Καὶ πολλὰ μὲν ὁ γεωμέτρης περὶ τὴν βίβλον καμὼν, καὶ πληρωθεὶς παρὰ τοῦ διδασκάλου τὴν ἀκοὴν, οὐκ ἄλλως καταλήψεται τῶν ποικίλων σχημάτων τὴν δυνάμιν, ἂν μὴ καταμάθῃ τὰ κέντρα, καὶ τὰς γραμμὰς, καὶ τοὺς κύκλους ἐπὶ τοῦ πίνακος. οὐ μέν τοι οὐδὲ τὸν ἀστρονομίας ἐπιθυμήσαντα ὁ λόγος μόνον παιδεύει τὸ σπουδαζόμενον, ἂν μὴ τὴν σφαῖραν αὐτῷ περιδινήσας ἐπιστημόνως ὁ παιδευτὴς, τοῖς ὀφθαλμοῖς παραδῷ τοῦ πόλου τὴν κίνησιν. καὶ ὁ ἰατρὸς δὲ, πολλὰ τῷ Ἱπποκράτει καμὼν, καὶ τοῖς ἄλλοις καθηγηταῖς, ἀνεπιστήμων ἐστὶ θεραπευτὴς, πρὶν ἂν πρὸς τοὺς πολλοὺς βαδίσας ἀῤῥώστους, παρ' αὐτῶν μάθῃ τῶν νοσούντων τὸ θεραπεύειν. οὕτω δὴ καὶ ἡμεῖς οἱ μαθηταὶ τῶν μαρτύρων, τὰς πράξεις F τῶν καρτερῶν ἀνδρῶν πρὸ τῆς ὁμολογίας διδασκάλους ποιούμενοι, μανθάνομεν ἄχρι τῶν ἐσχάτων κινδύνων φυλάττειν εὐσέβειαν, αὐτὰς τὰς ἱερὰς θήκας αὐτῶν καθάπερ στήλας προσβλέποντες γράμμασι κεχαραγμένας, καὶ δηλούσας ἀκριβῶς τοῦ μαρτυρίου τὴν ἀγωνίαν.

3 Ὥσπερ δὲ οἱ πλησιάζοντες τῇ δρυῒ τῇ Μαμβρῇ, ἢ τῷ σπηλαίῳ τῷ ὠνητῷ, ὅπερ Ἐφραὶμ ὁ Χετταῖος εἰς ταφὴν τῆς Σάῤῥας ἀπέδοτο· ἔνθα δὴ καὶ αὐτὸς σὺν τοῖς παισὶν ὁ πατριάρχης ἀπόκειται, εὐθέως μετὰ τῆς θέας τῶν τόπων ἐν τοῖς λογισμοῖς ἀνανεοῦνται τὴν φαντασίαν, καὶ βλέπουσι τῇ διανοίᾳ τὸν πιστὸν πατριάρχην· τὴν ἀπαρχὴν τῆς εὐσεβείας· τὴν ἐν ἐκείνῳ περιτομὴν· λογίζονται δὲ καὶ τοὺς τῆς ἐκείνου ῥίζης ἀποβλαστήσαντας, τὸν Ἰσαὰκ, τὸν Ἰακὼβ· καὶ μετὰ τῆς μνήμης τῶν ἀνδρῶν ὅλης τῆς ἐπ' αὐτοὺς ἱστορίας γίνονται θεαταί· οὕτω κἀγὼ σήμερον, τὸν τίμιον σηκὸν τοῦ τρισμακαρίου Φωκᾶ καταλαβὼν, ἐκ τοῦ τόπου πληροῦμαι τῆς μνήμης πάντων ὁμοῦ τῶν ἐπ' αὐτῷ λεγομένων διηγημάτων. βλέπω τὸν κηπουρὸν τὸ ἐπιτήδευμα, τὸν ἄπλαστον τὴν ψυχὴν, τὸν φιλόξενον, τὸν τῆς παραλίας ἐξαίρετον, τὸν τῆς μεσογείου εὐεργέτην· τὸν ἁγίων, καὶ τῶν δεδοξασμένων διὰ Χριστὸν ἐνδοξότερον.

4 Ἱερὸς

A 4 Ἱερὸς μὲν γὰρ καὶ θεσπέσιος ἅπας ὁ τῶν γενναίων μαρτύρων κατάλογος, πάθει τὴν ὑπὲρ πάθους ἀποδοὺς χάριν· αἵματι δὲ τὴν ὑπὲρ αἵματος τῷ Σωτῆρι τῶν ὅλων ἀμοιβὴν ἐκπληρώσας· πλὴν ἐν αὐτοῖς τούτοις οὐ μία τῶν πάντων ἡ δόξα, οὐδὲ πρὸς ἓν μέτρον ἴσα τὰ γέρα τοῖς ὅλοις ἀποκεκλήρωται· ἀλλὰ τὸ πρῶτον καὶ δεύτερον οὐδὲ ὁ τῶν ἁγίων ἐκφεύγει κατάλογος. αἴτιον δὲ οἶμαι τούτου, τὸ λίαν ἀπηκριβωμένον τοῦ Κριτοῦ καὶ ἀπρόσκλιτον. ἐφορᾷ γὰρ καὶ τιμωριῶν μεγέθη, καὶ καρτερίας ἐνστάσεις, καὶ βασανίζων τὰ ἀγωνίσματα, τὰς πρὸς ἀξίαν ἀμοιβὰς διανέμει τοῖς ἀθληταῖς. καὶ παράδοξον οὐδαμῶς, εἰ παρα Θεοῦ οὕτω τιμᾶται τὸ δίκαιον, ὁπότε καὶ παρ' ἡμῖν στρατηγοὶ καὶ ἀγονοθέται οὐκ ἴσοι γίνονται τοῖς ἀριστεῦσιν, ἢ τοῖς ἀγωνισταῖς· ἀλλὰ δὴ ἑκάστῳ κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κατορθώματος τὰς δωρεὰς ἀναλογούσας ἐπιψηφίζουσι.

5 Ταῦτα δὲ διῆλθον, ἵνα δείξω ὡς ὁ σήμερον ἡμῖν παρασχὼν τοῦ συλλόγου τὴν ἀφορμὴν, τῶν ἑταίρων καὶ συναγωνιστῶν ἐστι περιφανέστερος. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι οὐ
B πάντες παρὰ πᾶσι γνωρίζονται, οὐδὲ βεβοημένην ἔχουσι τὴν ἀνδραγαθίαν· Φωκᾶν οὐκ ἔστιν, ὃς ἀγνοεῖ· ἀλλ' ὥσπερ ἀκτὶς ἡ τοῦ ἡλίου πᾶσιν ὀφθαλμοῖς ἐφήπλωται, οὕτω καὶ ἡ τοῦ μάρτυρος τούτου φήμη πᾶσαν ἀκοὴν περιήχησε. καὶ ἵνα συνελὼν εἴπω, ὅσοι τὸν δεσπότην ἐγνώρισαν Χριστὸν, οὗτοι καὶ τὸν πιστὸν δοῦλον ἐγνώρισαν. μᾶλλον δὲ, εἰ δοκεῖ, τῶν κοινῶν πρὸς τοὺς ἄλλους ἐγκωμίων ἀφέμενος, τὰ ἐξαίρετα τοῦ μάρτυρος διηγήματα ὑμῖν τοῖς φιλομάρτυσι διηγήσομαι.

4 Sacer quidem est ac divinus universus generosorum ac fortium martyrum catalogus, passione debitam pro passione referens gratiam: ac sanguine pro sanguine debitam omnium Salvatori solvens remunerationem. Verum in his ipsis non una est omnium gloria, nec una mensura cunctis æqualia attributa sunt præmia: quin primum et secundum ne Sanctorum quidem effugit catalogus. Hujus autem rei, ut arbitror, causa est, quod sit judex accuratus, nec quicquam in partem alteram inflecti queat. Intuetur enim et suppliciorum magnitudinem, et tolerantiæ constantiam; examinansque certamina, pro meritorum ratione athletis distribuit præmia. Neque vero mirandum est, ita a Deo honorari justitiam, cum ne in humanis quidem imperatores ac agonothetæ viros fortes, aut pugiles, æqualiter universos habeant; sed cuique pro rei præclare gestæ modo dona congrua decernant.

A Asterio ep. Martyrum præmia pro meritis minora et majora:

5 Hæc autem disserui, quo Virum, qui hodierni conventus nobis præbuit causam, sociis ac pugilibus, qui eosdem desudarunt agones, illustriorem ostendam. Nam alii quidem neque omnes apud omnes sunt noti, neque hominum sermone virtutem celebratam habent: Phocam autem, nemo est, qui ignoret: sed quomodo solis radius universorum oculis explicatus est: ita etiam hujus Martyris fama omnium aures circumsonuit: atque ut paucis dicam, quotquot Dominum Christum noverunt *b*, iidem quoque ejus noverunt fidelem Servum. Verum enimvero relictis, si videtur, quæ ille cum aliis encomia habet communia, eximias Martyris laudes martyrum amantibus vobis recensebo.

inter illos autem primum auctor ponit S. Phocam. E

b

ANNOTATA.

a *Legendum in Græco textu* Ἐφρὼν, *monet editor, idque liquet ex Gen. cap.* 23, *ubi* Ephron *speluncam illam Abrahæ vendidisse legitur, ibique sepulta Sara, uti et Abraham ipse cap.* 25 ℣ 9. *Ex hoc loco colligitur, Orationem fuisse dictam prope Sinopen, in ea ecclesia, quæ supra sepulcrum Sancti fuit constructa.*

b *Multum in his esse exaggerationis oratoriæ, jam dixi in Commentario. Vel sic tamen credere debemus, celeberrimam fuisse seculo* 5 *famam* S. Phocæ.

CAPUT I.

C *Sancti patria: vitæ institutum: virtutes et martyrium.* F

Ἤνεγκε τοίνυν τὸν ἅγιον ἄνδρα τοῦτον, τὸ μέγα Χριστιανῶν ὄφελος, ἡ γείτων Σινώπη, πόλις ἀρχαία καὶ γνώριμος, εὔπορος καρτερῶν καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν. μὴ γάρ μοι τις λογιζέσθω νῦν τὸ τῆς θρησκείας διάφορον· ἀλλ' εἰ σπουδαίων ὅλως ἀνδρῶν τροφὸς καὶ μήτηρ ἐδείχθη. ἐπιτήδευμα δὲ αὐτῷ τοῦ βίου, κήπου γεωργία καὶ ἐπιμέλεια, ὅνπερ αὐτοῦ που πρὸ τῆς πύλης τοῦ ἄστεος ἐπὶ τοῦ στόματος τοῦ ἰσθμοῦ κεκτημένος, ἤσκει φιλοπόνως ἑαυτῷ καὶ τοῖς δεομένοις παραμυθίαν τοῦ βίου. ἤνοιγε δὲ καὶ τοῖς ξένοις μάλα προθύμως τὴν μικρὰν καὶ πενομένην ἑστίαν. ἐποικῶν δὲ τῇ λεωφόρῳ, κοινὰ τοῖς ἐπιδημοῦσι προετίθει τὰ ὄντα· καὶ μέσος ἦν Λὼτ, οὐ Σοδομιτῶν, ἀλλὰ Σινωπέων. τοῦ δὲ χρόνου προελθόντος, τὴν ἐντολὴν εὗρεν οὐκ ἄμισθον· ἀπὸ γὰρ φιλοξενίας ἐκέρδανε τοῦ ζωοποιοῦ θανάτου τὴν πρόφασιν· ὅθεν δὲ καὶ ὅπως, μικρὸν ἀναλαβόντος ἀκούσατε.

Tulit itaque sanctum hunc Virum, magnum, inquam, illud Christianorum commodum, vicina Sinope *a*, antiqua civitas ac nota, fortium virorum ac philosophorum ferax. Ne quis enim mihi in præsentiarum diversam religionem reputet: sed id tantum, num omnino studiosorum virorum nutrix fuerit ac parens. Vitæ autem studium ei erat horti cultura, quem ibi ante portam civitatis in isthmi ostio possidens, diligenter colebat, ut sibi ac indigentibus esset vitæ solatium. Sed et hospitibus, prompto ac alacri animo parvam ac pauperem domum apertam volebat. Cum autem habitaret in via publica, quæ suppetebant, adventantibus communia promebat; ac Lot quidam medius *b* non Sodomitarum sed Sinopensium erat. Porro temporis processu haud vacuum mercede mandatum invenit. Vivificæ enim mortis occasio ex hospitalitate lucro accessit. Unde vero, ac quonam modo, paulo altius repetentem audite.

Sanctus instituto olitor prope Sinopen, pius, hospitalis, a

b

A. Asterio ep. orta persecutione, innotescit,

7 Cum Christianæ pietatis sermone annunciato, divina prædicatio ad omnem aurem exiret, Christumque ac ejus mysteria nota redderet, fremuerunt gentes, ut ait Psalmista, regesque ac principes in unum convenerunt: ac Christo regnante, errantes populi irascebantur. Quærebatur autem quilibet Christianus, tanquam maleficus: ac qui prope erat, puniebatur: qui vero procul erat, investigabatur. Quamobrem Phocam quoque, ne quidem vile studium, hortulanique conditio celavit: sed is quoque, ut verus Christi discipulus, denuntiatus est. Ac sane ad eum venerunt, qui nulla judicii forma c, nulla defensione, a misera hac fluxaque vita, jussi erant abducere. Nam erat tale crimen, quod Vir strenuus clara voce confiteretur; nulloque interrogante, operibus proderet; interrogante autem aliquo, impensius gaudens clamore efferret.

et lictores, ad ipsum puniendum missos, hospitio benigne recipit:

8 Venientes ergo illius lictores supplicii, nostrique festi auctores, apud eum ipsum, qui quærebatur, diversati sunt, ut neque ii cognoscerent, neque ab illo cognoscerentur. Interim vero adventus causam celabant, ut cum prius accepissent ex iis, qui habitabant extra civitatem, quisnam esset Phocas, B et ubi degeret, repente invadentes, ut quondam Judæi Juda duce Dominum in horto comprehenderent. Ignorabant autem, se prædam habere intra retia: canes ovem, lupos agnum, rapaces aves ac uncungues columbam. Ut autem Isaias Propheta ait: Hœdus cum pardo accubabat, agnusque cum lupis pascebatur, ac leones simul cum vitulo commune convivium inibant. Cum autem, uti moris est, mensæ societatis ac consuetudo fiduciam invicem generassent, rogavit ex eis Martyr, quinam essent, ac qua de causa ad ejus venissent civitatem. Illi vero alacrem Viri susceptionem ac hospitalitatem reveriti, cum præcipissent, ne, quod auditurus erat, cuiquam enunciaret, ei arcanum aperiunt, ac insidiarum exponunt fabulam: ut nimirum quærant capere puniendum Phocam. Quocirca hospitalitatis cumulo, hoc quoque beneficio ab eo affici rogabant, ut captando, quem quærebant, una ipse operam conferret suam.

postridie vero se ipse prodens, martyrio coronatur.

9 Audivit Dei Servus, immotoque animo auditum sermonem suscipiens, nihil abjectum, ac quod pusillum animum indicaret, passus aut locutus est: neque periculo exterritus spectavit fugam; idque ejus ineundæ magnam ac liberam habens fa- C cultatem, cum ii necdum scirent, eum esse, quem quærerent: contra vero omnino fecit; se fortiter gerere, non fugere statuens. Eorumque itaque precibus annuit; et, Ego, inquit, in præsenti negotio vobis adjutor ero: novi enim virum, et facile quæsitum inveniam. Nec erunt longiores moræ, sed die crastina vobis eum ostendam. Vos tantum in hoc meo paupere diversorio requiescite. Ubi sic eis certo promisisset, duabus se rebus dispertit; nempe excipiendis tota humanitate occisoribus, ac parando sepulcro. Cum autem parassat fossam, et quæ ad sepulturam erant necessaria, ad eos postridie accedens; Diligenter, inquit, vobis quæsivi Phocam, estque jam parata præda; ac, si lubet, comprehendatur. Illis autem præ gaudio quærentibus, ubinam vir ille esset: Non procul, inquit, sed vobiscum est: nam et ego ille ipse sum. Rem itaque exequimini, longique itineris ac laboris scopum implete. Obstupuerunt animis homines, eoque audito diriguerunt, salem ac mensam reveriti, munificumque in paupertate convivam. Ad hæc vero animos, ut se interficerent exhortatione addebat; jubebatque, ne quicquam dubitarent; dicens, ne fore quidem

D 7 Τοῦ λόγου τῆς εὐσεβείας ἡμῶν καταγγελθέντος, καὶ τοῦ θεσπεσίου κηρύγματος πρὸς πᾶσαν ἀκοὴν ἐξελθόντος, γνωρίζοντος δὲ Χριστὸν καὶ τὰ ἐκείνου μυστήρια, ἐφρύαξαν ἔθνη κατὰ τὸν ψαλμῳδὸν, καὶ οἱ βασιλεῖς καὶ ἄρχοντες συνήγοντο ἐπὶ τὸ αὐτό· καὶ οἱ τῆς πλάνης λαοὶ ὠργίζοντο τοῦ Ἰησοῦ βασιλεύοντος. ἐζητεῖτο δὲ πᾶς Χριστιανὸς ὡς κακοῦργος, καὶ ὁ ἐγγὺς ἐκολάζετο, καὶ ὁ μακρὰν ἀνιχνεύετο. διὸ καὶ Φωκᾶν οὔτε ἡ εὐτέλεια τοῦ ἐπιτηδεύματος, καὶ ὁ κηπουρὸς ἔκρυψεν· ἀλλὰ καὶ οὗτος ὡς γνήσιος μάλιστα τοῦ Χριστοῦ μύστης ἐμηνύθη. καὶ δὴ καὶ ἦλθον ἐπ᾽ αὐτὸν οἱ τοῦ δυστίνου τοῦδε βίου καὶ ῥέοντος κελευσθέντες ἀπαγαγεῖν αὐτὸν ἄκριτον, ἀναπολόγητον. καὶ γὰρ ἦν τὸ ἔγκλημα τοιοῦτον, ὃ λαμπρᾷ τῇ φωνῇ ὁ γεννάδας καθωμολόγει, καὶ, μηδενὸς ἐρωτῶντος, ἔργοις ἐδείκνυε, πυνθανομένου δὲ, περιχαρῶς ἐξεβόα.

8 Ἐλθόντες γοῦν οἱ τῆς ἐκείνου τιμωρίας δήμιοι, καὶ τῆς ἡμετέρας ἑορτῆς αἴτιοι, παρ᾽ αὐτῷ τῷ ζητουμένῳ κατέλυσαν, οὔτε γινώσκοντες, οὔτε μὴν γινωσκόμενοι. ἐν ἀπορρήτῳ δὲ τέως εἶχον τῆς ἐπιδημίας τὴν πρόφασιν, ἵνα πρότερον ἐκδιδαχθέντες παρὰ τῶν ἔξω τῆς πόλεως, τίς ὁ Φωκᾶς, καὶ ὅποι διάγων, ἀθρόον ἐπιστάντες συλ- E λάβωσιν, ὡς οἱ * Ἑβραῖοι ποτὲ ἐν τῷ κήπῳ μετὰ Ἰούδα τὸν Κύριον. ἐλελήθεσαν δὲ εἴσω δικτύων τὴν θήραν ἔχοντες, οἱ κύνες τὸν ἀρνειὸν, οἱ λύκοι τὸν ἀμνὸν, τὴν περιστερὰν οἱ ἁρπακτικοὶ καὶ γαμψώνυχες. καθὼς δὲ ὁ προφήτης Ἡσαίας φησὶ· συνανεπαύετο ταῖς παρδάλεσιν ὁ ἔριφος, καὶ τοῖς λύκοις ὁ * ἀρνειὸς συνεβόσκετο· καὶ οἱ λέοντες ἅμα τῷ μόσχῳ κοινὴν εἶχον τὴν δίαιταν. ἐπειδὴ δὲ, οἷα φιλεῖ γίνεσθαι, τράπεζα καὶ συνήθεια τὸ θαρρεῖν ἀλλήλοις παρέσχον, διεπυνθάνετο παρ᾽ αὐτῶν ὁ μάρτυς τίνες εἶεν, καί τινος χάριν τὴν αὐτοῦ πόλιν κατέλαβον. οἱ δὲ τὴν πρόθυμον δεξίωσιν καὶ φιλοξενίαν τοῦ ἀνδρὸς αἰδεσθέντες, μηδενί τε τὸ λεχθησόμενον ἐξειπεῖν παραγγείλαντες, ἐγνώρισαν αὐτῶν τὸ ἀπόρρητον καὶ τὸ τῆς ἐπιβουλῆς ἐξαγορεύουσι δρᾶμα, ὅτι Φωκᾶν ἐπὶ τιμωρίᾳ ζητοῦσι λαβεῖν· ὅθεν πρὸς τῇ φιλοξενίᾳ καὶ ταύτην ἠξίουν τὴν εὐεργεσίαν προσθεῖναι, συγκαμεῖν αὐτοῖς εἰς τὴν θήραν τοῦ ζητουμένου.

* al. Ἰουδαῖοι

* al. ἀμνός

9 Ἤκουσεν ὁ τοῦ Κυρίου θεράπων, καὶ ἀτρέπτῳ τῇ ψυχῇ τὸν λόγον δεξάμενος, οὐ ταπεινόν τι καὶ ἀγεννὲς ἔπαθεν ἢ ἐφθέγξατο. οὐδὲ ἀποδειλιάσας τὸν κίνδυνον, φυγεῖν ἐβουλεύσατο, καὶ ταῦτα πολλὴν ἔχων καὶ ἄνετον ἀποδιδράσκειν τὴν ἐξουσίαν· ὅτι μήτε δῆλος ἦν ἔτι αὐτὸς ὤν, ὁ παρ᾽ ἐκείνων ἐπιζητούμενος· ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον ἐποίει, ἀνδρίζεσθαι μᾶλλον, καὶ οὐχὶ φεύγειν προῃρημένος. ἀμέλει πρὸς τὴν ἀξίωσιν ἐπινεύει· κἀγώ, φησιν, F ὑμῖν εἰς τὸ προκείμενον συλλήψομαι· γινώσκω γὰρ τὸν ἄνδρα, καὶ ῥᾳδίως ἀναζητήσας εὑρήσω· οὐκ εἰς μακρὰν δὲ τοῦτον, ἀλλὰ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν καὶ αὐτοῖς ὑμῖν ἐπιδείξω· μόνον ὑμεῖς ἐπὶ τῆς πενιχρᾶς ταύτης καταγωγῆς ἀναπαύσασθε. οὕτω βεβαίαν αὐτοῖς ἐγγυησάμενος τὴν ὑπόσχεσιν, πράγμασιν ἑαυτὸν καταμερίζει δυσὶ, τῇ τε δεξιώσει τῶν ἑαυτοῦ φονέων, καὶ τῇ ἑτοιμασίᾳ τοῦ τάφου. εὐτρεπίσας δὲ τό τε ὄρυγμα, καὶ τὰ περὶ ταφὴν ἀναγκαῖα, προσελθὼν αὐτοῖς τῇ ὑστεραίᾳ· ἐπιμελῶς ὑμῖν, ἔφη, τὸν Φωκᾶν ἀνεζήτησα, καὶ ἕτοιμον ἤδη τὸ θήραμα· καὶ, εἰ δοκεῖ, συλληφθήτω. τῶν δὲ εἰπόντων ἐκ περιχαρείας, καὶ ποῦ ὁ ἀνήρ; οὐ πόῤῥω, φησὶν, ἀλλὰ μεθ᾽ ὑμῶν· αὐτὸς δὲ ὑμῖν οὗτος ἐγώ· καὶ χρήσασθε τῷ πράγματι, καὶ πληρώσατε τὸν τῆς ὁδοιπορίας καὶ τοῦ πόνου σκοπόν. ἐπλάγησαν τὰς ψυχὰς οἱ ἄνθρωποι, καὶ πρὸς τὴν ἀκοὴν ἀπεπάγησαν, τοὺς ἅλας καὶ τὴν τράπεζαν αἰδεσθέντες, καὶ τὸν ἐν πενίᾳ φιλότιμον ἑστιάτορα. ὁ δὲ καὶ ἔτι παρεκάλει πρὸς τὴν τόλμαν τῆς ἀναιρέσεως, καὶ μηδὲ πρὸς ὀλίγον διστάζειν ἐπεκελεύετο, λέγων· ὡς οὔτ᾽ ἐκείνων χειρὸς ὁ φόνος, ἀλλὰ

A ἀλλὰ τῶν προσταξάντων ἡ ἐπιχείρησις· εἶπεν, ἔπεισεν, ἔπαθε, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, ἱερεῖον τῷ Θεῷ κεχαρισμένον προσήχθη.

illorum manus cædem *d*, sed eorum facinus, qui præcepissent. Dixit, persuasit, passus est, ac capite truncatus, grata Deo hostia oblatus est. A. Asterio Ep. *d*

ANNOTATA.

a Vicina Sinope, *ait auctor, quia extra civitatem habebat hanc Orationem in loco sepulturæ; non quod in alia civitate diceret. Tillemontius in* S Phoca *credidit, Orationem fuisse dictam in vicina civitate, et* Verisimiliter Amaseæ, *ubi Asterius erat episcopus. At non attendit ad comparationem cum loco sepulturæ Abrahæ num.* 3, *quæ inepta esset, nisi dixisset Asterius in loco, ubi sepultus erat* S. Phocas. *Sepulcra autem martyrum prioribus Ecclesiæ seculis passim erant extra civitates. Ceterum Sinope civitas erat episcopalis in Ponto, sita ad Pontum Euxinum, ejusque metropolis erat Amasea, sed satis longo intervallo dissita et mediterranea.*

b *Notat editor, in alio codice pro* μέσος medius, *legi* νέος novus. *Sive autem uno, sive altero modo legatur, sensus est, probum vixisse inter improbos, ac talem fuisse Sinopensibus* S. Phocam, *qualis Lot fuit Sodomitis. Mallem dictionem Latinam his verbis concipere :* ac Lot quidam erat in medio, non Sodomitarum, sed Sinopensium. *Insinuat hic locus, fidem Christianam apud Sinopenses necdum receptam fuisse tempore* S. Phocæ. *Sic paucissimi erant Christiani Neocæsareæ in Ponto, quando S. Gregorius Taumathurgus ibidem seculo 3 factus est episcopus.*

c *Ex neglecta judicii forma suspicatur Tillemontius, Sanctum non esse passum, nisi in persecutionibus posterioribus, quando imperatores aperte se fidei Christianæ oppositos ostendebant, ut factum est sub Decio et Diocletiano. At ego existimo, nihil tuto statui posse de tempore, quo passus est* S. Phocas. *Imo, ut candide eloquar, quod sentio, non adeo certa mihi videntur, quæ de comprehensione et modo martyrii tradit Asterius, ut nulla oriri possit suspicio, populares fuisse traditiones, quas de his* B *oratorio stylo expolivit. Tillemontius ipse procul dubio de his Actis tam favorabiliter non judicasset,* E *si nomen Asterii obfuisset. Certe alia Acta non pauca ut fabulosa rejicit, etsi minores patiantur difficultates, quam hæc ipsa.*

d *Hæc, ut jam observavi in Commentario, nequeunt consistere cum sana theologia, cum nec lictores occidere possent Martyrem sine peccato, saltem materiali, ut loquuntur theologi; nec licitum esset Martyri provocare tyrannos ad mortem inferendam, ut docet Benedictus XIV, eruditissimus Pontifex, in præclaro Opere de Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione lib. 3 cap. 17. Quare mihi nequaquam persuadebit Asterii auctoritas, illa revera sic esse peracta. Cum enim nullus adfuerit Christianus, quantum apparet, dum captus est* S. Phocas, *quæro ego, unde Asterius gesta inter ipsum et lictores post aliquot forte secula didicerit? Si lictores ipsi illa deinde narrarint, quæram ulterius, an illi non potuerint mentiri, aut saltem gesta falsis adjunctis ita corrumpere, ut, quæ laudabiliter erant facta, in alium omnino sensum detorquerent? Itaque poterat, quantum existimo,* S. Phocas, *quando jam in manibus erat lictorum, licet ignotus, a fuga abstinere, et forte etiam se ipse manifestare, ut promiserat, et paratum offerre ad mortem pro fide obeundam. Certe facile credere poterat, hæc sibi licita esse. At non poterat ea omnia licite agere, quæ refert Asterius, quæque sine crisi adoptarunt Tillemontius et Bailletus ad 14 Junii.*

CAPUT II.

Sancti gloria posthuma.

C Στύλος καὶ ἔρεισμα τῶν θείων τῆς οἰκουμένης ἐκκλησιῶν ἐξ ἐκείνου μέχρι τοῦ νῦν τοῦτον ἔχομεν, ἄνθρωποι· καὶ μαρτύρων ἐστὶν οὗτος περιφανέστατος, ἐν τοῖς ἀρίστοις ἔχων αὐτὸς τὸ πρωτεῖον. οὗτος ἐφέλκεται πανδημεὶ πάντας πρὸς τὸ ἑαυτοῦ καταγώγιον, καὶ πλήρεις αἱ λεωφόροι τῶν ἀφ᾽ ἑκάστης χώρας πρὸς τὸν τόπον ἐπειγομένων τῆς προσευχῆς. ἔστι μὲν οὖν ὁ μεγαλοπρεπὴς ἐκεῖνος ναὸς, ὅς καὶ τὸ ἱερὸν ἔχειν τοῦ μάρτυρος ἐκληρώθη σῶμα, θλιβομένων ἄνεσις, κακουμένων ἰατρεῖον, λιμωττόντων τράπεζα. δαψιλέστερον γὰρ τρέφει Φωκᾶς νῦν τελευτήσας, ἤπερ ἐν Αἰγύπτῳ ὁ Ἰωσὴφ τὸ πρότερον. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἀργυρίου τὸν σῖτον διένειμε· οὗτος δὲ, προῖκα τοῖς δεομένοις χαρίζεται. οὕτω πτωχῶν καὶ ἀλητευόντων φῦλα προστρέχει τῷ τῆς Σινώπης ἰσθμῷ, καθάπερ τινὶ κοινῷ ταμιείῳ. ἀλλ᾽ ἐκεῖ μὲν οὕτως. εἰ δὲ που καὶ ἀλλαχοῦ διὰ μικρῶν λειψάνων οἷον ἀποικίαν τινὰ μητροπόλεως ὁ μάρτυς ἑαυτῷ κατεστήσατο. θαυμαστὸς καὶ οὗτος ὁ τόπος, καὶ πᾶσι Χριστιανοῖς περισπούδαστος· ὥσπερ δὴ οὗτος ὁ παρ᾽ ἡμῖν χῶρος κατγώγιον ἑορταζόντων ἐστί· τίμιος γὰρ ἐναντίον τοῦ Κυρίου ὁ θάνατος τῶν ὁσίων αὐτοῦ· καὶ πολλαχοῦ μερισθέντα τὰ λείψανα, ὁ-

Ab eo tempore hactenusque columnam eum F ac sustentaculum divinarum per orbem ecclesiarum, o viri, habemus; estque ille martyrum clarissimus, habens ipse primas partes inter optimos. Is omnes conferto agmine ad suum trahit domicilium, suntque plenæ viæ publicæ iis, qui ex unaquaque regione ad locum orationis contendunt. Atque est quidem magnificum illud templum, cui obtigit, ut sacrosanctum haberet Martyris corpus, eorum, qui affliguntur, relaxatio; eorum, qui morbis laborant, officina medica : eorum, qui esuriunt, mensa : abundantius enim nunc alit Phocas defunctus, quam prius Joseph in Ægypto vivus. Nam ille quidem frumentum permutabat pecunia; hic autem gratis largitur egentibus. Sic mendicorum ac erronum turbæ ad Sinopes isthmum *a*, ceu ad commune aliquod penarium accurrunt. Sed illic quidem sic. Si autem etiam alibi, paucarum reliquiarum impertitione, veluti coloniam aliquam ex metropoli deductam, sibi Martyr constituit, est is quoque locus admirabilis, ac universis Christianis desideratissimus : quomodo *b* utique noster hic locus effectus est epulantium domus. Pretiosa enim in conspectu

Ecclesia S. Phocæ celeberrima : reliquiæ nonnullæ aliis locis : *a* *b*

A. Asterio ep.

conspectu Domini, mors Sanctorum ejus: multisque locis divisæ reliquiæ integram ubique ter beato Viro nominis servant claritatem.

ecclesia ipsi Romæ exstructa, eoque translatum caput: c

11 Sic etiam in regia civitate, Italiæ principe, ac mundi totius regina, universi populi concursu honoratur Martyr ac celebratur, habetque insigni pulchritudine extructam ædem *c*. Non minus autem Romani Phocam colunt, quam Petrum et Paulum. Quamobrem, ut ferunt, caput Martyris summo studio compararunt, contrariam sceleratæ Herodiadi assumentes sententiam. Nam illa quidem sanguinem sitiens, justi caput venerandum poposcit ad contumeliam: illi autem honoris causa, suæque ipsorum utilitatis, digne sibi Martyris caput vendicarunt.

Sanctus nautarum patronus, d

12 Nautæ autem, ac qui sunt vectores, non solum qui transmittunt Pontum Euxinum, verum etiam qui secant mare Adriaticum, ac qui feruntur super Ægæum; qui item Occidentalem navigant Oceanum, quique maris Orientalis *d* sulcant sinus, consueta celeusmata, quibus navigationis labores recreant, in novam Martyris laudationem verterunt, totusque eis in ore est Phocas decantatus: quippe qui præsentis auxilii perspicua argumenta præbeat. Nam B sæpe visus est, nunc quidem noctu, maris procella inturgescente, excitans gubernatorem ad clavum dormitantem: aliquando autem rursus tendens rudentes, ac veli curam gerens; eque prora brevia prospiciens. Quocirca nautis lege constitutum est, ut Phocam convivam habeant. Quia vero nequit fieri, ut qui nunc incorporeus existit, conviva ac mensæ particeps fiat; videte, quomodo pia cogitatio, quod factu impossibile videbatur, facile reddiderit. Quotidie enim, æquam unam pro comedentium ratione partem Martyri attribuunt. Eam autem unus aliquis e convivis emens, deponit pecuniam; idem alter sequenti die; ac tertia alius: sorsque illa emptionis universos obiens, partis emptorem quotidie suggerit. Postquam autem eos portus exceperit, distribuitur famelicis collecta pecunia: idque pars Phocæ est: pauperum beneficentia.

et Barbaris etiam venerabilis,

13 Eum quoque reges admirantur, qui fortissimus religiosusque extiterit, suspiciendique Pauperis ædem sacram præclaris ac magnificis exornant donariis. Contendunt, qui juniores accedunt, superare veteres. Nec jam mirum, ut Romani imperii homines pii, quorum vita regitur moribus atque C legibus, usque adeo Christi Famulum venerentur, cum ad usque Barbaros pervenerit admiratio; ferissimique omnes Scythæ, quotquot, inquam, habitant continentem ex adverso Ponti Euxini *e*, accolæ lacus Mæotidis, ac fluvii Tanaidis; ac quicunque incolunt Bosphorum, et ad Phasidem usque fluvium extenduntur; omnes, inquam, hi obsequium Olitori præstent: cumque moribus omnibus ac studiis a nobis differant, hac una re sola nobis consentiunt, ut eorum feritas morum a veritate mansuescat. Unus certe illinc princeps rexque *f*, coronam capitis deponens, auro ac gemmarum floribus magnifice splendentem, exuensque prætiosæ materiæ bellicam loricam, (quippe superba est ac luxuriosa barbarorum armatura) utraque misit donaria, Deo per Martyrem potentiæ ac dignitatis consecrans argumenta. Clarum enim est, misisse coronam, ut pro regno gratias ageret: loricam vero, ut pro virtute bellica.

multisque beneficus.

14 Quæ autem propter hæc continue eveniunt beneficia per visiones in somnis, ac curationes, quas ægroti consequuntur, quo quis modo narraverit, cum sermo ad singula accedere non possit? Nos ergo hic desinentes, Salvatori gloriam offeremus, cujus servi fideles tantam gratiam sunt con-

λόκληρον πανταχοῦ τῷ τρισμακαρίῳ σώζει τὴν εὐφημίαν. D

11 Οὕτω γοῦν καὶ κατὰ τὴν βασιλεύουσαν πόλιν, τὴν κορυφὴν Ἰταλίας, καὶ βασιλίδα τοῦ κόσμου, ἐστὶ τῷ μάρτυρι δορυφορία πάνδημος καὶ τιμή, οἶκός τε περιφανὴς ἠσκημένος εἰς κάλλος. οὐχ ἧττον δὲ Ρωμαῖοι τὸν Φωκᾶν θεραπεύουσιν, ἢ Πέτρον καὶ Παῦλον. διὸ καὶ, ὡς λόγος διδάσκει, τὴν κεφαλὴν τοῦ μάρτυρος ἐσπουδασμένως ἐκτήσαντο, ἀντίστροφον τῆς Ἡρωδιάδος ἑλόμενοι γνώμην. ἡ μὲν γὰρ αἵματος διψῶσα δικαίου κεφαλὴν τιμίαν εἰς ὕβριν ἐζήτησεν· οἱ δὲ τιμῆς χάριν καὶ ὠφελείας τῆς ἑαυτῶν μαρτυρικὴν ἀξίως κεφαλὴν περιεποιήσαντο.

12 Ναῦται δὲ καὶ πλωτῆρες οἱ πανταχοῦ, οὐχ οἱ τὸν Εὔξεινον διαπλέοντες Πόντον, ἀλλὰ καὶ οἱ τὸν Ἀδρίαν τέμνοντες, καὶ ὑπὲρ Αἰγαίου φερόμενοι, καὶ ὅσοι τὸν Ὠκεανὸν πλέουσι τὸν ἑσπέριον, καὶ τοῖς Ἑώοις κόλποις ἐνθαλαττεύουσι, τὰ συνήθη κελεύσματα, οἷς τοῦ πλοῦ τὸν πόνον προσαναπαύουσιν, εἰς καινὴν τοῦ μάρτυρος μετέβαλον εὐφημίαν· καὶ διὰ γλώσσης ἐστὶν ὅλος ὁ Φωκᾶς αὐτοῖς ὑπᾳδόμενος, ἐπεὶ καὶ ἐναργῆ παρέχει τῆς βοηθείας τὰ σύμβολα. πολλάκις μὲν γὰρ ὤφθη, νῦν μὲν νύκτωρ προσογκουμένου χειμῶνος διεγείρων τὸν κυβερνήτην τῷ πηδαλίῳ ἐπινυστάζοντα· ἄλλοτε δὲ πάλιν τοὺς κάλως διατείνων, καὶ τῆς ὀθόνης ἐπιμελούμενος, καὶ ἀπὸ τῆς πρώρας προοπτεύων τὰ βράχη. ὅθεν καὶ νόμος ἐγένετο ναύταις, Φωκᾶν ἔχειν συνεστιάτορα. καὶ ἐπειδὴ τὸν νῦν ἀσώματον, σύσσιτον εἶναι καὶ κοινωνὸν τραπέζης ἀμήχανον· μάθετε πῶς ἄρα φιλευσεβὴς λογισμὸς ἐσοφίσατο τὸ ἀδύνατον. καθ' ἑκάστην γὰρ τὴν ἡμέραν τὴν τῶν ὄψων μερίδα πρὸς ἰσομοιρίαν τῶν ἐσθιόντων ἀποκληροῦσι τῷ μάρτυρι. ταύτην δέ τις τῶν δαιτυμόνων ἐξωνούμενος, τὸ ἀργύριον κατατίθεται, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ ἄλλος, καὶ ἄλλοτε ἕτερος· καὶ οὗτος ὁ κλῆρος τῆς ἀγορασίας περιϊὼν ἅπαντας, δίδωσι καθημέραν τῆς μερίδος τὸν ὠνητήν· ἐπειδὰν δὲ ὅρμος αὐτοὺς ὑποδέξηται, καὶ εἰς γῆν ἀφίκωνται, μερίζεται τὸ ἀργύριον τοῖς πεινῶσι· τοῦτο ἡ μερὶς τοῦ Φωκᾶ, πενήτων εὐεργεσία. E

13 Τεθήπασι τοῦτον καὶ βασιλεῖς τὸν καρτερικώτατον καὶ φιλόθεον, καὶ φιλοτίμοις κειμηλίοις κατακοσμοῦσι τοῦ περιβλέπτου πένητος τὸν ναόν. φιλονεικοῦσι δὲ οἱ ἐπιγινόμενοι τοὺς πρεσβυτέρους ὑπερβαλέσθαι. καὶ οὔπω θαυμαστὸν εἰ τῆς Ρωμαίων ἡγεμονίας ἄνδρες φιλευσεβεῖς, θεσμοῖς καὶ νόμοις σύντροφοι, οὕτως εὐλαβῶς ἔχουσι περὶ τὸν θεράποντα τοῦ Χριστοῦ, ὁπότε καὶ εἰς βαρβάρους ἔφθη τὸ θαῦμα· καὶ πάντες οἱ ἀγριώτατοι Σκύθαι, ὅσοι δὴ τὴν ἀντιπέρας τοῦ Εὐξίνου Πόντου ἤπειρον νέμονται, Μαιότιδος λίμνης, καὶ ποταμοῦ Τανάϊδος πρόσοικοι, ὅσοι τε τὸν Βόσφορον οἰκοῦσι, καὶ ἄχρι Φάσιδος ποταμοῦ παρατείνονται, πάντες οὗτοι δορυφοροῦσι τῷ κηπουρῷ· τοῖς δὲ πᾶσιν ἔθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασι διεστῶτες ἡμῶν εἰς τοῦτο μόνον ὁμογνώμονες γένονται, τὴν ἀγριότητα τῶν τρόπων ὑπὸ τῆς ἀληθείας ἐξημερούμενοι. εἷς γοῦν ἄρχων καὶ βασιλεὺς ἐκεῖθεν τὸν στέφανον τῆς κεφαλῆς ἀποθέμενος, χρυσῷ καὶ ἄνθεσι λίθων περιλαμπόμενον, καὶ τὸν θώρακα τὸν πολεμικὸν ἀποδὺς ὕλας ἔχοντα πλούτου· ἀλαζονικὴ γὰρ καὶ θρυπτομένη τῶν βαρβάρων ἡ πανοπλία. ἔπεμψεν ἀμφότερα ἀναθήματα, διὰ τοῦ μάρτυρος τῷ Θεῷ καὶ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος καθιερώσας τὰς ἀφορμάς. πρόδηλον γὰρ, ὡς ὁ μὲν στέφανος τῆς βασιλείας ἦν χαριστήριον, ὁ δὲ θώραξ τῆς κατὰ πολέμους ἰσχύος. F

14 Τὰς δὲ συνεχῶς ἐπὶ τούτοις συμβαινούσας εὐεργεσίας διὰ τῶν ἐν ὀνείρασιν ὄψεων, καὶ διὰ τῶν θεραπειῶν, ὧν οἱ κάμνοντες ἀπολαύουσι, πῶς ἄν τις καὶ διηγήσαιτο, ἀδυνάτου καθεστῶτος ταῖς καθέκαστον ἐνεργείαις ἐπάφειναι τὸν λόγον; ἡμεῖς τοίνυν ἐνταῦθα λήξαντες, δόξαν τῷ Σωτῆρι προσοίσωμεν, οὗ δοῦλοι πιστοὶ τοσαύτης ἠξιώθησαν

A ἠξιώθησαν χάριτος, ὥστε πρὸς πᾶσαν χρείαν καὶ περίστασιν, κατὰ τὴν δοθεῖσαν αὐτοῖς δωρεὰν, τοὺς ὁμοδούλους εὐεργετεῖν· καὶ ταῦτα μετὰ τὴν ἐνθένδε ἄφισιν, καὶ τὸν τοῦ σώματος χωρισμόν· ὧν ἡ μνήμη μετὰ τοῦ ἔργου καθ' ἡμέραν διατρέχει πόλεις καὶ κώμας πανταχοῦ τὸν εὐεργέτην κηρύσσουσα Κύριον· ᾧ πρέπει πᾶσα [δόξα καὶ] τιμὴ καὶ κράτος καὶ μεγαλοπρέπεια, νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

secuti, ut in omni necessitate ac casu, pro concesso eis dono, conservis suis benefaciant: idque postquam ab humanis excesserint, fuerintque separati a corpore. Quorum memoria efficax, quotidie pervadens civitates ac vicos, ubique benefactorem Dominum prædicat: quem decet omnis gloria, honor et potestas, ac magnificentia, nunc et in secula seculorum, Amen *g*. A. Asterio ep.

ANNOTATA.

a *Cum Sanctus num.* 6 *dicatur habitasse* in isthmi ostio, *ibique sibi sepulcrum foderit; clarum videtur, ecclesiam, de qua agitur, supra sepulcrum* S. Phocæ *constructam fuisse, ut moris erat.*

b *Hic versio Latina minus clara occasionem errandi dedit Tillemontio, qui credidit nonnullas fuisse reliquias in ecclesia, ubi perorabat Asterius, illamque distinxit ab ecclesia, in qua erat corpus. Verum illud* quomodo *non est referendum ad præcedentia, sed ad sequentia, ut præcipua Sancti ecclesia rursum comparetur cum aliis locis, ubi erant ipsius reliquiæ. Nam verba Græca hunc habent sensum:* Quemadmodum igitur noster hic locus hospitium est festum celebrantium: (Pretiosa enim in conspectu Domini mors Sanctorum ejus) sic multis locis divinæ reliquiæ integram ubique ter beato Viro servant nominis claritatem.

c *Quæ hic dicuntur de ecclesia* S. Phocæ *in Urbe, Baronius in Annotatis ad Martyrologium die* 5 *Martii intellexit de S. Phoca Antiocheno, quem cum hodierno confudit. Henschenius noster ad* 5 *Martii in S. Phoca Antiocheno refutat confusionem Baronii; non negat tamen, forte Antiocheni caput fuisse, quod Romam translatum est. Ratio ipsius est, quod Antiocheni a Romanis acceperint*
B *reliquias S. Ignatii martyris episcopi Antiocheni, ut satis verisimile appareat, illos vicissim Romanis* E
dedisse reliquias S. Phocæ. *Si res ita fuit peracta, erravit Asterius, et* Phocæ *suo attribuit, quæ erant alterius. Non est quidem incredibile, errasse Asterium, cum Roma longissime distaret. Nolim tamen errorem affirmare, aut potius id facere nequeo; cum et* Phocæ *Sinopensis caput accipere potuerint Romani occasione aliqua nobis ignota. Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ ad* 5 *Martii asserit, partem corporis S. Phocæ quem Antiochenum credit, conservari in ecclesia S. Marcelli, ejusdemque caput ibidem venerationi fidelium exponi. Ecclesiam quoque* S. Phocæ *olim fuisse prope S. Anastasii ecclesiam ad Tres fontes, idem Auctor existimat. An ibi fuerit ecclesia ab Asterio memorata, quæ hodie non videtur superesse, certo scire nequimus. Hoc tamen verisimile est. Certe Martinellus in Roma sacra pag.* 386 *agit de illa ecclesia, aitque:* Breve, a Gregorio VII concessum monasterio S. Pauli de Urbe, ecclesiæ S. Phocæ meminit, quæ olim fuerit juris S. Anastasii. *Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum die* 5 *Martii credit, hodierni* Phocæ *fuisse illam ecclesiam, quam exstitisse adhuc dicit sub Gregorio VII, id est, seculo* XI.

d *Maria diversa hic recensita satis nota sunt geographiæ peritis, At jam observavi, multum procul dubio in his esse exaggerationis. Si quis voluerit, Asterium loqui de nautis Ponticis; dicam, hos quidem verisimiliter ex Euxino navigasse ad mare Ægeum et Adriaticum, sed non opinor, illos venisse usque ad Oceanum Occidentalem, multo minus ad sinus maris Orientalis, cum sic tota circumnaviganda fuisset Africa.*

e *Ad alteram sive Borealem partem Ponti Euxini e regione provinciæ Ponti est lacus Mæotidis, qui per Bosphorum Cimmerium se communicat Euxino. Bosphorani autem erant intra Euxinum et Mæotidis lacum. Fluvis Tanais in dictum lacum se exonerat. Phasis fluvius item in Euxinum labitur, sed in latus Orientale, cum sit fluvius Colchidis provinciæ. Vult itaque auctor, si verba ejus ad litteram sumamus, barbaros scythas, qui post Euxinum versus Boream late habitabant, et etiam Colchidis incolas, qui ad Orientem dicti maris se extendebant, in veneratione habuisse* S. Phocam. *At non possumus dubitare, quin et hæc supra verum exaggerata sint æque, ac alia*
C *pleraque.* F

f *Quis fuerit rex ille barbarus, nec edicit auctor, nec divinare possumus, cum neque tempus, quo dona illa misit, indicetur, nec provincia aut natio, cui præerat.*

g *Ceterum* S. Phocæ *cujusdam reliquiæ ex ponte translatæ sunt Constantinopolim tempore S. Joannis Chrysostomi, exque magna cum solemnitate ad ecclesiam suburbanam delatæ sunt, ut pluribus expositum est tom.* 4 *Septembris in S. Joanne Chrysostomo* § 42. *Certum est, alterutrius fuisse* S. Phocæ *Sinopensis reliquias, de quibus agit Chrysostomus. Verum ambiguum est, fuerintne* Phocæ *Hortulani, an Phocæ episcopi, ut jam observavit Cuperus noster in S. Phoca episcopo ad* 14 *Julii* § 3, *ubi etiam ostenditur, æque dubium esse, utrius Phocæ fuerit monasterium unum alterumque Constantinopoli in ejus honorem constructum. Alia quoque ex gemino* Phoca *Sinopensi exorta dubia ibidem disputata videri possunt, ne hic actum agam.*



DE

Auctore J. S.

DE S. DROSIDE V. M.

ET ALIIS FORTASSE QUINQUE MARTYRIBUS

ANTIOCHIÆ IN SYRIA

SYLLOGE CRITICA

Ex Fastis Græcorum, et S. Joanne Chrysostomo.

Drosis virgo cum aliis quinque Martyribus hac die apud Græcos

Cum Majores nostri ad XXII *Martii in Menæis Græcorum invenirent elogium* Drosidis, *cujusdam, tamquam filiæ Trajani imperatoris, et aliarum quinque Martyrum, multis inquinatum fabulis, et perspicerent hac rursum die* B *eamdem breviter commemorari in variis Græcorum Fastis, rem totam ad hunc locum ulterius examinandam remiserunt. Itaque examen istud aggressurus, primum producam Fastorum ad hunc diem locos, in quibus de illa agitur. Menologium Sirletianem sic habet*: Eodem die commemoratio sanctæ martyris Drozelæ, filiæ Trajani imperatoris, cum quinque Sociis. *Menæa impressa Græce habent, quod exprimo Latine*: Eadem die sanctæ martyris Drozelæ, filiæ Trajani imperatoris, et Sociarum ejus quinque canonicarum. *In Synaxario Ms sæpe laudato, quod fuit Sirmondi, legitur:* Certamen sanctæ martyris Drusilæ, filiæ Trajani imperatoris, et quinque cum ipsa Mulierum. *Nomen quidem diversimodo* Drozela *et* Drusila *hic exprimitur: non alia tamen designatur, quam quæ* Drosis *constanter vocatur in prolixo elogio ad* XXII *Martii. Utroque enim loco filia Trajani imperatoris asseritur, et cum quinque Sociabus conjungitur. Quinque tamen illæ, si elogio credimus, ante* Drosidem *martyrio perfunctæ sunt, etsi omnes sex simul dicantur comprehensæ. Elogium porro laudatum, quia fabulosum videtur, non recitabo; sed ad propositum nostrum satis erit, modo breve illius dem compendium.* C

et 22 Martii longiori elogio laudantur :

2 *Quinque mulieres piæ, quæ a vita religiosa vocantur* canonicæ, *dicuntur simul habitasse ad sepelienda in domo sua martyrum corpora, quæ clanculum auferebant. Re intellecta,* Drosis, *Trajani filia, ut fertur, aliis se adjunxit. Deinde omnes simul comprehensæ sunt, dum studebant de more corpora rapere, et ad Trajanum adductæ. Hic autem quinque Canonicas in fornace comburi jussit;* Drosidem *vero custodiæ mancipari. Post multas ineptias, dicitur Trajanus curasse, ut quotidie duæ accenderentur fornaces, præfixaque illis sententia, monuisse Christianos, ut ipsi se morituros in alterutram e fornacibus injicerent. Hoc autem (si Menæis quis credere velit) cum multi facerent,* Drosis, *illorum exemplum imitari cupiens, clam e carcere evasit. Verum recordata, necdum se sacro baptismate ablutam, ipsa in vas aquæ se injecit, et verba, quæ Græci in baptizando adhibent, ipsa protulit. Tum septem diebus orationi se dedit, ac die octavo post orationem perfectura, quod cœperat, ad Dominum migravit. Ultimis verbis innuitur, non tamen clare edicitur,* Drosidem *ultro se in fornacem injecisse. Non dubito, quin omnia fere fabulosa sint. Dum tamen elogium istud confero cum Homilia, quam S. Joannes Chrysostomus prope Antiochiam habuit in festivitate* S. Drosidis *virginis et martyris, mihi persuadeo, illam ipsam de qua pauca protulit Chrysostomus, in Fastis Græcorum celebrari.* E

eadem videtur S. Drosis, de qua peroravit Chrysostomus.

3 *Nam præter nomen* Drosidis, *quod nulli alteri martyri fuisse novimus, alia quædam ex Chrysostomo desumi potuerunt. Teneram et juvenem Virginem celebrat Chrysostomus, talem quoque suam exhibent in Menæis Græci. Igne combustam tam Græci quam Chrysostomus* Drosidem *exhibent. Præterea nullibi asserit Chrysostomus,* Drosidem *in flammas fuisse conjectam ab infidelibus, sed adeo ambigue loquitur, ut facile quis existimare possit, ipsam ultro in ignem insiliisse, ut de sua crediderunt Græci. Toties quoque Chrysostomus repetit, igne purgatam fuisse* Drosidem, *iisque id verbis declarat, ut videatur insinuare voluisse, Sanctam non aliter, quam sanguine suo fuisse baptizatam. Nam præter alia inferius legenda, ait ipsam ad cælum transiisse,* Christo ipso invisibili manu sanctum Martyris caput tenente, et tamquam in aqua ipsam igne baptizante. αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἀοράτῳ χειρὶ τὴν ἁγίαν τῆς μάρτυρος κατέχοντος κεφαλὴν, καὶ καθάπερ ἐν ὕδατι βαπτίζοντος τῷ πυρί. *Itaque videntur Græci eamdem cum Chrysostomo* Drosidem *celebrare, sed pauca illa, quæ de martyrio ipsius nota erant, variis amplificasse figmentis. De quinque tamen mulieribus, a quibus* Drosidem *conversam dicunt Græci, et quæ pluribus diebus ante ipsam erant combustæ, nihil habet Chrysostomus, hujusque de illis silentio res tota minus fit certa. Hac de causa nec illarum quinque cultum certo asserere volui, nec* Drosidem *Chrysostomi cum memorata hodie in Menæis tam certo eamdem credo, ut nullum superesse possit dubium.* F

Colebatur S. Drosis prope Antiochiam, et ætate juvenis

4 *Attamen cum ex nomine et aliis adjunctis jam dictis verisimillimum fiat,* Drosidem *Chrysostomi hodie in Græcorum Fastis celebrari; neque prætermissam esse a Græcis illam, quam Chrysostomus oratione celebrarat, et cujus cultum docuerat: illius* Drosidis *qualiacumque Acta ex oratione Chrysostomi excerpta huc traduco. Legitur autem Homilia illa in novissima editione Operum Chrysostomi tom. 2 pag.* 688. *ubi hunc habet titulum :* Laudatio magnæ et sanctæ martyris Drosidis, et de memoria mortis. *Post multa ad nostrum propositum minime necessaria, num. 2 ita loquitur*: Propterea nimirum et generosum hunc patrem *(Flavianum episcopum Antiochenum)* laudo, quod arrepta serenæ diei occasione, nos huc eduxerit, præcedente nos viamque nobis monstrante B. Droside, cujus memoriam celebramus. *Ex his verbis discimus, festivitatem* S. Drosidis *tempore*

AUCTORE J. S.

A *tempore Chrysostomi fuisse celebratam extra urbem Antiochenam. Nam eo Flavianus Antiochenos cum Chrysostomo duxerat ad celebrandam memoriam Sanctæ, ibidem cum multis aliis martyribus sepultæ, ut liquet ex sequentibus, quibus probat utile esse invisere martyrum reliquias. Deinde num.* 3 *ad certamina* S. Drosidis *paulatim progrediens, generalibus verbis ipsam fortiter ac viriliter certasse affirmat, nec sexum nec ætatem impedimento fuisse, qualitates Sanctæ ea occasione sic perstringens :* Fuit enim illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ, et junior ætas. Verumtamen horum omnium imbecillitatem adveniens gratia occultavit, ubi generosam animi alacritatem offendit, et constantem fidem, et animam ad subeunda pericula præparatam. Nihil enim est, nihil plane potentius est eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum, sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit, quod utique beata ista Drosis etiam fecit.

ignem amore Christi

5 Postquam enim rogum tyrannus accendit : neque enim in barathrum illam præcipitem egit, neque capite truncavit, ne supplicii brevitas B facilius illi certamen redderet : sed animo ejus cupiens terrorem incutere, atque indomitam ejus mentem rogi aspectu superare, in medium illum protulit. Cum igitur rogum accendisset, ac fornacem inflammasset, atque in summam altitudinem attolleretur, hæc cum cerneret beata Martyr, inflammabatur ipsa quoque atque amore Christi ardebat, triumque puerorum memor secum ipsa reputabat, se in societatem certaminum illorum venire, sibique easdem cum illis coronas imponi. Et quemadmodum furiosi nihil eorum, quæ cernuntur, prout est, vident, sed sive exacutum gladium viderint, in ipsum facile præcipites irruunt, sive rogum, sive barathrum, sive præcipitium, sive pelagus, sive aliud quidvis, intrepide se in cuncta projiciunt : sic et ista furore non tali correpta, absit, sed alio, quavis prudentia honestiori, Christique amore correpta, nihil eorum, quæ sunt oculis subjecta, spectabat, sed in cælum translata illucque jam mente commigrans, omnia mala contemnebat, et ignem non ignem, sed rorem esse ducebat.

fortiter tulit,

6 Quamobrem rogum illum ego et fontem aquarum limpidissimum, et tincturam quamdam eximiam, et fornacem conflatoriam appello. Nam C quemadmodum in fornace aurum, sic et illius beata anima per rogum illum purior reddebatur. Liquefiebant enim carnes ejus, et ossa torrebantur, exurebantur nervi, et corporis sanies undique defluebat : at animæ fides firmior et splendidior fiebat. Atque illi quidem hæc videntes ipsam perire censebant : hæc vero amplius expurgabatur. Et quemadmodum aurum, imperitus qui adstat, et liquefieri videt ac diffluere, cumque cinere commisceri, perire existimat et corrumpi : artifex autem, et qui probe ista novit, hac ratione purius scit illud effici, ac post exustionem ipsum omni ex parte splendidum extrahit et componit : sic nimirum et isti evenit : infideles quidem, cum liquefieri ac diffluere carnem ejus viderent, in cinerem illam et pulverem abire censebant : at fideles exacte noverant, eam ita liquefactam sordes omnes deponere, atque immortalitatem adeptam splendidiorem ascendere.

rogoque mirifice purgata dicitur,

7 Imo in ipso rogo ante resurrectionem miro quodam modo vincebat adversarias potestates. Siquidem igne resolutæ carnes, cum strepitum ederent, illas quam facillime in fugam vertebant. Et quemadmodum generosus miles, æreis armis circumdatus, ipso etiam armorum stridore timidioribus terrorem incutit adversariis : sic nimirum et tunc beata Drosis pellis stridore potestates illas fugabat. Neque vero hac ratione tantum, sed et alia rursus nihilo ista minori. Nam simul atque rogum ingressa est, et fumus in altum ascendens aërem occupavit, dæmones per aërem volantes suffocabat omnes, diabolum abigebat, et ipsam naturam aëris abstergebat. Cum enim fumo idolorum inquinatus fuisset, in locum illius fumus alter ascendebat, ut illatas ab illis sordes abstergeret. Sane quidem fontis comparatio præclare convenit illi rogo. Nam quemadmodum si in fonte vestem exuisset, et corpus abluisset, ita corpus suum in illa flamma facilius quam vestem quamvis exuens, et animam nitidam reddens, ad Sponsum suum ab angelis stipata properabat. Si enim Lazarum illum ulceribus plenum angeli ad sinum Abrahæ abduxerunt : multo magis istam abeuntem stipabant, et tanquam ex sacro quodam conclavi, ac thalamo nuptiali assumptam ex fornace ad cælestem Sponsum deducebant. Qua vero de causa tincturam etiam rogum illum appellavi? Quod nimirum tamquam mirabili quadam infecta E tinctura, cum purpura regia facta esset, ad cælestem Regem mitteretur, ac multa cum fiducia sedes illas cælestes intraret, quod fiebat, cum invisibili manu sua Christus sanctum Martyris caput teneret, et tamquam aquis illam flammis immergeret. *Hactenus de* S. Droside *Chrysostomus, moralem doctrinam deinde subjungens. In conclusione tamen festivitatem et martyrium* S. Drosidis *iterum breviter asserit his verbis :* Deus, qui Beatæ isti, quæ nos hodierno die congregavit, ut certamen iniret, et luctaretur, et vinceret, et ut ornaretur corona, concessit *etc.*

Conjectura improbabilis Ruinartii de Droside,

8 *Ceterum Ruinartius Acta* S. Drosidis *ex Chrysostomo similiter dedit inter Acta Martyrum selecta pag.* 536 *et sequentibus. Fatetur ibidem, nomen* Drosidis *in Martyrologiis se non reperisse. Dat tamen conjecturam de Druso, qui ad* XVI *Decembris in plerisque Martyrologiis Antiochiæ annuntiatur cum Zozimo et Theodoro, quia in Epternacensi codice legitur* Drusina. *Castellanus ad* XIV *Decembris conjecturam illam credidit probabilem, ideoque* Drosidem *ea die annuntiavit; ad hunc vero diem* XXII *Septembris* Drozelam *cum quinque Sociabus. Verum conjectura Ruinartii et Castellani ne probabilis quidem mihi videtur, etiamsi Chrysostomi* Drosidem *alias nullibi invenirem, quia* F *unum apographum Hieronymianum contra consensum aliorum, et contra martyrologos medii ævi, qui codices Hieronymianos habuerunt minus mendosos, nequit probabilem reddere lectionem* Drusinæ. *Præterea, si omnino legendum esset* Drusina, *vel sic vix probabile fieret,* Drosidem *Chrysostomi designatam fuisse, cum hæc sola celebretur* Drusus, *vero, aut, si quis tantisper ita voluerit* Drusina *cum Sociis. At* Drosis *nostra, quæ alias* Drozela *scribitur, nihil habet, quod verisimilitudini repugnat, nihil, quod non favet.*

cui nostra verisimillima substituitur.

9 *Idem plane apud Chrysostomum et in Menæis est nomen, idem supplicium : sola martyrium subiit* Drosis *Menæorum (Sociabus ante et in alio loco coronatis,) et sola celebratur a Chrysostomo. Locum martyrii non edicit Chrysostomus : eumdem similiter tacent Græci. Nos quidem ex Flaviano episcopo in Chrysostomi Homilia memorato novimus, concionem habitam esse prope Antiochiam. At Græci verisimiliter ad id non attenderunt. Demum fornax a tyranno ad terrorem proposita,*

A *posita, purgatioque in igne toties repetita, omnino insinuant* Drosidem *Menæorum: neque ulla in Menæis vox reperitur de* Droside, *quæ nequeat cum Chrysostomi dictis conciliari, Itaque existimamus, eamdem omnino esse* Drosidem *aut* Drozelam *quæ ad* XXII *Martii et ad hunc diem apud Græcos memoratur, cum ea, quam laudat Chrysostomus. Non tamen admittimus commenta Græ-* D *corum, qui illam et Trajani filiam dixerunt, et alia quædam fabulosa, ut apparet, de ipsa et de quinque Martyribus, quibuscum comprehensa dicitur, in Menæis protulerunt. Hac de causa tempus martyrii, quod nullibi assignavit Chrysostomus, incertum relinquimus.*

DE SS. DIGNA ET MERITA

SEU EMERITA, VV. MM.

ROMÆ

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I Sanctarum memoria in Martyrologiis : Acta alia fabulosa, alia dubia, quorum hæc edenda : tempus martyrii : earum altera verisimilius Merita dicta : cetera gesta ignota.

B E

Sub Valeriano, ut fertur. *Annuntiantur Sanctæ hoc die*

Duas *hasce Sanctas Virgines et martyres Romano Martyrologio ad hunc diem primus inseruit Cardinalis Baronius;* Romæ, *inquiens,* passio sanctarum virginum et martyrum Dignæ et Eremitæ, sub Valeriano et Gallieno; quarum reliquiæ in ecclesia S. Marcelli asservantur. *In Annotatis laudat tantum gemina earum Acta, in quorum prolixioribus dicuntur* x Calendas Octobris *coronatæ fuisse. Nil de illis reperi in Hieronymianis apographis, nihil apud Bedam, Adonem, Usuardum, aliosque ejusmodi veteres martyrologos classicos. Leguntur tamen ad hunc ipsum diem in duobus Bedæ auctariis Mss., Vaticano scilicet et Barberiniano, in Opere nostro ante tom. 2 Martii inter ejusdem Bedæ Martyrologii additamenta laudatis. Horum primum ibidem sic habet :* Romæ S. Dignæ et Meritæ *: alterum :* Romæ natale S. Babilæ et S. Dignæ et Meritæ. *Ex hisce* Babila, *alias* Basilla, *huc non pertinet, de eaque consuli potest Prætermissorum catalogus hoc die.*
C *Aliæ duæ hodiernæ sunt, quarum altera in Actis infra examinandis et alibi pro* Emerita *etiam* Merita *appellatur. Eodem denique die eas annuntiant Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, Castellanus in Martyrologio universali, Arturus a Monasterio in Gynæceo sacro, et Carolus Piazza in Hemerologio sacro Romano.*

et sequenti: earum Acta gemina

2 *Utramque etiam memorat, sed sequenti die auctarium Martyrologii Adoniani apud Rosweydum, ubi ad* XXIII *Septembris sic legitur:* Item passio sanctarum virginum Dignæ et Emeritæ. *Consonat Grevenus inter auctaria Usuardina apud Sollerium nostrum, eodem die dicens* : Dignæ et Emeritæ, virginum et martyrum. *Consentit etiam auctor nostri Ms. Florarii Sanctorum, qui earum alteram* Moritam *dixit, sic inquiens :* Item sanctarum virginum Dignæ et Moritæ. *Jam ad Acta veniamus. Eminentissimus Baronius in Annotatis ad Martyrologium Romanum die* XXII *Septembris de iisdem habet sequentia ;* De his etiam pleraque vetera Mss. Passæ sunt in persecutione Valeriani imperatoris sub Gajo judice, sepultæque sunt in cæmeterio Commodillæ via Ostiensi, ad SS. Felicem et Adauctum, ut earum Acta testantur, quorum alia Ms. incipiunt : Gajus judex jussit teneri etc : aliorum autem prolixiorum est exordium *:* Tempore Valeriani etc. Exstant utraque in nostra bibliotheca *(Vallicellensi,)* quæ et facile reperiri credimus in aliis antiquis codicibus, ecclesiarum usui accomodatis *Hæc ibi.*

a Baronio improbata habemus, quorum breviora

3 *Tomo vero* 2 *Annal. Ecclesiast, ad annum Christi* 262, *num.* 57 *censuram suam de iisdem sic profert:* Sub eodem persecutionis *(Valeriani)* furore passæ aliæ quoque virgines Romæ reperiuntur, nempe Digna et Emerita, quarum leguntur Acta, sed mendosa. *Baronii censuram, non visis Actis, adoptavit Tillemontius tom.* 4 *Monumentorum in persecutione Valeriani art.* 6, *ubi tamen vocem* mendosa *nimis liberaliter interpretatus est per* plena vitiis. *Nos utraque Acta habemus ex Mss. codicibus bibliothecæ Vallicellensis, sive Congregationis Oratorii Romæ, quam Baronius supra laudavit, et S. Mariæ Majoris, item Romæ. Prima, quorum exordium est,* Gajus judex jussit teneri, *in tres divisa sunt Lectiones, septimam scilicet, octavam et nonam; unde liquet, hæc in usum chori concinnata fuisse; ideoque facile fieri potuit, ut Lectionum* F *compilator phrasim hinc et inde non nihil mutaverit. Sed undecumque ea accepta fuerint, nihil in ipsis occurrit, quod primævum scriptorem, sanctis illis Virginibus synchronum, aut longe posteriorem fuisse, certo manifestet, eumve de mendaciis aut fabulis convincat.*

tolerabilia sunt; prolixiora autem

4 *Leguntur quidem in illis quædam prodigia; nempe tortoris manum, ad ictum elevatam, ita permansisse, donec sanctarum Martyrum precibus remitteretur; Jovis simulacrum earumdem afflatu liquefactum corruisse; ac easdem denique cælesti voce appellatas magno cum splendore animas reddidisse : verum licet similia prodigia in fabulosis Actis passim frequentiora sint, quam in genuinis, occurrunt tamen etiam sæpe in his, atque adeo non possunt ea, de quibus agimus, ex hoc solo capite repudiari. Magis animi pendeo, quod nesciam, utrum hæc ex prolixioribus contracta, an prolixiora ex his amplificata fuerint : alterutrum enim factum esse, indubitatum est. Prolixiora, ut diximus, Acta etiam ex gemino codice habemus, Vallicellensi et S. Mariæ Majoris; sed utrobique non æque longa sunt. In Vallicellensi sunt in sex Lectiones*

A *nes partita, quarum prima incipit :* Temporibus Valeriani et Galieni immanis persecutio fervebat : *secunda autem sic :* Post hæc autem Gajus judex jussit teneri duas sorores virgines, Dignam et Meritam. *Contra codex S. Mariæ Majoris, omissa prima Lectione, a secunda sic orditur :* Eodem tempore Gajus judex jussit teneri duas sorores comites Afræ, Dignam et Meritam.

aperte fabulosa,

5 *Porro tota illa prima Lectio codicis Vallicellensis nihil continet, nisi compendium Conversionis S. Afræ, martyris Augustanæ, quam apud nos editam habes tom. 2 Augusti, pag. 55 et sequenti. In hac autem dicitur S. Narcissus episcopus, tempore persecutionis Diocletiani Augustam Vindelicorum adveniens, Afram meretricem cum matre sua Hilaria et tribus puellis seu ancillis suis, Digna, Eumenia atque Euprepia, omnique cognatione et amicis suis baptizasse. Ex hisce S. Afra jussu Gaji judicis pro Christo flammis tradita est; sanctæ vero Hilaria, Digna, Eumenia et Euprepia ad ejusdem sepulcrum orantes, mandante eodem Gajo, igne pariter exstinctæ fuerunt. Jam ut ad Acta nostra redeamus; horum scriptor compendium Conversionis S. Afræ et sociarum,* B *sive Lectionem primam ut ad propositum suum accommodaret, his verbis conclusit :* Baptizata est ab eo *(S. Narcisso)* Hilaria cum filia sua Afra, et cum puellis suis, atque Digna et Merita duæ sorores, virgines nobilissimæ Romanæ. *Ita ipse; sed nemo non agnoscet hic insulsum fabulatorem, qui duas Virgines Romanas una cum S. Afra ejusque familia Augustæ Vindelicorum sub Valeriano et Gallieno baptizatas commentus est ; cum aliunde constet, Afræ et sociarum baptisma et martyrium sub Diocletiano contigisse, et ipsemet* SS. Dignam et Meritam *sub Valeriano et Gallieno Romæ passas esse affirmet.*

probabilius creverunt ex brevioribus,

6 *Quæ deinde sequuntur in hisce Actis utriusque codicis, ipsis etiam sæpe verbis conveniunt cum brevioribus, sic tamen, ut præterea amplificata sint, in iisque dicantur Sanctarum ora lapidibus contusa; tortor, iisdem pro se precantibus, vidisse* hominem indutum vestibus deauratis, qui manum *ejus* absolvit, *sive usui restituit, et ad hoc spectaculum multi ad fidem conversi, baptizatique et martyrio coronati fuisse; de quibus ne vel verbum legitur in brevioribus. Ex dictis collige, Acta prolixiora, prout exstant in codice S. Mariæ Ma-* C *joris, ex aliis prolixioribus, quæ in codice Vallicellensi leguntur, desumpta esse; id enim non obscure manifestat eorum scriptor, dum ex omissa Conversione S. Afræ* SS. Dignam et Meritam duas sorores comites Afræ *dixit. Ut vero hoc certum videtur, ita suspicari quis posset, etiam breviora Acta ex alterutra prolixiore Passione contracta fuisse. Præcipua dubitandi ratio est, quod in Passione S. Afræ et in omnibus tribus Actis* SS. Dignæ et Meritæ Gajus judex *nominetur ; quodque Acta breviora, nulla facta imperatoris aut persecutionis mentione, velut aliunde excerpta, incipiant :* Gajus judex jussit teneri *etc; simili plane modo, quo in codice S. Mariæ Majoris prolixiora inchoantur :* Post hæc autem Gajus judex jussit teneri.

quæ fabulator quidam

7 *Verum utraque hæc ratio debilis est : nam* Gaji *seu* Caji *nomen apud Romanos communius fuit, quam ut mirum videri debeat, si hujus nominis unus post medium seculi tertii Romæ sub Valeriano, alter initio seculi* IV *Augustæ Vindelicorum sub Diocletiano munus judicis gesserint. Imperatoris vero seu persecutionis mentio initio Actorum etiam a synchrono, scriptore, velut rei satis notæ, præteriri potuit, aut a posteriore vel ex eo capite omitti, quod Acta hæc subjungerentur aliis, in quibus imperator, persecutionis auctor, jam fuerat nominatus, Imo vero longe probabilius est, prolixiora ex brevioribus amplificata fuisse. Demus enim, breviorum scriptorem istam* SS. Dignæ et Meritæ *cum S. Afra societatem velut aperte fabulosam rescidisse; demus, eumdem non modo eam hominis in vestibus deauratis apparitionem, quæque hinc mox secuta sunt, multorum conversionem, baptismum et martyrium, tamquam minus vero similia præteriisse, verum etiam aliquot Sanctarum cum judice sermones ex brevitatis studio amputasse; hæc, inquam, omnia demus; nulla tamen satis probabilis ratio apparet, cur idem ille, si prolixiora præ oculis habuit, nihil de contusis Sanctarum oribus meminerit; quod utique usitatum erat in martyres tormentum, et in nostras Virgines adhibitum fuisse, in prolixioribus diserte narratur.*

Auctore C. S.

insulse amplificaverit. Breviora edenda.

8 *In fine quoque prolixiorum dicuntur sanctarum Martyrum corpora* in cœmeterio Commodillæ ad sanctum Felicem et Adauctum via Hostiensi *humata fuisse ; breviora autem de via et cœmeterio consentiunt quidem, sed omittunt voces* ad S. Felicem et Adauctum; *et rectius quidem, quia etsi* E *hi martyres ibidem revera sepulti fuerint, id tamen factum est diu, postquam* SS. Digna et Merita *in eodem cœmeterio sepultæ fuissent; hæ enim sub Valeriano, isti sub Diocletiano passi fuerunt, ut in horum Actis tom.* VI *Augusti, die* XXX *videri potest. Quapropter mihi omnimo verisimile videtur, prolixiora illa ex brevioribus ac multo sincerioribus amplificata fuisse a quodam imperito fabulatore, qui, cum in conversione et Actis S. Afræ* Gajum judicem, Dignamque *aliquam invenisset, (quod utrumque nomen in* SS. Dignæ et Emeritæ *Passione legerat) Sanctas hasce S. Afræ, ex meretrice martyri Augustanæ, in conversione socias insulse adjungere non dubitavit, parum sollicitus, an ratio temporis locique, ac nobilitas, quam ipsis magnam adscribit, cum ea opinione convenirent. Breviora itaque Acta, non quidem pro primævis aut certo sinceris, sed pro dubiis edemus, omissis prolixioribus, quæ neutiquam possunt admitti.*

Acta alia prædictis etiam magis fabulosa.

9 *Insinuavi supra num. 2, prædicta Passione prolixiori etiam aliam magis fabulosam exstare. Hanc habemus* ex Ms. S. Maximini Trevirensis, collatam, (*ut notatur*) cum Ms. Metensi. *Ejus initium est :* Factum est, ut illustris vir Aurelianus ad petitionem sacratæ virginis Emeritæ Dignam, sive Celestinam, dirigeret, et per matronas eam sibi conjungere postularet. *Sed ne lectorem multis frustra detineam, sufficiat hic dixisse, Passionem hanc nulla in re cum ceteris concordare, totamque a capite ad calcem non nisi ex meris fabulis consutam esse. Martyrium quoque earum non sub Valeriano, sed sub Decio, nec die* XXII, *sed* XXIII *Septembris in eadem collocatur; unde suspicio est, hanc aut similem præluxisse martyrologis, qui num. 2 illarum memoriam ad dictam diem* XXIII *consignarunt. Nescio, an hac etiam magis fabulosa fuerint Acta, quæ Papebrochius noster notavit exstare in codice Vaticano 6076, sed* indigna, quæ describerentur. *Descripsit tamen ejusdem exordium, quod hic subdo.* Carissimis omnibus consacerdotibus de titulo S. Marcelli mart. atque Pontif., qui ponitur in via Lata, et cunctis servitoribus ejusdem ecclesiæ, seu religiosis, laïcis, et devotis Deo fœminis Benedictus exiguus presbyter in Domino salutem. Vultis a mea parvitate scire, quid de

AUCTORE C. S.

de sanctarum virginum Dignæ et Meritæ, qualiter ortæ vel vitam finierint, quid in sanctorum patrum litteris, quæque in Chronicis Latinis et Græcis invenire potui, vobis omnibus patere studui. Sub Decio namque et Valeriano persequutoribus, ut Hieronymus dicit. *Sed de his jam satis.*

Tempus martyrii non satis certum: alterius nomen verisimilius Merita.

10 *Quod ad martyrii tempus attinet, hoc non aliunde mihi innotuit, quam ex Actis longioribus, in quibus hæ duæ sanctæ Virgines* temporibus Valeriani et Gallieni *passæ dicuntur, et ex quibus illud etiam didicit Cardinalis Baronius, ac Martyrologio suo et Annalibus inseruit, ut supra diximus. Non aliunde etiam diem* XXII *Septembris ipsis emortualem hausisse videtur, quo eas Romæ etiam olim, aut suo quoque tempore cultas forte intellexerat. Aliis martyrologis, qui easdem ad diem* XXIII *ejusdem mensis retulerunt, Acta omnium fabulosissima præluxisse suprajam monui. Ego diem in Romano Martyrologio signatum pro more nostro retinui, et persecutionem Valeriani ad marginem dubie adscripsi. De* S. Dignæ *nomine convenit inter omnes; de alterius non item; aliis eam* Meritam, *aliis* Emeritam *vocantibus, ut ex supra dictis liquet. Pro* Merita *potior stat auctoritas: nam hoc nomine non modo appellatur in omnibus Actis supra memoratis, si Metensia excipias, verum etiam in allatis Bedæ auctariis et Florario nostro Ms., atque Translatione inferius recitanda; quibus omnibus favet inscriptio cum imagine in cœmeterio via Ostiensi reperta, quam ipsius sanctæ Virginis martyris esse dubitari vix posse, infra ostendemus. Contra* Emeritam *eamdem vocant præter Martyrologia num. 1 et 2 citata auctor vetusti Itinerarii, atque alter anonymus scriptor Inventionum sacrorum corporum, quæ Theodoricus I Metensis episcopus Metas transtulit, de quo consule infra num 27. Hisce tamen prævalent priora, ideoque eam* Meritam *vocavi, adjuncto tamen in titulo* Emeritæ *nomine, quo apud recentiores notior est.*

Alia aliquot de iisdem asserta sublestæ fidei.

11 *Plura de harum Virginum gestis ac martyrio hic dicenda non habeo; nam quod apud Carolum Piazzam in Hemerologio sacro Romano ad hunc diem dicantur fuisse* filiæ *seu discipulæ* S. Eugeniæ *virginis martyris, morari nos non debet, cum id non nisi ex fabulosis ejusdem S. Eugeniæ Actis profectum videatur. Paulus Aringhus tom. 1 Romæ subterraneæ pag. 432 scribit, easdem ante suum martyrium in antro quodam via Ostiensi latitasse, laudans illarum Acta, in quibus hæc legi affirmat:* Similiter et duæ sorores nobilissimæ Digna et Emerita in antro via Ostiensi secundo milliario juxta B. Paulum latuerunt. *Verum de hisce Sanctarum latebris in nullo ex nostris exemplaribus ulla mentio fit, nec aliunde scio, utrum Acta illa ab Aringho laudata melioris notæ sint, an eadem cum istis, quæ a Benedicto presbytero conscripta Papebrochius noster indigna judicavit, quæ describerentur. Earumdem Passionem Antonius Gallonius in libro de Virginibus Romanis, seculo* XVI *exeunte Italico sermone Romæ vulgavit; sed cum et hic nihil doceat præter ea, quæ in prolixioribus Actis leguntur, nobis utilis esse nequit.*

§ II. Cœmeterium Sanctarum verisimillime repertum: tumba et corpora a Tiberi intacta servata: eorum portio aliqua Metas translata: quid de S. Emeritæ reliquiis Vallisoletanis et Cadomensibus censendum?

Cœmeterium prope viam Ostiensem,

De earumdem gloria posthuma paulo plura restant,. Illarum corpora via Hostiensi, *seu Ostiensi, tyranni jussu projecta fuisse, noctuque a fidelibus ablata, et* in cœmeterio Commodillæ eadem via *honorifice sepulta, consentiunt cum brevioribus Acta prolixiora; sed hæc præterea per prolepsin addunt* ad sanctum Felicem et Adauctum*; ut supra monui. Mabillonius tom. 4 Analectorum veterum ex bibliothecæ Einsidlensis codice Ms. seculi* IX, *ut asserit, edidit quamdam Collectionem inscriptionum Romanarum, in modum Itinerarii, in qua num. 72 de memorato cæmeterio habetur mentio his verbis:* De Mennæ *(ecclesia)* usque ad S. Paulum apostolum; inde ad sanctum Felicem et Adauctum et Emeritam. *De eodem pluribus agit Marcus Antonius Boldettus lib. 2 Observationum in Cœmeteria Romana, cap. 18, ex quo ad propositum nostrum aliqua huc transferenda sunt, cum pro Actorum fide sanctæque* Meritæ *antiquo cultu faciant. In primis existimat, cœmeterium illud a Commodilla matrona Romana in agro suo excavatum, indeque* Commodillæ *dictum fuisse, donec post humatos ibidem tempore persecutionis Diocletiani SS. Felicem et Adauctum, ab his cœperit appellari. Subdit, illud seculo* XVII *decrepito, cum diulatuisset, inventum, partem cœmeterii S. Lucinæ creditum fuisse; uti etiam ipsemet Boldettus crediderat lib. 1, cap. 1, ubi ejusdem ichnographiam exhibuit.*

in quo subterraneum sacellum

13 *Verum cum anno* 1720 *aliud ipsius ostium detectum fuisset, et Boldettus ipse cum aliis illud lustrasset, opinionem suam mutavit, censuitque, hoc ipsum esse Commodillæ, seu SS. Felicis et Adaucti atque* Emeritæ *cœmeterium. Nam primo quidem convenit omnino et Via Ostiensis et duorum milliarium ab urbe Roma distantia, et situs cœmeterii, quod Anastasius bibliothecarius in Leone III Papa* juxta sanctum Paulum apostolum *etiam collocavit. Secundo asserit, sese in eodem reperisse vetustam imaginem cujusdam sanctæ Virginis cum adscripto* S. Meritæ *nomine, duasque alias, quæ SS. Felicem et Adauctum probabiliter exhibebant. Sed juverit hæc ipsius verbis ex Italicis Latine recensuisse.* Die, *inquit,* XX Januarii (*anni* 1720) cum audissem,... inventas in eo fuisse aliquot sacras picturas, me illuc contuli, ut eas attente considerarem... In contiguo autem sacello (*intra prædictum cæmeterium*) ruderibus pleno spectabantur variæ picturæ antiquæ, exhibentes diversas sacras imagines, sed injuria temporis adeo confectas, ut numquam discerni potuerit, quid repræsentarent. Solummodo in dextero pariete dicti sacelli, quo eadem rudera pertingebant, visebatur sepulcrum, in parietis fastigio excisum, jam antiquitus evacuatum et sine ullis reliquiis.

cum S. Meritæ imagine et inscriptione

14 Infra illud depictus erat Salvator cum diademate, extensisque brachiis duas coronas imponens capitibus duorum Sanctorum sine aureola. Inter

A Inter hos media conspiciebatur delineata quædam sancta Virgo, pallio, monili e collo et inauribus ornata, cujus coronatum caput pictum erat in pectore Salvatoris. Juxta ejusdem *(Virginis)* collum ab una parte legebantur hæ voces : SCA M., ab altera vero : ERITA; quæ clarissime denotabant, imaginem illam S. MERITÆ esse. Manifestum autem erat, hasce imagines ibidem pictas fuisse multo tempore post alias ejusdem sacelli; cum retro easdem (per detritam aliquantulum calcem, seu crustam parietis, in qua delineatæ erant) viderentur alteræ antiquioris coloris. Verum istæ, ut dixi, optime conservatæ erant, eo quod illuc non penetrasset externus aër, penitus inde exclusus variis ruderibus et superioris fornicis ruina, humoque, quæ dictum sacellum pene impleverant, et occluserant aditus, per quos ad illud erat accessus.

ac duobus sepulcris vacuis inventum est,

15 Præterea observavi, imagines istas ibidem pingi potuisse, quando istius Sanctæ corpus ex cœmeterio elatum fuit; *(uti reipsa inde elatum fuisse, postea dicemus,)* et ex earumdem lineamentis, quæ in cœmeterio Pontiani via Portuensi spectantur, mihi persuadeo, illas aliquo seculo post Constan-
B tinum factas esse posse. Insuper legebatur hic titulus SANCTA, qui primis *(Ecclesiæ)* temporibus non solebat martyribus aliisque Sanctis adjungi. *Porro quale dictum sacellum post eruta rudera humumque et immissam desuper lucem apparuerit, Boldettus post aliqua sic exponit:* Erat, *inquit*, sacellum hoc latum palmis duodecim, longum viginti quinque, in hemicyclum desinens versus Occidentem. In eodem duo tantummodo sepulcra, eaque vacua visebantur; ejusdemque fornix olim opere musivo ornatus fuerat, ex quo pauca reliqua apparebant, quæ quid representaverint, discerni non poterat. Porro ad sinistrum latus Septemtrionale conspiciebantur prædictæ picturæ tam Salvatoris quam S. Meritæ, aliorumque beatorum. *Hactenus ipse de memorato sacello, in quo cum* S. Meritæ *sepulcrum, ut ex dictis patet, repertum fuerit, omnino verisimile est, alterum, quod in eodem loco præterea unicum erat,* S. Dignæ *fuisse, cujus imago ibidem forte etiam olim picta fuit, sed ruderum lapsu, aliove casu erasa.*

videtur esse illud ipsum, in quo Sanctæ primum conditæ fuere.

16 *Conjecturam hanc confirmat, quod de aliis imaginibus in eodem cœmeterio inventis Boldettus ibidem enarrat, Ait enim, non procul a prædicto sacello repertam esse sanctissimæ Dei Genitricis, cum puero Jesu in gremio, pictam iconem, ad cujus dexteram Sanctus aliquis in habitu sacerdo-*
C *tali exhibebatur, et supra hujus caput legebatur :* SCS FELIS; *ad sinistram vero alius quidam Sanctus, juvenili facie, sed sine habitu sacerdotali, supra cujus caput similiter scriptum erat :* SCS ADJUTUS. *Verisimile autem est, hosce corruptis nonnihil nominibus eosdem esse cum SS. Felice et Adaucto, ex quorum Actis, ad diem* XXX *Augusti datis, habemus, eorum alterum, Felicem scilicet, presbyterum fuisse, unaque cum Adaucto passum, et in Via Ostiensi sepultum fuisse. Cum itaque* SS. Dignam *et* Meritam *earum Acta* in Via Ostiensi, secundo *ab Urbe* milliario, *et, ut addunt prolixiora,* ad S. Felicem et Adauctum *simul humatas fuisse doceant; cumque Anastasius bibliothecarius SS. Felicis et Adaucti cœmeterium* juxta S. Paulum apostolum *collocarit, idemque illud a veteris Itinerarii scriptore etiam* ad S. Felicem et Adauctum et Emeritam *appelletur; dubitare vix possum, quin cœmeterium, de quo ex Boldetto egimus, illud ipsum sit, in quo sanctæ Virgines nostræ mox post martyrium suum depositæ fuerunt.*

AUCTORE C. S.

Earumdem sacra corpora a S. Paulo I Papa

17 *Post medium seculi* VIII *sacra earum corpora a S. Paulo I, Pontifice Romano, intra Urbem translata, et in S. Marcelli Pontificis martyris ecclesia sunt deposita. Hujus translationis historiam Ms. habeo ex codice Vaticano num.* 6076, *cujus auctorem fuisse Benedictum presbyterum, de quo num.* 9 *memini, Papebrochius noster suspicatus est, et Aringhus tom.* I *Romæ subterraneæ, pag.* 432 *omnino affirmavit ex Ms. codice S. Cæciliæ Romæ. De Benedicti istius ætate id unum certum videtur, ipsum post extinctum per Carolum Magnum anno Christi* 774 *Longobardorum in Italia regnum scripsisse, id enim satis colligitur ex ejus exordio, quod tale est :* Tempore quo a Longobardis premebatur tota Italia, maxime ab Austulfo *(id est,* Aistulpho) nefandissimo rege, *Sed qualicumque post tempore scripserit, id parum accurate præstitit, tantumque fere orationis insulsæ præfationi et ad Sanctas epilogo, quantum ipsius translationis historiæ enarrandæ impendit; quapropter ego, iis præcisis, translationem dumtaxat hic subjungo.*

inde sublata, intra Urbem

18 Ab isto Austulfo *(imo* Aistulpho, *dum Romam sub Stephano II obsidebat)* tyranno multa cymeteria Sanctorum, quæ in civitate erant, destructa sunt et neglecta, et absque debito honore et veneratione, E
et quamvis apud homines tunc incognita essent, apud Deum omnia cognita, quia ipse dicit : " Capilli capitis vestri omnes numerati sunt; " etc. " Dominus custodit omnia ossa eorum ; " et : " Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. " Sed ad cœpta redeamus. Stephanus Papa in afflictione positus pro Sanctorum cœmeteriis, quæ absque Dei cultu erant, cœpit infra hanc urbem construere in domo patris sui monasterium in honorem SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, ubi Sanctorum corpora reconderet; sed dum fundamenta ipsius ecclesiæ poneret, ab hac luce subtractus est. Tunc populi Romani cum uno consensu elegerunt et ordinaverunt fratrem ejus, virum venerabilem, Paulum. At ubi ordinatus est, perfecit atque complevit monasterium, quod frater suus Stephanus inchoavit; in quo monasterio multa Sanctorum corpora posuit, quæ per diversa cymeteria inventa sunt. Tunc cœpit per diversos titulos et diaconias ea distribuere.

in ecclesia S. Marcelli deposita fuerunt.

19 Factum est autem, dum requireret corpora sanctarum virginum et martyrum Dignæ et Meritæ, in cymeterio Commodillæ via Ostensi * ad SS. Felicem et Adauctum invenit ea. Et dum deferrentur Romæ *, cum maxima veneratione et honore adducens cum himnis et laudibus, cereis et F
lampadibus, venientibus ante fores ecclesiæ, quod * est in porticu tituli S. Marcelli martyris atque Pontificis, ibi se definxerunt *, et ex illo loco penitus movere non potuerunt. Mirabilis quippe Deus, ut ait propheta, mirabilis in sanctis suis! ecce et hic operatus est Deus aliud novum miraculum; quia de S. Lucia legitur, dum vellent eam trahere ad lupanar, tanto pondere eam fixit spiritus Sanctus, ut virgo Domini immobilis | permaneret; sed istud dissimile, quia hoc ad honorem. Tunc in ipso loco prædictus Papa construens * altare, et recondens in ea corpora sanctarum virginum Dignæ et Meritæ, Missaque celebrata, unusquisque cum gaudio ad propria rediit. Quod non absque Dei providentia actum est, qui providens et sciens omnia, antequam fiant. In quo loco multa beneficia operatur Deus quotidie usque in finem sæculi. Denique infirmi et variis infirmitatibus] oppressi, et qui ex maleficio ligati sunt, et quicumque ibidem venerint, salvi recedunt ab omni infirmitate. Sanctæ

* Ostiensi

* Romam

* quæ

* defixerunt

* construxit etc.

AUCTORE C. S.

Sanctæ virgines et martyres Digna et Merita, succurrite omnibus miseris et infirmis, quicumque nomen vestrum invocaverint; et qui devote celebrant vestrum natalem, sentiant juvamen animæ et corporis.

Observantur aliqua

20 *Videamus modo, quid in hac narratione admittendum, quid contra repudiandum videatur. Urbem Romanam tempore Pontificatus Stephani II a perfido Aistulpho anno 753 ac iterum 755 obsessam ac dire vexatam fuisse, videri potest apud Baronium in Annalibus, et Pagium in Critica. Sacra quoque cæmeteria suburbana ab eodem impio rege, qui circum Romam omnia vastabat, fœde profanata fuisse, docet ipse Stephanus in epistola, ad Pippinum Francorum regem ejusque filios data, apud laudatum Baronium ad annum 755, in quo ibidem num. 9 inter cetera ait:* Omnia extra urbem posita ferro et igne devastans atque funditus demolitus consumpsit, imminens violentius idem pestifer Aistulphus, ut hanc Romanam capere posset urbem. Nam et multa corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra cœmeteria, ad magnum animæ suæ detrimentum abstulit. *Verum*
B *etsi Aistulphus Romam bis obsederit, non cepit tamen, neque cæmeteria Romana intra sed extra Urbem erant, atque adeo aut falso aut minus accurate ait auctor Translationis,* multa cœmeteria Sanctorum, quæ in civitate erant, *ab eo destructa esse.*

circa hanc translationem,

21 *De cœpto per Stephanum II in domo sua, perfectoque per S. Paulum, ejusdem germanum fratrem et in Pontificatu successorem, monasterio S. Dionysii scribit etiam Hilduinus abbas in Areopagiticis apud Baronium ad annum 754, ubi etiam dicitur idem Pontifex reliquias S. Dionysii, cujus ope in ejusdem monasterio prope Parisios a morbo subito convaluerat, Romam attulisse. Contra Anastasius Bibliothecarius de laudato monasterio in Vita Stephani II non meminit, sed in S. Paulo I diserte asserit, hunc* in sua propria domo monasterium a fundamentis in honore S. Stephani, scilicet martyris atque Pontificis, nec non et B. Silvestri, item Pontificis et confessoris Christi *construxisse. Monasterium autem hoc idem esse cum illo, de quo loquitur Hilduinus, manifestum ex eo est, quod ambo scriptores tradant, istud Græcis monachis ab illo traditum fuisse. Ut ut est, hinc mihi oritur suspicio, Hilduini Areopa-*
C *gitica scriptori Translationis hac in parte præluxisse, idque eo magis suspicor, quod cum Hilduinus in Epistola ad Ludovicum Augustum dixerit, sese* reperta quæque *(de S. Dionysio)* tam in Græcis quam in Latinis codicibus, *ut ab eodem imperatore jussus fuerat, collegisse, Translationis quoque auctor scribat, sese, ut rogatus fuerat,* quid in sanctorum Patrum litteris, quæque in chronicis Latinis et Græcis *de* SS. Digna et Merita *invenire potuit, compilasse.*

prout ea a Benedicto scripta est,

22 *Ut vero gesta S. Dionysii, quem Atheniensem Areopagitam credebant, in Græcis monumentis recte inquirebantur, ita ineptum erat, Acta* SS. Dignæ et Meritæ, *quæ Romanæ Virgines, Romæque passæ fuerant, in Græcis Chronicis indagare. Porro Hilduinus Areopagitica sua scripsit circa annum 836, id est, circiter 80 annis serius, quam sanctarum Martyrum translationem factam esse dicturi sumus; ac propterea, si suspicio mea vera sit, totidem ut minimum annis, imo verisimillime multo etiam pluribus, Benedictus noster ab eadem amovendus est. Nec magis instructum sese ostendit de electione S. Pauli I, quem post Stephani obitum* uno consensu *a Romanis electum ordina-*D *tumque esse asseverat; cum contra Anastasius affirmet, Romanos in electione ipsius divisos fuisse, et unam quidem eorum partem pro Theophylacto archidiacono stetisse, alteram pro Paulo; cumque hæc major esset ac potior, Paulum ordinatum fuisse, dispersis ceteris, qui Theophylacto favebant. Consule Acta hujus sancti Pontificis in Opere nostro ad diem* XXVII *Junii, ubi data sunt. Quamquam autem hactenus dicta doceant, Benedictum illum non posse hic magnæ esse auctoritatis, non propterea tamen translationem ipsam in dubium revocamus.*

quæ quoad substantiam etiam aliunde verisimilis est,

23 *Cetera enim omnia incredibilia non sunt, et cum laudatis S. Pauli Actis satis consentiunt. Certe Anastasius in his ad propositum nostrum sic scribit:* Hic etiam beatissimus Pontifex cum omnibus spiritualibus studiis magnam sollicitudinis curam erga sancta cœmeteria indesinenter gerebat: unde cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglecta, ac desidia antiquitatis maxima in demolitione, atque jam vicina ruinæ posita, protinus eadem sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis, quæ cum hymnis et canticis spiritualibus infra hanc civitatem Romanam introducens, aliqua eorum per titulos et diaconias seu monasteria et reliquas ecclesias cum condecenti studuit recondi honore. *Igitur sicut cetera multa, ita et* SS. Dignæ et Meritæ *corpora e cæmeterio suo a S. Paulo Papa erui, et in ecclesia S. Marcelli deponi potuerunt; sed an postremum hoc ob miraculum nimii ponderis factum sit, fides sit penes auctorem, quæ ex dictis exigua est.*

et intra annos 757 et 767 debuit contigisse

24 *Quod ad tempus translationis attinet, debuit hæc contigisse inter annum Christi 757 et 767, quibus S. Pauli Pontificatus includitur. Aringhus tom. 1 Romæ subterraneæ pag. 433cr edidit. Anastasium bibliothecarium supra dictas sanctorum corporum e dirutis cæmeteriis translationes anno primo Pontificatus S. Pauli innexuisse, ideoque et hanc, de qua agimus, eodem anno verisimiliter factam esse, opinatus est. Verum nec primum asserit Bibliothecarius, nec secundum cum ipsius Aringhi dictis stare potest. Nam ipsemet ex* Rubrica eorumdem Actorum *(Sanctarum nostrarum in codice S. Cæciliæ, quantum assequor)* initio apposita *translationem hanc diei* XII *Maji affigit, et ex iisdem Actis refert eamdem factam esse post exstructum a Paulo S. Dionysii monasterium. Jam vero S. Paulus non ante diem* XXII *Maji ejusdem anni, ut visum est Papebrochio, vel ante* XXVIII, *ut* F
credidit Baronius, vel denique non ante XXIX *ejusdem anni ac mensis, ut præplacuit Pagio in Critica, Pontifex ordinatus est. Qui potuit igitur die* XII *Maji dicti anni 757 perfecto jam inde post Stephani obitum, qui ejusdem anni mense Aprili contigerat, monasterio, memoratam translationem peregisse? Boldettus diem* XII *pariter retinet, sed annum* circiter 757 *apponit. Ego de hisce præterea nihil certi possum statuere.*

Sacra corpora, eorumque tumba anno 1398

25 *Sacra hæc Virginum martyrum corpora in dicta S. Marcelli Pontificis martyris ecclesia, quæ patribus Servis Beatissimæ Virginis Mariæ jam a seculo* XIV *tradita fuit, deinde permansisse, communis est scriptorum assertio. Auctor Romæ antiquæ et novæ, anno 1750 vulgatæ, tom. 2, pag. 264 ait, eadem ibidem sub altari in dedicato ipsis sacello quiescere. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, in Annotatione ad diem* XXII *Septembris præterea asserit, eadem sub finem seculi* XVI *ab inundantis Tiberis aquis divinitus servata fuisse. Verba ejus accipe.* Corpora nunc in basilica S. Marcelli in sarcophago marmoreo condita sunt; quæ

A quæ, cum Tiberis anno Domini MDXCVIII, Clemente VIII Pontifice Maximo, in nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi exundasset, ecclesiamque cum cœnobio (quod est Fratrum Servorum) supra illud sarcophagum aquis coopertum alluisset, divinitus ab aquis illæsa et intacta servata sunt. *Ita Ferrarius, qui cum Catalogum hunc anno* 1613 *Mediolani vulgaverit, miraculo synchronus vixit. Non satis tamen explicat, quid miraculi tunc contigerit; nam si, ut verba præferunt, aquæ intra marmoream urnam ad sacra ossa tantummodo non penetraverint, id sane ob bene obseptas calce similive materia urnæ commissuras naturaliter potuit accidisse. Verum aliud ipsemet indicat in margine inquiens :* Sarcophagum sanctarum Virginum ab exundante Tibryde intactum servatum.

ab inundante Tiberi prodigiose intacta manserunt;

26 *Eodem circiter tempore, quo miraculum contigerat, vivere potuit Paulus Aringhus, qui Romæ scripsit, ediditque anno* 1651 *tomum* I *Romæ subterraneæ, in quo pag.* 433 *illud apertius exponit his verbis :* Porro eadem beatarum Virginum corpora ad hanc usque diem perhonorifice B apud memoratam S. Marcelli ecclesiam in porphyretica quadam arca sub altari, in earumdem honorem erecto, asservantur, ubi insigne quoddam portentum, æternaque concelebrandum memoria, et divina prorsus virtute præstitum, Christiano orbi innotuit. Anno videlicet Dominicæ salutis MDXCVIII, cum Tyberis immaniter inundans, ecclesiam, totamque ferme Urbem immensa confluentium aquarum copia miserandum in modum obducens, beatis Virginibus honorem deferens, earum tumulum ab aquis illæsum atque omnino illibatum reliquit. Cujus portenti, ut ipsa luce clarius innotesceret, locupletes testes pulvis et aranearum telæ, quæ ibidem, posteaquam Tyberis aquæ inundantes desierant, intuentibus suspiciendæ circa sacrum tumulum apparuere.

eorumdem pars aliqua Metas translata;

27 *Non sic tamen sacra illa corpora in prædicta ecclesia Romæ permanserunt, quin aliqua eorumdem portio seculo* X *inclinato ad finem Metas in Galliam translata fuerit. Ita discimus ex anonymo synchrono scriptore Inventionis Sanctorum, a Deodorico, sive Theodorico I Metensium episcopo, ad civitatem suam translatorum, quam habes in Spicilegio Acherii tom.* 5 *pag.* 139 *et seqq. Anonymus hic cum cap.* I *dixisset, Theodoricum cum Ot-* C *tone I imperatore in Italiam profectum, ubi triennio fere moratus est, anno* 970 *multas sacras reliquias ad episcopatum suum transmisisse, cap.* 3 *ad propositum nostrum hæc habet :* Sed Romæ tunc nobis constitutis, munere domni Papæ Johannis *(hujus nominis XIII)* pignora sanctarum Dignæ et Emeritæ, quarum corpora in porticu ecclesiæ B. Marcelli martyris sunt recondita, quæ est ante Sanctos Apostolos, simul et alias singillatim repositas cum propriis annotationibus diversorum Sanctorum reliquias accepit, in quibus et sandalium S. Stephani. Hæc omnia per Willardum monachum Mauri monasterii missa sunt.

sed verisimilius nec Vallisoletum, nec Cadomum.

28 *Ægidius Gonzalez Davila tom.* 3 *Theatri ecclesiastici Hispaniæ, pag.* 369 *memorat, alicujus* S. Emeritæ martyris *corpus a Petro Carrillo de Acuña episcopo Salmanticensi dono datum fuisse ecclesiæ cathedrali Vallisoletanæ. Sed et Franciscus Pommeraye Benedictinus in litteris anno* 1672 *Rothomago ad Henschenium nostrum datis scribit, Cadomi in Inferiori Normannia in puellari monasterio Sanctæ Trinitatis alicujus item* S. Emeritæ *corpus honorari, quod hodiernæ Virginis martyris esse putabatur. Quibus rationibus ea opinio nitatur, ignoro; sed donec ea producantur, credam, tam hoc, quam quod Vallisoleti servatum diximus, alterius cujuscumque Sanctæ, vel synonymæ, vel anonymæ, cui id nomen postea impositum fuit, corpus esse. Nunc qualemcumque Passionem accipe.*

AUCTORE C. S.

PASSIO

Auctore anonymo.

Ex Mss. Vallicellensi et S. Mariæ Majoris Romæ.

Frustra flagellari jussæ, includuntur carceri, a

Gajus *a* judex jussit teneri duas sorores, Dignam et Meritam, et cum grandi terrore cœpit eas compellere, ut idolis immolarent; sed cum non posset eas ad suum libitum inclinare, jussit ipsas flagellis cædi. Et cum elevasset manum E quæstionarius, ut eas cæderet, manus erecta sursum remansit; qui etiam cœpit clamare, dicens : Suspendor cum cruciatu per manum meam. Gajus judex dixit : Deponite, Digna et Merita, artes magicas, et aut sacrificate diis, aut diversas pœnas in vos exercebo. Quæstionarius interim clamabat, dicens : Beatissimæ Digna et Merita, orate pro me, ut relaxetur manus mea, quia totus torqueor. Tunc Digna et Merita lacrymis oculos plenos et manus ad cœlum levantes, dixerunt : Domine Jesu Christe, ignosce huic servo tuo, quia jussus facere conabatur : sed tu, Deus, ignosce huic servo tuo, ut cognoscat te Deum vivum, et verum Creatorem. Eadem hora restituta est manus ejus, et ipse cœpit laudare nomen Domini. Quod cum audisset judex, jussit eum in carcerem recludi *b*. b

unde eductæ cæsæque c

2 Gajus *c* judex furore plenus dixit ad eas : Sacrilegæ, aut sacrificate diis, aut de membris videbitis exemplum. Beatæ Virgines subridentes dixerunt : Nos peccatrices semper hoc optavimus. Gajus judex dixit ad tortores : Extendite eas et cum fustibus pleniter castigate. Eadem hora jus- F sit eas non castigari; sed extensis deferri tripodam et simulacrum Jovis, ut adorent illud. Et dixit ad illas : Convertimini et sacrificate diis, et vivite, et fruimini divitiis et honoribus, et accipite viros secundum natales vestros. Beatæ Virgines oculos levantes et sufflaverunt * in faciem simulacri, et continuo reliquatum est velut lutum. Tunc judex, videns hoc factum, dixit : Castigate eas cum fustibus et affligite, quousque moriantur. Et cum diu cæderentur, clamabant, dicentes : Ecce gloria, quam semper desideravimus!

* *forte leg.* exsufflaverunt

et in æquuleo appensæ moriuntur, et a Christianis sepeliuntur.

3 Gajus judex dixit : Ut video, vincunt nos artes magicæ vestræ. Beatissimæ virgines Christi Digna et Merita dixerunt : Non nos te vincimus, sed Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi. Gajus judex furore repletus dixit ad ministros suos : Levate eas a terra, et a crinibus capillorum appendantur in eculeo. Quod cum factum fuisset, jussit circa earum [latera *d*] plagas flammarum apponi. Tunc beatissimæ Virgines clamabant, dicentes : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pro cujus amore omnia respuimus, adjuva nos ancillas tuas : Et facta est vox de cælo dicens : Venite ad me, humiles corde. Statim splendor, d

A. ANONYMO. dor, sicut fulgur, emicuit, et simul cum ipso lumine emiserunt spiritum *e*. Quas deponi de eculeo Gajus jussit et jactari corpora earum via Hostiensi, miliario secundo. Noctu venerunt presbyteri et religiosi viri, tollentes corpora sanctarum virginum et martyrum Dignæ et Meritæ, et condentes * aromatibus, et linteaminibus involventes, cum maximo honore sepelierunt in cœmeterio Commodillæ *f* eadem via. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

* condientes

ANNOTATA.

a *Passionem hanc in tres Lectiones in usum chori divisam esse in Ms. nostro monuimus. Hic incipit Lectio 7, deinde duobus sequentibus numeris notantur Lectiones octava et nona.* D

b *Quæ in prolixioribus Actis hic adduntur, perstrinximus in Commentario prævio num.* 6.

c *In Actis prolixioribus hic etiam præmittitur, Sanctarum ora lapidibus contusa fuisse.*

d *Vocem hanc, quæ in Ms nostro desiderabatur, supplevi ex prolixioribus.*

e *Ibidem additur* : x Calend. Octob.

f *Additur etiam ibidem* : Ad sanctum Felicem et Adauctum. *Porro de cœmeterio hoc consule Commentarium* § 2.

DE SS. MAURITIO PRIMICERIO

EXUPERIO SENATORE, CANDIDO CAMPIDUCTORE, VICTORE MILITE VETERANO, INNOCENTIO, VITALE, ALIISQUE LEGIONIS THEBÆÆ MILITIBUS MARTYRIBUS

B E

AGAUNI IN VALLESIA

J. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Palæstræ descriptio : martyrium sanctorum Thebæorum Martyrum oppugnatum a Dubordæo ministello Anglo-Sabaudico : is quomodo et unde refutandus,

SUB MAXIMIANO HERCULIO INTER AN CCLXXXV ET CCCV. *Descriptio Vallesiæ*,

Vallesia *seu* Valinsa, *ut antiqua quæpiam monumenta loquuntur, Gallis* le Vallais, *Italis* la Vallesia, *Germanis* Wallisserlandt, *a Valle nomen obtinuit, estque ingens ille tractus undequaque altissimis perpetuisque fere nivibus rigentibus montibus septus, qui ab ortu fluminis Rhodani usque ad Lemanum lacum versus Occidentem* C 30 *milliarium Helveticorum itinere protenditur. Medio ferme in longitudinem sinu Rhodanum fertilissimum Galliæ fluvium recipit. Ab Ortu Lepontios, Mediolanenses et Augustanos ad Meridiem, ab Occasu Sabaudos, in Septentrionem Helvetios conterminos habet: ab omnibus altissimorum præruptissimorumque montium catena dirimitur, pro cujus vario flexu, latitudinis inæqualis est. Quo loco Octodurum fuit, antiquissima episcoporum sedes, hodie Martiniacum est, oppidum non inelegans. Hinc Vallesia in Orientem latitudine* 9 *fere milliarium per sedecim leucarum spatium decurrit; deinde arcuatim concurrentibus montibus usque ad Rhodani ostia arctatur.*

in qua Agaunum est, palæstra a sanctorum Thebæorum Martyrum,

2 *At qua a Martiniaco in Septentrionem vergit Vallesia, fauces habet angustissimas, planitiem octo fere milliarium, sed quæ concurrentibus hinc Rhodano, inde montibus ita premitur, ut in latitudinem unius leucæ vix extendatur, quæque tandem ad Lemanum lacum clauditur. Vallesiam olim habitarunt Veragri, Viberi et Seduni populi, noti Romanis apud Cæsarem lib.* 3 *Comment. A Sedunis nomen Sedunensi urbi usque hodie adhæsit. Ubi* Morsia *seu* Morgia *fluvius ad Sedunum Rhodano immergitur, Vallesia in Superiorem et Inferiorem dividitur : illa Orientem spectat, hæc Occidentem, ubi Martiniacum est, Gallis* Martiniac *et* Martigny, *sexto milliari Seduno dissitum. Hoc inter et Lemanum lacum ad Rhodanum fluvium, ponte ibidem lapideo stratum, jacet medium* Agaunum *vel* Acaunum, *quod quidam etiam* Ternatam *priscis temporibus dictum contendunt; atque is locus est, ubi* S. Mauritius *Thebææ Legionis præfectus, cum subjectis sibi Ducibus et Militibus martyrii laurea coronatus perhibetur.* F

3 *Porro ut a gloriosa palæstra et sanctorum Martyrum celebratissimis ibidem sacris lipsanis nomen* S. Mauritii *oppidum accepit, sic et a loco felix Legio,* Agaunensium Martyrum *titulum consecuta est. De illis ita ad hunc diem Martyrologium Romanum :* Seduni in Gallia, in loco Agauno, natalis sanctorum martyrum Thebæorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii et Vitalis, cum Sociis ejusdem Legionis, qui sub Maximiano pro Christo necati, gloriosa passione mundum illustrarunt. *Merito sane glorioso agone suo illustrasse mundum dicuntur, quorum tam est celebris per totum Occidentem a tredecim jam seculis memoria, tam late diffusus et plurimorum scriptorum calamis celebratus cultus, tot quibus tantaque erecta priscæ pietatis et venerationis monumenta sunt, ut sine scrupulo dixero, vix esse Sanctorum quorumdam per Occidentalem Italiam, Gallias et Germaniam magis celebrem atque universalem venerationem.*

per totum Occidentem, et maxime in Italia, Gallia et Germania

4 *Nullam ibi diœcesim, nullam civitatem, pagum fere nullum percurres, ubi ædificata eorum nomini*

a plurimis seculis celeberrimorum. Quomodo tractabimus

A *mini templa, erecta altaria, consecrata monasteria non reperias, honorari sacras exuvias non spectes, obtent acælitus eorum patrocinio innumera beneficia publicis populorum vocibus non audias decantari. Atque hæc omnia, ut amplissimam illustraturo sanctorum Thebæorum Martyrum Gesta scribendi materiam subministrant, sic duo cavenda monent; confusionem, ne molestia lectori creetur, nimiamque prolixitatem, ne in immensam molem Opus nostrum excrescat. Varii variis diebus sancti Martyres, quod in Fastis sacris particularium ecclesiarum ex* S. Mauritii *Societate, et ex Thebæa Legione fuisse dicerentur, ad hunc diem in Opere nostro remissi sunt. Non pauci hoc ipso die, præter enumeratos a Baronio, plures subsequentibus anni diebus in quibusdam locis, sub eodem Martyrum Thebæorum titulo coluntur. Ex his rursus alii peculiaria, sibique propria gesta habent, de aliis præter generalem universæ Legionis Passionem nihil profertur.*

amplissimam materiam, quæ hic offertur.

5 *Circa hæc omnia sic ego statui.* S. Mauritii *et Sociorum Martyrium illud primo loco discutiemus et illustrabimus, quod quodammodo ad universos sanctos Martyres nostros Thæbæos pertinet. Huic* B *subjiciemus Gloriam posthumam* S. Mauritii *et Sociorum anonymorum, quorum, pro oblata occasione, sacras exuvias enumerabimus. Hisce subnectemus, quæ ad nominatos in Passione primaria et Martyrologio Romano sanctos Commilitones spectant, ac denique eos recensebimus Martyres, qui pro Thebæis ex ea legione habentur, illorum sacras exuvias indicabimus, et si quid peculiare circa illos occurret, pertractabimus, eos remissuri ad consignatum in Martyrologio Romano diem, quorum in illo fit speciatim memoria. Martyrium* S. Mauritii *et Sociorum edidit Surius ad hunc diem* XXII *Septembris, cum præfixa S. Eucherii Lugdunensis episcopi nomine epistola dedicatoria ad Sylvium episcopum. Eodem suos Annales illustravit Baronius ad annum Christi 297 : similia in lucem protulit Mombritius tom.* 2, *quæ si eadem appellare cum Surianis volueris, agnosces verbis correctiora. Deest his auctoris Eucherii titulus et præfixa epistola.*

Acta varia Ms. et edita.

6 *Suriana Acta habemus in museo nostro in codicibus pluribus Mss. et apographis, quæ enumerare supersedeo; de eorum uno exemplari S. Maximini Trevirensis agemus infra. Illustrissimus Bosquetus ecclesiæ Montis-Pessulani episcopus tom.* I *Historiarum ecclesiæ Gallicanæ lib.* 4, *eorumdem* C *Actorum meminit. Simillima etiam Surianis sunt, quæ Stevartius præteriti seculi initio cum amplissimis observationibus edidit Ingolstadii. Perantiquus noster Fuldensis codex et duo apographa proxime ad Mombritii Passionem sanctorum Thebæorum Martyrum accedunt, ab hac tamen, et a se invicem, in paucis discedunt. Ibi nusquam* Acaunum *seu* Agaunum *exprimitur, et locum, quem apographa per* illum, istum *explicant, per demonstrativum pronomen* hunc *ubique exponit codex Fuldensis; unde suspicari licet, opus id esse cujusdam Agaunensis monachi, qui eo loco scripserit. Alterum apographorum est Marchianense, Ultrajectinum S. Salvatoris alterum. Hoc caret iis, quæ de S. Sigismundo Burgundionum rege in aliis referuntur; illud tacet de invento corpore* S. Innocentii *ejusque translatione.*

Suriana, dudum pro sinceris habita, seculo 17 suspecta esse

7 *Martyrium* S. Mauritii *et Sociorum a Surio et Mombritio editum in Ecclesia dudum pro sincero et genuino habitum fuit, utpote adscriptum S. Eucherio Lugdunensi antistiti, qui non alia narrasse credebatur, quam quæ audivisset ex iis, qui testarentur, eadem accepisse se ab Isaac Gebennensi episcopo, qui denique rei gestæ seriem hausisset ex Theodoro episcopo Octodurensi, cum quo plures vixerant, qui gloriosum agonem vel coram oculis spectare potuerant, vel recentissima relatione acceperant. Atque hæc quidem in præfixa Thebæorum Martyrio epistola sic fere asseruntur, quæ viros etiam eruditos induxerunt in errorem, solitos tum temporis liberalius solis Opusculorum titulis duci, nec cautius Opuscula ipsa discutere. Præterito seculo, quo tandem tempore prodiit libera fronte critica, Suriana et Mombritiana Acta prudentes torquere cœperunt. Adverterant hi, mentionem ibi fieri de instituto seu restituto ab Sigismundo rege Agaunensi cœnobio.*

AUCTORE J. C.

et S. Eucherio abjudicari cœperunt,

8 *Noverant, donationes Sigismundi, institutamque Agaunensem per concilium Regulam anno* 515 *a Mario Aventicensi in Chronico illigari. Eucherium autem Lugdunensem viderant subscriptum concilio Arausicano* I, *quod anno* 441 *celebratum est, inter quod, et dictam fundationem monasterii Agaunensis medii intercurrunt anni* 73. *Tanto tempore non supervixisse S. Eucherium in confesso habebant, uti nec eum spiritu prophetico prænuntiasse et scripsisse, quæ multis ab ejus obitu annis contigissent. Majorem falsi suspicionem movere deinde cœpit narratio amplificati ab Ambrosio abbate ejusdem Agaunensis cœnobii, relata* E *translatio reliquiarum* S. Innocentii, *facta a Domitiano Gebennensi et Grato vel Protasio episcopis. Nullum enim nominatorum hic præsulum ante Sigismundum, aliquos plus integro seculo serius vixisse contendebant. Certe Sammarthani Gratum Augustanum et Domitianum Gebennensem statuunt sedisse circa annum* 880. *Igitur Actorum vulgatorum scriptorem vel interpolatorem crediderunt his episcopis posteriorem fuisse, idque non paucis quidem annis, ut in illa opinione suspicari facit dubium de Grato vel Protasio, ceteraque titubans istius translationis narratio.*

cum Petrus Chiffletius S. J. Acta alia ex Ms. eruit,

9 *Denique Sigismundi regis et martyris in sanctorum Thebæorum Martyrum Passione reperta mentio, sic eruditis Acta suspecta reddidit, ut alii secundum quempiam Eucherium Lugdunensem episcopum, primo et Sigismundo posteriorem; quæsierint, cui Acta Mauritiana tribuerunt. Alii videntes, vel sic multum de illorum auctoritate decedere, et forte ne vel sic salvari translationis historiam, candide fassi sunt, vel deperdita esse scripta ab Eucherio Lugdunensi genuina* SS. Mauritii *et Sociorum Acta, vel ita ab interpolatore posteriore depravata et corrupta, ut fidem mereantur* F *exiguam, et pro spuriis habeantur. Dum jacturam lugent cordati omnes viri, Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis nostræ sacerdos, antiquorumque monumentorum scrutator diligens, in Ms. codice vetustissimo celeberrimi Jurensis manasterii Claudiani Passionem* SS. Mauritii *et Sociorum martyrum exaratam reperit sine iis notis, quæ præeditorum suppositionem manifeste demonstrant. Ratus genuinam se et sinceram S. Eucherii Lugdunensis narrationem invenisse, applausit sibi vir religiosus, gaudiique sui et felicis inventi omnes participes fecit, inserta Paulino suo illustrato part.* I *cap.* 20 *sanctorum Agaunensium martyrum Passione, quæ deinde in Actis Sinceris Martyrum Ruinartii locum obtinuit, et ab antiquitatis amantibus, criticisque etiam rigidissimis Tillemontio, Bailleto et aliis cum applausu recepta fuit.*

quæ a criticis ut genuina excepta sunt. Illa impugnavit Dubordæus,

10 SS. Mauritii *et Sociorum Thebæorum celebratissimus per totam Ecclesiam jam a duodecim seculis cultus ex veteri illo monumento splendorem firmitatemque acceperat, nec erat inter Catholicos, apud quem non esset in summa veneratione detecta Eucherii Lugdunensis historica narratio illorum*

AUCTORE J. C.

illorum martyrii, quod aliunde heterodoxi ipsi, Grotius de Jure pacis et belli lib I *cap.* 2 *et* 4, *Usserius de Potentia regum, Joannes Ludovicus Fabritius in Dissert, de justis limitibus obedientiæ humanæ, Caveus in Primit. Christ. part.* 3 *cap.* 4, *Eduardus Fuller episcopus Glocestriensis, tam pro indubitato habuerunt, ut illo, tamquam pulcherrimo priscæ fortitudinis Christianæ exemplo, sua Opuscula illustrarint. Erat, inquam, sanctorum Thebæorum Passio in summa apud omnes fide auctoritateque, cum, decrepito præterito seculo, ministellus Anglo-Sabaudicus Joannes Du Bourdieu in comitatu ducis Schombergensis Taurinum venit. Ibi, liberato obsidione Cuneo, aversisque alio inimicis Gallorum copiis, Taurino imminentibus, publicæ actæ sunt gratiæ sanctis* Solutori, Adventori et Octavio, *urbis illius patronis, et creditis de Legione Thebæa* S. Mauritii *sociis.*

ministellus Anglo-Sabaudicus,

11 *Ad expositas in ecclesia veteris collegii nostri, quæ Sanctorum illorum nomine sacra est, sacras exuvias cum archiepiscopo, aula, magistratu, omnium Ordinum religiosis, effusa civitas universa thura cremavit sospitatoribus Sanctis suis, solvitque cum ingenti pompa votum, pridem pro* B *civitatis incolumitate emissum. Res hæc stomachum et bilem spectanti ministello movit. Audiverat pro concione dicentem de Societate nostra sacerdotem, centiesque Italice exclamantem* : Benedicite Taurinenses populi, benedicite liberatoribus vestris; benedicite sanctis Martyribus pro vestra incolumitate vigilantibus, quorum meritis precibusque urbem vestram, liberos, fortunas debetis conservata. *Legerat pompæ Relationem typis editam a P. Carolo Hyacintho Ferrero nostro, adverteratque, ibi inter alia Italice dici* : Deinde aula supervenit, et exposita est publicæ ADORATIONI urna sanctorum corporum. *O crimen, o scelus! ingemuit. Cultum soli Deo debitum creaturis profanare, thura adolere putridis quorumdam militum cadaveribus, supplicare surdis ossibus? O non ferendam populorum dementiam! Dolor igitur indignatioque Dubordæo, ut ipse quidem fatetur pag.* 5 *et* 7, *mentem injecerunt, discutiendi Martyrii Legionis Thebææ, atque antiquam, si posset, Catholicis superstitionem evellendi.*

edita Anglice et Gallice Dissertatione, multum ab hæreticis laudata

12 *In Angliam redux, atque iis instructas, quibus egebat ad propositum libris, manum operi admovit, composuitque Gallicam Dissertationem historicam et criticam super Martyrio Legionis Thebææ, typis editam anno* 1705. *Emerserat jam ante atque Londini prodierat versio Anglica, ad Ms. Gallicum exacta, quæ, ut docet me Dubordæi encomiastes Jacobus Bernard, auctor Monument. Reipub. litterariæ mensis Julii anni* 1705 *pag.* 85 *et seqq., meruit gratulatoriam epistolam D. Eduardi Fulleri, Glocestriensis episcopi, fatentis, se Dubordæano Operi suam super Martyrio Thebæorum conversionem debere. In Opusculo Gallico, quod præ oculis, habeo,* 18 *capitibus Passionem sanctorum Martyrum Agaunensium ita discutit, ut meridiana luce clarius ostendere contendat, non solum perperam S. Eucherio Lugdunensi tribui Acta, quæcumque hactenus edita sunt, sed etiam Martyres Thebæos numquam in rerum natura exstitisse, proindeque Ecclesiam Romanam tot retro seculis fabulosis heroïbus cultum, preces, thura impendisse. Quod quidem tam certo se evicisse credit, ut post plurimas calumnias blasphemiasque glorietur* 6666 *Sanctos Ecclesiæ Romanæ se eripuisse.*

Illa mox a Trivoltianis perstricta

13 *Gloriantem ministellum mox mense Junio anni* 1706 *pag.* 1028 *et seqq. brevi, pro illorum instituto, animadversione perstrinxerunt auctores Ephemeridum Trivoltianarum. Fusiorem sophismatum Dubordæanorum refutationem ad* D *hunc diem promiserat Sollerius noster, in Observationibus ad Usuardum. Prævenit nos Reverendissimus ac amplissimus D. Josephus de L'isle, abbas monasterii S. Leopoldi Nanceiensis, Ordinis S. Benedicti, ediditque anno* 1737 *libellum Gallicum, cui titulum fecit* : Defensio veritatis Martyrii Legionis Thebææ, alias SS. Mauritii et Sociorum, responsoria ad Dissertationem criticam ministelli Dubordæi, cum ampla historia Legionis Thebææ. *Legerat vir eruditissimus Sollerii nostri promissa, quibus recitatis, ita præfatur pag.* 6 : Verum, præterquam quod ipsis (*nobis*) magnum spatium percurrendum sit, antequam ad diem illum (XXII *Septembris*) pervenerint, opus illis erit monumentis ad propositum, quæ volupe mihi erit subministrasse. Aliunde etiam, cum patres illi (*nos*) Latine scribant, suam vero Dissertationem Dubordæus Gallice ediderit, proderit eodem illi idiomate respondisse.

ac deinde pluribus refutata est a Josepho de L'isle

abbate S. Leopoldi Nanceiensis, cujus eruditissima lucubratione

14 *Nihil gratius accidere nobis potest, quam monumenta accipere a viris tam eruditis, qui, quæ nobis juxta Operis nostri institutum utilia sunt, ab extraneis discernunt, atque eidem, quam decurrimus, viæ insistentes, solidis rationibus convellunt, quæ contra Sanctorum cultum Acta-* E *que invidiosius torquentur, atque ita labores nostros sublevant. Præstitit hæc ita eruditissimus abbas, ut adversarium suum nusquam deserat, sed singulis capitibus, singula Dubordæi sophismata dissolvat, et calumnias refutet, idque argumentis tam solidis, ut, si ministelli Anglo-Sabaudici tricæ quosdam suæ gentis et sectæ homines converterint super martyrio sanctæ Legionis Thebææ, forteque Catholicis quibusdam dubium injecerint, habeant evidentissimas rationes, unde hi evellant qualecumque dubium, illi vero vel inviti pene ad priorem sententiam retrahantur. Itaque ad refutandum Dubordæum, multum ego utar laudata reverendissimi abbatis Nanceiensis Defensione, quod hic monuisse sufficiat, ne accumulatis citationibus chartas implere cogar.*

plurimum hic utemur.

15 *Non est visum servatum ab eo ministelli ordinem sequi, neque quæcumque ille, Dubordæum presse secutus, pertractat, referre. Blasphemias in Sanctos et Christi sponsam Romanam Ecclesiam evomere, calumnias in Ecclesiæ visibile caput Romanum Pontificem, ejusque vicarios episcopos jactare, viros Religiosos maledictis incessere, Catholicos omnes simplitatis cæcæ et dementiæ* F *insimulare, solita sunt frendentium hæreticorum arma, toties contusa, toties confracta, ut risum moveant, qui similibus instructi contra Catholicos in campum veniunt. Talia nos despicere et negligere solemus; interdum verbo retundimus, vel lectorem remittimus ad Theologos, qui hæreticos confutarunt. Hic, qui apud Dubordæum legerit, sacrilege Romanam Ecclesiam Sanctos* Adorare, *monachos falsarios, confictis instrumentis, titulos immensarum possessionum comparasse, ementitarum reliquiarum detestando commercio illusisse simplicibus et divitias emunxisse, taliaque plura, Defensionem eruditissimi Delislii adeat, atque ibi eodem numero capite protritum Dubordæum inveniet, quo hominem hæreticum in Catholicos debacchantem viderat. Ego inde tantum ea fere excerpo, quæ ad stabiliendam veritatem historicam Martyrii sanctæ Legionis Thebææ pertinent.*

—

§ II.

A

§ II. Probatur martyrii SS. Mauritii et Sociorum veritas ex antiquissimo illorum in Ecclesia cultu et celebri memoria seculo v.

Ex Vita S. Severini abbatis Agaunensis;

Sanctorum Martyrum Agaunensium cultum antiquissimum, priscamque et celebrem erga sanctos Sospitatores populorum venerationem imprimis probat Vita S. Severini, abbatis Agaunensis, quam ad calcem tom. I *Actorum SS. Ordinis S. Benedicti pag.* 568 *excudit Mabillonius. Ibi lucubrationem suam ita claudit biographus :* Edita a Fausto presbytero, discipulo ipsius S. Severini abbatis, simplici oratione composita, jubente glorioso Principe Childeberto rege, præstante Domino nostro *etc. Hæc si quis cavillator asserat, non ab ipso Fausto scripta fuisse, sed a posteriore quopiam adjecta, meminerit is asserti probationem adferre.* B *Certe scriptor anonymus, qui seculo 9 S. Severini Vitam a Bollando editam ad diem* XI *Februarii, tomo ejusdem mensis 2 pag.* 547 *adornavit, ita orditur :* Sacram sane libelli seriem, quam Faustus presbyter discipulus S. Severini abbatis de ejus Vita vel Actibus post ipsius ediderat obitum, transcribentes... commodum duximus, secundum ingenioli nostri capacitatem, ejusdem historiæ textum clariore propogare sermone etc. *Atque hæc ita præstitit anonymus ille, ut editam a Mabillonio S. Severini Vitam quilibet, qui legerit, judicare debeat posteriori biographo præ oculis fuisse, cum sola fere correxisse, ut profitetur, grammaticalia vitia et verbis dumtaxat aliqua amplificasse comperiatur.*

scripta a Fausto

17 *Mabillonius quidem in Annal, Benedict. tom.* I *ad annum Christi* 515 *num.* 70, *Vitam S. Severini, quam in Appendice ad Secul.* I *Act. SS. Ord. S. Bened. sine scrupulo locarat ut sinceram, ex duobus capitibus vocat in dubium. Primo, quod in Actis S. Severini legatur Clodoveus Francorum rex anno* 25 *regni sui ægrotare cœpisse, et ad alterum annum febribus vexatus fuisse, cum interim expeditiones ejus bellicæ post Vogla-* C *densem Gothorum cladem, quæ eodem regni ejus anno* 25 *ex Gregorii Turonensis computu contigit, abunde probent vegetam ejus valetudinem. Deinde, quod S. Severinus narretur in suo ad sanandum Clodoveum itinere, convenisse* Eulalium, *seu* Euladium *Nivernensem antistitem, cum tamen tum temporis* Eulalius *nullus illi ecclesiæ præfuerit, sed tantum dudum postea* Æoladius, *quem hic, corrupto nomine, designari Mabillonius autumat. Hanc ejus hallucinationem hic refutare non est opus post ea, quæ ad diem* XXVI *Augusti disseruimus de perperam confusis hisce ejusdem fere nominis episcopis. Adeat lector, qui plura de his desideraverit, tom.* V *Augusti pag.* 821, *invenietque Pinii nostri observationes prolixiores, iisque distinctos duos Sanctos Nivernenses præsules,* Eulalium *et* Æoladium.

ipsius Sancti discipulo

18 *Sed neque subsistit primum, contra sinceritatem Vitæ S. Severini Mabillonii argumentum. Quippe Clodoveus I Francorum rex, mortuo patri Childerico successit anno Christi* 481; *igitur annus regni ejus* 25 *cum anno vulgaris æræ* 505 *concurrit. Cœperit hoc anno ægrotare Clodoveus febrisque languentem exederit usque ad initium anni* 507 *vel finem præcedentis, tumque a S. Severino sanatus sit, verum erit biographi assertum. Certatum est Francos inter et Gothos anno Christi* 507, *ut videre est apud Pagium ad illum annum, mortuusque est Clodoveus* post Vogladense bellum anno quinto, *teste Gregorio Turonensi lib. 2 cap.* 42, *Christi scilicet* 511. *Quievisse ab armis aliquot annis Clodoveum, antequam Alarico, bellum indixit, testatur omnium scriptorum silentium, quod proinde, uti et chronotaxis reliqua, biographo nostro favent. Ceterum Tillemontius Monum. Eccles. tom.* 14 *in Notis ad Vitam S. Romani, de qua nos infra, pag.* 744. *judicat, epochas biographorum coævorum Sanctis, quorum gesta describunt, præferendas esse allatis notis chronologicis D. Gregorii Turonensis, dudum posterioris, et in similibus non satis accurati scriptoris : quod hic locum habere deberet, nisi chronotaxis ejus cum Fausti nostri assertis componi posset.*

AUCTORE J. C.

probatur dudum stabilitus

19 *Igitur biographus primus S. Severini, qui seculi sexti initio scripsit, ita apud Mabillonium num.* I *loquitur :* Eodem tempore, cum Clodoveus rex Francorum anno XXV regnaret in urbe Parisius, tunc in corpore suo gravis obvenit infirmitas... per duos annos, ut non a sacerdotibus E loci illius, neque ab ullo medico corpori suo potuerit invenire medicinam... Erat autem ibidem homo in domo regis nomine Tranquilinus, doctor et omni sapientia plenus, honores arte medicinæ gerebat. Hic locutus est ad regem, dicens : Domine mi rex, et quia nullus ex nobis corpori tuo potest invenire medecinam, tibi dico, audi consilium meum, et ad sanctum monasterium Agaunensium, ubi sanctus ac beatissimus Mauritius martyr jacet in corpore, festinanter accede, aut certe tuam transmitte legationem. Est ibi homo sanctus Dei, nomine Severinus, abbas ordinatione institutus, tutela magna loci illius. *Narratur post hæc missa legatio.*

seculi 6 initio S. Mauritii et Sociorum cultus

20 *Profecturus ad regem S. Severinus,* omnes fratres in suam jussit venire præsentiam, indicans eis petitionem regis, *prædicensque mortem suam in itinere obventuram.* Cui omnes fratres dixerunt cum fletu magno : Abba pater, numquam nos derelinque vivos. At ille respondens, ait : Omnia, quæ voluit, Dominus fecit. *Atque ex his manifestum est, anno 27 Clodovei regis, qui Christi est* 507, *abbatem, Fratres et monasterium exstitisse Agauni, ubi jam tum celebra-* F *batur* sanctus ac beatissimus Mauritius, *cujus ibi sacra ossa quiescebant. Dubordæus, qui non nisi interpolatam apud Bollandum S. Severini Vitam legisse videtur, Dissertationis suæ cap.* 5 *circa finem, Usuardum et Aimoïnum insimulat, ac si turpi anachronismo orantem pro Clodovei incolumitate exhibuissent abbatem monasterii Agaunensis aliquot annis, antequam illud a Sigismundo rege primum conditum fuisset ; atque ita concludit :* Verum est, Bollandum *(tom. 2 Feb. pag.* 546*)* persuadere velle, monasterium Agaunense a Sigismundo non nisi refectum, amplificatum et ornatum fuisse. Verum id nullo modo defendi potest, cum scriptores omnes, tum antiqui, tum recentiores, qui de prima monasterii Agaunensis institutione agunt, illam Sigismundo Burgundionum regi adscribant.

Agauni, ubi jam tum exstitit monasterium,

21 *Hæc, quam sint temere a ministello asserta, laudata sæpe S. Severini Vita abunde probat. Auctorem habet ejusdem Sancti discipulum, qui illi* 30 *annis convixit et servivit, quique proinde monasterii Agaunensis statum ante institutam ibi sub Sigismundo Regulam optime nosse debuit ejusdem*

AUCTORE J. C.

cœnobii alumnus. Is quidem singula nobis explicata non reliquit. Fratresne ibidem tum temporis, sub fixa quadam Regula et regimine abbatis monachi convixerint, an dispersi in separatas ædes, mixtique secularibus sacerdotes sub. S. Severini presbyteri disciplina vixerint, divinandum reliquit. Sed illud ex ejus relatione certum est, exstitisse jam tum temporis monasterium, basilicam, imo sacellum, si lubet, interpretare, atque ibi celebrem fuisse S. Mauritii martyris cultum, propter sacras ejus exuvias eo loco servatas; quod unicum ad institutum meum, et refellendum Dubordæum sufficit. Quamquam non solus Faustus inter antiquos et oculatos testes monasterii Agaunensis ante Sigismundi tempora meminit.

ut etiam liquet ex fragmento homiliæ, quam

22 Manifestum est S. Aviti Viennensis episcopi testimonium. Magnus ille præsul non minus natalibus, quam virtutibus et doctrina illustris, Viennensem sedem adiit circa annum Christi 490, ut ostendit Henschenius noster ad diem v Februarii pag. 661 num. 6, eamque occupavit adhuc post S. Sigismundi mortem, quam, Adone Viennensi teste, amarissime luxit, atque adeo usque ad annum
B 524. Hujus porro magni viri exstat fragmentum homiliæ editum a Jacobo Sirmondo nostro ex vetustissimis schedis Thuanæ bibliothecæ. Fragmenti talis est titulus: Dicta in basilica Sanctorum Agaunensium, in innovatione monasterii ipsius, vel Passione Martyrum. Titulo respondet homiliæ initium his verbis: Præconium felicis Exercitus, in cujus congregatione beatissima nemo periit, dum nullus evasit, cum injustam sanctorum Martyrum mortem, quasi sortis justitia judicaret, qua bis super Aciem dispersa mansuetam, centuplex decimatis fructus adcresceret, et odio in prosperum suffragante, eatenus eligerentur singuli, donec simul colligerentur electi, ex consuetudinis debito series lectæ Passionis explicuit.

post innovatum a Sigismundo cœnobium dixit

23 Ex hisce discimus, jam Aviti Viennensis tempore exstitisse, et legi solitam fuisse Passionem aliquam sanctorum Agaunensium Martyrum, quorum aliqui sorte, per binam mox decimationem, ac denique ceteri omnes ad necem rapti fuerint. Discimus insuper, circa annum 517, quo circiter laudatam homiliam recitasse Avitus debuit, Agaunensis monasterii, non primam fundationem, sed Innovationem celebrari solitam fuisse, atque adeo Agaunense cœnobium non tum primum, vel non
C paucis annis, antequam homiliam Avitus dixerit, a Sigismundo erectum, sed longe ante constructum, ab hoc rege tantum amplificatum, reparatum et innovatum fuisse. Recte igitur idipsum Bollandus noster asseruit, ineptæque sunt ministelli cavillationes, ut magis adhuc ex sequentibus apparebit. Interim si hic quispiam contendat, titulum homiliæ a posteriore quopiam præfixum, ipsi S. Avito tribui non posse; respondebimus, id gratis et perperam asseri, cum Thuanæ bibliothecæ schedæ, unde transcriptus est, Sirmondo et aliis, teste Ruinartio, viris peritissimis, qui eas viderunt, vivente adhuc Avito, vel saltem paulo post ejus obitum scriptæ fuisse visæ sint.

S. Avitus Viennensis episcopus

24 Quamquam, si dederimus, titulum ab alio quopiam adjectum fuisse, nihil inde argumento nostro decedet; nemo enim, cui præjudicia et cavillandi libido sanum cerebrum reliquerint, negabit, fragmentum homiliæ recte S. Avito adscribi: tanta est stili cum reliquis sancti episcopi operibus conformitas, tam certus eruditorum omnium consensus. Porro inde luce meridiana clarius est, celebrem, et non novam fuisse seculi 6 initio sanctorum Martyrum Agaunensium memoriam, et Passionem quampiam ex consuetudinis debito prælegi D
solitam fuisse, quod unum sufficit ad probandum antiquissimum illorum in Ecclesia cultum. Eamdem porro Passionem esse, quæ S. Eucherio Lugdunensi auctori adscribitur, quam hic recitatam Avitus memorat, suspicari merito licet; quæ enim de duplici decimatione in homiliæ fragmento meminit, non dubie inde profecta videntur. Tertium argumentum, quod antiquam Thebæorum Martyrum venerationem et Agaunensis monasterii ante Sigismundi ætatem existentiam invictissime probat, petitur ex Vita S. Romani Jurensis abbatis primi.

Idem evincitur

25 Illam Majoribus meis ex vetustissimo codice submisit Petrus Chiffletius Societatis nostræ sacerdos, de Opere nostro optime meritus, ediditque et Annotatis illustravit Henschenius ad diem XXVIII Februarii, tomo ejusdem mensis 3 pag. 737 et seqq. Plurima contra ejus sinceritatem moverat Quesnellus, quæ retudit Tillemontius superius laudatus. Henschenius § 2 probat, S. Romanum natum quinti seculi initio, anno 444 a S. Hilario episcopo Arelatensi ordinatum esse presbyterum, mortuumque statuit circa annum 460. § I num. 5 ostenderat, eumdem monachum Condatiscensem auctorem esse Vitæ S. Romani, qui res gestas SS. Lupicini et E
Eugendi, cujus se contemporaneum et discipulum non uno loco profitetur, conscripsit. Quo anno ad Superos transierit S. Eugendus, certo definiri non potest. Mabillonius in Notis ad S. Eugendi Acta, Secul. I pag. 576 ex Henschenii nostri ad Vitam S. Romani Observationibus, ita init computum, ut statuat S. Eugendum septennem adhuc puerum, teste anonymo, oblatum fuisse SS. Romano et Lupicino sub annum 455, postquam scilicet S. Romanus annis ante XII sacerdotio initiatus fuisset a S. Hilario Arelatensi episcopo.

ex S. Romani abbatis Jurensis

26 Deinde ex verbis biographi, asserentis, S. Eugendum ad 61 annum ætatis fere pervenisse, conjectat, illum obiisse circa annum Christi 510. Verum vacillat chronotaxis hæc, propter maximam incertitudinem epochæ, qua tota nititur. Est enim omnino dubium, an S. Eugendus S. Romano oblatus non sit, antequam is sacerdos consecratus esset, atque adeo ante annum 444, ante quem jam dudum monasticæ disciplinæ peritia et miraculorum gloria late inclaruerant SS. Romanus et Lupicinus. Deinde nihil suadet accessum S. Eugendi ad S. Romanum ad annum 455 potius, quam ad intercurrentes referre. Quamquam nihil attinet hic aliorum conjecturas quatere: illud certo asseri potest, F
S. Eugendum ad S. Romani disciplinam accessisse sub medium seculi quinti. Sit igitur, puerascente seculo sequente, mortuus, anno etiam, si lubet, 521, ut Chiffletius et alii nonnulli conficere volunt ex Chronico non optimæ notæ, ubi legitur: Hic (S. Eugendus) decimo anno post mortem Clodovei fuisse reperitur, quod tamen refutant Galliæ Christianæ auctores, tom. 4 col. 243, merito contendentes, S. Eugendum ante annum 515 decessisse.

Vita, scripta

27 Sit tamen, inquam, mortuus S. Eugendus anno 521. Coævus illi, si non æqualis ætate fuit anonymus biographus, cum quo secreta quæque communicasse ex ejus Vita dignoscitur S. Eugendus. Is igitur optime scire debuit Agaunensis monasterii sub sexti seculi initium statum, qui et lucubrationes suas Joanni et Armentario monachis Agaunensibus nuncupat in Præfatione Vitæ S. Romani, et testatur ad calcem Actorum S. Eugendi, digessisse se instituta ejusdem cœnobii. Qui denique, ut ipse testatur initio Vitæ S. Romani, quæcumque scripsit, Inibi (in monasterio

A *rio Jurensi)* proprio intuitu vel seniorum traditione percepit. *Is porro trium laudatarum Vitarum auctor, pro temporum illorum sorte sat ineruditus, ita in Præfatione loquitur :* Unde vos, o piissimi Fratres, Joannes atque Armentari, vehementius amicum gemino pulsantes affectu, si oris cordisque mei claustra reserare distulero, insignitum pertinacis avaritiæ notis, nec cibum mecum Apostolica traditione pronunciatis posse vos sumere. Igitur inerudit cordis verecundiam rumpens, trium vobis abbatum Jurensium Vitam, id est, sanctorum patrum Romani, Lupicini, Augendi, pro supradictis panibus trinifer relator apponam.

ab auctore coævo,

28 Siquidem Theoretica illa conversatio vitaque vestra, qua prior priscum secutus Joannem, supra urnam S. Mauritii, id est, Legionis Thebæorum Martyrum, caput velut ille eximius apostolus atque symmystes super salutiferi pectus recumbit Auctoris ; alter vero in modum natalis arcæ, dum illic in cœnobio, etiam claustro pecularis cellæ contentus, mundi turbines impactus * irridet : uterque tamen absque alimonia spirituali

** forte impavidus*

B nequit omnimodis inviolabiliter exerceri. Quamvis ergo Agaunus vester Gallico priscoque sermone, tam primitus per naturam, quam nunc quoque per ecclesiam, veridica præfiguratione Petri, petra esse dignoscitur, agnoscat tamen caritas vestra, et inter pineas abiegnasque Jurensium sylvas, ipsam quondam a Psalmographo in campis sylvæ mystica significatione repertam, quæ nunc inibi a sanctis Fratribus, sublato jam præfigurationis ænigmate, pedissequa stabilitate calcatur. *Ita ille, quæ integra huc transferenda duxi, ne præcisa verba et periodi sensum allegoriis et tropis implexum magis intricarent.*

initio seculi VI,

29 *Jam vero, lector, habes hic apertissimam* S. Mauritii *et Legionis Thebææ ante Acta concilii Agaunensis mentionem, et assertum scriptoris coævi, vel certe supparis non dubium, de exhibito sanctis Martyribus ante illa tempora cultu. Accedat aliud non minus luculentum ejusdem biographi testimonium ex laudata Vita S. Romani cap.* 4 *num.* 15. Et quia *(inquit)* sanctissimi viri Palladii fecimus mentionem, cujus beatissimus Romanus tam in cœnobio, quam in itinere, tamquam veræ caritatis comite, fido solatio potiebatur, retexam etiam illud, cui idem frater interfuit, et factum vulgatumque urbi ac populis celari non potuit. Basi-

C licam Sanctorum, imo ut ita dicam castra Martyrum Agaunensium, locum, sicut passionis illorum relatio digesta testatur, quæ sex millia sexcentos viros, non dicam ambire corpore in fabricis, sed nec ipso (ut reor) campo illic potuit consepire, fidei ardore succensus deliberavit expetere. *Narrat deinde, quomodo S. Romanus Geneva Agaunum iter intendens, a via deflexerit, ad speluncam diverterit, duos ibi mundarit leprosos, atque fama prodigii Genevæ disseminata, a clero et populo quæsitus et cum pompa exceptus fuerit.*

uti etiam ex Actis

30 *Porro ex his biographi verbis consequens fit, celeberrimum jam tum seculo quinto fuisse sanctorum Thebæorum Martyrum sepulcrum, ad quod venerationis ergo viri sancti properarent, fuisse illis erectam basilicam et alias fabricas, Passionem aliquam tum temporis exstitisse, in qua sex mille sexcenti Martyres pro Christo eo loci occubuisse referrentur, quæ hic advertisse sufficiat, ut de stabilito jam tum seculo quinto* S. Mauritii *et Sociorum cultu, dubium non supersit. Attamen tribus hisce testibus indubitatis, et innovatione monasterii Agaunensis per Sigismundum antiquioribus, ad confirmandam sententiam quartus jungi potest anonymus scriptor Actorum S. Victoris martyris Massiliensis. Stilus auctoris, qui nulla nota chronologica ætatem suam indicat, viris in eo litteraturæ genere peritissimis, Ruinartio, Tillemontio, atque aliis criticis etiam hæreticis, visus est SS. Eucherio Lugdunensi, Hilario Arelatensi et Joanne Cassiano dignus, quapropter conjectant, Acta S. Victoris vel ab horum aliquo, vel ab alio anonymo seculi quinti scriptore exarata esse.*

AUCTORE J. C.

S. Victoris martyris Massiliensis.

31 *Neque ab his dissentit Cuperus noster ad diem* XXI *Julii, ubi Passionem S. Victoris et sociorum ex Ms. a Chiffletio nostro submisso, collatoque cum Ruinartii et Bosqueti editionibus excudit pag.* 143 *et seqq. Præmittit ibi Cuperus Acta breviora ex Ms. Ultrajectino, non minus eleganter scripta, dubitatque, an non hæc longioribus, quæ laudant alii, antiquiora sint. Ibi ad rem nostram ipso statim initio legitur :* Sub Maximiano passus est in urbe Massilia Victor miles. Cum enim illuc venisset Maximianus, peracta cæde sanctorum Thebæorum, decrevit, ut omnes diis sacrificarent, aut exquisitis mortibus deperirent. *Prolixiora Acta num.* 2 *sic eadem hæc explanata exhibent.* Maxi- E mianus enim, cum pro Sanctorum sanguine, quem per totum orbem crudelius ceteris, maximeque per totas Gallias recentius fuderat, et præcipue pro famosissima illa beatorum Thebæorum apud Agaunum cæde, nostrorum plurimis nimis terribilis factus, Massiliam advenisset, ut secundum Scripturam impius adhuc impie ageret, cuncta illic crimina sua cum vita nequissima completurus, ne quid sibi deesset scelerum, pietati protinus insatiabilis tortor, velut parum hactenus fecisset, tota rabie bellum indicit, Christicolasque, nisi sacrificent idolis, exquisitis mortibus deperire jubet.

Probatur sanctorum Agaunensium

32 *Atque hæc ex communi eruditorum fere omnium et criticorum judicio scriptor quarti vel quinti seculi, quo proinde tempore notissimum fuit martyrium Sanctorum Agaunensium, et imposturæ arguitur ministellus, asserens, non esse illud nisi meram fabulam, seculo* 6 *vel* 7 *ab otioso quodam monacho adornatam. Locum hic suum postulat etiam Martyrologium, quod Eusebii seu Hieronymi nomine insignitur, cuique magnam in Ecclesia antiquitatem antesignanus noster Bollandus in Præfatione ad tomum* I *Januarii* § 4, *Florentinius in Admonitionibus præviis ad Martyrologium suum, et Sollerius noster in Præfatione* F *ad Usuardum Art.* I *vendicarunt. In ejus apographis pene omnibus, quæ supersunt, sanctorum Thebæorum Martyrum memoriam ad* X *Kalendas Octobris consignatam invenio. Florentinii exemplaria nuntiant :* In Gallia civitate Sedunis, natalis sanctorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocenti, Vitalis, cum Sociis V millium DLXXXV martyres. *Apud eumdem Florentinium Kalendarium vetustissimum Hieronymianum his verbis sanctorum Agaunensium Martyrum memoriam celebrat ;* S. Mauritii cum VI mill. DCLXVI.

cultus antiquissimus

33 *Contractius fragmentum aliud sic illorum ibidem meminit :* S. Mauritii cum Sociis suis. *Codex Blumianus pluribus hic mendis scatet, nuntiat enim :* Civitate Sedunisse Voctodero Valense locum Agaunum nat. Sanctorum : id est Mauricii, Euperii, Candidi, Victoris, Innocenti, Vitalis, cum Sociis VI milia DLXXXV Mart. *In apographis aliis Hieronymianis sancti Martyres ad prædictum diem* XXII *Septembris memorantur. In Gellonensi nuntiatur :* Sidunis Agauno Mauricii, Exuperi, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis, cum aliis quinque millibus

AUCTORE J. C.

bus quingentis octoginta quinque *(monet Acherius, in Ms. vetustissimo S. Galli legi* cum VI milia DCLXV martyrum) martyribus : *In Rhinoviensi nostro tom.* VII *Junii* : In Gallia nat. Sanctorum Mauritii, Exuperi, Candidi, Victoris cum aliis VI milia sexcentis sexaginta VI Martyribus sociis eorum : *In Richenoviensi ibidem* : Et in Gallia civitate Sindus, loco Agauno, natale sanctorum Mauritii, Exuperi, Candidi, Victoris, cum aliis sex millibus sexcentis sexaginta sex Martyribus, sociis eorum. *Cum hoc ibidem fere consonat Martyrologium Augustanum, nisi quod vitiose per* Sedun. Auguns. *locum palæstræ exponat.*

ex Martyrologiis

34 *Magis a proxime enumeratis discrepat Labbeanum Martyrologium; habet enim* : Sydunis Agauno Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocenti, Vitalis, cum aliis quinque millibus et quingentis octoginta quinque Martyribus, *atque cum horum aliquo conveniunt, quæcumque cetera apographa reducuntur ad Hieronymiana. Romanum parvum Rosweydi brevibus sic memorat* : Mauritii cum Sociis, qui Thebæi fuisse referuntur, sub Maximiano passi. *Ceterum hæc ego paulo fusius referenda duxi, ut advertere lector possit, variare* B *apud martyrologos Martyrum Agaunensium numerum, de quo alias erit monendus infra, ubi deducemus verisimillimum esse, quod ea Martyrologia antiquissima sint, quæ* Innocentii *et* Vitalis *non meminerunt : ostendemus enim, quod horum duorum Sanctorum nomina, S. Eucherii tempore, imo forte multis annis post fuerint ignorata. Interim ex his rursus verisimillimum fit,* S. Mauritii *et Sociorum martyrum memoriam, non solum seculo quinto, sed quarto etiam fuisse in Ecclesia celeberrimam. Scio inter apographa Hieronymiana nullum superesse, quod S. Hieronymo auctori tribui possit : scio omnia mentione Sanctorum particularium locoruuı fuisse plurimum interpolata, et pleraque Sanctos nuntiare, qui ultra duo secula sancto illo doctore juniores sunt.*

Hieronymianis.

35 *Verum quando reperitur genuina illa brevitas, et sparsa in codicibus Galliæ, Germaniæ, Italiæ certorum aliquorum Sanctorum eadem mentio, non immerito ea ex primigeniis Martyrologiis desumpta creditur. Quam autem constans fit sanctorum Agaunensium Martyrum in variarum gentium codicibus mentio, abunde liquet ex iis, quæ produxi, ubi characteres etiam ii non de-* C *sunt, quibus Gregorius Martyrologium per totam Ecclesiam suo tempore legi solitum designavit : adeoque temeritatis notam non incurret, qui asseruerit, ab ipso S. Hieronymo, vel alio, quisquis demum fuerit, primigenii Martyrologii auctore in sacris Fastis consignatam fuisse* S. Mauritii *et Sociorum memoriam, atque adeo longo tempore esse seculo sexto vetustiorem.*

§ III. S. Mauritii et Sociorum Thebæorum martyrum cultus initio seculi VI.

Acta synodi Agaunensis,

Hactenus satis vendicavi Bollandum nostrum, adversus præcipitantem criticam ministelli Anglo-Sabaudici asserentis, frustra monasterii cujuspiam Agaunensis vestigia quæri ante Sigismundi Burgundionum regis tempora, atque id potissimum contra ejus calumnias evici ex auctoribus synchronis, antiquiorem S. Mauritii *et Sociorum esse sexto memoriam, cujus ille initium ad septimum usque seculum Dissertationis capite* 6 D *stolidissime differt, undeque argumentum alibi cudit contra Thebææ Legionis historiæ veritatem quod nos infra, non minus feliciter, refellemus. Prosequamur crescentem cum seculis sanctorum Thebæorum Martyrum venerationem. Succedit ordine temporis innovatio Agaunensis monasterii per Sigismundum regem facta circa annum Christi* 515, *scribente Mario Aventicensi in Chronico, ad consulatum Florentii et Anthemii* : His consulibus, monasterium Acaunum a rege Sigismundo constructum est. *Eodem anno celebratam fuisse synodum Agaunensem, plerique statuunt. Concilium illud toto Dissertationis suæ capite* 6 *acriter et non sine bile impugnat Dubordæus, atque ibi ita ratiocinatur, ut hominem mente captum diceres. Insulsorum ejus sophismatum specimina quædam adferam, ubi Actorum, quæ S. Eucherio Lugdunensi adscribuntur, sinceritatem ab ejus stolidis cavillis vindicabo.*

seu charta fundationis monasterii S. Mauritii

37 *Juverit hic solum aliqua retulisse, quæ adversus Acta concilii Agaunensis movet. Illius synodi Acta Collectioni suæ conciliorum inseruit Labbeus noster tom.* 4 *col.* 1557, *præmonito lectore de suo circa illorum sinceritatem dubio, propter silentium de S. Avito Viennensi, qui Sigismundo* E *amantissimus, et in rebus omnibus gravioris momenti consiliarius fuisse legitur. Coïntius in Annalibus Francorum ad annum* 536 *num.* 225 *instrumentum hoc fundationis monasterii* S. Mauritii *ex non uno capite exploserat. Illius defensionem cursim suscepit Mabillonius lib.* 1 *Annal. Benedict. num.* 71. *Ecce adhæc sapidas ministelli observationes.* Duo eruditi illi Jesuitæ *(inquit Gallice pag.* 43 *Labbeus scilicet et Cossartius)* falsitatem prædictorum Actorum satis perspectam habuerunt, sed nimiam sibi vim facere debuissent, id ut candide faterentur... Ut autem presbyteri Oratorii melioris fidei sunt, quam Jesuitæ, Coïntius in Annalibus suis aperte edixit, falsa esse Acta istius concilii. Interim quantumcumque falsa crassos reditus pepererunt monasterio Agaunensi. *Atque ea propter Mabillonius, ut circa finem capitis calumniatur, chartam donationis defendere debuit, pejoris adhuc apud ministellum fidei, quam ipsi Jesuitæ, quando de chartis Ordini suo utilibus agitur. Dum tam scurrilibus sarcasmis Dissertationem suam farcit, obliviscitur, quid agendum adfert, probando suppositionem et falsitatem Actorum, nisi solam bonam fidem Coïntii, cujus non nisi cursim* F *aliquas rationes relegit.*

a Coïntio,

38 *Quidni in adversam partem Mabillonii responsa etiam expendit, et conatus est evertere, si, quam in aliis laudat, bona ipse fide gloriari vellet. Sed frustra hæc apud hujusmodi furfuris homines quæritur, qui Deo et Ecclesiæ infidi sacrilegum calamum contra Sancta omnia stringunt. Objecerat Coïntius adversus sinceritatem illius instrumenti primo : variantem notam temporis. Est eo duplex : initio præfigitur* : Domino nostro Sigismundo pio, sub die prid. Kal. Maji a LX episcopis totque comitibus habito concilio in Dei nomine Agauni publice *etc.*; *clauduntur vero Acta* : Data sub die Idus Maji, in virorum cætu prope Agauno. *Hinc etiam deducit notam falsitatis, quod hic* prope Agauno, *illic* Agauni *celebratum dicatur. Arguit secundo ex numero* LX *episcoporum, quot negat Sigismundi tempore fuisse sedes in regno Burgundiæ. Tertio observat, Sigismundo ibidem ea dictat tribui quæ modo cum anno Christi* 515, *modo cum* 522 *conveniant. Quarto, in illa synodo, inquit*, Theodorus episcopus Sedunensis *quærit*, quid

A quid agendum sit de beatorum Martyrum Thebæorum corporibus : *Theodorus autem numquam dictus est* Sedunensis *episcopus, sed* Octodurensis, *cathedra Octoduro serius Sedunum translata.*

impugnata, defensaque

39 *Deinde idem Theodorus (inquit etiam Coïntius) obiit ante annum Christi* 517, *quo Constantius ejus successor Epaonense concilium sua subscriptione roboravit, et tunc superstes in vivis erat Segericus, post cujus mortem Sigismundus apud Agaunum psalmodiam instituit, de qua Gregorius Turonensis aliique disserunt. Quinto, pugnat Coïntius a decretis in illa synodo novem turmis, quæ* succedentes sibi in Officiis Canonicis, die noctuque indesinenter Domino famularentur. *Incredibile quippe ipsi apparet, ex diversæ Regulæ monasteriis eas monachorum turmas evocatas fuisse, ut inusitatam in Occidente psalmodiam numquam interruptam instituerent. Denique Acta concilii Agaunensis abunde suam falsitatem prodere, autumat Coïntius, dum in vertice præferunt, interfuisse episcopos* 60 *et comites totidem, cum interim non nisi tres episcopi, et octo laïci, inter quos tres sunt sine titulo, subscribant. Ad singula fere hæc,* B *respondit Mabillonius laudatus, fassusque est, non superesse nobis instrumentum autographum prædicti concilii, sed solum apographum.*

a Mabillonio, nihil continent, quod omnem fidem

40 *Silentium de S. Avito episcopo Viennensi, quem autumat et interfuisse synodo et hujus tempore pronuntiasse homiliam superius num.* 22 *et seq. exhibitam, uti et omissionem nominum aliorum episcoporum et comitum, socordiæ amanuensis adscribit. Eodem rejici posset varietas notæ chronologicæ: ex* Pridie *quippe, facile* Idib. *formari, et sic Kalendæ omitti potuerunt ab incurio et oscitante amanuensi. Quod si præplacuerit credere, Acta diversarum Sessionum perperam permixta esse in charta illa, hac via facilius etiam intellectu erit, quomodo in fronte dicantur Acta* Agauni *condita ad calcem vero confecta* prope Agauno, *nihil enim vetat diversos conventus diversis locis habitos fuisse. De numero episcopalium sedium in Burgundiæ regno Sigismundi tempore frustra litigatur, recte enim observat Mabillonius, non esse incredibile, quod ad tam insolitam rem pertractandam episcopi extranei ex vicinis regno provinciis accersiti fuerint. Neque efficacius est argumentum petitum a Sigismundi verbis, tamquam non convenientibus tempori, quo Agaunensis synodus convocata censetur: nihil enim uspiam* C *occurrit, quod necessario ad annos ejusdem sancti regis postremos spectet. Unum speciatim Coïntius protulit. Sigismundus in concilio ad congregatos episcopos ita loquitur :* Ad hoc vos adunavi, ut mœrentem me consolemini, et quid agam, vel respuam, addiscatis, *quæ arbitratur pertinere ad annum* 522, *cum Sigismundus confectus mœrore, ex innocui filii Segerici cæde concepto, Agaunum nimiam credulitatem defleturus abiit.*

abroget. Instrumentum enim illud

41 *At ipse Coïntius imbecillitatem argumenti, ni fallor, sensit; ait enim;* Quibus verbis mœrorem ex morte Segerici conceptum videtur indicare. *Noverat nimirum, hæc referri posse ad anteriora tempora, quando ab Ariana hæresi conversus ad fidem, hæc et similia ex præteritorum errorum memoria proferre potuit piissimus princeps. Certe ambigua, ipso innuente Coïntio, verba sunt, atque adeo, cum ex iis nihil efficaciter deduci possit, manet instrumento illi non omnis penitus ablata auctoritas, quæ, si ad manum esset apographum aliud, de quo mox, argumentis validioribus forte propugnari posset. Certe ad cetera, quæ Coïntius objecit, non est difficilius respondere. Achillem ejus convellit laudatus De L'isle abbas S. Leopoldi Nanceiensis, dum Defensionis suæ cap.* 6 *testatur, reperisse se in monasterio Agaunensi, ubi diu egit et omnia studiose scrutatus est, manuscriptum antiquissimum ad autographum ipsum, ut ipsi visum est, exactum, ubi Theodorus non* Sedunensis, *sed* Octodurensis *subscriptus legitur. Mortem hujus sancti episcopi ad diem* XXVII *Augusti, quo in sacris Fastis ejus mentio fit, fiximus circa annum* 516. *Is igitur innovationi monasterii Agaunensis* S. Mauritii *anno præcedente potuit adesse. Vivebat tum quidem adhuc Segericus Sigismundi filius, sed gratis asseritur, monasterium ante ejus mortem dotatum et innovatum a Sigismundo non fuisse.*

est antiquissimum,

42 *Imo, cum per synodum illam Hymnemondus, qui anno Christi* 516 *obiit, ut infra videbimus, in ipso concilio Agaunensibus monachis abbas datus fuerit, indubitatum est, ante annum* 516, *adeoque ante Segerici cædem, quæ sexennio post contigit, laudatum sæpe cœnobium exstructum fuisse. Quæ ad nomina, novem turmis, ibidem sibi ad psalmodiam perpetuam successuris, indita pertinent, non inepte etiam exponit Mabillonius, asserens, petita a variis monasteriis nomina, arbitrarie tantum et ad distinctionem singulis turmis imposita fuisse,* E *non vero, quod diversarum turmarum monachi ex cœnobiis, a quibus cognominatæ erant turmæ, assumpti essent. Atque hæc opinio non est rursus a verisimilitudine aliena, nec tam absona ejusdem responsa omnia, ut fidem nullam obtinere debeant. Acta Agaunensis concilii, quæ, utut autographa non sint, sunt certe antiquissima, ut non solum codicum variorum, quibus inserta reperiuntur, antiquitas, sed vel imprimis probat omissum inter præscripta s monachis Horas Canonicas Completorium, quod a S. Benedicto primum institutum passim creditur. Hinc enim fluit probabilissima conjectura, chartam ante S. Mauri ad cœnobium Agaunense adventum, disseminatamque seculo sexto adulto S. Benedicti Regulam per Gallias, primitus conditam fuisse.*

ubi pluribus de sanctis Martyribus

43 *In laudatis autem synodi Agaunensis Actis ita loquitur Theodorus episcopus Octodurensis :* Instantia cordis mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid agendum sit de beatorum Martyrum Thebæorum corporibus, id est S. Mauritii cum suis Commilitonibus, qui pro Deo a Maximiano perempti sunt, et inhumati jacent; nescio, qui sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricare ecclesias. Tunc omnes F episcopi dixerunt : De cruore eorum locus iste sacer est et electus. Illi exules fuerunt a patria, vitam mundi contemnentes, caduca respuentes, consanguinitatem promixi non recogitantes, juventuti non parcentes; pro Christi amore mortui sunt; et per Christum sanctificati sunt. .. Inito concilio, ad regem dixerunt *(episcopi.)* Visum est nobis bonum esse, ut hi tantum, quorum nomina comperta sunt, id est, Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris *(ecce eorum solum expressam memoriam, quorum nominatim mentio fit in Passione S. Eucherio Lugdunensi tributa)* infra ambitum basilicæ, quam clementia regis ad hoc opus ornare jussit, reliqua vero corpora congerantur in tutissimo loco atque aptissimo; in uno condantur loco, et sub eximia custodia sanctissimi custodes deputentur, ne forte, quod absit, falsato ex eis furentur, et constituatur officium psallendi die noctuque indesinenter.

agitur. Confirmantur hæc

44 *Præficitur deinde restaurato seu innovato monasterio abbas Hymnemondus, statuuntur, quæ ad psalmodiam pertinent, ac denique sequuntur*

AUCTORE J. C.

tur et confirmantur plurimæ donationes cœnobio Agaunensi factæ, pietatis et venerationis, qua erga præclarissimos Martyres nostros ferebatur Sigismundus rex, perpetua monumenta. Utcumque vacillantem Actorum concilii Agaunensis fidem, fulciat testimonium scriptoris anonymi, qui Vitas sanctorum post innovatum monasterium, primorum abbatum Agaunensium seculo sexto exaravit; Chiffletius noster in Illustrationibus Jurensibus Mss. prelo paratis, et ad nos missis a P. Harduino, contendit, earum auctorem esse Pragmatium, S. Achivi Agaunensis tertii abbatis fratrem, eumdem illum Vitarum SS. Romani, Lupicini et Eugendi scriptorem. Quamvis nihil hanc eruditissimi, deque Opere nostro optime meriti scriptoris conjecturam multum suadeat, non est tamen a vero multum absimilis, in quantum scilicet ad trium primorum Agaunensium abbatum Hymnemondi, Ambrosii et Achivi Vitas extenditur. Gestorum S. Probi eumdem etiam auctorem esse, inducere in animum non possum, neque a me dissensurum credo, quisquis attentius lucubrationem illam perlegerit. Etenim stilus Actorum S. Probi tam enormiter differt ab eo, quo Vitæ reliquæ exaratæ B *sunt, ut auctorem prorsus alium indubie indicent, vel ex stili diversitate nullum amplius pro distinctione scriptorem obtinebit argumentum.*

ex Vitis trium

45 *Porro monachus scriptor, historiæ Agaunensis, seu* Vitarum sanctorum abbatum Hymnemodi, Ambrosii et Achivi, qui suscipiendæ congregationi Agaunensis monasterii eximie præfuerunt, *illorum ubique se contemporaneum profitetur, et ita de instauratione Agaunensis monasterii per Sigismundum regem loquitur:* Cum Sigismundus Gundobadi regis filius, jam honore patriciatus accinctus, Arianæ pravitatis abjecisset perfidiam, et fidem Catholici dogmatis consecutus, animum suum erga Religionis studia intentissime commodabat, eo tempore Maximus Genavensis urbis antistes, omni sanctitate et puritate conspicuus, cunctæque industriæ strenuitate egregius, apud quem prædicatio divini sermonis vehementer pollebat, ad hanc devotionem Sigismundi præcordia incitavit, ut de illo loco, quem pretiosa morte Thebæi Martyres et effusione sanguinis inclyti, felicibus maculis, rosea varietate ornaverant, promiscui vulgi commixta habitatio tolleretur, et illic, ubi splendor vitæ per passionis atrocitatem fuerat adquisitus, nitor habitantium remearet, exclusisque actionibus tenebrarum, dies perpe- C tuus haberetur.

primorum abbatum

46 Ita fore ut, iisdem patrocinantibus, et regno et regni integritate tutissime potiretur. Eo pacto, si cogitatio ejus a pietate et justitiæ itinere minime deviaret, quia hos Sancti tuentur, quos sciunt a bono ordine nullatenus declinare. Quod tamen cum omni abundantia et prosperitate habere promeruit, et adhuc tempore longiore habuerat, si non, exundantibus populorum delictis, antiqui hostis invidia valuisset. Igitur habito consilio, quod universitati Dei instinctu complacuit, visum est, ut omnes mulieres de loco eodem tollerentur, et remotis familiis sæcularibus, Dei inibi, hoc est, monachorum familia locaretur, qui diu noctuque cælestia imitantes, cautionibus divinis insisterent. Pertractus ergo, qui potissimum de abbatibus monarchiam ipsius actionis adsumeret, vir electione dignissimus Hymnemodus.

Agaunensium, scriptis ab anonymo

47 *Post hæc narrat biographus, quomodo Hymnemondum,* (Innemondus *et* Himnemodus *in Catalogis antiquis nominatur) Ursolus et Justus abbates, atque Achivus et Probus Agaunum seculi sint, et subdit* : Inter hæc missum est Lugduno ad beatum abbatem Ambrosium, uti regis devo- D tio et sancti Hymnemodi promissio impleretur. Quod ubi cognovit civitas Lugdunensium, valde turbata est, eo quod tantus et talis servus de loco illo discederet. Sanctus vero Viventiolus urbis ejus episcopus, vel fratres, quos ipse abba regere videbatur, mœrore gravi perculsi sunt. Sed ille vir Deo plenus, ubi audivit viros præcipuos Hymnemodum et Achivum cum S. Probo jam ad Sanctorum basilicam præcessisse, omnibus morarum retibus amputatis, velociter cum aliis abbatibus sanctis viris Arcadio et Drabistione magno comitatu ad Sanctorum basilicam venit. Sic junctus sanctis Martyribus mira caritatis gaudia cunctis in congregatione eadem Fratribus cumulavit.

48 Psallendi interim vel subsistendi Regula instituta, sancto Hymnemodo a cœtu episcoporum, qui illic ad constituendum monasterium venerant, traditur. *Ita Acta Agaunensium abbatum, quæ laudatus Chiffletius ex vetustissimo codice ecclesiæ Bisonticensis eruit. Ad hæc observasse juverit, generaliter eadem fere hic dici, quæ Acta concilii Agaunensis speciatim prosequuntur. Docemur hic etiam, quis fuerit Agauni status ante innovationem per Sigismundum factam.* Maximus *(inquit scriptor)* Sigismundi præcordia incitavit, ut de illo E loco... promiscui vulgi commixta habitatio tolleretur. *Cui quæso rei, commixta vulgi habitatio fuerat, nisi domibus Sanctorum virorum seu sacerdotum secularium, seu monachorum, qui sanctorum Thebæorum Martyrum basilicæ inserviebant, vel contemplationi vacantes, prope sacras exuvias, secularium domibus permixti excubabant. Certe priscæ eo loco venerationis non obscure meminit scriptor, dum subdit* : Et illic, ubi splendor vitæ per passionis atrocitatem fuerat adquisitus, nitor habitantium remearet.

seculi 6

49 *Is nimirum pridem a Theodoro I Octodurensi episcopo institutus fuerat, dum ibi basilicam vel sacellum exstruxerat, cujus custodiæ aliquem de clero suo præfecisse illum verisimile est. Nisi forte jam tum plures illi sacerdotes peragendis divinis officiis adjunxerit, quorum numerus cum Sanctorum veneratione crescens, sub pastore vel præposito, qualem fuisse S. Severinum, est valde probabile, quodammodo instar monachorum adunatus vixerit. Postea sive ipsa sanctorum Martyrum veneratio, sive lucri cupiditas, homines eo allexit, et constructis domibus seculares clericis permixti fuerunt, unde morum dissolutio in his* F *facile nasci potuit, et sic pristinus nitor et loci sanctitas sensim evanescere. Illis itaque reducendis adlaboravit concilium, sublatis inde mulieribus et familiis secularibus, atque fundato monasterio, in quo ad sanctorum pignorum custodiam conviventes sub arctissima Regula monachi, curis omnibus mundanis, omnique tumultu liberi, perpetuo divinis laudibus canendis vacarent.*

scriptore.

§ IV. Sanctorum Thebæorum cultus seculo VI a S. Gregorio Turonensi, et Venantio Fortunato assertus.

Sanctorum Martyrum

Ad Agaunense monasterium et Sigismundi martyris peculiarem erga sanctos Thebæos venerationem spectantia habet S. Gregorius Turonensis variis locis. Libro 3. Historiæ Francorum cap. 5 scribit : Igitur, mortuo Gundobado, regnum

A gnum ejus Sigismondus filius ejus obtinuit, monasteriumque Agaunense solerti cura cum domibus basilicisque ædificavit. *Deinde narrat, quomodo Segericus novercæ Almabergæ, seu Amalbergæ iniquis machinationibus, et decepti nimia credulitate patris jussu strangulatus sit. Sigismundi de patrato scelere serum dolorem prosequens ;* Nihilominus ille, *inquit*, ad sanctos Agaunenses abiens, per multos dies in fletu et jejuniis durans, veniam precabatur, psallentium ibi assiduum instituens. Lugduno regressus est, ultione divina de vestigio eum prosequente. *Etenim Chrotechildis reginæ adhortationibus instigati Chlodomerus Francorum rex et fratres ejus* Burgundias petunt, et contra Sigismundum et fratrem ejus Godomarum dirigunt, devictoque eorum exercitu, Godomarus terga vertit, Sigismundus vero, dum ad Sanctos Agaunenses fugere nititur, a Chlodomero captus, cum uxore et filiis captivus abducitur, atque infra terminum Aurelianensis urbis in custodia positus detinetur.

S. Gregorius Turonensis, variis locis meminit.

51 *Biennio post, redintegrato cum Godomaro Burgundionum rege bello, Chlodomerus Sigismundum, uxorem et filios occidit, quæ omnia idem* B *Gregorius relegit lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 75, *ubi post pauca scribit:* Hic etenim *(Sigismundus)* post interemptum per iniquæ consilium conjugis filium, compunctus corde, Agaunum dirigit, ibique prostratus coram sepulchris beatissimorum Martyrum Legionis Felicis pœnitentiam egit... Postea vero captus ab Chlodomere rege cum filiis, interfectusque ejus jussu, ad eumdem locum delatus, sepulturæ mandatus est. *Prima hic Gregorii narratio, ubi dicitur Sigismundus post interfectum Segericum filium, quod anno Christi* 522 *contigit, pœnitentiam acturus Agaunum secessisse* Psallentium ibi assiduum instituens, *Coïntio ansam præbere potuit opinandi, supposititia esse Acta concilii Agaunensis, quæ, cum condita dicantur anno Christi* 515 *vel sequenti, hujus tamen instituti meminerunt.*

52 *Verum Historia trium primorum abbatum Agaunensium, de qua paulo ante egimus, abunde innuit, ipso statim ejusdem cœnobii restaurati exordio perpetuas laudes inductas fuisse. Igitur erravit hic Gregorius, vel, quod magis suspicor, verbis forte luxatis aliud omnino insinuare voluit. Mss. aliqua habent:* Psallentium ibi chorum C assiduum instituens, *quæ quidem sensum, alibi tamen S. Gregorio satis familiarem, supplent; at dubito, an non potius significare Gregorius voluerit, regem cum monachis in choro psallentibus semper adfuisse quod contextus videtur exigere. Quidquid tamen fuerit, hæc omnia sancti regis fiduciam in sanctorum Thebæorum Martyrum patrocinio, summamque erga illos venerationem luculenter probant. Præter ea, quæ ex S. Gregorio recitavimus, tamquam ad historiam Agaunensis monasterii pertinentia, apud eumdem egregium sanctorum Martyrum nostrorum laudatorem, testimonia occurrunt priscæ venerationis et cultus, dudum ante ejus tempora antiqui. Historiæ Francorum lib.* 10 *sub finem sic scribit.*

Ejus auctoritatem omnem frustra ministellus explodit.

53 Nonus decimus Gregorius ego indignus ecclesiam urbis Turonicæ, in qua beatus Martinus et ceteri sacerdotes Domini ad pontificatus officium consecrati sunt, ab incendio dissolutam diruptamque nactus sum, quam reædificatam in ampliori altiorique fastigio septimo decimo ordinationis meæ anno dedicavi ; in qua, sicut a longævis presbyteris comperi, beatorum ibidem reliquiæ Agaunensium ab antiquis fuerant collocatæ. Ipsam etiam capsulam in thesauro basilicæ S. Martini reperi, in qua valde putredine erat pignus dissolutum, quod pro eorum religionis est virtute delatum. Ac dum Vigiliæ in eorum honore celebrarentur, libuit animo hæc iterum, prælucescente cereo, visitare. Quæ dum a nobis adtente rimantur, dixit ædis ædituus : Est hic, inquit, lapis opertorio tectus, in quo, quid habeatur, prorsus ignoro ; sed nec prædecessores ministros hujus custodiæ scire comperi. Deferam eum et scrutamini diligenter, quid contineatur infra inclusum. Quem delatum reseravi, fateor, et inveni in hoc capsulam argenteam, in qua non modo beatæ Legionis Testium, verum etiam multorum sanctorum tam Martyrum, quam Confessorum reliquiæ tenebantur.

54 *Thebææ Legionis nostræ athletas Testes hic vocat Gregorius, id est, Martyres, a Græco* Μαρτυρεῖν, *testari. Non est hic igitur peculiaris titulus, Sanctis nostris tributus, ut videtur censere Ruinartius in Notis. Porro capsa, in qua Sanctorum Agaunensium reliquiæ servabantur, vetustate et putredine dissoluta, capsula alia argentea, qua, quid servaretur, nemo tum temporis meminerat, abunde antiquissimum in ecclesia Turonensi* S. Mauritii *et Sociorum cultum probant. Dubordæus quidem nimiam S. Gregorii credulitatem* E *sparsim in sua Dissertatione sugillat, indeque omnem sancto episcopo auctoritatem tollere nititur : ast irriti sunt ejus conatus. Qui sobrie de auctoribus judicant, fatentur, Gregorium non semel errasse, in iis maxime, quæ ad chronologiam spectant, et ab ejus temporibus et sede remotiora sunt, quæque adeo ex relationibus per plurimorum manus traditis, neque satis fidis accipere debuit. At simul sancto viro circa ea, quæ ejus tempore contigerunt, quæ vidisse se, vel a viris fide dignis accepisse testatur, auctoritatem, ut oportet, magnam deferunt.*

Miraculum, quod seculo 6.

55 *Testantur hic senes presbyteri, Agaunensium Martyrum reliquias in prima lipsanotheca servari ; in secunda argentea, testimonium procul dubio Gregorius reperit, quod fidem faceret ; quomodo enim alias distinxisset Sanctorum nostrorum exuvias inter tot alia coagmentata sacra pignora? Igitur dudum ante Gregorium Turonenses sanctos Agaunenses Martyres venerati sunt, de quo plura in Gloria posthuma. Interim accipiamus ab eodem sancto Turonensi præsule lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* 76 *duo miracula, quæ ad Sancto-* F *rum Thebæorum reliquias contigerunt, quæque sic enarrat :* Magna etiam virtus ad antedictorum *(de illis egerat capite præcedenti, unde illa de Sigismundo et Agaunensis monasterii institutione superius delibavimus)* Martyrum sepulchra, de quibus, relictis pluribus, pauca perstringere libuit. Mulier quædam filium suum unicum ad hoc monasterium adducens abbati tradidit erudiendum, videlicet ut factus clericus sanctis manciparetur officiis.

56 Verum cum jam spiritualibus eruditus esset in litteris, et cum reliquis clericis in choro canentium psalleret, modica pulsatus febre, spiritum exhalavit. Cucurrit mater orbata ad obsequium funeris plangens, sepelivitque filium. Verumtamen non suffecerunt hæ lacrymæ dolori, quæ in exsequiis sunt effusæ, sed per dies singulos veniebat, et super sepulchrum nati sui, emissis in altum vocibus, ejulabat. Cui tandem apparens per visum noctis beatus Mauricius, ait : Quid tu, o mulier, incessanter filii obitum plangens, numquam desistis a luctu ? Cui illa : Dies, inquit, vitæ meæ hunc planctum non explent, sed dum advixero, semper deflebo unicum meum, nec

AUCTORE J. C.

nec umquam mitigabor a lacrymis, donec, oculos corporis hujus debita mors concludat. Cui ille: Noli ita, ait, quasi mortuum flere, sed æquanimiter age; nam scias eum nobiscum habitare et sedentem *(alii codices habent* sede: *forte legendum est* in sede) vitæ perennis consortio nostro perfrui. Et ut veraciter credas, certa esse, quæ loquor, surge crastina die ad Matutiuum, et audies vocem ejus inter choros psallentium monachorum.

in basilica Agaunensi

57 Et non solum die crastina, sed etiam omnibus diebus vitæ tuæ, cum veneris, audies in psallentio vocem ejus: ideoque ne fleveris, eo quod gaudere te oporteat potius, quam flere. Surgit mulier longaque ducit supiria, nec obdormit in stratu suo, donec signum ad consurgendum commoveatur a monachis; quo commoto, accedit ad ecclesiam, aliqua de visione, quam viderat, probatura: nihil enim præteriit de pollicitatione sancta sed quæ fuerant divinitus nunciata, mox impleta noscuntur. Verum ubi cantator Responsorium, *(lege* cantato Responsorio) Antiphonam caterva suscepit monachorum, audit genitrix, parvuli vocem cognoscit, et gratias B agit Deo. Sed et illud, quod Martyris ore promissum habebatur, prorsus impletum est, ut omnibus diebus vitæ suæ, cum accessisset mulier ad psallentium, vocem audiret hujus infantuli inter reliqua modulamina vocum. *Dubordæus hæc quidem speciatim non attigit, ratus forte, ita protrivisse se S. Gregorii auctoritatem, ut peculiari ratione aliqua impugnare necesse non esset.*

contigit. Sanctorum nostrorum reliquiæ

58 *Patebat tamen hic campus exercendæ dicacitati. Solent enim ejus sectæ homines, qui non raro ebriosi sutoris deliria et debacchantis mulierculæ furias pro divinis oraculis venditant et sequuntur, assertas a sanctis Patribus hujusmodi apparitiones cælestes ad aniles fabulas rejicere. Miror itaque, hypercriticum heterodoxum hæc, tamquam turbati ex nimio dolore materni cerebri somnia non explossise. Quamquam, fallor,* avia Pieridum peragrat loca, nullius ante trita solo; *ut initio Dissertationis suæ nos monuit, et ex tota ejus lucubratione abunde liquet, maluisse eum generatim aliqua impetere, quam singula examinare, ne sic magis suas ineptias proderet, nec tam facile lectoribus suis fucum facere posset. Nihil attinet narrationis hujus veritatem* C *defendere velle, ad, quod solum hactenus molimur, inde certum fit, celebre seculo* 6 S. Mauritii *nomen fuisse, multumque celebratum Agaunense monasterium. Magis adhuc id luculentum est, ex illis, quæ ita eodem loco Gregorius subnectit.*

a Gunthramno expetitæ, presbyterum

59 Cum autem Guntchramnus rex, ita se spiritualibus actionibus mancipasset, ut, relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret, accidit ut, misso presbytero, munera Fratribus, qui Sanctis Agaunensibus deserviunt, ex voto transmitteret, præcipiens presbytero, ut ad eum rediens Sanctorum sibi reliquias exhiberet. Igitur dum, impleta regis præceptione, cum his regrederetur pignoribus, Lemanni laci, per quem Rhodanus influit, navigium petit. Extenditur autem lacus ille in longitudine quasi stadiis quadringentis, latitudine autem stadiis centum quinquaginta. Denique revertens presbyter, ut diximus, cum navigium hoc fuisset adgressus, subito tempestas exorta fluctus tollit: ad sidera surgunt undarum montes, nunc puppis, naviculæ prora dehiscente, fertur in altum, nunc iterum, demersa puppe, prora tollitur in sublime: turbabantur nautæ, et nihil aliud nisi sola mors in hoc periculo præstolatur.

a naufragii periculo liberant.

60 Tunc presbyter, cum videret his fluctibus D obrui et spumis undarum ipsarum graviter operiri, extracta a collo capsula, quæ Sanctorum pignora continebat, undis tumentibus fidus objecit, ac Sanctorum præsidium clara invocat voce, dicens: Ne peream in his fluctibus virtutem vestram deprecor, Martyres gloriosi, sed potius, qui jugiter pereuntibus præbetis auxilium, mihi, quæso, dextram salutis porrigere dignemini; fluctus opprimite, nosque ad litus optatum vestri adjutorii ope reducite. Et hæc dicens, cessante vento, decedentibus undis, ad litus evecti sunt. Hæc ab ipso cognovi presbytero. *Luculentius, opinor, testimonium antiquæ summæque regum erga sanctos Agaunenses Martyres venerationis nec dari, nec exigi potest. Ceterum reliquias* S. Mauritii *et Sociorum petiisse Guntchramnus potuit, ut iis Cabillonensem S. Marcelli basilicam, a se anno Christi* 584 *ædificatam, ditaret. Certe, ut scribit Fredegarius in Chronico,* synodum quadraginta episcoporum fieri præcepit, et ad instar institutionis monasterii sanctorum Agaunensium, quod temporibus Sigismundi regis ab Avito et ceteris episcopis, ipso principe jubente, fuerat confirmatum, hujus synodi conjun- E ctione monasterii S. Marcelli Guntchramnus institutionem formandam curavit.

Venantii Fortunati

61 *S. Gregorio Turonensi contemporaneus S. Venantius Fortunatus Pictaviensis episcopus sanctos etiam Agaunenses lib.* 2 *Carmine* 15 *sic celebrat.*

Turbine sub mundi cum persequerentur iniqui,
  Christicolasque daret sæva procella neci;
Frigore depulso, succendens corda peregit
  Rupibus in gelidis fervida bella fides:
Quo pie Mauriti, ductor Legionis opimæ,
  Traxisti fortes subdere colla Viros;
Quos positis gladiis amarent dogmata Pauli,
  Nomine pro Christi dulcius esse mori.
Pectore belligero poterant qui vincere ferro,
  Invitant jugulis vulnera cara suis.
Hortantes se clade sua sic ire sub astra
  Alter in alterius cæde natavit heros.
Adjuvit rapidas Rhodani fons sanguinis undas,
  Tinxit et Alpinas ira cruenta nives.
Tali fine polos felix Exercitus intrans,
  Junctus Apostolicis plaudit honore choris,
Cingitur angelico super astra beata senatu,
  Mors fuit unde prius, lux fovet inde Viros. F

de sanctis Martyribus carmina

62 Ecce triumphantum, Ductor fortissime, tecum
  Quatuor hic procerum pignora sancta jacent.
Sed luteo tumulo latitat cæleste talentum,
  Divitiasque Dei vilis arena tegit.
Qui faciunt sacrum paradisi crescere censum,
  Heredes Domini luce perenne dati.
Sidereo Chorus iste trono cum carne locandus,
  Cum veniet Judex arbiter orbis, erit.
Sic pia Turba simul festinans cernere Christum,
  Ut cælos peteret, de nece fecit iter.
Fortunatus enim per fulgida dona Tonantis,
  Ne tenebris crucier, quæso, feratis opem.

Item Venantius lib. 8 *cap.* 4, *quod est de Virginitate, enumerans celeberrimos toto orbe Sanctos, sub medium Thebæorum Martyrum sic meminit:*

Cæciliam Sicula profert, Seleucia Theclam,
  Et Legio felix Agaünensis adest;

ut constet seculo sexto sanctos nostros Martyres inter præcipuos habitos et celebratos fuisse.



§ V.

A

§ V. Antiquissimum de Sanctis Agaunensibus monumentum. Eorum memoria in Martyrologiis classicis.

Missa de S. Mauritio et Sociis

Quod ad anteriora secula non immerito referri posset, hic certe primum locum postulat, monumentum insigne antiquissimi celeberrimique in Ecclesia cultus Thebæorum nostrorum sanctorum Martyrum ex Missali Gothico, ab annis circiter 1000, *Thomasio et Mabillonio Liturgiæ Gallicanæ lib.* 3 *testibus, exarato quadratis litteris. Neque tamen ex his solis fit de ejus vetustate judicium, sed vel maxime ex abrogata tempore Caroli Magni liturgia Gallicana, ante quod proinde tempus merito censetur scriptum fuisse. Missa S. Leodegarii in eodem codice invenitur quidem, atque ex eo consequens fit, non esse illum anno* 678, *quo necatus est S. Leodegarius, antiquiorem :* B *verum certum est, Missas non omnes, quæ in illo codice leguntur, tum primum, cum scriptus est, compositas fuisse, sed aliunde desumptas. Has inter fuisse* S. Mauritii *et Sociorum Missam hanc, verosimiliter in monasterio Agaunensi ab ejus per Sigismundum amplificatione recitatam, merito suspicabitur, qui præjudiciis suis tenacius non adhæserit, maxime cum perspicuum sit, illam excerptam esse ex Actis primigeniis, quæ post interpolationem, seculo verosimilius septimo factam, videntur rarissima fuisse.*

ex Missali

64 *Habe igitur illam, lector, ex Mabillonii Liturgiæ Gallicanæ lib.* 3 *transcriptam integram.*

Missa sancti ac beatissimi Mauricii cum sociis suis. Omnipotentis Domini misericordiam in hujus diei sex millium sexcentorum Martyrum solemnitate, fratres carissimi, deprecemur, ut qui tantæ Plebi suæ gloriam martyrii contulit, ita nobis diei immensa peccaminum *(hic aliquid procul dubio desideratur, quod legi forte non potuit, neque enim intelligibilis sensus est)* misericordiæ suæ largitate lætificet. Per Dominum nostrum Jesum.

Collectio sequitur. Deus, qui sanctis tuis Acauninsebus pro tuitione Christiani nominis persecu- C tionis audaciam subtulisti, eorumque animum ad adepiscendam dignitatis tuæ martyrio præfulgentem gratiam incitasti, exaudi supplices tuos, et præsta, ut, sicut illi tuo munere meruerunt beatifice coronari, ita eorum suffragiis ab omni colluvione peccati, te auxiliante, reddamur innoxii. Per Dominum.

Gothico edito a Thomasio, et Mabillonio

65 Collectio post nomina. Auditis nominibus carorum nostrorum, omnipotentem Dominum deprecemur, ut plebis suæ ministrorumque vota suscipiens, oblationes nostras, quas in commemorationem sanctorum Acauninsium, ac pro spiritibus carorum nostrorum offerimus, in odorem bonæ suavitatis accipiat. Unde supplices sumus, ut beatissimorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum et Martyrum, omniumque Sanctorum piis precibus adjuvemur. Per.

Collectio ad pacem. Deus, cui acceptissimum ac jucondissimum sacrificium est Sanctorum tuorum fides atque devotio, adesto familiæ tuæ tibi supplici, misericordiam tuam per sanctorum tuorum Acauninsium suffragia postulanti, et da, ut qui te peccatorum suorum errore læserunt, placere tibi per Sanctorum tuorum intercessionem mereantur. Per.

auctore J. C. scriptoque

66 Immolatio Missæ. Dignum et justum est, nos tibi gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Tu enim, Domine, Thebæorum exercitum, ad populi tui supplicium destinatum, ita subita jussionis tuæ gratia revocasti, ut plus eligerent sedula devotione interfici, quam de Christianorum sanguine satiari, Nec cum tantis ut *(credo legendum* Nec cunctantes) te auxiliante persecutionis onus excepere *, cervices suas persequentibus inclinare. Et cum rabies inimici decerneret, ut Dei Populus denumerationis instantia deperiret, ille raptus est decimus, qui anticipatione martyrii fieret primitivus. Clamor in castris oritur, virtus dimicandi contemnitur, de adsumatione martyrii contentio ardua commovetur. Dei Populus ferro confoditur, sanguis innocentum effunditur, fides inlibata servatur. Sic, Domine, Milites protegis tuos, ut nec defuerit in passione patientia, nec in confessione constantia.

* *forte*, Excipere, etc.

ante annos mille.

67 Inter Beatorum bella et beata certamina, plus metuit gloriosa confessio de Commilitonum consortio dividi, quam manus carnificis gloriari. Totus namque Dei Populus tanta ardoris fidei ala- E critate flagrabat, ut, si tardaretur persecutio corporis, præcederet devotio passionis. Tanta enim fuit constantia populi et.....* inimici, ut nec furor invenerit postmodum, quod occideret, nec gloriosum remanserit, quod periret. Factus est sacer ille Acauninsium locus per suffragia Martyrum salus præsentium, præsidium futurorum, quem sanguinis unda perfudit, pretiosorum corporum societas consecravit. Unde merito tibi, Domine, inter choros martyrum et voces angelorum laudes tibi debitas agimus cum exultatione dicentes. Sanctus.

* *an. non supplendum* Crudelitas ?

Collectio post sanctus. Oremus, fratres dilectissimi, ut Dominus ac Deus noster speciem istam, suo ministerio consecrandam, cælestis gratiæ inspiratione sanctificet, et humanam benedictionem plenitudine divini favoris accumulet. Per Dominum nostrum Jesum.

De iisdem alia antiqua monumenta,

68 *In Notis et Observationibus Menardi ad Sacramentarium Gregorii pag.* 181 *codex Ratoldi seculo Christi* x *conscriptus, ad* x *Kalendas Octobris Missas duas de* S. Mauritio *et Sociis exhibet, quas huc quoque transferre integras nihil* F *attinet. Solum observo, multum illas inter se discrepare, ex diversis codicibus verosimiliter transcriptas. Primæ Oratio talis est :* Annue quæsumus omnipotens Deus, ut nos sanctorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentis et Vitalis et Sociorum eorumdem lætificet festiva solemnitas etc. *Eadem Sanctorum nomina recurrunt in Oratione* super Oblata : *in secunda autem Missa nulla fit de* SS. Innocente, *seu potius* Innocentio, *et* Vitale *mentio, et hæc recitatur Oratio :* Omnipotens et misericors Deus, qui sanctis martyribus tuis Mauritio, Exuperio Candido et Victori coronam martyrii præstitisti etc. : *unde suspicor esse priore antiquiorem.*

quæ omnia satis probant, Sanctos

69 *Plura per temporum seriem sparsa toto Occidente congeri possent monumenta antiquissimæ populorum erga sanctos* Mauricium et Socios *martyres venerationis : Verum quod hac ad Gloriam illorum posthumam potissimum spectent, illuc referimus. Interim, quæ retulimus hactenus, sufficiunt ad reprimendam eam Dubordeanæ hypercriticæ partem, qua contendit, sanctos Agaunenses Martyres fictitios heroes esse, qui numquam in rerum natura exstiterint. Etenim si repertum semi-*

AUCTORE J. C.

esum vetustate numisma, si detectus sepulcralis lapis, si inscriptio, cujus sensus vix divinando exponitur, fidem apud prudentes faciunt, personæ cujusdam vel facti, cujus nusquam alibi mentio fit, quis, quæso, sobrius suspicabitur, fabulosos Sanctos esse, quorum antiquissimum cultum tot probant monumenta, licet aliunde nullum scriptum esset illorum Martyrium, licet ficta et fabulosa essent, quæcumque de illis scriptores posteriores tradiderunt?

non esse fictitios heroes. Eorumdem apud Martyrologos septimi

70 *Duo sunt alia sophismata, quibus sanctorum Martyrum existentiam impugnat ministellus, quæque sequenti § refellam, martyrologorum hic classem subtexo, quæ probet disseminatum magis magisque Sanctorum Agaunensium cultum. Posteriorum quidem hi seculorum testes sunt, at qui luculentum nobis faciunt, Passionem, quæ a Chiffletio eruta et S. Eucherio Lugdunensi vindicata est, illis seculis in Ecclesia exstitisse, atque adeo non esse ab eodem Chiffletio ex Actis Surianis cusam, quæ est alia hypercritici ministelli intemperans suspicio. Beda itaque Acherii canit ad* x *Kalendas Octobris:*

Mauritius decimas martyr cum millibus una.

B *Noster ad eumdem diem habet*: Sanctorum martyrum Thebæorum Mauricii, Candidi, Exuperii, Victoris. *Addit apographum reginæ Sueciæ*: Cum aliis VI CIↃ octuaginta quinque martyribus; *Florus autem*: Cum Sociis, quorum omnium numerus sex millia, sexcenti, sexaginta sex fuisse dicitur, qui pro Christi nomine omnes pariter jussu Maximiani cæsaris gladio sunt interfecti.

et octavi seculi memoria.

71 *Prolixiores sanctorum Martyrum annuntiationes ibidem in auctariis videri possunt. Rabbanus Maurus parcissime illorum hodie meminit, his verbis*: Sanctorum martyrum Thebæorum Mauricii, Candidi, Euperii. *Eorumdem longissimum est apud Adonem elogium, quod huc transferre operæ pretium est, utpote ex Actis primigeniis certo desumptum, licet nonnullis auctum sit. Sic igitur ad hunc diem scribit Ado*: In Galliis civitate Seduno, loco Agauno, natale sanctorum martyrum Thebæorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum Sociis suis, qui sub Maximiano passi pro Christo, gloriosissime coronati sunt. Ut igitur beatissimæ earum passionis causa breviter loquamur, sub Maximiano, qui Romanæ reipublicæ cum Diocletiano collega im-
C perium tenuit, per diversas fere provincias laniati sunt atque interfecti Martyrum populi. Idem namque Maximianus erga Dominum cæli profanus impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat.

Eorum prolixum

72 Si qui tunc veri Dei cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur. Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur: legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia et sexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientalibus partibus accersiti venerant; Viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores: erga imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Itaque cum hi, sicut et ceteri milites, ad dilaniandam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat, nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat. Igitur, cognito Thebæorum responso, præcipiti ira fervidus, ob neglecta imperia decimum quemque ex eadem Legione gladio feriri jubet, quo facilius reliqui rebus certis territi metu cederent. Redinte- D
gratis mandatis, edicit, ut reliqui in persecutionem Christanorum cogantur.

in Adone

73 Ubi vero ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, injungi sibi rursus executiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur affirmantium, numquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros. His deinde compertis, Maximianus omni bellua cruentior, rursus ad ingenii sævitiam redit, atque imperat, ut iterum decimus eorum neci detur, ceteri nihilominus ad hæc, quæ sprernerent, compellerentur. Quibus jussis denuo in castra perlatis, segregatus est atque percussus, qui decimus sorte obvenerat. Reliqua vero se Militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro ordine persisteret. Incitamentum tamen maximum fidei penes S. Mauritium fuit, primicerium Legionis ejus, qui cum Exuperio (ut in exercitu appellant) campiductore, et Candido senatore militum accedebat, exhortando singulos et monendo, fidelium Commilitonum, etiam Martyrum exempla ingerens.

elogium

74 His itaque Primoribus suis atque auctoribus animati beatissimi Viri, Maximiano adhuc insania E
æstuanti mandata mittunt, sicut pia, ita et fortia. Milites, inquiunt, sumus, imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam: a te stipendium laboris accipimus, ab illo vitæ exordium sumpsimus. Sequi imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Dominum ac auctorem, velis, nolis, tuum. Si non ad tam funesta compellimur, ut hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus: sin aliter, ipsi parebimus potius, quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus: dexteræ ipsæ pugnare adversus impios et inimicum sciunt, laniare pios et cives nesciunt.

ex Actis

75 Meminimus nos pro civibus potius, quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute: hæc fuerunt hactenus pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quoquo * pacto conservemus tibi, si hanc Deo nostro non exibemus? Juravimus primum in sacramenta divina, juravimus inde in sacramenta regia: nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad pœnas per nos requiri jubes, jam tibi ex hoc alii acquirendi non sunt. Habes nos hic confi- F
tentes Deum Patrem auctorem omnium; et Filium ejus Jesum Christum Dominum credimus: videmus laborum periculorumque nostrorum Socios, nobis quoque eorum sanguine adspersis, trucidari ferro, et sanctissimorum Commilitonum mortes et Fratrum funera non flevimus, non doluimus sed potius laudavimus et gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro Domino Deo eorum.

** alibi Quo*

primigeniis

76 Non nos vel hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem cogit: non nos adversum te, imperator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis desperatio. Tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidere satis malumus, et innocentes interire, quam noxii vivere præoptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignem, tormenta, ferrum, subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus. Cum hæc talia Maximianus audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos Virorum, desperans gloriosam eorum contantiam posse revocare, una sententia interfici

A interfici omnes decrevit et rem confici circumfusis militum agminibus jubet. Qui cum missi ad beatissimam Legionem venissent, stringunt in Sanctos impium ferrum, mori non recusantes vitæ amore. Cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes saltem aut repugnantes, sed et, depositis armis, cervices persecutoribus præbentes et jugulum percussoribus vel intectum corpus offerentes.

desumptum est. Eorumdem

77 Victor autem martyr nec Legionis ejusdem fuit, nec miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens subito insidisset in hos, qui passim epulabantur læti Martyrum spoliis, atque ab his ad convescendum invitatus prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognoscens, detestatur convivas, detestatusque convivium refugiebat; requirentibusque, ne et ipse forsan Christianus esset, Christianum se et semper futurum esse respondit : ac statim ab irruentibus interfectus, ceteris Martyribus sicut morte, etiam honore conjunctus est. Quid deinde circa Maximianum tyrannum sit consecutum, brevi colligere placuit. Cum dispositis insidiis genero suo Constantino mortem moliretur, deprehenso dolo, apud Massiliam B captus est, nec multo post strangulatus teterrimoque supplicio affectus, impiam vitam digna morte finivit. At vero beatissimorum Martyrum corpora post multos passionis annos sancto Theodoro episcopo revelantur et in eorum honorem basilica honeste componitur.

apud Usuardum et alios

78 Sed et per longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rhodanus revelavit; quæ non ideo a sinu terræ protulit, ut in gurgitis sui procella demergeret, sed ut ceteris Martyribus sepultura venerabiliter sociaretur. *Tam prolixum Sanctorum Agaunensium elogium ex Adone integrum refero, quia ubi de Passione, ejusque antiquitate disputabimus, venient ex illo aliqua observanda. Brevior pro more Usuardus, sic hodie nuntiat.* In Galliis civitate Seduno, loco Acauno, natalis sanctorum martyrum Thebæorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum Sociis sex millibus quingentis, qui sub Maximiano passi pro Christo gloriosissime coronati sunt. *Monet Sollerius in Auctariis, variare in apographis Martyrum numerum, et pro* 6500, *alia* 6666, *alia* 6660 *habere, ut ibidem videre est.*

79 *Wandelbertus numerum non exprimit, ca-* C *nens :*

mentio. Ignoti sunt Græcis. Crassa de Baronio

Mauritius denum socia Legione coronat,
Effuso mortem pariter quæ sanguine vicit.

Galesinium, Grevenum, Molanum ceteraque mittorecentiora Martyrologia, quæ omnia Sanctorum Thebæorum texunt elogium. Græci Agaunensium Martyrum in suis Fastis non meminerunt; habent illi ad diem XXI *Februarii Mauritium suum cum sociis martyribus Apamæensibus, quorum Acta in Opere nostro ibidem data sunt. Illos nonnulli olim cum Thebæis Martyribus confuderunt :* Cui sententiæ (*inquit Baronius in Notis ad Martyrologium suum*) et ego aliquando non invitus adhæsi, culpans Metaphrasten (*qui Mauritii Apamæensis gesta scripsit*) quasi minus assecutus esset res Occidentalium Martyrum. *Deinde pluribus narrat, quomodo ex Theodoreto doctus, diversissimos esse Sanctos, sententiam mutarit. Dubordæus ex præfata Baronii confessione argumentum cudit contra veritatem martyrii Sanctorum Agaunensium, quod hic negligere non licet, ut specimen habeamus peregrinæ logicæ, quam sequitur.*

80 *Recitatis itaque Baronii verbis, sic prosequitur cap.* 18 *Dissertationis :* Necesse non est Theodoreti locum examinare aut rationes, quas Baronius habuerit, mutandæ sententiæ; id unum sufficit, quod, ut ipse fatetur Cardinalis, quondam crediderit, Mauritium et Socios ejus passos fuisse Apamææ in Syria, id est, relationem S. Eucherio tributam fabulosam esse, atque Latinos scriptores scenam istius tragœdiæ ex Syria ad Alpes transtulisse ad honorandas Occidentis ecclesias. *Frustra, lector, quæres, ubi id vel per umbram asseruerit Baronius; at ita ministellus ratiocinari debuit, ut ex Cardinalis verbis sua asserta inferret. Baronius dicit, se carpsisse Metaphrasten, suspicatumque, quod is Occidentalium rerum inscitia laborans, Agaunenses Martyres Syriam ad Græcos avexisset, ergo opinatus est, quod, vera dicente Metaphraste, Occidentales scriptores Orientalibus sanctos Martyres eripere voluerint, et Apmaæa Agaunum transtulerint. Hoc Dubordæi ratiocinium, an satis sobrii hominis sit, nescio. Talia tamen pleraque alia ejusdem argumenta sunt, quæ nunc aggredimur.*

Auctoris J. C. circa hæc Dubordæi impostura.

§ VI. Refellitur hypercritica Dubordæi veritatem martyrii Sanctorum Thebæorum impugnantis a dubio de tempore, quo coronati sint. Proponitur ejusdem argumentum negativum et calumniæ aliquot refutantur. E

Hactenus martyrium S. Mauritii *et Sociorum ejus sic defendimus, ut, licet Acta nulla exstarent, ea, quæ protulimus, abunde ejus veritatem probarent. Eodem adhuc tramite procedemus, nihil ex eorum scripta Passione pro causæ subsidio repetentes, atque ideo prætermittimus hic, alioque examinanda rejicimus prima aliquot capita Dissertationis Dubordæanæ, quod vel Acta ipsa directe impugnent, vel refelli debite non possint, nisi vindicata prius ab ejus sophismatis Actorum primigeniorum auctoritate. Duo movet Dubordæus duobus integris capitibus contra passionem sanctorum Agaunensium præcisam ab Actis, quibus contendit, Thebæos non esse pro Christo passos, sed fictitios heroës et martyres esse. Capiti* 13 *hunc titulum facit :* Quod, si vera esset historia illius Legionis, tanta non esset incertitudo super tempore, quo accidit : *atque deinde sic fere prosequitur : Martyrium legionis integræ, res est tam memorabilis, ut, si vere contigisset, procul dubio Annalibus Ecclesiæ inscripta fuisset cum suis adjunctis et epochis. Quod si scriptores ecclesiastici id referre neglexissent, Aurelius Victor, Eutropius, Jornandes, vel quis alius scriptor, oblivionem reparasset.* F

Dubordæus contendit,

82 *Titus Livius retulit finem tragicum legionis, quæ rebellarat et Rhegium occuparat, cum Romani adversus Pyrrhum bellum gererent. Et volet quispiam* 6600 *cum Ducibus Milites trucidatos fuisse, jubente imperatore, quod falsis diis sacrificare, vel ceteris copiis ad fundendum Christianorum sanguinem se jungere nollent, et neminem scriptorum tum ecclesiasticorum, tum profanorum verbo ullo meminisse de re, quam tot adjuncta raram et stupendam faciunt? Si bene hic Dubordæum intelligo, parum aut nihil ab antiquorum omnium scriptorum testimoniis accumulatis*

non esse coronatos sanctos Martyres, quia martyrii epocha

martyrio

AUCTORE J. C.

martyrio nostro accederet, nisi ii ipsi notis chronologicis certam et indubitatam nobis rei gestæ epocham reliquissent. Id enim nisi hic contendat, paralogismum, satis sibi familiarem lectoribus obtrudit, spectantem ad caput Dissertationis suæ 18, quod postea discutiemus. Sagacissimi scriptorum Ecclesiæ Romanæ (*prosequitur Gallice ministellus Anglo-Sabaudus*) non conveniunt de anno, de Pontifice tunc sedente, de consulibus. Baronius martyrium sanctorum Agaunensium figit sub Pontificatu Marcellini, in quo illum secuti sunt eruditi duo patres Oratorii, Coïntius ad annum Christi DXXXVIII, et Morinus de Rebus a Constantino gestis part. 2 cap. 3.

nec certo determinata est, nec determinari videtur posse.

83 Contra, Antonius Pagius idem martyrium Caji sedentis annis illigat. Baronius asserit, passam esse Legionem sub XIV consulatu Diocletiani; Pagius, primis ejusdem imperatoris annis coronatam credit. Jesuita Labbeus Chronol. Hist. anno Christi CCLXXXVI suum Baronium deserit, atque hunc forte Pagius secutus est. Habe illius verba : « Dicuntur « (*Gallice*, On dit) circa annum CCLXXXVI Sebastia-« nus .. Mauricius et plures alii cum Legione The-« bæa pro Christi fide subiisse mortem Agauni in B faucibus Alpium Penninarum. *Divertit hinc Dubordæus ad Chesnium, in Historia Pontificum argumentum deducentem a collato, ut ipse rebatur, Thebæis Militibus Romæ Confirmationis Sacramento, contra Papæ Marcellino imputatam idololatriam, seu thuris oblationem simulacris : ac deinde laudat bonam fidem Jesuitæ (quis crederet!) Labbei,* non allegantis martyrium Thebæorum Martyrum, tamquam rem indubiam, de qua testimonia certa in probatis monumentis reperisset, sed evadentis per DICUNTUR : (*On dit*) ut ne se vadem certo redderet relationis, quam arbitrabatur nonnihil fabulosam.

Impugnantur

84 *Quod ad Marcellinum spectat, non eget Chesnii argumento ejus sanctitas et innocentia : nec, fuerint Romæ a Marcellino confirmati Thebæi, necne, ad martyrii veritatem pertinet, prout illud hactenus defendimus. Audiamus cursim Labbei verba, quæ ministellus laudat, ut, quantum illi bona fides cordi sit, lectoribus palam fiat. Sic itaque scribit Labbeus ad præfatum annum :* SS. Sebastianus, Tiburtius, Tranquillinus, Marcellinus, Zoë etc, Mauricius quoque cum Legione Thebæa ad Agaunum in faucibus Alpium Penninarum, aliique plures circa hæc tempora pro Christi fide necati per- C hibentur. *Lectorem, ni fallor, monere non debeo, inepte Dubordæum ludere in voce* Perhibentur, *quæ profecto apud Latinos non minus affirmantis est, quam dubitantis : paucis hominem convenio, circa id, in quo omnem argumenti sui vim positam esse arbitratur. Non negat (neque enim illum usque adeo impium depingo) Christum redemptorem nostrum natum esse, adoratum a Magis, avectum in Ægyptum; non inficiabitur, Dei Filium baptizatum et mortuum, et trucidatos fuisse ab Herode infantes in Bethleëm.*

stolida hæc

85 *Litigant circa tempus, quo hæc contigerint, non Romanæ Ecclesiæ scriptores solum, sed eruditissimi quique heterodoxorum; doceat itaque nos hypercriticus epocham certam horum factorum, ab auctore, vel Christiano, vel alio sic fixam et stabilitam, ut dubium nullum relinquat. Illam ubi attulerit, quod tamen numquam faciet, mille illi res alias, tum profanas, tum sacras proferemus, quarum circumscriptum certis notis chronologicis tempus ab illo requiremus, cogeturque, quæ sunt toti orbi certissima, atque ea ipsa, quæ sunt divina auctoritate stabilita, abjicere, nisi ab hac insolentis criticæ suæ regula discesserit. Præviderat ministellus talia fere responderi posse, qualia jam* D *attuli; itaque, destinguendum monet inter factum et factum. Fatetur, facta esse plurima in historia Ecclesiastica, circa quæ debile esset hoc ratiocinium;* Sed, *inquit* martyrium totius Legionis est res tam rara, tam singularis, tam illustris, ut incertitudo, in qua sumus circa tempus, sufficiat ad ingerendam suspicionem de facti falsitate. *Hæc, si volet, iis factis applicet, quæ protuli, quæque profecto minus rara non sunt, nec illustria, dignaque proinde, quorum epochæ a scriptoribus maxime sacris consignarentur.*

ministelli critica. Ejusdem

86 *Quamquam martyrium sanctorum Innocentium, prodigia pene continua publice, tota Judæa inspectante, a Christo patrata, miraculosus defectus solis in ejus morte, atque his non pauca similia, non minus suas epochas apud scriptores profanos merebantur, quam Legionis Thebææ martyrium; illa ut Dubordæus, certa aliunde auctoritate suadente, licet indubiis notis chronologicis non sint circumscripta, credit contigisse, ita fateatur, passionem sanctorum nostrorum Martyrum tot antiquis monumentis firmatam ad fabellas relegandam non esse, quod apud antiquos scriptores nulla ejus inveniatur determinata epocha, et recentiores circa illam non conveniant. Secundum argumentum, ad quod capite citato viam* E *straverat, prosequitur Dubordæus Dissertationis suæ capite 18 sub hoc titulo :* Quod duobus integris seculis post Maximianum scriptorum nullus meminerit de Legionis Thebææ martyrio.

argumentum negativum,

87 *Negativum est illud, cui vim tantam ministellus tribuit, ut, quasi confecta re, triumphabundus petulanter exclamet :* Eripimus Ecclesiæ Romanæ in hac Dissertatione Sanctos sex mille, sexcentos, sexaginta sex, *quot scilicet Ecclesia numquam sibi vendicavit, quæ Martyres Thebæos, Agauni passos, seu Legionem Felicem, jam a primis quidem seculis venerata est, at certum horum Martyrum numerum numquam definivit. Verum de his recurret sermo, Dubordæum audiamus cum suo Achille prodeuntem. Mox initio capitis præmittit stolidam observationem circa Baronii dicta, quam superius explosi. Suspicatur deinde, Cardinalem de martyrio Legionis Thebææ dubitasse (quod falso illi ministellus imputat) propter silentium scriptorum ecclesiasticorum ultra ducentos annos post tempus, quo supponitur Agauni passa.* Enimvero, *inquit*, martyrium legionis integræ res est magna adeo et insolita, ut centum locis Annali- F bus Ecclesiæ inserta reperirietur, si vere contigisset. Potestne solida ratio quædam hujus silentii adferri?

petitum

88 *Post hæc fabellam de Joanna Papissa allegat, variisque in Ecclesiam Romanam sarcasmis et calumniis exornat. Quod de illa Romani scriptores siluerint, facile Dubordæus intelligit; novit enim, quam sollicita curia Romana fuerit, in supprimendis libris, qui ejus nobis memoriam reliquissent. Piget referre commenta et calumnias toties protrita, ut a sani cerebri hominibus sine stomacho legi non possint.* At, *inquit*, de silentio auctorum ecclesiasticorum fere usque ad Gregorii Turonensis tempora, id est trecentorum fere annorum intervallo, circa martyrium Legionis Thebææ plausibilis ratio afferri non potest. *§ 2 hujus Commentarii scriptores tres protuli, qui centum fere annis ante Gregorium vixerunt, ex hac igitur parte falsum est præcipitis ministelli assertum. Porro juxta Dubordæum duæ sunt classes scriptorum, qui illius martyrii debuissent meminisse. Altera sacrorum oratorum, qui pro concione Martyres laudarunt, altera eorum, qui chronica et historias ecclesiasticas texuerunt.*

89 *Supersunt*

A *a silentio auctorum,* 89 *Supersunt autem nobis plurimæ homiliæ Patrum, qui duobus post Maximianum seculis vixerunt, atque in iis vel particulares Martyres, vel generatim omnes laudantur. Aliæ non paucæ lucubrationes similes interierunt. Inter eas, quæ exstant, nulla est, ubi Thebæorum Martyrum vel uno verbo fiat mentio, licet eorum Passionis historia sit, si quædam alia, ecclesiasticæ cathedræ eloquentiæque aptissima. Ephrem Syrus contexit elogium (pergo Dubordæum agere) omnium Martyrum circa annum* 360, *Gregorius Nazianzenus eodem fere tempore eamdem materiam tractavit; habemus homilias S. Joannis Chrysostomi de Martyribus toto orbe passis : Asterius episcopus Amasææ in Ponto, qui floruit initio seculi* 5, *pariter composuit panegyrim omnium Martyrum; at nullum apud hos de nostris verbum. Si quisquam sanctos Agaunenses Martyres laudare debuit, is fuit Maximus Taurinensis episcopus, mortuus sub Honorio et Theodosio juniore,*

qui vixerunt 90 *Maximus scripsit eo loco, ubi martyrium contigisse supponitur; eo tempore, quo recens esse debuit tam illustris facti memoria; at neque is Thebæorum uspiam meminit. Sed neque in Operibus, quæ perierunt, ulla fuit mentio martyrii Thebææ Legionis.* B *Si enim de sanctis Martyribus nostris egissent scriptores illi, vestigia quæpiam inveniremus in auctoribus contemporaneis, qui supersunt, quique aliorum Operibus fuissent usi. Methodius, cujus de Martyribus elogium periit, scripsit circa annum* 290. *Phileas episcopus in Ægypto composuit panegyrim de sanctis Martyribus, cujus meminit Hieronymus de Script. Eccl. cap.* 78. *Phileas capite truncatus sub Maximiano, si de martyrio Sanctorum nostrorum egisset, Lactantius, qui initio seculi* IV *floruit, id scire debuisset. Præterea cum Lactantius in Italia natus esset, verisimile non est, factum tam recens et celebre ad ipsum perventurum non fuisse.*

quarto vel 91 *Quod si martyrium sanctæ Legionis illi innotuisset, locum procul dubio suum postulasset in libro de Mortibus Persecutorum, tamque aptum fuisset materiæ, quam tractabat, ut credibile non sit, id illum prætermissurum fuisse, narrantem crudelitatem et furores Maximiani, inflictamque eapropter cælitus punitionem.* Quisquis *(inquit totidem verbis Gallice Dubordæus)* sine præjudiciis reflexerit ad silentium Lactantii, manebit convi- C ctus, quod martyrium Legionis Thebææ commentum sit. *Quod ad secundam scriptorum classem spectat, Eusebium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Evagrium, Hieronymum, Orosium, Sulpitium Severum super martyrio Thebæorum interrogatos cupit.* Si verum est martyrium, *(inquit pag.* 216) fieri non potest, ut id ignorarint omnes, credibile non est, si non ignorarint, ita inter eos convenisse, ut eorum nemo aliquid nobis de illo dixerit.

quinto seculo. 92 *Mox Eusebii diligentiam in perquirendis, Martyrum Actis, atque bonam fidem in referendis, pluribus vendicat; sed, cum apud illum auctorem tum viventem, atque ubique Martyrum agones tractantem, de Legione Thebæa nihil invenerit, concludit :* Ejus silentium esse demonstrationem historicam, quod martyrium Agaunensium sit fabula. *Idem advertit apud reliquos, apud ipsum Sulpitium Severum et Orosium maxime credulos miraculorum assertores, quorum hic de Bagaudis, de Amando et Æliano scribit, silentium. Hujus eam causam assignat, quod Arcadii tempore nondum esset cusa Thebææ Legionis fabula; et, tamquam re confecta,* nihil itaque superest, *inquit,* nisi ut examinemus, utrum in principiis doctorum Romanæ Ecclesiæ argumentum hoc negativum concludat. *Launoii principia sequitur. Ad hæc quæcumque congerit, non vacat referre. Noti sunt eruditis Launoiani in hac materia cavilli et errores : notum pariter est, quantum valeat argumentum negativum, quibusque, ut vim habeat, conditionibus muniri debeat. An requisitis omnibus gaudeat Dubordæi argumentum jam jam examinabimus.* *auctore J. C.*

93 *Ceterum, ubi dixit fabulam Agaunensium Martyrum sub finem seculi sexti cusam esse, in Gregorium Turonensem et Venantium Fortunatum, tamquam primos ejus auctores invehitur. Gregorium, tamquam hominum simplicissimum credulissimumque depingit, citatque Dupini pro se de illo judicium. Dupino scilicet definiente, decisa lis est, jacet Gregorii fama, scripta ejus ad tineas et blattas relegata sunt! Nec mitius Fortunatum tractat.* Poëta, *inquit,* is erat, atque adeo capax, qui veritatem adulteraret. Pictoribus atque poëtis etc. Carmine complexus est Legendam S. Georgii, quam fatetur Baronius scriptam ab Ariano. Cumque Sanctum ex Ariano et scelerato fecerit, errare facile potuit circa factum aliud longius ab ejus ætate remotum. *Nonne solida, lector, est hæc ministelli observatio? De Gregorio Turonensi nonnulla dixi* § 4 *num.* 54, E *quibus ejus circa cultum Sanctorum Agaunensium auctoritas abunde vindicatur; pauca circa Fortunatum prætermittere hic non possum.* *SS. Gregorius Turon, et Fortunatus tamquam asserti martyrii*

94 *Errare Fortunatum ut hominem, veritatem adulterare ut Poëtam potuisse, nullus est, qui negare possit : at errasse illum, veritatemque adulterasse, id porro evincere Dubordæus debuisset, ut nobis luculentum Fortunati pro vetustissimo in ecclesia* S. Mauritii *et Sociorum cultu testimonium labefactaret. Poëta erat Fortunatus, at sacer. Sacri autem poëtæ materiam sibi veram, veros heroës seligunt, quorum gesta flosculis hinc inde poëticis ab inventione petitis exornant, quique hoc sensu veritatem adulterare dici possunt, quod iis, quæ vere contigerunt, aliqua verisimilia intermiscent: sic tamen, ut hæc ipsa passim facile a veris discernere lector non novus possit. Quicumque Fortunatum legerit, fatebitur, parcissimum inter alios illum in exornando esse. Quod si aliud illi non imputet ministellus, quamquam nudissimum sit carmen de Sanctis nostris, tamen super eo litigare desinam, modo materiam veram, veros Agaunenses heroës relinquat, id enim solum ad institutum meum sufficit.* F *auctores perperam*

95 *Apud Fortunatum non nisi unum carmen invenio de S. Georgio, quod est lib.* 2 *decimum tertium. Basilica quondam fuit Maguntiæ a Sidonio ædificata, de qua ibidem sic canit Venantius.* *traducit hæreticus.*

Martyris egregii pollens micat aula Georgi,
Cujus in hunc mundum spargitur almus honos.
Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis
Confessus Christum, duxit ad astra caput.
Qui virtute potens Orientis in axe sepultus,
Ecce sub Occiduo cardine præbet opem.
Ergo memento preces et reddere vota viator,
Obtinet hic meritis, quod petit alma fides.
Condidit antistes Sidonius ista decenter,
Proficiant animæ, quæ nova templa suæ.

96 *Libro* 10 *carmine* 10, *quod est de* Oratorio Artonensi, *enumerans sacra pignora, quæ ibi servabantur, sic iterum ejusdem Sancti meminit :* *Refellitur ejus calumnia*

Hic quoque relliquiis micat ille Georgius almis,
Qui probus igne redit, nec pice mersus obit.

Hic Fortunatus id solum ex aliqua Legenda seu Martyrio S. Georgii desumpsisse videri potest, quod

AUCTORE J. C.

quod ex pice et igne illæsus emerserit, et similia fere dixit supra versu 2, ubi tormenta, quæ Sanctus perpessus est, strictim aliqua enumerat. Hæc, inquam, sola, nam reliqua ad Sancti cultum diu posteriorem pertinent, hausisse inde videri potest. Baronius in Notis ad diem XXIII *Aprilis, quo apud Græcos et Latinos colitur Megalo-martyr Georgius, observat, Acta quæpiam S. Georgii inter apocryphos libros a Gelasio Papa recenseri, quod ab hæreticis interpolata et alio traducta viderentur. Inquirit deinde pluribus, quænam illa Acta fuerint, creditque, illa se reperisse in antiquo codice suæ Bibliothecæ. Legendam a Gelasio improbatam suspicatur compositam fuisse ab Arianis, et hujus censuræ suæ reddit rationem. Vixit S. Athanasii tempore Georgius, homo flagitiosissimus, qui et in exsulantis sedem intrusus fuit, ac deinde propter horrenda scelera a gentilibus occisus.*

de Fortunato

97 *Hunc suæ sectæ hominem Ariani pro martyre habuerunt, ut testatur S. Epiphanius Hæresi* 76 : *cumque boni, quod de illo referrent, magis quam de perditissimo quoque non haberent, censet aliqua, quæ ad mortem ejus pertinerent, Actis synonymi S. Georgii assuta fuisse, ut ab iis splendorem aliquem acciperent, ita sensim confunderentur et sic callide simplicibus illuderetur. Certe in Legenda illa sunt quæpiam, quæ ad solum illum hæreticum referri possunt. Præterea Baronius Passionem S. Georgii suspectam habet, quod narrentur nimium accumulata tormenta, quæ interpolationis quidem et commenti suspicionem ingerunt, at neutiquam pertinent ad primam rationem, propter quam Acta, ut sunt integra, non censet admittenda. Deinde Baronius subdit :* His enarratis, jam accipe, quæ ex certis probatisque auctoribus de egregio martyre *(Georgio in Palæstina passo)* scripta reperiuntur : *et mox primo loco profert idem Fortunati epigramma, quod excudi. Anne, lector, hoc est fateri, Legendam, quam contraxit Fortunatus, fuisse ab Arianis compositam?*

et blasphemia contra

98 *Verum non asserit Dubordæus, dixisse Baronium, quæ is ipse deducit ex Fortunati carminibus. Quamquam verborum sensus obvius utcumque contrarium insinuet, esto tamen : ubi, quæso, didicit, qui probabit, eam ipsam Legendam, quam Baronius ab Arianis interpolatam credit, Fortunato præ oculis fuisse? Nihil est apud hunc, quod tale quid certo suadeat : multiplicati enim cruciatus, in illa etiam S. Georgii Passione antequam ab Arianis corrumperetur, verosimiliter referebantur. Hujus non omnia procul dubio exemplaria, quæ per totum orbem sparsa erant, interpolarunt hæretici : potuit ergo Fortunatus præ oculis habuisse ex illis unum. Certe contrarium non evincet ministellus, cujus hic iterum logicam miremur. Venantius aliqua mutuatus est ex Passione, quæ suspecta est propter accumulata tormenta, quæque ab Arianis corrupta fuit; igitur ex scelerato sanctum fecit; quæ est altera hæretici hominis blasphemia. Ergone ex scelerato Sanctum facit, qui ex probatissimi aliunde Sancti historia, cui nebulonis alicujus gesta aliqua adjecta fuerint, talia decerpit, quæ non impio illi, sed vero Sancto convenire possunt? Id si ita est, fateor, esse me in logica plane peregrinum.*

Romanam Ecclesiam

99 *Neque si Dubordæus Pontanum suum legit, blasphemantem, quod alius non sit Georgius ab Ecclesia Romana cultus, a Georgio pseudo-patriarcha Alexandrino, inde causæ suæ subsidium invenisse censeri potest. Etenim si immensa moles nostrorum voluminum, quibus ut ait pag.* 61 *bibliothecæ fatiscunt, ipsi ad manum fuisset, legere potuisset, quæ Papebrochius ad diem* XXIII *Aprilis de S. Georgio scripserat. Ibi* § V *invenisset Pontanum suum confusum et protritum, et si quidquam illi frontis superarat, tam confidenter non blasphemasset, hominem hæreticum et sceleratum, a Fortunato Sanctis adscriptum fuisse, dum alium omnino, Diospolitanum Martyrem, quem inter Sanctos peculiari loco habet Romana Ecclesia, Fortunatus laudavit. Est igitur hæc hæretici ministelli, osoris Sanctorum, crassa ignorantia, vel impostura apertissima, tum in Fortunatum, tum in Christi sponsam universalem Ecclesiam. Ejus nunc Achillem seu argumentum negativum, a silentio scriptorum accersitum, impetamus.*

§ VII. Convellitur Dubordæi argumentum negativum adversus veritatem martyrii S. Mauritii et Sociorum paragrapho præcedenti intortum.

Evertitur argumentum negativum

Quæcumque Dubordæus præcedenti § movet, undeque suum cudit argumentum negativum, ita eruditissimus abbas de L'isle Defensionis suæ cap. 18 *refutavit, ut non multa habeam, quæ superaddam. Ejus hic potissimum armis ministellum prostratum exhibeo. Igitur falsum est primo, quod scriptorum nullus totis duobus primis post Maximianum seculis de martyrio Sanctorum Agaunensium meminerit; scriptam enim a S. Eucherio episcopo Lugdunensi, qui obiit circa annum Christi* 441, *Passionem eorum, sequenti § a Dubordæanis sophismatis expediam, ostendamque, minime id illum suis sophismatis ostendisse, quo tamen tamquam re indubitata nititur. Sileo S. Maximum Taurinensem antistitem, qui medio seculo quinto floruit, et homiliam composuit, quæ etiamnum exstat, et habet in vetustissimis Mss. titulum :* In natali sanctorum Tauricorum martyrum Octavii, Adventitii et Solutoris. *Hos antiquissima traditio asserit ex Thebæis nostris Martyribus fuisse. At res pluribus examinari poterit ad diem* XX *Novembris, quo Martyrologio Romano inscripti sunt. Demus interim, neque Eucherium, neque Maximum de sanctis Martyribus meminisse, minime ministellus vicerit. Etenim argumentum negativum a duorum seculorum silentio petitum debite non concludit, nisi conditionibus, iisque non unis, polleat, de quibus videri potest Honoratus a S. Maria tom.* 1 *Dissert.* 3 *art.* 2.

Dubordæi, destitutum conditionibus ad ejus valorem

101 *Ex pluribus tres assumo, sine quibus apud sensatum neminem vim facile obtinebit. Ac primo requiritur, ut probabilitas, neque enim certitudinem moralem utcumque infimam ex hoc argumento negativo elicient, ut probabilitas, inquam, quod res non acciderit, orta ex auctorum silentio, probabilitate nulla contraria elidatur. Secundo, ut omnia Opera auctorum, quorum pro se silentium negantes allegant, supersint, et ita supersint, ut constet nobis, nulla interiisse. Tertio denique, ut probetur, rem, si contigerit, ad auctorum, quorum pro se quispiam silentium allegat, notitiam pervenire saltem debuisse, et si pervenerit, fuisse illorum lucubrationibus inserendam. Conditiones plures Thiersus, Mabillonius et Basnagius requirunt : has tres nostras commendat pluribus laudatus Honoratus a S. Maria, quem si lubet consule, neque enim pluribus illas hic vacat probare, neque operæ pretium visum est id moliri,*

A *ri, cum a criticis omnibus passim admittantur.*

necessariis. Etenim Patres in homiliis

102 *Destitutum est prima conditione ministelli argumentum, ut jam superius insinuavi; etenim auctor gravis, qualis fuit S. Eucherius Lugdunensis, qui plurium anteriorum itidem virorum gravium et sanctorum traditionem et testimonia allegat perducta fere usque ad tempus, quo martyrium contigit, abunde aliorum compensat silentium. Mitto Passionem seculi* VI *initio in Ecclesia legi solitam, et monumenta alia antiqua, de quibus superius pluribus egi. Alterutram ex duabus ceteris conditionibus ad impugnandum Dubordæo deesse, planum fiet, scriptores, a quibus testimonium martyrii exigit, secundum seriem a ministello dispositam percurrenti. Quod spectat ad classem scriptorum, qui Sanctos nostros de cathedra laudare debuissent, fatetur ipse ministellus, homilias eorum non paucas et panegyres Martyrum interiisse; qui igitur novit, nullam in deperditis Opusculis de sanctis Agaunensibus mentionem fuisse?*

Thebæorum meminisse

103 *At probabilissimum id est, inquies: si enim Patres illorum meminissent, vestigia inveniremus apud scriptores alios, qui illorum lucubratiunculas videre potuerunt. Nugæ. Quasi vero historici et* B *chronologi soleant res suas a panegyristis quærere, aut patres alii contemporanei aliorum homilias et sermones tam sollicite expetierint et obtinere potuerint. Sed nec in iis, quæ usque hodie supersunt illorum Operibus de Sanctis nostris agere debuerunt; ridiculum sane est (quod agit Dubordæus) in homiliis, generatim sanctorum Martyrum laudes prædicantibus, quorumdam particularium Martyrum specialem memoriam requirere, maxime si eo loci, vel in vicinia, ubi passi sunt, non vixerint Patres, soliti auditoribus suis ob oculos ponere eorum maxime Sanctorum exempla, quorum vel præsentes reliquiæ, vel particularis causa populorum suorum animos ad pietatem excitare poterant. Exteri autem plerique sunt et Orientales, quos arguit ministellus de Thebæorum martyrio siluisse.*

non debuerunt.

104 *Verum est, SS. Ambrosium Mediolanensem et Maximum Taurinensem episcopos habuisse sedes celebri palæstræ Agaunensi propinquas. Utrumque historiam passionis sanctorum nostrorum Martyrum perspectam habuisse, non dubito; at nulla occasione de illis speciatim agere debuerunt: non erat tum temporis, uno minimum seculo post eorum agonem, res admodum recens, et neu-* C *ter historiam vicinorum Sanctorum omnium uspiam narrandam assumpsit, non est igitur mirum, si de Thebæis specialem mentionem nusquam faciunt. Ad aliam itaque scriptorum classem transeo, chronographorum scilicet et historicorum. Ex his Eusebium toto halitu inclamat ministellus, Dissertationis suæ pag. 216. Laudes superius relatas, quas Eusebio tribuit, ereptas nolo, agnoscoque, illum eo tempore in vivis fuisse, quo apud Octodurum necati sunt sancti nostri Martyres.*

Scriptorum aliorum opera aliqua perierunt,

105 *At Eusebii liber* 'Αρχαίων Μαρτύρων Συναγωγή, *ubi maxime eorum, si uspiam meminisse debuit, latebat jam a Gregorii tempore, et usque hodie pro deperdito habetur. Aliumde Martyribus Palæstinæ librum scripsit Eusebius, atque is etiamnum superest. Verum inter Martyres, quorum certamina episcopus Cæsaræensis coram spectavit in Palæstina, et scriptis deinde commendavit, Sancti nostri stolide quærentur. Quod si nullos Martyres admiseris, quorum in sua Historia non meminit Eusebius, Ignatios Antiochenos, Justinos, Symphorosas, Symphorianos, Laurentios, Sebastianos aliosque innumeros Sanctorum albo erade. Et hæc quidem Dubordæum non pungunt, omnes facile Sanctos paradiso expulsos passurum. At si facta alia innumera, quæ tacet Eusebius, et aliunde certissima sunt, pernegare volet hypercriticus, cum illo mihi res non est, nec me morabitur non ratiociniis edocendus. Videamus interim, quomodo, quæ ædificat, eodem prorsus loco pag. 220 sui oblitus destruat.*

et eorum

106 *Petita ab Eusebii silentio* hæc si ratio, *inquit,* confirmatione indigeret, adderemus, idem observari silentium in Socrate, Sozomeno, Theodoreto et Evagrio, qui quandoque retulerunt facta ab Eusebio omissa. Adderemus S. Hieronymum, qui secutus Eusebii vestigia in sua Chronologia sollicite corrasit, quæ illum fugerant, nihil nobis de Legione Thebæa retulisse. *En, qui factum nullum a solertissimo Eusebio prætermissum fuisse paucis ante lineis contenderat, eidem hic adjutores, qui ejus omissiones suppleant, conducit. Hæreat suis sophismatis implexus ministellus, et in brevissimo Chronico, quod Hieronymo non certo etiam satis adscribitur, particularium Occidentalium Martyrum, atque nostrorum Thebæorum historiam quærat; cum Chronicum, Hieronymi nomine inscriptum, ibi exordium sumat, ubi Eusebius desinit, oleum et operam perdet, neque enim in hujusmodi Chronicis reperiri solent, quæ epocham, unde ordiuntur, præcesserunt.* E

quæ supersunt

107 *Neque Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Evagrii silentium angere quempiam debent: etenim tertia conditione carens claudicat hic sophistæ argumentum negativum. Socrates Historiam Ecclesiasticam a limitibus narrationis Eusebianæ continuavit usque ad annum Christi 440. Idem fere fecerunt Sozomenus et Theodoretus, sic tamen, ut facta quæpiam alia alii referant, quæ ab aliis pro instituto neglecta sunt. Evagrius Scholasticus inde tantum initium scribendi fecit, ubi Socrates et alii jam laudati terminarunt. Nullus igitur horum referre debuit martyrium Sanctorum Agaunensium, quod contigerat ante tempora, a quibus Fastorum suorum exordium sumpsere. Ab Orosio nescio cur Dubordæus testimonium exigat. Id in Opusculo contra Pelagium certe fecisse non debuit; igitur de libris Historiarum adversus Paganos ministello sermo est.*

materia

108 *Orosius presbyter Hispanus capite primo, Operis sui institutum explicat, sic scribens ad Augustinum:* Præceperas mihi, uti adversus vaniloquam pravitatem eorum,... qui Pagani vocantur, F sive Gentiles... qui cum futura non quærant, præterita autem aut obliviscantur, aut nesciant, præsentia tantum tempora veluti malis extra solitum infestissima, ob hoc solum, quod creditur Christus et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant. Præceperas ergo, ut ex omnibus, qui haberi ad præsens possunt historiarum atque annalium fastis, quæcumque aut bellis gravia, aut corrupta morbis, aut fame tristia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum insolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum sæva, vel etiam parricidiis flagitiisque misera per transacta retro sæcula reperissem, ordinato breviter voluminis textu explicarem.

non exigebat, ut

109 *Hæc itaque poposcerat Augustinus ab Orosio, hæc Orosius facienda suscepit. Per quam vero rimam hujusmodi instituti Operi martyrium sanctorum Agaunensium intrusum cupit ministellus noster? Libro septimo cap. 25 Amandi, Æliani et Bagaudarum meminit Orosius, gesta sub Diocletiano bella enumerans; at neque ibi, neque sequenti capite acerbissimæ persecutionis adversus Christianos mentionem faciens, cujuspiam Martyris specialem*

AUCTORE J. C.

specialem passionem attingit, uti nec passim alibi. Non est igitur mirum, si sanctæ Thebæorum Legionis memoriam apud illum non invenimus. Qui librum de Mortibus persecutorum sive Lactantii sit, sive alterius Lucii Cæcilii, auctoris quarti post Christum natum seculi, vel levi oculo percurrerit, non minus mirabitur, tanto cum molimine ibi Martyrum Agaunensium mentionem quæsitam fuisse. Brevissimi illius Opusculi auctor, vastissimam persecutionem et innumera Christianis mala illata sic percurrit, ad pœnas cælitus persecutoribus inflictas enarrandas festinans, ut non solum nullos nominet, qui a tyrannis illis necati sint, Martyres, sed vix, imo ne vix quidem locorum, ubi maxime illorum crudelitas desæviit, speciatim meminerit.

de sanctis Mauritio et Sociis

110 *Solus superest Severus Sulpitius, cujus in Historia sacra silentium de Sanctis Agaunensibus maximi pro negativo suo argumento ponderis esse arbitratur Dubordæus; at hic etiam maxime temeritatem suam et inscitiam, si, quæ allegat, non legerit aut non intellexerit, vel si legit et intellexit, dissimulando malam fidem prodit. Severus Sulpitius ea, quæ sub Diocletiano et Maxi-* B *miano passa est Ecclesia, sic libro 2 cap. 32 suo more perstringit :* Post eum *(Valerianum)* interjectis annis fere L, Diocletiano et Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta est, quæ per x continuos annos plebem Dei depopulata est, qua tempestate omnis fere sacro Martyrum cruore orbis infectus est : quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus adpetuntur Nullis umquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore umquam triumpho vicimus, quam cum x annorum stragibus vinci non potuimus. Exstant etiam mandatæ litteris præclaræ ejus temporis Martyrum passiones, quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem.

agerent.

111 *Hæc, si Dubordæus legerit, mirari satis non possum hominis audaciam, qui a nobis rationem silentii exigit, quam ipsi auctores luce meridiana clarioribus terminis allegant. Dicit Sulpitius,* Martyrum Passiones... connectendas non putavi, ne modum operis excederem; *invito tamen extorquere Passionem sanctorum Agaunensium Dubordæus cupit, et nisi impetret, de re tota actum est, pro* C *commento explodetur. Talibus scilicet fundamentis nititur argumentum negativum ministelli nostri, talibus armis Sanctos suos Ecclesiæ Romanæ eripit. Vim argumenti negativi nullam ipse agnoscit, si silentii, quod pro se assumit, ratio assignari possit. Hanc vel credit vel simulat se credere, proferri non posse. Hinc mille locis triumphabundi instar confidenter illam inclamat. Huic basi tropæa sua Romanæ Ecclesiæ erepta insultabundus superstruit. Dedimus silentii istius rationem non dubiam, non obscuram, sed manifestam, ex ipso Operum instituto et ipsorum auctorum verbis petitam : omnes igitur tantum decantati a sectæ ejus hominibus triumphi in fumos et ventos abeunt.*

D

§ VIII. Examinatur, an Acta Sanctorum Agaunensium a Petro Francisco Chiffletio S. J. primum, ac deinde a Ruinartio edita, scripta sint a S. Eucherio Lugdunensi episcopo. Diluuntur Dubordæi sophismata.

In multis diversa est edita a Chiffletio

Hactenus Dubordæum, sanctorum Martyrum nostrorum Passionem impugnantem, sic repulimus, ut si Acta illorum nulla scripta essent, de martyrio tamen, non nisi stolide dubitari posset. Nunc ad eam Dissertationis ejus partem accedimus, in qua contendit, Passionem, quam S. Eucherio adscribimus, ejus non solum fœtum non esse, sed alterius dudum posterioris inepti fabulatoris commentum, quod etiam seipsum destruat E *et falsitatem suam non uno loco prodat. Ejus Passionis notitiam dedi initio hujus Commentarii numero 8 et 9, illamque primo loco infra recudam, quo lectorem remitto, ne excerpendis locis Commentarium producam. Sufficiat hic advertisse, nullam ibi de recenti tum adventu Martyrum ex Oriente, de baptismo Hierosolymis, Confirmationis sacramento Romæ acceptis, de Amando, Æliano, Bagaudis aut Cerausio, de inventione corporis* S. Innocentii *et sanctarum reliquiarum translatione, mentionem fieri.*

Passio ab illa, quam Surius edidit.

113 *De Sigismundo et amplificato vel constructo per ipsum Agaunensi cœnobio, de Ambrosio denique abbate et episcopis Domitiano, Grato et Protasio altissimum pariter ibi silentium est. Differunt præterea a Surianis Actis et aliis apographis hisce similibus, quod certum numerum sanctorum Martyrum non definiant, sed ex rotundo numero Legionis, conjecturam de Martyrum numero ingerant.* Legio autem vocabatur *(inquiunt)* quæ tunc sex millia et sexcentos viros in armis habebat; *pro quo, varius est in apographis aliis numerus. Denique neque hic, præter* Mauritium, Candidum, Exuperium, Victorem, Ursum et Victorem F *alterum, ulli sanctorum Martyrum, expresso nomine, enumerantur. Hæc eum in finem hic observata volo, ne quis credat ministello, asserenti pag.* 55, *præter Marcellini, Sigismundi, Æliani, Amandi et Bagaudarum certæ falsitatis notas, reliqua in Chiffletii Passione eadem reperiri, quæ apud Baronium et Surium narrantur, atque adeo ne refellere pluribus debeam Dubordæi ineptias, contra Passionis hujus nostræ veritatem arguentis ex verbis et factis, quæ a nostra absunt, quæque ipse stolide vel callide, ut lectoribus suis fucum faciat, ex Actis aliis depromit, et in Passionem hanc irrito ictu torquet.*

Utraque S. Eucherii nomen

114 *Itaque Acta fere omnia interpolata in antiquissimis codicibus S. Eucherii nomen præferunt; accedunt puriora etiam, quæ in fronte Eucherium auctorem habent; interpolatis etiam plerisque, uti et purioribus nonnullis præfixa est Eucherii epistola ad Salvium seu Sylvium, quæ rationem scribendi ita exponit, ut indubitatum sit, illam ad Passionem sanctorum* Mauritii *et Sociorum subjectam pertinere. Igitur, cum codices ii antiquissimi sint, imo inter hos aliqui* 900 *annos excedant,*

A *dant, perspicuum est, antiquitus in Ecclesia, non peculiari aliquo loco, sed per totum Occidentem sparsam fuisse opinionem, quod S. Eucherius Lugdunensis episcopus scripserit sanctorum Agaunensium Martyrium. Illud, quod illi tum temporis passim adscriptum fuit, fœtum suppositium fuisse, luculenter probant varia, quæ tum initio hujus Commentarii produxi, tum infra observabo, ubi Tillemontii criticam discutiemus.*

in variis codicibus præfert.

115 *Altera Passio, quam Chiffletius noster edidit ex antiquissimo codice monasterii Jurensis, cui adstipulantur codices Mss. Ruinartii, inter quos, ut ipse testatur, Fossatensis suo tempore ad* 900 *annos accedebat, idem Fucherii nomen præfert, illique in optimæ notæ codice bibliothecæ regiæ eadem ad Salvium espistola præmittitur, quapropter a viris eruditissimis criticisque rigidissimis a S. Eucherio scripta credita est laudata jam sæpe* S. Mauritii *et Sociorum Passio. Adversus hæc Dubordæus Dissertationis suæ capite 7 probandum assumit :* Quod Passio Martyrum quam Petrus Franciscus Chiffletius editioni suæ Paulini inseruit, tam falsa sit, quam illa, quam Surius et Baronius secuti sunt. *Id an evicerit, et tam antiquum* B *martyrii Thebæorum testimonium Catholicis eripuerit, hic indagamus. Martyrii Agaunensium causa ex certæ falsitatis indiciis pro deplorata habebatur, inquit inductionis loco ministellus Anglo-Sabaudus, cum ecce tempori Chiffletius Acta sincera reperit in Ms. monasterii S. Claudii Jurensis.*

Impostura Dubordæi adversus Chiffletium

116 *Nondum igitur (pergit Dubordæus) Catholicis desperata res fuit : homines admirabiles sunt Jesuitæ, cuilibet nodo cuneus ipsis in promptu est. Viri magis suspicaces crederent, non sine mysterio id esse, quod certa falsitatis indicia, quæ in aliis ubique reperiuntur, ex Ms. a Chiffletio Jesuita edito disparuerint. Nimirum sic maligne lectoribus suis suspicionem ingerit, quam toto suo Opusculo sparsim interserit et apertius manifestat, ne forte Acta sua Chiffletius cuderit, vel pro libitu ab iis præciderit, quæ incommoda videbantur. Similes calumniæ et imposturæ pluribus refelli non debent, patebant, patentque etiam hodie bibliothecæ, unde sua extraxerunt Chiffletius et Ruinartius, viri de antiquitate optime meriti. Potuit ministellus codices examinare, suosque testes oculos adhibere, facile saltem id distinguere potuisset homo, qui tam alto supercilio se in judicem,* C *erigit, an codices a Chiffletio et Ruinartio laudati vetustate seculum præteritum non superarent, vel lituris recentem correctionem non proderent iis locis, unde disparuisse notas falsitatis queritur. Utrumque uno ictu oculi poterat deprehendere, et alterutrum si comperisset, Chiffletii imposturam toti orbi palam facere.*

retunditur. Ex antiquitate apographi Ms. non judicamus,

117 *At maluit, opinor, cœcutire et conjecturis impudentibus rem agere, quam propriam suam in antiquissimis Mss. ignominiam invenire. Pergamus.* Frustra *inquit hypercriticus*, Chiffletius jactat Manuscripti sui antiquitatem : monuerunt nos Marsham et Papebrochius, non esse fidendum Mss., quæ apparent vetustissima. *Et recte id quidem ambo illi auctores monent, eo sensu, quod asserenti antiquitatem alicujus codicis et monumenti, statim sine ullo examine fides haberi non debeat, cum experientia constet, quam faciles scioli quidam sint in codicum ætate definienda, a qua ex aliorum eruditorum judicio, qui eos propius examinant, sex et amplius seculis interdum aberrant. At viri fuerunt Chiffletius et Ruinartius, quibus, ni fallor, in eo eruditionis genere tuto credi potest ; nec desunt critici celebres, qui postea examinarunt, quique hactenus illorum judicio unanimes subscripserunt.*

AUCTORE J. C.

Acta a Chiffletio edita genuina esse, sed aliunde.

118 *Quod si igitur ministellus, ut desiderasse se verbis significat, Chiffletii Ms. cum eo, quo usus est Surius, contulisset, judicasetque, nulla data suæ censuræ ratione, hoc illo præstare, merito hominem eruditi explosissent, amplius, ut par est, tot eruditorum censuræ, quam novi in hac palæstra hominis judicio tribuentes. Deinde, quæ huc plurima congerit, inepta sunt et plane inutilia ad probandum id, quod adsumpsit : neque enim pro Passionis nostræ sinceritate ab antiquitate codicum quispiam sic arguit, ut Chiffletii Acta ideo primigenia, sincera et a S. Eucherio scripta esse contendat, quia Manuscriptis, unde sua desumpsit Surius, vetustiores sunt codices S. Claudii Jurensis et Fossatensis a Ruinartio et Chiffletio laudati. Nihil igitur fecisset hypercriticus, licet demonstrasset, Surii vel Mombritii Mss. fuisse omnium antiquissima. Quippe de invento suo glorianti homini respondissemus, nullum ex Mss. nostris habere nos pro autographo, atque adeo ex ætate Manuscriptorum pro ætate vel persona scriptoris frustra argui; credere nos, desumpta esse apo-* E *grapha Mss. nostra ex aliis antiquioribus, jam S. Aviti Viennensis tempore in Ecclesia legi solitis et a S. Eucherio primo auctore successive profectis.*

Verisimile non est,

119 *Nihilo melius est id, quod pag.* 57 *proponit, his verbis :* Quis Chiffletio dixit, Manuscriptum ejus correctum non fuisse a monacho aliquo, qui satis in historia eruditus esset, ut percelleretur anachronismis et contradictionibus, quas in Actis Legionis Thebææ (*a Surio et Mombritio editis*) observabat. Res non est sine exemplo : plura proferri possent. *Adverte, lector, probare ministellus debet exemplis, monachos tempore posteriores a primigeniis Actis anachronismos et contradictiones præcidisse, atque illud sic præstat :* Faustus, *inquit*, composuerat Vitam S. Severini abbatis Agaunensis, de quo jam egimus. Anonymus aliquot seculis posterior quædam illi adjecit, præcidit alia, illamque pro libitu suo ordinavit, de quo conqueritur Cointius in Annalibus *(ad annum* 606.*)* Is nos docet insuper, Faustum alium elucubrasse Vitam S. Mauri : at illam, cum non arrideret Odoni cuipiam abbati, tam insolito modo ab eodem mutatam fuisse, ut dolendum sit, quod illi umquam manum admoverit. F

Passionem S. Eucherio tributam

120 *Dixerit hæc Cointius, quæ dixisse illum ministellus asserit : at his certe exemplis non probatur, monachos, subodoratos Vitas anachronismis et contradictionibus inspersas esse, illas ipsas correxisse. Dolemus, Acta S. Severini (cujus forte fortuna sincera Acta a Mabillonio accepimus, ut tutius judicare possemus) et S. Mauri ab interpolatore posteriore anachronismis et contradictionibus inspersa esse ; igitur monachi vitia et indicia falsitatis in instrumentis reperta correxerunt. Belle ! Discat ministellus, fateri Catholicos scriptores, qui Vitas Sanctorum examinarunt et ad sanæ criticæ regulas discusserunt, quod ex iis plurimæ interpolatæ et corruptæ sint a monachis, qui barbaris illis seculis viventes, quibus omnis fere exsulabat scientia et eruditio, dum amplificare et ornare antiquas Vitas voluerunt, falsa plurima, anachronismos atque vitia his similia ex inscitia et errore inseruerunt. Id profecto Baronius, Cointius, Mabillonius et quotquot sunt critici merito doluerunt, et nos præ ceteris querimur indies.*

121 *Verum raro admodum hactenus compertum est, quod quispiam, ante seculum saltem* xv *Vitas*

AUCTORE J. C. olim ex Surii Actis

XV *Vitas et Acta Sanctorum correxerit. Hujus tamen rei exempla proferre debuisset ministellus ad suum assertum stabiliendum. Sed homini satis est lectoribus sophismatis suis fucum facere et chartas implere parergis, quæ deinceps ego castigare negligam. Porro ut redeam unde discessi, ad Dubordæi interrogationem respondeo : Neminem forte Chiffletio dixisse, Acta ejus non esse a monacho posteriore ex Surianis correcta, sed virum eruditissimum id facile per se ipsum judicasse, sunt enim illa antiquissimis monumentis conformia. Ado ex illis totum elogium sanctorum Thebæorum Martyrum desumpsit ad hunc diem: Missæ Gothicæ a mille abhinc annis scriptæ Præfatio ex iis desumpta est, ut conferenti cuilibet luculentum fit : Vitæ S. Romani seculi* 6 *initio exaratæ locus, supra num.* 27 *relatus manifeste iterum cum Actis illis convenit.*

correctam et extractam fuisse.

122 *Merito igitur censuit Chiffletius, Passionem repertam, cujus seculo nono Ado, ante seculum forte octavum Missa Gothica, et ducentis ante annis Vita S. Romani indicia manifesta continent, antiquiorem esse Surianis Actis, quæ certe ante seculi sexti medium non sunt scripta. Merito etiam* B *judicavit, eam ipsam, quam S. Avitus Viennensis jam Sigismundi tempore asserit ex consuetudinis debito legi soluisse, ac denique primigeniam S. Eucherii, cui Martyrium aliquod sanctorum Agaunensium Martyrum omnia antiqua monumenta tribuunt, lucubrationem esse. Paulo sanius Dubordæus laudata sæpe Chiffletii Acta impugnat Dissertationis suæ cap.* 8, *contendens, S. Eucherii stilum diversum esse ab eo, quo Martyrium Legionis Thebææ, quod Chiffletius edidit, exaratum est. Mox initio confidenter asserit, Surianorum Actorum eumdem, qui Chiffletianorum, stilum esse, easdem expressiones, cogitationes, sententias plane easdem observari, eamdem denique lucubrationem esse, a qua tantum præcisa sint, quæ pertinent ad regem Sigismundum, pluribus annis Eucherio ætate posteriorem.*

Idem imperite

123 *Observavi jam superius, Dubordæum sic passim loqui, acsi Eucheriana Acta eo solum anachronismo carerent, qui a Sigismundi ætate oritur. Diceres, hominem non legisse Surii Acta, ubi occurrunt Ambrosius abbas Agaunensis, Domitianus, Gratus et Protasius episcopi, certiora indicia interpolatoris dudum posterioris. Sed hæc* C *leviora sunt et utcumque condonari possunt ministello ad triumphos properanti. Magis miror ejus inscitiam et temeritatem, qui, cum paulo post judicem agat in discernendis ex stilo scriptoribus, hic tam confidenter asseverat, auctorem eumdem utrorumque Actorum esse. Oculatos omnes inclamo ; Passionem similem illi, quam Surius edidit, secundo loco exhibebo ; utraque conferant, judicentque, an idem sit illorum, qui nostrorum stilus. Invenient certa indicia, quod ex Chiffletianis profecta sint, at interpolatorem posteriorem et ineptum reformatorem periodorum et sensuum hinc et inde tam aperte et certo reperturi sunt, ut non dubitem, quin illis, sicut mihi deinceps, in hac materia pro Myda futurus sit Dubordæus.*

ex qualicumque diversitate stili,

124 *Pergamus hominem audire. Certum est, (si Superis placet) quod, si S. Eucherius auctor sit espistolæ Parænelicæ ad Valerianum cognatum de Comptemptu mundi et secularis philosophiæ, quæ exstat in Bibliotheca Patrum tom.* 6 *pag.* 857 *editionis Lugdunensis, non scripserit Martyrium Agaunensium. Quomodo id probatur? Dicit Erasmus, cujus sententiæ subscribit Andreas Schottus, de illius epistolæ auctore, quod nullus* D *fuerit scriptorum Catholicorum, qui stili puritate et eloquentiæ laude cum illo comparandus sit. Esto. Laudes tam exquisitæ datæque a viris in eo genere tam eruditis non cadunt in Martyrium sanctorum Agaunensium, id enim cum illa conferri tantum debet, ut inveniatur sententiarum et verborum diversitas. Hoc medium ævum et ætatem Cassiodori, illa Augusti seculum sapit. Liceat hic mihi ministellum interrogare, an Erasmi et Schotti laudes in libros Formularum spiritualium, de Questionibus V. T. et Hebræorum nominum interpretationum cadant.*

ab eo, quo epistola ad Valerianum scripta est,

125 *Non asseret, opinor, quamvis soleat audax esse et contra eruditorum omnium judicium e tripode definire ; horum enim Opusculorum stilus, ut ut satis purus, magis a phrasi laudatæ sæpius epistolæ differt, quam Chiffletii Passio. Atqui tamen ab Andrea Schotto nostro, quem eruditissimum in eo genere judicem mox agnovit, libri illi indubie Eucherio tribuuntur ; quid igitur et Martyrium Legionis Thebææ illi adscribi possit? Ilias Homeri magis ab Odyssæa discrepat, Cyropædia Xenophontis magis ab aliis operibus ejus Historicis, quam passionis nostræ stylus a phrasi epistolæ ad Valerianum : et tamen hæc Opera utcumque diversissima stilo iisdem auctoribus merito adscribuntur ;* E *Passio Agaunensium Martyrum non item Eucherio, quia ministello judice, purior phrasis est alterius cujusdam ab eodem Eucherio profecti Opusculi.*

evictum cupit, Passionem

126 *Fatetur quidem hypercriticus, auctores et hos et alios non raro stilum mutasse secundum materiam, ætatem aliasque animi dispositiones et adjuncta : verum in hac qualicumque varietate in diversis Opusculis auctor idem ita se Dubordæo tegere non potest, ut eum non deprehendat. Est interna stili, inquit, æqualitas quædam, ordo, methodus, et phrasis dispositio scriptori illi propria et singularis, et nescio quid denique, quod in ejus Operibus singulare ubique dominatur, sic ut se ipsum ubique prodat. Absit autem, ut simile quid in utraque lucubratione, de qua agimus, deprehendatur. Si Dubordæus suam in discernendo stylo peritiam eruditionemque aliunde probasset, et deessent virorum in eo genere literaturæ eruditissimorum judicia, posset hic forte impune Thrasonem agere, cum de re admodum obscura, quæ vix verbis explicari potest, et ab interno sensu gustuque legentis repetitur, sermo sit.* F

a Chiffletio editum perperam S. Eucherio adscribi :

127 *Sed qui styli phrasisque identitatem in Chiffletianis et Surianis Actis deprehendit, pati debet, si hic diversitatem illam radicalem duorum Opusculorum asserenti non credatur, maxime cum Chiffletius, Ruinartius, Tillemontius, et quotquot alii hactenus eruditi, qui Acta nostra Eucherio tribuerunt, majorem stili varietatem non repererint inter laudatam epistolam et Martyrium Agaunensium, quam sit inter illam et cetera S. Eucherii Opuscula. Ceterum assere, Passionis Legionis Thebææ stilum Cassiodori ætatem sapere, non est illam efficaciter S. Eucherio, qui eodem seculo, vix triginta annis ante Cassiodori ortum vivit, abjudicare. Martyrium nostrum sub finem vitæ scripsisse potuit sanctus Lugdunensis episcopus, cum jam stilus ejus non nihil senuisset. Quamquam, ubi id materia exigit, in Passione illa suscitatum auctoris ardorem, revirescentemque phrasim cernere licet. Sane totum illud responsum, quod ad tyrannum remittunt sancti Martyres, Christiano Cicerone Eucherio et Augusti seculo, sententiarum pondere, phrasis nitore puritateque sermonis dignissimum est.*

128 *Nihil*

A neque hanc hypercriticam suam

128 *Nihil itaque ministellus hactenus confecit. Plura deinde arguit ex epistola Actis præfixa, at æque infeliciter. Fuerit enim hæc ab inscito editore aliis Opusculis præfixa, ipsa satis materia ostendit, illam huc pertinere: Theodorum Octodurensem episcopum aliquem, qui basilicam Agaunensem primus exstruxerit, ante S. Eucherium vixisse, jam superius demonstravimus, atque adeo frustra inde aliquid arguit. Capite* 9 *Dissertationis machinas duas alias admovet. In Chiffletii Passione dicitur:* Incitamentum tamen maximum fidei in illo tempore penes S. Mauritium fuit, primicerium tunc, sicut traditur, Legionis *etc. Quod tribunus legionis hic ejusdem* Primicerius *nominetur, ipsi est indicium certum, Passionem a S. Eucherio scriptam non esse, cum vox* Primicerius *inepte ad dignitatem præfecti significandam translata sit. Demus tantisper verum esse, quod asserit, neque uspiam inveniri præfectum Legionis* Primicerii *nomine vocatum, non est incredibile, Eucherium, ut ut ceteroquin bene Latine scribentem, voce quapiam fuisse abusum, et titulum primorum in aliis dignitatum ordinibus, ad primum dignitate seu Præfectum Legionis transtulisse.*

B aliis argumentis

129 *Quamquam Vegetius auctor* 4 *seculi, qui laudatum ab eruditis omnibus de Militia Romana Opus Valentiniano imperatori inscripsit, lib.* 2 *cap.* 21 *sic loquitur :* Ideo primipili centurio... in prima cohorte ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione infinita commoda consequitur, sicut Primicerius in officio præfectorum prætorio, ad honestum quæstuosumque militiæ pervenit gradum. *Deinde S. Hieronymus, cui non negabit Dubordæus stili puritatem, in epistola ad Pammachium bis inter dignitates militares Primicerium nominat; nugas igitur hic ministellus agit, uti ad capitis præcedentis finem, ubi ex Senatoris appellatione, quæ est ab eodem Hieronymo usitata, ut in Annotatis ostendam, suspicatur, Passionis hujus auctorem Anglum fuisse. Illam ulterius impugnat ex assignato ibidem militum numero.* Legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia ac sexcentos viros in armis habebat. *Mox contendere videtur, Legiones Romanas numquam ultra quinque peditum millia et trecentos equites habuisse.*

confirmat.

130 *At Vegetius lib.* 2 *de Re militari cap.* 2 *scribit :* Romani legiones habent, in quibus sena millia, interdum amplius, militare solent. *Id auctoris diligentissimi et in Romana militia versatissimi testimonium postea forte habuit obvium, vela igitur contrahit :* Verum, *inquit,* difficile probabitur, fuisse tempora, quibus eum determinatum numerum militum, quem Acta definiunt, legiones Romanæ habuerint. *Quid ni sic etiam Vegetium aggreditur, et aliunde asserti ejus probationem exigit? Habemus auctorem, qui uno circiter seculo ante Eucherium vixit, asserentem, legiones Romanas ultra sex millia militum numerasse: hoc ex hujus testimonio admittitur : alius seculo uno posterior sexcentos millibus determinate adjicit, sed falso, nisi aliorum testimoniis assertum suum probet. Bella profecto est hæc argumentandi ratio, sic tandem vix erit aliquid adversus delirantis hominis criticam tutum. Demus tamen supererogatorii, ut aiunt, aliquid. Plutarchus in Romulo scribit :* Geminata Urbe (*receptis scilicet Sabinis*) centum ex Sabinis senatores allecti, legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis, *quæ saltem innuunt, determinatum hunc numerum Legiones quondam Romanas habuisse. Quod si id nolis, et Plutarchum etiam erroris arguas, da hunc locum legisse Eucherium, ex eoque Legionem Thebæam computasse, errasse illum convinces, at stolide propter hunc errorem lucubrationem illi abjudicabis.* AUCTORE J. C.

§ IX. Refelluntur Dubordæi argumenta, quibus contendit, Passionem nostram perperam S. Eucherio Lugdunensi tribui.

Capite 10 *et* XI *Dissertationis suæ, duo aggreditur ministellus; horum primo probare nititur, miraculum in Actis Chiffletianis memorari, quod et sanctis Martyribus nostris, et S. Eucherio auctore indignum sit. Est autem tale. Inter Christianos, qui exstruendæ sub S. Theodoro Octodurensi episcopo basilicæ operam navabant, faber gentilis aderat. Quodam Dominico die, reliquis ad festum celebrandum profectis, solus is in basilica remanserat; cum apparent sancti Martyres, hominem increpant et verberibus castigant,* Quod vel die Dominico ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet. *His ille territus, mox Christianus effectus dicitur. Duo hic carpit Dubordæus et censuram suam petulantibus blasphemisque salibus condit.* Incredibile est, *inquit pag.* 89, auctorem gravem, qualis Eucherius fuit, exhibuisse Sanctos tam stolide loquentes : ex eorum enim verbis facile concluditur, paganos, in quantum paganos, obligatos fuisse ad observationem Sabbati Judæorum. Perperam asserit ministellus, E

132 *Atque hoc principium Sanctis indulgeri non potest :* Nam, si mandatum quartum, sicut cetera præcepta Decalogi, ethnicos æque ac Judæos obstrinxisset, signum esset indubium, quod debitum per præceptum quartum impositum, essentialiter morale et rectitudinis naturalis et inviolabilis. *Quæ deinde plurima ibi congerit eo tendunt, ut probetur, paganos hoc præcepto obstrictos non fuisse quod facile illi concedimus, secundum eam partem, quæ ad diei certi divino cultui impendendi determinationem, seu, ut loquuntur Theologi, ad id, quod in observatione festi legale et ceremoniale est, spectat : nam lege naturæ quoslibet homines Deo auctori suo cultum debere certum est. At negamus ex illis verbis sequi, fabrum illum, quatenus paganum, obstrictum fuisse legi ecclesiæ, cujus nondum erat per baptismum subditus. Apud nos non obtinent hæ et similes sequelæ : Dubordæus ministellus Anglo-Sabaudicus est eruditus : ergo quatenus ministellus est eruditus; quia, ut aiunt philosophi, a termino non reduplicato in affirmativis, ad eumdem reduplicatum non valet argumentatio. Propter eamdem rationem non sequitur : Punitur faber gentilis, quia non facit id, ad quod tenetur; igitur punitur faber, quia omittit id, ad quod, quatenus gentilis, tenetur : quod est Dubordæi ratiocinium.* in Passione E

133 *Itaque castigatus faber intelligitur, quod tot exemplis aliorum illectus solus ipse veram fidem amplexus nondum esset, non suscepisset baptismum, et sic cum Christianis in ecclesia jam non adesset: forte etiam quod sua absentia, vel operando sacris diebus, aliis esset scandalo. Quidquid sit, similibus exemplis refertæ sunt historiæ, et non inepte herus castigare servum dicitur, quod non sit* in Gallia *V. G., quia non adhibuit ante, ut ex mandato heri tenebatur, operam, ut eo perveniret. Carpit etiam ministellus sanctos Martyres, eosque crudelitatis* primigenia talia proferri

AUCTORE J. C.

delitatis insimulat, quod hominem immerentem, qualem fabrum illum fuisse ex superiori sophismate supponit, verberibus cedant. Sed non erat procul dubio inter Christianos vivens homo ille in ignorantia invincibili; erat igitur in culpa, quam per sanctos Martyres castigare voluerit Deus, ut temporalibus pœnis prodigiose inflictis ac amplectendam veram fidem illum misericorditer efficaciterque moveret : in quo nihil est magis insolens, quam in sancti Pauli historia, qui Damascum properans, cæcitate percussus et cælitus territus, in vas electionis ex Saulo formatus est.

quæ in sanam Theologiam

134 *Atque ex iis facile exploditur reliqua congesta hic Dubordæi eruditio : quod enim scriptor Actorum insinuat, Sanctos ægre tulisse, conductum fuisse operarium gentilem exstruendæ sibi basilicæ, non alio sensu accipi debet, quam quo ea, quæ jam diximus; ut scilicet hominem ethnicum, atque eatenus certe indignum, qui sancto operi adlaboraret, ad fidem perducerent : quæ omnia nec sanctis Martyribus, nec S, Eucherio auctore indigna sunt. Sequenti Dissertationis suæ capite* XI *theologum agit iterum Dubordæus, at magis adhuc, quam superius specialem. Contendit, ardorem martyrii, quo fervebant Sancti, speciem* B *potius furoris esse, quo abducti non fugerent, non vitam, sumptis armis, tuerentur, sed ovium instar jugulum carnificibus præberent. Hæc, inquam, magnanimitas, quam Acta enarrant, hic ardor fundendi pro Christo sanguinis e diametro opposita sunt, mimistello judice, principiis religionis Christianæ et doctrinæ Christi.*

impingunt,

135 Si horum Actorum auctor, *inquit pag.* 98, credidit, Sanctos Deum offensuros fuisse, conando se fuga imperatoris mandatis et crudelitati subducere, aliis non est opus, ut concludamus, S. Eucherium Passionis illius auctorem non esse. *Gratis id quidem esto, ita sentire Eucherium non potuisse : nullibi certe vel verbo innuit Passionis laudatæ auctor, tale quid se judicasse. Laudat quidem, quod in confessione constantes Martyres necem exspectarint intrepidi : verum an forte jam laudari non poterunt, nisi ea, quæ sine peccato omitti, vel quorum contraria sine offensione Dei fieri non possunt? Simile quidpiam ministello principium esse debuit, ut ex laudibus, quibus scriptor Sanctorum magnanimitatem Christianam prosequitur, species aliqua dubii hujusmodi* C *oriatur, nam alibi verbum nullum occurrit, unde vel suspicari liceat, auctorem in ea, quam illi ministellus affricat, opinione fuisse. Quamquam assuetus paralogismis ministellus, solitusque callide lectoribus suis fucum facere, eo dubio hic egebat, ut aliquid saltem dixisse videretur, et paginas aliquot impleret rebus cuilibet notis, qui Theologiam vel a limine salutavit, quibusque proinde immorari non lubet.*

et sanctis Martyribus æque

136 *Ignatios et Albinas, inquit, oportet Christianæ fortitudinis, non Catones et Lucretias exempla Christianis esse : fatemur. Novimus, quod S. Cyprianus aliique antiqui Patres Christianos plurimum adhortati fuerint, ut ne se sponte cruciandos jugulandosque tyrannis offerrent; novimus, SS. Paulum, Cyprianum, Athanasium persecutorum furores instantesque ab illis minas fugisse, secundum id, quod Christus docuit Matth.* 10 ℣ 23, Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam; *novimus denique, ipsum Redemptorem nostrum Judæorum iras etiam prodigiose declinasse: verum negamus, sanctos Martyres nostros contra horum aliquid offendisse. Fugit Salvator noster, nondum enim venerat hora a Patre præfixa et potestas tenebrarum. Christi consilium Matthæi verbis expressum dirigitur potissimum ad Apostolos,* D *quorum ore Evangelium per totum orbem disseminandum, quibusque proinde vita summo in pretio habenda erat. Idem id consilium secuti sunt prudentissime Sancti nonnulli, quorum opera Ecclesia plurimum egebat cuique proinde plus damni ex morte, quam gloriæ ex fortissime tolerato martyrio accessisset.*

ac S. Eucherio indigna sunt.

137 *Verum nihil tale suadebat, Thebæos Martyres vitam studiosius conservare. Diffidebant de aliquorum Catholicorum præcipiti ardore Patres, ne is scilicet viribus major esset et ita, eo in tormentis subsistente, succumberent. Idem præsentissimum periculum facit, ut pro illicito apud omnes, quos novi Theologos, habeatur, sine peculiari S. Spiritus impulsu cruciatibus sponte se ingerere. et ultro in accerbissimas mortes ruere. Aliud etiam totum est, intentatam a tyrannis necem non declinare, eamque ultro accersere. Illud, non hoc, in Sanctos Agaunenses cadere potest : neque enim leguntur ultro se Maximiano obtulisse, sed detrectantes, quod sane innoxii facere non poterant, Christians ad supplicia pertrahere, Christianos se professi esse et causam allegasse, quare imperatoris mandato non obsequerentur. Pro Christianis habiti, cernentesque imminentem mortem sævientemque in Socios Maximiani iram, non fugerunt quidem; at non sic furorem suum, sed magnanimitatem ardoremque gloriosum martyrii ostenderunt.* E

Exploduntur ejusdem stolida sophismata,

138 *Ignatium nobis, Thebæorum magnanimitatem impugnans, pro Christiani herois exemplari esse vult Dubordæus : at is, tantum abest, ut imminentem mortem quovis modo declinavit, ut Christianos his verbis compellet* : Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet.... Utinam fruar bestiis mihi præparatis, quas et opto mihi promptas invenire, quibus et blandiar, ut cito me devorent; non ut quosdam veritæ non tetigerunt. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego vi impellam. *Ecce Christianæ fortitudinis exemplar Ignatius, obsecrat Christianos, ut ne apud Deum pro sua liberatione precentur, aut apud imperatorem et judices intercedant; feras, non ut parcant sibi, demulsurum se, sed ad furorem exstimulaturum asserit : et definiente Dubordæo, sancti nostri Martyres, ut hujus exemplum sequerentur, intentatam sibi mortem tranquille magnanimiterque exspectare non debuerunt, sed fuga saluti suæ consulere.* F

quibus contendit, Sanctos fuga sibi consulere

139 *Quis hic iterum sui oblitum suisque sophismatis implexum ministellum non rideat, dum ad probandum id, quod intendit, exempla profert, quæ contrarium omnino persuadent? Nullam illi hic iterum evadendo rimam relinquamus. Demus, errore quopiam deceptos fuisse omnes fere, quotquot fuerunt Martyres, qui, quæ poterant, tormenta et mortem non vitarunt; Legionem Thebæam, si potuit, fugere debuisse; Dubordæo ostendendum restat, illos Maximiani manibus elabi potuisse. Vallis angustissima, undequaque præruptis montibus vel Rhodani aquis cincta, quam apud Agaunum Martyres occupabant, omnem elabendi viam præclusit potius, quam aperuit. Denique rem ex ipsis Actis repetamus ; ibi* Mauritius... accendebat, exhortando singulos et monendo fidem, commilitonum etiam Martyrum exempla ingerens, pro sacramento Christi, pro divinis legibus, si ita necessitas ferret, omnibus moriendum suadebat.

vel vim vi repellere

140 *Ibi sancti Martyres Maximianum his verbis alloquuntur :* Et nunc non nos vel hæc ultima vitæ

A vitæ necessitas in rebellionem coëgit, non nos adversum te, imperator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis, desperatio. *Ex quibus nemo facile suspicabitur, commode illos fugere potuisse, cum in extrema vitæ necessitate esse se, et, cum ferret necessitas, morituros profiteantur. At fortissimos Viros decebat arma sumere, irruere in tyranni exercitum, et, si superare carnifices non poterant, multitudine oppressos caro vitam suam multorum cædibus vendere et sic non inultos mori. Sit hæc ministelli doctrina, alia Christi est, secundum quam Thebæi Martyres imperatori respondent:* Tenemus ecce arma, et non resistimus: quia mori, quam occidere satis malumus, et innocentes interire, quam noxii vivere, peroptamus.

debuisse. 141 *Ceterum nescio, quam Albinam viraginem Christianam, potius quam Lucretiam, quæ gentilibus decantata heroïna est, sequendam Martyribus pag.* 99 *proponat. Albinæ hactenus in Opere nostro occurrerunt duæ, ambæ Martyres, quarum altera Lugduni passa colitur* 2 *Junii, altera* XVII *Februarii inter* 30 *Martyres incerti loci numeratur, nec hujus Acta invenimus uspiam. Lugdunensis Albinæ gesta particularia etiam* B *nulla sunt. Alterius Albinæ Cæsariensis martyris, cujus reliquiis gloriatur Caëta, ad diem* XVI *Decembris meminit Baronius in Martyrologio Romano, et Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi compendium invenies Actorum, quæ nos ampliora habemus. In his admiranda est duodennis puellæ fortitudo constantiaque, qua Decio repondet, ejusque blanditias et minas contemnit. Hanc si* Victori, *a quo mentitur ministellus epulantes deque spoliis exultantes milites, conviciis et maledictis impetitos fuisse, ut ceteris sanctis Martyribus Ignatium, exemplar esse velit, non refragor, in illo enim pariter Christianam magnanimitatem ardoremque martyrii mirabor.*

§ X Dissolvuntur alia ministelli sophismata adversus Passionem Eucherianam cusa.

Non est a verisimilitudine alienum, *Inter ea, quæ verisimilia non videntur Dubordæo, quæque proinde ipsi ineptum fabulatorem produnt, etiam illud est:* Hi *(sancti Martyres* C *nostri)* in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant; *contendit certe Dissertationis suæ cap.* 12, verisimile non esse, quod Legio ex Oriente accita sit, ad sedandas turbas in Galliis exortas. *Observasse juverit, in Actis Chiffletianis de Galliarum turbis nullum uspiam verbum fieri. Accersiit hæc ministellus ex interpolata Surii Passione, ex qua hic Acta nostra sincera, ut passim alibi, subdole impugnat, sicque lectoribus suis illudit. Audiamus reliqua.* Non negamus, *inquit pag.* 107, legiones Thebæas in Oriente fuisse. Liber de Dignitatibus imperii meminit quatuor legionum Thebæarum. *Recte hactenus: a Pancirolo enim ad Notitiam imperii Orientis cap.* 46 *pagina apud me* 33 *sic enumerantur:* Sub dispositione viri illustris Magistri militum per Orientem *inter* Legiones comitatenses IX, *sic dictas, quod imperatores in expeditionibus comitari solerent:* Secunda Flavia Constantia Thebæorum. Secunda Felix Valentis Thebæorum.

143 *Deinde pag.* 36. Sub dispositione viri illustris Magistri militum per Thracias *inter* Legiones comitatenses XXI. Prima Maximiana Thebæorum. Tertia Diocletiana Thebæorum. *Pancirolus in suo Commentario de secunda Flavia Constantia Thebæorum scribit:* Hæc successit secundæ Thebæorum Christianæ, quæ apud Treviros a Rictiovario, Maximiani præfecto, martyrio est coronata; *de Secunda vero Felice Valentis Thebæorum:* Hæc alii successit, quæ et ipsa propter Christum, in subalpinis Italiæ apud Albingaunos a Maximiano est trucidata. *Credidit itaque Pancirolus, duas primas Thebæorum legiones, Maximianam scilicet et Diocletianam, pro Christi fide necatas fuisse. At non immerito emendandum illum Dubordæus censet, cum ex cohorte, de qua in SS. Thyrsi et Bonifacii Actis quæ postea examinabimus, legionem integram fecerit. Alius adverti potuisset hic ab oculato critico et minus præcipiti lapsus Panciroli. Testatur is ipse in Præfatione, Notitiam Dignitatum imperii scriptam esse sub finem principatus Theodosii junioris et post Arcadii et Honorii tempora, seu post annum* 425 *ejusque auctorem Romani imperii dignitates et copias enumerare, non prout eæ ante sub præcedentibus imperatoribus fuerant, sed prout erant quo tempore scribebat.* AUCTORE J. C. *Legionem Thebæam,*

144 *Supererant igitur post annum* 425 *legiones* E *Maximiana et Diocletiana Thebæorum, atque adeo duobus ante seculis sic deletæ non fuerunt, ut iis suffectæ fuerint Constantiana et Felix Valentis. Si conjectare lubuisset, verisimilior erat suspicio, alterutram a Diocletiano vel Maximiano denominatam in nostræ martyrio coronatæ, cujus peculiarem militiæ titulum ignoramus, locum substitutam fuisse. Ex correcto sic Panciroli errore funditus convellitur unicum in specie ac futile argumentum in asserti sui probationem hic ab hypercritico nostro productum.* Exemplaria Surii et Chiffletii *(inquit pag.* 108) consonant Maximianum Legionem ex Oriente evocasse, ita ut in sensu Pseudo-Eucherii nec prima Maximiana, nec tertia Diocletiana Thebæorum esse possit, cum hæ morarentur in Thracia: *Theodosii junioris tempore scilicet, id est, duobus fere seculis post initia Maximiani; unde ejus ratiocinium huic æquivalet. Legiones, quæ Maximiana et Diocletiana Thebæorum vocantur, anno Christi circiter* 430 *erant in Thracia; igitur ducentis annis ante ex Oriente accersiri non potuerunt: quam profecto sequelam nemo, cui sanum est cerebrum, admittet.* *cujus peculiarem titulum ignoramus,*

145 *Quod si Dubordæus urgeat, in Notitia imperii non ejus solum sub Theodosio statum describi, sed eum etiam; qui secundum dignitatum ordinem copiarumque numerum et stationes sub præcedentibus imperatoribus esse soleret, appellabo ad Pancirolum, in Præfatione sic contrarium evincentem, ut advertat, de provinciis Romano imperio, sub tempora Theodosii per barbaros ereptis, nullam in Notitia fieri mentionem. Quamquam, si ministello etiam ultro id dedero, Maximiani tempore duas illas Thebæas legiones fuisse sub dispositione Magistri militum per Thracias, perperam inde deduceret, eas ex Oriente tum temporis evocari non potuisse: erant enim inter Comitatenses, sic dictas, quod imperatores comitari solerent. Potuerunt igitur Diocletianum in Oriente comitatæ, ab eo ad Maximianum ad sedandas turbas in Gallia exortas transmitti.* *ex Oriente,* F

146 *Imo, etiamsi ulterius admisero, Legiones illas ex Thracia ipsa subsidio missas fuisse Maximiano, nihil Eucherii, nihil ipsius interpolatoris Suriani verbis contrarium concessero. Scribit is, Legionem Thebæam nostram* ex Orientalibus militibus *subsidio futuram Maximiano.*

AUCTORE J. C.

litibus, *ille* ab Orientis partibus *ad exercitum Maximiani accessisse. In Thracia agentes milites, et ejus provinciæ magistro subjecti, ad Orientis imperium, sicut et ipsa Thracia, licet illi tantum contigua pertinebat. Recte igitur Orientales Milites vocantur, præterquam quod Thebæi essent, Thebæque procul dubio ad Orientis imperium spectarent, adeoque a patria sua Orientales milites appellari potuerunt. Tracia insuper Gallis, inter quos scribebat S. Eucherius Lugdunensis episcopus, Orientalis est: atque adeo, inde accersitas copias usitatissimo scriptoribus more dicere potuit,* ab Orientis partibus *advenisse.*

accersitam fuisse.

147 *Senserat hæc forte Dubordæus; at in desperata causa erat cavillandum: itaque infide utriusque scriptoris verba referens, iis crude* Ex Oriente *substituit, ut resectis, quæ mitiorem sensum ingerunt, particulis, liberius ludere et lectoribus minus cautis imponere posset. Porro ex iis, quæ ministellum confutans sparsim hic inserui, clarum mihi videtur fieri, neque Maximianam neque Diocletianam Thebæorum, felicem nostram Legionem esse, nisi, eodem retento nomine legionis, alii deinde milites, pro nostris ad Agaunum* B *coronatis, suffecti fuerint, sitque tota nova conscripta legio; quod, ut est omnino incertum, sic nec facit aliquid contra Passionis nostræ sinceritatem. Nihil speciatim monui, quod nonnulli ex eo, quod sanctam Legionem nostram a S. Avito in Homilia superius laudata* Felicem exercitum, a *Gregorio Turonensi et Fortunato* Legionem Felicem *appellatam invenerunt, crediderint, Felicis agnomen illi proprium, et Secundam Felicem Valentis Thebæorum nostram fuissse: hæc enim opinio satis refellitur ex eo, quod Valens imperator, a quo titulum sortita est, non paucis annis fuerit sanctis Martyribus Thebæis posterior.*

Refellitur alia difficultas,

148 *Pro nata ex Legionum computu atque expeditione Maximiani contra Bagaudas occasione, difficultatem aliam pag.* 110 *Dubordæus movet. Proposita belli illius necessitate et difficultate,* Neutiquam, *inquit,* verisimile est *(Maximianum ad illam tanti momenti expeditionem in Gallias cum exercitu properantem)* pro beneplacito privaturum se fuisse Legione, quam ex ultimis imperii finibus accersiverat. *Tædet me hominem continuo eo revocare, quod probandum suscepit, undeque continuo dilabitur. De Passione S. Eucherii nomine inscripta vulgataque a Chiffletio nobis quæ-* C *stio est, nihil ibi de evocata ex ultimis imperii finibus ad comprimendos Bagaudas Legione sancta. Nihil igitur ex his adjunctis contra hujus sinceritatem eruitur. An sub id tempus, cum Maximianus in Gallias bellaturus proficisceretur, martyrium passi sint Thebæi Heroës, sequenti § discutiemus: pergamus interim audire hypercriticum.*

contra Passionis Eucherianæ

149 Credatur, *inquit,* quantum poterit, Maximianus usque ad furorem falsorum deorum cultui addictus, hosti et persecutor implacabilis Jesu Christi discipulorumque ejus: at sine probationibus extremæ evidentiæ depingi non potest tam insanus, tam male politicus, ut jusserit internecione deleri unam ex optimis legionibus, idque, ut ita dicam, in conspectu hostium, et cum jam aggrederetur bellum, cujus successus orbi universo probare debebat electionem a Diocletiano factam. *Hæc iterum, ut jam supra monui, Surii Acta, ubi de Bagaudis susceptoque adversus illos bello agitur non nostra, ubi altissimum est de his omnibus silentium, impugnant. Accipio tamen hic oblatam a Dubordæo conditionem, ut ne postea huc cogar regredi. Repræsento mihi Maximianum, qualem Lactantius asserit fuisse, in omnibus Diocletiano simillimum, nisi quod illo* plus animi *habuerit,* non ad D bene faciendum, sed ad male; *qualem mihi Eutropius exhibet lib.* 9. *Summarii Romanæ historiæ:* Propalam ferum et incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significantem; naturæ suæ indulgentem, Diocletiano in omnibus severioribus consiliis obsequentem. *Denique talem mihi depingo Maximianum, qualem Aurelius Victor in Epitome pag.* 640 *fuisse asserit:* Natura ferum, ardentem libidine, consiliis stolidum.

sinceritatem

150 *Stolidum consiliis hominem politices regulis vincire velle, nescio, an non sit ipsum se stolidum probare. Plurimæ rationes esse potuerunt, quæ ad exercendam, in quam ex suapte natura plurimum propendebat, ferociam Maximianum in hisce etiam bellorum adjunctis impellere potuerunt. Millies imperatorum gentilium furores accendit superstitio, quæ tum potissimum valebat plurimum, cum gerendæ aderant res magnæ, responsaque ab oraculis, auspicia a victimarum extis petebantur, et somniorum deliria pro indubitatis futurorum eventuum arrhis venditabantur. Nemo, opinor, Dubordæum monuit, nihil tale a sacrificulis, in omnem nocendi Christianis occasionem intentis, motum fuisse. Mentiri potuerunt, infaustum belli exitum imminere, cla-* E *dem omnia portendere, irasci deos, quod in exercitu essent, qui eorum numina spernerent, atque his similia, quæ centies suggessit superstitio et in Christianos odium, quæque centies imperatorum crudelitas audivit et credidit, unde mille mortes secutæ sunt.*

a Dubordæo mota.

151 *Habemus Mamertinum præter omnia Herculii superstitionem pietatis nomine laudantem in Genethliaco pag.* 102. *Senserit itaque Maximianus, summi momenti, nec minoris difficultatis et periculi bellum esse, quod aggrediebatur; quanto magis crediderit, famam et fortunas suas Romanique salutem imperii ab ista expeditione pendere, tanto magis hostes Christiani nominis, Diocletiani lenitate infensi, calumniari potuerunt, et Maximiani furorem, incendere, suggerentes, idola pro felici expeditionis successu expetere sacrificia ab omni exercitu, juramentaque, de Christianis, quos vel audierant vel suspicabantur plurimos esse inter hostes, ad quos debellandos proficiscebantur, e medio tollendis. Sicut horum neutrum Thebæis Militibus per religionem Christianam, quam profitebantur, licebat, sic utrumque potuit glorioso illorum certamini occasionem præbuisse. Frustra* F *itaque a defectu verisimilitudinis hic ministellus arguit.*

§ XI. Retunditur assertum Dubordæi, quod martyrium Legionis Thebææ componi non possit cum historia et annis Maximiani.

Ministelli parerga, qui

Hoc *caput* 15 *Dissertationis suæ plus ceteris omnibus ineptis parergis farcit ministellus. Mox tria a Maximiano suscepta in Gallias itinera a Lactantio enumerata recenset. Primo inquit, Faustam filiam suam matrimonio junxit Constantino, eumque Augustum creavit. Secundum suscipere coactus fuit, fugiens furorem militum, indignantium, quod filium suum Maxentium, a quo purpuram prius depositam receperat, imperio exuere tentasset. Tertio denique in Gallias venit, reversus ex Pannonia, ubi Diocletianum incassum sollicitaverat*

AUCTORE J. C.

A *licitaverat ad resumendum imperium. Eo tempore Constantinus, cum comperisset, illum vitæ suæ insidiari, præoccupandum scelus censuit, jussitque strangulari. Sed cum nullo horum itinerum componi potest martyrium Legionis Thebææ, cum omnia posteriora fuerint anno Christi* 306, *et omnes scriptores consentiant, ab eo tempore cessasse persecutionem per Occidentem.*

non evincit, quod probandum assumit:

153 *Nullus Catholicorum, qui pro sincera habent Passionem Sanctorum Agaunensium a S. Eucherio scriptam contenderat, sanctos Martyres post illum annum coronatos fuisse, igitur aere hic verberat ministellus, et multo conatu propugnat, quæ negantur a nemine. Verum,* ubi igitur inveniemus *(inclamat pag.* 133) quartum iter Maximiani in Gallias, in quo imperator ille potuerit delere Legionem Thebæam? Nullum superest præter illud, cujus meminerunt Eutropius et Aurelius Victor, confectum, quando exercitum adversus Bagaudas duxit. *Sistamus hic non nihil Dubordæum, per ea, quæ a nemine in dubium vocata sunt, tuto currentem, at vel ea nescientem, vel dissimulantem, ad quæ offendere potuisset. Demus tantisper, cum* B *nullo horum quatuor itinerum in Gallias martyrium nostrum componi posse; multum aberit a demonstrato asserto suo, quod negativum est, adeoque temerarium et nullum, nisi ostenderit, alio tempore in Galliis agere cum exercitu Maximianum non potuisse, quod nec præstitit, nec præstare potuit.*

etenim varii assignantur anni,

154 *Etenim indubitatum est, Herculium post debellatos anno Christi* 286 *apud Parisios Bagaudas, pluribus annis in Galliis fuisse, transiisse non semel in Italiam, rursumque inde eo reversum esse. Anno Christi* 287 *ibidem Francos, Burgundiones, aliosque barbaros fudit, et anno* 288, *superato Rheno, in Germaniam traduxit exercitum, et Alemannos variis cladibus attrivit. Quid sequenti anno, et ubi plerumque egerit, fere incompertum est. Si hoc tempore, ut conjectant plerique, panegyricum suum primum coram Maximiano dixit Mamertinus, Treviris fuisse credi potest mense Aprili, cum jam naves, quas adversus Carausium paraverat, per flumina in Oceanum advectæ essent. Caruit effectu illa Romanorum expeditio, et Carausius purpuram, quam sumpserat, gerere impune in Britannia perexit, et insulæ imperium per sex aut septem ultra annos retinuit. Reliqua Herculii gesta obscura sunt, usque ad iter in Italiam, quod* C 290 *vel* 291, *sævissima grassante hieme, suscepit, teste Mamertino, Diocletianum, qui eo ex Oriente advolarat, conventurus. Qui sub anni* 290 *finem, vel sequentis initio Mediolanum Augusti convenerant, menses ibidem aliquot transegerunt, indeque ad exercitus suos reversi sunt.*

quibus non probat, Maximianum

155 *Quamdiu ibi consilia contulerint et quando inde discesserint, enucleate auctores nulli indicant; verum cum Mamertinus in Genethliaco pag.* 107, *id imperatorum felicitati magnæ adscribat, quod, quo tempore in interiora imperii seu in Italiam se recepissent, et otiosi degerent, barbari animos attollere et quidpiam movere non sint ausi, verosimile est, æstivos menses ibidem transactos fuisse. Porro Mamertinus in Genethliaco pag.* 101 *scribit, Maximianum ex Galliis in Italiam properantem, arcem* Monœci Herculis *præteriisse, et ibidem pag.* 104 *ait, illum per* Alpes Cottias *iter habuisse. Promontorium Monœci Herculis, quod est hodiernum* Monaco *in ora maris Ligustici, inter Intemeliam* (Vintimiliam *hodie appellant,) et Nicæam, longius abest ab Alpibus Cottiis, nec verosimile est, festinantem imperatorem, sæviente hieme, tantum fecisse circuitum. Quamquam id ad nos non pertinet; certe qua via regressus sit in Gallias, non edicit. Mediolano Treviros profecturo brevissima et Romanis usitatissima erat per Alpes Graias et Valesiam, ubi Octodurum est. Quid si igitur in hoc ipso Maximiani reditu contigisset carnificina apud Agaunum?*

in Vallesia

156 *Certe difficile esset Dubordæo contrarium evincere, et discordiam cum historia probare: Maximianus enim, qui cum paucis in Italiam properarat, potuit in reditu copias ex Italia novas in Gallias traducere, imo et a Diocletiano augmentum exercitus impetrasse, forte adversus Carausium, cujus tranquillam possessionem Britanniæ pacato oculo aspicere non potuit superbus princeps, memoria infelicis adversus illum suscepti belli exacerbatus. Non legimus quidem, illum aliquid postea contra Carausium tentasse; at conceptum cum Diocletiano consilium, et fortissimarum copiarum cæde, et nimia rei difficultate præpediri postea potuit. Unum est, unde arma adversus hanc conjecturam depromere ministellus videatur posse. Mamertinus natali die Maximiani Genethliacum dixit, eodem anno, quo ille, hieme sæviente, Mediolani cum Diocletiano egerat. Natalis dies* E *Herculii putatur fuisse* XXI *Julii; eo igitur mense Treviros redierat, nec proinde potuit mense Septembri reversurus in Gallias Agauni Legionem Thebæam martyrio coronare. Verum ex his, quæ Tillemontius asserit, aliqua in ipsius chronotaxi valde incerta sunt. Mamertinus in Panegyri illa bis asserit, in* Gemini natalis *solemnitate se dicere, quo, quid intelligendum sit, nullus hactenus satis clare docuit.*

cum copiis

157 *Mitto, nihilo certius esse, Herculium, eo potius, quam quolibet alio anni die natum fuisse, ut ostendam, Mamertinum non anno Christi* 291, *quo cum Diocletiano Mediolani egit, sed verisimiliter serius Orationem secundam dixisse. Illius initio sic loquitur encomiastes:* Sentio tamen a me,... hoc piæ vocis officium jure quodam sacrosancti fœnoris postulari, ut exspectationem sermonis ejus, quem tuis Quinquennalibus præparaveram, hac gemini natalis prædicatione compensem. *Et post aliqua:* Gaudeo igitur (si fas est confiteri) dilatam esse illam cupiditatem meam; neque enim Orationis ejus, quam composueram, faciam jacturam, sed eam reservo, ut, quinquennio rursus exacto, Decennalibus tuis dicam. *Ex his luculentum fit, Mamertinum, quam composuerat, Orationem dicere non potuisse, eo quo statuerat et debebat tempore. Ma-* F *ximianus Kalendis Aprilis anni Christi* 291, *exacto quinto imperii anno, Quinquennalia celebrare debuit. Erat tum procul dubio adhuc in Italia, atque hæc, nisi multum fallor, causa fuit, cur Mamertinus nequiverit coram ipso perorare. Usque ad id temporis, mensem scilicet Aprilem anni* 291, *Mediolani fuisse Herculium, pene certum mihi faciunt, quæ superius num.* 155 *adverti, cum etiam probabilius videatur, non anno* 290 *exspirante, sed potius sequentis initio Mediolanum Augustos convenisse.*

mense Septembri

158 *Ut ut est, tota profecto panegyris illa non obscure innuit, dictam illam fuisse, postquam Romani imperii hostes mutuis sese bellis et cladibus conficerent. Inter varia, quæ Mamertinus enumerat, venit rebellio Ormies Persæ adversus fratrem Varanem, quam, si anno* 291, *ut censet Tillemontius, exorta est, mense Julio referre non potuit Mamertinus, tanto inde terrarum spatio semotus. Denique Tillemontii opinionem circa epocham dicti Panegyrici forte quatit ipse Mamertinus, in conclusione sic loquens:* Gemini ergo natales pias vobis mentes, et imperatorias tribuere fortunas, atque inde

AUCTORE J. C.

inde sanctitatis vestræ, omniumque successuum manat exordium, quod nascentes vos ad opem generis humani bona sidera et amica viderunt: quæ vobis concordiam sempiternam, et vestrorum generum caritatem, et fovendæ reipublicæ studia conciliant. *Hæc, inquam, nescio, an suspicionem injicere non debeant, ne forte non ante annum Christi 292 hæc oratio dicta fuerit.*

agere et Legionem Thebæam

159 *Etenim Aurelius Victor et Eutropius, quibus, ut debuit, Tillemontius subscripsit, asserunt, Diocletianum et Maximianum, ut magis sibi novos creatos cæsares devincirent, effecisse, ut, uxoribus repudiatis, filias suas acciperent. Et Valeria quidem Diocletiani filia Maximiano Galerio juncta fuit, Theodorum Herculii privignam Constantius accepit. Certum est, quod multis probat Tillemontius Nota* XI *ad Diocletianum, Constantium et Galerium cæsares creatos non fuisse ante Kalendas Martii 292. Jam vero dubitari potest, an non de his ipsis Augustorum generis agat Mamertinus, cum dicit,* vestrorum generum caritatem, *contracte scilicet pro* generorum. *Certe qui periodum integram attentius perpenderit, fatebitur, ni fallor, si* generum *pro* stirpium *sumatur, vacillare sensum, qui, cum de concordia inter principes ad stabiliendam imperii felicitatem unice sit sermo, perfectissimus est, quando* generorum *legimus. Atque tunc oratio illa Mamertini erit differenda post creationem cæsarum, quod propterea eamdem, opinor, rationem fecit Bucherius Belgii Romani lib. 7 cap. 6 num. 3. Et hæc quidem, ut liquet, certa non sunt, at saltem tam probabilia, ut non solum nihil incredibile asserant; verum etiam conjecturam non ineptam fundare possint.* B

ibidem martyrio

160 *Ceterum ut hic ex ipsa historia liquet, Maximianum circa Octodurum fuisse, sic etiam, illa tacente, nihil vetat, illum tempore aliquo antecedente et ab ejus expeditionibus vacuo ibidem egisse et in Legionem Thebæam sæviisse. Hactenus itaque falsum est Dubordæi assertum: pergamus Maximiani annos percurrere, tempus etiam aliud figendo martyrio nostro aptum reperturi. Cæsar dictus Constantius mox classem parari jussit adversus Carausium: at is anno Christi 293 occisus est ab Alecto, qui ejus loco tyrannidem in Britannia arripuit. Contra hunc variis ante bellis in Belgica perfunctus Constantius tandem anno Christi 296 paratam classem eduxit, atque appulsus in Britanniam, cæso in pugna Alecto, insulam recuperavit. Hoc tempore rursus in Gallios venit, egitque circa Rhenum Maximianus Herculius, cavens ne, absente Constantio, aliquid ibi barbari molirentur, ut testatur Eumenius in Panegyrico pagina apud me 214. Quid ibidem speciatim fecerit Maximianus, quamdiuque moratus sit, historia non satis explicat. Videtur sequenti anno Mauros in Africa debellasse.* C

coronare non potuisse.

161 *Id interim certum est, patere rursum tempus locando Sanctorum Agaunensium martyrio, cui sane historia neutiquam refragatur. Ait quidem loco citato Eumenius, quod Maximianus Rheni limitem, non equestribus neque pedestribus copiis, sed præsentiæ suæ terrore tutatus sit; verum hæc de ingenti exercitu intelligi debent; recte enim advertit Tillemontius, imperatorem copias aliquas secum habuisse; et hæc rursus optime cohærent, si Thebæam Legionem, cum qua potuit in Gallias advolare voluisse, in ipso ingressu cæsam statuas. Inutile esset reliquos Herculii annos usque ad magnæ persecutionis initium percensere singulos, sufficere Dubordæo debent assignati hactenus, quibus passio Sanctorum Agaunensium sic illigari potest, ut non credam, quempiam ostensurum, quod historiæ contradicat, qui id asseruerit. Redeo ad primam Maximiani expeditionem adversus Bagaudas. sub cujus initium passim figitur Thebæorum martyrium, quamque sententiam ministellus talibus argumentis impugnat, quæ si quid valent, fere omnia valere pariter debent, adversus tempora, quæ assignavi.* D

Futilia sunt

162 *Itaque postquam recensuit opiniones varias auctorum dissidentium super anno, quo Maximianus Augustus creatus est, et parergis aliis plurima fœdavit folia,* Primo *(inquit pag. 140)* nemo in historia Romana non plane novus, credet, Maximianum recens in imperii societatem assumptum, auctoritate propria Legionem integram jussisse perimi. Quamvis Diocletianus illum Augustum creasset, jus indivisum habebant in imperium, in provincias, in exercitus, in legiones. *Esto hæc vero sint, quæ profecto non sunt certa. Quisquis historicos et alios auctores contemporaneos, Mamertinum et Eumenium legerit, summam inter imperatores illos concordiam, morumque similitudinem ubique assertam inveniet; sic tamen, ut Diocletianum timiditas, Maximianum audacia distinxerint. Lactantius lib. de Mortibus persecutorum cap. 7 scribit:* Hic *(Diocletianns)* orbem terræ simul et avaritia et timiditate subvertit. *Et capite sequenti eumdem rursus timiditatis, Maximianum vero ferociæ et crudelitatis arguit. Quamvis itaque et indivisum inter se imperium habuissent imperatores, et in tantam perniciem et cladem exercitus forte non consensurus fuisset Diocletianus, id profecto non evincit, eam a Maximiano patratam non fuisse.* E

argumenta,

163 *Stoliditas ejus ab Eutropio, superstitio a Mamertino, crudelitas ab omnibus asserta scriptoribus faciunt, ut mirari non debeamus, tale quid ausum esse machinari, etiam inconsulto Diocletiano, quem et parum timere debuit, et cujus forte etiam iniquam in Christianos mentem perspectam habere potuit. Quæcumque crudelia consilia sic tegere noverat Diocletianus, ut aliis, non sibi adscriberentur, teste Lactantio laudato cap.* XI. *Adverterit hoc Maximianus, nec ingratum collegæ facturum se arbitratus sit* homo natura ferus, *nihil sic fingetur ab Herculii indole alienum, qui etiam ex perversæ politices regulis censere potuit, minus sibi timendum esse ab inerti ira Diocletiani, si is forte factum suum improbaret, quam ab ea Legione, quæ communia cum hostibus, quos debellatum properabat, sacra haberet. Sane, ut ut non contendam, Bagaudas veram omnes fidem amplexos fuisse, verosimile tamen est, Christianos inter illos non paucos fuisse, sicut omnino certum est, jam tum Gallias sanctæ fidei lumine fuisse illustratas, quæ sola sufficiunt, ut tam perversa suspicio ab idolorum sacerdotibus injici Maximiano, vel in ipso nasci potuerit.* F

quibus evictum cupit,

164 *Hoc itaque ministelli argumentum non est, quale promiserat. Audiamus tamen illum sibi blandientem pag.* 140. Ostendimus *(inquit)* auctorem commenti istius *(Passionis* S. Mauritii *et Sociorum)* verisimilitudinem non observasse. Quamquam, cum facta quæpiam sint certa, licet a verisimilitudine appareant aliena, subnectimus fortius aliquid conjecturis. *Enimvero, si daremus Dubordæo, quæcumque de martyrio Thebæorum narrantur, apparere contraria indoli Maximiani adjunctisque temporis, quo ponuntur contigisse, ratiocinium ejus non nisi conjecturam, eamque satis levem fundaret, nisi ostenderet nobis, ab imperatoribus ira, furore, aliave animi perturbatione abreptis*

A *abreptis nihil umquam insolitum actum, nihil contra politices regulas peccatum umquam fuisse, imo nec peccari potuisse. Ostendimus contra, nec ab Herculii indole, nec a temporis adjunctis alienum esse, quod asseritur : nihil igitur superest, quod exigere ministellus possit. Pagina* 143 *aliud cudit argumentum, quod ut jamjam monuit, conjecturis fortius est. Ejus verba contraho. Mamertinus in Genethliaco Maximiani sub finem dicit :* Ut vero lucem gentibus extulistis, exinde salutares spiritus jugiter manant.

martyrium 165 *Consonat Eusebius lib.* 8 *cap.* 13 *scribens :* Igitur antequam bellum nobis indictum esset, quamdiu imperatores placito ac benevolo erga nos animo fuerunt, quanta copia omnium bonorum, quantaque felicitate abundaverit imperium Romanum, quis explicare sufficiet? *In eumdem sensum citato libro cap.* 1 *ita loquitur :* Qualem quantamque gloriam simul ac libertatem doctrina veræ erga supremum Deum pietatis, a Christo primum hominibus annuntiata, apud omnes Græcos pariter et barbaros ante persecutionem nostra memoria excitatam consecuta sit, nos certe pro me-
B rito explicare non possumus. Argumento esse possit imperatorum benignitas erga nostros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni sacrificandi metu eos liberantes, ob singularem, qua in religionem nostram affecti erant, benevolentiam. Quid opus est dicere de iis, qui in imperatorum palatiis versabantur. Quid de imperatoribus ipsis, qui domesticis suis eorumque uxoribus, liberis ac servis ea, quæ religionis suæ erant, tam verbis, quam factis libere exequendi coram semetipsis potestatem dederunt, ipsis ob hanc fidei suæ libertatem gloriari, ac se ostentare quodammodo permittentes, eosque præ ceteris omnibus ministris præcipuo quodam amore complectebantur?

Sanctorum Agaunensium 166 *Et post pauca :* Similiter et singulis ecclesiarum antistitibus summum honorem, cultum ac benevolentiam ab omnibus tam privatis, quam provinciarum rectoribus deferri vidisses. Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate possit describere? *Hæc et hujusmodi alia ibidem Eusebius, quibus Gallice recitatis, quærit Dubordæus:*
C Quis credat, Legionem Thebæam peremptam fuisse eo tempore, quod Mamertinus et Eusebius nobis describunt? Tempusne pacis, benevolentiæ et felicitatis appellari potest, tempus, quo sex mille sexcenti viri crudelissime necati sint? Dicitur Maximianus eos capitis damnasse, quod renuerent idolis sacrificare, et jamjam docuit nos Eusebius, Maximianum et Diocletianum provincias sic Christianis regendas dedisse, ut eos etiam a sacrificiorum necessitate exemerint.

illigari non posse 167 *Respondeo : Qui attentius Mamertinum et Eusebium legerit, facile judicabit, hunc de iis partibus Orientis, ubi versabatur, deque solo Diocletiano agere, illum hic audiri non debere. Mamertinus panegyrim coram Maximiano dicens, adulatorum more silet, quæ in principe suo laudare non poterat ipsa gentilitas; alia, quæ Maximiano dedecori vertebantur, contrariis elogiis mendacissime convertit. Testor inter alia silentium ejus de infelici successu expeditionis contra Carausium, quem astute tegit, testor hæc ipsa, quæ de felicitate imperii sub Maximiano mentitur, aliorum omnium scriptorum testimoniis contraria. Audiamus Lactantium de Mortibus persecutorum cap.* 8. Nam cum ipsam imperii sedem teneret Italiam subjacerentque opulentissimæ provinciæ vel Africa vel Hispania, non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. Et cum opus esset, non deerant locupletissimi senatores, qui subornatis indiciis, affectasse imperium dicerentur, ita ut effoderentur assidue lumina senatus. Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat. *AUCTORE J. C.*

168 Jam libido in homine pestifero non modo ad corrumpendos mores, quod est odiosum ac detestabile, verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacumque iter fecerat, avulsæ a conspectu parentum virgines, statim præsto. His rebus beatum se judicabat, his constare felicitatem imperii sui putabat, si libidini et cupiditati malæ nihil denegaret. *Addantur his Victoris de inaudita et spurcissima ejus libidine et crudelitate testimonia; et frustra assertam a Mamertino imperii tantam felicitatem quæremus. Scio, non paucos scriptores, quod de Africa et Hispania, nulla de Galliis mentio fiat, suspicari, depingi hic Maximianum, postquam inter quatuor divisum esset imperium, ferocientem; at alii non pauciores numero conjectant,* vel Africa vel Hispania *in textum ex margine irrepsisse; iis certe rejectis verbis, sensus clarior et purior phrasis est. Quidquid tamen sit, cum nemo derepente pessimus fiat, ejus hic descripta indoles Mamertinum merito adulationis arguit, cujus etiamsi convinci certis rationibus non posset, munus oratoris, quod coram Maximiano exercuit, merito suspectum reddit.* *expeditioni contra Bagaudas,* E

169 *Quod ad Eusebium pertinet, et is, si aliis scriptoribus credimus, felicitatem primorum sub Diocletiano temporum liberalius paulo exaggerat, nisi forte, quæ in Palæstina vicinaque Ægypto viderat accidisse, ad totum imperium traduxit. Certe res Occidentis parum sibi perspectas fuisse, pluribus locis prodit, et profitetur etiam eodem capite* 13, *non nisi ea pertractare se velle, quæ in Oriente, et iis quidem provinciis, quibus proximus erat, contigissent. Denique furorem hunc momentaneum Maximiani et ignorare facillime potuit, et si illum, quod videtur minus verisimile, audiverat, parum id ad totius reliqui orbis quietem comparatum videri potuit, quapropter et ab eo referendo forte abstinuit. Eodem recidit, et eadem fere responsione refellitur, tertia a ministello mota difficultas.* Aperte, *inquit,* edicit Eusebius, Tum divina ultio levi brachio, ut solet, integro adhuc Ecclesiæ statu, et fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate in nos cœpit animadvertere, orsa primum persecutione ab iis, qui militabant; *ubi de magnæ persecutionis exordio, quæ anno* 301, *adeoque dudum post expeditionem Maximiani in Gallias, contigit.* *nec locari* F

170 *Et illud quidem verum est; at, qui asserit, tum primum latum fuisse edictum adversus Christianos milites, secundum quod, nisi paruissent, militia omnes solverentur, non excludit peculiarem aliquam in Milites aliquot animadversionem, quam etiam facile potuit ignorasse. Certe ex quibus rursum dialecticæ regulis hoc suum ratiocinium pag.* 150, *Milites primi generalem persecutionem experti sunt; Agaunenses Martyres in militia merebant; ergo ante magnæ persecutionis initium non sunt passi, deduxerit ministellus, non capio; eodem enim ego evincam, ante seculi* 4 *initium nullos uspiam milites pro Christo passos esse, quod, ut ut Sanctorum blasphemus osor est, opinor, non admittet. Ceterum hoc capite suæ Dissertationis, suis iterum paralogismis implexus* *posse ante*

AUCTORE J. C.

P. Petrum Franciscum Chiffletium vindicat Dubordæus. Iniquam ejus suspicionem de Actis a Chiffletio productis superius explosimus. Hic pag. 131 *et seqq. agnoscit, aptissimum tempus, quo locari martyrium Sanctorum nostrorum possit, esse expeditionem Maximiani contra Bagaudas; advertit epocham illam in Actis interpolatis Surianis expressam esse, minime vero reperiri in Ms. Jurensi P. Chiffletii.*

magnæ persecutionis initium

171 *Censet itaque futurum fuisse, ut non nisi stolide sibi Chiffletius de invento suo applausisset, nisi in Surianis Actis occurrisset Sigismundi regis mentio; et sic simul probat bonam Chiffletii fidem, talia Acta edentis, qualia repererat, nec deleturi procul dubio, quod Acta sua commendare potuisset, si Suriana Acta, ut ministellus ridicule suspicatur, correxisset. Eodem capite pag.* 137 *miratur, Baronium, qui Surianis Actis usus est, ubi epocha illa exprimitur, martyrium Legionis Thebææ illigasse anno Christi* 297, *duodecimo scilicet, postquam Maximianus copias adversus Amandum et Ælianum eduxerat. Mirarer mirantem ministellum, nisi illum refellendo persuasum omnino haberem, quod ea, quæ adfert et impugnat, vel non* B *legerit, vel præcipitanti oculo percurrerit. In Surii Actis præter mentionem de Bagaudis, quæ pro martyrii epocha ponitur, occurrit alia, quæ vix, imo ne vix quidem cum hac componi possit.*

Ejusdem errores alii

172 *Sub exordium legitur:* Hi igitur milites Christianæ religionis ritum Orientali traditione ab Hierosolymitanæ urbis episcopo susceperant, fidemque sacram virtuti et armis omnibus præponebant. Ad urbem quippe Romam itinere attingentes, eamdem Christianitatis fidem, quam acceperant, apud beatum Marcellinum prædictæ Romanæ urbis Pontificem confirmaverunt. *Marcellinus Pontifex creatus est anno Christi* 296; *non igitur, eo sedente, Romam venerunt sancti Martyres, si undecim ante annis passi fuerint, atque ita pugnant hæ duæ epochæ. Papebrochius noster in Propylæo Maji ad S. Caji Papæ decessoris S. Marcellini Acta, illas combinare conatur, suspicaturque, Pontificis titulum per anticipationem Marcellino tribui in Actis Surianis, Martyres vero nostros ab eodem in fide confirmatos quidem fuisse, sed jussu Pontificis S. Caji, qui annos* XII *sedit, cum scilicet Marcellinus adhuc tantum esset Romanæ Ecclesiæ presbyter in aliquo Urbis titulo. Sic utcumque salvantur ambæ epochæ. Verbis ex Passione Surii allatis vim* C *aliquam inferre noluit Baronius; itaque cum alterutram epocham rejiciendam censeret, illam retinuit, quæ est a Marcellini Pontificatu, cui proinde passionem Martyrum Agaunensium illigavit. Tantum miratus non fuisset ministellus, si tam probe chronologiam Pontificiam, quam Joannæ Papissæ ridiculam fabulam calluisset.*

et parerga.

173 *Capite Dissertationis suæ* 16 *ostendere nititur, Bagaudas non fuisse Christianos, ubi sic aëra verberat, ut pluribus, post ea, quæ superius paucis strinxi, refellere ejus hypercriticam supervacaneum ducam. Fuisse sub finem seculi* 3 *sparsam late per Gallias Catholicam fidem, non nisi is negare potest, qui monumentis nullis fidem habet. Inter Bagaudas, simplex rusticorum genus, fuisse aliquos Christianos est omnino verisimile. Fides Christiana docet nos, vexationes patienter tolerare, rebellionem prohibet. At tam difficilem doctrinam non omnes semper homines sequuntur, neque eo ipso tempore sancti omnes evadunt, quo sanctam fidem suscipiunt. In errore igitur fuisse Bagaudæ Christiani potuerunt. Quamquam ex Salviano discimus, non ideo eos arma sumpsisse, quod fidei Christianæ causa vexarentur, sed quod* D *a judicibus et præfectis præscriptionibus, rapinis, exactionibus et inductionibus tributariis devorarentur, ut loquitur Salvianus, nec eorum querelæ audirentur, sed indies mala ingravescerent, quæ profecto facile titulum eorum rebellioni prætexere potuerunt. Quidquid tamen sit, esse inter illos Christiani potuerunt, et si non fuerint, potuit id suspicari Maximianus, atque sic difflatur tota hic ministelli critica.*

§ XII. Examinatur Tillemontii et Bailleti critica de Actis Eucherianis, et inquiritur, an martyrium Sanctorum Agaunensium magnæ persecutioni illigari non possit? Dubordæani circa hæc errores.

Passio primaria

Tillemontius, et illum presse sequi solitus Bailletus, circa Acta Sanctorum nostrorum, quæ Chiffletius ac deinde Ruinartius ediderunt, vacil- E *lare videntur, vel saltem sibi non ubique constant. Admittunt, illa a S. Eucherio Lugdunensi episcopo sub medium seculi quinti scripta esse, imo id habent pro indubitato. Hinc summam auctoritatem hujus Passionis sic agnoscunt, ut tamen alibi non satis illi tribuant, maxime circa epocham martyrii. Etenim uterque statuit, passos esse Thebæos Martyres primo anno, quo Maximianus Herculius purpuram gessit, et ad sedandos in Galliis tumultus a Bagaudis excitatos profectus est, quod tamen cum S. Eucherii verbis non videtur componi posse. Hauserunt fundamentum opinioni suæ ex interpolata Surii Passione, de qua eorum criticam sequenti § discutiemus. Cum pro sinceris habeant, quæcumque Eucherius narrat alia, et tempus martyrii ex iisdem percepisse sanctus scriptor censeri debeat, ex quibus martyrium cum suis adjunctis intellexit, illique non hoc magis ignorare, quam cetera debuerint, credo, parem S. Eucherio fidem hic habendam, quam illi alibi non negamus, nisi aliquid absolute suadeat illum deserere, quod nunc inquiro.*

quæ S. Eucherio tribuitur, aperte suadet

175 *Juverit autem præmonuisse, quod pluribus infra ostendam, nullius penes me ponderis esse Suriana Acta in hoc saltem puncto, quod Eucherianis Actis sic ab interpolatore adjectum legi-* F *tur, ut satis aperte videatur S. Eucherii assertis adversari. Nullum his certe uspiam verbum habet, quod innuat, passionem sanctorum Agaunensium Martyrum ad primam Maximiani in Gallias expeditionem referendam esse. Habent quidem Acta a Chiffletio edita,* Hi *(sancti Martyres nostri)* in auxilium Maximiano ab Orientis partibus acciti venerant; *sed nusquam asseritur, quod tum primum, cum passi sunt, advenissent; nusquam quod Herculio adversus Bagaudas moventi, auxilio missi sint; nusquam denique, quod tamen solita fide pag.* 131 *refert Dubordæus, quod tum temporis necati sint. Scribit S. Eucherius* : Maximianus non longe aberat, nam se circa Octodurum itinere fessus tenebat, *sed neque hinc, neque ex sequentibus conficitur, imperatorem ex Italia potius, quam ex Galliis eo tum, cum Legionem Thebæam martyrio coronavit, advenisse; ita ut solis hactenus Chiffletii Actis inhærenti pro epocha martyrii esse possit, quodcumque tempus, quo potuit apud Veragros cum copiis agere Maximianus.*

176 *Alibi*

martyrium Sanctorum magnæ persecutioni

A 176 *Alibi epocham distinctius assignat sanctus scriptor, quæ an admitti non possit, videamus. Itaque S. Eucherius Passionem sic orditur :* Sub Maximiano, qui Romanæ reipublicæ cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati, aut interfecti sunt Martyrum populi. Idem namque Maximianus, sicut avaritia, libidine, crudelitate ceterisque vitiis obsessus furebat, ita etiam gentilium ritibus deditus, et erga Deum cæli profanus, impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat. Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia vel ad necem rapiebantur, ac velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat. Erat eodem tempore in exercitu Legio militum, qui Thebæi appellabantur. *Mitto ex laudatis Actis locos alios non paucos excerpere, qui si non manifestius in eamdem sententiam inducant, sunt sane jam relatis simillimi, et lectorem eruditum, qui Acta Surii non viderit, vel alium quemlibet præjudiciis, quæ ex illis hausit, vacuum requiro, interrogoque, an non sentiat, hujus Passionis scriptorem agere de universali quapiam et atroci persecu-* B *tione, cum ad perquirendos undequaque, et ad supplicia pertrahendos Christianos, milites adhiberentur. Fallor, si talis quispiam negare audeat: clara nimium mihi verba apparent.*

illigandum esse. Idem suadetur

177 *Neque negat id etiam Tillemontius, sed contra aperte fatetur, martyrium Sanctorum Agaunensium ad magnam persecutionem decimam referri ab Eucherio. Ast contendit, in eo illum errasse, uti et scriptores nonnullos alios, qui similiter, quæ ante sub Maximiano contigerant, huc pertraxerunt. Verum nescio, an hæc illius censura non sit paulo iniquior. Etenim si penitius ejus opinionem inspiciamus, disquiramusque, quare contendat, Thebæorum cædem necessario ad expeditionem contra Bagaudas referendam esse, inveniemus, solum fere ejus fundamentum esse, asseri id in Actis Surianis. Certe quas aliunde verisimilitudines pro sua sententia corradit, non videntur tantæ esse, ut difficultates occurrentes penitus elevent, sicut in decursu parebit. Interim nemo diffitebitur, perperam auctoritatem ignoti hominis, seculo (ut censet Tillemontius) septimo scribentis, asserentisque, martyres Thebæos passos esse, cum bellum adversus Bagaudas* C *pararet Maximianus, anteponi auctoritati S. Eucherii, auctoris gravissimi, qui medio seculi* V *vixit, nisi hujus errorem aliorum aliunde testimonia convincant. Antequam illa, quæ hactenus prolata invenio, discutiam, videamus, quæ S. Eucherii asserto non parum favent.*

ex Actis S. Victoris martyris Massiliensis.

178 *Quo loco apud me sint Acta S. Victoris Massiliensis, Commentarii hujus § 2 num. 30 et seqq. significavi. Ibi ita legitur :* Maximianus enim, cum pro Sanctorum sanguine, quem per totum orbem crudelius aliis, maximeque per totas Gallias crudelius fuderat, et præcipue pro famosissima illa Thebæorum apud Agaunum cæde, nostrorum plurimis nimium terribilis factus, Massiliam advenisset... tota rabie bellum indicit, Christicolasque, nisi sacrificent idolis, exquisitis mortibus deperire jubet. *Atque hæ in Passionibus variis istius sancti Martyris, quas vidi, totidem fere verbis referuntur, quibus non obscurius harum auctor, quam Eucherius de generali persecutione loquitur. Porro eodem circiter tempore S. Victoris martyrium et Sanctorum nostrorum cædes contigit, cum in hujus Actis inter recentia Maximiani scelera famosissima narretur Thebæorum apud Agaunum carnificina. Ruinartius Thebæorum certamen anno 286 illigat, fassusque, illud ad annos posteriores differri posse, martyrio S. Victoris Massiliensis annos 290 vel 303 assignat,* quod tum, *inquit,* Maximianus apud Massiliam versaretur. *Ego propter aperta scriptoris verba utrumque arctissimo, quo potest, temporis intervallo, et proinde unius anni rotundi periodo innectendum martyrium credo.*

Perperam auctores tam graves

179 *Passum esse S. Victorem mense Julio, consignata in Fastis Ecclesiasticis constans ejusdem illo mense memoria suadet. Propter eamdem rationem non immerito suspicamur, Sanctos Agaunenses* XXII *Septembris coronatos fuisse. Igitur S. Victoris martyrium erit illigandam mensi Julio anni subsequentis Septembrem, quo Thebæi passi sunt. Et utrumque illigandum magnæ persecutioni decimæ, si Eucherio et auctori Passionis S. Victoris quem Tillemontius Monument. eccles. tom. 4 pag. 549 asserit esse Cassianum, aut alium certe virum gravem ejusdem temporis vel etiam anterioris, fidem habeamus. Idem quidem Tillemontius Nota 2 ad Martyrium S. Victoris pag. 757, hunc etiam scriptorem ejusdem erroris arguit, ipso mox initio sic observans :* Doctissimi viri seculi V interdum minus norant adjuncta rerum, quæ præcedentibus seculis contigerant, ut observavimus de S. Eucherio in Historia S. Mauritii. E Nemo itaque mirari debet, si epocha martyrii S. Victoris confuse signata est, et ita, ut negotium facessat; *nimirum quia, ut paulo post significat, Acta illa supponunt, imo non obscure asserunt, Passionem* S. Mauritii *persecutionis magnæ tempore contigisse.*

erroris arguuntur a Tillemontio,

180 *Atque ita gravissimi duo scriptores inscitiæ et erroris arguuntur in rebus, a quibus tantum uno alterove seculo aberant, et in quibus perdiscendis operam diligentiamque se posuisse testantur. Neque vero rationes tanti ponderis sunt, quæ proferuntur, ut hunc nobis errorem indubitatum faciant. Certe Tillemontius Nota 12 ad Acta* S. Mauritii *tom. 4 Monument. pag.* 698, *ubi epocham nostram ex professo examinat, non nisi duas adfert, easque prorsus levissimas. Harum altera est, quod Bagaudarum tumultus sedati fuerint ante annum 288, ita ut de illis nihil memoratum amplius inveniatur sub Diocletiano, atque adeo contra eos non moverit Maximianus post annum 303, seu magnæ persecutionis initium. Atque hæc sunt plane certa; at Tillemontius ita ratiocinando præconcepta ex Surii Passione præjudicia prodit, neque enim aliunde didicit, ut jam non semel adverti, in expeditione adversus Bagaudas martyrio coronatos* F *fuisse Thebæos, quam ex Actis illis interpolatis, quæ cum nullius in hac re auctoritatis sint, contra aperta Eucherii verba evincere nihil possunt.*

qui errorem illum neutiquam probat

181 *Alteram hanc ibidem rationem allegat.* Præterea, *inquit,* non probatur, imo neutiquam verisimile est, Maximianum copias in Gallias ducendas habuisse anno CCCIII, *vel* CCCIV. *Verum est quod nullus forte id probandum susceperit, quod probari neutiquam debet : neque enim S. Eucherius asserit, neque aliunde necesse est credere, Sanctorum Thebæorum certamen tunc contigisse, cum exercitum in Gallias ad bellicam expeditionem aliquam duceret Maximianus. Imo Eucherii verba talia sunt, ut destinatas pertrahendis ad necem Christianis copias solum habuisse videatur, quod quare tam sit a verisimilitudine alienum, ego hactenus non satis video. Sane hæc, quæ ibidem Tillemontius sola adfert, non sufficiunt, ut certum nobis S. Eucherii errorem faciant. Fortius est contra Eucherium, quod Nota 2 ad S. Victorem Massiliensem loco citato sic paucis intorquet argumentum.* Potuit Maximianus, *inquit,* Massiliæ fuisse mense Julio anni

AUCTORE J. C.

anni CCCIII vel CCCIV, tempore magnæ persecutionis. Verum fortissimis rationibus opus esset, ut persuaderetur, id factum esse; cum Galliæ non essent ejus jurisdictionis.

uti nec Dubordæus

182 *Hoc argumentum potuit a Tillemontio mutuari Dubordæus, qui probaturus, Sanctorum Agaunensium martyrium tempore magnæ persecutionis figi non posse, Dissertationis suæ capite* 14 *pag.* 125 *sic fere scribit :* Etiamsi tempus exercendæ ferociæ Maximiano inveniretur magnæ persecutionis annis, non omnis tamen esset sublata difficultas, cum forte persecutio se non extenderit usque ad regionem, in qua Militum Thebæorum palæstram collocant. Conveniunt omnes, Vallesiam et Agauni viciniam fuisse eorum martyrio nobilitatam : inquiri autem debet, an illa ad Gallias et Constantii jurisdictionem non spectarit. Aurelius Victor quæstionem decidit, scribens : « Quæ trans Alpes « Galliæ sunt, Constantio commissa. » Etenim mappam geographicam inspicienti in oculos incurrit, Agaunum Romanis trans montes esse. *Pluribus deinde ostendere nititur,* Alpes Graias et Penninas, quas habitabant Veragri, ubique Agaunum erat, plerasque spectasse ad Gallias, facta per Romanos B partitione provinciarum.

quæ enim contra movent

183 *Deinde concludit :* Cum igitur Vallesia, ubi Agaunum erat, ad Gallias pertinuerit, illo tempore, quo earum imperium habebat Constantius, hæc animadversio sufficit ad demonstrandum, quod Legionis Thebææ passio magnæ persecutioni non possit innecti : Bosquetus enim Montispessulani episcopus Historiæ eccles. lib. 4 cap. XI et Dodwellus Dissert. Cypriano XI probarunt, solum inter quatuor imperatores Constantium Chlorum numquam in Christianos sævisse. *Ita ille. Constantium Chlorum in atrocissima illa persecutione partes exiguas habuisse, suadent præter alia luculentum Lactantii testimonium. Is de Mortibus persecut. cap.* 15 *scribit :* Etiam litteræ *(Diocletiani)* ad Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem *(Christianos persequendo)* facerent. Et quidem senex Maximianus libenter paruit per Italiam, homo non adeo clemens; nam Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est : verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.

saltem incerta sunt. Dubitari quippe potest,

C 184 *Nec minus aperta sunt ejusdem in hanc rem verba capite sequenti.* Vexabatur ergo, *inquit,* universa terra, et præter Gallias, ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. *Quæ, si Lactantium ab omni assentationis suspicione exemptum asseris, plane evincunt, sanctorum Thebæorum Martyrum necem patratam non esse in provinciis Constantio subjectis, vel, si ibi contigerit, Constantio neutiquam, sed Maximiano Augusto adscribi debere. An autem in Vallesia perimi magnæ persecutionis tempore non potuerint Martyres nostri, nisi alterutrum consequatur indago. Gallia Narbonensis, ab Italia flumine Varo discreta, ad Pyrenæos montes et Mediterraneum mare a Meridie, ab Occidente ad Novempopulanam provinciam, a Septemtrione usque ad Gebennam et Juram montes, vel certe usque ad Rhodanum, recepto nondum Arari, et Lemanum lacum apud veteres extendebatur, testibus Plinio, Dione et aliis apud Cellarium Geographiæ antiquæ tom.* 1 *pag.* 103 *et* 140. *Comprehendebat igitur provinciam Viennensem, in eaque Massiliam, et Alpes Graias, in quibus est Agaunum, Sanctorum Thebæorum palæstra.*

185 *Ammianus Marcellinus, qui floruit medio seculo* IV, *ita in hanc rem scribit lib.* 15 *cap.* XI *sub finem :* Rhodanus..... Viennensem latere sinistro perstringit, dextero Lugdunensem, et emensus spatia flexuosa, Ararim (quem alii Sauconnam appellant) inter Germaniam primam fluentem, suum in nomen adsciscit : qui locus *ubi Araris apud Lugdunum Rhodano immiscetur,)* est exordium Galliarum : *In Itinerario Peutingeri* Lugdunum *etiam* caput Galliarum *dicitur, quia Romanis, per Narbonensem provinciam itinerantibus, prima Galliæ civitas occurrit. Ex his conficitur, regionem omnem cis Rhodanum, eoque Italiæ propinquiorem, Narbonensi provinciæ primitus inclusam fuisse. Apud Pagium in Critica ad annum Christi* 374 *num.* 7 *et seqq. in subscriptionibus conciliorum, Arelatensis anno* 314, *et Aquileiensis anno* 381 *celebratorum, Narbonensis antiquæ provinciæ præsules ab episcopis Galliarum se discernunt.* D

an Vallesia

in partitione imperii

186 *In primo, post episcopos Italiæ, et* Viennensis provinciæ, *quæ pars fuit Narbonensis, sub titulo* ITEM DE GALLIIS, *earum præsules enumerantur varii : in secundo autem* Theodorus Octodorensis, Proculus Massiliensis *et alii ordine subsignant, sed qui soli forte ex Galliis trans Rhodanum aderant,* Constantius episcopus Sciscianensis *et* Justus, Legati Gallorum *appellantur. Patet igitur, Narbonensem provinciam seculo etiamnum quarto Galliis non raro non annumeratam fuisse, sed potius Italiæ, quia nimirum jam olim colonia Romana fuerat, post Carthaginem prima, ut notat Vallesius in Notitia Galliarum, quare etiam a Julio Cæsare, Agrippa apud Plinium, Suetonio in Julio, a Galliis exclusa fuit. Atque ex his dubium utcumque videri potest, an Narbonensis Gallia, in qua Agaunum est et Massilia, Maximiano, an Constantio in partitione imperii cesserint. Herculium illam sibi reservasse apparet mihi saltem probabile.* E

Constantio Chloro,

187 *Huic opinioni suffragantur potius, quam adversentur, scriptores tertii et quarti seculi, qui Gallias obtigisse Constantio scribunt; est enim verisimile, illos loqui secundum vulgarem illo tempore divisionem, quæ a Galliis Narbonensem provinciam excludit. Sane Aurelius Victor, verbis a Dubordæo superius citatis,* cuncta, quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa, *contrarius non est : multum enim fallor, nisi Alpes alias, quam, quæ proxime Italiam terminant, nobis hic designet, dum* Alpes Galliæ *vocat. Certe insolito hoc Alpium nomine videtur Victor significare, vel Alpes, quæ in Gallia sunt, vel saltem, quæ Galliis sunt proximæ. Inter illas procul dubio Penninæ illæ censendæ sunt, quæ Vallesiam a Septemtrione cingunt, atque ab Oriente Rhætiam ab Helvetia dividunt. Imo ipse mons Jura nonnumquam apud antiquos, teste Cluverio, inter Alpes computatur : unde Ptolomæus Dubim fluvium scribit* ex Alpibus fluere, *qui ex monte Jura originem trahit, atque ita Victor non Vallesiam solum, sed Helvetiam insuper Maximiano relinqueret.* F

an Maximiano Herculio

188 *Quidquid sit, Vallesiam ab ejus imperio ita certo non excludit; demus enim etiam, Victorem hic Alpes Galliæ appellare, ne quis Pannoniam Illyricumque, quæ Romanis trans Alpes sunt, crederet etiam Constantio commissa fuisse, tamen adhuc ambigua phrasis est, an Vallesiam ceterasque ipsis Alpibus septas ditiones Galliis, seu Constantii imperio includat, an vero excludat. Certe si Hispaniam, quod ex Lactantii verbis lib. de Mortibus persecut. cap.* 8 *quidam autumant, sibi Maximianus retinuit, verisimillimum etiam est, Narbonensem*

AUCTORE J. C.

A *bonensem Galliam eumdem obtinuisse, ut copiis suis, in omnem eventum terrestre iter pateret in Hispaniam. Deinde, quoties videmus Maximianum, Italia egressum toties fere illum reperimus in Narbonensi Gallia circa Massyliam agentem, quæ omnia huic conjecturæ nostræ favere videntur.*

cesserit. Difficultates aliæ in illa opinione non convincentes.

189 *Porro fatetur ipse etiam Tillemontius laudatus in Notis ad Acta S. Victoris, Maximianum duobus persecutionis annis, antequam purpuram exuisset, Massiliæ versari potuisse mensibus Juliis. Neque obest aliquid quominus in Vallesia mense Septembri anno* 303 *esse potuerit, eo enim stante, Romæ circa finem ejusdem anni, et Mediolani initio* 305 *agere potuit, quæ solum duo ejus itinera ab auctoribus expressa reperimus. Ceterum novi, contra propositam hactenus conjecturam difficultates non unas formari posse, et vel maxime a Sanctorum nostrorum Sociis, qui in Germania plurimi coronati dicuntur. At examinari postmodum poterit, an sancti Martyres illi ex Thebæa hac Legione fuerint, ut traditio et vulgaris opinio asserit; sane hactenus id non satis probatum reperi. Quamquam, si id asseruerimus, elevari utcumque etiam* B *difficultas inde orta poterit, neque enim credo, admissum iri adjuncta quæcumque in illorum Actis asserta, nec necesse est adstruere, eodem tempore cum reliqua Legione coronatos martyrio fuisse.*

Dubordæi ineptissima sophismata

190 *Interim præterire hic rursum nequeo Dubordæi præcipitantiam, vel malam fidem. Pagina* 126 *probaturus, Vallesiam Constantio paruisse, ait* : Probat Pagius in Critica pag. 218, *(primæ editionis)* quod Alpes Graiæ non pertinuerint ad quinque provincias, quæ antiquam Narbonensem componebant; imo quod inter Galliarum provincias computarentur eo tempore, quo Narbonensem provinciam separarunt, Italiæ jungendam. *Pagius loco citato num.* 19 *enumerat auctores, qui crediderunt, Quinque provincias, ex divisione facta inter annum* 370 *et* 373, *fuisse duas Narbonenses, Viennensem, Alpes Maritimas et Alpes Penninas cum adjunctis Graïs. Hanc deinde opinionem impugnat.* Verum, *inquit,* licet certum sit, antiquam Narbonensem Quinque memoratas olim comprehendisse, eamque partem Galliarum habitam non fuisse, tamen *etc. Igitur hic fatetur Pagius, quod Alpes Graiæ cum Penninis, licet ad Quinque sic dictas provincias non pertinuerint, spectarint tamen ad Narbonensem antiquam, quæ inter Gallias computata* C *non fuit. Quæ profecto Dubordæum confundunt; nam postremum hoc solum nobis hic sufficit, parum curantibus, an integro fere seculo post, cum facta est divisio in Quinque provincias, inter illas fuerint Alpes Graiæ et Penninæ, modo habeamus, fuisse olim Narbonensi antiquæ inclusas et a Galliis proprie dictis separatas.*

exploduntur. Alia conjectura, secundum quam salvatur

191 *Juverit hic ulterius observasse singularem arguendi rationem ministelli, ex contradictoriis contradictoria elicientis. Asserit Pagius, Alpes Graias in provincia Narbonensi et extra Gallias fuisse; at sophista inde deducit, fuisse in Galliis, neque ad Narbonensem spectasse Maximiani temporibus, quia sexaginta annis post Alpes Graiæ, pars Narbonensis provinciæ solidæ, inter quinque partes, in quas illa provincia secta tum fuit, recepta non sit, sed alio rejecta. Quo non compellunt angustiæ et libido cavillandi! Ceterum sicut, quæ hactenus dixi, non nisi conjectando protuli, liceat aliam hic etiam conjecturam adjicere, in qua Narbonensis Gallia Constantio subjecta manet, et tamen S. Eucherii narratio salvatur, dum Sanctorum Thebæorum martyrium magnæ persecutioni alia via innectimus. Usque ad annum Christi* 305, *quo imperium Maximianus deposuit et transtulit in Constantium, is non nisi Cæsar erat, neque enim Augustus dictus fuit, quamdiu imperii habenas tenuit cum Diocletiano Herculius. Maximianus Constantium adoptarat, et cæsarem dictum purpura induerat, illi Theodoram privignam suam dederat uxorem. Plurimum Maximiano hisce titulis debebat Constantius, et plurimum procul dubio detulit, homo beneficiorum nec immemor, nec debitor otiosus. Non igitur mirum adeo videri debet, si in provinciis Constantio subjectis aliquid contra christianos Maximianus forte molitus sit.*

S. Eucherii narratio, etiamsi supponatur

192 *Præterea Augustos jurisdictionem aliquam in subditam cæsaribus imperii Romani partem tum temporis habuisse, est omnino verisimillimum. Tillemontius ipse in Diocletiano pag.* 23 *observat, partitionem imperii non obfuisse, quo minus frequenter Augusti in Cæsarum ditionibus non otiosi egerint. Jurisdictionis qualiscumque exercendæ ansam præbere Maximiano potuit celebre adversus Christianos Diocletiani edictum, quod lubens suscepit Maximianus, quodque negligentissime a Constantio observabatur. Ejus exsecutionem potuit Herculius Augustus ex innata animi ferocia, et concepto pridem in Christianos* E *odio efficacius urgere voluisse. Certe si id sine ullo aliunde jure Maximianus tentasset, dubitari non sine ratione posset, an Constantius, tot titulis Maximiano obstrictus, tum ipsi, tum duorum aliorum purpuratorum sententiæ refragari ausus fuisset, coactus necessitati cedere. Hæc, quæ non sunt a probabilitate aliena, si admittantur, erroris argui non debebunt Eucherius et alii graves auctores, acsi perperam, quæ prius contigerant, ad magnam persecutionem retulissent; quod quidem, qua ratione faciant, qui Eucherium norint, illique certo Acta sanctorum nostrorum adscribunt, iterum fateor, me non concipere. Tutius sane asserta viri sagacissimi et diligentissimi defenderent, ea si quoquam modo admitti, nec aliunde ex certis indiciis falsi indubie argui possint. Scio adversus hæc difficultatem moveri ulterius posse, ex silentio Lactantii, in descriptione persecutionis non prætérituri extraordinarias illas Maximiani molitiones.*

Vallesia Constantio

193 *Locum hic non unum habet, ubi materia, quam tractat, hujus rei, si contigisset, narrationem exigere videri possit. At diffiteri non potest Tillemontius, sæpissime etiam in narratione Lactantii occasionem occurrere loquendi de Maximiani crudelitate in Christianos, eam si jam pridem ante latum* F *edictum horrendis exemplis et tot millium Martyrum cædibus probasset. Silet tamen de his Lactantius, sic, ut saltem id nusquam satis certo ex ejus verbis extundi possit. Silentium itaque silentio opponatur, et par fere erit vis utriusque argumenti negativi. Ad ea porro, quæ Lactantius et Eusebius asserere videntur, nullam, vel mitissimam plane in Galliis fuisse persecutionem, cum illis præesset Constantius, reponi etiam nonnulla possunt, quæ si auctores illos adulationis suspectos non reddant, certe innuunt, non tam pacate ibidem cum Christianis actum fuisse, quam auctores illi videntur persuadere velle. Eusebius ipse sub finem libri de Martyribus Palæstinæ ita scribit:* Nam quæ ulterius sitæ sunt regiones, Italia videlicet tota et Sicilia, Gallia quoque et quæcumque ad Occasum solis porriguntur, Hispania, Mauritania et Africa, cum vix duobus persecutionis annis integris furorem belli expertæ essent, divini Numinis præsentissimum auxilium et pacem brevi sunt consecutæ.

obtigisse

194 *Qui Gallias furorem belli, adversus Christianos scilicet a tyrannis moti, duobus primis persecutionis annis, Christi* 303 *et* 304 *expertas esse, sine*

AUCTORE J. C.

sine ulla exceptione asserit, secum certe commodius conciliari non videtur posse, quam si dicas, qua in Galliis, antequam Constantius Augustus dictus esset, mala Christianis illata fuere, non ab eo, sed a Maximiano profecta fuisse, ita enim laudes Constantio propter lenitatem tum ab Eusebio Hist. Eccles. lib. 8 *cap.* 13, *tum ab aliis scriptoribus tributæ convenient, et sæviisse etiam in Galliis persecutionem intelligetur. Ceterum sic conjectando, id saltem consecutus sum, ut luculentum fiat, temere jactare Dubordæum, quod martyrium Sanctorum Thebæorum neque magnæ persecutioni, neque aliis quibusdam annis Maximiani innecti possit, cum rationes nullas protulerit, quarum ineptiam non ostenderim. Tempus ego certum martyrio illi non assignavi, quamquam enim mallem, salvari S. Eucherii narrationem, ex qua anno Christi* 305 *passi sancti Martyres credi deberent, tamen, cum non nisi conjecturis id stabilire potuerim, electionem arbitrio lectorum permitto. Non invenient, opinor, certius fundamentum, quo certo alicui ex assignatis anno innectatur. Hactenus Acta S. Eucherio adscripta sic a Dubordæanis* B *sophismatis vindicavi, ut nihil arbitrer me prætermisisse, quod alicujus momenti videri possit : nunc pauca de interpolatis dicenda sunt.*

§ XIII. Examinantur Acta interpolata et Tillemontii ac Bailleti de illis censura. Ætas scriptoris, qui Sigismundi, Ambrosii et S. Innocentii mentionem Actis adjecit, incerta est.

Actorum Surianorum scriptor,

Miror hic, si alibi uspiam, horum criticorum indulgentiam. Fatetur uterque, Acta hæc nostra post medium seculum VII, *hoc est quadringentis pene annis post Sanctorum Agaunensium martyrium conscripta esse, nec tamen omnis auctoritas illis abjudicatur, in iis ipsis, quæ martyrii adjuncta habent superaddita.* Videmus, *inquit Tillemontius Monumentorum eccles. tom.* 4 *pag.* 421, Passionem a Surio editam ex Actis Chiffletii profectam esse, cum aliqua tamen mutatione et in- C terpolatione. Verisimile est, posteriorem illam a monacho quopiam Agaunensi post annum DCL scriptam et compositam fuisse ex traditionibus sui monasterii, vel ex monumentis antiquioribus : nam stilus pulcherrimus est in iis ipsis rebus, quas ab Eucherio non est mutuatus. Igitur judicavimus, nos illa quibusdam locis uti posse. *Hisce paria omnino habet Bailletus in Tabula Critica ad hunc diem. Et uterque stat promissis suis; etenim tempus causamque seu occasionem martyrii, expeditionem Maximiani scilicet adversus Bagaudas, exactumque per ipsum a Legione juramentum de Christianis persequendis, ex interpolata Surii Passione hausit, atque inde haustis, tamquam re pene certa, nititur.*

qui ex Tillemontii opinione

196 *Actum agerem, si tam insolentem criticam excuterem, demonstraremque, inepte similibus conjecturis seu verisimilitudine homines niti, qui alibi passim rejiciunt et explodunt, quæcumque secundo tantum seculo post res gestas scripta sunt, licet plerumque etiam verisimile videri possit, ea scilicet verisimilitudine, quæ nullam rationem pro fundamento habet, posteriores illos scriptores* D *ea, quæ narrant, non nisi ex traditione vel instrumentis anterioribus tradere. Videri potest Honoratus a S. Maria Observationum in regulas critices tom.* I *Dissert.* 3 *articulo* 3, *ubi erudite criticos illos vellicat, propriisque ipsorum verbis atque stabilitis alibi regulis confutat. Et profecto quis credat, monachum Agaunensem, ultra duo secula Eucherio in ipsorum opinione posteriorem, subsidia invenisse, quæ Eucherio, viro doctissimo et diligenti, qui procul dubio cuncta perquisierat sedulo, ita latuerint, ut coactus sit fateri, Passionem se scribendam suscepisse,* ne per incuriam tam gloriosi gesta martyrii ab hominum memoria tempus aboleret; *addideritque, se ab* idoneis auctoribus rei ipsius veritatem quæsivisse, *atque demum accepisse, per quatuor minimum canales ad se perductam.*

non nisi seculo septimo Passionem primariam interpolavit,

197 *Non credo, virum eruditum et perspicacem S. Eucherium, ex traditione, per quatuor ætates, non sine alterationis periculo deducta, Passionis ordinem hausturum fuisse, si jam ejus tempore relationes Martyrii aliæ exstitissent, atque Acta conscripturum, ne eorum memoria oblivione deleretur, cum illa certior puriorque apud illos tra-* E *ditione vel instrumentis conservaretur. Reponent, ni fallor, Tillemontius et Bailletus, non incredibile videri, quod aliqua episcopo Lugdunensi ignota fuerint, quæ ejusdem loci, ubi passi sunt sancti Martyres, hominibus potuerunt esse perspecta. Non id mihi facile persuadebunt; nec enim tanto terrarum spatio aberat Eucherius Agauno, ut non id per se facile, vel per alios inquirere potuerit. Silvium seu Salvium, ad quem Passionem suam dirigit, Octodurensem antistitem fuisse, iidem pro certo habent. Ejus itaque sedi subjectum erat proximum Agaunum. Credemusne, Eucherium illi, tamquam novam obtrusisse rem ex traditionibus haustam et non prius inquisivisse, an aliæ relationes reperirentur in ipsa Octodurensis episcopi ditione, ubi, si quæ erant, maxime conservari debuissent?*

exiguæ auctoritatis esse debet in iis quæ scire S Eucherius potuit.

198 *Qui Eucherium Lugdunensem ex scriptis ejus rebusque gestis noverit, non fingit sibi tam incurium et imprudentem. Præterea, cum Tillemontius et Bailletus videantur in ea esse sententia, quod ante Sigismundi restaurationem monasterium Agauni non exstiterit, difficile illis erit, traditionum, quas monachus seculo* VII *ex monasterio suo habere potuit, exordium ad priora Si-* F *gismundo tempora, seu ultra annum* 515 *protrahere. Sic autem traditiones, natæ plusquam duobus seculis post Sanctorum Thebæorum martyrium, narrationi pondus exiguum auctoritatemque nullam addent. Mitto alio plurima, quæ illorum conjecturam, seu liberaliter assertam verisimilitudinem, ex ipsis illorum principiis penitus convellunt : mihi, ut jam non semel superius innui, quæcumque martyrii adjuncta, ab interpolatore posteriore adjecta, exiguæ prorsus auctoritatis sunt. Aliter judicandum est de narrationibus eorum, quæ post Eucherii ætatem contigerunt. Circa hæc pauca dicenda veniunt, reliqua enim in Opere nostro tom.* III *Septembris pag.* 72 *et seqq. examinata sunt.*

Aliqua, quæ post ejus mortem contigerunt,

199 *Itaque præter duo miracula, quorum alterum est de fabro gentili, alterum de uxore Quintii, quæque a S. Eucherio scripta creduntur, sunt aliqua, quæ sic interpolatori posteriori tribuenda sunt ut nullo modo credi possint a S. Eucherio scripta fuisse. Hæc autem tam varie in variis Mss. Passioni primariæ inserta sunt, ut vel ex eo ineptum interpolatorem facile suspiceris. Stevartius, qui*

qui Acta S. Mauritii *et Sociorum Ingolstadii edidit anno præteriti seculi* 17, *cum Surio, post narratam Maximiani necem, sic prosequitur :* Neque hoc omittendum est, quod post longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rhodanus revelavit. Jugi quippe alluvione vicinum in se cæspitem vergens, religiosa quadam soli pernicie ad sepulturam Martyris famulatrix unda pervenit; prolatas namque reliquias leniter lambens, non ideo a sinu terræ protulit, ut in gurgitis sui procella demergeret, sed ob gloriosam devotionem, quasi intra ambitum basilicæ ceteris Martyribus sepultura præciperet sociari.

in interpolata Passione

200 Cujus translationem a sanctæ recordationis Domitiano Genevensi et Grato Augustanæ urbis, vel Protasio, tunc temporis illius loci episcopo, celebratam, recolentes, quotidiana devotione et laudibus frequentamus. *Post hæc resumuntur verba ex Passione primaria :* At vero beatissimorum Agaunensium Martyrum corpora, post multos passionis suæ annos, S. Theodoro illius loci episcopo revelata traduntur. In quorum honorem cum exstrueretur basilica, quæ vastæ tunc adjuncta rupi uno tantum latere acclivis jacebat (*Acta Chiffletii et Ruinartii, omisso* tunc, *habent in præsenti* jacet. *Porro hinc incipit rursus interpolatio*) Sed nunc jubente præclaro meritis Ambrosio, loci illius abbate, denuo ædificata biclivis esse dignoscitur, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi. *Sequitur post hæc duplex miraculum, quorum alterum fabro, alterum uxori Quintii contigit, iisdem pene verbis narratum, quibus in Chiffletii et Ruinartii Mss. purioribus refertur; ac tandem post hæc, sic nova interpolatione clauditur Passio.*

narrantur,

201 Ceterum satis multa sunt, quæ vel in expugnatione dæmonum, vel in restauratione claudorum, aut sanitate febrium, cæterisque infirmantibus quotidie per Servos suos virtus Domini operatur : quæ multa narranda sunt, si per singula scribantur Tamen fidelium cordibus absque lectione cognita esse noscuntur, quæ et quanta, et qualia miracula per Servos suos ad honorem et gloriam nominis sui Dominus operari non desinit. Pro eo ipso die noctuque psalmorum hymnorumque decantatio non desinit : quod, jubente sancto et præclaro Christi martyre Sigismundo rege, institutum, hinc usque hodie, Deo protegente, est conservatum. Propterea laudes servi Dei canentes, ore persolvunt illi, cui est honor et gloria, imperium et potestas, per omnia secula seculorum amen. *Vides, ni fallor, lector, quantum implexa Oratio ab Eucheriani stili puritate differat : mirare itaque Tillemontium, interpolatoris stilum laudantem, et prosequamur.*

et exemplaribus diversis

202 *Acta nostra, quæ superius puriora nominavi, quod in ceteris passim cum Chiffletii et Ruinartii Mss. conveniant, easdem* (*præter unum ecgraphum Marchianense, ubi non reperitur narratio inventionis* S. Innocentii) *interpolationes habent, at ineptissime Actis insertas. Etenim Fuldensis codex noster, et alter huic antiquitate non cedens, notatus Q Ms.* 7, *ceterique passim omnes, qui Acta habent hisce similia, post illa verba ex primaria Passione desumpta,* Theodoro ejusdem loci episcopo revelata traduntur, *sic pergunt :* In quorum honore cum exstrueretur basilica, quæ vastæ tunc adjuncta rupi uno tantum latere adclivis jacebat, sed nunc, jubente præclaro meritis Ambrosio, hujus loci abbate, denuo ædificata biclivis esse dignoscitur. Neque enim hoc omittendum est, quod per longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rhodanus revelavit. *Post quæ, iisdem iterum verbis refertur inventio corporis* S. Innocentii, *at ea narratione intercisus sensus, post clausulam* cotidiana devotione et laudibus frequentamus, *resumitur his verbis :* Quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi.

auctore J. C.

inserta. Dubium est, an idem

203 *Fluunt deinde reliqua, sicut superius recitavi, nisi quod in unico exemplari Ms. S. Salvatoris Ultrajectini in fine ea omnia desiderentur, quæ Sigismundi mentionem continent, et Passioni Chiffletianæ assuta fuerunt. Ex Mss. aliis, quæ ad edita a Surio propius in præcedentibus accedunt, plurima etiam eodem, quo jam jam memorata, loco interjectam habent luxato sensui inventionem corporis* S. Innocentii : *at apographum edendum secundo loco, atque cum eo Ms. Lectionarium S. Audomari, habent ultimo loco, quam alii alibi inepte inseruerunt, narrationem inventi corporis* S. Innocentii. *Ex his liquet, argumentum nullum deduci posse ex ordine, quo hæc aut illa, in aliquo interpolatorum Actorum exemplari disposita sunt. Difficile esset, si quidem fieri possit, indubitatis argumentis ætatem interpolatoris sat certis limitibus circumscribere. In S. Grato tom.* 3 *Septembris loco superius citato conjectura data est, scripsisse illum circa medium seculi* VI. *Verum epocha illa sic ibidem figitur, ut tamquam certa non adstruatur, sed solum rejicitur convelliturque Tillemontii opinio, contendentis, Acta esse interpolata sub finem seculi* VII, *credentisque S. Gratum cum reliquis in narratione translationis* S. Innocentii *citatis episcopis vixisse circa medium ejusdem seculi* VII.

ubique interpolator sit.

204 *Ad male fundatam illam opinionem confutandam abunde est, modo Actis ante tempus, quo S. Gratum statuit sedisse, translatio præfata fuerit adjecta. Ego nihilo magis laboro certiorem aliquam Actis interpolatis epocham figere. Quo quidem tempore Commentarium meum scripsi in ea semper opinione perseveravi, quod circa initium seculi* VII *sua Eucherianis Actis inseruisset anonymus; at, cum id non nisi conjecturis adstruere possim, nihilque argumentis meis decedat sive post* VI *seculi medium, sive sequentis initio scripserit, nihil juverit operosius indagasse. Augetur certe dubitatio de interpolatoris ætate, quia mihi dubium apparet, an idem ubique sit, nam præterquam, quod stilus narrationis de invento* S. Innocentii *corpore appareat mihi multo purior eo, quo ceteræ interpolationes exaratæ sunt, nonnulla etiam exemplaria Sigismundi et Ambrosii mentionem nullam habent, licet illis ad calcem annexa sit præfata relatio inventarum reliquiarum* S. Innocentii, *ut jam superius monui. Tale ego apographum, quod in ceteris non multum ab editis a Surio discedit, cum hisce et Mss. aliis collatum secundo loco edam; at prius Acta primigenia, S. Eucherio episcopo Lugdunensi tributa, exhibeo.*

PASSIO

A. S. Eucherio ep.

PASSIO

Auctore S. Eucherio Lugdunensi episcopo,

Edita a Petro Francisco Chiffletio S. J., et a Ruinartio cum aliis Mss. collata.

EPISTOLA EUCHERII EPISC. AD SALVIUM.

Unde accepta sit martyrii relatio.

Domino sancto ac beatissimo in Christo Salvio episcopo *a* Eucherius. Mitto ad beatitudinem tuam, nostrorum Martyrum Passionem. Verebar enim, ne per incuriam tam gloriosi gesta martyrii B ab hominum memoria tempus aboleret. Porro ab idoneis auctoribus rei ipsius veritatem quæsivi; ab his utique, qui affirmabant, ab episcopo Genavensi S. Isaac *b* hunc, quem retuli, passionis ordinem cognovisse; qui, credo, rursum hæc retro a beatissimo episcopo Theodoro *c*, viro temporis anterioris, acceperat. Itaque cum alii ex diversis locis atque provinciis in honorem officiumque Sanctorum auri atque argenti, diversarumque rerum munera offerant, nos scripta hæc nostra; (si vobis suffragantibus dignantur *d*) offerimus, exposcens pro his intercessionem omnium delictorum, atque inposterum juge præsidium Patronorum semper meorum. Mementote vos quoque nostri in conspectu Domini, Sanctorum semper officiis inhærentes, Domine sancte, et merito beatissime frater *e*.

Tempore sævissimæ persecutionis sub Maximiano

2 Sanctorum passionem Martyrum, qui Acaunum glorioso sanguine illustrant, pro honore gestorum stilo explicamus, ea utique fide, qua ad nos martyrii ordo pervenit. Nam per succedentium relationem, rei gestæ memoriam nondum intercepit oblivio : et si pro martyribus singulis loca singula, quæ eos possident, vel singulæ urbes insignes habentur, nec immerito, quia pro Deo summo pretiosas animas fuderunt, quanta reverenC tia excolendus est sacer ille Acaunensium locus, in quo tot pro Christo Martyrum millia ferro cæsa referuntur? Nunc jam ipsam beatissimæ passionis causam loquamur, Sub Maximiano, qui Romanæ reipublicæ cum Diocletiano collega imperium tenuit *f*, per diversas fere provincias laniati, aut interfecti sunt Martyrum populi. Idem namque Maximianus, sicut avaritia, libidine, crudelitate, ceterisque vitiis obsessus furebat *g*, ita etiam exsecrandis gentilium ritibus deditus, et erga Deum cœli profanus, impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat.

Legio Thebæa renuit Christianos ad supplicia pertrahere;

3 Si qui tunc Dei veri cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turmis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur, ac velut vacatione barbaris gentibus data, prorsus in religionem arma commoverat. Erat eodem tempore in exercitu Legio militum, qui Thebæi appellabantur. Legio autem vocabatur, quæ tunc sex millia ac sexcentos viros *h* in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientis partibus *i* acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, et virtute nobiles, sed nobiliores fide, erga imperatorum fortitudine, erga Christum devotione certabant. Evan- D gelici præcepti etiam sub armis non immemores, reddebant, quæ Dei erant, Deo, et quæ cæsaris, cæsari restituebant. Itaque, cum hi, sicut et ceteri militum, ad pertrahendam *k* Christianorum multitudinem destinarentur, soli : crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat; nam se circa Octodorum *l* itinere fessus tenebat : ubi, cum ei per nuncios delatum esset, Legionem hanc adversus mandata regia rebellem in Acaunensibus angustiis *m* substitisse, in furorem instinctu indignationis exarsit.

quare Agauni jussu Maximiani semel

4 Sed mihi, priusquam reliqua commemorem, situs loci ejus relationi inserendus videtur. Acaunus sexaginta ferme millibus a Genavensi *n* urbe abest, quatuordecim vero millibus distat a capite Lemanni lacus, quem influit Rhodanus. Locus ipse jam inter Alpina juga in valle situs est, ad quem pergentibus difficili transitu asperum atque artum iter panditur. Infestus namque Rhodanus saxosi montis radicibus vix pervium viantibus aggerem relinquit. Evictis transmissisque angustiarum faucibus, subito nec exiguus inter montium rupes campus aperitur. In hoc Legio sancta consederat. E Igitur, sicut supra diximus, cognito Maximianus Thebæorum responso, præcipiti ira fervidus, ob neglecta imperia, decimum quemque ex eadem Legione gladio feriri jubet *o*, quo facilius ceteri, regiis præceptis territi, metu cederent, redintegratisque mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebæos denunciatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, injungi sibi rursum exsecutiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium, numquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros, idolorum profana semper detestaturos, sacræ et divinæ religionis cultui instituros : unum se æternitatis Deum colere : extrema experiri satius esse, quam adversus Christianam fidem venire.

atque iterum decimatur.

5 His deinde compertis, Maximianus omni bellua cruentior, rursus ad ingenii sui sævitiam redit, atque imperat, ut iterum decimus eorum morti detur, et ceteri nihilominus ad hæc, quæ spreverant, compellerentur. Quibus jussis denuo in castra perlatis, segregatus est atque percussus, qui decimus sorte obvenerat : reliqua vero se Militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro opere persisterent. Incitamentum tamen F maximum fidei in illo tempore penes sanctum Mauricium fuit, primicerium *p* tunc, sicut traditur, Legionis ejus, qui cum Exuperio, ut in exercitu appellant, campidoctore *q*, et Candido senatore militum *r*, accendebat exhortando singulos et monendo fidem; commilitonum etiam Martyrum exempla ingerens, pro sacramento Christi, pro divinis legibus, si ita necessitas ferret, omnibus moriendum suadebat, sequendosque admonebat Socios illos et contubernales suos, qui jam in cœlum præcesserant. Flagrabat enim jam tunc in beatissimis Viris martyrii gloriosus ardor.

Superstites sancti Milites Mauritii adhortationibus animati

6 His itaque Primoribus suis atque auctoribus animati, Maximiano insania adhuc æstuanti mandata mittunt, sicut pia, ita et fortia, quæ feruntur fuisse in hunc modum *s*. Milites sumus, imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam : a te stipendium laboris accepimus, ab illo vitæ exordium sumpsimus. Sequi te imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Dominum

A num, auctorem, velis, nolis, et tuum. Si non ad tam funesta compellimur, et hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus, sin, aliter, illi parebimus potius, quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexteræ istæ pugnare adversum impios atque inimicos sciunt, laniare pios et cives nesciunt. Meminimus, nos pro civibus potius, quam adversus cives arma sumpsisse.

fortissima responsa remittunt ad tyrannum,

7 Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute: hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conservabimus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus? Juravimus primum in sacramenta divina, juravimus deinde in sacramenta regia: nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad pœnam per nos requiri jubes: tam tibi ex hoc alii requirendi non sunt: habes hic nos confitentes Deum Patrem auctorem omnium, et Filium ejus Jesum Christum Deum credimus. Vidimus laborum periculorumque nostrorum Socios, nobis quoque eorum sanguine aspersis, trucidari ferro: et tamen sanctissimorum Commilitonum mortes, et Fratrum funera non flevi-
B mus, non doluimus, sed potius laudavimus, et gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti esse et pati pro Domino Deo eorum.

qui omnes trucidari imperat,

8 Et nunc non nos vel hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem coëgit: non nos adversum te, imperator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus ecce arma, et non resistimus; quia mori, quam occidere, satis malumus, et innocentes interire, quam noxii vivere peroptamus *t*. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus. Christianos nos fatemur, persequi Christianos non possumus. Cum hæc talia Maximianus audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos eorum, desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari, una sententia interfici omnes decrevit, et rem confici circumfusis militum agminibus jubet. Qui cum missi ad beatissimam Legionem venissent, stringunt in Sanctos impii ferrum, mori non recusantes vitæ amore.

et stragem horrendam edit.

9 Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem aut repugnantes, sed, depositis armis, cervices persecutoribus præbentes, et ju-
C gulum persecutoribus vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsa suorum multitudine, non armorum munitione elati sunt, ut ferro conarentur asserere justitiæ causam, sed hoc solum reminiscentes, se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, et tamquam agnus non aperuit os suum, ipsi quoque tamquam grex Dominicarum ovium, laniari se tamquam ab inruentibus lupis passi sunt. Operta est terra illic procumbentibus in mortem corporibus Piorum, fluxeruntque pretiosi sanguinis rivi. Quæ umquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? Quæ feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos jussit? Ne justi punirentur, multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat, quod multitudo delinquit. Hac igitur crudelitate immanissimi tyranni confectus est ille Sanctorum Populus, qui contempsit rem præsentium ob spem futurorum. Sic interfecta est illa plane angelica Legio, quæ, ut credimus, cum illis angelorum legionibus jam conlaudat semper in cœlis Dominum Deum Sabaoth.

A. S. Eucherio ep. Sanctis Martyribus superveniens Victor jungitur.

10 Victor *v* autem martyr nec Legionis ejusdem fuit, neque miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic, cum iter agens subito incidisset in hos, qui passim epulabantur læti Martyrum spoliis, atque ab his ad convescendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognovisset, ac detestatus convivas, detestatusque convivium, refugiebat: requirentibusque, ne et ipse forsitan Christianus esset, Christianum se esse, et semper futurum esse respondit: ac statim ab inruentibus interfectus, ceterisque Martyribus in eodem loco, sicut morte, ita etiam honore conjunctus est. Hæc nobis tantum de numero illo Martyrum comperta sunt nomina; id est beatissimorum Mauricii, Exuperii, Candidi atque Victoris *u*: cetera vero nobis quidem incognita, sed in libro vitæ scripta sunt. Ex hac eadem Legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor *w*, quos Salodoro passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est supra Arulam flumen, neque longe a Rheno positum.

Maximiani tyranni interitus. Convertitur ad fidem gentilis

11 Operæ pretium est etiam illud indicare, qui deinde Maximianum trucem tyrannum exitus consecutus est. Cum, dispositis insidiis, genero suo Constantino, tunc regnum tenenti, mortem molire-tur *x*, deprehenso dolo ejus, apud Massiliam captus, nec multo post strangulatus, teterrimoque hoc supplicio affectus, impiam vitam digna mor-
E te finivit. At vero beatissimorum Acaunensium Martyrum corpora, post multos passionis annos, S. Theodoro *y* ejusdem loci episcopo revelata traduntur; in quorum honorem cum extrueretur basilica, quæ vastæ adjuncta rupi, uno tantum latere adclinis *z* jacet, quid miraculi tunc apparuerit, nequaquam tacendum putavi. Accidit, ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad illud opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc gentilem esse constaret. Hic, cum Dominico die, quo ceteri ad exspectanda diei illius festa abscesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subito clara luce manifestantibus Sanctis, hic idem faber rapitur, atque ad pœnam vel ad supplicia distenditur *aa*: et visibiliter turbam Martyrum cernens, verberatus etiam et increpatus, quod vel die Dominico ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet.

adlaborans condendæ illis basilicæ, ubi sanatur paralytica.

12 Quod adeo misericorditer a Sanctis factum constitit, ut faber ille consternatus et territus, salutare sibi nomen poposcerit, statimque Christianus effectus sit. Neque illud in Sanctorum mira-
F culis prætermittam, quod perinde clarum atque omnibus notum est. Mater familias Quincii, egregii atque honorati viri *bb*, cum ita paralysi fuisset obstricta, ut ei etiam pedum usus negaretur, a viro suo, ut Acaunum per multum itineris spatium deferretur, poposcit. Quo cum pervenisset, sanctorum Martyrum basilicæ famulantium manibus inlata, pedibus ad diversorium rediit, ac sanitati de præmortuis restituta membris, nunc miraculum suum ipsa circumfert. Hæc duo tantum mira Passioni Sanctorum inserenda credidi: ceterum satis multa sunt, quæ vel in purgatione dæmonum, vel in reliquis curationibus illic per Sanctos suos Domini virtus operatur. *cc*

ANNOTATA.

a *Monet Ruinartius, in codicibus nonnullis legi* Silvio, *epistolam autem illam in plerisque Mss. purioribus non haberi Passioni annexam. Salvium plerique statuunt fuisse Octodurensem episcopum, cum Eucherius ad epistolæ finem illum asserat*

A. S. EUCHERIO EP. *serat Sanctorum semper officiis inhærere, quod inter episcopos Octodurensi, utpote viciniori, in cujus etiam diœcesi Agaunum est, apprime convenire videtur. In Sammarthanorum Catalogo inter S. Theodorum I, qui inclinato seculo* IV *illi sedi præfuit, et S. Theodorum II, ejusdem sedis tempore Sigismundi antistitem, non nisi duo medii sunt, adeoque Salvio facile locus inveniri potest.*

b *Non nisi nudum hujus nomen in Catalogo episcoporum Genevensium apud Sammarthanos occurrit. Videtur jam non exiguo tempore obiisse, cum hæc scriberet Eucherius, adeoque seculo* V, *non multum provecto, sedisse.*

c *De S. Theodoro I episcopo Octodurensi, de quo hic sermo est, agitur in Opere nostro ad diem* 26 *Augusti, quo nomen ejus aliquot Fastis sacris inscriptum est. Asseritur ibidem ad Superos transiisse sub finem seculi* IV. *Facile igitur hæc Isaaco narrare potuit.*

d *Ruinartius edidit :* Nos scripta hæc nostra, vobis suffragantibus, dignanter offerimus. *Videtur præferenda Chiffletii lectio.*

e *Hic terminatur epistola, quæ sæpius in Mss. subnexa est Passioni, quam præfixa.*

B f *Adlectus anno Christi* 286 *in consortium imperii Maximianus, purpuram Augustus gessit usque ad annum* 305. *Eamdem postea resumpsit quidem, at res ejus tum temporis non videntur permisisse, ita in Milites sævire. Consule, si lubet Commentarii prævii* §§ XI *et* 12, *ubi martyrio nostro collocando varios annos assignavi. Interim manifestum videtur, Eucherium non hic de peculiari et nata ex occasione persecutione, sed de generali eaque atrocissima agere. Igitur iis, qui ejus verbis presse alibi adhærent, epocha martyrii erit magna persecutio decima, quæ anno* 303 *exorta est.*

g *Videri circa hæc possunt testimonia aliorum auctorum, quæ Commentarii prævii* § 10 *num.* 149 *produxi, ut ne cui incredibile videatur, Maximianum in fortissimos tanto numero Milites ita sæviisse.*

h *Commentarii prævii* § 8 *num.* 130 *habes Plutarchi verba, totidem in legionibus Romanis milites numerantis. Observavi tamen etiam, hunc determinatum Martyrum numerum non nisi ex rotundo legionis numero assignare Eucherium. Multum circa illum variare Martyrologia ex prolatis annuntiationibus adverti potuit, quod unde ortum sit, satis certo assequi non potui. Frequentiores*
C *Fasti sacri sexaginta sex superaddunt.*

i *Ostendi Commentarii prævii* § 12 *num.* 175 *neque hinc, neque ex aliis ullis Eucherii verbis sequi, quod tum primum, cum martyrio coronati sunt, ex parte Orientis adventassent, adeoque nihil inde confici pro expeditione adversus Bagaudas, quæ plerisque ex interpolatis apud Surium Actis quasi certa martyrii epocha fuit. De legionibus Thebæis nonnulla ibidem etiam disserui* § 10 *num.* 141 *et seqq. evicique, ni fallor, quod nulla ex quatuor in Notitia utriusque imperii apud Pancirolum allegatis sancta hæc nostra sit, ut tum ipse, tum alii nonnulli crediderunt.*

k *Notat Ruinartius, in duobus codicibus suis legi,* dilaniandam, *uti et paulo post* a crudelitatis ministerio se detrahere ausi *sunt.*

l *Sedes episcopalis Octoduro Sedunum circa medium seculum sextum translata videtur. Oppidulum indigenis* Martigny *et* Martinach *eodem loco hodie cernitur, indeque Agaunum distat versus Occidentem æstivum quarto milliari Helvetico. Ceterum codex Germanensis Ruinartii habet hic :* Nam se octo dierum itinere fessum tenebat, *ac deinde :* Furore instinctus idignatione exarsit. D

m *Ita appellantur, quia Agaunensis ager altissimis hinc montibus, hinc Rhodano fluvio cingitur. Plura de his, et quæ sequuntur, initio Commentarii dicta sunt.*

n *Nota est urbs Genevensis, sita ad Lemanum lacum, ubi ex hoc Rhodanus emergit. Quæ hic Genavensis, non raro etiam Gehennensis apud antiquos nominatur, ab eaque Lemanus lacus hodie nomen habet, et passim Genevensis appellatur.*

o *Decimationem, quæ infra secundo recurrit, apud Romanos in militum seditiosorum suppliciis usitatam fuisse, ex Polybio, Julio Capitolino et Livio aliisque in Notis ad Martyrologium suum ostendit hodie Baronius, quem, si plura desideras, consule.*

p *Dubordæus ex hac voce, quam apud Latinos pro tribuno vel præfecto legionis inusitatam fuisse credebat, Passionem S. Eucherio abjudicandam censuit. S. Hieronymus in epistola* 38 *ad Pammachium, quæ est in editione Benedictinorum* 38, *tom.* 4 *col.* 316 *scribit :* Volo, quod dico, manifestius fieri. Finge aliquem tribunitiæ potestatis suo vitio regradatum per singula militiæ equestris officia ad tironis vocabulum devolutum. Numquid ex Tribuno E statim fit tiro? Non : sed ante Primicerius, deinde Senator, ducenarius, biarchus, circitor, eques, deinde tiro. *Habuit igitur Eucherius auctorem bene Latine scribentem, quem hic potuit sequi.*

q *Ruinartius habet* campiductore *cum plerisque apographis. Campiductores erant, qui scientiam armorum militibus tradebant. Vide, si lubet Cangium in Glossario. De Sanctis hisce nominatis* S. Mauritii *Sociis plura post Gloriam posthumam.*

r *S. Hieronymus supra senatoris munus militare proximum Primicerii dignati recenset. Prolatis Hieronymi verbis subnectit hanc notam Ruinartius :* De his dignitatibus passim apud auctores : *at* Senatoris militum *appellatio non est certe multum alibi obvia.*

s *Tota hæc responsio auctoris inventioni procul dubio relinquenda est, quod male cedere Tillemontio et Bailleto debet, qui maximi hæc Acta faciunt, dum interim alia frequenter rejiciunt propter incerta aliqua a biographis colloquia.*

t *Chiffletius legit* præoptamus, *et melius conformiusque cum Adone.*

v *De* S. Victore *pluribus agemus infra post Gloriam posthumam, ubi, quæ ad illum pertinent, speciatim examinabimus.* F

u *Plures tamen hodie nominantur, de quibus dicta vide ad finem Gloriæ posthumæ.*

w *Sancti hi martyres Martyrologio Romano inscripti sunt ad diem* 30 *Septembris, quo de illis in Opere nostro agetur. Celeberrimi Sancti sunt, sed pauca hactenus nobis de illis submissa sunt, et non nisi talia, quæ videntur multis fabulis conspurcata. Ceterum notum est Salodorum seu Solodorum, indigenis* Solothurn, *Gallis* Soleurre, *a quo pagus Helveticus, cujus caput est, nomen habet.*

x *De Maximiani in imperatorem Constantinum molitionibus et perfidia, deque ejus supplicio plura Eusebius lib.* 8 *Hist. eccles. cap.* 13. *Paulus Orosius lib.* 7 *cap.* 24, *et præcipue Lanctantius de Mortibus persecutorum num.* 29 *et* 30. *Strangulatus autem est Maximianus anno* 311.

y *De S. Theodoro I vide dicta et citata ad litteram* c. *Inventionis cetera adjuncta latent.*

z *Pro hisce habent edita a Ruinartio Acta :* Quæ vastæ nunc adjuncta rupi non tantum latere adclinis jacet. *Pro* adclinis, adclivis *legunt aliqui. Nescio, quæ sit præferenda lectio. Id certe scriptor hic significare*

significare voluit ecclesiam, vel integram, vel ex parte non in plano ædificatam, sed ex pede montis pendulam inæquali pavimento et strato fuisse.

aa *Vide, si lubet, lector, sanam Dubordæi ad hæc Theologiam Comment. prævii* § 9 *num.* 131 *et seqq.*

bb *Cum incertum sit, unde paralytica Agaunum delata sit, frustra maritum ejus Quincium quæremus.*

cc *Est Agauni hodieque lapis, super quo martyrio coronatus dicitur* S. Mauritius, *quem summopere horrent in energuminis immundi spiritus. Consule Gloriam posthumam* § 3 *num.* 37.

PASSIO INTERPOLATA

Ex Ms. S. Maximini Trevirensis, collato cum editis a Surio et Mss. Fuldensi, S. Salvatoris Ultrajectensis, et Marchianensi.

CAPUT I.

Thebæi Milites, ex Oriente subsidio missi Maximiano, renuentes sacrilega sacrificia idolis offerre, Agauni bis decimantur.

Maximianus Herculius profecturus contra Bagaudas,

Diocletianus *a* quondam Romanæ reipublicæ princeps, cum ad imperium totius orbis fuisset electus, omnesque provincias turbari quorumdam præsumptione perspiceret, ad consortium imperii vel laboris olim sibi commilitonem Herculium Maximianum cæsarem fecit, eumque contra Amandum et Ælianum, qui in Bagaudarum *b* nomen præsumptione servili arma commoverant, ad Gallias destinavit: cui ad supplementum exercitus Legionem Thebæorum ex Orientalibus militibus dedit. Quæ Legio sex millia sexcentos sexaginta viros *c*, validos animis et instructos armis, antiquorum Romanorum habebat exemplo. Hi ergo Milites Christianæ religionis ritum Orientali traditione susceperunt, fidemque sacram virtuti et armis omnibus præponebant *d*. Maximianus cæsar, usu quidem militiæ bellis aptus, sed idolorum specialis cultor, ferus animo, et qui severitatem imperatoriam nimia crudelitate pollueret, in Galliam properans, ad Alpium Penninarum aditum venit.

sacrificare idolis exercitum jubet, quod renuit Legio Thebæa,

2 Transmeantibus iter Alpium per arduam et horridam viam subito æqualis loci campestris occurrit grata planities. Quo in loco oppidum factum est, quod Octodori nomen accepit: circa quod irrigua fluminibus prata aut agrorum fertilis cultura porrigitur. Præcipue deinde Rhodani fluminis cursus offertur, qui *e* mole sua leniter fluens, regionis ipsius gratiam propria amœnitate commendat. Transcensis igitur Alpibus, Maximianus cæsar Octodorum venit, ibique sacrificaturus idolis suis, convenire exercitus jussit, atroci apposita jussione, ut per aras dæmonibus consecratas jurarent, æqualibus sibi animis contra Bagaudarum turbas esse pugnandum, Christianoque, velut inimicos diis suis, ab omnibus persequendos. Quod ubi primum pervenit ab notitiam Thebaïdæ Legionis, præteriens Octodorum oppidum, ad locum, cui Agauno nomen est, celeriter properavit, ut duodecim *f* millium spatio ab Octodoro separata necessitatem commitendi sacrilegii præteriret.

Ex Ms.

et Agaunum a reliquis copiis secedit,

3 Agaunum accolæ interpretatione Gallici sermonis Saxum dicunt: quo in loco ita vastis rupibus Rhodani fluminis cursus arctatur, ut commeandi facultate subtracta, constratis pontibus viam fieri itineris necessitas imperaret. Undique tamen imminentibus saxis, parvus quidem, sed amœnus irriguis fontibus, campus includitur: ubi fessi milites Legionis Thebææ, post laborem tanti itineris resederunt. Maximianus cæsar, dum ad sacramenta superius memorata cunctos in exercitu suo cogeret, agnovit prætergressam, ut diximus, Legionem. Subito iracundiæ furore repletus, satellites mittit, ut Legionem ad sacramentorum suorum sacrilegia revocarent. Erat in eadem Legione primicerius Mauritius, et signifer *g* Exuperius, et Candidus senator. Qui ita Commilitonibus præerant, ut amore potius æqualibus, quam terrore militari obedienda præciperent. Requirunt itaque, quid Maximianus, ira dictante, præciperet.

et secessus rationem missis ad se a tyranno militibus reddit.

4 Dictum est ab his, quos cæsar miserat; milites omnes immolasse hostias, libasse sacrificia et sacramenta fanatici ordinis præbuisse. Jubere cæsarem, ut Legio festinanter revertens commilitonum pareret exemplo. Tunc hi, qui præerant Legioni, miti affatu dedere responsum. Prætergressos se Octodorum, quia jam fama ad eos sacrificiorum ordinem detulisset. Fas sibi visum esse, ne dæmonum aras Christianorum videret obtutus *h*. Esse sibi in animo Deum vivum colere, traditam Orientali more religionem usque ad diem vitæ ultimum perenniter custodire. Ad bellorum usum paratam Legionis, esse virtutem: ad committenda sacrilegia, sicut cæsar præcepit, Octodorum non redire. Reversi itaque satellites nunciaverunt, obstinatos esse animos Legionis, nec velle præceptis imperatoris obedire. Tunc Maximianus cæsar iracundiæ nimietate succensus, ad hanc vocem subito furore prosilivit.

His exacerbatus Maximianus decimari Thebæos jubet.

5 Ergone milites mei imperatoria præcepta et sacrificiorum meorum ordinem spernunt? Sanciendum erat vindicta publica, etiamsi tantum majestatem regiam contemnere voluissent. Jungitur despectui meo cælestis injuria, et mecum pariter religio Romana contemnitur. Sentiat contumax miles, me non solum mihi, sed etiam numinibus meis dare posse vindictam. Jam nunc fidelissimorum meorum turba festinet, decimum quemque morti funesta sors præbeat. Discant æqualium nece, quos ordo præmiserit moriendi, qualiter Maximianus vel sibi, vel numinibus suis severitate hac dederit ultionem. Post hanc vocem parituris *i* jussio infausta porrigitur. Ad Legionem velociter properatur. crudelia præcepta reserantur. Traduntur neci, quos ordo reperit numerandi. Lecti percussoribus cervices præbent, solaque inter eos est de gloriosæ mortis occupatione contentio.

S. Mauritii præfecti Legionis

6 Perfecto scelere, ut Octodorum Legio redeat, jubetur. Tunc Mauritius primicerius, paululum a satellitibus regis segregatus, convocat Legionem, et hac oratione sancti oris *k* alloquitur. Gratulor virtuti vestræ, Commilitones optimi, quod amore religionis nullam vobis cæsaris præcepta attulere formidinem, Gaudentibus quodammodo

Ex Mss. dammodo animis tradi ad necem gloriosam Commilitones vestros vidistis. Quam timui, ne quisquam, quod armatis facile est, specie defensionis beatissimis funeribus manus obvias afferre temptaret. Jam mihi ad hujus rei interdictum Christi nostri parabatur exemplum, qui exemptum vagina Apostoli gladium propriæ vocis jussione recondidit, docens majorem armis omnibus Christianæ confidentiæ esse virtutem. Hic Deus Christus plane mentes manusque vestras prohibuit, ne quisquam divino operi mortalibus dextris obviaret. Quinimo cepti operis fidem perenni religione complete.

ad reliquos adhortatio, ut fortiter

7 Hactenus exempla sacris incerta codicibus legebamus, jam nunc per nos metipsos, quos sequi deberemus, aspeximus. Ecce vallatus sum Commilitonum meorum corporibus, quos de latere meo funestus satelles eripuit. Aspersus sum cruore Sanctorum, et sacri cruoris reliquias vestibus meis porto: et dubito eorum sequi necem, quorum gratulans admiror exemplum? Et vacat cogitare, quid imperator jubeat, qui sorte mihi mortalitatis æqualis est? Si habere aliquid virium imperatoria præcepta potuissent, et si quid circa beatissimorum puerorum corpora regis Persarum B valuisset incendium, nec contempnere leonum rugitus lacu clausus propheta potuisset; sacramenta olim dedisse nos, memini, quod contemptu lucis istius et desperatione vitæ defensare rempublicam deberemus. Jam tunc promisi mei corporis vilitatem, et spopondi hanc imperatoribus fidem, nec tamen mihi ullus tunc regna cælestia promittebat. Quid, Christo spondente, faciendum est, si hoc potuimus militiæ devotione promittere?

pro fide moriantur: qua animati

8 Quinimo, fortissimi Commilitones, olim devotas animas subdamus preciosissimæ passioni, et nobis virilis animus et fides inviolata permaneat. Jam cerno ante tribunal Christi stantes eos, quos neci paulo ante satelles regius deputavit. Illa vero gloria est, quæ æternitatem beatam vitæ hujus brevitate mereatur. Æquali omnes animo, una voce responsum satellitibus demus. Milites quidem sumus, imperator, tui *l*, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam. A te stipendium laboris accipimus, ab illo vitæ exordium sumpsimus. Sequi imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum. Utinam auctorem nostrum Dominum, auctorem velis esse tuum *m*. Si non tam funesta agere compelli- C mur, ut hunc offendamus, tibi, ut hactenus fecimus, adhuc parebimus; sin aliter, illi parebimus potius, quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus.

communi sententia responsum ad Maximianum

9 Dexteræ istæ pugnare adversus impios atque inimicos sciunt, laniare pios et cives nesciunt. Meminimus nos pro civibus potius, quam adversus cives arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute. Hæc fuerunt hactenus nobis precia periculorum. Pugnavimus pro fide, quam quo pacto conservemus tibi, si hanc Deo nostro non habemus? Juravimus primum in sacramenta divina, juravimus inde in sacramenta regia. Nihil nobis de secundis credas necesse est, si priora perrumpimus. Christianos ad pœnam per nos requiri jubes; jam tibi ex hoc alii requirendi non sunt. Habes nos hic confitentes Deum Patrem, auctorem omnium, et Filium ejus Jesum Christum, in quem credimus *n*. Vidimus laborum periculorumque nostrorum Socios, nobis quoque eorum sanguine aspersis, trucidari ferro et tamen sanctissimorum Commilitonum mortes, et fratrum funera non flevimus, non doluimus; sed D potius laudavimus, et gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro Domino Deo eorum.

remittunt, et secundo decimantur: Exuperii

10 Non nos, vel hæc ultima vitæ necessitas in rebellionem coëgit, non nos adversum te, imperator, armavit, ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus, ecce, arma, et non resistimus, quia mori, quam occidere satis maluimus, et innocentes interire, quam noxii vivere, præoptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus. Christianos nos esse fatemur, persequi Christianos non possumus. Hæc *o* sicut Vir sanctus dixerat, Legionis probantur assensu, et cæsari per satellites nuntiantur. Qui inclementi præcepit jussione, ut iterum decimum renovatæ crudelitatis ordo consumeret. Post hanc vocem ad Legionem velociter properatur, crudelia præcepta peraguntur, reliquis, ut Octodorum redeant, jubetur. Tunc Exuperius, quem principem seu campiductorem superius memoravi, correptis Legionis suæ signis, hac circumstantes oratione confirmat. Tenere me, Commilitones optimi, sæcularium quidem bellorum signa perspicitis, sed non ad hæc arma provoco, E non ad hæc bella animos vestros virtutemque compello,

ad sanctos Martyres oratio.

11 Aliud nobis genus eligendum est præliorum Non per hos gladios potest ad regna cælestia properari. Robur nobis opus est animorum, invicta est *p* defensio, fidem, quam Deo promiseris, in ultimis custodire. Jam de Commilitonum nostrorum gloria, ea, quæ divino cernebat obtutu, Mauritius est locutus: ego vobis victoriam plenam, si Christo credideritis, repromitto. Projiciant dexteræ nostræ arma ista cum signis militaribus. Præstabit hoc Christus, ut mox in ipso cælesti, sicut promittitur, regno, alia vobis Exuperium vestrum videatis signa monstrare. Vadat quinimmo funestus satelles, et hæc truculento regi nuntiet. Inexsuperabiles Legionis istius animos, cæsar, agnosce. Tela projicimus: exarmatas quidem *q* dexteras satellites tui, sed armatum fide Catholica pectus invenient. Occide, prosterne; resecandas gladiis percussoribus cervices præbemus intrepidi. Hæc nobis jocundaria sunt, dummodo te cum sacrilegiis tuis contempnimus, ad regna jam nunc cælestia properantes.

ANNOTATA. F

a *Mss. reliqua omnia prologum habent, qui etiam est apud Surium:* Sanctorum Passionem Martyrum *etc. Ubique etiam ipsa Passio inchoatur, ut apud Chiffletium:* Sub Maximiano *etc.*

b *Sic apographa nostra omnia. De hisce sic loquitur Aurelius Victor de Cæsaribus in Diocletiano:* Quid ea memorem, adscivisse consortio multos externosque tuendi prolatandique gratia juris Romani? Namque ubi comperit, Carini discessu Helianum Amandumque per Galliam, excita manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocant, populatis late agris, plerasque urbium tentare, Maximianum statim... imperatorem jubet... Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus, aut acceptis, quieta omnia brevi paraverat: *atque his similia Eutropius in Breviario. Varii de Bagaudarum nominis origine varia suspicantur, et, ut solet, incerta plurima proferunt. Salvianus presbyter Massiliensis et scriptor* 5 *seculi lib.* 5 *de Providentia tumultus causas in eorum præpositos rejicit, qui illos acerbitatibus et exactionibus*

A *exactionibus tyrannicis exasperabant. Vita S. Baboleni apud Chesnium tom.* I *pag.* 662 *asserit, Bagaudas omnes Christianos fuisse. Quam nullius illa momenti, sit in Opere nostro ad diem* XXVI *Junii pag.* 179 *demonstravimus; credibile tamen est, aliquos, imo non paucos, inter illos Christianos fuisse. Vide, quæ dicta sunt Commentarii prævii* § XI *num.* 170 *et seqq. Ceterum Bagaudarum rebellionem plerique referunt ad annum Christi* 286, *de quo, si plura desideras, adi Tillemontium Historiæ imperat. tom.* 5 *pag.* 599.

c *Acta Suriana paulo ante habent:* Ex Orientalibus militibus ire præcepit; *at hic, ut Ms. S. Maximini et reliqua fere omnia Mss. præter codicem nostrum Q. Ms,* 7, *et Marchianensem, ubi* sexaginta sex *omissum est, et in codice Fuldensi adscriptum manu multo recentiori. Ibi etiam prætermissum est* antiquorum Romanorum exemplo, *et a narratis Bagaudarum tumultibus, cum Actis primigeniis hic fere consonant. Surius nostris superaddit, fidem Orientali traditione,* ab Hierosolymitanæ urbis episcopo, *eos suscepisse. Hunc fuisse Zabdam non pauci scriptores asserunt, nescio ex quibus documentis. De Zabda Hierosolymitano patriarcha, qui Sancti titulum apud nonnullos obti-* B *net, breviter in Prætermissorum catalogo ad diem* 6 *Maji, ac deinde fusius in Tractatu præliminari, tomo* III *ejusdem mensis præfixo, actum est pag.* XIV. *Utroque loco de conversis per eum et baptizatis sanctis Martyribus nostris ex Theodorici verbis agitur, quæ ibidem, si lubet, consule. Papebrochius, qui epochæ expeditionis contra Bagaudas cum reliquis passim omnibus adhæret, in Historia chronologica loco citato Zabdam statuit* 37 *Hierosolymorum patriarcham, censetque ex Hieronymi verbis, eum ad sedem ascendisse anno Christi* 298, *cum qua epocha pugnat martyrium Thebæorum annis ante tredecim locatum. Eapropter judicat, sanctos Martyres ab ejus decessore Hymenæo sacra unda ablutos fuisse. Dici etiam posset, fuisse illos a Zabda ipso baptizatos, et hunc per anticipationem episcopum vocari; at operæ pretium non est studiosius laborare in conciliandis epochis rerum, quæ ex instrumentis non magni momenti natæ sunt. Certe Thebæorum baptismus facile potuit ab aliquo, qui hæc vel similia interpolata Acta legerat, determinate Zabdæ ex conjectura adscribi, sicque hæc omnia horum Actorum auctoritate niterentur, quam profecto apud me non magnam obtinent.*

C d *Sequitur apud Surium:* Ad urbem quippe Romanam itinere attingentes, eamdem Christianitatis fidem, quam acceperant, apud beatum Marcellinum, prædictæ Romanæ urbis Pontificem, confirmaverunt, ut ante gladio interirent, quam sacram fidem Christi, quam acceperant, violarent. Recepti igitur a Diocletiano cæsare, jubentur, ut post Maximianum collegam iter, quod ceperant, ad Gallias tenderent. *Duæ hic sunt epochæ, quæ Actorum illorum propugnatoribus difficultatem pene inextricabilem pepererunt; Diocletiani scilicet Romæ præsentia, qui in Oriente semper illo tempore versabatur, et Pontificatus Marcellini dudum post exstinctas Bagaudarum turbas inchoati. Videsis, quæ observavi Commentarii prævii* § XI *num.* 172. *Usque ad medium fere numerum sequentem exemplar hoc cum Surianis, Mss. nostra reliqua cum Chiffletianis consonare pergunt.*

e *Non habet hæc Surius; in sequentibus non nisi uno alterove verbo differt: pergunt cum primigeniis Actis codices reliqui.*

f *Legit Surius* Octo, *et melius. Non est apud illum etymon vocis Agaunum, at compensatur id medio sequenti numero, ubi post* resederant *Surius ex Actis primigeniis interjecta habet:* O quanta reverentia excolendus est sacer locus iste, in quo tot pro Christo Martyrum millia ferro cæsaris puniuntur! *Ceteri codices Mss. eadem habent, quæ Chiffletius, nisi quod in pluribus* Genuensi, *pro* Genavensi *scribitur, et, ubi de Agauno sermo est, pronomen demonstrativum* hic *ita ubique adhibetur in Mss. Fuldensi et codicibus nostris, ut facile sentias, cujusdam Agaunensis monachi eam interpolationem esse.* Ex Ms.

g *Hic ex campiductore, ut etiam postea vocatur* Exuperius, *signifer factus est, verisimiliter ut ad vexillum suum, Commilitones adhortans, alludere posset. Post numeri hujus finem cum Actis primigeniis pergunt Suriana:* Viri in rebus bellicis strenui et virtute nobiles, sed fide in Deum nobiliores; erga imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Evangelici præcepti sub armis custodes, reddebant, quæ Dei erant, *etc.*

h *Surius edidit:* Ne dæmonum aris Christiani contaminari viderentur. Deum vivum colere *etc. Porro tota illa sequens Maximiani et S.* Mauritii *oratio, ut a Chiffletianis, sic et a nostris omnibus Mss. Actis abest. Eane sit, quæ tam elegans et gravis Tillemontio visa est, nescio: at a me laudem illam profecto non feret.* E

i *Apud Surium* ad apparitores, *forte correctius, uti et infra* læti *pro* lecti.

k *In Surianis* sanctiores, *quod hic vix aliquid significat.*

l *Totum hoc responsum, non solum in Mss. nostris reliquis, sed etiam in hoc nostro apographo ex genuinis Actis pene ad verbum transumptum est: at a Surio non uno interpolatum loco exhibetur. Hic enim ita prosequitur:* Et ad defensionem reipublicæ Romanæ arma suscepimus: nec umquam aut desertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignave formidinis meruimus subire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, nisi instituti legibus Christianis dæmonum cultus et aras semper pollutas sanguine vitaremus. Comperimus præcepisse te, ut aut sacrilegiis pollueres Christianos aut de denis interfectis nos velis terrere. Non inquiras longius latitantes: nos omnes Christianos esse cognosce. Habebis potestati tuæ subdita omnium corpora: auctorem vero suum respicientes Christum animas non tenebis. *Atque hæc sunt omnia, quæ* S. Mauritio *verba relinquuntur. Porro tam immensum ab aureo illo in genuinis Actis responso stili inconcinnitate perplexitateque sententiarum differt hæc oratio, ut nullius judicii censeam eum esse, qui interpolationem ipso mox initio non deprehendat.* F

m *Qui apographum nostrum descripsit, verisimiliter hæc legere non potuit in codice, vel non intellexit, plurimis enim lituris hæsitantiam suam prodidit. Forte ibi, ut in primigeniis Actis legitur:* Sequi te in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum, utique auctorem nostrum, Dominum, auctorem, velis, nolis, et tuum.

n *Nostra apographa omnia et plerique codices cum Germanensi apud Ruinartium consonant, omisso scilicet* et in Spiritum sanctum, *quæ habet Chiffletius.*

o *Hic a primigeniis Actis nostra hæc iterum discedunt et ad edita a Surio accedunt, pergunt cum primis Mss. reliqua.*

p *Edidit Surius:* Robur nobis opus est animorum, invictaque defensio: fidem, quam Deo promisimus, in ultimis custodire. Jam de Commilitonum nostrorum gloria, quæ divinum cernit obtutum

Ex Ms. obtutum, gloriosus vir Mauricius *etc, quæ non sunt nostris correctiora..*

q *Hic partem laudati responsi magnam interpolator Surianus interserit, nimirum usque ad hæc,* auctorem velis, nolis, tuum, *et omissis reliquis, prosilit ad* non nos adversum te imperator *etc usque ad finem, quibus deinde nostram hanc* Exuperii *adhortationem subnectit, tantum a præcedenti diversam, ut mox alteri assuetas aures feriat. Desunt in nostro Suriana hæc :* Flagrabat enim jam tum in beatissimis Viris martyrii gloriosus ardor, *quæ sunt sane ibi plane inutilia et superflua.*

CAPUT II.

Sancti Martyres, nihil territi Sociorum cædibus, omnes necantur. Iis ad laureolam accedit Victor. Inventio prodigiosa corporis S. Innocentii, ejusque translatio.

B

Perempta Legione sancta, superviens Victor miles veteranus,

Hæc mandata Legionis remeans ad Maximianum cæsarem satelles nuntiat. At ille *a*, quasi nihil fuisset iterato scelere perpetratum, ire propere exercitum jubet et circumfundi imperat Legionem, nullumque de tanto Sanctorum exercitu præcepit relinqui. Ventum itaque est. Circumsistit beatam Legionem turba carnificum. Omnis ætas sine discretione perimitur, lanianturque beata corpora, et devotas Deo animas fideli mortis professione commendant *b*. Peracta tandem cæde, inter omnes Sanctorum percussores præda dividitur : namque Maximianus facultatem dederat, ut quisquis Legionis illius militem jugulasset, interempti spoliis uteretur *c*. Divisa igitur omnium præda, ad vescendum epulandumque victrix turba consedit. Cum interea veteranus quidam, ultimæ ætatis senio fatigatus, nomine Victor, ad contaminatum cædibus locum itineris necessitate deductus est.

seseque Christianum professus

13 Dum ad epulas, pro ætatis veneratione, ab omnibus rogaretur, requirere cepit, quænam esset causa lætitiæ, quod inter tot corpora peremptorum gaudentes exultantesque possent milites epulari. Dictum est a quodam, quod Legio Christianæ legis studio cæremonias Romanas cultumque numinum pariter cum jussionibus contemnere voluisset, dataque neci esset, ut disciplinæ militaris traditus ordo severius teneretur. Tunc Victor alte gemitum trahens graviterque suspirans *d*, exclamat. Heu me, qui per tot annorum militiam ad hanc ætatem veni et in hac Legione militare non merui! Quam bene inter tales gloriosæ mortis honore donatus vitæ finem invenire potuissem! Saltem si commilito indignus eram, ante actas *e* horas viandi necessitas detulisset, ut senilis pectoris cruor tantorum virorum victimis misceretur! Obtuleram corpus hoc neci, dummodo tantæ laudis consortio non carerem! Talia dicentem profanorum statim turba vallavit, quæ utrum Christianus esset, respondere minaciter jubet.

martyrio coronatur.

14 At ille paululum oculos ad cœlum erigens, tali percunctantibus sermone respondit. Longus me vivendi usus ad hanc, quam videtis, perduxit ætatem. Quæcumque in hoc mundo aguntur, aut studium reperit, aut rerum volubilitas agit, aut varius semper casus infestat. Quodcumque volumus, optamus; scimus, aut cupimus. Totus D mundus caligine submersus, tenebris circumfluentibus, latet, nisi nobis aut viam ostenderit Christus, aut lumen Christus effulserit *f*. Quod ego fideli mente perpendens, utinam ultimo contester effectu! Quod si me ad tempus paulo ante trucidatæ Legionis itineris necessitas detulisset, conviviis et epulis vestris horum funerum consortium prætulissem. Sed nunc etiam præstabit Christus, ut Christianum me vel post professionem meam transire ulterius per beata funera non sinatis. Hæc eum loquentem subita percussoris obtruncat insania. Ita Vir sanctus consortium Sanctorum celeri professione promeruit *g*.

Maximiani mors et revelatio sanctorum corporum

15 Hæc nobis tantum de numero istorum Martyrum comperta sunt nomina: id est beatissimi Mauritii, Exuperii, Candidi, Innocentii *h*, Victoris, atque Vitalis. Cætera vero nomina nobis quidem incognita, sed in libro vitæ sunt scripta. De hac eadem Legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Ursus et Victor, quos Salodoro passos fama confirmat. Salodorum vero castrum est super Ara *i* flumine, neque longe a Rheno positum. Operæ precium *k* est etiam illud indicare, quis deinde Maximianum trucem tyrannum exitus consecutus sit. Cum, dispositis insidiis genero suo Constantino *l*, tunc regnum tenenti, mortem moliretur, E deprehenso dolo illius, apud Massiliam captus, nec multo post strangulatus, teterrimo hoc supplicio affectus, impiam vitam digna morte finivit. At *m* vero beatissimorum Martyrum corpora post multos passionis annos S. Theodoro hujus loci episcopo revelata traduntur. In quorum honore cum strueretur basilica, quæ vastæ nunc adjuncta rupi *n* est, quid miraculi apparuerit, nequaquam tacendum putavi.

ad quæ Deus varia beneficia

16 Accidit, ut inter reliquos artifices, qui invitati convenisse ad hoc opus videbantur, quidam adesset faber, quem adhuc gentilem esse constaret. Hic cum Dominico die, quo cæteri ad exspectandum diem festum abscesserant, in fabrica solus substitisset, in illo secreto se subito clara luce manifestantibus Sanctis, hic faber idem rapitur, atque ad pœnam, vel ad supplicia distenditur, et visibiliter turbam Martyrum cernens, verberatus etiam aspere increpatur, quod vel die Dominico ecclesiæ solus deesset, vel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet. Quod ideo misericorditer a Sanctis factum constitit, ut faber consternatus et territus salutare sibi nomen posceret, statimque Christianus effectus est. Neque illud in Sanctorum miraculis F prætermittam, quod perinde clarum atque omnibus notum est. Mater familias Quintii, egregii atque honorati viri, cum ita paralytica fuisset obstricta, ut etiam pedum usus negaretur, a viro suo, ut illic per multum itineris *o* spatium deferretur poposcit. Quo cum pervenisset, sanctorum Martyrum basilicæ famulantium manibus illata, pedibus ad diversorium rediit, ac sanitate de præmortuis restituta membris miraculum suum ipsa circumtulit. Hæc duo tantum miracula Passioni Sanctorum inserenda credidi.

invocantibus Martyrum opem contulit.

17 Cæterum satis multa sunt, quæ vel in purgatione dæmonum, vel in reliquis curationibus cotidie illic per sanctos Martyres Domini virtus operatur. Neque *p* enim hoc omittendum est, quod per longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rhodanus revelavit. Jugi enim eluvie vicinum in se cespitem vergens religiosa quadam soli pernicie ad sepulturam Martyris famulatrix unda pervenit. Prolatas namque reliquias leniter lambens, non ideo a sinu terræ protulit,

A tulit, ut in gurgitis procella demergeret, sed ob gloriosam devotionem intra ambitum basilicæ ceteris Martyribus sepulturæ præcepit sociari, cujus translationem a sanctæ recordationis Domitiano *q* Genevensi et Grato Augustanæ urbis, vel Protasio tum temporis hujus *r* loci episcopo celebratam recolentes, cottidiana devotione et laudibus frequentamus, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA

a *Hic Surius ex primaria Passione inserta habet :* Cum talia audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos Virorum.

b *Ex iisdem Chiffletii Actis sic pergunt Suriana :* Operta est terra illic procumbentibus in morte corporibus Justorum, fluxeruntque pretiosi sanguinis rivi. Quæ umquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit? Quæ feritas ex sententia sua tot simul perire vel reos jussit? Ne justi punirentur, multitudo non obtinuit, cum inultum esse soleat, quod multitudo delinquit. B Hac igitur crudelitate immanissimi tyranni confectus est Sanctorum populus, qui contempsit rem præsentium propter spem futurorum. Sic interfecta est illa plane angelica Legio, quæ, ut credimus, cum angelorum legionibus jam collaudat Deum in cælis. *Quæ, quantum rursus reliqua phrasis puritate sententiarumque pondere superant !*

c *Bene excogitata et S. Eucherio supposita est hæc Maximiani permissio. Vereor, ut facilis fuerit exactaque divisio, nisi singuli milites singulos, quos occiderant, Martyres mox expresso nomine in pugillares redactos, exhibuerint.*

d *Hic Surianus interpolator mutuatus est a Chiffletianis Actis,* detestatus convivas detestatusque convivium, *quæ noster omisit.*

e *Surius habet :* Ante has duas horas.

f *Surius legit :* Lumen Christi effulserit. *Porro quis non videat hic ineptum interpolatorem, qui veteranum militem* Victorem, *tam contorta oratione exhibet nobis de mundanarum rerum inconstantia, de caligine, qua in mundo pleraque abstrusa sunt, philosophantem coram aliis militibus, quorum scilicet parum intererat scire, quænam studio reperiri et in apertum protrahi possint?*

C g *Ex primariis iterum hausta Actis subjicit interpolator Surii :* Cæterisque Martyribus, in eo loco, sicut morte, ita est honore conjunctus.

h Innocentii *et* Vitalis *mentionem nullam habent Acta Sariana; eadem etiam in omnibus aliis Mss. nostris absunt. De utroque aliqua speciatim dicemus infra.*

i *Ms. S. Maximini habet* Ararim, *Surius et Chiffletius cum apographis reliquis fere omnibus* Arulam. *Araris Gallis* La Saone, *in Lotharingia oritur atque ad Lugdunum Rhodano immiscetur, qui proinde perperam substitutus est* Arulæ *seu* Arolæ, *indigenis* Aar, *Helvetiæ fluvio, qui in finibus Vallesiæ ortus, indeque in Septemtrionem fluens, Bernam alluit, Solodorum secat, ac postea prope Waldhustum, Sueviæ oppidum, in Rhenum se exonerat.*

k *Hæc noster cum Chiffletii codice; at Surianus sic phrasim mutavit :* Neque illud silendum, quem deinde Maximianus progressus exitum consecutus est. *Forte præplacebat hæc transitio, quæ infra recurrit iterum, ubi de inventione corporis* S. Innocentii, *atque tertio ad sanationem uxoris Quintii.*

l *Suriis edidit* Constantio, *qui Constantini pater dudum ante Maximianum obiit. Vide Annotata ad Acta præcedentia, littera* x. Ex Ms.

m *Nostra hic prosequuntur cum Chiffletianis; at Surius inventionem reliquiarum* S. Innocentii *ita interserit :* Neque hoc omittendum est, quod post longum temporis tractum; *ac deinde reliqua, quæ in hisce nostris ultimo loco habentur. Post hæc resumit;* At vero *etc.*

n *Inserta habes apud Surium :* Uno tantum latere acclivis jacebat, sed nunc, jubente præclaro meritis Ambrosio, loci illius abbate, denuo ædificata, biclivis esse dignoscitur. *Consule, si lubet, quæ ad hæc observavi in Annotatis ad Passionem puriorem littera* z. *Ceterum Mss. nostra alia omnia, quæ cum Chiffletiano hactenus conveniunt, eam etiam de Ambrosio interpolationem habent. Solum Marchianense nihil habet de inventione corporis* S. Innocentii, *quæ in codice Fuldensi inepte et sine ullo sensu inseritur mox totidem fere verbis, quot hic infra narratur, ac post* laudibus frequentamus, *resumitur interruptus sensus hoc modo :* Quid miraculi tunc apparuerit etc.

o *In exemplari nostro est* temporis, *quod correxi, ratus, vitium amanuensis esse, cum parum hic significet.* E

p *Monui superius ad litteram* n, *narrationem hanc in aliis ecgraphis alibi interseri. Videri etiam potest Commentarii prævii* § 13, *num* 199, *ubi hæc enucleatius assignata sunt.*

q *De enumeratis hic episcopis et tempore translationis* S. Innocentii *disputata, si lubet, vide in Opere nostro ad diem* VII *Septembris.*

r *In plerisque aliis exemplaribus legitur* illius, *et in uno alterove* istius, *quod passim conjectant referendum esse ad Octodurum, in cujus diœcesi Agaunum est.*

GLORIA POSTHUMA

§ I. Inventio corporis S. Mauritii quandonam et ubi contigerit. Viennensium in Gallia traditiones discutiuntur. F

Latissime propagati vetustissimi celeberrimique cultus S. Mauritii, *ducis Thebææ Legionis famosissimi, indicia sunt innumeræ sancto Martyri exstructæ antiquitus aræ, consecratæ basilicæ, monasteria ejus nomini dicata per Italiam, Galliam et Germaniam plurima. Factu perquam difficile, imo pene impossibile esset, monumenta singula percensere, quæ per totum pene Occidentem sparsa, fere innumera sunt : neque etiam quæcumque adhibita in perquirendo diligentia facit, ut mihi persuadeam, fuisse omnia, quæ memorari merebantur, sic collecta, ut nihil prætermiserim; imo nullus dubito, quin in particularibus quibusdam ecclesiis celebrior forte* S. Mauritii *et Sociorum cultus notabilioresque reliquiæ sint, quam locis aliis, quorum mentionem feci; at id, confido, lector non negligentiæ, sed nimiæ materiarum copiæ adscribet. Ceterum materiam hanc sic tractabo, ut post pauca de invento primum* S. Mauritii *corpore præmissa, varias regiones percursurus, quid in singulis quoad sancti* Corpus S. Mauritii et aliquorum Sociorum ejus

AUCTORE J. C.

sancti Ducis et Commilitonum, maxime anonymorum, cultum reperero, ob oculos positurus sim. De nominatis autem Exuperio, Candido, Victore *sicubi mentio incidet, brevibus agam quidem, præcipua tamen ad illos spectantia post gloriam hanc posthumam, vel si per temporis angustias non licuerit, ad Addenda in calce tomi pertractanda rejicio; ubi etiam singulatim examinanda venient nonnulla de sanctis Thebæis, qui post inventa sacra eorum pignora nomen accepisse videntur. Ordo quidem forte exigeret, ut speciatim de sancto Duce prius agerem, at experientia me docuit, et tædium inde lectori et duplicatam mihi molestiam obventura, dum seligere ea seorsum cogerer, et lector post interceptam rebus aliis narrationem eo revocandus esset, unde jam pridem discesserat, sicque vel renovari deberet pluribus repetitionibus memoria, vel eadem rursus esset relegenda via, quæ utraque evitata cupio.*

a S. Theodoro I episcopo Octodurensi inventum fuit

2 *Itaque* S. Mauritii *corpus primum a Theodoro Octodurensi episcopo inventum fuit cum sacris exuviis aliquot sanctorum Sociorum ejus. Testatur id S. Eucherius, sub finem Passionis scribens:* At vero beatissimorum Acaunensium martyrum B corpora post multos Passionis annos, S. Theodoro ejusdem loci episcopo revelata traduntur. *De quo hic Theodoro loquatur Eucherius, tum in Commentario prævio, tum in Annotatis ediximus. De eodem sancto præsule speciatim in Opere nostro actum est ad diem* XXVI *Augusti, ubi etiam ostenditur diversus esse a synonymo Theodoro et Theodulo, ejusdem sedis episcopis. S. Theodorus illius nominis primus Octodurensis episcopus concilio Aquileiensi, quod anno* 381 *celebratum fuit, cum S. Ambrosio interfuit, ibique contra Palladium Arianum egit. De eo ex probatis monumentis, præter ea, quæ modo recitata sunt, vix aliquid constat. Acceperunt Majores nostri ex antiquo Breviario Sedunensis ecclesiæ Officium de Sancto præsule, ex quo Lectiones* 2 *Nocturni propriæ loco citato excusæ sunt.*

seculo 4. Aliqui circa hæc errores

3 *Lectione secunda leguntur, quæ huc pertinere possunt, sequentia:* Ad sedem suam Octodurensem remissus, *(post finitam Aquileiensem synodum)* gregi suo condito, vigilem pastorem agens, verbo et exemplo fructuose præfuit. Sicut enim erat in Dei prædicatione præfervidus... ita erat in idolorum vanis et superstitiosis cultoribus viva rationum vi C convincendis potens... Passionem sanctorum Thebæorum martyrum Agaunensium, Mauricii et Sociorum ejus, episcopo Genevensi *(ex conjectura hæc vox substituta a nobis fuit, quod in apographo legi non posset)* transmisit, communicandam omnibus episcopis Galliæ, quam Eucherius Lugdunensis episcopus, pro fragrantia sui stili, omnibus communem fecit. *Lectione* 3 *hæc etiam habentur:* Quæ supererant idolorum fana subvertit, et in eorum locum aras S. Mauritio et ejus Sociis, templa vero Deo dicata erexit. Ambrosium abbatem Agaunensem ad construendam ecclesiam acclivem sanctis Martyribus ex collectis provinciæ insigniter adjuvit, et prædictorum Sanctorum ossa cum Ambrosio abbate legit.

Breviarii Sedunensis.

4 *Ad hæc loco citato pag.* 815 *a Majoribus meis animadversum est, turpem anachronismum committi, dum Ambrosius Agaunensis abbas, qui anno* 516 *regere cœpit, contemporanus statuitur S. Theodoro, qui annis ante* 135 *concilio Aquileiensi interfuit. Alius scilicet est S. Theodorus etiam Octodurensis episcopus, qui fundationi monasterii Agaunensis cum Sigismundo rege adfuit. Ejus Acta, quæ hic cum S. Theodori I gestis confusa sunt, paucis illustrata habes tom.* VI D *Augusti pag.* 43. *Quæ etiam in illo Officio dicuntur de missa ad episcopum, quisquis ille fuerit, Passione Thebæorum Martyrum, communicanda cum omnibus episcopis Galliæ, quam S. Eucherius communem fecerit, non intelligo. S. Eucherius sub medium seculi quinti mortuus est, nec certe cathedram Lugdunensem occupabat, quo tempore Octoduri sedebat S. Theodorus. Deinde S. Eucherius in Passione testatur, se illam scripsisse, ne tanti martyrii memoria interiret, atque ejus ordinem accepisse a traditione; non igitur scriptam acceperat a S. Theodoro. Si dicas, Theodorum II scriptam ab Eucherio Passionem ad episcopos misisse, duorum rursus Gesta confundis et prodis ineptias istarum Lectionum.*

quorum aliquos tutari conati sunt.

5 *Eædem tamen, uti et Breviaria anno* 1497 *impressa et plurima alia ejusmodi instrumenta, quæ vel in Agaunensi cœnobio, vel in archivis ecclesiæ Sedunensis, in Castro Majoriæ et Valeriæ invenit, tantæ auctoritatis fuerunt apud Sebastianum Briguet, canonicum Sedunensem et auctorem Vallesiæ Christianæ, anno hujus seculi* 44 *editæ, ut tum hæc, tum alia ejusdem furfuris ex synonymorum episcoporum Octodurensium confusis gestis deprompta, retinenda et defendenda hinc inde judicaverit. Majores mei, ut supra cœpi* E *dicere, duos Sanctos Theodoros duosque Theodulos, subtimide hos tamen, Octodurenses, seu post translatam sedem, Sedunenses episcopos distinctos Operi nostro inseruerunt Cuperus, qui Acta S. Theoduli ad diem* XVI *Augusti illustravit, cernens intricata ibidem non pauca, eorum solutionem dixerat se a Galliæ Christianæ continuatoribus, quam promiserant, vel ab eruditis Vallesiæ incolis, exspectare. Briguetus exspectationi utcumque respondit, et a pag.* 105 *libelli memorati erudite ostendit, duos Theodoros atque unum saltem Theodulum inter sanctos Octodurenses præsules admittendos esse, ut jam ante ad diem ejusdem mensis* XXVI *et* XXVII *in Opere nostro probatum fuerat. Porro quamvis id ex coagmentatis instrumentis, quæ Briguetus allegat, non dubie consequatur, quod Theodulus a duobus Theodoris discernendus sit, non erant tamen admittenda, quæ de tribus illis episcopis ibidem asseruntur fere eadem.*

scriptores recentiores.

6 *S. Theodoro I reliquias sanctorum Thebæorum revelatas fuisse, testatur Eucherius. De Theodoro II paria narrata admittit Briguetus pag.* 69, F *assignatque Breviaria antiqua ecclesiarum Sedunensis, Genevensis et Lausanensis. In apographo, quod in Opere nostro ad diem* XXVII *Augusti de S. Theodoro II ex Breviario Sedunensi excusum est, nullum de inventione illa verbum invenio, sed in Actis S. Theoduli, qui Caroli Magni temporibus vixit, eadem fere rursus legere est de inventis sanctorum Martyrum Agaunensium corporibus. Non diffiteor, contingere potuisse, ut succedentibus temporibus aliæ et aliæ tot millium Martyrum sacræ exuviæ detegerentur in valle, quam suo sanguine asperserant, et ubi plerosque sepultos fuisse, videtur extra dubium; at de tribus diversis Sanctis, fere synonymis, rem eamdem nonnisi in Breviariis similibusve instrumentis totidem verbis assertam et repetitam, nemo facile admittet criticus, sed saltem suspicabitur, eorum gesta confusa et sensim tribus adscripta fuisse, quæ non nisi uni contigerant, quod de hac translatione vix dubito affirmare.*

Videntur primum repertæ sacræ exuviæ

7 *Ceterum ex S. Eucherii testimonio indubitatum quidem habemus, sanctorum Martyrum corpora S. Theodor oI revelata fuisse, et senescente seculo quarto id factum licet opinari. Locum, ubi inventa sunt, modumque æque ignoramus. Credibile*

A *bile est, non procul a palæstra et in Vallesia recondita primum, ac deinde reperta fuisse. Quot Sanctorum exuviæ tum detectæ fuerint, S. Eucherius non explicat, et non nisi ex conjectura habemus, corpora* SS. Mauritii, Exuperii, Candidi *atque* Victoris *cum primis revelata, et sic distincta signo aliquo fuisse. ut a tot aliorum sanctorum eodem loco conditorum Martyrum sanctis ossibus discerni potuerint. Forte divina aliqua revelatio intervenit, vel Ducis et aliorum Præfectorum sanctæ Legionis corpora loco aliquo decentiori contumulata fuerunt. Quidquid sit, ex Charta fundationis monasterii Agaunensis, de qua Commentarii prævii num.* 36 *et seqq. novimus, horum nominatorum Sanctorum corpora refectæ basilicæ Agaunensi primum illata fuisse, dum aliorum Sociorum exuviæ adhuc extra ecclesiæ ambitum quiescerent.*

apud Agaunum, certe fabulosa apparent,

8 *Eumdem S. Theodorum I Octodurensem antistitem mox sanctis Martyribus basilicam condidisse, ex S. Eucherii verbis probabilissimum fit, ut Comment, prævii* § 2 *et seq. ostendi. Certe indubitatum est, ecclesiam Agaunensem sanctis Martyribus sacram, medio seculo* V *exstitisse, cum idem sanctus auctor narret miraculum, quod in ejus* B *exstructione acciderat. Joannes le Lievre libro de Antiquitate Viennensi cap.* 15 *totam aliam refert narrationem inventionis corporis* S. Mauritii. *Verba ejus aliqua inde decerpo et Latine reddo. Pagina apud me* 101, *postquam historiam martyrii ex Surii Passione contraxit, pergit* : Peracta carnificina, magna pars corporum Sanctorum capitibus mutilorum et sanguine manantium, projecta est in Rhodanum fluvium, qui eo loci oritur, atque tum fluctus vehebat sanguinis potius quam aquarum. Inter ea S. Mauritii fortissimi ducis corpus, fluctibus supernatans, secundo flumine Viennam advectum est. Ejusdem caput a reliquo corpore resectum; clypeoque incumbens, eo etiam appulit. Utque per angelum S. Paschasio revelatum fuerat, descendit cum clero episcopus destinatum sibi divinitus excepturus thesaurum, qui ecclesiam suam ornaret et usque hodie ex parte conservatus est, ut majorum nostrorum nobis reliquit traditio, scripto per S. Eucherium Lugdunensem, et S. Adonem Viennensem in Legendis ejusdem ecclesiæ, quæ etiam antiquitus C depicta est in sacello ejus nomini dicato.

quæ scriptores nonnulli tradunt

9 *Andreas Saussayus, ut monuit Bollandus ad diem* XXII *Februarii, agens de S. Paschasio, eadem fere refert in suo Martyrologio Gallicano ad prædictum diem, additque, collectas sanctorum Martyrum reliquias a Sancto episcopo conditas fuisse in sacrario cryptæ S. Petri.* Unde, *inquit,* et tanti Athletæ *(S. Mauritii)* patrocinia urbs illa, quibus hodie gloriatur ac fruitur, adepta est. *Hos timide secutus est Maupertuy, qui seculi hujus initio edidit Historiam Ecclesiæ Viennensis, Gallice scriptam, illique adversus Dubordæum præfixit in Præmonitione catalogum auctorum, quos de martyrio Sanctorum Thebæorum asserit mentionem facere. Virum ibi miratus sum tam confidenter rem aggredientem, et sic perperam auctores antiquos citantem, ut nec vola nec vestigium sit apud eos illorum, quæ indicat. Mallem, non ita Sanctorum historiæ defenderentur adversus hæreticos; illi enim, quamvis alii magis indulgentes forte credituri sunt, factum id esse oculorum vitio, vel nimia credulitate, dum audita ab aliis, sine examine pro certis asseruntur, illi, inquam, clamare possent, sic mendacibus citationibus simplicibus imponi.*

10 *Porro scriptor ille pag.* 19 *post narratam pariter historiam martyrii, subdit* : Rhodanus, qui ex Lemano lacu effluit, et non inde procul originem habet, projecta sanctorum Martyrum excepit corpora, quæ pleraque capite mutila erant. Spectaculum horrendum æque ac triste præbebat ingens numerus capitum et truncorum cadaverum sanguineis fluctibus supernatantium. Rhodanus quippe non erat ibi loci nisi cloaca cruoris, quam vix alveus capiebat. *Hæc in elegantiora verba verosimiliter ex Lievreo transierunt, nullum certe posterior auctor, sicut nec qui illum præcesserunt alii, antiqui cujuspiam testimonium protulerunt, quo res tam insolens asseratur. Quas nobis Lievreus ab Adone Viennensi compositas, quas antiquitus in parietibus sacelli depictas traditiones obtrudat, nescio : certum est, falso eum affirmasse, traditionis assertorem S. Eucherium esse, cum nec in Passione primigenia, nec in interpolata quidem, verbum reperiatur ullum, quod traditioni jactatæ patrocinetur, imo contra in utraque occurrat productum superius assertum, quod Sanctorum corpora post multos passionis annos S. Theodoro revelata fuerint.*

AUCTORE J. C. *de Sanctorum corporibus post passionem*

Viennam Rhodani fluctibus advectis,

11 *Si sermo est apud Lievreum de illis Legendis, quæ Martyrologio Adonis inserta sunt, eadem illas fide citasse debuit, qua Passionem a S. Eucherio scriptam; utroque enim loco paria de inventione corporum asseruntur. Picturæ, quæ si* E *forte ad ducentos annos pertingunt, pro remotæ antiquitatis monumentis allegari non raro solent ab iis, qui studio patriæ nimium indulgent, traditionis vetustatem nihilo minus probare possunt. Non a liberioribus et imbellibus conjecturis, opinor, aliquis subsidium quæret, dicetque, quæ prodigiose eo advecta fuerunt sacra corpora et mox a S. Paschasio in ecclesia deposita, deinde inter bellicos tumultus irruptionesque barbarorum ablata alio, vel caute abscondita fuisse : periisse rei istius memoriam, ac deinde S. Theodoro revelata fuisse. Quamvis enim lubens fatear, similium casuum exempla non deesse, qui talia protulerit, postulabitur a me, rationem aliqualem reddere, quare id S. Eucherius ignorare, vel in Actis, quæ scripsit, silentio premere debuerit. Eumdem denique rogabo, ut auctorem nobis proferat asserti prodigii testem, seculo decimo, imo decimo quarto antiquiorem. Si forte aliquem repererit, tunc demum discernemus, an ejus testimonium fidem apud prudentes invenire debeat. Interim nullus ego dubito, quin fabella tota cusa sit dudum postquam metropolitana Viennensis ecclesia* S. Mauritii *pro titulo* F *sanctorum Machabæorum, quem prius gerebat, nomen obtinuit.*

et conficta videntur dudum post seculum 8,

12 *S. Eoaldus Viennensis episcopus, computante Sollerio nostro ad diem* VII *Julii, quo nomen ejus sacris Fastis inscriptum est, ad Superos transiit anno Christi* 715 *vel sequenti. De illo ad prædictum diem Ado in Martyrologio* : Apud Viennam Euoldi episcopi, cujus industria delatæ sunt reliquiæ sanctorum Martyrum Thebæorum ad urbem Viennam. *Prolixius de eodem sic loquitur in Chronico pag.* 208. Tunc sanctus episcopus Euoldus Viennensem ecclesiam rebus auxit... quique etiam intra civitatem in honore beatorum Martyrum Thebæorum Mauritii et Sociorum ejus, domunculam cryptatim construxit, ibique non mediocrem partem reliquiarum, sive ex his Martyribus, sive ex aliis posuit. Atque ex eo tempore res ecclesiæ nomine S. Mauritii, attitulantur, quando ex antiquo et major domus in honore septem martyrum Machabæorum, et facultates ejusdem ecclesiæ, sub nomine eorum a fidelibus offerrentur et consecratæ manerent. *Atque hæc paulo fusiora huc transferenda duxi, ut scriptorum, de-* *quibus*

AUCTORE J. C. quo reliquias aliquas S. Mauritii eo attulit S. Eoaldus,

quibus superius egimus, apertior error fiat.

13 *Saussayus verosimiliter cryptam S. Petri ex Adonis Chronico, vel ab alio, qui id pridem inde desumpserat, accepit, atque in eam induxit sub Paschasio* S. Mauritii *corpus, quatuor seculis antequam a S. Eoaldo condita esset. Ex eodem Adone discere potuit*, S. Mauritii *reliquias ab Eoaldo Viennam delatas fuisse, et non ibidem inventas. At hæc traditioni populari adversabantur; maluit itaque illi amplius concedere, quam Adonis testimonio, atque ideo, ni fallor qui prolixa passim Sanctorum elogia, et ubi instrumentis destitutus est, non raro ex solis conjecturis texit, in Supplemento sic parce S. Eoaldum laudat*: Viennæ S. Evoldi, quadragesimi metropolitanæ ecclesiæ, sub S. Mauritii nomine, instauratoris. *Hic nimirum altum siletur de reliquiis* S. Mauritii *per eum Viennam allatis, quod ex Adone didicerat, et alia tecte asseritur fabula, quod scilicet metropolis Viennensis jam a S. Paschasii tempore* S. Mauritio *sacra fuerit, quam apertissime laudatus Ado confutat.*

B

et ecclesia ejus nomine insigniri cœpit.

14 *Atque hæc hactenus sufficiant : de Viennensi ecclesia rursus infra recurret sermo. Interim pro indubitato videtur haberi posse, seculis quinto, sexto, septimo et octavo vulgarem opinionem fuisse, quod corpus sancti Ducis non alibi, quam in Agaunensi basilica quiesceret. Pro quinto habemus S. Eucherium Lugdunensem, Passionis auctorem; pro sexto S. Avitum episcopum Viennensem, id non obscure innuentes. Clariora sunt pro utroque seculo testimonia in Vitis SS. Severini et Romani abbatum, quæ singula videri possunt Commentarii prævii* § 2 *et seqq. Succedunt Vitæ sanctorum primorum abbatum Agaunensium, Charta fundationis ejusdem monasterii per Sigismundum regem, sanctorum Gregorii Turonensis et Venantii Fortunati Pictaviensis, episcoporum verba, quæ idem clarissime sequenti* § *Commentarii prævii testantur pro seculo sexto et sequentis initio. Pro eodem asserendo valent etiam Acta Surii, quæ non ante medium seculum sextum ab anonymo aucta fuerunt, ut superius innui : ibi enim interpolator alicujus translationis non solum non meminit, sed ita etiam loquitur, ut sentias, illum in ea opinione fuisse, quod sacra cimelia* Mauritii *martyris suo adhuc tempore Agauni colerentur. Inde quidem per intervalla portiones aliquæ sacri corporis alio ablatæ sunt, sic tamen ut usque hodie pars illius non exigua ibi servari credatur, ut videbimus.*

C

§ II. Submissa ad nos instrumenta de monasterio Agaunensi : charta ejusdem restaurationis correctior illa, quam Sammarthani ediderunt.

Historiæ Agaunensis monasterii Gallice a se conscriptæ

D*um illustratam sancti ducis* Mauritii *et Sociorum sacris exuviis Europam percurremus, justum est, ut a palæstra, ubi fortiter pro Christo certantes martyrii palmam consecuti sunt, lustrandi initium faciamus. In Vallesia situm est celeberrimum totiesque memoratum hactenus Agaunense monasterium, et antiquissimum sacrarium tot millium Martyrum pretioso sanguine circumfusum, tot illorum sacris reliquiis ditatum. De ejusdem situ nonnulla Commentarii prævii initio dixi: plura hic alia ad illud spectantia dici possent, nisi me typi urgerent: postquam enim Commentarius prævius absolutus et pars maxima Gloriæ hujus Posthumæ prelo parata erat, ad me perlatum est manuscriptum autographum Historiæ abbatiæ Agaunensis, Gallico idiomate compositæ ab amplissimo ac reverendissimo Domino Josepho de L'isle, abbate S. Leopoldi Nanceiensis Ordinis S. Benedicti, unde plurima decerpi possent, ab instituto nostro non futura aliena. Quamquam et locus hic, et grata de accepto beneficio memoria a me exigit, ut speciatim de laudata mox Historia rationem aliquam reddam. Prænuntiaverat illam eruditissimus auctor in sæpissime laudata Defensione martyrii sanctorum Thebæorum Martyrum, quam anno* 1737 *adversus Dubordæum edidit.* D

autographum Ms. ad nos misit reverendissimus de L'isle

16 *Ex priore lucubratione non potui non mihi de Historia polliceri plurima. Igitur ratus typis editam esse, magno studio et cura in illam inquisivi: at diu irriti conatus fuere, et me omnis perquisitio fefellit; donec tandem datis litteris confugi ad R. P. Smackers, collegii Nanceiani Societatis nostræ rectorem, rogans, ut si minus obtineri posset desiderata lucubratio, lucis saltem aliquid circa illam ex celeberrimæ abbatiæ alumnis (dignissimum enim et eruditissimum abbatem, quem Superi pergant suis atque erudito orbi servare incolumem, rebar fatis concessisse) mihi subministraret. Spem meam longe superarunt datæ ad me* XXVII *Februarii hujus anni* 1755 *a patre rectore litteræ: præterquam enim, quod benevolum ejus erga nos animum testarentur, attulerunt inclusas reverendissimi abbatis Josephi de L'isle binas epistolas, quarum altera ad illum data, altera mihi inscripta est. Illa significat R. Patri Smackers, mittere Historiæ suæ autographum ad nos destinandum, curasseque quæ singularis ejus munificentia est, ut etiam vecturæ sumptus persolverentur : hac, inter plurima benevolentiæ testimonia, humanissime eadem fere repetit, additque rationes, quare promissa Historia lucem hactenus publicam non viderit.* E

abbas S. Leopoldi Nanceiensis,

17 *Eas, inconsulto benefactore meo, propalare non ausim : id unum asserere liceat, amantes antiquitatis et eruditionis forte nec immerito conquesturos, si eruditissimus auctor propter eas, quas allegat, rationes, judicio alterius cujusdam deferre semper pergat. Addit in datis ad me litteris amplissimus ac reverendissimus abbas, pergratum sibi fore, si ex destinata ad nos Historia aliquid usui esse possit. Pervolvi attente manucriptum integrum. Continuatam a seculi* V *fine usque ad hæc nostra tempora abbatum Agaunensium et episcoporum Sedunensium historicam seriem exhibet, memorandis inspersam factis, quæ instrumentis antiquis ad calcem subjiciendis probantur. Hinc lector, cui auctoris eruditio aliunde perspecta sit, colligere poterit, nihilne laudata lucubratio instituto nostro utile subministret, cum per totum Opus nostrum tam frequens et occasio et necessitas occurrat, agendi de Agaunensibus abbatibus et Sedunensibus episcopis, quorum non habemus hactenus nisi hiantes et mendosos a Sammarthanis editos Catalogos.* F

ex quo decerpitur. Charta fundationis ejusdem monasterii

18 *Enim vero operæ pretium esset illos hic ex Agaunensis monasterii Historia proferre, at candide fateor, non unius diei labor esset, quæ ibi fuse deducta sunt, contrahere. Deinde instrumenta ad calcem annectenda ad manum non habeo, sine quibus possent lectores aliquid non raro ad probationem desiderare. Facit quidem amplissimi ac reverendissimi abbatis erga nos humanitas et benevolentia fiduciam, fore ut ab illo facile impetrarentur, at moram non patiuntur typi, et magna illorum moles longius*

A *longius me etiam forte abduceret. Spe itaque fretus, futurum, ut Historia lucem tandem videat, non nisi pauca inde in præsentiarum delibo, quæ scilicet propius ad propositum meum facere videntur. Inter illa primum locum occupet Charta fundationis monasterii Agaunensis, quæ licet non omni navo careat, habeatque aliquid, quod de ejus antiquitate primigenia male ominari faciat, est tamen ex Ms. multo antiquiore desumpta, Reverendissimo de L'isle teste, quam fuerit illa, quæ a Sammarthanis edita est.*

edita a Sammarthanis correctior. Sigismundi ad episcopos varia oratio

19 *Emendationes lector colligere poterit ex variantibus lectionibus, quas ad marginem ex Sammarthanorum catalogo annotabo. Apographum, quod præ oculis habeo, a sæpe laudato abbate Nanceiensi perhumaniter submissum est, et munitum sigillo Reverendissimi domini Claret, Agaunensis cœnobii hodierni, forte abbatis, qui testatur, apographum cum Ms., unde extractum est, ad litteram convenire. Est autem tale.* In timore Domini nostri Jesu Christi cum fœlicitate [regnante *] domino nostro Sigismundo pio, sub die pridie Kal. Maji a LX episcopis totque comitibus habito consilio in Dei nomine Agauni publice, idem

** Apud Sammarthanos omissum*

B rex exorsus est dicere : Audivi in Evangelio Dominum dicentem : Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Certus sum enim * de vestra sanctitate dominici patres, ut in isto conventu adjutor sit nobis omnipotens Deus. Tunc sanctus Maximus urbis Genevensis episcopus ait : Quoniam nihil est, quod ex ipso non agatur, petendum nobis est, ut adminiculo ejus adjuti, viam veritatis gradiamur, ut ad gaudia æterna pervenire mereamur. Tunc rex ait : Ad hoc enim vos adunavi, ut mœrentem me consolemini, et quid agam vel respuam, addiscatis. Responderunt episcopi : Honor tuus est, o rex, judicium diligere et facere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. Quibus rex dixit : Jam abjeci omnem ambiguitatem, et abstersit Deus a me omnem perfidiam Arrianorum; adeptus sum fidem Catholicam, servus sum Jesu Christi. Instruite me, quomodo ei placeam, cujus me profiteor esse amicum.

* ego

et horum responsa adhortationesque.

20 Jam præfatus strenuus prædicator Maximus dixit : Audi sanctissimum regem, o piissime rex, dicentem : Accedite ad eum et illuminamini, et vultus vestri non erubescent. Et alibi : Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. Et Do-

C minus in Evangelio : Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ad hanc ergo rationem compunctus rex, ait : Dic ergo, alme pater, valde delector in tuis sermocinationibus. Tunc sanctissimus ille ait : Quamvis indigni, nostrum officium est ad annuntiandum, sed tuum est ad implendum. Sit ergo eloquium nostrum sale conditum, ut audiant mansueti et lætentur, et non ut vituperetur ministerium nostrum : sermones nostri, Deo adjuvante et divina auctoritate, salutem tuam proferant *. Dilige eos, qui recto sunt corde et ambulant * simpliciter coram Domino in omni bonitate, justitia et veritate. Teipsum castrum custodi, et noli * communicare peccatis alienis, ut cum beato David securus dicas : Odivi congregationem malignam, et innocentes * et recti adhæserunt mihi; hoc enim faciens, teipsum salvum facies, et eos, qui * te audiunt. Nobis opportunum est, ut juste vivas, propter illud, quod propheta ait : Qualis fuerit rector * civitatis, tales et habitatores civitatum.

* præferant
* ambula
* nulli
* invocantes
* quiete audient
* doctor

21 Hæc et iis similia beato Maximo dicente, rex et omnis populus, qui cum eo erant, suspirantes et Deo gratias agentes, quia talem haberent instructorem, qui omnem hæsitantiam auferret a cordibus eorum. Tunc sanctus Theodorus episcopus Octodurensis * ait : Instantia cordis mei est, ut proferam sermonem vestris salubribus consiliis, quid agendum sit de beatorum Martyrum Thebæorum corporibus, id est Mauritii cum suis Commilitonibus, qui pro Deo summo a Maximiano perempti sunt, et inhumati jacent ? Nescio, quis sit homo, qui prævaleat secundum merita eorum singulis fabricare ecclesias. Tunc omnes episcopi dixerunt : De cruore eorum locus iste sacer est et electus. Illi exules fuerunt a patria, vitam mundi contemnentes, caduca respuentes, consanguinitatem proximi non recogitantes, juventuti non parcentes pro Christi amore mortui sunt, et per Christum sanctificati sunt. Tunc rex ob devotionem plenissimam lacrymabili voce prorupit : Utinam impietas mea mihi impedimentum non fecisset, ut cum illis fuissem et occubuissem, et socius fierem gaudio eorum ! Sed nunc, auxiliante Deo, videte, quomodo honorifice accipiant sepulturam.

AUCTORE J. C.

Concilii statuta circa reliquias

* Sedunensis

Thebæorum Martyrum,

22 Inito consilio, ad regem dixerunt : Visum est nobis bonum esse, ut hi tantum, quorum nomina comperta sunt, id est Mauritii, Exuperii,

E Candidi, Victoris infra ambitum basilicæ, quod * clementia regis ad hoc opus ornare jussit, sepeliantur : reliqua vero corpora congerantur in tutissimo loco, atque aptissimo in uno condantur loco, et sub eximia custodia sanctissimi custodes deputentur, ne forte (quod absit) falsato ex eis furentur; et constituatur officium psallendi die noctuque indesinenter. Una cum rege omnibus placuit, ut * virum sanctissimum, in omnibus operibus bonis comprobatum, in ipso loco Ynemondum constituerent * abbatem, qui et ipse accersitus a venerabilibus episcopis, una cum sanctissimis viris S. Acivo *, et sancto Ambrosio, sancto Proto, et sanctis viris, qui ad hoc opus suscipiendum de monasterio Gravensi * venerant. Hæc episcopi inter se agitantes cum præclaro rege Sigismundo, quam monachis Regulæ institutionem imponere deberent, quia propter illud institutum psallentium, quod ibidem, Deo protegente, a modo et in perpetuum sit conservandum, non potest, ut cætera monasteria exercere opera.

* quam
* et
* constituerunt
* Acino
* Granensi

et institutum

23 Sanctus Victorius, urbis Gratianopolitanæ episcopus, ait : Dixit Salomon, ubi plura sunt consilia, maxima est salus. Ad hoc venimus, ut, pro-

F latis ex divina Scriptura sententiis, devotio regis snppleatur, ejusque virtus, * roboretur. Tandem quid utilius invenire possumus? Favere est, non silere, ut subditi queant subire, et ne nos versuti judices videamur, de quibus Dominus in Evangelio ait : Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Ecce enim jam dictus dominus noster Sigismundus rex monasterium Agaunense largitatis opibus * ditavit. Conveniens itaque est, juxta quod supradictus * almus pater Ynemondus abbas perfectissimam vitam gerit, posteri ejus imitentur, et exemplum sanctitatis ejus in corde meditentur, et in opere exerceant. Recte mihi videtur, ut secundum plenissimam devotionem domini regis, de psallendi institutionibus fiant novem normæ, id est Gravensis, Isiana, Jurensis, et Melvensis, et cæteræ; ut succedentes sibi in Officiis canonicis, id est Nocturnis, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespertina, in pace * die noctuque indesinenter Domino famulentur.

* seriusque
* operibus
* dictus
* hanc

monasterii Agaunensis,

24 His vero dictis, omnes episcopi consenserunt; quibus rex ait : Jam enim de psallendi officio

AUCTORE J. C.

cio desiderio meo satisfactum est. Quid vobis videtur de munificentia monasterii et exhortatione doctrinæ, vel qualiter ipsi monachi vivere debeant? Jam enim supra dictum est, ut, quia sicut cætera monasteria propter institutum psallentium non queunt opera exercere, quam Regulæ institutionem debeant tractare, et diligenter examinare *, ut ex nostra auctoritate sit munitum, et firmitate manus nostræ roboratum, atque sub vinculo anathematis obligatum. Ad hanc interrogationem venerabilis vir Viventiolus, urbis Lugdunensis episcopus, una cum aliis episcopis dixit : Optime nobis videtur, ut munificentiam ad regem habeant, exhortationem et doctrinam habeant ad Sedem Apostolicam. Jam quia scimus, probatam habere disciplinam et sanctam conversationem sanctum Ynemondum, quem præesse constituimus monasterio huic, et posteri ejus ipsum sequantur ad omne opus explendum; tamen sub brevitate instituimus, ut omnes obediant ei, et sine præceptis ipsius nihil agatur, et quidquid a prioribus ordinatum fuerit, juniores sine murmuratione expleant, et per singulas normas singuli decani constituantur digni, ut abbas, diviso pondere, de providentia eorum sit securus.

* *Correctius* debeant sortiri, diligenter examinetur

B

cui variæ regulæ præscribuntur,

25 De vestimentis vero scimus, quia locus iste aëris intemperie intemperatus est, propterea tam ad induendum, quam et in lectis in abbatis sit consideratione. Similiter de cibo et potu. Unum habeant dormitorium, unum refectorium, unum locum ad calefaciendum. De disciplina vero, de gravioribus culpis secundum canones judicentur, de minoribus autem, ut abbas judicaverit, et Fratres consenserint, melius est enim cum amico flagellari, quam cum adversario in interitum præcipitari. Jejunium, ut cætera monasteria agant, et die noctuque orationibus vacent, et semper meditentur, [ut Deo placeant *] et egredi de monasterio sine permissu prioris nullus præsumat. Placuit et nobis, ut et ipse abbas, qui nunc est, et qui futuri sunt, sint instructi ex necessitate tam de Veteri Testamento, quam de Novo, ut alii ædificentur, et per capitula * scribantur, ut posteri teneant. Hæc instituta sunt propter eum, qui dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis in odorem suavitatis. Videat, ne quis sit, qui violare hæc audeat, et iram omnipotentis Dei incurrat. Et si tempus advenerit (quod Deus avertat) quod convulsione * aut disceptatione contra hæc agere tentaverit, tunc abbas prædicti monasterii, [quasi ad fontem *,] concursionem ad Sedem Apostolicam habeat, quasi lumen petens * illuminans, et inde ad cellam * suam revertatur, et probet, quod omnium potentior est sapientia, [et quod sit distinctio inter sulsum et insulsum*.]

* *omissa*

* capitalia

* divulsione

C

* *omissa*

* potens

* causam

* *omissa*

et præficitur Hymnemondus. Sigismundi regis

26 Et ideo, Deo auxiliante, monachi de exhortatione sancta confortati, inconcussa stabiltate permaneant, indivisa charitate. Et sicut nunc est gloriosissimi regis devotio suppleta, et omnium consensus sit in perpetuum conservatus atque roboratus. Propterea ego Sigismundus, gratia Dei rex Burgundionum, Christo auspice, consideravi, una cum supradictis LX episcopis totque comitibus, de jam dicto monasterio, quod vocatur Agaunum, quod nunc, Domino adjuvante, infra regnum nostrum Burgundionum construximus, et venerabilem virum Ynemondum (sicut prædiximus) ibidem constituimus abbatem, ubi tanta et talia sacra corpora Thebæorum Martyrum, qui pro Christo eorum sanguinem non dubitaverunt fundere. Circa lumina vel * stipendia monachorum, quid agere debeo, nisi sicut Dominus noster Jesus Christus loquitur, dicens : Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur : et : Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis : et : Quicumque reliquerit domos, aut agros propter nomen, meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

* ad

D

erga Sanctos veneratio, et erga monachos Agaunenses

27 Ideo ego, pertractans verba redemptoris nostri, eidem monasterio, pro animæ meæ salute, de rebus meis dona, donatumque in perpetuum esse volo; hoc est in pagis vel territoriis Lugdunensi, Viennensi, Gratianopolitano, et Augusta Cameraria, et pago Genevensi, Waldensi, et fine Aventicensi, et Lausanensi, et Bisunticensi, curtes, sic nuncupatas; Briogia, Olona, Cacusa, [Staties *, Olgana; et in pago Genevensi, alias curtes, sic nuncupatas : Communiacum, Mariniacum : et in pago Bisunticensi, Saliumno cum castro de Bracon, Wallemo de Mieges : et in pago Waldense in fine Aventicense seu Juranense, alias curtes sic noncupatas; Muratum, Auronum, Wadingium, Bedelofei, Luliacum, Lustriacum : et in pago Vallensi, alias curtes, ita nominatas ; Contextrix Sidrium, Leucam, Bramosium, Duodecimum Paternum, Bernonam, Aulonum, Villiacum Wubregium, Actania, Octunellum, Silvanum, et omnes Alpes a capite lacus usque Martigniacum.

* *hæc omnia sequentia multum differunt.*

E

munificentia

28 Et in valle Augustana, quæ est a finibus Italiæ, Turrem unam, quæ respicit ad Occidentem; et alias curtas, ita nominatas ; Cleuva, Lagona, [Levira], Gizocolis et Morga, cum omni integritate et appendentiis , vel adjacentiis earum , id est, in terris, domibus, ædificiis, mancipiis, liberis, libertis, plebeis, accolis, vineis, sylvis, olivetis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus et incursibus , mobilibus et immobilibus, seu decimis, exquisitum totum ad integrum, quidquid ad ipsas villas aspicere videtur, ad locum præfati monasterii de S. Mauritio donamus, tradimus, atque indulgemus, ea enim ratione, ut ab hac die ipsas res superius intimatas prædicta casa Dei, vel rectores ejus in luminaribus ipsius ecclesiæ, vel ad stipendia ibidem decertantium monachorum, habeant atque possideant, teneant, vel quidquid exinde facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Propterea hanc donationem nostram fieri jussimus, per quam omnino jubemus, ut nullus quilibet de fidelibus nostris, neque de judiciaria potestate prædictam casam Dei, vel beatorum Martyrum, et rectores ejus, nec non et monachos ibidem consistentes inquietare, nec calumniam generare præsumat, sed sub firmitatis nostræ studium, Deo propitiante, nostris et futuris temporibus, sicut diximus, pro mercedis augmento, in luminaribus ipsius ecclesiæ, vel ad monachorum ipsorum stipendia proficiat in augmentis, qualiter ipsam congregationem beatorum Martyrum melius delectet, pro nobis Domini misericordiam attentius exorare.

F

Instrumenti subscriptiones, et suspicio

29 Et ut hæc donatio vel auctoritas firmior habeatur et per tempora conservetur, et per manus nostræ signaculum omni tempore obtineat firmitatem, Maximus, urbis Genevensis episcopus, subscripsit. [Theodorus, urbis Octodurensis episcopus, subscripsit *.] Victor, urbis Gratianopolitanæ episcopus , subscripsit. Viventiolus , urbis Lugdunensis episcopus, subscripsit. Vindemarus comes signavit. Fredemondus comes signavit. Gondeulfus comes signavit. Benedictus comes signavit. Agano comes supscripsit. Bonifacius comes subscripsit. Theudemondus comes subscripsit. Fredeboldus

* *Desunt hæc apud Sammarthan.*

A deboldus comes subscripsit. Data sub die Idus Maji, in virorum cœtu prope Agaunum monasterium, fœliciter. *Vides hic, lector, sublatum mendum, unde arma Coïntius et alii deprompserunt adversus Sammarthanorum Chartam, dum ubique Theodorus, non Sedunensis, sed Octodurensis episcopus dicitur. Ego Commentarii prævii* § 3 *num.* 37 *potius arma retudi hactenus intorta, quam ipsam instrumenti sinceritatem propugnavi, vel asserui. Neque hic aliud in me suscipere ausim, quamvis pro valde verisimili habeam, esse illud apographum ex Sigismundi charta olim desumptum. Certe potuit piissimus rex quædam episcoporum, qui aliquot ante diebus super fundatione monasterii Agaunensis congregati fuerant, verba in chartam suam transtulisse; at non minus certum est, esse ea omnia a scriptore posteriore, qui forte characteres legere non poterat, valde deturpata. Porro apographi primarii, quod excudi, ætatem nuspiam determinatam invenio; sed unum est, quod timorem mihi injicit, ut sit seculo saltem septimo antiquius. Dat Sigismundus, de quo nihil habent in sua Charta Sammarthani*, omnes Alpes a capite lacus *(Lemani scilicet)* usque Martigniacum.

de ejus antiquitate. 30 *Hanc vocem hactenus non reperi apud auctores, qui scripserunt ante translatam Sedunum* B *sedem episcopalem, post excisum vel dirutum bellorum tumultibus Octodurum, quod geographi non pauci contendunt, eodem loco situm fuisse, ubi hodiedum est Martiniacum. Sedes Octoduro Sedunum translata creditur, ab aliis sub medium seculum* VI, *ab aliis sub ejusdem finem, quo tempore Longobardi Vallesiam misere devastarunt. Statimne post, forte ex diruti Octoduri ruinis exsurrexerit Martiniacum, nescio; sane qui ejus originem et nomen ad prisca Romanorum tempora extendunt, asserti testes non adferunt, neque adeo meum illud mihi dubium evellunt, quod forte magis chartæ sinceritati vetustatique adversari posset, si vacaret accuratius in vocis Martiniacum initium inquirere. Verum hæc dicta hic sufficiant: ad sanctorum Martyrum in Agaunensi monasterio cultum sacrasque exuvias contemplandas festinemus.*

C

§ III. Thesaurus sacer Agaunensis monasterii et variæ ibidem asservatæ sanctorum Thebæorum Martyrum reliquiæ. De prodigioso lapide, super quo trucidatus dicitur S. Mauritius, cultuque et reliquiis Sanctorum in urbe Sedunensi.

Elenchus sacrarum reliquiarum *Alterum instrumentum, quod Historiæ suæ adjunctum ad me misit reverendissimus et eruditissimus abbas sæpe laudatus, est elenchus reliquiarum, quæ in Thesauro Agaunensis abbatiæ accumulantur, quem ex Gallico Latinum facio.*

I Spina coronæ Salvatoris nostri, missa a S. Ludovico Galliarum rege, cui plura sanctorum Thebæorum Martyrum corpora concessa sunt.

II De vera Cruce Salvatoris nostri.

III Magna lipsanotheca argentea, gemmis ornata, quæ continet reliquias S. Mauritii, præfecti Thebææ Legionis.

IV Vasa duo, repleta sanguine sanctorum Thebæorum Martyrum. AUCTORE J. C.

V Caput S. Candidi inclusum argentea usque ad umbilicum statua, variis gemmis ornata.

VI Caput S. Victoris. Donum est serenissimæ domus Sabaudicæ.

VII Lipsanotheca prædives, in qua sunt reliquiæ sanctorum Petri et aliorum. Donum est Eugenii III Pontificis, qui consecravit veterem basilicam, profecturus ad concilium Remense. Ejus effigies spectatur in apice.

VIII Capsa argentea, in qua servantur ossa aliqua S. Sigismundi, restauratoris monasterii Agaunensis, ejusque filiorum Gistaldi et Gondebaldi.

32 IX Capsa altera itidem argentea, continens ossa aliquot Thebæorum Martyrum. Servantur præterea in tribus aliis capsis ligneis deauratis, præter illa, quibus duæ majores cistæ repletæ sunt. *quæ Agauni asservantur.*

X Argentea brachia duo, aliquot gemmis ornata, in quibus sunt ossa aliquorum Martyrum.

XI Brachium aliud pretiosius prædictis, continens costam, mentum, et partem extremam stolæ S. Bernardi.

XII Annulus S. Mauritii.

XIII Crater Caroli Magni vermiculatus.

XIV Calix alter opere simpliciori.

XV Lipsanothecæ duæ variis ornatæ gemmis, in quibus servantur variæ reliquiæ.

XVI Capsa argentea, in qua sunt partes vestium sanctissimæ Virginis, et capitis S. Felicis.

XVII Lipsanotheca, quæ per crystallum spectandos exhibet duos dentes S. Apoloniæ. E

XVIII Altera, in qua etiam videtur portio pollicis S. Antonii.

XIX Pars crucis S. Andreæ apostoli, inclusa cruce argentea.

XX Fragmenta aliquot vestium S. Mauritii in pulcherrima statua equestri argentea S. Mauritii, dono data a serenissima Sabaudiæ domo.

Præter hæc, lipsanothecæ argenteæ quatuor sunt minus spectabiles, iisque servantur reliquiæ aliquæ S. Amati, Sedunensis episcopi et abbatis S Mauritii, SS. Florentini, itidem Sedunensis præsulis, et diaconi ejus Hilarii, martyrum.

33 *Porro aliquæ ex hic enumeratis sacris reliquiis quomodo ad abbatiam Agaunensem pervenerint, docere poterunt instrumenta aliqua, quæ eruditissimus abbas citat Historiæ suæ subnectenda,* F *de solis sanctorum Martyrum exuviis, quæ aliunde accersi non debuerunt, nobis hic sermo est. Quamvis autem earum thesaurus ingens in prædicto catalogo inveniatur, mirari tamen non immerito posset aliquis, non plures ex tot Athletarum exuviis ibi accumulatas esse, nisi ingentem earum numerum per tot revoluta secula, requirentium undequaque populorum piis votis concessum fuisse disceret, crederetque, plurimas forte etiam futuris temporibus detegendas reservasse Deum. Quod autem de celeberrimis quibusque Sanctis evenire solet, ut sacra illorum corpora variæ sibi civitates adscribant, de gloriosissimo Thebæorum Duce ejusque inclytis Sociis vix potuit non contingere, ubi errori ansam præbent tot millium Martyrum sacra ossa, quæ, cum cujus nominatim essent, nesciretur, facile debuerunt præcipuorum nomina accipere, et sic confundi.* *S. Mauritii exuviæ præcipuæ*

34 *Credidisse semper usque ad hæc nostra tempora Agaunenses, possidere se portionem corporis* S. Mauritii, *luculentum fiet ex partibus, quas eorum abbates per singula fere secula concesserunt particularibus quibusdam ecclesiis, vel personis in ecclesiastica vel seculari dignitate præminentibus;* *usque ad finem seculi XVI servatæ fuerunt Agauni;*

AUCTORE J. C.

bus; ita ut hæc illis possessio non nisi perperam videatur disputari posse, maxime,cum non corpus integrum se habere glorientur, sed partem ingentem, quæ quanta sit, ex Taurinensium instrumentis § 9 *luculenter videbimus. De annulo vasisque, sanctorum Thebæorum sanguine plenis, minus certa sunt pro Agaunensibus testimonia. Celebratissimus est annulus* S. Mauritii, *quem serenissimi Sabaudiæ duces posteris suis, tamquam adeundæ in ditiones hæreditatis testimonium, per plura usque secula remittere sueverunt, cujus etiam attactu beneficia obtenta referuntur, uti ostendemus, dum Sabaudiam peragrabimus.*

ubi tamen etiam nonnullæ

35 *Similis etiam annulus,* S. Mauritii *nomine insignis, fertur in Maurianensi ecclesia servari; circa quos omnes idem esto judicium, quod paulo ante de sancti Ducis reliquiis innuere cœpi; neque enim verisimile apparet,* S. Mauritium *tres annulos gestasse, caruisse annulis Socios omnes, vel saltem nullos alios præter Mauritianos inventos fuisse. Quod spectat ad vasa sancto sanguine plena, vereor, ut is a S. Martino ex vicino agro dudum post eorum martyrium elicitus sit; qua de re nonnulla dicam, ubi Sanctorum Thebæorum cultum et reliquias Tu-* B *ronis lustrabimus. Fateor interim, præfatas ampullas a Christianis, qui Martyrum corpora sepelierunt, sanguine adhuc recenti repleri, et ab his ad Agaunenses pervenire postea potuisse; quod si verum est, dolerem, rem tam pretiosam fabellis deturpari. Scripsit ad Majores meos P. Ernestus Biverman, Societatis nostræ sacerdos literas, signatas Friburgi in Helvetia* IV *Junii* 1668, *quibus significat, se ab Henschenio rogatum in Vallesiam excurrisse, ut in monumenta sacra antiquitatis cultumque S. Theoduli inquireret, lustrasseque abbatiam Agaunensem.*

sunt ad minimum valde incertæ.

36 *Ex ejus epistola, ad hunc diem seposita, huc sequentia transfero.* Porro spectavi Agauni insignes reliquias et monumenta in templo monasterii ad S. Mauritium asservata, Inter cetera lagenam ex achate lapide, plenam sanguine sanctorum Martyrum, qui ex demesso per S. Martinum Turonensem gramine fluxit, eidemque ab angelo transmissam, et hodieque sigillo S. Martini superne ex cera alba munitam. Sculptura vasis circumsecus incredibilis est artificii, exhibens sacrificium quoddam Ægyptiacum, ut videatur spolium Ægypti esse, unde Legio Thebæa erat oriunda. *Hoc, ni fallor, unum est ex vasis, de quibus in catalogo præmisso, ubi similia fere primum adjecta, calamo deleta esse comperio,* C *unde suspicionem ineptiarum confirmo. Reverendissimus de L'isle in sæpe laudata Historia Ms. cap.* 16 *asserit, ampullam illam credi donum Caroli Magni, qui donationes plurimas fecit Agaunensi monasterio, et illius etiam privilegia et immunitates per Adrianum I confirmari curavit. Prætioso vasi suspicor diu postea sigillum S. Martini et traditionem ineptam accessisse.*

Lapis, quem horrent dæmones, et super quo capite truncatus creditur S. Mauritius.

37 *Laudatus supra Bivermannus in iisdem literis sic scribit :* Veni primo Agaunum, ibidem visitavi locum, in quo sancti Martyres passi sunt. Spectavi lapidem grandem, suspensum ex catenis ferreis, in quo S. Mauritius genibus innixus capite plexus fuit. Cernuntur adhuc notæ sanguineæ, locanturque a parentibus ægri infantes sub eodem lapide totis diebus et noctibus, donec ope sancti Martyris convalescant. Horrent etiam supra modum maligni spiritus in energumenis eo adductis, lapidem illum. Hæc præsens spectavi mille passibus ab Agauno. *In Topographia Vallesiæ Meriani invenio aliquot passibus Agauno dissitum sacellum, quod a* S. Mauritio *nominatur, et ubi is forte servatur prodigiosus lapis, de quo plura adhuc scribit Baldesanus in Historia Thebææ Legionis aucta pag.* 527, *ubi etiam traditionem allegat pag.* D 408 *et seqq. asserentem,* S. Mauritium *a reliqua Legione separatum, et eo loci capite truncatum fuisse, quæ nec valde antiqua videtur, nec facile fidem apud criticos inveniet. Atque hæc sunt, quæ de sanctorum Martyrum Agauni reliquiis sola inveni.*

Reliquus Sanctorum Thebæorum

38 *De cultu illorum ibidem nunc aliqua, præter ea, quæ in Commentario latius deduximus, dicenda sunt. Ad manum habeo apographum , non adeo recenter scriptum, si ex characteribus et charta judicare liceat, ubi sub hoc titulo :* In solennitate S. Mauricii et Sociorum ejus *sequitur Officium, in quo Antiphonæ, Versiculi, Hymni et Responsoria propria sunt, uti et Lectiones ibi subjectæ, quibus præfigitur Rubrica :* Lectiones primæ et octavæ diei. *Hæ ex Actis Surianis interpolatis desumptæ sunt, uti et reliqua, quapropter iis referendis supersedeo. Officium prædictum unde desumptum sit, notatum non invenio; verum faciunt, ut suspicer, Agaunensis monasterii proprium esse, ea, quæ immediate Lectionibus subnectuntur, et sunt hæc :* Missæ olim decantari solitæ, quæ etiam nunc in usu habentur apud avitum et celebre monasterium Agaunense in festo S. Mauricii et Sociorum ejus, atque in eorum Octava extra E tempus Paschale.

antiquus et celebris cultus Agauni,

39 *Quod si quis potius opinari voluerit, alterius cujuspiam ecclesiæ Missas esse, quæ nunc ibi recitare desierint, per me licet : certe in Agaunensi ecclesia, si fides apographo, tum temporis adhuc legebantur. Notatur autem ibi, quod ad* XXII *Septembris sit Missa de* S. Mauritio *et Sociis tota propria, ac deinde subjunguntur hæc :* Solet etiam apud eos Missa fieri de S. Mauricio cujuslibet hebdomadæ prima die, non impedita festo duplici, semiduplici, aut simplici, tam tempore Paschali, quam extra, exceptis temporibus Quadragesimæ, Adventus, et Quatuor temporum ac jejuniorum diebus. *Additur deinde nota :* Revelatio S. Mauricii et Sociorum ejus incidit in XXVI Octobris, quæ etiam dies habetur apud eos in summa veneratione; *sed neque de his quidpiam alibi invenio : itaque ad Sedunenses transeo, monito cursim lectore, quod canonici Regulares abbatiæ Agaunensis gestent humerale seu palliolum rubrum, in memoriam fusi eo loci Thebæorum sanguinis; quam prærogativam illis indulsit primum Eugenius III Papa, ut testatur sæpe laudatus de L'isle in Historia Ms., ubi etiam instrumentum citat, quo anno* 1210 *Wilhelmus comes Monasteriolensis legat abbatiæ Agaunensi* F *annuas* 13 *libras monetæ Parisiensis, pretium* 20 *ulnarum panni rubri, ex quo conficerentur canonicis cuculli seu humeralia.*

et in civitate et

40 *Quæ Sanctorum Agaunensium apud Sedunenses cultum illustrant. Aliqua narrat laudatus supra Sebastianus Briguet Pag.* 80 *ita loquitur :* Consonat narratio hæc *(de S. Theodulo, quem arbitratur seculi* IX *initio cum S. Grato Augustensi inventioni corporis* S. Innocentii *et aliorum sanctorum Martyrum Thebæorum translationi adfuisse, de quibus consule disputata ad Acta S. Grati tom.* III *Septembris pag.* 72 *et seqq.)* traditioni, scriptis pictisque tabulis et Annalibus sacris ecclesiæ Sedunensis, quibus docemur, S. Theodulum reliqua sacra ossa Thebæorum Martyrum, Numinis instinctu revelata, collegisse et honorifico loco reposuisse, qualia esse arbitror illa, quæ non exiguo numero asservantur ab immemorabili in sacello S. Catharinæ ecclesiæ collegiatæ castri Valeriæ canonicorum Sedunensium; neque enim constat, qua occasione alia Sedunum delata fuissent. *Est autem Valeriæ castrum in ipsa urbe Sedunensi alto colli impositum.*

41 *Pater Mauritius Chardon, societatis nostræ sacerdos*

Diœcesi Sedunensi

A *sacerdos et Constantiensis collegii nostri, alibique sæpius rector, et Operis nostri adjutor impiger, sæpe laudatus sæpiusque cum grata memoria memorandus, strenue imprimis laboravit in conquirendis iis, quæ Patroni sui gloriam illustrare possent, collectaneaque per Helvetiam Saxoniamque conquisita non pauca nos transmisit, quibus plurimum hic utar. Sub titulo Vallesia, sic scribit:* Seduni, ubi sedes episcopi est, in ecclesia cathedrali honoribus beatissimæ Virginis et S. Theoduli dedicata, elegans altare visitur, quod S. Mauritium exhibet, totius Vallesiæ electum Patronum. Ibidem in castro Valeriæ, ubi est ecclesia collegiata, quæ frequentatur indies a dimidia parte canonicorum cathedralis ecclesiæ, asservantur in duabus prægrandibus cistis ossa quam plurima dictæ Legionis S. Mauritii. Inclusa etiam argenteæ statuæ ossa S. Mauritii. publicæ venerationi exponuntur. Solent eam statuam, venerabili clero et senatu comitante, supplici ritu deferre in ecclesiam cathedralem festo die S. Mauritii. Celebratur autem in tota diœcesi Sedunensi sub ritu I Classis cum Octava. Ceterum tanta est hujatis populi incuria, ut vix quidquam B transcribat posteris, contentus beneficia accepisse, *quibus quod superaddam, nihil habeo.*

§ IV Cultus et reliquiæ S. Mauritii Sociorumque ejus in diœcesi Lausanensi, in pagis seu Cantonibus Friburgensi, Solodorensi, Basileensi et Lucernensi in Helvetia.

In Diœcesi Lausanensi est Officium duplex de Sanctis; varia per pagum Friburgensem

A Lausana civitate, septemtrionali lacus Lemani ripæ propinqua, initium faciamus lustrandi celeberrimi apud Helvetios Catholicos sanctorum Martyrum cultus. Speciale hic quidem nihil de reliquiis templisve eorum nomine sacris occurrit, at Officium fit de illis per totam diœcesim duplex, jussu illustrissimi Petri a Montenach episcopi, qui illud edidit anno 1703 *cum Lectionibus* 2 *Nocturni propriis, ut docuit me P. Franciscus le Jeune, hodiernus collegii Bruxellensis Societatis nostræ procurator. Celebrior est in pago Friburgensi Sanctorum* C *memoria. Est Friburgum conventus Catholici, seu Cantonis, ut vocant, in Helvetia caput, civitas celebris ad Sanam fluvium, quatuor milliaribus Lausana, medioque longius a septemtrionali lacus Lemani ripa distans. Inde scripsit ad patrem Chardonum pater Xaverius Fegeli, Societatis nostræ sacerdos, tum temporis Friburgi agens,* III *Martii* 1745 *epistolam, quam præ oculis habeo, undeque aliqua decerpo.* Friburgi in urbe dedicatum est S. Mauritio unum templum, quod est patrum Augustinianorum Eremitarum: in Cantone autem Friburgensi templa sequentium parœciarum: Barbereche, Billens, Morlens, Masconens, Ottigny, Puntau, Grangetter. Sacella Sancto eidem erecta sunt Griariæ *(est urbs et præfectura ac comitatus Cantonis Friburgensis)* Sant-Ursen, Pierra-Forceat, Willer, Romarance.

sacra monumenta

43 *Ex his, si recte scripta sunt nomina, paulo enim difficilior lectu epistolæ character est, pagos aliquos in mappis geographicis Guilielmi de L'isle et Ottens non invenio, in Catalogo tamen personarum et locorum diœcesis Constantiensis, abhinc sex annis ibidem typis edito, plures comparent. Epistolæ reliquum audiamus.* Altaria S. Mauritii sunt Friburgi apud patres Conventuales, extra Friburgum, sed intra Cantonem, Rotodimontis *(est urbs et præfectura)* et Grangesii. Templum nostrum S. Michaëlis habet de Thebæa Legione frusta aliquot majora, cum aliis sanctis reliquiis in lipsanotheca magna ex picto ebeno nigro et argento affabre ornata. *Hic interseruntur aliqua, quæ ad S. Ursum pertinent, et nostra rursus materia resumitur:* In ecclesia collegiata D. Nicolai hic Friburgi habetur lipsanotheca argentea S. Mauritii, cum pluribus ossibus ejusdem Sancti ejusque Sociorum. Apud patres Conventuales est confraternitas operariorum, qui petasos componunt, pannos texunt et tingunt, iisque singulis annis audiunt solenne Officium ad S. Mauritii aram cantari solitum, *atque interdum* educunt legionem imaginibus et crucibus S. Mauritii munitam, ad solennitatem, quæ hic quotannis ad honorem sanctorum trium regum... instituì solet, celebriorem reddendam...

et reliquiæ

44 In pago Ottigny *(hoc nomen in laudatis mappis geographicis non reperi, forte est* Otis, *pagus sesqui milliari Friburgo in Septemtrionem dissitus)* habetur ossiculum S. Mauritii in argento inclusum, et a me donatum, cum essem in Vallesia, illudque circumfert parochus in supplicationibus. Ceterum in toto Cantone festum S. Mauritii celebratur E tum in choro, tum in foro, saltem mane. Ubi vero est Patronus, credo celebrari toto die. Celebratur certe in tota ditione et colitur sub ritu duplici. Insuper ecclesiæ S. Mauritio dicatæ sunt in diœcesi Lausanensi, et Landerone, in comitatu Neoburgensi, ad lacum. *Inter instrumenta a laudato patre Mauritio Chardono ad nos missa nonnulla sunt Solodorensia, ubi præcipuo in honore sunt sancti Thebæi martyres, Sociique* S. Mauritii *Ursus et Victor, de quibus ad diem* XXX *hujus mensis cum Martyrologio Romano erit speciatim agendum. Habet specialem suum ibidem cultum Legionis sanctæ Præfectus, ut docent sequentia Solodoro ad Chardonum ab aliquo canonico missa.*

uti et Solodori, quæ sunt

45 Extat Solodori in ecclesia collegiata ad S. Ursum altare D. Mauritio dedicatum. Existit quoque ibidem sacellanus S. Mauritii, cum obligatione quarumdam Missarum, per hebdomadem pro collatore applicandarum, estque capellania illa beneficium bene fundatum. Habetur etiam in eadem ecclesia insignis pars reliquiarum ex Societate D. Mauritii. Os nempe sacrum coxæ integrum, auro nunc et argento inclusum, quod anno MDCXXXVII, die XX Junii F ex monasterio venerabili S. Mauritii Agaunensi in Vallesia ab illustri et venerabili domino abbate et conventu supradicti monasterii concessum atque huc transmissum est, cum authenticis supra pergamentum scriptis. *Hujus instrumenti talem copiam authenticam adjectam habeo.*

instrumentis probatæ,

46 Os istud sacrum coxæ ex pede alllatum huc fuit anno MDCXXXVII, die mensis Junii XX a domino Guilielmo Gothardo, canonico et custode hujus ecclesiæ collegiatæ, ex monasterio venerabili S. Mauritii Agaunensis in Vallesia. Cum ad visitandum id ipsum monasterium, commissione Apostolica ablegatus fuisset, impetravit tunc dictus dominus commissarius os præfatum ab illustri et venerabili domino abbate et conventu supradicti monasterii, hac spe et conditione, ut os similis quantitatis vicissim eidem monasterio concederetur e societate S. Ursi, cum istud desumptum sit ex reliquiis Societatis S. Mauritii. Testor esse ex originali desumptam copiam de coxa S. Mauritii, Georgius Franciscus Sury, præpositus et commissarius episcopi. *Advertisti, ni fallor, lector, in instrumento asseri, coxam illam esse* ex Societate S. Mauritii, *quæ ejus ipsius liberaliter*

AUCTORE J. C.

liberaliter dicitur in subscriptione: pergamus. Insuper in thesauro hujus ecclesiæ *(Solodorensis)* exstat pretiosa S. Mauritii statua ex auro argentoque elaborata, erecto toto corpore repræsentans strenuum belli Ducem, inclusis in ea Sanctorum reliquiis ex Societate.

cum insigni Sanctorum cultu:

47 Celebratur autem festum S. Mauritii die XXII Septembris sub ritu duplicis 2 classis, solemni pompa, cum expositione sanctarum reliquiarum atque statuæ argenteæ S. Mauritii. Exhibentur etiam eodem die ad majorem venerationem istius Sancti sacræ reliquiæ deosculandæ inclyto serenissimo magistratui, civibus, ac populo cum concursu magno. *Post hæc advertit P. Chardonus, in ditione Solodorana* S. Mauritio *dedicatas esse ecclesias parochiales in pago Kriegstetten, prope Solodorum, in diœcesi Constantiensi, et alteram in diœcesi Basileensi, in pago Lucella minore, quem vulgo Lutzel appellant. Habeo instrumentum aliud ab eodem missum, cui titulum fecit* ex Rauracia. *Est autem Rauracia pars episcopatus Basileensis, quæ quousque se extendat, nullibi satis determinatum invenio. Rauraci, seu Raurici populi, vicini Helvetiis, illorumque civitas Augusta Rauricorum in antiquis Itinerariis Romanorum, et apud Cæsarem lib* I *cap.* 5 *noti sunt. Civitatis primum nomen retinuit usque hodie pagus* Augst, *duobus milliaribus Basilea in Orientem distans, ubi plurima spectantur pristinæ urbis ingentia rudera.* B

qui etiam celeberrimus est in Rauracia,

48 *Ita autem in laudato instrumento scribitur:* Scire nihil licuit, nisi quod in pago Cheveney, integra leuca ab urbe Bruntrutana dissito, templum parochiale sit dedicatum S. Mauritio, ejusque festus dies celebretur sub ritu duplicis I Classis, et eodem die ac duobus subsequentibus sit comprecatio XL horarum cum indulgentiis plenariis, uti etiam tertia Dominica cujusvis mensis in ipsius honorem. *Est, ni fallor, Bruntrutum oppidum decem milliaribus Basilea versus occidentem remotum, quod in mappis geographicis scriptum reperi* Porenthrut: *invenio enim dissitum inde dicto spatio pagum* Cheveney. *Ceterum ita claudit memoratus sæpe P. Mauritius Chardon:* In diœcesi Bisuntina et Basileensi ejus festum celebratur sub semiduplici, sic scribitur Bruntruto XXX Martii MDCCXLI. *Hinc ad Lucernensem conventum seu Cantonem transimus. De* S. Mauritii *et Sociorum ibidem cultu rursus aliqua, nescio cujus manu scripta, accepimus ab egregio Operis nostri adjutore Chardono. Inde aliqua delibo.* C

et in civitate et pago

49 Principalem civitatis Lucernensis ecclesiam S. Leodegarii episcopi et martyris, S. Mauritii ac Sociorum honoribus fundavit Wighardus sacerdos. *De fundatione illa et ecclesia sequuntur deinde plurima, quæ, quia minus hic necessaria, prætermitto. Incendio ad cineres redacta basilica, præterito seculo reædificata fuit, et* anno MDCXLIV, XXI Aprilis consecrata sub patrocinio S. Leodegarii, S. Mauritii ac Sociorum, de quorum sacris reliquiis asservantur brachium et alia ossa. Altera in honorem SS. Trinitatis, ac sanctorum Mauritii et Sociorum ejus Martyrum, erecta est ecclesia parochialis in Ruswil, pago comitatus Ruswilensis præcipuo. *(Distat is quarto fere milliari Lucerna in Occidentem æstivum)*... Reliquiæ habentur quidem multæ, sed de S. Mauritio, aut sacra illa Thebæa Legione nihil, nisi os unicum, magnum tamen, utpote integra tibia, at authenticum veritatis testimonium aliud non adest, quam quod schedula huic ossi affixa, notata sit his vocibus: S. Mauritii M. In pago Emmen ad Rusam comitatus Rottenburgensis tertia est ecclesia S. Mauritii ac Sociorum ejus honoribus extructa anno Domini MCXCV. D

Lucernensi et vicinis locis.

50 *Notat Chardonus, in decanatu quatuor Cantonum Catholicæ Helvetiæ ecclesiam parochialem in Morsach* S. Mauritio *dedicatam esse. Ceterum in Catalogo personarum ecclesiasticarum et locorum diœcesis Constantiensis, cujus superius fuit facta mentio, duplex occurit Rottenburg, quorum alterum dicitur esse prope Lucernam, venitque sub decanatu Hochdorff, alterum decanatus est, habetque sub se ingentes pagos. De hoc, puto, hic sermo est. Rusa fluvius in Orientali Vallesiæ limite oritur, indeque in Septemtrionem decurrens ad Lucernam e lacu emergit, unoque fere milliari superius Emmam minorem recipit. Ab eo forte is pagus nomen accepit; certe circumjacent loca reliqua decanatui Hochdorff subjecta; Rottenburgum tamen in mappis geographicis non invenio, forte est pagus secundo milliari supra Lucernam, quem* Root, *et* Rott *appellant. Certe apud Merianum in Topographia Helvetiæ pag.* 22 *notus est.* In domo equestri Hohenscinensi *(prosequitur epistola anonyma)* ejusdem comitatus Rottenburgensis, exponitur Fidelium cultui insignis reliquia quædam, sacrum scilicet os de S. Mauritio martyre, cujus festa dies cum processione, concione et Officio celebratur. Desunt tamen huic reliquiæ litteræ autenticæ, quamvis in archivio habeantur litteræ a vicario generali episcopi Constantiensis XXIII Augusti anno MDCLX datæ, quarum vigore conceditur, ut sacrum os S. Mauritii Fidelium cultui denuo exponi possit, postquam illud temporum injuria venerationi fuerat subtractum. E

§ V. Reperta in pago Schöz, in conventu Lucernensi, anno 1489 ducentorum corpora, qui pro Martyribus ex S. Mauritii Societate habiti fuerunt. Beneficia aliqua ibidem impetrata.

In conventu Lucernensi

E*x eadem epistola anonyma hausimus, quæ hic tractamus: etenim ejus scriptor post ea, quæ superiorem § claudunt, ita prosequitur:* Denique in Schöz, pago comitatus Willisoviensis, ecclesia Filialis habetur S. Mauritio et Sociis sacra, ad parochiam Ettiswillanam spectans. Tria eodem in pago successive erecta fuerunt sacella, spatiis non multum a se invicem distantibus. Illorum uni jam anno Domini MCCCLVI Innocentius VI magnas indulgentias concessit, quibus anno MCCCXVI Henricus episcopus Constantiensis novas addidit. Ducenta circiter corpora anno MCCCCLXXXIX eo in loco, ubi primum sacellum est exstructum, sive prope sacellum, sive in domibus adjacentibus mirabiliter inventa sunt, ac ibi sacellum majus in honorem S. Mauritii ac Sociorum extructum est, a sacra Sede magnis indulgentiis pro festis Domini, et beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum per annum præcipuis ditatum. Qui factum, ut tot sanctorum Martyrum corpora hoc loco fuerint sepulta, non constat. Quod ex sociis SS. Ursi et Victoris fuerint, qui prope Solodorum gloriosum pro fide martyrium subierunt, inde colligi potest, quod, ut Legenda Solodorana meminit, alii ex sanctis Martyribus capita gestaverint corpori appressa,

A pressa, alii in pectore reposita, alii autem ad pedes deposuerint. In hoc autem situ sepulta in dicto loco Schöz sanctorum Martyrum corpora reperta sunt, obvertentia singula faciem versus ecclesiam, seu Ortum solis.

inventa 200 *corpora et pro exuviis habita*

52 *Est Willisaw oppidum et præfectura conventus Lucernensis, sex milliaribus Helveticis ab urbe primaria in Occidentem æstivum, totidemque Solodoro distans. Pagus Schöz Willishovia uno circiter milliari in Septemtrionem remotus est. Quæ autem ab anonymo ad sanctos Martyres, Ursi et Victoris Socios, pertinentia innuuntur, examinanda erunt ad diem* XXX *hujus mensis Septembris, ubi, vereor, ut fidem inveniant. Levis interim satis est anonymi conjectura, ultro etiam admissa narratione Legendæ Solodorensi, nisi forte velit, innumera, quæ reperiri possent et reperta sunt corpora, cum fuerint crania avulsa, vel ad pedum ossa et costas devoluta, obversaque ad Orientem, esse Sociorum S. Ursi sacras reliquias. Neque volet opinor, quispiam nobis persuadere, sanctos illos Martyres capite mutilos, flumineque, in quod præcipitati fuisse feruntur, egressos, præcisas cervices detulisse usque in Schöz, ibique sepulturæ locum elegisse : assertum enim tam insolens firmio-* B *ribus testimoniis egeret, quam ipsa traditio, quæ reperta ossa sanctorum Thebæorum Martyrum esse asseverat.*

Martyrum Thebæorum, quibus præfectus fuerit aliquis Nicasius,

53 *Murer in Helvetia Sacra pag.* 30 *eadem corpora habet pro Sociorum* S. Mauritii *exuviis, creditque, hos ibi occisos fuisse cum eorum duce* Nicasio, *quæ pariter unde hauserit, nescio, nullum enim asserti sui testem allegat. Circa traditionem popularem, cujus initia vix ultra seculum decimum sextum referuntur, liceat aliqua conjectare. Sacellum, seu sacella potius, ibidem erecta* S. Mauritio *et Sociis, eorumque forte sacris exuviis ditata erant, dudum antequam corpora illa invenirentur. Sane jam tum erat celebris sanctorum Patronorum ibidem cultus, ut liquet ex concessis ab Innocentio VI, plus integro ante seculo indulgentiis. Tot ibidem coagmentata ossa cum aliquo certe testimonio, prodigio vel revelatione, ut non raro factum est, inventa sunt; quomodo enim alias credi potuisset, esse sanctorum Martyrum potius, quam cæsorum ibidem in præliis, quæ circa illa loca non pauca commissa sunt, militum contumulata cadavera? Ubi autem accumulata ossa, quæ vel hac, vel alia via noverunt sanctorum quorumdam Martyrum esse,* C *adepti sunt indigenæ,* S. Mauritio, *quem audierant, cum multis millibus in vicinia coronatum martyrio fuisse, addictissimi, facillime induci potuerunt, ut crederent, sanctorum Sociorum ejus hæc sacra pignora esse. Hisce postea non minus facile dux aliquis et antesignanus* Nicasius *ex mille occasionibus inveniri pariter potuit, atque sic nasci propagarique sensim traditio, quæ sane firmis aliunde fundamentis non nititur.*

sine sufficienti tamen fundamento.

54 *Quamquam est et aliud quidpiam, quod, nescio quid, de traditione illa pejus ominari faceret. Anonymus literarum laudatarum scriptor ita paucis, quæ huc non pertinent, interjectis, loquitur :* Quo devenerint tot ibi Sanctorum reperta corpora, non additur. Credibile est, ea per varias inde ecclesias distributa fuisse. *Ergone nulla ibidem ex repertis corporibus servantur, nullo publicæ venerationi exponuntur? Id quidem non aperte hic edicitur, sed subobscure videtur innui. Quod si ita est, suspicabuntur non pauci, saltem rigidiores critici, cultum, forte paulo liberalius inchoatum, intermissum deinde et abolitum fuisse. Certe ego hactenus ecclesiam nullam reperi, quæ reliquiis inde acceptis*

glorietur. Quidquid sit, neque enim aliquid definire ausim, debitis utrimque testimoniis destitutus, beneficia in præfato Scözii sacello contigere plurima, pleraque invocato S. Mauritii *et Sociorum patrocinio, quibus proinde adscribi debent. Sed audiamus in sæpe memoratis literis anonymum.* Miracula in hoc loco contigere et adhuc fiunt plurima. Illa enim terra *(ipsius hæc esto observatio)* sacrorum olim contactu corporum consecrata, calculi dolores abstersit, langentibus membrorum usum restituit, surdis vero auditum, visumque cæcis ac mutis loquelam, infanti etiam aquis suffocato vitam. Sanata insuper inveterata herniæ mala, crura confracta, phreneseos malum aliaque complura, quæ omnia in destinato ad id libro annotata reperiuntur, ex quo, quæ hic leguntur, excerpta sunt.

AUCTORE J. C.

Varia ibidem, S. Mauritii et Sociorum invocantibus patrocinium,

55 *Epistolæ huic additum fuit extractum beneficiorum, ibidem impetratorum, Germanice scriptum, quod Latine reddidit laudatus sæpe pater Mauritius Chardonus, quodque ego, quia magnam populorum erga* S. Mauritium *et ejus socios Martyres venerationem, fiduciamque in eorum patrocinio demonstrant, huc totidem verbis transfero. Titulus est :* Exempla et patrata prodigia ab anno MCCCCLXXXIX hæc sequentia manifesta sunt, E absque illis, quæ Domino, et supra omnes mulieres benedictæ Matri Mariæ, ac S. Mauritio martyri atque Patrono hic Schözii et sanctæ ejusdem Societati sunt cognita. 1. Mulier quædam hic Schözii magno in terram impetu prolapsa, surda evasit. Quamprimum ad sanctam hanc capellam votum vovit, se lumen pro lampade curaturam, ossiculum aure decidit, et mox audire cœpit. Alia ex Küsnacht multis annis eadem surditate laborabat. In sacra hac æde audiendi facultas rediit. 2. Puer ex pago Langenthal tam misere captus pedibus erat, ut illos grollis innixus post se traheret, non absque suspicione, a Sanctis ob delicta quæpiam immissam hanc pœnam fuisse.

beneficia collata.

56 Hic se devovit, et rigor nervorum desiit. 3. Mulier in pago Friengen XV annis toto corpore debilis, et puer ex pago Enttlib eodem modo per VI annos membrorum vigore destitutus, post votum ad sacram eam capellam peractum, ire, redire vias potuerunt. 4 Infans ex pago Zostingen rigebat infra lumbos. Susceptis variis votis, nulla mali medela facta est. Huc vero delatus sanitatem recepit. 5. Mulier ex Subsylvania ingentibus calculi doloribus torquebatur; sanctis Martyribus in sacra F hac capella se devovit, et sex calculos mirabiliter enixa est. 6. Quidam Ettiswilæ nulla ob genu tumorem quiete ex continuis doloribus frui potuit. Alteri ibidem ferox equus calces illisit, ut crus fractum crederetur. Alter ex eodem loco, cum in sylva vehementius labori vacaret, subito loquela destituitur. Omnes tres pio voto S. Mauritio atque ejus Societati supplices facti sunt, et primus est liberatus doloribus, alter pedem integrum sensit, tertio loquela est reddita. 7. Henricus Nägelli ex pago Melcknau oculorum lumen et usum prope omnem deperdidit, et impetravit in hac capella, ut videret iterum.

Muti et cæci

57 Hæc beneficia et alia plura contigisse testatur R. D. Casper p. t. parochus Ettiswilæ cum multis aliis honestis viris. Sequuntur alia. 8. Filia ex civitate Vitoduro, septem annis elinguis, loqui occœpit : alius infans septennis, oculis, lingua et manibus captus, simul malis omnibus se liberum sensit, postquam ad piam hanc capellam pia pro iis vota oblata sunt. 9. Joannes Stacsell ex pago Brettelen usu aurium privatus est : se ex voto ad sanctos hos Martyres iturum promisit et voto

AUCTORE J. C.

damnatus est: cum enim capellam præteriret, nec votum ex aliquo contemptu exsolveret, subito turbari capite cœpit, ut singulis momentis corruere videretur. Negligentiam suam et contemptum detestatus, sacram capellam ingressus est, et promissa ceræ libra, totus incolumis domum rediit. 10. Joannes Mullimatter ex pago Eriswill Suriam, urbem in Cantone Lucernensi sitam, ad nundinas festo S. Georgii martyris equitabat, cumque et ipse sacram ædem, ad quam se venturum devoverat, transiret, momento ossis cujusdam doloribus ita est obrutus, ut domum revehi cogeretur.

hernia

58 Renovat votum, et sancti Martyres iterato auxilio veniunt; verum ille paulo post iterum Suriam *(est hoc, si recte monet Corneille in Lexico Geographico,* Sursée; *at eo recta via per Schöz non itur ex Ettiswill, pago Willishoviæ propinquo,si bene notant mappæ geographicæ)* profectus, quin in itinere sanctos Martyres veneraretur; graviores pro commissa noxa dolores pertulit: quare commissæ pertinaciæ et erroris pœnitens, datam fidem magno suo bono exsolvit. 12. Vir ex pago B Buttisholz *(est is proximus Ettiswill)* pluribus annis defectum oculorum continuos inter dolores patiebatur, ita ut cæcitatem timeret. Jacobus Straby vero ex pago Kuntwill *(sito milliari secundo ultra Schöz)* jam non amplius consueto labori ob noxium humorem instare poterat. Uterque concepto ad sanctos Martyres voto, optatum redditi luminis fructum retulit. 12. Margarita Glaser, Augustana proles, post sectionem herniæ in idem malum recidit: Nicolaus Wifig filium habuit simili hernia periculose laborantem: soboli Nicolai Schmid ex Bysigg utroque ex latere male affectæ certam mortem ominabantur. In vota vocatus cum Societate sua S. Mauritius in hac sacra capella omnibus et singulis sanitatem concessit: id, quod etiam Petrus Felinger de suo hernioso filio testatur, quem prius frustra aliis pie devoverat. 13. Fridolinus Stabler ex pago Büron *(in catalogo locorum diœcesis Constantiensis ponitur sub decanatu* Ruswill *sive* Sursée) membris omnibus captus movere se non amplius poterat: a fratre suo equo impositus ad sacram capellam perrexit, et sanus atque incolumis ex equo descendit.

aliisque morbis

59 Itta Küng ex pago Neüenkirch, *(in citato* C *Catalogo sub eodem decanatu occurrit)* distracto osse, XV hebdomadis lecto affixa decubuit. Emisso ad sanctos illos Evergetes voto, vegeta surrexit. Mulier quædam ex pago Bleyenbach *(venit in Catalogo sub Collegiata ad S. Margaritam in districtu capituli ruralis Friburgensis* Bleybach, *de quo forte hic sermo est)* per omnem vitam ab ossis in vultu extuberantia vehementer affligtabatur: cum dolore tumorem abiisse, grata his sanctis Martyribus adscribit. 15. In pago Greppen *(tertio milliari Lucerna in Orientem distat, in adversa lacus ripa situs)* infans aquis haustus est. Vota ad sanctos Martyres fecerunt parentes, et infans ad vitam rediit. Joannem Kestenholf ex pago Egolfwill *(quem nuspiam reperio)* in crure exagitabant dolores, ut mente aberraturus crederetur. Supplex factus hic in sacra capella Patronis, sibique et sanitati est redditus.

laborantes

60 Ejusdem quinquennis filius, mentis impos, scandere parietes attentabat. Pater accepti beneficii memor, eadem fiducia ad hos Sanctos confugit, et filio sanam mentem impetrat. 16. Anna Brodbeckin ex pago Kohm *(neque hunc uspiam reperio)* multis annis palpitatione cordis ad mortis angustias torquebatur. Cum narrari audiret miram corporum sanctorum martyrum ex Societate S. Mauritii inventionem, spem concipit, et bilibris cerei cordis anathema promittit, seque mox omni cordis anxietate liberam sensit. Similis immunitas Margaritæ Amrhein a sanctis Martyribus obvenit, quam anno integro intensi capitis dolores vexabant. Henrico Vischer ex parochia Lotzdorfensi *(mihi incognita)* erat filius undennis, qui non nisi cum magno dolore et difficultate inter flebiles clamores aquam mittere poterat. Mali origo omnibus incognita erat: alii atque alii stranguriam, arenam aut calculum suspicabantur. Suadetur parenti, ut Scözium ad sanctos inventos Martyres ex Societate S. Mauritii vota faceret: fecit, et illico omnes posuere dolores. Contigit hoc Pentecostalibus feriis, et parentes votum non nisi circa festum S. Galli exsolvere poterant, a quo primum tempore filium nec minimam passum esse molestiam, grati memorabant.

sanitatem recuperant.

61 Similis beneficii ex depulsa dysuria, cum nulla medicina proficeret, Joannis Schonauer ex pago Lotzwill uxor apud eosdem sanctos Martyres se ream agnovit. *Pagus Lotzwill iterum mihi latet. Porro clauditur instrumentum hac subsignatione:* Ego Marcus Nüwgalles, parochus in Geiswill, notarius publicus juratus, Romæ immatriculatus, ex auctoritate et mandato gratiosi mei domini abbatis de S. Urbano præscripta beneficia attestor, cum Petro Muller ecclesiæ præfecto, Joanne Smider hospite, Bütsche æditui ibidem et plurimis aliis honestis viris. *Sunt inter hæc aliqua, quæ videntur contigisse ob fiduciam in eos, quorum exuviæ anno* 1489 *repertæ sunt: at forte eorum sunt observationes illæ, qui beneficia adnotarunt: certe omnia saltem ad* S. Mauritium *ejusdem Socios Martyres referuntur, atque eapropter hic locum meruerunt.*

§ VI. Brachii S. Mauritii, ejusque et Sociorum veneratio in Eremitarum cœnobio pagi Suitensis, et in abbatia et territorio S. Galli in Helvetia.

In Eremo S. Mariæ in Helvetia pars brachii S. Mauritii

In Cantone seu conventu Suitensi, qui Glaronensem et Lucernensem interjacet, prope fluviolum Sylium, celeberrimum est Ordinis S. Benedicti monasterium, quod Eremus S. Mariæ, Eremitarum Cella, Sylva nigra, Cella Solitariorum, Meginradi cella, et ab indigenis Einsidlen, unde Latinum nomen Einsidlense derivant aliqui, appellatur. Hujus cœnobii Annales scripsit Christophorus Hartmannus, ibidem monachus. Is ad annum Christi 952 *ita scribit de Ottone I imperatore* : Inde *(Ticino)* primo vere, relicto, qui Berengarium et belli reliquias persequerentur in Italia, Cunrado genero, cum parte maxima copiarum, in Burgundiam per Penninum (nunc Majorem S. Bernardi montem vocant) Adelheides petititione, quæ Berchtam matrem et Conradum fratrem invisere in Burgundia cupiebat, transiit. Superato Pennino, Agaunum cum pervenissent, Udalricus, Augustanus episcopus, qui in comitatu cæsaris erat, a præposito monasterii S. Mauritii auctoritate et licentia Manfredi, Sedunensis episcopi, brachium S. Mauritii, et alias ejus sacræ Legionis reliquias impetravit, quas ejusdem Divi novæ apud Heremitas, quos unice colebat, basilicæ offerret, et suæ

A suæ perpetuum observantiæ monumentum poneret, Brachium id argento inclusum et lapillis pretiosis ornatum, opere pene rudi, sed sanctissimi Martyris cultu et tanti episcopi dono antiquitate quoque admodum venerandum cum admiratione nunc quoque et reverentia ostenditur.

a S. Udalrico episcopo Augustano concessa.

63 *In Vita S. Udalrici scripta ab auctore æquali et in Opere nostro excusa tom.* 2 *Julii pag.* 97 *et seqq., cap.* 8 *num.* 55 *plura referuntur de conquisitis* S. Mauritii *et Sociorum reliquiis; at de his, cum Augustam Vindelicorum ab eo translatæ dicantur, agemus infra. Habeo præ manibus missum ad nos, curante eodem adjutore nostro insigni P. Mauritio Chardono, ex abbatia Einsidlensi, munitum sigillo et subscriptione amplissimi D. P. Meinradi Brenzer capitularii (ni fallor, muneris enim nomen contractum et lineis ita intricatum est, ut legi vix possit) Einsidlensis, protonotarii Apostolici. Ex illo, longius enim est, quam ut integrum huc transferri possit, aliqua ad propositum meum facientia seligo. Postquam ibi recitata sunt, quæ ex Hartmanno decerpsi, aliaque nonnulla de primis exordiis basilicæ, in honorem* S. Mauritii *et Sociorum ibidem consecra-*
B *tæ, ita pergitur :* Hujus rei testimonium deducitur ex Einsidlensis custoriæ libro pergameno antiquo, compacturæ rubræ holosericæ et musivo argento obducto pag. 2 facie 2 edisserente : « S. Udalricus, « comes de Kyburg et Dillingen, episcopus Augu« stanus, e Wallesia Einsidlam veniens, brachium « S. Mauritii attulit. »

Aliæ ibidem Sociorum martyrum

64 *De aliis* S. Mauritii *et Sociorum in celeberrima illa abbatia reliquiis asservatis, in instrumento leguntur sequentia :* Ceterum Dominus Helias Heymann a Sennheim, Trevirensis diœcesis sacerdos, quondam dignitatum et prælaturæ titulis muniisque publicis decoratus præcipuis, tertio almæ universitatis rector, tandem relictis seculi curis in celebri monasterio B. V. Mariæ Einsidlensis factus peregrinus hospes... cum Romam, postea Lauretum aliaque pia loca visitasset, ac pro illustri monasterio Einsidlensi sacras reliquias acquirendi singulari affectione insisteret, anno Domini MDXCV a reverendissimo episcopo Sedunensi et abbate Agaunensi præter alias, etiam S. Mauritii sanctas reliquias impetravit et reverendissimo principi ac domino Udalrico, tunc temporis prælato Einsidlensi, in sui monasterii thesau-
C rum specialem tradidit, prout litteræ designatoriæ, familiares et testimoniales ex prædictis locis, præcipue vero ex Valesia et Agauno a prædicto episcopo simulque cathedrali capitulo et abbate idcirco scriptæ et transmissæ, id plenius declarant, demonstrant et contestantur. Vide authenticum archivii Einsidlensis in charta pergamena sub signatura K. M : n. 7.

et ipsius S. Mauritii

65 Hujus ipsiusmet sancti reliquiarii accuratior inspectio et instauratio facta fuit ad annum Christi MDXCVII ab antefato P. M. reverendissimo et illustrissimo principe ac domino D. Udalrico, abbate principalis monasterii immediati B. V. Mariæ Einsidlensis, cujus rei testimonium scriptum in membrana virginea sic habetur. Anno Dei hominis facti millesimo quingentesimo nonagesimo septimo hanc argenteam D. Mauritii archam una cum sanctissimis reliquiis in hac contentis etc illustrissimus ac reverendissimus princeps ac dominus Uldricus, abbas hujus longe lateque celeberrimi monasterii longe vigilantissimus, de integro revisit, instauravit, ac pristinæ dignitati restituit. In cujus rei fidem hanc etiam schedam eidem apponi curavit idem : ORATE PRO ME VOS SANCTI ET VOS CŒNOBITÆ. Vide authenticum in archivio Einsidlensi sub signo K. M : n. 161. *Miror sane, instrumentum tam prolixum, quale illud est, quod præ manibus habeo, magna cura confectum esse, nec tamen illi adjungi copias duarum ex archivio citatarum chartarum, quæ utique multo magis usui nobis hic esse potuissent, quam quæ ibidem sequuntur de variis reliquiis Colonia et Treviris allatis, quibus sua testimonia non desunt.*

sacræ exuviæ. Valentinus, nescio quis,

66 *Quidquid sit, ad calcem laudati instrumenti dicuntur præter brachium* S. Mauritii, *aliæ plures ejusdem Sancti exuviæ ibidem servari, omniumque inventarium subnectitur sub hoc titulo :* De ipsomet S. Mauritio M.

I In brachio S. Mauritii argenteo.
II In basi imaginis ipsius argenteæ.
III In basi imaginis argenteæ S. Petri.
IV In sarcophago num. II.
V In sarcophago num. IV.
VI In basi imaginis S. Valentini martyris Thebæi lit. O.
VII In Cruce Hispanica majore.
VIII In imagine argentea B. V. Mariæ majori de vexillo S. Mauritii M.

Quis sit Valentinus ille, et unde habuerint, quod hic asseritur, esse illum Thebæum martyrem, hactenus compertum non habeo. E

annumeratur Thebæis, quorum quondam fuerunt in pago Tigurino

67 *Valentini martyres multi hactenus in Opere nostro occurrerunt, occurrentque per decursum non pauci, sed nihil uspiam invenio de Thebæo hoc; proindeque suspicor, vel synonymum alium confusum esse, vel corpori anonymi, Socii forte* S. Mauritii, *hoc nomen pro arbitrio inditum fuisse, ut pluribus aliis contigit, sicut ad calcem videbimus. Ceterum facile nobis, confido, abbatia Einsidlensis concedet, ut dicamus, partem aliquam brachii* S. Mauritii *illum possidere potius, quam brachium integrum, ne iterum multiplicatæ sancti corporis partes oggerantur. Habuit et pagus Tigurinus suas* S. Mauritii *reliquias, quæ an iconomachorum hæreticorum rabiem evaserint et usque hodie supersint, nescio. Certe Simlerus in Descriptione Vallesiæ lib.* 2 *pag.* 50 *asserit, Wilhelmum, abbatiæ Agaunensis abbatem et Sedunensem episcopum, inclinato seculo* XII, ossa quædam Martyrum collegio canonicorum Embraci in pago Tigurino donasse, idque testari litteras ejus rei indices. *Proxima Tigurino pago ab Oriente æstivo est Turgovia seu Turgea, quam cosmographi aliqui ita extendunt, ut non solum comprehendat territorium S. Galli, sed etiam pagum Abbatis-cellensem.* F

reliquiæ. Eorum celeberrimus cultus

68 *De cultu ibidem sanctis Martyribus nostris exhibito instrumentum habeo munitum sigillo atque subscriptione debita, quod debemus rursus P. Mauritio Chardono, pro Patroni sui gloria laboranti. Datum illud est* ex monasterio S. Galli I Augusti anno Domini 1745, *subscripsitque* P. Ægidius Hertman, officialis in spiritualibus generalis. *Celeberrimum S. Galli cœnobium, cujus abbas inter imperii principes locum habet, cum* S. Mauritii *veneratione exordium sumpsit. Etenim scribit Walafridus Strabo in Vita S. Galli, ejusdem abbatiæ fundatoris, Seculo* 2 *Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 236, *sanctum virum, cum ad eremum pervenisset, locumque ibi solitariæ vitæ aptum invenisset, ex virga colurnea crucem efformasse terræque eo loco, ubi deinde cellam, tanti monasterii exordia, construxit, infixisse.* Habebat autem, *inquit,* pendentem collo capsellam, in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei Genitricis Mariæ et sanctorum martyrum Mauritii et Desiderii, quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit diaconum et prostraverunt

AUCTORE J. C. runt se pariter in oratione. Tunc vir venerabilis hujusmodi preces emisit : Domine Jesu Christe... ne despicias desiderium pro peccatis meis, sed in honore sanctæ Genitricis tuæ et Martyrum Confessorumque tuorum præpara in hoc loco habitationem tuis aptam servitiis. *Hæc paulo aliter narrantur in laudato instrumento ex Lectionibus 2. Nocturni Dedicationis basilicæ S. Galli.*

et exuviæ sacræ 69 *Porro perseveravit ibi usque hodie* S. Mauritii *et Sociorum cultus : etenim* exstat *(instrumenti verba sunt)* quoque hodiedum sacellum, et in eo altare abs Burckardo I, comite de Montiforti, Linzgow et Buochorn, abbate S. Galli *(qui ex Sammarthanorum Catalogo noscitur præfuisse paulo post medium seculum* x*)* ex consilio S. Conradi, Constantiensis episcopi, supra coryli cespitem, sub quo B. Gallus olim vepribus hærens et ad terram cadens propheticum illud, Hæc requies mea in seculum seculi, occinuerat, erectum, et ab eodem D. Conrado anno Domini DCCCCLXVIII consecratum. Quod altare ab iconoclastis San-Gallensibus MDXXIX prophanatum, denuo restitutum et in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, SS. Mauritii et Desiderii, S. Galli et S. Conradi consecratum est. B *Hujus rei testes allegantur.* P. Judocus Metzler, P. Magnus Bruliswer, P. Hermannus Schenck in Chronico S. Galli. *In eadem abbatia nonnullæ etiam servantur reliquiæ* S. Mauritii *et Sociorum, inter quas aliquæ ex Germania eo allatæ sunt, unde credere licet, esse eas Sociorum SS. Thyrsi, Bonifacii vel Gereonis : etenim dicuntur in memorato testimonio servari instrumenta authentica Agauno, Colonia, Mediolano. Hirsfelda accepta.*

in abbatia et territorio S. Galli. 70 *Porro sacræ exuviæ sic enumerantur* : I. De S. Mauritio Thebæorum duce habentur condylus, ossiculum aliæque insignes particulæ. 2. De Societate os brachiale, item aliud os brachii, scapula, præter notabiles partes et plurimas particulas. Has sanctas reliquias auro et argento pulchre exornatas cum aliis sanctis reliquiis illustrissimus princeps Josephus anno Domini MDCCXXXVIII novo altari argenteo inclusit. *Subnectuntur deinde, quæ* S. Mauritii *cultum per territorium S. Galli illustrant, his verbis :* Per territorium S. Galli sub patrocinio S. Mauritii et Sociorum martyrum exstant tres ecclesiæ parochiales, nimirum in Lingenwyle, Goldach et Sumeri, ubi habetur ossiculum de Sociis S. Mauritii. Hisce merito annu- C merari debet sub eodem S, Mauritii patrocinio ecclesia parochialis in ditione et pago Abbatis-Cellensi (*vernacule* Appenzel) primævo olim S. Galli patrimonio, quam Nortbertus, baro in Stafile seu Stofflen, abbas S. Galli, constituit et dotavit anno Domini MLXI, confecto eam in rem publico instrumento, quod ita incipit : Quoniam ex varietate rerum mortalium etc. P. Judocus Metzler et P. Magnus Bruliswer in Chronico S. Galli ad annum MLXI. Festum S. Mauritii et Sociorum martyrum XXII Septembris celebratur intra septa monasterii S. Galli sub ritu 2 Classis, per territorium vero sub ritu duplicis Minoris, uti videre est in proprio S. Galli abs Paulo V approbato. *Atque hæc sunt, quæ de* S. Mauritii *et Sociorum cultu per Helvetiam hactenus habui obvia, inferius sub diœcesi Constantiensi recurrent adhuc aliqua ex elencho ecclesiarum eorum nomine sacrarum, quem submisit Chardonus ; at prius in Italiam properemus, quo excellentiores sancti Ducis reliquiæ, aliaque huc pertinentia nos evocant.*

D

§ VII. Occasio, qua reliquiæ S. Mauritii a Vallesiis per Sabaudiæ ducem requisitæ fuerunt. Renitentibus Agaunensibus, non nisi dimidiam earum partem obtinent Taurinenses.

Taurinenses Mauritii *Celebratissimæ inter eas, quæ variis locis exhibentur, si forte Agaunenses excipias, sunt* S. Mauritii *venerandæ reliquiæ, quæ Taurini in regia Pedemontii urbe, summa cum populorum veneratione servantur. Scriptores nonnulli, maxime Itali, pro solemni satis more, Taurinensibus* corpus S. Mauritii *adscribunt. Galli contra, qui instrumenta translationis verisimiliter non viderunt, satis negligenter de sacro illo thesauro loquuntur. Utrique remittere debebunt aliquid, si sine præjudiciis ad producenda testimonia adverterint : hæc enim, sicut pene indubiam magnæ portionis sacrarum exuviarum Ducis Thebæorum possessionem Sabaudis asserunt, simul etiam evincunt, non corpus, sed corporis tantum partes eos obtinuisse. cum, quo tempore eas a Vallesiis requisivit dux Sabaudiæ, non omnes Sancti reliquias ipsi Agaunenses habuerint, et earum, quas habebant, non nisi mediam partem nancisci potuerint missi eo a Carolo Emmanuele legati. Atque hæc omnia ex dicendis fient perspicua, quæ ego paulo fusius pertractabo, ut de Agaunensibus primum, ac deinde de Magdeburgensibus reliquiis, quas rursus scriptores Germani corporis nomine condecorant, judicari possit.* E

sacro corpore paulo liberalius gloriantur. 72 *Quæcumque ad sacra* S. Mauritii *cimelia, quæ Taurinum, exspirante seculo decimo sexto, translata fuerunt, pertinent, lucubratione peculiari fuse prosecutus est testis plerorumque, quæ narrat, oculatus P. Bernardinus Rossignol, Societatis nostræ sacerdos. Is, mutuatus nomen Guilielmi Baldesani canonici et theologi metropolitanæ ecclesiæ Taurinensis, sub finem seculi* XVI *Italico idiomate edidit Historiam sacram* S. Mauritii, *ducis Thebææ Legionis, et Sociorum ejus, et eamdem multis amplificatam recudit initio sequentis seculi. De postrema hac lucubratione mihi in citationibus sermo est. Itaque pagina 309 orditur prolixissimam relationem de solemni translatione reliquiarum* S. Mauritii *ex Vallesia Taurinum. Dubitavi, an non verba ejus singula Latine reddere vellem : at cum attentius singula perpendi, vidique, ibi intermixta esse non pauca, quibus facile carere lector possit, statui, relationem ejus in compendium redigere, et non nisi ea exhibere, quæ ad dilucidandam historiam spectarent et fidem verbis facerent, instrumenta. Igitur sic fere enarrat.* F

Inter ditiones Sabaudo ereptas 73 *Præcisum cum reliquis vicinis provinciis Agaunum a Burgundiæ regno sub potestatem serenissimæ domus Sabaudicæ venerat, cum adhuc in vivis ageret comes Pedemontii et postrema Segusiæ marchio Adelais, mater Amedei I, quæ circa finem seculi* XI, *Baldesano computante, obiit. Ab eadem hac potestatem accepit Anno, archiepiscopus Coloniensis, transferendi ad diœcesim suam corporis* S. Innocenti, *et capitis* S. Vitalis *Thebæorum martyrum. Non ex hoc tamen tempore* S. Mauritius *in protectorem domus Sabaudicæ electus fuit, sed postea, quando Vallesia, ejusdem Sancti patrocinio recepta fuit per Petrum, fratrem*

AUCTORE J. C.

A *fratrem Amedei, qui vel invexit, vel multum auxit venerationem erga sanctum Protectorem, quæ deinde in familia Sabaudica mansit hæreditaria. Franciscus I Galliarum rex Carolo Sabaudiæ duci, Emmanuelis Philiberti patri, armis eripuerat quæcumque fere in Sabaudia Italiaque possederat. Duxit deinde Emmanuel uxorem Margaretam, sororem Henrici II, qui patri Francisco in regnum successit. Connubii munere pleræque amissæ possessiones Emmanueli Philiberto fuerant restitutæ.*

Agaunum, ea lege Vallesiis cessit, ut corpus S. Mauritii darent.

74 *Vallesii tamen partem non exiguam ablatarum olim Sabaudo provinciarum retinebant, atque in illis Agaunum erat, in eoque* S. Mauritii *nomine et reliquiis insigne monasterium. Ut autem firmarent sibi possessionem eorum locorum, quæ armis Sabaudo extorserant, cum Carolus Emmanuel, Margaretæ Francicæ et Philiberti filius, anno* 1589 *bellum moveret contra Genevenses, horum illi partes, motis armis, tutati sunt. Itaque Sabaudiæ dux videns, Gallos etiam Genevensium partes fovere, cum Helvetiis pacisci cœpit; at videbatur non sine sui honoris dispendio fieri posse, ut venerandæ Ducis Thebæorum celeberrimi* Mauritii *exuviæ sub eorum, plerorumque heterodoxorum, potestate manerent. Gratiam igitur, quoad jurisdictionem temporalem fecit, concessitque illis, ut et Agaunum et loca alia possidere pergerent, hac tamen lege, ut memoratas reliquias duci cederent. Hisce conditionibus conclusum negotium fuit a præside Rochetta et Lamberto, legatis Sabaudiæ ducis, qui tum temporis agebat in Provincia; scripseruntque ad Catharinam Austriacam, Philippi II Hispaniarum regis filiam, et ducis Caroli conjugem, pactum fœdus conditionesque, de quibus conventum erat, exponentes. Catharina, nuntiis acceptis, mox rectorem collegii nostri Taurinensis cum alio Societatis nostræ sacerdote et duobus equitibus Ordinis* S. Mauritii *misit ad episcopum Augustanum, ut cum illo sanctarum reliquiarum elevationi adessent.* B

Agaunensium propter pactum utrimque initum minæ

75 *Interim cives Agaunenses probe Catholici, tenerrimeque erga* S. Mauritium *affecti, rem omnem intelligentes, mussitare primum et obstrepere cœperunt, neutiquam permissuros se, ut thesaurus pretiosus sibi eriperetur. Et jam inter illos consilium spargebatur, corpus aliud* S. Mauritii *reliquiis substituendum, vel quocumque modo impediendum, ne vi eriperentur sibi, paratis abigere vel etiam occidere, qui id molirentur, potius quam pati, ut Protectore suo privarentur; atque adeo periculum erat, ne vel corpus aliud substituerent, vel, si vi res ageretur, nec testimonia impetrarentur, jactarent postea Agauni superesse corpus* S. Mauritii. *Legati verentes interim, ut acceptis conditionibus starent Valesii, si ulterius protraheretur exsecutio, ad Augustæ Prætoriæ episcopum dedere literas urgentes, ut quamprimum, quod ab aula negotium acceperat, aggrederetur. Episcopus, assumptis in comitatum tribus canonicis et aliis nonnullis, asperrima anni tempestate, Decembri mense, per altissimis nivibus tectos montes advolavit; utque Agaunum venit, incolarum animos male erga se affectos exacerbatosque in primores suos, qui talem legem acceperant, offendit.* C

et tumultus fecerunt, ut dimidia tantum reliquiarum pars

76 *Et sane Agaunenses omnia, tum apud Sabaudiæ ducem, oblatis pecuniis et militibus, tum apud Deum jejuniis publicis et orationibus moliti sunt, ut ne sibi protector* Mauritius *eriperetur, quod non passuros se, emissa etiam ad aras sponsione, protestati fuerant. Igitur episcopus, et qui cum illo legati aderant, cernentes, rem sine summo periculo tentari non posse, apud Vallesiæ primores instituerunt, ut conditionem adimplerent. Hi vero, nomine episcopi Sedunensis, reipublicæ præfecti et aliorum gubernatorum, caduceatorem miserunt, qui Agaunensibus civibus talia mandata ferret. Quiescerent, atque exsecutioni permitterent mandari conditiones in favorem pacis jurejurando firmatas. Quod si ultra tumultuarentur, mittendas postero die decem legiones, quæ docerent illos in re licita debitaque primorum jussis parere. Ad has minas timor Agaunensium quidem linguas compressit, sed dolor et rabies ora occuparunt, sic ut legati ducis et episcopus Augustanus totum negotium exsequi, integrumque* S. Mauritii *corpus auferre non fuerint ausi, satius esse judicantes, dimidiam ejus partem, non plane invitis civibus, nancisci, quam cum evidenti vitæ periculo, quod illis in reditu surdus rumor prænuntiaverat, omnes Sancti reliquias vendicare.*

cum ense S. Mauritii ab episcopo Augustano obtenta sit.

77 Itaque XXIX Decembris *(verba sunt Baldesani pag.* 315) MDLXXXX, his statutis, cum episcopus Augustanus solemniter Sacris operatus esset in sacello S. Mauritii, atque pie orationes fudisset, deindeque accepisset ab abbate et sacrista memoratæ ecclesiæ jusjurandum de reliquiarum identitate, aperta est capsa major, intra quam, inclusæ minori alteri capsulæ argenteæ, auro antiquo hinc et inde distinctæ, servabantur Sancti exuviæ. Porro sacrista sacrorum ossium divisionem fecit, indeque abstulit partem episcopo Augustano ex condicto concessam, una cum ense invictissimi Martyris. Erat ensis ille cum vagina inclusus vaginæ alteri, seu capsulæ, quæ formam crucis præferebat, dono cujusdam principis Sabaudiæ. Medium occupabat equestris S. Mauritii statua, deductis per longitudinem litteris, opere anaglyphico, legebantur versus duo sequentes: E

O bone Mauriti, tui defende cor amici,
Ut numquam laqueis vinci possit inimici.

Divisæ sacræ exuviæ cum testimoniis

78 *Alludit deinde Baldesanus ad hos versus, domusque senerissimæ Sabaudicæ in Sanctos venerationem extollit, ac pergit:* Itaque Legati, ut, quantum possent, mentem ducis sui pactasque conditiones exsequerentur, in partitione partes præcipuas omnium membrorum sacri corporis, præter plurima fragmenta, quæ discerni vix poterant, obtinuerunt. Pars altera sancti corporis ducis Mauritii in eadem arca eodemque monasterio Agaunensi relicta est. *Hæc autem omnia clam peracta sunt, eodem scriptore teste, propter timorem a popularium tumultu. Ne vero ex qua parte sacer thesaurus in dubium revocaretur, voluit episcopus Augustanus, rem undequaque invictis testimoniis munitam esse et confirmatam. Itaque ab episcopo Sedunensi tale obtinuit testimonium, quod a Baldesana productum, hic recudo.* Nos Hillebrandus a Rietmatten, divina favente clementia, episcopus Sedunensis, præfectus et comes terræ Vallesii, omnibus et singulis, quibus expedit, verum fore attestamur, quod fide digno accepimus testimonio, sacras reliquias corpus divi Mauritii martyris, qui ante multa sæcula Legioni Thebææ præfuit, et cum ipsa Legione eodem in loco et divi Mauritii diœcesis nostræ oppido, propter fidem Cristianam martyrium subivit sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus, severissimis Christianorum persequutoribus, nec non ejusdem beati Martyris ensem, quem cum earumdem reliquiarum medietate illustrissimo ac serenissimo D. D. Carolo Emmanueli Sabaudiæ duci, confœderato et amico nostro observantissimo, ob ejus in prædictas res sacras studium et pietatis affectum, quandoquidem amplissimæ ac florentissimæ illius familiæ F

AUCTORE J. C.

familiæ sit patronus, fœderum hoc tempore renovatorum et mutuæ amicitiæ ac vicinitatis intuitu, nos episcopus præfatus, bailivus noster, et oratores omnium septem desenorum, nomine totius reipublicæ Vallesii, dono contulimus, a majoribus nostris in hæc usque tempora continue pro certis et indubitatis ejusdem reliquiis habitas et reputatas, atque insigniter magna cum devotione a spiritualibus et secularibus tam diœcesis nostræ, quam etiam exteris utriusque sexus hominibus veneratas, et evidentissimis miraculis illustratas fuisse: ita ut hac de re nulla penitus suspicio supersit, neque aliquis Christianus, Catholica religione imbutus, diversum sentiat, etiamsi ob vetustatem nulla certa de hisce exstent litteralia documenta.

authenticis episcopi Sedunensis

79 In quorum fidem ac veritatis testimonium hujusmodi concessimus litteras sub sigilli nostri appositione et secretarii nostri subscripti manuali subsignatione. Datum Seduni die XXVI mensis Decembris; stilo novo, anno a Christo nato MDLXXXX. *Sigillo munitum et subsignatum* Egidius. *Episcopus Agustanus ceterique oratores ducis Sabaudiæ, quos, ut supra notavimus, sparsa Agaunensium consilia circumspectos reddiderant, ne qua* B *fraudi locus esset, aliud insuper ab Agaunensibus canonicis instrumentum exegerunt, et impetrarunt, quod ex autographo sic exhibet Baldesanus pag.* 345. Adrianus a Rietmatten, permissione divina humilis et indignus abbas electus, et commendatarius electus D. Mauritii Agaunensis, nec non et sacrista, cœnobitæ, sive canonici Regulares sub titulo beatissimi patris nostri S. Augustini, omnesque aviti nostri monasterii immatriculati. Notum iri volumus universis, quod cum auctoritate et jussu reverendissimi domini nostri Sedunensis episcopi, nec non comitiorum generalium et ordinariorum totius reipublicæ Vallesianæ, vigore mandati peremptorii immediate jussi fuerimus, reverendissimo ac pientissimo domino Joanni Gottofredo Ginodeo, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopo Augustensi, nec non et clarissimis et eximiis viris atque dominis oratoribus pro et nomine ducalis celsitudinis Sabaudiæ definitis, impartiri et elargiri medietatem reliquiarum, una cum Spata (ut vocant) sive ense archiducis et martyris Domini, Mauritii supremi patroni nostri, in ejusdem veridica coporis capsa et scrinio in æde sacri thesauri Agaunensis C conservabilium.

et abbatis monasterii Agaunensis,

80 Quapropter virtute præsentium cum nostris juramentis solitis attestamur et profitemur, illas ipsissimas sacras reliquias ex verissima custodia et scrutinio (prout a sæculo ratum et habitum fuit) hactenus ejusmodi Divorum ossalium reposibili, depromptas et exemptas fideliter et ingenue, omni dolo et fraude semotis, servatis servandis, contulimus et subrogavimus. In cujus rei memoriam et testimonium solita sigilla supprimere voluimus. Datum e monasterio nostro Agaunensi die vigesimo nono Decembris anni Verbi incarnati MDLXXXX. Et infra: Adrianus electus manu propria subsignavit. Joannnes Franciscus de Plastro sacrista dicti monasterii (L. S.)

Post quæ iterum ad calcem: Idem, qui supra, definitus electus, illustrissimas et serenissimas celsitudines ex ecclesia Sedunensi deque beati Theoduli sacro metallo et thesauro ornare voluit. *Porro ad hæc paucula observanda sunt. Ac primo quidem de reliquiis Agaunensibus* S. Mauritii *sic ubique sermonem esse in instrumentis, ut nullo modo inde liqueat, totum sancti Martyris corpus usque ad id tempus ibidem quievisse, quod nec uspiam alibi ab Agaunensibus assertum reperi, nec asseri modo potuit.* D

quæ sint.

81 *Baldesanus quidem passim liberaliter* Corpus *nominat, non solum coacervata ante divisionem sacra ossa, quæ Agauni reperta fuerant, sed eas etiam solas partes, quæ inde Taurinum translatæ fuerunt, sed id monuisse sufficiat. Adverti hic etiam potest, videri ex verbis Sedunensis antistitis reliquias* S. Mauritii, *quæ in Agaunensi ecclesia servabantur, nullo testimonio authentico munitas fuisse, licet a traditione pro talibus habitæ fuerint, quod satis mirum mihi apparet, cum tantus thesaurus procul dubio sæpissime per tot seculorum decursum apertus et inspectus fuerit, atque inde tot partes ab abbatibus aliis ecclesiis concessæ et ablatæ reperiantur. Quamquam de iis forte solum instrumentis sermo est, quæ reperti primum et in Agaunensem basilicam illati corporis fidem facere possent, quæque nulla supersunt.*

§ VIII. Translatio solemnis reliquiarum S. Mauritii Taurinum: aliquot beneficia, quæ tum temporis narrantur contigisse. E

Episcopus Augustanus obtentas cum difficultate reliquias

Post ea, quæ hactenus retulimus, pergit Baldesanus narrare solemnem obtentarum reliquiarum translationem, quam cum illo prosequimur, a pag. 317, *contractis, ut supra fecimus, in arctiores periodos ejus verbis. Potitus sacris reliquiis Augustanus episcopus mox reditum adornavit, portans secum sacrum thesaurum. Partitio autem reliquiarum ita clam fieri non potuerat, ut Agaunensibus civibus non suboluerit, quid ageretur, imo ut suspicax timor est, pronum erat ex rumore illo conjectare aliquos, imponi sibi a primoribus, falsaque spe lactari se, dum ex condicto integer thesaurus sacer clam Taurinum aveheretur. Sane Taurinenses metuentes, ne a popularibus vis sibi inferretur, quanta potuerunt diligentia celeritateque montem S. Bernardi percurrerunt, donec ad S. Remigii, quod Sabaudo parebat oppidum, pertigissent. Inde gubernatori et archidiacono Augustano adventum suum nuntiarunt, ut sacris reliquiis obviam procederent, præmonita tamen prius, ut in mandatis acceperant, serenissima principe Catharina.* F

asperrima hiemis tempestate per montes

83 *Quo tempore montem majorem S. Bernardi superabant, tria contigerunt notatu digna. Primum est, quod ea anni tempestate montes superarint, quæ solet ibidem a ventis, nivibus congestis et immodico frigore esse tam aspera, ut non sine evidenti vitæ periculo quispiam hieme illic itinerari possit. Fuit autem, cum episcopus Augustanus Agaunum properaret, observatum, quod cum vix asperrimum montem transisset, subito, nive, quæ nocte Natalis Domini copiosissima deciderat, via undequaque fuerit interclusa. Pariter in reditu episcopi cum sacro thesauro vestigia, gelu et aperto sole indurata non nihil nive, suffraganteque ventorum silentio et lecticariorum industria, firmum utcumque pedem recipiebant, at illa cum sacræ reliquiæ perlatæ essent, mox recens nix occlusit. Secundum est: transire debebant angustum valde tramitem, cui nix altissima imminebat; hæc, si decidisset, sanctas reliquias et qui illas deportabant, omnes oppressisset. Primi callem intrare debebant lecticarii, ruricolæ, qui montes inhabitant et a viatoribus conducuntur, ut vias præmonstrent aperiantque*

A *periantque, vel etiam itinerantes transportent.*

altissima nive tectos, non sine singulari

84 *Illi itaque propter humiditatem tramitis strati per nivem infirmam et mollem admoniti de periculo reditum suadebant. Sed mox episcopus, qui sacrum thesaurum ferebat, insolita fiducia in* S. Mauritium *se plenum sentiens, ut sequentibus animos adderet, cum sanctis reliquiis præcessit, inquiens, non posse illos tunc perire, quando tantus Protector aderat, ad quæ universi cum pari fiducia responderunt, quod vitam suam et salutem Sancto committerent et ita secure evidens periculum evaserunt, nixque sub eorum pedibus indurata est* S. Mauritii *meritis et patrocinio. Eidem adscriptum fuit beneficium alterum. Quo tempore Alpes nivibus tectæ sunt, solet montibus earum massa aliqua hinc et inde ventis pluviisque avelli; hæc per nives inferiores devoluta in tantam quandoque molem excrescit, ut montem induisse diceres, atque cum tanto impetu ruit, ut non solum homines et pecora opprimat, verum etiam arbores, rusticorum casas, integrasque sylvas et terras evertat.*

Sanctorum adjutorio, defert Augustam :

85 *Contigit igitur, cum Augustanus episcopus, et qui illum in reditu comitabantur, procederent, ut talis nivium moles, quæ procul dubio opprimere* B *omnes et tegere poterat, decideret. Spectato lapsu præcipitique impetu, devolvi debebat in eum locum, ubi cum* S. Mauritii *exuviis incedebat episcopus : at cum jam esset proxima, eique immineret non sine evidenti periculo, aperuit se, et utrimque delapsa est, nullum inferens cuipiam damnum. Hactenus fere Baldesanus. Postrema hæc si vera sunt, non immerito sane sancti Martyris potenti patrocinio adscribi possunt. Pergit translationem enarrare Baldesanus pag.* 320. *Kalendis Januarii anni post Christum natum* 1591 *Augustam perlatus est nuntius, adventare episcopum cum reliquiis* S. Mauritii, *quas ordine procedentes pedestresque canonici ferebant. Gubernator jussit subjectas sibi militares copias procedere obviam. Suaserat is, ut patres equitesque, quos serenissima ducis conjux Catharina submiserat, translationi adfuturos apud se morarentur, quoniam in eorum adventu via per montes nivibus interclusa fuit, ut primum illac Augustensis episcopus transierat.*

ubi cum summo applausu excipiuntur,

86 *Postquam igitur milites in occursum sancti thesauri processerant, gubernator se cum patribus, equitibus et viris aliis nobilibus in viam dedit, hosque omnes subsecutus est clerus cathedralis* C *ecclesiæ solemniores vestes indutus. Incedebant milites sub gubernatoris vexillo, quod opportune exhibebat crucem* S. Mauritii, *flammis igneis radiisque solaribus circumdatam, cum lemmate, Gallico expresso idiomate,* Plus ultra. *Cum in conspectum venerunt sacra lipsana, milites, explosis tormentis minoribus bellicis, lætitiæ initium fecere, clerus, comitante musicorum turba suaviterque modulante, episcopum cum sacro thesauro ad vicinam urbi sacram ædiculam perduxit. Ibi sanctæ reliquiæ populi innumeri, qui accurrerat, conspectibus fuerunt expositæ : episcopus, qui in peregrini habitu advenerat, pontificalem ornatum, equites* S. Mauritii *pallium, ordinis sui insigne, omnes ardentes cereos sumpserunt, et sic ordine ad cathedralem ecclesiam processum est. Antiqua erat apud Augustenses veneratio sancti Martyris, quam S. Gratus ejusdem olim sedis episcopus, allatis eo aliquot* S. Mauritii *reliquiis, invexerat. Itaque cum triumphali pompa festivisque plausibus sanctum suum Protectorem exceperunt; allata lipsana in sacello, ubi SS. Gratus et Jocundus quiescunt, post decantatas solemni musica Vesperas, inclusa fuerunt.*

87 *Mox mandata a serenissima principe Catharina perlata fuere. Jubebat, quanto posset cum splendore, ordine et pompa perferri Taurinum sacras reliquias; monebat, de die et modo, quo translatio fieret, instrui se velle. Mitteretur ad se mensura arcæ ensisque, spondebatque sumptus omnes in translationis pompam impendendos a se refusum iri. Itaque Augustensis episcopus consultis, qui aderant, equitibus patribusque Societatis nostræ, serenissimæ principis voluntati, datis litteris, satisfecit. Compositæ sunt duæ capsæ, minor altera, in qua sacer thesaurus deponeretur, intus holoserico pretioso ornata. Major, quæ primam reciperet conservaretque, rosei deforis coloris erat, cujus est habitus Mauritianorum equitum. Ejusdem etiam Ordinis cruces illam undequaque ornabant. Dedit insuper mandatum episcopus Augustensis ad omnes diœcesis suæ parochos, ut parati essent cum suo grege sancto Martyri solemniter occurrere, cum ad subjectarum paræciarum limites pervenisset. Simile mandatum a gubernatore ad milites missum fuit. Significatum insuper fuit episcopo Eporediensi, ut eumdem ordinem servaret in itinere Taurinum versus.*

AUCTORE J. C.

et novæ lipsanothecæ includuntur.

Profectis cum sacro thesauro ex paræciis parochi cum suis,

88 *Omnibus ita dispositis, die octava Januarii sancta ossa præparatæ recens arcæ imposita fuerunt, postera die unum illorum Augustensibus deosculandum datum ac deinde iterum capsula reclusum fuit. Celebrata solemniter Missa, procedere supplicantium in morem cœperunt eodem fere ordine, quo fuerant Augustam ingressi.* E *Ejusdem urbis nobiles viri omnes cum cereis accensis sacrum thesaurum comitati sunt, usque ad ædem satis dissitam. Ibi episcopus breviores vestes sumpsit, et processit hoc ordine. Agmen ducebant crux prælata et presbyteri aliquot musicique hymnos modulantes. Succedebat canonicus, sancti* Mauritii *ensem ferens. Sequebantur aliæ Sancti exuviæ, a duobus canonicis portatæ. Proximi incidebant pedites episcopus plurimique, qui de ejus comitatu erant. Hinc et hinc sacra lipsana ambiebant laternarii quatuor, in hunc finem adornatas ingentes laternas in altum deferentes, ac tandem claudebat religiosum agmen multitudo ingens virorum et mulierum. Occurrebant paræciarum, per quas transitus erat, rectores cum vicariis suis, superpelliceis pluvialibusque induti cum sanctis reliquiis, si quas haberet eorum ecclesia, ac primum thus sancto Protectori adventanti adolebant, deindeque cum cantu usque ad parœciæ suæ finem deducebant sacra pignora, ubi ab alio rursus, eodem servato ordine, excipiebantur,* F *accurrentibus undequaque accolis, et cum summa animi teneritudine reverentiaque sanctum Martyrem venerantibus.*

et ex vicinis præsidiis milites occurrunt. Eporediæ

89 *Milites etiam ex diversis præsidiis prodeuntes, quæ in mandatis habebant, prompte alacriterque exsequebantur. Ad cujusque diei finem, cum ad assignatam stationem pervenissent, sacra lipsana loco tutissimo sub vigilum militum custodia collocata fuerunt. Postridie postquam celebrassent ad aras patres nostri, inde educebantur, omnesque solito ordine procedebant. Tantus ubique erat populorum concursus tantaque devotio, ut agmen integrum per altas nives et viarum incommoda ad maximi momenti expeditionem bellicam properare eminus dixisses. Gaudebant singuli coronas precatorias sanctæ capsæ admovere, spectareque ensem sancti ducis, qui in vico Ciambava deosculandus datus fuit. Cum ad confinia Eporediæ perventum esset, egressus est episcopus cum omni clero, religiosis ordinibus, piis sodalitiis, et primoribus urbis usque ad ecclesiam in colle ædificatam, nominatamque a S. Antonio. Ibi super altare deposita sunt sacra pignora.*

90 *Serenissima*

AUCTORE J. C.

velis pretiosis a serenissima Catharina, Sabaudi uxore, submissis ornantur

90 *Serenissima princeps Catharina Eporediam miserat canonicum Taurinensem,* S. Mauritium *veneraturum, inspecturumque suo nomine ejus sanctas reliquias, ad quas toto pectore anhelabat. Una destinarat pannum pretiosissimum heteromallinum, textili etiam opere pulchre pictum, ut sacram lipsanothecam tegeret decoraretque; addiderat insuper velum holosericum alternis auri lineis distinctum, quo sacer ensis involveretur. Iis coopertæ deinceps in itinere fuerunt sanctæ reliquiæ, quæ ibidem a canonicis Augustensibus rursus humeris exceptæ et ad civitatem latæ fuerunt. Erant plateæ omnes, qua transitus erat, ornatæ splendide, dispositis hinc inde aris musicorumque choris, urbi de tanti Hospitis adventu gratulantibus. Post longum circuitum ad ecclesiam cathedralem ventum est. Supra portam ejus maximam spectabantur depictæ decoratæque effigies sanctorum* Bessi *et* Tegoli *Thebæorum, quorum corpora in illa ecclesia servari asseruntur, mediaque illas inter imago* S. Mauritii, *eorum ducis. Ad ecclesiæ januam sanctas reliquias episcopus Eporediensis atque archipresbyter capituli exceperunt, easque ad altare princeps pertulere, et post concentum musicum populo spectandas præbuere: post quæ*
B *ad sacrarium relatæ sunt.*

et cum pompa excipiuntur.

91 *Eodem vesperi Eporediam advenit Vercellensis antistes, ut et ipse et Eporediensis Augustano comites, solemni translationi adessent. Postero die mane religiosum agmen rursus se in viam dedit, canonicis Eporediensibus vicatim omnibus sacrum onus subeuntibus, per longam viam, donec parochum aliquem de more cum suis habuerunt obvium, sicque tandem Clavisium (Oppidulum est Eporediam inter et Taurinum medium) pervenerunt. Vercellensis et Eporediensis episcopi breviori itinere jam illuc appulerant, clerumque et pias confraternitates congregaverunt, cum quibus urbe egressi, rursus sacris lipsanis occurrerunt. Hæc ad ecclesiam principem lata cum pompa et civium applausu fuerunt. Clavasii moratum est, donec mandata nova ab Infante Catharina perlata sunt. Ejus jussu versus monasterium patrum Capucinorum, quod uno milliari Taurino distat, et a Diva De Campania nomen habet, perrexerunt. Sanctum Thebæorum Ducem patres illi solemni more exceperunt, prætiosæque exuviæ illorum ecclesiæ illatæ, et sub militum custodia depositæ fuerunt.*

C

§ IX. Inspectio sacrarum reliquiarum earumque in urbem Taurinensem cum solemni pompa illatio.

Ante receptionem indictum Taurini jejunium.

Cum *Taurini nuntiatum esset (pergo Italice scribentis Bernardini Rossignolii narrationem stringere) appropinquare urbi tam ardentibus votis desideratas* S. Mauritii *reliquias, jamque ad patrum Capucinorum ecclesiam pervenisse, vir illustrissimus Melchior Peletta, episcopus Chrysopolitanus et suffraganeus Eminentissimi Taurinensis archipræsulis Hieronymi della Rovera, S. R. Ecclesiæ Cardinalis, indixit jejunium et Vigilias, et solemnem supplicationem pro sequenti die, quo in urbem introduceretur novus hospes, dux et protector* Mauritius. *Eo die, qui Martis erat et* XV *Januarii, mane profecti sunt ad monasterium Divæ campestris illustrissimus nuntius Apostolicus Julius Ottinelli cum illustrissimo suffraganeo, magnus cancellarius, referendarius, et secretarius serenissimi Sabaudiæ ducis ad inspiciendas sacras reliquias nomine et jussu serenissimæ Infantis, cujus recognitionis instrumentum publicum et authenticum conditum est. Porro visitatio facta est coram episcopo Eporediensi, testimoniumque authenticum exhibet Baldesanus Italice scriptum pag.* 340. D

Inspectæ prope urbem reliquiæ,

93 *Nihil attinet illud hic integrum Latine vertere, cum eadem fere ibi de itinere initio referantur, quæ jam protulimus, quæque in testimonio illustrissimi Augustensis iterum postea recurrent. Posteriorem partem, quæ est de inspectione et recognitione reliquiarum huc transfero ex eodem Baldesano pag.* 343. Aperta coram illustrissimis Nuntio et suffraganeo Taurinensi majore capsa, educta est capsula altera lignea cæruleo colore picta, involutaque panno holoserico rubri *(Cremesina)* coloris, obserata clave et pariter sigillis munita; *(sicut arca major fuerat, ut in instrumento ante narratur.)* Bina sigilla recognita fuerunt, ut supra, et deinde aperta est lipsanotheca coram reverendissimis dominis, Nuntio, suffraganeo et episcopo Augustano, inventaque intus vestita tela subserica *(in Italico est* Cendale, *quod in Lexicis non invenio. Forte barbarum est, a Gallico et Hispano* Cendal, *et Latino*, *a scriptoribus medii* E
ævi usurpato, Cendalum, *cujus varias significationes Cangius, hanc ego ex conjectura prætuli)* rubea et apparuit in ea primo intuitu desuper gossipii bombyx alba; qua sublata, detectus est pannus holosericus rubeus, proxime sanctis reliquiis superpositus. Detectæ et inventæ fuerunt partes viginti duæ magnæ, et viginti parvæ ossium, cum pulvere et fragmentis minutis collectis et involutis cum chartis testibus, quod essent illius S. Mauritii, signatis redditisque ab abbate prædicto et capitulo abbatiæ præfatæ S. Mauritii dicto reverendissimo episcopo et dominis aliis, a prædicto serenissimo duce missis.

quales repertæ sint.

94 Reverenter autem extractæ singulatim fuerunt manu propria reverendissimi Nuntii et episcopi coram prædictis dominis testibus, et collocatæ super carta, cui pannus albus substratus erat; cumque positæ ibidem, diligenter inspectæ, consideratæ recognitæque fuissent, invenerunt, quod aliquæ essent de cranio, brachio, femoribus, tibiis, costis, spina dorsi et aliis partibus diversis sacri et venerandi corporis prædicti S. Mauritii, quas prædictus reverendissimus dominus episcopus Augustensis ibi affirmavit cum juramento, manu F
pectori Religiosorum more admota, esse ipsa ossa et reliquias extractas ex prædicta ecclesia et monasterio seu abbatia S. Mauritii Agaunensis, et sibi aliisque prædictis dominis traditas et remissas ab abbate reverendissimo et canonicis prædictæ abbatiæ, quæ deinde omnes per præfatos reverendissimos dominos singulatim repositæ et restitutæ sunt in eamdem capsulam, involutæque, ut prius fuerant, panno serico repositumque desuper gossipium.

et iterum reconditæ.

95 Postea lipsanotheca clausa fuit clave, impositaque grandiori arcæ, cum duobus sigillis serenissimæ principis Catharinæ. Clavis eidem episcopo Augustensi relicta est custodienda et serenissimæ remittenda. Eo facto mox obtulit tradiditque præfatis dominis thecam ligneam factam in formam crucis, tectamque corio impresso, et vetusta equestri S. Mauritii effigie ex uno latere. Intra illam erant tria scuta gentilitia Sabaudiæ cum cruce alba in campo rubro, et quinque annulis, quibus videntur olim gemmæ insertæ fuisse. In cruce tres erant annuli similes, inque medio, clementis antiquissimis contractis, legebatur, Sanctus Mauritius,

A Mauritius, in longitudine autem thecæ legebatur O bone Mauriti, defende tui cor amici, ut numquam subjici laqueis possit inimici. *Differt hic inscriptio ab eadem num. 77 relata : sed pergamus.* In altero autem latere in eodem corio expressæ spectabantur quatuor rosæ rubri coloris, scriptumque in medio; Petrus Fornerius.

Gladii inspectio.

96 Solutæ sunt deinde duæ tæniæ holosericæ rubeæ, quibus vinciebatur theca, quæ per reverendissimos aperta inventaque est rubro intus duplicata panno, atque in ea machera cum vagina ex pelle piscium, capuli pila contusa, scutellaque ferrea etiam extrema vaginæ parte, et versis, ferrea ex duobus laminis in crucem transversis, ferreaque etiam extrema vaginæ parte, et frusto cinguli ex bubalo tenui cum capulo de eodem corio fune albo circumligato. Educta per reverendissimum Nuntium machæra illa apparuit rubigine obducta, videbaturque fuisse deaurata, larga tres digitos longaque quinque circiter palmos, deinde recondita fuit in vagina sua et theca et iisdem revincta ligaminibus. Machæram illam eamdem esse, quam præfati abbas et canonici Agaunenses S. Mauritii deposuerant tradiderantque cum prædictis reliquiis, reverendissimus Augustensis modo prædicto asseveravit. Horum omnium præfati domini concesserunt testimoniales ad æternam rei memoriam, quæ per me Augustinum Ripa, civem Taurinensem, notarium et secretarium sanctioris consilii et ærarii serenissimorum Sabaudiæ ducum, Annuntiatæ et militaris Ordinis S. Mauritii et Lazari, exceptæ fuerunt. In quorum fidem cum solitis officii mei signis subscripsi *etc.*

Ornatus et pompa

97 *Ad hæc venient aliqua inferius observanda, ordinem narrationis Baldesani resumamus. Postquam modo supra dicto recognitæ et inspectæ fuissent sacræ exuviæ, debite reclusam lypsanothecam canonici Taurinenses humeris exceperunt processitque solemnis supplicatio Taurinum, versus portam, quæ Segusina dicitur. Extra portam illam erecta erat levi opere ædicula, ornata instar oratorii, atque in ea ara pretiose decorata multisque cincta luminaribus, ad quam per gradus aliquot ascendebatur. Super illa multo tempore quieverunt sanctæ reliquiæ, donec parata essent ad receptionem et ordinata cetera. Assistebat autem, inter affluentium undequaque populorum innumeram multitudinem, Augustanus episcopus cum canonicis aliquot et viris nobilibus. Interim comparuit magna series puerorum de schola doctrinæ Christianæ, cælestes genios habitu referentium, laudesque canentium, cum duce suo et antesignano, præferente vexillum cum cruce* S. Mauritii; *ab iisque carmen recitatum est, quo sancto Martyri eam doctrinam commendarunt, pro qua olim gloriosum sanguinem fuderat. Advenerunt paulo post illustrissimus Nuntius Apostolicus et orator Venetus, cum aliis aliquot præsulibus invitatis a serenissima duce, et deputati, qui sanctas ferrent reliquias, archipræsules Viennensis et Tarantasiensis, episcopique quatuor Vercellensis, Astensis, Eporediensis et Montis-Regalis, pontificalem omnes cum mitra induti ornatum. Aderat pariter illustrissimus suffraganeus Taurinensis Peletta, cum capitulo metropolitanæ ecclesiæ et equitibus* S. Mauritii, *Ordinis sui habitum gestantibus. Dispositis itaque omnibus, inchoata est supplicatio, et sacra* S. Mauritii *lipsana feretro festivo novo, eoque venuste ornato, superposita, sicque ab illustrissimis quatuor episcopis excepta et lata fuere.*

98 *Initium fecit puerorum, quorum jam meminimus, prolixa series, successit sodalitas nobilium feminarum, saccos indutarum, manuque tenentium cruces, insignia illius sodalitii, quod ab humilitate nomen habet: secutæ sunt confraternitates omnes flagellantium: pone illas processere Religiosi mendicantes, quos exceperunt cives innumeri, ardentes manu cereos gestantes. Reliqua hoc ordine solemnis pompa subsecuta est; sclopetarii Taurinenses, aulici serenissimi ducis, equites* S. Mauritii, *clerus secularis, canonici cathedralis ecclesiæ vestiti superpelliceis omnes, cum cappis desuper purpurei coloris, quibus mustellæ Alpinæ pelles intus assutæ erant, instar canonicorum Romanorum S. Petri; gubernator urbis portans* S. Mauritii *frameam, deinde archiepiscopi Viennensis et Tarantasiensis, et inter hos medius Augustensis præsul, custos sanctarum reliquiarum, quæ pone ab episcopis Vercellensi, Astensi, Montis-Regalis et Eporediensi latæ sunt. Successerunt Oratores Hispanus et Venetus, magnus Sabaudiæ cancellarius cum referendariis, præsides senatus cum senatoribus, camera ducalis, magistratus et officiales urbis, vicarius et prætor, syndici et consules cum nobilibus aliis.*

AUCTORE J. C. cum quibus sacer thesaurus intra urbem receptus,

99 *Hos omnes ex utroque latere sepiebant prætoriani, spiculatores, aliique ducis satellites, aperto capite accensas præferentes faces, quas non habentibus munifice suppeditaverat Infans serenissima. Denique innumera multitudo civium ardentibus instructi omnes cereis claudebant religiosum agmen, quod hoc ordine inter bellicorum tormentorum festivos strepitus et campani æris ex omni turre applausus urbem ingressum per vias præcipuas incessit. Muri omnes faciesque domorum holosericis velis, tapetibusque tecti et ornati erant. Patres Societatis Jesu, apud quos servantur sacra corpora trium tutelarium sanctorum,* Solutoris, Adventoris *et* Octavii *in honorem Ducis sanctæ Legionis Thebææ, cujus illi milites fuisse creduntur, ornarant splendide totum, qua parte plateam maximam respicit, collegium suum, quod arcubus duobus triumphalibus utrimque intercluserant. Parietes omnis generis pretiosi panni illisque affixa carmina pompæ accomodata vestiebant. Contra templi faciem ex utraque valvarum parte in pegmate duas aras erexerant. Super harum una exposita erat pretiosa lipsanotheca trium laudatorum Thebæorum cum illorum affabre militari habitu pictis iconibus, huic ex altero latere respondebant in altari altero sacra lipsana S. Julianæ, hospitæ quondam prædictorum Martyrum, et S. Goselini, abbatis olim cœnobii* S. Solutoris, *prodigiosæ reliquiæ.* F

et per plateas principes pulchre decoratas delatus est

100 *In superiori frontis parte inter varios ornatus spectabantur quatuor pulchræ statuæ, trium tutelarium Martyrum et beatæ Julianæ. Aras duas prædictas inter, in eminentiori loco exstruxerant altare tertium, super quo, morante supplicatione, depositæ sunt novi hospitis* S. Mauritii *venerandæ exuviæ. Post concentum musicum dictamque ab episcopo suffraganeo de sancto Duce orationem, juvenes quatuor laudes* S. Mauritii *cecinerunt, urbique de tanto thesauro carmine gratulati sunt. Stabat interim ad gradus metropolitanæ ecclesiæ dux serenissima Catharina cum duobus filiis, alter enim infirmabatur, exspectans novum Hospitem et antiquum Protectorem serenissimæ domus Sabaudicæ, vidensque appropinquantes sanctas reliquias provoluta in genua jussit filios feretrum deosculari et sanctam lipsanothecam amplecti in signum admissionis dudum desiderati Hospitis et Protectoris. Cum hæc ad templi valvas fierent, per quatuor equites Ordinis* S. Mauritii *eo allatum est ex choro corpus* S. Secundi, *ducis et locumtenentis* S. Mauritii. *Suffraganeus cum omni populo* ter

ad metropolitanam ecclesiam. Pietas erga S. Mauritium

AUCTORE J. C.

ter protectionem imploravit ejus, qui in occursum Ducis sui venerat; deinde ad altare princeps cum sanctis reliquiis processum est.

serenissimæ infantis Catharinæ, quæ ad aram

101 *Erat tum illud, tum totum intus forisque templum ad triumphalem tanti Ducis ingressum splendide ornatum. Super ara, ubi jam olim* S. Mauritii *brachium collocatum et servatum fuerat, reliqua nunc allata Sancti ossa deposita fuere, resonante musicorum concentu. Serenissima princeps ad umbellam præparatam, et oratores ad destinatum locum se recepere, cantatæque sunt ritu solemni Vesperæ. Inter has processit serenissima dux ad gradus altaris, ut* S. Mauritium *veneraretur, processitque Augustensis episcopus, atque illi claves, quibus sacra lipsana occlusa erant, remisit, simulque testimoniales literas Sedunensis episcopi, abbatis et canonicorum Agaunensium, quas superius exhibuimus, obtulit. Quid deinde actum sit, narratur in testimonio authentico Augustini Ripa, quod excudit Baldesanus pag.* 350. *Quæ huc pertinent, inde transfero.* Prædicta serenissima Infans, acceptis præfatis litteris et clavibus, jussit aperiri prædictas lipsanothecas per præfatos
B reverendissimos Nuntium, et episcopum. Solutis sigillis et apertis, dicta majore theca et altera minore in priore contenta, allatis, et positis, ut supra, in præsentia et cum adjumento prædictorum Nuntii, archiepiscoporum, episcoporum et legatorum inspecta et reperta fuerunt omnia prædicta ossa et reliquiæ venerandi corporis S. Mauritii, descripta et recognita ut supra.

lipsanothecæ claves accipit et sacras reliquias in capsam argenteam

102 Eo peracto, reclusa est de novo prædicta capsa clavibus, acceptaque præfatarum reliquiarum depositione, et traditione facta, ut supra, per reverendissimum episcopum Augustensem gratiæ Deo, gloriosissimæ Virgini Mariæ et S. Mauritio actæ sunt, et testimoniales datæ, quas ego Augustinus Ripa notarius et secretarius etc. etc. excepi. Taurini in basilica S. Joannis XV Januarii MDLXXXXI. *Porro, eane inspectio in ipsa ecclesia Vesperarum tempore facta sit, ex interrupta instrumentis narratione deducere non potui, at translationis solemnitas trium dierum fuit, quibus, præsente semper serenissima Sabaudiæ ducis conjuge Catharina, cum insigni pompa ecclesiastica officia peracta, sanctæque reliquiæ deosculandæ datæ sunt. Taurinum attraxerant maximam populi multitudinem*
C *non ornatus solum splendidi, sed vel maxime veneratio erga sanctum Martyrem, et concessæ a Sede Apostolica indulgentiæ perpetuæ, lucrandæ non solum translationis die, qui* XV *Januarii fuit, verum etiam* XXII *Septembris, quo cum magno Taurinensium concursu celebratur martyrium* S. Mauritii *et Thebææ Legionis, cujus ipse præfectus fuit,*

transponi jubet. Instrumentum authenticum

103 *Postea serenissima princeps veneranda* S. Mauritii *pignora in argenteam lipsanothecam affabre factam transtulit, duxque Carolus Emmanuel quarto genitum suum* S. Mauritii *nomine appellari voluit in baptismo, crevitque cum annis in serenissima domo Sabaudica, et apud Taurinenses veneratio erga sanctum Martyrem, ut postea paucis attingemus; hic subnecto instrumentum authenticum episcopi Augustensis, quo strictim refertur translationis historia, ex Baldesano pag.* 346. Joannes Gottofredus Ginodius, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Augustensis etc, etc. Universis notum facimus, quod ex civitate Augusta nomine serenissimi ducis Sabaudiæ, ad monasterium S. Mauritii Agaunensis, patriæ Vallesii, Sedunensis diœcesis, profecti sumus, pro habendis pretiosis reliquiis et armis S. Mauritii martiris, Archiducis sacræ Thebeæ Legionis, nobis assistentibus, et comitantibus dominis Joan. Christophoro Guicciardo, Joanne Rodulpho de Campovillario, et Antonio Puincterio canonicis ecclesiæ nostræ cathedralis Augustensis, et nobili Laurentio Avisedi et capitaneis militiæ Augustanæ, et in reditu, nobili Petro Roncasio : D

episcopi Augustensis,

104 Et ibidem die Sabbati vigesimo nono Decembris anni MDXC sacris induti vestibus, Missa per nos in altari S. Mauritii celebrata, accensis luminaribus, et ad Deum devotis effusis precibus, aliisque servatis servandis, nomine prælibato, recepimus a reverendo domino Adriano a Rietmatten, abbato electo, et domino Joanne Francisco de Plastro sacrista, aliisque Religiosis dicti monasterii medietatem reliquiarum existentium in majori capsa argentea ipsius ecclesiæ S. Mauritii, ejusque sancti ensem, auctoritate, et mandato illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Sedunensis, comitis, præfecti patriæ Vallesii, ejusque eximii consilii, ac totius recepturæ Vallesianæ, per egregium Petrum Quarterii castellanum, et capitaneum publice lecto, præsentibus nobis et clarissimis dominis Hieronymo Lamberto consiliaro, et Carolo Rocheta etiam consiliario, et E in supremo senatu Sabaudiæ præside, suæ celsitudinis delegatis, atque nobilibus dominis Mattheo Cyneo, alias Bailivo patriæ Vallesii, Bartholomeo de Supersaxo, consule civitatis Sedunensis, Francisco de Platea signifero Syrri, Joanne Rosten signifero Raroniæ, et castellano Martigniaci, Antonio Vualdino procuratore fiscali dicti illustrissimi et reverendissimi domini episcopi Sedunensis a Morgicontei inferius, Georgio Michaële de Supersaxo gubernatore S. Mauritii, Guilielmo Odetto ejusdem loci sindico, et Gaspardo Brenlen Gubernatore Montiolo pluribusque aliis.

quod impetratarum et Taurinum

105 Qui domini abbas et sacrista jurejurando attestati fuerunt, eas esse reliquias dicti S. Mauritii martyris, et pro talibus habitas fuisse, et pro talibus ab omnibus semper (ut a majoribus audiverunt) habitas fuisse, prout latius, in litteris testimonialibus dicti domini abbatis dicta die vigesima nona Decembris, sigillis, tam præfati dicti domini abbatis, quam ejus capituli munitas, per ipsosque dominos abbatem, et sacristam subscriptis, continetur. Quam reliquiarum medietatem, F et ensem a dicto monasterio Agaunensi majori, qua fieri potuit observantia, et ab ingressu diœcesis nostræ Augustensis processionaliter semper, unaquaque parochia per sui territorii confines devote comitante, et duobus ex dictis canonicis deferentibus, aut aliis sacerdotibus coadjuvantibus, in dictam ecclesiam nostram cathedralem Augustensem die prima Januarii anni præsentis celebri processione totius cleri civitatis nobis obviantis transtulimus, ibique in sacrario usque ad diem nonam ejusdem reposuimus, clave dicti sacrarii per sacristam nobis fidelem servata, qui in manibus nostris juravit, se fideliter, et diligenter conservaturum.

translatarum reliquiarum

106 Tum translatis dictis reliquiis prædicta die nona in præsentia reverendorum dominorum Ludovici Mansonii Panormitani, et Joannis Baptistæ Rosetti ex collegio Societatis Jesu Taurinensi, et reverendorum dominorum Ferdinandi Scaliæ, et Fabricii Cevæ militum religionis sanctorum Mauritii et Lazari, aliorumque multorum in alias duas capsas decentiores, una intra aliam clavis obfirmata, et utriusque clavibus obseratas, sigilloque nostro munitas a dicta civitate Augustensi

A stensi processionaliter, ac modo et ordine, quibus prius, comitantibus etiam ultra reverendos patres Jesuitas, canonicos et milites supranominatos, reverendo domino Marco Antonio de Alabardo achidiacono ecclesiæ nostræ cathedralis, necnon multum illustri domino Georgio de Chialant, gubernatore Augustæ et Eporediæ, illustri domino Prospero de Chialant, Gaspare de Balbis, domino Quarti, Michaële de Bœza, domino Bœzæ, reverendo domino Gaspardo Vaudano dictæ religionis milite, et nobili Ammone Salvardi ex capitaneis militiæ Augustensis in ecclesiam cathedralem civitatis Taurinensis die decima quinta hujus, facta prius descriptione reliquiarum ipsarum et status capsarum in ecclesia beatæ Mariæ fratrum Capucinorum de Campania per illustrissimum et reverendissimum Nuncium Apostolicum, et reverendissimum dominum suffraganeum Taurinensem in præsentia illustrissimi domini Ludovici Miliet, magni cancellarii Sabaudiæ, plurimorumque aliorum, et, ut latius in testimonialibus per nobilem Ripam receptis, constat, transtulimus.

fidem indubiam faciant.

107 In qua ecclesia metropolitana ante magnum B altare ipsius ecclesiæ claves dictarum capsarum in manibus serenissimæ Infantis, ducissæ nostræ, remisimus, præsentibus dictis illustrissimo domino Nuncio Apostolico, et reverendissimo domino suffraganeo, ut aliis testimonialibus, per dictum nobilem Ripam receptis, apparet. Quapropter præsentium virtute nostroque juramento solito testamur, et profitemur, omnes illas sacras reliquias, per nos nomine dicti serenissimi ducis receptas, fideliter remisisse, omnemque curam ac diligentiam circa præmissa, tam in conservatione clavium capsarum ipsarum et sacristiarum atque locorum, in quibus repositæ fuerunt, quam per appositionem sigilli nostri, ac custodia adhibuisse. In cujus rei testimonium præsentes subscriptione nostra sigillique nostri appositione communivimus die decima sexta Januarii, anni a salute mundo parta nonagesimi primi supra sesquimillesimum. Quas cum dictis testimonialibus præfati domini abbatis Agaunensis, etiam per secretarium nostrum signatas, in manibus dictæ serenissimæ Infantis ducissæ nostræ reliquimus. *Ceterum Adrianus a Riedmatten, qui tum hic, tum in præcedentibus instrumentis vocatur abbas electus monaste-* C *rii Agaunensis, ad hanc dignitatem, sublatis peste omnibus Agaunensibus, qui ad dignitatem illam aspirare potuissent, consentientibus primoribus Vallesiæ, assumptus fuerat, cum esset decanus cathedralis Sedunensis, at confirmationem Roma obtinere non potuit; anno tamen* 1604 *Sedunenses infulas consecutus est, ut docet me eruditissimus De L'isle in Historia Ms.*

§ X. Beneficia, quæ narrantur in translatione et postea impetrata. Discutiuntur aliqua Baldesani superius asserta. De brachio S. Mauritii, quod pridem habuisse se gloriantur Taurinenses.

N*arrat Baldesanus pag.* 333 *prodigium ipsius solemnis translationis tempore contigisse.* Respondit, *inquit Italice*, divina clementia civitatis devotioni erga sanctum ducem Mauritium, mox largiens arrham novi patrocinii ejus in filiolo M. Benedicti Valle, cui nomen erat Joanni Ambrosio Franco, *(quod Latine est* Liber *seu* Exemptus) quia, cum esset duodecima ex eodem matrimonio proles, patri immunitatem exemptionemque a publicis oneribus attulerat. Erat infans trium annorum tibiis tam debilibus, ut iis regere se et incedere non posset, sed serpebat per terram, cum magno amarore parentum, qui frustra omnem chirurgorum et medicorum operam adhibuerant. Cum igitur sacræ reliquiæ S. Mauritii a templo collegii Societatis Jesu portarentur ad ecclesiam cathedralem, ædes Benedicti præterlatæ sunt. Ejus uxor Margareta præ foribus domus suæ tum stabat, et affectu materno compatiens filiolo debili, illum novo Hospiti obtulit ferventissimisque precibus Sancto commendavit.

AUCTORE J. C. Puer debilis tibiis, commendatus S. Mauritio sanatur

109 Eo facto, cum alio qampiam ob causam, ire cogeretur, commendatum filiolum tradidit puellæ vicini sui Stephani Savuglio, præfecti officinis, *(in Italico est* Fondicaro) et hæc credens, quod adhuc debilis esset ut ante, puerum deposuit, ut humi sederet. Et ecce infans tam ante debilis, post humilem commendationem S. Mauritio, ejus patrocinio tantum roboratus fuit, ut cum se in pedes erexisset, E incedere cœperit cum summo stupore omnium, qui priorem ejus infirmitatem cognovissent. *Præter hoc beneficia alia sparsim narrat Baldesanus, maxime a pag.* 367, *quæ, quod minus manifesta videri possint, sciens prætermitto, ne in immensum materiam hanc producere cogar. Nunc aliqua observemus ad ea, quæ superius ex eodem protuli. Monui jam, a scriptoribus* corpus S. Mauritii *Taurinensibus adscribi. Ferrarius in Catalogo generali ad* XVIII *Kalendas Februarii, ut inter Prætermissos ad illum diem animadversum est, ad Translationem* S. Mauritii *martyris notat :* Ex Tabulis ecclesiæ Taurinensis, a qua hæc translatio summa celebritate colitur cum Octava. Translatum est corpus hujus Sancti Martyris ex Agauno.

cum ejus reliquiæ reciperentur. Ad ante dicta observandum

110 *In Catalogo autem Sanctorum Italiæ ad hunc diem* XXII *Septembris rursus observat :* Corpus S. Mauritii his temporibus a Carolo Emmanuele Philiberto, Sabaudiæ duce, Pedemontiique principe ex Agauno Augustam Taurinorum transferendum, præcipueque in tota ditione hac, et die XV Januarii, (quo translatum est) colendum curavit. *Legerat, ni* F *fallor, Ferrarius Baldesani de sanctis Thebæis Historiam; facile ex illa doceri potuit, non corpus, sed corporis partes aliquas Taurinum translatas fuisse; sed maluit vulgato Taurinensibus more loqui, et sic posteris occasionem eam præbere, unde errores mille contentionesque graves exortæ non raro fuere. Partes corporis* S. Mauritii, *quas Taurinenses possident, habes numero superius* 94 *enumeratas, sic tamen, ut dubium etiam aliquod relinquant : etenim, ut infra videbimus, ex lipsanis* S. Mauritii, *quæ tum Agauno Taurinum translata fuerunt,* costa *postmodum ad reginam Hispaniæ missa est; interim in instrumento recognitionis, quod loco mox citato exhibui, utcumque dubie enumerantur partes vel fragmenta de costis. Forte sub majoribus partibus comprehendi debent aliquæ costæ integræ, vel non nisi pars magna costæ Hispanis concessa, costa vocatur ; at certo mirari licet, in neutro instrumento rem distinctius exponi.*

Taurinenses aliquos liberalius suis corpus sancti Martyris adscribere.

111 *Gladium, quem obtinuerunt cum ceteris reliquiis Sabaudi, unde Agaunenses didicerint* S, Mauritii *esse, nescio ; per traditionem, opinior, ita*

AUCTORE J. C.

De gladio dubitari utcumque posset, an ipsius S. Mauritii

ita a majoribus acceperunt. Enses, seu machæras potius, quæ sancti Martyris fuisse creduntur, plures per decursum occurrent. Arma aliqua sanctorum Sociorum ejus hactenus non inveni uspiam in honore haberi, vel servari; conjectare licet, non tamen inermes omnes fuisse, nec omnium gladios a lictoribus et militibus ceteris tyranni ministris fuisse ablatos. Certe credibilius est, aliqua ex armis tot millium Militum carnificum avaritiam effugisse, quam solius Ducis arma eorum manibus erepta fuisse. Illa tum neglecta, vel a Christianis forte paulo post tolli potuerunt, vel cum Sanctis consepulta postmodum inveniri, et non difficulter pro S. Mauritii *armis haberi. Huc profecto recurrendum erit, ne nimis armatum sanctum Ducem fuisse credamus. Ubi ostenderimus, reliquias alias partesque corporis sanctorum Sociorum ejus, pro* Mauritii *ipsius reliquiis et sacris ossibus haberi, nemo, opinor, multum mirabitur, si Commilitonum arma, Ducis fuisse asserantur.*

an Sociorum Martyrum sit.

112 *De gladio interim Taurinensi nihil hic ego certum pronuntio. Monumentis antiquis destituti erant Agaunenses, quibus probarent, hunc determinate* S. Mauritii *frameam esse, nec inspectionis descriptio multum suadet, ut id credamus; nihil tamen etiam ex adversa parte contrarium evincit: relinquemus itaque intactam eorum traditionem, quam ut aliquo modo etiam fulciamus, suspicabimur, machæram illam cum Sancti corpore revelatam fuisse, vel ab aliquo, occisorum cadavera spoliantium militum manibus substractam emptamve et conservatam, vel denique cum aliquo testimonio postea repertam fuisse. Scribit Baldesanus, ante solemnem hanc nostram translationem jam olim brachium* S. Mauritii *Augustæ Taurinorum in ecclesia cathedrali S. Joannis fuisse conservatum. Idem pag.* 205 *narrat, paucis annis antequam scriberet, obtentum illud fuisse ex ecclesia beatissimæ Virginis ex Oseck in Bohemia, quo allatum fuerat ab Ottocaro V, Bohemiæ rege sub finem anni* 1250.

Brachium ejusdem sancti Ducis unde Taurinenses acceperint.

113 *Est porro Ossecum cœnobium virorum Cisterciensium in districtu et diœcesi Litomericensi, in Bohemia, uno milliari Germanico a civitate Pontensi distans, sitaque ad radicem montium, qui Misniam a Bohemia dividunt. Scribit Sartorius, auctor Cistercii Bis-tertii pag.* 749, *Ossecenses monachos sacro S. Joannis Baptistæ indice ab Ottocaro sub annum Christi* 1260, *cum Belam et Stephanum Hungariæ reges debellasset, donatum fuisse; idem narrat pag.* 751 *et* 1013, *tria capita Thebæorum Martyrum a se visa in laudato monasterio, quibus adhuc testimoniales schedæ adhærebant, censetque, aliam insignem anonymarum reliquiarum collectionem ex eodem purpurato* S. Mauritii *agmine esse, at acceptum ab eodem rege brachium ejusdem sancti Ducis, nuspiam invenio. Unde unde venerit Ossecum, Bernardino Rossignolio, sub Carolo Emmanuele Sabaudiæ duce scribenti, cui et ecclesiarum et ipsius aulæ ex principis benignitate archivia patuerunt, fides hic negari non potest, saltem in eo quod serenissimus princeps laudatas reliquias pro brachio* S. Mauritii *acceperit. Sane si a reliquiis anonymis, ut censet Sartorius, tempore turbarum a Lutheri et Calvini asssectis motarum, avulsa sunt testimonia, potuit id seculo* 17 *contigisse, quo cœnobium illud, tum etiam vicinum Ratschiciense Thaumaturgæ Dolorosæ templum, cui præsunt Ossecenses, multum ab hæreticis passa sunt, atque ita Sabaudiæ dux* S. Mauritii *brachium, etiam testimoniis munitum, et ex prioribus tumultibus peculiari cura ereptum, accepisse.*

114 *Præter enumeratas hactenus sacras reliquias inter sacra sua cimelia Taurinum insuper numerat* S. Mauritii *annulum. Is quomodo ad serenissimam domum Sabaudicam pervenerit, sic fere narrat Baldesanus pag.* 201. *Petrus, Amedei III Sabaudiæ comitis frater, princeps bellica virtute clarus, et ob strenue fortiterque gestas res alter Carolus Magnus vulgo appellatus, acceptas a gubernatore cæsaris, qui vacuas, sublato Amedeo earum principe, provincias imperio accessisse affirmabat et imperatoris nomine tenebat, transeuntesque illac, ut scribit Paradinus, Amedei III legatus indignissime habuerat, fratris injurias ulturus exercitum in Vallesiam traduxit profligatisque hostibus Solossios Veragrosque comitum Sabaudiæ imperio vendicavit et subjecit. Petrus, non minus Christianis virtutibus clarus, quam armis potens, re tam prospere celeriterque gesta, Agaunum profectus est, Deo sanctoque* Mauritio, *cujus patrocinio felicem belli exitum tribuebat, debitas gratias acturus. Illi obviam venit abbas cœnobii Agaunensis cum monachorum caterva, a quibus summa cum voluptate lætitiaque exceptus est. Exhibitæ deinde ipsi fuerunt sacræ omnes reliquiæ, quibus illa dives est basilica. Inter has cum Petrus vidisset annulum* S. Mauritii, *in illum usque diem religiose servatum, tanto captus est ejus obtinendi desiderio ut instantissime abbatem donum illud flagitari jusserit.*

Annulus S. Mauritii

115 *Petitioni principis, cui religiosissima promissa accesserant, abbas non potuit non assentiri, maxime, cum domui Sabaudicæ, reædificata per Amedeum III Petri fratrem basilica, plurimum deberent Agaunenses. Concessit igitur desideratum annulum, interposita Petri promissione, fore ut ad nullos alios, quam ad comites Sabaudiæ transiret, itaque hereditarium serenissimæ domus donum esset, symbolumque perpetuum illius stirpis. Pactum cum abbate initum Petrus instrumento publico confirmatum voluit, deindeque plurima monasterio Agaunensi beneficia contulit. Instrumentum illud, si vidit Baldesanus, miror Historiæ insertum non esse. Ex eo interim tempore in serenissima Sabaudiæ domo crevit erga* S. Mauritium *veneratio, annulusque, quem quamdiu vixit inter pretiosissimos thesauros apud se habuit Petrus, comitibus Sabaudis ac deinde usque hodie ducibus signum testimoniumque esse cœpit legitimæ successionis in ditiones hereditatemque, non solum filiis, qui patribus succedunt, verum etiam aliis, dum, deficiente stirpe, in imperium veniunt. Illi porro semper memores obligationis susceptæ, cum impetratus est sacer annulus, (impendendæ scilicet vitæ in obsequium defensionemque sanctæ fidei, quod Petrus spoponderat) Ecclesiam semper tutati sunt, et non semel armis propugnarunt. Subnectit deinde Baldesanus beneficium ad sacri annuli contactum impetratum.*

Agauno acceptus, in serenissima domo Sabaudica

116 *Crajevicius, Bulgariæ princeps, Joannem Palæologum imperatorem Constantinopolitanum, fraudulenter comprehensum in vincula conjecerat. Amedeus VI, Sabaudiæ comes, illatam propinquo suo injuriam armis vindicare statuit, traductoque in Græciam exercitu, Crajevicium coëgit Joannem imperio suo reddere. Id cum bellum Sabaudus conficeret, Barnabas Mediolani Vicecomes ejusque frater Galeacius in Pedemontanum agrum cum hostili agmine irruperant. At primus de adventu Amedei in Sabaudiam nuntius Vicecomites in Lombardiam redire compulit. Eo vix finito bello, Montisferrati marchioni suppetias adversus Vicecomites Astam obsidentes feliciter tulit Amedeus: hinc illis crevit magis magisque invidia et Sabaudi odium. Cumque tandem eo temeritatis proterviæque venissent*

pretiosus et hereditarius

A *venissent, ut arma adversus Pontificem converterent, confœderatis Papæ, Caroli IV cæsaris Joannæque Neapolitanæ reginæ copiis præfectus Amedeus, receptis mox urbibus arcibusque, quas illi invaserant, Ticinensi Mediolanensique agro militem et vastitatem invexit. Rebus tam celeriter retro euntibus territus Galeacius, pacem a Sabaudo exoravit, ea lege interposita, ne fratrem confederatosque illi principes re ulla juvaret, atque ita in Barnabonem bellum omne translatum est. Is, cum victoris Amedei vires pertimesceret, nec aperto marte cum illo congredi auderet, indignissimo ausu scelestissimas insidias confœderato exercitui struxit.*

milites hausto veneno a præsenti morte præservat.

117 *Vicomercati, oppidum est ditionis Mediolanensis, quo venturum cum copiis Sabaudum præviderat, panem vinumque omne toxico corrupit. Nefas, ut speraverat, accidit, milites veneno infectis cibo potuque usi, subita infirmitate correpti, atque ad extrema redacti sunt. Exhorruit ad suorum calamitates necesque Sabaudus, cumque detectum scelus fuisset, pius princeps ad protectoris sui* Mauritii *patrocinium opemque confugit, ejus sacrum annulum aceto cum summa fiducia* B *immersit, bibereque ex eo militem jussit. Res mira, communicata cælitus* S. Mauritii *meritis virtute, non solum, quos venenum nondum læserat, præservati sunt, sed et ii omnes, quos præsens malum ad mortis limina perduxerat, convaluere. Atque hoc beneficium eodem fere modo narrant Annales Sabaudiæ ex Paradini Historia contractæ, et Vanderburchius, decanus Ultrajectensis, qui sub seculi decimi sexti finem libros duos de Sabaudorum ducum principumque historia gentilitia Latino sermone conscripsit. Advertit is ipse postremo loco laudatus scriptor, quod Amedeus, morti ex hausto veneno, ut opinantur aliqui, ad divi Stephani fanum in regno Neapolitano, ubi cum victricibus copiis tum agebat, vicinus,* S. Mauritii *annulum cum summa cura ad Amedeum filium per Gasparem Montmeurium, primæ nobilitatis virum, miserit, atque is idem annulus est, qui usque hodie summa in veneratione est in serenissima regiaque Sabaudica domo.*

Annuli alibi celebres nomine S. Mauritii, qui Sabaudiæ et Pedemontii protector eligigitur.

118 *Ceterum de illo eadem pene observari possunt, quæ superius ad machæram,* S. Mauritii *nomine sacram, indicavi. Simili etiam annulo gloriatur ecclesia Maurianensis; etenim in Appendicula ad vitam S. Tygris, desumpta ex ejus archiviis excusaque in Opere nostro tom.* V *Junii pag. 76, aliis enumeratis reliquiis additur,* annulus qui infantum albuginem ab oculis pellit, dicitur esse S. Mauritii. *Is quomodo eo perveniret, et a quo tempore ibi pretiosus habeatur, reperire non potui. Porro, quod ante particulares aliquæ civitates fecerant omnes, post translatas* S. Mauritii *Taurinum reliquias, Sabaudiæ Pedemontiique et ceteræ trans atque cis Alpes Sabaudo subjectæ ditiones imitatæ sunt, sanctumque Martyrem in patronum peculiarem protectoremque elegere. Taurinenses post obtentum sacrum thesaurum, præter festum, hoc die in pluribus jam ante vicinis locis celebrari solitum, eum etiam diem* S. Mauritii *nomine insignem habere cœperunt, quo sacris tanti Martyris exuviis potiti sunt, eumque ecclesia metropolitana, in qua depositæ fuerunt, cum Octava celebrat. Cum autem Pedemontani dubitarent, utro, an utroque potius, die Protectoris esset recolenda solemnis memoria, serenissimus princeps Carolus Emmanuel edidit edictum, quod, quia singularem maximi principis pietatem venerationemque erga sanctum Thebæorum Ducem, ejusque solemnis cultus per Italiam propagationem manifestissime ostendit, huc ex Baldesano pag. 386 Latine transfero.*

AUCTORE J. C.

Carolus Emmanuel Dei gratia dux Sabaudiæ, Pedemontii princeps etc. etc. Quanto majora sunt beneficia gratiæque, a Divina bonitate per Sanctorum patrocinium impetratæ, tanto amplius in nobis publice privatimque crescere oportet erga illos devotio.

Caroli Emmanuelis edictum, quo beneficia a S. Mauritio obtenta enumerans

119 Non possumus nos, neque subditi nostri, satis umquam nos præbere memores specialis favoris et singularis auxilii, quæ in omnibus maxime arduis, summi momenti et periculo plenis expeditionibus et molitionibus belli præteriti et afflictionibus nostrarum ditionum dignatus est concedere Altissimus precibus gloriosissimi ducis invictæ Legionis Thebææ S. Mauritii, serenissimæ domus nostræ Sabaudicæ a prima imperatoria sua origine antiqui Patroni et Protectoris perpetui, ad cujus majorem gloriam, conservationem quietemque provinciarum nostrarum, placuit divinæ providentiæ manifestius se ostendere in victoria tam memorabili, relata de Bernensibus et Genevensibus earum usurpatoribus, hæreticis et contemptoribus venerationis Sanctorum, eo ipso die, qui triumphantis illius Martyris memoria festus est. Id deinde multo amplius in E pectore nostro accendit ardentissimum desiderium, quod semper habuimus, recuperandi pretiosas ejus et prodigiosas reliquias, quas, antequam Vallesiis concederetur renovatio fœderis et pacis a nobis petitæ, voluimus, postposito omni mundano commodo, nobis remitti, easque in ecclesia primaria hujus metropolis Taurinensis, apud sacro sanctum sudarium Redemptoris nostri reposuimus et singulis annis, die ipsi sacro, in solemni omnium conspectu expositæ et portatæ in supplicatione a nobis et ab equitibus in ejus honorem institutis, una et ab omni clero populoque non minori cum frequentia, quam devotione sunt honoratæ.

solemnem ejus cultum per ditiones suas imperat,

120 Quapropter volumus, ut ad exemplum et imitationem hujusce civitatis primariæ ditionum nostrarum cis montes, ubi celebratur et observatur festum illius invicti gloriosi Sancti, et ubi tot insuper alii gloriosi Athletæ istius Legionis protectores eorum quiescunt, se conforment omnes et singulæ civitates dictarum nostrarum ditionum, terræ et loca, quæ ab Alpium jugis usque ad maris littora protenduntur. Quare ex certa nostra scientia, plena F potestate et auctoritate suprema, præsenti perpetuo et irrevocabili edicto mandamus et imperamus omnibus subditis nostris cismontanis, cujuscumque sint diœcesis, sexus, qualitatis et conditionis, ut deinceps et a prima promulgatione harum nostrarum inviolabiliter observent, feriatum et solenne habeant festum illius gloriosi martyris S. Mauritii, eo die, quo ab Ecclesia Catholica, Apostolica et Romana celebratur, nimirum vigesimo secundo mensis Septembris, cessantes ob omni opere servili, et omni eo, quod solemnioribus diebus prohibitum sit, sub pœna cuicumque contravenienti centum scutorum, vel duorum ictuum cordæ, secundum casus exigentiam senatui nostro arbitraria. Mulcta illa pecuniaria hospitali militum S. Mauritii hujus civitatis applicanda est. Declaramus, quod copiæ præsentium impressarum tanta fides haberi debeat, quanta ipsi Originali. Quod ita nobis placet, et exigit Divinum et nostrum obsequium. Datum Taurini die XXIII Augusti anno MDCIII.

C. Emmanuel.

Simile mandatum ducis, Mantuani,

121 *Præiverat jam anno præcedenti,* S. Mauritii *cultor non minus religiosus, serenissimus Vincentius, dux Mantuæ et Montisferrati, edideratque die* XVIII *Septembris anni* 1602 *edictum simile*

AUCTORE J. C.

simile, quo mandat diem XXII *Septembris per omnes ditiones suas festum et solemnem haberi, itaque sancti Martyris cultus per Occidentalem Italiam auctus et propagatus est. Operæ pretium esset illud pariter edictum serenissimi ducis Vincentii hic Latine reddere, at similia longius me aveherent. Baldesanus illud Historiæ suæ pag.*377 *inseruit, ubi ab hujusmodi rerum curiosis videri potest. Prætermittere tamen non possum id enarrare, quod ex quodam gratitudinis debito occasionem præbuit amplificando sancti Martyris cultui, præstitum a* S. Mauritio *serenissimo Mantuæ duci beneficium. Refert id ita Baldesanus pag.*391, *acsi accepisset a P. Bernardino Rossignolio, additque, rem totam accepisse prædictum patrem ex ore serenissimi principis ejusque sororis,quos, tecto licet nomine, satis manifeste indicat. Ipsius itaque auctoris Thebææ Historiæ tota est narratio, quam stringo.*

qui sancti Martyris opem

122 *Profecturus anno* 1601 *Vincentius Mantuanus dux cum nobilium et militum manu in Croatiam ad bellum Turcicum, memorque, natum se* XXII *Septembris, qui dies* S. Mauritio *sacer est, huic se devote commendavit, eumque in patronum* B *et singularem suum protectorem elegit. Accessit mariti votis serenissima uxor ejus Eleonora Medicea, Francisci magni Tusciæ ducis filia, conjugem ferventissimis precibus Sancto protegendum offerens. Pervenit ad exercitum adversus Christiani nominis hostes coactum princeps, deditque specimina solitæ fortitudinis : interea soror ejus Margareta, ni fallor, quæ partem ditionum pro fratre administrabat, die quopiam a septuagenaria moniali, quæ sanctitatis nomen obtinuerat, monita fuit, tempus esse indicendæ orationis et supplicationis publicæ, offerendæque ad aras incruentæ Hostiæ pro fratris incolumitate, ut ab eo Deus averteret periculum, quod eadem hora capiti ejus imminebat. Mox fieri jussit religiosissima princeps, quæ suaserat monialis, eamque postea convenit, intellectura occasionem causamque consilii tam insoliti. Erat moniali illi, ortæ ex illustrissima Roveriorum domo, nomen Angelæ Mariæ, atque vel Casalii vel in ejus confiniis, nisi me rursus mea fallit opinio, in parthenone aliquo virtutibus clarebat.*

in expeditione contra Turcas

123 *Interrogata igitur principi narravit, quod, cum post decantatas Matutinas horas ad cubiculum se recepisset pro more Deum oratura, obdor-* C *misset somniassetque, (ita quidem referebat, ut, qui eam ejusque humilitatem norant, facile intellexerunt, manifestam visionem fuisse ipsi in orationis fervore exhibitam) et vidisset apparentem nebulæ speciem in globo splendido et rutilanti; quod globus statim sese aperuerit, spectandumque dederit bellatorem fortissimum in armis candidis, cum Sociis aliquot eodem modo armatis : quod Bellator ille se esset allocutus, mandassetque, ut preces funderet pro incolumitate principis, idemque significaret hujus sorori, quæ pro absente partem ditionum moderabatur : quod Ducem interrogasset, quis esset, atque is benigne reposuisset, esse se* Mauritium, *ducem Thebææ Legionis, cum suis Sociis, missum tum temporis a Deo et magna ejus Matre, ut principi succurreret, eumque a præsentissimo periculo, quod tum subibat, liberaret; quod deinde Sanctus post pia data monita disparuisset. Contigit res hæc Dominico aliquo die ex postremis mensis Octobris anni* 1601 *circa festum SS. Simonis et Judæ, atque adeo* XXIX *illius mensis, qui tum fuit Dominicus.*

expertus fuerat,

124 *Reverso ex Pannonia principi soror in primo congressu narravit, quæ sibi contigerant, atque is statim recordatus est, quod eodem illo die* D *mane in Turcarum conspectum progressus fuisset, certumque locum occupasset finiturus flexuosam fossam, sibi suisque necessariam. Addebat, cum huic rei intentus esset, Turcas supervenisse, unoque impetu magno numero sclopeta explosisse, seque non minus, quam sex aut septem inde excussas plombeas glandes vestibus armisque excepisse, sic tamen, ut ne minimum inde damnum in corpore passus sit, et quamvis angustissima fossa esset, ubi cum suis, qui numero triginta superabant, agebat, et hos, et se prodigiose discrimen evasisse. Atque hoc beneficium, ut religiosissimus dux* S. Mauritii *patrocinio merito adscripsit, ita et ejus venerationem erga sanctum Martyrem sic auxit, ut illam publice testatam voluerit, indicto, ut supra narravimus, per omnes ditiones suas festo perenni* XXII *Septembris,*

§ XI. Institutus sub S. Mauritii nomine et patrocinio militaris Ordo in Sabaudia. Ejus initia, confirmatio, prærogativæ a Pontificibus principibusque obtentæ.

E

Litigia scriptorum de initiis Ordinis S. Mauritii.

Celeberrimus *est per Italiam Ordo militaris* S. Mauritii, *de cujus initiis, ut in hujusmodi rebus fieri non raro solet, non conveniunt scriptores. Itali, quantum possunt maximam antiquitatem illi accersunt, conquerentibus auctoribus aliis, quod patriæ immodico amore abducti commentitiam vetustatem militiæ Mauritianæ emendicent a traditionibus popularibus et fabulis, quas usque eo instrumentis certis explosas fuisse contendunt, ut mirari satis non possint aliorum pertinaciam in iis asserendis propugnandisque. Baldesanus sæpe memoratus lib.* 2 *Historiæ Thebææ pag.* 204 *ita scribit :* Amedeus septimus *(aliis est octavus, et primus dux Sabaudiæ, sub nomine Felicis V antipapæ,in historia ecclesiastica seculi decimi quinti notissimus)* cum ditionum suarum regimen dimisisset secessissetque cum nobilibus aliquot, voluit ut septem ex illis vocarentur Milites S. Mauritii, a quo tempore cœpit in illis septem adumbrari generosa militia,quæ sub nomine S. Mauritii postea erecta, stabilita est a prudentissimo et piissimo Pontifice Gregorio XIII ad instantiam Emmanuelis Philiberti, Sabaudiæ ducis. F *In his cautissimis Baldesani verbis habes, lector, controversiæ inter alios scriptores exortæ occasionem et fundamentum. De Amedeo, seu Felice V antipapa, ita scribit Augustinus Patricius, auctor coævus, in Historia conciliiB asileensis excusa in Collectione Labbeana tom.*13 *col.* 1488 *et seqq.*

Amedeus sub Felicis V antipapæ nomine notus,

126 Erat is *(Amedeus, cum pseudo-synodi-Basileensis ad eum venirent legati)* Ripaliæ, ubi in placido nemore monasterium construxerat, ibique cum decem aliis nobilibus viris habitum gestabat eremiticum, vocabaturque Militum S. Mauritii decanus. *Petrus Monodus Societatis nostræ,in Amedeo Pacifico, quam seculi* 17 *initio Latine edidit, duo recenset instrumenta, quorum, quæ ad rem præsentem faciunt,partes huc transferendæ sunt. Primum est tabula de concessa ab Amedeo filio suo primogenito Ludovico, cui vices suas in administratione Pedemontii cesserat, potestate.Ibi autem pag.* 40, *(editionem Cramoisianam anni* 1626 *præ oculis habeo) ita loquitur ad filium pater, postquam*

A *quam suos labores enumeravit :* Prospicientes ætatem virentem, morum venustatem et alia virtutum primordia, quibus Omnipotentis clementia personam vestram dotare dignata est, nolentes prætera illam mundanis mœstitiis sinere inertem, sed potius sicut a lumbis nostris processit, esseque nostrum continuat, et in typo nostrammet repræsentat, exaggeratis diuturnis præmeditationum scrutiniis, virorumque orthodoxorum persuasionibus, non lapsu vel extemplo, sed ultro et animo deliberato, salutiferas ædes militares, illius sanctimonio inclyti patiendo Victoris, patroni nostri Mauritii Thebæorum ducis, quas in conventu nostro Ripalliæ instrui fecimus, nuper ingredi decrevimus.

Ripalliæ congregationem

127 *Litteræ illæ signatæ sunt* Ripalliæ, die Dominica, septima Novembris, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quarto, Indictione XIII, *lectæque in publicis comitiis, si vera scribit Monodus. Nunc antequam secundum proferam monumentum, juverit ex eodem auctore interjicere, quæ de Ripalliensi secessu Joannes Gobelinus, seu ut volunt alii Æneas Silvius. qui postea Pontifex Pius II fuit, sub amanuensis sui nomine personatus, in Commentariis vitæ suæ auctor* B *æqualis et oculatus testis retulit. Ita scribit.* Hic igitur (*Amedeus,*) relicto ducali fastigio, et omni sæculi pompa procul ejecta, gubernatione subditorum primogenito commissa, ad heremum concessit. In ripa lacus Lemani, e regione Losannæ, altissima fuerunt nemora, et sub his prata, decurrentibus aquis irrigua. Horum magnam partem muro cinxit, inclusitque cervos et damas et, quæ non sæviunt in homines, feras. Prope in littore lacus ecclesiam ædificavit, sacerdotes induxit, præbendas erexit, et dignitates aliquas et mansiones construxit, in quibus canonici commode degerent. Nec procul hinc palatium magni operis construxit, fossa et propugnaculis opportune munitum. In eo septem mansiones fuere, sex æquales, dignæ, quæ Cardinales reciperent. Nulli sua defuit aula, nulli camera et anticamera et secreta quædam cubicula, seu pretiosarum rerum receptacula. Septimam principi dicatam nemo rege aut summo Pontifice judicasset indignam.

septem veteranorum nobilium militum

128 Hic Amedæus habitavit, quem sex proceres secuti sunt, grandævi, et ætate pares, quorum uxores jam pridem obierant. Nemo non sexagesimum annum attigerat. Et quoniam equestris ordinis milites fuerant, et sæpe in bellis ordines duxerant, nec sine gloria militaverant, in ipsa mu- C tatione sæcularis habitus sub Amedæo decano et magistro suo professionem induerunt, et S. Mauritii appellari milites voluerunt, neque enim procul ab eo loco S. Mauritius cum Legione Thebæa pro Christi nomine martyrium pertulit. Cuncti penulam et pallium et cingulum et baculum retortum, quibus heremitas uti videmus, assumpserunt, et barbam prolixam nutriverunt... Crucem auream heremitæ in pectore gestaverunt. Id tantum nobilitatis signum retinuere, cætera contemptum sæculi præ se ferebant. *Ex his Amedei propositum, et ejus instituti forma, satis manifesta sunt fientque ex ejusdem testamento adhuc magis luculenta. Ejus fragmentum hoc authenticum, ut asserit, laudatus Monodus exhibet pag.* 53. Item, quia prænominatus dominus noster dux testator, authore Deo, jam erexit et fundavit juxta dictum monasterium suum Ripalliæ a parte venti unum conventum septem militum secularium, et pro illorum statu et incolatu septem domos contiguas in ipso loco, cum membris opportunis, sub clausuris, dote, et ordinationibus infrascriptis, videlicet in toto circuiti, et extra omnia ædificia dictorum monasterii et domorum militarium unam bonam et sufficientem clausuram murorum, seu nemorum. Et extra ipsa mænia ab extra bona et profunda fossalia in ambitu dumtaxat nemorum, prædictis domibus, et ædificiis militaribus deservientium, pro defensione et securitate dicti monasterii, et domorum militarium prædictarum, vult, jubet, et ordinat idem testator, infra biennium post ipsius decessum per dictum ejus hæredem infrascriptum votive compleri, et perfici ea, quæ de præmissis post mortem ejusdem domini testatoris restarent perficienda.

AUCTORE J. C.

instituit sub aliquibus Regulis.

129 Item decrevit idem dominus testator, ut dicit, quod tam hac vice, quam in futurum, post decessum, vel recessum alicujus ipsorum septem militum per ipsum dominum testatorem, dux vixerit in humanis, et post ejus decessum, per suos successores, duces Sabaudiæ viventes pro tempore, ad quos idem dominus testator ipsorum militum de novo assumendorum, quotiens opus erit, electionem cum aliorum militum, tunc ibidem degentium consilio, vult, et disponit perpetue, et pleno jure pertinere, eligantur, et assumantur ad gremium dicti conventus viri egregii, in ordine militari constituti, ætate provecti, in actibus militaribus honorabilibus et longinquis viagiis, ac E peregrinationibus, principum consilio, et legationibus, ac aliis virtuosis et arduis negotiis diu commendabiliter exercitati, prudentia et probitate comprobati, et ab omni opprobrioso crimine immaculati, mundanæque militiæ ac pompæ pro felici vitæ suæ conclusione et salute sponte renuntiare, et deinceps continenter et virtualiter vivere dispositi, qui tanquam proceres et consiliarii præfatorum domini nostri ducis testatoris, ac ejus successorum, ducum Sabaudiæ eorumque patriæ, in iis præsertim, quæ militaria et alia ardua politica concernunt negotia, in casibus occurrentibus, et de quibus eis dare consilium licebit, fideliter ipsis dominis et patriæ consulere valeant, ac etiam teneantur, prout idem dominus testator singulariter confidit, et hac de causa post honorem Dei, ad hujusmodi fundationem pro reipublicæ totius patriæ suæ utilitate asserit, se specialiter esse motum.

Institutum id Militia S. Mauritii appellatum fuit,

130 Item decrevit idem dominus testator, ut dicit, quod ipsi septem milites habeant perpetue a domibus suis prædictis plenum et liberum accessum ad ecclesiam dicti monasterii Ripalliæ; dum F ibidem divina celebrantur officia, die ac nocte pro Missis, et aliis horis canonicis audiendis, suisque orationibus dicendis ac devotionibus exequendis : ita quod Abbas et canonici ipsius monasterii, sint in spiritualibus ministri, et servitores militum prædictorum. Item decrevit idem dominus testator, ut dicit, quod unus ex præfatis septem militibus, per ipsum dominum testatorem dum vixerit, et post ejus decessum, per successores suos prædictos duces Sabaudiæ cum aliorum militum dicti conventus consilio eligendus, constituatur, et sit decanus aliorum sex militum, ac eis præsit, et imperet in et circa honestum modum vivendi, cui cæteri in omnibus licitis et honestis obedire teneantur. Pro cujus quidem conventus militaris dote, ac ipsorum militum congrua sustentatione, præfatus dominus testator asserit, se decrevisse, et velle dare, et assignare perpetue et secure prædicto conventui mille et octies centum florenos auri, parvi ponderis, valente, seu computato pro quolibet ipsorum florenorum duodecim grossos, monetæ communis, ipsius domini testatoris annuæ revenutæ, in et super rebus et locis convenientibus

AUCTORE J. C.

entibus, volens et disponens idem dominus testator, quod decanus, qui fuerit ibidem pro tempore, inde percipiat, et percipere debeat singulis annis sexcentum florenos, et quilibet aliorum sex militum, ducentos florenos, ponderis et valoris prædictorum, pro suis suorumque servitorum particularium victu et vestitu; ita tamen, quod idem decanus, pro tempore existens suis propriis sumptibus debeat manutenere cooperturam omnium domorum et ædificiorum, nec non supportare onus victus et vestitus ac salariorum servitorum communium ipsius conventus, cum aliis super hoc fiendis, per ipsum dominum testatorem ordinatis. Idcirco præfatus dominus testator, singulari devotione ductus, ad prædictæ fundationis complementum, ut dictum est, vult, et disponit et jubet etc.

atque ad illud utcumque referri possunt

131 *Hisce et similibus monumentis nituntur, qui Mauritiani Ordinis initia usque ad seculum decimum quintum et Amedei seu Felicis V tempora producunt. Hos inter, quantum ex Helioto in Historia Ordinum tom.* 6 *pag.* 80, *et reverendissimo de L'isle capite ultimo Historiæ Legionis Thebææ intelligo, est Justinianus, auctor Historia Ordinum Militarium scriptorque Theatri Pedemontii et Sabaudiæ. In illum ejusque asseclas priores laudati scriptores invehuntur, contendentes, talia ab iis, qui Bullam Gregorii XIII, de qua infra, legerint, non nisi stolide asseri et defendi posse. Nisi ego multum fallor, lis est de lana caprina, quæ facile componi possit, modo utrimque aliquid remittatur, si quidem auctores, qui tantam militaris Ordinis antiquitatem tuentur, una contendant, sub eadem norma ab Amedeo inchoatum Ordinem fuisse, sub qua a Gregorio stabilitus est; quod sane, ut ex dicendis manifestum fiet, cum aliqua verisimilitudine sustineri non potest. Etenim eo spectare unice videtur Amedei institutum, ut ibi emeritæ militiæ præfecti, a secularibus expediti rebus, sic tamen ut etiam Sabaudiæ duces consiliis juvarent, tranquillam postremam ætatem agerent, Deo et animæ suæ saluti vacantes, idque sub aliqua regula, non quæ monachos, sed quæ secularis milites Ordinis faceret.*

initia celeberrimi Ordinis,

132 *Hinc ex adversa parte falluntur, qui contendunt, ab Amedeo Ripalliæ non nisi prioratum canonicorum Regularium institutum fuisse; is enim in allatis instrumentis manifeste distinguitur, ab alio septem virorum nobilium cœtu, unde militaris Ordinis* S. Mauritii *initia scriptores Sabaudi repetunt; nec omnino, quantum apparet, inepte. Etenim non potest iri inficias, congregatos Ripalliæ nobiles veteranos ab illo tempore* Milites S. Mauritii *dictos, eorumque cœtum Ordinem militum* S. Mauritii *appellatum, et secularem fuisse, cui et Amedeus Sabaudiæ dux, Decani assumpto nomine præfuerat, quem nec forte titulum posteriores aliqui duces detrectarunt. Ex quibus omnibus quare asseri non possit, tamquam ex primordiis natum postea esse vel pullulasse, sub alio licet instituto, seu reformatione potius, Mauritianum Ordinem, ego plane non video. Certe evidenter contrarium non evincunt referenda inferius Pontificum verba, de reformata militia, tamquam de re nova et recenti, loquentium; nisi lubuerit ab Ordinum omnium primordiis excludere, quæcumque eo conducebant et gesta sunt, antequam legitima potestate, sub quapiam determinata Regula fundati et confirmati fuerint, quod esset et sentire et loqui cum paucis. Pergamus ad Emmanuelem Philibertum, sub quo illustrissimus Ordo eam formam eumque splendorem nactus est, quibus usque hodie lucet. Occasionem formamque et finem instituti sic Bullæ Pontificiæ exponunt, ut ad nostrum institutum fere sufficiat aliqua inde fragmenta excerpere.*

qui tamen a Gregorio XIII

133 *Prima, quæ huc pertinet, data est a Gregorio* XIII anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, sexto decimo Kalendas Octobris. *Ibi, post enumerata pericula, quæ ab hæreticis Ecclesiæ impendebant, quæque ob vicinitatem Emmanueli Philiberto intituendi hujusmodi Ordinis mentem injecerant, ita loquitur Pontifex*: Itaque, cum dilectus filius nobilis vir Emanuel Philibertus, Sabaudiæ dux, pro sua præstanti pietate ac prudentia hæc diligenter considerans, in animum induxerit, ad alia, quæ ipse consuevit tuendæ et augendæ Catholicæ religionis causa in locis ditioni suæ subjectis adhibere remedia, illa et adjungere, ut ex delectis omnis generis Christiani populi militibus unam sanctæ Sedis auctoritate conficiat militiam, beati Mauritii martyris nuncupandam, quem idem Emanuel Philibertus dux et ejus antecessores, ut præcipuum suum ac rerum suarum Protectorem, eximio ac perpetuo studio et veneratione sunt prosequuti, idque nobis exponi fecerit, ac simul supplicari, ut hoc ei impartiri dignaremur. Nos optimum illius consilium, ac ipso, majoribusque ejus clarissimis et præstantissimis principibus dignum animum meritis in Domino laudibus commendantes, ac prospicientes, illam sic constituendam militiam maximo usui et præsidio fore, non solum ipsis Sabaudiæ et Pedemontium provinciis, sed toti etiam Italiæ, ad sustinendos et propulsandos quosvis hæreticorum et infidelium impetus, ac opportunissimum ibi propugnaculum, munimentum et auxilium habituros esse, nos, Ecclesiamque Romanam, ac universam Christianam rempublicam in ipso militiæ robore, ac talis ducis maxima virtute rerumque bellicarum summa et sæpe cognita peritia, illi super hac re prompto ac libenti animo annuendum, piosque ejus conatus speciali favore et gratia duximus prosequendos.

formam, sub qua hodie-dum est, tantum accepit.

134 Quare..... ejus supplicationibus inclinati, unam militiam, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis..... et fidei Catholicæ in dictis Sabaudiæ et Pedemontis regionibus defensionem, ac universæ Italiæ, totiusque Christianæ reipublicæ salutem et commodum, sub invocatione S. Mauritii martyris et Regula Cisterciensi nuncupandam per universum Christianum orbem, cujus suprema sedes et militum conventus in loco ab eodem Emanuele Philiberto duce in Sabaudia statuendo et assignando perpetuo sit, et in ipsa militia unum magistrum Magnum vocandum, supremam ejusdem militiæ dignitatem pro uno magistro, qui illius caput existat, cum eo, quo sibi expedire videbitur militum et ministrorum numero, qui milites, cum unica tantum et virgine conjugati, ad habitum et professionem Regularem admitti, seu qui pro tempore admissi fuerint, matrimonium cum simili virgine, et unica dumtaxat contrahere possint, alias vero ipsi castitatem conjugalem, et obedientiam expresse profiteantur, cum mensa magistrali, officiis, juribus, jurisdictionibus et insignibus consuetis aliarum hujusmodi militiarum instar, ex nunc prout postquam ipse Emanuël Philibertus dux dotem annui redditus quindecim millium scutorum de propriis et patrimonialibus bonis suis illi constituerit, et e contra auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus.

Hujus cum militia S. Lazari

135 *Sequuntur deinde variæ prærogativæ magistro Magno, (quod munus in perpetuum Emmanueli*

A *nueli duci, ejusque successoribus tribuitur) Ordinis concessæ, quæ fere in Bulla de unione Ordinis S. Lazari enumerantur, subnectitque hic Pontifex professionem fidei ab iis recitandæ jurandæque, qui in Ordinem admitterentur. Puncta singula, adversus quæ grassantes tum hæreses offendebant, enucleate secundum veritatem Catholicam ibidem exposita sunt. Porro abunde ex his liquet, totam aliam normam esse hujus militiæ ab ea, qua sub Amedeo Ripalliæ congregatio fuerat instituta, quæ proinde non nisi sano sensu hujus exordium, seu potius occasio dici possit. Quo autem tempore prædicta privilegia ab Apostolica Sede obtinuit Emmanuel Philibertus, erat aula Sabaudica frequentissima florentissimaque exterorum etiam principum et nobilium virorum accessu. Erant inter hos nonnulli equites Ordinis hospitalis S. Lazari Hierosolymitani tum temporis valde afflicti, tum quod celeberrimus Ordo ille, defuncto Vercellis Jannotio Castillonio, nobili Mediolanensi et militiæ magistro, usque sine capite esset, tum vel maxime, quod Pius V anno 1567 edita Bulla præfato Ordini plurima privilegia a decessoribus Pontificibus et a se ipso ante collata eripuisset. Ii igi-*
B *tur censentes, militiam suam non melius in pristinum splendorem restitui et adversus magnatum aliquorum molitiones defendi posse, quam si ducis Sabaudi protectioni gubernationique subjiceretur, mentem suam spemque, ex recens tot privilegiis a sancta Sede donata* S. Mauritii *militia conceptam, Emmanueli Philiberto intimari curarunt.*

conjunctio ab eodem Pontifice

136 *Cumque Sabaudus rem ad Pontificem referendam judicaret, missus est Romam Carolus Cicogna, præcipui nominis eques S. Lazari, qui negotium tractaret, censuitque uniendam utramque militiam, prout edita Bulla Idibus Novembris ejusdem anni significat. Inde aliqua delibo. Postquam repetiit Gregorius, quæ superiore constitutione decreverat, perpetuumque magisterium Ordinis* S. Mauritii *iterum dixit in ducum Sabaudorum hereditatem iturum, subdit*: Nos postea diligenti meditatione considerantes, ipsam de novo erectam et conficiendam militiam magnos absque dubio fructus, tali præsertim ductore atque magistro, fidei Catholicæ esse allaturam, sed multo tamen majores, si aliis adjumentis et auxiliis fulcita atque munita fuerit, ac præterea cernentes militiam Hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, sub Regulâ S. Augustini, jam pridem magistri regimine destitutam, nobi-
C lem illam quidem et antiquam, sed ipsa vetustate ac temporum injuria valde dejectam et prolapsam esse; optimum nobis visum est, si hanc veterem illi novæ et nunc nascenti adjungeremus, ut quod hæc in ipso initio per se agere perfecte non posset, id alterius adjuta auxilio et viribus geminatis fortior sit ad agendum, atque citius et facilius hæ simul junctæ optatos Ecclesiæ Dei et Christiano populo fructus afferre possint.

approbata et stabilita.

137 Id vero facere instituimus cum eo, quod Emanuel Philibertus, et pro tempore existens dux et magister prædictus, annexionis hujusmodi ratione duas triremes dictis militibus instructas pro Sedis Apostolicæ defensione contra hæreticos, infideles, piratas, et quoscumque alios ejus hostes continue de suo manutenere debeat. Quare.... motu proprio, non ad ipsius Emanuelis Philiberti ducis, vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine militiam S. Lazari prædictam cum illius magistratu ac omnibus et quibuscumque illius, prioratibus, præceptoriis, hospitalibus.... eidem militiæ S. Mauritii, quæ in posterum militia sanctorum Mauritii et Lazari nuncupetur, auctoritate Apostolica tenore præsentium ita perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, ut posthac in perpetuum prædictus Emanuel Philibertus, et pro tempore existens Sabaudiæ dux, militiæ sanctorum Mauritii et Lazari magister sit et appelletur. *Plura referre supersedeo, quibus hic recitata fere enucleatius explicantur, ut pauca de militari ordine S. Lazari observem. Sunt, qui ejus originem usque ad seculum quartum et S. Basilii ætatem removeant.*

AUCTORE J. C.

Ordinis S. Lazari ante conjunctionem

138 *Seculo certe duodecimo et sequentibus fuit celeberrimus et a Pontificibus Innocentio IV, Alexandro IV, Clemente itidem IV aliisque, amplissimis privilegiis donatus. Primum ejus institutum fuit leprosis servire, quod charitatis munus non nisi aliquibus postea reservatum est, aliis militibus pro fidei amplificatione incolumitateque belligerantibus. Seculo decimo quinto, cum pauci admodum in Europa leprosi superessent, equitesque S. Lazari multum a primævo instituto morum dissolutione descivissent, Ordinem per Italiam Bulla anno 1490 edita Innocentius VIII suppressit, univitque ejus omnes possessiones militiæ S. Joannis Hierosolymitani, post quæ tamen Ordo S. Lazari adhuc substitit in Gallia, indeque rursus paulatim repullulavit in Italia, sic ut Ordo S. Lazari non raro duos habuerit, quorum alter* E
in Gallia, alter trans montes se magnos ejus magistros nominarint, et illum quidem, qui Hospitali Capuano præerat, agnovisse Pontifices Leonem X et Pium V ex eorum Bullis liquet, certe uterque varias rursus Ordini prærogativas concessit, quas demum revocavit idem Pius, ut superius animadvertimus. Postquam Gregorius XIII eumdem cum Militia S. Mauritii *univit, ejusque perpetuum magisterium Sabaudiæ ducibus tribuit, reclamarunt rursum Galli, Ordoque apud ipsos perseveravit, donec militiæ Divæ de Monte-Carmelo junctus fuit. Porro privilegia et immunitates per Pium V ante unionem ablata, iterum plurima restituit Clemens VIII Bulla amplissima, data* IX *Septembris anni* 1603, *qua confirmatur utriusque militiæ conjunctio, ejusque perpetuum magisterium Carolo Emmanueli et successoribus ejus asseritur.*

vicissitudines: Conjuncti statuta aliqua

139 *Ceterum Emmanuel Philibertus, teste Bonanno, paulo post Ordinis initia conventum Nicææ Paleæ indixit, ibique leges condidit, quæ deinde a Pontifice confirmatæ fuere. Ex his, ni fallor, sunt, quæ præter superius memorata exiguntur* F
ab iis, qui militiæ Mauritianæ nomen dant. Promittunt nimirum fidelitatem Sabaudiæ duci ejusque successoribus, portaturos se habitum et crucem Ordinis, venturos ad capitulum, si convocetur, recitaturos indies psalterium contractum in honorem Jesu Christi, sanctissimæ Virginis et sanctorum Mauritii *et Lazari, jejunaturos diebus Veneris vel Sabbati, servaturos castitatem conjugalem, caritatem hospitalitatemque erga leprosos, observaturos statuta Ordinis, non alienaturos bona a prætoriis dependentia, non elocaturos ad longum tempus nec in emphyteusim daturos, non consulto et consentiente Sabaudiæ duce. Hieroglyphicum scutorum Thebææ legionis, quod exhibet Pancirolus in Notitia utriusque imperii cap.* 46 *et* 49. *videtur initio Mauritianis equitibus pro insigni fuisse. Hodie ex mandato Caroli Emmanuelis gestant crucem albi coloris, tribus, si Helioto credimus, nam Bonnani totam aliam formam exhibet, globulis ad triangulares radiorum fines terminatam, sic ut medios angulos jungant tæniæ virides, quibus S. Lazari conjuncta Mauritianæ militiæ Religio designatur. Solemniores equitum vestes sunt oblongæ togæ sericæ rubri deforis, at intus*

AUCTORE J. C.

intus albi coloris. Habet hodiedum sacra militia plures prætorias, duasque præcipuas, alteram Taurini, Nicææ alteram, ubi equites in communi vivunt. Atque hæc sunt, quæ hic inserere lubuit de Ordine celeberrimo, qui sancti Martyris nostri nomen non minus illustrat, quam ostendat indefessum zelum Sabaudiæ ducum pro amplificando sancti Protectoris cultu. Nunc ad alia minoris nominis, at non inferioris in S. Mauritium pietatis et venerationis sodalitia descendamus.

§ XII. Pia sodalitia sub S. Mauritii patrocinio instituta in Italia; de sanctis Mauritiis qui Ticini, Pignarolii, et in pago Serre coluntur, eorumque reliquiis.

Joannes Baptista Beltraminus, invocata S. Mauritii ope, sanatus

Religiosæ piæque congregationis institutæ Taurini exordia occasionemque ita fere describit Italice Baldesanus pag. 379. Festo S. Mauritii die ad augendam anno 1601 solemnitatis pompam, novi coloris palliis donarat dux Carolus Emmanuel milites S. Mauritii, cum simili ornatu insignique sui Ordinis publicis supplicationibus adfuturos, filiumque suum Philippum primogenitum equitem S. Mauritii crearat. Tum hæc, tum hujusmodi alia, desiderium nonnullis injecerant, principem suum, quantum licebat, imitandi, congregationemque sub titulo et patrocinio sancti Martyris instituendi. Anno 1601 Alexandria Statelliorum (civitas est episcopalis in ducatu Mediolanensi) Taurinum venit typographus, Joannes Baptista Beltramino; cumque per Astensem urbem iter haberet, ibi molesta febri correptus est, qua ut liberaretur, Dei Matris opem invocavit, visitans ecclesiam ejus nomini sacram; sed ita invaluit malum, ut Alexandriam coactus sit redire, ubi diu ægrotare perrexit, divina providentia gratiam illam S. Mauritio reservante. Cum tandem ægrotus multum malo pressus, recordatusque beneficiorum, quæ Sanctus fratribus congregationis Mauritianæ Alexandrinæ, de qua paulo post, impetrare solebat, ad illum recurrit cum firmo proposito, cultus ejus promovendi, augendique ipsi devotorum numeri, si ejus intercessione convalesceret pristinamque valetudinem recuperaret. C

post binam apparitionem initia facit sodalitatis,

141 Sequenti nocte levi involutus somno, vidit seriem flagellantium cum insigni S. Mauritii, postero que die mane sanum se et incolumem invenit, et gratias egit suo Sospitatori, cognovitque, a se id obsequii requiri, ut curaret extendi spiritualem militiam, quæ sibi præterita nocte fuerat exhibita. In hunc finem statuit in patriam suam Taurinum redire, ibique domicilium figere, ratus, non defore occasionem propositi exsequendi. Aderat ibi, cum anno 1602 solemnis supplicatio festo sancti Martyris die, de more instituta est, vidensque sacra lipsana, tenerrimo affectu S. Mauritio supplicarat, ut sibi modum solvendi promissi ostenderet; cum sequenti nocte eadem apparitio turmæ flagellantium sub insigni sancti Protectoris rursus illi ostensa fuit. Propositum itaque postridie cum aliquibus suis familiaribus communicavit, atque ii simul omnes recurrerunt ad capitulum metropolitanæ, rogaturi, ut sibi liceret in quapiam ecclesia, ejus subdita jurisdictioni convenire. Præbuere se canonici non minus cupidos promovendi cultus sancti Martyris, et lubentes assensere. At quia iis, quæ Beltramino acciderant, plurimi exiguam fidem habebant, et unius cujusdam particularis testimonium parum valere apud animos solet, ad alliciendos in novam militiam Taurinenses permisit divina providentia, ut in eadem civitate res mira alia, quæ Sancti patrocinium summopere commendaret, acciderit. D

cui, audito altero beneficio a Sancto obtento,

142 Narraverat illam Baldesanus pag. 371, unde illam huc transfero. Erat Taurinensis civis Franciscus Ridale, consanguineus jam sæpe nominati Beltramini typographi. Huic natus est filius die IV Octobris, quo agitur S. Francisci memoria, ejusque Sancti nomen puerulo recens nato imponi volebat genitor. Accidit autem, ut eo ipso die venerit in consortium prædicti Beltramini, ubi agebatur de nova congregatione sub S. Mauritii patrocinio inchoanda. Is illum hortatus est, ut filium suum a glorioso Thebæorum Duce Mauritium nominaret; dictis acquievit, magis tamen ut consanguineo gratificaretur, quam ex propria inclinatione. Voluit divina providentia illa occasione uti, ut mundo palam fieret, quam potens esset S. Mauritii patrocinium, quamque præsens ejus auxilium iis, qui pie et magna cum fiducia illud invocarent, immittens præfato Ridale magnam primum afflictionem, ex tumore extuberationeque oculorum filioli ejus, tam monstrosa, ut intuentibus admirationi esset et horrori. Rem narravit afflictus pater consanguineo suo Beltramino, qui illi suasit, ut ad S. Mauritii opem confugeret, voveretque, fore ut infans, cum per ætatem liceret, instituendo Sancti sodalitio adscriberetur, si sanitatem oculorum obtineret; fecit, moxque obtinuit gratiam et disparuit a puelli oculis portentosus tumor, atque omnis alia infirmitas. E

plurimi accedunt Taurinenses.

143 Hæc per urbem disseminata plurimos induxere, ut piæ fraternitati accedere vellent, quæ paulo post, urgentibus, tum qui ejus initia posuerant, tum aliis, qui audito prodigio ad consilium accesserant, feliciter inchoata est, atque sic promota, ut innumeri illi nomen dederint. Non tamen ante sequentem annum, cum de habitu convenisset, obtentæque essent ab Apostolica Sede indulgentiæ amplissimæ, solemniter instituta est prædicta fraternitas. Gestant autem, qui illi nomen dedere, convenientem habitum professioni flagellantium cum hieroglyphicis sui Protectoris, ejusque iconibus. Fuerat jam pluribus ante annis instituta Alexandriæ Statelliorum hujusmodi sub S. Mauritii nomine et patrocinio sodalitas, quæ Beltramino occasionem præbuit de altera erigenda, ut superius advertimus, primum cogitandi. Est Alexandria Statelliorum, Alessandria della Paglia Italis, urbs munita in ducatu Mediolanensi ad Tanarum fluvium, qui illam secat. Episcopalis effecta est ab Alexandro III Papa anno 1175, a quo et nomen sortita est, itaque seu amplificata seu ornata, ut ad illum ejus originem scriptores aliqui referant. Media fere est Genuam inter ad Austrum et Augustam Taurinorum ad Occasum hybernum, ut nos Ferrarius docet. Porro narrat Baldesanus pag. 365. cum esset Historiæ suæ impositurus finem, missam fuisse ad se a bibliopola Alexandrino informationem congregationis ibidem erectæ antiquitus, imo ab ipsis civitatis exordiis sub patrocinio magni Thebæorum Ducis. F

Similis confraternitas Alexandriæ Statelliorum.

144 De primæva ejus institutione progressuque plura non suppeditantur; at de statua S. Mauritii, quam Alexandrinum sodalitium possidet, deque ejus post acceptas Taurini sancti Martyris reliquias, fervore venerationeque hæc narrantur. Sancti Protectoris effigies, quam habent (ligneane sit, marmorea, an ex metallo, nescio) vetustissima est tan-

taque

A *taque arte elaborata, ut, cum civitas illa cum reliquo Mediolanensi ducatu aliquot ante annis in Gallorum potestatem venisset, ab illorum proceribus ejus pulchritudine captis, in Gallias ablata fuerit. Ejus recuperandæ vias omnes cum in cassum Alexandrini tentassent, ad Pontificem recurrerunt, cujus interventu tandem restituta fuit laudata statua, tanto cum gaudio et incremento venerationis erga sanctum Ducem, ex beneficiis, quæ ejus patrocinio mortalibus tum collata fuere, ut cum locus capiendis omnibus sodalibus capax non esset, congregationes novæ inde exortæ sint. Alexandrinum porro sodalitium cum insigni sua equestri* S. Mauritii *statua anno* 1602 *Augustam Taurinorum venit, ibique Protectorem suum solemniter veneratum est. Nunc antequam ad sparsum per reliquam Italiam sancti Ducis Legionis Thebææ cultum progredimur, pauca de* Mauritiis *aliis, qui trans montes celebrantur, et ex eadem Legione Martyres fuisse asseruntur, dicenda sunt, ne horum cum magno Thebæorum Duce ejusque sacris exuviis oriatur, vel nata dudum confusio augeatur. Papia, civitas Longobardiæ episcopalis, ad Ticinum fluvium in ducatu Mediolanensi,* B *imprimis* SS. Mauritii *et* Exuperii *corporibus gloriatur.*

Diversi sunt Mauritii a Thebæorum Duce,

145 *In Sanctuario istius civitatis lib.* 6 *cap.* 3 *post elogium Sanctorum nostrorum, ita legitur pag.* 117. Illustratur autem civitas ipsa eodem S. Mauritio, qui a Thebano populo, apud quem ob ejusdem militiæ strenuitatem fideique Catholicæ constantiam, aliasque egregias virtutes magno erat in pretio, unius legionis dux est constitutus: Exsuperius autem vexillifer; ambo magna nobilitate et virtute præstantes, fide vero longe præstantiores. Hi namque ad Maximinum Augustum mittuntur in ejus auxilium. Dum vero, jubente Maximino ,ad trucidandos Christianos pro evertenda et delenda Christi fide destinarentur, parere noluerunt. Unde indignatus Maximinus variis cruciatibus eos cædi fecit. Sed ipsi in fide constantissimi, alios etiam multos pro fide magno spiritu ad martyrii palmam exhortabantur. Ad ultimum strenui atque illustres ipsi Thebani Christianissimi glorioso ignis martyrio in arce cæli perpetuum meruerunt triumphum. Quorum corpora cum uno sanctorum Innocentium in basilica almæ pietatis ædis divi S. Matthæi decenti loco sepulta, præcipua veneratione coluntur. C *Hæc unde profecta sint, quibusque antiquorum testimoniis stabilita, nescio. Certe nec ibi, neque alibi apud Ticinensium rerum scriptores quidquam reperi, quod narrationi pondus addere possit, aut Ticinensibus* SS. Mauritii *et* Exuperii, *de quo pluribus infra agemus, possessionem confirmare. In oculos incurrit, martyrii historiam ex Passione Sanctorum Thebæorum, quam dedimus geminam, profectam esse: at Maximianus in Maximinum migravit, dicunturque igne necati sancti Martyres, quos Eucherius tradit gladio cecidisse, quæ forte ex nescio qua, multis fabellis farta et Italice scripta relatione martyrii, cujus meminisse fere puduit, hauriri potuerunt.*

qui coluntur Pignarolii, et in pago Serre.

146 *Ut brevibus absolvam, proferant nobis monumenta antiqua Papienses, si a nobis narrationi huic fidem exigant. Totum* S. Mauritii *ducis corpus interim illis non concedemus, propter ea, quæ allata sunt, adferenturque ulterius. Si ejusdem partem sibi vendicant, proferant testimonia, ne suspicemur, tam exiguam esse, ut temere corpus vocetur; imo ne potius conjectemus, aliorum forte ignotorum Martyrum corpora esse, quibus hæc nomina munifice adaptarint. De* S. Mauritio, *die* XXIV *Aprilis Pignarolii in Pedemontio coli solito, creditoque cum duobus sociis* Georgio *et* Tiberio *sanctæ Legionis Thebææ milite, minus laborandum est, cum non* Mauritii *ducis, sed alterius, qui cum Sociis martyrium fuga primum declinarat, atque ibi comprehensus a Maximiani satellitibus et cæsus fuerat, sacra cimelia se possidere fateantur Pignarolienses. De sanctis hisce martyribus in Opere nostro actum est ad præfatum diem, ubi videri possunt, quæ de illis pauca proferuntur, fereque solum ad sanctorum corporum translationes et cultum pertinent. Meminit Baldesanus in sæpe laudata Historia Thebæa alterius etiam* Mauritii *e Legione Thebæa martyris, cujus inventionem pag.* 253 *ita narrat Italice*: Sanctus alter vocatur Mauritius nuperrime inventus, nimirum anno MDCI prope pagum Serre seu Serradio in ecclesia S. Justinæ, quæ olim monachorum fuit, ac hodie pertinet ad reverendissimum dominum Joannem Paulum Chierici, præpositum generalem congregationis Oblatorum.

AUCTORE J. C.

147 Fuit ædificata ecclesia illa a prædicto religiosissimo rege Luitprando, deindeque restaurata et ornata a quodam ejusdem gentis Longobardicæ marchione Ottoberto, occasione accepta a multitudine miraculorum, quæ ibi patrata sunt, quorumque non potui obtinere specialem notitiam, sed earum solum rerum, quæ a præsentibus spectantur. Harum præcipua est, caput ex metallo deaurato, in quo sunt cineres et ossa cranii illius Martyris, cujus etiam picta effigies est in tabula altaris principis ecclesiæ ad sinistram Deiparæ, cum chlamyde crucibus inspersa. Cernitur etiam in claustro illius loci depictus habitu militari, vexillum manu tenens cum palma, martyrii indice. Quia vero incolæ loci credunt, caput illud esse tribuni sanctæ Legionis, præfatus reverendissimus sententiam meam requisivit; atque illi respondi: Non esse caput Ducis Legionis Thebææ, quamvis idem nomen habeat, ut synonymi sunt sancti Mauritii Ticinensis et Pignaroliensis etiam Thebæi, cum indubie asserta habeatur solemnis translatio istius Ducis ex loco, ubi cum majori Legionis parte martyrium passus est, ex monasterio scilicet et pago Agaunensi, vulgo S. Mauritii appellato, ad civitatem Taurinensem..... Vexillum, quod manu tenet detectus Mauritius, probabilius signum est, fuisse præfectum inferiorem, seu potius signiferum alicujus cohortis ex Legione Thebæa, cum multis suorum Militum, qui F secuti fuerant, in istis locis martyrio coronatum. Quod confirmant plurimæ aliæ reliquiæ, ossa scilicet de cruribus, brachiis, capitibus et membris aliis Sanctorum, quos pro Thebæis populus habet, ut contigit S. Constantio, etiam signifero istius Legionis, cum multis aliis sepulto in marchionatu Salinarum.

Incerta omnino sunt, quæ de reliquiis illis E

148 *Locum Serre, seu Sarradio, quem idem auctor pag.* 28 *asserit esse in diœcesi Mediolanensi, in nullis mappis aut Lexicis geographicis potui reperire, et circa inventionem illam alia non nulla rogari possent, quæ non satis ipse exposuit. Unde V. G. didicerunt, qui caput, seu metallinum hermam illum invenerunt, repræsentare* S. Mauritium *quempiam, ejusque sacras exuvias illi inclusas esse? Repertumne simul fuit aliquod testimonium, et cujus ætatis? Profecto non recte ex depicta in altari alibique ducis, vel militis alicujus martyris effigie, arguitur, detecta eodem loco sine nomine sacra pignora, ejusdem, qui depingitur, et quidem de Legione Thebæa* Mauritii *esse. Quod si demus, populari traditioni suffragata esse monumenta aliqua et testimonia, quæ id*

hactenus prolata sunt.

AUCTORE J. C.

id evincant, Baldesani ratiocinum non satis usquequaque firmum erit, nisi integrum corpus S. Mauritii *sui contendant in reperto capite metallino contineri, neque enim tot sancti Ducis reliquias Agauno obtinuerunt Taurinenses, ut non possint civitates aliæ earum parte notabili gaudere, ut et ex instrumento recognitionis, quod protulimus, patet, et ex recensendis aliarum ecclesiarum thesauris sacris magis luculentum fiet. Interim suspicor ego, id nomen, vel anonymi de Legione Thebæa, vel alterius sancti martyris incogniti reliquiis inditum olim fuisse, sicut pluribus* S. Mauritii *Sociis nomina alia, quæ Latina sunt omnia, nec Orientem sapiunt, data fuerunt. Habent et suum* S. Mauritium *Abulenses, de quo plura, ubi nobis cum Tamayo res erit. Sparsum per Italiam sancti Ducis et Sociorum cultum prosequamur.*

B

§ XIII. Cultus et reliquiæ S. Mauritii Augustæ Prætoriæ, Vercellis. Astæ, Mediolani, Mantuæ, Romæ et in aliis Italiæ urbibus.

Reliquiæ et cultus Sanctorum Thebæorum apud Augustenses,

Postquam ea fuse narravimus, quæ ad S. Mauritii *gloriam et cultum in metropoli Taurinensi pertinent, ad vicinas urbes excurrimus. Inter illas Augusta Prætoria, media fere Taurinum inter et sanctorum Martyrum palæstram Agaunum, civitas antiquissima, antiquitus inducto per S. Gratum* S. Mauritii *cultu gloriatur. De his ita Sammarthani in Catalogo episcoporum Augustensium in Grato:* Sanctorum martyrum Mauritii Sociorumque ejus reliquias sordido in loco ad Rhodani fluminis ripas jacentes, divino monitu una cum S. Theodulo Sedunensi episcopo in Agaunensi cœnobio reposuit; partem aliquam Sedunum et Augustam detulit, ac in Cathedrali honorifice recondidit, ad altare in eorum nomine erectum, adhibito perpetuo censu pro quatuor sacerdotibus, ut in eo Sacrum quotidie agerent. *Eadem fere habet Ughellus. Qui in hac narratione errores sunt, observatos inveniet lector ad diem* VII *Septembris tomo hujus mensis 3 pag. 72 et seqq, quo de S. Grato in Opere nostro actum est.* C *Fuerintne revera ab eodem sancto episcopo Augustam delatæ aliquæ* S. Mauritii *et Sociorum reliquiæ, ex instrumentis, quorum fides ex tot aliis partibus vacillat, confici certo non potest. At esse in illa ecclesia sanctorum Thebæorum aliquas sacras exuvias, neque recentem esse eorum ibidem cultum, vicinitas loci, altare illis non nuper erectum, antiquæque præbendæ suadent. An autem nominatim aliquas* S. Mauritii *sibi Augustenses vendicent, nescio. Ceterum festus est ibidem, ut per reliquam Sabaudiam et Pedemontium dies hic* XXII *Septembris.*

Astenses, Vercellenses,

150 *Asta, urbs est Liguriæ episcopalis sub metropoli Mediolanensi, sed Sabaudiæ duci in temporalibus subdita. Alexandriam Statelliorum et Taurinum fere media interjacet, hinc 20, illinc 16 milliarium Italicorum spatio distans. Civitas hæc præter cultum sancti Protectoris, per omnes Sabaudiæ ducis ditiones communem solemnemque, speciatim* S. Mauritium *veneratur propter insignes reliquias ejusdem Sancti, quas possidet. De illis scribit Ughellus in episcopis Astensibus tom. 4 novæ editionis col. 399 in Gaspare Caprio:* Ecclesiæ S. Secundi donavit brachium S. Mauritii theca argentea inclusum. *Fuerat Gaspar ante obtentas infulas Emmanuelis Philiberti Sabaudiæ ducis magnus eleëmosynarius, a quo partem sancti brachii, quod dudum ante solemnem anno* 1591 *reliquiarum sancti Protectoris Agauno translationem possedisse se Taurinenses asserunt, potuit impetrasse. Vercellensis civitas ad Sessitem fluvium vigesimo miliari Asta in Septemtrionem distans, sitaque in ipso limite ducatus Mediolanensis, sed hodiedum Sabaudo parens, pretiosas etiam aliquot, teste Baldesano sacræ Historiæ Thebææ sæpius laudatæ lib. 2 pag.* 205, S. Mauritii *reliquias possidet. Mediolanum, amplissima nobilissimaque civitas et cognominis ducatus caput, in ditissimo sacro suo thesauro plures etiam recenset Sanctorum Thebæorum exuvias. Mitto illas percensere, quas constat ex Germania de sanctis Gereonis, Bonifacii vel Thyrsi sociis eo perlatas esse, de his enim agi poterit, ubi de Santis illis speciatim in Opere nostro agetur.*

Mediolanenses,

151 *Diarium Mediolanense Joannis Baptistæ Carisii ita habet ad hunc diem Italice*: Festum ad S. Mauritii, quod vocatur Majus monasterium monialium. In S. Francisci honoratur caput S. Candidi, unius ex Thebæis Militibus. *Morigia in Sanctuario ejusdem urbis pag.* 129, *inter Majoris monasterii, quod a* S. Mauritio *nomen habet, sacra cimelia asserit haberi* de Sanguine S. Mauritii. *Ait, singula debite recognita et testimoniis munita esse. Nuspiam reperio, unde sancti Martyris sanguis eo delatus sit. Si ex famosis ampullis, de quibus agemus infra, desumptus est, videri ibidem poterit, quid de illo censendum. Idem scriptor pag.* 7 *inter sacra Martyrum ossa, quæ in ecclesia principe asservantur, numerat reliquias* de SS. Maximo, Alexandro, Sisinnio, Sebastiano, Urso, Mauritio, *Duce, ni fallor, Sanctorum Thebæorum, quorum hic nonnulla nomina recenset. Rursus pag.* 24 *inter lipsana sacra ad S. Praxedis recenset* duo ossa S. Mauritii. *In ecclesia S. Barnabæ* habetur, *inquit pag.* 27, caput sancti Militis Thebæi inclusum capiti ligneo, quod partim argento, partim auro obductum est. *Alias in aliis etiam ecclesiis et monasteriis Sanctorum Thebæorum et eorum ducis* Mauritii *sacras exuvias commemorat, quas enumerare supersedeo: in Missali insigni Mediolanensi, quod anno* 1522 *impressum est, et in Museo nostro servatur ad* XXII *Septembris Missa integra Ambrosiano ritu est de* SS. Mauritio *et Sociis propria, excerptaque, quantum colligere licet ex numero recensitorum nominatim sanctorum Martyrum, ex Actis primigenitis, vel Adonis hodierno elogio.* F

Mantuanos, Cremonenses, Parmenses,

152 *De instituto per Mantuani ducis ditiones solemni* S. Mauritii *cultu superius egimus* § 10 *num.* 121. *Præter ejusdem Sancti brachium (partem brachii, ut solet, intellige) in ecclesia S. Barnabæ duo servantur Sociorum ejus capita, pretiosis ex argento et crystallo lipsanothecis inclusa, ut scribit Hippolytus Dunesmundus Historiæ ecclesiasticæ Mantuanæ parte 2 lib. 9 pag.* 354. *Possident etiam Cremonenses partem aliquam reliquiarum Sanctorum Thebæorum; etenim in Diario eorum sacro, quod scripsit Josephus Bresciano, hoc die Italice lego post* S. Mauritii *mentionem,* Festum in cathedrali propter insignes reliquias*: an Sociorum, an ipsius sancti Ducis, ignoro. In urbe Parmensi, etsi id speciatim expressum non invenio, verisimiliter celebris etiam est* S. Mauritii *et Sociorum cultus; etenim in Theatro Sanctorum Parmensium Ranucci Pici ad diem* XXII *Septembris amplissima est relatio martyrii eorum, propter caput unius ex sanctis Commilitonibus ad ecclesiam cathedralem, ubi in summo*

A *mo honore habetur, perlatum ex Belgio nostro a celeberrimo Alexandro Parmensi, cujus apud Belgas Catholicos numquam delebitur grata memoria. Ceterum conjectat Theatri auctor, caput illud esse alicujus ex sociis SS. Gereonis, Bonifacii et aliorum, qui apud Coloniam et Treviros palmam consecuti sunt, et ex traditione Thebæis accensentur, quæ conjectura mihi apparet etiam valde probabilis.*

Bononienses, quorum tamen reliquiæ nonnihil

153 *Non paucas etiam Sanctorum Thebæorum reliquias civitati suæ adscribunt Bononienses. Antonius Masinus in Bononia perlustrata tertiæ editionis, illas ita ad hunc diem Italice percenset.* Ad S. Jacobi Majoris sunt duo capita Sanctorum illorum, et ad S. Gabriëlis portæ Ravennatis alteræ eorum reliquiæ. In ecclesia S. Francisci sunt corpus integrum et caput, cum costa illorum Martyrum, concessa a Gregorio XV anno MDCXXII. In ecclesia S. Catharinæ Cæsaraugustanæ est corpus unius ex Sanctis illis, extractum locis sacris Romanis cum licentia Pontificis Gregorii XV anno MDCXXII, Boloniæ recognitum et approbatum a domino Evangelista Carbonesi, vicario generali archiepiscopi, juxta B testimonium notarii Pauli Monari XXIX Augusti anni MDCXXIV, et aliorum, quorum mentio fit ad XIX Januarii. Ad S. Pauli in Monte Franciscanorum reformatorum extra portam S. Mamoli servatur caput unius ex Sanctis illis. Ad S. Mariæ (Di Pizzocalvi *est in Italico*) extra portam, via Stephani est caput Socii S. Mauritii maryris, obtentum ab episcopo Vigiliensi Antonio Albergatti anno MDCXVI. *Deinde, quarto loco venit S. Gaudentius martyr, cujus corpus servari dicitur in ecclesia Omnium Sanctorum, extractumque ex cœmeterio Romano S. Priscillæ, cum sepulcrali inscriptione; ad illud saltem, opinor, Sanctorum nostrorum sacris exuviis non annumeratur. Succedit ad eumdem diem hæc annuntiatio :* Ad S. Joannis in Monte est S Vitalis martyr, propter translationem insignis reliquiæ ejusdem Sancti, obtentæ sub Pontificatu Innocentii X, X Maji anni MDCLII. *Subjungit deinde Masinus :* Est una ex illis, de quibus scripsi ad XXI Januarii.

incertæ videntur,

154 *Ibi autem ad cultum S. Fructuosi martyris habet, quæ sola huc pertinere possent, ejus martyris et aliorum plurium Sanctorum reliquias Romæ impetratas fuisse sub Pontificatu Innocentii* C *X a P. Honorato Montecalvi Bononiensi, tum temporis abbate generali canonicorum Regularium Lateranensium, easdemque recognavisse vicarium generalem archiepiscopi, Antonium Ridolfi, ut testatur* VII *Augusti anno 1652 notarius Julius Cæsar Cavazza. Sancti Vitales coluntur in Ecclesia plurimi, ejusne Martyris, qui Thebæis annumeratur, sacræ illæ exuviæ sint, ut videtur censuisse Masinus, forte ex iis, quæ de* S. Vitale *speciatim dicemus, conjectari poterit. Interim incerta sunt, quæ ex eodem superius retulimus, fere omnia. Pleræque recensitæ reliquiæ sunt sine testimonio, unde acceptæ fuerint : hinc suspicio nasci potest, si quidem non recens pro Thebæorum exuviis haberi cœperunt, esse eas de Sociis alibi, quam in Vallesia coronatorum Martyrum, et per traditionem pro Militibus ex eadem sancta Legione habitorum. Certe testimonia, quæ pro unis alterisve allegantur, suspicionem nihilo mitiorem injiciunt. An non loci sacri, ex quibus corpus, quod ad S. Catharinæ Cæsaraugustanæ servatur, extractum dicitur, sunt cœmeteria Romana? At ego hactenus nusquam legi, nec, ut puto, facile quispiam probabit, aliquos ex Thebæis Martyribus nostris ibidem sepultos fuisse. Eorum aliqua sacra corpora possunt postea Romam ex Vallesia fuisse translata, de quo tamen etiam nihil reperi, et ea verosimiliter cœmeteriis illata non fuerunt, nec tam multa, ut Gregorius integra duo Bononiensibus concesserit, Itaque dispiciant Bononienses, quid de his omnibus censeri debeat, si instrumenta illis ad manum sunt, quibus nos caremus, facilius ipsis erit ferre et probare sententiam, quam libenter edocebimur.*

AUCTORE J. C.

in portu S. Mauritii

155 *Est prope Uneliam, oppidum in ora maris Ligustici, 25 milliaribus Intimelio (hodie* Vintimiliam *appellant) versus Septemtrionem dissitum, portus, qui a* S. Mauritio, *cui etiam collegiata ecclesia sacra est, nomen habet. Antiquissimus locus ille est, et de imposito illi nomine aliqua conjectat Baldesanus laudatus sæpe pag. 402, sed quæ non magis credibilia sunt, quam certa. Narrat idem pag. 400 prodigiosam Sanctorum Thebæorum apparitionem, qua imminentes portui inimicæ copiæ territæ fuerint et a loco repulsæ. Narrationem in pauca contraho, relicta tamen fide auctori, qui vadem allegat præpositum illius loci, a quo relationem se accepisse scribit. Quo tempore Borbonii Romæ cæsi Italiam misere populatus inimicus exercitus remeabat, legio militum ad Portum* S. Mauritii *pervenit. Incolæ, clausis portis, hosti obtulerunt, commeatum, justo pretio persoluto, subministraturos se; at hi oblatis non acquiescentes,* E *volebant arbitrii sui esse omnia et vi irrumpere meditabantur, minitantes incolarum sanguine deleturos se injuriam sibi illatam. Pauci admodum erant, qui irruentium impetus repellere potuissent, itaque ad* S. Mauritii *patrocinium opemque confugerunt. Aderat destinata ab obsidentibus irruptioni hora, cum ecce indigenæ aversam inimicam aciem seque metu liberos intellexerunt. Pauci solum remanserant milites commeatui comparando, qui cum in Portum intromissi fuissent, confessi sunt cum muris imminerent, auditum intus ingentem armorum fragorem, comparuisse supra muros magnum numerum bellatorum cum suo duce armis candidis indutorum, terroremque suis incusssise.*

Venetiis,

156 *Ex his incolæ facile intellexerunt, invocatum* S. Mauritium *cum sanctis suis Commilitonibus Thæbæis præsidio adfuisse, quare publice illis gratiæ actæ fuerunt. Hæc fere Baldesanus, addens, in eodem loco summa in veneratione esse sanctas Thebæorum reliquias, lipsanothecæ argenteæ deauratæ inclusas, exponique solitas eorum festo die, quo etiam idem in ecclesia celebratur, quod Agauni Officium. Sanctos nostros singulari* F *cultu etiam venerantur Veneti. Vir non eruditione minus admirandus, quam avita nobilitate insignis Flaminius Cornelius tomo 3 egregii Operis quod Ecclesias Venetas inscripsit, pag. 379 monet me parochialem ibi et antiquam admodum ecclesiam esse* S. Mauritii *et Sociorum nomine sacram: fuisse illam vastissimo anni 1105 incendio involutam, ex ruderibus deinde excitatam, ac rursus temporis injuriis labefactatam, novo demum opere pro majori parte restitutam anno Domini 1590.* Cujus consecrationis solemnia, *inquit auctor nobilissimus,* XVII Kalendas Julii annuo Officio celebrantur, eaque die, cum ad sanctorum Viti et Sociorum ecclesiam pro gratiarum actione de præservata urbis libertate, uterque clerus et Majora sodalitia accedant, prius ad divi Mauritii templum annuæ solemnitatis ratione divertunt. Condigna veneratione in templo hoc asservatur divi Mauritii titularis martyris os, quod in ipsius annua solemnitate fidelium pietati publice exhibetur. *In indice totius Operis remittor ad tomum 14, inventurus addenda aliqua, at is tomus hactenus nobis deest. Neque exiguus est* S. Mauritii *et Sociorum Thebæorum*

AUCTORE J. C.

rum cultus in urbe Romana, ubi ut in ditissimo sacrorum pignorum gazophylacio non paucæ illorum sacræ exuviæ asservantur.

Romæ

157 *Referente Piazza in Hemerologio sacro, dies* XXII *Septembris solemnis est cum indulgentiis plenariis in ecclesia sancti Sudarii Pedemontanorum, ad conformitatem cum domo serenissima Sabaudica, quæ* S. Mauritium *protectorem habet. Ad S. Mariam Majorem exponitur brachium sancti Ducis et alterum alicujus ex ejusdem Commilitonibus, et in sacello Paulino caput unius ex Thebæa Legione anonymi. Coluntur etiam Martyres in templo domus professæ Societatis nostræ, ubi caput de iisdem sub nomine* Zenonis, *in collegio nostro Romano, ubi caput anonymi alterius, ad Divam, quæ a Victoria, et alteram, quæ a Populo nomen habent, ubi reliquiæ diversæ, ac denique ad S. Joannem Florentinorum, ubi pariter variæ Sanctorum nostrorum exuviæ populorum venerationi exponuntur. In basilica S. Petri sacellum est venerabili Sacramento sacrum, ibique ad dexteram altare* S. Mauritio *dedicatum. Ad præfatam aram solent imperatores coronari, cum Romam recepturi auream coronam veniunt. Hactenus fere Piazza laudatus.* B *Quam celebris ejusdem sancti Martyris cultus sit in imperio paulo post videbimus. Olim autem imperatores ad ejus aram imperii insignia sumpsere, cujus in bellis insignia præferre et protectionem singularem experiri solebant.*

et in Sicilia

158 *Habet et Siciliæ regnum sacras Sanctorum nostrorum exuvias: narrat enim Baldesanus pag.* 359, *anonymi Thebæi Martyris caput et brachium debitis testimoniis munitum Roma Marsallam (Siciliæ civitas est in valle Mazaræ) ad ornandam recens Societati nostræ conditam ibi basilicam, missa fuisse a P. Jacobo Dominichi, provinciæ Mediolanensis Societatis nostræ tum temporis præposito. Pompam, cum qua sanctæ reliquiæ ibidem exceptæ fuerunt, pluribus idem describit. Unum ex illis advertere lubet, episcopum nimirum Marsallensem anonymis Sanctis, quorum erant exuviæ, nomina imposuisse; atque illum, cujus caput nacti erant, appellasse* Lucianum, *alteri vero* Stephani *nomen indidisse. Ceterum nullus dubito, quin plures per Italiam Siciliamque sanctorum Martyrum nostrorum pignora sacra honorentur: at enumerare singula non minus forte tetricum esset, quam factu difficile; itaque ea tantum recensui, quæ habui quodammodo obvia, innumera alia ecclesiis variis non abjudicans, et in Hispa-* C *niam transeo.*

§ XIV. S. Mauritii et Sociorum Martyrum anonymorum reliquiæ ac veneratio in Hispania, Lusitania, et Brasilia,

Reliquiæ aliquot S. Mauritii et Sociorum a Carolo Emmanuele

Esse in Hispaniam translatas aliquas sancti Legionis Thebææ tribuni Mauritii *exuvias, extra omne dubium est. Etenim Carolus Emmanuel Sabaudiæ dux nactus pretiosas sancti Martyris ex Agaunensi monasterio reliquias, earumdem parte aliqua gratificari Margaretæ Austriacæ, conjugi Hispaniarum regis Philippi III, cujus ipse sororem Catharinam uxorem habebat, atque ita* S. Mauritii *cultum promovere, et usque in ipsam Hispaniam extendere voluit, Instrumentum ea de re conditum ex authentico ita exhibet laudatus sæpe Baldesanus.* Nos Carolus Brolia Dei et Apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Taurinensis universis hasce lecturis fidem facimus, nos hodierna die serenissimi Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ ducis et Pe- D demontium principis, jussu, ex ejusdem sacello, in Taurinensi nostra ecclesia majori divi Joannis Baptistæ erecto, in quo sacratissima Domini nostri Jesu Christi syndon, et divi Mauritii Thebææ Legionis supremi ducis sanctum corpus (*En, lector, quod toties et monuimus et monemus, quam solemne sit, sacras aliquas reliquias, maxime si paulo notabiliores sint, Corpus vocari)* pie et religiose asservantur, ex theca argentea, ipsius divi Mauritii costam *(instrumentum Recognitionis num.* 94 *productum, dubium utcumque ingerit, an et hæc fuerit integra)* unam manibus nostris extraxisse; tum, canonicis ejusdem ecclesiæ majoris annuentibus, ex argentea statua, ubi ad latus majoris altaris sancti Secundi, ejusdem Thebææ Legionis producis, corpus est constitutum, ex majori digito pedis articulum unum eruisse.

160 Ad hæc, patribus Societatis Jesu assentientibus, quorum in templo tres Thebææ Legionis primarii milites Taurinensisque hujus urbis patroni Solutor, Adventor et Octavius singulari pietate excoluntur, ex ahenea et aurata arca, in qua eorum corpora servantur, tres digitorum articulos E desumpsisse. Demum ex sacra ædicula, in serenissimi ejusdem ducis palatio extructa, caput extraxisse unius ex iis virginibus, qua cum diva Ursula martyrio coronatæ fuerunt, cujus nomen ob vetustatem est deletum, nec non crus ex commilitonibus S. Gereonis, Thebææ Legionis tribuni qui apud Coloniam martyrii palmam sunt assecuti. *Hic narratur, quomodo hæ reliquiæ Taurinum pervenerint, post quæ ita prosequitur instrumentum:* Quibus omnibus Sanctorum reliquiis manu nostra ex prædictis sacris locis desumptis, cum serenissimus dux noster (prout nobis significavit) donandam statuerit Catholicam majestatem Mariæ Margaritæ Austriacæ Hispaniarum reginæ, nos, discussis omnibus iis, quibus veræ ac certæ esse asseruntur prædictæ reliquiæ, eas pio cultu ab omnibus venerandas esse affirmamus, nec cuiquam licere in dubium revocare, an veræ sint.

cum testimoniis transmissæ

161 Cum vero a perillustri domino Petro Leonardo Roncassio, Castri Argente domino et serenissimo duci nostro primo a secretis, in Hispaniam sint deferendæ, Catholicæque reginæ tamquam pretiosissimum munus offerendæ, nos manu nostra propria eas in cristallinam capsulam inclusimus, auro gemmisque constructam, et adamantibus, pyropis, smaragdis aliisque pretiosis lapillis ornatam, quam capsulam in aliam rubro holoserico contectam, et no- F stro sigillo munitam, et hanc tandem in aliam ligneam, serenissimi nostri ducis sigillo item obsignatam denuo inclusimus. Quæ omnia, quo firmissima sint, conscribendas curavimus has litteras, nostra et ejus, qui nobis est a secretis, manu obsignatas, sigilloque nostro archiepiscopali impressas. Taurini primo die Cal. Octobris, anno a Christo nato millesimo sexcentesimo tertio. Carolus Taurinens. archiepisc. *Sanctæ hæ reliquiæ inclusæ capsæ pretiosissimæ, quam pluribus describit idem Baldesanus, perlatæ fuerunt in Hispaniam; an inter sacrum aulæ thesaurum repositæ, an potius alicui deinde ecclesiæ, serenissimæ reginæ dono cesserint, non legi. Tamayus in suo Martyrologio non contentus de more sacri corporis magni Thebæorum Ducis partes aliquas Hispaniarum ecclesiis vindicare; maluit relationes alias suspectas et futiles, quam debitis testimoniis munitas adoptare.*

in Hispaniam.

162 *Miror tamen, illum non hic martyrii palæstram totamque sanctam Thebæam Legionem in Hispaniam*

Tamayus in Martyrologio Hispanico perperam citat

A *Hispaniam transtulisse. Tamayo favere hic Notkerus utcumque poterat. Etenim Notkerus hodiernum elogium ita orditur :* In Hispaniis urbe Seduno, loco Acauno, sanctorum martyrum Mauricii et Sociorum ejus. *Mendum quidem hic agnoscunt omnes, at, qui patriæ suæ immodice studens, non raro contra antiquorum omnium et recentiorum asserta novas ibi urbes, regiones, provincias excogitavit, saltem tutius hic mendosum Notkeri testimonium, quod nescio, an ex ullis ejusdem Martyrologii antiquis exemplaribus corrigatur, sequi poterat. Quamquam, Notkerum, opinor, non vidit, vel a Lucio Dextro in Hispaniis locum palæstræ assignatum non invenit, et ipse tot novas colonias in illam forte invexerat, ut huic figendæ ager spatiumque deessent. Itaque contractæ narrationi Martyrii maluit talem Annotationem subnectere.* Venio ad probationem de existentia sacrorum pignorum S. Mauritii apud Athanasiam seu Manresam, in principatu Cathaloniæ, quam nobis suppeditarunt Antonius Vincentius Domenec Hist. SS. Carthalon lib. I fol. 86 col. 3. P. Joannes Bollandus in Actis SS. tom. 2 fol. 360, ubi translationis B Acta hujus sancti Martyris cum S. Fructuoso et Sociis ad amussim recensentur.

Bollandum pro asserendo corpore S. Mauritii

163 *Hactenus diceres, Tamayum non nisi partes aliquas de corpore Thebæorum ducis Manresanæ ecclesiæ asserere, at quantas illi vendicet, sic pergens abunde innuit :* Non me latet, quod in Kalendariis perpetuis S. E. Toletanæ dicitur; scilicet in sacrario illius metropolicæ ecclesiæ asservari caput S. Mauritii, et in conventu S. Josephi monialium Abulensium Excalceatorum Carmelitarum custodiri corpus ipsius, ut ego pluries vidi, et apud me translationis authenticum testimonium adest, quia credo ibidem aliquot reliquias inesse, at cæterum corporis apud Manresam. *Itaque contendit Tamayus, tam ingentem partem corporis* S. Mauritii *ibi asservari, ut reliquis etiam Hispaniarum ecclesiis non nisi aliquot ex illo reliquias relinquat. Primo Bollandum nostrum audiamus quem tam speciose citat. Is loco citato narrationes translationum S. Agnetis ex Domenecco contrahit, ut in fronte profitetur. Postquam retulit, quomodo Sanctæ corpus Viennam a Guilielmo Guilielmi, istius urbis comite, ex Oriente perlatum esset, sic prosequitur :* Tertia *(translatio reliquiarum S. Agnetis)* Castellæ regis ejusque fraC tris Toletani præsulis rogatu per legatos summa Guilielmi comitis largitate, facta est.

ecclesiæ Manresanæ, ubi non sunt nisi exiguæ

164 Nam cum ossium partem insignem oratum venissent, pleraque data sunt, retenta solum istic parte exigua, additæque D. Mauritii Thebæorum Martyrum principis reliquiæ. Legati, superatis Pyrenæis, magnis itineribus confecti, ad vicum S. Fructuosi, media leuca ab oppido Manresa, in cœnobio instituti Benedictini cum consedissent, cuperentque a viæ labore recreari, correpti morbo plerique ibi exstincti sunt. Reliqui, depositis in ea æde reliquiis his, sanctorumque Fructuosi, Eulogii, Augurii, quas a Tarraconensibus, dum in Galliam proficiscerentur, impetrarant, spe ducti, fore ut deinde ex eo loco et contempto et devincto Romanæ Ecclesiæ, facilius reducerentur, quam si Manresæ collocavissent, domum profecti sunt. Anno Christi MCCCLXXII senatus Manresanus, magna ante contentione conatuque consumpto, demum a Guidone Portuensi episcopo summique Pontificis in Aragonia legato a latere potestate impetrata, XXX Augusti, magno apparatu, frequentissima prosecutione, Manresam SS. Fructuosi, Eulogii, Augurii, Mauritii, Agnetis ossa deportavit. *Narrantur deinde miracula aliqua et beneficia, quæ in illa translatione contigerunt, neque verbum ulterius ullum de* S. Mauritii *corpore et reliquiis movet antesignanus noster, nec suum de tota hac narratione judicium promit.*

AUCTORE J. C.

sancti Ducis reliquiæ et quidem satis

165 *Atque hæc sunt, Tamayo judice, quæ possessionem corporis* S. Mauritii *luculenter Manresanæ civitati asserunt, et tamen essent omnino verissima, etiamsi non nisi pilus unicus, vel minimum saltem ossis fragmentum eo delatum fuisset. Fateor, Domeneccus ab illo laudatus pagina* 85 *his verbis Hispanice narrat, quomodo legati* S. Mauritii *reliquias obtinuerint :* Et ut sacrum corpus sanctæ virginis *(Agnetis)* alii Sancti comitarentur, nesciens *(Guilielmus comes Viennensis)* illos *(legatos)* obtinuisse ossa vel cineres S. Fructuosi ejusque diaconorum, dedit ipsis illud gloriosi S. Mauritii, mortui in Gallia cum Legione Thebæa pro confessione fidei, octo milliaribus a fluvio, cui nomen Rose ; unde post multas translationes delatum fuit Viennam, depositumque ibidem cum SS. Agnetis et Antonii confessoris exuviis. *At tales ineptias oculatus Bollandus procul dubio advertit, maluitque tacite corrigere et præterire, quam critica observatione explodere. Perperam igitur Tamayus* E *pro confirmanda tabula Bollandi suffragium allegat. Ex iis, quæ nos, tum de Viennensibus sacris cimeliis, tum de* S. Mauritii *exuviis, per varias ecclesias sparsis, animadvertimus, abunde liquet, Hispanos a Viennensi comite corpus, quod non habuit, accipere non potuisse, atque adeo nec possidere.*

incertæ. Toletani non ejus, sed alicujus e Sociis

166 *Partem aliquam, quamvis forte non magnam debitoque destitutam testimonio, non abjudicamus Manresianis, nec tamen etiam illis asserimus, cum causa illorum niti videatur solis Domenecci verbis, cujus errores in paucis verbis allatis non paucos mitto castigare, ut ad Toletanos progrediar. Illi, ut ait superius Tamayus, capite* S. Mauritii, *in sacrario metropolitanæ ecclesiæ asservato, gloriantur. Circa hæc sufficiet protulisse monumenta illius ecclesiæ, cum unius alteriusve scriptoris Hispani testimonio. Inter Officia propria Sanctorum Toletanæ ecclesiæ, quæ anno* 1607 *Madriti impressa, et jussu illustrissimi Cardinalis de Quiroga et Rojas archiepiscopi Toletani edita sunt, hæc sunt ad* XXII *Septembris rubrica :* In matrice fit de SS. Mauritio et Sociis Officium duplex, eo quod in ea habeatur caput unius ex F Sociis ejus. *Similia eodem loco repetuntur in ejusdem ecclesiæ Officiis jussu Eminentissimi Cardinalis Zapatæ, Toletani archiepiscopi, anno* 1638 *ibidem recusis. Antonius de Quintanaduenas, Societatis nostræ auctor, in Sanctis Toletanis idem testatur pag.* 505, *hæc scribens Hispanice, quæ Latine reddo :* Ad regna diversa variasque ecclesias Christiani orbis dispersæ sunt Sanctorum illorum *(Thebæorum)* reliquiæ, ut testantur historici. Obtigit caput unius ex illis sanctæ ecclesiæ Toletanæ. Servatur et cum veneratione colitur in ejus sacrario custoditurque cum decore et in decenti herma argenteo.

caput obtinuerunt. Incerta sunt etiam, quæ de ejusdem corpore Abulæ

167 Celebratur titulo possessionis illius festum S. Mauritii et omnium Martyrum Legionis ejus, ut proprium ritu duplici ex facultate ecclesiis Hispaniæ concessa a Gregorio XIII Pontifice. *Indicat ibidem in margine inter auctores, qui de reliquiis illis egerunt, Blasium Ortizium Templi Toletani cap.* 25, *ubi is ita habet, pagina apud me* 63 : Asservantur etiam in dicto sacrario *(ecclesiæ Toletanæ)* quatuor capita : duo ex undecim mille virginum numero : tertium S. Mauricii, in ejusdem dimidiata statua ex argento efficta. *At hæc*

AUCTORE J. C.

hæc contra Officiorum propriorum, et Quintanaduenas, qui hæc ipsa consuluit, auctoritatem morari nos non debent, nec asserto Tamayi pondus addere possunt. Ceterum translationis harum sacrarum reliquiarum meminit Domeneccus laudatus ad xxx *Augusti, ut dictum est in Opere nostro inter Prætermissos, ad prædictum diem.* De S. Mauritii *sacris exuviis, quæ Abulæ servari asseruntur, sic scribit Hispanice Guilielmus Gonzales Davila in Theatro ecclesiastico ecclesiarum Hispaniæ tom.* 2 *pag.* 211 *in ecclesia Abulensi :* In conventu S. Josephi Carmelitarum Excalceatarum corpus S. Mauritii martyris. *Vellem Tamayus nobis exhibuisset, quod præ oculis habuisse se testatur in Martyrologio ad hunc diem, translationis hujus instrumentum authenticum, ut tutius de sacris reliquiis judicare liceret.*

proferunt. Escurialenses eodem etiam gloriantur, quod videtur Vimpina

168 *Nihil de illis alibi habui obvium, quapropter solum indico, vel exiguam partem corporis sancti Thebæorum Ducis ibi servari, vel alterius sancti Martyris, forte ex Legione Thebæa Militis, corpus* S. Mauritii *credi. Inter instrumenta, quæ Pinius noster in Hispania anno* 1722 *exscripsit ex Lipsanologio Ms. regalis monasterii Escurialensis non pauca invenio, quæ huc pertinent.* B *Primum est testimonium tale :* Ego frater Conradus Oberich, Prior conventus Vimpinensis, notum facio omnibus inspecturis, quod reliquiæ hæ, quas illustrissimæ dominæ Mariæ Manriquez dono dedi, verum corpus S. Mauritii sint. Id ut certum sit, ab antecessoribus nostris, viris sanctissimis, me audivisse profiteor. Quocirca ne ulli hoc dubium adferret, duobus sigillis, monasterii scilicet et Prioris, confirmare volui. Actum Vimpinæ xxi die Julii anno MDLXX. *Notat Pinius haberi hæc* Entrega I *fol.* 8, *ubi* Entrega, *opinor, Donationem seu instrumentum Donationis significat. Est autem Vimpina, incolis* Wimpfen, *urbs Germaniæ in Suevia provincia, ad Necarum flumen, ubi Coccarum et Jaxtum fluvios recipit, imperialis et libera, quæ jam a senescente seculo decimo sexto post varias turbas hæreticis cessit et per magistratum Lutheranum regitur.*

acceptum, suntque forte unius vel etiam plurium

169 *Apud Franciscum Petrum in Suevia Ecclesiastica invenio, Vimpinæ monasterium esse celebre et antiquum Ordinis S. Dominici, cujus, ni fallor, Prior fuit iste Conradus Oberich. Quomodo a Maria Manriquez sanctum corpus illud ad re-* C *gale Escurialense cœnobium transierit, incompertum habeo ; vix tamen dubito, quin idem illud sit, de quo in descriptione illius monasterii Franciscus de los Sanctos hæc scribit Hispanice pag.* 37, *quæ Latina facio :* Tertium corpus *(inter illa, quæ ibidem visuntur integra)* est S. Mauritii, fortissimi Thebæorum ducis. Honoratur in arca ex metallo deaurato, argento et crystallo multum pretiosa, estque ex primis thesauris, quibus ista ecclesia ditata est, habetque etiam peculiare sacellum in isto templo. *Eadem prorsus refert Josephus Siguença in Historia Ordinis S. Hieronymi lib.* 4. *pagina apud me* 822. *Neuter tamen horum auctorum uspiam, quod sciam, nos docet, unde corpus illud prius acceptum fuerit, mirorque Tamayum, qui postremo laudatum frequenter citat, hujus rei nullam mentionem facere. In instrumentis a Pinio exscriptis ex laudato superius Lipsanologio Ms., unde aliquid forte lucis in hisce tenebris affulgebit, sic lego Hispanice: Entrega 1, signato fol.* 51. Remisit Hernandus de Virviesca *(præfectus thesauro regio, ut in eodem Ms. fol.* 42 *dicitur)* sanctas reliquias, quas domina Anna regina nostra dedit et obtulit huic ecclesiæ, cum ad illam majestas ejus venisset xxiv mensis Maji anni MDLXXII : Unum corpus S. Mauritii Thebæorum Martyrum ducis et præfecti, et sunt prædicti corporis trecentæ et octoginta quinque partes ossium diversæ magnitudinis. D

ex Sociis

170 *Addit Pinius, in eodem Ms. sic notari in margine :* Ex novem craniis, *(Hispanice enim est* Nueve cascos) quæ sunt inter illa ossa, componitur caput heteromallo rubro *(vulgo Cramesino)* et aureis fimbriis adornatum, et omnia reliqua ossa ornantur et involvuntur chartæ spissiori cum aureis, argenteis sericisque fimbriis, ut videntur hodie in eadem capsa. *Ex hisce primo statim intuitu cernitur, quale corpus illud sit, quod* S. Mauritii *creditur, acervum scilicet sacrorum ossium non ejusdem, sed diversorum Sanctorum, forte Martyrum, etiam Thebæorum, quorum facile ex vicina Helvetia sacras aliquas exuvias obtinere potuit monasterium Vimpinense Ordinis S. Dominici. Quæ ejusdem Prior in testimonio superius producto allegat pro asserenda traditione corporis* S. Mauritii, *nullo modo sufficiunt, ut illi tuto subscribamus : etenim hujusmodi traditioni, quæ, cum cœnobium illud non ante annum* 1269 *exortum sit, non nisi novitia esse potuit, et nullo nititur* E *testimonio, parum, imo nihil tribui potest, cum aliunde certissimum videatur, partes corporis plurimas alibi servatas et honoratas fuisse. Habuerit igitur laudatus prior coagmentata aliqua diversorum Thebæorum Martyrum (quod ipsum tamen, an verum est, certo edicere non possum) ossa, quæ et unum corpus credi cœperint, et* S. Mauritii *ducis nomen induerint. Grassabatur hæreticorum in sacras reliquias sacrilega rabies circa tempus, quo facta donatio signatur.*

coagmentata ossa. Os brachii aliaque Thebæorum reliquiæ

171 *Hunc sacrum thesaurum eorum furoribus ereptum forte voluit laudatus Prior, atque ideo lubentius Mariæ Manriquez in Hispaniam avehendum concessit, a qua deinde ad sacra aulæ regiæ cimelia accedere, vel ad ipsum præfectum Hernandum de Verviesca transire potuit. Ceterum in iisdem Pinii apographis binæ insuper* S. Mauritii *reliquiæ ex Lipsanologio Escurialensi memorantur. Verba Hispanica rursum Latine reddo :* Fol. 45. Item os brachii S. Mauritii... inclusum lipsanothecæ figuræ ejusdem ossis, cum quatuor pedibus figuræ animalium. Capsa tota est ex argento deaurato, et in clausura argentea spectatur inscriptio, quæ dicit : Hoc BRACHIUM S. MAURITII FIERI FECIT WENCISLAUS III ANNO I. *Observat post* F *hæc Pinius, os illud brachii* S. Mauritii *inter alias reliquias missum esse ab imperatore Maximiliano II, per baronem Dietristan, majoremdomus serenissimorum principum Rudolphi et Ernesti filiorum ejus. Deinde rursus ex laudatis instrumentis prosequitur Hispanice :* Traditæ sunt Priori fratri Hernando civitatis Regiæ et deputatis ejusdem conventus per manus Hernandi de Virviesca, præfecti thesauro suæ majestatis, die VIII Aprilis anni MDLXXII. *Hicne de reliquiis superius memoratis, an de osse brachii tantum sermo sit, nescio; at hoc certe primum tuto locum occupare potest inter omnia sacra cimelia, quæ* S. Mauritii *esse ibidem feruntur. Servari in eodem sacrario plurimas alias sacras reliquias sanctorum Thebæorum martyrum anonymorum, asserit ex Seguença laudatus supra Franciscus de los Sanctos pagina* 39.

in regio Escurialensi cœnobio

172 *Uterque hic scriptor iisdem iterum pene verbis de capite quodam, inter sacra lipsana asservato, sic fere loquitur: Inter thesaurum monasterii regii Escurialensis caput est argenteum, diadema-te*

A *te ornatum, in quo auratis litteris legitur,* Caput sancti Laurentii. *Antiquitas fabricæ et testimonium inscriptum faciunt magnam probationem, esse id revera S. Laurentii, quamvis Philippus II, ejusdem monasterii fundator, qui cum tanta sollicitudine conquisivit S. Laurentii reliquias, censuerit, id non tam certum esse, quam appareret, nisi forte esset alicujus e Legione Thebæa Socii* S. Mauritii, *cujus id nomen esset. Merito sane prudentissimus rex arbitratus est, dubium saltem esse, an caput illud esset S. Laurentii, sui et monasterii Escurialensis patroni, licet id aliquod forte testimonium assereret; at ignoro, quare ex hoc dubio suboriri aliud debuerit, an scilicet esset Martyris Thebæi potius, quam alterius cujuspiam Sancti. Inter Pinii schedas altera est ex Lipsanologio jam sæpe laudato exscripta, ubi tertio loco inter regii monasterii thesaurum recensetur,* Caput alterius Martyris ex Legione S. Mauritii positum in theca, quæ ecclesiam cum capitellis refert. *Unde caput illud impetratum sit, docet Otho Trusches episcopus Albanensis et S. R. E. Cardinalis, de Augusta nuncupatus, in testimonio relato in eo-* B *dem Lipsanologio, unde decerpo, quæ huc spectant :* Præterea etiam reverenda et illustris comitissa de Reychenstain, abbatissa venerabilis monasterii S. Cæciliæ, ejusdem civitatis Coloniensis, misit unum sanctum caput ex societate S. Mauricii martyris, et unum sanctum caput ex societate S. Gereonis. *Litteræ hæ notatæ sunt Romæ anno Domini* 1570 *die* I *mensis Januarii, ex quibus rursus dubitari merito potest, an non sint alicujus ex Martyribus in Germania passis.*

Ulissipone 173 *Lusitania magni Thebæorum Ducis sacris exuviis etiam gloriatur, sed parcius, nec immerito; etenim inter divitem thesaurum sanctorum ossium, quem a Rudolpho II imperatore et Maria ejus matre impetravit Joannes Borgia, et deinde debite ab archiepiscopo Michaële de Castro recognitum et confirmatum ecclesiæ domus professæ Ulissiponensis Societatis nostræ dedit, memorantur in elencho, quem tom* 2 *Januarii pag.* 611 *et seqq. exhibet Bollandus,* S. Mauritii *reliquiæ feretro* 10 *in solemni translatione adlatæ, cum capite unius ex sanctis martyribus Sociis, et reliquiis* S. Candidi *martyris et* S. Acacii, *socii* S. Victoris, *qui pro* C *Thebæis habentur. De* SS. Candido *et* Victore *diversis* §§ *speciatim agimus, quos, si lubet, lector consule. Verene nominatorum Sanctorum illorum Thebæorum sint hæ sacræ exuviæ, an potius aliorum synonymorum Martyrum, enucleate dicere non possum; certe* S. Acacium *inter Thebæos nusquam alibi nominatum invenio. Locum hic etiam suum postulat cultus sanctorum Thebæorum Martyrum ad novum orbem et ditiones Lusitanorum transvectus. Est in Brasilia oppidum in vigesimo gradu latitudinis Australis in ora maritima situm, quod a sancto Spiritu nomen habet. Ibi sub finem seculi* XVI *septem aut octo patres Societatis nostræ ducendis ad veram fidem barbaris operam Apostolicam navabant.*

et in Brasilia. 174 *In sex Brasiliensium circumjacentibus oppido pagis jam ab illo tempore Christianorum decem millia numerabantur, quorum tanta erat pietas atque fiducia in Deum, ut miraculis compensari meruerit. P. Petrus Jarricus in Thesauro Indiarum tom.* I *cap.* 30 *pag. apud me* 403 *nonnulla recenset, et inter illa, quæ* S. Mauritii *invocato patrocinio ad ejus sacras reliquias obtenta sunt, quæque huc ex illo transfero. Sic scribit :* In templo Sociorum pars est reliquiarum S. Mauritii, Thebæorum Legionis ducis ; has Brasili magno honore prosequuntur earumque *(imo potius Sancti, quem in illis venerantur)* opem sæpe in suis necessitatibus experiuntur. Numquam enim illæ in supplicatione ad pluviam obtinendam deferuntur (deferuntur autem sæpius) quin copiosa cælo descendat pluvia. Nec communi modo Martyr necessitati subvenit, sed et privatæ, ut ex eo, quod sequitur, apparebit. Erat in Brasiliensium pagis quidam ex optimatibus : hic æger ad templum se deferri postulat, illius nomini dicatum, cujus cum reliquias magna animi pietate exosculatus esset, sanus et restituta valetudine domum rediit. Anno MD undenonagesimo, cum magno populi concursu ac frequentia festum Martyris ageretur, puer, qui in sublimem quemdam locum celebritatem spectaturus ascenderat, derepente in lapidum acervum corruit ; omnes eum colliso putabant corpore ; sospes et integer apparuit, idque non sine singulari sancti Martyris auxilio ; decidens enim illius opem auxiliumque invocarat. Sed in accepti beneficii signum, lineam quamdam rubicundam, cinguli instar, corpori circumquaque inhærentem, Deo sic permittente, retinuit. *Hisce* E *superaddit Baldesanus,* S. Mauritium *a Brasilis in protectorem electum fuisse. In Europam remeemus et sanctorum Martyrum per Gallias cultum examinemus.*

AUCTORE J. C.

§ XV. Antiqua erga Sanctos Thebæos veneratio Viennensium et Turonensium. Discutiuntur asserta de ampullis Turonensi, Andegavensi et Condatescensi.

Turonensis et Viennensis ecclesiæ olim S. Mauritio sacræ.

Metropolitanæ ecclesiæ hæ S. Mauritii *nomine insignitæ et consecratæ antiquitus fuerunt. Turonensis nomen* S. Mauritii *amisit quidem, singularem tamen erga sanctos Martyres venerationem retinuit. Viennensis metropolitana usque hodie sancti Ducis nomen obtinet, nec minus celebris ejus est ibidem cultus. Utræque ecclesiæ Thebæo-* F *rum Martyrum reliquiis gloriantur, de quibus mox erunt dicenda aliqua.* § I *hujus Gloriæ posthumæ jam observavimus quædam pertinentia ad traditiones Viennensium, advertimusque,* S. Mauritii *lipsana a S. Eoaldo verisimilius primum eo perlata fuisse circa initium seculi octavi, quo etiam Viennensis basilica* S. Mauritii *appellari cœpit, et Sanctorum Machabæorum nomen amisit. De his plura qui desideraverit, adeat Opus nostrum tom.* 2 *Julii pag.* 484 *et seq., ubi, quæ ad S. Eoaldum spectant, Sollerius examinavit. In Breviario ecclesiæ Viennensis, anno Domini* 1522 *typis excuso, ad diem* XXVI *Octobris est Officium novem Lectionum sub hoc titulo :* Revelatio SS. Mauritii, Exuperii et Candidi. *In eo, licet totum sit cum Antiphonis, Versibus et Responsoriis proprium, nihil occurrit de Viennensium traditione, quam adoptavit Lievreus, et nos* § I *excussimus : solum Responsorium post Lectionem nonam, reliquiarum* S. Mauritii *his verbis mentionem facit.* Felix locus Agaunensis tot Sanctorum plenus reliquiis. Quorum multis et immensis signis fulget, gaudet suffragiis. Et insignis urbs Galliæ, Vienna vocata, sacro Ducis militiæ capite dotata ; *quæ profecto saniora sunt iis, quæ Lievreus ac deinde etiam Saussayus de adnatantibus et ex Rhodani fluctibus exceptis a S. Paschasio*

AUCTORE J. C.

sio sacris Martyrum cimeliis commemorant.

Pars capitis Sancti Ducis Viennæ servatur cum aliis ejusdem

176 *Dies* XXVI *Octobris celebritati speciatim designatus, quo tempore fuerit, non invenio, uti nec quare* Revelationis *titulo insignitus sit. Idne ad revelata S. Theodoro sanctorum Martyrum corpora, an ad perlatas Rhodani aquis supernatantes eorum exuvias, an alio referendum est? Quiquid sit, possident usque hodie Viennenses partem insignem reliquiarum* S. Mauritii. *Lievreus pag.* 104, *postquam contenderat, totum sancti Ducis corpus longissimo tempore Viennæ servatum fuisse fatetur, suo tempore ex illo non superfuisse, nisi solum caput, quod ipsum satis liberaliter asserit, cum scriptores Viennenses non pauci, atque inter illos Maupertuy pag.* 19, *candide fateantur, non nisi portionem sancti capitis ibidem honorari. Consentiunt omnes, præfatas sacras reliquias ornatas fuisse a Bosone rege Arelatensi, qui obiit circa annum Christi* 890, *et sepultus est in Viennensi ecclesia* S. Mauritio *sacra. Quam sedulus fuerit piissimus princeps ille in exornandis sancti Thebani Ducis cimeliis, testatur ejus epitaphium, cujus in Antiquitatibus Viennensibus tales sunt versus initiales:*

B

Regis in hoc tumulo requiescunt membra Bosonis.
Hic pius et largus fuit, audax, ope benignus.
Sancti Mauritii caput ast circumdedit auro,
Ornavit gemmis claris, super atque coronam
Imposuit, totam gemmis auroque nitentem.
Hic dum vita fuit, bona dum valetudo maneret,
Munera multa dedit Patrono, carmine digno.

minus notabilibus et certis reliquiis.

177 *Porro pretiosa lipsanotheca illa usque hodie summa in veneratione et pretio est apud Viennenses, asseritque Lievreus citatus, ejusdem Sancti reliquias alias suo tempore cum testimonio inclusas fuisse aræ principi ab archiepiscopo, qui aram illam post incendium, quo tota pene ecclesia anno* 1567 *consumpta fuerat, consecravit. Narrat etiam eodem loco, clypeum* S. Mauritii *tempore exustionis a quodam milite per pium civem redemptum, ad se sacristam relatum postea, et ab antiquioribus pro eo recognitum fuisse, qui ante eo nomine Viennensibus in veneratione fuerat. Quo is postea evaserit, non comperio: si idem is ipse est, qui suppositus capiti* S. Mauritii *Viennam adnatavit, non multum fiduciæ apud prudentes inveniet. Quamquam potuit eo a S. Eoaldo diu post*

C

inter alias Sanctorum Thebæorum reliquias perlatus fuisse, atque illi postmodum accessisse traditio fabulosa, quæ forte apud Viennenses effecit, ut negligeretur clypeus, cujus allatio tanto commento ornata ipsis exhibebatur. Certe ego apud recentiores non invenio clypei mentionem.

Turonensium traditio

178 *Turonibus celeberrimus nostrorum Martyrum et vetustissimus cultus fabellis etiam nonnullis deturpatus est. Repertas fuisse in ecclesia Turonensi S. Martini a S. Gregorio ejusdem urbis episcopo reliquias Sanctorum Agaunensium, Commentarii prævii* § 4 *num.* 53 *ex ejus scriptis ostendimus; at ibi non enucleate exponit, quænam fuerint sacra pignora, quæ non nisi Reliquiarum nomine appellat. Exne sacræ exuviæ, quas reperit Gregorius, etiam hodie in sacro Turonensis ecclesiæ thesauro asserventur, incompertum habeo. In Breviario Turonensi, anno Christi* 1612 *impresso, ad diem* XII *Maji est Officium duplex sub hoc titulo:* Exceptio reliquiarum S. Mauritii. *Commemoratio S. Martini etiam præscribitur, de quo pariter est* 9 *Lectio. Tres Lectiones proprias* 2 *Nocturni lubet huc transferre. Ita habent:* Ex Legione Thebaida sepulta Ursi et Victoris in Saloduro, prope ripam Arolæ fluvii non longe a Rheno posito, corpora Theodoro, dicti loci episcopo, revelata tradiderunt. Sic etiam post multos annos Innocentii membra Rhodanus aperuit. Jugi enim fluxu loculum leniter lambens, non ut e suis *(forte legendum est* sinu) terræ in voraginem educeret, sed ut detectum honorifice fideles deportarent. Cujus translationem a Domiciano Genevæ et Grato Augustanæ urbis episcopo hac die factam celebramus.

D

de sanguine Sanctorum Thebæorum

179 *Incipit deinde Lectio* 5. Cum S. Martinus Roma rediret, transactis Alpibus, venit in planitiem, ubi sancta Legio Thebæorum martyrum Mauritii et Sociorum ejus a Maximiano fuit pro Christo interfecta. Flexis itaque genibus, vir beatus Deum oravit, ut de sanctis Martyribus aliquas sibi reliquias revelaret. Super herbas igitur prati illius, ubi sanguis sanctorum Martyrum pro Christo fuerat effusus, apparuit ros sanguineus, ex quo tres ampullas beatus pontifex replevit. *Terminatur hic* 5 *Lectio, et* 6 *inchoatur.* Unam ex illis in ecclesiam Turonensem hodie reposuit, et eam in memoriam beatorum Mauritii et Sociorum ejus dedicavit. Dictarum vero ampullarum ad ecclesiam Andegavensem delegavit alteram, quæ postmodum in honorem eorumdem Martyrum ædificata est, et sub eorum nomine consecrata. Et tertia ampulla ad ecclesiam Candatensem, ubi postea transivit ad Superos, per eum transmissa est. *In Breviario altero Turonensi ecclesiæ S. Martini, anno Domini* 1635 *typis ibidem edito, ad præfatum diem indicitur festum* Subventionis beatissimi Martini episcopi confessoris duplex. *Totum fere officium de Subventione illa proprium est; at Lectiones* 2 *Nocturni sunt* De Exceptione reliquiarum S. Mauritii et Sociorum ejus, *atque eadem fere referuntur, quæ superius ex alio Officio recitavi. Lectio ibidem* 1 *seu* 4, *nescio quid, de SS. Ursi et Victoris corporibus revelatis, et quidem Theodoro Solodorensi episcopo, comminiscitur. Theodori certe sedes Octoduro Solodorum liberaliter transfertur, et pro inventione corporum* S. Mauritii *et Sociorum, revelatio SS. Ursi et Victoris perperam substituta est. Quanto sint firmiora reliqua, exploremus.*

E

quem S. Martinus fertur

180 *Surius ad hunc diem post Acta Sanctorum nostrorum edidit* Fragmentum epistolæ decani et canonicorum Castri-novi in Galliis ad reverendissimum archiepiscopum Coloniensem Philippum, *ex qua conjecto, cetera omnia profecta fuisse: quapropter illud pariter hic repræsento, nonnullis tamen omissis, quæ ad rem non faciunt.* Dum beatus Martinus cum paucis admodum comitibus sub habitu peregrini Roma regrediens in mente haberet orare in loco tanta excolendo reverentia. in quo tot pro Christo Martyrum millia pretiosum sanguinem effudissent, Agaunum venit, et, completa oratione, a monachis (nam monachi tum temporis locum possidebant) de reliquiis eorumdem Martyrum aliquid sibi devote donari petiit. Qui personam adumbratam schemate non cognoscentes et repellentes, dare prorsus renuerunt. Abjectus igitur ab hominibus sacerdos... ad divinum more suo se contulit præsidium, et ab incolis saltem locum, roseo quondam cruore purpuratum, sibi ostendi obtinuit; ubi flexis genibus, corde, vultu et manibus in cælum directis, Dominatorem terræ et mortis oravit,... ut, qui in die novissimo totam hominis substantiam in ictu oculi reparatus est, aliquid ex sanguine Militum suorum pro gloria sui nominis illinc effuso et absorpto de abyssis terræ ad laudem suæ majestatis et Martyrum honorem dignaretur refundere.

F

181 Deinde

A 181 Deinde, exempto vagina cultello, altera manu virentis coma graminis comprehensa, mox ut altera in gyro, id est, in modum coronæ cæspitem incisum sustulit (mirum dictu et inauditum hactenus miraculum!) densus ab ipso cæspite copiosi sanguinis imber distillare cœpit: de quo Martinus, quantum Divina largitas contulit, cum summa veneratione et gratiarum actione lætus suscipiens, per vascula ad hoc de industria facta dispertivit, et reditum cum exultatione maturans, cum suis iter arripuit. Sed ut Martinus abjectus, Martinus electus Dei pontifex appareret, iter quidem inchoare, sed occulta vi quadam prohibitus, promovere non potuit; donec inspiratione secreta voluntatem Largitoris intelligens, Agaunum reversus, quod gestum fuerat, reseraret, et avaros illos monachos, quos inopes copia faciebat, redarguens, et, quis esset, aperiens, data parte sanguinis cælitus adepti et cultello illis, quo cæspitem præciderat, dimisso, participes tantæ benedictionis efficeret. Quibus ad hæc tremefactis, et culpam duritiei suæ fatentibus, veniam clementer indulsit, omnia ei sua seque exponentibus. Ipse, quæ Deus sibi præbuerat, arbitratus B sufficere, vale facto illis et accepta a Deo facultate progrediendi, Turones rediit, ubi cum maximo clericorum et civium universorum tripudio et applausu, ut pastor et dominus luxque patriæ solenni processione susceptus, ipsum, quem deserebat, sanguinem omni rosa et obrizo venustiorem, per quotquot voluit vascula divisum, locis, quibus judicabat oportere, decenter composuit ejusdem metropolis principalem ecclesiam, sed et Andegavensem illi subjectam; tantorum pignorum parte aliqua nobilitans, in honorem eorumdem martyrum Mauritii Sociorumque ejus consecravit.

prodigiose ex terra

182 Cujus susceptionis memoria solenniter in urbe nostra quotannis agitur quarto Iduum Majarum etc. *Monet Surius, deinde pauca, forte huc non pertinentia, interseri, atque ex instrumento ita prosequitur:* In tantum autem prædictorum Thebæorum Martyrum sanguinem veneratus est Martinus, ut ampullam ex eo completam secum perenniter habendam retineret, et in locum requietionis suæ, cum hominem exuisset, reponi præciperet. *Hæc cononici Castri-novi ad Philippum Coloniensem archiepiscopum, qui cathedram illam* C *obtinuit, computantibus Galliæ Christianæ auctæ scriptoribus, anno Christi 1168, laudatosque canonicos Castri-novi relationem rogarat eorum, quæ rumor ad se pertulerat. Porro quæ hic narrantur sunt, ut ipsa sua insolentia mox suspicionem commenti prudentioribus lectoribus injicere debeant, et injicerent procul dubio, etiamsi, qui referunt, S. Martino ætate multo propiores essent. Effluens ex præciso cæspite copiosus sanctorum Martyrum cruor, præparata excipiendo illi ex prophetico spiritu vascula, vi quadam secreta retentus sanctus pontifex, donec Agaunenses insoliti prodigii et obtenti sanguinis miraculosi participes fecisset, atque his similia accumulata, sunt miracula, quæ, nisi optimæ fidei vade asserta fuerint, non facile admittentur. Accedit ab argumento negativo, Severi Sulpitii nimirum, Venantii Fortunati, Gregorii Turonensis aliorumque antiquiorum S. Martini encomiastarum silentio, non facile superanda præsumptio de rei totius falsitate, quam nemo facile evellet, et auxerunt hactenus, qui novis ampullam illam tenebris involverunt, ut mox videbimus. Interim videtur indubitatum esse, quod ex hac relatione canicorum Castri-novi res tam parum credibilis ad Breviaria ecclesiæ Turonensis transierit. Qui tamen Lectiones recitatas illis inseruit, videtur rem mitigare voluisse: etenim cruorem prodigiosum narrat, non ex præciso per S. Martinum cæspite fluxisse, sed Sancto orante, roris instar super prato apparuisse et collectum fuisse.*

elicuisse, monumentis recentibus

auctore J. C.

183 *Scriptores insuper nonnulli alii, quæ inde hausta sunt, liberaliter exceperunt. Inter illos Joannes Maan in Metropoli Turonensi et S. Martino num. 15 citans Martyrologium Turonense, quod non vidi, fere omnia sine scrupulo adoptat, et subnectit:* Eaque fuit jam olim ad nostra fere tempora *(cessarant ergo jam tum)* servandi in ecclesia Turonensi hujus sanguinis cura studiumque, ut, nisi qui sanctissime juravissent, non permissuros se ampullam tolli ab ecclesia, in canonicorum ejus collegium minime adscriberentur. *Accessit his Petrus Franciscus Chiffletius Societatis nostræ in Illustrationibus Jurensibus Mss., ut paulo post videbimus. Henschenius noster inter Prætermissos ad diem* XII *Maji, ubi in Fastis sacris Turonensibus hactenus relata occurrerunt, rem huc discutiendam rejecit. Qui in arte critica non omnino novus est, facile perspicere potest, magnam difficultatem creare similia non debuisse: quæcumque enim pro* E *asserendis factis tam insolentibus scriptores illi instrumenta protulerunt, teste Gervasio, præposito ecclesiæ S. Martini Turonensis, in hujus sancti præsulis Vita lib. 3 pag. 220, ætatem sex seculorum non excedunt, adeoque nata sunt eo tempore, quo scriptores de fabulis monumentis sacris inserendis magna æmulatione contendisse videntur. Aliunde etiam præfata ampulla novis tenebris involuta est, quæ traditionis inconstantiam ineptiamque satis ostendunt.*

nixa

184 *Neminem scilicet enucleate satis edisserentem vidi, an ampulla illa usque hodie Turonibus supersit, et credatur plena sanctorum Martyrum nostrorum sanguine, tanto cum prodigio ex terra obtento, an potius alio, et quando ablata sit, vel quo denique evaserit. Petrus Franciscus Chiffletius, Operis nostri adjutor sæpe laudatus, in Illustrationibus Jurensibus ejus manu scriptis, quæ apud nos servantur, censet, eamdem illam phialam esse, quam habet hodie in magna veneratione monasterium Majus apud Turones; quod si verum est, tot prodigiis nova prodigia substituuntur et accedunt. Refert Andreas Duchesne lib. 2 Antiq. Francic. pag. 507 ex Severo Sulpitio (ut quidem ait) S. Martinum in lapsu per scalæ gradus graviter collisum ac pene ad mortem contusum, oleo* F *inunctum fuisse et sanatum ab angelo, huncque ejusdem olei plenam phialam S. Martino reliquisse, quo sanctus præsul deinde admiranda plurima operatus sit. Hanc autem ampullam cum oleo residuo addit usque ad sua tempora servatam et honoratam fuisse in monasterio Majori. Eodem oleo Henricum IV Galliæ regem unctum fuisse, post Scipionem Dupleix et præsidem Thuanum, asserit. Hi assertorum suorum testes allegant pro ampullæ prodigiosæ origine Severum Sulpitium, Paulinum Petricordiam, Venantium Fortunatum et Alcuinum. Ab hisce scriptoribus mentio fit quidem plurimarum sanationum, quæ oleo S. Martini patratæ sunt, sed ab iisdem clarissimis verbis dicitur, non oleum illud ab angelo perlatum ad sanctum præsulem, sed ad hoc liniendis ægris consecratum seu benedictum fuisse, quæ profecto toto cælo differunt.*

variisque fabellis involuta,

185 *Quamquam hæc leviora sunt, si vere Chiffletius asserit, eamdem ampullam esse, quæ modo plena sanguine Thebæorum Martyrum tam miraculose obtento, modo referta traditur oleo ad S. Martinum e cælis delato, quæ, ni fallor, non est opus pluribus*

non videtur,

AUCTORE J. C.

pluribus exagitare. Pro diversa temporum exigentia et scriptorum placito mutatum fuisse Martyrum sanguinem in prodigiosum oleum, ac rursus cruorem reversum esse, non credam, nisi testimoniis prorsus indubitatis convictus fuero. Ab oculato inspectore deprendi facile poterit, concretusne sanguis, an oleum famosa phiala Turonensi contineatur. Si pro secundo is steterit, atque Turonensium traditiunculis in ceteris adhæserit, meminerit antiquis testimoniis probare, a S. Martino ad hæc usque tempora fuisse conservatam, atque allationem ab angelo solidis omnino argumentis stabilire, alias vel nusquam habebit me consentientem, vel saltem non suspicantem, de oleo illo esse potius, quod S Martinus sanandis ægris benedixit, quod ad ejusdem sancti episcopi sepulcrum scaturiit, vel denique quod aluit lampades coram ejus effigie ardentes : de quibus plura Gregorius Turonensis de Miraculis S. Martini lib. 1 *cap.* 15, *lib.* 2 *cap.* 32 *et* 51, *et lib.* 4 *cap.* 24.

facile fidem

186 *Quod si is, qui ampullam examinaverit, asserat sanguine plenam esse et sanguine quidem sanctorum Thebæorum Martyrum : mitissimam primum conjecturam rependemus : fuisse forte a*
B *Christianis, qui Sanctorum corpora sepelierunt, collectum, et usque ad hæc nostra tempora conservatum. Huic porro conjecturæ si indubie adhærentem me habere voluerit, suspicionem meam non evellet, nisi rei testes antiquiores, quam qui* XII *seculo vixerunt, produxerit. Hactenus nullum vidi, qui ante canonicos Castri-novi famosæ ampullæ meminerit ; ut autem luculentius fiat, quam levis momenti sit eorum auctoritas, subnecto fragmentum aliud epistolæ, cujus partem superius recitavimus. Inchoatur id, ubi illa desinit, fuitque ad nos ab eodem P. Petro Francisco Chiffletio submissum. Sic habet apographum :* Hanc *(prodigiosam ampullam)* nostris modo temporibus ex occulto secretario, quo sub arca ejus *(S. Martini)* est, inventam, et ex capsa argentea, quæ aliis duabus, altera æque argentea, alterea lignea, ambiebatur, prolatam omnes pene vidimus, populis salutandam et osculandam longo tempore exhibuimus, et in eminentiori post hæc ecclesiæ loco cum eadem capsa loris argenteis, clave aurea et firmatura munita, decenter cum aliis reliquiis exaltavimus.

apud prudentes inventura : uti nec ea, quæ de ampullis

187 Cultellus autem viri sancti, et ea pars sanguinis, quam Agauni reliquerat, ut sæpe auditum est, viris devotis per locum illum transeuntibus, si expetant, adhuc ad testimonium tantæ virtutis
C ostenditur, et multi nostrum ante paucos annos in ecclesia nostra viderunt, aliquibus ex canonicis ejusdem loci (qui monachis substituti sunt (dum ad colligendas Fidelium eleëmosynas pro reparatione ecclesiæ suæ nuper adustæ, exissent, et ad nos divertissent, utrumque nobis ostendentibus, et his, quæ supra retulimus fideliter, adstipulantibus. *Cultellus prodigiosus non comparet amplius in thesauro sacro abbatiæ Agaunensis, de pretiosa ampulla operis Ægyptiaci in reliquis, ni fallor, sermo est ; at si Agaunenses asserant, Martyrum suorum cruorem illa contineri, suspicor, malle illos credere, a Christianis in eorum passione exceptum fuisse, quam tam prodigiose a S. Martino obtentum. Quidquid tamen fuerit, habemus hic prodigiosæ ampullæ Turonensis exordia, quæ si quis ad anteriora tempora referre voluerit, doceat nos, unde didicerint canonici, non solum S. Martinum ampullam miraculoso Martyrum sanguine, eo, quo narrant, modo replevisse, sed insuper eamdem hanc ipsam esse, quam sub ejus loculo repererunt. Verisimiliter non id illis constitit ex aliquo antiquo monumento, apud phialam illam reperto ;* D *neque enim omisissent id volenti singula edoceri Phillippo narrare, quod repertum thesaurum suum imprimis commendare debebat, dum nec testimonium ullum aliud, imo ne traditionem quidem allegant. Atque hæc, ni fallor, sufficiunt, ut ne rem tam insolentem hic adoptemus. Quæ in fragmento epistolæ apud Surium de ampullis similibus Andegavensi et Condatescensi asseruntur, non minus fabulam sapiunt. Certe quæ in Breviario illius ecclesiæ anno* 1624 *typis edito ad diem* 2 *Decembris allegantur, totidem fere verbis ex epistola profecta sunt. Condatescensis ampulla id insuper prodigii cum Turonensi commune habuit, quod in ea ex oleo S. Martini sanguis Thebæorum Martyrum natus sit.*

Andegavensi et Condatiscensi adferuntur

188 *Anonymus scriptor Vitarum trium primorum abbatum Jurensium, de quo plura Commentarii prævii* § 3 *num.* 44 *et seqq. in S. Augendo refert, phialam olei S. Martini pendentem ad cervical Antidioli monachi, toto cœnobio una nocte pene in cineres redacto, postridie inter vasta incendia et cœnaculorum adhuc ardentium flammas plenam, clausam et illæsam repertam fuisse, ac deinde magno in honore habitam. Ampulla illa, teste Chiffletio sæpe laudato, in qua oleum in sanguinem transierat, usque ad medium seculum præteritum perduravit, quo tempore a monacho incautius tractata, manibus elapsa, soloque illisa dissiliit, facile præbens examen, an oleum ea, an sanguis contineretur. Ceterum, ut exagitandarum fabularum finem faciamus, habuerunt Viennenses et Turonenses, præter hactenus assignatum, hunc etiam diem* S. Mauritio *ejusque Sociis speciali cultu sacrum ; etenim in Viennensi Breviario citato ad diem* XXI *Septembris, quo colitur S. Matthæus, Officium a Capitulo est de sanctis Thebæis Martyribus proprium, et ex eorum Passione desumptum. Apud Turonenses cedit a Vesperis S. Matthæus, et est Officium totum de sanctis Martyribus nostris proprium cum Octava, ubi etiam Lectiones* 2 *Nocturni diebus non impeditis cum Responsoriis propriæ sunt. Teste Bailleto, hodiedum in plerisque Galliæ diœcesibus Officium Martyrum nostrorum redactum est ad ritum semiduplicem, quod forte ad laudatas ecclesias etiam extenditur. Suspicor autem Turonibus præter ampullam et exuvias sacras ad S. Martini, nonnullas servari, vel servatas saltem fuisse sanctorum Martyrum nostrorum reliquias in metropolitana ecclesia, quæ longo tempore a* S. Mauritio *nomen obtinuit.* F

§ XVI. Reliquiæ et veneratio sanctorum Thebæorum Andegavi, Remis et per reliquam Galliam.

Brachium, quod habent Andegavenses, forte est

Præter enumeratas superiori § *duos metropolitanas ecclesias, habet Gallia binas cathedrales* S. Mauritii *nomine sacras, Andegavensem scilicet, et Mirapicensem. Andegavenses cultus sancti Thebæorum Ducis initia ad S. Martinum referunt, a quo asserunt ecclesiam suam eo nomine consecratam et pretiosa ampulla ditatam fuisse. De ampulla quid censendum sit, jam dixi : quæ ad S. Martinum consecratamque ab illo Andegavensem ecclesiam spectant, ad ejus Acta examinari poterunt ; certum interim est, Caroli Magni temporibus illam hoc titulo sacram fuisse, ut liquet ex præcepto, quod Mauriolo concedit, apud Sammarthanos in Catalogo præsulum Andegavensium. In ejusdem ecclesia*

A *clesiæ Breviario, Parisiis anno Christi* 1624 *excuso, festus nuntiatur hic dies* XXII *Septembris, et præscribitur Officium totum proprium de* S. Mauritio *et Sociis cum Octava. In eodem Breviario die* 2 *Decembris de S. Martyribus nostris rursus est Officium simiduplex* in festo Receptionis brachii S. Mauritii martyris. *Lectione* I *secundi Nocturni post ea, quæ dixi de ampulla ex epistola canonicorum Castri-novi excerpta esse, sequitur :* Habet etiam (*Andegavensis ecclesia*) caput S. Innocentii, Agauno allatum ab Eusebio episcopo. Habet insuper brachium S. Mauritii : quod qua occasione acceptum fuerit, ita narratur *(Lectione* 2.) Anno salutis MCCIII, cum magna classe Franci cum Venetis juncto fœdere, ad sacrum bellum proficiscerentur, Romano Pontifice Innocentio III per legatos instante, ut occasione Expeditionis Hierosolymitanæ Græci, qui pridem ab ecclesia Romana defecerant, ad officium revocarentur ; eo ducta classe, Alexius Angelus, Isaaci filius, in imperium cum patre ea conditione restituitur, ut Græca ecclesia deinceps in Romanæ Sedis obsequio permaneret.

S. Mauritii martyris Apamæensis :

B 190 Sed eo fraude Alexii Ducæ, cognomento Murzufli, intra sextum mensem sublato, et universa civitate conditionem fœderis detrectante, Constantinopolis acri obsidione expugnata in Latinorum potestatem venit, eique impositus imperator Balduinus, qui, sublato schismate, Orientalem ecclesiam sanctæ Romanæ Sedis auctoritati subjecit. Capta urbe, cum archiepiscopi Philippensis, qui patria Rothomagensis erat, pietati concessum foret, ut complures Sanctorum ibi conditorum reliquias acciperet, inventum in iis brachium gloriosissimi martyris Mauritii præ ceteris magno in honore habuit, atque Andegavensi ecclesiæ dono dedit. Sacrum pignus magno omnium ordinum concursu et veneratione in ecclesiam exceptum est, ejusque sacrario illatum IV Nonas Decembris : atque ex eo tempore cœpta est quotannis eo die celebrari solemni ritu memoria Receptionis sacratissimi hujus brachii, in qua regi Martyrum Christo pro tanto beneficio exolvuntur gratiarum actiones. *Circa hæc suspicionem mox aliquam legentibus ingerunt* ita narratur, *quod innuere videtur, rem magis traditione, quam indubitatis monumentis, quæ nec ego alibi usquam inveni, niti. Difficile creditu videtur,* S. Mauritii *Agaunensis martyris* C *brachium Constantinopolim avectum fuisse. Habent et suum Græci cum sociis Mauritium, celebrem martyrem Apamæensem, ut Commentarii prævii* § 3 *num.* 79 *et seqq. monui Idem sacris Fastis inscriptus est* XXI *Februarii, ejusque sacræ exuviæ procul dubio per Orientem sparsæ fuerunt. An non hujus* Mauritii *brachium Constantinopoli acceperunt Andegavenses? Ego maxime dubitare pergam, donec quis me certiora docuerit, si nimirum ea via id accepisse se consentiant, quam laudatum Breviarium assignat.*

Ecclesia Mirapicensis Sancto sacra. Remenses obtinuerunt ejus reliquias cum instrumento,

191 *Ad Mirapicensem ecclesiam transeamus. Hæc anno tantum* 1318 *in cathedralem erecta est, ut advertunt Sammarthani in Catalogo episcoporum illius ecclesiæ : an autem, cum parochialis adhuc esset,* S. Mauritii *nomen gesserit, fueritque reliquiis ditata, incompertum habeo, destitutus quibuscumque ejus ecclesiæ monumentis. Morlotus Historiæ Metropolis Remensis tom.* 2 *lib.* 2 *cap.* 21 *refert instrumentum, quod fidem facit, canonicos S. Symphoriani Sancti nostri et Sociorum ejus Thebæorum exuvias obtinuisse, quod huc transferri meretur, et est tale.* Viris venerabilibus et discretis, decano et capitulo S. Symphoriani Remensis. N... sanctæ Agaunensis ecclesiæ dictus abbas et totius ejusdem loci conventus salutem in Auctore salutis. Ad preces et instantiam dilecti et compatriotæ nostri Willelmi canonici nostri per eumdem de reliquiis beati Mauritii Sociorumque ejus portionem non modicam vobis transmittimus, accepta per eumdem juratoria cautione, quod eædem reliquiæ cum reliquiis S. Symphoriani reponentur, vel in altari consecrato proprio in honore S. Mauritii recondentur. Datum anno gratiæ MCCXXV, anno primo revelationis S. Mauritii, quæ sub VII Cal. Nov. *Sammarthani in suo Catalogo Agaunensium abbatum ab anno* 1170 *usque* 1282 *non nisi quinque, eosque, si primum et quintum excipias, indistincto ulterius tempore abbates statuunt. Ex his medii sunt Hugo II, Gualterus, et Nantelmus.*

AUCTORE J. C.

in quo agitur de aliqua revelatione cujus adjuncta

192 *Laudatus sæpe abbas S. Leopoldi in Historia Ms. cap.* 22 *post Hugonem II, anno Christi* 1217 *Aimonem, Guacheri comitis Burgundionum fratrem, sufficit, sub quo, inquit, Honorius III confirmavit donationem comitis Monasteriolensis pro* 20 *ulnis panni rubri, de qua donatione usuque panni superius num.* 39 *mentionem feci. Idem eruditissimus auctor advertit, anno* 1224 *Aimoni substitutum fuisse Nantelmum, qui procul dubio idem est, cujus nomen in instrumento Remensi, nescio quare, nisi forte legi non potuerit, omissum est, vel certe non nisi initiali littera designatum. Nantelmum anno* 1225 *abbatem fuisse,* E *liquet ex veteri inscriptione hac, quæ habetur in herma, seu dimidiata* S. Mauritii *argentea statua, unde ejus reliquiæ extractæ postea fuerunt, et substituta sunt* SS. Innocentii, Candidi *atque* Vitalis *sacra aliquot ossa. Inscriptionem Latinam facio :* ANNO GRATIÆ MCCXXV, XXIV OCTOBRIS REVELATUM FUIT CORPUS S. MAURITII, ET POSITUM IN HOC HERMA TEMPORE NANTELMI ABBATIS HUJUS LOCI. *Differt hic duobus diebus tempus revelationis, cum* VII *Kalendas Novembris cum die* XXVI, *et non cum* XXIV, *conveniat; at si numeros Romanos habet inscriptio, facile errari potuit. Porro, quænam sit illa revelatio corporis* S. Mauritii, *de qua in utroque instrumento est sermo, enucleate expositum non invenio. De eadem verisimiliter agitur in Officio Ms. cœnobii Agaunensis, de quo supra num.* 39; *at neque hinc aliquid lucis affulsit.*

obscura sunt. S. Mauritii cultus Parisiis,

193 *Delislius inter instrumenta suæ Historiæ subnectenda assignat bullam Gregorii IX, datam* XX *Octobris anno* 1228, *qua Pontifex hortatur Sedunenses, Genevenses et Lausanenses, ut abbatem Nantelmum juvent eleemosynis ad reædificandum Agaunense monasterium, quod corruerat. Basilicæ etiam plurimum a temporum injuriis passa, si non pene diruta et collapsa, eodem regente fuerat. Etenim Nantelmus legitur annulum* S. Mauritii *anno* 1250 *dedisse Petro in gratiarum actionem, quod frater ejus Amedeus III, Sabaudiæ comes, illam reædificaret. Iis calamitatibus involutæ sancti Ducis reliquiæ, an deperditæ sub ruinis aliquando latuerint, an loco incognito a quopiam reconditæ ac deinde inventæ fuerint, ignoro, neque vestigium ullum invenio, quo vel conjectura niti possit. Revertor, unde, oblata occasione, diverti, ut moneam in Clarissarum Remensium parthenone servari costam* S. Mauritii, *ut idem Marlotus tradit lib.* 3 *cap.* 27 *sub finem. Urbem Parisiensem variæ etiam sanctorum Martyrum nostrorum reliquiæ exornant. Ad S. Benedicti et S. Martini a Campis apud Cælestinos, in Valle gratiæ et templo collegii Societatis nostræ exponuntur, coliturque* S. Mauritius *ut Patronus secundus in sacello majori*

AUCTORE J. C.

jori archiepiscopali. Duo sunt insuper pagi in Parisiorum vicinia, Nanterre, ortu S. Genovevæ celebris, et Charenton, quorum ecclesiis Patronus est, et titulum facit.

Aureliæ; Cainone et in plurimis

194 *Celeberrimus quondam fuit sancti Ducis cultus in urbe Aurelianensi. Testatur id Franciscus le Maire in Antiquitatibus ecclesiæ et diœcesis Aurelianensis pag.* 36, *ubi in Inventario reliquiarum ecclesiæ S. Crucis* 11 *Maji anno* 1562 *in turrim novam illatarum ita observat Gallice :* Brachium unum et reliquiæ S. Mauritii inclusa capsæ argenteæ duobus leonibus argenteis suffultæ, cujus Sancti festum celebratur in hac diœcesi. In hac civitate est ecclesia a S. Mauritio nominata, quæ etiam S. Eligii appellatur et ad quam antiquitus generalis supplicatio fiebat Dominica præcedente festum S. Mauritii, quod est XXII Septembris. *Eadem habet contracte Carolus Sausseyus in Annalibus Aurelianensibus pag.* 641 *: at sanctæ hæ reliquiæ cum reliquo fere omni thesauro sacro eodem illo anno a Calvinistis iconomachis sacrilege direptæ et profanatæ fuerunt. Solemnior etiam est Cainone, seu ut alias vocant,* Chinonii *Sanctorum nostrorum veneratio. Caino, vicus quondam fuit,* B *nunc oppidum est non inelegans in provincia Turonensi ad Vigennam fluvium versus agrum Pictaviensem. Officia propria Cainonensis ecclesiæ S. Maximi habemus anno* 1619 *impressa Salmuri, unde* 7 *milliaribus in Ortum distat. In Calendario, Officiis præfixo, ad* XXII *Septembris ita notatur :* Mauritii et Sociorum MM. duplex. In primis Vesperis fit processio ad ecclesiam parochialem ejusdem, et in die ibidem celebrat chorus Missam solemnem. *Ad ipsum vero diem, ubi Officii ordo præscribitur, est hic titulus :* Mauritii et Sociorum MM. duplex : festivatur. *Haud dubie quia vel Patronus ecclesiæ est* S. Mauritius, *vel ejus ibi particulares reliquiæ servantur.*

Galliæ locis;

195 *In pluribus insuper aliis Galliæ ecclesiis Officium habuerunt sancti Thebæi Martyres, quod tamen dubito, an usque hodie ubique obtinuerint. Inter alia cultus illius indicia sunt sequentium ecclesiarum Breviaria et Officia propria. Biterrensia anno* 1631 *impressa monent, esse celebrandum diem* XXII *Septembris ritu duplici; Cabillonensia anni* 1620 *indicant pro ecclesia cathedrali; Diensis ecclesia præscribit ad eumdem diem duplex totumque proprium de* S. Mauritio *et Sociis cum Octava, in qua diebus non impeditis rursus sunt* C *Lectiones aliæ propriæ. In primis Vesperis diei S. Matthæus non habet nisi commemorationem. Proprium autem illud Diense excusum est anno* 1669. *Tam singularis Diæ Sanctorum nostrorum cultus a sacris aliquot reliquiis verisimiliter occasionem habuit. Certe Columbus, ut observavit Henschenius in Annotatis ad Acta S. Marcelli tom.* 1 *Aprilis pag.* 826, *asserit, ibi quondam fuisse cœnobium monachorum* S. Mauritii. *Præterea Breviaria et Officia impressa, Lemovicense anni* 1625, *Maurinianense* 1512, *Morinense* 1542, *Nanetense* 1623 *pro cathedrali tantum, Officium duplex et proprium de sanctis Martyribus habent. In Missali Rotomagensi anno Christi* 1585 *excuso præscribitur Missa ritu duplici, at in Breviariis, quæ annis* 1527 *et* 1736 *edita sunt, non est Officium, nisi semiduplex, quo ritu in plerarumque aliarum Galliæ ecclesiarum antiquioribus monumentis similioribus passim cum Lectionibus propriis celebratur. Mitto vicinas Germaniæ Galliarum civitates perlustrare, eo excursurus, cum* S. Mauritii *et Sociorum cultum in Germania examinabimus, ut de notabilioribus adhuc aliquot reliquiis lectorem moneam.*

in abbatia Ursi-Campi, Claromonte, in cœnobio Bellilocensi,

196 *Est uno milliari Gallico infra Noviomum in Orientali Isaræ fluminis ripa celeberrima opulentissimaque abbatia Ordinis S. Augustini, quæ Ursi-campi, indigenis* Orcamp *seu* Ours-camp, *nomen habet. Lievreus sæpe memoratus Antiquitatis Viennæ cap.* 15 *pag.* 104 *refert, mentum et nasum* S. Mauritii *eo translatum fuisse; eadem habet Bailletus in Historia cultus sancti nostri Martyris, neuter tamen allegat asserti sui vadem. S. Bonitus episcopus Claromontanus sub seculi* VIII *initium celeberrimam basilicam Agaunensem, Martyrum patrocinium imploraturus, adivit, ut testatur biographus ejus auctor coætaneus in Opere nostro tom.* 1 *Januarii pag.* 1073. *Insignis ejus tempore fuit Claromonte* S. Mauritii *ecclesia, ut idem anonymus pag.* 1075, *et* 1076 *testatur, quam acceptis aliquot Agauno reliquiis credo sanctum virum ditasse. Claromontio duobus milliaribus Gallicis ad Meridiem dissitum celebre est monasterium, quod Belluslocus, et vernacule* Beau-lieu *vocatur, eoque fuit olim translata pars ingens brachii* S. Mauritii. *Rem narrat Richardus abbas S. Vitoni in Vita S. Rodingi vel Chraudingi, fundatoris illius cœnobii, illustrata in Opere nostro ad diem* XVII *Septembris, ubi hæc videri possunt cap.* 2 E *pag.* 516. *Hericus monachus in Miraculis S. Germani, in Opere nostro excusis tom* VII *Julii pag.* 255 *et seqq., describit cap.* 3, *quomodo suo tempore* S. Mauritii *reliquiæ obtentæ translatæque fuerint in cryptas S. Germani Autissiodorensis. Juverit aliqua huc transtulisse.*

Autissiodori,

197 Emensis alpibus *(inquit)* ad sanctos Agaunenses Martyres diverterunt *(monachi, qui Roma cum obtentis a Nicolao I sacris reliquiis anno* 862 *vel sequenti redibant)* Ibi ab Hueberto, abbate famosissimo, excepti quam familiariter, tanti fatigationem itineris plena viri benevolentia, ingenti Religiosorum affectu, larga denique totius liberalitatis indulgentia relevarunt. Dehinc oblatam sibi negotii opportunitatem intentatam linquere non sibi integrum fore arbitrantes, Sanctorum Agaunensium reliquias a prænominato principe poscendas decreverunt. Is, volente Deo, quod postulabatur excepit benignissime, quod et viris esset familiarissimus, et, utpote secularia meditans tantum, in Sanctorum largiendis patrociniis non satis avarus. Quamobrem, sacrorum corporum accito custode, pretiosi martyris Mauritii complectendam reliquiarum partem cum venerando capite S. Innocentii, legionarii quondam F ejus, incunctanter largiri præcepit. Id, quamquam omnes ferrent ægerrime, obtinuit tamen jussio principis indifferenter fieri, quod volebat. *Narrat deinde, quomodo collectus per varia loca sacer thesaurus Antissiodori exceptus et reconditus fuerit. Hubertus seu Huebertus abbas Agaunensis, de quo hic sermo est, frater erat Theodebergæ reginæ, uxoris Lotharii regis in historia illius temporis notissimæ. Non minus famosus est Hubertus pudendis criminibus, quibus post excussum, quo juvenis initiatus fuerat, clericatum, non secularem modo, sed etiam dissolutissimam vitam agens se maculavit, abbatiarum et bonorum ecclesiasticorum rapacissimus invasor decoctorque turpissimus. Quo deinde sacra hæc cimelia evaserint, non comperio. In Breviariis ecclesiæ Autissiodorensis tum antiquis, tum recentioribus, non nisi semiduplex est Officium de* S. Mauritio *et Sociis. De* S. Innocentii *capite recurret infra sermo.*

Sylvanecti, quo per S. Ludovicum translata sunt

198 *Ditissimus exuviarum sanctorum Martyrum Thebæorum thesaurus per S. Ludovicum obtentus Silvanectum* (Senlis) *translatus et in ecclesia prioratus* S. Mauritii, *quem sanctus rex fundavit*

A *davit, reconditus fuit. Hujus rei indubitata testimonia habemus in Bulla Clementis IV, cui insertæ sunt litteræ Roberti, tum temporis Silvanectensis episcopi, ut videre licet apud continuatores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 10 *col.* 235 *inter Instrumenta. In Bulla illa dicitur* : Præfati religiosi (*Agaunenses*) ejus (*S. Ludovici*) precibus et desideriis annuentes, plura corpora de thesauro sui monasterii sanctorum Martyrum regiæ devotioni exhibere curarunt, et ad ipsum regem idem abbas cum quibusdam ex suis Fratribus ea personaliter una cum solemnibus nunciis deferenda. *Quamquam lubet ex Vita ejusdem sancti regis, a reginæ confessario scripta, et in Opere nostro secundo loco excusa tom* v *Augusti pag.* 571 *et seqq , decerpere , quæ sancti Ludovici venerationem erga sanctos Thebæos Martyres probant, et ad Silvanectensem sacrum thesaurum spectant; sic igitur ibi legitur cap.* 4. *pag.* 583 : Quandoquidem venerabilis sanctus Ludovicus decreverat Silvanecti prope palatium suum construendam curare ædem ad honorem S. Mauritii ejusque Sociorum, tantum egit atque effecit, ut viginti quatuor, aut circiter, corpora Sociorum S. Mauritii ex eadem B Legione acceperit ab abbate ac monachis istius abbatiæ, ubi dicta corpora requiescebant, quæ sita est in Burgundia. Abbas cum quibusdam suorum Fratrum nuntiisque, eo a venerabili rege missis, ea Silvanectum detulit,

aliqua sanctorum Agaunensium corpora,

199 Ubi autem pervenerunt tam prope Silvanectum, ut in urbem deferri possent, venerabilis rex ea deponi jussit in domo quadam episcopi, quæ Mons nominatur, ac media circiter leuca Silvanecto distat. Tunc congregari jussit episcopos abbatesque multos, ac præsentibus proceribus multis numerosaque populi turba, instrui jussit agmen supplicantium ex omnibus clericis urbis Silvanectensis. Imposita fuere memorata corpora sancta variis thecis, panno serico splendide coopertis, atque ea portari jussit, ingenti procedente supplicantium agmine, in urbem ad ecclesiam principem hoc modo. Ipse beatus rex propriis humeris portabat thecam ultimam cum viro claræ memoriæ Theobaldo, Navarræ rege, ab episcopi domo usque ad ecclesiam ante dictam : aliasque etiam thecas ante se portari jussit per alios magnates equitesque. Putabat enim rex beatus, ut creditur, congruum esse ac honestum, ut dicti Sancti, qui equites fuerant Jesu Christi, gestarentur C ab equitibus. *Idem prioratus ipsius* S. Mauritii *ducis Thebæorum sacras exuvias etiam nactus est. Testantur id continuatores Galliæ Christianæ in serie priorum* S. Mauritii *in Adamo, sic satis obscure scribentes :* Anno MCCCLXXVI die ultima Novembris Amedeus Sabaudiæ comes huic ecclesiæ dedit partem ossis brachii S. Mauritii, olim, inquit, acceptam ab Agaunensi abbate ex illustri gente de Barthelem, præsente Carolo imperatore et abbatiæ secretario Girardo de Beve vel de Veue, nunc abbate.

ex quibus unum cessit abbatiæ S. Dionysii et Caroli-locensi,

200 *Ubi id dicat Amedeus, nescio, nam instrumentum nullum assignatur. Qui hic* Girardus de Beve *vel* Veue *appellatur, est Girardus Bernardi, cujus exstat, teste reverendissimo de L'isle in Historia, Ms. cap.* 22, *procuratio, signata anno* 1377. *Idem præcedenti capite observat, Joannem Bartholomæi abbatiam Agaunensem gubernasse ab anno* 1356 *usque ad* 1376, *ejusque tempore comitem Sabaudiæ Amedeum, cognomento Viridem, cum Carolo imperatore, Avenione reverso, Agaunum venisse anno* 1365 ; *de hoc igitur abbate hic sermo est. Ceterum ut aliis postea* S. Mauritii *reliquiis ditata fuit ecclesia prioratus Silvanectensis, sic partem etiam delati eo prius sacri thesauri amisit. Anonymus monachus abbatiæ S. Dionysii apud Chesnium tom.* 5 *Script. pag.* 401 *testatur, corpus unius ex Martyribus illis ad suum cœnobium translatum fuisse. Ejus hæc verba sunt :* In signum etiam amoris sanctus rex Ludovicus S. Dionysio contulit corpus unius Martyris de illa pretiosa Thebeorum Societate. Siquidem tum temporis plura præfatorum Sanctorum corpora impetravit sibi dari, quæ honorifice transtulit in ecclesiam, quam apud Sylvanectum construi fecit. *Sartorius in Cistercio bis Tertio tit.* 26 *pag.* 742 *et seq. inter sacra cimelia ecclesiarum sui Ordinis recenset,* In Caroli-loco.... sanctorum Martyrum e cohorte S. Mauritii corpora duo, quæ cum insigni reverentia nudis pedibus eo attulit sanctus Galliarum rex Ludovicus. *Continuatores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 10 *in Elencho abbatum Carolilocensium in Petro II scribunt :* Petro sedente, S. Ludovicus propriis humeris cum magno comitatu detulit ad Caroli-locense monasterium duo corpora sancta, unum videlicet de Sociis S. Mauritii et alterum de E de corporibus undecim millium virginum, quæ in majori altari requiescere dicuntur.

AUCTORE J. C.

Carnuti et Centulæ

201 *Hæc, ut liquet, plurimum differunt ab ante allatis ex Sartorio. Quænam autem ex his præferenda sint, dicere non possum; silent enim, quantum comperi, antiquiora monumenta de præfata translatione, licet in Gestis S. Ludovici regis non semel fiat mentio ornati et dotati per eumdem rebus aliis Caroli-locensis monasterii. Scripsit Ambiano anno* 1678 *pater Emardus Le Caron Societatis nostræ ad Majores meos, qui de S. Emano seu Emardo documenta flagitarant, epistolam, quæ ad hunc diem est seposita, quod doceat, Carnuti aliquas etiam* S. Mauritii *exuvias servari.* Addo, *inquit P. Le Caron* habere me præ manibus Martyrologium vetustum, ubi XVI Maji legitur : Passio S. Emardi, cujus corpus quiescit et in ecclesia et in capsa S. Mauritii. *De collegiali autem Carnutensi agit, ut præmissa ibidem ostendunt. Ceterum ex scripto S. Angilberti, Operi nostro ad diem* XVIII *Februarii pag.* 103 *inserto constat illum reliquias* SS. Mauritii, Candidi, Exuperii, Victoris, Innocentii *in thesaurum Centulensem intulisse. In eamdem Picardiam in Veromanduos* F *fuerunt olim etiam Remis translata* SS. Mauritii, Candidi et Exuperii *cimelia sacra, positaque ad caput, S. Rigoberti ut docet nos Historia translationum hujus sancti Remorum episcopi data a Bollando nostro tom.* I *Januarii pag.* 178 *et seqq. Atque hæc sunt fere, quæ de Sanctorum Thebæorum nostrorum cultu et reliquiis per Galliam occurrerunt : mitto monasteria eorum nomine sacra dicatasque alias illis ecclesias recensere, quod eæ apud Cointium et Mabillonium sint passim obviæ.*



§ XVII.

AUCTORE J. C.

§ XVII. SS. Mauritii et Sociorum Thebæorum Martyrum reliquiæ per Belgium, quarum magna pars Colonia et Treviris allata est.

Reliquiæ et cultus Sanctorum in domo professa Societatis nostræ

Ditissimus etiam per Belgium nostrum sparsus est thesaurus exuviarum sanctorum Martyrum Thebæorum, quarum tamen pleræque Colonia vel Treviris huc translatæ fuerunt, ut vel testimonia expressa, vel suspicio propter vicinitatem loci suadet, adeoque ad SS. Gereonis, Bonifacii, vel Thyrsi socios martyres verisimiliter pertinent; quia tamen plurimæ certo discerni non possunt, et Agauno etiam eo prius delatæ forte sunt, enumerabo hic singulas, quas Thebæorum Martyrum nomine celebriores invenero. In templo domus hujus Professæ Antverpiensis habemus plurima hujusmodi sacra cimelia suis testimoniis B *authenticis munita. Habeo præ oculis litteras Lotharii archiepiscopi Trevirensis signatas die* XXI *Augusti anno* 1617, *quibus testatur, concedere se ecclesiæ nostræ, flagitante R. P. Jacobo Tirino domui huic tum temporis præposito,* Duo integra fere capita, quatuor craniorum partes, duas mandibulas, sex oblonga ossa ex sancta Legione Thebæorum Martyrum Trevirensium. Duo *insuper* sacra ossa Martyrum ex legione Thebæorum Mauritii et Sociorum et *alia nonnulla minora cum debito testimonio huic ecclesiæ donata sunt a P. Ludovico Thouardo rectore collegii nostri Coloniensis, ut fidem facit R. P. Oliverius Manaræus provinciæ Belgicæ provincialis in literis signatis* XX *Junii anno* 1594.

Antverpiæ, Mechliniæ, Lovanii, Anderlaci,

203 *Ceterum sacræ hæ exuviæ sarcophagis duobus majoribus affabre argento tectis inclusæ sunt et* XXII *Septembris in altari principe populorum venerationi exponuntur. Continentur autem lipsanothecis illis* 6 *capita,* 6 *mandibulæ,* 12 *tibiæ,* 3 *brachia et* 20 *ossa majora, quorum aliqua ab eodem Trevirensi archiepiscopo Lothario olim missa ad urbem Buscoducensem, hac deinde ab hæreticis occupata, ad nos cum testimoniis perlata fuere. Nonnulla horum insuper ab abbate S. Maximini cum instrumentis obtenta sunt, at pariter ad martyres Trevirenses, S. Bonifacii Socios spectant. Templum collegii Societatis nostræ Mechliniæ, eodem P. Jacobo Tirino postulante, obtinuit Treviris de iisdem Martyribus caput fere integrum,* 4 *partes craniorum, mandibulam, os oblongum cum duobus aliis: duo insuper ossa dono Domini Nicolai abbatis imperialis monasterii S. Maximini, caput alterum dono priorissæ conventus Vallis-angelorum, ac tria oblonga ossa ex collegio Luxemburgensi. Lovanii in cœnobio S. Gertrudis canonicorum Regularium S. Augustini conspicitur caput Martyris e Legione Thebæa, teste Rayssio in Hierogazophylacio Belgico pag.* 232, *quo referente pag.* 403, *Parcenses, canonici Ordinis Præmonstratensis prope Lovanium, reliquias habent* De sociis S. Gereonis et sancti Mauritii. *Apud patres Ordinis S. Francisci a Paula, quos Minimos vocant, Bruxellis duo integra brachia inclytorum Martyrum Legionis Thebææ,* S. Mauritio *antesignano, ostenduntur, et os alterum magnum de iisdem Anderlaci, qui pagus est Bruxellæ propinquus.*

D *Bruxellis et in locis vicinis, Gandavi, Brugis,*

204 *In collegio nostro ejusdem urbis, inter varia sacra pignora Treviris et Colonia accepta, servantur etiam* parvula ossa de Sociis S. Mauritii... et de capite S. Mauritii, *quæ reliquiæ munitæ primum fuerant testimonio Gisberti Masii, episcopi Buscoducensis, et approbatæ postea fuerunt ab Ernesto archiepiscopo Coloniensi, litteris datis Leodii* 1599, *die* XXX *Augusti, ut docuit me ex archivio nostro Bruxellensi laudatus P. Franciscus Le Jeune collegii procurator. Rayssius sæpe laudatus pag.* 222 *computat insuper Sanctorum Thebæorum caput in parthenone Vorstensi Ordinis S. Benedicti sesqui milliari Bruxellis distante, ossa ipsius* S. Mauritii *ducis Legionis Thebææ in Swivecano virginum Cisterciensium juxta Teneræmundam cœnobio pag.* 500, 4 *capita de iisdem in collegio nostro Gandavensi pag.* 490, *et de corpore* S. Mauritii *apud Clarissas ibidem pag.* 159. *Apud eumdem pag.* 463 *exhibentur litteræ Antonii Triest episcopi Brugensis, quibus testatur, in ecclesia S. Salvatoris ejusdem urbis inter alia plurima sacra cimelia reperiri,* Majorem partem maxillæ S. Mauritii martyris *a decessoribus suis debito munitam testimonio, quam et ipse recognovit, novisque munitam sigillis in lipsanothecam, qua corpus S.* E *Eligii custoditur, reposuit.*

Insulis, Duaci,

205 *Insulis in tribus diversis ecclesiis etiam venerationi exponuntur reliquiæ Sanctorum Thebæorum : in templo scilicet collegii nostri, apud patres Minoritas et in cœnobio virginum Clarissarum : de primis nihil speciatim addit Rayssius pag.* 492, *de secundis ait pag.* 391 *:* Os ingens unius e Legione Thebæorum a Societatis Jesu patribus Insulensibus in mutuæ tesseram benevolentiæ acceptum, *quod proinde, ut sunt nostra cimelia pleraque Thebæorum nomine sacra, suspicor Treviris acceptum fuisse. De tertiis dubium non relinquit laudatus Rayssius, pag.* 159 *scribens :* Unum corpus, et quidem integrum sodalitii Thebæorum Martyrum possident, cum amplissimo Trevirensis archiepiscopi testimonio. *Duacenses apud eumdem pluribus Sanctorum Thebæorum reliquiis gloriatur. In thesauro sacro ecclesiæ S. Amati numerantur.* Dens S. Mauritii, ducis cohortis Thebæorum et martyris, *pag.* 39. *Collegiata S. Petri* Caput ex Sociis S. Mauricii, ducis Legionis Thebæorum, imagine pectore tenus argentea industrie elaborata condecoratum, possidet *pag.* 406. *In templo collegii nostri sunt* Capita aliquot Sociorum Legionis Thebæorum, duce et antesignano Mauritio *pag.* 479. *In* F *templo patrum Trinitariorum asservatur* Caput unum Martyris ex Legione Thebæa, duce Mauritio *pag.* 511. *Ostenduntur denique in thesauro seminarii Scotorum, cui patres nostri præsunt, ossa varia pag.* 487 *et* 488, *et alia in S. Amati ecclesia pag.* 41 *; at posteriorum nonnulla sunt certo, alia verosimiliter de sanctis Martyribus Trevirensibus; sintne autem inter paulo ante enumerata quæpiam Sanctorum Agaunensium pignora, incertum videtur.*

Cambronæ, Lætiis.

206 *Nec amplius affirmari potest de iis, quæ inter lipsana S. Sepulchri Cameracensis pag.* 470, *et Canonissarum Malbodiensium recensentur. Distinctius fit mentio reliquiarum* S. Mauritii *et Sociorum in Cambronensi Ordinis Cisterciensis abbatia custoditarum : etenim ita scribit Raissius pag.* 130 : Adservant Cambronenses..... os brachii S. Mauritii Legionis Militum Thebæorum coriphæi, qui Seduni in Gallia cum Sociis in loco Agauno sub Maximiano pro Christo necatus, gloriosa passione mundum illustravit, *quæ, opinor, ex aliquo instrumento*

A *instrumento excerpsit. Subnectit his :* Item caput unius e dictis S. Mauritii Sociis. *In abbatia Lætiensi, quæ est Ordinis S. Benedicti, distatque uno fere milliari Avenna, Hannoniæ oppido, ad Helpram flumen, habent, eodem teste pag.* 281, Brachium integrum unius Martyris e Legione Thebæa, dono acceptum a Francisco Bononio Vercellensi episcopo. *De insigni illo viro hic agitur, qui apud Ughellum vocatur Joannes Franciscus Bonomus, et post egregiam S. Carolo Boromæo, ac deinde pluribus Pontificibus navatam operam, in Belgium anno* 1584 *a Gregorio XIII legatus missus est; ubi egit etiam cum ingenti Catholicorum bono primis Sixti V annis, et tandem Leodii obiit anno* 1587.

Andomaropoli, Trajecti ad Mosam, in monasteriis Clarifontis et Epternaci,

207 *Audomaropoli celebres etiam spectantur Sanctorum nostrorum exuviæ. Etenim præter ossa plurima, Martyrum Thebæorum et Trevirensium, quæ nostri in templo collegii possident, referente eodem in Hierogazophylacio pag.* 160, *collegium Anglorum cum veneratione custodit* Os parvum S. Mauritii martyris, *et aliud* os unius Martyris Sanctorum Thebæorum brachio argentato convestitum. *In celeberrima S. Bertini abbatia ostenditur*

B *junctura una digitorum* S. Mauritii, *Legionis sacræ Thebæorum antesignani, ut idem Rayssius testatur pag.* 592. *Trajectenses ad Mosam apud eumdem pag.* 474 *asserunt, se in thesauro sacro illustris ecclesiæ S. Servatii habere* Brachium S. Mauritii martyris ac Legionis Thebæorum coriphæi. *Rayssii asserta confirmat Papebrochius noster in Ms. Excursione ad Mosellam scribens :* VIII die *(quo Trajecti agebant)* D. decanus Guilielmus Lipren totum Servatianum thesaurum nobis aperuit, in quo præter alia plura sunt.... brachia argentea duo, S. Thomæ apostoli et S. Mauritii ossibus brachialibus instructa. *An autem etiam testimoniis indubiis munita sint, non invenio. In comitatu Luxemburgensi est abbatia Sanctimonialium Cisterciensium, cui Claro-fonti nomen est, in eaque, Rayssio pag.* 155 *teste, spectatur* Os unum sancti Militis e Legione S. Mauritii martyris. *Ejusdem instituti moniales Differdingenses, juxta Longuichium, ostendunt* Juncturam pedis S. Mauritii martyris. *pag.* 188 : *in Epternacensi autem celeberrimo Ordinis S. Benedicti cœnobio servatur* Digitus S. Mauritii Legionis Thebæorum ducis, *ut idem asserit pag.* 212.

Coloniæ Agrippinæ,

C 208 *Nunc autem Coloniam evocamus, ubi plurimæ celebrantur Sanctorum* S. Mauritii *Sociorum ejusque ipsius sacræ exuviæ, ex quibus velle seligere eas, quæ Agaunensium Martyrum sunt, esset oleum et operam perdere. Nonnullas solum hic ego ex Gelenio enumerabo, quas distincte non reperero esse de S. Gereonis Sociis, de quibus die* x *Octobris cum sacris Fastis agendum erit. Itaque Gelenius in Sacrario Coloniæ Agrippinæ et thesauro ad S. Gereonem hierotheca* 14, *ait servari* Duas particulas unam S. Mauritii, alteram ex Societate ejusdem. Item ex Thebæis Martyribus particulas. *In decima quinta hierothecacristallina etiam computantur* S. Mauritii *reliquiæ. In thesauro ad S. Cuniberti numero* 7 *recensentur cimelia de* S. Candido martyre e Societate Thebæorum Martyrum. Item de eisdem Thebæis Martyribus, ... de S. Mauritio. *Ecclesia B. Mariæ Virginis ad Gradus in* 13 *hierotheca possidet de* S. Mauritio, *et basilica B. Mariæ in Capitolio num.* 14 Os S. Mauritii, ducis Militum. *In domo canonica in Widenbach tertio loco ostenditur herma, complectens* partem chlamydis et ossa S. Mauritii. *Apud Carmelitas num.* 13 *veniunt reliquiæ* De S. Victore et

S. Mauritio etc. in monstrantia argenteo-aurea minori. *In monasterio virginum Ordinis Cisterciensis quod Hortus B. Mariæ Virginis appellatur, num.* 14 *venerandum exhibetur* Os magnum S. Mauritii mart. *cum aliis sanctorum Thebæorum exuviis. In monasterio S. Vincentii servantur* plurimæ reliquiæ ex Societatibus S. Mauritii et Gereonis. *In sacrario monialium Carmelitanarum tertio loco numeratur* herma, concludens partem brachii S. Mauritii, *cujus etiam reliquiæ veniunt in thesauro sacelli SS. Willibrordi et Bonifacii.*

ubi est templum ejus nomini sacrum.

209 *Est et Coloniæ parœcialis ecclesia* S. Mauritii *nomine insignis, tempore Arnoldi I archiepiscopi Coloniensis, ut Gelenius lib.* 3 *Syntagmate* 30 *tradit, exstructa. In hujus ecclesiæ thesauro* 2 *loco venerationi exponitur* Scyphus S. Mauritii, ejusdem brachium, et sagi ejus purpurei pars, *diesque sancto Patrono sacer ibidem festus agitur. Bucelinus in Germania sacra, pagina apud me* 134, *inter sacra lipsana monasterii Coloniensis virginum Benedictinarum, quod a S. Agatha nomen habet, num* 17 *recenset,* Os de S. Mauritio martyre cum pluribus ossibus ex Societate gloriosissima ejusdem, *quibus acccedit ibidem num.* 39 Mandibula S. Mauritii : *et in Sacrario Agrippinensi pag.* 173 E *dicitur, caput integrum unius ex* S. Mauritii *Sociis translatum fuissse ad ecclesiam patrum Dominicanorum. De iis autem omnibus sacris cimeliis, quæ nomine* S. Mauritii *et Sociorum Thebæorum Martyrum venerationi exponuntur, utinam certius aliquid et distinctius ex antiquis probatisque testimoniis dicere liceret, nuda enim omnium fere testis est apud eos, qui illas possident, traditio, vel scheda aliqua sacris exuviis affixa. Ceterum quoniam Germaniam ingressi sumus, celebratissimum quondam* S. Mauritii *nomine et cultu Magdeburgum nos statim invitat, quod duorum sanctorum Thebæorum insignium Martyrum corporibus olim gloriabatur, altero* S. Mauritii, *altero* S. Innocentii.

§ XVIII. Exstructum ab Ottone I imperatore Magdeburgense S. Mauritio cœnobium, quod deinde in archiepiscopium evehitur. Illatæ eo S. Mauritii reliquiæ, quarum etiam Italis Saxonum pars fuit non exigua. F

Magdeburgensis cœnobii,

M*agdeburgum, seu Parthenopolis, quorum hæc civitatem illud vicum, seu castellum Virginum sonat, urbs est in Saxonia ad Albim fluvium. Ejus originem, ut solet, reducunt auctores nonnulli ad Romanorum tempora, scriptoribus aliis contendentibus, ejus fundatorem fuisse Ottonem I imperatorem, cognomento Magnum. Quidquid sit de ejus antiquitate, Otto I illam, si non erexit, certe amplificavit, et ornavit, atque illi Magdeburgum debet eas prærogativas, quibus deinde cum primis Germaniæ urbibus potuit comparari. Archiepiscopalem sedem ibidem fundavit imperator, atque Magdeburgensi ecclesiæ præficiendum curavit Adalbertum, qui Romæ a Joanne XIII Pontifice consecratus est anno Christi* 968, *ut evicit Janningus noster in Appendice ad diem* VI *Junii tomo ejusdem mensis* 6 *pag.* 38 *et seqq. At jam ante Otto monasterium ibidem condiderat,*

AUCTORE J. C. sub SS. Petri et Mauritii *nomine, quod, translatis alio monachis, in archiepiscopium transivit. Hujus cœnobii exordia passim innectuntur anno* 937, *quo fluere cœpit secundus annus ab Ottonis consecratione in Germaniæ et Lotharingiæ regem, facta Aquisgrani anno* 936. *Ædificando sub* S. Mauritii *nomine cœnobio occasionem Ottoni fuisse votum tradit Dresserus, scriptor hæreticus, parte* 5 *de Præcipuis Germaniæ urbibus apud Sagittarium in Antiquitatibus Magdeburgensibus* § 61 *his verbis :* Anno DCCCCL ante conflictum cum Ungaris ad Lechum sponsione sese Deo obligavit Otho, se, parta victoria, templum splendidissimum Magdeburgi conditurum esse S. Mauritio. Cujus quidem voti compos factus animum statim ad erigendum templum cathedrale in urbe Magdeburga appulit.

S. Mauritii sacri, 211 *Prælio Hungaros delevit Otto Magnus quinquennio tantum post, ut ostendit Sagittarius laudatus ; eo igitur retrahendum erit, si vera Dresserus asserit, ejus votum. Inter Analecta, quæ ad P. Mauritium Chardonum missa fuerunt a P. Ludovico Ligertz, serenissimi regis Poloniæ et Saxoniæ ducis confessario, allegantur ex Saxoniæ* B *Chronico pag.* 149 *hæc :* Dum Otto imperator anno DCCCCL vel DCCCCLI in Italia morabatur, ejusdem exercitus templum S. Mauritii expilavit. Quare, cum ad Lycum non procul Augusta cruentam inire pugnam coactus fuit, prius Deo et S. Mauritio votum vovit, se, si contra hostes suos victoria potiretur, fundationes, quas pater ex parte jam cœperat, exsecuturum, plures ejusmodi ordinaturum, et præcipue S. Mauritii longe magnificentiorem basilicam, quam quæ a suis spoliata fuisset, e fundamentis exstructurum fore. *Versio est P. Chardoni, qui nobis Analecta submisit, ubi verba ex veteri, ut appellatur, Saxoniæ Chronico excerpta Saxonice scripta sunt. Cujus sit ætatis quantaque auctoritate valeat Chronicum laudatum nescio, at silent plerique, imo ni fallor, omnes scriptores synchroni et suppares Ottonis, de concepto voto direptaque ab ejus exercitu Agaunensi basilica, de quo nihil pariter reperi in Ms. Historiæ reverendissimi de L'isle, ubi ex monumentis abbatiæ Agaunensis similia passim occurrunt.*

et archiepiscopatus 212 *Browerus Annalium Trevirensium lib.* 9 *num.* 87 *aliud laudat insigne Chronicon membranaceum rerum Saxonicarum, unde desumit sequentia :* Anno Domini DCCCCXXXXVIII,, Ottonis 2, prædictus rex instinctu et petitione piæ conjugis C suæ Edith reginæ, abbatiam regalem intra urbem Magdeburg fundavit, hinc urbis conditu ab origine tradito, volebat ibi sedem episcopalem facere, sed partem parochiæ, quæ Halberstandensi diœcesi subjacebat, a Bernardo ejusdem sedis episcopo, quamdiu ille vixit, impetrare non potuit ; fundavit ergo inibi regalem, ut diximus, abbatiam, in honore B. Petri Apostolorum principis, ac Mauricii, egregii Thebæorum ducis, dignique contubernalis illius Innocentii militis, cujus corpus Rodolphus rex Burgundionum ei ac reginæ transmissum, regium, imo divinum munus donavit. Maximam quoque partem corporis S. Mauricii et quorumdam Sociorum ejus.... in eamdem civitatem transtulit eodem anno jam dictus Otto rex gloriosus XI Kalendas Octobris. Præfecit autem abbatiæ Annonem.... qui dominus Anno postquam abbatiam per annos, quos nos invenire nequivimus, strenue rexit, Wormaciensis præsul eligitur. *Hæc ibi, quæ cum Ditmari veterumque aliorum chronicorum et scriptorum assertis magis conveniunt in occasione causaque conditi monasterii. Quamquam possunt in speciem contraria scriptorum assserta utcumque conciliari, si dicas, ab Editha, regina piissima, mentem primum marito injectam fuisse, cui exsequendæ stimulus ab ingruentibus ferocissimis hostibus accesserit Non tam facile componuntur nonnulla alia, quæ in Broweri Chronico asseruntur, nulla habita temporum ratione, et anachronismis implexa, ut patebit infra et ipso initio liquet, cum annus* 2 *Ottonis, non cum anno* 948, *sed cum* 937 *vel sequenti concurrat.* D

exordia. Eo translatæ S. Mauritii reliquiæ 213 *Illud interim certum est, jam ab anno Christi* 937 *erectum cœnobium fuisse, cum eo anno imperator diploma dederit, quod legere est apud Meibomium tom.* I *Rerum Germ. pag.* 740, *signatum* 2 *Ottonis anno, mense Septembri. Ex eodem illo diplomate, paulo correctius edito per Sagittarium in Antiquitatibus archiepiscopatus Magdeburgensis pag.* 18, *sicut manifestum fit, jam ante eo translatum fuisse* S. Innocentii *martyris Thebæi corpus, ita innuitur contrarium de corpore* S. Mauritii: *quippe de hoc altissime siletur, licet Sancti ipsius fiat mentio, quod de priori disertissime asseritur. Ditmarus restitutus a Leibnitio tom.* I *Rerum Brunsvicensium pag.* 334 *scribit :* Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXI, regni E autem ejus *(Ottonis)* vicesimo quinto, præsentibus cunctis optimatibus, in Vigilia nativitatis Domini corpus S. Mauritii et quorumdam Sociorum ejus, cum aliis SS. portionibus Ratisbona allatum est ; quod maximo, ut decuit, honore Parthenopolim transmissum, unanimi indigenarum et comprovincialium ibidem conventu susceptum, et ad salutem patriæ hactenus veneratum est. *Cum Otto Magnus rex Germaniæ inunctus sit anno* 936, *ut Otto Frisingensis et alii notant, annum regni vigesimum quintum exorsus est anno Christi* 960, *quo proinde retrahenda est translatio, nisi forte a Vigilia nativitatis Domini et non ab ipso die nativitatis, anni exordium hic desumat Ditmarus.*

anno 960 vel sequenti. 214 *Et hoc quidem anno, vel sequentis initio reliquias* S. Mauritii *Magdeburgum translatas fuisse, innuunt etiam varia Ottonis diplomata apud Sagittarium laudatum pag.* 37 *et seqq, ubi, cum nihil tale in præcedentibus innuat, ita loquitur piissimus rex, ut id, quod assero, facile sentias. In diplomate, quod est* Datum IX Kal. Maji, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXI, Indictione IV, anno vero serenissimi Domini Ottonis XXVI *dicit, dare se* ad dotem cryptæ Magdeburgensis in F honorem SS. Mauritii martyris, Valentini, Agapiti et Abundii sacratæ *decimas Slavorum. Hæc autem crypta constructa fuisse videtur ad condendas nominatorum Sanctorum recens obtentas reliquias, neque enim in diplomatibus ulla ante fit cryptæ SS. Valentini, Agapiti et Abundii mentio, donanturque omnia monasterio in honorem S. Petri Apostolorum principis et* S. Mauritii *constructo ; sed posteriora passim fidem faciunt, donationum factarum* S. Mauritio in Magdeburg : *quod quamvis etiam de monasterio, vulgari more loquendi intelligi possit, videtur tamen hic propter phrasis variationem aliquid de quiescentibus ibi Sancti reliquiis innuere, atque ita Ditmari asserto, quod paulo infra istius ævi instrumento alio confirmatum videbimus, suffragari. Obscurius multo est, quomodo aut unde* S. Mauritii *reliquiæ Ratisbonam pervenerint. Lupoldus Bebenburgius episcopus Bambergensis auctorque seculi* XIV, *teste Trithemio de Scriptoribus ecclesiasticis, libro de Zelo veterum principum Germanorum cap.*12 *scribit :* Idem etiam Otto corpus S. Mauritii et quorumdam

A ciorum ejus, (quod sub anno Domini DCCCCLXI per legatos Ecclesiæ Romanæ et quosdam episcopos sibi delatum extitit) Parthenopolim transmisit. Eodem quoque die plurimorum reliquiæ Sanctorum, Apostolorum scilicet, martyrum atque sanctarum virginum regi Ottoni Ratispon. allatæ fuerunt.

Eo non fuit allatum corpus integrum

215 *Ex ita contracto in impressione civitatis nomine dubium relinquitur, an Ratisbonam perlatæ fuerint, an potius inde Magdeburgum avectæ, quod reliquorum scriptorum assertis magis est conforme. Anno* 961 *venisse ad Ottonem a Joanne XII legatos, qui illum suppetias rogarent adversus nefarias Berengarii in Italia molitiones, constans est scriptorum assertum. Sane Pontifex, qui Ottonis auxilio tum unice egebat, venerationemque ejus erga Sanctos, maximeque* S Mauritium *perspectam procul dubio habebat, missis per legatos eorum reliquiis ad ornandam Magdeburgensem basilicam, potuit eum sibi propitium reddere voluisse; at ubi Joannes XII* S. Mauritii *Thebææ Legionis tribuni, tam notabiles exuvias, imo corpus, quod mitteret, acceperit, mihi hactenus* B *incompertum est. Constanter usque ad seculi fere* XVII *initium creditum fuisse, quod corpus* S. Mauritii *Agauni quiesceret, superius ostendimus; non igitur Romam prius avectum, vel a legatis in transitu Agauni acceptum fuit, Parthenopolim transferendum, atque adeo vel partes aliquas sancti corporis solum accepit Otto, vel alterius* S. Mauritii *exuviæ ad illum Roma a Pontifice missæ fuerunt, vel denique aliquis ex martyribus Sociis sancti Tribuni nomen induit.*

S. Mauritii nostri, sed vel alterius synonymi,

216 *Certe Joannes XIII erigens Magdeburgensem ecclesiam in archiepiscopalem sedem in Bulla edita anno* 967 *apud Sagittarium pag.* 67, *ita loquitur:* Nos vero ejus *(Ottonis)* animum in Dei servitio ita mirifice detentum mirantes, connivere ei dignum duximus, statuentes, præsente et consentiente sancta synodo et ipso imperatore, ut Magdeburg, sita juxta Albiam fluvium, ubi ipse a Deo benedictus imperator corpus S. Mauritii cum multis Martyribus collocaverat,... deinceps metropolis sit. *Quæ utique abunde confirmant, corpus, vel si paulo mitius interpretari lubet, partes notabiles corporis alicujus* S. Mauritii *obtinuisse Ottonem et in Magdeburgensem basilicam transtulisse; at quasi studio tum hic, tum in ceteris monumentis* C *fere omnibus omissi sunt proprii sancti ducis Thebæorum tituli, quibus a synonymis aliis distingui potuisset. Quamquam nolim dicta hæc quispiam ita accipiat, ac si multum inclinarem in eam opinionem, quod reliquiæ eo allatæ non* S. Mauritii *nostri, sed alterius synonymi fuerint. Res est, fateor, difficultatibus aliquot implexa, nec de ea videtur tuto satis aliquid affirmari posse, maxime si verba Joannis XIII stricte accipias, nolisque, portionem non admodum magnam sacrarum exuviarum ab ipso corpus vocatam fuisse. At errasse potuit Bebenburgius, quatuor seculis rebus gestis posterior, et Otto, non a Pontifice sed aliunde partem aliquam corporis* S. Mauritii *accepisse. Quod si dederimus, facile excusabitur assertum Joannis XIII, ex aliorum relatione scribentis. S. Udalricus Augustanus episcopus verisimiliter tum Ottoni Ratisbonæ cum pluribus aliis episcopis adfuit: an non ab hoc forte aliquot sancti Ducis reliquias obtinuit imperator? Est aliquid, quod eam mihi suspicionem ingerit. Vita S. Udalrici episcopi Augustani, quam post Velserum et Mabilionem edidimus die* IV *Julii tomo ejusdem mensis* 2 *pag.* 97 *et seqq., scripta est ab auctore æquali et sancto præsuli familiari, qui capite* 8 *num.* 53 *scribit, S. Udalricum Romæ a clerico quopiam caput S Abundi martyris obtinuisse, et num.* 55 *:* Regionem quoque Burgundionum, *inquit,* tempore alio adiit et ad Agaunensem basilicam, ubi S. Mauritius cum suis sequacibus propter nomen Domini martyrium sumpsit, magnæ humilitatis studio visitavit.... sanctus episcopus eosdem fratres salutavit et muneribus honoravit, et ob quam rem illuc deveniret, notum fecit. Qui hilaritatis ejus dulcedinem et sanctitatis religionem persentientes, ne delectabili desiderio privatus abiret, aperta collationis sanctorum spelunca in scopulo exciso, plurima parte sanctarum reliquiarum donatum lætificaverunt.

AUCTORE J. C.

vel ejus ipsius reliquiæ dumtaxat aliquæ,

217 Cum vero optabili licentia clericorum et amantissima dimissione populi inde rediret,... ad Augiam insulam venit et ab Alewico abbate charitative susceptus... est... Benevolentia autem abbatis, cum audiret, eum pro amore sanctarum reliquiarum exire, desiderio ejus satisfaciens, non modicam partem de corpore S. Mauritii et de aliorum multorum Sanctorum reliquiis ei donans, lætum abire permisit. *Vita ejusdem sancti præsulis a Bernone abbate Augiensi seculi* XI *initio adornata, editaque a Velsero, hæc ita narrat pag.* 610. Processu quoque E temporis locum Agaunensium, ubi S. Mauricius cum sacra Legione quiescit, orandi gratia adivit, ac non modicas Thebæorum Martyrum reliquias acquisivit... His quoque diebus... ad monasterium Insulanense, quod Augia dicitur, venit, ubi tunc temporis Dominici gregis vir venerandus, nomine Alvuigus, curam gessit, qui cum... multiplicibus sanctarum reliquiarum pignoribus donavit. *Quæ in eum simul finem huc transfero, ne quis ex priori Vita credat, interruptam tum temporis opinionem fuisse, quod* S. Mauritii *sacræ exuviæ Agauni quiescerent.*

forte a S. Udalrico Ottoni datæ.

218 *Certe si corpus* S. Mauritii *obtinuissent Augienses, quod biographus ille videtur innuere, nescio, cur Berno ejusdem loci abbas ab Udalrici ætate non tam remotus, ut cum illo vivere non potuerit, inter sacras exuvias, a decessore suo præsuli Augustano concessas, post biographum primum non meminisset reliquiarum* S. Mauritii, *quæ vel Augustam delatæ fuerant, vel Augiæ etiam tunc servabantur. Sed ad suspicionem meam redeamus. De duorum Sanctorum Magdeburgum tum temporis translatorum exuviis potissimum mentio invenitur: Abundi scilicet seu Abundii, et* Mauritii. F *Earumdem reliquiarum a sancto præsule obtentarum nominatim etiam meminere S. Udalrici biographi, et in instrumentis Augustanis post primam eo translationem sobria admodum est annuntiatio reliquiarum duorum illorum sanctorum Martyrum, quæ duo dubium saltem mihi ingerunt, an non integræ, vel earum certe partes non ignobiles Ottoni ab Udalrico fuerint concessæ. Mallem sane ita potius suspicari, quam credere, a Pontifice ad Ottonem ex Romanis sacrariis transmissum fuisse corpus integrum* S. Mauritii, *si contenderem, veras sancti Thebæorum Ducis reliquias fuisse tum concessas Magdeburgensibus. Ut ut est, præfatas reliquias summa cum veneratione accepit et in ecclesiam transtulit imperator, ut testatur Dresserus citatus a Papebrochio in Annotatis ad cap.* I *Analectorum Norbertinorum tom.* I *Junii pag.* 861 *littera* l, *ubi hæc ejus verba allegantur.* Otto I imperator, summo frigore, nudis pedibus, reliquias ejus *(S. Mauritii)* ex cœnobio Bergensi S. Benedicti in eam *(ecclesiam)* intulit, atque in summo altari reverenter deposuit. *Quæ si sincere ab homine hæretico scripta sunt, antiquis procul dubio*

AUCTORE J. C.

dubio testimoniis nituntur. Certum quo sacer thesaurus evaserit, postquam præclara civitas, Deo et fide desertis, novitiis Lutheri somniis adhæsit, an potius ibi usque hodie alicubi reconditus sit, non reperi.

Halis Saxonum

219 *Celeberrima quondam fuit etiam veneratio sanctorum nostrorum Martyrum Hallis, seu ut alii scribere malunt, Halis Saxonum. Urbs hæc decem milliaribus Germanicis Magdeburgo distans ad Salam fluvium, ab Ottone II, magni filio, ædificata, Archiepiscopo Magdeburgensi dudum subjecta fuit: ortis deinde dissensionibus, ac demum supervenientibus tumultibus a Lutheranis excitatis variis vicissitudinibus implexa, tandem Brandenburgicæ domui cessit. Saxoniæ Chronica inductum eo specialem* S. Mauritii *cultum ad seculum* XII *referunt. Certe ad annum Christi* 1151, *quo Weichmannus cathedram Magdeburgensem adiit, de illo legitur:* Potentior suis antecessoribus fuit et cathedralem ecclesiam pluribus redditibus auxit. S. Mauritii monasterium Hallis ipse fundavit, et ibi canonicos Regulares instituit. *Buschius de Reformatione monasteriorum inter Scriptores rerum Brunsvicensium Leibnitii tom.* 2 *pag.* 505
B *advertit, monasterium Halense* S. Mauritii *anno* 1520, *translatis ad Velum Aureum canonicis per Albertum archiepiscopum Magdeburgensem cessisse patribus Dominicanis. Inter Collectanea submissa a P. Ligeritz num.* 4 *ita scriptum reperio:* Quanta autem templi Halensis ob Mauritii et aliorum Martyrum reliquias, maximam partem ab Ernesto, duce Saxoniæ archiepiscopo Magdeburgensi collectas, religio fuerit, ex Sanctuario Halensi, jussu Alberti anno MDXX vulgato, optime colligitur. *Lucubrationem, unde sanctorum Martyrum nostrorum gloria illustrari posset, ad manum non habeo. Monumentum unum conservavit nobis laudatus P. Ludovicus Ligeritz, qui ad P. Chardonum Dresda* VII *Augusti anni* 1745 *scribit in hæc verba:* Habui in manibus Lipsia mihi allatum librum, Halis Saxonum anno MDXX impressum, in quo stylo et charactere veteri descriptæ habentur cum figuris æri incisis omnes lipsanothecæ, cum reliquiis iisdem inclusis, quæ in novem ordines distributæ conficiunt numerum octo millium, centum et triginta trium particularum, quæ omnes sub Leone X summo Pontifice Halis Saxonum summa cum devotione et
C indulgentiis annexis asservabantur.

variæ etiam fuerunt S. Mauritii

220 Sextus ordo incipit ab imagine et reliquiis S. Mauritii Thebæi martyris: proinde ego ex peculiari devotione erga hunc Sanctum..... sequentem iconem ex dicto libro, secundum originale Lipsiæ asservatum mihique huc translatum, delineari curavi. *Liber, quem feliciter regnantis Augusti serenissimi Poloniæ regis et Saxoniæ ducis confessarius Lipsia acceperat, eodem anno impressus est, quo editum paulo ante dicitur desideratum Sanctuarium Halense: quæcumque in illo adferuntur in eamdem materiam pariter conspirant; unde conjecto, unam eamdemque lucubrationem esse. Porro iconis, quam ex libro illo æri incidi curasse se ait, exemplar accepimus: hoc duas paginas complectitur: in altera herma exhibetur, in altera vexillum. Hermam cingunt Germanice scripta, quæ ex eodem libro excerpta sunt et sæpe laudatus Mauritius Chardonus ita Latina fecit.* Primo: Argentea statua medii S. Mauritii, patroni totius archi-diœcesis *(Magdeburgensis.)* Intus est de fronte S. Mauritii, dens, digitus. De ejusdem brachio particulæ tres. De ejusdem corpore XIX particulæ. De ejusdem vexillo. De ejusdem sepulchro. Mucro ejusdem machæræ.

221 *Sacræ omnes hæ reliquiæ videntur inclusæ* D
fuisse hermæ argenteo, quem post exemplar patris Ligeritz habes hic, lector, xylographice expressum.



E

et Sociorum reliquiæ.

222 *In adversa pagina, ut monui, vexillum antiquum sculptum exhibetur, quod nihil attinet huc pariter transferre. Illud eodem modo ambiunt verba Germanica, quæ ab eodem Chardono Latine sic versa sunt.* Secundo, frustrum in longitudine ulnæ, in latitudine 3 quadrantibus de vexillo S. Mauritii, patroni hujus archi-diœcesis... in argenteo baculo deauratæ Crucis est de capite S. Mauritii. Item XI particulæ corporis ejusdem. XXII particulæ de SS. Mauritio, Candido, Victore et eorum Societate. Dens de S. Candido; de S. Victore 2 particulæ. *De quibus omnibus sacris exuviis, quid actum sit, postquam et civitas hæc in hæreticorum manibus* F
est, rursus ignoro. Ceterum ut Agaunense monasterium, teste du Fresne in Glossario, verbo Moneta Mauritiensis, *jus cudendæ monetæ habuit, sic et privilegium idem Magdeburgensi ecclesiæ contulit Otto, ut videre licet apud Leuckfeldium Antiq. Num. Magdeburg. pag.* 158. *Eadem prærogativa cessit etiam Halensi civitati apud Ludewigium Antiq. Num. medii ævi cap.* 17. *Omnes autem monetæ illæ* S. Mauritii *effigiem cum inscriptione exhibent, de quarum una agit Olearius in Isagoge ad nummos Bracteatos pag.* 36.

§ XIX

A

§ XIX. Sacræ S. Mauritii exuviæ Hadamariam translatæ; ejusdem cultus in urbe Ehinga et reliquiæ in variis Germaniæ locis.

Translatio reliquiarum sancti Ducis

Moguntia, ubi in templo, quod S. Mauritio *quondam erexit Luibertus archiepiscopus, teste Georgio Rerum Mogunt. tom* 1 *lib* 1 *cap.* 30, *spectatur hæc inscriptio ;*

Sexcenti, deni bis ter, sex millia, seni,
Libati Christo templo venerantur in isto.

distat Hadamaria versus septemtrionem octo milliaribus Germanicis, totidemque Confluentibus (Coblentz) *ab Occidente. In partitione comitatus Dillenburgensis facta anno* 1606 *Joannes Ludovicus Nassavius sortitus Hadamariam cum nonnullis aliis ditionibus defuncti patris sui, Catholicamque amplexus fidem, aulam suam ibi fixit, ubi* B *domus Nassavia Catholica deinceps residere perrexit. Rector collegii ibidem nostri, quod Joannes Ludovicus fundavit,* XI *Julii anni* 1665 *litteras ad Bollandum dedit, quibus elevationem sacrarum reliquiarum festo S. Michaëlis anno* 1664 *peractam enarrat, addens, quæ in Litteris annuis ejusdem collegii circa hæc relata fuerant. Inde aliqua delibo.* Illustrissimus et reverendissimus princeps Hermannus Otto felicis memoriæ *(epistolæ verba sunt)* illustrissimi principis ac domini nostri clementissimi frater, cum ante aliquot annos Romæ esset . omnes in sui traxit amorem, effecitque, ut S. R. E. Cardinalibus, aliisque in summa dignitate constitutis prælatis, tantum non in amoribus esset. Hi ergo ut Roma discedenti principi aliquod sui mnemosynon relinquerent, petenti ipsi.. sacras aliquot reliquias et Sanctorum ossa liberalissime, hic hujus, alter alterius alicujus Sancti ossium notabiles obtulit particulas.

Hadamariam.

224 Ille vero... arbitratus (est,) se dilectissimo fratri, illustrissimo principi nostro Mauritio Henrico, ejusque dilectissimæ conjugi Ernestinæ gratius xeniolum conferre non posse, quam se aliquas particulas reliquiarum S. Mauritii et S. Ernesti, patro- C norum ipsorum, Romæ impetrare et dilectissimis sibi offerre posset. Petiit ergo et impetravit expertusque est, gratius se nihil offerre potuisse. Hæ sacræ reliquiæ aliquot annis in arco asservatæ fuerunt.. Illustrissimi ergo principes, cum expenderent, tantum tamque pretiosum thesaurum absconditum inutilem prorsus esse..., hunc in lucem protulerunt, affabre factis et pretiose vestitis cistulis includi curarunt et cum solemnitate summa e vicino sacello beatæ Mariæ Virginis, quo pridie clam delatus fuerat, Hadamariam ad sacellum aulicum transferri voluerunt, quod in ipso S. Michaëlis festo MDCLXIV factum. *Translationis pompam pluribus in laudatis litteris annuis descriptam habeo ; at hæc, confido, lectori hic sufficient : juverit tamen distinctiorem illi præfatarum reliquiarum notitiam suggessisse ex scheda litteris illis annexa, cui titulus :* Sanctæ reliquiæ, quæ in sacello aulico Hadamariæ asservantur *Ipso mox initio* S. Mauritii martyris *censentur sequentes.* 1 Nodus aliquis, seu os rotundum a parte superiori, ab inferiori planum, magnitudinis articuli pugni alicujus pueri. 2 Os aliquod magnitudinis articuli digiti auricularis. 3 Os. magnitudinis majoris globuli lusorii, *marmorei, opinor, quo ludunt pueri.*

AUCTORE J. C.

Translatio reliquiarum Ehingam

225 *Urbi Ehinga, Rotenburgo ad Nicrum fluvium contigua, specialiter etiam veneratur* S. Mauritium. *illiusque se ab incendio præservatam beneficio adscribit. Habeo præ oculis epistolam valde prolixam, scriptam Ehingæ* XIII *Maji* 1745 *ab amplissimo domino Christophoro Edelman, collegiatæ ecclesiæ* S. Mauritii *ibidem præposito. Litteræ hæ datæ fuisse videntur ad P. Mauritium Chardonum, responsoriæ ad quædam ejus quæsita. Et ad primum quidem scribit præpositus :* In Austriaca urbe Ehinga ad Nicrum sita, Rottenburgo...contigua ejusdem communitatis, est ecclesia parochialis et collegiata, D. Mauritio ejusque sociis consecrata, in cujus altari privilegiato, ab aliquo canonico MDCCXXVII neo-erecto, pro singulis diebus Lunæ, uti in aliis duobus, venerationi expositæ sunt reliquiæ sanctorum Martyrum Thebæorum artificiose elaboratæ. *Sequitur post hæc extractum ex libro Traditionum prædictæ ecclesiæ collegiatæ atque ex eximio famoso doctore Ekio de prima sacrarum reliquiarum eo translatione et ornatu, quæ prodigiis ridiculis vestita sunt. Inde pauca, lector, accipe Latine versa, ac primo ex libro Traditio-* E *num.* Anno MCCCXX Rudolphus comes Hohbergensis et domina Irmengardis comitissa Wurtenburgensis ejus conjux fundantes præpositum unum et XI canonicos, ecclesiæ S. Mauritii Ehingæ initium fecerunt. *Ex Ekio autem referuntur hæc :* Insignis quidam dominus etiam aliquando S. Mauritium invisit in Sophey et multas sacras reliquias jumentis imposuit, et cum has veheret per pagum Ehingen ad Nicrum juxta Rottenburgum irrationalia animantia gressum stiterunt, nec ulla vi longius propelli potuerunt.

fabellis insolentibus

226 Ubi dominus hoc vidit, sacras reliquias donavit dominis loci, comitibus Hohbergensibus, qui illic ædificaverunt in eodem loco ecclesiam ad gloriosam memoriam S. Mauritii et sanctorum Sociorum ejus, prout eædem sacræ reliquiæ ibidem adhuc videntur, et comites pagum hunc muris cinxerunt, et jure civitatis Rottenburgensis donarunt. *Famosus ille doctor Ekius est procul dubio Joannes, professor sacræ theologiæ et doctor universitatis Ingolstadiensis, disputationibus cum Luthero, Carlostadio, Melanchtone celebris. Ubi sit* Sophey, *unde primum reliquiæ Ehinganæ obtentæ referuntur, mihi non innotuit. Certe Ekii* F *asserta mirabilibus aliis a traditione exornata sunt, nisi is ipse ex traditionibus ea forte selegit, quæ minus incredibilia videbantur. Addit in litteris laudatis præpositus Ehinganus, præfatas reliquias servari in arca picturis condecorata, in cujus valvis exhibita est historia allationis sacrarum illarum reliquiarum. Et in altera quidem interius spectari* S. Mauritium, *militaribus armis vestitum, foris vero camelum bajulantem duas pulchras lipsanothecas, quem vector cum adstanti domino propellere nituntur, at genium ex adverso obstare exhibereque hanc Germanice epigraphen,* Ne procede amice.

exornata est. S. Mauritii ibidem cultus

227 *Communis autem, inquit, traditio et populorum opinio est, camelum has voces protulisse, atque ita, si ipsis credimus, renovatum habemus prodigium loquentis asinæ Balaam, et camelum in Sueviam invectum, quæ profecto nemo facile ex populari opinione admittet, et non pro figmentis abjiciet. Quod ad Ekium spectat, si locus, ubi præfata asserere dicitur, fuisset assignatus, forte alicunde lucis aliquid ad ulteriorem perquisitionem*

AUCTORE J. C.

quisitionem affulgeret, quæ nunc inter innumeras fere, quas vir eruditissimus et hereticorum sui temporis acerrimus debellator lucubrationes edidit, omnem facile diligentiam fallet. Ceterum monet laudatus sæpe litterarum auctor, de miraculis et beneficiis, quæ ibidem plurima S. Mauritii *patrocinio impetrata olim fuere, testimonia authentica non superesse, suspicaturque, ea cum monumentis ceteris antiquis bello Suecico interiisse.* Unum, *inquit,* et quidem notissimum miraculum... sit, quod dum in bello Suecico anni MDCXLIV tota urbs Bottenburg combusta fuit, nec domunculam ad parochiam et collegiatam ecclesiam S, Mauritii spectantem, etsi proxime contiguam et quasi annexam, attigerit ignis multo minus consumpserit, *Quod si* S. Mauritii *invocato patrocinio, obtentum est, merito incolæ magno beneficio adscribunt.*

et cimelia Amorbaci, Misnæ,

228 *Ceterum, ut sunt innumeræ fere per Germaniam* S. Mauritio *et Sociis sacræ ecclesiæ, sic plurimæ etiam eorumdem coluntur ibidem sacræ exuviæ. Amorbacensis celeberrima Ordinis S. Benedicti abbatia in thesauro suo sacro apud Ignatium Gropp in Historia ejusdem cœnobii pag.* 132 *habet* de sanguine Sanctorum Thebæorum *et insignem particulam* de S. Mauritio. *Ex eodem* B *monasterio profectum fuit cœnobium in monte S. Gothardi prope Hildesiam, quod* S. Mauritii *nomine sacrum et verisimilius reliquiis ditatum fuit, et, ut liquet ex chronico Hildeshemensi variis locis, passim etiam* Mons S. Mauritii *fuit appellatum. Monasterium in insula Mindensi in Saxonia eidem Patrono etiam dedicatum fuit, monetque laudatus sæpe P. Ludovicus Ligeritz, celebrari per totum episcopatum Misnensem (est Misna urbs Germaniæ in Saxonia Superiori ad Albim, Saxoniæ duci subjecta, tribus dumtaxat milliaribus Germanicis Dresda distans) celebrari festum* S. Mauritii *sub ritu duplicis majoris a sacerdotibus omnibus, qui in Saxonia superiori et Lusatia degunt.* Rex serenissimus Augustus III, *inquit,* inter plurimas, quas singulari et vere regio affectu veneratur sacras reliquias, habet etiam partes de ossibus præfati S. Mauritii M., quas die illi sacra in capella sua regia in theca pretiosa clausas, tum suæ tum aulicorum suorum Catholicorum venerationi exponi jubet.

Pragæ

229 *Bohemia insignes etiam sanctorum Thebæorum Martyrum reliquias possidet. Illustrissimus* C *Pessina in Phosphoro Septicorni, Radio* 4 *plurimas recenset, quæ in ecclesia Pragensi S. Viti venerationi exponuntur. In secundo ordine sacrorum pignorum, quæ regni reliquiæ et Carlsteinenses appellantur, pag.* 411 *occurrit* Dens S. Mauritii, *ac deinde sub titulo,* Reliquiæ Sanctorum, *tertio loco numerantur* Reliquiæ sanctorum Thebæorum Mauritii, Candidi, Victoris et aliorum cum titulis suis. *Sacræ exuviæ hæ in arce Carlsteina, a qua nomen retinuerunt, per duo facile secula abditæ, anno* 1645 *die* XX *Augusti jussu Ferdinandi III eductæ et ad Pragensem S. Viti ecclesiam translatæ atque in sacello S. Wenceslai in arca elegantissimi operis reconditæ recensitæque fuerunt. Catalogus earum impressus ad Majores meos missus fuit, ubi distinctius, quæ huc pertinent, sic enumerantur. In primo ordine diversæ partes* S. Mauritii; *in tertio* Caput sancti de Societate Thebæorum Martyrum particulæ in uno sacculo; *in sexto ordine* S. Mauritii M. tres partes in flava tapheta, una de brachio, altera de tibia, tertia tenuior. *Tertia apud laudatum Pessinam reliquiarum Pragensium classis earum est, quæ jam ante memoratam translationem metropolitanæ ecclesiæ fuerunt propriæ. Pagina* 431 *asserit basilicam S. Viti ditatam fuisse* Brachio et gladio S. Mauritii, quæ Wladislaus II rex, Mediolano redux....., uti habetur in veteri Ms. Martyrologio sanctæ ecclesiæ Pragensis ad X Kal. Octobris, attulit. D

in Bohemia

230 *Alias notabiles sancti Thebani Ducis reliquias Pragam perlatas fuisse, advertit ibidem Pessina ex Jeroslavo, continuatore Cosmæ scribente :* Anno MCCXII allatio reliquiarum S. Thomæ... et S. Mauritii de Teutonia in Pragam. *Idem illustrissimus auctor pag.* 463 *asserit, a Carolo IV, in Bohemiam ex Italia reduce anno* 1355 *vel sequenti, relata in Bohemiam fuisse* S, Mauritii *brachium et gladium, additque testimoniales hujus rei litteras suo tempore in archivio capituli adhuc superfuisse. Porro sacra pignora ecclesiæ Pragensis propter furores hæreticorum alio delata fuerunt, et in Inventariis, quibus relata Pragam percensentur, aliqua passim occurrit variatio. In eo, quod anno* 1476 *confectum fuit et habetur apud laudatum sæpe Pessinam pag.* 489 *et seqq., ad huc recensentur brachia* SS. Mauritii Victoris Candidi, *et unum caput sanctorum Thebæorum Martyrum* E *et aliæ insuper partes, et speciatim manus* SS. Mauritii *et* Victoris *in aliis lipsanothecis, circa quæ omnia restant paucula examinanda. Quantum fuerit studium imperatoris Caroli IV comparandi ornandique sacras reliquias, scriptores testantur, qui ejus gesta posteritati reliquerunt. Habemus in Historia Ms. eruditissimi abbatis S. Leopoldi Nanceiensis, numero* 200 *allegata, Carolum anno* 1365 *Agaunum venisse. Eodem illo tempore obtinuisse illum partem brachii* S. Mauritii *a monachis Agaunensibus crederem, nisi Pessinæ instrumenta assererent, decennio ante reliquiis illis ditatam fuisse Pragensem basilicam.*

in abbatia Osseciensi

231 *Ceterum liquet, Pessinam ibi præter jam assignatum, Pragensi thesauro duo alia brachia* S. Mauritii *tribuere, quorum alterum anno* 1212, *alterum a Wladislao II rege impetratum sit; at de eo parum est laborandum ut jam sæpe monuimus; deinde ex iis, quæ de gladio ejusdem Sancti paulo post disseremus, saltem utcumque dubium fiet, an postrema allatio a scriptoribus non fuerit geminata. Proprium Pragense propter tot sanctorum Martyrum reliquias festum illorum hoc die* XXII *Septembris sub ritu duplici celebrandum præcipit. De Osseciensi Cisterciensium celebri in Bohemia cœnobio superius num.* 113 *egimus. Sartorius* F *in Cistercio bis Tertio pag.* 751 *observat, tria ibidem sanctorum Thebæorum Martyrum capita servari cum schedis adhærentibus, alium ingentem sacrorum pignorum cumulum ibidem conjectat Santorum Thebæorum ossa esse, quæ singula anno* 1342 *ait debite recognita et approbata fuisse. Grugerius in Memoriis sacris regni Bohemiæ ad diem* XXII *Septembris monet, duas in Moravia sancto Duci sacras esse ecclesias, ejusque notabiles reliquias ab abbate Ferwardo Gradiensi Roma ad Gradeciense Præmonstratensium circa Olomucium templum translatas fuisse, aliasque ibidem servari Magdeburgo acceptas. Cratepolius varias etiam sanctorum Agaunensium Martyrum reliquias Viennensi in Austria urbi attribuit; at luce meridiana clarius est, illum ex synonyma urbe in Gallia sacra pignora esse eo transferre. Mira sunt quæ de* S. Mauritii *in parthenone Gossensi, in Syria superiori ad ripam Muræ fluminis, exuviis referuntur.*

et Gossensi.

232 *Habeo præ oculis schedam inde olim missam, quam lubet huc transferre. Responsoria est ad cujuspiam interrogata et talis* 1. In parthenone Gossensi

A Gössensi nec templum nec sacellum est nec altare S. Mauritio dicatum aut consecratum, sed reliquiæ tantum in longitudine digiti, ampullæ vitreæ in pixide argentea inclusæ, in choro monialium in altari, in quo etiam Sanctissimum asservatur, publicæ venerationi expositæ exstant. 2. Unde reliquiæ illæ advenerint, monialibus de facto existentibus propter antiquitatem compertum non est, uti etiam beneficia ope hujus Sancti concessa annotata non sunt. Per traditionem tamen, etiam pluribus seculis firmatam, monialibus actu viventibus persuasum est, et earum non paucæ fide dignæ ab experientia testatur, à reliquiis hujus Sancti in altari expositis, sed ab ossiculis etiam minutissimis in cellis asservatis pulsum multoties percepisse, quasi campanulæ, subtilissimi quidem, sonori tamen toni, certum mortis indicium membri ex hac communitate proxime decessuri. Exinde non tantùm privatus cultus hujus Sancti in monialibus hujus loci tenerrimus est, sed etiam publicus, tamquam singularis Patroni non exiguus, cujus dies festivus singulis annis in eodem altari solemni officio condecoratur. *Variis modis et prodigiis Deum Sanctorum suorum cultum promovere,* B *mortaliumque in illos augere fiduciam, nemo, qui non omnem fidem exuit, inficiabitur; solent tamen similia, qualia hic adferuntur de mortis prænuntio, cum ex re quandoque levissima nascantur, nataque ex metu perturbari solita fantasia facile apud mulieres augmentum capiant, non tam facile a prudentibus criticis admitti. Simile quidpiam refertur de vivario abbatiæ Agannensis, ubi insolitæ speciei pisces nutriri dicuntur, ex quibus, si quis moriatur, imminentem canonico mortem prænuntiat, quod nec ego alibi referre volui, neque hic impugno, sed fidem assertoribus relinquo.*

§ XX. Submissa a P. Mauritio Chardono analecta alia de sanctorum Thebæorum cultu per Germaniam.

Monumenta cultus S. Mauritii in diœcesi,

S*i exstructas* S. Mauritio *et Sociis per Germaniam basilicas dedicatasque aras singulas enumerare vellem, modum Operis et instituti nostri excederem. Occurrunt similia passim in ipsis indicibus Operum, quæ ad historiam ecclesiasticam Germaniæ pertinent; aliquas tamen præterire non possum, quas in classes redegit laudatus sæpe pater Mauritius Chardonus, egregius Operis nostri adjutor, ut beneficii memoria a me exigere videtur. Ab Augusta Vindelicorum exordium sumamus, Chardoni verba ubique contracturi, nisi aliter monuerimus. Insignis est Augustæ ecclesia collegiata* S. Mauritii *nomine sacra, conditaque a Brunone episcopo, S. Henrici imperatoris fratre. Brunonis sepulcrum ante summam aram visitur cum hoc epitaphio;*

Anno Domini* cultus pater est hic Bruno sepultus,
Munere de cujus fabricæ claret domus hujus.
Grates reddat ei Legio sacrosancta Thebæi.
Obiit MXXIX in profesto S. Georgii.

* forte A Domino.

Hoc, uti et cetera de cultu S. Mauritii *Augustæ Chardonus hausit ex Hierarchia Corbiniani Khamm parte 2 cap. 2. Ex sacris reliquiis non nisi os unius circiter palmi hæc tam celebris basilica habet. Anno* 1603 *milites præsidiarii Augustani novam ibidem fraternitatem sub* S. Mauritii *nomine instituerunt illumque fortissimum Ducem Militum invictissimumque Martyrem sibi peculiarem Patronum elegerunt. Ejusdem fraternitatis privilegia et incrementa videri possunt apud Khamm laudatum sectione* 4, AUCTORE J. C.

Augustana, Brixinensi,

234 *Non minori sanctarum reliquiarum Martyrum Thebæorum thesauro gaudet collegium Societatis nostræ in eadem urbe, cui anno* 1602 *illustrissimus princeps Henricus de Knörringen episcopus Augustanus partem cranii* S. Mauritii *martyris obtulit, ut testatur domestica collegii Historia. Ob notabiles illas reliquias festum ejusdem ibi celebratur ritu duplici, per urbem tamen et diœcesim tantum colitur cum Officio semi-duplici. In vicinia Elvacensi duæ sunt ecclesiæ sancto Martyri dicatæ; Westenhusii scilicet et Sebingæ. In Brixinensi diœcesi plurima sunt venerationis incolarum erga Thebæorum Ducem monumenta. Oeniponti in armamentario veteri capella est* D. Mauritio *consecrata et omnibus aliis ejusdem loci ecclesiis antiquior. In ara Sancto erecta prostat capsula reliquiarum variorum Sanctorum, inter quas præ ceteris visitur notabilis particula de* S. Mauritio, *cui etiam sacræ sunt ecclesiæ in Taufer et Innichen. Halæ in Oeni valle in templo nostro servantur præter parvam particulam* E *osseam ipsius sancti Ducis, duo ossa brachialia insignia de ejusdem Societate et duo ossa alia minora. In templo regii parthenonis ibidem habetur de ipso* S. Mauritio *pars fere dodrantalis costæ; liber autem reliquiarum, quibus dives est paræcialis ibidem ecclesia, ita habet ad diem* XXII *Septembris.* 1. De S. Mauritio M. os magnum. 2. Ulna de brachio. 3. Pars de dextro brachio. 4. Digitus: 5. Plura ossicula minora. 6. Particula de vexillo, quod illi, ut addita antiqua scriptura testatur, de cælo missum est. 7. Ex societate S. Mauritii duo sacra capita. 8. Mentum integrum cum uno dente. 9. Os paulo grandius. 10. Duæ iterum notabiles partes. 11. Pars admodum notabilis cranii. 12. De dente et aliis pluribus minoribus particulis. 13. S. Thyrsi capitanei crus, costa, et alia sacra ossa. 14. S. Liborii, etiam ductoris ex sancta Societate, caput et aliquot adhuc particulæ. 15. S. Gregorii Maurorum colonelli in Legione Thebæa os dorsi. 16. De S. Candido os paulo grandius.

præcipue Halæ in Oeni valle,

235. *Chardoni Analecta hic ego, opinor, interrumpere non debeo, ut post ea, quæ toties tum in Commentario prævio, tum hic sparsim observavi, rursus lectorem moneam, quid de hisce reliquiis, et iis maxime, quæ nominatorum Thebæorum Martyrum esse asseruntur, censendum sit. Certe nisi synonymi alii Sancti huc translati sunt, habemus iterum tres, qui et nomen et præfecturam militarem diu post obitum Martyrum consecuti videntur: prosequamur. Pergit liber Halensis memoratus:* S. Mauritius erat dux, juxta antiquam Legendam, quæ fundatori nostro illustrissimo domino Floriano Waldauft de Waldestein equiti, una cum vexillo S. Mauritii et virga prætoria ex regia capella aulæ novæ Oeniponti submissa fuit. *Quæ quid sibi velint, nescio. Fortene ibidem etiam virga prætoria pro* S. Mauritii *cimeliis habetur? Certe tale quid innui videtur, quod unde hauriri potuerit, ignoro. Festum* S. Mauritii *Halæ in illis ecclesiis ritu duplici celebratur, per diœcesim tamen legitur Officium ritu a Breviario Romano præscripto.*

Constantiensi

236 *In Constantiensi diœcesi præter monumenta, quæ inter res Helvetiæ enumeravimus, alia sunt non pauca. Inter tres basilicas, quas S. Conradus episcopus Constantiæ condidit, est ecclesia* S. Mauritii *cathedrali proxima, quam, ut suum erga*

AUCTORE J. C.

ga magnum Martyrem amorem testaretur, pluribus sancti lipsanis ditavit, atque juxta eamdem sepeliri voluit sanctus præsul. In templo Societatis nostræ Constantiæ publico cultui exponuntur ossa majora prope 20 *cum pluribus minoribus particulis sanctorum* S. Mauritii *Sociorum quæ præcipue serenissimus ac reverendissimus Philippus, utriusque Bavariæ dux et episcopus Ratisbonensis, ac reverendissimus Joannes Jacobus Murgelius episcopus Sebastensis dono dedere. In decanatibus diœcesi Constantiensi subjectis variæ sunt insuper ecclesiæ Sancto sacræ: nimirum in Morsach in decanatu* 4 *Cantonum Catholicorum; in Stetten ad Forum frigidum in decanatu Ebingano ad Danubium; in Bliemshofen in decanatu Egingano; in civitate imperiali Pfullendorfensi; in Algertshofen in decanatu Munderkingano; in Laugen-Enslingen in decanatu Riedlingano; in Bochingen, Fischbach, Hausach, Nider-Eschach in decanatu Rottwilano; in Deckingen in decanatu Villingano; in Ort-Schwaben in decanatu Wisenthalensi; in Sunthausen in decanatu Wumblingano; in Bercken in decanatu Bremgartensi; in Oberbergen in decanatu Brisacensi; in Hunthausen in decanatu Ebingano; in Aigeltingen et Weiterdingen in decanatu Engensi; in Wagenstadt in decanatu Friburgo-Brisgoïco; in Nordstetten in decanatu Haigerlocensi; in Kfestikou in decanatu Hochdorfensi. In Amblzell in decanatu Ravenspurgensi; in Frickenweiler in decanatu Stockacensi; ac denique in Dürheim et Grieningen in decanatu Villingano.*

B

in abbatia Renaugiensi,

237 *Est et in eadem diœcesi in ipsis Sueviæ finibus, qua Helvetiæ contermina est, celeberrimum Ordinis S. Benedicti cœnobium Renaugiense, seu Rhinoviense, indigenis* Rhinow *cui cum S Januario, de quo ad* XIX *hujus mensis agitur, patronus est* S. Mauritius. *Habeo præ manibus litteras Reverendissimi domini abbatis Bernardi, Renaugiæ scriptas* XV *Septembris anni* MDCCXLV, *unde delibo sequentia.* Major pars capitis S. Mauritii statuæ deauratæ inclusa fuit anno MCCVI sub abbate Henrico de Waterbach. Anno MDCVI apertum fuit deauratum hoc caput S. Mauritii, inventaque in eo est inscriptio hæc in pergameno: THEBÆÆ MAGNI DUCIS HOC CAPUT EST ACIEI. Porro sub abbate Bernardo I de Freyburg caput hoc elegantius adornatum fuit. Pro minoribus aliis particulis authentica desunt. Colitur autem S. Mauritius ab immemoriali tempore sub ritu diplici I classis cum Octava, Officio olim proprio, nunc autem de communi plurimorum Martyrum. *Officium illud proprium habeo in apographo Ms. ex eadem abbatia submisso, at cum singulare nihil ibi occurrat, mitto aliqua excerpere. In iisdem litteris de aliis etiam reliquiis, de iis nimirum quas superius observavi in pago Tigurino cultas fuisse, hæc asseruntur.* Apud nos exstat antiquum templum SS. Felicis et Regulæ martyrum Thebæorum vetusti schematis, quod templum minorum monasterii nostri ecclesiam appellare possumus. Hujus etiam patrocinii intuitu, impetratæ sunt duæ horum sanctorum Martyrum particulæ anno MDCCXXXIV ex parochia Ursariensi, vel Urfellensi Curiensis diœcesis, pertinente ad Cantonem Helvetiæ Uraniensis, quo in defectione religionis Catholicæ ex urbe Tigurina delatæ cum aliis reliquiis fuerant, prout formatum desuper instrumentum asserebat. *Sunt hæ, ni fallor, eædem sacræ exuviæ, quas Simlerus testatur in pago Tigurino fuisse servatas.*

C

in diœcesibus Eustadiensi, Frisingensi,

238 *In diœcesi Eustadiensi non nisi unicum invenio templum, quod* S. Mauritio *olim dedicatum fuit: Ingolstadii nimirum, de quo Hundius in Metropoli Salisburgensi parte* 2 *pag.* 7 *et seqq. ubi asserit, illud anno* 1233 *sancto Martyri consecratum fuisse ab Heinrico episcopo Eustadiensi. Eustadii in templo collegii nostri plurimæ servantur sanctorum Martyrum Thebæorum reliquiæ. Ebersperg, quæ diœcesis Frisingensis urbs est, apud patres nostros, ibidem Residentiam habentes, ara erecta est* S. Mauritio, *cujus os aliquod ibidem etiam venerationi exponitur, cum quatuor craniis Sociorum et particulis aliis minutioribus. Monachii, de quo jam alibi fuit facta mentio, rursus in templo Societatis nostræ sunt sequentes Sanctorum Agaunensium reliquiæ. Os ipsius* S. Mauritii, *partes aliquot circiter unciales et aliæ minores, os grandius alicujus ex Sociis martyribus et alterum paulo minus, nec non de capitibus ipsorum fragmenta aliqua, quæ summatim sacra cimelia pro insignioribus habentur, et tum Monachii tum Eberspergæ dies eorum memoria celebris colitur ritu duplici. Monachii erecta insuper promovendo sancti Ducis cultui est sodalitas sub S. Mariæ Magdalenæ et* S. Mauritii *nomine apud patres Augustinianos, quam frequentant milites cum præfectis suis et primariis Ordinis militaris viris. Frisingæ in crypta cathedralis ecclesiæ sacellum est elegantissimi operis, ubi inter plurima sacra pignora perpetuæ venerationi in ara prostat caput unius ex Thebæis Martyribus, quare in choro cathedralis Officium duplex Martyres nostri obtinent. In Passaviensi diœcesi parœciales basilicæ in Aneroltskirchen et Nideraltaich a* S. Mauritio *nominantur, uti et ecclesia Lautterbacensis episcopo Ratisbonensi subjecta. Situm est Lautterbach in toparchia ejusdem nominis illustrissimorum comitum de Portia, qui nunc ad dignitatem principum evecti sunt. De hoc Sancto prædicti comites vel maxime gloriantur, contendunt enim stemma ac genus suum a* S. Mauritio *descendere, quod vereor, ut probari possit.*

D

E

Passaviensi, Ratisbonensi,

239 *Quidquid tamen fuerit, ea opinio illos ad promovendum sancti Ducis cultum non segniter impulit, festumque ejus ibidem cum summa celebritate et accolarum ad lucrandas indulgentias plenarias concursu quotannis peragitur. Non minor est solemnitas in pago Sée, quo anno* 1730 *translata est ecclesia Willenhofensis, pertinens ad dynastiam Parspergensem. Festo* S. Mauritii *supplici agmine ad ecclesiam illam procedunt non solum Seënses, sed et Parspergenses, Lupurgenses, Darschottenses aliique ex vicinis pagis, indulgentias plenarias lucraturi. Juxta aram appensa sunt plurima anathemata, beneficiorum obtentorum testimonia. In eadem diœcesi* S. Mauritio *sacrum est parœciale templum Nüntrachingense, ejusque sacræ exuviæ servantur Ratisbonæ in ecclesiis principalis parthenonis, et collegii Societatis Jesu. De hisce nihil speciatim additur, at illa sic enumerantur:* Vexillum S. Mauritii *martyris. Ex ejusdem Societate ossa varia, quæ in altari S. Erhardi Ratisbonensis episcopi anno* 1667 *sunt reposita. Allata eo fuerunt a Juditta Gisila Bavariæ et Saxoniæ principe et conjuge piissima Henrici, fratris Ottonis Magni, atque ejusdem ecclesiæ fundatrice. Antiquissimum monasterium Altaich inferius Ordinis S. Benedicti in honorem* S. Mauritii *in inferiore Bavaria ad Danubium fluvium etiam erectum fuit seculo* VIII.

F

Salisburgensi

240 *In archi-diœcesi Salisburgensi non vulgaria etiam sunt indicia antiquissimi cultus sanctorum Thebæorum Martyrum. Quæ de monasterio Gössensi superius n.* 232 *observavimus, hic ex Chardoni schedis doceor, ab ejusdem parthenonis confessario missa fuisse. Oettingæ veteris in inferiore Bavaria ecclesia collegiata hæc numerat in suo thesauro*

A *sauro sacro sancti Ducis et Commilitonum sacra pignora. Os* S. Candidi *et* 4 *dentes; os de sancto episcopo* Cornelio *ex Societate* S, Mauritii; *de ipso* S. Mauritio *tria ossa. Sanctus* Cornelius *procul dubio rursus aliunde accedit Agaunensibus Martyribus, quos hactenus non reperi secum episcopum talem habuisse. In ecclesia Societatis nostra ibidem sequentia ex instrumento, quod addidit Chardonus, Sanctorum nostrorum venerationi exhibentur.* 1 Crus ex Legione Thebæa S. Mauritii integrum. 2 Aliquot alia ossa ex eadem Societate. 3 Aliud crus integrum de iisdem. 4 Costa itidem integra. 5 Duæ magnæ partes ossium. 6 Tibia. *Propter has sacras exuvias agitur memoria Sanctorum Thebæorum in duabus illis basilicis Œttingensibus ritu duplici. In oppido Fronleithem, sex pene leucis Græcio distanti, templum est vetustissimum olim* S. Mauritio *dedicatum, ubi annua memoria usque hodie cum magna solemnitate et populi accursu celebratur. Porro hæc sunt, quæ ex schedis Chardonianis huc transferenda duxi, confidoque fore, ut sufficiant lectori, quem ulteriori enumeratione, forte jam nunc tetrica, morari amplius non lubet, postquam tamen adhuc pauca adjecero de sacris reliquiis, quæ mihi Gretzerus noster in Syntagmate, quod de Imperii insignibus scripsit, pag.* 78 *subministravit.* B

et quondam Wittebergæ.

241 *Capiti ibidem* 15 *titulum facit;* De ostensione multiplicium et pretiosissimarum reliquiarum Wittebergæ in Saxonia ante Lutheranismum : *postquam autem docuit, quandonam sacræ exuviæ Wittebergam ad templum arcis perlatæ fuerint, quandoque ostendi solerent, pag.* 78 *ex libello Germanico, qui etiam iconismos repræsentat, sic scribit :* In 5 Hierotheca monstrabantur XCVI particulæ de Legione Thebæorum, et duo integra ossa ex eadem Sodalitate... Preterea integrum caput et gladius de Sodalitio S. Mauritii. In alia monstrantia ejusdem missus *(ordinis)* ostendebantur os notabilis quantitatis de S. Mauritii Legione : XVI particulæ de ossibus Martyrum ex eadem Legione : particula de vexillo S. Mauritii *:* item de lancea S. Mauritii *:* particula de lorica ejusdem : **von seinem Wappenrock** una particula : de manu ejusdem similiter una, ut et de scapula : de maxilla duæ particulæ. Et hæc omnia inclusa erant pomo argenteo, cujus circuli aurei. *Ceterum, quod dolendum, idem Gretzerus pag.* 76 *nos monet, tot tantaque monumenta antiquæ venerationis erga sanctos Thebæos Martyres post Lutheri furias evanuisse.* C

§ XXI. Celebres S. Mauritii nomine Gladii, Vexilla. Lancea ejusdem inter imperii insignia quondam in magno honore habita.

Varii gladii S. Mauritii quondam Andegavi,

Inter sacras exuvias Sanctorum Thebæorum, quas ex variarum ecclesiarum instrumentis recensuimus, jam aliqua occurrerunt, quæ hic renovanda sunt. De machæra S. Mauritii *nomine celebri, quam Agauno cum dimidia sacrorum ossium portione obtinuit serenissima domus Sabaudica,* § X *num.* 111 *egimus, ubi et nonnulla diximus de multiplicatis sancti Ducis armis, quæ hic applicari debent. Saussayus in Martyrologio Gallicano ad hunc diem* XXII *Septembris ait, suo adhuc tempore in matrice ecclesia Andegavensi servatum fuisse* S. Mauritii *gladium vaginæ argenteæ inclusum, de quo nihil alibi legi. Pragenses in Bohemia in suo thesauro sacro videntur tres numerasse ejusdem sancti enses. Apud Pessinam sæpe laudatum pag.* 403 *in prima classe reliquiarum, quæ imperii vocantur, recensentur* Duo gladii, unus S. Mauritii et alter S. Caroli in deauratis vaginis. *Pagina* 431 *inter sacra cimelia propria ecclesiæ Pragensis asseritur hæc ditata fuisse* Brachio et gladio S. Mauritii martyris, quæ Wladislaus II rex Mediolano redux, ... uti habetur in veteri Ms. Martyrologio sanctæ ecclesiæ Pragensis ad X Cal. Octobris, attulit. *Pagina denique* 463 *asserit Pessina, Carolum IV eo brachium et gladium sancti Martyris ex Italia detulisse sub annum* 1355. *Quartum insuper* S. Mauritii *gladium cimeliis Pragensibus adnumerare Pessina videtur pag.* 407, *et ita ex lancea gladium cudere. Verum Martyrologium audiamus, quod secundo loco allegavit. Est illud ipsum, ni fallor, cujus apographum ad Majores meos Praga olim missum est a P. Theodoro Moreto, exscriptum ex antiquo codice Ms., qui ab anno* 1562 *servatur in bibliotheca collegii nostri ad S. Clementem.*

Pragæ et Norimbergæ

243 *Ibi ad hunc diem ita legitur :* In Galliis, civitate Seduno, loco Acauno, natale sanctorum E Thebæorum Martyrum Mauritii, Tympii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum Sociis sex millibus, sexcentis, sexaginta sex, qui sub Maximiano passi pro Christo, gloriosa morte mundum illustrarunt. Hujus S. Mauritii brachium et gladium attulit ex Alemannia, vel verius de Mediolano cum aliis reliquiis Wladislaus rex Bohemiæ secundus. *Qui Martyrologium Pragense compilavit, hic abunde ostendit dubium suum, unde gladium* S. Mauritii *Pragenses acceperint. Pessina pag.* 431 *et seqq. plura producit instrumenta, quibus probatur, Wladislaum marchionem Moraviæ anno Domini* 1212 *cum aliis sacris cimeliis reliquias* S. Mauritii *ex Teutonia Pragam detulisse, cujus allationis annua memoria fit in sacris Fastis istius ecclesiæ ad diem* VIII *Januarii. Fueritne inter illas gladius, non exprimitur quidem, judico tamen, ex hisce confusionem ortam esse martyrologo Pragensi in duobus Wladislais. Legerat forte apud Æneam Sylvium vel alios, Wladislaum II Bohemiæ regem, post navatam egregie Frederico I in bello operam, candelabrum, quod vulgo Salomonis credebatur, cum aliis forte aliquot reliquiis Mediolano Pragam retulisse : has inter* F *sine teste gladium* S. Mauritii *computavit, ac deinde Mediolanum pro Teutonia substituit. Gladius primo loco enumeratus inter* reliquias imperii, *quas a Ludovico Brandeburgico Monachii anno* 1350 *acceperat Carolus IV imperator, Norimbergensibus a Sigismundo cum ejusdem Sancti brachio uno oppigneravit ac deinde cessit.*

asservata. Ejusdem vexillum S. Mauritii

244 *Inter analecta a sæpe laudato patre Ligeritz subministrata ex Joannis Jacobi Mascovii de rebus Germanorum tom.* 2 *Observationibus ita notatum invenio :* Ensis Mauritii olim in sacris processibus circumferri solitus, diuque a Burgundicis regibus adservatus, Noribergæ inter insignia imperii exstat; *ubi suspicor de eodem sermonem esse. Baldesanus in toties memorata Historia Thebæa pag.* 180 *scribit, Carolum IV ab abbate Agaunensi cum S. Sigismundi regis vertice securim* S. Mauritii *adeptum esse, magnoque cum gaudio in Bohemiam transtulisse. Quænam porro securis illa fuerit, docet pag.* 414, *qua scilicet sanctus Martyr fuerit decollatus : verum cum, quæcumque ibidem de martyrio* S. Mauritii *adjuncta nova commemorat,*

AUCTORE J. C.

rat, ex conjecturis recentibus profecta fuerint, id forte unicum ab illo mutuari tuto possumus, quod non gladius, sed securis inter Carlsteinensia cimelia fuerit asservata. De S. Mauritii *vexillo inter reliquias Halenses Saxonum superius brevibus aliquid innui, ubi etiam videri potest, non integrum illud, sed ejusdem portionem aliquam statuæ argenteæ inclusam, vel recentiori vexillo insertam fuisse. Apud Menkenium tom.* 3 *Scriptorum Germaniæ in Chronico Georgii Torquati col.* 386 *in Henrico* 24 *electo episcopo Magdeburgensi refert, quod huc transferri meretur, sanctique* Mauritii *patrocinium commendat. Ita legitur* : Hujus tamen *(Henrici)* memorabile facinus non indigne recensendum est, longaque memoria repetendum.

Magdeburgensibus præsidio,

245 Afflixit eo tempore *(circa annum* 1278*)* ecclesiam Magdeburgensem Otto, marchio Brandenburgensis gravi bello et injusto, numeroso exercitu collecto ex Polonis, Boëmis et Pomeranis, adjunctis sibi comitibus de Reystein, Hamersleben, Arnsteyn aliisque, in campo Frose secus Albeam flumen castra metatus est. Qui in robore militari, quod maximum sibi coëgit, inaniter
B confisus, comminabatur ecclesiæ, se velle ad alterum diem proximum in basilica majori equos stabulari. Exquisivit per exploratores, quid ab episcopo, quid a civitate meditaretur : accepto autem responso ; omnem civitatem metu terroreque concussam, mane insequenti aurora iterato exploratores misit, qui redeuntes dicunt, urbem totam tumultuantem plenam esse facibus luminaribusque cum tubarum ac tympanorum sonitu undique resonante. Nam archiepiscopus, assumpto vexillo S. Mauritii, uti nocturna visione fieri edoctus erat, vasallis ecclesiæ una cum comitibus de Anhalt convocatis, cives ad arma vocans cohortari cœpit, quatenus ipsum ad congrediendum cum hostibus sub debita fide sequantur. Cui decreto omnes unanimiter cum animorum promptitudine paruerunt. Egressi autem omnes sub spe cœlestis auxilii alacriter animati, præeunte episcopo cum vexillo S. Mauricii (audax certe facinus!) in hostium castra irrumpere festinant, prælium istud confestim adoriuntur. Pugnatum est aliquamdiu ab archiepiscopo atque suis, non sine adjutorio Dei sanctique Mauricii cum Sociis, patronorum, ne *

*nec

C infelici marte. Capto marchione, mox victoria belli in partem Magdeburgensium cedit.

cujus variæ partes

246 *Vexillum illud* S. Mauritii *in bellis et præliis circumferre solebant Magdeburgenses, cujus rei exemplum aliud habemus apud eumdem Menkenium col.*372 *et Leibnitium Rerum Brunsvicensium tom.* 3 *pag.* 749, *his verbis expressum.* Præterea cum de quodam castro Domini Hildensemensis, scilicet Walmode, per residentes in eo in quoslibet transeuntes per vias multa spolia committerentur, nec dominus Hildesemensis requisitus a principibus remedium adhiberet, tandem iste dominus Theodorus archiepiscopus *(Magdeburgensis)* una cum domino Halberstadensi episcopo et domino magno de Brunswich consilio inito pro communi pace terræ copiosum exercitum congregaverunt, et terram Hildensemensem intraverunt, ubi postquam per duos dies devastaverunt terram incendiis et rapinis, tertia die locaverunt se prope civitatem Hildensemensem cum sua gente, pauca quidem in comparatione istius exercitus. Igitur isti *(Magdeburgenses)* in exercitu de sui multudine confidentes inordinato tumultu in hostes insilierunt, ex quo tumultu plures pedestres in exercitu per equestres ejusdem partis fuerunt equorum calcibus conculcati et mortui, multi etiam de exercitu fuerunt ab hostibus captivati et plurimi interfecti, et sic bello perdito, reliqui, qui potuerunt, fugam acceperunt. D

247 Hoc factum est anno Domini MCCCLXVII tertia die Septembris. Sed unum divinæ propitiationis beneficium ibi præstitit Deus, quod vexillum sive bannirium beati Mauritii, quod in ipso exercitu habebatur, cautulose fuit conservatum et salvum in locum suum in Magdeburg reportatum. Unde bene verificatum fuit illud proverbium, quo dicitur, quod vexillum S. Mauritii suffragatur non ad invadendum, sed ad defendendum : vulgaritur :

alio translatæ fuerunt

Se ne wil nicht heren
Sunder si weren.

Hæc ibi, at hactenus mihi non innotuit, unde vexillum illud Magdeburgum delatum sit, aut quale fuerit, et multum dubito, an non idem illud, vel pars ejus saltem aliqua inter reliquias Halenses, de quibus num. 219 *numeretur, Utut est, in eodem Chronico Magdeburgensi apud Menkenium col.*400 *dicitur Albertus Magdeburgensis archiepiscopus ad sedem Luthmosthenensem, unde promotus ante fuerat, opera Caroli IV imperatoris revertentem, inter reliquias alias* partem quoque vexilli S. Mauritii *secum in Bohemiam abstulisse. Æneas Sylvius de Statu Europæ sub Frederico II testatur, suo etiam tempore vexillum* S. Mauritii *soluisse quotannis Magdeburgi ostendi. In memoratis sæpe Analectis citantur de eodem plura scribentes Pomarius Chronici Magdeburgensis pag.* 129 *et Dresserus de Urbibus Germaniæ in Magdeburgo : at neutrius allegata lucubratio mihi ad manum est.* E

Lancea

248 *Alia insuper celebris vexilli partitio facta est, vel rursus plura vexilla* S. Mauritii *nomine insignia fuere : quippe præter ea, quæ superius num.* 235 *ex schedis protuli, Wilhelmus Malmesburiensis lib.* 2 *de gestis regum Anglorum cap.* 6 *scribit Hugonem, quem perperam ibi Francorum regem nominat, utpote comitem tantum Parisiensem Hugonis Capeti patrem filiumque Roberti, ut ex Flodoardo et Westmonasteriensi liquet, sororem Adelstani pulcherrimæ formæ mulierem sibi uxorem poposcisse, utque voti compos fieret, pretiosissima munera per legatos misisse cum pluribus insignibus reliquiis, quibus Britanniæ regem plurimum delectari noverat. Addit autem, inter sacra cimelia fuisse* Vexillum beatissimi Martyris Mauricii et Thebææ Legionis principis, quo idem rex *(Carolus Magnus)* in bello Hispanico quamlibet infestos et confertos inimicorum *(Saracenorum)* cuneos disrumpere et in fugam solitus erat cogere. *Igitur, nisi erravit Malmesburiensis, suum etiam* S. Mauritii *vexillum habuit Britannia. Non pauciores lanceæ, vel lanceæ* S. Mauritii *partes enumerantur. Saussayus laudatus in Martyrologio Gallicano affirmat, non solum clypeum* S. Mauritii, *sed lanceam insuper Viennæ olim asservatam, fuisse, atque hisce armis, ceu securis præsidiis armatum Carolum Martellum contra Saracenos in Galliam irruentes processisse, eosque tanti Martyris ope munitum internecione delevisse, quæ profecto splendidius dicta sunt, quam bonis testimoniis stabilita.* F

S. Mauritii nomine insignis

249 *Celeberrima est* S. Mauritii *lancea, quæ pluribus seculis inter imperii insignia habita fuit. De illa scribit Jacobus Gretzerus noster in Syntagmate de Insignibus imperii capite* 14. *Contenderat cap.* 8 *et seqq. quatuor lanceas memorabiles inter cimelia imperii recensitas fuisse : primam, qua latus Salvatoris nostri morientis apertum fuit, secundam*

A *cundam Constantini Magni, tertiam* S. Mauritii, *ac quartam denique Caroli Magni. Ex multiplicibus illis lanceis orta est confusio non una quam dispellere nititur laudatus auctor, quamque, in quantum ad propositum meum facit, paucis attingam. De* S. Mauritii *lancea primus, ni fallor, mentionem fecit Gotfridus Viterbiensis, qui diu post Ottonem Magnum vixit, utpote Frederici I imperatoris cancellarius. Is parte* 19 *Chronici de Insignibus imperii agit, et sub hoc titulo,* Quid significat lancea imperialis, et unde venit? *ita canit:*

Lancea Mauritii reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis,
Clavus namque Dei junctus habetur ei.
Subjicit imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hæc, ubi bella movet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites,
Ex hac cæsar habet, quod sibi regna favent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faveret,
B Exstitit indigenis terror amara ferens.

inter insignia imperii

250 *Deinde interserit nonnulla de Bosonis amentia, atque sic prosequitur:*

Imperii solium cum maximus Otto teneret,
Et valitura satis mundi fortuna faveret,
Huic rex Boso loquens verba gemendo refert.
Trado tibi regnum, cunctos depono decores,
Amodo nostra tibi sacra lancea præstet honores,
Sola mihi monachi vita colenda foret.....
Lancea Mauritii, mea qnam tibi dextera tradit,
Est caput illorum, quæ nunc meo regna notavi,
Nunc caput imperii lancea sacra dabit.

Inter hæc anachronismus est non exiguus, quippe Boso rex Arelatensis, de quo hic Viterbiensis agit, mortuus est circa annum Christi 887, *sepultus in Viennensi ecclesia, ut num.* 176 *observavi. Otto Magnus autem Germaniæ rex inunctus non fuit ante annum* 936, *nec consecratus imperator ante annum* 961; *non igitur Boso insigne imperii Ottoni cæsari tradere potuit,* 70 *minimum annis ante mortuus; imo nec celebrem* S. Mauritii *lanceam ab illo accepit is, antequam regnum obtinuisset, nondum natus eo tempore, quo Boso decessit. Boucheus in Historia Provinciæ lib.* 4 *pag.* 768 *anachronismum deprehendit et corrigere conatus est, notans in margine:* Est Odo, rex
C Franciæ, cujus idem nomen est, quod Oto; *at hæc Viterbiensis asserta non combinant. Neustriæ regnum adeptus est quidem Odo, ante comes Parisiensis, anno Christi* 888, *mortuo jam Bosone; at numquam is fuit imperator, qualis certe est Otto Magnus apud Viterbiensem.*

relata non videtur primis

251 *Siffridus Presbyter Misnensis chronologus seculi* XIV *Epitomes lib.* I *ita scribit:* DCCCCXXII Henricus filius Othonis ducis Saxoniæ, regnum adeptus, regnavit annis XVII. Iste dicebatur Auceps, quia, dum caperet aviculas, renitens electus est. Ipse lanceam S Mauritii a duce Burgundiæ accepit, et a Papa invitatus, dum Romam iret consecrari, obiit, et sic imperium non obtinuit. Id S. Ulrico in visione gladii sine capitello ostensum est. *Gretzerus laudatus pagina* 70 *hunc, non de lancea* S. Mauritii, *sed Constantini Magni, loqui arbitratur: at verba hæc Viterbiensis,* Clavus namque Dei junctus habetur ei, *innuere videntur, de eadem apud utrumque sermonem esse. Quamquam hæc difficultatem non elevant; sic enim adhuc creditur lancea* S. Mauritii *a Bosone per Ottonem accepta, quod intelligi neutiquam potes, si eumdem Bosonem regem Arelatensem a Viterbiensi admittas. Alius Boso Richardi Burgundiæ ducis filius et frater Rodulphi Francorum regis cum Ottone inimicitias exercens occurrit in Frodoardi Chronico ad annum* 924, *idem Henrici Germaniæ regis partibus nunc favisse, nunc adversatus esse et in gratiam tandem anno* 935, *quo in expeditione obsidionis castri S. Quintini defunctus est, receptus fuisse tum ibidem, tum in Chronico Virdunensi affirmatur. Ad illum sine anachronismo referri utcumque possent, quæ de lanceæ traditione Gotfridus scribit; at quæ alia ibidem canit, non magis Bosoni huic comiti, quam Arelatensi regi convenire videntur, et alium nullum antiquorum, quod sciam, suffragantem habent, ita ut res tota ad minimum pro valde incerta haberi possit. Quod si ex certo anachronismo Viterbiensis et scriptorum aliorum silentio suspectam habeas totam ejus reliquam narrationem, conjectesque, lanceam* S. Mauritii *alia via ad imperii insignia accessisse, nolim, id ante postremos saltem Ottonis Magni annos contigisse opineris, propter ejus ipsius in diplomatis, ubi frequentissima tamen occurrit mentio cimeliorum* S. Mauritii, *et coævorum aliorum auctorum de celebri lancea silentium.* E

AUCTORE J. C.

Ottonis Magni annis,

252 *Sunt, qui asserunt, Sugerium abbatem in Vita Caroli Crassi ejus meminisse; at nec ipsi locum citant, neque ego ibi ea de re verbum ullum lego: quæ simul faciunt, ut Siffridi presbyteri asserto, etsi magis ab adjunctis verisimili, sine scrupulo non adhæream. Citatur a Gretzero Chronicon Reicherspergense. Ibi ad annum Christi* 1004 *ita legitur:* Mortuo sine hærede Ottone *(tertio,)* Henricus II..... ab omnibus regni primoribus electus LXXXVII ab Augusto rex creatur. Hic multa in Germania, Boëmia, Polonia, Italia, Apulia fortiter ac prospere bella gessit..... Burgundiorum quoque, non ex humana sed divina virtute cessit ei victoria. Qui, cum armis et omnibus belli copiis essent instructi... depositis armis... rogantes ea, quæ pacis sunt, dexteras dederunt et acceperunt, et ad insignia regalia lanceam, clavo Dominicæ Passionis insignitam, addiderunt, et ita victoriosissimus princeps Burgundiam in ditionem accepit. *Huic ego asserto, præ duorum aliorum scriptorum opinione, si eligendum est, adhæreo. Verum reclamant Cromerus et Kranzius, quorum alter lanceam* S. Mauritii, *quæ Cracoviæ in primario urbis templo servatur, tradit ab Ottone II, alter ab* F *Ottone III acceptam fuisse. Fateor, si evicerint, Ottonem aliquem laudatum cimelium possedisse, ab opinione mea recedendum videri; at nullos pro se testes antiquos adferunt. Et Kranzius quidem assertum suum erroribus implicat. Audiamus ejus verba ex lib.* 2 *Wandaliæ cap.* 36: Audivit Otto II imperator, cognomento Rufus, famam sancti martyris Adalberti de mirabilibus, quæ operaretur per illum Deus, voluitque invisere martyris sancti sepulchrum.

nec translata in Poloniam.

253 *Narrat deinde, quomodo magnifice exceptus, vices rependere volens, Boleslaum ducem regem crearit atque in principum concessu allocutus fuerit.* Et hæc dicens, *inquit,* coronam capiti ejus imposuit, deditque imperator Bolislao regi pro regalibus insigniis lanceam B. Mauritii et clavum Domini. Hæc autem regalia insignia, corona scilicet et sceptrum et lancea ad multa tempora in armariolo Cracoviensis ecclesiæ ad memoriam posterorum conservantur. *Otto II S. Adalberti episcopi Pragensis tumulum, diu antequam martyrio coronatus esset, visere non potuit. Obiit Otto II imperator Romæ anno Christi* 983, *et S. Adalbertus tantum lauream adeptus est anno* 997, *ut ad diem*

AUCTORE J. C.

diem XXIII *Aprilis, ubi nomen ejus sacris Fastis inscriptum legitur, in Opere nostro probat Henschenius; adeoque perperam hic Ottoni II tribuuntur, quæ de itinere Ottonis III ad sancti Martyris sepulcrum ex Ditmari Chronico lib.* 4, *Chronico Hildensheimensi aliisque scriptoribus recte quidem accepit Cromerus, at quæ de data ab illo lancea superaddita sunt, nec ipse, nec Dlugossus ex iisdem fontibus hausit, sed vel ex traditionibus, vel ex conjecturis adjecisse videtur. Hæc proinde nos movere non debent, aliunde etiam non credentes, Ottonem, si tam pretiosum cimelium ab avo inter imperii insignia relatum fuisset, tam facile Boleslao daturum fuisse. Interim suam* S. Mauritii *lanceam Polonis non abjudicamus, licet fateamur, nescire nos, unde ad ipsos pervenerit, nec quo tandem jure eum titulum consecuta sit. Certe ex Benzonis episcopi Albiensis panegyrico in Henricum IV Germaniæ regem apud Menkenium tom.* I *Scriptorum col.* 965 *luculentum fit, lanceam* S. Mauritii *inter cimelia imperii adhuc fuisse post medium seculi* XI. *Ejus verba accipe ex cap.* VIII. Processio vero Romani imperatoris celebratur talibus modis. Portatur ante eum sacra Crux gravida ligni Dominici, et lancea B S. Mauritii. *Non igitur Germanis sacrum hoc cimelion invideant Poloni.*

§ XXII. Apparitiones S. Mauritii a scriptoribus aliquot assertæ.

Fertur S. Mauritius Dagoberti mortui animam

Præter apparitiones binas S. Mauritii *et sociorum, de quibus superius egimus* § 10 *num.* 122 *et seqq., et* § 13 *num.* 155, *tres aliæ sunt magis celebratæ. Primam suggerit auctor Chronici Sandionysiani lib.* 5 *cap.* 19, *unde ad Aimoïnum transivit, qui illam lib.* 4 *de Gestis regum Francorum inseruit. Narratur ibi cap.* 34, *quomodo Ansoaldus episcopus Pictaviensis itinerans in Sicilia, mortuo recens Dagoberto, in Joannem solitarium inciderit, a quo et Dagoberti mortem, quæque illam secuta sunt, fuerit edoctus.* Cum, *inquit solitarius,* multa vigiliarum ac jejuniorum simulque senectutis fatigatione depressus, paululum membra sopori dedissem, adstitit mihi quidam C veneranda decorus canitie, monens, ut propere surgerem et pro Dagoberti regis anima, quæ eadem ex corpore exierat hora, Domini exorarem clementiam. Quod cum facere maturato curassem, apparuerunt subito haud procul in pelago deformes truculenta facie dæmones, vinctum regem Dagobertum per spatia maris agitantes, inflictisque insuper verberibus ad Vulcania loca trahentes. Qui distentus cruciatibus inter agitationes et verbera, quorumdam Sanctorum audiebatur postulare suffragia; cum repente aperto cælo inter fulmina in fluctus cum fragore ruentia visi sunt descendisse viri decore nitentes mirabili. Requirere cœpi ab eis, qui essent, qui dixerunt, se esse illos, quos Dagobertus ad suum vocaverat auxilium, Dionysium videlicet ac Mauritium martyres, nec non Martinum confessorem. Ili ereptam dæmonibus animam secum ad æthera levaverunt, canentes hunc psalmum, Beatus, quem eligisti etc. *Subjungit deinde Aimoïnus, ut narrationi suæ fidem faciat et pondus addat;* Hæc vir ille venerabilis Joannes Ansoaldo retulit, se vidisse, quæ ille in Gallias reversus S. Audoëno narravit, qui ea in una conscripta chartula posteris reliquit in ordinem historiæ digerenda. D

dæmonibus eripuisse, quæ narratio a Cointio et aliis impugnata

254 *Advertit Coïntius ad annum Christi* 638 *num.* 2, *Aimoïnum pro eo, quod monachus Sandionysianus scriptor Gestorum Dagoberti dixerat, repertam fuisse relationem illam* in vetustissima charta, quam, UT FEREBATUR, B. Audoënus episcopus scripserat, *absolutam assertionem substituisse. Rem ipsam impugnat duobus argumentis, quorum alterum petitur ab ætate Ansoaldi, qui ultra* 55 *annos Dagoberto supervixit, alterum a Fredegarii silentio, qui cum tantum* 20 *annis post regis obitum scripserit, visionem tum adhuc recentem, si contigisset, nec ignorare, nec in suo Chronico prætermittere debuit.* Hæ duæ res, *inquit,* nos adducunt, ut super ea visione sententiam eamdem cum Beslyo et Valesio feramus. *Beslius in Episcopis Pictaviensibus pag.* 18 *subtimide et per interrogationem suam opinionem significat, apertius Valesius lib.* 19, *ubi satis intemperanter narrationem illam pro figmento habet et explodit. Solent quidem apparitiones visionesque similes ex seipsis suspectæ prudentibus esse, nisi ab hominibus valde gravibus asserantur : at rationes, quas laudati mox scriptores allegant, tales profecto non sunt, ut quemquam de rei falsitate plene convincant. Certe, si dederis, anno v. g.* 615 *natum fuisse* E *Ansoaldum, ætatis anno* 22 *circiter, quo agebat in Sicilia, mortuus erit Dagobertus, eritque Ansoaldus senex* 81 *annorum, cum Priveligio Agerardi subscribit apud Mabillonium de Re Diplomat. lib.* 6 *num.* 23 *: in quibus ego nihil incredibile, imo nec insolens deprehendo. Argumentum a Fredegarii silentio petitum splendidius videri potest, et forte paulo gravius; verum apud me auctoris unius, a quo ob mille rationes nobis ignotas res aliquæ ignorari, vel notæ etiam omitti potuerunt, silentium numquam faciet, ut pro somniis, ne imposturis dicam, habeam aliorum asserta, maxime si novitia non sint, et insuper pro se allegent testimonia antiquiora, quæ falsi convincere absolute non possim.*

dubiæ saltem fidei est. Visio alia, quæ narratur a Joanne

255 *Itaque narrationem illam, quam insuper Ludovicus Pius in Litteris ad Hilduinum abbatem, Sigebertus in Chronico, Joannes Besuensis aliique admiserunt, sic pro dubiæ fidei accipio, ut si admittatur, velim mystice pleraque accipi : dæmones nimirum irruentes pro tentationibus, quibus moribundum regem aggressi fuerint, fortequе vicerint, sic tamen, ut, Sanctorum invocato patrocinio, eas deinde superarit atque ita victor e* F *vita ad cælum migrarit. Profecto, quibuscumque allatis exemplis, persuaderi mihi non facile patiar, Dei inimicum in mortali ejus offensa mortuum, extra meriti tempus, cum jam sera est pœnitentia Sanctorum utcumque potenti ope hæreditatem cælestem, quam solis amicis suis reservavit, adiisse. Secundam apparitionem* S. Mauritii *habemus in visione Joannis monachi Leodiensis ad S. Laurentium excusam apud Bernardum Pezium tom.* 4 *Thesauri novissimi Anecdot, parte* 3 *col.* 5 *et seqq. Audiamus ejus initium :* In illo tempore frater erat in hoc cœnobio beati Laurentii Johannes nomine..... cui ex incautela phebotomiæ accenso ardentium febrium sanguine inflammavit cerebrum. Cum per quatriduum languor cresceret... jussu abbatis deportatus est in cellam secretiorem. Et cum, clangentibus signis, ad Vespertinæ laudis Officium omnes concurrerent, solus ibidem in lectulo suo relictus est, putantibus iis, qui eum custodire susceperant, quod obdormisset. Ille autem factus in extasi, id est excessu mentis, vidit etc.

256 *Multum*

monacho S. Laurentii Leodii, insolentior est,

256 *Multum fidei habere visionibus hominis, cui ex incauta phlebotomia (ita enim legendum est ex Græco* Φλεβοτομία, *quod venæ sectionem significat) ardens suborta febris cerebrum turbarit, prudentis non est. Talia ibidem etiam de statu animarum post mortem narrantur, quæ non videntur nisi credulis hominibus persuaderi posse. Habe, lector, visionis totius analysim. Mox in ignoto sibi vestibulo sistitur, ubi cum contemplatur exhibitam sibi picturam, adest illi S. Laurentius martyr conquerens, quod non sollicite satis suum patrocinium exposceret. Reflectit mox Joannes, an non forte esset illusio somni vel turbati cerebri : at contrarium a Sancto edoctus, in altum rapitur usque ad orbem lunæ. Inde prospicit, subjectum aëra tenebrescere, atque ex eo dæmones ascendere, qui sonitu a superiori globo effluente deprimebantur, advertitque confirmari Bedæ assertum, quod diaboli prohibeantur ascendere ultra circulum lunæ.* Mox a parte Orientali sedes longissima, *apparet,* ei intuenti, supra quam personæ sedebant in habitu monachali. Sedebant silentes et subtristes et sine suppedaneis eorum dependebant B pedes. Semi-ratæ *(an non* semi-rasæ?) et demissæ eorum erant facies. *Plures ibi ex olim notis recognoscit intelligitque, locum purgatorii ibi esse, et esse purgandarum animarum conditionem diversam, secundum diversitatem meritorum. Gravissima supplicia sunt earum, quæ mox dæmonibus traduntur avehendæ in locum horrendum, ubi inter gravissimos cruciatus* neque visitationem angelicam, neque lucem, neque salutis spem habent aliquam, *donec inde eductis pœnitentia levior in aliis locis indulgetur.*

et videtur

257 *Mitior est sors manium aliorum, qui vel vitæ merito, vel commendatione Fidelium, vel beatissimorum patronorum interventu quieta purgationis suæ loca adipiscuntur.* Spes salutis et visitatio angelica pro tempore et lux ipsis non deest. *Hi a dæmonibus nec terrentur, nec cruciantur, sed Dei visione beatissima privantur, et in amaritudine præteritæ vitæ noxas non penitus elutas, recogitant, donec ab hisce purgati ad summi Boni fruitionem admittantur. Cum autem eo tota tendat visio illa, ut commendetur fiducia in peculiarem aliquem sanctum patronum, tale narratur Joanni exemplum de duobus monachis.* Unus eorum improvisa morte ad judicium est raptus, qui C quamvis lubricitati obnoxius fuerit, maximi tamen patroni meruit patrocinio liberari, et cum, suis exigentibus peccatis, damnari debuisset, ejus interventu, placato judice, felici pœnitentiæ et placidæ purgationi absque dæmonum incursu traditus est. Alter vero propter animi sui impatientiam loco suo, id est patroni, prætulit alium, serviens ibi Deo, non tamen culpæ ducens, sanctum quemquam præferre patrono. Excessit suo tempore et ipse, qui procacitatis quidem linguæ inter cætera reus, sed, quod pro nihilo deputaverat, sui defensione patroni destitutus, deputatus est cum miseris, *de quibus primo loco actum.*

tota quanta est ex insano cerebro

258 *Contemplatur deinde cælum, quod ridicule describit, post quæ S. Laurentius illum deserit, cum mox in equites incidit, quos pro Thebæis Martyribus agnoscit, diuque inter alia contemplanti purpuream chlamydem* S. Mauritii *dicit is :* Hac veste... milites nostri temporis discernebantur a popularibus, nec nisi de pallio aut purpura licebat militi Romano chlamydem inter alios habere. *Monachum deinde increpat* S. Mauritius, *quod non celebrasset, vel Horas canonicas saltem non recitasset in sacello sibi sacro in Wasega, pago comitatus Namurcensis. Joannes veniam negligentiæ precatus, sanctum Martyrem interrogat, quare incolis, qui illius auxilium ibi exposcebant, non succurreret. Ad hæc* S. Mauritius *monachum deducit in sacellum, ibique ostendit, propter enormia crimina indignos esse beneficiis, qui suam opem implorabant, et disparet; Joannes autem ad corpus remigrat, a quo, si ipsi credimus, anima ejus toto hoc tempore fuerat separata. Mitto, quæ de dæmonibus, de globo lunæ, de animabus in purgatorio cum cappis monachalibus et semirasis barbis, sine suppedaneis et in corporea specie sedentibus dicuntur et futiles fabulas sapiunt, exagitare, ut pauca alia observem. Qui in durissima purgatione sunt,* nullam salutis spem habent; *id est, ni fallor, non sperant fore, ut ex illa purgatione, antequam ad mitiorem transierint, ad cælos assumantur : alias, si nude verba sumantur, novam ibi theologiam doctus est Joannes.*

AUCTORE J. C.

profecta : nec melioris fidei sunt,

259 *Quæ de duobus monachis narrantur, rursus ad minimum valde mihi suspecta sunt, et vix inducar, ut credam, quod iterum superius innui, Sanctorum patrocinio hominis in noxa lethali mortui damnandam animam, non solum sempiternis cruciatibus eripi, sed etiam mitissimam purgationem subire, nisi quis me docuerit, quandonam et quo modo ejus peccatum necessaria pœnitentia et piaculari divinæ offensæ dolore retractetur et eluatur. Joannis etiam parum intererat scire, quæ inducitur* S. Mauritius *docere, de purpura et chlamyde, quæque nescio, an sint tam vera quam ibi asseruntur, maxime imperatorum tempore, qui purpuram solis sibi veluti propriam fecerant. Quidquid sit, utor hic libertate, quam visionis illius scriptor offert, cum sub finem ait :* Arbitrio vero legentium judicium subjacet suam adhibere vel fidem vel derogationem, *candideque fateor, totam ejus narrationem esse mihi pro somnio et turbati ex febri ardente cerebri illusione. Ad tertiam* S. Mauritii *apparitionem accedamus, quæ et factis adhuc insolentioribus comitata est, et luculentiora figmenti indicia præbet. Ejus narrationem contractam inseruit Stevartius Notationibus ad Martyrium* S. Mauritii *pag.* 92 *ex Campofulgosi libro* 9 *Dictorum.* E

quæ de Udonis episcopi supplicio referuntur.

260 *Eamdem habeo quadruplo auctiorem ex Ms. codice Ultrajectino S. Salvatoris, ubi Passioni Sanctorum Thebæorum subnexa erat. Eamdem voco, quia etiamsi notæ chronologicæ varient, conspirant tamen cetera fere omnia. Ms. nostrum incipit :* Anno Domini DCCCCL, Ottone III imperante, apud Partinopolim, id est Meydenburch, contigit exemplum *etc. Campofulgosus autem :* Christi anno quadragesimo supra noningentos, imperante Ottone III in Parthenopoli... episcopus olim fuit Udo, *spurcissimæ libidini immersus, qui cum se corrigere nollet, a* S. Mauritio *et Sociis dicitur in ipsa metropolitana ecclesia gladio trucidatus. Qui anno* 940 *vel* 950 *regnantem Ottonem III, et sedentem Magdeburgi Udonem episcopum inveniunt, cetera examinent, quorum pudet meminisse; invenient insuper locum* Lilienthal *in diœcesi Magdeburgensi, Ordinem Cisterciensem seculo* X *florentem aliaque, adversus quæ suam crisim exerceant. Quod si quis hæc ad Udonem Trevirensem ex Trithemii opinione referat, alia nobis instrumenta producat, quam quæ tam enormibus anachronismis scatent.*

Monitum

Quæ de S. Mauritii *Sociis speciatim examinanda dixi, inveniet lector in Appendice ad finem hujus tomi.*

DE

AUCTORE J. C.

D

DE SS. SILVANO ET SILVESTRO CONF.

AC RODENA VIRG.

LEPROSII BITURIGUM

IN GALLIA

COMMENTARIUS

Memoria in Fastis, Acta ex Breviariis, cultus, reliquiæ.

Nomen solius Silvani in Martyrologiis :

Horum *trium Sanctorum unus dumtaxat* Silvanus, *saltem nominatim notus est martyrologis. Usuardus purus apud Sollerium hodie sic enim annuntiat:* Item Sancti Silvani B confessoris in territorio Bituricensi. *Consonant aliquot codices ejus aucti; sed Pulsanensis*: Item sancti Silvani confessoris cum sociis suis, *et hæ postremæ voces adduntur quoque in Bruxellensi, quibus verisimiliter designantur* Silvester *ac* Rodena. *Solius similiter* Silvani *meminere Maurolycus, Galesinius, et Baronius in hodierno Romano; auctores præterea Martyrologii Germanici, et Florarii nostri Ms., vix aut ne vix quidem in suis annuntiationibus diversi ab Usuardo puro. Saussayus in Gallicano ter de* Silvano *agit. Primo ad* XXII *Septembris*, *ut sequitur:* In territorio Bituricensi sancti Silvani confessoris, vita hominibus quidem abscondita, at Deo cognita beatissimi; sicut sanctitatis ejus diffusa pridem gloria toto illo tractu testatur. *Secundo ad diem sequentem:* Bituricis S. Sylvini confessoris, qui viam divinorum mandatorum postquam magna observantia percurrisset, omni virtutum excercitatione nobilis pervenit ad prœmium. *Scripsit hic quidem* Sylvinum, *forte quia ita legerat in aliquo Kalendario, sed non alium ipsum esse a nostro* C Silvano, *inde colligendum, quod* Silvanus *colatur Officio ecclesiastico in Bituricensi ac Burdegalensi ecclesiis ad dictum diem* XXIII *Septembris, ut ex dicendis patebit. Tertio demum de eodem Sancto agit Saussayus in Supplemento diei* XXII, *ubi tandem* Silvestrum *illi socium jungit, ac nonnulla adjicit de Vita ejus, quam primo loco* hominibus absconditam *dixerat, et de qua seu ejusdem compendio priusquam loquar, describo, quæ habet Petrus de Natalibus lib.* XI § 257 : Silvanus confessor ipso die (X *Kalendas Octobris)* in territorio Bituricensi quievit.

Acta partim fabulosa

2 *Philippus Labbe tom.* 2 *Bibliothecæ Mss pag.* 444 *dat elogium historicum* SS. Silvani, Silvestri *et* Rodenæ, *strictim decerptum, ut monet, ex lectionibus, quæ ad diem* XXX *Septembris exstant in antiquis Breviariis diœcesios Bituricensis. Sed vel ab ipso initio tam mirabilia in eo narrantur, ut mox percelli debeat legentis animus, et ab assensu cohiberi, nisi validissima aliunde proferantur testimonia. Initium tale est :* Sanctus Silvanus seu Silvinus presbyter, quem fuisse Zacchæum Hierosolymitanum ferunt, a sancto Petro Roma in Galliam missus est cum B. Sylvestro, quem paulo post mortuum, ipso tactu baculi, quem a S. Petro, ad eum reversus, acceperat, excitavit a mortuis et cum illo iter incœptum prosecutus est. *Primum scire velim, a quibus et quo fundamento feratur* S. Sylvanus *idem fuisse cum Zacchæo Hierosolymitano, ut dispiciam, an ea* E *traditio discussione digna sit: quam interim fabulosam existimo, ex eademque officina verisimiliter profectam, ex qua prodiit commentum, quo statuitur S. Ursinus vel Ursicinus, primus Bituricensium episcopus et apostolus, idem fuisse cum Nathanaële Evangelico, eo tamen discrimine, ut hæc fabulosa traditio a paucis exteris scriptoribus admissa sit, ista a nullo, hactenus mihi cognito.*

partim valde suspecta,

3 *Laudatus Labbeus pag.* 445 *alteram eorumdem Sanctorum historiam profert* ex vetustissimo ecclesiæ Bituricensis Breviario. *In hac traditio jam dicta non exprimitur, reliqua autem paulo fusius exponuntur. Verba accipe:* Silvanus presbyter cum socio suo Silvestro a B. Petro apostolo in Gallias missi, cum ad locum Bethaniæ, qui distat non multum a Roma, pervenissent, Silvester migravit a sæculo : quem cum Silvanus sepelisset, de ipsius absentia anxius, an solus pergeret, Romam rediit, et B. Petro fratris abscessum tristis nuntiavit. Quo audito Apostolus, ut in hoc appareret, quam mirabilis esset Dominus in Sanctis suis, virgam pastoralem, quam manu tenebat, ei tribuit, dicens: Charissime fili Silvane, revertere ad tumulum Fratris, et in nomine Jesu Christi jube surgere mortuum, F dicque ei, ut injunctæ obedientiæ tecum prosequatur officium. Reversusque Silvanus et tacto corpore baculo, antequam verba finisset, Silvester tanquam de somno surrexit.

nullisque testimoniis

4 *Hæc quoque ejus generis sunt, ut nostris seculis haud facile assensum obtineant, nisi vetustis ac firmis fulciantur testimoniis; quot enim exemplis non constat, missionem a S. Petro apostolo, in Actis primorum ecclesiarum pastorum assertam, postea secundum leges veræ crisios examinatam, sponte concidisse, repertam esse fabulosam, fabricatam scilicet ab otiosis noni decimive aut posteriorum seculorum hominibus; qui cum vel ecclesiarum suarum primordia, earumque fundatorum gesta ignorarent, vel ex qualicumque traditione novissent, missos eos fuisse Roma a sede S. Petri apostoli, non dubitarunt discipulos ipsiusmet S. Petri affirmare, eisque attribuere facta, quæ vel excogitaverant ipsi, vel mutuati fuerant ex aliorum biographorum lucubrationibus seu veris seu fictis. Sane quod hic narratur de morte* S. Silvestri, *de reditu Romam* S. Silvani, *de accepto baculo a S. Petro, de ejus attactu et resuscitato* S. Silvestro, *idem mutatis*

A *mutatis nominibus personarum ac locorum refertur in Actis S. Frontonis Petrocoriorum episcopi, in Actis S. Martialis episcopi Lemovicensis apud Surium, in Actis SS. Eucharii, Valerii et Materni Trevirensium episcoporum, et in Actis S. Memmii Catalaunensium episcopi, sed unus S. Memmii biographus vestem S. Petri baculo substituit.*

munita, 5 *Nullum autem monumentum producitur, nullum antiqui scriptoris vel martyrologi testimonium, quo confirmentur relata ex Breviariis de* SS. Silvano *et* Silvestro, *imo eorum missio facta a Petro apostolo ne unica quidem voce insinuatur in Hagiologio Franco-Gallico, quod laudatus Labbeus, patria Bituricensis, typis edidit excerptum ex antiquo Martyrologio abbatiæ S. Laurentii Bituricensis, ubi hæc solum leguntur :* Item in territorio Bituricensi sancti Silvani conf : *ac proin mihi adeo suspecta sunt, ut non ausim ex iis determinare, quo seculo Sancti nostri floruerint, lectorisque judicio relinquam tum ea, quæ ex lectionibus recitavi, tum reliqua, quæ ex citata Labbei Bibliotheca pergo describere :* Incedentes autem (S. Silvanus *et* S. Silvester *a morte suscitatus*) cum diversas B Italiæ partes, fluenta doctrinæ Evangelizando, peragrassent, nocte quadam indigentes hospitio, nobilem quemdam adiere virum, qui eos, licet paganus, pio tamen humanitatis commotus affectu, quasi peregrinos secum illa nocte retinuit.

recitantur 6 Hominis autem istius erat filia virgo, nomine Rodena, cuidam nobilissimo juveni, nomine Corusculo, desponsata. Hæc Servis Dei interrogatis, ut agnovit, quod essent Christiani, statim afflata sancto Spiritu, noctis silentio ad eos ingressa, ait : Servi Dei omnipotentis, precor, exurgite, et me, quam diabolus conatur seducere, in Dei vestri nomine baptizate. Sancti vero sacerdotes dixerunt ei : Hoc commode modo facere non possumus; sed cum ad oppidum Gabatumin pago Biturico, ubi gentilium error maxime fervet, quo tendimus, paulo post perveneris, optato perfrueris desiderio. Cumque ad jam dictum oppidum, quod nunc Levroux dicitur, Sancti Dei pervenissent, et die quadam populo ibidem congregato prædicarent, sancta Rodena eorum obtutibus præsentatur : et statim baptizata, cœpit cum eis evangelizare Jesum.

C *ex Breviario* 7 Elapso post hæc modico tempore, Corusculus ejus sponsus futurus, comperto, quod ipsa Sanctos Dei fuisset insecuta, furore succensus, assumptis secum quadraginta quatuor militibus, ad præfatum oppidum cursu rapido pervenit; quod ut ad aures beatæ Rodenæ personuit, statim forcipibus, quibus pannos incidebat, arreptis, et naso, labris et auribus, ut despecta videretur, abscissis, sic deturpata, obviam sponso veniens, ab eo repudiata est. Sanctus autem Silvanus hoc videns, ipso Corusculo præsente, partes abscissas in locis suis ita restituit, ut nullum in ea cicatricis signum appareret. Corusculus autem his non obstantibus, contra Sanctos Dei animo induratus, equis ascensis, cum suis digreditur. Sed cum ad milliaria procul essent, equis eorum contra naturam in terra sicca mergentibus, ipsi etiam officio pedum amisso, genibus et cubitis repentes, ad Sanctos Dei, veniam et Baptismum devote poscentes, redierunt.

Bituricensi ; 8 Tanta igitur mirabilia vicini loci ejusdem circumquaque audientes, cum ipsis baptizati sunt. Quo facto, sancti Sacerdotes in honore Dei, sanctique Petri apostolorum principis, ecclesiam ibi dedicaverunt, in qua Dominus noster Jesus Christus laudari et benedici dignatus, tantam gratiam infudit, ut quicumque cæcus, claudus, leprosus, paralyticus, dæmoniacus, aliisve infirmitatibus obsessus, illuc devote advenerit, incolumis ad propria remeaverit. Post aliquod autem tempus sanctus Silvanus diebus et sanctitate plenus, ut cum Christo regnaret, se dissolvi sentiens, lecto discubuit; qua de re præ omnibus aliis Silvester et Rodena gementes, dicebant : Cur nos, Pater, deseris? Quibus ille : Luctum, quæso, dimittite, non vos diu relinquam. Et his dictis, concinentibus angelis, migravit ad Christum. Deinde expleto exequiarum officio, intra duarum horarum spatium beatus Silvester et Rodena, corporali subito percussi molestia, tumulati Patris supplevere præconia et a Christianis juxta eum sepulti sunt. AUCTORE J. P.

9 *Putat Labbeus, ampliorem alicubi latere Historiam de* S. Silvano, *idque constare ait ex miraculo, quod subdit pag.* 416 *sub hoc titulo :* Incipit quoddam miraculum beati Martini Turonensis excerptum de Vita S. Silvani. *Ex eo autem miraculo, siquidem simul constaret de scriptoris auctoritate et fide, duo disceremus ad propositum nostrum pertinentia; primum ac præcipuum, quod jam tum vivente S. Martino, id est, seculo quarto, exstiterit ecclesia Sancto nostro consecrata; secundum, quod locus ille eodem tempore Leprosi nomen induerit. Verba, quantum huc spectant, describo :* Per Bituricense igitur territorium iter aliquando faciens *(S. Martinus)* devenit ad vicum, cui ex eventu miraculi nomen Leprosi editum * est. Dominus siquidem illius vici erat honorabilis et dives, sed leprosus. Cum igitur divus Martinus ad ecclesiam sancti Silvani orationis gratia divertisset... in ipso sacræ ædis introitu dominum supradictum leprosum offendit etc. *Pluribus dein leprosi sanationem exponit auctor, super cujus relatione nihil est, quod pronuntiem. Ne editor quidem notavit, quo ex codice vel archivo fragmentum illud desumpserit. Itaque ad cultum hodiernum progredior.* *fragmentum ex aliis Actis.* E * inditum

10 *Festum* S. Silvani *ritu semiduplicis quotannis celebratur die* XXIII *Septembris in diœcesi Bituricensi, uti notatur in Kalendario, quod descriptum habemus ex Breviario impresso anno* 1625. *Ratio autem est, quia dies* XXII *dicatus est, teste Labbeo,* gloriosis triumphis SS. Martyrum Mauricii et Sociorum ejus. *Eodem die* XXIII *signatur etiam in Kalendario nostro Ms. Aurelianensi, sed his tantum verbis* Silvani conf. *non designato Officio. In Turonensi vero insignis ecclesiæ S. Martini Breviario ad diem* XXIV *Septembris præscribitur officium de* S. Silvano 9 *lectionum, quarum tres mediæ sunt propriæ continentque ejus Acta usque ad* S. Silvestri *resuscitationem, conformia iis, quæ supra recitavi ex vetustissimo Bituricensi. In Nivernensi autem Calendario Ms. signatur commemoratio de* S. Silvano *die* XXII. At colitur potissimum, *ut habet Saussayi Supplementum,* beatus hic Confessor in antiquo monasterio Dolensi, ubi die XXVI hujus mensis propriam habet cum speciali Officio celebrationem. *Antiquo isti monasterio Ordinis S. Benedicti in Bituricensi provincia ad Andram seu Indrum* (l'Indre) *fluvium successit seculo præcedente secularium canonicorum collegium.* *Colitur S. Silvanus variis diebus et in variis ecclesiis,* F

11 *Nullibi tamen procul dubio Sanctus iste majori in veneratione est, quam in loco mortuali, Leprosii nempe seu Leprosi, quod ejusdem provinciæ Bituricensis oppidum est, ubi ecclesia collegiata* *hoc die Leprosii : sed incertum an etiam Socii,*

AUCTORE J. P.

legiata ipsi ut Patrono dedicata est, et ubi sacræ ejus exuviæ eadem in ecclesia servantur. Annuam ejus festivitatem recolunt Leprosenses ipso die XXII, *uti scribit Labbeus, an etiam eodem die* SS. Silvestri *ac* Rodenæ, *vel an hi peculiare festum habeant, dubium mihi est. R. P. Guillelmus Berthier, S. J. sacerdos eruditione insignis, transmisit huc anno* 1745 *monumenta historica de* S. Silvano *Leprosensi, extracta ex archivo dictæ ecclesiæ, ac sibi tradita per R. P. Guillelmum Gerou congregationis S. Mauri religiosum Benedictinum, ad quorum calcem subjiciuntur ista :* SS. Sylvanus, Sylvester et Rodena Leprosenses honorantur XXII Septembris, *unde suspicabar, simul coli eodem die; at in ipsa fronte ex scrinio indulgentiarum signato B, recitantur sequentia Gallico indiomate, quo reliqua pene omnia exarata sunt* : Eugenius IV Pontifex anno quarto pontificatus sui concessit centum dierum indulgentias pie visitantibus ecclesiam collegiatam Leprosensem diebus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Paschatis, Pentecostes, beatæ Mariæ Virginis et in FESTIVITATIBUS S. Silvani, S. Silvestri et S. Rodenæ ac die translationis ipsorum MCDXLIV. *Is fuit annus* XIV *Eugenii : itaque hinc*
B *consequi mihi videbatur, tribus diversis* festivitatibus *eos honorari seorsum : sed nihil occurrit, quo dubium resolverem, sicut nec unde discerem, quo die celebretur translationis memoria, vel quando illa contigerit.*

Ecclesia Sancti erecta ante seculum XI,

12 *Dixi autem supra, ecclesiam collegiatam Leprosensem,* S. Silvano *dedicatam esse, et vere sic passim appellatur : verumtamen* SS. Silvester *ac* Rodena *in honoris hujus partem veniant, quantum intelligo ex hisce verbis :* In Necrologio hujusce ecclesiæ scribitur, obiisse V Idus Decembris domina Ildesendis, quæ hanc ecclesiam in proprio fundo construi jussit in honorem S. Silvani, S. Silvestri et S. Rodenæ. *Indicat descriptor, Necrologium istud haberi sub medium cartularii fol.* 35. *Epocham constructæ hujus ecclesiæ sicut nec ex his characteribus elicere, ita nec aliunde assignare valeo. Seculo tamen undecimo anteriorem esse, sat manifestum mihi fit ex Latino instrumento fundationis capituli in ea factæ, quod ex eodem cartulario fol.* 15 *desunptum huc transfero.* Quoniam humano generi carnalis vitæ cursum ob protoplasti inobedientiam labilem esse constat, quemque seculi hujus hominem, illecebras devitando,
C talem se, dum licet, in bonis operibus exhibere oportet, ut ad illam, quæ fine caritura est, vitam feliciter transmigrare valeat, Apostolo hortante : Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

sub cujus initium

13 Hujus Apostoli, aliarumque sanctarum Scripturarum ammonitione ego Dolensis Odo compulsus, nullam in temporalibus divitiis stabilitatem considerans, de meæ possessionis rebus maximis pro animæ meæ salute, et pro amicorum meorum animabus, partem Deo dare decrevi. Quapropter ecclesiam Leprosi, in Dei sanctique Silvani fundatam honore, archiepiscopi Bituricensis Dagberti, parentum quoque et amicorum meorum consilio, canonicali clero decorandam esse decrevi. Qui prædictus archiepiscopus tam venerabile propositum ex sui parte augmentare cupiens, præfatam insuper ecclesiam liberam perpetuo fieri volens, non solum hoc constituendum concessit, verum etiam sinodum et parrieas, quas prius solvebat, ipsi ecclesiæ dimisit. His ita dispositis, Drogone Busintiacinsi, Gilberto Breniacensi, Beraudo Dunensi, Giraudo Musca, Adalardo Castromelanensi, aliisque compluribus meis viris comitatus, ad prædictam ecclesiam, omni propulsa D
mora, accessi, in qua legalium personarum, clericorum congregationem, Deo auxiliante, instituens, ex eis Radulphum Priorem, Gerbertum decanum, Theotbertum præcentorem pro ipsorum decreto electos imposui.

ibidem fundatum est

14 Quorum procurationi, ne, in Dei servitio laborantes, nimiam paterentur inopiam, prævidens, de ipsis redditionibus, quas ibidem habebam, illis partem attribui, vendas scilicet, quæ de macellariorum officio exeunt, et ab eisdem macellariis credulitatem in carne emenda per quadraginta dies. Et quia eos amplitudinem, qua claustra, claustrorum officinas sive alias domos irruere possent, habere dignum erat, ipsius burgi partem ecclesiæ propiorem fossa circumdare feci, eisque circumdatam, prorsus etiam ab omni impedimento solutam, dedi. Quisquis ad hujus sanctæ congregationis sustentamentum de possessionibus suis, ad feodum meum pertinentibus, aliquid impendere voluerit, grato animo assentior. Quicumque igitur malignitatis suæ telo percussus, hanc venerandam institutionem cognatus fuerit *(forte conatus fuerit lædere, evertere, vel perturbare :)* primum iram Dei incurrat, et cum Dathan et Abiron pereat, E
et quod inique appetit, non expleat. Facta est hæc suprascriptio præsente ipso Odone Dolis domino, Radulpho filio suo, Drocone de Busentiaco, Gilberto de Benia, Beraudo de Dunio, Giraudo Musca, Odone de Monte Boriaco, Adalardo de Castro Melano, Utberto de Bardelia, aliisque pluribus, quorum nomina referre longum esset. Data mense Majo, regnante rege Roberto, Dagberto archiepiscopo Biturigo pago præsidente, luna decima. *Hæc luna designat annum* 997, *quo Robertus rex erat et Dagbertus archiepiscopus.*

collegium canonicorum

15 *Nicolaus Catharinus in Indice beneficiorum* (le Pouillé) *ecclesiæ Bituricensis, factam scribit circa annum* 1030, *verba ejus Latina facio :* Leprosum, alias Gabatum sive Cavatum... Ecclesia ista *(intellige in quantum collegiata est,)* fundata fuit ab Odone principe Dolensi (de Deols) circa MXXX. Prior eligitur a capitulo; canonicatus vero pleno jure conferuntur per Priorem et capitulum. *Sed verisimillime recitatatas Odonis litteras non vidit; alioqui fundationem citius collocasset, quandoquidem ipsemet in Sanctuario Bituricensi pag.* 13 *Dagbertum, sub quo archiepiscopo facta est, obiisse dicat anno* 1012. *Consonat anonymus Sansulpitianus* F
monachus in Patriarchio Bituricensi apud Labbeum tom, 2 *Bibliothecæ Mss. pag.* 86, *ubi Dagbertum sedisse ait ab anno* 987 *usque ad* 1012; *sunt tamen, qui mortem ejus differant in annum sequentem. Intra hunc igitur et annum* 996, *quo primum solus regnare cœpit Robertus, Hugonis Capeti filius, statuenda est dicta collegii canonicorum fundatio.*

Corpora eorum

16 *In laudatis monumentis Bituricensibus memorantur litteræ patentes, datæ anno* 1503 *die* IV *Februarii, quibus illustrissimus Guillelmus de Cambray archiepiscopus Bituricensis inseruit litteras decessoris sui Henrici d'Avaugour archiepiscopi, continentes occasionem et historiam factæ visitationis reliquiarum Sanctorum nostrorum anno* 1439. *Occasio hæc fuit. Ad ea usque tempora caput* S. Silvani, *continuis et insignibus miraculis clari, exponi consueverat publicæ fidelium venerationi, separatum a ceteris ejus ac Sociorum reliquiis, in majori theca conservatis. Interim reperti sunt homines, qui malitiose in vulgus spargerent, assererentque, caput venerationi exponi solitum, non esse* S. Silvani *caput. Hinc Prior et canonici*

A *canonici ecclesiæ collegiatæ Leprosensis querelas deposuerunt apud Henricum archiepiscopum : is autem die* XX *Octobris anni* 1439 *viris prudentibus Guillelmo Crasset et Petro Durand, presbyteris ac fori episcopalis notariis, commisit provinciam rei diligenter examinandæ.*

rite visitata sunt 17 *Contulerunt se illi ad ecclesiam collegiatam, et post pie celebratum sacrosanctum Missæ sacrificium, assistentibus Joanne abbate Landesiensi, (cœnobium est Ordinis Cisterciensis in archipresbyteratu Leprosensi) pluribusque hominibus spectatissimis, aperiri jusserunt thecam, in ara principe expositam.* Ea in theca, *verba ipsa sunt instrumenti nostri et Gallicis Latine reddita,* erant tres minores thecæ ligneæ, quarum uni vetusto charactere inscriptum erat : CAPSA S. SILVANI; alteri eodem charactere inscriptum erat : CAPSA S. SILVESTRI ; tertiæ : CAPSA S. RODENE. In priore theca repererunt commissarii ossa omnia S. Silvani, exceptis capite et brachio uno, qua hominum venerationi exponebantur, servabanturque eadem in ecclesia; repererunt similiter in unaquaque capsa ossa Sanctorum, quorum nomina in dictis capsis exstabant. Reperta sunt insuper in hi-
B sce tribus capsis Acta et Legendæ eorumdem Sanctorum, nec non plures antiqui libri ecclesiastici. Invenerunt commissarii litteras Philippi Berruier archiepiscopi Bituricensis, attestantes, corpora S. Silvani, S. Silvestri et S. Rodenæ servari in ecclesia Leprosensi, caput vero et brachium S. Silvani in hierothecis separatis ab ejusdem Sancti ossibus.

anno 1439, et ab archiepiscopo Bituricensi 18 *Mox memoratum Philippum archiepiscopum* Beati *titulo insignit Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ, ejusque obitum signat anno* 1260 *circa festum Ephiphaniæ. Quod ad Acta Sanctorum in capsis inventa pertinet, non putem ea diversa esse a recitatis supra ex vetustissimo Breviario Bituricensi; quod si tamen fallar, et his majorem præ se ferant auctoritatem, gratum erit eorum apographa obtinuisse, quæ in supplemento Operis nostri vel alia quavis occasione opportuna illustrentur, quam forte suppeditarent Leprosenses vel assignando diem translationis vel significando, an et quo mense ac die festivitatem peculiarem habeant* SS. Silvester et Rodena. *Resumo historiam visitationis. His peractis Prior et canonici supplicarunt Henrico d'Avaugour archie-*
C *piscopo, ut secundum ea, quæ compererant ab ipso delegati commissarii, declararet, corpora* SS. Silvani et Silvestri *exstare in ecclesia Leprosensi, eos Sanctos in illam regionem missos fuisse ad prædicandum Evangelium, plurimaque, ipsis intercedentibus, patrari miracula in iis, qui* igne S. Silvani *erant percussi. Morbi genus est, Gallice* feu S. Silvain, *de quo sic scribit Saussayus in Supplemento :* Ejusdem (S. Silvani) meritis morbidus ignis extinguitur et membris ægris refrigeria, Domino largiente, præstantur.

comprobatæ reliquiæ S. Silvani 19 *Ad dictas Leprosensium preces* achiepiscopus Henricus d'Avaugour, *verba sunt denuo instrumenti nostri,* litteris datis anno MCDXXXIX declaravit, corpora SS. Silvani, Silvestri et Rodenæ servari et quiescere in Leprosensi ecclesia, concedens quadraginta dierum indulgentias omnibus, qui vere contriti visitaverint Leprosensem ecclesiam, eleëmosynas erogaverint et pro pace preces fuderint. *His subditur, quod anno* 1444 *Bituricensis diœcesios judex ecclesiasticus, vulgo* officialis, *requirentibus Priore et canonicis Leprosensibus, delegaverit magistrum Guillelmum Vaquelin licentiatum et canonicum S. Aniani in Bituricensi provincia,* ut ex theca S. Silvani depromeret os quatuor digitis magnum, per omnem provinciam de more circumferendum. Os illud extractum fuit tertia feria post festum S. Martini in hieme, repositumque Sabbato sequenti in theca *(altera)* adstantibus Joanne de Rouvray, canonico ac theologiæ professore, Joanne de Brittoneria clerico *(forte ædituo)* Nicolao Maquerelli aurifabro et pluribus aliis testibus. AUCTORE J. P.

20 Anno MDCXXXV die XXVI Octobris caput S. Silvestri impositum fuit thecæ seu busto argenteo, quod dono dedit dominus Carolus de Carles, eques, toparcha de Pradines; solemni isti actui interfuere multæ personæ spectatissimæ, quas inter illustris femina de Fiesque, Leprosi domina, Claudius de Fiesque, abbas Ferrariensis *(de Ferieres)* in Pictaviensi provincia, Maria de Fiesque, uxor domini marchionis de Breauté. Hæ reliquiæ fuerant ante in theca plumbea. *Hactenus ex scrinio indulgentiarum supra assignato. Deinde recitantur nonnulla ex codice Actorum capituli signato* 24 *fol.* 120 *his verbis Gallice :* Anno MDLXII, turbulentis religionis temporibus, ornamenta, hierothecæ aliaque cimelia aurea et argentea... direpta fuere ab Hugonottis, ut patet ex instrumento expurgationis, concesso feria sexta, die prima Junii Guillelmo Boutier et Ægidio Gaillard ministris et custodibus ecclesiæ S. Silvani Leprosensis. *et S. Silvestri saltem ex parte hæreticorum* E

21 *Evaserunt tamen hæreticorum manus, vel certe recuperata deinde fuerunt capita* SS. Silvani et Silvestri. *De capite* S. Silvestri *liquet ex instrumento anni* 1635 *mox citato, de utriusque ex sequenti, cui is titulus præfigitur :* Descripta Acta visitationis illustrissimi archiepiscopi Bituricensis XXIX Maii MDCLXXXV. *Fuit is Michaël Phelippaux de la Vrilliere, ad eam cathedram provectus anno* 1677. *Acta autem sic sonant :* Illustrissimus dominus archiepiscopus Bituricensis visitans reliquias ecclesiæ Leprosensis, bina capita argentea invenit, alterum S. Silvani, S. Silvestri alterum, continens caput integrum. Ex utroque capite desumpsit illustrissimus archiepiscopus particulam exiguam ad magnitudinem medii scuti aurei. Instrumenta authentica fuere comperta, integra, atque omnibus formulis munita, præterquam Acta translationis capitis S. Silvestri, facta per prætorem Leprosensem anno MDCXXXV, quo reliquiæ translatæ fuerunt in verticem argenteum, dono datum a domino de Pradines. Hæc Acta amovit illustrissimus archiepiscopus, tamquam nulla et a laïcali auctoritate emanata. *Ita ibidem, nulla facta mentione* S. Rodenæ, *cujus an aliquæ etiam nunc supersint reliquiæ, incompertum mihi est.* *furori subductæ sunt : an etiam S. Rodenæ?* F



AUCTORE J. P.

DE S. SEPTIMIO EPISC. ET MART.

ÆSII IN PICENO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti, antiquis scriptoribus ignoti, Acta, corporis inventiones, cultus.

Seculo IV inchoato. Sanctus Æsinæ ecclesiæ patronus nullis antiquis Fastis

Æsium *seu Æsis, vulgo* Jesi, *civitas Italiæ episcopalis ac ditionis Pontificiæ, quæ olim antiquæ Umbriæ civitatibus annumerata, nunc in Piceno sita est haud procul Æsi flumine, primum antistitem suum agnoscit* S. Septimium, *de quo breviter hic agemus. Breviter inquam, propter penuriam monumentorum. Colunt eum solemniter quotannis hac die Æsini, ut infra ostendam, coluere ab immemorabili tempore, tamquam* B *seculo* IV *martyrem, ac peculiarem ecclesiæ suæ patronum : at, quod mirum sane est, omnibus videtur ignotus fuisse antiquis scriptoribus, omnibus martyrologis usque ad seculum* XVII, *quo primus, quem sciam, Philippus Ferrarius ipsum utrique Sanctorum Catalogo inscripsit; Generali quidem hodie verbis :* Æsii in Piceno S. Septimii episcopi et martyris, ejusdem urbis patroni; *peculiari vero Italiæ ad diem* V *Septembris , quem ei emortualem credidit, longiore elogio; utrobique citat Acta* S. Septimii, *ex monumentis ecclesiæ Æsinæ, sed utrobique monet, dicta monumenta censura indigere. Causam allegat in Annotatione ad elogium, quia nempe dicitur ibidem Sanctus ordinatus a S. Marcello Papa, et initio episcopatus occisus. Hinc ait :* Id Maxentio Romæ imp. usurpante inter annum D. CCCV et CCCX evenisse oportet, quod in Actis S. Septimii ann. CCCCLXI factum legitur; videntur itaque CLI anni, forte scriptoris errore, adjuncti.

inscriptus; Acta ex lectionibus Officii,

2 *Ista Ferrarii Annotatio verisimilius ansam dedit seculo præcedente Majoribus nostris, ut inquirerent in ipsamet Acta, unde tum Ferrarius tum Ughellus tom.* I *Italiæ sacræ in episcopis* C *Æsinis* S. Septimii *elogium contraxerunt. Sed nihil ab ipsis obtentum reperio præter lectiones secundi Nocturni, recitari solitas in Officio diei* XXII *Septembris et omnibus pene consonas laudatis elogiis. Lectionum istarum exemplar unum habeo impressum Æsii anno* 1624 *et duo Mss., quorum primum cum attestatione episcopi, inferius recitanda, huc transmissum est anno* 1638, *alterum anno* 1661 *cum sequenti monitione reverendissimi Andreæ Vallemarii, abbatis Camaldulensis Fabriani in Marchia Anconitana :* De S. Septimio lectiones, quas in choro canonici Æsinæ ecclesiæ et tota ejus diœcesi recitant, hic secludo; sed nescitur earum auctor, seu unde desumptæ; in hoc omnem diligentiam adhibui. *Ita ille.*

ab ignoto auctore composita, recudemus.

3 *Dubitari tamen nequit, quin Ferrario Acta præluxerint distincta a lectionibus : quandoquidem id, quod in Actis censura indigere asserit, puta martyrium Sancti affixum anno* 461, *in lectionibus minime exprimatur, sicut nec in ipso elogio apud Ferrarium, qui verisimiliter his plura prætermisit, an melioris notæ quis dicat? Interim donec ea Acta, siquidem etiamnum existant, e tenebris eruantur, suspecta nobis erunt, non tantum propter anachronismum a Ferrario assignatum sed vel maxime, quia narrata in hujus Catalogo et in lectionibus, quarum fontem nulla diligentia detegere valuit Vallemarius, adeo similia sunt vitiosis Actis S. Emigdii episcopi martyris Asculani item in Piceno, apud nos excusis tom.* 2 *Augusti ad diem* V, *ut conferenti mox evidenter patere debeat, vel utraque ab eodem auctore profecta esse, vel potius alia ex aliis imprudenter desumpta : quod miror, a Ferrario, dum utrorumque compendium dedit, neutribi fuisse observatum. Assertam illam similitudinem aliquot exemplis* E *probabo in Annotatis ad lectiones hactenus memoratas et huic Commentario subnectendas.*

Ecclesia S. Septimio sacra; corporis inventio duplex;

4 *Ad cultum sancti Præsulis antiquum quod spectat, idem ipse instrumentorum defectus obest, quominus aliquid peculiare in medium proferamus; ex lectionibus discimus, ejus nomini consecratam fuisse ecclesiam cathedralem dudum ante annum* 1469; *quo corpus ejus, eo usque absconditum, inventum dicitur ab Æsino episcopo Thoma Isilerio, translatumque* in ecclesiam cathedralem, in ejus memoriam olim erectam. *Hic delituit sacrum corpus,* et humi *quidem, ut ibidem additur,* alte defossum *ac* neglecto in solo *usque ad tempora Tiberii Cincii, anno* 1621 *ad episcopatum Æsinum promoti, et dein Romana purpura ornati, qui illud denuo inventum extulit, ac novo in tumulo solemniter reposuit. Pluribus hæc describuntur in Vita ejusdem Eminentissimi apud Ciaconium tom.* 4 *Vitarum Pontificum et Cardinalium col.* 672. *Verba accipe :* Hujus sancti pontificis martyris (Septimii) reliquias etsi conditas in Æsina metropolitana ecclesia servari fama erat : tamen ubi essent, quo ejus angulo laterent, nemini erat perspectum. Sancta hinc cura Tiberium præsentem episcopum incessit earum inquirendarum; incubuit F in negotium, et, fortunante pium inceptum Deo, thesaurum desideratum invenit, alte sub humum defossum cum inscriptione et signis manifestis, quæ dubitare prudentes non sinerent, quin essent ea ossa sancti martyris et pontificis Septimii, Æsinæ ecclesiæ fundatoris.

solemnis elevatio;

5 Erutos igitur e scrobe alta et sordida sacros cineres in loculo pretiose ornato palam exposuit, et ad congregatam in templo civitatem universam gravi et pastorali oratione in hanc sententiam disseruit : » Habetis hic, Æsini cives, singulari Dei beneficio » quasi redivivum Pastorem, aut potius Principem pastorum vestrorum, qui vestris patribus » ex idolorum diabolica superstitione ad sanctam et salutarem Christi fidem conversis, episcopalem honorem in hanc urbem primus intulit. Delituit abstrusus multis seculis, divina ita » permittente Providentia suis inscrutabilibus arcanis; sicut sancti protomartyris Stephani corpus » etc. » *His subdit aliquot exempla præcipuarum Ecclesiæ reliquiarum, quarum, postquam diu latuissent, inventiones annua celebritate recoluntur* et

A *et ita prosequitur:* « His exemplis nos quoque, si « non publicum ritu et usu Ecclesiæ totius, at privatum hujus nostræ celebrare festum convenit in« ventionis et exaltationis sancti patris nostri et « gloriosi pontificis martyris Septimii: » cujus Vita inde summatim recitata, adhortatus, prout res poscebat, ad eum honorandum et invocandum omnes, quotquot aderant, sacram inde Liturgiam apparatu et cantu congruis celebravit. Moxque venerandas reliquias nobili loco ac tumulo, a se parato, ornatoque inclusit, ut ex sequenti inscriptione in cathedrali liquet. *Memorata inscriptio simul ac altera, quæ ibidem exhibetur, Æsio ad nos transmissa fuit cum apographo Ms. litterarum testimonialium hic subjuncto.*

novi tumuli 6 Tiberius Cincius Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Æsinas. Universis et singulis præsentes nostras inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris fidem facimus et attestamnr, qualiter in nostra cathedrali ecclesia Æsina, in altari majori, in quo decenter asservatur cum magna populi devotione corpus sancti Septimii, a cornu Evangelii dicti altaB ris adsunt incisa infrascripta.

D. O. M.

« Civis, hospes, quisquis ades, venerare supplex, « heroïcæ virtutis exuvias. S. Septimii corpus hic « situm est. Hunc S. Marcellus primus Æsinæ civi« tati episcopum dedit, quam ille urbem miraculis « subactam, præceptis exultam, prædicatione con« sitam, sanguine irrigatam, ad omnem morum ho« nestatem in dies efflorescentem, præsenti patroci« nio tuetur. »

inscriptiones; 7 A cornu vero Epistolæ adsunt incisa infrascripta:

« Sacrum tanti Præsulis ac Patroni pignus
« Seu potius thesaurum humi alte defossum,
« Cum diu neglecto latuisset in solo,
« Tiberii Cincii episcopi solers pietas invenit,
« Scipionis Cardinalis Burghesii pia munificentia
« Honestiori conditum urna vario marmore decoravit.
« A. F. S. M.DC.XXIII
« Civis, hospes, hoc volebam, [ilicet. »]

In quorum omnium et singulorum fidem has præsentes fieri et per infrascriptum nostrum cancellarium scribi, sigillique nostri, quo in talibus utimur, C jussimus et fecimus impressione muniri. Datum Æsii ex palatio episcopali hac die vigesima quinta mensis Septembris MDCXXXVI.

Locus † sigilli
Sic subscr.
T. Cincius Episc. Æsinus
Et infra
Antonius Bartholomeus cancel. episc.

Vocem uncinis inclusam, ac forte in Ms. nostro omissam, adjeci ex Ciaconio et Ughello, qui tamen ipsi correctione egent in anno inscriptionis, quem notant 1633 *manifesto errore, cum eadem pene inscriptionis verba legantur in Lectionibus impressis anno* 1624. *Laudatus antistes litteris jam recitatis junxit alteras, quibus et hodiernum et antiquum cultum testatus est: ita sonant:*

cultus hodiernus et antiquus. 8 Tiberius Cincius Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Æsinas. Universis et singulis præsentes nostras inspecturis, visuris pariter et audituris fidem facimus et arrestamur, qualiter in nostra Æsina cathedrali ecclesia die vigesima secunda Septembris solemniter celebratur festivitas S. Septimii episcopi et martyris et nostræ ecclesiæ patroni, et ab immemorabili in matutinis horis lectiones secundi nocturni fuerunt recitatæ, et ad præsens recitantur præsentes impressæ lectiones. In quorum omnium et singulorum fidem has præsentes fieri et scribi per infrascriptum nostrum cancellarium, sigillique nostri, quo in talibus utimur, jussimus et fecimus impressione muniri. Datum Æsii ex episcopali palatio hac die vigesima sexta mensis septembris MDCXXXVI. *Auctore J. P.*

Locus † sigilli
Sic subscr.
T. Cincius episc. Æsinus
Et infra
Antonius Bartholomeus cancel. episc.

Idem piissimus Sancti nostri cultor anno 1645 *ab Innocentio X Papa presbyteris Cardinalibus Romæ adscriptus est, reversusque ad suam ecclesiam, priusquam fato cederet, quod contigit die* XXVI *Februarii* 1653, *aræ S. Septimii, verba sunt Vitæ ipsius apud Ciaconium,* sacram supellectilem, qua in sacris peragendis utebatur, legavit, cui ante obitum sex argentea candelabra cum cruce dono dederat.

ACTA

E

Ex lectionibus propriis Officii impressis anno 1624.

Sancti patria, baptismus; miraculum, Lectio IV. Septimius ex Romanis coloniis in Germania propagatis oriundus honestis parentibus natus, atque ab ineunte ætate liberalibus disciplinis imbutus, tantum brevi profecit, ut ex mansuetudine, benignitate, aliisque virtutibus (licet adhuc gentilis) omnibus gratissimus esset. Adolescentiam legitimæ ætatis Romanis legibus exigentibus, militiæ nomen dedit, sed divina ope gentilium deorum cultum esse superstitionem agnoscens, mox falsa idolorum religione relicta, Christianam fidem, parentibus licet invitis, amplexus sacro baptismate initiari voluit, ex quo tempore totum se ad pietatis opera, atque ad sacrarum Litterarum studium contulit; quibus in Christiana religione ita est confirmatus, ut nullis unquam parentum lacrymis, aut precibus ab ea dimoveri potuerit, stabilitus vero tunc est magis, cum, eo aliquando de rebus divinis coram iisdem parentibus ac magno F hominum multitudine disserente, Jovis templum terræ motu concussum, una cum simulacro corruit *a*. Tu autem Domine. *a*

iter in Italiam, episcopatus, alia 2 Lectio v. Tum in somnis divinitus admonitus, parentibus patriaque relictis, in Italiam se conferens, una cum Æmilio, Germano et Valentino Mediolanum venit, ubi cum Evangelicæ veritatis præconia intrepide ac libere loqueretur, Diocletiani et Maximiani persecutione adhuc urgente, propere migrare compellitur. Quare cum iisdem sociis Romam profectus, ibi beatissimorum apostolorum Petri et Pauli sepulchris, qua decet reverentia visitatis, Glatiani militis, a quo benigne exceptus est, filiam, sanguinis fluxum quinquennium passam, Dei virtute sanans, eandem cum parentibus, ac tota familia reddidit Christianam, quo tempore etiam cæco lumen restituit, qui et Deum ipse verum esse Septimii Dominum nostrum Jesum Christum confessus est *b*. Inter hæc autem a Marcello primo, anno CCCIV vel infra, qui Romanæ Ecclesiæ tunc præerat, probe cognitus, ob insignem ejus pietatem, aliasque virtutes, sacris initiatur Ordinibus, atque demum Apostolico munere insignitus *b*

AUCTORE J. P. signitus Æsinæ civitatis Episcopus ordinatur *c*. Illuc vero profectus, cum Florentio judice consulari congressus, eidem adventus sui causam quærenti, ut idolis sacrificaret imperanti, constanter respondit, Christianum se esse, et a summo Christianæ religionis Pontifice illuc missum, ut diaboli opera everteret, atque illud egentibus veritatis lumen inferret, doceretque cultum, qui soli Deo debetur, idolis nulla ratione tribuendum esse *d*. Tu autem Domine.

miracula, martyrium; corporis inventiones. 3 Lectio vi. His rebus auditis, ira incensus Florentius, inducias quinque dierum Septimio statuit, ut diis sacrificaret, aut moriendum sibi, certo sciret. Is interea cum multa præclare ac sapienter ad populum de Christianæ religionis veritate ac præstantia dixisset, in veritatis testimonium, paraliticum signo crucis sanat *e*, et cum alios multos, tum Marentiam Florentii filiam reddidit Christianam *f*, cui ad Baptismum, quod importuno loco importune petebat, saxum aquam Deo jubente, ne cunctaretur opus, exhibuit *g*. Quo tanto viso miraculo, fere omnes, qui aderant, ad Christi fidem conversi, eodem salutari lavacro regenerati fuere. Quibus rebus Florentius vehementiori percitus iracundia, e vestigio Septimium eodem in loco, securi percuti jubet *h*, cujus corpus Christiani clam detulerunt in civitatem, atque unguentis et aromatibus delibutum sepulturæ dederunt. Sed bellis crebrius Italiam infestantibus, aliis malis consumptis populis, atque aliis renovatis, cum ejus sepulturæ locus penitus esset oblivione sepultus, tandem Dei beneficio factum est, ut post millenos centenos sexagenos, et amplius annos, ipso salutis anno millesimo quadringentesimo sexagesimo nono, inventum fuerit corpus ejus ab ejusdem civitatis episcopo Thoma, a quo in ecclesiam cathedralem, in ejus memoriam olim erectam, translatum est: atque humi alte defossum, cum diu neglectum fuisset in solo, Tiberii Cincii episcopi solers pietas invenit, et Scipionis Cardinalis Burghesii pia munificentia honestiori conditum urna vario marmore decoravit. A. S. F. MDCXXIV *i*. Tu autem Domine.

ANNOTATA.

a *Conferat hunc num. lector cum num.* 2 *et tribus seqq. Actorum S. Emygdii episc. et mart. Asculani tom.* 2 *Augusti pag.* 29; *fatebitur, eum vix aliud esse quam horum compendium. Emygdius nativitate Germanus, eadem de causa militiam est amplexus; baptismum suscepit invitis parentibus; coram his evertit Jovis simulacrum et fanum.*

b *Nullum hic denuo in re discrimen cum Actis S. Emygdii num.* 6, 7 *et* 8: *monitus in somno Emygdius cum Euplo, Germano et Valentino Mediolanum pergit; a Gratiano milite excipitur; ejus filiam quinquennali fluxu sanguinis liberat; cæcum illuminat.*

c *Etiam Emygdius ibid. num.* 16 *dicitur a Marcello Papa creatus episcopus, sed Asculanus. Porro Marcelli Pontificatus initium differunt nunc plures in annum* 308.

d *Vix Asculum ingressus Emygdius, Polimio judici sistitur etc. ibid. num.* 22.

e *Paralyticum sanat Emygdius ibidem num.*24.

f *Ferrarius et Ughellus* Marentianum filium *legunt. Sed et Emygdius in Actis suis num.* 29 *dicitur convertisse ac baptizasse Polisiam Polimii præsidis filiam.*

g *Aquam e saxo elicit Emygdius ibid. num.* 30.

h *Addit Ferrarius :* Nonis Septembris; *Ughellus :* Circa annum Domini CCCVII. *Sed in sententia eorum, qui Marcelli Papæ initia figunt anno* 308, *differri debet* S. Septimii *martyrium in annum* 309 *vel* 310. *Ceterum etiam S. Emygdio caput amputatum est. Vide Acta ejus num.* 31.

i *Epitaphium, citatum num.* 7, *habet* MDCXXIII.

DE S. FLORENTIO PRESB. CONF.

IN GLONNA MONTE GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Locus emortualis, memoria in Fastis; Acta.

CIRCA INITIUM SEC. V. *Loci notitia* Mons Glonna, *aliis* Gloma *et* Glomna, *locus est, uti legimus in memoranda sæpe inferius Historia monasterii* S. Florentii *Salmuriensis apud Martenium tom.* 5 *Collectionis amplissimæ col.* 1084, in extremis Aquitaniæ partibus, non longiuscule Ligeris a ripa sepositus, quo in loco beatissimus Dei confessor Florentius, diuturno tempore Deo deserviens, felicem vitam feliciore fine consummans, felicissimus migravit ad Christum. *Dicitur locus iste situs in extremis Aquitaniæ partibus, quia hoc regnum extendebat se olim ad Ligerim usque, ac proin Glonnam montem complectebatur. Simili de causa locus emortualis* S. Florentii *statuitur ab aliis* in pago Pictaviensi; *quia nempe Pictaviensis provincia, pars magna quondam regni Aquitaniæ, Ligerim quoque eodem in tractu sibi limitem habebat, et Glonnam montem aliaque loca comprehendebat, hodiedum pertinentia ad ducatum Andegavensem. Itaque loquendo juxta hodiernam ditionum divisionem, locus emortualis Sancti situs est in ducatu Andegavensi. Lapsu temporis erectum fuit ibidem* nobile quoddam cœnobium, Mons Glonna antiquitus nuncupatum *(verba sunt mox laudatæ Historiæ)* miræ congregationis et pulchræ dilectionis fomentum, forma religionis et totius honestatis exemplum. *Consecratum id erat eidem Sancto, hodieque etiam* S. Florentii vetus *nuncupatur, ut distinguatur a novo* S. Florentii *præclaro monasterio, postmodum prope Salmurum oppidum ædificato. De utroque fusius agendi dabitur infra opportunior occasio.*

2 *Juxta modum jam expositum ita Sanctum hoc*

memoria Sancti in Fastis, sed in nonnullis

A *hoc die annuntiat Usuardus :* In pago Pictavensi sancti Florentii presbyteri et confessoris. *Hunc ducem (nam in antiquioribus sacris tabulis* Florentium *nostrum consignatum non reperi) secuti sunt Belinus, Galesinius, Baronius in hodierno Romano ac recentiores alii. Iisdem plane verbis memoratur et in Florario nostro Ms., sed subduntur sequentia :* Hic puerum quemdam submersum precibus suis vitæ restituit, et miracula multa patravit, ac centum XXIII annorum obiit anno salutis CCCCII. *Maurolycus tamen Lugdunensibus Sanctum attribuit;* Lugduni, *inquit,* S. Florentii presbyteri, qui ad ripam Ligeris specum, fugatis inde serpentibus, habitavit, Constantino imperante. *Hæc ille, motus verisimiliter auctoritate Petri de Natalibus lib.* 8 *cap.* 107 *dicentis :* Florentius presbyter floruit tempore Constantini imperatoris . . . sepultus apud Lugdunum miraculis clarus.

perperam dicitur obiisse Lugduni.

3 *Eadem quoad sepulturæ locum descripsit Benedictus Gononus in Vitis patrum Occidentis pag.* 154 : *Saussayus autem in Martyrologio Gallicano eamdem opinionem amplexus, causam insuper adjecit, cur Sanctus Lugdunum concesserit, ibi-* B *demque obierit :* Lugduni, *inquit,* S. Florentii presbyteri, quem ortu Pictaviensem S. Martinus consecravit, cælestibus indiciis ac miraculis conspicuum : a quo ille divertens, ne ob susceptam invite dignitatem decus honoris perciperet, in locum a frequentia semotum prosiliens, ad littus Ligeris venit, ubi erat spelunca, serpentibus plena, quos oratione fugavit; hicque consistens cælo defixus, precibus, jejuniis, vigiliis, Christi sese addixit obsequiis. At cum puerum, aquis fluvii præfocatum, matri mœrenti vivum reddidisset, veritus ne facti fama sibi vigili pareret existimationem, statione dimissa, Lugdunum ad latendum contendit : ubi e stadio mortis digressus, æternam ad patriam, quam quærebat, a superno Rege evocatus est, senio quidem confectus, at meritis, (quod ipso nomine præferebat) valde florens et ornatus. *Unde ea didicerit Saussayus, unde sua hauserit Petrus de Natalibus pro Lugdunensi civitate, non assequor. Quidquid sit, sicut eorum auctoritas verisimiliter visa non est sufficiens Theophilo Raynaudo, ut* S. Florentio *locum concederet in Indiculo Sanctorum Lugdunensium, ita nobis non sufficit, ut solidum dubium formemus de veritate oppositæ sententiæ, quæ et communis est* C *pene omnium, et potiore auctoritate stabilita. Adde, quod ipse Saussayus ad diem 2 Maji tumulum* S. Florentii *in Andegavensi territorio collocet, ad eumque nobile exinde cœnobium ædificatum dicat; prout revera factum esse ostendam.*

Acta, quorum varia exemplaria

4 *Actorum* S. Florentii *sequentia habemus apographa : primum desumptum notatur ex Ms. Andreæ du Chesne collatumque cum apographo Ms. ecclesiæ Roiensis in Picardia; alterum ex Ms. Parisiis anno* 1629 *missum a P. Jacobo Sirmondo Societatis nostræ presbytero; tertium exstat in insigni codice Musei nostri signato P. Ms.* 158; *quartum, quod proprie est tantum compendium aliorum, acceptum est ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris. Chesnianum ac Sirmondianum post prologum et mutilum capitulorum elenchum digesta sunt in libros tres : primus complectitur* SS Florentii *et Floriani pro fide captivitatem, nec non Floriani, de quo plura inferius, martyrium ac* Florentii *miraculosam liberationem; secundus reliqua hujus gesta enarrat; tertius miracula post mortem, cui denique per modum appendicis subnectitur relatio miraculi, cujus se auctor insinuat fuisse testem oculatum. Hæc autem relatio, uti et prologus et elenchus, imo et liber tertius desiderantur in codice nostro. Deerat quoque, ut notat Bollandus, prologus Roiensi apographo, quod verisimiliter post factam collationem remissum fuit ad P. Florentium Montmorentium, a quo cum Majoribus nostris communicatum fuerat.*

AUCTORE J. P.

habemus,

5 *Iidem Majores nostri tom.* I *Maii in Commentario prævio ad Acta S. Floriani martyris pag.* 462 *paucis assignarunt jam enumerata Actorum apographa, simulque indicarunt, quid de auctoris ætate statui possit his verbis :* Hujus (S. Florentii) Acta nacti sumus ex quatuor Mss. codicibus, et scripta dicuntur sub nepotibus Caroli Magni seculo Christi nono. *Sane ætas illa haud difficulter eruitur ex appendice seu relatione miraculi laudata num. præcedente, in qua auctor præter miracula, libro tertio contenta, multa dein alia patrata fuisse affirmat, sed vel ex neglectu, vel potius propter litterarum ignorantiam, non transmissa ad posteros;* Liberales siquidem artes, *inquit,* usque temporibus domni Karoli imperatoris prædecessoribus nostris ita extiterunt extraneæ, ut in Galliæ regionibus etiam inter summos pontifices vix aliquis, negligentia præpediente, reperiretur, qui urbanitate eloquii synodales saltem valeret venustate exolvere definitiones. Sed quoniam, favente Domino, instantiaque E domni supradicti imperatoris, quæ vetustiores neglexerant, moderniores assecuti sunt; itaque competens videtur, quæ præ oculis vidimus, ne oblivionis profunditate cuncta depereant, præsentibus ac successoribus nostris litterali, prout possumus, indagine retinenda mandemus.

scripta

6 *Nec fuisse se procul remotum ab incultis illis temporibus, ante etiam insinuaverat in prologo, ita scribens :* In fine seculorum nobis positis et ad talia peragenda *(Acta Sanctorum exaranda)* minus idoneis, quippe cum Rhetoricæ artis faceta urbanitas jam olim a nostri seculi usu recesserit *etc. Præterea cum neque in prologo, neque alibi uspiam vel unico verbo attingat ea, quæ sub medium seculum nonum ibidem contigerunt, puta eversionem Glonnensis monasterii ac translationem corporis* S. Florentii, *infra pluribus exponendam, merito suspicari possumus, ante hæc ipsum scripsisse. Accedit, quod in relatione miraculi, a se visi, memoret episcopum, ut etiam tum viventem, quem equidem ad aliud aptius referre nequeo, quam ad idem ipsum tempus : sic enim habet :* Quidam clericus, Amelius nomine, qui avunculum suum necaverat, ab Artchario Trejectensium urbis episcopo damnatus est *etc.* F *Dein relato beneficio, quod idem clericus in ecclesia* S. Florentii *obtinuerat, addit, eum enixe deprecatum esse monachos, ut epistolam* præfato episcopo, a quo in pœnitentiam missus fuerat, transcriberent.

seculo nono,

7 *Trajectum duplex est in Belgio, alterum inferius, dictum etiam Trajectum ad Rhenum et Ultrajectum, alterum superius, alias Trajectum ad Mosam; sed tempore Caroli Magni ejusque successorum hic non erant episcopi; sedes quippe a S. Huberto translata fuerat Leodium; quare verisimilius mihi est, designari a biographo episcopum Trajectensem ad Rhenum, seu Ultrajectensem. Nullus quidem in serie episcoporum hujus urbis venit antistes nomine Artcharius; verumtamen verisimili satis conjectura statui potest, nomen ejus ut sæpissime contingit, a transcribentibus corruptum fuisse, nec alium esse ab eo, quem Joannes Beka Harmackarum vocat, quemque Buchelius in Notis Hermocarum, Harmacarium et Harimackarum etiam scribi ait. Vixit autem episcopus iste, eodem auctore Buchelio, secundum nonnullos usque ad annum* 808 *vel* 809, *secundum alios usque*

AUCTORE J. P.

usque ad 827. Quodsi tamen quis malit intelligere episcopum Leodiensem, quem scriptor loco remotior ab antiqua sede Trejectensem vel Trajectensem appellarit, non reperiet quidem etiam hic Artcharium, sed non multum immutato nomine Hircarium offendet, qui Pirardo episcopo, sub annum 840 demortuo, successisse scribitur. Atque ita utervis assumatur, confirmabitur opinio super ætate auctoris.

deinde a variis stylo immutata

8 *Super ætate, inquam, auctoris, prologi saltem et laudatæ appendicis; quia idem de reliquis non ausim affirmare propter inæqualitatem styli, qui in appendice et præsertim in prologo contortus est ac obscurus, in Actis vero simplicior et clarior. Quapropter valde suspicor, Acta ipsa dein fuisse stylo mutata et fortasse interpolata, relictis prologo et appendice, unde utcumque eruitur auctoris ætas. Certe ad eum modum immutata fuisse seculo* X, *testatur auctor memoratæ Historiæ Salmuriensis monasterii : at dubium est, an hæc eadem sint, quæ nos habemus. Sic scribit ille tom.* 5 *Collectionis amplissimæ col.* 1099 *et sequenti apud Martenium :* Illud quoque inter cetera paginis est imprimendum, quod de gestis B. Florentii nihil aliud
B est a Tornaco *(imo* Trenorchio) relatum, quam quod in requietionis ejus nocte legitur. Ut autem temporibus opportunis lectio de illo sufficiens haberetur, quidam Ingilbertus, litteris eruditus, ejusdem Sancti monachus, secundum prioris Vitæ dictamen longiori stylo aliam est prosequutus, scilicet : DANIEL DIVINÆ ATTESTATIONIS cum prooemio : MIRABILEM DEUM. *Floruit autem Ingilbertus, ut ex verbis paulo anterioribus intelligo, sub annum* 973. *Initium prologi nostri haud multum discrepat; tale quippe est :* Mirabilem Deum : *sed verba alia :* Daniël divinæ attestationis, *in Actis nostris nusquam reperiuntur. Quidquid sit, nec meliora nostris putem esse, nec in rebus narratis diversa. Magni pretii non esse recte conjiciunt auctores Historiæ litterariæ Franciæ, tom.* 6 *pag.* 337 *ita pronuntiantes :* Merito dubitari potest, utrum Opus ipsius *(Ingilberti)* dignum sit publica luce, quandoquidem Martenius et Durandus, qui viderant, totque alia vulgaverant, isto honore afficiendum non judicarint. *Sane si nostris meliora sint, vulgandi ea sufficiens fuit ratio; quoniam Majores nostri citato tom.* 1 *Maii pag.* 462 *aperte indicaverant,*
C *non probari a se nostra, et per consequens displicere etiam edita hactenus a Vincentio Bellovacensi, a Mombritio, aliisque, utpote ex nostris vel similibus desumpta, iisdemque difficultatibus laborantia. Sed diversa non esse in rebus narratis, inde judicoo, quod pater Antonius de la Vacquerie ex Ordine Minimorum in Vita* S. Florentii, *Gallice edita Parisiis anno* 1637, *fateatur cap.* 7, *se legisse monumenta deprompta ex archivo abbatiæ* S. Florentii, *ac proin præ ceteris haud dubie Opus Ingilberti, nec tamen in gestorum relatione recedat a nostris Actis.*

et verisimiliter interpolata fuerunt

9 *Joannes Maan, Turonensis ecclesiæ canonicus, in Opere, quod Ecclesiam Turonensem inscripsit, pag.* 18 *agens de iis, qui S. Martinum episcopum sibi magistrum elegerunt, non tantum* Florentium, *sed et Florianum eos inter recenset, ita gesta ipsorum perstringens :* Florentius et Florianus Insubres e vinculis, quibus pro Christo nexi fuerant Mediolani, ad eum *(S. Martinum)* liberati angeli opera confugerunt, a quo Florentius mox sacerdos ordinatus; ambo denique missi Salmurum ad Ligerim, ut Deo vacarent in solitudine. Vita eorum Ms. in archivo Turonensi. *Si auctor ille jam recitata deprompserit ex Vita, quam laudat, archivi Turonensis, fatendum erit, hanc aliam esse a nostris Actis, quæ Florianum martyrem faciunt in* D
Germania, priusquam Florentius *venit in Galliam. Sed donec ea producetur, dubitabimus, an æque antiqua sit, et melior; nemini quippe ante Maanum nota vel saltem neglecta ab omnibus, quos de Sancto scripsisse novimus, priscis et neotericis, Marbodo seculi* XI *auctore, Mombritio, Bellovacensi, Petro de Natalibus, et Gonono, quorum lucubrationes quoad martyrium Floriani nostris Actis consentiunt. Eidem sententiæ adhæsere Antonius de la Vacquerie laudatus, et Tussanus Bridoul e Societate Jesu, qui anno* 1653 *Leodii Vitam* S. Florentii *Gallice vulgavit; imo, quod dubium nostrum summopere auget, ne ipsi quidem canonici Turonenses ab Actis nostris recesserunt in Breviario insignis ecclesiæ S. Martini, impresso anno* 1635; *cum ad diem* XXIII *Septembris lectiones secundi Nocturni pro Officio* S. Florentii *ex iisdem vel similibus Actis manifeste extractæ sint. Demus, donec aliter edocemur, locum conjecturæ; verisimiliter non alia est Vita archivi Turonensis, quam ipsamet Acta nostra, sed recentiore fortasse calamo denuo mutata illa in parte, in qua narratur S. Floriani martyrium, unde præcipua oritur difficultas : quamquam ne vel* E
sic omnis sublata sit; nam, sicut recte observat Tillemontius tom. 10 *pag.* 784, *difficulter intelligitur, qua occasione Mediolani, dum Turonibus sedebat S. Martinus, homines pro Christi nomine conjecti sint in carcerem, et ita quidem, ut angeli ministerio fuerint liberandi. Nunc quo pretio habenda sint sæpe memorata Acta nostra, dispiciamus.*

antiquiora habuit auctor,

10 *Scripta sunt juxta ante dicta seculo tantum nono; sed antiquiora ac succinctiora sibi præluxisse indicat auctor in prologo :* Quæ nobis, *inquit,* prisca fide nimium succinctius ab avitis patribus sunt tradita, latioris litteraturæ amplitudine, ut supra fati sumus, ob memoriam instantium seu subsecuturorum membranis indere decernimus. *Paulo etiam ante dixerat :* Egregii confessoris Christi Florentii Glomenensis cœnobii digna memoratu opera scriptis colligere decrevimus. *Vix dubito tamen, quin antiquiora ista Acta eam sortem subierint, quam sæpe alia primigenia, dum in amplificatorum manus inciderunt, quin, inquam, conjecturis leviter formatis, adjunctisque rerum minime accuratis aucta et corrupta fuerint. Porro ut mox detegamus latentes in nostris Actis errores, pau-* F
cis exponenda sunt præcipua, quæ libro primo et secundo continentur. Aquilino præside, ex præcepto imperatorum Diocletiani et Maximiani, in Norico Ripensi Christianos persequente, ultro se satellitibus obtulerunt Florentius *et Florianus, et ad præsidem deducti, libere Christum confessi sunt, tormentis vexati damnatique, ut in Anasi seu Anisi flumine demergerentur. Eo dum, vincti deducuntur, tum ipsi tum satellites ab itinere fatigati somno opprimuntur, et angelus apparens* Florentio *præcipit, ut in Gallias pergat, a S. Martino Turonensi sacerdos ordinandus; vinculis liber, et monito clam Floriano, qui solus martyrium subiit, iter ingreditur, in quo multis patratis miraculis, Turones pervenit, et a sancto antistite, per angelum præmonito, cum gaudio exceptus, post diem tertium initiatur sacerdotio. Superfuit autem martyrio S. Floriani annis* 63, *obiitque ætatis anno* 123.

sed corrupit:

11 *Hæc Acta primi, quos novi, editis libris impugnarunt Coïntius et Henschenius; ille fuse ac operose tom.* 4 *Annalium Francorum a pag.* 300 *usque ad* 305, *ubi ex apographo nostris consono descripsit integrum pene librum primum et secundum*

A *dum; hic tom.* I *Maii pag.* 462, *ubi meliora S. Floriani Acta exhibet, ac breviter indicatis rationibus, ob quas nostra improbet, diligentius ea discutienda remittit ad hunc diem. Fatentur ambo, et allata auctoritate probant, vere passum esse S. Florianum sub dicto Aquilino præside in Norico Ripensi, imperante Diocletiano; sed negant, illi quidquam commune fuisse cum* S. Florentio, *non tantum quia in præcipuis Actis ejusdem Floriani mentio nulla est de* S. Florentio; *verum etiam quia non conveniunt tempora. Et sane licet statuamus S. Floriani martyrium anno* 304, *imperii Diocletiani penultimo, eo natus non erat S. Martinus, ad quem mittebatur* Florentius, *nedum Turonensem episcopatum obtinebat, suffectus tantum S. Lidorio episcopo juxta nonnullos anno* 371, *juxta alios etiam serius; adeo ut* Florentius, *prioribus etiam S. Martini pontificatus annis Turones adveniens, annos circiter* 70 *impendisset itineri, quot Floriano secundum biographum ipsum non supervixit; cum post illius martyrium ei tantum tribuat annos vitæ* 63. *Clarior est anachronismus, quam ut pluribus exponi debeat : atque inde consequens est, vel nihil commune fuisse* S. Florentio B *cum S. Floriano, vel illum non fuisse sacerdotio initiatum a S. Martino Turonensium episcopo. Primum verum esse arbitror propter allegatum a Cointio et Henschenio silentium de Sancto nostro in Actis præcipuis S. Floriani, dubitoque cum Henschenio, an ea duorum Sanctorum conjunctio ab alio, quam a nostro biographo profecta sit, qui amplificaturus Acta* S. Florentii *succincte scripta, his assuerit Acta S. Floriani, et quæ hic de solo Floriano narrabantur, etiam* Florentio *attribuerit usque ad profectionem ejus in Gallias ad S. Martinum.*

dabuntur tamen hic

12 *Sed sic causa fuerit, ut vera* S. Florentii *gesta, ex antiquiorum monumentis desumpta, dubia evadant apud posteros, qui anachronismum detegentes, et in puncto tam gravi auctoris fidem merito requirentes, timidius etiam reliquis assentiuntur. Dabo tamen ejus Acta quantumcumque suspecta, sed rescisso integro libro primo, quem soli Floriano proprium existimo, quemque curiosus lector videre poterit apud Cointium, vel non multo diversum apud nos tom.* I *Maii pag.* 462 *et seq., si modo Floriano jungatur* Florentius *et omnia eorum dicta et facta usque ad somnum et angeli apparitionem, quorum hic nulla mentio, effe-* C *rantur plurali numero. Subjiciam dein elegantem Marbodi archidiaconi Andegavensis in eadem Acta sermonem, ad ipsomet auctore die festo* S. Florentii *et in ecclesia verisimiliter ipsi consecrata recitatum : id colligo ex prima ejus periodo, quæ post hunc titulum* : Incipit sermo Marbodi in Vitam S. Florentii confessoris, *sic habet* : In sancti hujus patris nostri Florentii solemnitate, licet ejus virtutibus explicandis sermo tenuis nequaquam possit sufficere, non tamen ex toto convenit nos silere. *Describam eum ex insigni codice nostro Ms. membranaceo, tam antiqui characteris, ut Majoribus nostris, qui eum laudarunt ac adhibuerunt aliquoties in Opere, merito visus sit, aut tempore Marbodi et forte ejus cura diligenter exaratus, aut certe non diu post ejus obitum.*

una cum eleganti sermone Marbodi episcopi.

13 *Videtur autem sermo iste dictus a Marbodo, cum esset archidiaconus Andegavensis, id est, ante annum* 1096, *quo Redonensem in Britannia Armorica episcopatum tenuit, tum quia in Vita S. Licinii Andegavensis episcopi, quæ Sermoni, in codice primum locum occupanti, proxime subnectitur, se expresse nominat archidiaconum* Andegavensis ecclesiæ, *tum quia in ipso sermone non obscure significat, se dicere in ea diœcesi, in qua tamquam patronus colitur* S. Florentius: *quandoquidem num.* 24 *incitans auditores ad imitanda Sanctorum exempla, in hunc modum peroret* : De vicino sumamus exemplum : habemus ante oculos a Deo nobis provisum peculiarem Patronum; ut non sit nobis necesse, imitabile aliquid ex alieno mutuari : et licet eadem inveniri possint in aliis, de propinquo tamen, quam de remoto fonte æque dulces aquas plus delectat haurire. *Sunt autem in Andegavensi diœcesi ambo cœnobia, quorum præcipuus Patronus est Sanctus noster, Glonnense scilicet seu* S. Florentii vetus, *et Salmuriense seu* novum *ejusdem Sancti nomine insignitum. Ceterum auctor hic, quantumvis doctus et eruditus, biographi nostri anachronismum non advertit; conjunxit* Florentium *Floriano, et in reliquis gestis presse secutus est eumdem biographum, ad quem num.* 2 *pro clariori intelligentia auditorem remittit,* Lege, *inquiens,* Vitæ ipsius (*Sancti nostri*) libellum. *Hinc hæsitavi, utrum cum Actis Sermonem hunc ederem; quoniam ex illo nil certius, quam ex istis determinari potest. Edendum censui, tum quia eruditus est ac pius,* E *atque adeo rarus, ut hactenus, quod sciam, a nemine, præterquam ab iisdem Majoribus nostris et hos secutis, fuerit memoratus, nedum prelo vulgatus; quamquam Antonius Beaugendre Ordinis S. Benedicti religiosus Opuscula ejusdem Marbodi magno studio collecta imprimi curaverit anno* 1708, *tum denique quia vel ex eo patebit, quanta esset seculo* XI S. Florentii *veneratio.*

AUCTORE J. P.

§ II. Vetus S. Florentii monasterium a summis principibus ditatur; a Britonibus incenditur; restauratur.

Vetus S. Florentii

Quoniam *Acta* S. Florentii *talia sunt, ut vix aliquid ex iis tamquam certum definire ausim, nec antiquiora aut fide digniora instrumenta comparent, supervacaneum sit disputare de ejus patria, senectute et anno emortuali : hunc tamen late fixi circa initium seculi* 5, *quia unanimi consensu S. Martino convixisse creditur. Obiisse autem in Glonna monte, ibidemque sepultum esse* F *satis certum videtur ex allegatis § præcedente num.* I *et seqq. Nec est alienum a verisimilitudine, quod nonnulli tradunt, relictos nempe ab eo fuisse ibidem socios seu discipulos, qui ad ejus exemplar illic vixerint, quique dein vitam monasticam professi sint, unde exordium cepit Glonnense, seu* S. Florentii *vetus monasterium. Hujus autem antiquiorem memoriam non reperi, quam in Vita S. Hermelandi abbatis Antrensis, ab auctore fere coævo conscripta, et apud nos edita tom.* 3 *Martii pag.* 576, *ubi pag.* 580 *leguntur sequentia*: Quadam nocte, dum isdem beatissimus Ermelandus... vigilaret, vidit animam venerabilis viri Maurontii abbatis ex monasterio S. Florentii, quod vocatur Glonna, triginta a suo cœnobio sequestrato passuum millibus, vinculo resolutam corporis ad æthereum deferri ab angelis thronum. *Subdit auctor, destinatos fuisse a S. Hermelando, qui in rem indagarent; sed* fratres de prædicto monasterio S. Florentii *ipsis laborem hunc præripuisse, misisseque, qui nuntiarent, ea ipsa hora obiisse S. Maurontium.*

15 *Mabillonius*

AUCTORE J. P. *monasterium a Carolo Magno*

15 *Mabillonius part.* I *sæculi* 3 *Benedictini pag.* 391 *in notis ad jam citatum locum, postquam produxit ex tribus vetustis Martyrologiis sequentem annuntiationem* : v Idus Janu. in monte, qui dicitur Glomna, depositio B. Maurontii abbatis et conf., *et nonnulla de ejus cultu annotavit.* Sepultus est, *inquit*, S. Maurontius in ecclesia S. Salvatoris prope tumulum S. Florentii... Est patronus minus principalis monasterii veteris S. Florentii. Hæc ex Ms. Historia, a nostro Johanne Huinnes scite digesta de monasterio novo. *Obiit autem S. Hermelandus, uti dictum est laudato tom.* 3 *Martii pag.* 576, *circa annum* 715 *aut* 720 ; *Maurontius seu Mauronius, de quo actum est tom.* I *Januarii pag.* 505, *sub finem seculi septimi. Hinc sensu accommodo intelligenda verba Historiæ monasterii Salmuriensis, apud Martenium num.* I *laudatum sic habentia col.* 1085 : Fertur quippe istud cœnobium *(Glonnense)* a Carolo Magno imperatore columnis marmoricis olim nobili structura fabricatum, prædiis innumeris, pluribusque donariis nobilitatum ; non minus etiam a Ludovico
B prole ipsius, cognomento Pio, possessionibus egregiis insignitum, a Carolo quoque Calvo inter eximia dona, quibus prætactum nobilitavit cœnobium, cum universa regali exactione consuetudinum ab omni synodali censu suis cum ecclesiis legimus absolutum. *Et iterum col.* 1121 : Idem monasterium olim a Carolo Magno constructum, et a ceteris regibus nobiliter sublimatum, postea a Nemenoio, Deo odibili Britone, crudeliter legimus incensum. *Hæc, inquam, accomodo sensu intelligenda sunt, non de primordiis dicti monasterii, sed de quadam restauratione, atque inducta fortasse illo tempore strictioris disciplinæ norma, quæ sic indicatur apud eumdem Martenium ad calcem Historiæ in brevi Chronico monasterii* S. Florentii *col.* 1140 : Anno DCCLXXXXIX. Hic renovatur monasterii ordo : fratres promittentes regulam sub Albaldo viro sancto

et Ludovico Pio auctum et ditatum

16 *Ludovici Pii munificentiam certam facit privilegium ipsius apud Mabillonium tom.* 2 *Annalium Benedictinorum pag.* 739, *cujus initium transcribo* : In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, Ludovicus, divina ordinante providentia, imperator augustus Si erga loca di-
C vinis cultibus mancipata propter amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantes beneficia oportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Idcirco notum esse volumus cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris, præsentibus scilicet et futuris, quia quemdam venerabilem virum Frotbertum cum monachis suis, quos in Italia miseramus, exinde reverti fecimus, et concessimus eis quoddam monasterium, quod est situm in territorio Pictavensi supra ripam Ligeris, quod dicitur GLONNA sive S. FLORENTIUS, ubi idem beatus confessor Christi corpore quiescit : eo modo, ut ibi secundum Regulam B. patris Benedicti vitam degerent monasticam *etc. Pergit dein exponere, quomodo idem monasterium sub sua defensione ac tuitione suscipiat, quasque ipsi immunitates ac privilegia concedat. Ad idem ipsum propositum spectat, quod refert ejusdem Ludovici biographus apud Chesnium tom.* 2 *Scriptorum Franc. pag.* 293 *his verbis* : Et quidem multa, ut dictum est, ab eo sunt in ejus ditione reparata, imo et a fundamentis ædificata monasteria, sed præcipue hæc : monasterium sanctæ Mariæ et sancti Petri de Ferrariis... monasterium sancti Florentii... quibus veluti quibusdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ D
regnum.

incenditur sub Carolo Calvo

17 *Caroli Calvi in idem monasterium affectus enituit potissimum sub medium seculum nonum, quando Nomenoius Britonum dux, Carolo rebellis, territorium Andegavense invasit, et, quia Dido Glonnensis abbas principi suo fidus adhærebat, monasterium incendit* : Hinc *enim*, Carolus gratiam repensaturus, *inquit Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 679, *sequentia tamquam ex quodam ejusdem diplomate describens*, Villam Miniacum in pago Cenomannico ad fluvium Sartam, et Johannis-villam in pago Andecavensi non longe ab alveo Ligeris sitam, Glonnensibus concessit x Kalendas Augusti, Indictione undecima, anno regni sui nono. Actum in villa Puteata non longe a civitate Claremonte. *Hæc Mabillonius ad annum* 848. *Tum ad annum* 849 *pag.* 684 *recitat nonnulla ex altero ejusdem Caroli diplomate, quod, sicut editum fuit ab Alexio Lobineau, Ordinis S. Benedicti sacerdote, tom.* 2 *Historiæ Britanniæ Minoris col.* 51, *huc transfero.* In nomine sanctæ et ind. Trin. Karolus Dei gratia rex. Cum regni nostri quietem, quorumdam insidiis pertur- E
batam, ad nostrum germanum Ludovicum defectionem meditantem, * componere tractaremus, quorumdam etiam Sanctorum loca vastata restaurare cuperemus, inter cetera orta est sæpe numero deplorata calamitas præclari ac dilecti nostri SS. confessoris Christi Florentii, assistente nobis ejusdem loci ven. abbate Radulfo. Nam cum constet, eumdem locum a piæ memoriæ Karolo avo nostro præclaris ædificiis et plurimis possessionibus nobilitatum etc. a rebelli nostro crudelissimo Nomenoio Britone nostri odii causa incensus est, et plurimæ ejus possessiones invasæ, licet ipse impius, perculsus ab eodem Sancto, multas pecunias ad restaurandum tribuerit, nosque illum persequentes et nimium pro hac causa dolentes, eidem loco plura contulimus, scilicet abbatiam S. Joannis in pago Andegav. etc. Ad hæc autem Dei instinctu addere cupientes, consentientibus, imo potius hortantibus ven. episcopis Didone Pictav., cujus præsulatui subjacet pagus Medalgicus, in quo supra dictus locus situs est, simulque Theofalgicus, Actardo quoque Namnet. ecclesiæ præsule, omnes ecclesias, quæ suprafati loci esse videntur, F
per eorum episcopatus cuncta synodali exactione absolvimus. Et pro eo, quod quædam cum ipso loco vastatæ fuerunt, hoc nostræ munificentiæ compendium tribuimus data ipsis episcopis vicissitudine, quam postulaverant, ampliores scilicet et liberas partes ipsarum civitatum, sicut designatum est a nobis, et ut comites ipsorum pagorum nihil pro comitatu suo, vel nostro redditu ex aliqua eorum diœcesi, quam jure sibi vendicare videntur, exigere præsumant etc. Data mense Junio VI. Id. ejusdem anno IX Karoli gloriosissimi regis. Actum in loco, qui dicitur Vetus Pictavis in Dei nomine felic. Amen.

* meditantium

et restauratur.

18 *Notat hic Mabillonius non confundendam esse abbatiam sancti Johannis cum Johannis-villa, quæ anno superiore Glonnæ a Carolo donata est, et tomo* 4 *Annalium pag.* 852 *corrigendum monet errorem, qui in verbis mox recitatis latet, dum Dido* Pictavensis *episcopus appellatur* ; *legendum quippe* : Didone seu Dodone Andecavensi. *Porro dum utraque donatio, licet diversis abbatibus, facta notatur anno Caroli regis nono, res ita intelligenda, ut prior facta sit Didoni abbati die* XXIII *Augusti anno* 848, *Caroli regis nono haud*

A *haud dudum inchoato, posterior Radulpho illius successori, die* VIII *Junii anno* 849, *necdum completo regni ejusdem anno nono. Causam autem, qua impulsus fuit Nemenoius seu Nomenoius, ut conferret pecuniam ad restaurandum monasterium, allegat etiam auctor Historiæ eversionis monasterii* S. Florentii *veteris, editæ a Martenio tom.* 3 *Anecdotorum col.* 844 *his verbis :* Contra Carolum Calvum se erexit, et ei servire contemnens, Redonenses Namnetensibus junxit, sicque monasterium a patre (*Caroli)* Ludovico et ab avo Carolo Magno fundatum atque nobilitatum aggressus, incendit atque vastavit; sed a Sancto, cui idem locus olim fuerat divinitus concessus, invisibiliter percussus, data non minima pecunia, damnum, quod sibi intulerat, quantum potuit, emendavit. Verumtamen signum suæ percussionis semper secum habuit; nam quamdiu vixit, semper claudus permansit.

Rhythmus, quo monasterii splendor,

19 *Memorata hactenus de Glonnensi monasterio a temporibus Caroli Magni confirmat ac plenius declarat Rhythmus, quem huc transfero ex tom.* 2 *Annalium Mabillonii pag.* 753 :

Dulces modos et carmina
Præbe lyra Triceia *,
Commota quis cucumina
Planxere hyperborea.

* *l.* Threïcia

B

Montes simulque flumina
Illa putent nunc Orphea,
Respondeantque carmina
Sylvæ canant melliflua.

Gravis det organum tuba;
Alte resultet fistula;
Omnis canat harmonia;
Det Philomena cantica.

Olim nitens clarissima,
Terrisque famosissima
Sancti patris basilica
Florentii præcipua,

Sensit fera incendia
A gente crudelissima,
Vere bruta Britannia,
Lugete cuncti talia.

Omnis enim cum Gallia
Florentii suffragia
Deposceret tunc cernua.
Contempsit hæc gens impia

principum erga Sanctum pietas,

20 Olim pius rex Carolus
Magnus ac potentissimus
Fecit hunc locum devotus
Pro Beati virtutibus.

C

Terris datis fœcundibus *
Auxit honorem largius,
Et præbuit tunc vasculum
Cœna Dei magnificum.

* *forte* fœcundius

Per hunc fugatur sæpius
Infirmitas languentibus,
Et sanitas fidelibus
Præstatur ex hoc protinus.

Post imperans Hludovicus,
Magni Caroli filius,
Ipsum locum benignius
Colit piis ornatibus.

Qui filiis rebellibus
Concussus altis fluctibus
Et Franciam turbantibus
Regnum reliquit mortuus.

His quatuor mox partibus
Regnum sibi secantibus,
Per Franciam jurgantibus,
Bellum fuit horridius.

bella

21 Imperio sic turbido,
Crescit malorum factio,
Surgensque tunc dissensio
Permiscet omnes jurgio.

auctore J. P.

Invadit alter socios,
Crescunt mali super bonos.
Tyrannus omnis infremit,
Dantur honores impio.

Fit plurium vastatio.
Sanctis locis prædatio,
Cunctis bonis turbatio,
Rerum simul confusio.

Quidam fuit hoc tempore,
Nemenoius nomine,
Pauper prius progenie,
Agrum colebat vomere.

Sed repperit largissimum
Thesaurum terræ conditum,
Qui plurimorum divitum
Junxit sibi solatium.

Dehinc par artem fallere
Cœpitque mox succrescere,
Donec super cunctos ope
Transcenderet potentiæ.

istorum temporum,

22 Sic ergo discordantibus
Francis simul cum regibus,
Cum ceteris rebellibus
Fit Carolo contrarius.

E

Hic Carolus cum fratribus
Bellum gerebat sæpius,
Nec prævalebat hostibus,
Tantis repulsus cladibus.

Confidit unde impius,
Prædas agit Nemenoius,
Instando Redonensibus
Simulque Namnetensibus.

Deinde Pictaviensium,
Trans Ligerim manentium,
Pagum petit Medalgicum,
Glonnam locum pulcherrimum.

Turmam vocat monachicam,
Multamque dat pecuniam,
Jubet mox suam statuam
Effigiari splendidam;

Quam ponerent pinnaculo
Ad Orientem patulo,
Signum quod esset, Carolum
Se non timere dominum.

eversio monasterii,

23 Illi statim regi suo
Hæc pertulerunt Carolo,
Qui audiens superbiam,
Miratus est audaciam.

F

Tunc jussit, ut pecuniam
Totam sibi disponerent,
Illius albo lapide
Sculpta risus imagine :

Quam ponerent pinnaculo
Ad Orientem patulo,
Signum foret quod impio,
Se subjugandum Carolo.

Iratus ille talibus,
Locum petit velocius;
Prædas jubet militibus :
Accendit ignem protinus.

Flammas ubique Britones
Mox inferunt iras truces :
Sanctus locus comburitur,
Tantum decus consumitur.

Heu me ! dolores patriæ,
Heu me ! honores gloriæ,
Quam novit orbis pristinæ,
Heu me ! fluunt nunc lacrymæ,

ejusque restauratio

24 Tunc excitatus cælitus
Sanctus adest Florentius,

AUCTORE J. P.

Respexit, inflammantibus
Locum suum Britonibus.
O quanta esset ultio !
Si non foret permissio;
Percussus est sed impius,
Debilitatis pedibus.
Precatur indulgentiam,
Redire posset patriam :
Reversus ad Britanniam
Nimiam dat pecuniam,
Abbas erat Dido bonus,
Regi Carolo proximus,
Qui convocatis fratribus
Regem adit quantocius.
Exponit iras Britonum.
Magnum scelus crudelium;
Tunc rex dolens in pectore,
Quærit vicem mox reddere.
Hinc Andegavam protinus
Urbem petit tristissimus :
Dat abbatiam loculi
Sancti Johannis dediti.
Sed hoc parum visum fuit,
Moxque alteram tradidit
Sancti Gundulfi nomine,
Quæ partibus est Franciæ.
Magnis datis muneribus,
Circa locum fit sedulus,
Restituit felicius.
Decorat atque pulchrius.
Gaudete cuncti cordibus,
Cantate magnis vocibus,
Sancte Florenti, quæsumus,
Adesto nobis cælitus. Amen.

Idem Mabillonius laudato tom. 2 *Annalium pag.* 679, *Rhythmum editum existimat per eadem tempora, haud ita dudum scilicet post restauratum a Carolo Calvo monasterium. Et sane cum auctor ultimis versiculis ad gaudium incitet Glonnenses, ac de solo Nemenoio conquestus ante, nullam mentionem ingerat de altera monasterii eversione paulo post a Normannis patrata, satis probata mihi videtur ista opinio.*

§ III. Destruitur secundo monasterium Glonnense; monachi cum corpore S. Florentii fugiunt ad Bituricensem provinciam; dein Trenorchium in Burgundia.

Altera destructio, cujus duplicem

Haud diu gavisi sunt Glonnenses tranquillitate, quam Caroli Calvi auxilium et liberalitas ipsis procuraverat; vix enim quarto a restauratione elapso anno incensum est a Normannis monasterium, ipsique cum reliquiis S. Florentii *aufugere compulsi sunt. Secundam hanc eversionem innectunt passim vetustiores chronistæ anno* 853. *Auctor Chronici de gestis Normannorum in Francia apud Chesnium tom.* 2 *pag.* 525 *sic eam refert :* Anno Domini DCCCLIII Northmanni mense Julio, relicta Sequana, Ligerim adeuntes, Namnetim urbem, et monasterium sancti Florentii ac vicina loca populantur. *In Chronico Aquitanico apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Ms. pag.* 292, *et in Engolismensi apud eumdem pag.* 324 *mensis Junius signatur* : DCCCLIII Lucionus mense Maii a Normannis succenditur, et mense Junii sancti Florentii monasterium etc. *Duas edidit Martenius huc pertinentes Historias ex Mss. Salmuriensibus, de quibus, priusquam fugam monachorum et reliquiarum translationem ulterius prosequar, nonnulla observasse juverit. Una exstat tom.* 5 *Collectionis amplissimæ a col.* 1083, *altera tom.* 3 *Anecdotorum a col.* 843. *Prima sub hoc titulo* : Historia monasterii S. Florentii Salmuriensis *inchoatur ab eversione monasterii, protrahiturque usque ad finem fere seculi* 13; *sed notat editor, varios eam habuisse scriptores, qui inceptum ab uno Opus continuarint, et ea, quæ suis temporibus contigerant singularia, litteris commendarint, putatque, se ex styli ac characteris diversitate nec non ex aliis signis, deprehendisse quatuor, quorum, trium saltem posteriorum, quamvis primus in aliquibus forte cespitaverit, relata de gestis abbatum aliisque satis æstimari nequeant. Altera, hunc titulum præferens,* Historia eversionis monasterii S. Florentii veteris a Britonibus et Normannis, translationis ejusdem Sancti, fundationis et abbatum monasterii Salmuriensis, *multo compendiosius conscripta est, productaque usque ad Sigonis abbatis obitum, qui passim annectitur anno* 1070.

habemus descriptionem,

27 *Cum eodem Sigonis obitu desinit quoque, juxta editoris judicium, scriptor secundus seu primus continuator longioris Historiæ : sed is, nisi interpolatorem nactus sit, seculo integro scripsit post obitum Sigonis. Etenim laudato tom.* 5 *Collectionis ampliss. col.* 1128, *postquam narravit, quo pacto Evenus monachus ab abbate suo Sigone missus fuerit ad abbatiam S. Melanii prope Redenensem civitatem, eidem diu abbas, ac dein diœcesi Dolensi archiepiscopus præfuerit, obierit et in eadem abbatia S. Melanii sepultus sit, anno, ut statim videbitur,* 1081, *sic pergit :* Post multum vero temporis, tempore, venerandæ memoriæ Guillelmi abbatis ejusdem monasterii (*S. Melanii,*) accidit, ut concors fratrum congregatio ejus (*Eveni*) sepulchrum gratia revelationis effoderent : qui superposito lapide revoluto, tabulam plumbeam ad caput ejus invenerunt, litteris inscriptam sub verbis talibus : « Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXI « Romano Pontifice Gregorio VII, consule Redo« nensi Gaufredo, et Silvestro episcopo, VII Calen« das Octobris obiit domnus Evenus Dolensis « archiepiscopus et abbas S. Melanii etc. *Scripsit igitur, diu post annum* 1081, *et ut apparet, annis aliquot post annum* 1162, *quo Guillelmus abbas S. Melanii, quem hic ut vita functum laudat, in vivis superstes erat, sicut patet ex instrumento ejusdem abbatiæ apud Alexium Lobineau tom.* 2 *Historiæ Britanniæ Minoris col.* 218. *Dixi aliquot annis post* 1162, *non multis; nam tertius auctor Michaël, de se ita scribens col.* 1133 : Qui vidit hæc scripsit et testimonium perhibuit veritati, *videtur tantum Opus continuasse usque ad annum* 1202, *quo electus est abbas* S. Florentii. *Ceterum primus et secundus auctor longioris Historiæ verisimiliter usi sunt breviori assignata num. præcedente. Pauca quippe in hac repeririuntur, quin in ista similiter, sed sparsim, legantur iisdem pene verbis. Verisimiliter, inquam; si quis enim contendat, breviorem ex longiore extractam esse et in meliorem ordinem redactam, nihil est, quod opponam. Nunc relictam materiam resumamus.*

facta a Normannis;

28 *Quæ initio hujus* § *referre cœpi, in hunc modum narrat auctor brevioris Historiæ :* Postea vero Normanni, adhuc sursum Carolo Calvo regnante, ascendentes per Ligerim, Namnetum aggrediuntur, vastant, capiunt atque prædantur, rursumque

A rursumque monasterium S. Florentii, quod jam ante a supra dicto Nemenoio incensum fuerat, et a Carolo Calvo reparatum jam fuerat, ab illa effera gente Normannica penitus vastatur, incenditur, destruitur. Monachi cum corpore S. Florentii fugiunt in partes Burgundiæ, Tornacum *(ita in utraque Historia scribitur pro* Tornuco *seu* Trenorchio) monasterium expetunt, ubi similiter monachi S. Philiberti timore supradictæ gentis ab Herio insula cum corpore ejusdem Sancti secesserant. Sicque locus Glonnensis cœnobii, in solitudinem redactus, cœpit esse ferarum, qui prius fuerat habitatio hominum. *Hæc ita relata sunt, acsi mox ab anno* 853 *Trenorchium aufugissent cum reliquiis monachi, sed longior mora interponenda est, tum ob mox dicenda, tum quia corpus S. Philiberti, de quo actum est apud nos ad diem* XX *Augusti, Trenorchium translatum non est ante annum* 875.

fuga monachorum cum sacro corpore

29 *Plenius rem explicat paucis interjectis idem auctor :* A destructione igitur, *inquit*, monasterii, quæ facta est a Nomenoio Britone seu ab adventu Normannorum, quod utrumque factum est, regnante Carolo Calvo, usque ad tempus illud, quando B relatum est corpus S. Florentii a Tornaco per Absalonem monachum et in castro Salmuro reconditum, quid actum sit de monachis, qui tunc dispersi fuerunt, quove abierunt, seu qualiter postea conversati sunt, nobis omnimodo habetur incognitum, nisi hoc, quod in nostris cartis reperimus, post secundam destructionem hujus cœnobii a Normannis factam *, monachi cum corpore S. Florentii jussu piissimi regis Caroli in partibus Franciæ ad locum S. Gundulfi, quem idem præcellentissimus rex jam pridem * huic loco contulerat, post combustionem hujus loci, a Nomenoio Britone illatam, secesserunt; sed quomodo exinde migraverunt, et ad Tornacum perrexerunt, omnino ignoratur. *Eadem in nullo verbo, præter notata hic in margine, discrepans, tradit auctor secundus longioris Historiæ, sicque explicat similiter ea, quæ confusius scripserat auctor primus.*

* *al.* additur quod

* *al.* pridie

ad cellam S. Gundulfi in Bituricensi provincia,

30 *Locus, quo juxta jam relata, post eversum a Normannis cœnobium cum sacris exuviis* S. Florentii *confugerunt monachi, situs est in Bituricensi provincia, et hactenus subjectus est, teste Mabillonio, Salmuriensi abbatiæ* S. Florentii; *Cella S. Gundulfi passim nuncupatur, vulgo* S. Godon. C *Donationem ejus factam prius Didoni abbati circa annum* 848, *ad preces monachorum, verisimiliter spem deponentium restaurationis antiqui monasterii, idem Carolus Calvus ad annum* 866 *innotavit et forte auxit diplomate, quod ex archivo Glonnensi inseruit Mabillonius tom.* 2 *Annalium pag.* 752, *quodque, quantum huc spectat, describo :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Carolus Gratia Dei rex etc. Itaque noverit omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium et nostrorum, tam præsentium quam et futurorum sollertia, quia venerabilis vir et religiosus abba Hecfredus monasterii beati Florentii, una cum monachis, ibi Deo militantibus, ad nostram accedens sublimitatem, miserabili auditu, lacrymabili suggestione exposuit mansuetudini nostræ calamitatem præfati monasterii etc. Igitur oravit suppliciter idem venerandus abbas, ut ad suorum refugium monachorum et ad receptionem sacratissimi corporis B. Florentii concedere sibi dignaremur cellam secus fluvium Ligerim in pago Biturico, quæ dicitur Nobiliacus, quemadmodum prædecessori illius Didoni, quondam abbati, nos fecisse cognoscitur, in qua cellula S. Gundulfus reverenter colitur humatus : quatenus a manibus suprascriptorum inimicorum Dei se evasisse exsultantes, requiem ibidem de tanta persecutione tandem mereantur, Christo propitio, invenire, et in laudem divinæ misericordiæ valeant respirare. Nos autem supplicibus ejusdem Hecfredi abbatis, monachorumque ejus precibus benignum assensum præbentes, altitudinis nostræ præceptum hoc fieri jussimus, per quod memoratam S. Gundulfi cellam cum familia utriusque sexus et rerum omnium aliarum plenitudine sæpe dicto venerando abbati Hecfredo, suisque monachis habendam concedimus atque largimur etc. Ut autem hæc nostræ auctoritatis delegatio perpetuum in Dei nomine obtineat rigorem, manu propria eam firmavimus, anulique nostri impressione assignari jussimus. Data XVII Kalendas Februarii, Indictione XIIII, anno XXVI regnante Carolo rege gloriosissimo. Actum Silvanectis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

AUCTORE J. P.

a regibus sibi concessam,

31 *Eamdem donationem confirmavit postea etiam Carolomannus, Burgundiæ et Aquitaniæ rex simili diplomate. Hujus fragmentum exhibet laudatus Lobineau tom.* 2 *Historiæ Britannicæ col.* 52. *Initium tale est :* In nomine Domini etc. Karolomagnus Dei gratia rex. Ven. vir abbas Radulphus monasterii S. Florentii etc. *Reliqua consonant pene ad verbum recitato diplomati Caroli Calvi* E *usque ad finem, qui sic habet :* Cujus petitioni etc. Concedo etiam naves IV. Datum Nonis Junii, anno III regni Karolomagni, Indictione XIII. *Errorem hic observavit Mabillonius in notis chronologicis; Indictio enim* XIII *annum designat* 880, *sed annus tertius regni Carolomanni* 881. *Degebant igitur hactenus in Cella S. Gundulfi cum sacris Patroni sui exuviis abbas et monachi; at quamdiu illic substiterint, donec ob frequentes haud dubie etiam in hanc regionem incursiones Normannorum confugere in Burgundiam, et in Trenorchiense cœnobium se recepere, ipsi ignorarunt auctor brevioris Historiæ, et primus continuator longioris, ut patet ex verbis num.* 29 *citatis, neque nos aliunde edoceri potuimus.*

et hinc Trenorchium in Burgundia:

32 *Modum quidem, quo illuc perrexerint, et a Trenorchiensibus suscepti sint, descripsit auctor primus Historiæ longioris; sed non possum non suspectam habere ejus relationem; cum iidem mox laudati auctores, modum etiam ipsum ignorasse se, haud obscure insinuent his verbis :* Quomodo exinde *(ex cella S. Gundulfi)* migraverunt, et ad F Tornacum perrexerunt, omnino ignoratur; *accipe tamen ejus verba :* Igitur sub memoratæ persecutionis tempore Glonnense cœnobium multa rerum opulentia relucebat, copioso etiam monachorum numero et merito copiosiori pollebat. Hi siquidem cœnobitæ clarissimi, audita tantæ devastationis procella, ingenti pavore percussi, fugam præparant et fugæ necessaria, acceptoque almi patris Florentii thesauro corporis pretioso, subito fugam arripiunt, egressique pristinum religiosæ conversationis habitaculum, silenter apud advenas, exules ipsi magis et advenæ commorandi vestigant hospitium. Tunc mons Glonna, habitatio quondam monachorum florigera, barbaris in promixo vastantibus devastanda cum mœrore et gemitu ineffabili relinquitur, tantusque luctus a discedentibus committitur, quantus post incensionem loci illius a Nemenoio Britone Deo odibili patratam fuisse non refertur. Quibus itaque fugientibus, S. Philiberti de Bolonnio monachi, haud longe a monte Glonna commanentes, obvio concursu sociantur, barbaricæ persecutionis rabiem pari proposito fugientes. Qui partes Burgundiæ pariter decreverunt expetere, simulque proposuerunt, quocumque Christus eos direxerit, commanere.

AUCTORE J. P.

commanere. Inclyti vero Florentii portitores toto itinere consocios B. Philiberti monachos alimonia propria sustentavere, et ubicumque ponebant metatum B. Florentii, cortinis effigiebatur tentorium. Tandem una pervenere Tornacum, antiquum fundum S. Philiberti monachorum, ibique reverendissimi cœnobitæ S. Florentii, a sodalibus invitati, cum præfato ipsius Sancti thesauro, ornamentisque inæstimabilibus, hospitalitatis gratia multo tempore sunt recepti.

hujus fugæ relatio confusa est et minus accurata.

33 *Ita ille, sed valde confuse, nec satis congruenter ad relatam et diplomatis probatam moram in cella S. Gundulfi, cujus ne mentionem quidem facit, rem ita exponens, acsi recta in Burgundiam abiissent monachi, etiam ante eversionem Glonnensis cœnobii; nempe dum imminebant in proximo Normanni. Quid enim aliud sonant illa ejus verba :* Tunc mons Glonna, habitatio quondam monachorum florigera, barbaris in proximo vastantibus devastanda cum mœrore et gemitu ineffabili relinquitur? *Quid conjunctio illa cum monachis S. Philiberti haud longe a monte Glonna commanentibus? Quid reliqua omnia, quibus non aliam moram indicat, quam quæ videtur fuisse necessaria itinerantibus, et caventibus, ne in hostium manus inciderent? Putem equidem, auctorem hunc, sola nixum traditione de fuga monachorum cum reliquiis in Burgundiam, ac earum relatione in Andegavensem ducatum pacato regno, Historiam suam concinnasse, ornasseque adjunctis sibi verisimilibus, atque inde factum esse, ut et tempora confuderit, et fidem non obtinuerit apud ipsum Historiæ continuatorem, qui candide fateri maluit, omnino ignorari, quomodo Trenorchium perrexerint.*

B

Beneficium sub idem tempus

34 *Ad hæc tempora pertinet miraculum seu beneficium, quod laudatus continuator col.* 1095 *refert in hunc modum :* Cum per annos circiter xxx gens Normannica nonnullas civitates et castella Neustriæ et Aquitaniæ depopulando vastasset et vastando deprædasset, ventum est tandem ad monasterium S. Benedicti, cognomento Floriacum, quod pridem fuerat ab eis crudeliter incensum. Ubi a venerabili abbate Hugone, adjutorium sibi ferente nobilissimo comite Autissiodorensium, Gilbaldo nomine, invasi, ejusque * ad interitionem deleti sunt. De quo certamine vix aliquis evasit, qui eventum rei nunciaret ceteris; in quo conflictu Ingelgerius Andegavorum comes, Fulconis Rufi filius, interfectus est. Pauci igitur Normannorum, qui evaserunt, præsidio vitam tuentes, cum copia tam captivorum quam rapinarum transmarinas compulsi sunt repetere sedes. Et cum a statione sua, quam habuerant in insula, huic *(Glonnensi)* monasterio supposita, ultra non reversuri discederent, presbyterum quemdam, qui solus in obsequio S. Florentii remanserat, apprehendunt, secumque in una navium suarum strictum, compedibus junctum projiciunt, sicque per Ligerim discedentes, in patriam redire disponunt.

** l. et usque*

C

a presbytero Sancti patrocinio obtentum.

35 Presbyter vero ægre ferens separari a tali tantoque Patrono, reductis post tergum oculis, vidit monasterium, humano habitatore vacuum atque desolatum : tunc in hanc vocem fertur exclamasse sacerdos : Heu! tu, sancte Florenti, quare me pateris sic a te disjungi? Cur me ita rapiunt isti Deo odibiles pagani? Hæc cum dixisset, statim navis, cum qua vehebatur, in vertigine rotari cœpit, atque omnibus, qui aderant, mortem minari. Presbyter vero divinitus a vinculis solutus, aquis se Ligeris credidit, et nando adducitur ripæ citeriori. Normannos autem, qui illum captivum ducebant, fluvius omnes absorbuit, ipse autem in silvam, nomine Bivonem ingrediens, monasterio S. Florentii, qui illum liberaverat, se recepit. *Cladem illam ab Hugone abbate S. Martini Turonensis et Gilbaldo seu Girboldo comite illatam Normannis refert etiam Adelerius, auctor ejusdem seculi noni, in appendice ad librum primum de Miraculis S. Benedicti, atque hujus eam patrocinio adscribit; sed prodigii mox narrati non meminit, forte quia ad ejus de S. Benedicto scribentis institutum non pertinebat.* D

§ IV. Corpus Sancti Trenorchio Salmurum defertur, et in basilica ibidem constructi novi monasterii deponitur.

Rebus pacatis, et Glonnensibus reditum

Sicut *certo determinare nequivimus supra, quo anno Trenorchium translatæ fuerint* S. Florentii *reliquiæ, ita etiam hic assignare non valemus, quamdiu ibidem remanserint, quove præcise anno ad Andegavenses redierint. Auctor primus* E *Historiæ longioris relationem § præcedente inchoatam sic prosequitur :* Toto igitur persecutionis tempore B. Florentii fratribus ibidem in tuto commorantibus, tandem divinæ pietatis clementia respexit Franciam, hostili gladio jam pene consumtam. Triplex itaque persecutio persecutoribus barbaris irrogatur. Alios enim fames excruciat, alios ferrum trucidat, alios pestis cælitus immissa subita morte catervatim extinguit. Barbaris vero tum fame, tum ferro, tum peste pereuntibus, partim tamen in patria refugientibus, pax rediit terris, in sua rediere coloni. Tunc locum suum quisque superstes adiit, quisquis casu patriæ plorabundus ingemuit, urbes videlicet dirutas, oppida vallibus adæquata, ecclesias olim divino cultu celebres annullatas, villas in solitudinem redactas. Quis enim enumerare valeat, quot et quanta tormentorum genera sceleratissimus ille Normannorum exercitus, nec Deum timens, nec homines reveritus, in nostrates exercuerat?

meditantibus renuunt Trenorchienses sacrum corpus,

37 Audito itaque desideratæ pacis nomine, memorati fratres B. Florentii, qui tunc temporis erant superstites, non mediocri gaudio gratulantur, hospites adeunt, grates referunt devoti, supplicant tali precum affamine, devotius alloquuntur : « Gratias humanitati vestræ referimus, quia, prout debuistis, caritatem vestram nobis exposuistis exulibus : nunc vero ultimum vale vobis cum gratia referentes, repatriare disponimus, lares nostros, desertosque cespites revisere, Deo favente, unanimiter desideramus. Vestram igitur fraternitatem propensius exoramus, ut sacrata pignora, quæ caritati vestræ commisimus, thesaurum videlicet patris nostri Florentii, vestri gratia reportemus. » Quibus S. Philiberti monachi tale reddiderunt responsum : « Primores et populus hujus regionis thesaurum, quem petitis, non concedunt : tanto se privari Patrono regio Burgundiæ non admittit. Nos etiam tanto ditati munere jure societatis et hospitalitatis, vobis eum alio non patimur transportare : proinde, qui vult nobiscum, vita comitante, manere, maneat; qui vero noluerit, quocumque placuerit, discedat. Redite ergo, si vultis, in patriam, nobis enim sanctissimam, quam apportastis, non reportabitis sarcinam. » Sic illis pretiosum Sancti corpusculum cum multiplicibus ornamentis violenter et amare

F

A amare retinentibus, monachi cum ingenti luctu hac illacque dispersi sunt.

quod postea illorum unus

38 *Quies præcipue obtenta est a Normannorum incursionibus ad annos* 911 *et* 912, *quando Rollo eorum dux, inita pace cum Carolo Simplice, partem Neustriæ, quæ dein Normannia dicta fuit, adeptus est, et ad fidem Christianam conversus, Eo tempore verisimilius, aut paucis annis post statui potest monachorum* S. Florentii *ex Burgundia discessus, et intra dictos annos ac* 950 *relatio reliquiarum, quam pergit describere idem auctor :* Habebat autem, *inquit,* beatissimus Florentius ante sui corporis fugam nutritum quemdam juvenem, Absalon nomine, jam liberum custodia. Hic divina dispensatione Cenomanum perrexerat, abbatis sui transmissus licentia, parentes suos visitandi gratia; aliis ergo omnibus cum pretiosa corporis S. Florentii gleba, imminente barbarorum rabie fugientibus, solus iste Cenomanis remansit cum parentibus. Hæc etenim civitas ab hostibus mansit intacta, ceteris circumquaque ruentibus tempestate Normannica. *Imo Cenomanensem civitatem a Normannis direptam fuisse, tot testimo-* B *niis constat, ut supervacanea videri possit fusior probatio : audiatur unus annalista Bertinianus ad annum* 866 : Nortmanni commixti Britonibus circiter quadringenti de Ligeri cum caballis egressi, Cenomannis civitatem adeunt. Qua deprædata, in regressu suo, usque ad locum, qui dicitur Brieserta, veniunt.

clam aufert;

39 *Mitto itaque scriptoris minus accurati relationem, qua reliquam rei gestæ seriem pluribus declarat, sed dubito, an absque fabulis; et quæ eadem super materia tradit auctor brevioris Historiæ, describo.* Nunc de Absalone quod dicere cœperamus, prosequamur. Absalon ille monachus S. Florentii dolens remansisse corpus sui Patroni apud Tornacum, ubi deportatum fuit timore Normannorum tempore Normannicæ persecutionis, meditatus est in corde suo, qualiter illud restitueretur propriæ regioni. Itaque Tornacum pergens, ut facilius crederetur, et ut omnis suspicio furti atque fugæ ab eo auferretur, contractum se finxit, et circa locum quasi devotus existens, multisque documentis perdiscere studuit locum, in quo quiescerent ossa sæpedicti Sancti, quem cum cognovisset, continuo opportunitate adepta, il- C luc accedens, omnia membra, excepta quadam parte capitis, arripiens, ducente Deo, Salmurum usque pervenit, sicque monachi illi S. Philiberti thesaurum, quem sponte noluerunt, inviti amiserunt. Verumtamen ornamenta pretiosa, quæ olim cum corpore S. Florentii illuc fuerant delata, retinuerunt.

exstruitur monasterium Salmuri, in quo corpus

40 His itaque peractis, inchoatum est monasterium in Salmurio, imperio et voluntate Theutbaldi comitis. Et quia de reversione seu susceptione tanti Patris cuncti gaudebant, certatim in constructione monasterii laborabant. Nam castellum illud, quod vocatur Salmurius, nondum ibi erat, sed postea ad munimentum monasterii propter hostes vicinos a supradicto comite ædificatum est. Perfecto autem monasterio, ventum est ad dedicationem. Cum vero dedicatum fuisset, isdem venerabilis comes accipit vasculum, in quo servabantur ossa sæpe dicti Sancti, et in a Deo præparatam sibi domum jussu episcoporum, qui aderant, portare voluit. Et cum pervenisset ad quoddam grande saxum non longe ab ostio monasterii, pondus, quod ante leve fuerat et suave, ita est aggravatum, acsi ferrum, quod ferebatur, fuisset ac plumbum. Itaque comes velit nolit vasculum cum sanctis artubus super lapidem posuit, et quid opus esset, perquirere sollicite studuit : dictumque est ei, ut aliquid de rebus propriis, quæ circa eumdem locum esse videbantur, licet nonnulla concessisset, in præsenti concedere deberet, qualiter isdem Sanctus, et ad locum destinatum se deferri permitteret, et omnibus, qui aderant, apud omnipotentem Dominum pius intercessor existeret, quod et factum est.

AUCTORE J. P.

41 Nam contulit eidem in præsentia omnium, qui aderant, possessiones, quas in proprio habebat in territorio Salmuriensi, ecclesias, terras cultas, aquas, consuetudines. Hæc talia dona sancto Confessori tribuit; sicque ad locum destinatum absque ulla difficultate in sede propria collocavit A tempore illo usque ad abbatem Fredericum abbatia Sancti, de quo loquimur, sub potestate seu dominatione comitum progeniei Theutbaldi fuit; antea vero usque ad destructionem, quæ facta est a Britonibus sive a Normannis, non quoslibet alios, sed regem Francorum habebant dominos. Isdem certe Confessor habuit nonnullas possessiones in diversis provinciis, quas quia ipse tempore prædictæ Normannicæ seu Britannicæ persecutionis amiserit, visum est et E nobis ipsis et aliis multis, de quibus notitiæ tantummodo atque cartæ apud nos remanserunt, quæ nobis indicant, qualiter eas ipse Sanctus acquisivit, sed indicare nescivit, quomodo eas amisit. Primus abbas in eodem novo monasterio fuit Elias, qui multum in constructione ejusdem cœnobii cum quodam fratre suo nomine Othberto laboravit : ambo quippe erant presbyteri, et ideo merito donum abbatiæ promeruit, sed non diu tenuit.

deponitur

42 *Exstructionem novi hujus monasterii referunt Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Christianæ, et Mabillonius tom.* 3 *Annalium ad annum* 950, *in quo non multum aberrare possunt; nam juxta breve Chronicon Salmuriense apud Martenium tom.* 5 *Collectionis amplissimæ col.* 1142 : DCCCCLVI Amalbertus abbas efficitur, *Elias vero proximus Amalberto decessor et primus abbas,* non diu tenuit *regimen, uti mox vidimus. Porro longioris Historiæ continuator; is enim juxta editoris opinionem Salmuriensis abbatiæ fundationem conscripsit, tertium addit, qui operi isti præ ceteris allaboravit :* Itaque, *inquit,* ex more omnibus consummatis, tres illi, qui labore suo et industria fabricam monasterii erexerant, seculo renuntiantes, animumque F cum habitu mutantes, in reliquum vitæ suæ Deo famulari sub monachali proposito decreverunt : quorum vocabula, quia superius silentio compressimus, hic et nusquam opportunius proferenda censemus : Othbertus de Furris, Helias de Liniaco, Raginaldus de Reste. Horum Heliam abbatem præficiunt, Raginaldum futuræ congregationis præpositum, Absalon vero Patroni sui custodem et famulum suo pro velle constituunt.

circa annum 950

43 *His Præmiserat idem continuator relationem constructi monasterii, translationis sacri corporis in basilicam, prodigii in eadem translatione facti, et liberalitatis Theobaldi comitis Blesensis, modo tam parum diverso ab iis, quæ dedi ex breviori Historia, ut verba ejus exhibere hic necesse non sit; addit tamen, saxum, cui aggravatum prodigiose corpus impositum fuit, exstitisse ibidem suo adhuc tempore* in testimonium spectantibus, *translationis diem notat* VI Nonas Maji, *quo etiam, teste Mabillonio tom.* 3 *Annalium pag.* 506, *notatur in domestico monasterii Martyrologio his verbis :* Castro Salmuro susceptio corporis sancti patris nostri Florentii presbyteri et confessoris. *Iisdem pene verbis, ut monuerunt Majores nostri*

die 2 Maji.

AUCTORE J. P.

stri in Prætermissis diei 2 mensis Maji, notatur in Ms, Martyrologio prioratus Daveronensis, Ordinis Benedictini diœcesis Carnotensis. Annuntiatur quoque Sanctus noster ad eumdem diem in Florario Ms. et in editis ad Uusuardum Auctariis, Lubeco-Coloniensi, Greveni, Belini, Molani, in Martyrologiis Galesinii, ubi tamen perperam episcopus vocatur, Germanico, et Gallicano, sed ubique, excipe postremum, absque mentione translationis.

Idem cœnobium bonis augetur

44 Igitur ædificio novi monasterii consummato, *verba sunt laudati continuatoris,* et thesauro reverendi corporis intus debito cum honore reposito, venerabilis comes Theobaudus ex S. Benedicti Floriacensis monasterio *(vulgo* Fleury *vel* Sainct Benoit sur Loire *in Aurelianensi diœcesi)* religiosos fratres adduxit, eisque memoratum Heliam, ut diximus, abbatis loco præfecit. At de ornamentis pretiosis, quibus olim Glonnensis locus præfulgebat, a præfato comite Tornacenses *(Trenorchienses)* monachi quædam reddere sunt coacti, scilicet vas cœnæ Dominicæ *(olim a Carolo Magno dono acceptum, sicut traditur in Rhythmo supra num. 20)* B thuribulum cum peredibus a S. Eligio fabricatum, Missale quoddam, Psalterium quoddam, in quibus sanctus pater Florentius fertur legisse. De libris autem, chartis, reliquiis, vestimentis, palliis pauca quidem et viliora reddiderunt. *Mortuo Eliæ suffectus est anno 956 Amalbertus, ex Floriacensi abbatia accitus, cui dein simul et Salmuriensi abbas præfuit. Is autem ecclesiam Salmuriensem, cujus matutinale altare (sic dictum quia matutinalis Missa in eo fiebat)* in pii patris Florentii reverentia *erectum erat, multis ornamentis decoravit, multisque ædificiis auxit, quæ a continuatore fuse descripta videri possunt laudato tom. 5 col. 1097.*

et monachorum numero; consecratur basilica.

45 *Propius ad propositum nostrum accedunt tradita ab eodem col. 1098 in hunc modum :* Interea coruscantibus sæpissime beatissimi Florentii miraculis, famaque exteras regiones volitantes, in brevi tempore plurimi virorum illustrium ibidem religionis habitum susceperunt, qui cum innumeris Sancti suffragium deposcentibus eumdem locum, ditatum ornamentis, mirabilem reddiderunt. Nonnulli juxta utrumque Testamentum filios suos offerentes, Sancto devotissime contulerunt. Tandem aliquorum nobilium cœnobiorum ritu basilica per annos complures completa comes Theobaldus, assumpto Turonicæ civitatis antistite Arduino et episcopo C Andegavensi, cum infinita multitudine nobilium Francorum et affinium utriusque sexus, una cum domino abbate Amalberto XII Calendas Junii locum solemniter consecrarunt, corpusque beati Florentii solemnius transtulerunt.

Sacræ reliquiæ.

46 Nec multo post venerabilis abbas Amalbertus tantum thesaurum sub firmiori custodia conservare decernens, in vasculum æneum, in quo nunc conclusa retinentur, transpositum obseravit. In ipsa vero transpositione declaranda, cujus essent meriti, quæ visebantur ossa; seu ad confutandam præsumtorum irreverentem audaciam, quid gestum sit, præsente abbate et monachis suis, quamvis imperito stylo referam. Monachus ille, Absalon scilicet nomine, qui supradicti sancti reliquias a partibus Arvernis a monasterio sancti Philiberti, Tornaco nomine, *(monasterium hoc initio ejusdem Historiæ recte collocatur in Burgundia, varietas autem ista una est e rationibus, cur hanc Historiæ partem editor putet scriptam fuisse ab alio, qui Tornacum seu Trenorchium cum Turnone Arverniæ oppido confuderit,)* quo Normannorum motu pridiano tempore fuerant deportatæ, Deo sibi auxilium ferente, propriam D retulit ad sedem, in quoddam scrinium corneum eas ad tempus posuit conservandas : de quo cum in illud, ut diximus, in quo nunc conservantur, jam dictus abbas causa tutioris custodiæ transmutasset, fabrum ferrarium, qui eas extraheret, non enim aliter poterant aperiri, venire præcepit.

punita divinitus cujusdam irreverentia.

47 Qui cum venisset, jussus ab abbate ad mausoleum (mauseolum *aliquando etiam scribitur, usurpaturque pro sancti alicujus feretro)* forcipes in manibus habens, audacter acsi ad incudem suam accessit, forcipes tetendit, clavum momordit. Etquia nullam Sancto impendens reverentiam hoc agere tentavit, ultio divina confestim affuit, quæ fabrum impudentem merito suæ irreverentiæ manifesta sensus amissione multavit. Quædam enim divina vis, acsi vehemens turbo, a capsella Sancti progrediens, illum invisibiliter in fronte percussit, moxque forcipibus elapsis e manibus, ipse retro stupefactus corruit. Recepto tamen post paululum sensu, resumtisque viribus recedere quam citius tentavit, et quod illuc ultra non recederet *, jurando confirmavit. Abbas vero non sine divino nutu hoc fieri perpendens, inde triduanum fratribus indixit jejunium, et E ut unanimi devotione Sancti auxilium exorarent, qualiter ipse erga ejus sanctissima membra, quod disposuerat agere, ipse Sanctus fieri pateretur, eos ammonuit.

* *forte accederet*

publice transferuntur in novam thecam.

48 Peracta autem supplicatione et jejunio, illuc cum magna cordis contritione accedunt, vasculum aperiunt, veneranda ossa inde extrahunt, et in illud metallinum fusili opere compositum, in quo nunc continentur, aspiciente cuncto populo castri Salmuri, recondunt. Et ut cunctis liquido pateret, nullum de membris Sancti abesse, sed omnia per jam dictum monachum ab Arverniæ * partibus relata fuisse, excepta quadam particula capitis, quæ illic divina dispositione remansit, ut et in illis regionibus nomen Sancti digno honore veneraretur : testantur namque illius loci incolæ, divinitus per eam miracula patrata se vidisse; sæpe dictus abbas cunctis audientibus atque videntibus talia dicebat : En brachium S. Florentii, en crus, en costæ, et ita per omnia membra dicendo, omnique populo cuncta ostendendo, in præparato a se vasculo collocavit, ostiolumque tanta industria conclusit, quod a nemine postea potuit aperiri.

* Burgundiæ

F

Comes Blesensis erga Sanctum munificus.

49 Hæc ideo memoriæ litterarum tradere dignum duxi, quæ a veracium fideliumque testium relatione didici. Deinde comes Theobaldus divino fervore repletus, domni Amalberti hortatu, inter multiplicia bona lecticum, super aram matutinalem situm, dedit, et capsam B. Florentii vas æneum in se continentem superposuit, cujus frontem et latera decentibus imaginum sculpturis operuit. Retro vero prominentes ligneas imagines depixit *, tabulamque argenteam ante Dominicum altare composuit, cujus margo superior hos capiebat versus :

* *l.* depinxit

Quisquis nescit honos, quorum hac venerantur in ara,
Prospiciat Petrum Paulumque assistere Christo
Quam comes argento Theobaldus comere jussit,
Quamque Amalbertus abbas jubet effigiari.

hujus etiam moriens favorem expertus dicitur.

50 *Ita continuator Historiæ, qui, paucis interpositis, refert mortem Absalonis monachi, qui reliquias Trenorchio retulerat, et mox Theobaldi Blesensium comitis sequentibus verbis :* Eodem tempore speculum nobilitatis et religionis amator Theobaldus post multa beneficia, quæ nostræ contulit

A contulit ecclesiæ, viam universæ carnis ingressus est, cujus animam qualiter a malignis spiritibus beatus pater Florentius liberaverit versibus talibus placuit subscribere. *Versus isti in tres partes divisi sunt, quarum prima aliquot Theobaldi gesta perstringit, altera historiam animæ ejus post mortem a dæmonibus occupatæ et per apparentem* S. Florentium *liberatæ, quam historiam constare ait poëta ex relatione Harmateni abbatis tunc* Ficiaci monasterii, *qui triduo post Theobaldi obitum eam didicerat ex quodam eremita : tertia denique ac major pars est prolixa oratio ad Sanctum. Sed, uti observavit editor, abbas Harmatenus non legitur in Chronico Figiacensi apud Baluzium, neque in serie abbatum ejusdem monasterii in Gallia Christiana. Præterea totum poëma tanti momenti non apparet, ut locum hic ei dare necesse sit ; videat curiosus lector cit. tom.* 5 *Collectionis ampliss. col.* 1100 *et seqq. Porro quæ post erectionem Salmuriensis cœnobii huc usque gesta retulimus, contigere intra annos* 950 *et* 986, *quo vel præcedenti obiisse traditur ipse Amalbertus abbas Salmuriensis simul et Floria-* B *censis. Suffectus illi Robertus in Salmuriensi, cujus ac successorum gesta præcipua, ac privilegia et dona monasterio et ecclesiæ* S. Florentii *concessa pergit describere continuator noster : sed et hæc apud ipsum videri possunt.*

§ V. Glonnensis cœnobii restauratio ; destructio Salmuriensis ; primordia hodierni prope Salmurum, et facta hic translatio reliquiarum.

Restauratur Glonnense cœnobium,

Ædificato novo monasterio et accrescente cœnobitarum numero, de instaurando etiam veteri seu Glonnensi cogitatum est ; missus illuc Guallo, monachus nobilitate et religione insignis, locum occupavit, et adscitis sibi sociis utcumque restauravit, uti pluribus narrat continuator Historiæ, addens col. 1094 : Ex tunc temporis miracula, Deo auctore, locum cœpere, multis attestantibus, frequentare, quorum plurima continentur descripta, et nonnulla prætermissa sunt C scribenda, et dum illic crevit congregatio, fide et moribus adornata, creverunt et patrocinia et Sancti prodigia, quia absens corpore licet, tamen virtutibus præsens aderat. Hunc enim locum ipse elegerat, in quo beneficia et divina mysteria fierent, ex quibus scribere peroptaremus plurima, si nobis omnimoda non deesset scientia. Attamen confisi Dei adjutorio, utcumque referemus quatuor, quæ multi procul dubio post Guallonis discessum loco viderunt in illo. Horum duo, abbate Girardo, visa fuerunt, reliqua duo Frederico evenerunt.

ibidemque, ut fertur, miraculis claret Sanctus.

52 *Operæ pretium non judicavi quatuor ista prodigia transcribere, quandoquidem in nullo fiat expressa mentio* S. Florentii. *Primum in eo consistit, quod monacho auditus fuerit cantus cælestis ; secundum, quod aliis visa sit processio candidatorum vivorum, more angelorum ecclesiam intrantium et post genuflexionem ac venerationem exhibitam ad altare S. Stephani protomartyris cum dulcisono cantu abeuntium ; tertium, quod noctu tum ab aliis tum ab abbate Frederico conspecta sit lux admirabilis in monasterio. Quartum denique, quod sub vesperam vir senex, veneranda decorus specie, candida indutus veste, manuque gestans Crucem purpuream, videntibus vicinis, per aëra advolarit, et supra pinnaculum monasterii evanuerit. Quintum adjicit prodigium idem auctor, quod, quia ad seculum nonum spectabat, superius dedi num.* 34. *Redeo ad Salmuriense monasterium.*

AUCTORE J. P.

Fulco comes Andegavensis

53 *Pergit sæpe memoratus Historiæ continuator, ut dicebam supra sub finem præcedentis* §, *enarrare gesta successorum Amalberti abbatis, sed, si privilegia et dona, quibus ditatum fuit monasterium, excipias et ornamenta, quibus decorata fuit ecclesia, unde saltem colligimus, insignem fidelium erga loci Patronum venerationem, nihil hic peculiariter memorandum producit usque ad annum* 1025, *quo abbatiam denuo adversus casus excepit, et monachi cum reliquiis Sancti inde recesserunt. Hisce causam dedit bellum inter Fulconem comitem Andegavensem et Odonem, cognomento Campanensem, Theobaldi aliquoties laudati nepotem ac hæredem, qui tunc Salmuriensis castri, a majoribus suis exstructi, custodiam commiserat Gelduino bellatori strenuo : cetera accipe ex continuatore col.* 1115 : Eodem tempore præerat Salmuriensi dominio Gelduinus vir nobilissimus, natura ferus, armis E strenuus, forma decorus, longo baronum et equitum agmine constipatus, hostes finitimos armis penetrans, longinquos sola fama deterrens. Quotiens Fulco Andegavorum comes per illius viciniam transibat, metu conterritus aiebat : « Fugiamus Salmuriense dæmonium, nam semper eum mihi videor ante meum videre conspectum. » Denique illius virtute oppressus, tandem Salmuro copiosum exercitum admovit.

bellum gerens adversus Odonem Campanensem,

54 Tunc Gelduinus nuntium ad Fulconem dirigit, ut trevas faceret. Fulco vero ut dolosus et cupidus, hoc verbum fraudulenter interpretans, sisti jubet exercitum, et in locum, Clementiniacum prius dictum, castrum exstruxit, quod Trevas nuncupavit ad Salmuriensium reprimendam potentiam. Nam a priscis Franciæ regum temporibus, Andegavam atque Neustriam regionem libere tenentium a castro Salmuro politissimam dominationem, vulgariter vicariam dictam, terminabat Gegina vicus. Tunc temporis in Montis-Buelli * vertice, versus urbem Turonicam Fulco castrum firmissimum fecit, quod Odo comes cum exercitu magno obsidens, Fulco vero ex adverso repellere nitens, viribus utrimque collectis, publicam condixerunt pugnam, ad quam Gelduinus cum F Salmurensibus, Cainonenses quoque et Insulani cum Francis evocati conveniunt.

* *al.* Budelli

Salmurum intercipit;

55 Cumque Fulco jam villam Brenoldem attigisset, obvium quemdam habuit, qui Francos multipliciores et multo numerosiores nuntiavit. Tunc Fulco Salmurum vacuum esse et solum recogitans, retro gressum dirigit, Ligerique ac Vigenna transvadatis, cum gravi exercitu insperate castellum obsidens, vi accepit, et a castro, ruinam incendii funditus perpessuro, reverendam patris Florentii glebam extraxit. Abbas autem Fredericus et monachi, gravem considerantes exercitum, gravius metuentes flammarum incendium, assumto corpore sancti Patroni et Sanctorum reliquiis, exierunt, sicut Loth de Sodomis, vel sicut Abraham de Ur Caldæorum, anno MXXV. *Castro quidem eos egredi passus est Fulco, sed longius abire non permisit statim. Animo quippe statuerat sacras reliquias Andegavum transvehere, et Sancto ecclesiam honoratiorem exstruere, ut clare intelligimus ex verbis, quæ paucis interpositis subduntur.*

56 Interim, *inquit idem continuator,* LX fuisse

AUCTORE J. P.

reliquias Sancti Andegavum devehere meditans,

se dicuntur, qui in tumultu eodem e squaloribus egressi, ignem oppido admoverunt, comite sæpius clamante : S. Florenti, sine te concremari, meliorem enim Andegavis tibi habitationem extruam. Cum cujus gleba cum adjudicasset repetere Andegavum, suis Sanctum ferre non valentibus, a monachis delatus, quamdam in prorim protinus insilivit, et sic utcumque a Trevis per jus Sancti, ultra eam non delaturus pervenit. Nam mirum in modum sui cum transnavigare naucleri terram Sancti satagerent, videbatur eis, ut quo altius latebat unda fluminis, illic a sabulo detineretur ratis, eo transcendente portum. Tunc cunctis viribus adnisi, nullatenus digredi de finibus valuerunt Sancti. Sed simul ac dux cum reliquiis nulla conditione posse progredi, nec Sanctum a suo velle separari monasterio agnovit, impium et rusticum illum vocans, nullumque bonum sibi velle fieri, spreta voti sui Andegavis honoris cumulatione, continuo eas deseruit, et absque haud admiratione recessit. Abbati vero ac monachis repetere stationem suam in Salmuro, ut prius, dixit : sed illis multas ob angustias renitentibus, annuit orationi, et ad prævidendum monasterio locum aptum, denotato tempore, una cum conjuge se asserit advenire. B

divinitus prohibetur; monachi,

57 Tunc monachi illum Beatum suscipientes, gaudio cum ineffabili reduxerunt, sanciente comite nihil agi ulterius violentiæ. Fratres igitur proni oratione emissa, contra impetum fluvii levius sunt retrogressi, quam antea naucleri, illos copia remigii impellente, fuerant derivati. Deinde ad ecclesiam S. Hilarii ad locum, cui Cryptas nomen est impositum, pervenerunt : ubi, deposito onere, tam metu quam itinere admodum fatigati, resederunt. Tunc conventu navigio Glonnam directo Fredericus abbas et Lethardus prior cum septeno simul fratrum numero tamdiu manere definierunt, facientes pro posse opus divinum, donec prædicto oneri electo in loco inchoassent receptaculum : omnem enim terram finitimam in Sancti jure possidebant. Quibus locum perquirentibus, nec mora præelectus a Domino locus est inventus, qui olim Bonali-vadum est dictus, secus Thoërii fluvium ad campum spinosum ; ubi anno MXXVI mense Augusto illud magnificum, Deo auctore, novum cœperunt monasterium, cujus fabricæ externus quotidie per diversa operariorum numerus insistebat : cumque per diem omnes sollicite numerarentur, unus semper inveniebatur in opere, qui nusquam apparebat in retributione. Huic structuræ sanctitate ac pietate præcipua Hildegardis comitissa præstantissimum contulit adjumentum. Suum insuper carnetum * retro B. Mariæ cryptam, favores seu adulatores vitando, ædificaverat : quæ cum diro mariti premeretur jugo, sapientissimus actibus illius mitigabat ferocitatem. *Hactenus continuator, cujus phrasis hinc inde obscurior, sed verisimiliter a transcribentibus corrupta est.* C

* *i. e.* tumulum

incenso Salmuriensi castro, haud procul inde aliud

58 *Eadem compendiose referuntur in Chronico S. Maxentii, quod Malleacense vulgo dicitur, apud Labbeum tom. 2 Bibliothecæ Mss. pag.* 206. Anno MXXV. Captum est Salmurum castrum a Fulcone, et Gelduinus fugatus est. Tunc Fredericus abba quarto anno ordinationis suæ et fratres, qui cum eo erant, rapuerunt de mediis ignibus libros et quædam ornamenta ecclesiastica, et accipientes corpus sancti Florentii et reliquias ceterorum scriptas pergunt ad ecclesiam S. Hilarii, ibique per aliquot annos in parvis tuguriis more hospitum degentes, ecclesiam istam novam ædificare cœperunt. *Auctor Historiæ brevioris de eversione monasterii veteris S. Florentii, cujus textus hic mutilus est, etiam hanc Salmuriensis cœnobii eversionem paucis memorat : sed factam eam esse innuit, Frederico abbate non multum invito, utpote qui judicabat, habitationem in tali castro non esse congruam disciplinæ monasticæ. Accipe et ipsius verba :* Ab initio suæ ordinationis usque ad tempus incensionis atque captionis salvum.... * est a Fulcone Andegavorum comite, maju.... * Ordinem monasticum invenit tepidum (*Fredericus*)..... * et pene jam lapsum, quem et prædicando et operando fecit fervidum et erexit, atque commutavit in meliorem statum. Habitatio castelli ei erat valde onerosa, et animabus fratrum periculosa atque damnosa ; sed liberati sunt in ordinatione divina. Nam cum se ab exercitu circumdatos, et a flammis cernerent undique septos, assumpto corpore sui Patroni et reliquiis Sanctorum, exierunt sicut Loth de Sodomis, vel sicut Abraham de igne Chaldæorum, et venerunt ad ecclesiam S. Hilarii, ibique manserunt, facientes pro posse opus divinum, et non post multum tempus inchoatum est novum monasterium. *Quæ hic mendosa erant, correxi in margine ex longiori Historia, ubi eadem leguntur col.* 1113. D E

* *l.* Salmuri, quæ factæ
* *l.* mansit in Salmuro
* *adde* et depravatum

cœnobium erigunt, in cujus basilica

59 *Hæc fuit postrema cœnobitarum transmigratio ; dicto enim in loco, haud procul Salmuro oppido deinceps perstiterunt, atque usque nunc commorantur eorum posteri in celeberrima abbatia. Huc autem sexto anno post inchoatum cœnobium transtulere sacras Patroni sui exuvias, sicut testatur sæpe memoratus Historiæ longioris continuator col.* 1117. Anno igitur MXXX VI Nonas Maji, onus memoratum feliciter transtulerunt in novum monasterium, adhuc imperfectum in dextro membro, super altare S. Johannis Baptistæ, ubi congregata est immensa multitudo non solum affinium, sed etiam longe positorum. Affuit quoque Tutides Gaufridus Fulconis filius cum suo patre ac matre et universis Andegavorum primoribus. *Idem scriptor, nonnullis interpositis, relationem suam resumit in hunc modum col.* 1124 : Postquam illud magnificum operis ædificium, Deo juvante, est perfectum, convocavit abbas Fredericus quatuor episcopos ad dedicationem : Arnulfum Turonensem, Hubertum Andegavensem, Isembertum Pictavensem, Galterium Nannetensem : affuit et Gaufredus Andegavensium comes cum honorabili matre sua Hildegarde et conjuge sua nomine Agne, et cum eo multi viri nobiles, nec non populus utriusque sexus infinitæ multitudinis, abbates et monachi et clerici, quorum non est numerus. F

solemniter dedicata deponuntur reliquiæ

60 Tum dedicata est ecclesia in honore sanctæ Trinitatis, et honore sanctæ Mariæ semper Virginis, et in memoria BB. apostolorum Petri et Pauli, et S. Florentii confessoris. Anno Domini * Incarnationis MXLI facta fuit ista dedicatio. *Eadem iisdem pene verbis tradit auctor brevioris Historiæ, chronista vero S. Maxentii laudatus num.* 58 *etiam diem adjicit inquiens :* Et dedicatum est ab eis Idibus Octobris. *His addunt Sammarthani tom.* 4 *Galliæ Christianæ pag.* 393 : Quæ dies ex eo tempore fuit ibidem celeberrima, non tamen monasterium in castro Salmurensi, in quo habitaverant, penitus dimiserunt sed aliquantulum reædificantes, ab Huberto Andegavorum episcopo fecerunt reconciliari, et a quibusdam ex seipsis inhabitari. *Elapsis autem annis circiter viginti dedicatum quoque est Glonnense seu* S. Florentii *vetus monasterium,* anno *scilicet* millesimo sexagesimo primo... XVIII Kalendas Julii a domno Eusebio

* *al.* Dominicæ

A Eusebio Andegavorum episcopo in honore S. Salvatoris et S. Florentii confessoris, *sicut expresse notant auctor brevioris Historiæ et continuator longioris.*

ac denuo novæ thecæ imponuntur.

61 *Seculo sequenti in novi monasterii basilica prope Salmurum facta est denuo translatio reliquiarum Sancti nostri, eaque, quantum ex numero antistitum, qui interfuere, colligere est, solemnissima. Litteris eam commisit secundus Historiæ longioris continuator, Michaël nempe, qui ibidem abbas electus est sub annum* 1202, *ac proinde rebus gestis proximus fuit. Sic autem habet col.* 1132 : Hujus patris (*Philippi abbatis*) tempore translatum est corpus B. Florentii in capsam novam, studiosius præparatam, in qua nunc Sanctus veneratione debita requiescit : ad cujus translationem ex præcepto felicis memoriæ Papæ Adriani (IV) accesserunt Joscius archiepiscopus Turonensis, Matthæus Andegavensis, Stephanus Redonensis, Willelmus Cenomanensis, Laurentius Pictavensis, Bernardus Nannetensis, qui omnes summo honore et reverentia ossa venerabilis confessoris Florentii venerantissime transferentes anno ab Incarnatione Domini MCLIX VI Nonas Maji, universis fidelibus,
B ad eumdem terminum pia devotione beatissimi Florentii suffragia postulantibus, remissionem et indulgentiam peccatorum annis singulis concesserunt *Hæc translationis relatio, si auctorem spectes, omnium, quas dedi hactenus, videbitur testatissima; verum si is translatum hic velit vel corpus integrum vel majorem ejus partem, omnium quoque perceptu difficillima, quemadmodum docebit sequens* §.

§ VI. Translatio reliquiarum Salmuro Royam, et Roya iterum Salmurum.

Royæ in Picardia

Varias Glonnensis ac Salmuriensis monasterii vicissitudines usque ad seculum XII *prosecutus sum, ut, quo et quoties translatæ fuerint reliquiæ* S. Florentii, *ediscerem ipse et lectoribus proponerem; verum eodem seculo* XII *occurrit difficultas gravissima. Etenim septennio circiter ante, quam in Salmuriensi cœnobio corpus Sancti ex una capsa in alteram solemniter translatum fuisse*
C *testatur citatus num.* 61 *Michaël, Salmuriensis Historiæ continuator synchronus, jam idem corpus simili modo translatum fuisse scribitur in ecclesia collegiata Royensis oppidi in Picardia, quod Sanctum nostrum tamquam præcipuum patronum suum coluit pluribus abhinc seculis. Hujus translationis instrumentum ex Ms. Royensi missum fuit ad Majores nostros anno* 1650, *sed et ante, puta* 1637, *typis vulgatum fuerat a P. Antonio de la Vacquerie pag.* 222 *Vitæ* S. Florentii *editæ Parisiis, qui id accepisse se ait a R. P. du Bois, Priore monasterii Salmuriensis, depromptum ex archivo ejusdem monasterii, descriptumque ex autographo, invento in ipsa lipsanotheca, quando hæc anno* 1480 *Roya fuit transportata ad dictum monasterium, sicut pluribus exponam inferius.*

seculo 12 nova in theca deponuntur

63 *Instrumentum autem sic habet:* Notum sit omnibus præsentibus ac futuris, quod sacrum corpus beati Florentii confessoris translatum fuit de veteri vase et in præsenti vase repositum per sacras manus Theodorici Ambianensis, et per sacras manus Baldovini episcopi Noviomensis quarto Kalendas Octobris. Actum præsente et testimonio cleri et populi Royensis anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo, sedente Romæ Eugenio tertio, Remis Samsone archiepiscopo, regnante Ludovico (septimo) rege Francorum, et filio Ludovici (sexti) regis, Radulpho Veromanduorum comite, præsentibus Guarino præposito Ambianensi, Hilgoto decano Royæ. *Ita tum in Ms. tum in impresso; sed in hoc adduntur sequentia :* Ego magister Robertus, ejusdem loci canonicus et custos S. Quintini, scripsi; sigillum beati Georgii martyris; signum Hugonis clerici; signum Hugonis cancellarii Noviomensis,

AUCTORE J. P.

Salmuro illuc translatæ

64 *Idem Antonius de la Vacquerie pag.* 225 *ex eodem archivo Salmuriensi Latinam inscriptionem exhibet, quæ anno* 1480 *legebatur in memorata lipsanotheca, quæque indicabat, unde, quo modo ac tempore sacrum corpus ad se delatum fuisse crediderint Royenses. Ita habet :* In pede dictæ capsæ ex utraque parte scribuntur, quæ sequuntur litteris azureis : « Temporibus gloriosissi» mi principis Henrici regis Francorum, comes » Veromanduensis Francorum regis filius Hugo » corpus sancti Florentii prope Salmurum et juxta » alveum Ligeris, tunc omnigenis fulgens mira» culis vi armorum ad ecclesiam sancti Georgii » Royensis transtulit anno Domini millesimo tri- E » gesimo quinto die Maii vicesima quinta. » *Per Hugonem designare hic voluit auctor inscriptionis, Hugonem Magnum, filium Henrici primi regis Francorum, qui Viromanduensem comitatum obtinuit per conjugem suam Adelam, Heriberti comitis filiam; at notæ chronologicæ non valent. Henricus primus Francorum rex tres filios habuit, Philippum, Hugonem et Robertum, quorum natu major et heres Philippus, septennis erat dumtaxat, dum pater obiit anno* 1060 *: proindeque dicta translatio per Hugonem fieri nequivit temporibus Henrici I, nedum anno* 1035, *quo natus necdum erat.*

Sancti reliquiæ,

65 *Alterum instrumentum, Gallice exaratum producit Vacquerius pag.* 212, *in quo coram duobus notariis regiis anno* 1492 *testatus est magister Jacob canonicus Carnotensis, quod cum anno* 1475 *Royæ esset in comitatu Ludovici XI Galliarum regis, ibidem viderit, et eidem regi id exigenti ostenderit antiquum codicem, cui inscripta erat translatio reliquiarum ex Salmuriensi cœnobio Royam, facta vi armorum per comitem Viromanduensem; sed nec nomen comitis exprimitur, nec signatur, annus. Quidquid sit, abbas et monachi Salmurien-* F *ses tum verbis tum factis sufficienter agnoverunt seculo* 15, *veras* S. Florentii *patroni sui reliquias a multis seculis servatas et honoratas fuisse in Royensi ecclesia, quamquam id diu ignoraverint, putarintque, eas omnes semper mansisse penes se. Patebunt hæc per decursum. Nunc difficultatem ex translatione, facta Royæ anno* 1152, *et ejusdem facta in Salmuriensi cœnobio anno* 1159, *propositam conemur evolvere, saltem per conjecturas.*

non omnes verisimiliter, sed pars major.

66 *Statuamus igitur, verum esse, quod Sancti reliquiæ sub seculi* XI *finem vel certe ante medium sequentis e Salmuriensi ecclesia desumptæ, et Royam transportatæ fuerint, non inde necessario sequitur, nullas omnino fuisse ibidem relictas; vel si ablatæ fuerint omnes, nihil prohibet credere partes aliquot deinde fuisse restitutas deprecantibus monachis, intercedentibus episcopis et magnatibus Andegavensibus, imo jubente Pontifice Romano Adriano IV, ex cujus præcepto dicuntur episcopi venisse Salmurum ad translationem magno apparatu factam anno* 1159, *septennio postquam vel totum corpus vel partem ejus majorem elevarant et in novam capsam transtulerant Royenses,*

AUCTORE J. P.

Sed, inquis, in utroque instrumento ad eum modum describitur translatio, acsi utrobique fuisset corpus integrum. Respondeo, vix aliud frequentius esse, quam partem corporis vocari corpus. At cur nulla de translatis Sancti reliquiis Royam superfuit apud Salmurienses notitia usque ad seculum XV? *In litteris quippe anni* 1496, *quas integras dabo inferius, id fassi sunt abbas et monachi in hunc modum :* Ignorantibus nobis hæc omnia, quinimmo credentibus sive autumantibus, reliquias easdem in quadam capsa metallina clausas et repositas ab olim fuisse et esse tectas siquidem in antiqua et insigni capsa argentea, quæ ab omni ævo apud nos est. *Putem ego, id de industria factum esse a monachis seculi* XII, *qui, ne populi studium ac devotio erga Sanctum defervesceret, residuas vel a Royensibus restitutas corporis partes, ita transtulere in novam capsam, acsi integrum vel fere corpus integrum etiam tum possiderent : quæ opinio paulatim ita invaluerit, ut vel apud ipsos monachos eorum posteros deperierit memoria de translatis Royam reliquiis.*

Seculo 15.

67 *Reliquias hasce maxima cum veneratione conservarunt, et quiete possederunt Royenses usque ad annum* 1475, *quo vel sequenti iis ad tempus privati fuerunt. Occasio fuit bellum id temporis flagrans inter Ludovicum XI regem, et Carolum Burgundiæ ducem: cum enim Ludovicus Royam, partes Caroli secutam, armis occupasset, ex allato sibi antiquo codice didicit, reliquias S.* Flo*rentii [illegible] transportatas fuisse olim per [illegible] comitem ex Salmuriensi abbatia. [illegible] Ambianum projectus est, et a vicario episcopi rogavit impetravitque facultatem asportandi ac transportandi reliquias ad Salmuriense monasterium; hujus autem negotii exsequendi provincia commissa fuit magistris Philiberto de Best, Georgio Robinet canonicis ecclesiæ S. Stephani Bituricensis, ac pluribus aliis viris ecclesiasticis. Ita fere laudatus num.* 65 *magister Jacob canonicus Carnotensis, testimonio coram regiis notariis dato ad annum* 1492.

A Roya Salmurum referuntur.

68 *Reliquam rei seriem testatus est simili instrumento, eodem anno et coram iisdem notariis memoratus mox Georgius Robinet canonicus Bituricensis : asseruit itaque, se acceptis a rege litteris, Ambianum Royam abiisse, sed a Royensibus impeditum fuisse, quominus reliquias tolleret. Id cum renuntiasset regi, secundo illuc missus est cum magistro Philiberto de Best, doctore ac sacellano regio, [illegible]que aliis multis. At vero illuc advenientes, nec corpus nec capsam repererunt; absconderant interim Royenses in loco, non procul ab oppido : ubi tandem quorumdam indicio reperta fuere ac regis mandato et sumptibus tradita Salmuriensibus per dictum Philibertum de Best aliosque. Addit memoratus testis, hæc peregisse regem motu proprio, nemine Salmuriensium sollicitante. Hoc tamen negarunt postmodum Royenses, quando, mortuo Ludovico rege, apud concilium regium Parisiense litem intenderunt Salmuriensibus, ut ablatæ sibi reliquiæ restituerentur. Contenderunt quippe, facta ea esse, instigantibus monachis, et nominatim eorum quondam abbate Joanne du Bellay, qui tum regis Ludovici erat eleemosynarius; fuse ista describuntur in sententia § sequenti memoranda; sed referre hic talia nihil opus est, sicut nec expositam ibidem injuriam ac vim illatam Royensibus, ut thesaurum absconditum detegerent.*

69 *Translationem celebrarunt Salmurienses anno* 1480, *eamque cum descriptione capsæ et reliquiarum litteris annotarunt, quarum initium exhibet Vacquerius pag.* 218, *ut sequitur :* In nomine Domini, Amen. Sequitur modus et ordo translationis corporis beatissimi Florentii confessoris, quæ in ecclesia monasterii ejusdem beatissimi Florentii prope Salmurum celebrata fuit, et completa anno ejusdem Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo, die vicesima quinta mensis Junii ex præcepto et voluntate gloriosissimi principis Ludovici Francorum regis etc. *Hic sistit editor, non indicans, an multa, an pauca prætermittat, ac deinde ista subdit :* Quæ quidem capsa de Roya erat lignea, sed argento desuper cooperta per totam cum laminis æreis, hisque imaginibus et circumquaque et desuper decorata; videlicet in fronte * imaginem Domini nostri in throno sedentis, librumque tenentis : superscriptio ejus : Ego sum Alpha et Omega : ex utraque parte imagines sex Apostolorum in sedibus et capellis suis cum subscriptione nominum eorum, et in fine * imago S. Florentii cum ejus subscriptione. In tecto ejusdem erant scripti versus sequentes cum historiis ad eos pertinentibus.

Descriptio capsæ,

* adde habebat

* adde erat

Hic ad Martinum Florentius ire jubetur,
Flumen transire et sine remige non reveretur.
Hic homo vesanis * a multis vix cohibetur.
Cum prece Vir sanctus, depulsa peste, medetur.
Presbiter effectus, signis his clarus habetur :
Hoc mulier natum recipit, lumenque meretur ;
Attonitam plebem serpentis ab ore tuetur,
Quem tumulus præsens cœlo florere fatetur.

* l. vesanus

70 *Elucidationem accipient recitata carmina ex Vita et miraculis Commentario subnectendis. Indicat autem hic denuo editor, omissas a se esse paucas lineas, atque ita relationem resumit :* In prædicta autem capsa, quæ allata fuit de Roya, reperta fuerunt sacra ossa beatissimi Florentii in pelle cervina honestissime, prout potuit frater Absalon, cum eadem ossa sacra de Tornaco * pio furto abstulit et attulit, involuta; quæ quidem ossa in pelle cervina mirabili integritate et pulchritudine resplendebant, nec aliqua omnino vetustate tabescebant. In qua insuper repertæ fuerunt duo litteræ testimoniales de translatione ejusdem sacri corporis in ipsa capsa per sacras manus Theodorici Ambianensis et Baldouini Noviomensis episcoporum facta *(anno* 1152*)* sigillis capituli ecclesiæ prædictæ sancti Georgii Royensis, cum impressione imaginis ipsius sancti Georgii armati et equitantis, et dictorum episcoporum, una cum quadam lamina plumbi longitudinis unius dorsi manualis et unius pollicis, atque duorum digitorum latitudinis, in qua erat hæc scriptura insculpta : HIC REQUIESCIT CORPUS SANCTI FLORENTII, quæ sigilla et lamina ad corrigias ejusdem pellis cervinæ appendebant, quarum litterarum tenor sequitur. *Assignatus hic litteras dedi num.* 63, *inscriptionem vero capsæ, unde eruimus reliquias ex Salmuriensi ad Royensem ecclesiam delatas fuisse ante medium seculum* XII, *recitavi num.* 64.

in qua erant anno 1480.

* Trenorchio

71 *Porro causa, cur sæpe memoratarum reliquiarum inspectio ac translatio tantum celebrata fuerit anno* 1480, *quamvis, ut apparet, jam ab anno* 1475 *Roya ad Salmuriensem abbatiam delatæ fuissent, fuit verisimiliter confectio duarum capsarum, de quibus meminerunt abbas et monachi in litteris authenticis anno* 1492 *conscriptis. Integras illas exhibebo sequenti § ; accipe interim huc spectantia :* Rex ipse Christianissimus *(Ludovicus XI)* ostendens

dum in duas novas transpositæ sunt.

A ostendens hujusmodi suam devotionem, et in signum memoriamque præmissorum perpetuam, capsam pro capite unam, reliquamque pro corpore ejusdem Patroni nostri reponendam, argento deauratas, aliterque nobilitatas propriis sumptibus fabricavit, ecclesiæ nostræ donando, nobis mandavit, quatenus sæpedictas reliquias, tam eas, quas de Roya transmiserat, quam eas, quas jam ante servabamus, si quas habebamus, insimul reponi procuraremus, cum decenti solemnitate in prædictis capsis, sic ab eo datis perpetuis futurisque temporibus in monasterio nostro venerandas : quod et factum fuit, agentibus et videntibus certis legatis, per eumdem ad hoc expresse destinatis.

§ VII. Litis a Royensibus intentæ abbati et monachis Salmuriensibus amica compositio et reliquiarum divisio.

B

Post acrem litem Royensibus causa adjudicatur;

Mortuo Ludovico XI, et regnum in Galliis obtinente Carolo VIII, novæ turbæ exortæ sunt occasione earumdem reliquiarum. Decanus quippe et canonici ecclesiæ Royensis, ægre sustinentes absentiam sacri thesauri, quo per secula circiter quatuor gavisi fuerant, litem intulerunt abbati et monachis Salmuriensibus, contendentes injuste illum sibi ablatum esse, postulantesque, ut ejus fieret restitutio. Multum et acriter disceptatum est Parisiis in curia magistrorum libellorum supplicum, vulgo dicta la chambre des requêtes du Palais, *ac tandem judices isti, lata sententia die* 2 *Aprilis anno* 1491, *causam adjudicarunt Royensibus, injungentes Salmuriensibus, ut et capsam et reliquias illis restituerent. Appellarunt Salmurienses ad supremam curiam, vulgo* Parlamentum, *atque interim nova causæ suæ subsidia compararunt, qualia fuerunt testimonia magistri Jacob et Georgii Robinet canonicorum, laudata § præcedente, sed nihilo minus causa ceciderunt, jussique sunt restituere capsam cum reliquiis. Cujus sententiæ, datæ anno* 1494 *die* XIV *Augusti, sequens tantum exhibet initium Vacquerius pag.* 229 : Karolus Dei gratia Francorum rex universis præsentes litteras
C inspecturis salutem. Notum facimus *etc.*

sed demum relatis utriusque partis

73 *Sed ne vel sic, ut fert historia, teste Vacquerio, acquieverunt Salmurienses; donec anno* 1496, *nescio quid causæ intervenerit, lis utriusque partis consensu, et modo vere Christiano composita est. Modum hunc disce ex sequenti instrumento.* Universis præsentes litteras inspecturis et audituris Ludovicus humilis abbas monasterii sancti Florentii prope Salmurum Ordinis sancti Benedicti, Andegavensis diœcesis, ejusdemque loci conventus; nec non Joannes Carton decanus, Petrus de Biaurains et Natalis Desponchaulx presbyteri canonici, procuratoresque ecclesiæ secularis et collegiatæ beati etiam Florentii de Roya, Ambianensis diœcesis, salutem in omnium Salvatore sempiternam. Notum facimus per præsentes, quod controversia quædam fuit agitata diu inter nos, decanum, canonicos et capitulum ecclesiæ præfatæ de Roya, actores ex una parte; abbatemque et conventum reos partibus ex altera. Dicebamus enim, nos Royanses spoliatos fuisse de reliquiis ejusdem beati ac piissimi confessoris Florentii, capite scilicet et corpore suis, una cum theca seu scrinio, in qua caput, et capsa, in qua corpus segregatim quiescebant, in ecclesiaque nostra servabantur, et devoto officio venerabantur. Ex * quidem ecclesia ad dictum monasterium Salmurense contra justitiam transportata contendebamus de præmissis; ea de re petebamus in integrum restitui.

AUCTORE J. P. *adde qua*

74 Nos vero abbas et monachi e contrario respondebamus, quod fælicis memoriæ Ludovicus olim Francorum rex octavus * villam de dicta Roya, aliquibus temporibus a suis rebellibus possessam, ditioni suæ reposuit, ibique personaliter accedens, aut veris aut verisimilibus documentis comperit, quia priscis temporibus Viromendensis quidam comes ab eodem monasterio armorum impetu reliquias illas sustulit et ad ecclesiam Royansem transtulit. Quare devotione affectus piissimus idem rex sanctuaria ipsa suo restituere loco disposuit et ad monasterium nostrum honorifice transmisit, prout est sub patentibus litteris, et iteratis sæpe verbis palam fecit ignorantibus nobis hæc omnia, quinimmo credentibus sive autumantibus, reliquias easdem in quadam capsa metallina clausas et repositas ab olim fuisse, et esse tectas siquidem in antiqua et insigni capsa argentea, quæ ab omni ævo apud nos est. Quodque rex ipse Chri- E stianissimus ostendens hujusmodi suam devotionem, et in signum memoriamque præmissorum perpetuam, capsam pro capite unam, reliquamque pro corpore ejusdem Patroni nostri reponendam, argento deauratas, aliterque nobilitatas propriis sumptibus fabricavit, ecclesiæque nostræ donando, nobis mandavit, quatenus sæpe dictas reliquias, tam eas, quas de Roya transmiserat, quam illas, quas jam antea servabamus, si quas habebamus, insimul reponi procuraremus cum decenti solemnitate in prædictis capsis, sic ab eo datis, perpetuis futurisque temporibus in monasterio nostro venerandas : quod et factum fuit, agentibus et videntibus certis legatis, per eumdem ad hoc expresse destinatis. Aiebamus insuper, quod si forte sæpe dictarum reliquiarum pars vel totum quiescebat in ecclesia Royansi, hoc erat per vim, ut præfertur. Quare concludebamus, nos in eo casu inique spoliatos fuisse, et juste restitutos : ipsos autem venerabiles Royanses non fuisse spoliatos, nec restitui debere; imo reddere gratiam ecclesiæ Salmurensi, de cujus pretiosissimis usi fuerunt.

rationibus

** imo undecimus*

amice componitur;

75 Finaliter post multas altercationes, Deo propitiante, qui pax est et charitas, in hanc perpetuam F concordiam devenimus : videlicet, quod ipsæ venerandissimæ tam capitis quam corporis reliquiæ a dictis capsis novis, quibus tegebantur, primo extraherentur in nostrum monachorum, decanique et canonicorum præsentia, ac super majus altare præsentis ecclesiæ ad discoopertum honeste reponerentur : quod et factum fuit cum devota debitaque solemnitate per reverendos in Christo patres dominos et abbates sancti Mauri supra Ligerim et de Asneriis Bellaii Andegavensis diœcesis in cleri, procerum populique diversorum graduum assistentia non modica. Demum quod nos abbas et monachi singuli conventus præfati juraremus coram Deo, gloriosaque ejus Genetrice, sanctoque Florentio et cælesti curia, quod, quantum humana fragilitas nosse patitur, reputabamus et reputamus, easdem ipsas reliquias esse, quæ a pago Royansi, ut præfertur, asportatæ fuerant, absque ullo dolo aut fraude per nos vel quamcumque personam de nostro scitu factis : quod et similiter juravimus et per præsentes juramus.

reliquiæ

76 Quibus sic patratis, de expresso consensu stipulationeque præhabita inter nos abbatem et conventum personaliter, capitulumque et ecclesiam

siam

AUCTORE J. P.

siam Royansem in persona decani et canonicorum prænominatorum, ecclesiæ illius procuratorum et nomine procuratorio quemlibet nostrum tam conjunctim quam divisim voluimus et expresse consensimus, volumusque et expresse consentimus præsentium per tenorem, quatenus reliquiæ tam capitis quam corporis communis patroni nostri beatissimi Florentii infra nominandæ dentur, assignentur et de facto tradantur sæpe dictæ ecclesiæ Royansi in eadem perpetuo conservandæ ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, ejusdemque Patroni, et devotionem populi adaugendam, et quæcumque aliæ supersunt propter causam similem præsenti monasterio ex nunc in perpetuum remaneant.

dividuntur; 77 Hinc est, quod illico dictis venerabilibus procuratoribus, et eorum quolibet insimul congregatis et procuratorio nomine, quo supra, recipientibus per dictos reverendos patres divisæ et traditæ fuerunt realiter et de facto de reliquiis, quæ, ut sæpe dictum est, ab Roya transportatæ fuerant; videlicet ambæ mandibulæ inferiores integerrimæ cum earum mento naturaliter sibi invicem cohærentes et novem ex suis dentibus eisdem B similiter colligati: unum insuper ex principalibus ossibus colli, quæ spondyli vel nodi colli vulgariter nuncupantur; unum etiam tale de spina dorsi: tres quoque costæ ex pretiosioribus: majora ossa duo unius brachii; primum videlicet a spatula ad codicem * attingens et reliquum a codice usque ad manum tendens: majus insuper et principalius os unius anchæ: magnum similiter et unicum os alterius femorum, ab ancha videlicet usque ad genu, et principale unius tibiæ ex genu usque ad pedem protensum. Quæ profecto reliquiæ in præsentiarum destinatæ, cunctis videntibus, fuerunt per dictos reverendos patres repositæ reverenter et honeste, videlicet mandibulæ cum spondylo colli in scrinio argenteo, et reliquæ in capsa, quæ, ut præfertur, asportatæ fuerant de Roya. Cæteras vero tam capitis, quam corporis partes et artus reposuerunt iidem prælati consimili forma sigillatim in capsis, per dominum Ludovicum regem, ut præfertur, destinatis, in præsenti monasterio conservandis. De quibus omnibus nos tam monachi quam procuratores sumus contenti et alterutrum perpetuo quictamus *.

* cubitum

* absolvimus

C 78 Huic insuper paci charitatem amplificando, fraternitatem societatemque perennem utrarumque ecclesiarum nostrarum et personarum earumdem contraximus, in participatione videlicet orationum, eleemosynarum, abstinentiarum, suffragiorum, vigiliarum, cæterorumque bonorum spiritualium, quæ deinceps fient per nos et suppositos nostros in capitibus et membris; in necessitatibus etiam temporalibus nos in invicem subveniemus: specialiter autem nos monachi anniversarium solenne celebrabimus vigesima tertia mensis Julii cujuslibet anni pro defunctis viventibusque fratribus nostris ecclesiæ Royansis, quale consuetum est in illis, quæ pro abbatibus nostris fiunt in capis una cum alimento pauperis, ut in quibusdam obitibus specialiter ordinatum est. Ipsi autem domini et fratres similiter facient dicta die in sempiternum pro nobis nostrisque defunctis, sicut celebrare consueverunt in solemnibus anniversariis pro decanis ecclesiæ eorum.

societas initur,

et, datis utrimque muneribus

79 Et ut societas sive fœdus initum inter ipsas ecclesias esset majoris roboris, memoriæ sive firmitatis, donata sunt utrimque venerandarum reliquiarum munera pretiosa animo tantum liberali: videlicet ex parte ecclesiæ Royansis donata fuit cœnobio nostro insignis quædam reliquia ex ossibus gloriosissimi Floriani martyris, germani sæpe dicti patroni nostri Florentii confessoris, tecta sub argentea theca admodum nobilitata, quam nos cum gratiarum actione recepimus: et charitate reciproca de nostris oblaturos eidem spopondimus, cunctis hæc videntibus et devote gratulantibus; quod ad statim cassata turba, nos monachi complevimus, non tamen ut debuimus, sed quantum licenter potuimus. Dedimus scilicet sorori nostræ Royansi ecclesiæ de capillis sancti Quintini martyris seorsum in vasculo ad hoc deputato: et insuper plures reliquias eisdem procuratoribus obtulimus de sanctis Petronilla et Genovefa virginibus, insimul tamen confusis, et quod eis liceret, segregarent, ac in reliquiario eisdem oblata collocari juberent; unde factum est, ut virginum ipsarum reliquiis earumque qualitate diligenter inspectis per hujusmodi canonicos, nonnullos etiam alios viros in talibus peritos ipsi eligerent, quam commodius poterant de singulis virginibus ossa bina et bina: orationeque completa, in ecclesiam suam deportanda benignius sumpserunt. D

80 Acta fuerunt hæc in sæpefato monasterio sancti Florentii, multis venerabilibus insignibusque personis cujuslibet, ut præfertur, status et conditionis assistentibus, ad testimoniumque vocatis, quibus nomina propriis manibus litteris præsentibus annotanda peroptando supplicamus, prout etiam nos partes supra scriptæ nomina nostra ponimus et annotamus una cum appensione sigillorum nostrorum in fidem, robur et testimonium præmissorum, ac vigesima tertia mensis Julii anno Domini millesimoquadringentesimo nonagesimosexto. Et infra: Et ego Ludovicus sancti Florentii abbas, insuper frater Petrus Piuam monachus supra dictæ abbatiæ ac baiulus * signo meo manuali has litteras roboravi. Piuam. *Additur sermone Gallico, apographum harum litterarum desumptum esse ex archivo ecclesiæ collegiatæ Royensis, collatumque cum autographo suo in membrana exarato, atque ex mandato canonicorum ei subscriptum fuisse a magistro Ludovico Caddé notario regio et capituli scriba anno* 1650 *die* XVI *Septembris.*

firmatur. E

* verisim. procurator

§ VIII. Solemnis reliquiarum exceptio Royæ, cultus annuus ibidem et in locis aliis. F

Royenses reliquiarum reditum,

A tempore immemorabili, sicut ante insinuavi, S. Florentium *coluerunt Royenses tamquam præcipuum oppidi sui patronum, et eo quidem fervore ac studio, ut ecclesiam collegiatam ac primariam, olim S. Georgio martyri consecratam, paulatim* S. Florentii *nomine compellarint, quod ei nomen adhæret etiam hodie, utque annuam ejus memoriam die* XXII *solemni Officio ac Missa propria celebrarint, abstinentes ab omni opere servili. Ea festivitas perseverat etiam usque nunc, accurrente non tantum illo die, ut scribit Vacquerius, verum per totum anni decursum ad ejus sacras reliquias ingenti hominum multitudine. Hinc nemo mirabitur, tantum operæ ac laboris impensum fuisse a decano et canonicis Royensibus, ut ablatas seculo* XV *reliquias recuperarent, tantumque gaudii et ab ipsis et a populo exhibitum, dum voti compotes facti, quantum describit laudatus Vacquerius pag.* 233 *et seqq.*

82 *Primum*

miraculis illustratum, festive

A 82 *Primum plura miracula patrata fuisse asserit tam in locis, per quæ deductæ fuerunt sacræ reliquiæ a Salmuriensi cœnobio Royam usque, quam speciatim hic in earum adventu. Tunc quippe, citans Historiam, nescio quam, super reditu eo conscriptam, dicit, mutis redditam fuisse loquelam, surdis auditum, claudis rectum incessum. Dein ex traditione, accepta a sene nobili, honesto ac pio, exponit apparatum et receptionem in hunc fere modum. Simulac felicem pii Patroni sui reditum edocti sunt Royenses, certatim operam dederunt, ut in honoris exhibitione ac testificatione amoris sui erga ipsum invicem superarent. Eum in finem magnos gaudii et solemnis lætitiæ apparatus adornarunt, nulli rei parcentes, ut cuilibet testatam facerent animi voluptatem.*

celebrant, et quotannis celebrandum

83 *Verum in ipsa exsecutione perturbavit nonnihil festivitatem grande infortunium. Inter varios arcus triumphales, ad introïtum oppidi erectos, confecta fuerat machina, ex qua puer, genii speciem indutus, leniter descenderet, clavesque oppidi offerret lipsanothecæ : ea autem haud solide satis constructa defecit, deciditque cum præsenti*
B *pueri incidentis periculo. Quo viso perculsa adstantium turba inclamavit :* S. Florenti, serva puerum, S. Florenti, ora pro nobis : *evasit ille incolumis, perque id prodigium accrevit hominum veneratio erga Sanctum, confirmataque est fiducia, quam in ejus precibus et meritis collocaverant. Denique, teste eodem Vacquerio, in gratiarum actionem pro felici reliquiarum reditu instituerunt Royenses festivitatem quotannis in ecclesia sua cum peculiari Officio celebrandam die Dominica infra octavam assumptæ in cælos beatissimæ Virginis Mariæ*

decernunt Officio peculiari: lectiones

84 *Ad peculiare istud Officium pertinent verisimillime, vel saltem olim pertinuere lectionis cum antiphona et aliquot responsoriis, quæ ex autographo membraneo ecclesiæ collegiatæ Royensis, jubentibus canonicis descripta, collata et notarii regii Ludovici Caddé testimonio munita cum Majoribus nostris communicavit anno 1650. P. Florentius Montmorentius Societatis Jesu sacerdos. Is titulus illis præfigitur :* In receptione S. Florentii. Lectiones : *tres deinde subduntur totidem miracula continentes, ut sequitur* : Labente vero tempore, famaque inexplicabilium miraculo-
C rum diversorum generum ægritudinum per oppida finitima volitante, cum Parisienses, Rothomagenses, Belvacenses, Ambianenses, Attrebatenses, Cameracenses, Morinenses, Laudunenses, Noviomenses, Peronenses, populusque ex longinquis regionibus sanitatis recuperandæ gratia catervatim ad sancti Florentii ecclesiam condescenderet, accidit, ut quidam Aluthariuś Belvacensis, qui a spiritu maligno acerbissimo per octo annorum spatium cruciatus fuerat, quam ob rem claustris ferreis manus junctas* habebat; is, postquam per aliquot dies Deum ac sanctum Florentium orasset, relictis in ecclesia claustris ferreis, sanus et incolumis ad propria recessit. Tu autem Domine, etc.

** forte vinctas*

Officii propriæ

85 His itaque se habentibus, quidam vir quinquaginta et septem annos natus, ex oppido Fulieres prope Peronam oriundus fuit, qui per decem annorum spatium cubitorum, manuum, genuum ac pedum dolore quam maximo cruciabatur in tantum, quod sæpius jacere cogebatur, aut tum duabus potentiis* corpus ejus infirmum sustentare : is cum ingenti devotione ecclesiam beati Florentii adiit, et postquam preces in eadem ecclesia Deo et sancto Florentio emisisset, abjectis potentiis et sustentaculis, sanus patriam remeavit. Tu autem Domine, etc.

** i. e. fulcris subalaribus*

AUCTORE J. P.

Nec multum post vir quidam militaris quinquaginta duorum annorum agens, ex oppido S. Quintini oriundus, qui per longa temporis intervalla ex diuturna infirmitate corpus exanime et invalidum habebat adeo, ut per triduum præ nimia ægritudine nullum cibum degustare potuerat : is cum apud S. Florentium apulisset, orationemque fecisset, vires pristinas reassumpsit, et Deum ac sanctum Florentium magnifice collaudavit. Tu autem Domine etc.

et responsoria hic recitantur,

86 *Additur antiphona una :* Gratulare tu Bajoaria Florentii pro magna gloria; sed Royensis magis ecclesia jucundetur ejus præsentia, quam virtutum ornant insignia. *Jubetur hic gatrulari Bajoaria seu Bavaria secundum eam opinionem, qua Sanctus gente Bavarus statuitur. Responsoria sic habent, primum :* Post annorum plurium circula nutu Dei regentis secula translatum est in Royensi villa. ℣ Quo refulsit tempore permulta operando miracula. *Secundum* : O mira res! Raptus ab ambitu Royæ, cessit signorum ab actu, quem resumpsit in suo reditu. ℣ Jam divino reversus permissu, mirandorum refulget effectu. *Tertium :* Guerra * quondam Royensi villa querulo florem istum detraxit populo, quem recepit magno cum jubilo. ℣. Pro futuro futuris seculo novæ lucis nitente radio. *Quartum :* Magnitudo divinorum signorum hic ostendit S. Florentium esse Dei velle permansurum. ℣. Meretur, luctum Royensium qui convertit in magnum gaudium.

** bellum*

uti et commemoratio, quæ de ipso sit, tamquam Patrono.

87 *Laudatus sæpe Vacquerius pag. 245 dat ex Brevario Royensi commemorationem* S. Florentii ; *eam proculdubio, quæ statis temporibus inter commemorationes communes seu suffragia Sanctorum de ipso dici consuevit in fine vesperarum et laudum tamquam de Patrono : sic autem habet :*

Protege nunc pio nos, Pater, auxilio
Florenti, florido floride in præmio.
Tu cum Christo vitæ frueris gaudio,
Et nos mundi hujus quatimur pelago ;
Porrige nunc dexteram ab alto,
Redimens hanc catervam a malo,
Laude que tua gratulatur corde devoto.
Lucis patriæ nos reformet clementia
Præsens sacra providentia.

℣. Ora pro nobis sancte pater Florenti
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

F Oremus. Deus, qui beatum Florentium, confessorem tuum, in terris vita laudabili decorasti et in cælis æterna gloria sublimasti, ejus, quæsumus, suffragantibus meritis, vita nostra apud te commendetur. Per Christum Dominum nostrum.

Cultus Sancti apud Salmurienses et alios;

88 *Dat quoque idem Vacquerius Litanias de Sancto nostro proprias ; sed non significat, unde acceptæ sint : vocatur in iis* Flos ecclesiæ et Franciæ Christanissimæ Patronus; *reliqua pene omnia consona sunt Actis. Dubium non est, quin et in Glonnensi ac Salmuriensi cœnobiis summa celebritate quotannis recolatur ipsius memoria, cum utrumque illi tanquam Patrono dedicatum sit, et in posteriori certe insignes ejus reliquiæ honorentur. Idem ipsum censeo de multis Prioratibus, qui in variis Galliæ episcopatibus siti ac Salmuriensi abbatiæ subjecti sunt, quorumque nonnulli nomine* S. Florentii *insigniuntur, ut videre est in Indice generali* (Pouillé general) *beneficiorum archiepiscopatus Turonensis etc. a pag.* 260. *In ipsa autem insigni ecclesia S. Martini Turonensis, quantum intelligo ex Breviaro anni* 1635, *Officio novem lectionum colitur die* xxiii *Septembris, quia præcedens impeditus est festo SS. Mauritii et Sociorum. Vocatur*

AUCTORE J. P.

catur ibidem Confessor Abbas, *qui titulus, prout hodiedum sumitur, ipsi non convenit : Officium autem totum fit de confessore non pontifice præter orationem num. præcedente recitatam, et lectiones secundi Nocturni desumptas ex Actis ipsius.*

nec non in Belgio propter reliquias.

89 *Tussanus Bridoul Societatis Jesu sacerdos ad calcem Vitæ Gallicæ* S. Florentii, *editæ Leodii anno* 1653, *etiam in Belgio nostro locum assignavit, ubi is a tempore immemorabili insignem cultum obtinuit. Vicus est autem in Artesia elegans et amplus, extensusque ad Lisæ fluminis ripam secundo milliario Bethunia oppido, qui et ipse a* S. Florentii *vulgo* Sainct Floris *nuncupatur et ecclesiam habet ejusdem patrocinio exstructam, propter notabiles reliquias, puta cranium seu partem cranii, aliasque verticis partes, nec non brachium unum, ibidem desposita. Ad eorum venerationem accurrunt non modo incolæ, sed et vicini in suis calamitatibus ac malis. Unde vel quando eo delatæ fuerint istæ reliquiæ, certo dici non posse, fatetur laudatus auctor, constanti tamen traditione credi ait, illic honoratas fuisse plusquam quinque abhinc seculis; imo traditionem illam confirmari* B *antiquis ejusdem ecclesiæ Mss, in quibus Vita Sancti nostri, miracula, Officium, lectiones, ac Missa propria continentur iisdem pene verbis concepta, quibus leguntur in Royensi collegiata ecclesia. His subjungit opinionem cujusdam neoterici, quem non nominat, quique videtur existimasse, iis reliquiis ditatum fuisse vicum istum a Pippino Caroli Magni patre; sed eam opinionem sola conjectura nixam esse putem, quod dictus Pippinus in illis partibus multum versatus sit. Invocatur autem ibidem præcipue Sanctus a febricitantibus et capitis dolore laborantibus. Denique ejusdem Sancti reliquias possidet quoque collegium Societatis Jesu Montibus Hannoniæ, quas ibidem seculo præcedenti deposuit memoratus aliquoties P. Florentius Montmorentius, nempe ossa quædam e vertebris colli a Royensibus canonicis, et os notabile brachii a parocho nominati mox vici* S. Florentii *dono accepta.*

ACTA DUBIÆ FIDEI

Auctore anonymo seculo IX scripta,

C

ex quatuor Mss.

PROLOGUS.

Causas allegat auctor,

Mirabilem Deum in suorum sanctificatorum glorificatione Sanctorum, non modo proinde apostolificis præconiorum laudibus effere mortales condecet, quia ante tempora secularia præscientiæ simul et prædestinationis eos gratia donatos, cooperatricis gratiæ suæ suffragiis huic mundo editos extulit; verum et idcirco, quia spiritibus eorum cœlo dignanter illatis, mirificis insignium prodigiis adhuc quoque corpore honestare dignatur in terris. Ad hæc igitur præconia implenda, cum sæpenumero divinarum adhortemur assiduitate Paginarum, præcipue demum invitamur commonitione Daviticorum Psalmorum, quæ multifariam istiusmodi operibus devotionem adhibere nos suis præmonet dictis. Ex quibus quotidiano usu sanctæ Ecclesiæ concinna Deo con- D cinentibus filiis, quodam quasi commate laudare Dominum in ejus jubemur Sanctis : laudare nihilominus in virtutibus ejus, tam sui ipsius primum potentatu per se ipsum a se ipso patratis, quam deinde famulorum meritis, præeuntis ac subsequentis opitulationis ejusdem liberalitate, gestis.

cur Acta

2 Eaque nos itatenus actitare non sola cordis intentione, non demum vocis dignum videtur pronuntiatione, verum etiam veridica scribentis styli assertione, commemoranda relatu Sanctorum opera, per sibi alternatim succedentium gesta curriculorum tempora, tam auditus opininione comperta, quam ocularis, ut dicitur, fidei notitia inspecta, scriptoris devotione plenissima, schedarum exaratione collecta, in notitiam præsentis sive futuræ generationis fuerint transfusa. Debitorem quemlibet huic fore operi hunc dumtaxat, qui illud implere prævalet, ex eo animadvertitur, quia cum propter hominem cuncta sint creata, ipse cum supernis agminibus ad hoc conditus fuisse dignoscitur, ut incessantibus temporum vicissitudinibus laudem Domini loqueretur, et benediceret nomen sanctum ejus : nam, ut ait quidam gentilium, prona cum spectent animalia cætera terram, os E homini sublime dedit Dominus, cælumque videre jussit, et erectos ad cælum tollere vultus *a*; quatenus antiquæ memor conditionis, et cui omnis reliqua creatura defert, rationabilis servitii obsequio famularetur.

S. Florentii, licet vere imperitus,

3 Verum in fine seculorum nobis positis, et ad talia peragenda minus idoneis, quippe cum rethoricæ artis faceta urbanitas jam olim à nostri seculi * usu recesserit, viri quoque quadratæ facundiæ, prædictæ dudum cultores artis nostri duntaxat idiomatis, huic operi penitus exoleverint, non usquequaque tamen, licet hebetiores ingenio, ab his feriatos arbitramur : præsertim cum veteris Historiæ paginis instruamur, inter pretiosa quondam auri atque agenti donaria caprinorum etiam pilorum nequaquam non placuisse munuscula. Jungi valet huic exemplo illius mulieris Evangelicæ videlicet devotio, quæ multiplicibus præposita divitum oblationibus, haudquaquam Domini Jesu rediit inlaudata testificationibus. Quapropter, licet, ut prælibati diximus, venusti nobis desit lepor eloquii, licet exsicca sint torrentia illa flumina ecclesiasticorum virorum, Hilarii videlicet, et lacteo eloquentiæ fonte manantis Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, nec non incompa- F rabilibus laudibus atollendi, quorum quidam suorum temporum præclara gesta Sanctorum ad memoriam posteriorum accurato elucubrarunt stylo, nos quoque extremæ abjectionis textivilicium *b*; pro captu insipidi acuminis nostri, egregii confessoris Christi Florentii Glomenensis cœnobii digna memoratu opera scriptis colligere decrevimus; quatenus in tabernaculo divitum pennas columbæ deargentare, posterioribus ejus in pallore auri renitentibus, nostræ devotionis vilis devotio, Sancto eodem intercedente, vel ad modicum resplendeat.

* *Sirm. Ms.* secundi

pleniis describere statuat

4 Peccaminum namque nimia obruti magnitudine, non habentes velamen, amplecti nos congruit lapides : quia, ut ait Psalmista, „ Beati, quo„ rum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta „ sunt peccata. „ Lapides enim amplecti est, ut beatus allegorizat Gregorius *c*, unumquemque peccantium, diffitentem sui Sanctorum expetere suffragia, et in quantum vires suppetunt possibilitatis, eorumdem subsequi vestigia. Ita siquidem veri Agni veraciter promerebimur esum ire carnes,

A carnes, si præcedentium Patrum informati exemplaribus, eisque calceati pedes, regalis deinde itineris meditullia sectati, corporis nostri asello Domino insedenti, ad cælestis Hierosolymæ mœnia non gressibus tendamus corporalibus. Ex istorum igitur numero Patrum præfatum nobis in imitatione proponentes beatum Florentium, tam vita ejusdem quam et excessu gesta, sive miraculorum laudando Deum insignia, sive bonorum actuum æmulando facta, quæ nobis prisca fide nimium succinctius ab avitis patribus sunt tradita, latioris litteraturæ amplitudine, ut supra fati sumus, ad memoriam instantium seu subsecutorum membranis indere decernimus. Tandem igitur insulsæ verbositatis explicito proœmio, ad destinati textus seriem aggrediendam, Domino propitio, accingamur *d*. d

ANNOTATA.

a *Ita legitur in Ms. Sirmondiano; Chesnianum habet :* Pronam cum spectent *etc., omissa voce* Dominus, *quæ metrum interrumpit. Desumpti sunt versus ex Ovidio Metamorph.* I; *in posteriore tamen legitur :* ad sidera tollere. B

b Textivilitium *ad rem vilissimam designandam usurpatur.*

c *Lib.* 16 *Moralium super verbis Job* 24 § 8 : Et non habentes velamen, amplexantur lapides.

d *In solis Mss. Chesnei et Sirmondi habetur prologus cum mutilo capitum syllabo; sed hunc ut omnino inutilem omitto. Omitto similiter totum librum primum, in quo narratur martyrium S. Floriani, et a secundo incipio ob causam expositam in Commentario num.* 12. *Adverte interim primo, nullam in prologo fieri mentionem S. Floriani, nullamque in titulo, qui illi præfigitur his verbis :* Incipit prologus de Vita S. Florentii; *secundo, quanta sit styli diversitas in prologo et parte prima, hic sequenti.*

PARS I.

C *Sancti adventus in Gallias; accessus ad S. Martinum; sacerdotium, miracula, obitus.*

Trajicit miraculose Rhodanum: energumenum liberat:

Factum est autem post beati martyris *a* Floriani *b* excessum, cum beatus Florentius, angelo revelante, commonitus, in partes Galliarum pergeret, pervenit ad fluvium Rhodanum ad portum, qui dicitur Lugdunum, invenitque ibi navem sine gubernatore; erat enim undique confracta. Volens igitur Vir sanctitate plenus quantocius ad Missam festinare, nam dies Dominicus erat, intravit in eam, et, facto Crucis signo, ait : Domine, deduc me in voluntate tua : et mox sine gubernatore flumen illud transmeavit; angelus quippe Domini custodivit eum. Cumque ad ripam fluminis pervenisset, invenit hominem a dæmonio vexatum, quem etiam ob istiusmodi causam alii vinctum tenebant. Quod videns beatus Florentius, fraterno tactus dolore, genu flexo in conspectu Domini, totis viribus deprecabatur Domini pietatem, ut eum, expulso dæmone, sanitati redderet; factoque super eum Crucis signo, sanus effectus est. Multa quidem et alia miracula in eodem itinere per eum Dominus ostendit. A. ANONYMO.

ad S. Martinum pervenit,

2 Eo igitur tempore jam matris ecclesiæ in Turonica civitate sedem beatus Martinus antistes gloriosissime triumphans tenebat. Huic ergo angelus, quo duce beatus Florentius iter agebat, in visu revelavit, quod idem Vir talis advena ad eum veniret præcepitque ei, ejusdem faciem ostendens, ut eum in sacerdotali ordine constitueret. Interea beatus Florentius pervenit Turonum civitatem, sicut ei divina fuerat adnunciatione præceptum, introivitque in templum, in quo beatus Martinus Domino militans sedebat, et ad terram projectus oravit. Tunc exurgens ab oratione, venit ante beatum Martinum, petiitque ab eo benedictionem. Ut autem est illum intuitus beatus Martinus, ilico cognovit eum esse, quem angelus Domini ei per visum ostenderat. At vir beatus suscepit eum cum gaudio, et mox deduxit eum in secretarium, memor sermonis Domini, quo ait : « Domus mea, domus orationis « vocabitur. » Cœpit autem eum interrogare antistes gloriosus, unde esset, causamque itineris, nec non affectum voluntatis : et narravit ei omnia beatus Florentius, quæ erga eum acta erant, quidque in E animo gereret.

ordinatur sacerdos:

3 Comperto autem beatus Martinus, quod Vir sanctæ devotionis esset, et divina adnunciatione ad se veniret, multum eum dilexit, et cum summa reverentia custodivit. Erat quidem dies tertius ante ordinationem, et ecce in die ordinationis, facto officio, sicut mos est, ordinavit eum sacerdotem *c*. In quo ordine degens Dominum tota mente c et assiduis precibus exorabat, ut ei, sicut per angelum suum revelaverat, locum, ubi habitaret, ostenderet. Quadam ergo nocte, antequam ad matutinum officium surgeret, demonstravit ei Dominus locum habitationis suæ. Est quidam locus prope alveum Ligeris, scilicet quasi medio miliario, et in eo spelunca, ubi multi inerant serpentes magni et minores, estque nomen ipsius Glomna. Cognito itaque revelatione divina habitationis suæ loco, pergit secus ripam Ligeris, donec ad eumdem venit.

pergit ad montem Glonnam, unde [illegible] serpentes;

4 Tunc videns montem, cognovit, quia ipse est locus, quem ei angelus Domini per visum ostendere dignatus est. Moxque prope montem accedens, reperit ibi multos serpentes, et genu flexo deprecabatur Dominum, dicens : Domine, qui eduxisti F me de terra nativitatis meæ, et demonstrasti mihi locum, in quo habitarem secundum voluntatem tuam; fac mihi locum hunc quietum a diabolo, et ab ejus potestate et a serpentibus, qui ibidem commorantur, ut nulli deinceps nocendi potestatem habeant. Et statim, relicto monte, serpentes fugerunt.

struit oratorium, et claret miraculis.

5 Postquam autem, divina annuente clementia, eumdem locum a diabolica emundavit immunditia, fecit ibi Vir sanctus oraculum in honore beati Petri apostoli aliorumque Apostolorum, plurimorumque Sanctorum. In quo loco per orationes ejusdem beati Florentii multas virtutes Dominus operari dignatus est ad laudem et gloriam nominis sui; cæcos enim illuminavit, dæmoniacos curavit, plurimasque infirmitates per sanctissimi Viri orationes pietas Domini sanavit. Devote etenim totaque intentione mentem ad Dominum relevans, vitam in vigiliis cum psalmorum Missarumque ducebat orationibus.

Invisit S. Martinum,

6 Habebat etiam idem Vir sanctus consuetudinem, ut singulis annis Turonis civitatem orandi gratia veniret. Quodam igitur tempore, cum ex consuetudine illuc ad orationem pergeret, venit

A. ANONYMO. nit ad locum, qui vulgo vocatur Murus *d*, super fluvium Ligeris situm, ubi ei populus obviam affuit multus, dicens: O Vir sancte, istic serpens adest magnus, qui et homines devorat et pecora: et totis viribus eum rogabant, ut Domini misericordiam imploraret, quatenus eos de ipso diabolo liberaret. Respondens autem beatus Florentius, ait: Et nunc quidem, fratres, ad pastorem nostrum domnum Martinum pergo, cui hæc, quæ a me poscitis, primitus indicabo, ad vos relaturus, quid exinde jusserit idem Vir sanctus.

in itinere 7 Iter autem agens, venit ad flumen Vigennam, ad locum, qui dicitur Condata *e*, ubi fluvium transire volebat, invenitque in portu mulierem cæcam, sedentem atque plorantem. Interrogavit autem eam, quid haberet, et quam ob rem tam amare fleret. At illa dixit: Et quis es, Domine, qui me interrogas? Dixit ei Vir sanctus: Ego sum Florentius. Illa vero, ut audivit, quod beatus Florentius esset, cucurrit ad pedes ejus, dicens: Domine, unicum habebam filium, qui, cum sim cæca, mihi viam præbebat, et jam dies habetur tertius, ex quo in aquam hanc mersus est, et nemo eum potuit invenire, qui mihi redderet ad sepeliendum.

submerso vitam et cæcæ visum impetrat: 8 Tunc beatus Florentius, genu flexo, deprecabatur Deum, dicens: Domine, miserere huic pauperculæ, quoniam multo atteritur mœrore. Restitue ei, Domine, filium suum saltim ad sepeliendum. Hujusmodi autem prece orante beato Florentio, ait ei angelus Domini: Florenti, de quo rogas, non esse mortuus, sed vivit: moxque monstravit ei locum, ubi ipse erat. Tunc vocans beatus Florentius piscatores, præcepit eis, ut in eam partem retia traherent, ubi angelus Domini filium pauperculæ esse prædixerat. Piscatores ergo jactantes retia sua, statim invenerunt eum. Accipiens igitur beatus Florentius illum, gratias agens Domino, reddidit illum matri suæ. Ipsa etiam paupercula per orationem beati Florentii in eodem loco meruit recipere lumen.

consulto S. Martino 9 Iter vero cœptum beatus Florentius peragens, venit Turonis ad beatum Martinum, narravitque ei, quomodo in quodam loco obviam ei quidam venissent, deprecantes, ut eos de ingenti pessimoque serpente liberasset. Tunc beatus Martinus ait illi: Frater, rogemus Dominum nostrum Jesum Christum, ut liberet eos propter suam magnam clementiam de tam nociva bellua. Sed revertens ad locum habitationis tuæ, vade, ubi moratur, et præcipe ei in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut inde abscedat, et amplius nulli Christiano nocendi habeat potestatem. Revertente autem beato Florentio ad locum suum, populus, qui eum expectans, advenire desiderabat, ei obviam fuit: et videntes eum, cucurrerunt ad illum, dicentes: Domine, adjuva nos.

enormem serpentem fugat; 10 Tunc beatus Florentius, genu flexo in orationem, deprecabatur Dominum, dicens: Domine Deus omnipotens, qui cœlum et terram et quæ in eis sunt, creasti, hominemque ad instar tui formans ei omnia subdidisti, et qui tres pueros de camino ignis ardentis intactos liberasti, libera populum istum de instanti serpente atque de diaboli potestate: quia tu es benedictus in secula seculorum. Et veniens ad locum, ubi ipse serpens erat, facto signo Crucis ante se, dixit: Ego tibi præcipio in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, recede hinc et vade in profundum abyssi. Et statim serpens tamquam leo rugiens recessit.

clarus virtutibus moritur. 11 Quo facto, perveniens Vir sanctus ad cellam suam, studuit assiduis precibus sine intermissione Domino deservire, multis præclarus virtutibus, quas per illum Dominus ostendere dignatus est. Multi siquidem variis detenti infirmitatibus ad eum veniebant, et per sanctissimas ejus orationes sanitatem recipiebant. Anni autem vitæ hujus sanctissimi Viri fuerunt CXXIII; sed postquam a beato Floriano separatus est, vixit annos LXIII *f*, dies suos in pace feliciter agens. Igitur tandem aliquando, dum vitam in sancto deduceret senio, X Kal. Octob., viam universæ carnis ingrediens, migravit a seculo. Tunc in ejus funeris obsequium multi concurrerunt undique. Adest enim ilico sacerdotum ac clericorum multitudo, quamplurimi laïcorum, chorus virginum, atque turba mulierum. Iis ergo pro tempore mœrentibus, sed pro tanti Viri gloria exultantibus, in loco, quem ipse sibi præparaverat, cum magna diligentia sepultus est, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In codice nostro Ms, pro* martyris *legitur* viri: *sunt et hujusmodi aliæ exigui momenti immutationes in apographis nostris; quas observare operæ pretium non duxi.*

b *Floriano verisimilius nihil commune fuit cum* S. Florentio; *uti dixi in Commentario* § I.

c *Disseri hic pluribus posset super ita Hominis laïci subita ordinatione, facta per S. Martinum tertio post illius adventum die, absque ulla mentione prævii diaconatus aliorumve Ordinum et interstitiorum; verum cum allegetur ab auctore sublestæ fidei, nihil hoc et hujusmodi alia morari nos debent.*

d *Procul dubio locum eum designat auctor, ubi nunc est Salmurum oppidum.*

e Condata *seu* Condate *(vulgo* Cande*) vicus est, morte S. Martini illustris, in finibus Turonum, positus fere ad Vigennæ seu Vingennæ (*la Vienne*) et Ligeris (*la Loire*) confluentes.*

f *Adi Commentarium num.* XI.

PARS II.

Miracula et beneficia post mortem.

Miracula ad Sancti sepulcrum; Post beati viri Florentii ab hac luce digressum multas per eum Dominus in loco ejus requietionis operatus est virtutes. Nam multi postea infirmi ad omnibus suis infirmitatibus per ejus merita gloriosa sanitatem recipere meruerunt. Ipsi etiam, aliique quamplurimi de suis rebus eumdem locum sanctum, divino annuente favore, ditaverunt. Sed quoniam perlongum est cuncta explicare, quædam ob magni Viri venerationem breviter atque succincte lecturis atque auditurus plena fide narrabimus.

puer cæcus 13 Fuit ergo in diebus illis quidam vir in partibus Hispaniæ, in civitate, quæ dicitur Pampelona *a*; erat enim dives valde, nomen quoque ejus Simerus Lupus erat, et uxoris ipsius Birgilla: habebant vero unicum tantummodo filium, quem valde diligebant tam ipsi quam omnis eorum familia. Factum est autem, dum æstivo tempore horis meridianis in lectulo suo dormiret, oculi ejus obcæcati sunt. Quamobrem pater et mater et cuncta

A cuncta ditionis eorum familia maximo sunt affecti dolore. Multi siquidem medici ad eum veniebant, putantes illi medicaminibus suis opem ferre visionis; idem vero puer nihil mali in oculis suis sentiebat, nisi quia visum penitus amiserat. Cognoverunt igitur parentes, hoc filio suo divina accidisse voluntate. Multis itaque Sanctorum locis eum offerunt, voventes, quatenus ei Dominus lumen restitueret; sed nec sic lumen recepit: Quadam autem nocte, dum mater una cum viro suo dormiret, habentes secum unicum filium, venit ad eam per visum quidam in specie clerici, dicens: Mulier, mitte filium tuum, quem unice diligis, ad basilicam beati viri Florentii, quæ est super alveum Ligeris, et ibi lumen recipiet infra spatium XL dierum.

tertio divinitus monita parente,

14 Illa ergo, postquam expergefacta est a somno, narravit id ipsum viro suo, qui dixit ad eam: Ex cogitatione tua advenit tibi hoc somnium; fiat voluntas Domini. Admonuit enim matrem pueri hæc visio usque tertio, dicens: Donec pergat illuc filius tuus, quo dixi, non videbit lumen cæli. Quod iterum mulier retulit viro suo; et ille ait: B Numquam audivi, ubi locus esset. Tum illa ait: Si etiam trans maria hunc locum invenire sciremus, debite illuc filium nostrum mitteremus, si forte misericordia Domini fieret super eum; et intulit: Numquid audisti, quomodo egit Naaman princeps Syriæ apud Eliseum prophetam, quomodo dixit illi, ut lavaret se in Jordane et sanitatem recepit? Sic Dominus potens est etiam filio nostro lumen reddere. Mittunt igitur per famulos suos puerum dicentes: Perquirite locum, ubi beatus Florentius requiescit, qui est super fluvium Ligeris.

illuc allatus, visu donatur.

15 Euntes autem famuli, circuiverant totam illam regionem, quousque pervenirent Turonis civitatem, quæ sita est in littore Ligeris. Diligenter vero inquirentes locum, in quo beatus Florentius requiescit, reperiunt, non longe hinc esse, et gavisi, cito ad eumdem locum perveniunt, puerumque voventes, orationibus Viri sancti commendant, devotissimis obsecrantes precibus, ut ei divina pietas per ejusdem Sancti orationem lumen reddere dignaretur. Factum est igitur, ut secundum præfatam visionem in spatio XL dierum lumen reciperet: sicque sanus reversus est in patriam suam. Quod C videntes pater et mater et omnis eorum familia exultantes glorificaverunt Dominum, qui potens est facere mirabilia in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis.

Puella gravi infirmitate liberatur. b

16 Item in pago Constantino *b* fuit quidam comes, nomine Genatius, uxorque ejus nomine Bertina, et habebant tantum filiam unam valde decoram, quæ et ipsa desponsata erat. Sed subito humani generis inimicus, qui semper de nece hominum tractans, quærit, quos perdat, tentavit eam. Qua de re parentes ejus, omnisque eorum progenies multis afficiebantur doloribus. Audientes autem, quod omnipotens Dominus ob honorem beati Florentii servi sui multa faceret miracula, acceperunt eamdem virginem, duxeruntque eam ad oraculum ejus, deprecantes Domini pietatem, ut per ejus orationes integram illi redderet sanitatem; et infra dies XL sanitati est restituta. Parentes itaque puellæ ipsius ecclesiam Dei in eodem loco propter sancti Viri venerationem de rebus suis ditantes, semper, dum vita eis fuit, extiterunt fideles.

Sancti cultoribus infestus morte plectitur. c

17 Nimirum in pago Cenomannico *c* erat quidam homo nomine Burgolenus, pessimis degens moribus; Deum enim non timebat, et hominem non verebatur. Erat autem latro, homicida, adulter, omniumque malorum amator. Quodam itaque tempore, cum populus orandi gratia ad basilicam beati Florentii pergeret, venit idem vir crudelis obviam eis. Tunc cœpit interrogare, quo ire vellent. At illi dixerunt: Ad basilicam beati Florentii pergimus, quatenus per ejus orationem mereamur nostrorum veniam consequi peccatorum. Mox idem vir diræ crudelitatis jussit eos exspoliari. At illi clamabant: Beate Florenti, miserere nostri. Et ecce equus, in quo sedebat, expavescens projecit eum in terra, totusque confractus est, et exspumans ac in modum feræ rugiens, mortuus est. Multas quidem et alias virtutes in viis atque plateis per merita beati Florentii Dominus ostendere dignatus est, quas nemo enumerare valet. Hæc pro tempore perstrinximus, quibus beatum Virum venerantes, Dominum, cui fideliter servivit, tota mente amemus, cui est potestas et imperium per infinita secula seculorum Amen.

AUCTORE J. P.

Multis miraculis omissis, unum refert testis oculatus. d

18 Multa *d* præterea divinorum miraculorum signa, pluribus volventibus annorum successibus, per eumdem pretiosissimum Domini confessorem, sanctum Florentium, patrata sunt, quæ idcirco serie lectionis minime declarantur, quod assiduitate sui viluerunt, aut inertia cernentium prætermissa sunt, vel quod magis credendum est, qui ea sermonis lepore possent compte exornare, defuerunt. Liberales siquidem artes usque temporibus domni Karoli imperatoris prædecessoribus nostris ita extiterunt extraneæ, ut in Galliæ regionibus, etiam inter summos pontifices vix aliquis, negligentia præpediente, reperiretur, qui urbanitate eloquii synodales saltem valeret venustate exolvere definitiones. Sed quoniam, favente Domino, instantiaque domni supradicti imperatoris, quæ vetustiores neglexerant, moderniores assecuti sunt; itaque competens videtur, quæ præ oculis vidimus, ne oblivionis profunditate cuncta depereant, præsentibus ac successoribus nostris, literali, prout possumus, indagine retinenda mandemus.

Parricida,

19 Consuetudine igitur antiqua partibus interioris Franciæ usque hodie mos inolevit, ut quisquis propinquiorem sibi parentem gladio jugulaverit, et postea pœnitentia ductus ad pontificem crimen admissi facinoris detulerit, ipso decernente F pontifice, ex ipso gladio ferrei nexus componantur, et collum peccatoris, ventrem atque brachia strictim innectantur ex ipsis ferreis vinclis; sicque de propria patria et solo paterno pellatur: interim quousque divina pietas eadem vincula solvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando peregre proficisci cogatur. Hac denique sententia quidam clericus, Amelius nomine, qui avunculum suum necaverat, ab Artchario, Trejectensium urbis episcopo *e*, damnatus est, multaque jam tempore e in eadem pœnitentia perdurans, diversa Sanctorum cœnobia lustrando vagaverat, omnipotentis Domini misericordiam benignissimam eorum intercessionibus sibi veniam jam impetrandam lacrymabiliter efflagitans.

vincula ferrea sponte decidunt f

20 Tandem ergo ad monasterium, ubi summi pontificis *f* sanctique sacerdotis Florentii corpus venerabiliter jacet humatum, admonitus divina revelatione pervenit. Ibique ei a monachis ibidem Domino sedule servientibus, obsequentibus hospitalitatis humanitas exhibita est. In ipsa autem, qua venerat, nocte, dum fratres more solito nocturnale peragerent officium, ipse vero retro secus cancellos

A. ANONYMO. cancellos consistens, paululum sopori indulserat: et ecce subito per visum apparuit ei candidissima avis, a tumulo Sancti progrediens, brachiis suis insedisse, ipsosque ferreos nexus quasi cum magno impetu percussisse. Qui ilico expergefactus voces teterrimas clamoris emisit, ita ut chorum etiam psallentium interrumperet, omnesque astantes nimio terrore attonitos redderet. Statim enim ut oculos, levi somno oppressos aperuit, prædicta avis nusquam comparuit; sed illi ferrei nexus ad tactum ejus invisibilem cum magno impetu tam valide crepuerunt, ut longius resilientes vix in crastinum inveniri quivissent. Ipse autem pœnitens incredibili pavore solutus, et nutibundis gressibus minime consistere valens, in terram repente corruit, sicque terræ prostratus, quousque illic omne consummaretur officium, quasi amens effectus permansit.

ad Sancti tumulum. 21 In crastinum autem monachis, et omnibus hoc laudabile factum mirantibus, ille ex ordine caussas suæ culpæ et nexionis omnibus manifestavit: et quia tunc præsens abbas non aderat, obnixe deprecatus est fratres, ut ex nomine abbatis ac B ipsorum deprecatoriam epistolam jam præfato episcopo, a quo in pœnitentiam missus fuerat, transcriberent, quatenus eum in propria parochia misericorditer reciperet; utpote quem divina benignitas ac meritum S. Florentii spiritaliter absolutum in solutione visibilium vinculorum monstraverat, ipse quoque sua pontificali auctoritate omnimodis absolutum esse decerneret. Hoc denique assecutus, Deo et S. Florentio immensas referens gratias, et fratribus valedicens cum gaudio ad propria reversus est.

ANNOTATA.

a *Civitas hæc est primaria regni Navarræ.*

b *Vulgo* le Cotantin *vel* Coutantin, *sic dictus a Constantia* (Coutance) *civitate Galliæ Celticæ.*

c *In Gallia item Celtica, (vulgo* le Maine) *cujus caput est Cenomanum* (le Mans.)

d *Hinc incipit appendix, stylo a reliquis diversa, et illis fortasse antiquior, at certe fide dignior. Vide Commentarium num.* 5 *et seqq.*

e *Consule Commentarium num.* 7.

f *Nisi aliquis archiepiscopus eadem in ecclesia sepultus esset, qui voce* summi pontificis *designe-* C *tur, quod minus verisimile mihi apparet, putem hic latere mendum scriptionis ita ut vox* pontificis *irrepserit pro voce* patris *vel* confessoris, *aut iste fuerit auctoris sensus:* Ubi sanctus summique Pontificis *(Christi scilicet)* sacerdos Florentius venerabiliter jacet humatus.



D

SERMO

In Vitam S. Florentii

Auctore Marbodo episcopo Redonensi.

Ex codice membraneo Ms. vetustissimo.

PARS I.

S. Florentius martyr desiderio et in omni virtutum exercitio confessor egregius. E

In sancti hujus patris nostri Florentii solemnitate, licet ejus virtutibus explicandis sermo tenuis nequaquam possit sufficere, non tamen ex toto convenit nos silere; ne, metuentes de præsumptione redargui, de diffidentia justius vel negligentia judicemur: Deo etenim nostro, cujus ad laudem refertur, quicquid in Sanctis ejus laudabile prædicatur, non tam placet orationis varietas, quam rerum veritas, et gratiores illi sunt dicentium mentes puræ, quam decentium verborum multicolores purpuræ. Proinde ad laudem ipsius, qui in Sanctis suis gloriosus est, et ad ædificationem legentium de Sancti hujus meritis temptemus aliquid loqui simplici oratione, sed devotione multiplici. Sic enim fiet, ut et debitum Patrono nostro in die festivitatis ejusdem solvamus obsequium, et in laudem Dei fidelium mentes excitemus: nobis quoque ipsis propositam habeamus formam virtutum, quam si volumus imitari, velle autem debemus, directo itinere procul dubio gradiemur in cælum, quo, sicut indubitanter credimus, ille pervenit, quem nobis sequendum proponimus. Ardua quidem via et difficilis ascensus; F sed iter ad Deum molientibus auxilium divinum deesse non poterit, ipso eodem interveniente beato Viro, cui fuit auxilium abs te, Domine, qui et ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum in locum, quem posuit. Hujus ergo secuti vestigia, de virtute ibimus in virtutem, visuri et ipsi Deum deorum in Syon. *Laudandi S. Florentium ratio*

2 Quapropter et nostræ et aliorum saluti consultum facere cupientes, audaciam sumimus ex caritate sermonem de illo suscipientes, quem et loqui digne non possumus, et tacere penitus non debemus. Talis enim ac tantus iste est, ut multorum præconiis solus sufficiat, cum nullius præconia sufficiant soli. Siquidem solus ipse est, ut ita dixerim, multitudo, in cujus persona multorum invenitur perfectio. Nam si martyrem requiras non cujuslibet patientiæ, sed inpatientis quodammodo animositatis et cujusdam virtutis ebriæ præclaro calice sic infusum, ut veluti non sensurus provocare videatur injurias; vide Florentium ultroneum ad supplicia, quærentem pœnas, prodentem se satellitibus, ingerentem tribunalibus, postremo tanta avidita- *et materia multiplex: Martyr fuit*

te

A te mortem sequentem, quanta eam fugere solent alii. Lege Vitæ ipsius libellum, quomodo libens currat Lauriacum *a*, hoc loco nomen, ubi Aquilinus præses victricem laurum crudelis beneficus erogabat. Et quid videbis in Florentio nisi choros castrorum? Tanta quippe alacritate, tanta constantia in hostiles gladios ferebantur, ut non unus miles, sed totus credi posset exercitus. Unde factum est, ut flagrans martyrii desiderium reputaretur ei ad martyrium, et apud Deum diuturna vita judicaretur dignissimus, qui festinam mortem sedulus appetebat.

a

desiderio, dum ultro se ad necem obtulit,

3 Reservandus itaque multorum utilitatibus per amministrationem angelicam solutus a vinculis, divinæ jussionis oraculo substractus est passioni, paulo minus coartatus et anceps, utpote propter se dissolvi cupiens et esse cum Christo, manere autem in carne necessarium intelligens propter alios. Augebat tamen gloriosæ mortis desiderium jocundissimi collegæ sui et fratris in Christo Floriani contubernium, cum quo et unaminiter vixerat et magnanimiter emori cupiebat. Cogitabat, quanta fratrem Florianum felicitas mox maneret, quem B ipsa eadem die cum triumphali palma cælestem suscipiendum videbat in regiam; sibi labores restare quamplurimos, obeunda sibi non pauca pericula, se a refrigerio, quod jam mente conceperat, prolixioris vitæ martyrio suspendendum. Et ob hoc, si fieri posset, vellet accipere et bibere cum fratre suo calicem salutaris, ut per calicis tristitiam cum eodem cito transiret ad gaudium æternæ salutis. O quale fuit illud pro temporis brevitate prolixum, pro dilectionis magnitudine breve nimis colloquium, cum sopitis satellitibus, excitatus ab angelo Florianum Florentius excitasset, et divinæ illi voluntatis aperuisset mandatum *b*!

b

nec nisi angeli jussu palmam deseruit.

4 Magnus in verbis illis mutuæ dilectionis redolebat affectus, sed major erga Deum in utroque cultus et reverentia cernebatur. Vellet uterque vivere vel mori cum altero, sic tamen, ut Deum offendere vellet in neutro. Pateretur ergo libenter Florentius; nisi mallet eum vivere Deus vivus. Sed qui se ipsum abnegasset nec sibi vivens, nec sibi moriturus, postquam Imperatorem suum, cujus in verba juraverat, id velle persensit, non ausus contra imperium in hostem puC gnare, nec tamen invitus paruit jussioni, ut qui bene nosset, non minori pœna multandum imperii tumidum transgressorem, quam imperatoris timidum desertorem. Certus nichilominus de reposita sibi corona justitiæ, quam reddet illi Dominus justus Judex. Jam quidem sanctæ animæ reddita est justitiæ corona; sed reddenda est quandoque et corpori, in quo serrarum cæsuras et vulnerum cycatrices, stigmata scilicet Jesu, vivens portavit. Nondum enim, ut credimus, domestici fortis illius mulieris, qua significari videtur Ecclesia, vestiti sunt omnes duplicibus; sed datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis, ut requiescant tempus adhuc modicum, donec impleantur conservi eorum, ut qui singulatim bysso vestiuntur in anima, simul omnes in corporibus amiciantur et purpura: tunc ergo reddendam illi non dubitamus a justo Judice martyris illibatam mercedem, apud quem perfecta voluntas operis velut opus est perfectæ voluntatis. Hactenus ut de Martyre.

Egregii confessoris

5 Si vero Confessorem libeat intueri, tranquillæ pacis officia dispensantem, consulentem anxiis, patrocinantem reis, sustentantem imbecillos, curantem infirmos, gaudentem cum gaudentibus, flentem cum flentibus, habes eundem Florentium, tamquam ex castrensi forensem, velut ex loricato togatum, non minorem in pacis ocio gerentem solertiam, quam in belli negotiis præferebat audaciam. Quis enim in supradictis operibus misericordiæ frequentior invenitur? Nam postquam jussus exire de terra et de cognatione sua et venire in terram hanc, voluntarius exulavit: non enim habebat hic manentem civitatem, sed futuram inquirebat: postquam ergo, salva præcedentis laboris remuneratione, a militia quasi translatus est ad agriculturam, non cessavit in Domini vinea, quantum potuit, laborare putator peritissimus viciorum, propagator virtutum, facienda verbis insinuans, operibus insinuata commendans.

omnes numeros

6 Plane huic beatæ animæ convenire videtur jocunda illa Sponsi cælestis exhortatio, post infidelitatis hyemem et imbrem persecutionis sub tempus putacionis vinearum invitantis amicam: Surge, inquit, amica mea, speciosa mea, et veni: ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. Surge, inquit, amice Florenti, persecutio tua abiit et recessit, non est tibi concessum E martyrium, et veni in terram, quam monstravero tibi; in partes scilicet Galliarum, ubi ostendam tibi locum habitationis tuæ; ibi et tu ostende michi, id est meis, faciem tuam, hoc est opera: quod enim uni ex minimis meis facit quis, hoc michi facit: sonet vox prædicationis tuæ in auribus meorum; vox enim tua dulcis et opera tua decora. Post tempus plantationis tempus putationis advenit. Omnia enim tempus habent, et suis spaciis transeunt universa sub cælo. Vineam mihi Martinus plantavit, cujus te putatorem elegi. Jungere Martino in partem laboris, ut cum eodem merearis particeps esse mercedis.

implevit.

7 Ex his igitur manifestum esse putamus, hunc, de quo loquimur, etiam sanctis annumerandum confessoribus, quibus cum pro veritatis asserciono ad mortem usque certandi non defuisset audacia, incruentam ex hoste victoriam voluntas divina concessit. Et ne dubites, quem dignitatis locum etiam inter confessores optineat, aspice Martinum sui temporis præsulum gemmam, ad quem dum divina revelatione dirigitur, tanti viri consortio dignissimus utique comprobatur. Quid F quod eidem Martino venientem Sanctum præcursor angelus in visu revelat, et ut præsens facile possit agnosci, absentis vultus representat imaginem; jubet etiam, ut jam dudum sacerdotalem Virum in ordinem promoveat sacerdotum. Nonne hoc totum ad astruendam valet beati Viri confessoriam dignitatem? Valet profecto. Nam si probatorum hominum testificatio in rebus dubiis habere solet inconcussæ pondus auctoritatis, multo magis in hujus Sacerdotis commendationem trina concurrit auctoritas: divina primum, deinde angelica, tertio humana. Est enim a Deo electus, ab angelo præsentatus, a Martino sacratus.

proxime malis compatiens, prosperis gaudens,

8 Jure ergo solus dictus est multitudo, in quo solo martyris et confessoris dignitas invenitur: præterea qui tot in se miserorum per compassionem gestavit personas, quot habet humana vita miserias. Legem etenim Christi, qui languores nostros ipse tulit, et peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum, quæ non rapuit tunc exolvens, Vir justissimus studuit adimplere, memor exhortantis Apostoli: Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nec

A. MARBODO EP.

Nec solum alienis comprimebatur oneribus, sed etiam congratulabatur honoribus; nec magis in proximorum contristabatur adversis, quam congaudebat in prosperis. Denique si dici fas est, in alios quam in se magis propicius; sicut diligebat Deum plus proximo, sic proximum etiam plus seipso.

in suis utrisque firmus, et ex singulis

9 Nam qui alienis facile frangeretur infortuniis, sua sic tolerabat æquanimiter, ut æquanimiter tolerant aliena, qui suis facile franguntur. Ita qui maternum aliis impendebat affectum, sibi quamtum ad corpus quodammodo novercabatur. Non secus et in aliorum prosperis sic gaudebat, cum sua parvi penderet; sicut in suis gaudere solent, qui parvi pendunt aliorum; nisi quod illi tales gaudium suum ad temporalem referunt voluptatem, hic tam gaudium quam mœrorem ad spiritualem dirigebat profectum. Quodam igitur modo seipsum quam proximum austerius diligebat. In se quidem tam constans et firmus erat, et ad omnem ventum immobilis, ut nec terrificis persecutionum inflecti posset aquilonibus, nec mulcentibus blandiciarum austris resolvi; quin potius omnem fortunam materiam sibi faciens virtutum, in adversis firmus, in prosperis cautus et B humilis, velut arbor aromatica quædam, imo velut ortus * deliciarum ad omnem flabrorum impulsum spargebat latius suavitatis odorem, æquo animo tam bona quam mala suscipiens de manu Domini, a quo utraque noverat ad ipsorum gloriam Sanctis immitti. Imperat quippe ventis Dominus et obediunt ei. Surge, inquit, aquilo, et veni auster, perfla ortum meum et fluant aromata illius

* *l.* hortus

virtutes colligens; unde nobis tamquam ex horto fructus

10 Hæc ergo sunt virtutum aromata, quæ nos de hoc orto colligere, quibus velut cibo quodam suavissimo vel condito poculo delectari debemus, cum et ipse Dominus his quasi cyborum et potuum diversitatibus glorians se refectum, ad hæc eadem comedenda et bidenda usque ad ebrietatem proprios adhortatur amicos. Dicit enim sic in Canticis Canticorum : Veni in ortum meum, soror mea sponsa, messui myrram meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici et bibite, et inebriamini carissimi. Id ipsum nimirum manifestius ita dixisset : Visitavi fæcundum bonis virtutibus Virum, in quo C inveni, quam et acceptavi, pretiosam myrram castimoniæ, qua corpora eorum, qui mundo mortui sunt, et Deo vivunt, a corruptela libidinis illæsa servantur; inveni et alia ibidem virtutum aromata, et placuit michi doctrinæ ipsius discretio, qui cum spiritualem intellectum in littera, hoc est, mel occultaret in cera, pro captu singulorum, vinum valentibus, lac infirmis noverat propinare. Hæc et vos bona imitamini, quicumque vultis ad amicitiam meam pertinere. Si vultis michi esse carissimi, hæc bibite et inebriamini; inebriamini ab ubertate domus meæ. Idem quippe est et domus et ortus, sed ortus aromaticus et domus eburnea, fragrans et ipsa diversis aromatibus. Nam myrra et gutta et cassia a domibus eburneis redolent. Invitati ergo ad tam jocundas epulas, nec ab alio quocunque, sed ab ipso Domino invitati, cum gratia recumbamus.

et ex mensa opipara cibos decerpere liceat.

11 De hac nobis proposita velut delicatissimis ciborum et potuum varietatibus referta mensa, gratissima quæque carpentes, edamus et bibamus, et divinæ, quam audivimus, adortationi non segniter obtemperare satagentes, comedamus ad saturitatem, bibamus ad ebrietatem. Audiamus et credamus; amemus et operemur; alioquin nichil valet auditus sermo non admixtus D fidei; fides autem sine operibus mortua est. Quod si difficile est, est autem revera difficile, ut universas beati hujus Viri virtutes nunc temporis unus aliquis imitetur, eligat sibi ex omnibus aliqua, prout quisque singulis delectatur. Unusquisque enim proprium habet donum a Deo, alius sic, alius autem sic. Invitati autem sumus tam copiose ac magnice, ut nulli deesse possit, quod eligat, cum potius omnes dubitare possint, quid eligant. Sed sive de bonis meliora, sive de melioribus eligantur optima, in nullo est infesta saturitas, cum in omnibus sit manifesta salubritas. Non sicut in carnalibus epulis, quæ suspectam faciunt saturitatem ne saturitas pariat infirmitatem.

ANNOTATA.

a *Lauriacum* (Lorh) *urbs olim Norici, nunc vicus Austriæ Superioris haud procul ab Aniso flumine.*

b *Hæc scilicet Marbodus vir doctrinæ ac pietatis fama celebris pronuntiavit juxta fidem Vitæ mox datæ, quam vel aliam certe ei simillimam habuisse ipsum, suadent gesta* S. Florentii, *quæ* E *Sermoni suo inseruit. Consule, si lubet, Commentarium num.* 10 *et seqq. usque ad finem* § 1.

PARS II.

Sanctus virtutibus Cardinalibus ceterisque inde profluentibus ornatissimus.

Prudentia ejus

Sane huic, de quo loquimur, Homini Dei satis constat nullam defuisse virtutum, quibus non in se tantum, sed etiam in aliis contraria vitia debellaret. Sed quia longum est ire per singulas, illas tantum quatuor principales, quas ceteræ omnes velut pedissequæ comitantur, in illo fuisse monstrabimus, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, justitiam, ut ex his manifeste appareat, eum, qui tota retinuerit, partibus abundasse. Monstrabimus autem, quod polliciti F sumus, hoc modo. Si enim prudentia est rerum bonarum et malarum utrarumque scientia, quis in hac discretione illo ipso vigilantior invenitur? Nam quatuor modorum, quibus falli solent imprudentes, cum vel id, quod bonum est, malum, vel quod malum est, bonum putant; rursus quod nec bonum nec malum, id vel malum vel bonum, aut quod malum vel bonum, hoc nec malum nec bonum existimant; horum, inquam, quatuor modorum, vel potius incommodorum, Vir prudens erravit in nullo. Terrenorum quidem bonorum, quam bonam homines putant, malam existimavit voluptatem; futurorum vero, quæ, quia non videntur, a quibusdam etiam graviter audiuntur, felicitatem optimam judicavit. Abjectionem, paupertatem, contumelias, quæ fugienda maxime mortales decepti putant, hic non solum non fugit, sed etiam pro laude, pro divitiis, pro gloria libenter amplexus est magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jocunditatem. Aspiciebat enim in remunerationem, aspiciebat in Auctorem fidei et Consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.

in discernendis rebus;

13 Intelligebat stultum esse, qui super baculum

A lum arundineum innititur; stultum nichilominus, qui super arenam ædificat; quia et baculus ille manum perforat innitentis, et domus illa labefacta ventis ac fluctibus ædificantem plerumque pari ruina convolvit. Et ideo Vir prudens ædificavit domum suum supra petram, petra autem erat Christus; et innixus est super lignum, lignum autem erat Crucis. Unde et sapientiam ejus narrant populi, et laudem ejus nunciat Ecclesia. Porro in illis medii generis rebus, quæ nec bonæ sunt, nec malæ, non potuit ejus falli judicium, qui plenam boni et mali notitiam retinebat. Si enim noverat, quid esset bonum, noverat utique, quid non esset. Nam si sciat aliquis, quid sit homo, scit profecto ab hominis natura discernere, cum videt aliud, quam sit homo. Nec aliter in boni et mali notitia se res habet. Ex quibus non incongrue potest colligi, perfectam in illo fuisse prudentiam, in quo nulla imprudentiæ portio reperitur. Nec minor in eodem temperantia, qua mala, quæ per prudentiam distinguebat a bonis, blandientia repelleret, incitata retineret, instabilia firmaret.

temperantia in restringendis pravis motibus

14 Est enim temperantia rationis in libidinem atque alios pravos impetus animi firma et moderata dominatio. Hanc ille dominationem in vitia tam B late ac violenter exercuit, ut instinctis in se prius omnibus illicitis, in aliis quoque cupidatem ac ceteros non rectos motus persequeretur, daret in vincula, suffocaret, proscriberet, ac in perpetuum relegaret. Quis enim audita ejus contra vitia disputatione, quæ disputatio cum veritatem ostenderet, se ipsam nullatenus ostentabat, auditis ejus sermonibus magis utilibus quam facetis, rectis potius quam obsecundantibus; quis, inquam, his auditis, non continuo qualemcumque virtutis amorem conciperet, ac per hoc consequenter sua disceret vitia refrenare, refrenata profligare, profligata penitus exterminare, præsertim cum Doctoris vitam in nullo a sana doctrina discrepare videret? Atque ita suam ipse temperantiam in quosdam alios transferebat; in eos scilicet, qui audientes et retinentes verbum, fructum afferebant in patientia. Nec tantum per sermonem exhortationis ad populum, sed et per virtutum orationis ad Deum, aliena vitia refrenabat. His ergo duobus modis victricis temperantiæ vexilla longe lateque circumtulit.

fortitudo.

15 Sequitur ordine suo temperantiam fortitudo. Nam sicut per temperantiam a malis blandientibus abstinemus, ita per fortitudinem terrorem C incutientia non timemus. In his vero duobus malorum universitas continetur. Blanda generant cupiditatem; terribilia timorem. Timor vel cupiditas pariunt omne peccatum. Unde psalmista dicit: « Incensa igni et suffossa » per suffossa timorem, per incensa significans cupiditatem. Est ergo necessaria contra cupiditatem temperantia, contra timorem fortitudo. Hanc igitur fortitudinem, quæ et magnanimitas appellatur, magis quæri potest quantam Vir sanctus habuerit, quam utrum habuerit: imo dubitari non potest, quod et maximam habuerit. Quod utrumque indubitabile putamus et evidens ex eo vel maxime, quod periculorum et laborum, sicut supra perstrinximus, adeo contemptor fuit, ut timore mortis revocari non posset, quin perhiberet in publico testimonium veritati. Unde enim timeret, qui sibi omnes jam dudum timoris causas amputaverat? Nam timidum non facit animum nisi reprehensibilis vitæ conscientia. Mortem vero corporis Vir sapiens timere non poterat; stultum quippe est timeri, quod vitari non potest. Denique securus obit, qui vitia sua ante se immolavit. In tantum ergo mortem non timuit, ut percussori se ultro ingereret, et prolatam in se crudelem necis sententiam libenter audiret.

quæ est media inter timiditatem et temeritatem,

16 Hic forte dicat aliquis in hunc modum: Si magnanimus erat, nec appeteret pericula ut temerarius, nec formidaret ut timidus: nimirum inter temeritatem et timiditatem habitat fortitudo; nunquid eum, qui præ nimio mortis contemptu sponte se præcipitet in profluentem, jure quis dicat fortem vel magnanimum et non stultum potius ac temerarium? Ita, inquam, si quis se præcipitet inconsulte; hujusmodi temerarius est et non fortis: fortitudo enim est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Qui autem pro veritatis assertione pericula et labores non tantum suscipit et tolerat, sed etiam anticipat et amplexatur, hic non fortis, sed fortissimus etiam est vocandus. Diversitas enim causarum diversum facit in effectis judicium. Quapropter etiam si eodem mortis genere consummantur temerarius et vir fortis; hunc laude, illum vituperio dignum credimus et fatemur. Quod ergo iste Sanctus pro lege Dei sui mortem voluit occupare, non erit asscribendum temeritati, sed ferventissimæ caritati. Laudemus itaque Virum fortissimum, immo et fortitudinem E ejus, et laudem referamus ad Dominum: nam fortitudo sua et laus sua Dominus, qui factus est ei in salutem.

justitia

17 Restat, ut et justum fuisse monstremus, quem ceteras habuisse virtutes ostensum breviter æstimamus. Justitiam vero idcirco ultimam in ordine locamus virtutum, quoniam ipsa reliquarum trium videtur esse perfectio. Est enim justitia virtus suam cuique tribuens dignitatem. Hac si forte quis careat, etiamsi bona prudenter a malis discernat; si contra blanda et aspera fortis resistat et temperans, tamen velut in salsugine arans, aut velut sterilis arenæ mundans semina, de laboribus manuum suarum fructum non comedet. Cum enim sit injustus, injuste sibi tribuens, quod est Dei, quamvis nichil habeat, quod non acceperit, sic gloriabitur, quasi non acceperit. Porro in peccatis propriis ad excusandas excusationes conversus in verba malitiæ, accusando naturæ infirmitatem audebit culpam refundere in Auctorem. Hæc autem prima hominis justitia, ut divinæ gratiæ, quicquid boni habet, vitio suo imputet, quicquid mali.

et quæ ex ea procedunt

18 Et justitia quidem parit humilitatem, injustitia vero superbiam generat. Superbia autem est radix F quædam amara, quæ etiam in Sanctorum solet cordibus pullulare; est quædam fera pessima nonnullos etiam perfectos solita devorare; nam cum cetera vitia tantum de vitiis oriantur; hoc solum monstrum nonnumquam ex virtutibus velut ex stirpe dissimili ducit originem. Hanc feram pessimam Jacob noverat patriarcha; cum diceret: Fera pessima devoravit filium meum Joseph. Humilitas vero est efficacissimum quoddam remedium tam ad tuendam quam ad restituendam animæ sanitatem. Nam et Sanctos in bonitate conservat, et peccatores indubitanter ipsa justificat: nimirum non longe distat ab innocentia humilis et verecunda peccati confessio. Evertit igitur iniquitates justitia per humilitatem, quas accumulat injustitia per superbiam. Consummat virtutes justitia per humilitatem, quas destruit injustitia per superbiam.

virtutes reliquæ;

19 Quocirca Sanctum hunc nostrum cum ceteris virtutibus opportet habuisse justitiam, ne corpus absque capite, vel domum sine tecto videatur ædificasse: sed justum illum fuisse, quis dubitet, qui superius de ipso memorata cognoverit? Etenim debitam Creatori cum famulatu exhibere reverentiam, pars quædam est non parva justitiæ. Societatem

A. MARBODO EP.

Societatem generis humani sic servare, ut omnibus et singulis dignus impendatur affectus, pertinere videtur ad alteram. Hic vero talem se gessit erga Deum et homines, ut nec propter religionem inhumanus, nec propter inhumanitatem fieret irreligiosus. At vero in ipsis hominum diversitatibus, quas vel sexus, vel ætas, vel conditio efficit, ita justitiæ dignitatem servavit, ut majoribus observantiam, minoribus indulgentiam, æqualibus gratiam, misericordiam infirmioribus, æquitatem omnibus exiberet.

sobrietas corporalis et spiritualis,

20 Postremo sobrie et juste et pie vixit in hoc seculo, quorum primum in se, secundum in homines, tertium observavit in Deum. Sobrietatem quidem in hoc loco non eam tantum oportet intelligi, qua corporei cibi vel potus citra crapulam et ebrietatem compescitur appetitus, sed eam vel maxime, quæ mentem spiritualiter ab omnibus illicitorum coërcet illecebris. Nam ita demum sobrie vixit, si sobrietatis integritatem servavit. Quidam enim peccata velut panem comedunt, et tamquam vinum bibunt iniquitatem. Et istud est pessimum ac fugiendum maxime genus ebrietatis; cum libidine, B vel avaritia, vel superbia, vel aliquo hujusmodi venenato poculo mens lymphata nec rationis oculo verum potest internoscere, nec in via mandatorum Dei pedem operis stabilire; sed dissoluta quodammodo et enervis et titubans inquietæ et ærumpnosæ voluptati, nescio quid, semper deesse conqueritur. Hanc ebrietatem sequitur æterna dampnatio, ut beato Johanni, qui loquebatur ei, angelus revelavit : Veni, inquit, ostendam tibi dampnationem meretricis magnæ, hoc est, gentis meretriciæ, quæ sedet super aquas multas, dum sibi in fluxis et transitoriis adquiescit : cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui habitant terram , de vino prostitutionis ejus. Et post pauca. Cecidit, cecidit Babilon magna, id est, bis cecidit, in corpore scilicet et anima; contrita est duplici contritione, et induta est sicut diploïde confusione sua. Hanc Vir beatus dampnationem quia luxuriosis paratam noverat in futuro, omnibus modis sobrie vixit in hoc seculo; ut nec vitii vinum gustaret nec in vitis vino gustando modum excederet.

dilectio proximi

21 Justitiam autem erga homines illam servavit, quam misit Christus in terram, verbum consummans et abbrevians in æquitate : Quod tibi B non vis fieri, alii ne feceris. Hoc enim si competenter intelligatur , consummatam proximi dilectionem ostendit, cum non solum revocet ab inferenda injuria, sed etiam provocet ad conferenda beneficia. Nam et hoc , quamvis verba non sonent, ex supra dicta constat sententia, ut, quod tibi vis fieri, alii ne subtraxeris. Nam si subtrahis, utique jam facis, quod tibi non vis fieri; nemo enim in necessitate sua sibi subtrahi vult auxilium. Porro autem si quis tam perversus existat, ut vel bonum aliquod sibi nolit fieri, vel etiam turpe aliquid fieri sibi velit, non ideo se vel ne aliis bene faciat hoc mandato prohibitum, vel ut aliis male faciat, existimet imperatum : immo potius hoc mandatum, quod hominibus datum est, sciat ad se nihil pertinere : quandoquidem ad hominum sortem ipse non pertinet; quippe qui vitio suo in irrationalem degeneravit naturam, dum in appetendis et fugiendis bestiale sequitur, si dici potest, judicium. Væ homini illi, quoniam dicit bonum malum et malum bonum, ponit tenebras lucem, et lucem tenebras; mente captus non minus, quam si iter properans, pedes in cælum erigat, capite in terram defixo, vel cum retro graditur, si se putet procedere. At vero illis missum est hoc mandatum, D qui nichil sibi volunt nisi sanctitatem, nichil nolunt præter iniquitatem, in se ipsis ita compositi, ut in alios debeant jam extendi, qui per sobrietatem hoc merentur, ut et justitiam consequantur. Talis procul dubio Sanctus, de quo loquimur, fuit; et ideo mandatum in alios recte servavit, ut nec mali quicquam proximo inferre vellet, nec boni aliquid denegaret.

et pietas non verbis tantum

22 Vixit et pie; quia propter pietatem sobrie vixit et juste : nam duo servavit propter tertium; dum propter Dei amorem se dilexit et proximum. Vixit ergo sobrie et juste et pie in hoc seculo. Unde et securus partim expectat, partim jam adeptus est beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, sine macula existens ante thronum æternum, et unus de citharedis citharizantibus in citharis suis. Non enim, ut plerique faciunt, bene locutus est et male vixit; quod nichil est aliud, quam alienis fidibus citharizare. Talibus hodie citharedis plena sunt omnia, quorum cum vita dignum nichil auditu respondeat; alienam tamen dictare non cessant. In isto, inquiunt, reprehensibile est hoc et illud : in hoc male transgrediuntur hic et ille. Præposteri homines et insulsi, qui, cum in sua nesciant, E in aliena cithara citharizare præsumunt, tantam utique habituri dampnationem, quantam boni citharedi mercedem; aut certe tanto ampliorem, quanto præsumptionem addunt nequitiæ. Tales in Evangelio notat Dominus, qui onera importabilia in humeros hominum ponunt, digito autem suo nolunt ea contingere; vel, qui trabem gestantes in proprio, fratris oculum de festuca redarguunt, et cum sint ipsi cæcissimi, de cæcorum ducatu non verentur præsumere.

sed operibus completa.

23 Non ita Sancti Dei meruerunt æternum regni consortium, nec tale nobis, ut de aliis taceam, beatus iste Florentius reliquit exemplum. Vivendo magis, quam loquendo errantes correxit, nec tam sermone quam opere facienda dictavit. Non tamen vel sermone defuit instruendis; sed ordine suo utrumque adhibuit, ut prius faceret, sic doceret. Corripiebat sane Vir justus peccatores; sed ut increpatio illa dulcedinem redoleret, non amaritudinem; misericordiam, non invidiam; votum, non odium. Sic objurgationem blanditiis, blanditias objurgatione temperabat, ut nec illæ resolverent, nec ista contristaret. Quod mali et inconsulti, dum falso imitari cupiunt, quæ natura disparavit, con- F glutinare laborantes, bonum dico et malum, monstrum faciunt de seipsis, ex eodem proprii cordis fonte vocem bonam et opus malum, id est, dulcem et amaram aquam, quod natura non patitur, emanantes, et cum sint ipsi ficus fatuæ, uvarum fertilitatem mentientes.

PARS III.

Sancti imitatio remedium adversus omnia peccata.

Ex imitatione virtutum S. Florentii

Nos autem, fratres, imitantes beati hujus Patris nostri sapientiam, horum talium stultitiam fugiamus, vel si aliqui sumus tales, fugiamus nosmetipsos, ne si nos ipsi non fugiamus alii jure nos fugiant. Discamus, vel ipsi reprehendenda non committere, vel aliorum commissa non reprehendere. Nam reprehendere et posse reprehendi, hoc est medicum esse et infirmari. Imitemur tam in hoc quam

A quam in aliis bonis Patronum nostrum, si volumus illi gratum et solenne celebrare servitium. Ad hoc enim vel maxime Sanctorum memorantur virtutes, ut bono exemplo provocentur audientes. De vicino sumamus exemplum : habemus ante oculos a Deo nobis provisum peculiarem Patronum, ut non sit nobis necesse imitabile aliquid ex alieno mutuari. Et licet eadem inveniri possint in aliis, de propinquo tamen quam de remoto fonte æque dulces aquas plus delectat haurire, præsertim cujus vena indeficiens absque sui detrimento, immo ad suum incrementum sufficit omnibus recreandis. Sunt autem hujus fontis aquæ tam salubres, ut ægrotantium animarum quantæcumque diversitatis æstus possint et febres extinguere.

tamquam ex fonte, 25 Si quis aliena felicitate infelix, alinea pinguedine macilentus, pallet invidia, ut sibi putet ablatum, quicquid aliis est collatum, ex hoc nostro fonte plenum fraternæ caritatis ciatum sumat, continuo non hanc solum pestem evadet, sed et huic aliam consequentem, et quamvis diversam, non minus tamen mortiferam, hoc est, ut sibi putet collatum, quicquid aliis est ablatum. At qualem de recepta sanitate fructum capiet? Ut scilicet B aliena omnia sua reputans, dampna etiam aliorum sibi convertat in lucrum. Nam de proximi lucro et dampno contristari et congratulari æquam utrumque habet apud Deum remunerationem. Iracundia dementatus aliquis dispumat insaniam? Huc accedat et bibat patientiam; exuet illico ferinum cum animo vultum, et ad mentem reversus, tam longe se mirabitur peregrinatum, pudebit insaniæ et insolentis morbi recordatio materiam dabit cautelæ.

remedium hauritur 26 Qui seminat inter fratres discordias, tamquam si in mel spargat absincium; postquam hoc de fonte pacem potaverit, adunabit, quod sparserat; extirpabit, quod seminaverat. Pigebit et istum erroris præteriti, et de cætero laboris infructuosi dispendia utilioris exercitii compensatione taxabit. Quibusdam non census, sed sensus inopia laborantibus, tanta aviditatis flamma depopulatur medullas, ut quanto plura capiunt, tanto plus cupiant. Quod incirco illis evenit, quoniam non sacietatis remedia, sed cupiditatis sumunt irritamenta, nam qui pecunia sedare vult avaritiam, accensum rogum oleo temptat extinguere. Bibant ergo plenum sufficien- C tia poculum largitatis, ne in æterna, quod fugiunt, permaneant egestate. Æque enim est egens, et qui non habet id, quod satis est, et cui non est satis id, quod habet.

adversus omnia peccata. 27 Est et ilud morbi genus, et quidem nostris temporibus satis frequens, eorum videlicet, qui sua levi, aliorum gravi delicta ponderant; et e converso magni proprias æstimantes, aliorum parvi pendunt virtutes. Faciunt hi quidem in virtutibus, quod perfidi negociatores in mercibus, in viciis autem contrario modo hii quam illi, sed apud Deum abhominabiles hii et illi. Nam pondus et pondus, statera et statera, utrumque abhominabile est apud Deum. Utinam saltim in aliam potius partem peccarent! hoc est, ut aliena mala suis leviora, bona vero sua minoris, quam aliena, ponderis æstimarent. Istud enim propter humilitatem quasi excusabile, illud vero propter superbiam est revera dampnabile. Culpabile tamen est hoc et illud; quia id exigit indeflexa justitia, ut ejusdem ponderis existentia vel aliena vel nostra eadem judicii lance pensemus. Isti quoque contrariam valetudinem facile possunt evadere, si de hoc nostro fonte imitationis ydria hauriant æquitatem. Hinc et superbus ducat humilitatem, et prodigus parcitatem; castitatem lascivus, abstinentiam luxuriosus. Sed quis omnes spiritualium ægritudinum modos enumeret? Hoc tantum ad præsentis Patroni laudem veraciter dixisse sufficiat, nullum vitii esse genus, cui non oppositam habuerit ipse virtutem. Quæ quamvis singulæ non legantur; ex aliis tamen aliæ colliguntur. Nam ex partibus tota, ex majoribus minora, ex apertis obscura pensamus. Et licet propriarum fuerit occultator ipse virtutum, sicut alii vitiorum, tot tamen leguntur et tantæ, ut plures vel majores non sit opus desiderare. *A. Marbodo ep.*

Meritum ejus apud Deum miracula 28 Postremo quanti sit meriti apud Deum, signorum frequens ostensio manifestat. Nam ut illa prætermittam, quæ quidem pro sui multitudine ac magnitudine nec breve temporis spatium, nec modernum desiderant scriptoris ingenium, ea dico, quæ post beatum ad cælos transitum diversis temporibus et locis mirabiliter operatus est, quis ea saltim, quæ mortali adhuc carne gravatus factitavit, miracula dignitate relationis æquiparet? Et ut verbi causa pauca de multis, parva de magnis breviter attingamus, potentiam ejus Rodanus interrogatus respondet, Vigenna fluvius protestatur, Ligeris domesticus ejus divulgat. Nam Rodani quidem rapidissimas undas et formidatos vertices ve- E teri et dissoluta nave, sola fide remige, transmeavit majori forte miraculo, quam si audaci pede calcatis aquis apostolicus Viator ferocem fluvium transmisisset. Tunc enim solus ipse servatus esset in miraculo, nunc vero et servatæ naviculæ dissoluta vetustas videtur congeminare virtutem. Non enim ipsum navis, sed ipse navem transportavit. Et ut opinatissimi fluvii ripas quoque consuetarum sibi virtutum muneribus illustraret, obvium mox et in ipso recentis miraculi exitu dæmoniacum, vinculis significantem insaniam, misericordia tactus purgavit, spiritualibus et corporeis nexibus absolutum. Raptim et in procinctu duo hæc continuavit miracula, ut qui die Dominica ad Missarum solempnia festinaret Lugdunum.

manifestant plurima 29 Facta enim sunt hæc, et multa præter hæc alia, in illa peregrinatione, qua, relicto natali solo, locum nostrum, divina voce monitus, adventabat. Nec longe divisum, quamvis longe diverso gestum tempore, sensit et Vigenna miraculum, duplici et ipse virtute alveum insignitus et ripas. Nam dum quodam tempore Vir sanctus in F loco habitationis suæ aliquandiu jam commoratus, beatum Martinum ex consuetudine annua reviseret, absortum a præfato flumine ante aliquot dies pauperculæ cæcæ filium, in ripa sedentis et flentis, a Deo impetravit, et bis orbæ mulierculæ cum filio reddidit lumen amissum. Ligeris quoque duplex tropheum erexit in ripis ex uno quidem loco, quem et ipse incoluit, serpentum expulsa multitudine, ex alio vero, qui Murus antiquitus vocabatur, expulso uno non multis, sed ipso præ magnitudine instar existente multitudinis. Præterea confluentes ad se; velut ægros ad medicum, cæcos, claudos, dæmoniacos et variis obsessos languoribus illuminavit, erexit, mundavit, sanavit. Nam hoc omne genus locum, quem idoneum contemplacioni suæ latibulum fore crediderat, brevi ejus cognita sanctitate, cupide frequentabant.

et diuturno in bono constantia. 30 Postremo si miraculorum desideratur potentia, quid admiratione dignius, quam in tanta vitæ mortalis inconstantia stabilem mentis servare constantiam? Hoc plane est in igne positum non ardere, vel in flumine mersum non obrui. Vixit annis CXXXIII; quanta, putamus, illum in tanto temporis intervallo eventuum pulsavit varietas, cum uno

A. MARBODO EP. uno vix die in eodem statu vita humana perduret? Sed ita Vir beatus ad omnia sese comparaverat, ita velut in pace bello providerat necessaria, ut nulla eum fortunæ varietas offenderet imparatum. Induxerat animum nichil boni prætermittere, etiamsi damnosum, etiamsi periculosum, etiamsi laboriosum foret, et econtra nullum malum admittere, etiam si lucrum esset allaturum, si voluptatem, si securitatem. Ita vir bonus, perfectus, absolutus, quem malum facere, nulla vis, nulla necessitas posset, velut aurum probatissimum, vel pretiosa quælibet margarita, dignus in æternum Domini thesaurum reponi, translatus est in cælum, et reputatus inter filios Dei, illius beatæ civitatis incola, cujus structura muri ex lapide precioso, ipsa vero civitas ex auro mundo, et non eget sole neque luna; nam claritas Dei illuminavit illam et lucerna ejus Agnus est.

Imitemur ipsum, ut gloriæ participes simus. 31 Et nos ergo, fratres, si claritatis illius volumus fore participes, quis autem insanus hoc nolit? abjiciamus opera tenebrarum, si pacem et quietem æternam diligimus, ærumnosis et turbulentis seculi curis renunciemus. Multi enim, quod deterius est, quanto a negotiis vacant in corpore, tanto molestius negotiantur in mente, et quod bonis studiis insumere debebant otium, frustra consumunt in desideriis negotiorum. D Projiciamus, quæcumque tumultum movent animo, quæ tranquillitatem menti excutiunt, quæ distractum cor in multa laniant, quæ si aliter expelli nequirent, ut ait Seneca, cor ipsum revellendum erat cum eis. Quod exteriori habitu pollicemur, in interiori homine teneamus. Nam religioso vultu vel habitu animum irreligiosum velare, hoc est ovem exterius, intrinsecus lupum gestare; quod quidem multo est deterius, quam si lupum prætenderes, ovem interius occultares. Mundemus conscientiam ab operibus mortuis, quadremus nos virtutibus supra dictis. Nullus enim lapis, nisi vivus et quadratus, sanctæ illius civitatis ingredietur ædificium, quæ et ipsa in quadro posita est, cujus longitudo et latitudo et altitudo æqualia sunt; quod nichil est aliud, quam esse solidum et quadratum. Consolidemus itaque et conquadremus huic beatissimo Patri nostro, cujus annuam solempnitatem recolimus, ut et ipsi tamquam lapides vivi, lapides quadrati, coædificari mereamur in cæleste habitaculum Dei in Spiritu sancto. Amen.

E

B

DE S. LAUDO, VEL LAUTONE

EPISCOPO CONSTANTIENSI

IN NORMANNIA INFERIORI

C. S.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. Sancti nominis variatio, memoria in Martyrologiis ad varios dies et cultus; Vita non probata, gesta aliqua et tempus sedis.

Circa annum DLXVIII Sancti nomen varie scriptum, *Constantia Castra, sive Constantiæ, indigenis* Coutance, *antiqua Galliarum civitas in provincia secunda Lugdunensi, nunc in Normannia Inferiori, in eoque tractu sita, qui ab ipsa* C Constantiensis ager, *Gallice* le Coutantin *appellatur inter episcopos sedis suæ, Rotomagensi suffraganeæ, recensens* S. Laudum, *vel* Lautonem, *qui seculo sexto magna sanctitate floruit. Nomen ejus apud varios varie scriptum legitur; ab aliis enim* Laudo, Lautonius, Lautonus, Lautorius, Launus, Launulphus, *et* Lannulphus, *communiter tamen* Laudus *vel* Lauto, *Gallice* Saint Lo *nuncupatur. Sanctus hic multis Martyrologiis inscriptus est, variisque in locis colitur. Non eodem tamen die in omnibus annuntiatur; nam in aliis die* XXI *Septembris, in aliis* XXII *et alibi etiam* XXIII *ejusdem mensis signatus est, Incipio ab auctariis Usuardinis apud Sollerium nostrum relatis; Ado enim et Usuardus eum prætermiserunt.*

in multis Martyrologiis ad diem 21 2 *Ad diem* XXI *ipsum breviter et sine loco celebrat codex Hagenoyensis his verbis :* Item beati Laudi episcopi et confessoris : *Altempsianus* : Item sancti Laudi episcopi. *Codex Reginæ Sueciæ signatus num.* 428 *cultus locum addit,* Rotomagi, *inquiens* , sancti Laudi episcopi. *At vero sedem ipsam editio Lubeco-Coloniensis, Grevenus et Molanus assignant. Horum prima sic habet* : Eadem die (XXI *Septembris*) in territorio civitatis Constanciæ, sancti Laudonis episcopi et confessoris: *Grevenus autem sic :* In Normannia Inferiori, civitate Constantiensi, beati Laudi episcopi et confessoris. F Hic superna dispositione, cum esset annorum duodecim, in episcopum assumptus, verbo, vita et miraculis præfatam illustrans ecclesiam, beato fine quievit. *Porro quod hic de episcopatu anno ætatis duodecimo suscepto dicitur, ejusdem Actis exiguæ fidei nititur, ut suo loco videbimus. Manifestius erravit Molanus, qui eumdem primum episcopum Constantiensem credidit, dicens:* Apud Constantias Inferioris Normanniæ, beati Laudi, primi præfatæ urbis episcopi, cujus vita miraculis floruit, et mors ipsius nihilominus pretiosa in conspectu Domini fuit.

3 *De die locoque consentit auctor nostri Ms. Florarii Sanctorum, qui ipsum, mutato nonnihil nomine, sic annuntiat :* Apud Constantiam, sancti Landi, alias Landonis, episcopi et confessoris. *mensis Septembris* *Ad hunc pariter diem memoratur apud Castellanum et Saussayum, quorum hic ejusdem elogium ex illius Vita de more concinnavit. Consentit etiam Martyrologium Parisiense, ubi hæc legere est :* Eodem die, sancti Laudi, seu Lautonis Constantiensis in Neustria episcopi, qui conciliis Aurelianensibus secundo, tertio et quinto interfuit. *Hisce*

A *ce accedit Philippus Ferrarius, qui* S. Laudum *hac pariter die Catalogo generali Sanctorum inseruit, in Annotatis observans, hunc eumdem videri cum* Lautone, *qui in Martyrologio Romano postridie memoratur, quique a Demochare tamen velut alter ab illo recensetur. Sed errasse Democharem suo loco videbimus. Ex dictis collige, verum non esse, quod Stephanus Baluzius lib* I *Historiæ Tutelensis, cap.* 9 *de omnibus veteribus Martyrologiis ait,* Fato autem functus est, *inquiens,* Laudus... x Kal. Octobris, ut habent omnia vetera Martyrologia.

et ad 22 et 23 ejusdem mensis legitur;

4 *Hactenus de sacris Fastis, in quibus die* XXI *Septembris* S. Laudus *vel* Lauto *memoratur. Ad diem* XXII *eumdem pariter annuntiant varii quoque codices Usuardini aucti apud laudatum Sollerium. Inter hosce Antverpiensis codex et editio maxima Lubecana ita habent:* In territorio civitatis Constantiæ, sancti Laudonis episcopi. *Consonat codex Antverpiensis Maximus, aliique multi, uti et Belinus et Molanus in editis. In veteri quoque Martyrologio ecclesiæ Aniciensis in Velaunia hac etiam die, teste laudato Baluzio cap.* 7, *legitur:* B Andegavi, sancti Laudi, Constanciæ civitatis episcopi, in loco, qui dicitur Clomna. *Adde denique et illa Martyrologia, quæ idem Baluzius numero præcedenti sine nomine laudavit. Hosce martyrologos secutus Cardinalis Baronius, eumdem in Martyrologio Romano ad præsentem diem* XXII *Septembris recensuit his verbis:* In territorio Constantiensi, sancti Lautonis episcopi. *Præterea alium ejusdem cultus diem, nempe* XXIII *Septembris assignat Baluzius, qui post verba præcedenti numero recitata subdit:* At in vetusto Kalendario monasterii Tutelensis, et in veteri Missali ecclesiarum nostræ provinciæ natale ejus rejicitur in diem IX Kal. Octobris; quo die etiamnum apud nos celebratur festus illius dies.

cujus variationis occasio ex conjectura

5 *Ad variandum diem prædictis martyrologis occasionem dedisse potuit tum Mss. Vitarum in die obitus ipsius discrepantia, tum ejusdem nominis qualiscumque variatio, tum forte etiam cultus illius propter S. Matthæi Apostoli festivitatem in alium diem translatio. Nam quod ad primum attinet, in uno ex Vitæ Ms. exemplaribus, quæ præ manibus habeo, Sanctus dicitur obiisse* decimo Kalendas Octobris, *cui Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* XI, *cap. ultimo, et Brevia-* C *rium Rotomagense anno* 1736 *excusum, consentiunt, etiamsi ejusdem Officium ibidem primum celebretur postridie. In alio vero ejusdem Vitæ Ms. exemplari, uti et in Breviariis Constantiensi ac Bajocensi, illius obitus ad* XI *Kalendas prædicti mensis relatus est. Nomen autem Sancti ad diem* XXI *Septembris in auctariis Usuardinis supra allegatis semper scribitur* Laudus, *si solam editionem Lubeco-Coloniensem excipias, ubi* Laudo *vocatur. Contra vero ad diem* XXII *codices Antverpiensis, Bruxellensis, domini du Cheval, Florentinus, editio maxima Lubecana et Belinus ipsum* Laudonem *constanter dicunt; Caudiacensis codex* Lautonem. *Quin et codex Hagenoyensis et Molani editio, in quibus pridie* Laudus *scribitur, eumdem hodie, velut alius esset,* Laudonis *nomine denuo annuntiant. Altempsianus tamen codex utroque die* Laudum *commemorat, quo nomine ipse etiam in Ughelliano hoc die* XXII *inscriptus est.*

proponitur. Cultus ejus in Constantiensi

6 *Hæc itaque qualiscumque nominis variatio atque diei emortualis in Vitis diversitas occasionem dare potuit, ut ab aliis ad diversos dies referretur, ab aliis etiam geminaretur. Nihilominus constat,* Laudum, Landum, Laudonem, Lautonem, Landonem et Lantonem, *unum eumdemque sanctum episcopum Constantiensem esse, de quo nunc agimus. Et hic quidem alibi die* XXI, *alibi* XXII *alibi* XXIII *colitur: sed cum in Martyrologio Romano, quod præ aliis sequimur, ad diem* XXII *annuntietur, de ipso hodie agendum statuimus, uti in Prætermissis ad hesternam diem observatum fuit. Martyrologiis subjicio aliquot loca, in quibus.* S. Laudus *ecclesiasticis Officiis ac religioso cultu quotannis honorari solet. In primis in diœcesi sua Constantiensi solemniter colitur die* XXI *Septembris, Officio S. Matthæi apostoli propterea in diem posterum translato; ut didici ex ejusdem diœcesis Breviario, anno* 1609 *Constantiis excuso. Officium autem celebratur cum Octava, habetque antiphonas omnes, invitatorium ac responsoria propria ex ejusdem gestis fere concinnata.*

AUCTORE C. S.

diœcesi; Rotomagi in sua ecclesia, Tutelæ,

7 *Lectiones vero secundi nocturni gesta similiter ipsius ac sacri corporis translationem exponunt; cetera ex Communi confessoris pontificis desumpta sunt præter Orationem, quæ sequens est.* Deus, qui ad docorandam Ecclesiam tuam beatissimum Laudum constituisti pontificem, da nobis divinam adipisci lætitiam, ut, cujus gloriosum so- E lemniter celebramus transitum, æternæ vitæ præmia per ejus obtineamus obtentum. Per Dominum etc. *In Commemorationibus quoque velut patronus ibidem invocatur. Celebris etiam ejusdem cultus est Rotomagi apud canonicos Regulares S. Augustini, in ecclesia primo* S. Salvatoris, *vel* Sanctissimæ Trinitatis, *sed jam ab aliquot seculis ab ipso* S. Laudi *dicta, in qua magna in veneratione est sacrum corpus, quod ejusdem Sancti esse, eoque seculo nono vel decimo translatum fuisse ajunt, uti sequenti § latius exposituri sumus. Quam solemniter vero festa ejus dies jam antiquitus ibidem celebrari soluerit, conjicere licet vel ex eo, quod auctor anonymus Historiæ civitatis Rotomagensis, anno* 1731 *Rotomagi editæ, tom.* 2, *parte* 4 *scribit; nempe in more positum fuisse, ut si festum* S. Laudi *in Quatuor tempora incideret, hæc propter dici lætitiam ab ejusdem ecclesiæ canonicis Regularibus anticiparentur. Simili cultu gaudet Tutelæ in provincia Lemovicensi, ubi festum ejus celebratur die* XXIII *Septembris, olimque celebratum fuit in istius provinciæ ecclesiis cathedralibus, ut ex veteri Missali asserit Stephanus Baluzius lib.* I *Historiæ Tutelensis, cap.* 9. *Eodem teste, cap.* 7 *et duobus sequentibus, Tutelenses credunt,* S. Laudi F *corpus penes se esse, tempore Normannicarum incursionum Juliomagum Andium primum, atque hinc Tutelam delatum.*

ubi ejus dies festive agitur, Andegavi et alibi.

8 *Addit, ipsum adversus incendia non sine præsenti ope ibidem invocari; atque hinc factum, ut, cum anno* 1658 *ignis in episcopalibus ædibus exortus per ejusdem reliquias mirabiliter extinctus esset, Ludovicus Guronius, tum temporis episcopus,* partim sua sponte, ut gratus pro beneficio accepto, partim postulationibus civium permotus, edixerit, uti deinceps festus dies S. Laudi, qui in desuetudinem fere abierat, solenniter celebretur. *Præterea colitur Juliomagi Andium a canonicis* S. Laudi, *qui ejusdem corpus vel reliquias sibi pariter vendicant; verum de hisce ac Tutelensibus* § 3 *pluribus agemus. Ad hæc in Rotomagensis archidiœcesis Breviario anni* 1627, *uti et in Bajocensi Proprio ad diem* XXI *Septembris legitur nona lectio cum solita commemoratione; in Rotomagensi vero recentiori, anni scilicet* 1736 *fit de eo Officium simplex cum tertia lectione propria. Denique Bailletus de ejusdem cultu sic scribit:*

AUCTORE C. S.

bit: Cultus illius celebris est in ejusdem nominis oppido, ad Viriam fluvium inter Constantias et Bajocas. Est pariter in provinciis Andegavensi, Britanniæ Minoris, et Pictavensi, ac peculiariter Duracii, quæ urbs est in diœcesi Pictavensi ad fluvium Toëdam * sita. *Ad hanc urbem* S. Laudi *Constantiensis corpus olim translatum et suo etiam tempore asservatum asserit; verum ex dicendis* § 3 *sacrum corpus Launi, quod ibi colitur, omnino videtur alterius, quam Constantiensis Episcopi esse.*

* la Touc

Vita ejus exiguæ fidei, nec edenda,

9 *De Sancti nostri gestis vere pronuntiavit Jacobus Longuevallius noster in Historiæ ecclesiæ Gallicanæ tom.*2,*pag.*508, *ea tam parum nota esse, quam celebre ejusdem sit nomen. Etenim, quæ tam in Vitæ ipsius Mss. exemplaribus, quam in lectionibus propriis editis leguntur, ea pauca sunt, nec sic tamen omnia satis credibilia, nec a scriptore satis antiquo tradita. Quapropter etsi quatuor hujusmodi exemplaria ad manum mihi sint, nullum tamen typis edendum existimavi. Horum unum dubie notatur acceptum ex Ms. monasterii* S. Laudi *Rotomagensis; alterum ex ejusdem monasterii Legendario exscripsit Papebrochius noster; tertium Rotomago ad nos missum fuit anno* 1633; *quartum denique alius quidam ex Constantiensi ac Rotomagensi Breviariis compilavit, annoque* 1610 *ad Heribertum Rosweydum nostrum transmisit. Cum itaque ex hisce nullum editurus sim, eorumdem compendium hic exhibebo, et quid in iisdem certum, quid dubium, quid fabulosum videatur, disquiram, quæque de eodem Sancto alibi reperi, pro ejusdem gestis illustrandis recensebo.*

compendiose proponitur.

10 *Sanctum* Laudum *vel* Lautonem *sub Childeberto Francorum rege, hujus scilicet nominis I, magna sanctitate floruisse, consentiunt omnia exemplaria tam. Mss., quam edita in Breviariis, Eumdem a S. Gildardo, Rotomagensi episcopo, in locum Possessoris demortui episcopum Constantiensem in hodierna Normannia Inferiori consecratum fuisse, omnia pariter affirmant. At vitæ Mss. ac Breviaria Constantiense et Bajocense addunt, ipsum duodennem tantummodo fuisse, quando episcopatu initiatus est, Ajunt siquidem, dum de eligendo Possessoris successore a Constantiensibus ageretur, nonnullos ex his divinitus monitos, ut* Laudum, *duodecim annorum adolescentem, eligerent; eamque electionem a Childeberto rege, qui eadem de re per somnium pariter monitus fuerat, ratam habitam fuisse; cumque S. Gildardus ipsum ob tam teneram ætatem ordinare recusaret, hunc quoque ab angelo jussum, tandem consensisse. Post susceptum episcopatum narrant, super ipsius caput, dum divinum Officium persolveret, ignem in columbæ specie apparuisse, ipsumque cuidam cæcæ mulieri per preces ac manuum impositionem visum donasse. Addunt, eumdem, cum ecclesiæ causa regem adiret, in via famulos suos monuisse, in arbore, sub qua illi prandium paraverant, dæmonem latitare, iisque subito inde recedentibus, arborem illam, illæsis omnibus, mox corruisse. Affirmant denique,* S. Laudum *anno vitæ suæ quinquagesimo octavo, episcopatus vero quadragesimo sexto felici morte ad cælum emigrasse undecimo, vel, ut aliis placet, decimo Kalendas Octobris.*

Interfuit conciliis Aurelianensibus 2, 3 et 5; ad 4 presbyterum misit:

11 *Jam quid ex hisce admitti possit ac debeat, inquiramus,* S. Laudum *nostrum sub Childeberto I Francorum rege Constantiensi ecclesiæ præfuisse episcopum, indubitatum est ex conciliis Aurelianensibus, eodem Childeberto regnante, celebratis. Nam apud Labbeum tom.* 4 *Collectionis conciliorum, col.* 1783, *in concilio Aurelianensi II, quod alii ibidem ad annum* 533 *alii ad* 536 *referunt, legitur:* Lauto episcopus Constantiensis subscripsi. *Similiter subscripsisse legitur Aurelianensi III anno* 538. *ibid, tom.* 5, *col.* 304, *ac rursum Aurelianensi V, anno* 549 *ibidem col.* 398, *ubi sic habetur*: Lauto in Christi nomine episcopus ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis subscripsi. *Ad quartum denique Aurelianense anni* 541 *misit legatum suum Escupilionem, qui in laudata collectione tomo citato, col.* 389 *ita subscripsit*: Escupilio presbyter, missus a Lautone episcopo civitatis Constantiæ, consensi et subscripsi. *Ex hisce observa, quantum hallucinatus fuerit auctor recentioris Breviarii Rotomagensis, anno* 1736 *editi, qui Arausicana concilia cum Aurelianensibus confudit, et tam illis, quam his* S. Laudum *interfuisse, asserit his verbis:* Interfuit secundo, tertio et quinto concilio Arausicano: ad quartum legatum misit Scubittonem Constantiensem presbyterum. Tribus adstitit conciliis, quæ Aureliani habita sunt. *Error pluribus ex capitibus manifestior est, quam ut refutari oporteat. Quod autem* S. Lauto *supra sese episcopum* ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis *dixit, id Sirmondus, tom.* I *Conciliorum Galliæ, pag.* 602 *in Observationibus ad concilium I Aurelianense factum putat, quod Constantiensis civitas* Briovere *appellata fuerit, antequam Constantina castra ibidem figerentur.*

cur episcopus Brioverensis dictus sit.

12 *Contra Valesius in Notitia Galliæ verbo* Briovera *sustinet, nomen hoc vetus vocabulum fuisse illius castri, quod ab ipso* S. Laudi *deinde appellatum fuit. Credit enim,* Brioveram *dictam esse quasi* Briam *vel* Brivam Veræ, *id est,* Pontem Veræ *fluvii, ad quem illud castrum est. Assertionem suam adductis aliis exemplis confirmat, putatque* S. Laudum *ideo se dixisse ecclesiæ Constantinæ vel Brioverensis episcopum, quod in dicto diœcesis suæ castro ob loci amænitatem plerumque resideret. Incertum tamen est, an* S. Laudus *eo titulo primus usus sit; cum eodem teste Valesio, concilio Aurelianensi I in codicibus Remensi, et Bellovacensi subscripsisse legatur* ex civitate Briovere Leontius episcopus, *qui in aliis codicibus* Leontianus episcopus ecclesiæ Constantiæ, *vel* de Constantia *notatur. Nihil etiam obstat, quo minus* S. Laudus *Possessori in Constantiensem sedem succedere, et a S. Gildardo episcopus ordinari potuerit.*

Possessori successit, a S. Gildardo consecratus episcopus;

13 *Possessoris magna cum sanctitatis laude mentio fit in Vitis S. Marculphi abbatis apud nos tom.* I *Maji, ad diem* I, *ubi pag.* 71 sanctus *et* summæ religiositatis vir *appelatur, diciturque S. Marculphum benignissime susceptum sacris Ordinibus initiasse, et ad prædicandum Evangelium instituisse. Similia in Vita altera ejusdem S. Marculphi ibidem pag.* 75 *et sequenti legere est. Hanc autem S. Marculphi ordinationem circa annum* 520 *contingere potuisse, Henschenius noster ibidem pag.* 71, *num.* 4 *censuit, ad quem eamdem pariter narrat Coïntius; sed quamdiu Possessor deinde supervixerit, incertum est. De S. Gildardo actum apud nos pariter est ad diem* VIII *Junii, ubi mors ejus post annum* 508 *latissime fixa est. S. Gildardi successor fuit S. Flavius, cujus episcopatus initium tom.* IV *Augusti, pag.* 641 *ad annum* 529 *cum Coïntio interim relatum fuit, donec de Rotomagensium præsulum chronotaxi certiora prodirent. Porro idem S. Gildardus subscriptus legitur concilio I Aurelianensi, anno* 511 *ex communiori sententia celebrato; atque adeo potuit hic* S. Laudum *in Possessoris locum inter prædictos annos episcopum consecrare; sed annus ordinationis incertus est.*

14 *At*

AUCTORE C. S.

non tamen duodennis, ut in Vita dicitur.

A 14 *At vero* S. Laudum *duodennem tantummodo fuisse, quando episcopatu a laudato S. Gildardo initiatus fuit, res tam insolita, et ecclesiasticis sanctionibus tam contraria est, ut eam ex tam incertis monumentis credere non possimus, meritoque de ea nulla facta sit mentio in Breviariis Rotomagensibus, tam vetustiori anno* 1628, *quam in recentiori, anno* 1736, *vulgatis. In quadam Narratione de reliquiis Sanctorum, quæ in ecclesia Tutelensi servantur, quam Stephanus Baluzius* 1153 *scriptam esse notavit, ediditque inter instrumenta Historiæ Tutelensis, dicitur* B. Laudus Constantiæ civitati divino nutu *(non* duodennis, *sed)* duodecimus datus episcopus ; *verum nec hoc conforme est catalogo episcoporum Constantiensium a Sammarthanis in Gallia Christiana edito, in quo quintus dumtaxat recensetur. Miracula per* S. Laudum, *dum viveret, facta esse, omnino verisimile est, ideoque ea, quæ ex Vitis ac Breviariis num.* 10 *recitavimus, negare quidem non possumus, sed nec certo affirmare ob incertam fidem monumentorum. De numero annorum, quos in episcopatu suo exegisse potuit, et de tempore,* B *quo obiit, rectius infra loquemur, postquam aliqua ejusdem gesta, de quibus in aliorum Sanctorum Actis fit mentio, recensuerimus.*

Cum aliis convenit Andegavum ad S. Albinum;

15 *Tomo* 1 *Januarii ad diem* VI *data est in Opere nostro Vita S. Melanii, episcopi Rhedonensis, quam Chesnæus tom* 1. *Rerum Francicarum a coætaneo scriptam censuit. In hac cap.* 4 *dicitur* S. Launus *ac aliquot alii sancti præsules, incertum qua de causa, Andegavum convenisse ad S. Albinum, ejusdem civitatis episcopum. Verba accipe :* Eodem fere tempore convenerunt simul vir Dei Melanius, et electus Dei Albinus, sanctusque Victor atque Launus, et S. Marsus, in Andegava civitate, intra basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ ; ibique B. Melanius ex communi consensu aliorum Missam celebravit in capite jejunii Quadragesimæ. Post cujus celebrationem, antequam recessissent ab invicem, dedit eis beatus pontifex *(Albinus)* eulogias in caritate cum Dei gratia et sua benedictione. *Hic porro* Launus *non alius fuisse creditur, quam* S. Laudus *seu* Lauto *Constantiensis, ut loco citato ad lit.* c *annotatum est, et consentiunt etiam alii neoterici. Rejecta pariter ibidem ad lit.*a *Paschalis Robinii opinio est, secundum quam congressus ille contigisset, quan-* C *do laudati antistites a concilio Aurelianensi redibant ; cujus falsitas inde patet, quod S. Melanius ante concilium Aurelianense II obierit, ac primo tantum interfuerit, habito aliquot annis antequam S. Albinus episcopus esset. Coïntius eumdem congressum anno* 530 *alligavit ; at non video, quo nixus argumento sit. Porro, cum S. Melanius anno* 530 *aut non multo post e vivis decesserit, non potuit hic congressus serius contigisse ; potuit tamen citius, cum ejusdem S. Melanii biographus inter illum mortemque illius multa alia narret, quæ etiam ad varios annos possunt pertinere.*

S. Melanium Rhedonensem episcopum sepelit.

16 *Iidem sancti ad prædicti Melanii exsequias convenere, ut scribit ejusdem biographus cap.* 6, *ubi post narratum ipsius obitum prosequitur his verbis :* Per visionem autem angelicam convenerunt ad obsequium corporis illius faciendum sanctissimi pontifices superius nominati, videlicet S. Albinus et S. Victor, S. Launus nec non S. Marsus, qui per ejus virtutem a serpentis cingulo, sicut superius narratum est, fuerat liberatus. Ili sanctissimi pontifices et alii quamplurimi fideles viri per Dei providentiam ad ejus exequias convenientes, primitus ecclesiastico more animam ejus commendaverunt Deo, deinde nocte sequenti in orationibus et vigiliis expensa, primo mane Missam pariter audierunt. Exin communi consilio, Deo, sicut postea patuit, ordinante, collocaverunt corpus sancti viri in navi, quæ forte aderat in alveo fluminis Viceconiæ. Qui fluvius suspiciens sanctum corpus ejus cum pontificibus et clericis, atque monachis, litanias canentibus,... converso impetu, qui deorsum, sicut et ceteri, fluere ferrique solebat, sursum versus perduxit usque ad civitatem Redonensem... Beati autem pontifices, superius nominati, accipientes propriis manibus sancti viri corpus, portaverunt illud usque ad locum a Deo sibi provisum, in quo ab eisdem venerabiliter, sicut pro hoc ipso divinitus fuerant missi, collocatum est. *Hactenus biographus S. Melanii.*

S. Marculphum ægrotantem invisit,

17 *Idem supremum Christianæ caritatis officium* S. Laudus *noster etiam S. Marculpho abbati in diœcesi sua Constantiensi exhibuit, teste anonymo in ejusdem sancti abbatis Vita, quam apud nos editam habes tom.* 1 *Maji die* 1. *Sanctus ille Marculphus a Possessore,* S. Laudi *proximo decessore, benigne acceptus, et sacris Ordinibus initiatus* E *fuerat, ut supra num.* 13 *dictum est, et in ejusdem diœcesi in loco, cui nomen* Nantes *erat, monasterium condiderat. Itaque cum hic supremo morbo laboraret,* S. Laudus *ipsum invisit, mortuumque sepelivit. Hujus enim biographus cap.* 3, *num.* 23, *narrato ejusdem felici obitu, sic prosequitur :* Beatissimus itaque Lauto episcopus, qui his diebus illo advenerat, accersitis suæ parochiæ presbyteris et omnibus clericis reliqui ordinis, cum omni reverentia reposuit corpus sanctissimi viri juxta Cariulphum collegam suum. *Licet autem biographus adventum ejus post S. Marculphi mortem narret, non obscure tamen indicat,* S. Laudum *morienti adstitisse, dum ait, ipsum* his diebus *illuc advenisse.*

mortuumque pariter sepelit;

18 *Id ipsum clarius asserit alter biographus in Vita secunda ibidem data, in qua cap.* 4, *num.* 20 *sic legitur :* Invalescente denique languore, vicinum sui exitus terminum præsignante, fratres undique, multaque populorum ex vicinis locis turba, inter quos etiam venerabilis urbis Constantiæ præsul Lauto, visitandi studio ad eum accurrit. *Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis Seculo* 1 *eamdem Vitam secundam edidit, sed pro* Lautone *legit* Magnonem, *de quo sequentia* F *ibidem annotavit :* In serie episcoporum Constantiensium Magno desideratur, cujus loco heic apud Surium ponitur Lauto. *Verum* Lautonem *recte legi apud Surium, liquet tum ex Mss. ab Henschenio laudatis, tum ex Vita prima ex Ms, serenissimæ reginæ Sueciæ et alio codice nostro ab eodem edita, tum denique ex veteri codice bibliothecæ Colbertinæ a Stephano Baluzio lib.* 1 *Historiæ Tutelensis cap.* 9 *laudato. Hisce omnibus temporis ratio apprime convenit ; nam* S. Laudum *tribus conciliis Aurelianensibus, quorum ultimum anno* 549 *celebratum fuit, interfuisse supra probatum est. Idem sanctus Episcopus S. Paterno Abrincensi episcopo morienti adstitit, ut mox videbimus, idque circa annum* 565, *ut habet Henschenius, vel eo ipso præcise, ut censuit Mabillonius. Mortem vero S. Marculpi idem Mabillonius cum Henschenio circa annum* 558, *Coïntius autem ad annum* 556 *retulerunt. Manifestum itaque est, non alium, quam* S. Lautonem *in Constantiensi cathedra sedisse, dum S. Marculphus diem suum obiit ; ideoque non Magnonem, cetera ignotum, sed* Lautonem *eidem morienti adstitisse et suprema*

AUCTORE C. S.

prema post obitum exhibuisse officia. Eadem opera confutatur Breviarium Constantiense anni 1610, *in quo in Officio ejusdem S. Marculphi die* 2 *Maji dicitur non* Laudus, *sed* Possessor, *eidem morienti adstitisse,*

eadem officia exhibet S. Paterno Abrincensi.

19 *Eadem denique obsequia* S. Laudus *præstitisse S. Paterno Abrincensi episcopo mox laudato legitur in hujus sanctique Scubilionis, ejusdem socii Vita, auctore Fortunato episcopo, quem Henschenius ad diem* XVI *Aprilis edidit, illustravitque. Eamdem verbis sæpe discrepantem vulgavit Mabillonius in Supplemento Seculi* 1 *Benedictini post finem Seculi secundi addito, ex qua pauca ad Sanctum nostrum spectantia huc refero. Cum dixisset, S. Paternum in Sessiacensi, Sanctumque Scubilionem in Mandanensi monasterio una eademque nocte ad cælos emigrasse, mox subdit:* Lauto episcopus, qui ibidem ante dies octo ad visitandum advenerat, cum ad basilicam Sessciaco B. Paternum deduceret, impendens exsequias; item Lascivius episcopus S. Scubilionem ad basilicam ipsam deduceret, utroque concinente chroro psallentium, in unum nescientes pontifices convene- B nerunt, et sanctissimi viri orationis locum, quem ædificaverant, pariter eadem die occupaverunt. *Eadem, sed aliis nonnumquam verbis in Vita ab Henschenio edita, tom.* 2 *Aprilis, pag.* 429, *num.* 14 *legere est, quo lectorem remitto.*

Ex hactenus dictis tempus episcopatus ipsius

20 *Ex hactenus dictis* S. Laudus *post annum circiter* 520 *et ante* 529 *Constantiensem episcopatum adeptus est, in coque etiam sedebat anno* 565; *sed quamdiu supervixerit, incompertum est. Successor ipsi assignatur S. Rumpharius, quem sanctus* Laudus *sacerdotio initiasse in Breviario Constantiensi dicitur; verum de hujus quoque episcopatus initiis rebusque certo aliquo anno gestis hactenus nil reperi. In laudato Breviario dicitur obiisse* XIV Calendas Decembris, *sed* XIII *Calendas ejusdem mensis ibidem colitur; ideoque ad alterutrum horum dierum de illo apud nos agi poterit.* S. Laudo *annos quadraginta sex episcopatus tribuunt tam Vitæ Ms. exemplaria, quam Breviaria, Constantiense, Rotomagensia et Bajocense, quæ in Museo nostro habemus. Quapropter si Possessor obierit non diu post annum* 520, *circa quem illum vixisse Henschenius et Cointius num.* 13 *laudati censuerunt,* Laudus *ad annum circiter* 567 C *vel* 568 *pervenisse dicendus est, quod cum supra dictis recte cohæret. Nec multo longius episcopatum ipsius protrahere licet, si recte se habeat episcoporum Constantiensium catalogus a Sammarthanis editus in Gallia Christiana.*

utcumque assignatur;

21 *Etenim cum in hoc quatuor episcopi, sanctus scilicet Rumpharius Ursicinus vel Ursinus, S. Ulphobertus et Lupicius, medii statuantur inter* S. Laudum *et Romacharium, quem S. Gregorius Turonensis lib.* 8 *Historiæ Francorum scribit corpus S Prætextati Rotomagensis episcopi anno* 586 *occisi, sepelisse; non debemus breve illud annorum spatium, quo illi sederint, imminuere. Non tamen morari nos debet Cointius, qui ad annum Christi* 568, *num.* 22 *asserit, eumdem Romacharium Constantiensem hoc ipso anno dedicationi ecclesiæ SS. Petri et Pauli, per S. Felicem Nannetensem episcopum celebratæ, interfuisse; nescio ex quibus exemplaribus contendens, hunc pro* Marachario *Engolismensi antistite, uti in aliis exemplaribus Mss. editisque legitur, substituendum esse. In Tutelensi Narratione Ms. de Sanctorum reliquiis num.* 14 *laudata, et inferius recudenda, anni tantum quadraginta* S. Laudi *episcopatui tribuuntur, atque ita secundum illam aliquot annis serius potuit sedere cœpisse. Dixi* supra: *Si recte se habeat episcoporum Constan-* D *tiensium Catalogus a Sammarthanis editus; id enim hic non inquiro.*

et Democharis error corrigitur.

22 *At certe admitti non potest ille quem Demochares in Opere de Sacrificio Missæ contexuit, in quo cum quinto loco, ut Sammarthani faciunt,* S. Laudum *posuisset, addidit eumdem a S. Gildardo Rotomagensium episcopo anno* 473 *episcopum ordinatum esse. Post* S. Laudum *subdidit S. Rumpharium, S. Leonem, sanctumque Leontium seu Leontianum, quem concilio Aurelianensi I subscripsisse, ibidem annotavit. Nono loco subjunxit S. Ursicinum, et eidem laterculo ante decimum addidit:* Lauto episcopus Constantiensis concilio Aurelianensi secundo et tertio subscripsisse legitur. *Ex hisce, ut cetera mittam, falsum est,* S. Laudum *eo anno, quo verisimilius nondum natus erat, a S. Gildardo episcopum ordinatum fuisse Falsum est secundo, Leontianum, qui, ut supra diximus, concilio Aurelianensi I subscripsit, quo tempore* S. Laudus *nondum erat episcopus, ejusdem post duos intermedios successorem fuisse. Tertio denique* Laudus *et* Lauto *idem est episcopus Constantiensis, qui Aurelianensibus* E *conciliis II, III et V subscripsit, et ad IV Escupilionem presbyterum suum delegavit.*

§ II. Sancti corporis translatio Rotomagum, cultus et ecclesia, a Rotomagensibus aliisque asserta.

De Sancti corpore varii litigant:

Quod de variis illustribus Sanctis sæpenumero contigit, nempe ut horum sacra corpora non uni loco adscribantur, id in sancto quoque Laudo *Constantiensi episcopo accidit; nam hujus corpus Rotomagenses, Tutelenses atque Andegavenses, et, si Bailleto credimus, etiam Toarcinenses, penes se esse arbitrantur. Tutelensium causam adversus Andegavenses defendendam suscepit vir scriptis et eruditione sua notus, Stephanus Baluzius in Historia Tutelensi lib.* 1, *cap.* 7 *et* 8, *ubi venerabile illud pignus patriæ suæ vendicare conatus est An vero Andegavenses vel Rotomagenses aut Toarcinenses, (de quibus duobus ultimis siluit Baluzius) ad ipsius argu-* F *menta responderint, vel possessionem suam propugnaverint, hactenus mihi exploratum non est; nec quidquam simile ad manus meas pervenit. Porro, etsi videam, non posse me ex satis certis monumentis hanc controversiam decidere, juverit tamen rationum monumenta, quibus oppositas partes niti hactenus intellexi, hic expendisse, ut, quid ex hisce probabilius videatur, studiosus lector interim statuat, donec certiora proferantur.*

Rotomagenses illud sibi vendicant,

24 *Incipio a Rotomagensibus canonicis Regularibus S. Augustini, qui* S. Laudi *Constantiensis episcopi corpus in ecclesia sua jam a seculo nono vel decimo aliquot annis inchoato quiescere non dubitant, et religiose venerantur. De modo, quo hoc eo perlatum fuerit, Rotomagense Breviarium anni* 1627 *ad diem* XXI *Septembris lectione nona sic habet:* Corpus longo post tempore *(quam Constantiæ humatum fuerat)* ad Bajocensis ecclesiæ fores Danorum metu defossum, inde Theodorici Constantiensis episcopi cura Rotomagum allatum sub Rollone principe in ea basilica conditum est, quæ prius SALVATORIS titulo dedicata, deinceps ab eo S. LAUDI ECCLESIA nominari cœpit. *De Bajocensi*

A *Bajocensi asylo non meminit recentius Breviarum Rotomagense, anno 1736 vulgatum, cetera consentiens his verbis:* Illius corpus Theodorici Constantiensis episcopi cura Rotomagum allatum sub Rollone principe, depositum est in basilica, tunc SALVATORI dedicata, quæ deinde nomine S. LAUDI insignita est.

suffragantibus Constantiensibus,

25 *Rotomagensibus suffragantur Constantienses ipsi, in quorum Breviario anni 1609 eadem res paulo latius narratur hoc modo:* Beatissimi Laudi corpus demortuum honorifico conditum est sepulchro, cujus exequiis interfuit B. Rumpharius cum multis ecclesiæ proceribus ac nobilibus viris. Verum post multos annos ejusdem depositionis, urgente barbarorum ferocitate, qui intra Francorum fines irruerent *, et hostili impetu discurrentes, usque quaque patriam devastabant, reliquiæ sanctissimi Laudi una cum beatissimorum Rumpharii et Possessoris corporibus in Bajocensium civitatem translatæ sunt. Cum autem tempore Rollonis, Normanniæ ducis, in iis partibus sævitia et ferocitas barbarorum indies cresceret, Theodoricus, qui tunc ecclesiæ Constantiensi præerat, B. Laudi reliquias diligenter conquisitas in- B venit. Cumque timeret, ne in infidelium potestatem venirent, easdem in ecclesia sancti Salvatoris apud Rothomagum urbem honorifice collocavit, ubi nunc summo sunt in honore et pretio.

* irruerunt

ajuntque ad se delatum esse tempore Rollonis ducis,

26 *Hisce quoad substantiam consonant ipsius Vitæ Mss. exemplaria nostra, præterquam quod de Possessoris corpore non meminerint, quodque* SS. Laudi *ac Rumpharii corpora, non tempore Normannicarum populationum, uti in Breviario Constantiensi legitur, sed post concessam a Carolo Simplice Francorum rege Rolloni Normannorum duci Normanniam, a laudato Theodorico Bajocis Rotomagum translata fuisse asserant, uti Breviaria Rotomagensia etiam satis innuunt; idque mihi multo probabilius apparet. Rotomagum enim multis annis ante Rollonis in Gallias adventum ab aliis Normannis, duce Oscherio, vastata incensaque sic fuerat, ut cum Rollo adventaret, ejusdem urbis episcopus Franco, videns eam hostibus non posse resistere, eamdem, petita pace, ipsi sponte tradiderit, uti ad annos 841 et 876 apud Pagium in Critica videre est. In dicta autem vastatione sub Oscherio facta, S. Dadonis seu Audoëni corpus tempestive subductum fuit, et ad varia loca delatum, donec* C *tandem baptizato cum suis Rollone, Rotomagum reductum est: qua de re consuli potest Commentarius de eodem sancto episcopo, tom.* IV *Augusti, pag. 802. Verisimile itaque non est,* SS. Laudi *ac Rumpharii corpora asyli gratia Rotomagum translata fuisse sub Rollone, quamdiu hic fidem ac baptisma nondum susceperat.*

jam baptizati, quando Theodoricus episcopus Constantiensis

27 *Porro Rollonis ad Christi fidem conversionem Guilielmus monachus Gemmeticensis, aliique etiam neoterici anno 912 affigunt, quo ipse a Francone Rotomagensium archiepiscopo sacra fonte ablutus est, initaque pace cum Carolo Simplice Francorum rege, eam Neustriæ partem, quæ Normannia deinde appellata est, uno cum Gisla, ejusdem regis filia in conjugem obtinuit. Sicut igitur idem Franco episcopus S. Audoëni corpus, Rollone baptizato et pacifico Normanniæ possessore, Rotomagum revexit, ut in ejusdem Translatione tomo citato, pag. 820 et sequentibus latius narratur, ita, inquam, verisimile est, etiam Theodoricum Constantiensem episcopum eo tempore curasse, ut suorum quoque sanctorum decessorum corpora sibi redderentur. Cur tamen ea Rotomagum, non Constantias retulisse dicatur, modo exponendum est. Sammarthani tom. 2 Galliæ Christianæ in serie episcoporum Constantiensium ex veteribus, ut aiunt, tabulariis ecclesiæ Constantiensis scribunt, laudatum Theodoricum a Rollone, jam Christiano accepisse ecclesiam sancti Salvatoris Rotomagi sitam, perenni jure possidendam, in eaque tam ipsum, quam quatuor ejusdem successores, Herbertum, Algerundum, Guillebertum et Hugonem sedem suam tenuisse.*

AUCTORE C. S.

accepit ibidem ecclesiam, in qua ipse et successores aliqui sederunt,

28 *Consentit auctor anonymus Historiæ civitatis Rotomagensis, anno 1631 Rotomagi editæ, tom. 2, part. 4, ubi tamen addit, alios censere, donationem illam factam a Francone archiepiscopo, ut Theodoricus, ejusque successores perpetuum asylum in eadem haberent, et episcopali munere et jurisdictione fungerentur. Alter auctor anonymus Descriptionis geographicæ et Historicæ Normanniæ Superioris, anno 1740 Parisiensibus typis vulgatæ, part. 2, num. 41 affirmat, priorem sententiam Constantiensium esse, alteram Rotomagensium, secundum quam Franco eam ecclesiam Theodorico et successoribus ejus tantummodo concesserit, donec hi sedem suam ad Constantiensem diœcesim possent referre. Ut ut est (neque enim controversia hæc ad propositum nostrum facit) constat, Theodoricum et prædictos successores ejus in eadem ecclesia sedisse, in eaque velut in sua propria omnia episcopalia munia obivisse. Hujus donationis causa haud dubie non alia fuit, quam Constantiensis civitatis ac diœcesis, tam diuturnis fœdisque Normannorum populationibus devastatæ, lugubris status, ita ut ejusdem episcopus ecclesiam non haberet, in qua sedem suam pro dignitate collocaret.* E

in quam deinde canonici Regulares introducti sunt,

29 *Translata postmodum primo ad fanum* S. Laudi *in Constantiensi diœcesi, ac deinde ad ipsam civitatem Constantias cathedra, iidem episcopi jure suo in prædicta ecclesia Rotomagi uti perrexerunt, unde postea inter hosce ac Rotomagenses antistites lites motæ fuerunt, de quibus apud laudatum historicum Rotomagensem plura legi possunt. Eodem teste parte 6, in eamdem anno 1144 canonici Regulares S. Augustini introducti fuere per Algarum Constantiensem episcopum, consentiente Hugone Rotomagensi archipræsule, iidemque ibidem hodiedum perseverant. Habes causam, ob quam Theodoricus* SS. Laudi *atque Rumpharii corpora in ecclesia S. Salvatoris Rotomagi deposuisse, ejusdemque successores etiam post relatam Constantias sedem ibidem reliquisse dicuntur. Idem historicus anonymus, laudans vetera monumenta Constantiensia, prædictis duobus addit corpus S. Fromundi, atque ista tria sacra pignora in una eademque theca lignea probe inclusa fuisse. Sanctus ille Fromundus velut martyr ibidem colitur die* XXIV *Octobris, teste Castellano in Martyrologio universali, ad quem diem id examinari poterit.* F

quæque S. Laudi nomen assumpsit.

30 *Quamquam vero non solius* S. Laudi *corpus eo translatum fuisse dicatur, illius tamen cultum ibidem celebriorem fuisse, vel ex eo colligere licet, quod eadem ecclesia, veteri nomine* S. Salvatoris *antiquato, appellari cœperit, hodieque appelletur* ecclesia et prioratus S. Laudi, *vulgo* de saint Lo. *Verisimile est mutando nomini occasionem dedisse miracula, ex quibus tamen non nisi unum relatum reperio, quod Constantiense Breviarium in utriusque Sancti translatione contigisse narrat. Vitæ autem Mss. ad aliud tempus referunt. In laudato Breviario de eo sic legitur:* Hanc sanctarum reliquiarum (*Laudi et Rumpharii*) translationem Deus claro et evidenti comprobavit miraculo. Nam quidam, Davinus nomine, genibus ac

AUCTORE C. S.

ac renibus dissolutis, humi jacens, cum medicorum opera sanari non potuisset, ubi Sanctorum, quorum corpora transferebantur, opem imploravit, sanitatem consecutus est, ac præpotenti Deo gratias egit, qui dedit tantam potestatem hominibus. *Sæpe laudatus scriptor anonymus tom.* 2, *parte* 6, *pag.* 6 *ex quodam ejusdem prioratus instrumento de* S. Laudi *corpore in supplicationibus circumferri solito sequentia Latine recenset :* Movente igitur processione, vexilla sequuntur, Crux et cerei, per ordinem præeuntibus clericis chori; deinde capsula S, Laudi et S. Rompharii cum reliquiis Sanctorum. *Rursum pag.* XI *scribit, eadem illa sacra corpora anno* 1470 *per Guilielmum le Moine. ejusdem loci Priorem, magnificis lipsanothecis imposita fuisse. Verba ejus ex Gallicis Latina subjungo.*

Idem corpus pretiosæ thecæ ibidem inclusum,

31 Anno, *inquit,* MCDLXX, die XXVII Maji, corpora SS. Laudi et Rumpharii episcoporum, sanctique Fromundi martyris, quæ pelliceis peris inclusa erant, magnificis thecis imposita fuere cura ac pietate hujus Prioris, qui die III Junii anni MCDLXXXIII vita functus est. *Ex eodem scriptore didici, quæ subdo. Anno* 1700 *altare princeps chori canonicorum* B *Regularium ejus ecclesiæ (nam altera pars parœciæ cessit) pretioso elegantique opere exornatum fuit. In medio altaris sacra Crucifixi Domini imago, et utrimque binæ statuæ, sanctissimæ scilicet Dei Genitricis, sanctique Joannis Evangelistæ atque SS. Augustini et* Laudi *collocatæ sunt, et has inter duæ pretiosæ lipsanothecæ cum* SS. Laudi, *Rumpharii ac Fromundi reliquiis ad publicam perpetuamque venerationem expositæ. Non tamen integrum* S. Laudi *corpus Rotomagi quiescere, docet idem anonymus. Scribit enim, Guilielmum le Bourg, loci Priorem, cum anno* 1441 *ab Ægidio de Duremort, Constantiensi episcopo, obtinuisset facultatem eleëmosynas pro ecclesia et monasterio suo restaurandis per illius diœcesim colligendi,* S. Laudi brachium *collectoribus illis tradidisse, idque ab hisce Constantiis relictum esse.*

uno ejusdem brachio Constantias unte translato.

32 *Circumtulerunt scilicet laudati eleëmosynarum collectores* S. Laudi *brachium pro more veterum, qui in ejusmodi necessitatibus reliquias Sanctorum circumferre solebant, ut fidelium animos ad ampliorem stipem largiendam ex earumdem reverentia et religione excitarent, uti ex Sancto-* C *rum Actis notissimum est. Deinde idem illud brachium Constantiensibus verisimiliter donarunt, ut pro accepta facultate et eleëmosynis gratos sese exhiberent. An autem sacrum illud pignus in Constantiensi ecclesia hodiedum supersit, aliunde exploratum non habeo; nec quidquam de eo in Constantiensi Breviario reperi. Porro quæ de* S. Laudi *reliquiis Rotomagi cultis hactenus retulimus, nituntur Rotomagensium traditionibus ac Breviariis, et ejusdem Sancti Vitæ exemplaribus, aliisque forsitan instrumentis, quæ sæpe dictus scriptor anonymus laudat, sed cujus ætatis aut notæ ea sint, non edicit. Fatendum tamen est, quæcumque ex iis attulimus, verisimillima esse, eademque confirmari tum a Constantiensium consensu, tum præcipue a celebri ejusdem Sancti cultu in sua Rotomagensi ecclesia, quæ etiam, ut supra dictum est, deposito* sanctæ Trinitatis, *aut* S. Salvatoris *vocabulo, jam antiquitus ejus nomine appellata est, quod et hodiedum retinet.*

Nostrum de hisce S. Laudi reliquiis

33 *Verisimillimum, inquam, est, alicujus* S. Laudi *corpus, aut saltem majorem ejusdem partem in sæpe dicta ecclesia jam aliquot seculis quievisse; id autem cujus esse probabilius credemus,* D *quam Constantiensis Episcopi, cujus e successoribus unus Theodoricus sedem suam eo transtulerat, ibidemque is ipse et successores aliqui sederunt? Adde, quod Bajocenses consentiant,* S. Laudi *corpus a Constantiensibus apud se depositum, iisdemque restitutum fuisse. Certe ita scribit Hermantius, Bajocensis diœcesis parochus, in Historia ejusdem diœcesis, parte* I, *cap.* 7, *ubi in margine laudans Bajocense Breviarium ad diem* XXI *Septembris, sic loquitur Gallice :* Eamdem ob causam *(ob Danorum seu Normannorum metum)* Constantienses corpus S. Laudi episcopi sui Bajocas transtulerunt, quod ante ecclesiæ cathedralis vestibulum inhumarunt, donec furibunda illa irruptio sæviebat; quodque iisdem repetentibus honorifice redditum est. Ne vero locus ille, in quo tam sacræ reliquiæ servatæ fuerant, profanationi pateret, erecta in eo pulchra Crux est, variis figuris exornata. *Ita ipse, quem tamen oportet habuisse Breviarium diversum ab eo, quod in Museo nostro exstat; nam in hoc nona lectio, quæ de* S. Laudo *unica est, de sacro illius corpore Bajocis deposito non meminit.*

Rotomagi cultis judicium.

34 *Ceterum Constantienses, quibus sancti Episcopi sui corpus restitutum esse, Hermantius asserit, illud non alibi, quam in dicta Rotomagensi ecclesia a majoribus suis depositum fuisse, ex supra dictis arbitrantur. Præter supra laudatos autem scriptores ejusdem Sancti corpus Rotomagensibus pariter adscribunt Sammarthani et Claudius Robertus in sua quique Gallia Christiana, Franciscus Pommeraye in Historia archiepiscoporum Rotomagensium in Francone, Arturus de Monstier in Neustria Pia, Simon de Peyronet in Catalogo Sanctorum, et auctor anonymus Descriptionis Geographicæ et Historicæ Normanniæ Superioris, anno* 1740 *Parisiis editæ, parte* 2, *num.* 41. *Verum hisce omnibus non subscribent Tutelenses, Andegavensesque, qui, ut supra dictum est, ejusdem Sancti corpus apud se asservari existimant, quorum proinde argumenta ex Baluzio nunc similiter expendenda sunt.*

§ III. Proponuntur rationes, quibus Tutelenses ac Andegavenses ejusdem Sancti corpus vendicant.

F

Ejusdem S. Laudi corpus Juliomagum, deinde Tutelam

Tutela, indigenis Tulle *dicta, Galliæ civitas est inferioris provinciæ Lemovicensis caput, ad Curretiæ et Solanæ confluentes sita, quam Joannes XXII Papa a Lemovicensi diœcesi avulsam episcopatu illustravit sub archiepiscopo Bituricensi. Eo loci exstitit celebris abbatia sub S. Martini invocatione, jam inde a seculo* VII. *ut existimant Baluzius ac Mabillonius, fundata, cujus ecclesia erecti episcopatus cathedralis ab eodem Pontifice constituta est. In hac* S. Laudi *Constantiensis episcopi corpus jam ab aliquot seculis servari Stephanus Baluzius in Historia Tutelensi lib.* I, *cap.* 7 *et* 8 *asseverat,* quod, *ut inquit ibidem cap.* 5, ex urbe Andegavensi ad monasterium Tutelense delatum esse tempore Ademari Scalensis, certam et indubitatam fidem faciunt vetera monumenta ecclesiæ, *scilicet Tutelensis. Capite* 7 *tempus et causam, ob quam illud eo advenerit, penitius inquirens, sic scribit :* Laudi reliquias serius *(quam anno* 878*)* illuc *(Juliomagum Andium)* delatas esse, fidem faciunt vetera monumenta ecclesiarum Rotomagensis

A Rotomagensis et Andegavensis, in quibus adnotatum est, illas eo tempore translatas esse Rotomagum, quo Rollo dux Normannorum post susceptam Christi fidem pacem fecit cum rege Francorum; et cum ibi aliquandiu custoditæ essent, Juliomagum missas esse, et illi Ingelgerio comiti Andegavensi commendatas, qui sacras S. Martini episcopi reliquias Cæsarodunum Turonum reduxerat ex urbe Autissiodorensi.

translatum fuisse, ibique asservari,

36 *Deinde hanc sententiam rejicit, quod Rollo anno primum* 912 *fidem Christi amplexus sit, laudatus vero Ingelgerius comes in Gestis veterum consulum Andegavensium diem suum obiisse dicatur tempore Ludovici III Francorum regis, diu ante finem seculi* IX *defuncti. Hinc ipse aliam iniens viam, sic statuit:* Quare verior mihi videtur historia, quam eruimus e veteri membrana Tutelensi, in qua scriptum est, reliquias S. Laudi ab incolis urbis Constantiensis delatas esse ad Andegavensem. Et sic verum esse poterit, eas ad hanc ultimam pervenisse tempore comitis Ingelgerii. Quamquam suspicari cogor, non statim advectas Juliomagum e civitate Constantiensi, sed ad monasterium Glomnense, quod hodie vocatur Vetus B monasterium S. Florentii; et hinc postea translatas esse in castrum Andegavense. Ut ita credam, facit vetus Martyrologium ecclesiæ Aniciensis, in quo ita scriptum est ad diem x Kal. Octobris: « Andegavis » sancti Laudi Constantiæ civitatis episcopi in loco, » qui dicitur Clomna. » Exstat hoc Martyrologium in bibliotheca Colbertina.

Baluzius ex variis instrumentis

37 Cum reliquiæ S. Laudi per aliquot annos substitissent in castro Andegavensi, rursumque Normanni bella moverant adversus ecclesias, Andegavi eas transtulerunt in monasterium Tutelense, regnante Karolo rege *(cognomento* Simplice) cum nullam earum mentionem faciant antiquæ chartæ monasterii nostri, quæ supersunt, ante annum nongentesimum. Cæterum Laudum et Clarum non uno eodemque die pervenisse Tutelam, hinc liquet, quod in vetustissimo Kalendario monasterii nostri EXCEPTIO SANCTI LAUDI EPISCOPI notatur XI Kal. Novembris, et TRANSLATIO SANCTI CLARI EPISCOPI ET MARTYRIS V Kal. Junii. *Hactenus Baluzius: videamus itaque, quænam sint illa vetusta et indubitæ fidei monumenta ex chartulario Tutelensi deprompta, ut ipse hæc* C *appellat cap.* 8, *et quibus omnino standum esse arbitratur. Recenset ea in Appendice Actorum veterum post laudatam Historiam, ac primo quidem ut ab antiquioribus incipiamus, col.* 321 *sequenti ex chartulario Tutelensi recitat fragmentum instrumenti, per quod Geraldus quidam aliquid donavit* sacrosanctæ basilicæ sancti Martini Tutelensis cœnobii, ubi almifici confessores Christi Clarus atque Laudus humati quiescunt. *Notatur autem factum sub Odone abbate* in mense Madio, anno III regnante Karolo; *ideoque anno Christi* 900 *ibidem innectitur.*

constare affirmat,

38 *Sequitur col.* 333 *et sequentibus testamentum Ademari vicecomitis Scalarum, quod circa annum* 930 *scriptum, et ex chartulario pariter depromptum ait. In hoc Ademarus pro immunitate ejusdem monasterii omnes contestatur* per tremendum sanctæ Trinitatis nomen, et meritum beati Martini et sancti Laudi, qui ibi deportatus est. *Columna* 353 *et sequenti subdit duo alia instrumenta sine loco, ex quo sumpta sint. Per horum unum, confectum* in mense Madio, anno nono, quod Rodulfus rex cœpit regnare, *id est, secundum ipsum anno* 931, *Benedictus presbyter quamdam vineam suam cessit* sacrosancto cœnobio Tutelensi, quod est fundatum in honore almi Martini præsulis, ubi corpora sanctorum requiescunt Clari martyris atque Laudi præsulis. *Altera charta notata est* in mense Augusto anno XII regnante *(eodem)* Rodulfo rege; *per quam Gauzbertus cum sua conjuge Ildiarde aliqua donant* sacrosanctæ basilicæ Tutelensis cœnobii,..... ubi corpora sanctorum Clari, Laudi, Baumadi atque Ulfardi. *Quintam chartam,* regnante *pariter* Rodulfo, *et abbate Adacio, factam, ad annum circiter* 930 *refert, exhibetque col.* 361 *et sequenti, in qua Hugo cum uxore Raingarde, filioque Hugone, similiter quædam donat* sacrosanctæ basilicæ Tutelensis cœnobii,..... ubi corpora beatorum confessorum Laudi et sancti Clari honorifice requiescunt.

auctore C. S.

39 *Tandem col.* 481 *et sequentibus* ex veteri membrana Tutelensi *recitat supra laudatam Narrationem de reliquiis in eadem ecclesia asservatis, qua ipse pro asserenda translationis historia potissimum nititur, quamque ego propterea totam hic subjungo.* Litteras ad hoc repertas esse novimus, ut priorum facta temporum memoriæ posteris per eas darentur. Eapropter hanc componimus paginam, ut, quorum in præsentibus capsulis reliquiæ E conduntur, unde allatæ, cur prius conjunctæ, postmodum fuerint separatæ, omnibus scripturam hanc legentibus clarescat. Hic itaque continentur beatissimorum reliquiæ virorum Laudi atque Baumadi, quorum beatus Laudus Constantiæ civitati divino nutu duodecimus datus episcopus, eamdem per quadraginta annos, innumeris virtutibus præfulgens et signis, mirabiliter gubernavit ecclesiam, ac deinde ibidem gloriosum finem sortitus, honorifice sepultus est. Post multum vero temporis timore Normannorum, qui totam pene Gallicam regionem devastaverant, ab ejusdem civitatis incolis Andegavum delatus, ac aliqua per tempora ibidem custoditus, prædictorum tandem metu paganorum ab eadem civitate huc est allatus.

ac præsertim ex veteri Notitia

40 Beatus vero Baumadus nobilissimis ortus natalibus, in pago Cenomanensi solitariam vitam sanctitate et virtutibus plenam duxit, et ibidem pretiosa morte quievit. Prædicta vero gentilium invalescente persecutione, ab ipsius ecclesiæ rectoribus corpus ipsius divina dispositione hoc in F loco deportatum est. Uterque ipsorum in propriam cryptam collatus est. Multorum vero post curricula temporum Ebalanus, cognomine Nobilis, vicecomitatum de Comborn obtinuit, qui comitissæ Andegavensium propinquus extitit. Ipsa vero comitissa ab eodem precibus et promissis per multos nuntios exegit, ut beatissimi Laudi corpus, quod ab Andegavis asportatum fuisse ajebat, aut vi aut voluntarie reddi faceret. Quod postquam Tutelenses monachi compererunt, de tam pretiosi thesauri amissione pavidi, consilium inierunt, ut beatorum virorum Laudi atque Baumadi reliquias conjungerent, aliquibus ossibus in eadem capsula, ubi corpus ipsius prius continebatur, satisfactionis gratia relictis. Sed amori ac mærori ipsorum miseratio divina benigne consuluit, prædicta comitissa a præsenti vita non post multum temporis decedente.

ecclesiæ Tutelensis,

41 Modernis vero temporibus cum capsulæ ipsæ, in quibus, ut dictum est, reliquiæ ipsorum continebantur, nimia vetustate consumptæ essent et pene confractæ, Petrus de sancto Aredio, tunc sedens sacrista, pro dictorum Sanctorum reliquiis condendis capsulas novas emit, et ossa

seculo XII conscripta,

AUCTORE C. S.

ossa ipsorum, prout dignosci possibile fuit, singula singulis collocavit. Per ipsorum vero merita Sanctorum innumeras Dominus virtutes tunc temporis operatus est. Tunc etiam sanctissimi Ulfardi corpus, quod ab iisdem partibus allatum hic requiescit, in capsa nova repositum est. Factum hoc ad laudem Domini Jesu Christi anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, Ludovico rege regnante, Geraldo Lemovicensi episcopo, Geraldo Tutelensi abbate, anno primo abbatiæ ipsius. *Hactenus laudata Narratio apud Baluzium, qui comitissam, cujus in ea mentio fit, fuisse Hildegardem, Fulconis Nerræ conjugem, opinatus est, eo quod hanc piissimam ac religiossimam feminam fuisse, annoque* 1046 *vita functam esse, ex Glabro lib.* 2 *Historiæ Francorum, cap.* 4, *et ex auctore Chronici S. Albini, ut inquit, didicisset.*

et ex aliis: invocatur ibidem

42 *Porro* S. Laudi *reliquias deinde Tutelæ semper mansisse, citatus Baluzius cap.* 8 *confirmat etiam ex Gaufredi Vosiensis Prioris, et Bernardi Guidonis episcopi Lodoviensis testimoniis, quorum primus seculo* XII *senescente, alter seculo* XIII *scripserunt. Et Gaufredus quidem in Chronicis* B *apud Labbeum tom.* 2. *Bibliothecæ Mss., pag.*286 *scribens de Sanctis, apud Lemovicos præclarioribus, hæc habet:* Tutelam Wlfardus et Laudus tuentur cum Claro; *Bernardus vero Guido ibid. tom.* I, *pag.* 632 *inter Sanctos, qui Lemovicensem diœcesim ornant, sic ait:* SS. Wlfardus, Laudus, Clarus et Baumadus Tutelam tuentur et juvant. *Addo denique, quæ de ejusdem Sancti apud Tutelenses cultu Baluzius lib.* I, *cap.* 9 *enarrat.* In vetusto, *inquit,* Kalendario monasterii Tutelensis, et in veteri Missali ecclesiarum cathedralium nostræ provinciæ natale ejus rejicitur in diem IX Kal. Octobris, quo die etiamnum apud nos celebratur festus illius dies. Solent etiam S. Laudi reliquiæ prodesse iis, qui illius opem implorant adversus incendia; hujusque prodigii plurima narrantur exempla vetera et recentia, supersuntque testes plurimi, qui viderunt.

adversus incendia cum miraculosis eventibus.

43 Memini autem, me admodum adolescente, xenodochium Tutelense, quod valde inflammatum erat, ab incendio et flamma liberatum, cum S. Laudi sacræ reliquiæ illuc delatæ fuissent a canonicis C ecclesiæ nostræ. Demum anno MDCLVIII cum mense Aprili fortuitum incendium esset obortum in episcopio, jamque laquearia magna vi ardescerent, et Ludovicus Guronius episcopus eas deferri jussisset ad locum, ubi ignis erat vehementior, cessavit statim incendium manifesto, si umquam alias, miraculo. Quo factum est, ut idem episcopus, partim sua sponte, ut gratus pro beneficio accepto, partim postulationibus civium permotus, edixerit, uti deinceps festus dies S. Laudi, qui in desuetudinem fere abierat, solenniter celebretur. *Idem denique Baluzius ad calcem Dissertationis de SS. Claro,* Laudo, *Ulfardo et Baumado edidit instrumentum veteri Lemovicensi idiomate scriptum, in quo supra dictorum reliquiæ ob gravem aëris intemperiem a supplice agmine cum felicissimo eventu circumlatæ fuerunt, uti tom.* I *Augusti, pag.* 336 *in S. Baumado apud nos videri potest.*

Andegavenses contra contendunt,

44 *Quæ huc usque attulimus ex Baluzio, faciunt, pro* S. Laudi *corpore, aut saltem reliquiis ecclesiæ Tutelensi adscribendis;* sed adversus hæc *(ait is ipse cap.* 8) reclamant canonici regalis basilicæ S. Laudi in urbe Andegavensi; qui cum certo sciant, corpus ejusdem Sancti fuisse translatum antiquitus in eam urbem, conscii præterea, se habere vetera monumenta, quæ probare videntur, illud D etiamnum illic custodiri, constanter affirmant, se illud habere in sua ecclesia. *Quia vero Tutelenses sacrum illud pignus Juliomago, ut diximus, ad se allatum fuisse contendunt, necesse est, ut horum quoque argumenta proponamus. Constat, Juliomagi sive Andegavi, vetustam* S. Laudi *ecclesiam fuisse cum collegio canonicorum, quod, regnante in Francia S. Ludovico, consentientibus episcopo Andegavensi et Gualterio abbate S. Albini, in antiquam S. Germani ecclesiam translatum fuit, ut castrum, ubi sita erat, muris munimentisque cingeretur et tutius servaretur. Porro Andegavensium traditio, teste Baluzio mox citato, fert, priorem illam ecclesiam prius dictam fuisse* S. Genovefæ, *ac nomen* S. Laudi *accepisse, ex quo hujus atque SS. Rumpharii et Coronarii reliquiæ ex Constantiensi civitate illuc adductæ, in eaque collocatæ fuerunt.*

ejusdem Sancti corpus penes se esse,

45 *Ex hac itaque ecclesia, olim* S. Genovefæ, *deinde* S. Laudi *dicta, Tutelenses suas hujus Sancti reliquias accepisse opinantur, Andegavenses vero negant; asserentes, easdem in sua civitate semper permansisse.* Et primo quidem, *(inquit Baluzius)* proferunt veterem notitiam, editam tempore Fulconis Nerræ comitis Andegavensis, et Huberti episcopi, in qua scriptum est, duas Sanctorum capsas, E quæ tum in ea urbe habebantur, reseratas fuisse a Primoldo abbate S. Albini, et in eis repertas esse reliquias SANCTORUM LAUTONIS, RUMPHARII ET CORONARII DE PAGO CONSTANTINO. Deinde adducunt litteras Gaufridi comitis, datas circa annum MCXXX pro capella S. Genovefæ, quæ fuit prima sedes canonicorum S. Laudi, in quibus diserte expressum est, in ea sacrum corpus S. Laudi confessoris et alias plurimas Sanctorum reliquias esse positas. Postremo utuntur Narratione quadam veteri, in qua legitur, Guilielmum Andegavensem episcopum reliquias S. Laudi et aliorum transtulisse anno MCCXXXIV ab ecclesia S. Genovefæ ad ecclesiam B. Germani, quæ nunc vocatur S. Laudi. *Ita Baluzius, qui tamen hæc omnia ex monumentis Tutelensibus et Gaufredi Vosiensis atque Bernardi Guidonis testimoniis, supra relatis, abundi refelli arbitratus est, ita ut ibidem pronuntiare non dubitaverit:* Ex quibus colligere certo possumus, reliquias S. Laudi semper mansisse in ecclesia Tutelensi ab eo tempore, F quo illuc delatæ sunt; Andegavenses vero falsa persuasione imbutos existimasse nihilominus, eas apud se esse. Sed nunc tandem intelligent, quo recurrere debeant, cum S. Laudi reliquias colere ac venerari volent, eritque inter nos et illos commercium religionis et pietatis.

sua instrumenta opponentes,

46 *Nescio, utrum ad Baluzii argumenta aliquid reposuerint Andegavenses, an ejusdem responso acquieverint. Verumtamen non tam contemnenda sunt duo priora eorum instrumenta, si vere antiqua sint et bonæ notæ. Nam horum primum, si sub Fulcone Nerra comite, id est ante medium seculi* XI, *revera confectum fuit, Narrationi Tutelensi, non ante annum* 1153 *factæ, longe præferendum est, evertitque Baluzii opinionem, existimantis comitissam, quam* S. Laudi *corpus a Tutelensibus repetiisse scribit ejusdem Narrationis auctor, Hildegardem fuisse, istius Fulconis Nerræ uxorem. Instrumentum alterum, ab Andegavensibus laudatum, Sammarthani tom.* 2 *Galliæ Christianæ, pag.* 133 *exhibent* ex originali autographo codicis Ms. *sui, in quo Goffridus comes Andegavensis, fundans aliquot canonicos in dicta ecclesia S. Genovefæ, de ea diserte ait:* Ubi sacrum corpus S. Laudi confessoris et aliæ plurimæ Sanctorum reliquiæ positæ sunt.

A sunt. *Annum huic chartæ adscriptum non invenio, sed Sammarthani illam factam esse conjiciunt sub episcopo Ulgerio, cujus obitum anno* 1149 *affigunt. Est igitur et hæc charta ante Narrationem Tutelensem confecta, ei pariter contraria. Utrique denique instrumento favet tertium, in quo scilicet dicitur Guilielmus episcopus* S. Laudi *aliorumque reliquias anno* 1234 *ad S. Germani ecclesiam ibidem transtulisse.*

quæ nec Baluzius satis refutavit,

47 *Vides, studiose lector, monumenta monumentis opponi; quæ cum coram inspicere mihi non liceat, ideoque nec de eorumdem antiquitate fideque judicare, nihil quoque certi de reliquiis illis statuere possum. Et dubitare quidem nequeo, quin sacrum aliquod corpus, quod alicujus* S. Laudi *erat, aut certe credebatur, Juliomagum primo ac deinde Tutelam, seu integrum seu ex parte tantum, aliquando translatum fuerit; sed an idem illud* S. Laudi *Constantiensis episcopi sit, vehementer ambigo. Nam primo quidem Andegavensium traditionem, ex qua hi, teste Baluzio, arbitrantur, sacrum illud corpus Rotomago, ubi sub Rollone principe jam Christiano aliquadiu quieverat, Juliomagum delatum et isti Ingelgerio* B *comiti commendatum fuisse, fabulosam esse probat Baluzius. At miror, hunc ipsum pro eadem illa translatione etiam vetera monumenta Rotomagensia citare, cum ex supra dictis ista Andegavensium traditioni directe adversari dicenda sint. Secundo inter instrumenta, cum certa ætate a Baluzio laudata, nullum est vetustius anno* 1153, *in quo reliquiæ Tutelenses* S. Laudi Constantiensis episcopi *esse, eademque Constantiis Juliomagum, atque hinc Tutelam translatæ esse dicantur. In ceterorum uno vetustiori, nempe anni, ut ipse vult* 931, *ad vocem* Laudi *tantum additur* præsulis, *nulla facta mentione de loco, in quo sederit, vel unde Tutelam translatus fuerit.*

nec mihi sat nota sunt,

48 *Verum instrumento primo loco nominato aperte contradicit Notitia, quam Andegavenses sub Fulcone Nerra, ut supra vidimus, factam asserunt. Quod spectat ad Martyrologium Aniciense, negari non potest, quin in eo agatur de* S. Laudo *Constantiensi episcopo; sed nec Baluzius hujus Martyrologii ætatem indicat, nec ex illo sequitur, ejusdem Sancti corpus ad Glomnense monasterium umquam delatum fuisse. Potuerunt enim Glomnenses* S. Laudum *alia de causa, etsi nobis ignota, colere; nec verba Martyrologii, nec dies* XXII *Se-* C *ptembris in eodem annotatus, qui, testante Baluzio, pro festo ejus natali in multis Martyrologiis inscriptus est, translationem ab iisdem celebratam fuisse insinuant. Forsitan controversia hæc componi posset, utrique ecclesiæ aliquam corporis* S. Laudi, *quiscumque is demum fuerit, partem attribuendo; nec enim scio, an utraque, vel etiam alterutra sibi totum vendicet. Dixi, Quiscumque is demum fuerit: quia cum de ætate ac fide monumenti illius, quod sub comite Fulcone Nerra scriptum aiunt, mihi non constet, cumque Rotomagenses et Constantienses aliique de translatione corporis* S. Laudi *Constantiensis episcopi Juliomagum facta non meminerint, imo contrarium affirment, semper mihi dubium hæret, an Andegavenses Tutelensesque reliquiæ vere illius* Laudi *sint, qui Constantiensem ecclesiam episcopatus gubernavit.*

ut ex iis aliquid certi

49 *Duo tamen fateri necesse est. Primo, nescire me, cui alteri Sancto, seu ejusdem seu alterius nominis, eæ adscribendæ sint. Secundo, et si pro Rotomagensibus major stet verisimilitudo a sola ratione petita, plura tamen vetera instrumenta a Tutelensibus et Andegavensibus pro sua possessione allegari, quam ego quidem a Rotomagensibus pro sua publici juris facta esse comperi. Neque ignoro,* S. Laudi *Constantiensis reliquiis idem, quod multis aliis contigit, accidere potuisse; nempe ut in aliis diœcesibus ac provinciis, ad quas ex barbarorum metu deportatæ fuerant, post stabilitam pacem, permanserint. Certe Willelmus Malmesburiensis seculi* XII *scriptor lib.* 2 *de Gestis regum Anglorum cap.* 4 *de hac ipsa Normannorum in Galliis expeditione scribens, ad propositum nostrum ait:* Tunc corpora multorum Sanctorum ab antiquæ requietionis sedibus eruta, et ad tutiora loca delata, peregrinas ecclesias usque ad hoc tempus cineribus nobilitarunt suis.

statuere possim.

50 *Simili ergo ratione potuit* S. Laudi *Constantiensis corpus Juliomagum, Tutelamve delatum fuisse, ibidemque permansisse, sive quod Constantienses illud repetere neglexerint, sive quod repetentibus negatum fuerit. Sic constat, S. Martini corpus Turonensibus negatum fuisse ab Autissiodorensibus, apud quos hoc similiter depositum fuerat; nec nisi cum numerosa militum manu incusso ab Ingelgerio comite metu, extortum et Turonensibus restitutum fuisse. Forsitan certiora de hisce omnibus habent archiva Rotomagensia, quæ consulere non potui. Visum tamen fuit hic referre, quæ hactenus compereram, ne ea lector desideret,* E *donec certiora proferantur in lucem. Interea vehementer miror, Baluzium in supra memorata Historia de Rotomagensibus ita siluisse, quasi hi* S. Laudi *Constantiensis episcopi reliquias penes se esse, numquam credidissent.*

§ IV. An Toarcii in provincia Pictavensi ejusdem corpus sit, ut vult Bailletus. Possessoris episcopi Constantiensis cultus dubius.

Bailletus ejusdem Sancti corpus

Bailletus *in Vita* S. Laudi, *de prædictis locis silens, alium locum assignat, in quo ejusdem corpus asservari existimat, Duracium scilicet, sive Toarcium, indigenis* Thouars, *quæ Galliæ civitas est in provincia Pictavensi sita, et ducatus titulo illustrata. Postquam is dixerat,* S. Laudi *Constantiensis episcopi cultum Toarcii præcipue celebrem* F *esse, deinde sic progressus est:* Sancti corpus eo translatum fuit, ut Normannorum injuriis subduceretur. Servatur ibidem hodiedum in ejusdem loci abbatia canonicorum Regularium S. Augustini, quæ ab ipsius nomine SAINT LEON DE THOUARS appellatur a Latina voce LAUNUS, quæ in Pictavensi provincia SAINT LEON pronunciatur, SAINT LÂN vero in Britannia Minori, ubi est PLE'-LÂN, quæ vox a Latino PLEBS-LAUNI derivatur. *Hæc ipse, nullum testem, nullumque monumentum laudans, ex quo didicerit, S. Launum, cujus corpus ibi quiescere ait, eumdem esse cum* S. Laudo *Constantiensi episcopo, et ejusdem S. Launi corpus ex Normannorum metu Toarcium allatum fuisse.*

Toarcinensibus sine ullo argumento adscripsit.

52 *De hac S. Launi abbatia consuli potest Gallia Christiana aucta tom.* 2, *col.* 1344, *ubi ejusdem exordia et abbates recensentur. Ibidem inter instrumenta col.* 373 *exhibetur charta Petri episcopi Pictavensis, in qua hic ejusdem loci canonicos seculares, volentes rogantesque ad vitam claustralem redigens, de illius* S. Launi *corpore sic meminit:* Prædictæ itaque ecclesiæ fundatores

Achardus

AUCTORE C. S.

Achardus et Roscia uxor ejus, qui corpus B. Launi de alodo suo, quod est juxta Curzaïcum, et adhuc dicitur AD S. LAUNUM TOARCII, transtulerunt, et Cadolo filius et hæres eorum, dono Isemberti primi episcopi concesserunt prædictam ecclesiam canonicis perpetuo habendam *etc. Charta hæc notatur data anno* 1107, *quo Petrus, ejus nominis II, in Pictavensi cathedra sedit. Isembertus I, de quo ibidem fit mentio, in laudata Gallia Christiana col.* 1162 *et* 1164 *anno* 1021 *Pictavorum episcopatum jam gessisse, ac verisimiliter ad annum usque* 1047 *pervenisse dicitur, circa quod tempus ea S. Launi translatio facta esse dicenda est. Porro quis sanctus ille Launus sit, ignoro; sed hunc eumdem cum* S. Laudo *Constantiensi episcopo esse, nec Bailletus probat, nec ulla ratione verisimile mihi apparet. Forsitan non alia de causa ipse ita credidit, quam quod utriusque nomen idem esse putarit, nescieritque, quæ de Rotomagensibus ceterisque supra retulimus. Plura de hoc sancto Episcopo non habemus.*

De cultu Possessoris, qui Sancti titulo

53 *Priusquam tamen huic Commentario finem imponam, addendum verbulum est de Possessore, qui* S. Laudonis *in episcopatu Constantiensi decessor fuisse creditur. Saussayus in Catalogo Sanctorum et Beatorum, qui proprias historias vel natales non habent, illum velut Sanctum annuntiavit his verbis :* S. Possessor episcopus Constantiensis, Leontii seu Leonati successor; antecessor autem S. Laudi *: in ejus natali* XXI Septembris. *Hinc apud nos una cum* S. Laudone *inter Prætermissos dicto die relatus est, promissumque fore, ut ejusdem cultus occasione* S. Landonis *hodie examinaretur. Jam diximus supra num.* 13 *de Possessore velut Sancto magna cum laude mentionem fieri in utraque Vita S. Marculphi abbatis apud nos ad Kalendas Maias edita. In priori Vita pag.* 71, *num.* 3 *sic legitur :* Eo namque tempore sanctus Possessor, summæ religiositatis vir, Constantinæ urbis præsidebat ecclesiæ; quem S. Marculphus aggrediens, cum omni caritatis hilaritate ab ipso susceptus est, a quo etiam ad publicandam fidem Dominicæ Incarnationis sublimatus est gradibus ecclesiasticæ dignitatis. D

ab aliquibus honoratur, et cujus corpus translatum dicitur,

54 *Altera Vita ibidem pag.* 75, *num.* 3 *ita habet :* Quoniam jam dudum famam sanctitatis B. Possessoris, Constantiæ civitatis episcopi, acceperat *(S. Marculphus,)* eum recto tramite expetiit, cupiens ipsius doctrinis et exemplis institui *etc. Ex hisce liquet, de Possessoris sanctitate magnam antiquitus æstimationem viguisse; priorem enim Vitam Henschenius noster ibidem pag.* 70 *num.* I *ante annum* DCXL, *secundam ante Normannorum seculo* IX *incursus scriptam arbitratur. Pro ejusdem cultu etiam faciunt, quæ num.* 25 *ex Breviario Constantiensi de ipsius corporis translatione ex Normannorum metu facta recitavi, unde pauca repeto.* Urgente barbarorum ferocitate,... reliquiæ sanctissimi Laudi una cum beatissimorum Rumpharii et Possessoris corporibus in Bajocensium civitatem translatæ sunt.

nobis non satis constat.

55 *Quid tamen Possessoris corpore factum sit, nusquam reperi : nam* SS. Laudi *ac Rumpharii corpora Rotomagum postea translata fuisse, in hoc Commentario ostendimus; at de Possessoris reliquiis, nihil amplius legi. Hinc dubito, an ejusdem Possessoris corpus Bajocas umquam advectum fuerit; præsertim cum de ea translatione taceant alii. Nullum quoque Officium nulla commemoratio de eo fit in Breviario Constantiensi, quod anno* 1610 *Constantiis editum habeo; nulla etiam in Bajocensi, in quibus* S. Laudum *celebrari diximus. Itaque licet* Sancti *ac* Beati *titulus in supra dictis S. Marculphi Vitis, ac deinde ab aliquod neotericis scriptoribus ipsi adscribatur, non possumus tamen antiquum ejus cultum, quem hodiedum nullum habere videtur, certo asserere : at si quis eum nos edocere dignabitur, de eodem episcopo agi apud nos poterit in Operis Supplemento.* E

DE S. LUTRUDE VIRGINE

IN DIOECESI CATALAUNENSI CAMPANIÆ GALLICÆ.

C F

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Memoria in Fastis; translatio corporis; reliquiæ variis locis honoratæ; Acta.

Seculo VI Memoria Sanctæ in Fastis recentioribus;

Memoriam S. Lutrudis, *cujus nomen varie efferunt, alii quippe* Luitrudem *scribunt, alii* Lintrudem, *alii aliter, insertam non invenio, nisi in Usuardi aliquot Auctariis, et in Fastis recentioribus; sed constanter ad præsentem hunc diem. Codex Matric-Cartus-Ultraject. sic illam annuntiat :* Lintrudis virginis, *editio Lubeco-Colon. :* Eodem die, sanctæ Lutrudis virginis; *Grevenus :* Lutrudis virginis : *Molanus :* Corbeiæ, Lutrudis virginis sanctimonialis. *Florarium nostrum Ms. :* Item S. Lintrudis virginis; hæc de bono in melius semper profecit. *Accedunt Catalogus generalis Ferrarii, Martyrologium Germanicum, et plerique Fasti Ordinis S. Benedicti, in quibus, sicut a Molano factum est, passim* Corbeiæ *adscribitur, et* sanctimonialis *seu* monialis *appellatur. Eodem hoc eam titulo insignit Saussayus in Gallicano Martyrologio; Arturus vero in Gynæceo* Virginem Benedictinam *dicit, sed uterque rectius ejus natalem collocat in agro seu territorio Catalaunensi.*

non fuit monialis;

2 *Facile quidem assequor, cur Corbeiæ adscripserint alii; at nihil est, quod suadeat, stricti nominis sanctimonialem, seu. monialem vel monacham, nedum Benedictinam fuisse : nam sicut observavimus in Commentario ad Acta S. Pusinnæ virginis, unius ex sex sororibus* S. Lutrudis, *tom.* III *Aprilis*

A *Aprilis pag.* 165, *et tom.* III *Septembris in annotatis ad Acta S. Alpini episcopi Catalaunensis, dicunt quidem biographi, septem illas virgines voto virginitatis se obstrinxisse et à S. Alpino velamen accepisse, imo utuntur iidem biographi hinc inde vocibus* Sanctimoniales, Regula, moniales, *at in reliquis clarius significant, eas non fuisse legibus ac votis monasticis adstrictas, sed pie vixisse in ædibus paternis usque ad obitum utriusque parentis, deinde abiisse ad habitationes, ex hereditate ad se devolutas, ibique reliquum vitæ sancte transegisse. Hæc clarius patebunt in Actis* S. Lutrudis, *in quibus nihil occurrit, unde elicias vitam monasticam.*

locus emortualis in Catalaunensi diœcesi. 3 *De patria Sanctæ, de parentibus ac sororibus, de seculo, quo vixit, aliisque hic speciatim disserere opus non est, pleraque enim sufficienter explicantur in Actis ejus infra memorandis, et quæ dubia videntur, partim jam discussa sunt in Actis S. Pusinnæ supra memoratis, uti et in Actis S. Hoyldis, alterius ipsius sororis eodem tom.* III *Aprilis pag.* 773 *et seq., partim indicari et elucidari paucis poterunt in Annotatis. Locum Sanctæ* B *emortualem late collocavi in diœcesi Catalaunensi Campaniæ, quia ad illam pertinet Pertensis pagus, in quo nata est, et in quo verisimilius vel prope quem situs est mons, ipsi paterna hereditate relictus et ab ipsa teste biographo, patris nomine* Mons Sigmari *appellatus, ubi et mortua dicitur et sepulta in ecclesia ibidem a se exstructa ac S. Mauritio consecrata. Montem tamen eo nomine apud geographos non invenio, sicut nec apud alios scriptores aliquod indicium cultus peculiaris vel reliquiarum* S. Lutrudis.

Corpus ejus 4 *Nicolaus Des-Guerrois in libro Gallico de Sanctitate Christiana Trecensium ad annum* 470 *agens de S. Hoylde ejusque sororibus, corpus* S. Lutrudis *esse ait in Corbeiensi Picardiæ monasterio: idem sensisse videtur Bailletus tom.* 3 *de Vitis Sanctorum pag.* 299, *ubi hæc habet:* Obiit (S. Lutrudis) festo die S. Mauritii, ac sepulta est in ecclesia eremi suæ. Dicitur corpus ejus deinde translatum fuisse in Corbeiensem Picardiæ abbatiam, ubi videtur etiam fuisse corpus S. Pusinnæ sororis ejus, priusquam in Germaniam transportatum fuerat tempore Caroli Calvi. *Equidem nolim inficiari, corpus Sanctæ nostræ aliquando Corbeiam Picardiæ delatum fuisse, ac forte ibidem servari et coli hodiedum* C *aliquot ejusdem reliquias; verumtamen cum neutrum aliorum testimonio confirmatum occurrat, valde suspicor, utrumque auctorem hic hallucinatum esse; et Corbeiam Picardiæ seu veterem accepisse, pro Corbeia nova in Saxonia inferiori seu Westphalia; quia scilicet Molanus, quem citat Des-Guerrois, et Merssæus Cratepolius, quem in margine allegat Bailletus, absque regionis distinctione simpliciter Corbeiam nominant. Molani verba dedi superius, Cratepolius hæc habet in Annalibus archiepiscoporum Trevirensium in Theodorico:* Hic Lutrudis virginis sanctimonialis, quæ Corbeiæ requiescit, Vitam descripsit circa annum DCCCCL. *Et sane, cum Corbeia Picardiæ tanto propior sit Catalaunensi diœcesi, ubi Sancta primum sepulta fuit, pronum erat judicare, illam designari a Molano et aliis; sed oppositum suadent monumenta mox producenda.*

Corbeiam in Saxonia 5 *Hæsitaverat etiam hic Mabillonius Seculo* I *Sanctorum Ord. S. Benedicti, dum Sanctam nostram inter Prætermissos reposuit his verbis:* Lutrudis virgo, cujus Acta Surius exhibet XXII Septembris, a B. Alpino Catalaunensi episcopo, qui circa annum CDLXXX decessit, velata est. Cur in Martyrol. Bened. adscribatur Corbeiæ monasterio, non video. *At vero, dum monumenta Saxonica proprius examinaverat, nodum resolvit; nempe Seculi* 4 *part.* I *ejusdem Operis pag.* 525, *ubi agens de Translatione S. Viti martyris Corbeiam in Saxonia, hæc tradit:* Præter sancti Viti reliquias possedit etiam monasterium istud reliquias tum sancti Justini martyris, tum sanctæ Lutrudis virginis, itidem ex Gallia advectas. De Lutrude Ms. Chronicum Saxonicum hæc habet ad annum DCCCLXIV: « Adventus sanctæ « Lutrudis virginis eodem anno: » quod intelligendum puto de advectione reliquiarum sanctæ Lutrudis virginis, cujus Acta exhibet Surius ad diem XXII Septembris. Hinc factum reor, ut Lutrudis, quæ sæculo quinto vixit, Corbeiæ, adeoque Ordini nostro adscriberetur. *AUCTORE J. P.*

delatum anno 864, 6 *Allegata per Mabillonium ex Chronico Saxonico confirmantur in Catalogo abbatum Corbeiensium in Saxonia, quem Joannes Letzner ex Ms. a se invento inseruit capiti* 23 *Chronici Corbeiensis, Germanice vulgati anno* 1590, *ut sequitur:* Adelgarius tertius abbas electus est anno Christi DCCCLVI: præfuit ibidem annos triginta duos. Anno DCCCLXIV huic monasterio attulit ossa Luttrudis virginis. *Eodem ipso anno, quantum discimus ex Annali-* E *bus succinctis Cobeiæ Saxonicæ, a prima fundatione usque ad annum* 1471 *continuatis, editisque primum a Christiano Francisco Paullini, dein a Godefrido Leibnitio tom.* 2 *Scriptorum de rebus Brunsvicensibus pag.* 296, *laudatus Adelgarius abbas reliquias Sanctæ, seu verisimilius earum partem concessit ecclesiæ S. Pauli a se fundatæ. Verba hæc sunt:* DCCCLXIII Adelgarius noster fundat ecclesiam S. Pauli prope Corbeiam, Negenkerken * dictam, quam Luithehartus episcopus *(Padernbornensis)* consecravit. *Anno* DCCCLXIV intulit eidem ecclesiæ reliquias S. Luitrudis virginis et alias undiquaque collectas. ** al. Nuwe kerke, id est, nova ecclesia*

virtutibus 7 *Porro de reliquiis* S. Lutrudis *recte explicarunt Majores nostri ea, quæ narrantur tom.* III *Martii pag.* 658 *in Miraculis S. Ludgeri Monasteriensis episcopi, quæque huc transfero:* Quædam ad seculum nobilis fæmina de villa Baegge nuncupata, Bugge vocabatur. Hæc paralysin incurrens, per annos duodecim plenos membrorum pene omnium officio destituta jacebat. Nam neque caput, neque pedem per se movere, neque manus ad os ducere sine aliorum adjumento valebat. Cumque suæ recuperationis gratia, ut nobilibus assolet personis, multa ei a multis vel fierent vel insinuarentur, F nullum alleviamentum * recipere quivit. Jamque nulla sibi in carnali medicina spes erat, sed unicum ei in Dei pietate refugium suppetebat. Interea fama exiit, per Sanctos, quorum sacrosancta pignora venerabilis abbas Adalgarius de Gallia advexit, multas operari virtutes. His adventantibus, memorata mulier adducta obviam, sanitatem per eorum merita ex parte percepit, ex parte majorem de integra sui corporis restauratione spem concepit. *Additur dein, eam in Werdinensi ecclesia ad sepulchrum S. Ludgeri integra sanitate donatam fuisse.* ** levamen*

claret. 8 *Recte, inquam, explicarunt de reliquiis* S. Lutrudis: *nam primo auctor relationis jam recitatæ, coævus, ut apparet, præmittit, se velle exhibere ea,* quæ non ex longinquo petenda sunt, sed proximo tempore, id est, ab anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXIV gesta esse probantur: *qui idem ipse annus est translatarum reliquiarum ad Corbeienses; secundo, licet verisimiliter cum reliquiis* S. Lutrudis *aliorum etiam Sanctorum sacra ossa ex Gallia advexerit Adelgarius, cum citatus auctor dicat,* per Sanctos *factas esse multas virtutes, has tamen*

AUCTORE J. P.

tamen præ ceteris attributas fuisse Lutrudi, *inde conjicio, quod nomen ejus solius exprimatur in Chronicis superius allatis, neque in his vel in Annalibus occurrat mentio adductarum alio tempore ex Galliis Corbeiam reliquiarum per Adelgarium abbatem. Ceterum idem auctor sat clare indicat, virtutes generatim memoratas in ipso itinere ex Gallia Corbeiam patratas fuisse et mulieri nobili reliquiis obviam procedenti concessum fuisse beneficium, speciatim expositum, in transitu per Marchiam, Westphaliæ comitatum, in quo sita est Werdena seu Werthina, locus cum insigni abbatia virorum Ordinis S. Benedicti ad Ruram fluvium.*

Ejusdem reliquiæ et cultus Paderbornæ,

9 *Sæpe dictarum reliquiarum* S. Lutrudis *dein partes obtinuerunt aliæ eccclesiæ, in quibus et ipsa cultum specialem nacta est. In Catalogo reliquiarum cathedralis ecclesiæ Paderbonensis, descripto et ad nos transmisso ex pervetusta scheda pergamena Ms., ita lego:* Reliquiæ S. Lutrudis V. *Hinc in pervetusto Kalendario ejusdem diœcesios membraneo, cujus item apographum Ms. habemus, legitur ad* XXII *Septembris :* x Kl. Mauritii cum sociis, SS. Hemerammi episc et mr., Luithrud. virg. B *Imo et in Sanctuario nostro Ms. ejusdem diœcesis, per P. Joannem Gamans, Operis nostri adjutorem quondam eximium, digesto, notantur sequentia die* XXII *Septembris :* Vetus Breviar, impressum : « Luetrudis V. I. antiphona. « In contextu Brev. ipsa S. Mauritii *(die)* habet pro suffragio collectam, in qua : « Hodie beatæ et sanctæ Lu« gtrudis V. annua solemnitate etc. « *Dein subditur :* Huxariæ est Patrona aut Compatrona in S. Petro. *Huxaria, vulgo* Höxter, *oppidum est in Westphalia, medio circiter milliario distans Corbeia, et, sicut hæc, adjacens Visurgi, sed ad alteram fluminis ripam ; an etiam hic, quod satis verisimile est, honorentur Sanctæ nostræ reliquiæ, non comperi.*

insignes etiam reliquiæ Essendiæ servantur

10 *Præ reliquis memorabile est, quod perhibetur de reliquiis Assindiensis seu Essendiensis (vulgo Essen) illustrissimæ abbatiæ in Westphalia. Prima earum mihi occurrit notitia in Fastis Westphaliæ sanctæ, beatæ, piæ, olim collectis a R. P. Joanne Velde, provinciæ Rheni inferioris Societatis Jesu sacerdote, ubi ad eumdem hunc diem ista notantur :* S. Lutrudis, cujus dimidiatum C corpus Essendiæ. *P. Theodorus Rhay ejusdem Societatis sacerdos in libro, qui inscribitur :* Animæ illustres Juliæ, Cliviæ, *etc., paulo explicatius de iisdem loquitur ad diem* XXII *Aprilis :* Essendiæ, *inquit,* S. Lutridis virginis, B. Pusinæ sororis, genuinæ sane illi, et moribus et sanctitate ita germanæ, ut qui alteram, utramque norit. Corpus ejus olim omnibus venerationi fuit : quod non ignorarent majores nostri, se beneficentia illius pluviam e cælo in sitientes agros elicere.

in pretiosa theca, ab Ottone Secundo imp.

11 *Memoratas reliquias Coloniæ in solemni supplicatione per civitatem circumlatas fuisse anno* 1634, *docet nos testis oculatus Ægidius Gelenius in libello, quem Coloniam supplicem inscripsit, et in quo supplicationis ordinem declarans, pag.* 48 *hunc titulum præfigit* § 8 *:* SS. Marsus conf. et Lugtrudis virgo. *Dein ita prosequitur :* Post hoc aliud par Sanctorum ex sacello domestico residentiæ illustrissimæ principis Essendiensis prolatum pie deportabant VIII PP. Capucini. Erat tumba horum Sanctorum mero ex auro, gemmisque pretiosissimis et penitus raris elaborata, donum Ottonis secundi imperatoris et Theophaniæ Augustæ ejus conjugis, tunc ascetêrio Assindiensi collatum, quando illi Machtildis, eorundem augustorum filia, illustrissima tum pietate tum generis splendore præsedit : didici id ex ipsa perigraphe sacræ tumbæ, cujus istæ supersunt lituræ D

INSCRIPTIO TUMBÆ

SS. MARSI CONFESSORIS ET LUGTRUDIS VIRGINIS.

Hoc opus eximium gemmis auroque decorum
Mathildis vovit, Theophanu quod bene solvit,
Regi dans regum Mathildt hac crysea dona
. . . . um . . . .
Spiritus Ottonis pauset cælestibus. . . . o . . . ,
Domina me fieri
Mathildt jussit

Monet hic Gelenius, tum subdi effigiem Ottonis II imperatoris mediam inter binas inscriptiones Græcas, quas sic Latine interpretatur : UNA IN XRO FIRMA GERMANITAS. IMPERATOR ROMANORUM GL. OT.

juxta aliquos,

12 *Primos versus, sed paulo aliter, dat etiam Bucelinus tom.* 2 *Germaniæ sacræ pag.* 143; *Papebrochius item tom.* V *Maji in Annotatis ad cap.* I *Actorum Erenfridi seu Ezonis, Mathildis et Richezæ ; sed hic collata editione Bucelini, cum ecgrapho huc misso, ita legendos putat :* E

Hoc opus eximium, gemmis auroque decorum
Mathildis vovit Theophanoū, quod bene solvit
Abbatissa bona Mathildt, hæc chrysea dona
Regi dans regum : quæ res deposcit, in ævum
Spiritus Ottonis pauset cælestibus oris :
Domina Mathildt me fieri jussit.

Præterea observat ibidem Papebrochius, errasse Bucelinum, dum Mathildem Ottonis II et Theophaniæ filiam (quod et Gelenius fecit) dixit fuisse Essendiensis parthenonis abbatissam. Et sane ex Actis ejus mox citatis discimus quidem, illam habitasse Essendiæ, at inde, consentiente fratre Ottone III, eductam esse et nupsisse Erenfrido seu Ezoni comiti Palatino, cui decem liberos atque hos inter B. Richezam peperit. Contendit itaque, Mathildem Theophaniæ, quæ votum fecit, et Mathildt abbatissam, quæ solvit, diversas esse : accedit, quod, uti ibidem ostendit, illa viro nupta sit ante annum 990, *hæc etiamnum abbatissa esset anno* 1003.

sed probabilius, ab Ottone tertio dono data :

13 *Ceterum cum Gelenius, tumbam illam pretiosam Ottonis secundi dono adscribens, fateatur, se id didicisse ex ipsa perigraphe, valde dubium est, an non potius attribui debeat Ottoni tertio,* F *qui, ut sororis suæ voto satisfaceret, sumptus suppeditarit, quibus abbatissa Mathildt tumbam confici curaret. Posterius certe indicat laudatus Rhayus in Animabus illustribus, ad diem* XVI *Maii agens de S. Marso : verba accipe :* Triumphat hodie Essendia S. Marsi reliquiis, ab Ottone istius nominis tertio imperatore isti loco donatis. Cui religiosissimo imperatori solemne fuit, Divorum multorum ossa e tenebris in lucem magnifica pompa transferre, prout et S. Marsi hujus lipsana urnæ ex auro tum subtilitate operis varitateque, tum gemmarum splendore visendæ pie inseruit. *Ita ille citans Tabulas Essendienses. Accedit Gelenius ipse in Fastis sacris Agrippiensibus* VIII *Junii agens de S. Marso :* Ejus, *inquit,* corpus postea Essendiam, diœcesis Coloniensis oppidum, translatum ab Ottonis II uxore et liberis, ubi aurea hierotheca est conclusum. *Denique teste Rhayo ad eumdem diem* VIII *Junii, tumba illa seu aurea hierotheca, continens, ut supra vidimus, tam S. Lutrudis quam S. Marsi sacra lipsana, subinde per annum publicæ venerationi exponitur. Plura de S. Marso dici poterunt ad diem* VI *Octobris, in quem Majores*

A *res nostri Actorum ejus examen distulere.*

dictæ reliquiæ verisimiliter obtentæ seculo 9,

14 *Certo intelligere nequivi, quandonam, quave occasione ditatæ fuerint Essendienses virgines reliquiis Sanctæ nostræ: nostræ, inquam; talem quippe evidenter agnoscunt Rhayus et Gelenius, dum S. Pusinnæ sororem aiunt, iterumque Gelenius in Fastis sacris Agrippiniensibus, dum hodie ita eam annuntiat:* Essendiæ in diœcesi Coloniensi aurea tumba includitur B. Lutrudis Catalaunensis virgo, cujus hodie festivitas recolitur. *At verisimillime eo delatæ sunt, curante Altfrido, qui ex monacho Corbeiæ Saxonicæ sub medium seculi noni creatus episcopus Hildesheimensis in eadem inferiore Saxonia, postea fundavit illustrissimum Essendiensem parthenonem, prout dictum est tom.* III *Augusti ad diem* XV, *quo gesta ejus illustrata sunt. Is quippe Adelgario abbati, qui ossa* S. Lutrudis *ex Gallia attulit, convixit in eodem monasterio, et factus episcopus, familiaritate junctus fuit, sicut colligo ex succinctis Annalibus num.* 6 *laudatis, in quibus ad annum* 872 *hæc referuntur:* Interfuit Adelgarius cum aliis sollempni consecrationi ecclesiæ Hilleshemensis ab Alfredo, commo-
B nacho nostro episcopo, ibidem constructæ. *Consonat chronographus Saxonicus, cujus verba ex Mabillonio dedimus cit. tom.* III *Augusti pag.* 213, *ubi dicit, ecclesiam illam dedicatam fuisse ab Altfrido ejusdem episcopo, Rimberto Bremensi Liuthardo Patherbrunnensi ac Theodorico episcopis* cum interventione Corbeiensis abbatis Adelgarii.

sicut et ex, quæ sunt Hildeshemii, ubi colitur.

15 *Denique conjectura mea de obtentis ab Adelgario per Altfridum episcopum pro novo suo Essendiensi parthenone reliquiis* S. Lutrudis, *utcumque confirmatur ex eo, quod in ipsa cathedrali ecclesia Hildesheimensi a multis seculis servatæ ac honoratæ fuerint ejusdem Sanctæ sacræ exuviæ, verisimillime etiam a S. Altfrido ibidem relictæ. Has earumque cultum novi ex Fragmento de reliquiis dictæ ecclesiæ, quod ex codice membranaceo Ms prelo edidit Leibnitius tom* I *de Scriptoribus rerum Brunsvicensium pag.* 771, *cujusque initium tale est:* Anno Incarnationis Dominicæ MLXI, Indictione XIV, templum hoc a venerabili hujus sedis episcopo Hecelone renovatum est, et III Nonas Maji devote consecratum, ordinationis suæ anno nono in honore sanctæ et individuæ Trinitatis
C et victoriosissimæ Crucis et S. Mariæ Matris, de cujus lacte et capillis hic habetur, et Sanctorum, quorum hic reliquiæ recluduntur et nomina substrabuntur. *Hæc inter recensetur* Ludrudis *uti et Pusinnæ nomen: ac sequentia subnectuntur:* In quolibet festo sanctorum prænominatorum, et in quolibet festo novem Lectionum ardebit candela retro altare sanctæ Mariæ, posita ad Matutinas a principio usque in finem et ad Matutinas S. Mariæ. *Addo Breviarium Hildesheimense, impressum anno* 1516, *ubi in secundis Vesperis S. Matthæi apostoli et in Laudibus SS. Mauritii et Sociorum martyrum præscribitur suffragium seu commemoratio* de S. Lutruda virgine *ex communi.*

Acta Sanctæ

16 *Superest, ut, quid de Actis statuendum sit, paucis indagemus. Triplicis generis penes me sunt exemplaria, ac primi quidem duo, quorum alterum anno* 1659 *cum Majoribus nostris communicavit P. Nicolaus Elsen S. J. sacerdos, descriptum ex Ms. codice monasterii S. Mathiæ Trevirensis, alterum missum a sæpe laudato P. Joanne Gamans anno* 1641, *quantum intelligo ex notitiis Musei nostri, desumptum est ex Ms. Bodecensi. Nulla inter utrumque est discrepantia, nisi quod voces hinc inde diversimode scriptæ sint, quodque in Bodecensi desideretur hæc postrema periodus:* Ipse *(Christus)* tribuat animæ famuli sui archiepiscopi præsulis Theodorici sempiterna gaudia. Amen. *Scripta sunt autem Acta illa rhythmice a nominato antistite Trevirensi, ut utrobique præfert titulus. Secundi generis apographum habeo, subnexum mox memorato Bodecensi, et, sicut adnotatur,* ex eodem Passionali *depromptum. Tertii denique generis exemplar acceptum est ex Ms. Ultrajectino, sed plane idem est, quod edidit Surius, putavitque esse compendium Rhythmi Theodoriciani.*

AUCTORE J. P.

qualia et quæ hic danda.

17 *Rhythmus iste, quem neque ab elegentia aut lepore laudare ausim, non multum commendari potest ab antiquitate, utpote compositus quinto circiter seculo post obitum* S. Lutrudis, *cum Theodoricus ejus auctor floruerit seculo dumtaxat decimo, mortuus sub annum* 970, *nec ullibi significet, quibus in scribendo adjutus fuerit instrumentis. Verumtamen dum Opus ipsius confero cum Actis ex Passionali Bodecensi, secundo loco memoratis, tantam pene ubique congruentiam reperio in rebus narratis, ut omnino verisimile mihi fiat, hæc ipsi præluxisse. In rebus, inquam, narratis; nam prolixior est Rhythmus et adjunctis hinc inde auctior, Acta breviora ac simpliciora; sed vel isto etiam ex capite anteponenda et præ* E
illo excudenda, quamquam et auctor ignotus sit, et incerta ætas.

ACTA

Auctore anonymo

Ex Ms. Passionali Bodecensi.

Sanctæ parentes et patria: a b

Fuit vir quidam in pago Pertensi *a* Sigimarus *b* nomine, dives valde et nobilis, qui ab infantia sua timere Deum studuit, jejuniis et orationibus serviens Deo die ac nocte. Cum venisset autem ad legitimam ætatem, accepit conjugem nomine Liutdrudam *c*, pulchram valde et timentem Deum; qui simul juncti cum essent, ambo justi, cœperunt quærere, qualiter a vanitatibus seculi et ab omni iniquitate et rapina * custodirent, et omnis familia domus eorum secundum voluntatem Dei famulari posset. Nec erat eis aliquid acceptum, nisi quæ Deo placita erant. Non longe autem ab eis erat quidam sacerdos Eugenius nomine, vir justus et prudens in omnibus, quæ ad Deum pertinent: quem sibi vinculo familiaritatis conjungentes, commendaverunt se ejus sanctis orationibus, et quidquid in erogatione pauperum conferre poterant, per ejus manus Domino Jesu Christo distribuere et offerre satagebant.

c

* adde se

F

ipsa et sorores sex virgines consecratæ.

2 Expleto autem biennio, postquam acceperat uxorem suam, concepit et peperit septem filias, quas cum fonte Baptismatis Christi regenerante gratia innovari ac consecrari fecisset, indidit eis nomina: unam Immam *d*, alteram Othildam *e*, tertiam Liutdrudam *f*, quartam Pusinnam *g*, quintam Franculam, sextam Liberatam *h*, septimam Mathildam *i*. Has ergo omnes, cum paululum crescere cœpissent, prænominatus pater, utpote filias charissimas, quas a Domino prærogaverat, sub manu Eugenii presbyteri in domo sua psalmis et hymnis instrui atque doceri obtinuit. Evolutis deinde decem annis, cum jam præfatæ filiæ in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus Deum laudare perdidicissent, eo tempore, quo sanctus Alpwinus, sanctæ Catalaunensis ecclesiæ episcopus, parochiam suam circuiret,

d e f g h i

A. ANONYMO. circuiret, gratia prædicationis et confirmationis in virtute Spiritus sancti, obtulit eas pater eidem sancto episcopo, Christo consecrandas ac sacro velamine velandas.

a S. Alpino; in loco, sibi ex paterna hereditate relicto

3 Quarum voluntatem unanimem atque concordem in tali proposito ut cognovit sanctus Alpwinus, consecravit eas ac velamina virginitatis cum signo benedictionis super capita earum posuit, imprecans Dominum, ut daret eis perseverantem in sua voluntate famulatum *k*. Factum est autem, cum appropinquarent dies extremi ejusdem Sicmari, dedit præfatis septem filiabus suis hæreditatem suam, et divisit singulis partem patrimonii sui, secundum quod sibi bonum videbatur; ut per diversa loca habitantes, Deo devote servirent ac suæ animæ commemorationem facerent. Igitur beata et venerabilis virgo Christi consecrata et a Christo speciali dilectione adamata Liutdrudis accepit hæreditatem in loco, quem sibi pater solitariæ commansioni præparaverat causa orationis, et ad Christi regnum continuæ contemplationis, hinc inde nemoribus circum consitum, interius autem agriculturæ satis idoneum.

pie vivit;

4 Hunc itaque cum beata Virgo accepisset in B hæreditatem, a patris nomine nomen ei imposuit, vocans eum MONS SICMARI *l*. Ex eo autem tempore, quo venerabilis ac Deo dilecta virgo Liutdrudis utrumque parentem amisit, cohortante Eugenio presbytero, nocte ac die non cessabat obsecrare Domini misericordiam, ut ab amore suo, quem sponsum elegerat, se separari non permitteret, atque a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, eam immaculatam custodiret. Interea crescente in ea gratia divina, consilium iniit cum sæpe dicto presbytero, ut Romam pergeret, et aliquamdiu ibi orationis causa moram faceret; deinde rediens ad propria, aliquas ibi, si fieri posset, Sanctorum reliquias impetratas asportaret; unde in loco, a patre sibi tradito oratorium ædificaret.

Romam pergit, illic aliquamdiu morata, ab angelo

5 Quod magnum ac periculosum iter cum perfecisset, Romamque venisset, adhæsit cuidam ancillæ Dei Justinæ nomine, quæ pari modo vacabat continuis orationibus et eleëmosynis, serviens Deo nocte ac die. Completis autem ibi tribus mensibus, an- C gelus Dei apparuit ei in somnis, dicens: Revertere in terram nativitatis tuæ; de reliquiis autem sanctorum martyrum, unde sollicita es, et nimio ardore succenderis, noli turbari: sed mox ut montes transieris, et ad monasterium *m* beati Mauritii perveneris, inde oportet, te reliquias accipere, et, quod desiderat anima tua, ejus precibus poteris impetrare. Evigilans illa fudit orationem ad Dominum, narravitque comiti suo Eugenio presbytero visionem, quam viderat. At ille Deo commisit omnia, quæ acciderant eis in itinere, et intentionem sororis suæ Luitdrudis.

monetur de reditu; Ravennam adveniens,

6 Summo autem diluculo surgentes, cœperunt iter agere, secundum quod angelus Domini præceperat. Post aliquantos autem dies venientes simul juxta urbem Ravennam *n*, viderunt ancillam quamdam egressam de domo dominæ suæ, et ait ad illam beata Luitdrudis: Revertere in domum et dic dominæ tuæ, quia peregrina postulat mansionem apud eam: quæ respondit: Non potes, Domina, hic habere mansionem, quia filia dominæ meæ in extremis posita est. Sancta Luitdrudis dixit ad eam: Num propter me morietur filia dominæ tuæ? Reversa puella ait ad dominam suam: Ecce, domina, peregrina quædam stat prope ostium, petens hospitii ingressum. At illa gavisa est, et currens ei obviam ait: Domina, veni in hospitium meum, et vide afflictionem famulæ tuæ, quia unica filia D mea parata est ad mortem; et non possum obtinere apud Deum, ut ego moriar, et illa vivat: apprehensa autem manu ejus introduxit in hospitium suum.

moribundæ puellæ sanitatem impetrat,

7 Illa autem, cum salutasset familiam domus, prostravit se super faciem terræ, et sic oravit: Domine Deus meus, qui solus habes potestatem vivificandi ac mortificandi, presta sanitatem ancillæ tuæ, et redde eam incolumem parentibus suis: surgensque ab oratione, apprehendit manum puellæ et erexit eam sanam et incolumem. Tunc puella, quæ per triduum locuta non fuerat verbum, ait ad beatam Luitdrudam: Bene advenisti, Ancilla Dei, ut me de præcipitio mortis liberares ac meos parentes lætificares. Precor ergo te, da mihi manducare et bibere de manu tua, et tollens de vestimento capitis tui, velabis caput meum: oportet enim, me tecum manere in vita mea. Respondit beata Luitdrudis et dixit: Propter speciem pulchritudinis tuæ non poteris mecum peregrinari; verumtamen si perseveraveris usque in finem in castitate vitæ, mecum eris in gloria Dei. Rogabant autem illam parentes puellæ, ut ibi maneret; qui, cum hoc nullo modo obtinere potuissent, deduxerunt eam cum magno honore et gaudio usque ad aliam E civitatem.

domum reversa, templum ædificat S. Mauritio;

8 Cum pervenisset autem beata Luitdrudis una cum comite suo usque ad locum martyrii *o* beatissimi ducis Mauritii, custos ecclesiæ, Georgius nomine, suscepit eam in hospitium; cui cum narrasset de visione angelica, cum magna veneratione dedit ei reliquias gloriosi martyris Mauritii, quas cum ingenti gaudio suscipiens, et usque ad supra memoratum locum, quem pater ei dederat, venerabiliter deducens, ecclesiam acceleravit fabricare, atque per ministerium proprii episcopi in honore sancti Mauritii consecrare. Juxta ipsam vero ecclesiam cellulam sibi ædificavit, in qua usque ad diem mortis suæ, solemniter Deo serviens, habitavit. Cilicium etiam super carnem suam intrinsecus posuit, corpusque suum jejuniis et afflictionibus castigans, quidquid de reditu suæ proprietatis acquirere et colligere poterat, pauperibus diligentissime erogare curabat. Ipsa vero semel in hebdomada aut bis panem hordeacum cum aqua sumebat; dulces autem aut delectabiles cibos, qui sæpius offerebantur ei, infirmis et ægrotis distribuit. F

assistit morienti S. Pusinnæ sorori p

9 Dum hæc ageret virgo Domini Luitdrudis, ecce subito nuntius venit, qui dixit ei: Ecce soror tua Pusinna, quæ in Basoniensi vico *p* hæreditatem accepit, infirmatur, et vocat te. Quod cum audisset Ancilla Dei, surrexit a terra et sparsit cinerem super caput suum, et induta cilicio per totam noctem oravit Dominum, et dixit, ut ante diem dormitionis ejus eam videre mereretur. Mane autem facto, una cum Eugenio presbytero perrexit illuc: cumque introisset domum, invenit sororem suam in extremis positam; siquidem per quinque dies non fuerat locuta ullum verbum, sed tantum signum faciebat, si Soror ejus adhuc adventaret. Mox autem ut domum intravit sancta Luitdrudis, erexit se beata Pusinna, et ait: Deus omnipotens, gratiam ago tibi, quia exaudisti me, ut merear videre dilectissimam sororem meam Luitdrudam. Et dixit ad eam: Soror mea clarissima, jam læta moriar; quia vidi faciem tuam. Sed precor, ut non discedas ab isto loco, quousque corpus meum sepulturæ tradas: et his dictis, supra collum Sororis accumbens, cœpit flere, et inter fletus et amplexus Sororis migravit ad Dominum. Beata vero Luitdrudis sepelivit eam cum hymnis et orationibus

A bus in vico supra memorato, in loco celebri juxta ecclesiam beatæ Mariæ *q*.

q *Et ipsa moritur.* 10 Peractis autem exequiis carissimæ sororis, rediit ad cellulam suam, et in incepto opere semper indefessa persistebat, laudem humanam devitans, et jactantiam humanæ vanitatis subterfugiens. Post consummationem vero bonorum operum in senectute bona *r*, plena dierum ac meritorum cælestium, in optima confessione migravit ad Dominum. Nec mora, divina virtus adfuit et per manus angelorum animam ejus ad sidereas mansiones sublevavit. Sepulta est ergo beata virgo Luitdrudis in ecclesia sua ante altare sancti Mauritii. Deinde paucis evolutis diebus vas vitreum, quod ante sepulchrum ejus de oleo semel impletum fuerat, superabundare cœpit, ac multitudo desuper olei labebatur in terram : unde plurima turba languentium peruncta, gratia Spiritus sancti de diversis infirmitatibus curabatur *s*, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B

ANNOTATA.

a *Tractus est in Campania Gallica, vulgo le* Pertois, *comitatus titulo illustratus et proximus Cabilonensi comitatui ad Orientem juxta Matronam fluvium.*

b *Infra num.* 3 Sicmarus. *in Vita S. Hoyldis* Signarus; *at in Vita S. Pusinnæ et alibi communius ac melius* Sigmarus *appellatur.*

c *Sicut Sanctæ nomen, ita genitricis ejus diversimode scribitur : in Vita S. Pusinnæ* Luttrudis, *in S. Hoyldis* Lentradis. *Librarii errore* Liutdrudam *pro* Liutdrudem *hic ponitur. Vide lit.* f.

d *In Vita S. Pusinnæ* Ymma : *in Vita autem S. Hoyldis, uti et in Actis brevibus* S. Manehildis, *de qua mox,* Ama *dicitur : de hac agemus ad diem* 24 *Septembris.*

e *In Vita S. Pusinnæ* Othildis : *sed in propriis Actis, quæ dedimus ad diem* 30 *Aprilis,* Hoyldis, *nuncupatur.*

f *Lege* Liutdrudem, *in recto quippe ubique* Liutdrudis *scribitur.*

g *Acta ejus illustrata sunt ad diem* 23 *Aprilis.*

h *In Vita S. Pusinnæ dicitur* Libera : *sed et hæc et* Francula *notæ non sunt nisi in Actis sororum suarum : Papebrochius in Annotatis ad Vitam S. Hoyldis lit.* e, *dubitari posse ait, an vera sint earum nomina.* C

i *In propriis Actis vocatur* Manechildis; Magenhildis *in Vita S. Pusinnæ, et* Manehildis *in Vita S. Hoyldis; colitur autem* 14 *Octobris.*

k *Hactenus narrata in re plane congruunt non tantum Rhythmo Theodorici Trevirensium antistitis, sed et laudatis Actis SS. Pusinnæ et Hoyldis, imo et Vitæ S. Alpini secundo loco datæ tom.* 3 *Septembris ad diem* 7, *pag.* 89, *ubi num.* 15 *et* 16 *refert biographus septem sororum per S. Alpinum consecrationem, earumque sanctimoniam plurimum laudat. Ceterum cum ex Alpini temporibus discere debeamus, quo seculo vixerint dictæ sorores, obiter ibidem in Annotatis ad cap.* 2 *lit.* g *correctus est Bailletus, dicens ad diem* 22 *Septembris non videri notum S. Alpinum, nisi ex Vitis hisce sanctarum virginum; cum tamen ipse* 29 *Julii in Vita S. Lupi Trecensis episcopi, inter hujus discipulos recenseat Alpinum Catalaunensem; et recte quidem, cum biographus ejusdem S. Lupi antiquus ac fide dignus, apud nos editus tom.* VII *Julii pag.* 70, *expressis verbis inter ejusdem discipulos nominet :* Sanctum quoque Alpinum, Cathalaunicæ pontificem civitatis. *S. Lupi obitum fiximus anno* 479; *S. Alpini circa annum* 510; *hinc collige, quibus temporibus vixerint.* S. Lutrudis *ejusque sorores : sed vide etiam infra ad lit.* r. A. ANONYMO.

l *Locum ipsum reperire non potui in tabulis, forte quod alio nunc vocabulo veniat.*

m *Qui vitam hanc descripsit, addidit in margine, legi in autographo* mrium.; *hinc dubium, an* monasterium, *an* martyrium *legendum sit : si primum, designeturque monasterium Agaunense, a S. Sigismundo fundatum vel restauratum, conjicere inde possemus, vixisse Sanctam diu post annum* 515, *quod satis verisimile est.*

n *Civitas est Italiæ celebris in ditione Ecclesiastica.*

o *Monet hic denuo descriptor, legi* mrii. *Vide lit.* m.

p *Locus est haud procul Corbeia Gallica, ut notant Saussayus et Castellanus.*

q *Quidquid hic habes de accessu Sanctæ nostræ ad morientem sororem, descripsit quoque, sed multo fusius, biographus S. Pusinnæ tom.* 3 *Aprilis pag,* 169 *et seq.* E

r *Voces istæ* in senectute bona, *moverunt me, ut obitum Sanctæ seculo sexto illigarem; cum S. Alpinus, qui eam episcopus Catalaunensis virginem Deo consecravit, obierit circa annum* 510, *sicut tom.* 3 *Septembris probabilius ostendimus.*

s *Browerus tom.* 1 *Annalium Trevirensium pag.* 479 *ex vetustis bibliothecæ S. Mathiæ membranis dans compendium Vitæ rhythmicæ a Theodorico Trevirorum archiepiscopo compositæ, prodigium istud, sed perperam meo judicio, ita exposuit, acsi oleum, infirmis salutiferum, manasset ex Sanctæ sepulcro :* De oleo vero, *inquit,* quod ex ejus sepulchro perenne manavit; et morbidis salutem attulit, Theodoricus archiepiscopus, ut rythmorum formam videas, ita scriptum reliquit.

Mira plane Dei virtus, mirum suum * meritum, * *al.* tui
Vasculum semel impletum et accensum oleum
Nullum cœpit usu suo detrimentum perpeti :
[Imo paulatim excrescens atque super effluens,
Desuper in terram sua labebatur copia;
Tuorum sic meritorum clarum dans indicium.]
Quid cæcis eo perunctis dicam visum redditum? F
Quid vero surdis auditum, mutis linguæ officium?
Claudis ambulandi usum nunc retexam præstitum?
Singularum infirmitatum diversa incommoda,
Quibus vel corpus languescit, vel tabescit anima,
Per te sunt crebro medelam consecuta pristinam.

Uncinis inclusa (transposita tamen una voce cum legeretur copia labebatur) *supplevi ex utroque nostro apographo Ms. Sed ex integro contextu nihil intelligo aliud, nisi quod oleum lampadis sepulcro antepositæ prodigiose auctum sit et ægris salutiferum fuerit, quod versiculi proxime præcedentes similiter insinuant : sic habent :*

Quo quantum, Beata, possis, quantum, virgo, polleas;
Probat tantorum medela per te modo reddita;
Probant gaudia tantorum, quos rogata adjuvas;
Probat oleum salubre perunctis languentibus.
Quod in proximis diebus post tuum tunc transitum
Tuo cum vase sepulcro fuit antepositum.

DE

AUCTORE C. S.

D

DE S. EMMERAMMO EPISC. MART.

IN HELFFENDORF BAVARIÆ VICO

IN DIŒCESI FRISINGENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti primus biographus Cirirus sive Aribo; ejusdem Vitæ exornator Meginfredus, utriusque Opusculum edendum : libri duo de miraculis aliaque ab Arnolfo et aliis scripta, ex quibus aliqua edenda.

ANNO DCLII *Cirinus S. Emmerammi biographus, non fuit Ratisbonensis,*

Celebris hoc die in Bavaria est, præsertim Ratisbonæ, S. Emmerammi *episcopi et illustris charitatis martyris memoria, qui Pictavii in in Aquitania natus, et in eadem provincia factus episcopus, cum ad convertendos ad Christum Avares Pannoniam petens, per Baioariam sive Bavariam pertransiret, a Theodone I Boiorum duce invitatus, Ratisbonæ substitit, et post apostolicos labores Boiis per triennium feliciter impensos cruento martyrio ab ejusdem ducis filio affectus, multis miraculis effulsit. Scriptorem vitæ ejus Arnolfus, ex comite a Cham et Vochburg seculo* XI *adolescente monachus, et in* S. Emmerammi *monasterio Ratisbonensi magister atque præpositus, indicavit in epistola ad Purchardum seu Burchardum ejusdem loci abbatem, in qua hæc ait :* Amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi patroni nostri Emmerammi martyris, dudum a quodam, qui se Cirinum et Heredem nominat, Frigisensis ecclesiæ episcopo, ut puto, recte scriptis, ante nos autem Majorum negligentia depravatis.

sed Frisingensis episcopus.

2 *Cirinus hic seu Heres, alio item nomine* Aribo *appellatus, quarto loco Frisingensi ecclesiæ episcopus præfuit, quam ab anno* 764 *usque ad* 782,
C *vel* 784 *rexisse dicitur, ut tom.* III *septembris in Commentario prævio ad vitam S. Corbiniani, quam ipse pariter scripsit, ostensum est pag.* 261 *et sequenti, ubi etiam cum de hac ejus nominis varietate tum de aliis ad ipsum spectantibus plura reperies. Laurentius Surius in collectione sua de vitis Sanctorum ad hunc diem Cirinum illum episcopum Ratisbonensem credidit ex quodam Vitæ loco male intellecto, quem Eminentissimus Baronius tam in Annalibus ad annum Christi* 702, *quam in Annotatis ad Martyrologium Romanum secutus est. Verum opinionem illam jam satis refutavit Coïntius tom.* 3 *Annalium eccles. Franc., ad annum Christi* 649 *num.* 24; *quod et nos in Annotatis breviter faciemus. Manifestiori errore illustrissimus Franciscus Maria de Aste in Notis ad Martyrologium Romanum eamdam Vitam* S. Cyrillo *attribuit, laudans Lucam Holstenium, in Annotatis marginalibus ad laudatum Martyrologium Eminentissimi Baronii, quantum apparet, ubi tamen hic eam* Cirino *diserte adscripsit.*

3 *In alium errorem inciderat Coïntius mox citatus, existimans, Cirinum* S. Emmerammi *biographum ab Aribone distinguendum esse; cumque Cirinus sese Josepho in episcopatum successisse affirmet, corrigendum propterea esse Frisingensium episcoporum Catalogum, Cirino Josephum inter atque Aribonem inserto, hac scilicet serie : S. Corbianus, Erimbertus, Josephus, Cirinus, Aribo. Sed hanc opinionem suam postea tom.* 5, *ad annum Christi* 770, *num.* 24 *retractavit, agnovitque episcopum illum Frisingensem trinominem fuisse, et* Aribonem, Cirinum *vel* Cyrinum *atque* Heredem, *unum eumdemque esse* SS. Emmerammi *et Corbiniani biographum. Confirmari hæc possunt ex anonymo Mellicensi, quem Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom.* 4, *pag.*166, *seculo* XII *scripsisse asseverant, et ex cujus Opere, in Bibliotheca ecclesiastica Joannis Alberti Fabricii relato, ibidem laudant sequentia :* Arbo, qui est Cyrias Friginsensis episcopus, duo non parva de gestis SS. Emmerammi et Corbiniani scribit Opuscula. *Sed necesse non est hæc pluribus probare, cum res certa sit et indubitata.*

idemque cum Aribone, S. Corbiniani biographo :

scripsit autem integro seculo post S. Emmerammi martyrium,

4 *Porro non eadem Aribonis in utraque Vita, sancti sacilicet* Emmerammi, *snctique Corbiniani, est auctoritas. Corbiniano enim ipsum tempore proximum, ac forte etiam puerum convixisse, eidemque circa annum* 730 *defuncto post Erimbertum atque Josephum anno* 764 *in episcopatu suffectum esse, ostendimus in supra citato Commentario ad ejusdem S. Corbiniani Vitam. Ab* F
Emmerammi *vero ætate longius abfuit, nec nisi post elapsum ab illius martyrio integrum cum aliquot annis seculum ejusdem vitam scribere cœpit, cum eam jam episcopus, adeoque non ante annum* 764 *exaraverit; sanctus autem* Emmerammus *anno* 652 *occisus sit. Credidit quidem Baronius in Annalibus ad annum Christi* 702, *num.* 3, *Aribonem eodem, quo* S. Emmerammus *floruit, tempore vixisse; verum id ex dictis admitti non potest. Hinc mirum non est, si in hujus Vita aliquid improbandum occurrat, quod ex populari traditione per unius seculi lapsum invaluerit, et ab ipso fuerit adoptatum. Nec tanta tamen est utriusque ætatis distantia, quin Aribo de rebus a Sancto gestis passim satis feliciter instrui potuerit.*

fide tamen dignus. Vita hæc a Surio edita est; nos eamdem ex Mss.

5 *Ad hoc favebat ipsi etiam locorum vicinia; nam et Ratisbonensis Frisingensisque diœcesis sibi adjacent, et vicus* Helffendorf, *in quo* S. Emmerammus *martyrio affectus est, et locus inter Isaram Oenumque ubi obiit, et vicus* Afchain, *in quo primum sepultus fuit, in diœcesi Frisingensi siti sunt, sitique erant, quando Aribo isti ecclesiæ*

A *siæ præsidebat. Ceterum dubitandum non est, quin ea, quæ didicerat, sincere fideliterque posteritati tradiderit. Hoc Aribonis Opusculum Laurentius Surius,* Cyri Ratisbonensis, *posteriores vero ejusdem Operis editores melius* Frisingensis episcopi *nomine typis vulgarunt, mutata tamen pro more suo primigenia phrasi, et omissis, quæ vitiose scripta intelligere non potuit. Ejusdem Vitæ apographum habemus ex codice collegii nostri Fuldensis, collatum cum Mss. S. Maximini Trevirensis et Audomaropolitano, quorum variantes lectiones in eodem exemplaris margine calamo adnotatæ sunt. Hic codex insignis membranaceus in folio, ut aiunt, qui prius fuerat Georgii Wicelii, qui eo in Historia sua de Sanctis scribenda usus est, deinde vero collegio nostro Fuldensi donatus, librorum permutatione nostri juris factus est, notaturque in Museo nostro* Q. Ms. 6. *In calce Vitæ auctor se ipsum cum humili animi sensu sic indicat :* Ea, quæ deprompsimus pro reverentia Viri Dei et veneramur, ipsumque Deum denuo supplicamus, ut misero subveniat Cyrino peccatori : *Frisingensem vero episcopum se fuisse, alibi manifestat.*

edemus, licet solœcismis inspersam,

6 *Laudati codicis characteres a seculo nono vel decimo non abhorrent; sed phrases in eo sæpe tam barbaræ, totque solœcismi occurrunt, ut lectori frequenter nauseam pariant; quod quidem ego partim auctori partim amanuensibus attribuendum puto. Præter dicta exemplaria habemus et alterum, ex quodam codice S. Germani Pratensis Parisiis descriptum, sed magna sui parte ex vitio codicis mutilum; et similibus solœcismis infectum. Neque his omnino caruit aliud, quod Coïntius ex codice Chesneano transcriptum a Luca Acherio accepit, et ex quo multa suis Annalibus inseruit. Verumtamen cum hæc Vita unica sit, quæ Meginfredo atque Arnolfo, mox laudandis, præluxit nec eam adhuc a quoquam servata primigenia phrasi, editam viderim, statui ex memorato codice nostro sic edere, ut vitiatos manifesta amanuensium incuria locos ex ceteris restituam, monito tamen lectore, ubi id operæ pretium visum fuerit. Porro jam a seculo* XI *vitiatas fuisse ejusdem Vitæ phrases, discimus ex Arnolfo Vochburgensi, cujus verba num.* 1 *recitavimus.*

quibus eam Arnolfus Vochburgensis purgare voluit,

7 *Simili de causa eamdem displicuisse S. Anastatio episcopo Colocensi in Hungaria, idem Arnolfus in eadem epistola ad Burchardum affirmat, dum de suo in Pannoniam itinere scribens, sic ait :*
C Tum cursu prosperato, tertia die advehebar Pannoniæ solo. Qua me Anastasius archiepiscopus cæteris suscepit humanius, et affatur familiarius. Is cum B. Emmerammi veterem illum et viciatum legeret librum, materiam probavit cum sententiis; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. *Anastasius ille, alio nomine Astricus dictus, fuit abbas monasterii S. Martini in Hungaria, et episcopus Colocensis; vocatur autem hic archiepiscopus, quia archiepiscopatum Strigoniensem ob cæcitatem Sebastiani, ejusdem sedis archipræsulis, triennio administravit, ac deinde ad suam Colocensem cathedram reversus, pallium, quod ea occasione a Romano Pontifice acceperat, retinuit. Consule Commentarium prævium ad Vitam S. Stephani Hungariæ regis ad diem 2 Septembris § 24 et alibi. Ut huic malo mederetur Arnolfus eamdem politiori stilo exornandam, ac forte etiam aliqua in eadem mutanda, ipso abbate suo annuente ac petente, suscepit. Verum cum id nonnullis ejusdem monasterii monachis, antiquitatis amantibus, vehementer displiceret, propositum opus declinandæ invidiæ gratia distulit, donec, nescio qua de causa, in Inferiorem Saxoniam Magdeburgum ablegatus, id ipsum per alium fieri curavit.*

eodemque postulante, meliori phrasi illam exornavit Meginfredus

8 *Invenit enim ibidem Meginfredum Magdeburgensis monasterii scholarum præpositum seu magistrum, cujus cum sapientiam eruditionemque probaret, multis apud illum institit, evicitque, ut id laboris ipse susciperet. Triennio tamen expectandum ipsi fuit, antequam Meginfredus istud Opusculum perfecisset, ut habet Arnolfus in eadem epistola, ex qua sequentia delibo.* Ut autem, *inquit,* acceleraret, me rogante respondit, Summa diligentia in laribus probandum, quod extra parietes multorum oculis foret præsentandum. Hac, ut opinor, occasione tribus annis opus mihi charissimum remansit imperfectum, dum temporibus Henrici augustissimi esset cœptum. Regressus ergo ad monasterium e Saxonia, ferebam mecum beatissimi Martyris Hymnum, quem mihi pro arrabone libri saltim vel versiculum poscenti, præfatus magister metro composuit Saphico. Demum Chuonrado imperante, et nihilominus Heinrico filio ejus regnante, Gebehardo autem secundo Ratisbonensem ecclesiam regente, in adventu tuo E *(Burchardum abbatem suum alloquitur)* sæpissime optatus atque diu exspectatus venit libellus; cujus universitas beato deputetur Emmerammo, materia Cirino, renovatio Meginfredo, exactio peccatori Arnoldo.

præpositus Magdeburgensis, qui huic operi triennium impendit.

9 *Ex hisce notis chronologicis Coïntius tom.* 3 *Annalium ad annum Christi* 619, *num.* 22 *statuit, Vitam illam anno* 1027 *perfectam, et ad laudatum Arnolfum transmissam fuisse. Sanctus enim Henricus imperator, quo vivente, inchoata fuerat, die* XIII *Julii anni* 1024 *diem suum obiit, eidemque eodem anno in Germaniæ regnum suffectus Conradus II, cognomento* Salicus, *anno demum* 1027 *Romæ a Joanne XIX Papa coronatus imperator est; atque ita recte intelligitur Opusculum illud sub S. Henrico inceptum, triennio post, imperante Conrado Salico perfectum fuisse, ut Arnolfus testatur. Quia tamen idem Arnolfus imperanti Conrado regnantem filium Henricum adjunxit : quem Wippo in Vita ejusdem Conradi anno primum* 1028 *in Paschate regem Germaniæ coronatum scribit, non dubitavit laudatus Coïntius, illum Wipponis locum corruptum pronuntiare, crediditque, Henricum eodem anno, quo pater ejus Conradus imperialem coronam Romæ acceperat, corona regia potitum esse. Verumtamen necesse non est, hunc Wipponis locum propterea* F *corruptum dicere; cum Arnolfus de Henrico jam tum ab anno* 1026 *a patre suo, antequam hic Romam peteret, designato rege, minus propria phrasi ita loqui potuerit.*

annoque circiter 1027 perfecit;

10 *Nam, ut habet laudatus Wippo,* anno Incarnationis Christi MXXVI Chunradus rex consilio et petitione principum regni filium suum Heinricum puerum regem post se designavit, illumque Brunoni, Augustensis ecclesiæ episcopo, in tutelam commendavit, et supra dictis hostibus suis insidias per filium et ceteros fideles suos diligenter opponens, ipse cum exercitu copioso Italiam petere cœpit. *Utut sit, nostra hic parum interest, idque unum sufficit, Vitam illam prædicto anno* 1027, *vel certe circa illum, perfectam fuisse. Burchardus, in cujus* adventu *Arnolfus num.* 8 *relatus, ait sese eam accepisse, non nisi circa finem Julii anni* 1028 *monasterio* S. Emmerammi *præfectus est secundum calculos Christophori Hoffmanni, ejus cœnobii monachi, in Catalogo abbatum ejusdem loci, anno* 1531 *conscripto et*

AUCTORE C. S.

ab hodierno celsissimo principe abbate prædicti monasterii, Joanne Baptista Kraus, in Bibliotheca suæ abbatiæ parte 2 in fine, anno 1748 vulgato. Quapropter si Arnolfus per Burchardi adventum, *ut verisimile est, obtentam ab ipso abbatiam designaverit, (hic enim ex alio monasterio ad* Emmerammi *prælaturam vocatus fuit) Vita per Meginfredum scripta non nisi eo anno ad Arnolfum pervenerit; verum tunc Meginfredus non triennium dumtaxat, sed quadriennium impendisse dicendus esset, contra ac Arnolfus asserit, cujus auctoritas Hoffmanno longe præferenda est.*

Meginfredus hic distinguendus est a cognomine

11 *De Meginfredo præterea quæri potest, an is idem sit cum cognomine monacho et scholarum magistro Fuldensi, quem Joannes Trithemius multum laudat in Chronico Hirsaugiensi, ubi post recensita varia ejusdem Opuscula, inter quæ* S. Emmerammi *Vita non occurrit, subdit :* Alia insuper multa composuit, quæ ad manus meas non venerunt. *Hunc eumdem cum Magdeburgensi esse, suspicatus est Henricus Canisius tom. 2 Antiquarum lectionum in annotationibus præviis, observans fieri potuisse, ut Meginfredus Fulda, ubi* B *scholis præerat, Magdeburgum ad similem præposituram seu magisterium adscitus fuerit. Eamdem opinionem tenent Gerardus Joannes Vossius lib. 2 de Historicis Latinis, Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom. 2, Casimirus Oudinus aliique, qui omnes Vitam* S. Emmerammi *Meginfrido Fuldensi adscribunt. Verum hæc sententia cum Arnolfi et Trithemii dictis conciliari non potest. Laudatus Trithemius ad annum Christi 986, Lupoldi vero abbatis Hirsaugiensis quartum hæc ait :* Anno prænotato mortuus est Poppo, monachus et scholasticus memorati cœnobii S. Bonifacii Fuldensis.... Post quem Meginfridus monachus ejusdem cœnobii scholarum regimen suscepit, cum ingenti studio per annos XXIV monachos docens juniores etc.

Fuldensibus scholis præposito.

12 *Deinde ad annum Christi 1010 de eodem Meginfrido denuo scribit :* Anno prænotato, XVI die mensis Julii obiit Meginfridus, monachus et scholasticus cœnobii S. Bonifacii Fuldensis, vir in omni genere scripturarum doctissimus, de cujus ingenio, eruditione et lucubrationibus dictum est anno Lupoldi abbatis quarto. *Meginfridus itaque a Trithemio laudatus Fuldensibus scholis præfuit ab anno 986 usque ad diem XVI Julii anni* C *1010, quo obiit; atque adeo non potuit hic idem ille fuisse, quem ex Arnolfo constat, imperante primo S. Henrico, ac deinde Conrado, Magdeburgenses scholas rexisse, Vitamque* S. Emmerammi *anno 1024 inchoatam tandem circa annum 1027 perfecisse. Admittendi igitur sunt duo Meginfredi seculo XI, quorum unus Fuldenses, alter Magdeburgenses scholas moderatus est, aut error in Trithemii calculis hic ostendendus. Porro ut ad* S. Emmerammi *Vitam redeamus, Meginfredus Magdeburgensis in ea emendanda Cirinum sive Aribonem sic secutus est, ut post miracula, quibus loca martyrii ei obitus sancti Martyris illustrata fuisse dicuntur, prætermiserit cetera, quæ in nostra Vitæ partitione de secunda corporis translatione, aliisque mirabilibus a num. 34 usque ad finem totius Vitæ leguntur.*

Hanc Vitam ex editione Canisii collatam

13 *Hoc Meginfredi Opusculum e Mss primus edidit Henricus Canisius tom. 2 antiquarum lectionum : sed codice usus vitioso, primo loco recensuit* Prœmium libri de memoria B. E. et ejus amatorum, *illudque Meginfredo attribuit, cum Arnolfi Vochburgensis sit, et ad librum 2 de Miraculis pertineat. Nec ad alienum modo locum atque auctorem istud retulit, sed etiam fœde luxato alienam laciniam assuit. Nam post illa verba* D *pag. 3 editionis Canisianæ,* Sed fortasse dicit aliquis ; Quid ad te? *subjungenda sunt, quæ ibidem lib. 1 de Miraculis cap. 17, pag. 66 legere est :* Non est enim speciosa laus in ore peccatoris, et *cetera usque ad finem ejusdem lib. 1. Contra vero eadem pagina 66, ubi post illa verba,* Nec ullius artificio aptari *lacuna apparet, reponenda sunt, quæ in eodem Prœmio pag. 3 et 4 ad finem usque sequuntur, ducto initio ab illis vocibus :* Potuit euphoniæ officio usque in diem et horam etc. *Aberrantem Canisium secutus est Basnagius, qui ejusdem Lectiones antiquas recudit.*

cum Arnolfi autographo correctius edemus.

14 *Sed errorem hunc edocuit me admodum reverendus pater Frobenius Forste, abbatiæ* S. Emmerammi *Ratisbonensis Prior, qui inter alia ad sanctum illum Martyrem spectantia emendationem hanc ex ipso, ut asserit, autographo Arnolfi Vochburgensis codice curavit, et per patrem Antonium Luidl, Societatis nostræ presbyterum, ad nos transmisit, adjectis etiam aliquot aliis locis, a quibus Canisiana editio discrepat. Haud dubie is idem codex est, quem veluti propria Arnolfi manu scriptum pariter memorat celsissimus Joannes Baptista Kraus, ejusdem monasterii abbas, pag.* E LVI *et seqq. in Præfatione ad Dissertationem de Translatione corporis S. Dionysii Areopagitæ, anno 1750 typis vulgatam. Ibidem addit epistolæ nuncupatoriæ ab eodem Arnolfo præfixos esse versus et monogrammata quædam, quæ omnia æri incisa in eodem Opusculo exhibet in specimine* XIII. *Mihi operæ pretium non est pro iisdem æri pariter incidendis expensas facere ; versus tamen, quamquam nec hi magni momenti sint, Vitæ per Meginfredum scriptæ præfigam, prætermissis nonnullis signis et monogrammatis, æri, ut dixi, incisis.*

Arnolfus scripsit libros duos

15 *Diximus supra Meginfredum non omnia, quæ in Aribone legerat, recensuisse. Defectum hunc supplevit ipse Arnolfus, qui omissa ab illo miracula suo quoque stilo expolivit, multaque alia recentiora addidit; quæ duobus libris complexus est. De horum primo in Epistola ad Burchardum abbatem sic meminit :* De cetero, quod instat, epistola conclusionem postulat, in qua vos ignorare nolo, quod antiquus Operis hujus scriptor (*Aribo*) librum suum finit in eo, quod volumini de Miraculis beatissimi Martyris hoc et anterioribus tribus, diligentia mea enucleatius positis, pro capitulo datum est quarto. F Quæ vero sequuntur, auctoritate vestra contra æmulos defendenda humili adscripsi studio, ut uno tantum ordine præpostero ob similitudinem rei interposito, pro memoria mei et eorum, qui mecum in monasterio memores esse potuerunt factorum ob Christi Martyrem signorum. *Uno anno post, cum Burchardo abbati mortuo Udalricus jam successerat, librum 2 perfecit, quem in Prœmio his verbis indicavit :* Post illum, quem præterito anno de Miraculis conscripseram libellum, diversis occupationibus vix hoc fieri sinentibus, pro pilis caprarum hunc sub dialogo nunc offero librum.

de miraculis S. Emmerammi.

16 *Sub Udalrico abbate Burchardi successore eumdem editum esse, in eodem libro 2 declarat, dum monasterii sui abbates enumerans, hæc scribit :* Qui (*Hartwicus*) sponte deserens præsulatum cœnobii, reliquit abbatiam domino Burchardo regendam. Quo defuncto, divina, uti speramus, providentia necessitatibus nostris destinavit virum venerabilem pariter et amabilem, dominum videlicet Udalricum, prius in canonica vita plurigena probitate decoratum, nunc autem regulariter et monasticæ

A monasticæ huic congregationi prælatum. *Ex hisce tempus, quo uterque liber scriptus sit, utcumque intelligimus. Burchardus enim secundum calculos supra laudati catalogi abbatum* S. Emmerammi *Ratisbonensis obiisse videtur circa Pascha anni* 1035, *ac propterea, si catalogus ille accuratus sit, liber primus de Miraculis anno* 1034 *vel* 1035, *secundus anno alterutrum subsecuto in lucem editus fuisse dicendus est. Primum librum, prout is exstat apud Canisium, Arnolfus post Proœmium in septemdecim capita divisit, quem ex eadem editione recudam, mutata tamen pro more nostro capitum partitione, correctisque paucis, quæ in vetusto ac forte autographo Arnolfi codice Ratisbonensi aliter legi supra monui. Secundum librum in modum dialogi conscripsit, in quo ipse assumpto* Collectitii *nomine cum amico socio, quem* Ammonitium *appellat, sermocinatur. Quid autem in hoc Opusculo sibi proposuerit, in Proœmio verbis, quæ subjicio, exposuit.*

et amatoribus ejus quorum primum integrum,

17 Hunc, *inquit,* sub dialogo nunc offero librum, in quo mihi visum est operæ precium memoriam facere virorum illustrium, Wolfgangi scilicet Ratisbonensis episcopi atque Ramualdi abbatis eximii, B qui multigena probitate sedis hujus ecclesiam ornaverunt. *Ejusdem libri argumentum initio Dialogi per Ammonitium secum colloquentem denuo proponit his verbis :* Ubi est Dialogus, quem devovisti te scripturum in nomine Domini de miraculis B. Emmerammi, et de regimine illius monasterii?..... Proinde absque compendinatione assume Dialogum, et sicut proposuisti, laudibus Martyris intexe memoriam confessorum Christi, nec non huic admisce, quicquid animus recte seu opportune tibi dictaverit, aut ratio ad scribendum persuaserit. *Non sola itaque miracula* S. Emmerammi *in hoc libro* 2 *scribenda sibi proposuit, sed et alia longe diversa; idque etiam reipsa ita præstitit, ut ejusden libri longe minor pars ad Sanctum Martyrem spectet, maxima vero ad S. Wolfgangum et Romualdum, ceterosque Ratisbonenses episcopos, sanctique* Emmerammi *monasterii abbates, et ad alia mirabilia, huc minime spectantia, quæ præterea variis quæstionibus, nihilo magis ad propositum nostrum facientibus, interpolavit.*

ex altero pauca recensebimus. Alia ab Arnolfo

18 *Ne itaque extra oleas vager, ea tantum ex ipso recudam, quæ ad* S. Emmerammum *pertinent. Alia partim data jam sunt in Opere nostro ad diem* XVII *Junii, quo S. Ramualdus seu Ramuoldus, Ratisbonensis monasterii ad* S. Emmerammum *abbas, in aliquot Martyrologiis annuntiatur; partim usui esse poterunt ad diem* XXXI *Octobris, quo S. Wolfgangus Romano Martyrologio inscriptus est. Ceterum Arnolfus Vochburgensis ubique se pium, sincerum, doctumque, sed nonnumquam tamen plus æquo credulum manifestat; quodque etiam in aliis hujusmodi scriptoribus sæpe accidit, ea miracula præ ceteris recensuit, quibus monasterii sui vexatores puniti vel coërciti fuisse dicuntur. Singulari autem pietate in* S. Emmerammum *afficiebatur, ex qua etiam Officium aliquod de eodem Sancto composuit, quod Anastasius Colocensis in Hungaria, ut supra num.* 7 *diximus, episcopus, monachis suis cantandum dedit. Ita enim Arnolfus in Epistola ad Burchardum post verba eodem num* 7 *data prosequitur :* Apud quem *(Anastasium)* sex hebdomadas manens, memoriæ sanctissimi Patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus Martyris animo.

Auctore C. S. aliisque de eodem Sancto scripta

19 Has præfatus episcopus monachos et clericos suos fecit discere, et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare : secundum quod scriptum est, Recedant vetera de ore vestro; deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu, quam ullo auctoritatis ausu. *Verisimile est, hoc ipsum esse Officium, quod humanissimus vir ac admodum reverendus pater Frobenius Forste, Ratisbonensis monasterii ad* S. Emmerammum *Prior, ad nos transmisit transcriptum ex codice, quem ipse Arnolfi autographum existimat, quodque celsissimus ejusdem monasterii abbas parte* 2 *Bibliothecæ, pag.* 85 *seculo* XI *sub abbate Burchardo scriptum fuisse pariter affirmat. De Officio hoc postea pluribus, ubi de Sancti gloria posthuma agemus. Homiliam quoque* De octo beatitudinibus et S. Emmerammo episcopo et martyre *ex laudati monasterii vetusto codice Ms. sub ejusdem Arnolfi nomine edidit Bernardus Pezius tom* 4 *Thesauri anecdotorum, parte* 2, *col* 29 *et seqq. Non ausim tamen Sermonem hunc Arnolfo certo adscribere, cum hic abbas non fuerit, et in calce Sermonis hi versiculi legantur :*

Arnolt abba logon tractat, quem dixerat oon,
Mercedem gratis monadem dans octo beatis.

Hinc sæpe laudatus celsissimus abbas Joannes E *Baptista in Bibliotheca pag.* 88 *sermonem illum Arnoldi abbatis nomine recenset; sed quis ille fuerit, incompertum mihi est.*

partim edita, partim edenda.

20 *Extat etiam apud laudatum Pezium col.* 23 *et sequentibus* Tractatus gente Constantis, venerandi sacerdotis, de passione et gloria B. Emmerammi martyris, *ex ejusdem abbatiæ codice, quem Pezius seculo circiter* XII, *et sæpe laudatus celsissimus abbas in Bibliotheca pag.* 88 *seculo* IX *in membranis scriptum ait. Ignotum hujus Tractatus auctorem idem Pezius in Dissertatione prævia suspicatur fuisse eumdem cum Constantino, qui apud Wiguleum Hundium tom* I. *Metropolis Salisburgensis pag.* 188 *Simpertum inter et Adalwinum seculo* VIII *jam decrepito Ratisbonensem episcopatum rexisse dicitur, sed ab Arnolfo inter ejusdem sedis antistites non numeratur. Suspicatur, inquam, Constantinum illum ejus Tractatus auctorem esse, sive is re vera fuerit Ratisbonensis episcopus, sive ejusdem episcopatus pro tempore curator, aut forte tantummodo chorepiscopus. Rationes, cur ita sentiat, apud ipsum legi possunt; sed quiscumque is scriptor fuerit, hic in* F *Tractatu illo, qui sermo non inelegans est, in* S Emmerammi *festiva luce dictus aut dicendus, in enarrandis sancti Martyris gestis, quæ oratorie perstringit, a Cirino seu Aribone non dissidet, uti in hujus Commentarii decursu apparebit. Præter jam dictos scriptores Matthæus Raderus plures alios recentiores enumerat, additque :* Vix est inter singulares Boiorum Cælites, qui plures habeat virtutum præcones atque hic fortissimus et omnium litteris meritissimo celebrandus Emmerammus. *Ex his scriptoribus aliquot per decursum laudabimus.*



§ II

AUCTORE C. S.

§ II. Sancti patria Pictavium Aquitaniæ civitas; episcopatus ejusdem sedes non Pictavii, sed alibi in incerta Galliæ civitate.

Sanctus natus est Pictavii in Aquitania,

Sancti Emmerammi *patriam Cirinus sive Aribo in Vita edenda num.* I *sic prodidit :* In cujus Aquitaniæ prædictæ partibus Pictavis vocabulo urbs antiqua sita esse dinoscitur, ex qua ortus est puer, vocabulo Hemmerammus. *Ariboni consonans Meginfredus in Vita num* I; Est in Aquitaniæ partibus, *inquit*, urbs virorum illustrium titulis celeberrima, nomine Pictavis, in qua B. Emmerammus sinu Christianorum parentum est nutritus. *Est autem Pictavium, indigenis hodiedum* Poitiers, *antiqua Galliæ in Aquitania secunda urbs, ad fluvium Clanim sita, Pictaviensis provinciæ caput, et episcopalis sub archiepiscopo* B *Burdigalensi. Hanc porro urbem* S. Emmerammo *natalem obtigisse, post utrumque laudatum biographum consentiunt neoterici scriptores omnes, non Galli modo, ut Coïntius, Pagius, Bailletus, aliique, sed et Germani, ut Marcus Velserus, Matthæus Raderus, Andreas Brunnerus, Joannes Adlzreiterus et alii, quos nominare nil opus est. Unus tamen, quem ego quidem viderim, Joannes Aventinus lib.* 3 *Annalium Boiorum* Pictaviam *urbem, in qua sanctus Martyr noster natus est, in Norico collocavit.*

non Petovione in Noricis,

22 Divus Haimeranus, *ait loco citato,* Pictavia, Noricorum urbe, cujus Hieronymus meminit, oriundus fuit; quæ colonia quondam Romanorum insignis, tunc municipium Boiariæ erat; nunc in villas abiit. *Per* Pictaviam Noricorum *Aventinus haud dubie designare voluit* Petovionem *seu* Pœtovionem, *quæ alio nomine etiam* Petavio *et* Petobio *dicta legitur, et ab aliquibus Norico, ab aliis Pannoniæ superiori adscribitur, teste Christophoro Cellario in Notitia orbis antiqui lib.* 2 *cap* 7 *et* 8; *ubi etiam invenies, eam credi hodiernam* Pettaw, *urbem in Stiria ad Dravum* C *amnem sitam. Verum ex toto Aribonis contextu luce clarius est, urbem Pictavim,* S. Emmerammi *patriam, non alibi quam in Gallia querendam esse. Nam, ut alia prætercam, biographus illam verbis supra relatis* in Aquitaniæ partibus *diserte collocavit. Deinde vero sancti Episcopi e sua patria ad Avares in Pannoniam iter describens, num* 3 *sic ait :* Transmisso amne Ligere, per partes Galliarum seminando fidei semina carpebat iter, usque dum caput Germaniæ penetraret; id est, Rheni fluenta. His jam amissis partibus, Germaniam ingressus est; qui dum linguam non novisset, per interpretem quemdam, religiosum presbyterum, Vitalem nomine, in augmento audientium eximia divinitus plantando perrexit.

ut somniavit Aventinus :

23 *Rursum num.* 4 *post aliqua reliquum itineris prosequitur his verbis :* Cœpit Germaniam Austri ingredi, et ad fluenta Danubii amnis in partibus Bajuvariorum advenit, cujus dum sequeretur fluenta, ad Radasbonam urbem pervenit. *Denique num.* 6 *Sanctum a Theodone Boiorum duce rogatum, ut in sua ditione permaneret, respondentem inducit*, se in hoc exisse... a Gallorum finibus, ut gentes Hunorum, quæ ignorant Deum cæli... convertere debuisset. *Hæc omnia tam clare* D *demonstrant,* S. Emmerammi *patriam urbem Pictavium in hodierna Pictaviensi Galliæ provincia, indigenis* le Poitou *dicta, sitam fuisse, sanctumque Episcopum ex eadem provincia Ratisbonam adventasse, ut in meridiana luce cæcutiisse dicendus sit Aventinus, dum ipsum in Norico natum esse asseruit. Hinc credo equidem, errorem hunc ex nimio in suam Germaniam affectu ibi obrepsisse; nam et S. Corbinianum, Frisingensium apostolum ac primum episcopum, in Tyroli natum voluit, quem tamen ex eodem Aribone constabat, in Bria Franciæ provincia ortum, indeque in Bavariam advenisse, uti in Commentario prævio ad ejusdem Sancti Vitam* § 2 *die* VIII *Septembris pluribus probatum est. Habebat tamen Aventinus ibi alios in errore duces; hic vero neminem, quem quidem noverim.*

neque Tolosæ, ex parentibus nobilibus Christianis,

24 *Non magis audiendus est scriptor codicis Usuardini Hagenoyensis apud Sollerium nostrum inter Usuardi Auctaria, qui* S. Emmerammum *in Aquitania quidem, non tamen Pictavii, sed Tolosæ natum esse affirmat;* Natus erat, *inquiens*, ex Aquitania de civitate Tholosa. *Porro licet Tolosa in finitimis Aquitaniæ sita fuerit, erat tamen Galliæ Narbonensis, estque hodiernæ Occitaniæ caput. Aimoinus tamen et Hugo apud Hadrianum Vale-* E *sium in Notitia Galliarum pag.* 620 *eamdem Aquitaniæ urbibus annumerarunt. Verum, ut dixi, audiendus non est scriptor ille Hagenoyensis, qui nec ætate nec ceteris adjunctis Ariboni ac Meginfredo,* S. Emmerammi *patriam Pictavium in Aquitania diserte asserentibus, ullo modo potest comparari. De Sancti parentibus nihil peculiare tradidit Aribo, nisi quod eos et conditione nobiles et opibus abundantes insinuaverit, dum ait, ipsum* immensas substantias et parentum nobilium turbas *deseruisse. Eosdem Christianos fuisse totus Aribonis textus manifestat, et diserte scribit Meginfredus verbis num.* 21 *recitatis.*

non Judæis, uti hi fabulati sunt.

25 *Judæi tamen cum sancti Martyris corpus miraculis elucere conspicerent, eumdem suæ pertinaciæ sectatorem asserere, et commentum hoc alia fabula ornare non erubuerunt. Ita discimus ex Andrea Brunnero parte* I *Annalium Boicorum, lib.* 5, *num.* 5, *ubi laudans Laurentium Hochwartum in catalogo episcoporum Reginoburgensium lib.* I, *cap.* 6, *hæc scribit :* Admiranda deinceps ex tumulo patravit *(sanctus Martyr)* tot tantaque, ut acerbissimi religionis nostræ hostes Hebræi sibi la- F borandum putarint, ut Emmerammum Sabbatarium fuisse populo persuaderent, mendaci fuco ex nomine petito. Amramum enim dictum et Moysis parenti cognominem fuisse, id levi flexu in Emmerammum detortum. Addidere nugatores illud alterum æque frivolum; cum adverso Danubio corpus Reginoburgum portaretur, nullum fere navigii pondus fuisse; id Moysaïcæ Legis suavissimæ sarcinæ, quæ una cum corpore advecta fuerit, beneficio factum. Eum deinde codicem a suæ gentis hominibus asservatum esse, Christianis in devenerando duntaxat corpore occupatis. Fabulam, uti à me relata est, Laurentius Hochwartus ex ore Judæorum acceptam in litteras misit. *Hactenus Brunnerus : ad Aribonem redeamus.*

Sanctum Pictaviensis ecclesiæ episcopum fuisse

26 *Hic episcopum illum fuisse diserte affirmat, neque id a quoquam vocatur in dubium; sed in qua urbe sedes ejus fuerit, non eadem omnium sententia est. Disputationi locum fecit ipse Aribo, dum num.* 1. *Vitæ ait :* In cujus Aquitaniæ prædictæ partibus Pictavis vocabulo urbs antiqua sita dinoscitur, ex qua ortus est puer, vocabulo Hemmerammus

A Hemmerammus, qui a puerili ætate cœpit mundum despicere, et quasi quisquilias hujus gloriam calcare, et ad sacrum liberalium litterarum studium se informare, ita dumtaxat, et superno Judice inspirante, ad summum promereretur conscendere pontificatus honorem. *Deinde postquam eximias ipsius in episcopatu suo virtutes sacrosque labores commemoraverat, de ejusdem e Gallia ad Pannoniæ Avares profectione subjunxit num.* 3 : Relicta igitur domo et immensis substantiis, tot parentum nobilium turbas deferens, IN SEDE URBIS JAM DICTÆ alium constituens episcopum, imitans exemplum patriarchæ Abrahæ, cui per divinam præcipitur vocem exire de terra sua, et de domo patris sui, et de cognatione sua,... carpebat iter *etc.*

Aribo diserte tradidit, ipsique consentiunt

Si solis biographi dictis standum esset, dubitari non posset, quin S. Emmerammus *Pictaviensis civitatis in Aquitania episcopus fuerit. Ait enim Aribo, ipsum in Pannoniam profecturum,* in sede Urbis jam dictæ alium, *suo utique loco.* constituisse episcopum. *Erat itaque episcopus alicujus urbis, quam ante nominaverat; sed nullam nominaverat præter Pictaviensem, atque adeo hæc erat* jam di-B cta urbs, *cujus ipse episcopatum eatenus tenuerat, et in cujus sede, ad Avares processurus, alium episcopum sibi substituendum curavit. Hisce plane consonum est, quod e civitate sua episcopali discedens, exemplo Abrahæ* de terra sua et de domo patris sui et de cognatione sua *exisse, indeque profectus,* transmisso amne Ligere, *iter instituisse dicatur. Consonat pariter ejusdem Sancti epitaphium, quod Andreas presbyter Ratisbonensis, scriptor seculi* XV *in Chronico generali apud Bernardum Pezium tom.* 4 *Thesauri anecdotorum edito, ad annum Christi* 642, *et Vitus Arenpekhius, qui eodem seculo floruit, in Chronico Bavariæ apud laudatum Pezium tom.* 3 *cum aliqua vocum discrepantia recitarunt. Idem illud correctius recenset celsissimus ac reverendissimus Joannes Baptista Krauss abbas ad* S. Emmerammum *in Ratisbona monastica olim a Cœlestino ejusdem loci abbate edita, et ab ipso aucta annoque* 1752 *excusa, quam in* S. Emmerammi *gestis ac miraculis sæpe laudabimus.*

ipsius Sancti epitaphium, Arnolfus, Meginfredus,

28 *Hic ergo istud ibidem pag.* 40 *in Appendice sic exhibet* : Emmerammus Pictaviensis episcopus prædicando verbum Dei venit in Wawariam, et ibidem in Helfendorff pro Christo passus est anno C DCLII et hic primo tumulatus. *Est autem epitaphium hoc incisum saxo, cui ejusdem Sancti statua imposita visitur, ad vetus ipsius sepulcrum in sacello S. Georgii. De antiquitate ejusdem infra agemus. Neque aliter biographi dicta, quam de Pictaviensi episcopatu interpretatus est Arnolfus Vochburgensis, qui in Officio ipsius ecclesiastico, cujus exemplar ex ejusdem autographo codice nobiscum communicatum fuisse, supra diximus, ad propositum nostrum in Responsorio* 2 *ad primum Nocturnum posuit sequentia :* Morum maturitate, temporumque transcursu vir factus, divinæ voluntatis minister Emmerammus, cathedram pontificalem apud Pictavim suscepit. *Non tam clare loquitur Meginfredus, nec tamen Ariboni contradicit. Quinimo cum de nulla alia civitate meminerit, quam de Pictaviensi, in qua ipsum in parentum sinu enutritum, scholisque traditum, tantum in virtute et litteris profecisse ait, ut eum cunctorum oculi notarent, omnium affectus diligeret, non de alterius quoque civitatis incolis accipiendum est, quod subdidit :* His, *inquiens,* ornamentis conspicuus, per ecclesiasticos gradus ascendens Vir Dei, post dilectionem meruit reverentiam, donec disponente Domino, consensu cunctorum, morum custos et exemplum vitæ, ordinatur episcopus.

AUCTORES C. S. *aliique recentiores, refragantibus aliis,*

29 *Pictaviensem in Gallia episcopatum eidem pariter adscripserunt supra laudati chronologi Andreas presbyter Ratisbonensis et Vitus Arenpekhius, multique alii recentiores, inter quos Hieronymus Zieglerus, Ingolstadiensis academiæ professor, apud Sammarthanos fratres tom.* 3 *Galliæ Christianæ, pag.* 874 *laudatus, ipsum anno* 642 *in eo sedisse credidit. Iidem Galliæ Christianæ scriptores, et qui horum Opus prosecutus est, Dionysius Sammarthanus,* S. Emmerammum *in ejusdem sedis episcoporum catalogo inter Joannem I et Didonem reposuerunt. Affirmantem sententiam etiam Bailletus amplexus est in ejusdem Vita. Contra vero* Emmerammi *nomen in nullo e catalogis Pictaviensium præsulum occurrit, quos Demochares in Opere de Sacrificio Missæ, Joannes Besly in ejusdem civitatis episcopis, Joannes Bouchet in Annalibus Aquitaniæ, et Claudius Robertus in sua Gallia Christiana vulgaverunt. Eamdem cathedram ipsi omnino abjudicarunt Cointius in Annalibus ad annum Christi* 649, *et Pagius in Critica Baronii ad annum* 652; *quibus accedens Jacobus* E *Longuevallius tom.* 4 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ, pag.* 34 *agnoscit, episcopatus ipsius sedem ignorari.*

ac probantibus, Joannem ejus nominis primum,

30 *Et sane non deest argumentum, quod Aribonis ceterorumque, qui ipsum secuti fuere, auctoritati opponatur, uti modo probare aggredior.* S. Emmerammus *ex communi scriptorum sententia atque ex ipsius epitaphio superius relato martyrium subiit anno Christi* 652, *postquam Boios triennio excoluerat, ut habet Aribo in Vita num.* 7 : *dies autem ejusdem martyrii ab omnibus ad diem* XXII *Septembris refertur. Advenerat igitur in Bavariam anno Christi* 649, *eodemque aut proxime præcedenti episcopatui suo cesserat, ut in Pannoniam prædicandi gratia proficisceretur : neque enim verisimile est, ipsum, qui ad Avares Pannoniæ convertendos properabat, plus temporis suo ex Aquitania Ratisbonam conficiendo itineri impendisse. Indagandum itaque est, an circa præcitatos annos in Pictaviensi episcopatu potuerit sedisse, Anno* 625 *eam sedem tenebat Joannes ejus nominis I, quem Flodoardus lib.* 2 *Historiæ Remensis cap.* 5 *concilio Remensi I, sub Sonnatio eo anno probabilius habito, tamquam Pictaviensem episcopum interfuisse testatur, ut observavit Cointius.* F

ac deinde Didonem

31 *Huic Joanni successisse Didonem, superstite Clotario II Francorum rege, qui anno* 628 *vita functus est, ostendit idem Cointius ex Ursino in Vita S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi et martyris, in qua apud Mabillonium in Actis Sanctorum sui Ordinis Seculo* 2 *sic legitur :* B. Leodegarius ex progenie celsa Francorum ac nobilissima exortus, a primævæ ætatis infantia a parentibus in palatio Hlothario Francorum regi traditus, ab eodem vero rege non multum post temporis Didoni præsuli Pictavensis urbis, avunculo scilicet suo, ad imbuendum litterarum studiis datus est. Quem idem præsul cuidam Dei sacerdoti, viro eruditissimo, ad erudiendum tradidit, quem per annos plurimos magnis curis edocuit, edoctumque pontifici reddidit, receptumque *(Dido)* secum in suis cubiculis * sub custodia disciplinæ retinuit. *Per Hlotharium sive Clotarium, ejus nominis secundum, non tertium, designari, manifestum est ex eodem Ursino, qui utrumque diserte distinguens, S. Leodegarium ad prioris aulam puerum delatum, ab altero vero, quem* Minorem *appellat,* cum Baltechilde, *seu Bathilde,* matre *sua regnante, ad*

* al. cum suis cubicularis

AUCTORE C. S.

ad Augustodunensem episcopatum promotum fuisse affirmat.

in Pictaviensi cathedra

32 *Id ipsum etiam liquet ex tempore emortuali ejusdem Clotarii, de quo Ursinus ibidem ait :* Quam *(ecclesiam Augustodunensem)* cum *(S. Leodegarius)* per annos decem strenue gubernaret, eodem tempore rex Hlotharius, qui eum constituerat episcopum, defunctus est. *Jam vero cum Clotharius III non nisi quatuordecim vel ad summum sedecim annis regnaverit, clarum est, non potuisse hunc non alium fuisse ab illo Clotario, qui S. Leodegarium* a primævæ ætatis infantia *in palatium suum receperat, et Didoni dederat instruendum. Secundum Ursinum itaque Dido in Pictaviensi cathedra jam sedebat ante mortem Clotarii II, sive anno Christi* 628, *cui ista illigatur. Porro Ursinus hic, quem Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom.* 3, *pag.* 631 *et* 654 *Priorem aut forte etiam abbatem monasterii Locociacensis prope Pictavium fuisse suspicantur, S. Leodegario æqualis fuit, scripsitque ejus Vitam petente Ansoaldo, Didonis proximo in episcopatum successore. Idem Ansoaldus S. Leodegarium* parentem *suum appellat in ejusdem Sancti Vita altera, ab anonymo synchrono scripta, et apud laudatum Mabillonium primo loco edita. Potuerit ergo* B *hic tam S. Leodegarii, quam Didonis proximi decessoris sui, res probe perspectas habere, de iisdemque edocere Ursinum, si quando is a vero aberrasset.*

sedisse episcopum toto illo tempore,

33 *Ut autem ex hoc scriptore constat, Didonem ante Clotarii II obitum, sive anno Christi* 628 *Pictaviensem episcopum jam fuisse, ita aliunde habemus, eumdem post medium seculum septimum in eadem cathedra superfuisse. Ut id probet Coïntius, primum laudat auctorem coætaneum Vitæ S. Boniti Claromontani episcopi,* apud Bollandum, *inquiens, in margine* die XV Januarii. *Verba autem, quæ profert, hæc sunt:* Mortuo Sigeberto rege, Grimoaldus Major-domus Dagobertum, filium ejus, suæ fidei commendatum, ut Austrasiorum potiretur regno, tonsuravit in clericum consilio Didonis Pictaviensis episcopi, qui fuit avunculus sancti martyris Leodegarii, et per manus ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irrevocabili. *Verum* C *hæc aut similia non leguntur in laudata S. Boniti Vita, a Bollando edita, uti nec in ea, quam Surius et Mabillonius vulgavere. Sed leguntur in Vita S. Sigeberti Austrasiæ regis apud Chesneum tom.* I *scriptorum Franciæ, cujus auctorem fuisse Sigebertum Gemblacensem, existimavit Henschenius in Commentario prævio de eodem sancto rege ad diem* 1 *Februarii* § 6. *Sigebertus autem Gemblacensis seculo* XII *et initio sequentis floruit, ac proinde multo junior est S. Bonito, qui seculo* VIII *diem suum obiit.*

quo S. Emmerammus eamdem tenuisse

34 *Utut est, de Didone eadem vel similia narrant scriptores alii antiqui. Anonymus in Gestis regum Francorum cap.* 43 *apud citatum Coïntium id ipsum sic tradidit :* Mortuo Sigeberto rege, Grimoaldus Major-domus filium ejus parvulum, nomine Dagobertum, totondit, et per Didonem, Pictaviensis urbis episcopum, in Scotia ad peregrinandum eum dirigens, filium suum in regno constituit. *Consonat antiquus scriptor libelli de Majoribus domus regiæ in laudata collectione Chesnei tom.* 2, *pag.* 1, *ubi is ait :* Qui *(Grimoaldus)* filium Sigeberti, nomine Dagobertum, Dodoni Pictaviensi episcopo detonsum sub custodia direxit. *Consonant denique et alii veteres, quos laudat Henschenius in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* 2, *cap.* 1, *ut dubitari non possit, quin Dido Pictaviensi ecclesiæ usque post mortem Sigeberti præsederit. Porro Sigeberti obitus ab Henschenio in Exegesi ante tom.* 3 *Aprilis ad annum Christi* 658, *ab Hadriano Valesio ad* 650, *a Coïntio ad* 654, *a Mabillonio ad* 655, *a Pagio denique ad* 656, *relatus est.* D

atque abdicasse

35 *Ex hactenus dictis sequens argumentum ducitur. Si anno Christi* 625 *Joannes Pictaviensi ecclesiæ præfuerit, et huic ante Clotarii II obitum, qui in annum* 628 *incidit, succedens Dido eamdem ultra idem seculum* VII *medium rexerit, non potuit in ea sedisse* S. Emmerammus, *qui ex supra dictis suo in Gallia episcopatui anno circiter* 649 *vel* 648 *valedixisse dicendus est. Non video quid ad hæc reponi possit, nisi quis velit Ursinum sic interpretari, ut is Didonem, dum S. Leodegarium puerum instruendum a rege Clotario II accepit, Pictaviensem episcopum præpropere vocaverit, quia ad eam sedem postea evectus est. Verum hæc interpretatio violenta est, et tum ex ipsius Ursini contextu, tum ex altero S. Leodegarii biographo, quem a Mabillonio primo loco editum diximus, improbabilis : nam et hoc teste Sanctus* a Didone avunculo suo Pictavis urbis episcopo, qui ultra adfines suos insigni copia prudentiæ divitiarumque opibus erat repletus, fuit strenue enutritus. *Præterea,* E *secundum Ursinum S. Leodegarius,* cum fere viginti esset annorum, *ab eodem Didone ordinatus diaconus est. Non videtur autem dubitandum, quin septem ut minimum annos numeraverit, quando ex Clotarii II aula Didoni avunculo suo traditus est; quod cum non serius, quam anno* 628 *fieri potuerit, non potuit etiam sanctus puer serius quam anno circiter* 621 *natus fuisse, nec multo post annum* 641 *diaconus ordinari. Tum vero Pictaviensi ecclesiæ certe jam præerat Dido, cum hic illum eo sacro Ordine initiaverit.*

dicendus esset.

36 *Verumtamen in eadem Vita, a Chesneo tom.* 1, *pag.* 617 *et sequenti edita, pro iis vocibus* cum fere viginti esset annorum *legitur,* infra viginti annos; *quæ verba Coïntius de Sancti apud Didonem mora potius quam de ejusdem ætate maluit interpretari, ac secundum suos calculos ipsum anno circiter* 645 *diaconum ordinatum statuit, simul monens, id ad annum* 635 *referendum esse, si præcitatus annorum numerus de S. Leodegarii ætate accipiendus sit. Hæc ad diem* 2 *Octobris, quo is colitur, discutienda venient; verum licet Ursinum cum Coïntio interpreteris, vel sic tamen Dido Pictaviensium episcopus fuisse dicendus est, antequam* S. Emmerammus *episcopatui suo renuntiaverit, atque adeo hic alteri quam Pictaviensi ecclesiæ præsedit. Superest itaque, ut ad argumenta, quæ pro opposita sententia superius attulimus, respondeamus, dispiciamusque, quibus potius standum sit.* F

Respondetur ad argumenta

37 *Coïntius ad annum Christi* 619, *num.* 26 *censuit, istas Cirini sive Aribonis voces;* « In sede » urbis jam dictæ alium constituens episcopum » haud referendas esse ad civitatem Pictaviensem, quam Cirinus supra nominavit, sed ad sedem civitatis, cujus episcopatum gerebat Heimerammus, quæcumque illa esset. *Fateor, sic omnis difficultas excussa est; sed cum, ipso teste Coïntio, nullam urbem supra nominaverit præter Pictavium, qua veritatis specie voces istas* in sede urbis jam dictæ *ad aliam referemus? Verisimile quoque non est, nomen alterius civitatis, in qua sanctus Episcopus sederit, ex Aribonis Opusculo nostris temporibus excidisse; cum nec Megin fredus, nec Arnolfus Vochburgensis illud in suis exemplaribus repererint, uti ex supra dictis certum est. Malo igitur errorem Aribonis hic agnoscere, corrigendum ex Ursino, cujus auctoritas tempore, loco et adjunctis multo est*

A *est potior. Aribo enim plus quam centum et duodecim annis post* S. Emmerammi *martyrium, quod hic in Bavariam advena post brevem triennii moram subierat, ejus Vitam conscripsit Frisingæ, ingenti regionum spatio a Pictavis dissita. Ursinus contra fuit S. Leodegario ac Didoni æqualis, scripsitque verisimillime in Pictaviensi diœcesi, jubente Ansoaldo, Didonis proximo in episcopatum Pictaviensem successore, atque ipsius S. Leodegarii forte consanguineo. Vide dicta superius num.* 32.

ex biographis et Sancti epitaphio

38 *Multo igitur minus verisimile est, Ursinum in ejusdem S. Leodegarii ac Didonis rebus atque in hujus episcopatus tempore errasse, quam Aribonem in* S. Emmerammi *sede assignanda, in qua hic ante integrum elapsum seculum in Aquitania sederat. Errori occasionem dare potuit Sancti patria Pictaviensis, ubi cum ipsum natum accepisset, etiam episcopatum tenuisse opinatus fuerit. Ceterum Arnolfus Vochburgensis et Aribonis interpres Meginfredus aliique recentiores, ipsius opinionem secuti, nihil ponderis ipsi addere possunt. Quod ad epitaphium num.* 28 *relatum attinet, candide fatetur laudatus celsissimus ac reverendissi-* B *mus abbas Joannes Baptista Krauss, non audere, sese illud ad sacri corporis sepulturæ tempus referre, sed tamen ex ipsis characteribus ac voce* Wawariam *ante aliquot secula exaratum esse videri. Ego asserenti id libens consentio; et quod quidem ad primam partem spectat, non dubito, quin epitaphium istud non nisi post secundam Sancti corporis translationem, quam circa medium seculum* VIII *vel aliquot annis ante factam infra videbimus, excisum fuisse. Sanctus enim Martyr primo sepultus fuit in Aschain,, unde Ratisbonam translatus, in sacello S. Georgii tumulatus est. Sed cum ibi pro sanctitate sua minus honorifice jaceret, per Gaubaldum, Ratisbonensi ecclesiæ a S. Bonifacio Moguntino archipræsule episcopum præfectum, ad honoratiorem tumulum in eadem ecclesia delatus est.*

supra relato

39 *Itaque dum in prælaudato epitaphio dicitur Sanctus* hic primo tumulatus, *id accipiendum non est de prima omnium ipsius sepultura (hæc enim fuerat in Aschain) sed de primo ipsius sepulcro Ratisbonensi. Deinde cum dicatur ibidem* primo tumulatus, *satis insinuatur, eum, dum epitaphium illud factum est, jam ad alium locum translatum fuisse. Hinc collige, istud nihil aliud esse, quam* C *sacri corporis ibidem olim depositi et jam tum alio translati monumentum: quanto tamen tempore post secundam illam translationem exaratum fuerit, plane incertum esse, nisi quantum et characteribus, quos non vidi, potest deprehendi. Admodum reverendus pater Frobenius Forste, ejusdem abbatiæ Prior, per litteras hac super re consultus, respondit, videri sibi epitaphium istud* ætatem quinque seculorum attingere quidem, sed non excedere, *et in lapide legi, loco* Bavariam Wabariam. *Hoc si ita sit, erit ea inscriptio ad seculum* XIII *circiter referenda, multumque auctoritatis amittet. Cointius ad annum Christi* 652, *num* 23, *ut idem illud sententiæ suæ accomodet, interpungit hoc modo :* Emmerammus Pictaviensis, episcopus, prædicando Dei verbum, venit in Bavariam *etc; sic scilicet, ut vox* Pictaviensis *Sancti patriam designet, non episcopatum. At vereor, ut hæc interpretatio omnibus tam conformis videatur ad mentem auctoris epitaphii, quam commoda Cointio visa est. Mihi vero ejusdem epitaphii auctoritas hac in parte tanti non est, ut rationibus adversus Sancti episcopatum Pictaviensem supra allegatis solide possit opponi. Ad aliud progredior.*

40 *Sammarthani fratres in catalogo episcoporum Pictaviensium, pro ea sede* S. Emmerammo *adjudicanda duo diplomata laudant, unum Caroli Magni, alterum Leonis III Pontificis Romani. In horum primo pronuntiatur libera ecclesia* pretiosissimi Dei martyris Emmeranni atque pontificis Aquitaniæ; *in altero dicitur in eadem ecclesia* præclarissimus martyr et episcopus Pictaviæ corpore *requiescere* Emmerammus. *Primum nihil negotii nobis facescere potest, qui ipsum in Aquitania episcopum fuisse pariter agnoscimus; sed nec alterum morari nos debet, cum utrumque istud privilegium ab eruditis criticis inter supposititia, vel ut minimum inter mendosa et interpolata censeatur. Hinc Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *Galliæ Christianæ auctæ col.* 1151 *et sequenti, licet ipse quoque* S. Emmerammum *Pictaviensem episcopum faciat, de utroque tamen illo privilegio altum maluit silere. Porro, ne longior sim, uti Pictaviensis sedes* S. Emmerammo *abjudicanda est, ita certum videtur, eumdem aliquam aliam in Aquitania obtinuisse. Quæ tamen ea fuerit, plane inexploratum est. Consuli potest Cointius ad annum Christi* 649, *ubi num.* 35 *et sequentibus viginti sex episcopatus* S. Emmerammi E *ætate in triplici Aquitania recenset, ostenditque, in horum variis satis vacui loci occurrere, in quo sanctus Martyr noster reponi possit.*

AUCTORE C. S. et diplomatis pro Pictaviensi episcopatu petita.

Wandelberti de Sancto versus.

41 *Adversus hactenus dicta de patria vel episcopatu* S. Emmerammi *objici præterea potest Wandelberti Martyrologium metricum, prout hoc ab Acherio primum ac deinde a Ludovico de la Barre tom.* 2 *Spicilegii vulgatum est. In eo enim ad diem* XXII *Septembris post S. Mauritium de illo sic canitur :*

Emmerammus eum socio comitatur honore,
Quem gens insignis Britannia voce reposcit.

Non videtur autem Wandelbertus per postremum versum alium indicare voluisse, quam S. Emmerammum *in Britannia vel natum vel episcopum fuisse. Per Britanniam vero haud dubie Minor seu Aremorica designatur, quæ cum Pictaviensi provinciæ a Meridie adjaceat, eo facilius potuit Sanctus episcopatum in ea gessisse, aut alter scriptorum, Aribo scilicet vel Waldelbertus, hac super re in errorem induci Forsitan etiam vox* Britannia *pro* Pictavia *amanuensis vitio irrepserit in illum codicem, ex quo Acherius duos istos versus excerpsit. Sed neque omnino certum est, hosce* F *versus vere Wandelberti esse. Etenim in laudata novissima editione observatur, ambos abesse a codice Bigotiano, quo Acherius pro editione sua usus fuerat, uti et a codice regio, quem postremus editor ibidem laudat. Ambo pariter desiderantur in duobus exemplaribus Ms. Musei nostri, quorum unum exstat in codice membranaceo* † Ms, 120 a, *alterum descriptum notatur* ex Ms. Cusano vetusto; *in utroque autem post S. Mauritium et socios mox sequitur :*

Nonam Tecla tenet roseo perfusa cruore.

Utut sit, mihi multo major est Aribonis pro Sancti patria auctoritas; quod vero ad episcopatum pertinet, nolo divinare.



§ III.

AUCTORE C. S.

§ III. Abdicatio episcopatus et excessus e patria ad prædicandum Avaris in Pannonia : adventus Ratisbonam, et Bavarorum conversio suscepta.

Episcopatui suo renuntians, Pannoniam petit,

Dum sanctus Episcopus gregem suum verbis et exemplo uberrime pascebat, apostolicus ipsum ardor incessit Christum Avaris in Pannonia prædicandi. Aribonem audiamus : Dum autem (*inquit num.* 3) vir reverentissimus Hemmerammus episcopus tot vigoribus polleret, pervenit ad eum fama, quod in quibusdam Europæ partibus Pannoniensis plebs, tota Avarorum regna, excæcatis oculis a veritatis luce, quæ est Christus, maxime idolis deserviret. Unde Dei Famulus contristatus valde, et intrinsecus dolore tactus, intra semetipsum meditari cœpit illuc venire, ut Christum ibi prædicare deberet. *De Avaris, seu Hunnis, qui se Avaros sive Avares dixerunt, ideoque ab Aribone modo Avares, modo Hunni, ab aliis etiam Hunno-Avari appellantur, multis agit Franciscus Foris Otrokocsi in Originibus Hungaricis lib.* I *cap.* 5, *de iisque etiam consuli potest Commentarius prævius ad Vitam S. Stephani Hungarorum regis, ad diem* 2 *Septembris* § 3. *Suffecerit hic notasse, eos e Scythia Asiatica versus Daciam ad Danubium usque progressos, et in Pannonia sedem suam fixisse, tenuisseque usque ad finem seculi* VIII, *quo a Carolo Magno ingenti clade affecti victique ac pene deleti fuere.*

ut Hunno-Avaris prædicaret,

43 *Adventum illorum Theophylactus Simocatta aliique ad Justiniani imperium retulerunt. Eorumdem fines, qua Baioariam respiciebant, fuisse Anisum fluvium, Aribo indicavit, dum hunc inter utrumque populum* interjacentem *dixit. Idem etiam ait Meginfredus, consentitque Eginhartus in Annalibus de gestis Caroli Magni ad annum* 791, *ubi de Caroli in Avaros expeditione scribens, hæc ait* : Sic inchoato itinere, prima castra super Anesum posita sunt : nam is fluvius inter Baioariam atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habeatur. *Est autem Anesus, Anisus seu Anassus, vulgo* Ens, *Germaniæ fluvius, in limite ditionis Salisburgensis ortus, unde progressus superiorem Stiriam ab Austria superiori dividit, et cognominem in Austria civitatem prælerlapsus, Danubio miscetur. Idololatriam porro, quam* S. Emmerammi *ætate sive sub medium seculum* VII *etiam sectabantur Avari seculo* VIII *exeunte, quando a Carolo Magno subjugati fuerunt, nondum abjecerant. Profuit tamen illis sic subjugari, cum sub religioso isto rege iis, qui a communi strage supererant, Christus tandem feliciter annuntiatus fuerit, ut habemus ex Alcuini epistola* 7 *ad eumdem Carolum super hoc argumento data, verbis in supra laudato Commentario de S. Stephano recensitis. Ad hanc itaque gentem barbaram, Romanis olim, ac tum etiam nuper Francis in Baioaria infestam,* S. Emmerammus *Christi sacra illaturus, dimisso, quem in Aquitania regebat, episcopatu, perrexit, ac post longa per Galliam Germaniamque itinera Ratisbonam advenit.*

et pro Christo moreretur.

44 *Auctor Tractatus de passione et gloria* S. Emmerammi *de quo consule num.* 20 *hujus Commentarii, hanc sancti Episcopi e patria sua profectionem vehementi desiderio pro Christo moriendi adscripsit, celebravitque his verbis* : In quo excellentissimo genere vincendi beatus martyr Emmerammus, cujus hodie passionis vel natalis dies cum lætabunda solemnitate eluxit, quam gloriosa polleat dignitate, si parum est terrenis provectibus, cælestium virtutum astructionibus approbetur. Quæ tanto uberius fideli cuique elucent, quanto fidem, quæ in ejus pectore flagrabat, ex animo conceperit, et opere comprobaverit. Hic enim per omnium merita graduum pontificatus honore promotus, et legum Domini perdius pernoxque scrutator, eodemque ferventissimo, quo diximus, Divinitatis igne succensus, martyrii palmam toto mentis desiderio suspirabat, Salomone suadente, æmulationem adductus carnes suas pro amore Christi expendere; ut, qui ad magnam sederat mensam, ipse quoque talia memineret * præparare. Evangelica enim voce admonitus; « Majorem charitatem nemo habet, quam animam « suam ponat quis pro amicis suis, » hoc beneficium Redemptori, quantum in se fuit, rependere volens, anxio fluctu animi, nec sine magnarum rerum molitione, in hoc urgebatur. Natali denique solo patiendi materiam sibi denegante, collectis viribus, hostem idololatram cultor Veritatis quæsiturus egreditur, antiqui patriarchæ per hoc imitatus exemplum, cui divino præceptum est oraculo : « Exi de terra tua et de co« gnatione tua, et veni in terram, quam monstra« vero tibi. » Hoc curriculo divini prælii præpotens Bellator intentus, sed cælesti moderamine coërcitus necessario desedit, quo minime decrevit, nec eo progreditur, quo coronæ cupido nitebatur. Dissimili causa parilem quidem martyrii, quem sitiebat, adeptus est honorem. *Hactenus ille, quem de ipso Sancti martyrio deinde disserentem infra audiemus.*

* meminisset

Ratisbonam adveniens,

45 *Tempus saluberrimi ad Boios adventus ipsius, non nisi per principem, qui his tum præerat, Aribo sic indicavit* : Ad fluenta Danubii amnis in partibus Bajuvariorum advenit; cujus dum sequeretur fluenta, ad Radasbonam urbem pervenit, quæ ex sectis lapidibus constructa, in metropolim hujus gentis arcem creverat, quam tunc in tempore dux gentis Bajuvariorum vir alacer Theoto regebat. *Ariboni consentiens Meginfredus in Vita num.* 5 *ait :* Hujus monarchiam Theodo dux provinciæ.... tunc possedit. *Non unus porro Theodo Boiorum ducatum tenuit, aliique plures alii pauciores ejus nominis duces numerarunt. Arnolfus Vochburgensis lib.* I *de Miraculis* S. Emmerammi, *cap.* I *duos recenset, sub quorum altero sancti Episcopi Ratisbonam adventus debuit contigisse.* Temporibus autem, *inquit,* quibus tantæ pesti (*hæresi inter Boios serpenti*) remedia parabantur, hi duces principabantur; Dioto scilicet vir illustris, cui filii in regnum non successerant; item alius Theodo, vir strenuus et alacer, sub quo clarissimus Christi confessor Ruopertus cum aliis servitoribus Juvavium devenit, ibique cursum præsentis vitæ consummavit. Sub quo S. Corbinianus Frisingam accessit. Is ergo duos filios habuit successores in regno, Diopertum videlicet atque Grimaldum; post quos ducatum genti huic præbuit Huebertus.

ibidem detinetur a Theodone I duce

46 *Dioto is idem est cum Theodone, qui post correctiorem Boiorum ducum seriem, ejus nominis I habetur. Is idem etiam est, qui* S. Emmerammum *Ratisbonæ excepit. Nam primo quidem Dioto ille ab Arnolfo primus recensetur inter duces, quorum tempore ad exstirpandos in Baioaria errores*

A *errores remedia parata fuere; id autem per* S. Emmerammum *factum esse, ex ejusdem Vita manifestum est. Secundo asserit Arnolfus, ejusdem Diotonis filios ipsi in regnum seu ducatum non successisse; quod de eodem Theodone, qui* S. Emmerammum *suscepit, non obscure tradunt Aribo ac Meginfredus, dum scribunt, Lantbertum ejusdem Theodonis filium, sanctique Episcopi barbarum parricidam, urgente divina ultione, in exsilium pulsum mortuumque, et omnes hujus posteros mirum in modum exagitatos fuisse; neque de alio istius Theodonis filio usquam meminerunt. Theodo alter, ejus nominis II, sub finem seculi* VII *S. Rupertum tunc Wormaciensem episcopum Ratisbonam arcessiit, sanctumque Corbinianum, seculo* VIII *adolescente Romam proficiscentem, frustra apud se retinere conatus, multis muneribus honoravit. Sub ejusdem denique filio Grimoaldo laudatus S. Corbinianus Roma rediens, episcopalem suam cathedram Frisingæ fixit, uti pluribus ostendimus in Commentario prævio ad Vitam hujus Sancti die* VIII *Septembris, in quo etiam plura de prædicto Theodone II ejusque filiis* B *Baioariæ tetrarchis studiosus lector reperiet.*

anno circiter 649, propter difficultatem

47 *Ut vero præmissa certa sunt, ita cum Theodonis I ducatus tempore apprime componi potest annus Christi* 649, *quo* S. Emmerammus *ab eo duce Ratisbonæ benigne acceptus, nec invitus tandem detentus fuisse, ex communi annalistarum sententia creditur. Detinendi causa pio principi fuit suæ gentis multis erroribus implicatæ gravis necessitas; ad quam cum accederet ex perniciosis Baioarios inter ac Hunnos sive Avares bellis utrorumque limitum vastitas et peregrinantium pericula, tandem se induci sanctus Episcopus passus est, ut, quam his destinaverat, operam Baioariis impenderet. De bellis et ex his illata utrisque gentis limitibus strage, ac difficultate in Pannoniam inde transeundi Aribo in Vita num.* 5 *hoc ait :* Eo namque tempore inter Hunorum et gentem Bajuvariorum orta est discordia, ita ut a vastantium manibus circa amnem Anisem interjacentem depopulatæ urbes pæne desertæ esse viderentur, ut saltus bestiis in augmentum daretur intelligi, quia humana fragilitas huc illucque transire diffidebat : quia quamvis jurejurandi vinculo adstrictus aliquis a quodam fuisset, penitus tamen majus insidiæ; C quam ostensa benignitas æstimaretur.

in Pannoniam commeandi, et Religionis statum

48 *Vitiosam Aribonis periodum Meginfredus paucioribus exponens, Theodonem inducit negantem, iter illud tunc temporis suscipi posse,* propter discordiam scilicet et longam inter se et Avares bellorum controversiam fines in utroque limite desertos, ita ut circa Anesim fluvium urbes et loca, olim cultissima, tantis bestiarum immanitatibus horrerent, ne viantibus ullus transeundi aditus pateret. *Quis porro religionis in Baioaria status tunc esset, laudatus Aribo num.* 7 *verbis, quæ subdo, declaravit.* Habitatores, *inquit,* ejus neophiti eo in tempore idololatriam radicitus ex se non exstirpaverunt, quia, ut patres, calicem Christi communem et demoniorum [*sibi*] suisque filiis propinabant. *Simili modo Meginfredus,* erant autem, *ait,* memoratæ civitatis *(Ratisbonæ)* et patriæ totius accolæ affluentia quidem mundanæ felicitatis illustres, sed noviter ad fidem adducti, delusæ vetustatis frutices nondum radicitus exstirpabant, et consuetudinem tenaciter hærentem ignorantia fovit. *De tempore primum susceptæ, in Baioaria Christianæ fidei non convenit inter scriptores ; dubitari tamen nequit, quin, dum Christianis imperatoribus pareret, eam jam admiserit, a qua deinde forte ex barbarorum commercio vel dominatu descivit, et ad idola relapsa est.*

AUCTORE C. S.

apud Bavaros,

49 *Certe redacti postmodum in Francorum potestatem Baioarii, veterum superstitionum tenaces, non nisi difficulter ac paulatim ad Christianas leges revocari potuerunt. Ita liquet ex legibus, quas Theodoricus I, Childebertus II, Clotarius II et Dagobertus I, Francorum reges, iisdem præscripserunt. Leges hasce a Frederico Lindebrogio editas laudat Coïntius ad annum Christi* 638, *ubi et earum multas, ad res ecclesiasticas divinumque cultum spectantes, ex eodem recenset. Mihi hic suffecerit earumdem Præfationem ex laudato Coïntio recitasse.* Theodoricus rex Francorum cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, jussit scribere legem Francorum et Alamannorum et Bajuvariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, et secundum consuetudinem suam. Addidit, quæ addenda erant, et improvisa et incomposita resecavit, et quæ erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum legem Christianorum et quidquid Theodoricus rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthæc Chlotarius rex perfecit. E

qui veterum superstitionum tenaces,

50 Hæc omnia Dagobertus rex gloriosissimus per viros illustres, Claudium, Chadum, Indomagum et Agilulfum renovavit, et omnia vetera legum in melius transtulit, et unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud regem et principes ejus, et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Meruwngorum consistunt. *Hactenus Præfatio : qui vero hasce Baioariorum leges pervolvere voluerit, facile agnoscet, istorum regum temporibus, sive seculo* VI *et* VII *non paucos in Baioaria Christianos fuisse, hæresi tamen maxima ex parte infectos, ut modo videbimus. Clotario II mox laudato monarchiam, quam anno Christi* 613 *adeptus est, tenente, SS. Eustasius et Agilus ad prædicandum Baioariis Christianam fidem missi, multos ex illis magno cum labore converterunt. S. Agili Vita apud nos data illustrataque est ad diem* XXX *Augusti, ex cujus cap;* 3 *sequentia, quæ ad propositum nostrum pertinent, hic subjicio.* Qui (*SS. Eustasius, Agilusque)* ingressi hujus itineris viam, juvante Christo, Wariscos prædicaturi accelerant, qui agrestium fanis decepti, quos vulgo faunos vocant, gentilium quoque F errore seducti, in perfidiam devenerant. Fotini seu Bonosi veneno infecti. Quos, errore repulso, matri Ecclesiæ reconciliatos, veros Christi fecere cultores.

ac partim hæresi infecti,

51 Deinde directo calle ad Boias, quos illius incolæ Bodo arios vocant, pervenerunt, et multo labore Catholicæ fidei dogmate imbutos, plurimos illorum ad fidem Christianitatis converterunt. *Hisce consonat Jonas in Vita S. Eustasii apud Mabillonium Sec.* 2 *Benedictino, pag.* 117 *num.* 3, *ubi legitur :* Reversus ergo venerabilis vir Eustasius ad Luxovium, magistri *(S. Columbani)* præceptum implere parat, ut gentes, quæ vicinæ erant, fidei pabulo alerentur. Progressus igitur, Wariscis prædicat, quorum alii idololatriæ cultibus dediti, alii Fotini vel Bonosi errore maculati erant. His ad fidem conversis, ad Boios, qui nunc Bavocarii vocantur, tendit, eosque multo labore imbutos, fideique liniamentis correptos, plurimos eorum ad fidem convertit. Ubi cum aliquantisper moratus fuisset, dimisit sagaces viros, qui cœpti labores in studio desudarent ; ipse vero ad Luxovium remeare studet. *Consentit etiam S. Salabergæ biographus apud laudatum Mabillionum pag.* 423 *et*

AUCTORE C. S.

et sequenti sic inquiens : Cum illo in tempore gens Boïcariorum, quam Orosius..... Boios prisco vocabulo appellat, in extrema Germania Bonosiaco infecta *(esset)* errore..... quæ hæresis antiqui et callidi hostis irretita habenis, purum hominem Dominum nostrum Jesum absque Deitate Patris esse censebat; ad quam nefariam et insanam doctrinam confutandam, immo resecandam, venerabilis vir Eustasius abba, divino utpote instigatus Spiritu, ex Luxovio monasterio, in Vosago saltu sito, advenit *etc.*

sancti prædicatoris opera egebant, quam ipsis

52 *Hæc paulo latius observanda censui, quia ex iis de religionis in Baioaria statu eo tempore, quo* S. Emmerammus *eodem advenit, utcumque conjectare licet. Etenim cum præcitatus S. Agili biographus istam Baioariorum conversionem referat ad monarchiam Clotarii II, anno* 613, *ut diximus, initam, sanctus autem Eustasius apud laudatum Mabillonium anno* 625 *obiisse dicatur, consequitur eamdem conversionem triginta circiter annis ante ejusdem* S. Emmerammi *adventum contigisse. Atque hinc discimus, cur Baioarii id temporis* neophiti *et* noviter ad fidem adducti *ab Aribone et* B *Meginfredo supra num.* 48 *dicantur. Verumtamen quantumvis feliciter S. Eustasius Agilusque apud eos laboraverint, superfuere tamen paganismi errorumque reliquiæ, quæ, ut credere fas est, partim eorum piam industriam illuserant, partim denuo pullularant, quasque proinde sanctus Episcopus a Theodone duce invitatus, funditus exstirpare constituit. Quam strenue quamque feliciter id opus aggressus fuerit, in utraque Vita legitur; ut necesse non sit de hoc argumento hic agere. Credo tamen equidem, triennium, post quod dire necatus est, nimis breve spatium fuisse, ut prospere cœpta ad præfixum sibi finem perduceret, remque Christianam per universam Baioariam satis stabiliret.*

non sat diu potuit navare. Non fuit tamen

53 *Eodem enim seculo* VII *ad finem vergente, eo loci ibidem erat religio, ut S. Rupertus tum Wormaliensis, deinde Salisburgensis episcopus, a Theodone II duce accersitus, necesse habuerit hunc ipsum ducem Catholica fide imbuere, eumque ac multos ejusdem gentis nobiles et plebeios sacro baptismate regenerare, ut ejusdem Sancti Acta testantur. Sed utrum hi paganismo, an hæresi infecti, an profano irritoque lavacro tincti fuerint, an vero sincerum baptisma ex perverso* C *dogmate vel consuetudine tantum distulerint, non satis constat, neque id hujus loci est inquirere. Dubitari porro potest, an* S. Emmerammus, *dum Baioarios excolendos accepit, sedem quoque suam episcopalem apud eos fixerit, et Ratisbonensibus episcopis annumerandus sit. Dubitandi ratio habetur ex Aribone in Vita num.* 5, *ubi Theodonem ducem ab eo petentem inducit,* ut eorum pontifex esse debuisset, et si ita dignaretur, vel pro humilitatis studio abbas hujus provinciæ cœnobiis normali studio præesse non recusaret. *Deinde subdit, sanctum Episcopum, quia Avaris prædicare desiderabat, non nihil obluctatum, ac tandem ob rationes supra allegatas supplicanti duci annuisse.*

episcopus Ratisbonensis ordinarius, sed adventitius.

54 *Verum multo rectius a Ratisbonensium episcoporum serie ordinaria excluditur; cum non nisi velut adventitius episcopus Ratisbonæ ac per reliquam Baioariam episcopalia munia sua obiisse dicendus sit. Sane Meginfredus de Ratisbonensi ipsius episcopatu ne verbo quidem meminit, nec de alio ducis postulato sanctique* Emmerammi *consensu loquitur, quam ut Baioariis prædicaret. Ejus nomen pariter abest a catalogo episcoporum ejusdem sedis, a poëta anonymo seculi* IX *conscripto, editoque inter Analecta Mabillonii iteratæ editionis pag.* 347, *ubi primo loco Wicterpus, se-* D *cundo Cauvipaldus recensetur his verbis :*

Hic Reginensis sedis vocitatur ab urbe,
Quam rexit primo Wicterpus episcopus ille;
Post alius, Cauvipaldus qui nomine dictus.

Nec magis illum inter istius ecclesiæ præsules agnovit Arnolfus Vochburgensis tam lib. I *quam secundo de Miraculis* S. Emmerammi, *licet posteriori loco Ratisbonenses episcopos ex professo recensuerit. Hic vero ordinariam episcoporum illorum seriem exorsus est a Gaubaldo, apud laudatum poëtam* Cauvipaldo *dicto, quem a S. Bonifacio seculo* VIII *episcopum ibidem constitutum ait, et ante quem ecclesiam illam* absque certis episcopis *fuisse affirmat. Dum itaque Aribo scribit,* S. Emmerammum *Theodoni roganti,* ut eorum pontifex esse *dignaretur, annuisse, hæc de episcopali Officio ibidem exercendo, non de sede stabili lege figenda instituendaque interpretamur; aut si dux postremum hoc etiam petierit, exsecutioni mandatum non fuit. Ceterum quibus cœnobiis Theodo sanctum Episcopum præficere voluerit, incompertum mihi est. Meginfredus de hac quoque re non meminit : in Coïntii vero exemplari sic legebatur :* Vel pro humilitatis studio abbas hujus pro- E vinciæ cœnobialis normæ studio præesse non recusaret. *Forsitan de condendis, non de jam tum conditis cœnobiis ibi sermo est.*

§ IV. Sancti martyrium, causa martyrii et adjuncta discutiuntur : palæstra, loca obitus et primæ sepulturæ : tempus emortuale.

Sancti martyrium

Egregiam S. Emmerammi *in excolendis Baioariis operam, collectamque ex eis uberem messem celebrant biographi, ut supra diximus: sed singularia facta non exponunt. Inde ad ejusdem martyrium enarrandum progrediuntur, quo ipsum post triennii in Baioaria moram coronatum esse consentiunt. Causam vero cædis cum ejusmodi adjunctis tradunt, quæ nec Viri sanctitas, nec recta ratio admitti patitur. Rem uti ab* F *ipsis narratur, accipe.* S. Emmerammus *de instanti propediem morte divinitus præscius, facultatem Romam peregrinandi a Theodone duce postulat. Interea Ota vel Uta, ejusdem ducis filia, ex cujusdam judicis filio, nomine Sigibaldo, gravidata, cum crimen jam ultra celari non posset, una cum amasio suo ad sancti Episcopi pedes provoluta, suum dedecus confessa est, et auxilium petiit, quo non dubiæ irati patris ultioni uterque subtraheretur. Confitentes reos sanctus Præsul acriter increpuit, eisdemque æternas pœnas timere monitis, salutarem pœnitentiam injunxit. Mox eorum sortem misertus, iisdem auctor fuit, ut sese commissi sceleris reum apud patrem agerent. Sed Aribonem audiamus.*

ac martyrii causa et adjuncta

56 Cœpit itaque, *inquit num.* 9 *et* 10, sanctissimus Vir gementium condolere sermonibus, commissum tamen peccatum acriter increpando, arguens, animæ dampnationem pertimescere magis debere insinuans, quam temporalia corporum supplicia. Pœnitentiæ modum his indicavit, pietatis tamen manum non subtrahens, sub silentio eis præcepit, ut super eum commissum scelus mittere deberent, ut facilius evaderent cruciatus. Præsciebat

A Præsciebat venerandus Pontifex, ut, si hoc in publicum eveniret crimen, nullo modo, his veniam a patre puellæ impetrare potuisset : tunc se criminis alieni reum fieri obtulit, ut ab his flagellum, quod pertimescebant, averteret. *Nec aliter factum hoc narrat Meginfredus, cujus verba pariter subjicio.* Quid facerent? quod consilium caperent? Tempus urgebat partum, et culpa minabatur interitum. Supererant sola in S. Emmerammi et pietate fiducia, et in sanctitate consilia. Huc desperatio pallida provolvitur; pedes osculando demulcentur, crimen exponitur, venia rogatur. Postremo de vitæ remedio pia Paternitas consulitur, tantoque extitit querelantium modus flebilior, quanto de admissis pœnarum opinio præsentior.

poponitur ex Arebone

57 Horum beatus Pater acceptis gemitibus, compati cœpit interius, et licet parturiret spiritum doloris, obfirmavit tamen delictis faciem arguentis. Læsum quippe ingenuæ regerationis pudorem referens magis erubescendum, et æternam justi Judicis animadversionem vehementius esse pertimescendam; maxime cum hujus temporis supplicia, sicut B quantitate, sic etiam ab æternis diversa sint qualitate. Proinde, sicut mos est, pœnitentibus viam reconciliationis ostendit, ipse alto dilectionis consilio alteritatis onera suscepturus mandavit secretius, ut maculam hanc in se transferrent, quo facilius furorem ducis evaderent, quem noverat inexorabilem, cum ignominia cumularet dolorem. *His ita inter ipsos peractis, acceptaque a Theodone Romam adeundi potestate,* S. Emmerammus *cum aliquot e suis clericis iter agressus est. Sed priusquam Ratisbona efferret pedem, sollicitus, ne crimen sibi falso impingendum sacerdotali Ordini infamiam ceterisque grave offendiculum pareret, religiosum quemdam presbyterum, Wolflecum vel Wolflaïcum nomine, ad se accersivit, monuitque, ut, cum se ob quoddam crimen necatum audiret, innocentiam suam omni clero manifestaret, servato interim, dum viveret, silentio.*

et Meginfredo ;

58 *Non diu inde discesserat sanctus Episcopus, quin Ota, prodente utero, manifesti flagitii convicta, auctoremque infamiæ suæ coram patre duce edicere jussa, sanctum præsulem indicaverit. Quo audito, pater vehementer exardescens, stricto gladio filiam petiit, familiæ dedecus noxio sanguine* C *expiaturus; sed ab adstantibus prohibitus, eamdem exheredatam, relegavit in Italiam, ubi reliquam vitæ suæ exsul exegit. Huic Otæ frater erat Lantbertus, qui sororis suæ opprobrio in innocentem Episcopum impotentius accensus, cum satellitum manu insecutus est, eique in villa Helffendorf, ubi post tridui iter ex industria substiterat, deprehenso illatam suæ domui injuriam cum acerbis dicteriis exprobravit. Contra* Emmerammus *innocentiam suam testatus, ad Apostolicam Sedem pro diluendo objecto crimine appellavit. Verum ille ira æstuans, sanctum Præsulem scalis alligatum membris barbare truncari jussit, in eoque cruento martyrio seminecem reliquit. Ita Aribo et Meginfredus de* S. Emmerammi *martyrio, causaque ejusdem, quam deinde multi alii etiam e martyrologis asseruerunt, uti infra videbimus; sed quoad aliquot adjuncta minime probabiliter.*

in quorum narratione merito displicet

59 *Advertit id Andreas Brunnerus in Annalibus Boïcis parte* I, *lib.* 5, *cap.* 5, *ubi istud* S. Emmerammi *de scelere sibi falso imponendo consilium, velut male confictum, ipsique Sancto injurium rejecit, docteque refellit. Et sane quid accusatio ista aliud est, quam perniciosum mendacium, quo non tantum gravissimæ infamiæ nota sancto Præsuli inurebatur, verum etiam ejusdem vita in præsentissimum periculum, ut ab eventu patuit, conjiciebatur. Quis autem credat ipsum aut adeo divinæ naturalisque legis immemorem fuisse, ut tam noxium mendacium persuadere sustinuerit, vel tam ignarum, ut id licitum esse crediderit? Neque ad divinum instinctum recurri hic potest, a cujus sanctitate ac veracitate hujusmodi consilia nequeunt profisci. Ut vero idem istud consilium Sancto erat perniciosum, ita puellæ infamiam augebat, nec ad leniendam patris iram satis erat utile; minus enim dedecoris videri, leviusque ferri poterat, si ducis filia a nobili juvene, quam ab Episcopo vitiari se passa esset. Nonne, ipso teste biographo, Theodo pater, audito* Emmerammi *nomine*, in vehementissimam iram exarsit ita ut a suis vix retentus *(fuerit,)* ut proprias in eam *(filiam suam)* mitteret manus, et suam ense prosterneret subolem? *Nonne,* dum hoc perficere non posse se cerneret, privavit eam substantiis rebusque omnibus, et in exilii damnationem in Ausoniam direxit, in qua damnatione prædicta jam femina usque ad mortis permansit diem? E

aliquot crueditis, quod Sanctus ipsemet

60 *Absit igitur, ut tam imprudens tamque noxium consilium, soli Sigibaldo utile, ipsi vero auctori Otæque damnosum, a sancto prudentique episcopo* Emmerammo *profectum credamus. Porro, ut in commentis sæpe evenit, etiam cetera ejusdem hujusce rei adjuncta non cohærent. Ait enim biographus,* S. Emmerammum, *antequam Ratisbona Romam proficisceretur, Wolfleco presbytero innocentiam suam testatum esse, mandasseque, ut eam ipse primum post necem suam omni clero manifestaret.* Cum enim ex urbe exiret, *inquit Aribo in Vita num.* XI, Vir venerandus quendam religiosum presbyterum, nomine Wolflecum, ad se accersierat, prophetiæ spiritu secretum indicans, ait : Adtende, dilectissime frater, et ne cui, me vivente, dixeris : cum enim diversis cruciatibus ex cujusdam crimine vitam me finisse audieris, manifesta omnibus in sacris constitutis Ordinibus, ut ne eorum quis ignavia delinquat, nec hujus criminis noxium me judicet, et quasi imitando hujus rei exempla, ex suo labatur statu. *Arcanum itaque innocentiæ suæ sanctus Præsul Wolfleco servandum præcepit, non nisi post cædem suam divulgandum; nempe ut per opportunum silentium Sigibaldo Otæque consuleret, et per posthumas vindicias offendiculum cleri caveret.* F

Otæ et Sigibaldo suasisse dicatur,

61 *Verum quod a Wolfleco tamdiu celatum voluit, Sanctus ipsemet, eodem teste biographo, coram Lamberto Otæ fratre ejusdemque satellitibus publice professus est, simul ac de sororis suæ stupro ab illo fuit interpellatus. Juverit Aribonis dicta retulisse,* Dum autem deductum ad se videret *(Lantpertus)* temporali gloria elatus, ex occasione intulit verba dicens : Age, Episcope et gener noster. Ipse autem Deum testem invocans, se terrenis actibus socerum non habere testatus est, Cum prædictus princeps audire contempsisset,... cœpit sanctissimus Vir Dei episcopus hilari vultu, modestis et pacificis verbis excusationem inferre, dicens : Ad Romam me iturum promisi,... Mitte quemvis prudentem mecum pariter, ut de præsentetur in conspectu tanti Pontificis hac de re sententia, et ibi normaliter dijudicer, ne hujus reus appaream criminis. *etc .Ecce hic,* S. Emmerammus *ipsemet* Deum testem invocans, *innocentiam suam prodit ac tuetur ; dumque vel sic nihil proficit*

AUCTORE C. S.

proficit, eamdem coram Baioariæ legatis apud Romanum summi Pontificis tribunal probare se velle profitetur, utque id sibi liceat, precatur. Id autem qua ratione faceret, nisi Otæ criminationem, quam ipsemet ei suaserat, manifeste refellendo, miseram puellam, de gravissima calumnia convictam, gravioribus etiam suppliciis abnoxiam redderet.

ut se stupri reum

62 *Huc scilicet recidissent bella ista sancti Præsulis consilia, ut vitiata virgo sanctum Episcopum suumque ac suæ gentis Doctorem et apostolum sacrilegi stupri, et sese ipsam gravioris infamiæ reos egisset, ac tandem non modo incontinentiæ suæ, verum etiam impiæ criminationis meritas pœnas pendere debuisset. Jure igitur Brunnerus, Adlzreitterus, Cointius, Pagiusque illam Aribonis ac Meginfredi narrationem rejecerunt. Non propterea tamen* S. Emmerammi *martyrium et martyrii causam in dubium revocamus, etsi ista adjuncta admitti posse negemus. Nam ego quidem non dubito, quin sanctus Antistes alienum flagitium, Sigibaldi scilicet cum Ota ducis filia* B *illicitum complexum, sua cæde innocens luerit, sive ab ipsa Ota, quod verisimilius est, ut Sigibaldo suo consuleret, sive ab alio fuerit accusatus; verum id ex ipsius Sancti consilio factum esse non credo. Accusatio autem hæc eo securius poterat intentari, quod Sanctus jam tum triduo biduove, ut ex Vita colligitur, in suo itinere Romano processisset, eoque facilius fidem invenire, quod eadem illa Romana peregrinatio pro fuga male sibi conscii potuerit haberi. Brunnerus suspicatur, forte* S. Emmerammum *quiritanti Otæ suasisse, ut tempestiva fuga paterno furori se subduceret, eamdemque, dum id ageret, comprehensam, auctorem fugæ suæ nominasse, qui proinde etiam in stupri suspicionem venerit, utque in ira solet. præcipiti judicio damnatus et cæsus sit; verum hæc mera conjectura est.*

falso agerent. Mabillonii de hujus martyrii causa opinio.

63 *Idem auctor censet, sanctum Antistitem, cum objectum crimen diluere, et Sigibaldum reum agere facile posset, Christi exemplo maluisse pro ovibus suis suam vitam dare, quam prodere alienam. Sed an etiam hoc ultimum tam facile ei fuerit, non ausim certo edicere. Ratio est, quod Ota et Sigibaldus flagitium suum ipsi in Sacramentali confessione exposuisse videantur, ex qua sola* C *si illud Sanctus intellexerit, non potuit sane, salva conscientia, Sigibaldum accusare. Quod si ita est,* S. Emmerammus *sacri tenax silentii pro sacramenti pœnitentiæ sigillo gloriosus martyr occubuit. Utut sit, non propterea tamen Aribonem mendacii insimulamus; facile enim fieri potuit, ut imperitum vulgus aut crassioris ingenii homines, cum ex Sancti silentio rem, ut facta fuerat, ignorarent, quo mirabilior ejusdem caritas redderetur, induxerint in animum, ut crederent, illum ipsum sui accusandi consilium Otæ dedisse; quam opinionem post integrum ab ejusdem Sancti martyrio seculum Aribo sine sana crisi adoptaverit. Ceterum Mabillonius tam Sec. v Benedictino in B. Tutone episcopo Ratisbonensi num. 4, quam tom. 2 Annalium ad annum Christi 739, num. L causam aliam martyrii assignavit. Is enim, nulla facta de Sigibaldo Otaque mentione, ait,* S. Emmerammum a Lamberto tyranno, quem ob scelera increpare non cessabat, *occisum esse; sed cum Mabillonius pro hac sententia nullum auctorem laudet, morari nos non debet.*

Vetusti scriptoris

64 *Auctor Tractatus de passione et gloria* S. Emmerammi, *qui se* Gente Constantem *appellat, quem supra jam laudavimus, Ariboni fere consentiens, singularem Sancti caritatem, ex qua martyrium subiit, sequenti elogio prosecutus est.* Nacta vero *inquit*, occasione illud Salomonis dicti implendi; « Eripe eos, qui ducuntur ad mortem; » cum aut illud mandatum exequeretur, aut reus in peccatis moreretur, totus in viscera compassionis effusus, et in hoc vere Domini sui imitator effectus, qui aliena peccata transtulit in corpore suo super lignum, miserorum supplicia, quæ pavebant, ipse sustinuit, et crucem Domini per fœdi criminis opprobrium, quod in stuprum prolapsi admiserant, venerabilis Sacerdos ferre non recusavit. Quid fratres mei? Quod factum huic simile unquam vidistis. Quam gloriam huic Martyri et Sacerdoti æquiparandam putatis? Elias et Joannes adulteria regum conjugum castigantes, ambo levantur in cælum. ille per currum, iste per martyrium. Sed hos nimirum levior conditio, minor necessitas urgebat : nam nec inter stultos quidem desunt, qui multo honestiorem putent causam increpiti, quam admissi incestus. D

de eodem martyrio oratio,

65 Uterque illorum pro varietate a libidinosis tantum appetebatur; hic autem violatoribus dans facultatem in se transferendi facinoris, uno solum E presbytero innocentiæ suæ inter mortales teste relicto, elegit suam potius vitam profana ad tempus suspicione commaculari, a Deo autem secretorum conscio, quod ipse vellet ordine, purgandam, quam noxiorum vitam per diversa tormentorum genera finiri. Recolens enim Dominum dicentem, « Nolo mortem peccatoris, sed ut con« vertatur et vivat; » peccantes sibi confessos ad correctionem reservavit, et seipsum pro eorum mortibus gratissimam Deo hostiam immolari permisit. *Hæc ipse, qui si per datam a Sancto* violatoribus facultatem in se transferendi facinoris *intelligat datum ab eo, ut id facerent, consilium vel consensum, eodem modo, quo Aribo, corrigendus est; si vero tantum velit, sanctum Episcopum, cum id impedire posset, ex caritate permisisse, nihil est, quod in ejusdem dictis reprehendamus. Obiter quoque observa, quod de castigatis per Eliam prophetam regum conjugum adulteriis dicitur, improprie dictum esse; de idololatria scilicet, quæ in variis sacræ Scripturæ locis adulterii et fornicationis nomine appellatur, quamque laudatus propheta in Achabo rege Israël et conjuge Jezabel acriter castigavit.* F

et Baronii narratio recensetur.

66 *Eminentissimus Baronius ad annum Christi 702, Aribonem laudans, martyrium ejusque causam sic memorat, ut de sola Sancti permissione intelligi possit.* Causa autem ea, *ait*, martyrii intercessit, quæ et ipsum Redemptorem humani generis impulit crucis subire supplicium; dum videlicet aliena innocens super se peccata suscepit libens volensque, quousque liberaret a morte; qui scelus admisit; licet postea suæ exstiterit innocentiæ defensor. Etenim dum Theodonis principis filia Ota virgo Sigibaldo cuidam commixta ex stupro concipiens, fœtu gravida cognita, in vitæ discrimen una cum juvene adduceretur, ut ipse eos a nece eriperet, sibi passus est crimen adscribi, cujus causa crudelissime a fratre ejusdem feminæ cæsus est. *In Romano quoque Martyrologio ad hunc diem* XXII *Septembris eumdem his verbis annuntiavit :* Ratisponæ in Bavaria S. Emmerammi episcopi et martyris, qui, ut alios liberaret, mortem sævissimam Christi causa patienter subiit. *Hæc Baronius, quæ sicut vera putamus, ita etiam sancto Martyri gloriosa sunt.*

67 *Barbarum cædis modum Aribo num.* 16 *et seqq.*

AUCTORE C. S.

Martyrii modus ab eodem vetusto scriptore

A *seqq. exponit, et supra laudati Tractatus sive Sermonis de passione, et gloria* S. Emmerammi *auctor suo stilo sic exornavit :* Irruit super eum funestus lictor, sathanæ ferali percitus rabie, sanctumque Dei Antistitem, innocui comitatus fuga desertum, abstrahit, juxta quod scriptum est: «Percutiam » pastorem, et dispergentur oves gregis. » Hic ad libitum crudelis belluæ sacratissimæ Deo hostiæ aries electus toto corpore laniatur,

Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis

Auribus, et truncas miserando vulnere nares;

Cerebrum quoque, lumine sapientiæ semper irradiatum, oculorum luce privarunt; cum illi interior acies animi etiam mundano sole vibrantior, indefectiva status sui claritate luceret. Linguam quoque, cælestis oraculi ministram, ex invisibili fontis arcano, juxta quod ratio censuerat, nova proferentem et vetera', de sancti oris camera pestifer chirurgus radicitus evellit. Insanus furor nusquam pertractans, quia « Labia sacerdotis cu» stodiunt scientiam, et legem requirent ex ore » ejus; quia angelus Domini exercituum est. » In B ipso etiam sexu, scilicet artibus in illo non pudendis, inconsiderata ferocitas perversa, pro dolor, exercuit judicia!

expositus et celebratus.

68 Sic, Christe, tibi militantium virtus, gregis tui Sacerdos et hostia, clypeo sufferentiæ præmunitus, te attestante, et omnia vulnere ejus tuæ causa dilectionis inflicta numerante, centenæ Martyr coronæ angelica pompa subvectus, triumphorum gloria exaltatus cælestem aulam ascendit, completo in eo, quod Salomon admonet : « Non ve» teris * usque ad mortem justificari; quia merces » Dei manet in æternum : » Et Psalmista : « Qui con» fidunt in Domino, sicut Mons Sion, non com» movebuntur in æternum : » itemque apostolus Jacobus : « Beatus vir, qui suffert tentationem; » quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coro» nam vitæ. » Sit igitur Roma celebris Laurentio, Hierusalem Stephano inclita, Carthago nobilis Cypriano, Smyrna Polycarpo, Hispania illustris Cucuphate magno; nostra autem Ratispona suo gaudeat Emmerammo, non minus gratiæ beneficium ab hoc sperans Patrono, quam et earum quælibet a suo indulgentissimo parente *etc. Sequitur apostrophe ad sanctum Martyrem non inelegans, quam* C *prætermitto.*

* ne verearis

Martyrium passus in Helffendorf,

69 *Barbaram hanc carnificinam sanctus Præsul, utroque biographo teste, passus est in Helffendorf, ubi post tridui iter ex industria moras quærens substiterat, ut quos ibidem affore divinitus præsagiebat, carnifices suos opperiretur. Locus hic Superioris Bavariæ est, inter Isaram et Oenum supra Monachium situs in diœcesi Frisingensi et in præfectura Aiblingensi, teste Matthæo Seutter in tabula ejusdem diœcesis cujus ecclesiæ cathedrali sub Erimberto episcopo eumdem donatum et sacra æde illustratum fuisse, docet Meichelbeckius in Historia dicti episcopatus tom.* 1, *dissert.* 2, *pag.* xv. *Admodum reverendus pater prior Emmerammensis, sæpe laudatus, in suis observationibus Mss præterea docet, extra eumdem pagum hodieque monstrari lapidem, qui sacro Martyris sanguine conspersus fuisse creditur. Porro licet sanctus Episcopus non in eodem loco victricem animam Deo reddiderit, illum tamen pro ejus palæstra assignavi, quia in eodem crudelem illam carnificinam passus est, ex qua, dum a suis alio deferretur, in quodam prato martyrium suum morte consummavit. Etenim cum Lantbertus illum membris omnibus fœde truncatum seminecem reliquisset, itineris comites, quos tyranni metus in latebras compulerat, tandem prodeuntes eumdem plaustro impositum ad villam Aschaim,* milliario fere duodecimo *(teste Aribone) inde distantem vexerunt, ut ibidem in ecclesia S. Petro Apostolorum principi dicata honoratius moreretur; imprudenti sane consilio, sed ex cædis atrocitate consternatis utcumque condonando; nam et ea vectura mutilato Præsuli non potuit non peracerba accidere, et gravis conturbatio sæpe non recta consilia dictat.*

obiit prope vicum Aschaim.

70 *Nondum ad villam Aschaim pervenerant, cum sanctus Martyr, mortem sibi jamjam instare gravi gemitu indicavit, ideoque e plaustro in subjecto gramine depositus est, ubi felicem animam ingenti lumine emisit ad cælum. Locum hunc* milliario tertio *ab Aschaim distare, ibidemque in ejusdem rei monumentum erectam ecclesiam fuisse tradit Aribo, consentitque Meginfredus; verum tanta utriusque loci distantia non convenit cum iis, quæ de eodem argumento aliunde habemus. Cælestinus enim abbas Emmerammensis in Ratisbona monastica, cap.* 6 *diserte asserit, locum, in quo Sanctus obiit, et in quo ecclesia erecta suo tempore etiam visebatur, non nisi quarta milliarii parte ab* E *Aschaim distare. Laudatus quoque Forstenius Prior in notitiis Mss. cum inter ecclesias* S. Emmerammo *variis in locis dicatas ecclesiam in Aschaim nominasset, mox subdidit :* Ibidem extra pagum capella in loco, ubi spiritum cælo transmisit.

et in Aschaim sepultus est.

71 *Hisce consonat Matthæus Seutter in tabula geographica episcopatus Frisingensis, in qua vicum Aschaim collocat ad dexteram Isaræ ripam infra Monachium et circa ejusdem episcopatus Frisingensis confinia, et prope eumdem vicum notat* S. Haimeran; *qua voce haud dubie laudatam ecclesiam seu sacellum videtur indicare. Dicendum itaque est, Aribonem, quique hunc secutus est, Meginfredum, longe alia itinerum mensura usos esse, cum ambo etiam vicum Helffendorf* 12 *milliaribus ab Aschaim collocent, quorum locorum distantia non nisi quatuor milliarium Germanicorum notatur in tabulis Frederici de Wit, cui fere consentiunt etiam aliæ, quas consului. Demortui Martyris corpus plaustro rursus impositum, ad Aschaim delatum fuit, ibidemque in S. Petri ecclesia sepultum, ubi aliquo tempore quievit, donec Ratisbonam* F *solemni cum pompa translatum est, uti sequenti § dicemus. Vacuum tamen Sancti sepulcrum in Aschaim hodieque monstrari, R. P. Prior Forstenius in sæpe dictis notitiis affirmat.*

Annus et dies ipsius emortualis

72 *De tempore martyrii ipsius consentiunt scriptores, hoc in Christi annum* 652 *incidisse, qui in epitaphio ejusdem supra relato inscriptus legitur, et cum ducatu Theodonis I, a quo Sanctus Ratisbonæ benigne acceptus detentusque fuisse dicitur, optime convenit. Cardinalis Baronius tom.* 8 *Annalium istud multo serius, circa annum scilicet* 702, *dubie tamen, retulerat,* Ad præsens, *inquiens,* tempus referri posse videtur (licet annus haud satis exploratus haberi possit) martyrium Hiemerammi episcopi Ratisponensis sub Theodone Bavariæ principe, hoc tempore illis populis dominante. *Ita ibi; sed errorem postea melius edoctus correxit, post tom.* 9 *inter emendanda pag.* 908 *dicens :* Verum quod ad tempus martyrii S. Emmeranni in incertum (ut diximus) sine certo duce cucurrimus. Cum enim non esset scriptus liber nec certus auctor, quem sequeremur, errare contigit; quod non prius sensimus, quam cum accepimus epitaphium antiquitus scriptum, in quo expresse ponitur martyrium consummasse

AUCTORE C. S.

consummasse anno Christi DCLII. Accepimus illud a viro doctissimo Marco Velsero Augustano *etc. Hæc de annno; diem autem ejusdem emortualem fuisse* XXII *Septembris, ad quem Martyrologiis inscriptus est, coliturque, omnes, quos vidi, pariter consentiunt.*

§ V. Sacri corporis translatio Ratisbonam : monasterii erectio et ecclesiæ amplificatio ; aliæ corporis elevationes : an a Formoso PP. canonizatus et elevatus sit, et ipsius ecclesia ab eodem dedicata?

Incolæ divinitus admoniti sacrum corpus

Quamdiu sacrum Martyris corpus in Aschaim humatum jacuerit, non satis clare edicunt biographi; si tamen Aribonis mentem recte assequar, B *videtur intra duos post martyrium menses inde translatum fuisse. Post enarratam enim sepulturam illius mox subdit, cælum atris nubibus obductum continuos quadraginta dies inter terrifica fulgura tam copiosos imbres effudisse, ut repletis torrentium amniumque alveis exundantes aquæ, campisque superfusæ, non dubiam Bavariæ stragem minarentur. Revelatum autem quibusdam esse, ut ea calamitas cessaret, tranferendum Ratisbonam esse sacrum pignus, idque tunc a Theodone duce cleroque ac populo magna cum pompa curatum fuisse. Diximus supra, pagum Aschaim ad dexteram Isaræ ripam situm esse. Haud procul inde, forte unius milliaris spatio distat* Unter Vehring, *sive* Veringa inferior, *pagus in episcopatu Frisingensi atque in ipsa Isaræ ripa situs, ubi venerabiles Sancti exuviæ navi impositæ fuisse creduntur, in cujus rei memoriam etiam ibi ecclesia ædificata hodiedum visitur.*

per Isaram et Danubium non sine prodigiis

74 *Inde secundo flumine, ut habet Aribo, sacrum corpus devectum, per ejusdem ostia e regione loci ubi nunc Deckendorfium oppidulum est, in Danubium descendit, per cujus adversos fluctus Ratisbonam tandem inter festivos applausus advectum* C *est. Duo autem in toto hoc itinere memorabilia accidisse memorat laudatus biographus; primum, quod accensæ circa sacrum funus sub aperto aëre faces inter perpetuos ventorum turbines imbresque non modo* non extinguerentur, verum etiam tanta securitate quietissimam in altum *earum* flammæ direxerint aciem, acsi in cubiculo tranquillissimo sine commotione aëris stetissent. *Alterum est, quod, cum adverso Danubio navigantibus alias multum obnitendum sit, navis hæc inter tot procellas tam celeri prosperoque cursu provecta sit, quasi secundis fluctibus velisque usa esset. Fabulam, quam Hebræi ad suæ perfidiæ commendationem ex hisce commenti fuere, num. 25 retulimus.*

Ratisbonam vehunt, ubi in ecclesia S. Georgii tumulatur.

75 *Appulsum Ratisbonam venerabile pignus Theodo ipse dux, una cum optimatibus, clero ac populo obviam factus, magna cum religione suscepit, et sacerdotum ministerio in S. Georgii martyris sacra æde, quæ tunc temporis in colle extra urbis muros stabat, honorifice deponendum curavit : quo facto procellosa aëris intemperies, quæ Bavariam infestabat, subito cessavit, teste Aribone in Vita num. 34, ubi hæc ait :* Eodem vero momento cælum tantam reddidit serenitatem, ut nubs * in nullis appareret plagis. *Meginfredus præter ista etiam alia miracula in eadem translatione Ratisbonæ facta generatim sic memorat :* Traditur autem, firmaque assertione probatur, quod in illa via, qua levatus a navi ferebatur ad ecclesiam, triginta signis divina eum pietas clarificaret. *Verum, quæ ista signa fuerint, non exponit. De vetusto illo S. Georgii sacello, quod deinde in nobilem basilicam ac monasterium Ordinis S. Benedicti, hodieque florens, excrevit, Andreas presbyter Ratisbonensis in suo Chronico generali ex Conrado de Monte Puellarum refert sequentia.* D

* i. e. nubes

Ecclesia hæc, de qua hic aliqua observantur.

76 Diligenter est advertendum, (et sunt verba magistri de Monte Puellarum in Chronica sua) quod olim temporibus paganismi et infidelitatis in illo colle, ubi nunc est monasterium B. Emmerammi situatum, tunc extra muros civitatis fuit lucus arborum sylvestrium, ubi diversarum simulacra idolorum ab infidelibus colebantur. Qua superstitiosa hominum stultitia tandem divina volente gratia, evanente et fide Catholica parumper scintillante, ibidem luco deposito, viles casæ pauperum hominum suburbanorum civitatis constructæ fuerant, et inter easdem casas constructum fuerat humillimum oratorium, in quo consecrata fuerat ara per fideles Christi, tunc tenuiter clarentes E in honore B. Georgii martyris, quæ capella steterat ibi tugurii more, quæ ara hodie in dicto monasterio in honore prædicti martyris Georgii cernitur ad latus Australe versus ambitum monasterii supra dicti, ante quam aram etiam publice hodie videtur sancti martyris Emmerammi epitaphium et sepulchrum.

postmodum in insignem basilicam ac monasterium

77 Nec mirum autem, quod beatus Martyr in eadem capella, Domino jubente, voluit quiescere et extremi sententiam examinis ibidem præstolari; quia cum primo gratia docendi populum in fide orthodoxa in Ratisbonam se transtulisset, post crebros frequenter labores circa gregem Domino nostro Jesu Christo lucrandum, in prædicta secreta capella tumultui hominum aliena ipse felicissimus Pater solus Deo vigiliis et orationibus consueverat angelica meditatione vacare. *Hactenus Conradus, qui cum in Ratisbona monasticà canonicus Ratisbonensis anno* 1373 *floruisse dicatur, non potest magnæ esse auctoritatis, quantum ad prædictæ sacræ ædis originem attinet, nisi id ex antiquioribus monumentis didicerit, quod an factum sit, ignoro. Dixi supra, eamdem illam S. Georgii ædem* F *postmodum in nobilem basilicam ac monasterium Ordinis S. Benedicti, sanctoque* Emmerammo *dicatum excrevisse, idque apud omnes extra dubium est. Quo tamen tempore, quove auctore id factum fuerit, nec Aribo, nec Meginfredus tradidit; imo ambo de monasterio altum silent, licet aliunde constet, illud etiam Aribonis tempore multo antiquius esse. Arnolfus Vochburgensis multa quidem de eodem memoravit in utroque libro de Miraculis, sed de ejusdem exordio ac fundatore pariter siluit.*

Ordinis S. Benedicti excrevit seculo VII

78 *Contra vero recentiores rerum Boïcarum scriptores, Aventinus, Velserus, Brunnerus, Adlzreiterus, Raderus et Hundius eumdem Theodonem ducem, a quo* S. Emmerammum *in Bavaria detentum fuisse diximus, istius monasterii fundatorem agnoscunt, unanimique consensu credunt, hoc ab eo conditum fuisse, ut, si quam in sancti Episcopi dira cæde, a Lantberto filio suo patrata, noxam haberet, hanc pia illa munificentia publicoque monumento expiaret. Eamdem sententiam amplexi fuere Coïntius tom. 4 Annalium ad annum Christi* 697, *Pagius in Critica Baronii ad annum* 652 *et* 680, *Georgius Eccardus tom.* 1 *Franciæ Orientalis*

AUCTORE C. S.

A Orientalis, ac novissime celsissimus ac reverendissimus abbas Emmerammensis Joannes Baptista Krauss tam in Ratisbona monastica, quam in Dissertationibus mox laudandis, in quibus hanc antiquam Emmerammensium traditionem esse affirmat. Quamquam autem isti de Theodone I consentiunt, de anno tamen discrepant, quod alii illum citius, alii serius obiisse arbitrati sint, vel ad ejusdem obitus annum non adverterint. Nam Hundius monasterii epocham anno 696, Brunnerus et post ipsum Coïntius 697 illigarunt; alii ad hunc ipsum annum de eodem monasterio meminerunt, quia legerant, eo anno Apollonium primum ejusdem loci abbatem floruisse.

sed de ejusdem fundatoribus, modoque,

79 Contra Pagius ac mox laudatus abbas, qui Theodonem I circa annum 680 vita functum esse censent, fundationem illam consequentur citius, sine certo tamen anno, collocarunt. Marcus Hansizius Societatis Jesu doctor theologus, duobus tomis Germaniæ sacræ orbi litterario notus, in Prodromo tomi 3, anno 1754 Viennæ Austriæ typis edito, de anno quidem 697 a prioribus non dissentit; sed cum Theodonis I mortem ante id temporis pariter figat, prædictam fundationem ipsius successori Theodoni II, sanctoque Ruperto, postea Salisburgensi episcopo adscribit. B Præterea statuit, Ratisbonensem episcopatum ab iisdem in et cum dicto monasterio sic erectum constitutumque fuisse, ut episcopalis sedes monastica esset, idemque jure perpetuo monasterii abbas, qui episcopus, et monachi cathedrales. Verum nova hæc sententia vehementer displicuit laudato celcissimo abbati, qui cum monasterii sui primæva jura ac privilegia per eam destrui crederet, Dissertationem de Ortu et libertate monasterii S. Emmerammi, itemque alteram de Exemptione et libertate imperiali ejusdem, ac denique tertiam Illustrationem typis Ratisbonensibus excusas opposuit, in quibus monasterium suum a Theodone I ante annum 680 fundatum, et ab ipsa sua origine liberum, non sedem episcopalem monasticam fuisse contendit.

quo primum fundatum fuerit, hodiedum acriter litigatur.

80 Prodomum suum laudatus Hansizius Illustratione apologetica, et alio Opusculo, quod Disquisitionem de valore privilegiorum monasterii Emmerammensis inscripsit, eodem anno 1755 vulgatis, adversus celsissimi abbatis Dissertationes pariter tutatus est. Ego me horum clarissimorum virorum, quos ambos veneror, litibus non immisceo, C cum ad S. Emmerammum, cujus Acta et gloriam posthumam illustranda, non Historiam monasterii istius scribendam, suscepi, nihil aut parum faciat, quo modo monasterium illud primo erectum ac constitutum fuerit. Id unum mihi sufficit, constare, monasterium illud ante seculi VII finem conditum, sanctoque Emmerammo dicatum fuisse; nam quod Mabillonius tom 2. Annal. ad annum Christi 739, num, L ejusdem exordia ad hunc circiter annum retulerit, morari nos non debet, cum id neutiquam possit admitti. Certum quoque est ex Arnolfo Vochburgensi, Ratisbonensis episcopus sedem suam olim multo tempore in S. Emmerammi ecclesia tenuisse, eosdemque eidem monasterio præfuisse obbates; at quo id pacto, quove jure factum fuerit, non inquiro, sed eruditis ex supra dictis Prodromo et Dissertationibus, ceterisque eo spectantibus judicandum relinquo.

Eadem ecclesia ampliatur, et muris civitatis includitur.

81 Ut ut ista se habeant, S. Georgii ecclesiam, in qua S. Emmerammi corpus tumulatum fuisse diximus, Sintpertus episcopus Ratisbonensis seculo VIII multum ampliavit. Ita discimus ex Arnolfo Vochburgensi lib. 2 de Miraculis, ubi Ratisbonenses episcopos recensens, sic ait: Post hunc (Gaubaldum) Sintpertus cathedram pontificalem cum regimine ecclesiastico suscepit, qui B. Emmerammo basilicam novam amplioribus spatiis et propensiore sumptu construxit atque ornavit. Obiter hic observo, Gaubaldum seu Garibaldum inter et Sintpertum a poëta anonymo, quem num. 54 laudavi, Sigericum interponi, cujus successorem Adalawinum Eccardus tom. I Franciæ Orientalis anno Christi 791 episcopum ordinatum esse, ex Annalibus Wirceburgensibus ostendit. Seculo X eadem ecclesia ac monasterium, quæ eo usque extra civitatem fuerant, ejusdem muris inclusa fuere sub Arnolfo Bavariæ duce, ut testatur Arnolfus Vochburgensis lib. I de Miraculis, ex quo sequentia excerpo: Monasterium beatissimi martyris Emmerammi, quod prius extra fuerat, cœpit esse intra muros Ratisbonensium civitatis, quos Arnolfus dux, inter optimates opere diviso, cito construxerat sub rege Henrico, Germaniæ scilicet rege, cognomento Aucupe. Annum Christi 920 abbas Cælestinus in Ratisbona monastica cap. 32, Adlzreitterus vero in Annalibus Boicis parte I, lib. 13 annum huic rei 922 adscribunt. Qui de eadem ecclesia monasterioque ac variis eorumdem casibus plura voluerit, adeat sæpe laudatum Ratisbonam monasticam. Modo restant aliqua de S. Emmerammi corpore dicenda. E

Corpus per S. Gaubaldum elevatur seculo VIII;

82 Vidimus illud ex prima sua sepultura Aschaimiensi Ratisbonam translatum in S. Georgii ecclesia sepultum fuisse. Dum hic multis miraculis in dies magis magisque elucesceret, S. Gaubaldus vel Garibaldus a S. Bonifacio episcopo martyre ecclesiæ Ratisbonensi anno 739 præfectus episcopus est. Is vero cum ex miraculorum multitudine sancti Martyris in cælo gloriam æstimaret, merito censuit, sacras ejusdem exuvias honoratiori loco, quam hactenus jacuerant, reponendas esse. Novum itaque ac splendidiorem tumulum ex gypso et marmore, quem Boicæ gentis optimates auro et pretiosis lapillis exornarunt, in eadem ecclesia fieri curavit, in eoque venerabile ejus corpus deposuit. Rem, ut gesta est, pluribus narrat Aribo in Vita edenda num. 34 et sequenti, et Arnolfus Vochburgensis lib. I de Miraculis pariter dando, num. 3 et 4, ut necesse non sit, eam hic pluribus explicare. Addo tamen, quod idem Arnolfus lib. 2 apud Canisium in antiquis lectionibus de eadem denuo sed breviter annotavit. Imprimis, inquit, præfuit (ecclesiæ Ratisbonensi) dominus Gaubaldus, vir sanctus et religiosus, sub quo corpus F B. Emmerammi, vere martyris et episcopi, translatum est de loco, in quo positum fuerat, quando ab Ascheim huc transportatum erat. Translationis hujus tempus nusquam reperi, neque ex Aribonis aut Arnolfi dictis erui potest. De anno etiam S. Gaubaldi emortuali non convenit inter scriptores, quorum alii ipsi annos 13, alii 22, Trithemius etiam 40 in episcopatu tribuunt. Consule Opus nostrum tom I. Januarii ad diem VIII, ubi de ipso breviter actum est.

deinde seculo XVII inventum, argenteæ thecæ includitur.

83 Porro ut illa S. Emmerammi ecclesia tot seculorum lapsu varios casus subiit, ita etiam a variis restaurata exornataque fuit, quæ omnia enarrare hujus loci non est. Addo tamen ex Ratisbona Monastica cap. 7 eam anno 1642 fortuito igne conflagrasse, ac triennio post sacrum Martyris corpus sub altaris fornice summo cum gaudio repertum, ac tandem anno 1659 ipso sacro Pentecostes die argenteæ thecæ inclusum, publicæ fidelium venerationi expositum fuisse. Verba Cælestini abbatis ex Germanicis Latina subjungo. Anno MDCXLII, die XXX Julii pulchra illi probeque exornata

AUCTORE C. S.

exornata basilica ex inopino incendio in cinerem redacta est. Quam ob rem nos afflictos Deus misericordiæ suæ oculis denuo aspexit, tertioque post anno, nempe MDCXLV, die XXIII Martii pretiosissimum cimelium ac thesaurum, sanctum patrem nostrum Emmerammum, sub altaris fornice per ignem corrupto in duplici sua theca sive loculo inveniri permisit, qui deinde anno MDCLIX sacro Pentecostes die argenteæ lipsanothecæ inclusus, ac omnibus piis Christi fidelibus venerandus publice primum expositus est. *Ceterum ea ecclesiæ combustio sacrique corporis inventio sub Placido Judmann abbate, corporis vero in pretiosam illam thecam incluso sub abbate Cœlestino, Ratisbonæ monasticæ auctore, contigerunt; uti disco ex ejusdem Operis continuatore celsissimo abbate Joanne Baptista Krauss, qui Cœlestinum Vogl laudato Placido anno* 1655 *in abbatiam successisse testatur.*

Formosus Papa dicitur Emmerammum canonizasse,

84 *Laudatus Cœlestinus cap.* 7 *præterea aliqua addit de* S. Emmerammi *cultu per Formosum Papam ampliato, quæ hic examinanda sint. Sic ergo habet ibidem sermone Germanico :* Imperator Arnulfus .. strenue curavit, ut Papa Formosus tempore Tutonis episcopi Ratisbonensis S. Emmerammum Sanctorum albo inscriberet, eumdemque ex S. Georgii sacello transferret ad altare princeps ecclesiæ monasticæ, quam laudatus Formosus in honorem sanctissimæ Trinitatis, Dei Genetricis Mariæ, Apostolorum principis Petri, ac pretiosi martyris et episcopi Emmerammi, præsentibus archiepiscopis, et episcopis consecravit et Indulgentiis donavit. *Deinde subduntur sequentia Latine.* Episcopi huic actui præsentes fuere : Coloniensis, Belluacensis, Basileensis, Curiensis, Ossensis, Moguntinensis, Herbipolensis, Cabilionensis, Brumensis, Frisingensis, Hiltinensis, Constantiensis, Augustensis, Treverensis, Argentinensis, Mindensis, Wormatiensis, Spirensis, Mettensis, Verdunensis, Ratisbonensis. *Hactenus Cœlestinus, nullum ex dictis episcopis præter Tutonem nominans, nullumque instrumentum laudans, ex quo ea didicerit.*

ejusdem corpus transtulisse

85 *Suspicor tamen, id ipsum instrumentum esse, de quo celsissimus abbas Joannes Baptista Krauss ibidem inter annotata sic meminit :* In quodam Ms., sub initium seculi XV exarato, sequentia verba leguntur : « Anno Dominicæ Incarnationis « DCCCXCVIII, Indictione prima, imperante in« victissimo Romanorum augusto Arnolfo, presi« dente huic sedi felicis recordationis Tutone epo., « dedicatum est hoc templum Dei octavo Ka« lend. Octobris a sanctissimo Sedis Apostolice « presule Formoso... presente et hoc ipsum pro« curante dno Arnulfo imperatore, presentibus « quoque » (hic ponuntur episcopi superius notati) « omnibus itaque vere contritis et confessis « templum hoc devotis orationibus seu eleemo« synarum largitionibus frequentantibus relaxat « Dnus Papa predictus XL dies criminalium et « LXXX venialium. Et una cum ipso quatuor archie« piscopi supradicti singuli ipsorum XL dies cri« minalium et octuaginta dies venialium auctori« tate et consensu prefati Dni Papæ intervenientibus « perpetuis futuris temporibus duraturam. » *De eadem consecratione etiam mentio fit in Privilegio Ludovici, Arnulphi imperatoris filii, quod anno* 903 *datum notatur, et in quo apud laudatum celsissimum abbatem parte* 2 *Ratisbonæ monasticæ, sive lib. Probationum num.* 34 *Ludovicus ille sic loquitur :* Quod etiam monasterium sanctissimus Formosus Papa ad instantiam et petitionem beatæ memoriæ patris nostri Arnolfi imperatoris consecravit, magnam indulgentiam una cum episcopis cum eo ibi existentibus ipsi monasterio conferens, sex septimanis ante festum S. Emmerami, annis singulis perpetuo duraturam.

et ecclesiam dedicasse Ratisbonæ, quæ omnia

86 *Idem celsissimus Nota* 5 *ad Arnolfi imperatoris diploma, quod ibidem num.* 30 *recenset, ex Chronico, seu Floribus temporum Martini Minoritæ apud Eccardum tom.* I *Scriptorum medii ævi pag.* 1610 *ad propositum suum hæc profert :* Formosus... in Papam electus est, qui in Ratisbona ad sanctum Gumeranum dedicavit. *Monet autem recte,* Emmerammum *pro* Gumeranum *legendum esse. Verum isthæc omnia cum Formosi Pontificatu ac rebus gestis componi non possunt. Nam primo quidem Formosus Romanum Pontificatum tenuit ab anno Christi* 891 *usque ad* 896, *quo ipso Paschatis die vita functus est, atque adeo non potuit anno* 898 *Emmerammensem ecclesiam Ratisbonæ dedicare, ut habet Ms. præcedenti numero relatum. Secundo fuit quidem Arnulphus rex anno* 896 *Romæ apud Formosum Papam, qui ipsum adversus Lamberti tyrannidem eo advocaverat, ipsumque imperatorem tunc coronavit; sed laudatum Pontificem toto Pontificatus sui tempore umquam Ratisbonæ fuisse, nullus veterum scriptorum tradidit, nec aliunde verisimile est. Hinc non potest non hac in parte suspectum reddi prælaudatum Ludovici Germaniæ regis Privilegium, in quo etiam id insolitum reperitur, quod Ludovico II, Lotharii imperatoris filio, cognomentum* Pius *addatur, quod proprium est Ludovico Caroli Magni filio, qui ibidem sine illo titulo nominatur.*

admitti non possunt,

87 *Minus difficultatis pariunt auctor Ms. seculi* XV, *num.* 58 *laudati, et Martinus Minorita, qui, ut ipse habet initio sui Chronici, hoc ab initio mundi ad annum usque* 1290 *deduxit. Hi, inquam minus difficultatis pariunt, cum eorum prior in anno manifeste erraverit, et ambo a Formosi ætate tam remoti vixerint, ut in errorem facile potuerint induci. Ad hæc sæpe laudatus celsissimus abbas Kraussius satis insinuat, obscuram esse ejus memoriam; nam in Dissertatione sua de Ortu et libertate monasterii* S. Emmerammi *pag.* 263 *ait :* Traditio est, Formosum Papam ecclesiam S. Emmerammi consecrasse *et in libro Probationum Ratisbonæ monasticæ pag.* 83, *nota* 5 *scribit :* Quo autem anno id factum fuerit, *(consecratio ecclesiæ per Formosum)* nullibi expressum invenire potui. Antiquæ scripturæ et sculpturæ ecclesiæ nostræ (uti in vetusto libello Ms. legere est) de hac per Formosum facta dedicatione testantur, sed annum, quo id factum, non indigitant.

nisi forte eu partim per legatos fecisse dicatur.

88. *Tum subdit Martini Minoritæ verba superius relata; ex libello autem Ms. nihil addidit, quem ego eumdem esse crederem cum Ms. seculi* XV, *ex quo num.* 85 *aliqua recensuit, nisi in hoc annus dedicationis, (vitiose tamen) adscriptus esset. Ut itaque mentem meam edicam, ista per Formosum Papam ecclesiæ consecratio ceteraque eo spectantia, Arnolfo Vochburgensi æque ac reliquis scriptoribus plane ignota, nec Formosi gestis consona, non videntur mihi probabilia esse. Si tamen hæc revera præstiterit iste Pontifex, petente Arnulpho, dicendus est ea per legatos fecisse, vel* Emmerammum *inter Sanctos Romæ retulisse. Verum hæc tantum conjectura est, ex qua tamen intelligi potest, unde ea de* S. Emmerammi *canonizatione, corporis elevatione, ecclesiæque consecratione per Formosum Ratisbonæ peractis, opinio oriri potuerit; nempe dum omnia ipsi Pontifici adscripserunt,*

A *runt, quæ partim per ejusdem legatos facta fuerant.*

§ VI. Sancti memoria in Martyrologiis, Officia ecclesiastica, cultus et ecclesiæ plurimis in locis.

S. Emmerammum ad hunc diem,

De *antiqua* S. Emmerammi *in Bavaria veneratione, mox ab ipso martyrio illius inchoata, ex supra dictis satis superque constat. Nunc subdo cetera, quæ ad ejusdem cultum ecclesiasticum tam Ratisbonæ, quam aliis in locis receptum pertinent; ac primo quidem a Martyrologiis exordior, in quibus ad hunc diem* XXII *Septembris frequens de ipso fit mentio. Wandelbertus in Martyrologio suo metrico tomo 2 Spicilegii Acheriani per Ludovicum de la Barre iteratis typis excusi post S. Mauritium et Socios de eo sic cecinit :*

Emmeramus eum socio comitatur honore,
B Quem gens insignis Britannia voce reposcit.

Vide tamen, quæ de hisce versibus in Commentario prævio num. 41 *observavimus. Rabanus Maurus in Martyrologio suo eum eodem die ita breviter recensuit :* Et sancti Emmerami martyris. *Breviter quoque de eo meminit Martyrologium Hieronymianum Augustanum, tom.* VII *Junii a Sollerio nostro editum, in quo legitur :* Eodem die S. Emmerami martyris. *Nihil de ipso apud Bedam, Notkerum et Adonem legere est; sed Usuardus eumdem ex ipsius, ut apparet, Vita suo Martyrologio his verbis inseruit :* Apud Beuuariam, sancti Emmerammi episcopi et martyris. Hic crimen stupri, a quodam commissum, sibi causa Christi imputari suasit, ac proinde mortis discrimen patienter pertulit.

laxato sæpe nomine, celebrant

90 *Porro observat ibidem Sollerius, in variis apographis Usuardinis pro* Beuuariam *legi modo* Bejovariam, *modo* Bannariam, *modo* Bavariam; *in Rosweydino autem* Ratisponæ. *In San-germanensi codice, ab anonymo monacho Benedictino in lucem dato, dicitur* Beuvariam, *quæ omnia* Bavariam *denotant. Multo etiam major est in ipsius Sancti nomine in iisdem discrepantia, uti Sollerius loco citato annotavit. Nam in codice Pratensi* C *sive San-Germanensi habetur* Himmerani *(in edito mox laudato est :* Heimmerani*) in Heriniensi,* Amtrani, *in Antverpiensi majore et in editione Munerati,* Avitramni; *apud Molanum,* Emerami; *in Antverpiensi maximo* Emineramini; *in Centulensi* Hameranti; *in Bruxellensi,* Hemmeranni vel Anteanni; *in Altempsiano* Hautramni, *in aliis denique aliter scribitur; quam ob rem Sollerius ex codice Rosweydino et Greveno pro* Emmerani, *quod maxime ad verum accedere censebat,* Emmerammi *in textu posuit. In Vitis quoque ipsius Mss. et editis aliqua nominis differentia occurrit. In vetusto codice, olim collegii Fuldensis, nunc Musei nostri,* Hemmerammus *et* Haimrammus *vocatur; in Trevirensi S. Maximini apographo* Heimerammus, *in Audomaropolitano* Haimerammus *vel* Haimramnus; *in Sangermanensi exemplari nostro* Hammiramnus; *in Ultrajectino* Emmeramnus, *ac denique in ejusdem Vita per Meginfredum et in libris de Miraculis ipsius per Arnolfum Vochburgensem conscriptis, et ab Henrico Canisio editis* Emmerammus, *quo modo jam passim solet appellari. Ad Martyrologia redeamus.*

Auctores C. S varia Martyrologia,

91 *Breve Sancti elogium ab Usuardo contextum nititur quidem Vitis per Aribonem et Meginfredum scriptis, in quibus dicitur* S. Emmerammus *Otæ vel Utæ, Theodonis Boioariorum ducis filiæ, et Sigibaldo juveni suasisse, ut se reum agerent stupri, quod illi commiserant; verum §* 4 *ostendimus, istud, salva Episcopi prudentia et sanctimonia, admitti non posse. Florarii tamen nostri Ms. Sanctorum auctor idem istud elogium, paucis verbis mutatis, adoptavit, sic inquiens :* In Bavaria, sancti Emmerammi Ratisponensis episcopi et martyris. Hic crimen stupri, a quodam commissum, causa Christi sibi imputari jussit, ac proinde mortis discrimen patienter pertulit. *Consensit etiam codicis Hagenoyensis scriptor, qui inter Usuardi auctaria apud Sollerium in prolixiori elogio inter cetera ait :* Eo tempore filia ducis stuprum commisit, quod illa cum fornicatore sibi *(Sancto)* confessa est. Quibus ille pœnitentiam injungens, sibi illud imponi fecit *etc. Contra vero scriptor codicis Usuardini Bruxellensis ibidem Usuardi dicta moderatius exponere maluit hoc modo :* Apud Radisponam civitatem Bavariæ passio beati Hemmeranni vel Anteanni, episcopi et martyris. Qui crimen stupri, a quodam commissum, E sibi innocenti pro Christo imputari permisit *etc.*

quæ hic exhibentur.

92 *Simili modo periodum illam temperavit scriptor codicis Aquicinctini; Belinus vero et Molanus in posterioribus editionibus substituerunt* Huic crimen stupri imputatum est. *Hisce consonat Martyrologium Germanicum, Canisii nomine editum. Petrus Galesinius, omissa martyrii causa, tantum ait :* Apud Baioariam, S. Emmerami episcopi et martyris, cui quo gravior dolor et cruciatus inureretur, singula membra abscissa sunt. *Recte quoque Baronius in Martyrologio Romano posuit :* Ratisponæ in Bavaria, sancti Emmerami episcopi et martyris, qui, ut alios liberaret, mortem sævissimam Christi causa patienter subiit. *Addo denique et Parisiense Martyrologium, in quo ad hunc diem pariter recte legitur :* In Bavaria, sancti Emerami Pictavensis, qui ignotæ sedis episcopus in Germaniam prædicandi Evangelii causa profectus est, et ob falsum crimen impie et crudeliter trucidatus est. *Ceterum martyrologi, qui* S. Emmerammum *Ratisbonæ annuntiant, intelligendi sunt de præcipuo ipsius cul-* F *tus loco, ubi nempe sacrum ejusdem corpus honoratur; non de palæstra martyrii; nam ut supra diximus, sanctus Episcopus martyrium subiit in Villa Helffendorf, obiitque haud ita procul a pago Aschaim.*

Officio ecclesiastico jam antiquitus

93 *Quod ad* Emmerammi *Officium ecclesiasticum pertinet, dubitari non potest, quin ipse aliquo jam a multis seculis honoratus fuerit in ecclesia sua Ratisbonensi; id enim insignis ipsius ibidem ab ipso fere ejusdem martyrio cœptus cultus, et ratio ipsa dictat. Arnolfus Vochburgensis in Epistola sua ad Burchardum abbatem, dudum ante medium seculum* XI *scripta, loquitur de quodam ejusdem vetusto Officio ibidem recitari solito, in cujus locum aliud substitui cupiebat, ut mox videbimus. Idem illud in Hungaria receptum erat, canebaturque a monachis et clero episcopatus, cui præerat Anastasius, quando ad ipsum veniens prædictus Arnolfus, novum composuit, et ab iisdem posthac recitandum curavit. Ita docet ipsemet in laudata Epistola, in qua postquam dixerat, sese ab abbate suo in Pannoniam missum, post superatum in Danubio* S. Emmerammi *ope præsens naufragii periculum, tandem in Pannonicam terram* pedem

AUCTORE C. S.

pedem e navi feliciter intulisse, mox subdidit : Qua me Anastasius archiepiscopus cæteris suscepit humanius, et affatur familiarius.

cultus fuit Ratisbonæ et in Hungaria;

94 *Deinde post pauca, quæ de Anastasii sententia circa Vitam* S. Emmerammi *ab Aribone scriptam num. 7 recitavimus, ad propositum nostrum denuo ait :* Apud quem sex hebdomadas manens, memoriæ sanctissimi Patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus Martyris animo. Has præfatus episcopus monachos et clericos suos fecit discere, et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare. Secundum quod scriptum est, « Recedant vetera de ore vestro » ; deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu, quam ullo auctoritatis ausu. *Anastasius ille, ut supra num. 7 diximus, fuit primo abbas Breunoviensis in Bohemia, deinde monasterii S. Martini in Hungaria, ex quo ad episcopatum* B *Colocensem item in Hungaria a S. Stephano rege promotus est. Vocatur autem hic archiepiscopus, quia Strigoniensem archiepiscopatum ob cæcitatem Sebastiani, ejusdem sedis archipræsulis, triennio administravit, unde ad suam Colocensem cathedram postea reversus, pallium, quod ea occasione a Romano Pontifice acceperat, retenuit, ac forte etiam tunc secundam Hungariæ metropoliticam dignitatem pro sua ecclesia impetravit, ut aliqui suspicantur. Hinc incertum est, utrum Anastasius Strigonii, an Colocæ degeret, quando Arnolfus apud ipsum hospitatus est, et consequenter, utrum hic an illic ista Officii recitatio fuerit introducta.*

alterum a Vochburgensi compositum edemus.

95 *Ex recitatis itaque Arnolfi verbis habemus, vetus aliquod de* S. Emmerammo *Officium cum Ratisbonæ tum in Hungaria eo tempore in usu fuisse, et in hujus locum novum ab Arnolfo compositum et ab Anastasio suis præscriptum esse. Verisimile est, novum istud Officium aut totum aut magnam partem idem esse cum illo, quod sæpe laudatus admodum reverendus pater Frobenius Forste, monasterii Ratisbonensis ad* S. Emmerammum *Prior, ex Arnolfi autographo codice descriptum nobis transmisit, quodque nos ob auctoris antiquitatem post libros de Miraculis excudemus. Officium hoc nullas Lectiones habet, sed orationes, hymnos, antiphonas et responsoria propria, ex sacris Scripturis et ipsius Sancti Actis* C *concinnata. Inter hymnos vero primo loco occurrit Sapphico metro scriptus, qui verisimiliter is ipse est, quem a Meginfredo Magdeburgensi magistro in gratiam Arnolfi compositum, eidemque donatum esse, superius num. 8 ostensum est. Idem hymnus, uti et multa alia ex eodem Officio in aliud, quo hodiedum Emmerammenses monachi utuntur, translata sunt, teste laudato Priore, qui etiam addit, in codice autographo antiquas notas cantus choralis adscriptas esse, quas prætermisit. Plura non addo, quia vetus istud Officium, ut dixi, exhibebo.*

Diœceses aliquot, in quibus Sanctus colitur,

96 *Inter Breviaria variarum gentium, quæ in Museo nostro habemus, aliquot etiam de* S. Emmerammo *nostro meminerunt. Ratisbonense illum hac die Officio duplici celebrat, Frisingense semiduplici, Eustadiense et Pragense commemoratione : Viennense vero in Austria ad diem* XXIV *hujus mensis Septembris illum pariter Officio semiduplici honorat. Adhæc observat crebro laudatus Frobenius in Ms. suo, eumdem sanctum Martyrem in episcopatu Nitriensi in Hungaria veluti primarium patronum coli. Haud dubie Hungari de quibus sermo denuo recurret, eo honore* S. Emmerammum *prosequuntur, ut gratos sese sancto* D *Martyri exhibeant pro singulari affectu, ex quo ille patriam et episcopatum deseruit, ut Christum ipsis prædicaret. Idem Frobenius catalogum contexuit ecclesiarum, quas in variis locis eidem Sancto dicatas esse compererat, quem ego totidem verbis huc transfero.*

et loca, in quibus habet ecclesias

97 In diœcesi Ratisbonensi. Ratisbonæ ecclesia monasterii, quod hujus Sancti corpus custodit, et patrocinio gloriatur.

Geisenfeldæ ecclesia parochialis.

Unter-Lauterbach prope Geisenfeldam ecclesia parochialis.

Holbach in præfectura Dingolfingana ecclesia parochialis.

Eschenbach in præfectura Tüschenreüt, in Superiori Palatinatu, ecclesia parochialis.

Köbliz in Landgraviatu Leuchtenbergensi ecclesia parochialis.

Waidhausen in præfectura Burgtrost Wizensi, in Superiori Palatinatu ecclesia parochialis.

Leonberg in districtu Waldsachsensis monasterii ecclesia parochialis.

Munchenreut in eodem districtu ecclesia parochialis. E

Eschelbach ecclesia parochialis.

Geisenhausen ecclesia parochialis.

Hebertsfelden, in præfectura Eggenfelden, ecclesia parochialis.

Capella in Harpoln, in præfectura Neumark.

Capella in Neuhausen prope Gerzen, in præfectura Teispacensi.

Capella in Gross-Puning, in præfectura Naternberg.

Altare S. Emmerammi cultui sacrum in ecclesia parochiali Eggenfeldæ.

suo nomini dicatas, recensentur;

98 In diœcesi Frisingensi. Helffendorff ecclesia, ubi etiam extra pagum monstratur lapis, sanguine Martyris quondam conspersus.

Ecclesia in Unter-phöring, ubi sancti Martyris corpus Isaræ fuit impositum, Ratisbonam devehendum.

Ecclesia in Ascheim, ubi corpus sancti Martyris primo fuit terræ mandatum, ubi etiam hodie sepulchrum monstratur.

Ibidem intra pagum capella in loco, ubi spiritum cælo transmisit,

Mosinning prope Ærding ecclesia parochialis.

In diœcesi Eystadiana. F

Spalt ecclesia collegiata.

Wembding ecclesia parochialis civitatis.

Rohr ecclesia parochialis.

Witteshaimb prope Mannheim ecclesia parochialis.

Trumerzam ecclesia parochialis.

Olesham ecclesia parochialis,

In diœcesi Salisburgensi. Vogtareut ecclesia parochialis.

In diœcesi Moguntina. Moguntiæ ecclesia parochialis civitatensis sub patrocinio S. Emmerammi.

In Hungaria. In episcopatu Neutriensi S. Emmerammus colitur tamquam primarius patronus. Plures alias ecclesias honoribus D. Emmerammi, in Ratisbonensi præprimis diœcesi, esse dicatas nullus dubito : attamen præfatæ solum hactenus ad nostram pervenere notitiam. *Hactenus admodum reverendus pater Prior : modo aliqua annotanda sunt.*

de quibus ecclesiis

99 *Ecclesiam in Helffendorf, in sancti Martyris palæstra conditam, suo tempore sive post medium seculum* VIII *jam exstitisse, scribit Aribo in Vita num.*

A *num.* 30, *ubi ait, illum martyrii locum, postquam multis annis incultus neglectusque jacuisset, tandem tot miraculis claruisse, ut Christiani religione ducti ecclesiam in eadem condiderint, in qua deinde etiam plurima beneficia ac miracula divinitus concessa fuere, quorum aliqua ipse Aribo se vidisse testatur. Carolus Meichelbeckius tom.* 1 *Historiæ Frisingensis, dissert.* 2 *pag.* xv *scribit, eumdem locum ecclesiæ Frisingensi donatum esse sub Erimberto, S. Corbiniani fratre, et secundo ejusdem sedis episcopo, atque ab hoc sacra æde decoratum, quam* S. Hemmerammi *honoribus consecravit. Eadem repetit in Erimberto* § 6, *et alibi, probatque ex instrumento traditionis Ortlaïpi, facto sub Aribone, quarto episcopo Frisingensi, quod inter instrumenta num.* 26 *recenset. In hoc re vera testatur Ortlaïpus, sese locum,* ubi beatus Christi martyr Heimrammus campum elegit certaminis, *quemque infra* Helphindorf *appellat,* ab incolis *justo pretio emisse, in eoque ecclesiam eidem Sancto exstruxisse,* bonæ memoriæ Ermberto episcopo dedicatore, *ac denique hanc* Aribonis episcopi ditioni *subjecisse. Notatur autem charta ista :* Actum in villa Isna sub die consule Nonis B Octubris, anno xxv regnante domno et illustrissimo duci Tassilone, Indictione x, *quem Tassilonis annum Meichelbeckius Christi anno* 772 *illigavit.*

hic nonnulla observantur,

100 *De ecclesia quoque in loco sancti Martyris emortuali erecta meminit Aribo in Vita num.* 25 *et sequenti scribens, hunc etiam* per spatia annorum innumera quasi oblivioni traditum, *tandem venerationi esse cœpisse, et sacra æde ejusdem nomini dicata exornatum, postquam animadversum est, eumdem, dum terra circumquaque sub altis nivibus rigebat,* vernali decore et amœnitate totum ... annum *florere, neque imbribus ceterisque aëris tempestatibus obnoxium esse. Addit, in eadem ecclesia plurima pariter beneficia vel miracula impetrari. Ecclesiam in Aschaim S. Petro Apostolo dicatam fuisse, quando* S. Emmerammi *examine mutilumque corpus in ea sepultum fuit, discimus ex eodem Aribone num.* 31 *in Vita; de mutato tamen ejusdem titulari nomine nec ipse meminit, nec aliunde reperimus, utrum lapsu temporis eadem ecclesia* S. Emmerammi *nomen assumpserit, an vero in ejusdem locum nova postmodum exstructa fuerit, sanctoque Martyri dicata, ita cœperit appellari. De utriusque loci,* C *emortualis scilicet ac sepulcralis, situ consule Commentarium num.* 70 *et seq. : de sacro vero corpore ex Aschaim Ratisbonam translato num.* 73 *et seqq. Ex ecclesiis in episcopatu Eustadiensi eidem Sancto dicatis duas parochiales, in Trumerzam nempe ac Olesham hocce tempore a Lutheranis occupari, sæpe dictus Frobenius Forste observat.*

præsertim de ecclesia Veringensi,

101 *In* Unter-phöring *sive* Voring inferiori, *loco ad Isaram amnem sito, ubi sancti Martyris corpus, ut Ratisbonam transferretur, navi impositum fuisse diximus, celebrem hodieque ejusdem cultum esse, docet me celsissimus abbas in annotatis ad cap.* 6 *Ratisbonæ monasticæ pag.* 36, *unde sequentia ex Germanicis Latine reddo.* In hoc loco S. Emmerammus etiamnum a devotis peregrinis constanter colitur. Etiam toti vici jam ab antiquis temporibus ad hunc sanctum Martyrem illuc veniunt cum supplicantium agmine eum honoraturi, Deumque in ipso laudaturi. Ecclesia ibidem anno MDCCXXXIX sæpius amplificata fuerat, et per artificiosum dominum Asam magno ornatu illustrata est : expensæ vero a clarissimo domino Josepho Nocker, mercatore Monachiensi piæ memoriæ, ejusque conjuge Maria Catharina etc. ex singulari erga S. Emmerammum zelo et devotione factæ fuerunt, ac præterea una presbytero eremitarum fundatum beneficium pro sex Missis ibidem singulis hebdomadis legendis. Hoc loco etiam est tirocinium Eremitarum Congregationis Frisingensis atque eorum comitia annua constituta. Eminentissimus Theodorus Cardinalis, episcopus Frisingensis etc., Bavariæ dux etc, dignatus est anno MDCCXLII die xv Julii ipsemet hanc novam Dei ædem pontificaliter consecrare atque per benignum decretum quædam pietatis exercitia ibidem perpetuo stabilire. Oportet etiam hic meminisse, serenissimum Maximilianum Emmanuelem, olim electorem et Bavariæ ducem, in litteris fundationis ipsummet fateri, sese in gemina Hungarica expeditione bellica, bis periculosa febri correptum fuisse, ex qua post factum S. Emmerammo votum, per ejusdem patrocinium convaluerit. Quapropter idem ipse fundationem ducentorum aureorum huic ecclesiæ constituit, ut Eremitæ diligentem hujus curam gererent. A paucis hebdomadis certior factus sum, devotionem in hoc loco etiam augeri, sanctumque Emmerammum ab illustrissimis etiam personis sæpe honorari. *Hactenus celsissimus.*

auctore C. S.

E

cultuque ejusdem

102 *In Hungaria etiam celebrem* S. Emmerammi *cultum esse, aut certe fuisse, scribit Melchior Inchofer tom* 1 *Annalium Hungaricorum in Chronico prævio ad annum Christi* 652, *ubi post relatum ejusdem Sancti apud Boios martyrium hæc ait :* Eum ab accepto deinde Evangelio Hungari ut Patronum non una basilica dedicata venerari cœperunt, quas inter diu enituit, quæ singulari opere prope Quinqueecclesias constructa est. *In Actis S. Zoërardi, sive Andreæ confessoris, et S. Benedicti martyris, qui seculo* XI *adolescente in Hungaria sanctitate floruerunt, a Mauro episcopo Quinqueecclesiensi conscriptis, et ad diem* XVII *Julii in opere nostro datis, dicitur sanctus ille Benedictus* in basilica B. Emmerammi martyris, in eadem sepultura, quæ pausabant ossa sancti patris Andreæ, *humatus fuisse. Inchofer mox laudatus in Annalibus ad annum* 1009 *quantum ex ejusdem Operis Indice percipio, hanc eamdem esse credidit cum ea, quam prope Quinqueecclesias dicatam esse supra dixerat, ejusdemque auctorem Gyselam, S. Stephani Hungariæ regis conjugem, fuisse opinatur; quamquam alii eamdem Geysæ* F *dicti regis patri malint adscribere.*

et ecclesiæ

103 *Verum si prope Quinqueecclesias aliqua* S. Emmerammi *exstiterit ecclesia, quod negare non possumus, oportet, hanc aliam fuisse ab illa, in qua laudatos SS. Zoërardum et Benedictum Maurus episcopus synchronus sepultos esse affirmavit. Sanctus enim Zoërardus vixit in monasterio Zobor non procul a civitate Nitria in cognomine comitatu sita ad fluvium, item Nitriam dictum, atque inde se contulit in proximam eremum prope Vagum fluvium non longe a civitate Trinchinio, unde mortuus ad ecclesiam* S. Emmerammi *delatus, ibidemque tumulatus est. In eodem, quo ipse loco, vixit discipulus illius S. Benedictus, ex quo a latronibus eductus occisusque, et in proximum fluvium Vagum præcipitatus est, atque inde postmodum extractus, et in eadem* S. Emmerammi *ecclesia sepultus. Erat itaque ecclesia hæc in comitatu Nitriensi, qui in Hungaria Superiori versus Poloniæ confinia situs est, a quo Quinqueecclesiensis civitas plurimum distat, quippe quæ jacet in Hungaria Inferiori, in comitatu Baraniensi non longe a Dravo flumine, quod Hungariam a Slavonia separat. Nescio igitur, utrum laudatus Inchofer*

AUCTORE C. S. *fer duas diversas ecclesias male confuderit, an unam, quæ in Nitriensi comitatu condita erat, circa Quinqueecclesiensem civitatem perperam collocaverit.*

in Hungaria, 104 *De Nitriensi* S. Emmerammi *ecclesia pariter meminit R. D. Andreas Placidus Maggor, archiabbas S. Martini in Hungaria, in litteris ad Bollandum nostrum olim missis, ex quibus Cuperus noster ad præcitatum diem Julii, pag.* 335 *sequentia recitavit :* Horum Sanctorum *(Zoërardi et Benedicti)* reliquiæ ex ecclesia S. Hippolyti martyris ad arcem Nitriensem translatæ, ac in ecclesia S. Emmerammi martyris in loco ac tumulo eminentiori impositæ jacuerunt. *Ceterum incompertum mihi est, an aliqua hujusmodi* S. Emmerammi *ecclesia ibidem supersit, et an ejusdem Sancti cultus, qualem Frobenius Forste superius num.* 98 *asseruit in Nitriensi episcopatu hodiedum obtineat. Dubitandi ratio est, quod R. P. Ladislaus Vid, collegii ac tirocinii nostri Trinchiniensis Rector, a laudato Cupero pag.* 327 *relatus, anno* 1660 *Nitriæ degens, ad Henschenium nostrum scripserit, quæ subdo.* Ecclesiæ cathedralis, seu capitularis B Nitriensis patroni hoc tempore sunt sancti Andreas et Benedictus, de quibus veluti patronis fiunt commemorationes. De S. Emeramo non habetur memoria in divinis, licet olim in ejus honorem capella dicatur fuisse erecta in eodem loco, in quo hodie basilica SS. Andreæ et Benedicti extat.

VITA

Auctore Aribone, Frisingensi episcopo,

Ex codice Musæi nostri signato Q Ms. 6, cum aliis collato.

CAPUT I.

Sancti patria, pia adolescentia et episcopatus : profectio ad Avaros Pannoniæ convertendos : apostolatus in Bavaria : alieni criminis sponte admissa invidia : iter Romanum inceptum.

Pictavii natus, et factus episcopus, a b c d e In nomine Dei summi. In perpetuum *a* regnante Domino nostro Jesu Christo, qui sanguine suo suos servos redimere dignatus est, cujus post passionem longe lateque flagrando in partibus mundi fama percreverat *b*, ita ut Europæ non modica pars insegniter sacræ Christianitatis indagine florere dinosceretur, et Occidentales tot Anglorum Britanni et Hiberni et Galli et Alamanni, et Germaniæ pars *c* paulatim mirifico modo in Dei laude constanter fulsissent, inter quas provincias Gothia *d*, Cinomannia *e*, Hispania, Aquitania, cum habitatoribus suis deponentes idololatriam, unicum Dei Filium colere ceperunt. In cujus Aquitaniæ prædictæ partibus Pictavis *f* vocabulo urbs antiqua D sita dinoscitur, ex qua ortus est puer, vocabulo Hemmerammus *g*, qui a puerili ætate cœpit mundum despicere, et quasi quisquilias hujus gloriam calcare, et ad sacrum liberalium litterarum studium se informare, ita dumtaxat, ut, superno Judice inspirante, ad summum promereretur conscendere pontificatus honorem *h*. f g h

2 Erat namque procerus statura, decorus forma, vultu sincerus, eleëmosynis præcipuus, jejuniis, castitate et continentia præclarus, sermone facundus, ad eradicanda vitia sagax, ad plantanda et irriganda subjectorum pectora simplex, cujus ex ore, quasi lymphæ amnis in ima convallium prosilientes, psalmodia inquiete emanavit, usque dum cuncta Davitica *i* ex more finiret. Subjectorum, ut diximus, præcordiorum arva cælesti imbre rigare insudabat, ita ut pœne otium ori minime concederet. Pes erat claudi, et oculus cæci, recreator pauperum, genitor orphanorum, defensor viduarum, gementium consolator. Dominicas vero oves pascendi *k* ejus pectori tanta inerat cura, ut per urbes Gallorum et oppida, per vicos et fidelium domos huc illucque discurrens, prædicando E sapientibus archana eructans, imbecillibus lac emanaret; et quod ore prædicabat exemplo confirmabat, ita ut a cunctis diligeretur. Ad eum autem confluebant Gallorum regni nobiles, ignobiles, locupletes et inopes, quibus pœne omnibus, prout necessitas compellebat, abundanter tribuere * non recusabat; aliis indumentum, aliis alimentum, aliis vero ornamenta, prout indigebant, hilarissimo vultu largitus est; ante omnia autem intrinsecus ædificare omnes insudabat. *gregem suum optime pascit.* i k * *al.* ministrare

3 Dum autem vir reverendissimus Hemmerammus episcopus tot vigoribus polleret, pervenit ad eum fama, quod in quibusdam Europæ partibus Pannoniensis plebs, tota Avarorum regna *l*, excæcatis oculis a Veritatis luce, quæ est Christus, maxime idolis deserviret. Unde Dei Famulus contristatus valde, et intrinsecus dolore tactus, intra semetipsum meditari cœpit illuc venire, ut Christum ibi prædicare deberet *m*. Relicta igitur domo et immensis substantiis, tot parentum nobilium turbas deserens, in sede urbis jam dictæ alium constituens episcopum *n*, imitans exemplum patriarchæ Abrahæ, cui per divinam præcipitur vocem exire de terra sua et de domo patris sui et de cognatione sua; arreptoque comitatu, prout mini- F straverat voluntas transmisso anne Ligere *o*, per partes Galliarum seminando * fidei semina, carpebat iter, usque dum caput Germaniæ penetraret, id est, Reni fluenta *p*. His jam amissis partibus Germaniam ingressus est, Qui dum linguam non novisset, per interpretem quendam religiosum presbyterum, Vitalem *q* nomine, in augmento audientium eximia divinitus plantando perrexit. *Avaris prædicaturus, Pannoniam petens,* l m n o * *al.* spargendo p q

4 Erat enim sermo illius in audientium pectore quasi imber temporaneus, dum verno arida arva suo infundit rore, de cujus infusione reviviscunt segetum radices, et omnium graminum virescunt genera; ita tellus, quasi ex somno mortis insurgens, suo decore in pristinam restauratur amœnitatem. Dum intentione hujus sollicitudinis perfecisset iter, ut eorum postponeret partes, cœpit Germaniam Austri ingredi, et ad fluenta Danubii amnis in partibus Bajuvariorum *r* advenit : cujus dum sequeretur fluenta ad Radasbonam *s* urbem pervenit, quæ ex sectis lapidibus constructa, in metroplim hujus gentis arcem creverat, quam tunc in tempore dux gentis Bajuvariorum vir alacer Theoto *t* regebat; in quam urbem venerabilis Episcopus ingressus *Ratisbonam adveniens, a Theodone duce* r s t

A ingressus est. Dum autem prænotati principis præsentatus fuisset obtutibus, suumque secretum ad aditum oris perducens, Deo opitulante partibus Pannoniæ, ad robustam gentem Avarorum se iturum *u* professus est; ibique se aut pro Christo pati pollicebatur, aut illius nutu vitam in pace finire.

u rogatus. quia Pannoniam adire non licebat,

5 Eo namque tempore inter Hunorum et gentem Bajuvariorum orta est discordia, ita ut a vastantium manibus circa amnem Anisem *x* interjacentem depopulatæ urbes pœne desertæ esse viderentur, ut saltus bestiis in augmentum daretur intelligi *y*, quia humana fragilitas huc illucque transire diffidebat, quia quamvis jurandi vinculo adstrictus aliquis a quodam fuisset, penitus tamen magis * insidiæ, quam ostensa benignitas æstimaretur *z*. Tunc prædictus Theoto, Bajuvariorum gentis dux, se discordare cum Avaris prænuntians, illuc eum ire minime sinere professus est; sed petebat, ut tantus et talis Deo notus Episcopus apud se et suos remansisset. Postquam vero dulcia illius prædicamenta gustaverat *aa*, sinendi locum egressionis consentire non deberet, sed largiendo vultu honesto in jam memorata provincia Pontifici possessiones concedere deberet, et * eorum Pontifex esse debuisset, et si ita dignaretur * vel pro humilitatis studio abbas hujus provinciæ cœnobiis normali studio *bb* præesse non recusaret.

* al. majus
* al. ita ut
* al. dedignaretur
bb ibidem manet,

6 Sacer Dei Famulus se in hoc exisse ait a Gallorum finibus, ut gentes Hunorum, quæ ignorant Deum cæli, hoc est, Christum crucifixum, convertere debuisset; dum minime explendi cœptum iter licere sibi agnosceret, supplicanti duci consentit, prospiciens ipsam terram optimam, superficie amœnam, nemorosis arboribus locupletem, vino copiosam, ferro superfluam, auro et argento et purpuris habundantem, proceros viros et robustos, caritate et humanitate fundatos, humum fertilem segetibus, habundantem jumentis et gregibus omnibus, ita ut pœne superficies terræ cooperta esse videbatur *; mellis et apium copia habundat, piscium multitudine in stagnis et in amnibus infusa, prospicuis fontibus et rivulis irrigua, sale, prout opus erat, condita. Urbs est, ut prædiximus, Radasbona inexpugnabilis, quadris ædificata lapidibus, turrium exaltata magnitudine *, puteis abundans, cujus Septentrionalem partem Danubius suo rigore contra Ortum suo cursu infunditur fluenta *cc*. Regionis C montana fructifera, pascuis dedita, herbis habundans, et feris saltus, et fructeta cervis, bubulis, capreis, ibicum et omnium bestiarum atque ferarum generibus ornata.

* al. videretur
* al. multitudine

7 Sed habitatores ejus neophiti eo in tempore idololatriam radicitus ex se non exstirpaverunt, quia ut patres calicem Christi communem et dæmoniorum suis quoque *dd* filiis propinabant. Unde superno inspiramine venerabilis Pontifex eam, quam prospexerat, idololatriam funditus eradicare decreverat, et cum hujus terræ rudibus pectoribus inhabitantium commendaret fidei semina *ee*, ut in augmento frumentum jam doctrinæ consummatum conderet horreis, atque ut in novissimis gloriosam in loco consequeretur mortem, ut regio, in qua morabatur, in campum sufficeret certaminis. Hæc meditans *ff* continuo per triennium satagebat per urbes infra prædicti principis fines, per oppida, per vicos et fidelium domos discurrens, instantissimæ curæ intentus, aliis fidei semina plantabat in pectore, aliis vitia sagaci sermone radicitus ex corpore abscidebat; contra mites humilis apparebat, contra potentes erectus leonis fortitudinem ostendebat, et quidquid, excepto singulari habitu, a fidelium receperat manibus, cum gratiarum actione indigentibus impertiebatur.

ff et Bavaros per triennium

A. Arbone episc.

8 Dum hæc diutius agerentur, et pœne omnibus hujus terræ latibulis doctrina illius perlustrare * videretur, Vir sanctissimus per spiritum prævidens finem vitæ suæ appropinquantem, quo eum omnipotens Deus a vinculo laboris sui solvens, sibi eum sociare et perenni gaudio remunerari voluisset, quasi * intrepidus expectabat, ut robustus athleta in certaminis campo clipeo invisibili munitus, suæ vocationis ac remunerationis expectabat diem; et nihilominus certis temporibus die noctuque in antiquum hostem orationis mucrone, extenso brachio, jaculari non cessabat. Cœpit namque licentiam a cunctis inhabitantibus deposcere, ut orationis studio Romam ire licentiam ei concedere deberent. Erat enim conversabilis supra modum *gg* tam cum feminis, quam cum viris, quorum solertem in pectoris venis conditum regebat curam; quibus, ut prævaluit, singillatim irrigabat pectora, et ubi communis non sufficeret illata, diligentissime impertiebatur secreta, ut pœne nullus pertransisset, in cujus corde vel scintillam non seminaret divinam.

strenue exercet: deinde Romam iturus,
* i. e. fulgere
* al. qui

9 Eo namque tempore prædictus et inlustris dux prænotatæ gentis habebat filiam vocabulo Otam, E quæ libidine atque suadente diabolo, a cujusdam judicis filio, nuncupante * Sigibaldo est devicta; ita ut in utero conciperet. Cœperunt utrique inter semeptisos congemiscere, dum jam minime stuprum abscondere potuerunt. Facto autem invicem consilio, ad sanctissimi viri Hemmerammi episcopi pedes provoluti sunt, seque in stupro deprehensos insinuant, et nullo modo cruciatum evadere posse, nisi illius pietatis inspiramine supernus Judex lapsis porrexisset manum. Plus enim, ut peccantium mos est, præsentes pœnas pertimescebant, quam perpetuos cruciatus animarum. Cœpit itaque sanctissimus Vir gementium condolere sermonibus, commissum tamen peccatum acriter increpando arguens, animæ dampnationem pertimescere magis debere insinuans, quam temporalia corporum supplicia.

Otæ ducis filiæ stuprum
* i. e. nuncupato

10 Pœnitentiæ modum his indicavit, pietatis tamen manum non subtrahens, sub silentio eis præcepit, ut super eum commissum scelus mittere deberent *hh*, ut facilius evaderent cruciatus. Præsciebat venerandus Pontifex, ut, si hoc in publicum eveniret crimen, nullo modo his veniam a patre puellæ impetrare potuisset: tunc se criminis alieni F reum fieri obtulit, ut ab his flagellum, quod pertimescebant, averteret. Accepta a principe licentia, salutatis cunctis, tam duce quam prole et satrapis terræ, profectus est. In egressione autem illius tota civitas in luctum conversa est, tam egeni, quam locupletes, et ne tanto Pontifice orbati permanerent, optabant *ii*. In cujus comitatu clericorum cautela assecuta est. Erat enim Vir sanctissimus, prophetiæ spiritu plenus, et ut * legentibus occasionem subtraham, prophetiam illius inter multas unam innotesco.

hh sibi falso imponi jubet, et quodam presbytero
* ne

11 Cum enim ex urbe exiret Vir venerandus, quendam religiosum presbyterum, nomine Wolfleceum *kk*, ad se accersierat, prophetiæ spiritu secretum indicans, ait: Adtende, dilectissime frater, et ne cui, me vivente, dixeris: cum enim diversis cruciatibus ex cujusdam crimine vitam me finisse audieris, manifesta omnibus in sacris constitutis Ordinibus, ut ne eorum quis ignavia delinquat *ll*, nec hujus criminis noxium me judicet, et quasi imitando hujus rei exempla, ex suo labatur statu: quia docentium reprehensionem radicitus exstirpare debemus, et quamvis crimine innoxius absistat

kk hac de re secreto monito, proficiscitur.

A. ARIBONE EPISC. absistat, tamen exemplis sectantium atque detrahentium in peccato animas fovet, cum se a pravorum exemplis minime abscondit. Sicque prophetiæ spiritum eum habuisse nimirum constat, ut religiosus et prænotatus presbyter post gloriam remunerationis beati Pontificis ad cunctos, quos reperire potuit in sacris positos Ordinibus secretum revelasse testatus est, ut hujus esset innoxius criminis.

ANNOTATA.

a *In Ms. Audomaropolitano legitur :* In perpetuo. *Verum hujusmodi minutias posthac inobservatas præteribo.*

b *In eodem Ms.:* percrebuerat.

c *Ibidem sic legitur :* Ita ut Occidentales tot angulorum Britanniæ, Hiberniæ, Galliæ, Alamanniæ et Germaniæ partes etc.

d *Ex contextu satis liquet, biographum per* Gotiam *hic designare* Gotiam Gallicam, *sive provinciam Narbonensem primam, seu ejusdem partem, quæ a Visigothis incolis id nomen habuit.*

e *Audomaropolitanum habet,* Septimania; *verum ea ipsa est regio, quam etiam* Gothiam *appellatam fuisse diximus. Per* Cinomanniam *autem indicari videtur pagus Cenomanensis ; nunc vul-* B *go* Le Maine *dictus. In eodem Ms. Audomaropolitano pro* Hispania *ponitur* Spania.

f *Pictavium, indigenis* Poitiers, *vetus Galliæ civitas, et cognominis provinciæ caput est in Aquitania secunda, et episcopalis sub archiepiscopatu Burdigalensi. Adi Commentarium* § 2, *ubi hanc* S. Emmerammi *patriam adversus unum et alterum asseruimus.*

g *In Ms. Audomaropolitano semper legitur,* Haimmerammus *vel* Haimrammus; *in Ms. S. Maximini Trevirensis,* Heimerammus; *in San-Germanensi,* Hammirammus. *Plures hujus nominis variationes videsis in Commentario prævio num.* 90.

h *In San-Germanensi præpositio* ut *alio loco posita sensum hunc facit :* Ita dumtaxat superno arbitrio inspirante, ut summum promereretur pontificatus honorem. *De loco episcopatus ipsius vide infra Annotata ad lit.* n.

i *Id est, omnes psalmos Davidicos, sive Psalterium.*

k *Vocem hanc correxi ex Coïntio; nam in nostro codice perperam legebatur,* pascendas. *Audomaropolitanum habet :* Dominicarum vero ovium C ad pascendum ejus pectori tanta inerat cura *etc.*

l *I Audomaropolitano Ms. legitur :* Tot avarorum regna. *De hisce Avaris consule Commentarium prævium num.* 42 *et seq.*

m *Laudatum Ms. hanc periodum sic habet :* Unde Dei Famulus contristatus est valde et intrinsecus dolore tactus : ut intra semetipsum meditaretur venire, Christum ibi ut prædicare deberet.

n *Cum biographus nullam urbem supra nominaverit præter Pictavium, liquet,* S. Emmerammum *ex ejusdem sententia Pictaviensem episcopum fuisse; quod tamen admitti non posse, pluribus ostendimus in Commentario prævio, num* 29 *et seqq., quos consule. Porro cum* S. Emmerammus *post triennii prædicationem in Bavaria occisus sit anno* 652, *ut habet ejus epitaphium, dicendus est episcopatui suo cessisse, iterque ingressus esse anno* 649 *vel proxime præcedenti, ut in Commentario prævio observavimus.*

o Liger *vel* Ligeris, *Gallice* la Loire, *celebris* D *Franciæ fluvius est ac vulgo notus, qui Sancto ex Aquitania Germaniam petenti transeundus erat.*

q *Est et hic vulgo notissimus Germaniæ fluvius; qui Galliam versus Orientem ab illa separat. In Ms. Trevirensi pro* penetraret *legitur,* transierit.

d *De hoc Vitale presbytero infra mentio recurret. Jacobus Basnage tom.* 3 *parte* 2 *Antiquarum lectionum Canisii in Observationibus ad monumenta Salisburgensia num.* 13 *imperite hunc eumdem esse statuit cum S. Vitale, S. Ruperti Salisburgensis episcopi socio, et in episcopatum successore. Basnagium refutavit Marcus Hansizius tom.* 2 *Germaniæ sacræ, inter Corollaria num.* 20 *et seq., manifestum est, Vitalem hunc longe diversum fuisse a cognomine sancto episcopo Salisburgensi.*

r *In Ms. Audomaropolitano est* Bauuariorum. *Ceterum* Bajuvarii, Bauuarii, Bajoarii *et* Boi Bavaros *significant.*

s *Laudatum Ms. habet* Radasponam. *Est autem* Ratisbona *vel* Ratispona, *quæ alio etiam nomine* Reginum, *et ab Arnolfo Vochburgensi Græco vocabulo* Hiatospolis, *Latine* Imbripolis, *incolis vero* Regenspurg *dicitur, Germaniæ civitas in* E *Bavaria ad Danubium, ubi Reginum, vulgo* Reegen *fluvium recipit, condita. Fuit olim Bavariæ regum ducumque sedes, nunc vero libera imperii civitas est et episcopalis sub metropoli Salisburgensi.*

t Theoto *hic fuit hujus nominis I, de quo consule Commentarium prævium num.* 45 *et seqq. In Ms. Audomaropolitano, et ab Arnolfo lib.* I *de Miraculis* S. Emmerammi *vocatur* Dioto; *a Meginfredo vero in Vita, a Canisio edita,* Theodo.

u *Ita correxi ex Ms. Audomaropolitano : in nostro enim codice vitiose legebatur :* iturum velle *etc.*

x Anesis, Anisus, Anasus, *vulgo* Ens, *Germaniæ fluvius est, qui in ditione Salisburgensi ortus, Stiriam Superiorem ab Austria item Superiori dividit, ac deinde in hac paulo supra civitatem* Anassum, *incolis* Ens *pariter dictam, in Danubium illabitur. Porro dictam Austriam Avares seu Hunno-Avares occuparunt, atque inde Bavariam frequenter infestarunt, donec tandem a Carolo Magno victi ac pene deleti fuere. Vide Pagium in Critica Baronii ad annos Christi* 788, 790 *et* 791.

y *Ita habent omnia nostra exemplaria, et Coïntius : quid tamen vitiosa phrasis sibi velit, satis liquet.* F

z *Id est, nullam fidem haberi posse Avaris, etiamsi cum jurejurando accessum ad se concessissent.*

aa *Ita habetur in omnibus exemplaribus; sed ut sensus sit integer, supple hic :* Statuit quod *etc.*

bb *Coïntius legit :* Vel pro humilitatis studio abbas hujus provinciæ cœnobialis normæ studio *etc. Adi Commentarium prævium num.* 54.

cc *Hæc in Ms. San-Germanensi correctius sic leguntur :* Cujus Septentrionalem partem suo rigore Danubius contra Ortum suis infundit fluentis.

dd *Vocem hanc ex Coïntio restitui, cum in Mss. nostris legeretur :* Suisque. *Forsitan tamen legendum est :* Sibi suisque filiis *etc. Ceterum de Religionis eo tempore in Bavaria statu consule Commentarium prævium num.* 48 *et seqq.*

ee *Coïntius et Ms. S. Maximini Trevirense pro* rudibus pectoribus *habet* rure pectori ; *Audomaropolitanum :* Rorem pectoris in abundantium

Sensus

A *Sensus clarior erit, si obscuram periodum sic reddamus :* Et cum rore hujus terræ inhabitantium pectoribus commendare fidei semina.

ff *Vocem hanc ex Ms. Trevirensi et Coïntio substitui : in codice enim nostro est :* Hæc eo meditante,

gg *In Ms. Trevirensi et apud Coïntium legitur :* Erat ei conversabilis *(aut* converbalis*)* modus *etc.*

hh *Hoc* Emmerammi *de stupro sibi falso imponendo consilium cum sanioris criticæ viris velut sancto Episcopo plane indignum rejecimus in Commentario prævio num.* 59 *et seqq.*

ii *Vox* optabant, *quæ in nostro codice deerat, ex Trevirensi hic addita est.*

kk *In Ms. Audomaropolitano vocatur* Wulfrecuus, *in San-Germanensi* Wolflagius, *apud Coïntium* Wolfletus, *a Meginfredo* Wolflacius. *Hundius in Metropoli Salisburgensi part.* 1 *pag.* 186 *ipsum* Velipholægum *appellat, sanctique* Emmerammi *in episcopatu Ratisbonensi successorem perperam facit.*

ll *Periodum hanc Coïntius, cui Audomaropolitanum et San-Germanense Mss. fere consonant,*
B *sic exhibet :* Etenim cum diversis cruciatibus ex cujusdam crimine vitam me finisse audieris, tunc detur intelligi, ut omnibus in sacris constitutis Ordinibus denuntiare studeas, ut ne eorum quis signa vitæ derelinquat *etc.*

CAPUT II.

Ota Sanctum stupri accusat : ipsa relegatur : Sanctus in Helffendorf crudeli martyrio affectus, dum adhuc spirans vehitur ad vicum Aschaim, in via moritur.

Interim Ota Sanctum de stupro accusans,
** imo :* quærere
a
b

Venerabilis Dei Episcopus, ut pollicitus est, Apostolorum se limina simulat quærenda * inscius tamen non fuerat finis rei, quæ acciderat. Carpendi itineris quem prædixerat, dierum trium cursum expleverat, et ad locum dilectum cum pervenerat, occasionem egredi non tulerat *a*; erat namque in loco fons, qui prospicuas emanabat aquas, ubi victoriæ in agone, quam optabat, certaminis elegerat campum. Se cujusdam rei quasi exspectandi simulat *b*, ut discipulorum miraretur agmen, cujus rei Pontificis cura inesset pectore. Factum est autem, ut prænotati ducis filia in stupro aperte reprehensa fuisset, et patris præsentaretur obtutibus, et coram astantibus inquisita, quis hanc nefandam auderet committere sententiam, ut tanti viri subolem præsumpsisset commixtione sociare; illa namque exterrita et nimio pavore perculsa, Episcopi secum mixtione hoc contigisse professa est. Pater vero temporali gloria indomitus, in vehementissimam exarsit iram, ita ut a suis vix retentus, ut proprias in eam non immitteret manus, et suam ense prosterneret subolem.

relegatur in Italiam : Lambertus eumdem

13 Dum hoc perficere non posse se cerneret, privavit eam substantiis rebusque omnibus, et in exilii damnationem in Ausoniam direxit, in qua damnatione prædicta jam femina usque ad mortis permansit diem. Erat autem ei germanus, nomine Lantbertus, qui dum suæ sororis cerneret confusionem, nimio furore repletus, ad suam condemnationem arrepto comitatu, prout posset suæ animæ explere nequitiam, velocissimo cursu per callem post venerabilem Dei Famulum intrepidus iter explicare conatus est, usquedum pervenisset ad villam nuncupatam Helphindorf *c*, in qua cælesti sede beatus Episcopus propriam animam martyrio Deo propinare decreverat. Stans vero Miles Christi ense præcinctus in certaminis campo, corde intrepidus, diei illius hymnificabat Tertiam, in qua domo clypeus parieti infixus erat, super quem suspensis patrociniis *d* accensa lucerna studiosissimam cum suis fundebat ad Dominum orationem.

A. Aribone episc.
c
d

assecutus in Helffendorf,

14 Audientes autem in choro Deo devotissimi Episcopi currentium impetum et sonitum equorum immensum, et clypeorum commotionem, cucurrit unus ex his, de choro prosiliens ad aditum domus; dum proterva mente cum clypeis et hastis infra septa domus intrare multitudinem cerneret, Magistri auribus in conspectu condiscipulorum alta voce intulit. Sanctus itaque Dei Episcopus hilari vultu eorum corda confirmando intulit, dicens : Hi, qui venerunt, non nostræ condemnationis re *e*, sed per hos remunerari me oportet. Cum autem prædictus puellæ germanus E
frater venerabilem ibi adesse Episcopum comperit, prosiliens ex equo, quo sedebat, erat namque in medio vestibulo petra posita, sicut mos est in equum ascendentium, super quam exiliens, stans virga suffultus, Episcopum adduci præcepit. Dum autem deductum ad se videret, temporali gloria elatus ex occasione intulit verba dicens : Age *, episcope et gener noster! Ipse autem Deum testem invocans, se terrenis actibus socerum non habere testatus est.

e
** al.* Væ.

frustra sese purgantem.

15 Cum hæc prædictus princeps audire contempsisset, et multis injuriis et contumeliis in conspectu astantium verba in faciem illius jacularetur, et improperiis sine numero, quibus honoribus tot tempora honorifice sub ducis ditione vitam duceret, ut tantam contumeliam inferre Pontifex non debuisset, ut tanti viri talisque summi principis filiam libidinosus in exemplum multorum usque ad partum deduceret, cœpit sanctissimus vir Dei Episcopus hilari vultu, modestis et pacificis verbis excusationem inferre, dicens : Ad Romam me iturum promisi, limina supplex quærenda Apostolorum principis Petri, cujus Ecclesia Evangelica auctoritate fundata esse dinoscitur, cujus sub mundi thalamo censorem adesse, dubium non est, qui Deo autore Petri successit in honorem Apostolicus vir et sanctissimus et tenet primatum in sacris F
constitutus Ordinibus. Mitte quemvis prudentem mecum pariter, ut depræsentetur in conspectu tanti Pontificis hac de re sententia, et ibi normaliter dijudicer, ne hujus reus appaream criminis. Ex caritatis causa tibi consilium do; (sed scio, te illud non recipere) non quod cruciatus tuos pertimescam; sed tuæ damnationi magis condoleo, quia animæ tuæ detrimentum facere te, jam dubium non est.

scalis alligari, membrisque

16 Contumax vero tyrannus veritatis verbis colla subponere despexit, luminis cæcatus mente, arrepto baculo, cui suffultus incumbebat, infligere pectore tanti et talis Dei Episcopi non metuens, et statim sequentibus præcepit, ut in eum manus injicerent. Clericorum illius cum hæc cerneret cautela, pavore immenso exterriti, per latebras domorum velamini se obposuerunt, imitantes, quod de Veritate jam olim propheta vaticinio intulerat, Percutiam, inquit, Pastorem, et dispergentur oves gregis. Militum vero non modica turba

A. Aridone episc.

ba acriter injicientes manus in sanctum Dei Episcopum, ut furentis temporalis domini animum mitigare potuissent. Ex imperio principis expoliatum * clamide et stola, in hospitis sui scuria *f*, ubi grana condere videbantur, deductus est scalæ superpositus, funibus alligatus, inter spatia et membrorum abscisionem, ut potuit, maximas Christo fundebat preces, dicens : Domine Jesu Christe, qui manus in Crucem misisti, et de tuo sanguine me redemisti, tibi maximas refero gratias, quia me de tot regionibus ad hunc locum deducere dignatus es, et hujus innoxium criminis tuo amore disponis fundere sanguinem.

* *imo expoliatus*

dire mutilari jubet,

17 Eo namque orante, quinque electi sunt, qui ejus membra sectionibus absciderent : quorum duo tremefacti, pallida facie ex archano cordis proferunt verba, dicentes : Domine Jesu Christe, hujus sanguinem de manibus nostris non requiras : tu enim scis, non sponte, sed imperio coactos nos hoc agere, quod acturi erimus. Sanctissimus vero Dei Famulus, ut audivit, dixit : Domine, retribue illis secundum cor illorum. Reliqui autem, qui aderant carnificum, tres impietatem cordis aperto B testimonio eructabant, dicentes : Cur non crudeliter manus in eum immittere debemus, qui impudenter libidinis suæ fomite in tanti viri sobolem manus injecit? Ita et in exemplum longe lateque doceatur, femininis injectas manus *g* illicite amputari debere : et statim digitorum summitates membratim absciderunt. Deinde, ut furentis viri urguerat * imperium, oculos ab imo capite radicitus eruerunt : deinde amputatis manibus, utrasque aures, ut crudelissimi viri et puellæ fratris mitigarent animum, truncarunt.

* al. urgebat

et evulsa lingua, semineccm relinquit.

18 Inter tot cruciatus sanctus Dei Martyr, quasi perspicuus fons manando cursum suum non intermittit, ita ymnificans Deo psalmodia non cessabat. Factus namque in agone ex superna virtute robustus, ut astantium ei nec gemitus aures commovisset, sed hilari vultu, sinceraque mente Deo, ut diximus, indesinenter fundebat preces. Tunc nec pœnis torquentium videbatur * sufficere, pedes utrosque cum palmis prius evacuatis articulis abscidentes, tanti altithroni Dei Martyris genitalia inpudenter abstrahere veriti non sunt : cujus, quamvis modica, vox in Dei perseverans laudi- C bus, nihilominus anhelabat Daviticum carmen psallere. Cumque eum * pœnis afflictum, membrorum compagine solutum prospexissent, linguæ invidentes ministerio, ejus ori ferrum imponentes, ex palato beati Martyris abscidebant, relictoque truncato corpore, evacuatis membris, abierunt; remansit autem in certaminis campo cruore involutus Victor triumphalis exultans.

* al. addit. hoc

* al. addit tot

Sanctus sitiens Vitali, aquam sibi dare differenti,

19 His abeuntibus, ad venerabilem Dei Martyrem ex latebris et frutectis, et ædificiorum angulis clericorum cohors cum vicinis mulieribus *h* adunati sunt. Sanctus Dei et gloriosus Martyr adstantibus sibimet ad refocillandum *i* aquam poscebat; tunc religiosus suus presbyter et interpres, cujus superius mentionem fecimus, nomine Vitalis, ex Magistri cruciatibus dolere coactus, flebiliter dixit : Quidnam refocillari vis, cum evacuatus tot tormentis membrorum esse dinosceris ? Melius namque est, ut mihi videtur, mori te adoptes *, quam tantis contumeliis afflictus, vivendi studium habere coneris. Tunc Dei Martyr, ut vidit subjecti sui animum terrenis actibus magis pudicum, quam expedisset, collecto spiritu abscisæ linguæ verba, ut potuit, explicaverat, dicens : Numquid ad memoriam redii, sæpe me dixisse, quempiam ad mortem festinare minime debere; sed magis optando differre, ut possit piis intercessionibus faciem præoccupare Domini, ut detur spatium infirmis ad pœnitendum, quæ perpetraverat infirmitas humana. An prigitiæ tuæ grave videtur cruentum refrigerare pectus ? D

* al mortem adoptes

pœnam prædicit, quam is luit,

20 Sed nunc temporali vitæ tuæ proponam pœnam, ut, quocumque die aliquod potandi genus ori tuo propinaveris, a pristino sensu alienus efficiaris. Non damnum alicui inferas, sed inobedientibus in exemplum permaneas *k*. Sicque factum est, ut sermo sancti Viri et Dei Martyris in veritate permansisset : nam prædictus presbyter Vitalis in ea civitate, qua corpus Christi Martyris fuerat deductum, diu et dies multos post Magistri obitum vixerat, et quam diu jejunabat, peritiæ suæque sententiæ eximiæ viventibus præbebat exemplum, ut pœne nullus præterisset dies, in quo Missarum sollemnia cum psalmodia ymnificando non complesset laudem ; ut puta, indagando vestigia Magistri in arduam hujus ævi callem insudando; ut eum poli culmen ascendisse, dubium non est; * quia eleëmosynarum erat studiosus, et quod viribus implere non potuit, voluntatem tamen indigentibus non abstraxit; Orationibus et vigiliis non mediocriter intentus, caritate et hospitalitate insignis. E

* imo sit

donec vixit. Membra Sancti in quadam arbore posita,

21 Sed tamen, ut diximus, Magistri verba usque ad obitum suum complesse, certum est. Nam cum perfecto jujunio, certis temporibus alimentum sumeret, cujuscumque poculi genus ore percepisset, statim pristino alienatus sensu, a spiritu immundo est correptus, commutata facie et stridoribus immensis huc illucque discurrens per plateas urbis, per terrarum voragines, per disrupta petrarum loca, per monumenta mortuorum, per diversa spatia locorum, nefandis verbis et turpibus perstrepebat, et tamen nemini inferens damnum. Aliquotiens eum per altitudinem turrium currere contigit, et præcipitium sui corporis minime pertulit, usque dum suæ vocationis complesset diem. His itaque transactis, incolæ hujus loci, collectis abscisis sacri Martyris membris, in quadam arbore, vulgari locutione Spina alba, condentes abierunt. Erat namque a multis medicis vulgatum, ut cujuslibet abscisa membra * et sub humo projecta, hujus truncus nullius medici arte sanitatis recuperationem consequeretur *l*. Sed hoc fidelibus in exemplum trahendum non est; sed magis propheticum imitari testimonium, ut jactet curam suam in Deum, et ipse eum enutriet. F

* supple : fuissent

deinde minime reperiuntur: qua de re auctor

22 Eadem namque die, non longo intermisso spatio, duo ignoti atque pulcherrimi viri, equitantes per publicam callem, a quibusdam arantibus in agro de sacris sancti Martyris membris inquirentes, dum diutius sciscitarentur, innotuerunt, quod in quandam arborem summissa essent, cunctis agri cultoribus videntibus, ad eum locum declinaverunt, et amplius ab his visi non sunt. Tanti hujus rei testes sunt, quanti habitatores hujus loci existunt, qui ammiratione * perculsi de eis incognitis viris et de disparitione eorum, pergentes ad arborem, sed ea, quæ posuerunt, sancti Martyris membra minime invenerunt. Res namque mira et nostris temporibus valde stupenda ! quia adhuc incognita humanæ permanet infirmitati, a quibus sublata, vel ubi deportata fuissent. Sed quid ex his, quæ prædiximus, membris sentiendum sit, ignoro; nisi per divinam dispensationem hoc fuisset datum intelligi, quibus fuisset dignus sanctus Martyr meritis, cum cruenta et secta ab se, adhuc eo vivente, membra, per cognitionem divinam ab eo loco sumpta, sub gloria honoris

* al. miseratione

A. ARIBONE EPISC.

A honoris condidisse dubium non est; et tamen, ut diximus, hominibus incognita permanent *m*.

m suam conjecturam profert. Sanctus dum in Aschaim vehitur,

23 Sed idcirco ea membra a veritatis tramite deviasse existimo, ut per suos actus capiti invisibili, qui est Christus, subministrantes, remotis propriis voluptatibus, pauperibus præbentes famulatum, intrepide pro Christo contumeliis afficiantur, dum eorum spes et caput, qui est Christus, ad ædificationem viventium, ne sperantia in se membra, ut digna erant, providisset sub honore *n*; et propterea ea ab incognitis ablata viris in capitis cognitione, id est Divinitatis condere * non mediocri gloria, dubium non est. Res autem habitantibus innotuit membrorum, ita ut eis in stuporem verteretur, et quamvis parum, tamen apertis oculis ejus cognoscebant *o* sanctitatem. Tunc viri, qui erant cum eo, beatum et Deo devotissimum episcopum Hemmerammum, et gloriæ martyrii triumphum, ex certaminis campo, id est, ex area, quæ tunc frumento pretiosiore margaritis purgati tritici, id est, cruore conspersa jacebat ponentes in plaustro, reducentes certatim ad villam publicam nuncupantem Aschaim *p* distantem miliario fere duodecimo, ubi ecclesia B beati Petri apostoli mœnibus constructa esse videbatur, ut tantum Virum et Dei Martyrem illuc deducere deberent, ne in eorum vilibus ædificiis vitalem finiret flatum: quia quamvis in eorum oculis prius non tantum despectus, sed etiam neci submissus fuisset, tunc in magnam, ut dignus erat, venerationem excreverat.

* i. e. condi

tertio milliario ab eo vico moritur.

24 Sed et mulieres ex vicinis locis cum ducentis *q* viris pietatis viscere * commotæ, gyrantes plaustrum ob venerationem Martyris Christi in comitatu secutæ sunt. Cum autem pervenissent in parte campestri distante a prædicto loco, ubi tendere videbantur, miliario tertio, venerandus Dei Martyr voce, ut potuit, quamvis incondite hejulare cœperat, innuens, quod hora remunerationis suæ in cælestibus eum locum præterire non deberet. Unus ex his, qui erant cum eo, inspiratione divina ceteris, quasi subjectis, imperans *, ut eum de plaustro, quo jacebat, deponerent: qui subito deponentes, in amœno gramine submiserunt in campestri deserta planitie. Sicque factum est ut *r*, cum sancta illa anima de corpore exiret, cunctis, qui aderant, videntibus, quasi immensæ lampadis lux ex ore sancti Viri processisset in alta tramitis, remoto aëre, cælestia penetraret; ita ut egressionis C suæ splendor faciem præsentium fulminaret. Eo jam emisso spiritu, cunctos pavor invasit, et ita sunt tremore perculsi, ut vix tanti Viri corpus in plaustrum sublevare auderent.

* al. viscera

* i. e. imperavit

ANNOTATA.

a *In codice nostro legitur:* Egredi contulerat; *in Audomaropolitano, Trevirensi et Cointiano:* Egrediendi non tulerat. *Ex hisce substitui:* non tulerat, *et biographum sic interpretor:* Non tulerat, *id est,* passus non fuerat, occasionem *patiendi* egredi, *id est* elabi; *uti elapsura fuisset, si iter suum prosecutus, e Bavaria egredi festinasset.*

b *Vitiosam phrasim sic corrige:* Se cujusdam rei gratia expectare simulat,

c *In* S. Emmerammi *Vita, per Meginfredum scripta et infra ex Canisio recudenda, scribitur* Helphandorf, *nunc* Helffendorf *solet appellari, estque locus supra Monachium situs inter Isaram et Oenum in diœcesi Frisingensi.*

d *Id est,* Sanctorum reliquiis, *uti hæc etiam Meginfredus interpretatus est, dicens, advenisse Lantbertum,* celebrante illo canonicos hymnos et debitum Officium sub sanctarum testimonio reliquiarum solvente.

e *In Audomaropolitano et San-Germanensi legitur:* rei: *sed vel sic ineptus est sensus. Vult autem dicere, eos sibi non tam malum, quam gloriam allaturos.*

f Scuria, *quæ vox tum alibi, tum in Baiuwariorum legibus occurrit, significat,* horreum, stabulum, *vel locum quemlibet, ab injuria aëris tutum. Vide Cangium in Glossario.*

g *In Ms. nostro codice est:* Injectis manibus: *correxi ex Trevirensi.*

h *In Audomaropolitano additur:* Ad eum.

i *In Trevirensi additur:* pectus.

k *Non facile mihi persuaderi patiar,* S. Emmerammum *isthæc presbytero suo Vitali revera imprecatum fuisse, eademque huic propterea sic contigisse. Quis enim credat, tam gravem pio presbytero pœnam a sancto Episcopo suo ob inordinatum commiserationis affectum inflictam fuisse, ut vel sibi emori deberet, vel a mente alienari, quoties necessarium sustentandæ vitæ potum concessurus esset. Forsitan non nisi certum aliquot potus genus, vel excessum Sanctus ipsi interdixit,* E *quod biographus de omni omnino potu insulse interpretatus sit. Aribonis tamen dicta adoptavit Meginfredus. Porro cum idem Aribo supra dixerit, linguam sancto Martyri evulsam fuisse, consequenter dicendum erit, ipsum, quidquid demum Vitali dixit, elinguem locutum esse, quod miraculum inter alios etiam S. Leodegario, Augustodunensi episcopo et martyri, pariter contigisse legitur in ejus Actis apud Mabillonium in Vitis Sanctorum sui Ordinis Seculo 2.*

l *Hæc eodem modo recitat Cointius; sed in Mss. nostris aliis paulo etiam vitiosius leguntur. Porro recte mox monet Aribo, superstitiosa hæc esse, et a Christianis explodenda.*

m *Quid sit de horum equitum apparitione celerisque eodem spectantibus, ignoro; nec magis placet biographi de ablatis Sancti membris conjectura.*

n *Vitiosa est hæc periodus etiam in aliis nostris apographis et apud Cointium, qui eam utcumque restituere conatus est. Ego illam sic interpretor:* Sed idcirco ea membra a veritatis tramite *(id est, a cognitione hominum)* deviasse existimo ut *(Christiani)* per suos actus capiti invisibili, qui est Christus, subministrantes, remotis propriis voluptati- F bus, pauperibus præbentes famulatum intrepide pro Christo contumeliis affecti *(id est afficiantur cum)* eorum spes et caput, qui est Christus, ad ædificationem viventium, sperantia in se membra, ut digna erant, providisset sub honore.

o *Ita correxi ex Ms. Trevirensi: in nostro enim erat:* cognoscentes. *Attamen participio etiam sæpe alias pro aliis modis, Indicativo præsertim, ut mox infra, scriptor noster utitur, de quo lectorem semel monuisse sufficiat.*

p *Meginfredus in Vita a Canisio edita scribit* Ascheim. *Est autem pagus ad dexteram Isaræ ripam infra Monachium in episcopatu Frisingensi, ubi* S. Emmerammi *sepulcrum vacuum hodiedum ostendi aiunt. Adi Commentarium num.* 69 *et seqq.*

q *In Ms. Audomaropolitano pro* ducentis *est* ducentibus, *et tunc sensus erit:* Mulieris ex vicinis locis cum viris *plaustrum* ducentibus *etc. Verum* ducentis *in suo Ms. etiam legit Cointius: Meginfredus habet:* Mulieres ex vicinia collectæ et viri circiter ducenti *etc.*

r *Vocem* ut *addidi ex Ms. Audomaropolitano.*

A. ARIBONE EPISC.

CAPUT III.

Locus emortualis illustratus : divina ultio in Sancti carnifices, Lantpertum, ejusque posteros : Martyris palæstra honorata : corporis sepultura, translatio et elevatio.

Locus obitus ipsius miraculo inclarescens, ecclesia exornatur.

Sed hujus loci miraculum, ut mihi videtur, silentio tradendum non est. Erat namque incultus per spatia annorum innumera, et quasi oblivioni traditus, quod talem ex se Deo propinasset animam. Sed cunctis in locis per gyrum perclaruit in signum; quia ut mos est Germaniæ, ut faciem suam immensa nivium effusione cooperiat per totum hiemale tempus, ita ut in cubiti altitudinem excrescat; sed eo B loco minime permansit; ut quis prætereuntium quamvis parum permansisset *a*, et in vernali decore et amœnitate totum permansit annum. Sicque factum est, ut locus excusationem * inferret imbrium, atque procellarum turbini et elementorum ditioni subjacere non debuisset, qui angelicorum spirituum suæ presentiæ in tanti Dei Martyris animæ egressione fuisset consecratus. Erat enim secus locum quadrivium, ita ut a multis prætereuntibus huc illucque in miraculum decrevisset, et dum subtilius a nonnullis in circuitu fuisset sciscitatum, tam ammirabile signum, statim per quadrivium his, qui tunc aderant, ad memoriam rediit, quod in eo sancti Christi Martyris Hemmerammi anima exuta hujus exilii nexibus alta poli penetrasset *b*. Tunc commorantes in circuitu suæ collectionis ecclesiam ejusdem Martyris nomine dicatam in eodem loco construxerunt *c*, in qua non mediocriter innumera ex merito Martyris clarescunt signa.

* al. excussionem

Tres e Sancti carnificibus

26 Dum hujus loci mentionem inferimus, mira mirandis succedunt, quando ad memoriam rediit, unde longe superius ex sancti Viri sententia prætulisse me comperte de carnificum verbis, quod silere C minime licere me suspicor, quorum duo dignas Deo fundentes * preces, ut superna provideri hoc dignaretur pietas, quod non sponte, sed imperio coacti, tanto Dei Episcopo suis manibus pœnam inferrent. Unde subpliciter postulabant, ut hujus sanguinem ab his in die judicii non deberet requirere; dumque Vir Dei, eorum ut vidit corda, pro his Dominum deprecatus est, dicens : Domine, retribue eis secundum fidem illorum : sicque factum est, ut *d* hi in pacis tranquillitate suæ vocationis expectarent diem, reliqui vero tres torquentium, ut prædiximus, qui suæ crudelitatis in eum contumaciter manus imponebant, zelo diabolico succensi inproperantia et contumeliosa verba in faciem ei mittere non pertimescebant, ut *e* in eorum damnatione miseris actio nequissima non sufficeret, nisi in augmentum nequitiæ malitiam cordis ad aditum oris inproperando perducerent. Unde Veritatis probatur sententia, ut ex cordis abundantia os loqueretur.

* i. e. fundebant

a dæmonibus occupati, misere pereunt :

27 De quibus infra spatia septem dierum peractum est, ut unusquisque eorum immundo prostratus esset spiritu, et tamdiu vexati et usque ad hoc perducti, ut intempestæ noctis silentio aditum ædificiorum unusquisque in impetu spiritus inmundi prosilientes, relicto tramite, ut erant digni, ad deserta confugiunt * et per cacumina montium ac per ima convallium, per loca inhabitabilia, et humanæ fragilitati incognita discurrentes; ita ut miserorum cadavera nusquam ulterius comparuisse probarentur. Quidnam de his aliud sentiendum, nisi superno æquitatis judicio, qui impietatis eorum animo ferocissimo tam loquendo quam perficiendo in tantum Sacerdotem, eorum cordis nequitiam explere non verebantur, ut in damnationem eorum mens feris comparari deberet, ut propria mente alienati eorum corporibus ipsi damnum inferrent? Quid enim de sanctis Viris dicendum est, nisi Apostolicum illud testimonium, quo ait : An nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Unde recte subjungitur, ut violatores hujus templi a Deo disperderentur. D

* imo confugerent

Lantbertus in exsilium pulsus, cum posteris suis

28 De qua dispersione comprobatur de eorum temporali domino Lantberto, ut nihilominus disperderetur, quam ut suæ damnationis in exilio vitam finiret *f*, et sic in posteram progeniem ejus tanti Viri dicaretur sanguis, ut et radicitus hos exterminaret, ita ut eorum quis non remaneret; et ubi tam eminentia ædificia ceteris præminebant, in quibus E suæ confusionis decore *g* gloriabatur, modo urtica et platanus expansis foliis propagantur, et qui venenosam suam iram in Habitatorem templi Dei perficere non metuit, sua ædificia venenatis serpentium generibus relinqueret invitus, ita ut sint in sibilum et in exemplum viventibus, et quamvis dicentium verba sileant, tamen prætereuntibus loca prædicant, quia suæ contemplationis viatorum aliquotiens suspiria exprimunt. Propter hoc ut ipsi cavere debeant *, ne in sanctis Dei sacerdotibus incaute aliquid committant, ne et illorum hereditas, evacuata posteritate, sicut et contemplata loca testificantur, eradicetur, et in talpium * obscuram habitationem convertatur, et coacervata humus in testimonium permaneat viventibus *h*.

* al. possint

* i. e. talparum

pœnas divinitus inflictas luit.

* al. corporum

29 Cavenda namque est ira justorum, ne et ipsum iracundia provocent, qui inhabitator eorum corporibus * existit, de quibus per semetipsam Veritas dicit : Qui vos odit, me odit *i*, et reliqua. Ensem enim invisibilem non ostendunt, et tamen inulti non permanent; quia unusquisque justorum invisibili gladio præcinctus est sagacissimi sermonis Dei, qui ultionem infert his, qui non sibi proponunt ipsum veritatis spiritum in Deum, sed ejus templum F ictibus destruunt, et ubi manus nocendi non immitunt, detractionis veneficia secreto seminare non metuunt; sicque Spiritum sanctum, inhabitatorem templi, ad iracundiam provocant, non attendentes, quod scriptum est : Nam qui illum non habet placatum, numquam evadit iratum. Quidnam de his dicendum est, ut non defecissent, qui tam sanctum interemerunt Virum, dum tot in loco commorantium, ubi venerabilis Dei Episcopus triumphans victor extitit, qui quamvis in quantitate consensissent in nece ejus, ut his Deus non parceret in præsenti ævo, sed sic dissipati sunt de eodem loco, ut eorum quis non remaneret, destructa ædificia, certaminis campus in solitudine per annos permansit multos *k*.

Locus martyrii ecclesia et miraculis

30 Sed res mira et ad multorum ædificationem præclara contigit. Cœpit namque humus suæ amœnitatis crescere, ubi beatus Episcopus membrorum sectionum passus fuerat, ita ut in cubiti altitudinem se coacervaret, et a nivium infusione atque hiemali soliditate *l* se defenderet, ut palam daretur intelligi, quibus dignus fuisset meritis Martyr, dum elementa suæ virtutis in eum non prævaluerunt locum; sed in sua usque ad tempus permansit

A mansit jucunditate. Dum autem nonnullis res innotuisset, ut longe lateque commorantes ad videndum amœnissimum locum pergerent, et ibi sancta religione Christianitatis in honore beati Martyris Deo funderent preces, res tandem cunctis innotuit; qui, undecumque confidenter peterent, exauditos se cernebant. Tunc quidam Christiani, inito consilio, in eodem loco ecclesiam in honore ipsius Martyris Christi mœniis construxerunt, ubi perenniter innumera coruscant miracula *m*. Est autem in eodem loco perspicuus fons, qui distat a prædicta ecclesia, quantum quis lapidem propria eicere prævalet manu; sed sua fluenta secus fundit ecclesiam; humus hinc inde exaltatis deprimitur ripis, ut prolixius fundendi cursus spatium non sineret, sed infra deprimentem ripam relaxato sinu, ita ut lacum efficiat pulcherrimum, cujus in Septentrionis plaga amœnis muris in Martyris laudem constructa constat ecclesia, ubi innumeri cæci recipiunt visum et claudi gressum.

illustratur : Sanctus sepelitur in Aschaim :
* *al.* ordinabiliter

31 Multorum namque linguæ vincula gloriam et laudem Dei Martyris disrupta et soluta declarant, sed si de his locis et eorum miraculis ordinaliter * disponere debemus, quanta jam ibi coruscasse per Dei dispensationem in beati Heimrammi martyris Christi gloriam miracula, quæ oculis propriis vidi, sive fidelium narratione didici, dies utique prius cessat, quam sermo. Sed ne fastidium legentibus gignam, de sacri Martyris corpore quid in primis gestum sit, breviter pandam. Nam splendidior ulla præsentis vitæ luce, ut jam diximus, sancti Viri anima cunctis, qui aderant, videntibus, resoluta corporali vinculo æthereum cum *n* penetraret cælum, ut perenni frueretur gaudio, quod meruerat, hi, qui aderant, cum timore magno et reverentia sacrum sancti Viri corpus feretro imponentes, iter cœptum expleverunt ad ecclesiam B. Petri apostoli *o* in villa publica, Ascaim nuncupante, sitam pervenerunt, infra cujus septa honorifice adjunctis vicinis loci illius habitatoribus sepelientes, regressi sunt. Sed liquet, eum minime voluisse *p* resurrectionis expectare ibi diem; quia, ut longe superius memoriam fecimus, quod ei urbis Radasponæ complacuisset amænitas, ut remunerationis post ævi ruinam expectans diem, corpus suum illuc deferre voluisse, dubium non est.

C

sed orta gravi aëris intemperie, non sine prodigiis
*procederent

32 Sed res mira, ut aër ejus obtemperaret voluntati, qui commotus a parte Occidentalis plagæ fabonio, impeto fortitudinis suæ, ita ut nubium densitate facies cæli velaretur. Et pluvia inundabat super terram, et discurrentia fulmina, ut quadraginta diebus incessanter plueret, et tam diuturna infusione ymbrium torrentes in amnes decreverant, ut repletis alveis procedentes * per plana campestria, ita ut pœnitus facies telluris velaretur; et nisi tanti Viri et Dei Martyris ad urbem duxissent corpus, elementa aquarum ruinam provinciæ minarentur. Tunc nonnulis fidelibus viris per Dei dispensationem revelatum fuerat per nocturnas visiones, ut corpus sancti Viri ad adjutorium eorum ad civitatem deducerent. Collecta igitur cohors cum principe et sacerdotibus inito consilio convenientes, per quosdam fideles tanti Viri corpus, quo jacebat, ex humo tollentes et deducentes ad amnem Isaram *q*, puppi imponentes, accensis cæreis, fluminis fluenta descensione secuti sunt usque ad Danubium amnem, cujus intra ortum fluentibus *r* tanta prosperitate iter celerrime per tot spatia navigio perrexerunt, quasi extenso velo fuisset in prosperitate ventorum peractum.

33 Sed res mira et valde fidelium contemplationi honorifice tradenda! Nam inter tot ventorum flabra et procellarum fluctuosa et promiscua inundantia aquarum, et supernorum infusionem imbrium et subternorum intumescentium amnium undarum *s*, ut ex his lampadibus non extinguerentur lumina; sed tanta securitate quietissimam in altum flammæ direxerunt aciem, acsi in cubiculo tranquillissimo sine commotione aëris stetissent. Hii vero, qui secus amnium fluenta commorabantur, dum tantum in lampadibus inextinctis Martyris vidissent meritum, sua percutientes pectora in facies procidentes, Deum cæli adoraverunt. Cum autem pervenissent viri cum corpore beati Dei Martyris ad civitatem, quo tendebant, et ibi, ut erant docti, salubrem eligerent portum, obviam his factus est princeps *t* terræ cum satrapis et sacerdotibus deferentes vexilla cum turibulis, (erat enim innumerabile cum viris et mulieribus promiscuum vulgus) qui exaltata voce ymnificabant Domino, ex quorum vocibus tam præ gaudio, quam timore, tellus tremere videretur *.

A. Arisone episc. Ratisbonam vectus, ibidem tumulatur,

* *al.* videbatur
cessavitque intemperies. S. Garibaldus ejusdem corpus
* *i. e.* nubes

34 Tunc collecto corpore per manus sacerdotum, in B. Georgii ecclesiam *u* deferentes, ibi, ut erat dignum, cum summo honore sepelierunt. Eodem vero momento cælum tantam reddidit serenitatem, ut nubs * in nullis appareret plagis. Post multa vero tempora sacerdotibus visum fuerat, ut de loco corpus sancti Dei Martyris mutare deberent, adductis cementariis, suo arte compositione gypsi sepulchrum cum marmore construerent. Cum autem, ut erant docti, structuram perfecissent, ejecto populo extra septa templi, ostium ecclesiæ sacerdotes, qui erant, seris munierunt. Erat autem ordinator rei infra ecclesiam venerabilis Dei cultor Gawibaldus *x* episcopus, qui in his diebus urbis Radasponæ regebat pontificatum, cum presbyteris et diaconibus, quorum adhuc alii * supersunt. Cum autem humum removissent sepulchro (erat enim inmensæ magnitudinis lapis superpositus, quem cum timore et psallentio * movere voluissent, stabantque hinc inde per gyrum) eo jam remoto ex dextero in lævoque *y* quasi mensura palmi et semis, tunc super omnes timor irruit, ita ut manus omnium lapide laberentur, ex cujus terrore perculsi, resolutis viribus, retrorsum ceciderunt.

* *al.* addit multi
* *al.* silencio

F

in honorificentiori monumento deponit.

35 Sed tantum unus ex his, qui aderant a dextris, solidatis manibus lapidi subposito pectore permansit. Sed res mira et in Dei laude eximie veneranda! Lapis tanti ponderis inmensitate gravatus, aëre suffultus, tamdiu sustentatus est ab uno, quousque, qui aderant, pavidi exterritique vires reciperent, et succurrentes manus immisissent. Nam si hoc Martyris merita non sustinuissent, qui aliud fieri potuisset, nisi ut ossa subposita in momento comminuerentur? Hos vero aliter tanto pavore irruisse æstimandum non est, nisi ud in tanti Viri corporis præsentia his signis monstraretur in terris, cujus honoris ejus anima fulgeret in cælis. Tunc tanta celeritate et securitate lapidem removerunt, acsi minime in se gravitatis pondus habuisset. Sublato itaque corpore, Domino cæli ymnificantes, in locum, quem construxerant, posuerunt. Tunc imperantes principibus regionum, ut collectis artificibus innumeris, ex auro et argento sancti Martyris sepulchrum * superpositum fabricati sunt ita, ut in ea gemmarum cum margaritis compositiones rutilent, atque sculpturæ varietates fulgescant genera, sicut præsens dies *z* probat.

* *al.* monumentum

ANNOTATA

A. Aribone Episc.

ANNOTATA.

a *Periodus hæc etiam in ceteris Mss. nostris vitiosa est; Coïntius vero eamdem prætermisit.*

b *Isthæc omnia Meginfredus sic reddidit :* Hiemali tempestate, sicut natura est Germaniæ, cum totam terræ superficiem nivium operiret immensitas, sola corporis areola tali conditione libera, dum prætereuntibus huc et illuc miraculi sui stuporem ingessit, causam pariter suæ viriditatis, et memoriam obitus beati Martyris edocuit.

c *De ecclesia hac vide dicta Commentario prævio num.* 70 *et seqq., et* 98.

d *In Audomaropolitano additur :* Per orationem sancti Martyris. *Consule Vitam supra num.* 17.

e *Conjunctionem ut addidi ex Ms. Trevirensi uti etiam mox vocem* malitiam.

f *Quæ sequuntur, desunt in Ms. Audomaropolitano usque ad medium circiter num.* 48.

g *Vocem* decore *addidi ex Ms. Trevirensi.*

h *Lantbertum,* consurgente contra eum nata ex B sceleribus suis occasione, *perpetuo exsilio damnatum fuisse, scribit etiam Meginfredus. Illum apud Avares exsulasse Brunnerus et Adlzreitterus sine teste affirmant. Quod ad ejusdem posteros spectat non sic accipienda sunt biographi verba, quasi hi omnes jam sua ætate e vivis sublati fuerint; cum ex Meginfredo et ex Arnolfo Vochburgensi constet, horum tempore aliquot ex ejusdem stirpe etiam superfuisse, qui suæ prosapiæ pœnas etiam tum luebant. Et Arnolfi quidem tanto major hac in parte est auctoritas, quod hic, uti ipsemet lib.* 1 *de Miraculis secundum nostram partitionem num.* 27 *testatur, tunc temporis neptem haberet, cuidam ex ejusdem Lantberti posteris nuptam. Consule ipsum ibidem et duobus præcedentibus numeris.*

i *In Trevirensi rectius legitur :* Qui vos audit, me audit.

k *Hujus periodi, etiam apud Coïntium vitiosæ, hic sensus est : Quid mirum, si* S. Emmerammi *parricidæ divinitus puniti sint, cum etiam incolis loci, in quo Sanctus passus est, Deus non pepercerit, sed eorum domicilia dejecerit ita ut ipsa etiam Sancti palæstra multos annos deserta permaneret, quia illi, cum numero prævalerent, ejusdem* C *Martyris lanienam non impediissent, atque ita in eam quodammodo consensissent.*

l *Id est,* gelu, *sive* congelatione.

m *De hac ecclesia in Helffendorf consule Commentarium prævium num.* 98 *et seq.*

n *Hanc vocem* cum *suppleri ex Coïntio.*

o *Isthæc eclesia a* S. Emmerammi *corpore sepulto, etiam postquam inde ablatum fuit, nomen retinuit, Vide Annotata ad cap.* 2, *lit.* p.

p *Hunc etiam sensum restitui ex Ms. Trevirensi, cum in nostro codice perperam legeretur :* Sed eo nomine vel resurrectionis *etc.*

q Isara, *de quo hic, vulgo* Iser, *Germaniæ fluvius est in comitatu Tirolensi paucis milliaribus ab Oeniponte ortus, unde in Bavariam fluens, Monachium, Frisingam, Landishutum et Dingelfingam prælerlabitur, et supra oppidulum Pladling, e regione Deckendorfii in Danubium influit. Porro locus, ubi sacrum Martyris corpus Isaræ impositum fuit, creditur fuisse* Unter Vehring, *seu* Unterphöring, *Latine* Viringa inferior, *ubi in hujus memoriam ecclesia* S. Emmerammi *erecta dicitur, quæ hodiedum exstat, ut dictum est in Commentario num.* 73, 98 *et* 101.

r *Trevirense Ms. et Coïntius habent :* Cui contra ortum fluenti, *quod idem est. Voluit autem biographus hic indicare, navim, quæ hactenus secundo* D *Isara vecta fuerat, tum adverso Danubio, ut Ratisbonam peteret, ducendam fuisse. Hinc Meginfredus eumdem sic interpretatus est :* Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, acsi velum ventus post flumen intenderet.

s *In Trevirensi correctius legitur :* Et promiscuam inundationem aquarum, et supernarum intumescentium amnes undarum.

t *Nempe* Theodo, *ut habet Meginfredus.*

u *Erat ea ecclesia tum temporis extra urbis Ratisbonensis mœnia, de qua consule Commentarium num.* 75 *et seqq.*

x *Fuit hic. S. Garibaldus seu Gaubaldus, uti in Ms. Trevirensi vocatur, qui a S. Bonifacio archiepiscopo Moguntino, dum is auctoritate S. Gregorii III Papæ Baioariam in quatuor diœceses divideret, Ratisbonensi ecclesiæ anno* 739 *episcopus præfectus est. Consule Commentarium prævium num.* 82.

y *In Trevirensi legitur :* Ex dextro lævoque latere; E *Arnolfus vero eadem sic interpretatus est :* Cumque tremebunda religione a sepulchro humum resolvissent, nec non etiam lapidem superpositum a parte dextra in lævam submovissent mensura tantum quasi palmi et semis *etc.*

z *Scripsit Aribo seculo octavo senescente, ut diximus in Commentario num.* 4.

CAPUT IV.

Miracula quædam post Sancti obitum facta.

Nostris quoque temporibus cujusdam rustici conjux, infirmitate superveniente, præsens oculorum lumen amisit, quam vir suus ob cæcitatem despexit, et contra summi Dei præceptum aliam sibi in matrimonio sociavit. Dum nobis res innotuisset; quia sub pastorali cura in nostra diœcesi utrique fuissent *a*, hos arguere de adulterio studii, de perpetrato incestu minime tacui, pœnitentiam de commisso scelere indicavi; sed eam ex habitaculo proicere minime valui. Quia utræque in prædicti viri domo commorabantur, suadente diabolo, quamvis non palam, tamen de incestæ conjugis adulterio pedem peccantis officio minime retraxit. Sed dum ipsa adultera quadam die ad beati Dei Martyris festivitatem voluisset accedere, aliis in comitatu illuc pergentibus sociate est. Dum autem pervenissent ad locum, qui dicitur Vivarius, juxta civitatem, distantem a beati Martyris ecclesia in spatio passuum ducentorum, dum oculis intueretur forinsecus templum, statim in commisso scelere reprehensa est.

Adultera pellex ad Sancti ecclesiam accedere — *a* — E

37 Cœpit infelicitatem sua tremere, compagines membrorum dissolvere, se in sua miseria terræ prosternere, ita ut erecta in plantis dum fuisset, pedem ad carpendum iter movere minime potuisset; dum vero reverti voluisset, statim omnes compagines membrorum solidabantur. Dum autem in his angustiis desudaret, cuidam sacerdoti supervenisse contigit; et dum acta illius subtiliter inquisisset, suæ adulterinæ miseriæ *b* hoc contigisse professa est. Cui vir Dei monitionem impendit, ut ad nos reverteretur : quæ reversa dum fuisset, et nostris obtutibus præsentata

divinitus prohibita, post criminis confessionem — *b*

A. ARIBONE EPISC.

A sentata, pedibus nostris cum lacrimis provoluta est, et suæ miseriæ coram astantibus * confessionem alta voce dedit, et protinus adjunxit, in hoc si veniam apud Deum prævaleret impetrare *c*, * ut amplius sub uno ædificiorum tegmine cum eodem viro non maneret, a quo adulterina commixtione fuerat sociata.

* al. omnibus
* supple: fore
c

actamque pœnitentiam, ad eam commode accedit.

38 Dum autem monitionis nostræ atque increpationis acciperet formam, et de perpetratis secundum judicium nostrum pœnitentiam egisset, tanta securitate ad beati Martyris ecclesiam processit, acsi numquam membrorum dolorem pertulisset. Hoc enim, ut æstimo, in exemplum superna pietas tradidit, ut palam daretur intellegi, quibus distantiis a regno Dei alienentur adulteri, dum suorum Electorum ecclesias ingredi non possint. Sed hujus mulieris dum revolvo sententiam, Veritatis ad memoriam reducitur sermo sacer, quem in sua vaticinatione electorum mentibus describit : Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Unde recte subjungitur : Relinquat iniquus viam suam : quomodo enim quis Dominum invenire potest, nisi tramitem reliquerit iniquitatis? Hic enim non videbitur, et prope est; illic autem videbitur, et prope non est. Sicut et hæc mulier, dum beati Dei Martyris ecclesiam in sua coinquinatione videret, prope non erat; quia adpropinquare non quiverat; dum autem prolixius ad confitendum recessisset, prope erat; quia de perpetratis pœnitentiam agebat.

B

Senex, dum ad S. Emmerammi tenderet, captus et venditus

39 Mira mirandis succedunt. A quodam religioso et prudente viro audire me contigit *d*. Ajebat enim, ut quadam die ad beati Dei Martyris ecclesiam pro suis delictis ad intercedendum voluisset accedere, contigit ei, ut iter solus carperet. Dum autem pervenisset in solitudinem, quæ mutata vulgari locutione Fernifaidus *e* appellatur, incidit in latrones, qui eum exspoliaverunt, vinctisque manibus, concatinato ore, ut verba exprimere non quivisset, extra terminum eicientes eum genti Francorum venundati sunt. * Quidam ex his, qui eum pretio redemerat, in partibus Aquilonis Thuringorum gentis cuidam venundavit in conjacente confinio Porahtanorum *f* gentis, quæ ignorat Deum; et dum se prædictus senex gentilium idolorumque cultoribus proximatum esse cerneret, cœpit viribus, ut prevaluit, temporali domino suo præsenti atque absenti dignum præbere famulatum. Erat enim operandi peritia instructus, ita ut molendinam non mediocrem domino suo operando perfecisset, et ædificiorum munitiones mirifico composuisset modo.

d
e
* i. e. venundederunt
f
C

in Thuringia, viva uxore sua, aliam ducere

40 Hujus rei occasione invenit gratiam in conspectu patris-familias; et dum hoc continuo per triennium, ut potuit, implevisset, et tamen nihilominus a Dei cultura, ut invenisset *g*, orationibus non recessisset, contigit, ut quidam de conservis suis moreretur, qui relicta atque viduata conjuge, juvencula atque secundum hujus carnis putredinem pulcherrima, sine prolis procreatione decessisset. Cui seni temporalis dominus suus præcepit, ut eam sibi in matrimonio sociaret, et domui * cum substantiis frueretur. Religiosus autem senex contrario respondit, dicens : Uxorem in cognatione mea reliqui, dum pro peccatis meis innumeris captus fuissem, et eadem regione exterminatus, ut hujus traderer locis : sed, ea vivente, quomodo aliam in matrimonio ducam? Unde suus dominus sagacissimis atque asperrimis sermonibus subjunxit, dicens : Si eam non acceperis, hæc addat mihi Dominus, et hæc faciat, si non tradidero te genti Saxonum, quæ tot idolorum cultor existit. Scio enim, si uxorem apud me accipere recusas, et experimento cognosco, quod apud me commorare minime debeas; sed fugere magis adoptas; et ego ex tuo pretio fraudatus frustra * remanebo.

g
* domo
* al. vacuus

a domino suo coactus,

41 Cum autem diuturnis sermonibus in invicem luctarentur, et senex prædictus cerneret, quod imperium domini sui contempnere non posset, nisi se prohibendo tamquam ipse captivaretur *h* in gentem ignorantem Deum, quorum vitam, ut innotuit ex vicinitate, tamquam præcipitium mortis pertimescebat, necessitate compulsus, sibi eam sociare secundum sui domini voluntatem confessus est. Ille autem, adprehensa prædictæ mulieris dextra manu, circumvoluto pallio, ut mos nuptiarum compellit, coram astantibus conservis, conjuge et prole, hilari vultu tradidit illi in matrimonium; quia propter peritiam artis illius dilexerat eum nimis. Tunc religiosus senex cum sua recepta socia ad illius habitaculum [ubi eam sibi in matrimonio sociare deberet, perrexit; cumque cubiculum *i*] intrassent, et alimentum secundum nuptiarum consuetudinem recepissent, in lectum, quem ipsa paraverat, ingressi sunt. Cui religiosus senex monita, ut potuit, impendere studuit, dicens : Prævide, inquit, karissima soror, ne vi * hujus commixtionis delictum supernum et summum offendamus Artificem rerum; quia temporalia voluptuoso gaudia in paucis deficiunt diebus, et ventura animarum detrimenta sine fine parturiunt. Fruere itaque nunc artificii mei in delitiis lucra; tantum hoc mihi concede, ut ne me copulationis jugo, vivente conjuge, præcipites in interitum animæ meæ.

h
i
E
* l. per

Sancti opem implorat,

42 Illa autem carnalibus voluptatibus sustentata, monitionem sui socii minime consentit; sed verba *k*, quæ prudenter ei inpendere debuerat, suo domino devulgare minaverat *. Cum in his venerandus senex minime profecisse se cerneret, suæ sociæ lasciva et voluptuosa desideria blandis sermonibus lenivit, dicens : Providendum nobis est, inquit, karissima soror, ne gentilium more Christianas nuptias sociemus, sed magis per triduum abstinere oportet, et Deum cum lacrimis deprecari, ut det germen justum in conjunctione; quia mulier non propter libidinem accipienda est, sed propter sobolis procreationem. Hæc cum audisset mulier, despexit eum, et faciem suam convertit ad parietem sub tegmine thori, a viro religioso se avertens tristis; sicque sopore subpressa obdormivit. Ille autem cum lacrimis ex imo cordis indesinenter Deo fundebat preces, ut ejus angustiæ Opifex rerum subvenire dignaretur, et ne tanti viri et Dei martyris Haimrammi, cujus requisitionis causa tot angustiæ sibi incumberent, in oblivione remaneret; sed ipse misericors Deus misero misericordiam inpenderet.

k
* minatur
F

et ab illo apparente et panem pro viatico procurante.

43 Cujus orationem tanta celeritate misericordia Domini subsecuta est, ut mox, cum obdormisset, quidam pulcherrimus vir proceræ staturæ ante lectum ejus staret, qui baculo, quem manibus gestabat, latus dormientis percussit, dicens : Surge, et vade ad beati martyris Haimrammi ecclesiam, ubi te iturum vovisti. Cui vir senex respondit : Quomodo sine alimento tot spatia terrarum ignota perambulabo? Cui iterum, qui astabat; adjunxit : Surge, ne hæsites; sed sume panem, qui est in superiore cœnaculo : ipse tibi in alimentum sufficiat usque ad perfectionem itineris tui. Vir autem tanta visione expergefactus, postquam ad se reversus fuerat, ignoravit, utrum vigilans,

A. ARIBONE EPISC.

gilans, an dormiens monitionem reciperet. Tamen surrexit, ut vir, qui astabat, indicaverat, et in superiore cænaculo pulcherrimum quem numquam ponere conspexit *l*, panem repperit, cujus comparem pulchritudini eadem nocte cum prædicta muliere tempore nuptiarum non comedit, quem repertum gremio commendavit, relictisque omnibus, quæ ibidem habere videbatur, et ne de proprio lucro temporali domino suo abstrahendo dampnum inferret, excepto singulari habitu et pipenna *m*, quam manibus gestabat, nihil secum inde sustulit.

jussus fugere, Ratisbonam feliciter pervenit,

44 Tunc inde regressus, ad solitudinem sub festinatione, ut prævaluit, carpebat iter, et sine intermissione cum lacrimis Deo fundebat preces, ut per merita beati sui Martyris sibi in se speranti prosperum pararet iter. Itaque in profectione continuis diebus quindecim, tanta prosperitate et securitate supernus Opifex unius panis satietate cottidianis aviditatibus, membris ex fatigatione itineris lassatis *n*, perduxit, ut hujus hora diei decimi quinti tertia in monte staret super plantationem vinearum, quæ inter confluenta Danubii et Imbris *o* sita esse dignoscitur; ex cujus vertice sancti B Dei Martyris contemplabatur ecclesiam et urbem arduam mœniis et turrium constructione munitam. Qui dum agnosceret, magnas Deo referebat laudes, per callem descendebat ad portum amnis. Erat namque Dies Dominicus, cujus ad sollemnitatem, Missarum celebrationem, qui commorabantur, cum magna devotione ad sancti Martyris pergebant ecclesiam. Quibus religiosus vir senex in comitatu latenter adjunctus est, et dum ad portum pervenissent, puppim ingressus, transmisso amnis fluento, ad portum salubrem plagæ urbis, ad beati Dei Martyris, (ut vir nocturnis temporibus, ante lectum illius qui astabat, divinitus præceperat) perrexit ecclesiam; quam ingressus, terræque prostratus, cum lacrimis maximas Deo referebat laudes, qui sperantem in se ex tot angustiis ex sui sacri Martyris meritis eruere dignatus est.

et beneficium cum gratiarum actione palam facit.

45 Completa jam Missarum solemnitate, religiosus senex extra aditum ecclesiæ regressus, panem, quem gremio commendaverat, cujus fortitudine tot spatia complevit itineris, in alimentum corporis sibi sufficienter tertiæ portionis utebatur *p*, duasque panis portiones de gremio pertulerat, et C coram cunctis astantibus particulam pauperibus diviserat * [* al. divisit], merita Dei Martyris, in se per divinam providentiam ostensa, palam astantibus produxerat * [* al. manifestavit]. Quid aliud panis augmentatione ostenditur, qui continuis diebus quindecim suæ portionis tertiæ in Deo speranti viro suffecerat, nisi ut ipse in membris suis imitari permisisset, id est, in ejus gloria Martyris, qui sui imitatione capitis et amore cruorem fuderat, qui per semetipsum quinque panibus numero populorum satiavit quinque millia, qui per Capitis providentiam duodenos complevit ex fragmentis cophinos, in gloriam membris suis remanere duas sinebat panis portiones.

Puella diuturna inedia

46 Dum hujus viri senis in sancti Martyris gloriam gesta revolveram, repente ad memoriam venisse mihi contigit rem, quam narro. Quadam die puellula *q* in nostris subjacentibus diœcesibus primo diluculo progressa ad exercitationem curæ pastoralis, ut sui genitoris pecora ad pascua perduxisset, contigit, eam cujusdam, quem ignoro, spiritum recepisse; ita ut nil in alimentum tam edendi genus, quam potandi sumeret, et sic jejunans diebus permansit multis. Facta autem propinquorum ad eam collectio non modica, qui eam obsecrando atque in- D crepando, ut cibum sumeret, cogebant. Illa autem modis omnibus alimentum recipere recusabat, et hujus delectationem in suis membris minime sentire professa est. Illi autem prædicti propinqui puellæ pauxillum in os vi imprimentes, aquam cum lacte mixtam infuderunt; cujus propinationis gustum dum sorberet invita, statim erecto capite cum sanguine mixtum revomuerat.

laborans, ad locum martyrii perducta,

47 Dum his se minime proficere, parentes ejus cernerent, dimiserunt. Inito ab his consilio, ut eam summo præsentarentur * [* præsentarent] pontifici, cujus sub cura pastorali fuerat constituta, quæ prodecessori nostro beatæ memoriæ Joseppo episcopo, cui, Deo auctore, successi *r* in honore, præsentata est, qui eam per manuum inquisitionem arguere statuit, in eorumque præsentia exiguum ut alimentum sumeret, jubet *s*. Illa autem quasi quisquiliis necessitate edendi pertulisse in membris *t*, nec famis se sentire penuriam professa est. Res autem mira, quod sine alimento annum perduravit integrum *u*, et operationem manuum non ammisit, sed tantum quod pallidam faciem ex sibi recusatione expressit. Cuidam autem per divinam inspirationem E secreto cordis revelatum est, ut eam ad beati Dei Martyris ecclesiam inducere debuissent: quam dum ex difficultate et itineris prolixiore spatio ad beati Dei Martyris corpus adducere recusassent, tamen ad venerandum locum, ubi beatus Pontifex gloriosum consummavit martyrium, perduxerunt. Quæ intra aditum templi ingressa dum fuisset, et prostrato corpore orasset, statim edendi intra viscera stomacho animus aderat, ita ut ex aviditate corporis, ut potuit, citius surrexit * [* surrexerit etc.] et panem sibi ad manducandum poposcit; et dum adductus ei fuisset, cum gratiarum actione suscepit, et tanta securitate coram astantibus sumpsit, acsi numquam ex cibo prohibita fuisset.

subito sanatur. Auctor nomen suum prodit.

48 Sed quid aliud in hoc sciendum est, nisi ut Dominus Martyris sui merita ostendere voluisset, ut cunctis palam daretur intelligi, in quibus honoribus fulgeret in cælis. Sicut de cæco Veritas discipulis suis informat pectora, nec parentum nec suo contigisse peccato, ut cæcus nasceretur, sed pro ostensione gloriæ Dei in illo *x*. Ita namque prædictæ puellæ contigisse existimo in miraculis, quibus prævalet *y* supernæ pietatis providentia se poscentibus intercedendo dimittere peccata, ut per visibilia exempla, ecclesiis ipsius quæ coruscant miracula, remittere, ipso intercedente F informemur, peccata. Si ea agitur, quæ per memetipsum didici, hujus Viri miracula, aut quæ fidelium narratione cognovi, quibus adhuc cottidie erga ejus corpus fulminantur tot insignes virtutes, dicere voluissem *z*, stilus scribentis narrare non sufficeret; sed ea, quæ deprompsimus pro reverentia Viri Dei, et veneramur, ipsumque Deum devoti supplicamus, ut misero subveniat Cyrino *aa* peccatori.

ANNOTATA.

a *Ex hoc loco Surius in eum errorem inductus fuisse videtur, ut crederet, Cirinum sive Aribonem Ratisbonensem episcopum fuisse; sed de Frisingensi diœcesi hæc agi, ex infra dicendis manifestum erit. Idem etiam patet ex Arnolfo, qui lib.* 1 *de Miraculis apud nos num.* 5 *de miraculo hoc sic orditur :* Quidam vir in Frisingensi episcopio *etc.*

b *In Trevirensi hic additur :* coram astantibus.

c *Correxi hæc, nam in codice nostro vitiose legitur :*

A *gitur* : In hoc se veniam apud Deum prævalere impetrare.

d *In Trevirensi additur* : Quod dico.

e *In eodem Ms. Trevirensi scribitur* : Feronisfundus. *Arnolfus lib.* I *de Miraculis in editione Canisiana ait :* Illuc solus iter carpebat in loco qui dicitur VERROMWAIDA, quod sermo Latinus exprimit : LONGINQUA PASCUA. *Sed admodum reverendus pater Frobenius Forste, iam sæpe a me laudatus Prior ad* S. Emmerammum, *in Annotatis suis Ms. monuit me, in Arnolfi autographo legi :* Ferroniwaida, *hodieque appellari* Laugevaid *vel* Laugant.

f *Arnolfus lib.* I *de Miraculis habet :* Parathanorum, *quod nomen gentis apud alios non reperi. Ex sequenti numero eruitur, Saxones indicari.*

g *Id est* : *Quantum per tempus ipsi licuit. Correctius tamen habetur in Trevirensi* : Jejuniis et.

h *Obscuræ ac vitiosæ phrasis sensus est : Nisi se ipsi opponens, tandem traderetur etc.*

i *Quæ uncis inclusa absunt a Ms. Trevirensi, et in nostro codice alio atramento in margine partim inscripta, partim recisa sunt; leguntur tamen* B *in apographo nostro Fuldensi, et ad integritatem sensus pertinent.*

k *In Ms. Trevirensi pro* sustentata *legitur* suis intenta.

l *Id est, quem ibi numquam positum viderat.*

m *Id est;* bipenni, *opificii sui instrumento.*

n *Ita correxi ex Trevirensi, cum in nostro codice et apographo pro* lassatis *haberetur*, destinatione.

o *Id est* Regini *fluvii, cujus Germanica appellatio* Regen *Latine* Imbrem *sonat. Oritur is fluvius in limite Bohemiæ, qua Palatinatui Bavariæ adjacet, per quem fluens apud Ratisbonam Danubio miscetur.*

p *Vitiosam phrasim sic restitue :* Panem,.... cujus tertia parte pro sufficienti alimento usus fuerat, protulit, duasque ejusdem tertias partes, quæ supererant, pauperibus divisit.

q *In codice nostro inferius in margine alio charactere notatum est :* Puella Spirensis. *Verum si hæc revera Spirensis fuerit, dicenda est nativitate, non habitatione fuisse; nam ex sequentibus certum est, illam in diœcesi Frisingensi habitasse. Hinc etiam Arnolfus lib.* I *de Miraculis hic recte ait :* Erat quædam puella in Frisingensis ecclesiæ diœcesi constituta.

A. Aribone episc.

r *Josephus ille fuit tertius episcopus Frisingensis ecclesiæ, in cujus episcopatum S. Corbiniano fundatori post Erimbertum successit, anno 749, ut existimat Meichelbeckius tom.* I *Historiæ Frisingensis. Cum vero Cirinus biographus hic dicat, se Josepho successisse, manifestum est, ipsum Aribonem fuisse, et Frisingensem, non Ratisbonensem episcopum, ut Surius male opinatus fuit.*

s *Hæc quoque ex Ms. Trevirensi restitui, quæ in codice nostro vitiata legebantur hoc modo* : In ejusque præsentiæ exiquitatibus ut alimentum sumeret.

t *Vitiosam periodum Arnolfus sic reddidit :* Illa autem quasi quisquilias esum potumve respuens.

u *Verane, an ope dæmonis ficta hæc fuerit tam diuturna puellæ inedia, non inquiro; sed qualiscumque ea fuerit, negare illam nequeo ob Aribonis scriptoris synchroni auctoritatem. Ceterum de longis jejuniis consuli potest Benedictus XIV Romanus Pontifex in erudito suo Opere de Servo-* E *rum Dei beatificatione etc. lib.* 4, *part,* I *cap.* 27, *in quo agit*, de longa abstinentia a cibo et potu, an et quando miraculo sit adscribenda.

x *Ms. mox laudatum ista sic habet :* Sed quid aliud in hoc sentiendum est, nisi ut Dominus Martyris sui merita ostendere voluisset, ut cunctis palam daretur intellegi, sicut in Evangelio de cæco nato Dominum dixisse, ut neque parentum nec suo contigisse peccato, ut cæcus nasceretur. *Hic denuo prosequitur Ms. Audomaropolitanum, in quo desunt quæ hactenus a num.* 28 *recensuimus, prout ibidem cap.* 3, *lit.* f. *monuimus.*

y *Sanctus scilicet* Emmerammus.

z Dicere voluissem *supplevi ex Ms. Trevirensi.*

aa Cirinus *hic alias* Aribo et Heres *dictus, fuit quartus Frisingensis episcopus , de quo consule Commentarium prævium* § I. *In calce codicis nostri characteribus minio scriptis subditur* : Explicit Passio S. Hemmerammi episc.

C

Carmen acrostichon Arnolfi Vochburgensis in Vitam sequentem ex edito Ratisbonensi.

F

Emmeramme tui	S	dignator adesse ministri	S
Mentes cum cord	E	precibus his ablue sord	E
Moribus ac torti	S	confer medicamina forti	S
E mundi curi	S	monachos pius eripe duri	S
Regum sic Reg	I	potes et nos subdere leg	I
Aulica quam prisc	O	non tangunt tempora disc	O
Multis hinc ome	N	Christi dat denique nome	N
Munere perfect	O	sua donans secla profect	O
Virtus alma cruci	S	quæ signat lumine luci	S
Sub quo salvus eri	T	quisquis bona maxima quæri	T
Magnis magne pate	R	minimis et humillime frate	R
Aurea dans sacr	A	cunctis dimitte piacl	A
Recto sub duct	V	fac nos fore non sine fruct	V
Testis Heimramm	I	memor ab nos præsulis alm	I
Is famulos place	T	tibi nobis commoda præste	T
Rite decem numer	A	sex addito sic capis est	A
Antea conscript	Æ	res ac verissime dict	Æ
Librum materian	T	istum simul atque perornan	T
Menfredus doct	E	quem saxo dictat * et apt	E
Verbis ornato	R	sensu subtilis arato	R
Si quis per nome	N	me queritat erga diokte	N

Arnoldum norit relevamen cui sict Amen.

* al. dictitat

ANNOTATIO

A

ANNOTATIO.

Hi rudes versus invocationem S. Emmerammi *continent; per ista vero* Rite decem numera *etc, indicat Arnolfus, Meginfredum Vitam istam, ab alio, Cirino scilicet seu Aribone olim conscriptam stilo suo exornasse, et in sedecim capita divisisse. In calce auctor carminis Arnoldus sive Arnolfus Vochburgensis sese indicat, seque* diocten, *in est* διοικητον, procuratorem *appellat, nempe quia præpositus seu administrator cœnobii* S. Emmerammi *erat. Litteræ initiales per descensum conficiunt hunc versiculum :* Emmerammus martir almus ; *mediæ vero ac ultimæ :* Sessio nostra Vita æterna. *vel* eterna. *In tabula æri incisa in laterculo dextero prætera legitur :* Hiatospolis vetera misit; *in sinistro* : Parthenopolis nova remisit. *Id est : Vita antiqua Hiatospoli, sive Ratisbona, quæ a fluvio Regino, vulgo* Regen, *etiam Imbripolis et ab Arnolfo hic Græca significatione Hiatospolis appellatur, allatam fuisse Parthenopolim seu Magdeburgum, atque inde, a Meginfredo nova phrasi donatam, Ratisbonam remissam esse. Adduntur* B *denique aliqua monogrammata* S. Emmerammi, *Arnoldi, abbatis Burchardi et Gebehardi episcopi Ratisbonensis, quorum tempore eadem Vita eo allata fuit. Adduntur denique et aliqua signa hieroglyphica, quæ prætermitto.*

VITA ALTERA

Auctore Meginfredo præposito Magdeburgensi.

Ex editione Henrici Canisii.

Epistola Arnolfi Vochburgensis ad Burchardum abbatem de Vita et C *Miraculis S. Emmerammi.*

a *P. A.* a

Auctor S. Emmerammo se obstrictum præfatus.

Domino Purchardo ad optima quæque haud tardo, pro paterna quidem dignitate reverendo, ac plurigena probitate dilligendo, Arnoldus adprime, sibi utpote abbati, exin cæteris merito suppositus, veruntamen rebus monasterii præpositus, quicquid fidelis domino servus, seu magistro discipulus. In primis cum beatissimi martyris Emmerammi patrociniis non ego solus, sed etiam mecum ejus generalis monachorum cœtus gratificatur Deo, antehac misericordiam suam multipliciter parvitati nostræ impertito, nunc vero solita clementia circa nos manifestius uso ; in hoc procul dubio, quod vos tali de loco destinavit ad nos, in quo hactenus, ipso donante et sanctissima Virgine Maria adjuvante, abundant patres ac fratres, sive apud Dominum sive apud seculum valde nobiles et laudabiles, qui cum ratione sua noverunt et aliena tractare. Unde et ego ultimus veræ rationis alumnus, pro hac vestro sub regimine probanda occasionem sumpsi ac fiduciam, præsentem scribere epistolam : quæ quamvis inscitiæ meæ historiam partim videatur con- D tinere, tamen in vili schemate prænominati nec non sæpe nominandi Patroni nostri dulcissimæ tota famulatur memoriæ. Igitur libris in divinis legendis et intelligendis, peccatis meis facientibus, admodum fui segnis; et, ut verum fatear, adhuc non sum indemnis. Cujus emendationem vitii, ut cæterorum, cum habere possem exemplis majorum, impedimento erat, Nolle; et abusivum illud, quod dicunt, Negligere.

exponit, quomodo a profanis libris

2 Quadam autem die quendam e fratribus concretum et conscholasticum meum, præsente me, aculeum mortis contigit obire. Is ergo in ipsa mortis articulo quid viderit, etiam non loquens astantibus patefecit. Nam cum levatum e lecto humi deposuissemus, primum brachiis quasi contra aliquem reluctatus, demum ad sinistram acutissime flectens obtutus, adeo abhorrebat a facie inimici, ut oculorum versione capitisque aversione ac impulsu, ut gestum exprimam, capitali, pene loco sibi astantes propelleret : et ut patefaceret, quantum Christi fides valet, ubi meritum habet, quantumve deest, ubi mortua est; nisu, quo potuit, dextram manum extendit, signum salutis facere volens ; sed exprimere minime valens, subi- E ta concussione contremuit, ac pallore obductus irriguit, sicque exhalavit. Nos vero, singultibus psalmodiam intercipientibus, omnes pariter in luctum conversi sumus. Quis enim ibi non fleret, ubi quisque infirmitatis propriæ intra conscientiam commonitus, vix effari posset præ fletibus ? cum et ego post annos aliquos, teste Christo, haud absque gemitu et fletu hæc scripserim , memoriæque tradiderim. Juvenis namque floridus, frater etiam coætaneus, in puerili lascivia consentaneus, super quo innitebar, baculus arundineus versus est mihi in colubrum, ita ut fugerem. Inde absterritus subduxi me, quibus eatenus ob gloriolam seculi adhæsi libris paganis; et saniore consilio implicabar divinis. Tunc primum cœpi discernere, quæ distantia esset inter lucem et tenebras, inter Dominum et Belial.

ad sacros legendos conversus sit. Hujus Sancti Vitam

3 Tum quoque aliquantulum ad me reversus , ex parte collegi, qui fuerint scriptores Ecclesiastici. In quorum varietate pulcherrima enotavi beatissimum Christi confessorem Hilarium alti cordis virum : quam longe sit a lectione simpliciorum fratrum : Ambrosium, quam disertus et orthodo- F xus : Joannem Constantinopolitanum, quam jucundus et aureus : Gregorium Nazianzenum, doctor quam mirificus et anastasificus *b* : Hieronymum, quam brevis et rectus : Augustinum, quam facundus et profundus : Gregorium Papam Romanum, quam dulcis et clarus : Isidorum Hispanum, quam succinctus et distinctus. Hi siquidem et horum præcessores et successores, valde venerabiles et utiles operatores, jam abundanter hauriebant e fontibus Salvatoris, quæ dulcissima caritate propinarent nobis. Quorum cum legissem Opera, quæ peritissimis probabilia, mihi vero pro captu meo videbantur etiam mirabilia auctoritate simul et venusti sermonis dulcore delectabar. Sed contrario admodum amaricabar in gestis videlicet domesticis clarissimi patroni nostri Emmerammi martyris, dudum a quodam, qui se Cirinum et Heredem *c* nominat, Frisingensis ecclesiæ episcopo, ut puto, recte scriptis, ante nos autem Majorum negligentia depravatis. Quæ cum, Abbate id petente, fieri quoque permittente, simplici animo emendare vellem, et in confusionem loci nostri diutius incorrecta stare nollem, consurgunt adversum me quorumdam animi fratrum dicentium

A dicentium, haud æquum, a me dictis antiquitatis quid addi vel minui; maxime cum hæc peritiores ac perfectiores omiserint.

emendare prohibitus, Magdeburgum missus,

4 Quibus videtur probum meapte sic temperare responsum : Quare illi hoc fecerint, immo, quod utile fuit hac in parte, non fecerint, a vilitate mei temerarium est discussum iri. Hoc tantum dixerim pace eorum et omnium bonorum, quia non solum novis vetera licet mutare, sed etiam, si sint inordinata, penitus abjicere : sin vero ordinaria, sed minus utilia, cum veneratione sepelire. Et quia dispensatione divina a præcedentibus multa relinquuntur sequentibus, in quibus possint mereri alicujus aut admissionem aut remissionem peccati. Quod cavendum hujuscemodi simplicitate, seu, quo verius dicam, stoliditate, etiam rustici nos monent, qui peccare illos putant, qui arbores succidant, in quibus pagani augurari solebant. Quid plura? cedens æmulis ad tempus, per abbatis imperium abripui me in Saxoniæ exilium, portans mecum in libello suo sanctum Emmerammum, qui suum me voluit esse servum. Ibi me simulando scire, quod nescio, Meginfredum, Parthenopolitanum Magistrum *d*, pauculis beneficiis paravi mihi B amicum. Hunc cum audirem frequenter disputare sapienter, mirabar ejus ingenium; ex quo et ipse agnovit meum studium. Inter familiares autem consermocinationes stylum ejus agnoscens, et propositum fixum animo tenens, postulavi ab eo, quo pro pignore amicitiæ novum Patrono nostro librum minus pigritaret cudere.

Meginfredo, ut id faciat, persuadet.

5 Quod cum ille renueret, quasi suæ esset possibilitatis, et ego opponerem debitum caritatis, ipse vero majori excusatione nostris id melius assereret convenire, et e contrario referrem, pene esse naturale, cives civibus invidere; tandem victus, voluntati meæ, imo B. Emmerammo, animum substravit. Ut autem accelleraret, me rogante respondit serena fronte, summa diligentia in laribus probandam, quod extra parietes multorum oculis foret præsentandum. Hac, ut opinor, occasione tribus annis opus mihi charissimum remansit imperfectum, dum temporibus Henrici augustissimi *e* esset cœptum. Regressus ergo ad monasterium e Saxonia, ferebam mecum beatissimi Martyris hymnum, quem mihi pro arrabone libri saltim vel versiculum poscenti, præfatus magister metro composuit Saphico *f*, Demum Chounrado imperante, et nihilominus Heinrico filio ejus regnante *g*; Gebehardo autem secundo *h* Ratisponensem ecclesiam regente, in adventu vestro, sæpissime optatus atque diu exspectatus venit libellus. Cujus universitas beato deputetur Emmerammo, materia Cirino, renovatio Meginfredo, exactio peccatori Arnoldo *i*; usus oculum invidiæ non habentibus, vitæ præmium omnibus ejusdem dilecti Deo Martyris memoriam excolentibus. Pro cujus cultu, mea exhibitione modico, debito sui permagno, quid mihi acciderit vel qualis consolatio evenerit paucis edicam.

Sancti ope ereptus naufragio, ejus Officium componit in Pannonia;

6 Erat quædam necessitas, pro qua in Pannoniam me direxerat meus abbas. Cumque periclitarer sæpius in profundis Danubii decursibus apud Pogicam charybdin, ubi videtur mortis esse hospitium; maximum experiebar periculum. Ibi enim nautæ majores arripientes remos, quasi viribus suis navim evecturi de abrupto fluminis, in tantam venere desperationem, ut mutuo se intuentes, ac nec mutire *k* valentes, præ timore mortis penitus irriguissent. Tunc osculatus Cruciculam, quam habui ex cervicibus pendentem, reliquias Martyris de cambota *l* continentem, cogitationes hujusmodi intra me volvere cœpi. Putasne, late notus Patronus hodie pro salute hic experiendus? Mox navis, ceu aliquo minitante tremefacta, et interitus puteo ejecta, renatabat, nemine ducente, immo Domino regente. Tum cursu prosperato, tertia die advehebar Pannoniæ solo. Qua me Anastasius archiepiscopus *m* cæteris suscepit humanius, et affatur familiarius. Is cum beati Emmerammi veterem illum et viciatum legeret librum, materiam probavit cum sententiis; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex hebdomadas manens, memoriæ sanctissimi Patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis *n* composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus Martyris animo. Has præfatus episcopus monachos et clericos suos fecit discere, et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare. Secundum quod scriptum est, Recedant vetera de ore vestro, deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu, quam ullo auctoritatis ausu.

Ratisbonam reversus, jucunda visione recreatur.

7 His ita equidem gestis in Pannonia, et legatione, pro qua directus eram, peracta, Noricum repetii; et in ea revisens Ratisbonam, satis charitative suscipiebar a fratribus, quibus et hoc dignetur reddere Dominus. Hic cum de sancto E Emmerammo dulce clarumve quiddam aut audire aut videre summo desiderio quæritarem, per somnum visionem accepi talem. B. Emmerammus pallio quasi viridi velatus, Meridiana parte ante fores ecclesiæ videbatur mihi jacere in lecto bene ac docenter ornato. Quem ut fratres ecclesiam intrare volentes viderunt, timore perterriti recesserunt. Ego autem solus relictus adeo fui curiosus, ut ad gradus juxta tres arcus flexis genibus in eum intenderem, donec vultum detegeret, ac Latino sermone diceret. Tibi conceditur videre faciem meam; quia in laudibus meis sudasti. Cujus cum viderem valde candidam et splendidam faciem, nullatenus dicere possum, quam magnum cordi meo fuerit jubilum. Hoc tantum tacitus mecum reputabam; Fortassis in die novissimo pro me dicturus est Christo; Da mihi hunc peccatorem. In quo tunc experrectus, et adhuc, ut fatear, nequam ac non rectus, ne jocundæ visionis gaudia præpediant peccata mea, apud eum, cujus melior est super vitas misericordia, obtinere cupio prece vestra, nec non patrum et fratrum oratione continua.

Auctoris epilogus

8 De cætero quod instat, epistola conclusio- F nem postulat; in qua vos ignorare nolo, quod antiquus Operis hujus scriptor *o* librum suum finit in eo, quod volumini de miraculis beatissimi Martyris, hoc et anterioribus tribus diligentia mea enucleatius positis, pro capitulo datum est quarto *p*. Quæ vero sequuntur auctoritate vestra contra æmulos defendenda, humili adscripsi studio; uno tantum ordine præpostero, ob similitudinem rei interposito, pro memoria mei, et eorum, qui mecum in monasterio memores esse potuerunt factorum ob Christi Martyrem signorum *q*. Ad quæ et ad cæteras ejus laudes propagandas, vita vestra vigeat; dignitas polleat, paternitas valeat, Domino donante, Amen. Explicit epistolaris Apologia de ratione vel veterum immutatione.

ANNOTATA.

a *Id est :* Purchardo Arnolfus. *In editione Canisiana huic epistolæ sequens titulus præfigitur :* Ad provisorem S. Emmerammi, quid debeat ipsi et rationi, P. A. *De Purchardo sive Burchardo abbate*

A. Arnolfo. *bate ad* S. Emmerammum *consule Commentarium nostrum prævium num.*10. *Laudatus Canisius ante hanc epistolam præmisit* Proœmium libri de Memoria B. E. et ejus amatorum, *illumque Meginfredo perperam adscripsit, cum Arnolfi proœmium sit ad lib.* 2 *de Miraculis. Vide dicta in Commentario num.* 13 *et* 14.

b *A Græca voce* ἀνάστασις resurrectio, *quasi* resurrectionem tribuens.

c *Alio item nomine* Aribo *solet appellari, ut dictum est. Ex sequentibus disce, Vitam, quam dedimus, jam a seculo* XI, *quo scripsit Arnolfus, admodum vitiatam fuisse.*

d Parthenopolis, *alias* Magdeburgum, *incolis* Meydburg, *vulgo nota Germaniæ civitas est in Saxonia Inferiori ad Albim fluvium. De Meginfredo, scholarum ibidem magistro seu præfecto, consule Commentarium prævium* § 1.

e *S. Henricum imperatorem designat, cujus gesta in Opere nostro illustrata habes ad diem* 13 *Julii, quo colitur; Obiit autem pridie, anno* 1024.

f *Hic ille ipse Hymnus esse videtur, quem in* S. Emmerammi *Officio per Arnolfum concinnato post Vitas et Miracula excudam.*

B g Conradus II, *cognomento* Salicus, *S. Henrico eodem anno in regnum Germaniæ successit, annoque* 1027 *etiam imperator Romæ coronatus est.* Henricus *ejus nominis III a patre suo Germaniæ rex coronatus fuit. Consule Commentarium prævium num.* 8 *et seqq., ubi ex hisce notis chronologicis Vitam hanc circa annum* 1027 *scriptam esse ostendimus.*

h *Gebehardum hunc post alium cognominem S. Wolfgango successisse, scribit Arnolfus lib.* 2 *de Miraculis dicens :* Post hos rexit ecclesiam *(Ratisbonensem)* B. Wolfgangus, quem subsecuti sunt ordine vicis suæ Gebhardus, et item Gebhardus.

i *Id est,* Arnolfo; *idem enim utrumque nomen est.*

k *Canisiana editio habet :* mutare, *sed in Arnolfi codice autographo legi* mutire, *monuit me crebro laudatus R. P. Prior Forste.*

l Cambotta *scipionem seu pedum pastorale significat.*


m *De* S. Anastasio, *alias* Astrico. *Colocensi in Hungaria episcopo, et Strigoniensis archiepiscopatus aliquo tempore administratore, adi Commentarium prævium num.* 7.

C n *Hæc haud dubie ea ipsa sunt, quæ in* S. Emmerammi *Officio, ut supra dictum est, edemus.*

o *Cirinus sive Aribo.*

p *Loquitur hic de libro* 1 *de Miraculis infra edendo, cujus quatuor primis capitibus secundum nostram partitionem a num.* 3 *usque ad finem capitis* 1 *recensuit, quæ Aribo apud nos num.* 34 *et sequentibus usque ad finem Vitæ narraverat.*

q *Unum illud, quod præpostero ordine ceteris se inseruisse ait, refert infra lib.* 1 *de Miraculis num.* 7 : *De Adalrammo scilicet, ejusque uxore, ipsius Arnolfi nepte, quod, cum de posteris Lantberti, qui* S. Emmerammi *necis auctor fuit, sermonem haberet, non habita temporis ratione, narravit.*



D

Epistola et Prologus Meginfredi, Parthenopolitani magistri et præpositi, ad Arnolfum S. Emmerammi monachum, eundem et præpositum atque magistrum. Karissimo suo A. M. a *salutem in Christo.*

Auctor rationem et utilitatem Vitæ scriptæ exponit.

Sanctorum dicta, quæ videntur simplicia, vivifico fœcunda spiritu, pondere veritatis religiosa, non illice compositionis sunt astu pomposa. Quæ quando incommutabilium sunt signa virtutum, neque favor eis, nutrit meritum, neque indignatio detrimentum; quibus velut ex sanctitate fluxit dignitas, ita ex rerum existentia venit integritas : quorum sicut compositio spiritualis, sic potentia mirabilis, dum per eadem locutionis membra et ad genituram imaginis Dei gremium fidei maritat, et per fidei sinum indurat. Unde conjicere possum, frater, quam vera debeatur sanctitati religio, quam sancta veritati confessio; ne videar vel in spiritum esse præsumptor, vel in simplicitatem impostor. Sed quia mihi dilectio tua pondus imposuit, quod beati martyris et pontificis Emmerammi desiderio libenter subivi *b*, et ab ipsius sanctitate et sanctitatis ejus scriptore veniam quæro; quatenus illius me reverentia cultorem, istius sapientia dignetur imitatorem. Equidem si sanctorum gesta non possumus imitari, licebit saltem meditari, licebit mirari, quod volumus, ut quandoque liceat velle, quod miramur, Non enim est circumscripta divina misericordia, quæ juvat etiam, ubi nulla sunt merita. Proinde flagito, quatenus orationi meæ succurras, ne vel professio mea debilitata succumbat, et per occasionem imperitiæ pia voluntas invidiæ dentes imbuat : unde et tecum latere desiderat, ne in publico erubescat. Explicit Epistola.

E

ANNOTATA.

a *Id est :* Arnolfo Meginfredus.

b *Vide epistolam præcedentem Arnolfi num.* 4 *et* 5.

F

INCIPIT PROLOGUS.

Inter varios Sanctos Emmerammum merito celebrandum docet.

Militiam Christi licet varius pugnandi modus exerceat, diversa triumphandi gloria coronet, par est tamen disciplina, similis affectus, eadem forma; quomodo sui Regis impressi patientiæ sigillo, ad ipsum inrequietis anhelantes animis similitudinem suam, ad unam faciem primæ pietatis instaurant. Unde patriarchæ et prophetæ, latores legum, victores regum, Ecclesiam novi Testamenti per mediatorem Jesum Christum in unum corpus aduniendam benedicendo, piæ prolis successionem sancti Spiritus oraculo et veræ professionis organo de longe salutant, ut variis aut verborum aut rerum ostensis exprimant, quos sibi videlicet moribus concordes futuros esse præviderant. Inter quos et sanctos Martyres per exemplum præteritorum aliqui ita describunt, ut sole luceat splendidius, quod in omnibus unus fuerit

A fuerit spiritus. Hi ergo per contemptum cognati doloris et amaræ necis ad thronum æternæ charitatis familiarius aspirant. Nam inter cruciatus libera spei contemplatio pro difficili conditione processit ad altitudinem gloriæ. Quare si ab aliis tantum venerationis habuerunt, cum adhuc non essent; quid a nobis habituri sunt, qui doctrinis eorum et exemplis instituti cotidie patrociniis fovemur. Ex quibus beatus pontifex Emmerammus auream in seculo famam dereliquit, qui pro fratre suo pretiosum sanguinem fudit. Et ut duplex pietatis foret auctoritas, crimen alienum innocentiæ suæ imposuit *a*, quatenus eum liberaret a morte corporis, quem antea sustulerat ab interitu mentis. De cujus moribus, certamine, triumpho, et meritis, quod scriptis et recenti memoria nobis potuit pervenire, futuris temporibus providemus. Explicit Prologus.

ANNOTATIO.

a *Adi Commentarium* § 4.

B

Vetus capitum partitio.

Cap. I. Quomodo B. Emmerammus apud Pictavium nutritur, ac literis eruditur, et universis factus est amabilis.

II. Quod post pueritiæ flores, et adolescentiæ bonos odores pro morum maturitate sublimatur episcopatus dignitate.

III. Qualiter semetipsum palæstra virtutum exercuit et subditis et cæteris harum exemplar demonstravit.

IV. Quia non contentus cura ovium commissarum, alias duxit in ovile Dominicum, et insuper pro nomine Christi desideravit pertegrinari.

V. Quod post nobilem animi disceptationem exul veniens in Baioariam, intravit Radasponam.

VI. Quod a principe Pannoniam petendi licentiam postulavit, et hanc non obtinens, dispositioni divinæ animum supposuit.

VII. Qualiter Noricam adhuc in fide novitiam excoluit, et post triennem in ea laborem Romam ire disposuit.

VIII. Quod Dominicæ dilectionis exemplo alteC ritatis onera suscepit, et per spiritum prophetiæ ecclesiasticis ventura prædixit, sicque iter suum Romam direxit.

IX. Quod Ducis filia est sceleris publicata, et quia Lampertus Virum Dei est persecutus, pro inobedientia multatus est gravi sententia.

X. Quod Præsul almus celebrat hymnos, et sermone confortat discipulos.

XI. Quod tyrannus Sanctum Dei mordaciter excipiens, tradidit suis puniendum, et de fuga comitum.

XII. Quod vir Dei membratim sectus est, et quod duo e carnificibus per pœnitens cor salvati sunt, et Vitalis presbyter.

XIII. De miraculo in membris viri Dei facto, et exitu sanctæ illius animæ, et quod apud Aschein sepultus est, et de natura orbis mutata.

XIV. Quod per revelationes ordine mirifico ad Hiatoscopolim, id est Ratisbonam, est translatus, ibique honorifice est humatus, et quia pax ætheris rediit.

XV. Quomodo hi tres interierunt carnifices, et eorum dominum qualis pœna ceperit, seu qua miseria posteritas ejus affecta sit.

XVI. De miraculis locorum sectionis et vocationis. A. Meginfredo

CAPUT I.

Sancti patria et episcopatus : iter ad Avaros convertendos : Bavari ab eo exculti : alieni criminis invidia suscepta : peregrinatio Romana.

Est *a* in Aquitaniæ partibus urbs virorum illustrium titulis celeberrima, nomine Pictavis *b*, in qua B. Emmerammus sinu Christianorum parentum est nutritus, et ad discendas sacræ institutionis literas scholis traditus : ubi quam docilis fuerit, finis disciplinæ virtus, et virtutis socia dignitas ostendit. Nam in ipsa simplicitate sic puerilis collatio mentem ad alta Scripturarum E suspendit, ut cunctorum æstimatio, quid esset futurus, præsagiret, cunctorum oculi notarent, omnium affectus diligeret. Hic tamen oblatus ex patria favor sic ab eo prudenter accipitur, et acceptus augetur, ut nec humilitas minueret gloriam, nec gravitas excitaret invidiam. Successit igitur in tam perspicaci Puero felix adolescentia, et incrementa temporum florent incremento virtutum; et prævenit virum maturitas morum; nam collactanea teneritudinis ejus prudentia facile suadebat Juveni rationis pondere, transitorium omne quam fuisset leve. Unde factum est, ut nec ad spem et gaudia mundi inclinaret oculum, tristitiam quoque vel metum nullius haberet pensi. Quare fuit et in correctione amicorum liber animus, dulcis exhortatio, moderata locutio. Tum præterea pretium cordis commendat pulchritudo corporis, et suavissima dona sapientiæ præbuit ex honestissimo ferculo. His ornamentis conspicuus, per Ecclesiasticos gradus ascendens Vir Dei, post dilectionem meruit reverentiam, donec disponente Domino, consensu cunctorum, morum custos et exemplum vitæ ordinatur episcopus *c*.

I Natus Pictavii, factus episcopus,

2 Disposita vero in sublimi lucerna, quibus radiis effulserit, qua serenitate patriam illustraverit, omni orationi materiam dabit. Igitur et quis erga seipsum, deinde qualis ad subditos, et ad cæteros fuerit, proloquamur. Duplicem custodiam corpori, duplicem menti disposuit. Nam ne lex corpori enervaret legem mentis, et plena voluptas exhauriret ubertatem cordis, continuo jejuniorum et vigiliarum præsulatu prævidit. Porro lectionis et orationis vicaria successione, et expatiantis animi discursus inhibuit, et suggestionis adversæ militiam exclusit; et inter agendum quid solennis ei semper ad utrumque fuit opus psalmodiæ dilecta materia. Sane singularis pauperum thesaurus, pupillorum pater, refocillatio senum, viduarum unicus, desperatorum spes, medicina languentium, miserorum confugium; sic hospitalis, ut neque manum a munere domus exhausta retraheret, neque frequentia frontem rugaret; dum venientibus et animæ delicias affatim, et naturæ debita præberet. Ad excubias commissi gregis pervigili sollicitudine porrectus, aditum tetræ rapacitatis ita pastoralibus armis obsedit, ut per vicos singulasque domos fidelium cælestis discursus sideris

III multis virtutibus elucet;

A. MEGINFREDO

sideris tenebras reverberaret et erroris. * Nullus erat locus tam vilis, nulla persona tam humilis, quo eum non declinaret salus animarum, redimentem tempus, ne ad horreum Domini vacuus rediret.

* forte errores

IV

deinde ad prædicandum Avaris Pannoniam petens,

3 Sufficeret hoc quibusdam non immerito, si circumscriptum sibi terminum cultura sacerdotali tam diligenter ambiret; verum illi tanta sedulitas Dominicæ messis inarsit, ut adjacentes Gallorum, aliarumque gentium provincias ad littus solidæ conversationis hamo Petri attraheret. Quapropter frequentabant sedem ejus religiosæ simul et indifferentes personæ complures, quas odor aromatum ejus a remotioribus locis adduxit, quibus fidelis Dispensator ad mensuram cujusque depositum suum prudenter distribuit, ut non minus de illo, quam de aliis apostolocis viris, dici posset illud psalmi: Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ. Nam candens amoris igne superni, dum in colligendis animabus singulis paucitatem fructus ad magnitudinem voluntatis excrevisse non cerneret, et indignatio secum reputantis studio suo nullius momenti donaret pretium, inter angustias disceptantis
B conscientiæ perlatum est ad eum, Avares, quos aliis nominibus Hunos et Ungros appellamus,
d Pannoniæ *d* incolatu idololatriæ squalere veterno, et in luce multarum id locorum gentium hanc solam veritatis diem non habere. His auditis, tanto compassus animarum dispendio, ægritudinem cordis spe recuperandæ gentis interdum lenivit, interdum difficultates itinerum, peregrini mores locorum, affectus eorum, quos relicturus erat, respectus infirmitatis humanæ, pedem aliquantulum retrahunt ab inceptis. Porro facultatem oblatam sibi, cum in sarrienda deceptæ gentilitatis humo fidei sarculo uteretur impigre, nec posse, nec oportere negligi putavit, quando et ipse hoc sæpe optaverit, ut pro amore fraternitatis et Dei periculum subiret.

V

Ratisbonam advenit,

4 Vicit ergo in optimo ingenio et ardua via et potior causa: nam constituto pro se examinatæ personæ viro, ipse ad nova tyrocinia strenuus miles succingitur; et adscito inter alios necessitatis suæ comites, quia linguam Teutonicam non noverat, Vitale quodam presbytero interprete, perrexit; in barbarie disciplinam, in exilio
e patriam, inter immanes cognationem facturus *e*. Quæ omnia licet prius bene tenuerit, melius tamen de-
C reliquit; et quæ sine appetitu jucunde licerent, abdicata jocunditate cum licentia, ne, ubi rerum præsens affluentia, thesaurum beatæ remunerationis obæraret, pauperes divitias dives pauper exposuit. Inde viam, ne quo pigresceret otio, inrequietus Agricola præsumit, et Galliam, qua tendebat iter, et Rheni fluminis contigua plantis verbi Dei silvescere et insitivam novi hominis gemmam, protoplasti emortuo stipite, fondescere ipse quidem studuit; sed incrementi datorem Christum operis summa comprobavit: quippe qui ubi Dei scientia meritis accessit, sobolem regenerationis edidit. Hoc igitur modo fidelis in Baioarios fines, qui Meridiem versus Alpibus; ad Orientem Ungris; ad Aquilonem vero Hircano nemori
f limitem Germaniæ protendunt *f*, non hac conterritus meta, devenit. Ubi cum defluentis Histri
g fluminis *g* imperium sequeretur, Ratisbonam accessit urbem, quæ olim totius Germaniæ, et nomine et dignitate principum, et adhuc ejus-
h dem gentis metropolis *h*, antiquæ prosapiæ caput, adventu beatissimi Sacerdotis ornationibus illustravit fastus et insignia victoriosæ gentis triumpho concepta, novo pacis præconio in meli-

us commutata, fidei spoliis et ornatu sanctæ re- D
ligionis ampliavit.

ubi a Theodone duce rogatus,

5 [Hæc est civitas, quam olim Teutones a Germano sive Germanico Germanisheim vocabant. Hujus vocabulum modernis temporibus lingua nostra Reganisburc teutonizat, quam antiquitas Romana, ut quidam scriptis testantur, Tiburniam vocabant *i*.] Hujus monarchiam Theodo *k* i k
dux provinciæ qui tunc possedit, comperto san- VI
cti Pontificis introitu, adhibitoque conspectu, inter alia, quæ sit causa exilii, percontatus est. Qui nomine et natione exposita, incolatum nativi liminis propterea deseruisse se perhibuit, ut Pannoniæ populos, qui gentili feritate adhuc effremuerant, Conditori Christo reconciliaret, et in hoc proposito suam conjurasse sententiam, ut aut voti compos professionem vitæ cum fructuosa pace finiret, aut devoto certamine sanguinem Martyr effunderet. Ad hæc divino consilio præventus Dux infit, se tam pio studio nihil opponere, nihil tantæ virtuti resistere; nisi quod commeandi facultatem inpossibilitas quædam obstrueret, propter discordiam scilicet, et longam inter se et Avares bellorum controversiam, fines in utroque limite E
desertos, ita ut circa Anesim fluvium *l* urbes et l
loca, olim cultissima, tantis bestiarum immanitatibus horrerent, ne viantibus ullus transeundi aditus pateret: monere autem potius et supplicare, quatenus apud se suosque beatus Pater morari dignaretur, quos tam rudes et imperfectos in fide præteriri fas non esset: maxime cum isti necessarium optarent, et illi forte quasi superfluum recusarent. Provideret autem, ne indiscreta pietas præmium amitteret, si offerret invitis tædium, qui volentibus poterat afferre præsidium: neve sic diligeret impios, ut negligeret pios.

tandem Bavaros erudiendos accepit:

6 Vir autem Dei in sua sententia fixus, nullo nutu declinari potuit, ut aliud vellet, quam quod cœperat; nisi forte cœlestis obviaret censuræ contradictio. Quibus acceptis, ducis prudentia populique frequentia, cum exhortationes ejus adientium mentibus et pabulum sufficere, docilitate, et dulcedine desiderium conspicerent, salutem suam quam supplicatione non poterant, violenter obtinuerant, et ex verbis Salvatoris vim passum est regnum cælorum. Nam egrediendi provinciam, ne beato Viro occasio proveniret, obstiterant; et bene prævaluit humana præsumptio, F
quo ex fonte ejus salutis ascendit conditio. At Pater sanctus, quem prohibiti callis injuria conturbavit, æstimare cœpit, quidnam hæc justæ voluntati difficultas obvia portenderet, maxime cum e sinu veritatis strenuis votis placibilis promitteretur effectus, quem ipse quoque non infirma fide prosequeretur. Hæc agitantem subit exemplum Apostolorum, quos aut responsis, aut difficultatibus superna moderatio nunc et ad quasdam gentes misit, nunc a quibusdam prohibuit. Gratulatus ergo, supernæ dispositioni supposuit animum et gentis studio præbuit consensum, et in altari obedientiæ Deo consilium salutis oblaturus, mutua se charitate populo devinxit, cujus devotioni conflictum ministerii sui etiam vitæ periculo diffinivit.

VII

apud quos cum triennio strenue laborasset,

7 Erant autem memoratæ civititas et patriæ totius accolæ affluentia quidem mundanæ felicitatis illustres, sed noviter ad finem adducti, delusæ vetustatis frutices nondum radicitus exstirpabant, et consuetudinem tenaciter hærentem ignorantia fovit *m*. Ad quod opus omnia ferramenta m
Christianæ religionis robustus Cultor succingitur, et excisis inutilibus paganismi surculis, erigitur sacramentum

A. Meginfredo

A sacramentum fidei, quod universo justitiæ flore distinxit. Et quoniam magnam circa perficiendam Deo plebem solertiam habuit, lucidissimo conversationis exemplo formam vivendi præbuit, et suavissimo loquendi modo edocuit. Unde non sufficiebat tam ardenti lampadi normam prædicationis communiter exhibere; quin omnium mores notavit, omnium ingenia discussit. Deposita non auctoritate, sed rigiditate, ad intrandam cujusque privati domum, reverentiam episcopalem humiliavit. In Ecclesia, quæ communia fuerunt, ordinavit, apud singulos de propriis admissis disceptavit, et cognoscere suos, et a suis cognosci, sicut pastor bonus maluit, ne taciturnitas vitiis permitteret assensum, perurgeret interitum. Itaque nemo subditorum ejus erat, qui vel de actibus vel a verbis Magistri lineam rectitudinis non traheret. Proinde celebris illi fuit contentio sobrietatis cum sobrio, extenuationis cum humili, liberalitatis cum omnibus. Verum in contumaces magnanimo conatu surrexit et superciliosæ procacitati virgam auctoritatis intendit, spem votis proponens, ut in hac area certaminis per diversum agonem quandoque perveni- B ret ad palmam.

et Romam ire pararet, Utæ ducis filiæ violationem

8 His et horum similibus per triennum *n* fines Baioariæ perlustrans, ad laudem cælestis patriæ non ultima pars accessurus, per spiritum, qui loquitur ad cor Hierusalem, ad littus æternæ quietis tempora sua jamjam declinari præsensit, et ut Judici pulsanti expeditius aperiret, pervigili custodia insidiosum tempus expectabat, ne moram faciente Sponso, fragilitas obdormiret humana. Et quia noverat fatigatione corporis excitatiorem animum reddi, et in negotiis honestæ solicitudinis minus obrepere somnum pigredinis, tum præterea quatenus in via bonæ intentionis eum fraus inimica calcaneo calceatum et cautum offenderet, licentiam a duce pariter et populo quæsivit, quatenus Romam ad beatorum limina Apostolorum ire permitteretur, cælestis aulæ janitorem, ut *o* pulsationem suam

VIII

intromitteret supplicaturus. Sub idem tempus invida pars supremo congressu tanto periculosius conflictura, quanto gloriosius erat vincenda, subdola occasione nacta, tale pugnandi genus invenit, ubi aut viscera charitatis occludenda, aut infamia sacri ordinis, in Ecclesiæ scandalum, foret displodenda. Nam supra memorati principis filia, nomine Uta *p*, a cujusdam judicis filio C Sigibaldo compressa, consuetæ turpitudinis maculam, utero ingravescente, detegendam non solum generositatis damno, verum etiam mensura mortis ponderabat.

sibi adscribi ex caritate suadet; et famæ suæ

9 Quid facerent? quod consilium caperent? tempus urgebat partum, et culpa minabatur interitum. Supererant sola in beati Emmerammi et pietate fiducia, et in sanctitate consilia. Huc desperatio pallida provolvitur; pedes osculando demulcentur, crimen exponitur, venia rogatur. Postremo de vitæ remedio pia paternitas consulitur, tantoque extitit querelantium modus flebilior, quanto de amissis pœnarum opinio præsentior. Horum beatus Pater acceptis gemitibus conpati cœpit interius, et licet parturiret spiritum doloris, obfirmavit tamen delictis faciem arguentis; læsum quippe ingenuæ regenerationis pudorem referens magis erubescendum et æternam justi Judicis animadversionem vehementius esse pertimescendam, maxime cum hujus temporis supplicia, sicut quantitate, sic etiam ab æternis diversa sunt qualitate. Proinde, sicut mos est pœnitentibus, viam reconciliationis ostendit, ipse alto dilectionis consilio alteritatis onera suscepturus, mandavit secretius, ut maculam hanc in se transferrent *q*, quo facilius furorem ducis evaderent; quem noverat inexorabilem, cum ignominia cumularet dolorem. Sed ne pietati providentia deesset, et innocentia muta fidem et exemplum culpæ donaret, si alieno crimini sternens humeros, in offendiculum sui sileret, testificatæ veritatis et veræ æstimationis virum Wolflaicum *r* quendam presbyterum familiarius adscivit, cui secretum suum, quatenus divina relatione noverat, cautius exposuit.

aliter consulens, Romam proficiscitur

10 Nam dixit, articulum vitæ præsentis propter crimen alienum diverso se cruciatu egressurum, et pœnas pro quadam ficta culpa se laturum: rogatque, ut post obitum suum cunctis ecclesiæ gradibus denunciet, ne quis fidem hujus infamiæ de eo contendat habere, et imitaturus exemplum, impingat offendiculum; se autem vivo omnibus hoc esse cælatum persuadet. Quod ille idem presbyter, ita ut jusserat, testimonium innocentiæ ejus et fideliter tacuit, dum debuit, et aperte prædicavit, cum decuit. Post hæc Deo dignus, accepta licentia principis et populi, optatam arripuit viam, et ut par fuit, cum justo deducitur affectu. E Nam ex tota urbe utriusque sexus effusa multitudo precibus lachrymisque prosequitur euntem, et in omnibus mensuram doloris expendit pretium acceptæ charitatis, cum et divites, cum pariter et minoris fortunæ populares, aut amovendæ Paternitatis damno gemebant, aut pro reditu ei vota geminabant, et ab uno dilectionis fonte lachrymarum duplex inundat materies, mixtamque vim luctibus, et de reditu dubia spes, et de abscessu tristitia præsens administrat. Hos ille, sicut noverat pius Pastor, amplo commendationis ordine demulcet, et salutatis omnibus, viam ingreditur.

ANNOTATA.

a *In editione Canisiana sequens titulus hic præponitur:* Incipit liber de vita et virtutibus B. Emmerammi.

b *Vide Annotata ad Vitam primam, cap.* I,

c *Adi Commentarium num.* 26 *et seqq.*

d *Consule eumdem Commentarium num.* 42 *et seq.* F

e *Profectionem hanc anno* 649 *vel* 648 *contigisse diximus in Commentario num.* 30.

f *Non iidem semper fuere Baioariæ termini: sed quos hic recenset Meginfredus, fuerunt a Meridie Alpes Italiæ, ad Orientem Hungri, sive Hunni-Avares, qui Pannoniam tenebant; ad Septentrionem vero Hircanum nemus, seu Sylva Hercinia, in quantum scilicet hæc in Hercinios montes, quibus Bohemia cingitur, versus Meridiem excurrit.*

g *Id est* Danubii.

h *Non totius Germaniæ, sed Baioariæ gentis Ratisbona metropolis fuit, et antiqua regum ac deinde ducum sedes; nunc vero urbs libera imperialis suique juris est.*

i *Quæ uncis inclusi, notat Canisius aliis characteribus in Ms. suo exarata esse. Hac de causa consultus a me sæpe laudatus admodum reverendus pater Prior* S. Emmerammi *respondit;* periodos illas vocesque, quæ in Vita S. Emmerammi per Meginfredum scripta et in libris Arnolfi Vochburgensis de Miraculis in editione Canisii et Basnagii aliis characteribus impressæ sunt, in autographo Arnolfi extra contextum, partim in margine, partim supra

A. MEGINFREDO

supra alias lineas in corpore scriptas esse minoribus characteribus, eadem tamen aut ejusdem saltem ævi manu; prout ipsa characterum forma, reliquis omnino similis, satis luculenter ostendit. *Ceterum Ratisbonam olim a Tiberio* Tiburniam *appellatam fuisse, merito negant eruditi recentiores.*

k *Hujus nominis primus, ut alibi dictum est.*

l *Alias* Anasus, *incolis* Ens *dicitur. Vide Annotata ad Vitam* I, *cap.* I, *lit.* X.

m *De religionis id temporis in Bavaria statu vide Commentarium num.* 48 *et seqq.*

n *Sanctus in Epitaphio passus dicitur anno Christi* 652, *in quem annum eruditi critici consentiunt.*

o *In margine hic additur :* Al. supplicationem,

p *Ab Aribone in Mss. nostris* Ota *vocatur.*

q *Hæc admitti non posse, docuimus in Commentario prævio num.* 59 *et seqq.*

r *Vide dicta in Annotatis ad Vitam* I, *cap.* I, *lit.* kk.

CAPUT II.

B

Iniqua Sancti accusatio : crudele martyrium : sepultura et translatio ; parricidarum pœnæ ; loca palestræ et obitus illustrata.

IX *De violata ducis filia falso accusatum*

Quo longius procedente, supra dicti ducis filia commissi sceleris publicata, et ante patris tribunal constituta, de auctore tam solennis injuriæ convenitur. Cumque diu fœmineo metu spiritus obstupesceret, et alternante timore pariter et amore lingua hæreret, arguentium impetu coartata, in innocentis Episcopi personam dedecus suum conjecit. Quo pater audito, tanto vehementiori indignatione flammescit, quando altioris dignitatis fastu intumuit; acceptoque mucrone ad extinguendam propriam sobolem ruit, perficeretque facinus, nisi manus assistentium puellam imminenti periculo subduceret. Prosequitur C autem tantum sententia furorem sæva, nam exhæredatam in Ausoniæ longinqua relegat; perpetuo puniendam exilio, quam nunquam miseratio paterna revocavit: quia inconsolabilis est dolor, quem altus nutriverat pudor. Huic judicio Lampertus puellæ germanus interfuit, quem grandis pro confusione sororis invasit tristitia; et quod juventuti familiare est, pro falsa fide cœpit eum temerarius furor. Nam mixto dolore postquam bestialiter effremuit, iram subit amentia, fletuque deposito, prosilit ad vindictam. Sumpto itaque comitatu non pauco, properat virum Dei persequi.

X *Sanctum Lampertus ducis filius assequitur in Helffendorf,* a

12 Interea sanctæ memoriæ Pater trium dierum cursum explicuit, et in vicum quendam Helphandorf *a* nuncupatum, ubi fons perspicuis manabat aquis, morarum causas innectit sociis, inventa gerendi quidlibet occasione. Mens enim divino amore lustrata, ubi certaminis campum invenit, in adventum temporis, arma fidei et constantiæ, spei et orationis opera, subornavit, ita ut stupor discipulos invaderet, tantum quod Pontificem gravaret. Igitur circiter horam diei tertiam celebrante illo canonicos hymnos, et debitum officium sub sanctarum testimonio Reliquiarum *b* solvente, juvenis præfatus superveniens, D præcipitium cordis vesano tumultu designavit: *b* nam multitudinis arma collisa; minaciter inquirit nomen Pontificis, comitatui ejus magnum pavorem incussit. Unde festina trepidatione, sicut fit, ad hostium domus occurrentes, postquam habitum furoris et turbam cognoverunt, illum hæc inimica intendere timidi prænuntiabant. Quorum ille pavori ex arcano solidæ spei retulit orsa, dicens, adventum eorum non afferre sibi timorem, per quem et molestia pareat, et gaudia sine fine succedant; dolorem corporis, qui momento pertransit, esse brevem, et pœnam, quæ vitam perennem affert, esse levem. Discrimen est, inquit, parvum, mortis hujus hora, quam bonæ fidei pectus, dum patienter excipit, æternitatis desiderio transilit.

cumque amaris conviciis excipit,

13 Unde videndum est, ne nos timor strangulet, antequam timoris causa conveniat; cui si manus dantur, periculosius punit, quam interemptor. Hic etenim ex adversa militia tetricus pariter et turpissimus profligator; quem ille ceperit, antea moritur, quam puniatur. Moritur, inquam, non solum turpiter, verum infeliciter, quia et sponte E simul et sine spe tollitur. Qui enim diversa pati pro justitia diffidit, et sine fide moritur, et sine fine punitur. Hæc eo prosequente, funestus irrupit juvenis, et ut in ea domo lapis jacuit, super XI eum baculo inclinis stans, adduci sibi beatum Emmerammum turbulenter proclamat. Quo adducto, ardentibus et oculis et animis exceptum mordaciter irridens, generum appellat. Quod Dei Sacerdos justa detestatione cum denegaret, ille prosequitur, ira contumaciam dispumante, et ignita jaculatur opprobria, tandemque intulit: Ruinam nostræ domus sustulimus, calamitatem nostram proveximus, incendium gloriæ nostræ in sinu fovimus. Ut quid ergo patri filiam, mihi sororem meam unicam *c* *c* fœdasti? Plena libidinum tuarum virgo regia, dedecus generis et damnum pudoris exposuit. Risus hostium, mœror patris, luctus fratris, pignus nobile damnatur ut scortum. Hoccine est episcopum esse? Hoccine est amicum esse? Hoc est testimonium religionis? Hoc indicium pietatis tuæ? Hanc gratiam meritis nostris rependis, qui te advenam et egenum nostris bonis in reverentiam totius populi ædificavimus. F

et crimen negantem scalis alligari jubet,

14 Sub hæc Miles Christi; Immo, inquit, fili, aliam et longe dissimilem gratiam et vestra merita, et nostra voluntas exquirit. Proinde bonæ spei bonam fidem habere debuisti; nam illa suspicio non probatur, quæ neque fidem trahit a præteritis, neque causam habet ex meritis. Cur enim bene merentibus obessem, qui vel male merentibus sæpe profueram? Proinde tu, quem neque propter minas timeo, neque propter timorem moneo, depone pertinaciam, differ animum suspicionis, et redi ad experimentum veritatis, ne propter temeritatem tuam incurras in exitium. Ad limina sanctorum Apostolorum Romam ire decrevi, ubi cathedram Petrus habuit, quem in Ecclesia sua censorem veritatis Veritas ipsa disposuit. Hujus Vicarius sicut ab eodem loco et ordine trahit honorem, sic ab eadem tenet auctoritatem et ejus judicium non fallitur, quod auctore Christo solidatur. Ibi ergo vel per te, vel per nuntium canonicæ examinationis pondus de objectis experiri licebit, quatenus obligatus aut absolutus inveniar. Accepto autem mansuetudinis oraculo, vim animositatis cæca tyranni præsumptio furore laxabat, baculumque, quem manu gestabat, tanti Patris in pectus impegit, et non reveritus templo

A templo Domini funestas injicere manus, socios nefandis instigat vocibus, quantenus vinculatum deformiter traherent. Factumque est sic, ut assentatio semper declivem tyrannis impetum facit, ut a militibus illico vallatus, et religionis vestibus exutus, in hospitio ipsorum super scalam funibus stringeretur.

et membris, oculis, lingua barbare mutilatum

15 Hoc ausu tam scelerato perterriti comites sancti Viri diffugiunt, exempli majoris imagine propheticum implentes præsagium, quo dicitur: Percute pastorem, et dispergentur oves gregis. Pretiosus autem Christi Martyr, olim devotam animam oblatum iri Deo perpendens, quanto arctiori discrimine confligendum sibi cognovit, tanto attentiori sollicitudine ad victoriæ suæ ducem Christum se contulit, foris patientia, precibus intus armatus, toto videlicet spiritu illi inhærens, cujus amor animum deliniret, dum crudeli pœna
xii corpus laniaret. Interea quinque carnificibus ad secandum membratim atque articulatim tanti Sacerdotis corpusculum, ut bestialem tyranni animum multiplici vulnere pascerent, electis, divisa est sententia tortorum. Quippe duo ex ipsis, detestantes tam crudele officium, veniam postulabant, B ne pro illo facinore puniret eos justitia, ad quod non voluntas, sed domini sui cogeret sævitia; cæteri vero vana pro veris æstimantes, manus, inquiunt, impudice mulieribus insertas, ad deterrenda incestorum facinora præcidi oportet. Itaque digitorum articulos vulneribus numerant, et simul nata dividunt per tempora, morti moras facientes, ut amarior per tormenta veniret. Sed cur moratur hic facundia, ubi locus est voci suspiriis interclusæ, non compositionis arte depictæ? Ergo pedibus et manibus abscissis, luminibus effossis, auribus amputatis, naribus truncatis, tandem pudicitia Martyris est invasa, et secreta pudoris detestabili sunt acie recisa.

relinquit. Vitalis ob negatum Sancto aquæ haustum

* resecuerunt

16 Inter quæ omnia in laudem Creatoris, vox quamvis modica, Davidicum melos exercuit. Quo ipsi invidentes linguam radicitus evulsam reseca verunt *, relictoque tam multipliciter cæso, recesserunt. Ipse vero Dei Bellator in eodem victoriæ campo cruore involvebatur, donec socii beati Viri e latebris et angulis emersi, cum vicinis mulieribus, causa humanitatis excitis, aderant. Quos adesse cognoscens, aquam ad refocillandum pectus requirit. Cui Vitalis supradictus presbyter: C Mirari satis nequeo, cunctis pene membris amissis, atque ipsum lucis limen egressurus, quidnam potum exoptes; quasi dilaniatæ morulis vitæ fruiturus, cum tot cruciatibus exhaustus, finem doloribus potius, quam spatium, exoptare deberes. Ad hæc Athleta Dei tam magnus ad prosternenda in subditis vitia, spiritum collegit, et animosam virtutem rationis parvo, quo potuit, corporis nisu erexit, temptatum robur mentis gravius ferens, quam membrorum sectiones, Impatientis est, inquit, cogente dolore, quempiam velle metas vitæ præsentis erumpere, et concessam pænitentiæ salutaris hostiam fastidire, cum econtra magnæ sit obedientiæ, sententiam Judicis exspectare. At quomodo grave est pigritiæ tuæ officium nobis humanitatis et exhausto tormentis pectori refrigerandi copiam præbere? Dies tuos hæc exactio torqueat, ut quotiens cujuslibet generis potum sumas, alie-
d nationem mentis incurras *d*, nulli periculum laturus, sed exemplum inobedientiæ hoc typo luiturus.

17 Cujus sententiæ vim idem Vitalis multis, quibus postea vixerat, annis expertus est. Nam quoties aliquem gustabat potum, illico mente captus, per urbis plateas perque loca petrarum abrupta, et monumenta mortuorum discurrendo, terribiliter perstrepebat, et tamen ita stupidus, nulli fuit periculosus. Sæpe quoque sic evagatus est, ut per cacumina turrium curreret, et præcipitium minime toleraret. Cæterum vir idem callem piæ conversationis recte gradiebatur, et Missarum Officia cæteraque Ecclesiastica strenue peragendo, charitatis munia cuncta, quantum valuit, adimplevit: hoc tantum solum usque ad finem vitæ, ut nobis æstimare conceditur, et pro exemplo et pro humilitatis custodia, pertulit. Interea locorum inco- xiii

A. Meginfredo diuturnas pœnas luit: abscissa Sancti membra mirabiliter ablata.

læ pretiosa Martyris membra humanitate compuncti in arborem, quæ Spina Alba vocatur, collecta dum conderent, conditisque non diu recessissent, duo pulcherrimi viri, antea non visi, viam regiam equitantes, de utroque arantes latere pro membris beati Pontificis, ubi posita fuissent, conveniebant. Quibus in arbore prædicta monstratis, videntibus cunctis, illuc pervenientes, subito non comparuerunt. Hac disparitione, qui præsto fuerant, omnes stupefacti, ad arborem illico convolantes membra paulo ante posita non invenerunt; factique sunt hujus rei testes et notitia et novitate E pene omnes, qui ejusdem loci fuerant habitatores, consulente divina dispositione membris illis pretiosis, quæ non amittit in Sanctis etiam capillum capitis.

Sanctus, dum ad Aschaim vehitur, in via moritur,

18 Dum hæc geruntur, qui circa Sanctum Dei fuerant, tollentes eum de certaminis campo in plaustro ponebant, perducturi eum in villam Ascheim *e*, quæ distabat inde xii milliaribus, ubi e et ecclesia fuit B. Petro Apostolorum principi dedicata, ne in vilibus rusticorum casis tanta talisque Persona deficeret. Proinde mulieres ex vicinia collectæ, et viri circiter ducenti, venerabiles exequias prosecuti, viscera commiserationis votis indulgere fidelibus. Emensa jam magna itineris parte, in campum quendam gramineum tribus milibus distantem a vico Ascheim perveniebant: et ecce transmigraturus ad cœlestia beatus Pontifex voce, qua valuit, ejulare cœpit, innuens horam vocationis suæ advenisse. Quod quidam commeantium subtiliter discernens, ut de plaustro levatum Christi Martyrem dimitterent telluri, cum præmonuisset socios, mox herbido in aprico loco tremebunda religione resolvi cœpit. In exitu vero sanctæ animæ illius de Ægypto hujus mundi, lucem quasi lampadis im- F mensæ ex ore sancti Viri processisse, cœlumque ipsum penetrasse, cuncti assistentes videbant, tantaque vis jubaris erat, ut intuentium oculos, quasi fulminando, reverberaret, pavorque membra eorum tremore concuteret, ut vix beati Viri corpus in plaustrum auderent reponere.

et in Aschaim sepelitur, atque hinc Ratisbonam

19 Itaque inde digna Patre reverentia ad præfatum Ascheim perductum in ecclesia beati Petri apostoli, confaventibus ejus loci populis, debito sepelierunt honore. Sed quoniam ejus resurrectionis diem beatissimus Pontifex præstolari minime voluit, exigente justitia, ut, quos fidei gremio nutrierat, eis quoque sacri corporis patrocinaretur reliquiis, cœpit orbis natura moveri, atque elementorum violentia tanti Sacerdotis nutum prædicare. Nam coorta subito ventorum procella, lucida regio poli nubibus obducitur, et contenebratur cœli facies, mugitu tonitrui fulguribusque mortalium corda terrentibus, dissoluto interim in pluvias et defluentes amnes aëre continuis quadraginta diebus. Tunc sicut in angustia semper humanum genus de xiv insuetis attendit, et de periculis requirit, consulta est divina potentia et pietas exorata, donec visu nocturnæ

A. Meginfredo

nocturnæ revelationis declaratum est, deberi felices Reliquias festinato ad urbem Ratisbonam inde transferri. Unde primates loci illius adunati, sublatum a sepulchro venerandum corpus ad Isuram *f* fluvium navi imposuerunt, accensis juxta religionis modum cæreis. Ibi cum defluum iter, amne in propria ruente, sequerentur, per ostia ipsius ad Danubium intraverunt.

inter multa miracula postea transfertur.

20 Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, ac si velum ventus post flumen intenderet. Auxit hunc stuporem in eo comitatu res admodum mirabilis, sed tamen sancti Viri moribus comparabilis. Nam sicut ille in hoc mundo conversatus inter grassantis stultitiæ turbines, nec ignem superni amoris, nec veritatis lumen amisit, itæ càndelæ juxta sacrum illius corpus accensæ tempestatum flamina atque imbrium flumina jugi sereno despexerant, consalutantibus tam clarum signum et conjubilantibus utrisque littoribus. Hac alacritate urbem prædictam ingressi, obviam habuerunt sacros cleri ordines, et prævia re- B ligionis vexilla, cum reliquo processionis ritu, principemque Theodum *h* provinciæ cum optimatibus, effusa in adventum sui patroni tota regione; quorum hymnisonis vocibus tellus videbatur esse concussa. Itaque in beati Georgii martyris ecclesia, quam ipse quondam orationum familiaritate frequentabat, sollempni celebritate composito, truculentia furentis auræ quievit, reditque pax ætheris et arbitrium luminis. Traditur autem firmaque assertione probatur, quod in illa via, qua levatus a navi ferebatur ad ecclesiam, triginta signis divina eum pietas clarificaret *i*.

xv

Ex ipsius lictoribus tres misere pereunt,

21 Quoniam de exercitio certaminis Pontificis atque triumpho cognita et credita contexuit oratio, consequens esse videtur, quis rerum finis persecutores ejus præsentialiter ceperit, enarrare; quatenus et hæc cognitio et frenet improbos, et tueatur probos; dum non audent isti, quæ volunt: et non patiantur illi, quæ non debent. Sicut superius diximus, quinque sunt electi, qui eum torquerent, ex quibus duos facinus terruit, tres vero et ad audendum et ad perpetrandum scelus foris, imperium senioris incitat, atque insita medullitus iniqui- C tas exacuit. Unde timidi duo illi, preces pro his fundente sancto Martyre, venia donati, in pace deduxerunt tempora; reliqui vero intra septem dies spiritui, cui servierunt, immundo traditi, atque horibiliter diuque vexati, tandem quodam intempestæ noctis silentio in desertum ruunt; ubi per loca confragosa et inaccessibilia lymphando perierunt: neque postea aliquo in loco vel vivi, vel defuncti comparuerunt; duplici contritione, sicut ait Propheta, contriti.

Lampertus in exsilio obiit, ejusque posteritas pœnas luit.

22 Sed et Lampertus eorum dominus, consurgente contra eum nata ex sceleribus suis occasione, perpetuo damnatus exilio, procul a suis digno despectu evanuit; hac in posteros hæreditate pœnarum relicta, ut infra paucos annos immaturæ mortis falce præcisi, pene omnis * vita difficulter extorta, pro innocuo Martyris sanguine discerperentur. Qui vero superesse poterant, vel adhuc supersunt, eadem infelicitatis forma miseram testantur prosapiam, et calamitosam brevitatem imbecillis vitæ suspiriis debent potius quam usibus *k*. Et quid mirum, si consanguineos ejus sanguis innocens tetigit, cum et ædificia ipsius secundum illud propheticum, fiat habitatio ejus deserta, et in tabernaculo ejus non sit, qui inhabitet, damna

* omni

D impietatis ejus tulerint; ita ut virgultis et urticis ascendentibus ruinosa deformitate delapsa, humana conversatione sint incongrua, damnabilemque ac detestandum hominem, etiam insensibilium neglecta figura declamet. Diximus de insensati hominis sedibus et loci ipsius ædibus, quia desolatione visibili testentur invisibilem ejus interitum: deinceps dicturi sumus ex adverso, quanta gloria polleant arca certaminis beati Viri et locus vocationis, ut dum locorum illorum reverentia prædicatur, quo incolatu Martyris anima tripudiet, conjiciatur. xv

Loca martyrii et obitus Sancti ecclesiis et miraculis illustrata.

23 Ergo ubi incisus est felix Sacerdos locum, illum hæc solemnitas colit atque hæc immunitas tegit, scilicet ut in altitudinem cubiti unius excretus eminentia sua, fidem ibi sperandæ veniæ petentibus promittat. Tum præterea nescit jura sævientis auræ, neque nivi candescit, nec autummo flaccescit; non hyeme gelatur, non æstu torretur; solum vernale decus, et semper virentia gramina cespitem illum jucundum præbuerunt: unde etiam fidelium plebs vicina ecclesiam ibi ob frequentes votivæ congregationis accessus in honorem ibidem trumphantis Martyris construxerunt *l*. Proinde locus, ubi spiritus ejus sydeream plagam adiit, multo tempore neglectui traditus, et pene oblivione obsoletus, hoc modo dignitatem suam vendicavit. E Hyemali tempestate, sicut natura est Germaniæ, cum totam terræ superficiem nivium operiret immensitas, sola corporis areola tali conditione libera, dum prætereuntibus hac et illac miraculi sui stuporem ingessit, causam pariter suæ viriditatis, et memoriam obitus beati Martyris edocuit. Quapropter et ibi basilicam *m* posuit fides, quatenus efficacius animaretur spes, quæ in utrisque locis ita votorum fructibus viguit, ut, si numerari deberent, numerantis industriam premerent *n*.

ANNOTATA.

a *De loco hoc consule Commentarium prævium num.* 69.

b *Id est: coram sacris reliquiis, quas ibidem ad parietem appenderat, ut habet Aribo in Vita num.* 13.

c *Vox* unica *desideratur in editione Canisii sed eam in Arnolfi autographo legi, monuit me R. P. Prior Forstenius jam sæpius a me laudatus.* F

d *Vide dicta ad Vitam* I, *cap.* 2, *lit.* k.

e *Adi Commentarium prævium num.* 71.

f *Alias* Isara *et* Isarus, *vulgo* Iser *dicitur, de quo aliqua annotavimus ad Vitam* I, *cap.* 3, *lit.* q.

h *Is ipse est Theodo I, qui* S. Emmerammum *in Bavaria detinuit, et cujus filius Lantbertus ejusdem Sancti cædem imperaverat.*

i *De hisce signis seu miraculis non meminit Aribo.*

k *Hæc Arnolfus Vochburgensis confirmat lib.* I *de Miraculis, eo majori fide hac in parte dignus, quod, ut ibidem scribit, neptem habuerit nuptam Alrammo, vel Adalramo ex ejusdem Lantberti posteris genito.*

l *Adi Commentarium num,* 69.

m *De hoc etiam loco ac ecclesia consule Commentarium num.* 70 *et seq.*

n *Hic desinit Meginfredus, omittens cetera, quæ Aribo præterea retulerat, quæque Arnolfus repetiit lib.* I *de Miraculis.*

LIBER

A

LIBER I DE MIRACULIS

Auctore Arnolfo Vochburgensi,

Ex editione Henrici Canisii collata cum codice Ratisbonensi, Arnolfi autographo.

PROLOGUS

1 *Miracula Sanctorum merita et potentiam manifestant.* Vivunt merita Sanctorum in ecclesiis et potentius existunt ipsi, quamvis ab oculis nostris ablati, quam inter conversantes putarentur. Quod licet creditum, firmo teneamus proposito deprænsum, miracula tamen adstipulantur nobis, et imperitiam brutæ infidelitatis arguunt, dum ad exanimes Sanctorum reliquias impossibile languentium ad posse redit, et quod non fuit, ad esse; fraudatis circa hunc rerum cardinem cunctis sæcularium potentatibus. Nam si eniterentur vel regalis potentia, quæ præminet, vel artificialis ulla solertia, quæ interdum hiantia supplet, quomodo repararent habitum cæco? Hæc cum constent, nullum prudentis fidei consequentia latent. Quapropter quia scribimus vobis, quibus vivificator Spiritus charismatum suorum hæredem vivam plantavit fidem, pauca de multis miraculis, quæ divina pietas testi suo Emmerammo donavit, dicemus; vel ab aliis dicta repetimus : quia vobis facit de invisibilibus vel etiam de nondum factis experimentum præteritarum substantia rerum et argumentorum non apparentium.

B

Vetus capitum partitio.

Cap. I De episcopis et ducibus Bavariæ, et de hæreticis per S. Bonifacium ab ea expulsis, nec non miraculis ad sepulchrum B. E. frequentatis, atque de secunda illius translatione.

II. De muliere adultera, quæ Martyris ecclesiam ingredi nullatenus potuit, antequam per confessionem et pœnitentiam se purgavit.

C

III. De homine a latronibus capto, et bis venundato, qui post exilium trienne patriam revisens cum grandi miraculo se præsentavit beato Emmerammo.

IV De puella, quæ integrum annum permansit jejuna, et ad memoriam Martyris est communi vitæ restituta.

V. De benificiis principum seu comitum judicumque donariis S. Emmerammo collatis; et de triumpho mirabili, quem Arnolfus Imperator evidentissimo ejusdem Testis adjutorio obtinuit.

VI. De Tutone episcopo spiritu prophetiæ ditato, et de rege Chuonrado apud S. Emmerammum pro incauta jussione morbo gravato.

VII. De homine, qui in convivio principis renuens charitatem Martyris, colapho percussus est terrifico.

VIII. De monacho sancti Emmerammi, qui in periculis maris eum sibi adesse sensit per beneficia liberatoris.

IX. De apostata monacho bis a dæmone correpto, ac toties precibus et meritis B. Emmerammi liberato.

A. Arnolfo.

X. De quodam dæmoniaco a legione miserabiliter possesso, cui gratia Salvatoris mirabiliter salutem reddidit ad memoriam Martyris Christi.

XI. De quodam stirpigena Lantperti tyranni, qui una hora bina cæcitate prohibitus est ingredi ecclesiam Martyris Christi.

XII. De miseriis, quis usque in præsens afficiuntur homines tyrannicæ posteritatis, et de quorundam ejusdem stirpis conversione, humilique oblatione, ac Adalrammi duritia, virtute Martyris mirum in modum mollificata.

XIII. De duodecim viris, qui juraverant contra jus in altare Martyris, multiplici pœna consumptis.

XIV De hoc, quod contigit in quadam muliercula, pro furto calicis paralysi multata, et apud S. E. mirifice sanata.

XV De eo, quod et Judæi minime diffitentur, miracula in ecclesia S. E. sæpissime facta.

XVI De paralytico apud S. Emmerammum curato.

De obitu Michaëlis episcopi, et de signo campani.

CAPUT I.

E

Episcopatus in Bavaria erecti : Sancti corpus ad honorificentiorem tumulum translatum : pellex ad frugem reducta : vir e servitute liberatus : puella alimenti sumendi facultate donata.

S. Bonifacius erectis in Bavaria episcopatibus, Igitur martyris Christi Emmerammi corpore sacro apud Ratisbonam honorifice humato, et ad sepulchrum ejus minime fraudatis fidei merito quærentibus præsidia divinæ pietatis, tandem multo sub hujusmodi beneficiis tempore evoluto, ecclesiæ præsulatum ejusdem vir venerandus regendum suscepit Gaubaldus *a*, ante quem non solum hæc eadem, de qua nunc nobis est sermo sed cæteræ in Baioaria absque certis episcopis [post Romana tempora] erant ecclesiæ *b*. Quia enim nuper Christianitatem acceperant Norici, immiserant se illis hæretici, qui ut in aliis regionibus facere consueverant, fas ibi nefasque confuderant. Horum alii se dicentes episcopos esse, alii presbyteros, alii diversi ordinis clericos; adinventiones suas technis quibusdam subornabant, sicque populum cum principibus seducebant *c*. Quippe hic error bonis omnibus invisus, sed a perversis periculosissime annisus, maxime adolevit sub ducibus, quorum nomina partim ignoramus, partim scita cautelæ gratia supersedemus, Temporibus autem, quibus tantæ pesti remedia parabantur, hi duces principabantur, Dioto scilicet vir illuster, cui filii in regnum non successerant *d*. Item alius Theodo vir strenuus et alacer, sub quo clarissimus Christi confessor Ruopertus *e* cum aliis Dei servitoribus Juvavium devenit *f*, ibique cursum præsentis vitæ [consummavit. Sub quo sanctus Corbinianus Frisingam accessit *g*.]

F

2 Is ergo dux filios habuit successores in regno, Diotpertum videlicet atque Grimaldum *h* : post quos ducatum genti huic præbuit Huebertus *i*, qui

A. Arnolfo Ratisbonæ episcopum constituit Gaubaldum, k

qui beato Georgio et sancto Emmerammo sub quodam Rathario adventitio episcopo *k* donaverat curtem, quæ in pitaciis, e quibus hæc excerpsimus, Pirchinuvach nuncupatur. Hujus atque ducis temporibus beatissimus præsul Bonifacius ob curam quam circa oves Dominicas habuit maximam, ingressus Baioariam, nonnullos hæreticorum ex ea depulit *l* : sed eos generaliter, uti voluit, eliminare non potuit. Quo Franciam reverso, et præfato Duce defuncto, sub principe Pipino, gentis hujus ducatum adeptus est Udilo *m*. Qui missis in Italiam legatariis, sanctum Bonifacium rogavit e Roma revertentem, quod denuo Noricas gentes sub sua potestate dignaretur visitare degentes. Cujus legationi et nihilominus petitioni libenter annuens Deo plenus antistes, in Baioariam profectionem accelerat, sperans se correcturum, quod ante non poterat. Hic Domino cooperante ac præfato duce astipulante, ecclesiastica jura decernens, penitus exstirpavit hæreticos, et universos fugavit schismaticos. Provinciam vero in parochias divisit, et episcopos in his canonica ordinatione constituit. Inter quos prædictum Gaubaldum Hiatospolitanæ *n* B sedi præfecit.

qui S. Emmerammi corpus e sepulcro transfert

3 Qui dum sibi credita foveret, nec non adaugeret ovilia, inter cætera, quæ bene disposuit et ordinavit, consilium iniit cum clero, quo sepulchrum aperiret beato Emmerammo; quod crebris miraculis fieri debere clamitantibus, communis omnium comprobavit assensus. Quid plura? die statuto translationis et elevationis, cunctorum vota concurrunt; ad laudes Martyris tanto tempore inter mortales sub negligentia quiescentis innumera sexus utriusque turma confluxerat. Ad ea, quæ sæpe audierant Martyris beneficia clarius videnda festinant cuncti, novis interesse gaudiis properant universi. Demum electi sacerdotes cum diaconibus ac a liis ad aperiendum sepulchrum necessariis, populum extra ecclesiam ejecerant, et ostia intro seris munierunt. Cumque tremebunda religione a sepulchro humum resolvissent, nec non etiam lapidem superpositum a parte dextra in lævam submovissent mensura tantum quasi palmi et semis, timor super omnes irruit; ita ut præ pavore nimio laborantium manus a lapide laberentur. Ex quo terrore perculsi, viribusque dissoluti in terram ceciderunt.

in novam tumbam, multis donariis deinde ditatam.

C 4 Unus autem ex illis, qui a dextris astabant, pectus lapidi supponens, tam diu solus hunc, cum esset ingens, haud sua valitudine sustentabat, quousque cæteri posse resumerent, et securrendo manus ad incepta consererent. Tunc tanta celeritate et securitate amoverunt, ac si in se gravitatis pondus minime haberet. Quid vero hoc trifario miraculo insinuatur, nisi quod prophetico ore prædicatur : Mirabilis Deus in Sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem. Ob reverentiam enim sui Martyris virtus Altissimi hos terribiliter stravit, sed ad ejus laudes in pristinas vires mirabiliter restauravit. Tertio, uni sacris cineribus famulanti concessit fortitudinis munus ad gloriam nominis sui, qui est trinus et unus. Pro quo triplicato signo sacerdotes venerandi gratias agentes almæ Trinitati, cum magno cleri populique tripudio incomparabilem purpurati corporis thesaurum tumulo, quo catenus reconditus erat, auferentes, in monumentum novum venerabillime transtulerunt; quod ad id satis accurate jam paraverunt : in quo principes auri laminas et argenti, apparatu pulcherrimo fecerunt affigi, easque gemmarum ordine vario distingui, quorum spiritibus et nobis simul peccatoribus per intercessiones clarissimi sui testis Emmerammi dignetur Dominus propitiari *o*. D

Adultera pellex castigata, ad frugem reducitur.

5 Quidam vir in Frisingensi episcopio, quoniam fraudata est oculorum officio, conjugem suam dimisit, aliamque extra præceptum Dei duxit. Qua culpa adulterum illum cum superducta episcopi, in cujus hoc erat diœcesi, animadversio convenit; convictumque ex regulari pœnitentia multavit. Sed persuasoris instinctu pertinax mulier ab illicitis amplexibus divelli non potuit, sed cum matrefamilias permansit adultera. Factum est autem cum ad beati Emmerammi ecclesiam conventus fieri debuisset, et eadem mulier, commeantibus illuc sociata, properaret, in loco, qui Vivarius appellatur, unde ecclesiam intuita fuit, ducentis fere ab urbe passibus, ut nota commissi sceleris eam exagitaret. Cœpit autem tremore nimio concuti, et dissoluta humi devolvi; et cum erecta fuisset a sociis, si processum voluit, procedere non valuit; si redire studuit, redeundi facultatem non habuit. His in angustiis a superveniente sacerdote quodam deprehensa, requisita est, quo crimine circumventa pateretur talia. Hoc relato, sicut erat, ad episcopum suum regredi ab eodem est presbytero commonita. E Quod dum fecisset et effusa in lachrimas, vulnus aperiret et satisfactionem ex puro corde promitteret, suscepta ecclesiasticæ formæ medicina, ad medicum suum beatum Emmerammum, expers animæ vulneris, et corporei secura doloris, processit. Qua in re facile colligitur, quam longe separantur incerti a regno Dei, qui sic differuntur ab ingressu domorum Electorum suorum. Quod ne nobis contingat, fortissima Christi medicina prohibeat.

Vir a latronibus captus, et Thuringo venditus, p

6 Cum virtutum odoribus aromatizans B. Emmerammus populos ad se traheret undecumque secus, contigit quendam virum fidelem, qui bona intentione, ut finis probabat, illuc solus iter carpebat in loco, qui dicitur Verroniwaida *p*, quod sermo Latinus exprimit : Longinqua pascua, latrones incidisse. Qui cum detentum et expoliatum, Orientalibus Francis vendiderunt. Et factus est alias emptitius, qui ad memoriam Martyris voluit esse adventitius. Quidam vero, qui hunc exinde venundatum accepit, sub venali commercio tradidit cuidam Turingo in finibus Parathanorum *q*, ad id temporis crudelium paganorum. Cumque se homo F Christianus vicinum cerneret gentilibus, idolorumve cultoribus, cœpit nisu, quo potuit, domino suo temporali, tam præsenti quam absenti, ratum et promptum exhibere famulatum. Erat autem in lignis operandi peritia instructus, qua molendina* facere solebat ad aquæ ductus, ob quæ, et venustam, ædificiorum compositionem admodum charus fuit domino servus. Unde et aliquibus retinaculis cupiens hunc sibimet facere firmum et fidum, viduam juvenculam, secundum carnis hujus putredinem speciosam, quam reliquit conservus ejus absque filiorum procreatione, in matrimonium illi temptabat sociare. Quam renuens, sorte non mente captivus, respondit dicens : Uxorem legitimam in patria reliqui, cum pro innumeris meis huc traderer peccatis. Nunc ergo, ea vivente, quomodo aliam superducam ?

* *i. e.* molas

a domino suo coactus, viva uxore sua, aliam ducere,

7 Quibus verbis permotus dominus, asperrimos sermones invexit, dicens : Hæc mihi faciat Dominus, et hæc addat, nisi hanc in matrimonium sumpseris, genti Saxonum te tradam, quæ tot dæmonibus per spurcam servit idololatriam. Novi etenim ac experimento didici, quia, si mulierem hic accipere non vis, fugere malis, quam mecum commorari in his locis,

A cis, ut et de fuga confusus, et nihilominus post de precio tuo maneam defraudatus. Cumque assiduo sermonibus hujusmodi inter se disceptarent dominus per peccatum servus, et servus per justitiam dominus, ætate jam ac moribus senex aliter se non posse advertens imperium domini sui declinare, quin in gentem traderetur Deum ignorantem, cujus vitam quasi mortem timuit, tandem se velle eam confitetur sibimet copulare. Tunc exhilaratus dominus, adpræhensam mulieris manum involvit pallio, et, ut moris est nuptiarum, seni sub testibus eam in matrimonium concessit; sicque discessit. Religiosus autem senex, accepta muliere, perrexit ad domum hæreditatis invisæ, in qua cubiculum intrantes, et alimenta juxta consuetudinem nuptiarum percipientes, lectum, quem ipsa paraverat, haud parili animo ascenderunt. Cui senex, prævide, inquit, charissima filia, ne hac thalami commixtione summum offendamus Artificem, quia temporalis vitæ gaudia paucis diebus deficiunt, sed æterna animarum detrimenta parturiunt. Fruere itaque artificio meo in deliciis, et hoc tantum indulge, ne me sub jugo copulationis hujus, conjuge B vivente, præcipites in interitum.

invocata Sancti ope, in somnis jubetur fugere;

8 Illa autem carnali voluptate devicta, viri sui petitioni minime assentiebatur; immo, quæ in aurem dixerat, domino suo palificaturam minabatur. Senex vero cum hujusmodi exhortatione se cerneret minus perficere; lasciviam sociæ ac exasperatos animos verborum blanditiis ita lenivit, dicens: Videndum est nobis, charissima soror, ne gentilium ritu, cum simus Christiani, nuptiis conveniamus, sed potius per triduum nos contineamus, Dominum deprecantes, ut det nobis filiorum procreationem, quia mulier non pro libidine, sed pro sobolis est spe assumenda. Hæc mulier cum audisset, despexit, et se convertens ad parietem, inerti se somno immersit. Religiosus autem senex cum lachrimis et intentione cordis supplicabat miserationibus Omnipotentis, ut per merita et intercessiones dilecti sui martyris Emmerammi sibi dignaretur auxiliari. Cujus orationem, quia divina pietas exau- C divit, eodem momento misericordissime patefecit. Nam cum et ipse præ tristitia obdormisset, Vir quidam pulcherrimus ante lectum quiescentis astabat, qui baculo, quem manu gestabat, latus ejus percussit, dicens: Surge et vade ad ecclesiam beatissimi martyris Emmerammi, quo te iturum devovisti.

et mirabili pane in via pastus, Ratisbonam venit,

9 Cui vir senex respondit: Quomodo sine alimento tot terrarum ignota spatia perambulabo? Cui iterum, qui astabat, adjunxit, Surge, ne hæsites; sed sume panem positum in cœnaculo superiori, et ipse sufficiet in alimentum tibi ad perfectionem itineris tui. Vir autem post tantam visionem expergefactus, et aliquamdiu spiritus occulta scrutatus, ignorabat, utrum dormiens, an vigilans, hanc acceperit ammonitionem. Surrexit tamen secundum edictum vigilis, et panem in cœnaculo reperit tam candidum et saporum, qualem antea nunquam viderat vel manducaverat. Quem etiam secum sumens, et cætera, quæ in eadem domo supellectilis erant, ibi reliquens, tantum tulit vestitum singularem, et quam manu solebat gestare bipennem. Regressurus autem, ad solitudinem sub festinatione perrexit, lachrimatas preces Domino fundens, ut per merita clarissimi martyris Emmerammi iter suum dignaretur prosperari. Quod per invia et deserta, uti optavit, prosperis continuis diebus quatuordecim pene perficiens, demum die quinta decima, hora ejusdem quasi tertia pervenit in montem contra Ratisbonam inter Danubium et Imbris fluenta jacentem. E cujus specula vinearum plantationi contigua Martyris intuitus ecclesiam, magnorum videlicet operum casam, immensas Deo referebat gratias. A. Arnolfo

et sancto Martyri gratias agit.

10 Tunc descendens de monte atque navi transmisso flumine, cum cæteris turmatim ac nihilominus certatim ad memoriam Martyris pergentibus, et ipse sub omni celeritate properaverat lætus. Cumque diu optatam ingressus esset ecclesiam, adhærens pavimento, lachrimis et precibus satisfecit trienni voto. Completa autem Missarum solennitate, uti competens erat Dominica die, senex religiosus extra aditum ecclesiæ egressus, panem, de quo tot diebus refectionem habuit, ostendit; historiam exilii et reversionis veraciter exposuit; duas portiones, quæ ex alimento superfuerant, in conspectu totius populi pauperibus divisit: tanti Patroni beneficia clamavit in æterna fore debere memoria. Quid super hoc dicendum vel ascribendum, nisi quod Psalmista dicit memoriale sempiternum: Magna est gloria in salutari tuo, Domine: gloriam et magnum decorem imposuisti super eum. O Jesu benigne, hoc tantum ad te sub ejus patrocinio licet dicere, ut, sicut illum dedisti multis validum patronum, ita interpellatio- E nibus ejus placatus, hic et in æternum sis nobis propitius.

Puella edendi et bibendi facultate diu destituta,

11 Erat quædam puella in Frisingensis ecclesiæ diœcesi constituta. Hæc, ut solita erat, primo diluculo progreditur ad exercitationem curæ pastoralis, quod scilicet ad pascua duceret pecora sui genitoris. Contigit autem, eam occulto ibi Dei judicio subito talem spiritus accipere inmutationem, ut nil alimenti in usum vitæ omnino sumere vellet. Quo parentes viso, nec non cognati, rescito, sub stupore eam convenerunt; ac primum obsecrando, dein increpando, demum omnigeno conatu, ut alimentum sumeret, angariaverunt. Sed illa perinde modis omnibus universa, quæ mandi et bibi possunt, recusabat percipere, cibi potusque fassa delectationem se minime habere. Propin- F qui vero puellæ aquam lacte mixtam ori per vim infundentes, temptabant, si forte vel tenuem glutire posset liquorem. Cujus gustum dum invita sorberet, erecto statim collo, sanguine confectum removebat. Tunc parentes, quid quirent facere, ignorantes, consilium inierunt, ut eam Joseph Frisingensi episcopo r præsentarent, sperantes ejus auctoritate filiam communi reddere vitæ. Quorum spebus dum ille satisfacere tentaret, puellam sub austeritate arguens, ut ederet, coëgit. Illa autem quasi quisquilias esum potumve respuens, non solum illa die incœnata remansit, sed et jam annum integrum haud absque manuum opere jejuna complevit. Facies vero illius nimis erat pallida et sanguinis exhausta.

eam in loco martyrii recuperat.

12 Quod quidem nobis valde mirum, sed incredibile videtur animis hominum aut omnino brutorum, seu cælestis oraculi speculum minus clare intuitorum. Non enim est impossibile apud Dominum omne verbum. Et illud: Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo et in terra. Qui solus novit, quare homo cæcus natus fuerit, et cur tantam rem in muliercula fecerit, cujusque meritis salutem ejus concedere voluit, et quibus, voluit per nocturnas visiones revelavit: quia puella mortalibus diu portentui habita, ad memoriam martyris Emmerammi deberet deduci. Quod ut parentibus innotuit, propere ac alacriter filiam assumentes, dum ad urbem, quæ sacrum ejus corpus amplectitur, proficisci vellent, sed ob itineris prolixitatem ire diffiderent, secum eam ducunt ad locum, ubi Testis fidelis purpuratum accepit martyrii

A. Arnolfo s tyrii triumphum *s*. In quo ut solo tenus humiliata, pro posse et nosse oravit, erecta surgit, panem poscit, qui cum adest, stat sana et est. Christiani, qui aderant, mirabilia Christi videntes, laudabant eum etiam tunc fortassis vociferantes; nos vero ipsum collaudamus nunc, sub silentio hæc reminiscentes vel pronunciantis officio legentes. Tu autem Martyr alme, piorum votis Emmeramme c olende, pro cujus veneratione Panis vivus miraculum hoc fecit in pane, apud eum nobis obtine, ut illud in regno super mensam illius cum Justis edamus et bibamus.

ANNOTATA.

a *Vide Annotata ad Vitæ primæ cap.* 3, *lit.* x.

b *Verba uncis inclusa monet Canisius editor in Ms. suo alio charactere scripta esse. Porro ista Arnolfi dicta non sic accipias, quasi ante Gaubaldum, sive ante constitutos a S. Bonifacio episcopos, etiam post Romana tempora nullus in Baioaria episcopus ordinarius fuerit, cum in sede Salisburgensi S. Rupertus sanctusque Vitalis et Flobargisus, in Frisingensi S. Corbinianus, velut ordinarii* B *episcopi sederint. In Ratisbonensi quoque Wicterpus præponitur Cauvipaldo sive Gaubaldo in versibus poëtæ seculi* IX *de ordine comprovincialium pontificum apud Mabillonium in Analectis pag.* 347 *novissimæ editionis, ubi etiam supra dicti episcopi recensetur. Utcumque tamen in Baioaria tum erecti fuerint episcopatus, S. Bonifacius nullum in ea invenit episcopum præter Vivilum vel Vivilonem, Laureacensem seu primum Pataviensem episcopum, quem S. Gregorius III Papa consecraverat, ut constat ex hujus sancti Pontificis litteris ad eumdem S. Bonifacium datis. De hoc itaque tempore accipienda videntur Arnolfi verba, et mitius interpretanda.*

c *Similia prorsus narrat Willibaldus presbyter in Vita S. Bonifacii, data in Opere nostro tom.* I *Junii, quam consule pag.* 468, *num,* 41 *et seq.*

d *Dioto hic est Theodo I, qui* S. Emmerammo *persuasit, ut in Baioaria maneret, et cujus filius Lampertus, unica illius, ut videtur, mascula proles, ob sancti Episcopi parricidium in exsilium pulsus, in paternum ducatum non successit.*

e *S. Ruperti gesta illustrata habes in Opere nostro ad diem* 27 *Martii, ubi ejusdem in Baioariam* C *accessus ex communi istius temporis errore nimium maturatus est, uti ad diem* 8 *Septembris in Commentario de S. Corbiniano* § 4 *observavi. Theodo ille, ad quem tum S. Rupertus, tum S. Corbianus, ut mox sequitur, in Baioariam advenerunt, fuit ejus nominis II, de quo in mox citato Commentario multa diximus.*

f *Juvavium, hodie Salisburgum, incolis* Saltzburg *dictum, Germaniæ urbs est in circulo Bavariæ, episcopatu primum a S. Ruperto, deinde vero circa finem seculi octavi sub Arnone archiepiscopatu illustrata, hodieque cognominis ditionis, quæ suo archiepiscopo paret, caput est.*

g *Uncis inclusa alia manu scripta erant in exemplari, quo Canisius usus est.*

h *Diopertus ab Arnone episcopo Juvaviensi in Indiculo traditionum* Theobertus *vocatur: Grimaldus ab Aribone in Vita S. Corbiniani, ad diem* 8 *Septembris apud nos edita,* Grimoaldus. *In eadem Vita alius item Theodonis filius* Theodoaldus *legitur, quibuscum laudatus Theodo divisam in tetrarchiam Baioariam rexit. Consule tam laudatam Vitam, quam Commentarium ibidem.*

i *De Hucberto consule mox dictam Vitam S. Corbiani cap.* 5. D

k *Plura de hoc Ratharío alibi non reperi.*

l *De hisce et sequentibus S. Bonifacii in Baioaria gestis consule ejusdem Sancti Acta in Opere nostro illustrata ad diem* 5 *Junii.*

m *Utilo, alias Odilo, Hucberto in ducatum successit.*

n *Id est,* Ratisbonensi, *ut supra diximus.*

o *Hoc et tria sequentia miracula vel beneficia Arnolfus hausit ex Aribone, uti ipse in Epistola ad Burchardum num.* 8 *testatur.*

p *Ita habet Arnolphi autographum, teste R. P. Forstenio; in editione Canisii legitur,* Verromwaida.

q Parathanos *etiam vocat Aribo, ex quo hæc retulit Arnolfus; verum eos apud alios non reperi; fuisse tamen Saxoniæ incolas, liquet ex sequentibus.*

r *Josephus fuit tertius Frisingensis episcopus, et Aribonis proximus decessor, prout hic ipse testatur in Vita* I, *cap.* 4, *num.* 47, *ubi hæc eadem historia narratur.*

s *Id est, aut in* Helffendorf, *ubi Sanctus crudeliter, sectus fuit, vel prope* Aschaim, *ubi ex ista mutilatione obiit.* E

CAPUT II.

Imperatorum et principum munifica in Sanctum pietas: Arnolfi imperatoris victoria, illius ope obtenta: eidem injurii castigati: maris tempestas sedata: expulsi ex energumenis dæmones: pœna posterorum Lamperti.

Quanto honore et qua reverentia, quo affectu principes beatum Emmerammum coluerint, inter cætera sibi ab his collata prædia seu preciosa donaria testantur. Ad Orientem provinciæ hujus Lunælacus *a* optimo pisce vividus, unde regius cibus: ad Occidentem vero vinifer cespes Spalticus, e quo regius potus. Attestatur quoque territorium Ratisponense et prædium regale *b*, quod a fastigio montis Meridiani, inter vias publicas usque ad muros ipsius monasterii a Carolo Magno traditum est beato Emmerammo et monachis ejus sub imperiali testamento. [Hic inter cætera, quæ regio more ac imperiali potentia constituit et ordinavit, ducem Tassilonem regno privans, cum filio Diotone monachum esse compulit *c*; nec non sedem Ratisbonensi episcopi a ducibus prioribus extra urbem translatam, ad Martyris videlicet S. Emmerammi basilicam, infra urbis ejusdem muros constitutæ beati Petri Apostoli sub Simperto episcopo restituit ecclesiæ. Locum autem Martyris in patrocinium sui honestavit munificentia regali, subdens eum illi, qai ibi inthronizatus fuerat sede Pontificali *d*.] Duces vero, qui ante hunc principem sub regibus Francorum Baioariæ regebant ducatum, quæ bona beato Emmerammo contulerint, pitacia eorum et testamenta penes non satis indicant inventa. Hujus autem filius, piæ memoriæ imperator Hludovicus, et qui illi fuerant successores

v *Imperatores, aliique optimates Sanctum donis honorarunt;* a

b

d

A cessores in regno, comites quoque ac optimates, nec non judiciariæ dignitatis complures, quantis quibusve rebus prædictum ditaverint locum, testatur pars non solum major, sed etiam melior episcopatus Reginæ civitatis *e*.

e inter quos Arnolfus imperator, qui ipsius opem

14 Ex his autem omnibus, qui Christi Martyrem reverenter colebant, eo quod præ cæteris ejusdem cultui deditus esset, excipiendum mihi puto persuavis memoriæ Arnolfum, Carolomanni filium, primo Baioariæ ducem, dein Franciæ regem, novissime autem ob beati Petri defensionem, post victorias mirificas Romæ factum imperatorem *f*; sub quo etiam veluti fundamentum quoddam Martyris almi miraculis scribendis ponere volo; quia hinc exordium sumens, utpote ex noto, et circa eundem Dei Martyrem maxime devoto, pulchram ad cæteros principes his annotandos processionem facere potero. Is namque sperans, Deum sibi fore propitium, elegit beatum Emmerammum vitæ suæ ac regno patronum, adeoque illi adhæsit, ut in vicinitate monasterii regio cultui aptum construeret grande palatium. Cum ergo hujus patrocinium duris in negociis et in præliis multis haberet expertum, manifestius hoc sibi adesse sensit, quando Marahensi bello interfuit *g*. Ibi enim primo congressu (ut legisse me memini) crepitantibus hastis, qui erant tyrannicæ partis, viderunt acies imperatoris ab ignotis et pulcherrimis defensari viris, qui uti dignis revelatum est, erant Sancti, quorum patrociniis illo profecturus intente se commendavit.

in pugna adversus Moravos expertus,

15 Horum quippe visu perterritis hostium cuneis, lentescebat pugna in parte adversa. Quod ægre ferens unus militum tyranni clypeum arripuit, et primarium signum legionibus prætulit; superbe has conpellans et exhortans, quo sui exemplo animos resumerent ad pugnam. Cumque præpeti cursu in ipsum pene principem irrueret, obvium habuit senem canitie venerabilem, sed habitu terribilem, qui ei protestatus, Emmerammum sibi resistere, umboni manum inseruit, ac tamdiu frustra renitentem vexavit, quousque hi, qui ejus instinctu facti sunt audaces, fierent omnes inde fugaces. Hæc non ficta, sed esse veraciter facta et dicta, is qui vidit et pertulit, postea humiliatus confitetur et prodit. Hinc princeps gloriosus victoria tali oppido lætus, Ratisbonam revertitur, ubi consonis omnium in ea ecclesiarum campanis suscipitur, simulque triumphus cum miraculo prædicatur et extollitur. Tunc sapienti usus consilio, et illud macte ruminans: In die bonorum non immemor sis malorum, et quia displicuerunt novem, minime glorificantes eum *h*, cujus est benedictum æternaliter nomen, per cuncta Noricæ monasteria misit gratifica munera. Speciali autem suo patrono Emmerammo pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum, in quo erat ciborium quadratum *i*, cujus auro tectum tabulatum, fastigium serto gemmarum redimitum. Corpus vero ad geminæ specimen dilectionis, similitudinem habens superioris et inferioris, sustentatur aureis octo columnellis, quæ et ipsæ tot virtutum seu beatitudinum instar exponunt.

Sancti monasterio pretiosa donavit, et in eo sepeliri voluit.

16 Erant etiam in eo Evangeliorum libri plenarii auro et gemmis tecti, scripti, picti, ac omnimodis ornati, e quibus unus est cubitalis; opere, precio, pondere, siquidem talis, ut ei non facile inveniri possit æqualis. Cujus in dextra parte dispositio gemmarum centenarium etiam complet numerum, quarum quædam adeo quantitate præeminent, ut quatuor ex his calices aperiant sedecim, in figuram sanctæ Crucis, per singulos quaternis ordine medio dispertitis. Intimus autem ordo contractior calices habet triginta duos, singulatim gemmis minoribus opertos, quibus venuste respondet extimo amplioribus per castella dispositis nec non margaritis per propugnacula insertis, deliciosissime compto *k*. Hæc autem cum largifluæ principis devotioni tanto Patrono minime sufficerent, pro dono addidit argenteam craticulam prædicto ciborio subponendam. Adjecit et pallia *l* coloratu paria et varia, inter quæ unum unius texturæ longitudinem habuit cubitorum triginta. Verum his quid diutius immorandum? Demum quippe apud S. Emmerammum sibi jussit præparari mausoleum *m*, quo mortem obiturus eum benignius in ecclesiis haberet patrocinantem, quem in terris utcunque vivens et valens sui suorumque optavit imo fecit fore potentem. Hujus tui ministeriarchis animæ et nihilominus adhuc tibi famulantium catervæ potenti prece apud Omnipotentem succurre beate Emmeramme.

VI Conradus rex ablatum librum, morbo correptus, restituit:

17 Sub præfato itaque principe Tuto *n* sancti Emmerammi monachus Ratisbonensi præsulabatur ecclesiæ, qui a septimo anno imperii illius usque ad duodecimum regni Henrici Saxonis hac in vita permansit *o*. Hujus ergo antecessor Chunradus rex *p*, exigentibus publicæ rei utilitatibus, ad Reginam civitatem devenit: in qua rebus, quarum gratia venerat, profligatis, ex antiqua regum consuetudine commonitus, accessit ad ecclesiam B. Emmerammi, quasi licentiam accepturus Franciam remeandi. Ubi principum sepulchra visitanti, Arnolphi scilicet Imperatoris, nec non Ludovici, qui puer immatura morte e medio excessit *q*, a Capellanis male suggestum est, ut regio jure ac potestate, suorum utpote qui fuerit antecessorum, sibi vendicaret præscriptum magni precii librum. Quem cum prænominatus episcopus dare jussus, sed hoc facere Martyris timore nullatenus esset ausus, minis tandem ad id ventum est, ut librum eundem coram principe invitus in altari exponeret. Cui tamen imprecatus est dicens: Debitor B. Emmerammi sit in die judicii, qui hunc usibus ejus subtraxerit servitii. Quod tantum valeret, cito experturus rex, præcepit eum temere tolli et efferri. Cumque ascendisset equum, prope monasterium incurrit dysenteriæ morbum. Quo tremefactus, ac in se facti commercium sentiens per cruciatus, eodem momento restituit librum beato Emmerammo, inde secum ferens dolorem, quo in Francia ultimum clausit diem *r*. F

Tuto episcopus altare aureum confici curat.

18 Tunc venerandus antistes Tuto Christo adhærens in Martyre suo, coronis principum Caroli, Carolomanni, Arnoldi addens de suo, quantum potuit, B. Emmerammo aureum altare paravit, venustissima forma decoravit, mille gemmis ornavit *s*. Hic atqui cæcatus corpore, sed illuminatus mente, castigatæ infirmitatis necessitatem vertit in animi augustam virtutem; et nequaquam valde depensans privatum se luminis *, quod sibi commune esset cum muscis, talem spiritus habuit consolationem, ut per eum ventura prævideret, ac ea, quibus minime interesset, facta patenter ediceret. Constitutus ergo apud Lunelacum, triginta ferme rastis *t* a Ratisbona distantem, grande in ea quadam die factum suis indicavit incendium. Hujus rei non solum probato, sed etiam totius in eo pietatis testimonio, exemptus e medio, uti nobis dictat bona spes, migravit ad cælicas sedes: ibi, quem hic dilexit patronum suum semper visurus Emmerammum. Cujus propitia intercessio famulis obtineat

* lumine

A. Arnolfo

tineat apud lumen verum illuminationem oculorum nostrorum, ne unquam mortis obdormiamus in portis.

VII

Coram Ottone I imperatore, Ratisbonæ degente,

19 Postquam monasterium beatissimi martyris Emmerammi, quod prius extra fuerat, cœpit esse intra muros Ratisbonensium civitatis, quos Arnolfus dux, inter optimates opere diviso, cito construxerat *u*, sub rege Henrico, filius ejus de gente Saxonum primus imperator Otto *x* adhuc eandem probum duxit venire civitatem. In qua factis et celebratis, quæ erant imperatorii juris, B. Emmerammum curte regia donaverat, quam Germana lingua Helphandorf *y* vocitat, Romana vero Adjutorii vicum latinizat, tunc Michael Hiaspolitanus antistes *z* in quodam monasterii palatio imperatori paravit convivium, quo principem cum primatibus fecit recumbere secum. Cum ritu epulantium pene forent confirmati, et vino lætati, imperator ore jucundo Saxonizans dic * : Siceram cujus quis bibat, hujus et carmen canat. Beati Emmerammi bona manducavimus ac bibimus, inde mihi videtur æquum, charitate ejus finiri convivium. Mox aderant pincernæ, propinantes singulis ad nutum imperatoris charitatem Martyris.

* al. dicens

B

quidam de Sancto contemptim loquens, divinitus punitur.

20 Ob cujus venerationem inter se cunctis osculum dantibus, et invicem ad potum charitatis se cohortantibus, unus hanc superbe respuens, dixit : Helram *aa* in ventre meo non habet locum : quia cibus et potus jam intrantes præoccupaverant illum. Adhuc lingua palpitans ex emissione verbi movebatur, et e pariete, cui amphipendulato dorso tenus innisus adhæsit, colaphum tam valide complosum accepit, ut e sessu projectus in medium palatii præceps rueret : nec non simul omnes timor et altus stupor caperet. Tum, religioso monarcha cum episcopis et optimatibus ecclesiam festinanter ingresso, consonantibus campanis, Deo et Martyri pro gratiarum actione laudes celebrantur ac letaniæ. Sed ne forte alicui istud videatur incredibile, sciat quisque fidelis, id me nullatenus fingere, sed a quodam viro fideli atque sene, Sigibaldo nomine, sicut scripsi, accepisse, qui per fidem Christi testabatur, huic se convivio interfuisse, et nihilominus vera dixisse. Tu autem sancte Emmeramme, quem Omnipotens hoc in signo, ut in cæteris, voluit honorare, preces illi pro nobis peccatoribus funde, quo per veram charitatem angelum satanæ colafizantem nos possimus avertere.

C

VIII

Horridam maris tempestatem

21 Erat quidam sub prænominato angelici nominis episcopo beati Emmerammi monachus, nec non etiam ecclesiæ custos et æditruus, nomine Adalpertus. In locorum sanctorum desiderio transmarinam aggressus est peregrinationem. Qua Hierosolymam petens et cætera cælestis thesauri perlustrans ea loci sacraria, millenis adversitatibus atteritur, terra et mari tentatur, ex ipsis quoque faucibus mortis Patroni sui precibus frequenter ereptus probatur. Quod semel quam evidenti signo factum fuerit, relatio ipsius hic inserta patefacit. Quadam die iter in mare fecimus navale, pro qua nobis tristem densitas nubium, collisio fluctuum, spiritus procellarum pepererunt noctem. Cumque ventis et undis hinc inde quassati jactaremur, atque pericula mortem minarentur, perventum est ad hoc, ut nautæ conclamitarent : Domine non est; et nauclerus diceret tremulus : Defecit. Tum ego miser de profundis ruminans, vitæ absumptis omnium spebus, præ tristitia sum soporatus. In dormiendo autem videbam quasi Domini mei martyris Emmerammi præ oculis pendere pastoralem virgam, quam vulgo dicunt cambotam vel ferulam. Cujus unco ad faciem meam converso, sentiens adesse mihi beneficia Patroni sæpe experti, manum tentabam illi inserere, ut de profundo pelagi post se sic me adhærentem dignaretur extrahere. D

Sanctus in somnis apparens, subito pellit.

22 Tunc certe in ipsa manus porrectione, quam veluti vigilans levabam, expergefactus vidi noctem die, lætis tristia, aëris turbida serenitate mutata. Ad cujus spectacula exhilaratus mirabar cum mirantibus tam subitam et pernicem dextræ Excelsi immutationem. Nautæ vero, viribus resumptis, gratias referebant Deo pariter et pro salute nec non miraculi quantitate. Ego autem gratificatus omnium bonorum Fonti, quod meritis nostris nequaquam potuit fieri, deputabam patrociniis beatissimi martyris Emmerammi, per quem somnia et insomnia, qui non dormit neque dormitat, efficiat nobis innoxia, et concedat posse vigilare ad opera bona.

IX

Monachus ad seculum reversus, occupatur a dæmone,

23 Superiore quidem capitulo perscripsi, quod cucullato et monacho erat consolationi, hoc vero innectere libet, quæ sint perversis timori, ac nihilominus apostatis terrori. Fuit in Ratisbona homo quidam, nomine Sigibertus, lege humana seu conditione liber, sed Christianæ veræque libertatis indigus et æger. Hunc accepi fantasticis adeo infestatum præstigiis, ut nullatenus dormiens vel vigilans requiem habere posset, nisi se cucullatum apud S. Emmerammum fecisset. Quo perpetrato, dæmonum cessavit infestatio, et diversa maligni impedimenta Martyris prece sunt sopita. Verum ille miser et infelix post aliquot dies, Defensoris oblitus, suggestionibus occultis consensit illius, qui in se aperte dominium perdidit invitus. Questus ergo pro carnium olla in Ægypto relicta, et pœnitens, quorundam se perpeti penuriam in monasterio, quorum parvam abundantiam falso reliquit in sæculo, monasticum deposuit habitum cum illo ludibrio, quod vulgus jam habet in proverbio : « Hinc hinc cucullum, non ultra gravabis » collum ; » ob paupertatem monachorum celeriter mihi revertendum ad lapidem coriorum. Hoc autem dixit, quia prius erat coriarius, seu calceamentorum sutor dolosus. E

eoque apud S. Emmerammum liberatur.

24 Sed nequaquam diu gavisus est, se monachis ita illusisse. Nam non multo post maligno spiritui est traditus. Quo urgente, nimis furibundus et jam catenatus ad S. Emmerammum trahitur, ac in choro ad columnam ligatur : quo cum fratres convenissent, et pro eo flebiliter orassent, interdum clamore adstantes perterrendo saltabat, interdum supinus jacebat. Novissime eum diabolus in aëre suspensum tam diu tenuit, quousque fidelium votis et maxime B. Emmerammi patrociniis ei succurreret Majestas divinæ pietatis. Tunc demum relapsus in pavimentum, per dæmoniacam discerptionem erecto collo, cœpit evomere cruorem cum sanie. Qua cum plastrum *bb* horribiliter esset pollutum, spurcorum princeps subito omnem spurcitiam inde auferens, secum ad vitream fenestram sustulit, quam ob exitus signum comminuit, et sic inter spiritales nequitias evanuit. Ille autem homo multos fecit annos in gravi pœnitentia, exercens nudipedalia *cc*, in summa rerum miseria. S. Emmeramme a sancta Trinitate triplici hoc miraculo honorate, pro nostris intercede negligentiis apud eum, cujus clementiam nulla mortalium superant delicta. F

X

Alius energumenus ibidem liceratus,

24 Inter innumera casuum humanorum infortunia valde miserabile ac magis flebile videtur et est, quod in homines, quorum possessor esse debet Deus, ut propria domicilia intrat humani generis inimicus. Sed id revera occulto et justo fit Dei judicio.

A cio. Traduntur enim interdum hujusmodi propter peccata carnis in interitum satanæ, ut salvi sint spiritus in die Dominici adventus. E quorum unus Gestiliub vocitatus, hospitibus pessimis permissus, nobilis genere, sed ubique miser multiplici dæmone, intus diaboli, foris catena ligatus ferri, per plura Sanctorum loca mundandus deducitur, sed minime absolutus reducitur. Demum divina miseratione hoc, uti voluit, dictante, venitur ad S. Emmerammum, talium dono cælesti liberatorem magnificum. Ubi geminis devinctus catenis adeo extitit bestialis et immanis, ut a trium * viris dextra lævaque pari numero divisis, vix ab interitu sui nec non aliorum posset cohiberi. Cumque diu oratum esset pro eo et multis foret horrori et exemplo, ante confessionem beatissimi Martyris hospes hispidus et horridus nomen confessus Legionis, ejectus est ab hospite antea sibi charo, sed tunc Martyris precibus admodum amaro. Tunc videres, mirum in modum si adesses, hominem paulo ante per alienas vires ossibus et nervis distentum, subito mediocri gestu corporis contentum, uno eodemque momento destitutum propriis viribus et restitutum.

* tribus

B Is ergo Sanctorum, quos pro miseria relevanda petiverat, charitate beato Emmerammo donatus, per eundem dulcissimum Patronum gratificatur Deo, simulque omnis plebs Hiatospolitana conjubilat cum eo. Pro hoc Domine dominorum, et aliis potentiæ tuæ miraculis, generatio præsens et futura laudabit opera tua. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt et virtutem terribilium tuorum dicent. Cum quibus et nos humiliter ac supplicative dicimus: Emmerammo testi tuo fideli concede salutem omnium nostri.

XI *Quidam e posteris Lamperti ecclesiam Sancti intrare divinitus prohibetur,* * l. tentaret

25 Merita B. Emmerammi martyris quantum valeant in præsentia Omnipotentis, testatur jam plus quam per trecentos annos Lamperti misera generatio tyranni. Cujus e stirpe unus die quadam cum aliis Patroni nostri petens ecclesiam, cum intrare tentarent *, in ipsius atrii, quod huic adhæret, medietate subita prohibitus est cæcitate. Ibi dum deviando manibus palparet, ac pedibus offenderet, a transeuntibus, quis esset, quid pateretur, interrogatus, et genus infœlix cum casu professus, eorum consilio et ducatu atrium est egressus. Qui mox visum recipiens, nec non pro eo, quod sibi acciderat, haud satis diligenter se discu-

C tiens, utpote alicujus oneris expeditus, intrantium turbis est conjunctus: tunc miris mira succedentibus, in ipso portarum introitu denuo cæcitate percussus. Unde et a populo, honorem dante Deo, absque dilatione foras ejicitur, quia per evidentissimum signum a cunctis inimicus Testis esse conjicitur. Hujus rei testimonium cum publico rubore homo portans secum, et valde miratus, se bis cæcatum atque illuminatum, repedavit ad propria. Hujusmodi sermone inter convivales et consanguineos exeunte: Noverint omnes, nulli ex posteritate Lamperti accessum apud S. Emmerammum iri concessum, nisi cum magna humilitate et multum valente impetratum fuerit prece. Tu vero magnifica lux mundi, per intercessiones Martyris tui illumina tenebras cordis nostri, ne extorres simus cœlestis regni, sed intromittamur nuptiis Agni.

XII *alii e posteris, Sancto supplices, ibidem sanantur,*

26 Nobiles quidam viri, cognatione nobis et tempore noti, quorum nomina silemus, quia verecundatur quisque proximus, ob timorem pariter et angorem calmitosæ pestis, quæ diu multumquæ sævit in hominibus tyrannicæ posteritatis, per diversas rerum suarum oblationes atque sacerdotum orationes miserunt ad B. Emmerammum, quo liceret eis absque publica confusione domicilium requietionis ejus intrare. Quod cum videretur impetratum, ut venirent sub spe, ad illos est perlatum. Qui venientes cum humilitate ac tremore, sunt intromissi et non infructuose admissi. Nam capita cum manibus religiose altari imponentes, professi sunt, se Martyri perpetuos censuales. Aliqui tradiderunt servos et ancillas, ut in conspectu tanti Patroni iuvenerunt * gratias. Alii vero contulerunt possessiones prædiorum, ne ultra starent in parte reorum. Alius hic reliquit triennem languorem, alius deposuit binam debilitatem, alius jugem superavit maligni spiritus infestationem. His tandem et hujusmodi beneficiis refecti, quia antea malis innumeris erant affecti, in propria sunt reversi.

A. Arnoldo

* l. invenirent

alius vero contumax punitur, dd

27 Unus autem ejusdem stirpis perduræ cervicis, nomine Adalrammus *dd*, fecit, quod noluit B. Emmerammus. Vendicaverat enim sibi injuste prædiorum partem, quæ nepos ejus Martyri sub testibus dedit in hæreditatem. Pro qua conventus a primoribus, et interpellatus a defensoribus, ob cordis duritiam penitus renuit facere justitiam. Cæterum beatus Emmerammus, suorum defensor optimus, super temeritate et malitia adeo eum afflixit, E ut per aliquot septimanas ægritudo ejus sibimet et esset pœnæ atque horrori, amicis vero inconsolabili mœrori. Unde contigit, ut frequenter mortem optaret, sed optata minime veniret. Tunc demum procul dubio ipsa rerum facie perdiscens, quia illum haberet offensum, cujus Martyrem inhonoraverat sanctissimum, seque dolens infelicissime vivere, et nihilominus hujusmodi vitam morte saltem haud posse finire, consilio sero, sed tamen bono uxorem sub festinatione cum filiolo ad Martyrem misit, neptem scilicet meam cum nepote illuc ad restituenda prædia currere fecit. Qui nocte vigiliarum ejus venientes, et mane ordinem rei mihi exponentes, a me accepto, quod ad salutem pueri pertinuit, consilio, hora diei natalis beatissimi Martyris quasi secunda mater ad altare accessit, et primo filiolum S. Emmerammo solvere faciens censum, dein eum ejusdem manibus attractis more Baioarico testibus, retradidit prædia, uti antea fuerant tradita, domumque est reversa. Inde mihi postea venit, qui juravit nuncius per beatum Emmerammum, prænominatum Adalrammum eadem hora tranquilla pausatione defunctum esse, quæ hæc traditio facta F est Ratisbonæ. Nos proinde, quotquot sumus tanti Patroni cultores, Deo et illi gratificas concinamus laudes.

ANNOTATA.

a *Lunælacus, indigenis* Mansee, *lacus est Bavariæ in limite archiepiscopatus Salisburgensis et archiducatus Austriæ, apud quem Utilo Baioariorum dux monasterium condidisse dicitur* Lunelacense *et* Manseense *appellatum.*

b *Monuit me Forstenius, in Arnolfi autographo hic legi:* Prolium regale; *sed Canisii lectio melior est.*

c *Fuit hic Tassilo hujus nominis II, qui Utiloni seu Odiloni in ducatum successerat, et propter rebelliones suas a Carolo Magno exauctoratus, et una cum filio suo Diotone sive Theodone attonsus atque in monasterium intrusus fuit. Annales Nazariani ipsi præterea filium,* Theotbertum *nomine adjungunt, eadem sorte cum ipso multactum. Porro hæc exauctoratio contigit anno Christi* 788, *uti apud Pagium in Critica et Eccardum in Historia Franciæ*

A. ARNOLFO *Franciæ Orientalis videre est.*

d *Celsissimus ac reverendissimus abbas ad S. Emmerammum Ratisbonæ Joannes Baptista Krauss in Bibliotheca monasterii sui parte* 2, *pag.* 86 *et* 87 *testatur, totam hanc periodum, quam uncis inclusi, in Arnolfi autographo adscriptam esse* a juniore manu seculi 17, *nec in aliis apographis seculi* 14 *et* 15, *quæ in eodem monasterio exstant, omnino reperiri. In Dissertationibus tamen de Ortu et libertate ejudem monasterii adversus Marcum Hansizium editis, eadem verba tamquam Arnolfina admittit, sed de eorumdem sensu multis disputat. Ego me horum venerandorum virorum litibus, quæ ad* S. Emmerammi *gesta aut gloriam nihil attinent, non immisceo. Qui eas noscere voluerit, legat laudati patris Hansizii Prodromum ad tom.* 3 *Germaniæ sacræ, quasque tam hic pro eo defendendo, quam laudatus celsissimus abbas pro eodem impugnando apologias et Dissertationes nuper edidere.*

e *Ex bonis episcopatus Ratisbonensis probat veterum munificentiam erga* S. Emmerammi *monasterium, quia, ut narrat lib* 2 *de Miraculis, olim multo tempore iidem abbates fuerant, qui episcopi,*
B *donec S. Wolfgangus monachis proprium abbatem dedit B. Romualdum, et bona episcopatum inter ac monasterium divisit.*

f *Fuit hic Carolomanni Baioariæ regis filius ex concubina, qui patre mortuo Carinthiam anno* 880 *obtinuit, annoque* 887 *in Caroli Crassi locum Germaniæ rex creatus, tandem* 896 *a Formoso Romano Pontifice Romæ imperator creatus est.*

g *Arnulphus adversus Zuendibaldum Marahensium, id est Moravorum regem pugnavit anno* 893 *secundum Pagium in Critica ad eumdem annum num.* 6.

h *Alludit ad cap.* 7 *Lucæ, ubi ex decem leprosis a Christo Domino sanatis solus alienigena Samaritanus ad ipsum rediit, ut de accepto beneficio gratias ageret.*

i *Per* ciborium *designari solet tegimen seu umbraculum, super altaria vel Sanctorum tumulos erectum. Verum hoc, de quo modo agimus, videtur illud ipsum fuisse, quod Mabillonius in Itinere Germanico vocat* parvum altare mobile, quod Arnulfus imperator in castris gestari curabat, aureis laminis opertum, quadratæ figuræ, uno pede latum, altum duobus, præter turriculam, quæ in crucem desinit. *Porro celsissimus ac reverendissimus abbas*
C *Joannes Baptista Krauss in Bibliotheca supra laudata, pag.* 2 *scribit, ciborium istud in suæ ecclesiæ thesauro etiamnum asservari.*

k *Et hunc quoque pretiosum librum ibidem asservari testatur laudatus celsissimus abbas, ubi pag* 3 *et* 4 *plura de eodem legere est.*

l *Id est :* Aulæa.

m *Arnulphum Ratisbonæ tumulatum esse, scribit etiam Freherianus continuator Annalistæ Fuldensis; ejusque sepulcrum ibidem ostendi ad latus Epistolæ observat Mabillonius in Itinere Germanico. Regino tamen in Chronico ad annum Christi* 899 *eumdem in* Odingas *sive* Oetingæ *sepultum dixit.*

n *Tutonem hunc cum* Sancti *titulo in Menologiis sui Ordinis ad diem* 14 *Maji annuntiant Menardus et Bucelinus, ad quem diem eumdem inter Prætermissos recensuerunt Majores mei, quod de ejusdem cultu ipsis non constaret. Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Sec.* V, *ubi ejus gesta refert, illum tantum* Beatum *appellat propter dicta Arnolfi Vochburgensis; fatetur tamen nullum de eo celebrari Officium in ecclesia Ratisbonensi; eadem repetit tom.* 3 *Annal., ad annum* 931, *num.* 29. Beati *titulum ipsius tumulo subter ejusdem statuam in ecclesia* S. Emmerammi D
inscriptum esse docet Cœlestinus, quondam abbas ibidem, et sæpe laudatus celsissimus Joannes Baptista Krauss, ejusdem monasterii hodiernus abbas, in Ratisbona monastica, a priori olim edita, et a posteriori aucta atque illustrata, cap. 16, *ubi epitaphium ipsius Germanice recenset, quod subjungo Latine.* Beatus Tutto episcopus Ratisbonensis, regis Arnolphi cancellarius, olim monachus et custos hujus monasterii, obiit anno Domini 930. *Utut est, ego de legitimo ipsius cultu hactenus nihil certius accepi, nec scio, quam antiqua sit allata inscriptio. Quod ad Arnolfum Vochburgensem attinet, is quidem virum a sanctimonia vitæ et spiritu prophetico laudat, sed cum etiam infra num. sequenti dicat :* Exemptus e medio, UTI NOBIS DICTAT BONA SPES, migravit ad cœlicas sedes; *non videtur is illius tempore cultum habuisse.*

o *Debuit igitur Tuto Ratisbonensi ecclesiæ præfuisse ab anno* 894, *usque ad annum* 930 *vel* 931. *Arnulphus enim Germaniæ regnum (quod hic per* imperium *designatur) iniit anno* 889, *adeoque ipsius annus septimus in annum Christi* 894 *incidit; Henricus Saxo, seu* Auceps *idem regnum exorsus anno* 919 *ejusdem annum duodecimum an-* E
no Christi 931 *agebat, quo, vel præcedenti, ut habet supra dictum epitaphium, Tuto obiisse dicendus est.*

p *Conradus I, mortuo Ludovico, Arnulfi filio, ad Germaniæ regnum evectus est.*

q *Mortem hujus varii chronologi apud Pagium in Critica Baronii ad annum Christi* 912, *num.* 14 *affigunt anno* 911. *Hermannus Contractus ibidem sic habet :* Ludovicus rex adolescens moritur, et Ratisponæ sepelitur.

r *Conradi obitum aliqui anno* 919, *alii* 918 *affigunt, ut videri potest apud laudatum Pagium ad annum* 919, *num.* 3, *ubi annum* 918 *tenet.*

s *Abbas Cœlestinus in supra laudata Ratisbona monastica cap.* 16 *scribit, magnificum hoc altare ibidem superfuisse usque ad annum* 1633, *quo capta a Bernardo duce Vimariensi Ratisbona, illud pro imperata pecunia hostibus cessit.*

t *De Lunæ-lacu, sive* Mansee, *vide dicta ad lit.* a. Rasta *milliare Germanicum est, de qua voce ita scribit S. Hieronymus in Joëlis prophetæ cap.* 3 : Nec mirum, si unaquæque gens certa viarum spatia suis appellat nominibus; quum et Latini mille passus vocent, et Galli leucas, et Persæ parasangas, et rastas universa Germania, atque in F
singulis nominibus diversa mensura sit. *Plura de* rasta *exempla habes in Glossario Cangii ad hanc vocem.*

u *Abbas Cœlestinus in Ratisbona monastica cap.* 32 *ait, hanc urbis amplificationem ab Arnulpho imperatore cœptam, deinde ab Arnulpho Baioariæ duce anno* 920 *resumptam perfectamque fuisse.*

x *Otto ejus nominis I, Henrici Saxonis, cognomento* Aucupis, *Germaniæ regis filius, patri successit in regnum anno* 936, *annoque* 962 *a Joanne XII Papa primus e Germanis principibus imperator coronatus, anno* 973 *defunctus est.*

y *Is ipse locus est, ubi* S. Emmerammus *martyrium subiit. Celsissimus abbas Joannes Baptista Krauss in libro Donationum, quem Ratisbonæ monasticæ adjecit, exhibet Ottonis I Germaniæ regis diploma, datum anno* 940, *in quo ea donatio facta dicitur* Jangrim *sive Isengrino episcopo.*

z *Michaëlis episcopatus initium laudatus abbas in Ratisbona monastica pag.* 188 *anno* 942 *affigit; quod si ita sit, prædictam donationem, quam sub Isengrino factam mox vidimus, Arnolfus convivio*

A *vivio, quod subdit, perperam conjunxit.*

aa *Canisius Arnolfi editor notat in margine per hanc contractam vocem forte designari :* Hæc charitas : *at mihi verisimilius videtur :* Heimram *indicari. Videtur itaque de* S. Emmerammo *cum contemptu locutus fuisse.*

bb *Id est,* solum *sive* pavimentum, *forte ex gypso, quod eo nomine etiam solet appellari, vel simili materia confectum.*

cc Nudipedalia exercere, *est,* nudis pedibus incedere.

dd *Canisius edidit* Alrammus, *sed in margine addidit* Adalrammus. *In codice autographo Arnolfi legitur* Adalrammus, *teste sæpe laudato Forstenio. Huic matrimonio juncta erat ipsius Arnolfi neptis, ut sequitur : ideoque ex hoc et præcedenti numero solidum argumentum habemus pro asserenda pœna Lamperti posteris divinitus inflicta, quippe quem scriptor synchronus per neptem suam cognatione ipsis junctus candide confitetur.*

CAPUT III.

B

Perjurium et injustitia in variis vindicata : infidelium perfidia ab auctore reprehensa : contractus erectus : injuste ablata, Sancto restituta : auctoris epilogus.

XIII *Perjuri et injusti in Sanctum*

Magnalia Dei vehementer sunt consideranda, et Sanctorum ira seu patientia nimis timenda. His etenim patrocinantibus, clemens nobis erit Altithronus, offensis vero et spretis, per longum aut breve non stabit inultum et leve. Quod apud S. Emmerammum sub Michaële episcopo *a* satis probatum seniores retulerunt nobis, qui memorabantur illius temporis. Is ergo pro rebus Martyris defensoribus assumptis, cum Perchtoldo marchione *b* conflictum habuit magnum. Cumque diu certatum esset utrinque, tandem in id partium paria convenerunt, ut duodecim virorum nobilium juramento, C quod exigebat præfectus, tolleret B. Emmerammo. Super cujus altare cambota ipsius posita, homines numeri præscripti accedentes, juraverunt *c*. Sed ultione divina percussi, grande secum recedentes malum portaverunt. Cujus talione saumatizatus *d* ex patre avus meus Arnoldus, eodem momento dextro debilitatus brachio, post paucos annos in flumine Naba *e* solus, comitatu salvo, subita morte vitam finivit.

varie divinitus puniti. 29 Ceteri vero, qui conjuraverant, quid perpessi sint, breviter tangam. Alius atque cæcatus, alius strangulatus, alius insensatus, alius paralysi solutus, alius evisceratus, alius fulmine ustulatus, alius incendio propriæ domus consumptus, alius mancus et monophtalmus *f*, alius cancri morbo percussus, alius elefantiæ peste fœdatus, alius hydropica inflatione gravatus, miseram vitam misera morte finierunt. Unde meus ex matre avus, prænominatus scilicet comes Perchtoldus *g*, terrifica commonitione tactus, B. Emmerammo prædium suburbanum, quod dicitur Isininga *h*, per venerabilem pii abbatis Ramuoldi *i* ordinationem donavit, illius ascribens obsequium, duodecies dandum charitativo usui monachorum, nec non refectioni duodenariæ Christi eleëmosynariorum. Tu autem sanctissime martyr Emmeramme, duodenario miraculo clarificate, pro nobis peccatoribus, hactenus abusis duodecim in religiositatibus, preces largas funde coram illo, qui hunc numerum Apostolico dedicaverat choro. A. Arnolfo

XIV *Arguitur quorumdam avaritia et injustitia*

30 Cum hoc certissimum habeat Christiana fides, quia hi, qui in nomine Domini largi sunt in pauperes, in Deum dici debeant ac sint per omnia divites; et quia ipse dives est in omnes, universisque ad sufficientiam tribuere potest, tamen ne desint in mundo, in quibus fragilitas humana sua possit redimere peccata, suis membris in minimis quotidie sustinet onus paupertatis. Quibus id levandi gratia percursitantibus fidelium domus et hospitia, adeo quorundam parcitas obduratur et nequitia, ut præ famis ac frigoris angustia incidere cogantur amaræ mortis gurgustia. Quæ conditione sub hac quo plures miserabiliter absumat, multitudo falsorum fratrum violenter sententiam dictat. Hi siquidem non spiritu humiles, sed rebus et vitiis pauperes, per clandestinas ac evidentes rapinas Christi præpediunt pauperibus, ne solatia accipiant, aliquando etiam a bonis fidelibus, a quis boni pauperes et E mali haud facile queunt discerni. Hi, ut filii diaboli, cum perversis ac sceleratis fœderati, partim exercent latrocinia in silvis et villis nimis crudelia, partim per loca sacraria moliuntur, quæ penitus nefaria. Quidam vero, qui inter eos videntur quasi sanctiores, ecclesias per hypocrysim frequentantes, ac sacrilegis ibi lucellis inhiantes, velint, nolint, evolvunt in publicum, quam vacui sint divitiarum verarum.

sæpe divinitus castigata : mulier furata calicem, fit paralytica,

31 Quid plura? Locis in sanctis ipsi non sine miraculo sæpe vidimus deprehensos, quorum furta seu cætera flagitia hoc satis declarabant, quod non in spiritu et veritate veri advenerint adoratores, sed falsarii seu deceptorii adulatores. Horum alii misericordia donati, et sic sunt in spiritu lenitatis salvati. Alios vero, qui videbantur corde duriores, publicæ emendabant castigationes, ne impunitas tales faceret deteriores. Pars autem abscondita patientiæ Sanctorum reservabatur, quia omnino a mortalibus, qui et quales fuerunt, ignorabantur, exceptis his, qui sibi erant conscii hujusmodi facti. Quorum ex numero quædam muliercula, Reginæ civitatis indigena, ad confessionem Christi martyris Emmerammi, cui vocabulum est de Pedibus *k*, ipsius die quadam quasi adoratura accessit. Ibi ergo calicis raptu furtivo, quem super altare B. Joannis reperit, ut circumspectans se solam vidit, saluti suæ nimium invidit. Quo ut secum domi occultato, nec non ejus argento plumbo peccati commutato, proprios in usus abusa est; manifesto Dei judicio paralysis morbo soluta est. F

coque, ut p tuit, reddito, sanatur.

32 Cujus molestia per biennium gravata, tandem protractis et continuis doloribus, discit, quem in loco Martyris offenderit; ob cujus despectam confessionem tam evidenter in corpore suo pertulit confusionem. Unde et in se reversa, atque per pænitens cor suis angoribus consulere annisa, pauperculo sumptu, quem amminiculis proximorum colligere potuit, calicem novum parare curavit. Tum sacerdotibus confessa delictum, quia destituta esset officio membrorum, in qualo deportatur ad S. Emmerammum. Cui dum propria manu, altius tamen suffulta, calicem restituisset, atque intimas preces cum lacrimis effudisset, subito reddita sanitati exilit de sportatio cubili, et gratias clamat

A. ARNOLFO clamat Deo ac beato Martyri. Et quia libenter quam attulerat, immo qua allata fuerat, chorbe cum doloribus carebat, eam læta secus basim altaris reliquerat. Quam extemplo fideles ante ecclesiam pro monimento suspendere, ac summo gaudio legioni signorum eo loci pendentium hoc intermiscuere. Sed cœlitus ministrato tam grandi miraculo, est valde pensandum tanti Martyris meritum, qui mulierem absque ministerio suorum pedum venire voluit ad aram suæ requietionis antipodam, eo scilicet tenore, ut, ubi antea tenebrata impietate, conticescens occultabat delictum, ubi postea sub luce piæ confessionis ac recuperationis salutis ipsa cum cæteris disceret scriptum: quia Dominus servabit pedes Sanctorum suorum. Et illud Isaiæ prophetæ: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, quorum nos participes per charissimi sui Martyris preces efficere dignetur, qui sedens super Cherubin Abyssos intuetur. Amen.

XV *Auctor paganorum et Judæorum* 33 Quia beneficia divina usque in finem sæculi multorum sint resurrectio et ruina, quotidie Creatoris declaratur omnipotentia, quæ fidelium corda B dirigens mandatorum suorum in semita, populum humilem salvat, et oculos superborum humiliat. Castigat ergo fidei sacræ filios misericorditer, ut corrigat, incredulos autem et impios ob durum cor et impœnitens justa sententia damnat. Unde et plebs Christiana in Dei omnipotentis lætatur gratia, de manu filiorum alienorum segregata, quorum filii sicut plantationes novellæ, filiæ circumornatæ, promptuaria plena ex hoc in illud eructantia, fœtosæ oves, crassæ boves. Non est ruina maceriæ neque transitus neque clamor in plateis eorum. Hac igitur falsa felicitate deliniti, Christianis improperare solent pagani et Judæi, quod cum hi multimoda terantur et graventur pressura, ipsi e contrario consolationem habeant et levamen in omnia sua; nostros velut pauperes ac inanes afficiant pestilentiæ ac fames; illos vero reficiat, immo distendat superflua rerum congeries, in qua est omnium malorum materies. Pro quorum inani jactantia consolatur nos pleniter, si digni sumus, spiritali abundantia, e cujus copia David eructans et cor laboribus humiliatum consolans, dicit: Multæ tribulationes justorum et de his omnibus liberavit eos Dominus. Mors autem peccatorum pessima, quos tenuit superbia; quia cum hominibus non flagellantur. C

incredulitatem redarguit, 34 Quibus cum dicimus, quare non creditis in Dominum, cujus juga fidei super se levasse jam totus mundus gratulatur? Respondent, in rerum prosperitate seu adversitate utrinque probandam fore executionem fidei rectæ, et quis immundo videatur subjacere maledicto. Nobis autem econtra resultantibus, quia maledictio mundi mutabitur benedictione cœlesti, esuries saturitate, luctus exhilaratione; oportet nos adversa mundi patienter tolerare. Vos, inquiunt, solito more incerta pro certis semper habetis; et ideo quadam facilitate ad hæc nos conducere tentatis: quos occasione aliqua in nomine Domini cupientes lucrari, docemus verbis hujusmodi: Christianos constat factis Majorum et dictis valde certificatos in fide, cui adhuc etiam inter cætera veritatis indicia, multum adstipulantur miracula, cœlitus ad Sanctorum memorias declarata, quæ pro sui magnitudine ac assiduitate nec inimicos hujus nominis et religionis arbitramur posse latere. Quibus nostra parte prolatis, obviare conantes Judæi duritia cordis lapidei clamant, et perstrepunt, dicentes: Optime novimus, quo tendit vester epilogus. In ecclesia quidem martyris vestri Emmerammi, quia D notum est omnibus Ratisbonæ habitantibus, claudos reparatos, atque cæteris molestiis affectos, a vero Medico curatos, minime diffitemur. Sed per Messiam, quem nominatis Christum, et eum, quem dicitis Patronum vestrum, horum aliquid factum nunquam fatemur. Nam Omnipotens in omni loco dominationis ejus, quæcunque voluerit, facit ut Deus. Potest etiam in plateis conferre sanitatem infirmis, et facere talia in synagogis sive nostris in scholis, qualia in vestris gloriamini facta ecclesiis.

35 Tum os eorum, quasi ad cœli cameram suspensum, et linguam procaciter transeuntem in terram oppilavimus sermone in hunc modum se continente. *cisque suam perfidiam exprobat.* Quia Domino nostro Jesu Christo corporaliter cum hominibus conversato, ac munera suæ pietatis intra et extra synagogam patribus vestris magnifice impertito, non solum cum eis ingrati exstitistis, sed miserrima vosmetipsos interficientes dementia, etiam hoc in malum vestrum accumulastis super iniquitatibus eorum, ut in eo Capiti omnium bonorum, nec non illius membris electis detraheretis, unde salutem gratis oblatam attrahere debuistis: ecce convertimur ad gentes, quæ Dominum in Sanctis ejus noverunt laudare fideles; E et quia indignos vos Dei judicastis gratia, ac omne bonum usque hodie a salute vestra negativa diffessione repulistis, his fructuose proponimus margaritas, qui sciunt cum honore suscipere illas. Vobis autem erit æterna confusio, testante Christo in suo Evangelio: Quia filii regni in tenebras exteriores erunt trudendi, et sine fine puniendi. Ceterum ut revertamur ad humilitatis nostræ propositum, o lectores et auditores, qui veræ fidei estis confessores, quod de Christi gratia Sanctorumque gloria Judæis visum est dubium, dilectioni vestræ monemus non dubium, sed semper maneat certum, quia ostium Dei, quod aliis est clausum, aliis justo Dei judicio erit apertum. Ante quem et in quo cordetenus orandum, ne cum hoc mundo damnemur, sed Redemptoris gratia potenti salvemur; cujus in charitate spes nostra ponenda cum fide, ne permittat de parte justorum perire, pro quibus dignatus est mortem Crucis subire.

36 Erat quidam vir ingenuus Burchardi marchicomitis et præfecti Ratisbonensis vasallus. XVI *Contractus ad Sancti altare erigitur* Hunc divina a Deo corripuerunt flagella, ut nervis contractis, omnium pene destitueretur *l* officiis. Cumque diu hujusmodi castigatione attereretur, demum ad opus Dei in illo manifestandum sub spe non confundenda ad sanctum Emmerammum defertur in cuna, infantibus magis eatenus apta, quam viris. Cujus vehiculo ut ad altare Testis perventum, ibique aliquantisper est oratum, is qui cunulæ adhæsit ut pusio, repente robustus erigitur ac sistitur ut homo. Tum videntes, qui aderant, in novo Martyris mirigerulo plenam staturam, resurrectionis ad instar generalis proceram, in ecclesia ejusdem Testis immolabant Deo hostiam vociferationis secundum illud, quod David ait: Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum. Cum quibus idem Patronus noster dulcissimus, æterna pro exilio brevi patria donatus, et pro pondere laborum inæstimabile præmium sortitus, pro morte pretiosa inusitato genere martyrii acquisita, in tuo, Christe, regno gloriatur corona, quam elucere facit specialis tui et proximi dilectionis gemma. Qua et nos pro modulo nostro insignitos vocationis hora humiliter petimus a te inveniri, cujus misericordia, quæ bona sunt, in cordibus vere

A vere fidelium non permittit sopiri, sed pleno perseverantiæ fructu eorum facit opera finiri.

XVII *Auctor bonorum ecclesiasticorum invasores*

37 Gloria Sanctorum, Christo congregantium patres et fratres, est valde reverenda; ira quoque omnimodis cavenda, patientia vero omni sexui seu ordini pertimescenda. Ad hos namque dicit Dominus: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et in Evangelio, Qui vos spernit, me spernit. Quæ tonitrua ab ipso cœlorum throno procedentia, nec non terrifice mortalibus intonantia, adeo contemnit, heu! male surda sæcularium duritia, ut inhiantes ad ecclesiarum seu pauperum res, hæreditatem Domini diripiendo suam faciant; immo se ac sua diaboli partem efficiant. Contra quos invehitur maledictum per illud propheticum: Væ, qui jungitis agrum ad agrum inique. E quibus nonnulli, qui honestiores et continentiores videntur in factione hujusmodi, cum viderint aliquos ad ea, quæ parum tetigi, perpetranda proclives, callide eos instigant; atque ut his reculis tenacius adhæreant, sæpius inculcant; pervicaciter se pollicentes eis apud judices futuros adjutores, nec non etiam, si necessitas exigat, conjutatores. Tum in se quo-
B dammodo quasi revertentes, immo retrorsum ad malitiæ cryptas anfractuose divertentes, eos pro tempore deserunt, quibus consilium iniquitatis dederunt, et se subdole ad hos, quorum bona prædæ vel rapinæ fecerunt patere, conferunt, ut pro mendacii silentio, seu veritatis venali testimonio, apud incautos muneribus dextras adimpleant, talique strofa, quod habere videntur, a simplicioribus extorqueant.

acriter reprehendit.

38 Cui tam grandi malo in plebeia turba modis milleuis crassato * præfecti et comites, qui mederi debuerant et poterant, non solum obviare ac resistere recusant, quin etiam ipsi hoc idem accumulant, nec non omnem justitiæ pulchritudinem, quantum in se, dedecorant, quo insatiabilem avaritiæ lacum, non modo nequiter, sed etiam turpiter adimpleant. Pro quorum contumacia celeriter sternenda clamat Propheta, immo cum eo injuste oppressorum ultionem postulat persona: Exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis. Hanc igitur causam, non causam, sed pestem dicendam, id est, ut diabolica commisceantur humanis, et nihilominus humana præferantur divinis, in tantum aliqui pro commodis affectant terrenis, quo adulationum liniamentis, sive aliis pra-
C vi consilii incitamentis, quibus ipsi abundant, pastores etiam Ecclesiæ tentent inficere, atque gregis Dominici arietes conentur lupos efficere. Quorum syntychias *m* venenosas qui non observaverit, procul dubio vitæ periculum incurrit, quod in se satis est expertus Michaël Reginæ civitatis episcopus.

* i. e. grassato

Episcopus oblata Sancto, cujus opem olim expertus fuerat,

39 Is atqui cum pro episcopatu cuidam nepoti suo ab imperatore postulando, palatii stationem petere decrevisset, xeniaque, quibus hoc se impetraturam sperabat, paravisset, persuasum est ei ab his, qui optabant apud principes ecclesiasticas venales fore dignitates, quatenus petitionem, quam facere vellet, thesauris Deo dilecti martyris Emmerammi subornaret. Quos ille, consiliariis consentiens reis et perversis, prope diem natalitium ejusdem Testis, Domino suo subduxit, nec non ad episcopalem villam, Berahartashusun *n* dictam, secum transduxit, quo suus eadem die comitatus pestifer confluxit. Ibi quoque subitanea corporis percussus molestia, per extremam sortem urgeri cœpit in mortem. Quam cum sibi turbidam et amaram sensisset imminere, atque jam desperaret, infra limitem hujus vitæ diutius consistere posse, vicedomno assumpto, nec non militibus accitis in testimonium cum aliquibus ministris, quis circa eum plus erat amoris, quam timoris, quorumque familiaritati sedulo solebat inniti, affatus est verba hujusmodi: Contigit, me aliquando secus Licum flumen sub Ottone Saxonigena imperatore primo gravi interfuisse prælio. Ubi cum inter nostros atque paganos acerrime fuisset pugnatum, et Christo propitio, a Christianis esset triumphatum *o*, Ungri meam abscidentes auriculam, gladiis ac spiculis inter cæteros me straverant ac adæquaverant glebis.

A. Arnolfo.

periculose decumbens restituit,

40 Ibi insperato raptus, ad salutem sensi beneficiis adesse Patronum clementem, quem nunc timeo ob temeritatem peccati mei irascentem. Eia, quæso, fideliter agite, quæ injungo: Tollite hinc (utinam nunquam ad malum, quod facere volui) mea sub certo numero integra viginti pallia consignata, et offerte ea, quamvis ad magnitudinem peccatorum meorum parva, magno et beato, ad subveniendum, cui voluerit, Christi martyri Emmerammo: reddetisque illi reverenter suorum partem thesaurorum, quos insipiens ac minus cautus in sugillationem mei subtraxi ejus honori servitii. Calicem E autem aureum, quem opere ac forma satis, ut opinor, decenti eidem clarissimo Testi passionum Christi patravi *, cum his omnibus, quæ labiis distinxi, super et circa ipsius altare ponetis, sicque ex humilitatis meæ legatione dicetis: Michaël ille peccator, homo quamvis in sancta Ecclesia ordinis jure sacri particeps fuerit nominis angelici, immeritum tamen et longe imparem se perpendens tanti ministeriis officii, servus quoque tuus, beate Emmeramme, adoptivus sub ipsis pontificalibus infulis factus, in extremis etiam constitutus, erga reverentiam tui devotus, tibi hæc misit atque remisit, nec non ultimum spiritum trahens, animam cum corpore patrocinio tuo commisit.

* forte paravi

inter quæ dicitur fuisse tintinabulum memorabile.

41 Hæc vero facta et dicta cum non paucos convenirent ac deterrerent, pro abusive usitata Sanctorum inter mortales negligentia, campanum quoddam quantitate modicum, a legatis episcopi cum aliis rebus in basilica Patroni nostri expositum, grande per os dicentium prædicabat miraculum. Hujus ergo cum imperator Otto secundus *p* aliquando apud S. Emmerammum audiret tinnitum singularem et præ cæteris magis sonorum, fertur dixisse, aut hoc, aut huic simile se velle habere. Qua occasione prædictus pontifex idem campanulum in via F jussit transportari secum, arbitratus, satis se facturum principi oblatione cupiti. Quod postquam est de Martyris ecclesia elatum, uti comperimus per cujusdam presbyteri relatum, ad Dei omnipotentis nutum immutatione soni factum est mutum, nec ullius artificio aptari *q* potuit euphoniæ officio usque in diem et horam, qua Deo dilecti Martyris casæ restitutum, etsi insensibile, præsentiam Domini sui sensibus humanis se sentire indidit, ac dulciter tinnivit.

Auctor Christum in suo Sancto laudat,

42 Vere tua, Christe, hæc sunt opera, qui crederis et es æterni Patris Sapientia; cui David corde jubilans, clamat, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Et iterum: Auditui meo dabis gaudium et lætitiam; et exultabunt ossa humiliata. Cujus desiderio delectatus, nomini tuo credentes, in fine psalmorum ad perfectionis laudes provocans, ait: Laudate Dominum in cymbalis bene sonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis. Ecce humanæ salutis Amator, generis nostri Factor et Reparator, qui etiam benignus es super ingratos et malos, per parva ac insensibilia operaris magna, nec non

A. Arnolfo. non mirabilia, ut homines cordatos benedictione tua efficias coaptatos. Hanc siquidem qui aure cordis perceperint, et in ejus obauditione usque in finem perseveraverint, minime pavebunt in die novissimo, nec aures eorum tinnient ab auditu malo, quando inimicus exultans super interitu impiorum, se jactaverit dicens : Prævalui adversus eos. O Jesu bone, quid nos peccatores ibi dicturi sumus, ubi vix justi salvabuntur? Non est nobis spes altera, nisi quam definit ille tuus electus Psalmista, qui fuit rex et propheta, totis medullis ad te clamitans cordis : Spes mea es tu, portio mea in terra viventium; quam in tuo nomine, dum tempus est misericordiæ, a Patre postulandam didicimus per Evangelicam doctrinam. Sic enim tuum, o Veritas, habet Evangelium; Ambulate, dum dies est, ne tenebræ vos comprehendant. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.

et in Christo spem suam collocat

43 Et illud excusationis humanæ exclusorium diligentissime adtendendum, nec non intimis suspiriis annitendum : Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petimus ergo ad te conversi, Pater Domini nostri Jesu Christi, ut in B nomine ejusdem Unigeniti tui, cujus caritatis B. Emmerammus martyr tuus imitator exstitit singularis, ineffabili et solita circa peccatores usus clementia, confitentibus et confessis dimittas impietatem cordis; ac infundas unctionem tuæ uberrimæ consolationis, nec non confirmes in nobis opera divinæ miserationis; ut, quod in hoc sæculo dulce ac delectabile videtur, timoris tui reverenda consideratione amarescat : et quod amarum, dilectionis tuæ suavissima speculatione dulcescat. Sicque dum ipse volvitur mundus, a lapsu et amore peccatorum, te resuscitante, surgamus, ne in fine sæculorum, cum omnes homines resurrexerint, cum corporibus in æternum confundamur ac puniamur; sed emptitii servi nunc cum collibertis gratia tua digni effecti, tunc etiam tuis cum amicis semper mansuris deputati gaudiis, securi videamus Dominum Jesum Filium tuum liberatorem et Episcopum animarum et corporum nostrorum, Judicem justum vivorum et mortuorum, tecum viventem atque in unitate Spiritus sancti regnantem, per immortalia sæcula sæculorum, Amen.

C ANNOTATA.

a *Vide Annotata ad caput præcedens lit.* z.

b Vochburgensi, *inquit Cœlestinus abbas in Ratisbona monastica aucta pag.* 219. *Arnolfus ipse num. seq. eumdem suum* ex matre avum *appellat.*

c *Falsum scilicet juraverunt in damnum monasterii.*

d Sauma *onus est :* saumatizatus *ergo hic pro* oneratus *usurpavit.*

e Naba *vel* Nabus *Germaniæ fluvius est, qui in Franconia ortus inde in Meridiem per Palatinatum Superiorem labitur et non procul Ratisbona Danubio se miscet.*

f Μονόφθαλμος *Latine* uno oculo captus.

g *Ex hisce omnibus collige sinceritatem Arnolfi, qui nec suæ familiæ dedecora siluit.*

h *In sæpe laudata Ratisbona monastica cap.* 33 *Germanice* Isling *vocatur.*

i *S. Ramualdi seu Ramuoldi, ad* S. Emmerammum *abbatis, gesta illustrata apud nos sunt die* 17 *Junii.*

k *Id est : ad altare, quod ad* S. Emmerammi *corporis tumbam circa pedes ipsius erectum erat, uti liquet ex num. seq., ubi dicitur ea mulier* D *delata fuisse* ad aram *ipsius* requietionis antipodam.

l *Ita legitur in Arnolfi autographo, teste R. P. Forstenio : editio Canisiana habet,* destrueretur.

m Συντυχία, *Latine* consortium.

n *In Ratisbona monastica crebro laudata, cap.* 33 *locus hic Germanice dicitur* Bernhards-hausen, *id est* Bernardi-domus, *additurque, jam* Beretshausen *appellari.*

o *De insigni hoc prælio, in quo Otto I Germaniæ rex, ac deinde imperator, Hungaros prope Augustam Vindelicorum et Licum, vulgo* Lech *fluvium memorabili strage profligavit, consule Acta S. Udalrici Augustani episcopi tom.* 2 *Julii pag.* 110 *et seq., Pagium in Critica Baronii ad annum Christi* 955, *aliosque*

p *Monet Canisius, pro Ottone II reponendum hic esse hujus nominis primum; verum ea correctio certa non est. Michaël enim in Ratisbona monastica ab anno* 942 *usque ad* 972 *episcopatum Ratisbonensem gessisse dicitur; Otto vero ejus nominis secundus anno quidem* 973 *defuncto patri suo primum successit, sed tamen jam ab eodem in consortium imperii adscitus et a Romano Pontifice Joanne XIII imperator coronatus fuerat anno* 967, *adeoque nihil obstat, quo minus Arnolfus de Ottone II hic loqui potuerit.* E

q *Hoc loco Canisius, ac post ipsum Jacobus Basnage per puncta lacunam designant, deinde vero usque ad finem hujus libri subjungunt laciniam, quæ ad Arnolfi Procæmium ad librum secundum de Miraculis pertinent; quæ nos autem ex Arnolfi autographo ad finem usque hujus pariter libri primi subnectimus, ipsi assuerunt Procæmio Arnolfi ad librum* 2, *quod Meginfredo perperam adscripserunt. Vide dicta in Commentario prævio num.* 13 *et seq.*

MIRACULA ALIQUOT

EX LIBRO II

Auctore eodem Arnolfo Vochburgensi,

Ex editione Henrici Canisii collata cum Arnolfi autographo. F

PROŒMIUM.

Auctor præfatus, Deum donatorum corda æstimare, a

Inter *a* cætera mysteriorum cælestium sacramenta veteris Legis testantur scripta, quod ad ædificationem tabernaculi principes tribuum, et ditiores quique in populo Dei, pretiosa divino jussu obtulerunt donaria. Quorum piæ oblationi et pauperiores eodem præcepto conducti, indices mentium devotarum, etiam pilos addiderunt caprarum. Quid autem nova Lex super hac re contineat, seu qua convenientia priscæ respondeat, Christus in Evangelio suo palificat; qui duo pauperis viduæ minuta prætulit his, quæ divites jactabant, seu in gazophylatium mittebant. Quod quidam vir, officio Apostolicus et merito, egregia prædicatione quasi de cælo intonans, breviter perstringendo exposuit, dicens : Regnum cælorum

A lorum valet, quantum habes. Cui scilicet sententiæ concordat, quod sacra Scriptura alias clamat: Cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Unde is, qui multum habet, et illud Apostoli diligenter attendere debet: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui vero minus accepit, id ipsum minime ducat negligendum; sed de eo pro posse et nosse conetur elaborare aliquid, quo utile sit.

ut ipse etiam aliquid offerat,

2 In quo haud segniter exequendo quicunque divino muneri reverentiam exibuerit, debitum exactionis persolvit Scripturæ, quæ dicit: Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Ex ipsius quippe donis, qui largitor est omnium bonorum, accepimus, si quid ei pie digneque afferimus vel si in aliqua re votorum nostrorum redditionem exsolvere poterimus. Hinc et Jacobus apostolus, eorundem processionem donorum commendans ait: Omne donum de sursum est descendens a Patre luminum. Ad cujus illuminationem Psalmista nos appropinquare exhortatur dicens: Accedite ad Dominum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Vere ad eum accesserunt, qui dono illius illuminati, ecclesiastica factis et verbis tractando Sa- B cramenta, illam faciei meruerunt gloriam, quam ipse Sol justitiæ visione sua paravit Electis sempiternam. Horum quippe exemplis et doctrina, dum volvitur hujus mundi rota, Christus gratum in suis arboribus inveniet fructum. Quem quia, velut inutilis stirps, in mea arbore non habeo, timeo mihi valde, ne Paterfamilias sterilitate pravitatis meæ offensus, dicat: Ut quid occupat terram? Succidite eum et mittitte in ignem, quem reprobis terribiliter paratum et a peccatis meis, pro dolor! sæpe comparatum, ut effugere possim, inter fluctus cogitationum æstuanti occurrit animo, hoc optimum fore remedium, quo non cessem quærere præsidia Sanctorum, sedulo laudibus inhærendo eorum, ut et ipsi apud misericordissimum Dominum dignentur mihi veniam impetrare delictorum.

etsi peccatorem se agnoscat, b

3 Sed fortassis dicit aliquis: quid ad te b? Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Quod verum esse, minime nego; sed magis inde ne damner, pavito. Est tamen aliquid, quod mihi ad prædictas laudes, etsi minus idoneo, fiduciam dabit, Illud videlicet quod hi, qui Sanctorum C facta, et dicta, utpote majora charismata, efficaciter æmulantur, arbores bonas cum pleno fructu imitantur; illi vero, qui eadem aliis imposterum imitanda seu veneranda scriptis memoriæ tradunt, et non adhuc faciunt, quæ dicunt, assimilantur arboribus, etsi necdum fructum, tamen folia habentibus, in quibus spes est fruticelli ex benedictione divina quandoque futuri, secundum quod Joannes dicit: Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Horum quippe de numero misellus ego, sperans in omnipotentis Dei misericordia, quamvis vilissima esse malo arbuscula, foliis et cortice vestita, id est, verborum et activæ sollicitudinis ministra, quam ariditatis æternæ cum illis, qui nec dicunt nec faciunt, duplici maledictioni subjacere. Operetur ergo unusquisque, quod possit ex eo, quod de supernis accepit: sic enim magna magnis, parva parvis convenire probantur.

statuit post alios S. Emmerammi

4 Ego quippe cum humilitate aggrediar laudes mei Patroni scriptitare, nec non miracula Christi prædicare, quibus beatum Emmerammum testem suum fidelissimum evidenter et gloriose declaravit secum vivere et gaudere in regno cœlorum. Ibi quoque constitutus, benigne, ut spero, prospicit in omnes, qui eum voce et actu pie venerantur familiarius autem se inclinat, et intendit ad servos suos, qui sibi die noctuque in loco suæ requietionis famulantur, et illic Deum ac se cum commilitonibus sacrificio laudis honorare non pigritantur; frequentantes iter, quo salutare Dei ostenditur. Hoc siquidem itinere idem dulcissimus famulorum suorum Patronus, quod olim ardentissime quæsivit, abundantissime invenit. Invenit atqui locum Domino, tabernaculum Deo Jacob; ad cujus ædificationem tabernaculi jam aliqui dona quodammodo solenniter offerebant opulenta, qui præditi ingenio, sensu aureo, et sermone deargentato prænominati Martyris ac in æternum nominandi testis vitam et gesta scripserunt, quis gemmas ejus virtutum pulchra compositione interlucere fecerunt, sicque byssum intexentes, id est, puritatem sanctæ illius conscientiæ exponentes, pervenerunt usque ad purpuram, quæ nobilissima tinctione Martyrii eum provexit ad palmam. Hanc e regione salutantes devotione pari quidam viri disertissimi tractatus et sermones eidem adscripsere Martyri, nec non iterando laudes ipsius, coccum bis tinctum obtulerunt mente sagaci, quem ille dum in E hoc sæculo laboravit, vigilantissima præceptorum Dominicorum executione præparavit, atque in novissimo, agone geminæ dilectionis exercitiis rubricavit.

A. Arnolfo.

et SS. Wolfgangi et Ramualdi laudes celebrare.

5 Quid multa? Divites et potentes beato Emmerammo dederunt dcno e copiæ cornu pleno, aurum, argentum, gemmas preciosas, purpuram et byssum, coccum bis tinctum et cætera ornamenta tabernaculo illius congruentia Ego autem ultimus Dominicæ scholæ discipulus, et ipsius, Domino volente, in ventre matris servulus factus, paupertatis propriæ conscius, Patrono non tantum meo, sed etiam omnium eum habere volentium, post antiphonas et responsoria, quæ ad laudes illius, non uti volui, sed sicut potui, devotus utcunque composui: et post illum, quem præterito anno de Miraculis conscripseram, libellum, diversis occupationibus vix hoc fieri sinentibus, pro pilis caprarum hunc sub dialogo nunc offero librum c. In quo mihi visum est opere pre- F cium, memoriam facere virorum illustrium, Wolfgangi scilicet Ratisbonensis Episcopi d atque Ramualdi abbatis eximii e, qui multigena probitate sedis hujus ecclesiam ornaverunt, locum istum bonis accumulaverunt, nec non hic plura rationabiliter atque laudabiliter constituerunt. His quoque una, uti spero, cum sanctissimo Martyre annitentibus, quis scit, si benignus propitiari dignetur Dominus, et solita usurus dicat gratia: O charitatis maxima imitator specialissime, hujus caraxatoris f tui et tuorum tibi concedo salutem in æternum. Amen.

c

d

e

f

ANNOTATA.

a *In editione Canisiana huic prologo sequens titulus præfigitur:* Proëmium libri de memoria B. E. et ejus amatorum. *Idem editor istud Meginfredo Magdeburgensi attribuit, cum tamen ex ipso Arnolfi autographo ipsoque Prologo ac libri* 2 *de Miraculis argumento constet, illud Arnolfi esse et ad dictum librum* 2 *pertinere. Lacinia quoque huic prologo assuta est, quæ ad finem libri* 1 *spectat. Consule Commentarium num.* 13 *et seqq.; et Annotata superius ad cap.* 3, *lit.* q, *et hic infra annotanda ad lit. seq.*

b *Hic*

A. Arnolfo

b *Hic in editione Canisii perperam annectuntur, quæ lib.* 1 *de Miraculis a lit.* q *usque ad finem ejusdem libri recensuimus.*

c *Ecce hinc manifestum est, Procœmium hoc et Arnolfi esse, et pertinere ad librum* 2 *qui per modum dialogi conscriptus est, uti etiam Canisius pag.* 68 *in margine annotavit.*

d *S. Wolfgangus episcopus Ratisbonensis Romano Martyrologio inscriptus est ad diem* 31 *Octobris, ad quem ea, quæ Arnolfus de eo in hoc libro narrat, et ego velut ad præsens argumentum meum non spectantia prætereo, usui esse poterunt.*

e *De S. Ramualdo seu Ramuoldo abbate ad* S. Emmerammum *in opere nostro actum est ad diem* 17 *Junii, ubi data sunt, quæ Arnolfus de ipso in hoc libro scripsit, hic pariter omittenda.*

f *Id est*, scriptoris, *a Græco verbo* χαράττω *scribo.*

CAPUT UNICUM.

B

Paralysis, oculorum malum et febris curata : captus pedibus gressu donatus : monasterio vendicata.

Festo Sancti natalitio die paralyticus a

Ammonicius *a*. Dictatum tuum, quem fecisti paulatim scribendo usque huc repere, posthinc necesse est, ut facias currere : ea videlicet ratione, quo aliquid tempestive colligas vel conscribas, quod in festivitate S. Emmerammi, quæ jam faciem præparans quodammodo suis arridet, novum offeras, utpote tuo speciali patrono, immo communi omnium quærentium Dominum Fautori. Collectitius : Novi, me ad id valde indignum, ut mihi peccatori vendicem tanti patroni specialitatem. Proinde humiliatus opto, ut parvitati meæ saltem concedatur per preces illius, quatenus cum cæteris fidelibus amplecti valeam communionem beatam. Sub hujus ergo rei affectione aggrediar, quæ sequuntur, cudere. Per annualem atqui cursum, reducente ejusdem Patroni nostri sæpe nominati sæpiusque nominandi natalitio die, ob solita beneficia convenerat illuc turba non modica. Cumque ibi per divina Officia Deo et Sanctis oblata essent laudum sacrificia, ac non absque signis et miraculis rite peracta forent solennia, unusquisque cum gaudio remeavit ad propria. Tum contigit, quendam pauperem, qui cum aliis ad tanta gaudia ire decrevit, nec pervenire potuit, vix tandem in die septima ad cupitum locum a suis perduci posse. Erat enim paralyticus, [et, ut ita dicam, plus quam claudus *b*,] ob hoc itaque in carruca eum, quamvis laboriose, advectabant, [utpote] de loco longinquo.

C

in ecclesia ejus orans, subito sanatur. c

2 Is in prima hora octavæ *c* dici, nutibus et signis, quibus potuit, se ab amicis suis in ecclesiam S. Emmerammi deduci rogavit. Qui cum suorum manibus et brachiis sustentatus in Occidentali parte consisteret felicis basilicæ, secus columnam scilicet, quæ consecratam in petra solet habere aquam, conversus ad Orientem, paululum inclinato capite, sine verbis oravit, quia loqui non potuit. Ecce vidit e regione beatissimi Martyris aram quasi igneam et magno lumine circumdatam, et de ea veluti solis radios mitti conspexit in faciem suam. Tunc ob insolitam visionem perterritus atque tremefactus, nimioque sudore humefactus, demum convalescens, cœpit fari, sic dicens : Deo gratias : quam magnam rem video! Vere Dominus est in loco isto, qui per preces sui dilecti Testis optima hic confert medicamina sive solamina ægrotis et mœstis. His visis et auditis, de tota ecclesia concurritur, et a populo [miraculum idem] spectante, ac [simul] admirante, Kyrie eleison cantatur. Cujus clamor cum vix auribus posset sufferri, Primamque nos interim cantantes oppido deterreret, idem homo catervatim ab his, qui tunc forte ob novitatem rei confluxerant, stipatus chorum est introductus. Cumque ab eo ante altare S. Emmerammi aliquandiu oratum esset, indeque completa oratione cœtui fratrum [accedentium] assurrexisset, jussus est a Priore in gradibus sedere causamque suam coram recitare. Qui mox obediens, et quid passus sit in infantia, breviter expediens, indicavit, se ab octo annis usque in illum diem paralysi esse solutum, officioque manuum destitutum, nec non pedum se questus est penitus caruisse incessu. D

actisque ab eo et universa civitate gratiis, domum sospes revertitur.

3 Tunc petito pariter et præstito baculo, quia propter nutantem gressum opus erat alieno sustentaculo, Crucifixi ob amorem et spem Redemptoris, pro quo effusus est martyrum sanguis, accepit Crucem, per quam credimus et scimus humano generi datam fidei lucem, sicque prævius multitudinis dux perrexit ad sanctum Petrum, se cum novella sanitate præsentans episcopali sedi, ut et plures contingeret interesse gaudio communi, et ipse implere videretur, quod Dominus in Evangelio dicit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Ibi a Matricularibus *d* consilio accepto, ne cum novem ingratus existeret, sed regressus illuc, ubi salutis dona suscepit, cum decimo, id est Samaritano, magnas gratias ageret *e*, tota pene civitate comitatus ad S. Emmerammum est reversus. Illa nimirum die per plateas, imo per omnia Ratisponensium urbis loca, Kyrie eleison sonabat, Christe eleison resultabat. Deo gratias grata vicissitudine, interdum ab his, interdum ab illis, dicebatur, atque in hunc modum iter fidei ab omnibus terebatur. In ecclesia vero tanta exultatio fuit Deum laudantium et octo annos cum totidem beatitudinibus octavæ diei comparantium, ut per Confessionis et compunctionis valde necessarium [fidelibus] bonum, ea die diabolus [multipliciter confusus] ingemiscere sibi [male] factum, [nec non ob Martyris interventum] queri grande cogeretur detrimentum. Quid plura? Pro beneficiis solennis visitationis a clero monachorumve choro, et nihilominus ab sexus utriusque populo trifariis votis almæ Trinitati persolutis, tandem cum benedictione licentia data est cunctis abeundi, nec non cum tripudio triplicis miraculi domum redeundi. E

Sancti festum quo die celebretur.

4 Ammonicius. Hoc trifidum, quod in uno homine declaratum scripsisti miraculum, in nomine sanctæ Trinitatis, tuapte quasi quædam salutatio est imminentis festivitatis : nam ipsa solennitas beatissimi patroni nostri, Emmerammi martyris videlicet Christi, trifaria est. Præcedit enim eam beati Matthæi apostoli et Evangelistæ passionarius dies natalis et [cum clarissimæ virginis memoria Teclæ] subsecutura est percelebris dedicatio hujus ecclesiæ purpureis ossibus ejusdem Testis feliciter dotatæ, illa mediastina festivitate nostratibus quoque præcipua, medietatem suam [inter præcedentem et subsequentem,] quasi quandam regalitatem potenter tenente *f*. Unde non est mirum,

A rum, quod tu Opusculum tuum, quocunque per varietatem sentientarum vagatum fuerit, ad laudem sanctæ Trinitatis reflectere conaris. Nunc ergo, quia uno eodemque trino signo miraculum proposuisti de S. Emmerammo, consequens est, ut aliquid assumas, quod numeralitate fœcundatum exigat quiddam tertiandum, quo more tuo perducas conclusionem ad sanctæ Trinitatis honorem. Collectitius. Quandoquidem homo habet trinitatem in semetipso, necesse est, ut creatura subdita sit Creatori, cujus nihil præponendum est amori. Cujus taxationem cum omnes homines simul in unum vota conferentes Amatori præcipuo haud sufficiant rependere, quanto minus ego misellus, qui huc usque nil dignum egerim ordine meo.

Ex communi contagio auctor oculis graviter laborans,

5 Quamobrem intime cordetenusve mecum perpendens, quantum periculi gignat et ferat negligentia ejus, quæ in me est trinitatis, id est intellectus, memoriæ, ac voluntatis, vix tandem gratia [malorum] remedii pigritiæ meæ imperavi, ut, quod olim puerilis curiositas de utilibus rebus B collegerat, nunc juvenilis verbositas simpliciter promat; sicque qui operibus nequeo, saltem et dictis videar deservire honori Omnipotentis ac Unicæ Trinitatis. Hac quoque intentione, quod scripturus sum, assumam secundum admonitionem tuam. Cum inter cætera flagella, quibus gratia Dei omnipotentis dignata est visitare homines hujus nostræ nativæ provinciæ, quodam tempore multum laborarent oculorum dolore, ab omnibus demum plaga tandem cessante, adeo me subito invasit, ut sinistrum oculum mediocriter dolens, per nimium tumorem dextri officio penitus carerem. Pestis enim gravissima eum ita occupavit, quo quasi pugnus illi videretur esse oppositus. Cujus rei gratia cum nocte ad ecclesiam venirem, et juxta confessionem beati Emmerammi secretius orarem, breviata oratione surrexi; et quia captus dolore oppido fui gravatus, sedebam inibi in angulo mœstus. Tunc cœpi intra me super hoc, quod mihi accidit, cogitatationes varias volvere, unde et [humiliato corde] compellebar dicere : Domine, si vis, potes me salvare et per preces Patroni mei, tui scilicet dilecti Martyris, et hoc malum grande facile quis propellere. Sed novi, me minus idoneum, in quo ostendas miserabile * opus miserationum tuarum.

* *l.* mirabile

ibidem subito perfecte sanatur.

C 6 Tu summi Patris Sapientia nosti, quia jam per plures annos insidet animo meo quandoque mirabilia tua scribere, ac omnipotentiam tuam in his laudare, et nihilominus Electorum tuorum dicta et facta per literas memoriæ posteris tradere. Si benignitati tuæ in hac re placet, quod volui, et adhuc volo, gratias ago : sin me mavis cæcitate castigare, sum paratus, utpote tibi debitor per omnia, quod judicium tuum ingerit patienter sustinere. His in occulto sic cogitatis atque dictis, facturus, quod humilitati meæ fides Christi per intimam inspirationem agendum insinuavit, summitatem pollicis parumper humectavi saliva, nec non, ubi ampliorem sensi dolorem, ter signum salutis impressi; interim corde ruminans ac nihilominus ore pronuncians illud Evangelicum : Lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit oculos meos : et abii et lavi, et vidi, et credidi Deo. Eodem momento in me tam subitanea facta est mutatio dextræ Excelsi, quo sub incredibili celeritate fugatis doloribus de capite, imo de toto corpore ablata pernoxia peste, ipse mecum super hoc facto diligentissime tractans, satis mirari minime possem, quis fuerim, quis essem. Tum quasi quadam curiositate mihimetipsi super repentino miraculo cupiens satisfacere, utraque manu palpavi locum periculi; in quo nec saltem vestigium doloris sive tumoris reperisse me gavisus sum. Proinde surgens, properabam illuc, ubi antea orabam, ibique gratias egi Deo et sancto Emmerammo. Cum accedens ad candelam legere tentarem in libro pro vetustate pene obsoleto, probavi me puriorem visum recepisse, quam prius habuerim.

A. Arnolfo

Aqua e puteo S. Emmerammi hausta

7 Nunc quidem ne huic tantæ solennitati, quæ lætitiæ nectar examussim propinat fraternæ utilitati, nostrapte quid videatur deesse, subsequentis relatione miraculi plenum sic instruendum convivium est, ut expletiva conclusio tertiatione fideliter ministret sua, quod sancta Trinitas operata est in illa. Fuit quidam clericus nobili prosapia ortus, qui tempore quodam necessitate poscente, imo charitate jubente, hospitalitatis gratia receptus est in mansionem [quandam,] cœnobio S. Emmerammi contiguam. Ubi cum cœpisset infirmari, post paucos dies nimietate valetudinis ad id est perductus, quod penitus desperaretur vita illius. Tum noctis medio, quasi de gravi evigilans E somno, dixit : O utinam aliquis mihi deferat aquam ad refocillandam animam meam de fonte S. Emmerammi, qui est in claustro fratrum, Deo sibique servientium. Quod unus astantium, sibique [in id temporis] famulantium celeriter perficere volens, cucurrit ad ecclesiam, et ut in talibus rebus fieri solet, improbiter pulsavit januam. Qui mox a custodibus intromissus, et quia familiaris erat, ad fontem emissus, absque dilatione hausit aquam, ad eum, a quo missus est, certissime reportans illam.

in vinum versa febricitantem

8 Cumque de ea parum gustasset ægrotus, mox per meliorationem sibi redditus totus, inquit : In nomine Domini optimum vinum bibi pro aqua, quam attulisti. B. Emmerammus, bonus medicus, ab optimo medico accepit, quod mihi modo præstitit. Ad hæc respondit, qui aquam attulit : Nescio, si aqua conversa sit in vinum. Hoc solum certissime novi, quod per antliam laticem de puteo exantlavi. Cujus verba viri et mulieres, qui aderant, prosecuti sunt, dicentes : Late notum est, vim hujuscemodi febris, qua tu laboras, non solum absumere vires corporis, sed etiam, ne bene sapias, immutare gustum palati et gutturis. Quibus ille porrigens poculum, de quo bibebat, dixit, Bibite et vos atque probate, utrum fefellerim, an verum sit, quod dixerim. Illi ergo biberunt, ac vini saporem veraciter senserunt, vocem cum fide levantes, dixerunt; Deo gratias; quia tam bonum vinum tamque nobile omni vita nostra transacta minime contigit nos bibisse. Hoc atqui grande miraculum non ab homine fictum, sed ob Martyris meritum a summa Veritate factum, testis est Engilmarus antistes *g*, adhuc in hac vita manens. *g*

Engilmarum, postea episcopum, sanat.

9 Hic quoque dum Ratisbonæ constitutus, apud S. Emmerammum scripta meæ parvitatis videret, et legeret, atque probaret, die quadam stans juxta puteum seu fontem, per quem recordabatur sibi sanam [olim] redditam fuisse frontem, vocavit me, et occasionem sumens ex eodem fonte, dixit, quod scripsi : affirmans sub testificatione Christi, verum hoc esse, ac non in alio, sed in semetipso idem magnale tam veraci quam efficaci experimento didicisse. Ammonitius. Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia vitis vera, quæ Christus est, ad declaranda merita palmitum suorum, id est, Apostolorum et martyrum seu cæterorum electorum, quotidie his et talibus miraculis

A. Arnolfo

miraculis quasi novas nuptias facit. Ecce memoria beatissimi martyris Emmerammi juste vinum pro aqua cum sanitate propinavit ab hoc proculdubio vitali * comprobaretur facto, eum quodam in Dominica optime sudasse vinea, multumque fructum tulisse in ea. O quanta lætitia, volante fama, ex hujusmodi rebus transfunditur in filios Ecclesiæ, cum hæc longe lateque audierunt [solenniter] celebrata de matre. Cujus rei gratia tu adaucturus Opusculum tuum, quæcumque animo rationabiliter occurrerint, summa diligentia in horreum Dominicum comporta : sic enim ea, quæ in quadrifido climate mundi a sancta Trinitate sunt facta utcumque locum habebunt [etiam] in descriptione tua.

** adde ut*

Pauper pedibus captus, invocato sancto Martyre,

10 Collectitius. Quia strictim notasti quatuor plagas mundi, quibus pater quater terna, sive ter quaterna distinguitur insignia, ob dulcissimam Patroni nostri memoriam placet anterioribus tribus miraculis hic subnectere unum, quod idem sit et quartum, ea scilicet ratione, ut unitas ita cohæreat Trinitati, quatenus probabilis quaternitas laterum æqualitate solidata, fidem quatuor Evangeliorum conservet per omnia. Erat quidam homo B pauperculus, qui cum alio æque indigente loca sancta quæsiturus, non baculo suffultus sed scamnellis *h* innisus, magis viam repsit, quam ambulavit. Cumque circa horam prandii ventum esset ad quendam fontem laticis perspicui, dixit scamnellarius ad itineris socium : O sodes, istic jentaculum in nomine Domini nobis erit sumendum, et cum refectum fuerit, cum gratiarum actione abeundum. Quo assentiente, ac ad panis esum solotenus in ora fontis consedente, scamnellarius homuncio aquam hauriens ex abundantiæ purissimo speculo, antequam apponeret ori potum, sic invocat Dominum ubique fidelibus notum : Domine Jesu Christe, qui desiderium pauperum soles exaudire, merita martyris tui Emmerammi clarifica in me hodie, qui, charitate ipsius te benedicente, nunc gestio sitim restinguere.

gressu donatur.

11 Et ecce inter bibendum necdum ab ore manum, qui biberat, retrahente, per eum, cujus gratia nescit tarda molimina, soluta sunt omnium membrorum ejus retinacula, Qui mox exiliens atque huc illucque discurrens, gratias egit Deo, sanctoque martyri Emmerammo. Tunc incolæ acciti ejusdem novitate rei, ob memoriam tam excellen- C tis miraculi, in honore Martyris construxerunt ecclesiam ibi. Hoc in partibus Italiæ factum, relatione cujusdam fratris, ex laïco conversi, adhuc puerilibus in annis talium rerum curiosissimus auditor comperi, qui per confidentiam et consolationem hujus beneficii in id se provocatum esse confessus est, ut latrocinium, quod jam per plures annos crudeliter exercuit, desereret, nec non apud S. Emmerammum lupinam rapacitatem deponeret, sicque oves ex lupo cum ovibus Christi pasceretur in ovili Dominico.

Auctor S. Emmerammi patrocinium commendat

12 Ammonicius. Quia beneficia Christi ob memoriam Sanctorum illius per omnia propagandum, et a bonis universis unice amplectendam, hactenus dictando utcunque digessisti, noviter facta bonorum sancti Emmerammi minoratio, simul et quorundam super hoc habita querelosa mussitatio, ut mihi videtur, non sine ratione postulat, quatenus dictatu vivaci aliquid huic Opusculo inseratur, quo et invasores ecclesiasticarum rerum admoneantur, si velint sanum sequi consilium, ut resipiscant. Et si qui hujus rei tortitudine turbati sunt vel mœstificati, aliquam ex æterni Regis rectitudine simul et miseratione consolationem se accepturos fore, minime diffidant. Collectitius: Cum omnes, D qui sapientia Sanctorum abutuntur, procul dubio aut hic aut in futuro puniantur, compescendæ sunt immoderatæ mussitationes, partim clanculum querelas concinentium, partimve manifesto ac simplici sermone dicentium : Sanctus Emmerammus nunc dormit, qui bona sua, quasi non sua, sibi suisque subtrahi perfert. Quibus per sensatos et prudentes viros erit suggerendum atque dicendum : Ecce non dormit, neque dormitat, qui custodit Israël. Insuper et hoc nostrapte adjiciendum, quia bona sancti Emmerammi, quæ vere bona sunt, nec sibi subtrahi, nec suis consortibus ullo modo minui possunt.

et ex eventu ostendit. Dum judices

13 Ista vero, quæ secundum sæculum dicuntur bona, quantulacunque sunt, quia non fuerint hucusque extra curam et custodiam summi Pastoris et Custodis, nec non ejus provisionem dilecti Martyris, ex antiquis temporibus non solum mirabiliter, sed etiam fortiter innumeris virtutibus declaratum audivimus, legimus, vidimus. E quibus ac nunc temporis necessarium unum grande miraculum, pro magnitudine sui valde inter optimates atque plebeios homines divulgatum, utilitati legentium consulens pariter et exactioni tuarum E petitionum satisfaciens, istic innectere curabo. Temporibus itaque Henrici pii Augusti et imperatoris eximii *i*, multis rebus ex episcopio Ratisbonensi per incautelam perditis, et de abbatia S. Emmerammi ob controversiam episcopi et abbatis pluribus bonis pessundatis atque dissipatis, contigit, ut Dominus Bruno *k*, germanus frater ejusdem imperatoris, sub occasione juris hæreditarii tentaret sibi vendicare possessionem et curtem, quæ vulgo dicitur Enterhof *l*, id est, [Veneni atrium et curtis, sed secundum eos, qui altioris ingenii sunt, et quæque ingeniosius quærunt, Spes ætheris, id est, Cœli non inconvenienter dici potest, juxta hoc, quod Saxonicum idioma teutonizare solet. Saxones enim Spem, ut Sperationem hujus vocabuli nomine finitimo vocitare suescunt.]

prædium S. Emmerammi injuste

14 Qui dum publice contra edictum cæsaris vim inferre non auderet rebus ecclesiasticis, tandem ex consulto in id ventum est, ut in loco, qui dicitur Ætinga *m*, super hujuscemodi re haberetur placitum, sive judiciale colloquium. In quo omnibus judicibus vel scabinionibus *n*, qui in [eodem comitatu erant, pecunia corruptis, ac aliis] alicunde in id ipsum mercede conductis, ita omnium causidicorum astutia et calliditas cælitus infatuata F est, quo communi consilio ex adversaria parte inductus aut subornatus quidam judex, nomine Otpolt, cujus loquacitati ad tunc temporis multa committebantur a multis, nec sciret, nec posset judicare quidquam, quod S. Emmerammi vel nostram lædere quiret causam. Unde et a defensore nostro publice mendacii et falsitatis notatus, præbuit multis admirationem cum additamento timoris. Verum ne prædictus Bruno episcopus, tam probrosæ confusioni succumbere videretur cum suis astipulatoribus, rogatu illius palatinus conventus est Ratisbonæ habitus, quasi illic annullaretur miraculum, quod contigit. Sed longe aliter res eadem exitum habuit, quando totum concilium, quod ibi collectum fuit nolens volens divinæ voluntati paruit.

adjudicare volunt episcopo Brunoni,

15 Nam in aula judiciali, præsidente Henrico duce cum Chunigunda imperatrice, sua scilicet sorore *p*, nec non subselliis a viris consularibus sive comitibus, uti mos aulicus poposcit, assessis, per totam curiam audiebatur vox contra S. Emmerammum, partes episcopi foventium, simul et

A et dicentium, quod Brunoni, utpote tam amplæ et potenti personæ, nemo posset resistere, quin illa die omnium judicio in ditionem ejus veniret præfatum prædium, quod avia ejus, nomine Judita, Norici regni videlicet ducissa *q*, sancto Emmerammo pro se suisque filiis Hulduwico, atque Henrico velut regalem fiscum tradidit: eo scilicet tenore, ut, si episcopus vel aliqua potens persona eandem curtem usurparet, vel usibus monachorum subtraheret, statim in jus hæredum suorum reverteretur. Hanc quoque sententiam præposuerunt judices atque optimates, affirmantes, traditionis conplacitationem hujusce a Gebehardo Imbripolitano *r* antistite violatam esse. Tunc a domino Brunone consensu principis extra curiam evocatis primatibus, summa eloquentia præditis, et aliis judicibus causidicis, juris peritis, in sui causam excitis, omnigena calliditate vel astutia foris sunt instructi sive præparati, qui partis illius defensiones intus forent, ut sibi videbatur, argumentose recitaturi, nihili pendentes, quod scriptum est: Non est consilium contra Dominum, qui novit corda hominum.

B *his divinitus impediuntur* 16 Cumque introgressis omnibus, perventum esset ad locum et tempus, in quo excusanda erat falsitas et malitia forensis judicii, et quasi obtinenda triumphalis palatii dignitas, non solum qui falsitatis antea fuit notatus, convictus est reus esse ejusdem abdictatus, sed etiam omnium contrariæ parti faventium ora ita virtute cœlesti sunt clausa et mutata, ut nullus tot ingenio callentium aut posset dicere, quod secum ipse cogitando deliberavit, aut fari quiret, quod ab aliis in aurem susurrantibus dicendum recepit. Tum omni senatu, qui frequens convenerat, ob miraculum evidentissimum in laudem Christi provocato, per totam curiam Deo gratias clamor humilis et vere laudabilis personabat, nec non beatissimi martyris Emmerammi laudes altrinsecus exaltantium murmur amabile aures multitudinis reverberabat. Inter quos quidam comes, vir famosus in Christiana religione Eberhardus, nomine, fertur dixisse: Ecce Rex regum manifeste destruit jura mundanarum legum. Bene omnia nunc et semper fecit et facit, qui superbis resistit, ac humilibus gratiam dabit.

hinc Bruno pœnitentiam agit. 17 Tunc dominus Bruno ingenti timore correptus, immo per vim supernæ virtutis adeo est interne sibimet surreptus, quo non solum illa die coram principibus C et populo humiliatus frigesceret, sudaret, pallesceret, sed etiam intra domestica mœnia sub grandi vitæ suæ periculo proximam noctem insomnem duceret. Altera autem die, cum jam sol illustrasset orbem, pœnitentia et lachrymis expellens tenebras, quo deceptus erat, erroris, cum oblatione se beato Emmerammo præsentavit, humiliter fratribus delictum suum confessus, atque inter memorias Sanctorum nudipes incedendo, tam laboriosam interim exercitationem perpessus, ut nullum ex omnibus altaribus, quæ apud nos abundant, prætermitteret, cui propria manu donum non imponeret. Demum ante aram clarissimi Patroni nostri se ultra nec illi neque suis aliquid mali facturum, seu rebus ecclesiæ ullam vim illaturum, cum juramento devovit, nec non sub testibus confirmavit. Vinum quoque, quod partium suarum fautoribus in convivio se daturum spopondit, nobis pro charitate dedit, atque vitam suam intentissime orationi fraternæ commendavit *s*.

ANNOTATA.

a *In hoc Dialogo loquuntur* Ammonicius *et* Collectitius, *quorum hic Arnolfum, alter hujus familiarem designat. Prætermisi autem, quæ in editione Canisii a pag.* 71 *usque ad* 129 *recensentur, quia isthæc omnia ad propositum nostrum nil faciunt, et partim in gestis S. Ramuoldi abbatis ad diem* 17 *Junii apud nos jam sunt recusa, partim ad diem* 31 *Octobris, ubi de S. Wolfgango Ratisbonensi episcopo agendum erit, poterunt recudi.* A. Arnolfo

b *Quæ uncis inclusi, ea Canisius notat in Ms. suo aliis litteris scripta esse, quod sufficiat semel monuisse.*

c *Ita correxi: nam in edito est* octava.

d *De* matricularibus *eorumque varia conditione ac officiis consule Cangium in Glossario. Hic ea vox usurpatur pro presbyteris clericisque, qui ad officia in ecclesia S. Petri, quæ cathedralis erat, peragenda in* matricula *seu catalogo ejusdem ecclesiæ conscripti erant.*

e *Alludit auctor ad caput* 17 *Lucæ, ubi cum Christus Dominus decem leprosos ad sacerdotes mittens mundasset, unus tantum ex ipsis, Samaritanus scilicet, ad illum acturus gratias rediisse narratur.*

f *Celebrabatur igitur ætate Arnolfi sive seculo* XI, S. Emmerammi *festivitas, uti etiam hodiedum, hoc die* 22 *Septembris; nam S. Matthæus colitur die* 21, *S. Thecla die* 23. E

g *Cujus sedis episcopus hic fuerit, non indicavit Arnolfus, nec aliunde potui certo assequi.*

h Scamnella *et* scamella *sunt* scabella *sive fulcra illa, quibus innixi contracti vel aliter capti pedibus repentes procedunt.*

i *S. Henricum imperatorem designat, cujus gesta illustrata apud nos habes die* 14 *Julii.*

k *Erat hic episcopus Augustanus, etiam in proprium germanum suum fratrem S. Henricum imperatorem aliquando rebellis, uti in ejusdem Sancti Vita loco mox laudato legi potest.*

l *In Ratisbona monastica pag.* 239 *vocatur* Ayterhof, *diciturque sita prope Straubingam. Quæ sequuntur uncis inclusa de etymologia nominis. alio charactere scripta erant in editione Canisii.*

m Ætinga, *vulgo* Oetinge, *Bavariæ oppidulum est inter Salisburgum et Landishutum.*

n Scabiniones *et* Scabini *erant judicum assessores, quibuscum judicia exercebant.*

o *Uncis inclusa aliis denuo litteris scripta erant in exemplari Canisiano.*

p *De S. Cunigunde, S. Henrici imperatoris augusta conjuge et virgine, actum est apud nos ad diem* 3 *Martii, ubi* § 3, *num.* 17 *inter ejusdem fratres recensetur Henricus Luxemburgensis, a S. Henrico anno* 1003 *Bavariæ dux creatus, qui is ipse est, de quo hic loquitur Arnolfus.* F

q *Fuit hæc conjux Henrici, Bavariæ ducis et fratris Ottonis I, ex quo Henrico per cognominem filium avia fuit S. Henrici imperatoris.*

r *Arnolfus lib.* 2 *de Miraculis tres hujus nominis episcopos Ratisbonenses memorat. Is, de quo hic mentio fit, videtur ejus nominis primus fuisse.*

s *In Ratisbona monastica pag.* 239 *hæc contigisse dicuntur anno Christi* 1018, *quo Arnolfus Vochburgensis hujus historiæ scriptor florebat ac verisimiliter ibidem jam erat monachus, quod pro fide ejusdem historiæ juverit hic annotasse. Cetera quæ sequuntur, cum ad* S. Emmerammum *non spectent, prætermitto.*

A. Arnolfo.

OFFICIUM PROPRIUM

Auctore Arnolfo Vochburgensi.

Ex ejusdem codice Ratisbonensi.

Orationes tres *a*

Præstet *a* hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat omni
Gloria mundo. Amen.

Oratio de S. Emmerammo.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Emmerammum, sacerdotem tuum, cursum præsentis vitæ martyrio voluisti consummare, concede, quæsumus, ut sicut ille membrorum abscissiones passus, pro vitæ integritate civium supernorum sortitus est contubernium, ita et nos, amputatis vitiis de cordibus nostris, ejus meritis suffragantibus, inter membra tui Unigeniti connumerari mereamur. Per eumdem. B

Alia. Dominator Domine, pro cujus amore sanctus Emmerammus, martyr et pontifex, patriam seu terrenam relinquens substantiam, peregrinationem aggressus est voluntariam; da propitius, ut in hujus mundi exilio per exemplorum ejus vestigia gradientes, ad æternam patriam ipsius patrocinio subnixi pervenire valeamus. Per Dominum.

Alia. Beati Emmerammi sacerdotis tui atque martyris, Domine, veneranda celebrantes Natalitia, cum ipsius patrocinio preces coram te effundendo petimus, ut et vulneribus nostris clementiæ tuæ medelam misericorditer adhibeas, atque inter mundanas nos jugiter protegere digneris procellas. Per Dominum nostrum.

et Hymni b

2 Saphico metro compositus ymnus de sancto Emmerammo martyre Christi *b*.

Christe, cui justos hominum favores
Caritas cum spe, fideique lege
Dedicat, festo patris Emmerammi
Suscipe lætos.
Patrios qui dum fugit incolatus,
C Et sacerdotum celebres honores,
Certius multo gerit ex labore
Pontificatum.
Noricas gentes peperit saluti,
Nutrit et signis, reficitque verbis,
Donec expensum Domini talentum
Centuplicavit.
Hic pio fratrem redimens cruore,
Cæsus et membris numeras * triumphos
Tot modis victor, vicibus quot artus
Lictor ademit.
Spiritus cujus jubilas in astris
Sit suis magnus famulis patronus,
Et Ratisbonam tueatur, almi
Corporis urbem.
Gloriam Patri resonemus omnes,
Ejus et Nato jubilemus apte
vel
(Et tibi Christe, Genite superne)
Cum quibus regnat simul et Creator
Spiritus almus. Amen.

* forte numerat

de S. Emmerammo

3 Item alius de Sancto Emmerammo, rithmice (non metrice) modulandus.

Ymnus te decet, Domine,
In hoc seculum labile D
Qui pro salute hominum
Tuum misisti Filium.
Hic imaginem coici *c* *c*
Induit natus Virgini,
Quo mortales invalidi
Cælestes possent fieri.
Unde Sanctorum numerus,
Tibi soli notissimus
Fortiter exterioris
Calcat vitia hominis.
Quem Emmerammus inclitus
Cujus festa percolimus,
Redegit in servitium
Ad sanctas formans animum.
Hic dereliquit patriam,
Quam dicunt Aquitaniam,
Prius ibi oviculas
Tui pascens adavidas.
4 Exin migrans in Noricam *episcopo martyre.*
Virorum fortem provinciam,
Ejus, te dante, incolas,
Fecit esse Christicolas.
Tum fidelis ut famulus,
Qui sibi erat creditus, E
Thesaurum ad Dominicum
Auctum reportans scrinium,
Pro alterius crimine
Secabatur dirissime,
Sicque effuso sanguine,
In sinu sedit Abrahæ.
Nunc precamur, piissime
Creator, rerum Domine,
Nostras ejus oramine
Digneris noxas tergere.
Laus tibi, Pater optime,
Una cum sancto Pneumate,
Ac tuo Unigenito
Gloria sit perpetuo. Amen.

Jubilemus Deo, beatorum præsulum Regi glorioso *, qui æternæ gloriæ coronam beato dedit pontifici Emmerammo *d*. *d*

Antiphonæ et psalmi ad primas Vesperas.

5 In Natale sancti Emmerammi martyris atque pontificis.

Ad Vesperas.

Antiph. Juravit Dominus. Psal. Dixit Dominus Domino meo.

Ant, Potens in terra. Psal. Beatus vir, qui timet Dominum. F

Ant. Collocet eum. Psal. Laudate pueri Dominum.

Ant. Quid retribuam. Psal Credidi, propter.

℞. O magni meriti virum Antistitem Emmerammum *, qui pro vita proximi animam posuit suam.

℣. Benignum Jesum est namque imitatus Martyr invictus *, qui pro vita. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto *. Qui pro vita.

Antiphona ad Evangelium *e*. Ave Sacerdos apostolice, ave Doctor Catholice, ave inclite martyr Emmeramme, ymnis tua devotis venerantibus natalitia optine precibus piis, ut assit Omnipotentis gratia. *e*

Antiph. alia. Beatus Emmerammus revera gregis tui, Christe, sacerdos et hostia, clipeo sufferentiæ præmunitus, te astante, et omnia vulnera ejus, causæ tuæ dilectionis inflicta, numerante, centenæ martyr coronæ angelica pompa subvectus, triumphorum gloria exaltatus hodie cælestem aulam ascendit *f*. *f*

Officium proprimo Nocturno

6 Invitatorium. Dominum dominorum adoremus Christum, qui cælesti Hierusalem sanctum Emmerammum donaverat civem. Psal. Venite exultemus.

In

A

In primo Nocturno.

Antiph. Sanctus Emmerammus Pictaviæ natus, adhuc tenellus ætate divina in lege voluntatem cœpit habere. Psal. Beatus vir.

Antiph. Cælestis Magistri apprehendens Puer disciplinam, via gradiebatur justa. Psal. Quare.

Antiph. Odio habuit vanitatem Adulescens, et idcirco dedit Dominus lætitiam in corde ejus. Psal. Cum.

Antiph. Speravit in Domino, qui suæ potentiæ scuto eum in fervida juventute adversus tela inimici munivit. Psal. Verba mea.

Antiph. Ad gloriam nominis sui mirabilis dignum virum almum Emmerammum Factor omnium constituit super opera manuum suarum. Psal. Domine Dominus noster.

Antiph. Justus Dominus, qui justitias diligit, justis operibus illum adornavit. Psal. In Domino confido.

℟. Beatus Emmerammus puerilibus in annis levitatem horrens puerilem *, Creatori suo servire studebat. ℣. In anteriora extentus, et posteriora oblitus *, Creatori suo.

℟. Morum maturitate, temporumque transcursu B vir factus, divinæ voluntatis minister Emmerammus * cathedram pontificalem apud Pictavim suscipit *g*. ℣. Ordini sacro concordans virtutum responso *, Cathedram.

℟. Ad pascendas vero summi Pastoris oves satis sollicitus erat, et ne adversarius, quem devoraret, inveniret *, Vigilanti curæ instabat. ℣. Sciens ergo, quia, cui plus committitur, plus ab eo exigitur *; Vigilanti curæ.

℟. Æstuans autem venerabilis Pontifex martyrii desiderio, exteras nationes petere decreverat *; Quod effectum, Deo donante, postmodum sumpsit. ℣. Volvebat siquidem animo, si umquam se offerret occasio, pati pro dulcissimo Christo *. Quod effectum. ℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto *. Quod etc.

In ii Nocturno.

pro secundo Nocturno, 7 Antiph. Quia beatus Emmerammus in monte Domini requiescere fuit idoneus, ad nihilum reductus est in conspectu ejus malignus. Psal. Domine, quis habitabit.

Antiph. In benedictionibus dulcedinis Excelsus illum prævenit, suaque charitate fundavit. Psal. Do- C mine in virtute.

Antiph. Mundicors et innocens præsul Emmerammus a rege gloriæ benedictionem consecutus est perennem. Psal. Domini est terra.

Antiph. Qui dat hæreditatem timentibus nomen suum, sanctum Emmerammum hodie fecit consortem hæreditatis æternæ. Psal. Exaudi,

Antiph. Beatus est martyr tuus Emmerammus, Domine, quem in atriis tuis voluisti habitare, quo intercedente, iniquitatibus nostris propitiare. Psal. Te decet.

Antiph. Jam luce tibi orta inextinguibili magnifice martyr Emmeramme, post has nobis tenebras ejusdem dignare visionem impetrare. Psal. Dominus regit.

℟. Inclitus Christi ovium pastor Emmerammus, dum in sua terra multas lucratus esset animas *, Majoris gratia lucri in aliena voluit peregrinari. ℣. Unde sedi, cui præfuit, alium præfecit, ipseque terram nativitatis egressus *, Majoris.

℟. Baioariam veniens beatus Emmerammus, a Theodone duce Pannoniam petendi licentiam petiit *; Sed princeps suæ magis providens provinciæ, ne tanto careret Doctore, eum illo ire minime permisit. ℣. Dixit enim se a Gallorum regno ob hoc exisse, ut Pannoniæ incolam Hunorum gentem incredulam ad Christum converteret*. Sed princeps. A. Arnolfo

℟. Sacer Dei Famulus, dum cœptum iter peragere se non posse conspiceret, duci populoque, ut apud se maneret, rogantibus consentit *; Eo quod et in Norico nuper Christianitas incœpta opus haberet sanæ solidamento doctrinæ. ℣. Quamvis, quo primum animo deliberavit, pergere nequiret, tamen voluntate sua non est fraudatus agri Cultor Dominici * : Eo quod et in Norico.

℟. Postquam copiosam Domino plebem adquisivit, Evangelici haud immemor præcepti, pro proximo mori non dissimulavit *; Et ideo ad palmam martyrii decorus pervenire meruit. ℣. In Christi amore reis subvenire desiderans, semet totius periculi procellæ obposuit *. Et ideo ad palmam.

8 Antiph. Super iii Cantica *h*. Erat atqui beatus Emmerammus statura procerus, vultu angelicus, in sermone doctiloquus, atque per omnia cultor Dei verus. *pro tertio Nocturno. h*

℣. Magna est gloria ejus etc.

℟. Pretiosus martyr Domini Emmerammus, perstans fortis in ultimi meta agonis *, Non interrupit verba orationis, sed Domino Deo se commendans, gratias egit. ℣. Scalæ superpositus et crudeliter a carnificibus incisus *; Non interrupit. E

℟. Athletam autem Domini martyrio gloriantem recenti a loco passionis rapientes discipuli*, Spiritu jam cælis illato, apud quendam vicum terræ suum tradebant.

℣ Longe etenim aberat civitas, quæ nunc ejus sacrum tenet corpus, idcircoque ab area, in qua sectus est, illum tollentes *; Spiritu jam etc.

℟. Laudemus Dominum in almi præsulis et martyris Emmerammi meritis gloriosis *, Ad cujus sepulchrum ægri veniunt et sanantur. ℣. Pro bono certamine, quod olim certavit impigre, in Christi regno triumphat perpetuo beatus præsul Emmerammus *. Ad cujus.

℟. Victoriose Regis summi bellator Emmeramme, cui geminæ dilectionis a luminum Patre donum collatum est tale, ut alienum crimen tibi non abnueres impingi, imo et morti pro eo velles addici*, Ora pro nobis indignis, ℣. Ut Amator hominum, qui est salus in se credentium, nos a morte peccatorum ereptos faciat vitæ participes æternæ *. Ora pro nobis *i*. F

Ad matutinas Laudes.

9 Antiph. Præcinctus fortitudine martyr tuus Emmerammus, Domine, a te accepit stellam matutinam, qua vicit tenebrosam hujus mundi maliciam, *i Antiphonæ ad Laudes:*

Antiph. Hic pascuæ tuæ oves, Christe, cum ymnis atria tua assuefecit intrare.

Testis tuus Emmerammus ad te de luce vigilans, Deus, carnem suam multipliciter tibi fecit hostiam.

Benedicant te Sancti tui, Altissime, quibus beatum Emmerammum sociasti cum palma passionum.

Antiph. Confessio Dominica, super cælum et terram magnifica, sanctum Emmerammum exaltavit in gloria Sanctorum.

Antiph. Evangelicis adhærens præceptis, et imitatione Dominicæ dilectionis tangens Cornu erectum in domo David fidelis, beatus pontifex Emmerammus per martyrii tribulationes hodie spiritum emisit ad cœlicas sedes.

Antiph. Cum instaret hora resolutionis Deum sitientis Emmerammi martyris, quasi lampas perlucida, ex ejus ore procedens, visa est petivisse cœli secreta, unde et ministri funeris territi, vix officium

A. ARNOLFO officium sepulturæ quiverant implere.

AD PRIMAM.

ad Horas diurnas, 10 ANTIPH. Prima ætate beatus Emmerammus Christi servitiis mancipatus, in his usque in finem strenue sudando perseveravit *k*.

AD III.

ANTIPH. Tertiam gnomone jam lineam adumbrante *l*, cum laudes Domino suo præsul venerandus psalleret Emmerammus, occasione data, raptus est ad diu desideratum pro Christi nomine martyrium.

AD VI.

ANTIPH. Sexies bina, quæ dicuntur mundi abusiva, tam in se sanctus Emmerammus, quam in cæteris execratus mortalibus, scala totidem gradibus virtutum ornata cœlum conscendit *m*.

AD VIIII.

ANTIPH. Nono ecclesiasticæ dignitatis gradu *n* constitutus, et a Christo pulsante pervigil inventus, insignis martyr Emmerammus pro meritis palma ab ipso donatus est æterna.

IN II VESPERIS.

et ad secundas Vesperas. 11 ANTIPH. Sacerdotem suum et martyrem Emmerammum pius Dominus in Sanctorum splen- B dore comparem eis fecit fulgere. Psal. Dixit Dominus.

ANTIPH. In mandatis Domini nimis volebat, cujus timor castus cor ejus semper possederat. Psal. Beatus vir.

ANTIPH. Qui in altis habitat, cum populi sui principibus illum collocabat. Psal. Laudate pueri.

ANTIPH. Salutaris calicem bibens, per amarum mortis poterium dulce perennis vitæ adeptus est compendium. Psal. Credidi, propter.

℟. Summo nisu ad te clamantes, Christe, precamur, erue a criminum mole, quos redemisti Sanguine, et intercedente beato Emmerammo nostro patrono *, Tibi fac nos posse per omnia placere.

℣. Tui dilecti Martyris prece placatus, Domine, delicta nostra dele, ac in futurum clementissime *. Tibi etc. ℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto *, Tibi.

IN EVANGELIUM *o*.

Aliæ antiphonæ ad canticum Magnificat, 12. ANTIPH. Magnum nomen tuum, Domine, pro quo beatus Emmerammus sectus, brevem hodie tristitiam mundi mutavit cœlorum tripudio perenni, cujus spiritus exultans in salutari tuo, da, suffrage- C tur nobis precatu assiduo.

ALIA ANTIPH. Sancte Emmeramme, martyr Domini preciose, pro nostris intercede negligentiis apud eum, cujus clementiam nulla mortalium superant delicta.

ALIA ANTIPH. In exilium missi Lantpertus sororque illius, pro morte beati Emmerammi usque ad mortem luebant pœnam delicti.

ALIA ANTIPH. Civitas Radaspona lætare ob multa bona filiis tuis divinitus collata, et maxime, quia beati Emmerammi pervalido semper foveris patrocinio.

Item aliæ de eodem Sancto super ebdomadam.

ANTIPH. Beatus Emmerammus in flosculis primæ ætatis id officiis optinuit caritatis et honestatis, ut cunctorum oculi cum notarent, omnium affectus diligeret.

ANTIPH. Successit igitur in tam perspicaci Puero felix adolescentia, et incrementa temporum florent incremento virtutum, et prævenit Virum maturitas morum, quæ facile suadebat juveni rationis pondere, transitorium omne quod fuisset leve.

ANTIPH. Favor ei ex patria oblatus sic ab eo prudenter accipitur, et acceptus augetur, ut nec humilitas minueret gloriam, nec gravitas excitaret D invidiam.

ANTIPH. Ad spem et gaudia mundi non inclinans robur animi, tristitiam quoque vel metum nullus habebat pensi.

13 ANTIPH. Nullus erat locus tam vilis, nulla persona tam humilis, quo in episcopatu promotum non declinaret salus animarum, redimentem tempus, ne ad horreum Domini rediret vacuus, *et per hebdomadam.*

ANTIPH. Vir Dei exemplo patriarcharum nativi liminis deserens incolatum, nolens, volens, regendas suscepit Noricas gentes.

ANTIPH. Hic consilium salutis in altari obedientiæ Deo oblaturus, a cœtu fidelium est unice amatus, cui mutua caritate se devinxit ejus Minister magnificus.

ANTIPH. Excisis ergo inutilibus surculis paganismi, semen creverat fidei, quod universo justitiæ distinxerat flore.

ANTIPH. Quia magnam circa perficiendam Deo plebem habuit sollertiam, lucidissimo conversationis exemplo formam vivendi præbuit, et suavissimo loquendi modo edocuit.

ANTIPH. Celebris illi contentio fuit sobrietatis cum sobrio, extenuationis cum humili, liberalitatis cum omnibus. E

ANTIPH. Pedibus almi Antistitis reorum desperatio pallida provolvitur, crimen exponitur, venia rogatur, quæ ab eo maximo dilectionis datur consilio.

ANTIPH. Pretiosus Christi martyr Emmerammus membratim sectus cultris et incisus, confortatus vero cœlitus, sine intermissione Deo obtulit orationis munus, quæ nobis a facie inimici sit murus.

ANTIPH. Beatissimus martyr Emmerammus, nolens alibi resurrectionis diem præstolari, elegit hunc locum, quatinus nobis sacri corporis patrocinaretur reliquiis, quibus clerum populumque tueatur universum.

14 Adoremus Dominum *, Qui coronavit beatum Emmerammum. *Item alia responsoria*

℟. Ad discendas sacræ institutionis litteras puer Emmerammus est scolis traditus, ubi quam docilis fuerit, finis disciplinæ virtus *, Et virtutis socia dignitas ostendit. ℣. In ipsa simplici ætate, quid *, esset futurus, præsagit ab eo adamata virtus *, Et virtutis. ** forte quis* F

℟. Homo Dei ornamentis virtutum conspicuus, ascendens per ecclesiasticos gradus, post dilectionem meruit reverentiam, donec disponente Domino *, Consensu cunctorum custos morum et exemplum vitæ ordinatur episcopus. ℣. Dulcis erat ei exhortatio et moderata locutio, tum pretium cordis commendat pulchritudo corporis itaque Altithrono disponente Domino *, Consensu cunctorum.

℟. Porro lectionis et orationis vicaria successione et exspatiantis animi discursus imhibuit et * Suggestionis adversæ militiam exclusit ℣. Inter agendum quid solemnis ei fuit semper ad utrumque opus psalmodiæ dilecta materies *, Qua suggestionis.

℟. Rebus episcopii bene dispositis, seu quibusque disjectis apte compositis, ne qua præsentium affluentia perfectioni obsit *, Pauperes divitias dives Pauper exponit, et sic expeditus e Gallia in fines Baioarios exul devenit. ℣. Constituto pro se examinatæ personæ viro, ipse ad nova tyrocinia strenuus miles succinctus *, Pauperes.

15 ℟. Princeps Theodus adventu sancti Pontificis *pro ejusdem Sancti*

A ficis comperto, percontatus causam exilii, responsum accepit, hanc esse sui *, Quo populos Pannoniæ reconciliaret Conditori. ℣. Ad hæc dux infit, discordiam inter se et Avares longam nimium tam pio resistere studio, imo iter propositum intercludere omnimodo *. Quo populos.

℟. Pater sanctus, quem prohibiti callis injuria conturbavit, sed ducis prudentia populique frequentia salutem suam exigentium temperavit, post altam æstimationem horum * Gratulatus, supernæ dispositioni supposuit animum, et gentis studio præbuit consensum. ℣. Post difficultatem justæ voluntati obviam sentiens, se ab omnibus diligi et ab universis coli *; Gratulatus.

℟. Ad laudem cœlestis patriæ non ultima pars accessurus Præsul venerandus, per spiritum tempora sua * Jamjam declinari sensit. ℣. Per triennium Baioariæ fines perlustrans, per eum, qui loquitur ad cor Hierusalem, se ad occasum hujus lucis * Jamjam.

℟. Sub idem tempus invida pars supremo congressu cum eo conflictura, subdolam nacta occasionem, tale pugnandi genus adinvenit *, Ubi aut viscera caritatis occludenda, aut infamia sacri Or-
B dinis in Ecclesiæ scandalum foret displodenda. ℣. Nam principis filia, generositatis damnum perpessa, et beato Viro crimen confessa, extitit causa * : Ubi aut.

℟. Romam petiturus, ut tridui iter peregit, tyrannus eum persecutus, comites ad id instigavit *, Quo Sanctum Dei pœnis interficerent diversis. ℣. Ut audivit, a Pontifice læsum pudorem germanæ, accipiens falsa pro veris, furibundus præcepit suis *, Quo Sanctum.

Officio. 16 ℟. Valde est honorandus beatus Emmerammus clarissimus testis Dominicæ dilectionis, cujus exemplo suscipiens onera alteritatis *, Sanguinem fudit pro anima fratris : eadem caritate oret pro nostra fragilitate. ℣. Dicta promunt Apostolica, quia, sicut Christus animam pro nobis posuit suam, ita et nos pro fratribus animas ponere debeamus, quod almus Antistes fidei opere complens *, Sanguinem.

p Alleluia *p*, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.
C Beate Præsul et martyr Emmeramme, pro nobis peccatoribus intercede. Beatus Emmerammus, genere Aquitanus, religione Christianus, promotione episcopus, Baioariæ quondam peregrinus, nunc vero martyr et patronus. Per triennium satisegit intra eamdem provinciam, credulos in fide roborans, et incredulos ei subjugans. Ecce Sacerdos magnus et Martyr invictus *, Qui in diebus suis placuit Deo. In tempore iracundiæ factus est reconciliatio beatus præsul Emmerammus *, Qui in diebus.

ANNOTATA.

a *Admodum reverendus pater Frobenius Forste, monasterii Ratisbonensis ad* S. Emmerammum A ARNOLFO *Prior, sæpe a me laudatus, observat, ab hac invocatione ordiri M. Ratisbonense, cujus apographo nostro ipse ista præfixit :* Officium divinum pro festo S. Emmerammi episcopi et martyris, ab Arnoldo Vochburgensi et monacho S. Emmerammi, ut ipsemet innuit epistola ad Burchardum abbatem, compositum, et ex codice propria ejusdem manu scripto hic descriptum. *Consule memoratam Epistolam ante Vitam alteram pag.* 487 *num.* 5.

b *Verisimilius hic hymnus auctorem habet Meginfredum Magdeburgensem scholarum præpositum; qua de re vide dicta in Commentario prævio num.* 8. *Pater Prior ad præcedentem litteram laudatus hic in margine annotavit, eumdem hymnum hodieque in Officio* S. Emmerammi *in sua abbatia recitari.*

c *Lege* choici, *id est,* terreni *sive* hominis, *a Græca voce* χοϊκὸς terrenus.

d In Officio hodierno, *inquit hic in margine Forstenius,* hæc stropha dicitur pro Invitatorio. In codice autographo huic Invitatorio et sequentibus hymnis ac responsoriis superscriptæ sunt notæ antiquæ cantus choralis. E

e *Id est,* ad canticum Evangelicum MAGNIFICAT, *ait idem pater Prior, additque, eamdem antiphonam etiam nunc ibidem ad* Magnificat *cantari.*

f *Laudatus Prior ibidem observat, hanc quoque antiphonam in secundis Vesperis ad* Magnificat *adhuc adhiberi.*

g *Consule Commentarium nostrum prævium* § 8.

h *Id est, in tertio Nocturno, in quo pro more Benedictinorum loco trium psalmorum tria cantica vel capitula ex sacra Scriptura reponi solent sub una antiphona.*

i Huc usque Officium hodiernum pene ex integro consentit, *teste eodem Forstenio, cujus hæc verba sunt.*

k *De hac et sequentibus antiphonis ista annotavit Forstenius :* Hæ antiphonæ hodiedum ad Laudes et Horas apud nos obtinent, paucis verbis mutatis.

l *Alludit Arnolfus hic ad dicta Aribonis in Vita num.* 13, *ubi tempus, quo* S. Emmerammus *a Lantberto captus passusque est, sic indicat :* Dei illius hymnificabat Tertiam. *Attamen hæc de hora ecclesiastica, non de naturali aut civili accipienda sunt.* F

m *Hic quoque alludit ad scalas, quibus Sanctus alligatus crudele martyrium pertulit; sed ex quot hæ gradibus constiterint, nescio.*

n *Episcopatum hic videtur designare.*

o *Id est, ad canticum Evangelicum* Magnificat, *ut supra observavimus, quam antiphonam hodieque ad* Benedictus *cani solitam, notat sæpe laudatus pater Prior.*

p *Forstenius observat, in codice autographo pro* Alleluia *legi* Aeuia.



DE

AUCTORE J. C.

D

DE S. SALABERGA ABBATISSA

LAUDUNI IN BELGICA SECUNDA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. S. Salabergæ sancti consanguinei : memoria apud martyrologos : Acta : biographi ætas.

Circa annum DCLXV. S. Salabergæ nobilis prosapia sanctique consanguinei,

Fuit S. Salaberga *filia Gundoïni, viri inter proceres potentissimi, soror Bodonis Tullensis episcopi, conjux Basonis, Dagoberto regi inter paucos chari, felicissima mater duorum filiorum Eustasii et Baldoïni seu Balduïni, triumque filiarum Saretrudis, Ebanis et Anstrudis,* B *quos pene omnes inter Sanctos peculiari cultu venerantur Laudunenses. Et de S. Bodone quidem in Opere nostro Actum est* XI *Septembris, de S. Balduino martyre* VIII *Januarii, de S. Anstrude agendum veniet* XXII *Octobris. Pauca ex Martyrologiis collegit Henschenius ad diem* I *Maji de S. Blandino, quod nomen in Actis infra dicitur Basoni fuisse. Idemne is, quod videtur, noster sit, atque ea, quæ ad Eustasium pertinent, discuti poterunt in supplemento Operis. Hunc Laudunenses colunt Kalendis Maji, illum Nonis ejusdem mensis. Notat Mabillonius tom.* I *Ann. Benedict. pag.* 440, *hos etiam omnes reperiri in Kalendario Sanctorum, quod Psalterio Hemmæ Francorum reginæ præfigitur, atque inter illos locum obtinere Gundoïnum ad* III *Kalendas Novembris. Hodie Martyrologium Romanum nuntiat :* Lauduni S. Salabergæ abbatissæ, *atque eadem habet Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino. Mirum est, in genuino Adone, Usuardo, Rabano, Notkero nullam fieri mentionem de Sancta nostra, in vita et post obitum virtutibus prodigiisque celeberrima. In Additionibus ad Usuardum apud Sollerium consonat cum Martyrologio Romano Matric-Carth-Ultrajectensis. Luxoviensis codex ita habet :* Lugduno Clavato C sanctæ Salabergæ Christi famulæ, quæ mater extitit trecentarum sanctimonialium, ad cujus polyandrium claræ post obitum patuerunt virtutes.

memoria apud

2 *Grevenus prolixius texit elogium.* Ipso die; *inquit,* Sanctæ Salabergæ viduæ, abbatissæ, quæ in suburbano Leuchorum nobilibus orta parentibus, cum oculorum lumen amissum B. Eustasii abbatis interventu recuperasset, defuncto viro, cui jussu Dagoberti regis nupserat, primum in Suburbio Linguonensi hæreditate vixit paterna, deinde Lugduni, constructo monasterio, trecentis ferme adunatis famulabus Christi præsidens, vita et miraculis clara quievit. *Molanus his verbis Sanctam celebrat :* Civitate Lauduno Clavato depositio S. Salabergæ abbatissæ, quæ in lege divina erudita, vigiliis et orationibus assidue vacans, virtutum et miraculorum gratia illustrem conversationem duxit. *Eadem habet cum Molano Wion, cum Greveno Martyrologium Germanicum, nisi quod id addat,* Salabergam *a nativitate cæcam fuisse, perperamque Lugdunum* Lion *interpretetur. Petrus Galesinius sic Sanctæ memoriam agit :* In monasterio Lugdunensi S. Salabergæ virginis, quæ trecentis virginibus monialibus præfecta, omni sanctimonia exemplo prælucens et miraculis clara obdormivit in Domino, *citatque in Notationibus Additiones Molani; sed is Virginem non vocat, quæ bis nupta multorumque liberorum parens fuit, Idem tamen reperitur in quibusdam Mss., procul dubio, quia virginum choro præfuit. Certe Florarium nostrum Ms. consonat :* Eodem die S. Salabergæ virginis et abbatissæ. Hæc miraculis claruit visionesque admirabiles vidit et suum obitum E inter alia præcognovit. *Denique auctor Vitæ S. Agili* S. Salabergam *etiam* virginitatem inviolabiliter servasse *asserit, at vel is est biographi error, vel eodem sensu exponi debet : circa quæ rursus recurret infra sermo num.* 20.

martyrologos. Lauduni,

3 *Ad eumdem pariter diem refertur* S. Salaberga *a Benedicto Darganio, Bucelino et in aliis passim Fastis Sanctorum Ordinis S. Benedicti. Ad* XXIII *Septembris brevibus illam commemorat Maurolycus :* In agro Lugdunensi Salbergæ abbatissæ. *In Ms. Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quod habemus, eo die notatur ejus translatio, sed notat, Mabillonius ad Vitam Sanctæ, eam celebrari* XI *Kalendas Martii. Denique in antiquo Missali Laudunensi impresso anno* 1506 *habetur in Missa de SS. Mauritio et Sociis Commemoratio* S. Salabergæ, *fere ex communi Virginum. Primæ oratio est :* Exaudi nos Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Sallabergæ electæ tuæ *etc. Atque hæc sunt ferme, quæ apud martyrologos de Sancta reperi. Porro vides, lector, Sanctam hic ubique* Salabergam *vocari, quod proinde retinendum censui, licet a Jona in Vita S. Eustasii* Adalberga, *et in Mss. aliis antiquis non raro* Sadelaberga *vocitetur, et quandoque* Sadaberga *et* Sadleberga : F *res enim levioris momenti visa est, quam ut id communi orthographiæ et auribus Latinis concedi non possit. Nunc de Lauduno, ubi Sancta obiit ubique peculiari cultu celebratur, paucula et fere ex Mabillonio in Notis præviis ad ejus Vitam Seculo 2 pag.* 421 *inter Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti excusam, præfanda sunt. Ea civitas Lugdunum Clavatum alio nomine Latinis dicitur, Gallis autem* Laon. *Civitas est Belgicæ secundæ tertio milliari Præmonstrato, septimo Noviomo ad Occidente, sexto autem Novioduno a Meridie dissita montique imposita. Circa nominis originem variæ sunt eruditorum conjecturæ, quas apud Valesium et Galliæ Christianæ auctæ scriptores tom.* 9 *col.* 507 *videre licet.*

ubi obiit, præcipue colitur.

4 *Laudunum civitas episcopalis est metropoli Remensi subjecta.* Vix cuiquam, *inquit Mabilllonius sæpe laudandus,* ex illustrioribus Galliæ cedit opidis, si monumenta spectes, quibus circumquaque vallatur atque intus illustratur : *quæ singula enumerat, atque ibidem consuli possunt. Potissimum ad nostrum institutum pertinet ecclesia sancti Joannis Baptistæ ejusque cœnobium, quod* S. Salaberga

Auctore J. C.

A berga *propriis iisque ingentibus facultatibus condidit, dotavit, suis virtutibus decoravit, ac denique suis suorumque liberorum venerandis reliquiis locupletavit.* S. Salabergæ *sacra cimelia ibidem, teste eodem Mabillonio pag.* 432, *servantur inclusa thecæ, argento atque aurichalco distinctæ, atque in postica altaris (an principis, an alterius illi ipsi erecti?) leguntur hi versus antiquitus exarati :*

Hic veneranda gravi recubas Salaberga sub arce,
Eustasi, Anstrudis, Baso, Goarde, Boso;

unde antiquum ejus celebremque cultum colligas.

Reliquiæ ibidem celebres,

5 *Rem aliam ibidem laudatus scriptor subnectit : servari nimirum in eo monasterio campanulam, quæ cervæ collo alligata divinitus* Salabergæ *allata sit ad propulsanda tonitrui et fulguris pericula, quibus multum percellebatur sancta ejus filia Anstrudis. Hinc asserit,* S. Salabergam *antiquitus pingi solitam cum cerva campanulam ex collo gestante. Inditam divinitus vim adversus tonitruorum impetus campanulæ illi dudum postea inhæsisse, probat, inquit, constans traditio pluri-* B *mis contestata experimentis, monetque vetus hæc inscriptio :* Reliquiæ S. Salabergæ et campana præsens expellunt febres, atque ipsa tonitrua pellit. *Hunc in finem solet aqua in cimbali illius cavitate benedici, et febricitantibus propinari, quorum omnium fides sit apud traditionem et testimonia referentem Mabillonium. Certe mos viget in Ecclesia adversus tempestates et fulgura benedicendi campanulas, quarum non paucæ in Belgium nostrum ex Italia allatæ sunt et piorum hominum fiduciam obtinuerunt. Innumera aliunde etiam exempla occurrunt a variis languoribus sanctorum hausta aqua, cui Sanctorum reliquiæ intinctæ fuissent. Ex utensilibus, quibus usa est* S. Salaberga, *in abbatia Laudunensi servantur usque hodie pedum ligneum holoserico opertum, et Breviarium officii divini uncis litteris exaratum. An Sanctæ corpus in argentea illa theca integrum sit, dicere non possum.*

et Bocoltii. Acta

6 *Raræ admodum, imo fere nullæ memorantur alibi venerationi exponi sacræ ejus exuviæ. Habeo ante oculos cartam adeo detritam et exesam, tam flavescente atramento scriptam, ut vix divinando assequi verba et sensus, eosque non omnes* C *possim. Fuit ea a Majoribus meis ad hunc diem seposita, et talem gerit in fronte titulum :* Incipit ordo, quomodo servabit in monstratione sanctarum reliquiarum in parochiali ecclesia Bocholtz anno MDLIX. *Tertio loco enumerantur exhibendæ reliquiæ* de S. Salaberga. *Invenio apud Baudrandum* Bocholt *seu* Buckolt, *oppidulum Germaniæ in Westphalia et ditione episcopi Monasteriensis ad amnem Aam, in confinibus Cliviæ situm, distansque* 3 *milliaribus Germanicis Vesalia, in Septentrionem Grollam versus* 5. *Idemne hic designetur, quæ ibi pars sancti corporis, et an usque hodie servetur, cujusque sit auctoritatis barbara manu exarata scheda, ignoro : ad Actorum notitiam progredior. Partem eorum non exiguam primus in lucem protraxit ex Ms. Andreas du Chesne, excuditque inter Historiæ Francorum Scriptores tom.* I *pag.* 647 *et seqq, Deinde Lucas Acherius in additamentis ad Opera Guiberti abbatis pag.* 679 *Vitam* S. Salabergæ *edidit, non nihil in ceteris a Chesniana diversam, multoque ea prolixiorem, utpote auctam Prologo et Miraculis a Sancta ante mortem patratis.*

quoad voces varia, antiqua

7 *Illam Mabillonius Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti Seculo* 2 *a pag.* 421 *inseruit, contulitque cum Mss. codicibus Cisterciensi, Longipontis et S. Joannis Laudunensis. Aliorum duorum scriptorum, qui post incendium Laudunense Acta antiqua suo stylo, seculo scilicet* XII, *exornarunt, notitiam exhibet Observatione prævia num.* 4. *Habemus et nos apographa duo Vitæ* S. Salabergæ *olim ad Majores nostros missa : alterum desumptum est ex Ms. Accincti monasterii, atque Chiffletii, insignis adjutoris nostri, manu exaratum : alterum suppeditavit R. D. Nicolaus Belfortius, canonicus Regularis, cui itidem plurimum debemus. In posteriori hoc notatum ad marginem invenio :* Habuit hoc D. Belfortius ex Ms. Longpontico. *Deest Prologus, atque alibi etiam non parum discrepat a Chiffletiano et edito a Mabillonio. Illud ipsum est, quod præ oculis habuit Bollandus, in Gestis S. Balduini martyris, tom.* I *Januarii pag.* 582 *ad diem* VIII *Januarii num.* 2 *scribens :* S. Salabergæ Vitam habemus ex codice Longpontico a Nicolao Belfortio descriptam, et, ut opinamur, paullum expolitam. *Idem de Ms. judicium ita notatur in margine :* Videtur stylum mutasse, *quod apparet omnino certissimum. Præter hæc accepimus ex scriniis P. Petri Francisci Chiffletii Vitam* S. Salabergæ *ex duobus Mss. codicibus monasterii Laudunensis S. Joannis, Fuerat apographum missum ad laudatum Chiffletium a R. D. Bellotta, canonico Laudunensi, qui in epistola bene longa, quam Actis præfigit, ita loquitur Gallice :* Quæ de S. Salabergæ Vita hic invenies, non sunt continuata copia eorum omnium, quæ in Ms. continentur; multos enim omisi flores, textus exemplaque sacræ Scripturæ, quæ censui tibi inutilia fore, cum nihil ad veritatem historiæ conferant. Hisce vero exceptis, descripsi reliqua a capite ad calcem nec verbo nec syllaba mutatis. E

et recentiora. Edenda,

8 *Præmiserat ipso statim epistolæ exordio :* En Vitam S. Salabergæ, quam petenti quondam adpromisi. Extraxi illam ex Ms. abbatiæ S. Joannis hujus civitatis. Reperi ibidem bis scriptam : sed unius tantum extractum mitto, quod utraque in sensu conveniat, quamvis verbis discrepet. Quæ autem plura in altero inveni ad folii limbum adjeci. *Marginales notæ passim consonant cum apographorum aliorum et Mabillonii textu, Acta ipsa plurimum ceteris contractiora sunt. Verum, ut monuit Bellotta, plurima inde resecuit, quæ ad historiam non faciunt. Possent, quæ ab ipso prætermissa sunt, facile assignari et suppleri singula,* F *at operæ pretium non est visum id moliri. Etenim politiori stilo exarata sunt Acta integra atque adeo verosimiliter illa ipsa, quorum prologum exhibet Mabillonius in Observationibus præviis num.* 4. *Indaginis loco sit exordium :* Beata ac venerabilis mater Salaberga Gonduino patre, matre vero Sarctrude in confinio Lingonicæ urbis oriunda fuit, in terra, quam Urnensem nuncupant, ob amnem, qui ibidem profluit. Nata autem de religiosa et nobili secundum seculi dignitatem prosapia nihilominus etiam ipsa gemino nobilitatis enituit decore : exstitit enim insignis non sola suorum generositate Majorum, sed morum multo amplius et fidei famosa titulo. Quo sagaci consideratione comperto, parentes ejus impensiori cura eam enutrivierunt. *Ex his facile est de reliquis judicare. Nos itaque Acta antiquiora a Mabillonio mutuabimur, et variam nostrorum apographorum cum illis lectionem hinc et inde assignabimus. Idem certe est primævus auctor, licet apographa vel incuria amanuensium vel inscitia non nihil deturpata sint, Scriptorem nostrum hunc Mabillonius sæpe laudatus aliique, qui Acherium seculi sunt, auctores coævum censet et supparem, virum gravem, quique* præter

AUCTORE J. C.

præter sortem illorum temporum satis Latine scribit : hinc Acta S. Salabergæ *in magna apud omnes auctoritate sunt, atque non parum contulerunt ad illustrandam eam partem historiæ Galliarum, quæ ad Dagobertum II pertinet. Anonymi scriptoris ætatem ita Mabillonius colligit Observatione prævia num.* 3.

quæ scripta sunt ab auctore suppari,

9 *Nuncupat suam lucubrationem auctor Omotario episcopo, Anstrudi abbatissæ et Salabergæ.* Anstrudem hanc, *inquit,* fuisse S. Salabergæ filiam, constat, tum ex propriis Actis suo loco (*ibidem ea profert pag.* 975) referendis, tum ex his Vitæ S. Salabergæ verbis num. XI (*apud nos num.* 9) « Salaberga genuit filiam tertiam et Anstrudem appellavit, quæ in cura et regimine Sororum processu temporis, cuncta annuente caterva, successit, quæ hactenus, Christo auspice, divinis privilegiis nunc superest. » Omotarius sine dubio episcopus fuit Laudunensis circa annum DCLXXXV, in vulgatis episcoporum Laudunensium Catalogis omissus; et Salaberga post Anstrudem in Prologo salutata, fuit cænobii Laudunensis sanctimonialis. Scribebat anonymus paulo post bellum civile Dagobertum II inter B et Theodoricum III, anno circa DCLXXX exortum, quod se « nuper vidisse » infra num. XIII testatur. *Ex hisce primum et ultimum abunde probant, supparem scriptorem esse, ut ad petitas ab Omotario et Salaberga altera notas confugere non debeamus. Omotarium fuisse Laudunensem episcopum, non evincitur ex insolito titulo, quem illi dat anonymus noster; an aliunde id certo evincere potuerit Mabillonius, nescio. Certe eruditi auctores Galliæ Christianæ tom.* 9 *non nisi solam ex hac Vita petitam notitiam de illo protulerunt. Nec certiora sunt, opinor, quæ de secunda Salaberga asserit. Quamquam, ut dixi, non est iis opus, dum aliunde habemus, unde certum scriptoris ævum eruamus, asseramusque, illum scripsisse senescente septimo.*

cujus ætatem quidam terminis nimis arctis

10 *Ex præcitatis quidem epochis arctioribus terminis tempus, quo anonymus noster scripsisse debuit, circumscribunt Historiæ litterariæ scriptores tom.* 3 *pag.* 636 *et seq.* Certum est, *inquiunt,* scriptam esse Vitam S. Salabergæ post annum DCLXXX atque ante DCLXXXVIII. *Primum probant ex eo, quod Biographus meminerit belli Dagobertum II inter et Theodoricum III gesti sub annum Christi* 680, *tamquam rei non admodum diu præteritæ, cujusque oculatum veluti testem se profitetur. Alterum inde* C *conficiunt, quod Anstrudis,* S. Salabergæ *filia et proxima post matrem S. Joannis abbatissa, cui Acta nostra nuncupata sunt, ultra annum* 688 *non supervixerit. Atque hoc ratiocinium rursus est omnino legitimum, si modo certum sit, S. Anstrudem obiisse ante annum* 688. *Verum Acherius, Cointius et Sammarthani apud laudatos Galliæ Christianæ continuatores ejus mortem anno* 707 *illigant, primusque, quem vidi, Mabillonius Sanctæ obitum refert ad prædictum annum* 688, *et omnis fere probationis loco ita notat pagina* 981. S. Anstrudis anno circa DCXXCVIII ad Superos migravit, ut ex superioribus colligitur. *Quænam porro ea superiora sint, unde id deducit, non satis assequor.*

circumscribunt. Sanctæ genitor probabilius idem

11 *Certe nulla mihi usquam in ejus Notis, aut in ipsis S Anstrudis Gestis, occurrit epocha, unde circa illum annum præ reliquis ejus obitus figatur. Huc non spectat rem studiosius discutere, sed ad* XIV *Kalendas Novembris, ubi S. Anstrudis memoria occurrit. Interim ego anonymo nostro finem seculi* 7 *vage assigno. Ceterum pauca admodum sunt, quæ fusiori explicatione discussioneve egere videantur. De* S. Salabergæ *parentibus tamen vitæque chronotaxi sunt præmittenda pro* D *more nostro aliqua. Nata est Sancta illustribus parentibus Gundoïno patre, matre Saretrude, prior genita duobus fratribus Leuduïno et Fulculfo. De matre nihil alibi occurrit, quod hic locum postulet. Suspicatur Mabillonius, Gundoïnum eumdem eum esse, de quo dicitur in Lotharii Præcepto de Eulania in Spicilegio Acheriano tom.* 12 *pag.* 109: Nec non et eas *(villas,)* quas Gunduïnus in pago Portensi tenuisse non ignoratur, cum omni integritate simili modo restituimus. *Non est a probabilitate aliena conjectura. Longovallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ tom.* 3 *pag.* 566 *arbitratur, eumdem etiam esse Sanctæ patrem, qui in Actis S. Germani martyris* Gundonius dux *appellatur. Negaverat id Mabillonius sæpe laudatus in Notis ad Vitam S. Germani abbatis Grandivallensis, excusam pag.* 511 *et seqq. ejusdem Seculi* 2.

est Gundonius fundator monasterii Grandivallensis; saltem

12 *Rationes attulerat, quod Gundoïnus* S. Salabergæ *pater non fuerit dux, neque amplius in vivis esset, dum a Gundonio Grandivallense monasterium ædificari cœpit. Ejus hoc assertum probationem nullam habet, nisi in dicendis infra promissa confirmatio, quam ego nullam usquam* E *reperio. Profecto non video, qua via confecturus fuisset Mabillonius,* S. Salabergæ *patrem ducem non fuisse. An forte ex eo, quod nullibi in Actis ejus dux appelletur? At debile est petitum ab unius scriptoris silentio argumentum, maxime cum is ipse præclaris Gundoïnum titulis exornet, a nobilitate, opibus, potentia commendet; quæ omnia potius suadent, non ignobilia eum munia in republica gessisse. His addi potest, Dagoberti regis mandato nupsisse* S. Salabergam *Blandino, atque talia ibidem narrari, quæ innuant, fuisse Gundoïnum apud regem et aulam potentem : denique Gundonium in Vita S. Germani, Gundoïnum vero in Actis* S. Salabergæ *Waldeberto notum fuisse, nominaque, una dumtaxat littera transposita variare, conspirare reliqua fere omnia. Non persuadent ea certo, fateor, at probabilissimæ conjecturæ locum faciunt, maxime cum nihil aliunde sit, quod distinguendos evincat. Id certe non præstat allegata secundo loco a Mabillonio ratio, quæ nescio, quomodo apud virum eruditissimum aliquid valere potuerit. Quomodo enim, quæso, ostenditur, non fuisse in vivis superstitem Gundoïnum* S. Salabergæ *patrem, quando Gundonius S. Waldebertum ad se invitavit, fundum construendo monasterio Grandivallensi concessurus?* F *Ipsam ejus hactenus chronotaxim appello.*

contrarium non evicit Mabillonius.

13 *In Annalibus Benedictinis tom.* I *pag.* 400 *illigat missionem S. Germani ad regendum cœnobium Grandivallense, nuper a Gundonio conditum, anno Christi* 647. *Mortem* S. Salabergæ *tum in Notis ad Acta, tum in Annalibus figit circa annum* 655. *Sancta Anstrudis Laudunensis parthenonis regimen post matrem adivit vicennis, ut ejus biographus coævus testatur. Igitur hæc nata est anno circiter* 635. *Demus annos omnes illius seculi præcedentes* S. Salabergæ *primogenitæ Gundoïni, credamusque, ut Mabillonius figit, illam a S. Eustasio circa annum* 614 *a cæcitate et sanguinis fluxu liberatam. Ex his fluit, Sanctæ patrem natum dici non debere ante seculi sexti annum circiter* 80. *Jam vero si inde ordiaris computum, juxta quem numerare poterat Gundoïnus annos circa* 25, *cum ei nata est primogenita, septuagenarius nondum erit, quando regendo Grandivallensi monasterio præfectus est S. Germanus : quæ ætas et aliquot etiam anni amplius, an concedi citra credibilitatem Gundoïno non possint, judicet lector, Certe obiisse illum ante*

AUCTORE J. C.

A *ante Christi annum 660 nusquam ostendit Mabillonius, neque alius, quem vidi, quispiam, atque inde deductus computus apud me verisimilitudinem non excedit, manetque probabilis conjectura, eumdem* S. Salabergæ *parentem monasterii Grandivallensis fundatorem fuisse, quæ ex nostra chronataxi fiet etiam verisimilior. Ceterum in Vita S. Agili apud nos cap.* 3 *num.* 15 *dicitur Gundoïnus beatissimi Agili consanguinitatis nexu propinquus.*

§ II. Locus sanctæ natalis, Analecta ex Vitis SS. Eustasii et Agili. Actorum chronotaxis reliqua.

Verosimilius est Sancta

Locum, *ubi* S. Salaberga *in lucem edita est, ita ambigue biographus noster assignat num.* 2. Igitur Salaberga in suburbano Leucorum opido, territorio Lingonico confini...exstitit oriunda. *Oppidum Leucorum Tullensis civitas est, quæ alio etiam nomine Tullum Leucorum dicitur. Notat autem recte Mabillonius,non raro apud antiquos* B *biographos suburbanum pro territorio sumi, atque ita hic accipiendum monet. Territorium Tullense olim Lingonico terminabatur; at satis incertum est, utro districtus hodie medii tum comprehensi fuerint : quamquam certum sit Tullensem agrum fuisse semper amplissimum. Hinc ex biographi verbis manet dubius locus natalis Sanctæ nostræ. Anonymus alius, apud Mabillonium sæpe laudatum scribit :* Beata et venerabilis mater Salaberga Gundoïno patre, matre vero Saretrude in confinio Lingonicæ urbis oriunda fuit, in terra, quam Uternensem nuncupant, ob amnem, qui ibidem profluit. *Suspicatus fuerat primo Mabillonius, per Uternensem terram designari districtum ad Araris fluvii initia, vulgo* La Baronie de Darney : *sed errorem correxit in calce partis* 2 *Seculi* 4 *pag.* 598, *ubi ita notat;* Uternensem terram intellige Le pays d'ornois, qui tractus inter Mosam et Matronam a Septentrione ad Austrum protenditur ad leucas circiter decem, amne Orna, a quo nomen accipit, irrigatus Opidum habet vocabulo Gondrecourt (*Latinis* Gundoïni curtis) quod S. Salabergæ natale videtur...Uternensis seu Urnen- C sis tractus idem est cum Odornensi, de quo in Annalibus Bertinianis pag. 240 apud Chesnium et in Historia Tornutensi pag. 212.

in pago Odornensi, Pays d'Ornois *indigenis.*

15 *Quæ sunt hic a Mabillonio eruditissime observata, puto undequaque esse verissima,si tamen recte locum assignavit secundus ab illo laudatus anonymus Vitæ* S. Salabergæ *scriptor, qui, ni fallor, unus est ex recentioribus duobus, quorum lucubrationem a stilo laudavit quidem, at suis Actis inserere noluit, quod post seculum duodecimum scripserint. Iverat ante in eam sententiam Mabillonius, ut mallet dicere, ortam* S. Salabergam *in Vosagi vico,* Mosa *nomine, ubi Mosa fluvius oritur, quo in vico Eustasius Gundoïnum convenisse dicitur in Vita num. 4.At solis nostri biographi verbis quatitur ea opinio; sive enim* Mosam *eum vicum dixeris, qui Gallis* Meuvy, *sive alium indigenis* Meuse *appellatum et fere tertio milliari Mosæ fluvii ostio propinquiorem, natalem Sanctæ fuisse, ortam sic non statues* in suburbano Leucorum opido, *sed in territorio Lingonico, quousque districtus Tullensis numquam videtur se extendisse; atque adeo secundæ Mabillonii sententiæ censeo adhærendum, cui insuper oppidum, quod a Gundoïno nomen traxisse videri potest, non pa-*

rum favet. Nunc antequam ad figendam reliquam chronotaxim accedam, præmitto Analecta quæpiam, ex aliorum Sanctorum Vitis, quæ ad Sanctam nostram pertinent, ne intercalares notæ nimium excrescant.

S. Eustasius abbas Luxoviensis S. Salabergam

16 *Jonas monachus Bobiensis scriptorque coævus Gestorum S. Eustasii abbatis Luxoviensis Seculo* 2 *Actorum Sanctorum Ordinis S. Benedicti pag.* 118 *num.* 4, *in Opere vero nostro tom.* 3 *Martii cap.* 1 *pag.* 787 *num.* 5 *ita narrat prodigiosam* S. Salabergæ *a caritate per S. Eustasium curationem.* Cumque iter carperet, venit ad quemdam virum, nomine Godoïnum (*Henschenius noster legit ex Mss suis* Gundeonum) qui eo tempore ad villam, quam Mosam vocant, ob amnem eo in loco fluentem, morabatur. Is ergo, cum vidisset Eustasium, velut gratissimum munus domi recepit. Ingressus ergo Eustasius domum, præmissa benedictione, poscit, ut liberos, quos habebat, repræsentet. Ille obediens duos bonæ indolis liberos repræsentat. Quem vir Dei interrogans : Est, inquit, tibi adhuc proles? Ille fatetur præter unam filiam luminibus orbatam, nomine Adalbertam, se amplius non habere. Veniat, inquit, illa. Quam cum vidisset, sciscitatus est, utrum juvenilis animus ad cultum divini timoris adspiraret? Affatim, E ut tenera quiverat ætas, ait, se paratam esse sacris præconiis obtemperare. Dedit ille operam et per duos dies jejunio corpus affecit, mentem fide armavit, super oculos benedictionis oleum effudit : meruit tandem per interventum sancti viri cæcitas lumen habere.

adhuc tenellam prodigiose sanat

17 Redintegravit ergo divina pietas interventu famuli sui luminis damna, ut hæc, quæ lumen receperat, post divina munera ad cultum timoris Dei uberius adspiraret, quæ nunc usque superest, divinis obsequiis dedita, nec solum suæ utilitati, sed et aliis providet opportuna. *Idem divinitus collatum* S. Salabergæ *beneficium narratur in Actis S. Agili in Opere nostro ad diem* xxx *Augusti tomo illius mensis* vi *num.* 15. *Ecce verba.* Cum autem progressi inde *(SS. Eustasius et Agilus)* ad monasterium Luxoviensium remearent, deveniunt ad quemdam potentissimum virum, nomine Gondoïnum, qui generositatis fastu ac enormi dignitatis copia splendens. atque beatissimi Agili consanguinitatis nexu propinquus, morabatur eo tempore in villa, quam Mosam vocant, ob amnem, super quem sita est. Hic sanctissimos viros Christique apostolos, quasi munus a Deo missum, officio F recepit secumque morosius retinuit. Cum ingressi fuissent domum, benedictione præmissa, post multa colloquia spiritalis doctrinæ oblati sunt eis ad benedicendum duo filii ejusdem viri, quos suis benedictionibus sacrantes et seculi dignitate futurum ut florerent, et ad futuram vitam feliciter migrarent, vero vaticinio designarunt, ut post evidentissime claruit.

quod prodigium perperam S. Agilo tribuitur. Errores alii

18 Erat autem prædicto viro filia luminibus orbata, nomine Sadeberga. Cum ergo pater supplici prece deposceret, ut orationis ope ei subvenirent, recolentes, se ideo missos, ut virtus Christi amplius per eos manifestaretur et fides credentium roboraretur, sciscitantur a Puella, an velit virginitatem suam Deo dicare, si Majestas divina reddiderit illi lumen oculorum. Cum illa annuisset, tunc hi sancti viri pariter cum Puella in orationibus sacris celebraverunt triduo jejunium. Tertia autem die post Missarum solennia beatissimus Agilus oleo benedicto oculos illius perunxit et signo Crucis munivit. Miranda res! In ipso quippe momento eadem Virgo visum recepit, sacrumque velamen devotissime suscepit et virginitatem

AUCTORE J. C.

virginitatem, quam voverat, inviolabiliter servavit. *Eadem, quæ hic ultimo loco recitavi, habentur in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti seculo* 2 *a pag.* 316 *totidem fere verbis : quæ nunc confer, lector, cum subjiciendis* S.Salabergæ*Actis num.* 9, *et mirare a coævis scriptoribus, tam diversa referri, an potius fingi, imo ipsa nomina variari, cum Sancta, quæ biographo nostro est* Salaberga *vel* Sadlaberga *(ut pleraque Mss. habent) anonymo scriptori Vitæ S.Agili* Sadaberga, *Jonæ* Adalberta *sit.*

scriptoris, qui ejus Gesta exaravit.

19 *Jonam reliquis duobus biographis priorem esse, certo constat, cum adhuc in vivis superfuisse* S.Salabergam *testetur, quando Acta S.Eustasii exarabat, et reliqui duo certe non scripserint antequam illa obiisset. Et de nostro quidem nullum est dubium, cum ejus mortem enarret, et num.* 3 *testetur, se Vitam S. Columbani* ab eloquentissimo viro Jona *scriptam legisse. Neque magis dubitandum videtur de biographo S.Agili, cum dicat, de duobus Sanctæ fratribus vaticinatos fuisse SS.Eustasium et Agilum,* fore ut ad futuram vitam feliciter migrarent,... ut post evidentissime claruit, *et noster anonymus numero ultimo scribat, ad mo-* B *ribundam* Salabergam *accurrisse fratrem Bodonem, alio nomine Fulculfum, orta dissidia cum Sorore compositurum. Nostrum Jonæ lucubrationem præ oculis habuisse, diffitebitur, opinor, nemo, qui utramque narrationem contulerit. Alterutramne viderit S. Agili biographus decidi certo nequit. Enimvero id si verum est, oportet scriptorem illum fuisse fabulatorem ineptum, qui gesta S. Eustasii Agilo attribuit,* S. Salabergam *vovisse castitatem adhuc admodum tenellam, atque eamdem inviolabiliter servasse asserit, dum interim bis nupta et quinque liberorum felicissima mater fuit, ut jam superius notavi. Atque hæc brevibus observasse sufficiat in eum solum finem, ne multum biographo S. Agili tribuatur, in iis, quæ ad* S. Salabergam *nostram pertinent. Is certe mihi effrons fabulator est, si tam antiquus sit, quam profitetur : neque enim capio, quomodo anno* 690 *scribens ignorare potuerit, S. Anstrudem, biennio ante mortuam, celeberrimæ* Salabergæ *filiam fuisse.*

Analecta petita ex Actis S. Anstrudis

20 *Scriptor anonymus Vitæ S. Anstrudis, fere contemporaneus, judice Mabillonio in Act. Sanctorum Ord. S. Benedicti Sec.* 2 *pag.* 975 *et seqq., ita orditur.* Temporibus Dagoberti regis fuit in hoc mundo vir nobilis Baso, qui nobilibus ortus parentibus secundum naturam, nobilior factus moribus C per gratiam, consilio Francorum procerum duxit uxorem Salabergam, generosi et religiosi viri Gundoini religiosam filiam. Hæc post sterilitatem peperit sponso suo inter electam turmam natorum filiam, quæ Anstrudis appellata est. *Numero* 3 *S. Anstrudis, postquam duodennis tantum opulentas nuptias recusasset, perrexit ad* locum, in quo manet monasterium, cui præfuit Salaberga sacra mater hujus sacræ puellæ pie regendo catervam sanctimonialium. *Deinde numero sequenti :* Præterea *(prosequitur anonymus)* venerabilis abbatissa Salaberga sentiens resolutionem sui corporis imminere, pastoralem sollicitudinem filiæ suæ Anstrudi post fugam nuptiarum suarum olim Domino sacratæ, commonens eam habere curam ovilis Christi. Cum consilio itaque hujus Laudunensis ecclesiæ pontificis et Francorum procerum, qui præerant huic provinciæ, atque adsensu et electione et acclamatione Sororum, tunc in hoc loco degentium, sub regali licentia benedictione episcopali sacratur in abbatissam : eratque annorum viginti, quando gregem Christi sub suo suscepit regimine.

21 *Hisce præmissis, inquiramus, quo circiter tempore mortem* S. Salabergæ *et gesta ejus reliqua figere possimus. Sanctæ obitum anno Christi* 714 *Baronius in Nota marginali ad Martyrologium illigat, illum Carolus Cointius anno* 654 *refert, Mabillonius in Annalibus et Longovallius noster in Historia ecclesiæ Gallicanæ* 656 *innectunt. Bailletus circa annum* 654 *vel* 655, *et circa ultimum Calmetus et Historiæ litterariæ auctores opinantur* S. Salabergam *ad Superos migrasse. Baronii errorem confutant, quotquot fere sunt in Actis personarum nomina, unde notæ aliquæ in chronotaxim fluere possint; propius accedunt alii, ut jam ostendo. Mortuus erat S. Ansericus episcopus Suessionensis, quando contigit* S. Salabergæ *visio in Actis num.* 25 *et seq. narrata. Obiit S.Ansericus inter annum* 649, *quo corpora SS.Crispini et Crispiniani transtulit, et annum* 658, *quo S.Drausius Suessionensis antistes subscripsit Privilegio Emmonis pro monasterio S. Petri Vivi in Gallia Christiana tom.* 9 *col.* 338. *Igitur Sanctæ certo non obiit ante annum* 650, *cum post illam visionem ibidem dicatur ad aliquod tempus adhuc in vivis mansura. At diune post S. Anserici mortem visio illa contigerit, quotque deinde annis supervixerit, vix, imo ne vix quidem, videtur posse* E *determinari. Credo tamen,* S. Salabergæ *mortem a laudatis scriptoribus aliquot annis citius referri, quam revera contigit.*

D *variis annis illigatur Sanctæ obitus,*

qui videtur figendus sub annum 665,

22 *Etenim Sancta centesimo die occubuit, postquam S. Walberti species illi apparuerat, mortemque eo die imminentem prædixerat. Porro tum temporis præfatus abbas jam videtur fuisse mortuus : neque enim is apud Sanctam morientem usquam comparet, et totius visionis series satis clare innuit, de mortuo sermonem esse. Jam vero S. Walbertus abbas Luxoviensis a Joanne Chiffletio, Henschenio nostro, Mabillonio ceterisque fere omnibus scriptoribus ex Catalogis abbatum illius monasterii statuitur obiisse* 2 *Maji anni* 65 *illius seculi septimi, post quem, admissis præcedentibus,* S. Salabergæ *obitus differendus esset. Et vero huic opinioni non video, quid multum refragetur. Successit Matri in regimine monasterii Laudunensis S Anstrudis viginti tantum annos nata, ut ejus Acta perhibent. Demus,* S. Salabergam *ad Superos migrasse anno Christi* 665, *nata statuetur Anstrudis anno* 645. S. Salabergæ *sex annos quinque prolibus generandis, decem sterilitatis præcedentes tribuamus, incident ejus cum Basone secundæ nuptiæ, urgente Dagoberto I contractæ, in annum* 629. F *Hisce duos viduitatis deme, statui poterit nata sub annum Christi* 610, *sanata a S. Eustasio circiter decennio post, in matrimonium data Ricranno annos nata sedecim, mortuaque ætatis anno circiter quinquagesimo quinto, quæ chronotaxis, ut ut indubitatis testimoniis et epochis non nitatur, non est tamen etiam a verisimilitudine aliena.*

quo admisso, facile fluit chronotaxis reliqua.

23 *Erunt quidem in hac chronotaxi loco, quo alii ea figunt, movenda cœnobii S. Joannis Laudunensis initia; sed hoc meæ opinioni parum refragatur; neque enim ulla est ratio, cur anno potius* 640, *quam decennio post figatur illius cœnobii exordium. Habeo enim sedentem Lauduni anno* 650 *Attilum episcopum, qui biographo nostro est Attilo, usque ad Childerici II quintum, quo subscripsit instrumento, quod in Annalibus profert Mabillonius ad annum Christi* 661 *num.* XI, *quique proinde* S.Salabergam *cum pompa in urbem recipere potuit; habeo, ni fallor, cetera omnia, cum illa fere deducantur a sola Anstrudis, determinata in ejus Actis ætate, cum regimen cœnobii illius suscepit. Certe quæcumque*

A *quæcumque inde petuntur, eodem tramite in mea chronotaxi procedunt, et monui superius, me hactenus non subscribere illorum sententiæ, qui S. Anstrudis obitum anno 688 indubie quidem, ut ipsi arbitrantur, sine teste tamen illigant. Conjecturis conjecturam oppono et ad Acta Sanctæ nostræ pro more nostro illustranda propero, præmonito tamen prius lectore de marginalibus notis, ubi si Ms. nullum peculiarius assigno, apographum Chiffletianum sciat designari.*

VITA

Auctore anonymo suppari.

Ex editione Mabillonii Seculo 2 Sanctorum Ord. SS. Benedicti a pag. 422 collata cum Ms. Accincti B *monasterii.*

CAPUT I.

Illustres Sanctæ natales, educatio, sanatio miraculosa. Desiderans virginitatem servare a parentibus marito jungitur, quo post duos menses mortuo, jussu regis Dagoberti secundo traditur, ex eoque quinque liberos suscipit.

Proœmium a — Domino eximio in infulis sacerdotalibus honore decorato, religionis cui copia fuit *a*, Omotario papæ, necnon et sacerdoti, castissimæ Christi virgini Anstrudi abbatissæ, et Salabergæ. Jussionibus vestris, o venerandum decus parentum, C almique vigoris, parere non distuli, quo potissimum almæ matris, et nostris præferendæ temporibus feminæ Salabergæ, Vitam atque gestorum seriem, in quantum res sinebat, et divina pietas favebat, meo debuerim stilo cudere. Sed ego in hac parte censeo me fore valde imparem : quippe qui vix primis sum imbutus litteris, et Christiana simplicitate educatus. Sed sum memor illius Domini et Salvatoris præconii dicentis : Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; et illud Psalmographi oraculum; Aperi os tuum, et ego adimplebo illud. Unde lectorem obsecro, (si quis tamen hæc, quamvis temerario conatu adgressus sum texere gesta, captus amore sanctæ Matris legere decreverit) non quærat in his Tullianam eloquentiam, nec oratorum facundiam, non philosophorum flosculos et Stoicorum diversas assertiones; sed veritatem et simplicitatem historiæ *, neque enim aquila extensis alis semper ad æthera volitat, sed aliquotiens assolet, ut remissioribus pennis descendat ad terras, et inter regias sæpe dapes etiam vilia poma, lactucæque agrestes optimæ quæque censentur. Orandus est Salvator noster Jesus Christus, ut auram sancti Spiritus afflare dignetur, ut, caligine cordis abrasa, facultatem accommodet loquentibus, ut venerabilis Matris, quæ semper monasteriorum ecclesiarumque amore flagravit, valeamus actus disserere, et in posteros strictim succincteque promulgare. Tribuat ille, utpote vestra opitulatione, vim, qui linguas infantium fecit esse disertas. A. ANONYMO.

* Ms. habet Ecclesiæ

Illustres Sanctæ natales, educatio. b c — 2 Igitur Salaberga in suburbano *b* Leucorum oppido, territorio Lingonico *c* confini, secundum seculi dignitatem clarissima, parentibus non infimis, ac in servitio Dei per omnia devotis exstitit oriunda, Sed quantum illustrior, vel nobilior natalibus, adeo in nutriendi cura fuit parentibus sollicitior. Nam cum illo in in tempore gens Baïcariorum *d*, quam Orosius *e* vir eruditissimus et historiarum cognitor Boïos * prisco vocabulo appellat, in extrema Germania, sita, Bonosiaca * *f* infecta errore, quam Bonosiacam hæresim defensores sanctæ Ecclesiæ notarunt : quæ hæresis antiqui et callidi hostis irretita habenis, purum hominem Dominum nostrum Jesum Christum absque Deitate Patris esse censebat. Ad quam nefariam et insanam doctrinam confutandam immo resecandam venerabilis E vir Eustasius *g* abbas, divino utpote instigatus spiritu, ex Luxovio monasterio, in Vosago saltu sito, advenit, quod vir fama laudabilis, et sanctitate pollens Columbanus *h*, peregrinus ex Hibernia adveniens, ex munificentia Childeberti regis summo studio et labore construxit.

* Ms. Boïas

* alias Bonosiaco, supple : esset

Parergon de S. Columbano rebusque ab eo gestis. — 3 Sed quoniam tanti viri Columbani fecimus mentionem, ejus non est necessarium nostro Operi texere gesta, cum sint ab eloquentissimo viro Jona elucubrate edita : qualiter etiam inter turbines sæculi et Theodorici *i* regis principatum, reginæque Brunechildis * instigantis versutia nefandi hostis pertulerit insidias; quomodo etiam *k* tirannica temeritate a Fratribus sit ejectus et Italiæ fines ingressus, monasterium Bobiense, ex permissu et autoritate Agilulfi Longobardorum regis miro opere construxit, Regulamque condiderit monachorum. Isdem præfatus Jonas in libro, quem de vita, et miraculis ejus edidit, suo stilo prosequitur. Extant ejusdem patris Columbani scripta ad beatissimum virum Gregorium Pontificem Romanum, quæ de pervigili pastorum cura *l* elicuit; qui eo tempore adeo clarus habebatur, atque sanctitate præditus erat, ut etiam, Spiritu sancto favente, secreta cæli patuerint ei. Novem quoque ordines angelorum, F post Paulum apostolum, mirum in modum, aut solus, aut rarus ferme disseruit. Cujus doctrina, eloquii venustate pœnitentiæque fomento universus Occidens hactenus illustratur : sed et idem venerabilis vir ad præfatum patrem melliflua remisit scripta.

* Ms. Regina Brunechilde instigante, versutas etc.

* Ms. interpunctione posita : Isdem præfatus Jonas librum etc.

S. Eustasius abbas Luxoviensis, a prædicatione Evangelii redux, Sanctam m — 4 Sed ut ad propositum revertamur, præfatam gentem per Germaniæ sinus vir Dei Eustasius aggressus, ut lucerna Conditoris, nequaquam sub modio, sed super candelabrum posita omnibus palefieret, neve talentum desuper datum humatum periret, sed potius omnibus cum duplicato fœnore patesceret, ex parte gentis *m* abraso erroris tramite, Euangelico (in quantum Dominus Jesus Christus contulit) mucrone truncavit, prædicans Dominum nostrum Jesum Christum, quod sicut divinitate æqualitatem Dei Patris haberet, ita et humanitatem materni corporis nostramque naturam, quam ipse condiderat, absque peccato suscepit nulla imminuente mutatione Deitatem, qui utpote semper cum Patre fuerit, ut nihil sua dignitate minueret : unde verus Deus et verus homo appellatus sit Christus. Denique remeans ex Baïcariis vir egregius,

A. ANONYMO.

gius, post Germaniæ Belgicæque laboriosum callem, tandem pervenit ad quemdam virum illustrissimum, opibus et divitiis opulentum, famaque secundum seculi dignitatem præclarum, et aulicis rebus aptum, nomine Gundoinum *n*, qui eo tempore manens apud villam, Mosam *o* nomine, ob amnem in eo loco defluentem sic appellatam, qui amnis ex Lingonicis finibus fontem sumens, post multos anfractus crebrosque terræ circuitus, Rheni velocissimi fluminis in se fluenta ex parte recipiens, oceanum Barbaricum late ingreditur.

prodigiose a cæcitate et sanguinis fluxu

5 Viso igitur Gundoïnus venerabili viro, velut gratissimum munus suscepit. Porro, ut assolet, et res se habent humanæ, inter salubria adhortationis verba, colloquio virorum fidelium animus crescebat piorum. Cœpit isdem vir Dei sciscitari, utrum eidem viro illustri, Francorum orto natalibus, soboles adesset: cernebat quippe, ut opinor, vir Dei, a Deo fore præscitam prolem, quam postea rei probavit eventus. Tunc vir illustris Gundoïnus cum conjuge sua Saretrude *p*, eleganti forma et nobili femina, duos bonæ indolis adolescentulos, ob benedictionis percepturam gratiam præsentavit; quorum senior Leuduinus *q*, cognomento Bodo, junior vero Fulculfus, qui et ipse alio vocabulo B Bodo dicebatur. Sciscitatur denuo vir Dei, si adhuc proles superesset. Ad quem illi fatentur, se habere Puellam germanam, licet ætate præferentem, sed dudum luminibus orbatam. Ad quos vir Deo plenus: Veniat, quæso, ipsa, et nostris præsentetur obtutibus: senserat enim, ut reor, in spiritu, ei a Domino sanitatem fore collaturum *. Triduano igitur a semetipso exacto jejunio super oculos Puellæ oleum benedictionis vir Dei effudit. Mirum dictu! Mox Puella sanitatem pristinam, Christi gratia opitulante, perfectissime * consecuta est.

* Ms. collatam

* deest in Ms.

liberat. Invita marito traditur, eoque post duos menses viduatur.

6 Nec immerito omnipotens Deus sic in promptu suorum obtemperat precibus famulorum, qui suas propter ipsum crucifixerunt voluntates. Sequitur deinceps aliud splendidum miraculum. Cum eadem Puella jam pridem fluxum sanguinis pateretur et gravissima corporis molestia ex hoc teneretur adstricta, vir egregius Eustasius, ut hoc perspicue comperit, divinum solitumque, profusis precibus, poscit adminiculum. Exaudivit preces famuli sui fidelis ille rerum Sator æternus, qui Sanctis suis, ejus præceptis pie obtemperantibus, præsto esse consuevit. Quid multa? Puella, sospitate percepta, incolumis est restituta. Interea cum ad C perfectæ ætatis pervenisset annos, parentes ejus, cum vidissent illam gliscentem moribusque ornatam (erat enim decora venustaque vultu, verum, ut assolet post rerum discrimina in prosperis successibus animus tepescere multorum) de liberorum successione cogitantes, contra Puellæ voluntatem, eam cuidam generositate pollenti, Ricchramno *r* nomine, in matrimonio tradiderunt. Qui vix eam duobus mensibus jure matrimonii habens, humanis rebus exemptus, vita privatus est.

Post varios apostolicos labores mortuo S. Eustasio succedit S. Walbertus,

7 His itaque transactis, Eustasius ad Luxovium regressus est *s*. Deinde ad Warascos, qui partem Sequanorum provinciæ et Duvii amnis fluenta ex utraque ripa incolunt, pergit. Qui et ipsi eodem Bonosii, Fotinique maculati errore, ævo jam senes tabescebant. Ad quos vir Dei veniens Euangelico vomere Scripturarumque sacrarum cauterio, licet non absque labore, exercens, ne seges Dominica, crudescente gleba, suffocante zizania, in avenas loliumque adcresceret, ad sanctæ Ecclesiæ gremium revocavit; qui hactenus gratia divinæ aspirationis in eadem, quam ab eo perceperunt, D norma perseverant. Sic beatus Eustasius post multa rerum discrimina, post labores immensos, post hæreticorum diras procellas Agrestiique schismatici fraudes, quæ plenius in suis Gestis continentur, ut bonus athleta summis pollens miraculis, vita beata functus migravit ad Dominum: cum curam Fratrum, post discessum magistri, tribus non parum minus rexisset lustris *t*. In cujus locum beatæ recordationis Walbertus in regimine Fratrum subvectus est, vir omnium fama laudabilis eximiæque sanctitatis, et in ecclesiasticis disciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate caritateque præcipuus, exuberans doctrina.

egregius monasticæ vitæ propagator S. Salaberga a proposito vitæ monasticæ

8 Hujus tempore per Galliarum provincias agmina monachorum et sacrarum puellarum examina, non solum per agros, villas, vicosque atque castella, verum etiam per eremi vastitatem ex Regula dumtaxat beatorum patrum Benedicti et Columbani pullulare cœperunt: cum ante illud tempus monasteria vix pauca illis reperirentur in locis. Sed ut ad articulum revertamur historiæ, prudentissima femina Salaberga, cum per biennium jam viduata resideret, licet sub laïco habitu degens, vigiliis, jejuniis atque eleëmosynis, in quantum vires suppetebant, intenta, quæ Dei sunt, Deo E inhianter reddebat. Doctrinam vero, quam a beato Eustasio perceperat, velut mundum animal animo * ruminabat. Cum hæc ita res se haberet, decrevit animo, ut ad sacrarum virginum cœnobium *v*, quod venerandus vir Romaricus, ex palatio magnifice conversus, per exhortationem et solamen beati Eustasii in Vosago construxerat saltu, latebram fuga expeteret: fecissetque satis votis, si sexus non fuisset impedimentum, et regia non impedissent * obstacula. Per idem tempus Francorum sceptra regnique gubernacula Dagobertus *u* regebat, vir in primis acer ingenio et principatu clarus; et non solum fidei jure sibi subjectus, verum etiam exterarum vicinarumque gentium fama metuendus.

* Ms. interserit trutinabat sæpiusque

* Ms. Irretissent

ad secundas nuptias invita pertrahitur,

9 Metuens autem præfatus Gundoïnus, ne ob Filiam iram regis sævitiamque incurreret, eam a calle, quo ire sponte decreverat, pedetentim retraxit: jam enim opinio ejus ad aures regias pervenerat. Morabatur denique hisdem temporibus in aula prædicti principis vir quidam strenuus, consiliis regiis gratus, et inter suos fama celeber, nomine Blandinus *w*, qui cognomentum Baso acceperat, qui utpote et ipse ex Sicambrorum prosapia spectabili F ortus est, mox prædictam Salabergam, non ejus sponte, quia jam dudum divinis præceptis se implicare voverat *x*, licet invitis parentibus, regio tamen jussu, et ob liberorum procreandorum causam, prædictus vir ad suum adscivit conjugium. Sociata itaque viro memorato, licet sub jure conjugii; Christiana tamen uterque exercebant opera, et Baptismi candidatum devotissime servabant: erant enim hospitales et eleëmosynis dediti, maximeque juxta Paulum egregium prædicatorem domesticis fidei et peregrinis, servis autem Christi summa veneratione obtemperantes, illius Salvatoris memores præcepti: Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis; et illud beati Petri apostoli: Hospitales invicem sine murmuratione.

et prolis obtinendæ ergo ad S. Remigii tumulum peregrinatur

10 Sed cum his, favente Domino, bonis pollerent moribus et Christiano more vitam degerent et prolem nullam capere possent, Christianissima Femina anxia tot privata privilegiis, sanctarum mulierum Annæ et Elisabeth in se adhibens fidem, quæ in Domini templo vigiliis et orationibus excubantes, post diuturnam sterilitatem *y* partus sanctos

A ctos meruerunt procreare, ad basilicam beati Remigii pontificis, qui urbem Rhemorum Campaniæque tellurem virtutibus sacris et mirabilibus illustrabat, expetiit, ibique vigiliis et orationibus excubans, votum vovit, ut si divinitus ei soboles concederetur, ipsam Domino dicaret. Nec mora; domum reversa hoc, quod fideliter et anxie petierat, a Domino est ei collatum; concepitque et peperit filiam, cui ex aviæ vocabulo Saretrudis nomen indidit. Rursus edidit aliam filiam, quam Ebanem *z* nuncupavit. Deinceps vero genuit filiam tertiam, ipsamque Baptismi gratia regeneratam, Anstrudem appellavit, quæ in cura et regimine Sororum, processu temporis, cuncta annuente caterva, successit: quæ hactenus, Christo auspice, divinis privilegiis nunc superest. Quartum vero edidit liberum, cui et ipsi Baptismi gratia a sacerdotibus consecrato Eustasius nomen indiderunt, qui et infra pueriles annos defunctus est. Quintam vero bonæ indolis edidit prolem, nomine Baldoïnum *aa*, quem et ipsum juxta priores omnipotenti Deo sacravit. Egit denique hoc Famula Christi, omnique nisu aggressa est, ut omnem domum suam non sibi soli, sed marito simul et liberis, Christi faceret ecclesiam.
B

ANNOTATA.

a *Monui Commentarii prævii num.* 9, *nihil de hocce Omotario aliunde innotuisse. Eruditi scriptores, qui Galliam Christianam augent, ex Actis nostris illum Catalogo episcoporum Laudunensium inserunt, atque ab eo ad Attilonem quatuor medios statuunt, quos profecto omnes oportet præcoce fato abreptos fuisse, si ante annum* 688, *ut ipsi opinantur, sedem occupabat Omotarius. Dixi in Commentario, satis insolentem apparere mihi illam dedicationem totam. Illius primæ voces* Domino eximio *omissæ sunt apud Acherium, pro quibus in apographo Chiffletii legitur* Diu. Salabergam, *quæ tertio loco nominatur, existimat Mabillonius fuisse in monasterio tum temporis monialem. Nescio, an non forte legendum sit,* Anstrudi abbatissæ et Salabergæ filiæ.

b *Notavit Mabillonius,* suburbanum *aliquoties sumi ab antiquioribus scriptoribus pro districtu vel territorio. Certe hic ita accipiendum est, neque*
C *enim pomœria Tullensis urbis confinia dici possunt territorio Lingonico, inter quæ medius est terræ tractus non exiguus. Circa natalem locum* S. Salabergæ *paucula disputavi* § 2 *Commentarii prævii, quem, si lubet, adi. Est porro Tullum Leucorum, Gallis* Toul, *urbs celebris ad Mosellam fluvium in Gallica Belgica, hodie ducatui Lotharingiæ adscitæ, Tullensis agri caput et episcopalis sub metropoli Trevirensi.*

c *Lingonum civitas, aliis* Audemantunum, *indigenis* Langres, *est urbs amplissima in Campaniæ comitatu ad fontes Matronæ fluvii. Distat Tullo Leucorum in Occidentem hibernum* 25 *circiter milliaribus. Gonduini curtis, seu* Gondrecourt *in pago Oldornensi, ubi natam existimo* S. Salabergam, *urbibus illis parum in Occidentem interjacet, distans Tullo septimo milliari. Consule sis Commentarium præv. num.* 13 *et seq.*

d *Ms. Chiffletii habet* Baïoariorum. *Baldricus Noviomorum episcopus in Chronico Cameracensi lib.* 3 *cap,* 13 *etiam* Baïcarios *scribit, apud Mabillonium hic. De hisce qui plura desiderat, adeat Vitam S. Agili die* XXX *Augusti cap.* 3 *litteram* i *et* k, *ubi plura de Bavaris eorumque vario nomine observata sunt.*

e *Paulus Orosius Historiarum lib.* 4 *cap.* 20 *scribit:* Consul Marcellus in Etruria a Boiis oppressus, magnam partem exercitus perdidit, cui postea Furius alter consul auxilio accessit, atque ita universam Boiorum gentem igni ferroque vastantes, propemodum usque ad nihilum deleverunt. *De iis consulibus rebusque ab illis in Etruria gestis scribit Livius lib.* 33. *Nihil Boiis hisce cum Bavaris commune esse magno nisu contendit Hadrianus Valesius lib.* 24 *Rerum Francicarum; at reclamant eruditi fere omnes. Adi Marci Velseri Historiam Boïcam et Notas ad Acta S. Agili.*

f *Bonosum Naïsatanum fuisse episcopum secutumque Photinum, notum apud S. Epiphanium Hæresi* 51 *et* 71 *hæresiarcham, ad caput* 2 *Vitæ S. Agili superius laudatæ invenies notatum littera* h. *Damnatum fuisse speciatim ab Anysio Thessalonicensi et Macedoniæ episcopis tempore Siricii Papæ, scribit Garnerius ad partem* 2 *Operum Marii Mercatoris pag.* 315.

g *S. Eustasii Gesta ab Henschenio illustrata habes in Opere nostro ad* XXIX *Martii, ubi latius hæc a Jona describuntur. Ejus obitus passim figitur anno* 625. *Commentarii prævii num.* 21 *statui reditum S. Eustasii ex Bavaria circa annum* 620, E
qua decennem circiter S. Salabergam *a cæcitate sanavit. Sunt qui uno alterove anno citius id prodigium collocent, quod chronotaxi meæ parum refragatur, etiamsi sedecim annis nata credatur* Salaberga, *quando a S. Eustasio sanata est. Sic enim non nisi sex annis producenda esset ætas ejus usque ad nativitatem S. Anstrudis. Vide Comment. num.* 22. *Ceterum de Vosago saltu in Burgundia, quam a Lotharingia et Alsatia dirimit, et Luxoviensi monasterio sæpius apud nos actum est viderique potest Mabillonius in Notis ad Vitam S. Columbani.*

h *Vitam S. Columbani scripsit idem Jonas monachus Bobiensis, edidilque Mabillonius Sec.* 2 *Act. Sanctorum Ordin. S. Benedicti pag.* 5. *De ejus in Galliam adventu disputabimus ad diem* XXI *Novembris, ubi ejus Acta illustrabimus. Mabillonius ibidem pag.* 10 *Nota* a *dicit, anonymum nostrum affirmare, S. Columbanum in Gallias advenisse Childeberto Austrasiis et Burgundionibus imperante, quod ex subsequentibus hic, ni fallor, verbis conficit, Jonas in Vita S. Columbani* Sigibertum *nominat: at corrigitur a neotericis, qui passim omnes censent, legendum* Childebertum F
Is porro est filius Sigiberti regis, moxque Austriæ regnum, ac mortuo Guntramno patruo, anno 593 *Burgundiæ sceptrum obtinuit.*

i *Est hic Theodoricus, qui Childeberto patri veneno exstincto in Burgundiæ regnum puer successit anno* 596. *De ortis inter illum et S. Columbanum dissidiis vaferrimæque Brunechildis machinationibus plura habes in laudata S. Columbani Vita num.* 31 *et seqq. Dissidiorum origo fuerunt reprehensa a viro sancto turpia Theodorici adulteria, a quibus facile abstinuisset optimæ indolis princeps, nisi adulterantem vafra Brunechildis et perditi aulici exoptassent, rati, sua scelera sine Venerum istarum patrociniis secura esse non posse*

k *Theodorici scilicet, qui illum a Fratrum consortio expulit et Vesuntionem ablegavit, ut idem Jonas narrat num.* 33 *et seqq. Quæ vero ad Agilulfum Longobardorum regem et monasterii Bobiensis initia spectant, habes ibidem num.* 59 *et seq.*

l *Dixerat ad hunc locum Mabillonius, nullam sive Columbani ad Gregorium Magnum de pervigili Pastorum cura lucubrationem, sive Gregorii ad Columbanum epistolam exstare. Postea in Addendis Seculi* 4 *parte* 2 *pag.* 598 *monet, egregiam S. Columbani*

A. ANONYMO. *S. Columbani ad Gregorium epistolam edidisse Patricium Flemingum, qui S. Columbani Opera recensuit Lovanii anno* 1667. *Eamdem recuderunt in novissima Operum S. Gregorii editione monachi Benedictini tom.* 2 *columna* 1036 *et seqq., ubi notant, duas alias dedisse ad Gregorium Columbanum, responsorias autem Gregorii non superesse. Quod ad lucubrationem Columbani de pervigili Pastorum cura attinet, neque ego illac hactenus potui reperire; verum utcumque mihi dubium est, an non de Pastorali libro Gregorii, quem in præfata epistola Columbanus plurimum laudat, hic sermo sit, et vox hic forte aliqua exciderit ex periodo, quæ est paulo obscurior.*

m *Mendose in Ms. Chiffletii legitur:* Expargescentis ipsius abrasam erroris dubietatem tramite Evangelio etc. : *correctius in apographo Belfortii:* Denique præfatæ gentis errorem vir Dei Eustasius verbi Dei mucrone truncavit. *At hæc ipse Belfortius forte ita emendavit, uti et quæ sequuntur, hoc modo :* Prædicans Dominum nostrum Jesum, sicut divinitatis æqualitatem ex Deo Patre, ita et huma-B nitatem ex Matre nostramque naturam, quam ipse condiderat, absque peccato suscepisse.

n *Eadem, quæ hic narrantur, præter curationem a sanguinis fluxu, cujus solus anonymus noster meminit, habentur fere ad verbum in Vita S. Eustasii tom.* 3 *Martii num.* 5, *prout ea recitavi Commentarii prævii num.* 15 *et seq. Ibidem etiam exhibui horum narrationem ex vita S. Agili, notavique crassos errores a biographo illo commissos. Porro pater* S. Salabergæ *a Jona* Gundeonus *dicitur, alibi etiam* Gondoïnus, Gonduïnus *et* Gondonius : *existimo enim, eumdem esse Sanctæ parentem, qui in Actis S. Germani abbatis Grandivallensis et martyris, a Boboleno auctore coævo scriptis et in Opere nostro ad diem* XXI *Februarii illustratis, num.* 8 Gundonius *dux appellatur, et dicitur fundum concessisse S. Waldeberto condendo monasterio Grandivallensi. Consule, si lubet, Commentarii prævii num.* 10 *et seq.*

o *Duplex est in Mappis geographicis nuperrimis Guilielmi de L'isle vicus ad os Mosæ fluminis ejusdem fere nominis; alterum* Meuvy *indigenæ, alterum tertio ferme milliari distantem in Meridiem* Meuse *appellant. Hic aliquot passibus abest,* C *ille ejus aquis alluitur ejusque nomen* Mosam *Latine exprimit laudatus geographus. De illo arbitror hic sermonem esse, licet alteri forte magis conveniant dicta Hadriani Valesii, qui in Notitia Galliarum pag.* 361 *sic scribit.* Mosa vicus in finibus Lingonum pagoque Bassiniaco, a fonte fluminis Mosæ, cui adjacet, dictus, inter Audomatunnum Lingonum et Tullum Leucorum positus est... vocatur MEUSE EN BASSIGNI.

p *Hæc in Ms. nostro et apud Chesnium vocatur* Saretruda. *Synonymum habes infra* S. Salabergæ *filiam.*

q *S. Leuduini Gesta habes operose discussa in Opere nostro tom.* 8 *Septembris ad diem* XI, *quo illius memoria apud martyrologos occurrit. Redibit de illo sermo infra num.* 17 *uti et de Fulculfo numero penultimo Vitæ.*

r *Ms. Accincti monasterii habet* Ricranno, *cui cum nupsit Sancta nostra numerabat annos circiter sedecim, adeoque primæ ejus nuptiæ ex chronotaxi mea anno Christi* 626 *vel sequenti illigandæ sunt.*

s *Eustasii prædicatio præpostero hic ordine refertur. Certe in Vita S. Eustasii et Agili dicitur prius Warascis ac deinde Boiis prædicasse. De Warascis pluribus disputat Valesius in Notitia Galliarum pag.* 688. *Ubi tum temporis consede-* D *rint, enucleate anonymus noster exponit, ad utramque scilicet* Duvii, *alias* Dubis, *indigenis* le Doux, *fluminis in Burgundia ripam.*

t *Hinc initur chronotaxis abbatum Luxoviensium. Præfectus est a S. Columbano Luxoviensibus monachis Eustasius sub annum* 610, *illisque præfuit tribus circiter lustris, adeoque fere ad annum* 625. *Illi successit Walbertus seu Waldebertus : is, Adsone abbate Derviensi ejus biographo teste,* cum per quadraginta annorum spatium... locum sibi delegatum augeret rebus et numero Deo servientium...migravit ad Dominum VI Nonas Maji, *anno scilicet ex computu* 665.

v *Celebris hodie locus est in Lotharingia, vocaturque S. Romarici mons, Gallis* Remiremont.

u *Primus scilicet illius nominis, qui anno* 622 *a Clotario patre in regni societatem adscitus et Austrasiæ sceptro donatus est. Patre e Vita anno* 628 *sublato, in Neustria et Burgundia rex agnitus Dagobertus, et statim in Burgundiam profectus est, oppressis et calumniam sustinentibus subventurus, ut scribit Aimoïnus de Gestis regum Francorum lib.* 4 *cap.* 19. *Verisimiliter cum in Burgundia ageret innotuit illi* Salabergæ *propositum, at-* E *que tum anno* 629 *initæ sunt ejus suasu cum Blandino nuptiæ.*

w *Blandinum, qui hic* Baso *cognominatur, perperam* Bavonem *appellat Bucelinus in Menologio. Sancti viri celebris est antiquusque cultus in monasterio Laudunensi S. Joannis. Verisimiliter idem est, qui Meldis colitur* I *Maji, quod ad illum diem in Supplemento Operis disquiri poterit.*

x *Sunt, qui* Salabergæ *parentes et ipsam Sanctam tantum non violati voti reos habent, mallem, votum hic mitius, per desiderium, voluntatem aut propositum exponere. Dicit Jonas in Vita S. Eustasii* : Quam (Salabergam) cum vidisset, sciscitatus *(Eustasius)* utrum juvenilis animus ad cultum divini timoris aspiraret; affatim, ut tenera quiverat ætas, ait, se paratam esse sacris præconiis obtemperare. *Ast nemo inde votum servandæ castitatis extundet. Illud quidem expressis verbis asserit et petitum a S. Agilo, et emissum fuisse a* S. Salaberga, *S. Agili biographus; verum, qui in tot ibi impegit errores, non facit, ut hic illi credam.*

y *Perperam ex his verbis deducit Mabillonius, diuturnam fuisse* S. Salabergæ *sterilitatem, neque* F *enim de ea hæc, sed de Anna et Elisabetha asseruntur. Ego decem illi annos concessi, ita ut trigesimum circiter ætatis ageret, cum primogenitam enixa est Saretrudem.*

z *Duarum seniorum filiarum ejus Saretrudis et Ebanis mentionem alibi non invenio. De reliquis vide Commentarium prævium num.* I.

aa *De Baldoïno martyre et archidiacono Laudunensi brevibus egit Bollandus ad* VIII *Januarii, pluribusque agi poterit in Supplemento Operis. Ejus cædem ita narrat scriptor Vitæ S. Anstrudis in Actis Sanctorum Ord. S. Bened. Sec.* 2 *pag.* 977 : Tenerrime autem a sorore dilectus Balduinus in simplicitate cordis sui, dolose cum peste invidiæ vocatur ad placitum a ministris satanæ in quadam villa Laudunensis provinciæ. Qui sumens secum duos tantummodo equites, tertius confestim ivit causa placiti ad hostes crudeles, omnium hominum, quos terra sustinet, sceleratissimos, sed falso colore pacis mox deceptus est et confossus gladiis.

CAPUT

A

CAPUT II.

S. Salaberga a viro consentiente recedit, monasterium insigne Lauduni construit, piisque monitis maritum seculi periculis subducit.

Marito consentiente, Deo soli servitura

Interea cum egregiæ sanctitatis opinio beati Walberti, cujus superius memoriam fecimus, pene per universos Francorum terminos eximie pullularet, et solertia prædicationis ejus a Christo Domino, sine quo nil boni agitur, affatim fervesceret, essetque omnibus Deum colentibus gratus; monasteriaque virorum ac mulierum * Christi ex ejus norma affatim conderentur, cernens beata Salaberga servum Christi militemque præclarum tot florere exemplis virtutibusque flagrare supernis, et assidue velut e luporum faucibus ereptos ubique greges Christi adunare, eum ad propriam domum, ob benedictionis ab eo gratiam percipiendam, crebrius accersitum, velut divinum munus sibi a Domino fore concessum, ovans suscipiebat, verbaque salubria et animarum medelæ congrua haurire ex ejus mellifluo ore desiderabat, flagrabatque instantissime animus, ut spretis phaleramentis seculi, pompisque mundanis postpositis, ad virtutum culmen apicemque sanctitatis valeret ascendere : de quo virtutum culmine Dominus quoque et Salvator in Evangelio loquitur dicens; Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domos, aut filios, aut agros, propter nomen meum centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Et illud; Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?

** Ms. interserit virginum.*

B

monasterium condere incipit :

12 Quid plura? Auctore Deo, omnem spem suam post Deum beato viro committens, viro converso prolibusque Deo sacratis, religionis veste accepta, inito cum beato Walberto consilio, conniventia existente mariti, cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ urbis, in hæreditate vel successione paterna conatur exstruere. Quod propriis redditibus prædiorum suorum et successione hæreditatis paternæ Christum faciendo hæredem nobiliter ditavit : ad quod opus peragendum venerabilis Walbertus, solamen artificesque, et viros industrios præbuit atque commisit. Qui locus licet Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans a Luxovio monasterio paulo minus millibus *a* quadraginta ibique adunatis centum seu amplius, tam ex nobilium liberis, quam ex proprio officio puellis, illum Christo Domino dicavit. Sed cum jam pars maxima fabricæ monasterii constructa esset, cœpit Famula Christi præsaga, utpote spiritu Dei repleta, cum viro Dei trutinare animo, non esse in eodem loco puellarum cœnobium tutum, nihilque stabilitatis habere vel munitionis locum. Nam licet barbaries procul abesset, regum tamen limitibus hinc inde admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat, quod periculum nos deinceps vidimus.

C

a

13 Denique nuper civile bellum inter reges Francorum Theodoricum *b* et Dagobertum circa illos fines est actum : loca ibi vicina quæque depopulata; agri, villæ, ædes, et ipsa (quod gravius est) Sanctorum corpora igne sunt cremata. Unde liquido patet, divino eam spiritu fuisse imbutam, quæ pridem anticipavit discrimen. Concilio quippe adepto cum præfato Walberto abbate, qui ingenio et vigori sagaci, et natura bona in talibus præditus erat, quem postea et comitem itineris, et socium laboris habuit, eligit iter, Christo duce, ad instar sanctissimi Abrahæ patriarchæ, qui de Mesopotamia Syriæ egressus, terræ Philistinorum colonus exstitit, eamque, Deo promittente, in postera successione sortitus est. Quæ imitata Dei Famula, relinquens patriæ solum paternasque sedes malens cum Christo egere, quam Mammonæ lucra possidere et tot pati discrimina, cum vitæ stipendio ad urbem Lauduni *c* cum maximo apparatu, et cum animabus a Deo sibi commissis proficiscitur. Quæ urbs licet obsidione vallari ab hostibus possit, tamen natura loci et in cacumine saxi sita, munitionem robustam obtinuit, ut frangi nequeat a barbaris et periculo careat.

b

A. ANONYMO. quo nondum perfecto, Laudunum secedit.

c

14 Nam cum eam vetusto tempore Wandali *d*, Alani, Hunni cæteræque Germaniæ, et Scythiæ gentes frustra vallassent, nulla aggerum arte imminente, non fundibalorum jaculis, non armorum spiculis jacientibus, nec arietum impulsionibus obtinere valuerunt, sed casso labore frustrati, inertes recesserunt. Excepto enim murorum ambitu, qui extrinsecus in proceritatem collis extenditur, intrinsecus ipsius muri circuitus humo coæquantur : unde fit, ut machinarum ars ibi nulla queat oppidum fatigare. Sed et altrinsecus saxa naturalia ambiunt. Urbs infra referta puteis. Ad ipsos quoque portarum exitus fontes emanant perennes *, qui in usus hominibus, pecoribus et jumentis potui dantur. Igitur cum jam ad illuminandam urbem veluti solis radius veneranda Fœmina cum suis sequacibus sanctis appropinquasset, præsul oppidi illius Attilo *e* cum summo favore ei obviam pergit, tamquam si divinum munus turbaque angelica ad se venisset, et ovans sanctas famulas Christi cum choro psallentium, cum psalmodia et hymnidicis summisque laudibus deducit in urbem.

Laudunensis urbis descriptio, ubi Sancta cum suis sacris virginibus

d

** Ms. qui usui hominum pecorum, ac jumentorum potum dant.*

e

15 Sed miraculum illius magnificum dictu, quod nocte eadem in ipsa urbe gestum sit, non est silendum. Prædictus itaque pontifex præcepit pueris ac familiaribus sibi creditis, ob præparandam in crastino die familiæ Christi refectionis gratiam adesse. Ministri igitur attoniti, velociter per noctem portam oppidi ingressi, obviam sibi ferarum ac bestiarum diversa genera cernebant. Nam ille bubalum, alius cervum, ille ursum, alius suem, nonnulli lupos, plerique nihilominus vulpes, alius interim lascivum asinum, trucemque cernebant leonem, egredientes et fugientes simul de civitate, et cetera monstra bestiarum, quas huic Operi intexere prolixum est, ne fastidium lector incurrat. Quo miraculo pavore perculsi omnes ministri mirabantur, quoniam illo in loco istæ bestiæ tales nusquam antea apparuerant. Quid datur aliud intelligi, nisi quod sanctitatem ac vigorem ancillarum Dei antiquus hostis non ferens, cum suis satellitibus fugiens discessit?

ab episcopo solenni ritu excipitur, eaque ingressa, dæmones

F

16 Nec immerito se in bestiarum ferarumque monstruosas deformat figuras variaque figmenta depromit, qui utpote a bono Creatore bonus creatus est angelus, superbia deinceps tumidus, dudum dixerat in corde suo : Super astra cœli ascendam, ponam thronum meum ad Aquilonem, et ero similis Altissimo : nunc de superna claritate, et paradiso deliciarum ejectus cum suis sequacibus, in

larvati inde fugiunt qui dudum urbi præsederant,

A. ANONYMO.

in forma vermium, soricum, vel qualibet deformi specie actus mysterium operatur iniquitatis. Siquidem priscis temporibus, quod plerique memoria *f* adhuc retinent, et superstites esse noscuntur, qui hoc facinus viderunt, quod in eodem oppido, ut creditur, antiqui anguis * versutia crudeliter vigebat; plebeios rusticos atque hebetes homines arte callida ludificabat; de quo scribitur; Cujus mille nocendi sunt artes: nam sub specie baptismatis idololatriæ eos sibi proprie vindicabat. Denique retroacto tempore et idolum vocitabant, velut a ludo * incipientes, in medio eorum dumtaxat diabolo debacchante, plerumque homicidia perpetrabantur. Egerat hoc nequissimus dæmon callida astutia, ut, si quis ibidem proximum alterius quolibet modo debilitasset, a consanguineis vel affinitate conjunctis innoxius foret ab effusione sanguinis; videlicet ut in longius consuetudo nefanda incrementum malignitatis augeret, et miseram urbem suis habenis irretitam, iniquus prædo velut propriam vindicaret.

f

* *in Ms.* consecratio *inseritur*

* *alias in Ms.* dolo

Ingens Lauduni monasterium condit

17 Sed omnipotens Miserator omnium rerum Dominus, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, ad sui juris plasma clementer respiciens, olim jam hoc sacrilegium et nefandum facinus a civitate ista radicitus evacuavit. Sed nunc rursus ad cœptam redeamus narrationem. Denique contemplata conditione loci, cernentesque idoneum ac gratissimum et absque discrimine munitionis locum, cœperunt fundamenta ecclesiarum atque domorum jacere *g*. Quibus peractis ac prospere gestis, cœperunt ad laudes Dei omnipotentis et Domini nostri Jesu Christi, nobilium soboles servientiumque * concurrere. Quis enim vir potens, aut femina nobilis, qui illis in locis degeret, qui non beatam Salabergam ex affectu diligeret? Erat enim hilaris semper et placido vultu, caritate atque humilitate perspicua, eleëmosynis promptissima, et circa Dei cultum valde devota. Quid multa? Infra exigui temporis spatium coacervatæ in eodem loco sunt, vel monasterio adunatæ, plus minusve trecentæ famulæ Christi, illisque dispositis per turmas ad instar Agaunensium monachorum Habendique *b*, normam disposuit.

g

* *Ms.* servitiumque

h

et saluberrimis præceptis moniales instituit, et plures ad vitam monasticam pertrahit.

18 Die ac nocte præcepit psallendo canonem omnipotenti Deo personare, et juxta egregium prædicatorem Paulum sine intermissione orare. Quæ institutio hactenus in eodem cœnobio, Christo, auspice, celebratur. Flagrabat quippe in eodem desiderio canendi carminis amor intentus: plures siquidem, ut supra diximus, nobilium ad servitium Christi colligendas sitiens adunabat. Nam inter cæteras nobilium Sicambrorum feminas Odila nobilitate et ingenii natura boni pollens, quæ et ipsa pridem a venerabili Walberto Christiani vigoris insigne et salubre acceperat antidotum, consilio accepto cum regali viro illustri Bodone *i*, quem superius Leuduinum prædiximus, qui eo tempore industrius et potens erat, postpositis phaleramentis mundi, ad Dominum sunt conversi. Res suæ monasteriis collatæ *, post beatam Salabergam eundem callem tenentes, Lugdunum properaverunt. Bodo, incisa cæsarie, monachi in quantum res sinebat agebat officium, ac non multo post *k* Tulli oppidi adeptus episcopatum, naturæ debitum reddidit. Veneranda quoque Odila, Christi stigmate suscepto, sanctarum virginum se choro conjungens, sub obedientiæ tenore vitam beatam degens, spiritu, cui omnia debentur, reddidit.

i

* *lege* contulerunt, *vel* rebus suis... collatis

k

ANNOTATA.

D

a *De primo illo condito a* S. Salaberga *cœnobio variæ sunt conjecturæ, certum nihil. Galterotus in Anastasi Lingon. pag.* 324, *arbitratus fuerat, eodem loco fuisse abbatiam S. Petri, excisam apud Lingones, sed carpitur a Mabillonio hic, quod ista abbatia* infra muros Lingonensis civitatis, *ut vetera instrumenta loquuntur, id est, intra muros urbis posita fuerit. Præmiserat, non pomœria Lingonum per* Suburbanum *intelligi posse, cum hæc sexaginta fere milliaribus, non autem* paulo XL minus *a Luxovio disparata sint. Verum nescio, an ea conjecturam fundare possint, cum ex scalis non paucis geographicis et in nuperrima etiam mappa eruditissimi Bouchet nondum quadragesima leuca veteri Gallica Luxovium a civitate Lingonum absit. Mabillonius deinde in Addendis Secul.* 4 *part.* 2 *pag.* 598 *notat*: Quidam hunc locum explicant de celebri parthenone S. Petri de Polengiaco, *(de Poulangey)* diœcesis Lingonensis: *et postea in Annalibus Seculo* 1 *pag.* 350 *credit, eo ipso loco inchoatum fuisse monasterium, ubi* S. Salaberga *a S. Eustasio sanata fuerat, in vico scilicet Mosa, de quo supra littera* o, *quod ille hæreditatis procul dubio paternæ fuerit, imminens Austrasiorum finibus vicinusque Burgundiæ. Calmetus tom.* 1 *Historiæ Lotharingiæ auctæ col.* 453 *Nota* y *arbitratur, non inepte credi, conditum fuisse, ubi hodie est Prioratus Richecurtensis, qui etiam* S. Salabergæ *dicitur. Situs in agro Odornensi quatuor milliaribus distat a Gundoïni curte, subestque abbatiæ S. Joannis Laudunensis. Eligat lector ex conjecturis satis incertis, quam voluerit.* E

b *Belli inter Theodoricum III et Dagobertum secundum Austriæ regem obscura fere est alibi memoria. Ludovicus du Four in Annalibus Francorum ad calcem tom.* 3 *Scriptorum rerum Gallicarum anno* 677 *illud illigat, ejusque profert mentionem in diplomate Childeberti ex Mabillonii lib.* 6 *de Re diplomatica. Mabillonius in Observationibus præviis ad Acta nostra existimat, sub annum* 680 *in Austrasiæ et Burgundiæ finibus ab his regibus bellatum fuisse. Credere licet, dissidia illa orta fuisse extremis Dagoberti annis, ita ut ab epocha mortis ejus dependeat tempus hujus belli.* F *Epocha vero illa satis adhuc instabilis est inter eruditos, quorum illi Dagoberti cædem anno* 677, *alii* 678, *alii* 679, *et alii denique sequenti illigant.*

c *Est ea civitas antiquis* Lugdunum, *seu, ut volunt alii, etiam* Laudunum Clavatum *dicta, indigenis* Laon, *munitissima, monti imposita in finibus Remorum. Varias de nominis origine conjecturas videre licet apud Valesium in Notitia Galliarum et auctores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 9 *pag.* 507 *et Mabillonium in Addendis Seculo* 2 *parte* 2 *Seculi* 4.

d *Wandali et Alani et Hunni ex Dacia et Pannonia circa annum Christi* 406 *Coss. Arcadio aug.* VI *et Anicio, ut habet Prosper, in Gallias irrupe-runt. Meretur hic audiri Hieronymus in epistola ad Ageruchiam, quæ scripta est anno juxta Pagium* 409. Innumerabiles et ferocissimæ nationes, *inquit*, universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenæum est, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani... et, o lugenda respublica! hostes Pannonii vastarunt... Moguntiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est... Vangiones longa obsidione deleti: Remorum urbs præpotens, Ambiani,

A ni, Attrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitaniæ Novemque populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciæ præter paucas urbes populata sunt cuncta. *Indubium videtur hoc etiam tempore Laudunum a barbaris, et forte non semel tentatum fuisse.*

e *Alias etiam* Attola, Attila, Attilo *et* Atelanus *vocatur apud auctores Galliæ Christianæ tom.* 9 *col.* 511. *Ejus ante annum* 637, *quo consecrationi S. Autberti episcopi Cameracensis adfuit, non occurrit mentio. Sedit usque ad annum* 665, *quo subscripsit chartæ Amandi pro monasterio Barisiacensi, datæ* Lauduno civitate octavo decimo Kalendas Septembris anno quinto regni... Childerici regis. *Consuli possunt laudati scriptores et Mabillonius tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 440. *Dicitur idem fuisse frater Leudegisili episcopi Remensis ex Flodoardo lib.* 2 *cap.* 6.

f *Mirum videri potest in urbe, quam SS. Remigius, Genebaudus aliique plurimi viri apostolici suis prædicationibus lustrarant, ad usque seculi septimi fere initia idololatriam tam atram perdu-*
B *rasse. Mansisse tamen ad illa usque tempora in Galliis idololatriæ vestigia non pauca, abunde probat S. Gregorius Magnus scribens ad Brunichildem reginam lib.* 9 *epist.* XI, *alias* 5 *lib.* 7. Hoc quoque pariter hortamur, ut et ceteros subjectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, ut idolis non immolent, cultores arborum *(de qua peculiari Gallis idoli specie Plinius tit.* 16 *cap. ult.)* non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant. Quia ad nos pervenit, quod multi Christianorum et ad ecclesias occurrant, et quod dici nefas est, a culturis dæmonum non abscedant. *Quodnam speciatim id fuerit Lauduni superstitionis sive idololatriæ genus, non satis clare edicit anonymus, neque ego alibi reperio.*

g *Monasterii illius notitiam suppeditat Hermannus monachus lib.* 3 *de miraculis B. Mariæ Laudunensis cap.* 22, *ubi, postquam dixerat ædificatas fuisse a* S. Salaberga *basilicas septem,* Harum primam, *inquit,* quæ principalior esse dicebatur, in honorem sanctæ Genitricis conditam appellari voluit S. Mariæ Profundæ, ad differentiam forsitan Majoris ecclesiæ S. Mariæ, in qua episcopalis
C sedes consistit. Secundam S. Michaëlis et omnium Angelorum. Tertiam S. Joannis Baptistæ et omnium Patriarcharum atque Prophetarum. Quartam B. Petri apostoli omniumque Apostolorum. Post has quatuor ad introitum abbatiæ construxit quintam in honore S. Crucis... Sextam in honore S. Apri mart. Septimam in honore S. Mariæ Magdalenæ. Harum ergo septem ecclesiarum adhuc restant quinque: duæ vero, id est, S. Crucis sanctique Apri mart., præ nimia vetustate defecerunt. *Scripsit hæc Hermannus ante incendium Laudunense, adeoque ante annum* 1112. *nam eo urbis conflagratio contigit, de qua Guibertus Vitæ suæ lib.* 3 *cap.* 9, *quæ huc pertinent, sequentia:* Cum igitur cremaretur ecclesia atque palatium, dictu mirabile mysticumque Dei judicium! titio utrum nescio, an carbo ad monasterium virginum convolavit et S. Joannis ecclesiam succendens, beatæ etiam Mariæ, quæ Profunda dicitur, sanctique Petri in cineres convertit. *Igitur post conflagrationem non supererant nisi ecclesiæ duæ, nimirum S. Michaëlis et S. Mariæ Magdalenæ.* Nostro tempore, *inquit Mabillonius,* sola superest S. Joannis Baptistæ basilica. *Illa igitur restituta fuit, destructæ reliquæ duæ, forte postquam in possessiones sanctimonialium venerunt Benedictini monachi anno* 1127. A. ANONYMO.

h *De pio illo Habendensis monasterii instituto sic legitur in Vita S. Amati apud Mabillonium Seculo* 2 *pag.* 133. Porro S. Amatus semper eremi secretum diligens, infra profunda vastaque Vosagi castrum reperiens, sicut in præsentiarum cernitur monasterium, transmigravit, ibique, opitulante Domino, multis virginibus psallentium per septem turmas, in unaquaque turma duodenis psallentibus, die noctuque jugiter instituit. *Habendense monasterium, alias Romaricense appellatur, de quo supra. Agaunensis notitiam habes apud sæpe laudatum Mabillonium tom.* 1 *Annalium Benedictinorum pag.* 678 *et in Opere nostro hoc ipso die ubi illustravimus SS. Martyrum Agaunensium Mauritii et Sociorum Acta. Continuatæ ibidem noctu diuque psalmodiæ originem ex antiquissima charta protulerunt Sammarthani tom.* 4 *pag.* 13, *ubi legitur:* S. Victorius *(in concilio 60 episcoporum coram rege Sigismundo Pio)*... ait.... Recte mihi videtur, ut secundum plenissimam devotionem domini regis et psallendi institutionibus, fiant novem normæ,... ut succedentes sibi in Officiis canonicis, id est Nocturnis, Matutinis, Prima, Tertia, E
Sexta, Nona, Vespertina, in hanc die noctuque indesinenter Domino famulentur. *Chartam aliam habes Gloriæ posthumæ S. Mauritii et Sociorum* §. 2.

i *Ex Bodonis et Odilæ conjugio nata est Teutberga, quam condito a se monasterio virginum præfecit. Vide S. Bodonis seu Leuduini Acta discussa* XI *Septembris pag.* 840 *num.* 12 *et seqq.*

k *De anno et ordine, quo S. Bodo episcopatum Tullensem adiit, vide conjecturas varias in Commentario de ejus gestis num.* 15 *et seqq.*

CAPUT III.

Sanctæ obitus: miracula ante et post illum patrata.

S. Salaberga plurimis nitet miraculis, sororem sanat malo caduco:

Igitur cum beata Salaberga in sanctitate morosa, exornato vultu, ut de beato narratur Hylario, cum Sororibus pie vitam duceret, puella quædam sanctimonialis in eodem cœnobio, cadivæ vesaniæ indepta, dum cursum in ecclesia canere cœpisset, coram omnibus effrenata mente in terram corruit, quam mox beata et venerabilis Mater secum familiariter acceptam sedula oratione pro ea Dominum poscens, opitulante divina gratia, ab eadem peste purgavit, et in servitium Christi libere abire jussit incolumem. Plurima autem et valde celeberrima sunt, quæ in laudibus *a* atque memoria venerandæ Matris stilo inseruntur, quæ postmodum suis aptabuntur locis. Quodam vero tempore dum beati viri Walberti præstolaretur adventum, et falerni copia deesset, jus tritici, vel hordii, quod Cervisam nuncupant, et arte conficitur humana, quo Occidentalium pleræque nationes utuntur, jussit facere: quam in vas, quod lingua communi Tonnam *b* vocant, mittere jussit. Sed cum vas adplene refertum ex poti liquore non esset, famulaque Christi, cui obedientiæ causa eodem anno juxta tenorem Regulæ ad cellarium custodiendum sororibusque ministrandum ordo evenerat, ad venerabilem Matrem cum humilitate veniens, ait.

A. Anonymo. prodigiose auget cerevisiam.

20 Domna, inquit, Mater, quid faciemus, quia vas non est plenum ex sicera, et aer æstuat; si sanctus vir abbas in veniendo moras innexuerit, vereor, ne poti liquor in acerbitatem aceti acescat. Ad quam illa ait: Vade, et quod subsequens ex liquore est confectum, funde in vase. At illa non dubia, celeri cursu pergens, ut jussionem sanctæ Matris impleret, reperit vas plenum, quod paululum, pridem semivacuum reliquerat, ac sic omnipotentis Dei misericordia actum est, ut dum Matris fides armatur, obedientiæ vigor in discipula roboratur, virtusque divina protinus panditur, potum, quod exiguum erat, in majus augetur, remeansque Dei famula cum alacritate et humilitate, sanctæ Matri narravit miraculum. Illa summo rerum Creatori Domino Jesu Christo referens gratias qui servientibus sibi in veritate cito adesse consuevit. Patratum est deinceps aliud miraculum. Soror quædam lavando vestimentorum sordes, ut mos est, ad cellam officinæ, qua hæc agi solitum erat, veniens, accepit vasculum, quod in talibus rebus adesse necessitas poposcit, deferens simul et exigua ligna.

Trabes cellæ sponte inclinantur, ut pendentia ex illis ahena

21 Sed quia catena, in qua pendebat vas, exilis et brevior constabat igni non appropinquans, reperiens de industria famula Dei aliam catenam sibi invicem nexuit: et ecce alia sodalis ejus cum alio vasculo ex æris metallo facto adveniens, simile optabat opus, humiliter supplicans sociæ, dixit: Commoda mihi, soror, unam catenam, ut ambæ velocius operemur. Ait socia: Pro caritatis gratia commodabo tibi; sed perge tu et affer ligni quantitatem, quantam valueris, quia ardue suspenduntur vascula, ut valeamus perficere, quod necessitas compellit. Quæ cum abiisset, nequaquam reperit, quod petiit. Tunc utræque ancillæ Christi anxiæ esse cœperunt; quid tamen facerent, ignorabant. At ecce subito magno cum sonitu cella officinæ, quasi casura, semet flectendo adicitur igni *c*. Tunc concito cursu famulæ Christi, omnesque Sorores ad eam aspiciendam veniunt, et quidnam esset fragor strepitusque inquirunt. Sed videntes miraculum, stupefactæ sunt quod acciderat.

propius ad subjectum ignem demittantur.

22 Tunc venerabilis Mater jubet, ut ad hoc miraculi genus, vir Dei Italus presbyter, atque ejusdem cœnobii præpositus contemplaturus accederet. Vir autem Dei cum affuisset, videns cellam fragoribus non dirutam, sed illæsam permanentem, uberes omnipotenti Deo gratias retulit; perpendens meritum Matris, quæ ita imbutas ac devotas haberet discipulas, quarum caritati ferventi etiam elementa servirent. Quadam denique die cum extra murum oppidi, infra claustra tamen cœnobii, æstivo tempore deambularet, vidit Lanfredum monachum hortulanum suum *d*, in horti ambitu nescio quid oleris causa investigantem et noxia gramina abscidentem, ad quem sub sibili voce silentique, quod nequaquam aliqua Sororum audire potuerat, ait. Defer, inquit, nobis ex lactucis, frater Lanfrede. Hæc illa, innuendo magis, quam loquendo affatur. Hæc præfatus frater narrare consueverat, qui adhuc superest. Mirum dictu! vox, quæ parvo anhelitu, et nullo alio audiente, emissa fuerat, in aures Fratris admodum pervenit, quasi in præsentia Fratris ipsius dicta fuisset. Erat autem spatium inter eos, quasi stadiis quatuor, aut eo amplius.

23 Accidit quoque et aliud miraculi genus. Cum quodam tempore in coquinæ officio, ut mos erat, per hebdomadam suam Sororibus deserviret, et pisciculi, vel alia quælibet monasticis usibus apta minime suppeterent, Basinus archidiaconus ejusdem urbis, in domo sua recumbebat; voxque in ejus aures insonuit, dicens: Nosti, quod Abbatissa onus coquinæ Sororibus exercet, ad eam visendam deberes quantocius properare. Sed ille levius retinens neglexit. Cumque usque ter fuisset admonitus, etiam insuper verbera minatur adhibere. Quid ageret? quid tantæ Matri deferret? Minime ad hujuscemodi opus habebat. Tandem aliquando domum egressus in foribus ostii reperit hominem, piscem miræ magnitudinis gestantem: quem divino nutu allatum credens, dato dumtaxat pretio, piscem beatæ Matri detulit; ex quo illa pulmentum Sororibus adhibens, omnes usque ad satietatem refecit. Quod ne quis de industria factum credat, sed nutu divino ad ejus refectionem exigendam præparatum.

Vox ejus ad insolitum spatium protenditur. Indigentia ejus parthenonis divinitus archidiacono revelatur. Sancta morbis affligitur.

24 Quam vero quanto tempore in hac vita omnipotens Deus dilexerit, immo ut aurum obrizum purgaverit, silentio non est prætereundum. Quodam namque tempore febrium vena accensa, quam gravi molestia corporis perferebat; ita ut loquendi facultatem amitteret: sed cum melius, Christo præsule, convaluisset, sciscitata immo flagitata a Sororibus, quidnam talis fuisset correptio, illa ferventi spiritu respondit: O dulcissimæ Sorores, quid investigare vultis rei causam, à sævis namque nimium et tetris opprimebar spiritibus *: quando autem melius convalescebam duæ alæ deorsum * venientes girabant, quarum visio auro purissimo pulchrior erat: nam et summitas earum gladio ancipiti acutior sentiebatur. Cum autem ab his vallabar, fugiebant teterrimi spiritus. Quid autem aliud per hanc datur intelligi, nisi ut omnipotens Deus plasma suum in præsenti dumtaxat purgaret vita, et dexteræ suæ protectione roboratam cum Sanctis aggregaret? Alæ etenim in Scripturis sanctis, supernæ intelliguntur potestates. Convalescens corpore, sed mente robustior, anno et novem non plenis mensibus vixit, tentatione exacta.

* Ms. sororibus
* Ms. a dorso meo venientes girabant me

Variæ illius virtutes atque inter has perfecta humilitas laudatur. Visionibus

25 Nam quis valeat ejus sanctitatis sagacitatisque astutiam cum dignis referre præconiis, cujus caritas et humilitas cunctarum subjectarum sibi præeminebat miræ dulcedinis et bonitatis affectus. Erat enim hilaris vultu venustaque aspectu, alacris in colloquio, moderata in verbo, consilio prudens; in ordinandis cœnobii causis præcipua, sagax ingenio, eleemosynarum amori dedita, et hospitalitate non pigra. In regulari norma discreta, imitans sanctarum feminarum Melaniæ videlicet et Paulæ vitam; quarum Melania, ut ait beatus Hieronymus, nobilissima Romanarum feminarum et Marcellini quondam consulis filia, Hierosolymam navigavit: ubi tantum humilitate, et caritate insignis exstitit, ut Theclæ nomen acceperit: Paula vero relicto patrimonio urbano, Grecorum orta prosapia Bethleëmitica rura expetens, summa bonitate et humilitate vitam degens, sacrum spiritum Domino reddidit. Et ut altiora repetam, beata Salaberga imitata Helenam augustam, Constantini augusti matrem, ut historia narrat Ecclesiastica, mortificatis carnis membris mundique pompis postpositis, quotidianis Deo famulabatur obsequiis. Quicquid enim in cœnobio utilitatis, et quæ munditiæ essent exercendæ, sibimet deputabat.

26 Coquinam autem, vel reliquas causas, quæ monasticis rebus peragi solent, vicissim suis hebdomadibus ministrabat. Sed cum hæc et cætera his similia bona, Christo præsule, faceret, quodam tempore vidit in mansione, quam frequentare solita

A erat, tabernaculum e polo miræ claritatis et splendoris descendere, quod deorsum spatiosum, et sursum arduum videbatur, in quo recepta avis miri candoris ac splendore nimio fulgens eam apprehensam in extasi positam, immo translatam trans fluvium quemdam ingentem asportavit et in prata valde amœna immisit, ubi diversorum florum et immensa odoramentorum genera fragrabant: atque inter candentia lilia et rosarum rubentium flores vidit immensa infantum agmina utriusque sexus, niveis cycladibus et laureatis capitibus ovantes; inter quos et Magobertus *e*, puerulus aderat. Qua visa, ait: Agnoscis me, mater? Illa ait: Nescio. Respondit puer: Ego Magobertus sum filius Amilianæ, quem ante te misisti, et sum modo in illa claritate, quam cernis.

illustratur et de morte etiam secundo præmonetur.

27 Vidit quoque venerabilem virum Ansericum *f* pontificem obviam sibi venire: ad quam ait: Agnoscis me? At illa fatetur, se ignorare. Ego sum Ansericus episcopus Suessionum, quem crebrius in domo tua accersitum vidisti: veni, et ostendam tibi valvas paradisi et ostendam civitatem Dei altissimi et duodecim sedes Apostolorum ex auro gemmisque rutilantes. Cui et ait: Ecce tibi B locus præparatus est, sed quia beata Maria precibus Sororum, eo quod eis sis adhuc necessaria, deprecata est Filium suum, ut a superis celerius illuc revertaris, præmia possessura tibi a Domino collata. Interim avis illa iterum eam apprehensam in ore ejus anhelitu recuperato a superis remisit. Igitur dum quadam nocte soporem caperet, in specie venerabilis viri Walberti *g*, utpote angelus Domini, apparuit ei tertio, qui cingulum ejus de renibus abstractum secum detulit, quod cingulum ulterius non comparuit, significans, ut opinor, quod in posteritate ejus honor successionibus adcreverit. Qui, ut ipsa referre solebat, candore nimio fulgebat, et hac voce admiranda affatur Fœminam.

ægrotat et centesimo post die

28 O dulcissima Filia, præpara te, ut accipias bravium et exitum tum præstolare, quia et ego ex victoria tua cupio bravium accipere, quia centesima ex hac die dies vocationis tuæ eveniet, ut laboris tui fructum, quem cum magno sudore quæsiisti, cum multiplicato fœnore in horreo Domini tui recondas. Hæc audiens illa unam * ex sororibus sibi familiarem accersitam vim somnii tenoremque rei pandit, et cæteris promere distulit. C Angelus autem Domini præcepit ei, ut per singulos dies ac noctes infra illum centenarium numerum expleret Psalterium. Ab illa igitur die cœpit vigiliis, jejuniis, psalmis ut orationibus plus solito, vacare, quanto firmior de promisso, tanto alacrior de obsequio. Ante vicesimum autem diem vocationis ejusdem pedum dolore tacta lectulo decubuit, ut de viro perfecto scribitur: Florebit amigdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ. Novissime expleto Officio, convocatis Sororum agminibus, hac eas voce affatur. Permanete in servitio omnipotentis Dei, o famulæ Christi, quia non qui cœpit juxta divinum oraculum, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

* *Corrige uni etc.*

migrat ad superos XXII Septembris. h

29 Interea, ut assolet in rerum opulentia discordiam etiam inter propinquos generari, germanus Bodo *h* aliquas villas, quas per chartarum seriem ad ipsum condonaverat cœnobium, illicita usurpatione retinebat. Sed comperta Germanæ ægritudine, dum illa pro hac re anxia Dominum deprecaretur, summa cum festinatione ad eam venit, moxque chartas invicem roborantes, hactenus totum ratum perduxit. Sed cum sensisset, se migraturam a corpore, valedicens Sororibus, Italum presbyterum poposcit, ut pro se (sicut mos est) expleret officium. Et hæc flagitans, sacrum emisit spiritum, Sanctorum aggregata cœtibus, perceptura duplicia in æterna gloria a Christo, cui virtus et imperium in sæcula sæculorum. Amen. Obiit præfata Famula Christi, X Kalendas Octobris, qua die sancta Thebæorum, Mauricio duce, Acauno celebratur passio. Reliquiæ quoque ejus in eodem conduntur loco *i*; ad cujus polyandrum claræ post obitum patuerunt virtutes.

ANNOTATA.

a *Nonne ex his cuipiam videri posset scriptor aliam de gestis* S. Salabergæ *lucubrationem præ oculis habuisse, imo forte alius fuisse ab eo, qui antecedentia scripsit?*

b Tonna *a Teutonico* Tonne, *Gallice* Tonneau, *Latine* Dolium.

c *Obscura est hæc anonymi nostri narratio in omnibus Mss. Clarius anonymus alius apud Mabillonium hic rem sic explicat*: Fragore nimio cella concutitur, ita ut ab ipsis fundamentis penitus E evelli videretur, incurvataque compage parietum, et inflexo robore materiarum, sine ullo sui damno vel detrimento ruinæ, Divinæ nutu voluntatis tectum et tota machina domus adducitur et approximat igni.

d *Tum hinc, tum ex Vitæ numero* 18 *de S. Bodone tonso, liquet, parthenoni adjunctum fuisse monasterium monachorum.*

e *Quis Magobertus ille, quæ Amiliana, aliunde non liquet.*

f *Mortuus est Sanctus Ansericus inter annum* 649 *et* 658, *ut numero* 21 *Commentarii prævii probatum invenies.*

g *Mabillonius in Elogio historico S. Valdeberti pag.* 504 *num.* 6 *opinatus fuerat, visionem hanc contigisse post S. Waldeberti obitum: deinde mutavit sententiam et pag.* 1093 *corrigendum monet,* quæ visio ante S. Waldeberti obitum contigisse videtur. *Rationem non addidit, quare ex iisdem verbis contrarium judicet. Credo ego, narrationem illam totam magis innuere, jam tum mortuum fuisse S. Waldebertum, atque ex ea opinione chronotaxim adornavi Commentarii prævii num.* 22.

h *Utrique* S. Salabergæ *fratri Leuduino et Fulculfo cognomen* Bodoni *fuisse, testatur anonymus* F *num.* 4. *Hinc oritur dubium, de utro hic sermo sit. Dissentientes inter se neotericos et utriusque partis rationes propositas habes in laudato sæpe Commentario de S. Bodone num.* 19. *Eo, ne actum agam, lectorem remitto, monitum tamen, Cointii sententiam melius cum mea chronotaxi componi. Si enim tantum post mortem* S. Salabergæ *Bodo monachum induit, difficile intelligitur, quomodo vir sexagenarius a seculi curis recens traductus ad regendam Tullensem ecclesiam assumptus fuerit. Quidquid sit, hoc magis dolere quis posset, inter tot antiquitatis monumenta chartam confirmationis, de qua hic, erutam hactenus non fuisse. Ex ea procul dubio, cum paucis ante obitum Sanctæ diebus confecta fuerit, certam epocham haberemus.*

i *Translatio* S. Salabergæ *colitur Lauduni* XI *Kalendas Martii, de qua biographus S. Anstrudis qui ejus Acta seculo* XII *expolivit, ita loquitur.* Monstratur autem locus in ecclesia B. Mariæ *(Profundæ)* semper Virginis, in qua sanctissimum corpus illud *(S. Anstrudis)* sepultum multis requievit annis: donec inde translatum et una cum ossibus B. Salabergæ *(quæ in ecclesia illa etiam quiescebant,*

A *cebant, ut ex priori S. Anstrudis Vita patet)* matris suæ reconditum est in superiori ecclesia B. Joannis Baptistæ. *Translationis annus et occasio obscura sunt. Crederem, fuisse incendium Laudunense, de quo ad partem Vitæ secundam littera g : at ibidem scribit Hermannus monachus,* D *ecclesiam S. Joannis etiam combustam fuisse. Fuerit itaque sola hæc paulo post restituta, ad eamque, qui supererant, ex aliis basilicis thesauri translati.*

DE S. GUNTHILDE ANCILLA VIRG.

QUÆ COLITUR IN PIBERBACH

IN EPISCOPATU EUSTADIENSI

C. S.

COMMENTARIUS HISTORICUS

De cultu et gestis.

Exponitur Sanctæ veneratio in Plangkstettensis abbatiæ

In hujus sanctæ Virginis, omnibus martyrologis quos consului, ignotæ notitiam induxit nos Musei nostri, dum vixit, amantissimus R. P. Mauritius Chardon, Societatis Jesu sacerdos. Hoc enim procurante, amplissimus ac reverendissimus dominus Maurus Xaverius Hoërbst, Ordinis S. Benedicti abbas Plangkstettensis, quædam de ejusdem vita cultuque propria manu sua subsignata et sigillo munita anno 1751 *ad nos transmisit, sine quibus eam tantum nomine tenus novissemus. Laudatus itaque abbas scribit, monasterium suum a comitibus Hirspergensibus Ernesto, Gebhardo II Eustadiensi episcopo et Hertwico in pago Plangkstetten fundatum, sanctæ Virgini Mariæ in cælos assumptæ et Joanni Evangelistæ atque omnibus sanctis angelis anno* 1129 *dedicatum fuisse. Bruschius eam fundationem soli Ernesto adscribit, sic inquiens :* Habuit *(Gebhardus II)* germanum fratrem comitem Hirsbergensem Ernestum, qui anno Domini MCXXIX pietatis Christianæ zelo construxit ac fundavit Blankenstetensem Benedictinorum abbatiam insignem.

ecclesia filiali Piberbachensi,


2 *Quod ad loci situm attinet, Matthæus Suetter in Tabula Palatinatus Superioris Bavariæ illum exhibet in episcopatu Eustadiensi, qua Bavariæ* C *adjacet, ad fluvium,* Sultz *dictum, æquali distantia inter oppida* Berching *et* Berngries, *apud quod prædictus fluvius Alemanno, vulgo* Altmul, *miscetur. Haud procul a dicta abbatia,* media scilicet hora, *inquit laudatus abbas, sita est parœcia* Piberpach, *quæ inter ejusdem ecclesias, ut vocant, filiales numeratur. Suetterus in Tabula mox memorata vicum* Biberbach *ad eumdem fluvium* Sultz *quarta circiter parte milliaris Germanici a Plangkstettensi monasterio versus Berngries collocavit, quod cum reverendissimi abbatis dictis satis concordat. In hoc porro pago* S. Gunthildem *virginem et antiquitus cultam et hocce tempore coli idem abbas affirmat, utque id pro præterito tempore probet, producit R. P. Joannem Wincklerum, ejusdem monasterii sui sub medium seculum* XVII *Priorem, ex cujus Ms. ad propositum nostrum sequentia recenset :* Ibi ergo ecclesia antiquissima etiamnum extat, S. Michaëli archangelo, divæ virgini Gunthildi et S. Sigismundo regi solenniter dedicata, ornataque tribus altaribus.

3 *In* primo quidem vetustissimæ ligneæ majores statuæ, perbelle adhuc deauratæ, S. Michaëlis, patroni primarii; et S. Gulthildis, lacteum vasculum in manu tenentis, patronæ secundariæ, conspiciuntur ; *in* secundo statua beatæ Virginis Mariæ cum Filio suo Jesu, ac *in* tertio S. Sigismundi, antiquitate plurimum venerabiles. *Rursum post alia ex eodem Wincklero ita pergit reverendissimus :* Communitas Piberbachensis *(*similiter et Schambachensis prope Arenspergam*)* S. Gunthildis sanctitate miraculisque permota, ante plura secula Virginem in suam patronam delegit et in hodiernum usque diem magna quotannis celebritate populique concursu ipsa dedicatione ecclesiæ filialis Piberbachensis, Dominica proxima ante festum S. Michaëlis incidente, maxime ut pecorum patronam, allatis undique copiosus muneribus pecuniarum, butyri, ovorum, carnium, candelarum, Missarum etc, venerata est, atque etiamnum constantissima pietate veneratur. *Hactenus laudatus abbas ex Wincklero, cujus dicta ipse etiam ex hodierno Sanctæ cultu ibidem sic confirmat.* Atque hanc *(erga* S. Gunthildem *pietatem)* præ cæteris viciniis annuatim æmulatur spectatissima civitas Eystettensis *(episcopatus)* Greding, devotissime illuc peregrinans, relictis abundanter oblationibus, aliisque intimæ pietatis ac fiduciæ in sanctam Virginem operibus clarissimis. F

ubi Dominica ante Dedicationem S. Michaëlis E

magno cum populi concursu colitur.

4 *Civitatem sive oppidum Greding Suetterus in supra memorata Tabula exhibet in eodem episcopatu Eustadiensi nondum uno et medio milliari Germanico versus Occidentem a Piberbach dissitum. Schambachensem parœciam in mappis geographicis non reperi; sed* Arenspergam, *prope quam sita esse dicitur, suspicor, illud oppidum, esse, quod Suetterus pariter locat in ipso limite episcopatus Eustadiensis, qua versus Septentrionem intra Onoldinum marchionatum extenditur, septem circiter milliaribus Germanicis a Piberbachio. Hanc suspicionem mihi movet locorum vicinia; nam Arensberga, vulgo* Arensberg, *urbs parva Westphaliæ, longius inde distat. Porro legitimum* S. Gunthildis *cultum, et quæ de vita ipsius narraverat, et nos ex ipso mox referemus, Wincklerus ibidem confirmat his verbis :* Hæc omnia probantur tum ex continua et immemoriali accolarum traditione ac festi celebritate, tum ex vetustissimis imaginibus in ecclesiæ Piberbachensis pariete depictis ac pendulis, una singulis iconibus clare additis Germanicis versibus, quibus S. Gunthildis vita satis exprimitur. *Hasce icones, quas æri incisas lectori exhibeo, mox examinabimus; interim observasse juverit,*



Da War S: Gündthilt verhiet van ihren Hern und die Milch in lauge verwandt,



Hie Hat S: Gündthilt die Milch den Armen auf getheilt

Da E




Hie Endsbrüng abermahl ein brün das sie vnd ihr: viech Franceh·



Hie batt sich ein aüsetziger in den bronen er Wird Rein versaneehter,

Sie G



Durch die Vngezemöten ween gefüehrt gehen suff:erbheim anberg,



Da Wird sy begraben und ein Kirchlein über sye gebault·

Hie

Parisiis V. Palmé



die

Hie Hat S: gündthilt die Milch den Armen auf getheilt




Da Erwarb S: gündthilt von golt disen bronen end: :sprang aus einen velber·



hr:

Hie batt sich ein aüsetziger in den bronen er Wird Rein versanethter,



Hie befilcht sye sich Gott an ihren Lezten End samt: :ihren leichnam·



aff:

Da Wird sy begraben und ein Kirchlein über sye gebaut·



Hie wircht gott grose Wunderz eichen bey S: gündthill

Parisüs·V. Palme

Lith. du Sebst. Bureaux à Paris

A *juverit, in iis Sanctam cum radiis exhiberi, eamdemque in nona, quæ postrema est, in altari inter anathemata et miserorum vota exhiberi; hoc apposito versu Germanice:* Hic apud S. Gunthildem Deus magna miracula patrat.

Probatur ejusdem cultus antiquus.

5 *Aliud ejusdem* Gunthildis, *et quidem vetustioris cultus argumentum petit laudatus abbas a Gundeckaro, ejus nominis II, ordine vero* XVIII *episcopo Eustadiensi, in cujus libro, in quo patronos et episcopos ejusdem sedis depictos habebat, sub* S. Gunthildis *icone hic versus subscriptus legitur.*

Tu prece condigna Gunthildis adesto benigna. *Hujus B. Gundeckari seu Gundechari gesta Commentario historico illustravit Boschius noster tom.* I *Augusti ad diem* 2, *ubi ostendit, ipsum ab anno Christi* 1057 *usque ad* 1075 *Eustadiensi episcopatui præfuisse. In eodem Commentario* § 3 *ex libro Pontificali, quem Beatus ipsemet dictavit aut scribi curavit, enumerantur altaria ab eodem consecrata, et inter hæc num.* 21 *unum occurrit* S. Gunthildis *his verbis:* Super altare S. Udalrici, confessoris Christi, et sanctæ Gunthildis virginis. *Ibidem num.* 33 *in instrumento ejusdem B. Gun-* B *dechari inter* sanctarum virginum *reliquias, quas in ara S. Willibaldi deposuit, recensentur etiam reliquiæ* sanctæ Gundhildæ. *Forsitan in eodem Pontificali, ex quo Boschius aliqua sæpius de ea fit mentio; sed hæc interim sufficiunt pro* S. Gunthildis *immemoriali cultu asserendo, quippe qui seculo* XI *jam vigebat.*

Corpus ejus in Suffersheim quiescere,

6 *Porro licet hujus Sanctæ cultus hoc tempore præcipue floreat in Piberbach, ejus tamen corpus non hic, sed in Suffersheim inter heterodoxos quiescere, aut saltem proxime elapso seculo etiam quievisse creditur, teste Wincklero, cujus verba ex laudati abbatis Mauri recensione subjungo.* Hujatis, Virginis, *inquit,* ossa integra in Suffersheimensi ecclesia, quamvis sine honore (uti hæreticorum mos est) nunc quoque asservari, populoque monstrari, reverendissimus Dominicus Platus, abbas XL Blangkstettensis noster, vir de omnibus bene meritus... anno MDCLI oculatus testis affirmavit. *Est autem* Suffersheim *vicus, quem Fredericus de Wit in mappa geographica Franconiæ statuit in episcopatu Eustadiensi; sed nunc ditionis Onoldinæ esse docent notitiæ Mss. Plangkstettenses, quibus utor. Ad illum autem vicum sanctæ Virginis cada-* C *ver impositum plaustro a duobus bobus sponte deductum fuisse, ibidemque humatum imago septima indicat; in octava vero additur, etiam sacram ædiculam super illo exstructam fuisse.*

aut saltem elapso seculo quievisse dicitur.

7 *Verum mirari satis nequeo, cur Sanctæ cultus in Piberbach potius quam in Suffersheim celebris fuerit, si sacrum ejusdem corpus hic, non ibi semper quieverit; nisi forte is, postquam Suffershemium hæreticis cessit, Piberbachi magis cœperit inclarescere propter altare, quod velut secundaria ecclesiæ patrona ibidem erectum habebat. Forsitan etiam aliquot ejusdem Sanctæ reliquiæ ibidem antiquitus honoratæ fuerunt; nam quidquid sit de corpore, quod abbas Dominicus Platus Suffershemii a se visum ait, ex iis, quæ num.* 5 *diximus, verisimile est, reliquias aliquas a Sanctæ corpore separatas fuisse. Jam quod ad diem cultus ipsius spectat, monuimus supra, nullam de ipsa mentionem fieri in Martyrologiis. Ex dictis quoque num.* 3 *liquet, nullum certum mensis diem ejusdem annuæ festivitati assignatum esse præter diem dedicationis ecclesiæ Piberbachensis, quæ* Dominica proxima ante festum S. Michaëlis *mense Septembri celebratur. Quamobrem cum hæc Dominica in diem* XXII *Septembris, aut in unam e sex sequentibus semper debeat incidere, ad horum primum de ea agere nobis hic visum est.*

AUCTORE C. S.

Vita ipsius in tabulis pictis exhibita,

8 *Vitam* S. Gunthildis *nullam habemus præter eam, quam sæpe laudatus abbas ex Winckleri Prioris Ms. ad nos transmisit. Hic autem, ut supra dictum est, post medium seculum* XVII *vixit, adeoque aliquot ac forsitan etiam multis seculis scripsit post Sanctæ obitum, quam seculo* XI *juniorem non esse liquet ex num.* 5. *Sed neque antiquiora Mss, unde sua acceperit, Wincklerus commemorat; imo nulla hujusmodi sibi præluxisse satis insinuat, dum pro fide dictis suis facienda non nisi traditionem et Piberbachensis ecclesiæ icones laudat. Quas ab abbate sæpe memorato accepimus, æri incidi curavimus, et pro commodo lectoris, qui Germanicam linguam non callet, singularum incriptiones, a laudato patre Chardon missas, Latine hic subjungimus. Inscriptio primæ:* Hic S. Gunthildis observabatur a suo domino, et lac conversum est in lixivium. *Secundæ:* Hic S. Gunthildis lac pauperibus distribuit. *Tertiæ:* Hic impetrabat a Deo S. Gunthildis, ut fons oriretur ex salice. *Quartæ:* Hic iterum prosiliit fons, ut tam illa, quam pecora ejus biberent. *Quintæ:* Hic se leprosus in fontem immersit, et factus est mundus. E *Sextæ:* Hic se S. Gunthildis Deo commendat pro ultimo suo agone, uti et corpus suum. *Septimæ:* Cadaver a bobus, jugum non patientibus, ducebatur Suffershemium ad montem. *Octavæ:* Hic sepulta est, et ædicula super illam erecta. *Nonæ:* Hic apud S. Gunthildem Deus magna miracula patrat.

et a Wincklero Priore Plangkstettensi

9 *Ex hisce itaque atque traditione Wincklerus sequens Sanctæ elogium concinnavit:* S. Gunthildis virgo, nobilis cujusdam Suffersheimensis, loci ad sylvam Weissenburgensis siti dynastæ (*Vissenburgum sive* Weissenburg ad Nortgoiam *imperialis civitas est intra episcopatum Eustadiensem)* ancilla pecoria, (vulgo ein vied magd) vitam olim inter pecora, rusticosque labores ducebat sanctissimam: ut nimirum rusticis quoque ancillis immortale sanctitatis præberetur exemplum. Hæc Virgo cum cæteris Christianæ pietatis operibus deditissima esset, eleëmosyna tamen pauperibus eroganda delectabatur maxime. Hunc in finem duos limpidissimos saluberrimosque fontes, unum in annosa salice prosilientem, alterum e terra ebullientem (in quo postea leprosus lotus pristinæ sanitati restitutus fuit) a Deo precibus impetravit. His fontibus et terra et pecora mirum in modum fœcundabantur, uberrimosque fructus proferebant, it ut B. Gunthildis sine detrimento domini pauperibus abunde subvenire posset. F

seculo XVII *ex tabulis pictis*

10 Præterea inter cætera indubia traditur, quod S. Gunthildis quadam tempestate lactis amphora onusta (ut nimirum lac egenis erogaret) et domino suo forte obvia, quid gestaret, interrogata, humillime responderit, se lixivium portare, subito lac in lixivium divina virtute conversum fuerit. Quo miraculo Deus divæ Virginis innocentiam ac sanctitatem demonstravit. Tandem S. Gunthildis bonis operibus plena ac sanctitate conspicua, animam suam corpusque Deo commendans, beatam oppetiit mortem. Hujus cadaver sanctum, instinctu forte divino, plaustro impositum, a bobus indomitis usque ad montem castri Suffersheim (nunc ditionis Anspachensis) placidissime deductum, ibidem terræ mandatum, paulo post ob crebra miracula patrata sacello extructo decoratum fuit. *Hactenus ille; deinde subdit ea, quæ de corpore in Suffersheim servato, et de cultu ejusdem Sanctæ supra jam recitavimus, ac denique pro his omnibus laudat traditionem*

AUCTORE C. S.

nem et icones, verbis num. 4 recitatis. Verum quid de hoc S. Gunthildis *elogio censendum sit, modo videamus.*

et traditione concinnata,

11 *Quam antiqua ea traditio sit, quam ipse* continuam et immemorialem *vocat, et in scribendo secutus est, aliunde non didici; sed quod ad icones spectat, ex ab ipso perperam* vetustissimæ *appellantur, si hæ eædem sint cum iis, quas a reverendissimo abbate Plangkstettensi acceptas exhibemus. Ex tabula enim octava, cui annus Christi* 1630 *adscriptus est, liquet eas hocce tempore, quo scribo, non nisi* 100 *ac* 25 *annorum ætatem habere. Forte tamen hodiernæ istæ tabulæ ex antiquioribus, quas ille laudat, prædicto anno* 1630 *depictæ fuerunt, et pro prioribus ætate confectis in eadem ecclesia appensæ. Dubitandi ratio est primo, quod, cum Wincklerus medio seculo* XVII *vixerit, verisimile non sit, eum icones, sua ætate pictas,* vetustissimas *appellaturum fuisse. Secunda ratio est, quod hodiernæ icones in una eademque tabula pictæ sint, teste P. Mauritio Chardon in notitiis Mss., in quibus ait, illas pictas esse* in lignea tabula pervetusta, quæ adhuc integre exstat in ecclesia Biberbacensi; *Wincklerus vero non obscure insinuet, suas partim in pariete, partim in tabellis pictas fuisse; cum dicta sua confirmet* ex vetustissimis imaginibus in ecclesiæ Piberbachensis pariete depictis ac pendulis. *Tertia denique ratio est; quod, licet eædem quoad substantiam inscriptiones Germanicæ sint, quæ in tabula nostra leguntur, quasque ex Winckleró recitat laudatus abbas, in una tamen et altera voce discrepent: verum hoc etiam ex describentium incuria potuit contigisse.*

exiguæ est auctoritatis.

12 *Ex dictis collige, totum istud* S. Gunthildis *elogium non nisi exiguæ et admodum dubiæ esse posse auctoritatis; cum tam incerta traditione, tabellisque seculo proxime elapso, sive ante annos* 25 *supra* 100 *forte primum pictis nitatur; sancta vero* Gunthildis *quinque ut minimum vel sex seculis ante floruerit. Sed qualiacumque ea sint, cum alia non haberemus, danda esse censuimus, tum quia Sanctæ cultus ex hisce probatur, tum quia ex iisdem liquet quæ sit Piberbachensium de ipsa existimatio et qualiscumque traditio. Qua ætate* S. Gunthildis *vixerit, nec ex dicto elogio, nec aliunde assequi potui. Id unum certum est, eam juniorem non esse seculo* XI, *post cujus medium altare ipsi a B. Gundecharo dicatum fuisse, num.* 5 *probavimus; quandiu tamen, quove ante id tempus seculo obierit, plane inexploratum est.*

Chunihildis abbatissa in Thuringia,

13 *Jacobus Gretzerus Societatis Jesu presbyter theologus, eruditis scriptis suis vitæque integritate clarus, lib.* 2 *Observationum in Vitam S. Willibaldi, per Philippum episcopum Eustadiensem scriptam, cap.* 3 *credidit,* S. Gunthildem, *quam B. Gundecharus inter patronos Eustadienses recensuit, et versu, quem num.* 5 *dedimus, invocavit, esse* Chunihildem *seu* Cunihildem, *quam Othlonus in Vita S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini, ab hoc Sancto ex Anglia evocatam et monialibus in Thuringia magistram datam esse scribit. Gretzerum audiamus.* Altera *(quæ ex Anglia ad S. Bonifacium venit)* fuit Chunihild seu Cunihildis, cum filia sua Beragith,... quas S. Bonifacius monasteriis Thuringiacis magistras et rectrices dedit. In libro Gundackari, hoc nomine secundi episcopi Eystettensis, in quo patroni et episcopi ejusdem ecclesiæ prisco et casco penicillo depicti sunt, inter patronos ponitur et pingitur quoque S. Chunihildis hoc apposito versiculo;

Tu prece condigna Gunthildis adesto benigna.

Nec est, quod quis suspicetur, Gunthildem esse diversam a Chunihilde Othloniana ob scripturæ diversitatem, quia nemini vel paululum in antiquis monumentis versato obscurum est, quam talia nomina barbara varie scribi soleant. Quocirca neque ego eandem scribendi rationem ubique sequendam duxi.

quam aliqui in Eustadiensi diœcesi

14 Videtur autem Cunigildis seu Gunthildis inter patronos Eychstettenses collocari, quia ex Thuringia sæpius in has partes excurrerit; nam et S. Wunibaldus tres annos in Boïca docendo, concionando, ignaros impigre instruendo, malosque mores et depravatas consuetudines exstirpando posuit, Utilone tunc imperante, priusquam Heidenheimium ex Thuringia sedem suam transferret, ut est in Historia vitæ Wunibaldinæ. Neque enim isti initio statariam vitam agebant, sed ubi necessitas opem efflagitabat, præsentes sese sistebant. Ita fieri potuit, ut necessitas cœnobiorum, in quibus sanctimoniales degebant, Cunigildem sæpius in Boïcam evocaret; et hac ratione inter patronos Eystettenses sedem inveniret: nisi id factum velis; quod in Thuringia præesset monasteriis virginum sub S. Wunibaldi tutela constitutis. *Hactenus Gretzerus, cui consentiunt auctor Thuringiæ sacræ in Monumentis monasterii Ordorfiensis* § 13, *Georgius Christianus Joannis in Serrarii Moguntiacis auctis ac recusis lib.* 3, *annotat.* 24, *Menardus lib.* 2 *Observationum in Martyrologium Benedictinum ad diem* VIII *Decembris Arturus in Gynæceo sacro et Maihewus in Sanctis Benedictinis Angliæ ad eumdem diem.*

olim cultam crediderunt, longe alia est

15 *Nescio an ea* S. Gunthildis *imago in laudato B. Gundechari libro etiamnum tam clare depicta appareat, ut certo discerni possit, utrum ancillam; an abbatissam referat. Nescio pariter, an eamdem recte inspexerit Pater Chardon, qui in notitiis Mss. ad nos datis diserte scripsit:* Certum esse videtur, vel certe verosimilius est, in libro Gundekari,.. inter patronos positam esse potius et pictam S. Gunthildem, ancillam pecorariam, quam illam alteram monasteriorum in Thuringia rectricem; adeoque non huic, sed priori appositum versiculum quadrare: Tu PRECE CONDIGNA *etc. Ego, si ea dubia sit, non dubito, quin* S. Gunthildem, *Piberbachi cultam, referat ob rationes, quas lectori expendendas propono. Certum est, seculo* XI *aliquam* S. Gunthildem *virginem in diœcesi Eustadiensi cultam fuisse, ut liquet ex altari* S. Udalrici confessoris Christi, et sanctæ Gunthildis virginis, *quod a B. Gundecharo consecratum esse, num.* 5 *ostendimus. Nec alterius, quam hujus, fuisse censendæ sunt reliquiæ* sanctæ Gundhildæ, *quæ ab eodem episcopo inter* sanctarum virginum *reliquias in alio altari depositæ loco citato dicuntur, Sanctam Tutelarem suam Piberbachenses pariter* Gunthildem *appellant, eamdemque et* Virginem *dicunt, et in diœcesi Eustadiensi jam a multis seculis cultam, ex traditione sua asseverant.*

a S. Gunthilde virgine, quæ seculo XI

16 *Contra abbatissa Thuringica, Othlono, ex quo ea nota est, ipso teste,* Chunihildis *appellata fuit, nec virgo, sed mater Beratgitæ. Audiamus eum ipsum in Vita S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini et martyris apud Mabillonium Seculi* III *Benedictini parte* 2, *pag.* 42 *loquentem.* Feminæ vero, *inquit,* religiosæ *(a S. Bonifacio e Britannia in Germaniam evocatæ, erant)* matertera scililicet S. Lulli, nomine Chunihilt, et filia ejus Berathgit. *Et paulo post:* Sed Chunihilt et filia ejus Berathgit, valde eruditæ in liberali scientia, in Turingorum regione coustituebantur magistræ. *An Chunihildis hæc in episcopatu Eustadiensi umquam cultum obtinuerit, mihi hactenus non constat. Gretzerus*

A *zerus ipse non nisi ex conjecturis inquirit, qua de causa eam ibi cultam fuisse dicat; Mabillonius autem mox laudatus eamdem velut ex Actis S. Bonifacii tantum notam inter Prætermissos dumtaxat recensuit; an vero recte inscripta sit Martyrologiis num.* 14 *citatis, examinandum veniet ad diem* VIII *Decembris ibidem assignatum. Habemus itaque primo* Chunihildis *diversum a* Gunthilde *nomen: nam etsi hujusmodi barbara nomina sæpe varie scribantur, id tamen hic factum esse, probandum erat, ubi cetera personarum adjuncta diversa sunt. Habemus secundo Chunihildem Berathgitæ matrem, non virginem. Habemus tertio certum* S. Gunthildis Virginis, *Chunihildis vero abbatissæ dubium, in Eustadiensi diœcesi antiquum cultum.*

17 *Ex hisce porro omnibus concludere licet primo; Chunihildem abbatissam Thuringicam diversam esse a* S. Gunthilde *virgine, cui B. Gundecharus altare dicavit, et cujus sacras reliquias in alio altari deposuit. Secundo hanc* S. Gunthildem *eamdem esse cum illa, quam B. Gundecharus inter diœcesis suæ patronos depictam habuit, et* Gunthildem *appellavit. Tertio denique verisimillimum esse, non aliam, quam hanc, a Piberbachensibus* Gunthildem *coli; cum id et nomen et virginitas et cultus in Eustadiensi diœcesi persuadeant. Quam ob rem credo equidem, eruditum Gretzerum numquam aliter sensurum fuisse, si quæ de* S. Gunthildis virginis, *quam ignorasse videtur, antiquo cultu retulimus, edoctus fuisset. Ceterum in Breviario Eustadiensi de neutra Officium aut commemorationem aliquam fieri deprehendi, nec plura de hac sancta Virgine dicenda habeo.*

AUCTORE C. S.

Ubi cultus fuit et hodiedum colitur.

DE S. LOLANO EPISCOPO CONF.

B IN SCOTIA E

Sylloge de cultu et tempore, quo vixerit.

ANTE MEDIUM SEC. XI, UT FERTUR.

Annuntiatur ad hunc diem 22,

Thomas *Dempsterus in Menologio Scotico ad diem* XXII *Septembris* S. Lolanum *cum episcopi titulo breviter sic annuntiat:* In Scotia Lolani episcopi; *laudatque Kalendarium Adami Regii et Jacobi Cheynæi. Hunc utrumque ab eruditione celebrat in sua Historia Ecclesiastica gentis Scotorum, in cujus lib.* 16, *num.* 1090 *Regium, dum ipse ista scriberet, Edimburgi in vivis etiam superstitem facit, et inter ejusdem Opuscula* Kalendarium Sanctorum Scotorum, librum unum *recenset, quem anno* 1589 *Parisiensibus typis excusum fuisse, ex mox laudando P. Nicolao Wemyss intellexi. Cheynæum in eadem Historia lib.* 3, *num.* 350 *Tornaci anno* 1602 *obiisse scribit; sed inter ejusdem Opuscula nullum hujusmodi commemorat. Verum quidquid sit de horum eruditione, quam hic non examino, ex dictis liquet, ab eorumdem ætate nullum aut exiguum pro antiquo* S. Lolani *cultu pondus posse accedere. Ad manus mihi* C *est libellus Ms.* De indubitatis Scotiæ Sanctis, *quem P. Nicolaus Wemyss, Societatis Jesu presbyter, ipsemet Scotus, ut arbitror, rogante Sollerio nostro, ut Dempsteri ac Camerarii sacros Fastos Scoticos ad incudem revocaret, Duaci conscripsit, in quo, præteritis duobus istis scriptoribus, laudati Regii Kalendarium suis observationibus illustravit castigavitque.*

et ad 24 hujus mensis:

2 *In hoc itaque ad præsentem Septembris diem ex dicto Kalendario hæc recitat:* S. Lolanus episcopus et confessor, sub Duncano, anno MXXXIV. *Deinde ipse subdit:* Nihil monstri de hoc Sancto confictum reperio; nec ullum vidi præter recentiores, inter se satis bene concordes. *Dempsterum secutus Philippus Ferrarius, eumdem in Catalogo generali Sanctorum eodem die his verbis inseruit:* In Scotia S. Lolani episcopi. *Contra David Camerarius lib.* 3 *de Scotorum pietate, ipsum die* XXIV *ejusdem mensis recensuit et sequenti elogio celebravit.* S. Lolanus, episcopus et confessor, apud Duncanum Scotorum regem magna in auctoritate et gratia, quem et consilio et sanctis apud Deum precibus juvisse fertur, cum Danorum rex infidelis Scotiam navali et terrestri aggrederetur exercitu, qui partim apud Kingkornum, (ubi Danorum devictorum adhuc supersunt monumenta) partim ad Culrossanum oppidum proffigatus est. Celebris habetur hic Sanctus in Strilingensi provincia. De eo vide Regium in Calendario et alios. *De elogio hoc infra sermo recurret: interim miror, cur* S. Lolanus *a Camerario ad diem* XXIV *referatur, cum ipsemet laudet Kalendarium Regii, quod ut vidimus, ipsum die* XXII *annuntiat, quo similiter legitur in alio Kalendario nostro Ms., quod Brunus quidam Lovanio ad nos olim transmisit.*

sed priori die Officium habet in Breviario Aberdonensi,

3 *Sed undecumque id didicerit Camerarius, certum est,* S. Lolanum *ad diem* XXII *Septembris saltem olim in Scotia cultum fuisse Officio ecclesiastico. Ita liquet ex Breviario Aberdonensi, anno* 1509 *typis edito, quod transcriptum habemus. In hoc enim ad dictum diem* S. Lolani confessoris et pontificis *Officium præscribitur, cujus sex primæ Lectiones propriæ gesta ejus continent, tres vero ultimæ sunt* de expositione Evangelii: HOMO QUIDAM; F et cætera omnia de Communi unius confessoris et pontificis; *præter Orationem tamen, quam hic subjungo.* Solennitatem Sancti tui, Domine, Lolani annuam recensentes, ejus precatu fac nos, prostratis vitiis, ad gloriæ tuæ triumphum pertingere Per Dominum *etc. Lectiones Officii non recudam, quia tam fabulosæ sunt, ut vehementer admirer, eas Aberdonensi Breviario umquam insertas fuisse. Sed ejusdem scilicet auctor etiam alibi multa habet inepta et fabulosa, ut agnoscit supra laudatus Wemyssius, a quo hasce tamen lectiones non visas fuisse existimo; cum superius dicat,* nihil monstri de hoc Sancto confictum *se reperisse, et in fine ejusdem libelli affirmet, unam Breviarii Aberdonensis partem sibi deesse.*

diciturque in multis Scotiæ locis olim cultus fuisse.

4 *De ejusdem cultu Dempsterus lib.* XI *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum, num.* 790 *præterea ait:* Colitur templis ei variis regni locis erectis, die XXII Septembris, Breviar. Scot. *Præmiserat etiam ibidem, ipsum Catholicis temporibus usque ad inductam in Scotiam hæresim miraculis illuxisse.* Cujus vitæ continentiam, *inquit,* crebra miracula apud Scotos loquebantur, cum invecta hæresis

AUCTORE C. S.

hæresis improbissima pios Dei cultus regno eo eliminare ausa est. *Facile tamen potuit Dempsterus, in patriam suam sæpe cum dispendio veritatis plus æquo liberalis, auxesi hic usus fuisse. Strilinga, sive Sterlinga, ubi Camerarius supra relatus celebrem Sancti cultum fuisse affirmavit, Scotiæ Meridionalis provincia est, cujus primarium oppidum, a quo ipsa nomen accepit, est Sterlinga vel Sterlinium, vulgo* Strivelin *et* Sterlin-borrough, *situm ad Fortheam amnem, qui non procul inde in sui nominis æstuarium, alias etiam* Bodotriæ *dictum, se exonerat. In fabulosis lectionibus Breviarii Aberdonensis dicitur Sanctus in loco,* qui a vulgo PLANUM vocitatur, *sepultus esse; qui locus mihi omnino ignotus est, nec quidquam in iisdem additur, ex quo conjectare liceat, in qua saltem Scotiæ parte hic situs fuerit.*

Videtur vixisse ante medium seculum XI

5 *De nomine regis, sub quo vixit, inter neotericos satis convenit; omnes enim illum sub Duncano rege floruisse consentiunt. Adami Regii ex* Wemyssio, *et Camerarii verba dedimus num.* 2. *Dempsterus lib.* XI *Historiæ ecclesiasticæ num.* 790 *hæc*
B *ait :* S. Lolanus incomparabilis episcopus... Fuit hic regi Duncano familiaris, cujus neque consilium in occupando regno probavit, et exitum sæpe prædixit. *In præcitatis lectionibus nulla de rege fit mentio, sed iisdem tamen præfigitur hic titulus :* Vita S. Lolani confessoris et pontificis sub rege Duncano anno MXXXIX. *Verum suspicor, hæc transcribentis potius, quam ipsius Breviarii verba esse. De tempore quoque ejusdem emortuali paucorum annorum inter prædictos est discrepantia. Wemyssius enim ex Kalendario Regii, et Brunus in Catalogo Ms, Sanctorum Scotiæ annum* 1034 *signant; Dempsterus vero et Breviarii Aberdonensis auctor, vel, ut dixi, descriptor, annum* 1039. *Verum, etsi isti de regis Duncani nomine concordent, non eumdem tamen Duncanum a Dempstero Camerarioque designari, elogia, quæ iidem Sancto texuerunt, manifesto docent. Etenim Camerarius, dum Duncani de Danis victoriam consiliis precibusque* S. Lolani *adscribit, Duncanum I, Malcolmi II ex filia nepotem, designat, nam ab hoc Danorum rex Sueno, in Scotiam irrumpens, memorabili clade profligatus dicitur. Dempsterus autem non minus clare Duncanum II, Malcolmi III nothum indicat, dum ait,* S. Lolanum *hujus de occupando regno consi-*
C *lium improbasse, exitumque suum ipsi, utique*

infelicem, prædixisse; quod utrumque in Dunca- D
num II quadrat; quippe qui, expulso patruo suo rege Donaldo, regnum Scotiæ occupavit, et a Makpendiro post breve regimen trucidatus est. De utroque consuli potest Hector Boëtius in Historia Scotorum, Leslæus, aliique.

sub rege Duncano I. Cetera ejus gesta latent.

6 *Porro duo mox laudati scriptores Duncani I regni initium anno Christi* 1040, *mortem* 1046 *affigunt; Papebrochius vero in Annotatis ad Propylæum ad Vitam S. Margaritæ reginæ Scotiæ tom.* 2 *Junii pag.* 325 *annum* 1036 *vel* 1040 *pro emortuali assignavit. Duncanus alter, sive ejus nominis II, ad finem ejusdem seculi* XI *pertinet. Hinc collige, Dempsteri asserta cum* S. Lolani *tempore emortuali, sive quod ipsemet, sive quod alii statuunt, non posse componi, etiamsi illud etiam cum plurium annorum latitudine accipiatur; contra vero Camerarii narrationem cum eodem facile componi posse, ideoque multo verisimiliorem esse, si* S. Lolanus *sub aliquo Duncano rege floruerit, et id circiter temporis obierit, de quo convenit inter prædictos. Locum episcopatus illius nemo assignat, præterquam fabulosarum lectionum in Breviario Aberdonensi compilator, qui hunc a vulgo* Planum E
appellatum ait, mihi, ut supra monui, incompertum. Gesta ejusdem penitus latent, neque ego magis, quam Wemyssius supra num. 2 *laudatus, de ipso apud antiquiores quidquam potui reperire. Quæ autem in lectionibus Aberdonensibus de ipso narrantur, tam insulse fabulosa sunt, ut ea ex Breviario illo erasa malim, quam a me recusa.*

Inter scriptores numeratur a Dempstero.

7 *Dempsterus in ejusdem elogio lib.* XI *Historiæ ecclesiasticæ Scotorum ipsum etiam inter scriptores numerat, ejusque Opera recenset his verbis :* Scripsit Commentarios in Biblia, lib I; De republica Christiana lib. I; Hymnos sacros lib. I; De inæstimabili dilectionis divinæ effectu lib. I; Passionis Christi typum, lib. I; De Incarnationis mysterio lib. I: quæ in bibliotheca Sconana extraxit furor hæreticorum, igne consumpsit; vir tamen pius memorias apicum saltem vindicavit. *Ita quidem Dempsterus; sed cum is in patriæ suæ gratiam multas fabulas consarcinaverit, nemo miretur, si ego pro Opusculis illis* S. Lolano *adscribendis, quorum titulos ex anonymi, nescio, cujus, testimonio recitat, meliorem vadem requiram. Plura de eo dicenda non habeo.*
F



DIES

DIES VIGESIMA TERTIA SEPTEMB.

SANCTI, QUI IX KAL. OCTOBR. COLUNTUR.

Sanctus Linus Papa Mart., Romæ.
S. Thecla Virgo M. Seleuciæ in Isauria.
S. Paxentius M. } Parisiis.
S. Albina M. } Parisiis.
S. Sophia V. M., Sortini in Sicilia.
S. Liberius Papa Conf., Romæ
S. Projectus Ep. Conf., Foro-Cornelii seu Imolæ in Italia.
B S. Constantius Conf., Anconæ in Italia.
S. Adamnanus vel Adomnanus, presbyter et abbas, in Iona Scotiæ insula.
S. Andreas } MM. in Africa
S. Joannes } MM. in Africa
S. Petrus } MM. in Africa
S. Antonius } MM. in Africa
B. Petrus Acotantus Conf. Venetiis.
B. Helena ab Oleo vidua. Boniæ in Italia. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Garinus *aut* Guarinus, *eum notato ad marginem hoc die, memoratur apud Henricum Murerum in Helvetia sancta Germanice scripta pag.* 125, *ut episcopus in Vallesia; sive Sedunensis, anno* 901 *defunctus, ut credit. Egerunt Majores nostri de* B. Guarino, *qui ex abbate factus est Sedunensis episcopus, et contemporaneus fuit S. Bernardo, cujus Epistola* 254 *ad hunc* Guarinum, *tunc abbatem, data legitur. Bucelinus, Sammarthani, aliique in Catalogis episcoporum Sedunensium distinguunt* Garinum *a* B. Guarino, *quem* Guerinum *vocant. Sammarthani quidem* Garinum *ex* Religioso Ordinis Cisterciensis *creatum episcopum scribunt, et* C *anno* 901 *defunctum : deinde vero* B. Guerinum, *nobis* Guarinum, *ut habet Epistola S. Bernardi, et utrumque, aut probabilius eumdem, ut vidimus, vocant* Sanctum. *Murerus tamen unum dumtaxat* Garinum *Sanctis annumerat; et Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Historia sua chronologica, contexens catalogum episcoporum Sedunensium a pag.* 331, *non alium ponit* Guarinum *præter illum, ad quem exstat S. Bernardi Epistola, illumque vocat* Sanctum. *Mihi (ut breviter mentem meam declarem) unus tantum videtur* Guarinus *episcopis Sedunensibus annumerandus, isque S. Bernardo coævus; cum secundus non aliunde natus videatur, quam ex corrupta primum chronotaxi. Qui nimirum seculo 12 cum S. Bernardo floruerat, videtur per errorem ad initium seculi* 10 *deductus; cumque alii adverterent, S. Bernardum multo serius floruisse, addiderunt secundum. Hoc modo geminationem contigisse, innuit error Sammarthanorum, qui* Garinum *faciunt monachum Cisterciensem duobus fere seculis ante exortum Cisterciensium Ordinem. Si quis vero existimet, non esse verisimile,* B. Guarinum *plus, quam duobus seculis a loco suo avulsum; cogitet* S. Eliam, *de quo actum est ad* 21 *Martii, in catalogis aliquibus etiam longius a tempore suo abstractum : nam apud laudatum ab Ecclesia et Sammarthanos ponitur seculo* 10, *apud Bucelinum* 12 *aut* 13, *et novissime apud Sebastianum Briguet in Vallesia Christiana anno* 390 *figitur. Laudatus quidem Briguetus pag.* 130 *ponit* Garinum *anno* 901, *ut inventum in aliis catalogis, sed nihil de eo refert, quo evincatur,* Garinum *aut* Guarinum *eo tempore Seduni sedisse : et licet* Sanctum *vocet, de cultu tamen nihil affirmat. Quapropter non alium existimo a* B. Guerino, *aut potius* Guarino, *de quo idem agit pag.* 143 *et seqq., quemque et seculo* 12 *floruisse, et laudatum a S. Bernardo recte dicit, honoratumque* copioso affluxu vicini populi. *Verum apud nos de hoc* B. Guarino *jam actum est ad* vi Januarii. F

S. Vincentii *martyris inventio et translatio memoratur in Auctariis Usuardi apud Sollerium, uti et apud Galesinium et Ferrarium. De* S. Vincentio *actum est ad* xxii Januarii.

Xantippæ *et* Polyxenæ, *ut* sanctarum mulierum *memoria hodie est in Martyrologio Romano, ubi illas in* Hispania *annuntiat Baronius, et adjungit :* Quæ fuerunt Apostolorum discipulæ. *In Annotatis pro his laudat Menologium Græcorum. Et revera* Xantippa *et* Polyxena *leguntur insertæ hodie Menologio utrique, nimirum illi, quod* Sirletianum *ab interprete Sirleto vocamus, et alteri, quod* Basilianum *sæpe nominamus, quia Basilii imperatoris mandato conscriptum est. Menæa impressa similiter* Xantippam *et* Polyxenam *memorant. Attamen non ita in dictis Fastis annuntiatur, ut ex illis de cultu illarum apud Græcos constare possit : nam æque in Menæis et Menologiis Græcorum, quam in Martyrologiis Latinorum, mentio fit de nonnullis, qui non honorantur Officio aut alio cultu*

A ecclesiastico. Præterea nec assignat Baronius, nec alius ex martyrologis ullam Hispaniæ civitatem, in qua Xantippa et Polyxena umquam fuerint cultæ: sola vero nominum recitatio in Martyrologio cultum ecclesiasticum non importat, ut ostendit Benedictus XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 4 part. 2 cap. 19 num. 14 et seqq. Itaque nequaquam certi sumus, Xantippam et Polyxenam umquam fuisse cultas: imo is cultus non est verisimilis, cum quia nulla ullius illarum cultus superest memoria, tum quia in vetustis Latinorum Fastis prorsus sunt ignotæ, uti et in Græcis ante seculum decimum, tum vel maxime, quia Græcorum Fastis solum videntur insertæ ex Actis maxime fabulosis. Etenim ante me habeo Acta Græca, exscripta ex codice Græco bibliothecæ regiæ Parisiensis, ex quibus martyrologi Græci sua omnia hausisse videntur. Titulus horum Actorum talis est: Βίος καὶ πολιτεία τῶν ὁσίων γυναικῶν Ξανθίππης Πολυξένης καὶ Ῥεβέκκης. Vita et conversatio sanctarum mulierum Xantippæ, Polyxenæ et Rebeccæ. Quæ in Actis adjungitur B Rebecca, similiter memoratur cum duabus aliis in Menæis et Menologio Sirletiano, et virgo vocanda hæc esset, uti etiam Polyxena, si qua esset Actorum fides. Verum Acta apertissime fabulosa sunt, conscriptaque ab homine, qui certe diu post Apostolorum tempora vixit, et se iis contemporaneum circa finem finxit, ubi Onesimum se vocat, et se cum Lucio S. Pauli discipulo ex Græcia in Hispaniam navigasse scribit, eoque duxisse Polyxenam et Rebeccam. At hominem esse aliquot seculis posteriorem Apostolorum temporibus, clare colligimus ex vocibus Latinis, quibus utitur, quæque non nisi diu post a Græcis aliquot fuerunt usitatæ. Tales sunt κουβούκλιον cubiculum, ἀκούμβιτος ab accumbere accubatio ad mensam, aliæque plures, quas variis vicibus adhibet. Ignorantiam hominis ejusdem deprehendo non modo ex plurimis ineptiis plane ridiculis, quas Actis admiscet; sed ex eo etiam, quod Polyxenam per varias deducat regiones, nec tamen ullam civitatem nominet, in qua fuerit; quodque S. Paulum, deindeque se Onesimum et Lucium cum Polyxena et Rebecca, deducat in Hispaniam, nec tamen edicat, in qua fuerint Hispaniæ civitate, imo tan- C dem Hispaniam ipsam videatur civitatem facere, dicens gaudium fuisse magnum ἐν ὅλῃ τῇ πόλει τῆς ἱσπανίας in tota urbe Hispaniæ. Jam vero, etsi Acta sint satis prolixa, omnia, quæ narrat, uno anno fieri potuissent, si facta essent, et ne mortem quidem Heroinarum suarum narrat; sed sermocinationes visionesque ac eventus inexspectati adeo multi sunt, ut necesse non esset plures confingere, si quis carmini epico materiam similem præparare vellet. Xantippam facit conjugem Probi cujusdam, quem Hispaniæ dicit præfectum; Polyxenam vero Xantippæ sororem juniorem. Xantippam in Hispania conversam narrat, baptizatamque a S. Paulo, quem dicit in civitatem ingressum eo ipso tempore, quo Xantippa erat domo egresssa, ita ut et introëuntem illa videret, et mox alloqui desideraret, ideoque et Probus accurrens Paulum domo sua reciperet. Polyxenam vero ait ab homine nefario raptam, et per mare abductam, ubi obvium in alia navi sistit S. Petrum, qui pro ipsa orasse dicitur, visione monitus. Tam Polyxenam in Græciam perducit ad S. Philippum, a quo custodienda traditur cuidam Christiano. At raptor, ut Polyxenam reciperet, exercitum octo hominum millium congregasse dicitur, ideoque D Polyxena fugisse ad silvam, in qua leænam vidit pacificam: deinde in viam regressa S. Andream habuit obvium, et ab eo baptismum petiit. Mox accessit Rebecca, puella Judæa, et baptismum similiter flagitavit. Venit et leæna jam dicta, et humanis vocibus monuit Andream, ut baptizaret utramque. Mitto sexcentos eventus inexspectatos, et inventione poëtica dignos, post quos Polyxena et Rebecca in Hispaniam ductæ dicuntur ab Onesimo, ibique invenisse Xantippam et S. Paulum, et sic tandem finitur fabula. Vidit fabularum illarum consarcinator et laudavit gesta S. Theclæ, de qua hodie agetur, imo et fabulosa S. Theclæ Acta ex parte imitatus videtur. Nam sicut S. Thecla multis exposita fuit periculis amittendæ virginitatis, ex iisque feliciter evasit: ita fabricator horum Actorum plurimis Polyxenam objecit ejusmodi periculis, ubique tamen prodigiose servavit illæsam. Magna tamen est differentia inter S. Theclam et Xantippam Polyxenamque. Nam Thecla celeberrima est ac notissima apud sanctos Patres, cultuque ecclesiastico et miraculis clara. At Xantippa et Polyxena toti antiquitati ignotæ sunt, nec umquam videntur cultæ in Ecclesia. E Nam quæ posterioribus seculis nonnulli produxerunt Chronica, Luitprandi aliorumque nomine, ea supposititia et fictitia esse constat. Quapropter, etiamsi Tamayus in Martyrologio Hispanico vetustissima videatur de Xantippa, Polyxena et Rebecca laudare documenta, ex iisque Acta conscribere, nihil tamen revera adduxit, quod sit vetustius relatis Græcorum Fastis: nam Acta Græca, quæ fabulosa dixi, ignoravit. Itaque saltem dubitare cogor, an Xantippa, Polyxena et Rebecca umquam fuerint cultæ, imo an umquam vixerint. Si tamen revera sint Sanctæ, inveniet studiosus lector omnia fere, quæ de iis Græci dixerunt, in S. Onesimo Pauli discipulo, et episcopo Ephesino, de quo actum est ad xvi Februarii.

S. Elias, episcopus Vallesiæ sive Sedunensis in Helvetia sancta commemoratur pag. 186, et in margine notatur dies 23 Septembris. Verum de laudato Elia apud nos jam actum est ad xxi Martii.

S. Paternus, in territorio civitatis Constantiæ, hoc die annuntiatus fuit ab Usuardo, ut confessor. F Baronius in Martyrologio Romano martyrem credidit, et in Annotatis existimavit, episcopum fuisse Constantiensem. Verum ostendit Henschenius noster in Commentario prævio Vitæ S. Paterni Abrincensis episcopi, non alium esse Paternum, qui hodie ab Usuardo memoratur, quam Abrincensem. Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico S. Paternum Constantiensem in Hispaniam pertraxit, Actaque ipsius concinnavit ex Chronicis fictitiis. At, cum nihil, nisi ex supposititiis, producat; necesse non est errores historicos manifestos, in quos impegit, assignare: nam satis probatum est, Paternum, in territorio Constantiensi defunctum, non esse alium, quam Abrincensem, cujus Vita data ad xvi Aprilis.

Stabilionis abbatis mentio est in Florario Ms., et apud Grevenum, Canisium et Ferrarium. At, dum dicunt discipulum esse S. Paterni, clare insinuant, legendum esse Scubilionis, cujus et S. Paterni Vita data est ad xvi Aprilis.

S. Marcus Evangelista hodie est in apographis Hieronymianis. Colitur, et Acta data xxv Aprilis.

S. Guiberti elevatio, Gemblaci in Brabantia, memoratur in aliquot Fastis Benedictinis, uti et apud

A *apud Molanum, Canisium et Ferrarium. De hac ad Acta, edita die* XXIII Maii.

S. Joannis Baptistæ conceptio *hoc die memoratur apud Græcos, postridie apud Latinos. Acta apud nos illustrata sunt ad* XXIV Junii.

S. Hidulphi *episcopi, et abbatis Laubiensis, hodie meminit Kalendarium Ms. S. Salvatoris Antverpiensis. Vita data ad* XI Julii.

S. Abelis *archiepiscopi Remensis memoria occurrit in Ms. Kalendario S. Salvatoris Antverpiensis. Acta dedimus ad* V Augusti.

S. Constantii, *Aquinatis episcopi, ad hunc diem meminerunt Grevenus, Molanus, Maurolycus, et Canisius. Nos cum aliis de eo egimus ad* I Septembr.

Heraïs *virgo Alexandrina et martyr hodie recurrit in Menæis impressis, ut jam dictum est, quando de ea actum, ad* V Septembr.

S. Sosius *diaconus Misenas, in martyrio socius* S. Januarii, *hodie omnibus passim Fastis legitur inscriptus et colitur. Verum de* S. Januario, Sosio, *reliquisque Sociis, simul actum est ad* XIX Septembr.

S. Salabergæ *abbatissæ mentio est apud Maurolycum hac die, uti et in Kalendario Ms. abbatiæ* B *S. Salvatoris Antverpiensis, ubi dicitur* translatio. *De* S. Salaberga *vide* XXII Septembris.

SS. Dignæ et Emeritæ *memoria hodie est apud Grevenum, in Florario Ms., et in Appendice ad Adonem; in Martyrologiis plerisque, et apud nos ad* XXII Septembris.

S. Lolani, *episcopi Scoti, in Kalendario Ms. fit mentio; apud nos ad* XXII Septembr.

De Ottone *Frisingensi, cujus memoria est apud Menardum, vide dicta in Prætermissis ad* XXII Septemb.

B. Mariæ Virginis Assumptio secunda *legitur in Florario Ms,, apud Canisium et Molanum. Spectat illa ad Opus particulare de beatissima Virgine.*

SS. Hilarii *et* Bonifacii, *martyrum Romanorum, translatio hac die solemniter facta est ad monasterium B. Mariæ de Laude, Ordinis Cisterciensis, prope Insulas in Flandria. Reperta fuerunt eorum corpora in* cœmeterio Cyriacæ, cum eorum propriis nominibus, in sepulcris incisis, *indeque extracta, mandante Innocentio* C *Papa X, traditaque reverendissimo Patri Balthasari d'Avila, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Correctori generali. Hic vero corpora illa in Belgium transmissa donavit abbati Laudensi, qui ea, postquam recognita fuerant anno* 1652 *ab archiepiscopo Mechliniensi, et iterum anno* 1653 *ab episcopo Tornacensi, elegantibus thecis imposuit, et prioribus annis Insulis detinuit ob turbas eo tempore vigentes, ibidemque publicæ venerationi exposuit in sacello domus suæ. Verum, pace composita, laudatus abbas* SS. Hilarii *et* Bonifacii *corpora ad abbatiam Laudensem anno* 1660 *transferenda curavit, ibique honorifice deponenda* in anteriori parte chori, S. Hilarii videlicet supra altare S. Mariæ Magdalenæ sacrum, S. Bonifacii autem *supra altare* S. Benedicto *dicatum. Hæc breviter ex longiori relatione, missa ad Majores nostros anno* 1669. *Ceterum de gestis horum Sanctorum nihil certo novimus præter martyrium. Inter innumeros martyres Romanos aliquem reperio* Hilarium, *de quo cum aliis brevissime apud nos actum est ad diem* 5 *Junii. Similiter* Bonifacium *aliquem Romano inscriptum Martyrologio reperio, tamquam Romæ passum cum Callisto et Felice. Corpora autem illius* Hilarii *dictique* Bonifacii *aliis* D *locis haberi, necdum novimus, ut illa ipsa inveniri potuerint et transferri. Verum, cum nomina* Hilarii *et* Bonifacii *satis fuerint usitata apud Romanos, multi alii martyris synonymi ibidem pati potuerunt.*

Teclæ, *ut Sanctæ, et Virginis sanctimonialis, ad hunc diem meminit Saussayus, occasione arrepta a S. Thecla, de qua agimus.* Teclam *autem annuntiavit* Arvernis, *sive Claromontii in Arvernia, ubi ait eam quiescere* ante altare S. Pardulphi. *Verum* Teclam *Arvernensem apud alios martyrologos non reperio; ne in Universali quidem Martyrologio Castellani. Video tamen, quid secutus sit Saussayus. Joannes Savaro edidit, et annotatis illustravit duos libellos auctoris anonymi, qui scripsit seculo* X, de Sanctis, ecclesiis, et monasteriis Claromontii. *Ibi autem lib.* 2 *pag.* 48 *recensentur altaria monasterii Camalariensis, et de ultimo sic habetur :* Altare S. Pardulphi, ubi requiescit S. Tecla. *Savoro ad voces* S. Tecla *annotat sequentia :* A qua fortasse monasterium Teclatense vocatur in Historia S. Boniti, quæ propter bonitatem morum et vitæ sanctitatem Teclæ nomen sortita est, ut idem de Melania E scribit Gregorius Turonensis lib. I Hist. cap. 40, *imo cap.* 36. *Quantumvis hæc frigida sint, placuerunt Saussayo; conjecturasque Savaronis, tamquam oracula adoptavit et amplificavit. Quod autem spectat ad illas conjecturas, in Vita S. Boniti, ad* XV *Januarii data, cap.* 7 *num.* 33 *revera fit mentio* Teclatensis monasterii. *At hinc minime fit certum, nomen monasterii profluxisse ab illa* Tecla. *Si vero* Tecla *monasterio nomen suum indidisset, ex eo necdum probari posset sanctitas. Altera conjectura ineptior est,* Teclam *nempe fuisse dictam* propter bonitatem morum et vitæ sanctitatem. *Etsi enim Melania ab aliquibus* Thecla *fuerit vocata, quomodo probasset Savaro*, Teclam *Arvernensem eadem ex causa nomen sortitam, et quidem nomen stabile. Nugæ hæ sunt et ineptiæ pueriles, et vel sic placuerunt non tantum Saussayo, sed etiam Jacobo Branche, qui in Vitis Sanctorum Arverniæ pag.* 551 *ad hunc diem* Teclam *memorat, at facit fundatricem Camalariensis monasterii. Verum nec cultum ecclesiasticum probat Branche, nec Saussayus, ita ut nihil habeamus, quo Sanctam credere possimus, præter titulum* F *Sanctæ eidem datum ab auctore anonymo seculi* X. *At non sufficit nobis titulus* Sanctæ *nomini* Teclæ *præfixus ab anonymo : nec omnino certi sumus, titulum illum ab ipso auctore profluxisse, cum potuerit postea addi ex negligentia transcribentis. Quare, ut* Teclam *aliquam Arvernensem Sanctis annumerare possemus, probandum esset, aliquando publice cultam fuisse apud Arvernos, aut saltem reliquias ipsius publicæ fidelium venerationi fuisse expositas. Aliqui volunt, in dicta ecclesia esse reliquias* S. Theclæ *Iconiensis, de qua hodie agimus.*

Theclæ viduæ *mentio est in Florario Ms.,* apud Ravennam, *et* anno salutis LXXX. *Suspicor, errorem esse, et* S. Teclam *Aquileiensem forte errandi occasionem dedisse.*

Gillæ, Gilliæ *aut* Ægidiæ, *tertiariæ Franciscanæ, mentio fit apud Arturum a Monasterio in Martyrologio Franciscano et in Gynæceo cum titulo* Beatæ. *Cullum laudatus Arturus minime probat, et Waddingus, qui de* Gillia *meminit ad annum* 1297, *ne titulum quidem* Beatæ *eidem attribuit*

attribuit, uti nec Hueberus in Menologio, ubi ipsam memorat ad 29 *Maii. Attamen habeo Epistolam, anno* 1686 *ad Papebrochium datam a viro erudito Cortonensi, qui qualemcumque* Ægidiæ *cultum probare contendit. Quapropter huc breviter congeram pauca illa, quæ de ipsa innotuerunt. Fuit* Gillia *aut famula aut socia B. Margaritæ Cortonensis, cujus vita data ad* 22 *Februarii. Affirmat autem laudatæ Epistolæ scriptor, caput et manus* Gilliæ *servari una cum reliquiis B. Margaritæ, et cum iisdem populo ostendi in B. Margaritæ festo. Ad hoc confirmandum ex Processu canonizationis B. Margaritæ Cortonensis adducit hæc verba :* Ibidem viderunt etiam caput humanum sine carne cum inscriptione *(Italica, quæ Latine sic redditur)* Caput Sociæ B. Margaritæ; ut duas manus carne coopertas cum digitis carne coopertis, et dictum caput, et dictas manus asserunt supradicti fratres Marianus et Guido, et dominus Joannes Paulus ex antiquissima traditione audivisse vocari, *(Italice)* il capo e le mani della B. Egidia. *id est*, caput et manus B. Ægidiæ; *Accedit Historia Cortonæ, Italice scripta per Jacobum Laurum Romanum, ubi part.* 2 *enumerantur reliquiæ, conservatæ in ecclesia B. Margaritæ, iisque annumerantur* caput et manus carne coopertæ B. Ægidiæ, sociæ B. Margaritæ. *Hæc sunt argumenta, quibus laudatus Epistolæ scriptor cultum* Gilliæ *vel* Ægidiæ *probare voluit. At mihi ista necdum sufficiunt. Nam, ut recte ostendit sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV in opere de Servorum Dei beatificatione et canonizatione lib.* 2 *cap.* 13, *conservatio reliquiarum in sacristia vel ecclesia non importat cultum publicum, modo illæ ad publicam venerationem in ecclesia non exponantur. Itaque hoc tantum loco subjungo pauca, quæ de* Gillia *defuncta leguntur in Vita B. Margaritæ Cortonensis num.* 242. Famulæ Dei *(B. Margaritæ)* supplicanti pro anima Gilliæ famulæ suæ jam defunctæ, respondit angelus, dicens ei : Gillia morabitur in loco purgatorii mense uno in quo tamen leves pœnas patietur propter iras suas per zelum, etc. In festo Purificationis Virginis gloriosæ fuit Magaritæ a Domino revelatum, quod illo mane quatuor angelos pro anima Gilliæ destinaverat, et eam, sicut ei prædixerat, collocacavit in ordine cherubin etc. *De pluribus ejusdem Ordinis viris, præstantibus pietate, virtutibus et aliis dotibus, quibus* Beatorum *titulum more suo tribuit Arturus, consuli ipse potest cum non inveniam sufficientia cultus publici indicia.*

Herswidam *aut* Hereswidam, *ex regina viduam, et monialem in Calensi cœnobio prope Lutetiam Parisiorum, annuntiant cum Martyrologio Anglicano Saussayus et Ferrarius. Quin et Majores nostri ad* 10 *Januarii in Sethrida* Hereswidæ *filia non dubitarunt* Hereswidam *vocare* Sanctam, *quod necdum perspexissent, quam facile Saussayus et Ferrarius* Sanctorum *aut* Beatorum *titulum usurpent sine cultu. At Castellanus, qui Parisiis scripsit, ideoque nosse potuit, an coleretur* Hereswida, *solum vocat* venerabilem. *Menardus quoque, licet alias minus hac in re rigidus ad* I *Decembris ita habet :* In monasterio Calensi, territorii Parisiensis, venerabilis Hereswidæ reginæ.

Theunanus *vel* Thennanus *abbas in Scotia annuntiatur ut* Sanctus *a Dempstero in Menologio Scotico ad hunc diem*, In Scotia Theunani abbatis, *laudatque Kalendarium Adami Regii et Jacobi Cheynei. De eodum rursus agit lib.* 18 *Historiæ eccles: Scotorum, ubi* Thewanum *appellat, ac* Eugenii VI regis *præceptorem fuisse, et Sanctorem Vitas scripsisse dicit.* Florebat, *inquit*, anno DCLXXXIV. Recolitur ejus sacra mememoria die XXIII Septembris, Kalendarium Adadami Regii, et Breviaria Scotica. *In apographo nostro Breviarii Aberdonensis, anno* 1509 *impressi, ad* XXIII *Septembris hæc leguntur :* S. Theunani abbatis et confessoris in Scotia, præceptoris Eugenii VI regis. Anno DCLXXXIV, Septembris XXIII. *Verum nihil de ipso præterea additur ; nulla lectio, nulla oratio, nulla mentio de Officio alibi quærendo, sed mox sequitur Officium S. Adamnani, de quo hodie agemus. Hinc suspicio est, non esse illa Breviarii verba, sed Breviario addita in apographo ex ipso forsan Dempstero. Camerarius* Thevuanum, *ut vocat, refert ad* 26 *Septembris, facitque consiliarium Eugenii VI, non præceptorem ; et abbatem monasterii Mailrossensis. Pro cultu laudat Kalendarivm Regii jam memoratum. Ferrarius in Catalogo Generali ad hunc diem etiam* Thennani abbatis *meminit. At nobis nec Kalendarium Regii, nec vaga Breviariorum Scoticorum laudatio, sufficere videntur, ut certi esse possimus de cultu prædicti abbatis, præsertim cum perspectum habeamus, quam faciles fuerint Dempsterus et Camerarius in cultu quorumdam asserendo sine idoneo fundamento.*

Balsamus, *monachus Cisterciensis Ordinis, ad hunc diem refertur apud Chalemotum, apud Henriquez ad* 19 *Septembris. Henriquez vero ad hunc diem memorat* Monachos Cistercienses *ab Hussitis occisos, et alios duos, quibus de more titulum* Beatorum *adjungit. Posteriores inter pios etiam retulit Saussayus. Videri possunt scriptores laudati, cum non colantur.*

Ordinum militarium S. Mauritii et S. Lazari conjunctio sub instituto Cisterciensi in Sabaudia, celebratur in Kalendario impresso Cisterciensi, et apud Chalemotum.

Dedicatio *ecclesiæ* Mouciacensis *in Picardia, monialium Cisterciensium, memoratur apud Chalemotum.*

Cletæ virginis, *sine aliis adjunctis, mentio fit in Ms. Martyrologio Trevirensi. Illam alibi non reperimus.*

Simon Saltcrellus, *ex Ordine Prædicatorum archiepiscopus Pisanus, cum titulo* Beati *memoratur apud Lafon in Anno Dominicano ad hunc diem, et apud Marchesium, et alios quosdam ejusdem Ordinis scriptores. Ughellus tom.* 3 *Italiæ sacræ* Simonem *elogio ornat inter archiepiscopos Pisanos. Omnes defunctum ponunt anno* 1342, *priores die* 23, *Ughellus* 24 *Septembris ; at nullus cultum publicum probat, nec* Beatum *vocat Ughellus. Alii etiam ad hunc diem* Beati *vocantur apud Lafonum. Verum cum hic scriptor facile illo titulo utatur, licet eumdem indifferenter omnibus non attribuat, necesse non puto plura de cultu illorum indagare : neque enim Marchesius Beatos facile omisisset.*

S. Geremarus, *abbas* in territorio Belvacensi, *hodie est in Martyrologio Ms. monasterii S. Vedasti, sed in Romano ad* XXIV Septembris.

S. Isarnus, *abbas Massiliæ, memoratur apud Ferrarium, apud alios plures ad* XXIV Septembris.

S. Nympha, *virgo M., hodie memoratur a Ferrario, in Martyrologio Romano ad* X Novembris.

S. Jacobus

A S. Jacobus Intercisus, *martyr apud Persas, hoc die est in Ms. Florario Sanctorum, in Martyrologio Romano ad* XXVII Novembris.

S. Dioconani *martyris hodie meminit Camerarius.*

D *De* S. Dioconano *commemorationem fieri in Breviario Aberdonensi video ad* XXIII Decembris.

DE S. LINO PAPA MART.

ROMÆ

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

§ I. Pontificatus S. Lini, et martyrium ab objectionibus Tillemontii vindicatum.

Probabilius anno LXVII. Chronotaxis primorum Pontificum hic non repetenda :

Quamquam multa disputari possunt ad chronotaxim S. Lini *recte disponendam, atque hunc in finem plurima inquirere cœpi de anno Passionis Domini nostri Jesu Christi, et de successione primorum Pontificum; cum tamen tantam de hisce omnibus sententiarum varietatem reperiam,* B *tantasque in singulorum opinionibus difficultates, quas viri eruditi diversis modis conati sunt tollere, ut sperare nequeam, mea disputatione sententiam aliquam satis certam reddendam; a disputatione chronologica hic abstinendum mihi censeo, ne tempus inutiliter teram, et aut dicta aliorum repetam, aut invicem pugnantium numerum augeam. Itaque breviter tantum insinuabo, quo modo Henschenius noster* S. Lini *chronotaxim disposuerit; nam illius sententia, quam in prioribus Pontificibus et in anno Passionis Christi Pagius aliique adoptarunt, mihi ceteris præferenda videtur saltem usque ad annum emortualem* S. Lini, *de quo solo hic agimus.* Linum *autem fuisse primum S. Petri apostoli in Pontificatu successorem, consentiunt plerique eruditi : neque audiendi sunt pauculi, qui sine idoneis rationibus contendere voluerunt,* S. Linum *defunctum esse ante S. Petrum* C *Apostolorum Principem.*

S. Linus partim S. Petri vicarius, partim pontifex

2 *De annis, quibus* S. Linus *Romanam cathedram administravit, in antiquissimo Romanorum Pontificum Catalogo, dato apud Bucherium et ante tomum* 1 *Aprilis, pag.* XVII *hæc leguntur :* Linus annis duodecim, mensibus quatuor, diebus decem (*alias* duodecim.) Fuit temporibus Neronis, consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo. *Ad consulum nomina hæc observavit Henschenius :* Indicati consules fuerunt Q. Volusius Saturninus et P. Cornelius Scipio, qui eam dignitatem gesserunt anno æræ vulgaris quinquagesimo sexto, quando circa XIII diem Maii a S. Petro consecratus est episcopus; ejusque vicarius... constitutus, sub ejus auctoritate ministerium episcopale Romæ exhibuit annis omnino novem usque ad annum sexagesimum quintum, quando Nerva et Vestino consulibus S. Petrum martyrium passus est XXIX Junii. Quo mortuo, S. Linus verus Pontifex, præfuit Ecclesiæ annis duobus, mensibus duobus et diebus sex et viginti. Tandem martyr obiit XXIII Septembris anni LXVII, quo consulatum gerebant ante memorati S. Fonteius Capito et C. Julius Rufus, et erat annus imperii Neronis decimus tertius : qui proximo anno die IX Junii, cum ad supplicium quæreretur, Roma fugiens, seipsum interemit. *Hæc Henschenii chronotaxis, quæ Papebrochio etiam placuit.*

fuisse dicitur ab anno Christi 56 usque ad 67;

3 *At secundum consules in Catalogo nominatos* S. Lino *non attribuuntur anni* duodecim, *ut habet Catalogus, sed* undecim, *ut habet Catalogus secundus, in quo adjiciuntur* menses tres, dies duodecim. *Cum autem in utroque Catalogo iisdem consulibus assignetur initium et finis episcopatus* E S. Lini; *manifestum est, in vetustissimo Catalogo pro* undecim *annis male legi* duodecim, *mihique verisimillimum apparet, solo errore transcribentium id contigisse. Catalogos alios Romanorum Pontificum ediderunt Schelstratius tom.* 1 *Antiquitatis Ecclesiæ illustratæ, Pagius tom.* 1 *Criticæ Baronianæ, aliique plures. Ut breviter et generatim de iis loquar, dico in plerisque* undecim *similiter annos* Lino *attribui; in nonnullis tamen* quindecim, *in aliis* septem, *in aliis* duodecim; *in diebus quoque et mensibus nonnihil variare catalogos. Quapropter de diebus et mensibus, qui annis undecim adjiciuntur, minus certi esse possumus, quam de annis, cum hi ex consulibus innotescant. Neque enim tam facile alios consules aliis substituunt librarii, quam numeros annorum, mensium et dierum corrumpunt.*

Patres non negant, Linum fuisse vicarium S. Petri, asserunt tamen,

4 *Quæ dicta sunt de administratione Ecclesiæ Romanæ per* S. Linum, *vivente S. Petro, non placent Tillemontio tom.* 3 *Monum. Eccl., Nota* 1 *in S. Clementem, ubi objicit S. Irenæum aliosque Patres, tamquam huic opinioni contrarios. At laudati Patres solum volunt,* S. Linum *præfuisse Romanæ Ecclesiæ post mortem S. Petri; sed minime* F *negant, eamdem Ecclesiam a* Lino *vicario S. Petri administratam, vivente eodem Apostolo. Audiamus S. Irenæum reliquis antiquiorem lib.* 3 *contra Hæreses cap.* 3 : Fundantes igitur, *inquit,* et instruentes beati Apostoli *(Petrus et Paulus)* Ecclesiam, Lino episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. *Græce ita habetur :* Θεμελιώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν, Λινῷ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν. *Magis ad litteram allegata verba Latine sic reddo :* Fundata igitur et ædificata Ecclesia, beati Apostoli episcopatus administrationem Lino in manus dederunt. *Non videtur clarius declarare potuisse Irenæus, episcopatus Romani administrationem a viventibus Apostolis* S. Lino *fuisse commissam, quam per vocem* ἐγχειρίζειν in manus dare : *neque enim hæc congruit illis, qui per mortem suam aliquid alicui relinquunt. Præterea, cum simul Petrum et Paulum nominet Irenæus, nequit intelligi de relicto episcopatu* S. Lino *per mortem,* tamquam

AUCTORE J. S.

tamquam successori : neque enim S. Paulus erat Episcopus Romanus, ut morte sua episcopatum relinquere posset S. Lino. *Verum cum Petrus et Paulus Romæ fidem Christianam propagassent, eaque ratione ambo Ecclesiam ibi fundassent et ædificassent, licet solus Petrus Romanus esset Episcopus; poterant communi consilio episcopatum Romanum committere* Lino, *ut ipsi aliis in locis fidei semina jacerent : atque hæc videtur esse S. Irenæi sententia. Addit laudatus Pater :* Hujus Lini Paulus in his, quæ sunt ad Timotheum, Epistolis meminit. *Nimirum in secunda ad Timotheum quæ Romæ scripta est, circa finem ita habet :* Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

primum quoque post Petrum fuisse Pontificem,

5 *Eusebius lib. 3 cap. 2 sic habet :* Ceterum post Pauli Petrique martyrium primus Ecclesiæ Romanæ episcopatum suscepit Linus. *Et rursum cap. 4 :* Linus vero, quem in secunda ad Timotheum Epistola Romæ secum versari testatur *(S. Paulus,)* primus post Petrum, ut supra jam diximus, Ecclesiæ Romanæ episcopatum adeptus est. *S. Hieronymus de Scriptoribus lib. 15 enumerans quatuor primos Episcopos Romanos, ait :* Secundus Linus fuit. B *Optatus Milevitanus lib. 2 de Schismate Donatistarum, et S. Augustinus Epist. 53 similiter* Linum *Petro successisse aiunt, ipsumque secundum ponunt inter Pontifices Romanos. Attamen nonnulli veteres pro* Lino *secundum posuerunt Clementem, quem alii tertium posuerunt, alii quartum. Nam laudatus Hieronymus in elogio Clementis ita habet :* Clemens... quartus post Petrum Romæ episcopus : siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem. *Tertullianus de Præscriptione adversus hæreticos lib. 1 cap. 32 videtur Clementem præponere, dum ita loquitur :* Sicut Romanorum *(Ecclesia)* Clementem a Petro ordinatum edit. *Verum, si locum allegatum recte consideremus, non reperiemus, Clementem dici primum Petri successorem, sed ab eo ordinatum. Potuit autem Clemens episcopus ordinari a S. Petro ad fidem variis in locis prædicandam, etiamsi non fuerit primus post ipsum Romanæ Ecclesiæ Episcopus. Certe præ-* C *mittit Tertullianus hæc verba :* Sicut Smyrnæorum ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlatum refert. *Atqui Polycarpus non videtur primus fuisse episcopus Smyrnensis, cum præcesserit S. Bucolus, de quo actum ad* VI *Februarii, et verisimiliter alii, de quibus consuli potest Lequienus in Oriente Christiano tom 1 col. 737. Existimo igitur, illos potissimum nominatos a Tertulliano, non quia primi erant suarum ecclesiarum episcopi, sed quia magis erant noti, et inclaruerant scriptis, quibus hæretici refutabantur. Si quis vero credere mallet, Tertullianum revera credidisse Polycarpum primum fuisse episcopum Smyrnensem, Clementem vero primum Petri in Romana Ecclesia successorem, dicendum esset, Tertulliano non satis fuisse perspectum ordinem episcoporum utriusque Ecclesiæ, dum illa scripsit. Et nequaquam necesse est id asserere, cum ipsius verba commode exponantur modo jam dicto.*

Nec audiendus Rufinus, qui ex supposititia Clementis Epistola

6 *Alia rursum de primis Pontificibus est sententia Rufini in Præfatione ad librum Recognitionum, quem ex Græco Latinum fecit. Nam in ea hæc scribit :* Epistolam sane, in qua idem Clemens, ad Jacobum fratrem Domini scribens, de obitu nuncians * Petri, et quod se reliquerit successorem cathedræ et doctrinæ suæ,... ideo huic Operi non præmisi, quia in tempore posterior est, atque olim a me interpretata atque edita. Sed quod in ea D nonnullis fortasse videbitur inconsequens, si hic explanetur, non puto absurdum videri. Quidam enim requirunt, quo modo cum Linus et Cletus in Urbe Roma ante Clementem hunc fuerint episcopi, ipse Clemens ad Jacobum scribens, sibi dicat a Petro docendi cathedram traditam. Cujus rei hanc accepimus esse rationem, quod Linus et Cletus fuerunt quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro; videlicet ut illi episcopatus curam gererent, ipse vero apostolatus impleret officium. Sicut invenitur etiam apud Cæsaream fecisse : ubi cum ipse esset præsens, Zachæum tamen a se ordinatum habebat episcopum. Et hoc modo utrumque verum videbitur, ut et illi ante Clementem numerentur episcopi, et Clemens tamen post obitum Petri docendi susceperit sedem. *Ita Rufinus, ut Epistolam supposititiam Clementis ad Jacobum conciliet cum opinione Romanorum de primis Pontificibus.*

* al. nunciat

credidit, Linum fuisse defunctum ante Petrum:

7 *Verum, cum Epistola Clementis ad Jacobum fratrem Domini manifeste sit supposititia : (in ea enim annuntiatur mors S. Petri, quem Jacobo aliquot annis supervixisse constat) veniam quidem meretur Rufinus, sed auctoritatem habere hic nequit.* E *Etenim, cum ratio ipsius unice ex assertis illius Epistolæ videatur petita, Rufinus majorem fidem non meretur, quam ipsa Epistola supposititia, quam imperite pro authentica obstrusit. Constitutiones Apostolicæ, cum etiam supposititiæ sint, nos nihilo magis morari debent, etiamsi lib. 7 cap. 46 ita habeant :* Romanorum Ecclesiæ primus quidem Linus Claudiæ filius a Paulo; secundus autem a me Petro post mortem Lini ordinatus fuit Clemens. *Neque enim ignoti hujus scriptoris, qui Clementis Romani nomen falso sibi tribuit, magna in hisce potest esse auctoritas.*

S. Epiphanius nostræ etiam favet sententiæ

8 *Epiphanius Hær. 27 cap. 6 agnoscit,* Linum *fuisse primum post Apostolos Pontificem, secundum Cletum, tertium Clementem. Dubitat autem, an Clemens ordinatus fuerit ab Apostolis, an vero deinde a S. Cleto.* Utrum, *inquit,* illis adhuc superstitibus *(Lino et Cleto)* impositis manibus episcopus a Petro consecratus, eaque detrectata provincia, ob omni administratione vacaverit,... an potius secundum Apostolos ab Episcopo Cleto sit constitutus, liquido non constat. Quamquam vel hac quidem ratione poterant, viventibus adhuc Apostolis, Petro scilicet ac Paulo, episcopi alii surrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii F gratia in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem episcopo Roma non posset... Ac fieri sane potuit, ut primum Clemente constituto, cum is defugeret (si ita tamen contigit, quod ego opinando potius quam asseverando dixerim) postea Lino Cletoque mortuis, qui XII annorum spatio singillatim episcopatum obtinuerunt, post apostolorum Petri Paulique necem, quæ in annum Neronis XII incurrit, tum demum Pontificatum capessere sit coactus. *Hæc multa cum dubitatione Epiphanius, indubitanter tamen asserens, primum post Apostolos Romæ Pontificem fuisse* Linum. *At minime asserit,* Lini *episcopatum inchoari potuisse ante martyrium Petri et Pauli; sed potius contrarium. Quapropter standum videtur antiquioribus Catalogis, in quibus anni, quibus* S. Linus *sedisse dicitur, inchoantur ab anno 56 et finiuntur anno 67 : nam quæ objiciuntur a Tillemontio et aliis, non proficiscuntur ab ulla antiquiorum auctoritate; sed ab alio systemate, quod elegerunt, et cui annos* S. Lini *adaptare conantur. Utrum vero* S. Lino *successerit Cle-*

A *mens, an Cletus, quod valde ambiguum est, hic non disputo.*

Assertum S. Lini martyrium Tillemontius

9 *In secundo Catalogo Pontificum* Linus *dicitur* natione Italus, regionis Tusciæ, patre Erculano, et martyrio coronatus. *Mox additur* : Hic ex præcepto B. Petri constituit, ut mulier in ecclesiam velato capite introiret. Qui et sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano, IX Kalendas Octobris. *De martyrio* S. Lini *disserit Tillemontius tom.* 2 *in S. Clemente Nota* 4, *ubi conjecturas aliquot affert, ut persuadeat, Sanctum non esse martyrio defunctum. Vult nihilominus* martyrem *recte vocari ob ea, quæ passus est pro Domino nostro Jesu Christo. Si quis autem quæsivisset ex Tillemontio, quid pro Christo passus sit* S. Linus, *si mortem passus non est; coactus utique fuisset respondere, id se ignorare. Certe in Catalogo mox laudato* martyrio coronatus *dicitur; sed non additur, quibus cruciatus fuerit tormentis, quove mortis genere sublatus. Cum porro fidem abroget Adoni, Usuardo, Wandelberto, aliisque seculi* IX *martyrologis*, S. Lini *martyrium asserentibus, non credidisset hodierno Breviario Romano, in quo hæc leguntur* : Huic Pontifici caput amputatum est ob B constantiam Christianæ fidei jussu Saturnini impii et ingratissimi consularis, cujus filiam a dæmonum vexatione liberaverat. *Hæc, inquam, non admisisset Tillemontius, neque nos ea satis certa credimus, cum nesciamus ullum antiquum scriptorem, a quo fuerint asserta.*

frivolis rationibus negat :

10 *Attamen nequaquam consentimus Tillemontio, infirmis plane ratiunculis martyrium* S, Lini *oppugnanti. Prima ratio petitur ex S. Irenæo, Pontifices Romanos usque ad sua tempora enumeranti, et solius Telesphori martyrium asserenti. Quam futilis sit hæc ratio, qua multis Pontificibus corona martyrii negatur, jam ostendi ad* XXVIII *Augusti in S. Hermete num.* 17 : *neque enim gesta Pontificum ibi scribit S. Irenæus, sed ordinem et successionem brevissime recenset, et ne Petri quidem aut Pauli martyrium attingit. Altera ipsius ratio est, quod nomen* S. Lini *adscriptum non sit Martyrologio Hieronymiano. Audi lectorem ipsum Tillemontium tom.* 2 *in S. Telesphoro, cujus martyrium asseruit S. Irenæus, et qui similiter in Martyrologio Hieronymiano non legitur* : Ratio esset mirandi, nomen *(illius S. Telesphori)* non reperiri in monumentis Ecclesiæ ante IX secu- C lum, nisi multis aliis exemplis sciremus, martyres ceteris antiquiores minus fuisse cognitos. *Itaque, si Telesphorus potuit in omnibus Ecclesiæ monumentis omitti usque ad nonum seculum, non debuit Tillemontius mirari,* S. Linum *multo antiquiorem in Martyrologio Hieronymiano omissum esse, aut ea ratione martyrium ipsius negare. Tertia ratio est, quod apud Bedam ad* VII *Octobris annuntietur solum ut* Papa, *omisso martyris titulo. Respondeo, titulum* martyris *aut* martyrum, *non raro omitti apud Bedam, etiamsi de martyrio constet. Certe ad* XXIX *Junii ita habet* : Romæ natalis Apostolorum Petri et Pauli. *Ejusmodi exempla non pauca occurrent Bedæ Martyrologium pervolventi. Verum in eodem ad* XXVI *Aprilis hæc etiam leguntur* : Natale S. Cleti Papæ et martyris. *Tillemontius vero iisdem argumentis* Lino et Cleto *martyrium adjudicat, ut Beda magis ipsis adversetur, quam prosit, quandoquidem martyrium Cleti asserat.*

vultque martyrem dici, quia aliqua pro fide passus est.

11 *Quapropter magis considerare debuit antiquam Romanæ Ecclesiæ traditionem de martyrio Sanctorum* Lini, *Cleti, Clementis et Alexandri, quorum omnium martyrium non modo asseritur in Catalogo Pontificum, quem secundo loco dedit Henschenius, sed etiam in canone Missæ, in quo Apostolorum tantum aut martyrum fit mentio. Admittit quidem Tillemontius, in Canone cum Apostolis non nisi martyres recenseri, ipseque observat* Linum, *Cletum, Clementem et Alexandrum Canoni fuisse insertos; sed contendit, martyres dici posse, quia pro fide passi sunt, etiamsi martyrio vitam non finierint. At nullum profert in canone exemplum. De omnibus enim aliis constat, aut Apostolos fuisse, aut martyres violenta morte sublatos. Præterea martyrium S. Clementis et S. Alexandri asseritur etiam in Actis ipsorum, et in antiquis aliis Ecclesiæ monumentis, fatente Tillemontio in Alexandro Papa et Nota* 12 *in S. Clementem. Verum sufficit Tillemontio, passos fuisse pro fide,* quemadmodum passi sunt, *inquit*, S. Joannes Evangelista, S. Apollinaris Ravennas, et S. Felix Nolanus; cum certum sit ex more loquendi primorum Ecclesiæ temporum id genus confessores pro martyribus habitos fuisse. Hoc modo S. Irenæus, cujus in hisce gravis est auctoritas, non erit contrarius Rufino et Zozimo Papæ, *martyrium S. Clementis affirmantibus. Ita ratiocinatur Tillemontius, va-* E *riis locis asserens, martyres illos fuisse agnitos, qui passi fuerant pro fide, etiamsi non occubuissent in tormentis. At suum istud assertum nullibi probat : neque illud probari potest generatim, uti ab ipso asseritur.*

At recitatio nominis in canone insinuat martyrium stricte dictum ;

12 *Martyres certe habebantur eo tempore, et etiam nunc, qui ea passi erant, quæ mortem naturaliter inferunt, etsi miraculo in vita erant conservati, ut contigit. S. Joanni evangelistæ, in dolium olei ferventis immisso. Martyres quoque dicuntur, qui usque ad finem vitæ aut in carcere aut in exsilio pro fide degunt, et in iis moriuntur. Sic revera S. Clemens Papa martyr dici posset ob exsilium, licet non constaret de morte eidem violenter illata. At qui solum pro fide persecutionem, exsilium, carcerem, verbera aliave tormenta, mortem minime inferre solita, ad tempus erant passi, ac deinde in pace defuncti non colebantur post mortem ut martyres; quamvis viventes subinde* martyres *fuissent nominati, et frequentius* confessores. *Ejusmodi confessores nonnulli fuerunt in concilio Nicæno, ut SS. Paphnutius et Spiridion, qui non coluntur ut martyres, sed ut confessores. Exempla, quæ affert Tillemontius, nequaquam ostendunt, prioribus Ecclesiæ seculis pro martyribus fuisse habitos ullos, qui non pertulerant mortem violentam, aut grave sup-* F *plicium mortem inferre natum. At multo etiam minus evincunt, canoni Missæ insertos fuisse id genus martyres, etiamsi revera martyres sint ob mortiferum supplicium. Nam S. Joannis, qui ut apostolus canoni insertus est, exemplum ineptum est ad evincendum, alios quoque martyres, qui violenta morte non occubuerant, in canone recenseri. Apollinaris vero et Felix Nolanus recitantur in canone, et prior violenta morte obiisse creditur; alter apud antiquos frequentius vocatur* confessor *quam* martyr.

eaque sola ratio longe præponderat ineptis Tillemontii ratiociniis.

13 *Itaque recitatio nominum* SS. Lini, *Cleti, Clementis et Alexandri in canone Missæ ostendit, vetustissimam esse traditionem Ecclesiæ Romanæ de ipsorum martyrio. Argumentum vero, quod huic aliisque monumentis opponit Tillemontius ex silentio S. Irenæi, tam est infirmum, ne dicam ridiculum, ut nequeam non mirari, illud tantopere placere potuisse viro erudito totiesque repeti. Solius Telesphori, inquit, martyrium asserit S. Irenæus: difficulter igitur credi potest, alios fuisse martyres.*

AUCTORE J. S.

martyres. At observare debuerat, quam breviter solam Pontificum successionem enumeret, et satis vidisset, non fuisse ibi propositum S. Irenæo edicere, quo quisque mortis genere obiisset; sed ea solum observare, quæ ad firmandam Romanæ Ecclesiæ traditionem conducebant. Quod si quis quæsierit, cur solum loquatur de martyrio Telesphori, si plures ex Pontificibus credebat martyres; respondebo, id eum facere potuisse, quia ætate sua passus erat Telesphorus, multique in vivis erant, dum scribebat, qui id videre potuerant et meminisse. At quatuor illi Pontifices, de quorum martyrio tacet, multo diutius erant defuncti. Quapropter silentium S. Irenæi de martyrio S. Lini *non est efficacius ad illud negandum, quam sit ejusdem silentium de martyrio SS. Petri et Pauli: et debuisset Tillemontius antiquorum monumentorum auctoritatem potius sequi, quam illa tam ineptis ratiociniis impugnare. Præcipua ratio, opinor, qua* S. Lini *martyrium negare voluit, orta ipsi est ex chronotaxi, qua mortem* S. Lini *figit sub Vespasiano: nam nullam sub Vespasiano persecutionem fuisse contendit. At neque hoc satis evincit: neque nos sub Vespasiano, sed sub Nerone mortem* S. Lini *figimus.* B

§ II. Traditiones Volaterranorum de patria et gestis Sancti: corpus ipsius Romæ, variis locis reliquiæ: cultus, nomen pluribus diebus in Fastis sacris.

Volaterranorum de patria et gestis S. Lini

Quæ præterea de S. Lino *dicenda sunt, incerta admodum sunt et pauca. Italum natione fuisse ex Tuscia, habet secundus Catalogus et Anastasius Bibliothecarius. Baronius aliique* Volaterranum *etiam dixerunt. Raphaël Volaterranus Anthropologiæ lib.* 22 *pro ea opinione laudat vetus scriptum, atque ita habet:* Linus patria Volaterranus, familia Maurorum: sic enim in quodam veteri scripto in ea urbe legimus; Linum Volaterranum a patre Herculaneo annorum XXII studiorum gratia Romam missum, in contubernio tunc Q. Fabii amici paterni: deinde venientem eo tempore Romam Petrum, omissis omnibus, secutum fuisse, atque ob C ejus egregiam fidem simul et eloquentiam Evangelii coadjutorem illi permansisse..... Scripsit res gestas Petri, præsertim ejus cum Simone mago concertationem. *Hæc Volaterranus, qui et chronotaxin addit, ex antiquis Catalogis potius petendam. Adjungit etiam, martyrem fuisse sub* Saturnino consule, *cujus filiam liberaverat. Hoc ultimum etiam legitur in Breviario Romano, acceptum fortasse ex Volaterrano; at Saturninus ibi non dicitur* consul, *sed* consularis. *Habeo etiam duas collectiones Mss. de Sanctis Volaterranis, olim ad Majores nostros missas, in quibus omnia jam data ex Volaterrano asseruntur. Altera collectio Latine scripta continet visitationem reliquiarum omnium cum annotatis de Sanctis. Altera est Opusculum Italicum de Sanctis et reliquiis Volaterranis, conscriptum sub initium seculi* XVII *ab Æmilio Fei. Liquet igitur, omnia prædicta communiter credita fuisse Volaterris.*

asserta recitantur:

15 *In officio de* S. Lino, *quod pro civitate et diœcesi Volaterrana compositum fuit et approbatum a Leone Papa X anno* 1519, *referuntur ea, quæ visa sunt probabiliora ceteris* S. Lini *gesta. Quapropter lectiones duas ex impresso Officio huc transfero:* De Lini genere, quod de regione D Tusciæ fuerit, tantum antiquis scriptum reperitur. Nos autem ad propiorem ejus venimus cognitionem. Hunc Volaterrani suum esse civem, constanti jam fama inde a majoribus tradita dicunt; simulque in quodam veteri ejusdem urbis adhuc scripto apparere, e Maurorum familia nobili descendisse, Romamque a patre Herculano annos natum viginti duos studiorum gratia missum, in contubernio Q. Fabii amici paterni fuisse: demum venientem Petrum eo ferme tempore Romam, relictis omnibus, secutum: ob ejusque egregiam fidem pariter et eloquentiam Evangelii adjutorem ab eo factum. De ipsius autem sanctitate et in regenda Ecclesia solertia Petri rursus testimonium habemus; ut qui eum vivens successorem suum præter insequentium postea morem designaverit. Insuper ejus auctoritas memoriaque perpetua in aræ Sacrificio cottidie ab ordine colitur sacerdotali, ut par sit, hunc inter cæteros proceres nostros rei Christianæ in æternum in Dei gratia conservandæ maximum adcedere suffragium. Constituit, ne qua mulier nisi operto capite templum ingrederetur. Scripsit res gestas Petri, præsertim ejus cum Simone mago contentionem. Cujus item Ægesippus, vicinus Apostolis, mentionem faciens, ex eodem mutuatus videtur. A Neronis anno ultimo ad Domitiani tempora pervenit; sub quo Martyr fuit, ut ait Damasus. *Verum in catalogo Pontificum, qui a nonnullis Damaso attribuitur, de martyrio nihil legitur, sed illud asseritur in sequentibus catalogis, non tamen sub Domitiano, sed sub Nerone. Itaque omitto sequentia ad chronotaxim spectantia, et antiquis catalogis æque ac eruditis neotericis contraria.* E

alia Petri de Natalibus.

16 *Porro quam certæ videantur traditiones illæ Volaterrensium, judicio eruditorum permitto. Illud unum observo, nihil legi in Officio de liberata dæmonum vexatione filia Saturnini consulis vel consularis, aut de* Lino *decollato ejusdem mandato. In illo Officio similiter non legitur, quod in Breviario Romano asseritur de* Lino *his verbis:* Cujus tanta fides et sanctitas fuit, ut non solum dæmones ejiceret, sed etiam mortuos revocaret ad vitam. *At illa narrat Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 109, *omittens traditionem Volaterrensium. Verba ipsius, omissis tamen dictis de chronotaxi, subjungo:* Linus Papa et martyr, Italicus de regione Tusciæ, patre Herculano, beato Petro apostolo in Pontificatu Romano successit...., Hic beatus Episcopus cum dæmones effugaret, mortuos suscitaret, F et alia miracula faceret, multosque conversos baptizaret; filiam etiam Saturnini consulis a dæmonio liberasset, et ad Christum convertisset; Saturninus consul, credens hoc magicis artibus fieri, ipsum diversis pœnis afflictum decollavit, imperante Nerone IX Cal. Octobris. *Nihil quidem ex hisce incredibile est, sicut incredibiles non sunt traditiones. Volaterrensium; sed omnia longe fierent certiora, quam modo sunt, si probari possent monumentis aut auctoritatibus vere antiquis, et ad prima Christi secula appropinquantibus. Quod vero spectat ad ea, quæ* S. Linus *scripsisse dicitur, videri possunt observata ab Henschenio in Commentario prævio ad Acta SS. Petri et Pauli tom.* V *Junii pag.* 399, *ubi ostendit, omnia pro supposititiis habenda, quæ* S. Lini *nomine fuerunt edita.*

Corpus Sancti in Vaticano sepultum, de cujus translatione non constat:

17 *De sepultura* S. Lini *antiquiores catalogi, excepto primo, asserunt, sepultum fuisse in Vaticano juxta corpus S. Petri. Laudatus Petrus de Natalibus corporis translationem adjungit, ita scribens:* Et licet corpus ejus primo fuerit in Vaticano

A no sepultum : postea tamen a Gregorio Ostiensi episcopo Ostiam translatum est, et in ecclesia majori S. Laurenii reconditum. *Unde hæc acceperit, plane ignoro; neque indicat, de quo loquatur Gregorio ex variis illius nominis episcopis Ostiensibus, Præterea scriptores Romani, Franciscus Maria Torrigius in Diario Vaticano, Bartholomæus Piazza in Hemerologio aut Diario Romano, ambo ad* XXIII *Septembris, aliique recentiores asserunt, corpus* S. Lini *in basilica Vaticana jacere. Hisce consonat Petrus Mallius, scriptor seculi duodecimi, in Historia Basilicæ antiquæ Vaticanæ, data apud nos tom.* VII *Junii pag.* 41, *ubi enumerat Pontifices in basilica Vaticana depositos. Apud Marlotum in Historia metropolis Remensis tom.*2 *lib.* 1 *cap.* 57 *recitatur scriptum de reliquiis servatis in ecclesia SS. Timothei et Apollinaris, in eoque legitur :* In parte vero sinistra inferius requiescit S. Linus. *Verum, cum non inveniam,* S. Linum *singulari cultu honorari Remis: non existimo,* S. Linum *Papam designari; sed aut nomen corruptum esse, aut errorem esse in illo scripto.*

reliquiæ aliquæ variis locis servatæ :

18 *Alii nonnullas* S. Lini *reliquias habere se existimant. Laudatus Piazza illas attribuit sacello S. Silvestri, quod annexum est ecclesiæ SS. Quatuor Coronatorum, eique consentit inscriptio in dicto sacello ad lævam partem altaris posita sub fenestra, quam recitat Martinellus in Roma sacra pag.* 293. *Masinus in Bononia perlustrata ad* XXIII *Septembris pag.* 462 *ait, festivivitatem* S. Lini *in basilica S. Stephani celebrari, et in ecclesia parochiali S. Isaiæ ejusdem servari reliquias. Gelenius in Colonia Agrippinensi pag.* 456 *Cartusiæ Coloniensi adscribit* os magnum de S. Lino Papa et martyre. *Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 414 *inter reliquias ecclesiæ S. Petri collegiatæ Duaci recenset* De S. Lino Papa et martyre. *Idem pag.* 474 *enumerans sacra pignora ecclesiæ S. Servatii, collegiatæ Trajecti ad Mosam, iis recenset* Dentem S. Lini Papæ et martyris. *Reliquiæ* S Lini *Papæ servantur item Volaterris, ubi et ecclesiæ cum monasterio eidem Sancto dicata est, ut paulo prolixius dicam ex documentis Volaterrensibus supra indicatis.*

ecclesia cum monasterio Volaterris Sancto dicata, ubi

19 *Laudatus Æmilius Fei in Ms. Opere fol.* 6 *refert, Raphaëlem Maffeium, nobilem Volaterranum, cujus vitæ pietatem prolixo illustrat elogio, anno* 1513 *erexisse ecclesiam satis spatiosam cum amplo monasterio monialium Ordinis S. Francisci, eamque ecclesiam* S. Lino *Papæ et martyri, ut civi Volaterrano, fuisse dicatam. Præterea auctor La-* C *tinæ collectionis Ms. fol.* 36 *fatetur, Volaterranos diu frustra laborasse, ut nonnullas* S. Lini *obtinerent reliquias. Tum subjungit :* Tatummodo quando Urbanus VIII Pontificatum gerebat per interpositas D. equitis Æmilii Fei preces parum reliquiæ vel nonnihil fragmenti ex ossibus S. Lini acceperunt. *In confirmationem hujus asserti recitatur instrumentum, datum Kalendis Septembris anni* 1624, *scriptumque a notario, cujus et aliorum testium subscriptione munitum est. Instrumentum autem ita habet :* Ego Bernardinus Maschius, sacerdos et civis Urbinas, fidem facio, quod Hieronymus de Comitibus, clericus Cingulanus, cum de mense Aprilis proximi, anni MDCXXIV, accederet ad servitutem illustrissimi ac excellentissimi domini mei, ducis Brachiani, principis Plumbini etc., dedit mihi nonnullas sacras reliquias custodiendas, quas a reverendissimo patre Fulgentio Galluccio episcopo Tagastensi et sacrarii Apostolici præfecto, in benemeritum servitutis, dominationi ejus reverendissimæ in custodia præfati sacrarii præstitæ, dono accepit : et eas reliquias desumptas fuisse ex cassa reliquiarum posita in eodem sacrario Pontificio, juramento affirmavit. Cum autem inter eas essent quædam ossa S. Lini Pontificis et martyris, ea de licentia ejusdem Hieronymi perillustri et admodum excellenti viro, equiti Emilio Fei, patritio Volaterrano, ejus meritis et eximia erga illum sanctum Pontificem pietate permotus, donavi. Quæ omnia idem Hieronymus rata facit *etc. Sequuntur nomina testium, juramentum, notarii et subscriptiones. Deinde anno* 1629, *Kalendis Octobris*, Benedictus Bava, præpositus Volaterranus, *et episcopi Volaterrani* vicarius generalis, *permisit, ut dictæ* S. Lini *reliquiæ ad publicam venerationem exponantur.*

AUCTORE J. S.

et reliquiæ et cultus solemnis.

20 *Alia quoque reliquiarum* S. Lini *particula anno* 1636 *Volaterras pervenit, ut liquet ex eodem scripto, in quo de ritu celebrandi festivitatem ejusdem hæc leguntur :* Hujus Sancti festivitas a Vulterrana ecclesia olim cum Octava celebrari consueverat usque ad annum MDCXXIX, quando sacra Rituum congregatio decretum de Sanctorum Officiis publicavit. Festum tamen illius die XXIII Septembris nunc quoque solemni pompa recolitur : magnoque applausu argenteum sancti Ponctificis E caput annua lustratione ad monasterii ecclesiam, divo Lino dicatum, defertur, clero, magistratibus, et universo populo præsentibus. Allata in tabernaculum sancti Pontificis imagine, educunt sacristæ ingens ostensorium ex aurichalco et ex ære inauratum, in quo alia ex reliquiis S. Lini particula servatur cum authentica scripta memoria, jam anno MDCXXXVII Calendis Januarii signata. Pater enim Fr. Octavianus Manuccius Volaterranus, Ordinis heremitarum S. Augustini, hanc reliquiam a patre baccalauro Fr. Riccardo Anconinio Romano, ex Ilciensi congregatione ejusdem Ordinis, accepit; qui mense Junio MDCXXXVI ea donatus est a D. Joanne Baptista Paoluccio Romano ejus affine, ut ad Vulterranam civitatem deferendam curaret : quam ipse a revendissimo patre sacrista summi Pontificis ad hunc finem acceperat. Hæc igitur visa clauditur, ad locum reportatur, unde fuit emota : claves dominis, ad quos spectant, restituuntur. *Hactenus de cultu apud Volaterranos ex documentis, humanissime ab ipsis ad Majores nostros transmissis. Plura in illis disseruntur de chronotaxi, et modo, quo* S. Linus *primum S. Petro innotuit. At illa, ut conjecturis nixa non satis fundatis, attingenda non censui.*

Creditum fuit Mediolani, S. Nazarium M. a S. Lino baptizatum:

21 *In Actis SS. Nazarii et Celsi, martyrum Mediolanensium, de quibus apud nos actum est ad* XXVIII *Julii, dicitur S, Nazarius a* S. Lino *Papa baptizatus, idque similiter asseritur in Menologio Græcorum, quod jussu Basilii imperatoris Porphyrogeniti compositum est seculo* X, *ad* XIV *Octobris. Verum neque Acta, in quibus id affirmatur, tam antiqua sunt aut tam accurate scripta, nec tantæ auctoritatis est dictum Menologium, ut ex illis aliisque similibus monumentis res certa videri possit, præsertim cum S. Nazarii baptismus ab aliis etiam S. Petro attribuatur, ab alliis S. Clementi, quemadmodum videri potest in Commentario prævio de SS. Nazario et Celso* § XI. *Æque aut magis incertum est, an* S. Linus *baptizaverit S. Protasium martyrem, quod in Menologio Sirletiano ad* XIV *Octobris eadem levitate asseritur. Verumtamen persuasio est Mediolanensium, eaque non improbabilis, incerta tamen, ut dixi,* S. Linum *fuisse, qui baptizavit S. Nazarium; eaque persuasione inductus videtur Ardericus, seculo* X *archiepiscopus Mediolanensis, ad extruendum Mediolani* S. Lino *sacellum in ecclesia Apostolorum.*

AUCTORE J. S.

ideoque ibi sacellum S. Lino structum.

22 *Joannes Petrus Puricellus in Dissertatione Nazariana cap. 84 num. 3 ex Ms. Catalogo archiepiscoporum Mediolanensium hæc recitat :* Iste archiepiscopus construi fecit ecclesiam S. Andreæ ad Murum Ruptum, et capellam S. Lini in ecclesia Apostolorum. *Et mox ex eodem :* Obiit Ardericus prædictus anno Domini nongentesimo quadragesimo nono, tertio Idus Octobris. Jacet in prædicta capella S. Lini. *De ecclesia S. Andreæ, ad propositum nostrum non spectante, existimat Puricellus, instauratam potius tunc fuisse, quam ædificatam, et de sacello* S. Lini *subjungit :* Solam igitur S. Lini capellam ego quidem crediderim non antea illic extitisse, primumque ab Arderico fuisse constructam : quin etiam S. Lino propterea dedicatam; quia ipse S. Nazario Christianum baptismum ministrasset, uti cap. 14 explicavi. Eadem vero capella étiamnum extat inter basilicæ odæum ædesque canonicales, in eo latere ipsi contiguas : ejusque ostium patet adhuc, qua transitus illac inter odæum ædesque datur. Quia tamen obscurissima est, nec aliunde lumen interim excipere potest; idcirco ne sacris quidem ministeriis deservire potest interim, ac solo S. Lini titulo, perenniter adhuc retento, venerabilis perseverat; cum B alioqui ne illa quidem ibi appareant indicia sepulchri, quo tumulatum ibi credimus Ardericum, illius conditorem.

Memoria Sancti in multis Martyrologiis ad 26 Novembris,

23 *Quamvis* S. Lini *Papæ martyris festivitas peragatur in Ecclesia Latina hoc die* XXIII *Septembris; ipsius tamen memoria in Martyrologiis recolitur diebus admodum diversis. Auctor Martyrologii Romani Parvi, editi per Rosweydum, primus* Linum *annuntiavit ad* XXVI *Novembris paucis hisce vocibus :* Romæ. Lini, Papæ, qui post apostolum Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit annis duodecim: mensibus tribus, ac duodecim diebus : et martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. Hujus Lini Paulus in Epistola ad Timotheum meminit. *Usuardus eodem fere modo, sed brevius :* Natalis beati Lini Papæ, qui post Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit annis duodecim, et martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. *Eumdem elegit diem Wandelbertus, sexta Kalendas decembris ita canens :*

Sextam, Line, sacras, roseo de sanguine Papa.

Accedit Martyrologium Autissiodorense, apud Martenium tom. 6 Collect. ampl.: Natale S. Lini C Papæ et Martyris, qui post beatum Petrum primus Romanam Ecclesiam tenuit annos duodecim, menses tres, dies duodecim, et martyrio coronatus sepultus est in Vaticano. *Mitto auctaria Usuardina, aliaque posteriorum seculorum Martyrologia, quæ in eumdem diem consentiunt. Ex his autem dubitare non possumus, quin festivitas* S. Lini *variis locis olim celebrata sit dicta die* XXVI *Novembris, præsertim cum illa die notetur in Breviariis Vesontionensibus.*

quo et S. Linus Vesontione colitur, ut primus episcopus Bisontinus;

24 *Joannes Jacobus Chiffletius in Vesontione part. 2 pag. 9 inter præsules Bisontinos aut Vesontionenses primum ponit* S. Linum, *illumque eumdem dicit cum* S. Lino *Papa et martyre, quem dicit fidem prædicasse Vesontione ante susceptum Pontificatum, imo etiam antequam S. Petri Romæ fieret vicarius. Ait nimirum,* S. Linum, *unum ex septuaginta duobus Christi Discipulis, a S. Petro missum in Galliam, Vesontionem venisse anno Christianæ æræ quinquagesimo quarto, ibique extruxisse ædiculam sacram; sed postea. mota persecutione, civitate ejectum, Romamque reversum ad S. Petrum. Consentit Saussayus ad* XXIII *Septembris. Verum ea opinio de* Lino *Papa nec* D *satis fundata videtur, nec antiqua. Certe in Breviario Bisontino, quod habemus impressum anno* 1590, *pro festivitate* S. Lini *ad* XXVI *Novembris hæc solum leguntur :* Sanctus Linus Papa et martyr, IX Psalmi et tres lectiones. Totum de communi unius martyris pontificis, *Eadem leguntur in altero Breviario Bisontino in membrana manuscripto, quod certo antiquius est præcedente.*

at ille episcopatus parum est probabilis.

25 *Itaque primus quidem in catalogis episcoporum Bisuntinorum ponitur aliquis Linus : at Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis nostræ presbyter de Opere nostro multis officiis optime meritus, ubi opinionem de* S. Lino *Papa Bisontinorum apostolo recitaverat ex Martyrologio Ms., ipse observat sequentia :* Certe Linum quempiam prima fidei semina jecisse apud Bisontinos, constans traditio est. An porro hic ipse sit Linus beati Petri in episcopatu Romano vel successor vel vicarius, dubitare visi sunt ipsimet Vesontinenses, qui cum Linum Papam et martyrem colant die XXVI Novembris, non eum primæ classis officio duplici prosequuntur (quo solent gaudere ecclesiarum patroni) sed tantum semiduplici; in quo de Bisontino ejus apostolatu nec verbum habent. *Hæc aliaque verba Chiffletii* E *apud nos videri possunt tom. 1 Junii pag.* 681. *Sequuntur ibidem pag.* 683 *Annotata Papebrochii nostri, sententiam de* Lini *Papæ episcopatu Bisontino breviter refutantis, quæ videri possunt, ne diutius inhærere his videar et actum agam.*

Aliqui eo die translationem S. Lini annuntiant : sed res incerto est.

26 *Porro in Florario Ms. Sanctorum ad* XXVI *Novembris annuntiatur* S. Lini *translatio his verbis :* In civitate Ostia translatio corporis S. Lini Papæ et martyris facta a Gregorio ejusdem urbis episcopo cum multa solempnitate cleri et populi : quod in ecclesia majori, id est S. Laurentii, est reconditum. Hujus depositio habetur nono Kalendas Octobris, licet Usuardus hic eam ponat. *Eadem opinio insinuatur in Ms. Lectionario non valde antiquo ecclesiæ Audomarensis, in quo corpus Ostiam translatum dicitur;* et in templo D. Laurentii magnifice collocatum. *In fine vero additur :* Ejus autem *(translationis)* commemoratio Romæ agitur sexto Calendas Decembris. *Translatio item annuntiatur ad* XXVI *Novembris in Martyrologio Germanico; additurque, natalem celebrari ad* XXIII *Septembris. Similia ad* XXIII *Septembris notavit Grevenus. Verumtamen existimo, ex mera conjectura translationem illi diei ab auctoribus dictis,* F *qui omnes Petro de Natalibus recentiores sunt, fuisse affixam. Castellanus in Martyrologio Universali ad* XXIII *Septembris in margine observat,* Linum *eo die non fuisse annuntiandum, sed Liberium Et deinde ad* XXVI *Novembris* Linum *annuntiat his verbis :* Romæ, S. Lini Papæ, decessoris S. Anacleti. *Verum meo quidem judicio satis fecisset Castellanus, si observasset, mortualem* S. Lini *diem non certo esse* XXIII *Septembris. Etenim, quæ ipse sua annuntiatione quasi pro certis obtrudit, magis mihi incerta videntur, quam* Lini *martyrium, quod omittit. Incertus est dies, quem notat : incertus et minus probabilis ordo primorum Pontificum, quem insinuat, dum Anacletum facit* Lini *successorem, iis verbis insinuans, Cletum ab Anacleto non distingui. At hoc, ut minimum, incertum, et plerisque antiquis Romanorum Pontificum catalogis contrarium, ut apud nos ostensum est in Anacleto ad* XIII *Julii. Quapropter non ausim ex dictis Martyrologiis certo inferre,* S. Linum *die* XXVI *Novembris aut passum esse aut translatum.*

27 *Ad* XXIII *Septembris in multis quoque Fastis*

A *stis antiquis memoria* S. Lini *annuntiatur. In tribus Martyrologiis frequenter consonis, nimirum Gellonensi apud Acherium, Augustano et Labbeano apud nos, iisdem verbis post Liberium Papam Romæ annuntiatus legitur* : Lini martyris. *Florus, prout editus est a Majoribus nostris* : Eodem die Romæ S. Lini Papæ et martyris : qui secundus post Petrum Romanam Ecclesiam novem annis regens, tempore Neronis martyrio coronatus est. *Rabanus* : Item eodem die Romæ passio Lini Papæ, qui post Apostolos primus cathedram episcopalem ibi tenuit annos XI, menses VII, dies XIII. *In Hieronymiano, quod ex codice Autissiodorensi edidit Martenius tom,* 3 *Anecdotorum, ita eodem die legitur* : Romæ Lini episcopi. *In primo Martyrologio, quod idem Martenius edidit tom.*6 *Collect. amp. ex codice vetusto, Bedæ nomen præferente, sic habetur* : Passio S. Lini. *Ibidem in Kalendario Stabulensi* : Romæ S. Lini Papæ I post Petrum. *Rursum in Kalendario Verdinensi* : S. Lini Papæ et martyris. *Accedit Kalendarium Vaticanum, ex codice seculi* XI *editum, apud Georgium post Adonem ; et Kalendarium antiquum editum* B *a Florentio post Martyrologium Hieronymianum pag.*1049. *Mitto varia Martyrologia et Kalendaria Mss. et impressa, quod minus sint vetusta, uti et Appendicem Adonis, in quibus* S. Lini *memoria eodem die recolitur. Consonant auctaria Usuardina complura, et nonnulla cum prolixiori elogio, uti etiam habet Florarium Sanctorum Ms. Quapropter non erat, cur Castellanus* S. Linum *repeteret ad* XXVI *Novembris, acsi non recte datus esset ad* XXIII *Septembris in Martyrologio Romano his verbis* : Romæ sancti Lini Papæ et martyris, qui primus post beatum Petrum apostolum Romanam Ecclesiam gubernavit : et martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano prope eumdem Apostolum. *Neque enim dies, quem elegit Castellanus, certior est hoc die : elogium vero, quod substituit, longe magis incertum, omissoque perperam martyrio incompletum.*

Sanctus in pluribus Fastis relatus 23 Septembris ;

28 *Ad* VII *Octobris diem a nonnullis etiam commemoratur* S. Linus *Papa. Ad illum Beda sic habet* : Ipso die natalis S. Lini Papæ. *Calendarium Corbeiense apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum* Romæ S. Lini Papæ. *Wandelbertus, qui ad* XXVI *Novembris* Linum *celebrat, eumdem quoque habet cum Marco Papa ad* VII *Octobris, ita canens* :

in nonnullis ad 7 Octobris.

Pontifices Nonas Linus Marcusque retentant.

C *Ita legitur in codice nostro Ms. membraneo, et in alio apographo. Apud Acherium vero contra legem metri editum est* Linusque Marcusque *etc. Appendix Adonis eodem die* S. Linum *repetit. Martyrologium Fuldense apud Georgium ita habet* : Romæ natalis S. Lini Papæ qui fuit discipulus S. Petri apostoli, et glorioso martyrio coronatus est. *In eodem tamen rursum habetur ad* XXVI *Novembris. In Ottoboniano autem, quod ibi sequitur ad* VII *Octobris solum* Lini Papæ *habetur memoria. Accedunt aliquot auctaria Martyrologii Usuardini, legenda apud Sollerium. Auctor Florarii nostri Ms. sic eodem die habet* : Item Lini Papæ et martyris sepultura. *Hunc igitur auctorem si quis audire voluerit ; dicet* S. Linum XXIII *Septembris martyrio coronatum,* VII *Octobris sepultum,* XXVI *Novembris translatum. At malim ego ignorare rationem tantæ diversitatis dierum, qua* S. Linus *apud præcipuos martyrologos memoratur, quam scriptorem mere divinantem, ut opinor, facile sequi. Ignoramus similiter, cur* Linus martyr *ad* XXIV *Martii insertus sit Usuardino Bruxellensi, si ille sit hodiernus. Felicio demum, qui* ordinationem S. Lini *annuntiat ad* XII *Junii, non credimus ordinationis diem magis perspectum fuisse, quam diem obitus Castellano.*

29 *Græci* S. Linum *conjungunt cum aliis quatuor Apostolorum discipulis, Herma, Caio, Philologo et Patroba, et hos quinque, tamquam ex septuaginta duobus Christi discipulis, simul annuntiant in Menæis impressis ad* V *Novembris, ubi* E *et* Apostolos *vocant. In Menologio tamen, quod Latinum fecit Sirletus,* martyres *vocantur, non* Apostoli ; *nec dicuntur esse ex septuaginta. At rursum in Menologio Basiliano* Apostoli de numero septuaginta *dicuntur. Solent nimirum Græci omnes, quos apud S. Paulum laudatos inveniunt, Apostolis annumerare secundi ordinis, et septuaginta Christi discipulis. Verum* S. Linus *magis videtur Italus fuisse, et Romæ aut certe in Italia conversus. Non alium autem* Linum, *quam hodiernum, a Græcis indicari, liquet ex elogio in Menæis addito, et in Menologio Basiliano, quod nominatim de* Lino *sic habet* : Porro Linus post sanctissimum apostolum Petrum magnæ Romæ episcopus est nuncupatus. *Eadem leguntur in Menæis et in Synaxario Ms.*

Græci Linum cum aliis dant ad 5 Novembris.

30 *Acta* S. Lini *nulla ad manus nostras pervenerunt præter Sermonem brevissimum de Sancti martyrio, in ipsius festivitate dictum, quem anno* 1753 *invenimus in codice Ms. Vaticano* 529. *Ita compositus est Sermo, ut omnibus martyribus congruat, et nulla martyrii adjuncta exponat. Quare cum nihil ex eo lector discere possit, solum subjungo initium, quod ita habet* : Sancti martyris Lini, fratres karissimi, fortissimam et gloriosam passionem celebrare solemniter juvat, et non segni- F ter prædicare. Vidimus animo et cognatione perspeximus, quanta pertulerit, quæ responderit : et quodammodo ante oculos mirandum spectaculum constitutum est : judex iniquus, tortor cruentus, Martyr invictus, crudelitatis pietatisque certamen *etc. Reliqua missa facio.*

Initium brevis sermonis in festivitate habiti.



DE

A D

DE S. THECLA, VIRG. MART.

SELEUCIÆ IN ISAURIA

J. S.

COMMENTARIUS CRITICO-HISTORICUS.

§ I. Acta varia S. Theclæ, sed omnia fabulis inquinata : breve Actorum compendium.

Seculo 1 aut 2 Prima S. Theclæ Acta fabulosa fuerunt,

De *Actis* S. Theclæ, *virginis celeberrimæ, quæ hodie exstant in variis codicibus manuscriptis et impressis, eruditi posteriorum seculorum diversa tulerunt judicia. Eminentissimus Baronius in Annotatis ad Martyrologium die* XXIII *Septembris, et in Annalibus ad annum* B XLVII *multa disserit ad Acta* S. Theclæ *defendenda, allegatque auctoritatem multorum Patrum, ut ostendat, pleraque, quæ in Actis de* S. Thecla *narrantur, de eadem quoque pronuntiata fuisse a sanctis Patribus. Verum paucos admodum sibi consentientes habuit Baronius, et critici, qui hoc et præterito seculo floruerunt, passim pro fabulosis habent omnia* S. Theclæ *Acta, non sic tamen ut nihil veri in illis Actis latere existiment, sed ut Actorum collectores ab adjunctis fabulosis non abhorruisse credant. Ut autem clarius procedamus, necesse est singula recensere. De primis* S. Theclæ *Actis, sub nomine S. Pauli confictis, S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 7 in S. Luca sic loquitur :* Igitur περιόδους Pauli et Theclæ, et totam baptizati leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit? Sed et Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert, presbyterum quemdam in Asia σπουδαστὴν apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quod auctor esset libri et confessum, se hoc Pauli amore fecisse, loco excidisse. *Tertullianus lib. 2 de Baptismo cap. 17 ad propositum nostrum sic* C *disserit :* Quod si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt; sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum, id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.

et S. Paulo supposita, quæ non exstant.

2 *Ex his colligo, prima* S. Theclæ *Acta prorsus fuisse fabulosa; sed ea non amplius exstare, aut certe non innotuisse. Nam scripta sic erant, acsi illorum auctor fuisset S. Paulus, ut innuunt data verba,* Quasi titulo Pauli de suo cumulans. *At omnia* S. Theclæ *Acta, quæ modo innotuerunt, alterius nomine sunt conscripta, nec ulla mentiuntur auctorem S. Paulum. Præterea in Actis Pauli nomine insignitis narrabatur insulsa fabula de leone quodam baptizato. Atqui in Actis modo notis nulla fit mentio de baptizato leone. Eadem igitur non sunt cum Actis Tertulliano et Hieronymo improbatis. Quare improbabilis prorfus est opinio Joannis Ernesti Grabii, qui in Spicilegio Patrum seculi* I *Græca quædam* S. Theclæ *Acta edidit, et pag. 90 probare nititur, ea ipsa esse Acta, de quibus agunt Tertullianus et Hieronymus. Argumenta, quæ adducit, unice insinuant, Acta illa esse vetustiora Actis a Basilio Seleucensi circa medium seculi* V *exaratis. Verum inter seculum* I *aut initium secundi, quo priora fuerunt conficta, et medium seculi* V, *quo scripsit Basilius, satis magnum est intervallum, quo Acta* S. Theclæ *componi potuerunt a primis diversa, quæ sibi sequenda sumeret Basilius Seleucensis. Itaque, si anonymus horum Actorum auctor, habeat nonnulla ex primis Actis desumpta, id solum evincit, ipsum non satis abhorruisse a fabulis : quod ex ipsis ejus Actis manifeste patet.* E

Acta Græca a Grabio edita,

3 *Acta Græca* S. Theclæ, *quæ Grabius edidit Oxoniæ anno* 1700, *hunc præferunt titulum :* Μαρτύριον τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου πρωτομάρτυρος καὶ ἀποστόλου Θέκλας. Martyrium sanctæ et gloriosæ protomartyris et apostolæ Theclæ, *Initium est :* Ἀναβαίνοντος Παύλου εἰς Ἰκόνιον. Ascendente Paulo Iconium. *Editio facta est ex Ms. codice bibliothecæ Bodleianæ, cujus lacunam editor supplevit ex Actis per Metaphrastem conscriptis. Eadem Acta Græca reperiuntur in variis codicibus bibliothecæ regiæ Parisiensis, et in aliis pluribus. Dedit laudatus Grabius post Acta Græca etiam vetustam versionem latinam, quam nos quoque habemus in quatuor codicibus Mss. Musei nostri, et in aliis multis invenimus. Ex illa autem versione Latina Grabius colligit, ultimam Actorum Græcorum partem, qua enarrantur habitatio* S. Theclæ *in spelunca prope Seleuciam, gestaque ejus ibidem usque ad mortem, et demum mors ipsa, ab interpolatore quodam recentiore Actis prioribus assutam fuisse. Rationes hujus opinionis allegat varias. Prima est, quod pars illa in Latinis codicibus non reperiatur; quod verum est etiam de omnibus nostris. Secunda est, quod antiqui Patres non meminerint de ullis factis, in illa parte relatis; cum* F *tamen ex præcedentibus multa attigerint. Tertia, quod Basilius Seleuciensis illam partem fere prætermittat, et modum, quo Sancta dicitur ex hominibus excessisse, potius asserat ex fama hominum, quam ex Actis vetustioribus, quæ alias sequi solet. Hæ rationes probabiles quidem : dubito tamen, an satis evincere possint, quod intendit Grabius. Etenim stylus idem videtur posterioris illius partis, ac prioris. Præterea Metaphrastes exacte narravit omnia, posteriori illa parte contenta. Verum ad propositum nostrum nihil fere interest, ejusdemne auctoris sint Acta illa, prout Græce exstant, an ab interpolatore adjecta sit pars posterior; cum Acta multis fabulis sint inquinata, ideoque fidem mereri nequeant.*

quæ Grabius post Baronium defendere nititur, multis

4 *Allegat quidem Grabius, Baronium secutus, auctoritatem sanctorum Patrum, ut fidem Actis suis conciliet. At Patrum auctoritas tantum probat, multis fabulis immixta esse nonnulla vera : neque enim pro fabulis habemus asserta sanctorum Patrum de* S. Thecla, *quæ postmodum recitabimus. Verum neque sancti Patres, neque historici fide digni*

A *gni affirmarunt, quæ ex Actis tamquam fabulosa breviter colligo, prætermissis aliis pluribus. Primo statim initio Actorum aliqua asseruntur parum probabilia. Tale est, quod asseritur de Dema et Hermogene, qui dicuntur cum Paulo venisse Iconium, eidemque non modo occulte, sed etiam aperte adversati : nam duo illi discipuli S. Pauli, licet postea sint lapsi, diutius S. Paulo adhæserunt, et serius etiam eumdem sequi cœperunt, quantum apparet. Talia etiam sunt, quæ de Onesiphoro et Tito leguntur, ubi Titus dicitur Onesiphorum docuisse, qualis esset figura Pauli, Onesiphorus vero eidem occurrisse* per viam regalem, quæ ducit Lystras. *Certe illa omnia non congruunt cum iis, quæ leguntur Act.* 13 *de primo adventu Pauli et Barnabæ Iconium. Hi enim Antiochia Pisidiæ expulsi venerunt Iconium; pulsique deinde Iconio Act.* 14 *fugerunt* Lystrum et Derben. *Quapropter nec per viam,* quæ ducit Lystras, *nec cum Dema et Hermogene, nec præmonito per Titum Onesiphoro, S. Paulus Iconium venisse videtur, sed illa omnia potius videntur conficta a scriptore imperito, qui pro Barnaba, vero Pauli socio, alios fictitios substituerit. Tale rursum est, ut fidem non me-* B *reatur, quod de prædicationibus S. Pauli dicitur in domo Onesiphori. In Synagoga enim Judæorum Iconii prædicavit Paulus cum Barnaba Act.* 14 *: nec alio loco prædicasse in illa urbe legitur. Præterea Onesiphorus, de quo actum ad* VI *Septembris, magis Ephesi habitasse videtur, quam Iconii.*

fœdata sunt fabellis, 5 *Secundo primus occursus Pauli, Demæ et Hermogenis cum Onesiphoro improbabiliter exponitur, cum Demas et Hermogenes statim jurgantes inducantur, et de Barnaba altum sit silentium. Similiter prima prædicatio S Pauli improbabilis est, qualis ibi legitur: tota enim tendit ad virginitatem, continentiam et fugam mundi persuadendam, prætermissis fidei fundamentis. Tertio prorsus improbabile et fictitium videtur, quod asseritur de* S. Thecla, *Paulum in opposita domo prædicantem audiente ex fenestra domus suæ,* et per triduum *et amplius ad fenestram immota sine cibo et potu, nihilque respondente objurgantibus, ac ne respiciente quidem. Commenta hæc sunt hominis otiosi. Quis enim ejusmodi auctori credat, S. Paulum sic prædicasse in domo, ut in vicina intelligeretur, aut* per triduum *continuum prædicationem extraxisse? Quis credat, matrem* C S. Theclæ, *quæ iniquissimo animo filiam fenestræ adhærentem videbat, pro luctu et lacrymis, quibus indulgentem facit auctor, non potius ad vim et verbera recurrisse, ut vel invitam a fenestra avelleret? Quarto quod asseritur de S. Paulo Iconii in carcerem conjecto, deinde ad præsidem ducto, virgis cæso, et sic urbe ejecto, Scripturis videtur contrarium. Audiamus igitur, qua occasione Paulus et Barnabas Iconio egressi dicantur Act.* 14, ỳ 4 : Divisa est autem multitudo civitatis, et quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. Cum autem factus esset impetus gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent et lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystram et Derben. *Hæc ego certe nequeo componere cum assertis in Actis.*

ut brevi 6 *Quinto verisimilia quoque non sunt, quæ interim fecisse dicitur* S. Thecla *quæque brevitatis causa mitto. Magis etiam incredibile est, quod asseritur de matre, quæ de stante et tacente* Thecla *coram judice exclamasse dicitur* : Combure iniquam, combure eam, quæ sponsum respuit, in medio theatri, ut cunctis ab illo edoctis mulieribus metus incutiatur. *Hoc inquam, plane est incredibile, præsertim cum judex mox dicatur* Theclam, *puellam primariam, ad ignem condemnasse.* adolescentes *quoque* et virgines lignum et gramen (*potius* fœnum) *attulisse,* ut Thecla combureretur. *Nam si mater, quæ ante nec suis nec ancillarum manibus usa legitur, ad Filiam a fenestra avellandam in vocem tam inhumanam præ iracundia erumpere potuit, potuitne etiam judex iracundam mulierem statim exaudire, potueruntne adolescentes et virgines mox se carnificum servos præbere, ut Virginem tenellam et speciosam flammis exuri viderent? Quin et* plebs *dicitur* Theclam *compulisse,* ut rogum conscenderet, *et* populus *ignem succendisse. Ridicule potius hæc sunt conficta, quemadmodum etiam illa, quæ sequuntur de Paulo. Hic* in monumento *delituisse dicitur, pluribus diebus jam jejunus, et* tunicam *exuisse, ut puer panes emeret Iconii. At puer hic fabulatori necessarius erat, ut quis* Theclam *ad Paulum duceret : nam exstincto igne, salva dicitur urbe egressa, et per illum puerum ad Apostolum perducta. Mitto alia æque improbabilia, quæ in illo monumento facta dicuntur. Mox vero voluit* Thecla *Paulum frustra dehortantem sequi, unaque dicuntur petiisse Antiochiam Syriæ, ut adjuncta innuunt. Iter autem illud perstringitur, acsi Iconium et Antiochia essent vicinæ civitates, cum tamen longissimæ sint dissitæ.* E

7 *In urbis ingressu apertissima rursum texitur fabula. Alexander primarius Antiochenus visam* Theclam *amavit continuo, et multa Paulo promisit, si credimus fabulatori. Apostolus vero respondisse dicitur* : Non novi mulierem istam. *Quod mendacium est scriptoris non Apostoli. Tum Alexander* Theclam in platea osculatus *fingitur; ipsa vero* tunicam ejus *concidisse, et* coronam de capite *excussisse. His nugis usus est auctor, ut* Theclam *coram præfecto Antiocheno sisteret, a quo* ad bestias *damnata dicitur. Ubi autem erat damnata, fertur recepta in domo Tryphanæ nobilis viduæ, necdum Christianæ, pro cujus filia Falconilla defuncta oraverit; quod, ut improbabile, Baronius Actis infartum existimat. At Acta talia mihi non sunt, ut necesse sit unum illud adjectum dicere, cum omnia fere, prout cum adjunctis referuntur, æque sint improbabilia. Supplicium Sanctæ etiam fabellis non caret : nam et leæna inducitur Sanctam defendens, occidensque ursum ac deinde pugnans contra leonem usque ad mortem utriusque. Additur aqua cum phocis, in quam ipsa* Thecla *præcipitem se dedisse asseritur, morientibus omnibus phocis. Mox aliæ bestiæ in ipsam emissæ dicuntur, additurque fabula ridicula, his verbis enuntiata* : Mulieres tristem ediderunt clamorem : et hæc quidem nardum, illa vero cassiam, altera amomum, alia denique unguentum in medium projecit, adeo ut magna unguenti, perinde ut populi copia existeret. Omnes autem emissæ bestiæ, quasi somno obrutæ, Theclam haud tetigerunt. *Demum duobus tauris alligata dicitur, ut in partes distraheretur; sed æque frustra, ac bestiis fuerat exposita. Interim Tryphæna, quæ* Theclam *servaverat, quæ et* princeps *vocatur,* et cognata *cæsaris, præ dolore expirasse dicitur, sed revixisse, audita liberatione* Theclæ, *cui omnia bona sua continuo resignare voluit.* F *eorumdem*

compendio ostenditur, 8 Thecla *vero flagrans Pauli desiderio, cum audisset, ipsum esse Myris in Lycia, eo profecta dicitur, et quidem virili induta habitu. Ubi ad Paulum pervenerat, narrasse eidem omnia, et inter alia dixisse scribitur* : Accepi lavacrum, Paule, qui enim per te operatus est Evangelii prædicationem, mihi quoque ad baptizandum *(Græce* λούσασθαι

AUCTORE J. C.

λούσασθαι ut baptizarer) cooperatus est. *Respicit nugas scriptor ad aquam, in quam Sanctam insiliisse affirmavit, ut ipsam a se baptizatam voluerit. Deinde Iconium profecta asseritur, ibique sponsum defunctum audivisse, matrem vero invenisse vivam; sed eam non potuisse ad fidem convertere. Abeunti autem Iconium Paulus, si Actis credimus, dixit:* Vade et Verbum Dei doce. *Hæc verba, si fidi essent scriptoris, difficultatem non haberent, cum facile possent intelligi de erudiendis privatim feminis. Iconio demum Seleuciam profecta dicitur, præeunte lucida nube, ac secessisse in montem vicinum, ubi* multos annos *in spelunca vixerit, discipulas in vita ascetica habuerit, agrosque et energumenos, undique allatos, sanaverit. At his insulsa rursum additur fabella: nam medici Seleucienses, deserti ob famam sanationum* Theclæ, *ad impium consilium delapsi, dicuntur submisisse homines impuros, ut Virginem viliarent vel nolentem. Illa vero, cum advenerant, re intellecta, Deum oravit. Mox petra se aperuit, Sanctaque, divinitus monita, petram ingressa est, et sic impuris impiorum manibus liberata, cum*

B *petra continuo post Sanctæ ingressum rursum coiret. Ætas* S. Theclæ *in fine Actorum sic exprimitur:* Passa igitur est Thecla,.... anno decimo octavo *(Græce* dum erat annorum octodecim) postea autem itinere et vita ascetica in monte septuaginta duos transegit annos, adeo ut nonaginta esset annorum, quando Dominus eam de terra assumpsit. *Verum hæc ætas non videtur certior, quam sint reliqua omnia.*

Ex primis fabulosis hæc verisimiliter

9 *Habes, lector studiose, brevi compendio Acta* S. Theclæ, *ut concinnata sunt ab anonymo, et a Grabio edita. Quanto autem magis ea considero, tanto magis miror judicium editoris, tum quod crediderit, ea esse presbyteri Asiatici, qui* Περιόδους Pauli et Theclæ *confinxit, tum quod fidem ejusmodi Actis vel sic conciliare studuerit. Etenim, si vera erant, quæ presbyter ille de Paulo et Thecla narravit, qua de causa damnatus est, et dignitate sua exutus? At falsa fuisse, quæ ille scripsit, liquet non solum ex ejus condemnatione, et non modo ex silentio S. Lucæ, ex quo argumentum sumpsit S. Hieronymus; sed ex ipsis quoque S. Pauli verbis* 1 *Cor.* 9 ℣ 5: Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut

C et ceteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas? *Hac vero potestate se usum non fuisse, insinuat Apostolus. Si autem noluit circumducere mulierem sororem, quæ utilia præstare potuisset servitia; quanto minus verisimile est, ipsum in comitatu habuisse puellam speciosam et tenellam, a qua nihil expectare poterat præter pericula ei impendentia? Falsa igitur fuerunt et commentitia, quæ scripserat presbyter ille Asiaticus. Noster vero anonymus multa videtur ex illo hausisse, et nominatim illa, quæ de itineribus* S. Theclæ *asseruit, et de ingenti ipsius desiderio Paulum semper videndi et audiendi.*

fuerunt composita.

10 *Quin et verisimile est, omnia fere ex primo illo fabulatore hausta; tantumque prætermissa ea, quæ a Tertulliano, Hieronymo, et fortasse aliis, nominatim erant reprehensa, qualis est fabula de baptizato leone, et munus publice docendi ac baptizandi a primo fabulatore* S. Theclæ *assertum, teste Tertulliano. Mutavit insuper titulum, et suppositum auctoris nomen. Nam primus S. Paulum fabularum suarum mentitus erat auctorem; anonymus vero proprio nomine scribit, licet hoc sit ignotum. In Decreto Gelasii Papæ inter apocrypha numeratur,* Liber, qui appellatur

D Actus Theclæ et Pauli apostoli. *An autem intelligendum sit primum illud Opusculum presbyteri Asiani; an vero Acta* S. Theclæ, *de quibus modo disserimus, clare non liquet. Nihilo magis constat de tempore, quo hæc Acta ab anonymo fuerunt concinnata. Editor ea admodum vetusta credit, aitque ex iis sua hausississe Basilium Seleuciensem. Posterius ex utriusque collatione verum existimo: at inde certo nequit inferri, Acta seculo* IV *aut quinti initio vetustiora esse.*

Basilius Seleuciensis Historiam scripsit S. Theclæ

11 *Basilius, Seleuciensis in Isauria episcopus, floruit seculo* V, *et variis interfuit conciliis; sed exiguam constantiæ famam ex iis nancisci potuit, cum semper videatur adhæsisse illis, qui pro tempore prævalebant, ut latius videri potest expositum apud Tillemontium tom.* 15 *Monumentorum locis variis. Conscribenda suscepit Acta* S. Theclæ, *et Historiam nominavit, cujus initium est:* Ἱστορία μὲν τὸ πονηθὲν ἡμῖν τοῦτο σύγγραμμα. Historia est hic liber a nobis elaboratus. *Hæc autem Historia, ut ait in Præfatione,* ex alia quidem *fuit,* eaque vetustiori memoria excerpta, ad exemplum tamen illius ita concinnata, ut ejusdem velut vestigiis omnino insistat. *Plures quoque deinde insinuat* E
ejusdem Vitæ auctores, fateturque aliquid a se additum antiquis, sed nihil extra scopum mentemque *antiquiorum.* Sensum enim, *inquit,* ordinemque eorum, quæ martyrii tempore vel dicta vel facta fuere, sequuti, alio dumtaxat compositionis, ut, quod res est, fateamur et loquutionis genere, laborem ab aliis jam ante susceptum nostrum in usum convertentes, maximæ Dei Martyrii dicavimus. Orationes autem seu conciones, prout res admittere videbatur, eidem Martyri attribuentes, propriamque et aptam sermonis formam cuique personæ adsignantes, priscum, nisi fallimur, illi decus atque ornamentum conciliavimus. *Hæc auctor de monumentis veteribus, quæ habuit, et de modo, quo ea secutus est.*

ex præcedentibus Actis haustam, iisque vix meliorem:

12 *Ex collatione autem Actorum, de quibus jam egi, et lucubrationis Basilii, clarum apparet, ea Acta Basilio præluxisse, aut certe alia valde similia: nam totum historiæ, aut fabulæ potius, ordinem secutus est Basilius, rescissis aut immutatis subinde paucissimis. Hoc autem fecisse Basilium existimo, ut verisimiliorem faceret lucubrationem suam: facile enim advertere potuerat, nonnulla non satis verisimilia esse. In orationibus vero multo majorem sibi licentiam vindicavit, ut* F
ipse fatetur, multa in hisce mutans, multaque passim adjiciens. Ex dictis porro colligitur, dictam Basilii Historiam non esse majoris auctoritatis aut fidei, quam sint Acta jam improbata, quæ secutus est, præsertim cum omnia fere, quæ in iis improbabilia diximus, suæ etiam Historiæ inseruerit Basilius, nonnulla etiam utcumque auxerit, et certe prolixas et crebras orationes personis pro arbitrio attribuerit. Quapropter neque Acta ante memorata, nec primum librum Basilii edendum censeo. Ex hoc solum ea inseram Commentario, quæ ad propositum nostrum videbuntur conducere. De secundo autem Basilii libro agam inferius. Totam autem Basilii Seleuciensis de S. Thecla *lucubrationem Græco-Latinam edidit, atque Annotatis illustravit Petrus Pantinus, decanus Bruxellensis, qui similiter edidit Acta* S. Theclæ *per Metaphrasten scripta, de quibus pauca modo dicenda.*

ut et alia Acta ex iis Metaphrastes,

13 *Metaphrastes Acta sua exorditur his verbis:* Ἄρτι τοῦ μεγάλου τῆς ἀληθείας εὐαγγελιστοῦ τε καὶ κήρυκος Παύλου *etc.* Quum primum Paulus magnus ille veritatis nuncius ac præco *etc. Alia solum sunt verba: sed idem sensus, quo exorsus est anonymus*

A mus ante memoratus. Hunc autem Metaphrastes ubique præ oculis habuit, et presse secutus est pro factis assertis: in ratiociniis vero seu sermocinationibus plusculum more suo libertatis sibi assumpsit, et stylo usus est suo. Quare vitia, quæ in dictis Actis ostendi, reperiuntur etiam in Metaphraste, exceptis paucissimis, quæ hic advertit et correxit. Itaque neque hæc Acta danda existimo, etiamsi ea et manuscripta habeam et impressa.

et Orationem Nicetas David:

14 *Orationem encomiasticam et quasi historicam* de S. Thecla *composuit Nicetas David Paphlago, editam Græco Latine a Combefisio in Auctario novissimo a pag.* 445, *et recusam in Bibliotheca Patrum Lugdunensi. Hic autem orator omnia ex Actis hausit. Nam de prima conversione* S. Theclæ *sic loquitur :* Thecla puella, Theocliæ quidem filia, sponsa vero Thamiridis, e vicino ædes habens, ac per fenestram aurem accomodans, Pauli doctrinis ascultabat.... Sic veritati assensit, eique per fidem adhæsit, ut triduo omnium oblita sit, et cibi et potus. *Simili modo omnia, compendio ex Actis relata, prosequitur Nicetas, non nisi paucissima leviter corrigens, aut brevius perstringens, nonnulla vero magis etiam amplificans. Quapropter nequeo assentiri Combefisio in Annotatis pag.* 509 *existimanti, pleraque in his vera esse.* Putem, *inquit,* B Acta illa vetera, quæ vel Basilius, vel Metaphrastes, vel etiam Nicetas suscepere enarranda, ac stylo exornanda, ipsos Pauli et Theclæ circuitus esse, antiquis merito reprobatos, in quibus tamen pleraque Theclæ vera continerentur, quæ alii Patres ex illis acceperint, et probaverint. *His, inquam, assentiri nequeo, quia clarum videtur, omnia profluxisse ex Actis anonymi; hæc vero ex Circuitibus illis compositæ. Pleraque autem falsa esse existimo, aut certe fictitiis adjunctis corrupta. Nihilo magis asserere velim cum Combefisio,* pie hæc veneranda atque credenda, quamdiu non suppetunt alia certiora. *Cum enim* pie veneranda *dicamus, quæ improbata sunt a Tertulliano et Hieronymo, et a Gelasio Papa damnata?*

aliorum de S. Thecla lucubrationes.

15 *Inter Opera Chrysostomi apud Montfauconum tom.* 2 *pag.* 749 *habetur Homilia fine mutila* de S. Thecla *Pauli discipula. Utrum ea Chrysostomi sit, an alterius, dubitavit Savilius, et post ipsum dubitarunt alii, ideoque ego ipse in Actis Chrysostomi eam solum retuli ut dubiam, licet nihil contra illam objiciatur præter qualemcumque styli varietatem, forte magis imaginariam quam veram. Verum nec tunc lubuit, nec modo lubet de re tam exigui momenti pluribus disputare. Cujuscumque sit Homilia, non nisi pauca admodum de* C S. Thecla *continet, eaque talia sunt, ut nequeant improbari, quemadmodum suo loco ostendam. Apud Assemanum in Bibliotheca Orientali tom.* 3 *pag.* 286 *memoratur inter Vitas Sanctorum Arabicas, quæ exstant in Bibliotheca Vaticana, et anonymos habent auctores,* Theclæ virginis et martyris *Vita. Laudatur item apud Assemanum pag.* 323 Oratio in B. Theclam *Theodori Mopsuesteni. At his caremus, nec iis omnino indigemus. Inter recentiores* S. Theclæ *Vitam Latino sermone conscripsit Paulus Æmilius Sanctorius in Opusculo de duodecim Virginibus martyribus; sed usui illa nobis esse nequit post antiquiores, quos secutus est sine crisi, in hac Vita maxime necessaria. Baronius in Annalibus ad annum* 47 *multa recensuit de* Thecla *ex sanctis Patribus; Acta vero ipsa magis commendavit, quam vellem. Neque enim Patres asserunt ea, quæ in Actis improbabilia ostendimus. Magis critice de* S. Thecla *scripsit Tillemontius tom.* 2 *Monument. Eccl., secutusque Tillemontium Bailletus ad* XXIII *Septembris, ut mittam alios*

Liber Miraculorum a Basilio Seleuciensi scriptus,

16 *Porro ladudatus ante Basilius Seleuciensis præter librum primum, quem de gestis Sanctæ conscripsit, alterum quoque composuit Miraculis ejusdem post mortem. Illum autem exorditur hac præfatione :* Quum præconia laudum, cuicumque tandem tribuantur, veritas in primis exornare soleat, eaque duobus hisce fundamentis, vita scilicet et rebus gestis, potissime nitantur; plurimaque a nobis, præsertim præcedenti volumine, de Martyre sint explicata, nihil ut jam restet, nisi ut veritatem illis ipsis, quæ commemoravimus, velut comitem adesse, in iisque clucescere ostendatur : hac de causa non exiguo studio ac labore, quæ sparsim extant, ejus miracula congessimus, ac pusillo Commentario edidimus, non quidem omnia, imo nec multesimam omnium partem; sed paucissima omnino, eaque solum, quæ vel nostra memoria, vel paullo ante nostram ætatem evenere; atque ex his ipsis rursum perpauca, et quæ non nisi a viris feminisque veracibus colligere potuimus : quo nulla lectoribus relinquatur occasio, quin plenam iis, quæ jam antea a nobis relata sunt, fidem habeant, ex miraculis, tam quæ hoc tempore perficiuntur, quam quæ superiori facta fuere, certissima præcedentium ejus certaminum fortiterque factorum argumenta capientes. In quibus miraculis recensendis idcirco personarum, locorum, nominumque mentionem facimus, ne de illis quoque ulla dubitandi supersit ratio; sed penes se et in promptu, quisquis in hæc forte inciderit, habeat, unde de iis, quæ a nobis dicta sunt, veritatis disquisitionem instituat. E

partim dandus, partim redigendus in compendium :

17 *Hæc Basilius de proposito suo, cum ut fidem adstruat gestis ante per ipsum relatis, tum ut commendet miracula referenda. At certe particularia gesta eorumque adjuncta nequeunt ex miraculis vera ostendi, cum Sancti modis diversis meritorum thesauros congregent; miracula vero ex dictis multum auctoritatis haberent, si Basilius accurate fecisset, quæ facta a se affirmat. Verum non æque in omnibus accuratus fuisse videtur, sed nonnulla pro miraculis narrat, quæ forte naturali modo sunt facta; nonnulla etiam, quæ minus videntur certa; et plusculum indulsit affectatæ eloquentiæ, quam expedire videtur in re tam gravi. Dabo tamen Latine ex libro illo Miraculorum selecta aliqua, quæ reliquis magis probata et certa apparent; sed brevitatis causa rescindam non pauca superflua et ad Sanctam ejusve beneficia nihil attinentia; imo nonnulla etiam stylo magis profano quam sacro prolata compendio solum perstringam.* F

Vossius Historiam S. Theclæ Basilio abjudicat;

18 *Photius in Bibliotheca cod.* 168 *agit de Basilio Seleuciensi, eumque* Beatum *vocat, etiamsi non videatur umquam Græcorum aut Latinorum Fastis fuisse adscriptus. Ubi autem Orationes ipsius recensuerat, hæc adjungit de scriptis :* Idem vero hic Basilius ille est, qui primæ martyris Theclæ præclare gesta, et certamina, atque victorias metris persequitur. *Ex his varii scriptores colligunt, metricam quoque Vitam* S. Theclæ *compositam fuisse a Basilio : at ea etiamnum latet, nec magna est jactura. Gerardus Joannes Vossius de Historicis Græcis lib.* 2 *cap.* 24 *existimat, Acta* S. Theclæ, *de quibus jam egimus, prout soluta oratione conscripta sunt, et in Mss. Basilio Seleuciensi attributa, non esse hujus auctoris. Rationem vero allegat geminam. Prima est, quod nullus inter Basilium Seleuciensem et Joannem Damascenum locutus videatur de anima Falconillæ, precibus* S. Theclæ *ab inferis liberata : altera, quod indigna videantur*

AUCTORE J. S.

tur ævo et eruditione Basilii Seleuciensis, nec ejus stylo congrua. Neutra ratio multum urget. Nam de liberata Falconillæ anima tacere potuerunt scriptores plerique seculis quinto, sexto et septimo, quia illud pro fabula habebant, ipsaque Acta pro fabulosis majori ex parte. Tantam vero fuisse eruditionem et crisim Basilii Seleuciensis, ut non potuerit fabulas, diu ante scriptas, suo stylo exornare et adoptare, necdum video, Stylus autem Actorum differt quidem a stylo Orationum Basilii : at id minus mirandum est, cum Acta pro concione non dixerit, sicut Orationes, et in illis Acta antiquiora præ oculis habuerit, sibique sequenda proposuerit. Objectionibus tamen aliis addi potest silentium Photii, quod magis urget, quia Basilio attribuit metricam S. Theclæ *Vitam.*

sed eam ipsi tribuendam, recte probat Tillemontius.

19 *Tillemontius tom.* 15 *in Basilio Seleuciensi non modo respondet ad objectiones jam relatas; sed argumenta etiam nonnulla affert, iisque omnem auferendam dubitationem existimat. Primo observat, utriusque libri eumdem esse auctorem, cum sub finem primi loquatur de miraculis Sanctæ, di-* B *catque.* De quibus etiam alio in Opere ac libro, Deo volente, ac Virgine favente, agemus. *In præfatione secundi libri de primo etiam meminit verbis supra datis. Deinde suspicatur Tillemontius, Opus hoc in titulo dici* historico stylo *scriptum, ut distinguatur a versibus. Tertio ostendit, lucubrationem saltem esse episcopi aut presbyteri Seleuciensis et seculi quinti, quo Basilius Seleuciensi cathedræ præfuit. Nam auctor lib.* 2 *cap.* 27 *meminit de Oratione a se habita in annua festivitate* S. Theclæ : *hoc autem erat episcopi, aut saltem presbyteri. Tempus vero, quo scripsit, variis locis innuit : nam meminit lib.* 2 *cap.* 13, 17 *et* 30 *Dexiani episcopi Seleuciensis, ut sibi olim noti et tunc defuncti. Dexianus autem episcopatum Seleuciensem gessit ante Basilium, et anno* 431 *interfuit concilio Ephesino. Meminit cap.* 25 *Isocasii philosophi gentilis necdum conversi, cujus conversionem ad annum* 467 *refert Tillemontius tom.* 6 *Imperatorum in Leone I art.* 15. *Rursum cap.* 4 *meminit de vidua Bitiani aut Vitiani ducis, qui sub Theodosio II rem bene* C *gessit contra Persas, ut breviter innuit Socrates lib.* 7 *cap.* 18. *Ex his igitur recte colligit Tillemontius, Acta illa fuisse scripta eo tempore, quo floruit Basilius, sive circa medium seculi quinti, et certe post annum* 431 *et ante* 467. *Hisce addo observationem aliam, nimirum auctorem loqui de pluribus personis Seleuciensibus etiam viventibus; at numquam loqui de Basilio, nisi ipse sit Basilius : de se enim satis frequenter loquitur, et varia narrat. At verisimile non est, solum episcopum sine laude præteritum ab auctore, qui præcipuos viros et mulieres laudibus liberaliter celebrat, et probam ipsorum vitam etiam miraculis* S. Theclæ *annumerat. Quare nullum mihi est dubium, quin ipse Basilius horum Actorum sit scriptor : neque vitia, quæ his Actis irrepserunt, multum nos movere debent, cum et alia ejusdem Antistitis scripta vitiis non careant.*

§ II. Quæ SS. Patres asseruerunt de S. Thecla, pro veris admittenda sunt. Ex his Sanctæ gesta utcumque innotescunt.

Ittigius totam de S. Thecla Historiam vult fictitiam,

Thomas Ittigius in Opere de Bibliothecis et catenis Patrum pag. 700 *non modo refutat Acta a Grabio edita, de quibus num.* 3 *egi; sed eo etiam* D *modo loquitur, acsi omnia crederet fictitia, quæ sancti Patres de* S. Thecla *memorarunt. Nam pag.* 702 *ait :* Mihi vero, ut animi mei sententiam dicam, tota Theclæ historia mera fabula videtur. *Rursum pag.* 703 *ita ratiocinatur :* Provocat porro Grabius ad IV et V seculi scriptores. Nec inficior, aliquos quarti et quinti seculi scriptores Theclæ mentionem injecisse. Verum illorum testimoniis non solum Tertulliani et Hieronymi de fictitiis Theclæ Actis judicium, sed etiam reliquorum Patrum de Thecla silentium oppono. Celeberrimus Historiæ ecclesiasticæ scriptor Eusebius, qui tot martyres in sua Historia ecclesiastica recenset, nihil de protomartyris et apostolæ Theclæ gestis memorat, de quibus etiam in scriptoribus primi, secundi et tertii seculi altum est silentium. *Demum pag.* 705 *mentem suam clarius etiam manifestat.* Excipiet forte aliquis, *inquit*, non posse historiam Theclæ pro mera fabula haberi, cum ascetæ quidam religionis causa Seleuciæ in Isauria frequenter locum quendam sanctum ingressi fuerint, a E Thecla quondam inhabitatum, ut in Vitis Patrum a Rosweido editis narratur, et præterea Zeno imperator Theclæ basilicas dedicaverit, teste Evagrio lib. 3 cap. 8. Verum neque superstitiosa ascetarum quorumdam credulitas, neque templa Theclæ dedicata, firmiter demonstrant, Theclæ gestis aliquid veri inesse, cum etiam Catharinæ, Georgio, et aliis fictitiis Sanctis templa dedicata sint, et sæpe homines superstitiosi hæc vel illa loca, olim ab hoc vel illo Sancto habitata, falso sibi persuadeant. Quamobrem fateor, me non assentiri posse viro cuidam clarissimo, qui in Notis ad Hieronymi Catalogum Scriptorum ecclesiasticorum Theclæ martyrium et pericula a quoquam pro confictis haberi nolit. *Hactenus Ittigius.*

at ea est crisis viro prudente indigna,

21 *Verum si crisis hæc digna fortasse est genuino Lutheri disciplo, auctoritatem sanctorum Patrum exemplo patriarchæ sui negligente, indigna certe est viro moderato et prudente. Etenim Grabius post Baronium laudavit Gregorios Nazianzenum et Nyssenum, Ambrosium, Chrysostomum, Epiphanium, Isidorum Pelusiotam, Maximum Taurinensem, Zenonem Veronensem, Basilium Seleuciensem, quibus addere potuit Hieronymum, Augustinum, ceterisque antiquiorem Methodium, aliosque plures. Tot autem tantosque Patres, eru-* F *ditione præstantissimos, et antiquitate venerandos, adeo contemnere, ut dicantur laudibus celebrasse mulierem plane fictitiam, nec moderati hominis est nec prudentis, præsertim cum non afferuntur rationes urgentes, Etenim, si certissime novimus, S. Paulum exstitisse, etiamsi eadem de ipso et* S. Thecla *fuerint Acta conficta, hæc certe Acta idoneum nequeunt argumentum præbere ad negandum exstitisse etiam* S. Theclam, *eamdemque virginitate floruisse et martyrio, ut sancti Patres testantur. Quis eruditus historicus ignorat, de omnibus Apostolis Acta fabricata fuisse fabulosa? Nec tamen dicere possumus, eos nec fuisse nec Evangelium prædicasse, quia id aliunde indubitatis constat testimoniis. Sic neque* Theclam *virginem negare debemus et martyrem, quia de iis gravissima habemus sanctorum Patrum testimonia. Si quis profanas historias considerare voluerit, similiter inveniet, multa fuisse conficta de variis personis, quas tamen non credimus personas fictitias. Quare meliora argumenta afferre debuerat Ittigius, ut novam illam crisim faceret probabilem aut tolerabilem.*

nullisque argumentis nixa.

22 *Nam quod ex Tertulliani et Hieronymi verbis elicere tentat, nihil prorsus est, sed ipsi potius contrarium. Negat Tertullianus, ex scriptis Paulo*

AUCTORE J. S.

A *lo suppositis hauriri posse, licitum esse mulieribus baptizare, quia scripta illa sunt fabulosa. Quanto fortius id probasset, si dicere potuisset,* Theclam *esse personam fictitiam? At id non magis dicit de* S. Thecla, *quam de ipso S. Paulo. Contra ostendit,* Theclam *suo tempore notam fuisse, ejusque exemplum a nonnullis perperam allegatum, ad licentiam baptizandi mulieribus arrogandam. Acta igitur solum improbat Tertullianus, quodque in illis Actis legebatur de baptismo per* Theclam *collato: sed minime negat floruisse* Theclam *virginem temporibus Apostolorum. Hoc nihilo magis negat Hieronymus, Acta illa similiter improbans. Quin imo Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Custodia virginitatis clare demonstrat, quanti* S. Theclam *fecerit, dum illam cum Maria Matre Domini et Maria sorore Moysis solam ex virginibus nominat, quas Eustochio occursuras dicit post hanc vitam.* Tunc Thecla, *inquit,* in tuos læta volabit amplexus. *Forte et Hieronymi superstitiosam dixisset credulitatem Ittigius, qui virgini Virginis defunctæ amplexus promittit. At malim ego sobrie sapere cum Hieronymo, quam sanctos Patres arroganter contemnere cum Ittigio. Eusebius* S. Theclam *non videtur ignorasse: nam cap.* 3 *de Martyribus Palæstinæ agens de Thecla Gazæ passa cum Agabio, de ea sic loquitur,* καὶ ἡ καθ' ἡμᾶς Θέκλα, et nostri temporis Thecla. *Quo loquendi modo insinuat, vetustiorem alteram, sive celeberrimam illam sibi non fuisse incognitam. Quod additur de silentio scriptorum primi, secundi et tertii seculi, æque est falsum ac frivolum. Quam multi enim alii Apostolorum discipuli, de quibus in Actis Apostolorum aut Pauli Epistolis fit mentio, a scriptoribus aliis trium primorum seculorum, quorum Opera ad nos pervenerunt, alto premuntur silentio. Imo nonnullos ex ipsis Apostolis apud probatos illorum temporum scriptores non invenias memoratos. Futile igitur est istud argumentum contra* S. Theclam, *etiamsi verum fingatur. At falsum quoque est: nam Tertullianus, qui de* Thecla *meminit, ut vidimus, floruit secundo et tertio seculo: et S. Methodius, qui* S. Theclam *pluribus celebrat, seculo* III *floruit et scripsit. Verum nos, missis Ittigii ineptiis, examinemus, quibus laudibus sancti Patres* Theclam *celebraverint.*

B

Thecla præcipuis virginibus annumerata,

23 *S. Epiphanius Hær.* 79 *num.* 5 *inter Sanctos eximios, videlicet Eliam et Joannem Baptistam, perpetua virginitate illustres, præter Mariam Domini Matrem, aliis omnibus longe anteferendam, solam ex virginibus et mulieribus nominat* S. Theclam, *docens, neque hanc, neque ullum e Sanctis adorandum his verbis:* Sed nec Thecla, nec alius quispiam e Sanctis adoratur. *Pari modo S. Ambrosius cap.* 3 *Ad Virginem lapsam, dum hanc reprehendit,* S. Theclam *inter præcipuas Virgines recenset, ita lapsam alloquens:* Quid facies coram Maria, Thecla, et Agne, et immaculato choro puritatis? *Et mox cap.* 4 *excusationem de fragilitate carnis sic refellit:* Respondebit tibi beata Thecla cum suis innumerabilibus sociis: Et nos eadem carne amictæ fuimus, nec tamen plenum propositum castitatis nostræ, aut fragilitas carnis potuit mutilare*, aut sævitia tyrannorum potuit per varia tormenta dejicere. *S. Gregorius Nyssenus in Vita S. Macrinæ sororis suæ primum docet, hanc arcano nomine etiam* Theclam *fuisse dictam, rationemque pag.* 178 *allegat, visionem matris suæ ita exponens:* Verum cum pariendi tempus instaret, somno consopita, manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intra viscera continebat, et quendam humana specie et forma augustiorem intueri, qui Theclæ nomine filiolam appellavit, Theclæ, inquam, illius inter martyres celeberrimæ: id autem cum ter repetens testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexerit. Arcanum igitur nomen hoc illi fuit. Videtur autem mihi is, qui per quietem apparuerat, eam vocem pronunciasse, non tam, ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium et institutum.

* al. maculare

aut etiam præposita a variis Patribus

24 *S. Hieronymus in Chronico ad annum* 377 *de Melania seniore hæc narrat:* Melania nobilissima mulierum Romanarum, et Marcelli quondam consulis filia, unico prætore tunc urbano filio derelicto, Hierosolymam navigavit, ubi tanto virtutum præcipueque humilitatis fuit miraculo, ut Teclæ nomen acciperet. *Ex his liquet, quanta seculo* IV *esset fama* S. Theclæ, *quantoque in honore haberetur nomen ipsius. Et sane antiquior illis S. Methodius martyr in Convivio virginum* Theclam *reliquis prætulit, dum pag.* 160 *et* 161 *Areten sive virtutem inducit loquentem ad Virgines, easque coronantem, subjunctis de* Thecla *his verbis:* Theclam tamen majori floridiorique corona, quippe quæ se supra vos insigni eminentique studio commendaverit. *Quare S. Isidorus Pelusiota lib.* I *Epist.* 87; *ubi alias quasdam mulieribus monachis ad exemplum proposuerat, de* S. Thecla *ita loquitur:* Adde muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnium laudibus celebratam Theclam, quæ tamquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque e media turbidarum affectionum tempestate, tamquam fax accensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit. *S. Gregorius Nazianzenus in Oratione tertia, quæ prima est in Julianum, imperatorem apostatam graviter insectatur, quod martyres contemneret, et cum præcipuis* S. Theclam *laudat his verbis:* Non victimas pro Christo cæsas veritus es; nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui et post illos, et ante illos, pro veritate periculis se objecerunt? qui cum igni, et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denuntiatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, immo quasi corporum expertes, dimicarunt? Cur? Ne pietatem vel verbo tenus proderent. Quibus præclari honores et festa constituta sunt, a quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur: quorum apparitiones et prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa, idem possunt, quod corpora. *Hactenus Nazianzenus ita generatim de multis Sanctis, ut omnia* S. Thecla *nominatim congruere videantur.*

E

F

et scriptoribus antiquis.

25 *In Vita S. Syncleticæ, cujus incertus, sed antiquus auctor, olim attributa S. Athanasio, apud nos tom.* 1 *Januarii pag.* 243, *dum S. Syncletica comparatur cum* S. Thecla, *hæc ita celebratur:* In Syncletica videre est genuinam discipulam B. Theclæ, quæ eisdem vestigiis incederet. Unus amborum procus, Christus scilicet; unus auspex et paranymphus nimirum Paulus; idem communis thorus, ecclesia nimirum..... Unde uniformis erat amor utrique erga Christum; quia eisdem dotibus, donatæ, eisdem studiis incumbebant. Theclæ quidem martyria nulli non nota, per ignes, per feras, et per quæ non tormenta cruciatæ. Nec minus notas arbitror laudabiles sudores et labores

AUCTORE J. S.

Syncleticæ. Nam cum unus et idem dilectus fuerit utrique sponsus, nimirum Christus Dominus, necesse est, eumdem fuisse adversarium utrique, diabolum scilicet. Sed in Thecla quidem moderatiores existimo fuisse cruciatus, cum malignitas adversarii in illa grassata videatur in corpore tantum, et in rebus exterioribus *etc. Hactenus auctor, ostendens, quanti faceret* S. Theclam, *quod cum illa potissimum S. Syncleticam conferre voluerit.*

Sancta nobilem sponsum recusans,

26 *Jam vero a generali laude sanctæ Martyris, ad particularia facta veniamus. Non modo virginitatem* S. Theclæ *Patres magno consensu celebrant; sed multi etiam affirmant, sponso nobili fuisse promissam, eoque relicto aut recusato, una cum fide Christiana, S. Paulo prædicante, virginitatem elegisse. S. Epiphanius Hær,* 78 *num.* 16 *de iis mentem suam hoc modo aperit:* Sed et Thecla, cum in Paulum incidissit, pactas nuptias dissolvit, cum primario cuidam civitatis totius, ac longe diviti, nobilissimo, splendidissimoque desponsa jam fuisset. Verum terrena ideo Sancta illa contempsit, ut cælestium compos esse posset. *Consentit S. Ambrosius lib.* 2 *de Virginibus cap.* 3 *de institutione per S. Paulum, de sponso recusato, et de virginitate. Verba afferam inferius, ubi agetur de martyrio. S. Gregorius Nyssenus Hom.* 14 *in Cantica ut Virginem S. Pauli Discipulam ita celebrat:* Talem myrrham olim Paulus effundebat ex ore suo, mistam cum puro pudicitiæ lilio, in sanctæ Virginis aures. Ea vero erat Thecla, quæ præclare animo suo defluentibus de lilio guttis intra se receptis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione cupiditateque carnali exstincta. Cujus post perceptam bonam illam doctrinam, et juventus exstincta erat, et externa venustas exstincta, et exstincta omnia corporis sensuum organa, solo sermone in ipsa vivente, per quem totus ei mundus mortuus erat, et Virgo ipsa mundo erat mortua.

minasque contemnens,

27 *S. Joannes Chrysostomus (aut si quis forte alius est, auctor Homiliæ dubiæ et mutilæ) tom.* 2 *Operum pag.* 719 *exaggeratis primum virginitatis laboribus, de* S. Thecla *hæc subjungit:* Enimvero Puellæ natura cedebat, et quæ apud alios dominatur, et ad coitum furit, apud Theclam virginitatem exercebat. Parentes vero, cum Filiæ inita cum virginitate pacta non nossent, neque fœderis nuptiarum cum illa jungendi causa Christum Dominum de cælo dextram dedisse, multis eam verbosisque comminationibus ad conjugium incitabant. At enim jam aures Puellæ Pauli carmine personabant: » Quæ non est nupta, cogitat, quæ » Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. » *Et post multa in laudem virginitatis dicta, hæc rursum:* Instabat mater, quæ ad nuptias impellebat: at illa Sponsum cælestem his vocibus compellabat. « Ad te levavi oculos meos, qui habi» tas in cælo. » Accedebat procus, nuptiali eam colloquio titillans: at illa se cum Christo tacite conjungebat, dicens: « Adhæsit anima mea post te. » Confluebant adulationibus captantes propinqui: at illius menti Paulus contestans obversabatur « Despondi te uni Viro virginem castam » exhibere Christo. » Terrebant judices pœnis: at omnes illa magno animo proculcans, clamabat: « Principes non sunt terrori bonis operibus, sed » malis. »

et instructa a S. Paulo,

28 Cum vero statuas viginitatis etiam in viis erigi Martyri oporteret, talis quædam Puellæ est exorta tentatio. Liberata judicio, Pauli prædam sectabatur, et rumorem sequuta ducem, viis, quæ ad Paulum ferebant, sese est ausa committere. Porro diabolus Puellam observabat, et cum iter agentem observasset, hostem immittit in Puellam procum, virginitatis tamquam in deserto prædonem. Cumque jam iter perficeret, generosæ Virgini admissarius à tergo procus, et acer indagator, captam eam esse jam inclamabat. Difficiles undique angustiæ urgebant: robustus erat, qui bellum inferebat; infirma, cui bellum inferebatur. Ubinam aliquod illi a perfugio illo perfugium. Tum vero in cælum conversa Virgo ad eum, qui omnibus ubique ipsum invocantibus adest, cum lamentis clamabat: « Domine Deus meus, in te speravi.... *Hic mutila Homilia desinit. Hoc autem factum nullibi inveni, ne in Actis quidem fabulosis. Non est tamen improbabile,* S Theclam, *cum Iconii virginitatem suam non fore tutam perspiceret, consilium fugiendi ad Paulum iniisse, ut ejus cura alibi latebras inveniret; sed retractam ex fuga, eaque occasione ad tormenta condemnatam fuisse. Chrysostomus Hom.* 25 *in Acta Apostolorum de* S. Thecla *breviter sic loquitur:* Audi de beata Thecla. Illa ut Paulum videret, aurum suum dedit. *Non est necesse, ut dicamus,* Theclam *dedisse aurum custodi carceris, ut habent Acta fabulosa. Potuit enim et famulum aut ancillam aliquam aura permovere, ut exitum e domo tutum haberet, aut etiam comitem in via ad Paulum. Quidquid sit, nec volo nec possum certa facere, quæ minus certa apparent ob dictorum ambiguitatem. In Homilia de duodecim Apostolis inter Spuria Chrysostomi tom.* 8 *pag.* 12 Thecla *item celebratur, ut instructa a S. Paulo.*

virginitatem servat.

29 *Apud S. Augustinum lib.* 30 *contra Faustum Manichæum cap.* 4 *dictus Faustus ait de S. Paulo;* Cum Theclam oppigneratam jam thalamo in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit. *Factum autem non negat S. Augustinus, ad hæc respondens, sed argumentum, quod ex illo perperam contra nuptias sumebat Faustus, tantummodo solvit. Ipse Augustinus in libro de Sancta Virginitate cap.* 44 *docens, quid Virgini congitandum sit, ne superbe maritatis se præferat, ait, nescire virginem, utrum sit matura martyrio, cum ad illud subeundum idonea forte sit maritata, doctrinamque exemplo illustrans, ait:* Unde, inquam, scit, ne forte ipsa nondum sit Thecla, jam sit illa Crispina. *Est autem Crispina præclara martyr Africana, frequenter laudata ab Augustino, de qua agetur ad* v *Decembris. Innuit igitur S. Augustinus,* S. Theclam *illustrem esse inter virgines martyres, sicut inter conjugatas præclara est S. Crispina. Nazianzenus Orat.* 19 *pag.* 279 *ait, a S. Justina martyre, dum ejus castitas periculo erat exposita, Deum invocatum,* qui et Susannam mortis periculo liberavit, et Theclam servavit, illam a sævis presbyteris, hanc a tyranno ipsius proco, patreque magis tyrannico. *S. Methodius in Convivio* S. Theclam *in medio virginum cælesti Sponso occurrentem, et ita de rebus suis loquentem inducit:* Mortalibus suspiratam mundi felicitatem fugiens, et vitæ delicias, voluptates, amores, tuis ulnis salutiferis protegi desidero, et tuam videre semper, o Beate, pulcritudinem... Nuptiarum relinquens mortales lectos, et domum propter te, o Rex, auro plenam, venio immaculatis in vestibus, ut admittar et ego beatos intra thalamos una tecum.... Dolis elapsa draconis innumerabilibus, o Beate, blandis corruptoribus; præterea vero et ignis flamma et ferarum immanium homicidis insultibus, expectans te de cælo.... Oblita patriæ desidero tuæ formæ sum, Deus Verbum; oblita virginum æqualium choros, et materni

AUCTORE J. S.

A terni jactantiam generis. Omnia enim tu mihi, Christe, tu ipse es. *Idem auctor et eruditionem philosophicam pag.* 94 S. Theclæ *attribuit*, euangelica vero ac divina doctrina *eam antecelluisse* omnibus *ait* : utpote a summo ejus generis *institutam edoctamque magistro Paulo.*

Dicta Patrum expensa.

30 *Ex allatis porro Patrum textibus habemus*, S. Theclam *fuisse conversam a S. Paulo, eamdemque et virginem fuisse, et ante conversionem juveni nobili desponsatam, post conversionem vero a nuptiis abhorruisse amore virginitatis, eaque occasione multa a sponso, multa a parentibus sustinuisse certamina, in quibus fortiter se gessit ac vicit. In Actis fabulosis sola cum sponso inducitur mater*, Theclam *ad nuptias hortans, acsi pater ipsius jam ante fuisset defunctus. Verum in dubia Chrysostomi Homilia* parentes *generatim dicuntur ipsam ad nubendum incitasse, et Nazianzenus de patre nominatim meminit, eumque magis tyrannicum dicit fuisse, quam sponsum ipsum. Hi illa saltem ex Actis fabulosis non hauserunt, eorumque sententia certe ut probabilior præferenda. Præterea in dicta Homilia dubia additur fuga ad* B *Paulum, in qua sponsus Virginem dicitur assecutus. Ejusmodi autem fuga, detrectationi nuptiarum addita, potuit parentes Virginis et sponsum magis exacerbare, ut deinceps noluerint ipsam ut filiam aut sponsam tractare, sed ut noxiam et rebellem judicibus ad pœnam tradere. Attamen, cum factum sit mutilum, nec referatur, quid eo tempore inter Virginem et sponsum sit actum, nolim pro certo edicere, hanc fugam fuisse causam pænarum, ad quas condemnata fuit Sancta. Verum quæcumque tantorum suppliciorum fuerit occasio, testimoniis Patrum constat, ad ignem fuisse condemnatam, ferisque etiam expositam, et in utroque supplicio mansisse illæsam.*

Sancta igni fuit injecta, et feris

31 *Verba S. Methodii, dicentis, liberatam fuisse* ignis flamma, et ferarum immanium homicidis insultibus, *supra dedi. Hinc idem pag.* 130 *et* 131 *de his simul et præcedentibus certaminibus dicit, quod* decus una multiplicis martyrii sæpius iteratis ingentium certaminum claris victoriis gloriose tulerit, in quibus et magnanimitas aggrediendi, et ardor rem gerendi paria fuerunt : magnitudinique consiliorum et mentis ex æquo semper respondit firmitas roburque corporis. *Nazianzenus in Carmine ad Virgines tom.* 2 *pag.* 300 *ita* C *habet :*

Videsne Theclam ereptam ab igne et belluis?

Rursum in Carmine III, *cui titulus*, Præcepta ad virgines, *pag.* 59 *hæc canit :*

Quis Theclam necis eripuit flammæque periclo?
Qui validos ungues vinxit rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones :
Dente nec impuro generosos virginis artus.
Ausi sunt premere, et rigido discerpere morsu,

exposita; sed ab utrisque

32 *S. Ambrosius lib.* 2 *de Virginibus caput tertium orditur hoc modo :* Ergo sancta Maria disciplinam vitæ informet, Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutavit. Namque parata ad feras, cum adspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut, qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum Virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, et propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiserant. Videres quadam naturæ transfusione homines feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ; bestiam exosculantem pedes Virginis docere, quid homines deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulatos ira exasperavit, non usus decepit adsuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem : docuerunt etiam castitatem, dum Virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia Virginem nudam videret.

mansit illæsa.

33 *Rursum Ambrosius in Epistola ad ecclesiam Vercellensem num.* 34 *eadem brevius disserit hoc modo :* Quo munere autem venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, ut ad pedes Prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ sacrum deferrent jejunium? nec procaci oculo Virginem nec ungue violarent aspero? Quoniam et ipso adspectu virginitatis violatur sanctitas. *Auctor antiquus in Homilia de Cæco nato, quæ habetur inter Spuria Chrysostomi scripta tom.* 8 *pag.*63, *de Sancta bestiis exposita etiam meminit his verbis :* Quid primæ martyri Theclæ E nocuit nudam in theatro certare? Non peccavit denudata, non afficitur ignominia, sed coronatur Sancta. *Non meminit S. Ambrosius, nec auctor modo laudatus, de ignis supplicio, quia non susceperant gesta Sanctæ enarranda; sed solum aliquid de ipsa memorarunt, quod conducebat maxime ad rem sibi propositam. Sic, omissa expositione ad bestias, de igne solum fit mentio in Oratione, nomine* Cypriani Antiocheni *edita, post Opera S. Cypriani editionis Venetæ col.* XXX : Assiste nobis, *inquit auctor*, sicut Apostolis in vinculis, Teclæ in ignibus *etc. Consentit S. Maximus, seculo* V *Taurinensis episcopus, in Homilia de S. Agnete, ubi ait*, Agnem, sicut Theclam, flammarum globos evasisse.

Non magni facienda, quæ nomine S. Zenonis dantur.

34 *Baronius et Grabius addunt etiam textum ex Sermone de Timore, edito sub nomine S. Zenonis Veronensis, recusoque in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom.* 3 *pag.* 403 : Adversus Theclam accusator acerrimus linguæ exerit gladium : cum suis sibi ministris publicæ leges insaniunt : stimulis acuitur feritas in ferocitatem, et tamen hominibus mitior invenitur : ne quid scenæ tam diræ humanitatis deesse videatur, immittuntur etiam marina monstra : laciniis omnibus spoliatur Puella, vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis, spectatore metuente, secura calcat genera universa terrorum : incolumis, quasi orbe subacto, de illo feralis caveæ, jam non miserabilis, sed mirabilis, funereo ambitu excedit, victi seculi triumphum reportans, quam tot suppliciis omnes crediderant perituram. *Verum S. Zenonis Veronensis, qui seculo* VI *floruit, scripta non agnoverunt Hieronymus aut Gennadius in suis Catalogis, et bibliographi passim Sermones illos S. Zenoni abjudicarunt, ut magni facienda non sint, quæ de marinis monstris ignotus ille, et forte aliquot seculis junior, ex Actis fabulosis hausit. Prætereo, quod Baronius allegat ex epistola ad Oceanum de Vita clericorum, olim falso S. Hieronymo attributa, cum nihil habeat dignum Hieronymo. Omitto et alia ab eodem allegata ex Actis Sanctorum minus fideliter scriptis, aut ex Opusculis, quorum non magna est actoritas, quia sufficiunt Patres allegati.*

Elogium Sanctæ metricum.

35 *Addo tamen, quæ S. Athelmus aut Aldhelmus, Scireburgensis in Anglia episcopus, de quo apud nos ad* XXV *Maii, in Carmine de laude Virginum*

AUCTORE J. S.

num cecinit, quia videtur ex Patribus sua hausisse, non ex Actis fabulosis :

Virgo dicata Deo florebat tempore prisco,
Nomine hanc Theclam veteres dixere parentes,
Quæ conversa fuit sacrato dogmate Pauli,
Et Christum sequitur, connubia pacta relinquens.
Virginitatis amor flagrans in corde Puellæ
Dulcia mundanæ sprevit consortia vitæ,
In qua fundavit cælestis gratia mentem,
Sæcula quam penitus numquam mollire valebant.
Durior ut ferro foret ad tormenta cruenta.
Hanc pater et genitrix, pactis sponsalibus ambo
Ad stirpem generis satagebant dedere nuptis * :
Sed mens virgineis ardescens torrida flammis,
Gurgite mundano perfusa, tepescere nescit;
Quamvis verborum rorarent imbre parentes,
Sicut nimbosis stillabant æthera guttis.
Propterea focus et flagrans accenditur ignis :
Vulcanus late fervebat torribus atris,
Ut Virgo felix ferret tormenta rogorum,
Consumptura piam falso sine crimine carnem.
B Tali fœmineam sontes molimine spinam
Excruciare student, membratim quatinus ossa,
Si fieri posset, vacuarent cruda medullis.
Sed Deus æterna defendit ab arce Puellam,
Ut voti compos flammas evaderet ignis.
Truditur ad rictus Virgo laceranda leonum,
Diris vero dant muliebres morsibus artus :
Bestia sed sacrum non audet carpere corpus,
Defensante Deo devotæ membra Puellæ;
Dum teneræ carni non usquam sponte pepercit.
Sic Sator electis, cum mundi scammate certant,
Aurea cælestis largitur præmia regni.
Hæc suprema suæ decoravit tempora vitæ,
Purpureo sanctam perfundens sanguine carnem,
Martyr perpetui dum scandit limina cæli.

* f. nuptum

Hactenus S. Aldhelmus, in fine insinuans, Sanctam violenta morte martyrium complevisse, fortasse quia vidit, passim a Patribus Martyrem *vocari.*

Thecla certe martyr dicenda :

36 *Hoc unum igitur de gestis Sanctæ superest examinandum, utrum post ignem et feras superatas, alio tandem supplicio vitam finierit : nam de titulo martyrii Sanctæ debito nulla potest esse quæstio, si sequamur sententiam communiorem et probabiliorem, qua martyres habentur omnes illi,* C *qui tormenta subierunt mortem naturali ordine inferentia, etiamsi divino favore in illis manserint illæsi. Sic martyr habetur S. Joannes apostolus, qui in dolium olei ferventis injectus est, licet ex eo Dei gratia illæsus exiverit. Hac igitur ratione martyr est* S. Thecla, *quia et igni tradita et feris objecta, ut etiam docet Benedictus XIV feliciter regnans in Opere frequenter laudato de Canonizatione Sanctorum lib.* 3 *cap.* 12, *ubi ipsum* S. Theclæ *exemplum num.* 5 *adducit. Quapropter merito* martyr *vocatur, etsi certum esset, non fuisse alio deinde supplicio sublatam. Non solum autem* martyr *a Patribus vocatur ; sed a nonnullis etiam* protomartyr, *sive prima inter feminas martyr dicitur. S. Isidorus Pelusiota lib.*1 *Epist.*160 *laudat Tarasium Isaurum, quod* primæ martyris Theclæ et mores et templum *amaverit. Evagrius similiter lib.*3 *cap.* 8 protomartyrem *nominat : et hic titulus* S. Theclæ *passim datur a recentioribus Græcis. Si autem consideremus tempus conversæ ad fidem Sanctæ, addamusque causam martyrii, quæ non ex edictis imperatorum, sed ex recusatis amore virginitatis nuptiis petitur ; verisimillimum fiet, Sanctam certamina martyrii suscepisse aliquot annis ante imperium Neronis, et ante omnes* D *mulieres martyres. At non constat, an vitam finierit ante alias feminas martyrio coronatas ; cum diu certaminibus prioribus videatur supervixisse.*

Baronius vult etiam in pœnis defunctam :

37 *Baronius tom.* 10 *Annalium pag.* 944 *in Addendis ad annum* 47 *evincere nititur,* S. Theclam *martyrio etiam vitam finivisse, ita disserens :* Quod vero in Theclæ Actis, ad finem ipsorum asseritur, ipsam divinitus liberatam a paratis triplicis generis mortis periculis, in solitudinem secessisse, ibi perseverantem nonagenariam decessisse ; istud quidem ex omnibus illis nobis haud arridet, cum de his penes antiquiores, quos recitavimus, selectissimos Patres verbum nullum : qui omnes de ipsa ut martyre et consummata martyrio visi sint meminisse : potissimum vero Gregorius Nazianzenus, cum inter insigniores martyres, pro Christo necatos, eam connumeret, ut vidisti : et S. Ambrosius, cultor studiosissimus S. Theclæ, in cujus memoriam primaria ecclesia Mediolani fuit erecta, inter alia hæc de ipsa : " At certe Theclam non " senectus, sed virtus probavit. " Ita ipse, cum agit de velandis sacris virginibus, in quibus mores potius, quam ætatem spectandam proponit. Et S. Augustinus, cum agit de virginitate, quæ de- E beat conjunctam habere humilitatem, ne per superbiam virgo super conjugatas se efferat, quas fortasse contingat coronari martyrio, quo careat ipsa, ait : " Unde, inquam, scit, ne forte ipsa non- " dum sit Thecla, jam sit illa Crispina ? ", consummatam plane martyrio Theclam significans, dum consummatam martyrio conjugatam opponit, ut de martyrio facta comparatio æque respondeat. Hæc et alia in eamdem sententiam adduci possunt. Puto autem, quod, deperditis antiquioribus Actis illis martyrii S. Theclæ, iisdemque, ut audisti, ab hæreticis depravatis, quæ omnium traditione præ cæteris prædicarentur, de illa adeo inexspectate liberata de tribus illis præparatis sævissimis mortis periculis, ea ut magis ore omnium decantata, transmissa fuisse ad posteros. Qui vero postea ea scripsit, dum quo mortis genere consummaverit ipsa martyrium, haud adeo exploratum habuerit, sicut acceperat liberatam ; ea opinandi atque scribendi occasionem invenerit, ne pulcherrimam Virginem, relictam liberam, ex consuetudine hominum in suspicionem adduceret *Hactenus Baronius, qui his observationibus multum detrahit illis, quæ disputaverat ad fidem Actis* F *conciliandam. Si enim collector Actorum ne noverit quidem, quo mortis genere defuncta sit Sancta, et vel sic ausus fuerit nonagenarium facere, et insolitum mortis genus confingere; qua ratione existimabimus, eidem innotuisse adjuncta multa plane incredibilia, quæ narravit, quave crisi iis fidem vindicare conabimur?*

at hoc argumenta ejus non evincunt ;

38 *Verum rationes pro violenta morte allegatas examinemus. Nazianzenus Sanctam numerat inter* victimas pro Christo cæsas. *Verum Nazianzenus eodem loco iis etiam annumerat S. Lucam, de cujus martyrio similiter dubitatur. Elias Cretensis in Commentario ad locum allegatum col.* 322 *nec Joannem nec Lucam interemptos ait, et col.* 323 Theclæ *mortem enarrat, prout in actis fabulosis refertur.* Victimas autem communiter omnes appellavit, *inquit*, etiamsi quidam minime obtruncati fuerunt ; quandoquidem ipsi, quantum ad eos attinebat, Christi causa parati erant, non unam dumtaxat, sed multas mortes oppetere, juxta illud : Tota die mortificamur propter te. *An ea fuerit mens Nazianzeni, dubitari utcumque potest. Joannes certe non recte excipitur ab Elia, cum Nazianzenus Joannem primum nominet ante Petrum* et

AUCTORE J. S.

A *et Paulum, ideoque Baptistam potius videatur designasse, quam Evangelistam. Attamen de mente Nazianzeni non satis constat, cum* Theclam *igne et feris liberatam dixerit, nec alia memoraverit Sanctæ supplicia. Verba vero Ambrosii,* Theclam non senectus, sed virtus probavit, *nihil faciunt ad controversiam propositam. Nam docet Ambrosius in omni ætate virtutem ad recte vivendum sufficere posse. Itaque, cum juvenis esset* Thecla, *quando præcipua pro virginitate obivit certamina, noluit negare, ipsam ad senectutem pervenisse, sed in juventute magnam ejus fuisse virtutem docuit. Augustini comparatio inter* Theclam *et Crispinam nihilo magis evincit consummatum* Theclæ *martyrium: comparationem enim in eo facit, quod utraque fuerit matura martyrio, uti* Thecla *ostendit se fuisse, cum igni tradita fuit et bestiis exposita. Consummatam enim martyrio conjugatam, quæ vivit, virgo credere nequit, ideoque virgo tantum cogitare potest, maritatam esse animo bene ad martyrium disposito, uti etiam erat* Thecla, *licet martyrium morte non consummaverit. Itaque rationes Baronii probabiles quidem sunt; non tamen evincunt,* Theclam *morte violenta ex*
B *vita discessisse.*

et aliunde magis probabile est contrarium.

39 *Jam vero cum Patres asserant, igne et bestiis liberatam fuisse* S. Theclam; *nec ullus eorum alio supplicio occisam scribat, probabilius mihi videtur, ipsam deinde morte naturali obiisse. Verum idcirco minime crediderim, quæ de ejus fine in Actis antiquioribus leguntur, nimirum petra sponte aperta et mox iterum coëunte receptam fuisse Virginem, dum virginitatis ejus hostes nonagenariæ vim inferre parabant. Basilius Seleuciensis totam fabulam nolens exprimere, finem ipsius ex mente prioris refert hoc modo:* Haudquaquam vita defuncta est, (ut pervagatior veriorque fert fama) sed vita subsidens, in terram ingressa, quæ, Deo ita volente, in ejus gratiam discessit, seque illi aperuit eo in loco, quo divina ac sacra Liturgiæ mensa constructa, in orbe columnis argentoque fulgente undique cincto est constituta. *Hoc, inquam, modo obiisse Sanctam, minus etiam credo, quam tormentis martyrii: neque enim Patres mortem tam admirandam omnes silentio præteriissent, cum Sanctam toties celebraverint. Bailletus ex Mabillonio observat, non fuisse* S. Theclam *canoni Missæ insertam, indeque argumentum sumit credendi, non fuisse in suppliciis defunctam.*
C *At hæc ratio magis urgeret, si plures virgines martyres canoni Missæ fuissent insertæ, et vel unicam ostendere in canone potuisset ex Græcis vel Orientalibus. Quare magis urget silentium S. Methodii aliorumque Patrum de morte violenta Sanctæ, præsertim cum etiam Basilius Seleuciensis crediderit, non fuisse defunctam in suppliciis. Accedit locus emortualis, ex quo colligitur, nec gladio nec alio supplicio occisam esse Sanctam. Cum enim Iconii passa credatur, Seleuciæ vero, ubi nihil passa dicitur, aut prope Seleuciam obiisse; vel sola hæc ratio opinionem de morte incruenta longe probabiliorem facit sententia opposita. Ceterum cum Sancta diu verisimiliter vixerit post conversionem suam et priora certamina; incertum tamen sit, an pervenerit ad ætatem nonaginta annorum, ut habent Acta fabulosa; propius epocham obitus ipsius figere non possumus, quam seculo I aut sub initium secundi.*



§ III. Nomen Sanctæ antiquissimis Martyrologiis adscriptum; et quidem diebus variis.

Memoria Sanctæ ad hunc diem in Fastis:

Martyrologia Hieronymiana S. Theclam *certatim annuntiant hoc die, et aliis quibusdam, nisi aliæ ejusdem nominis sint, quæ aliis diebus memorantur. Codex Epternacensis apud Florentinium brevissime habet:* In Oriente Teclæ. *Corbiensis:* In Seleucia natalis S. Teclæ martyris. *Codices Florentinii nonnihil corruptionis contraxerunt, cum ex illis ediderit sequentia:* In Seleucia natalis Teclæ virginis, quæ Romæ igne deposita evasit. *Hæc ultima certe mendosa sunt; neque enim valet conjectura (quam dedit, sed non defendit Florentinius) potuisse* Theclam *cum S. Paulo Romam venire, ibique igne liberari, antequam secederet Seleuciam. Nam non modo pro fabuloso Opere habendum est, quod de Circuitibus Pauli et* Theclæ *fuit confictum; sed etiam pro figmentis habere non dubito, quidquid ex illo Opere de itineribus* S. Theclæ *cum Paulo Actis fabulosis legitur insertum, quandoquidem constet, noluisse S. Paulum in comitatu suo feminas circumducere. Mendosus item est codex Blumianus, ex quo pag. 1069 locum ita expressit:* In Seleucia natalis E sanctæ Teclæ, quæ a Roma igne deposita evasit. *Rhinoviense et Richenoviense rectius habent:* In Oriente, Teclæ virginis. *Item* Teclæ virginis *meminerunt Augustanum, Labbeanum, et Gellonense, omisso loco, uti etiam habent pleraque a Martenio edita tom. 3 Anecdotorum, et tom. 6 Collectionis amplissimæ. Inter hæc tamen Martyrologium Antissiodorense pluscula habet hoc modo:* Eodem die natale S. Theclæ virginis, apud Seleuciam quiescentis, quæ de civitate Hyconio a beato Paulo apostolo instructa est. *In Romano parvo per Rosweydum edito brevius ita legitur:* Et Theclæ virginis, Seleuciæ quiescentis. *Prolixum elogium ex Actis suspectis dedit Ado, omissis tamen* Theclæ *cum Paulo itineribus.*

Adonis elogium

41 *Illud huc transfero, ut habeat curiosus lector asserta in Actis certamina, licet nonnulla sint minus probabilia:* Eodem die, *inquit,* natale sanctæ Theclæ virginis, apud Seleuciam quiescen- F tis, quæ de civitate Iconio a beato Paulo apostolo instructa est. Quam mater ejus cernens Christianam. et nuptum repudiare, malentem Christo sponso adhærere, quam corruptioni carnis subjacere; pergens ad judicem, accusavit virginem Filiam suam esse Christianam, dicens vivam eam, ut ceteræ mulieres terrerentur, debere ardere. Quam sibi cum jussisset judex adduci, et propositum castitatis ejus perdidicisset, rogum fecit parari, ut illam incenderet. Rapta igitur ab apparitoribus, ut in rogum jactaretur, sponte pyram ascendit, et signo crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit. Subitoque facta inundatione pluviarum, ignis exstinctus est, et beata Virgo illæsa virtute superna eripitur. Iterum cum jejuniis, orationibus et vigiliis vacaret, a quodam viro potente comprehensa, perducta est ad præsidem, quod se Christianam diceret. Quam isdem proconsul interrogans, si vere esset, quod accusabatur: respondit, omnino Christianam se esse. Quam continuo præses ad bestias damnavit. Interim tamen, quo subrigeretur, commendatur cuidam nobili feminæ, quæ propinqua cæsaris erat, nomine Tryphena.

AUCTORE J. S.

na. Sequenti die productæ sunt bestiæ de caveis : sistitur Beata in arenis mediis, stupente populo, quod eam bestiæ minime tangerent. Reducitur beata Thecla ad domum Tryphenæ, ut in crastinum iterum feris objiceretur.

partim videtur fabulosum,

42 Quam ministri cum de domo repeterent, Tryphena doloris plena sequitur eam usque ad spectaculum, ubi clamor vulgi et tumultus erat immensus, beatam Theclam spectantium. Nudata vero beata Virgine, dimittuntur ei leones pariter et ursi. Sed nulla ferarum eam lædere præsumpsit. Deinde in fossam aqua plenam, ubi serpentes adunati et collecti fuerant, a furentibus populis cum urgeretur, signo crucis munita insiluit : sed nec ab eis ullo pacto læsa. Iterum atrociores bestiæ parantur : sed ullo modo tangere eam non sunt permissæ. Verum nec adhuc sibi crudelitas modum ponit. Alligatur duobus tauris ferocissimis, ferro candente stimulatis, ut eam discerperent. Qui funibus disruptis, vagabundi huc illucque discurrunt, at Martyrem nullius mali passam relinquunt. Accersitam denique proconsul eam requirit, quæ aut unde esset, quia nulla bestiarum B eam lædere potuisset. Beata Thecla respondit : Dei vivi tantum sum ancilla. Territus autem proconsul, quod tantæ virtutis esset, induens eam vestibus, edixit sententiam : Theclam, inquit, pietatis ac Dei cultricem relaxo. Dimissa vero, reversa est in domum Tryphenæ, ubi requievit paucis diebus, docens Tryphenam, et domum ejus in fide Domini nostri Jesu Christi.

ut nonnullis observationibus innuitur :

43 Inde egressa, venit Seleuciam, ibique exemplo et conversatione vitæ atque etiam doctrina plurimos erudiens, post multa certamina duplicis coronæ, virginitatis et martyrii, requievit in pace. *Hactenus Ado, cujus relatio satis clare ex Actis desumpta videtur, sic tamen, ut nonnulla modo magis verisimili conatus sit exponere. Omisit nimirum peregrinationes* S. Theclæ *cum Paulo et ad Paulum, Actis insertas, indeque omnia Sanctæ certamina, quæ in Actis partim Iconii, partim, Antiochiæ ponuntur, loco eodem posuit quemadmodum revera probabilius est, omnia Iconii contigisse. Præterea ab Actis recessit Ado, imo et a Patribus, quantum mihi apparet, dum* S. Theclam *dicit accusatam præcipue ut Christianam. Nam Acta et sancti Patres asserunt, Sanctam in judicium vocatam et* C *condemnatam ob detrectatas nuptias. Demum pro phocis, monstris marinis, quæ dicuntur fuisse in fossa, in quam secundum Acta insiliit* S. Thecla *Ado serpentes substituit. At rectius totum illud de fossa fuisset omissum, ut patribus incognitum et improbabile. Nam verba S. Zenoni Veronensi attributa, et data num. 34, cujus sint ignoramus. Similiter quæ de Tryphena dicuntur, et de tauris quibus alligata fuerit Virgo, Patrum testimonio carent, ideoque incerta saltem et minus probabilia sunt.*

apud alios eodem die memorata,

44 *Beda elogio breviori et veriori* S. Theclam *celebravit, ita scribens :* Eodem die natale S. Theclæ virginis in Oriente, in Iconio civitate : quæ a Paulo apostolo instructa in confessione Christi, ignes ac bestias devicit : et post multa certamina ad doctrinas multorum veniens Seleuciam, requievit in pace. *Rabanus eadem fere dedit. Notkerus vero plura ex Adone aut Actis contexuit, jam satis examinata. Usuardus rursum eadem fere habet cum Beda, sed omisit, nescio, qua de causa, instructam fuisse a S. Paulo. Wandelbertus, dissentiens a reliquis, defunctam in supplicio innuit hoc versiculo :* Nonum *(Kalendas Octob.)* Tecla tenet roseo perfusa cruore. *Dominicus Georgius in Annotatis ad Adonem observat, etiam martyrem vocari in* D *Martyrologio Corbeiensi; sed martyrem non negamus; at perfusam* cruore ex hac *Vita discessisse* Theclam, *sive in tormentis occubuisse, non asserit Corbeiense Martyrologium, ut observatio illa parum faciat ad propositum. In Martyrologiis recentioribus* Thecla, *passim celebratur ad hunc diem. At, omissis reliquis, solum subjungo verba Martyrologii Romani :* Iconii in Lycaonia sanctæ Theclæ virginis et martyris, quæ a sancto Paulo apostolo ad fidem perducta, sub Nerone imperatore in confessione Christi ignes ac bestias devicit, et post plurima ad doctrinam multorum superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace : quam sancti Patres summis laudibus celebrarunt.

quo ejus fit commemoratio in Officio.

45 *Eodem die in Breviario Romano præscribitur Commemoratio de* S. Thecla *cum hac lectione :* Thecla virgo, ex illustribus parentibus Iconii nata, a Paulo apostolo fidei præceptis instituta, miris sanctorum Patrum laudibus celebratur. Quæ decimum octavum annum agens, Thamiride sponso relicto, cum eam parentes, quod Christiana esset, accusassent : in ardentem rogum, qui, nisi Christo renuntiaret, ei paratus erat, prius signo Crucis armata, seipsam injecit. Sed igne pluvia, qua re- E pente exorta est, exstincto, Antiochiam venit : ubi feris objecta et tauris in diversa incitatis illigata, mox conjecta in fossam plenam serpentibus, ex omnibus Jesu Christi gratia liberatur. Cujus ardore fidei et vitæ sanctitate multi ad Christum conversi sunt. Iterum in patriam rediens, in montem sola secessit : deinde multis virtutibus et miraculis insignis, nonagenaria migravit ad Dominum, a cSeleuciæ sepulta est. *Quæ in hac lectione minus certa, aut etiam minus probabilia sint, ex disputatis antea satis colligetur.*

Apud Græcos aliosque colitur 24 Septembris.

46 *Græci* S. Theclam *celebrant ad* XXIV *Septembris, quo die in Menologio Sirletiano habet elogium ex Actis contractum, quale etiam est in Basiliano, sed paulo prolixius. Simile rursum* Theclæ *elogium ad eumdem diem legitur in Menæis impressis, ubi Officium de ea peragendum præscribitur. Mosci ad illum quoque diem celebrant* S. Theclam *in suis Fastis, uti et Coptitæ ecclesiæ Alexandrinæ apud Ludolfum. Porro festivitatem* S. Theclæ *a seculo* VIII *saltem eodem die* XXIV *Septembris celebratam fuisse a Græcis, colligitur ex Vita S. Tarasii patriarchæ Constantinopolitani, data apud nos ad* XXV *Februarii. Nam* F *in ea num.* 20 *legitur, concilii Nicæni secundi sessionem primam fuisse eo die,* in quo Thecla aperuit stadium certaminibus fæminarum martyrum. *Hanc autem sessionem habitam* VIII Kalendas Octobris, *in ea ipsa initio legitur apud Labbeum tom.* 7 *col.* 39.

Eadem ad 22 Februarii Nicomediæ annuntiata,

47 *Aliis quoque diebus memoria* S. Theclæ *Latinis Fastis adscripta habetur. Ad* XXII *Februarii in Hieronymianis apud Florentinium hæc leguntur :* In Nicomedia nat. Tecle Virginis discipule Pauli apostoli. *Consonat fere codex Corbeiensis: et Nicomediæ* Theclam *eodem die annuntiant Martyrologium Reginæ Sueciæ et Richenoviense. In aliis plerisque Hieronymianis, aliisque Martyrologiis antiquis apud Martenium memoria* S. Theclæ *eodem die habetur, sed fere sine loco expresso. Rabanus et Notkerus illo similiter die* Theclam *Nicomediæ annuntiant, et satis longum eidem ex Actis texunt elogium, uti observatum est in Prætermissis ad illum diem, ubi et* Beda *nominatur, scilicet quale tunc editum erat Bedæ Martyrologium; sed in genuino Bedæ id non legitur. Ex dictis elogiis certum est, a plerisque martyrologis laudatis designari* S. Theclam *hodiernam Pauli discipulam. Non constat tamen, qua de causa eo die* et

A *et Nicomediæ fuerit annuntiata: imo etiam dubitat Florentinius, an recte nostra Nicomediæ attributa sit, quia in codice antiquissimo Epternacensi locus non additur. Nihil in re obscura affirmare possum; sed variæ causæ potuerunt efficere, ut eo die Nicomediæ coleretur, quales sunt basilicæ dedicatio, reliquiarum translatio, beneficium ejus patrocinio obtentum.*

ad 20 Decembris Iconii et aliis quoque diebus,

48 *Memoria* S. Theclæ *iterum in Hieronymianis videtur recurrere ad* XX *Decembris. Nam eo die Florentinius edidit:* In oriente natalis Theclæ et sancti Liberati. *In Corbeiensi:* Natatalis Theclæ et sancti Libertini, Zosimi. *Hæc quidem aliam insinuare possunt Theclam. At hodierna clarius designatur in Epternacensi codice, in quo legitur:* Et in Liconio Theclæ. *Legendum esse* Iconio *res ipsa innuit, et Martyrologium Richenoviense confirmat, cum ita habeat:* Et Iconio Theclæ *In utroque* Theclæ *sine Sociis ponitur, et Iconio tribuitur, ut vix ullum relinquatur dubium, quin designetur hodierna. Rabanus tamen ita rursum habet:* In Oriente natale sanctæ Theclæ Virginis, et S. Liberati; *acsi crederet, aut Socios esse aut saltem simul coli. At codex Epternacensis* Theclam *sequenti* B *etiam die repetit, ibique aliam palæstram assignat* Theclæ, *aliam* Liberato *aut* Liberati, *ut ibi vocatur, aliam Zozimo.* Theclæ *etiam mentio fit* in Oriente *apud Martenium tom. 3 Anecdotorum in Hieronymiano, cui mille annorum antiquitatem attribuit, et in Morbacensi; uti et apud nos in Lobbeano, et in Gellonensi apud Acherium. Quapropter admodum verisimile est, etiam* XX *Decembris cultam fuisse Sanctam, et nominatim Iconii. In Opere nostro* S. Thecla *memoratur in Prætermissis ad ad* XVIII *et* XIX *Maii ob translationem brachii, quæ celebratur in ecclesia metropolitana Tarraconensi in Catalonia. Historiam translationis dat Antonius Vincentius Domeneccus in Sanctis Cataloniæ ad* XVIII *Maii, sed Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico eamdem posuit ad* XIX *Maii. Plura de illa translatione deinde dicentur.*

C

§ IV. Sepulcrum Sanctæ prope Seleuciam in Isauria: celeberrimus ejus ibidem cultus: ecclesia ipsius seculo IV aut citius structa: alia eidem a Zenone erecta.

Sancta defuncta prope Seleuciam, ubi magnificam

Basilius Seleuciensis, etiamsi Acta S. Theclæ *ita conscripserit, ut fabulis non careant, et in miraculis referendis modum subinde excedat, fidem tamen meretur in iis, quæ ad sepulcrum et cultum Sanctæ spectant, cum illa præ ceteris nosse potuerit, nec credendus sit tantæ fuisse impudentiæ, ut falsa voluerit scribere de iis, quæ omnibus eo tempore poterant esse perspecta. Ubi autem narraverat, Sanctam secessisse Seleuciam, de loco, ad quem inde recessit, et ubi mortua est ac sepulta, hæc subjungit:* In hac igitur civitate diversata, eaque delectata, verticem montis vicinum, qui ad Meridiem adsurgit, occupans, hunc suæ habitationis locum, quemadmodum Elias Carmelum, et Joannes desertum, eligit, *Deinde mortem ipsius enarrans, ait,* vivam ingressam in terram, ubi nos sepultam post mortem credimus. *Hoc autem factum asserit* eo in loco, quo, *inquit,* divina ac sacra Lithurgiæ mensa constructa, in orbe columnis argentoque fulgente undique cincto est constituta. *Fuit igitur altare magnificum constructum supra locum, ubi jacebat Sanctæ corpus.* Unde, *inquit auctor,* tanquam ex canali virginalis suæ beneficentiæ, copiose ibidem profluentis, contra omnem dolorem atque ægritudinem salutares remediorum fontes egentibus postulantibusque emittit; ita ut locus ille publica jam medicinæ officina, et commune terrarum orbis propitiatorium sit effectus.

ædem sibi dicatam habuit, multaque clientibus præstitit.

50 Itaque templum ejus vel potius urbem (nam in urbis postea figuram, usum, pulchritudinemque transiit) nunquam sine civibus et peregrinis reperias, omnibus undique eo confluentibus; his quidem solum ob reverentiam loci, votaque inibi facienda, et aliquid rerum suarum ipsi Divæ dedicandum consecrandumque eo properantibus; illis vero ad morborum insuper ac dolorum dæmonumque, quibus forte tenentur, curationem auxiliumque obtinendum. *Et mox:* Hoc certum, neminem, qui curationem liberationemque malorum suorum ibi postularet, repulsam passum fuisse; neminem obliquis dubiisque verborum ambagibus (cujusmodi præclaris illis dæmonibus Pythicisque oraculis frequentes sunt) delusum, famamque, quod sperata E curatione excidisset, incusantem abiise. Sed omnes omnino aliquid eorum, quæ postulant, quorumque indigent, consequuti, ita laudes decantantes, gratias agentes, ac bene precantes redeunt, ut majora, quam quæ fama celebraverat, quamque speraverant, miracula morborumque curationes sese comperisse arbitrentur. *De hoc templo* S. Theclæ *meminit S. Isidorus Pelusiota, cujus verba dedi num. 36. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 21 in laudem S. Athanasii pag. 386 meminit de concilio Arianorum Seleuciæ habito, eaque occasione de templo* S. Theclæ *his verbis:* Ubi fanum est sanctæ et egregiæ virgini Theclæ. *Idem in Carmine* I *de Vita sua pag. 9 testatur, se, ut episcopatum fugeret, ivisse Seleuciam, ibique diu mansisse. Verba prout Latine reddita sunt, subjungo:*

Primum fuga me confero Seleuciam,
Ubi virgo Thecla fanum habet celebre admodum:
Illic peregi tempus haud sane breve. F

Peregrinationibus quoque ibi honorata fuit,

51 *Theodoretus in Vita SS. Maranæ et Cyræ, data apud nos ad* III *Augusti, refert Sanctas illas, quæ vitam vivebant admodum austeram, peregrinatas esse ad sepulchrum* S. Theclæ, *iterque illud, cui ibidem in Annotatis centum circiter ac viginti milliaria unius horæ attribuuntur, jejunas confecisse.* Et cum victricis Theclæ templum *inquit,* quod in Isauria est, visere libuisset, ut caritatis in Deum flammas undique accenderent, jejunæ similiter ierunt *(ut ante Hierosolymam)* redieruntque. Usque adeo divinum illas philtrum extra se rapiebat: sic illas divinus erga Sponsum amor dementabat. *Hoc exemplum luculenter ostendit, quam celebre fuerit templum* S. Theclæ; *cum laudatæ Sanctæ ab hominum commercio semotæ viverent, nec alias legantur peregrinationes instituisse, quam hanc et Hierosolymitanam.*

quam Christianorum pietatem Patribus probatam,

52 *At vereor, ne Ittigius, num. 20 laudatus, hujus peregrinationis causa Sanctas illas, ut superstitiosas traducat, iisque addat S. Gregorium Nazianzenum, imo et Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, aliosque sanctos Patres, qui peregrinationes ad sepulcra Sanctorum frequenter commendant. Audi lector, et ride, quam benigne alter heterodoxus tractet S. Augustinum. Christianus Augustus Salig in Opusculo de Diptychis veterum*

AUCTORE J. S.

terum cap. 12 *num.* 7 *ait:* Equidem in eo Augustinum aliquid humani passum esse concedo, quando ad memorias et corpora martyrum multa miracula et prodigia, ægrotorumque sanationes contigisse et sibi persuadet et narrat, ut illis mundis in fide in Christum roboraretur firmareturque. Largiendum id est nimiæ boni pastoris credulitati, quæ sanæ et incorruptæ ipsius doctrinæ de neganda Sanctis invocatione non officit. *Hæc ultima dixit, quia ex negato Sanctis cultu latriæ ab Augustino inferre voluerat, negari ab eodem Sanctorum invocationem, cum tamen num.* 7 *adduxisset hæc Augustini verba:* Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. *Et mox martyres commemorari dicit, non* ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis.

antiquorum hæreticorum auctoritate impugnant quidam hæterodoxi.

53 *Vel sic tamen Augustinum ex parte suum facere nititur, et num.* 8 *alios Patres magis aperte sibi contrarios agnoscit his verbis:* Sed pro aliis Patribus non spondemus, eos tam incorruptas de recitatione martyrum ex diptychis fovisse cogitationes. *Ex his mox nominat Hieronymum, Basi-* B *lium, Nazianzenum, Nyssenum. At vicissim Patres suos in aciem educit his verbis:* Tres præcipue invocationis Sanctorum impugnatores fuerunt in antiquitate, Vigilantius, Eunomius et Aërius, qui invalescenti superstitioni tum jam obviam iverunt, sed nil inde emolumenti, nisi odiosum hæreticorum titulum retulerunt. *Cur nihil aliud præter* titulum hæreticorum *retulerunt, nisi quod eruditissimo seculo* IV *scriberent contra communem Ecclesiæ sensum? Verum nos deliro homini relinquamus Patres, hæreseos stigmate a seculo* IV *inustos, quos adoptat et contra Patres nostros defendit, et Itigio cujus occasione nonnihil interrupimus narrationis filum, respondeamus, malle nos cum iis, quos ille* superstitiosos *vocat, ad beatorum sedes ascendere, quam cum hominibus, qui Patrum antiquiorum religionem abjecerunt, et non nisi pertinaci errore contra omnem antiquitatem se tueri conantur, ad impiorum loca descendere. Redeo ad* S. Theclam.

Alia ecclesia Sanctæ a Zenone imperatore erecta.

54 *Aliam ecclesiam a Zenone imperatore eidem Sanctæ structam fuisse, seculo* V *ad finem vergente, discimus ex Evagrio lib.* 3 *cap.* 8, *ubi docet, quomodo Zeno, imperio expulsus a Basilisco, illud recuperaverit, ita scribens:* At Zeno, cum san- C ctam ac multis certaminibus illustrem protomartyrem Theclam vidisset in somnis, ut perhibent, ipsum incitantem, et restitutionem imperii ipsi pollicentem, Byzantium versus castra movit. Cumque eos, a quibus obsidebatur, muneribus corrupisset, Basiliscum, qui jam biennio regnaverat, imperio expulit, et ad sacrarium ecclesiæ confugientem hostibus dedidit. Quamobrem Zeno amplissimum templum, opibus ac venustate eximium, protomartyri Theclæ in urbe Isauriæ Seleucia dedicavit, multisque imperialibus donariis illud exornavit: quæ ad nostram usque ætatem illic servantur. *Hæc post tempora Basilii Seleuciensis contigerunt. At beneficia, quæ ille narrat, excitare potuerunt Zenonem ad colendam singulari pietate* S. Theclam, *præsertim cum natione esset Isaurus. Si quis contra beneficium, quod Zenoni collatum dicitur, objicere voluerit, Zenonem minus pium fuisse, nec recte de fide sensisse, respondebimus, varios Sanctos non solum piis beneficia præstitisse, sed subinde etiam impiis. Si quis tamen apparitionem Zenoni factam pro certa habendam non crediderit, non repugnabo; modo non dubitet de ecclesia per ipsum constructa.*

D

§ V. Beneficia et miracula Sanctæ ex Basilio Seleuciensi.

Beneficia Sanctæ in quodlibet hominum genus.

C*um Basilius Seleuciensis multa, ad propositum nostrum parum spectantia, miraculis* S. Theclæ *admisceat, et profanam eloquentiam nimis affectet, ex beneficiis tantum eligere illa decrevi, quæ pium lectorem nequeunt offendere, alia vero mittere, aut brevissime solum perstringere. In præfatione pag.* 135 *de beneficentia Sanctæ generatim ita loquitur:* Inter Sanctos autem hosce vel præcipua est martyr Thecla, semper præsens, semper ad obsecrantes ventitans, eosque exaudiens, omnes omni tempore candide intuens, valentes, ægros; lætos, tristes; iter aqua, iter terra facientes; in periculum adductos, extra periculum constitutos; singulos, universos, domos, familias, oppida, populos, exteros pariter ac cives; incolas, peregrinos; viros, mulieres; dominos, famulos; seniores, juniores; copiosos, egentes; magistratus, privatos; in exercitu, in foro, in bello, in pace versantes. Quin etiam Judæis sæpenumero conspiciendam sese E obtulit, eandemque potentiam in ipsos quoque ostendit, monitionis aut etiam increpationis loco salutem ipsis conferens. Et ut sermonem in pauca contraham, omne genus hominum pervadens, omnis gratificationis genere miracula sua in illos edit: sicut rursum adversus omnes flagitiosos, ipsamque exacerbantes, vim suam infestam iramque exercet, ita ut nec pie viventium curam unquam deponat, nec facinorum nefariorum auctoribus parcat, nunc hoc nunc illud manifestissime agens; utroque autem cum severitatem, tum humanitatem suam re ipsa testatam faciens. *Hactenus Basilius generatim.*

Dicitur Sancta idolo imposuisse silentium, de quo non constat:

56 *Mox ad singularia descensurus,* Ab illis porro, *inquit,*, exordiar, quæ ipsa maxime in causa sua contra dæmones perpetravit. *Verum dubitari potest, an satis certum sit, quod primo loco refert. Sarpedon promontorium est Ciliciæ non longe distans Seleucia, quæ civitas olim erat in Cilicia Aspera, sed postmodum Isauriæ longius extensæ facta est metropolis. In illo autem promontorio sepultum fuisse ait hominem impium, quem* Sarpedonium *nominat. Impium autem illum, aut* F *potius dæmonem, a gentilibus cultum fuisse asserit, iisque responsa dedisse. At, inquit,* simul atque ad hæc loca Virgo adventans, fines eorum attigisset, culmine hoc occupato, loquacissimum vatum deinceps compescuit, silentium imperavit, et in hunc usque diem prorsus elinguem reddidit. *Fuit igitur hoc beneficium, si verum est, non defunctæ, sed viventis* S. Theclæ: *sed mallem illud audire ex teste antiquiore. Certe mox in secundo miraculo dictis suis contraria narrat ipse Basilius: referens enim mulierem Judæam ad sepulcrum Sanctæ sanatam, ait, ipsam prius ludificatam fuisse ab* incantatoribus *et a* Sarpedonio, *sanitatem pollicentibus, Certe non capio, quomodo sanitatem diu post promiserit, si a* S. Thecla *perpetuum eidem impositum fuit silentium.*

mulier ex crure confracto sanata:

57 *Secundum miraculum potest esse verum, modo mittamus adjectam illam contradictionem.* Alia *mulier ethnica erat, inquit, sed nec Judæis nec Christianis contraria. Hæc lapsa e mulo crus confregerat, malumque contraxerat immedicabile.* At postquam mulier, *inquit*,... in templum delata fuisset, multisque cum lacrymis et gemitibus.... Martyrem supplex implorasset; antequam tres integri

AUCTORE J. S.

A tegri effluxissent dies, pedibus ipsa suis insistens abiit; ut nec manuducentis auxilio amplius indigeret; sed contento (ut aiunt) cursu domum suam properaret. *Addit, mulierem jussu Martyris abrasas circa sepulcrum sordes afflicto pedi imposuisse, itaque pergit :* Dixit hæc *(Sancta,)* fecit illa: et miraculum huc usque ab ipsa, et ab illis, qui eam ambulantem, currentem, pedumque exercitio utentem viderant, et (quod amplius est) ex hujusmodi miraculo Christianam effectam, et quidem talem Christianam, qualem tam illustri experimento edoctam fieri par fuit, prædicatur. Curatio enim pedis una etiam animæ sanitatem produxit : et hoc pacto utraque ex uno eodemque miraculo provenit.

alia

58 *Quod tertio loco refert, non tantas habet certitudinis notas. Quare pauca de illo mihi sufficient.* Mulier nobilis, Bassiana nomine, *degebat Seleuciæ* obsidis loco... ob pacta conventa, quibus a depopulatione pax spondebatur. *Hanc fuisse Christianam, et assiduam in ecclesia* S. Theclæ, *multis enarrat. Cum autem gravida esset, nocte quadam eo usque dicitur afflicta fuisse et æstuasse, ut ad puteum* B *vicinum accederet, in eumque se precipitare vellet. Tunc eidem apparuisse dicitur* S. Thecla, *digitoque suo modicum aquæ eidem aspersisse, atque ita ipsam refrigerasse.* Atque hæc, *inquit*, non per somnium, sed visu verissimo facta fuere. Cujus etiam rei testis, qui tunc ex ea filius natus est, Modestus nomine, inter vivos etiamnum agens, et urbem, quæ a pace nomen habet *(Irenopolis in Cilicia)* exornans : qui hoc ipsum miraculum maxima cum venustate deprædicat; ut est vir comitate omni, et musico lepore eximius.

diversi

59 *Quartum similiter compendio tradam. Mulier, cujus nomen non edicit, quam tamen satis notam fuisse omnia adjuncta innuunt, nupta erat Bytiano exercitus ductori sub Theodosio II, de quo meminit Socrates, lib. 7 cap. 18, ut dixi num. 19. Hæc dolebat de mariti sui infidelitate, quod jura matrimonii libidine sua violaret, et* S.Theclæ *supplicabat. Martyr vero,* hoc ipsi beneficium confert, ut protinus moribus viri in melius commutatis, amorem, quo in illas *(famulas)* illicite exarserat, in hanc decenter traduceret. *Indignatur deinde auctor, quod mulier illa, defuncto Bytiano, deinde Gregorio cuidam, homini vili, nupsisset.*

generis

C 60 *Quinto loco refert auctor, in festo nuptiali, quod splendide erat apparatum, furto ablatam fuisse zonam ingentis pretii, fure ipsam alicubi abscondente sub terra. Cum inde luctus esset ortus in convivio, dicitur* S. Thecla *Paulam, nuptæ matrem, monuisse, eique* locum, situm, furem *indicasse.* Atque hac ratione, *ait auctor*, luctu omni absterso, hilaritatem nuptiis convenientem restituit; Paulamque ut fidelem, et moribus sibi gratis præditam, hoc miraculo condecoravit.

beneficia.

61 *Ad sextum ita pergit :* Simile etiam in quadam supellectilis suæ accuratius reconditæ portione edidit. Nam ex crucibus ipsi dicatis unam quidam surripuerat. et quadam viæ parte, quæ ex urbe ad ædem ejus ducit, intra virgultum studiose defoderat. At martyr... quendam ex ministris ac æditiuis suis adit, iterumque furis ac loci indicium facit, sacramque crucem loco, unde asportata fuerat, reddit.

Cæco visus restitutus,

62 *Quod sequitur septimum, videtur testatissimum.* Miraculum autem, *inquit*, in Pausicaco editum, quis volens silentio prætereat? Licet enim inter tenuiores et opifices censeretur, in eodem nihilominus numero cum iis, qui copiis opibusque ac nominis splendore præstant, Martyris miraculo dignus est habitus. Hic igitur Pausicacus, vel medicorum incuria, vel inscitia, in oculorum ægritudinem quum incidisset, Martyris beneficio denuo lumen, quo destitutus fuerat, recuperavit. *Mox refert, ipsum ad Virginis templum venisse, ibique diu precibus institisse. Tum subdit :* Recepit autem *(lumen oculorum)* ad hunc modum : Squamis enim quibusdam, ut aiunt, ex oculorum parte interiori decidentibus, una etiam caligo, quæ pupillarum aciem hebetaverat, excidit, ac pristinum illi lumen rediit. Sicque qui hunc non parvo tempore cæcum viderant, eundem diu postea oculis utentem, consuetaque sibi munia obeuntem, naves in flumine subducentem, onera ferentem, atque ex iisdem rebus, quas prius exercuerat, sibi victum corrogantem conspexerunt. Cujus rei testis universa Seleucia, ejusdem patria et civitas fuit.

item pueri oculis sanatus :

63 *Octavum in pauca contraho.* Infantulus quidam, recens ab uberibus amotus, nimio vagitu in periculum alterius oculorum amittendi venerat, ita ut malum deinceps omnem medicinæ facultatem superaret. Hunc nutrix prehendens, ex urbe finitima, quæ Olba nuncupatur, descendit, E *nimirum ad templum Sanctæ, ut sequitur. Hic autem pauca observanda de Olba. Stephanus revera* Olbam *prope Seleuciam posuit. At Cellarius in Geographia antiqua tom. 2 pag. 143 credit, Olbam a Stephano confusam fuisse cum* Holmo *vel* Holmis. *Potuit nomen oppidi modis diversis scribi. At certum ex hoc loco est,* Olbam *recte poni prope Seleuciam. Jam vero post data verba ait auctor, nutricem multis precibus institisse pro oculo pueri; puerum vero ita sanatum affirmat. Cum luderet in area ecclesiæ, ubi multæ aves grandiores pascebantur; grus* in puerum insilit, et rostro oculum illum male affectum, et deinceps extinctum pertundit. *Eadem percussione factum dicit, ut multum mali humoris ex oculo effluxerit :* quo expurgato, *inquit*, tum primum infans videre, et reliquum oculorum lumen recuperare cœpit, ita ut non amplius oculorum adspectu imminutus esset, sed integer perfectusque domum rediret, magnam urbi, patri, avo, admirationem movens. Quorum ille Pardamius, avusvero Anatolius, qui etiam ecclesiæ istius sacerdos est, nuncupatur.

oculorum malum totius fere civitatis sublatum.

64 *Notabile est, quod sequitur nonum, itaque exponitur a Basilio :* Et quandoquidem in oculorum mentionem incidimus, nequaquam illud quoque taciti prætereamus quod proximis temporibus contigit. Omnibus enim id nobis compertum est, qui etiam miraculi sanationisque fructum percepimus. Quum enim superioris anni æstate universalis quædam oculorum ægritudo civitatem hanc invasisset, humore copioso et acri ex superiori capitis parte in oculos sese invehente, adeo ut nullus amplius medicis reliquus esset locus remediis ad hoc malum tollendum utendi; propterea quod humor dilabens continenter medicamentum ciliis impositum illitumque elueret, ac proinde oculi omni ope destituerentur, et medici malo victi, et ad summam consilii inopiam redacti, quid faciendum sibi esset, hæsitarent, præsertim eodem ipsi quoque morbo cum ceteris correpti (omnes enim illa labes nemini parcendo depascebatur.) Martyr ob mali immanitatem, ita late per homines fusam, miseratione commota, in suo templo humanæ naturæ officinam salubrioris medicinæ aperit, et omnes undique ad se convocat; noctu uni quidem eo vitio laboranti id ipsum imperans, at per illum omnibus edicens, ut quicumque in illam ægritudinem incidissent, lavacri

AUCTORE J. S.

vacri sui aqua uterentur. Hæc una quippe ad ocularjam illam labem, quæ hactenus grassabatur, expugnandam apposita erat, virtute tamen Martyris temperata, remediumque urbi universæ præstantissimum. Ita ut ulterius jam publica via non caperet homines, cum planctu et lacrymis ascendentes, lætos autem et cum gratiarum actione redeuntes; ascendentes, inquam, oculis compressis et clausis, descendentes vero ciliis diductis atque apertis. Neque vero id beneficium lavacri adeo exilis, et ea aquæ penuria laborantis, res erat (quippe quod vix ad unum hominem sanandum sufficiat) sed copiosissimi atque uberrimi fontis. Et populus quidem omnis, qui tanto numero concurrerat, dum latices, assidue e piscina hauriri cernit, ne non satis esset, animum despondebat. At non Martyris gratificandi studium se remittebat; nunc hos quidem complectendo, sanando, dimittendo; nunc illos iterum excipiendo, curando omnesque eadem incolumitate domum amandando : ita ut trium aut quatuor dierum spatio intra paucissimos, qui eo morbo laborarent, numerus consisteret. Quorum etiam incredulitati aut vitæ improbitati attribuen- B dum existimo, quominus et ipsi commune subsidium opemque paratam fuerint adepti. Aut fortassis ideo evenit quo mali gravitatem cognitam haberemus. In quibus enim permansit, his cæcitatem attulit; quando aut ambos illis oculos, aut certe alterum eorum prorsus ademit. Tanta pestis et diabolicæ hujus machinationis atrocitas erat : quæ tamen miraculo hocce ita victa fuit, et profligata, ac de medio sublata, acti nunquam omnino extitisset.

Cultus Sanctæ Dalisandi in Cappadocia :

65 *Quod pro decimo subjungit Basilius, plus fabulæ aut credulitatis popularis forsan habet, quam veritatis. Affirmat,* S. Theclam *magno in honore esse Dalisandi. Cujus nominis oppidum reperitur in Cataonia, præfectura Cappadociæ contermina Ciliciæ. Et mox :* Quum enim eximio illam cultu veneretur, ipsa quoque ab eadem illustre miraculum est consecuta. *De festivitate ibi olim celebrata, quam* maxima hominum undique affluentium frequentia *insignem dicit, fidem facile habebo. Verum quod ait, ejus festivitatis tempore, sive in ejus pervigilio,* Virginem *videri solitam* curru igneo sublimem per aëra ferri, *et Seleucia Dalisandum venire, non adeo credibile videbitur eruditis, et certe testem requirit magis abhor-* C *rentem a fabulis, quam ab iis abhorreat Basilius Seleuciensis. In fine addit :* Hanc eandem Dalisandum sæpe eadem Martyr obsidione liberavit, ex montis illo vertice conspecta, et cœlestis ignis more intuitum hostium fulgore perstringens, percellensque et ab obsidione depellens. Sunt etiam, qui miraculi hujus adhuc recordentur, et ejus narratione glorientur. *Simile prodigium aliquando evenire potuit in incursionibus Isaurorum prædatorum, indeque oriri occasio alterius fabulæ confingendæ.*

ecclesia eidem extructa Selinunte in Cilicia :

66 *Tum pro undecimo beneficio subjicit verbosam historiam de Selinunte, maritimo Ciliciæ oppido, quod cum aliquando ab hostibus captum fuisset, contra eosdem deinde defensum dicit. Ait incolas monitos fuisse a Sancta, ut sibi erigerent ecclesiam in angusta semita, per quam hostes oppidum ceperant. De monitione illa per Sanctam merito dubito; templum tamen exstructum credo; et hostes repulsos, cum de hisce ita loquatur :* Atque hoc ipso, quo hæc scribo, tempore idem accidit. Illi enim, quod imperatum erat, quam citissime exequuti, ibidem templum excitarunt : atque hoc quasi muro se adversus viam illam D hostesque munierunt. Qui hostes cum alias sæpe, tum etiam nunc intrare aggressi, nequaquam incolas latuerunt; sed cum multo dedecore recesserunt.

prædones Isauri cæsi :

67 *Duodecimum ponit miraculum, nimia prolixitate extensum, quo dicit Isauros templi sui prædones punivisse. Rem compendio subjungo. Fatetur prædones aliquando expilasse templum* S. Theclæ, *sed malo suo.* Denique, *inquit,* incursione aliquando facta, id ipsum templum, quippe multo auro abundans, et complurimis aliis divitiis locupletatum, cepisse ac subjugasse, sacrisque thesauris expilatis, Lestrigoniam patriam suam festinasse... At virgo, cum aliquantulum ipsorum temeritati concessisset, scilicet ut ingrederentur, spoliarent, convasarentque sacrum ornatum, eoque facto excederent, seseque in fugam darent; ita eorum exercitum fertur fuisse ludificata. Nam fugientibus in urbem suam Lestrigoniam (quæ ad Occasum nobis totique plagæ Orientali sita est, crebrisque, et qui ad nubes usque sese attollunt, montibus disterminata) præcipuum amentiæ eorum perfugium, adspectum ipsis immutans, mentem invertens, et Orientem versus, ac ad subjectum Orienti campum sine labore, sine strepitu, omnes E simul compellens, militibus nostris ad expeditam cædem aptavit. Qui, re intellecta, dolore tanti facinoris, et Numinis instinctu, in ea, quæ dixi, loca, prona et equitatui accomodata delati, omnes, cujuscumque illi ætatis, jugularunt, idque tanta celeritate, ut eodem die tanta hominum cædes et cœpta et finita fuerit, tropheumque statutum, et sacra ornamenta ab ipsismet victoribus Martyri reportata : qui pæana canentes, exultantes, laudes Divæ prædicantes, quæ Martyris erant, eidem rursus dedicaverunt. *Post multa asserit, nullum ex prædonibus superfuisse* ad acceptæ cladis nuntium apud suos referendum. *Testes beneficii in fine adducens, ita loquitur :* Neque vero illi tres aut quatuor tantum sunt, exiguus et suspectus numerus; sed urbes integræ, populique universi, et qui ab Oriente ad nos usque accedunt, quique a nobis rursum in ipsam Asiam (*proprie dictam*) extenduntur. Fama enim miraculi, et horror stuporque ex eo enatus omnia longe lateque pervasit.

concursus Cilicum ad Sanctæ ecclesiam :

68 *Tertio decimo loco refert pœnam Mariano Tarsensi in Cilicia episcopo, ut vult illatam, et hanc ejus occasionem. Dissensio erat inter Marianum Tartensem et Dexianum Seleuciensem episcopum. Itaque* instante, *inquit auctor,* Virginis F (S. Theclæ) festo, quo omnes præsertim Cilices, ad nos concurrebant, (ut etiamnum concurrunt; et, quoad homines erunt, idem a singulis fiet, cum Martyris venerandæ, tum animarum suarum privati commodi causa; ita ut et terra et mare coangustetur præ multitudine populorum, domorum, familiarum, huc confluentium) ille exurgens, in ecclesia sua publico edicto profectionem huc ad nos et ad Martyrem fieri vetat... Sed quum vixdum tale quid perpetrasset, suæ stultitiæ, seu dementiæ potius, pœnas dedit. Neque enim ultra quintum aut sextum diem Capaneus ille temeritati isti suæ supervixit.

hunc prohibens morte, ut vult auctor, punitus :

69 *Mox decimo quarto loco nititur probare ex visione, quam narrat, mortem Mariano inflictam fuisse in pœnam, vindicante se* S. Thecla. *Visio autem illa refertur, ut mox relata est multitudo populi ad Sanctæ festivitatem concurrentis, non sine exaggeratione, inquam. Mentem igitur auctoris compendio exprimam. Castor, ex Lycaonia genus ducens, sed Seleuciæ habitans, in pervigilio festivitatis* S. Theclæ *dicitur vidisse sanctam Virginem*

A *ginem* immitiori oris habitu,.... Marianumque et ejus in se injuriam clara voce accusantem, suppliciumque se mox de illo sumpturam comminantem. Quæ res vere ipsi per visum oblata, et non somnium fuit. Statim enim mors illius est consequuta: ita ut duo hæc eodem evenerint tempore, ut scilicet Castor visionem suam referret, et alii quidam nuntium de Mariani morte apportarent.

sepultura defuncti in ecclesia Sanctæ prohibita.

70 *Tum decimum quintum ponit miraculum, alteram eamque geminam, si vera narrat,* S. Theclæ *apparitionem, nolentis defunctum in templo suo sepeliri.* Quidam, *inquit,* in hac curia orator, Eusebius nomine, cujus hodieque magna nominis celebritas ob ingenuitatem, sermonis leporem, comitatem, quodque fidei esset integerrimæ: hic, inquam, Hyperechium, dum in vivis ageret, partim quod ex una urbe.... oriundi essent, partim vero ob viri sollertiam, et in omni virtutum genere præstantiam, in summo amore ac pretio habebat. Quem proinde in hac ipsa urbe Seleuciæ mortuum etiam in iis, quæ ad justa funerea attinent, magni- B ficentissime cohonestare cupiens (majorem autem et ampliorem nullum alium honorem esse arbitrabatur, quam si exequiæ ei fierent, et sepeliretur in Martyris templo) a Maximo præclarissimo sanctissimoque viro, hujus tum ecclesiæ antistite *(et olim condiscipulo S. Joannis Chrysostomi)* petit, quo id sibi facere, et Hyperechium in dextera ad Meridiem spectante templi Martyris porticu inhumare liceat. Quod cum Maximus, vir admiratione dignus, quod hominem revereretur, fieri permisisset: ingressi templum, quibus curæ est sepulcra conficere, quum opus aggrederentur, et pavimentum incidere inciperent, repente Martyr his intervenit, ipsos increpans, audaciam accusans, verbis castigans, et, ut recederent, imperans. *Addit, operarios recessisse, sed postea, quod Sanctam non cognovissent, ad opus rediisse: tum vero a Sancta iterum apparente ita territos fuisse,* ut nullum illorum membrum non contremisceret ac concuteretur. *Demum ait, Sanctam sequenti nocte Maximo episcopo etiam apparuisse, sepulturamque illam ne permitteret, præcepisse, additis hisce:* Nihil enim commercii locis ad orandum destinatis cum sepulturis; præterquam si quis e vita egressus vere mor- C tuus non sit, sed Deo vivat; dignusque sit, qui eadem domo ac tecto cum martyribus utatur; quemadmodum divinus ille Symposius, ut divinus item Samus ille, et si quis alius proxime ad illos accesserit. *Laudatus Symposius fuit episcopus Seleuciensis seculo* IV, *quod de Samo item suspicatur Lequienus tom.* 2 *Orientis Christiani col.* 1012 *et* 1013. *Ceterum merito dubitari potest, an verba, quæ* S. Theclæ *attribuit Basilius, non sint auctori potius attribuenda.*

Visio, quam auctor sibi oblatam dicit:

71 *Hic autem pro decimo sexto narrat visionem, quam sibi obtigisse dicit, ita scribens:* Quo tempore de hoc miraculo scribebam (neque enim decet, ut, quod mihi tunc per Martyrem accidit, reticeam) tale quid mihi obvenit. Indiligentior jam et segnior eram in miraculis ejus conquirendis conscribendisque, ut culpam meam fatear: animoque deinceps remissiore pugillares et stylum capessebam, quod de illorum indagatione et collectione desperarem. Cui ita affecto et oscitanti visa mihi Martyr juxta assidere, ubi cum libris congredi soleo; et quaternionem, in quo hæc mea manu ex pugillaribus transcripta erant, auferre et legere, atque gaudere et subridere, ipsoque vultu significare, quasi his meis scriptis oblectaretur, innuereque institutum a me opus absolvi oportere, neque imperfectum relinqui, quoad, quæ quisque novisset, quæque a singulis adhibito studio intelligi possent, discere liceret. Unde effectum est, ut post visionem illam, timoremque ex eo mihi concitatum, alacrior postea evaserim ad pugillares et stylum in manus resumendos, idemque faciendum, quoad ipsa jusserit. *Tillemontius existimat, exiguam huic relationi fidem habendam, neque immerito ob methodum scribendi, qua usus est Basilius. Cum tamen non dicat, visionem illam vigilanti sibi oblatam; fieri potuit, ut in somno viderit, quæ vigilans mente volvebat.*

alia visio:

72 *Decimum septimum est de Dexiano episcopo, ipsius Basilii decessore, qui* præfectus tum adhuc erat eorum, quibus templi custodiendi cura incumbebat. *Rem trado compendio. Isauris omnia depopulantibus, illorum metu Dexianus* omnem argenteum aureumque ornatum *in urbem transtulit. Displicuit Sanctæ hæc cautela, idque per visionem quibusdam virginibus in templo cubantibus indicavit, si credimus auctori. Quare Dexianus* ornatum omnem, sacramque et divino cultui E dedicatam supellectilem, ex urbe collectam, in templum restituit.

blasphemus punitus,

73 *Ex eo, quod miraculum ponit decimum octavum, colligere licet, festivitatem* S. Theclæ *ad plures dies celebratam fuisse, cum illud dicat postremo festivitatis die contigisse, aut potius post noctem illius diei. Rem fuse relatam brevissime perstringo. Ait, Orientium quemdam, patria Irenopolitanum, ore impuro blasphema in Sanctam verba protulisse, eodemque die correptum fuisse a dæmone tam atrociter, ut* nec in tertium diem durare posset, *sed* de medio a dæmone sublatus *fuerit.*

uti et alii

74 *Quod subjungit prolixo sermone decimum nonum, nihil prodigii habere videtur, sed pœnam duobus improbis modo naturali inflictam. Erant illi quoque Irenopolitani, qui ad festivitatem Sanctæ venerant,* non orandi studio, *inquit,* sed libidinis explendæ. *Certe virginem quamdam, ut narrat, jam abduxerant, ut violarent: quod tamen perfectum non fuisse affirmat. Utrumque vero pœnas dedisse ait:* nam alter, *inquit,* in flumen hoc ex pontone, ipsum ad nos trajiciente, deturbatus periit..... alter vero alio rursum mortis genere et ipse e medio sublatus est, eodem uterque tempore ac loco extincti. F

quidam.

75 *Vigesimum rursus pœnam continet Pappi cujusdam decurionis, qui collegam in officio suo habuerat Aulerium defunctum, cujus filiis injuriam intulisse dicitur Pappus. Hac de causa ait auctor* S. Theclam *Pappo in somnis adstitisse, præmissaque gravi objurgatione, eidem prædixisse, sequenti hebdomada eodem die moriturum. Tum asserit, ipsum ex terrore confestim gravi correptum esse malo, professumque fuisse* injustitiam suam, *sed prædictam pœnam non effugisse.* Vix igitur, *inquit,* prænuntiata dies illuxerat, quum ille sublatus est, et prædictionis veritas exitu comprobata. *Ab hisce tristibus, quæ breviter tantum perstrinxi, quia pleraque adjuncta, aut vix credibilia sunt, aut parum ad Sanctam spectant, ad lætiora se progressurum ait Basilius.*

Lues animalium abacta, indeque sacellum Sanctæ exstructum:

76 *Itaque vigesimum primum narrat hoc modo:* Anni tempus erat æstivum, et cicadarum cantus, solisque nimii supra caput ardores, et gravis quædam morbi vis mulos, equos, boves, asinos, oves, et, ut verbo dicam, omne genus animalium depascebatur, ita ut lues illa magna consilii inopia animique sollicitudine omnes afficeret; vastatis vicis et agris, quin et in urbe splendidissimis

AUCTORE J. S.

didissimis quibusque ædibus exinanitis, nulla penitus curationis ratione sese offerente, quod mali origo ignota esset, et undenam tanto impetu irruisset, nesciretur. Neque enim id ex iis, quæ peribant, animalibus deprehendere licebat, quod eo malo correpta, priusquam sentiretur, de medio tollerentur, multaque simul confertim interirent. Quum ergo desperata jam res esset, et omnem humanam sollertiam vinceret, denuo benigna hic ac præpotens Martyr, pecudum pereuntium et hominum eas amittentium miserta, medicinam præsentissimam protinus indicat. Fontem enim nunquam antea existentem, neque ab ullo nostrum aut priscorum conspectum, subito ebullientem efficit, idque non procul, aut in extera quapiam regione; sed in eo ipso loco, ubi rursum eidem sacellum est dedicatum. Est autem hoc antrum e regione templi ad solem occidentem situm, amœnissimum ac suavissimum, quodque singularem voluptatem adferat, sive inambulare, sive immorari, sive maxima cum quiete precibus inibi vacare, et ex animi sententia, quæ a Martyre postulaverit, impetrare quis cupiat..... Ex hoc itaque fonte, ita
B subitarie excitato, Martyr omnibus animantibus morbo affectis sanitatem deprompsit. Erat ergo videre omnem semitam, omnem viam publicam, tam ex planis quam ex editioribus locis huc spectantem, huc ducentem, equis, mulis, ovibus, capris, asinis, quin et canibus, suibusque, ad unum hunc locum, sanitatem potius tunc ac medicamentum, quam aquam ebullientem, contendentibus repleri. Tum quodcumque animal aqua exiret, non ægrum jam amplius, sed perinde acsi non tam aquam, quam ipsammet salutem, inde hausisset, viribus corroboratis exsiliebat, et ad suum quodque agrum ac domum melius, quam antea, habens, ad solita opera exercenda festinabat.

fons Sanctæ animalibus

77 *De eodem fonte loco 22 mox subdit:* Ferunt etiam tum temporis quendam, inter cives spectatissimum, equum suum ægrum et graviter laborantem (scapulis nimirum retro versum contortis, et reliquum corpus in contrariam partem agentibus, ac neruorum, ut aiunt, contractionibus gressum anteriorem impedientibus) periclitandi potius gratia, num ex tam manifesto discrimine eripere illum posset, quam quod illi rei fidem haberet, ad
C aquam illam misisse: Martyrem autem, non ignorantem tentandi sui causa id factum fuisse, Mariano suum quoque equum salvum remisisse. Neque ullus est, opinor, cui non probe cognitum sit, ipsum abditos hosce animi sui sensus divulgasse, et insperatam equi curationem, ac martyris vim tam præsentem supra modum fuisse demiratum. *Quod ait auctor de tentatione, non putem explicandum de tentatione proprie dicta, quæ peccatum est; sed potius de defectu certæ fiduciæ, ut vix speraret equum sanandum, mitteret tamen, quod crederet, se forte illo beneficio gavisurum. Aliter quidem loquitur auctor, sed plura alia affert minus probabilia, et nonnulla prorsus inepta, quæ passim rescidi.*

et hominibus beneficus.

78 *Aliud rursum de eadem aqua ponit vigesimum tertium.* Quin et fama est, *inquit*, Cyprium quendam patricium, ex maxime illustribus natum parentibus, visu orbatum, nuntio, qui de hac aqua erat, excitatum trajecisse, eoque medicamento adhibito, ad Cyprios suos, recuperato visu, rediisse. *Hoc, ut studiosus lector advertere poterit, minus certo affirmat. Deinde ad sanationem litteratorum se accedere profitetur.*

Beneficia

79 *Primum itaque prolixam satis historiam* *narrat de Alypio, Olympii grammatici patre, qui* D
Seleuciæ docebat grammaticam. Hic, ait, aliquando in morbum gravem et vitæ discrimen comminantem incidit. De quo sanando quum medici jam desperassent, malumque humanam deinceps opem vincere censeretur, atque omnis vitæ spes virum destitueret; ad Martyrem, unicum hujusmodi malorum perfugium, se recipit; templumque ingressus, de cetero omnes illinc sanitatis recuperandæ rationes suspensas habuit. *Tum refert somnium, in quo ægrotans visus est videre* S. Theclam, *ab eaque accipere manu calculum pulcherrimum, quo sanitas eidem restitueretur.* Expergefactus autem, et manum explicans, nihil invenit, et se in errorem inductum, et somnium illud vere somnium fuisse conjectavit. *Verum sequenti die Olympius filius* calculum in via offendit, cujus specie et magnitudine captus,... eo accepto, ludens inambulansque ad patrem pervenit. Cujus ut lecto adstitit, et ille calculum in manu ejus animadvertit, munus Martyris agnoscens, statim arripuit, manibusque complexus, e vestigio longo atque difficili morbo est liberatus. *Mirabilis enimvero sanatio, modo satis sint certa, quæ narrat auctor.* E

sanationum

80 *Mirabile quoque, quod de Isocasio sophista gentili, sed diu post converso, vigesimum quintum subjungit.* Isocasius, *inquit*, e litteratore sophista factus, et, titulo illo amisso, hunc nihilo magis re adsequutus, Ægis Ciliciæ urbe aliquando adversa valetudine laborans, deinde multæ atque altæ solitudinis, ut ægri solent, desiderio cupidus, ad templum Martyris, parum ab urbe sejunctum deducitur, quasi eo in loco potissimum hujus sui voti compos futurus. Multam igitur inibi quietem nactus, paullulum obdormiscens cum quiete sanitatem recuperat, edoctus a Martyre, quid facto opus foret, idque exequutus ac morbo levatus, quando exprobrata ipsi infidelitate, opem tamen suam minime invidit. Hunc enim fere in modum præclarus ille Eudoxius, vir illustris, ac valde insignis, nihilque perinde ac veritatem in pretio habens, qui Tarsum pulcerrimam urbem sua inhabitatione exornat, nobis narrare ac referre solebat. *Aliud rursum hic Sanctæ templum insinuatur prope Ægas Ciliciæ civitatem.*

variis

81 *Vigesimo sexto loco affirmat,* S. Theclæ *beneficio sanatum Aretarchum sophistam Seleuciensem, cumque gentilem, quem ut indoctum et a fide alienum vehementer perstringit.* Hic, *inquit*, F
in gravissimum renum morbum cum incidisset, ut præ nimio dolore mortem sæpenumero speraret; imo ob magnitudinem cruciatuum eam adamaret; auxilium nihilominus salutemque a Martyre est consequutus, medelam remediumque ipsi certissimum fore pollicente nocturnum lucernæ, qua ipsius locus collustratur, oleum. Cujus ille copiam sibi fieri postulans, seseque eo inungens (quo etiam ægritudinem suam una abstersit) sanitatem nactus, ab impietate tamen minime est liberatus. Pro sollertia enim acrimoniaque scilicet ingenii sui, quum auctorem remedii dicat ac fateatur, alii tamen beneficium sanitatis acceptum refert.

ipsique auctori præstita.

82 *De se num. 27 varia etiam nec parce refert, ita ordiens:* Usque adeo porro litterarum amans est Martyr, itaque laudibus oratoriis delectatur *(poterat hoc omitti)* ut referre operæ pretium existimem eorum aliquid, quæ mihi, et in memetipso evenerunt. Quod ita esse, nec me falsum dicere, ipsa novit, a qua factum est. Conventus enim anniversarius ejus agebatur, et ad orationem exiguam de laudibus festi habendam me quoque comparaveram. Non quod præclarum aliquid, aut ipsa

A ipsa condignum, in medium posse proferre existimarem; sed quod hac ratione ejus benevolentiam aliquam mihi venarer; præsertim quod vel parce se colentes noverit maximis beneficiis remunerari. Quumque unus jam tantum dies ad orationem habendam restaret, ægritudo quædam perquam gravis, quæque maximum dolorem afferret, mihi in aurem incidit, ita ut penitius illa distenderetur, et ab interioribus convelleretur, spiritumque violentum per concavum capitis sinum impelleret, vehementemque ob id intus sonitum excitaret; adeo ut spem omnem jam dicendi amitterem, et in majoris mali exspectatione versarer; quin et rubore perfundi inciperem, quod, cum orationem me habiturum plerique existimarent, instante jam tempore speciminis edendi, ordinem institutumque desererem. Quæ omnia ne mihi contingerent, Martyr prohibuit, noctu adstans, et aurem mihi prehendens vellensque, ac pauca expressa sanie, omnem dolorem dissolvens. Qua ex tortuosis imperviisque, ut ita dicam, meatibus elapsa, in dicterio comparui,... et pauca quædam dixi. Eam autem Martyr mihi vim gratiamque in dicendo largita est, ut aliquis esse, et mediocriter dixisse judi-B carer, maximamque admirationem, ex nullo tamen meo memorabili dicto, concitarem. Eadem Martyr frequenter mihi, in senatum sacerdotalem numerumque concionatorum ac pontificum jam adscripto, præsens adfuit, et de nocte apparens, librum quempiam chartamve præbuit, quod non obscurum approbandi nostri argumentum ducebam, et esse videbatur. Sin, cur ita facere mihi visa fuerit, potius dicendum est, res postea consequuta id abunde declaravit. *Insinuat, a Sancta incitatum se fuisse ad gesta et miracula conscribenda. Quid porro de omnibus his censendum sit, et an mera fuerint somnia, quæ Basilius suo sensu explicuerit, prudens lector judicet.*

Nonnulla

83 *Subjungit auctor miraculo* 28 *relationem satis prolixam de Calliste uxore cujusdam Papiæ. At mihi pauca sufficient. Affirmat, faciem Calistes* venenosis pharmacis *deformatam fuisse a muliercula, quæ cum ejus marito Papia* perdite vivebat; *Callisten vero confugisse ad* S. Theclam,*ab eaque edoctam,qua medicina pristinum vultus decus reciperet.Hoc modo, si auctori credimus,* rursum Calliste excellentissimæ formæ præstantia marito suo est conciliata.

alia,

C 84 *Sicut non admodum videtur certum, revelatione* S. Theclæ *didicisse Callisten remedium, quo formam reciperet; sic nihilo certius apparet, Sanctæ attribuendum esse, quod detectum fuerit, de quo loquitur in vigesimo nono. Bassiana quædam ob dissidium cum propinquis commorabatur in templo* S. Theclæ, *ibique secum habebat* pauxillum quid auri sui, *inquit*: annuli fere et parva quædam monilia hæc erant. *Hæc furto ablata fuerunt: sed Martyr, ut vult auctor, furtum fecit manifestum, ut illa, quæ furtum commiserat,* aperte convicta, Bassianæ aurum suum reddiderit, et deinceps ita temperanter vixerit, ut hic ejus lapsus tegeretur.

et auctoris,

85 *Trigesimo et ultimo loco incipit narrare miraculum, quod vel ipse imperfectum reliquit, vel deinde e codice excidit.* Ut autem miraculum, *inquit*, quod nuper accidit, pro ultimo referamus: quamquam ultimum neque est, neque unquam erit miraculorum Martyris: quamdiu enim homines erunt, etiam miracula ab ea, tanquam a fonte, semper manabunt, semper ebullient, semper efflorescent, semper omnimodam sanitatem afferent. Sed, ut ut est, etiam illud commemorandum, quomodo mulier quædam admodum illustris, et nobili familia orta, Dosithea nomine. *Hic narratio abrumpitur, et subditur*: At de his satis. *Quare editore in margine hæc notat*: Desunt quædam: ni forte auctor narrationem studio abrumpat.

AUCTORE J. S.

qui multa dicit omissa, conclusio.

86 *Demum auctor multa generatim dicit, et studium, quod in colligendis miraculis adhibuit, pluribus exponit. Lubet hæc ipsa, licet subinde nonnihil invicem pugnantia, huc transferre.* At de his satis, *inquit*. Quænam enim utilitas immenso mari guttas aliquot instillare? Neque, si plura dicere luberet, invenire etiam possim. Quippe qui vix hæc ipsa corrogaverim, et huc illucque circumquaque cursitans, congregans, colligensque, tanquam ex fundo quopiam diuturnioris temporis atque oblivionis miracula in unum concinnaverim; ut solent lapillos maxime celebres eorum mercatores. Sed neque pauca insuper restant; neque hæc, quæ retulimus, ex multis major pars est: sed numerus eorum tantus, ut ejus ratio omnino subduci nequeat. Neque mihi a natura pennæ tributæ aut adamantinum robur, quo omnes terras mariaque penetrando, ex singulis urbibus, regionibus, vicis, domibus ea universa colligam: quum et collectio hujusmodi vires meas excedat, neque E ulla omnino scriptio sufficiat; imo nec vita ita longa detur, quæ satis multitudini adeo infinitæ miraculorum recensendæ. Quare, ut dixi, cursum orationis meæ, de illis susceptum, hic sistam, ne videar ea, ad quæ pervenire non possim, inutiliter consectari. Itaque, unum hoc si addidero, multos viros ad summam pietatis laudem Martyris ope pervenisse, multas item feminas virtutis studio per eandem exercitatas fuisse, silentium agam. *Tum recenset viros feminasque aliquot virtute præstantes, subditque*: Quorum omnium, sive virorum, quos enumeravi, sive feminarum, vita ac mores ex Dei præscripto instituti, miracula sunt Martyris, et quidem iis, quæ superius recensui, potiora. Nam quid præclarius de illis dici queat, quam quod tantus cœtus sub Martyris ductu ad pietatem præire cœperit, quorum quarumve singulis universus mundus non est adæquandus?

§ VI. Brachium S. Theclæ seculo XIV ex Oriente in Hispaniam translatum.

F

Cum Jacobus II Aragoniæ rex audivisset de corpore S. Theclæ,

Ubi modo servetur corpus S. Theclæ, *non invenio, licet nonnulli illud variis locis perperam attribuant. Joannes Marieta in Sanctis Hispaniæ lib. 4 cap. 57 ait, corpus* S. Theclæ *servari in ecclesia metropolitana Tarraconensi, ipsius nomini dicata, in Hispania sive Catalonia. Verum ex referendis patebit, solum esse brachium, quod eo translatum fuit. De hujus igitur brachii translatione primum agamus. Domeneccus in Sanctis Cataloniæ ad* XVIII *Maii translationem illam narrat ex vetusta, ut ait, relatione, et ex Litteris Jacobi II Aragoniæ regis, quas recitat ex tabulario regio Barcinonensi. Affirmat, ecclesiam Tarraconensem antiquitus* S. Theclæ *dedicatam fuisse, et ideo archiepiscopum cum capitulo et civibus institisse apud Jacobum II Aragoniæ regem, ut per legatos suos reliquias* S. Theclæ *peteret ab Armeniæ rege in cujus ditione tunc Sanctæ corpus dicebatur servari. Ex eo tamen lector inferre non debet,* S. Theclæ *corpus* Seleucia *in Armeniam fuisse aliquando translatum. Nam eo tempore, quo hæc agebantur, Cilicia, in qua latius sumpta etiam est Seleucia, parebat*

AUCTORE J. S.

parebat regi Armeniæ Oscino vel Ossinio, ut colligitur ex conciliis Sisensi et Adanensi, in Cilicia celebratis, quorum prius figitur anno 1307 *sub Leone Armeniæ rege, posterius sub Oscino Leonis successore et Joanne Papa XXII, qui factus est Pontifex anno* 1316. *Mortem autem Ossinii regis Armeniæ Odoricus Raynaldus refert ad annum* 1320, *ut concilium necessario sit figendum inter* 1316 *et* 1320. *Dicta vero concilia edita sunt apud Clementem Galanum in Opere de Conciliatione ecclesiæ Armenæ cum Romana part.* I *cap.* 28 *et* 29.

servato in ditione regis Armeniæ, ab hoc per legatum

88 *Jam vero Epistola Jacobi II Aragoniæ regis ad Onsinum (ut ibi scribitur) Armeniæ regem, qua petuntur reliquiæ* S. Theclæ, *data legitur* 2 Nonas Septembris anno Domini MCCCXIX, *ut omnia recte congruant, et legati, qui cum dicta Epistola ad regem Armeniæ missi dicuntur, Tarsum aud ad alium Ciliciæ portum navigare potuerint. Totam itaque ex Domenecco Epistolam subjiciam, correctis tamen mendis aliquot grammaticalibus ex Martyrologio Hispanico, in quo similiter edita est.* Illustri et magnifico principi, amico nostro charissimo Onsino, Dei gratia regi Armeniæ, Jaco-
B bus per eandem gratiam rex Aragonum prosperorum incrementa successuum cum salute. Serenitati vestræ præsentium serie notum fiat, noviter ex fide dignorum relatibus ad nostrum pervenisse auditum, quod corpus beatæ Teclæ virginis, seu pars ipsius corporis, habetur in partibus regni vestri. Sane cum in civitate Tarraconæ, infra regni nostri limites situata, metropolitana ecclesia sub ipsius beatæ Teclæ titulo sit fundata, cujus fundatio a prædecessoribus nostris initium habuit ab antiquo, anxia nos devotionis cura sollicitat, ut, quia præfatæ metropolitanæ, quæ multum honorabilis est, quæque multa in his partibus antiquitate præfertur, adeo quod ab ejus fundatione citra anni mille ducentum et ultra lapsi sunt, ut certis comperitur scripturis, intitulata est sub prædictæ Virginis nomine, aliqua de ejus reliquiis in prætacta ecclesia haberentur: ex quibus et nostra ac subditorum et cunctorum declinantium ad has partes fidelium erga ipsam Virginem devotio augeretur, fides reformaretur, eique honor et reverentia intentius præberentur. Et, si hoc vigilanter appetimus, devote agimus, quod est pium, prædecessorum nostrorum sequentes vestigia, qui pie et devote antefatam metropolitanam ecclesiam sub nomine et honore
C præfatæ Virginis fundaverunt.

et litteras ejus partem petiit;

87 Igitur serenitatem et charam amicitiam vestram præcordiali et intima affectione, prout charius possumus, deprecamur, quatenus ob honorem et reverentiam omnipotentis Dei, ac exaltationem et gloriam prædictæ beatæ Teclæ virginis, attento, quod nedum ad hujusmodi reliquias in his partibus, verum etiam ad totum ipsius Virginis corpus erga partes, ubi tumulatum quiescit, harum partium fidelium incolarum devotio peraugebitur: nec non ob specialem nostri gratiam, velitis et placeat vobis de reliquiis prædictis beatæ Virginis aliquam magnam partem transmittere, de qua nedum præfatam metropolitanam, verum etiam alias cathedrales ecclesias ei suffraganeas ornare et ædificare ad honorem et exaltationem Domini nostri et prædictæ beatæ Virginis, ac devotionem in meritum nostri omniumque fidelium valeamus. Et, si forte sub districtu vestro præfatum corpus seu ejus reliquiæ non habentur; placeat serenitati vestræ de his procurare habere totaliter, ut cum effectu nobis, ut præmittitur, transmittatis, credentes, si libet, circa hæc his, quæ Simon Salzeti, subditus et fidelis noster, lator præsentium, (quem propter hoc ad vestram destinamus D
præsentiam) duxerit verbaliter referenda. Porro quia hujusmodi sanctuaria non sic honeste possunt per laicos, sicut per clericos, ministrari propterea duos clericos presbyteros, viros utique honestæ vitæ et conversationis laudabilis, prædictæ Tarraconensis ecclesiæ beneficiatos, ad partes vestras una cum dicto Simone providimus destinandos, qui prædictas reliquias sub sigillo vestro devote recipiant, easque honeste tractent, et ad nos deferant simul cum nostro nuntio supradicto. Ex hoc quippe et Deo et prædictæ Virgini reddetis obsequium, et bonorum, quæ proinde subsequentur, operum efficiemini participes, nosque id vehementer habebimus placidum, et regratiabimur vobis multum, in agendisque vobis placidis reputabimus pro hoc specialiter nos astrictos. Dat. Barchinonæ 2 Nonas Septembris anno Domini MCCCXIX. Bernardus de Fonte mandato regio, facto per præpositum Tarraconæ.

accepit autem brachium anno 1320 *Barcinonem delatum,*

90 *Acceptis his litteris, legati conscenderunt navem grandem Guilielmi Guerau, mercatoris Tarraconensis, eaque appulerunt in ditionem regis Armeniæ, ut narrat Domeneccus.* In Armeniæ portum *delatos, imperite scripsit martyrologus Hispanus, cum Armenia nullibi mare attingat. At in* E
portum aliquem Ciliciæ appellere potuerunt, indeque ad regem terrestri itinere proficisci. Certe ad regem Armeniæ pervenerunt, eique non solum litteras memoratas, sed varia etiam dona, eaque pretiosa, quæ Domeneccus enumerat, obtulerunt; humaniterque ac honorifice fuerunt excepti. Postmodum, exposita legationis causa, rex consilium cum suis prius inire voluit, et deinde legatis dixit, concessurum se regi Aragonum brachium S. Theclæ, *reservato tamen sibi pollice. Dedit igitur per suos rex Armeniæ brachium sine pollice, illudque involutum telæ aureæ, et thecæ argenteæ impositum. Hæc vero theca argentea majori rursum ligneæ inclusa fuit. Addidit etiam rex Acta authentica testimonium præbentia de brachio* S. Theclæ, *quæ anno* 1320 *scripta testatur Domeneccus; donaque pretiosa et litteras Jacobo Aragoniæ regi inscriptas, Hisce omnibus acceptis, legati Aragoniæ regis eidem rursum navi se crediderunt, comitante honesto aliquo clerico regis Armeniæ, ac felici navigatione Barcinonem pervenerunt, ut refert Hispanice Domeneccus. Hæc omnia anno* 1320 *contigisse, insinuant epistolarum epochæ. Cum enim verisimiliter legati ad regem Armeniæ pervenerint ante* F
finem anni 1319, *omnia ibidem tempore hiemis aut veris peragi potuerunt, legatique in æstate anni* 1320 *Barcinonem appellere.*

indeque Tarraconem portatum

91 *Verum non statim Tarraconem fuit missum sacrum illud depositum. Nam rex Jacobus, qui Barcinone erat, intellectis omnibus, jussit thecam Barcinone exornari laminis argenteis, et legatos deinde cum sacris illis reliquiis ad Portum Salauri*, indeque in Gostantin misit, ut ibi servaretur, donec solemnitate magna in urbem Tarraconensem inferretur. De tempore, quo facta est solemnis illa translatio, non recte invicem consonant dicta Domenecci. Ait, factam anno* 1323, *et die Dominico,* XVIII *Maii. At dies* XVIII *Maii illo anno non erat Dominicus, sed feria quarta, ut colligitur ex littera Dominicali illius anni* b. *Martyrologus Hispanus de anno consentit; de die autem festivitatis hæc notat ad* XIX *Maii:* Hujus festivitatis diem alii in antecedentem (XVIII *Maii*) alii in præsentem rejiciunt, quia ecclesia Tarraconensis die Dominico post Pentecosten V consuevit hoc celebrare festum. *Non valet ea ratio, quia Dominica quinta post Pentecosten*

* vulgo el puerto di Salo

A *Pentecosten numquam potest incidere in* XVIII *aut* XIX *Maii, sed potest in* XVIII *et* XIX *Junii. Et revera anno* 1323 *Dominica quinta post Pentecosten concurrit cum die* XIX *Junii, quemadmodum ex Paschate illius anni, quod fuit* XXVII *Martii colligi potest. Itaque suspicio esse potest, translationem factam Dominica quinta post Pentecosten, incidente anno* 1323 *in* XIX *Junii: non ausim tamen id certum dicere ob exiguam martyrologi Hispani in scribendo accurationem; præsertim cum Domeneccus asserat, festum translationis fixum fuisse* Dominica quinta post Pascha. *Verum, quidquid sit de die, solemnitatem translationis maximam, quam fuse refert Domeneccus, breviter saltem perstringamus.*

summa cum pompa, ibique depositum in metropolitana Sanctæ dicata.

92 *Jacobus Aragoniæ rex ad eam festivitatem venerat Tarraconem, eoque vocaverat præcipuos regni sui proceres: archiepiscopus Tarraconensis, Eximenus de Luna, similiter acciverat episcopos sibi suffraganeos, abbatesque et Priores, clericosque in dignitatibus constitutos. Loca omnia, per quæ longissimum agmen pie procedentium cum sacro brachio transire debebat, erant exornata. Tanta autem erat ordinatæ processionis multitudo ut præter confraternitates multas, primum agmen*
B *constituentes, aliaque agmina subsequentia, cereos gestantium numerum ultra quatuor millia extendat auctor; canonicos vero, aliosque clericos dignitatibus insignes, abbatesque et Priores septem millia trecentos quinquaginta et quatuor fuisse affirmet. Post tantam ecclesiasticorum multitudinem incedebat archiepiscopus Eximenus de Luna, gestans brachium* S. Theclæ *sub umbella ditissima, latus dexterum ipsius stipante Jacobo rege, sinistrum Alphonso regis filio. Umbellam ferebant primariæ nobilitatis viri, inter quos erant duo regis filii, Petrus a dextris, et Raimundus Berengarius a sinistris. Post sacras reliquias sequebatur primaria nobilitas magno numero. Ut verbo dicam reliqua, nihil deerat ad magnificentiam, qua sacrum illud pignus ad urbem Tarraconensem ecclesiamque metropolitanam delatum est, ibique depositum in altari S. Fructuosi, dum archiepiscopus solemne Sacrum decantavit, assistentibus episcopis Cæsaraugustano et Ilerdensi.*

Miracula in translatione et postmodum facta.

93 *Translationem hanc insigni miraculo fuisse illustratam, testatur Domeneccus, et post ipsum martyrologus Hispanus, cujus verba huc transfero, rescissis tamen iis, quæ non habet primus auctor.* Non defuere, *inquit,* tantæ translationis fe-
C stivitati miracula: nam sacerdos, Raymundus Castellon nomine, qui per sexdecim annos oculis orbatus incedebat, invocato S. Theclæ virginis et martyris nomine,.... protinus visum oculorum.... recepit. *Aliud postea secutum ita refertur*: Quædam fæmina, uxor Raymundi Palmer de Valls, quæ per biennium epilepsia laboraverat, cum in ecclesiam duceretur, ut ante aram, ubi reliquia condita erat, pernoctaret, emisso voto de offerendo sanctæ Virgini et martyri sex librarum cereo,..... *dum ea nocte evigilabat, integre se sanatam invenit,* idque populo manifestavit, *inquit Domeneccus. Tertium addit uterque, quod etiam referunt Hieronymus Surita in Annalibus Aragoniæ lib.* 10 *cap.* 39 *ad annum* 1387 *et Ribadinera in Vita* S. Theclæ. *Martyrologus Hispanus ita habet:* Ab incursibus militaribus defendit S. Thecla suæ jura ecclesiæ: quod expertus dicitur Petrus hujus nominis IV Aragonum rex. Qui distrahere Tarraconensis cathedralis ecclesiæ possessiones cupiens, militem adversus eas armatum dimisit, qui penitus omnes devastavit. Quod beata Virgo et martyr sacrilegium vindicavit: nam noctu regi apparens illi alapam inflixit, qua infaustus rex brevi e vivis discessit. *Fusius de hac controversia et morbo Petri IV agit laudatus Surita. affirmans, regem infirmum coram aliquot episcopis et viris primariis præcepisse, ut ecclesiæ Tarraconensis in omnia jura sua restitueretur.*

AUCTORE J. S.

Corpus antea Tarracone non servatum.

94 *Ceterum ex hactenus dictis de translatione brachii* S. Theclæ *facile colliget studiosus lector, errasse scriptores illos, qui affirmarunt, corpus* S. Theclæ *servari in ecclesia metropolitana Tarraconensi, sed errore multis communi, quo ex parte aliqua totum asseritur. Error ille, qui non semper ita detegi potest, fons est plerarumque controversiarum et contentionum, quæ in Ecclesia de possessione sacrarum reliquiarum sunt exortæ. Liquet præterea, prorsus commentitia esse, quæ Joannes Tamayus in Martyrologio Hispanico ad* XIX *Maii, tamquam ex Luitprandi Adversariis, retulit his verbis:* Anno tertio Sisenandi sub Audace Tarraconensi Pontifice, arca per mare Mediterraneum, angelo duce, devecta est Tarraconem cum parte corporis S. Theclæ V. M., discipulæ S. Pauli, cum inscriptione intus reperta, quæ significabat hoc: Anno DCXXXIII excepta est cum ingenti gaudio præsulis et civium: et re scri- E
pta per epistolam ab Audace præsule regi Sisenando, miram Hispaniæ lætitiam attulit *Miror, Tamayum tam fuisse simplicem, ut fictitia illa Adversaria hic laudare præsumeret, cum ex litteris Jacobi Aragoniæ regis, supra recitatis, clarum fiat, reliquias* S. Theclæ *ante annum* 1319 *non fuisse Tarracone.*

§ VII. Spicilegium de apparitionibus, ecclesiis, reliquiis, aliisque ad Sanctam spectantibus.

S. Thecla S. Martino sæpius apparuit,

Sulpicius Severus in Dialogis de Vita S. Martini Dialog, 2 *cap.* 14 *insinuat,* S. Theclam *cum aliis sanctis virginibus frequenter apparuisse S. Martino. Nam Gallum ita narrantem inducit*: Quodam die ego et iste Sulpicius pro foribus illius *(S. Martini)* excubantes jam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore et tremore, acsi ante angeli tabernaculum mandatas F
excubias duceremus: cum quidem, clauso cellulæ suæ ostio, nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audivimus, et mox horrore quodam circumfundimur, ac stupentes nec ignorare potuimus, nescio quid fuisse divinum. Post duas fere horas ad nos Martinus egreditur: ac tum eum iste Sulpicius (sicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, ut perquirentibus indicaret, quid illud divini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocutus; tenuem enim nos licet, et vix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multumque cunctatus (sed nihil erat, quod ei Sulpicius non extorqueret invito) incredibiliora forte dicturus sum, sed, Christo teste, non mentior, nisi quisquam est tam sacrilegus, ut Martinum æstimet fuisse mentitum. Dicam, inquit, vobis: sed vos, quæso, nulli dicatis: Agnes, Thecla et Maria mecum fuerunt. Referebat autem nobis vultum atque habitum singularum. Nec vero illo tantum die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari.

96 *In*

AUCTORE J. S.

item semel cum S. Maria Berengario Virdunensi episcopo.

96 *In continuatione Historiæ episcoporum Virdunensium apud Acherium in Spicilegio tom.* 12 *pag.* 262 *et* 263 *alia refertur* S. Theclæ *cum beatissima Virgine Maria apparitio, facta Berengario episcopo Virdunensi, et imperatoris Ottonis I consanguineo, in pœnam salutarem.* Multis autem referentibus audivit, *inquit auctor*, quod ejus pes ante mortem factus est aridus : nam quadam die descendente eo ad ecclesiam beatæ Mariæ, invenit clericum quemdam solo prostratum, beatæ Mariæ memoriam celebrantem. Hunc percussit pede, ut surgeret. Mox ille surrexit, et viso eo, patienter tulit. Sequenti autem nocte lectulo jacentis, et necdum dormientis episcopi, cum beata Thecla adstitit Virgo Maria : Percute, inquit, istius pedem, Thecla, et clerici mei injuriæ ultrix existe. Hac percussione ab eadem hora cœpit ardere pes ejus, et in jam dicto loco (*nimirum in monasterio S. Vitoni*) monachus factus est. *Potuit ipse Berengarius tunc referre apparitionem sibi factam, quæ tamen non tales habet certitudinis notas, quales præcedens.*

Caput Sanctæ Mediolani, olim in ecclesia sibi dicata, nunc in metropolitana,

97 *Paulus Morigia in Sanctuario Mediolanensi enumerans reliquias ecclesiæ metropolitanæ Mediolanensis, iis pag.* 5 *annumerat quatuordecim Sanctorum aut Sanctarum capita, et primo loco,* Caput protomartyris S. Theclæ, Virginis et martyris, discipulæ S Pauli apostoli, celebratæque a doctoribus Græcis et Latinis. *Consentit Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ recusæ col.* 19, *simulque docet unde caput Sanctæ ecclesia metropolitana acceperit, ita scribens de metropolitana :* Hic caput S. Theclæ, discipulæ S. Pauli, et feminei sexus protomartyris, translatum ex antiqua collegiata ecclesia Theclæ nomini sacra, quam Ferdinandus Gonzaga, Pontifice probante, in munienda urbe delevit. *De illius ecclesiæ destructione Ripamontius in Historia Mediolanensi tom.* 2 *pag.* 1119 *ita loquitur :* Forum, quod metropolitanæ ædi præjacet, vetustissima et ruinosa D Theclæ ædes obscurabat atque impediebat. Placuit eam complanare ædem, ut, et translato in templum maximum cultu ministerioque ejus, cultus Divæ amplior in metropolitana sede esset, et foro laxitas spatio illo exaugurato adjiceretur. *Habuit igitur* S. Theclæ *Mediolani templum vetustum, quod fuit destructum circa medium seculi* XVI. *Bosca in Annotatis ad Martyrologium*
C *Mediolanense* XXIV *Septembris asserit,* æstivam *fuisse ecclesiam, quia clerus metropolitanus æstivo tempore utebatur* S. Theclæ *ecclesia. At deceptus est Tillemontius, dum scripsit ecclesiam hodie metropoliticam* S. Theclæ *dicatam esse. Rectius ait, reliquias ejus in Metropolitana servari, si id intelligit de capite, non de toto corpore, ut perperam intellexit Bailletus.*

ubi dudum culta 24 Septembris Officio duplici.

98 *Colitur autem* S. Thecla *Mediolani Officio ritus duplicis in Metropolitana, non* XXIII, *sed* XXIV *Septembris, quo a Græcis colitur. Ita notatur in Lectionibus propriis ecclesiæ Mediolanensis anno* 1642 *impressis, et in Diario sacro Joannis Baptistæ Carisii, qui adjungit, Sanctæ caput in ecclesia metropolitana servari, Missamque et divinum Officium celebrari in Pontificalibus. In vetusto Missali Mediolanensi, quod habemus impressum anno* 1522, *habetur Missa propria* S. Theclæ *cum præfatione particulari, in qua gesta Sanctæ vero compendio exponuntur. Lubet laudatum compendium huc transferre, ut studiosus lector videat, fabulas, Actis infartas, non fuisse adoptatas ab ecclesia Mediolanensi. Post initium præfationis hæc sequuntur :* Adest namque Tegla celeberrima virgo, quæ apostoli tui Pauli imbuta doctrinis, mundanas viriliter superavit illecebras. Et D virginalem clypeum arripiens, gloriosis virginibus exemplum prima contulit martyrii, et principalis constantie. Immissa denique flammarum rogis furentibus inclita Virgo, igne non est atacta corporeo, quia Christi Filii tui amore succensa, gemina carnis superavit incendia. Dehinc feris objecta rapacibus, ledi nihilominus, te protegente, non valuit; quia ferales animos mitissima subegit Ovicula. Ob hoc et principatu martyrii, et virginitatis triumpho sublimis, choris circuncincta virgineis, Agni sequitur immaculati vestigia. *etc. Hæc omnia, utpote sanctorum Patrum assertis conformia, pro veris et historice certis haberi possunt.*

Constantinopoli tres S. Theclæ exstructæ ecclesiæ,

99 *Varias ecclesias* S. Theclæ *sacras habuit Constantinopolis. Quatuor diversas memorat Cangius in Constantinopoli Christiana. Ex his prima, certe sub nomine* S. Theclæ, *fuisse videtur in suburbio, cui* Sycæ *olim nomen, quodque modo passim* Galata *dicitur. De ea agit laudatus Cangius lib.* 4 *pag.* 190, *aitque sitam fuisse* in suburbanis ultra Sycas seu Galatam, Ubi, *inquit*, extitit porta ἀπαγούση εἰς τὸ μαρτύριον τῆς ἁγίας Θέκλης (ducens E ad martyrium S. Theclæ.) *Hujus ecclesiæ presbyter fuit Flavitas, qui seculo* V *senescente factus est patriarcha Constantinopolitanus : nam a S. Nicephoro in Chronographia compendiaria vocatur* πρεσβύτερος τῆς ἁγίας Θέκλης Συκῶν. Presbyter S. Theclæ Sycarum. *De eodem Liberatus Diaconus in Breviario cap.* 48 *dicit :* Moritur Acacius *(patriarcha,)* et ordinatur post eum Flavitas presbyter, qui fuit a S. Thecla. *Ex his liquet, ecclesiam illam* S. Theclæ *exstitisse saltem a seculo* V. *Aliam* S. Theclæ *ecclesiam, sitam in monte* Τὰ Κοντάρια *dicto, assignat Cangius pag.* 150 *his verbis :* S. Theclæ martyris templum, Τὰ Κοντάρια dictum, exstruxit Constantinus Magnus, et Deiparæ sacravit : deinde a Justino Curopalata in nomen S. Theclæ transfusum est, ut habet Codinus pag. 28, et auctor Collectaneorum CP. pag. 98. Illud forte, quod ab eodem Justino renovatum scribit Zonaras. *Anonymus apud Bandurum in Antiquitatibus Constantinopolitanis part* 3 *pag.* 44 *et* 46 *agit de eadem ecclesia, additque* Contaria *nomen montis fuisse, in quo olim Byzantii excubias agebant, et in quo Constantinus ecclesiam illam Deiparæ exstruxit. Hanc vero Justinus Curopalata* ampliavit, *inquit,* F exornavitque, ac S. Theclæ appellatione donavit. *Tertiam* S. Theclæ *ecclesiam Constantinopoli* ad portum Juliani *exstructam a Justiniano, scribit Cangius, laudans Procopium de Ædificiis lib.* I *cap.* 4, *ubi multas enumerans ecclesias a Justiniano exstructas, hanc breviter sic perstringit :* Ædemque Theclæ martyris ad urbis portum, qui nomen habet a Juliano.

et quarta seculo XI *ab Isaacio Comneno addita.*

100 *Quartam denique* S. Theclæ *ecclesiam seculo* XI *ab Isaacio Comneno imperatore in palatio Blacherniano constructam, ex variis auctoribus ostendit laudatus Cangius. Causam referunt Anna Comnena lib.* 3 *Alexiados pag.* 90, *Zonaras, Scylitzes et Glycas in Isaacii Comneni gestis. Zonaras, relata Isaacii expeditione contra Patzinacas aut Patzinacitas, descriptaque gravi tempestate, quæ redeuntem versus Constantinopolim exercitum excepit apud Lobitzum montem in Thracia, ita prosequitur :* Ceterum pluvia et nive paulisper sedata, imperator tabernaculo egressus, sub magnam quamdam quercum in proximo concessit, circumstantibus procerum quibusdam. Orto autem in eo loco fragore, et ipse et sui inde discesserunt; atque arbor statim radicitus evulsa concidit. Reversus

A versus igitur in magnam urbem, ad grates ob salutem acceptam Deo persolvendas, intra palatium sanctæ Theclæ protomartyris ædem ille quidem condidit, quod eo die, quo illius memoria celebratur, quercus illud periculum effugerat, sed talem, quæ magnam ejus animi pusillitatem arguat; quam ejus ex fratris filio nepos imperator Joannes, Alexii filius, magnificentissime instauravit, nomine Salvatoris nostri Jesu Christi. *Anna Comnena ait, non modo fragorem aut sonitum auditum ante lapsum arboris, quam illa fagum vocat,sed etiam* vocem. *De exstructa vero ecclesia,quam ipsa ante instaurationem frequenter videre potuit, ita loquitur :* Sensit statim augustus nec dissimulavit beneficium servati divinitus capitis sui, ac.... festinantius domum rediens, nihil habuit antiquius, quam ut magnæ martyri Theclæ templum elegantissimum conderet, magnificeque haud parvo sumptu instrueret atque insigniret ornamentis, et genere variis, et tum materia tum arte manuque pretiosis. *Hæc majorem illius ecclesiæ magnificentiam insinuant, quam verba Zonaræ.*

ab ea forte diversum ejusdem in palatio oratorium : cultus ibidem.

101 *Verum existimat Cangius, ecclesiam illam jam ante Isaacii Comneni tempora constructam fuisse, quia Continuator Theophanis lib.* 3 *in Theophilo num.*44 *hæc scribit :* Sed et Thecla, ejus (*Theophili imperatoris*) filiarum natu maxima, cubiculum *(in Blachernis)* ubi et Theclæ protomartyris oratorium est, cum sit pulcherrimum, a fundamentis excitavit : quo etiam in loco lecto decumbens vivere desiit. *Malim tamen existimare, hoc cubiculum oratoriumque diversum esse ab ecclesia modo memorata. Effigiem* S. Theclæ *ex tabula Græcanica etiam exhibet Cangius pag.*137 *una cum S. Stephano protomartyre et S. Hæcatarina. In Synaxario Græco Sirmondi ad* XXIV *Septembris post elogium Sanctæ additur :* Celebratur vero festivitas ipsius in martyrio ejus, quod est ἐν τοῖς κριθοπωλίοις in Crithopoliis. *At locum hunc nullibi invenire potui, ut nesciam, utrum hæc ecclesia sit una ex memoratis, an alia.*

Variæ reliquiæ et ecclesiæ S. Theclæ in Germania et Italia :

102 *Quæ de reliquiis* S. Theclæ *ulterius invenio, hæc sunt. Papebrochius noster tom.* III *Maii pag.* 37 *in S. Epiphanio ex epistola Thomæ de Czechorod, episcopi Samandriensis et Pragensis decani, recitat hæc verba, quod* aliquæ S. Epiphanii reliquiæ,una cum brachio S. Theclæ, et capite unius
C ex Innocentibus Bethleemiticis anno MCCCLIV allatæ fuerint in Bohemiam, et Carolo IV imperatori præsentatæ a Protiwa Swihowski Segniensi, viro apud Bohemos illustri ac regii sanguinis. *Scripta fuit hæc epistola anno* 1677, *id est, quatuor annis post Phosphorum Pragensem ejusdem auctoris, in quo illud non habet. At in laudato Opere pag.* 518 *hoc solum scribit ad* XXIII *Septembris :* S.Theclæ V. et M. sacri cineres in fasciculo parvo rubei coloris colligati. *Masinus in Bononia perlustrata pag.* 461 *observat,* XXIII *Septembris festivitatem* S. Theclæ *celebrari Bononiæ in ecclesia ipsius,* fundata a S. Petronio, *ut asserit,* ibique, *inquit,* sunt ejus reliquiæ. *Flaminius Cornelius in Opere de Ecclesiis Venetis tom* 13 *dedit Menologium Venetum, in quo enuntiantur Sancti, qui aut in tota civitate aut in aliqua ejus ecclesia cultum habent. In eo autem ad* XXIII *Septembris pag.* 391 *nitide et accurate annuntiatur* S. Thecla *hoc modo :* Iconii in Lycaonia sanctæ Theclæ virginis et martyris, quæ post plurima superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace. *Tum hanc adjungit annotationem :* Insignis S. Theclæ virginis et martyris reliquia exponitur hac die in ecclesia monialium S. Catharinæ, in qua solemniter ipsius Officium peragitur. *Piazza in Hemerologio sacro Urbis ad* XXIII *Septembris nullas quidem Romæ assignat* S. Theclæ *reliquias; ecclesiam tamen memorat ejusdem nomini dicatam a Clemente VIII, quæ est Puellarum et monialium sancti Spiritus, ibique festivitatem ipsius celebrari testatur. Martinellus in Roma sacra pag.* 311 *de eadem ecclesia brevissime meminit,* sacellum *vocans his verbis :* S. Theclæ in burgo, monialium S. Spiritus sacellum. *Idem pag.* 403 *vetustum* S. Theclæ *monasterium Romæ fuisse ostendit, ita scribens :* S. Theclæ monasterium erat in Vaticano juxta S. Petrum, referturque a Joanne XIX et Benedicto IX in privilegiis apud Ughellum vol. 1 Italiæ sacræ fol. 111 D. et 123 C.

item in Gallia

103 *Galli variis locis reliquias* S. Theclæ *sibi adscribunt. Etenim Saussayus in Martyrologio Gallicano ad* XXIII *Septembris habet sequentia :* Ipso die in episcopali ecclesia Regiensi totaque ejus diœcesi celebratur natalis sanctæ Theclæ virginis, illius sedis patronæ et primæ omnium sexus feminini martyris. *Et post elogium, ex ante disputatis corrigendum,de reliquiis ita loquitur :* Porro sacra spolia, ex Oriente in Galliam tradu- E
cta, Carnuti in celebri toto orbe sanctissimæ Dei Genitricis basilica ad perpetuam venerationem recondita sunt, in præsidium illius urbis, Galliæque universæ decus sempiternum. Ex his tamen decerpta duo inclytæ Virginis brachia, alterum Veroni ad Sequanam in basilica sanctæ Dei Genitricis; alterum Regii in prædicta cathedrali ecclesia, cum ejusdem maxilla et duabus scapulis omni cum decoro et religione asservantur. *Hactenus Saussayus,cui pro ecclesia Carnotensi consentit Sebastianus Roulliard in Historia ecclesiæ Carnotensis part.* 1 *cap,* 8 *num.*3,*ubi plura eidem ecclesiæ annumerat Sanctorum corpora. Non tamen edicit, unde Carnotenses* S.Theclæ *corpus acceperint,aut quo tempore.Et sane dubito,an omnia satis sint certa, quæ causidicus ille de reliquiis in ecclesia Carnotensi servatis liberaliter asserit, præsertim cum alii scriptores Galli,et nominatim Tillemontius et Bailletus de corpore Carnoti servato altum sileant. In Breviario Carnotensi, quod habemus anno* 1633 *impressum, Officium* S. Theclæ *præscribitur celebrandum ritu semiduplici; nec in eo vel verbum legitur de reliquiis* S. Theclæ F
in ea ecclesia servatis. Itaque, si quæ reliquiæ S. Theclæ *in ecclesia Carnotensi servantur, quod negare nolim,dubitare saltem cogor, an tam notabiles sint,ut recte* corpus *nominari possint.In Officiis propriis ecclesiæ Regiensis præscribitur pro festivitate* S. Theclæ *Officium duplex primæ classis cum Octava, certe in Officiis anno* 1635 *impressis.*

variis locis,

104 *Bailletus in* S. Thecla *reliquias hujus Sanctæ adscribit ecclesiæ collegiatæ Camalariensi in Arvernia,* ut docet, *inquit,* inscriptio laminæ plumbeæ incisa, quæ nuper inventa est in arca, in qua servantur. Aliqui censent, inscriptionem, litteris majusculis exaratam, nongentorum, ut minimum, esse annorum : easque reliquias posse allatas esse in Galliam a tempore fundationis monasterii Camalariensis, exstructi sub finem seculi VII per S. Genesium, quem comitem faciunt Claromontanum, et deinde conversi in capitulum canonicorum. Ab illa ecclesia anno 1699 extracta est pars reliquiarum S. Theclæ pro collegio filiarum, quod recentissime sub ejus nomine et protectione institutum est Parisiis in platea, vulgo Vaugirard dicta. *Ita ille, laudans Epistolam Mabillonii ad episcopum Blesensem. Verum alii voluerunt,in eclesia Camalariensi depositam fuisse*

AUCTORE J. S.

se aliquam Sanctam Arvernensem, quam et Theclam *nominant, et ut Sanctam annuntiant, sed sine probatione cultus et sine idoneo fundamento, ut hodie dictum est in Prætermissis. In Vita S. Boniti episcopi Claromontani, data tom* 1 *Januarii, pag.* 1075 *memoratur* Moderatus Teclatensis monasterii *rector, quem nonnulli putant Camalariensis fuisse monasterii præfectum. Potuit sane idem monasterium* Camalariense *dici a loco, et* Teclatense, *si* S. Theclæ *fuerit dicatum. Hoc tamen certis argumentis necdum vidi probatum. Augent tamen suspicionem de servatis ibi* S. Theclæ *reliquiis, quæ leguntur in libellis anonymi de ecclesiis et monasteriis Claromontii apud Savaronem lib.* 2 *num.*2 *ubi ita habet anonymus:* In monasterio Camalariense altare sanctæ Mariæ, altare sancti Præjecti, altare sanctæ Agathæ, altare sancti Martini, altare S. Pardulphi, ubi requiescit S. Thecla. *Rursum ibidem num* XI *hæc leguntur :* In ecclesia S. Præjecti, altare sancti Præjecti, altare sancti Martini, altare sanctæ Theclæ. *Hæc quidem suspicionem vehementem ingerunt de servatis ibi reliquiis sanctæ alicujus* Theclæ. *an autem sint hodiernæ,* B *examinandum relinquo eruditis, qui loco viciniores sunt.*

105 *Colonienses etiam nonnullas* S. Theclæ *reliquias sibi adscribunt apud Gelenium in Colonia* D *Agrippinensi. Nam auctor, enumerans thesaurum sacrum ecclesiæ S. Gereonis, cum aliis reliquiis pag.*266 *recenset* S. Theclæ bonam partem. *Et pag.* 311 *ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis ad Gradus attribuit* S. Theclæ virginis tres dentes, et magnam mandibulæ partem. *Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 415 *reliquiis Duacenæ ecclesiæ collegiatæ S. Petri annumerat etiam aliquid* de S. Thecla Iconiensi. *Reliquiæ item* S. Theclæ *habentur Monachii in ecclesia Societatis Jesu, S. Michaëli dicata, ut colligitur ex instrumento, quod recitatum est tom* III *Aprilis pag.* 982 *et* 983. *Ibidem pag.* 154 *in S. Georgio dicitur, hujus Sancti revelatione a Christianis crucesignatis in Terra Sancta inventum* in ampullula de sanguine sanctæ virginis et martyris Theclæ. *Ceterum non dubito, quin et aliæ plures ecclesiæ nonnullas* S. Theclæ *reliquias habere se credant, maxime in Catalonia, vicinisque Hispaniæ provinciis, quibus communicari potuerunt particulæ brachii Tarraconem translati. Vetustæ cujusdam* S. Theclæ *ecclesiæ in diœcesi Gerondensi mentio fit tom.* 2 *Maii pag.* 134 *in SS. Eovaldo et Sixto. Verum hæc pro instituto nostro sufficiant.* E

Germaniaque et Belgio.

DE S. PAXENTIO ET ALBINA MM.

PARISIIS

COMMENTARIUS

Sancti ignoti antiquis martyrologis, Acta eorum fabulosa, reliquiæ et cultus insignis,

Memoria Sanctorum in recentioribus tantum Fastis.

Parisiensi civitati Sanctos hosce attribuo, non quia, ut passim fit in Opere nostro, existimo, eos ibidem vel vixisse vel martyrii palmam adeptos esse, sed quia certo constat, eorem reli- C *quias summa veneratione illic coli et honorari. Locum quippe ac tempus martyrii comprobare non possum idoneis testimoniis : imo nec affirmare, ipsa eorum nomina innotuisse aliunde, quam occasione prædictæ venerationis, per concessa procul dubio divinitus beneficia, inchoatæ, continuatæ et auctæ. Sane in genuinis veterum Fastis non comparent : primum occurrit solus* Paxentius *in Usuardo aucto Munerati, Parisiis edito annis* 1490 *et* 1536, *hodie his verbis :* Eodem die Paxentii martyris cujus corpus honoratur et colitur in conventu divi Martini de Campis Parisius. *Eadem adoptavit Molanus in suis additionibus ; auctor item Martyrologii Germanici ; secuti sunt Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, Castellanus in Martyrologio universali, et martyrologus Parisiensis. Saussayus in Martyrologio Gallicano Sanctum etiam hoc die celebrat longiore elogio, quod, utpote desumptum ex lectione Officii inferius recitanda, hic locum non postulat. Mox idem memorat et* S. Albinam *verbis sequentibus :* Ibidem natalis S. Albinæ virginis et martyris, ipsius B. Paxentii sororis, pro pietatis et pudicitiæ assertione coronatæ, cujus sacra spolia cum illius lipsanis conservantur. *Saussayum secutus est Arturus a Monasterio in Gynæceo, quem et ego hic sequor, quamquam* Albinæ *pecularis ac præcipua festivitas notetur alibi die* XXVI *Septembris, sicut postea videbimus, ratio est, quia vix agi potest de* S. Paxentio, *quin simul producatur,* F *quidquid fere innotuit de* S. Albina.

Acta eorum

2 *Bollandus noster dum seculo præcedente undequaque conquireret Operi promovendo instrumenta, edoctus verisimiliter insignem cultum* S. Paxentii *Parisiis, diligentem operam dedit, quantum conjicio ex litteris ad ipsum missis ac aliis Musei nostri notitiis, ut quæ de ejus gestis illic exstabant, obtineret : sed nihil retulit, quod operæ pretium esset. Amicus Parisiensis litteris datis* XXVIII *Novembris* 1634 *hæc ad eum perscripsit :* Inquisivi diligenter de quodam sancto martyre Paxentio, qui hac in urbe colitur XXIII Septembris in æde S. Martini de Campis, celebri utique Prioratu et pervetusto Ordinis Cluniacensis... studiose inquisivi, si Acta ejus aliqua nancisci possem ; tandem post longam inquisitionem .... reperi vetus Ms. continens novem lectiones ejusdem Paxentii, sed dictione impolitas, sensu fatuas atque insulsas, eas ut indignas judicaverim, quas transcribi curarem et ad R. V. mitterem. *Idem anno eodem die* XVIII *Decembris in alteris litteris ita loquitur :* Scripseram ante dies aliquot ad R. V. de S. Paxentio martyre et ejus Actis, quæ hic extant in æde S. Martini de Campis, quæ mihi insulsa videbantur. Contuli de iis cum dño du Chesne : hæc illi sunt fabulæ : at vere

A vere martyr est, Roma missus ad eos per Gregorium VII; qui Cluniacensis erat monachus ante summum Pontificatum, cumque Vita nulla suppeteret, ab aliquo stolido stulte conficta est. *Judicium suum ipsi Bollando confirmavit laudatus B.du Chesne, vir eruditione clarissimus; quærenti quippe Bollando, ut propria manu notavit Papebrochius, respondit, Acta non esse digna lectu, conficta esse, postquam reliquiæ et caput Martyris, quasi impacto malleo pertusum, obtenta fuerant a Pontifice.*

fabulosa,

3 *Habeo penes me apographum Ms. Actorum* S. Paxentii, *Latine typis editorum seculo 16 per fratrem Richardum le Moine, dicti Prioratus S. Martini religiosum. At non possum mihi persuadere, esse eadem cum mox memorato veteri Ms., continente novem lectiones* S. Paxentii: *nostra enim non tantum ex impresso descripta signantur, sed et adeo prolixa sunt, ut impleant duodecim paginas, quarum unaquæque sufficeret lectionibus tribus ac præterea præfixum habent prologum laudati le Moine ad Priorem suum Stephanum Gentil. Non fuit tamen ille eorum auctor, sed editor dumtaxat, imo et interpres. Edita enim sunt* B *ob anonymo Parisiis denuo Gallice anno 1677 sub hoc titulo:* Vita S. Paxentii martyris et S. Albinæ virginis et martyris, illius sororis, titularium ac tutelarium patronorum regalis monasterii S. Martini de Campis Parisiis, Ordinis Cluniacensis, ubi sacra eorum corpora ultra annos quadringentos quiescunt, patrantque in ægris miracula plurima: *ac tum subditur:* In Latinum versa ab annis centum sexaginta per F. Richardum le Moine ejusdem domus religiosum et nuper in Gallicum idioma per religiosum strictæ observantiæ sacri Ordinis Cluniacensis. *Hinc suspicor, primum conscripta fuisse veteri Gallorum lingua atque inde translata in Latinam. Quidquid sit, seu eadem sint hæc Acta, seu diversa a supra laudatis, mitiorem non merentur censuram; farrago est male cohærentium nec verisimilitudine vestitorum mirabilium, quam magno cum tædio et cum amissi incassum temporis dolore pervolvi.*

lectiones Officii

4 *Gesta utriusque Sancti, in binas lectiones compendiosissime contracta et in Officio olim recitari solita, exstant in antiquis Breviariis ecclesiæ Parisiensis: sed apertis illis fabulis expurgata. Una lectio his verbis concepta est.* Paxentius ingenuus adolescens, sub Antonino principe fidei Chri- C stianæ accusatus, succensi divino amore pectoris virile robur sua in confessione prodidit: multis enim blandiciis cum flecti non potuisset, ut agnitum Christi Redemptoris nomen ejuraret, minasque etiam et terriculamenta omnia, quibus judex concutere nitebatur suam constantiam, intrepide contempsisset; demum post multas fortiter pro fide perpessas immanium cruciatuum acerbitates, impacto capiti trabeali clavo, agonem suum coronans, pro præmio victoriæ diadema decoris et palmam gloriæ immarcessibilem de manu Domini percepit. *Altera sic habet:* Sub eodem tyranno pugnam etiam gloriosissimam confecit Albina virgo nobilis, ejusdem Paxentii soror, quæ cum eximia corporis forma præstaret, ac fidei et pudicitiæ præpolleret insigniis, impetita quoque Christianitatis nomine, Fratris constantiam imperterrita Christi confessione exhibuit. Nullis enim illecebris vel terroribus cum abduci potuisset a præconio divinæ sibi patefactæ veritatis et integritatis proposito, capitis damnata, cæsaque gladio ad Agni cælestis desideratas nuptias in cælum evolavit *etc. Reliqua ad cultum utriusque Sancti pertinent, inferius exhibenda.*

AUCTORE J. P. omissæ in recentioribus Breviariis.

5 *Ambæ lectiones fabulis depuratæ sunt, ut jam monui, nec aliquid continent, quod absolute ac per se fabulam spiret: sed ne vel sic carent fictionis suspicione, cum fons alius, unde haustæ sint, assignari nequeat, præterquam Acta fabulosissima, judicio eruditorum composita, postquam sacræ exuviæ in Gallias translatæ sint, nec vel ipsa Sanctorum nomina reperiantur apud scriptores translatione antiquiores. Mentem suam hac super re abunde, licet primum tacite, indicarunt recentiores et perspicaciores Parisienses, dum lectiones jam recitatas ex Breviariis annorum 1636 et 1640, prorsus omiserunt in editionibus annorum 1680 et 1700, et apertius in novissima editione anni 1736, ubi hæc una lectio illis substituitur:* Paxentius antiquis martyribus accensetur communi traditione, quam aliqua Galliæ loca conservant. Ejus nomine extat ecclesia apud Madisciacum in pago Bituricensi. Ejusdem cultus in monasterio sancti Martini a Campis, ubi reliquiæ ejus collocatæ sunt, sub finem undecimi seculi vigere cœpit. Anno millesimo trecentesimo septimo, die Circumcisionis Domini, e veteri capsa lignea in argenteam translata sunt sancti Martyris pignora a Joanne Aniciensi episcopo, et in eadem capsa reli- E quiæ sanctæ virginis Albinæ reconditæ sunt. Tanta autem fuit jam a fine decimi tertii seculi Parisinorum erga sanctum Martyrem veneratio, ut ejus capsa inter eas, quæ in publicis supplicationibus cum corpore beatæ Genovefæ circumferuntur, locum habeat. *Hinc colligat lector, quid de gestis, tempore, palæstra et adjunctis martyrii ac Sanctorum sanguinis conjunctione statui possit. Interim quæ de eorum reliquiis et cultu obiter perstricta sunt, paulo latius exponamus.*

Reliquiæ obtentæ seculo XI,

6 *Reliquias* S. Paxentii *a S. Gregorio VII Pontifice Roma missas ad ecclesiam S. Martini de Campis testantur litteræ cit. num 2.; num autem ex antiquo monumento id scriptor didicerit, an vero ex traditione religiosorum, non additur. Postremum mihi verisimilius est, quia apud Martinum Marrier in Historia ejusdem regalis monasterii ab anno 1060, cui fundationem innectit, usque ad annum circiter 1633 producta, chartisque ac diplomatis confirmata, dictæ translationis nec instrumentum nec mentionem comperio. Sed et traditio mihi est verisimillima, tum quia in recitata num. præcedenti lectione Officii dicitur Sancti cultus ibidem cœpisse sub finem seculi undecimi, tum quia ecclesiæ novi monasterii dedicatio facta est eodem seculo, anno scilicet 1067, sexen-* F *nio tantum, antequam Gregorius VII ad summum Pontificatum provectus est. Tanta probabilitate scribere nequeo de tempore, quo, et loco, unde illuc allatæ fuerint reliquiæ* S. Albinæ, *quæ ne nominatur quidem in instrumento translationis* S. Paxentii, *ex capsa lignea in argenteam factæ anno 1307; prout accurate signatur in novissimo Parisiensi Breviario.*

seculo 14 imponuntur thecæ argenteæ,

7 *Instrumentum illud exhibet laudatus Marrier lib. 3 Historiæ pag. 222 his verbis conceptum:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Ad perpetuam memoriam sciant cuncti, corpus B. Paxentii martyris de cassa quadam lignea in hanc cassam argenti, a Venerabili Odone Chapitelli de Troando, hujus loci S. Martini de Campis Parisiensis Ordinis Cluniac. Priore factam, translatum fuisse per nos miseratione divina Joannem Aniciensem episcopum, Bertrandum ecclesiæ Cluniacensis humilem ministrum, et Berengarium Figiacensem Ordinis prædicti abbatem, die Lunæ in festo Circumcisionis Domini, anno ejus millesimo trecentesimo

AUCTORE J. P.

mo septimo, sub testimonio sigillorum nostrorum. *Subdit altero charactere editor :* Huic autem cartæ tria adpendent sigilla ceræ flavæ singula sub duplici cauda, asservaturque in eadem capsa. *Deinde ex veteri Ms. Gallico docet, capsam illam esse ponderis centum nonaginta bessium. Verumtamen etiam* S. Albinæ *reliquias eadem capsa inclusas tum fuisse, indubium fit ex charta altera, quam tradit ibidem Marrierus pag.* 264.

quæ seculo 16

8 *Sic habet* : Anno Domini millesimo quingentesimo nono, die vero Jovis, ultima mensis Maii. Hæc presens capsa in honorem B. Paxentii martyris composita et dicata, tunc in pluribus suis locis fracta et disrupta, aperta fuit et visitata per reverendum domnum Stephanum Gentils, Priorem hujus Prioratus S. Martini de Campis Parisiensis, assistentibus sibi domnis Richardo le Moine cellerario et subpriore, Michaële Goupil infirmario, Germano Nicolas subsacrista. Extractis inde reliquiis, videlicet corpore præfati B. Paxentii martyris, et corpore seu reliquiis B. Albinæ virginis et martyris, separatim in duobus sacculis lineis repositis, una cum reliquiis nonnullorum aliorum
B Sanctorum et Sanctarum, in diversis panniculis seorsum involutis, testimonio reverendorum in Christo patrum domnorum episcopi Aniciensis, Cluniacensis et Figiacensis monasteriorum abbatum, ut debite et literatorie constitit, approbatis.

innovata est.

9 Et deinde ipsa capsa restaurata, reparata et de novo deaurata, adjectis tribus marchis, sex unciis, duobus grossis cum dimidio argenti, adeo ut ascenderet ad pondus centum nonaginta marcharum argenti apprime deaurati; dicta corpora beatorum martyrum Paxentii et Albinæ virginis præfatæ una cum cæteris reliquiis supradictis, ut prius fuerant, honorifice reposita et recondita fuerunt per dictum R. P. domnum Stephanum Gentils Priorem prædictum, assistentibus sibi venerabilibus et religiosis domnis Richardo le Moine, subpriore et cellerario præfato, Joanne Biscieu sacrista, Michaële Goupil infirmario cum cæteris omnibus ejusdem Prioratus monachis et pluribus aliis utriusque sexus personis, adhibitis solemnitatibus cum magno omnium plausu et exultatione devotionis, die xv mensis Augusti anno prædicto. Ita est. Signatum : Stephanus Gentils, Prior prædictus S. Martini.
C *Hæc festiva reliquiarum in renovatam capsam transpositio procul dubio occasio fuit laudato Richardo le Moine, ut Acta* S. Paxentii *num.* 3 *memorata typis committeret, ac domno Stephano Priori suo dedicaret.*

Festo solemni colitur hodie Paxentius

10 *Quo cultu* SS. Paxentium *et* Albinam, *patronos suos, ut supra vidimus,* titulares *ac* tutelares *prosecuti fuerint Martiniani Religiosi, docemur ex appendice lectionis de* S. Albina *ex Breviario Pariensi recitatæ num.* 4, *in hunc locum reservata.* Cæterum sancti Paxentii corpus in ecclesia regalis cœnobii sancti Martini campestris honorifico loculo conditum servatur : ubi ejus natalis per dies octo magna solemnitate et populi frequentia celebratur. Beatæ itidem Albinæ pretiosa pignora cum Fratris lipsanis ibidem conservantur, ubi etiam fulget pro cultu memoria ejus veneranda. *Hodiernam vero ac solemnem venerationem proponit Kalendarium spirituale Parisiense* (Almanach spirituel,) *Gallice quotannis imprimi solitum, ut quivis novisse possit festivitates, confraternitates, indulgentias, conciones, et cetera pietatis exercitia, quæ diebus singulis per annum habentur in ecclesiis.*

11 *Varia ejus habeo exemplaria ab anno* 1686 *usque ad* 1712; *ex postremo autem hæc, quæ et in aliis fere eadem sunt; præscribuntur die* XXIII D *Septembris :* S. Paxentius M. in Oriente. In S. Martini a Campis, indulgentiæ plenariæ, lipsanotheca ejus detecta est; caput vero circumfertur in supplicatione; concio Dominica præcedente et subsequente. *Ista autem ad diem* XXVI *mensis ejusdem* ; S. Albina. In S. Martini a Campis; reliquiæ in theca S. Paxentii, quæ parte anteriore detecta est. *Præterea in Kalendario anni* 1686 *ista leguntur ad diem* XVIII *Septembris :* Exceptio reliquiarum. In S. Martini a Campis; solemnitas, expositio reliquiarum thesauri. *Hæc solemnitas respicit verisimiliter etiam Sanctos nostros ; nescio tamen an quotannis celebretur, an vero tantum per aliquot annorum intervalla ; certe in ceteris Kalendariis non signatur ad diem istum. Est et aliud, quod ignoro; nempe unde tandem innotuerit, S.* Paxentium *in Oriente passum esse.*

in monasterio S. Martini a Campis,

Albina 26 Septembris : Hymnus

12 *Ceterum ex assignatis Kalendariis manifeste patet,* S. Albinam *ibidem peculiari festivitate recoli quotannis die* XXVI *Septembris, atque hinc Arturus in Gynæceo ipsam commemorans die* XXIII *et in Annotatis allegans Proprium ecclesiæ* E *S. Martini a Campis, dicit, ibidem agi festum ejus duplex. Non est ad manum Proprium istud : sed editor Vitæ Gallicæ sub finem adjicit nonnulla, quæ procul dubio olim legebantur, et forte etiam nunc leguntur in Officio* S. Paxentii , *ut sequitur :*

DIVO PAXENTIO.

ODE

Ex vetusto codice.

Hæc dies læto celebretur hymno,
Qua Deus cæli, maris atque terræ,
Sancte Paxenti, tibi sempiternam
Præbuit aulam.
Spiritus sancti mediante dono,
Gratia plenus teneris ab annis
Obsequi Christo Triadique summæ
Semper amasti.
Frivolos cultus veterum deorum
Dæmonum fraudes magicosque lusus
Negligens, firma fidei Satelles
Mente fuisti.

in laudem S. Paxentii

13 Æstuans torvus furiis tyrannus
Te jubet plecti laqueis ligatum,
Ferreis tundi scuticis et atro
Carcere claudi. F
Percutit lictor, resonant catenæ,
Concrepant renes laceri flagellis,
Defluit largus, similisque fonte
Sanguinis imber.
Firmior saxis, adamante, ferro,
Tu Deo semper remanes in uno :
Rex furit, quod te neque mors nec ullus
Terreat ensis.
Putrida lepra mulier laborans,
Mox tuis sensit precibus medelam,
Clarior primis nivibus reversa.
Atque ligustris.
Nunc tuis digna meritis corona
Cinctus, æterna frueris quiete,
Martyres inter tibi laureatos
Palma perennis.
Ergo Rex regum, precibus beati
Martyris nostras animas ab omni
Liberas culpa, scelerumque lepra,
Suscipe cælo.
Sit Deo nostro decus et triumphus,

Quo

AUCTORE J. P.

A Quo nihil majus meliusque vivit,
Qui Deus summus sine fine regnat
Trinus et unus. Amen.

et oratio duplex; 14 Oremus. Deus, qui beatum Paxentium martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue, pro amore tuo prospera despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum etc. *His subditur hymnus alter, minus concinnus cum Antiphona et oratione, quam unam describo.* Oremus. Omnipotens ac clementissime Deus, qui inter cætera tuæ pietatis opera beatum Paxentium martyrem preciosum, opibus spretis labentibus, lumine tuæ cognitionis illustrare dignatus es; quem supernis virtutibus, miraculis coruscantem, devictis hostibus post multa tormentorum genera, gloria et honore mirabiliter coronasti, tribue nobis, quæsumus, ejus meritis et precibus te Deum verum cognoscere et super omnia diligere, ut ipsum virtuose sequentes, post cursum labilis vitæ valeamus cum eodem tua perenniter gloriosa perfrui visione. Qui B vivis etc.

cultus ejus in Parisina diœcesi et alibi. 15 *In ipsa Parisina diœcesi annua Sanctorum nostrorum memoria celebratur olim die* XXVI *Septembris Officio simplici cum oratione ambobus communi et secunda lectione de* S. Paxentio, *tertia de* S. Albina; *has dedi superius, oratio hæc erat*: Intercessio, quæsumus, Domine, Sanctorum martyrum tuorum Paxentii et Albinæ tuam pro nobis non desinant placare majestatem, ut qui tibi fidei firmitate et carnis integritate placuerunt, nostram tibi devotam jugiter efficiant servitutem. Per Dominum. *Sed ob causam etiam superius insinuatam, expuncta sunt ista e Breviariis, et in editionibus annorum* 1680 *ac* 1700 *præscripta est commemoratio* S. Paxentii *solius ex communi unius Martyris ad diem* XXIII *Septembris. Idem observatum est in editione anni* 1736; *sed adjecta est Officio S. Theclæ virginis martyris de* S. Paxentio *lectio tertia, quam recitavi num.* 5, *et ex qua abunde intelligimus, quanta pietate in eumdem Sanctum ferantur Parisienses. Ex miraculis, quæ, ut præfert titulus libelli Gallici num.* 3 *laudati, plurima utriusque Sancti corpora patrantur, nullum speciatim expositum reperio. De* S. Paxentio *ad calcem ejusdem libelli tantum lego sequentia*: Sacro-sanctum ejus corpus quiescit Parisiis in altaribus ecclesiæ S. Martini de Campis, ubi Deus patrat multa miracula, agonizantibus præsertim infantibus reddens sanitatem et capitis doloribus liberans illuc undequaque accurrentes ægros tam prompto et ingenti solatio, ut videatur quotidie augmentum fiduciæ et multitudinis ad ejus auxilium confugientis populi. *Quod spectat ad ecclesiam* S. Paxentii *in pago Bituricensi, sub initium ejusdem lectionis memoratam, refert etiam auctor epistolæ num.* 2 *laudatæ, esse quemdam* E *pagum prope Bituriges, qui nomine* S. Paxentii *indigitetur et aliquot ejus reliquias possideat; idque de Sancto nostro intelligendum esse significant Castellanus in Martyrologio universali hoc die, monens in margine, eum vulgo appellari a Bituricensibus* S. Paissent, *et Nicolaus Catharinus ad calcem partis primæ Sanctuarii Bituricensis, ubi inter Sanctos ejusdem provinciæ, parti secundæ inserendos, recenset die* XXIII S. Paissant. *Partem hanc, unde plura forte doceremur, nec habeo, nec scio, an ea umquam prelum subierit; ac proinde hic sisto.*

DE S. SOPHIA VIRG. MART.

J. S.

SORTINI IN SICILIA

Cultus Sanctæ Sortini: Sortinum, *amplum Siciliæ oppidum in valle Netina, patronam hodie colit* S. Sophiam *virginem, ut fidem faciunt Ferrarius in* C *Catalogo generali, Cajetanus in Martyrologio Siculo et Pirrus in Sicilia sacra. Hic in Notitia ecclesiæ Syracusanæ, cujus diœcesis est Sortinum, tom.* 2 *pag.* 252 *ita habet de oppido*: Sortinum novi nominis oppidum, amnibus circumquaque irriguum, qui, et fons magnus e vertice erumpens statim fluvium immensum conficiunt,... anno MDCII marchionatus titulo, et nunc 1868 laribus et 6835 civibus auctum est. *Mox vero, enumeratis oppidi ecclesiis, de Patrona subjungit*: S. Sophiæ virginis et martyris, tutelaris et patronæ Sortinensium, celebris memoria est XXIII Septembris, PP. Pauli III permissu. *Ferrarius ita habet*: Sortini in Sicilia S. Sophiæ virginis et martyris. *In Annotatis addit*: Colitur ibi, uti loci patrona ex Pauli III concessione. *Cajetanus, ex quo alii hauserunt, eamdem sic annuntiat*: In oppido Sortino, S. Sophiæ virginis et martyris. *In margine item observat, cultum fuisse permissum a Paulo Papa III. Laudatus Pirrus post compendium Actorum male cohærens, de beneficiis* S. Sophiæ *in Sortinenses subjungit*: Sortini prope templum puteus sub ejus nomine est, cujus aqua recreati multi quotidie infirmi sanitatem recipiunt. Sophiæ tutelaris patrocinio ab omni pestis infectione se semper liberos fuisse, Sortinenses gloriantur.

Acta ejus non solum depravata, 2 *Vitam* S. Sophiæ *ex codice Ms. ecclesiæ Sortinensis recitat Cajetanus in Vitis Sanctorum Siculorum tom* I *pag.* 137. *Verum in Animadversionibus; quas deinde dat pag.* 111, *fatetur, depravatam* F *procul dubio esse, et insuperabilibus difficultatibus implexam. Præterea pag.* 113 *insinuat, Vitam illam non videri vetustam, quia in ea nominatur urbs* Pantalica, *ad quam* Sophia *pervenisse dicitur, ita scribens*: Thomas Fazellus Pantalicæ civitatis nomen antiquum putat, deceptus ab hac Historia, quæ Sophiam pervenisse Pantalicam tradit. Ut vero incertum est, quo tempore Historia hæc scripta est, ita certum penes me est, Pantalicæ vocabulum haud vetus esse. *Hoc argumento abunde innuit Cajetanus, Acta non esse vetusta, præsertim cum codicem Ms., quo usus est, nullibi laudet a vetustate. Jam vero Vita ipsa tam aperte mihi videtur fabulosa, ut necesse non censeam prolixa uti dissertatione ad hoc demonstrandum. Dicitur fuisse filia unica imperatoris Constantinopolitani, qui erat gentilis et Christianorum sævissimus persecutor, qualis inter imperatores Constantinopolitanos nullus fuit. Dicitur* Sophia *mandato patris sui graviter taurinis nervis cæsa, carcerique injecta; sed liberata carcere in Siciliam fugisse; unde remissa fuerit ad patrem, ejusque jussu torrenda super craticulam posita, liberataque divinitus*

AUCTORE J. S. *tus, ejusdem patris imperatoris mandato decollata. Dicitur, resecto capite, lac pro sanguine fudisse, ac imperatori patri suo apparuisse, eumque ad fidem convertisse. Late ostendit Cajetanus, vera ea esse non posse de imperatore ullo Constantinopolitano, ideoque ait, se pro imperatore principem ex imperatoris familia substituisse, cujus fuerit filia.*

sed fabulosa. 3 *Verum frustra adhibetur talis correctio, cum tota Vita æque videatur fabulosa. Nam et ante conversionem inclusa cubiculo utitur verbis sacræ Scripturæ, et ad sic reclusam Thimotheus quidam eam conversurus, improbabiliter introductus dicitur; conversa cælestibus continuo visionibus fruitur, et annulo sponsalitio donatur a Christo: carceri tradita, conversos divinis illis visionibus custodes carceris baptizat, et ab iis dimittitur. Navi in Siciliam delata, cæcum visu donat, allatosque ægrotos omnes sanat. Hinc, illam quærente urbis gubernatore, fugit in speluncam, inventaque indicio pastoris, qui fulmine percuitur, in urbem Pantalicam, quæ tam antiqua non est, indeque Constantinopolim reducitur. Receptam filiam pater assandam craticulæ imponi jubet, liberatamque divinitus capite minui; sed lac effundentem miratur, eademque apparente convertitur, imo et ecclesiam eidem exstruit. Hæc omnia sunt improbabilia, maxime prout connexa exponuntur, et adjunctis aliis vestiuntur a scriptore indocto et non satis antiquo. Missis igitur Actis fabulosis, solum subjungo, quæ Cajetanus in fine dedit de cultu.* Agitur dies ejus festus apud Sortinenses IX Kal. Octobris, qui patronam oppidi Sophiam colunt. Oppidum autem non longe est a specu, ubi Sophia delituit, quæ causa oppidanorum cultus in S. Sophiam. Sane Pauli III privilegio Romæ rescripto anno Domini MCXXXVIII (MDXXXVIII *opinor*) V Idus Martii Sortinensibus eorum rogatu supplicationum dies permissus est, utque imago S. Sophiæ ad augendam populi pietatem per oppidum deduceretur.

DE. S. LIBERIO PAPA CONF.

ROMÆ

COMMENTARIUS CRITICO-HISTORICUS

§ I. Memoria Liberii Patrum laudibus celebrata, et inscripta Fastis sacris Latinorum et Græcorum.

AN. CCCLXVI. *Etiamsi nomen S. Liberii in pluribus Fastis omissum sit,* Quamquam S. Liberii *Papæ memoria non legitur in hodierno Martyrologio Romano, ibique omissa verisimiliter sit a Baronio, cum quod Usuardus in suo Martyrologio locum non dederit* Liberio, *tum quod memoriæ* Liberii *macula aliqua inhæsisse videatur ex iis, quæ fecisse dicitur contra S. Athanasium, et pro Arianis: neutra tamen ratio mihi sufficere potest ad omittendum in Opere nostro* S. Liberium. *Nam neque omissio Usuardi officere potest* S. Liberio, *loquentibus martyrologis ipso vetustioribus et coævis: neque fama illa, qua cessisse Constantio imperatori Ariano a multis creditur, magis efficax esse debet ad negandam sanctitatem* Liberii, *quam fuit opinio, qua diu creditum est, S. Marcellinum thura idolis obtulisse, ad sanctum hunc Pontificem sacris Fastis eximendum, et fortasse nihilo certior est lapsus* Liberii, *quam Marcellini. Certe, quidquid sit interim de lapsu, quem incertum esse minusque probabilem inferius ostendam, optime de* Liberio *senserunt sancti Patres eidem coævi et suppares; fidemque tanta constantia et fortitudine ultimis vitæ annis defendit, ut* Liberii *auctoritate constantiaque maxime effectum videatur, ut fides catholica grave illud vulnus, quod acceperat lapsu patrum omnium concilii Ariminensis, cito obductum viderit ac sanatum. Quapropter, si nonnullis ex patribus Ariminensibus, aliosque plures, de quorum lapsu constat, inter Sanctos merito veneramur, quia pœnitentia recteque postea gestis maculas ante contractas eluerunt; nulla videtur esse ratio, cur titulum sanctitatis abjudicemus* Liberio *ob lapsum dubium; præsertim cum gloriosum illum titulum* S. Liberio *non demus; sed eidem in antiquissimis Martyrologiis datum reperiamus: eaque de causa non magis nobis liceat illum* S. Liberio *abrogare, quam licitum sit alios vocare* Sanctos, *quos nec immemorabili possessione, nec Ecclesiæ judicio inter Sanctos numeratos invenimus.*

a Patribus tamen supparibus laudatus est a sanctitate, 2 *S. Ambrosius, Romanus origine, qui adolescens et juvenis Romæ studiis operam dederat, Pontificatum administrante* Liberio, *ut mores ipsius et famam optime noverit, lib. 3 de Virginibus a cap.* I *S. Marcellinæ sorori suæ, quæ virginitatis velum a* S. Liberio *acceperat, recitat orationem ab eodem tunc habitam, eique præmittit hæc verba:* Tempus est, soror sancta, ea quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut, quo Vir sanctior, eo sermo accedat gratior. *Et cap. 4 post recitatam orationem subjungit:* Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius. *Ita loquebatur Ambrosius, quando recens apud Romanos erat memoria S. Liberii, ad sororem Marcellinam Romæ habitantem. Cum autem hæc* S. Liberium *toto Pontificatus tempore novisse, ac Romæ tam ante quam post exsilium frequenter videre debuerit; non poterat ita sanctam sororem alloqui Ambrosius, nisi novisset, magnam quoque fuisse ipsius existimationem de sanctitate morum* Liberii. *Quapropter testimonium tam honorificum* S. Liberio *non dedisset Ambrosius, nisi probe constitisset de morum sanctitate viventis, quorum causa vocatur* Vir sanctior, *ac de felici vitæ exitu, cujus gratia* beatæ memoriæ, et sanctæ memoriæ *titulus eidem attribuitur. Hoc igitur vel solum S. Ambrosii testimonium sufficere potest, ut non miremur, vetustissimis Fastis adscriptum esse* S. Liberii *memoriam. Accedunt tamen et alii Patres: nam eodem fere tempore a S. Basilio in epistola* 263 (*alias* 74) *Orientalium episcoporum nomine ad Occidentales scripta, vocatur* beatissimus episcopus Liberius, *S. Epiphanius Hær.*75 *nominat* Liberium

A rium beatæ memoriæ Romanum *episcopum S. Siricius Papa in Epistola ad Himerium Tarraconensem episcopum* venerandæ memoriæ prædecessorem *suum vocat* Liberium. *Mitto Theodoretum, aliosque plures, qui* S. Liberium *miris laudibus celebrant, quoniam verba ipsorum postea sint recitanda, et ad Martyrologia progredior.*

in Fastis Hieronymianis aliisque vetustis memoratur ad 23 Septembris,

3 *In Hieronymianis apud Florentinium ad* XXIII *Septembris :* Romæ depositio sancti Liberi episcopi. *In vetustissimo codice Epternacensi :* Romæ Liberi episcopi. *In Corbeiensi :* Romæ depositio sancti Liberii episcopi. *Non modo in omnibus codicibus, quos habuit Florentinius, annuntiatur memoria* S. Liberii*; sed in contractioribus etiam fere omnibus, in quibus non pauci alii omittuntur, celebratur sanctus hic Pontifex, diebus tamen utcumque diversis. Ad jam dictum* XXIII *Septembris Martyrologium Augustanum ita habet* : Romæ, Liberii Papæ. *Labbeanum et Gellonense :* Romæ, Liberii episcopi. *Martyrologium Turonense apud Martenium post S. Theclam solum dat* Liberium *his verbis :* Romæ, Liberii episcopi. *In primo apud* B *eumdem tom. 6 Collect. amp. inter Linum et Theclam* Liberius *ita commemoratur :* Et depositio S. Liberii episcopi. *Wandelbertus ad eumdem diem* S. Liberium *hoc versiculo celebrat post Theclam :*

Liberiusque dicat *(Nonum Kal. Octobr.)* Romanam Papa per urbem.

Accedunt nonnulla Martyrologia Mss. ex genere Hieronymianorum, Auctaria Bedæ Appendix Adonis, plura Usuardi in codicibus et editionibus Auctaria et demum plurima recentiorum Martyrologia cum Galesinio, cujus Martyrologio ante Baronianum usa est Romana Ecclesia. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum, et auctor Florarii Ms. Sanctorum in eumdem quoque diem conspirarunt, ut nullum sit dubium, quin maxima pars martyrologorum, cum antiquiorum tum recentiorum, S. Liberii *memoriam hoc die celebrent, quo et nos eam ob causam de eodem agimus.*

in aliis ad 24 ejusdem mensis : et idem probabilius est,

4 *Nonnulla tamen Martyrologia ex vetustissimis* S. Liberium *commemorant ad sequentem diem* XXIV *Septembris. Ad hunc diem Martyrologium Rhinoviense ita habet* : Romæ, depositio Liberii episcopi. *Consonat iisdem plane verbis Richenoviense. Rabanus habet :* Romæ, natale Priscillæ, et Liberi episcopi et C confessoris. *Ad* XVII *Maii in Apographis Hieronymianis mentio etiam fit alicujus* Liberii *episcopi, qui post aliquot martyres Romæ annuntiatur, sed modo utcumque diverso, et luxato in aliquibus nomine. Florentinius in Annotatis dubitat, an sit ille hodiernus* Liberius *Papa, et in eam magis propendet opinionem, ut credat, episcopum Martyrem esse a* Liberio *Papa distinctum. Henschenius ad* XVII *Maii egit de Martyribus Romanis, quibus* Liberius *adjungitur aut subjungitur, secutusque est dictam Florentinii opinionem. Præcipua illorum ratio est, quod* Liberius *Papa in Hieronymianis annuntiatur ad* XXII *Septembris. At id argumentum parum est efficax, cum alii multi Sancti variis diebus in iisdem codicibus Hieronymianis repetantur, et eo quidem modo, ut ubique dies natalis aut mortualis insinuari videatur. Quapropter, expensis diligenter locis, probabilius mihi apparet, non alium esse a* Liberio *Papa, qui ad* XVII *Maii post martyres Romanos ibidem tamquam episcopus confessor adjungitur, sive id factum fuerit ob aliquam corporis translationem, sive aliam ob causam nobis ignotam. Itaque textus Martyrologiorum huc transfero.*

5 *Apud Florentinium in textu* Romæ *post tres martyres legitur*, Liberii episcopi. *Corbeiensis codex post eosdem tres habet*, Liberii episcopi. *In Gellonensi et Augustano nudum* Liberii *nomen aliis Martyribus immixtum occurrit, uti in Labbeano corruptum* Pliberi *pro* Liberii. *In aliis autem nullus assignatur locus ullis illius diei martyribus, ut in tribus istis non raro contingit. Apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum in Hieronymiano, cui annorum mille ætatem attribuit editor, inter alios martyres* Romæ *annuntiatos* Liberi *nomen reperitur sine mentione episcopatus. Hæc omnia magis favent* Liberii *istius martyrio quam Pontificatui. Verum tria alia bonæ notæ Martyrologia* Liberium *clare annuntiant ut confessorem, aut certe ut non spectantem ad numerum martyrum Romanorum ejusdem diei. Vetustissimum Epternacense, luxato* Liberii *nomine ita habet :* Et depositio Libi episcopi. *Richenoviense :* Et depositio Liberii episcopi. *Martyrologium Reginæ Sueciæ :* Et depositio Liberii episcopi. *Ex horum consensu mihi longe probabilius apparet,* Liberium *cum præcedentibus martyribus Romanis nihil commune habere præter locum et diem, quibus annuntiantur; et dubitare vix possum, quin ipsissimus sit* Liberius *Papa, qui designatur. Quippe nullus innotuit* Liberius *episcopus, Romæ defunctus aut cultus, ad quem respicere possimus.* E *Philippus Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum* S. Liberium *memorat ad* IX *Septembris, quo nimirum defunctus dicitur in vetusto Pontificum Catalogo.*

Idem apud Græcos et Coptitas celebratur ad 27 Augusti.

6 *Græci memoriam* S. Liberii *celebrant ad* XXVII *Augusti, ad quem elogio exornatur in Menæis magnis impressis, et in Menologio Basiliano. In hoc ita laudatur ex interpretatione editionis Urbinatis :* Beatus Liberius, veritatis propugnator, Constantio imperante, erat Romæ episcopus. Cum vero zelo fidei orthodoxæ arderet, magnum suscepit Athanasium ab hæreticis exagitatum, atque Alexandriæ throno expulsum, quod veritatem ipse palam defenderet. Dum enim inter vivos agebant Constantinus et Constans, majores natu filii Magni Constantini, orthodoxa fides servata est : sed ubi illi decesserunt, et relictus fuit rerum dominus Constantius, minor natu *(imo medius inter Constantinum et Constantem)* filius, qui Arianus erat, prævaluerunt hæretici. Quapropter etiam Liberius, postquam multum redarguit atque increpavit hæreticorum impietatem, in Beroæam Thraciæ civitatem est relegatus. F At cum Romani fide et dilectione erga illum essent devincti, accesserunt ad imperatorem, exposcentes eum : ac propterea Romam iterum missus, cum suum gregem recte gubernasset, decessit. *In Menæis, in quibus memoria ejus* ut Sancti et confessoris *annuntiatur, eodem fere modo, sed paulo brevius commendatur. Apertius etiam ibi asseritur, operam adhibuisse. Constantium, ut* Liberium *a communione S. Athanasii abstraheret, et ad suam hæresim pertraheret; sed id efficere non potuisse. Itaque aperte ibi negatur lapsus* S. Liberii*; diciturque Romam remissus ob preces populi Romani. Adduntur duo hi versiculi Græci, quibus interpretationem Latinam subjungo.*

Τὸν πλοῦτον ἀντλεῖν Λιβέριος νῦν ἔχει,
Ὃν οὐρανοῖς ἦν ἐμφρόνως θησαυρίσας.
Divitias nunc habet Liberius hauriendas
Quas sapienter thesaurisavit in cælis.

S. Liberius *eodem die annuntiatur in Fastis Coptitarum Ægypti et Æthiopiæ apud Jobum Ludolfum pag.* 39 *his verbis :* Liberius Patriarcha Romanus. *In iisdem quoque Fastis commemoratur ad* VI *Octobris. Hactenus de memoria* S. Liberii

in

AUCTORE J. S. *in Fastis sacris; nonnulla alia, quæ translationem insinuant, dabo in fine Commentarii.*

§ III. Utrum Fragmenta S. Hilarii nomine vulgata, censeri possint ex Opere S. Hilarii collecta.

Fragmenta, S. Hilarii nomine edita,

Priusquam ipsa S. Liberii *gesta enarranda suscipio, examinanda videntur documenta nonnulla, quibus historici recentiores passim usi sunt tamquam legitimis, cum illa mihi plane supposititia appareant, totaque ex iis* Liberii *historia sexcentis erroribus inquinata. Primo loco venit illa scripturarum collectio, quæ sub nomine S. Hilarii primum edita est a Nicolao Fabro, deinde recusa in novissima editione Operum S Hilarii ab eruditis Benedictinis a col.* 1279, *ubi titulum habet :* Fragmenta ex libro S. Hilarii Pictavensis B provinciæ Aquitaniæ *etc. Auctor illius editionis, ut habemus ex Bibliotheca Benedictinorum Congregationis S. Mauri, est Petrus Constantius, qui et alia nonnulla edidit. Primus editor, licet præfationem dederit prolixam, solum fere stylum allegat ad probandum, id genuinum esse S. Hilarii Opus. At Coustantius id præcipue in sua præfatione agit, ut ostendat, S. Hilarium Operis esse auctorem. Cum tamen* Fragmenta ex libro *nominet, et suis etiam verbis agnoscat, integrum librum ad nos minime pervenisse; quærendum non est, an Opus illud eo modo, quo exstat aut editum est, a S. Hilario fuerit compositum : sed solum, an Fragmenta illa dissoluta ex solo S. Hilarii Opere sint collecta.*

an collecta sint ex solo ejus Opere, quæritur.

8 *Opus autem Hilarii, cujus illa suspicantur esse Fragmenta, a S. Hieronymo in Catalogo scriptorum cap* 100 *in S. Hilario indicatur his verbis :* Et liber adversum Valentem et Ursacium, historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens. *Coustantius ipse dubitasse se ait, an Hilario attribui possit Opus, sive dicta Fragmenta, aliosque* subdubitare *asserit, rationesque dubitandi allegat nonnullas; sed ad has conatur respondere, atque Opus illud S. Hilario vindicare. Mihi, ut* C *paucis verbis indicem, quod sentio, non videntur illa Fragmenta alicujus Operis S. Hilarii contra Valentem et Ursacium, episcopos Arianos; sed potius instrumenta ab imperito librario collecta, et sine judicio non minus, quam sine ordine, in unum volumen congesta, ut* scopas solutas *rectius, quam* Fragmenta S. Hilarii, *vocanda existimem. Si cui severa videatur hæc censura; rationes allegandas expendat, ac tum demum judicium ferat. Mihi certe non licet aliud de illis Fragmentis ferre judicium, cum verum investigare cogar, et de veritate nequeam dubitare.*

Pars Fragmentorum Ms. S. Hilario non tribuitur,

9 *Primo, fatente Coustantio, Fragmenta non sunt inventa in Mss. codicibus eo ordine et modo, quo edita sunt a Fabro, neque etiam eodem ordine, quo illa edidit Coustantius; sed erat in Mss.* monstrosa quædam rerum facies, et inordinata confusaque variarum epistolarum congeries. *Præterea, fatente rursum Coustantio, tota collectio in Mss. non præferebat nomen S. Hilarii; sed prior pars,* quæ Fragmentis XI, XIII, III, VIII, IX, V et VII constat, nec Hilarii, nec cujusvis alterius nomine *inscribitur; sola pars posterior in Mss.,* quæ Fragmenta I, II, IV, XII, XIV, XV, VI et X comprehendit, *Hilario cum* in fronte tum ad calcem *adscribitur. Liceat modo* D *quærere, unde editores nosse potuerint, Fragmenta illa Partis primæ, quæ in Mss. nulli erant adscripta, ex Opere S. Hilarii fuisse exscripta? Ego certe nullum invenio argumentum, quo attribui possint S. Hilario. Nequit allegari inscriptio in Mss., cum ibidem neque Hilario neque alteri inscripta fateatur Coustantius. Nequit in illis agnosci stylus S. Hilarii, cum nuda sint aliorum scripta, destituta annotationibus et ratiociniis iis, quæ addi potuissent, et in quibus stylum S. Hilarii alias utcumque agnosceremus. Hæc mihi tam clara videntur, ut ne umbram rationis quidem invenire valeam, qua editores credam permotos ad ea S. Hilario attribuenda. Neque enim illi in Mss. codicibus tam hospites erant et peregrini, ut existimare potuerint, non haberi in iisdem codicibus diversorum auctorum Opuscula. Si autem id noverint, ut nosse debuerunt, cur farraginem Epistolarum, quæ singulæ suis auctoribus tribuuntur in Ms. codice, et quæ nihil omnino continent, quo ex libro aliquo S. Hilarii collecta videantur ediderunt sub titulo Fragmentorum S. Hilarii? Qualemcumque rationem quæro, et nullam invenio.* E

et nonnulla ibi aliter Latine reddita, quam in Opere S. Hilarii.

10 *Secundo non desunt rationes, ex quibus intelligamus, Fragmenta prioris in Ms. partis non esse S. Hilarii, sed aliunde a collectore codicis esse transcripta. Prima ratio dicendi, non esse S. Hilarii Fragmenta illa, habetur ex tertio Fragmento duobus locis. Nam S. Hilarius lib. de Synodis num.* 33 *et* 34 *partem ejusdem decreti producit modo multum diverso. Primo in enumeratione provinciarum, ex quibus fuerunt illi episcopi Ariani, non solum notabilis est in verbis dissonantia, sed in ipsis quoque provinciis. Apud Hilarium post Thebaïdem ponitur Ægyptus, in Fragmento omissa : pro* Syria Cœle *apud Hilarium, in Fragmento* Syria : *deinde in Fragmento additur* Isauria, *apud Hilarium omissa : apud Hilarium* Phrygiæ duæ, *in Fragmento solum* Phrygia : *adduntur demum apud Hilarium* Mysia, *et* duæ Pannoniæ, *Fragmento ignotæ. Ordo quoque provinciarum alius apud Hilarium, alius in Fragmento. Similiter expositio fidei, ab Arianis ibi condita, aliis verbis Latinis concepta est apud Hilarium, aliis in Fragmento inferius num.* 29. *Facile quidem concipio, hanc diversitatem ex diversa interpretatione textus Græci ortam esse; sed non æque concessero,* F *formulam credendi Arianorum, iisdem verbis Græcis conceptam, tam diversis verbis Latinis, ut in tota vix duos versus consonos reperias, ab Hilario suis Operibus insertam fuisse. Ait quidem Coustantius,* ex locorum mutatione *id* accidere potuisse; *additque,* iu uno eodemque de Synodis libro *ab Hilario* pseudo-Sardicense symbolum, ac Sirmiense contra Photinum *Latine versum* non una ratione; *indeque inferre nititur, mirandum non esse, si eamdem formulam diverso modo interpretatus est in diversis Operibus. At locorum mutatio, quam ob exsilia coactus est subire Hilarius, numquam mihi persuadebit, tam diversas interpretationes ejusdem formulæ in diversis Operibus dedisse Hilarium. Quod additur de diversa interpretatione ejusdem symboli in eodem Opere, probatum potius vellem, quam generatim assertum : neque enim diversam interpretationem ejusdem symboli in libro de Synodis invenio; aut certe nullam invenio tam notabilem, ut nequeat orta esse ex transcriptione codicum.*

Excutitur ridiculum adversariorum argumentum

11 *Porro, cum Coustantius in Præfatione sua num.* 5 *dicat :* Utraque *(pars Fragmentorum)* ut observavit Nicolaus Faber, aliquot locis verba auctoris

A ctoris ipsis Actis habet immixta, quæ sanctissimi confessoris *(Hilarii)* phrasim exhibeant; *et hac maxime ratione Fragmenta illa S. Hilario editores attribuerint; attentos lectoris studiosi oculos appello : nam huc transferam omnia verba Actis inserta, quæ ex tota illa prima codicis parte dedit Coustantius. Fragmentum* XI, *quod in Ms. primum, hæc continet collectoris verba :* Incipit fides Catholica exposita apud Fariseam civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos. *Et post Acta concilii Parisiensis, ut volunt, rursum collector :* Explicit fides Catholica exposita apud Fariseam civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos. *Mox sequitur :* Incipit Epistola Eusebii ad Gregorium episcopum Spanensem. *Tum post Epistolam :* Explicit Epistola Eusebii ad Gregorium episcopum Spanensem. *In codice sequitur Fragmentum* XIII, *in quo hæc collectoris :* Incipit Epistola Germinii episcopi adversus Arianos. Jam subscripserant in concilio Ariminensi, scientes quod male fecerunt. *In fine,* Explicit. *Tertio loco in Ms. habetur Fragmentum tertium, cui collector hæc præmisit :* Incipit decretum synodi Orientalium apud Serdicam episcoporum a parte Arianorum, B quod miserunt ad Africam. *In fine,* Explicit decretum, *et cetera verba jam data, Fragmento* VIII, *quod sequitur in Ms., hunc titulum collector præmisit :* Sequitur Epistola Ariminensis concilii ad Constantium imperatorem, ubi episcopi prævaricati sunt a fide vera. *Post epistolam hæ subduntur annotationes :* Cum hac Epistola integræ fidei subscribentes episcopi Catholici miserunt decem legatos ad imperatorem. Nihilo minus et pars hæreticorum misit ex suo corpore decem legatos. Qui, ubi venerunt ad imperatorem, suscepti sunt; ita ut legati Catholicorum non susciperentur, atque longa dilatione fatigati, et minis imperatoris perterriti, damnaverint integram fidem, quam antea defendebant, et susceperint perfidiam, quam ante damnaverunt. Hoc ita esse, ex subjectis invenies. *Tum :* Gesta, ubi prævaricati sunt episcopi legati a fide vera, incipiunt. *Post Gesta rursum hæc notula :* Quæ sit autem fidei confessio, cui postea subscripserunt, quam etiam Valens secum in Ariminum pertulit, ex infra scripto recognosces. Explicit. *Tum in Ms. sequitur Fragmentum* IX, *de quo ita collector :* Incipit exemplum fidei epistolæ missæ ad Constantium imperatorem a perfidis episcopis. *In* C *fine :* Explicit. *In Ms. Deinde sequitur Fragmentum* V, *cui hæc præmissa :* Incipit Epistola legatorum, missa ad Constantium imperatorem a Liberio episcopo urbis Romæ per Luciferum episcopum. *In fine :* Explicit. *Ultimum demum illius partis anonymæ in Ms. est Fragmentum* VII, *cui collector hæc præmisit :* Incipit exemplum Epistolæ Constantii imperatoris ad episcopos Italos, qui in Ariminensi concilio convenerant. *Post Epistolam rursum collector.* Incipit definitio Catholica, habita ab omnibus Catholicis episcopis, priusquam per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur, in concilio Ariminensi. *Rursum post hoc instrumentum subdit collector :* Eodem in concilio, postquam statutum est nihil debere paternam minui traditionem, etiam qui contra hanc veniebant, omnium in unum conspirantium spirituali voce sunt damnati, cujus tractatus hoc est exemplum. *Subdit Coustantius col.* 1343 *Appendicem, quam fatetur non esse S. Hilarii, quia inventa est a Nicolao Fabro in alio codice. Itaque dedi omnia verba primæ codicis partis, in quibus phrasim S. Hilarii relucere dixit Coustantius.*

12 *Verum lubet pauca interrogare : neque enim facile concipio miram illam alicujus phrasim et stylum cognoscendi peritiam. Credidi semper, pauca verba aut breviusculas annotationes non sufficere, ut auctorem ex illis cognoscere possimus, nisi forte aliquid contineant, quod ipsi fere proprium et aliis parum sit usitatum. Lubet igitur interrogare, quid in verbis aut vocibus allegatis adeo proprium sit S. Hilario, ut phrasis ipsius continuo innotescat? Nam varia mihi magis digna videntur imperitia alicujus librarii, quam eruditione et stylo S. Hilarii. Voluitne editor stylum S.Hilarii agnoscere ex illo* incipit *et* explicit, *quod initio et fini documentorum semper apponitur? At in libro de Synodis, in quo complura instrumenta recitat Hilarius, id numquam fecit. Librariorum igitur, qui codices collegerunt, ea consuetudo fuit, non S.Hilarii. Voluitne S.Hilarii phrasim colligere ex* Farisea *(aut Parisea)* civitate *vel ex titulo Epistolæ ad Gregorium episcopum* Spanensem *scriptæ? Singularia sane hæc sunt, sed Hilario indigna, digna imperito librario. Non enim ignorabat S. Hilarius, quo nomine* Hispania *Latine vocaretur : noverat, Gregorium Eliberitanæ civitatis esse episcopum, nec ignorabat civitatem, cujus episcopus erat Eusebius epistolæ scriptor. Insinuasset igitur, cujus Eusebii esset Epistola, si hanc Operi suo inseruisset, nec Gregorium vocasset* Spanensem *episcopum. Voluitne respicere ad titulum Fragmenti* XIII, *ubi professio fidei Germinii, episcopi Semiariani, vocatur* Epistola Germinii episcopi adversus Arianos; *at nec Epistola est, nec adversus Arianos disserit Germinius. An in tertii Fragmenti titulo relucet phrasis S. Hilarii, ubi Acta Arianorum Sardicensis concilii dicuntur* missa *ad* Africam, *licet inscribantur* Gregorio Alexandriæ episcopo, Nicomediæ episcopo, Carthaginis episcopo, Campaniæ episcopo, Neapolis Campaniæ episcopo, Ariminiadeno Campaniæ episcopo, Salonarum Dalmatiæ episcopo,... et omnibus per orbem terrarum consacerdotibus *etc. Eratne S.Hilarii ejusmodi Actis, quaquaversum missis, frigidam hanc notam apponere,* Quod miserunt in Africam; *an imperiti cujusdam collectoris, cui molimina Arianorum parum erant perspecta?*

Auctore J. S. de stylo S. Hilarii in Fragmentis,

E

13 *Ex titulo Fragmenti* VIII *minime etiam innotescit phrasis S. Hilarii, cum Epistola Ariminensium maxime Catholica, et a Catholicis ante prævaricationem data ad Constantium, dicatur scripta,* ubi prævaricati sunt a fide vera. *Frustra hunc collectoris errorem subtili expositione excusare conatus est Coustantius, acsi* ubi *idem esset ac* apud quem, *et futurus lapsus legatorum indicaretur. Nam violenta nimis est hæc expositio, et lapsus legatorum significatur titulo sequentis instrumenti, sic expresso :* Gesta, ubi prævaricati sunt episcopi legati a vera fide. *Melior quidem est observatio utrique instrumento interposita; sed risu magis quam refutatione dignus est, si quis phrasim S. Hilarii ex ea colligi posse existimet. Observatio vero subjuncta Actis Nicææ in Thracia rursus inepta est, cum promittat fidei confessionem, cui subscripserunt Ariminenses, et subjungatur Epistola Ariminensium ad Constantium sine formula fidei. Rursum ineptus est titulus Fragmento* IX *præpositus :* Incipit exemplum fidei epistolæ *etc. Æque ineptus titulus Fragmenti* V : Incipit Epistola legatorum *etc., cum sit epistola* Liberii, *ut post etiam additur. Non minus ineptum titulum Fragmento* VII *præfixit imperitus collector, dum Epistolam Coustantii ad omnes episcopos concilii Ariminensis datam, dirigit* ad episcopos Italos, qui in Ariminensi concilio convenerant. *Quis S.Hilarii peritia dignum*

ut volunt, reperto.

F

AUCTORE J. S.

dignum dicat, episcopos quadringentos, ex Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Africa, Illyrico, ex toto demum imperio Occidentali collectos, omnes facere Italos? Id post aliquot secula facere potuit imperitus librarius, non potuit certe S. Hilarius. Itaque in illis Fragmentis multa sunt S. Hilario indigna, nihil prorsus, ex quo stylus ipsius possit innotescere. Verum hæc sufficiant de parte anonyma codicis Ms., transeamus ad alteram.

Argumentum Coustantii ex codicis inscriptionibus,

14 *Ne pro hac quidem parte sola recte attulisset Coustantius auctoritatem codicum Mss., quam pro tota collectione allegat in sua præfatione num. 2, ita scribens:* Ac primo quidem minime contemnendam esse duximus Mss. auctoritatem, hoc Opus non semel, sed iterum ac tertio S. Hilario adscribentium... Nam si quis Pithæo codici chartaceo, quod recentior sit, et ab annis dumtaxat ccc descriptus, non satis tuto credi putet, fidem non negabit habendam S. Remigii Remensis exemplari, quod Sirmondus, cujus in potestate fuit, Notis in concilium Parisiense PERVETUS vocat; in quo idem rerum ordo et eædem erant inscriptiones. Hoc quidem exemplar frustra quæsivimus: sed Stephanus Baluzius, litteris juvandis natus, varias Sirmondi lectiones suppeditando, jacturam nostram utcumque resarcivit. *Non exagitabo codices Mss.: fuerint omnia eodem ordine in codice quem habuit Sirmondus, id sane non prodent Constantio.* B *Attamen Sirmondus tom. I Conciliorum Galliæ pag. 594, ubi de illo codice loquitur, non asserit, easdem in illo haberi inscriptiones; sed solum dicit:* Perpauca tamen *(codex ille pervetus)* in hac præsertim Epistola *(concilii Parisiensis)* suppeditavit, quæ a Fabri editione discreparent. *Credamus tamen gratis, omnia in illo codice eadem esse; et solum examinemus, quam legitimæ sint consecutiones, quas ex illis deducit Coustantius.*

quibus unum tantum monimentum S. Hilario tribuitur,

15 *Prima inscriptio, eo teste, sic habet:* Incipit liber S. Hilarii Pictavensis provinciæ Aquitaniæ, in quo sunt omnia, quæ ostendunt vel quomodo quibusnam causis, quibus instantibus sub imperatore Constantio factum est Ariminense concilium contra formellam Nicæni tractatus, qua universæ hæreses comprehensæ erant. *Observat editor, pro* comprehensæ erant, *legendum* compressæ erant. *Sit ita sane: neque enim vel imperitus librarius diceret, formula Nicæna omnes hæreses fuisse comprehensas.* C *Satis enimvero imperitus fuisse videtur auctor titulorum, qui singulis Fragmentis aut etiam singulis monimentis sunt præfixi, ut dicere potuerit, Nicæna formula omnes hæreses esse compressas. At S. Hilarius rectius noverat molitiones Arianorum, quam ut omnes hæreses dixisset* compressas. *Quapropter titulus ille non minus est imperiti cujusdam collectoris, quam sint reliqui omnes in eodem Ms. Utrum vero ille Opusculum, cui is præfixus est titulus, recte adjudicaverit S. Hilario, operosius non inquiram. Si qui etiam in illo stylum S. Hilarii relucere velint, non repugnabo. Hoc solum observabo, videri Operis cujusdam initium, quod nihil habeat commune cum reliquis ejusdem codicis monimentis, illudque sic S. Hilario attribui in codice, sicut reliqua omnia monimenta in eodem codice suis auctoribus, sive vere sive falso adscribuntur. Etenim sicut præfigitur in titulo,* Incipit liber S. Hilarii *etc., ita in fine legitur,* explicit, *nimirum liber S. Hilarii. Quapropter non satis intelligo, qua ratione, quave verisimilitudine, editores omnia S. Hilario ausi sint attribuere; cum in ipso codice, quid S. Hilarii esse credatur, quid aliorum, per consueta librariorum* *verba* Incipit *et* explicit *fuerit designatum.*

examinatur et refutatur:

16 *At, inquit Coustantius,* In medio *iterum* D Fragmento VI *legitur de* Liberio: S. Hilarius anathema illi dicit. *Verum verba illa* S. Hilarius anathema illi dicit, *neque in contextu dat, neque existimat esse S. Hilarii, etiamsi in contextu invenerit, sed credit primum ad marginem codici adscripta fuisse. Si res ita se habet, qua ratione ex interpolatione librarii imperiti omnia ejusdem codicis instrumenta Hilariano Operi attribuuntur, cum ne illa quidem illius librarii opinio fuisse videatur? Quam vero allegata verba editorum sententiæ sint contraria, et modestia S. Hilarii prorsus indigna, ostendam inferius, et seorsum examinabo fidem epistolarum, quibus addita sunt. Interim audiamus, quid ulterius afferat Coustantius.* Demum, *inquit,* in fine Fragmenti X *hæc leguntur:* Explicit liber S. Hilarii ex Opere historico. *Cum autem Fragmentum* X *sit ultimum in Ms. (licet Operis illius quod S. Hilario attribuunt editores, non sit postremum) videntur editores credidisse, omnia illius codicis monumenta ad Opus aliquod S. Hilarii pertinere. Verum finis codicis non erat finis Hilariani Operis. Erravit igitur ineptus ille, qui dixit libri* ex Opere historico *ibi finem esse. Si autem ille manifeste errat,* E *si imperitiam suam paucissimis vocibus luculenter ostendit; qua crisi, quo judicio tam facile crediderunt homini ineptissimo, et luce clarius aberranti; ut existimaverint, se ex variis monumentis, in unum codicem congestis, Opus componere posse, quod sit S. Hilario dignum? Ego certe, quanto magis Coustantii rationes expendo, tanto minus invenio, quod quæro.*

aliæ ipsius rationes discussæ

17 *Quippe omnia quæ affert, tam mihi imbecilla videntur ad Opus tale S. Hilario asserendum, ut plura expendere vix lubeat. Adducit titulum Fragmenti primi, ut probet, illud esse procemium Historiæ concilii Ariminensis. Verum fuerit illum procemium talis Historiæ, quod gratis transmittam; non fuit certe procemium Historiæ concilii Sardicensis, de quo tamen plura in Fragmentis leguntur, quam de concilio Ariminensi. Ait, in primo Fragmento agnosci episcopum Gallicanum, et S. Hilarium propriis coloribus pingi. Hoc etiam gratis admittam; sed inde nequeo inferre, omnia instrumenta, in eodem codice sine ullo ordine inventa, esse fragmenta prolixi Operis, cujus illud fuit procemium. Hoc asserere, est sane divinare sine fundamento. Ait rursum, in dicto procemio (sive Fragmento I) indicari* subsecuturum Opus, quod variis constet tum epistolis tum synodis, et Ariminensis concilii Historiam ex Arelatensis aliorumque superiorum conciliorum gestis altius repetat. F *Respondeo, revera in dicto Fragmento Opus promitti, in quibus allegarentur Epistolæ et synodi, et auctorem velle initium sumere a conciliabulo Arelatensi. At non dicit auctor, daturum se Historiam concilii Arelatensis, minus etiam promittit Sardicensis concilii, cum episcoporum Catholicorum tum Arianorum, Acta prolixissima. Itaque, cum Fragmenta reliqua nihil contineant de conciliabulo Arelatensi, multa de Sardicensi, multaque concilio Ariminensi posteriora, non erat, cur editores ex Actis variis Synodorum et Epistolarum conarentur S. Hilario supponere Opus, quod ipse numquam vidit, nec umquam sic composuisset. Rursum ait, omnia illa instrumenta* aliqua ratione *spectare* ad Ariminensis concilii Historiam. *Respondeo, multa esse Ariminensi concilio posteriora, et certe tria ultima fragmenta ad Historiam illius concilii esse prorsus inutilia, uti et alia non pauca; alia vero tam prolixa esse, et tam parum facere ad Historiam*

A *riam concilii Ariminensis, ut verisimile non sit, illa a S. Hilario fuisse inserta Operi contra Valentem et Ursacium, in quo enarrabatur Historia concilii Ariminensis. Scripsit S. Hilarius contra Auxentium Arianum, scripsit diversis temporibus contra Constantium; scripsit librum de Synodis, in qua plura erant disserenda, nullibi tam prolixus est, nullibi instrumenta adducit tam prolixa. Quis igitur credat, Acta Sardicensia a S. Hilario inserta fuisse libro contra Valentem et Ursacium. cum vel sola superent prolixitate librum contra Auxentium et libros singulos contra Constantium? Quis, inquam, hoc credat asserentibus sine ulla auctoritate, et ratione non alia, quam quod inventa sint in codice Ms., in quo habetur Fragmentum alicujus Operis S. Hilario attributum, id est, ratione prorsus nulla?*

Pars prima Fragmentorum multa continet

18 *Quam indigna sint S. Hilario omnia illa, quæ instrumentis addita sunt in prima codicis parte, supra ostendi. Percurramus igitur et alteram partem, ut examinemus, an ratiocinia hujus partis S. Hilario sint digniora. Verum cum plura hic sint annotata, pauca solum seligam: nimis enim longum esset omnia recitare. De Fragmento primo, quod Hilario adscribitur, plura non dico. Fragmentum* 2 *continet Epistolam concilii Sardicensis ad omnes ecclesias, et alteram S. Julio Papæ missam. Prima etiam habetur apud S. Athanasium* B *in Apologia contra Arianos tom.* 1 *pag.* 162. *Conferre igitur poterit, quisque voluerit, interpretationem Latinam Fragmenti cum Græco contextu aut Latina versione apud Athanasium, et non difficulter videbit, interpretationem Fragmenti prorsus indignam esse S. Hilario, cum inepta sit et infidelis. Ex nominibus episcoporum, qui subscripserunt, colliget lector, quam accurata sint reliqua. Apud S. Athanasium ita inchoatur subscriptio:* Hosius ab Hispania, Julius Romæ per Archidamum et Philoxenum presbyteros *etc. In Fragmento*: Ossius ab Spaunia Cordobensis, Annianus ab Spannis *de* Castolona. *Græca quidem vox est* Σπανία; *sed noverat S. Hilarius Latine* Hispaniam *dici, nec Operi suo inseruisset interpretationem tam ridiculam, in qua plura fere mendosa sunt; quam recte expressa. Præterea ne quartæ quidem episcoporum partis nomina exprimuntur. Examinemus modo annotata Actis concilii subjuncta, quæ Hilario attribuit editor. Primum* Ischyras, *famosus S. Athanasii accusator, ubique vocatur* Scyrus, *acsi S. Hilarius nomen famosi hominis ignorasset, et in historia S. Athanasii fuisset pe-* C *regrinus. Deinde dicitur*: Apud Mareotem ecclesia nulla est. *Attamen plures erant ecclesiæ in Mareote, cum Athanasius in Apologia pag.* 137 *dicat*: Testes sunt omnes Mareotæ presbyteri, qui episcopum circumeuntem semper comitantur, quique tunc adversus Ischyram scripsere. *Forte imperitus collector in Apologia S. Athanasii pag.* 193 *aut alibi legerat, Ischyræ nullam fuisse ecclesiam. At quacumque occasione ille dicere potuerit, nullam in Mareote fuisse ecclesiam, saltem non credam ejusmodi lapsum esse S. Hilarii. Non examino illa, quæ paulo post dicuntur de Photino damnato in concilio Mediolanensi, quæque forte meliora non sunt, etiamsi adducantur ab eruditis nonnullis tamquam verba S. Hilarii.*

vitiosa,

19 *Quanti autem facienda sint, quæ de Photino observat collector, non modo ex jam dictis, sed magis etiam ex dicendis de Marcello Ancyrano, colliget lector studiosus. Etenim in Fragmento* 2 *post Epistolas duas Valentis et Ursacii multa rursum sequuntur ratiocinia. Dicitur ibi col.* 1299 *S. Athanasius Marcellum Ancyranum* a sua communione *separasse, et quidem* anteriore tempore, quam Photinus *de hæresi accusaretur. Hic clarissime egregius ille Hilarius S. Athanasio attribuit, quod factum ab Eusebianis sive Arianis. Audiamus S. Athanasium in Historia Arianorum ad Monachos tom.* 1 *pag.* 347. De Marcello autem Galatiæ episcopo, *inquit*, superfluum fortasse fuerit mentionem facere: omnibus enim compertum est, Eusebianos ab eo antea impietatis accusatos, cum vicissim accusasse, eorumque opera senem illum exsulasse. Ille autem Romam profectus sese purgavit, fidemque suam illis exigentibus scripto tradidit, quam Sardicensis ipsa synodus approbavit. *Hæc ipse Athanasius, qui eum jam ante synodum Sardicensem excommunicasse dicitur. Imo magis ridicula mox adduntur in præclaris illis Annotatis, in quibus editores S. Hilarium ex stylo agnoscunt.* Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur? *Et mox in excusationem S. Athanasii*: Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese ecclesiæ Marcellus abstinuit. *Vidit Coustantius, hæc plena esse erroribus. Utinam etiam vidisset, non esse sanctis Patribus tam facile Opera supponenda, et multos cum ejusmodi Operibus errores! Mox in iisdem ratiociniis col.* 1302 *asseritur,* Arios duos profanissimæ fidei prædicatores extitisse. *Hunc quidem locum utcumque excusat Coustantius, dum ostendit, inter primos Arianos alterum quoque fuisse Arium. Dubito tamen, an S. Hilarius posuisset duos Arios hæresiarchas. Rursum paulo inferius dicitur*: Itaque comprimendi mali istius causa trecenti vel eo amplius episcopi apud Nicæam congregantur. *At lib. de Synodis num.* 86 *Hilarius nitide in concilio Nicæno ponit episcopos trecentos decem et octo. Hæc de secundo Fragmento sufficiant.* E

falsa,

20 *Ad quartum igitur transeo, cum hoc sequatur in codice Ms. Nescio sane, qua æquitate Fragmentum istud, inepto calumniatore dignum, indignum erudito episcopo, attribuere S. Hilario potuerint editores. Epistola est* Liberii *Papæ nomine conficta, quam supposititiam esse, et a calumniatore confictam, fatetur et late probat ipsi Coustantius. Quid igitur dicent vindices hujus Hilariani Operis? Eratne tantæ simplicitatis S. Hilarius, ut Epistolam tam clare* Liberio *suppositam pro sincera habere potuerit, et Operi suo inserere ad ignominiam præclari Pontificis, qui Ecclesiam Catholicam contra impetus Arianorum egregie defendebat, et lapsum episcoporum Ariminensis* F *concilii prudenter reparabat, quando istud Opus scripsisse dicitur Hilarius? Hoc si dixerint, maculam aspergunt famæ sanctissimi doctoris. Neque enim hic ignorare poterat,* Liberium, *saltem usque ad exsilium suum, Athanasii fuisse defensorem fortissimum: nihilo magis poterat non perspicere, secundum fictitiam Epistolam jam initio Pontificatus sui* Liberium *recessisse a communione S. Athanasii, et communionem Orientalium Arianorum fuisse amplexum. Non erit, opinor, defensor tam impudens inepti Operis, quod posterioribus seculis pro S. Hilario alii composuerunt, ut ea aliave similia dicere præsumat.*

inepta.

21 *Annotata Epistolæ addita hominis quoque sunt imperiti, qui videtur ipse nescivisse, quid diceret. Accipe initium, lector, et judica, an in iis agnoscatur S. Hilarius.* Quid in his litteris non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius et Epictetus, dum damnare urbis Romæ Episcopum gaudent, sicut in Ariminensi concilio continetur, audire hæc noluerunt. Quin etiam Fortunatianus

AUCTORE J. S.

natianus episcopus, Epistolam eamdem rursum diversis episcopis mittens, nihil profecit. *Eratne sanctum et ex timore Dei profectum, recedere a communione S. Athanasii, et Arianorum communionem amplecti? Id S. Hilarium dicere non potuisse agnoscunt omnes, ideoque volunt nonnulli dicta Annotata ad aliam spectare Epistolam. Verum resistit Coustantius, et nodum conatur subtiliter dissolvere.* Et vero, *inquit*, licet totum hoc Hilarii Opus omnino confusum sit atque perturbatum, nulla tamen occurrit appendix hujusmodi a proprio loco divulsa atque distracta. Quo circa neque hanc e suo situ motam, neque Hilario indignam arbitramur, sed quas superioris Epistolæ laudes plerique putant, meram esse ironiam. Suspicamur etiam, Potamium et Epictetum Epistolæ ejusdem architectos hic significari, ac pro AUDIRE HÆC NOLUERUNT, legendum esse AUDERE HÆC POTUERUNT. *Verum frustra se evolvere conatur : neque enim ullum in toto contextu ironiæ indicium est. Repugnat etiam titulus Epistolæ præfixus, quo Liberio sic attribuitur :* Incipit exemplum Epistolæ
B Liberii episcopi urbis Romæ ad Orientales episcopos. *Huic etiam consonat inscriptio ipsa Si S. Hilarius credidisset Epistolam esse fictitiam; non apposuisset ejusmodi titulum, qui plane mendax est; nec obscura ironia consuluisset famæ S.* Liberii, *per ejusmodi epistolam læsæ; sed fraudem Arianorum clare edixisset. Quare imperiti collectoris sunt ea annotata; nec miror, hominem, qui nullam in Mareote invenit ecclesiam, qui Marcellum Ancyranum ab Athanasio excommunicatum dixit jam ante Photini damnationem, qui duos videtur ponere Arios hæresiarchas, qui multa alia inepte disserit, in ejusmodi etiam labi errorem potuisse, ut Epistolam supposititiam pro genuina transcriberet, dignamque censura laudibus celebraret. Magis sane miror, hominem ubique ineptum pro S. Hilario haberi potuisse a pluribus eruditis.*

ad propositum non conducentia et serius scripta,

22 *Transeo cum codice Ms ad Fragmentum* XII *quo continentur duæ Epistolæ. Priori titulum hunc dedit collector :* Incipit exemplum Epistolæ Liberii episcopi urbis Romæ, factæ ad Catholicos episcopos Italiæ. *Altera hoc titulo donata :* Item exemplum Epistolæ episcoporum Italiæ. *Utraque posterior est concilio Ariminensi; nec ulla adjunguntur Annotata. Si priorem Epistolam Operi suo inseruisset S. Hilarius, non ignorasset saltem,* S. Liberium
C *Ariminensi concilio fuisse contrarium, prudenterque laborasse ad lapsos Ecclesiæ reconciliandos. Qua igitur æquitate aut prudentia litteras de lapsu* Liberii *inseruisset Operi suo, natas infamiam illi creare, et homines avertere? Quod in Ms. sequitur Fragmentum* XIV, *nulla similiter habet Annotata, sed unica est Epistola hoc titulo insignita :* Incipit exemplum Epistolæ Valentis, Ursacii et aliorum ad Germinium. *Hanc scriptam anno 366 notat editor. Simile est Fragmentum* XV, *quod in Ms. sequitur, et hunc habet titulum :* Incipit rescriptum Germinii ad Rufianum, Palladium, et ceteros. *Hanc autem Epistolam figit editor anno 367, quo Bollandus, Tillemontius et Bailletus obitum quoque figunt S. Hilarii. Jam vero paucis ostendamus, quam parum verisimile sit, illa esse Fragmenta Operis Hilariani contra Valentem et Ursacium. Coustantius in præfatione num. 12 observat, Opus contra Valentem et Ursacium videri saltem inchoatum ab anno 360, et vivente Constantio, idque conatur ostendere ex Fragmento, quod certe scriptum non est post mortem Constantii. Perpendat modo studiosus lector, an Epistolæ, post annum 360 scriptæ usque ad 366 et 367, quæ in codice Ms, repertæ sunt cum nudis titulis, et sine ullis aliis adjunctis, probabiliter attribuan-* D
tur et inserantur Operi, quod ab anno 360 aut citius contra duos famosos hæreticos inchoasse dicitur S. Hilarius. Si ab anno 360 librum contra Valentem et Ursacium inchoavit S. Hilarius, vix dubitare possum, quin illum eodem aut sequenti anno ediderit; neque enim scribebat, ut scrinia sua impleret, sed ut Ecclesiæ prodesset, et Arianorum progressibus se opponeret. Qua igitur ratione ad Opus Hilario componendum assumuntur Epistolæ, quas ille fortasse numquam vidit, et quæ certe nihil conducebant ad propositum? Improbat Coustantius col. 1343 consilium Nicolai Fabri, quod ex codice Dervensi fragmentum aliquod reliquis, in Pithœano codice inventis, miscuisset. At ego non video, melioris fuisse consilii instrumenta omnia, sine ullo ordine in codice inventa, in qualemcumque ordinem redigere, et vel invito Hilario obtrudere.

indignaque prorsus sanctitate,

23 *In laudato codice sequitur Fragmentum* VI *continens quinque Epistolas* Liberio *Papæ attributas cum paucis Annotatis. Totum hoc fragmentum rursum indignum est S. Hilario quam maxime, dignumque schismatico aliquo Luciferiano, aut* E
collectore imperito. Nam primo quid prodesse poterat S. Hilario contra Valentem et Ursacium Liberii *Papæ lapsum tot epistolis comprobare, et orbi universo notum facere, cum* Liberius, *si revera lapsus est, cito resipuerit, et Ariminensis concilii lapsum improbaverit? Viri prudentis fuisset, de lapsu illo, si parum notus erat, prorsus tacere; si nimium innotuisset, eumdem violentiæ imperatoris attribuere, et cito reparatum docere. Ad fidei defensionem nullius auctoritas magis prodesse poterat, quam* Liberii *Romani Pontificis, et reipsa a nullo lapsus Ariminensium tam feliciter reparatus est, quam a* Liberio *ejusque legatis. Cujus igitur prudentiæ fuisset S. Hilarius, si arma vertisset contra fidei defensorem, eumque dictis injuriosis læsisset, et anathemate percutere etiam sustinuisset? Hæc tamen omnia fecit Hilarius, si ipsius Opus est, quod examinamus; videoque scriptores aliquot Gallos etiam hærere ambiguos, utrum anathemata, quæ Epistolis inserta sunt, non sint Hilario omnino attribuenda. Verum de anathematibus statim; sed de Epistolis ipsis latius agam § 3, ubi ostendam plerasque esse supposititias. Ex his autem consideret æquus lector, quo judicio attribuatur S. Hilario Opus tam ridiculum, cum in eo recitentur tot Epistolæ supposititiæ, eæque propo-* F
sito S. Hilarii prorsus oppositæ, quas Valens et Ursacius magis afferre potuissent contra Catholicos, quam Hilarius producere debebat contra hæreticos. Si novi illius Operis architecti constructionem suam attribuissent schismatico cuipiam Luciferiano, caperem utcumque, quo vergere posset confusa rerum moles, nimirum ad ostendendum fidem mansisse apud solos Luciferianos; qua vero ratione ad propositum S. Hilarii contra Valentem et Ursacium omnia conduxerint, non intellexerunt, opinor, ipsi Operis inventores.

prudentia

24 *Jam vero quam longe abeant a modestia et prudentia S. Hilarii, quæcumque Epistolis in dicto Fragmento inserta sunt, luculenter ostendam. Post priores* Liberii *epistolas, ante exsilium datas, col. 1335 ita collector scribit :* Post hæc omnia, quæ vel gesserat, vel promiserat Liberius, missus in exsilium, universa in irritum deduxit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium, orthodoxum episcopum, injustam tulere sententiam. *Nonne hoc est amicum *Catholicum et Catholicorum ducem oppugnare, Valentemque et*

A *et Ursacium, qui sententiam mutaverant aliquando, juvare potius, quam impugnare; si ita in libro contra Valentem et Ursacium scripsit S. Hilarius? Nonne æquitas saltem exigebat, ut, si omnino hæc scripsisset Hilarius, similiter docuisset,* Liberium *cito post lapsum resurrexisse, et Ariminensium prævaricationi numquam consensisse? At non modo nihil de hisce habet novus ille Hilarii liber; sed mox longe vehementius insurgit in* Liberium, *præcipuum tunc fidei defensorem, quam umquam in ipsos, quos oppugnare dicitur, Valentem et Ursacium invenitur. Nam tres subjungit supposititias* Liberii *Epistolas, quarum primæ inserit sequentia :* Hæc est perfidia Ariana. Hoc ego notavi, non apostata. *Et post Epistolam hæc sequuntur Annotata :* Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam *(in Epistola nimirum, ubi et eam suscepisse dicitur)* a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscripserunt, Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyreneus, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, B Acticus, Julius, Surinus, Simplicius, et Junior [requirendum] omnes hæretici.

eruditione, 25 *Primum quæro, quid hæc omnia faciant contra Valentem Ursaciumque Arianos, contra quos Opus illud scriptum volunt? Deinde certum est, ut suo loco ostendam, ab episcopis modo nominatis non potuisse conscribi secundum formulam Sirmiensem, quæ hæretica est : æque certum est, primam formulam Sirmiensem ut Catholicam excusari ab ipso Hilario. Non potuit igitur illa scribere S. Hilarius, nisi aut sibi contradicendo, aut turpiter errando, ut latius ostendam* § 9. *ubi probabo, omnino incertum et non satis probabile esse, ulli umquam formulæ ab Arianis propositæ subscripsisse* Liberium. *Petavius in animadversionibus ad S. Epiphanium pag.* 317 *de allegatis verbis ait :* Sed quidquid de Fragmentis illis sentiendum sit, hæc profecto subscriptio ab Hilarii manu esse non videtur, sed imperiti cujusdam, qui Arianæ sectæ divortia non satis perspexerat. *Tillemontius tom.* 6 *Nota* 55 *in Arianos improbat, et* mirabile *dicit hoc Petavii responsum; ac mavult confiteri, se nullam* C *difficultatis propositæ solutionem invenire. Noluit nimirum Tillemontius ad examen Fragmentorum venire, idque vehementer miror, cum illa Fragmenta toties adducat in Historia Arianorum. At ego minime mirari possum responsum Petavii, qui suam de Fragmentis dubitationem aperte insinuat, clareque vidit, allegata verba Hilario prorsus indigna esse. Dicam ego, me in tota illa Fragmentorum farragine nihil invenisse S. Hilario dignum excepto solo Fragmento primo, quod et solum in Codice fuit S. Hilario adscriptum.*

modestiaque et justitia 26 *Porro dicta Epistola hisce rursum interpolata est :* Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis. *Et post pauca :* Iterum tibi anathema et tertio, prævaricator Liberi. *Tum sequenti Epistolæ hæc verba subjuncta :* Prævaricatori anathema una cum Arianis a me dictum. *Præterea observat Coustantius, hæc etiam verba in Ms. Pithœano priori Epistolæ fuisse inserta :* Sanctus Hilarius, anathema illi dicit. *Verum ea primum ad marginem fuisse scripta, indeque in textum irrepsisse, suspicatur. In præfatione vero num.* 7 *disputat de dictis anathematis, nec audet ea S. Hilario abjudicare; quin et conatur ostendere ex Apostolo, non fuisse illicitum S. Hilario, id genus anathemata in* Liberium *vibrare. In Annotatis tamen adjungit sequentia :* Sed si forte hæc additamenta Hilario non sunt indigna, cum primum Liberii lapsum rescivit; nihilominus ab ipso videtur alienum, ut, cum hoc Opus suum, Liberio jam correcto, in publicum emiserit, ea tum non eraserit prorsus, atque suppresserit. *Tillemontius Nota* 54 *in Arianos similiter in utramque partem ratiocinatur, nec audet dicere, aut certe non dicit, indignum fuisse modestia et sanctitate S. Hilarii anathemata jam dicta contra* Liberium *dictis Epistolis inserere, dum eas primum accepit, imo etiam innuit cum Blondello, ea Epistolis inserta manere potuisse. Miror sane diversitatem crisis Tillemontianæ. Si quis martyr verba quædam duriora in Decium aliquem aut Diocletianum, notissimos Ecclesiæ persecutores, quorum scelera omnibus Christianis erat manifesta, protulisse dicitur; continuo severus Aristarchus clamat, fidem non mereri Acta, ne Martyres injuriam imperatoribus intulisse videantur, cum honor principibus sit habendus. Hic vero nullam invenire videtur difficultatem, nisi hanc solam, quod* Liberius *lapsam reparasset opponendo se concilio Ariminensi, et hanc ipsam difficultatem conatur amovere. Verum examinemus propius factum ipsum, in quo Tillemontius et Coustantius nihil invenire videntur Hilario indignum.* E

27 *Neuter certe admittet, nec ullus eorum defensor, temerarium fuisse S. Hilarium aut injustum. Atqui extremæ temeritatis fuisset, ob rumorem qualemcumque lapsus Liberiani statim in eum anathema vibrare; cum non posset ignorare S. Hilarius, quam multi rumores falsi contra S. Athanasium et alios ab Arianis fuissent conficti. At non modo insignis fuisset temeritatis tale anathema, sed manifestæ etiam injustitiæ : neque enim* Liberius *umquam de lapsu suo interrogatus videtur, minus etiam convictus. Ad hoc non poterant sufficere aliquod exemplaria litterarum, quæ forsan nomine ipsius circumlata fuerunt, cum non ignoraret Hilarius, similiter contra S. Athanasium litteras fuisse confictas. Non erat* Liberii *judex S. Hilarius neque ille crimen suum erat confessus, aut ab ullo concilio damnatus; qua ergo justitia aut prudentia in ipsum anathema vibrasset? Præterea, si omnino lapsus est* Liberius, *(quod non credo) non nisi post diuturnum exsilium ex humana lapsus est fragilitate; et tam cito surrexit, ut vix posset certo constare de lapsu, quin rursum innotesceret lapsi fides integra. Si igitur S. Hilarius ridicula temeritate accepta litterarum exemplaria statim interpolasset; an saltem non erat prudentiæ et æquitatis ipsius inserta anathemata quamprimum delere, audita constantia* Liberii *in tuenda fide Catholica contra prævaricationem Ariminensem? Meditenter hic adversarii, quantum placuerit, numquam invenient ejusmodi effugium, ut persuadeant viro prudenti, dictas interpolationes, quibus* Liberius *vocatur* apostata *et anathemate percutitur, non magis nocituras famæ S. Hilarii, si hujus esse constaret, quam ipsius* Liberii, *in quem ridicula temeritate fuerunt contortæ; easque non esse digniores schismaticis Luciferanis, quam S. Hilario.* F *S. Hilarii.*

28 *Pergo ad Fragmentum* x, *in codice Ms. postremum, de quo multa dicere non est necesse. Est* Epistola Orientalium episcoporum, *ut habet titulus,* quam reversis ab Arimino legatis dederunt. *Epistolæ subjecta sunt nonnulla ratiocinia, de quibus dubitari potest, prolatane sint contra Arianos aut Semiarianos a Catholico; an contra Catholicos a Luciferiano aliquo. Certe non videntur disputata contra Valentem et Ursacium nominatim; cum num.* 2 *auctor ita loquatur :* Si liber iste Valentis et *Quare Fragmenta illa sine ratione S. Hilario adscripta.*

AUCTORE J. S.

et Ursacii non est fidei vestræ, quid ejus damnationi non acquiescitis? *Plura non addo. Quod vero spectat ad stylum S. Hilarii, eum ego certe in nullo Fragmento reperire potui, præterquam in primo, quod duarum est circiter pagellarum, et majoris Operis videtur initium. An hoc Fragmentum S. Hilario, cui in codice adscribitur, sit omnino attribuendum, ego definire non ausim. Certe statim videtur auctor dicere, non solam caritatem, sed etiam fidem et spem in beata vita mansuras. An hoc autem senserit S. Hilarius, operosius investigare mihi non vacat. De reliquis vero omnibus S. Hilario abjudicandis nulla plane dubitatio mihi relinquitur. Etenim ad illa Hilario adjudicanda codex Ms. non prodest, in quo solum diversa instrumenta et fragmenta sine ordine fuerunt collecta, quemadmodum factum est in codicibus aliis innumeris. Qua vero ratione cogitare potuerit Nicolaus Faber, omnia illa monumenta ad unum spectare Opus, istud enimvero non satis percipio, præsertim cum nullibi id fuerit dictum, et omnia monumenta suis assignentur auctoribus. Quod de stylo Hilarii in Fragmentis relucente dixerunt editores, abunde refutatum est.* B *Quod addiderunt, omnia spectare ad historiam concilii Ariminensis, plane ineptum est; cum multa eo concilio sint posteriora, multa eum in finem plana inutilia. Nihilo magis omnia conducere poterant ad refutandos Valentem et Ursacium; sed non pauca ipsis potius faverent, quam obessent, aliaque non pauca tam prolixe contra ipsos numquam adduxisset Hilarius. Verum hæc sufficiant, ut Fragmenta S. Hilario leviter attributa, suis singula auctoribus reddamus, si tamen nonnulla non sint supposititia.*

§ III. Examinantur quatuor Epistolæ, nomine Liberii vulgatæ, et supposititiæ ostenduntur.

Epistola Liberii nomine conficta.

Examinatis generatim Fragmentis, quæ perperam S. Hilario fuerant attributa, propius nunc accedo ad Epistolas quatuor Liberii, *dictis Fragmentis insertas, ex quibus tres posteriores* C *aliunde etiam edidit Baronius ad annum* 357, *ex Collectione Cresconiana. Prima in Fragmentis col.* 1327 *hanc habet inscriptionem :* Dilectissimis fratribus et coëpiscopis nostris universis per Orientem constitutis, Liberius urbis Romæ episcopus æternam salutem. *Tum Epistola sequitur his verbis contexta :* Studens paci et concordiæ ecclesiarum, posteaquam litteras caritatis vestræ de nomine Athanasii et ceterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi; secutus traditionem majorum, presbyteros Urbis Romæ Lucium, Paulum et Helianum e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret : ut in præsenti id, quod Ecclesiæ disciplina exstitit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt, eum venire noluisse. Secutus denique litteras caritatis vestræ, quas de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram dedi, me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere : supradictum autem Athanasium alienum esse a communione mea sive Ecclesiæ Romanæ, et consortio litterarum ecclesiasticarum. D

tamquam scripta Pontificatus initio,

30 *Clarum est, hanc Epistolam scribi debuisse sub initium Pontificatus* Liberii, *si hujus est : nam Orientales dicuntur litteras suas direxisse ad Julium* Liberii *decessorem. Verum necesse non est inquirere, utrum primo, secundo aut etiam tertio pontificatus* Liberii *anno dari debuisset, cum ad propositum nostrum sufficiat, illam saltem scriptam non esse, nisi ante exsilium* S. Liberii, *quod contigit anno* 355, *quando jam quartum in Pontificatu agebat annum. Ex sola hac observatione satis certo colligitur, fictitiam esse Epistolam, sive eam Ariani procuderint, vivente* Liberio, *sicut et alias contra S. Athanasium concinnaverunt, sive abortus sit cujuspiam Luciferiani, aut alterius sectæ schismatici, quod certo scire non possumus. Quippe infra in enarrandis* S. Liberii *gestis videbimus, quam fortiter et constanter S. Athanasium defenderit* Liberius, *ut maluerit exsilium pati, quam ipsius condemnationi consentire. Nicolaus Faber, qui primus dictam epistolam in Fragmentis luci dedit, in præfatione sua fatetur, contextum Epistolæ, sive excommunicationem S. Athanasii per* Liberium *consistere non* E *posse cum historia Arianorum, et nodum reliquit Baronio solvendum. Nam, licet fateatur, contextum Epistolæ falsum videri, subjungit tamen :* Falsam autem aut subdititiam esse stylus negat : et præterea cui bono? *Duas allegat rationes pro sinceritate Epistolæ, nempe stylum, et nullam suppositionis rationem sive utilitatem apparere. Quod autem spectat ad stylum, vix risum contineo. Nam stylus est adolescentis alicujus linguam Latinam discentis, qui prima præcepta necdum satis intelligit, et certe non satis novit cogitationes suas nitido et claro utcumque sermone exprimere. Vehementer aberrat Faber, si forte existimaverit, Latinum sermonem seculo* IV *non potuisse notiorem esse Romanis Pontificibus, quam fuerit illius Epistolæ architecto. Conferat, quisquis voluerit, cum ea Epistolam* Liberii *ad Constantium, in iisdem Fragmentis sequentem, et statim videbit, quanta sit styli differentia. De causa suppositionis respondeo, Arianos eam supponere potuisse, ut persuaderent,* Liberium *ab initio S. Athanasio fuisse* F *contrarium. Verum de his plura postmodum.*

improbata a Baronio et aliis, defenditur a Tillemontio.

31 *Baronius, cui nodum solvendum reliquerat Faber, in Appendice tom.* 3 *ad annum* 352, *pag.* 22 *editionis Antverpiensis, late ostendit, memoratam Epistolam fictitiam esse, et* Liberio *fraudulenter suppositam, eodemque loco satis declarat, Fragmenta omnia Hilariana, quæ tum fuerant recenter a Fabro edita, non posse prudenter S. Hilario attribui. Coustantius in Annotatis ad Fragmenta col.* 1327 *Baronii judicium sequitur, allegatisque ad id probandum variis argumentis, ita concludit :* Quæ cum ita sint, hanc Epistolam ab Arianis confictam esse eo consentimus libentius, quo plures hujusmodi litteras tum Athanasii tum imperatoris nomine, circa idem tempus ab iisdem editas esse demonstrat Athanasius ipse Apolog. ad Constant. p. 180 et 186. Quod etiam confirmant Sardicense concilium, in quo " lectæ sunt litteræ factæ a " Theognito falsæ adversus Athanasium et Marcel- " lum " ut audivimus Fragm. 2 num. 3. *Hæc illi, aliique. Quod vero alii quidam scriptores Epistolam illam non tam certo supposititiam dixerint, factum videtur, quia inserta erat Fragmentis Hilarii. Certe Papebrochius noster ad* 2 *Maii in S. Athanasio*

AUCTORE J. S.

A *Athanasio cap.* 2 *vehementem quidem suspitionem de suppositione declarat, sed non audet certo fictitiam dicere, quod dictis Fragmentis videret insertam. Tillemontius tom.* 6 *in Arianis art.* 48 *contentum epistolæ narrat, et rursum tom.* 8 *in S. Athanasio art.* 64, *ubi conatur exponere, quemadmodum et Nota* 68, *cur Epistolam illam non omnino ut supposititiam abjiciat. Cum autem Tillemontius præ ceteris Epistolæ illius defensionem suscipere videatur, eaque duobus locis utatur ut legitima, juverit rationes ipsius examinare.*

Hujus ratiunculæ proponuntur,

32 *In dicta Nota fatetur, mirandum non esse, quod Epistola visa sit supposititia Baronio et Constantio. Addit tamen, suppositionem parum esse probabilem, eamque persuaderi non potuisse viris aliquot eruditissimis, cum Catholicis tum Calvinistis. Jam dixi, Fragmenta S. Hilarii nomine vulgata, quorum examen serio non susceperant eruditi, multis fucum fecisse, ac venerabile Hilarii nomen pro illa quoque Epistola apud nonnullos militasse, quo minus certo fictitiam dicerent, quam rationibus non poterant tueri. At Tillemontius, cum videret Epistolam aliter sustineri non posse, credidit dici posse* Epistolam Liberii missam non fuisse, sed mansisse secretam, et publicam non fuisse factam a Liberio nisi post lapsum. B *Jam similes conjecturas dederat art.* 66, *ubi ait, Epistolam* magis dedecori esse auctori suo, *nimirum* Liberio, *quam S. Athanasio; sed posse difficulter abjici, cum mixta sit aliis multis iisque optimis. Intelligit, opinor, Fragmenta Hilarii, sine judicio in lucem eo nomine protrusa, et indulgenter nimis ab eruditis et ab ipso in primis Tillemontio, cujus maxime erat ea examinare, accepta. Deinde ait, responderi posse* ad partem argumentorum *Baronii et Constantii,* dicendo, post missam Epistolam mox facti pœnituisse Liberium; aut potius, recepta ante hanc missam Epistola concilii Ægyptiaci *(pro S. Athanasio)* hanc non dedisse, nisi postea, quando, damnato publice S. Athanasio, faciebat, quidquid poterat, ad conciliandum sibi Orientalium affectum. Alii dicere possent, illam ab eo ipso tunc temporis suppositam, fingente fecisse se, quod numquam fecerat. *Ait, posteriori hac conjectura omnem quidem tolli difficultatem, ignorare tamen se, an ex suspiciones sufficiant ad* Liberium *de fraude tam insigni accusandum.* C *Has profert Tillemontius conjecturas pro Epistola. At, cum agatur de Epistola, quam dedecori esse* Liberio *variis locis ipse pronunciat, poterat severus ille criticus aut abstinere ab iis, quæ ex hac Epistola narrat, velut comperta, aut saltem dubitationem suam eodem loco insinuare debebat. Neque enim datæ conjecturæ Epistolam possunt certam facere, et ne probabilem quidem, ut ostendam. Bailletus ad* XXIII *Septembris in* Liberio, *et Fleury in Historia ecclesiastica ad annum* 352 *num.* 10, *licet frequenter sequantur Tillemontium, datas ipsius conjecturas prorsus improbasse videntur, cum nihil referant ex illa Epistola.*

et refutantur

33 *Non dicam hic de hiulco Epistolæ stylo, qui nullo modo congruit cum certioribus* Liberii *scriptis. Verum ostendam, nullam ex datis conjecturis efficere, ut Epistola conciliari possit cum documentis certissimis. Ex Epistola* Liberii *ad Constantium in Fragmentis col.* 1330 *habemus, confinxisse Arianos litteras suas contra Athanasium fuisse a* Liberio *suppressas. Hoc certe dicere non potuissent aut debuissent, si* Liberius *Epistolam memoratam ad ipsos misisset, qua de ipsorum Epistolam meminerat, et, relicta communione cum Athanasio, eorum communionem erat amplexus, etiamsi eum mox facti pœnituisset. Præterea Constantius imperator, quando urgebat cum aliis* Liberium *ad condemnandum Athanasium, numquam objecit ipsi inconstantiam, nec ipse aut alius umquam dixit, jam initio Pontificatus Athanasium ab eo fuisse damnatum. Quod sane non prætermisissent Ariani et Constantius, si Epistola fuisset missa. Hæc multis aliis firmari possunt; sed fatentem hic habemus ipsum Tillemontium. Itaque progredior ad propriam ipsius conjecturam, qua Epistolam scriptam, sed non nisi post lapsum missam credit. Primum quæro, an verisimile appareat, Epistolam tanti momenti cujus scriptæ auctorem confestim pœnituit, non continuo abolitam fuisse, sed in annos conservatum? Eratne futuri lapsus conscius* Liberius, *ut Epistolam probrosam conservare voluerit, eo demum tempore publicandam? Ego conjecturas non improbo, si quid sani sensus habent: sed hæc nimis videtur ridicula. Ostendamus tamen, historiæ non minus, quam sano sensui contrariam esse.*

argumento ex aliis Liberii litteris sumpta;

34 Liberius *in laudata Epistola ad Constantium suppressionem litterarum Orientalium contra Athanasium sibi objectam refutat his verbis:* At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse ecclesiæ, E legisse concilio, atque hæc etiam Orientalibus respondisse: qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat: quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum. *Ex his verbis conjecturam Tillemontii, quam hic desumpsit ex Hermantio in Vita S. Athanasii lib.* 6 *cap.* 25, *refellit Constantius in Annotatis, ita scribens:* Hinc rursum refellitur, quod ad defendendam superioris Epistolæ veritatem nonulli excogitarunt, nimirum Liberium litteris Orientalium permotum eam scripsisse, sed ab ea edenda aliis Ægyptiorum litteris fuisse, revocatum. Qui enim eodem tempore Orientalium simul et Ægyptiorum litteras acceperit, si illorum litteris permotus, prius ad Athanasium presbyteros miserit, ac missorum exspectarit reditum. quam ab Ægypto quidquam audiret? F *Viderat Constantii Annotata Tillemontius. Cur igitur ineptissimas Hermantii conjecturas reducit, responsumque Constantii silentio præterit? Id ego aliis lubens divinandum relinquo. At manifestissimum est,* eodem tempore *duas habuisse epistolas* Liberium, *ipsumque non consensisse Epistolæ Arianorum contra Athanasium, quod haberet alteram pro Athanasio. Itaque ruunt omnia, quæ ex fictitia Epistola narravit Tillemontius. Neque enim* Liberius *Athanasium Romam citavit, nec Athanasius venire recusavit, nec ea de causa* Liberius *de excommunicato Athanasio litteras scripsit, ut repetitis vicibus narravit Tillemontius, a severitate crisis suæ nimium hic recedens.*

aliisque rationibus confirmato.

35 *Ultima Tillemontii conjectura, quam, ut,* Liberium *suspectum de nimis aperta fraude facientem, non audet pro sua adoptare, restat examinanda. Credit, omnes difficultates tollendas, si quis disceret, Epistolam ab ipso* Liberio *confictam post lapsum. At saltem falsa manerent, quæ ipse de prima* Liberii *inconstantia, et de citato primum ac deinde excommunicato Athanasio invidiose contra* Liberium *in chartam conjecit. Conjectura vero ipsa quam sit minime verisimilis, lector attende. Si illam Epistolam, tamquam initio Pontificatus a se scriptam, post lapsum confinxisset et vulgasset*

AUCTORE J. S.

Liberius, *tali fraude omnibus episcopis tam Catholicis quam Arianis, et Constantio imperatori fraudulentum se et mendacem ostendisset. Etenim noverant Catholici æque ac Ariani, ipseque quam maxime Constantius, quoties in litteris suis, quoties in congressibus Romæ et Mediolani, repetiisset* Liberius, *illicitum sibi esse, et legi divinæ contrarium, damnare Athanasium; noverant, quanta libertate primum Eusebio eunucho, deinde Constantio imperatori, damnationem Athanasii exigentibus, restitisset et respondisset; quantaque constantia in exsilium abiisset. Gesta* S. Liberii *pro defendenda S. Athanasii innocentia, egregiaque ejus certamina adversus Eusebium Constantii eunuchum, et adversus ipsum Constantium, studiosus lector inveniet* § 6, *ubi etiam referetur exsilium, quo relegatus est, quia Athanasium constanter defendebat. Hæc autem certamina, per annos continuata, cum notissima essent Catholicis, notissima Arianis; quomodo non clamassent omnes, mendacem et hypocritam esse* Liberium, *qui aut ante tot annis consequenter fuisset mentitus, aut tunc detestanda fraude mentiretur, fecisse se, quod numquam fecerat? Itaque sit hæc conjectura hominum, qui non minus recto judicio rationique, quam Romanis Pontificibus, infestos se præbent, et non sit Tillemontii, cui nimis apparet absurda. Nullum ergo est dubium, quin illa Epistola sit figmentum inimicorum* Liberii, *et verisimiliter Arianorum, licet deinde etiam Luciferiani similia fingere potuerint.*

Alia epistola Liberii nomine edita,

36 *Accipe nunc, lector, alteram Epistolam* Liberio *attributam, de cujus suppositione mihi quoque dubitandum non videtur. In Fragmentis col.* 1335 *tali insignitur inscriptione* Dilectissimis fratribus presbyteris et coëpiscopis Orientalibus, Liberius *S. Epistola cum interpolationibus ita habet:* Pro deifico timore sancta fides vestra Deo cognita est et hominibus bonæ voluntatis. Sicut lex loquitur, Juxta * judicate filii hominum, ego Athanasium non defendo *: sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, verebar ne forte ab * aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque * super nomine ejus *(id est, de condemnatione * ipsius)* per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico, me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Orientalibus seu per universas provincias pacem et unanimitatem habere. Nam, ut verius sciatis, me vera fide * per hanc Epistolam ea loqui *, dominus et frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram et Catholicam exponere, quæ Sirmio * a pluribus fratribus et coëpiscopis nostris tractata, exposita, et suscepta est *(Hæc est perfidia Ariana hoc ego notavi, non apostata. Liberius sequentia)* ab omnibus qui in præsenti fuerunt; hanc ego lubenti animo suscepi, *(anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis)* in nullo contradixi *, consensum accomodavi, hanc sequor, hæc a me tenetur. *(Iterum tibi anathema et tertio, prævaricator Liberi.)* Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis * in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exsilio jam dimittar, et ad sedem, quæ mihi divinitus credita est, revertar. *Hactenus Epistola, quæ etiam ex collectione Cresconiana apud Baronium est edita, indeque notavi lectiones variantes ad marginem. Unam, quia major est, hic indico. Pro istis verbis:* Itaque amoto Athanasio a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, *apud Baronium legitur:* Itaque amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum Sede Apostolica suscipienda sunt. *Præterea observo, Epistolam quatuor locis interpolatam esse, neque ullibi sine illis interpolationibus inventam, ut observat Coustantius in Epistolis Romanorum Pontificum, ubi eam recudit col.* 441. *Prima interpolatio est explicatio vocum* de nomine, *quas interpolator exponit de* condemnatione, *neque satis recte, ut videtur Coustantio. Deinde tribus locis interpolator anathema dicit* Liberio. *Hæc interpolationes, quæ a sano cerebro profectæ non sunt, Epistolam omnino facerent suspectam, si illa alias genuina videretur.*

* al. juste
* al. in Ms. defendi
* al in
* al. litteras adhæcque
* al. damnatione
* al. veram fidem
* al. Epistolam meam proloqui
* al. Sirmii
* al. contradicens omissis sequentibus usque ad sane
* al. semper videtis

quæ supposita probatur ex stylo,

37 *At quanto ipsam Epistolam diligentius perlustro a capite usque ad calcem, tanto magis mihi a stylo, a judicio, et a magnanimitate* Liberii *abhorrere videtur. Primo enim stylus plane hiulcus est et scabrosus, qualis est in Epistola suppositionis jam convicta, et in duabus aliis, quas similiter supposititias ostendam. At verisimile non est aut credibile, tam imperitum linguæ Latinæ fuisse* Liberium, *ut non noverit breves scribere epistolas stylo utcumque Latino, et sine solœcismis aut barbarismis, cum fuerit origine Romanus, florueritque medio seculo* IV, *quo Latina lingua erat vernacula Romanorum, quoque vixerunt viri complures eloquentia insignes. Præterea aliæ eæque certiores* Liberii *Epistolæ longe disertiores sunt, nec tanta certe laborant styli barbarie, quanta conspicitur in illis quatuor. Illas videre poterit lector in decursu hujus Commentarii. Dedit nobis Theodoretus lib.* 2 *cap.* 16 *Dialogum, quem cum imperatore Constantio habuit* Liberius. *Videat illum lector infra* § 6, *et judicet, utrum sit hominis verba sermone vernaculo connectere nescientis, quales sunt illæ quatuor Epistolæ; an potius viri diserti, qui non solum magna libertate, sed mira etiam dexteritate omnibus Constantii et Epicteti episcopi objectionibus aptum reposuit responsum. S. Ambrosius libro tertio de Virginibus cap.* 1, 2 *et* 3 *innexuit prolixiorem* Liberii *sermonem. Nullus certe contendet, illum esse hominis cogitata sua non nisi barbare enuntiare scientis, ut sit in his Epistolis. Nonnulli credunt, sermonem illum esse elegantioris styli, quam ut* Liberio *attribui possit, qualis exstat; voluntque stylum correctum ab Ambrosio; nimirum quia talem existimant fuisse stylum* Liberii, *qualis est Epistolarum, quas oppugnamus.*

qui idem in ea ac in aliis supposititiis,

38 *At illi parum considerant, quam non sint verisimilia, quæ loquuntur; dum virum Romanum illustri genere ortum, et evectum ad summum Pontificatum, sermonis sui vernaculi tam imperitum faciunt, ut dictio ipsius ab Ambrosio expolienda fuerit et corrigenda. Quapropter non fit mihi verisimilis illa conjectura: neque enim fuisset sermo* Liberii, *sed Ambrosii, si hic stylum notabiliter mutasset, ut deinde pluribus probabo. Præterea non solum dictio tam hujus quam trium aliarum Epistolarum hiulca est, sed omni etiam lepore destituta et acumine. Caret debita dictorum connexione, nihil salis habet aut eloquentiæ. Talis demum est, qualem a summo Pontifice seculi* IV *scriptam, prorsus videtur incredibile. Quapropter cum ex quatuor Epistolis, in quibus* Liberii *prævaricatio asseritur, prima et tertia certis argumentis ostendantur supposititiæ, vel solus stylus sufficere videtur, accedente judicii defectu, ad secundam et quartam similiter*

A *militer* Liberio *abjudicandas. Non exagitabo verba minus Latina, aut dictiones vitiosas, cum tota Epistola sit hiulca, et* Liberio *indigna. Mitto etiam, in titulo præponi presbyteros episcopis, quia presbyteri apud Baronium sunt omissi. De anathematis aliisque Epistolæ insertis, sine quibus inventa non est Epistola, nihil addo dictis num.* 26.

et quia plane contraria est prudentiæ,

39 *Quam vero indigna sit Epistola judicio et magnanimitate* Liberii, *breviter modo ostendam. Virum ipsum fuisse prudentem, fortemque et magnanimum, luculenter patebit ex omnibus gestis per decursum narrandis. At vir prudens, si humana infirmitate in animum induxerit aliquid facere, quod facere diu recusavit, quodque non facit libenter, non vulgabit sua consilia sine justa causa, nec toti mundo manifestabit, se victum et coactum jam facturum, quæ ante detestabatur. Cujus igitur consilii, quantæque imprudentiæ fuisset, si* Liberius *ad omnes episcopos Orientales de lapsu suo, de comdemnatione Athanasii, et de acceptata formula Sirmensi, litteras dedisset, præsertim cum ab eventu patuerit, ipsum non amore Arianorum, non odio Athanasii, non errore intellectus fecisse, quod fecit, si revera aliquid fecit se indinum, quod postea examinabitur? Eligat, quisquis Epistolam sinceram credit, an velit,* Liberium *tot Epistolæ misisse exemplaria, quot erant in Oriente episcopi; an vero pauca ad præcipuos metropolitanos destinasse exemplaria, ut illi episcopis suffraganeis Epistolam communicarent. Neutrum facere poterat sine insigni sua infamia et utrumque fuisset inutile. Nam Constantius non erat in Oriente, sed toto anno* 357, *quo Epistola data fingitur, mansit in Occidente, uti etiam anno sequenti. Itaque si Orientales episcopi, a quibus longo terrarum intervallo aberat* Liberius, *litteras ipsius prius accipere et expendere, ac tum* communi consilio ac studio laborare *pro ipso debebant apud imperatorem, ipsorum preces ad imperatorem non venissent, nisi post longum tempus. Quare prudentis viri non erat tali epistola recurrere ad Orientales, et omnibus ipsis suam declarare infirmitatem et cladem; sed apud paucos agere imperatoris amicos: si enim voluisset facere* Liberius, *quidquid ante exsilium exegerat Constantius, apud hunc pauci amici sufficere poterant ad reditum impetrandum.*

fortitudini et magnanimitati Liberii.

40 *Præterea Orientales invicem erant divisi, cum alii essent Ariani, alii Semiariani, alii Catholici. Quomodo igitur* communi consilio *laborassent pro* Liberio; *et qua ratione omnes approbassent, quod habet Epistola, ipsum* cum universis episcopis Orientalibus *pacem habere? Mendacia etiam aperta continet Epistola, si sit* Liberii, *qui numquam credidit* juste *damnatum Athanasium, et fidem Orientalium sanctam esse. Hæc autem mendacia, quemadmodum et preces abjectissimæ, non sunt viri prudentis et magnanimi, qui alio modo minus indigno reditum suum facile impetrasset. Neque enim videtur ignorasse* Liberius, *quanto studio Romani, et præsertim nobiles matronæ, ante tempus, quo hæ litteræ dicuntur datæ, institissent apud Constantium, ut remitteretur Romam; quantumque eorum precibus annuisset Constantius. Quo igitur consilio potuit vir fortis et prudens ad omnes inimicos suos supplices dare litteras, easque mendaci adulatione refertas, de quibus tota vita sua non poterat non erubescere, et quibus omnia gesta sua in causa fidei aperte condemnabat? Ceterum rationes pleræque, quibus epistolam hanc ostendi supposititiam, æque militant contra sequentem quæ data fingitur ad Ursacium, Valentem et Germinium, Arianos in Illyrico episcopos. Totam subjicio.*

AUCTORE J. S. *Epistola tertia æque ficititia,*

41 Quia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam et unitatem Ecclesiæ Catholicæ; idcirco non aliqua necessitate compulsus, Deo teste dico, sed pro bono pacis, quæ martyrio præponitur, his litteris convenio vos, domini fratres carissimi. Cognoscat itaque prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus fuit, a me esse damnatum prius, quam ad comitatum sancti imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum, et ab Ecclesiæ Romanæ communione esse separatum, sicuti teste est omne presbyterium Romanæ Ecclesiæ. Sola hæc causa fuit, ut tardius viderer de nomine ipsius litteras ad fratres et coëpiscopos nostros Orientales dare, ut legati mei, quos ab urbe Roma ad comitatum direxeram, seu episcopi, qui fuerant deportati, et ipsi una cum his, si fieri posset, de exsilio revocarentur. Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii, ut cum litteris meis ad clementissimum imperatorem Constantium augustum pergeret petere, ut bono pacis et concordiæ, in qua pietas ejus semper exsultat, me ad Ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti: E ut temporibus ipsius Romana Ecclesia nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis episcopis Ecclesiæ Catholicæ pacem habere, his litteris meis æquo et simplici animo scire debetis, fratres carissimi. Magnum solatium enim vobis in die retributionis acquiretis, si per vos pax Ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem per vos volo etiam fratres et coëpiscopos nostros Epictetum et Auxentium, pacem me et communionem ecclesiasticam cum ipsis habere: quos credo gratanter hæc suscepturos. Quicumque autem a pace et concordia nostra, quæ per orbem terrarum, volente Deo, firmata est, dissenserit; sciat se separatum esse a nostra communione. *Epistolæ hæc subduntur verba:* Prævaricatori anathema una cum Arianis a me dictum. *Quæ videntur esse primi collectoris.*

ut dudum probavit Baronius, dissimulante Tillemontio.

42 *Jam vero data Epistola præter stylum* Liberio *indignum, et præter assentationes turpissimas, a moribus* Liberii *multum abhorrentes, quibus Arianorum duces et præcipui turbarum omnium auctores,* filii pacis *vocantur, manifestissima habet falsitatis indicia. Eminentissimus Baronius ad annum* 357 *eam primum recitavit, ut legitimum et genuinum* Liberii *partum. Verum in Appendice ejusdem tomi pag.* 25 *animadvertit, non posse genuinam esse, atque ita scribit:* Quibus his omnibus, et aliis nuper ex Athanasio ipso, Liberio et Constantio dictis, redarguas pariter Epistolam ejusdem nomine scriptam ad Ursacium, Valentem et Germinium, qua dicitur Athanasius Romæ damnatus, antequam ad comitatum traheretur ipse Liberius, cum non ob aliam causam abductus ipse fuerit Roma, ad Constantium ductus, et in exsilium inde missus, nisi quod Athanasium damnare noluisset. Una plane eademque fuit manus scorpii, quæ utramque scripsit Epistolam nomine Liberii, ea nimirum occasione, quod diceretur Liberius vi coactus contra Athanasium scripsisse, atque eum damnasse. Ne id igitur dici posset, fictæ sunt Epistolæ, quibus assereretur, jam ipso suæ Sedis exordio damnatum fuisse Athanasium a Liberio, et Romæ id factum coram Romanæ Ecclesiæ presbyterio. *Hactenus Baronius, qui si ante editas Epistolas, in quibus agitur de damnatione Athanasii, paulo attentius illas examinasset, simulque attendisset, quam ruinosis fundamentis nitantur omnia, quæ de* Liberii *lapsu dicuntur, procul dubio omnes quatuor pariter improbasset. Tillemontius non ignoravit argumentum*

AUCTORE J. S.

tum Baronii; sed maluit dissimulare, et Epistolam, quam in Arianis art. 69 majori etiam dedecori Liberio *esse observat,* quam præcedentem, *pro certa laudare, quam veritatem ipsius ad examen revocare. Quin imo severus ille criticus anathema Epistolæ subjectum attribuit S. Hilario, acsi sanctus ille doctor* Liberio *etiam correcto ob lapsum anathema dixisset. Adeo Sampson ille criticus, ut ipsius verba imiter, omne robur criticum, ne dicam sanum judicium, continuo perdidit, ubi agendum erat de documentis, quæ nata erant* Liberio *notam inurere.*

Ad argumentum Baronii Coustantius

43 *Coustantius in Annotatis conatus est Baronii argumentum solvere, et Epistolam, ut conscriptam a* Liberio, *tueri. Fatetur, Baronio subscribere Binium, nec repugnare Labbeum: et mox ita argumentatur:* At certe interim concedant necesse est, eam neque auctoris nostri (*Hilarium dicit)* judicio falsitatis fuisse suspectam, neque stylo a ceteris Pontificis ejusdem litteris dissidere. *Verum respondeo, Fragmenta illa S. Hilario sine fundamento, sine auctoritate, et sine judicio attributa esse, ut vidit statim Baronius, et ego fuse*
B *probavi* § 2. *De stylo respondeo, ejusdem esse styli cum tribus aliis supposititiis; sed stylum multo meliorem relucere in genuinis* Liberii *scriptis. Porro locus, ex quo Baronius argumentum suum sumpsit, alio modo expressus est a Coustantio, ex Ms. Sirmondi, ut ait. Baronius habet:* Cognoscat prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium episcoporum, ab Ecclesiæ Romanæ communione separatum esse, sicut testis est omne presbyterium Romanæ Ecclesiæ. *His autem verbis clarissime significatur, S. Athanasium fuisse damnatum, priusquam* Liberius *anno* 355 *Mediolanum duceretur ad Constantium. De hac loci intelligentia ait Coustantius:* Si bene intelligit, *(Baronius)* totam hanc Epistolam iis merito attribuit, qui superiorem (*nempe primam ex quatuor)* cuderunt. *At locum conatur alio modo exponere, cum secundum lectionem, quam ex numquam viso Sirmondi Ms. dedit, tum etiam juxta lectionem Baronii.*

reponit nonnulla.

44 *Locum sic expressit:* Cognoscat itaque prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ eccle-
C siæ episcopus fuit, a me esse damnatum prius quam ad comitatum sancti imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum *etc. Tillemontius Nota* 53 *in Arianos dat conjecturam de loco, qui apud Fabrum mendosus est, ita legendo. Itaque merito dubito, utrum ea lectio non magis ex conjectura sit data, quam ex Ms. Sirmondi, quod numquam vidisse se fatetur Coustantius. Verum undecumque provenerit, non videtur loci correctio, sed corruptio; idque colligitur ex sequentibus. Sensus apud Baronium recte cohæret: quia dicitur damnasse Athanasium ante suum exsilium, allegare quoque fingitur testimonium omnis presbyterii Romani, quod certe testari poterat de gestis Romæ. At de gestis in Thracia stolide allegasset cleri Romani testimonium. Ait igitur Epistola, Athanasium Romæ damnatum a* Liberio, *ut Orientales petierant initio Pontificatus ipsius, et sicut habet prima Epistola supposititia. Tillemontius et Coustantius, ut hoc telum effugiant, dicunt ex hoc loco colligi,* Liberium *de damnatione Athanasii scripsisse prius ad clerum Romanum. At gratis id fingitur, nec verisimile est,* Liberium *de lapsu suo Romanos omnes voluisse certiores facere, cum Romani essent Catholici. Vel sic tamen inepte allegasset testimonium cleri Romani; sed Epistolam* D *suam allegasset testem.*

quæ refutantur.

45 *Præterea quomodo se excusat, quod* tardius *de Athanasii damnatione scripserit ad Orientales, si jam responsum habebat Orientalium, illudque ad imperatorem miserat, dum hanc scribebat Epistolam. Nam locus, prout corruptus est apud Coustantium, et ab ipso exponitur, insinuat, Orientalium litteras a* Liberio *ad imperatorem missas ante hanc scriptam. Hoc autem si factum esset, debuisset suam in scribendo tarditatem magis excusare illis, ad quos tanto serius scribebat. At Epistola ipsa rursum insinuat, nullas Orientalium litteras a* Liberio *ad imperatorem fuisse missas, antequam hanc scribebat; sed hanc eodem fere tempore scriptam cum Epistola ad Orientales. Nam in utraque* Liberius *pro re nova scribere fingitur, Fortunatianum episcopum cum litteris a se missum ad imperatorem. Itaque lectio Coustantii nullo modo cohæret, retinendaque omnino lectio Baronii, secundum quam* Liberius *Athanasium initio Pontificatus sui, aut certe ante exsilium, damnasse fingitur. Recurrit tamen Coustantius ad aliquod effugium, servata lectione Baronii, aitque illud,* antequam pervenissem, *non esse intelligendum de adventu* Liberii *Mediolanum ante exsilium, sed de ejusdem adventu Sirmium, quo vocatum a Constantio dicit Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15. *Verum nimis fragilis est ultima hæc naufragantis tabula. Nam si Sozomeno standum est, Sirmium ita a Constantio vocatus est* Liberius, *ut ibi quoque facultatem acceperit Romam redeundi. Quomodo igitur in hac Epistola loquitur ut exsul, et precibus nimis abjectis hostium suorum patrocinium flagitat, ut sibi liceat reverti, si scripta est, postquam Sirmium ante fuerat vocatus? Tota relatio Sozomeni, maxime si cum Theodoreto et aliis conferatur, magis insinuat, omnia, quæ de lapsu* Liberii *dicuntur, ex calumniis et mendaciis Arianorum orta esse, ut suo loco ostendam.*

Quarta

46 *Postrema ex quatuor litteris, quas* Liberio *suppositas non dubito, data dicitur ad Vincentium Capuanum, et in Fragmentis ita habet:* Non doceo, sed admoneo sanctum animum tuum, frater carissime, eo quod colloquia mala mores bonos corrumpunt. Insidiæ hominum malorum bene tibi cognitæ sunt, unde ad hunc laborem perveni: et ora, ut det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius meus Urbicus diaconus, quem videbar habe- F re solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est. Sanctitati tuæ significandum credidi, me de contentione illa a nomine Athanasii recessisse, et ad fratres et coëpiscopos nostros Orientales litteras dedisse de super nomine ejus. Unde quia, Deo volente, et pax vobis * ubique est, dignaberis *al. nobis convenire episcopos cunctos Campaniæ et hæc illis insinuare, et ex ipsorum numero una cum Epistola vestra, de unanimitate nostra et pace ad clementissimum imperatorem scribere, quo possim et ego de tristitia magna liberari. *Et manu ipsius:* Deus te incolumem custodiat. *Item manu ipsius paginæ perscriptæ:* Cum omnibus episcopis Orientalibus pacem habemus, et vobiscum ego. Me ad Deum absolvi, vos videritis: si volueritis me in exilio deficere, erit Deus judex inter me et vos. *Hactenus Epistola, prout impressa est. Lectiones variantes apud Baronium non sunt ullius momenti.*

similiter Liberio afficta.

47 *Ejusdem styli hæc rursum est cum præcedentibus, et ejusdem verisimiliter architecti, licet alias falsitatis notas tam claras non habeat. Fingitur scribere* Liberius, *litteras se dedisse ad Orientales de Athanasii damnatione, quod non esse verisimile*

A *risimile jam observavi. Fingitur implorare patrocinium omnium episcoporum Campaniæ, iisque hunc in finem declarare lapsum suum. At non egebat Campanorum patrocinio ad reditum impetrandum, si cedere vellet Constantio, cum imperator Romanorum precibus annuisset et remissurum se* Liberium *promisisset, sub ea saltem conditione. Campanos quoque episcopos, qui aut omnes, aut saltem majori ex parte Catholici erant, tali Epistola magis a se alienasset, quam sibi conciliasset.*

Suppositio illarum Epistolarum aliis rationibus firmatur.

48 *Restant exponendæ nonnullæ rationes, quibus omnium illarum epistolarum falsitas innotescit. Primo nullus antiquorum de illis* Liberii *Epistolis meminit, nullus dixit, aliorum episcoporum patrocinio reditum a* Liberio *fuisse obtentum. Quapropter, aut illarum Epistolarum falsitas fuit cito cognita, si confictæ sunt ab Arianis; aut postmodum a Luciferianis aut aliis schismaticis fuerunt procusæ. Quis enim credat, omnes illas epistolas ignorari potuisse a Rufino, Severo Sulpicio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto et aliis, cum statim fuissent vulgandæ ab Arianis? Si autem dictis historicis, qui omnes coævi aut suppares sunt, innotuissent dictæ Epistolæ, et pro* Liberii *epistolis fuissent habitæ; non poterat Rufinus dubitare de lapsu* Liberii, *in tot ejus Epistolis asserto, uti ipsum dubitasse videbimus* § 8. *Non poterant Severus Sulpicius, Socrates, Sozomenus et Theodoretus tam magnifice loqui de fortitudine et constantia* Liberii, *quam revera locutos videbimus, et reditum ipsius solis Romanorum precibus attribuere, si tot pusilli et abjecti animi indicia in propriis Epistolis dedisset* Liberius, *quot in dictis Epistolis reperiuntur. Si S. Ambrosius Epistolas illas, quas ignorare non poterat, si erant* Liberii, *pro* Liberii *Epistolis habuisset, sanctitatem* Liberii *non commendasset iis verbis, quæ dedi num.* 2. *Hæc mihi sufficiunt ad quatuor Epistolas, in quibus mentio fit de S. Athanasii damnatione,* Liberio *indubitanter abjudicandas. Neque judicium meum mirabitur æquus lector, modo rationes expenderit, simulque consideraverit, quam multa alienis nominibus a calumniatoribus fuerint vulgata.*

B

C § IV. S. Liberii Pontificatus, et gesta in eo usque ad annum 355.

Liberius ad Pontificatum invitus evectus,

De gestis S. Liberii *ante summum Pontificatum nulla invenio documenta. Catalogi Pontificum, quos in* Liberio, *ubi finitur primus, mendosissimos esse omnes agnoscunt, habent, patria fuisse Romanum, patre Augusto natum. Bailletus ad* XXIII *Septembris ait, nominatum fuisse* Marcellinum Felicem Liberium : *quod unde acceperit, non adjungit. Ex Epistola* Liberii *ad Constantium, quam inferius recitabo, utcumque colligitur, illustri domo natum, et vel diaconum vel presbyterum fuisse ante Pontificatum, quem invitus suscepit. Nam ita loquitur :* Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide et metu in Deum meum cuncta mundana ita, ut Evangelica et Apostolica ratio præcepit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed constituto atque observato jure divino, atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi : et ad istud Officium *(Pontificatus)* testis est mihi Deus meus, invitus accessi *etc. De anno et mense, quo Pontificatum adeptus est, constat ex primo Pontificum Catalogo, conscripto ipsius* Liberii *tempore. Nam ibi dicitur creatus Pontifex, consulibus Constantio imperatore quintum, et Gallo cæsare, id est, anno* 352 *æræ Christianæ,* XI Calendas Junias, *sive die* XXII *Maii. Papebrochius tamen et Pagius ordinatum volunt* XXIV *Maii, quod is esset Dominicus.*

ab inimicis S. Athanasii litteris rogatur, ut eum damnet,

50 *Vix autem dignitatem illam adeptus erat, quin ad fortia contra Arianos vocatus fuerit certamina in quibus talem se præbuit, sive prudentiam consideremus, sive constantiam, ut cum summis Pontificibus sit conferendus, nisi revera lapsus ad breve tempus fuerit, ut modo fere communis est opinio, quam tamen male fundatam, et minus probabilem suo loco ostendam. Mortuo Constante imperatore, qui Catholicis et S. Athanasio favorabilem se præstiterat, victoque Magnentio tyranno, qui anno* 353 *se ipse occidit, Ariani apud Constantium Arianum, factum totius imperii dominum, ut S. Athanasius rursum ex sede Alexandrina pelleretur, novis excogitatis contra ipsum calumniis, vehementer institerunt; simulque laborarunt, ut ab omnibus episcopis, ac nominatim a Romano Pontifice damnaretur.* E *Hunc in finem non modo Constantium impulerunt, ut persequeretur omnes, qui nollent in condemnationem S. Athanasii consentire; sed litteras quoque episcopi Orientales miserunt ad Romanum Pontificem ad impetrandam S. Athanasii damnationem. Has litteras sub initium Pontificatus sui accepit* S. Liberius, *ut habemus ex laudata ejus ad Constantium Epistola, in qua non exprimitur, fuerintne ad S. Julium ejus decessorem datæ, ut habet Epistola supposititia, nullaque fide digna, an ad ipsum* Liberium *post intellectam in Oriente S. Julii mortem et* Liberii *substitutionem. Verum sive ad Julium sive ad* Liberium *datæ illæ fuerint,* Liberius *eodem tempore alias quoque accepit litteras ex Ægypto, quas octoginta episcopi Catholici miserunt pro S. Athanasio. Fuisse igitur anno* 352 *conciliabulum aliquod Arianorum sive inimicorum S. Athanasii, ex quo datæ fuerint illæ litteræ, omnino fatendum est; similiterque dicendum, concilium octoginta episcoporum fuisse in Ægypto, ex quo datæ sint litteræ S. Athanasii innocentiam testantes.* F

at ille, concilio habito, et acceptis aliis litteris pro Athanasio, non consentit.

51 *Quid vero egerit* Liberius, *qui fraudes Arianorum, fictis criminibus S. Athanasium impetentium, ignorare non poterat, ipse exponit. Negat, se dictas* litteras suppressisse, ne crimina ejus *(Athanasii,)* quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent, *ut postea calumniati sunt Ariani. Testatur vero, se ad examinandum dictas litteras concilium congregasse, ita scribens :* At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse concilio, atque hæc etiam Orientalibus respondisse. *Epistola* Liberii *qua Orientalibus respondit, hactenus inventa non est. Ex sequentibus tamen liquet, non consensisse Orientalibus* Liberium. *Nam hic ita prosequitur :* Qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta *(apud Baronium* septuaginta quinque*)* episcoporum sententia repugnabat : quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum. *Mox additur, scripta illa Ægyptiorum allata fuisse ab aliquo Eusebio, aut Theosebio, ut est apud Baronium; et postea ad concilium Arelatense fuisse delata a Vincentio Capuano. Hæc solum* S. Liberius *de primo*

AUCTORE J. S.

primo illo Arianorum conatu sub suo Pontificatu. Potuisset procul dubio et aliam adjungere rationem non recipiendi accusationes Orientalium contra Athanasium; nimirum quod illi falsis calumniis frequenter contra Athanasium repetitis fide essent indigni: sed eo responso Constantium nimis exacerbare potuisset.

Mittit legatos ad Constantium degentem Arelate,

52 *Vel sic tamen ægerrime tulit recusatam Athanasii damnationem, ut narrat Severus Sulpicius in Historia lib. 2 cap. 39, ubi sic habet*: Igitur cum sententiam eorum, nimirum Arianorum, quam de Athanasio dederant, nostri nos reciperent, edictum ab imperatore proponitur, ut, qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur. Ceterum a nostris tum apud Arelatum ac Buteras, oppida Galliarum, episcoporum consilia fuere. *Concilium illud Arelatense habitum est sub finem anni 353 aut fortasse inchoato anno 354: nam constat, præsentem fuisse Constantium, quem illo hiemali tempore mansisse Arelate, testatur Ammianus lib. 14 cap. 5.* Liberius *cum episcopis Italis imperatorem rogaverat, ut concilium celebraretur Aquileiæ; sed imperator, cum* B *in Gallia ageret post Magnentii cædem, videtur Arelatem convocasse episcopos, ut ipse adesset. Itaque* Liberius *eo legatos misit Vincentium et Marcellum Campaniæ episcopos, quorum primus varias id genus legationes obierat, et in ipso etiam fuerat Nicæno concilio. Videntur tamen potius ad imperatorem missi, ut impetrarent convocationem plenarii concilii, quale desiderabat* Liberius, *quam ut Arelate cum paucis, iisque majori ex parte Arianis, concilium celebrarent. Nam* Liberius *de scriptis Ægyptiorum Arelatem perlatis ad Constantium ita scribit*: Quæ tamen postea omnia scripta, ne ad impetrandum forte concilium deessent, Vincentius, qui cum ceteris missus fuerat, Arelatum pertulit.

ubi concilium cogitur, in quo Ariani dolo et vi utuntur,

53 *Quam autem violenter omnia peracta fuerint Arelate, liquet ex paucis, quæ subjungit laudatus Sulpicius*; Petebatur, *inquit*, ut, priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent: nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset, Sed Valens *(Arianus episcopus)* sociique ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu C agitur in exilium Paulinus; *videlicet S. Paulinus Trevirensis, de quo actum est* XXXI *Augusti. De vi illata Vincentio Capuano,* Liberii *legato, meminit S. Athanasius in Apologia ad Constantium tom.* I *pag. 312, licet ibi conjungat gesta diversis temporibus. Quid legati de suis ibi gestis perscripserint, narrat* Liberius *in Epistola ad Constantium hoc modo*: Manent legatorum litteræ, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt: quibus significant, propter turbationem quidem omnium ecclesiarum se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut, si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum, ut ipsi significant, scriptura teste firmatur, itur in concilium, accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum. *Hoc ad Constantium* Liberius, *improbans perfidiam Arianorum, quod promissa non servassent; sed procul dubio promissionem legatorum suorum de damnando Athanasio, si illi Arium damnarent, nihilo magis probans: neque enim noxius fiebat Athanasius, si Arius damnaretur. Verum legati fortasse, quod nimiis urgerentur minis, conati sunt* D *se extricare offerendo conditionem, quam existimabant non acceptandam.*

et damnatione S. Athanasii subscribit legatus: dolor Liberii.

54 *Quæcumque autem illius infirmitatis fuerit occasio, stravit illa viam ad lapsum. Nam Ariani ita urserunt terrueruntque legatos, ut condemnationem sive excommunicationem S. Athanasii ratam habuerint, omissa etiam causa Arii, aut saltem ulterius se non opposuerint. Doluit vehementer* S. Liberius, *audita eorum prævaricatione, ut discimus ex litteris ipsius ad Osium Cordubensem episcopum, quas partim recitat Baronius ad annum 353 num. 19 hoc modo*: Quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire; multi ex Italia episcopi convenerunt, qui mecum religiosissimum imperatorem Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut placuerat dudum, concilium Aquileiense congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello, æque ex Campania episcopo, legationem nostram suscepisse, sanctitati tuæ insinuo. De quo cum multa sperarem, quod et causam optime retineret, et judex in eadem causa cum sanctitate tua frequenter resedisset; credideram Dei Evangelium sua legatione posse servari. Non tantum nihil impetravit, sed et ipse in illam ductus est simulationem. E Post cujus factum duplici mœrore confectus, moriendum magis pro Deo decrevi, ne videar novissimus delator existere: nam videtur sententiis accommodasse consensum. *Hæc eadem leguntur in Fragmentis col. 1334, ubi ultima verba sic exprimuntur*: aut sententiis contra Evangelium commodare consensum. *Ibidem etiam dantur hæc verba, tamquam a* Liberio *scripta ad episcopum Spoletinum*: Nolo te factum Vincentii ab intentu boni operis revocet, frater carissime. *Rursum in Epistola ad S. Eusebium Vercellensem, inferius recitanda, de lapsu Vincentii meminit, quem, ut supra,* simulationem *vocat*: *quia innocentia S. Athanasii magis erat nota Vincentio, quam ut animo damnare ipsum posset, licet simulasset Orientalium contra eum sententiis se adhærere. Ceterum ex illo lapsu postea resurrexisse Vincentium, suo loco videbimus.*

Alios ad Constantium legatos mittit Pontifex,

55 Liberius *vero non illo solum dolore afflictus fuit, sed etiam litteris Constantii imperatoris Romam destinatis ob defensam S. Athanasii causam, quem Ariani tamquam hostem Constantii traducebant, apud populum Romanum calumniis appetitus fuit.* F *Quapropter, audito infelici prioris legationis suæ exitu, de altera mittenda legatione continuo cogitavit, ad eamque elegit viros fortissimos, de quorum constantia confidere poterat, videlicet Luciferum Calaritanum in Sardinia episcopum, qui Romam eo tempore venerat, et ultro se offerebat, ut habemus ex litteris ad Eusebium Vercellensem infra dandis; Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum, quibus se jungere voluit Eusebius Vercellensis, iteratis litteris a* Liberio *rogatus. Etenim aut ante discessum legatorum, aut ipsis legatis perferendas has primum ad S. Eusebium dedit litteras*: Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio. Me, frater carissime, ad solatium vitæ præsentis erigit invicta fides tua, qua secutus Evangeliorum præcepta, nullo genere a consortio Sedis Apostolicæ discrepasti: quod credo non sine Dei impulsu, qui digno * sibi in sacerdotio detinet, benevolentia complesse. Cum igitur post legationem Vincentius in illam ductus est simulationem; reliqui per Italiam episcopi publica conventione coacti fuissent sententiis Orientalium obedire; Deo procurante, frater et coëpiscopus noster Lucifer de Sardinia supervenit, qui

* dignos

A qui cum latebras causæ interioris cognovisset, et pervenisset ad ejus conscientiam, sub occasione nominis Athanasii hæreticos hæc velle tentare; pro devotione fidei suæ subire voluit justum laborem, et ad comitatum religiosi principis pergere: ut tandem exposito ordine totius causæ, impetraret, ut omnia, quæ in medium venerunt, in cœtu possent sacerdotum Dei tractari.

rogatque Eusebium Vercellensem,

56 Itaque quia scio sanctum fidei tuæ calorem cum ejus animo concordare, prudentiam tuam peto, ut, si procurante Deo habuerit te præsentem, per quoscumque potueris, sollicite excubare contendas, ut possitis universa, quæ fides Catholica exigit, clementissimo imperatori insinuare: ut tandem aliquando, deposita animi indignatione, faciat, quod et quieti nostræ, et saluti suæ possit in omnibus convenire. Ex superfluo autem credidi, ordinationem causæ totius honorificentiæ tuæ litteris insinuare, cum supradictus frater meus vel ejus comites in præsenti possint omnia relatione sua referre. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime. *Hanc aliasque mox dandas ad S. Eusebium Epistolas primum quidem Baronius edidit ex Mss. Va-* B *ticanis et Vercellensibus: deinde vero Stephanus Ferrerius episcopus Vercellensis in Vita S. Eusebii, ac demum ex his Labbeus in Conciliis, et Coustantius in Epistolis Romanorum Pontificum illas recuderunt. Quare, quæ mendosa videntur apud Baronium, ex Ferrerio partim correcta sunt, partim ex conjectura ad marginem indicatum, quomodo scriptum fuisse videatur.*

ut illis se adjungat;

57 *Post discessum legatorum, qui, quod Constantius prioribus mensibus anni* 354, *quo hæc gesta sunt, in Gallia degeret, facile Vercellas pertransire poterant, has rursum* Liberius *ad Eusebium dedit litteras.* Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio. Remeante filio meo Callepio ad patriam suam, optimum credidi per hunc sanctitatem tuam salutare, domine frater carissime, orans Dei clementiam, ut salvus atque hilaris litteras meas accipias. Sane quia scio invictum animum tuum fideliter agere, quæ Deus præcepit, commendo tibi fratrem et coëpiscopum nostrum Luciferum, sed et carissimos filios meos Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum, qui pro statu Ecclesiæ animo virili et virtute deifica, tempore tempestivo, aggressi sunt * contra inimicos Ecclesiæ, quos C Deus spiritu oris sui destruet. Scio enim ferventem spiritum Dei esse in te, ut simul cum eisdem aggrediaris: ut fides, quæ ab Apostolis tradita est Ecclesiæ Catholicæ, nullo modo irrumpi possit. Certe dignaris retinere, si leges publicæ absentem non condemnant, ut eorum consortio jungat se fides tua, et similis, ubi fuerit, adsit sanctitas tua, uno colloquio, uno consilio id agatis, quod Deo et angelis ejus placet, et Ecclesiæ Catholicæ expedit. Pro hoc labore præmium cæleste, coronam immarcessibilem, hereditatem regni cælorum Christus Dominus noster retribuat vobis. Salutamus omnes, qui tecum Deo fideliter serviunt. Salutate omnem clerum. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime. *Hactenus* Liberius, *cujus voluntati S. Eusebius prompte obsecutus est.*

** forte iter*

quod ubi promiserat, aliis ad fortiter agendum litteris excitatur:

58 *Didicit autem hoc* Liberius *ex accepto ipsius responso, magnoque affectus gaudio de accepta ab Eusebio legatione, tertiam ad eumdem scripsit Epistolam, quam subjungo:* Liberius episcopus dilectissimo fratri Eusebio. Sciebam domine frater carissime, quod Spiritu Dei fervens in causa fidei, quæ nos potest Domino commendare, fratri et coëpiscopo nostro Lucifero, et Pancratio compresbytero nostro, qui simul erat profectus cum filio meo Hilario diacono, fida dignareris solatia exhibere, nec te posses iis denegare, quos sciebas pro devotione fidei suæ tantum laborem itineris suscepisse. Magnum itaque levamen animus meus ex lectione litterarum tuarum accepit: immo causam ipsam in melius proficere posse, Deo favente, quod fratres nostros deserere noluisti, jam jamque confido. Labora itaque ut bonus miles, qui præmium æterni Imperatoris exspectas, et virtutem animi, qua te scio mundi hujus illecebras contemsisse, adversus eos, qui Ecclesiæ quidem luce orbi sunt, præbere * contende, habens utpote contemtum vitæ istius. Veridicum te sacerdotem ostende, ut laborantibus vobis pro Ecclesiæ statu, concilium possit celebrari; ut omnia, quæ in præjudicium fidei subtiliter e diverso venientes machinati sunt, possint in melius reformari. Hunc laborem, quem egregia fides tua melius novit, æterna præmia comitantur: cui quemadmodum insistere debemus, etiamsi exhortatio frigesceret, fervens Spiritus-sanctus, qui in te est, propter unitatem sanctæ Ecclesiæ per momenta animum tuum stimularet ad majora solatia.

AUCTORE J. S.

** exserere*

scripsit etiam Liberius ad Fortunatianum Aquileiensem.

59 Etiam ad fratrem et coëpiscopum nostrum Fortunatianum, quem sciebam neque personas hominum vereri, et futura magis præmia cogitare, litteras erogavi; ut et ipse pro sinceritate pectoris, et pro fide, quam se scit etiam cum discrimine vitæ præsentis custodisse, etiam nunc vobiscum dignaretur excubare. Quem quidem scio pro sanctitate pectoris sui indubitanter et concilio suo prudentiam vestram firmare, et si ita vobis placuerit, præsentiam suam in nullo dilectioni vestræ negare. Deus te incolumem custodiat, domine frater carissime. *Hactenus* S. Liberius, *qui sane nihil prætermisit, quo posset felicem sperare legationis exitum, ac meliorem Ecclesiæ statum. Et quatuor quidem legatos fortissime se gerentes videbimus; sed a Constantio male habitos exsilioque relegatos At* Liberium *fefellit spes de Fortunatiano concepta. Nam Fortunatianus Aquileiensis episcopus videtur designari, qui non satis constantem postea se præbuit, sed minis Arianorum et Constantii imperatoris succubuit in concilio Mediolanensi. Ex data Epistola tamen colligitur, non fuisse lapsum Fortunatianum eodem tempore cum Vincentio Capuano, ut aliqui male collegerunt ex verbis S. Athanasii, postea recitandis.* F

Epistola legatis data ad Constantium,

60 *Hisce demum subjungo prolixiorem* Liberii *Epistolam, iteratis vicibus laudatam, quam legatis dedit perferendam ad Constantium. Nititur in ea Constantium placare. calumnias ab eodem contra se sparsas modeste refellit, de violentis Arianorum fraudibus nonnulla attingit, et concilium, in quo omnia diligenter examinentur, postulat. Inscriptio est* Gloriosissimo Constantio augusto Liberius episcopus. *Epistola vero sic apud Constantium edita:* Obsecro, tranquillissime imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, quo possit mansuetudini tuæ mentis meæ propositum apparere. De Christiano enim imperatore et sanctæ memoriæ Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, quia repetita satisfactione placabilem etiam circa reos animum tuum in gratiam meam revocare non possum. Sermo enim pietatis tuæ, jam dudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat: sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui numquam, ut scriptum est, in occasum diei iracundiam servat, retinere circa me indignationem miraculo mihi est.

61 Ego

AUCTORE J. S.

qua imperatorem placare conatur.

61 Ego enim, religiosissime imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ; sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerunt, propter quæ concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus: ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio, cum fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligentes fuisset tractata, ne * eorum, qui nostram circa Deum observantiam mirari debent, possent finiri. Et dignum fuerat Dei cultore, dignum imperio tuo, quod Christi pietate regitur et augetur, specialiter hoc ipsum pro reverentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare.

* *forte negotia*

rationes reddit non condemnati Athanasii

62 Sed multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confinxerunt me litteras suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent. Quas illas litteras? Episcoporum Orientalium, et Ægyptiorum, quibus in omnibus
B eadem in Athanasium crimina continebantur? At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse concilio, atque hæc etiam Orientalibus respondisse: qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem debet Eusebius, qui missus fuerat, festinans ad Africam, nobis reliquit: quæ tamen postea omnia scripta, ne ad impetrandum forte concilium deessent, Vincentius, qui cum ceteris missus fuerat, Arelatum pertulit.

se defendit,

63 Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide et metu in Deum meum cuncta mundana ita, ut evangelica et apostolica ratio præcepit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed consti-
C tuto atque observato jure divino, atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat, implevi: et ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi; in quo cupio quidem sine offensa Dei, quam diu in sæculo fuero, permanere. Et numquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata et custodita, perfeci, secutus morem ordinemque majorum, nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum: et illam fidem servans, quæ per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto.

cur pax nequeat esse cum Arianis, exponit,

64 Denique jam me aperire causam pietati tuæ sollicitudo ecclesiastica atque ipsa devotio persuadet. Significant Orientales, paci nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi, Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio animis iratis exierunt? Horum si fas est sententiis, quale sit, aut quid periculi habeat, commodare consensum, æquitas et clementia tua poterit æstimare. Non est novum, quod nunc subtiliter et sub occasione nominis Athanasii attentatur. Manent D
litteræ Alexandri episcopi olim ad Silvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit, ante ordinationem Athanasii undecim tam presbyteros quam etiam diacones, quod Arii hæresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse: ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam Catholicam foris positis dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius in Alexandria per litteras communicare. Quæ ergo pax potest esse, tranquillissime imperator, si exhibitis episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire?

male damnatum Athanasium innuit,

65 Accipe aliud, quia tranquillitas tua patienter admittit. Manent legatorum litteræ, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt, quibus significant, propter turbationem quidem omnium ecclesiarum, se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum, ut ipsi significant, scriptura teste firmatur, itur in concilium; accipiunt cum E
deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum. Hinc jam clementia tua hoc quoque consideret, recte Catholicæ religionis jure servato, an hominis causa debeat diligenter excussequetractari,

concilium flagitat,

66 Unde iterum atque iterum mansuetudinem tuam atque animum tuum Deo devotum rogamus per ejus virtutem, qui se in defensione tua quantus sit universis mortalibus approbavit, ut habens ante oculos ejus beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit, hæc in cœtu episcoporum diligenter facias cum omni consideratione tractari: ut pacatis per te, Deo favente, temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositionem fidei, quæ inter tantos episcopos apud Nicæam, præsente sanctæ memoriæ patre tuo, confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possint in posterum custodi: ut ipse Salvator, qui desuper mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei et pacis etiam reipublicæ necessitatibus non immerito præposuisse.

F

et missionem legatorum insinuat.

67 Ad exorandum igitur mansuetudinem tuam ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem et coëpiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio presbytero et Hilario diacono placuit proficisci. Quos credimus de clementia tua ad pacem omnium ecclesiarum Catholicarum non difficulter posse concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime Auguste. *Hæc anno* 354 Liberius *ad Constantium. Quo autem mense, aut quo loco legati Constantium invenerint, nullibi invenio, et non magis, quo modo ab imperatore fuerint excepti. At constat, concilium fuisse indictum, illudque anno sequenti* 355 *Mediolani fuisse habitum, de quo nunc agendum.*

§ V.

A

§ V. Infelix exitus tyrannici concilii Mediolanensis : exsilium legatorum Liberii : hujus ad exsulantes Epistola.

Concilium Mediolanense, cui ultra 300 episcopos adfuisse volunt aliqui,

Tempus concilii Mediolanensis, si concilium illud dicendum est, colligitur utcumque ex Sulpicio ante laudato, quando pag. 264 *dicit:* Ita pulsi in exsilium, quos supra memoravimus, abhinc annos quinque et quadraginta, Arbitione et Lolliano consulibus. *Hi enim consulatum gesserunt anno* 355, *et Sulpicius loquitur de exsilio illorum, qui ex ipso concilio ducti sunt in exsilium, ut concilium eodem anno videatur figere. Hoc autem non tam clarum esse fateor, ut non potuerit concilium illud inchoari exeunte anno* 354, *cum hoc anno ex Gallia in Italiam venerit imperator æstivo tempore, et Sulpicius etiam loquatur de exsilio* B Liberii, *qui certe notabili spatio post exsilium legatorum suorum Romæ mansit, ut facile colligetur ex dicendis. De tempore igitur nihil certius dici posse videtur, quam tyrannicum illud conciliabulum habitum aut sub finem anni* 354, *aut probabilius sub initium sive prioribus mensibus anni* 355. *De numero episcoporum, qui convenerunt, non satis constat. Sozomenus quidem lib.* 4 *cap.* 9 *maximum episcoporum numerum Mediolani congregatum fuisse insinuat his verbis* Cum igitur, urgente imperatore, synodus collecta esset Mediolani, ex Orientis quidem partibus pauci admodum convenerunt, reliquis vel ob morbum, vel propter itineris longinquitatem, ut opinari licet, eo venire detrectantibus. Ex Occidentalibus autem episcopis plures, quam trecenti, adfuerunt. *Eadem quoque scribit Socrates lib.* 2 *cap.* 36.

non fuit tam numerosum: adfuere tamen legati Pontificis, sed Eusebius

69 *Verum difficulter credere possum, tantum fuisse episcoporum numerum. Certe Baronius tom.* 9 *Annalium in Appendice anni* 355 *pag.* 867 *recitat nomina episcoporum, qui ibidem primi contra S. Athanasium subscripserant, prout ea accepit ex tabulario Vercellensi. Erant autem hi numero triginta, et licet his deinde alii accedere* C *potuerint, verisimile tamen non fit, ultra trecentos fuisse Mediolani episcopos Occidentales: neque enim Sulpicius insinuat, numerosum fuisse istud concilium. In litteris vero, quibus Constantius imperator Eusebium Vercellensem, detrectantem ad concilium venire, adesse jussit, apud Ferrerium datis ex tabulario Vercellensi, dicuntur venisse Mediolanum* pauci de provinciis singulis. *Quare longe minor videtur fuisse numerus episcoporum, quam dixerunt Socrates et Sozomenus. Baluzius in Nova collectione col.* 29 *ex Vita S. Eusebii Vercellensis dedit Acta concilii Mediolanensis, ibique dicuntur concilio interfuisse* Liberius *Papa, Hilarius Pictaviensis, Paulinus Trevirensis, cum aliis. Verum luculenter patebit,* Liberium *non adfuisse, prout non adfuerunt Hilarius et Paulinus. At constat, adfuisse legatos* S. Liberii, *nimirum Luciferum Calaritanum, Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum. S. Eusebius Vercellensis, quod ex rerum adjunctis, et fortasse ex primo congressu legatorum cum Constantio, felicem istius conventus exitum sperare non auderet, adesse recusavit. Quare episcopi primum nomine totius concilii ipsum invitarunt per litteras et legatos. Deinde Constantius ipse ad eumdem scripsit, ut veniret ; ac demum legati Pontificii, necdum omni abjecta spe, suis quoque litteris Eusebium, ad concilium ut veniret, hortati sunt. Cessit tandem, et Mediolanum accessit, ut latius videri potest apud Ferrerium in Vita Eusebii pag.* 18 *et sequentibus. Cum autem omnia illia prolixius apud nos examinanda sint ad* XVI *Decembris, quo colitur S. Eusebius, his missis, solum subjungo, quo modo exceptus sit Mediolani, et quibus se ibidem junxerit.*

sæpe rogandus fuit, ac deinde male fuit exceptus,

70 *Narrat hoc S. Hilarius lib.* I *ad Constantium num.* 8 *ita scribens:* Eusebius Vercellensis episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur. Collecta jam illic malignantium synagoga, decem diebus ad ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest una cum Romanis clericis (*nimirum Prancratio presbytero et Hilario diacono)* et Lucifero Sardiniæ episcopo. Conventus, ut in Athanasium subscriberet, ait, de sacerdotali fide prius debere constare, compertos E sibi quosdam ex his, qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam... posuit in medio : spondens omnia se, quæ postularent, esse facturum, si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis episcopus chartam primus accepit : ubi profiteri scribenda cœpit. Valens chartam et calamum e manibus ejus violenter extorsit, clamans, non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est : gravis omnium dolor ortus est, impugnata est a sacerdotibus fides. Verentes igitur illi *(Ariani)* populi judicium, e dominico in palatium transeunt. Cujusmodi sententiam in Eusebium longe ante, quam ecclesiam ingrederetur, scripserint, de se loquitur ipsa sententia. *Hæc Hilarius, ex cujus verbis satis liquet, nullam Catholicis fuisse libertatem ; id unum intendisse Arianos cum Constantio, ut omnes damnationem S. Athanasii ratam facerent, aut sedibus suis pellerentur.*

Cum autem legati nollent subscribere in Athanasium,

71 *De SS. Dionysii et Eusebii eo tempore gestis plura leguntur in Vita S. Dionysii Mediolanensis, data ad* XXV *Maii, et in Commentario ibidem prævio. Parem eluxisse in Lucifero Calaritano constantiam, et forte etiam majorem in loquendo li-* F *bertatem, cum Ariani et imperator nollent ipsum concilio in ecclesia adesse, nisi ad exiguum tempus, ex iisdem S. Dionysii Actis, et ex dictis apud nos de S. Lucifero ad* XX *Maii, discere poterit studiosus lector. Utroque etiam loco inveniet, comprehensos esse legatos ab Eusebio eunucho, et in exsilium ductos, necdum finito tyrannico illo Arianorum concilio. Id etiam satis insinuat Sulpicius, dum statim, ubi loquitur de concilio Mediolanensi, ait :* Tum Eusebius Vercellensium, et Lucifer a Caralis Sardiniæ episcopi relegati. *Mox de Dionysio plura refert, et ejus quoque exsilium subjungit. S. Athanasius in Historia Arianorum ad Monachos num.* 33 *videtur Paulinum Trevirensem annumerare iis, qui Mediolani certarunt, sed conjungit gesta in Arelatensi et in Mediolanensi concilio, ut ipse insinuat num.* 31 *cum in utroque par fuerit Constantii violentia, quam graphice depingit, ita scribens :* E quorum numero sunt viri, qui jam claram edidere confessionem, ipsique religiosi ac probi episcopi, Paulinus Trevirorum Galliæ metropolis episcopus, Lucifer metropolis Sardiniæ episcopus, Eusebius Vercellorum Italiæ

liæ urbis, Dionysius Mediolani, est autem et ipsa metropolis Italiæ.

tum episcopi Eusebius et Lucifer,

72 Accitis enim illis præcipit imperator, ut contra Athanasium subscriberent, ac cum hæreticis communicarent. Quibus rei insolentia stupentibus, ac dicentibus, id ecclesiasticis non esse canonis, statim ille: At, quod ego volo, id pro canone, inquit, habeatur: me quippe ita loquentem Syri episcopi tolerant. Aut igitur obtemperate, aut vos quoque extorres futuri estis. His auditis, episcopi remque summopere mirati, manibus ad Deum tensis, compellare virum docereque, non suum esse imperium, sed Dei, qui tradidisset: rogare, ut eum timeret, ne derepente datum adimeret: interminari judicii diem, suadereque, ne ecclesiasticas res pessumdaret; neu Romanum imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret, vel Arianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum ille neque audivit, nec eos plura dicere permisit; quin et acrius districto adversum illos gladio comminabatur, imo ex iis nonnullos ad supplicium abduci jusserat: sed postea, uti Pharao, sententiam mutavit. Excusso itaque pulvere, Sancti illi, erectisque ad Deum
B oculis, neque minas imperatoris reformidarunt, neque stricti gladii metu veritatem prodidere, sed exsilium pro ministerii sui officio habuerunt. *De eorumdem certaminibus cum Constantio et exsilio rursum agit num. 76, ubi dicit, Constantium se accusatorem Athanasii his verbis exhibuisse*: Ego inquit, jam sum Athanasii accusator, mei gratia eorum *(Arianorum)* dictis fidem habetote. *At episcopos ad hæc rursum prudenter et fortiter respondisse, subjungit. Aliis quoque locis de eorumdem exsilio meminit; et in Apologia ad Constantium num. 27 de aliorum lapsu etiam loquitur, sed conjungens facta variis temporibus.*

tum alii exsilio relegantur,

73 *De certamine duorum aliorum* Liberii *legatorum, nimirum Pancratii presbyteri, quem* Eutropium *vocat, et Hilarii diaconi, agit in laudata Historia ad Monachos num. 41, ubi indignationem suam sic declarat:* Hæc item illorum facinora quis si audiat, non arbitretur illos quidvis potius quam Christianos esse? Cum Liberius Eutropium presbyterum, et Hilarium diaconum cum litteris *(num. 61 recitatis)* misisset ad imperatorem, quo tempore item Lucifer cum sociis confitebatur; presbyterum statim illi in exsilium ablegarunt: diaco-
C num vero Hilarium, postquam nudassent, atque dorso flagris cecidissent, in exsilium item miserunt. Dum flagellarent autem, hæc vociferabantur: Quare Liberio non obstitisti, sed ejus detulisti litteras? Illud facinoris admisere Ursacius et Valens cum spadonibus. Diaconus porro, dum verberaretur, benedicebat Domino, memor illius dicentis: Dorsum meum dedi ad flagella. Illi vero verberantes irridebant illudebantque viro: neque erubuere, quod levitam afficerent contumeliis: dumque cachinnos profunderent, rem sibi consentaneam agebant: illeque benedicendo perseverabat. Verberari nempe Christianorum, Christianos autem verberare Pilati et Caiphæ facinus est. Sic itaque a principio ipsam Romanam Ecclesiam labefactare conati sunt, optantes suam illi admiscere impietatem. *Hæc S. Athanasius. Ubi autem* Liberius *tragicum illum exitum concilii, e quo omnes, qui minis et terroribus Arianorum restiterant, videntur in exsilium ejecti, Romæ intellexit; non potuit non summo affici dolore, non solum de exsilio virorum fortium, sed magis etiam de lapsu aliorum, qui injustæ contra Athanasium sententiæ subscripserunt. Inter hos apud S. Athanasium in Apologia ad Constantium num. 27 numeratur* Fortunatianus *Aquileiensis, de cujus lapsu constat, sive Mediolani, sive postea contra S. Athanasium subscripserit. Sic inter confessores, qui ex concilio hoc relegati sunt, apud Sulpicium numerari videtur S. Hilarius, qui in exsilium missus est non ex Mediolanensi, cui non interfuit, sed ex Biterrensi concilio.* D

Exsules S. Liberius laudat, consolatur,

74 Liberius *porro, ad quem omnia illa deferebantur, episcopos exsules litteris suis consolari simul et ad constantiam animare voluit. Epistola ipsius in tabulario Vercellensi inventa est, quasi data ad solum Eusebium, sed inter Fragmenta, quibus nomen S. Hilarii perperam fuit impositum, scripta fuisse dicitur* Eusebio, Dionysio et Lucifero episcopis in exsilio constitutis, *ut eadem verisimiliter ad singulos fuerit missa, quod in diversis degerent locis. Digna est magno* Liberii *animo, dignaque non minus, quæ tota huc transferatur. Quare totam ex editione Coustantii, notatis variantibus præcipuis subjicio.* Quamvis sub imagine pacis humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus, vos tamen, acceptissimi in Domino sacerdotes, E egregia et singularis fides et hic probabiles Deo ostendit et jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ et gaudium gloriæ, prorsus invenire non possum: nisi quod scio, hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem, quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi: ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum, vestrorum ut priores de perseverantia fidei ad confessionis illustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse credatis; atque eo me affectu absentem non esse sentiatis, et intelligatis dolere me satis, quod sum interim a vestro consortio disparatus.

et ad constantiam hortatur.

75 Quantam denique gloriam fueritis consecuti, hinc magis scire potestis, quod si qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris cruentos gladios sentire potuerunt: contra vos, devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidia victoriam pertulistis: quo- F rum quanto violentia in sæculo crescere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre. Estote itaque de promissione cælesti securi: et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate, ut supervenientes impetus, qui de die in diem cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possimus: ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ Catholicæ, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio, quæ gesta sunt in ipsa congressione *, fidelius scire; obsecro sanctitatem vestram, universa fideliter litteris intimare dignemini: ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ jam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire. *Et alia manu.* Deus vos incolumes custodiat, domini fratres. *Hæc Liberius. Coustantius autem in Annotatis existimat, hanc solis episcopis fuisse scriptam; quia solos videtur alloqui episcopos, quos* sacerdotes *vocat et* fratres. *Alia itaque fuerit scripta ad Pancratium presbyterum*

* al. congregatione

A *terum et ad Hilarium diaconum, imo verisimiliter omnibus seorsum scripserit* Liberius, *cum singuli degerent in locis diversis. Ceterum si quis hanc Epistolam et quatuor præcedentes conferre voluerit cum quatuor suppositiis* § 3 *datis; in his inveniet* Liberium *prudentem, constantem, fortem, pium, gravem; eloquentia quidem non tantum, quantum prudentia et fortitudine; sensa tamen sua tolerabili oratione enuntiantem : in illis vero inveniet hominem imprudentem, inconstantem, pusillanimem, omnia pro reditu obtinendo gesta sua improbantem, mendacem, adulatorem, abjecto animo inimicis suis supplicantem, et demum vernaculi sui sermonis ignarum.*

§ VI. Egregia Liberii certamina Romæ cum Eusebio Constantii eunucho : abductus violenter Mediolanum, pari fortitudine Constantii dicta refellit, et exsilio relegatur.

B

Certamina S. Liberii

Quanta sibi imminerent certamina, cogitare poterat S. Liberius *ex iis, quæ Arelate et Mediolani violenter erant patrata in episcopos Catholicos, tyrannicis Arianorum mandatis morem gerere recusantes. Cœpta autem hæc sunt eodem anno, verisimiliter non diu post Mediolanense concilium, Constantio adhuc Mediolani degente; continuataque usque ad exsilium* Liberii, *eidem anno innectendum. S. Athanasius in Historia Arianorum ad Monachos num.* 35 *tom* 1 *pag.* 364 *impietatem Arianorum, miramque* Liberii *in illis refellendis constantiam, enarrat, ita ordiens :* Nam neque Liberio Romano episcopo *(Ariani)* ab ipso initio pepercere, sed usque ad ejus urbis cives suum propagarunt furorem, nihil reveriti, quod Apostolicus thronus ille sit, nihil, quod Roma sit metropolis Romaniæ : nec recordati sunt, se antea illos Apostolicos viros in litteris suis nuncupasse. Sed omnia simul commiscentes, omnium una obliviscuntur, nec quidpiam illis, nisi impietas, cordi fuit. Cum enim illum cernerent sanæ fidei cul-
C torem, Arianæque hæresis adversarium, auctoremque omnibus esse, ut eam aversarentur, ab eaque declinarent, arbitrati sunt impii homines, se, si Liberium seducere possint, omnes illico superaturos : quare illum apud imperatorem calumniantur.

cum Eusebio eunucho, Romam missa a Constantio

77 Ille sperans se Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum, cum litteris spadonem quendam Eusebium nomine mittit, dona ferentem : ut blandiretur donis, litteris vero minaretur. Profectus Romam spado, principio auctor erat Liberio, ut contra Athanasium subscriberet, cum Arianisque communicaret : illud, aiens, imperator exoptat, hoc te facere jubet. Hinc ostensis muneribus hortabatur : manusque Liberii contrectans, aiebat : Imperatori obtempera, et hæc accipe. Episcopus contra monebat, hisque verbis docebat hominem. Qui, quæso, adversus Athanasium id agatur? Nam quem non una solum, sed et altera synodus ex toto orbe coacta purum innoxiumque jure declaravit, quem Romana synodus cum pace dimisit, quo pacto damnare possumus? Quis nos probaturus est, si quem præsentem amanter excepimus, ad communionemque admisimus, absentem aversemur? Non ecclesiastici canonis illud est, nec talem unquam a Patribus accepimus traditionem : quas videlicet traditiones ipsi a beato et Magno Apostolo Petro accepere. AUCTORE J. S.

pro causa S. Athanasii :

78 Sed si imperator ecclesiasticam curat pacem : si jubet abrogari, quæ apud nos pro Athanasio scripta sunt; abrogentur item quæcumque ab illis adversus eum gesta fuerint, abrogentur, quæ adversus alios sunt acta : ac demum ecclesiastica synodus procul palatio cogatur, ubi nec imperator compareat, nec comes accedat, nec judex comminetur, sed Dei timor sufficiat cum Apostolica constitutione : ut eo modo cum primis ecclesiastica servetur fides, prout a patribus in Nicæna synodo definita est. Ejiciantur Arii sectatores, anathemateque damnetur eorum hæresis. Ac demum judicio reddito de criminibus in Athanasium, vel in alium quempiam allatis : de criminibus item, quibus accusantur illi; tunc demum rei expellantur, innoxii cum fiducia et securitate degant. Neque enim fas est eos synodo annumerari, qui fide impii sunt : neque convenit fidei inquisitioni, alterius cujusque negotii inquisitionem anteferri. Primum quippe omnis de fide dissensio abscindenda, ac E tum demum de aliis quæratur negotiis. Nam Dominus noster Jesu Christus non ante curavit ægrotos, quam ostenderent declararentque, quam erga se haberent fidem. Hæc a Patribus didicimus : hæc imperatori renuntia : hæc et illi et Ecclesiæ ædificationi conducunt. Ne audiantur Ursacius et Valens : qui cum de rebus a se ante gestis pœnitentiam egerint, jam minime fide digni sunt. Hæc Episcopus Liberius.

et eunuchi petulantia ac iracundia

79 At Eunuchus indignatus, non tam quod subscribere renueret, quam quod illum hæresi adversarium comperisset : oblitusque se coram Episcopo stare, acriter interminatus, cum donis abit, nefariamque rem aggreditur quæ a Christianis quidem abhorreat, majorisque sit audaciæ, quam quæ spadonem deceat. Saülis quippe prævaricationem imitatus, profectusque ad martyrium Petri apostoli, ibi dona illa apposuit. Re comperta, Liberius adversus loci custodem graviter succensuit, quod non prohibuisset hominem : ipsaque dona ut illicitum sacrificium abjecit : quæ res castratum ad iram magis concitavit. *Hactenus S. Athanasius. Quo autem pacto impius ille Eusebius eunuchus, quem* F *Socrates lib.* 2 *cap.* 2 *vocat* Præpositum regii cubiculi, *Sozomenus lib.* 3 *cap.* 1 Præpositum domus regiæ, *in hæresim Arianam pertractus, alios eunuchos et imperatricem, uxorem Constantii, ad eamdem impietatem perduxerit, narrant laudati scriptores locis allegatis. Apud Socratem deinde lib* 3 *cap.* 1, *et Sozomenum lib.* 5 *cap.* 5 *invenies, impium illum hominem capitali supplicio pœnas dedisse post mortem Constantii.*

Eunuchus magna apud Constantium auctoritate valens,

80 *Quam gravibus porro verbis conqueratur S. Athanasius, quod potestatem judicandi de rebus ecclesiasticis ridiculo sane consilio eunuchis permisisset Constantius, paucis declarare lubet, relictis pluribus, quæ ibidem videri possunt.* Eunuchi porro erant, *inquit num.* 38, qui hæc et alia in universos gesta movebant. Et quod in ejusmodi insidiis mirandum est, Ariana hæresis, quæ Filium Dei abnegat, auxilio nititur eunuchorum. *Et mox :* Quocirca vetat lex illos *(eunuchos)* ad ecclesiasticum concilium admitti. Attamen hos nunc ecclesiasticorum judiciorum dominos reputant eorumque arbitratu judicat Constantius, dissimulantibus illis, qui episcopi nomine vocantur. Heu! quis res ejusmodi scripto traditurus est? quis narraturus generationi alteri? quis narranti fidem habeat,

AUCTORE J. S.

scilicet, quibus domestica vix ministeria concredantur,... illos, inquam, ecclesiasticis jam rebus imperare, Constantiumque illis subditum, insidias in omnes parasse, atque Liberium in exsilium misisse? *Hæc graviter Athanasius; sed hæretici aliis etiam temporibus parum curarunt, an judicia exercerentur per judices legitimos, modo per fas aut nefas ad finem sibi propositum pertingere possent. Audiamus igitur, quid Eusebius, sive eunuchorum sive judicii ecclesiastici apud Constantium princeps, postquam reversus erat Mediolanum, contra* Liberium *effecerit.*

eum graviter incitat contra Liberium,

81 Imperatorem igitur ille, *inquit laudatus Athanasius,* his commovet dictis : Non id jam nobis sollicitudini est, ut Liberius subscribat : sed illud magis non angit, quod contra hæresim ita sentiat, ut nominatim Arianos feriat anathemate. Ad idipsum loquendum ceteros spadones provocat, plerique etenim, imo omnes, apud Constantium eunuchi sunt, penes quos omnis ibi potestas, nihilque nisi de illorum sententia geritur. Litteras igitur Romam mittit imperator : iterumque palatini, notarii et comites, litteræque ad præfectum mittuntur, ut aut Liberium dolo Roma subductum in castra ad se transmitterent, aut vi hominem persequerentur. His itaque et ejusmodi missis litteris, metus exortus est, insidiæque per totam urbem paratæ.

B

ut hic jussu imperatoris

82 Quot igitur domibus insidiati sunt? quot viris quantæ pollicitationes factæ, ut adversus Liberium rem gererent? quot episcopi, his perspectis rebus, sese abdebant? quot liberæ mulieres ob structas a Christi inimicis calumnias per pagos secesserunt? quot ascetis insidiati sunt? quot illic commorantes homines, qui statum ibi domicilium nacti erant, expelli curarunt? quoties et quo studio portum exitusque portarum custodierunt, ut ne quis ingressus orthodoxorum Liberium inviserat? Tum Roma quoque Christi hostium immanitatem experta est, novitque demum, quæ ante non credidit, cum audiret, quantam ceteris ecclesiis, singulisque urbibus vastitatem intulissent illi. *Et inferius, post justas de eunuchis querelas, num.* 39 *subjungit* : Nam cum multus esset ille in scribendo Romam, cum minas intentaret, legatos mitteret, insidiasque pararet, demum facta est Alexandrina persequutio, *(huc non spectans)* Liberiusque ad imperatorem trahitur.

C

violenter et clam populo Mediolanum trahatur.

83 *Ammianus, homo gentilis, lib.* 15 *cap.* 7 *nonnulla adjungit, quæ huc traduco, omissis tamen illis que imperite de causa S. Athanasii memorat.* Hoc administrante Leontio *(Urbis præfecto,)* Liberius, Christianæ legis antistes, a Constantio ad comitatum mitti præceptus est, tanquam imperatoris jussis, et plurimorum sui consortium *(episcoporum nempe Arianorum)* decretis obsistens. *Tunc, ut gentilis, causam S. Athanasii male exponit, subditque* : Hunc *(Athanasium)* per subscriptionem abjicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris, jubente principe, Liberius monitus, perseveranter renitebatur, nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque, qua potiores *(alias* qua potiuntur *et forte rectius)* æternæ Urbis Episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato, Liberius ægre populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit absportari. *Tillemontius tom* 6 *in Arianis Art.* 58 *observat, Leontium Urbis præfectum non esse factum, nisi post* VI *Julii, ut colligitur ex lege, ad Orfitum Urbis præfectum eo die data, apud Gothofredum in Chronologia, codici Theodosiano præmissa. Itaque, cum Leontius esset Urbis præfectus, quando Roma avulsus est* Liberius, *hoc certo factum est post* VI *Julii et fortasse sub finem anni.*

D

Gesta Liberii cum Constantio summatim ab Athanasio,

84 *Quid porro Mediolani contigerit inter* Liberium *et imperatorem, non plene enarrat S. Athanasius. Orationem tamen* Liberii *generatim exponit, secutumque exsilium his verbis* : Multaque ille (Liberius *nempe*) usus loquendi fiducia, Desine, inquit, Christianos persequi; ne nostra opera coneris impietatem introducere in Ecclesiam. Sumus sane ad omnia toleranda parati, potius quam Ariomanitæ audiamus : ne nos, qui Christiani sumus, cogas Christomachos, id est, Christo inimicos effici. Hujus quoque tibi consilii auctores sumus, ne pugnes cum eo, qui hoc tibi imperium tradidit : neu pro gratiarum actione impietatem illi referas : ne persequare illos, qui credunt in eum, ne tu quoque audias : Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Sed utinam auscultes, ut tu quoque, quemadmodum beatus Paulus obtemperes. Ecce adsumus, accessimus priusquam illi criminationem comminiscantur. Ideo properavimus, gnari nobis a te exspectandum exsilium esse, ut ante confictam criminationem patiamur, omnibusque propalam sit, alios omnes eadem, qua nos ratione perpessos esse, allatasque adversus illos criminationes, confictas ab inimicis fuisse : quorum omnia dicta, nihil nisi calumniæ, nihil nisi mendacia fuere. Ita loquutus Liberius omnibus admirationi fuit. At ille nullum aliud responsum edidit quam quod jussit illum mitti in exsilium : singulosque, ut antea fecerat, ab invicem disjunxit. Quam exsilii rationem adinvenit ipse, ut in pœnis irrogandis prioribus crudelior tyrannis et persequutoribus esset. Nam in superiori persecutione, plures una confessores relegari jussit Maximianus, ac per consortii consolationem pœnam mitigavit. At hic longe illo crudelior, viros in loquendi libertate atque in confessione socios ab invicem semovit, illos disjunxit, qui fide copulati erant, ut ne vel in morte mutuo fruerentur aspectu, ratus corporis segregationem animæ quoque affectum disjungere, aut illos invicem sejunctos concordiæ et unanimitatis obliturros. *Hæc summatim Athanasius, qui aliis quoque locis de* Liberii *exsilio meminit.*

E

F

paulo magis a Sozomeno una cum exsilio exposita.

85 *Sozomenus de gestis inter Constantium et* Liberium *plura suggerit lib.* 4 *cap,* XI. *Verum, cum Theodoretus accurate tradiderit colloquium Constantii aliorumque cum* Liberio, *ex illo solum pauca, eaque post illud colloquium facta huc transferam. Ubi duas Sozomenus exsilii causas attulerat, nimirum quod* Liberius *nollet consentire cum episcopis Arianis, quodque S. Athanasium condemnare detrectaret subjungit* : Cum ergo Liberius mandatis principis minime obtemperaret, imperator eum in Thraciam deportari jussit, nisi intra biduum sententiam mutaret. At Liberius, Mihi vero, inquit, o imperator, nihil opus est deliberatione. Hæc enim jam pridem a me perpensa ac decreta sunt : et jam nunc iter ingredior. Porro cum abduceretur in exsilium, aiunt, imperatorem quingentos aureos ei misisse : Liberium vero eos aspernatum dixisse illi, qui attulerat : Abi, et nuntia illi, qui hoc aurum misit, ut assentaroribus et histrionibus, quos secum habet, illud largiatur : quos præ insatiabili cupiditate continua egestas quotidie urget ac cruciat, semper quidem appetentes divitias, numquam vero satiatos. Nobis vero Christus qui Patri in omnibus similis est, et annonas et bona omnia subministrat.

86 *Theodoretus*

AUCTORE J. S.

A Theodoretus 86 *Theodoretus lib. 2 cap. 15, totum imperatoris et* Liberii *colloquium cap. 16 daturus, de eo hæc præmittit :* Jam vero celeberrimi Liberii fiduciam et admirabiles sermones, quos pro veritatis defensione habuit coram imperatore Constantio, hoc loco libet adscribere. Descripti sunt enim a piis viris, qui illo tempore vixerunt, utpote qui studiosos rerum divinarum acuere, et ad æmulationem excitare possunt. *Ex his verbis collegit Baronius ad annum* 355 *num.* 44, *dari a Theodoreto* Acta publica, a Notariis tunc excepta. *Habet certe ille dialogus formam ejusmodi Actorum. Interlocutores autem præter Constantium et* Liberium, *sunt Epictetus episcopus Arianus Centumcellarum in Italia, quem S. Athanasius in Epistola ad Episcopos Ægypti et Libyæ num.* 7 Histrionem *vocat, eumque et Auxentium, infra item memorandum, quem Ariani in episcopatum Mediolanensem intruserant pro S. Dionysio, promotos dicit, ut calumnias adversus* orthodoxos episcopos... fingerent. *Utrumque nigerrimis quoque coloribus pingit in Historia Arianorum num.* 73. *Eusebius Eunuchus, jam ante memoratus, suas quoque partes imperite* B *egit, dum dixit, Athanasium in Nicæno concilio damnatum. At subinde ad Eusebii et Epicteti dicta non respondit* Liberius, *sermonem dirigens ad Constantium. His prænotatis, Dialogum ipsum subjicio.*

colloquium imperatoris 87 Constantius imperator dixit : Nos, quoniam et Christianus es et episcopus nostræ civitatis, idcirco te evocandum duximus, et admonendum, ut nefariæ dementiæ impii Athanasii communionem abjicias. Id enim æquum esse orbis terrarum censuit, eumque ab ecclesiastica communione alienum esse synodali sententia decrevit. Liberius Episcopus dixit. Judicia ecclesiastica, o imperator, summa cum æquitate fieri debent. Quare, si placet pietati tuæ, judicium constitui jube. Et si quidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc juxta ecclesiastici ordinis formam in illum sententia proferetur. Neque enim a nobis condemnari potest vir, quem non judicavimus. Constantius imperator dixit : Totus terrarum orbis de ejus impietate sententiam tulit, eo quod jam inde ab initio temporibus illudat. Liberius Episcopus dixit : Quicumque subscripserunt, res gestas ipsi non viderant; sed ob inanem gloriam ac metum, neve abs te ignominia afficerentur, subscripserunt. Imperator dixit : Quæ- C nam est gloria, quis metus, quæ ignominia? Liberius respondit : Quicunque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum, quem ipsi non viderant nec judicaverant, condemnarunt : quod alienum est a Christianis. Imperator dixit : Atqui præsens judicatus est in concilio Tyri : et omnes totius orbis episcopi eum in concilio damnarunt. Liberius dixit : Numquam ille præsens judicatus est. Quotquot enim eo tempore congregati illum damnarunt, post Athanasii e judicio discessum, absque ratione eum condemnarunt.

cum Liberio 88 Eusebius eunuchus dixit : In concilio Nicæno alienus a Catholica fide demonstratus est. Liberius dixit, *(respondens ad Constantii dicta :)* Quinque soli judicarunt ex iis, qui cum Ischyra navigarunt in Mareotem : quos quidem illi miserant, ut adversus reum acta conficerent. Ex iis, qui tunc eo missi fuerant, duo ex luce migrarunt, Theognius scilicet ac Theodorus. Reliqui tres adhuc superstites sunt, Maris, Valens et Ursacius. Contra hos, qui missi erant in Mareotem, Serdicæ ob hoc ipsum negotium lata est sententia. Qui postea in synodo libellos obtulerunt, veniam poscentes, ob acta, quæ per calumniam, altera duntaxat parte præsente, adversus Athanasium in Mareote confecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri et communicare debemus, imperator? Hisne, qui prius Athanasium condemnarunt, et postea veniam petierunt, an illis, qui nuper istos condemnarunt?

89 Epictetus episcopus dixit : Non fidei causa, nec pro defensione judiciorum ecclesiasticorum Liberius verba facit, o imperator, sed ut apud Romanæ urbis senatores glorietur, imperatorem a se esse superatum. *(Digna episcopo histrione interlocutio, qua Constantium forte vacillantem incitat.)* Imperator Liberio dixit : Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, et orbis Romani ac totius mundi pacem dissolvas? Liberius dixit : Etiamsi solus sim, fidei causa non idcirco minuitur. Nam et olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato resisterent. Eusebius eunuchus dixit : Imperatorem nostrum facis Nabuchodonosor? Liberius dixit : Nequaquam. Sed tu temere hominem condemnas, de quo non judicavimus. Ego vero postulo, ut primum quidem generalis præcurrat subscriptio, quæ fidem Nicææ expo- E sitam confirmet. Deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris, et in sedes suas restitutis, si ii, qui tumultus in ecclesiis nunc excitant, Apostolicæ fidei consentire visi fuerint, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus ipse et accusatores sunt et defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus. Epictetus episcopus dixit : Verum cursus publicus haud quaquam sufficiet subvectioni episcoporum. Liberius dixit : Ecclesiastica negotia non indigent publico cursu. Ecclesiæ enim singulæ episcopos suos ad mare usque perducere suis sumptibus facile possunt.

cum interlocutionibus aliorum,

exponit, 90 Imperator dixit : Quæ jam formam excepere judicii, ea resolvi amplius non possunt. Valere enim debet plurium episcoporum sententia. Tu solus es, qui impii illius amicitiam retineas. Liberius dixit : Numquam audivimus, imperator, absente reo, judicem impietatem ei objicere, quasi privatas inimicitias cum eo gerat. Imperator dixit : Omnes quidem ille in commune affecit injuria : neminem tamen æque ac me. Qui non contentus exitio fratris mei majoris natu, felicis memoriæ Constantem ad suscipiendas mecum inimicitias nunquam incitare destitit : nisi nos majori mansuetu- F dine et incitantis et incitati impetum pertulissemus. Nullam itaque victoriam tanti facio, ac illam quidem, quam de Magnentio retuli ac de Silvano; quanti ut hunc sceleratum ab Ecclesiæ administratione submoveam. Liberius dixit : Noli, imperator, inimicitias tuas per episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad benedicendum ac sanctificandum vacare debent. Jube igitur, si placet, ut episcopi ad proprias sedes revocentur, ac, si quidem visi fuerint consentire cum illo, qui rectam fidem Nicææ olim expositam nunc tuetur, tunc in unum convenientes paci orbis terrarum provideant, ne virum, qui nihil deliquit, notatum esse comprobetur.

ad admirabilem Liberii constantiam, 91 Imperator dixit : Unum est, quod quæritur. Te namque, ubi ecclesiarum communionem fueris amplexus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, et subscribe, atque ita Romam revertere. Liberius dixit : Fratribus, qui Romæ sunt, jam valedixi. Potiores enim sunt ecclesiasticæ leges, quam domicilium Romæ. Imperator dixit : Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum, utrum subscribens Romam redire velis, aut ad

AUCTORE J. S.

ad cogitandum, quem in locum cupias deportari. Liberius dixit: Trium dierum aut mensium intervallum non mutat sententiam. Itaque mitte me, quo voles. Biduo post imperator, cum Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum Berœam Thraciæ relegari præcepit.

et in exsilio suscipiendo magnanimitatem.

92 Cumque egressus esset Liberius, imperator quingentos ei solidos misit ad sumptus faciendos. Liberius vero dixit ei, qui attulerat: Abi, redde hos imperatori. Opus enim his habet, ut præbeat militibus suis. Similiter augusta totidem solidos misit. Liberius dixit: Redde hos imperatori: hisce enim opus habet ad stipendium militum. Quod si imperator his opus non habet, det eos Auxentio et Epicteto. His enim opus habent. Cum igitur ab his noluisset accipere, Eusebius eunuchus alios ei attulit. Cui Liberius dixit: Ecclesias orbis terrarum vacuas ac desertas fecisti: et mihi tanquam noxio eleemosynam adfers. Abi, et prius Christianus fias. Et post triduum relegatus est, cum nihil accepisset. *Hactenus Theodoretus. De Berœa Thraciæ, exsilii loco, illud observo, distinguendam esse a Berrhœa Macedoniæ. Lequienus tom.* I *Orientis Christiani col.* 1165 *docet, potius* Beroën *dici, prout revera Græce legitur apud Sozomenum lib.* 4 *cap.* XI, *sitamque versus Mysiam inter Philippopolim et Nicopolim, posteaque pro* Beroë *dictam fuisse* Irenopolim. *De tempore exsilii nihil addo jam dictis, cum omnes consentiant, illud contigisse anno* 355, *quo narratur ab Ammiano. De Felice in locum* Liberii *ab Arianis substituto agam, ubi exposita fuerint gesta* Liberii *in exsilio.*

§ VII. Quo tempore ab exsilio reversus sit Liberius: qua de causa eum remiserit Constantius.

De annis, quibus in exsilio fuit Liberius.

Antiquiora de gestis Liberii *documenta, quemadmodum accurate non exponunt, quo mense anni* 355 *laudatus Pontifex exsilio fuerit relegatus, sic minime consentiunt de tempore, quo in exsilio permansit, aut de anno vel mense, quo Romam rediit. Sulpicius Severus lib.* 2 *cap.* 40 *breve admodum insinuat exsilium, ita scribens:* Sed Liberius paullo post Urbi redditur ob seditiones Romanas. *Socrates lib.* 2 *cap.* 37 *ejusdem fere est opinionis de brevitate exsilii (sed perperam illud narravit post concilium Ariminense.) Relato enim* Liberii *exsilio, hæc subjungit:* Ceterum Liberius haud multo post ab exsilio revocatus, Sedem suam recepit, cum populus Romanus, seditione facta, Felicem ecclesia expulisset, et imperator, licet invitus, assensum illis præbuisset. *In Chronicis S. Hieronymi et S. Prosperi, quorum verba dabo* § 9, *annus tantum aut paulo plus exsilio* Liberii *videtur attribui, cum Felix, quem eidem Ariani substituerunt,* post annum *dicatur ejectus cum suis. Si quis tamen existimare voluerit, non statim* Liberio *exsulanti substitutum esse Felicem, illudque* post annum *intelligat ab ordinatione Felicis; incertum fiet, quantum in dictis Chronicis tempus* Liberii *exsilio attribuatur. In operibus S. Athanasii duobus locis* biennio *exsulasse* Liberius *dicitur. Magna esset hæc autoritas, si ipsius Athanasii essent verba: sed utrumque locum Operibus S. Athanasii postea insertum, luculenter ostendam* § 8, *atque ea de causa neque hic firmum figemus pedem.*

94 *Theodoretus lib.* 2 *cap.* 17 *ait, Constantium venisse Romam,* elapso biennio *post relegationem* Liberii. *Venit autem Constantius Romam, ut plerique recentiores chronologi existimant, anno* 357, *exeunte Aprili, mansitque ibidem triginta diebus, id est, usque ad finem fere Maii, sive usque ad* IV *Kalendas Junii, ut affirmat Ammianus lib.* 16 *cap.* 10. *Baronius quidem aliique nonnulli illum Constantii ingresum fixerunt anno* 356, *eisque utcumque favere videtur Ammianus. At Pagius ad annum* 356 *num.* 13 *probat, ingressum illum contigisse anno* 357, *idemque pluribus argumentis evincit Tillemontius tom.* 4 *Imperatorum Nota* 39 *in Constantium. Consentit etiam Gothofredus in Chronologia Codicis Theodosiani ad annum* 357. *Horum consensus, multis argumentis nixus, facit, ut pluribus de eo ingressu non disputem, præsertim cum nequeat ex eo certo colligi, quo anno redierit* Liberius. *Ex eo solum habemus, non rediisse ante mensem Maium anni* 357. *Loquitur quidem ita Theodoretus, acsi ad preces et sollicitationes Romanorum, quas ex ea infra referemus, statim a Constantio revocatus esset pontifex; sed Sozomenus mox laudandus inter illas Romanorum preces et reditum* Liberii *varia interponit, quæ notabile tempus exigunt. Theodoretum pro tempore secutus videtur auctor, sæpe mendax, præfationis, quæ legitur ante Libellum precum Marcellini et Faustini Luciferianorum, quando pag.* 3 *ita loquitur:* Post duos annos *(a relegatione summi Pontificis)* venit Romam Constantius, pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens, ait: Habetis Liberium, qui, qualis a vobis profectus est, melior revertetur. *Innuit auctor ille schismaticus,* Liberium *consensisse Constantio, antequam hic Romam veniret. At certum id est mendacium, ut postea ostendetur. Quod porro ait Theodoretus,* elapso biennio, *et alter* post duos annos *Romam venisse Constantium, stricte sumendum non est: nam mense Maio anni* 357 *currebat adhuc secundus exsilii annus.*

et de tempore, quo reversus est, auctores

antiqui non satis consentiunt.

95 *Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15 *narrat gesta quorumdam episcoporum in conventu Sirmiensi, in quo fuerunt legati ex concilio Ancyrano episcopi, videlicet Basilius Ancyranus, Eustasius Sebastenus, et Eleusius Cyzicenus. Cum autem concilium Ancyranum habitum sit paulo ante Pascha anni* 358, *ut constat certissimis argumentis, non potuerunt legati illius concilii Sirmium pervenire ante Majum aut Junium ejusdem anni, cum Pascha eo anno inciderit in* XII *Aprilis, et certe non videantur Ancyra Sirmium discedere potuisse, nisi post festivitatem Paschalem. Cum autem etiam Sirmii fuerit Constantius ante finem Maii et mense Junio, ut colligitur ex legibus ibidem latis, quæ videri possunt apud Gothofredum in Chronologia Codicis, omnia insinuant, exeunte Maio aut mense Junio anni* 358 *conventum istum fuisse habitum. Laudatus autem Sozomenus asserit,* Liberium *quoque tempore istius conventus Sirmium a Constantio vocatum, absolutoque conventu Romam tandem remissum, ut una cum Felice Romanam Ecclesiam administraret. Si vera sint illa Sozomeni asserta, non discessit Romam* Liberius *ante Junium vel Julium anni* 358. *Verum cum solus Sozomenus* Liberium *in illo conventu fuisse dicat, nec ullum sibi consentientem habeat antiquum, cum hac de causa, tum aliis rationibus, incertam minusque probabilem videri sententiam ejus, probabo* § 10. *Quare relatio Sozomeni certos nos reddere nequit, tam diuturnum fuisse* Liberii *exsilium.*

96 *Verumtamen satis certa mihi videtur sententia Baronii, Pagii, Tillemontii et Papebrochii nostri, qui unanimi consensu reditum* Liberii *figunt anno* 358. *Addunt aliqui ex Anastasio, eumdem*

Videtur tamen reditus cum præcipuis chronologis figendus anno 358 :

dem rediisse Romam die 2 Augusti. At solius Anastasii auctoritas mihi tanta non est, præsertim in elogiis Liberii *et Felicis, quæ ridiculis erroribus sunt deturpata, ut de die reditus aliquid certi statuendum existimem. Argumentum præcipuum, quo probant, non rediisse* Liberium *anno* 357, *petitur ex Lege* 14 de Episcopis, *quæ data legitur* VIII *Idus Decembris*, Constantio nonum et Juliano secundum consulibus, *id est, anno* 357. *Cum enim Lex data sit ad Felicem episcopum; neque alium hunc Felicem existimare possimus, quam Felicem, qui Romanam regebat Ecclesiam, exsulante* Liberio, *inferunt laudati scriptores, adhuc exsulasse* Liberium *die* VI *Decembris anni* 357, *et consequenter eo anno Romam non esse reversum. Accedit et alia ratio, quæ insinuat, non fuisse dimissum* Liberium *Romam statim post Constantii in Urbem adventum, aut etiam post discessum. Nam Socrates Sozomenus et Sulpicius Severus asserunt, remissum esse ob turbas et seditiones Romanorum. At illæ seditiones excitatæ non sunt, præsente Constantio; sed solis tunc precibus institerunt, ut reditum Pontificis sui obtinerent. Respondit ad ejusmodi preces imperator, promisitque se satisfacturum populo Romano, ut asserunt Theodoretus et Sozomenus, modo tamen nonnihil diverso.*

Romani Constantium anno 357 Romæ præsentem pro eo rogarunt,

97 *Theodoretus lib.* 2 *cap.* 17 *instantes apud imperatorem Romæ degentem populi Romani preces pro revocatione* Liberii, *secutumque effectum consequenter narrat, ita scribens :* Gloriosus igitur veritatis Athleta in Thraciam, uti præceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio *(non tamen integro)* Constantius Romam profectus est. Senatorum vero et honoratorum conjuges a viris suis petierunt, ut principem adirent, rogarentque, ut Pastorem gregi suo redderet : addentes, nisi hoc ab ipsis impetrarent, discessuras se ab illis, et ad magnum illum Pastorem migraturas. At illi, iram principis reformidare se dixerunt. Nobis enim, aiebant, utpote viris, nullam fortasse veniam indulgebit. Vobis autem rogantibus proculdubio parcet : duorumque alterum eveniet, ut aut precibus vestris annuat; aut, si abnuerit, saltem illæsas dimittat. Hoc consilium amplexæ præstantissimæ feminæ, cum solemni cultu atque ornatu imperatorem adierunt, ut cum ex veste eas nobiles esse conjecisset, cum reverentia ac lenitate ipsas exciperet. Sic igitur ornatæ cum ad imperatorem venissent, suppliciter ab eo petierunt, ut tantæ urbis Pastore suo orbatæ et luporum insidiis expositæ misereretur.

iisque precibus reditum Liberii obtentum, ait Theodoretus,

98 Ille vero matronis respondit, urbem alio Pastore non egere : habere enim antistitem idoneum, qui ipsius curam gerat. Quippe post magnum Liberium ordinatus fuerat quidam ex ejus diaconis, Felix nomine. Qui formulam fidei, a Nicænis patribus expositæ, integram quidem atque inviolatam servabat : cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset. Idque tum mulieres illæ imperatori suggesserunt. Flexus itaque imperator, egregium illum omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit : ambos vero in commune Ecclesiam administrare. Hæc imperatoris epistola cum in circo recitata esset, populus exclamavit, æquam esse imperatoris sententiam. Spectatores enim divisos esse in factiones duas, ex coloribus suis cognominatas : alterum igitur Episcopum huic factioni, alterum illi præesse oportere. Hac ratione cum imperatoris Epistolam explosissent, omnes una voce acclamarunt : Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. Ipsa enim eorum verba hic apponere æquum existimavi. Post has Christianissimæ plebis acclamationes, pietate ac justitia plenas, reversus est amirandus ille Liberius.

res tamen tam cito peracta non videtur,

99 *Si modo totam hanc relationem diligenter expendamus, ex illa ipsa non inepte colligemus, reversum non fuisse* Liberium, *dum Romæ degebat imperator, cum mentio fiat de Epistola ejus ex ambone lecta, qua jussit* Liberium *simul et Felicem præesse Ecclesiæ. Epistola autem innuit, Romæ non fuisse Constantium, dum illud mandatum dedit. De tali Epistola consensit Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15, *sed Epistolam minus probabiliter attribuit episcopis, anno* 358 *Sirmii cum imperatore congregatis. Itaque ex hac Epistola, de qua mox plura dicam, abunde colligitur, reditum* Liberii *non fuisse a Constantio Romæ decretum. Itaque verisimile est, primum Constantii responsum fuisse, Romanis antistitem esse Felicem, ut habet Theodoretus. Ad iteratas vero preces respondisse Constantium existimo, quemadmodum habet Sozomenus lib.* 4 *cap.* XI, *ita scribens :* Ubi vero imperator Romam ingressus est, populus Romanus crebris acclamationibus interpellare eum pro Liberio non destitit et rogare, ut ipsis restitueretur. Itaque imperator, adhibitis in consilium episcopis, qui cum ipso erant, respondit, revocaturum se illum, et petentibus redditurum esse, si sacerdotibus, qui in ipsius erant comitatu, consentire vellet. *Verum hæc promissio non poterat satisfacere Romanis, qui non repetebant prævaricatorem, sed Catholicum. Si enim nemo ecclesiam ingredi volebat, dum in ea erat Felix, quod maculatus esset communione cum Arianis; quommodo libenter recepissent* Liberium *Arianis consentientem?*

sed solum postquam populus Romanus turbas et seditiones excitabat,

100 *Neque solus Theodoretus dicit, quantum populus Romanus a Felice ob communionem cum Arianis abhorreret; sed idem quoque testatur S. Athanasius in Historia Arianorum num.* 75, *ubi ait, Felicem ab Arianis ordinatum fuisse* in palatio, *addita hac ratione :* Populi enim, animadversa hæreticorum prævaricatione, non concesserunt, ut in ecclesias illi ingrederentur, sed procul [ab] illis abcesserunt. *Et ante num.* 41 *generatim dicit de populis exsulantium episcoporum :* Populi vero per singulas ecclesias, quam didicere, fidem retinentes, magistros exspectant suos, ac Christo adversariam hæresim. . omnes veluti serpentem aversantur. *Non poterat igitur populo placere promissio talis, qualem exprimit Sozomenus; ideoque verisimile est, populum postea ad turbas et seditiones paulatim fuisse concitatum, ut factum asserunt Socrates, Sozomenus et Sulpicius. Desparata quidem erant ea consilia, et populo Christiano indignissima; sed furor populi læsi rationes frequenter non audit; ideoque contra testimonia scriptorum supparium judicare non possumus, facta non fuisse. Nullum quoque potest esse dubium, quin seditiones Romanorum natæ essent gravioris mali timorem afferre Constantio, cum ambitiosi ejusmodi occasionibus uterentur ad tyrannidem arripiendam; et jam quatuor aut quinque tyranni imperium usurpassent eo tempere, quo Constantius imperaverat. Itaque necesse non videtur aliam remissi Romam* Liberii *causam quærere, quam ingens populi Romani studium desideriumque, precibus, turbis, seditionibus declaratum.*

tum remissus, ut una cum Felice præesset

101 *Ipse modus, quo* Liberius *Romam remissus est, satis insinuat, magis metu populi Romani, quam amore ipsius* Liberii, *in reditum hujus consensisse Constantium. Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15 *ita habet :* His per Occidentalium legatos confectis.

AUCTORE J. S.

ctis, imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit. Scripserunt etiam episcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem, qui tum Romanæ Ecclesiæ præsidebat, et ad clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, utque ambo apostolicam Sedem gubernarent, et simul sacerdotio fungerentur absque ulla dissentione; et quidquid molestiæ acciderat propter Felicis ordinationem atque absentiam Liberii, oblivioni traderent. Nam Liberium utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat; adeo ut ejus causa gravissimam seditionem excitaverit, et ad cædes usque proruperit. *Hoc nimirum populi Romani studium reditum* Liberii *Constantio extorsit. At odium, quo episcopi Ariani Liberium prosequebantur, effecit, ut æmulum Felicem non amoveret Constantius, ridiculoque consilio duos simul Ecclesiæ præesse juberet. Valesius in Annotatis ad locum allegatum observat, illa* non nisi a concilio decerni *potuisse*, cum repugnet ecclesiasticæ regulæ ac disciplinæ, ut in una eademque ecclesia duo sint pariter episcopi. *Hæc recte dicerentur, si* B *Constantius cum suis Arianis nihil umquam fecisset contra ecclesiasticam disciplinam. Cum vero multis annis nihil fere fecerit secundum leges ecclesiasticas, quis mirabitur, a Valente, Ursacio et Germinio, qui passim Constantio aderant, eidem persuaderi potuisse, ut bicipitem conaretur facere Ecclesiam Romanam? Hoc paucorum episcoporum conventum, qualis anno 358 fuit Sirmii, nihilo magis facere poterat; ut ea de causa necesse sit in concilio id statutum dicere.*

At redeunte Liberio, Felix aut cedit aut expellitur,

102 *Rediit porro Romam versus* Liberius : *at, si Theodoreto credimus, præcessit Constantii epistola, eaque* in circo recitata *est, et cum risu a populo Romano excepta. Post jocos, inquit Theodoretus,* Omnes una voce acclamarunt : Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. *Ait autem, se ponere* ipsa eorum verba. *Quapropter* Liberium *quidem misit Constantius; sed populus remissum Pontificatui restituit, et, neglecto imperatoris mandato, effecit, ut Felix vel ultro cederet vel ejiceretur. Theodoretus enim ait* : Post has Christianissimæ plebis acclamationes, pietate ac justitia plenas, reversus est admirandus ille Liberius. Felix vero recedens ad aliam urbem se contulit. *Secundum Socratem et Chronica Hieronymi et Prosperi, Felix* C *ejectus est. Si credimus auctori præfationis, additæ Libello precum Marcellini et Faustini, bis ejectus fuerit a populo Felix. Nam pag. 4 ita loquitur* : Tertio *(exsilii)* anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit : Felix notatus a senatu vel populo de Urbe propellitur, et post parum temporis impulsu clericorum, qui perjuraverant, irrumpit in Urbem, et stationem in Juli basilica trans Tiberim dare præsumit. Quem omnis multitudo fidelium et proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt. *Huic expulsioni Felicis,* licet invitus, *consensum præbuit Constantius, si vera dicat Socrates. Id certum est, solum præfuisse* Liberium, *et Felicem vel sponte cessisse vel coactum,*

vitamque ducit privatam usque ad mortem;

103 *Attamen Sozomenus de expulsione Felicis non meminit; sed credidit, paulo post defunctum, ita scribens* : Post hæc vero cum Felix modico tempore supervixisset, Liberius solus Ecclesiam administravit. Quod quidem divina providentia ita dispensavit, ne Sedes Petri dehonestaretur, a duobus præsulibus simul gubernata : quod discordiæ signum, et ab ecclesiasticis legibus alienum est. *At nullum ex antiquis invenio, qui Sozomeno consentiat. Philostorgius lib. 4 cap. 3 ait*, Liberium D *deinde præfuisse, et de Felice adjungit* : At Felix, qui, absente Liberio episcopus fuerat ordinatus, ad sua se recepit, episcopi quidem dignitatem retinens, nulli tamen præsidens ecclesiæ. *Dicta præfatio habet* : Post annos octo, Valentiniano et Valente consulibus *(id est, anno 365)* x Kalendarum Decembrium die defunctus est Felix. *Non inquiro, an vera hæc sit epocha obitus Felicis. Certe auctor ille schismaticus, qui Felici vehementer contrarius est, exiguam meretur fidem. Potuit ille in patrocinium schismatis sui caute prætermittere martyrium, quo Felix creditur coronatus ob damnatum Constantium, et epocham obitus confingere Constantio posteriorem.*

quam dicitur obiisse martyrio coronatus,

104 *Certe S. Felicis sub Constantio martyris meminerunt antiqua Martyrologia, ut probatum est in S. Felice II ad* XXIX *Julii. Neque hic recte quis dixerit, æque incredibilem esse damnationem Constantii per S. Felicem, et hujus eam ob causam martyrium. Etenim, ut mox ostendam, inter* Liberium *et Felicem recte convenit post prioris reditum. Cum autem Felix libere communicasset cum Arianis quando, exsulabat* Liberius, *non est verisimile,* Liberium *cum illo communicare voluisse,* E *nisi suspicionem hæreseos, et maculam communicatione cum Arianis contractam, insigni aliquo facto elueret, qualis erat damnatio Constantii et Arianorum. Ex damnatione vero Arianorum ipsum martyrium non fit incredibile, cum Felix in villa sua facile posset occidi.*

non est dubitandum, quin Liberium agnoverit Pontificem.

105 *Jam vero recte convenisse inter Felicem et* Liberium, *postquam hic Sedem suam receperat, colligitur ex ipsa præfatione iteratis vicibus memorata, in qua pag.* 4 Liberius *clericos Felicis dicitur recepissse post mortem ejus* in locis propriis. *Asserit hoc auctor schismaticus, Felici magis etiam quam* Liberio, *contrarius, et nullus revera antiquus affirmat, certamina ulla fuisse, saltem diu continuata, inter* Liberium *reversum et Felicem alio profectum. Potuisset tamen favore Constantii, qui utrumque Pontificem esse jusserat, sedem aliquam Romæ repetere, si maluisset ambitioni servire, quam justitiæ et legibus ecclesiasticis. Nulla igitur videtur superesse ratio dubitandi, quin Felix* Liberium *reversum veneratus sit ut summum Pontificem, eaque sit ratio, qua omnes ipsius clerici* in locis propriis, *id est, in gradu, quem obtinuerant apud* Liberium *aut Felicem, fuerint relicti, verisimiliter etiam ante mortem Felicis. Quapropter, sive martyr fuerit S. Felix, ut habent* F *Martyrologia, sive quiete aliquot annis supervixerit, non est ratio negandi sanctitatem Felicis, abunde vindicatam ad* XXIX *Julii.*

Felix in nostra sententia non fuit summus Pontifex.

106 *Quæri ulterius potest, an non solum pro Sancto, sed etiam pro Romano Pontifice Felix videatur habendus. Fateor lubens, me Felicis legitimum Pontificatum invenire non posse, quidquid senserint Majores mei cum Baronio. Consentiunt omnes Felicem fuisse ordinatum, dum legitimus Pontifex erat* Liberius, *nec ullus audebit affirmare, exsilio per Constantium irrogato verum desiisse esse Pontificem. Potuit quidem Pontificatu cedere* Liberius *exsulans, ut Felix legitimus fieret Pontifex. At id fecisse* Liberium, *nullus antiquorum affirmat : neque omnino id verisimile est aut credibile, cum contrarium liqueat ex gestis in reditu* Liberii. *Quæro igitur factum, quo Pontificatum amisisset* Liberius, *et nullum invenio, quod vel minimum habeat verisimilitudinis aut probabilitatis. Nullam ego admitto* Liberii *prævaricationem, non subscriptionem alicujus formulæ Arianæ, non damnationem S. Athanasii neque*

A *neque communicationem cum Arianis In ea itaque sententia, quam propugno, cessant rationes, quas adduxit Baronius ad annum* 357 *num.* 44.

nec summum Felicis Pontificatum in assertis Baronii,

107 *Fateor tamen, me ne in Baronii quidem sententia legitimum Felicis Pontificatum invenire. Dicit enim, Felicem pro vero Pontifice haberi cæpisse, quando reversus est* Liberius, *maculatus, ut vult, injusta damnatione S. Athanasii, communione cum Arianis, et subscriptione primæ formulæ Sirmiensis. Hisce num.* 42 *dictis, electionem Felicis exponit num.* 44 *his verbis :* Quod adeo turpiter Constantio consensisset, plurimorum à se animos abalienatos invenit : sicque, qui Felicem antea abhorrebant, vitataque ejus communione, inhærentes erant Liberio, re audita, ab eo deficientes, Felici Catholicæ fidei vexillum extollenti sese junxerunt. A quo tempore cœpit Felix, ante schismaticus, haberi jam ab illis legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex : existimatusque Liberius, ob manifestam cum hæreticis communicationem ex Epistolis ab ipso scriptis (*imo eidem suppositis, quas Romani verisimiliter numquam viderant*) de conniventia B cum Arianis à communicatione Catholicorum prorsus extorris ; impossibile esse judicantibus cunctis, eumdem Liberium communicare posse hæreticis atque Catholicis. Cum igitur adeo manifeste constaret de ejus communione inita Sirmii cum hæreticis; ex eo ipso necessario videbatur exclusus a communione Catholica, atque ob id etiam a Pontificatus functione penitus alienus. *Hactenus Baronius, qui tamen contendit, hæreticum non fuisse* Liberium.

quæ omnibus antiquis sunt contraria,

108 *Porro allata Baronii verba non adduxi, quia vera esse existimo, quæ dicuntur de abalienatione animorum a* Liberio, *et concursu ad Felicem, cujus Pontificatus solo populi accursu non poterat fieri legitimus. Solum recitavi Eminentissimi viri verba, ut intelligat, studiosus lector, quo ille modo consuerit Romanis excipiendum fuisse* Liberium, *si noverant prævaricatorem. Cum enim ex nullo auctore antiquo, imo ne ex Anastasio quidem probari possit, vel unum Romanorum redeunti* Liberio *obstitisse, aut ab eo alienatum fuisse; illa non scripsit Baronius, quia apud ullum auctorem fide dignum invenit ; sed quia credidit, a populo Catholico prævaricatorum non fuisse modo magis gratioso excipiendum. Quare, si* Liberius *modo plane diverso summoque Romano-* C *rum studio exceptus, si Felix aut sponte recessit, aut a populo Romano expulsus est, ut omnia plane antiqua monumenta consentiunt : non video, qua probabilitate dicatur, prævaricationem qualemcumque* Liberii *Romanis innotuisse ante ejus reditum, eaque occasione Pontificatum Felici fuisse delatum. Aut ego vehementer fallor, falluntque auctores antiqui, aut* Liberius *populum Romanum faventem habuit, Arianos vero adversantes; Felix contra Romanos adversantes, faventes Arianos. Res hæc non mea meditatione inventa est ; sed ex antiquorum assertis clare eruitur. Romani ab imperatore* Liberium *Pontificem suum instanter repetebant, ejusque causa turbas et seditiones excitabant. Constantius et Ariani, cum non auderent diutius Romanorum postulatis obsistere; nolebant tamen* Liberium *Sedi suæ prorsus restituere, et Felicem expellere ; sed bicipitem tentabant facere Pontificatum, ut sic partem saltem in sua communione retinerent. Romani non contenti ridicula hac dispositione, Felicem expellunt,* et Liberium *cum gaudio excipiunt. Constantius vero* vel invitus, *inquit Socrates, non igitur amore* Liberii *odiove Felicis, assensum Romanis præbuit. Ita loquuntur antiqui, a quibus non est recedendum sine causa.*

nullo modo invenire valeo.

109 *Nulla igitur ratione admittere possum, Felicem fuisse factum legitimum Pontificem, quando rediit* Liberius : *neque enim hic legitur cessisse Felici, sed Felix aut pulsus aut discessisse ubique dicitur. Denique nulla est mentio ullius in Romana Ecclesia schismatis post reditum* Liberii : *schisma tamen haud dubie ortum fuisset, si partes Felicis Romani fuissent secuti. Nam quæ refert Baronius num.* 45 *de persecutione excitata in Romana Ecclesia ab eodem die, quo rediit* Liberius, *non nituntur ullis monumentis fide dignis. Laudat Catalogos Romanorum Pontificum diu post scriptos, quos constat erroribus plane absonis et ridiculis maculatos in* Liberii *et Felicis elogiis. Addit Vitam S. Eusebii presbyteri Romani, quam fabulosam esse, probatum est in Opere nostro ad* XIV *Augusti, ubi de S. Eusebio actum. Si tamen prioribus post reditum* Liberii *diebus Romani nonnihil tumultuati fuerint, ut verisimile est, quia dicuntur Felicem cum clericis ei adhærentibus expulisse ; non contra* Liberium *steterunt Romani, sed pro* Liberio *contra Felicem, et contra imperatoris mandatum, quo Ecclesiam volebat bicipitem fa-* E *cere. Verum talia non sunt, quæ leguntur in fabulosa S. Eusebii Vita, in qua Constantius et* Liberius, *qui numquam simul Romæ fuerunt, finguntur simul Romæ Eusebium ob fidem Catholicam persequi. Texitur dialogus mendax inter constantium,* Liberium *et Eusebium. Figmenta hæc igitur sunt plane insulsa. Ex vita vero tam fabulosa nequaquam nosse possumus, utrum S. Eusebius defunctus sit post reditum* Liberii, *an diu ante, aut exilii ejus tempore. Tot documenta mendacia, quibus fama* S. Liberii *oppugnatur, ex officinis schismaticorum producta crediderim.*

Ratiocinium pro Liberii innocentia.

110 *Lubet modo ex dictis breve subjicere ratiocinium, quo liqueat, quam parum verisimilis aut probabilis sit* Liberii *lapsus, quem ex documentis fere supposititiis media ætas adoptavit. Romani, Catholica fide ornati, et Arianis maxime contrarii,* Liberium *exsulem summo studio repetierunt, parique gaudio redeuntem exceperunt. Quis igitur facile credat, ullam* Liberii *prævaricationem innotuisse Romanis, quando reversum exceperunt? Romani Felicem, neglecto imperatoris mandato, aut Urbe excedere coëgerunt aut expulerunt: tantumne facerent pro prævaricatore, et communione cum Arianis maculato, aut injusta S. Athanasii da-* F *mnatione? Romani a Felice abhorrebant, quia ab Arianis ordinatus erat, et cum iis communicabat : quomodo igitur* Liberium *tantopere amare, tantoque cum gaudio excipere poterant, si iis obnoxium noverant prævaricationibus, quas finxerunt hæretici aut schismatici, quasque credula nimis posteritas pro veris recepit? Nequeo certe ego tantum Romanorum de reditu* Liberii *gaudium, tantumque eorum studium ad Pontificatum soli* Liberio *vindicandum, verisimili ratione componere cum subscripta Arianorum formula, cum damnatione S. Athanasii, cum* Liberii *communicatione cum Arianis. Non invenit etiam Baronius, quo modo illa recte conciliaret ; eaque de causa contra omnium antiquorum auctoritatem, nulloque nixus vetusto testimonio, maluit dicere,* Liberium *invenisse abalienatos a se Romanorum animos. Hoc tamen facile excusari potest in eruditissimo Annalium conditore, qui historiam ecclesiasticam expurgare cæpit ; sed omnia solus facere non potuit. Adeo sibi persuaserat lapsum* Liberii *ob magna, quæ pro illo lapsu laudantur nomina Athanasii; Hieronymi et* *ipsas*

AUCTORE J. S.

ipsas Liberii *litteras (quæ tamen nomina tantum esse videbimus) ut ne cogitasse quidem videatur de lapsu* Liberii *in dubium revocando. Maluit igitur ex conjectura dicere,* Liberium *non bene a Romanis exceptum, quam antiquorum adoptare testimonia, quæ cum* Liberii *prævaricatione non satis cohærent.*

partim ex dictis formatum,

111 *Tillemontius tom.* 6 *Monum. Eccl. in Arianis art.* 75 *triumphantem* Liberii *reditum ex iisdem enarrat antiquorum scriptis, quibus et nos usi sumus, agnoscitque summo Romanorum gaudio exceptum fuisse; Felicem vero expulsum, etiam iteratis vicibus, quod ultimum ex sola præfatione hominis schismatici non æque certum est, cum de tentato per Felicem reditu reliqui omnes sileant. Verum, jam minime capio, quomodo vir alias criticus, qui non raro nimia severitate monumenta etiam non mala ab Historia ecclesiastica ablegare contendit, perspicere non debuerit, multa ante a se relata fuisse ex documentis maxime suspectis, quæ eum tanto de recepto* Liberio *Romanorum gaudio non recte cohærent. Etenim art.* 69, *ubi narrat lapsum* Liberium, *adoptat omnia, quæ leguntur in Epistolis* Liberio *suppositis; neque his contentus, ad ipsum quoque clerum Romanum* B *de lapsu suo scripsisse* Liberium *asserit. Hasce autem omnes Epistolas ab anno* 357 *scriptas ponit, id est, septem, ut minimum, mensibus, aut toto fere anno ante* Liberii *reditum, ut lapsus ejus Romæ non posset non esse notissimus. In iis autem Epistolis (quas fictitias ostendi* § 3) Liberius *dicitur communionem amplecti Valentis, Ursacii, Germinii, Auxentii, Epicteti, qui erant præcipui Ariani in Pannonia et Italia, uti et Demophili in Thracia, et omnium Orientalium; damnare item Athanasium, et confessionem fidei eorum libenter suscipere et approbare.*

partim aliis rationibus

112 *Jam vero quiscumque Tillemontii vindex candide edicat, an credendum sit, Romanos fuisse anno* 358 *Arianos, aut saltem ita affectos, ut nihil interesse crederent, Arianumne, aut sexcentis certe prævaricationibus obnoxium, reciperent* Liberium, *an Catholicum et dignum S. Petri successorem? Poterantne tantopere gaudere de recepto prævaricatore, et Felicem, qui Catholicus erat, sed Arianorum communione pollutus, tanto prosequi odio, ut eum Urbe expellerent in gratiam hominis cum Arianis conjunctissimi? Interim quantum ego existimo, S. Ambrosius, qui verisimiliter Romæ erat, redeunte* Liberio, *hujus sanctitatem non* C *iis celebrasset verbis, quæ dedi num.* 2, *si talibus credidisset* Liberii *reditum sceleribus impetratum, qualia sibi finxit Tillemontius. Præterea, si exstabant* Liberii *de sua prævaricatione tot litteræ, si de lapsu ipso aliunde satis constabat, quomodo factum dicemus, ut nulla de eo reperiatur mentio in scriptis Patrum ejusdem temporis? De Hosii lapsu frequenter et acriter conqueritur S. Hilarius in libro de Synodis et Contra Constantium; nuspiam de* Liberio, *quamvis lapsum ejus ignorare non posset, si verus sit.* Liberium *laudibus extollit S. Athanasius; nullibi prævaricationis arguit: nam quæ de lapsu* Liberii *in ejus Operibus leguntur, postmodum addita videbimus. Scripserunt iis quoque temporibus contra Arianos Lucifer Calaritanus, Marius Victorinus Afer, S. Phœbadius episcopus Aginensis. Nullus eorum vel verbo meminit de ulla* Liberii *prævaricatione.*

confirmatum.

113 *Ultimus vero ad objectum ab Arianis Hosii lapsum respondet sine ulla mentione de* Liberio, *ut hinc non inepte colligatur, non ausos fuisse Arianos calumniam, quam post Hosii lapsum de* Liberio *sparserant, eo tempore sustinere. Ad hæc nullum uspiam reperitur vestigium vel minimæ* D *dissensionis, quæ fuisset ea de causa inter* Liberium *et episcopos Catholicos, aut inter illum et Romanos. Numquam se excusasse aut defendisse legitur* Liberius; *quod sane mirum esset, si vera esset opinio de ejus lapsu. Rexit Ecclesiam post exsilium, sicut antea rexerat: concilium Ariminense, in quo hæreticorum fraude hæresi subscripserant Catholici, continuo improbavit, deceptosque episcopos ad pœnitentiam revocavit. Denique alia multa præclare fecit octo illis annis, quibus deinde vixit; et nullam de ejus regimine querelam inveni apud scriptores ejusdem temporis. Quare, quæ de ejus lapsu credidit posteritas, conficta videntur per schismaticos, maxime Luciferianos, inter quos famosus fuit Hilarius diaconus. Hi priorem Arianorum calumniam renovare potuerunt, cum nihil fere haberent, quo se defenderent, præter mendacia. Verum accedamus tandem ad examinanda fundamenta adversariorum.*

§ VIII. Utrum Liberius videatur subscripsisse formulæ fidei ab Arianis compositæ, aut contra S. Athanasium? loca ex Operibus S. Athanasii afferri solita, non sunt Athanasii. E

Rufinus de vera reditus Liberii causa dubitavit,

R*Ufinus lib.* 10 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 27 *dubitanter de causa reditus* Liberii *loquitur, ita scribens:* Nam Liberius urbis Romæ episcopus, Constantio vivente, regressus est. Sed hoc utrum quod adquieverit voluntati suæ (*Constantii*) ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo. *Hæc Rufini verba non mediocrem mihi dubitationem injecerunt, quod viderem communi fere scriptorum recentiorum consensu tradi, formulæ alicui ab Arianis compositæ et comdemnationi S Athanasii subscripsisse* Liberium, *ab iisque solum in controversiam adduci, fueritne prima an secunda, aut tertia formula Sirmiensis, cui subscripsit, acsi de subscriptione alicujus certo constaret. Etenim sic ego mecum ratiocinabar. Si Rufinus, qui juvenis* Liberium F *nosse potuit, qui certo Fortunatianum Aquileiensem episcopum, cui* Liberii *lapsus imputatur, Aquileiæ, ubi studiis operam dedit, cognoverat,* certo compertum *non habuit,* utrum quod adquieverit voluntati *imperatoris* ad subscribendum, *an vero ob preces Romanorum dimissus sit* Liberius; *unde compertum habere possunt scriptores neoterici, quæ tanto tradunt consensu? Crevit ea dubitatio, cum quod observarem, scriptores suppares de lapsu* Liberii *prorsus silere, ac solis Romanorum precibus aut excitatis a populo turbis restitutionem* Liberii *attribuere; tum quod perspicerem, vel maxime contra* Liberium *a recentioribus intorqueri litteras ejus nomini suppositas, de quarum falsitate dubitare nequeo, et Fragmenta illa* S. Hilario *ridicule attributa, de quibus abunde egi.*

sententia vero de lapsu ejus non probatur certis argumentis,

115 *Hanc instrumentorum, a librario quodam in uno codice sine ordine collectorum, farraginem cum pauculis hominis indocti et ignoti Annotatis, qua ratione pro Opere S. Hilarii primum obtrudi, et a multis eruditis tam facile recipi potuerit, numquam intelligam. Interim video; ex iis Fragmen-*

tis

A *tis auctoritatem fuisse quæsitam supposititiis* Liberii *litteris, et plurimas maculas famæ et nomini Liberiano perperam aspersas, ut non dubitem Fragmenta illa vocare fontem sexcentorum errorum, qui in Historiam Arianorum Tillemontii aliorumque irrepserunt, et vel maxime, ubi agitur de gestis* Liberii. *Etiamsi enim de lapsu aliquo* Liberii *aliunde satis constaret, necdum vera essent plurima, quæ ex illis Fragmentis mordaci stylo contra* Liberium *fuerunt conscripta. Verum nec ullus* Liberii *lapsus, nec ullius formulæ Arianorum ad Semiarianorum subscriptio, tam certis probatur argumentis, ut mihi non appareat probabilius, omnia illa, quæ de lapsu* Liberii *dicuntur, ex calumniis Arianorum ortum duxisse. Certe neoterici multum divisi sunt de formula, cui subscripserit, dum alii primam Sirmiensem, alii secundam, alii demum assignant tertiam. Si vero omnium argumenta expendamus, nullum inveniemus, qui sententiam suam possit facere probabilem, nisi solum refutando oppositas, sive ostendendo, has probabiliter sustineri non posse.*

ideoque diligenter est examinanda.

116 *Qua de causa impositam mihi video necessitatem examinandi, an lapsus* Liberii *revera satis videatur certus aut probabilis. Quemadmodum*
B *enim examinamus ea, quæ ad honorem et gloriam Sanctorum conducunt, ut liqueat, quam sint certa aut incerta; pari ratione nefas credimus sine examine admittere, quæ ipsis dedecori sunt, etiamsi satis communi neotericorum consensu fuerint recepta. Ex opinione enim de lapsu S. Marcellini, quæ olim communis erat, et hoc tempore a plerisque, eruditis falsa creditur, abunde colligitur, nonnullas opiniones medio ævo invaluisse, quæ diligenti et critica antiquorum scriptorum perscrutatione aut incertæ, aut improbabiles, aut etiam certo falsæ reperiuntur. Non dissimulabo ullum ex argumentis, quibus Baronius aliique lapsum* Liberii *asseruerunt; sed singula ordine dabo, eorumque vim examinabo, oppositis tamen iis, quæ vicissim mihi se offerent ad vim argumentorum infringendam, aut sententiam de perpetua* Liberii *constantia confirmandam.*

Loca ex Operibus S. Athanasii pro lapsu Liberii allegata:

117 *Primo Baronius ad annum* 357 *num.* 32 *adducit locum ex Epistola S. Athanasii ad Solitarios, sive ex Historia Arianorum ad Monachos, ut vocatur in editione Parisiensi Benedictinorum, ubi num.* 41 *hæc leguntur :* Porro Liberius extor-
C ris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita. *In eumdem de* Liberii. *lapsu sensum trahuntur verba ex Apologiæ S. Athanasii contra Arianos, in qua num.* 89 *hæc leguntur :* Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exsilium sustinuerint. ex eorumque numero sit Liberius Romæ episcopus nam etsi exsilii ærumnas ad finem usque non toleravit, attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exsilii loco est commoratus. *Hæc ultima verba facile exponi possent de exsilio non quidem perpetuo, sed biennali tolerato, nisi prioribus lapsus aliquis* Liberii *clarius indicaretur. Nam verba illa,* Etsi exsilii ærumnas ad finem usque non toleravit, *solum significant etsi non fuerit in exsilio ad finem usque vitæ, in eo tamen fuit biennio. Nec plus etiam significant verba Græca. Hac forte de causa Baronius locum illum non allegavit.*

AUCTORE J. S. verum Opera illa S. Athanasii citius fuerunt conscripta,

118 *Verum alia ad utrumque locum se offert responsio : utrumque enim Opus laudatum fuit conscriptum ante tempus, quo lapsus dicitur* Liberius, *ut illa certe Athanasius non scripserit, quando Opera illa composuit. Hoc alii dudum viderunt et agnoverunt, etiamsi de lapsu* Liberii *non dubitarent. Ordiar ab Apologia contra Arianos, quæ ante ipsum etiam* Liberii *Pontificatum fuit composita. Benedictini editores Operum S. Athanasii in præfatione sua pag.* 118 *existimant, Apologiam contra Arianos scriptam circa annum* 350, *id est, duobus fere annis ante Pontificatum* Liberii, *et septem aut octo ante reditum ejusdem ab exsilio. Hanc autem dant rationem.* Ex compluribus enim hujus Apologiæ locis, ac ex ipso potissimum initio liquet, editam fuisse, antequam Ursacius et Valens, qui ab Arianis partibus resilierant, et suam adversus Athanasium sycophantiam confessi fuerant, in impietatem reciderent, et adversus Athanasium Arianis denuo se jungerent, quod, ut tardius anno CCCLII contigisse, alias demonstrabitur. *Argumentum illud clarum est, ex eoque evincitur, inter annum* 349 *et* 352 *Opus fuisse conscriptum. Accipe, lector, missis aliis locis, ultima, prout conscripta videtur, Apologiæ verba :* Quis conspectis hujusmodi rebus, non fateatur, Valentem et Ursa- E
cium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes, ejusmodi litteras adversum se conscripsisse, quod mallent aliquantisper pudore suffundi, quam æternum sycophantarum supplicium luere? *Hinc in Annotatis observant editores, ultima hæc esse Apologiæ verba, (quod alio etiam argumento ostendunt) et reliqua usque ad finem,* diu post scriptam Apologiam hic addita fuisse, *nimirum duos ultimos articulos, in quibus agitur de* Liberio *et Hosio.*

et apologia quidem circa annum 349 aut 350.

119 *Papebrochius noster in S. Athanasio ad* 2 *Maii cap.* 19 *num.* 220 *eadem fere de tempore scriptæ illius Apologiæ, et de additis posterioribus dixerat; imo et in præfatione num.* 15, *licet ibidem errore typographico legatur* CCCXLII *pro* CCCXLIX. *Errorem hunc esse typographicum, ostendit ratio addita,* Quoniam nulla continet Acta post reditum ab exsilio confecta. *Nam reditus Athanasii contigit, et a Papebrochio figitur anno* 349. *Eamdem rationem rursus allegat Papebrochius num,* 220, *ubi nullus est error in numero, ita scribens :* Hoc autem tempore compositum, ideo præcipue sustineo; quod nihil contineat ultra annum CCCXLIX, quo suam F
pœnitentiam Ursacius et Valens scripto signarunt. Nam quæ de Liberio Hosioque adduntur in fine, quando et quomodo accesserint, in præfatione jam dixi, et rursum suo loco indicabo. *Cum itaque idem utroque loco Papebrochii sit sensus de tempore Operis conscripti circa annum* 349, *nimis negligenter Tillemontius Nota* 81 *in S. Athanasium Papebrochium contraria sibi scribentem exhibet, ridiculamque excogitat occasionem, qua in errorem, ut vult, primo loco inciderit. Verum tali utendum erat præludio, ut sententiam Papebrochii, ab editoribus Benedictinis adoptatam, refutare inciperet. Audiamus igitur, quid afferat ad eam reformandam.*

Tillemontii objectiones contra epocham datam.

120 Scribebat, *inquit,* quando novum de causa ipsius postulabatur judicium, de quo verisimiliter cogitatum non est, nisi quando anno CCCLIII Constantius pacificum totius imperii dominium adeptus est. *Nugæ hæ sunt Tillemontianæ, quas Papebrochius noster jam quasi prævisas refutavit. Nam ostendit cap.* 19, *novos statim exortos esse Arianorum motus propter Marcellum Ancyranum cum S. Athanasio simul absolutum in concilio Sardicensi*

AUCTORE J. C.

censi anno 347. Quare omnino non capio, qua ratione Tillemontius illa objicere potuerit; cum ipse narret ad singulos fere annos nova Arianorum aut Eusebianorum contra Athanasium molimina; neque ignoraverit eum eodem anno 347, quo causa ipsius justa est declarata in concilio Sardicensi, ab Eusebianis rursus damnatum fuisse in conciliabulo Philippopolitano. Imo allegata ratio Tillemontio potius est contraria : nam anno 356, quo ille Apologiam vult compositam, Ariani et Constantius non volebant novum de Athanasio judicium, sed vi exsiliisque cogebant omnes latæ ab Arianis contra ipsum sententiæ subscribere. Altera ipsius ratio est, quod in duobus posterioribus articulis legantur exsilia Liberii, *Hosii, multorumque aliorum episcoporum, quorum nomina non exprimuntur. Hæc autem partim non innotuisse Athanasio, partim etiam non esse facta ante annum 356, recte observat. Adjecta vero postmodum fuisse, se existimare non posse contendit.*

Operis Athanasiani refelluntur

121 *Mavult igitur credere, illa sola Operi postmodum inserta per parenthesim fuisse, quæ ibidem leguntur de lapsu* Liberii, *(ut allegata verba* B *exponit,)et de lapsu Hosii. Ad propositum nostrum satis quidem est, quod hic admittere cogitur Tillemontius; neque enim magis verisimile fit, ab ipso Athanasio parentheses illas fuisse additas, quam totam partem posteriorem, ut postea ostendam. At id satis non est ad veram Apologiæ epocham statuendam. Etenim ridicula videri potuisset illa Apologia, si edita ab Athanasio fuisset anno 356 aut 357. Cum enim nihil contineat de objectis Athanasio calumniis post annum 349, quæ tamen multiplices erant et graves, ut videri potest in ipsius Apologia ad Constantium, quæ anno 356 aut serius potest esse scripta, merito Ariani talem Apologiam risissent, et non inepte respondissent, hominem decies judicatum et absolutum, vel sic iterum in judicium vocari posse, si de novis accusetur criminibus. Intempestiva igitur et invalida fuisset illa Apologia anno 356, cum in ea non refutentur calumniæ post concilium Sardicense, aut certe post annum 349 ab Arianis confictæ, quarum causa Constantius novam contra Athanasium persecutionem exorsus erat, sententiæque contra ipsum latæ omnes volebat subscribere.*

Articuli Apologiæ Athanasianæ diu post additi

122 *Verum modo examinemus, an verisimile sit, ab ipso Athanasio addita esse illa, de quibus agimus. Nam hoc magis pertinet ad propositum nostrum. Utrum editores Benedictini crediderint, ultimum istud fragmentum ab ipso Athanasio, an ab alio, Apologiæ adjunctum, ibidem non edicunt; sed solum observant,* diu post *additum esse. Mihi autem vix ullum relinquitur dubium, quin sit pannus ab homine imperito diu post mortem S. Athanasii assutus. Certe illud fragmentum S. Athanasio prorsus indignum est : neque in eo relucet stylus, dialectica, ingenium, aut methodus scribendi S. Athanasii, neque cum Apologia recte connectitur. Hæc omnia sermonem Græcum recte intelligentibus, et ad singula studiose attendentibus, erunt manifesta, quantum existimo. Ordior ab inutilitate fragmenti. Postquam judicia pro se lata, cum ante, tum anno 347 in concilio Sardicensi, et pœnitentiam Ursacii et Valentis exposuerat in Apologia S. Athanasius; num. 58 insinuat, quibus de rebus ulterius sit acturus his verbis :* Quo autem palam fiat, eos non gratia quadam, non necessitate aut vi inductos esse ad hæc agendum, libet cum vestra bona venia rem altius ab exordio enarrare, ut cognoscatis, episcopos æqui bonique studio talia conscripsisse, Valentem vero Ursaciumque, quantumvis sero, veritatem tamen confessos. D *Hæc duo ubi præstiterat, num. 88 Apologiam concludit hoc modo :* Quis hæc advertens non fateatur, nullam indulgentiam aut gratiam in causa nostra locum habuisse, sed jure et merito tantam episcoporum turbam, et privatim singulos et congregatos, talia in nostram defensionem conscripsisse, inimicorumque sycophantiam damnasse? Quis, conspectis ejusmodi rebus, non fateatur, Valentem et Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes, ejusmodi litteras adversum se conscripsisse, quod mallent aliquantisper pudore suffundi, quam æternum sycophantarum supplicium luere? *Hæc recte, elegantique stylo.*

variis rationibus

125 *At episcoporum exsilia, quæ deinde subnectuntur, non faciunt ad propositum Athanasii. Etenim ille ostendere voluit, recte se absolutum variis judiciis ideoque opus non esse novo judicio, ut liquet ex initio Apologiæ. At exsilia episcopis deinde annis 353, 355 et 356 inflicta erant, quia novo illi judicio per Arianos instituto, et sententiæ contra ipsum, tamquam de novis criminibus convictum, prolata nolebant subscribere. Quare, antequam episcoporum exsulantium judicia pro se laudare recte poterat, oportebat ostendere, Arianos aliosque illis consentientes, qui post concilium Sardicense Athanasium in conciliabulis Sirmiensi, Arelatensi, Mediolanensi, Biterrensi, aliisque Orientalium conventibus damnaverant, male processisse, et nullam mereri fidem.* E *Exsulabant enim episcopi, quia illorum conciliabulorum judiciis noluerant subscribere. Si procul dubio male ratiocinaretur ille, qui diceret : Absolutus sum anno 347 et sæpius antea; nequeo igitur noxius esse hoc anno 356, (ut liquet ex Marcello ancyrano, qui simul cum Athanasio absolutus est, et postea tamen non ab hæreticis tantum, sed etiam a pluribus Catholicis damnatus) manifestum est, illegitime similiter argumentari auctorem illius Appendicis; dum ex solis judiciis anni 347 et ante latis nititur inferre, episcopos ab anno 353 usque ad 356 recte detrectasse damnationi Athanasianæ subscribere, præsertim cum ob novas calumnias sententia illa fuisset lata. Talis certe non est dialectica S. Athanasii, qui, si voluisset posteriora illa Apologiæ suæ adjicere, multis rationibus ostendisset, episcopos exsules non potuisse prudenter novis illis Arianorum calumniis fidem habere, aut judiciis acquiescere, sed hoc non solum intulisset ex diu præteritis contra sanam dialecticam.* F

S. Athanasio

124 *Deinde non erat prudentiæ et sapientiæ S. Athanasii Apologiæ solidis rationibus instructæ post aliquot annos ejusmodi laciniam attexere. Etenim præter Ægyptios aliosque ecclesiæ suæ subjectos, non nisi paucos anno 356 proferre poterat, qui constantes se præbuerant. Ariani enim, qui pro singulis Athanasio adhærentibus facile decem jactassent episcopos eidem contrarios, partim amore hæresis Arianæ, partim metu imperatoris Constantii; tanto sibi adhærentium numero superiores, plansibiliter intulissent, posteriora judicia prioribus præferenda esse. Quapropter non erat prudentis viri anno 356 aut sequentibus numerum et judicia episcoporum allegare pro causa Athanasiana, et sic Apologiam optimam inepto argumento corrumpere. Aliis tunc argumentis utendum erat contra Arianos, aliisque revera utitur Athanasius in Apologia ad Constantium eo tempore scripta. Nam in ea refutat calumnias Arianorum : quarum occasione damnatus ab ipsis erat. Exponit maximam eorumdem violentiam, qua tantam multitudinem ad prævaricationem coegerant, ut ex iis quilibet inferre posset, talibus*

A *talibus eorum judiciis nihil tribuendum, nec magni faciendam ipsam multitudinem, cum plurimi sola vi et metu consensissent.*

prorsus abjudicantur.

125 *Jam vero si numero episcoporum illius temporis certandum non erat, multo minus ex omnibus soli nominandi erant* Liberius *et Hosius, si utriusque lapsum noverat Athanasius; sed potius laudandi Paulinus Trevirensis, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, et Lucifer Calaritanus, quorum exsilium Athanasius memorat in Apologia ad Constantium num.* 27. *At lapsum ignorabat* Liberii *et Hosii, si credimus Tillemontio quando illa primum scribebat; postea vero intellectum addidit ad amputandas Arianorum cavillationes. Ratio ipsius est ex discursu petita: nam dictio melius cohæret sine illis, quæ de lapsu inserta leguntur. Credamus tantisper dicta de utriusque lapsu postea fuisse infarta. Id certo factum non fuerit per ipsum Athanasium. Nam paulo post, ipsis rursum solis nominatis num.* 90, *hæc subjunguntur:* Sunt etiam forma et exemplar *(Liberius et Hosius soli nominatim expressi)* posteris nostris, ut pro veritate usque ad mortem decertent. *An dicemus,*
B *non vidisse Athanasium, quam ridicule homines, qui exsilii incommodis ad injustitiam erant prolapsi, dicantur* forma et exemplar *certandi pro veritate usque ad mortem? An laudatus Athanasius non vidisset, Operi mox finiendo rectius subjungi potuisse, si quæ de lapsu episcoporum, quos laudaverat, postea erant observanda? Injuriam faciemus solertissimo Patri, si tantam ipsi affingamus negligentiam. Quocumque igitur cogitationem verto, nequeo S. Athanasio attribuere additamenta illa de lapsu* Liberii *et Hosii; sed totum potius illud fragmentum posterius existimo esse hominis indocti, qui nec linguam Græcam perfecte noverat, et minus etiam artem ratiocinandi. Nam et particulis, quibus orationis partes conjunguntur, subinde male abutitur; et dictio ipsius aliquot locis hæret impedita; ratiocinia vero format plane misera. Quod si quis illa orationis vitia maxime orta credit ex parenthesibus de lapsu* Liberii *et Hosii postea adjectis, non contendam vehementer, modo fateatur, magis inepte insertas esse, quam ut attribuendæ sint S. Athanasio.*

Historia Arianorum a S. Athanasio scripta est

126 *Transeamus modo ad verba, ex Historia Arianorum ad Monachos data quibus lapsus* Liberii *aperte asseritur, inquiramusque, an illa*
C *censenda sint S. Athanasii. Hanc quoque Historiam, adjectis aliquibus de lapsu* Liberii *lapsuque et morte Hosii, interpolatam esse, existimat Papebrochius noster, sed hac in re consentientes non habet editores Benedictinos. Tillemontius illam inquisitionem fugisse videtur, leviterque solum dicit, non videre se tantam necessitatem admittendi, locos illos esse interpolatos. Benedictini circa finem præfationis suæ mortem Hosii allegant, ut ostendant, Historiam illam esse scriptam anno* 358, *silentque de interpolatione. Papebrochius observationem suam breviter solum edixit, sed eam pluribus hic probandam suscipio, ut certam prorsus et indubitatam. Primo, exceptis iis, quæ addita credimus, fere nihil in illo Opere refert S. Athanasius, quod factum non videatur ante finem anni* 356, *quo S. Athanasius Alexandria exivit, et latebras quæsivit in solitudine: aut certe nihil narrat, quod non videatur accidisse ante Pascha anni* 357, *quo figendum est martyrium S. Secundi presbyteri, relatum num.* 65, *cum dicatur contigisse* in Quadragesima.

127 *Jam vero ex modo, quo illud narrat Athanasius, videtur Historiam suam scripsisse eodem tempore, quo occisus est S. Secundus. Nam ibidem, postquam dixerat, persecutionem necdum quievisse, post alia cædem S. Secundi ultimo loco subnectit his verbis:* Certe jam *(Græce* οὕτω γὰρ καὶ νῦν, Sic enim et nunc) summæ viri audaciæ Secundus Pentipolitanus sceleratissimus, ejusque conjurationis socius Stephanus, gnari se quantumvis injurias inserant, hæresim semper pro defensione sua habituros; cum presbyterum non sibi obsequentem in Barca cernerant, Secundum nomine, gentilem * quidem hæretici, sed non ejusdem fidei, calcitrando virum occiderunt. *Mox addit, exaggerando crimen homicidarum,* in ipsa.. Quadragesima *cædem patratam. Hoc postremum videtur factum particulare, in illo Opere ab Athanasio relatum, cum continuo transeat ad generalem criminum ab Arianis commissorum expositionem. Quapropter videtur S. Athanasius Historiam Arianorum conscripsisse circa Pascha anni* 357, *aut certe non diu post. Imo etiam inchoare illam potuit sub initium anni, et circa aut non diu post Pascha absolvere: Pascha autem incidebat in diem* XXIII *Martii.*

circa Pascha anni 357, ut ostenditur.

* i. e. ejusdem nominis

E
Mors Leontii Antiocheni, quæ ex Socrate

128 *Hanc epocham scripti Operis alio etiam argumento manifestam faciam. In eo S. Athanasius variis vicibus loquitur de Leontio episcopo Antiocheno, cujus mortem nullibi indicat, sed num.* 4 *clare etiam viventem significat his verbis:* Ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc Antiochiæ episcopus est. *Itaque aut vivebat Leontius, aut mortem ejus adhuc ignorabat Athanasius. Atqui mors Leontii videtur contigisse prioribus mensibus anni* 357. *Socrates lib.* 2 *cap.* 37 *asserit, Leontii mortem ab Eudoxio Germaniciæ episcopo intellectam,* qui tum Romæ aderat. *Constantium eodem etiam tempore Romæ fuisse insinuat, Socrates, ita pergens:* Et cum imperatore callide collocutus, quasi Germaniceensium civitas solatio ipsius ac providentia indigeret, petiit, ut quamprimum illuc redeundi potestas sibi concederetur. Imperator vero nihil doli suspicatus, hominem dimisit. At ille primores regis cubicularios adjutores nactus, relicta civitate sua *(Germanicia)*, episcopatum Antiochiæ per fraudem occupavit. *Valesius in Annotatis ad hunc locum Leontii mortem figit anno* 356, *quia existimat, Constantium eo anno Romæ fuisse. Verum, ut antea observavi cum Tillemontio et aliis, Constantius Romæ fuit anno* 357 *a posterioribus diebus Aprilis usque ad* F
finem fere Maji. Itaque verisimiliter mense Maio mortem Leontii audivit Eudoxius, si vera narrat Socrates.

Romæ intellecta est circa Maium anni 357.

129 *Si itaque consideremus immensam itineris longitudinem, quæ est inter Antiochiam et Romam, non poterimus existimare, Leontium vixisse post mensem Martium anni* 357, *aut saltem post medium Aprilem, si forte felici navigatione nuntius non diu ante finem Maii Romam pervenit. Tillemontius et editores Benedictini fatentur, Socratem chronotaxi suæ esse contrarium; sed eidem, ut sæpe erranti, fidem hic abrogandam statuunt. Pro auctoritate Socratis, cujus errores frequentissimos novi, minime contendam: sed solum ostendam, ipsum hic aut non errasse, aut certe tam parum, ut id nequeat, prodesse adversariis nostris. Sozomenus lib.* 4 *cap.* 12 *solum ait, Eudoxium cum imperatore fuisse in Occidentis partibus, quando Leontii mortem audivit. Itaque nec negat, id Romæ contigisse, nec nominatim affirmat: nam fuit Constantius eodem anno etiam Mediolani et Sirmii,*

AUCTORE J. S.

nequit differri usque ad finem anni, quia intellecta est ante lapsum Hosii.

mii, et in aliis locis minus nobilibus.

130 *Porro ad propositum nostrum satis est, si ostendamus, Eudoxium ante audivisse, mortem Leontii, et in Orientem discessisse, quam lapsum Hosii. Hoc autem videtur certum : neque enim ullus Eudoxium facit auctorem secundæ formulæ Sirmiensis, cui Hosius subscripsisse creditur; sed illius cum Potamio et Hosio præcipui auctores dicuntur, Valens Ursacius et Germinius. Quapropter non erat amplius Eudoxius apud imperatorem, quando illa formula publicata est; sed ea statim ad ipsum fuit transmissa. Intelligimus id ex Sozomeno lib. 4 cap. 12, ubi Valentem, Ursacium et Germinium Hosio auctores tribuit impiæ istius formulæ, aitque Eudoxium cum Acacio Cæsariensi et Uranio Tyrensi in conventu Antiocheno similem impietatem publicasse, litterasque scripsisse, quibus gratias agebant* Valenti, Ursacio atque Germinio, eorumque ministerio *adscribebant,* quod Occidentales recte sentirent, *id est, impiam formulam recepissent.* Occidentales *vocant Hosium, Potamium, et forte paucos alios. Latina versio litteras illas gratiarum actionis male soli Eudoxio attri-*

B

buit, ideoque verba ipsa non dedi.

et multitudo rerum gestarum inter mortem Leontii

131 *Præterea ipsa multitudo rerum gestarum inter invasionem Eudoxii et concilium Ancyranum, ante Pascha anni 358 habitum, abunde insinuat, non vixisse Leontium usque ad Julium anni 357. Fingamus enim tantisper, defunctum esse medio Julio. Mortem ipsius vix Sirmii intellexisset Eudoxius ante Septembrem aut Octobrem, et sic propter hiemem appropinquantem vix ante Januarium venisset Antiochiam. Ubi eo pervenerat, idque in Ægypto intellexerat Aëtius impius, Antiochiam venit ad Eudoxium. Rursum hic mense, ut minimum, opus esset, præsertim hiemali tempore, ut nuntius Antiochia in Ægyptum, indeque Aëtius veniret Antiochiam : et sic Februarius fuisset, antequam eo venisset. Nam, teste Theodoreto lib. 2 cap. 27, Aëtius Alexandriæ erat apud Georgium Arianum episcopum, et* ex Ægypto reversus est, *dum* Eudoxius episcopatum Anthiochensis ecclesiæ *invaserat.*

et concilium Ancyranum non sinit cum tam sero figi,

132 *Credamus modo gratis, Eudoxium ante adventum Aëtii episcopos convocasse ad concilium, in quo illum, ut certe habet Socrates lib. 2 cap. 37, conatus est restituere in ordinem diaconatus, quo*

C

dejectus fuerat : ipsumque concilium mense Februario haberi potuisse. Vel sic notabile tempus rursum exigunt ea, de quibus conqueritur Georgius Laodicenus in Epistola sua ad episcopos Semiarianos Minoris Asiæ, Macedonium, Basilium, Cecropium et Eugenium, ita scribens apud Sozomenum lib. 4 cap. 13 : Aëtii naufragium totam pene comprehendit Antiochiam. Etenim Eudoxius discipulos execrabilis Aëtii, qui a vobis ignominia notati sunt, omnes suscipiens in clerum promovet, ipsumque Aëtium hæreticum præcipuo honore prosequitur *etc. Quapropter secundum hypothesim nostram verisimile non est, hæc a Georgio scripta fuisse ante exeuntem Februarium aut Martium. Hæc igitur Epistola difficulter Ancyram pervenire potuerit ante congregatum ibi concilium, cum perlata non sit a veloci veredario, sed a clericis per Eudoxium vexatis, ut testatur laudatus Sozomenus, ita scribens :* Cum Eudoxius ad hunc modum res turbaret, multi ex Antiochena ecclesia, qui ejus conatibus resistebant, ab eo ejecti sunt. Qui acceptis litteris Georgii Laodicensis episcopi, Ancyram Galatiæ venerunt. *Has tamen litteras se accepisse, antequam concilium inchoarent, testantur episcopi concilii Ancyrani in suis apud S.*

D

Epiphanium Hæresi 73 num. 2.

quam eam figit Tillemontius,

133 *Jam vero, cum nihil in illo rerum gestarum ordine posuerim, quod Tillemontius ipse non narravit, non capio prorsus, qua crisi chronologica mortem Leontii figere potuerit circa finem anni 357, ut facit in Arianis art. 7 et Nota 56, ubi miserrimum pro ea epocha adjungit ratiocinium, ad quod tamen non facile responderi posse existimat. Eudoxius, inquit, ubi occupaverat sedem Antiochenam, misit Asphalium presbyterum ad Constantium, procul dubio ad petendam Constantii confirmationem. Asphalius autem adhuc Sirmii erat, quando eo circa medium Maium venerant legati concilii Ancyrani. Hinc infert, mortem Leontii non esse citius figendam, quam circa finem anni 357. Recte ratiocinaretur Tillemontius, si hirundines nuntium de morte Leontii Sirmium pertulissent; si ipse Eudoxius hirundinum more Antiochiam volare, indeque eadem velocitate Asphalium potuisset Sirmium mittere. Verum qui sine ulla necessitate credit, iter longissimum et difficillimum, quod est inter Antiochiam et Sirmium, quatuor mensibus hibernis ter institutum esse per presbyteros et episcopos, ille mihi honesto potius risu, quam seria refutatione videtur repel-* E *lendus. Vidit in illa ipsa dissertatione Tillemontius, homines alio modo iter instituere : nam integrum mensem requirit, et merito, ut legati Ancyra Sirmium pervenirent, idque mensibus Aprili et Maio. Attamen longe facilius illud iter tempore verno decurretur uno mense, quam Antiochenum, quod multo prolixius est, duobus mensibus hibernis. Quapropter ineptum est illud Tillemontii ratiocinium, certumque est Leontium aliquot mensibus citius fuisse defunctum; et vix dubitare possum, quin Socrates vere dixerit, Romæ nuntium de morte Leontii accepisse Eudoxium : nam sic omnia recte peragi potuerunt.*

sed innuit, figendam mense Martio vel Aprili.

134 *Etenim si mense Maio Romæ mortem Leontii intellexerit Eudoxius, potuit itinere terrestri aut navali Antiochiam pervenire ante hiemem, et Aëtium ad se accersere, concilium celebrare, Aëtianos fovere, eoque agendi modo Semiarianos exacerbare. Hi vero sic etiam tempus habebant conferendi consilia contra Eudoxium, et proficiscendi Ancyram. Quod autem Asphalius presbyter mense Maio esset Sirmii, ubi negotia sua absolverat, teste Sozomeno lib. 4 cap. 13, nihil prodest Tillemontio, etiam contra Socratem : nam Asphalius,* F *ardentissimus fautor* dogmatis Aëtii, *verisimiliter tantum missus est, ubi Eudoxius consilia cum Aëtio contulerat, et partes suas utcumque firmaverat, ut mirandum non sit, si hiemali tempore tardius proficisci potuerit, seriusque advenerit Sirmium. Imo, si statim post adventum Eudoxii, in Italiam, ubi Eudoxius imperatorem reliquerat navigare voluisset Asphalius, poterat cogi ad hiemem in portu aliquo intermedio traducendum, et sic post hiemem in Italiam pervenire indeque mense Aprili aut Maio Sirmium. Tricas has chronologicas longius produxi, cum quia Boschius noster in Historia chronologica Patriarcharum Antiochenorum ante tomum* IV *Julii Tillemontii chronotaxim in Leontio adoptavit, tum ut clarissime eruditis lectoribus ostenderem, non posse ullo modo sustineri, Athanasium scripsisse illa, dum Historiam Arianorum componebat, quæ in ea de lapsu et morte Hosii, et maxime de lapsu* Liberii *leguntur inserta.*

Ex dicta chronotaxi certa est interpolatio Operis Athanasiani :

135 *Lapsus Hosii passim figitur anno 357, nec illum alio anno contigisse, manifestum est ex concilio Ancyrano, statim anno 358 ante Pascha contra*

A *contra impiam formulam Sirmiensem habito, uti et ex libro S. Athanasii de Synodis. Mense Julio compositam formulam, cui Hosius dicitur subscripsisse, credit Tillemontius, et serius alii quidam; mortem Hosii circa finem* 357 *figit Tillemontius tom.* 7 *Nota* 7 *in Hosium. Non potest saltem citius figi, quia post lapsum Sirmio reversus est in Hispaniam, ibique aliquo tempore supervixit, et forte ad plures annos. Pro lapsu prætenso* Liberii *mensem assignatum non video; neque id miror, cum nemo certo edicere valeat, in quo lapsus ille consistat, aut qua occasione contigerit. At consentiunt hodierni plerique eruditi, ut antea probavi,* Liberium *Romam non rediisse ante annum* 358. *Quare nec lapsus est dicendus ante illum annum, cum Constantius reditum* Liberii *Romanis promiserit, si cum episcopis aulam sequentibus consentiret. Itaque, sicut Hosium dimisit, postquam consenserat, ita* Liberium *procul dubio statim remisisset, si et hic consensisset. Attendat modo, obsecro, studiosus lector. Scripsit S. Athanasius Historiam suam in Ægypto anno* 357 *circa Martium aut Aprilem, ut probavi; at credamus, occupatam etiam fuisse usque ad Julium aut Au-*
B *gustum; quomodo igitur loqui poterat de lapsu Hosii, qui Sirmii contigit mense Julio aut serius? quomodo de morte Hosii, quam non obiit, nisi circa finem anni, et forte post aliquot annos in Hispania, tanto terrarum intervallo remota ab Ægypto? Quomodo nosse poterat prætensum* Liberii *lapsum in Ægypto, antequam ille in Pannonia contigerat? Hæc igitur nullum mihi relinquunt dubium, quin omnia illa Operi Athanasiano postmodum sint adjecta.*

Eaque ne in contorta quidem Tillemontii chronotaxi

136 *Verum fingamus tantisper, Historiam ad Monachos aut Solitarios scriptam fuisse circa finem anni* 357, *ut vult Tillemontius tom.* 8 *in Athanasio art.* 89 *et aliis locis: et Leontium Antiochenum eo usque vixisse, aut non diu ante defunctum, ut mortem ipsius necdum sciret S. Athanasius. Fingamus, inquam, vera esse, quæ nullo modo verisimilia esse ostendimus. Vel sic numquam fiet verisimile, aut mortem Hosii, aut lapsum* Liberii *notum fuisse Athanasio. Poterat circa finem anni* 357 *lapsum Hosii intellexisse una cum falso rumore, quem de* Liberii *consensu eodem tempore sparserant Ariani, ut observat Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15. *At* Liberii *lapsus, qui*
C *post biennium exsilii contigisse dicitur in additis apud Athanasium, quique secundum hoc sub finem anni* 357, *aut potius anno* 358, *quo Romam rediit, figendus esset; necdum circa finem anni* 357 *innotescere potuisset Athanasio in Ægypti solitudine. Neque enim seculo* IV *literæ dirigi poterant per cursores ordinarios ad id statutos, sicut fit nostris temporibus; sed committendæ erant alicui, qui iter illud instituebat, et sic tardius ad remotas provincias perveniebant. Itaque difficulter tribus mensibus ex Pannonia in solitudinem Ægypti fuisset fama illa perlata hiemali tempore. Quod vero spectat ad mortem Hosii, Tillemontius Nota* 3 *in Hosium mortem illam figit anno* 357, *sed fatetur, illam differri posse, si credatur S. Athanasio postmodum adjecta. Non video sane, qua crisi hoc non dicatur, præsertim cum fateatur, Operibus S. Athanasii variis locis nonnulla fuisse inserta. Quam autem improbabiliter dicatur, mortem Hosii innotuisse S. Athanasio ante finem anni* 357, *paucis ostendam.*

probabiliter negari potest.

137 *Constantium imperatorem adfuisse Sirmii, quando publicata est impia formula Sirmiensis, fatetur ipse Tillemontius in Arianis art.* 68, *idque recte colligit ex his verbis S. Hilarii de Synodis num.* 78: Fefellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret et credendi formam ecclesiis nondum regeneratus imponeret. *Rursum Tillemontius eodem loco et tom.* 4 *Imperatorum ex legibus, Mediolani latis mense Julio, recte infert, ipsum eo anno non venisse Sirmium, nisi sub finem Julii. Recte, inquam, infert, Constantium non venisse citius Sirmium. At illo ipso mense Sirmium venisse minus est verisimile, cum ob irruptiones hostiles in Illyricum veniret, ideoque verisimiliter prius profectus sit ad exercitum hostibus oppositum. At credamus, Constantium circa finem Julii venisse Sirmium, relictisque belli curis, conventum episcoporum habuisse, in quo formula Sirmiensis fuerit concepta, approbata, subscripta. Discesserit Hosius, quem alii* nonagenarium, *alii* centenarium *faciunt, ipso mense Augusto, ante quem certe conventus haberi non potuit, in Hispaniam. Attendat modo lector ad ingentem terrarum tractum, qui Sirmium et Cordubam interjacet, et facile videbit, decrepitum senem verisimiliter Cordubam non venisse, nisi postremis anni mensibus. Cum autem aliquo saltem tempore in Hispania supervixerit, verisimile non est, eodem anno defunctum. Si tamen revera mortuum fin-* E
gamus mense Novembri aut Decembri, quo demum modo nuntius de morte ipsius per immensa terrarum spatia transvolavit in Ægypti solitudinem, et ante finem anni ad S. Athanasium pervenit? Oculos requiro geographicos, ut videant, contortissimam ipsius chronotaxim consistere non posse, etiamsi plures ipsius errores pro totidem fundamentis supponamus. Jam vero si attendamus ad dicta S. Hilarii de Hosio in libro de Synodis, qui conscriptus est sub finem anni 358 *vel anno* 359, *videbimus, Hosium ubique ut viventem memorari, et nihil prorsus de morte ipsius insinuari, ut videatur saltem aliquo tempore vixisse post annum* 357, *quemadmodum satis vidit Tillemontius ipse.*

Ex ipsis locis probatur, assuta esse, quæ de lapsu Liberii.

138 *Porro, quod argumentis chronologicis ostendimus, ex ipso etiam loco adjecto colligitur. Nam oratio S. Athanasii longe perfectior est, si locus, num.* 41 *de* Liberii *lapsu adjectus, omnino abscinditur. Narraverat S. Athanasius egregia* Liberii *certamina et exsilium. Deinde refert duorum ejus legatorum exsilia, presbyteri nimirum et diaconi, concluditque injurias Romanæ Ecclesiæ ab Arianis illatas his verbis:* Sic itaque a prin- F
cipio ipsam Romanam Ecclesiam labefactare conati sunt, optantes suam illi admiscere impietatem. *Et post locum additum.* Nihil quidem *(Græce μέντοι, quod itaque perperam fuit versum)* hæresis suæ gratia non aggressi sunt. Populi vero per singulas ecclesias, quam didicere, fidem retinentes, magistros exspectant suos, *etc. Hæc optime sequuntur. Si vero interponantur verba addita; non recte connectuntur verba illa,* Nihil quidem hæresis suæ gratia *etc.; nec apte populi fidem retinentes, exspectare* magistros suos *dicuntur statim post relatum præcipui Magistri lapsum. Præterea prudenter non scripsisset Athanasius, quæ subjunguntur post relata certamina* Liberii *num.* 40, *ita scribens:* Ignorat scilicet *(Constantius, qui episcopos exsules locis diversis sejungebat)* etiamsi singuli seorsum degant, adesse tamen unicuique Dominum, quem una omnes confessi sunt, qui illud aget, ut multo plures singulis adsint (ut olim Elisæo prophetæ præstitit) quam sint cum Constantio milites. *Hæc sane aliaque plura non scripsisset Athanasius de futura constantia episcoporum exsulum, si novisset lapsum* Liberii *et Hosii, quos magis, quam ullos*

AUCTORE J. S.

ullos alios celebrat, nedum subdidisset post illa ipsa, quæ de fortitudine Liberii *narraverat, et ante lapsum ejus et Hosii mox referendum.*

et Hosii in Historico S. Athanasii Opere leguntur.

139 *Demum, si novisset lapsum Hosii, quando illud Opus scripsit S. Athanasius, non celebrasset ipsum tantis elogiis, quantis eum celebrat a num.* 42 *usque ad* 46, *ubi bis eum, alludens ad nomen* ὅσιος sanctus, *nominat* vere Sanctum. *Neque enim hominem hæreticis consentientem* vere Sanctum *vocasset. Abjiciat modo, quisquis voluerit, quæ de lapsu et morte Hosii num.* 45 *dicuntur, et deprehendet, ibi quoque sequentia melius cum antecedentibus cohærere. Quippe post dicta de Hosio hæc subjungit :* Quis, hæc si videat, vel solum audiat, non obstupescet, ad Dominumque clamabit : Num ad internecionem dabis Israël...? Patres populorum et fidei magistri tolluntur, impiique in ecclesias intruduntur. Quisnam, ubi vidit Liberium Romanum episcopum in exsilium ejici, aut patrem episcoporum magnum Hosium tantis affici malis : quis cum cerneret tam multos episcopos ex Hispania et ex aliis partibus extorres fieri, non exploratum habuit, etiamsi modico sensu præditus B esset, criminationes in Athanasium in aliosque allatas, confictas fuisse, omniaque calumniæ plena? Ideo enim illi omnia mala perferenda putarunt, quod insidias ex eorum sycophantia structas compertas haberent. *Quomodo dicere poterat,* Omnia mala perferenda putarunt, *si malis cesserant, et lapsi erant? Verum longius ego hæc protraho, quam necesse est. Adeo enim non novit lapsum Hosii, dum illud Opus scripsit Athanasius, et multo minus* Liberii, *ut ne S. Hilarii quidem exsilium, quod uno anno præcessit, cognitum habuisse videatur. Certe de exsilio Hilarii non meminit, cum tamen Paulini Trevirensis, Dionysii Mediolanensis, Eusebii Vercellensis, et Luciferi Calaritani exsilia iteratis vicibus repetat.*

Illæ autem interpolationes non sunt tribuendæ ipsi Athanasio,

140 *Jam vero, cum manifeste ostendisse me confidam, Athanasium, dum Opera sua componebat, non scripsisse illa, quæ in iis modo leguntur de lapsu* Liberii *Papæ, restat investigandum, an verisimile fiat, ab ipso Athanasio deinde fuisse inserta, ut conjecit Papebrochius noster. Respondeo, longe mihi verisimilius esse, diu post addita fuisse ab interpolatore quodam, qui fortasse non consideravit, Opera illa fuisse conscripta ante verum Hosii lapsum, et fictitium* Liberii, *quem verum* C *credidit. Nam primo, (ut probavi de utroque loco) nonnulla antecedentia et sequentia imprudenter et ridicule dicuntur, quando dicta de lapsu* Liberii *et Hosii habentur in contextu disputationis, ut contrarium videatur prudentiæ S. Athanasii talia addere in ipso orationis contextu, qualia ab initio scribere non poterat, nisi omissis aut mutatis aliis non paucis. Itaque, si quid observare voluisset de lapsu eorum, quos laudaverat; hæc postmodum adjecta ipse monuisset, vel, si id facere noluisset, delevisset mutassetque omnia, quæ cum mentione de lapsu non recte consistunt. Deinde ipsa verba, de lapsu* Liberii *addita, videntur S. Athanasio indigna, et potius digna homine imperito, qui nesciebat, quid diceret.* Liberius, *inquit interpolator,* extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum et hoc ostendit illorum quidem vim, Liberii vero odium hæreseos, et suffragium pro Athanasio, quando arbitrium habuit liberum. Nam quæ tormentorum gratia contra priorem sententiam fiunt, hæc non timentium, sed torquentium sunt consilia. *Hæc ultima de verbo ad verbum ex Græcis interpretatus sum. Jam vero observo* D *primo, non admodum verisimile esse, minas mortis intentatas fuisse* Liberio, *quod a nullo alio assertum invenio : secundo, non esse credibile, usque adeo rationum inopia laborasse Athanasium, ut ex ipso consensu in malum conaretur inferre antecedens illius mali odium contra communem opinionem, qua quilibet, in malum aliquod tandem consentiens, passim creditur minus ab eo antea abhorruisse; atque ut sic loqueretur, acsi credidisset, vi et metu tolli liberum hominis arbitrium : nam verba id omnino significant, nisi benigna interpretatione juventur.*

nec videntur inventæ in Operibus ejus ab historicis

141 *Progredior modo ad aliud argumentum, quo evinci videtur, lapsum* Liberii *Papæ non fuisse assertum in Operibus S. Athanasii toto seculo* IV, *et verisimiliter etiam aliquot seculis posterioribus. Certe tres historici Græci, qui seculo* V *non multum promoto floruerunt, nimirum Socrates, Sozomenus et Theodoretus, non videntur lapsum* Liberii *ignorare potuisse, si ille in Operibus S. Athanasii legebatur assertus. Etsi enim crederemus, ab illis ipsis Opera S. Athanasii non fuisse perlecta; audivissent saltem ab aliis, qui ea legebant,* Liberium *diuturno exsilio victum tandem succubuisse. At legerunt illi Opera S. Athanasii,* E *multaque ex iis transcribunt. Socrates lib.* 2 *cap.* 28 *persecutionem Alexandrinam refert ex Apologia S. Athanasii de fuga sua, eamque laudat. Attamen Socrates lapsum* Liberii *certissime ignoravit, cum lib.* 2 *cap.* 37 *de reditu* Liberii *ita scribit :* Ceterum Liberius haud multo post ab exsilio revocatus, Sedem suam recepit, cum populus Romanus, seditione facta, Felicem ecclesia expulisset, et imperator, licet invitus, assensum illis præbuisset. *Si* invitus *eum revocavit Constantius, et ob seditionem populi Romani, non igitur ob consensum in aliquam Arianorum fidei formulam, neque ob damnationem S. Athanasii. Idem tamen Socrates, qui omnium minime suspectus esse potest, quod cognitum* Liberii *lapsum dissimulare voluisset, non ignoravit neque omisit lapsum Hosii, quem vi et necessitate adactum Arianis consensisse, refert lib.* 2 *cap.* 31. *Poterat nimirum Hosii lapsum ex aliis discere, utpote verum, aut certe a multis pro vero assertum; lapsumque similiter* Liberii *discere potuisset, si ille ab antiquioribus fuisset assertus et creditus.*

Græcis seculi V,

142 *Sozomenus lib.* 4 *cap.* 15 *reditum* Liberii *narrat, ejusque verba jam dedi. Quare pauca* F *solum hic repeto.* Nam liberium, *inquit,* utpote virum undequaque egregium, et qui pro religione imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat; adeo ut ejus causa gravissimam seditionem excitaverit, et ad cædes usque proruperit. *Idem ait, falsum ab Arianis sparsum fuisse rumorem de lapsu* Liberii, *ita scribens :* Cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aëtii favebant, Antiochiæ Hosii epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri. *Hic igitur noverat quidem lapsum Hosii, noverat falsum rumorem de lapsu* Liberii *sparsum, noverat seditiones Romæ* Liberii *causa excitatas. At non legerat in Operibus S. Athanasii,* Liberium *mortis demum metu ab officio recessisse : hoc enim si credidisset, non dixisset, ipsum* fortiter restitisse *imperatori* pro religione; *sed ipsum tandem succubuisse, sicut scribit de Hosio cap.* 12. *Theodoretus, qui post medium seculi* V *superfuit, lib.* 2 *cap.* 15

A *cap.* 15 *recitat prolixum locum ex Apologia de Fuga, in quo de* Liberio, *Hosio, aliisque pro causa S. Athanasii exsulibus fit mentio, atque illa ipsa verba, quæ num.* 5 *de lapsu Hosii addita observavit Papebrochius noster, prorsus omittit, licet præcedentia omnia recitaverit, Imo de Hosii lapsu non meminit, ut illum videatur ignorasse, aut solum pro dubio habuisse, quemadmodum de lapsu Hosii revera dubitavit Sulpicius Severus, Theodoreto antiquior. At si Theodoretus lapsum* Liberii *credidisset, aut legisset apud S. Athanasium, non debebat ab eo vocari* νικηφόρος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστής, victoriosus veritatis Athleta, *ut ipsum vocat cap.* 17.

aut etiam a Græcis posterioribus.

143 *Accedit silentium posteriorum quoque Græcorum. Theophanes ad annum* 352 *de reditu* Liberii *solum ait:* Imperator demum Romanorum precibus coactus, Liberium exsilio revocat et in thronum restituit. *Nicephorus Callistus lib.* 9 *cap.* 17 *reditum* Liberii *eodem fere modo enarrat, quo Sozomenus. Photius in Bibliotheca meminit de exsilio* Liberii *in Vita S. Athanasii cod.* 258, *non de lapsu. Hi sunt ex Græcis præcipui, qui ex vetustis sua corradere studuerunt, ut mirandum esset,* B *a nullo observatum esse lapsum* Liberii, *si illum asseruisset Athanasius. Consului et alios e recentioribus Græcis, non tamen omnes, ne laborem perderem; at nullam hactenus apud Græcos medii ævi de ullo* Liberii *lapsu mentionem inveni. Quid ergo dicendum? Græcine ignorarunt S. Athanasii Historiam Arianorum? Hoc sane non est verisimile. An* Liberio *parcere voluerunt ipsi etiam schismatici? Id etiam multo minus probabile. Malim igitur credere, interpolationem de lapsu* Liberii *in codicibus, quos Græci viderunt, non inventam.*

Respondetur ad Philostorgium.

144 *Philostorgius hanc suspicionem non minuit, sed auget potius, dum in ejus Epitome lib.* 4 *num.* 3 *ita scribit Photius:* Ipse vero *(Constantius)* Sirmium profectus, illic consedit. Quo quidem tempore etiam Liberium episcopum urbis Romæ, quem Romani summo studio flagitabant, ab exsilio revocatum civibus suis reddidit. Tunc etiam eumdem Liberium, et una cum illo Osium episcopum, contra Consubstantialis vocabulum, et contra Athanasium subscripsisse, ait Philostorgius; cum synodus quædam illic collecta esset, et supra memoratos in sententiam suam pertraxisset. Postquam vero subscri- C psissent, Osium quidem ad sedem suam, Cordubam scilicet Hispaniæ, reversum, ecclesiam ejus loci gubernasse; Liberium vero Romanæ Ecclesiæ præfuisse. *Manifestum est, hæc non esse deprompta ex Athanasio; sed falsum rumorem, quem sparserunt Ariani, dum lapsus est Hosius, de consensu* Liberii *in eamdem hæresim, narrari a Philostorgio, calumniatore Ariano, pro vera historia. Falsitas ex eo luculenter patet, quod utrumque simul lapsum, ac simul ad ecclesiam suam remissum asserat; cum constet, Hosium rediisse anno* 357, Liberium *anno* 358.

§ IX. Examinantur objecta ex Operibus S. Hieronymi, et aliis scriptoribus.

Duo loci ex Operibus S. Hieronymi objiciuntur, invicem contrarii,

Ad *ostendendum* Liberii *lapsum, allegatur duo item loci ex Operibus S. Hieronymi. Primus legitur in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum cap.* 97 *in elogio Fortunatiani Aquileiensis episcopi, in cujus fine dicitur:* Et in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romanæ urbis episcopum, pro fide ad exsilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit. *Dura sane verba, et non minus falsa, quam rigida, quæ non esse Hieronymi censenda probabo. At prius recitemus alterum locum, numquam cum priore conciliandum, qui affertur ex Chronico S. Hieronymi ad annum* 352, *ubi illa leguntur:* Liberius XXXIV Romanæ Ecclesiæ ordinatur episcopus. Quo in exsilium ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent, Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi pejeraverunt, et post annum cum Felice ejecti sunt; quia Liberius tædio victus exsilii, et hæreticam pravitatem subscribens Romam quasi victor intraverat. *Hæc profecta videntur ex officina mendaciorum Faustini et Marcellini, presbyterorum Luciferianorum. Antequam porro probemus, neutrum locum Hieronymo prudenter attribuendum, alterum breviter alteri collidamus. In priore dicitur* Liberius *sollicitatione Fortunatiani fractus, dum abibat in exsilium; in altero* tædio victus exsilii *asseritur* post annum. *Si fractus est et subscribere compulsus, dum abibat in exsilium; quomodo* post annum *succubuit, quomodo* tædio E exsilii *victus est? Hæc non cohærere, quilibet facile videbit: neque magis cohærent cum iis, quæ Operibus S. Athanasii infarta sunt, ubi* post biennium demum fractus... minisque mortis perterritus *subscripsisse asseritur.*

nec ullis aliis documentis pro lapsu Liberii allegatis consoni.

146 *Aliud figmentum tradidit mendacissimus auctor, qui libello precum Faustini et Marcellini Præfationem attexuit.* Post duos annos, *inquit pag.* 3, venit Romam Constantius, pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens, ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit, Felix notatus a senatu vel populo, de Urbe propellitur *etc. Luciferianus hic calumniator voluit figmentum de lapsu* Liberii *conciliare cum vera reditus* Liberii *causa, sive cum precibus populi Romani, et sic ab omnibus aliis Liberiani lapsus assertoribus dissonat, dum fingit, hæreticis consensisse* Liberium, *priusquam populus Romanus pro ipso rogaret. Quam certo hæc sint falsa, ostendam inferius. Hic solum observo, locos ex Hieronymi Operibus allegatos neque invicem consonare, neque cum ullis aliis documentis utcumque vetustis, in quibus* Liberii *lapsus asseritur. Philostorgius enim, supra laudatus, lapsum ponit post preces populi* F *una cum lapsu Hosii, quod æque Hieronymianis et reliquis contrarium est. Qui supposititias* Liberii *de lapsu suo litteras pro veris habuerunt, et Fragmenta vulgo Hilariana S. Hilario attribuerunt; ex iis maluerunt potissimum narrare historiam de lapsu* Liberii, *et ad verba ex Operibus S. Hieronymi prolata parum attenderunt. Verum, his missis, examinemus primum locum, ut intelligamus, an ea videantur S. Hieronymi verba.*

Catalogus Scriptorum, ex quo datus primus locus

147 *Scripsit S. Hieronymus librum* de Viris illustribus, *ut ipse Opus suum vocavit, sive Catalogum scriptorum ecclesiasticorum, ut alias non raro vocatur, anno æræ Christianæ* 392. *Nam usque ad decimum quartum Theodosii imperatoris annum, qui cum* 392 *concurrit, se eum producturum in præfatione insinuat, et cap.* 135 *sive ultimo de se ita scribere incipit:* Hieronymus patre Eusebio natus,... usque in præsentem annum, id est, Theodosii principis decimum quartum, hæc scripsi. *Ex hac scripti Operis epocha manifeste colligitur, Opus illud S. Hieronymi non carere additionibus et interpolationibus, ab aliena manu profectis, ut*

jam

AUCTORE J. S.

jam observarunt editores postremi Operum S. Hieronymi, Mantianæus in editione Parisiensi, et Villarsius, aut ejus adjutor Maffeius, in Veronensi. Ipsum S. Hieronymi elogium in fine auctum est, adjectis his verbis : Adversus Jovinianum libros duos, et ad Pammachium Apologeticum et Epitaphium. *Hæc omisit Martianæus; addidit Villarsius* uncinis inclusa, *(ut significaret Hieronymi non esse)* ex vulgatis plerisque, et Græco interprete. *Martianæus præterea observat, in codice Cluniacensi, quem in præfatione sua* elegantem ac pervetustum *vocat, hæc ita legi* : Item post hunc librum dedicatum contra Jovinianum hæreticum libros duos, et Apologeticum ad Pammachium. *Plura se additamenta in codicibus Mss. invenisse, abunde insinuat Martianæus ultima sua annotatione, quam exprimit his verbis* : Ceterum diversa diversorum exscriptorum additamenta neglexi, quia indigna censeo, quæ typis vulgata prodeant in lucem.

interpolatus est in variis elogiis :

348 *Insignem tamen locum profert ex pervetusto codice Cluniacensi ad cap.* 129, *quod continet brevissimum S. Joannis Chrysostomi elogium,* B *pro quo in laudato codice hæc legi testatur* : Joannes Antiochenæ prius ecclesiæ presbyter, postea Constantinopolitanæ episcopus civitatis, tractator peritissimus, et ex tempore declamator insignis, Eusebii Emiseni Diodorique sectator, multa composuit. *Tum septem recenset Opera, ex quibus unum solum nominavit Hieronymus ; subditque* : Et alia infinita, quæ nec invenire apud aliquem quamvis studiosum facile est : sed per totum orbem scripta ejus, tam Græco sermone edita, quam in Latinum translata, velut fulgura discurrentia migrant. Claruit maxime sub Arcadio principe, a quo et privata augustæ conjugis indignatione, exilio pulsus obiit. Et post multos annos corporis ejus reliquiæ cum magna gloria a Theodosio filio ejus Constantinopolim deportatæ intra Apostolorum thecas conditæ jacent. *Ad hæc observat laudatus editor, scribi ea non potuisse ab Hieronymo, dum anno 392 Opus illud conscripsit. Neque reponat aliquis, ab Hieronymo postmodum addi potuisse. Nam, si Opus illud circa finem vitæ suæ augere voluisset, potuisset addere plurimos scriptores sibi contemporaneos aut suppares : hoc autem cum non fecerit, verisimile non est, vel minimum ab Hieronymo deinde additum.* C *Quare constat, elogium Chrysostomi in quibusdam codicibus auctum mutatumque fuisse, auctum quoque in fine elogium ipsius Hieronymi. Editores Veronenses in præfatione ad laudatum librum, quem ediderunt tom. 2, num. 6 monent, decem elogia fuisse Græce addita virorum Apostolicorum, quæ dederunt post librum ipsum in Appendice tam Latine quam Græce, sed Latinam interpretationem monent esse Erasmi. Plures in nonnullis codicibus interpolationes corruptionesque non paucas observant editores laudati, nominatim in Origene, in Eusebio Cæsariensi, in Gregorio Nazianzeno, et in aliis.*

ut dubium omnino sit, an ea verba sint S. Hieronymi,

149 *Quapropter cogor vehementer dubitare, an Hieronymi verba sint, quæ recitavi ex elogio Fortunatiani, quod sine illis consistit integrum. Certe verba illa Hieronymo prorsus sunt indigna, aliisque S. Hieronymi assertis clare opposita, ut ea scribere non potuerit sanctus doctor, nisi sui plane oblitus. Etenim manifeste falsum est, quod asseri videtur, a Fortunatiano* Liberium, ad exsilium pergentem, *sic fuisse sollicitatum fractumque, ut compulsus* ad subscriptionem *hæreseos revera subscripserit; quemadmodum verba videntur sonare. In comperto enim est apud omnes,* Liberium *diu in exsilio constantem fuisse, et aut numquam hæreticis contra fidem aut justitiam consensisse, aut saltem id non fecisse, nisi post diu-* D *turnum duorum fere annorum exsilium. Quo igitur modo Hieronymus scribere potuit, compulsum fuisse* ad subscriptionem hæreseos, *quando pergebat* ad exsilium? *Si quis eo sensu verba S. Hieronymi explicanda credat, ut solum voluerit significare, Fortunatianum ex parte sua fecisse omnia, quæ potuit, ad sollicitandum* Liberium *ad constantiam ejus frangendam, ac demum ad compellendum eumdem* ad subscriptionem hæreseos, *quando ad exsilium pergens, Aquileiam pertransibat ; sed nequaquam indicare, omnia tunc a Fortunatiano ad effectum perducta : non vehementer quidem repugnabo benignæ isti verborum explicationi sed simul cessabit quæstio: nam, si noluit dicere illorum verborum auctor,* Liberium *subscripsisse, quando pergebat ad exsilium, nihilo magis edixit, id eum postea fecisse.*

imo probabilius sit, Hieronymi non esse, cum sint falsa.

150 *Vel nihil igitur allegata verba significant præter impium Fortunatiani conatum ; vel aperte falsa sunt. Quidquid enim dicit Hieronymus, aut Operis Hieronymiani interpolator, refertur ad tempus, quo in Thraciam ad exsilium pergebat* E Liberius. *At eo tempore miram fuisse* Liberii *constantiam, quam S. Athanasius aliique pluribus elogiis celebrarunt, inficiari nequit ullus adversarius. Præterea, quando in exsilium ibat* Liberius, *non erat quæstio de subscriptione hæreseos, sive ullius hæreticorum formulæ; sed solum de condemnatione S. Athanasii, quem perduellionis, non hæreseos, tunc accusabant Ariani. Hoc manifestum est ex Apologia S. Athanasii ad Constantium, uti etiam ex dialogo inter Constantium et* Liberium, *quem dedi* § 6. *Hoc non ignoravit ipse Hieronymus, qui cap. 95 ait, Luciferum Calaritanum fuisse relegatum,* cum nollet nomine Athanasii Nicænam damnare fidem. *Explicat enim his verbis Hieronymus, quid Ariani aperte molirentur, nimirum damnationem Athanasii ; quidque occulte intenderent, videlicet viam sibi sternere ad Nicænæ fidei damnationem. Quapropter, cum non ignoraverit S. Hieronymus, quid aperte agerent Ariani cum Constantio, quidque illi præterea occulte intenderent, non videtur existimare potuisse, eo tempore actum esse de subscriptione alicujus formulæ hæreticorum, aut ea scribere, quæ modo in libro ipsius leguntur. Plura dabo argumenta, cur ea non videatur fuisse mens S. Hieronymi, ubi examinavero alterum locum, ex Chronico ipsius datum.* F

De interpolatione Chronici S. Hieronymi constat :

151 *In eo dicitur* Liberius *post annum Romam reversus. Ratio redeundi datur, quod subscriberet* in hæreticam pravitatem. *Hoc autem fecisse asseritur,* tædio victus exsilii. *Additur juramentum clericorum omnium de non recipiendo alio Pontifice, et tandem* Liberius *Romam* quasi victor *rursum ingressus dicitur. Non est operose probandum, Chronicon S. Hieronymi in libris Mss. et editis corruptissimum fuisse multis additionibus et interpolationibus. Tale fuisse agnoscunt ipsi editores præcedentis seculi, Pontacus et Scaliger, et cum illis Tillemontius tom.* XI *in S. Hieronymo art. 20. Itaque solum mihi probandum restat, allegatum locum non totum videri S. Hieronymi. Hoc autem tam multa suadent, ut de interpolatione ne dubitare quidem valeam Hieronymi eo loco hæc solum verba esse existimo?* Liberius XXXIV Romanæ Ecclesiæ ordinatur episcopus. *Reliqua forte omnia de exsilio redituque* Liberii *sunt interpolatoris. Quippe de exsilio* Liberii *agit Hieronymus post relata exsilia Eusebii Vercellensis, Luciferi Calaritani aliorumque, qui eodem anno, quo Liberius, sed aliquot mensibus citius relegati sunt; atque ita habet:* Liberius

A rius episcopus Romanus in exsilium mittitur.

nec Hieronymi censenda sunt verba, quæ ex eo alleguntur,

152 *Verum paucis ostendamus, locum, prout modo in Chronico S. Hieronymi legitur, indignum prorsus esse S. Hieronymo, dignum schismaticis Ursinianis Luciferianisque. Primo Hieronymi esse numquam cogitabo, quod asseritur de perjurio clericorum Romanæ Ecclesiæ, cum hoc fuerit fundamentum calumniarum, quas contra S. Damasum sparserunt schismatici Ursiniani Luciferianique. Horum mendacia recipi potuerunt a credula posteritate. At difficulter mihi persuaderi sinam, S. Hieronymum, qui floruit et scripsit Chronicon suum sub Damaso, illis fidem habere potuisse, eorumdemque calumnias et Chronicon suum transferre. Quam autem infesti essent S. Damaso Ursiniani et Luciferiani, liquet ex Libello precum Marcellini et Faustini, et ex Præfatione eidem assuta, in qua pag. 2 leguntur sequentia :* Cum Liberio *(abeunte in exsilium)* Damasus diaconus ejus se simulat proficisci. Unde fugiens de itinere Romam rediit, ambitione corruptus. Sed eo die, quo Liberius ad exsilium proficiscebatur, clerus omnis, id est, presbyteri et archidiaconus Felix, et B ipse Damasus diaconus, et cuncta Ecclesiæ officia, omnes pariter, præsente populo Romano, sub jurejurando firmaverunt, se vivente Liberio, Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed clerus contra fas, quod minime decebat, cum summo perjurii scelere, Felicem archidiaconum ordinatum in locum Liberii susceperunt. *Hoc fundamentum omnium calumniarum, quas contra S. Damasum mendacissimus scriptor effudit.*

non minus contraria S. Damaso, quam S. Liberio :

153 *Si modo consideremus, quanti S. Damasum fecerit S. Hieronymus, quantis illum frequenter elogiis celebret, quantaque cum eo amicitia fuerit conjunctus, non credemus, ab ipso scribi potuisse atrocem calumniam, qua Ursiniani Luciferianique schismatici sanctissimum Pontificem clerumque ei adhærentem denigrare frustra conati sunt. Tillemontius quidem tom 8 in S. Damaso art 1 perjurii crimine eximere vult S. Damasum ejusque electores. At non video, qua ratione id satis probabiliter fiat, si ipsum juramentum multorumque perjurium admittamus. Hoc saltem est certum, Damasum cum reliquis de perjurio falso accusatum fuisse a schismaticis, ideoque non est credibile, S. Hieronymum generatim de eo perjurio scripsisse, et quidem vivente Damaso, sine ullius ex-* C *ceptione. Neque me movet Chronicon Prosperi, etiamsi eadem de clericorum perjurio habeat, prout in postrema Operum S. Prosperi editione integrum fuit datum, ubi ad consules Philippum et Saliam, qui sunt anni 348, hæc leguntur :* Romanæ Ecclesiæ XXXIV ordinatur Liberius, quo in exsilium nono episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, quod nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotio substitutus, plurimi perjuraverunt, et post annum reverso in Urbem Liberio, cum Felice ejecti sunt. *Non inquiram, Prosperine hæc sint, an interpolatoris. Si Prosperi sunt, non videtur illa hausisse ex puro S. Hieronymi Chronico, cum incredibile sit, S. Hieronymum, qui* Liberium *videre potuit, adeo aberrasse a vero tempore exsilii ejus, ut* nono Episcopatus... anno *figeret, quod quarto contigerat. Habuit igitur Prosper interpolatum S. Hieronymi Chronico, si ex eo hausit data verba de perjurio clericorum Romanorum. Si vero Prosperi etiam Chronico illa postmodum infatra quis crediderit, tanto minus ex Hieronymiano profluxerint. Quidquid sit, ratione allegatæ sufficiunt, ut non attribuamus S. Hieronymo asserta illa de perjurio clericorum Romanæ Ecclesiæ.*

assertum de subscriptione Liberii

154 *Laudatus autem Prosper non videtur in Chronico Hieronymiano invenisse assertum aliud, magis pertinens ad propositum nostrum, quod* Liberius *subscripserit* in hæreticam pravitatem *: certe de eo non meminit. Aliis quoque de causis credere nequeo, tale quid scripsisse S. Hieronymum. In Epistola enim* 15 *editionis Veronensis, (alias 57) ad Damasum* Liberii *successorem ea scribit Hieronymus anno* 376, *id est, annis octodecim post reditum* Liberii *ab exsilio, quæ omnino non dicturus fuisse videtur, si* Liberium *credidisset hæresi subscripsisse. Nonnulla huc traduco.* Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam... minutatim per frusta discerpit,... ideo mihi Cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. *Et mox :* Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum servatur hæreditas. Ibi cespite terra fœcundo Dominici seminis puritatem centeno fructu refert. *Rursum :* Vos estis lux mundi, vos sal terræ, vos aurea vasa et argentea. *Et num.* 2 *:* Ego nullum primum nisi Christum E sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noë arca non fuerit, peribit, regnante diluvio. *Iterum :* Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. *Memorati Vitalis, Meletius et Paulinus de episcopatu Antiocheno contendebant, ideoque rogat Hieronymus,* apud quem *ex illis* in Syria *debeat* communicare, *ut sequens Epistola num 2 clarius explicat. Altera quæstio, quam Damaso proponebat Hieronymus, erat multum agitata in Oriente, utrum deberet dicere* tres hypostases. *Timebat videlicet, ne quid fraudis lateret in illo loquendi modo. Nihilominus num. 4 ita scribit Damaso :* Decernite, obsecro, si placet, et non timebo TRES HYPOSTASES dicere. *Et rursum, post varia argumenta, contra ambiguum illum loquendi modum adducta :* Aut si rectum putatis TRES HYPOSTASES cum suis interpretationibus dicere, non negamus. *Tum num.* 5 *:* Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam,... ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas. *In sequenti Epistola pari ardore rogat,* F *apud quem e tribus, qui Antiocheni dicebantur episcopi, communicare debeat, quid in illa dubitatione ageret, exprimens his verbis :* Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.

similiter Hieronymo videtur abjudicandum,

155 *Examinemus modo, an verisimile sit, credidisse S. Hieronymum, hæresi subscripsisse* Liberium *octodecim fere annis, antequam hæc scriberet. Consulit Hieronymus Damasum, non quia erat doctior ceteris omnibus episcopis, sed quia sedebat in Cathedra Petri, in qua ante ipsum sederat* Liberius *: neque enim desinebat Pontifex esse, aut in Cathedra Petri sedere, quando exsulabat. In neutra Epistola Damasum rogat Hieronymus, ut concilium convocet, ut cum clero Romano quæstionem propositam examinet, ut ea omnia agat, quæ facere solent Pontifices, quando aliquam fidei controversiam* ex cathedra, *ut loquuntur theologi, volunt definire. Unice flagitat, ut Damasus per litteras ad ipsum solum directas doceat, quocum communicare debeat ex tribus, qui Antio-* chiæ

AUCTORE J. S.

chiæ se dicebant episcopos, et an liceat tres dicere hypostases. Tantam vero ostendit fiduciam, modo responsum accipiat, ut dicat, Non timebo tres hypostases dicere, nimirum si Damaso id placeret, licet alias ostendat, illam expressionem de fraude sibi fuisse suspectissimam. Quomodo de Damasi litteris, ad se solum dirigendis, tantam poterat fiduciam habere S. Hieronymus, si credebat Liberium Damasi decessorum hæresi subscripsisse, aut hæreticæ pravitati; sive crederet, id eum fecisse persuasione Fortunatiani, sive tædio exsilii victum? Certe, si lapsum Liberii persuasum habuisset, potuisset merito timere, ne et Damasus sollicitationibus Semiarianorum tædiove diuturnarum contentionum superaretur, atque in aliquid consentiret, quod hæreticis magis faveret, quam Catholicis: eaque de causa non tantum tribuisset litteris ad se rescribendis. Præterea non videtur dicere potuisse Hieronymus, Apud vos solos (utique Romanos Pontifices) incorrupta Patrum servatur hæreditas, id est, fides successione quasi hæreditaria a Patribus transmissa, si decessor Damasi hæreditatem illam non servasset incorruptam. Nihilo magis dixisset, Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ, vos aurea vasa et argentea; si
B Liberius, necdum elapsis viginti annis, fuisset vas fictile et confractum: nam de Romanis Pontificibus loquitur Hieronymus; et Damasi, quia Pontifex erat, in dubiis suis judicium exquirit, quod sequatur.

Aliis rationibus verisimilis Liberii innocentia.

156 Si jam alios consulamus ejus temporis scriptores, et rem ipsam propius inspiciamus, vix dubitabimus, quin ex calumnia Arianorum, quæ per reditum Liberii facta erat verisimilis, totum profluxerit, quod de lapsu Liberii schismatis Ursiniani et Luciferiani temporibus fuit jactatum. De causa præcipua remissi a Constantio Liberii omnino constat. Testantur Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Sulpicius Severus, idem quoque fatente Philostorgio Ariano, populum Romanum summo studio institisse apud Constantium, ut Liberius ad Sedem suam remitteretur; imo ad turbas quoque et seditiones ea de causa prorupisse, aiunt Sozomenus et Sulpicius. Nullum igitur potest esse dubium, quin hæc ratio sola permovere potuerit Constantium ad Liberium remittendum, ne Romani ad consilia magis desperata tandem prosilirent. Certe S. Hilarium idem Constantius postea ad sedem
C suam remisit, suadentibus etiam episcopis Arianis, quamvis non ex ob exsilium Hilarii timendæ essent turbæ, quas Liberii causa Romani excitaverant. Rursum constat ex Sozomeno, falsum fuisse rumorem ab Arianis sparsum de subscripta per Liberium formula hæretica. Hunc vero rumorem per reditum Liberii vires acquisivisse, et a nonnullis pro vero fuisse creditum, verisimillimum est. Æque est verisimile, prædictam famam iterum vulgatam ab Arianis in reditu Liberii, eamque ab illis reditus ejus causam fuisse jactatam, ne Constantius videretur a Liberio victus. Hoc sane innuere mihi videntur verba S. Hilarii in libro contra Constantium num. XI, ubi imperatorem ita alloquitur: Vertisti deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti inde Episcopum: et o te miserum, qui nescio, utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris. Hæc inquam, quæ in alium plane sensum detorquentur ab adversariis, hoc sensu intelligenda existimo, ut insinuet, patriam sedemque Romanam Liberio ademptam, dum relegatus est, dum vero remissus, bonum eidem nomen, quantum quidem in Arianis erat, ereptum per famam de subscriptione sparsam. Certe qui bonum

nomen alicui eripit, et famam hæresis affingit; non D minorem videtur inferre injuriam, quam si patriam et episcopatum eripiat.

157 Baronius ad annum 357 allegata Hilarii verba profert ad confirmandum Liberii lapsum; nullam tamen addens rationem. Credidit forte Eminentissimus scriptor, non minoris esse impietatis, hominem hæreticum Ecclesiæ reddere, quam Catholicum ab ea avellere. Hoc quidem non negavero: sed nec Liberium pro hæretico habet ipse Baronius, ut ea ratione Hilarii verba in eum sensum trahere potuerit: nec ea fuit mens S. Hilarii. Etenim eo loco exponit violentas ecclesiarum oppressiones, et injurias earum episcopis illatas, non intrusiones hæreticorum. Non potest igitur significare S. Hilarius, majori forte impietate remissum fuisse Liberium, quam fuerat abstractus, nisi innuendo, forsan gravius in Liberium peccasse Constantium, aut in ipsam Ecclesiam Romanam, dum Liberium remisit, quam peccaverat illum relegando. In Liberium gravissime procul dubio peccavit, si famam hæreseos, aut consensus cum hæreticis, eidem affingendam curavit; eoque sensu recte dicere potuit Hilarius, nescire se, utrum majore impietate fuerit relegatus, quam remissus Li- E berius. Potuit forte idem dicere S. Hilarius, aut quia Constantius Romanam Ecclesiam voluit facere bicipitem, mandando ut Liberius et Felix eam simul administrarent, aut ob violentias Romæ exercitas in reditu Liberii, si illæ jussu Constantii contigerint. Si alterutro modo exponantur S. Hilarii verba, neque opinioni de lapsu Liberii favebunt, neque erunt contraria. At prorsus non invenio, qua dialectica inferre legitime possim allegatis verbis Liberii lapsum insinuari. Imo potius existimo, taciturum fuisse de Liberii exsilio Hilarium, si credidisset, illum revera lapsum. Certe de Hosio a sede sua avulso nominatim non queritur, licet Hosius ob senium et diuturnam constantiam inter primos memorandus veniret; sed Hosium etiam num. 23 acriter perstringit, formulam ipsius vocans deliramenta Osii. Ita nec de ullius alterius, qui lapsus est, relegatione conqueritur, ut verisimiliter nec Liberium nominasset, nisi de ipsius constantia et victoria sensisset nobiscum.

et nominatim ex S. Hilarii verbis

ejusdemque de lapsu ejus silentio.

158 Verum non eo solum loco de Liberii lapsu tacuit S. Hilarius; sed in aliis quoque Operibus, et præsertim in libro de Synodis, quem eo conscripsit tempore, ut non potuerit Liberii lapsum ignorare, si verus est; nec reparationem lapsus etiam tum cognoscere. Scripsit enim Opus illud in Asia Minore sub finem anni 358 aut initium sequentis, quo tempore noverat omnia, quæ Sirmii erant circa medium anni 358 gesta: sed non æque nosse poterat, quid Romæ post reditum suum fecisset Liberius. In illo libro Hosium et Potamium num. 3 et 9 facit auctores hæreticæ formulæ Sirmiensis, quam blasphemiam vocat. Rursum num. 63 ait, per immemorem gestorum suorum dictorumque Osium novam illam impietatem prorupisse. Deinde num. 87 differens adversus Semiarianos, qui dictæ formulæ se opposuerant, eamque abolendam curarant, cum vellent taceri vocem ὁμοούσιον, vocem tamen retineri ὁμοιούσιον, reponit de utroque taceri voluisse senem Osium, et ipsum sepulcri sui nimis amantem. Itaque cum S. Hilarius tot occasiones invenerit perstringendi senem Hosium, qui ante lapsum omnibus venerationi fuerat, nullamne invenisset occasionem aut necessitatem loquendi de lapsu Liberii, si ille non diu post Hosii lapsum fuisset secutus? Certe Semiariani, contra quos disserebat, Liberii auctoritatem objicere poterant, si illum

AUCTORE J. S.

A *lum habuissent consentientem; nec tamen Hilarius ullibi innuit, id eos fecisse, aut ullam de* Liberio *facit mentionem. Quare Hilarius adeo non favet opinioni de prævaricatione* Liberii, *ut potius ejus silentium insinuet, opinionem illam ex falsis Arianorum rumoribus natam esse, posteaque vires accepisse per schismaticos, qui fictitias* Liberii *nomine cuderunt Epistolas, aut adoptarunt eas, quas Ariani jam ante* Liberio *supposuerant.*

Opinio de lapsu Liberii quam ruinosis

159 *Enumeremus modo fundamenta omnia, quibus nititur opinio de prævaricatione* Liberii *Papæ, ut clarius perspiciamus, quam sint infirma et ruinosa. Præcedant tamen verba Sozomeni lib.* 4. *cap.* 15: Cum Eudoxius, et qui cum illo opinioni Aëtii favebant, Antiochiæ Hosii *(post lapsum)* Epistolam accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant (*Græce* fingebant) Liberium quoque Consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri. *Hanc calumniam adoptavit Philostorgius lib.* 2. *num.* 3, *cum idem asserat de* Liberio *et Hosio, et utrumque eodem tempore ad Sedem suam remissum scribat contra manifestam veritatem. Quare Philostorgii auctoritas, quæ alias exigua etiam est in rebus inter Catho-* B *licos et Arianos gestis, utpote hominis Ariani, plane hic nulla est. Alterum illius opinionis fundamentum sunt quatuor Epistolæ, nomine* Liberii *confictæ, sive ab Arianis cusæ illæ fuerint, ut aliæ plures, sive a schismaticis postea secutis, quod nec scire certo possumus, neque examinare juvat. His epistolis fidem habitam fuisse medio ævo, dum exigua vigebat crisis, minime miror, ideoque nec mirari possum, opinionem de lapsu* Liberii *communem factam apud Latinos, non item apud Græcos. At Epistolas illas eadem facilitate receptas esse a criticis præteriti et hujus seculi, et nominatim a Tillemontio, qui passim rigidam profitetur crisim, magis miror. Ille tamen audacter pronuntiat Nota* 55 *in Arianos, non posse prævaricationem* Liberii *in dubium vocari,* post ea, quæ ipse Liberius de ea dixit. *Tantum scilicet severus ille criticus tribuit illis Epistolis, ex quibus Baronius jam duas dixerat supposititias, quas ille ne defendere quidem studuit, sed ubique pro legitimis laudare maluit.*

itatur fundamentis,

160 *Tertium fundamentum lapsus Liberiani sunt Fragmenta, quibus contra omnem sanam crisim* S. Hilarii *nomen donavit Nicolaus Faber.* C *Baronius in Appendice tomi* 3 *ad annum* 357 *variis vicibus asserit, Fragmenta illa esse incerti auctoris, et nomine S. Hilarii indigna. At severus, ubi lubet, Tillemontius iis eamdem ubique auctoritatem tribuere videtur, quam ipsis S. Hilarii Operibus. Fateor, alios quoque, imo et subinde majores nostros, eadem Fragmenta nomine S. Hilarii ladasse. Verum aliud est Opus aliquod nomine illius, cui illud attributum invenis, sine ulteriori examine laudare; aliud inter Opera S. Hilarii indubitata illud numerare, sicut facit Tillemontius tom.* 7 *in S. Hilario art.* 13. *Hoc enim mihi videtur magis hominis cæci, quam critici. Quartum fundamentum lapsus* Liberii *sunt duo textus ex Operibus S. Athanasii, num.* 117 *recitati, quos ita absone illius Sancti libris postea intrusos ostendi, ut cum antecedentibus et consequentibus non cohæreant, ut verisimile non sit, iis ratiocinia sua S. Anathasium corrumpere voluisse. Quintum fundamentum sunt duo loca, allata ex iis S. Hieronymi Operibus, quæ præ reliquis omnibus maxime sunt interpolata. Talia autem sunt illa asserta, ut nec cum aliis S. Hieronymi assertis congruant, inter se quoque pugnent, et manifestos contineant errores. Quare prudenter credere non possumus, illa esse Hieronymi; sed cum pluribus aliis inserta istis illius Operibus credimus.*

omnium enumeratione ostenditur.

161 *Restat mendax præfatio, Libello Precum Marcellini et Faustini schismaticorum præfixa, in qua pag.* 3 *hæc leguntur:* Post annos duos venit Romam Constantius, pro Liberio rogatur a populo: qui mox annuens, ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit. *Non disputo, utrum ipsius Marcellini et Faustini sit præfatio, an vero alterius schismatici, ut merito aliqui existimant. Nam locus ipse manifesta præfert falsitatis indicia. Asseritur Constantius mox annuisse precibus Romanorum, cum tamen* Liberius *integro fere anno in exsilio manserit post fictitiam illam promissionem Constantii. Si autem jam tum* manus perfidiæ dederat, *ut calumniator asserit, non erat cur reditum* Liberii *differret Constantius. Quapropter auctor præfationis aut falsum responsum affinxit Constantio, quem revera aliter respondisse populo narrant Sozomenus et Theodoretus, aut si forte inter alia simile quid respondit Constantius, quod speraret* Li- E berium *tandem flectendum, falsum responso Constantii affinxit interpretationem: constat enim,* Liberium *eo saltem tempore necdum Arianorum voluntati consensisse. Itaque omnia Liberiani lapsus fundamenta æque ruinosa sunt, et ad minimum critici examinis impulsum subvertuntur.*

Patres vero de lapsu Liberii tacuerunt,

162 *Cum igitur omne illud, quod asseritur de lapsu* Liberii, *tam incerta et invicem pugnantia monumenta pro fundamento habeat, mirari non debemus, nullum sanctorum Patrum qui cum* Liberio *vixerunt, aut post* Liberium *seculo quarto et quinto Ecclesiam scriptis suis illustrarunt, vel minimo verbo de* Liberii *lapsu mentionem fecisse. Non poterant illi narrare lapsum, quem in nullo monumento authentico reperiebant assertum: neque enim calumniis Arianorum aut Luciferianorum, qui videntur soli famam sparsisse de lapsu* Liberii, *fidem habebant. Quid modo adversarii nostri reperient rationis, qua tot Patrum silentium in opinione sua probabile faciant? Tacuerunt enim de lapsu* Liberii *omnes illi Patres, qui contra Arianos decertarunt; atque ita tacuerunt, ut ex eorum silentio recte colligere possimus, non ausos* F *fuisse Arianos confictam initio de* Liberii *lapsu calumniam. Patribus deinde objicere. Ipsi igitur Ariani silentio suo priorem illam calumniam condemnarunt. Quippe* Liberius *Arianos fortiter percussit post synodum Ariminensem, ut videbimus. Quanta illorum fuit modestia, si* Liberium *sibi aliquando consentientem habuerint, et vel sic numquam eidem objecerint inconstantiam?*

nec illum Catholicis objecerunt Ariani.

163 *Attamen nec S. Hilarius, nec S. Phœbadius, qui proxime post reditum* Liberii *contra Arianos scripserunt, de lapsu* Liberii *meminerunt. Lapsum Hosii frequenter memorat Hilarius, ut jam vidimus, nuspiam* Liberii. *Ejusdem Hosii lapsum Catholicis objectum ab Arianis testatur S. Phœbadius in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom.* 4 *pag.* 305 *ita scribens:* Sed non sum nescius, his omnibus discussis, et in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Osii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. *Respondet S. Phœbadius, nec negans Hosii lapsum nec affirmans. Quod unice ad propositum*

AUCTORE J. S.

propositum nostrum spectat, illud est, potuisse eodem modo Arianos Liberii *auctoritatem objicere, si ipsis consenserat; aut Semiarianos, si horum placitis assensum præbuerat. At numquam id fecisse leguntur Ariani, numquam Semiariani, quos postea Nicænam fidem sub* Liberio *professos videbimus. Non attingit lapsum* Liberii, *sive illum asserendo, sive solum ut objectum memorando, sive secutam post lapsum emendationem referendo, ullus Patrum Græcorum aut Latinorum, qui tanto numero fuerunt post* Liberium *seculo* IV, *quinto et sequentibus. Tacent de illo omnes historici alicujus nominis, qui eodem et proxime sequentibus seculis floruerunt, imo Græci etiam posteriores, ut omnia videantur a medii ævi Latinis hausta ex monumentis supposititiis, Arianorumque et Luciferianorum calumniis.*

B

§ X. Examinantur seorsum sententiæ eorum, qui primæ, secundæ aut tertiæ formulæ Sirmiensi Liberium subscripsisse volunt : an subscripserit anathematismis 12 concilii Ancyrani?

Multi volunt, Liberium subscripsisse formulæ primæ Sirmiensi:

Pergo nunc ad examinandas eorum sententias, qui invicem digladiantur de formula Sirmiensi, cui Liberium *subscripsisse credunt. Alii enim primæ illum subscripsisse volunt, alii secundæ, alii tertiæ. Si autem ostendero, nullam ex tribus sententiis esse probabilem uti luculenter probaturum me confido, poterit inde studiosus lector legitime inferre, sententiam ipsam de lapsu* Liberii *non satis probabilem esse; sed ortum duxisse ex calumniis Arianorum et Schismaticorum, quibus credula posteritas fidem habuit. Tillemontius Nota* 55 *in Arianos fuse exquirit, utrum primæ an secundæ formulæ Sirmiensi* Liberius *subscripsisse videatur, et statim initio disputationis profitetur, ingentem illius examinis esse difficultatem, et in fine ait, satius forte esse manere in dubio, quam pro alterutra parte aliquid decidere. Vel hinc lector colligat, quam certa sit ipsa subscriptio.* C *Attamen Tillemontius magis propensum se exhibet in primam, quam in secundam, de tertia ne differens quidem. Baronius ad annum* 357 *num.* 38 *eamdem opinionem de subscripta formula prima, contra Photinum composita, amplexus est. Natalis Alexander in Historia ecclesiastica seculi* IV *dissert.* 32 *art.* 1 *pro eadem formula pugnat, quemadmodum et alii plerique, quos enumerare longum esset. Formulam autem illam S. Hilarius recitat, et ut Catholicam exponit in libro de Synodis a num.* 38 *usque ad* 63, *ubi ait :* Nihil autem mirum videri vobis debet, fratres carrissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sunt. Nam tantum ecclesiarum Orientalium periculum est, ut rarum sit hujus fidei (quæ qualis sit, vos judicate) aut sacerdotes aut populum inveniri. Male enim per quosdam impietati auctoritas data est : et exsiliis episcoporum, quorum causam non ignoratis, vires auctæ sunt profanorum. *Concilium Sirmiense, in quo Photinus damnatus est, conditaque prædicta fidei formula, ex Socrate et Sozomeno recentiores historici passim figunt anno* 351 *cum Petavio, qui illo anno habitum probat in Annotatis ad S. Epiphanium pag,* 317 *et sequentibus.* D

horum opinio nulla auctoritate aut ratione verisimili fit probabilis:

165 *Jam vero expendamus, quam sit probabile, dictæ formulæ anni* 351 *subscripsisse* Liberium. *Primo nullus antiquorum umquam scripsit, illam* Liberio *ad subscribendum fuisse propositam, aut etiam ulli alteri post Sirmiense concilium anni* 351. *Secundo* rarum *erat anno* 358 *exeunte, dum scribebat Hilarius laudatus,* fidei *formula ista contentæ* sacerdotes aut populum inveniri *in Oriente, et non minus rarum in Thracia, ubi exsulabat* Liberius. *Quis igitur eam anno* 357 *et* 358 Liberio *subscribendam porrexisset? Non Demophilus, qui erat Berϧæ episcopus, non Valens aut Ursacius, qui usque ad medium annum* 358 *prævaluerunt apud Constantium : omnes enim illi tres erant Ariani, quorum vires auctæ sunt exsiliis episcoporum Catholicorum, et qui apertiores parturiebant impietates, quas in secunda formula Sirmiensi pepererunt. Tertio nec* Liberius *nec alii episcopi, qui anno* 355 *in exsilium acti sunt, jubebantur subscribere formulæ Sirmiensi, sed condemnare S. Athanasium. Cur igitur dicemus postea ad id sollicitatos fuisse, quando alias formulas meditabantur Ariani, et de illa parum erant solliciti? Quare non dubito asserere, subscriptionem illius formulæ asseri a recentioribus sine* E *ullo auctore antiquo, sine ulla ratione idonea, sine ulla verisimulitudine, imo contra omnem verisimilitudinem. Vidit hoc laudatus Petavius, pag.*316, *etiamsi omnia argumenta nostra non expenderit, ideoque dixit :* Hoc vero certissimum est, neque priori illi contra Photinum editæ subscripsisse ; et, si ex tribus Sirmiensibus aliquam admiserit, non aliam, quam secundam, cui et Osius assensus est, comprobasse. *Recte hæc Petavius, non sustinens, secundæ subscripsisse* Liberium, *ut aliqui perperam de ipso asserunt; sed excludens certo primam et tertiam, de secunda vero maxime dubitans, ut disertis verbis declarat.*

quod pro ea Tillemontius et Alexander attulerunt

166 *Laudati Tillemontius et Natalis Alexander pro prima formula allegant verba ex Fragmentis S. Hilario ridicule attributis. At ego Oedipum aliquem expeto, ut nosse possit, illane verba ævo S. Hilarii scripta sint, an multis seculis serius. Verba tamen, quæ leguntur Frag.* 6 *apud Benedictinos pag.* 1337, *subjungo :* Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui conscripserunt ; Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius. Exuperius Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius et Junior... F omnes hæretici. *Recitatis his verbis, docent, multos ex enumeratis episcopis certo non fuisse auctores secundæ formulæ Sirmiensis, quod verissimum esse lubens agnosco. Verum non æque admisero, quod inde infert Tillemontius, dubitari igitur vix posse, quin dicti episcopi sint auctores primæ formulæ Sirmiensis. Quippe ut legitima esset hæc consecutio, multa prius erant probanda, quorum nihil probavit Tillemontius aut Alexander, nihil umquam probabit ullus eorumdem opinionis patronus, quantum existimo. Negarunt Baronius et Petavius, allegata verba esse S. Hilarii, totamque Fragmentorum farraginem Hilario abjudicavit Baronius; Petavius vero pag.* 317 *ita loquitur :* Sed quidquid de Fragmentis illis sentiendum sit, hæc profecto subscriptio ab Hilarii manu esse non videtur, sed imperiti cujusdam,

A dam, qui Arianæ sectæ divortia non satis perspexerat. *Quapropter non debebat solum mirari Tillemontius responsum Petavii; sed probare primo, Fragmenta illa esse S. Hilarii, ac deinde, illa ipsa verba, quantumcumque a mente S. Hilarii aliena sunt, Hilarii tamen esse. Hoc ne tentare quidem ausus est, uti neque de Epistolis* Liberio *suppositis, sed ubique mira asserendi confidentia supplere voluit, quod monumentorum, quæ producit, auctoritati deerat. Tertio, ut consecutio esset legitima, probandum erat, enumeratos episcopos omnes anno* 351 *adfuisse concilio Sirmiensi; vereque dici ab auctore, omnes fuisse hæreticos. Quarto probandum erat, scriptorem illum non errasse in formula, cui subscripserit* Liberius; *et quinto, eumdem non sumpsisse Epistolam* Liberio *suppositam pro vera ejusdem Epistola.*

ex Fragmentis, ut vocant, Hilarianis,

167 *Verum ostendamus nos, quam inepte allegata verba S. Hilario tribuantur: nam de omnibus Fragmentis idem antea probatum est. Explicat S. Hilarius totam formulam Sirmiensem ut Catholicam, fatente Tillemontio, in libro de Synodis, exarato paulo post reditum* Liberii. *Quo-* B *modo igitur post tres quatuorve annos eadem confessio vocari ab eodem potuit* perfidia Ariana? *Tribusne aut quatuor annis sine ulla mutatione ex Catholica facta est Ariana? Ferretne hominem, si quis pro* Liberio *substitueret* Hilarium *ipsum, atque in Annotatis ad librum ipsius de Synodis ita loqueretur?* Hæc est perfidia Ariana. *Et*: Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Hilarius Catholicam etc. *Nullus dubitabit, quin injuriam inferret S. Hilario, qui annotationem ejusmodi libro illius subjiceret, et vel maxime si ea de causa S. Hilarium traduceret ut prævaricatorem. Quo igitur judicio illa verba S. Hilario tribuantur, mihi quis explicet velim. Licuitne Hilario reprehendere in* Liberio, *quod ipse multo cumulatius fecit? Nam formulam illam non solum late exponit ut Catholicam, sed multis etiam elogiis prosequitur. Præterea Hilarius omnes recensitos episcopos non dixisset hæreticos. Etenim Semiarianos in libro de Synodis ubique tractat ut fratres, eosque num.* 88 *sic alloquitur*: Date veniam, fratres, quam frequenter poposci. Ariani non estis: cur negando homousion censemini Ariani?

plane ineptum est et nullum.

168 *Eadem erat mens S. Athanasii in suo de Synodis libro, in quo num.* 41 *ita loquitur*: Viros autem, qui alia quidem omnia Nicææ scripta reci- C piunt, de solo autem CONSUBSTANTIALIS vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectari par est. Neque enim velut Ariomanitas, aut Patrum adversarios, homines aggredimur; sed disputamus veluti fratres cum fratribus, qui eadem, qua nos, sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto. Cum enim confiteantur, ex substantia Patris, et non ex alia substantia esse Filium, nec creaturam vel opificium illum esse; sed genuinam naturalemque prolem, et ab æterno una cum Patre Verbum et Sapientiam existere, non longe absunt a recipienda Consubstantialis voce. Talis est Basilius Ancyræ, qui de fide scripsit. *Atqui hic ipse Basilius Ancyranus est inter episcopos enumeratos, uti et Silvanus Tarsensis, magna deinde amicitia cum S. Basilio Magno conjunctus, qui si aliquando inter Semiarianos fuit, postea certo fuit Catholicus, talisque defunctus est. Fuerunt verisimiliter et plures inter illos aut Semiariani tantum aut etiam Catholici, quos S. Hilarius* hæreticos *non vocasset; sed imperitus librarius, qui ea annotata post aliquot forte secula composuit, non satis noverat, quomodo Semiariani a Patribus fuerint tractati, antequam multi ex illis in Macedonianam hæresim inciderunt. Quare, quamdiu illam solum auctoritatem afferent adversarii, eodem mihi erunt loco acsi nullam attulissent. Nam prima illius hominis imperitia fuit, fictitiam* Liberii *epistolam pro vera adoptare; altera, enumerare multos episcopos, quos non satis noverat, et audacter hæreticos omnes pronuntiare. Tertia, temere divinare, qua de formula in fictitia Epistola ageretur. Temeritas vero tanta hominis fuit, ne dicam phrenesis, ut* Liberio *Catholice defuncto, quem Patres elogiis celebrant, quem Fasti sacri commemorant, cujus sanctitatem Ambrosius testatur, tribus vicibus anathema dicat. Nisi hæc furiosi hominis magis sint, quam sani, nescio ego, quid sit furere.*

Qui Liberium volunt secundæ subscripsisse, ex Sozomeno,

169 *Transeamus ad illos, qui secundam formulam Sirmiensem, quæ certo hæretica est, a* Liberio *receptam volunt. Pro hac opinione Tillemontius primum ponit Blondellum heterodoxum, eique perperam adjungit Petavium, cum hic pag.* 316 *aperte declaret, se non disputare, an alicui formulæ subscripserit, diserteque dicat, fieri potuisse, ut* hæreticæ pravitati nequaquam subscripserit; hæretici vero comprobatam ab illo hæresim falso jactaverint. E *Hoc revera factum esse, auctor est Sozomenus num.* 159 *laudatus. Tillemontius præterea observat, tempus, quo* Liberius *subscripsit, favere secundæ. At contrarium verius est, nisi solum dicere voluerit, tempus minus repugnare secundæ, quam primæ, quod facile admisero. Composita est secunda formula Sirmiensis anno* 357, *verisimiliter mense Augusto vel Septembri.* Liberius *vero Romam remissus est anno* 358. *Cum autem Hosius post receptam illam formulam remissus sit in Hispaniam, dubitare non possumus, quin similiter remissus fuisset Romam* Liberius, *simul atque eamdem impietatem recepisset, cum Romanis reditum* Liberii *Constantius promisisset. At quod* Liberius *non fecerat, id eum fecisse,* falsis rumoribus *divulgaverunt Eudoxius aliique Ariani in Oriente, ut affirmat Sozomenus. Verum autem esse hoc Sozomeni testimonium, satis ostendit mendax Philostorgius, qui lib.* 4 *cap.* 3 *Hosium et* Liberium *simul facit subscribentes. Examinemus igitur, an Sozomeno, subscriptionem secundæ formulæ disertis verbis neganti, et Arianos mendacis calumniæ reos agenti, alios testes aggregare possimus.*

S. Hilario; S. Phœbadio,

170 *S. Hilarius in libro de Synodis non modo frequenter dicit, Hosium secundam formulam Sirmiensem recepisse, nulla uspiam facta mentione de* Liberio, *sed etiam num.* 87 *clare insinuat, solum ex iis, qui Ariani non erant, fuisse Hosium, qui formulam istam receperat, sive qui consenserat, ut non solum vox* ὁμοούσιος consubstantialis, *sed etiam* ὁμοιούσιος similis substantiæ *de Filio Dei omitteretur, quod primum in illa formula tentatum est ab* F *Arianis. Disserens enim contra Semiarianos, probansque, ob perversam expositionem quorumdam non esse omittendam vocem* Consubstantialis, *quia similia argumenta etiam proferri possent contra vocem* Similis substantiæ, *ita loquitur*: Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium, et ipsum illum nimium sui sepulcri amantem, reperiatur, qui tacendum existimet de utroque. *Hæc, inquam, verba insinuant, præter Arianos solum fuisse Hosium, eumque nimio redeundi in patriam amore inductum, qui et* ὁμοούσιον *et* ὁμοιούσιον *omittendum decreverit, prout fiebat in dicta formula. Hinc Ariani solius Hosii auctoritatem Catholicis objiciebant, non* Liberii *Romani Pontificis (quæ certe non exigui ponderis fuisset) ut intelligimus ex S. Phœbadii contra Arianos Opusculo jam laudato.*

AUCTORE J. S.

dato. Respondet S. Phœbadius : Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit... Nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam. *Qui hæc objiciebant de Hosio, tacuissentne de* Liberio, *si hic eamdem admisisset formulam? Credant hoc, qui alia non pauca, quantumvis incredibilia, de* Liberio *crediderunt; at mihi prorsus incredibile videtur.*

aliisque pluribus refutantur.

171 *Si non sufficit SS. Hilarii et Phœbadii, qui omnium primi post lapsum Hosii, et eo verisimiliter vivente scripserunt, allegata auctoritas, addere possumus Socratem et Sozomenum, utrumque de lapsu Hosii consentientem, contraria vero narrantem de* Liberio. *S. Epiphanius similiter Hær.* 86 *num.* 14 *affirmat de Hosii lapsu mire triumphasse Arianos, quos tamen fraudis arguit his verbis :* Quo nomine Ecclesiam condemnare se posse putarunt *(Ariani)* iis litteris, quas ab venerabili episcopo Hosio per fraudem abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur. *Si tanti triumphi materia erat consensus Hosii, forte fraudulenter obtentus, et ex parte fictitius, quos non cecinissent Ariani* B *triumphos, si tantumdem dicere potuissent de Romano Pontifice? Tentarunt id quidem per calumniam ; sed maledicorum ora cito fuerunt obturata, ut colligitur ex silentio mox secuto. Sulpicius Severus lib.* 2 *cap.* 40 *refert opinionem vulgatam de lapsu Hosii, et vix credit ob priorem constantiam,* nisi, *inquit,* fatiscente ævo (etenim major centennario fuit, ut S. Hilarius in Epistolis refert) deliraverit. *At rursum ne verbum quidem de lapsu* Liberii, *cujus reditum attribuit turbis Romæ excitatis. Nimirum legerat quidem Sulpicius Epistolas S. Hilarii; at non viderat Fragmenta Hilariana, quorum inordinata congeries obstare non potuit, quo minus novum S. Hilario Opus procuderetur, in quo et ipse* Liberii *lapsum suum fateretur, in quo et* perfidiam Arianam *diceretur approbasse, in quo demum et S. Hilarius anathema ipsi infligeret. Hoc, inquam, Opus S. Hilarii non viderat Sulpicius : neque sane mirum, cum ante ducentos annos necdum exstaret. Quare non est opus plura respondere ad Annotata ignoti hominis, qui, nisi forte sit schismaticus Luciferianus, eo videtur vixisse tempore, quo sententia de lapsu* Liberii *invaluerat.*

Refutantur, qui dicunt Liberium tertiæ subscripsisse.

172 *Pagius ad annum* 357 *num.* 12 *novam ex Valesio dedit fidei formulam, cui* Liberius *subscripserit, eamque vocat tertium Sirmiensem. Verum varia ibi confundunt Pagius et Valesius in An-* C *notatis ad Sozomenum lib.* 4 *cap.* 15. *Uterque vult, in conventu Sirmiensi anni* 358, *in quo fuerant legati concilii Ancyrani, nimirum Basilius Ancyranus, Eustathius Sebastenus, et Eleusius Cyzicenus, compositam fuisse fidei formulam, quam receperit* Liberius. *Uterque adjungit, hanc videri fidei formulam, quam Hilarius vocat* perfidiam ab Arianis conscriptam. *Miseret sane me doctorum alias virorum, cum tantas nugas tam confidenter ab iis prolatas video. Nam si paululum attendissent ad auctores formulæ, quos personatus Hilarius in Fragmentis recenset, (nomina dedi num.* 166) *et cum iis contulissent episcopos, qui fuerunt in Sirmiensi conventu anni* 358, *ex viginti duobus, quos auctor Fragmenti illius formulæ statuit, tres tantum invenissent, nimirum Basilium Ancyranum, Valentem et Ursacium. Nullus alius ex viginti duobus isti conventui videtur interfuisse, et certe non aderat Eudoxius Antiochenus, ut clarum est ex Sozomeno cap.* 13 *et* 14. *Verum, ut alia omittam, in illo conventu, certe anno* 355, *non est composita nova aliqua fidei formula, ut* D *satis liquet ex libro de Synodis, in quo S. Hilarius gesta illius paucorum episcoporum conventus fuse explicat. Tertia formula Sirmiensis composita est anno sequenti* 359, *ut docet S. Athanasius in suo de Synodis libro, ubi eam recitat num.* 8 *sub hoc titulo :* Edita est Catholica fides, præsente Domino nostro piissimo et victoriis eximio imperatore Constantio augusto, æterno, venerando. sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii clarissimorum, Sirmii undecimo Calendas Junias; *id est,* XXII *Maii anni* 359. *At* Liberius *jam anno præcedente Romam erat reversus. Nullam autem fuisse mediam inter illam et secundam Sirmiensem, colligitur ex eodem S. Athanasii libro, in quo numerat omnes Arianorum formulas, et post secundam Sirmiensem, num.* 29 *recitatam, mox num.* 29 *pergit ad jam dictam. Huic igitur formulæ non subscripsit* Liberius, *utpote post reditum ejus compositæ; nec probabile est, ulli ex tribus eum subscripsisse.*

Exponuntur gesta anno 358 in conventu Sirmiensi,

173 *Quæret modo nonnemo, quid actum sit in Sirmiensi conventu anni* 358. *Respondeo, conventum illum fuisse habitum ad preces legatorum concilii Ancyrani, eodem anno habiti, in quo reprobata erat secunda formula Sirmiensis. Agebatur* E *igitur apud Constantium per Basilium, Eustathium et Eleusium episcopos, ut illi ipsi, qui præcipui impiæ formulæ erant auctores, nimirum Valens, Ursacius et Germinius, subscribere cogerentur anathematismis contra illam Ancyræ compositis, atque ita damnare impietatem apertam, quam ipsi protulerant. Manifesta hæc sunt ex libro de Synodis, quem S. Hilarius ad episcopos Galliæ, qui eamdem formulam damnaverant, paulo post conscripsit. Nam num.* 2 *Gallis gratulatur ob damnatam ab ipsis formulam Sirmiensem. Et mox num.* 3 *ait, eorum exemplo idem fecisse Orientales, non tamen nova condita fidei formula, sed* quibusdam sententiarum suarum decretis. *Verumtamen distinguendum est inter ea, quæ Sirmii facta sunt per legatos, et gesta ipsa concilii Ancyrani. Hæc S. Hilarius ibidem facta dicit* non sine aliquo aurium scandalo et piæ sollicitudinis offensione. *Quæ vero Sirmii per legatos facta erant, omni reprehensione carere, dicit Hilarius verbis mox dandis. Nimirum ex pluribus anathematismis Ancyræ conditis, quorum ultimus abrogabat vocem* Consubstantialis *de Filio Dei, quod merito improbavit S. Hilarius, duodecim tantum a legatis Sirmium* F *portati sunt, ut omnium subscriptione roborarentur, omisso articulo de voce* Consubstantialis *abroganda cum aliis nonnullis.*

in quo solum duodecim ex anathematismis Ancyranis recepti sunt,

274 *Duodecim autem anathematismos, quos legati Ancyrani Sirmium tulerunt, recitat et explicat S. Hilarius a num.* 12 *usque ad* 27 *ubi subjungit :* Percurrimus, carissimi fratres, omnes Orientalium episcoporum editas fidei definitiones, quas contra emergentem proxime hæresim, congregata intra se synodo condiderunt. *Et paulo post :* Et hæc quidem, fratres carissimi, omnis, quæ edita est, fidei doctrina, per paucos juxta universitatis modum Orientales, sub his ipsis prope diebus, quibus vos ingestam hæresim (*in secunda nimirum formula Sirmiensi*) respuistis. *Non dicit, omnem hanc esse doctrinam, quæ concepta erat Ancyræ, sed* omnem, *quæ edita erat Sirmii, ideoque* editas, *et* quæ edita est, *sollicite adjungit. Nam luculenter sub finem Operis insinuat, non ignota sibi fuisse gesta Ancyrana, eaque non æque fuisse irreprehensibilia, quam quæ Sirmii erant facta per legatos concilii. Legatos alloquens num.* 90 *de*

A 90 *de his ita scribit S. Hilarius:* Vereor enim, fratres, Orientis hæreses, in tempora singula pullulantes: et quid vereri me dicam? jam et legi. Nihil quidem in his, quæ vos de Orientalium quorumdam assensu, susceptæ legationis ministri subscribenda Sirmium detulistis, nihil suspicionis relictum est. Sed habuerunt ab exordio nonnihilum, offensionis, quæ credo vos, sanctissimi viri, Basili et Eustathi et Eleusi, ne quid scandali afferretur, abolenda tacuisse. Quæ si recte scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem, quia non recte scripta sunt, nunc tacentur, cavendum est, ne aliquando dicantur. Parcens enim adhuc de his nihil dico: tamen mecum recognoscitis, quod non ita omnis conscripta apud Ancyram fides se habebat. Non famæ fabulam loquor: litterarum fidem teneo, non a laïcis sumptam, sed ab episcopis datam. *Itaque clarum est, S. Hilarium distinxisse inter decreta Ancyrana, quæ non omnia probat; et istorum partem Sirmii receptam, sive* 12 *anathematismos.*

nec ulla ibi condita est fidei formula.

175 *Hi autem non continent plenam fidei formulam, ut inspicienti patebit, sed condemnationem hæreticarum aliquot opinionum, et illarum maxime, quæ contentæ erant secunda formula Sirmiensi. Perperam igitur Valesius et Pagius* B *asserunt, in conventu Sirmiensi anni* 358 *tertiam conditam esse formulam Sirmiensem; et magis etiam negligenter adjungunt, hanc videri formulam, quam S. Hilarius vocaverit* perfidiam Arianam. *Ferrea plane sunt verba Valesii, et homine erudito indigna:* Hæc est, opinor, formula, quam Hilarius in Fragmentis vocat, Perfidiam ab Arianis conscriptam, et quam Liberius Catholicam vocat et a Demophilo sibi oblatam suscepisse se dicit in Epistola ad Orientales. Ob quod factum Hilarius ter anathema dicit Liberio. *Dicit S. Hilarius* nihil suspicionis relictum *esse in iis, quæ anno* 358 *Sirmii subscripta sunt. At si credimus divinanti Valesio, ea in Fragmentis vocat* perfidiam ab Arianis conscriptam. *Attulerunt ea Sirmium et subscribenda curarunt Basilius, Eustathius et Euleusius episcopi. At Valesius, qui vult* Liberium *in illo conventu subscripsisse, divinat, eam esse formulam* Liberio *a Demophilo traditam, licet Demophilus eo tempore Sirmii non fuerit. Ob hujus formulæ subscriptionem Hilarius ter anathema* C *dixit* Liberio, *si credimus Valesio. At Hilarius cum illis ipsis legatis, qui omnium tunc gestorum auctores fuerunt, ut cum fratribus disserit, gestaque ab illis Sirmii multis laudibus prosequitur. Quare conjecturæ tales non minus honori S. Hilarii, quam* Liberii, *contrariæ sunt, omnique probabilitate carent. Verum viderunt Valesius et Pagius, nec primæ nec secundæ Sirmiensis formulæ subscriptionem* Liberio *probabiliter attribui, eaque occasione tertiam Valesius effinxit formulam Sirmiensem ante illam, quæ revera tertia est, sed certo post* Liberii *reditum condita.*

Etsi Sozomenus dixit, illi conventui adfuisse Liberium,

176 *Deceperunt Valesium verba Sozomeni, quæ non videtur contulisse cum libro S. Hilarii de Synodis; secundum hunc enim exponi Sozomenus debet, aut, si nequit, erroris argui. Credidit Sozomenus,* Liberium *conventui Sirmiensi interfuisse cum quatuor episcopis Africanis. At nec de* Liberio *nec de Africanis illis episcopis ulla est mentio apud Hilarium, aut ullum alium, ut malim credere, errasse Sozomenum, præsertim cum et alios errores eidem relationi inserat, quam id illi soli notum fuisse. Audiamus tamen totum Sozomeni contextum lib.* 4 *cap.* 15. Haud multo post, *inquit,* imperator ab Urbe Roma Sirmium reversus, cum Occidentales episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Berœa ad se accersivit. Cumque adessent legati episcoporum Orientis, convocatis sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem et imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius et Eleusius, qui præcipua apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cum ea, quæ contra Paulum Samosatensem, et contra Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis basilicæ editam, in unum tunc libellum, (*sive scriptum, Græce* γραφὴν) conjecissent, perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli Consubstantialis, propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt, ut Liberius, et Athanasius, Alexander, Severianus et Crescens, Africæ episcopi, ei formulæ *(Græce solum est* ei, *id est, libello aut scripto, de quo fuerat locutus)* consentirent. Consenserunt pariter Ursacius et Germinius episcopus Sirmii, et Valens Mursæ, et quotquot ex Orientis partibus aderant episcopi. Sed et confessionem a Liberio vicissim susceperunt, qua eos, qui Filium secundum substantiam et per omnia E Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. *Hactenus Sozomenus, cujus pleraque asserta videntur ignota fuisse S. Hilario, qui de gestis in illo conventu Sirmiensi optime fuit instructus.*

hoc tamen probabile non fit, quia S. Hilarius

177 *Primo S. Hilarius nullos in illo conventu episcopos nominat præter tres legatos concilii Ancyrani Basilium, Eustathium et Eleusium; ac tres similiter Arianos, qui passim aderant imperatori, Ursacium, Valentem et Germinium. Hi coacti sunt per duodecim anathematismos damnare secundam formulam Sirmiensem. Tres priores eadem cum Catholicis de Divinitate Filii Dei credidisse sed vocem* Consubstantialis *omitti voluisse, quia ea abusi erant Paulus Samosatenus, Photinus, eorumque sectatores, variis locis declarat Hilarius. Eosdem ubique actores facit contra auctores secundæ formulæ Sirmiensis; atque omnem damnatæ formulæ gloriam iisdem attribuit. Illos vero, qui coacti erant subscribere, nominat, Ursacium, Valentem et Germinium, quos innuit præcipuos fuisse impiæ formulæ auctores, licet eam non fuissent ausi per se promulgare, sed id fecissent* F *per imperatorem, ut ait num.* 78. *Nullibi vero innuit, ullum alium Sirmii subscripsisse, aut omnino ullum alium episcopum Sirmii fuisse, dum illa agebantur. Nam Hosium et Potamium nominat quidem inter auctores impiæ formulæ, sed non ut præsentes, dum illa fuit damnata. De tribus vero aliis num.* 81 *ita meminet, alloquens legatos Ancyrani concilii:* Epistolam, quam a vobis de Homousii et de Homœusii expositione apud Sirmium Valens et Ursacius et Germinius poposcerunt, legi. Intelligo in quibusdam non minus circumspectam esse, quam liberam. Et ipsa Homousii et Homœusii demonstratio nihil reliquit difficultatis. Et quidem de Homœusio, quod est similis essentiæ, commune judicium est. *Soli tres illi dicuntur expositionem petiisse legatorum, quo verisimile sit, cum solis illis apud imperatorem egisse legatos, præsertim cum legati illi propositum sibi non haberent contra Catholicos agere, sed contra hæreticos et hæreticæ formulæ auctores. Ideo variis locis testatur Hilarius, coactos esse hæreticos damnare, quæ ipsi fecerant, tres jam memoratos insinuans.*

178 *Num.*

AUCTORE J. S.

gesta ibidem fuse exponit nec ullibi de Liberio

178 *Num.* 3 *asserit,* ad professionem ignorantiæ errorisque *compulsos,* ut ipsi rursum subscribendo damnaret, quod fecerant. *Rursum num.* 27 *post expositos anathematismos de legatis ait :* Et eos, qui hanc apud Sirmium conscripserant, ignorationem confitentes, ad subscriptionem decretorum talium coëgerunt. *Deinde num,* 63, *postquam perstrinxerat Hosium, secundæ formulæ cum Arianis professorem, de his iterum subjungit :* Hinc illud est, ut ad professionem subscribendæ fidei aliqui eorum, qui ante aliud scripserant, cogerentur. Nec queror de patientissimis viris Orientalibus episcopis *(Basilio, Eustathio et Eleusio,)* quibus fuffecit post blasphemiæ voluntatem coactæ * saltem fidei professio : gratulandum enim videtur in tanta blasphemantium episcoporum hæretica pertinacia aliquem ex his suscipi pœnitentem. *Postea sermonem dirigens ad legatos Ancyrani concilii, num.* 79 *docet, non esse fidendum Arianis, qui subscripserant :* Fallunt enim, *inquit* quantum et vereor, et mihi videtur, fratres carissimi, fallunt, quia semper fefellerunt : et illa ipsa præsens nunc subscriptio non caret falsitate. Excusant enim se idcirco Homousion et Homœusion taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarent. *Ubi vero contra mendacem illam excusationem pluribus disseruerat, subjungit* : Non queror admodum de venia, quam dedistis : religiosum est Deo sua reservare, et ignorationis error humanus est. Sed ignoscant jam mihi duo episcopi Valens et Ursacius, quod eos pro ætate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est, ne mentiri existimentur, qui se in alio negotio non possunt nisi mendacio purgare. *Non jungit hic Germinium, quod junior esset, et sic magis errori obnoxius, et necdum convictus de mendaciis, uti convicti erant Valens et Ursacius de mendaciis, contra S. Athanasium sparsis.*

* *forte coacta*

B

meminit, aut de legatis Occidentalium. Sozomenus igitur,

179 *Allegata omnia insinuant, unice in illo conventu Sirmiensi actum fuisse contra auctores impiæ formulæ, nec ullam ibi tractatam fuisse controversiam inter Catholicos et Semiarianos. Quare falsum est,* Liberium *ibi sollicitatum fuisse, ut* Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. *Nam anathematismum contra vocem* Consubstantialis *Ancyræ factum absciderunt ipsi legati, ut insinuat Hilarius verbis num.* 174 *datis, idque certissimum fit ex* 12 *anathematismis ab Hilario recitatis, inter quos ille non reperitur. Vocem illam quidem omiserunt in suis anathematismis qui non sunt integra fidei professio, sed solum hæresis condemnatio; at nullibi in iis dixerunt, omittendam esse vocem* Consubstantialis *in plena fidei formula. Quod vero ait Sozomenus,* in unum libellum *sive scriptum conjectas fuisse duas formulas, nimirum Sirmiensem primam contra Photinum et Antiochensem; non alio modo vere exponi potest, quam dicendo anathematismos, quos ferebant subscribendos legati, dictis fidei formulis fuisse conformes, et ex contentis in illis concinnatos. Hinc S. Hilarius in libro de Synodis duas quoque illas formulas exponit, Antiochensem num.* 29 *et sequentibus, Sirmiensem a num.* 38 *usque ad* 63, *non quia illæ tunc Sirmii instauratæ erant, sed ut episcopi Galli ex pluribus fidei formulis clarius perspicerent, qualis tum esset Orientalium de fide sententia. Nam num.* 28. *data expositione anathematismorum eo tempore conditorum, cum vellet et formulas olim compositas exponere, hanc præmittit rationem :* Sed jam superioribus, diversisque temporibus, multis his causis postulantibus, fides alias necesse fuerit conscribi, quæ quales sint, ex ipsis intelligetur. Omnibus enim, quæ ab iis gesta sunt, cognitis, facilius tum et plenius earum rerum, de quibus inter nos quæstio est, absolutionem religiosam et unitati congruam afferemus. *Similes affert rationes num.* 33 *et* 37, *ad alias rursum formulas exponendas accedens. At nullibi insinuat, eas rursum anno* 358 *ad subscriptionem fuisse propositas, ut procul dubio erraverit Sozomenus, si id voluerit, ut verba præferunt.*

C

D

qui aperte ibi in multis errat, variaque confundit,

180 *Errat certe Sozomenus in eo, quod ait sollicitatum fuisse* Liberium, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. *Errat rursum si intelligatur, ut verba habent, novam ibi ex præcedentibus compositam fuisse fidei formulam. Errat tertio in tempore, cum dicit :* Haud multo post imperator ab Urbe Roma Sirmium reversus *etc. Nam hæc verba insinuant, gesta illa fuisse Sirmii, simul atque Constantius Roma reversus erat Sirmium. At constat, reversum esse anno* 357, *ibique transegisse hiemem sequentem. Illa vero, quæ Sirmii gesta sunt, per legatos concilii Ancyrani, non contigerunt ante Junium anni* 358; *ut non hic episcoporum conventus, sed ille, in quo secundam formulam Sirmiensem acceptavit Hosius, figendus sit tempore per Sozomenum designato. Quarto errat Sozomenus, dum conventui anni* 358 *adjungit Occidentalium episcoporum legatos, et his quidem deinde rei peractæ honorem attribuit his verbis :* His per Occidentalium legatos [*recte*] confectis, imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit. *At in conventu de quo agimus, nihil apud Hilarium attribuitur Occidentalium legatis, nec ulli Occidentalium legati interfuisse videntur. Quare, si qui Occidentalium, et maxime Romanorum, legati anno* 358 *venerint Sirmium ad Constantium, ut reditum* Liberii *flagitarent, eaque occasione* Liberius *fuerit Sirmium vocatus, confuderit Sozomenus gesta legatorum Occidentalium cum gestis legatorum concilii Ancyrani : hocque verisimillimum est, cum tota ipsius relatio sit plena confusionis. Quinto verisimiliter errat, dum episcopis congregatis attribuit Epistolam, quæ ipsius Constantii nomine ad Romanos videtur data, dum redibat* Liberius. *Sexto errat, dum insinuat, Romanam Ecclesiam a* Liberio *simul et Felice fuisse administratam aliquo tempore.*

E

in eo similiter erraverit, remissusque fuerit Liberius ob preces Romanorum.

181 *Ex tot igitur erroribus non immerito infero, fidem quoque non mereri Sozomenum in iis, quæ de præsentia* Liberii *in illo conventu, gestisque ejus ibidem solus affirmat. Solum enim silentium S. Hilarii, de conventu illo Sirmiensi tam prolixe agentis, aliorumque omnium scriptorum de præsentia* Liberii *et legatorum Occidentalium facit, ut longe probabilius sit et verisimilius,* Liberium *ibidem tunc non fuisse, sed ante Romam fuisse reversum. Si qui vero legati Occidentalium episcoporum, ut satis fit verisimile ex studio Romanorum pro* Liberio, *anno* 358 *ad Constantium venerint, ut reditum* Liberii *postularent: hi allegare potuerunt incensa Romanorum studia, et sic impetrare, quod petebant. Nam ut probavi* § 7, *plerique scriptores non allegant aliam remissi* Liberii *causam, quam preces et turbas Romanorum, reditum ipsius enixe flagitantium. Neque hic dicat aliquis, verisimile non esse, remissum fuisse a Constantio* Liberium, *antequam consentiret. Nam minorem ob causam postea ad ecclesiam suam remissus est S. Hilarius. Uterque in exsilium missus est ob recusatam S. Athanasii condemnationem, non ob detrectatam subscriptionem alicujus formulæ. Fervor autem ille Arianorum, damnationem S. Athanasii omnium subscriptione firmare cupientium, videtur remisisse, postquam*

A *postquam ille circa Pascha anni* 356 *Alexandria profugerat, et latebras captabat. Hinc minime mirandum est, Constantium pro sua inconstantia tandem acquievisse precibus Romanorum, et in reditum* Liberii *consensisse.*

§ XI. Concilii Ariminensis infelix exitus : Liberius ei se opponens latuisse dicitur : non fuit ei tum Pontifex substitutus Felix.

Concilium Ariminense anno 359 habitum.

Ab *anno* 358, *quo remissus Romam fuit* Liberius, *Constantius imperator novum congregare voluit concilium generale episcoporum Orientis et Occidentis, ut liquet ex S. Hilario, S. Athanasio et Historicis, qui initio sequentis seculi floruerunt. S. Athanasius in libro de Synodis num.* 1 *Arianos hujus concilii facit auctores, aitque primo decretum fuisse, concilium illud Nicææ in Bi-* B *thynia habere.* Sed, *inquit,* secunda prodiit jussio, ut Occidentales episcopi Ariminum in Italia convenirent, Orientales vero Seleuciæ, quæ Aspera dicitur, in Isauria convocarentur. Obtentus autem hujusmodi conventus erat, ut de fide in Dominum nostrum Jesum Christum (ut jactitabant) ageretur. Curarant scilicet eam spargere famam, ex Pannonia quidem Ursacius, Valens, et Germinius quidam : ex Syria vero Acacius, Eudoxius et Patrophilus, urbis, quæ ex Scythis nomen sortita est, episcopus. *Mitto alias urbes, quæ nominatæ pro concilio fuerunt, antequam Ariminum pro Occidentalibus, Seleucia pro Orientalibus fuisset electa. Nam Arimini tandem et Seleuciæ anno* 359 *concilia illa habita sunt. Laudatus Athanasius num.* 8 *de Ariminensi concilio dicit;* Ubi plures quadringentis episcopi reperti sunt. *Non adfuit tamen* S. Liberius, *sive rogatus non fuerit, sive noluerit venire. Si non sit jussus ab imperatore concilium adire, ut magis verisimile est; hoc ipsum insinuat, non desiderasse Arianos, qui rursum prævalebant apud Constantium, ut* Liberius *ipse concilio interesset, quod invincibilem ejus fortitudinem fuissent experti.*

in quo tandem admissa fidei formula favens Arianis; ei Liberius non consensit.

183 *Ad propositum nostrum non spectat Ariminensis concilii gesta enarrare, cum nullam in iis partem habuerit* Liberius. *Satis sit generatim dixisse, ab episcopis Catholicis, qui numero longe superiores erant, initio fidem Catholicam Nicænumque concilium confirmatum, Arianos vero damnatos. Verum tam bene cœpta turpi fine fœdarunt : nam passi sunt, ut nomen* substantiæ *sive* usiæ *aboleretur, doloque Arianorum decepti, fidei confessionem Arianæ hæresi faventem admiserunt. Hinc de Ariminensi concilio dicit S. Hieronymus libro contra Luciferianos :* Tunc usiæ nomen abolitum est : tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est. *Mirati nimirum sunt ipsi episcopi, qui dolos et captiosas Arianorum dictiones non satis perceperant, quando Ariani suas cœperunt jactitare palmas. Hoc tamen certum est, multos etiam succubuisse defectu constantiæ, quod nimis desiderarent ad sedes suas redire. De concilio Seleuciensi nihil dico, nisi plerosque, qui illic fuerunt, postea etiam coactos decretis Ariminensibus subscribere.* Liberius *tamen, qui præsens non fuit, numquam Ariminensi concilio consensit, ut scribit ejus successor S. Damasus cum concilio Romano nonaginta episcoporum in Epistola, relata apud Theodoretum lib.* 2 *cap.* 22, *ubi ita loquitur :* Neque enim præjudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum constet, neque Romanum episcopum, cujus ante omnes fuit expetenda sententia, neque Vincentium *(Capuanum,)* qui tot annos sacerdotium inlibate servavit, neque alios, hujusmodi statutis consensum aliquem commodasse.

Aliqui volunt, Liberium ideo rursus Urbe expulsum, quod minus est verisimile,

184 *Eminentissimus Baronius ad annum* 359 *num.* 36 *et* 37 *observat, exsilium* Liberii *non recte a Socrate et Rufino ad hoc referri tempus. Existimat tamen,* Liberium *Urbe iterum expulsum fuisse, et in suburbanis cœmeteriis habitasse. Res certe de se verisimilis est, cum voluerit Constantius, ut omnes Ariminensium prævaricationi consentirent, idque facere detrectaverit* Liberius*: nisi forte Constantius* Liberium *rursus Urbe expellere ausus non sit Romanorum metu, ut mihi non minus fit verisimile ex nupera, eaque utcumque coacta, ipsius in Sedem restitutione. Si enim Romanis* Liberium *anno* 358 *ob preces seditionesque reddidit, ut vidimus* § 7, *si Felicem contra mandatum suum expellentibus non restitit, sed consensit, ut eo loco probavimus, in hisce adjunctis parum fit* E *verisimile, Constantium nova* Liberii *expulsione Romanos iterum exacerbare voluisse. Quare, cum omnes fere antiqui scriptores de secunda* Liberii *expulsione taceant, et Rufinus Socratesque solum in tempore erraverint, non ausim certo affirmare,* Liberium *iterum hoc tempore fuisse expulsum. Sozomenus quidem lib.* 4 *cap.* 19 *aliquid ex aliorum sententia refert de expulso iterum ex Urbe* Liberio, *ubi aiunt, Constantium Valenti aliisque episcopis Arianis* permisisse, ut Occidentalium partium ecclesias pro arbitrio suo ordinarent, et formulam fidei Arimini perlectam promulgarent; eos vero, qui formulæ illi subscribere renuissent, ecclesiis ejicerent, et in eorum locum alios constituerent : istos vero hic licentiam nactos, adhibita vi compulisse episcopos, ut fidei illi subscriberent; eos autem, qui resisterent, ecclesiis suis exturbasse, ac primum omnium Liberium episcopum urbis Romæ. *Verum hæc similiter referuntur a Socrate lib.* 2 *cap.* 37, *cujus opinionem ibi exprimit Sozomenus, non suam. Cum autem utroque loco episcopi Ariminenses dicantur ad sedes suas discessisse, rupto concilio et invito imperatore, quod plane falsum est, reliqua etiam non videntur pro certis admittenda.* F

forte ob persecutionem latebras captavit. Dicitur enim habitasse in cœmeteriis.

185 *Attamen cum ex Socrate non solum et Sozomeno, sed etiam ex Rufino lib.* 10 *cap.* 21 *et Theodoreto lib.* 2 *cap.* 22 *abunde colligatur, magnam fuisse persecutionem; cumque in Actis* Liberii, *et in Catalogis Romanorum Pontificum dicatur* Liberius *aliquando habitasse in cœmeteriis suburbanis, alterutrum dicendum videtur, aut coactum Urbe excedere* Liberium, *aut ultro latebras quæsivisse, ne, ut ante factum erat, improviso ab Urbe avelleretur.* Ceterum, *inquit Baronius num.* 37, in hac ultima Liberii exturbatione *(aut recessu)* neminem reperimus in locum ejus substitutum fuisse episcopum, sed ab ipso Liberio Damasum presbyterum vicarium esse relictum, quem a Felicis partibus stantem (ut demonstratum est) illo defuncto, Liberius una cum reliquis, concordia inita, cum muneribus et honoribus recepit in clerum. Hæc quidem habent veterrima illa, antiquitate corrosa, in multis depravata, atque admixtione et additione aliqua labefactata Liberii Papæ Acta : ex quibus illud saltem non obscure significatur, Liberium exturbatum ab Urbe habitasse in cœmeteriis suburbanis, Novellæ et Ostriano nuncupatis : quem ibi positum

AUCTORE J. S.

situm Damasus et alii ex clero Romano convenire solerent. *Acta illa vetusta, quæ hic laudat Baronius, edita sunt a Coustantio in Appendice ad Epistolas Romanorum Pontificum col.* 89 *et sequentibus, ibique* Liberius *num.* 2 *dicitur* extra civitatem habitare *jussus a Constantio. Et additur :* Habitabat autem ab Urbe Roma milliario III, quasi exsul in cymiterio Noëllæ via Salaria. *Tum num.* 3 *dicitur Damasum presbyterum constituisse* vicarium *suum sed non dicitur Damasus partes Felicis umquam secutus contra* Liberium. *Habet id sæpe memorata hominis schismatici Præfatio, quæ et Damasum perjurum facit, aliaque multa de eodem mentitur, uti ipse Libellus Marcellini et Faustini, cui præfixa est. Utrique certe credere non possumus : neque enim* Liberius *hominem perjurum, et nuper sibi conciliatum, fecisset vicarium.*

et Damasum tunc habuisse vicarium, quod certum quidem non est.

186 *In gemina S. Damasi Vita, quæ utraque Operibus ipsius anno* 1638 *Romæ editis præmissa est, eadem dicuntur de Damaso presbytero per* Liberium *in cœmeterio commorantem vicario constituto. Non carent quidem pluribus mendis, imo nec fabulis, dictæ Vitæ; cum tamen et Vita Damasi, quæ inchoatur pag.* 40, *et* ex codice archivii canonicorum S. Petri, *edita est, multa etiam vera et antiquis scriptoribus consona contineat, nescio sane, an iis omnibus fidem abrogare oporteat ob Præfationem schismatici mendacis. Nam hujus maledicta et calumniæ abunde falsitatis convincuntur ex testimoniis conciliorum et Patrum coævorum de S. Damasi probitate et innocentia. Quare, etiam si minime inficiari velim, Acta illa* Liberii *auctoritatis esse exiguæ ob ignorantiam et ineptias auctoris, nec multo meliora esse laudata Damasi Acta, multis etiam erroribus inquinata : nolim tamen horum asserta refutare ex Opusculo hominis schismatici, multa certo de Damaso mentientis, ut facit Coustantius in Admonitione ad Acta* Liberii. *Certe Galli scriptores non immerito ægre ferrent, si quis temeraria crisi scriptoribus illis hæreticis fidem habere vellet contra S. Hilarium, huncque prævaricatorem facere et hæreticorum fautorem, ut faciunt schismatici illi pag.* 29. *Quapropter lubens quidem admittam, Acta illa* S. Liberii *esse hominis imperiti ineptique, nec ex iis certum fieri, Damasum fuisse* Liberii *vicarium, at numquam dicam, hoc assertum recte refutari iis verbis, quibus ab inimicis suis schismaticis ut ambitiosus et perjurus Damasus traducitur.*

nec tamen etiam certe falsum convincitur ex Libello schismatico.

187 *Monet ipse Coustantius in Monitis ad Epistolas S. Damasi,* suspectæ et etiam nullius *esse* fidei, quod in Luciferianorum Libello Marcellini ac Faustini presbyterorum nomine imperatoribus oblato, in gratiam Ursini et adversus Damasum legitur. *Cum autem talia sint, quibus vicariatum Damasi impugnat Coustantius, miror dicta* nullius fidei *ita proferri, acsi certa essent, iisque vicariatus S. Damasi sub* Liberio *fieret certo fictitius. Quapropter alia omnino requiro argumenta ad negandum certo S. Damasi vicariatum; imo nullum hactenus inveni argumentum, quo probari possit, Damasum umquam contra* Liberium *Felici adhæsisse : quod ne ipsi quidem schismatici in Libello suo aut Præfatione umquam clare edicunt. Baronius quidem id credidit, sed nullibi probavit. Si constaret, Damasum communicasse cum Felice quando exsulabat* Liberius, *exstimarem, Felicem cum ipso* Liberio *conciliatum fuisse ante hujus reditum. Quamvis enim Felix ordinatus sit ab Arianis, ideoque ingressus ejus sit vitiosus, cum tamen Catholicus esset, potuit* Liberium *sibi reconciliare, sive quod vim passus esset, sive quod suscepti vitiose episcopatus et communionis initæ cum Arianis serio eum pœniteret. Hanc enim conjecturam non improbabilem faciunt, quæ secuta sunt in reditu* Liberii, *quando ultro cessit aut certe sibi Pontificatum retinere non curavit Felix : neque enim certo crediderim schismaticis, qui soli pag.* 4 *asserunt, Felicem post expulsionem primam rursum possessionem capere voluisse. Itaque dicerem, Damasum cum Felice communicasse, cum hic ipsi* Liberio *esset conciliatus, ejusque fortasse vicarius; at nullibi invenio, an Damasus cum Felice communicaverit, exsulante* Liberio.

Nonnemo vult, Liberium cessisse Pontificatu, electumque Felicem,

188 *Franciscus Blanchinus in Annotationibus ad Athanasium Bibliothecarium tom.* 3 *pag.* 15 *et sequentibus in* Liberio *et Felice, cum existimet, S. Felicem legitimis Pontificibus omnino annumerandum, conjecturam affert de resignato ultro Pontificatu per* Liberium, *electoque in locum ipsius Felice, quam pag.* 16 *exprimit his verbis : Anno* CCCLVIII die x Martii exsulat iterum Liberius post menses septem dies novem a reditu numeratos, et cedit Pontificatu. *Anno* CCCLVIII eligitur legitime successor S. Felix die IX Augusti. *Anno* CCCLIX S. Felix expulsus martyr sive occiditur, sive cedit Pontificatu. Cessat Episcopatus... *Anno* CCCLIX die XXI Decembris iterum eligitur Romanus Pontifex Liberius, qui Apostolicæ Sedi præsidet usque ad obitum suum. *Hæc eruditus Blanchinus enumerando minutim annos, menses et dies, qui in mendosissimis catalogis* Liberio *et Felici attribuuntur. Verum totum hoc ædificium fundamento caret. Nullus antiquorum umquam vel minimo verbo insinuavit,* Liberium *umquam Pontificatu cessisse, eaque de causa Felicem ipsi legitime fuisse substitutum. De iterata* Liberii *electione nullus umquam meminit. Scrupulosa annorum, mensium et dierum inquisitio locum habere posset, si prius de legitimo Felicis Pontificatu constaret. At, si* Liberius *Pontificatum dimisisset tempore secundi exsilii, non posset ea cessio figi anno* 358, *quo a primo exsilio rediit; sed figenda esset post concilium Ariminense, sive exeunte anno* 359 *aut ineunte anno* 360 *: nam circa id tempus Urbe iterum excessit* Liberius, *si revera pulsus est, aut ultro latebris se abdidit. Quare frustra laboravit Blanchinus, quando ex mendosis catalogorum numeris assignare duobus Pontificibus tempora sua studuit; et ex Pontificatu Felicis non bene probato cessiones electionesque inferre numquam assertas.*

quia Felix in variis catalogis inter Pontifices recensetur,

189 *Baronius, ut vidimus num.* 107, *Felicem credidit Pontificem factum, dum rediit* Liberius *omnium lætitia exceptus, facitque populum accurrentem ad Felicem sine ulla mentione de electione; cum tamen constet populum accurrisse ad* Liberium, *Felicemque, nisi ultro cesserit, a populo expulsum. Vidit procul dubio Blanchinus, eo modo non creari Pontifices, eaque de causa recurrit ad cessiones et electiones legitimas, sed nullius testimonio nixas. At prius certis argumentis probandum erat, Felicem fuisse legitimo modo Romanum Pontificem. Hoc, quidquid senserint etiam variis locis Majores nostri, nequaquam invenire valeo. Præcipua argumenta pro legitimo Felicis Pontificatu affert Schelstratius de Antiquitatibus Ecclesiæ dissert.* 2 *cap.* 9 *num.* XI, *ubi affirmat, inter* mediæ ætatis scriptores *adeo convenire de Felicis Pontificatu,* ut Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus et Theophanes Felicem ponant in serie Romanorum Pontificum, *eumque omnes* catalogi tam manuscripti quam typis editi agnoscant. Sic duo catalogi tempore Vigilii Papæ concinnati... Catalogus quoque

A que secundus VI seculo conscriptus etc. Mox addit alios quatuor catalogos cum Anastasio, tum Ivonem Carnotensem, Anselmum Lucensem, ac Seriem Romanorum Pontificum depictam in ecclesia S. Pauli extra Urbem. Ex hisce nihil negavero, quia video omnibus catalogis insertum Felicem. Verum cum vetustissimi horum Catalogorum duobus fere seculis sint posteriores Liberio et Felice, multisque inquinati erroribus, cumque allegati scriptores multo etiam sint recentiores; vellem pro omnibus istis afferri potuisset unius Augustini aut Optati Milevitani testimonium, quo longe certiores redderemur de vero Felicis Pontificatu, quam omnibus auctoritatibus allegatis.

sed ejus Pontificatui obstat gravissima auctoritas,

190 Etenim Optatus Milevitanus lib. 2 contra Parmenianum deducit catalogum Romanorum Pontificum usque ad Siricium; Augustinus vero Epist. 53 (alias 165) usque ad Anastasium, uterque usque ad tempus, quo floruit et scripsit. Optatus autem eo ipso tempore vixit, quo sedit Liberius, ut Felicis Pontificatum nullo modo ignorare potuerit, cum sub Siricio scripserit. Si quis vero B vellet, Felicis quidem legitimum fuisse Pontificatum, at eum S. Augustino fuisse ignotum, injuriam sane faceret eruditissimo Patri, temporibus Liberii et Felicis tam propinquo, ut non nisi per supinam ignorantiam nescire potuerit, quæ se puero Romæ inter Liberium et Felicem erant gesta, aut certe quinam iis temporibus fuissent Pontifices. Quare certissimum est, nec Optatum nec Augustinum ignorasse, an legitimus Pontifex fuisset Felix et nihilo magis, an Pontificibus annumeraretur eo tempore. Velim itaque mihi quis exponat, qua ratione Felicem, si verum noverant Pontificem, catalogo Romanorum Pontificum sine injuria excludere potuerint. Hoc nullus hactenus explicuit: nec recte, opinor, explicabitur: neque enim satisfaciunt, qui dicunt, Felicis Pontificatum ab Optato et Augustino fuisse omissum. quia inclusus erat Pontificatui iterato Liberii, cum hæc justa non sit ratio privandi Felicem honore debito, ipsumque ejiciendi e loco, quem recte occupaverat. Itaque silentium Optati et Augustini in hisce adjunctis præferendum mihi videtur omnibus Catalogis, seculo VI et postea concinnatis, scriptoribusque medii ævi, qui Catalogis consentiunt, præsertim cum nullus sanctorum Patrum, qui seculo IV aut V, imo etiam serius floruerunt, de Felice tamquam C vero Pontifice meminerit.

et ratio datur, cur videatur catalogis insertus.

191 Præterea non desunt rationes, ob quas collectores Catalogorum iis Felicem inserendum credere potuerint, titulumque Pontificis eidem relinquendum. Cum enim constaret de beato fine et cultu S. Felicis, et de Ecclesia Romana per eumdem administrata, dum exsulabat Liberius; non crediderunt verisimiliter, scrupulose inquirendum esse, utrum jure proprio eoque stricto et legitimo Ecclesiam administrasset, an vero tamquam Liberii vicarius, aut solum illegitime. Multa de Felice ignoramus hodie, et fortasse plura etiam ignorarunt collectores Catalogorum seculo VI aut serius. Novimus, Felicem injuste ab Arianis intrusum pro Liberio; sed ignoramus, utrum libenter ordinationem acceperit, an si coactus. Ignoramus et ordinationis tempus, ideoque nescimus, an vitiosam ordinationem non cito correxerit Felix, qui per legatos Liberio se subjicere potuit, scrutarique, quid factum vellet; et ab eo vicarius constitui ad regendam Ecclesiam. Præterea, si schismaticis credimus, Felicem usque ad reditum Liberii sedisse in schismate, quod tamen illorum, qui hostes erant Felicis et mendaces, assertio adeo mihi non facit certum, ut id ipsum parum verisimile credam; potuit saltem Felix eo tempore Liberio sincere se subjicere; prout revera ex omnium pene scriptorum dictis fecisse videtur, et vel martyrio vel morte naturali beatum consequi finem, ut consecutum probat cultus ipsius abunde probatus. S. Meletius, ut mittam alios, in Antiochenam sedem eodem seculo intrusus est ab Arianis, legitimusque deinde factus episcopus, beato fine quievit. Ita sanctitatem Felicis facile admittere ut certam possumus, non item Pontificatum stricte dictum: nam collectores, cum Sanctum scirent, non multum videntur indagasse de jure, quo Pontificatum gessit. Quapropter, si constaret, S. Felicem præfuisse administrationi Ecclesiæ Romanæ, quando post Ariminense concilium Urbe excedere coactus est Liberius, crederem omnino, ipsum tunc fuisse Liberii vicarium. Verum de illa Felicis administratione nullum invenio indicium, multo minus de abdicato per Liberium Pontificatu, aut de Felice electo.

Asserta quædam dubia ex Actis vitiosis.

192 Ceterum in Actis Liberii ante laudatis, quæ hominis imperiti esse jam monui, Liberius dicitur eo tempore, quo latebat in cœmeteriis, bis E sacrum baptismum administrasse, præsente semper Damaso. Primo num. 5 asseritur baptizasse in cœmeterio Ostriano, ubi Petrus apostolus baptizavit. De numero additur: Eodem tempore Paschæ baptizavit promiscui sexus numero quatuor millia duodecim: qui omnes Romani vel a longe, alii vicini Romanorum, desiderabant ab eodem baptizari. In Actis Damasi pag. 45 dictio correctior est, et ita habet: Eodem ergo tempore, habito consilio, baptizavit ibi Liberius episcopus promiscui sexus numero quatuor millia duodecim; quia non solum Romani, sed et Romanorum finitimi, ab eo baptizari optabant. Deinde num. 8 dicitur iterum baptizasse tempore Pentecostes in basilica Petri apostoli. De numero vero asseritur: et baptizati sunt promiscui sexus fere octo millia octingenti decem. Multi eodem tempore desiderabant tangere vestimenta Liberii episcopi Hæc de gemino baptismo, in quo numerus baptizatorum procul dubio exaggeratus est supra verum. Initio eorumdem Actorum dicitur Liberius diaconus ordinatus et edoctus a S. Marco Papa, cui post intermedium S. Julium successit. Nihil in illis Actis legitur, uti nec in laudatis Actis S. Damasi, de ulla prævaricatione S. Liberii aut communione cum Arianis. At fateor, ea Acta non esse alicujus ponderis, et ea de causa omitto alia quædam in illis aut F in Damasi Actis de Liberio asserta.

§ XII Persecutio post concilium Ariminense usque ad mortem Constantii: gesta Liberii ad episcopos Ecclesiæ reconciliandos: legatos tunc videtur habuisse SS. Eusebium Vercellensem, Luciferum Calaritanum, imo et S. Hilarium.

Miser Ecclesiæ status usque ad mortem Constantii

Misera illa conditio, ad quam redacta erat Ecclesia Catholica Ariminensium Patrum prævaricatione, continuata videtur anno 360 et 361, imo etiam crevit persecutio, et numerus prævaricatorum post concilium Constantinopolitanum, anno 360 habitum. Nam, teste Sozomeno lib. 4 cap. 26, per universum orbem Romanum tumultus

tumultus non dissimilis iis, quos supra retulimus, exortus est, et omnes ubique ecclesias quædam quasi persecutio occupavit, cujusmodi olim sub ethnicis imperatoribus grassata fuerit. *Nazianzenus in Oratione 21 de S. Athanasio pag. 387 eamdem tempestatem latius describit, et lapsus plurimorum simul commemorat.* Hinc, *inquit*, alii ab ecclesiarum thronis injuste pellebantur, alii in eorum locum subrogabantur; sic tamen, ut ab iis impietatis chirographa, non secus atque aliud quidpiam necessarium exigerent. Atque in promptu atramentum erat, et calumniator a tergo. Ea res permultos a nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit, qui quamvis mente haudquaquam prolapsi fuerint, subscriptione tamen transversi acti sunt, atque cum illis, utroque nomine improbis, consenserunt,.... Nam si perpauces exceperis, qui vel ob nominis obscuritatem contemptui habiti fuerunt, vel ob virtutem restiterunt (quos Israëli seminis et radicis loco relinqui oportebat, ut per Spiritus influxiones rursum efflorescerent atque ad vitam revocaretur) omnes tempori obsecuti sunt: hoc tantum inter eos discriminis fuit, quod alii
B citius, alii serius in eam fraudem inciderunt, atque alii impietatis duces antistitesque se præbuerunt, alii autem in secundo ordine locati sunt, nempe vel timore perculsi, val quæstu atque utilitate subacti, vel blanditiis inescati, vel denique ignorantia circumventi *etc. Deinde pag. 389 subjungit mortem Constantii, qua ad tempus sedata est persecutio.*

post quam episcopi exsules ad ecclesias redeunt.

194 *Hanc autem fuisse occasionem reparandi utcumque damna Ecclesiæ clarius insinuat S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, de statu Ecclesiæ illius temporis ita scribens :* Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei : Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia (*Constantius*) moritur, tranquillitas rediit. Manifestius dicam. Omnes episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi principis *(Juliani)* ad ecclesias redeunt. *Mortuus autem est Constantius in Cilicia anno 361, die III Novembris, ut plerique affirmant. Julianus vero, qui tunc erat in Illyrico, exsules episcopos quoscumque, sive Catholici essent sive hæretici, ad ecclesias suas redire jussit. At hæc mandata non potuerint verisimiliter Romæ innotescere ante*
C *annum 362, ut verisimile non sit,* Liberium *ante hunc annum plena securitate gavisum fuisse, aut multa facere potuisse ad episcopos Arimini lapsos Ecclesiæ reconciliandos. Hac de causa S. Hieronymus laudatus, ubi narraverat reditum S. Athanasii, qui contigit anno 362, S. Hilarii, qui jam ante mortem Constantii redierat, et S. Eusebii Vercellensis, qui non potuit in Italiam pervenire ante annum 363, de pœnitentia episcoporum, qui decepti fuerant in concilio Ariminensi, ita loquitur :* Concurrebant episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes Corpus Domini, et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati, sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare.

195 *Eminentissimus Baronius ad annum 362 num. 177 existimat,* S. Liberium *omnium primum fuisse, qui lapsis ac pœnitentibus episcopis manum porrexerit, atque hanc opinionem, mihi admodum probabilem, exponit his verbis :* Porro horum omnium *(gestorum in concilio Alexandrino anno 362)* primum auctorem et architectum fuisse Liberium Romanum Pontificem, paulo inferius hoc eodem anno aperietur. Ipse enim primus Ariminense naufragium reparare sollicitus, indulgentiæ vexillum erexit, ne, qui decepti et Arianorum fraudibus circumventi fuerant, et timore perterriti, minis cesserant imperatoris, Nicææ confessionem visi fuerant deseruisse, in magnum Ecclesiæ detrimentum, extra Ecclesiam diutius vagarentur, fierentque interea lupis præda, si, quæ inviti fecissent, volentes jam obstinate defenderent. His, inquam, bene consulturus Liberius Pontifex, primum omnium iis, qui in Italia lapsi erant, episcopis erroris pœnitentibus subveniendum putavit, et in Orientem respiciens, bene usus occasione, illos ipsos, qui erant illic fidei causa exules Occidentales episcopi magni nominis, Eusebium Vercellensem episcopum, et Luciferum Calaritanum episcopum in Sardinia, legatos Apostolicæ Sedis creat, quorum alteri, nempe E
Lucifero, ecclesiæ Antiochenæ, ab Arianis diu possessæ, curam delegat. *Hactenus Baronius, cujus probabilissimam conjecturam aliquot rationibus fulcire oportet.*

Episcopis Arimini lapsis, et pœnitentibus primus manum porrexisse videtur Liberius,

196 *Etenim primo probabile non est, episcopos Italiæ, qui anno 359 decepti erant Arimini, usque ad finem fere anni 362 mansisse in sua prævaricatione, cum S. Damasus Papa in Epistola ad Illyricos, recitata a Theodoreto lib. 2 cap. 22, contrarium testetur his verbis :* Sed et in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est, ut subreptum sibi alia disputatione faterentur, idcirco quod non intellexissent, Patrum sententiæ apud Nicæam formatæ esse contrarium. *Tum advertit,* Liberium *et Vincentium Capuanum numquam consensisse, ac de lapsis rursum ait :* Cum præsertim, ut diximus, iidem ipsi, qui per impressionem succubuisse videbantur, idem consilio meliore displicere sibi fuerint protestati. *Si in ipso exordio emendarunt lapsum suum episcopi Ariminenses, non est verisimile, communionem ipsis negatam a* Liberio *usque ad intellecta decreta concilii Alexandrini, quæ non nisi sub initium anni 363 Romam perferri potuerunt. Quod vero S. Damasus de Italiæ episcopis* F
maxime verisimiliter asserit; idem de Galliæ episcopis habemus ex concilio Parisiensi, cujus epistola synodica recitatur in Fragmentis vulgo Hilarianis Frag. XI. Nam ibi agnoscunt lapsi episcopi, fraudem se passos, factaque Arimini retractant Concilium autem Parisiense habitum videtur ante mortem Constantii anno 360 aut 361. Consentit etiam S. Ambrosius Epist. 21 ultimæ editionis, ubi de Ariminensibus ait : Qui tamen inflexam statim revocavere sententiam. *Quapropter non crediderim, exspectasse* Liberium *concilii Alexandrini sententiam ad manum lapsis porrigendam.*

cumque in finem legatos suos creasse Eusebium et Luciferum.

197 *Quod vero addit Baronius, Luciferum Calaritanum et Eusebium Vercellensem legatos Apostolicos rursum creatos a* Liberio, *etiamsi disertis verbis nullibi id assertum ab antiquis reperiam, non minus probabile existimo. Gesta enim amborum in Ægypto et Oriente talia sunt, ut videantur fieri non potuisse ab episcopis peregrinis, nisi legatione Apostolica ad ea agenda auctoritatem accepissent. Quippe Lucifer Calaritanus ab exsilio recta contendit Antiochiam, ut ecclesiam illam, in duas Catholicorum partes scissam, ordinaret; ibique Paulinum consecravit episcopum*

Ad

AUCTORE J. S.

A *Ad hoc faciendum, ut recte advertit Baronius num.* 217, *auctoritatem non habuisset episcopus Sardus, nisi fuisset legatus Apostolicus. Eusebius eumdem in finem deinde Antiochiam venit; sed cum videret, præpropera Paulini ordinatione malum esse auctum, re infecta, discessit, non tamen recta ad ecclesiam suam, sed, ut vult Rufinus lib.* 10 *cap.* 30, circumiens Orientem atque Italiam, medici pariter et sacerdotis fungebatur officio. *Recte hic rursum observat Baronius, auctoritate legati Apostolici illa fecisse S. Eusebium.* Nam quid juris, *inquit*, iisdem Occidentis episcopis *(Eusebio et Lucifero)* in res ecclesiæ Antiochenæ, et in Syriam, Asiam et Cappadociam, aliasque regiones, ad quas Eusebius tantæ restitutor cladis legatus profectus est? *Quapropter probabilissima est sententia Baronii de legatis per* Liberium *Eusebio et Lucifero, ad quos hunc in finem scribere potuit* Liberius, *simul atque intellexerat mortem Constantii, aut certe post auditam revocationem episcoporum exsulum per Julianum. Verum dubium est, an hi legati initio saltem conjunctis fuerint animis. Si credimus Rufino lib.* 10 *cap.* 27, *Eusebius desideravit,* B *ut Lucifer secum Alexandriam iret ad S. Athanasium, ut cum eo simul consilium inirent de negotiis Ecclesiæ: quod noluit facere Lucifer, sed solum misit diaconum, et ipse profectus est Antiochiam, Socrates vero lib.* 3 *cap.* 5 *id communi eorum consilio factum dicit, ita scribens:* Eodem tempore *(quo S. Athanasius Alexandriam rediit)* Lucifer et Eusebius imperatoris jussu ab exsilio revocati sunt .... Ambo itaque ex superiore Thebaïde ab exsilio redeuntes, consilium inter se inierunt, quonam modo ecclesiasticis legibus subvenirent, nec eas violari impune paterentur. Placuit igitur, ut Lucifer quidem Antiochiam proficisceretur; Eusebius autem Alexandriam, ut una cum Athanasio synodum congregantes, Ecclesiæ dogmata confirmarent. Ac Lucifer quidem diaconum misit suo loco, per quem pollicitus est assensurum se iis, quæ a synodo decreta essent. *His consentit Sozomenus lib.* 5 *cap.* 12; *et hæc probabiliora videntur Rufini relatione.*

Eusebius interest concilio Alexandrino, quod anno 362

198 *Porro concilium illud Alexandrinum, cui præter Athanasium et Eusebium alii quoque episcopi Arabiæ et Ægypti interfuerunt, habitum certo est anno* 362, *et non ante mensem Novembrem, si recte deducta est chronotaxis Papebrochii nostri* C *ad* 2 *Maii in S. Athanasio cap.* 27. *Opponit tamen se Pagius. ad annum* 362 *num.* XI *et seqq. Tillemontius quoque in S. Anthanasio art.* 95: *nam ambo concilium illud figunt circa mensem Augustum. At expensis eorem rationibus, necdum video, recedendum esse a chronotaxi Papebrochii, aut mortem S. Artemii, quam Vita figit* XX *Octobris, ad hoc die amovendam. Pagius certe plura leviter, dicit, quam probare umquam potuit. Recte quidem observat, post mortem S. Artemii Georgium ab Alexandrinis occisum esse, post mortem vero Georgii Alexandriam venisse S. Athanasium, et hunc rursum exire coactum ante Kalendas Decembris. Hæc vera sunt, sed nihil obsunt Papebrochio. Addit Pagius, quod* ea, quæ Athanasius Alexandriæ egit, non nisi intra aliquot menses peragi potuerint; *sed id minime probat, nec ab ullo umquam probari poterit, quantum existimo. Nam omnia, quæ in concilio Alexandrino facta sunt, intra quatuordecim dies facile, aut etiam citius, peragi potuerunt. Multo plura tunc Alexandriæ a S. Athanasio peracta nullus dicit. Eodem quidem tempore creditur accepisse reliquias S. Joannis Baptistæ: sed ea acceptione non producitur tempus. Nazianzenus pag.* 392 *varia videtur referre, sed pleraque referuntur ad concilium, alia vero intra paucos dies, et tempore ipsius concilii fieri potuerunt. Nihil certe invenio, quo multum temporis extrahi debuit.*

mense Novembri habitum videtur,

199 *Credamus igitur, S. Artemium* XX *Octobris Antiochiæ occisum. Hæc mors ante Novembrem Alexandriæ poterat innotescere; sive per mare sive per terram nuncii iter instituerent. Liberata metu Artemii plebs Alexandrina, ad cædem invisi Georgii prorupit circa initium Novembris. Athanasius, qui vicinus erat, post aliquot dies in urbem ingressus est; et non diu post ipsum Eusebius, aliique episcopi, qui concilio interfuerunt, seculi sunt. Conjiciamus igitur, concilium ante medium Novembris habitum fuisse; Athanasium vero antea fecisse ea, quæ pro ecclesia Alexandrina fecit in reditu. Interim per æmulos Athanasii Arianos aut gentiles reditus Athanasii innotuit Juliano Apostatæ, atque hic statim per cursorem litteras misit, ut expelleretur. Vult autem, ut* ante Calendas Decembris *urbe exiverit. Hæ ipsæ Juliani litteræ ostendunt, improbabilem esse Pagii et Tillemontii sententiam, Julianus enim Antiochiæ degebat, et* E *reditum Athanasii solum intellexerat, dum scribebat has litteras: Nam dicit:* Athanasium interim audio,.... episcopatus sedem iterum usurpare: idque non mediocriter displicere religioso populo Alexandrino, *id est, gentilibus. Illud* audio *insinuat; tum primum de reditu Athanasii querelas ad Julianum delatas, dum has circa* XX *forte Novembris dabat litteras. Quare nullo modo fit verisimile, Athanasium a mense Augusto publice versatum esse Alexandriæ, eaque de re nihil ante* XX *Novembris audivisse Julianum Antiochiæ agentem. Contra Papebrochii chronotaxis optime cohæret: nam si sub initium Novembris Alexandriam venit, idque circa* XX *solum audivit Julianus, non fuit statim per cursorem, qui facile intra octiduum Antiochiam venire poterat, ea de re monitus, ut queritur in litteris ad præfectum. Itaque omnia videntur insinuare, accuratam esse Papebrochii chronotaxim, et concilium Alexandrinum habitum circa medium Novembrem anni* 362. *De die obitus Artemii latius inquiri poterit ad* XX *Octobris, uti et de cultu ac martyrio ejusdem.*

ubi decernitur, lapsos recipiendos in gradibus suis.

200 *Quod modo spectat ad gesta illius concilii, illa maxime spectant ad propositum nostrum, quæ ibi statuta sunt de recipiendis lapsis ex infirmitate, etiam in gradu suo. De his S. Anthanasius in Epistola ad Rufinianum ita scribit:* Scito, domine mi optatissime, in principio quidem, cum vis F illa *(Arianorum, per mortem Constantii)* desiisset, coactam synodum *(Alexandriæ)* fuisse, præsentibus exterarum partium episcopis: celebratam item aliam fuisse apud Græciæ comministros, nihiloque secius apud illos, qui in Hispania et in Gallia degunt, atque id ipsum hic et ubique placuisse, nimirum ut iis, qui lapsi sunt, si impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, si quidem resipiscant, nec detur tamen in clero locus: iis vero, qui impietati patrocinati non sunt, sed necessitate ac violentia tracti fuere, decretum est, ut et venia concedatur, et in clero detur locus; potissimum qui consentaneam attulerunt excusationem, *etc. Hæc S. Athanasii Epistola recitata est majori ex parte in concilio Nicæno secundo, ejusque inserta Actis apud Labbeum tom.* 7 *col.* 75, *et* 76 *ubi Epistolæ hæc inserta leguntur:* Hæc et Romæ scripta, et à Romanorum Ecclesia sunt recepta. *Cur editor Operum S. Athanasii hoc non observaverit in Annotatis, non perspicio, cum longe minores lectionum varietates*

AUCTORE J. S.

varietates assignet. Nullum tamen videtur dubium, quin illa scripserit S. Athanasius , et postmodum ea verba exciderint.

quod similiter statuit et approbavit S. Liberius.

201 *Verum dubito, an Græca verba eum habeant sensum, quem exprimit Latine Baronius num.* 210, *et Tillemontius in S. Athanasio art.* 96, *nimirum Romam fuisse perscripta, quæ statuerat synodus Alexandrina. Nam verba Græca hæc sunt :* ταῦτα καὶ ἐν Ῥώμῃ ἐγράφη, καὶ ἀπεδέξατο ἡ Ῥωμαίων ἐκκλησία. Hæc et Romæ *(ad litteram* in Roma) scripta sunt, et recepit Romana Ecclesia. *Itaque statuta synodi Romam quidem missa sunt, ibique approbata et recepta ; sed fortasse simul innuitur, modum recipiendi lapsos prius Romæ fuisse conceptum, indeque ad synodum Alexandrinam per S. Eusebium perlatum, ut Orientales ecclesiæ eumdem cum Occidentalibus lapsos recipiendi modum servarent. Quidquid autem de hisce fuerit, sive sententiam suam* Liberius *de recipiendis lapsis Eusebio Luciferoque legatis ante prescripserit, sive postea solum approbaverit statuta de istis in concilio Alexandrino ; id certum est, ejusdem cum illo concilio sententiæ fuisse* Liberium, *ut liquit ex Epistola ejus mox recitanda. Epistola synodalis, quæ impressa est apud S. Athanasium tom.* 1 *part* 2 *pag.* 770, *missa fuit Antiochiam, inscriptaque* Eusebio *(Vercellensi)* Lucifero *(Calaritano)* Asterio, Cymatio, Anatolio *episcopis Orientalis Ecclesiæ. Subscripserunt autem post S. Athanasium primus* Eusebius, *deinde Asterius, quibus etiam inscripta est, quod hi Antiochiam legarentur ad ordinandam istam ecclesiam una cum Lucifero, Cymatio et Anatolio. Subscripserunt similiter* diaconi duo, Herennius et Agapetus, *quos Lucifer ad concilium pro se miserat.*

Valesii opinio, negantis Apostolicam legationem Eusebii et Luciferi.

202 *Hæc omnia, opinor, non satis consideravit Valesius in Annotatis ad Socratem lib.* 2 *cap.* 5, *quando Baronium refutare conatus est his verbis :* Quod ergo Baronius ait, Eusebium ac Luciferum legatos Apostolicæ Sedis creatos esse a Liberio ad reparandum Ecclesiæ statum, id verum esse non potest. Idem enim dicendum esset de Hilario et reliquis. Adde, quod Rufinus hoc diserte refellit. Scribit enim legationem hanc Eusebio et Asterio injunctam esse ab Alexandrina synodo. *Hæc avide arripuit Pagius ad annum* 362 *num.* 24. *Verum neuter satis consideravit Ecclesiæ disciplinam. Nam certe Lucifer non fuit missus Antiochiam ab Alexandrina synodo, atque ibi tamen Paulinum ordinavit episcopum, quocum deinde et Romana Ecclesia communicavit et Alexandrina, sive ipse S. Athanasius. Tale quid non fecit S. Hilarius nec Asterius, quorum zelus pro reparando Ecclesiæ statu allegatur a Valesio et Pagio. Ipsum Alexandrinum viginti circiter episcoporum concilium non poterat legatos mittere cum tanta auctoritate, ut novum possent Antiochiæ ordinare episcopum, nisi adfuisset legatus Apostolicus, cum ecclesia Alexandrina nullum habeat jus in Antiochenam. Recte igitur Baronius ad annum* 362 *num.* 212 *dicit, in synodo Alexandrina* legationes ad restituendas collapsas a fide Catholica ecclesias *decretas fuisse* auctoritate Romani Pontificis. *Rufinus, qui lib.* 10 *cap.* 29 *dicit,* Asterio *injunctam esse procurationem* Orientis *et* Occidentis *curam Eusebio, non potest juvare Valesium. Etenim hæc non alio sensu intelligere possumus, quam rogatas fuisse, ut id facerent , quemadmodum legitur in litteris synodalibus. Præterea Asterius a concilio solum rogatus fuisse videtur pro ecclesia Antiochena , sicut pro eadem rogati fuerunt Cymatius et Anatolius, qui Antiochiæ erant cum Lucifero. Poterant hi legatos Apostolicos consilio juvare : at non videntur tantam a S. Athanasio et episcopis Ægyptiis auctoritatem accipere potuisse, ut quidquam in ecclesia Antiochena ordinarent sine legatis Apostolicis.*

refutatur eorum factis,

203 *Multo minus* Occidentis *procurationem Eusebio attribuere poterat concilium Alexandrinum, sed eumdem rogare poterat, ut potestate accepta a Romano Pontifice tam in Occidente, quam in Oriente uteretur, eumque etiam instruere, quibus conditionibus lapsi viderentur recipiendi. Lubet sequi abeuntem Alexandria Eusebium, ut liqueat, quantum ille molitus sit, antequam ad ecclesiam suam pervenerit. Socrates lib.* 3 *cap.* 9 *ita habet :* Eusebius vero Vercellensis episcopus statim post synodum Alexandria digressus, Antiochiam perrexit. Cumque illic Paulinum quidem a Lucifero ordinatum, plebem vero inter se dissidentem reperisset,... commotus, eo quod ordinationi illi non omnes consentirent, apud se quidem factum damnavit. Sed ob reverentiam erga Luciferum rem dissimulans abscessit, pollicitus se in episcoporum concilio cuncta emendaturum. Postea tamen, cum magnopere laborasset, ut partes dissentientes ad concordiam reduceret, id perficere non potuit..... Ad hunc igitur modum Eusebius tunc temporis Antiochia discessit. *Improbabat, ut vult Socrates, tacite ordinationem Paulini, quod ea præpropere facta deteriorem reddidisset scissuram Antiochenam ; non tamen ut illegitimam, cum decreta Alexandrini concilii Paulino dederit subscribenda , eaque Paulinus Antiochiæ subscripserit, et quidem ut episcopus, sicut subscriptio est apud S. Epiphanium Hær.* 77 *pag.* 1015.

quæ legationem insinuant : imo et S. Hilarius, dum in reditu

204 *Quod hisce addit Rufinus cap.* 30 *et Sozomenus lib.* 5 *cap.* 13, *Eusebium a communione utriusque partis abstinuisse, non est credibile, cum Eusthatiani, quibus Paulinus ordinatus erat episcopus, probe essent Catholici. Voluerent dicere, opinor, nec Paulinum nec Meletium pro episcopo Antiocheno agnitum fuisse ab Eusebio, quia contrarium Alexandrinis statutis videri poterat, Meletium episcopatu privare, cum esset eo tempore Catholicus. Sozomenus deinde rursum hæc de Eusebio :* Porro Eusebius Orientis provincias circumiens, eos, qui in fide negligentiores fuerant, corrigere, et quæ credenda essent, docere cœpit, Per Illyricum deinde transiit, eidem operi intentus, et ad Italiam pervenit. *Idem habet Socrates, dicens ipsum* instar præstantis cujusdam medici *provincias peragrasse. Rufinus ait,* medici pariter et sacerdotis *functum officio ;* et singulas quasque ecclesias, abjurata infidelitate, ad sanitatem rectæ fidei *revocasse. Hinc fit verisimile, Eusebii cura collectum fuisse concilium illud in Græcia, de quo meminit Athanasius supra num.* 200, *et* Liberius *infra num.* 208. *Omnia illa insinuant legationem Apostolicam, eaque de se verisimilis est, cum* Liberii *legatus fuerit Eusebius ante exsilium. Quod objicitur de S. Hilario, qui multum quoque laboravit ad restituendas ecclesias, non obstat opinioni nostræ. Nam satis verisimile est, Hilarium Romæ cum* Liberio *egisse, quando reversus est ab exsilio, et ab eodem legatum esse ad fidem in Gallia et Italia restituendam, lapsosque episcopos Ecclesiæ reconciliandos. Constat certe, S. Hilarium, dum revertebatur ab exsilio, venisse Romam. Nam Sulpicius in Vita S. Martini lib.* 1 *cap.* 6 *narrat, S. Martinum ad Urbem profectum esse, ut* Romæ *redeunti Hilario occurreret; sed eo venisse, quando Hilarius jam discesserat.*

205 *Cum*

Romæ fuit, verisimiliter eamdem legationem accepit.

205 *Cum igitur Romæ fuerit S. Hilarius, verisimillimum est, cum ibidem egisse cum* Liberio *de lapsis in concilio Ariminensi, interque eos convenisse, ut deceptis aut lapsis ex infirmitate venia indulgeretur post lapsum revocatum. Etenim, teste eodem Sulpicio in Historia sacra lib.* 3 *cap.* 45, *redibat S. Hilarius* dubius animi, et magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem synodum recepissent. *In hac autem dubitatione neminem rectius consulere poterat, quam* Liberium, *qui nec Ariminensibus consenserat, et auctoritate Apostolica omnibus poterat succurrere. Quare ex* Liberii *sententia factum videtur, ut S. Hilarius* optimum factu arbitratus *sit*, revocare cunctos ad emendationem et pœnitentiam; *ut* frequentibus intra Gallias conciliis, atque omnibus fere epistolis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta *condemnaverint Galli*, et in statum pristinum ecclesiarum fidem *reformaverint*, *quemadmodum factum docet Sulpicius. Hic paulo post iterum dicit ;* Illud apud omnes constitit, *unius Hilarii beneficio Gallias nostras* piaculo heresis liberatas. *At cum Romæ fuerit Hilarius, antequam hæc aggrederetur ; cumque postea laboraverit etiam in Italia una cum S. Eusebio Vercellensi; vix dubitandum videtur, quin ad omnia majori cum auctoritate perficienda legationem acceperit a* Liberio *summo Pontifice. Neque hic urget silentium historicorum de illa Hilarii legatione : nam iidem historici, nimirum Rufinus, Socrates, Sozomenus, Sulpicius, Theodoretus, de præcedente exsilium Eusebii et Luciferi legatione pariter tacuerunt, ut mirandum non sit, de posteriori eorumdem et Hilarii legatione illos similiter siluisse, et solum enarrasse talia eorum gesta, quæ plane insinuant, legatos fuisse Apostolicos.*

Non exspectata in Occidente concilii Alexandrini decreta ad lapsos recipiendos,

206 *Porro gesta S. Hilarii et concilium Parisiense satis ostendunt, non exspectatam fuisse in Occidente sententiam concilii Alexandrini ad lapsos Ecclesiæ reconciliandos. S. Hieronymus lib. contra Luciferianos contrarium posset persuadere incautis, dum dicit :* Post reditum confessorum, in Alexandrina postea synodo constitutum est, ut, exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur... Assensus est huic sententiæ Occidens : et per tam necessarium concilium satanæ faucibus mundus ereptus est. *Verum hæc verba sic exponenda sunt, ut significent, Occidentem ejusdem cum Alexandrina synodo fuisse sententiæ; quamvis non exspectaverint illius synodi decreta ad lapsos recipiendos. Etenim S. Athanasius in Epistola ad Jovianum imperatorem, quæ data est anno* 363, *enumerat ecclesias plerasque Occidentales, testaturque ab iis receptam esse fidem Nicænam, nempe ab ecclesiis* Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, totius Italiæ, Dalmatiæ, Daciæ, Mysiæ, Macedoniæ, Græciæque et Africæ universæ, Sardiniæ, Cypri etc. *Addit, harum ecclesiarum litteras se habere, At, si sententia concilii Alexandrini exspectata fuisset in Occidente, nescivisset S. Athanasius, dum scribebat ad Jovianum, quo se modo haberent omnes ecclesiæ Occidentales, etiam longissime in Gallia, Britannia et Hispania dissitæ, cum decreta Alexandrina non possent nisi longo tempore ad omnes pervenire, decretorumque exsecutio notabile rursum tempus exigeret, antequam nuntius de hisce omnibus Alexandriam mitti posset.*

207 *Itaque cum constet, à* Liberio *Papa ad provincias missa fuisse decreta de receptione hæreticorum aut lapsorum, necesse est, horum decretorum favore reconciliatas fuisse ecclesias Occidentis. De illis autem* Liberii *decretis meminit Siricius Papa in Epistola ad Himerium Tarraconensem, vetans rebaptizare baptizatos ab Arianis ;* cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant, et post cassatum Ariminense concilium, missa ad provincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. *Hæc omnino insinuant, decreta a* Liberio *missa fuisse in Hispaniam, et procul dubio etiam in Galliam, Britanniam, Africam, aliasque provincias Romano patriarchatui subditas, qualia ab Athanasio, Eusebio, ceterisque patribus concilii Alexandrini missa sunt per Orientem, et multis locis ab Eusebio promulgata. Ipsa* Liberii *Epistola mox danda, si tamen hæc Epistola* Liberii *sit, quod mihi ex stylo valde dubium videtur, clare innuit, aliam de venia lapsis danda præcessisse. Etenim dicit* Liberius, *fuisse aliquos, puta Luciferum Calaritanum ejusque opinioni adhærentes, qui moliebantur* sæviori censura *destruere*, quod jam, *inquit*, ex Apostolica auctoritate munitum est de pietate, *sive misericordia lapsis exhibenda. Tum illorum opinionem refutat his verbis :* Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et Achivi accusati (*lege* adunati) sententiam receperunt, (*videtur*) parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus, *nimirum lapsis ex infirmitate aut errore. Quamvis Epistola sit mendis multis corrupta, ex datis tamen verbis intelligimus*, Liberii *sententiam fuisse, parcendum esse lapsis, qui non erant hæreseos auctores, hancque ejus sententiam fuisse receptam in concilio Alexandrino ab Ægyptiis, et in alio concilio a Græcis.*

Auctore J. S. sed si jam ante recepti per decreta Liberii in provincias missa ;

quibus conformia decrevit concilium Alexandria alterumque in Græcia habitum.

208 *Epistolam, quæ, si* Liberii *est, scripta videtur anno* 363, *nimirum post perlata in Italiam decreta Alexandrini et Græcorum concilii, huc transfero ex Fragmentis vulgo Hilarianis Frag.* 12, *ubi hanc habet inscriptionem :* Liberius episcopis Catholicis per Italiam consistentibus in Domino æternam salutem. *Variis locis vitio transcribentium est mendosa, et fortasse etiam mutila. Sic autem habet :* Imperitiæ culpam oblitterat resipiscens. Hoc autem et de Scripturis sanctis advertere est. Pietatem ad omnia utilem esse legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quamvis et ipsa utilitatis retineat fructus : quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. Non enim, si aliqui forte, qui hoc studii gerunt, ratione provisam destruere impudenter sæviori censura, hoc æstimaverint, et novare, quod jam ex Apostolica auctoritate munitum est de pietate, cum dictum est, non esse parcendum his, qui apud Ariminum ignorantes egerunt, quibus nescire inlicitum, fuit captum errori incidere, idcirco veritas repedanda est. Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et Achivi accusati * sententiam receperunt multis, parcendum quidem his, de quibus supra tractavimus, auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna subtilitate et caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati, tenebras lucem, et lucem tenebras venditantes.

* *forte* adunati

quæque observari vult Liberius in Epistola ad episcopos Italiæ.

209 Igitur si quis ignorationis captum resipiscens sermonis nostræ advocationis brevissima illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat; condemnet, vehementiusque in auctores ejus insæviat, quos in se violentos expertus est, totumque se fidei Apostolicæ et Catholicæ usque ad

AUCTORE J. S.

ad Nicænæ synodi conventum de integro mancipet. Per quam professionem, etiamsi quibusdam leve et remissum videtur, recuperet id, quod per astutiam rectitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidæ mentis, quod haud credo, fuerit inventus, qui non solum nolit converti, antidotum recipiens sanitatis; venenum virusque noxius sese vindicare crediderit : et ratione vincetur, et auctori perfidiæ perdite deputatus, Ecclesiæ Catholicæ spiritali vigore plectetur. *Hactenus Epistola, gestis* Liberii *congrua, non stylo, nisi hoc mendis librariorum contigerit.*

Sic fidem Nicænam receperunt episcopi Italiæ.

210 *Sequitur ibidem alia Epistola, nomine episcoporum Italiæ scripta ad episcopos Illyrici, quæ testatur conversionem episcoporum Italiæ et Illyrici; et non diu post præcedentem scripta videtur. Inscriptio hæc est.* Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, episcopi Italiæ in Domino æternam salutem. *Epistola ipsa sic habet :* Divini muneris gratia, ut secundum Apostolum omnes unum sapere, omnes unum confiteri cœperimus. Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternæ, hoc est, apud Nicæam scriptæ, se reddidit, fraudem, quam passa est
B apud Ariminum, recognoscens; Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse gaudemus; et consortio infidelitatis, quo gravabatur, abjecto, ea, quæ sunt rectæ sententiæ, probare cœpisse gratulamus. Nostram igitur, dilectissimi Fratres, unam eamdemque accipite firmam subscriptione sententiam. Nicæni tractatus adversus Arium Sabelliumque, cujus Photinus partiaria hereditate damnatur, decreta servamus. Ariminensis concilii statuta quorumdam tergiversatione corrupta, consensu omnium provinciarum jure rescindimus : quorum etiam exemplaria transmittenda censuimus, ut nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminensi concilio, aliqua videretur esse condissensio. Quicumque igitur nostræ unanimitatis optat habere consortium, quicumque individuam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ, comprobare festinet, et fidei nobis memoratæ subscriptionem et rescissionem Ariminensis concilii sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipsi consensu. Auctores autem hæresis Arianæ vel Aëtianæ, Valentem et Ursacium, ceterosque eorum-
C dem consortes non nunc esse quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse * manifestum est.

* condemnatos esse

eaque in Occidente intra paucos annos Liberio restituta.

211 *Ex hac Epistola, et allegatis num.* 206 *S. Athanasii verbis utcumque constat, vulnus Ariminense intra paucos annos fuisse sanatum. Hoc ipsum magis confirmat Epistola* Liberii *ad Orientales, recitata apud Socratem lib.* 4 *cap.* 12, *et inferius etiam danda, in qua ita loquitur :* Etenim omnes propemodum illi, qui tunc apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam fidei ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, et Catholicæ atque Apostolicæ fidei, olim apud Nicæam promulgatæ, subscripserunt. Et, nobiscum inita communione, adversus Arii doctrinam ejusque discipulos graviori indignatione commoventur. *Consonat S. Damasus cum episcopis Italiæ et Galliæ ad Illyricos apud Theodoretum lib.* 2 *cap.* 22 *ita scribens :* Quam definitionem salutarem *(concilii Nicæni)* postea aliis tractatibus (*in Ariminensi*) quidem pervertere et violare tentaverunt. Sed et in ipso exordio ab iisdem ipsis, qui hoc apud Ariminum retractare cogebantur, emendatum hactenus est. *Reliqua verba dedi num.* 196.

Quapropter nullum est dubium, quin sub Liberii D
Pontificatu, ejusque prudentia et diligentia, opem ferentibus SS. Hilario Pictaviensi et Eusebio Vercellensi, aliisque procul dubio pluribus, fides Catholica in Occidentatibus provinciis fuerit restituta.

§ XIII. Utrum Lucifer Calaritanus, quando in Sardiniam se recepit, videatur in schisma lapsus?

Lucifer Calaritanus non laboravit cum aliis ad lapsos Ecclesiæ conciliandos,

Doluit S. Hieronymus, ad finem salutarem conciliandi episcopos lapsos cum Ecclesia allaborare non perrexisse Luciferum Calaritanum, in Dialogo adversus Luciferianos ita scribens : Ventum est ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem et propositum meum cogor de beato Lucifero secus quidquam, quam et illius meritum, et mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, et invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segre- E
gatis paucis ovibus, reliquum gregem deseruit; bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestiis relinquens. Præterea illa, quæ quidam ex maledicis, quasi satis firma, defendunt; hoc illum amore gloriæ, et nominis in posteros transmittendi fecisse; nec non et pro simultate, quam adversus Eusebium propter Antiochenam dissensionem susceperat. Nihil istorum de tali viro credo. Unum est, quod etiam in præsenti constanter loquar, verbis eum à nobis dissentire, non rebus; siquidem recipiat, qui ab Arianis baptisma consequuti sunt. *Ita de Lucifero Hieronymus. Cum autem sanctus hic doctor præ ceteris nosse debuerit, quo modo, quando et per quos ortum sit schisma Luciferianorum, contra quos Dialogum conscripsit, nec tamen schisma Lucifero attribuat, aut ullibi insinuet, ipsum recessisse a communione SS.* Liberii, *Athanasii, Eusebii, Hilarii, aliorumque, qui lapsos recipiebant clericos et episcopos in suis gradibus; omnino mihi persuadeo, non eo usque processisse Luciferum, ut a communione Ecclesiæ recesserit. Socrates quoque lib.* 3 *cap.* 9, *Sozomenus lib.* 5 F
cap. 15 *clare edicunt, Luciferianum quidem schisma ortum esse occasione dissensionis Eusebium inter et Luciferum, sed hunc ab Ecclesia non recessisse. Rufinus lib.* 10 *cap.* 30 *nihil pro alterutra opinione clare edicit. Omnes tamen tres insinuant, non revocasse Luciferum subscriptionem diaconi sui, qui ejus nomine, pro receptione lapsorum in gradibus suis, concilio Alexandrino subscripserat.*

censuitque, non recipiendos in suis gradibus :

213 *Unus Sulpicius Severus lib* 2 *cap.* 46 *dicit, Luciferum adeo contrarium fuisse Ariminensibus,* ut se etiam ab eorum communione secreverit, *qui eos* sub satisfactione vel pœnitentia recepissent. *At frigide addit :* Id recte, an perperam constituerit, dicere non ausim. *Si enim hoc non noverat Sulpicius, non noverat etiam, schisma a Lucifero conflatum, quia saltem sciebat malum esse schisma. Quare explicandus est Sulpicius de gestis* Antiochiæ *a Lucifero, ut infra ostendam. S. Ambrosius et S. Augustinus durius quidem loquuntur de Lucifero, ut dictum est ad* XX *Maii; explicantur tamen utcumque verba S. Ambrosii, dicique potest, utrumque ita locutum ob Luciferianos, qui ob defensam pertinaciter opinionem Luciferi in schisma certo delapsi sunt. Quapropter constat,*

Auctore J. S.

A *stat, ejusmodi sententiæ fuisse Luciferum, ut vellet, non recipi in Ecclesia clericos episcoposque lapsos in suis dignitatibus: cumque ex libello Marcellini et Faustini pag. 54 habeamus, Luciferum ab exsilio Romam venisse, non dubitamus, quin suam opinionem* Liberio *Papæ persuadere conatus sit. Verum cum eam nollet approbare aut sequi* Liberius, *ut liquet ex Epistola num.* 208 *data; noluit ille saltem cooperari pro receptione lapsorum, ideoque verisimiliter postulavit, ut sibi in Sardiniam recedere liceret, reliquam in propria ecclesia vitam exacturus. Attamen non videtur ullo scripto suam opinionem deinde tueri voluisse. Certe S. Hieronymus, qui scripta Luciferi recenset in Catalogo cap.* 95, *nullum deinde Luciferi Opusculum memorat, ac de eodem non minus honorifice loquitur, quam de Eusebio Vercellensi, ut S. Hieronymus Luciferum nequaquam pro schismatico habuisse videatur; sed potius pro viro sancto, cum et* beatum *vocet et* bonum pastorem *in eo ipso Opere, quod contra pertinaces ejus sectatores composuit.*

Tillemontius etiam contendit, lapsum fuisse in schisma;

214 *Plura ad excusandum Luciferum deduxit Henschenius noster ad* XX *Maii in S. Lucifero Calaritano. Verum Tillemontius tom.* 7 *Nota in Luciferum conatur contrariam defendere opinionem, et Luciferum revera facere schismaticum. Non examinabo hic illa, quæ respondet ad cultum S. Luciferi, et ad miracula, post corpus inventum patrata, et per juratos testes asserta in juridico examine Calari instituto. Missis his omnibus (quamquam hæc in re dubia plurimum valent, ad dubitationem deponendam, et pro sententia benigniore judicandum) solum expendam verba ipsius contra Luciferum prolata.* Non dubitamus, *inquit,* asserere, secundum omnes regulas et lucem historicam fatendum esse, Luciferum se separasse a S. Eusebio, S. Athanasio, a Liberio Papa, ab omnibus illis, qui subscripserant formulæ Ariminensi, aut qui cum illis ad Ecclesiam redeuntibus communicabant, id est, ipsum se separasse a corpore Ecclesiæ Catholicæ; mortuumque esse in illa separatione, et post se reliquisse corpus schismaticum Luciferianorum. *Verum breviter respondeo, nullum assignari posse auctorem antiquum, qui similia de Lucifero protulerit. Quidquid contra Luciferum protulerunt antiqui, longe deteriore sensu* C *interpretatus est Tillemontius. Hieronymum, qui in hæreticos schismaticosque acer esse solet, Luciferum vero et* beatum *et* bonum pastorem *vocat, nec aliud in eo reprehendit, quam quod noluerit cooperari ad reducendos ad Ecclesiam Lapsos, intrepide allegat ad schisma Lucifero imputandum, ostendendumque in schismate defunctum. Rufinum lib.* 10 *cap.* 30 *adducit, ut probet, communionem ruptam a Lucifero; nec tamen ait Rufinus, ab ullius communione recessisse Luciferum.*

et perperam allegat Rufinum contraria dicentem,

215 *Imo potius Rufinus innuit, Luciferum decretis Alexandrinis tandem consensisse, licet difficulter: ut clare edicunt Socrates et Sozomenus. Verba Rufini subjungo*: Interim Lucifer injuriam dolens, quod episcopum a se ordinatum non recepisset Eusebius, nec ipse recipere cogitat Alexandrini decreta concilii: sed constringebatur legati sui vinculo, qui in concilio ipsius auctoritate subscripserat. Abjicere namque eum non poterat, quia auctoritatem ejus tenebat. Si vero recepisset, omne suum frustrandum videbat inceptum, *(nimirum ordinationem Paulini pro ecclesia Antiochena non obtenturam, quod Meletius ex decretis Alexandrinis posset recipi.)* Diu ergo de hoc multumque deliberans, cum ex utraque parte concluderetur, eligit, ut, legato suo recepto, erga ceteros sententiam disparem, sed sibi placitum custodiret. *Quæ est illa sententia dispar? Si credimus Tillemontio, est excommunicatio omnium, qui sequebantur decreta Alexandrina. At si Hieronymum, num.* 212 *laudatum, audire, ut par est, malumus; est recessus Luciferi in Sardiniam, relicta cura lapsos Ecclesiæ reconciliandi, et ulterius laborandi cum illis, quibuscum eo usque laboraverat. Non credit Hieronymus. illum id fecisse aut ex vana gloria, aut ex iracundia. Poterat sane id facere, ne novæ inter ipsum et Eusebium orirentur dissensiones, aut alia de causa nobis ignota. Interim Rufinus non loquitur de rupta communione cum ullo: et ubi paulo post loquitur de schismate, non vocat* schisma Luciferi, *sed* schisma Luciferianorum. *Socrates igitur melius Rufinum intellexit, quam Tillemontius, si ex ipso scripsit lib.* 3 *cap.* 9, *quæ sequuntur*: Verum Lucifer iram suam explere non valuit. Constrictus enim suis ipsius pollicitationibus tenebatur, quibus per diaconum missum spoponderat, se decretis concilii assensurum. Itaque ipse quidem ecclesiasticam retinens fidem, in Sardiniam ad propriam sedem recesserat. Hi vero, qui una cum ipso primum fuerant E exulcerati, hactenus ab Ecclesia segregati permanent. *Ita etiam Sozomenus lib.* 5 *cap.* 13 *Luciferum* cum Ecclesia Catholica *consentientem in Sardiniam discessisse testatur.*

et Sulpicium de gestis Antiochiæ a Lucifero solum agentem:

216 *At, inquit Tillemontius in Lucifero art.* 5, *difficulter credi potest, ob dissensionem modici temporis inter Eusebium et Luciferum discessisse ab Ecclesia Luciferianos, si Lucifer ipse ab ea non discessit. Respondeo, illos non esse factos schismaticos propter Luciferum, sed eamdem opinionem pertinaciter adeo secutos, ut maluerint ab Ecclesia separari, quam ab illa discedere. Magis incredibile est, Luciferum pertinaciter suæ opinioni inhæsisse; nec tamen ullo scripto eam propugnasse, quemadmodum suam postea scripto defendere voluerunt Marcellinus et Faustinus Luciferiani. Tillemontius porro adducit Sulpicium Severum lib.* 2 *cap.* 46, *qui opponit modum agendi Luciferi* Antiochiæ *consilio S. Hilarii, lapsos in Gallia recipientis.* Ceterum, *inquit,* Lucifer tum Antiochiæ longe diversa sententia fuit. *Tum addit verba num.* 2 *data. Cur ait Sulpicius* Antiochiæ, F *nisi ut insinuaret, se solum agere de iis, quæ ibi a Lucifero erant gesta, quando ordinavit Paulinum, et ab eorum communione abstinuit, qui Meletio, Catholico quidem, sed communione cum Arianis eorumque ordinatione maculato, adhærebant? Hinc addit Sulpicius*: Id recte, an perperam constituerit, dicere non ausim. *Hoc de schismate non poterat dicere. poterat utcumque de opinione, quam Antiochiæ secutus erat Lucifer Paulinum ordinando pro Meletio, et a communione Meletianorum abstinendo. Talem fuisse Antiochiæ mentem Luciferi clare etiam edicunt Socrates et Sozomenus, etiamsi testentur, eum postea ecclesiæ consensisse. Utrumque etiam adducit Tillemontius, pro communione cum Eusebio tunc rupta. At neuter id clare dicit, licet Latina Valesii interpretatio sic habeat. Verba Socratis sunt*: διεκρίνετο οὖν κοινωνεῖν Εὐσεβίῳ, *quod exponi potest de sola deliberatione. Sozomenus ait* διεφέρετο *quod recte exponetur de minis jactatis aut de contentione ad rumpendam communionem incitante. Sic uterque dicit, eum voluisse improbare Alexandrina decreta.*

laudati scriptores male expositi a Tillemontio.

217 *Jam vero consideremus, quam recte auctores adducat Tillemontius. Socratem et Sozomenum, qui clarissimis verbis Luciferum faciunt Ecclesiæ consentientem, adducit, ubi ambigue loquuntur.*

AUCTORE J. S.

tur, pro rupta a Lucifero communione cum Eusebio. Hic sane, etsi clarius loquerentur, audiendi non erant, cum nullus alius id dixerit, et res de se non sit verisimilis. Cum enim Eusebius abstinuerit a communione Meletianorum, aut saltem a recipiendo Meletio, non erat ulla Lucifero causa, resiliendi ab ejus communione. At potuit minari Lucifer, id se facturum, si Meletium aut Meletianos reciperet. Mox addit Tillemontius Rufinum, ut probet Luciferum similiter recessisse a communione Athanasii, Liberii, *omniumque, qui decreta Alexandrina recipiebant. At non loquitur Rufinus de communione cum ullo mortalium rupto, et decreta Alexandrina tandem a Lucifero recepta insinuat, cum legatum ab eo receptum dicit. Nam recipere legatum, idem ibi significat, ac recipere decreta Alexandrina, ut probatur ex his verbis, quibus dubitantem inducit Luciferum:* Si vero recepisset *(legatum),* omne suum frustrandum videbat inceptum, *non receptione ipsius legati, quæ Meletium juvare non poterat contra Paulinum, sed Alexandrinorum decretorum, quæ Meletio favebant. Deinde Sulpicium adducit Tillemontius, quasi eadem dicentem cum Rufino, cum* B *Sulpicius tantum loquatur de opinione, quam* Antiochiæ *secutus est Lucifer, ac de reliquis taceat.*

Objecta S. Ambrosii verba

218 *Objicit ille S. Ambrosium, qui in oratione de S. Satyro habet, ecclesiam Calaritanam fuisse in schismate, quando eo venit S. Satyrus naufragio ejectus, et baptismum suscipere cogitans, et hæc subjungit verba:* Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat: et quamquam pro fide exsulasset, et fidei suæ reliquisset hæredes; non putavit tamen *(Satyrus)* fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent. *Hæc verba non carent obscuritate. Illud* tunc temporis *non potest dici de tempore, quo illuc venit S. Satyrus, quia Lucifer diu ante erat defunctus. Debet igitur referri ad tempora Luciferi et ecclesiæ Mediolanensis, a qua Lucifer se separavit. Toto autem tempore, quo supervixit Lucifer, ecclesiæ Mediolanensi præfuit Auxentius Arianus, ita ut Lucifer ab ecclesiæ Mediolanensis communione abstinere posset et deberet. Itaque si Ambrosii verba,* Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat, *hoc intelligantur sensu,* Lucifer se ab ecclesiæ Mediolanensis sui temporis communione diviserat, *totus* C *locus allegatus favebit Lucifero, cum hic communicare non deberet cum Auxentio Ariano.*

exponuntur, ut faventia Lucifero.

219 *At sane non video, quo alio sensu locus apte exponi posset: neque enim dubitandum videtur, quin Ambrosius per voces* a nostra communione *intelligat communionem ecclesiæ Mediolanensis, in qua perorabat. Illud ipsum, quod interponitur* tunc temporis *favet datæ expositioni. Si enim voluisset per* nostram communionem *intelligere communionem totius Ecclesiæ Catholicæ, non erat necesse illud* tunc temporis *interponere, et poterat Luciferum vocare schismaticum. Illud rursum* Quamquam pro fide exsulasset, et fidei suæ reliquisset hæredes *multum favet datæ expositioni ipsique Lucifero, qui pro recta fide exsulaverat, et ejusdem fidei reliquerat hæredes, post mortem utique: nam si schismaticus fuisset et obiisset, ut vult Tillemontius, non fidei, sed schismatis sui hæredes reliquisset. Rursum sequentia favent Lucifero; ubi enim incipit loqui de schismate, statim de Sardis loquitur in plurali numero, non de Lucifero; aitque illos, etiamsi hæredes fuissent fidei Luciferi, cum in schisma essent lapsi, non consendos fuisse* fidem *habere* in schismate. *Hæc videtur genuina loci explicatio, et Ambrosius videtur omnino insinuare, Catholicum defunctum Luciferum* D *per relictos* fidei suæ hæredes, *ut jam observavit Papebrochius; sed maluit dissimulare Tillemontius, quam aliquid respondere.*

S. Augustinus Lucifero schisma videtur tribuere,

220 *Pergit vero ad S. Augustinum, qui in Epistola 185 (al. 50) ad Bonifacium num. 47 ita loquitur:* Sic multitudinibus per schismata et hæreses pereuntibus subvenire consuevit *(Ecclesia.)* Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano: et cui displicuit in tenebras cecidit schismatis, amisso lumine caritatis. *Fateor, dura esse allegata verba, et Augustinum ejus videri sententiæ, ut crediderit Luciferum schismaticum. Attamen non omnino certum est, illius opinionis fuisse Augustinum, aut certo credidisse, Luciferum æque fuisse schismaticum ac Luciferianos. Dicit quidem S. Augustinus, Lucifero displicuisse receptionem lapsorum, sed ad schisma usque illam eidem displicuisse, diserte non edicit. Rursum clare edicit, in schisma lapsos esse aliquos, quibus displicuit lapsorum receptio; sed non addit disertis verbis, inter illos fuisse ipsum Luciferum. Nam illud,* et cui displicuit, *non tam certo refertur* E *ad ipsum Luciferum, ut nequeat ad Luciferianos referri. Si autem ad hos referatur, solum dixerit Augustinus, ex opinione Luciferi natum esse schisma. In libro de Hæresibus cap.* 81 *ita habet:* Luciferianos a Lucifero Calaritano episcopo exortos, et celebriter nominatos, nec Epiphanius nec Philaster inter hæreticos posuit. Credo tantummodo schisma, non hæresim eos condidisse, credentes. *Hic S. Augustinus dicit, a Lucifero exortos et nominatos Luciferianos, sed schisma conditum attribuit Luciferianis, non Lucifero, saltem claris verbis. Rursum laudatus Doctor de Agone Christiano cap.* 30 *contra Luciferianos disserit, ita ordiens:* Nec eos audiamus, qui, quamvis neminem rebaptizent, præciderunt se tamen ab unitate, et Luciferiani magis dici, quam Catholici maluerunt. *Hic schisma tribuitur Luciferianis, et quidem iterato et tertia etiam vice, nec umquam primus auctor schismatis dicitur ipse Lucifer. Quare dubitari utcumque potest, an Luciferum ipsum schismaticum crediderit Augustinus, et an saltem non dubitaverit, cum ita ambigue loquatur, ut haud difficulter verba sua potuisset interpretari de solis Luciferianis.* F

sed præferenda est sententia S. Hieronymi, Lucifero favens,

221 *Verum, etiamsi S. Augustinus credidisset, Luciferum fuisse schismaticum, sicut certo schismaticos credidit Luciferianos, potuit in eo error obrepere scribenti in Africa, quando Lucifer medio fere seculo erat defunctus. Certe nullibi ostendit S. Augustinus, legisse se opus S. Hieronymi contra Luciferianos; cum non meminerit de Hilario diacono, non recipienti baptizatos ab Arianis. Videtur similiter ignorasse, qua occasione Lucifer in Sardiniam secesserit, et suæ tantum ecclesiæ deinceps curam habere voluerit. Hæc omnia probe perspecta habere potuit S. Hieronymus, qui et Romæ habitavit aliquo tempore, dum Lucifer et* Liberius *in vivis erant, et non diu post Antiochiæ, ubi discere potuit gesta inter Eusebium et Luciferum. Itaque in hac questione Hieronymus longe præferendus est Augustino, præsertim cum ipsum nomen* Luciferianorum *natum esset persuasionem de schismate Luciferi ingerere omnibus, qui initium schismatis non bene habebant perspectum. Atqui S. Hieronymus nullibi de Lucifero loquitur, ut de schismatico; nullibi asserit, eum ab ecclesia recessisse: sed contra* Beatum *vocat, et* bonum pastorem, *quibus titulis non videtur Luciferum exornaturus fuisse, si credidisset*

A *credidisset schismaticum. Quod autem in Chronico Hieronymi de Lucifero moriente dicitur,* Qui nunquam se Arrianæ miscuit pravitati ; *non videtur significare, ut perperam vult Tillemontius, Luciferum in schismate obiisse, sed potius in laudem ejus observatur. Si enim crimini datur* pravitati *hæreticæ se miscere, ut non ignorabat Hieronymus ; clarius loqui debebat, si schisma volebat indicare.*

cui multa etiam alia suffragantur.

222 *Silentium SS. Epiphanii et Philastrii, qui floruerunt eo ipso tempore, quo defunctus est Lucifer, quique annis paucis post mortem ejus de hæresibus scripserunt, similiter insinuat opinionem Luciferi de non recipiendis episcopis et clericis in suis gradibus non nisi post mortem Luciferi in schisma degenerasse. Hoc certe silentium sufficit ad omnem fidem abrogandam Theodoreto, lib. 3 cap. 5 hæc scribenti :* Lucifer vero in Sardiniam reversus, ecclesiasticæ doctrinæ nova quædam dogmata adjecit. Quæ qui amplexi sunt, ex ejus nomine cognomentum sumpsere. Luciferiani enim diu appellati sunt. Verum hoc quoque dogma extinctum et oblivioni traditum est. *Nova illa Luciferi dogmata non poterant ignorare Epiphanius et Philastrius, nec debebant* B *tacere, si qua Lucifer revera condidisset. Nihilo magis videtur taciturus fuisse S. Athanasius, qui pluribus annis vixit post reditum Luciferi in Sardiniam, eidemque etiam supervixit, si ille nova dogmata, aut etiam schisma induxisset. Nam et Macedonianos et Apollinaristas, illis temporibus ortos, statim aggressus est, et in Epistola ad Rufinianum agit de statutis Alexandrinis, ut schisma Luciferianum præterire vix posset, si jam tum ortum fuisset. Accedit demum silentium scriptorum omnium, qui tempore Luciferi aut etiam aliquot annis post scripserunt, omniumque conciliorum, cum in nullo concilio aliquid contra Luciferum legatur statutum. Quapropter omnino existimo, schisma ortum esse post mortem Luciferi : quod et alia ratione ostendere juvabit.*

Alio argumento probatur, schisma Luciferianum

223 *Dissensio inter Eusebium et Luciferum orta erat ex ordinatione Paulini. Lis autem ex illa ordinatione orta inter Meletium et Paulinum de episcopatu Antiocheno diu mansit indecisa et sine ulla partium compositione. Ambo tamen habebantur Catholici, et ambo cum episcopis Catholicis communicabant. Tandem circa annum 380, id est, decennio fere post mortem Luciferi, conventum est inter Meletium et Paulinum, ut ambo, quam-* C *diu viverent, singuli gregem suum pascerent, et post mortem alterutrius solus ille præesset toti ecclesiæ Antiochenæ, qui defuncto esset superstes. Ut hæc pacta firmius consisterent, ex utraque parte clerici, qui ceteris ad episcopatum magis erant capaces, juramento obstringebantur, ne admitterent cathedram Antiochenam, quamdiu alterauter viveret. Narrat hoc Socrates lib. 5 cap. 5 et Sozomenus lib. 7 cap. 3. Primus addit :* Ad hunc modum, juramento præstito, populus ad unitatem rediit, nec ulterius inter se divisus est. At Luciferiani se a reliquis sejunxere, propterea quod Miletius, qui ab Arianis ordinatus fuerat, ad episcopale munus susceptus fuisset. *Sozomenus vero :* Igitur jurejurando in has conditiones præstito, universa fere plebs ad concordiam rediit. Pauci tamen ex Luciferianis adhuc dissidebant, propterea quod Meletius ab hæreticis ordinatus fuisset. *Tillemontius tom. 8 in S. Meletio art. 15 ait, non intelligere se asserta illa Socratis et Sozomeni,* quia, *inquit,* Lucifer schisma suum formaverat, et multis tum annis erat defunctus. *Verum, cum nullus contemporaneus scriptor asserat, Luciferum schismate ab Ecclesia divisum fuisse, poterat initium schismatis Luciferiani, saltem Antiochiæ, referre ad tempus, quo a Paulino discesserunt Luciferiani ob concordiam initam cum Meletio.*

ortum non videri, nisi post mortem Luciferi.

224 *Edicant, quæso, adversarii, utrum credant, Luciferum a Paulini quoque communione recessisse. Si cum Paulino communicavit, certo non recessit ab illis, qui decreta Alexandrina susceperunt, cum illis Paulinus subscripserit. Si cum Paulino communicavit, non est ulla suspicio fundata de abrupta a Lucifero communione cum Ecclesia Romana aut cum Alexandrina, cum Paulinus cum hisce communicaverit. Jam vero si velint Luciferum a Paulini quoque communione recessisse, quomodo probabunt, Luciferum et Paulinum, qui ejusdem opinionis erant Antiochiæ, postea in diversas adeo opiniones abiisse, ut communione fuerint sejuncti ? Ex allegatis mox locis Luciferiani communicabant cum Paulino usque ad hujus cum Meletio concordiam, qua igitur ratione dicemus, cum Paulino non communicasse Luciferum ipsum, cujus illi sequebantur opinionem? Vel illi erant Luciferiani ante concordiam cum Meletio, vel non erant, Si erant, Luciferiani ante illud tempus, non magis erant schismatici, quam Eustathiani. Si non erant Luciferiani, certo non erant schismatici. Ita-* E *que, quocumque modo considerem Luciferi ejusque sectatorum consilia, non invenio schisma Luciferianum, vivente Lucifero : sicut, eo vivente, nullus illius schismatis fecit mentionem, aut oppugnando, aut defendendo, aut damnando. Eo igitur modo Lucifer opinionem suam de non recipiendis episcopis lapsis videtur defendisse, sicut S. Cyprianus aliquo tempore propugnavit opinionem de iterando hæreticorum baptismo; videlicet, ut de S. Cypriano testatur Hieronymus contra Luciferianos,* non cum anathemate eorum; qui se sequi noluerant... Siquidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant. *Lubet modo disputatis de Lucifero brevem pro* Liberio *addere observationem. Si Lucifer, ut volunt, a communione* Liberii *recessit, quia episcopos lapsos post pœnitentiam ad communionem admittebat: quomodo in opinione adversariorum voluit antea communicare cum* Liberio, *quem similiter lapsum contendunt? Certe magis vitandus videri poterat* Liberius *ob lapsum proprium, si verus est; quam ob solam cum lapsis iisque pœnitentibus communionem. De lapsu igitur* Liberii *nihil noverat Lucifer, ideoque* F *necesse est dicere, lapsum illum esse fictitium, de quo Lucifer numquam conquestus legitur.*

§ XIV. Epistolæ Liberii ad Athanasium, et hujus ad illum supposititiæ : episcopi Orientales Semiariani legatos mittunt ad Liberium, receptaque fide Nicæna, ad communionem a Liberio, et ab omnibus Catholicis recipiuntur.

Scripta aliqua, quæ Liberio videntur supposita.

B*aronius ad annum 362 num. 206 recitat fragmentum Epistolæ cum professione fidei, nomine* Liberii *ad Athanasium, et vicissim num. 208 professionem fidei sub Athanasii nomine ad* Liberium *conscriptam; neque ullam de auctoribus illorum fragmentorum dubitationem insinuat. At Bellarminus in Opere de Scriptoribus ecclesiasticis*

AUCTORE J. S.

cis in S. Athanasio pag. 109 Liberio *et Athanasio illa Fragmenta abjudicat, dicens :* In eodem tomo (*primo Operum S. Athanasii*) habetur Epistola Liberii Papæ ad Athanasium, et responsio Athanasii ad Liberium : sed neutra videtur convenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Athanasium, acsi dubitet de ejus fide.... At neque credibile est, Liberium umquam dubitasse de fide S. Athanasii *etc.* Responsio quoque Athanasii non habet formam Epistolæ, sed simplicis confessionis fidei : neque confessio concepta est verbis satis propriis, præsertim ubi dicit; « Illa caro suspensa est » in cruce, non ipse » *etc....* Sanctus vero Athanasius maxime proprie et castigate de ejusmodi mysteriis loqui solet. Proinde non videtur ejusmodi scriptio sancto Athanasio tribuenda. *Hoc judicium Bellarmini passim sequuntur recentiores. Papebrochius quidem noster in S. Athanasio num.* 369 *Baronio inhæsit,quod verisimiliter dictas Epistolas,in Baronio et in Conciliis inventas,tam attente non examinaverit. At omnino existimo. sequendam esse Bellarmini censuram, prout eam secuti* B *sunt plerique recentiores. Alia quoque Epistola Athanasii nomine et Ægyptiorum episcoporum ad* Liberium *exstat apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum col.* 763, *ubi et responsio* Liberii *nomine col.* 765 *subnectitur; sed observat in margine Labbeus, utramque ab omnibus passim haberi supposititiam.Alia rursum ibidem col.* 760 *habetur* Liberii *Epistola,inscripta* ad omnes generaliter episcopos, *de qua Labbeus in margine :* Commentitiam esse nemo non videt. *Ne hanc quidem defendere conabor : fateor tamen, non tam clare hanc mihi commentitiam videri, quam quatuor illas, quas improbari* § 3. *Apud Labbeum tom.* 2 *Conciliorum col.* 768 *leguntur tria decreta, nomine* Liberii *edita, quæ nonnullis etiam videntur de suppositione suspecta.*

Orientalium episcoporum, qui plerique erant Semiariani, legati

226 *Jam vero quod spectat ad lapsos aut hæreticos ad Ecclesiam reductos,restant enarranda ea, quæ narrantur a Socrate et Sozomeno de episcopis Orientalibus, quos prior* Macedonianos *nominat, etiamsi non omnes essent hæresis Macedonianæ, postea in concilio Constantinopolitano condemnatæ, sed plerique Semiariani, quod vocem* Consubstantialis *non admitterent,et non pauci verisimiliter Catholici, saltem quoad sensa, ut erant plures* C *Semiariani, antequam nota erat aut invaluerat hæresis Macedoniana contra Spiritum sanctum. Premebantur illi Arianorum persecutione sub Valentis Ariani imperio, cum Occidentales Catholicum haberent imperatorem Valentinianum. Quapropter varias invicem miserunt legationes, variisque locis convenerunt ad concilium, nimirum Lampsaci in Hellesponto,Smyrnæ in Asia proprie dicta, in Pamphylia quoque, Isauria ac Lycia, ut habet Socrates lib.* 4 *cap.* 12.*Dictis igitur conciliis et legationibus in hanc convenerunt sententiam,* necessario confugiendum esse tum ad fratrem imperatoris *(Valentinianum,)* tum ad Liberium Romanæ urbis episcopum, eorumque fidem amplectendam potius, quam ut cum Eudoxio *(Ariano)* communicarent. Mittunt igitur Eustathium Sebastiæ episcopum, qui jam sæpius depositus fuerat, Silvanum Tarsi Ciliciæ, et Theophilum Castabulorum, quæ etiam Ciliciæ urbs est; mandantque, ne in fide dissentiant a Liberio, sed cum Ecclesia Romana communionem ineant, fidemque Consubstantialis consensu suo confirment. *Hæc Socrates, quibus consentit Sozomenus lib.* 7 *cap,* 10, *de missione dictorum legatorum ita loquens :* Eosque ad Valentinianum imperatorem mittunt cum litteris ad Liberium Romanum episcopum et ad Occidentales episcopos scriptis; quibus eos hortabantur, ut legatos suos omni ope adjuvarent, et cum illis, quid agendum esset, perpenderent; et statum Ecclesiæ, prout ipsis visum esset, corrigerent; quippe qui probam ac stabilem fidem ab Apostolis traditam retinerent, ac præ cæteris omnibus religionis curam gerere deberent. D

cum litteris Romam veniunt ad Liberium,

227 *De gestis Romæ subdit auctor :* Et legati quidem, cum in Italiam venissent, imperatorem in Galliis morari didicerunt, bellum gerentem cum barbaris eas accolentibus. Cumque ipsis difficile visum esset iter in Gallias propter bellum, litteras dederunt Liberio. Et inito cum illo consilio de rebus, quarum causa missi fuerant, Arium aliosque, qui idem cum illo sentirent ac prædicarent, sententia sua damnarunt. Omnem præterea hæresim fidei Nicæni concilii adversantem rejecerunt : Consubstantialis denique vocabulum susceperunt... Harum rerum confessionem scriptis proditam cum Liberius ab ipsis accepisset, cum eis communicavit, scripsitque litteras ad Orientales E episcopos, ob concordiam et fidei consensum eos laudans, et, quæ cum legatis gesta erant, iisdem significavit. *Laudatus Socrates ostendit, legationem initio fuisse* Liberio *suspectam, episcoposque, a quibus legati erant missi, illos fuisse, qui Seleuciæ quidem contra Acacium Arianam sententiam improbaverant, deinde tamen Constantinopoli decretis Ariminensibus subscripserant.* Hi ergo *(legati) inquit,* cum litteris eorum, qui Seleuciæ ab Acacio dissenserant, Romam venerunt. Et imperatorem quidem ipsum adire eis non licuit, quippe qui bello contra Sarmatas districtus in Galliis teneretur : Liberio vero litteras suas porrexerunt. Ille initio quidem eos admittere recusabat, Arianarum partium eos esse dicens, nec ab Ecclesia suscipi posse, utpote qui Nicænam fidem abrogassent. At illi se dudum resipuisse, et veritatem agnovisse responderunt : et Anomæorum quidem doctrinam ejurasse jam pridem; Filium vero Patri per omnia similem confessos esse, nec ullatenus differre Consubstantialem a simili, *nimirum si utraque vox recte exponatur, ut exponitur utraque a S. Hilario in libro de Synodis.*

suaque et omnium nomine fidem Catholicam profitentur,

228 *At illa ratio legatos non juvisset apud* Liberium, *nisi formulam Nicænam cum voce* Consubstantialis *admisissent. Redeo ad Socratem :* Quæ cum dixissent, sententiæ suæ professionem scripto comprehensam Liberius ab eis exegit. Illi F ergo libellum ei obtulerunt, in quo verba etiam fidei Nicænæ erant adscripta. *Libellus sive scriptum, a legatis oblatum, ab utroque recitatur cum hac inscriptione :* Domino fratri et comministro Liberio Eustathius, Theophilus et Silvanus in Domino salutem. *Initium hoc est :* Propter insanas hæreticorum opiniones, qui Ecclesiæ Catholicæ offensionis causam præbere non cessant, nos omnes illis occasionem adimere cupientes, profitemur et adseveramus, synodum orthodoxorum episcoporum, quæ Lampsaci et Smyrnæ, aliisque in locis habita est, (cujus synodi legationem obeuntes, tum ad tuam benignitatem, tum ad universos Italiæ et Occidentis episcopos, litteras adferimus) Catholicam fidem tenere et custodire, quæ in sacrosancta synodo Nicæna temporibus beatæ memoriæ Constantini a trecentis decem et octo episcopis comprobata, hactenus integra et inconcussa perpetuo permansit : in qua Consubstantialis vocabulum adversus pravam Arii doctrinam pie sancteque positum est. Similiter et nos una cum supradictis eamdem fidem tenuisse ac tenere, et usque ad

A ad extremum spiritum servaturos esse, ipsi manu nostra profitemur. *Post damnationem Arii aliorumque hæreticorum, de Ariminensibus decretis nominatim hæc addunt :* Sed præcipue anathemate damnantes fidem illam, quæ in Ariminensi synodo recitata est, utpote contrariam supradictæ fidei sancti concilii in urbe Nicæna celebrati : cui, ex oppido Thraciæ Nice allatæ, dolo ac perjurio circumventi episcopi Constantinopoli subscripsere. *Post hæc legati subjiciunt formulam Nicænam et singuli subscribunt : ac demum addunt sequentia :* Quod si quis post hanc fidem a nobis expositam, adversus nos aut adversus illos, a quibus missi sumus, aliquam criminationem inferre voluerit, cum litteris Sanctitatis tuæ coram orthodoxis episcopis, qui a te probati fuerint, veniat et apud illos judicio contendat nobiscum : ac si quid criminis convictum fuerit, in auctorem animadvertatur.

et a Liberio in communionem recipiuntur.

229 *Subjungit Socrates :* Hoc libello cum legatos quasi cautione quadam Liberius obligavisset, eos in communionem suscepit, datisque hujusmodi litteris, dimisit. *Mox datur ipsa Epistola* Liberii *cum hac inscriptione :* Dilectis fratribus et comB ministris, Evethio, Cyrillo, Hyperechio, Uranio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Heortasio, Neoni, Eumathio, Faustino, Proclino, Pasinico, Arsenio, Severo, Didymioni, Britannio, Callicrati, Dalmatio, Ædesio, Eustochio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedonio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexandro, Adolio, Marciano, Sthenelo, Joanni, Macro, Charisio, Silvano, Photino, Antonio, Aytho, Celso, Euphranori, Milesio, Patricio, Severiano, Eusebio, Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Menodoro, Diocli, Chrysampelo, Neoni, Eugenio, Eustathio, Callicrati, Arsenio, Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lucio, et universis per Orientem orthodoxis episcopis, Liberius episcopus Italiæ et omnes Occidentis episcopi in Domino salutem. *Sexaginta et quatuor hic enumerantur episcopi, pro majori parte ignoti. At hos omnes antea fuisse Semiarianos nequaquam credo, licet verisimile sit, omnes quoque illos, qui Semiariani non erant, cum his communicasse. Verisimile etiam est, non omnes eadem sinceritate Catholicam fidei professionem fuisse amplexos, cum nonnulli postea resilierint, et plures in Macedonianum dogma* C *contra Spiritum sanctum fuerint lapsi. Attamen non existimo, omnes subdole egisse, cum Silvanus, unus e tribus legatis, post mortem a S. Basilio* Beatus *vocetur in pluribus epistolis. Verum epistolam* Liberii *totam modo subjungamus ex Socrate.*

Liberii hac de re

230 Optatissimum nobis pacis et concordiæ gaudium attulerunt literæ vestræ fidei lumine resplendentes, fratres dilectissimi, redditæ nobis per carissimos fratres et episcopos Eustathium, Silvanum ac Theophilum : idque eo maxime, quod sententiam vestram atque doctrinam cum tenuitate nostra, cumque omnibus Italis et Occidentalibus consentire prorsus et consonare affirmarunt simul ac demonstrarunt. Hanc autem Catholicam et Apostolicam fidem esse agnoscimus, quæ usque ad concilium Nicænum integra et inconcussa permansit. Et hanc legati vestri se habere professi sunt : et cum incredibili gaudio omne vestigium ac fomitem absurdæ suspicionis abolentes, non verbis solum, verum etiam scripto eam exposuerunt. Cujus etiam exemplum his literis subjiciendum esse existimavimus, ne quam hæreticis occasionem ad struendas iterum insidias relinquamus, quibus incentiva malitiæ suæ commoventes, de integro discordiarum ignes pro suo more excitent. Hoc insuper professi sunt, carissimi fratres, Eustathius, Silvanus ac Theophilus, tum ipsos, tum vestram caritatem semper hanc fidem habuisse, et ad extremum usque spiritum servaturos esse : eam scilicet, quæ a trecentis decem et octo Catholicis episcopis apud Nicæam probata est : quæ et perfectam continet veritatem, et omnes hæreticorum catervas confutat atque evertit. Non enim fortuito casu, sed divino nutu tot episcoporum numerus adversus Arii vesaniam congregatus est : quanto scilicet numero beatus Abraham tot hostium millia per fidem profligavit. Quæ quidem fides in hypostasi et in Consubstantialis vocabulo comprehensa, tanquam firmum et inexpugnabile munimentum, impetus omnes et machinas Arianæ dementiæ reprimit ac repellit.

ad episcopos Orientales Epistola,

231 Quocirca cum omnes Occidentalium partium episcopi Ariminum convenissent, quo illos Arianorum improbitas convocaverat eo consilio, ut blanda persuasione, seu, quod verius est, sæcularis potentiæ auctoritate coacti, id, quod in fide cautissime positum fuerat, tollerent aut oblique negarent; nihil profecit illorum versutia. Etenim E omnes propemodum illi, qui tunc apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam fidei ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt et Catholicæ atque Apostolicæ fidei olim apud Nicæam promulgatæ subscripserunt. Et nobiscum inita communione, adversus Arii doctrinam ejusque discipulos graviori indignatione commoventur. Cujus rei argumentum legati caritatis vestræ cum viderent, vos quoque ipsos in subscriptione sua adjunxerunt : Arium anathemate damnantes, et ea, quæ contra Nicænam fidem Arimini gesta sunt : quibus etiam vos perjurio in fraudem inducti subscripsistis. Quamobrem congruum nobis visum est, ad caritatem vestram literas scribere, et justa petentibus subvenire : præsertim cum ex professione legatorum vestrorum cognoverimus, Orientales ad sanam mentem reversos, cum Orthodoxis Occidentis episcopis consentire. Significamus autem vobis, ne sitis nescii, omnes Ariminensis concilii blasphemias ab illis ipsis, qui tunc per fraudem decepti fuisse videntur, anathemate damnatas esse, et universos in Nicænam fidem conspirantibus animis consensisse. F

verisimiliter in concilio data.

232 Sed et vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim ac fraudem detrimentum aliquod fidei suæ passi sunt, nunc tandem ex hæretica caligine ad divinam Catholicæ libertatis lucem possint emergere. Qui quidem si post hoc concilium perversæ doctrinæ virus evomere, et omnes Arii blasphemias rejicere easque anathemate damnare noluerint; sciant se pariter cum Ario ejusque discipulis et reliquis serpentibus, Sabellianis scilicet, Patropassianis aut aliis quibuslibet hæreticis, extraneos esse et alienos a communione Ecclesiæ, quæ adulterinos filios non admittit. Incolumes vos Deus servet, fratres carissimi. *Hactenus Epistola* Liberii, *quem hac de causa Romæ concilium congregasse existimat Baronius ad annum* 365 *num.* 17. *Probabilis admodum est ea opinio, eique favet inscriptio Epistolæ.*

At non videtur ideo Liberius legatos misisse in provincias;

233 *Credit præterea, legatos a* Liberio *missos esse in Gallias aliasque provincias Occidentales,* ut de fide Catholica Orientalium, ad ecclesiam redeuntium, universam Occidentalem ecclesiam redderet certiorem. Quod et factum est, *inquit,* antequam legati remearent in Orientem. *Colligit hoc ex Sozomeno lib.* 6 *cap.* 12, *ubi ait, a legatis in Orientem*

AUCTORE J. S.

tem perlatas esse Epistolas, tum Liberii, tum episcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ et Siciliæ. *Verum, cum S. Basilius in duabus Epistolis meminerit de Epistola per Eustathium legatum allata a* Liberio, *et nullibi de pluribus, dubitari potest, an verum sit, quod tradit Sozomenus de tot Epistolis, quodque ex eo colligit Baronius de tot legatis in Occidentales provincias tunc a* Liberio *missis. Magis credo,* Liberium *legatis Orientalium, ostendisse plurimas epistolas episcoporum Occidentalium qui post lapsum Ariminensem cum Ecclesia se conciliaverant, et Nicænam fidem fuerant professi. Nam scribit* Liberius, *legatos vidisse* argumentum *reconciliationis Occidentalium lapsorum cum Ecclesia. Hoc autem argumentum fuerint eorum epistolæ ad* Liberium. *Suspicor igitur harum epistolarum exemplaria a legatis in Orientem delata fuisse, ut Orientales perspicerent, quanto studio Occidentales ad Ecclesiam et fidem Nicænam fuissent reversi.*

nec Elpidium, qui concilio Illyricano adfuit, eo misit,

234 *Aliam quoque conjecturam affert laudatus Baronius de misso tunc a* Liberio *in Illyricum legato Elpidio presbytero, quo præsente celebrata B foret synodus Illyricana. Hujus synodi Epistolam dat Theodoretus lib. 4 cap. 9, eademque recusa est tom. 2 Conciliorum col. 832, ubi notatur data anno 365 ex mente Baronii. Non alia de causa opinor, concilium illud Illyricanum ad annum 365 retulit Baronius, quam quod in Epistola fiat mentio Eustathii episcopi, quem crediderit unum e tribus legatis. Verum Tillemontius Nota 86 recte probat, multo serius habitum esse illud concilium, idque mihi clarum videtur ex toto Epistolæ contextu. Nam Gratianus imperator, qui necdum anno 365 nec 366 eam dignitatem habebat, in textu Græco Epistolæ imperatorum, simul missæ et apud Labbeum subjunctæ col. 834, Valentiano et Valenti adjungitur. Præterea episcopi Illyricani clare edicunt, invaluisse apud Asianos errorem Macedonianorum contra Spiritum sanctum. At hæresis illa necdum tam publice prædicabatur anno 365 aut 366: nam legati Orientalium ne examinati quidem fuerunt a* Liberio *circa fidem suam de Spiritu sancto.*

cum illud concilium sit serius habitum.

235 *Miratur hoc Tillemontius art. 109; videturque credere, legatos ipsos, illosque Orientales, a quibus erant missi, fuisse tunc illius hæresis assertores. At ea suspicio caret solido fundamen- C to: nam facile probari potest, omnes tres legatos amicitia junctos fuisse et communione cum S. Basilio, alios vero episcopos tanto numero hæresim contra Spiritum sanctum professos fuisse ab anno 366, aperte improbabile aut potius falsum est, cum S. Basilius in Epistola 25, (alias 72) dicat,* exiguam esse hanc partem, quæ morbo laborat. *Sic autem loquitur de hæresi Macedoniana in Epistola, quæ anno 377 notatur data. Sub Damaso igitur hæresis illa publice erupit et condemnata est, non sub* Liberio. *Demum episcopi Ariani sex nominantur in Epistola synodali, at inter illos non reperiuntur Valens et Ursacius, omnium Arianorum in Illyrico famosissimi, qui tamen aliquot certe annis post 366 vixerunt. Nullum igitur superest dubium, quin concilium Illyricanum aliquot annis* Liberio *sit posterius.*

Orientales in concilio Siculo fidem quoque professi,

236 *Itaque redeamus ad legatos Orientalium cum litteris* Liberii *Roma discedentes. Socrates lib. 4 cap 12 de iis hæc scribit:* His litteris acceptis, qui cum Eustathio erant, in Siciliam proficiscuntur. Cumque illic synodum episcoporum Siciliæ fieri curassent, et Consubstantialis fidem coram ipsis confessi essent, fidemque concilii Nicæni comprobassent, acceptis illorum quoque litteris in eamdem sententiam scriptis, ad eos, a quibus missi D fuerant, reverterunt. *Hisce plane consentit Sozomenus, et mox addit lib. 6 cap. 12:* Eodem tempore cum synodus episcoporum congregata esset Tyanis *(in Cappadocia,)* cui intererant Eusebius Cæsareæ Cappadociæ episcopus, Athanasius Ancyræ, Pelagius Laodiceæ, Zeno Tyri, Paulus Emesæ, Otreius Melitinæ, Gregorius Nazianzi *(Pater Nazianzeni)* et alii complures, qui, regnante Joviano, Antiochiæ collecti, Consubstantialis doctrinam retinendam esse decreverant, Liberii et Occidentalium litteræ recitatæ sunt.

recipiuntur a Catholicis Orientalibus in concilio Tyanensi.

237 Qua ex re ingenti gaudio affecti, scripserunt ad omnes ecclesias, ut Occidentalium episcoporum decreta perlegerent, et Epistolas tum Liberii, tum episcoporum Italiæ, Africæ, Galliæ et Siciliæ (nam et istorum litteras attulerant legati a synodo Lampsacena missi) utque omnium illorum numerum considerarent. Multo enim plures erant iis, qui in Ariminensi concilio sederant. Præterea ut consentire cum illis et communicare vellent: seque ejusdem esse sententiæ per litteras indicarent. *Hæc Sozomenus. Ex litteris autem allatis episcoporum Galliæ et Africæ suspicatur Tillemontius in Arianis art. 110, in illis quoque provinciis fuisse legatos, quemadmodum fuerunt in Sicilia. At ego, ut jam num. 233 insinuavi, magis credo, litteras indicari ante ad* Liberium *missas. quibus episcopi illarum provinciarum fidem Nicænam fuerant amplexi, reprobato concilio Ariminensi. Certe Socrates et Sozomenus asserunt, eos in Siciliam profectos, per mare secundum Sozomenum, indeque in Orientem. In Galliam profectos uterque negat, de Africa vero et Illyrico aditis nullam faciunt mentionem.* E

Prædicta confirmat S. Basilius, Eustathium

238 *De gestis in illa legatione meminit etiam S. Basilius occasione Eustathii, qui jam ante frequenter sententiam mutaverat, et communionem cum S. Basilio deinde abrupit, ægre ferens fidei formulam a Basilio sibi subscribendam oblatam, aut potius eo utens prætextu. Hinc S. Basilius in Epistola 244 (alias 82) de Eustathio aliisque ita loquitur:* Hoc autem in ipsis sum miratus, cur ob subscriptum libellum quem ipsis obtulimus, tanto utantur dissidendi studio;... illud autem non cogitent, suam fidei Nicænæ confessionem Romæ scriptam servari, seque propria manu obtulisse sy- F nodo Tyanensi allatum Roma libellum, qui apud nos servatur, eamdem fidem continens. Quin et concionis tunc a se habitæ obliti sunt, cum in medium prodeuntes fraudem deplorarunt, qua decepti, tomo ab Eudoxii factione composito *(id est, formulæ Ariminensi)* consenserant. Unde et hanc invenerunt errati illius purgandi rationem, ut Romam profecti, inde fidem Patrum acciperent, ita ut, quod ecclesiis detrimenti intulerant malo approbando, id meliore introducendo emendarent. At qui itinera longissima pro fide sustinuerunt, et sapientem illam concionem habuerunt, nunc nobis conviciantur... Patet autem etiam ex iis, quæ nunc circumferuntur, condemnatam ab illis esse fidem Nicænam. Viderunt enim Cyzicum, et cum alia fide reversi sunt. *Ex his habemus, Eustathium aut numquam sincere fidem Nicænam fuisse amplexum aut post annos aliquot relapsum fuisse, maxime in conciliabulo Cyziceno, ubi Macedoniani iterum repudiarunt Consubstantiale, et* blasphemias in Spiritum Sanctum *conscripserunt, teste S. Basilio in eadem Epistola.*

239 *De mutatione Eustathii rursum ad Occidentales*

postea relapsum arguens.

A *dentales episcopos scribit Basilius in Epistola* 263 *(alias 72,) ubi relatis multiplicibus Eustathii in fide mutationibus, ait episcopatu fuisse dejectum, atque hoc modo prosequitur:* Atque ita ex episcopatu ejectus,... hanc sibi restitutionis viam invenit, ut ad vos se conferret. Quænam autem ei proposita fuerint a beatissimo episcopo Liberio, et quibusnam assensus sit, ignoramus, nisi quod Epistolam attulit, quæ eum restituebat, eaque ostensa concilio Tyanensi, in suum locum restitutus est. Hic nunc depopulatur fidem illam, ob quam susceptus est, atque una cum iis est, qui Consubstantiale anathematizant, seque ducem præbet hæresis Pneumatochorum. Quoniam igitur istinc evenit illi facultas lædendi ecclesias, ac data a vobis fiducia utitur ad subversionem multorum, necesse et istinc quoque venire emendationem, ac per litteras ecclesiis significari, quibusnam conditionibus susceptus sit, et quomodo nunc immutatus irritum faciat beneficium sibi concessum a Patribus, qui tunc erant. *Hæc de Eustathio S. Basilius, non obscure flagitans, ut ipsius restitutionem Romanus Pontifex cum Occidentalibus irritam faceret.* B *Verum hæc annis decem aut undecim post legationem Eustathii ejusque per* Liberium *restitutionem scripta sunt; nec aliter spectant ad propositum nostrum, quam ut liqueat, legatos aliosque episcopos Orientales, quos* Liberius *communioni Ecclesiæ Catholicæ restituerat, tam in Oriente quam in Occidente bene fuisse exceptos; sed non omnes in fide Catholica mansisse constantes.*

Synodus Lampsacena anno 365, reliqua anno 366 figenda.

240 *Baronius omnia ad prædictam legationem spectantia, videlicet concilium Lampsacenum, gesta Romæ apud* Liberium, *ac Tyanense concilium, refert ad annum* 365. *Verum longiora sunt itinera, gestaque plura itineribus interposita, quam ut credibile fiat, omnia uno anno peracta esse; ideo monet Baronius num.* 37, *partem gestorum illorum verisimiliter spectare ad annum sequentem. Tillemontius in tres annos omnia illa divisit, et concilium Lampsacenum retulit ad annum* 365, *gesta Romæ et in Occidente ad* 366, *concilium Tyanense ad* 367. *Hæc quidem chronotaxis probabilior, quam illa, quæ omnia uni anno includit. Non video tamen, cur omnia finiri non potuerint anno* 366. *Si enim concilium Lampsacenum anno* 365 *habitum est, ut asserit Socrates,* C *potuerunt legati eodem anno Romam proficisci, ibique hiemem transigere, sequenti vero æstate anni* 366 *in Siciliam, indeque in Orientem navigare. Cum autem asserat Sozomenus, synodum Tyanensem habitam esse* eodem tempore, *quo illi reversi sunt, nulla videtur esse ratio, cur eam ab anno* 366 *removeamus. Hanc autem circa autumnum esse habitam, conjicio ex indicta Tarsi synodo* ante exitum veris *anni sequentis, ut habet Sozomenus. Nam si Tyanensis ineunte aut media æstate fuisset habita, potuissent eodem anno Tarsensem congregare episcopi ibidem præsentes, idque verisimiliter fecissent, cum in ea vellent omnes in fide Nicæna amplectenda concordes facere. At, cum dilata fuerit in annum sequentem, ob propinquam verisimiliter hiemem, omnino habita non est, impedientibus Arianis.*

Liberius optime videtur processisse in recipiendis Orientalibus

241 *Ceterum laudatus Baronius nonnulla disserit ad excusandum* Liberium, *quod Macedonianos ad communionem receperit, acsi certo constaret, sinceram non fuisse illorum confessionem.* Erit fortasse, *inquit,* ut quis nimiæ facilitatis Liberium arguat, qui ejusmodi nebulones, alias sæpe damnatos, absolverit, eisdemque cum Catholica communione restituerit quoque sedes. Sed quis umquam potuit a subreptione reddi securus? Venerunt isti Romam, non ut privati, sed publica legatione muniti, ac litteris libellisque sinceræ fidei, cum sua ipsorum, tum etiam plurimorum Orientalium episcoporum subscriptione firmatis, quibus tum in primis Arianam, tum alias hæreses detestabantur, *etc. Hisce adduntur plura, quibus recte excusaretur* Liberius, *si qua excusatione egeret. At mihi modus procedendi, quo usus est* Liberius, *non modo nulla videtur excusatione indigere, sed maxima etiam laude dignus. Etenim gratis fingitur, Orientales episcopos eorumque legatos non sincere processisse in admittenda fide Nicæna. Ex legatis unus certo notus est Eustathius, qui postea a fide Nicæna recessit. At ex mutatione Eustathii, cujus inconstantiam in fide S. Basilius frequenter arguit, ne evinci quidem potest, ipsum Eustathium fraudulenter egisse. Quemadmodum autem Eustathius certo resiluit, ita ex S. Basilio satis certum est, Silvanum, alterum legatum, mansisse Catholicum. De Theophilo, tertio legato, qui etiam amicitia junctus fuit cum S. Basilio, neutrum certo affirmare ausim.* AUCTORE J. S.

et licet nonnulli relapsi fuerint, plures videntur mansisse Catholici.

242 *Nonnullos quoque ex aliis a Nicæna fide resiliisse, habemus ex Sozomeno lib.* 7 *cap.* 7, *ubi ait, Macedonianis objectum fuisse in concilio Constantinopolitano, quod fidem Nicænam recepissent in legatione ad* Liberium. *Ex numero tamen Catholicorum, qui anno* 381 *ad memoratum concilium* centum circiter et quinquaginta *convenerunt; ex Macedonianis vero solum* sex et triginta; *probabilissime colligitur, multos ex Orientalibus, qui a* Liberio *recepti erant, mansisse constantes. Nam antea paucissimi erant in Minore Asia totoque imperio Orientali, excepta Ægypto et vicinis provinciis, episcopi Catholici, qui prædicarent Filium Patri Consubstantialem, ut horum numerus illa legatione multum crevisse videatur. Quod vero non omnes constantes manserint in fide Catholica, quam Romæ erant professi, duabus maxime de causis evenisse suspicor. Prima est, quod non omnes consensissent Semiariani aut Macedoniani ad fidem Nicænam profitendam: nam Eleusius Cyzicenus, qui certe unus erat ex doctissimis Semiarianis, cum S. Hilarius in libro de Synodis num.* 63 *asserat,* absque episcopo Eleusio et paucis cum eo, *reliquos Minoris Asiæ episcopos nihil fere de Deo novisse; non fuit inter eos, qui ad* Liberium F *scripserunt; ut verisimile sit, ab eo nonnullos iterum a Catholica professione abstractos esse. Altera causa videtur, quod concilium Tarsense, in quo omnium professio Catholica et communio erat confirmanda, ob Arianorum persecutionem haberi non potuerit. Quidquid sit,* Liberius *nihil omisisse videtur, quo illorum fidem redderet stabilem; cumque statutum esset hæreticos pœnitentes in suis gradibus recipere, non erat justa ratio, cur illos similiter non reciperet.*

§ XV. Sermo Liberii apud S. Ambrosium : basilica Liberiana, nunc S. Mariæ Majoris dicta ; mortis S. Liberii annus et dies, sepulturaque etc.

Sermo a Liberio ad S. Marcellinam habitus,

P*riusquam ad obitum* S. Liberii *accedamus, restant pauca referenda, quæ ab eo in Pontificatu gesta sunt, sed anno incerto. Velum virginitatis S. Marcellinæ, sorori germanæ S. Ambrosii,* dedit

AUCTORE J. S.

S. Liberius, *eoque tempore sermonem brevem, præsente multitudine, ad Marcellinam habuit, a S. Ambrosio posteritati commendatum. Etenim sanctus Doctor librum tertium de virginibus ita orditur:* Quoniam quæ habuimus, superioribus duobus libris digessimus, tempus est, soror sancta, ea, quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quo Vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Namque is, cum Salvatoris Natali ad apostolum Petrum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo Virgo posteritatem adquisivit) adstantibus quoque puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate: „ Bonas, inquit, „ filia, nuptias desiderasti „ *etc. Tum tribus capitibus sermonem ipsum, sive totum, sive parte aliqua truncatum, prosequitur; et cap.* 4 *subjungit:* Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius, quæ apud alios majora veris, apud te minora exemplis *etc. Hæc autem peracta esse sub initium Pontificatus* S Liberii, *suadet ætas S. Marcellinæ, uti jam dictum est ad* XVII *Julii in S. Marcellina pag.* B 233. *Cum enim S. Marcellina videatur nata circa annum* 330, *et juvenis virginitatem sit professa, ut colligitur ex Vita S. Ambrosii, nequit professio virginitatis Marcellinæ probabiliter differri usque ad reditum* Liberii *ab exsilio. Itaque dicta exhortatio, cui interfuit maxima populi multitudo, habita fuerit inter annos* 352 *et* 355.

quem stylo Ambrosiano expolitum vult Tillemontius

244 *Tillemontius tom.* 9 *in S. Ambrosio art.* 4 *ait, excellentia esse præcepta, quæ* Liberius *dedit Marcellinæ; sed in iis agnoscit stylum S. Ambrosii,* valde, *inquit,* dissimilem stylo Liberii, qui simplex admodum erat, ne dicam rusticum et barbarum. *Hoc judicium aliis quoque deinde placuisse video. At ignoscant, velim, eruditi, si mihi judicia Tillemontiana de stylo scriptorum Latinorum aut Græcorum tanti non videantur facienda, præsertim quando falsis nituntur rationibus. Ille variis locis* Liberium *omni privat eloquentiæ dono. Tom.* 6 *in Arianis art.* 109 *de Epistola num.* 230 *data ait:* Hæc Epistola est styli consueti Liberii, qui certo non habebat donum eloquentiæ. *At nequaquam perspicio, quid in illius Epistolæ stylo tantopere displicere potuerit Tillemontio, ut ejus causa* Liberium *eloquentiæ dono spoliare debuerit, imo tam inepta mihi videtur illa censura, ut dubitare co-* C *gar, an censuram, de alia quapiam Epistola ante latam, ex errore isti non apposuerit Tillemontius. Certe Epistola illa gravis est, satisque clara et concinna, ut censuram illam non mereatur. Si quid vero inconcinni haberet, hoc interpretibus attribui posset, cum verisimiliter prius ex Latino in Græcum, deinde ex Græco in Latinum conversa fuerit sermonem. Quare hanc Epistolam allegare non debuit Tillemontius, ut ostenderet, stylum* Liberii *fuisse rusticum et barbarum, sed quatuor Epistolas, quas* § 3 *supposititias probavi. Hæ revera sunt hominis rustice et barbare sensa sua enuntiantis, nec minus sano sensu, quam peritia linguæ Latinæ destituti. Certe ex supposititiis illis litteris Tillemontium aliosque de stylo* Liberii *judicasse, prorsus mihi persuadeo; ideoque mirari nequeo, eos perperam censuisse, Latino sermone fere barbaro usum fuisse* Liberium: *magis certe miror, tam absurdas ineptasque Epistolas eidem potuisse attribui.*

non videtur tantum excedere Liberii eloquentiam,

245 *Verum si quis sanum de sermone* Liberii *judicium ferre desiderat, legat ejus epistolas* § 4 *datas ad Eusebium Vercellensem, et maxime ad Constantium: legat et Dialogum cum Constantio Mediolani habitum, quem dedi* § 6. *Ex illis pru-* D *dens lector perspicere poterit, nec ingenii acumine nec sufficienti eloquentia destitutum fuisse* S. Liberium; *maxime si consideraverit, in id genus Epistolis, quæ scribuntur de negotiis peragendis, longe majorem haberi curam, ut agenda accurate exponantur, quam ut sermo expoliatur. Itaque certum mihi est et indubitatum, longe disertiorem fuisse* Liberium, *quam ipsum ex supposititiis litteris censuerunt Tillemontius aliique. Ipse Pontificatus* Liberii, *gestus seculo* IV, *quo sermo Latinus Romæ erat usitatus, abunde resistit opinioni adversariorum, ne cogamur dicere, hominem vernaculi sui sermonis pene ignarum ad Pontificatum fuisse erectum.*

ut invito Ambrosio sit adjudicandus.

246 *Quapropter non invenio rationes satis solidas, quibus asseram, S. Ambrosii potius esse sermonem, quem pro* S. Liberii *sermone sorori suæ recitat sanctus doctor, quam ipsius* Liberii. *Quo modo dicit Ambrosius, ea se revolvere præcepta,* ut quo Vir sanctior, eo sermo accedat gratior; *si non erat sermo* Liberii? *Neque enim* Liberii *erat sermo, si ejus præcepta Ambrosii verbis exponeban-* E *tur. Qua igitur ratione sermo ex sanctitate* Liberii *fieri poterat gratior, si non erat* Liberii *sermo, sed Ambrosii? Quomodo statim initio sermonis Ambrosius interponit verbum,* inquit, *ut designet verba se dare* Liberii, *si hujus non erant verba, sed solum sensa? Quod vero spectat ad stylum, si quis diligenter stylum hujus sermonis conferat cum stylo S. Ambrosii, videbit dictionem* Liberii *magis simplicem esse, multoque magis concisam, quam passim sit oratio S. Ambrosii; nec tales in sermone* Liberii *occurrere periodos, quales in scriptis S. Ambrosii sunt frequentissimæ. Quapropter, etsi stylus illius sermonis habeat aliquid similitudinis cum stylo S. Ambrosii, ea non videtur tanta, ut necesse sit illum invito Ambrosio adjudicare, dicereque* Liberium *tam imperitum fuisse linguæ Latinæ, ut Ambrosius voluerit ejus dare verba, cujus exponebat præcepta.*

Condita a Liberio basilica quæ nunc S. Mariæ Majoris dicitur:

247 *De basilica a* Liberio *Romæ condita Anastasius in* Liberio *sic habet:* Hic fecit basilicam nomini suo *(id est,* nominis sui *opinor)* juxta macellum Libiæ. *Ampla texi hic posset de constructione hujus basilicæ dissertatio ob festivitatem* S. Mariæ ad Nives *ejus causa institutam. Verum cum ejusmodi disputatio magis spectet ad Opus particu-* F *lare de Sanctissima Virgine Dei Matre ejusque festivitatibus, quod Majores nostri dudum promiserunt, eoque jam remissa sit in Prætermissis ad* V *Augusti, summa solum hic legam rerum vestigia. De condita per* Liberium *basilica aliqua sacra nequit merito dubitari, cum post mortem* Liberii, *orto schismate Ursiniano contra S. Damasum, schismatici* basilicam Liberii *occupaverint, ut legitur iu Præfatione ante Libellum Marcellini et Faustini pag.* 6 *et* 8. *Etenim dubitare nequeo, quin a conditore* Liberio *dicta fuerit* basilica Liberii *aut* Liberiana, *sicut alia ibidem pag.* 4 *et* 5 *vocatur* Juli Basilica, *utique a Julio* Liberii *decessore, cui etiam primus Romanorum Pontificum catalogus* basilicam Juliam, *ut conditori, attribuit. Constat præterea, illam esse basilicam, quæ variis temporibus diversa habuit nomina, et quæ modo* Sanctæ Mariæ Majoris *dicitur. Nam in Sixto III Anastasius ita habet:* Hic fecit basilicam Sanctæ Mariæ, quæ ab antiquis Liberii cognominabatur, juxta macellum Libyæ. *Hanc enim postea* Majorem *et* Ad præsepe *fuisse cognominatam. omnes consentiunt, resque clara est ex adductis apud Blanchinum in Annotatis ad Anastasium in Sixto*

A *to III. Fuit igitur* Liberius *memoratæ basilicæ conditor, Sixtus III instaurator aut amplificator. Verum plurimi deinde fuerunt alii, qui splendidissimam S. Mariæ Majoris basilicam magnis impensis instaurarunt aut ornarunt, interque illos locum non infimum habet Benedictus Papa XIV, qui hodie universali feliciter præsidet Ecclesiæ.*

traditio de miraculo nivis, cujus causa basilica exstructa,

248 *Habet autem antiqua traditio*, Liberium *ad basilicam eo loco ædificandam inductum fuisse mirabili signo nivis, in illum collem die* v *Augusti delapsæ. Res tota ex vetustis Mss. contracta in hodierno Breviario Romano ad* v *Augusti, quo celebratur festum* S. Mariæ ad Nives, *ita exponitur :* Liberio summo Pontifice, Joannes patricius Romanus et uxor pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum heredes relinquerent, suam hæreditatem sanctissimæ Virgini Dei Matri voverunt : ab ea summis precibus assidue petentes, ut, in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces et vota ex animo facta beata Virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobavit. Nonis igitur Augusti, quo tempore in Urbe maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei Mater separatim Joannem et conjugem in somnis admonuit, ut, quem locum nive conspersum viderent, in eo ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur : se enim ita velle ab ipsis hæredem institui. Quod Joannes ad Liberium Pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmavit. Quare solemni sacerdotum et populi supplicatione ad collem venit nive coopertum, et in eo locum ecclesiæ designavit, quæ Joannis et uxoris pecunia exstructa est, postea, a Xysto tertio restituta. Variis nominibus primum est appellata, Basilica Liberii; Sancta Maria ad Præsepe. Sed cum multæ jam essent in Urbe ecclesiæ sub nomine Sanctæ Mariæ Virginis; ut, quæ basilica novitate miraculi ac dignitate ceteris ejusdem nominis basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia S. Maria Majoris dicta est. Cujus dedicationis memoria, ex nive, quæ hac die mirabiliter cecidit, anniversaria celebritate colitur.

nimis facile a nonnullis fuit rejecta, ab aliis vindicata,

249 *Tillemontius, qui omnem fere abjecit crisim in examinandis documentis, ad famam* S. Liberii *maculandam confictis, severiorem in hac admittenda traditione se exhibet tom.* 6 *Nota* 83 *in Arianos. Ait nimirum, miracula illa se omittere, quia solum habentur in lectionibus Breviariorum, quibus parum fidei attribuit. At Paulus de Angelis, qui prolixum Opus de illa Basilica anno* 1621 *typis Romanis edidit, præter Breviaria aliosque libros rituales alia etiam non pauca laudat monumenta ad confirmandum nivis delapsæ prodigium. Non viderat id Opus Tillemontius; sed solum consideravit illa, quæ Florentinius adduxit in Exercitatione* 12, *an illa sit prima beatissimæ Virgini Mariæ dedicata Romæ ecclesia. Quare judicium illud Tillemontii, sine cognitione argumentorum, quibus prodigium illud assertum fuit a Paulo de Angelis, et sine ullo argumento notabili leviter prolatum fuit, et neminem movere debet. Tillemontium quoque jam refutavit, uti et Bailletum, pari levitate sibi incognita asserentem, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XIV in Opere Italice scripto de Festis Christi et Mariæ part.* 3 § 84 *et sequentibus. Quapropter ulterius rei totius examen remitto ad Opus de Sanctissima Virgine Maria a Majoribus promissum.*

250 *Quæ præterea apud Anastasium de* S. Liberio *leguntur, operoso examine non indigent. Mitto enim, quæ de lapsu* Liberii *ibidem ridiculis involuta sunt erroribus, cum illa jam satis sint refutata, et variis quoque rationibus refellantur a Bencino in Annotatis apud Blanchinum. Alia itaque breviter subjungo :* Hic Liberius ornavit de platinis marmoreis petris sepulchrum sanctæ Agnetis martyris. *Erat illud sepulcrum in ecclesia S. Agnetis, quæ constructa erat eodem seculo a Constantia extra Urbem via Numentana, ut dictum est tom.* I *Januarii pag.* 355 *in S. Agnete. In illa igitur ecclesia, quæ etiamnum exstat, S. Agnetis sepulcrum laminis marmoreis exornavit* S. Liberius. *De ejusdem ordinationibus Anastasius sic habet :* Hic fecit ordinationes duas in Urbe Romana per mensem Decembrem, presbyteros decem et novem, diaconos quinque, episcopos per diversa loca decem et novem.

AUCTORE J. S.

Ornatum S. Agnetis sepulcrum : ordinationes.

Obiit Sanctus anno 366,

251 *De anno mortis* S. Liberii *ex Anastasio nihil haberi potest, cum in ejus et successorum elogiis sit erroribus plenus. Plerique tamen recentiores chronologi consentiunt, obiisse* S. Liberium *anno* 366, *die* XXIII *aut* XXIV *Septembris, quia Præfatio Libello precum Marcellini et Faustini præfixa pag.* 4 *hæc habet :* Itemque octavo Kalendas Octobris Gratiano et Dagalaifo Conss. *(id est, anno* 366*)* Liberius humanis rebus eximitur. *Hoc assertum omnes fere chronologi sunt secuti, ut dixi. Solum dubitatur, an forte legendum non sit* IX Kalendas, *quia in plerisque Apographis Hieronymianis memoria* Liberii *recolitur* XXIII *Septembris. Baronius ad investigandum annum obitus* Liberii *alio respexit, obitumque* Liberii *fixit anno* 367. *Observat nimirum primo, anno* 367 *Urbis præfectum fuisse Viventium. Tum asserit, schisma inter Ursinum et Damasum, quod post mortem* Liberii *ortum est, erupisse sub præfectura Viventii : indeque concludit,* Liberium *anno* 367 *fuisse defunctum.*

non 367.

252 *Hoc argumentum recte deductum esset, si Viventius non fuisset Urbis præfectus ante annum* 367; *sed ex laudata Præfatione pag.* 6 *et* 7 *constat, præfectum quoque fuisse anno* 366, *sive* Gratiano et Dagalaifo consulibus, *saltem a mense Octobri. Aliunde vero ex Chronotaxi legum in codice liquet, jam mense Augusto anni* 367 *præfecturam Viventii fuisse finitam, præfectumque Urbis tunc fuisse Prætextatum, ad quem exstat lex* de ingratis liberis, *data* XV Kalendas Septembris *anni* 367. *Non vixit igitur* Liberius *usque ad mensem Septembrem anni* 367, *quo Viventius præfectura erat defunctus; sed obiit anno* 366, *ut ex ipsa Viventii præfectura confirmatur, et die* XXIII *aut* XXIV *Septembris, non ad* quintum Idus Septembris, *ut ex secundo apud nos Pontificum Catalogo voluit Baronius. Quapropter, cum Pontifex fuerit creatus anno* 352, *mense Maio, die* XXII, *aut* XXIV, *ut aliqui volunt, quia hæc erat Dominica, sedit annis quatuordecim et mensibus circiter quatuor. Supputationes Blanchini arbitrarias non moror.*

Sepultura et corporis translatio.

253 *De sepultura dicitur apud Anastasium :* Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, octavo Calendas Maii, et cessavit Episcopatus diebus septem. *Nihil dicam de tempore sepulturæ perperam hic designato, nec de die, quo electus est* S. Liberii *successor S. Damasus. Piazza in Hemerologio sacro ad hunc diem scribit, corpus* S. Liberii *translatum credi ex cœmeterio S. Priscillæ ad basilicam Vaticanam, ibique etiamnum servari. Papebrochius noster in Conatu Chronico-historico ad Catalogum Romanorum Pontifi-* cum

AUCTORE J. S.

cum in S. Liberio *num. 3 post nonnulla ad cultum* S. Liberii *spectantia, hæc subjungit:* Iterum vero refertur nomen ejusdem S. Liberii in veteri Ms. Barberino, pictoque Aventini montis Kalendario ad VIII Kal. Maii, una cum S. Benedicto Papa II; verosimiliter occasione communis utrique translationis, curatæ a Sergio Papa II *(lege* primo*)* circa annum DCC. *Conjecturam illam de communi translatione* SS. Liberii *et Benedicti II repetit Papebrochius tom. 2 Maii pag* 197 *in S. Benedicto II, recitatis picti Kalendarii et Ms. Martyrologii verbis hæc subjungens :* Ex ista autem utriusque sic pariter notata commemoratione aliud statuere nihil possumus, quam quod tali mense ac die facta fuerit communis aliqua utriusque translatio. *Non video etiam, unde alias fluxisset communis utriusque annuntiatio. At merito hic magis dubitat Papebrochius de auctore translationis, cum hunc nullibi designatum repererit.*

Festivitas forte olim celebrata : fama Sancti traducta

254 *Benno Cardinalis schismaticus, et scriptor mendacissimus, in Vita S. Gregorii VII, quem* Hildebrandum *solum nominat, de S. Gregorio VII scribit :* Ut festum Liberii celebraretur, jussit. *Hoc videlicet criminibus S. Gregorii annumerat* B *Benno, eumque ea de causa hæresis fautorem facere nititur. At si revera festivitatem* S. Liberii *jussit celebrari S. Gregorius VII, quod testimonio Bennonis non fit satis certum, hoc potius erit indicium festivitatis antea jam celebratæ, quæ forte omissa fuerat ob calumnias, quibus fama* S. Liberii *medio ævo fuit obscurata. Nam quod* Liberium *non dubitat Benno variis locis* hæreticum *vocare, parum nos movere debet, cum crassus ille calumniator, ut* Liberium *faceret hæreticum, nihil documentorum videatur habuisse præter Acta plane fabulosa S. Eusebii presbyteri. Quod vero mendacibus Actis homo furiosus et parum doctus, qualis ex scriptis suis innotescit Benno, fidem habuerit seculo* XI, *quo nulla vigebat crisis, equidem non miror. At quo ejusmodi ineptias magni fecerit Stephanus Baluzius, qui eruditionis nomen sibi inter neotericos acquisivit in Gallia, nequeo non mirari.*

ex fabulosa Vita S. Eusebii,

255 *Attamen ille non solum Vitam S. Eusebii cum elogio recudit tom. 2 Miscellan.; sed ex eadem novum quoque confinxit concilium in Nova Collectione conciliorum col. 75, ubi hæc præmittit :* Hujus concilii nulla mentio alibi habetur, quam C in Vita S. Eusebii presbyteri Romani. *Tum hæc ex Vita fabulosa producit :* Mortuo autem Liberio, levatur Damasus, qui voce publica damnavit Liberium facta synodo cum episcopis viginti et octo et presbyteris viginti et quinque. *Fictitium hoc concilium ad reliqua auctoris Vitæ illius commenta accedit, idque non vidisse Baluzium, vix concipio. Etenim Damasus ipse in Epistola ad Illyricos, num.* 183 *laudata, observat,* Liberium *non consensisse concilio Ariminensi, omnesque scriptores tam antiqui quam neoterici consentiunt,* Liberium *egregie ultimis vitæ annis laborasse pro bono Ecclesiæ, et honorificam sui memoriam reliquisse. Hinc a S. Ambrosio, Romano et coævo,* beatæ memoriæ et sanctæ memoriæ *dicitur, et* Vir sanctior *nominatur. Hinc profluxerunt alii tituli honorifici, quibus* Liberium *ornarunt S. Siricius Damasi successor, S. Basilius, S. Epiphanius, aliique num. 2 et per totum hujus Commentarii decursum laudati. Itaque nulla illius concilii est apparentia, nec debuit auctori aperte mendaci tantum tribuere Baluzius, ut ex ejus calumniis confingeret concilium.* D

cujus auctor aperte mendax est,

256 *Etenim videre potuit, anonymum illius Vitæ auctorem, sive Luciferianus ille fuerit schismaticus, sive alius quis posterior calumniator, æque infestum esse* Liberio, *quam sint schismatici Marcellinus et Faustinus Damaso, et magis etiam aperte mentiri. Nam primo dialogus fingitur inter Constantium,* Liberium *et Eusebium, tamquam habitus Romæ, ubi illi numquam simul fuerant, ut jam dictum. Vel solus hic dialogus ostendit, auctorem esse aperte mendacem et nulla fide dignum. Secundo insinuat auctor, Catholicos tunc temporis rebaptizatos fuisse ab Arianis. Tertio dicitur* Liberius *hæreticus fuisse, et ejusdem sententiæ cum Constantio, quod certo falsum est. Quarto inducuntur simul Constantius et* Liberius *Catholicos persequentes Romæ, diciturque Constantius mandasse,* ut indiscussus gladio puniretur, *si quis non sentiret cum* Liberio. *At mera hæc sunt figmenta, de quibus nullum apud antiquos reperitur vestigium. Quinto, ut omittam commentitium Baluzii concilium, auctor Actorum dicitur Orosius presbyter Eusebii socius et consanguineus. Hoc figmento clarum fit, auctorem non ex errore falsa scripsisse, sed studiose fuisse mentitum : neque enim poterat auctor Romæ tunc degens credere, Constantium et* Liberium *simul Romæ fuisse; et sic aperte aut hoc mentitur, aut ætatem et qualitatem suam; vel potius utrumque, imo omnia, opinor, quæ de* Liberio *protulit.* E

et aliis quoque jam olim imposuit.

257 *Verum hæc sufficiant de Actis illis mendacibus, ex quibus fictitium concilium protulit Baluzius. Ex iisdem profluxisse Actis omnia illa, quæ apud Anastasium leguntur fabulosa de consensu* Liberii *cum Constantio, de communione* Liberii *cum Arianis, excepto secundo baptismo, et de persecutione per Constantium et* Liberium *Romæ excitata, recte in Annotatis apud Blanchinum observat Bencinus. Tillemontius in Arianis art. 75 nonnulla ex Vita fabulosa S. Eusebii et ex Anastasio lectoribus suis de illis Gallice exposuit; sed fatetur hausta esse ex documentis nullius fidei, admiscerique adjuncta prorsus improbabilia. De fictitio vero illo Baluzii concilio nihil apud Tillemontium invenire potui. Ceterum, ex prolixo Commentario finem imponam, æquos lectores rogandos censeo, ut, si nonnulla hic reperiant prolixius disputata, quæ minus pertinere videntur ad Acta* S. Liberii, *saltem considerent, multorum monumentorum examinandam fuisse fidem, ut clarius innotescere posset, quam imbecillis rationibus nitantur omnia, quibus fama sancti Pontificis proscissa fuit ac misere dilacerata.* F



DE

A AUCTORE J. P.

DE S. PROJECTO EPISC. CONF.

FORO-CORNELII SEU IMOLÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Pauca de veris Sancti gestis nota; sermo in laudem ejus ac decessoris dictus a S. Petro Chrysologo, qui consecravit episcopum.

SECULO V Sancti paucis scriptoribus noti,

Forum Cornelii, olim quoque Forum Syllæ, nunc Imola, civitas antiqua et episcopalis, sita in Æmilia regione Italiæ inter Bononiam et Faventiam, festive recolit die XXIII *Septembris* B S. Projectum, *civem suum, secundum sibi notum episcopum ac protectorem, a S. Petro Chrysologo consecratum et illustri elogio celebratum; sed, quod mireris, nullis inscriptum Martyrologiis, præterquam poëtico Nicolai Brautii episcopi Sarsinæ, Venetiis vulgato* 1630, *ubi duplici disticho honoratur hoc ipso die. Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui Romano inscripti non sunt, memorat eum etiam hodie his verbis:* Foro Cornelii S. Projecti episcopi. *Pluribus de ipso agit in Catalogo Sanctorum Italiæ, citatque inferius monumenta ejusdem ecclesiæ. Plura etiam Ughellus tom.* 2 *Italiæ sacræ in Episcopis Imolensibus col.* 623 *novæ editionis, citans Ferrarium et alios, de* S. Projecto *refert, quæ hic non describo, quia pleraque per decursum recitanda et examinanda venient. Brautii quoque carmina dabuntur loco opportuniore.*

præclariora Acta deperdita,

2 *Antonius Maria Manzonius, J. U. D. et ecclesiæ cathedralis Imolensis canonicus, fuse et operose Acta Sancti hoc nostro seculo typis vulgavit duplici Opere, quorum uni, in lucem edito Imolæ* 1703, *hunc titulum præfixit:* Tumulus sanctorum Projecti et Maurelii, civium episcoporum et C protectorum urbis Corneliensis, *alteri impresso Faventiæ* 1719 *istum:* Episcoporum Corneliensium sive Imolensium Historia. *Utrobique tamen fatetur, præclariora ejus gesta deperdita esse; imo in priori Opere queritur, advertissse se, dum monumenta ecclesiæ suæ cathedralis scrutaretur, in Actis* S. Projecti *multa esse partim mutilata, partim ipsi falso attributa. Per Acta, ni fallor, designat ea, quæ habent Ferrarius et Ughellus; nam præter hos neminem allegat, qui Actorum seriem prelo saltem commiserit, et ipse vix aliquid ad Vitam Sancti pertinens producit, quin id illi compendiose exhibuerint.*

et, quæ supersunt,

3 *Duo autem a Ferrario relata carpit præ ceteris et improbat Manzonius, pœnam scilicet eorum, qui irriserant abstinentes a carnibus die Paschatis, et sanationem miraculosam Marini abbatis infra plenius exponenda. Primum improbat, quia legitur in solo codice Ms., unde desumpsit Ferrarius, quia nulla ejus viget traditio, et quia narratio ipsi non videtur probabilis; alterum, quia manifestum esse contendit, quod fuerit desumptum ex Actis S. Projecti seu Præjecti Arvernensis in Aquitania Galliæ provincia episcopi, et attributum* S. Projecto *Imolensi. Laudabilis sane candor ille est in viro erudito de gestis ad Sanctum ecclesiæ suæ pertinentibus differente. Vita S. Præjecti Arvernensis episcopi, circa annum* 670 *martyrio coronati, quam edidit Surius stylo suo expolitam et mutilam et ex qua Vincentius Bellovacensis aliique plures gesta ac martyrium descripserunt, exarata fuit per anonymum Sancti æqualem, socium et testem oculatum, sicut dictum est apud nos* E *tom.* 2 *Januarii ad diem* XXV, *ubi plenius ac perfectius data fuit ex tribus veteribus Mss.*

majori ex parte

4 *Sed dum eam, etiam prout edita est apud Surium, quem citat Manzonius, pervolvi, non potui non dubitare, an integram aut satis attente perlegerit. Id namque si fecerit, non unum dumtaxat istud factum, tamquam ex ea mutuatum, sed omnia pene pro suo candore improbare vel ad minimum suspecta habere debuit, quæ de* S. Projecti *Imolensis in vita gestis particularibus referuntur, nec a S. Petro Chrysologo aliove vetusto ac fide digno auctore testata sunt. Pleraque enim vel eadem reperiuntur in Vita S. Præjecti, vel iis adeo affinia, ut mox suspicari debeat prudens lector, historiam gestorum illius, deficientibus aliunde instrumentis, partim ex hujus Vitæ partibus coaluisse, partim ad ejus exemplar dispositam esse. Quod ne, tamquam a me gratis dictum, ægre ferant Imolenses, allatis exemplis per decursum probabo. Audiamus itaque quæ de Sancto nostro tradunt Ferrarius, Ughellus et Manzonius.*

ei falso attributa.

5 *De parentum nominibus, et anno nativitatis ejus non meminerunt; in eo consentiunt, quod mater ejus gravida, in somnis visa sibi sit parere puerum, manu gestantem lilium; qua visione juxta Manzonium præsignata fuit futura Filii puritas et integritas. De his ita canit Brautius:*

Per latus in somnis genitrix exire tenentem
Projectum vidit lilia verna manu.

Sed vel in ipso limine vehementissima suspicio oritur, an ea visio conflata non sit ad imitationem ejus, quam narrat de S. Præjecto Arvernensi biographus æqualis tum apud nos tom. 2 *Januarii pag.* 633, *tum apud Surium de Vitis Sanctorum tom.* 1 *pag.* 418, *ex quo quia citatur a Manzonio, verba transcribo:* Cum enim materno adhuc gestaretur utero ejusmodi visio genitrici ejus oblata est. Videre namque sibi visa est infantem per ipsius latus egredi, undæ, instar sanguinis rubentis, baptismate ablutum. *Hæc autem visio, sicut additur, signum fuit futuri martyrii.*

Clero adscriptus succedit in archidiaconatu

6 *Natus itaque et educatus* Projectus, *Cornelio episcopo Imolensi traditus est, disciplinis ecclesiaticis imbuendus, apud quem, ut scribit Ferrarius, omni virtutum genere fulgere cœpit, et ut generatim de ipso loquitur S. Petrus Chrysologus,* domus Dei esse perstitit habitator... cunabulis ab ipsis

AUCTORE J. P.

ipsis gradus ecclesiasticæ militiæ conscendens et officia. *Hinc Manzonius dicit, illum primo inter diaconos fuisse adscriptum, deindeque eidem Petro Chrysologo, ad Ravennatem cathedram assumpto, substitutum fuisse in archidiaconatu Corneliensi seu Imolensi. Primum confirmat Agnellus, auctor seculi noni, in Libro Pontificali seu Vitis Ravennatum pontificum, editis et illustratis a Benedicto Bacchinio, part.* 1 *pag.* 330, *de S. Petro Chrysologo sic inquiens :* Iste una cum Projecto a beato Cornelio Imolensis ecclesiæ una hora in diaconos ambo consecrati sunt. Post vero divina Providentia ambo solium episcopale tenuerunt; Petrus Ravennæ ecclesiæ; Projectus servatus est Imolensi.

S. Petro Chrysologo electo Ravennæ episcopo

7 *S. Petrus Chrysologus juxta eumdem Agnellum aliosque passim omnes prodigiose ad Ravennatem cathedram provectus est a S. Sixto III Pontifice, id est, intra annos* 432 *et* 440. *Hieronymus Rubeus in Historia rerum Ravennatum cum aliis bene multis determinat annum* 433. *Benedictus Bacchinius mox laudatus in Observationibus pag.* 335, *differendum censet usque ad annum* 439 *vel* 440, *Sixti Papæ ultimum. At Tillemontius tom.* 15 *Monumentorum eccl. pag.* 185 *diu ante annum* 431 B *id factum opinatur, idemque repetit pag.* 865, *ubi falsam appellat historiam prodigiosæ electionis S. Chrysologi a S. Sixto, et plura ab aliis allata vocat in dubium vel negat. Momenta ejus examinari poterunt ad diem* 2 *Decembris S. Petri Chrysologi cultui præfinitum. Nos interim* S. Projecti *consecrationem episcopalem late figimus ante annum* 450 *juxta fidem Agnelli, qui verbis proxime recitatis subdit :* Postquam hic *(Petrus Chrysologus)* pontifex ordinatus est, postmodum ab ipso iste alter *(Projectus)* episcopus ecclesiæ Corneliensis consecratus est, temporibus Gallæ Placidiæ Augustæ, sicut scriptum reperimus. *Placidia enim, Valentiniani tertii imperatoris parens, eodem anno* 450 *die* XXVII *Novembris obiisse traditur, imo et juxta plerosque scriptores anno eodem S. Chrysologus : verum de hoc quoque dubitat Tillemontius tom. cit. pag.* 193, *dicens, nihil esse, quo probetur Chrysologus non vixisse usque ad* 457, *sicut nec aliquid, unde ostendatur superasse* 449.

eligitur episcopus Imolensis,

8 *Manzonius in Tumulo pag.* 15 Projectum *scribit assumpsisse regimen ecclesiæ Corneliensis anno circiter* 446, *modumque electionis ita exponit in Historia pag.* 17 *:* Post supra laudatum sanctum C Cornelium ad hanc episcoporum sedem quendam tradunt evectum, cujus pariter nomen ignotum. Hic non amplius viginti quinque dierum intervallo in hac præsulis dignitate vixit, cumque alius deinde fuisset subrogatus, hanc iste electionem recusans, clerum populumque, ut Projectum archidiaconum, quamvis reluctantem, ad episcopatum assumerent, hortatus est. *Ferrarius Cornelii proximum successorem insinuat fuisse intrusum his verbis :* Cum autem, qui sedem invaserat, haud ultra XXV dies vixisset, alius *etc. Atque hinc magis confirmor in prius concepta opinione, nempe modum electionis ab utroque expositum, omnino suppositium esse, seu potius in monumenta Imolensia, unde ipsi hauserunt, paucis mutatis translatum ex Actis S. Præjecti Arvernensis episcopi. Rectene an secus sic opiner, judicet lector ex verbis hujus biographi, quæ huc transfero :* Defuncto igitur Felice, cum maxima pars cleri vel populi Præjectum cuperent habere antistitem, archidiaconus urbis præfatæ, Gairoaldus nomine, cupiditatis instinctu, clero contempto, laicorum usus consilio, episcopatum urbis Arvernicæ usurpavit per præmium. Sed quadraginta dierum evoluto curriculo, mortis sortitus est transitum. Igitur cum urbs Arvernica præsulis destituta solatio, Genesium, virum inclytum et D senatoria dignitate prælatum, pontificalis cathedræ sublimare voluisset in solio, ipse vir potens et sapiens, honoris gradum incaute non appetens, indignum huic officio fatetur coram cunctis : quin potius concionatur ad cives, ut Præjectum a rege peterent in sede pastoris *etc. Ita ille apud nos, et, mutato stylo, apud Surium.*

consecratur et laudatur ab eodem Chrysologo.

9 *Redeo ad Manzonium, qui, paucis interjectis, ita prosequitur pag.* 18 ; Concordibus itaque electorum suffragiis episcopus Corneliensis ab eodem sancto suo concive et metropolitano Petro Chrysologo consecratus est. *Hoc certissimum facit memoratum num.* 1 *elogium, seu sermo* 165 *perbrevis, quem idem Chrysologus habuit ipso die consecrationis, quemque hic subjungo ex tom.* 7 *Bibliothecæ Patrum.* Omnibus quidem ecclesiis venerationem debere profiteor, et fidelissimam servitutem, sed Corneliensi ecclesiæ inservire peculiarius ipsius nominis amore compellor. Cornelius namque memoriæ beatissimæ, vita clarus, cunctis virtutum titulis ubique fulgens, operum magnitudine notus universis, pater mihi fuit, ipse me per Evangelium genuit, ipse pius piissime nutrivit, ipse sanctus E sancta instituit servitute, ipse pontifex sacris obtulit et consecravit altaribus : et ideo mihi clarum, colendum, mirabile Cornelii nomen. Amor ergo cognominis me compellit Corneliensis ecclesiæ desideriis desideranter occurrere, et Projectum venerabilem virum amabilibus pontificem consecrare. Projectum dixi, sed non abjectum, juxta illud : In te projectus sum ex utero : de ventre matris meæ; Deus meus es tu. Et vere iste Projectus ex utero humanæ matris, matris divinæ in utero jugiter mansit : qui domus suæ nescius, domus Dei esse perstitit habitator: qualiter autem, fratres, cunabulis ab ipsis gradus ecclesiasticæ militiæ conscenderit et officia, quia dicere mihi longum est, sicut dicit Dominus, Ætatem habet, ipse pro se loquatur, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Opinio Tillemontii statuentis, Cornelium,

10 *Petrus Chrysologus, teste Agnello,* natus est Corneliense territorio, nutritus et doctus a Cornelio istius sedis antistite. *Eidem sententiæ, tamquam per recitatum sermonem confirmatæ, adhæserunt recentiores. Dissentit hic denuo Tillemontius, et vel ex ipso sermone contendit, Cornelium a Chrysologo laudatum, non fuisse Corneliensem episcopum.* F *Sic præludit cit. tom.* 15 *pag.* 185 *:* Recentiores illum *(Cornelium)* episcopum faciunt Imolensem, quod non videtur teneri posse. *Dein ibid. pag.* 865 *in Notis opinionem suam probaturus, ratiocinatur in hunc modum :* S. Chrysologus consecraturus Projectum episcopum Imolensem CORNELII, non dicit, hunc fuisse successorem Cornelii, cui ipse tantopere obstrictus erat; ait autem a se diligi eam ecclesiam, non quia ipse pars ejus fuerat et diaconus, sed tantum, quia idem illi nomen erat, quod fuerat episcopo, a quo baptismum susceperat. Hinc dicendum existimo, Cornelium S. Petri nutritium, in qualicumque alia civitate episcopum fuisse potius quam Imolæ.

a Chrysologo similiter laudatum,

11 *Posset etiam hujus opinionis discussio differri in diem* 2 *Decembris, quia propius respicit S. Chrysologum, quam* S. Projectum. *Nam si alteri sententiæ prævalet; consequenter teneri nequit, S. Chrysologum fuisse patria Imolensem seu Corneliensem, quod tam Ravennates quam Imolenses hactenus tradiderunt, et cum illis exteri passim omnes, quorum, præter constantem traditionem et Agnelli testimonium*

A *stimonium, argumentum fortissimum est sermo Chrysologi, profitentis, se a Cornelio genitum per Evangelium, id est, sacro baptismo regeneratum, enutritum, instructum, sacris altaribus consecratum, seu ad sacros Ordines promotum. Inde enim manifeste consequi contendunt, in Imolensi civitate natum esse, cum nemo extra patriam baptizetur, cautumque sit per conciliorum decreta, ne quis, nisi a proprio nativitatis episcopo ad sacros Ordines promoveatur. Idem quippe argumentum Tillemontius invertet adversus ipsos, dicetque : Chrysologus baptizatus est in patria, ordinari debuit a proprio nativitatis episcopo; sed Cornelius, a quo baptizatus et ordinatus est, non erat Imolensis episcopus, ergo nec ipse nativitate.*

non fuisse Imolensem episcopum, discutitur

12 *Indirecte tamen ad Sanctum nostrum etiam pertinet ratiocinium Tillemontii : etenim si ex eo concludi possit, Cornelium Chrysologi nutritium et episcopum, non sedisse Imolæ, ruit, quod tradit Manzonius, nempe ab eodem Cornelio episcopo disciplinis ecclesiasticis imbutus fuisse Chrysologum et* Projectum *atque hunc illi subrogatum in archidiaconatu Imolensi; ruit similiter, quod testatur* B *Agnellus, ambos eadem hora diaconatus Ordinem suscepisse ab eodem Cornelio. Itaque vim ejus et robur paucis ponderemus. Prima ratio, ex qua deducitur sequela contra episcopatum Cornelii Imolensem, inde desumitur, quod Chrysologus non dicat* Projectum *Cornelii successorem : ad quam respondeo, id minime opus fuisse, imo potius supervacaneum, Chrysologo præsertim, brevitatem sectanti; quandoquidem id abunde noverant tum Ravennates tum Cornelienses, coram quibus dicebat. Altera ratio est, quia Chrysologus non dicit, a se diligi ecclesiam Imolensem seu Corneliensem, quia ejus pars fuerat et diaconus, sed tantum, quia ipsi nomen erat idem, quod fuerat episcopo suo et nutritio. Fateor, aliam non exprimit diligendi causam, sed neque aliam expresse excludit, imo, quantum ego conjicio, innuit, eamdem ob causam a se diligi ecclesiam Imolensem, ob quam diligebat Cornelium puta propter baptismum etc.*

et improbatur.

13 *Sane non apparet mihi probabile, sanctum doctorem, nisi alias supposuisset diligendi causas, easque auditoribus satis notas, tam jejuno usurum fuisse argumentandi modo :* Veneror ecclesias quidem omnes, sed Corneliensi inservire peculiarius C amor me compellit; quia episcopo ac nutritio meo nomen fuit Cornelio; *et ideo* tantum, *ut intelligit Tillemontius. Malim credere, Chrysologum, suppositis et suppressis aliis titulis, repetivisse amorem suum in civitatem Corneliensem patriam suam ab identitate nominis cum Cornelio, ut inde occasionem arriperet dicendi aliquid in laudem nuper defuncti episcopi Corneliensis et ejus successoris* Projecti. *Quid enim ad præsentem clerum ac populum attinuisset audire laudes Cornelii, quocum nulla illis fuerat connexio? Præterea si is Imolensis non fuerit, cujus ergo civitatis fuit episcopus? Dices, plures in antiquis monumentis occurrere episcopos, quorum sedes ignota sit. Non inficior; sed hic talis fuit, ut ejus memoria ac sedis notitia obliterari tam facile nequiverit; vir scilicet, teste Chrysologo,* cunctis virtutum titulis ubique fulgens, operum magnitudine notus universis. *Quapropter donec solidiora argumenta proferantur adhærebimus nos communi traditioni ecclesiarum Ravennatis et Imolensis, utriusque scriptoribus, aliisque post Agnellum, quem si vidit Tillemontius, computare non debuit inter recentiores : et hinc ulterius concludimus,* Projectum *ab eodem Cornelio institutum, S. Petro Chrysologo notum fuisse a teneris et verisimiliter familiarem; quam sententiam non obscure confirmat ipse Chrysologus in sermone suo, dum* Projecti *ab ipsa infantia vivendi rationem sibi probe perspectam esse significat.*

§ II. Reliqua gesta vel incerta vel falso illi adscripta.

Sanctus non videtur interfuisse concilio Ephesino.

Inter legatos Ecclesiæ Romanæ, a Cælestino I Papa ad concilium Ephesinum directos, non uno loco occurrit in Actis ejusdem concilii apud Labbeum tom. 3 Projectus episcopus, *at nusquam exprimitur cujusnam ecclesiæ. Eminentissimus Baronius suspicatur, esse nostrum Imolensem, idemque videtur Ferrario in Annotatione ad diem* XXIII *Septembris. Baronius sic habet tom.* 5 *Annalium pag.* 578 : Quod ad Projectum episcopum spectat; illud sane nobis compertum est, claruisse his temporibus Projectum episcopum Forocorneliensem, de quo Petrus Chrysologus Ravennas episcopus, qui his quoque temporibus claruit, honorifice meminit etc. *Recitat dein aliqua ex* E *ejus sermone, et ita concludit :* Ut facile opinari possimus, hunc illum esse Projectum, quem tantæ legationis functio decoravit. *At opinionem improbat Manzonius in Tumulo pag.* 26, *utpote quæ conciliari nequeat cum ipsorummet Baronii, Ferrarii, aliorumque pene omnium communissima sententia qua statuitur, S. Chrysologum a Sixto III Papa, Cælestini successore, divinitus electum esse Ravennatum antistitem, et juxta quam proinde anno* 431, *dum celebratum est concilium Ephesinum, episcopus non erat ipse Chrysologus, nedum* Projectus *noster quem, a Chrysologo consecratum esse, nemo inficiabitur. Igitur Projectus in Ephesino legatus nullatenus cum nostro confundi potest, nisi ostendatur, Chrysologus Ravennati ecclesiæ præfuisse ante Pontificatum Sixti III. Sed hujus quæstionis discussio, ut superius insinuavi, spectat ad ejus Acta illustranda mense Decembri. Pergamus interim ad reliqua* S. Projecti *gesta.*

creditur interfuisse Romano anno 449,

15 *Suscepto episcopali munere, Cornelii decessoris sui strenuus æmulator, ovibus suæ curæ commissis sanctissime præfuit, et S. Donatum alterum ejusdem Cornelii in sacrarum Litterarum studiis, virtutumque exercitationibus discipulum, sibi in* F *archidiaconatu substituit, ut latius exponit Manzonius tum in Tumulo pag.* 17 *et seqq., tum in Historia pag.* 19. *De S. Donato breviter actum est apud nos tom.* 2 *Augusti, quo et ipse tamquam unus ex Imolensis civitatis protectoribus colitur Officio duplici, ut discimus ex elencho Sanctorum ejusdem ecclesiæ ac civitatis, quæ præfigitur Officio proprio S. Petri Chrysologi, impresso Bononiæ anno* 1618. *Nihil præterea de* S. Projecto *speciatim memorat Manzonius usque ad annum* 449, *quo eum cum S. Chrysologo ad synodum, adversus Eutychianos a S. Leone Papa coactam, convenisse scribit, sed tantum ex conjectura; ni fallar. Nam cum id absolute asseruisset in Tumulo pag.* 20, *postmodum ita restrinxit in Historia pag.* 22 : Ad quam convenisse cum Chrysologo ipse Projectus firme creditur. *Conjecturam tamen verisimillimam facit Valentinianus III imperator Occidentis in litteris ad Theodosium II Orientis imperatorem, ubi testatur, synodum illam fuisse* ex diversis provinciis, *et Galla Placidia in suis ad eumdem,* episcoporum multitudine,.... quos ex innumerabilibus civitatibus Italiæ... collegit *Leo Pontifex*

16 *Hisce proxime subnectit Manzonius obitum S. Chrysologi*

AUCTORE J. P.

sequenti sepelisse Chrysologum, Imolæ defunctum,

S. Chrysologi, qui juxta ipsum contigit anno 450, *Imolæ in patria, ut plurimorum sententia certum apparet. Historiam, quantum huc spectat, describo ex laudati auctoris Tumulo pag.* 20 *et seqq.* Sequenti anno CDL acerrimus ille Catholicæ veritatis propugnator Chrysologus, ... de tempore suæ mortis cælitus præmonitus, pridie Kal. Decembris relicta Ravenna, altera die patriam repetiit, a Projecto summa veneratione exceptus; ubi sequenti mane ad aram S. Cassiani peracto Sacro, .., . intra antiquiorem cathedralem, ubi sanctitatem hauserat, circa horam meridianam inter brachia Projecti sanctissime ac feliciter obiit..... Chrysologi corpus in eadem ecclesia intra arcam marmoream juxta sacri sui protectoris Cassiani martyris reliquias, prout ipse expostularat, condidit sanctus episcopus Projectus, quadratumque ad sex circiter digitos introclusit lapillum materiæ subalbæ cum nomine, grandioribus litteris inscripto, PETRUS. *Eadem sed paulo fusius exponit in Historia a pag.* 22, *ubi subdit pag.* 26, *triennio post sublatum esse sancto nostro alterum carum pignus et ecclesiæ suæ ornamentum, nempe S. Donatum archi-* B *diaconum supra memoratum, cujus ac S. Chrysologi sacra lipsana hactenus servata sunt in cathedrali Imolensi, sicut notatur in elencho Sanctorum cit. num.* 15.

et a Simplicio Papa adhibitus fuisse in causa episcopi Ravennatis.

17 *Idem Manzonius in utroque Opere ita* Projecti *ait percrebuisse sanctitatis et prudentiæ famam, ut prægrandis ejus esset apud summos Pontifices existimatio. Hoc autem ut probet, allegat epistolam Simplicii Papæ, qua Joannem Ravennatem antistitem acriter increpat, quod Gregorium quemdam, tametsi reluctantem, ordinasset episcopum Mulinensem, minaturque, severiori se in eum censura usurum fuisse, nisi causis iis esset retractus, quas Projectus episcopus præsens adferebat. Non exprimitur quidem in epistola, cujus civitatis hic fuerit episcopus; Imolensem tamen fuisse, inde contendit Manzonius, quia nullus alius per id tempus florebat Projectus, maxime in provincia Ravennate. Imolensem quoque censuit Ughellus, in eamdemque sententiam inclinavit Hieronymus Rubeus lib.* 3 *Historiæ Ravennatis pag.* 122, *nec hactenus vidi quemquam, qui negaverit. Epistola Simplicii exstat integra apud Labbeum tom.* 4 *Conciliorum col,* 1068, *notaturque scripta* III Kalend. Junii Severino viro clarissimo consule. *Hinc Ru-* C *beus, Baronius et alii retulerunt eam ad annum* 482. *Vide tamen, quæ super anno datæ epistolæ observarunt Majores nostri pag.* 729 *tom.* 1 *Januarii, ubi illustrata sunt Acta dicti Joannis Ravennatis episcopi, et tom* 1 *Martii pag.* 134, *ubi de S. Simplicio Papa actum est*

Multa quæ de Sancto

18 *Dixi præcedente § num.*2, *fateri Manzonium, deperdita esse præclariora* S. Projecti *gesta, et multa, quæ ex iis supersunt, partim esse mutilata, partim illi falso attributa; laudavi candorem; sed addidi, plura imo pene omnia, quæ a S. Chrysologo vel alio antiquo ac fide digno auctore testata non sunt, ab ipso fuisse improbanda, protulique bina, quæ ad minimum suspecta esse debuerunt; puta visionem matris gravidæ num.* 5 *et modum electionis ejus ad episcopatum num.* 8 *relata. Nunc reliqua absolvo, præmissis iis, quæ ipse carpit. Ferrarius, quem secutus est Ughellus, hæc tradit de Sancto ad diem* XXIII *Septembris* : Is Romam proficiscens Marinum abbatem virum sanctissimum graviter ægrotantem invisit et oratione sanat. *Factum hoc, quamquam diversimode relatum ista censura perstringit Manzonius in Historia pag.* 29 *et seq.* Graviter quoque eos errasse agnoscitur, qui Projectum Corneliensem episcopum, a rege Francorum evocatum, in Gallias fuisse profectum scripsere, ibique Marinum, abbatem sanctitate clarum, morbo, quo afflictabatur, liberasse, ac tandem plura ab improbis passum, in patriam remeasse. Hæc omnia, sicut ex Actis sancti Projecti episcopi Arvernensis in Aquitania incongrue sunt deprompta, sic inepte Projecto Corneliensi sunt attributa. Res patet ex Laurentio Surio, qui Projecti Arvernensis et Marini gesta narrat. *Data sunt apud nos Acta S. Præjecti Arvernensis, ab auctore æquali conscripta, tom.* 2 *Januarii, ut jam monui. Audiamus alterum.* D

19 *Idem Ferrarius ibid. sic refert :* Cum in die Resurrectionis Dominicæ mensæ cum multis aliis accumberet, et alii tres ex ea multitudine ab esu carnium abstinentes irriderentur, eos Projectus increpavit, quod non irridere, at venerari illos debuerant : cumque ab irridendo non cessarent, repente una cum solario, in quo erant, exceptis Projecto et illis tribus, corruerunt. *Factum istud sine censura narrat Manzonius in Historia pag.* 27, *tamquam scripto relictum a Philippo Saxo Imolensi, vulgatumque a Ferrario. Sed in Annotationibus ad Tumulum pag.* 177 *idem impugnaverat verbis sequentibus.* Hujus facti narratio in codice Ms. unice legitur, a quo exscripsit Ferrarius. De hoc nihil reliqui historici Savinus, Gamberinus, nec Luchius, nec Ughellus, nec ulla viget traditio. An autem sit probabile, quod sanctus Episcopus in die Paschatis, abstinendo se a carnibus, voluerit cum multitudine accumbere mensæ, cum non omnes una vescerentur mensa, ac abstinentiam ostentare, judicet lector. Narrationem judicavimus apochrypham.

narrantur, E

ex Actis S. Præjecti Arvernensis

20 *Si fides habenda scriptoribus coætaneis, res in se verissima est, sed facta Projecto seu Præjecto Arvernensi, necdum episcopo, ac falso attributa* Projecto *Imolensi. Hinc patet, quo jure dixerim superius, non posse non me dubitare, an Manzonius vel integram S. Præjecti Vitam vel satis attente legerit, quandoquidem res eadem ibidem narretur tum apud nos, tum apud Surium, et modo tam parum diverso, ut mox furtum incurrat in oculos. En verba ex Surio tom* 1 *pag.* 418 : Jam Paschalis solennitas agebatur et Præjectus Arvernos properat ad episcopum : die autem quodam in superiori domus loco convivium instruxerat, cui etiam ab illo invitati intererant multi laici et nobiles : e quibus tres nolebant vesci carnibus Et quia semper gravis est pravis mentibus vita bonorum, cœperunt illos irridere viri seculares, probra etiam et convicia jactare. Admonentur interim a sancto viro, ut quos venerari potius deberent, eos desinant indignis modis exagitare et carpere. Illis vero se nihil corrigentibus, subito pavimentum cum irrisoribus deorsum ruit et solus Præjectus cum illis pœnitentibus ad mensam relictus est. F

desumpta et illi falso attributa.

21 *Neque hic finis; tertium profert Ferrarius ex Monumentis Imolensibus miraculum, quo pecunia Sancti nostri divinitus aucta fuisse dicitur, idemque adducit Manzonius in testimonium liberalitatis ejus erga inopes; sed non minus evidens hoc esse furtum quam præcedens, fatebitur, quisquis operæ pretium judicaverit conferre verba biographi S. Præjecti Arvernensis apud Surium mox laudatum cum verbis Ferrarii. Postremum, quod de Sancto nostro habet Manzonius, commune est ipsi cum SS. Cassiano martyre et Petro Chrysologo sicque relatum in Historia pag.* 28, Temporibus valde ærumnosis triginta septem circiter annos sanctus Concivis

A Concivis ecclesiam Corneliensem rexit, Italiam formidolosis exercitibus sub suis regibus Attyla et Odoacre, Hunnis, Herulis, aliisque nationibus barbaris invadentibus, quorum eruptione agro Corneliensi vastato, urbs quoque ipsa penitus concidisset, nisi Projecti precibus sanctorumque item patronorum admirabili custodia, fugato extemplo hoste, soluta fuisset obsidio: divum enim Cassianum et Petrum Chrysologum, barbaris metum incutientes, visos fuisse, vetusta nobis monumenta testantur. *Acta S. Cassiani martyris illustrata sunt ad diem* XIII *Augusti; sed nulla hujus apparitionis facta mentio, nec ulla ejus fit in iis, quæ legi hactenus de S. Chrysologo; quam autem parum fidendum sit monumentis Imolensibus, liquet ex supra dictis, ac proinde apparitio illa, ut minimum, dubia mihi est.*

Mors ejus et sepultura 22 Tandem pastorali munere sancte perfunctus, *sic gesta Sancti nostri claudit Manzonius mox laudatus*, pluribus cumulatus meritis ac miraculis fulgens migravit ad Dominum circa annum quadrigentesimum octogesimum tertium (supra dicta enim epistola Simplicii Papæ data legitur tertio B Kalendas Junii Severino Cos., id est, anno quadringentimo octogesimo secundo) illique justa persolvit antedictus sanctus Joannes archiepiscopus Ravennæ. Sacrum ipsius corpus, tunc temporis in antiquiori cathedrali honorifice conditum, cui intra sarcophagum lapis quoque consepultus fuit cum nomine PROJECTUS, nunc in nova cathedrali quescit. *De epistola Simplicii Papæ unde auctor annum Sancti emortualem colligit, actum est supra; quod addit autem de justis Sancto persolutis a S. Joanne Ravennate, hausit verisimiliter ex Hieronymo Rubeo, qui pag.* 122 *Historiæ Ravennatis, id* putari *ait.*

§ III. SS. Projecti et Maurelii reliquiæ variis temporibus occultatæ ac translatæ, sacella et altaria ipsis erecta.

Sacra lipsana abduntur anno 903, De *reliquiis SS.* Projecti *et Maurelii, Imolensis item episcopi, de quo actum est apud nos tom. 2 Maii ad diem* VI, *deque earum variis trans-* C *lationibus fuse tractat sæpe memoratus Manzonius in Tumulo a pag.* 101, *sed nihil de iis producit ante annum* 903, *cui primam illarum translationem innectit, ut sequitur:* Afflictata Hunnorum irruptionibus Italia, eamque anno præcipue CMIII tam crudeliter iis percurrentibus, ut, ne a templis quidem abstinentes, omnia incendiis absumerent, Imolenses, quas cæteris illatas audierunt calamitates, eorum quoque cathedrali imminere timentes, ut sanctorum Protectorum corpora, quæ minus tute erant condita, servarent illæsa, annuente Petro episcopo, ea sibi ipsis vindicarunt in custodiam ac subterraneis in locis ita occultarunt, ut paucis hæc innotescerent. *Hæc ille pag.* 103, *et, ut monet in Annotationibus pag.* 185 ex chronistis concorditer. *Verum sententiam utcumque mutavit in Historia pag.* 49, *ubi translationem eidem quidem anno innexuit, sed sub Joanne I episcopo. Verisimiliter in Chronicis, pro quorum tamen irrefragabili auctoritate spondere non ausim, legerat ante, factam esse translationem, annuente episcopo, locumque elucidans adjecit nomen Petri; quia Ughellus, Rubeum secutus, eo tempore Petrum floruisse existimavit; sed is Petrus, qui anno* 861 *concilio Romano subscripsisse legitur, diu ante annum* 903 *obiisse debuit, ut postea agnovit Manzonius in dicta Historia pag.* 47. AUCTORE J. P.

ac denuo 1032; 24 *Alteram translationem seu occultationem reliquiarum, pro qua ad eadem appellat Chronica, centum ac triginta circiter post annos contigisse scribit in Tumulo pag.* 104 *his verbis:* Imolensem ecclesiam postmodum obtinente Paulo, sanctorum Maurelii et Projecti sacra lipsana detecta sunt, quæ lapideis loculis condita Imolenses, iteratas hostium incursiones pertimescentes, pro eorum zelo iterum abdiderunt anno MXXXII. *Lapsu temporum posteri eorum, qui assentientibus episcopis, occultaverant sacra lipsana, jus aliquod et dominium eorum sibi arrogarunt, et, invitis episcopis successoribus ac canonicis, detinuerunt. Id liquet ex instrumento authentico, quod anno* 1155 *in membrana exaratum et perantiquo canonicorum archivo servatum citat Manzonius in Tumulo pag.* 105 *et seq., ac majori ex parte recitat in Historia pag.* 96. *In eo quippe inter conditiones, quibus compositæ sunt controversiæ cives inter et episcopum ac canonicos, prima statuitur, ut Imolenses* E *reddant episcopo et canonicis Sanctorum corpora, quandocumque hi voluerint.*

anno 1174 episcopo reddita recognoscuntur, 25 *Conditio ista impleta est, teste Manzonio, ad annum* 1174. *Occasionem autem dedit schisma Frederici Ænobarbi imperatoris; nam cum hujus partes sequerentur civitatis Imolensis incolæ, et contra Alexandro III Papæ adhærerent Henricus episcopus, canonici et ceteri, qui castrum seu oppidum S. Cassiani, civitati conterminum inhabitabant, decreta est a Fredericianis ejusdem castri eversio. Servabantur autem hic Sanctorum pignora; hinc* Henricus episcopus, *verba sunt Manzonii in Tumulo pag.* 113, quem inter innumeras animi afflictationes, ac corporis ærumnas nulla major solicitudo torsit, quam ne quid detrimenti hac occasione sanctorum Protectorum corpora paterentur, ea sibi canonicisque, juxta id, quod cum prædecessore B. Rodulpho fuerat conventum, reddi instituit, eaque tradita eodem anno MCLXXIV recognovit: inter quæ S. Maurelii ossa insimul cum reliquiis S. Projecti in una arcula collocavit: sicut et corpus divi Petri Chrysologi etc. Tutoque omnia asservanda ac custodienda curarunt tum episcopus tum canonici; donec ea in civitatem anno MCLXXXIIX, ac in cathe- F dralem, superiori anno strui cœptam, transferrentur.

et juncta S. Maurelii reliquiis, 26 *Pergit dein laudatus auctor fuse disserere de antiquæ cathedralis, in castro S. Cassiani olim existentis, origine, deque aliis huc non pertinentibus, donec tandem anno* 1186 *dictum castrum pene solo æquatum est, et rebus pacatis, intra ipsam civitatem Corneliensem anno proxime subsequenti cœpta est ædificari nova cathedralis, in quam Henricus episcopus anno* 1188 *Sanctorum corpora una cum aliis reliquiis transtulit. Eadem repetit Manzonius in Historia ac variis documentis confirmat. Rursus loco mutata sunt sacra lipsana, quamquam intra eamdem cathedralem, ineunte seculo* 13, *sicut idem ostendit in Tumulo pag.* 67 *et in Historia pag.* 31 *ex autographo instrumento, cujus hic tenor est.* In nomine Domini Jesu Christi. Amen. Anno Domini Millesimo ducentesimo octavo, Indictione undecima, tempore Innocentii Papæ, nullo imperatore in Romano imperio existente, die sexta intrante mense Madii.

27 Coram cunctis clericis civitatis Imole et populo ibi præsente, dominus Maynardinus Imolensis ecclesiæ episcopus ad honorem Dei et beatissimi

AUCTORE J. P. *in nova cathedrali imponuntur altari ipsis consecrato:*

tissimi Cassiani martyris collocavit corpora sanctorum Maurelii episcopi et martyris et Projecti episcopi et confessoris in ecclesia S. Cassiani in superiori altare, et consecravit altare prædictorum Sanctorum; et prædictus dominus episcopus confisus meritis beati Cassiani et prædictorum Sanctorum remisit et indulsit omnibus vere pœnitentibus, qui omni anno pro devotione ad dictum altare et festum dictorum Sanctorum colendum venerint, quinquaginta dies criminalium et quartam partem venialium. Interfuerunt autem omnibus prædictis Albertus, Clarius, Christianus, Aldrevandus, et Guido sacerdotes dicte ecclesie, et Gibertinus et Rodulphus canonici, presbiter Johannes, et presbiter Ubaldus, et presbiter Donus Dei, et magister Artusius, qui fecit altare, cum aliis magistris, et alii multi clerici, et laïci, et mulieres. Ego Alfredolus Dei gratia Imolensis notarius his omnibus interfui, et, domino episcopo mandante, scripsi. *Eodem anno mense Junio, ut plurimorum sententia est, occisus fuit Philippus Henrici VI filius, qui diu cum Othone Saxoniæ duce de imperio dimicaverat, Hinc dicitur translatio facta nullo imperatore in Romano imperio existente;* B *nam anno dumtaxat* 1209 *Innocentius Othonem coronavit imperatorem.*

annis 1464

28 *Sacra lipsana in assignato altari quievere usque ad annum* 1464, quo, *ut scribit Manzonius in Tumulo pag.* 134, per episcopum Antonium Castellanum de la Volta Bononiensem et canonicos die IV Julii facultate facta Francisco de Merlo, ut novum sacellum ac altare in cathedrali, nomine sanctorum Maurelii et Projecti, struere ei liceret, sequenti mense Novembri die XXIII, amoto, non reserato, tumulo, nullaque reliquiarum recognitione facta, prædictus episcopus eadem corpora in tunc recens structo sacello reposuit, ubi nunc altare tribus titulis decoratum, Assumptionis B. V., SS. Michaëlis et Antonii Patavini, elatum visitur: annuæque festivitati sancti Projecti celebrandæ vigesimam tertiam diem Septembris assignavit. Sic referunt tabulæ notarii Lucæ de Monte. *Notat paulo inferius idem auctor, tum primum bipartitam fuisse Sanctorum festivitatem, quæ hactenus jussu supra memorati Maynardini episcopi celebrata fuerat uno eodemque die* VI *Maii. Hic autem dies soli servatus est Maurelio, eique tamquam ecclesiæ protectori præscriptum* C *Officium duplex in elencho Sanctorum cit. num.* 15 *: ubi eodem ritu præscribitur Officium de Sancto nostro ad diem* XXIII *Septembris.*

et 1616 *translata item corpora,*

29 *Anno* 1616 *denuo facta est sacrorum ossium transmutatio, quando Rudolphus Paleottus Imolensium antistes* octavo Idus Februarii, *ita Manzonius in Tumulo pag.* 137, lateritium tumulum undique clausum, in quo lapidea arcula, sacra ossa SS. Maurelii et Projecti continens, servabatur, ex altari per Franciscum de Merlo extructo, adhibitis pluribus artificibus, qui grave pondus laboriose deducerent, amovit, ac nulla facta reliquiarum inspectione, intra contiguum sacellum, quod diu antea in honorem S. Antonii abbatis fuerat erectum, statuit super altare ibidem situm, *et, ut superius significat auctor, recens exornatum,* ad sinistram aræ S. Cassiani. *Notandum, cur in utraque relatione duarum posteriorum translationum studiose addiderit Manzonius, nullam tum factam fuisse sanctarum reliquiarum inspectionem, nec thecam fuisse reclusam. Causam ipse aperit pag.* 139.

30 *Notarii quippe episcoporum in instrumentis annorum* 1464 *et* 1616 *mentionem non fecerant reliquiarum S. Maurelii; Hinc, inquit,* error invaluit, ut corpus S. Projecti ab utroque episcopo, D supradictis annis crederetur unice translatum, utpote a cujus nomine tantum vulgarem appellationem mutuabant altaria, ex quibus ii episcopi tumulum extraxere; hoc enim sæpe usuvenit, ut altare, sacellum vel ecclesia plurium Sanctorum nomine Deo sint dicata, et tamen ab uno eorum indigitentur.... Et inde factum est, ut, recurrente quotannis sexta die Februarii, postremæ illius translationis, tanquam de corpore tantum S. Projecti per episcopum Paleottum factæ, anniversariam memoriam in divinis officiis ecclesiæ Imolensis huc usque recoleret, mutilam quidem nec futuris temporibus tolerandam: si enim utriusque Sancti semper translatum corpus apparet, cur non utrique anniversarii honores rependendi?

quæ nonnulli invicem disjuncta

existimarunt, sed perperam:

31 *Opinio tamen seu error iste de translato solo corpore* S. Projecti *non obtinebat apud omnes. Certe anno* 1660 *die* XVII *Novembris, dum Henschenius et Papebrochius ecclesiam cathedralem Imolensem lustrarunt, credebant aliqui et verisimiliter plurimi, corpora utriusque Sancti etiam tum esse conjuncta: id colligo ex verbis Papebrochii, quibus in Ms. libro de intinere suo Romano paucis exponit ejusdem cathedralis id temporis formam:* XVII Novembris, absolutis sub auroram Sacris, deducti sumus a P. Cremona ad perlustranda obiter celebriora urbis loca. Templo D. Cassiani cathedrali novum frontispicium erat ab episcopo additum, qui idem e regione templi novum quoque sibi palatium exstruxit. Vetus alioqui est interioris templi, sed nitida fabrica, per octo ducta arcus, quibus totidem fere sub lateribus sacella respondent, et in uno quidem eorem, ceteris ornatiori, corpus S. Donati dicebatur quiscere sub altari, super quod S. Cosmæ caput decenter est collocatum. Ad chorum XVI ascendebatur gradibus, sub quo crypta, per gradus aliquanto pauciores adeunda, in eaque altaria tria: medium S. Cassiani corpus tegebat; super alia duo in capsis grandibus inauratis ac venuste sculptis, hinc quidem S. Petri Chrysologi corpus. inde SS. Maurelii et Projecti corpora prostabant exposita venerationi publicæ. E

anno 1702 *aperitur juridice*

32 *Porro juxta popularem istam opinionem latere debebant S. Maurelii sacra lipsana sub ara majori ejusdem ecclesiæ; at erroneam illam esse, compertum est anno* 1680, *quando, ut scribit Manzonius in Historia pag.* 397, *eadem ara major diruta est, et nova constructa, nec ullus ibidem apparuit loculus. Denique eluxit veritas anno* 1702, F *dum Matthæi Bartolacci sacerdotis pietate nobile sacellum reponendis Sanctorum exuviis exstructum est in subterranea ecclesiæ cathedralis crypta, eaque occasione, priusquam novæ arcæ, ex candido marmore elaboratæ ac figuris docta manu celatis ornatæ, includerentur, deventum est ad juridicam et solemnem earum inspectionem. Rem, cui ipse testis oculatus adstitit, ita enarrat Manzonius ejusdem ecclesiæ canonicus pag.* 143 *Tumuli, anno proxime sequenti typis vulgati.* Ut prædicto novo sacello struendo locus aperiretur, murusque ecclesiæ posset ab hoc everti, duodecimo Kal. Aprilis elapsi anni MDCCII, præsente cathedralis capitulo, coram viro eximio abbate Josepho Guerra, vigilantissimi hujus ecclesiæ antistitis Philippi Antonii Gualterii, apud Galliarum regem Apostolici nuntii *(postea S. R. E. Cardinalis)* vicario generali *(dein episcopo Alatrino,)* perquisitus loculus est, ubi corpus S. Projecti tantum recondi vulgus dictitabat, qui supra altare, muro ecclesiæ inclusus, inventus est primo totus lateritius: quo everso, lapidea deinde arcula occurrit, operculo tecta, rudis ex nostrate

AUCTORE J. P.

A nostrate materia friabili, et ad interitum facile vergente; quæ nimiam redolens vetustatem, se eamdem esse ostendit, intra quam ab hinc annis octingentis, *(ab anno 903, quo prima translatio contigit)* calamitosis iis temporibus, sedula civium ac canonicorum pietatis, maxime autem episcoporum cura, quoquo modo potuit, S. Projecti corpus abdiderat, cui deinde Henricus anno MCLXXIV aliud S. Maurelii addidit.

lipsanotheca: 33 Arca ea quadrangula erat, cujus longitudo ad sexdecim uncias mensuræ nostratis, latitudo ad decem, sicut et profunditas ad septem circiter protendebatur, eaque amota ac sigillis munita, subtus altare majus fuit deposita, donec sacelli ædificium perficeretur. Interea statutum est, juridicam esse præmittendam earumdem reliquiarum recognitionem, pro qua dies vigesima Novembris ejusdem anni fuit indicta, eaque adveniente, prævio piissimi episcopi assensu, idem ejus generalis vicarius, hora prima noctis in superiori presbyterio cathedralis, capitulo circumstante, pluribus cereis faculis ardentibus, ad recognitionem prædictam devenit. Igitur coram ipsis reserata arcula est, B ac primo se obtulit lignea capsula, carie omnino confecta, cujus tota pars superior dissoluta erat in fragmina, et ferrea sera cum pessulo ex contracta ferrugine pene erosa ac disecta conciderat.

inventur utriusque Sancti inscriptio: 34 Inde apparuere ossa partim integra, partim comminuta, quorum acervus tam cumulatus visus est, ut primo aspectu non unum, sed duo ibi antiquitus fuisse condita corpora, indicaverit; repertusque est lateritius lapillus coloris subrubei quadrangulus, cujus longitudo ad duas uncias cum dimidia, latitudo ad unam itidem se extendunt, profunditas unam non attingit, in quo hoc unum verbum litteris impolite incisis legitur PROJECTUS. *Typum lapilli hic subdit, voce contracta Antistitis nostri nomen exhibentis: conjicitque ex characterum ruditate corpori additum fuisse, cum Sanctus primum sepultus fuit. Hinc pergit ad descriptionem laminæ plumbeæ item quadrangulæ, in eadem arca inventæ et omne dubium de corpore S. Maurelii ibidem incluso eximentis. Ejus typum similiter excusum producit, inscriptionemque his verbis declarat:* Hic requiescit corpus S. Maurelii episcopi locatum ab Henrico episcopo MCLXX.... *Monet autem,* C *quartum laminæ angulum temporis injuria deficere atque ita præcisos esse characteres numericos* IV, *quibus compleatur annus supra memoratæ translationi millesimus centesimus septuagesimus quartus. Sed et plura subjungit, ut evincat, titulum martyris, in recitata epigraphe prætermissum, nihil officere veritati martyrii ejusdem S. Maurelii, quæ, si visum fuerit, adhiberi poterunt in Supplemento Operis nostri ad diem* VI *Maji; ac tandem ad narrationem, unde digressus fuerat, redit pag.* 164.

inspiciuntur sacra ossa. 35 Contrectari itaque deinde cœpta sunt sacra ossa, et inter cætera duo inventa sunt integra, nec in ulla parte læsa, æqualisque dimensionis, quæ præstantissimi medici, in re anatomica peritissimi, ad id vocati, ut de eorumdem ossium qualitate judicium ferrent, sacramento firmarunt « Esse duo « spondilia diversa, terminantia ad finem spinalis « medullæ, constituentia Os Sacrum vulgo dictum; « prout et duo alia adesse, finem occipitis et prin« cipium spinalis medullæ facientia; ac pro« pterea indicantia duo humana corpora, testati « sunt. » Idcirco omnibus gratias D. O. M. agentibus, lato decreto pronunciatum est, « recognitio« nem esse rite ac canonice factam, pleneque con» stare, in prædicta arcula lapidea inventa esse « corpora SS. Projecti et Maurelii » quæ simul in novo plumbeo loculo, circumamicto intus holoserico, discoloribus floribus intexto, introclusis lapillo et lamina prædictis, condita sunt: operculo deinde superposito, sigillisque, gentilitium stemma Gualteriæ domus referentibus, plumbo impressis, munito loculo ac sub ara majori interim collocato, in novam arcam marmoream esse sacra ea corpora solemni ritu opportune inferenda, pridie tamen publicæ venerationi exponenda, decretum est.

36 Itaque omni hæsitatione depulsa de utriusque corporis existentia, nemo fuit, qui non summa lætitia perfunderetur: omniumque erga sanctos Tutelares tunc eo invaluit pietas, ut quisque ex iis, qui aderant, se frustulo aliquo ligneæ capsulæ, E quamvis carioso, quæ per quingentos supra viginti et octo annos sacra ea ossa servarat, donari certatim expostularit, ac quæsitum * secum devote asportarit. Hoc etiam non tacendum videtur, quod, cum aqua nonnullarum ex prædictis reliquiis immersione sanctificata esset, multisque petentibus distributa, non pauci ægroti ejus haustu morbis, quibus affligebantur, se mirabiliter levatos esse, asseruerunt. *magna adstantium voluptate et pietate,*

* l. acquisitum

37 Perfecto tandem sacello, ceterisque pro festiva earumdem reliquiarum translatione dispositis, sacra lipsana civium exterorumque, ex finitimis locis confluentium, adorationi XIII Kal Junii exposita sunt in cathedrali, splendido apparatu ornata. Ineunte autem nocte, provisum est, ut eo quoque tempore nihil ad lætitiam populi efficacius excitandam desideraretur. Omnium oculos auresque illectabant vel foculi et flammæ circum ecclesiam cathedralem crepitantes, vel funales cerei undequaque accensi, vel igniculi ex sulphureo pulvere agminatim per apertum aërem volitantes, vel tubæ pariter atque tympana, admixta etiam campanarum tinnitu undique personantia. *ac insigni apparatu anno 1703 deferuntur*

38 Postera autem die, qua concio disertissima in laudem prædictorum Sanctorum per eloquentissimum oratorem est habita, post horas vespertinas, musicis concentibus illustratas, solemnis F utriusque cleri, confratriis de more præeuntibus, facta est supplicatio per vias et compita civitatis, aulæis ac peristromatis in lætitiæ ac venerationis argumentum e parietibus ædificiorum ubique pendentibus, in eaque per dignitatarios et canonicos deductæ thensæ, ac submissis humeris delata sunt sacra pignora, quæ omnis ætatis et gradus exultantis populi effusa multitudo sequebatur. Postremo sub vesperum, eodem adstante populo, intra novam marmoream arcam decentissime collocata sunt hoc anno MDCCIII. *Ita Manzonius, significans ad calcem libri, se ultimæ inspectioni ac repositioni sacrarum reliquiarum cum reliquis canonicis interfuisse.* *in novum sacellum, marmoreæque arcæ includuntur.*



AUCTORE J. P.

D

DE S. CONSTANTIO CONFESSORE

ANCONÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Aliquot Sancti gesta ex S. Gregorio Magno nota; memoria in Fastis recentioribus; corpus translatum Venetias; cultus.

SECULO VI

Præter ea, quæ habet S. Gregorius,

Nomen ac gestorum partem sancti hujus Confessoris ad posteros transmisit S. Gregorius Magnus lib. I *Dialogorum cap.* 5, *insigni admodum elogio; nec tamen, quod mirabile est, ulla ejus in aliis veterum scriptorum Operibus aut sacris Fastis occurrit memoria.* B *Post Gregorium primus, quem novi, Petrus Calo seu Calotius scriptor Venetus et Ordinis S. Dominici religiosus, qui floruit sub annum* 1300, *agit de* S. Constantio *in Vitis Sanctorum Mss.; citaturque ab excellentissimo domino Flaminio Cornelio Decade prima pag.* 94 *Operis, inscripti* Ecclesiæ Venetæ illustratæ, *anno* 1749 *typis vulgati, et nobis per eumdem Operis nostri munificum adjutorem dono concessi. Calotium secutus est Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum Venetiis composito lib.* 8 *cap.* CXI, *quem non describo, quia omnia hausit ex S. Gregorio præter pauca de obitu et translatione reliquiarum* S. Constantii, *inferius referenda. Proxime accesserunt martyrologi recentiores, quos ordine suo recenseo.*

quæque ex illo innotuerunt recentioribus.

2 *Hos inter primos statuo Grevenum et Molanum in editionibus Usuardi auctis, qui ad hunc diem Sanctum sic annuntiant:* Eodem die apud Anconam sancti Constantii confessoris, de quo beatus Gregorius I Dialog., *subduntque breve elogium ex eodem sancto Pontifice. Idem facit auctor Martyrologii Germanici; Maurolycus vero nihil addens:* Civitate Anconæ Constantii confessoris, de quo Gregorius in Dialogis. *Sic autem Constantius Felicius in Kalendario Historico:* C Constantii confess, Anconæ. *Paulo prolixius, sed minus recte Galesinius:* Anconæ sancti Constantii episcopi et confessoris. Hic rebus hujus sæculi contemptis, totus in Dei contemplatione conquiescens, vitæ sanctissimæ, et rerum divine mirificeque gestarum laude cumulatus, ad præmium abiit in cælum. *Confudit hic forte* Constantium *nostrum cum Constantio episcopo Aquinate, cujus gesta illustrata sunt in Opere nostro die prima Septembris; nam et hic memoratur in aliquot sacris Fastis die* XXIII *Septembris, et insigni elogio celebratur ab eodem S. Gregorio lib.* 3 *Dialogorum cap.* 8. *Advertit deinde hallucinationem suam Galesinius, atque idcirco inter Notationes ad diem* XXIII *de Sancto nostro adjecit:* Alias presbyteri, de quo S. Gregorius libr. I Dial. cap. 5. *Accurate Baronius in hodierno Romano:* Anconæ sancti Constantii confessoris, ecclesiæ Mansionarii, miraculorum gratia conspicui. *Nec præteriit Sanctum nostrum Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ; sed nec ipse assignavit auctores alios, quam S. Gregorium et Petrum de Natalibus, ex quibus elogium contraxit.*

nihil certe dici potest de Sancti vita

3 *Nihil hic de Sancti parentibus, anno natali et emortuali, similibusque, quæ cum per instrumenta licet, elucidare consuevimus, lectori proponendum se offert. Ne certo quidem determinare ausim, quo seculo vixerit, sextone an quinto. Julianus Saracenus nobilis Anconitanus in Opere Italico, cui titulus inscribitur,* Notitiæ historicæ Anconitanæ civitatis, *vixisse ipsum ait circa annum* 590; *sed verisimiliter ex conjectura dumtaxat, quia scilicet S. Gregorius, unicus gestorum* E *ejus scriptor, sub eumdem annum ad summum Pontificatum evectus est. At vero, dum sancti Doctoris verba attentius considero, loquitur ubique de tempore longius præterito et tamquam de persona, tum dudum e vivis sublata, idque patet vel ex ipso ejus exordio, quod describo ex tom.* 2 *Operum ipsius novissime editorum Parisiis anno* 1705. *Sic habet col.* 173*:* Cujusdam coëpiscopi mei didici relatione, quod narro: qui in Anconitana urbe per annos multos in monachico habitu deguit, cui etiam quidam nostri, jam provectioris ætatis, qui ex iisdem sunt partibus, attestantur. Juxta eam namque civitatem ecclesia beati martyris Stephani sita, in qua vir vitæ venerabilis, Constantius nomine, mansionarii functus officio, deserviebat. *Dialogos suos exaravit S. Gregorius sub annum* 594, *ac proinde si circa annum* 590 *floruisset* S. Constantius, *non erat provocandum ad testimonia hominum* provectioris ætatis. *Cum tamen ad hæc provocet; verisimilius testes producere voluit, qui Sanctum ipsi viderant, quam qui tantum ex majoribus cognoverant: et vel idcirco seculum sextum late posui.*

et morte; corpus ejus Ancona Venetias translatum

4 *Diem emortualem ita exprimit Petrus de Natalibus:* Quievit autem in pace Vir Domini IX Kalen. Octobris, sepultus Ancone. *Sed et hoc fortasse ex conjectura, quia die isto colitur; nam verba, quæ mox subdit:* Gregorius primo Dialo, cap. 5, *respiciunt elogium* S. Constantii, *non diem obitus, cujus non meminit Gregorius.* Corpus autem, *ita concludit Petrus de Natalibus,* hujus Sancti (Constantii) processu temporis Venetias translatum et in ecclesia sancti Basilii collocatum est IV Idus Julii. *Eumdem diem signat etiam laudatus Calotius, teste excellentissimo Cornelio, sed tempus translationis ignotum est tum Venetis tum Anconitanis. Modum ex traditione dumtaxat sibi notum esse fatetur Italice Saracenus loco cit., Latine mox memoratus Senator Venetus verbis sequentibus:* Porro ejus ex Ancona ad urbem Venetam tranlatio, quæ ab omnibus Venetis tum Historiis tum Chronicis alto silentio premitur, ex concordi Anconitanæ et Venetæ ecclesiarum traditione firmatur. *Deinde citans Saracenum parte tertia Notitiarum Historicarum civitatis Anconitanæ,* ubi de Viris illustribus ejusdem civitatis agit et translationem divi Constantii per quosdam viros triremium venetarum peractam esse refert, *in hunc modum prosequitur:* Hi ad portum Anconitanum appulsi, quæ-

A quædam marmorea simulacra, singulos anni menses significantia, deduxerunt, quibus facies templi D. Cyriaco dicati exornaretur, quæque hactenus supra majorem januam ipsius basilicæ visuntur: cumque ob rei novitatem Anconitanus populus ad ea visenda frequentior accurreret, nacti occasionem Veneti nautæ, ecclesiam intrantes vacuam, inconsideratæ devotionis impulsu sacras Constantii exuvias clam abstulerunt et Venetias ad D. Basilii ædes, cujus fortasse confinium excolebant transtulerunt. Quo tempore autem sacra lipsana advenerint, incompertum.

colitur utrobique. 5 *Idem excellentissimus scriptor paulo superius indicat,* S. Constantii, *et B. Petri Acotanti patritii Veneti sociata corpora in eadem S. Basilii ecclesia ad aram Crucifixi Domini servari, et frequenti populorum veneratione coli. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* S. Constantii *Natalem celebrari asserit die* XXIII *Septembris Anconæ et Venetiis. Quo ritu fiat Anconæ annua commemoratio, incompertum mihi est; in Ordine autem recitandi Officii divini in ecclesia ac diœcesi Veneta præscribitur Officium semiduplex de Communi Confessorum secundo loco et nona lectio de* B *S. Thecla. : sed verisimiliter solemniore ritu honoratur in ecclesia S. Basilii ob præsentiam corporis. Plura de ipso non occurrunt; subjicio itaque sub nomine Elogii ex allegata nova editione Parisiensi totum cap. 5 lib. 1 Dialogorum S. Gregorii, ne omissis quidem Petri interlocutoris interrogationibus ac responsis, et ubi necesse est Annotatis elucido.*

ELOGIUM

Ex S. Gregorio Magno

Dialogorum lib. 1 cap. 5.

Constantii sanctitas miraculo a b Cujusdam coëpiscopi mei didici relatione, quod narro *a*, qui in Anconitana urbe *b* per annos multos in monachico habitu deguit, ibique vitam non mediocriter religiosam duxit, cui etiam quidam nostri jam provectioris ætatis, qui ex iisdem sunt partibus, attestantur. Juxta eam namque civitatem ecclesia beati martyris Stephani *c* sita est, C in qua vir vitæ venerabilis, Constantius nomine, mansionarii *d* functus officio, deserviebat: cujus sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat, quia idem Vir funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola cælestia flagrabat. Quadam vero die, dum in eadem ecclesia oleum deesset, et prædictus Dei Famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet, omnes lampades ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum *e* posuit: quas allato igne succendit; sicque aqua arsit in lampadibus, acsi oleum fuisset. Perpende igitur, Petre, cujus meriti Vir iste fuerit, qui necessitate compulsus, elementi naturam mutavit.

et humilitas insigni exemplo 2 Petr. Mirum est vale, quod audio: sed nosse vellem, cujus humilitatis apud se esse intus potuit iste, qui tantæ excellentiæ foris fuit.

Gregor. Inter virtutes animum congrue requiris, quia multum valde est, quod tentatione sua intus mentem lacessunt mira, quæ foris fiunt. Sed si hujus Constantii venerabilis unum, quod fecit, audis, cujus humilitatis fuerit, citius agnosces.

Petr. Postquam facti illius tale miraculum dixisti, D superest etiam, ut me de humilitate mentis ejus ædifices.

Gregor. Quia valde opinio sanctitatis ejus excreverat, multi hunc ex diversis provinciis anxie videre sitiebant. Quadam vero die ex longinquo loco ad videndum eum quidam rusticus venit. Eadem vero hora casu contigerat, ut sanctus Vir, stans in ligneis gradibus, reficiendis deserviret lampadibus. Erat autem pusillus valde, exili forma atque despecta. Cumque is, qui ad videndum eum venerat, quisnam esset, inquireret, atque obnixe peteret, ut sibi debuisset ostendi: hi, qui illum noverant, monstrarunt, quis esset. Sed sicut stultæ mentis homines merita ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum atque despectum videns, ipsum hunc esse cœpit omnino non credere. In mente etenim rustica inter hoc, quod audierat, et videbat, quasi facta fuerat quædam rixa: et æstimabat, tam brevem per visionem esse non posse, quem tam ingentem habuerat per opinionem. Cui, ipsum esse, dum a pluribus fuisset assertum despexit et cœpit irridere dicens: Ego grandem hominem credidi, iste autem de homine nihil habet. E

3 Quod ut vir Dei Constantius audivit, lampades, *probata.* quas reficiebat, protinus lætus relinquens, concitus descendit, atque in ejusdem rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cœpit brachiis et osculari, magnasque gratias agere, quod is de se talia judicasset, dicens: Tu solus in me apertos oculos habuisti. Qua ex re pensandum est, cujus apud se humilitatis fuerit, qui despicientem rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur. Cumque se et in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se et ipsi apud semetipsos habuerunt.

Petr. Ut agnosco, Vir iste magnus foris fuit in miraculis, sed major intus in humilitate cordis.

ANNOTATA.

a *Saracenus laudatus in Commentario num. 3 descripsit etiam hic S. Gregorium, habetque:* quæ narro de Constantio Anconitano, qui *etc.; sed ea perperam adjecta existimo, tum quia non legun-* F *tur in Parisiensi editione ex multis et insignibus codicibus inter se collatis facta, tum quia sic, quæ sequuntur de habitatione et monachatu in Anconitana civitate, proprie referri deberent ad Sanctum nostrum; quod adversari putem scopo S. Gregorii, dicentis ea de coëpiscopo, ut ejus testimonio majorem auctoritatem conciliaret.*

b Ancona, *civitas est episcopalis, Marchiæ cognominis primaria in ditione Pontificia ad oram maris Adriatici.*

c *Olim sic vocabatur ecclesia cathedralis, nunc S. Cyriaci nomine insignitur.*

d Mansionarius *hic æditunm seu custodem ecclesiæ sonat, uti ex sequentibus abunde patet.*

e *Editores in Annotatis suis lit.* b: Papyrum, *inquiunt,* hic pro ellychnio adhibitam legimus, *deinde allatis exemplis addunt:* Porro per papyrum hic intelligi debent papyri, quod est fruticis palustris genus, philyræ, quæ ad chartas, fucos, stragulas, vestes, et ad varios alios usus præparabantur.

DE

AUCTORE C. S.

D

DE S. ADAMNANO VEL ADOMNANO

PRESB. ET ABBATE

IN IONA SCOTIÆ INSULA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Sancti nomen; cum alio confusio, et ad varios dies annuntiatio: Officium ecclesiasticum hoc die et cultus: monachatus et prælatura in monasterio Hiiensi.

Anno DCCIII vel DCCIV. Sanctus hic nomine nonnihil variato,

In *hujus sancti Abbatis Hiiensis nomine aliqua apud scriptores differentia occurrit. Venerabilis Beda in Historia ecclesiastica gentis Anglorum, tam editionis Cantabrigiensis, quam Parisiensis per Chiffletium, ipsum* Adamnan *sive*
B Adamnanum *appellat. Eodem modo Sanctus ipsemet se nominat cum in libris de Locis sanctis, tum in Vita S. Columbæ, monasterii sui primi abbatis, prout ea edita est in Opere nostro ad diem* IX *Junii. Sed Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis, Sec.* III, *parte* 2, *pag.* 499, *alio usus exemplari, observat, eumdem sese in laudati S. Columbæ Vita* Adomnanum *scribere, uti reipsa etiam legitur in ea, quam Henricus Canisius tom.* 5 *Antiquarum lectionum typis vulgavit ex Ms. Windbergensi in Bavaria. Notat quoque ibidem Canisius, etiam in codice Rebdorfensi semper* Adomnanum *vel* Adamnanum *appellari.* Adomnanus *pariter dicitur ab Alcuino in quodam epigrammate infra recitando.*

et cum alio confusus, variis diebus

2 *Contra Joannes Trithemius in libris de scriptoribus ecclesiasticis, et de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta, et Antonius Possevinus in Apparatu eumdem* Adamannum *dixerunt, quo modo etiam a Thoma Dempstero in Menologio Scotico et in Historia ecclesiastica gentis Scotorum, et a Davide*
C *Camerario, aliisque vocitatur. Longius a vero abiit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die* IX *Junii in S. Columba, ubi ipsum* Adamandum *appellavit, forte ex typothetæ vitio; nam in Annalibus recte habet* Adamnanum. *Porro hujus nominis frequens est in sacris Fastis Scoticis memoria; sed non sine confusione, partim quia idem Sanctus aliquando geminatur, partim quia a nonnullis confunditur cum synonymo sancto presbytero, monacho in monasterio Coludiensi sive Coldinghamensi in Scotia, cujus elogium apud nos datum ex Beda est ad diem* XXXI *Januarii, quemque ab Hiiensi abbate distinguendum esse, etiam Baertius noster in Commentario prævio ad Vitam prolixiorem S. Columbæ* § 1 *adversus Dempsterum, aliosque observavit. Dempsterus in Menologio Scotico ad dictum diem utrumque recenset his verbis :* Coludii Adamanni abbatis *(imo monachi.)* Insula Huyi Adamanni abbatis. *Deinde ad* XXII *Septembris ;* Mailrosiæ, *inquit,* Adamnani abbatis, Scotorum episcopi et Northumbriæ apostoli, quo in munere S. Aidanum præcessit. *Tandem ad diem* XXIII *ejusdem mensis rursum ait :* Insula Huy, Adamanni abbatis.

3 *David Camerarius lib.* 3 *de Scotorum pietate ad diem* XXIII *Januarii de eodem ait :* S. Adamannus, Eugenii VI, Scotorum regis, præceptor, fœderis cum Brudæo Pictorum rege consiliator. *Tum ad* XXVII *ejusdem mensis :* Hoc eodem die S. Adamannus abbas Coludius. *Ac rursum die* XXXI : S. Adamannus abbas Huensis, *de quo deinde elogium texit. Demum die* XXV *Septembris :* S. Adamannus episcopus, Northumbrorum apostolus. *In hisce Dempsterus recte quidem* Adamannum, *seu* Adamnanum, *ad* XXXI *Januarii recensuit, sed perperam* abbatem *appellavit, uti etiam fecit Camerarius, ad diem* XXVII *ejusdem mensis ipsum annuntians. Recte quoque iidem Adamnanum Coldinghamensem ab Hiiensi distinxerunt; at ubi hunc die* XXVI *Januarii consignatum repererint, ignoro. Nam licet Dempsterus per appositam litteram* B. Breviarium Scoticum, maxime Aberdonense, *designet, in hoc tamen nihil ad hunc diem de eo reperio; nec aliud Scoticum mihi ad manum est, quod consulere possim.* Adamannus *a Camerario die* XXIII *Januarii relatus, non est Alius a* S. Adamnano *Hiiensi, uti ibidem in Prætermissis dictum est, aut si alius fuerit, cultum non habet.*

et mensibus in Martyrologiis

E

4 *Nec alius item est* Adamannus *ille, quem Camerarius ad diem* XXV, *Demsterus vero ad* XXII *Septembris annuntiant, et episcopum atque Northumbriæ apostolum perperam faciunt. Sane id liquet vel ex ipsomet Dempstero, qui in Historia ecclesiastica gentis Scotorum lib.*1, *num.*15 *eumdem Eugenii VI regis præceptorem etiam facit, additque, ab aliis asseri, hunc abbatem dumtaxat Hiiensem fuisse, ac deinde laudat venerabilem Bedam, cujus honorifica de eodem sancto abbate nostro verba inferius recitabimus. Cetera eorumdem de* S. Adamnano *asserta suo loco etiam breviter examinabimus. Ex uno geminunt quoque* Adamnanum, *quem* Adamannum *dixit, fecit Joannes Trithemius, (aut certe de eodem veluti de diverso bis meminit) in Opere de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, utrumque tamen abbatem Hiiensis monasterii, sed quod semel in Hibernia collocavit. De priori agit lib.* 2. *cap.* 17, *ubi sine titulo* Sancti *dicitur* Adamannus presbyter et abbas Scotorum insulæ Huensis, et anno Domini DCXC *claruisse. Alter lib.* 3, *cap.* 153 *in titulo* Sanctus *vocatur, diciturque fuisse* abbas monasterii, quod B. Columbanus olim in insula Hu fundavit in Hybernia, *claruisseque* anno Domini DCC. *Attamen quæ utroque loco narrat, manifestant, utrobique eumdem sanctum Abbatem Hiiensem memorari.*

inscriptus est;

F

5 *Non satis etiam utrumque distinxit Henricus Fitz-Simon Societatis Jesu presbyter in Catalogo*

sed colitur hoc die,

A *logo Sanctorum Hiberniæ, annis* 1611 *et* 1615 *typis vulgato, ac deinde iterum aucto recusoque. Nam in indice Alphabetico ibidem unicus* S. Adomnanus abbas *legitur, quem die* XXXI *Januarii, et secundum Martyrologium Anglicanum die* 2 *Septembris coli observat. Tum ad diem* XXXI *Januarii legitur* : S. Adomnanus, *ad diem vero* 2 *Septembris* : S. Adaman. *Eadem legere est in Catalogo post utrumque ab eodem aucto ac recuso ; sed in hoc ad diem* XXII *Septembris denuo repetitur:* Adamannus. *Grevenus in Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum uno eodemque die* XXIII *Septembris geminum pariter annuntiavit, sic inquiens* : Adamnani episcopi; *ac rursus post alia* : Adumiani abbatis; *qui non est alius, quam* S. Adamnanus *Hiiensis abbas, cui priori loco episcopalis Ordo ex errore adscriptus est. Melius Molanus ibidem eodem die unicum recensuit his verbis* : In Scotia, monasterio Huensi, sancti Adamanni, ejusdem loci abbatis et confessoris, sanctitate ac doctrina famosi, de quo Beda lib. V, cap. XVI et XXII. *Unicum etiam Philippus Ferrarius in Catologo generali Sanctorum, sed ad tres omnino dies, videlicet* B *ad* XXXI *Januarii et ad* 2 *et* XXIII *Septembris, iisdem ubique verbis, quæ subdo, annuntiavit* : In Scotia S. Adamanni abbatis Huensis. *Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino eumdem ad diem* VIII *Aprilis, Joannes Wilsonius in Martyrologio Anglicano, utriusque editionis, ad* 2 *Septembris consignarunt, ad quos dies in Opere nostro inter Prætermissos de eo mentio facta est. Arnoldus Wionius ipsum post librum* 3 *Ligni Vitæ retulit in Appendicem Sanctorum, quorum natalem seu cultus diem non repererat, qua in re Hugonem Menardum in Martyrologio Benedictino imitatorem habuit. At Martyrologii Germanici auctor, quod vulgo Canisii dicitur, ejusdem memoriam ad diem* XXIII *Septembris celebrat. Consentit Castellanus in Martyrologio universali, sed illum duntaxat* venerabilem *appellat.*

quo Officium habet in Breviario Aberdonensi.

6 *Verumtamen potuisset Castellanus ceteris martyrologis, qui ipsum cum* Sancti *titulo die* XXIII *Septembris memorarunt, tuto assentiri, si certa cultus indicia, quæ modo proferam, cognovisset. Breviarium Aberdonense anno* 1509 *typis editum, cujus exemplar Ms. in Museo nostro habemus, ad hunc diem* XXIII *Septembris Officium de ipso ecclesiasticum exhibet novem Lectionum, qua-* C *rum tres primæ et ultimæ de* S. Adamnano *propria sunt, tres mediæ de S. Thecla virgine martyre, cetera vero omnia præter Orationem de* Communi unius confessoris et abbatis *desumpta sunt. Mensis September pro Officii celebratione adscriptus est, sed omissus, forte ex describentis incuria, dies; quem tamen* XXIII *esse, insertæ de S. Thecla Lectiones manifeste produnt. Oratio, quæ ibidem præscribitur, hæc est* : Deus, qui diem præsentem B. Adamanni *(in Lectionibus* Adampnanus *scribitur)* confessoris tui atque abbatis honore lætificasti, concede nobis, quæsumus, ejus intercessione et meritis ante conspectum divinæ Majestatis tuæ in gloria lætari sempiterna. Per Dominum *etc. In laudato Ms. exemplari ejusdem Breviarii annotatum legitur, ipsum patronum esse* apud Furm Aberdonensis diœcesis, *quæ verba, sive auctoris sint, sive amanuensis nostri, Sancti cultum et peculiarem quidem significant.*

cultumque in variis locis : ab antiquis laudatur.

7 *Alia ejusdem cultus loca Joannes Colganus, Minorita Hibernus Lovanii in Belgio nostro, in Appendice* 4 *ad Vitam S. Columbæ sic memorat* : Colitur die XXIII Septembris in ecclesiis Hiensi, Rathbothensi, Dun-boensi, Driumthuamensi in Ultonia, et Seriniensi in Connacia, juxta S. Ængussium, Marianum, Gormanum, Martyrologium Tamlactense, Martyrologium Dungallense et Maguir. *Ita Colganus. Eumdem inter insigniores Scotiæ Sanctos celebravit Alcuinus in epigrammate apud Mabillonium Seculo* III *Benedictino, parte* 2, *ex quo illud transcribo.*

Patricius, Cheranus, Scottorum gloria gentis,
Atque Columbanus, Congallus, Adomnanus atque,
Præclari patres, morum vitæque magistri.
Hic pietas precibus horum nos adjuvet omnes.

Suspicatur autem ibidem Mabillonius, hoc, ut cetera fere Alcuini ejusmodi epigrammata, inscriptionem cujusdam altaris fuisse, additque S. Adamnanum *certe in Fastis sui Ordinis coli* IX *Kalendas Octobris. Multum quoque a variis scriptoribus laudatur, inter quos eminent duo ipsi synchroni, S. Ceolfridus scilicet Wiremuthensis in Anglia abbas, et hujus sanctus discipulus venerabilis Beda, quorum testimonia infra dabimus. Interea tamen observasse juverit,* Adamnanum *a S. Ceolfrido inter illos nominari, quos* Sanctos ac Deo dignos exstitisse, *confidenter profitebatur.* E

Gesta ejus rejectis aliis fabulosis, ex Beda desumenda : an de ipso aliquid

8 *Quod ad Acta ejus attinet, non alia habemus, quam quæ in Lectionibus Officii sui in supra dicto Breviario Aberdonensi leguntur, et quæ præter hæc apud laudatum Bedam legere est : nec alia, quam ex Beda, si vitam S. Columbæ, et libros de Locis sanctis ab eo scriptos excipias, reperit Mabillonius in ejusdem elogio, loco supra laudato. Verum dicti Officii compilator, omissis iis, quæ pro Catholica Paschatis observantia ab illo egregie gesta esse ex Beda constat, tam manifestas substituit fabulas, ut eas vel refellere pigeat : quapropter his præteritis, ea tantum memorabo, quæ ex certioribus monumentis, comperi, quæque merito dolere me faciunt, quod nemo synchronus aut suppar ejusdem Vitam conscripserit. Mabillonius in ipsius elogio observat, perhiberi ipsum in libro* I *de Vita S. Columbæ, quædam de seipso, ab isto sancto abbate prædicta enarrasse; atque ita revera perhibent aliqui, inter quos fabulator Breviarii Aberdonensis compilator ait, S. Columbam de ipsius* ortu, moribus et vita longo tempore, antequam nasceretur, *divinitus vaticinatum fuisse.*

prædixerit S. Columba. Sanctus fuit monachus

9 *Sed ego in ea Vita nihil ejusmodi reperi ; quod ad* S. Adamnanum *referendum sit, nisi forte quia hic pro canonico Paschatis celebrandi tempore sub finem vitæ suæ multum laboravit, ad eum-* F *dem utcumque spectent, quæ lib.* I, *cap.* 2, *num.* 8, *secundum nostram partitionem, leguntur his verbis* : Sed et multa alia iisdem diebus, quibus in Clonensi cœnobio *(in Hibernia)* hospitabatur *(S. Columba)* revelante prophetavit sancto Spiritu, hoc est, de illa, quæ post dies multos ob diversitatem Pachalis festi orta est inter Scotiæ ecclesias discordia. *Nihilo amplius de hoc argumento in prima ejusdem Columbæ Vita, apud nos pariter edita, invenio. Colganus in Appendice* 3 *ad Vitam S. Columbæ inter prophetias, quas huic Sancto certius attribui posse arbitratur, unam etiam de* S. Adamnano *laudat, sed quid ea complectatur, non docet.* S. Adamnanum *nostrum Hiiensis monasterii monachum et abbatem fuise, tum ex ipsomet Sancto, tum ex S. Bedæ Historiæ gentis Anglorum indubitatum est, eaque de re consentiunt omnes. Celeberrimum hoc monasterium, multorum aliorum in Hibernia ac Britannia caput, in Iona Scotiæ insula situm, S. Columbam, cui hanc Picti seculo* VI, *teste Beda, donarunt, fundatorem primumque abbatem agnoscit, a quo etiam eadem insula* Columb-kil,

AUCTORE C. S

lumb-kil, *id est*, Columbæ-cella *appellatur. Consuli potest Commentarius prævius ad ejusdem Sancti Vitam primam die* IX *Junii, ubi cum de illo pluribus actum sit, studiosum lectorem eodem remitto.*

in monasterio Hiiensi, non tamen sub S. Columba: aliquot alia

10 *Quo tempore* S. Adamnanus *ad hoc monasterium primum accesserit, incompertum est: nam quod in prædicto Breviario Aberdonensi dicitur, ipsum a sancto fundatore Columba ibidem ad religiosam vitam admissum fuisse, manifesti erroris convincitur ex ipso* Adamnano, *qui in Vita S. Columbæ ubique significat, sese ipsi numquam convixisse. Id etiam ex amborum ætate satis conficitur, cum S. Columba sub finem seculi* VI, *sanctus autem* Adamnanus *seculo* VIII *inchoato, e vita excesserint, neque tam decrepita hujus ætas ex laboribus ad mortem usque susceptis, aut aliunde verisimilis sit. In eodem Breviario de Sancto ibidem subditur:* Postea juxta abbatis sui præceptum ad Lismorensem devenit abbatiam; *quod si per abbatem S. Columba etiam designetur, pariter falsum est, tum propter mox dicta, tum quod Lismoriense monasterium in Momonia, Hiberniæ provincia, non nisi circa annum Christi* 630 *a S. Carthaco seu Mochudda conditum fuerit, uti in ejusdem sancti* B *episcopi et abbatis Lismoriensis Actis in Operenostro dictum est ad diem* XIV *Maii: eo autem tempore S. Columba ex dictis dudum obierat. Itaque si* S. Adamnanus *ad laudatum monasterium missus fuerit, oportet id sub alio abbate contigisse; sed Breviarii auctoris fides propter manifestas fabulas mihi merito suspecta est.*

de ipso asserta rejiciuntur.

11 *Non magis affirmare possum, quæ de Eugenii VI Scotorum regis per* S. Adamnanum *institutione scribunt Camerarius supra num.* 3, *Hector Boëtius in Historia Scotorum lib.* 9. *Joannes Leslæus lib.* 3 *de Rebus gestis Scotorum, aliique. Et convenit quidem utriusque ætas; sed cum iidem scriptores Adamnanum dicti regis præceptorem episcopum fuisse velint, aut alium a nostro designarunt, aut huic episcopalem Ordinem perperam adscripserunt. De legationibus, quas Sanctum sub eodem rege obiisse volunt, infra aptius agemus. Eadem de causa admitti non possunt, quæ de* Adamnani *episcopatu et apostolatu apud Northumbros aiunt Dempsterus et Camerarius, quorum ille præterea addit, ipsi hoc in munere S. Aidanum successisse. Admitti, inquam, hæc non possunt; sed inter fabulas ableganda sunt. Nullus enim* S. Adamnanus C *circa ista tempora vixisse legitur præter abbatem nostrum Hiiensem, et monachum presbyterum Coldinghamensem, quorum neuter episcopus fuit. Nec potuit nostro S. Aidanus, Lindisfarnensis scilicet episcopus, in Northumbriæ apostolatum successisse, cum hic jam inde ab anno circiter* 634 *vel* 635 *episcopus consecratus et in Northumbriam missus fuerit. Consule Commentarium ipsius historicum ad diem* XXXI *Augusti* § 2. *Nunc ad certiora nos convertamus.*

Fuit abbas Hiiensis, succedens Falbeo

12 *Sanctum* Adamnanum *in Hiiensis monasterii prælaturam Falbeo successisse, convenit inter omnes, idque Sanctus ipse in Vita S. Columbæ secundum nostram partitionem num.* 3 *et* 8 *satis clare significavit, dum Falbeum abbatem et decessorem suum dixit. Priori loco de quadam S. Columbæ prophetia loquens, sic ait:* Hanc mihi Adamnano narrationem meus decessor, noster abbas Falbeus, indubitanter enarravit. *Numero autem* 8 *de alio ejusdem vaticinio inquit:* Hæc omnia suprascripta verba Segineo abbati *(Ernenevs)* de se prophetata enarraverat, meo decessore Falbeo intentius audiente. *Per decessorem vero hic* decessorem proximum *designari, colligitur ex eo, quod alios sui monasterii abbates hinc inde commemorans, non utatur ea voce. Quamquam hac* D *de re omnes consentiant, non omnes tamen* S. Adamnanum *eodem numero in abbatum serie recensent. Nescio, an Mabillonius in hujus Sancti elogio omnes ejus decessores enumerare voluerit, dum ibidem ait:* Post COLUMBAM.... locum rexere BAITHENEUS, SIGENEUS, aliis SEGIENUS, SEGENUSVE, et FAILBEUS, cui successit ADAMNANUS.... Baitheneum successorem suum dixit Columba in extrema vitæ suæ periodo, quæ anno DXCVIII *(al.* DXCVII*)* accidit. Segienus Baitheneo suffectus est ab anno DCXXII ad DCLII, ut ex Annalibus Ultoniensibus probat Usserius in Sylloge Hibernicarum epistolarum.

13 *Secundum hæc* S. Adamnanus *quintus fuisset Hiiensium abbas, et Falbeus Baitheneo successisset, quod utrumque certo falsum est, nec ab Usserio affirmatur. Hic enim in annotatis ad epistolam Cumiani ad Segienum, quæ inter Hibernicas undecima est, ait quidem:* Segienum Huensis S. Columbæ insulæ ab anno DCXXII usque ad DCLII abbatem extitisse, ex Annalibus Ultoniensibus didicimus; *sed non ait, eumdem Baitheneo suffectum esse. Imo vero contrarium plane asserit in Brittannicarum ecclesiarum antiquitatibus pag.* 701 *et sequenti, ubi ex iisdem Annalibus hanc abbatum Hiiensium seriem exhibet:* I *Columba,* 2 *Baithenus,* 3 *Fernanus,* 4 *Segenius,* 5 *Suibneus,* 6 *Cummineus Albus,* 7 *Failbeus,* 8 Adamnanus. *Adde, S. Baitheneum ad annum usque* 622 *non pervenisse, sed ad summum usque ad* 601, *uti in ejusdem Actis die* IX *Junii probatum est. Joannes Colganus tom.* 2 *Sanctorum Hiberniæ in Appendice* 5 *ad Vitas S. Columbæ,* § 4 *chronotaxim ejusdem monasterii contexens,* S. Adamnanum *nono loco reposuit ex Quatuor-magistris; decimo autem dubie, nempe si S. Colmanus, uti in Vita S. Geraldi abbatis et episcopi Mageonensis legitur, Hiiensi monasterio umquam præfuerit.*

octavo vel forte nono loco

14 *Verum hujus Vitæ pars prima, in qua id legitur, in ejusdem S. Geraldi Synopsi historica* § I *ad diem* XIII *Martii tamquam fabulosa rejecta est. De S. Colmano episcopo Lindisfarnensi apud nos quoque actum est die* XVIII *Februarii, ubi in Commentario historico* § I *etiam negatum est, ipsum Hiiensibus umquam abbatem præfuisse. Quin et ipse Colganus agnoscit, falsum esse, quod S. Geraldi biographus ait, Colmanum S. Columbæ successisse. An Lasrenus eorumdem abbatum catalogo S. Baithenum inter et Fergnanum inserendus sit, uti ex Quatuor-magistris facit Colganus, non ausim affirmare; sed si is Hiiensibus præfuerit, certe valde exiguo tempore præfuisse dicendus est. Quoad reliquos minor est difficultas. De S. Baitheneo, S. Columbæ successore, ex dictis constat. Fergnanum Usserius et Colganus merito eumdem esse statuunt cum Virgnoo, qui ab* Adamnano *in Vita S. Columbæ apud nos num.* 95 *abbas appellatur. De Segenio abbate etiam loquitur Sanctus noster ibidem tum loco num.* 12 *relato, tum numero Vitæ* 3 *et* 43; *de Suibneo nihil præterea comperi. Commineus Albus occurrit in eadem Vita num.* 8, *ubi S. Columbæ gesta scripsisse dicitur. De Falbeo nullum, ut dixi, est dubium. Octavo itaque, aut certe nono post S. Columbam fundatorem loco* S. Adamnanus *Hiiense monasterium abbas rexisse dicendus est.*

post fundatorem S. Columbam

anno 677 vel 679, atque atque adeo primas

15 *Porro Falbei mortem Colganus ex Quatuor-magistrorum sententia anno Christi* 677, *Usserius vero ex Annalibus Ultoniensibus anno* 679 *illigavit; uter rectius, nescio; nihil tamen obstat,*

A *stat, quo minus alterutro anno et ipse obiisse, et* S. Adamnanus *eidem successisse credatur. Ut vero cognoscat lector, quanti oneris, quantæque dignitatis ea prælatura fuerit, utque dicendis lux affulgeat, oportet, ut hic aliqua, licet alibi in Opere nostro jam dicta, ex venerabilis Bedæ Historia ecclesiastica gentis Anglorum transcribamus. Lib.*3. *cap.* 4 *post narratam Hiiensis monastarii per S. Columbam fundationem de ejusdem inter cetera multa cœnobia primatu sic progreditur.* Fecerat autem *(S. Columba)* priusquam Brittanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod a copia roborum Dearmach lingua Scotorum, hoc est, Campus roborum, cognominatur. Ex quo utroque monasterio *(Dearmachano scilicet atque Hiensi)* plurima exinde monasteria per discipulos ejus in Hibernia propagata sunt, in quibus omnibus idem monasterium insulanum *(Hiiense)* in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet.

et caput Columbensium monasteriorum

16. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cujus juri et omnis provincia et ipsi etiam episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi B doctoris illius *(S. Columbæ,)* qui non episcopus, sed presbyter exstitit et monachus. *Præmiserat etiam ibidem cap.* 3. *Agens de S. Aidano, ex eodem monasterio ad Lindisfarnensem episcopatum assumpto :* Monachus *(erat)* ipse Aidanus, utpote de insula, quæ vocatur Hii, destinatus; cujus monasterium in cunctis pene Septemtrionalium Scottorum et omnium Pictorum monasteriis non parvo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. *Hinc discimus, quid sibi velint Ultonienses Annales, dum ex iis Usserius in Indice chronologico ad Brittanicarum ecclesiarum antiquit, anno Christi* 692 *scribit.* Adomnanum decimo quarto anno post pausam Failbei ad Hiberniam perrexisse ; *scilicet, quemadmodum ipsemet ibidem observat, ut Columbensium cellas, Hiiensi suo cœnobio subditas, visitaret. Rufum ad annum* 697 *ex iisdem Annalibus ait, Sanctum septem ante mortem suam annis iterum in Hiberniam perrexisse.*

in Britannia et Hibernia, quæ visitavit.

17 *Ad priorem illam profectionem pertinere existimat, quod in Vita supra laudati S. Geraldi legitur hoc modo :* Sanctus abbas Adamnanus post visitationem totius Hiberniæ ad S. Geraldum perrexit, ut fraternam cum eo contraheret societatem. C Cui S. Geraldus fundum cum fonte limpido contulit, atque sibi suam commendavit ecclesiam, ut a persecutione laicorum post obitum suum eam defensaret : quod etiam S. Adamnanus se completurum promisit , atque opere complevit. *Consentit Papebrochius noster in S. Geraldi Synopsi historica* § 2, *causam hujus commendationis assignans,* quod totius Ordinis caput Adamnanus esset. *Ad secundum Hibernicum iter pariter refert Usserius, quæ in eadem Vita denuo leguntur his verbis :* Post ejus vero *(S. Geraldi)* obitum S. Adomnanus Maionensem *(sive* Mageonensem) ecclesiam per septem annos indefesse rexit; claustrales in charitate perfecta instruens, volumina conscribi faciens, atque manu propria librum Quatuor Evangeliorum scribens, campanas etiam ad reverentiam ecclesiæ fabrifaciens. Inde ad Ionensem perrexit abbatiam, et ibi feliciter obiit et sepultus est. *Verum hæc ultima difficultatem patiuntur ex S. Geraldi ætate a nonnullis perperam assignata, nisi eam cum laudato Papebrochio ibidem* § 2 *corrigas. Sed vel sic tamen non satis verisimile est,* S. Adamnanum, *relicto Hiiensi monasterio, Mageonense septennio rexisse. Forsitan singularem ipsius post S. Geraldi obitum de hoc monasterio curam biographus parum accuratus de ejusdem ibidem præsentia interpretatus est. Vide etiam Papebrochium ibidem.*

§ II. Legationes ad Aldfridum regem Northumbriæ ab ipso obitæ : Romana Paschatis observantia ab eodem suscepta et aliis prædicata; at non tonsura, nec Regula Benedictina : scripta ejusdem, tempus emortuale, et gemina translatio.

Post Ecfridi Northumbriæ regis in Hibernicam irruptionem

Monasterio Hiiensi jam præerat S. Adamnanus , *quando apud Aldfridum , Northumbriæ regem, legatione functus est. Sanctus ipse in Vita S. Columbæ num.* 82 *de gemina sua ad dictum regem profectione sic meminit :* Nos vero E Deo agimus crebras grates, qui nos et in his nostris insulis, orante pro nobis nostro venerabili patrono *(S. Columba,)* a mortalitatum invasionibus defendit, et in Saxonia *(id est, in Northumbria)* regem Aldfridum visitantes amicum, adhuc non cessante pestilentia, et multos hinc inde vicos devastante; ita tamen nos Dominus et in prima post bellum Ecfridi visitatione, et in secunda , interjectis duobus annis, in tali mortalitatis medio deambulantes, periculo liberavit, ut ne unus etiam de nostris comitibus moreretur, nec aliquis ex eis aliquo molestaretur morbo. *Ut hisce lucem affundamus, aliqua hic observanda sunt. Venerabilis Beda lib.* 4 *Hist., cap.* 26 *de Ecfridi, Northumbriæ regis, bello hæc habet :* Anno Dominicæ Incarnationis dclxxxiv Ecgfridus rex Nordanhymbrorum misso in Hiberniam cum exercitu duce Bercto , vastavit misere gentem innoxiam et nationi Anglorum semper amicissimam, ita ut nec ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis.

et hujus exdem Sanctus adit Alafridum illius successorem

19 At insulani, et quantum valuere, armis arma repellebant , et invocantes divinæ auxilium pietatis, cœlitus se vindicari , continuis diu imprecationibus postulabant. Et quamvis maledici re- F gnum Dei possidere non possint, creditum est tamen , quod hi , qui merito impietatis suæ maledicebantur , ocius Domino vindice , pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo idem rex, cum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multum prohibentibus amicis , et maxime beatæ memoriæ Cudbercto, qui nuper fuerat ordinatus episcopus, introductus est (simulantibus fugam hostibus) in angustias inaccessorum montium, et cum parte maxima copiarum , quas secum adduxerat , exstinctus anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quintodecimo , die xiii Kalendarum Juniarum. *Porro hac occasione usi, ut addit ibidem,* Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli, et Scotti, qui erant in Brittannia, et Brittonum pars nonnulla, libertatem receperunt, quam et hactenus habent per annos circiter quadraginta sex. *Deinde de Ecfridi successore subdit :* Successit autem Ecgfrido in regnum Alfrid, vir in Scripturis doctissimus, qui frater ejus et filius Osuiu regis esse

AUCTORE C. S.

esse dicebatur, destructumque regni statum, quamvis intra fines angustiores, nobiliter recuperavit. *Hactenus Beda, qui Alfridi regnum ab hoc anno 685 orditur, et lib.* 5, *cap.* 19 *anno* 705. *terminat.*

pro captivis prædaque repetendis,

20 *Eodem tempore, quo ista gerebantur, diram luem seviisse, docent Quatuor-magistri in Annalibus apud Colganum in Notis ad Vitam* 4 *S. Columbæ, lib.* 2, *cap.* 46, *ubi ad annum Christi* 684 *sic aiunt :* Immani pestilentia per triennium durante, in omnibus regionibus moriuntur omnis generis animantia, ut vix unum ex mille evaserit. *Florentius Wigorniensis de eadem pestilentia ad annum* 685 *primum meminit,* Magna, *inquiens,* pestilentiæ procella Britanniam corripiens, lata nece vastavit. *Ex hisce manifeste liquet, utramque* S. Adamnani *ad Aldfridum regem profectionem, quam ipsemet post Ecfridi bellum, orta et durante pestilentia statuit, anno* 685 *et* 687, *vel certe circiter contigisse. Porro Quatuor-magistri apud laudatum Colganum ad eumdem annum* 684 *Sancti legationem referunt, causamque legationis sic exponunt :* Anno Christi DCLXXXIV, Finnactæ regis
B *(Hiberniæ)* undecimo S. Adamnanus legatus missus, venit ad Saxones, ad prædas et captivos, quos Septemtrionales Saxones *(Northumbri)* ex supra memorata regione Bregarum *(in Hibernia)* diripuerunt, repetendos; et ab eis honorifice exceptus, et coram nonnullis signis et miraculis perpetratis, omnia, quæ petiit, impetravit.

et pace sanciendæ, quam feliciter conciliasse

21 *Dubium non est, quin hi annalistæ hic agant de Sancti ad Aldfridum Northumbriæ regem legatione; sed in eo errant, quod hanc ad annum Christi* 684 *referant, quo adhuc regnabat Ecfridus, qui non nisi anno* 685 *in bello cæsus, Aldfridum habuit successorem. Verum hic error ortus est ex alio, nempe quod iidem apud laudatum Colganum in Notis ad lib.* 2 *Vitæ* 4 *S. Columbæ, Ecfridi hostilem in Hiberniam irruptionem anno* 683 *perperam, ut Colganus ipse agnoscit, illigaverint. Neque vero verisimile est,* S. Adamnanum *ad Ecfridum pro repetenda præda captivisque legatum fuisse, et, quod petebat, impetrasse; non enim id siluisset Beda qui, nulla facta restitutionis mentione, Ecfridum iniquitatis suæ pœnas per exercitus sui stragem suamque necem luisse creditum esse affirmavit. Correctis eo modo annis, omnino verisimile est,* S. Adamnanum *apud Aldfridum an-*
C *no* 685 *prima legatione functum esse, tum ut ablata repeteret, tum ut pacem conciliaret, a qua ipsum non alienum fuisse, Beda num.* 19 *relatus satis insinuat; et ne alienus esset, novi regni sui ex recenti exercitus clade admodum concussus status admonebat. Nec alia magis de causa* Alfridum regem amicum *a Sancto nostro supra num.* 18 *expresse vocatum arbitror, quam quod is post Ecfridi cædem in ipso regni sui exordio animum ad pacem adjecerit.*

creditur : adit ipsum secundo, ignota nobis de causa.

22 *Porro quamvis Hiiensis insula ad Hiberniam non pertineret, facile tamen potuit sanctus Abbas a Finnacta rege legatus mitti; sive quod is Ecfridi irruptionis tempore in Hibernia moraretur, monasteriis suis, quæ ibidem multa habebat, visitandis occupatus; sive quod communi clade excitus, illuc se contulisset, ut de eorumdem statu præsens ipse cognosceret. Eo autem etiam verisimilius est, legationem hanc et a Finnacta rege ipsi commissam fuisse, et ab ipso libenter admissam, quod magnæ esset auctoritatis, quodque monasteria ipsius forte non exiguam in ea clade partem haberent. Atque hæc de prima Sancti ad Aldfridum regem legatione sufficiant; quæ vero causa fuerit secundæ ipsius ad eumdem profectionis, quæ bien-*

nio post contigit, compertum non habeo. Nescio D
etiam, an et quid sanctus abbas egerit pro fœdere inter Eugenium VI Scotorum et Brudeum Pictorum reges conciliando, uti supra num. 3 *Camerarius asseruit. Hector Boëtius lib.* 9 *Historiæ Scotorum scribit, Eugenium, suadentibus* SS. Adamnano *et Cuthberto, Lindisfarnensi episcopo, pacem cum Northumbris iniisse, at numquam ab iis induci potuisse, ut cum Pictis iniret. Addit, eosdem Sanctos post crebras ultro citroque legationes, cum nihil se proficere cernerent, indictis habitisque publicis supplicationibus, ad divinam opem recurrisse, idque per eos a Deo obtentum dici, ut, eo bello durante, Scoti cum Pictis numquam totis viribus congressi sint. Verum hæc ex ipsorum fide tantummodo relata sunto.*

Veterem Scotorum errorem

23 *Venerabilis Beda lib.* 5 *Historiæ, cap.* 16 *de aliqua item* S. Adamnani *ad eumdem Aldfridum legatione meminit, in qua feliciter adductus est, ut veteri Scotorum errore circa Paschatis celebrandi tempus deposito, Romanæ Ecclesiæ observantiam amplecteretur, aliisque ad mortem usque strenue suaderet. Ut vero lector hæc rectius intelligat, juverit laudatum Bedam hac super re loquentem audisse. Lib.* 3 *Historiæ cap.* 4 *de S. Co-* E
lumbæ successoribus in Hiiensi ceterisque huic subjectis monasteriis hæc ait : Reliquit successores magna continentia ac divino amore, Regularique institutione insignes; in tempore quidem summæ festivitatis dubios circulos sequentes, utpote quibus longe positis nemo synodalia Paschalis observantiæ decreta porrexerat, tantum ea, quæ in Propheticis, Evangelicis et Apostolicis litteris discere poterant, pietatis et castitatis opera diligenter observantes. Permansit autem hujusmodi observantia Paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, usque ad annum Dominicæ Incarnationis septingentesimum decimum sextum, per annos centum quinquaginta.

de die, quo Pascha celebrandum sit,

24 At tunc veniente ad eos reverentissimo ac sanctissimo patre et sacerdote Egberto,... correcti sunt per eum, et ad verum canonicumque Paschæ diem translati; quem tamen et antea non semper in luna decima quarta cum Judæis (ut quidam rebantur) sed in die quadam Dominica, alia tamen, quam decebat hebdomada celebrabant. Sciebant enim (ut Christiani) resurrectionem Dominicam, quæ prima Sabbati facta est, prima Sabbati semper esse celebrandam; sed ut barbari et rustici, quan- F
do eadem prima Sabbati, quæ nunc Dominica dies nuncupatur, veniret, minime didicerant. Verum, quia gratia caritatis fervere non omiserunt, et hujus quoque rei notitiam ad perfectum accipere meruerunt, juxta promissum Apostoli, dicentis : Et si quid aliter sapitis, et hoc quoque Deus vobis revelavit. *Hactenus Beda, laudabilem monachorum Columbensium vitam sic laudans, ut veterem simul errorem redarguat, et hunc a Quartadecimanis hæreticis secernat, et quantum potest, excuset. De hac controversia qui plura volet, adeat Commentarium historicum de S. Colmano episcopo Lindisfarnensi* § 2 *tom.* III *Februarii ad diem* XVIII, *et* IX *Junii Commentarium prævium ad Vitam* 2 *S. Columbæ* § 2, *ubi cum de ejusdem initio, progressu ac fine pluribus actum sit, ego hic plura non addo.*

Sanctus ad eumdem regem legatus, deponit.

25 *Etsi vero* S. Adamnanus *inter istos Hiienses monachos numerandus sit, qui ante S. Egberti adventum sive ante annum Christi* 716 *obierunt, non tamen inter eos censendus est, qui in prædicto de Paschate errore ad mortem usque perseverarunt. Contrarium enim diserte tradit Beda lib.* 5 *Historiæ, cap.* 16, *ubi non modo ipsius ad Catholicam*

A *tholicam Paschatis celebrationem accessum, verum etiam strenuos pro eadem aliis persuadenda labores, nec sine magno fructu positos, commemorat, uti supra innuebam. Verba ejus, quæ pro sancti Abbatis commendatione multum faciunt, accipe.* Quo tempore, *inquit,* plurima pars Scottorum in Hibernia, et nonnulla etiam de Brittonibus in Brittannia rationabile et ecclesiasticum Paschalis observantiæ tempus, Domino donante, suscepit. Siquidem Adamnan presbyter et abbas monachorum, qui erant in insula Hii, cum legationis gratia missus a sua gente venisset ad Aldfridum regem Anglorum, et aliquandiu in ea provincia moratus, videret ritus Ecclesiæ cononicos; sed et à pluribus, qui erant eruditiores, esset sollerter admonitus, ne contra universalem Ecclesiæ morem, vel in observantia Paschali, vel in aliis quibusque decretis cum suis paucissimis, et in extremo mundi angulo positis, vivere præsumeret, mutatus mente est, ita ut ea, quæ viderat et audierat in ecclesiis Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissime præferret.

multosque alios, refragantibus suis subditis,

26 Erat enim Vir bonus et sapiens, et scientia Scripturarum nobilissime instructus; qui cum domum rediisset, curavit suos, qui erant in Hii, B quive eidem erant subditi monasterio, ad eum, quem cognoverat, quemque ipse toto ex corde susceperat, veritatis callem perducere; nec valuit. Navigavit itaque Hiberniam, et prædicans eis ac modesta exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum, et pene omnes, qui ab Hiiensium erant dominio liberi, ab errore avito correctos, ad unitatem reduxit Catholicam, ac legitimum Paschæ tempus observare perdocuit. Qui cum, celebrato in Hibernia canonico Pascha, ad suam insulam revertisset, suoque monasterio Catholicam temporis Paschalis observantiam instantissime prædicaret, nec tamen perficere, quod conabatur, posset, contigit, eum ante expletum anni circulum migrasse de sæculo: divina utique gratia disponente, ut Vir unitatis et pacis studiosissimus ante ad Vitam raperetur æternam, quam, redeunte tempore Paschali, graviorem cum eis, qui eum ad veritatem sequi nolebant, cogeretur habere discordiam.

ad Catholicam Paschatis observantiam reducit:

27 *De eadem Sancti ad Aldfridum regem legatione et ad canonicum Paschæ tempus accessione cum laude pariter meminit S. Ceolfridus Wiremuthensis abbas in epistola, quam ad Naitanum,* C *Pictorum regem scripsit, quamque laudatus Beda lib.* 5, *cap.* 22 *Historiæ suæ recensuit. Hujus epistolæ partem infra recitabimus; interea vero pauca, quæ huc spectant, ex eadem subjicio.* Hæc tunc, *ait,* cum Adamnano dixi, *(dum scilicet ad Aldfridum regem legatus, ad Wiremuthense cœnobium diverterat, ut præmisit)* qui quidem, conspectis ecclesiarum nostrarum statutis, quantum profecisset, probavit, cum reversus ad Scotiam multas postea gentis ejusdem turbas ad Catholicam temporis Paschalis observantiam sua prædicatione correxit; tametsi eos, qui in Hii insula morabantur, monachos, quibusque speciali rectoris jure præerat, nec ad viam statuti melioris reducere valebat.

legatio hæc a prioribus distinguenda est.

28 *Quod ad tempus harum rerum attinet, superius ex Beda diximus, Aldfridum ab anno Christi* 685 *usque ad* 705 *regnasse, ideoque dubium non est, quin eæ intra hos terminos contigerint. Vidimus etiam,* S. Adamnanum *anno circiter* 685 *ac rursus biennio post ad prædictum regem profectum fuisse; unde suspicari quis potest, ad harum alteram profectionem referenda esse, quæ mox ex Beda recitavimus. Et ita quidem ego quoque existimarem, nisi obstaret tempus Sancti emortuale, quod cum ejusdem Bedæ dictis non facile conciliari potest Etenim* S. Adamnani *obitum Quatuormagistri apud Colganum affigunt anno Christi* 703, *Usserius autem ex Annalibus Ultoniensibus anno* 704. *At vero Beda non obscure significat, sanctum Abbatem tempore legationis suæ de errore suo edoctum, in Hiiensem insulam se contulisse, ut Catholicam Paschatis observantiam in ea suscipiendam curaret; cumque ibidem a suis non audiretur, in Hiberniam profectum, feliciori eventu prædicasse, ac post celebratum ibidem canonico tempore Pascha, ad Hiienses denique reversum, antequam Paschale tempus recurreret, diem suum obiisse; ita ut non nisi unicum Pascha inter legationem ipsius et mortem intercessisse videatur. Intercessissent autem ut minimum sedecim anni, si isthæc ad annum* 685 *vel* 687 *referenda essent. Quapropter omnino verisimile est,* S. Adamnanum *alia denuo ad Aldfridum regem legatione functum fuisse, quando suum de Paschali tempore errorem deposuit.*

Gestabat Scoticam coronam seu tonsuram,

29 *In eadem legatione* S. Adamnanus *etiam aliam habuit cum prædicto S. Ceolfrido disceptationem de corona scilicet seu tonsura capitis, in qua Scoti à Romanis clericis monachisque discrepabant,* E *quæque, etsi levioris momenti esset, dissensionibus tamen non semel occasionem dedit, contendentibus nonnullis, eam, quam Scoti formabant, Simonis magi, suam vero S. Petri esse. Inter hosce erat Ceolfridus, qui in supra laudata ad Naitanum regem epistola præfatus, quod* tonsuræ discrimen non noceat, quibus pura in Deum fides, et caritas in proximum est, *suadet tamen, ut coronam, quam* S. Petri *vocat, ab omnibus usurpandam curet. Scoticam autem sic describit :* Aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, invenies coronam. *Hæc Ceolfridus, quæ Mabillonius in Præfatione ad Sec.* 2 *Benedict. sic explicavit :* Scilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam cæsus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonsus dependebat *His præmissis, quæ super hac re Ceolfrido cum* S. Adamnano *fuerit controversia, ex citata epistola subjicio.*

quam ut in Romanam commutaret,

30 Neque vero me hæc ita prosecutum æstimes, *(inquit Ceolfridus ad Naitanum regem)* quasi eos, qui hanc tonsuram habent, condemnandos judicem, si fide et operibus unitati Catholicæ faverint; immo confidenter profiteor, pluri- F mos ex eis sanctos ac Deo dignos exstitisse; ex quibus est Adamnan, abbas et sacerdos Columbiensium egregius: qui cum legatus suæ gentis ad Aldfridum regem missus, nostrum quoque monasterium videre voluisset, miramque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, religionem ostenderet, dixi illi inter alia conloquens : Obsecro, sancte Frater, qui ad coronam vitæ, quæ terminum nesciat, te tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? Et, si consortium B. Petri quæris, cur ejus, quam ille anathematizavit, tonsuræ imaginem imitaris? et non potius ejus, cum quo in æternum beatus cupis vivere, etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monstras? Respondit ille : Scias pro certo, frater mi dilecte, quia, etsi Simonis tonsuram ex consuetudine patria habeam, Simoniacam tamen perfidiam tota mente detestor ac respuo; beatissimi autem Apostolorum Principis, quantum mea parvitas sufficit, vestigia sequi desidero.

AUCTORE C. S.

Ceolfridus abbas Wiremuthensis ipsi persuadere conatus est.

31 At ego; Credo (inquam) vere, quod ita sit; sed tamen indicio fit, quod ea, quæ apostoli Petri sunt, in abdito cordis amplectimini, si, quæ ejus esse nostis, etiam facie tenetis. Namque prudentiam tuam facillime dijudicare reor, quod aptius multo sit, ejus, quem corde toto abominaris, cujusque horrendam faciem videre refugis, habitum vultus à tuo vultu, Deo jam dicato, separare; et econtra ejus, quem apud Deum habere patronum quæris, sicut facta vel monita cupis sequi, sic etiam morem habitus te imitari condeceat. Hæc tunc cum Adamnano dixi; qui quidem conspectis ecclesiarum nostrarum statutis, quantum profecisset, probavit, cum reversus ad Scottiam, multas postea gentis ejusdem turbas ad Catholicam temporis Paschalis observantiam sua prædicatione correxit; tametsi eos, qui in Hii insula morabantur, monachos, quibusque speciali rectoris jure præerat, nec ad viam statuti melioris reducere valebat. Tonsuram quoque, si tantum sibi auctoritatis subesset, emendare meminisset.

B

Frustra tamen hinc credi vult Mabillonius,

32 *Mabillonius ex hac epistola statuit,* S. Adamnanum, *qui ad id usque temporis S. Columbæ Regulam professus fuerat, Benedictinam tunc amplexum fuisse.* Ex duobus, *inquit,* locis istis *(Bedæ et Ceolfridi)* intelligimus primo, Adamnanum hortatu Ceolfridi, (ut jam dicebam) adductum esse ad Romanos ritus; deinde eum aliquamdiu moram egisse in monasterio Wiremuthensi, ubi Regulæ Benedictinæ, quæ inibi servabatur, mores hausit, suscepitque cum ritibus Romanis. Ea enim erat illorum temporum consuetudo penes monachos, ut, qui Scottorum tonsura abjecta, Romanam suscipiebant cum legitima Paschatis observatione, ii Benedictinis sese institutis conformarent. Testes ea de re sunt monachi Lindisfarnenses in Britannia insula, Landevenecenses in Armorica, Luxovienses in Gallia. *Quo tempore, quave occasione tria ista monasteria Benedictinam Regulam admiserint, hic non inquiro: verum etsi id ita in iis factum esse, ut vult Mabillonius, concedatur, non propterea sequitur, etiam* S. Adamnanum *hoc fecisse.*

Sanctum nostrum Romanum tonsuram

33 *Nam primo quidem ut ab istorum exemplo aliquid probaret Mabillonius, probandum prius erat,* S. Adamnanum *una cum canonica Paschali observantia Romanam tonsuram suscepisse, quod*

C

nec Beda nec Ceolfridus asseruit. Quinimo ex hujus contextu contrarium potius eruendum videtur. Ceolfridus enim, ut ostendat, tonsuram Scoticam non nocere iis, quibus pura in Deum fides, et caritas in proximum est, *ipsum primo loco ex iis memorat, quos ipsa tonsura insignitos* sanctos ac Deo dignos exstitisse *confidenter profitetur. Deinde refert suum, quod de eadem cum ipso habuit colloquium, in quo tamen eum nusquam sibi consentientem inducit, sed contra fide se sua et patrio more tuentem. Tandem subdit, sanctum Abbatem canonicam Paschalis temporis observantiam amplexum esse, aliisque prædicasse; de tonsura vero tantummodo ait:* Tonsurum quoque, si tantum sibi auctoritatis subesset, emendare meminisset *Hæc porro verba duplicem sensum patiuntur: nempe vel Sanctum etiam tonsuram Scoticam in se aliisque correcturum fuisse, si pro Romana tanta esset auctoritas, quanta erat pro Paschate; vel eamdem etiam in aliis correcturum fuisse, si ipse satis auctoritatis habuisset.*

et simul cum hac Benedictinam

34 *Si priori modo verba accipiantur, certe adversantur Mabillonio; si secundo, asserit quidem Ceolfridus, rationes suas* S. Adamnano *tandem probatas fuisse; sed eumdem coronam capitis sui*

D

mutasse non indicat, Atqui tamen indicasse, si vere potuisset, intererat Ceolfridi, qui in laudata epistola Naitono regi suadere nitebatur, non modo ut Catholicam Paschæ celebrationem, sed et tonsuram Romanam in toto regno suo observandum curaret. Intererat, inquam, Ceolfridi, hanc æque ac istam ab Adamnani *exemplo comprobasse. Præterea cum ex eodem Ceolfrido constet,* Adamnanum *pro Romana tonsura admittenda apud alios non laborasse, vel hinc quoque parum verisimile fit, eumdem, qui totius congregationis Columbensium caput et primas erat, ea insigniri voluisse, qua sine piaculo, ipso teste Ceolfrido, carere poterat, quamque suis monachis tam exosam esse noverat, ut ne suadere quidem eam ipsis auderet. Credo itaque,* S. Adamnanum, *si Ceolfridi pro Romana tonsura consilium probaverit, prudenter tamen statuisse non obsequi, poterat, ne apud suos ista novitate, qua licite abstinere poterat, vehementer irritatos, minus valeret pro Catholica Paschali observantia inducenda, quæ certe gravissimi erat momenti.*

E

Regulam tunc suscepisse.

35 *Denique potuisse Sanctum Romanum Paschatis ritum sine Romana tonsura amplecti, negari non potest; idque a S. Eustasio cum Luxoviensibus suis factum esse, ex ipso Mabillonio non obscure consequitur. Nam tom. I Annalium, ad annum Christi* 606, *num.* 36 *censet, S. Columbanum, quando anno, ut habet alibi,* 612 *in Italiam secessit, Scoticum Paschatis morem abdicasse, tum ob quamdam ipsius epistolam, tum quia in synodo Matisconensi, instigante Agrestio, adversus singulares Luxoviensium ritus convocata, nulla fit de ista controversia mentio, quam tamen Agrestius, S. Columbani Regulæ sanctique Eustasii calumniator, alias minime prætermissurus fuisset. De eadem synodo agit ad annum* 623, *quo eam habitam statuit, in qua cum Agrestius, nullo facto de Paschate verbo, S. Eustasio ejusque Luxoviensibus tonsuram Scoticam objecerit, nec hanc neg averit Eustasius, ex ipsius Mabillonii sententia dicendi sunt Luxovienses jam tum ante eam synodum Romanos Paschatis ritus suscepisse, retenta Scotica tonsura. Ceterum hæc paulo latius tractanda censui, ut liqueat, quo rationum fundamento nitatur* S. Adamnani *monachatus Benedictinus, a Mabillonio et aliquot ejusdem Ordinis martyrologis assertus, qui tanto manifestius*

F

probandus erat, quanto minus verisimile est, totius Congregationis Columbensium caput et primatem, Regula sui sancti fundatoris, invitis omnibus suis, relicta, alienam suscepisse, cujus vel ipsa tonsura toti Congregationi suæ exosa erat. Ad alia progredior.

Scripsit Opusculum de locis sanctis, dictante Arculfo,

36 *Venerabilis Beda, qui lib.* 5 *Historiæ, cap.* 16, *verbis num.* 25 *relatis hunc sanctum Abbatem a sapientia et Scripturarum scientia multum laudavit, ibidem etiam librum* de Locis sanctis *ab eo conscriptum, et occasionem, qua is scriptus fuit, his verbis exposuit :* Scripsit idem Vir de locis sanctis librum, legentibus multis utillimum, cujus auctor erat docendo ac dictando Galliarum episcopus Arcwlfus, qui locorum gratia sanctorum venerat Hierosolymam, et lustrata omni Terra repromissionis, Damascum quoque, Constantinopolim, Alexandriam, multasque maris insulas adierat, patriamque navigio revertens, vi tempestatis in Occidentalia Brittanniæ littora delatus est, ac post multa ad memoratum Christi famulum Adamnanum perveniens, ubi doctus in Scripturis, sanctorumque locorum gnarus esse compertus

AUCTORE C. S.

pertus est, libentissime est ab illo susceptus, et libentius auditus; adeo ut, quæque ille se in locis sanctis memoratu digna vidisse testabatur, cuncta mox iste litteris mandare curaverit. Fecitque Opus (ut dixi) multis utile, et maxime illis, qui longius ab iis locis, in quibus patriarchæ et Apostoli erant, secreti, ea tantum de his, quæ lectione didicerint, norunt.

quod regi Aldfrido obtulit;

37 Porrexit autem librum hunc Adamnanus Aldfrido regi, ac per ejus largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus. Scriptor quoque ipse multis ab eo muneribus donatus, in patriam remissus est. De cujus scriptis aliqua decerpere, ac nostræ huic Historiæ inserere, commodum fore legentibus reor. *Hactenus Beda, qui deinde in duobus sequentibus capitibus aliqua ex eodem enarrat. Capitis* 17 *titulus hic est:* Quæ in eodem libro de loco Dominicæ nativitatis, passionis et resurrectionis commemoraverit; *capitis vero* 18 *hic:* Quæ item de loco Ascensionis Dominicæ, et sepulcris patriarcharum scripserit. *Sub finem quoque hujus capitis addit:* Plura voluminis illius si quem scire delectat, vel in ipso illo volumine, vel in eo, quod de illo dudum strictim excerpsimus, epitomate requirat. *Ita ipse, parvum tractatum suum de Locis sanctis designans. Porro hoc* S. Adamnani *Opusculum, in tres libros distinctum, Jacobus Gretserus Societatis Jesu presbyter typis vulgari curavit Ingolstadii anno* 1619, *ac deinde Mabillonius istud ex eadem editione ac duobus Mss., Corbeiensi et Vaticano recudit post* S. Adamnani *elogium Sec.* III *Benedict., parte* 2, *pag,* 502 *et sequentibus.*

scripsit item Vitam S. Columbæ, et forte etiam S. Patricii,

38 *Cujus sedis in Gallia episcopus Arculfus iste fuerit, nescitur. Benedictini Historiæ litterariæ Franciæ scriptores tom.* 3, *pag.* 650 *in Arculfo suspicantur, ipsum nullius sedis antistitem, sed ut dici solet, dumtaxat regionarium fuisse, aut forte ad alicujus cœnobii ministeria consecratum. Ignotum pariter tempus est, quo Sanctus libros istos conscripsit, quoque eos, ut Beda asserit, Aldfrido obtulit; utrum scilicet id in una e duabus primis ad dictum regem profectionibus, an in alia præstiterit. Scripsit etiam Vitam S. Columbæ libris tribus, in hoc Commentario sæpe laudatam, et in Opere nostro ad diem* IX *Junii editam atque illustratam, ubi etiam in Commentario ad eam prævio* § I *de tempore et occasione, qua hæc scripta videatur, ex conjecturis aliquid dictum est. Acta quoque aliqua S. Patricii ab eodem conscripta esse, variis locis tradit Colganus ex ejusdem sancti Hibernorum apostoli Vita Tripartita, quæ tamen nescio, an alicubi supersint.*

et aliqua, ut fertur, alia.

39 *Sixtus Senensis in Bibliotheca lib.* 4 *tantum librum de Locis sanctis memorat, auctoremque ipsius cum synonymo Coludio, sive Coldinghamensi presbytero, confundit. Utrumque pariter confundens Antonius Possevinus in Apparatu sacro tom.* I, *etiam* De locis Terræ sanctæ librum *tantum* unum *recensuit, ac præter Vitam S. Columbæ* De Paschate epistolas *ipsi adscripsit; quod satis verisimile est; cum ex dictis constet, eumdem pro canonico Paschæ tempore sub finem vitæ suæ multum laborasse. Jacobus Waræus lib.* I *de Scriptoribus Hiberniæ cap.* 3 *præter epistolas ipsius, librum unum* de Paschate legitimo *dubie recenset. Præmiserat etiam ibidem, exstare in bibliotheca Cottoniana in veteri Canonum libro* Adomnani Canones, *quorum primus hic sit:* Maritima animalia, ad littora delata, quorum mortes nescimus, sumenda sunt sana fide, nisi sint putrida. *Dempsterus lib.* I *Historiæ gentis Anglorum non sine magna confusione fabulisque tres Adamnanos memorat, et aliquot alia Opuscula sive uni sive alteri attribuit; at mihi scriptor ille tanti non est, ut hæc ex ejusdem fide hic vel recensenda existimem; ideoque tam ista, quam aliquot alia ejusdem asserta, certe fabulosa, sciens volensque prætereo. Ex dictis autem hactenus eruditus lector satis colliget,* S. Adamnanum *insignem virum fuisse, mecumque dolebit, quod tam pauca ejusdem gesta scriptis tradita ad nos pervenerint.*

Obiit seculo VIII inchoato senex

40 *Sancti mortem Colganus in Appendice* 5 *ad Vitas S. Columbæ ex Quatuor-magistris sic annotavit:* Anno DCCIII S. Adamnanus, filius Romani, abbas Iiiensis, obiit die XXIII Septembris, anno regiminis vigesimo septimo, et ætatis septuagesimo septimo. *Ita ipse consequenter ad præcedentia; nam obitum Failbei, cui* S. Adomnanus *in abbatia successit, supra ex iisdem Quatuor-magistris fixerat ad diem* XXII *Martii anni Christi* 677, *Ab hisce uno tantum anno dissentit Usserius, Ultonienses ut supra diximus, Annales secutus, ex quibus ejusdem mortem anno* 704 *illigavit. Major tamen est inter utrosque de annis, quibus Sanctus præfuit, discrepantia: Colganus enim ipsi vigesimum septimum regiminis annum, Usserius tantum viginti quinque tribuit; verum hic Failbei obitum ad annum Christi* 679, *iste ad* 677 *retulerat. Id quoque observasse juvat, Usserium in serie primorum abbatum Hiiensium, omissis ubique eorum diebus emortualibus, tantum signasse annos regiminis, nec addidisse, utrum hi completi, an incompleti fuerint. Quamobrem si annos* 25, *quos Usserius Sanctum præfuisse ait, incompletos accipiamus, et si Failbeus revera die* XXII *Martii, ut habet Colganus, obierit, dicendus erit* S. Adamnanus *anno* 703 *vita functus esse etiam secundum calculos Usserii, ducto initio ab anno* 679. *Failbei emortuali. Usserius enim in Indice chronologico statuit,* S. Adamnanum *die* XXIII *Octobris obiisse; quo mense anni* 703 *vigesimus quintus annus a Failbei morte, jam aliquot mensibus secundum supra dicta cucurrisset.*

in Hiiensi monasterio: unde ejus reliquiæ in Hiberniam translatæ, ac denuo huc relatæ dicuntur.

41 *Quia tamen hæc omnino certa non sunt, malui annum* 703 *vel* 704 *ad initium Commentarii in margine annotare. Utrum quoque Sanctus usque ad annum* 27, *an ad* 25 *dumtaxat prælaturæ suæ pervenerit, edicere nequeo, quia de Failbei anno emortuali aliunde mihi non constat. Nec magis scio, an supra dicta Sancti ætas certa sit. Waræus lib.* I *de Scriptoribus Hiberniæ cap.* 3 *de hisce sic ait: Obiit* XXIII *Octobris anno Domini* DCCIV *vitæ suæ* LXXIV, *vel ut alii tradunt,* LXXX. Adamnanum *autem in insula sua Hiiensi mortuum esse, diserte tradit Beda verbis num.* 26 *recitatis. In eadem insula etiam sepultus fuisse dicitur in Breviario Aberdonensi. Jacobus Waræus lib.* I *de Scriptoribus Hiberniæ, cap.* 3, *laudans in margine Annales Ultonienses, scribit, sacras ejus reliquias anno* 727 *in Hiberniam translatas fuisse, atque inde post triennium, anno scilicet* 730, *mense Octobri ad cœnobium Hiiense reportatas.*

DE

AUCTORE J. S.

D

DE SS. ANDREA, JOANNE, PETRO
ET ANTONIO MM.
IN AFRICA

Sylloge ex Martyrologiis, maxime Menæis Græcorum.

Circa CM. Hi Martyres in Latinis et Græcis Martyrologiis memorati :

B*aronius ad hunc diem ex Græcis fontibus in Martyrologium Romanum transfudit memoriam quatuor martyrum, quos ita annuntiat:* In Africa sanctorum martyrum Andreæ, Joannis, Petri, et Antonii. *Octavius Caietanus in Martyrologio Siculo eosdem memorat his verbis* : Syracusis, SS. Andreæ, Joannis, Petri et Antonii martyrum sub Sarracenis. *Utrum* Syracusis *eos annuntiet Caietanus, quod ibi cultum obtinuerint ; (nam in margine laudat Kalendarium Syracusanum) an solum quia tres saltem posteriores Syracusani fuisse dicuntur, compertum non habeo. Imo magis credo, non coli hos Martyres Syracusis, cum idem Caietanus in Annotatis ad Acta, ex Menæis data, nullam de cultu Syracusis faciat mentionem, ac ne Kalendarium quidem Syracusanum ibi laudet. Ferrarius tamen in Catalogo generali quatuor hos Martyres* Syracusis *etiam memorat. Menologium Græcorum, quod Latinum fecit Sirletus, ad eumdem diem sic habet* : Commemoratio sanctorum martyrum, Andreæ, Joannis, Petri et Antonii, apud Africam passorum. *Simili modo memoria eorumdem inserta est Menæis impressis, et apud Marcum Cythereorum episcopum.*

martyrium eorum versibus in Menæis celebratum.

2 *In Menæis longiori elogio præmittuntur sex versiculi Græci, quibus singulorum martyrium breviter perstringitur. Illos subjicio cum interpretatione Latina.*

C

Ὑπὲρ νυγέντος πρὶν μιᾷ λόγχῃ Λόγου
Λόγχαις ἤνεγκε νυγεὶς δυτταῖς Ανδρέας.
Εχθρὰν πλανηθεὶς καὶ σφαγεὶς Ιωάννης
Σφάττει τὸν ἐχθρὸν καὶ σὺν αὐτῷ τὴν πλάνην.
Αντώνιος καὶ Πέτρος, ὡς στεῤῥαὶ Πέτραι,
Πρὸς τὰς μεληδὸν ἐκκοπὰς ἐκαρτέρουν.

Pro percusso prius una lancea Verbo divino
Duabus percussus lanceis passus est Andreas.
Inimicitiis deceptus et mactatus Joannes,
Mactat inimicum et cum ipso errorem.
Antonius et Petrus, ut firmæ petræ,
Sectiones membratim factas patienter sustinuerunt.

Post hos versiculos in Menæis additur elogium, quo latius explicatur, quid singuli fuerint passi, sed alio ordine. Nam in versiculis primus ponitur Andreas, *forte ætatis gratia, cum dicatur fuisse senex; sed in elogio hic ultimus, utpote post reliquos passus.* Joannes *vero, qui pater erat,* Antonii *et* Petri, *tertio ibi loco memoratur, quod passus fuerit post Filios.*

Præmonitio ad Acta ex Menæis danda.

3 *Octavius Caietanus in Actis Sanctorum Siculorum tom. 2 pag. 50 dedit prædictum Menæorum elogium Latine redditum, quod inferius recudam cum textu Græco collatum, aliquot locis correctum, et annotationibus debitis illustratum. Acta vero illa tanti facienda non puto, ut videantur etiam Græce recudenda. Si Actis credimus, ab eodem Saracenorum rege, qui Syracusas expugnavit, Martyres nostri fuerunt suppliciis affecti ac martyrio coronati. Hoc quidem satis probabile esse non negavero; sed minus verisimile est, regem in Martyribus cruciandis eas habuisse partes, quas eidem auctor Elogii attribuit, dum* Joannem *et* Andream *ejus manibus occisos refert. Non ausim etiam pro certo habere, quæ de officiis, ad quæ promoti fuerint* Antonius *et* Petrus, *asseruntur. Certe adolescentes bello capti, et in servitutem abducti, non tam facile solent promoveri ad officia* E *notabilia, ut* Antonii *et* Petri *dignitas satis ex solis Menæis fiat certa. Annus, quo Martyres sunt passi, certo nequit assignari. Expugnatæ videntur Syracusæ anno* 878, *ut legitur in Chronico Siculo, quod ex codice Arabico Cantabrigiensi editum est in Scriptoribus Italiæ tom.* 1 *part.* 2 *pag.* 245. *Eamdem epocham aliis quoque argumentis probat Pagius ad annum* 878 *num.* 15 *et sequentibus. Verum nescimus, quot annis superfuerint Martyres, postquam, captis Syracusis, in Africam sunt abducti. Si Actis credimus, pueri erant* Antonius *et* Petrus, *dum abducti sunt, virilem vero ætatem attigerunt, priusquam sunt passi. Itaque potuerunt facile viginti et plures anni intercurrere abductioni et martyrio eorumdem ; sed nihil certi de re tam incerta prudenter affirmari potest. Quapropter late fixi martyrium circa annum* CM.

ACTA

Ex Menæis impressis Latine reddita Interprete Octavio Caietano S. J. F

Sancti, captis Syracusis, in servitutem abducti ;

Basilio Græcorum *a* imperatore, in tota Africa rerum potiebatur crudelissimus tyrannus Abrachen *b*, genere Agarenus. Hic ubi Syracusas evertit, (est ea urbs Siciliæ metropolis) illinc Joannem una cum filiis Petro et Antonio immatura adhuc ætate abduxit, quos e vestigio jussit Agarenorum litteris informari. Deinde, ubi hi ad virilem ætatem pervenerant atque judicio et moribus multos excellere cœperunt, ingenti admiratione perditi hominis animum perpulere, plane ut Antonius quidem genicus *c*, Petrus vero sacellarius *d* a rege deligerentur. Verumtamen illi clam esse Christiani minime destitere, quamquam palam Sarrecenorum res agere *e* videbantur : sed haud diu res latuit.

duorum juniorum martyrium,

2 Etenim Abracen id, quod res erat, subodoratus, ingenti furore percitus, pedibus eorum arcte devinctis, nodosis fustibus male in Homines animadvertit.

A animadvertit. Quadringentis *f* igitur pedum percussionibus affectus B. Antonius, hisque perfractus, gratias Deo agebat. Post asello impositus, clitellisque funiculis alligatus, per mediam urbem circumagitur. Sed Petrum vestes exui jubent : dein scipionibus humeros ventremque male contundunt: mox in carcerem conjiciunt *g*. Inde vero cum eduxisset tyrannus, brachia ab humeris manusque durissimis lignis confringit : tum coxendices, tibiasque ac demum pedes comminuit, plane ut ossa omnia commitigata ac trita pene viderentur, caroque ipsa colliquata defluxisse una cum sanguine. Ad hæc, cumulo ex carbonibus aggesto, accitoque fabro ferrario, candente forcipe eorum verenda jubet abscindi, ac in beatorum Martyrum ora projici.

et duorum aliorum. 3 His in sanctos Viros peractis, Joannem eorum patrem in medium trahit, ac læva prehendens, suo, quem gestabat, gladio illi jugulum fodit: itaque super carissimos filios collapsus animam efflavit. Post ingenti pyra succensa, sanctorum Martyrum corpora eodem simul igni conflagrarunt. Ceterum B. Andreas, ætate valde affe- B cta, multos annos in vinculis exegerat, fame, siti, frigore, ceterisque id genus calamitatibus confectus ac squallidus, quod tyranni jussis nollet obtemperare. Quid itaque consilii capit bellua immanissima? In equum insilit, correptaque hasta, cum sanctum Virum stantem inveniret, jaculo pectus ejus fodit. Sed Martyr inclytus, Deo gratias acturus, cum in vocem erupisset, rursum a tergo carnifex immanissimus accedens, alio jaculo humerum transfigit. Sic gemina hasta confossis visceribus, humi concidit Vir sanctus. Tum sacrum illius caput gladio absinditur, atque ita completum est eorum martyrium.

ANNOTATA.

a *In textu Græco* Romanorum, *ut Græci imperatores vocabantur a Græcis. Erat autem ille Basilius Macedo, gestis suis satis notus, qui defunctus est anno* 886.

b *Qui hic* Abrachen, *multis aliis vicinis nominibus alibi designatur, quod nomen Arabicum diversis litteris Græci Latinique expresserint. In Historia Saracenorum tom.* 1 *Scriptorum Italiæ part.* 2 *pag.* 251 *dicitur regnum adeptus post fratrem* D *defunctum anno* 875, *vocaturque* Ibraimus ben-Amed-Mahomettus, *additurque multas in Sicilia adeptum fuisse victorias. Mors vero ejusdem videtur figi anno* 903. *At id non congruit cum annis* vigintiquinque, *quibus regnasse ibidem dicitur. Pagius ad annum* 902 *refert mortem illius num.* 17, *ibique vocatur* Abraham, *et* Ebrahim. *In Vita S. Eliæ Junioris, data ad* 17 *Augusti, num.* 49 *idem* Brachimus *dicitur. Mortuus est prope Consentiam in Calabria, dum ex Sicilia occupata in Italiam trajecerat. Videri potest laudata S. Eliæ Vita, ibique Annotata de morte* Brachimi *aut* Ibraimi *qui* Abrachen *hic vocatur.*

c Genicus *nomen est officii. Caietanus ex Curopalate ait, præfectum fuisse* publicis vectigalibus procurandis. *Cangius in Glossario Græco vocem* γενικόν *exponit,* ærarium publicum, in quod referebatur, quidquid colligebatur ex tributis et vectigalibus. *Qui huic præerat ærario, dicebatur* λογοθέτης γενικός *et interdum nude* γενικός *ut ad hanc vocem observat Cangius, et latius ad vocem* λογοθέτης. *Verum merito dubitamus, an officium tanti momenti collatum fuerit* Antonio. *qui necdum pro-* E *vectæ ætatis esse poterat, si sub eodem tyranno, qui Syracusas evertit, fuerit coronatus.*

d Sacellarius *aut* Saccellarius *erat custos sacci publici sive fisci regii, ut probat Cangius in utroque Glossario. Caietanus etiam notat, designari præfectum ærarii.*

e *Græce,* τὰ τῶν Σαρακηνῶν ὑπεκρίνοντο, *quod revera sic potest exponi; magis tamen verba innuunt, eos simulasse, sectæ Saracenicæ se esse. Hoc certe illicitum est, ideoque verisimiliter auctor solum vult, eos occultasse religionem suam, seque in rebus civilibus accomodasse moribus Saracenorum, quantum erat licitum,*

f *Hoc loco interpres nimis abierat a verbis non solum Græcis, sed etiam a vero verborum sensu; ideoque omnia, quæ hic de* B. Antonio *dicuntur, aliis verbis, textui Græco conformibus, exponenda censui. Idem subinde feci in sequentibus, ubi visum est necessarium.*

g *Conjectum quoque in carcerem fuisse* Antonium, *postquam per urbem erat ductus, insinuant mox sequentia verba.*

C

DE B. PETRO ACOTANTO CONF.

F

VENETIIS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. P.

Beati notitia unde accepta; cultus immemorabilis, Acta.

Circa MCLXXX. Cur et ex quibus documentis de Beato, Fastis ignoto,

Memoria Beati hujus occurrit subinde apud Venetos, editis ante hoc præsens seculum Operibus illustres, sed passim brevis nec satis distincta et elucidata; rarius apud exteros, nec nisi ex illis deprompta; nusquam apud martyrologos vel Sanctorum et Beatorum collectores, quantumcumque neotericos. Adeo ut nisi hic denuo succurrisset et materiam subministrando facem prætulisset cura ac benevolentia excellentissimi Flaminii Cornelii senatoris Veneti, vix aut ne vix quidem de ipso agere valuissemus. Transmisit huc primum laudatus vir varias notitias Mss.; deinde insigne Opus suum de illustratis ecclesiis Venetis, anno 1749 *typis vulgatum; unde multa, quæ alibi reperire non erat, didicimus de Beati ætate, natalibus, gestis, obitu, cultu immemorabili et non interrupto. Porro præsens dies mensis Septembris* XXIII *Beato emortualis non est: etenim mense Augusto obiisse traditur, et quo die ignoratur.*

agatur hoc die; 2 *Flaminius Cornelius ad calcem decadis decimæ sextæ texens Menologium eorum, qui apud Venetos venerationem habent, commemoransque* Petrum

AUCTORE J. P.

trum *die* XXI *Augusti his verbis* : Venetiis memoria beati Petri Acotanti patritii Veneti et confessoris, *subjicit sequentem Annotationem* : Evolavit ad cælos beatus Petrus Acotantus mense Augusti; cum autem dies obitus ignota sit, ideo ipsius memoriam ad præsentem diem assignavimus. *Hinc colligimus, nec illo die mensis Augusti peculiari festo Beatum celebrari. Eodem in Menologio recurrit ad diem* XXIII *Aprilis, ut sequitur* : Venetiis translatio B. Petri Acotanti, cujus corpus, septem a depositione translatis lustris, mirabiliter inventum ad ecclesiam sancti Basilii magno cum populi concursu deductum fuit. *Sed nec dies iste videtur ipsius cultui speciatim destinatus, quoniam id alioqui absque dubio annotaturus fuerat scriptor diligentissimus. Ea de causa neque nos Acta ejus remisimus ad Supplementum alterutrius mensis : hoc autem die potius quam alio ea exhibere visum est, quia agendum erat de S. Constantio Anconitano, cujus una cum Beati nostri sacris lipsanis corpus honoratur Venetiis eadem in ecclesia S. Basilii, eademque in theca.*

obiit circa annum 1180;

3 *Exordium ducimus ab obitu Beati, ejusque cultu, reliqua per decursum evolventur. Laudatus Cornelius ex Ms. Catalogo Italico Sanctorum,* B *Beatorum et Venerabilium Venetorum descripsit nobis sequentia* : B. P. A. N. V. *(id est,* Beatus Petrus Acotantus nobilis Venetus) laicus obiit anno circiter MCLXXX. *Marcus Barbarus, quem idem Cornelius, circa seculum 15 floruisse ait, accuratissimum nobilium familiarum Venetarum Chronologum appellat, et ex cujus lib. 3 nonnulla de Beato ejusque stirpe Italico item idiomate nobiscum communicavit, sic habet* : Obiit mense Augusto MCLXXXI. *Ipse tamen Cornelius decade prima pag.* 95, *ubi ex instituto egit de Beato obitum ejus differt ad sexennium.* Sanctissime, *inquit,* obdormivit in Domino mense Augusto MCLXXXVII. *Credo, quia illis præferendum judicavit vetustissimum Sermonem infra pluribus memorandum, in quo ista leguntur* : Circa annum Domini MCLXXXVII, regnante in civitate Venetiarum Aureo Magistro Pero duce, floruit gemma pretiosa B. Petrus de domo Acotanto. *Postea narratis aliquot ejus gestis, dicitur* anno supra scripto *debitum carnis persolvisse. Ego, cum nihil suppetat, unde certo ac determinate annum obitus eliciam, late eum signavi circa* MLCXXX.

C *mox colitur miraculis clarus;*

4 *Mox ab obitu Beatus popularium suorum et præsertim pauperum, quorum sua liberalitate ac piissima commiseratione amorem sibi devinxerat, venerationem obtinuit, eamque miraculis divinitus approbatam, sicut narrat auctor Sermonis ante nominati, et infra excudendi, ac Flaminius Cornelius, cujus hæc verba sunt* : Vulgato felici ejus transitu, ingens confestim ad feretrum factus est pauperum concursus, sinceris lacrymis obitum communis Patris amare deplorantium, quorum laudibus et gemitibus funus celebratum est; donec elatum corpus, in ipso S. Basilii templo exequiis rite celebratis, terræ demandatum fuit. Nec superna ad ejus cælestem gloriam contestandam defuere miracula. Siquidem omnipotens misericordiarum Pater, merita eleemosynarum, quas Petri humilitas humanis oculis subduxerat, et inopum confessione, et prodigiorum signis palam voluit enunciare, ut hinc quoque innotesceret, eum æternam vitam, misericordibus promissam jam esse in cœlis assecutum. Præclarum inter cætera, quod cuidam fœminæ evenit, quæ in ejus sanctitate incredula, dum fervens populi studium irridet potius quam admiretur, repente mirum in modum sibi ventrem taliter intumescere aspexit, ut jam jam disruptionem minitaretur. Ex gravi, qua urgebatur, pœna, agnovit incredulitatis suæ culpam, et in lacrymas effusa, dum Dei misericordiam per Famuli sui intercessionem implorat, pristinæ incolumitati eodem momento restituitur. D

anno 1250 *corpus visitatur et novo miraculo illustratur;*

5 *Horum non meminit Marcus Barbarus; sed quæ auctor sermonis ac Flaminius Cornelius pluribus mox referunt de visitatione sepulcri et ea occasione patrato miraculo ad annum* 1250, *ita paucis complectitur Italice* : MCCL apertum est ejus sepulcrum, atque ipse inventus est cilicio obvolutus, acsi eodem ipso die eidem impositus fuisset; mulier vero aliqua non venerata sacrum corpus, lepra infecta fuit, sed postero die mutans sententiam attingensque ipsius cilicium, infirmitatem cum sanitate commutavit. *His et aliis prodigiis, quæ post anonymum Sermonis auctorem memorat generatim Cornelius, aucta est haud dubie magis magisque fidelium erga Beatum veneratio, firmataque fiducia de ejusdem patrocinio; verumtamen quinquaginta circiter post annos sacrum corpus eorum conspectui sublatum est; et in alta scrobe absconditum extra ecclesiam.*

circa 1305 *absconditur;*

6 *In Mss. nostris notitiis allegatur Catalogus Ms. plebanorum ecclesiæ parochialis et collegiatæ S. Basilii, in quo ab anno* 1294 *ad* 1305 *signantur ista* : Jacobus Treananti, a quo in campo tumu- E latum fuit corpus B. Petri Acotanto nob. Ven. secularis. *Similem Catalogum inchoatum ab anno* 1143, *productumque usque ad* 1729, *excudit quoque Cornelius Decade* 1 *pag.* 101, *in eoque ad annum* 1305 *rem ita expressit* : Jacobus Treananti, qui in quadam profunda fovea non sine gravi tristatione totius contratæ sepelivit corpus B. Petri Acotanti. *Consonat anonymus auctor Sermonis : sed cum et ipse causam ignoraret, addidit, non dubitare se, quin plebanus fieri id jusserit* divina voluntate; *insinuans, supponere se, ita a Deo dispositum fuisse, ut apud populum sacras exuvias minus, quam debebat, æstimantem, ex miraculosa inventione major Beato exsurgeret veneratio et honor.*

reperitur 1340 *et exponitur publicæ venerationi,*

7 *Quidquid sit, ex carentia seu potius occultatione sacri corporis non videtur deferbuisse populi studium; quæsitum est diligenter et inventum post annos circiter* 35, *uti notatur in supra laudato Catalogo plebanorum S. Basilii, ex quo et ista descripta accepimus* : Ab anno MCCCXXXV ad MCCCXXXIX. Petrus Pino archypresbyter S. Mariæ Formosæ a F quo repertum fuit corpus B. Petri et in ecclesia reconditum ad adorationem. *Eadem pene habet Cornelius in suo Catalogo, sed Petro Pino plebano successorem statuit anno tantum* 1341, *et verisimiliter correctius, siquidem, ut notant alii, inventio contigit anno* 1340. *Modum inventionis miraculosum vocat auctor Sermonis, verum tam contracte et obscure eum describit, ut nec miraculum eluceat, nec ipse modus sufficienter explicetur. Audiamus itaque excellentissimum Cornelium* : Septem transactis lustris factum est, ut anno MCCCXL quidam pii viri oblivionem tanti thesauri dolentes, quamvis ignari, ubi lateret humatus, divino nutu terram fodientes, de ipso statim invento gavisi sint. Communicata autem tantæ inventionis lætitia, sacra lipsana episcopi Castellani, totiusque cleri interventu, magno populi concursu ad ecclesiam S. Basilii die XXIII Aprilis deducta sunt, ipsiusque antistitis auctoritate supra Jesu Christi Crucifixi aram publicæ populorum venerationi exposita, in qua ad hæc usque tempora perseverant. *Ex verbis postremis conjicio, eo ipso tempore ossa Beati nostri imposita fuisse lipsanothecæ S. Constantii Anconitani, in qua hodiedum simul frequenti populorum veneratione*

A *ratione coluntur, ut dixi supra in Commentario prævio ad Acta ejusdem Sancti. Inscriptionem utrique communem, quia et hæc cultum* B. Petri *immemorabilem confirmat, hic describo ex Notitiis nostris Mss.*

VIATOR
QUISQUIS VENERABUNDO POPLITE SISTIS
SACRAS AD ARAS,
D. CONSTANTII ANCONITANI
ET
B. PETRI ACOTANTI NOBILIS VENETI
HIC QUIESCUNT OSSA.
SCITO ET ADORA.

quæ hactenus perseverat.

8 *Cultus continuationem ita pergit probare Cornelius :* Talis autem venerationis, ab ipso scilicet inventionis tempore inceptæ, testes sunt ipsius ecclesiæ codices, omnemque aufert dubitationem autographum documentum ex publicis tabulis, quas libros vocant Cameræ Imprestitorum, extractum, quo anno MCDXLIII quidam religiosus sacerdos censum annuum assignat, ut juxta pium usum, habita etiam ad populum concione, celebretur festiva B. Petri solemnitas. *Subjicit hic textum instrumenti Italicum, qui dictis congruit, exigitque,* B *ut census ille solvatur circa festum Assumptæ in cælos beatissimæ Mariæ Virginis, circa quod verisimiliter ea olim concio erat instituenda. Institutam autem fuisse, probat ulterius prænobilis auctor, allato vetustissimo unius exemplari, quod usque nunc servatur in archivo S. Basilii, quodque dabo inferius integrum.*

Beati titulus in Mss.

9 *Post recitatam concionem, quæ eadem est cum Sermone aliquoties laudato, dolendum ait, Viri tanti gesta pleraque per hominum incuriam tenebris obvoluta esse ac deperdita ; ea autem, quæ ipse ibidem attulit, desumpta esse affirmat ex antiquo Ms. codice ecclesiæ S. Basilii,* cui optime concordant plurimæ Ms. Chronicæ Venetarum familiarum, quæ in gente Acotanta unanimiter Petrum, misericordiæ operibus celebratum, Beati titulo insigniunt. *Ex allatis ab ipso jam exhibui nonnulla ; alia partim prætermisi, quia eadem pene recurrunt in Sermone, partim reservavi pro Annotatis. Chronologis ab ipso generatim allegatis accensendus est haud dubie Marcus Barbarus, quem citavi num.* 3, *quique eodem loco testatur,* Petri *corpus honorari tamquam Beati in ecclesia S. Basilii; nec* C *dubitandum, quin et similia legantur apud alios. Verum cum hi nobis deficiant, eorum vices supplebunt alii, quorum Opera ad manum sunt.*

et editis libris ei concessus.

10 *Marcus Antonius Sabellicus seculi* 15 *auctor celebris in Opere de situ urbis Venetæ, edito Lugduni Batavorum anno* 1722 *tom.* 5 *part.* I *Thesauri Antiquitatum et Historiarum Italiæ, sic loquitur de ecclesia S. Basilii :* Vetusta templi facies, duobusque cælitibus Constantio Anconitano et Petro Acotanto Veneto illustris. *Marinus Sanutus patritius Venetus, qui eodem seculo* 15 *exspirante floruit, in Vitis Venetorum ducum Italice exaratis, vulgatisque a Duratorio tom.* 23 *Rerum Italicarum scriptorum,* Petrum *Sancti titulo exornat col.* 437, *ubi recenset reliquias ejusdem ecclesiæ S. Basilii, ita scribens ;* Sanctus Petrus... nobilis Venetus. *Franciscus Sansovinus lib.* 6 *Venetiæ civitatis nobilissimæ typis excusæ* 1581. *pag.* 87 *et seq, agens de eadem S. Basilii ecclesia, hæc addit, item Italice :* In sacro illo loco quiescunt S. Constantinus* confessor Ancona allatus, et beatus Petrus Acotantus nobilis Venetus. *Similia habent Fidelis Onophrius in Chronologia Veneta, anno* 1682 *impressa pag.* 193; *Dominicus Martinellus part.* I *pag.* 377 *Descriptionis urbis Venetæ, ibidem excusæ anno* 1684, *Ferdinandus Ughellus in utraque editione Italiæ sacræ, in priore tom.* 5 *col.* 1261, *in posteriore tom.* 5 *col.* 1181; *auctor denique Operis, quod inscribitur* Splendor magnificentissimæ urbis Venetiarum, *pag.* 199 *tom.* 5 *part.* 2 *mox laudati Thesauri Antiquitatum et Historiarum Italiæ.*

* Constantius

Imago in ecclesia S. Christophori,

11 *Flaminius Cornelius in Notitiis Mss. præter Sansovinum et Ughellum jam citatos, allegat Martinionum et Joannem Tiepolo, qui et ipsi Beati titulum* Petro *adscribunt, sed quorum Opera non habemus. Non dubito tamen, quin per Joannem Tiepolo eum ipsum designet, de quo occasione B. Comitissæ virginis Venetæ in hunc modum scribit Decade* I *pag.* CXI : Ejus etiam *(Comitissæ)* imago jussu Joannis Theupoli patriarchæ Venetiarum depicta, tituloque Beatæ insignita, colitur in ecclesia S. Christophori, vulgo appellata S. Maria ab Horto in sacello Nativitatis Dominicæ, cui olim canonici seculares Congregationis S. Georgii in Alga inserviebant, nunc vero inserviunt monachi Cisterciensis Ordinis. *Actum est apud nos de B. Comitissa tom.* 3 *Septembris ostensumque ex Ughello, quod idem Joannes Theopolus Patriarchatum Venetum adierit anno* 1619 *et cum vita deposuerit* E *anno* 1632. *Hinc autem deductum argumentum pro legitimo ejusdem Beatæ cultu. Vel enim appensa fuit imago illa paulo ante editum celebre Decretum Urbani VIII Pontificis, id est, intra annum* 1619 *et* 1625, *vel paulo post, id est, intra* 1625 *et* 1632; *si paulo ante, juxta Decretum fuisset sublata, si paulo post, non fuisset appensa, nisi de legitimo cultu constitisset.*

eodem cum titulo exposita cultum legitimum confirmat.

12 *Idem argumentum hic locum habere potest; nam, teste Cornelio in Notitiis Mss., in eadem ecclesia S. Christophori exstat imago* Petri Acotanti *similiter cum Beati titulo. Non additur quidem, quo tempore vel cujus cura fuerit appensa; sed alio loco ad eum modum loquitur idem prænobilis senator, ut merito conjicere liceat, per eumdem patriarcham Joannem Theopolum fuisse expositam : verba ex Italico Latine reddita ita sonant :* Trium illorum Beatorum icones conjunctæ sunt *seu* unitæ in ecclesia S. Mariæ ab Horto. *Ex eo sane argumento pondus non leve accedit ceteris hactenus allatis pro legitimo et immemorabili cultu; quibus, ne quid prætermittamus, jungimus clausulam sæpe dicti senatoris Decade* I *pag.* 100 : Probatur autem, *inquit,* non interrupta continuatio cultus per authentica documenta ; ex eo enim tempore, quo corporis ejus elatio peracta fuit *(anno* 1340) auctoritate et interventu episcopali ad altare, ut vocant, F Crucifixi, super ipsius altaris mensam, cultus ejus continuata et numquam interrupta successione perseveravit, ut ex documentis et antiquissima traditione habetur, cum lampadum accensione et aliis publicæ venerationis actibus a clero et populo exhibitis, qui solis beatis Viris prestari posse dignoscitur.

Acta hic edenda,

13 *Gesta* B. Petri, *quorum notitia ad nos pervenit, omnia continentur in laudato aliquoties Sermone, olim habito in annua ipsius commemoratione, quem proinde Annotatis de more illustratum hic exhibuisse suffecerit. Duplex ejus nobis est apographum, alterum impressum in Opere excellentissimi Cornelii ex codice archivi S. Basilii Venetiis, alterum Ms., die* XXV *Septembris* 1716 *extractum* ex antiquo libro, cartis membranis constructo et characteribus perantiquis conscripto, existente penes dominum plebanum parochialis et collegiatæ ecclesiæ S. Basilii, *uti testatur authentice illi subscribens* Joannes Garzoni Paulini Venetus publicus notarius. *Vix dubito, quin eodem* ex

AUCTORE J. P.

ex codice desumptum sit utrumque exemplar: sed cum hinc inde discrimen occurrat in vocibus, et in uno prætermittatur, quod exprimitur in alio, suspicor, characteres lectu difficiles esse, et antiquitate ita corruptos, ut describentibus ex reliquo contextu aliquoties divinandum fuerit, et cum sensum assequi non possent, nonnulla omittenda. Suspicabar etiam primo, autographum Italice conscriptum esse et a diversis diverso tempore Latine redditum; sed, facta collatione, minus verisimile hoc visum est, quia sic major esset in ordine verborum et constructionum discrepantia. Excudam hic impressum Cornelii et ubi necesse fuerit supplebo ex Ms.

SERMO

Auctore anonymo.

B *Ex editione excellentissimi domini Flaminii Cornelii senatoris Veneti Decade 1 pag. 97.*

Exordium, a Circa annum Domini MCLXXXVII regnante in civitate Venetiarum Aureo Magistro Pero *a* duce, floruit gemma pretiosa B. Petrus de domo *b* Acotanto *b*. Hortor vos atque admoneo, Fratres in Cristo, ut sanctitatem istius beatissimi Petri atque miracula, quæ Cristus Dominus noster operatus est in eo, auribus erectis attente audiatis, ut sic per vestram devotionem et per istius Sancti devotam deprecationem perveniatis ad æternam remunerationem. Non enim volo vos tædio afficere, fratres carissimi, per verborum multiplicationem, sed magis cordibus vestris generare devotionem per compendiosum et brevem Sermonem.

gestorum 2 Iste enim Petrus Acotanto sanctissimus, nobilis fuit progenie, sed nobilior sanctitate; piissimus ad Cristi pauperes, mundissimus carne: Cristum divitem et pauperem voluit sequi per profundam humilitatem: de cujus charitate atque eleëmosinis volo vobis narrare, fratres carissimi. Iste Petrus sanctus fuit plenus divitiis; sed Cri- C stum considerans se exinanisse, et formam servi accepisse, et gloriam cœlestam reliquisse et in mundo hoc inestimabilem paupertatem sustinuisse; omnia terrena et transitoria despexit: Cristum pauperem suum fecit hæredem: pauperior cunctis pauperibus apparere volebat. Tempore hiemali, quando fiunt venti validissimi et inundatione aquarum domusculæ pauperum et miserorum, quæ non sunt in altitudine terræ, implentur aquis, et tunc multo magis, quando iste Sanctus vivebat, hoc multo magis contingere solebat: homines nequibant, et adhuc nequeunt, quando ista contingunt, exire domos eorum.

enarratio, 3 O mira res! o audi et auribus percipe et intellige clamorem meum, et delectabitur in crassitudine anima tua, Quis enim umquam audivit, aliquem divitem se ipsum expoliare et alios induere, se ipsum ventis et periculis, frigoribusque exponere, ut alios liberaret? Iste beatissimus Petrus implebat naviculam suam, seu barcam, lignis, pane, vino et oleo, et navigabat per tam validum ventum et inundationes aquarum et portabat fame pereuntibus et non valentibus exire domos eorum. Tum enim prodigus propter caritatem Cristi factus, quod, omnibus erogatis suis bonis, ipse D coactus est mendicare *c*?

4 Cristus vero nolens, tam Athletam suum strenuissimum in hoc miserabili mundo diu manere, sed volens, eum cum Sanctis suis feliciter æterna regna possidere, ipsum in anno suprascripto de mense Augusti, fecit eum * debitum suæ carnis persolvere. Cujus corpus apud ecclesiam B. Basilii devote fuit sepultum. In prædicta vero contrata prædictus Sanctus possessiones non modicas habuit. Ad cujus sepulcrum currit tota civitas, currunt pauperes pie lacrimantes, gementes ad cœlum manus levantes, et Cristo pie conquerentes de Patre suo defuncto ei dicentes: O bone Jesu, quis erit pater noster? quis consolator noster? quis enim nostram sustentaverit vitam *d*? *c obitus,* * cum abundat

5 Sed cum crebra fierent circa tumulum istius Sancti miracula, redit populo et pauperibus lætitia; nam dulciter plorant et lætantur: non prætermittam miraculum enarrandum in obitu B. Petri. Quædam mulier nolens credere, esse Sanctum, statim venter ejus cœpit intumescere, et cum increparetur a circunstantibus de incredulitate sua, statim pœnituit, et cœpit vocare misericordiam Dei per B. Petrum; et statim perfecte sanata est. E Non est enim mirum, fratres dilectissimi, si Deus per Sanctum istum miracula operatus est multa: nam si pauper Cristum pauperem fuit secutus, non dissimili modo christum Virginem secutus est Virgo. *d miracula;*

6 Nunquam habuit uxorem nec filios et semper custodivit cor suum mundum et oculos suos a vanitatibus hujus sæculi avertit. O gloriosa virginitas! o mira res! Aurum in luto, rosa inter spinas, qui esse possunt? O anima Christiana, considera, quale meritum, quale præmium iste Sanctus sortiri debet. Potuit enim transgredi et non est transgressus, facere malum et non fecit: propter virginitatem enim, quam conservavit, cantat canticum novum, quod nemini concessum est cantare, nisi illis centum quadraginta quatuor millibus infantibus, in quorum est numero. De virginibus enim scribitur: Sunt aliis alia, sed nullis talia. *laus servatæ virginitatis;*

7 Circa annum vero Domini MCCL quidam de contrata S. Basilii curiositate vel, ut melius dicam, inspiratione divina ducti, attentaverunt sanctum Dei thesaurum, scilicet corpus B. Petri aperire, et aperto monumento, eum in cilicio obvolutum, quasi F in eadem die sepultum fuisset, in cilicio invenerunt. Turba ergo plurima omnes ad tam grande spectaculum concurrunt et festinant: concurrunt juvenes, festinant pro sanitate obtinenda infirmi, festinant pueri, pariterque senes. In hac vero festinatione quædam mulier juvenis ætate, sed junior levitate, videns alios tangere devote cilicium S. Petri, [ipsa abhorruit. O mira res! Statim reversa in domum, leprosa in vultu effecta est; arguunt vicini et vicinæ, omnesque, qui viderant eam, quæ abhorruerat cilicium sancti Petri *e*:] statim juvenis illa erubuit, et ante ortum diei summo diluculo cum clamide cooperta, venit ad sepulcrum B. Petri, amplexans, lacrymans ejusque cilicium devote osculans, ut mundaretur lepra, a qua fuit oppressa, quando tangere cilicium abhorruit, et statim, o mirum! pristinam suam sanitatem precibus et meritis B. Petri recepit. *corporis incorruptio, et ex attactu ejus miracula; e*

8 Circa annum MCCCV quidam plebanus ecclesiæ S. Basilii, nomine Jacobus Treananti, jussit fieri, non dubito, divina voluntate, quamdam profundam foveam, in qua ipse fecit sepulcrum B. Petri sepelire, non sine grandi tristatione totius contratæ *ejusdem aliquamdiu absconditi inventio et elevatio.*

A tratæ. O tu fidus Christiane, o tu devote B. Petri, ausculta et attende, quare Cristus, qui noverat, suum thesaurum pretiosum extra ecclesiam non fideliter venerari, voluit recondi *f*, ut infra breve spatium miraculose aperiretur et infra ecclesiam S. Basilii veneraretur, scilicet infra spatium triginta quinque annorum; Deus enim noluit sic humatum semper derelinquere, sed circa annum MCCCXL quidam juvenes de contrata S. Basilii die XXIII Aprilis in festo S. Georgii divino nutu nescientes, ubi foderent, volentes sanctum invenire thesaurum in campo * B. Basilii, et eum inventum honorifice auctoritate diocesana cum domino episcopo et aliis clericis et laicis de parentela, et potissime D. Bertucio Acotanto collocaverunt *g*, cujus meritis et precibus Cristus Filius Dei ad gaudia paradisi nos perducat. Amen.

f

* *i. e.* in cœmeterio

g

ANNOTATA.

a *Dux iste Venetus in litteris eodem anno* 1187 *scriptis, vocatur* Aureus Magisterpetrus, *alii* Maripetrum *vel* Mastropetrum *appellant. Ducatum autem Venetiis obtinuit ab anno circiter* 1178 B *usque ad* 1189, *quo vitam monasticam amplexus est.*

b *De gente Acotanta hæc tradit excellentissimus Cornelius*: Inter patritias familias remotiori ævo, tum magistratibus domi administratis, tum legationibus ad principes, aliisque pacis et belli muneribus, præcipue honestata est. *Dicta confirmat Marcus Barbarus lib.* 3 *Chronicorum, ubi producit Nicolaum Acotantum, qui anno* 760 *legatione functus sit ad Paulum I Papam, ac deinde varios ex eadem domo viros illustres enumerat, eosque inter Beatum nostrum.*

c *Quidquid huc usque anonymus noster, vir pius et simplex, ut apparet ex stylo et loquendi modo, retulit in laudem charitatis* B. Petri *erga pauperes, paucis complexus est laudatus lit. præcedente Marcus Barbarus, cujus postrema dumtaxat verba ex Italicis Latina facio*: Cymbam suam onerabat pane, vino, lignis, aliisque rebus necessariis, illamque ipsemet ducebat clanculum, et hæc inter eos distribuebat. Demum omnia fortunæ bona, quæ satis ampla erant, consumpsit, et ipsemet ex eleemosynis vivere compulsus est: nec uxorem habuit, nec liberos.

A. ANONYMO.

d *Cum juxta ante dicta Beatus ipse liberalitate sua ad inopiam redactus fuerit postremis vitæ suæ annis, credere fas est, eum ne tunc quidem indigentibus defuisse, sed subvenisse ex ipsis eleemosynis, quas facile impetrabat tum a piis popularibus, sanctitatem et liberalitatem ejus in egenos suspicientibus, tum ab opulentis consanguineis; quamquam ab his fortasse parcius, quam exigebat conditio, liberalitatem illam arguentibus, et prodigalitatis nomine insimulantibus. Opulentos ei fuisse consanguineos, persuadet mihi Marinus Sanutus in Vitis ducum Venetorum apud Muratorium tom.* 22 *Rerum Italicarum scriptorum col.* 522, *ubi recitat instrumentum, exaratum* anno Incarnationis... MCLXXXVII die VII mensis Novembris Indictione VI, *in quo* Aureus Magisterpetrus Dei gratia Venetiarum etc. dux, *recensens eos, qui rogati in communi necessitate pecuniam Reipublicæ subministrarunt ad promovendum bellum sic habet*: Marcus Acotanto cum fratribus CCC libras. E

e *Uncis inclusa ex Ms. nostro immixta sunt.*

f *Putem legendum*: Quare Christus, qui noverat, suum thesaurum pretiosum intra ecclesiam non fideliter venerari, voluit recondi, *extra ecclesiam scilicet.*

g *Vide hæc plenius exposita in Comment. num.* 7

DE B. HELENA AB OLEO VIDUA

BONONIÆ IN ITALIA

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

J. S.

F

C

AN. MDXX. Beatæ Helenæ ab Oleo Vita scripta,

De *qualicumque cultu* B. Helenæ *Bononiensis accurate scripsit Eminentissimus Prosper de Lambertinis, quando Bononiensis erat archiepiscopus et S. R. E. Cardinalis, qui modo universalem Ecclesiam feliciter regit Benedictus XIV. Hujus itaque verba ex laudatissimo Opere de Servorum Dei beatificatione etc. lib.* 2 *cap.* 18, *prout leguntur in tertia editione Romana, huc transfero*: In ecclesia Canonicorum Lateranensium ejusdem civitatis Bononiæ, quæ est sub invocatione S. Joannis in Monte, sacellum extat dominorum de Bentivolis, exstructum in honorem S. Cæciliæ, ubi sepultum est corpus B. Helenæ ab Oleo virginis Bononiensis. Petrus Lucensis Canonicus Regularis Lateranensis Ordinis Vitam hujus Virginis et egregia ejus facinora conscripsit: fuerat enim rector conscientiæ et confessarius ejusdem, sicuti desumere est ex fine citatæ Vitæ ab ipso exaratæ; quæ tamen nunquam typis est edita, sed asservatur inter manuscripta Mutii Mariæ Grati Metropolitanæ Bononiensis Canonici. Scriptor quoque anonymus, sed synchronus, longiori stylo vitam hujus B. Helenæ persecutus est, necnon concursum ad ejus funus, et subsecuta prodigia ac miracula. Eadem pariter recensentur apud scriptores rerum Bononiensium, comitem nempe Carolum Bentivolum in Compendio vitæ nostræ Beatæ, edito Bononiæ anno MDCLI, Pompejum Vizanum in Histor. Bononiæ lib. 10, Celsum Phaleonium, Canonicum Regularem, in Memoriis historicis episcoporum Bononiæ, Gasparem Bombacium in Sacris memoriis hominum Bononiensium sanctitate illustrium, et Antonium Mansinium in Bononia perlustrata: præterquam quod in catal. Sanctorum et Beatorum Bononiensium evulgato post Archiepiscopalem librum Cardinalis Gabrielis Palæoti descriptum est B. Helenæ ab Oleo nomen.

2 Mortua autem est beata hæc Helena anno 1520 die XXIII Septembris; a quo tempore usque in præsens, scientibus et neutiquam repugnantibus Ordinariis, publicus eidem cultus exhibitus est. Non solum enim Beata passim est appellata, ejusque imago cum radiis ac splendoribus depicta; verum etiam die ejusdem festo capsa, in qua reconditum est ipsius corpus, aperitur, atque ad populi venerationem

et qualiscumque cultus immemorabilis.

AUCTORE J. S.

nerationem exponitur. Appensa quoque semper fuerunt ad ejus sepulcrum signa pro gratiis ejus intercessione a Deo collatis. Quocirca Petrus Aretinus, auctor Beatæ ipsi contemporaneus, pag. 103, part. 1 Giornata 2. de' suoi Ragionamenti sic scribit: " Ed in un anno VI si attaccò più ceri, più vesti, più " camiciuole, e più tavolette, che non sono intorno " alla sepoltura di santa Beata Lena dall' Olio a " Bologna. " Enimvero auctus adeo est subinde donariorum argenteorum numerus, ut anno MDCXCV, facta restauratione sacelli, in quo beatum corpus conditum est, expedire visum fuerit ea conflare, et in sacram argenteam supellectilem convertere. Non recitatur quidem in ejus honorem Officium, nec Missa celebratur; sed ab obitus tempore usque adhuc peractum est ac peragitur die ejusdem anniversaria festum cum peculiari apparatu et prævia in signum celebritatis habendæ æris Campani pulsatione. Causa tamen beatificationis et canonizationis hujus Beatæ nunquam introducta est, nec ullus unquam confectus fuit processus ab Ordinariis super ejus cultu immemorabili seu annorum centum ante edita Urbani VIII decreta: tametsi, cum de B hujus antiquitate nulla unquam excitata fuerit controversia, necnon episcopi pro tempore (sicut dictum est) sciverint et approbaverint prædicti publici cultus exhibitionem, perstat Beata hæcce in ejus possessione.

Corpus ipsius sub altari depositum et fere integrum.

3 *Hæc de cultu sufficiente, ut Operi nostro inseri possit cum* Beatæ *titulo* Helena ab Oleo, *accurate prosecutus est Sanctissimus Dominus noster Benedictus. Nam verba Italica Petri Aretini insinuant, vetustissimam esse consuetudinem offerendi ad sepulcrum Beatæ cereos, tabellasque votivas. Porro sacellum S. Cæciliæ, in quo sub altari depositum est Beatæ corpus, adivi et intravi cum socio anno* 1753, *mense Aprili, et non modo Beatæ imaginem radiis et splendoribus exornatam juxta altare vidimus, suspensaque ibidem dona votiva; sed aperta etiam nobis arca, corpus ipsum lustravimus, partim carne vestitum, non tamen incorruptum. Masinus in Bononia perlustrata pag.*462 *ad* XXIII *Septembris ait, memoratum corpus sub altari depositum fuisse anno* 1650, *die* XXII *Decembris, quod affirmanti facile possum credere, cum ab initio quidem in sacello S. Cæciliæ, at non sub Altari, fuerit sepultum. Nihilo magis nega-* C *vero, visitatum fuisse anno* 1644, *die* V *Novembris, a superioribus ecclesiasticis, ut præmittit. Verum, quod addit,* repertum *fuisse* omnino integrum *non sic intelligendum est, ut nulla pars carnis tum consumpta aut putrefacta fuisse credatur. Nam anonymus Vitæ scriptor, quem coævum, aut certe supparem credimus, fatetur, in prima visitatione corporis* B. Helenæ, *quam quadraginta et quatuor diebus post mortem Beatæ factam dicit, non caruisse aliqua corruptione reliquas corporis partes, pectusque solum sine corruptione inventum contendit. Quare voluit Masinus dicere, opinor, corpus anno* 1644 *inventum in eo statu, in quo illud nos ipsi vidimus, ut aliquo modo integrum dici possit, sed non incorruptum.*

Vita scripta a Petro Lucensi: scriptum Apologeticum,

4 *Quod autem spectat ad Vitæ scriptores jam enumeratos, habemus fere omnes, et certe primos et præcipuos, ex quibus ceteri sua hauserunt. Prima est Petri Lucensis, Prioris canonicorum Lateranensium S. Joannis in Monte, sive Epistola ejusdem ad Leonem Papam X* de Progressu et exitu vitæ D. Helenæ, *data* XII *Octobris anni* 1520, *id est, non integris duobus mensibus post Beatæ obitum. Opinor, hanc Epistolam vocari Vitam, nec aliam fuisse scriptam a Petro Lucensi, cum quod* D *sit vitæ compendium, tum quod contineat ea, quæ nomine Petri Lucensis alii protulerunt. Habemus tamen et aliud scriptum, cui ejusmodi erat titulus exterior, ut notavit P. Joannes Baptista Scorza, Rector collegii Societatis Jesu Bononiensis,* Beatæ Helenæ Vita descripta a Rev. P. D. Petro Lucensi anno MDXX. *Verum ista scriptura potius est apologia pro iis, quæ de Beata jam tum scripta erant aut scribenda, quam gestorum enarratio aut vitæ Historia. Præterea vix mihi persuadere possum, apolegeticam istam scripturam esse Petri Lucensis, cum auctor de Petro Lucensi frequenter loquatur, et semper tamquam de alia persona, non raro etiam cum elogio. Imo post medium auctor manifeste insinuat, non esse hanc Petri scripturam, cum testetur, se majorem partem illorum, quæ scribit, hausisse* ex scriptis ejusdem reverendi patris D. Petri. *Quare omnino existimo, apologiam illam esse alterius, quam Petri, et exteriorem illum titulum codici fuisse adscriptum ab aliquo, qui non satis noverat scripturam illam ejusve auctorem.*

in quo auctor anonymus cum Beatam ipsam,

5 *Quæ autem fuerit occasio scripti illius concinnandi, abunde colligitur ex laudata Petri Lucensis Epistola. Hic enim inter alia signa sanctitatis* B. Helenæ *recenset, quod multi eidem etiam* E *post mortem obloquerentur, hæc Latine scribens post alia:* Virginis autem hujus vita et etiam mors cum persecutionis tempestatibus semper hactenus fuerit agitata, adeo ut incredibile dictu sit (ut de vita nunc sileam) quantus qualisque sit post mortem adversantium malignantiumque hostium numerus, famæ, sanctitati, vitæ ejus, rabidis morsibus detrahentium, sævissimeque in eam debacchantium, eorum, inquam, quibus vita illius, sanctimonia, heroïci mores, illustriaque facta fuere occultissima, ut merito concludi possit, mundum cum hac Sponsa Christi nihil habere commune; alioquin suffrageretur, faveret, defenderet. Cum ex adverso omnes ipsius Virginis patres probatissimæ vitæ et nominis, quibus tota Vitæ illius series, finis, propositum, gesta fuere perspecta; omnes præterea probi cives et primates urbis, quibus aliquid vitæ ejus vel gratiarum fuerat impertitum, sanctitatem ejus attestentur, et faveant. *Tum ait, illam persecutionem a Beata, dum viveret, fuisse prædictam.*

tum scripta de ejus gestis defendere studet;

6 *Et mox asserit, excitatam fuisse* ab his præcipue, quorum intererat vitæ innocentiam et integritatem tutari, et in ejus defensionem arma sumere, ut sunt, *inquit,* aliqui ecclesiæ prælati, nonnulli Reli- F giosi, spiritualis vitæ titulo insigniti, sufferre non valentes in ea sanctitatis et virginitatis nomen. *Ex hisce quidem laudatus Petrus concludere nititur sequentia:* Quæ omnia mihi inconcussam fidem faciunt, Deo acceptissimam, et ejus oppletam muneribus. *Verum, ut sanctos* B. Helenæ *mores minime negavero, sic non admisero sanctitatem ipsius recte inferri ex multitudine obloquentium post mortem. Quin potius existimo, oblocutos fuisse viros prudentes, quia discipuli et amici Beatæ statim post obitum ipsius multa vulgabant prorsus incredibilia, ut obloquentes magis improbarent ridiculas fabulas, quæ de Beata vulgabantur, quam mores aut gesta* B. Helenæ. *Si qui vero ipsam quoque Beatam fortasse liberiori censura perstrinxerint, id factum fuerit, quia ineptiæ, quæ vulgabantur, ipsi Beatæ attribuebantur ab illis, qui eas ex ore ipsius habere se dictitabant, tamquam eidem revelatas, et ab ipsa directoribus conscientiæ suæ manifestatas. Certe adeo incredibilia sunt, quæ de* B. Helena *ejusque revelationibus*

A *velationibus primum fuerunt verbis jactata, et mox scriptis consignata a Petro Lucensi, ac deinde uberius in Vita prolixiore, ut mirari nequeam, Bononienses prudentiores et veri amantiores, quibus etiam accesserunt Romani, ut ex Vita prolixiore liquet, id genus sermonibus et scriptis fuisse offensos.*

at secundum efficere nequit. Vita prolixior

7 *Itaque auctores ejusmodi assertionum apologeticum scriptum præmittendum censuerunt, priusquam prolixior Vita, aut Opus aliquod de Beatæ revelationibus componeretur. At illa Apologia, Italice scripta, numquam sufficiet apud prudentes ad fidem conciliandam omnibus istis, quæ in Beatæ Vitis fuerunt imprudenter asserta. Ipsa potius Apologia non pauca habet, quæ numquam fidem invenient apud viros vel mediocriter doctos et criticos, præsertim cum multa solum jactentur, et audacter asserantur sine idonea probatione, etsi talia sint, ut alia gravissimis testimoniis fidem vix invenirent, alia nullis hominum testimoniis credibilia fierent. Ex illa tamen Apologia, cum Vitis collata, colligi posse videtur commentitia illa asserta, quibus Vitæ abundant, non esse attribuenda dictis* B. B Helenæ, *sed illorum levitati, qui ex obscuris Beatæ verbis multa improbabilia sine judicio asseruerunt, ut ostendam inferius. Jam vero post dictam Apologiam scriptam est Vita prolixior ab auctore anonymo, qui nullibi insinuat, Beatam sibi familiariter fuisse notam. Profitetur ille, omnia se haurire ex scriptis illorum, qui* B. Helenam *noverant, multaque ex ore ipsius didicerant, ut fortasse non fuerit plane contemporaneus, sed suppar, aut puer fortasse vel adolescens, dum illa supremum obiit diem.*

cujus forte auctor Pompeius Vizzani, non edenda.

8 *In litteris P. Joannis Baptistæ Scorza, Rectoris Bononiensis Societatis Jesu, qui monumenta illa omnia Majoribus nostris transmittenda curavit, datis anno* 1630, *die* XVI *Februarii scriptor prolixioris illius Vitæ dicitur dominus Pompeius Vizzani, nobilis Bononiensis, avus unius e magistratibus Bononiensibus illius temporis. Idem igitur fuerit Pompeius Vizzani, qui Historiam Bononiensem Italice conscripsit, anno* 1602 *impressam. Laudatus Scorza de auctoritate illius Vitæ subjungit, Canonicos Regulares S. Joannis in Monte asseruisse, Vitam fuisse compositam ex documentis tabularii sui, quæ non omnia amplius inveniebantur,* fortasse, *inquit,* quod non essent restituta. *Forte etiam, quod auctor aliunde documenta quædam habuisset, aut ex acceptis plus collegis-* C *set, quam illa continebant, ut nonnulli scriptores non raro faciunt, conjecturas formando easque liberaliter asserendo. P. Jacobus Quaille S. J., qui dictam Vitam pro Majoribus nostris acceperat, de eadem anno* 1630 *Roma, ubi tunc degebat, hæc scripsit sequentia:* Jam habeo apud me Vitam B. Helenæ Bononiensis, Italice descriptam in folio viginti sex quaternionum, ac proinde mittendam... suo tempore. Non est quod illa retardet Opus a R. V. susceptum, quia omnium judicio non videtur in lucem edenda, saltem eo modo, quo scripta est, atque ideo forte hactenus fuit suppressa. *Hisce autem perspectis, Vitam quoque ipsam studiose perlegere volui, ut saltem probabiliora fragmenta Latino sermone lectoribus communicarem, si videretur expedire. Verum, perlecta Vita tota, ab eo etiam consilio discedo. Quamvis enim dubitare nequeam, quin nonnulla contineat vera, difficillimum tamen est vera secernere a falsis, et pleraque videri debent dubia, cum omnia eodem enuntientur modo, illa etiam, quæ certo sunt falsa.*

9 *Itaque solum breviter examinabo aliquot utriusque Vitæ capita, quod videam, illa fuisse adoptata a nonnullis scriptoribus, quorum Opuscula habentur impressa. Primum est de natalibus Beatæ, de quibus ita scribit Petrus Lucensis:* Fuit hæc Virgo... magni Turcarum imperatoris... filia, et eodem, quo nata est, die ministerio angelico transvecta, illicque loci reposita, ubi sui reputati parentes habitabant; eorumque nata, quæ eodem orta erat die, Constantinopolim in cunis transportata, unde illa sublata fuerat. *Auctor anonymus (sic eum vocabo, sive ille sit Pompeius Vizzani, sive alius) Vitæ prolixioris a natalibus ejusmodi similiter orditur, disseritque satis prolixe, ut ostendat,* B. Helenam *revera Turcarum imperatoris filiam fuisse. Verum pro re adeo incredibili nihil affert argumenti, nisi revelationem* B. Helenæ, *ut vult, factam. Ad ipsam vero revelationem probandam varia affert, nimirum Beatam aliquot personis dixisse, se Bononiensem non esse, sed peregrinam; eos non esse parentes suos, qui pro parentibus habebantur, sed alios. Paucos etiam nominat, quibus ait ipsam dixisse, filiam se esse imperatoris Turcarum, idemque argumentum repetit deinde in Vita. At numquam mihi persuadebunt Vitæ scriptores, Beatam omnia dixisse, quæ ipsam dixisse asserunt, cum sibi ipsi manifeste non raro contradicant.*

AUCTORE J. S.

Asserta ridicula de patre quem Turcarum imperatorem volunt.

E

et de pluribus, quos Beatæ consanguineos facit anonymus:

10 *Circa ipsos natales manifeste falsa et incredibilia dicentem facit Anonymus. Nam ait, Leonardum Venetum, Canonicum Lateranensem, anno* 1518 *ad* B. Helenam *tulisse effigiem Mahometis II, quem ille* patrem Helenæ certo existimabat, quamvis, *ait auctor,* numquam id ipsa clare alicui exposuisset. *Deinde ait Leonardum instituisse, ut aliquid expiscaretur de patre;* Helenam *vero respondisse, in illa imagine tam clare se intueri effigiem et formam patris et matris suæ, quam manum propriam,* quam *inquit,* aspiciebat. *Post alias nugas quas mitto, facit dicentem, scrupulis agitatam fuisse, quod aliquando dixisset,* quinque annorum *fuisse se, dum transferretur, quandoquidem ipso die natali fuisset translata. Hunc vero scrupulum ipsi exemptum, narrat auctor, revelante ipsi Domino, ipsam tempore translationis tantum accepisse intellectum, quantum habet quinque annorum puella.* Inde deinde inferebat, *inquit Anonymus,* dicens: Et hac de causa recordor, propriis oculis me vidisse patrem et matrem meam, multaque alia, de quibus claram habeo memoriam. *Mox, instante Leonardo, ut aliquid de matre sua diceret, respondisse asseritur, matrem suam fuisse Christianam. Ex Christiana autem matre infert auctor, ipsam fuisse ex domo Palæologorum, et hac de causa vult,* Helenam *fuisse consanguineam marchionis Monferratensis, quod eidem quoque revelatum asserit. Addit mox auctor alios* B. Helenæ *consanguineos, ex revelatione notos, ut ait. Fuit nimirum ex familia S. Catharinæ virginis et martyris, ex familia S. Petronii episcopi Bononiensis, ac demum ex familia beatissimæ Virginis Mariæ. Hæc Anonymus.* F

figmenta illa nequaquam Beatæ attribuenda,

11 *Mirabitur studiosus lector, nec immerito, si ejusmodi nugas voluero refutare, cum sufficiat illas recitasse. Lubet tamen pauca observare ex quibus colligi videtur, ridicula illa asserta non esse ipsius* Helenæ, *sed illorum potius commenta, qui Beatam omni ex parte mirabilem facere voluerunt. Utrum occasionem illa comminiscendi sumpserint ex ambiguis* Helenæ *dictis, an alio modo decepti fuerint, non disputo. Si credimus Anonymo, aliquis* certo existimabat, *Mahometem II esse patrem* Helenæ, *et illius imaginem afferebat,* quamvis numquam id ipsa clare alicui exposuisset. *Si autem ille rem adeo incredibilem certo credebat sine claro* Helenæ *de ea testimonio, quam de illius viri prudentia opinionem habere possumus, et quomodo*

AUCTORE J. S.

quomodo non merito suspicabimur ipsum multa quæsivisse et interrogasse, ut aliquid audiret, quo opinionem suam imprudentem confirmaret? Quomodo fidem meruisset Beata ipsa; si asseruisset, in imagine Mahometis perspicere se formam patris et matris suæ, recordarique se propriis oculis vidisse patrem Mahometem? Quomodo verum fuisset, quod aliquando dixisse asseritur, quinquennem se translatam, si ipso natali fuisset translata, etiamsi tunc intellectum puellæ quinquennis accepisset? Neque enim puella recens nata quinque annorum esset, etiamsi haberet intellectum puellæ quinquennis. Præterea Anonymus initio Vitæ affirmat, Helenam usque ad annum trigesimum octavum aut nonum ætatis *semper existimasse, iis se natam parentibus, a quibus Bononiæ fuit educata. Quomodo igitur postea recordabatur visi patris Mahometis? Si quid simile umquam dixisset Beata, prudentium virorum fuisset ipsam dedocere. At ego minime dubitavero, quin mera figmenta sint, aut somnia credulæ simplicitatis hominum, alia ex aliis colligentium.*

sed forte ex ambiguis ejus dictis

12 *Petrus Lucensis in laudata Epistola præbet fundamentum cogitandi, multas fabellas profluxisse ex verbis Beatæ non bene intellectis, dum ita scribit:* Prophetiæ etiam spiritus in ea fuit excellens, ut ex innumeris ejus vaticiniis deprehensum est, licet plerumque difficillimum fuerit ejus verba exacte et certe intelligere: tamque insigniter emicuit in ea donum hoc, ac per universam Italiam rei hujus experimentum sensere, ut nequeat ab obstinatissimo etiam hoste negari. *Hæc ille non sine exaggeratione, cum* B. Helena *non videatur multis locis nota fuisse extra Bononiam; cumque in Vitis diligenter perlectis clara prædictionis propheticæ exempla non deprehenderim. Verum omissa illa exaggeratione, consideremus solum* plerumque difficillimum fuisse Beatæ verba exacte et certe intelligere. *Etenim debuissent familiares* B. Helenæ, *qui modo ipsius* patres, *modo* filii *vocantur et ex quorum assertis omnia fere in Vitis relata profluxerunt, cautiores esse, quam ut verba ambigua, quorum sensum* certo *intelligere non poterant, suo ingenio exposita in vulgus spargerent cum hac imprudentia factum sit, ut multi se opponerent, dicerentque, non esse vaticinia, quæ illi verbis et scriptis* B. Helenæ *attribuerant.*

male ab auctoribus collecta.

13 *Hinc auctor Apologiæ circa medium fateri debuit, multa alio sensu fuisse dicta ab* Helena, *quam fuerant intellecta et exposita. Ubi enim asseruerat, nihil non fuisse impletum in sensu intento a Deo revelante, quod certissimum est, admissa ipsa Domini revelatione; subjungit:* Hoc dictum sit de sensu verborum, quæ subinde aliter fuerunt intellecta, quam in lumine divino erant revelata. *Et mox:* Unde multæ revelationes Domini sunt sub conditione, multæque defectu conditionis positæ non sunt impletæ, ut videntur sonare. Aliæ suo velamine et obscuritate tam difficiles sunt, ut a creatura rationali vivente non sint intellectæ, ut in sanctis prophetis antiquis perpetuo apparet. Multæ etiam fuerunt a Deo revocatæ ob mundi indignitatem, et occulta Dei judicia: quemadmodum etiam subinde, dum de se loquebatur, credita est loqui ex lumine prophetico. Itaque mirum non videatur, si aliquot vicibus aliter contingere videatur, quam fuerat intellectum, aut si id postea audiatur. *Ejusmodi excusationibus etiam utitur Anonymus auctor Vitæ prolixioris. Præterea clarum est non modo ex Vita prolixiore, sed etiam ex Epistola Petri Lucensis, nonnulla statim post mortem Beatæ jactata et scripta fuisse, tamquam prædicta ab ipsa* Helena, *quæ necdum evenerunt, et partim amplius evenire nequeunt. Jam vero si ausi sunt leviter scribere futura, quorum falsitas poterat postea deprehendi, quam fidem merentur de præteritis, iisque sua insolentia plane incredibilibus, quæ eadem libertate asseruerunt, reclamantibus tunc temporis ipsis magna ex parte Bononiensibus?*

Alia nonnulla asserta incredibilia.

14 *Hac de causa solo silentio prætermittam multa biographorum asserta, quæ pertinent ad eximiam* B. Helenæ *excellentiam, nec examinabo, an more beatis cæli civibus usitato viderit divinam essentiam, quoties fere desiderabat, ut imprudenter asserit et subinde repetit Anonymus. Non excutiam, an* postquam in lucem prodiit, *fuerit* a Domino sanctificata, *ac postmodum* nunc sub columbæ, nunc sub ignis forma *Spiritum sanctum acceperit, ut habet etiam Petrus Lucensis. Non investigabo prolixius, an* sine corde proprio per multos annos ante mortem *vixerit, ut rursum affirmat laudatus Petrus, allegans* testes quinque sub eodem Ordine degentes, *qui viderint, aperto post mortem corpore, loco cordis inventum esse aliud quidpiam a corde diversum. At non erant alleganda hic Religiosorum testimonia, sed medicorum, qui secundum Anonymum quinque adfuerunt; et mirati quidem sunt, cor* Helenæ *in aliquibus ab usitatis cordibus differre; sed non dicuntur asseruisse, illud cor non fuisse. Tandem non excutiam innumeras visiones, prædictionesque obscuras, et alia bene multa mirabilia, quæ in Vitis leguntur, contentus breviter dixisse, mire omnia videri supra verisimilitudinem exaggerata, ideoque malle me omnia omittere, quam prolixas texere disputationes, lectoribus nihil profuturas.*

Breve vitæ et gestorum compendium:

12 *Quapropter brevissimum dabo Vitæ compendium. Nata est* B. Helena *Bononiæ, et patrem habuit* Silverium Duglioli, *notarium Bononiensem, matrem Penthesileam Boccaferri, item Bononiensem, quorum vitæ integritatem commendat Anonymus. Nata autem est secundum Anonymum anno* 1472, *et prioribus potius, quam posterioribus, anni mensibus, ut collige ex ætate, quam eidem attribuit. Multa pietate in annis puellaribus ornatam fuisse, et summa obedientia matris suæ mandatis obtemperasse refert auctor Anonymus. Hic item narrat, votum virginitatis ab eadem ante nuptias nuncupatum. At ego magis mihi persuadeo, desiderio quidem servandæ virginitatis flagrasse Puellam, idque firmiter diu eidem fuisse propositum; sed voto adstrictam fuisse vix credere possum, cum ille multa referat, quæ cum tali voto ægre consistere possunt. Dici poterit, ea pro falsis habenda: neque difficulter admisero, incerta mihi videri omnia, quæ inter matrem et* Helenam *facta narrat auctor ante contractas nuptias. At saltem nuptiæ ipsæ nequaquam sunt dubiæ, sed certæ: nec ad eas coactam violentia matris vult auctor; at post nonnullam repugnantiam, demum in eas consensisse* Helenam *ait Anonymus, quando mater non amplius urgebat, sed plenam eidem relinquebat libertatem. Nuptias autem contraxit, ut alibi ait, agens annum ætatis decimum septimum, cum Benedicto ab Oleo (Italice* dall' Oglio) *qui a quadragesimo ætatis anno non longe aberat; cum eoque vixit annis fere triginta, in summa pace et concordia. Post mortem mariti, ultimos vitæ annos transegit vidua, et defuncta est anno* 1520, *die* XXIII *Septembris. Sepulta est honorifice, et magno cum populi concursu, in ecclesia S. Joannis in Monte, et in sacello S. Cæciliæ, quod suis sumptibus dicitur extruxisse.*

certa non videtur virginitas Beatæ in conjugio:

16 *Ceterum* B. Helena *passim hoc tempore* Virgo *vocatur a scriptoribus Bononiensibus, quia Vitæ*

A *tæ scriptores asserunt, ipsam cum marito etiam virginitatem servasse, et conjuges mutuo consensu ab actibus conjugalibus abstinuisse. Scio sane, nonnullos reperiri viros et mulieres sanctas, quæ in matrimonio illibatam conservarunt virginitatem, ideoque lubens agnosco, hanc minime incredibilem esse, dum asseritur a testibus fide dignis. Verum quanto attentius considero asserta Petri Lucensis de virginitate in matrimonio servata a* B. Helena, *omniaque adjuncta de modo vivendi et agendi cum marito, quæ fuse referuntur in Vita prolixiore, tanto minus virginitatem ipsius certo asserere ausim. Hac de causa* B. Helenam *non vocavi* virginem, *licet nolim absolute negare, virginem permansisse in conjugio; sed solum dubitem de virginitate, cum ob fidem non satis probatam testium, qui illam asserunt; tum ob alia multa ab illis testibus relata, quæ facturam fuisse* Helenam *difficulter credam, si virginitatem in matrimonio servare voluisset, et maritum proposito suo habuisset consentientem.*

17 *Quare plura hac de re non disputabo, prætermissisque omnibus excellentiis, quibus Vitæ scriptores* B. Helenam *beatissimæ Virgini Mariæ in multis similem facere voluerunt, solum observo, ad laudem Beatæ multum conducere testimonium Petri Lucensis: quo ait, existimare se immunem semper fuisse a peccato mortali, opinionem suam confirmans his verbis:* Cujus rei ego ipse, qui infra sexdecim annorum spatium ejus spiritualem curam gessi; cujusque generalem totius Vitæ confessionem sæpissime audivi, testis sum, et pie credo ita fore. Item testantur et plures alii ipsius patres probatæ vitæ, qui adhuc supersunt; cum in ea nihil umquam divinæ offensæ deprehenderimus, quod genus venialis maculæ excedat. *Si plura non addam de* B. Helena, *velim ignoscat studiosus lector. Neque enim mihi defuit diligentia ad omnia studiose perlegenda, nec bona voluntas ad Vitam etiam totam Latino sermone dandam. Verum, omnibus consideratis, hanc potius brevitatem præferendam credidi; imo maluissem ab omni prosus gestorum examine abstinere, si gesta aliqua non fuissent asserta in libris vulgatis.*

AUCTORE J. S. *vitæ innocentia.*

B DIES VIGESIMA QUARTA SEPTEMB. E

SANCTI, QUI VIII KAL. OCTOBR. COLUNTUR.

Sanctus Andochius presb.
S. Thyrsus diaconus
S. Felix, martyres apud Sidolocum in territorio Augustodunensi in Gallia.

S. Terentius Mart., Pisauri in ducatu Urbinate.

S. Paphnutius et Socii martyres in Thebaide.

S. Rusticus Episc. Conf., Arvernis in Gallia.

C S. Ama virgo, Jovisvillæ in Campania Gallicana.

S. Geremarus abbas, Flaviaci in Insula Franciæ.

S. Chunialdus presb.
S. Gisilarius presb. Salisburgi in Germ.

S. Gerardus episc. mart., prope Danubium in Hungaria.

S. Ysarnus abbas S. Victoris, Massiliæ in Provincia Galliæ.

B. Dalmatius Monerius conf., ex Ordine Prædicatorum, Gerundæ in Catalonia. F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Priscilla *apud Rabanum hodie breviter* Romæ *memoratur, consentiente Bedæ Martyrologio, prout excusum est cum multis additionibus. Suspicor, annuntiatam occasione Liberii Papæ, qui in* Priscillæ *cœmeterio sepultus est, et designari S. Priscillam matronam Romanam; de qua actum est apud nos ad* XVI Januarii.

S. Venerandus *episcopus Arvernensis ad hunc diem refertur a Ferrario, datus apud nos* XVIII Januarii.

B. Benedicti, *Ordinis Vallis-umbrosæ, meminerunt Dorganius et Menardus, sed neuter assignat locum ubi vixit aut defunctus est: prior tamen* abbatem *vocat. Bucelinus plura de* Benedicto *memorat: unde video, designari illum Ordinis Vallumbrosani* Benedictum, *de quo apud nos actum est ad* XX Januarii.

Festivitas B. V. Mariæ de Mercede *celebratur hoc die in ecclesiæ Officio ritus duplicis; sed ea differtur ad Opus particulare de beatissima Virgine Dei Matre concinnandum. Interim videri possunt dicta de institutione Ordinis B. M. V. de Mercede in Vita S. Petri Nolasci ad* XXIX Jan.

S. Abelis, *ut abbatis Laubiensis, translatio recurrit in duobus Kalendariis Mss. Antverpiensibus, nimirum abbatiæ S. Michaëlis altero, altero S. Salvatoris. Non alius est* Abel *quam archiepiscopus Remensis, de quo actum ad* V Augusti.

S. Walburgis V. *translatio est in Florario Ms. Acta data sunt ad* XXV Februarii.

S. Joannellus *aut* Johannettus *puer a Judæis occisus, hodie annuntiatur apud Gelenium. At de eo jam actum est ad* XXIV Martii.

Ruperti episcopi et martyris *mentio est apud solum Grevenum. At, cum non memoret ille translationem*

A tionem S. Ruperti *Salisburgensis, quam varii recentiores annuntiant, non existimo Grevenum de alio loqui* Ruperto, *sed ex errore martyrem credidisse. Alii recentiores, qui* S. Ruperti *meminerunt sine mentione translationis, uti etiam sit in Calendario Stabulensi apud Martenium* S. Ruodberti episcopi *memoria, non sunt censendi de alio, quam de Salisburgensi agere. De eo apud nos ad* XXVII Martii.

S. Innocentii *episcopi Dertonensis* ordinatio *memoratur a Ferrario, ut jam dictum ad Acta data* XVII Aprilis.

S. Joannis Baptistæ conceptio *ad hunc diem exprimitur in omnibus Martyrologiis antiquis Latinis, et in pluribus etiam recentioribus. Videri possunt dicta ad Sancti Acta* XXIV Junii.

Hermannus Contractus, *scriptis notissimus, ad* 19 *Julii apud Bucelinum vocatur* Beatus. *Addit tamen* : Alii festum ejus 24 Septembris recolunt. *Hac de causa ulterius examen de cultu huc remissum fuit. Habetur revera hac die in Necrologio S. Galli ; sed illud non importat cultum publicum. Aliunde vero non habeo indicia cultus* B Hermanni, *cum intellexerim, ipsum saltem non coli in abbatia Richenoviensi, ubi fuit monachus. Mabillonius sec.* 6 *Actorum Ord. S. Benedicti part.* 2 Hermannum *in Prætermissis tantum memorat, et in Annalibus tom.* 4 *pag.* 549 *mortem ejus refert ad annum* 1054, *sed sine ulla mentione cultus ipsius ecclesiastici. Quæ oriri potest suspicio ex dictis Bucelini de reliquiis, jam sublata est in Prætermissis ad* XIX Julii.

S. Gaugerici *episcopi elevatio annuntiatur* Cameraci *apud Molanum, Ferrarium, et in aliquot Kalendariis Mss. Acta data sunt ad* XI Augusti.

S. Genesii *martyris ad hunc diem mentio fit in Martyrologio Autissiodorensi, ubi annuntiatur* in territurio *(id est territorio)* Biturico Castro Mediolano. *Quæsivi satis diu, an* Genesius *ille ibidem passus videretur, distinctusque esset a Sanctis ejusdem nominis satis notis. At nullum in illo Castro reperire potui, ut verisimiliter sit* Genesius *aliquis ex pluribus, qui noti sunt. Idem existimat Catherinot in Sanctuario Bituricensi pag.* 22. *ubi ait, ecclesiam Castri-Mediolani (Gallice* Chateaumeillan) *dedicatam esse* S. Genesio, *observatque, alterum esse* S. Genesium C *mimum, alterum* S. Genesium *notarium Arelatensem (quibus alii plures addi possunt) et utrumque coronatum esse die, quo de utroque seorsum egimus,* XXV Augusti.

Eusebii, Potentiani, Vincentii, Peregrini, Julii et Pontii, *ut martyrum* Romæ *sub Marco Aurelio, meminit hodie Galesinius. In Martyrologio Romano Gallico, quod anno* 1624 *Leodii impressum est, pro* Potentiano *substituitur.* Prudentianus, *et hic primo loco ponitur. Galesinius in Annotatis insinuat, unde suos acceperit, nimirum in Martyrologio Ms., et ex Annalibus Artimani monachi. Verum nequeo dubitare, quin reduxerit Martyres jam ante memoratos. Ad* 25 *Augusti dedi Acta* SS. Eusebii, Pontiani *(in aliis Actis* Potentiani *dicti)* Vincentii et Peregrini, *qui sunt quatuor primi. In iisdem Actis memoratur* Julius *senator, qui ante alios quatuor occisus est, et colitur* 19 *Augusti, ubi de ipso actum. Itaque jam quinque primos ex iisdem Actis habemus, et solus superest* Pontius, *qui forte* Pontianus *erit, luxato nomine iterum productus. Quidquid sit de* Pontio *illo, videri poterunt Acta aliorum quinque ad* XXV Augusti.

S. Eonii, *sine ullis adjunctis, mentio est in Calendario Stabulensi apud Martenium tom.* 6 *Collect. ampl. col.* 676. *Non novimus hactenus alium ejus nominis Sanctum præter* S. Æonium *episcopum Arelatensem, de quo actum est ad* XXX Augusti. D

Rosæ virginis *mentio fit apud Grevenum, et in Martyrologio Germanico, sine aliis adjunctis. Suspicor, designari* S. Rosam *Viterbiensem, de qua ad* IV Septembris.

Abadirus et Iraja soror ejus martyres *annuntiantur in Fastis Coptitarum ecclesiæ Alexandrinæ apud Ludolfum. Illos plane ignoramus, nisi sit* Heraïs *aut* Rhaïs *virgo Alexandrina, quæ apud Græcos variis diebus memoratur. Habuit illa Socios martyrii non nominatos a Græcis, inter quos frater ipsius esse potuit. De* Heraïde *illa et Sociis egimus ad* V Septembris

S. Lætus, *episcopus Neptensis in Africa et martyr, hodie iterum commemoratur a Castellano. Nos de* Læto *egimus cum Martyrologio Romano ad* VI Septembris.

Quadraginta novem martyrum, *qui* Chalcedone *passi sunt cum S. Euphemia, ad hunc diem in Martyrologio Romano memoriam celebrat Baronius, dicens bestiis objectos fuisse, divinitusque liberatos, ac demum gladio percussos. In Annotatis observat, illorum martyrium describi in Actis S. Euphemiæ. Secutus fortasse fuerit* E *Baronius Galesinium et Maurolycum, qui eadem fere habent, de iisdem quoque egit Grevenus et Canisius in Germanico. Henschenius noster ad* 24 *Aprilis observavit, in Ms. Synaxario Græco bibliothecæ Taurinensis annuntiari* Martyres Chalcedonenses, *qui possent esse quadraginta illi novem. At hoc quoque incertum est, cum videam in dicto Synaxario nihil adjungi. Quapropter, cum de* quadraginta novem *istis Martyribus nihil nobis innotuerit, præterquam ex Actis S. Euphemiæ, in quibus eorumdem prima certamina referuntur, sed mors siletur, ad laudata Acta lectorem remitto, data die* XVI Sept.

S. Lamberti octava *notatur in Ms. Martyrologio. Natalis est* XVII Septembris.

Eustatius *memoratur in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ apud Ludolfum, qui monet, eumdem videri cum* Eustathio, *de quo actum est ad* XX Sept.

Epigeniæ virginis abbatissæ, et Eufemiæ matris F ejus *meminit Grevenus. Consentiunt Florarium Ms., et Martyrologium Germanicum ; sed in hoc prior* Iphigenia, *ut alias passim vocatur ; mater vero in utroque scribitur* Eufenissa. *Cum autem Grevenus addat, de iis agi in gestis S. Matthæi apostoli, nec locum habeant in vetustis Martyrologiis ; nos de iisdem ad Acta S. Matthæi egimus* XXI Septembris.

S. Candidus, *martyr Thebæus, ad hunc diem refertur apud Domeneccum in Opere Hispanico de Sanctis Cataloniæ. Consule Appendicem ad Acta* S. Mauritii *et Sociorum* XXII Septembris.

S. Lolanum *hodie memorat Camerarius. De eo apud nos ad* XXII Septembris.

S. Thecla *V. celebratur hodie in Menologio et Menæis Græcorum, uti et in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ et apud Moscos. Vide dicta ad ipsius Acta* XXIII Septembris.

S. Liberius *Papa in Fastis aliquot hodie memoratur, ut dictum est, ubi gesta ipsius illustrata sunt, ad* XXIII Septembris.

Bernardi *ep. et conf. mentionem facit Florarium Ms. Plures* Bernardi *episcopi sunt Sancti, nec innuit aliquo indicio auctor, quem voluerit designare,*

A *gnare, si id ipse scivit : multa enim corrasit, et nonnulla, quæ non satis habebat perspecta.*

Passio SS. Monachorum martyrum Nonantulæ, *apud Dorganium in Calendario Benedictino memoratur. Eosdem ut Sanctos celebrat Menardus, qui addit ab Hungaris cæsos fuisse. Ferrarius de iisdem meminit in utroque Catalogo suo, sed nihil affert, quo cultus illorum Monachorum probari potest. Ludovicus Vedriani in Opere Italico de Sanctis Mutinensibus de hisce Monachis agit pag.* 66, *quoniam cœnobium Nonantulanum est in agro Mutinensi, et pag.* 68 *ait ipsos coli die* XXIV Septembris, *imo festivitatem ipsorum celebrari,* ut, *inquit,* legi potest apud patrem Philippum Ferrarium in Martyrologio suo de Sanctis Italiæ. *Verum non debebat scriptor Mutinensis Ferrarium allegare pro cultu Monachorum cœnobii Nonantulani, quod facile adire poterat, ut ipse ibidem examinaret, an revera colerentur. Quare laudando Ferrarium, qui cultum non asserit, satis insinuat, festivitatem illorum non aliter celebrari, quam quod* 24 *Septembris Monachorum illorum memoria sit inserta Catalogo Sanctorum Italiæ. At multos*
B *alios Catalogis suis inseruit Ferrarius, et si cultum non habeant. Quare de cæde Monachorum Nonantulani cœnobii poterit consuli Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 3 *pag.* 312, *ubi ad annum* 901 *stragem illam narrat; sed monachos occisos nec* Beatos *vocat nec* Sanctos *aut* Martyres. *Ab illis titulis æque abstinet Muratorius, qui Mutinæ scripsit, in Annalibus Italiæ, ubi de eadem clade agit ad annum* 899 *et* 900. *Quare non credidero facile Claudio Chalemot, in Sanctis Cisterciensibus ad hunc diem asserenti, monachorum illorum* martyrii festum *celebrari, præsertim cum* ab Hussitis *occisos perperam scribat. Plura dabimus, si quis cultum docuerit.*

Maria Vela, *Ordinis Cisterciensis Religiosa in monasterio Abulensi in Hispania, et anno* 1617, *ut notat, defuncta, cum titulo* Beatæ *memoratur apud Henriquez et apud Arturum a Monasterio in Gynæceo. Venerabilis* Mariæ *Vita Hispanice primum, deinde et Italice edita est, quæ videri potest, cum non colatur ut Beata. Nihilo magis nobis constat de cultû aliorum duorum, qui ad hunc diem apud Henriquez et Chalemotum commemorantur. Sunt illi* Nicolaus *episco-*
C *pus Roschildensis, et* Arnaldus *abbas Cisterciensis, memorati etiam apud Saussayum inter pios. In Kalendario excuso Divione ponitur* Gerardus *abbas Eberbacensis.*

Copris *aut* Coprius, *ut monachus et discipulus S. Theodosii cœnobiarchæ, memoratur in Menæis Græcorum impressis et in Menologio, quod Sirletus Latinum fecit. At* Coprium *illum non invenio in Menologio Basiliano, nec in aliis vetustis Græcorum Fastis, nec apud Moscos, qui plerosque habent Sanctos ecclesiæ Græcæ. Latini omnes* Coprium *prætermisserunt, excepto Castellano, qui eum Martyrologio universali inseruit. Præterea in Officio, quod Meneæ exhibent, nihil videtur fieri de* Coprio, *ut elogium quidem habeat in Menæis, non tamen cultus videatur fuisse a Græcis. His de causis omittendum censeo* Coprium, *præsertim cum prolixum elogium, quod eidem in Menæis datur, omnino fabulosum sit, nec quidquam de* Coprio *reperiatur in Vita S. Theodosii cœnobiarchæ, cujus discipulum faciunt Menæa. Ceterum si chronotaxis elogii vera est, vixerit* Coprius *seculo* VI *in Palæstina, ubi eo tempore variæ vigebant hæreses.* D

Eusebii *monachi meminit hodie Ferrarius in Catalogo generali, eumque* Placentiæ *locat. At de illo* Eusebio *nihil dicit in Catalogo Sanctorum Italiæ, et fortasse rectius. Certe in nullo Martyrologio aliove documento fidei satis probatæ* Eusebium *illum Placentinum reperire potui. Ferrarius quidem in Annotatis ea affirmat, quæ nullum relinquerent dubium, quin* Eusebium *aliquem coluerint Placentini; si ipsa Ferrari asserta nobis indubitata viderentur. Verum non raro deprehendimus, scriptorem illum plura asserere, quam satis noverat : nec desunt rationes suspicandi, id ipsum contigisse in assertis de* Eusebio; *cum Petrus Maria Campi, canonicus Placentinus, in Historia ecclesiastica Placentina lib.* 5 *ad annum* 429 *de* Eusebio *agat adeo dubitanter et jejune, ut dicta Ferrarii destruat magis, quam confirmet, et mihi minime persuadeat,* Eusebium *aliquem Placentiæ cultum fuisse, distinctum ab aliis ejusdem nominis Sanctis, quos habent variæ civitates Italiæ. Ughellus tom.* 2 *Italiæ sacræ in S. Mauro, qui tertius est in Catalogo episcoporum Placentinorum, edidit scriptum aliquod; in quo dicitur fuisse Placen-* E
tiæ altare S. Eusebii monachi, cujus festivitas est in Conceptione S. Joannis Baptistæ, *id est, die* XXIV *Septembris. Majorem partem illius scripti recitavi ad* XIII *Septembris in S. Mauro episcopo, ibique ostendi breviter, non esse tale illud scriptum, ut fides eidem tuto haberi possit. Attamen ex eo scripto orta videntur, ea, quæ de* Eusebio *Placentino apud Campium leguntur : nam pag.* 132 *asserit, ipsum in Conceptione S. Joannis Baptistæ, sive* XXIV *Septembris fuisse defunctum. Addit, quod in illo scripto non legitur, sepultum fuisse a S. Mauro. At neque altare ex allegato scripto fit certum, nec festivitas die* 24 *Septembris celebrata, nedum mors eo die obita. Asserunt præterea Ferrarius et Campius pag.* 141, *corpus* S. Eusebii *quiescere in ecclesia S. Savini, allegatque ex tabulario S. Savini scriptum aliquod, in quo dicitur :* In qua quidem præsenti ecclesia *(S. Savini)* etiam quiescunt S. Eusebius monacus *etc. Verum, cum ibidem fatetur, hodie ignorari, quo ecclesiæ loco corpora* Eusebii *et aliorum, quos ibi memorat, deposita fuerint; ipsa existentia corporis* Eusebii *in ecclesia nequit fieri certa ex scripto* F
ignoto, et verisimiliter non admodum vetusto; fatente ipso Campio de existentia Eusebii *in illa ecclesia nullum aliud haberi vetustum documentum. Præterea recensens quinque alios Sanctos, quorum corpora dicuntur servari in ecclesia S. Savini, diem festivitatum singulorum assignat, non vero* Eusebii. *Habemus Officia particularia ecclesiæ Placentinæ, impressa* 1635; *sed nullum ibi Officium, nulla festivitas* Eusebii *alicujus Placentini, licet Officia multorum aliorum, quorum corpora in ecclesia S. Savini requiescere creduntur, ibidem inveniam. Itaque nequeo non dubitare de corpore servato in ecclesia S. Savini, et de cultu ibidem asserto. Si vero de utroque constaret, necdum certo haberemus* Eusebium *Placentinum; sed merito dubitaremus, an non esset alterius cujuspiam civitatis* Eusebius, *qui Placentiæ fuisset cultus. Nam plures civitates inter episcopos suos habent Sanctum aliquem* Eusebium; *Roma etiam presbyterum, et vicina Placentiæ Cremona habet S. Eusebium monachum in Palæstina defunctum, qui olim Placentiæ*

A *centiæ ob nonnullas reliquias coli potuisset, si de cultu particulari alicujus* Eusebii *ibidem constaret.*

Gregorius de Beldico, *Ordinis Minorum, in* Aprucio *memoratur apud Arturum a Monasterio in Martyrologio Franciscano, ubi adduntur et alii plures ejusdem Ordinis. Omnes ille de more* beatos *vocat; sed nullum ex relatis hodie invenio, qui honoratur cultu publico, nec ulli titulum* Beati *attribuit Fortunatus Hueberus in Menologio. Verumtamen Jacobillus in Sanctis Umbriæ duorum ex illis cum eodum titulo Vitas concinnavit, videlicet* Bernardi a Gualda *et* Joannis Teutonici. *Dum autem pro omni argumento cultus publici allegat Martyrologium Franciscanum, satis ipse ostendit, eos cultu publico carere: neque enim scribens in Umbria, et de Sanctis Umbriæ, recurrere debebat ad scriptorem Gallum, qui omnes indifferenter* beatos *vocat, ut intelligeret, an viri pii in Umbria defunti cultu publico honorarentur: sed id ipse certius in locis singulis aut per se aut per amicos investigare poterat. At jam dudum animadverti, suffecisse Jacobillo, ut aliquem* Beati *titulo do-* B *naret, si illum ab alio* beatum *quocumque modo reperisset vocatum; nec investigasse, an recte* beatus *fuisset dictus. Qua de causa auctoritas Jacobilli nobis in hisce major non est, quam Arturi; nec illa suffecisset Fremauto, qui in Vita Belgica* Joannis Teutonici *ad hunc diem similiter* Beati *titulo utitur, Jacobillum allegans; si severo examine stricte Beatos, quibus Ordo Franciscanus abundat, a personis venerabilibus separasset.*

Roberti *abbatis et confessoris memoria est in Florario Ms. Verum certo non spectat ad hunc diem; cumque locus non addatur, ignoro, de quo ex pluribus* Robertis, *qui abbates fuerunt, loqui voluerit auctor.*

Samuel de S. Thecla, *Ordinis Carmelitarum,* in Papienso Carmelo, *id est, in monasterio Carmelitarum Ticini, anno* 1650 *hoc die obiisse dicitur, et tam in vita quam post mortem miraculis claruisse. Ita habent annotationes Mss., quas Patres Carmelitæ olim Majoribus nostris communicarunt, et in quibus* Beatus *vocatur; sed illum titulum eidem attribuere non possumus, antequam oraculo Sedis Apostolicæ Beatis fuerit annumeratus.*

C Domana *aut* Domania, *uxor S. Geremari postea abbatis, cum titulo* Beatæ *annuntiatur ab Arturo a Monasterio in Gynæceo, ubi et cultum videtur asserere. Atlegitimum* Domanæ *cultum non probari, dicetur hodie in Annotatis, ad Vitam S. Geremari* **abbatis.**

Veronæ V. M. *meminit Florarium Ms., sine aliis adjunctis. Hanc* Veronam *non novimus nisi forte sit* Verena *V. M., quan die* I *Septembris dedimus; (nam hæc aliquando* Verona *scribitur) aut* Verona *virgo, de qua egimus ad* 29 *Augusti; sed hæc ibi non dicitur* martyr. *Quidquid sit, non spectat ulla ad hunc diem* Verona.

Sleswicensium reliquiarum festivitas, *ad hunc diem notatur in Breviario Sleswicensi, impresso anno* 1512.

Silvester Ordinis Minorum, *nescio quis, memoratur in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum. At nullum hoc die* Silvestrum *exhibent martyrologi Franciscani; aliis vero diebus plures ejusdem nominis venerabiles.*

Ocialdus, *abbas Centulensis in Pontivo, et successor S. Richarii, a quo modo abbatia Centulensis passim* S. Richarii *vocatur, annuntiatur in Mss. Kalendariis Antverpiensibus S. Michaëlis et S.* D *Salvatoris. In Vita S. Richarii apud nos tom.* 3 *Aprilis pag.* 446 Ocioaldus *vocatur, diciturque successor S. Richarii, vir religiosus et sanctus. Hæc forte et alia similia suffecerint collectori Kalendarii: sed ea solum referuntur ad mores, nec cultum insinuant.*

Germani abbatis *mentio est in Florario Ms. Pro* Geremari *de quo hodie agimus, scriptum fuerit* Germani; *ut factum certe est in Martyrologio Germanico. Idem apud Molanum* Germarus *scribitur, et apud Grevenum* Genianus.

S. Anatholo *episcopus, ut Brixiensis, hodie est in Catalogo generali apud Ferrarium; at sequenti die, ut Mediolanensis in Martyrologio Romano* xxv Septembris.

Fimberti episcopi *sine loco meminit Grevenus. Erit ille verisimiliter* Findbarrus *episcopus, de quo agendum ad sequentem diem* xxv Septembris

S. Lupus *episcopus Lugdunensis in aliquibus Martyrologiis est ad hunc diem: at in pluribus et in Romano ad sequentem* xxv Septembris.

S. Anthilia *V. M., ad hunc diem* Aretii *annuntiatur apud Ferrarium in utroque Catalogo. At documenta Aretio huc missa habent, ipsam,* E *coli die* xxv Septembris.

S. Solennis *episcopi memoria hoc die in variis Martyrologiis, ut latius dicetur ad sequentem, quo est in Romano,* xxv Septembr.

Julianus, Christophorus, Laurentius, Martialis, Victor, *et alii decem martyres, hodie nominatim exprimuntur in Fastis Hieronymianis Florentinii, quibus codices Corbeiensis et Epternacensis utcumque consonant; at locus martyrii ubique omittitur: in contractioribus Hieronymianis aliisque antiquis Martyrologiis de hisce fere nihil invenitur. Nudum* Juliani *nomen legitur in Augustano, Labbeano et Gellonensi. In solo Autissiodorensi apud Martenium tom.* 6 *collect. amp. col.* 722 *habetur:* Et alibi Juliani, Christophori, Laurentii. *Omissio loci statim mihi suspicionem præbuit de Martyribus a die suo avulsis, eaque suspicio crevit silentio omnium martyrologorum medii ævi. Diu quærendum fuit, ut nonnulla horum Martyrum vestigia alibi reperirem, quod duo priores nullibi cum reliquis conjungantur. Existimo tamen, me eorum-* F *dem Martyrum classem tandem invenisse ad* 28 *Septembris in ipsis Fastis Hieronymianis, in quibus* Laurentius, Martialis, *aliique plures hodierni conjunguntur cum pluribus anonymis, et* in Africa *annuntiantur. Eosdem Martyrologio Romano brevius inseruit Baronius eodem die. Quare de omnibus disseri poterit ad* XXVIII Septemb.

Gargilium *martyrem, sine aliis adjunctis, hodie memoravit Castellanus. Reperitur* Gargilius *in classe Martyrum modo memorata ex Hieronymianis, ex qua illum sumpsisse videtur Castellanus. At idem quoque luxato nonnihil nomine invenietur ad* XXVIII Septembr.

S. Vulgisus *hodie, ut* martyr, *annuntiatur apud Saussayum, et ut cultus* Firmitate Milonis *in Campania Gallica. Eumdem, ut* confessorem *annuntiat Castellanus die* 1 *Octobris, ubi examinari poterit, an distinctus videatur a* Vulgiso *episcopo et abbate Lobiensi, de quo apud nos ad* 4 *Februarii actum. Exspectet itaque lector dicenda ad* I Octobris

Trium corporum ex Societate S. Ursulæ translatio *hodie annuntiatur apud Gelenium. De iis agetur in S. Ursula etc. ad* XXI Octobris.

Cletus *confessor,* Tibure in Latio, *annuntiatur apud*

A *pud Ferrarium in utroque Catalogo, sed fatetur, nihil de eo innotuisse, et modo ad hunc diem* Cletum *coli, modo ad* 24 *Octobris dubitanter insinuat. Si Tiburtini revera* Cletum *aliquem confessorem colant, et non erraverit Ferrarius, ut suspicor ex silentio scriptorum Tiburtinorum, quos consului, gratissimum nobis fuerit per eruditum aliquem de* Cleto *illo instrui, ut de eo agere possimus ad diem, quo iterum memoratur a Ferrario,* XXV Octobr. D

S. Othmari *abbatis translatio memoratur in Fastis Benedictinis, et apud Ferrarium in Catalogo generali. Memoria* S. Othomari *Martyrologio Romano adscripta est die* XVI Novembris.

S. Winibaldi *abbatis translatio annuntiatur in Martyrologio Anglicano, in variis Benedictinis, et apud Ferrarium. Colitur* S. Winibaldus XVIII Decembris.

DE SS. ANDOCHIO PRESB., THYRSO DIACONO.

ET FELICE MARTYRIBUS

APUD SIDOLOCUM IN TERRITORIO AUGUSTODUNENSI IN GALLIA.

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS

E C. S.

§ I. Celebris Sanctorum in sacris Fastis memoria : notitia palæstræ eorum : Actorum varia apographa.

PROBABILIUS SUB CARACALLA. *Hi sancti martyres*

Horum *trium illustrium Galliæ in Æduis Martyrum celebris hoc die, quo coluntur, memoria est in vetustis æque ac recentioribus Martyrologiis, quorum aliqua subjicio. Inter Hieronymiana Antverpiense, sive Epternacense, apud Franciscum Florentinium ad hunc diem sic habet;* In Gallia, civitate Augustidunensi, vico Sedulo, natalis sanctorum Andochii, Tyrsi et Felicis martyris. *Gellonense a Luca Dacherio tom.* 13 *Spicilegii editum eodem die ait:* Augustiduno Sedulo, Andoci, Tirsi, Felicis mart. *Deinde vero pag.* 426 *monet editor, in alio ejusdem Martyrologii exemplari monasterii S. Galli pro* Sedulo Andoci *legi* Sedeloco vico, Andacii, *quæ posterior* C *lectio in palæstra correctior est, in nomine Martyris vitiosior. In Martyrologio Corbeiensi apud laudatum Dacherium tom. 4 inter jam dictos tres Martyres alius quidam* Aprilis, *qui certe huc non pertinet, sic insertus legitur*: In Augustiduno civitate, vico Sediloco, natalis sanctorum Andocii, Tyrsi, Aprilis et Felicis martyrum. *Augustanum apud nos tom.* VII *Junii a Sollerio vulgatum,* Thyrsum *perperam* Direum *appellat,* Augustoduno, *inquiens,* Sodilia * Andocii, Direi, Felicis mart.

* Sediloco *pene in omnibus vetustis*

2 *Martyrologium Labbeanum ibidem paulo rectius habet:* Augustoduni Seld. [*Sediloco*] Andoci, Tursi, Felicis. *Aliud denique Hieronymianum, tom.* 3 *Thesauri Anecdotorum a Martenio editum et antiquissimum appellatum, solius,* S. Andochii *sic meminit:* Augustuduni Sedulo, Andoci. *Hactenus de Hieronymianis. Venerabilis Beda in Martyrologio suo, prout a Majoribus meis editum exstat ante tomum* 2 *Martii, eosdem ad dictum diem cum sequenti elogio celebravit:* Et in Augustoduno natale S. Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis, qui a S. Polycarpo ab Oriente directi ad docendum Galliam, sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati. Siquidem flagellis cæsi, in ultimo toto die inversis manibus suspensi, in ignem missi, sed non combusti; tandem vectibus colla feriuntur. Ubi Symphorianus, tunc viginti annorum, qui postea passus est, semper vigilias et orationes agebat. *Desumpta hæc sunt ex eorumdem Martyrum Actis, de quorum sublesta fide infra pluribus agemus. Interea hic observasse juverit, in hisce dici quidem* Felicem *virum* Orientalem, *non tamen cum duobus aliis a S. Polycarpo missum, sed Christianum* negotiatorem, *qui prope Augustodunum in Sidoloco mercaturam exercebat, dum Sancti ibidem prædicabant. Secundo, ubi Beda habet* in ultimo, *Acta habent* in ulmo.

3 *Bedam de more secutus Ado Viennensis in Martyrologio eadem iisdemque phrasibus præter pauca in fine adjecta sic reposuit*: Et in Augustoduno, natalis S. Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis. Qui a S. Polycarpo episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati. Siquidem flagellis cæsi, in ultimo toto die inversis manibus suspensi, et in ignem missi, sed non combusti. Tandem vectibus colla feriuntur, atque ita martyrium suum gloriosissime compleverunt octavo Kalendas Octobris. *Ut Bedam Ado, ita hunc Usuardus descripsit, omissis tamen iis*: Atque ita martyrium etc. *Bedæ textum in suum Martyrologium pariter transtulit Rabanus Maurus; Notkerus Adonianum nonnihil mutatum retulit. Martyrologii Fuldensis scriptor, apud Dominicum Georgium, conformius ad Acta, quæ exstant,* S. Felicem *aliorum hospitem, non itineris ex Asia socium facit, et eorumdem palæstram etiam rectius assignat his verbis:* In territorio Augustudunense, vico Sedeloco, natalis sanctorum Andocii presbyteri, et Tyrsi diaconi, qui a sancto Polycarpo ab Oriente directi ad docendam Galliam, sub Aureliano principe cum sancto Felice, qui eos hospitio susceperat, gloriosissime sunt coronati. *Similia leguntur in Hagiologio Franco-Gallico Labbei, ubi tamen, forte typothetarum*

et classicis Martyrologiis,

AUCTORE C. S.

tarum incuria, sub Ameliano *pro* sub Aureliano *habetur.*

uti et in recentioribus hoc die,

4 *Eosdem denique Martyres etiam Wandelbertus celebravit, in metrico suo ad hunc diem ita canens.*

Octavum * sterili conceptus ventre Joannes.
Andochiusque sacrat martyrque et presbyter almus;
Quem Tyrsus, Felixque pari comitantur amore.

* Kal. Septemb.

Prætereo alia, et pauca etiam ex recentioribus subjungo. Martyrologium Romanum Baronii olim primo loco, nunc autem, ob additum Festum B. Mariæ Virginis de Mercede, *secundo loco, ex Adone et Usuardo, omisso tamen prudentur* Aureliani *nomine, eodem die hæc ait:* Augustoduni natalis sanctorum martyrum Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis, qui a beato Polycarpo, Smyrnensi episcopo, ab Oriente directi ad docendam Galliam, ibidem flagellis durissime cæsi, ac tota die inversis manibus suspensi, et in ignem missi, sed non combusti, tandem vectibus eorum colla feriuntur, et ita gloriosissime coronantur. *Martyrologii Parisiensis auctori haud dubie suspecta eorum*
B *Acta fuere, ideoque eosdem brevius annuntiavit,* Apud Sidolocum, *inquiens,* in territorio Augustodunensi, natalis sanctorum martyrum Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis.

in aliquot etiam ad alios dies

5 *Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano valde prolixum de iisdem elogium contexuit, in quo, etsi cetera quod rerum substantiam cum Actis enumerandis consentiant, nulla tamen de Aureliano fit mentio, et aliqua etiam adjuncta sic variant, ut, nisi ipse ea pro suo sensu mutaverit, alia, quam quæ nos, Acta habuisse dicendus sit, ut suo loco videbimus. Idem martyrologus aliam eorumdem festivitatem ad diem* III *Aprilis in Supplemento sic memorat:* Eodem die occursus et contesseratio sanctorum martyrum Andochii presbyteri, et Thyrsi diaconi, Felicisque eorum hospitis, nec non Irenæi ipsorum symmistæ. *Verum nescio, quem hic* Occursum et Contesserationem *indicet Saussayus, aut ubi illius memoria recolatur. An forte designare voluerit S. Irenæi Lugdunensis episcopi et martyris apparitionem, S. Polycarpo, ut habent Acta, factam, ut is SS. Benignum,* Andochium *et* Thyrsum *in Gallias destinaret; an alteram ejusdem S. Irenæi apparitionem, quam alia*
C *Acta SS. Benigno et duobus prædictis Sociis in insula Corsica exhibitam ferunt, ut S. Andeolum ibidem præstolarentur? Sed neutro loco in iis, quæ habemus de* S. Felice *fit mentio, nec quibus diebus gemina ista apparitio contigerit, indicatur.*

annuntiantur; sed hoc die passi creduntur.

6 *An ex memoriæ lapsu S. Irenæum posuit pro S. Zacharia presbytero, quem SS. Benignus,* Andochius *et* Thyrsus *(alibi etiam additur Andeolus) prope Lugdunum Segusianorum in crypta latitantem convenisse, atque inde ex mutuo consilio ad prædicandum processisse in Actis dicuntur? Sed hinc pariter aberat* S. Felix; *diesque, quo id factum est (si tamen unquam factum fuerit) mihi æque ignotus est. Denique, ne lectorem diutius frustra morer, quid istis Saussayus dicere voluerit, ex aliis discere cupio. Interea suspicor, huic annuntiationi concinnandæ occasionem dedisse Maurolicum, qui ad dictum diem Aprilis eosdem Sanctos sic recensuit:* Eodem die SS. Hirenei episcopi, Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, Felicis negotiatoris. *Consonat Felicius in Calendario; sed duo codices Usuardini, Victorinus scilicet et Reginæ Sueciæ apud Sollerium illos iisdem verbis pridie, nempe diei 2 Aprilis commemorant. Prætere apud eumdem Maurolicum, Grevenum, Canisium et Ferrarium ad* I *Maii occasione S. Andeoli denuo recensentur SS.* Andochius *et* Thyrsus *cum Benigno. De hisce omnibus consuli potest Opus nostrum in Prætermissis ad prædictos dies, uti et ad* XIX *Aprilis, ubi solus* Thyrsus diaconus *ex Ms. Romano ducis Altempsii relatus est. Ceterum in Actis Sancti nostri passi dicuntur hoc die* XXIV *Septembris.* D

Datur notitia loci,

7 *Pro Martyrum nostrorum palæstra ab aliis martyrologis* Augustodunum, *ab aliis* civitatem Augustodunensis, *quo nomine ejusdem urbis territorium etiam venit, ab aliis denique ex eorumdem Actis* Sedulum, Sedilocum, *aut similis nominis locum in ejusdem civitatis Augustodunensis territorio situm, assignari vidimus, de quibus aliqua hic annotabimus. Augustodunum, indigenis nunc* Autun *dictum, antiqua Galliæ in Æduis civitas in hodierno ducatu Burgundiæ ad Arotium, vulgo* l'Aroux, *fluvium sita est, tractusque Augustodunensis, Gallice* l'Autunois, *ab ea sic dicti, caput.* Sedelocus, *qui in omnibus nostris Actorum apographis eorumdem palæstra fuisse dicitur, quique in Martyrologiis nonnumquam paulo aliter et corruptius scriptus est, in Itinerario Antonini, prout a Bertio Galliarum regis cosmographo editum exstat,* Sidolocus *vel* Sidolocum *appellatur, notaturque inter Abbalonem (Gallis* Avallon*) et Augustodunum* M. P. XXVII, *pro quo editor legendum monet* M. P. XVIII, *ab hac civitate dissitus. In tabula Peutingeriana ibidem vitiose legitur* Sedetoco, *apud Ammianum Marcellinum lib.* 16 *de Gallis cap.* 2 Sedelaucum, E

in quo martyrium subierunt.

8 *Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum, ex eodem Ammiano posuit* Sidoleucum, *ex Itinerario Æthici* Sidoloucum; *ipse tamen Valesius locum illum etiam* Sedelaucum *appellat, observatque, ab aliis quoque* Sidolocum *dici. Apud Baudrandum in Lexico etiam* Sadoleucum, *apud Corneille item in Lexico præterea* Sedlocus *et* Scidoleucus; *tom. vero* 4 *Galliæ Christianæ auctæ, col.* 318 Selocus *et* Solis-locus, *et col.* 441 *insuper* Salvus-locus *appellatus dicitur. Est autem oppidum Galliæ Celticæ, indigenis nunc* Saulieu *vocitatum, in ducatus Burgundiæ tractu Alexiensi, vulgo* l'Auxois, *ac diœcesis Augustodunensis, cujus episcopus ab eo oppido comitis titulo gaudet. Baudrandus illud* 6 *milliaribus ab Augustoduno in Septentrionem collocat; alii utriusque loci distantiam octo circiter milliarium faciunt, ad quos propius accedunt mappæ geographicæ, quas consului. Forsitan ea Lexicorum discrepantia ex varia milliarium mensura orta est. Ceterum habet id oppidum ecclesiam collegiatam* S. Andochio *sacram, quæ olim ejusdem nominis abbatia erat, ut suo loco dicemus.* F

Enumerantur varia Actorum apographa,

9 *Actorum varia Ms. exemplaria habemus, alias aliis quidem paulo prolixiora, sed quoad præcipua rerum capita invicem fere consentientia. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis nostræ, ob præstitam Museo nostro operam sæpe nobis nominandus, quatuor hujusmodi exemplaria ad nos olim transmisit. Horum unum Chiffletii manu scriptum hunc titulum præfert:* Acta sanctorum martyrum Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, et Felicis negotiatoris, conscripta a Fausto, viro illustri et præfectorio, qui sacra eorum corpora cum Symphoriano filio suo sepelivit. *Deinde additur:* Ex Ms. codice pervetusto S. Benigni Divionensis, cui congruit codex Vaticanus citatus a Baronio ad IX Kalendas Julias, littera c, quo ex codice descripta et S. Irenæi Lugdunensis episcopi, et horum Martyrum Acta

A Acta imperfecta accepimus. *Eorum initium est :* Postquam gloriosus Irenæus episcopus et martyr migravit ad cælum. *Secundum apographum notatur acceptum* ex Ms. Acincti monasterii et S. Benigni Divionensis et Caritatis, *consonatque priori, præterquam hinc inde in vocibus ac præterea in ipso ejusdem textu legitur, horum Sanctorum Acta a Fausto conscripta fuisse; unde Chiffletius credidit, istius auctorem vetustum Fausti Opusculum stylo suo interpolasse, de quo quid sentiendum sit, infra discutiemus.*

ex variis locis accepta,

10 *Huic plane simile est tertium* ex duobus Mss. codicibus Divionensibus *descriptum. Quartum denique a laudato viro* ex codice Ms. *non appositæ bibliothecæ acceptum, brevius et diversum a prædictis est, sanctisque Benigno,* Andochio *et* Thyrso *socium addit S. Adeolum, quem cum istis a S. Polycarpo Smyrnensi in Gallias missum perhibet. Videtur tamen non nisi contractum esse ex mox laudandis. Incipit autem :* B. Andochius S. Polycarpi, Smyrnensium episcopi et B. Joannis Evangelistæ alumni discipulus, una cum Benigno sacerdote et Thyrso levita et Andeolo subdiacono ad prædicandum Galliarum populis verbum Dei ab eodem B sanctissimo Polycarpo directus *etc. Præter Chiffletiana habemus aliud apograhum ex Mss ecclesiæ Clameciacensis in provincia Nivernensi , anno* 1658 *a R. D. Petro le Venier, ecclesiæ Autissiodorensis pœnitentiario, Majoribus nostris donatum. In hoc dicitur S. Andeolus ab eodem S. Polycarpo, per S. Irenæum post martyrium apparentem monito, in Gallias pariter missus, et ad SS. Benignum,* Andochium, *et* Thyrsum, *in insula Corsica vi tempestatis divinitus detentos, pervenisse, cum iisque iter suum prosecutus esse.*

quæ de rerum narratarum substantia fere consonant

11 *Habent hæc Acta præmissum Prologum cum hoc exordio :* Dignum est memoriam Sanctorum ad laudem nominis Dei festive excolere *etc. Habent et Epilogum, qui non sine mendo incipit :* Sed qui nos Sanctorum Martyrum passionem nominatissimam plectro linguæ percurrimus, operæ precium ducendum statuimus, ut ex ea, quæ sumpsimus, aliquid ad imitandum sumamus *etc. Reliqua, etsi aliis phrasibus expressa, Chiffletianis apographis prolixioribus satis sunt consona. Sextum exemplar anno* 1666 *acceptum est a F. Ludovico Nicquet bibliothecario Cœlestinorum Suessionensium, est-* C *que Chiffletiano, quod secundo loco recensuimus, conforme. Septimum ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris descriptum , aliorum compendium est. Octavum denique, quod* Passio S. Herenei episcopi, Andochii presbyteri, Benigni presbyteri, Tyrsi diaconi, Felicis negotiatoris *inscribitur, unde acceptum sit, non præfert; sed Romanum videtur, magnaque sui parte mutilum est. Nec tamen hanc jacturam dolemus, cum tantum videatur esse sermo panegyricus, ex supra dictis Actis compositus. Hactenus de apographis nostris. Porro de iisdem sanctis Martyribus frequens etiam mentio fit in Actis S. Symphoriani, SS. Speusippi, Eleusippi et Meleusippi, ac præsertim in Vita metrica S. Benigni, de quibus omnibus sermo recurret § sequenti, in qua de prædictorum omnium fide pluribus disputandum est.*



AUCTORE C. S.

§ II. Acta edenda Fausto abjudicantur : eruditorum pro iisdem emendandis sententiæ expenduntur.

Acta, quæ velut a Fausto Sanctorum hospite scripta

Baronius in Notis ad Martyrologium hoc die de Sanctis nostris ait :* Feruntur horum Acta esse conscripta a Fausto et Syproniano; *ubi haud dubie per posteriorem S. Symphorianum Fausti filium voluit designare. Eumdem Faustum eorumdem auctorem facit apographum nostrum num.* 9 *secundo loco a nobis laudatum. Ante Acta quoque primo loco memorata sequens legitur de eorumdem auctore monitio :* Hæc Acta qui stylo nonnihil immutato descripsit anonymus recentior (cujus Opus huic antiquiori et primigenio subjiciemus) cum ad eorum finem adjiciat : « Nobilissimus autem vir Faustus beatorum Martyrum Passionem, Deo juvante, composuit et scripsit; » narreturque in his Actis, nuper omnes amicos et familiam domus Fausti per hos Martyres Baptismatis gratiam E fuisse adeptos; dubitare nobis non licuit, tacente licet de nomine auctoris utroque, quo usi sumus, exemplari *(Divionensi scilicet S. Benigni, et Vaticano)* quin hæc ipsa sint Acta, quæ Faustus conscripserit. Quem Christianæ modestiæ leges transgressum nemo prudens opinetur, quod hic se ipse et VIRUM PRÆFECTORIUM, et ILLUSTREM, et NOBILISSIMUM non uno loco appellet ; peccasse in fidem veritatemque historicam potius existimandum, si personarum hæc adjuncta, quæ certe ad Martyrum res gestas plene cognoscendas haud paulum erant valitura, tacitus prætermisisset. Cum autem et Symphorianum filium suum, et Speusippum, Eleusippum ac Meleusippum, Leonillæ sororis suæ nepotes, martyrium fecisse referat; illum, cum esset fere annorum viginti, hos annorum viginti quinque, vel hinc licet colligere, illis cum fuisse superstitem divinitus reservatum, ut Christianorum tum novellum gregem officiis suis atque auctoritate sustineret.

ad nos missa sunt, tam fœdis anachronismis

13 *Hactenus Monitio Chiffletii manu scripta; quæ tamen utrum ipsius, an alterius cujusdam censuram contineat, non possum certo edicere. Utut est, nemo horum Actorum fidem in dubium* F *merito revocabit, dummodo constet, eadem ab illustri illo Fausto revera conscripta fuisse, qui in Actis non modo Sanctis synchronus, verum etiam eorumdem hospes et discipulus fuisse narratur. Verum hæc ipsa Acta, quæ monitor ille primigenia Fausti esse pronuntiat, si secundum Augustodunensium traditionem, communemque scriptorum sensum accipiantur, clare produnt, sese illius esse non posse, sed omnino alterius scriptoris, ab istorum Martyrum ætate longissime remoti; cum in eos anachronismos inciderit, in quos Faustus ille nequiit incidisse. Nam primo quidem Actorum scriptor tradidit, S. Irenæum, Lugdunensem episcopum, post martyrium suum S. Polycarpo apparuisse, mandasseque, ut SS. Benignum,* Andochium *et* Thyrsum *ad prædicandum in Gallias transmitteret, idque cum exsecutioni mox mandasse. Per Polycarpum hunc, cujus episcopatus in dictis Actis non exprimitur, celebrem Smyrnensium antistitem et martyrem designari, suadet* Sancti *titulus, tam in his, quam in ceteris Actis et Martyrologiis ipsi additus, atque alia etiam Actorum apographa, in quorum aliquibus* Smyrnensis episcopus *expresse appellatur , in aliis S. Joannis*

AUCTORE C. S.

S. Joannis apostoli discipulus fuisse dicitur, quibus consentiunt ecclesiæ Augustodunensis traditio, et scriptores neoterici passim.

laborare ostenditur, ut illius genuina esse

14 *Porro S. Polycarpus Smyrnensis episcopus certe non pervenit usque ad annum Christi* 170, *uti in Opere nostro ad diem* XXVI *Januarii, quo colitur, et apud Tillemontium, aliosque videre est. Sanctum vero Irenæum Lugdunensem episcopum jam inchoato seculo tertio, nec ante annum* 202 *passum esse ostensum pariter apud nos est ad* XXVIII *Junii. Qua igitur ratione potuit hic post martyrium suum S. Polycarpo Smyrnensi apparuisse, ut istam missionem ei imperaret? Aut quomodo ista scribere potuit Faustus, SS. Benigni et Sociorum hospes, qui ex eorumdem ore rem, ut gesta fuerat, debuit accepisse; nec ignorare potuit, vivente S. Polycarpo, nondum Irenæum, sed Pothinum Lugdunensi ecclesiæ præfuisse? Sane etsi præter hoc nihil in hisce Actis mendosum occurreret, vel ex eo solo capite hæc pro primigeniis ac genuinis Fausti illius non possent admitti in sententia illorum, qui per laudatum S. Polycarpum Smyrnensem intelligunt. Sunt tamen et alia, quæ eadem ipsi abjudicanda suadeant. Acta illa* B *imperatori Severo Aurelianum proximum successorem faciunt, et sub eorum primo Sanctos a Polycarpo in Gallias missos, sub altero martyrio affectos aiunt; immani certe temporum rerumque confusione.*

neutiquam possint: imo verisimillimum est,

15 *Etenim Septimius Severus, ut habet Pagius in Critica Baronii, ab anno Christi* 193 *usque ad* 211, *quo vita functus est, imperium tenuit, ad quod Aurelianus non nisi post multos alios intermedios anno* 270 *evectus fuit. Sanctus igitur Polycarpus Smyrnensis ad Severi imperium vivendo non pertigit, et ante Aurelianum imperantem toto ut minimum seculo martyrium passus est. Hinc denuo conficitur, Acta illa memorato Fausto adscribi non posse, qui, si sub Severo vixerit, Aurelianum imperantem vix, aut ne vix quidem potuit novisse; vel si quis tam insolitam ipsi Sanctisque nostris ætatem voluerit affingere, nescire tamen nequiit Faustus, Severum inter et Aurelianum sexaginta fere annorum spatio multos alios imperasse. Imo ego vehementer suspicor, Acta illa, prout exstant, seculo* VII *vetustiora non esse; quod cur faciam, paulo pluribus explicandum est. Bollandus noster ad* C *diem* XVII *Januarii bina sanctorum Tergeminorum, sive Speusippi, Eleusippi, et Meleusippi, Acta dedit. Horum prima, ex veteri M. Marci Velseri edita, Tergeminos illos in Cappadocia passos tradunt, nec quidquam habent de SS. Benigno et Sociis. Consonant Menæa Græcorum ad* XVI *Januarii et Maximus Cythereus apud laudatum Bollandum, qui ibidem consuli potest.*

eadem seculo VII *antiquiora non esse, et partim desumpta*

16 *Altera Acta auctorem habent Warnaharium, ecclesiæ Lingonensis in Gallia verisimiliter presbyterum, qui ea S. Ceraunio vel Cerauno, episcopo Parisiensi, seculo* VII *aliquot annis inchoato, rogatus transmisit, ut inter aliorum martyrum Acta reponerentur. In hisce iidem sancti Tergemini dicuntur non in Cappadocia, sed in Galliæ civitate Lingonensi habitasse, ibidemque a S. Benigno, qui, petente Fausto, et consentientibus SS.* Andochio *et* Thyrso, *Augustoduno propterea eo venerat, baptizati fuisse. Bollandus quæstionem hanc in medio reliquit contentus dixisse, Lingones* Tergeminorum vel ortu vel reliquiis *nobilitatos fuisse. Non obscure tamen innuit, utra sententia sibi præplaceret, dum ea Acta primo loco edidit, quæ horum martyrum palæstram in Cappadocia assignant. Raderus in Notis Mss. ad Menæa, apud Bollandum laudatus, eosdem in Cappadocia passos statuit, et ad Lingones (quos tamen inter Padum et Alpes male collocavit) translatos fuisse asseruit. Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccles. Nota* 2 *in S. Benignum in eamdem partem inclinat; sed nihil audet certo decidere. At vero Claudius Castellanus in Notis ad Martyrologium Romanum die* XVII *Januarii non dubitavit eos in Cappadocia coronatos, et eorumdem corpora in Gallias deportata dicere.* D

17 *Multis quoque ibidem ostendit, Warnaharium Acta sua ex prioribus illis sic compilasse, ut mutatis hinc et inde rerum adjunctis ad Lingones transtulerit, quæ in istis apud Cappadoces gesta narrantur, ac præterea SS. Benigni,* Andochii *et* Thyrsi *a S. Polycarpo missionem addiderit, ut Tergeminos martyres ab eodem Benigno baptizari faceret. Sed et postremum satis infeliciter occœpit; etenim cum in prioribus Actis dicantur iidem Tergemini nondum baptizati fuisse, dum passi sunt, Warnaharius, cui ea prælucebant, oblitus Baptismi, quem iis per S. Benignum ipsemet collatum dixerat, de iisdem in igne illæsis velut non baptizatis exclamavit* : O beatus ignis, qui tantum originale purgavit peccatum, et nullum in Sanctorum membris diminutionis incendio intulit detrimentum! *Castellani sententia etiam placuit Sollerio nostro in Observationibus ad Usuardum, et ego eamdem, si non omnino certam, ut minimum verisimillimam censeo. Porro ut ad* SS. Andochii *Sociorumque ejus Acta redeamus, non videtur dubium, quin horum auctor pro asserendo eorumdem per Benignum Baptismate Warnaharium secutus sit.* E

ex Actis sanctorum Tergeminorum per Warnaharium,

18 *Ita suadet auctor ipse, qui postquam eadem, quæ Warnaharius, de misso per Faustum Benigno ad S. Leonillam, Tergeminorum aviam, deque collato ipsis per eumdem Sanctum baptismate, breviter narravit, ac eosdem denique pro Christo passos dixerat, mox lectorem ad ipsorum Passionem remittit, sic inquiens* : Quod ipsorum Passio plenius declaravit. *Nec aliud hic, quam Warnaharii Opusculum designari colligere licet ex eo, quod in alia sanctorum Tergeminorum Passione, nulla de Fausto, nulla de S. Benigno, nulla de suscepto ab illis Baptismate fiat mentio; sed contraria omnia referantur; quodque noster Actorum scriptor uno loco etiam ipsas Warnaharii phrases imitatus fuerit. Locum accipe. Warnaharius apud nos editus cap.* 1, *num.* 6 *sic ait* : Sanctum itaque Benignum præfatus Faustus sorori suæ *(S. Leonillæ)* pro munere divino, sicut erat, de præsenti transmisit. Illa eum scilicet veluti manna, quod de cælo descendit, cum omni veneratione suscepit. *Hæc autem ita vertit scriptor noster :* Tunc præstantissimus vir *(Faustus)* S. Benignum presbyterum, sicut margaritam pretiosam aut munus cæleste, sorori transmissit *:* sicut manna cæleste aut margaritam splendidam Leonilla excepit. *Qui hosce duos textus conferre voluerit, satis, opinor, deprehendet, unum alteri satis affinem esse, ut posterioris auctor, dum sanctorum Tergeminorum Passionem laudavit, a Warnahario scriptam designasse videatur. Non possum itaque cum Chiffletio, vel quisquis supra dictæ Monitionis auctor est, Acta ista* SS. Andochii, Thyrsi *et* Felicis, *prout ea habemus, Fausto, eorumdem Sanctorum hospiti adscribere, nec baptizatos ab ipsis Tergeminos martyres credere.* F

quos non in Gallia, sed in Cappadocia passos credo.

19 *Porro quamvis Acta illa prædictis erroribus fœdata sint, atque inde etiam cetera eorumdem asserta non possint non suspecta videri, nihil tamen vetat, quo minus hisce antiquiora exstiterint, quæ*

Quia tamen videntur ex antiquioribus aucta esse, examinata edentur.

A *quæ deinde, ut sæpe contingit, quidam recentior imperite interpolaverit. Imo mihi plane verisimile apparet, Warnaharium antiquiora habuisse, ex quibus ea, quæ de Sanctorum nostrorum missione a Polycarpo, gestisque apud Æduos habet, primus excerpserit, ut sanctos Tergeminos, quorum corpora Lingones habebant, populares suos esse et in Lingonica sua patria passos (ut forsitan credidit) etiam aliis persuaderet. Quia vero meliora non habemus, ea ex Ms. nostro apographo Divionensi S. Benigni excudam, postquam exposuero, quid in illis certo rejiciendum sit, quid contra saltem probabiliter possit admitti.* S. Andochium *presbyterum fuisse* Thyrsum *diaconum, omnia Actorum apographa et Martyrologia* § 1 *recensita consentiunt, quibus etiam consonant aliquot aliorum Sanctorum Acta, in quibus de illis fit mentio; nec quemquam novi, qui id negare aut in dubium revocare voluerit.*

S. Felix non venit cum Andochio et Thyrso

20 S. Felicem, *eorumdem in martyrio socium, eadem Acta negotiatorem Orientalem Christianum in vico Sidoloco prope Augustodunum residentem faciunt, atque ita legitur etiam in Breviario Augustodunensi anni* 1534, *quod præ manibus habeo.* B *Quamobrem ex errore factum existimo, ut Beda, quique hunc secuti sunt, martyrologi* Felicem *una cum ceteris ex Oriente in Gallias missum dixerint, de tribus affirmantes, quod ad duos tantum priores pertinebat. Quin et ipse Beda ad diem* 1 *Novembris in S. Benigno, hujus socios* Andochium *et* Thyrsum *recenset, omisso* Felice. *Idem facit Ado tum ad dictum diem Novembris, tum ad Kalendas Maias in S. Andeolo, quem una cum SS. Benigno,* Andochio *et* Thyrso, *nulla pariter facta* Felicis *mentione, a S. Polycarpo in Gallias destinatum affirmat. Hac itaque in parte Actis, quæque his congruit, Augustodunensium traditione standum puto. Quod ad S. Andeolum attinet, non tam certa est hujus cum ceteris Sanctis in missione societas quæ non in omnibus Actorum apographis, nec in iis, de quibus nunc agimus, legitur. Ipsum etiam Beda in apographo suo non reperit, cum nec ad hunc diem, nec ad* 1 *Maii, quo colitur, nec ad* 1 *Novembris in S. Benigno de illo meminerit. Non magis societatem istam continebant ea, ex quibus Warnaharius supra laudatus totum fere primum caput Passionis sanctorum Tergeminorum martyrum conscribens, Andeolo similiter præterito, non nisi* Andochium et Benignum presbyteros et C Thyrsum diaconum *a S. Polycarpo in Gallias transmissos narravit.*

ex Asia in Gallias, sed probabiliter venit S. Andeolus.

21 *Andeolum tamen iis adjungunt præter ea, quæ num.* 10 *recensuimus, ejusdem Acta, ad Kalendas Maii in Opere nostro edita; ubi tamen Henschenius noster eadem* post decursum plurium *(ab ejusdem Sancti obitu)* seculorum,.... non a coævo auctore composita *agnoscit. Consentiunt aliqua S. Benigni Passionis apographa, vetus poëta, infra pluribus laudandus, et Ado in Martyrologio ad præcitatas Kalendas Maii. Favet denique Usuardus, ibidem de eodem inquiens,* Quem misit ab Oriente S. Policarpus una cum aliis ad prædicandum verbum Dei in Galliam. *Eumdem denique Sanctorum nostrorum missionis socium facit etiam Breviarium Augustodunense, de quo mox memini. Utut sit, Sanctos hosce apostolos suos Ædui ex Oriente, seu ex Asia, ad se venisse affirmant, idque cum Acta, tum Martyrologia, ut diximus, constanter asseverant. Atque hoc quidem eo minus mirabile videri debet, quod etiam primi Lugdunensium episcopi, SS. Pothinus et Irenæus, Græci fuerint; et hic quoque S. Polycarpi Smyrnensis aliquando auditor; quodque Lugdunensium litteræ de martyribus suis ad ecclesias Asiæ Phrygiæque datæ, de quibus consule Eusebium lib.* 5 *Hist. cap.* 1 *et sequentibus, satis innuant, Lugdunensi ecclesiæ cum Asianis singularem quamdam necessitudinem intercessisse. Adde denique, traditiones hujusmodi, quæ Sanctos exteros faciunt, minus suspectas esse debere, cum soleat amor patriæ populares potius facere. Verumtamen quo illi tempore, et a quo in Galliam missi fuerint, haud ita facile est statuere.*

Aliqui, erasa ex Actis apparitione S. Irenæi, retinendum censent

22 *Ex hactenus dictis indubitatum est, non potuisse S. Irenæum Lugdunensem post martyrium suum S. Polycarpo Smyrnensi episcopo apparere, ut hic SS. Benignum,* Andochium *et* Thyrsum, *ac forte etiam Andeolum, in Gallias destinaret; ideoque alteruter ex hisce Actis expungendus est. Certum pariter est, si hi Sancti revera missi fuerint a prælaudato Polycarpo, id factum non esse, imperante Severo; nec eosdem sub Aureliano imperatore martyrio coronatos fuisse. Hinc ad errores istos emendandos alii alias vias inierunt. Eruditus Benedictinus, qui de ecclesia Augustodunensi scripsit tom.* 4 *Galliæ Christianæ auctæ col.* 316 *pro missione a S. Polycarpo Smyrnensi facta omnino retinenda hæc ait :* A Polycar- E po vero missos Eduenses Apostolos, non solum ea Acta, sed et omnia etiam antiquiora Martyrologia, constansque ac vix non perpetua, non Augustodunensis solum, sed et Vivariensis et Lingonensis pagi traditio *affirmant. Hac de causa apparitionem S. Irenæi, quam cum istis adjunctis non posse componi agnoscit, Actis additam contendit, idque inde* probabilissimum efficitur, *inquit,* quod Irenæum ejusque visionem sileant omnia, etiam antiquissima Martyrologia, sileat Augustodunensis ecclesiæ traditio. *His positis, monet pro* Aureliano *in Actis legendum* Aurelium, *atque ita difficultatem omnem sublatam existimat. Attamen restabat altera; quomodo nempe Sancti sub Severo missi, Severoque Aurelianus ille seu Aurelius successisse in iisdem Actis legatur.*

S. Polycarpum Smyrnensem, et pro Aureliano Aurelium

23 *Illustrissimus Franciscus Bosquetus, prætor Narbonensis, deinde primum Leutevensis ac tandem Monspeliensis episcopus, lib.* 2 *Historiæ ecclesiæ Gallicanæ, cap.* 12, *erasa pariter S. Irenæi apparitione, credidit, in Actis S. Andeoli pro* Severo *legendum esse* Verum, *Marcum scilicet Aurelium, qui ante acceptum imperium* Verus *cognominatus est, quo vocabulo etiam ab antiquis scriptoribus aliquando designatur. Probat id ex Eu-* F *sebio, qui lib.* 5 *Historiæ ecclesiasticæ in Proœmio Marcum Aurelium* Antoninum Verum *appellavit et in titulo cap.* 1 *motam sub eo persecutionem,* imperante Vero *factum ait. Consuli potest Baronius in Annalibus ad annum Christi* 163, *ubi pro eadem appellatione etiam alios veteres laudat. Præterea observat Bosquetus,* Veri *nomen amanuensium incuria in* Severi *facile commutari potuisse; quemadmodum contra in Tertulliani Apologetico* Verum *pro* Severo *legi arbitratur. Tertulliani locum, quem laudat, suspicor esse ex capite* 5, *ubi legitur :* Nullus Verus impressit, *id est edidit leges adversus Christianos; pro quo Pamelius, a Baronio citatus ad annum* 164, *legendum monuit* Nullus Severus. *Pamelio tamen refragatur Baronius, quia, ut inquit, omnes codices tam antiquitus scripti, (exceptis duobus) quam ante Pamelium excusi, priori modo habebant.*

pro Severo Verum legendum;

24 *Utro modo legendum sit, nostra jam nil interest; verum inde satis liquet, eam utriusque nominis commutationem exemplo non carere. Addo tamen et aliud ex eodem Eminentissimo Annalista, qui ad annum* 163, *num.* 4 *observat, corruptum esse*

AUCTORE C. S.

esse Galleni textum, in quo idem Marcus Aurelius etiam Severus *dictus fuisse, suumque in imperio collegam Lucium* Severum *appellasse dicebatur, cum utrobique* Veros *certo legendum sit. Hæc emendatione in Actis S. Andeoli admissa, rejectaque S. Irenæi apparitione, potuit is a S. Polycarpo Smyrnensi mitti, et sub Marco Aurelio, qui alias* Verus *dictus fuit, coronari. Quod ad* SS. Andochium, Thyrsum *et* Felicem *attinet, laudatus Bosquetus pro* Aureliano, *sub quo passi in Actis leguntur*, Aurelium *substituit, eumdem scilicet, de quo supra. Non inficior, duo ista nomina in Mss. sæpe confundi, idque etiam hic verisimilius factum esse, cum eruditis viris infra admittam. Sed si S. Andeoli biographus per* Severum *designaverit* Verum; *in Actis autem* S. Andochii *et Sociorum per* Aurelianum *indicetur* Marcus Aurelius Verus, *qua ratione in hisce, quæ Andeoli biographus partim descripsit, partim laudavit, qua ratione, inquam, in his dicitur defuncto* Severo Aurelianus, *id est, secundum istas emendationes Marcus Aurelius Verus sibimetipsi successisse?*

B

quorum sententiæ

25 *Præterea non omnino certa sunt, quæ pro rejicienda S. Irenæi apparitione, retinendoque in Actis S. Polycarpo Smyrnensi, supra laudatus Benedictinus affirmavit. Secundam partem § sequenti examinabimus, primam hic. S. Irenæi apparitionem habent omnia Actorum apographa nostra præter unum contractius incerti loci; habent item Acta S. Andeoli apud nos edita, et vetus poëta in Vita rhythmica S. Benigni, uti et alia ejusdem Sancti Passionis prosaicæ exemplaria. Silentium vero traditionis ecclesiæ Augustodunensis laudatus scriptor forte ideo objicit, quod in ejusdem ecclesiæ Breviariis nulla de eadem mentio fiat. Nescio, quid de hoc argumento habeant antiqua aut recentiora Breviaria; nam mihi tandem unicum ad manum est, anno* 1534 *jussu illustrissimi Jacobi Huralti, Æduensis episcopi, typis excusum, in quo fateor eam in eorumdem Sanctorum Officio non memorari. In ejusdem Lectione secunda secundæ diei infra Octavam tantum dicitur :* Divinitus revelatum est B. Polycarpo, Andochium cum Sociis mittendum in Galliam: *sed qualis ista revelatio fuerit, non explicatur. Prima quoque antiphona primi Nocturni primæ diei sic habet :* SS. Andochius et Benignus et Tyrsus a Christo directi sunt Galliarum urbibus, virtutibus et sapientia pleni.

C

expenduntur.

26 *Verum cum pro secunda antiphona ibidem ista assignetur :* Mane autem facto, B. Polycarpus suos alloquitur Fratres, referens eis, quæ gesta fuerant; *quæ ipsissima verba in Actis leguntur post S. Irenæi apparitionem, negari etiam nequit, hæc auctori Breviarii præluxisse. Atque hinc verisimile est, eumdem, cum adverteret, dictam apparitionem non posse componi cum tempore S. Polycarpi Smyrnensis, maluisse istam, quam hunc in laudato Officio tacite præterire. Utcumque res se habeat, Acta nostra multum certe vetustiora sunt, quam hujusmodi Breviaria, ideoque ex istis melius, quam ex his antiqua traditio colligi potest. Denique, quod antiqua Martyrologia de eadem apparitione sileant, nequaquam probat, eam Actis postea additam fuisse; cum non soleant martyrologi omnia, quæ in Actis legerunt, suis Fastis inserere. Pro eadem sententia laudari tamen etiam potest Warnaharius, qui in Actis sanctorum Tergeminorum martyrum* SS. Andochium, *Benignum et* Thyrsum, *nulla pariter facta Irenæi mentione, a S. Polycarpo sub Aureliano imperatore missos ait ; verum scriptor ille ob supra dicta minoris fidei est, quam ut ejusdem auctoritas ceteris debeat præferri. Dubium itaque remanet, utrum memorata S. Irenæi apparitio in Actis retinenda, an ex iisdem expungenda sit.*

D

Henschenius pro S. Polycarpo alium Smyrnensem episcopum substituit.

27 *Henschenius noster in Actis S. Andeoli ad diem* I *Maii plane oppositam iniens viam, Irenæi apparitionem retinuit, et expunxit Polycarpum. Suspicatus hic est, pro aliquo Smyrnensi episcopo, cujus nomen exciderat, temere usurpatum nomen S. Polycarpi, eo in Gallia notius, quod ejusdem discipulus fuisset S. Irenæus. His positis, censuit, in S. Polycarpi locum substituendum esse quempiam alium ex ejusdem Sancti successoribus Smyrnensem episcopum, atque ita ordinanda S. Andeoli tempora, ut S. Irenæus anno Christi* 202 *martyrio affectus, ignoto isti episcopo Smyrnensi apparuerit, a quo S. Andeolus cum Benigno,* Andochio *et* Thyrso *in Gallias missus, ibidemque horum primus sub Severo anno Christi* 207 *occisus sit. Ita nempe statuit, quia non in Actis solum, sed etiam in Martyrologiis S. Andeolus, imperante Severo, passus legitur, eaque ratione cetera in iisdem Actis asserta conciliari possunt. Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccles., Nota* 2 *in Persecutionem Severi, secutus Henschenium, quem more suo Bollandum vocat, S. Andeoli martyrium ad eamdem persecutionem probabilius referendum censuit. Porro quamquam in hac Henschenii sententia dictæ difficultates haud difficulter solvuntur, præplacet tamen altera, quam sequenti § proponam.*

E

§ III. Sanctorum in Gallias missio a Polycrate Ephesino probabilius facta proponitur.

Auctor Vitæ Rhythmicæ S. Benigni

Inter S. Benigni Actorum apographa unum habemus rhythmicum, auctore anonymo, quod Petrus Franciscus Chiffletius, Societatis nostræ presbyter, propria manu ex Ms. codice S. Benigni Divionensis descripsit, et Museo nostro donavit, addita censura sua, quam subjungo. Pervetusta est scriptura hujus codicis, et annos præ se fert fero octingentos. Nec fortasse multo antiquior fuit scriptor ipse, aut etiam a librario diversus, cum præter unum hoc rhythmi istius, sive carminis, exemplar, vix aliud uspiam reperire sit. Disertum est autem ipsum Opus ac multiplici eruditione respersum; eo vero singularis pretii, quod ex cana antiquitate ad convincendos recentiorum errores Smyrnensem Polycarpum scite discernit a Polycarpo, seu Polycrate, Ephesino, a quo et Benignum cum Sociis, et Irenæum ipsum in Gallias missos esse affirmat. Quamquam ad temporum rationem minus exploratum est, quod significat hic auctor, Polycarpos duos plane fuisse æquales, et Johannis apostoli pariter discipulos; quodque S. Benignum passum putavit sub Aurelio Macrini successore, hoc est, Elagabalo. Nam Polycarpus Ephesinus vix natus erat anno post apostoli Johannis obitum vicesimo; nec fuit Smyrnensis Polycarpi æqualis, sed suppar. Passus est autem S. Benignus sub Aurelio Caracalla, Severi filio et successore. Quæ nos omnia suis locis probavimus. *Hactenus Chiffletius, secundum quem codex ille consequenter ad seculum nonum referendus erit.*

F

scribit, Sanctos nostros,

29 *Anonymus iste poëta, qui rhythmis suis aliquoties etiam varii generis versus immiscet, fatetur sibi aliam antiquiorem Vitam præluxisse, cujus errores emendare intendit; et quamquam nec ipse erroribus careat, præcipuam Actorum difficultatem,*

A *tem, Sanctorum scilicet missionem tam probabili modo tollit, ut præcipua Actorum capita commode exponi possint. Quam ob rem ego ex ipso ea hic referam, quæ ad Sanctos nostros pertinent, relictis ceteris pro Kalendis Novembribus, ad quas de S. Benigno agendum erit. Poëta in primo rhythmo multo præfatus de primorum parentum lapsu, deque luctuoso humani generis per illum statu, et per Christum redemptione, tandem de Apostolorum et apostolicorum virorum missione ita progreditur:*

Magna post hæc in gloria
Ipse * conscendens sidera,
Sanctum misit Paraclitum
Suos docere plurimum.
Qui linguis acti flammeis,
Verbis tonant mirificis,
Tum signis ac miraculis
Mundo coruscant inclytis.
Sic salus et redemptio
Diffunditur in populos,
Ac liberat innumeros
Per auctores magnificos.
E quibus gemma splendida
B Magnus Johannes emicat,
Quem Jesus solum legerat
Verba fari deifica.

** Christus*

30 Hujus auditor maximus
Polycarpus eximius,
Asianæ metropolis
Effulsit præsul Ephesi.
Hæc opus Amazonidum
In ora sita marium,
David structa temporibus,
Multis clara nominibus;
Ptele, Smyrna ac Ephesus,
Plinio teste, legitur.
Urbs olim fama nobilis,
Nunc Johanne percelebris,
Polycarpo laudabilis.
Hic, ut arbor fructifera,
Verbi ferebat monita,
Dirigendo discipulos,
Pulchros ut palmes pampinos.
In quibus vir eximius
Irenæus agnoscitur,
Gallorum genti prævius
Qui dux et martyr sistitur.

non a S. Polycarpo Smyrnensi, sed ab Ephesino,

C *Ita ipse, qui ab eodem Polycarpo Ephesino etiam S. Benignum cum sociis missum ait; sed quem per Polycarpum illum intelligat, et cui tempori eam missionem affigat, eumdem in secundo Carmine clarius exponentem audiamus.*

31 Postquam vero Divinitas
Salutis dedit pignora,
Hanc * Johannis melliflua
Christo sacrarunt monita,
Qui speciali gloria
Ejus effulsit gratia.
Romæ Trajano principe,
Hic quievit pacifice,
Cujus pro mira requie
Sepultus fertur vivere.
Cujus splendore jubaris
Radiati discipuli,
Polycrates metropolis
Legitur præsul Ephesi,
Ac Smyrneorum docilis
Polycarpus enituit.
Hæc duo luminaria
Tunc fulgebant in Asia,
Marcus Verus Aurelius
Antoninus, ac Lucius
Male sceptra cum gererent,
Deicolasque perderent.
Tunc Polycarpus nobilis
Palmam tulit martyrii,
Insigne sed cognominis
Polycrates retinuit.
Cujus pia sagacitas
Gallis transmisit dogmata,
Irenæique sophia
Post refulsit egregia;
Qui Photino clarissimo,
Lugduni primo præsuli,
Tunc dicato martyrio,
Sancto successit merito.

*sive a Polycrate in Gallias missos, * Galliam Lugdunensem*

32 Severiana feritas
Orbis jura pervaserat,
Post Pertinacis funera
Qui Commodo successerat.
Malis ipse deterior,
Christum quærebat gladio,
Cujus edictis pessimis
Irenæus occubuit.
Hujus namque temporibus,
Ut supra jam retulimus, E
Sanctos Gallorum finibus
Advenisse comperimus.
Antoninus Caracalla
Post quem sumpsit insignia;
Marcus, qui et Aurelius
Aurelianus legitur,
Sub quo gesta describimus,
Post Macrinum præficitur.
Hæc jam ante descripsimus,
Sic ideo repetimus,
Quo veritas historiæ
Digno vehatur ordine.
Nam Severi, Antonini,
Macrini ac Aurelii
Illos constat sub tempore
Doctrinæ rivos fundere;
Sed relator historicus,
Non perspectis temporibus,
Errorem veris Martyrum
Gestis induxit nominum.

et sub Heliogabalo passos;

33 *De S. Irenæi apparitione, sanctorumque Benigni,* Andochii *ac* Thyrsi *missione per Polycratem, quem Polycarpi nomine secundum dicta appellat, præmiserat sequentia.*

idemque scriptor eorumdem missionem

F
Gloriosus Irenæus
Postquam condignis actibus
Vitæ coronam meruit
In procinctu certaminis,
Doctori tunc præcipuo,
Post athletæ fortissimo
Polycarpo cubiculi
Pausanti claustris astitit.
Nos, inquit, pastor optime,
Christo scias convivere,
Nil promissis imminuit,
Pro parvis magna reddidit.
Nunc ut patrem carissimum
Hortor ac precor nimium,
Genti Gallorum consulas,
Erroris captæ macula
Viros doctrina præcluos,
Virtutibus eximios,
Benignum ac Andochium,
Sacrum dantes officium,
Thyrsum quoque diaconem
Honestate consimilem,
Quia rex regum imperat,
Illo quam cito dirigas.

34 Ibi

AUCTORE C. S.

a S. Irenæo apparente imperatam ait.

34 Ibi nam esse patulum
Credulitati officium,
Quo et ipsi exuviis
Gentem attollant propriis.
Ore martyr mellifluo
Hæc affatus, continuo
Cum odore mirifico
Atque splendore nimio,
Turba vallatus cœlica
Regna revisit supera,
Cum odoris fragrantia
Cubile patris foveat.
Mox filios carissimos
Præsul complexus animo,
Jussa pandit cælestia,
Mentes parent et corpora.
Attollunt palmas celeres,
Christum laudant unanimes,
Se subire gratissimum
Omne pro ipso asperum.
Exultans pastor optimus,
Secum deductis Fratribus
Hinc precabatur prospera
B Cimba vehendos dubia etc.

Polycrates ille, cujus notitia datur, non colitur in Ecclesia,

35 *Ex hujus itaque veteris poëtæ sententia SS. Benignus,* Andochius *et* Thyrsus, *quibus etiam Andeolum addit, post martyrium et apparitionem S. Irenæi atque antea ipse etiam S. Irenæus a Polycarpo sive Polycrate Ephesino episcopo in Gallias missi fuere, ex iisque Irenæus, imperante Severo,* Andochius *vero et* Thyrsus *sub Marco Aurelio Antonino Heliogabalo martyrii palmam consecuti sunt; quæ omnia nunc examinanda; neque enim scriptor ille, ut supra monui, suis etiam erroribus caret. Polycratem Ephesinæ ecclesiæ episcopum fuisse, imperante Commodo scribit Eusebius lib.* 5 *Historiæ eccles. cap.* 22 *et* 24, *ubi ejusdem cum S. Victore Papa de observatione Paschali controversiam narrat. De eodem etiam meminit S. Hieronymus in catalogo scriptorum, in quo ipsum* temporibus Severi principis *floruisse notat. Dictam controversiam ab erudito Emmanuele Schelstratio apud nos illustratam habes in eodem S. Victore die* XXVIII *Julii a pag.* 538; *unde hic observasse suffecerit, Polycratem cum Asianis suis a S. Victore excommunicatum quidem fuisse, sed mox agente apud eumdem Papam S. Irenæo, excommunicationem primum suspensam, deinde* C *vero, Polycrate errorem revocante, sublatam esse permissa Asianis sua Paschatis celebrandi consuetudine. Alii contendunt, S. Victorem tantummodo minatum fuisse excommunicationem, non reipsa inflixisse; sed priorum sententia verior apparet. Utut est, potuit Polycrates iste cetera bonus fuisse, et post correctum errorem etiam piis operibus coruscasse.*

suppar fuit S. Polycarpi, non S. Joannis discipulus.

36 *Verumtamen an Sancti quoque titulum, quo illum poëta noster honorat, umquam promeruerit, et an martyrio coronatus sit, ut idem ille supra insinuat, non ausim dicere. Legitur quidem ipsius memoria in codice Centulensi, et apud Grevenum ad diem* XXVI *Octobris inter Auctaria Usuardina apud Sollerium, quorum prior sic habet:* Apud Ephesum sancti Policratis, episcopi egregii et nobilissimi viri; *alter autem sic:* Apud Ephesum Policarpi episcopi et confessoris; *verum Sollerius ibidem notat, alium se novisse Polycratem vel Polycarpum Ephesinum præter eum, de quo agimus, quem negat in Ecclesia cultum habere. Porro ex dictis collige primo, Polycratem Ephesinum S. Polycarpo Smyrnensi supparem quidem fuisse, sed non æqualem, ut poëta innuit; potuisse tamen Ephesi sedisse temporibus Marci Aurelii Antonini, sub quo S. Polycarpus Smyrnensis passus est. Collige secundo, admitti pariter non posse, quod* D *poëta ait, Polycratem S. Joannis Evangelistæ discipulum fuisse; cum ipsemet Polycrates apud laudatum Eusebium in epistola, quam versus finem seculi secundi ad S. Victorem Papam et Romanam Ecclesiam scripsit, diserte dicat, se tum temporis tantum quinque et sexaginta annos natum in Domino fuisse. Si autem quis verba hæc de suscepto Baptismo, non de ætate maluerit interpretari, longius tamen a S. Joannis Evangelistæ temporibus tunc aberat Polycrates, quam ut ejusdem discipulus umquam fuisse credatur.*

Admissa Sanctorum a Polycrate missione,

37 *A quo, quove tempore S. Irenæus in Gallias missus fuerit, non satis constat; communius tamen ejus missio S. Polycarpo Smyrnensi attribuitur ex Gregorio Turonensi lib.* I *Historiæ Francorum cap.* 27. *Favet huic opinioni S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum, in quo ipsum illius discipulum fuisse asseverat. Quin et ipse Irenæus apud Eusebium lib.* 5 *Hist. cap.* 19 *in epistola sua ad Florinum testatur, se,* cum adhuc puer esset, *ejusdem auditorem fuisse. Verumtamen cum Irenæus de pueritia sua ibidem tantum meminerit, et Eusebius quoque lib.* 5, *cap.* 5 *eumdem* in adolescentia *Polycarpi discipulum faciat,* E *nihil hinc pro ea missione certo statui potest. Papebrochius in Commentario historico de eodem S. Irenæo ad diem* XXVIII *Junii tantum retulit sententiam Petri Halloix, secundum quam a laudato S. Polycarpo missus fuit. Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccles. in S. Irenæo art.* 3 *de eodem argumento dubie loquitur; novissimæ vero Galliæ Christianæ scriptores tom.* 4 *in ecclesia Lugdunensi col.* 6 *candide fatentur,* quando, a quo et qua occasione missus fuerit, incertum *esse. Non potest itaque ex hoc capite poëta noster anonymus erroris convinci, dum S. Irenæum etiam Ephesini Polycratis discipulum fecit, et ab eodem in Gallias missum dixit. Potuit enim S Irenæus transisse in disciplinam Polycratis, cujus sedes Ephesus non longe abest a Smyrna; saltem evinci nequit, id ita factum non esse.*

Actorum anachronismi tolluntur,

38 *Pro SS. Benigni,* Andochii, Thyrsi *et Andeoli missione eidem Polycrati adscribenda singularis est ratio; ut enim horum Acta non emendabilibus vitiis laborant, si eos a S. Polycarpo Smyrnensi missos statuamus, ita eadem haud difficulter exponi queunt, si Polycratem Ephesinum in istius locum cum poëta reponamus. S. Irenæi martyrium Papebrochius anno* 202 *vel* 207 *illigavit;* F *a quo non multum discrepant alii, inter quos nonnullis annus* 202 *præplacet. Jam vero nihil obstat, quo minus etiam tunc in vivis superesse potuerit Ephesinus Polycrates, et huic S. Irenæus mox post martyrium apparere, ut apostolicorum virorum suppetias afflictis Galliis submitteret. Eodem tempore imperium tenebat Severus, sub quo Acta illos in Galliam venisse tradunt, et S. Andeolus tam in horum aliquot, quam in Martyrologiis etiam passus dicitur. Severo anno Christi* 211 *vita functo successerunt duo filii ejus Marcus Aurelius Antoninus Caracalla, et Septimius Geta; quorum hic non multo post fraterno scelere occisus est, alter imperio solus potitus. Hic igitur Aurelius iste esse potest, qui in Actis Severo successisse dicitur, et nonnihil mutato nomine,* Aurelianus *perperam appellatur.*

substituto in Aureliani locum Aurelio;

39 *Simili plane modo S. Symphorianus in Actis suis, a Theodorico Ruinartio inter Selecta Martyrum, et a Cupero nostro ad diem* XXII *Augusti editis, martyrium subiisse legitur sub* Aureliano *principe; pro quo uterque substituendum monet* Aurelium,

A Aurelium, *consentientibus illustrissimo Bosqueto lib.* 2 *Hist. eccles. Gallic., cap.* 27, *Pagio in Critica Baronii ad annum Christi* 272, *et Tillemontio tom.* 3 *Monument. eccles., Nota* 6 *in S. Benignum. Laudatus Ruinartius in Admonitione prævia addit :* In Mss. codicibus Aurelius et Aurelianus, Fabius et Fabianus, Valerius et Valerianus, aliaque similia nomina, sæpius confunduntur; quod sexcentis exemplis probare facillimum esset. *Errorem in nomine ante istos jam adverterat Usuardus, aut certe illud correctius invenerat, qui ad dictum diem Augusti in Symphoriano, ubi Florus et Ado* Aurelianum *habent,* Aurelium *reposuit. Fateor tamen, supra dictos scriptores per Aurelium hic non* Caracallam, *sed cognomento* Philosophum *intelligere ; quia procedebant in ea opinione, quæ S. Benignum et Socios a S. Polycarpo Smyrnensi missos statuit. Verum Caracallam hic potius designari, suadet Aureliani istius proxima post Severum in Romanum imperium in Actis asserta successio, eoque magis suadet, si Acta S. Andeoli, uti asserit Bosquetus lib.* 2 *Hist. eccles. Gallic. cap.* 12, *Severum illum illius Aureliani patrem faciant : neutrum enim, nisi in Caracallam, qui Severi filius* B *et proximus successor fuit, potest convenire.*

Polycratis vero nomen in Polycarpi facile mutari potuisse,

40 *Ut autem minus mira videatur ista* Polycratis *in* Polycarpum *commutatio, juverit hic aliqua observasse. Huic occasionem dedisse potuere S. Polycarpi apud Gallos celebris memoria, et utriusque nominis affinitas Nam cum, S. Irenæum, quem Polycarpi Smyrnensis discipulum fuisse constabat, ab eodem etiam missum crederent, ex similitudine nominis Polycratis facile induci potuerunt, ut eidem Polycarpo etiam S. Benigni et Sociorum missionem adscriberent ; idque eo pronius, quod hic præ illo sanctitate et martyrii palma illustris sit, et quo avidius soluerunt olim particulares ecclesiæ primos suos apostolos ab ipsis Christi Apostolis, vel Apostolorum discipulis acceptos sibi asserere ; uti post adhibitam saniorem crisim, apud se perperam factum, hoc tempore variæ agnoscunt. Nec caret exemplo utriusque istius nominis confusio. Apud Sozomenum lib.* 7 *Historiæ cap.* 19 *sequentia legere est :* Sapientissime autem arbitror solvisse subortam olim de eo (*de Paschali tempore*) controversiam Victorem, tunc temporis Romæ Episcopum, et Polycarpum Smyrnensem. *Ad hæc autem illustrissimus Petrus de* C *Marca lib.* 3 *de Concordia sacerdotii et imperii cap.* 9 *non immerito monuit, pro Polycarpo Smyrnensi legendum esse Polycratem Ephesinum, quem constat cum S. Victore eam controversiam habuisse, S. Polycarpo multis annis ante ejusdem Victoris Pontificatum per martyrium sublato. Illustrissimo scriptori consentit Pagius in Critica Baronii ad annum Christi* 196, *qui uterque consuli potest.*

variis rationibus ostenditur, faventque etiam

41 *Præter nominum affinitatem pro utroque confundendo favebat etiam temporis, quo ambo floruerunt, urbiumque, in quibus sederunt, vicinitas. Polycratem enim certe multis annis S. Polycarpo synchronum vixisse ex supra dictis constat. Smyrna vero et Ephesus, Minoris Asiæ civitates, sitæ erant in ora maris Ægei, in eaque regione, quæ a Græcis Jonia dicta est. Strabo in Geographia lib.* 14 *inter utramque linea recta trecenta viginti stadia, sive quadraginta millia passuum reponit. Præterea favebat, quod Ephesus olim etiam* Smyrnæ *nomen habuerit, uti poëta noster num.* 30 *non otiose observavit ex Plinio, nempe lib.* 5, *cap.* 29 *Historiæ naturalis, ubi ea civitas etiam* Smyrna, cognomine Trachea *dicta fuisse legitur. Strabo quoque mox laudatus eamdem* Smyrnam *appellatam fuisse scribit, et vocem* Smyrnæos *apud Callinum de Ephesiis interpretatur. Suspicionem de intruso pro* Polycrate Polycarpi *nomine augent etiam S. Benigni Actorum apographa, in quibus* S. Polycarpus Ephesi episcopus *illos in Galliam misisse dicitur. Habemus ea a Petro Francisco Chiffletio descripta* ex pluribus codicibus Mss. S. Benigni Divionensis, uno S. Pauli Bisonticensis, et alio monasterii Caritatis ex Ordine Cisterciensi in diœcesi Bisontina, *ut in fronte præferunt.*

auctoris C. S.

aliquot Mss. et edita, ut mutatum creditur :

42 *Præfixum autem ab eodem Chiffletio sequens est monitum :* Horum Actorum recentiora pleraque exemplaria sub initium in illis verbis ; POLYCARPUM Ephesi urbis episcopum, pro Ephesi, reddunt Smyrnensis. Quædam neutram civitatem appellant ; sed tantum exibent Polycarpum episcopum. At vetustissima et optima exemplaria sic habent, ut expressimus, *nempe :* Polycarpum Ephesi urbis episcopum. *Hactenus Chiffletius de Actis S. Benigni ; nostra vero* SS. Andochii *Sociorumque Actorum apographa duo tantum, scilicet Clameciacense, et alterum incerti loci, num.* 10 *memoratum, Polycarpum illum* Smyrnensem *faciunt, cetera locum sedis illius silent, præter unum mutilum, de quo* E *vide num.* XI, *quod* Polycarpum Ephesi episcopum *pariter appellat. Consonant et Acta S. Symphoriani per Warnaharium, in quibus ille* S. Polycarpus Ephesi urbis episcopus *fuisse dicitur. Hisce addo præterea scriptorem Historiæ episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Ms. pag.* 412, *qui Sanctos nostros a S. Polycarpo* ab Ephesina urbe *missos scribit. Addo denique et alterum anonymum, auctorem Chronici S. Benigni Divionensis, a Dacherio editi in Spicilegio tom.* I, *qui cum ibidem pag.* 354 *Sanctorum missionem* metropolitano Asiæ Policarpo episcopo *adscripserit, de Ephesino potius, quam de Smyrnensi exponendus est.*

quam sententiam ut probabiliorem amplectimur.

43 *Porro, uti constat S. Polycarpum Smyrnæ, Polycratem vero Ephesi sedisse, ita dubitari nequit, quin aut in episcopi aut in sedis loco supra dicta apographa editaque aberrent. Et pro errore quidem in sede potius arguendo facit apographorum in eo consensus, ut pene omnia Irenæum Polycarpi illius, et pauca etiam hunc S. Joannis Evangelistæ discipulum faciant ; cum aliunde noverimus, S. Joannem Evangelistam Polycarpi Smyrnensis magistrum fuisse, et hunc Polycarpum Irenæi. Contra vero Polycrates Ephesinus* F *ejusdem sancti Evangelistæ discipulus non potuit fuisse, et nescimus, an, ut poëta asserit, S. Irenæus Ephesino Polycrate magistro umquam usus sit. Verum unde ea opinio oriri potuerit, jam sat multis ostendimus ; et id denique ex dictis certum est, aut S. Polycarpum Smyrnensem ex hisce Actis expungendum, aut præcipua eorumdem capita ex iisdem eradenda esse. Hanc poëta de substituendo Polycrate sententiam Petro Francisco Chiffletio admodum placuisse liquet, tum ex verbis ipsius num.* 28 *datis, tum etiam ex editis apud nos tom.* VI *Junii, parte* I *in Appendice ad diem* XXVIII *ejusdem mensis pag.* 265 *et sequenti ; sed nescio, quodnam ibidem Opusculum laudet, et an illud editum, an Ms. sit ; neque potui id etiam Parisiis, quo per litteras recurreram, edoceri. Utut est, mihi ea sententia ceteris probabilior apparet ; cum in hac, ut dixi, præcipua Actorum capita, quæ alioquin sustineri nequeunt, facile concilientur, neque desint aliæ rationes, ob quas S. Polycarpus Smyrnensis in Ephesini Polycratis locum ab interpolatoribus Actis insertus credatur.*

AUCTORE C. S.

§ IV. Aliquot alia Actorum asserta examinantur : tempus martyrii : ecclesiæ et monasteria ipsis dicata : reliquiarum translatio : Officium ecclesiasticum.

Admodum dubius est Sanctorum cum S. Zacharia

Tradunt Acta, SS. Andochium *et Socios Massiliam primum navi appulsos, ac deinde terrestri itinere Lugdunum Segusianorum profectos, S. Zachariam presbyterum in crypta inter martyrum sepulcra ibidem latitantem convenisse; dumque sua cum ipso consilia conferrent, ab angelo monitos, Augustodunum perrexisse. Alia apographa, quæ S. Andeolum ceteris socium adjungunt, addunt, eumdem ad civitatem Carpentor actensem accessisse. Hisce consonans poëta noster anonymus sic cecinit :*

Lugdunum citi expetunt,
Quo Zachariam abditum
Confessorem reperiunt.
B Cives civis amplectitur;
Mutuis gaudent visibus;
Sanctus in eis Spiritus
Justis plaudebat actibus.

Ac rursus post aliqua denuo prosequitur :

Hic Sancti forte sederant,
Christi laudantes gratiam;
Cum illos monet Angelus,
Uti sacer Andeolus
Carpentoraci gentium
Mittatur ob remedium.

Scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom. 4. *col.* 12 *Zachariam S. Irenæi Lugdunensis episcopi presbyterum et in episcopatu successorem statuunt, laudantes S. Adonem in Chronico et Catalogos episcoporum Lugdunensium, quorum aliquot Adone antiquiores aiunt.*

in Lugdunensi crypta congressus.

45 *Producunt etiam ex quodam veteri Ms. ecclesiæ Lugdunensis, S. Irenæo datum ab angelo mandatum hoc :* Zachariam presbyterum sollicite latere facito, qui post tuum abscessum tibi successor existens confirmet fratres in Christo. *Mirantur tamen ibidem, quod de ejus pontificatu sileat Gregorius Turonensis, sileat et Beda post ipsum.* C *Addunt, cum Sancti titulo laudari ubique, et a nonnullis etiam, sed absque ullo fundamento, pro martyre haberi. Præterea advertunt, nullam se ipsius memoriam fieri reperisse, quamvis Saussayus ad diem* XXVIII *Junii ejus festum assignet. Adjuncta omnia satis ostendunt, eumdem hic indicari, quem in Actis nostris Sancti convenisse dicuntur; verumtamen, an Zacharias ille seu presbyter, seu episcopus Lugdunensis umquam exstiterit, non immerito dubitavit Papebrochius noster tom.* v *Junii in S. Irenæo pag.* 340, *quem consule. Ob rationes ibidem allegatas, cum mihi aliunde non constet de Catalogorum Lugdunensium antistitum antiquitate, dubitare quoque licet de* S. Andochii *et Sociorum ejus cum Zacharia Lugdunensi congressu, ideoque hunc ut valde incertum et ab interpolatore Actis forsitan additum reputo. Pergo cetera examinare.*

Nihil obstat, quominus S. Symphorianus,

46 *Inter primos istorum in Gallia Apostolicos fructus in Actis omnibus reponitur baptizata ab iis tota Fausti familia, qui Augustoduni Christum clam colens, eosdem adventantes in domum suam lætus exceperat, et benigne fovebat. Faustus hic in* D *Actis vocatur* nobilissimus vir præfectorius; *in Passione vero Tergeminorum martyrum per Warnaharium cap.* I nobilissimæ familiæ vir, senatoria dignitate conspicuus, et prætorianis fascibus sublimatus. *Hinc Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccles. in S. Benigno et sociis censuit, ipsum fuisse unum e decurionibus, ex quibus, inquit, senatus civicus constabat, functumque aliquando esse duumviratu, seu supremo civitatis magistratu. Hujus familiam præcipue illustravit filius ejus S. Symphorianus, celeberrimus apud Æduos martyr, quem S. Benignus trimulum circiter, suscipiente* S. Andochio, *baptizasse in Actis narratur. Eadem perhibent, illum, cum* quasi annorum quindecim *esset, una cum Fausto patre suo corpora* SS. Andochii, Thyrsi et Felicis *sepulturæ mandasse, ac tandem jam* fere viginti annorum *glorioso martyrio coronatum esse. De baptismo eadem habet Passio Sanctorum Tergeminorum per Warnaharium, de quo et poëta noster anonymus hæc ait :*

Ubi Faustus vir nobilis
Christum colens in abditis,
Hos dum benigne suscipit,
Deicolas intelligit :
Quibus offert clarissimum
Dicandum Deo filium, E
Symphorianum, nobilem
Post consecrandum martyrem.

suscipiente illum S. Andochio, a S. Benigno

47 *Sancti Symphoriani Vitam Cuperus noster ex editione Ruinartii inter Acta selecta Martyrum editam, recudit ad diem* XXII *Augusti, ubi eam non primigeniam quidem, sed ex genuinis tamen desumptam, auctamque censuit. Hæc, etsi nihil habeat de memorato Baptismo, favet tamen potius, quam obsit, dum sic habet :* Erat tunc *(orta persecutione)* Augustodunensi urbe Fausti nobilis viri filius, nomine Symphorianus, Christianæ familiæ, litteris bene instructus et moribus, ita ut primævæ indolis florentes annos, senum anticipans vitam, immaculatæ mentis sinceritate superaret. *Præterea observat Cuperus in commentario prævio* § 2, *eadem, quæ de collato ipsi per SS. Benignum et* Andochium *Baptismo diximus, etiam legi in alio ejusdem S. Symphoriani Vitæ apographo, per Chiffletium misso, uti et in codice* 81 *serenissimæ reginæ Sueciæ, ex quo ea ibidem recenset, monens, eadem apographa quoad cetera cum Actis Ruinartianis fere concordare. Favet quoque Missa S. Symphoriani in antiquo Missali* F *Gothico, seu Gothico-Gallicano apud Mabillonium lib.* 3 *Liturgiæ Gallicanæ, pag.* 281, *ubi ad Immolationem Missæ, seu in Præfatione leguntur sequentia :* Qui *(S. Symphorianus)* splendere meruit non solum terrenorum claritate natalium, verum etiam sublimitate cœlestium virtutum, et Fausti fulgidus genere, fausti martyrii levatur culmine : qui beatos patres Andochium Benignumque secutus, per martyrii flagrantiam electus pervenit ad palmam.

baptizatus credatur. Sancti videntur passi,

48 *Mecum etiam sentiunt laudati Ruinartius et Cuperus, qui propterea in hujus sancti martyris Actis, in quibus sub* Aureliano *passus dicitur,* Aurelium *reponendum statuunt; et quia iidem procedebant in ea sententia, quæ S. Benignum cum Sociis a Polycarpo Smyrnensi missos tradit, Aureliumhunc MarcumAurelium, Antoninum, cognomento* Philosophum, *crediderunt, sanctique Symphoriani martyrium circa annum Christi* 180 *collocarunt. Verum cum eorum missio Polycrati Ephesino verisimilius adscribenda videatur, S. Symphoriani martyrium sub altero Aurelio multoque serius*

A serius figendum est, secundum ea, quæ de tempore martyrii SS. Andochii, Thyrsi et Felicis nunc dicturi sumus. Poëta anonymus supra num. 32 cum Actis edendis Sanctorum in Gallias adventum sub Severo statuit, passionem vero sub M. Aurelio Antonino Heliogabalo, qui anno Christi 218 Macrino in imperium successit. De adventu consentimus et nos; idque etiam conforme est S. Andeoli Actis, et Martyrologiis, in quibus hic sub Severo passus perhibetur, sub quo etiam Henschenius noster ad diem I Maii, et Tillemontius ejusdem martyrium retulerunt.

non sub Heliogabalo imperatore,

49 Poëtam secutus est auctor Chronici S. Benigni Divionensis, a Dacherio editi tom. 1 Spicilegii. At nescio, cur Heliogabalum potius, quam Caracallam assignaverint, cum in Actis Sancti passi dicantur sub Aureliano, Severi proximo successore, per quem non nisi Aurelium Antoninum Caracallam denotari posse, superius ostensum est. Forte ita sensit poëta, quia in iisdem Actis prius mentio fit de Severi obitu et successione Caracallæ, quam de baptizato Symphoriano, trium annorum tum puero, qui ibidem dicitur quasi annorum quindecim fuisse, dum illorum corpora sepelivit. Cum B enim intra annos Christi 211 et 217, intra quos Caracallæ imperium concluditur, istud augmentum ætatis S. Symphoriani nequeat reperiri; credidisse potuit, eorumdem martyrium propterea ad Heliogabalum esse rejiciendum. Verum facile potuit Actorum scriptor vel interpolator de successione ista præpropere mentionem fecisse, quia imperatorem, sub quo passi fuerant, festinabat indicare: idque ita factum esse, suadent, quæ subdo. In iisdem Actis etiam dicitur imperator ille S. Andochium cum Sociis ipsemet in Galliis degens damnasse; qua de re etiam Acta S. Benigni, poëta et laudatus chronologus consentiunt. Id autem ut in Caracallam cadere potest, ita nequit dici de Heliogabalo. Constat enim, hunc numquam in Galliis fuisse; de Caracalla vero in ejus Vita scribit Spartianus: Galliam petiit; atque primum in eam venit, Narbonensem proconsulem occidit. Cunctis deinde turbatis, qui in Gallia res regebant, odium tyrannicum meruit, quamvis aliquando fingeret se benignum, quum esset natura truculentus.

sed verisimilius sub Caracalla.

50 Quapropter, cum illi nullas pro Heliogabalo rationes allegent, nihil cogit nos hac in parte ab Actis redecere, mutato tamen Aureliano in Aure- C lium, quod faciendum hic eruditi passim admittunt; licet alium Aurelium, ut diximus, intelligant. Tillemontius tom. 3 Historiæ imperatorum in Caracalla art. 9 hanc ejusdem in Galliam profectionem circa annum Christi 213 reposuit, ad quem circiter si SS. Andochii Sociorumque martyrium referamus, eorumdemque in Galliam adventum anno 202 cum Henschenio in S. Andeolo illigemus, etiam recte se habebunt, quæ de S. Symphoriani ætate in Actis sanctorum Martyrum nostrorum leguntur. Ponamus enim cum Actis, S. Symphorianum quasi annorum trium fuisse anno 202, dum baptizatus est, potuit is anno 213 quasi annorum quindecim fuisse, quando Martyrum corpora sepelisse, in iisdem Actis narratur. Fateor tamen in Actis, quæ primigenia non sunt, sæpe imperatores, quorum temporibus martyres coronati sunt, præsentes induci, etsi isti tunc procul inde abfuerint; ac propterea quæ in hisce nostris de Aureliani sive Aurelii præsentia dicuntur, non omnino certa esse. Ceterum hæc Acta paulo fusius examinanda censui, quia sæpe laudatus Petrus Franciscus Chiffletius eadem tanti fecit, ut ab ipso Fausto, eorumdem Sanctorum hospite, scripta esse crediderit; quod, si ab iis etiam omnem interpolationem excludat, nullo modo admitti posse, ex prædictis satis superque constare existimo.

Sidoloci ecclesia ædificata et monasterium,

51 Sanctorum Andochii, Thyrsi et Felicis corpora a Fausto, ejusque filio S. Symphoriano, ad Sidolocum, ubi isti VIII Kalendas Octobris martyrio affecti fuerant, noctu accurrentibus sepulta fuisse, jam diximus ex Actis; in quibus insuper additur, laudatum S. Symphorianum ad eorumdem sepulcrum inter pias lacrymas vigiliis precibusque vacare soluisse, donec et ipse palmam martyrii adeptus est. Dubitari vix potest, quin, dum per Christianos imperatores licuit, Ædui Apostolorum suorum tumulo etiam ecclesiam imposuerint. Hanc suspicor eam esse, de qua meminit Stephanus Africanus, presbyter seculo VI, in Vita S. Amatoris, episcopi Autissiodorensis, qui seculo V adolescente obiit. Edita ea est apud nos ad diem 1 Maii, ubi pag. 58, num. 27 dicitur S. Amator, Augustodunum petens, ut S. Germanum sibi successorem impetraret, cum per viam cuidam furem cum ablatis rebus obvium fecisset, ipsi imperasse, ne furibus noceret, sed rebus suis receptis, eosdem ad SS Andochii et Thyrsi ecclesiam perductos jurejurando adigeret, ne imposterum furarentur, E Pergentes, inquit, simul ad beatissimorum martyrum Andochii et Thyrsi tabernaculum properate, ibique eos sacramentorum vinculis irretire non differas, ut polliceantur ulterius facinus hoc non attentare.

quod deinde in canonicorum collegium versum est.

52 Adjectum etiam ei fuisse monasterium, S. Andochii appellatum, colligimus ex Gallia Christiana aucta, tom. 4, col. 441, cujus primæ fundationis tempus ignoratur. Verumtamen S. Andochii cœnobium (inquiunt ibidem eruditi Benedictini scriptores) in Sedeloco seu Salvo-loco, Saulieu, jam exstabat anno DCCXXII, quo Wideradus in suo testamento, seu fundationis Flaviniaci documento, abbatem se hujus monasterii nuncupat. De eadem Charta mentio fit apud Labbeum in Bibliotheca Mss. tom. 1, pag. 269, ubi dicitur: Testamentum Wideradi abbatis, filii Corbonis V. J., qui regebat basilicas S. Andochii Sedelocensis, S. Reginæ Alsensis, S. Ferreoli, ubi ipsi in corpore quiescunt. Addunt laudati Galliæ Christianæ scriptores, ibidem illud monasterium per Caroli Calvi diploma, quod inter instrumenta exhibent, anno 843 subjectum fuisse ecclesiæ S. Nazarii Augustodunensi, ac tandem seculo duodecimo exeunte conversum F esse in collegium canonicorum secularium, quod constat decano, præposito, duodecim præbendis et pluribus capellanis; eodemque tempore abbatialem mensam episcopali Æduensi annexam fuisse.

Martyrum corpora non fuerunt a Brunichilde regina

53 Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ad hunc diem, et ex ipso Tillemontius tom. 3 Monument. eccles. pag. 40, et Bailletus scribunt, horum Martyrum sacra ossa, jussu Brunichildis Austrasiæ Burgundiæque reginæ, (Bailletus addit per Syagrium Augustodunensem episcopum) inde translata fuisse Augustodunum, ibidemque in puellari monasterio, quod ipsa condiderat, deposita fuisse. De eadem translatione forte accipienda sunt, quæ in Gallia Christiana sæpe laudata leguntur col. 318: Ibidemque (Sidoloci) sacræ eorum exuviæ diu permanserunt; sed tandem Augustodunum translatæ, et in S. Andochii parthenone reconditæ sunt. Hisce consentit Augustinus Lubinus in Martyrologio Romano illustrato, tabula 3 ad eumdem diem, ubi ait: Eorum corpora in basilica, a Brunichilde regina constructa, condita sunt, quæ etiam nunc S. ANDOCHII dicta est; ubi

AUCTORE C. S.

ubi celebre monialium cœnobium Ordinis S. Benedicti. *De eodem monasterio agunt Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 1, *ad annum Christi* 589, *num.* 66, *et Gallia Christiana tom.* 4, *col.* 483 *et seqq., ubi docent, illud a Brunichilde regina etSyagrio episcopo conditum fuisse xenodochium ac monasterium virorum, cui ab ipsa sua institutione abbas præfuit Senator, sed jam ante medium seculum nonum a sacris virginibus inhabitatum esse, et etiamnum teneri. Laudant etiam S. Gregorii Magni litteras, tam ad ipsam Brunichildem reginam, quam ad Senatorem abbatem pro hujus aliorumque monasteriorum confirmatione datas, quas vide in novissima ejusdem sancti Pontificis Operum editione Parisina per Benedictinos Congregationis S. Mauri, lib.*13 *Registri, epist.* 6 *et* 8; *sed in hisce nulla de* S. Andochio *aut Sociis fit mentio.*

translata Augustodunum ad S. Andochii parthenonem,

54 *Hinc dubitari potest, an xenodochium istud seu monasterium a prima sua fundatione* SS. Andochii, Thyrsi *ac* Felicis *sacris ossibus ditatum fuerit,et* S. Andochii *nomine appellatum.Primum, si de integris eorumdem corporibus accipiatur, absolute negat scriptor anonymusOpusculiGallici* B *de Vitis sanctorum Patronorum, martyrum et episcoporum Augustodunensium, anno* 1713 *Divione typis vulgati, qui parte* 2,*pag.*34 *et sequenti hæc ait :* Dominus Du Saussay et aliquot alii dixerunt, illorum reliquias, cum circiter usque ad finem seculi sexti Sidoloci quievissent, curante episcopo Syagrio Augustodunum translatas, et in nova abbatia, quam Brunichildis Austrasiæ et Burgundiæ regina recens fundaverat, quæque S. Andochii appellatur, depositas fuisse. Verum hæ reliquiæ non potuerunt esse corpus horum sanctorum Martyrum : nam illustrissimus Gabriel de Roquette, episcopus Augustodunensis, ecclesiam, quam isti fundaverunt, utiliter sapienterque gubernans, cum anno MDCLXXV, ipsa festa eorum luce magno cum comitatu presbyterorum, insolitaque populi frequentia, Sidolocum venisset, eorumdem trium Sanctorum corpora ex vetustis loculis sustulit, deposuitque in eleganti arca, quam ipse donavit, in qua in tribus separatis cellulis asservantur.

sed tantum maxima portio S. Andochii seculo nono

55 *Hactenus anonymus; cujus tamen verba non sic etiam accipienda sunt, quasi omnium istorum trium Martyrum corpora integra, aut saltem majori ex parte Sidoloci semper remanserint. Contrarium enim discimus ex charta Jonæ episcopi Æduensis tom.* 4 *Galliæ Christianæ auctæ, inter instrumenta col.* 51 *et sequentibus.Per hanc chartam laudatus Jonas* anno Incarn. Dom. DCCCLVIII, gloriosissimi Caroli regis serenissimi XVIII, Ind. VII *(lege* VI*) et, ut infra additur,* XIII Cal. Junii, *prædicto virginum monasterio multa donans, inter cetera ait :* In prædictis denique fundis et locis quidquid eidem venerabili loco a fidelibus olim collatum fuerat, in usus ancillarum Dei destinare curavimus : et si amplius ibidem ecclesiæ nobis commissæ ditionis invenietur, aut forte nostri juris, pro amore Omnipotentis, et veneratione S. Andochii, CUJUS PATROCINIA IBIDEM A NOBIS MAXIMA EX PARTE DELATA SUNT, propter congruentiam ejusdem loci venerabilibus habitatricibus promptissima voluntate cederemus. *Ex hisce habemus primo, verum non esse,quodSaussayus,aliique post ipsum de translatis Sidoloco ad Augustodunense puellare monasterium* SS. Andochii, Thyrsi *et* Felicis *ossibus asseruerunt, si quidem id de integris eorumdem corporibus vel majori horum portione dicere intenderint.*

per Jonam episcopum ibi deposita fuit,

56 *Habemus secundo,* S. Andochii *corpus (id* D *enim per* patrocinia *hic designatur)* maxima ex parte *paulo post medium seculum nonum a Jona episcopo illuc delatum fuisse;ideoque nec integrum nec majori ex parte Sidoloci quiescere, ut anonymus innuit, nisi quis velit, Augustodunenses reliquias postea Sidolocum reportatas fuisse, quod a nemine assertum legi. Præterea cum laudatus Jonas de solo* Andochio *meminerit, colligere licet, hujus solius reliquias, saltem tam notabiles, in dicto monasterio ab eo depositas fuisse.De duobus aliis mentio quidem fit in privilegio Caroli Calvi, in quo Jonæ donationes confirmavit, anno regni sui* XIX, *Indictione* VII,XVIII *Kalendas Julii in præcitato Opere, col.* 56 *et seq.; sed tamen de reliquiis nihil ibi legitur,et monasterium a solo* S. Andochio *appellatur. Verba Caroli regis accipe :* Jonas venerabilis præsul Eduorum ecclesiæ. . . . obtulit obtutibus nostris quoddam privilegium, ... in quo continebatur insertum, qualiter idem Jonas, divino tactus amore, pro Dei honore et reverentia BB. martyrum Andochii, Thyrsi et Felicis, sanctimonialium Regularem vitam eligentium intra Eduam urbem in monasterio S. Andochii curam gerens *etc. Potuerunt itaque etiam aliquot minores portiones ossium* E SS. Thyrsi *et* Felicis *ibidem asservatæ, ac forte ab ipso Jona tunc depositæ fuisse; verumtamen monasterium illud horum nomine insignitum nusquam reperi.*

ex quo forte tempore monasterium illud S. Andochii cœpit appellari,

57 *Ex hac porro* S. Andochii *translatione, per Jonam episcopum circa medium seculum nonum facta, nomen* S. Andochii *prælaudato Augustodunensi parthenoni forte primum adhæsit. Neque huic suspicioni obest Necrologium Flaviniacense, ex quo Galliæ Christianæ scriptores pro ejusdem restauratione asserendo Deciæ, sorori Wideradi, qui circa medium seculum octavum obiisse dicitur, col.* 483 *sequentia recenset :* XII Cal. Nov. obiit Decia soror sancti Widradi, quæ fecit *(id est,* restituit, *inquiunt)* monasterium sancti Andochii. *Non obest, inquam, hoc Necrologium : quia cum non addat, in quo loco istud* S. Andochii *monasterium exstiterit,æque de Sidolocensi, quam de Augustodunensi ista possumus interpretari ; utque de Sidolocensi potius interpretemur non parum favet, quod Deciæ frater Wideradus Flaviniacensis monasterii fundator ac forte abbas etiam* basilicam S. Andochii Sedelocensis *rexerit, uti num.* 52 *dictum est. Ceterum quid in utroque loco ex* SS. F Andochii, Thyrsi *ac* Felicis *reliquiis hocce tempore supersit, et an earum aliquæ ad alia loca translatæ fuerint, aliunde non didici.*

Officium eorum ecclesiasticum Augustoduni et alibi.

58 *Quod ad ceterum eorumdem cultum attinet, in Breviario Æduensi, anno* 1534 *typis edito, hoc die* XXIV *Septembris Officium de iis* triplum *cum Octava præscribitur, quod antiphonas et responsoria propria habet.Pro primo die novem quoque Lectiones propriæ ex Actis concinnatæ assignantur; ceteris diebus non nisi Officium trium Lectionum legitur.Cum vero ex hisce omnibus nihil discamus præter ea, quæ Acta docent, illa hic non referam, excepta Oratione, quæ sequitur.* Deus inestimabilis gloriæ, qui hunc diem perclaro beatorum Andochii, Tyrsi et Felicis martyrio consecrasti, fac nos eorum interventu ita alacres tuo insistere servitio, ut eterni eorumdem gaudii mereamur esse consortes. Per Dominum etc. *Cum recentiora Breviaria ecclesiæ Augustodunensis non habeam, dicere nequeo, an et quid in vetusto illo Officio deinde mutatum sit. In Breviariis quoque Senonensi anni* 1625 *eodem die Officium de iis simplex præscribitur cum tribusLectionibus propriis,*

A *priis; in Lingonensi anni* 1604, *et Parisiensi anni* 1736 *simplex item cum una Oratione propria. Forte etiam in aliis diœcesibus aliqua eorumdem memoria agitur, quod nec vacat, nec operæ pretium est hic pluribus inquirere. Acta itaque accipe.*

ACTA

Auctore anonymo

Ex pervetusto codice Ms. S. Benigni Divionensis.

S. Irenæus Polycarpo apparens, jubet Postquam gloriosus Irenæus *a*, episcopus et martyr migravit ad cœlum *b*, medio fere noctis vultu terribili, umbræ pacifico *c*, cum multitudine martyrum ad sanctum Polycarpum *d* veniens, ait, : Agnosce filium tuum, quem erudisti, pater. Sancte sacerdos, agnosce Irenæum tibi fuisse ministrum. Ecce accepimus promissionem, quam nobis promisit Rex cœlorum et terræ. Nihil nobis de promissione sua fraudavit Redemptor noster. Audi, pater, verba filii tui : transmitte nunc duos Presbyteros, id est, Andochium et Benignum, et Thyrsum diaconem, Galliarum urbibus, viros virtutibus et sapientia plenos, quos consimilis gloriosus exspectat triumphus : ut, quia paucitas a Christianis ibi remansit, Baptismatis gratiam præbeant. Quia notum tibi sit, sanctissime pater, quod gens illa, inspirante Domino, copiose desiderat servire Christo. Hæc eum loquentem, sicut eum agnoscebat, ita et beati Martyres in alio cubiculo eum audiebant, atque per soporem videbant. Sed cum hæc sancto suo sermone locutus fuisset, iterum psallentes atque gaudentes redierunt ad cœlos: in quo cubiculo tantus invaluit odor suavitatis, ut æstimarent, se paradisi miris odoribus conlocari.

SS. Benignum, Andochium et Thyrsum in Gallias mitti; 2 Mane autem facto, S. Polycarpus suos adloquitur Fratres, referens eis, quæ gesta fuerant, et ut felix aggrederentur iter jubet. Ipse vero S. Andochius et Benignus et Thyrsus, quæ, Christo confortante, jubentur, gaudio magno repleti de tam sancta jussione Christi, non tardi de præceptis, C vigilata nocte, psalmis et hymnis Deo gratias agentes *. Usque ad naviculam S. Polycarpus deducens, et valedicens, ait : Angelus Domini comitetur vobiscum, Spiritus sanctus sit in visceribus vestris. Magna vos gloria cœlestis exspectat, o piissimi Fratres. Verbum Domini gentibus prædicate; adventum Christi omnibus annunciate. O quam speciosi pedes euangelizantium pacem! Multos habetis adjutores et intercessores vestros, qui pro vobis Dominum interpellare non cessant. Ne vos longi itineris conturbet austeritas, non regionis longinquitas; aut parentum desiderio coagulescat cor vestrum. Non vos minæ aut impiissimi cæsaris conturbet impietas. Sit in cordibus vestris B. Pauli apostoli sermo : Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in Sanctis. Polycarpus ait: Vale nobis dicite, Fratres; et lacrymans dixit eis: Paradisi vos gloria, et ante tribunal suum reportantes fructum laboris vestri Christus excipiat, et in illa felicium justorumque regione consociet Athletas suos, ubi lux permanet, et vita regnat; ubi priorum fides beata de vultus sui * præsentia vivæ claritatis inradiat; ubi alumna paradisi et candidata cœli turba concluditur.

* *imo agunt*

A. ANONYMO. * *ejus, id est* Dei

qui Massiliam appulsi, inde Lugdunum, et Augustodunum 3 Et ascendentes in naviculam, celeriter eos ad Massiliam *e* unda maris adduxit. Egressi itaque ad terram, ad S. Zachariam presbyterum *f* pervenientes, qui latenter in crypta inter sepulcra martyrum latitabat; et cum eodem verbum Domini mediantes, atque in Christo gaudentes et sperantes, ut suos dirigeret gressus, angelo admonente, ad Augustodunensem diriguntur civitatem *g*. Erat tunc temporis Faustus, nobilissimus vir præfectorius *h*, qui sub chlamide (propter iniquissimi cæsaris minas) Christum latenter colebat; cujus beati viri audita benignitate ac fide plenissima, ad eum, angelo monente, veniunt. Qui cum eos vidisset, sicut thesaurum cœlestem, ita eos excepit: et cum eos presbyteros esse cognovit, suppliciter exoravit, ut omnibus amicis et familliæ ejus Baptismatis gratiam condonarent. Defuncto igitur nequissimo Se- E vero imperatore morte, quam quæsivit et invenit *i*, succedente Aureliano *k* nequiore, qui, sicut imperium, ita et malitiam adeptus est, ubique similiter Christianos, qui idolis non sacrificassent, per diversas provincias diversis suppliciis maceratos, gladii jubet finiri sententia. Sed, ubi est plenissima fides, nec potestatem adversam timet, nec minas reveretur.

veniunt, ubi Fausti filium, aliosque baptizant; Benignus cum Andochio 4 Habebat tunc temporis vir inluster Faustus filium quasi trium annorum, nomine, Symphorianum *l*; quos suppliciter exoravit, ut et eum Baptismatis gratia consecrarent. Quod ipsi gaudentes, S. Benignus eum baptizavit, Andochius vero eum de sacro fonte suscepit. Qui Symphorianus repletus Spiritu sancto, cum esset fere viginti annorum, gloriosam et immarcessibilem martyrii meruit coronam accipere ; qui virtutibus manifesta probatione semper præclaruit. Nuper *m* quidem ipso tempore omnes amici vel familia domus Fausti per hos beatissimos Martyres Baptismatis gratiam fuerunt adepti. Erat in illis mirabilis virtus Christi ; cœcorum oculis lumen infundebant, dæmones de obsessis corporibus effugabant, debilium membris sanitatem reddebant. Habebat autem vir inluster Faustus sororem sibi germanam Lingonicæ *n* civitatis matronam, nomine Leonillam *o*, cujus erant parvuli gemini nepotes ex filio suo tres, viri aspectu pulcherrimo, animo pulchriore; id est, Josephus et Eleusepphus et Melasippus quos divinis litteris erudiebat. Erat in iis gratia plena, sed baptismi F ablutionem, non erat, qui præberet.

Lingones profectus, familiam S. Leonillæ baptizat. 5 Tunc præstantissimus vir S. Benignum presbyterum, sicut margaritam pretiosam aut munus cœleste, sorori transmisit; sicut manna cœleste aut margaritam splendidam Leonilla excepit. Quo excepto, hi gemini tres fratres Baptismatis gratiam consecuti sunt. Qui, accepto Spiritu sancto, cum fuerunt viginti et quinque annorum, a persecutoribus sunt comprehensi. Longum est enarrare, quantam fuerunt perpessi pœnam; sed victricem accipiunt coronam. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit, quos ipsius Agni sinceritas gemmis insignibus coronavit; quod Passio ipsorum plenius declaravit *p*. Quæ matrona similiter omnes domus, utriusque sexus, conditionis et ætatis per S. Benignum Baptismatis gratia consecravit. Lætabantur in Christo fideles fidelissimæ domus, corroborabatur in eis inambigua et plenissima fides. Erat autem Aurelianus *q* iniquissimus cæsar constitutus

A. ANONYMO. stitutus in extremis finibus Galliarum, et ad civitatem veniens Senonas *r*, data ab eodem omnibus præpositis loci sententia, qui se Christianos profiterentur, diversis suppliciis macerari, cruciatibus mancipari; et quicumque diis nostris non sacrificaverint, gladii eos et capitali jubemus finiri sententia *s*.

Andochius, Thyrsus et Felix Sidoloci comprehensi,

6 Erat autem ager nobilissimi viri, cui nomen est Sedelocus *t*. Dum SS. Andochius et Thyrsus ad præfatam domum, quæ est in publico aggere, intrepide venirent, et prædicatione sua cunctis perdocerent ad salutem, quidam negotiator ibidem residens, nomine Felix *u*, Christianus jam, Orientalis vir, cujus negotiatio quotidie erogabatur in pauperes, S. Andochium presbyterum, et Thyrsum diaconem in suo excepit officio *. Et cum se virtutibus manifesta traditione populis demonstrarent, subito Aurelianus imperator de civitate veniens Senonis, ubi ad præfatam domum adgressus fuisset, sibi tentoria tendi præcepit. Unus ostiarius crudelissimi cæsaris, dum Felicis hospitium ingressus fuisset, invenit SS. Andochium et Thyrsum, Christi verbum prædicantes: fremebundus veniens, nunciavit, quod Christiani in domo Felicis residerent. Quod audiens, secundum suæ rabiei morem in conspectu suo eos præsentari jussit. Felix Andochio ait: Ne patiaris, me separari a corona pietatis tuæ, quam accepturus es a Christo, Pater; sed orationibus vestris adjutum pariter me perducatis ad pretiosam martyrii vestri coronam. Et facta oratione, intrepidi pergunt *x*. Ligatis post tergum manibus, ducti sunt in conspectum iniquissimi cæsaris.

* al. hospitio

et Christum confessi coram imperatore,

7 Quibus Aurelianus ait: Cujus regionis homines estis? aut quod nomen vestrum? aut quem Deum colere vultis? S. Andochius ait: Orientales homines sumus, a sancto patre nostro Polycarpo episcopo missi. Christum conditorem cœli, maris et terræ, et quæ in eis sunt, colimus. Nomen meum Andochius, fratrum meorum Thyrsus et Felix. Aurelianus ait: Numquid ad inritandam potentiam nostram et deorum dearumque nostrarum tam longi itineris spatio venistis? Andochius ait: Nos venimus a Christo admoniti, cujus verbum incorruptum gentibus prædicamus. Aurelianus ait: Numquid in regionibus vestris, aut in provincia ista non cognovistis, quod antecessorum imperatorum et nostræ auctoriates sanxerunt, quod ii, qui diis nostris non sacrificaverint, diversis suppliciis adflictos gladii eos jubemus finiri sententia? S. Andochius ait: Nefas est, Deum conditorem derelinquere, et coli lapides et ligna, idola muta et surda. Aurelianus ait: Muta et surda esse dicis invictissimum Jovem, Mercurium atque Saturnum? Andochius ait: Hos, quos tu nominas, dæmonia esse manifesta probantur; nam species eorum absque visu, absque gressu, absque tactu esse videntur.

cæduntur, et inversis manibus suspenduntur ex arbore;

8 Aurelianus ait: Sacrificate diis nostris, ut ex ærario publico remuneratos, primos vos in meo palatio esse constituam; et ne male pro Christo vestro, qui ab hominibus est crucifixus, moriamini. Ab hac voce hi tres clamantes dixerunt: Aurum et argentum tuum tecum sit in perditione, lupe rapax; quia credis, te donum Dei per pecuniam supplantare. Nos pro Christo potius mori volumus, quam ab eo recedamus, ubi plus justi, quam sol, in regno cœlorum refulgent, et illis ibi erit lumen æternum et vita immortalis, et dabitur illis ibi, quod nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Nam ii, qui diis tuis deserviunt, ibunt in tenebras exteriores, inextinguibili igne *, quod præparavit patri tuo diabolo et angelis ejus. Ibi illorum fletus et stridor dentium; desiderabunt lumen, et non videbunt. Nam si velis credere Christum, non introieris. Tunc iniquissimus cæsar tradidit eos tortoribus, dicens: Nisi hodie sacrificaverint, diversis pœnis eos adfligite. Tunc beati Martyres cæsi *y*, in ulmum cujusdam inversis manibus pariter suspenduntur, et rotæ impletæ saxis eorum pedibus conligantur.

* al. inextinguibilem ignem

ab hac depositi, et in fide constantes

9 Et dum tantam fuerant tota die perpessi pœnam, psallebant, dicentes: Deus in adjotorium nostrum intende, Domine, ad juvandum nos festina. Et ita tamen erant integri, quasi nec unam plagam accepissent. Post hæc iniquissimus cæsar in crastina ipsos sibi præsentari præcepit, et ait: Sacrificate diis nostris, qui propter inobedientiam vestram talem fuistis perpessi pœnam. Responderunt ei dicentes: Agnosce, miser, quia minæ tuæ et supplicia nobis refrigerium præstant. Cæsi Auctorem lucis non negavimus; suspensi, Christum semper confessi sumus. Aspice nos; inlæsi ante conspectum Dei nostri stamus; quia Christus noster, quem tu negas, servos suos semper custodire promisit. Audiens autem hæc Aurelianus, ignem præparari præcepit; accensoque igne, ait: Aut sacrificate diis, aut in ignem vos, ligatis manibus et pedibus, jactari præcipiam. Ad hæc toti tres una voce, unoque consensu clamantes, dixerunt: Ecce carnes quas ad tempus in potestate habes. Quod malitiæ tuæ diabolus dictaverit, fac; feri, occide, assa, et manduca; nam nos non mutas a Christi confessione, qui et tuam detergere habet perfidiam.

ignem innoxie tolerant, ac tandem

10 Accensoque igne, ligatis manibus et pedibus, eos in ignem jactari præcepit: et nihil nociti * ab omni conbustione ignis, resolutis ligaminibus, stantes in fide, psallebant in medio igne, dicentes: Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum: transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium. Dum hæc aguntur, tanta coruscatio cœlestis, infremuit, et imber pluviæ super ignem accensum. Et ita intrepidi et liberati in conspectu Aureliani adfuerunt, dicentes: Agnosce nos, miser; vide, quanta sit virtus Christi. Vides nos inlæsos in tui præsentia iterum convenire. Crede Christo, et non timebis illius ultimæ diei necessitatem; quia, quantum homo negligens est ad delinquendum, tantum misericordia Domini dives est ad remittendum. Aurelianus ait: Dii nostri vobis subveniunt; et vos dicitis, Christi auxilio vos esse defensos. Andochius ait: Saxeum habes cor, ut non credas Creatori cœli et terræ, nec mirabilibus ejus.

* i. e. passi

vectibus colla percussi exspirant, et a Fausto et S. Symphoriano sepeliuntur,

11 Tunc impiissimus cæsar secundum suæ rabiei morem pariter eis vectibus colla feriri præcepit, ut ita finirent pretiosam et splendidam temporalem vitam, accepturi æternitatis gaudia et immarcessibilem coronam. Acta sunt hæc circa sanctos Dei Martyres, id est, Andochium presbyterum et Thyrsum diaconum, et Felicem, octavo Kalendas Octobris *z*. Post hæc Aurelianus imperator ad Augustodunensem dirigitur urbem. Audiens autem Faustus, quod talia in Sanctos Dei in suo agro per Aurelianum imperatorem diabolus fecerat, noctu veniens cum Symphoriano suo filio, qui erat jam tunc temporis quasi annorum quindecim *aa*, sanctos Dei Martyres recondidit sepulcris, ubi quotidie virtus Domini mira declaratur. Illic lacrymas fundens S. Symphorianus, vigiliis et orationibus vacans

A vocans nolebat a loco illo removeri *bb*; donec, opitulante gratia Christi, perfectus in gratia Dei, et indutus loricam fidei, festinavit ad conoram martyrii quam et accipere meruit, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et laus et gloria et potestas cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

bb

ANNOTATA.

a *Sancti Irenæi Lugdunensis in Gallia episcopi et martyris gesta apud nos illustrata sunt ad diem* 28 *Junii, ubi non ante annum Christi* 202 *passus fuisse ostenditur.*

b *Notat Chiffletius, in codice Vaticano hic appositum legi*; Septimo die.

c *Forte legendum est* umbræ pacificæ. *In Clameciacensi apographo habetur*: Ore pacifico.

d *Si per* Polycarpum *hic designetur sanctus episcopus Smyrnensis et martyr, ut in uno et altero Ms. legitur, non potuit huic S. Irenæus post martyrium suum apparuisse, nec alia Actorum asserta sustineri; secus vero si Polycrates Ephesinus indicetur. Vide de hoc argumento disputata* B *in Commentario prævio*, §§ 2 *et* 3.

e *Notissima est hæc Galliarum civitas in Provincia, Gallis nunc* Marseille *dicta, cum celebri suo portu ad mare Mediterraneum. In Ms. Clameciacensi, in S. Andeoli, et Rhythmicis S. Benigni Actis dicuntur Sancti nostri prius ad insulam Corsicam appulisse, ibidemque tempestate detenti, donec S. Andeolus, uti S. Irenæus S. Benigno sanctoque Polycarpo denuo apparens mandaverat, illuc advenisset, eorumdem socius futurus. Consule Commentarium prævium num.* 10, 20 *et seq.*

f *Adi Commentarium num.* 44 *et* 45.

g *In Actis ad lit.* e *citatis hic dicitur S. Andeolus a Sociis suis missus Carpentoracte, quæ antiqua Galliæ urbs est in Provincia, vulgo* Carpentras *dicta, in ditione Ecclesiæ, quatuor milliaribus seu leucis ab Avenione dissita, teste Baudrando in Lexico.*

h *Crediderunt aliqui, Acta Martyrum nostrorum ab hoc Fausto scripta fuisse: qua de re consule Commentarium* § 2. *De nobilitate ipsius gestoque ab eodem magistratu aliqua annotavimus ibidem num.* 46.

i *Septimius Severus ab anno Christi* 193 *usque* C *ad* 211 *imperium tenuit. Cum autem hic dicatur mortem quæsitam invenisse, discimus ex Epitome Sexti Aurelii Victoris editionis Lugdunensis apud Batavos in Vita Severi, ubi de ipso in Britannia ægrotante legitur*: Is dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum gravis ac plurimæ carnis avidius invasit, quem cum conficere non posset, crudelitate *(lege* cruditate) pressus expiravit. *Illustrissimus Bosquetus in hisce Actis pro* Severo *legendum putavit* Verum. *Adi Commentarium num.* 23 *et seq.*

k *Pro* Aureliano *hic legendum esse* Aurelium, *et per hunc intelligendum esse M. Aurelium Antoninum Caracallam, qui Severo patri suo una cum fratre Geta successit, extra dubium est. Præpropere tamen hic in Actis eam successionem narrari, observavimus in Commentario num.* 49.

l *Hic est celebris apud Æduos martyr Symphorianus, cujus Acta apud nos data sunt ad diem* 22 *Augusti. Adi Commentarium nostrum prævium num.* 46 *et seqq.*

m *Chiffletius notat, in codice Vaticano hic legi*; Nuperrime. D

n *Lingones, indigenis nunc* Langres, *antiqua Galliæ Celticæ civitas est in Campania, in colle ad fontes Matronæ sita, estque episcopalis sub metropoli Lugdunensi.*

o *De S. Leonilla, ejusque ex filio tergeminis nepotibus martyribus actum apud nos est ad diem* 17 *Januarii, ubi eorumdem gemina Passio data est. Sed consule Commentarium nostrum prævium num.* 15 *et duobus sequentibus, ubi, quæ hic de collato ipsis per S. Benignum baptismo narrantur, inter fabulas reputavi, quia ipsos in Cappadocia passos credo.*

p *Vide, quæ ex hoc etiam loco adversus antiquitatem Actorum, quæ hic edo, annotavi in Commentario num.* 18.

q *In locum* Aureliani *substituendum hic esse* Aurelium, *conveniunt eruditi pene omnes; sed alii M. Aurelium Antoninum, cognomento* Philosophum, *alius* Heliogabalum, *alius* Caracallam *intelligunt; quod ultimum Actis conformius esse diximus in Commentario, quem consule num.* 48 *et duobus sequentibus.* E

r *Senones antiqua Galliæ civitas, gentis Senonum primaria, Agendicum etiam olim dicta, nunc Gallice* Sens, *ad Icaunam fluvium sita, archiepiscopatu, et vestustate illustris. Porro M. Aurelium Antoninum Caracallam in Galliis fuisse circa annum Christi* 213, *ut existimat Tillemontius, in Commentario prævio num.* 50 *dixi; sed an Senonibus fuerit ac ibidem edictum aliquod adversus Christianos vulgaverit, non ausim asserere. Vide dicta loco citato.*

s *Ista nempe velut edicti verba recitat biographus, parvæ apud me auctoritatis.*

t *Consule Commentarium num.* 7 *et* 8.

u *Venerabilis Beda, aliique num.* 2, 3 *et* 4 *in Commentario citati hunc* S. Felicem *una cum ceteris a S Polycarpo in Gallias missum dixerunt. Vide dicta ibidem.*

x *Saussayus in Martyrologio Gallicano, nescio, utrum ex aliis Actis, an ex sensu suo, ubique pro imperatore præsidem substituit, aitque, domum* S. Felicis, *cum hic Sanctos tradere recusasset, vi effractam, atque ita eos captos fuisse, et* Felicem *eos sponte sua secutum esse.* F

y *Tillemontius tom.* 3 *Monument. eccles. pag.* 39 *observat, in Martyrologio Bedæ legi, ipsos* flagellis cæsos *fuisse, quod negat in suo Ms. legi. Fateor, nec in Mss. nostris mentionem de* flagellis *fieri; sed* cæsi *tamen in omnibus dicuntur. Idem Beda ibidem, et qui ipsum secuti fuerunt, Ado et Usuardus, mox pro* in ulmum, *legunt* in ultimo; *sed perperam, uti liquet ex contextu.*

z *Hæc forsitan circa annum Christi* 213 *contigisse, dixi in Commentario prævio num.* 49 *et* 50.

aa *In alio apographo Accinctino legitur*, quasi annorum viginti quinque; *verum error manifestus est, cum in eodem etiam dicatur S. Symphorianus martyrium subiisse, dum esset fere viginti annorum.*

bb *In Mss. mox laudato hic subditur*: Nobilissimus autem vir Faustus beatorum Martyrum Passionem, Deo juvante, composuit et scripsit ad laudem ipsius, cui est honor et gloria et virtus cum Sanctis suis nunc et semper, et in cuncta sæcula sæculorum. Amen. *Sed vide Commentarium* § 2.

AUCTORE J. P.

D

DE S. TERENTIO MARTYRE

PISAURI

IN DUCATU URBINATE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus insignis; Acta sublestæ fidei.

Seculo III ut fertur. Solemniter colitur per octavam

Sanctus hic, quamquam apud Pisaurenses jam dudum ut patronus civitatis primarius solemnissime cultus, unusque ex antiquis ac illustrioribus, si Actis fides habenda, martyribus, præteritus est in omnibus sacris Fastis seculo B *decimo septimo anterioribus. Primus quem novi, Philippus Ferrarius in ambobus Catalogis eum annuntiavit ad diem* XXIV *Septembris. Breviter in Generali Sanctorum, qui Martyrologio Romano inscripti non sunt, his verbis :* Pisauri S. Terentii martyris sub Decio, civitatis patroni. *At vero in particulari Sanctorum Italiæ multo prolixius Sancti gesta et martyrium descripsit ex Officio Pisaurensi in diœcesi per octavam recitari solito. Ejus exemplar habeo separato libello impressum Fani anno* 1592. *Totum pene Sancto proprium est; hymni, antiphonæ, responsoria, versiculi ad vitam et martyrium ejus accommodata, et Acta ipsa in lectiones quindecim in festo et per octavam, diebus majori Officio non impeditis, recitandas ad secundum Nocturnum distributa: Oratio hæc est*: Propitiare nobis, quæsumus, Domine, famulis tuis per hujus sancti Terentii martyris tui, qui in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum etc.

Pisauri, ubi reliquiæ honorifice conditæ,

2 *Recusum est etiam separatim pro civitate et diœcesi Pisaurensi typis Venetis anno* 1619, *sed in nonnullis reformatum: Acta quippe ad tres tantum lectiones contractæ sunt pro secundo No-* C *cturno diei festi, reliquis autem per octavam diebus præscribuntur sermones vel expositiones sanctorum Patrum, et in oratione expunctæ sunt voces istæ :* Qui in præsenti requiescit ecclesia*: verisimiliter in gratiam aliarum diœcesios ecclesiarum, in quibus ejus reliquiæ non servantur. Quam autem honorifice collocatæ sint in ecclesia cathedrali, disce ex Papebrochio, qui cum Henschenio illic præsens adfuit anno* 1660 *die* XXIX *Novembris:* Templum, ipsum, *inquit in Diario Ms. Itineris Romani,* humile quidem sed amplum est, pulchreque instauratum sub triplici fornice, quem pilæ hinc inde senæ sustinent*:* in lateribus totidem altaria, quot arcus sunt: chorus quadratus cum amplo hemicyclo post altare*:* in dextero latere sacellum est Venerabilis, cujus cupulam quatuor ad angulos columnæ sustinent, totidemque sub arcubus hemicyclæ fenestræ illuminant. Parietes gypso ornati semicirculariter tribus in partibus excurrunt, sub coronide cupulam sustinente: in medio altare est unicum, cujus mensam clathri sustinent ferrei, angelis ligneis inauratis, limboque decori, per quos spectabilis est formosa ex marmore tumba, in qua corpus est B. Terentii M., statua autem ejus in altari juxta tabernaculum.

Acta multis de causis

3 *Hactenus relata declarant manifestissime ac certam faciunt cultus celebritatem ; utinam liceret idem asserere de authentica Actorum fide, ac veritate prodigiorum, quæ iis continentur! Sed nihil occurrit, quod ea commendet, multa, quæ insinuant, auctorem fuisse a Sancti temporibus* E *remotissimum, quæque ipsius fidem suspectam faciunt. Sane proximitatem temporis non spirant particulæ* memoriæ proditum est, creditur *rebus narratis immixtæ, nec tabulæ, verisimiliter Italico idiomate exaratæ, unde Vitam desumptam intelligimus ex verbis, quæ in laudato Officio præfiguntur lectioni* IV, *ipso festo recitandæ:* Sancti Terentii Vita ex vetustissima tabula, quæ servatur in cathedralis ecclesiæ sacrario, desumpta et nuper Latinitati donata. *De fide autem biographi dubitare me jubent personæ ab eo introductæ et nemini antiquorum notæ; primo Emerentiana mater, pater Nardus, Panutius abbas in Pannonia ante medium seculum tertium, et præ ceteris Dagnus in ejusdem Pannoniæ finibus rex, Romanum imperium tenente Philippo, nempe sub quo certe ea regio Romanis subjecta erat, uti patet ex Zozimi lib.* I, *ubi narrat, ab eodem Philippo illuc missum fuisse ad sedandas perturbationes Decium, postea suum in imperio successorem. Adde Theodosiam matronam Pisaurensem, quam ab angelo gesta Sancti edoctam fuisse ait biographus, verisimiliter quia Vitæ et matyrii seriem ita disposuerat, ut alioqui non posset intelligi, unde ea ad posterorum notitiam pervenisset.*

suspecta,

4 *Secundo anachronismus in anno mortuali ita signato:* Passus est hic Christi Miles anno salutis F nostræ ducentesimo quadragesimo septimo, Cornelio summo Pontifice, septima Christianorum persecutione, Decio imperatore*: nam juxta communem eruditorum sententiam S. Cornelius ad Pontificatum evectus non est ante annum* 251, *nec Decius imperio potitus ante* 249. *Tertio modus martyrii et reliqua illud subsecuta, tam similia iis, quæ dedimus ex Ferrario tomo* IV *Julii pag.* 96 *de S. Terentio episcopo Lunensi et martyre, ut ambigere nequeam, quin alter biographus ex altero descripserit: verba conferam in Annotatis ubi et pauca alia observabo, quæ displicent, quæque cum jam assignatis efficiunt, quominus prodigia et gesta reliqua sufficienter probata existimem. Accipe igitur Actorum seriem ex Officio anni* 1592, *in tot divisam numeros, in quot divisa fuit lectiones proprias.*

ACTA

A

ACTA

SUBLESTÆ FIDEI.

Ex officio proprio, edito ad annum 1592

Sæviente in Pannonia *a*

Imperante Philippo, quem primum inter Romanos imperatores Christianum suscepisse religionem memoriæ proditum est *a* : etsi Christiani homines in tota Italia et reliquis Europæ provinciis, atque cunctis orbis terrarum partibus respirare cœperant; tamen in Pannoniæ finibus rex quidam, nomine Dagnus, in Christi cultores, suadente diabolo, crudelissime animadvertit. Ibidem nobilissima mulier Emerentiana, Jesu Christi ancilla, filium Terentium ex marito Nardo, paulo ante mortuo, genitum in Christiana religione pie et sancte erudiebat. Puer vero sanctissimos mores B una cum lacte sugere assuetus, paullatim in vita Christi adolescebat, et hoc unum sibi consilium constituit, ne unquam scilicet a vera erga Deum pietate minacibus tyrannorum verbis aut verberibus revocaretur.

tyranno rege,

2 Cæterum, sæviente Dagno rege crudelissimo, præclarissima Emerentiana cogitabat, qua ratione fieri posset, ut ope divina dilectum filium Terentium ab immanissimi tyranni manibus eriperet. Præsagiebat enim sancta mulier, eum in Ecclesia Dei uberrimos fructus allaturum. Quamobrem omni animi affectu se dans in preces, petebat a Domino, ut, quominus impia tyranni manus Filium perderet, sibi auxilium ferret. Proinde statim affuit cælestis clementia, quæ Emerentianam admonuit, ad abbatem Panutium sese conferret et ab eodem salubre consilium exposceret.

mater Sancti anxia

3 Festinat igitur ad Panutium, quem ea tempestate noverat unum esse Christianorum perfugium, unum solamen et communem omnium patrem. Quæ, cum ejusdem consilium audivisset, vitam Filii, quem unice diligebat, in maximo discrimine versari præsensit. Quare ægra se domum contulit, et præ animi augustia trium dierum spatio C nihil manducavit, nihilque bibit. Tandem cælesti numine excitata, ad Panutium abbatem, unde spes omnis pendebat, omnem Nardi sui pecuniam et res pretiosiores una cum Filio clanculum exportavit, ut tandiu ibidem laterent, quoad furentem tyranni rabiem effugerent.

cum Filio latet,

4 Beatus itaque Terentius intra domesticos Panutii parietes latitans, Dagni regis edicto ab exploratoribus et sicariis exquirebatur diligentissime. At, divina volente clementia, ab optimo Panutio mediæ pene cædi subtractus est, et occulte servatus, atque preceptis, patriisque admonitionibus instructus. Is enim, ut optimus Dei cultor et pastor egregius, oves divinitus sibi commissas a luporum dentibus tueri studebat. Cum vero B. Terentium occultare diutius non posset : hortatur Emerentianam, humilem Jesu Christi ancillam, ut velit illinc aufugere, et sese atque Filium a tyrannica rabie
b conservare *b* : Dominus enim præcepit discipulis suis in cultum gentium missis : Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam : et Paulus de se ipso ait : Per fenestram in sporta demissus sum, et sic effugi manus ejus.

5 Igitur de Filii salute anxia, et cupiens eum Dominico gregi servare, etsi graviter ferebat relinquere patriam, cujus dulcedine mortales universi tenentur, sibi tamen tacite persuasit, satius esse Panutii consilium persequi, quam ibi remanere. Propterea navi et omnibus rebus ad iter conficiendum paratis, auctore Panutio, naviculam conscendunt, sperantes, quorsum ituri essent, Dei dexteram clavum directuram. Semel atque iterum sese in Domino salutantibus, atque verba lachrymis et laccrymas verbis miscentibus, navis in altum appulsa est. Quare pius pater Panutius supplici oratione precatus est Deum, ut ad aliquem salutis portum possent pervenire. Tandem cum trium dierum iter processissent, ad Aquileiæ portum applicuerunt.

A. ANONYMO. dein fugiens Aquileiam

appellit, ubi Sanctus, miraculis clarus præfecto sistitur:

6 In qua urbe multa Deus per Servum suum miracula manifestavit. Quoniam Ibidem Christum prædicans, innumeros ab idolorum cultu revocavit homines, et illius regionis indigenæ et advenæ, atque ex finitimis oppidis lætabantur multi, quo sibi esset reddita membrorum firmitas et totius corporis robur. His autem rebus ad Valerianum illius civitatis præfectum delatis, beatum accersit Terentium, accersitum interrogat, cujus sit regionis atque ordinis. E Sed is præsenti animo respondit, se in Pannonia ortum et Christianam profiteri religionem, atque Jesu Christo, vero Deo, se totum vovisse. Cui iterum præfectus : Tune Christianus es? Sum, (inquit,) Christo enim semper inservivi, et nunc promitto, et recipio, me in fide Christi semper perseveraturum. Quare Valerianus furore accensus, jussit eum idolis thura ponere et immolare, atrociaque interim eidem recusanti supplicia minatur : cui Miles Christi egregius : o mens (inquit) impia, scito tyrannorum cruciatus Christi fidelibus sempiternas in cælis præparare divitias.

carceri mancipatur,

7 Sancti igitur Terentii verbis dirus, ille præfectus ira accensus, et mentis impos effectus, mandavit, ut Christi Servus in fœdissimum carcerem truderetur, quo in loco centum et vinginti novem Christiani pedore affecti detinebantur. Quos cum vidisset beatus Terentius, perhumaniter salutavit, dicens : Pax vobis, fratres mei. Deinde eos hortatus est, ut in fide Christi persisterent, nec ulla tormentorum genera formidarent. Paullo post intra carceris septa detentus, triduum supplex oravit ad Dominum his verbis : Omnipotens Deus, qui servis tuis, pro tui nominis gloria injuriam F patientibus, ubique succurris; qui Danielem de lacu leonum incolumem extraxisti; tu, qui Petrum cathenis ligatum per angelum de manu Herodis et ab omni exspectatione plebis Judæorum liberasti, aperi portas, Domine, confringe vectes ferreos, et seras carceris obscurissimi, ut cognoscant gentes te solum Deum, et glorificent nomen tuum in secula.

et miraculose eximitur. Romam proficiscitur.

8 Completa vero oratione, ad mediam fere noctem factus est tonitruus maximus, et utraque pars carceris corruit funditus. Quibus, cum inde evasissent omnes, obviam ivit angelus Domini, et eis benedicens, monstravit, quorsum esset iter dirigendum, atque ab oculis eorum e vestigio evanuit. Ipsi vero ex angelica visione lætitiæ perfusi, Deo pura mente gratias egerunt, qui servos suos in se sperantes a dentibus leonum rugientium ad escam extraxisset. Cæteris inde Christianis benigne salutatis ac dimissis, beatus ipse Terentius angelico monitu Romam se contulit, quam ad urbem cum pervenisset, vidit Christianos nefario Decii immanissimi imperatoris jussu ad necem trahi *c*, qui, pro Christo in terris aspernantes mortalia,

A. ANONYMO. *et hinc Pisaurum;* talia, mortui, in cælis æterna assequebantur.

9 Quam ob rem dilectus Jesu Christi servus Terentius tantorum martyrum exemplo permotus et martyrii desiderio flagrans, hac ad Deum oratione confugit: Justissime Deus, qui pro meritis legitime certantes coronas; sine, quæso, nunc Servum tuum temporali morte in cælis coronam adipisci, et inter Sanctos tuos adscribi. Oranti et martyrii coronam exoptanti apparuit angelus Domini, dicens: Surge, abi hinc ad civitatem Picænam, (Picæna vero civitas Pisaurum erat,) quoniam exitus tui jam imminet hora *d*. Sanctus itaque Terentius angelicæ locutionis gaudio repletus, etsi, quam erat ingressurus, viæ ignarus esset, nocturno tamen tempore, nullaque interposita mora, ad ipsius urbis mœnia contendit.

oculum nefarii hominis, prodigiose læsum, sanat; 10 Eunti vero beato Terentio occurrit rusticus quidam, cui nomen Vulgus. Is pascens porcorum greges, ut novit Christi Servum honestissimis vestibus indutum, sperans; si eum spoliaret, non parum lucri, simulavit eodem, quo Sanctus ibat, sibi quoque esse proficiscendum. Non recusavit comitem sanctus Dei Servus. Quare vafer B ac pessimus homo, suadente diabolo, et avaritia cogente deliberabundus in Sanctum jecit telum acutissimum, quod divinitus retrogrediens, sagittantis oculum transfixit. Et vulnere rusticus impatiens, vociferans et lachrymans, ad sancti Terentii pedes sese prostravit, et hinc inde dolore agitatus, rogabat, sibi ignosci et oculum sanari. Sanctus igitur misericordia motus, suspexit in cælum, et, de more habita oratione, expuit in terram, lutum fecit, et signo crucis hominis oculum linit, et statim ille vidit, et abiit magnificans Deum.

a latronibus occiditur in via; 11 At vero, cum adesset tempus suæ in cælum migrationis, jam pridem ab angelo sibi prænunciatæ, ad eandem urbem properabat, cujus fines ingressum paullulumque progressum magna repente latronum manus ex obscurissimis saltibus erumpens ad locum Aquam Malam tunc temporis nuncupatum, aduriuntur, non aliter atque canes aut lupi in oviculam certatim sævire solent. Cum enim audissent, eum Christianum esse, deliberarunt omnino interficere. Proinde ab illis exutus vestibus, usque ad necem cæditur. Magis autem ac magis crescente grassatorum atrocitate, Dei Servus semimortuus ad cælum oculos sustulit, inquiens: Mitissime Deus, C qui, ut humanam naturam labefectatam sanares, ad imas terrarum sedes descendere voluisti; tu Domine, qui cruciatibus et sanguinis tui effusione fidelibus tuis cælum reserasti, libera me de gehennalibus flammis, ne absorbeat me tartarus; sed angeli tui ad te perducant. Hæc dicens, Deo reddidit spiritum.

corpus ejus divinitus ostensum e 12 Sed ut, quod patrarunt facinus, latrones celarent, sacrum Martyris corpus in eundem locum, Aquam Malam appellatum, projecerunt *e*. Verum paullo post Theodosia hujus civitatis primaria fæmina per quietem admonita est et ab angelo edocta, ut ad locum (locus enim ille non longe aberat a civitate) ubi Martyris corpus a latronibus projectum jacebat inhumatum, sese conferret, (explicata tamen prius ejusdem sancti Martyris, vita *f*.) Paruit cælesti imperio devotissima mulier. Eo advolavit, quam secutæ pedissequæ ancillæ, ac nonulli nobiles viri, ejusdem Martyris corpus indagare cœperunt. Mulier vero, reperto tanto thesauro, exilibat gaudio, et lætabunda in aquam descendit, anceps, num illud trangere deberet. Tandem illinc extractum syndone munda pie involvit, et ut loci et temporis ratio sinebant, D honorifice aptandum curavit.

13 Interea cum forte ibi esset agreste et fere sordidum plaustrum, quod cujuslibet fulgentissimi triumphalis currus ea die æquavit gloriam, atque adeo antecessit, in eo sancti Terentii corpus a pientissima matrona locatum fuit, et, admotis duabus parvulis juvencis, ad suam ipsius patriam illud vehere decrevit. Passim progredientibus, mirum erat videre, quanta in brutis illis concordia esset, dum nullo egentes admonitore, sacrum pondus sponte veherent. Jam ventum erat ad urbem, cum illis occurrit populus exultans, cui præibant sacerdotes, psalmos, hymnos et divinas laudes canentes. Cumque civitatis limina intraturi essent, omnes una voce Deo gratias agebant, qui talem ac tantum illis Patronem concessisset. Sibi enim quisque persuadebat, sancti Terentii intercessione Pisaurenses ab omni labe et pernicie liberari posse, civitatemque ipsam tanti Martyris tutela opulentissimam et florentissimam fore. *Pisauri suscipitur,*

14 Cum pervenissent in forum, sancti Martyris corpus ad episcopalem ecclesiam, quæ tunc fuisse creditur ad divi Cassiani ædes, portandum asserebant. Sed, volente Deo, factum est, ut illinc amoveri non posset. Quare tanto miraculo omnes attoniti et ancipites, ubi reponendum esset, divinitus evenit, ut juvencæ illæ sponte sua ad magnificam ejusdem Theodosiæ domum deportaverint: ad quæ visenda catervatim ibant cives, incolæ, fæminæ et pueri, imbecillesque infirmi, et quibusvis morbis detenti sanabantur. Postridie illius diei cum fama percrebuisset per vicina oppida et finitimas civitates eorum, quæ Pisaurensibus acciderunt, ex diversis locis confluebant homines ad sancti Martyris spectaculum, omnes donaria offerebant, et sibi quisque lætabatur, atque Deo optimo maximo gratias agebat. *ingenti hominum lætitia,* E

15 Quam ob rem Florentius, tunc Pisaurensis episcopus *g*, iis visis, et devotissime efflagitante Theodosia, ejusdem mulieris ædes, ubi sanctum corpus requiescebat, consecravit, et, populo spectante, sancti Terentii membra marmoreo in tumulo honorificentissime locavit, atque octavo Kal. Octobris eidem ecclesiam dicavit; qui sane dies, ad hujus sancti Martyris natalitia celebranda institutus, semper Pisaurensibus celeberrimus exstitit. Passus est hic Christi Miles anno salutis nostræ ducentesimo quadragesimo septimo, F Cornelio summo Pontifice, septima Christianorum persecutione, Decio imperante, et vivus et mortuus miraculis claruit. Anno vero CCCCXLVII supra millesimum, XVI Kal. Augusti, sedente Nicolao, V, et hujus civitatis episcopo Joanne Benedicto, patria Pisaurensi, extracta fuere sancti Martyris ossa ex catacumba inferiori, quæ est subter maximam aram, ubi ab episcopo Florentio recondita fuerant, et super eandem reposita jacuerunt usque ad annum salutis nostræ sexagesimum sextum post mille et quingentos, quo tempore ad locum, ubi nunc requiescunt (is est ad sinistrum latus aræ maximæ) mense Decembri translata sunt a Julio Simonetta episcopo et ibidem die præsertim illi dicato magna piorum veneratione coluntur; et ad augendum nostri hujusce Patroni cultum, et ut ipse libentius pro nobis intercedat, sancitum est nuper anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, ut ab omnibus diœcesis sacerdotibus die festo et per totam S. Terentii Octavam, ejusdem Vita singulis diebus in Officio divisim recitetur. *conditur in ecclesia ipsi sacra. g*

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Veritas hujus tradionis controvertitur inter eruditos.*

b *Mirum videbitur legenti hanc historiam, cur Dagnus ille, seu fictus seu verus rex in Pannoniæ finibus, tam solicite ac diligenter, propter fidem Christianam inquiri jusserit in* Terentium *puerum vel juvenem, relicto Panutio ejus in fide magistro, patre et Christianorum pastore. Sane auctor prudens et perspicax causam hujuscemodi exceptionis verbo saltem indicasset.*

c *Passus est Sanctus, sicut infra dicitur, anno 247, ergo aliquot annos ante imperium et persecutionem Decii.*

d *Causæ apparitionum angeli hic allatæ, leves admodum mihi apparent. Romam mittitur ab angelo; videt ibidem Christianorum pro fide certamina, martyrium et ipse exoptat; sed hinc ab angelo jubetur Pisaurum proficisci; nempe occidendus in via a latronibus.*

e *Quam parum hæc in re differant ab iis, quæ, teste Ferrario, notantur in tabulis Sarzanensibus*

B *de interitu S. Terentii episcopi martyris, videat lector ex verbis hinc desumptis* : Cumque extra urbem in via pauperibus eleemosynam de more distribueret, a latronibus magnam se pecuniæ summam apud eum reperturos, sperantibus invasus, interfectus est juxta Laventiæ, qui in Macram influit, amnem. *Adjicitur tamen in Actis nostris, cædem Sancti a latronibus statutam fuisse, quia Christianum esse audierant; sic enim planior apparet causa martyrii. Porro confer etiam, si lubet ea, quæ apud nostrum sequuntur de sepultura* S. Terentii *Pisaurensis cum iis, quæ traduntur de Terentio Lunensi, et dispice, quam parum differant : verba hæc sunt ex tabulis Sarzanensibus* : Cujus corpus plaustro impositum a juvencis indomitis in eum locum, qui S. Terentii nominatur, delatum, ibi conditum est, ecclesia ibidem suo nomini constructa.

A. ANONYMO.

f *Vide Commentarium num. 3.*

g *Ughellus tom 2 Italiæ sacræ episcoporum Pisaurensium seriem exhibens ex ejusdem ecclesiæ monumentis, hunc primum statuit* : Florentius, *inquit*, primus Pisaurensis episcopus occurrit, cujus mentio certior habetur in Actibus S. Terentii martyris, vixitque anno CCXLVII, hic cathedralem erexit, ubi corpus S. Terentii martyris civitatis patroni, recondidit

E

DE S. PAPHNUTIO ET SOCIIS MM.

IN THEBAIDE

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. S.

Sancti hi variis diebus ac diverse memorati in Fastis Græcis ac Latinis : Acta Græca, quæ jam Latine edita sunt, multis fabulis sunt inquinata.

SUB DIOCLETIANO. S. Paphnutii et Sociorum memoria ad hunc diem,

M*artyrologium Romanum hodie ingentem nobis suggerit Martyrum manipulum cum* S. Paphnutio, *de quibus ita habet* : In Ægypto passio Sanctorum Paphnutii et Sociorum martyrum. Is vitam in solitudine agens, cum audiret multos Christianos in vinculis retineri, divino spiritu concitus, sponte præfecto se offert et Christianam religionem libere profitetur : a quo primum catenis ferreis constringitur, et in equuleo diutissime torquetur : deinde cum aliis plurimis ad Diocletianum mittitur : cujus jussu ipse palmæ affigitur, cæteri autem ferro necantur. *In Annotatis ait Baronius* : De ipso etiam hac die Græci in Menologio. *At Græci* Paphnutium *cum sociis habent die sequenti. Galesinius itaque videtur primus* Paphnutium, *cui Socios attribuit quingentos quadraginta et septem, ad hunc diem retulisse.*

in Menologio Basiliano ad sequentem, uti et in aliis

2 *In Menologio Basiliano ad* XXV *Septembris de eodem Martyrum manipulo hæc leguntur, secumdum editionem Græco-Latinam* : Impii Diocletiani imperatoris credulitas plurimos Christianorum non solum ex laicis, sed ex monachis effecit martyres. Ex quorum numero fuit sanctus Paphnutius, qui ex Ægypto oriundus, abdicato seculo, maximam vitæ partem in eremis transegit. Sed cum plurimos Græcorum ad Christum converteret, a præfecto ad necem quærebatur. Multis ergo ejus causa comprehensis, jussus ab angelo, præfecto se ultro obtulit, in cujus conspectu Christum professus, catenis ferreis constringitur : tum in equuleum actus, eo usque depectitur, donec illius viscera in terram profluerent. Verum cum rursus, illis ab angelo composite in locum suum restitutis, sanus effectus, multos ad Christi fidem traxisset, mittitur a præfecto una cum iis, qui crediderant, ad Diocletianum imperatorem, a quo palmæ affixus decessit. Atque uno eodemque die quingenti quadraginta septem Martyres decollati fuere. *Hactenus Menologium. At hæc non sunt omnino Actis consona, sed fortasse meliora et veriora, cum Acta sint fidei admodum suspectæ. In Menæis impressis ad eumdem diem, post memoriam* sancti martyris Paphnutii *brevissime annuntiatam, duo solum hi sequuntur versiculi* :

F

Σταυροῦσι Παφνύτιον οἱ κόσμου φίλοι,
Τὸν παντὶ κόσμῳ καὶ πρὶν ἐσταυρωμένον.
Crucifigunt Paphnutium mundi amatores,
Toti mundo jam ante crucifixum.

Hæc mortem in cruce obitam clare indicant, et utcumque insinuant vitam monasticam, cum dicatur fuisse mundo crucifixus. In Menologio Sirletiano hodiernus Paphnutius *plane est prætermissus, eique substitutus pater S. Euphrosynæ, de cujus*

AUCTORE J. S.

Græcorum Fastis: in aliis Mss. ad xx *Aprilis.*

jus martyrio aut sanctitate nihil novimus.

3 *Synaxarium Græcum Ms., quod servatur in Collegio Parisiensi Societatis Jesu, ad* xxv *Septembris elogium exhibet Actis conforme. In eo dicitur* S. Paphnutius, *origine Ægyptius, ex civitate Gentyria, cum quæreretur ab Ariano præfecto, monente angelo, eidem se sponte obtulisse, fidem profitens. Tamdiu mox tortus asseritur, ut viscera effluerent; sed sanatus ab angelo, eaque occasione manibus præfecti liberatus, multos ad fidem et martyrium pertraxisse dicitur. Rursum captus rotæque alligatus, licet membra rotis discinderentur, incolumis Dei gratia mansisse legitur. Tum demum ad Diocletianum missus, et in Palma dicitur crucifixus. Monastica* Paphnutii *vita ibidem procul dubio etiam relata fuit; sed verba aliquot legi non potuerunt, ubi illa erat referenda. Aliud elogium, Actis item conforme, sed paulo brevius, legitur in Mss. Menæis bibliothecæ regiæ Taurinensis ad* xx *Aprilis, quod latine redditum huc transfero.* Certamen sancti martyris Paphnutii, qui vixit sub Diocletiano imperatore, genere Ægyptius ex urbe Gentyria, et plurimum vitæ suæ tempus in eremo traduxit. Comprehensus vero ab Ariano præside, et super lignum appensus, usque adeo ustulatur, ut interiora ejus videnda apparerent. Verum a divino angelo rursus sanatus; præbuit multis occasionem arripiendæ fidei et martyrii subeundi. Idcirco rursus rotæ alligatur, ejusque impetu dissectus, gratia Christi sanus restituitur. Quapropter ad imperatorem Diocletianum deductus est, ejusque jussu cruci clavis affixus, spiritum Deo reddidit. *In hoc elogio omissa sunt, quæ in Actis maxime displicent.*

Acta Græca quæ jam edita Latine, habent Martyres 346,

4 *Acta* S. Paphnutii *et Sociorum martyrum Græca habemus ex codice Vaticano* 1660. *Eadem latine ediderunt Lipomanus et Surius ad* xxviii *Aprilis, ut observarunt Majores nostri ad illum diem in Prætermissis, ubi addunt :* Sunt ea accepta ex Ms. codice Cryptæ-Ferratæ, quæ perperam Metaphrasti tribuuntur. *Illum procul dubio diem elegerunt Lipomanus et Surius, quia in fine Actorum, prout reddita sunt Latine,* S. Paphnutius xxviii *Aprilis martyrium suum complevisse dicitur. Eadem verisimiliter ratio fuit Molano eos omnes ad* xxviii *Aprilis ita annuntiandi :* Eodem die martyrium S. Paphnutii abbatis, et quingentorum quadraginta sex, qui una cum ipso martyrium passi sunt. *Nam hic ipse numerus in titulo Actorum exprimitur apud Surium et Lipomanum. Idemque titulus præfixus est Actis Græcis. Idem rursum numerus confirmatur in fine Actorum. Attamen non dicuntur omnes eodem die occisi, sed variis diebus, et omnes fere ante* Paphnutium *tempore satis notabili.* Paphnutius *enim missus dicitur ad Diocletianum, postquam prædicti in Thebaïde erant perempti; nec alii eodem cum* Paphnutio *die leguntur in Actis coronati præter milites aliquot, qui corpus Sancti sepelierunt, indeque conversi et corona martyrii dicuntur redimiti.*

sed non carent fabulosis assertis

5 *Quod modo spectat ad fidem Actorum Tillemontius tom.* 5 *Monument in S. Ariano art.* 1 *agnoscit, non videri Metaphrastis hæc Acta, ut observaverat Henschenius, sed ait, Metaphraste omnino dignam esse, si facta spectemus, historiam et vix ullam in Metaphraste reperiri deteriorem historiam. Addit, ignota verisimiliter fuisse Baronio :* Ea enim *inquit,* improbasset. *At nullam dictorum rationem adjungit. Assentior tamen libenter Tillemontio, talia non esse hæc Acta, ut facta omnia cum adjunctis suis pro veris admittenda videantur. Etsi enim singula, quæ displicent, talia fortasse non sint, ut sola sufficiant, ad auctorem de mendacio convincendum, tantam tamen connectit factorum mirabilium catenam, ut difficulter credere possimus, inventis poëticis carere hæc Acta, omniaque contigisse, prout referuntur. Verum esse potest, imo prorsus verisimile est atque credibile, occasione certaminum* S. Paphnutii *multos fuisse ad fidem conversos, palmamque martyrii adeptos. At illos omnes a Sancto fuisse incitatos ut præsidem ultro adirent, ac ultro se certaminibus ingererent, nec legibus ecclesiasticis erat consonum, nec prudenter credi potest scriptori, mirabilia æque ac incredibilia multa accumulanti. Quo minus etiam historiam totam, quæ nata erat nomen* S. Paphnutii *celeberrimum facere, pro vera admittere valeam, facit partim silentium scriptorum seculi* iv, *præsertim Eusebii et Rufini; partim quod non invenio, cultum hujus* Paphnutii *celebrem admodum umquam fuisse apud Græcos.*

ideoque solum recudetur interpretatio Latina correcta.

6 *Quapropter Latine solum edam hæc Acta, etiamsi Græca alias ad manum habeam. Conferam tamen totam interpretationem Latinam, prout edita est a Surio, et in Annotatis lectorem non solum monebo, sicubi interpretem aberrasse aut aliter legisse reperero; sed in textu Latino etiam corrigam manifestos interpretis errores. Præterea in Annotatis assignabo præcipua auctoris asserta, quorum causa fidem suam fecit suspectam, quæque simul sumpta persuadent, magis ipsum studuisse grandia et mirabilia scribere, quam vera. Nolim tamen, ex iis prudens lector inferat, omnia esse figmenta, quæ in his Actis de* S. Paphnutio *narrantur. Nam aliunde constat, Arianum vel Arrianum præsidem, qui* S. Paphnutium *comprehendit, insignem fuisse persecutione Christianorum in Thebaïde, quæ pars erat superioris Ægypti, contermina Æthiopiæ, Æque compertum est, multos fuisse in Thebaïde monachos. Quare nulla est ratio, cur vellemus negare, aut monachum fuisse* S. Paphnutium, *aut cruci affixum martyrio mortem oppetivisse. Reliqua sunt incerta, videlicet, an tanta hominum multitudo, quantam exhibent Acta occasione* Paphnutii *certaminum ad martyrium pervenerit, et magis etiam incerta sunt multa prodigia in Actis asserta. De tempore, quo passus est* S. Paphnutius, *nihil certi statuo, nisi passum esse sub Diocletiano.*

ACTA

ACTA FABULOSA

Latine reddita ex editione Surii, collata cum Ms. Græco Vaticano, et subinde correcta.

CAPUT I.

Prima S. Paphnutii cum Ariano præside certamina : quadraginta Martyrum, in carcere conversorum passio.

Paphnutius, dum jussu præsidis quæritur, monente angelo

Fuit imperatore Diocletiano Arianus quidam præses, qui per Ægyptum *a* Christianos homines inquirebat, ut cogeret illos diis sacrificare. Veniebat igitur in urbem Gentyriam *b*, quo in loco erat anachoreta quidam in solitudine, cognomento abbas Paphnutius, vir justus et in tota illa regione insignis. Is apud præsidem ipsum ob eam causam delatus erat, quod deos sperneret, et imperatorum jussis adversaretur. Arianus igitur præses valde contra eum indignatus, duobus centurionibus præcepit, ut B. Paphnutium, antequam dies illucesceret, ad se vinctum ducerent. Abbas vero Paphnutius nihil horum sciens, per montem ingrediebatur, illic pernoctans, ut consueverat. Cui angelus Domini apparens : Salve, inquit, Paphnuti Christi athleta. Cui Paphnutius respondit : Salvus sis et tu, domine. Sequere me, inquit angelus, ut coronem domum illam, quam a puero ædificasti. Ingredere in cellulam tuam, et arma te lorica justitiæ ; et pallio sacro indutus, cælestem oblationem offeras : quoniam veni hodie, ut te vocarem ad thalamum Domini tui, ut sine solicitudine aliqua fruaris Deo tuo. Jam enim delatus es apud Arianum præsidem, qui præcepit ducentis militibus, ut, antequam dies crastinus illucescat, te vinctum ad tribunal ducant. Sed esto bono animo, neque timeas : ego enim sum angelus ille, qui fui cum patribus tuis, et nunc tecum sum *c*. Dominus autem te fortem reddet, facietque, ut talis sis, qui Arianum præsidem confundere valeas.

ultro Ariano præsidi se offert,

2 Cum igitur angelus hæc illi dixisset, B. Paphnutius in cellulam suam ingressus, pallio et linteo se induit, atque exiit *d* ita hilaris, ut aliquis faceret ad convivium pergens. Angelus vero, manu ejus apprehensa, cum illo de cælestibus mysteriis colloquens ibat. Cumque ad Ægypti fluvium, qui Nilus nominatur, pervenissent, angelus ipse, quæ eventura illi erant, enarravit : eoque salutato, in cælum ascendit. Arianus autem præses e proprio navigio descendit, et in solio quodam sedit apud portum ipsum, ubi omnes vicinarum urbium magistratus honoris causa eum expectabant. Sedit autem nihil aliud curans *e* nisi ut B. Paphnutius capi posset : ob id enim ducentis militibus præcepit *f*, ut illum comprehensum ad se ducerent. At B. Paphnutius cum eos antevertisset, stetit in conspectu Ariani præsidis, clamansque forti animo et voce libera, dixit : Christianus ego sum. Ego, inquam, sum Paphnutius ille, qui a te quæritur : ne igitur militibus tuis mei quærendi molestiam adhibeas. Tu quidem exercitum tuum habes ad Christianos homines congregandos, et ad eorum sanguinem effundendum : nos vero habemus angelos ipsos, a quibus ad cæleste illud Dei regnum adjungamur.

A. anonymo.

fidem professus, vinculis constringitur,

3 Arianus præses intuens in illum, ait : Tune es ille desertor deorum atque impius Paphnutius, qui leges contemnis, et deos justos aspernaris? Non sum, inquit magnus Paphnutius, a Deo alienus neque impius, sed Deo vivo a pueritia mea servio. Tu vero, qui multos deos observas, alienus es a Deo ipso. Hæc cum præses Arianus audivisset, stridens dentibus suis, ita dixit : Per deos immortales Apollinem et Dianam, pessimis suppliciis te affligam. Ac statim jussit justi Viri manus et pedes ferreis vinculis constringi, et una cum aliis vinctis connumerari, inter fures et maleficos collocatum. Et præses quidem ipse in urbem abiit. Beatus vero Paphnutius paulatim incedebat propter vincula, quibus pedes ligati erant. Itaque seipsum pedetentim promovens, secum loquebatur : Paphnuti, Paphnuti, agnosce sortem hanc, quæ tibi evenit : recordare, quemadmodum et Jesus Dominus inter duos latrones positus fuit.

minis tentatus, libere respondet;

4 Cum igitur præses in urbem introivisset, sedit pro tribunali, et statim B. Paphnutii causam inquirebat. At B. Paphnutius ab injustis militibus exagitatus, ad tribunalis gradum ascendit, Deique gloriam collaudat; statim autem ferrea vincula et manibus ipsius et pedibus, velut quædam aqua, effluxerunt *g*. Itaque stetit ante Arianum præsidem, qui ad eum ita locutus est : Quisnam, Paphnuti, furor te corripuit? Quare non sacrificas justis diis, sed pessime tibi moriendum esse proposuisti? Cui Paphnutius : Christianorum, inquit, mors non est mors, sed vita sempiterna. Quamobrem nulli sacrifico, nisi omnipotenti Deo meo, Regi omnium seculorum. Arianus vero præses jussit illuc ferri clibanos, et ferrea jacula, ac sartagines oleo ferventi plenas : quibus omnibus circumdato, beato illi Viro præses dixit : Paphnuti, nisi mihi obedias, his omnibus cruciandus es. Ridens autem Paphnutius : Putasne, inquit, Ariane, ista tua tormenta mihi adeo terribilia videri, ut Deum meum negare velim? Avertat semper hoc Deus. Quinimmo illud tibi dico, nostras monachorum vivendi constitutiones longe plura tormenta in se continere : in multis enim exercitationibus nos testamur. Sed noster Salvator ita nos corroborat, ut occulta satanæ bella superare possimus. Idem rursus et nos corroborabit ad istam tuam, quæ nihil contra nos poterit, persecutionem superandam.

graviter laceratus, ab angelo sanatur, conversisque duobus militibus.

5 Tunc Arianus dixit : Multa, Paphnuti, verba facis, quæ meo tribunali ferenda non sunt. Porro jussit beatum Paphnutium in armamentario suspendi et lacerari. Sanctus igitur Paphnutius suspensus est, eo usque laceratus, quoad ipsius intestina in humum dejecta sunt, et totum corpus sanguine conspersum fuit. Ille vero cum oculos in cælum erexisset, Deum sic invocavit : Domine Jesu Christe, non refugio dispensationem tuam. Paratus enim sum mori pro nomine tuo : sed precor benignitatem tuam, ne permittas me prius mori, quam Arianum confundam, et ejus manufacta simulacra. Tunc angelus Domini stetit ad dexteram S. Paphnutii : cumque ejus intestina suscepisset *h*, in ventrem ipsius ea conjecit, conclusitque, et ita sanum ipsius corpus restituit, ut si numquam

A. ANONYMO. numquam antea tormentis laceratum fuisset. Duo vero milites, qui excruciabant, Dionysius et Callimachus, cum angeli manum, intestina beata Paphnutii sic in ventrem ipsius conjicientem, vidissent; repente Domino Deo crediderunt. Cumque suas militares zonas dirupissent, in conspectu Ariani præsidis steterunt, dicentes: Et nos Christiani sumus. Illis vero Arianus: Quidnam, inquit, vidistis, ut in talem insaniam conversi, tribunal nostrum contemnatis, et audeatis justos imperatoris deos abnegare? Tunc milites una voce responderunt: Quod vidimus, non possumus tibi enarrare. Scriptum est enim in Literis divinis, quibus Christiani homines utuntur: Nolite dare sanctum canibus, neque projicere margaritas vestras ante porcos. Ergo, inquit Arianus, me porcis similem judicatis? Ad hæc milites dixerunt: Justiores sunt porci et canes, quam tu es: animal enim omne, quantumvis rationis expers sit, Dei ipsius nutui subjicitur, et tacitis vocibus eum laudat: tu vero Dominum ipsum aspernaris, et negas. His verbis Arianus valde indignatus, jussit illos statim obtruncari *i*. Quare extra urbem ducti sunt: et securi percussi, martyrium suum compleverunt, et in cælos ipsos gloriose ascenderunt.

i

B

carceri traditur, ubi quadraginta

6 Arianus vero præses surrexit e tribunali, ut iret ad prandium, jussitque B. Paphnutium in carcerem conjici. Milites igitur illum arreptum, in obscura quadam carceris cellula concluserunt. Crastino autem die beati Paphnutii causam præses non inquirebat, sed publicis rebus operam dabat, cogens duces exercitus ac præfectos res publicas expedire. Quas cum illi non expedivissent, jussit eos in carcerem conjici. Erant autem omnes quadraginta. Nocte vero illa, qua in tenebroso loco conclusi sunt, viderunt inibi lucem magnam, instar solis tempore æstivo exorientis, ita ut totus locus illustratus fuerit. Quo viso, magistratus illi, qui conclusi fuerant carceris custodem ad se vocarunt, et ab eo quærentes: Quænam, inquiunt, tanta vestra fuit audacia, ut ignem in carcerem inferretis, et eum comburere conaremini, ut et qui vincti sunt, fugam arripiant, et nos periclitemur? Respondit illis præfectus carceris: Numquam, o fratres, ignis hunc allatus est: neque ego parum miror: jam enim duas noctes eodem modo hic locus effulsit, ex quo tempore Christianus homo

C

Paphnutius in obscura cellula clausus fuit: neque omnino tenebræ in carcere fuerunt, sed lux per totam noctem apud nos effulsit, sicut sol ipse, cum exoritur. Magistratus illi cum hæc audivissent, in eum locum accesserunt *k*, ubi Paphnutius inclusus fuerat, et illic stantes, ipsum pro suæ civitatis et totius orbis terrarum salute orantem audiverunt. Cumque cellulam aperuissent, intraverunt, eumque manus erectas, velut faces quasdam accensas effulgentes, habentem viderunt, circa quem multa odoris suavitas inerat.

k

viri ab eo convertuntur.

7 Hoc cum quadraginta illi magistratus vidissent, eum adierunt atque adorarunt, cum quo et totam noctem transegerunt. Cum vero dies illuxisset, magistratus illi Paphnutium salutarunt. Ipse vero pacem eis optans: Pax, inquit, vobis sit, filii. Sed quinam estis? Tunc illi: Præses nobis iratus est, et jussit in carcerem nos conjici rerum publicarum causa. Quibus ait sanctus Paphnutius: Etsi hodie vobis pœna remissa fuerit, posthac quid opus est denuo vos negotiis civilibus implicari? Quamobrem audite me, et credite Deo meo: nam ejus nomen confitentes, vestris iniquitatibus liberati fueritis, peccatorumque vestrorum chirographum delebitur: cumque cælestis Hierosolymæ cives effecti fueritis, scribentur vestra nomina in libro Sanctorum viventium in secula. Tum illi quadraginta Magistratus una eademque sententia responderunt: Nos toto animo Deum tuum confitemur: fortasse enim hæc, quæ accidit, carceris occasio ad æternam libertatem nos perducet. Agite, inquit B. Paphnutius, surgite, eamus hinc, o filii, jam enim vestra nomina scripta sunt in libro viventium. Exiit igitur e carcere B. Paphnutius, ab Ariano præside requisitus, quem et Magistratus illi sequebantur. Cumque ad tribunal venisset: O tribunal, inquit, tribunal, ego contra te veni. Tu cum Apolline tuo, et ego cum Domino meo Jesu Christo. Hæc illum dicentem milites præsidis circumdederunt. Beatus autem Paphnutius statim ita ex oculis eorum evanuit, ut non amplius videretur. D

qui et martyrio coronantur.

8 Porro quadraginta illi Magistratus statim ad tribunal ascenderunt, clamantes, se Christianos esse. Arianus vero præses cum illos inspexisset, indignatus: Quidnam, inquit, vobis accidit, aut quidnam habetis? Nunquid ægre tulistis, quod vos spreverim, ob idque de vestra vita desperastis? Magistratus autem illi una voce dixerunt: Nos E tuis fabulis mentem non adhibemus, sed cælestem spem nobis proposuimus, et brevia et caduca hæc dereliquimus, ut sempiterna illa bona recipiamus. idque scias, vere nos de omnibus nostris facultatibus consulto tibi concessisse. Itaque redituum et nostrarum omnium possessionum potestatem habes. Uxores vero et filii nostri, si placet, nos sequantur. Quænam ista vestra insania est? inquit Arianus. Ut video, non aliunde, nisi a deorum desertore Paphnutio, et magicis ejus veneficiis hoc proficiscitur. Illi autem: Obmutescat lingua ista tua, quoniam contra sanctum Dei Virum maledicta protulisti. Hæc cum præses Arianus audivisset, ita indignatus est, ut jusserit illos in supplicium agi qui tormenta divini amoris causa sustinuerunt. Eos enim nefarii ministri cum in desertum locum abduxissent, et foveas effodissent, easque igne implevissent, beatos ipsos Viros illic combusserunt. Stabat autem sanctus Paphnutius supra singulos rogos, sanctorum Virorum animas quasi propriis manibus excepturus. Combusti sunt autem quadraginta illi Magistratus, et uno eodemque die martyrium eorum perfectum fuit, qui sempiternum bravium receperunt.

ANNOTATA.

F

a *Surius* per totam Ægyptum. *At in Græco solum* per Ægyptum, *nimirum per Thebaïdem, cui præerat Arianus, aliorum quoque martyrum cæde notus, sed postea conversus, et martyrio coronatus. Videri possunt ad* 8 *Maji Acta SS. Philemonis Apollonii, Ariani etc., in quibus hujus Ariani conversio et martyrium enarratur. Poterunt illa Acta, quæ minus accurate scripta videntur, conferri cum S. Apollonii et Sociorum Actis, quæ dedit Rufinus, et ex Rufino Ruinartius in Actis Martyrum sinceris.*

b Gentyria *civitas modo apud geographos non reperitur. Quapropter dubito, an forte librariorum errore corrupta sit prima littera. Certe in Thebaïde erat civitas* Tentyra, *aut* Tentyris *dicta, et facile errore Græcum* tau *in* gamma *commutari potuit.*

c *Tota hæc visio pluribus verbis exposita est, quam ut satis fiat probabilis, maxime quia sequuntur alia longe deteriora, quæ non nisi pro figmentis*

A *tis auctoris haberi possunt.*

d *Apud Surium additur*, post oblationem, *acsi prius incruentum obtulisset Missæ Sacrificium. Verum illa verba non leguntur in textu Græco, et verisimiliter* Paphnutius *sacerdos non erat, cum eo tempore paucissimi essent sacerdotes inter monachos.*

e *Confessus ille in solio ad portum, et tanta cum cura de* Paphnutio, *rursum non est verisimilis, confictusque videtur ab auctore, ut accessus ultroneus* Paphnutii *lectores magis percelleret. Nam variis locis inexspectatos inducit eventus more poëtarum.*

f *Surius* præceperat. *Sed Græce* ἐκέλευσε præcepit, *et sequentia innuunt, necdum dimissos fuisse milites, etiamsi mandata essent data. Si tamen non mera sint auctoris inventa.*

g *Hoc miraculum, uti et reliqua omnia prodigiosa, ob exiguam auctoris fidem saltem incertum est.*

h *Græce* σφραγίσας cum signasset. *Voluit auctor dicere, opinor angelum salutiferæ Crucis signum formasse supra ventrem* S. Paphnutii. *Verum, quidquid voluerit dicere, non meretur fidem, cum* B *angelum humano et visibili modo operantem inducit, licet alias martyres non raro fuerint divinitus confortati, et aliquando etiam subito sanati.*

i *Nec militum torquentium conversio nec eorum cædes repente secuta improbabilis videri debet. Hæc igitur vera esse potest, etiamsi auctor improbabili prorsus modo eos statim ex sacra Scriptura ratiocinantes inducat.*

k *Rursum vera esse potest conversio quadraginta hominum, sive illi carcere detinerentur, sive ad* Paphnutium *ibi detentum accesserint. Verum adjuncta lucis illius ingentis, orationis* Paphnutii *auditæ, odorisque suavis percepti, figmenta videntur auctoris, qui forte illos et duces exercitus et præfectos pro arbitrio suo creavit, si non et numerum quoque confinxit.*

CAPUT II.

C *Paphnutius multos convertit et ad martyrium perducit : variis affectus cruciatibus, ad imperatorem mittitur, palmæque affixus moritur.*

Paphnutius venit ad Nestorii domum,

Beatus vero Paphnutius cum per urbem ambularet, vidit januam cujusdam ditissimi hominis patefactam. Erat autem viro illi nomen Nestorius. Accessit igitur, et mulieri, quæ januam custodiebat : Da, inquit, mihi filia, paulum aquæ, ut bibam. Cui ancilla dixit : Ingredere, Pater. Noverat enim eum Virum, quoniam propter multa egregia illius facta inter anachoretas celebrabatur, et ejus vita valde laudabatur. Cum igitur ejus adspectum vidisset, libentissime illum accepit : cumque ad heram suam accessisset : Egredere, inquit, celeriter ut beatum Paphnutium videas, per quem multa signa facta sunt sub Ariano præside. Illa statim cucurrit, et ad domus suæ atrium venit, viditque B. Paphnutium stantem, ut angelum Dei, cumque adorans, ait : Vere tota vita mea non tanti est, ut tua præsentia digna sit : magni certe fecit me Deus meus, quod hoc tectum tuo ingressu dignatus fuerit. Cumque illum manu apprehendisset, in propriam domum introduxit, et in sede argentea collocabat. Ridens autem beatus ille Vir : Quorsum, inquit, multum istud aurum, quod video, tam impressum, quam rude? Vana et inani spe vos jactatis. Audi me igitur, filia, et elige tibi vitam angelicam, et immortalium bonorum conciliatricem institutionem. Cum hæc audivisset ejus mulieris filia, quæ intra cubiculum erat, statim exiit, pretiosam vestem ferens. Beatus igitur Paphnutius humi sedit, et duæ illæ mulieres ad pedes ipsius sederunt : quibus dixit B. Paphnutius : Derelinquite istas inanes divitias, quoniam rubigo aurum corrumpet, et tineæ vestes istas absument, pulchraque formæ species in sepulcris ipsis vertetur in deformitatem : sola Dei gloria et regnum ipsius in æternum permanet. A. ANONYMO.

eumque et uxorem filiamque ad martyrium hortatur :

10 Cum adhuc B. Paphnutius hæc ad Dei servas loqueretur, ejus mulieris vir Nestorius domum venit. Præcurrens igitur mulier, occurrit viro, ut ei de sancto illo homine significaret. Nestorius vero uxorem antevertens : Quare, inquit, tali bono dignus factus non fui, ut una cum Collegis meis comburerer, qui ob hanc causam æternam vitam sunt assecuti? Utinam invenissem justum illum virum E Paphnutium, et in domum nostram duxissem, qui pro nobis Deum oraret, ut ab eo vocaremur, et glorioso ipsius regno digni efficeremur! Tum ei uxor : Celerrime votis tuis satisfactum est. Ingredere domum, et vide sanctum Paphnutium omni virtute ornatum. Cum igitur introivissent, et sanctum Virum invenisset, eum adoravit. Cui beatus Paphnutius : Surge, inquit : Jesus enim Christus Dominus meus mihi præcepit, ut ad vos diverterem : namque habet vos pro vasis necessariis paratos : nunc autem ne sitis negligentes. Surgite, eamus et confiteamini Dominum nostrum Jesum Christum coram Ariano præside *a* : non enim semper tale certamen proponitur, neque bravia ubique sunt. Eamus, inquam, eamus, o filii, ut celerrime coronas accipiamus. *a*

illi vero ultro præsidem accedunt, fidem profitentes :

11 Beatus igitur Paphnutius cum surrexisset, præibat : ipsi vero eum sequebantur. Cumque Nestorii uxor e domo exiisset, sic oravit : Domine Jesu Christe, en ut januam ipsam patentem reliqui, neque illam clausi : et tu ergo, Domine, portas cæli mihi patefacias. Beatus igitur Paphnutius illis præcurrens, et ante tribunal consistens : Tribunal, inquit, tribunal, contra te rursus veni. Tu cum Apolline tuo, et ego cum Domino meo Jesu Christo. F Arianus tunc quamdam causam judicabat : qui se convertens, voluit S. Paphnutium propriis manibus detinere : sed angelus Domini subito ipsum ab eo arripuit. Nestorius autem, et Uxor illius, et Filia, sublimi voce et libera oratione se Christianos esse professi sunt. Arianus cum Nestorium vidisset, intuens in eum : Itane, inquit, et tu, Nestori, ab eodem insaniæ fonte potum sumpsisti? An nescis, latrones et sacrilegos in hoc meo tribunali condemnari? Adora igitur justos imperatorum deos, et redi domum tuam honoratus cum Uxore tua et Filia. Tum Nestorius respondit : Ne sis tu de his rebus solicitus : non enim talis sum, ut ventre alliciar, vel patris tui diaboli illecebris decipiar, vel iniquitatis ipsius quæ mater tua est, assentationibus circumveniar.

ac martyrio coronantur.

12 Conversus Arianus ad Puellam : Quodnam, inquit, est nomen tuum? Illa dixit : Stephana ego vocor. Sacrifica, inquit præses, diis, Stephana, et a me multos honores percipies. Tunc illa respondit : Numquam prophanis diis tuis et impuris dæmonibus sacrificabo : sed corpus meum hostiam

A. ANONYMO. stiam viventem, cælestique Deo meo gratam offero. Hæc cum audisset Arianus, jussit illam in armamentario in conspectu Parentum suspendi. Abrepta igitur a carnificibus Puella, suspensa lacerabatur. Erat autem annos decem et octo nata, forma valde bona. Milites igitur ejus latera discerpserunt. Itaque totum ipsius corpus sanguine commiscebatur. Ad cujus sinistram partem Mater ipsa stans, et animum addens, dicebat : Sustine, Filia, adhuc paululum, et bravium tuum recipies. Scis, quemadmodum dotum tibi præparaveram, quantam nemo in civitate nostra adhuc dedit, cum vellem primo civitatis nostræ viro uxorem te collocare. Nunc vero, Filia mea, sempiternam et veram hæreditatem percipias : tuus enim sponsus immortalis est Jesus Christus, ad quem nunc abis in cælestem illum thalamum. Hæc cum Mater diceret, etiam Pater similiter illam his vocibus hortabatur : Esto fortis, o Filia : hodie enim cognovi me Deo dignum factum : itaque gaudeo et exulto, quod te Deo ipsi donum præmitto. Cum adhuc Parentes illius hæc dicerent, milites, qui eam lacerabant, ad ejus hepar lacerandum jam devenerant :
B ac statim Puella spiritum Deo tradidit : quam Parentes propriis manibus in monumento deposuerunt. Deinde ante Arianum stantes, deos ipsius contumeliose appellare cœperunt. Iratus igitur præses, jussit illos decollari *b*. Suum itaque martyrium in Christo et ipsi compleverunt, et gloriose in cælum profecti sunt.

Pueri 16 a Paphnutio ad Arianum adducti,

13 Beatus vero Paphnutius ibat per totam civitatem, quærens, qui ad bravium ire vellent : noctes autem in divinis precibus transigebat. Cumque exiisset ab urbe, invenit sexdecim Pueros ad gymnasium euntes, illorum Senatorum filios, qui martyrium sustinuerunt. Beatus igitur Paphnutius, cum ante illos stetisset, eosque salutasset : Miror, inquit, filii, quod velitis a vestris Parentibus abalienari, qui Christi regnum sibi delegerunt, et in cælis regnant, nuncque in illa Sanctorum Dei metropoli cum angelis ejus se oblectant. Obedite igitur mihi, o filii, et credite Deo meo, in quem et Parentes vestri crediderunt, ac me sequentes, veniatis ad Arianum præsidem *c*, et confiteamini Jesum Regem seculorum, et uno animo eatis ad cælos ad illum veritatis Magistrum, et vera disciplina erudiamini. Statim Puerorum mens verbis beati Paphnutii confirmata est. Itaque simul
C Deo crediderunt, dicentes : Eamus, eamus, pater Paphnuti : nihil impedimento sit nostræ alacritati : jam enim a mundo hoc alienati sumus, et corda nostra in cælis ipsis versantur, ubi est et domus Parentum nostrorum. Beatus igitur Paphnutius ante illos currebat, velut aliquis pastor gregem suum ducens : cumque ad tribunal venisset, clamans voce magna : Tribunal, inquit, tribunal, contra te denuo veni. Ariane tyranne, tu cum Apolline tuo, et ego cum Domino meo Jesu Christo. Arianus autem jussit milites gladios educere et beatum Paphnutium circundare : sed subito ille a Spiritu sancto ereptus fuit.

fidemque constanter confessi,

14 Id cum sexdecim Pueri vidissent, ascenderunt ad tribunal, vociferantes : Christiani nos sumus : en, ut libere hoc dicimus. Quibus Arianus : Ubinam sunt Parentes vestri? An, ut infantes, vos petulantes estis? Habemus, inquiunt Pueri, ætatem ad respondendum tibi valde idoneam. Nos sumus illorum filii, qui Martyres fuerunt, et nunc apud Deum sunt. Sacrificate, inquit præses, ne corpora vestra sub tormentis dispereant. Respondentes autem Pueri, dixerunt : Crucia nos quibusvis tormentis : non enim sacrificamus. Arianus vero cum in illos intuens, quendam vidisset aliis natu mino- D rem, annum fere decimum tertium agentem : Quidnam, inquit, o fili, tibi proderit, si morte pessima sublatus fueris? Quin potius audi me, fili mi, ut apud nos sis, et plurimas pecunias tibi largiar, scribamque ad imperatores, qui honore te decorabunt, modo justis diis Apollini et Dianæ sacrifices, de quibus et divina imperatoris majestas scripsit, quod hi sunt dei vivi. Tunc Puer : Et ubinam est imperatoris edictum, in quo de ipsis diis ita scriptum fuit? Tunc Arianus jussit edictum proferri. Quod cum sacerdotes sumpsissent ipsum adorarunt. Similiter et præses assurrexit, et edictum amplexatus est, Pueroque dedit. Illud cum Puer accepisset ac legisset, invenit septuaginta deos in illo scriptos, de quibus Diocletianus scripserat, ut adoratio et libamen eis offerretur. Jussit autem Arianus ignem ad aram accendi : cumque thus accepisset tam ipse, quam reliqui homines, in ignem conjecerunt. At Puer pro thure ipso imperatoris edictum in ignem *d* conjecit dixitque : Unus est Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi ; qui vero in edicto imperatoris tamquam dii scripti sunt, igne redarguentur. E

martyrii palmam consequuntur,

15 Sacerdotes autem, cum suorum idolorum libellum comburi vidissent, vellebant crines e capitibus suis : et in furorem conversi, gladiis se lacerabant. Arianus ea re indignatus, jussit Puerum in aram tolli, et viventem comburi. Illum igitur abreptum milites in mediam ardentis ignis flammam injecerunt. Æquales vero Pueri alta voce sic eum rogabant : Frater et consors nostrorum certaminum, memento nostri apud altissimum Deum : nam propter tuam prudentiam primitiæ Deo ipsi et sacrificium tu ante nos oblatus es. Itaque et præses animi tui fortitudinem, et ipsi Græci prudentiam tuam obstupuerunt. Hæc cum illi dicerent, Puer spiritum suum in medio igne Deo reddidit. At præses maxime indignabatur, quod imperatoris edictum combustum fuerat : quamobrem cum reliquorum Puerorum nomina denotasset, jussit illos jaculis transfigi. Statim igitur milites extra urbem illos circundederunt, et quindecim Pueros illo die jaculis transfixerunt : perfectumque fuit illorum martyrium, et immortale Dei regnum ipsi etiam possederunt.

Octoginta piscatores hortante Paphnutio

16 At sanctus Paphnutius circumibat, ut pastor aliquis inquirens oves in deserto errantes. Cumque ab urbe exiisset, et usque ad fluvii portum venisset, vidit homines apud portum quasi octoginta *e* numero, maximus enim ibi erat cœtus *f*. F Accessit igitur ad illos beatus Paphnutius. Homines vero illi inter se dicebant : Vere hic est Paphnutius, anachoreta ille insignis : ac statim positis baculis suis *g*, obviam valde celeriter illi processerunt, quem et inclinatis capitibus adorarunt. Beatus vero Paphnutius illis benedicens : Salvete, inquit, filii, nunc deligo unumquenque vestrum, quoad sanctam civitatem habitavero, hoc est, domum Patris nostri, qui in cælis est, et tabernaculum eorum, qui sunt fratres mei in Christo. Quare autem ita ociose per totum diem hic cessatis? Quare et vos non ivistis ad opus faciendum in vinea Domini mei? Quare ita segnes estis, certamine ipso et bravio proposito? Obedite mihi et credite Domino meo Jesu Christo Regi seculorum, et Christianorum Salvatori. Confitemini ejus nomen unius horæ spatio, et ipse vobis æternam vitam largietur, facietque, ut ante vos veniant angeli lucis et veros athletas effectos, in regionem vivorum cum gaudio perducant.

17 Cum

A *fidem professi, fiunt martyres.* 17 Cum igitur illi hæc a beato Paphnutio audivissent, repleti Spiritu sancto, statim Deo crediderunt, et ad urbem celeriter pervenerunt. Erant autem omnes, ut diximus, octoginta numero, Ariani præsidis piscatores, qui cibos mensæ ipsius parabant. Beatus vero Paphnutius ante illos currens, ascendit ad tribunal, et clamans: Tribunal, inquit, tribunal, contra te rursus veni. O Ariane, tu cum Apolline tuo, et ego cum Domino meo Jesu Christo. Arianus autem præses jussit militibus Paphnutium circumdare. Quem cum illi comprehendissent, ligaverunt. Illi autem octoginta Viri ascenderunt ad tribunal, velut leones in querceto exultantes, ac libere clamabant: Christiani sumus et nos. Arianus præses eis dixit: Quis vos decepit, ut pessime moriamini? Tunc illi una voce responderunt: Concordi animo huc venimus, ut te confundere possimus Arianus Præses: O scelestissimi, inquit, homines, honorifice vobiscum me gero, ob idque me contemnitis? Quod cum dixisset, jussit illos flagellis cædi. Ipsi vero octoginta Homines eodem animo irruentes, everterunt solium præsidis *h*. Itaque milites strictis ensibus illos percusserunt: et præses eos jussit B in supplicium agi. Statimque injusti illi milites in desertum locum ductos securi percusserunt: atque ita illorum martyrium completum fuit: qui et ipsi coronam immortalitatis receperunt in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

Sectus in quatuor partes Paphnutius, et jacens mortuus, 18 Post hæc Arianus cum B. Paphnutium ad se accersiri jussisset: Desertor, inquit, deorum et venefice, faciam ut omnes, qui hic præsentes sunt, cognoscant Jesum Christum, quem appellas, talem non esse, qui liberet te de manibus meis Statimque jussit Paphnutium in rotam ferream extolli. Rota vero illa talis constructa erat, qualis serra fabri esse solet, a parte superiore gladii aciem, inferiore autem serræ cuspidem habens. Qua rota cum valde beatus Paphnutius laceraretur, in quatuor partes discerptus est. Arianus autem cum hoc vidisset, vocem extulit ac dixit: Ubi nunc est Jesus ille Paphnutii Deus? Quare non venit, ut ipsum e manibus meis liberaret? Cognoscite saltem nunc, non esse alium Deum, nisi Apollinem, Jovem, Dianam et Palladem. Hi sunt dei vivi qui nostro imperatori majestatem imperandi contulerunt. Jussitque impius ille præses beati Paphnutii corpus supra fastigium templi, quod est in illa ur-C be, poni, futurum sperans, ut volucres cæli venirent, et ipsius carnes devorarent. Fecerunt igitur milites, quod jussi fuerant. Arianus vero surrexit e tribunali, et in prætorium suum abiit: erat enim hora prandii. At beati Paphnutii corpus jacebat in templi fastigio, neque avis aliqua illuc ad Paphnutium advolabat. Angelus enim Domini corpus sancti Viri contexerat.

redintegratur resuscitaturque a Christo. 19 Et ecce Dominus ipse descendit cum archangelis, habens a dextra Michaëlem, et a sinistra Gabriëlem, qui ejus corpus conglutinavit, atque instauravit, dicens: Manu mea primum illum hominem formavi, eadem illa manus instaurat te nunc Electum meum *i*. Cumque hæc Salvator dixisset, in eum insufflavit, et anima in ejus corpus rediit: quem Virum Salvator ipse spiritu fortitudinis replevit, et postquam eum amplexatus fuisset: Vade, inquit, et impudentem præsidem redargue, qui nomen meum conviciatur. Cum hæc dixisset, in cælos ascendit, et justum illum Virum, lucida quadam nube circundatum, e templi fastigio in terram demisit. Abiit igitur beatus Paphnutius indutus nube, tanquam vestimento, et Arianum quæsivit: quem invenit in platea sceleratos quosdam homines judicantem: cumque ante illum repente stetisset, clamans: Ego, inquit, sum Paphnutius, a te discerptus. Quare conviciaris nomen Dei mei, et contumeliose appellas eum, qui cuncta creavit? En, ut Dominus meus Jesus Christus me in priorem formam restituit, ac misit, ut arguam te insipientiæ tuæ, et iis, qui hic sunt, persuadeam, ut te mortalem agnoscant, et mortuis simulacris servientem.

Eusebius militum dux cum quadringentis militibus conversus, 20 Eusebius præfectus, cum B. Paphnutium a mortuis excitatum vidisset, credidit Domino Jesu cum militibus suis: quos cum recensuisset, invenit quadringentos. Eis vero dixit: Fratres, mecum sentite, et mihi obedite: Christum confiteamini, ut sitis ejus milites, qui Paphnutio denuo vitam dedit, eumque misit ad redarguendum Arianum, quod circa idolorum superstitionem multum erret: idque fecit, ut omnes ipsi credant, quod non sit alius Deus, nisi unus, qui in cælis est. Curemus igitur, ut sicut ego vos recensui, ita Dominus noster Jesus Christus, Rex seculorum, nos recenseat in cælis cum omnibus Sanctis suis. Cum hæc Eusebius præfectus dixisset, stetit ante Arianum præsidem, ac libere clamans: Christianus, inquit, ego sum Similiter et ejus Milites quadrin- E genti clamaverunt una voce: Christiani sumus et nos: en, libere loquimur. Arianus præses tunc Eusebio dixit: Minime in mea potestate tu es: abi ad ducem *k*, ut ille te judicet. Cui Eusebius: Omnium, inquit, potestas tibi data est. At Arianus: Non curo Christianos ulcisci. Tunc Eusebius dixit: Confitere igitur, non esse alium Deum, nisi unum, qui in cælis est, et ista vestra manufacta opera nihili esse. Minime, inquit Arianus, hoc dicam: nunquam hoc eveniat: vivi enim sunt Apollo et Diana.

cum iisdem pro fide comburitur. 21 Tunc Eusebius præfectus, cum manum suam pulvere implevisset, in ejus faciem conjiciens: Fac, inquit, opera patris tui diaboli *l*. Arianus ea re indignatus, jussit flagellis illum verberari, et ait: Minime, Eusebi, te celeriter interficiam, sed paulatim cruciabo, et tormentis te affligi sinam, quoad judicium meum a te contemptum fuisse imperator Diocletianus audierit. Respondit Eusebius: Per imperium regni Domini mei Jesu Christi non præteribit hodiernus dies, quin ego de mensa Domini mei comedam: tu vero non poteris comedere aut bibere, nisi prius sententiam de me tuleris *m*. Tunc Arianus præses jussit proprium currum ad se duci: cumque in il- F lum conscendisset, statim jumentorum pedes in terram defixi sunt. Cum autem vellet e curru descendere, similiter et ipse detentus est. Ita vero, ut erat corde duro et obstinato, jussit sibi patinam afferri eduliis plenam, ut cibum sumeret. Properavit igitur ejus coquus, et cibum illi paratum attulit. Sed cum ipse manum in patinam extendisset, ita detentus est, ut manum in os suum inferre non posset Tunc unus quispiam, qui præsidi assidebat: Non amplius, inquit, domine, in hac urbe maneamus: en, ut tota veneficiis Paphnutii corrupta est. Tunc præses surrexit, et indignatus, jussit abduci Eusebium cum quadringentis Militibus, et omnes vivos comburi. Illos igitur nefarii milites extra urbem duxerunt, et cum quatuor foveas defodissent, et igne illas replevissent, sanctos Martyres illic comburserunt. Sicque illorum martyrium completum fuit. Quorum animas cum sancti angeli in cælos assumpsissent, ipsi divini Martyres æternum bravium receperunt.

22 Arianus vero præses exiit ab urbe illo ipso die, secum ducens B. Paphnutium, ascenditque

A. ANONYMO. *Cum præses Sanctum frustra aquis suffocare voluisset; eum mittit*

que in navigium supra fluvium, ac jussit afferri molam, eamque in collo B. Paphnutii ligari, et in medium fluvium dejici. Beatus autem Paphnutius in fluvium dejectus, enavigavit cum mola supra fluvium : nam supra lapidem ita sedebat, quasi supra navigium aliquod ferretur. Flavit autem ventus quidam vehemens in Ariani præsidis navigium : itaque circumferebatur. Ad quem beatus Paphnutius cum propius accessisset : Ariane, inquit, Ariane, navigium istud tuum ventis, nautis et gubernatoribus indiget : mihi vero nullo istorum opus est : gubernator enim meus est Christus. Tu solitus es ante te metatores mittere, et urbes præparare : ego vero præire studeo ad parandas Domino meo Jesu Christo animas, quæ regale ipsius palatium habitare possint. Tunc qui Ariano assidebat : Ne sinamus, inquit, domine, Hominem hunc apud nos esse : veneficiis enim suis urbes diruet. Porro Arianus statim jussit gubernatores ad terram
n appellere *n*. Cumque beati Paphnutii acta scripsisset, quatuor militibus ipsum tradidit, ut ad imperatorem Diocletianum ducerent, a quo Paphnutii causa decerneretur.

ad Diocletianum, cujus jussu palmæ affixus moritur.

23 Post multos vero dies milites illi ad Diocletianum imperatorem venerunt, et præsidis Ariani literas ei reddiderunt. Qui cum B. Paphnutii acta legisset, quamprimum jussit ipsum in arbore, quæ palma dicitur, crucifigi. Idque milites ipsi extra urbem fecerunt. Cum vero ille crucifigeretur, Deo benedicebat, qui per sanctos suos homines tot tantaque miracula efficiat. Sic B. Paphnutius martyrium suum confecit : qui ab hora diei secunda crucifixus usque ad horam nonam permansit : tuncque spiritum suum emisit, et in cælos gloriose ascendit, æternæque vitæ bravium recepit. Ejus vero corpus milites cum ab arbore palma detraxissent, sub terra condiderunt,
o vigesimo die mensis Pharmuthi *o*, qui et ipsi in Deum crediderunt : cumque beati Paphnutii corpus in tumulo composuissent, statim Diocletianum imperatorem, priusquam alio iret, adierunt, et Dominum Jesum Christum confessi sunt, Diocletiani vero idola contempserunt. Quare Diocletianus indignatus, jussit illos eadem hora obtruncari. Itaque et ipsi suum martyrium in Christi confessione compleverunt.

Numerus horum Martyrum.

24 Qui vero sub beato Paphnutio bravium rece-
p perunt, quingenti fuerunt et quadraginta sex *p*, tam viri, quam mulieres, incorruptum Dei regnum possidentes in Christo Jesu Domino nostro :
C quoniam ipsi convenit gloria, imperium et adoratio cum Patre et sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Prout illicitum est ultro adire judicem, et se martyrio ingerere sine singulari instinctu Dei, aut justa saltem causa; ita licitum non erat* S. Paphnutio, *alios excitare, ut id facerent. Et sane nec verisimile est nec credibile, id Sanctum fecisse. Scriptor factis mirabilibus historiam suam exornare voluit, eumque in finem judicis manibus educit* Paphnutium, *ac per urbem ejusque viciniam circumducit. At studiosus lector satis advertet, inventa ea esse scriptoris, non vera facta. Potuerunt quidem personæ memoratæ comprehendi et pati occasione* S. Paphnutii : *sed id minus redditur certum ex his Actis ob adjuncta fabulosa. Observatio hæc congruit omnibus, quos ad præsidem Sanctus duxisse asseritur.*

b *Pro* decollari, *ut est in Græco, Surius habet*, statim obtruncari. D

c *Vide mox dicta ad lit.* a. *Hoc vero ob ætatem Puerorum, qui ne Christiani quidem fuisse videntur, longe etiam incredibilius est.*

d *Ridiculum hoc rursum esse figmentum, facile perspiciet lector utcumque criticus.*

e *In Græco* quasi octoginta. *Numerus vero* octoginta *ter deinde recurrit, ut nesciam, unde fiat ut in Surii editione ubique legatur* octoginta quatuor. *Apud Lipomanum similiter impressum* octoginta quatuor; *sed in corrigendis notatur, legendum esse* octoginta.

f *Hæc rursum ex Græco;* Maximus enim ibi erat cœtus. *Apud Surium legitur :* Qui erant piscatores. *Quod non est in apographo Græco.*

g *Græce,* θέντες τὰς ἑαυτῶν βακτηρίας, positis baculis suis, *quibus nempe utebantur ad piscandum. Quomodo vero data verba verti potuerint,* Subligaculis se induentes, *ut est apud Surium, sane non perspicio.*

h *Commentum nimis ineptum auctoris.*

i *Totam hanc resuscitationem non nisi pro fabula habere possumus.*

k *Apud Surium,* Ad ducem tuum. *Designare auctor voluit, opinor, ducem, qui totam administrabat Ægyptum : nam Arianus solum præerat Thebaïdi.* E

l *Commentum rursus est incredibile, factumque indignum est Martyre, cum illicita sit provocatio tyranni. Ceterum* Eusebius *ille voce Græcolatina vocatur* πραιπόσιτος præpositus.

m *Sic ineptus fabulator hominem paulo ante conversum facit, et prophetam et thaumaturgum, quodque deterius est, utentem prodigiis, ut judicem cogat injustam ferre sententiam.*

n *Plura hic habet Surius, quam sint in Græco apographo, ex quo textum dedi. At Surius hoc modo :* Porro Arianus statim jussit aliorum navigiorum gubernatores cum omnibus navigiis suis illud, in quo ipse vehebatur, ad terram appellere. *Quod vero spectat ad facta in flumine, quæ asseruntur; improbabilia ea sunt ob nimiam auctoris libertatem in fingendo.*

o *Apud Surium :* Vigesimo octavo die mensis Aprilis. *Verum, si mensem* Pharmuthi, *qui est octavus Alexandrinorum sive Ægyptiorum, in suo Ms. invenerit interpres, nequit interpretatio illa esse legitima : nam mensis Pharmuthi cum 28 Aprilis numquam concurrit. Inchoatur autem mensis Pharmuthi 27 Martii, et sic vigesima Pharmuthi est decima quinta Aprilis, nisi fuerit annus bissextilis : tunc enim esset decima sexta. In tabellis chronologicis domini Dufresnoy, impressis Hagæ-Comitis anno* 1745, *tom.* I *pag.* 319, *mensis Pharmuthi inchoatur* 26 *Martii. At is ibi est error perpetuus, in quinque ultimis mensibus, qui uno die inchoantur justo citius, ut facile colligi poterit ex ipsis auctoris verbis.* F

p *Hæc enumeratio convenit omnibus recensitis, si milites, qui* S. Paphnutium *sepelierunt, fuerint, tres, et ipse quoque* Paphnutius *reliquis annumeretur. Ceterum an revera tantus Martyrum numerus cum* Paphnutio, *aut occasione ejus certaminum, ad palmam pervenerit, edicere nequeo. Hoc satis certum est, rem non contigisse, prout hic refertur; sed non æque constat, an tot Martyres ad cælum non præmiserit* Paphnutius, *aut simul cum tanta multitudine non sit coronatus, ut habet Menologium Basilianum.*

DE

A

AUCTORE J. P.

DE S. RUSTICO EPISCOPO CONF.

ARVERNIS IN GALLIA

COMMENTARIUS

Memoria in Fastis antiquis et recentioribus; gesta partim certa ex S. Gregorio Turonensi, partim dubia ex aliis; cultus.

Sub medium seculum V Sancti nomen insertum Fastis antiquis

Arvernis, *quæ Galliæ civitas est, et provinciæ cognominis caput nunc* Clarus-Mons, *vulgo* Clermont, *appelata, celebratur et ad hunc diem annuntiatur in multis nec infimæ notæ Martyrologiis* S. Rusticus, *incolis* S. Rotiry. *Inter ea, quæ S. Hieronymi nomine insigniuntur, primum* B *occurrit Corbeiense, sub titulo* vetustissimi *vulgatum ab Acherio tom.* 4 *spicilegii editionis anni* 1661 *et sic habet :* Arvernis, depositio sancti Rustici episcopi; *Augustanum, quod inter Contracta apud nos exstat ad calcem tom.* VII *Junii :* Arvernis, Rustici episcopi : *Barberinianum parvum; cujus ac duorum proxime citandorum, apographa Mss. servamus et de quorum pretio consuli potest Sollerius in Præfatione ad Usuardum :* Alvernis depos. S. Rustici episcopi; *Ms. S. Cyriaci :* Alibi depositio S. Rustici episcopi : *Casinense item Ms.:* Rustici episcopi : *Gellonense pervetustum, Hieronymianis valde affine, apud laudatum Acherium tom* 13 : Arvernis Rustici episc. *In Lucensi vetustiore , et Epternacensi seu S. Willibrordi vetustissimo Hieronymianis, editis a Florentinio, eadem est annuntiatio, quam dedi ex Acheriano Corbeiensi, præterquam, quod in Epternacensi omittatur vox* Sancti. *Putat autem idem Florentinius, annuntiationem* S. Rustici *fluxisse ex Gallorum scriptorum antiquariis, et hinc accessisse Fastis Hieronymianis atque ea propter alio eam charactere excudit, uti consuevit, dum additamenta a genuino textu secernit. Huic ego sententiæ facile, assentior, tum quia S. Hieronymus, siquidem revera Fastorum, quæ ejus nomine veniunt,* C *auctor sit, non videtur Sancto nostro supervixisse, tam quia hic in Bedæ, Adonis, Usuardi aliorumque veterum genuinis Martyrologiis non memorantur.*

Romano hodierno et recentioribus.

2 *Habet quidem* S. Rusticum *Martyrologium, præfixo Bedæ nomine, typis Plantinianis impressum anno* 1564; *sed Henschenius et Papebrochius in sua longe correctiore editione ante tom.* 2 *Martii, illum expunxerunt et inter additos reposuerunt : idem fecit Sollerius in Usuardo, in cujus Auctariis Sanctus noster frequentissimus est, ut videre ibidem potest curiosus lector: longum quippe foret, ac minus utile, singulos hic codices recensere vel referre verba, in omnibus pene eadem cum citatis numero præcedenti, si unum hoc excipias, quod in plerisque addatur titulus* confessoris. *Is titulus ipsi tribuitur similiter a Galesinio, et ab Eminentissimo Baronio in hodierno Romano Martyrologio, cujus hæc, est annuntiatio :* Arvernis depositio sancti Rustici episcopi confessoris *Mitto martyrologos alios recentiores, præsertim Gallos, qui certatim hoc die celebrant* S. Rusticum, *et hos inter Saussayus longiore elogio, quo utar inferius.*

Gesta ejus, quæ non nituntur testimonio

3 *Quantumcumque ab antiquis temporibus, ut credere me jubent hactenus allata, celebre fuit sancti nomen, pauca tamen eaque non omnino probata præter mirabilem ad episcopatum electionem, ex S. Gregorio Turonensi mox referendam, de ejus gestis innotuerunt. Jacobus Branche in Opere Gallico de Vitis Sanctorum Arverniæ typis edito anno* 1652, *gesta ipsius orditur his pene verbis :* S. Rusticus, qui nihil umquam rusticitatis præ se tulit, ortus est in civitate Claremontana et ordine senatorio Arverniæ, imperante Honorio. E Sicut autem stirpe nobilis, ita quoque erat omnibus instructus dotibus, quæ animum nobilitare queant: scientias quippe divinas et humanas noverat perfecte, sublimibusque adeo virtutibus erat ornatus, ut hæ et sancti titulum ei compararint, et ex senatore episcopum fecerint. Mundi excellentias et pompas tam parvi faciebat, ut, quo ab iis secederet facilius, simul ac ad debitam ætatem pervenisset, sacerdos factus sit, et quo sese melius applicaret bonorum operum exercitio ac saluti proximi, susceperit curam *pastoralem vici* Aulnac. Deus, fervoris ejus conscius, munus haud ita dudum post ipsi commisit consentaneum desiderio. *Hactenus laudatus auctor, mox Gallice etiam subdens ea, quæ de Sancti ad episcopatum electione narrat S. Gregorius Turonensis lib.* 2 *cap* 13 *Historiæ Francorum, quæque ipsis hujus verbis Latinis hic describam ex editione Theodorici Ruinartii*

S. Gregorii Turonensis,

4 *Laudat primo Gregorius S. Venerandum, S. Rustici decessorem, ac dein sic pergit :* Hic in ipsa Dominici natalis vigilia transisse refertur. Mane autem facto, processio solemnitatis funeris ejus obsequium fuit : post cujus obitum fœda apud F cives pro episcopatu intentio * vertebatur. Cumque partes inter se divisæ, alium aliumque erigere vellent, magna conlisio erat populis. Residentibus tamen episcopis die Dominica, mulier quædam, velata atque devota Deo, audenter ad eos ingreditur, quæ ait : Audite me, sacerdotes Domini. Scitote enim, quod non est in his beneplacitum Dei, quos hi ad sacerdotium elegere. Ecce enim Dominus hodie ipse sibi providebit antistitem. Itaque nolite conturbare neque conlidere populum, sec patientes estote parumper : Dominus enim nunc dirigit, qui regat ecclesiam hanc. His itaque mirantibus hæc verba, subito Rusticus nomine, qui erat ex ipsa urbis Arvernis diœcesis presbyter, advenit : ipse enim jam mulieri per visionem fuerat indicatus. Quo viso, ait : En ipsum, quem elegit Dominus : ecce, qualem vobis Dominus pontificem destinavit : hic ordinetur episcopus. Hæc ea loquente, omnis populus, cuncta intentione postposita, clamavit, dignum ac justum esse. Qui in cathedra positus, septimus in eodem loco pontificatus honorem, populo gaudente, suscepit.

* *i. e.* contentio

AUCTORE J. P.

pit. *Præter hæc de gestis Sancti nihil refert Gregorius.*

dubia sunt pleraque; nonnulla

5 *Addit Branchus* : Exceptus et totius regionis applausu consecratus est anno CDXXIII, imperante Theodosio secundo et regnante Pharamundo primo Francorum rege : dignissime se gessit in muneris sui exercitio, et cum vitam duxisset omnino sanctam, decessit die vigesima quarta Septembris; corpus ejus conditum fuit in Aulnac, cui præfuerat pastor. *Citat autem laudatus auctor Historiæ suæ testes Gregorium Turonensem, Surium, Breviarium Claromontanum, Martyrologia Romanum et Gallicanum, Petrum de Natalibus, Savaronem, et annotationes Baronii ad diem* XXIV *Septembris. Has ego lucubrationes præter unum Claromontanum Breviarium, quod ad manum non est, consului omnes, imo et Tillemontii monumenta Ecclesiastica, Vitas Sanctorum Bailleti, Claromontanos episcopos Claudii Roberti, fratrum Sammarthanorum ac Dionysii Sammarthani, iis locis, quibus de* S. Rustico *sermo est, nec aliquid inde elicere potui, quo confirmem stirpis nobilitatem, ac ordinem senatorium illi attributa a Brancho; quapropter ea inter reputo, quæ non plene probata sunt, sed et suspicor,* S. Rustico *applicatum* B *fuisse, quod eodem capite de S. Venerando asserit S. Gregorius, inquiens :* Venerandus e senatoribus episcopus ordinatur.

a recentioribus relata

6 *Patria Arvernensem seu Claromontanum fuisse* S. Rusticum, *tradunt quoque recentiores alii, paulo fusius de ipso agentes, estque prorsus verisimile, quamquam S. Gregorius tantum dicat, fuisse presbyterum ex diœcesi Arvernensi; quod autem scribit Branchus, natum esse illum imperante Honorio, stricto sensu acceptum, non tam facile conciliari potest cum iis, quæ tradit de ipsius presbyteratu ac episcopatu; etenim sacerdotium susceptum ab eo fuisse ait,* simul ac ad debitam ætatem pervenisset, *episcopatum vero anno* 423; *atqui debita ætas ad sacerdotium primis istis seculis, ut contendit Thomassinus tom.*1 *lib.*2 *cap.*67 *Veteris et novæ Ecclesiæ disciplinæ, erat annus a nativitate trigesimus quintus vel certe trigesimus: proindeque vel ante Honorii imperium, cujus passim initium statuitur anno* 395, *natus est Sanctus, vel ad episcopatum evectus est post annum* 423, *quo alioqui necdum attigisset debitam ætatem pro suscipiendo sacerdotio, nedum pro episcopatu.*

proponuntur

C 7 *Assertum Branchi de* S. Rustici *cura pastorali satis congruit verbis S, Gregorii Turonensis, in eoque consentiunt etiam recentiores, qui passim locum appellant* Alnatum *vel* Aulnatum. *Annum aditi episcopatus eumdem cum Brancho designat Bailletus; Tillemontius autem tom.* 15 *Monument.pag.* 410 *S. Venerandi obitum et per consequens* S. Rustici *electionem statuit circa* 410; *sed nullum profertur testimonium, alterutram sententiam confirmans, nullum antiquum monumentum, unde elicere queas unum determinate annum, quo sedem occupavit, nullum denique, unde vel unicum Sancti factum, a S. Gregorio non relatum, addiscas. Primo quidem intuitu dum Dionysium Sammarthanum tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 230 *de Sancto nostro agentem consului, rebar, me aliquid reperisse ibidem ex Mabillonii lib.*4 *de Re diplomatica in Notis ad tabellam* 19 *allegatum; at vero dum ad notas chronologicas attendi manifeste comperi, dedicationem ecclesiæ S. Vincentiani illic memoratam non spectare ad quintum seculum, sed ad septimum, nec nominatum ibidem Rusticum, episcopum fuisse Arvernensem, ut ex librarii fortassis errore legitur apud Mabillonium, sed Lemovicensem, prout expresse ac sæpius apud Cointium a Mabillonio citatum, scribitur in Annalibus ad* D *annum* 667. *Advertit, ni fallar, postmodum Sammarthanus latentem in Mabillonii Opere errorem; quandoquidem eodem tom.* 2 *col.* 505, *Rusticum Lemovicensibus præsulibus annumeret et juxta Cointium ponendum censeat ad dictum annum* 667.

et discutiuntur.

8 *Sanctum nostrum plerique scriptores inter Arvernenses antistites octavum statuunt, quamquam septimus dumtaxat appelletur a S. Gregorio, utpote qui Stremonium seu Austremonium primum quidem agnovit, sed ab ejus successore numerum eorum tantum inchoavit, ut patet ex verbis ejus lib.* 1 *Historiæ Francorum cap.* 39, *quæ subdo :* Apud Arvernos vero post Stremonium episcopum prædicatoremque primus episcopus Urbicus fuit : *tum narratis aliquot ejus gestis,* in cujus loco, *inquit,* Legonus episcopus subrogatur, quo defuncto, sanctus Illidius successit... Huic sanctus Nepotianus successit. *Dein cap.* 41 *sic orditur :* Igitur apud Arvernos sanctus Nepotianus quartus habebatur episcopus. *Nempe eodem computu, quo Urbicum* primum *appellaverat, Nepotianum dixit* quartum, et septimum Rusticum. *Porro sicut hujus gesta pleraque et forte omnia, quibus Gregorius lucem non prætulit, tenebris* E *obvoluta manserunt, ita quoque latet, quamdiu sedem Arvernensem occupaverit, et quo anno decesserit. Equidem, missis aliorum conjecturis, late ejus obitum fixi sub medium seculum quintum, quia S. Sidonius Apollianris, cujus Acta illustravimus tom.* 4 *Augusti, Arvernensis episcopatus insulas suscepit circa annum* 472, *et inter hunc ac* S. Rusticum, *teste Gregorio, duo eamdem sedem occuparunt, Namatius, quem ex eodem Gregorio constat ultra annos duodecim episcopum fuisse, et Eparchius, cujus sedis duratio incomperta quoque est.*

Locus sepulturæ et cultus.

9 *Obiisse Sanctum die* XXIV *Septembris, communis, antiquorum Fastorum auctoritate confirmata, ut supra vidimus, sententia est; sepultum fuisse in vico Alnatensi, scribit quoque Joannes Savaro in Originibus Claromontanis, anno* 1607 *prelo vulgatis, pag.* 124. *Addit Saussayus in Martyrologio Gallicano, id factum esse ex ipsiusmet Sancti jussione :* Corpus ejus, *inquit,* non in matrice ecclesia sepultum fuit, sed ejus ex jussione (quod humilem situm optaret Vir magnus) Alnatum relatum, ibidem reconditum est : sicque hujus loci tutelam perpetuam apud Deum gerit, cujus curam F egit, dum viveret, specialem. *De reliquiis autem tum ipse silet, tum reliqui hactenus citati, ita ut ignoremus, an hodiedum exstent aliquæ et an Sancti festivitas ibidem celebretur solemniore cultu, quam in ipsa Claromontana cathedrali, ubi die* XXIV *Septembris de ipso recitatur Officium ritu semiduplici; ut disco ex Ms. elencho festorum propriorum ejusdem ecclesiæ et ex Ordine item Ms. Officii divini pro onno* 1656. *Binos præterea dies Sancto festivos celebrat Saussayus, nempe* XXIV *Novembris verbis sequentibus :* Claromonte Arvernorum translatio sancti Rustici episcopi, cujus clarus est natalis die decima quarta * Septembris :*et* XXX *Decembris istis :* Item Arvernis ordinatio sancti Rustici episcopi, quem Spiritus sanctus ad hoc pontificium præclaro encomio destinavit atque gratiæ multiplici dono repletum divinæ gloriæ illustravit atque cumulavit insignibus. *Ex ante dictis sufficienter eruimus, quam Saussayus hic ordinationem commemoret, et quam similiter translationem; eam haud dubie, qua corpus Alnati depositum fuit : sed dubitamus, an alterutra quotannis recolatur : certe nihil hujusmodi occurrit in mox laudatis Mss., nihil apud auctores, quos vidimus.*

* *imo vigesima quarta*

DE

A

AUCTORE J. P.

DE S. AMA VIRGINE

JOVISVILLÆ

IN CAMPANIA GALLICANA.

SYLLOGE

Circa seculum VI. Gesta Sanctæ ex Actis sororum

Primogenita hæc fuit inter septem sorores, Sigmari et Luttrudis nobilium in Pertensi Campaniæ tractu conjugum filias quarum jam tres in Opere nostro locum habent : S. Pusinna die XXIII *Aprilis, S. Hoyldis ejusdem mensis die* XXX, *et S. Lutrudis* XXII *Septembris. Nulla exstant sanctæ Virginis nostræ Acta propria : verumtamen qui jam nominatarum sororum ejus,* B *et S. Alpini episcopi Catalaunensis, qui septem illas Virgines Deo consecrasse legitur, Vitas consulere voluerit, defectum illum facile supplebit, ejusque vivendi modum, saltem usque ad obitum Sigmari patris, sufficientur perspiciet : eo usque enim simul perstiterunt in æde paterna : at post videntur singulæ ad singulas hereditatis suæ partes divertisse, ibidemque in solitudine pie ac sancte vitæ cursum consummasse. Non constat tamen, quis locus Sanctæ nostræ hereditate obtigerit.*

et SS. Alpini episc. ac Leodegarii presb. haurienda.

2 *Auctor Vitæ S. Leodegarii presbyteri, scriptæ decimo tertio circiter seculo, et pro majori parte apud nos tom* IV *Junii ad diem* XXIII *datæ ex apographo codicis Ms. ecclesiæ B. Mariæ Pertensis, meminit* S. Amæ *ejusque sororum occasione dictæ ecclesiæ B. Mariæ, quam eodem tempore a S. Alpino episcopo benedictam significat, quo illæ se consecrarunt Deo, ac speciatim addit :* Sanctaque Ama illa die allodium suum, quod habebat apud Pertam, Deo et Genitrici suæ Mariæ tradidit. *Suspicor tamen auctorem istum, a rebus gestis remotiorem, confudisse et ad unum idemque tempus retulisse, quæ diversis contigerant. Nam dum Deo se consecrarunt coram S Alpino* C *virgines illæ, vivebat ac diu post vixit earum pater, nec ante imminentem obitum bona in filias divisit ut multo verisimilius scribit biographus S. Lutrudis in hoc tom pag,* 452 *verbis sequentibus :* Factum est autem, cum appropinquarent dies extremi ejusdem Sicmari, dedit præfatis septem filiabus suis, hæreditatem suam, et divisit singulis partem patrimonii sui, secundum quod sibi bonum videbatur, ut per diversa loca habitantes, Deo devote servirent ac suæ animæ commemorationem facerent. *Proinde non videtur* S. Amæ, *cum primum Deo votum nuncupavit, fuisse allodium, quod Ecclesiæ concederet. Malim itaque credere, donationem illam diu post factam, mortuis scilicet parentibus ; et inde saltem eruere, eam non procul a Periensi vico, loco natali, vitæ cursum absolvisse.*

Colitur Jovisvillæ ;

3 *Castellanus in Nomenclatura geographica Sanctorum, subnexa Martyrologio universali ad vocem Joinville (quem locum ipse Latine exprimit* Janivilla, *alii aliter, nos cum Hadriano Valesio in Notitia Galliarum et Cangio in Genealogia stirpis Joinvillicæ* Jovisvillam *scribimus) hæc addit :* Ubi obiit S. Ama, ejusque corpus servatur. *Laudatus Valesius sic oppidum istud describit :* Locus *(in Campania)* nunc principatus titulo insignis, inter Calvum-Montem et S. Desiderii oppidum positus, pontem habet Matronæ impositum. *Hic obiisse Sanctam, aliunde confirmatum non reperi ; verumtamen ibidem illam annuntiavi, tum quia nec alium locum emortualem inveni, tum præsertim quia de ejus ibidem cultu jam satis constat.* E

ubi reliquiæ ejus servantur,

4 *Franciscus Gonzaga part.* 3 *de Origine Seraphicæ religionis pag.* 555 *indicat, conventum Fratrum Minorum Jovisvillanum, qui olim prioratus fuerat Ordinis S. Benedicti,* S. Amæ *nomine insignitum esse. Consonat Carolus Rapine ejusdem Ordinis S Francisci religiosus in Annalibus Catalaunensibus pag.* 70, *additque, conventum ejus patrocinio esse consecratum. Arturus a Monasterio Sanctam, eo usque nullis sacris Fastis insertam, sic annuntiavit in Gynæceo ad diem* XXII : Apud Joinvilleam, ejusdem diœcesis *(Catalaunensis)* oppidum, S. Amæ virginis, quæ puram a sæculi contagio animam Christo sponso conservatam fœliciter resignavit. *Verisimiliter diem istum elegit Arturus, quia illo occurrebat memoria S. Lutrudis ejusdem sororis, ac verum cultus diem ignorabat. Papebrochius tom.* 3 *Aprilis pag.* 775 *in Annotatis ad Vitam S. Hoyldis, in qua Sancta nostra* Imma *appellatur :* Magis placet, *inquit,* Ama, quia hoc nomine etiamnum nota est in Campania, vulgo S. Ame vel Amée, Ama vel Amata, quæ appellatio in nominibus feminarum per Campaniam frequens est, eoque mirandum magis, quod Martyrologium Gallicanum Saussaji nusquam ejus meminerit. Libenter discemus diem cultus. F *Eumdem Papebrochii locum citat Tillemontius tom.* 16 *Monumentorum eccles. pag.* 391, *significatque, se similiter diem ignorare. Bailletus tom.* 3 *de Vitis Sanctorum pag.* 298 *ulterius processit, asserens eam non habere diem cultui suo proprium. Castellanus tandem, qui nec locum ipsi dederat in Martyrologio universali, re verosimiliter studiosius indagata, retulit eam in Supplemento ejusdem in Martyrologii ad diem* XXIV *Septembris, et peculiaria cultus indicia adjecit, ut sequitur :* Janivillæ S. Ama Virgo, cujus nomine ecclesia et fons juxta oppidum insignita sunt, cujusque reliquiæ eodem in oppido servantur in templo Fratrum Minorum. *Hinc et nos eam hodie dandam existimavimus. Nihil autem de Sanctæ patria, stirpe, ætate, qua floruit, similibusque hic produximus, quia hac satis discussa sunt in Commentariis et Annotatis ad Acta tam sororum ejus, quam S. Alpini die* VII *Septembris.*

DE

AUCTORE J. P.

D

DE S. GEREMARO ABBATE

FLAVIACI

IN INSULA FRANCIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria in Fastis : Acta; illustres natales; vitæ chronotaxis.

CIRCA DCLVIII *Sanctus hoc et aliis diebus*

Flaviacum, *seu* Flaviacus, *vicus est Galliæ in Insula Franciæ et in agro Bellovacensi cum insigni abbatia Ordinis S. Benedicti, olim* Flaviacense monasterium *appellata, nunc passim titulo* S. Geremari de Flaviaco, *vulgo* S. Germer de Flay, *insignita a primo suo conditore et abbate* S. Geremaro, *cujus in sacris Fastis maxime recentioribus frequens, sed diversis diebus, occurrit memoria. Eminentissimus Baronius in Martyrologio Romano sic eum annuntiat die* XXIV *Septembris :* In territorio Belvacensi sancti Geremari abbatis. *Eodem die notatur quoque in Auctariis Usuardinis Bellini et Molani, uti et in codicibus Bruxellensi, Altempsiano ac Reginæ Sueciæ, in quo uno nomen perfecte exprimitur* Geremarus, *in Bruxellensi quippe corrupte* Gummarus *nuncupatur, in ceteris* Germanus, *excipe unam Molani editionem, ubi* Germarus *legitur :* Germanum *similiter scripserunt Canisius ac Felicius; sed cum omnes passim pro loco emortuali assignent Bellovacense territorium et abbatem dicant, dubium esse nequit, quin designetur noster, idemque quem præter jam allegatos memorant etiam hodie Menardus, Wion, Saussayus et alii.*

B

inscriptus Martyrologiis. Acta breviora

2 *Wion tamen* S. Geremarum *memoraverat ante ad diem* XXII *Septembris,propter Gallesinium, qui sicut et Grevenus, illo die eum Martyrologio suo inscripserat, ac Trithemium, qui lib. 3 de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap. 93, eodem Sancti natalem recoli asseruerat : unde hic illud didicerit, ignoro, uti et cur signetur in Auctariis Usuardinis Centulensi ad* XXIII, *Augensi ad* XXVII *Septembris in Greveno vero ac Florario nostro Ms. ad* XIX *Octobris.In codice Reginæ Sueciæ refertur etiam ad diem* XX *Maii, sed causa expresse indicatur his verbis:*Flaviacensi monasterio translatio sancti Geremari confessoris. *Translationem istam, de qua infra suo loco agendum, pluribus celebrat Saussayus, desumpto elogio ex Actis, ad quæ progredior.Horum exemplaria habemus tum impressa, tum Mss., sed alia prolixiora aliis; ita tamen ut, quæ contractiora sunt, non nisi fragmenta videantur deprompta ex longioribus. Hujuscemodi fragmentum exstat apud Vincentium Bellovacensem lib. 23 Speculi Historiarum cap. 98, ab eoque parum differt Ms. nostrum, quod, adjecto tamen prologo, desumptum notatur ex Ms. Rubeæ-Vallis part. 1 Hagiologii Brabantini, collatumque cum Ms. Canonicorum Regularium in Corsendonc juxta Turnhoutum Belgii oppidum.*

C

3 *Prolixiora sunt Acta excusa Parisiis anno 1651 ad calcem Operum Guiberti abbatis B. Mariæ de Novigento, editorum ab Acherio; sicut et Mss. ex codice cathedralis ecclesiæ Bellovacensis sub initium seculi præcedentis communicata cum Majoribus nostris per Petrum Louvet, auctorem Historiæ Bellovacensis Gallice vulgata anno 1614. Neutra tamen perfecta et completa sunt, quantum video ex locis, evidentes omissiones indicantibus. Omissiones istas, quæ tamen utrobique eædem non sunt, multa quippe habet Acherius, quæ desunt in Ms., et contra, assignabo in Annotatis ad ea, quæ describam ex Mabillonii Seculo 2 de Actis Sanctorum Ordinis Benedictini, utpote pleniora et, nisi multum fallar, primigenia, aut certe jam laudatis antiquiora. Hoc vel ipsa in illis diversitas persuadet : quidquid enim deest in Acherianis ac legitur in Bellovacensibus, et contra quidquid in Bellovacensibus desideratur ac legitur in Acherianis, id totum non tantum eodem periodorum sed et singulorum pene verborum ordine describitur in Mabillonianis ; ita quidem ut plane appareat, diversitatem inde ortam esse, quod in Acherianis multa studio et brevitatis causa prætermissa sint ; in Bellovacensibus vero seu eadem ex causa, seu ex describentium incuria aut imperitia legendi antiquos et forte detritos characteres.*

desumpta ex longioribus,

E

4 *Auctor anonymus est, sed perantiquus, ut notat Acherius ; Mabillonius autem in Observatione prævia conjicit, eum fuisse Sancto fere æqualem vixisseque seculo 8; et sane cum vixisse ante incursionem Normannorum etiam mihi verisimillimum fit num. Vitæ ultimo, ubi biographus non obscure significat, suo tempore Sancti corpus magno honore cultum fuisse in Flaviacensi ecclesia, et ad sepulcrum ejus patrata fuisse insignia miracula ; constat enim aliunde, corpus ob metum eorumdem Normannorum alio delatum fuisse, et sepulcrum inter eversi ab illis monasterii rudera latuisse per ducentos pene annos, ut observat idem Mabillonius, et nos suo loco plenius demonstrabimus. Bailletus in tabula critica ad Vitas Sanctorum diei* XXIV *Septembris, auctorem similiter seculo 8 collocat, nec diffitetur styli ejus gravitatem, at falsum fuisse judicat in relatione quorumdam gestorum, quæ non videantur posse consistere cum veritate historica, ac pronum in prodigia, quibus seculi istius homines delectabantur.*

quæ ab auctore perantiquo exarata dabimus.

F

5 *Quod spectat ad prodigia, nec frequentia illa sunt, nec multum extraordinaria; unum excipe, quod contigisse traditur, dum Sanctus cum S. Audoëno Rotomagensium antistite Flaviacensis monasterii exstructionem meditabatur, quodque tamen tale non est,ut incredibile videri debeat iis,qui norunt, quam miris modis Deus cum Sanctis suis agere consueverit : imo cum biographus alias sincerus*

Difficultates nonnullæ,

A *cerus ac pius appareat, ad summum suspicio oriri posset, fuisse hic facilem in admittendis adjunctis quibus res veræ, licet haud ita dudum præteritæ, exornari solent, ut quotidie experimur. Plus difficultatis habet primo aspectu unus alterve error chronologicus, cujus a Bailleto, quamquam nullum expresse assignat, arguitur biographus; verum dum ejus scribendi methodum attentius considero; errores istos ortos esse opinor, vel ex librariorum oscitantia, vel potius ex scioli cujusdam inconsiderata immutatione nominum.*

præsertim chronologicæ, 6 *Unum dumtaxat observavit vel certe indicavit et correxit Mabillonius in ipso Actorum initio, ubi apud Acherium, et in apographo nostro Bellovacensi, imo verisimiliter in codicibus, quibus usus est ipse Mabillonius, præterquam in uno, ex quo reliqua emendavit, dicebatur Sanctus* ortus tempore Dagoberti Francorum regis: *cum tamen deinde dicatur idem Sanctus, adita hereditate demortuorum parentum, munificentia in pauperes, sanctitate et prudentia celebris, a Dagoberto vocatus fuisse in aulam, præfectus ejus consiliis, expletis non multis annis in palatio, duxisse uxo-* B *rem, ex qua binas filias primum procreavit, ac tandem filium, quem* rex Dagobertus super omnes diligebat, videns eum strenuum in armis, pollentem in verbis utilem in consiliis. Cum autem procurarentur Francis in exercitum, ipse per omnia loco Patris regis lateri adhærebat. *Hæc, ut patet evidenter, stricto sensu accepta, contigisse non potuere omnia sub unius Dagoberti regno.*

in his 7 *Laudatus Mabillonius videtur existimasse, rem confectam esse, si dicatur ortus* Geremarus tempore *Chlotarii Francorum regis, prout vere legi affirmat in codice viri clarissimi Claudii Jolii canonici Parisiensis. Verum si ita cesset difficultas omnis, etiam cessabit, nulla facta immutatione, nec ad unius codicis fidem corrigenda sunt cetera Actorum apographa; quandoquidem commode exponi queat sensus biographi, dicendo, quod, ubi scripsit, ortum esse Sanctum tempore Dagoberti regis, tantum significare voluerit, eum tum temporis florere cœpisse, prout sæpe fieri ab auctoribus ipse fatetur Mabillonius, et prout intellexise debuit Cointius, qui, quamquam sparsim in Annalibus ecclesiasticis Francorum usus sit Actis Acherianis, nullam hic sibi ex allatis verbis difficultatem formavit, atque ex alio loco, infra indicando, suspicatus est, natum esse Sanctum* C *anno* 614.

occurrentes, 8 *At seu scripserit auctor, ortum esse* S. Geremarum *regnante Chlotario, seu modo jam exposito ortum dixerit, regnante Dagoberto Chlotarii filio, restat nodus alter meo judicio non tam facile dissolvendus. Latet is in verbis postremis num.* 6 *citatis, quibus indicatur* Geremarus, *vivo Dagoberto, filium habuisse natu grandiorem, quod certe, spectata reliqua Actorum serie, pugnat cum veritate historica præsertim si, ut verisimillimum est, Sanctum in aulam vocaverit tantum Dagobertus post obitum Chlotarii patris et obtentum integrum Francorum regnum, cum patri superstes non fuerit ultra annos decem, ut et Mabillonii et eruditorum hodie communior est sententia. Verumtamen, ut, quantum fieri potest, difficultatem imminuamus, demus,* Geremarum *vocatum fuisse a Dagoberto, sub ipsa primordia regni ejus in sola Austrasia, quod tenuit per sexennium vivo patre; habebimus annos sedecim, spatium etiam nimis arctum, quam ut comprehendat omnia, quæ narrantur in Actis.*

proponuntur, 9 *Nam aliquot annis cælebs permansit* Geremarus *in Dagoberti palatio, ut liquet ex biographi verbis:* Non multis annis juventutis suæ in regis Dagoberti palatio expletis, tractare secum cœpit *de obtinendo herede et* cum consensu regis ceterorumque Francorum sociavit sibi puellam in conjugium. *Statuamus igitur, id factum esse anno Dagoberti tertio; procreaverit anno quarto filiam primogenitam, quinto alteram: utramque enim filio natu majorem fuisse, significat biographus; imo nec obscure innuit, notabili tempore hunc natum esse post illas, inquiens:* Expletis autem multis diebus, dedit ei Deus filium. *Natus ergo hic sit anno Dagoberti septimo vel octavo, puer fuerit octennis vel novennis anno Dagoberti decimo sexto et ultimo: Et* hunc *scilicet* rex Dagobertus super omnes diligebat, videns eum strenuum in armis, pollentem in verbis, utilem in consiliis; ipse per omnia loco Patris regis lateri adhærebat. *AUCTORE J. P.*

10 *Nodum resolvat, qui se id posse arbitratur, ego rescindendum puto in hunc modum. Biographus, sicut fecerat, ubi agebat de* S. Geremari *filiabus, quarum mortem ac sepulturam enarrat, priusquam ad ejusdem filii nativitatem pergat, ita etiam hic filii in pueritia ac juventute gesta, virtutes et animi dotes proponit, antequam gestorum* S. Geremari *seriem resumat. Hinc quæ allato loco* E *memorat de filio, posteriora sunt tempore, quam quæ dein subjicit de Parente, et cum verisimiliter in textu non expressisset nomen regis, cui carus fuit filius, vel si expresserit, Clodoveum nominasset, librarius vel quivis alter imperitus corrector, videns, inter gesta* Geremari *postea recurrere mentionem Dagoberti regis, hujus nomen textui inseruit, vel Clodovei nomini substituit. Eam conjecturam confirmat biographus loco altero; ubi dicti filii, cum Clodoveo rege e Vasconia redeuntis, obitum patri* Geremaro *nuntiatum scribit, ac de illo tamquam de juvene loquitur, quamquam juxta ipsiusmet biographi calculos obitus ille contigerit annis circiter sedecim post defunctum Dagobertum.* *et tolluntur:*

11 *Sublata difficultate ista, sat commode fluit reliquus ordo chronologicus, quem cum gestis aliquot præcipuis hic percurram, quo brevior sim in Annotatis ad Acta. Patriam nactus est villam in confinio Bellovacensis ditionis, nomine Guarandram seu Warandram, sitamque super fluvium Ittam, alias* Eptam; *patrem nomine Rigobertum, matrem Agam,* ex gente Francorum nobili, *ut post biographum tradunt omnes, et opibus potentes, ut ex Actis manifestum fit, imo stirpe* F *regia oriundos juxta litteras Joannis V Bellovacensium episcopi, datas anno 1478 ad confirmandam Flaviacensis cœnobii a* B. Geremaro fundationem. *Exstant eæ apud Acherium in Notis et Observationibus ad Opera Guiberti abbatis pag.* 601, *et tom.* x *Galliæ Christianæ recens auctæ, col.* 279 *et seq. inter instrumenta ecclesiæ Bellovacensis, unde, quæ huc pertinent, describo:* Notum facimus, nos, male latrantium cupientes ora claudere, et testimonium veritati exultantes perhibere, et certificamus, veteranis libris, legendis, chartis et scripturis, quibus fides suspicione vacua, nullaque nota reprehensibilis, ea, quæ sequuntur, contineri: videlicet serenissimi regis Dagoberti temporibus gloriosum Geremarum, a sobole regia procreatum, maximæ extitisse sanctitatis, cujus consilio sacro ille Dagobertus rex cum amabili pace regnum gubernavit. *Sancti patria, illustre genus,*

12 *Petrus Louvetus lib.* 3 *cap.* 2 *Historiæ Bellovacensis, Gallico idiomate vulgatæ anno* 1614, *exhibens compendium Vitæ* S. Geremari, *natum dicit anno* 605, *non addit tamen, utrum id didicerit ex aliquo vetusto monumento, an vero ex sola* *annus natalis et gestorum*

AUCTORE J. P.

sola conjectura, quæ, spectata reliqua gestorum serie, non videtur improbabilis; at Cointius ad annum 655, *cui recte annectit primordia Flaviacensis monasterii, ex conjectura alia nec minus verisimili, haustaque ex ipsis Actis, natalem ejus figit anno* 614; *quia nimirum num.* 25, *SS. Audoëno et* Geremaro *quærentibus locum condendo monasterio, vox audita dicitur, eos ita alloquens:* Electi Dei, ecce iste locus *(Flaviacus)* metuendus est; quadraginta anni voluti sunt, ex quo Dominus hunc locum benedixit et sanctificavit et fideli suo Geremaro destinavit. *Et sane neque ego video, quid per voces illas, seu vere e cælo auditæ sint, seu ex qualicumque traditione a biographo relatæ, probabilius intelligi possit, quam quod locus iste ab ipsis Sancti natalibus a Deo sanctificatus fuerit; ac proinde natum conjicio post* 605, *a quo annus* 615 *fuisset quinquagesimus; nolim tamen absolute determinare* 614, *tum quia vox* voluti sunt, *præsertim dum additur numerus rotundus, extensionem aliquam permittit, tum quia, si annis tribus quatuorve prævertatur, facilius disponentur, quæ de eo ac filio narrantur sub regno Dagoberti.*

B

brevis chronotaxis

13 *Statuamus igitur nativitatem ejus circa* 610, *anno* 628,*quo Dagobertus Neustriæ et Burgundiæ post obitum Chlotarii imperare cœpit attigerit ætatis decimum octavum; illo vel sequenti in aulam accersitus, ibidemque in cœlibatu transactis annis tribus, potuit ex ducta conjuge genuisse filiam primogenitam anno* 632, *sequenti alteram, et circa* 635 *filium Amalbertum. Sic ante obitum Dagoberti supererit circiter triennium, intra quod, ut refertur in Actis,* S. Geremarus *exstruxit monasterium,* Insulam *olim dictum, ac dein destructum a Normannis, et ab eodem Dagoberto petiit ac impetravit, ut filium suum Amalbertum omnium bonorum suorum heredem declararet. Hanc deinde declarationem confirmari petiit a Dagoberti filio Clodoveo secundo,regni hujus* anno undecimo, *juxta chronotaxim nostram Christi* 648, *et annuente eodem Clodoveo, ac consentiente conjuge, abiit ad monasterium nomine Pentallum, situm ad Lirizinum amnem in agro Rotomagensi cui mox factus abbas brevi tempore præfuit, et hinc secessit in antrum haud procul inde dissitum, ibique* in exemplum omnium positus annis quinque et mensibus tribus, *filii Amalberti, cum Clo-*

C

doveo ex Vasconia redeuntis, mortem edoctus est anno circiter 654, *qui fuit Amalberti decimus nonus vel vigesimus. Justis filio persolutis, Flaviacense monasterium condidit, quod cum gubernasset primus abbas* annis tribus et mensibus sex, *sancte obiit anno circiter* 658, *vixdum quinquagenarius.*

§ II Varia Flaviacensis cœnobii vicissitudo; ejus per Normannos destructio sub annum 851 : corporis S. Geremari translatio Bellovacum.

Flaviacense cœnobium vetustate collapsum

Dubium mihi non est, quin Sanctus, quo tempore in Flaviacensi a se condito cœnobio jacuit, honorifice cultus fuerit, et beneficiis ac miraculis, ad sui invocationem divinitus patratis, claruerit, quemadmodum de suis temporibus testatur biographus. Nihil tamen vel de ejus sacris

D

exuviis vel ipso cænobio dignum notatu comperi ante initium seculi 9, *quo Fontanellense Chronicon exaratum est. Exstat hoc apud Acherium tom* 3 *Spicilegii editi anno* 1659, *et cap.* 16 *in gestis Ansigisi abbatis pag.* 232 *hæc habet:* Domnus Ansigisus Flaviacum monasterium, quod sanctus Geremarus fundavit ac * corpore requiescit, quod est situm in pago Bellovacensi, a domno rege Carolo in precarium accepit, anno videlicet Incarnationis Domini Jesu Christi DCCCVII, qui erat annus Magni Caroli, ex quo rex Francorum constitutus est, XXXVIIII, ex quo vero imperator et Augustus appellatus est, annus VII: quod fere ædificiis destitutum ac in egestate redactum atque relictum invenit. Sed intra pauci temporis spacium nobili sua industria recuperare studuit. Omnia namque ædificia et publica et privata ipse ibidem, eliminatis atque projectis iis, quæ vetustate consumpta fuerant, a fundamentis construi atque in majori elegantia restaurari fecit, veluti cunctis illo advenientibus palam est.

** supple. in quo*

ineunte seculo 9 restauratur;

15 *Eamdem materiam resumit pag.* 240: In Flaviacensi quoque, *inquit,* cœnobio, quæ obtulerit *(Ansigisus)* dona, hoc in loco declarandum censuimus. Ibi namque gratuita benignitate largitus est calices argenteos diversos decem etc.; in honore vero sanctæ Trinitatis basilicam ædificavit, ante cujus aram tabulam argenteis imaginibus decoratam collocavit, ipsique aræ crucem argenteam imposuit, universamque basilicam variis picturis decorari jussit. *Mirum sane, monasterium, juxta ante dicta erectum anno* 655, *ad eum modum corruisse centum quinquaginta annorum intervallo, idque ex sola vetustate, neque enim alia innuitur causa, ut non tantum ædificiis destitutum esset, sed et derelictum seu habitatoribus vacuum. Crediderim autem, tunc primum post restaurationem canonicos illuc ab Ansigiso introductos fuisse, quorum ita meminit laudatus chronographus pag.* 243: Ad Flaviacum illis canonicis libras quindecim *direxit Ansigisus. Certe inhabitatum fuisse a canonicis, dubitare nos non sinit decretum Nicolai I Pontificis inferius memorandum. At vero breviori temporis spatio splendorem sibi ab Ansigiso collatum, amisit idem cœnobium.*

E

paulo post eversum restituitur;

16 *Post ejus quippe obitum, quem tom.* V *Julii, ad diem* XX, *ubi ex eodem Fontanellensi coævo chronographo Acta ejus dedimus, anno* 833 *innectendum ostendimus, Hincmarus, postea Remensium antistes, illud ad vitam obtinuit a Carolo Calvo, et ab invasore, nescio quo, denuo destructum, restauravit, imo ut sibi retineret, volente eodem Carolo id ipsi eripere, multum laboravit. Singula hæc paucis verbis complexus est Flodoardus lib.* 3 *Historiæ ecclesiæ Remensis cap.* 18, *ubi inter scripta,ab Hincmaro ad Carolum Calvum directa ista memorat :* Item pro cella vel monasterio Flaviaco, quod idem rex sibi, dum in ipsius ante episcopatum moraretur servitio, donaverat, et ut in sua illud teneret, præcepto confirmaverat; quodque a quodam invasore destructum restruxerat, et religionem, prout valuit, in eo restauraverat: quod postea rex idem conabatur injuste a jure ipsius auferre. *Utrum tunc exauditus fuerit Hincmarus necne, incompertum mihi est. Verumtamen parum ejus interfuit; quandoquidem paulo post, anno scilicet* 851, *a Normannis penitus eversum fuerit. Quidquid sit, satis constat, locum ipsum seu ante seu post eversionem laicis concessum, eorum dominio subjectum fuisse usque ad annum circiter* 833.

F

27 *Mox memoratam eversionem testatur alter Fontanellensis*

annotandem 851, a Normannis incenditur,

A *Fontanellensis chronista, cujus fragmentum ab anno* 841 *usque ad* 856 *exhibet Chesnius tom.* 2 *de Scriptoribus Historiæ Francorum pag.* 387 *et seqq. et in quo ad annum* 851 *leguntur ista :* Eodem tempore classis Nortmannorum fluvium Sequanam ingressa est ipso die tertio Idus Octobris, duce Hoseri.... Belloacus interea urbem cremarunt et Flaviacum monasterium. De qua cum reverterentur, in loco nuncupato Wardera a Francis excepti, plurimi interfecti sunt. *Annalista Bertinianus apud Chesnium tom.* 3 *pag.* 205, *ad eumdem annum:* Venientesque, *inquit*, urbem Rotumum usque ad Beluacum pedestri gradu perveniunt. Qua incensa, cum redirent, a nostris intercepti, et aliqua ex parte profligati sunt. *Sed et dilucide pleraque hactenus allata explicantur in supra memorato decreto seu bulla Nicolai I Pontificis, confirmantis concessa a Carolo Calvo Odoni Bellovacensi episcopo conjunctionem Flaviaci et Oratorii, qui erat parthenon haud longe a civitate situs, cum eadem Bellovacensi ecclesia.*

ut variorum testimoniis

18 *Bullam istam valde prolixam exhibent Antonius l'Oisel in Monumentis Bellovacensibus, editis anno* 1617 *pag.* 239 *et novæ Galliæ Christia-*
B *næ editores tom.* X *seu potius part.* 2 *tom.* IX *inter instrumenta col.* 240, *unde delibo huc pertinentia :* Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei, reverendissimo et sanctissimo Odoni episcopo.... Quoniam sanctitas tua retulit ac suggessit apostolatui nostro, quod ecclesia Bellovacensis provinciæ Remorum.... rerum facultatibus, quibus prioribus temporibus fruebatur, per terrenam potestatem privata mansit, et modernis quoque diebus paganorum incursione pariter et depredatione valde attenuata fuerit,.... quam ob rem concessit ei *(Carolus Calvus)* duo monasteria, in eadem Bellovacensi ecclesia constituta, Oratorium videlicet, quod fuit olim puellare cœnobium, et Flaviacum, in quo canonici habitaverunt.... Quæ tamen monasteria et prius quidem, quam secularibus collata fuerant, propter civilis discordiæ seditionem non parum fuerant destructa, et nunc propter barbaricam incursionem penitus sunt eversa, adeo ut non solum rebus privata sint propriis, verum canonicorum sacrarumque virginum chorus, qui prius illic habitaverant ex maximo inde sit ablatus, et ecclesiæ totaque ædificia simul
C sint destructa, nec spes ulla restat restitutionis illorum, si vel reposita fuerint in secularium manus, vel si absque pastore ecclesiastico degerint, ut hactenus fuerunt... Quapropter.... decrevimus fieri, quod postulabatur, et apostolica auctoritate statuimus, ut præfata monasteria, scilicet Flaviacum et Oratorium, benignitate Caroli gloriosi regis Bellovacensi ecclesiæ collata, cum omnibus, quæ possident ecclesiæ præfatæ, perpetuis et futuris temporis perpetuo manere * subjecta.... eo tamen ordine.... ut et ipsa monasteria juxta modum facultatum sibi collatarum restaurentur et conserventur, et illic Deo militantium sive feminarum sive virorum sexus fuerit, subsidiis necessariis adjuventur.

* l. maneant

ostendimus, contra auctorem

19 *Pluribus deinde episcopo solicitudinem et curam monasteriorum commendat, nominatim vero ut caveat, ne ulla ratione deinceps in potestatem secularium perveniant : tum post consuetas clausulas scriptum notatur decretum* per manum Petri notarii regionarii et scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Aprili, indictione undecima *et infra :* Quarto Calendas Maii per manum Tiberii primicerii sanctæ Sedis Apostolicæ, imperante domino nostro piissimo augusto Ludovico *(ejus nominis secundo, Lotharii imperatoris filio* (a Deo coronato, magno, pacifico imperatore, anno decimo quarto : *qui characteres designant annum Christi* 863. *Porro hanc materiam paulo latius, quam alioqui opus fuisset, pertractare visum est ad explanandam confusionem, quam adverto in aliis monumentis, præsertim Bellovacensibus, circa translationem corporis* S. Geremari. *Hujus translationis Historiam anno* 1678 *cum Majoribus nostris communicavit Claudius Franciscus a Paula le Fevre d'Ormesson, decanus Bellovacensis, desumptum ex Ms. bibliothecæ ejusdem ecclesiæ. Auctorem habuit monachum Flaviacensem anonymum, qui anno* 1132 *interfuit relationi partis reliquiarum Sancti Bellovaco Flaviacum, et eatenus fide dignus est, sed in aliis, quæ ejus ætatem præcesserunt, minus accuratus et verisimiliter dictæ confusionis primus auctor.*

AUCTORE J. P.

Historiæ translationis S. Geremari

20 *Præmissis per modum procemii nonnullis de vita ac morte* S. Geremari *nec non de prima cœnobii fundatione, ita prosequitur :* Floruit itaque idem cœnobium per ducentos et quinquaginta annos fere sub viginti abbatibus. *Ducem hunc secutus est Joannes Bellovacensis episcopus in litteris anni* 1478, *num.* XI *laudatis, in hunc modum scri-* E
bens : Stetit autem, *inquit*, hoc monasterium, a beato Geremaro ædificatum in esse et statu perfecto ducentis annis et quinquaginta vel eo circa. Floruit *igitur et* in statu perfecto *permansit ultra annum nongentesimum, quandoquidem conditum sit circa* 655, *ut visum est supra. At vero consistere ista nequeunt cum testimoniis ante allatis : quis enim dicat, floruisse cœnobium ultra annum* 900, *quod anno* 807 fere ædificiis destitutum, in egestate redactum atque relictum fuerat; *quod a fundamentis renovatum denuo ab invasore destructum fuerat, quod per canonicos inhabitatum anno* 851 *a Normannis incensum fuit, et, ut loquitur Nicolaus Pontifex,* penitus eversum *erat anno* 863? *Nec dici potest, errorem irrepsisse in historici Flaviacensis notas arithmeticas, id quippe prohibet ipse dum nonnullis interjectis, non tantum eversionis annum expresse signat* 906, *sed et aliis chronologicis characteribus vestit, qui, quamquam pro majori parte mendosi sint, tamen omnes posteriores sunt anno* 863.

chronologiæ minime peritum,

21 *Verba ejus, omissis non necessariis, huc transfero :* Cum... Ludovicus, cognomento Balbus, regnum tenuisset duobus annis, moriens, sceptrum dimisit filio suo Carolo Simplici, cujus statim primo anno, qui erat ferme nongentesimus sextus ab Incarnato Verbo.... Rollo... Normanniam invasit, et, utpote paganus, monasteria virorum atque feminarum diruere instituit.... Triste nuntium de excidiis monasteriorum.... formidine complevit hoc Flaviacense cœnobium, nec morandi fratribus fuit consilium.... præsumpta rerum cœnobii aliquanta portione, cum venerando sancti patris Geremari corpore.... ad Belvacensem urbem octavo Calendas Octobris commigraverunt.... Post abscessum igitur monachorum Normanni illico diruerunt a fundamentis idem monasterium. *Posteriora hæc esse omnia anno* 863, *patet per se ; mendosa esse pleraque, sic probo : Ludovicus Balbus obiit quidem anno regni sui in Francia secundo, sed is erat Christi* 879. *Sceptrum autem transmisit Ludovico III Francorum regi, filio natu majori, non Carolo Simplici, qui erat filius natu minor et quidem posthumus, quique regnum adeptus est tantum circa annum* 892 ; *unde detegitur alter historici error, dum annum Christi* 906 *statuit primum regni Caroli Simplicis ; ac tertius, dum Rollo-nem*

AUCTORE J. P.

nem eodem anno 907 *primum Normanniam invasisse significat, nempe qui jam ab anno* 876 *eam fuerat ingressus.*

et qui eum secuti sunt,

22 *Præter laudatum num.* 20 *Joannem episcopum differunt quoque monasterii eversionem ad initium seculi* 10 *auctor Historiæ Flaviacensis, cujus compendium habemus apud Acherium inter Notas ad Guibertum abbatem, et fratres Sammarthani tom.* 3 *Galliæ Christianæ iisdem verbis, quæ subdo* : Pluribus post annis, nempe circa annum DCCCC sus deque eversum est abs Normannis. Sacra autem B. Geremari ossa translata ac collocata sunt in ecclesia Beluacensi, ubi hodie visuntur. *Novæ Galliæ Christianæ scriptores tom.* 9 *agnoscunt quidem eversionem a Normannis factam anno* 851, *verumtamen arbitrantur, subsecutam esse eodem seculo restaurationem juxta conditionem præscriptam Odoni episcopo a Nicolao I Pontifice* : Restitutum ab Odone fuisse videtur, *inquiunt,* nam post CCL a fundatione annos monasterium Flaviacum a Rollone an. CMVI usque ad solum destruitur, religiosisque defunctis et profugis, desertum et incolis vacuum centum et triginta annis mansit, dum, pacatis regni dissidiis, Droco episcopus, ut B Nicolai mentem assequeretur, de restituendo Flaviaco sedulo cogitavit, quod S. Geremari nuncupari voluit.

recentiores; corpus S. Geremari

23 *Equidem in horum sententiam lubens concederem, si vel unum auctorem fide dignum et historico translationis antiquiorem offenderem, qui aut restaurationis ab Odone factæ aut hanc subsecutæ destructionis meminisset : at cum non alia quam ejus unius videatur niti auctoritate, quæ pro illis temporibus nulla esse debet, ut abunde liquet ex assignatis anachronismis, putem eamdem sortem obtigisse Flaviaco, quæ obtigit Oratorio virginum monasterio : quod æqualiter respiciebat Nicolai Pontificis conditio, quodque tamen non restauravit Odo, sicut ipsi fatentur Galliæ Christianæ scriptores tom.* 9 *col.* 812. *Porro nostram opinionem diserte tradit Louvetus citato aliquoties lib.* 3 *cap.* 3 *Historiæ suæ pag.* 293 *aiens, Odonem non cogitasse de restaurandis ambobus monasteriis, adeo ut Flaviacense solo æquatum perstiterit ultra annos centum septuaginta tres usque ad millesimum trigesimum. Inde conficitur, translationem corporis* S. Geremari *ex Flaviacensi cœnobio differri non posse usque ad annum* 900 *vel* 906, *sed figendam circa* 851, *quo ejus postrema contigit destructio.*

tunc translatum est

C 24 *At quo delatum est primo sacrum corpus? Omnes, quos vidi hactenus Bellovacensem civitatem designant : Mabillonius tamen in Notis ad Vitam Sancti hæc habet* : Ejus corpus una cum B. Justi martyris reliquiis in abbatiam S. Cypriani prope muros Pictavenses delatum esse, *(*quod tamen omnino incertum putamus,*)* probat Louvetus ex Aquitaniæ Annal. ad ann. CMXL. Anno DCCCXL *(imo* 851, *ut ipse tradit in Annalibus suis Mabillonius)* utrumque B. Geremari cœnobium, Insula nimirum et Flaviacum ab Hastingo Normannorum duce eversum est. Rebus exinde pacatis, sacra Geremari lipsana Bellovacum relata esse, ait idem auctor. *Mabillonium hic describit Bailletus ad diem* XXIV *Septembris; addens, id parum verisimile esse. Scriptores vero Galliæ Christianæ tom.* 9 *col* 789 *ita subdubie loquuntur* : Corpus.... metu Normannorum perfugii causa Pictavi ad S. Cyprianum, aut Bellovacum ad turriculam S. Michaëlis, melius certe ad majorem Bellovacensem ecclesiam, delatum est.

25 *Ad Louvetum quod spectat, oportet eum seu in alio Opere, seu in recentiore editione postea mutasse sententiam : nam in nostro exemplari expresse docet, translata fuisse sacra ossa Bellovacum : lib.* 3 *cap.* 3 *memorans monasterii eversionem ab Hastingo Normannorum duce,* Abbas, *inquit,* et religiosi S. Geremari Flaviacensis, videntes se a Normannia separati tantum exiguo ac sibi proximo fluvio, Arle nuncupato, assumpserunt corpus S. Geremari ceterasque suas reliquias ac detulerunt ad Bellovacensem civitatem. *Eodem lib.* 3 *cap.* XI *generatim deplorans damna per Normannos, duce Hastingo, illata ditioni Bellovacensi, ait* : Ad eorum adventum delata sunt Bellovacum corpora et reliquiæ SS. Ebrulfi, Justi, Geremari et Angadrismæ, ubi huc usque servata sunt. *Quatuor hos Sanctos tamquam præcipuos patronos suos solemniter colunt Bellovacenses, S. Ebrulfum* XXV *Julii, quo ejus Acta illustravimus; S. Angadrismam* XIV *et S. Justum* XVIII *Octobris.* D

Bellovacum, non autem ad monasterium

S. Cypriani

26 *Inquirendum tamen duxi in Annales Aquitaniæ, ex quibus, teste Mabillonio, probet Louvetus translationem ad Pictavos : sed ad præsentem materiam non alios reperio vel designari autumo, quam quos seculo* 16 *Gallice digessit Joannes Bouchet Pictaviensis; ubi vere ad citatum annum* 930 *agitur de restauratione abbatiæ S. Cypriani in suburbio Pictaviensis civitatis per Frotherium II ejusdem episcopum, et ubi auctor sic loquitur* : In E dicta abbatia plura sunt corpora Sanctorum.... Ibidem quoque servantur.... corpus S. Geremari confessoris et abbatis Bellovacensis ditionis.... et corpus S. Justi item martyris, in Autissiodorensi terra oriundi; quæ corpora in dictam abbatiam deferri jusserunt præfati comites Pictavienses : *Ebulus scilicet et Guilielmus ejus filius seculo* 10 *duces Aquitaniæ et Pictavorum comites, quos paulo ante memoraverat. Sed inde, supposito etiam, quod Boucheto ad manum fuerint authentica instrumenta, assertum ejus attestantia, ad summum conficitur, corpora ista ad S. Cypriani abbatiam pervenisse seculo* 10, *minime vero eo delata esse sub medium præcedentis præ metu Normannorum, a quibus ipsa S. Cypriani abbatia, anno* 828 *a Pippino rege Aquitaniæ constructa,* paulo post penitus diruta *fuit, ut scribit Dionysius Sammarthanus tom.* 2 *novæ Galliæ Christianæ col.* 1230, *restaurataque est tantum a Froterio circa annum* 936, *ut videre est apud eumdem inter instrumenta col.* 328 *et seq. Eadem pene tradit Mabillonius in Annalibus ad annum* 934 *num.* 56.

prope Pictavium.

27 *Accedit, quod, si adducto Boucheti testimonio standum sit, plus inde sequatur, quam vellet ipse Louvetus.* F *Bouchetus enim ad eum modum loquitur : acsi eadem corpora etiam tum, dum scriberet, servarentur apud S. Cyprianum* : In dicta abbatia, *inquit,* plura SUNT corpora.... SERVANTUR corpus S. Geremari *etc. Itaque si medio seculo* 9 *illuc delata sunt, ac rursus ibidem deposita seculo* 10, *quo pacto probabit Louvetus,* rebus deinde pacatis, relata esse Bellovacum? *Quapropter donec validiora testimonia afferantur, nullatenus mihi verisimilis fiet nova Louveti opinio; credamque, ea corpora non alio quam Bellovacum delata fuisse, ubi hactenus servantur. Neque tamen vel sic dicendus est, falsa obtrusisse Bouchetus, sed ita exponendus, ut a comitibus Pictaviensibus reliquiæ aliquot* SS. Geremari *et Justi, Bellovaci impetratæ, apud S. Cyprianum fuerint depositæ, et, quod inusitatum non est, lapsu temporis* corpora *vocari cœperint* : *verumtamen harum reliquiarum nullam alibi memoriam inveni.*

§ III.

A

§ III. Relatio partis reliquiarum Bellovaco ad restauratum Flaviacense cœnobium; cultus Sancti utrobique insignis.

Anno 1132 corpus Sancti

Quamquam § præcedente prolixius disputavimus de prima corporis translatione, nihil tamen opus est hic addere quidpiam de iis, quæ eam subsecuta sunt, puta, quo loco primum Bellovaci repositum fuerit, quomodo deinde in cathedralem ecclesiam transportatum sit, qua occasione Flaviacense monasterium seculo XI *reædificatum et a monachis inhabitatum sit, quantoque conatu hi laborarint, ut sacer thesaurus pristino loco restitueretur. Hæc quippe omnia fuse descripsit anonymus monachus, qui, ut supra monui, præsens adfuit relationi partis reliquiarum, ægre a Bello-* B *vacensibus obtentæ sub annum* 1132. *Opus illud, recisis supervacaneis, Actis subjiciam, et de more Notis elucidabo. Accipe interim litteras episcopi Bellovacensis, dictam relationem confirmantes, quas describo ex Louveti Historia pag.* 561. Petrus Dei gratia Beluac. episcopus omnibus ortodoxis præsentibus et futuris in Domino Salutem. Noverit dilectio vestra, quod S. Geremari confessoris atque abbatis corpus totum in hoc feretro collocavimus sub honestarum præsentia et attestatione personarum, Goistani Suessionensis episcopi, Gerlonis sancti Luciani abbatis, Garini Britoliensis abbatis, Radulphi S. Quintini abbatis, Rogeri decani, Theobaldi et Henrici archidiaconum, Ursionis succentoris, Rogerii, Ogerii presbyterorum, Fulconis cancellarii et totius conventus B. Petri et omnium ecclesiarum Beluacensis civitatis.

solemniter Bellovaci inspicitur,

29 Interfuerunt etiam multæ et honestæ personæ videlicet Ausculfus præpositus, Adelardus archidiaconus Suessionensis, Odo decanus Compendiensis, et alii clerici Suessionenses, Ambianenses, Silvanectenses, Parisienses. Convocavimus insuper casatos Beluacenses, Manassem de Buglis, Odonem Castelanum, Hugonem de Noilo, Drogonem Bretescam, Hugonem fratrem Urselli, Petrum filium Adam : precatu autem domini Odonis Flaviacensis cœnobii abbatis, dominique Odonis S. Symphoriani abbatis, et communi omnium, qui intererant, con- C sensu transmisimus apud Flaviacum breve os brachii dextri, quod dicitur radius; hoc autem factum est anno Incarnati Verbi MCXXXII, Indictione decima, in natali beatorum apostolorum Petri et Pauli, regnante rege Ludovico cum Dei gratia. Amen. *Hisce litteris primario declaratur translatio corporis* S. Geremari *ex veteri in novam thecam, peracta solemnissimo ritu in ecclesia cathedrali Bellovacensi, secundario tantum et occasionaliter concessio partis reliquiarum Flaviacensibus. Nam Odo Flaviacensis abbas cum suis monachis, ex quorum grege ad S. Symphoriani monasterii regimen desumptus fuerat Odo alter, hic dictus abbas S. Symphoriani, multis quidem precibus institerat apud Bellovacenses, ut, si minus corpus integrum, pars saltem ejus sibi concederetur; verum repulsam passus fuerat : hinc indignatus, festivæ translationi nec interfuit ipse, nec tulit, ut suorum quispiam interesset.*

30 *Eo ipso tamen die in media translationis celebritate Suessionensis antistes, opportunam nactus occasionem, sermonem convertit ad episcopum, clerum ac populum Bellovacensem, permovitque ita ipsorum animos, ut Flaviacensium votis annuere demum decreverint. Missi sunt ad eos nuntii, jussusque est abbas cum suis adesse Bellovaci die* XXIV *Julii proxime sequentis, ut reliquias in litteris designatas reciperet. Adfuit statuto tempore, et insigni apparatu sacrum thesaurum ad monasterium suum transtulit, ut refert pluribus noster anonymus, indicans, illum octavo Kalendas Octobris in insigni vase fuisse reconditum, atque ita historiæ suæ finem imponens. Jam dictæ reliquiæ, quantum intelligo ex Galliæ Christianæ tom.* 9 *col.* 794, *in novam thecam, in qua nunc exstant, transpositæ sunt per Guillielmum Bellovacensem antistitem anno* 1219, *post quem nihil de iis peculiare dicendum occurrit, sicut nec aliquid de Sancti cultu, qui certe, utpote Patroni et primi fundatoris, solemnissimus est die* XXIV *Septembris ac verisimiliter etiam* XX *Maii, quo translationem ipsius Flaviaci annuntiant codex Reginæ Sueciæ et Saussayus, ut num.* 2 *dictum est.*

[illegible] J. P. ejusque pars Flaviacum refertur.

Festum ejus insigni splendore recolitur 24 Septembris :

31 *In Bellovacensi autem ecclesia, ubi corpus ejus summa in veneratione est, et caput in nova theca repositum fuit anno* 1479 *juxta mox laudatam Galliam Christianam col.* 797, *utroque memorato die festivitas ejus insigni splendore cele-* E *bratur, sicut intelligo ex Kalendario et compendio Ms. Breviarii Bellovacensis editi anno* 1554. *In Kalendario quippe ad diem* XXIV *Septembris hæc notantur :* Geremari abb. Tripl. : *in compendio autem Breviarii ad eumdem diem hæc præter alia :* Novem lect. prop. Item pro una die residua infra Oct. *Bailletus ad calcem Actorum* S. Geremari *dicit, festum esse in populo per civitatem, Officiumque recitari ritu triplici tertii ordinis cum octava per totam diœcesim; addit autem triplici quoque Officio recoli translationem die* XX *Maii, quod et signatur in dicto Kalendario, et in compendio Breviarii : ubi præscribuntur* sex lectiones de Legenda, in qua narratur, quomodo Bellovacenses, cum Carnutum ad B. Virginem profecti essent, ut sibi remedium contra pestem quandam igneam compararent, a sene quodam moniti sint, ut S. Geremarum, cujus corpus in suis finibus jacebat, invocarent, quod illi ut præstarent dignius, ejusdem Sancti monasterium pene collapsum denuo extruxerunt. *Fusius ista exponuntur in anonymi translationis historia, unde designatæ lectiones videntur extractæ.*

translatio item 20 Maii,

32 *Porro non leguntur amplius, opinor, eædem illæ lectiones, aliaque nunc est in ecclesia Bellovacensi Officiorum dispositio. Id colligo ex Ms. altero, quod sicut alia instrumenta huc Bellovaco* F *transmissum, et ex ejus seu Breviario seu Proprio Officiorum descriptum videtur. Primo loco ponitur compendium Vitæ in tres partes divisum sub hoc titulo :* In festo S. Geremari abbatis XXIV Septembris. *Subsequitur deinde sub isto :* In festo translationis XX die Maii, *compendium eorum, quæ facta narrantur a destructione Flaviacensis monasterii per Normannos usque ad ejusdem restaurationem per Drogonem episcopum Bellovacensem; estque similiter distinctum in partes tres, ut dubium non sit. quin totidem sint lectiones in secundo Nocturno Officii utroque die recitandæ. Operæ pretium non apparet priores describere; posteriores vero, cum satis congruant iis, quæ opposui anonymo et aliis, quoad tempus et locum primæ translationis, huc transfero.*

ex cujus dici Officio

33 Cum Dani populi Norvegia egressi, Noricorum et

AUCTORE J. P.

et Sclavorum manu collecta, Carolo Calvo regnante, in Gallias crudeliter irrumperent, et sacris omnibus tectis excisionem ac vastationem inferrent, monachi Flaviensis cœnobii, impendentis periculi metu perculsi, cum glorioso beati Geremari corpore Beluacum commigrarunt, illudque editiori quadam mænium turricula collocarunt. Ubi quandiu fuere vitæ superstites, ex regularis disciplinæ præscripto divini pensum officii devote persolverunt. Illis vero omnibus e medio sublatis, cultus divini provincia quibusdam presbyteris demandatur; sed cum in eo munere se irreligiose gererent, corpus illud in beati Petri basilicam, episcopalis sedis clero jubente, translatum est, ac in decentiori capsa reconditum.

lectiones propriæ

34 Ab eo tempore beatus Christi confessor Geremarus plurimis, sed duobus præsertim, miraculis sui venerationem civium mentibus impressit. Nam quoties arva, ob nimiam siccitatem multo pulvere squalentia, famis miseriam populo comminantur, si corpus illud solenni pompa per urbem et extra pomeria devote circumferatur, illico terra abunde pluviis irrigatur. Præterea cum primum Bellovacus ossa tanti Confessoris excepit ac sinu fovit, ab omni sacri ignis, per totam Galliam grassantis, incendio permansit illæsa.

hic dantur.

35 Ob tanta S. Geremari merita bonæ memoriæ Drogo, Beluacensis episcopus, a Normannis solo adæquatum Flaviense monasterium anno post millesimum vertente trigesimo instauravit, quod Carolus rex Christianissimus anno octingentesimo sexagesimo tertio, annuente Nicolao summo Pontifice, Odoni præsuli cum prædiis et possessionibus omnibus liberaliter contulerat. Reparatione confecta, cœnobii basilicam Odo ipse *(corrige hic describentis mendum et lege* Drogo ipse) dedicavit, ejusque curam ac regimen venerando cuidam monacho, Galtero nomine, Fossatensis monasterii professo commisit, ut in eo nova monachorum facta propagine, pristina readolesceret regularis disciplina. *Unum displicet in his lectionibus, mentio nempe monachorum cum sacro corpore Bellovacum fugientium, qui nulli videntur ibidem exstitisse, quando facta est translatio, prout observabo iterum in Annotatis ad illius Historiam. Ceterum, teste Bailleto, cultus Sancti in variis Galliæ locis stabilitus est, ejusdemque reliquiæ ostenduntur Parisiis in abbatia Vallis Gratiæ sanctimonialium Ordinis Benedictini, sed horum distinctiorem notitiam non comperi.*



VITA

Auctore anonymo perantiquo

Ex editione Mabillonii in Actis Sanctorum Ord. S. Bened. Sæc. II.

PARS I.

Sancti natales; virtutes; vocatio ad aulam; conjux ac liberi; consilium valedicendi mundo.

Sancti illustres natales,

Tempore Hlotarii *a* Francorum regis, cum fideles Christiani odium pro veritate incurrerent, et per Galliam a membris diaboli pro nomine Christi multa sustinerent, beatus Geremarus ad proterendam rabiem perfidorum et ad corroborandam fidem Christianorum *b*, villa Guarandra, quæ sita est in confinio Bellovacensium super fluvium Ittam, annuente Dei clementia, ortus est. Genitor ejus nomine Rigobertus, et genitrix illius nomine Aga, ex gente Francorum nobili orta. Merito enim *c* prædicatur progenitus ex nobilibus parentibus, cujus vita refulsit tantis signis et virtutibus. Orphanorum consolator, miserorum adjutor, in tribulatione omnium assiduus defensor, ecclesiarum verbo et opere reparator. Ortus denique illustribus parentibus, sacro fonte baptizatur et sacra fide consignatur.

virtutes in pueritia,

2 Sacris etenim mysteriis imbuendus traditur. Hunc siquidem genitores, velut unicum Filium tenere diligentes, tradiderunt scholis erudiendum atque instruendum doctrina Christi. In quibus *d* positus, sic superabat omnes coævos suos maturitate sapientiæ, ut quasi magister et doctor inter eos haberetur. Illustrabat enim eum cælestis gratia et splendor divini luminis, descendens a fonte supernæ pietatis. Scripturas sacras sitiens epotabat quotidie, ut pœne memoriter retineret, et in corde suo assidua meditatione trutinaret. Ecclesiam Christi visitabat, quæ est disciplinæ domus, in qua, ut B. Augustinus ait, idcirco discitur bene vivere, ut perveniatur ad semper vivere. Vivere etenim nostrum Christus est, per quem si quis vixerit, non patietur dispendia æternæ famis.

ac juventute:

3 Ergo in schola hujus disciplinæ non alium quærebat magistrum et doctorem nisi Dominum Jesum Christum; hunc toto corde diligebat, hunc ante oculos mentis ponebat. In hujus misericordia spem suam ponebat et toto mentis desiderio illi adhærere cupiebat. Dicebatque illud Davidicum: « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere » in Domino Deo spem meam. » Et rursum: « Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentem meum et refugium meum. » Hæc et alia multa secum revolvens, Deum sperabat sibi ubique adesse præsentem. Orationibus assiduis incumbebat, eleëmosynis et jejuniis studebat, pauperes recreabat, nudos vestiebat, et, quantumcumque poterat, de facultate patris sui indigentibus

A bus erogabat. Tantam ei Dominus gratiam contulit, ut, adhuc positus in juvenilibus annis, excederet cunctos sapientia, et merito sanctitatis. Lætabantur ambo genitores et omnes ipsius amici et parentes, misericordiam Dei circa ipsum esse diffusam scientes. Gaudebant, se talem recepisse Filium, cujus doctrina crescebat quoditie fides Christianorum. Referebant Domino Deo munia * laudis pro tanto munere prolis. Invocabant eum assiduis precibus, ut eum salvare et custodire dignaretur, et magis ac magis amplificare in suis operibus.

** al. munera*

misericordia in pauperes,

4 Et quia non erat illis filius nisi B. Geremarus, appropinquante morte eorum, heredem eum suarum rerum constituerunt. Post quorum mortem B. Geremarus magis ac magis in Christi amore exardescens, non cessabat substantiam suam erogare pauperibus *e*. Ecclesias ubique honorabat, pauperes clericos, quoscumque invenire poterat, de substantia sua relevabat. Peregrinis, quos sine tecto inveniebat, tectum et alimentum pro nomine Christi tribuebat. Noverat esse dictum a Domino : Qui vos recipit, me recipit : et ideo eum quotidie suscipiebat in suis membris. Sciebat enim, quia, quod B pauperibus dabat, ipsi Domino Jesu Christo tribuebat, sicut idem Dominus dicit in Evangelio : " Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. " Præparabat sibi de transitoriis æterna, et de caducis præmia sine fine mansura. His et aliis multis exemplis corroboratus, captivis, orphanis, viduis, pauperibus incessanter substantiam suam impendebat.

e

prudentia ac sapientia :

5 Sed cum jam Domino placuisset meritum revelare multis B. Geremari ; quoniam, sicut ipse dicit in Evangelio : Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit neque sub modio ; sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant ; cœperunt plures Francorum ad eum concurrere, fruique ejus sanctissima allocutione ; quos pane cœlestis verbi quotidie pascens, admonebat eos, ut fidem, caritatem, dilectionem Dei et dilectionem proximi inviolabiliter retinerent, et multa alia cælestia arma, quibus conscendere possent cælum, et debellare humani generis inimicum.

vocatur in aulam Dagoberti regis.

f

** Acher. in palatium suum*

6 Hæc eo ita agente, audivit famam sanctitatis ejus atque prudentiæ rex Dagobertus *f*, mittensque nuntios, accersivit eum in palatio suo *. Et videns eum elegantem et doctum in verbis et sapientem in consiliis, præfecit eum consiliis suis, cujus consilio quamdiu acquievit, tamdiu strenue Francorum regnum obtinuit. Quis consiliis ejus non crederet ? Quis verbis *g* ipsius non fidem daret ? Erat enim Spiritu sancto plenus. Dignum enim erat, ut ille, qui habebat Spiritum sanctum, sciret dare utile consilium. Loquebatur per os ejus Spiritus sanctus, sicut ait Dominus ad discipulos : Non enim vos estis, qui loquimi, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Nunc de qualitate corporis ejus ut dicam, oculorum *h* acie malis terribilis, bonis modestus et humilis, et sicut unus angelici ordinis. Et quod mirum dictu est, imago ipsius humanum hominem eo tempore excedebat. Honorabat eum rex, et honorifice custodiebat. Duces et comites, divites et pauperes, omnes eum diligebant, omnes ingenti honore venerabantur. Ipse vero talem se exhibebat circa cunctos, ut omnium diceres esse servum. Et quamvis esset in laicali habitu, tamen in obedientia verus monachus esse demonstrabatur. Omnibus omnia erat, ut omnes lucrifaceret.

g

h

Uxorem ducit ; binas filias procreat

7 Igitur non multis annis juventutis suæ in regis Dagoberti palatio expletis, tractare secum cœpit, quem sibi in hereditate sua sociare potuisset. Hoc autem eo cogitante, cum consensu regis, ceterorumque Francorum sociavit sibi puellam in conjugium *, nomine Domanam *i*. Hoc idcirco maxime fecit, ut inde procrearet aliquem futurum heredem, ne post mortem ejus gravia scandala orirentur inter parentes suos ex hereditate sua. Habebat namque quamplurima prædia, erantque ei parentes plurimi in palatio regis Dagoberti. Accepta vero uxore sua, complevit circa eum Dominus misericordiam suam : generavit ex ea duas filias, quarum prior, dum ad ætatem maturam perveniret, sponso destinatur, sed virgo permansit, morte interveniente carnis. Junior tradita monasticis disciplinis in virginitate permansit. Sic in virginitate corporis * ambæ permanentes, meruerunt computari inter prudentes virgines : sepelivit autem eas beatus Geremarus in ecclesia B. Remigii, in prædicto vico, ubi multa largitus est de propriis rebus.

** Acher. in conjugio*

i

** al. carnis*

et filium dotibus insignem.

8 Expletis autem multis diebus, dedit ei Deus filium *k* ; super quem gaudens et exsultans beatus Geremarus, transmisit eum B. Audoëno *l*, qui tunc illis diebus in palatio regis * morabatur, cujus consilio cuncta agebat et nihil extra præceptum ipsius faciebat. Eratque * ei familiarissimus amicus, et in omnibus secretis suis conscius. Narravitque ei omnia, quæ acciderant, et quod filius illi successerat. Qui audiens hæc omnia, gavisus est, et suscipiens puerum, catechizavit eum ; præparatoque fonte baptismatis, baptizavit eum * in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, vocans eum nomine Amalbertum. Et sic mysteriis, quæ sacræ fidei conveniunt, initiatum remisit eum ad beatum Geremarum ; qui crescens et quotidie proficiens, factus est honorabilis inter Francorum principes *m*, et adhuc positus in ætate juvenili, magnum spectaculum de se præstabat cunctis. Erat namque promptior omnibus juvenibus Francorum, humillimus omnium pauperum. Nemo enim eum in aliquo poterat superare. In fide perfectus, in factis probatus, in omni opere et verbo stabilis et devotus. Merito enim tam bonis operibus pollebat, qui tali Progenitore progenitus erat. Hunc rex Dagobertus super omnes diligebat, videns eum strenuum in armis, pollentem in verbis, utilem in consiliis *n*. Cum autem procurarentur Franci in exercitum, ipse per omnia, loco Patris, regis lateri adhærebat.

k

l

** in Ms. deest regis*

** ibid. erat*

** ibid. deest eum*

m

n

Monasterium condit :

9 Beatus autem Geremarus Spiritu Dei plenus, omnia, quæ in mundo sunt, pro nihilo pendens, et cœlibem jam vitam desiderans, cœnobiis mona- F chorum plurima de substantia sua tribuebat. Per consilium vero B. Audoëni de propria facultate fundavit monasterium, quod dicitur Insula *o*, construxitque ibi omnia ædificia sanctæ Regulæ convenientia. Ecclesias ibidem construxit in honore apostolorum Petri et Pauli, multorumque Sanctorum reliquias ibi posuit. Constituit ibi congregationem monachorum, sub sancta conversatione degentium : præfecit ei Archarium abbatem, magni meriti virum, cujus doctrina et sapientia quotidie grex Christi ad superna tenderet. Ipse vero Archarius usque in finem vitæ suæ gregem sibi commissum gubernavit decenter et strenue.

o

bonis suis in filium translatis,

10 Cum autem placuisset Domino, ut vita B. Geremari esset exemplum aliorum, misit ei in cor, ut cuncta derelinqueret, solique se Deo ad serviendum traderet. Postquam ei talis voluntas cecidit in mentem, antequam ulli mortalium hoc confiteretur, adiens regem, petiit ab eo, ut coram cunctis principibus Francorum filio suo Amalberto cuncta, quæ sui juris erant, traderet, eique, cunctis

A. ANONYMO. ctis præsentibus Francis, indifferenter donaret. Quod rex p audiens, valde mirari cœpit. Tandem petitioni ejus libenter annuens, non solum quod rogabat, juveni tribuit, sed insuper etiam ei multa auxit. Adquisitis vero omnibus suæ potestatis filio suo, abiit ad S. Audoënum, qui tunc in ipso palatio erat, ut omnia cordis sui aperiret ei secreta; et vocans eum ad se secreto, his verbis adorsus est: « Quæso, « pater sancte, ut mihi viam Dei non renuas demon- « strare, per quam possim ad gaudia æterna perve- « nire, et hujus mundi naufragium evitare. Video « enim, quia cuncta pertranseunt, et rediguntur * « ad nihilum. »

* *Acher.* regrediuntur

S. Audoënum consulit de vera ad salutem via.

11 Hæc audiens beatus Audoënus, lætatus est valde, et trahens suspiria cordis, his verbis ei respondit: « Viam Dei, quam a me, Frater, requiris, « Evangelicis tibi demonstratur verbis: ait enim « Dominus Petro, quærenti de retributione et de « futuro præmio: Omnis, qui reliquerit domum, « vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, « aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen « meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit q. Heu quæ miseros tramite devio abdu- « cit ignorantia! Nam quo lateat bonum, quod cu- B « piunt, nescire cæci sustinent, et demersi tellure, « petunt, quod abiit trans stelliferum polum. Felix, « qui potuit visere lucidum fontem boni, et felix, « qui potuit, solvere vincula gravis terræ. Si beati- « tudo est summum naturæ bonum degentis ratione, « nec est summum bonum, quod eripi ullo modo « potest, quoniam præcellit id, quod nequeat au- « ferri; manifestum est, quod beatitudinem perci- « piendam fortunæ hujus instabilitas adspirare non « possit. Constat, et positum est æterna lege, ut nihil « perseveret genitum. Idcirco, Frater, si vis cautus « ponere perennem sedem, nec sterni flatibus sonori « euri, vita cacumen alti montis, scilicet dignitatem « hujus sæculi, et sequere vestigia Jesu Christi. » Audiens hæc beatus Geremarus, sancto Audoëno respondit: « Scio, pater sancte, quia omnia vera « sunt, quæ audio ex tuo ore. Derelinquam omnia « hujus mundi transitoria, vana, caduca, quæ, cum « magis stare videntur, transeunt, et miseros du- « cunt ad interitum. Et ut verbis Domini utar: « Quid prodest homini, si universum mundum lu- « cretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? » Completis his inter se sanctis allocutionibus, re- C diens domum B. Geremarus, instruxit filium suum, atque familiam de fide, de spe et de caritate, ceterisque virtutibus, ad curam animarum pertinentibus.

ANNOTATA.

a *Ita in uno Ms. apographo, quo usus est Mabillonius; in aliis legitur* Dagoberti, *ut monui in Commentario prævio num.* 6, *quem vide.*

b *Locus hic non facile elucidari potest ex Historia temporum Chlotarii II, Dagoberti I, Clodovei II, et Chlotarii III, quibus regnantibus, vixit* Geremarus. *Regnante Chlotario II in Neustria, Theodoricus Burgundiæ rex S. Columbanum, crimina sibi exprobrantem, exsulare coëgit: eadem de causa S. Amandum e regno amandavit Dagobertus I; at generalius loquitur biographus, quam ut de factis hisce particularibus recte intelligatur. Forte respexit ad turbas ab Agrestio monacho, hæresi infecto, excitatas in Galliis præsertim inter monachos; sed vel sic auxesi usus est: numquam enim ita triumphasse tunc legitur* D *impietatis, ut pro nomine Christi per Gallias multa passi sint fideles Christiani.*

c *Hæc usque ad* Ortus denique *recisa sunt apud Acherium.*

d *Neque ista habet Acherius usque ad initium num.* 4, *ad has voces* post quorum mortem.

e *Sequentia usque ad* sciebat enim *desunt apud eumdem.*

f *Dagobertus primus, Clotharii II filius, Austrasiæ rex fuit ab anno* 622 *usque ad* 628 *et post obitum patris juxta probabiliorem sententiam Francorum monarchiam tenuit usque ad* 638: *quo anno* Geremarum *in aulam accersiverit, ex reliqua gestorum serie conjecimus in Comment. num.* 13.

g *Hæc usque ad initium sequentis num. desiderantur apud Acherium.*

h *In Ms. Bellovacensi voci huic præmittuntur istæ:* Erat decorus forma, facie splendida.

i *Saussayus ad diem* 24 *Septembris agens de Sancto nostro, dicit, eum piissimis moribus decus sanctitatis promeruisse: ad diem vero* 20 *Maii recolens translationem ejusdem Sancti addit:* Ceterum et prælibatæ ejus uxoris Damaniæ sanctitas iisdem indiciis propalata, cultum eidem perennem præstitit, quo in prioratu sancti Nicasii de Ganiaco, E ubi reposita sunt sacra ejus pignora, hactenus fulget insignis. *Hinc verisimiliter Arturus a Monasterio Domanam Gynæceo suo inseruit ad diem* 24 *Septembris, ut sequitur:* Apud Ganiacum Wilcassini pagum, ad Eptam amnem, prope Vernonem in territorio Rotomagensi beatæ Domanæ genere ac virtute insignis *In Annotatis adjicit nonnulla de Domanæ conjuge* Geremaro *et utriusque prole, dein pene ad verbum describens Saussayum:* Ita, *inquit,* Petrus Louvetus lib. I Historiæ et antiquit. Belvacens. cap. XII, et lib. 2 § IV et XXVII, Saussayus etc. *Cointius ad annum* 648 *num.* 37, *citans Louvetum lib.* 3 *cap.* 12 *in Antiquitatibus Bellovacensibus,* coli, *ipsam, ait,* in pago Wilcassiono. *Mabillonius item hic in Annotatis suis;* Domanam, *inquit,* in pago Vilcassino ortam et in sanctarum numerum relatam asserit Louvetus Hist. diœc. Belvac. lib. I cap. XII. *Nescio, an Petrus Louvetus, tam vario modo hic citatus, varia ediderit Opera, an vero unum diversis vicibus impressum ac diversimode dispositum: unicum habeo ejus exemplar, typis Rotomagensibus vulgatum Gallice anno* 1614 *sub hoc titulo:* Historia civitatis et anti- F quitatum territorii Bellovacensis una cum Chronologia episcoporum ejus, abbatum et abbatiarum. *Agit hic quidem de Domana occasione* S. Geremari, *sed nullo loco ab auctoribus istis allegato. Itaque Latine expono, quæ habet lib.* 3 *cap.* 2 *pag.* 268 *et seq. in margine:* Matrona ista erat ex familia de Rupe, Guidonis dein agnominata *(la Roche-Guion.)* relata fuit in numerum Sanctorum. Vitam ejus non legi, nec quidquam de ea comperi, præterquam quod in Prioratu S Nicasii de Ganiaco, insula Vilcassini Francici prope Rupem, in fenestra vitrea præcipua chori, qui valde antiquus est, exstet ipsius imago et effigies cum hac subscriptione: Sancta Domana de Rupe, uxor sancti Geremari Flaviacensis. *Sanctam quoque appellat Joannes Theroude in Observationibus, subnexis Vitæ S. Adjutoris Vernoniensis, typis Parisinis editæ anno* 1638. *Verba Gallica sic sonant:* Sancta Domana, illustris matrona regionis nostræ, uxor sancti Geremari, e sanguine regio Francorum oriundi et mater duarum sanctarum filiarum, quarum nomina scire non valui, sepulta est eodem in loco Ganiacensi

A si ad Eptam fluvium. *Sed ne vel sic cultus ejus nobis sat certus efficitur, maxime quia Castellanus, canonicus Parisiensis, ac proin a loco haud multum remotus, eam Martyrologio universali non tantum non inseruit; sed in Aëmeris a titulo* Sanctæ *abstinuit, ita scribens :* Venerabilis Domania, dicta in quibusdam peculiaribus ecclesiis Sancta, uxor S. Geremari. *Quapropter donec et cultum et diem certius edocemur, hæc dicta sufficient.*

k *Acherius legit :* Dedit eis filium. *Porro ex his et proxime præcedentibus, videri posset natus* Geremaro *filius post obitum filiarum ; verum cum hæ juxta biographi narrandi modum in infantia mortuæ non sint, tantam dilationem non patiuntur temporis angustiæ : nam juxta eumdum biographum filius certe natus est, vivente Dagoberto rege. Arbitror itaque , auctorem absolvere voluisse, quidquid de filiabus dicendum erat,priusquam de nativitate filii loqueretur : adeo ut per voces* Expletis autem multis diebus *significare voluerit, intercessisse tempus notabile inter nativitatem filiarum ac filii. Vide Comment. num.* 10.

l *Sancti hujus Rotomagensium episcopi Acta apud nos illustrata sunt ad diem* 24 *Augusti.*

B m *Sequentia usque ad num.*9 *non leguntur apud Acherium.*

n *Quoniam hæc, ut integer contextus clare exigit, de Amalberto* Geremari *filio intelligenda sunt, nomenDagoberti erronee hic substitutum apparet nomini Clodovei II, ut ostendi in Comment. num.* 9 *et seq.*

o *Monasterium istud, quod Normannorum tempore destructum fuit, situm erat in loco,qui nunc* Vicus S. Petri in nemore *appellatur,vulgo* S. Pierre aux bois, *haud procul ab hodierno Flaviacensi cœnobio.*

p *Dagobertus scilicet, ut patet inferius num.* 12 *sub initium part.* 2, *ubi hæc leguntur :* Adiit *(Geremarus)* regem Chlodoveum, petiitque ab eo ut filio suo, quod pater ejus concessit, concederet.

q *Apud Acherium et in Ms. nostro Bellovacensi hic desinit responsum S. Audoëni, moxque subditur :* Audiens hæc beatus Geremarus etc.

PARS II.

C

Successus a seculo et gesta reliqua usque ad sanctum obitum.

Secedit in Pentallense monasterium, a

Eodem tempore Dagoberto mortuo, anno undecimo regnante Chlodoveo rege *a*, correctus est B. Geremarus in viam salutis æternæ. Videns ergo, quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ suæ acquirebat ; sed magis detrimentum perpetuum illi præparabat, adhortante eum B. Audoëno, adiit regem Chlodoveum, petiitque ab eo, ut filio suo, quod pater ejus concessit, concederet, et capitis comam ei deponere liceret, seque in monasterio ad serviendum traderet. Per jussionem autem regis, licet abnegantibus Francis tonsuravit eum B. Andoënus, deditque ei monachilem habitum ; et instruens illum cælestibus disciplinis, misit eum in monasterium Pentalli vocabulo denominatum, ut ibi fuisset in obedientia abbas et pastor ovium Christi et illuminator animarum. Beatus autem Geremarus revolvens illud psalmographi : Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum et terram. Et iterum : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo ? in Domino Deo totam spem suam ponens, non distulit obedire præcepto Sancti *b*. *A. anonymo.*

b cui Abbas præpositus,

13 Cum magno ergo gemitu et lacrymis et suspiriis cordis suscepit regendum monasterium. Relicta autem uxore et filio suo, et omnibus hujus mundi curis, secundum Euangelicum præceptum secutus est Christi Jesu vestigia, et abiit in monasterium, quod supra nominavimus *c* Pentallum, in pago Rotomagense super fluvium Lirizinum. Cujus vita qualis, quam sancta ibi cunctis refulsit, testantur sanitates et plurimæ incolis factæ virtutes. Diebus ac noctibus in oratione se macerabat, in vigiliis, in jejuniis et in omnibus contemplativæ vitæ congruentibus. Prostratus corpore *d* atque fixis solo genibus orationem perenniter cum lacrymis fundens, pro peccatis populi Dominum rogabat, pro sancta Dei Ecclesia, ut eam Dominus incolumem custodiret. Jejunabat cotidie, totam diem ducens in hymnis et laudibus Dei, in vesperum reficiebat. Cibus illi panis paximaticus *e* cum oleribus parvulis, et potus aqua salsissima, ut saturitas ventris non adflueret. Mortuus erat mundo,vivus Christo : omnibus autem ad se confluentibus non cessabat demonstrare viam salutis. Præmonebat unumquemque, ut in lege Dei meditaretur. E

ingens periculum incurrit,

14 Erat autem in eodem monasterio multitudo maxima monachorum, cui ad regendum pater Geremarus constitutus erat In hac vero congregatione multi amantes bonum et timentes Deum *, libenter audiebant eum, et recipiebant correctionem ipsius. Sed quoniam semper vita bonorum odiosa est malis, fuerunt ibi nonnulli malitiosi vel impii, quorum pars erat cum Belial, qui nolentes recipere prædicationem ejus, cœperunt tractare de morte ipsius, opportunum locum quærentes, ut per quamdam damnationem eum interficerent. Erat autem illi consuetudo in primo galli cantu ad laudes Dei surgere, et usque ad crepusculum lucis in Dei laudibus noctem pervigilem ducere. Completo autem officio *, revertens in dormitorium, in stratu * suo collocare se consueverat. Hoc noscentes invidiosi atque protervi, consilium inter se acceperunt, ut cultellum sub lecti stratis * ponerent, ut sanctus Vir rediens ab ecclesia, super cultellum se cum impetu corporis injiceret, et sic semetipsum interficeret. Quod et fecerunt. Manubrium cultelli solo hæserunt * acumen ferri nudum in aëris spatium erexerunt. O infandum nefas, in omni tempore cunctis horrendum ! F More solito revertens B. Geremarus ab ecclesia ad lectum, Spiritu sancto eum adhortante, fecit hoc, quod solitus non erat facere. Non enim in consuetudinem habebat lectum tangere ; sed cum toto corpore se in medium lecti injiciebat. Tetigit manu lectum et circumducens manum, invenit, quod erat absconditum. Statim ut sensit fraudem esse paratum, relicto lectulo, reversus in templum Amicus Dei ; quod supererat noctis, lacrymas fundens, hymnis et laudibus Dei duxit, et mane primo rem, quæ ei contigerat, nemini indicavit.

* al. Dominum
* al. additur suo
* al. strato
* Acher. lectisternio
* Acher. fixerunt

ac regimen deponens, f

15 Tertia vero hora diei post lectionis disputationem *f*, in capitulo ante pedes omnium prostratus, rogabat, ut a postorali cura eum absolverent, et meliorem quemcumque patrem super se eligerent. Erat autem quædam crypta in vasto solitudinis super fluvium Sequanæ, unde sanctus Samson *g* serpentem ejecit : hanc petebat, ut ad habitandum ei concederent. Quantus clamor, quantus dolor erat ibi omnium timentium Deum et super *g*

A. ANONYMO. per patrem Geremarum lamentantium et dicentium: Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Quid egimus, quid in te commisimus, quomodo fuimus tibi contrarii? Ipse autem respondit eis: Nemo vestrum in aliquo mihi exstitit umquam contrarius, nemo malus, nemo durus, nemo alienus: omnes mihi ut patres, ut fratres, ut veritatis amatores *h*. Nolebat enim prodere in publicum, quod invenit in lecto absconditum, ne locus ipse verteretur in exemplum malorum.

in antro vivit, pietatis exercitiis clarus. 16 Iterum atque iterum prostratus ante pedes omnium, rogabat, ut a pastorali sede absolverent eum: illi autem nolebant; sed magis ac magis petebant, ut eos non desereret. Tandem victi petitionibus, cryptam, quam petebat, ei concesserunt. Relinquens autem monasterium B. Audoëno, abiit in prædictum locum, ibique se in oratione diebus ac noctibus dedit, faciens plurimam abstinentiam, majorem, quam facere consueverat *i*. Ibi ad eum omnes egeni veniebant, quos pro amore Christi respiciens, non permittebat abire vacua manu. Nudos operiebat, esurientes et sitientes recreabat, infirmos visitabat, mortuos sepeliebat, omnes oppressos B tribulatione et angustia corporis et mentis confortabat. Erat Pater orphanorum et Amator ecclesiarum. Tantam ei gratiam Dominus, veluti electo Famulo suo, contulit, ut cuncta mundi mente transcenderet, et sæpius cælestibus secretis interesset.

sacerdos ordinatur a S. Audoëno, 17 Beatus autem Audoënus audiens famam sanctitatis ipsius, et sciens meritum ejus, in gradum presbyterii eum ordinavit. Cujus voluntati multum resistere voluit, sed Spiritu sancto eum compellente, præceptis sancti Præsulis obedivit: factusque sacerdos Domino Deo placere studuit. Offerebat enim illi Sacrificium per singulos dies cum lacrymis et contritione cordis. Cum autem *k* ad sacrificandum accederet, tanta circa eum custodia Dei et pietas erat, ut in terris corpore positus ante Deum in cælestibus mente habitaret. O Dei dignum Sacerdotem, mitem, justum, benignum, omnique pietate repletum! Custodiebas eum, Domine Jesu Christe; tu semper gressus ejus ad meliora redigebas; tu scuto protectionis tuæ eum circumdederas, qui non dormis, neque dormitas; sed semper in te sperantes custodis et salvas.

C *filii obitum intelligit;* 18 Ibi in exemplum omnium positus, annis quinque et mensibus tribus fidelis tuus Geremarus in omnibus mandatis his exstitit sincerus et devotus. Dum autem illic moraretur, nuntius venit ei de filio suo Amalberto, quem in palatio reliquerat. Rediens enim de Wasconia cum rege gravi infirmitate percussus, ægrotare cœpit Unde, morbo ingravescente, evadere non potuit; subripiente mortis articulo, vitam corporis amisit. Erat enim adhuc virgo et ignarus mundanæ corruptionis *l*. Et quoniam carus erat regi et Francis, delatus est usque ad locum propriæ hereditatis. Cum autem hoc enuntiatum fuisset, adsumens patientiam beati Job, dixit: « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino » placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum *m* » Et iterum: « Laudate Dominum » omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super me manus tua, Deus, » et veritas tua non dereliquit me. Confirmasti in » misericordiam tuam, et recepisti filium meum in » gloriam tuam. »

cujus corpus 19 Exiens de illa crypta, et omnes clerici simul cum eo, in hymnis David laudem Deo dicebat: « Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei, tu » es, qui restitues hereditatem meam mihi. » Pergens autem cum magno psallentium choro, pervenit D in pagum Vilcasinum: quem pertransiens, intravit Belvacensem pagum; ubi jacebat filii corpus defunctum. Veniens illuc, ubi jacebat, nihil de morte ipsius est motus: sed laudabat Dominum Deum, quod dignatus sit suscipere in virginitate unicum filium suum. Elevantes autem eum in feretrum, deferunt ad monasterium, quod B. Geremarus construxerat in honore Petri et Pauli apostolorum *n*. Sequebatur multitudo populi flens atque lugens super eum *o*. Erat enim carus omnibus divitibus et pauperibus; omnes pari amore eum diligebant; et ideo quem in vita amaverant, in morte hoc triste munus amoris ei præbebant. Venientes vero ad locum, qui Baniacus pons dicitur, paullulum solo substiterunt.

20 Non illud sileri puto *p*, quod Dominus operari dignatus est ibi circa corpus defuncti ob meritum B. Geremari, quatenus omnes agnoscerent, magni meriti esse eum et ipsius filium. In eodem loco sic gravatum est corpus B. Amalberti, ut non ab iis, qui eum portabant, potuisset moveri. Adjuncti sunt quamplurimi *q*; sed nec sic moveri potuit. Fit clamor omnium virorum atque mulierum. Tantus autem stupor invasit omnes retro et E antecedentes *, ut vix ambulare valerent. Tunc B. Geremarus, sentiens, hoc esse voluntatem Dei, jussit corpus deponi. Quo deposito, prostratus solo genibus, orationem ad Dominum fudit, et coram cunctis diutissime oravit. Completa oratione, illis, qui corpus vehebant, dixit: Auferte pallium ab eo, unde coopertus est, ut videamus, quid contigerit. Cumque tulissent pallium, et diligentius adspexissent, invenerunt faciem ejus sanguine madidam, acsi illo bello interfectus occubuisset * Fluebat enim sanguis per nares, irrigans totam faciem ejus. *prodigiose immobile redditum*

* Acher. ante incedentes

* ibid. interfectus fuisset

21 Valde stupendum est atque mirandum et in memoria devotis laudibus reservandum. Tam multum fluxerat temporis, quo vita decesserat, revertens a Wasconia cum rege et Francis. Quid hoc facto manifestius? Potuit hoc adimplere illius virtus, B. Geremari meritis et virtutibus, cujus potentia resuscitatur quatriduanus Lazarus. Demonstratur hoc indicio, B. Amalbertum meritis S. Geremari vivere cum Christo. Tunc B. Geremarus in eodem loco ecclesiam fieri præcepit in honore S. Johannis *r*: duodecim monachos ibidem constituit, quorum vita esset salus sibi et animæ filii. F Ut vero sine indigentia viverent, et Deo sine murmuratione servirent, reliquit eis multas villas, scilicet propria prædia per chartarum monimenta. *et post preces ac vota*

22 His ita præmissis, statim inventum est corpus tantæ levitatis, ut ab uno homine potuisset portari *s*. O quam magna est virtus tua Christe! Quantis coruscas miraculis sperantibus? Quis nomen tuum non exaltet? Aut potentiam tuam erga servos tuos non pertimescet? Moventes inde, pervenerunt ad prædictum monasterium, quod B. Geremarus, adhuc in sæculo positus, construxerat *t*, ubi honorifice sepelierunt eum. Tunc B. Geremarus hereditatem suam recepit, et Dominum Jesum Christum ex ea heredem fecit. Festinabat enim pervenire ad supernam patriam et contingere immortalitatis stolam. Desiderabat heredem habere eum, a quo et in quo et per quem est summum bonum, ultra quod nihil est appetendum. *facile sublatum, sepelit.*

23 Postquam autem omnia hæc sunt divinitus completa, in semetipsum reversus, cogitare cœpit, quomodo astutia antiqui serpentis per mille artes *ad majorem perfectionem aspirans,*

A artes nocendi nititur seducere * corda servorum Dei ad interitum et damnationem perpetuæ mortis. Quibusdam enim virtute orationum perfectis, quibusdam jejuniis deditis, aliis solitariæ vitæ laude diffamatis, multoties quamdam faciem * jactantiæ ingerit, et cum virginibus stultis lampades eorum vacuas reddit. Hi tales, veniente Sponso, non intrabunt cum eo ad nuptias. Hoc providens B. Geremarus, ne cor ejus laus solitariæ vitæ attingeret, cœpit familiarissime suos alloqui: O Fratres, multos pro Christi nomine passi labores, indesinenter ad viam summi et incomprehensibilis boni currite, et in opere Dei, quod cœpistis, permanete. Utendum est nobis hoc consilio.

* *ibid.* subvertere

* *Acher.* facem

adjutore Audoëno,

24 Properemus ad S. Audoenum, petamusque ab eo, ut sua oratione demonstretur nobis ad habitandum locus, ubi usque ad finem vitæ in bonis operibus perseveremus. Placuit omnibus consilium B. Geremari. Pergens ergo ad sanctum Audoënum, sic allocutus est: Deprecor te, sancte pater, ut orationem ad Dominum pro me facias, mihique locum ad habitandum tuis precibus demonstres. Confido enim, quod Deus te exaudiet, B et quod rogaveris, impetrabis. Audiens hæc B. Audoënus, respondit: Noli, Frater, ista referre. Quis ego sum, ut hoc agam? Non meis meritis, sed tua fide hoc adimplebitur. Si fidem habueris, quidquid rogaveris, consequeris. Fide Abraham amicus Dei factus est; fide Petrus salvatus est. Exspectemus misericordiam Dei triduo cum jejuniis et orationibus, s i forte respiciet humilitatem nostram.

in loco divinitus demonstrato

25 His inter se familiarissime dictis, indictum est triduo jejunium cunctis; tertia autem nocte in jejuniis et orationibus positis apparuit per visum utrisque angelus Domini, dicens eis: Exaudivit Dominus preces vestras, respexit afflictionem vestram. Ite ad locum, qui Flaviacus nuncupatur, et ibi invenietis desiderium vestrum. Mane autem facto, retulit uterque, quod viderat, et gratias agentes Domino, tendunt ad locum prædictum ab angelo. Cum autem non longe essent a vico, nutu Dei et voluntate deviati sunt a recto tramite; et gyrantes vastæ solitudinis desertum, pervenerunt ad destinatum locum. Ubi, cum pervenissent, et multum dubitarent, nescientes, quid agerent, ecce nebula descendit de cælo et circumdedit totum locum, ubi construen- C dum erat monasterium, et cum nebula superna vox, dicens: Electi Dei, ecce iste locus metuendus est; quadraginta anni voluti sunt *u*, ex quo Dominus hunc locum benedixit et sanctificavit, et fideli suo Geremaro destinavit. Erit enim habitabilis monachorum multitudini, quamdiu perstiterit in præceptis Domini. Mulieribus vero nullus umquam accessus ad eum patebit. Audientes autem hæc, ambo Viri sancti valde lætati sunt. Cumque obtutus suos in aspectum nebulæ defigerent, statim ab adspectibus eorum subtracta est. Ex eadem autem nebula in circuitu loci, quasi quædam virga geometricalis, ros totum locum circumdans remansit, ut daretur intelligi, verum esse, quod superna vox cecinit. Tunc circumeuntes locum, repererunt signum cælestis roris impressum *x*.

u

x

Flaviacense monasterium exstruit,

26 Beatus autem Audoënus certus de angelica visione, et de superna voce, accipiens virgam in manu, per vestigia nebulæ mensus est plateam in circuitu, ubi ecclesia ædificaretur, ubi officinæ construerentur et cetera monachorum vitæ utilia: consignatoque loco B. Geremaro, ita discessit ab eo. Tunc B. Geremarus una cum omnibus sibi commissis ad ædificandum locum advenit: ædificavit ibi ecclesiam in honore sanctæ et individuæ Trinitatis, sanctæque Mariæ Virginis et sancti Johannis, sanctique Petri Apostolorum principis: et ibi totam suam hereditatem tradidit. Construxit ibi omnia necessaria, monasticæ vitæ congrua vel artes diversas, quas intra monasterium exerceri utile est, ut non esset monachis necessitas vagandi foris: quia, sicut B. Benedictus dicit: Omnino animabus eorum non expedit. Audientes circumquaque monachi, confluebant ad eum, quasi ad hortum omnium virtutum; quos ille verbi Dei gratia reficiens, admonebat, ut in proposito suo perseverarent, et a voluptatibus mundi alienos se facerent.

in eoque mortuus miraculis claret.

27 Consummato autem omni opere suo, fixit se in oratione, atque permansit in Dei opere annis tribus et mensibus sex, et sic in Domino emisit spiritum, transivitque ad gaudia angelorum *y*. Sepultum est corpus ejus in eadem ecclesia cum magno honore et reverentia, ubi per meritum ejus multa beneficia præstantur. Ad sepulcrum ejus ægri veniunt et sanantur *z*, cæci illuminantur, claudi gressibus reformantur, surdi auditu re- E parantur, dæmones obsessis corporibus effugantur, et multi a variis languoribus sanantur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, laus et potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

y

z

ANNOTATA.

a *Is annus juxta chronotaxim nostram erat Christi* 648, *quo Amalbertus* Geremari *filius annos ætatis habebat circiter quatuordecim, jamque virtute ac probis moribus sufficienter instructus videbatur; quem in finem verisimillime tamdiu distulit Pater exsecutionem propositi, quod, vivo Dagoberto, conceperat.*

b *Integer hic numerus desideratur in Ms. Bellovacensi ex evidenti amanuensis oscitantia, vel legendi imperitia, ut patebit lit. seq.*

c *Ita quoque legitur in Bellovacensi Ms.; unde manifesta omissio præcedentis numeri. De Pentallensi autem monasterio vide dicta in Comment. num.* 13.

d *Non leguntur hæc apud Acherium usque ad verba:* Jejunabat cotidie, *neque in Bellovacensi Ms. usque ad:* In hac vero congregatione *sub initium num.* 14. F

e *Id est,* induratus *seu* bis coctus.

f Disputatio *hic collationem sonat; ut sensus sit:* Postquam facta esset collatio de lectione. *Ceterum in Ms. Bellovacensi omnia hæc prætermissa sunt usque ad num.* 17, *et deinde sparsim plurima usque ad finem, ut suspicer, librario scriptionis tædium obrepsisse.*

g *Floruit is sanctus episcopus medio seculo* 6, *ejusque Acta data sunt apud nos die* 28 *Julii.*

h *Si vere ita locutus est Sanctus, dicendum, quod responsum direxerit ad eos omnes ac solos, qui interrogabant ac lamentabantur de ejus abitu, quique, ut ante dicitur, omnes erant timentes Deum.*

i *Hinc usque ad voces:* Tantam ei gratiam Dominus, *mutila est Acheriana editio.*

k *Hæc quoque usque ad finem numeri expuncta sunt ibid.*

l *His abunde insinuat biographus, in juventute obiisse Amalbertum; idemque suadent reliqua adjuncta: rex enim hic memoratus alius intelligi nequit*

A. ANONYMO. *nequit, quam Clodoveus II; cum moriens tres filios quidem reliquerit, sed admodum infames: mortuus est autem anno* 656. *Itaque cum anno regni ejus undecimo, Christi* 648, S. Geremarus *in Pentallense monasterium secesserit, et istic aliquo tempore moratus, dein vixerit in crypta annis quinque et mensibus tribus, donec intellexerit filii obitum, videtur hic innectendus anno* 654, *ætatis Amalberti decimo nono vel vigesimo.*

m *Reliqua hujus numeri non habet Acherius.*

n Insula *monasterio nomen fuit. Vide Annotata ad partem primam lit.* o.

o *Hic deficit denuo Acheriana editio usque ad vocem* venientes, *pro qua* veniens *legitur, et mox* Baujacus pons.

p *Acherius :* Non illud silere debeo.

q *Apud eumdem non leguntur voces istæ :* Adjuncti sunt quamplurimi, *quæ est evidens omissio*

r *Etiam hæc ecclesia, teste Louveto, sita erat haud procul Flaviaco, sed modo destructa est.*

s *Sequentia usque ad* Moventes *recisa sunt apud Acherium.*

t Insulam, ubi B. Amalberti locus sepulcri etiam nunc juxta S. Petri capellam cernitur, *ut scribit* B *Mabillonius, addens tamen sequentia :* Ab annis circiter viginti monachi nostri, accepta ab episcopo Bellovacensi licentia levandi B. Amalberti reliquias, cum duorum hominum ossa in eodem sepulcro reperissent, re infecta, clauserunt sepulcrum. S. Amalbertus in Martyrologio Gallicano locum habet, non tamen in Officiis divinis. *Sic est, Saussayus ad calcem supplementi ad Martyrologium Gallicanum Amalbertum inseruit Catalogo Sanctorum, beatorum et piorum, qui proprias Historias vel natales non habent; sed absque titulo* Sancti *vel* Beati.

u *Ex his characteribus non improbabiliter colligi tempus nativitatis* S. Geremari, *dictum est in Comment. prævio num,* 12.

x *Mirum, nullam in Actis S Audoëni fieri mentionem prodigiosæ hujus historiæ, de qua vide Comment. prævium num.* 5,

y *Anno Christi circiter* 658; *redi ad Commentarium num.* 13.

z *Hinc eodem in Comment. num.* 4 *collegimus ætatem biographi.*

C

HISTORIA TRANSLATIONIS

Auctore anonymo seculi XII monacho Flaviacensi.

Ex Ms. bibliothecæ ecclesiæ Belovacensis.

Imminente Normannorum irruptione, a

Tempore Caroli Calvi *a* cœperunt Dani Franciam depopulari. Quo per mortem subjecto, cum ei succedens filius ejus Ludovicus, cognomento Balbus, regnum tenuisset duobus annis, moriens sceptrum dimisit filio suo Carolo Simplici, cujus statim primo anno, qui erat ferme nongentesimus sextus *b* ab Incarnato Verbo emisit * a Danumarchia superiori tyranno *c* crudelior et bellorum peritior Rollo, qui multitudine suæ gentis sibi congregata et ipse Normanniam invasit, et, utpote paganus, monasteria virorum atque feminarum diruere instituit, et populum Christianum, ludibrio suæ immanitatis actum, Normannica ferocitate perditum dedit. Quem Franco Rothomagensis pontifex placare præveniens, pacto fœdere, intra mœnia urbis eum recepit; qui statim ut obtinuit eam, comitatum sibi vendicavit, et renitentes provinciæ civitates pertinaciter irrumpere satagens, in circuitu earum oppida atque castella, nec non et nobilissima monasteria violenter usque ad solum destruebat. D

b * *forte* exivit *c*

2 Quo terrore per provincias intonante, multæ Deo servientium congregationes, ablatis secum, quæ habebant, Sanctorum corporibus, in tutiores Franciæ civitates concesserunt quantocius. Nec mora triste nuntium de excidiis monasteriorum, de strage a paganis patrata Christianorum, formidine complevit hoc Flaviacense cœnobium, nec morandi fratribus fuit consilium; quia esset locus situs super fluvium Etam, qui a Francia disterminat Normanniam; sed ut temporis brevitas, periculo impendente, permittebat, præsumpta rerum cœnobii aliquanta portione, cum venerando sancti patris Geremari corpore, civibus gaudentibus de illius adventu, ipsi mœrentes ad Belvacensem urbem octavo Kalendas Octobris commigraverunt, et in quadam turricula muri editiori positum, quoad vixerunt tempore, devota honorificentia coluerunt; in cujus inibi testimonio mansionis hodie visitur illic altare de lapide porfiritico, quod consecratum fuisse traditur a beato Audoëno. E

corpus Sancti Bellovacum defertur,

3 Post abscessum igitur monachorum *d* Normanni illico diruerunt a fundamentis idem monasterium. Sic locus ipse duxit in desolatione sua annos circiter centum triginta *e*, usque ad tempora Henrici, qui tertius de progenie Hugonis Magni regnavit in Francia *f*. Interea subductis a seculo monachis, qui in prædicta Belvaci turricula sancto corpori assistebant, commissum est quibusdam clericis officium Sancto deserviendi, qui, totius expertes disciplinæ, obsequebantur mundo, non Sancto : quod clerus episcopalis sedis indignatus, communicato cum honestioribus consilio, corpus sancti Viri ad ecclesiam beati Petri apostoli transtulerunt, et in vase ad id officii apto concluserunt. Deinceps beatus Confessor venerationem sui, non in aliquos specialiter factis miraculis, sed toti populo urbis necessariis, duobus præcipuis prodigiis, quæ usque hodie, quoties expedit, operatur, civium pectoribus impressit. F

ibidemque post eversum Flaviacum, servatur. d e f

4 Nam quoties longa siccitate abundat terra, et multo pulvere squalentia famis miseriam comminantur arva, corpus ejusdem gloriosi Confessoris, elatum foras civitatem circumfertur cum litaniis; nec mora, ejus interventu placatus Conditor, abundantibus terram rigat pluviis. Præterea per Gallias frequens damnatur in hominibus petulantia in immoderato cultu vestium, in deformi compositione corporum, in expletione desideriorum carnis, ubi non solum fit homo sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, sed ibi avidius, ubi fit inferior jumentis insipientibus; quia ignorat hoc naturæ etiam vitiatæ usus, sed est omnino reprobi sensus. Quodcirca iratus Creator optimus propter pessimos hominum luxus, aliquoties invisibili igne visibiliter in hac patria hominum pedes incendit, ita ut sæpe cogantur pati sibi eos præscindi. Ex quo pretiosum sancti Geremari corpus urbi Belvacensi fuit illatum, quod ejus incolas ad duo fere in circuitu milliaria hæc pestis invaserit, non est auditum.

in aëris siccitate et grassante

5 Quod de meritis potentis in Christo Confessoris sibi provenire a Deo præsumunt, ut, cum hæc ira in vicinis civitatibus cœperit desævire, solenne

per Gallias sacro igne,

A lenne sit eis cum sancti Viri corpore suæ urbis viciniam circuire, et deinceps securiores permanere. Nam a decrepitis ævo nobis est narratum, quod sibi adhuc parvulis a suis parentibus provectis ætate fuerit relatum, quod quadam vice tam atrociter per Galliam terribilis illa ultio grassari cœperit, quod rarus erat, qui evadere non desperaverit. Accelerabant igitur conglobatæ de singulis urbibus catervæ
g ad ecclesiam Carnotensem *g* pergere, in qua velut in propria aula celebrior est in extinctionem illo igne ardentium Regina cælorum Mater Dei Virgo Maria. Cujus cladis atrocitatem plebs quoque Belvacensis expavescens, ad adjutorium, quo non est potentius post Deum, corde contrito confugiens, Carnotum pervenit civitatem: et supplex Dominam angelorum oratam * cum aliis innumeris ecclesiæ intravit limina.

* *forte* oratura, *vel* oratum

præsens incolis patrocinium affert.

6 Cum igitur plurimæ multitudines populorum in eadem basilica unanimi devotione divinam clementiam implorarent, et protectionem Matris misericordiæ contra instans periculum invocarent, quidam clericus senex approbatæ religionis et scientiæ, sermonem consolationis facturus ad populos, surrexit; qui, ab omnibus facto summo silentio,
B post aliquanta exhortationis verba conversus ad plebem Belvacensem, sic intulit: O, inquit, viri Belvacenses, non turbetur cor vestrum neque formidet; præstitit enim vobis Deum obicem validissimum adversus hoc divinæ iracundiæ flagellum, gloriosum scilicet confessorem Geremarum, cujus sancti Patris venerabile corpus quicumque retinuerit locus, ab hoc flagello semper erit ejus meritis tutus. Hac illa cives illius urbis consolatione a Deo accepta roborati, erga beati Viri corpus devotiores effecti, nulla ratione patiuntur illud a se separari. Sed jam ad propositæ narrationis seriem est redeundum.

Restituto Flaviacensi monasterio, h

7 Evolvebatur ab Incarnatione Domini post millenarium tricesimus annus *h*, regnante in Francia Henrico filio Roberti regis; erat tunc in Belvacensi ecclesia episcopus nomine Drogo. Est autem ipsa ecclesia amplissimis possessionibus insignis, ideoque qui ejus regimen tenet, obnoxius est regi et principalibus viris; unde et præfatus pontifex, qui ex devotione Deo serviebat, ex necessitate præsulatus secularia curabat; proinde quod per se explere non poterat, per alios appetens exercere, monasteria
C utrique ordini competentia construebat et possessionibus, quæ Deo inibi famulantibus sufficerent, hæreditabat. Hic edoctus a senioribus viris, quid ipsi ab antiquis audierant, quanta ejus cœnobii in Deo et in seculo fuerit excellentia, et in præfatis miraculis perpedens beati confessoris Geremari merita, piis oculis monasterii ejus intuens ruinas, restaurationi studium impendit, eaque completa centesimo trigesimo fere anno, ex quo destructum fuerat, dedicatum commisit venerando cuidam monacho
i Gunterio nomine, Fossatensis monasterii *i* professo: hic primus hujus cœnobii restaurati extitit abbas.

Sancti corpus sibi

8 A quo tempore cœperunt hic plurimorum fieri conversiones, non solum nobilium, sed et litteratorum hominum, qui religione locum insignierunt, quam sine invidia communicantes fratribus, patres ex se ipsis ad restituendum ordinem monasticum aliis destinaverunt congregationibus. In rebus autem terrenis divina moderatio ita eis consuluit, ut nec ad superfluitatem pernitiosam affluant, et sibi et multitudinibus frequentantium ad sobriam suffi-
k cientiam proveniant *k*.... Sic igitur restaurato hoc monasterio, unum illud maximum decus restaurationi defuit unde ab anterioris monasterii gloria inferius diu fuit; quod nihil corporis dilecti Deo et hominibus Patris in restauratione sua recepit; nisi quod sepulchrum ejus, et quid pulveris ibi residuum erat, intra ipsam ecclesiam colebatur. Proinde fratres mœstitia non minima tenebantur, et sæpe ad invicem conquerebantur, quod ipsi Patris, quem incessanter venerabantur, corpus non haberent; sed esset ibi, quo degentes vel curis rei familiaris præpediti, vel, quod aliorum Sanctorum habundarent reliquiis, pluribus intenti, minus unum colere possent.

A. Anonymo.

restitui postulant monachi, l m

9 Fuit ergo, regnante Philippo *l* prædicti regis Henrici filio, quidam episcopus Belvaci, nomine Guido *m*, huic cœnobio non sterili familiaritate, sed munificentia conjunctus, qui fratrum volens abolere tristitiam et monasterii ampliare honorem, de reddendo eis corpore Sancti cum præfato rege cœpit consiliari, dicens, justum esse, ut, quod ecclesiæ matri commendatum fuerat tempore necessitatis ad salvum faciendum, debere * reddi filiæ repetenti tanquam proprium. Verum quod episcopus vix in aure regi susurraverat, forte notificato civibus et clero, universorum corda, acsi impenderet generale patriæ periculum, metus ac mœror penetrat. Ilico ab antiquo vasculo ablatum sancti Viri corpus senio- E
res cleri, paucis arbitris, reposuerunt occultius. Publicatum est igitur in populo, ablatum illud esse a suo feretro; sed pene omnibus absconditum, quo conditum esset loco.

* deberet

absconditur id a Bellovacensibus.

10 Nullo igitur deinceps æstimante, quod beati Confessoris ossa jam reponerentur, unde ablata fuerant, clericus, qui præ ceteris reliquiarum acceperat custodiendi curam, in antiquo vase, nemine teste, sanctum corpus remisit, perpendens, quod jam nullus crederet, illo illud esse iterum positum, nec a quoquam tolleretur per violentiam vel furtum. Sic itaque ablata est civitati formido corpus auferendi, et fratribus spes illud recipiendi. Exinde per plures annos latuit omnibus, ubi esset sanctissimum corpus, aliis, quod in altario beati Petri apostoli esset conditum, dicentibus, aliis aliud conjecturantibus. Feretrum tamen, quo antiquitus fuisse positum, et unde ob prædictam causam ablatum a cunctis sciebatur, sed ibi esse rursus remissum, ab omnibus ignorabatur, in ecclesia servatum a populis venerabatur, et ob prædictas necessitates in possessionibus circumferebatur, et sancti Viri merita supplicantibus liberaliter oppitulabantur; unde factum est, ut quidam canonicus ejusdem ec- F
clesiæ, in finem vitæ suæ apud hoc cœnobium volens fieri monachus, daret pecuniam, de qua vas novum ex auro et argento et pretiosis lapidibus fieret, ubi ipsum conderetur corpus: nomen canonico Reinerus, qui insigne candelabrum, adhuc in seculari habitu positus, de suis pecuniis condi huic monasterio fecit; tunc temporis adhuc putabatur, quod beati Viri corpus in altario beati Petri jaceret conditum.

reperitur:

11 Sed ante biennium priusquam illud vas perficeretur, contigit, ut a secretario ipsius ecclesiæ vetus illius feretrum fortuitu moveretur cum repente auditus est interius sonitus, quasi saxum ibi volveretur. Quod vas paucis cleri personis assistentibus aperiens, invenit sacratissimum corpus corio constrictum et nomen Sancti erat adscriptum. Ablatum continuo inde corpus in archa ferro colligata reponunt, cujus sex claves fidelioribus cleri et civium personis committuntur. Factum est autem tam nobis, quam et omni populo magnum gaudium, eo quod, ubi esset corpus, factum fuerit certum. Igitur deficiente * pecunia, quam idem clericus faciendo vasi dereliquerat, constituerunt cives, ut super oblationibus,

* *i. e. verisim. non sufficiente*

A ANONYMO. oblationibus, quia in ostensione sancti corporis futuræ sperabantur, quod necesse erat pecuniæ, mutuo acciperetur. Proinde accelerabatur cotidie ipsum opus, quo plene ad expletionem perducto, præfixa est dies ab episcopo Petro, quod sacratissimum corpus ostenderetur populo.

denuo supplicant Flaviacenses,

12 Interim quantæ supplicationes, quam frequentes, quam humiles ab abbate Odone et a fratribus hujus monasterii fiebant apud præfatum episcopum, apud clerum, apud cives, ut partem corporis beati Patris nobis redderent, et quantæ illorum nobis promissiones fiebant, atque quam multum fidere, nos postulata accepturos, monebant, quis explicet? Nam ita de illis præfidebamus, ut pene habere jam id nos præsumeremus. Sed quid plura? Ante dies aliquot natalis Apostolorum Petri et Pauli, quo demonstrandum erat sancti Viri corpus, præfatus abbas venit Belvacum cum aliquantis fratribus, suggessit episcopo, clero et * ut dignarentur edicere, quid nobis de sancto corpore largirentur. Responderunt, æquum esse, ut nobis inde aliquid redderetur, et ut ex consulto, quid illud esset, designarent, Dominica ante ipsum diem festum, ut adessent ex fratribus, monent.

* *adde civibus*

B

ut pars saltem ejus sibi concedatur;

13 Mittit igitur abbas virum religiosum atque prudentem Odonem, qui fuerat abbas ad sanctum Simphorianum, ab hujus monasterii monachis assumptus, sed ob studium contemplationis renuntiaverat honori *n*, cum aliis senioribus ad capitulum sancti Petri. Erat autem idem Odo notissimus urbi, et putabatur a civibus propter inter eos habitam laudabilem conversationem plurimum diligi: illum vero Petrum, qui tunc temporis episcopatus officium gerebat, subsequutus est in eodem congruentiæ officio venerabilis Odo noster eo tempore abbas; post quem ipse etiam tertius pontificis gradum adeptus est *o* universorum civium assensu et gratia. Et propter multam erga cives ejus amicitiam, multam nostri præsumebant de eo fiduciam: quapropter assumptis secum eminentioribus civium, venit coram episcopo et clero in capitulum. Tunc coram positis rationabiliter et satis facunde petitionem monasterii et illorum repromissionem allegavit, et justitiam apud eos depositi reddendi, cum reposceretur, adjecit: et si brachium Sancti suis redderent, salva amicitia, reliquum corpus eos retinere, consentaneum esse fratribus, dixit. Illico C confractus apparuit baculus, cui innitebatur, arundineus *p*; omnibus a sua promissione cadentibus, et, quod nihil de corpore sancto darent nobis, conjurantibus.

spe frustrantur primum dein mirabiliter,

14 Abscesserunt confestim inde nostri seniores mœstissimi, et, cum id in monasterio renuntiassent, versi sunt cuncti fratres in maximam tristitiam: abbas vero adeo doluit, ut natali Apostolorum in civitate, sicut erat solenne, si adesset episcopus, se præsentem fore negaverit; et ne quis de nostris monachis ostensioni reliquiarum adesset, interdixit. Animadvertamus autem, quod ideo hoc modo sanctas reliquias quærentibus habere sit negatum, ne quis gloriaretur, se vel per hominum amicitias, vel propinquorum divitumve potentias, vel per suam industriam conquisisse Dei donum; sed ad hoc infirma mundi elegit Deus et contemptibilia atque ignobilia, ut sola Dei in hoc opere prædicaretur gratia. Siquidem cum prædicta die, infinita populorum, qui convenerant, astante multitudine, episcopus Suessionensis Goissanus ostenderet videre sitientibus sanctum corpus, aderat quidam pauper sine pedibus, quos ei abstulerat beatus Geremarus illo igne et in ipsa civitate, quam ab illa clade semper, ex quo ibi suum corpus illatum est, solitus fuit protegere. Cui viro, qua ratione illa ultio fuit illata, sicut et ipso adhuc testante et ipsi oculis nostris probavimus, breviter annotamus...*q* D

q

mutatis Bellovacensium animis,

15 Et ut illud hominum genus solet, erat admodum ad loquendum promptus, cujus quidem verbositatem ad bonos usus aliquando convertit Deus nam illius vita qualis fuerit, nihil nostra interest: quippe cum et asinam ad redarguendam prophetæ insipientiam humana verba proferre fecerit omnipotens Creator, et eidem Balaam nequam homini donum prophetiæ præstitit, et per os illius, quod consilium decipiendi populum Israël Madianitis dedit, consilium salvandi universos populos per suum Filium edidit. Hic enim homo, cum episcopus Suessionensis sancta ossa demonstraret multitudini, cæteris silentibus, clamosa voce dixit: Domine episcope, precor, ausculta me, ego sum servus sancti Geremari, ego, quod templum ejus furto violavi, ipso ulciscente, utrosque pedes, videte omnes, illo igne horrendo amisi, ipso miserante, ne me totum consumeret, in ipso suo templo extinctus est. Adjuro proinde vos per Deum, ut corporis ejus aliquam partem E reservetis monachis ejus, ut corda tristia lætificetis. Attendit pontifex, et intendit in eum, dixitque, fili, vive, Deus te fecit loqui *r*, et conversus ad turbas, fratres, inquit, et filii, audistis mandatum Dei per os mendici. Iste Sanctus, cujus ossa videtis, fundator fuit illius cœnobii, illos fratres in religione et magna charitate per ejus merita Deus custodit; laudabilis est eorum fama de eorum conversatione sancta. Totum hoc deberetis eis reddere corpus sacrum. a quibus fuerat vobis commendatum, sed quia non patimini, saltem concedite, eis partem dari. Responderunt omnes, et ipsi etiam, qui primo negaverant: Volumus, inquiunt, volumus, et multi præ gaudio illachrymaverunt.

r

ingens os brachii obtinent,

16 Tunc venerandus pontifex cum episcopo Petro et clericis facto concilio, ingens os dextri brachii, proceræ enim staturæ idem Sanctus et ex cæteris ejus ossibus fuisse dinoscitur, selegerunt: quod præsul Suessionensis in candido panno ligans, per manus abbatis sancti Luciani Serlonis *s* ad turbas demisit, et adorantes, oblationes ad os sacrum cum devotis osculis ab ea hora per multos dies frequentaverunt. Hoc, ait episcopus, in nomine Domini monachis hujus Sancti demus. Mox alius citius alio, F multi Flaviacum venerunt, nunciantes abbati et fratribus hoc gaudium, et exhilarati glorificaverunt Deum. Abbas vero perrexit ad urbem, et cum clero et populo præfixerunt diem, id est, Dominicam, qua Vigilia sancti apostoli Jacobi, fratris Joannis, accidit, ut ea die sanctas reliquias Flaviacum deferrent. Equidem factum fuit concilium, ut sine convocatione populorum tam sanctum negotium celebraretur, ne eis de cupiditate a maledicis succenseretur.

s

et festive ad monasterium deferunt.

* *forte sacrum*

* *l. qui... solitus*

17 Illa die abbas Odo cum magno agmine monachorum properavit ad civitatem, quam antequam ingrederemur, sacris vestibus nos induimus, et præferentes ornatum sacrati * monasterii, quod * ad celebrem processionem solitum est præparari, circumfusis turbis, basilicam beati Petri apostoli intravimus; ubi a sacro altari sumentes sanctum brachium, et ut vere Patrem devote salutantes, et affectualiter osculantes, Te Deum laudamus pro tanto gratiæ dono cantavimus, et, comitante episcopo et universo clero, præcedente et subsequente maximo populo, egressi urbe non longe, stationem

A stationem fecimus. Aderant ibi abbas sancti Luciani Serlo, et abbas sancti Simphoriani noster comprofessus, et abbas canonicorum Regularium sancti Quintini *t* Radulphus; post factum vero sermonem episcopus dedit benedictionem, populus quoque fecit Sancto non minimam oblationem. Per totum vero iter excrescebant Sancto populorum multitudines, sed et sanctimoniales sanctæ Mariæ semper Virginis de vico sancti Pauli *u*. Ipsa nocte apud sanctum Lucianum in hoc Flaviacensi vico cum custodia sanctum brachium reposuimus. In crastino turba multa, [quæ] convenerat, comitante nos, cum solemni professione retulimus sanctum Patrem ad suum proprium locum et templum, reservantes, ut hic octavo Kalendas Octobris insigni vase conderetur, quo die hinc ablatus, et turbi Belvacensi illatus fuisse traditur. Facta hæc ei relatio anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo tertio, regnante rege Ludovico, quo anno unctus est in regem Remis civitate Ludovicus filius ejus adhuc puer a Papa Gregorio, qui et Innocentius est cognominatus *x*.

B ANNOTATA.

a *Multa his præmittit auctor de gestis* S. Geremari *in vita, de Flaviacensis cœnobii fundatione et abbatibus, de irruptione Normannorum in Gallias, duce Hastingo, ante dicti cœnobii eversionem, deque aliis, quæ vel ex antiquioribus scriptoribus jam satis exposita, vel ad præsens institutum minus pertinentia omisi.*

b *Quam longe hic a vera chronologia aberret anonymus, ostendi in Commentario prævio num.* 20 *et seq.*

c *Hastingo scilicet, sub quo putamus factam cœnobii destructionem; proindeque perperam tamquam huic prævia narrari, quæcumque de Rollone et Francone Rotomagensium episcopo subnectuntur.*

d *Imo antequam dirutum fuit monasterium, monachis successerant canonici; hi ergo dicendi cum sacro corpore Bellovacum se recepisse. Vide Comment. præv. num.* 15.

e *Secundum nos annos circiter centum octoginta, nempe ab anno* 851 *usque ad* 1030, *vel aliquem e sex sequentibus.*

f *Henricus I, Hugonis Magni ducis Veromanduorum pronepos, a patre Roberto, Hugonis Capeti filio, coronam sub annum* 1027, *et illo mortuo, Galliæ monarchiam adeptus est anno* 1031.

g *Carnotum seu Carnutum civitas Galliæ episcopalis, vulgo* Chartres, *Belsiæ provinciæ caput, habet ecclesiam augustissimam, B. Mariæ Virgini dedicatam.*

h *Redi ad lit.* e.

i *Vetustissimum hoc monasterium, S. Mauri Fossatense appellatum in agro ac diœcesi Parisiensi, fuit olim Ordinis S. Benedicti, nunc transiit in collegium seculare canonicorum.*

k *Omisi hic nonnulla auctoris documenta moralia super providentia divina, qua postea fovit ac promovit inter monachos religiosam disciplinam.*

Philippus I, vivente patre, coronatus anno 1059, *ætatis suæ septimo, regnum tenuit usque ad annum* 1108.

m *Is infulas Bellovacenses obtinuit sub annum* 1064, *obiitque circa* 1087.

n *Hujus monasterii, prope Bellovacensem civitatem a Drogone episcopo conditi anno* 1035, *Odo abbas erat anno* 1114 *et etiam adhuc* 1126, *ut assignatis instrumentis probant scriptores Galliæ Christianæ tom.* 9 *col.* 808; *itaque dicti monasterii regimen deposuit intra annos* 1126 *et* 1132, *quo hic narrata contigerunt: quamquam ei titulus* abbatis *videatur etiam tum adhæsisse: cum Petrus Bellovacensis episcopus in instrumento anni* 1132, *quod recitavi in Comment. prævio num.* 28 *et seq., dicat,* precatu domini Odonis Flaviacensis cœnobii abbatis, dominique Odonis S. Symphoriani abbatis *concessas fuisse Flaviacensibus reliquias* S. Geremari. *Putant tamen laudati Galliæ Christianæ auctores, substitutum ipsi fuisse ad S. Symphorianum abbatem similiter dictum Odonem, atque hunc a Petro episcopo designari.*

o *Juxta ista auctoris coævi verba clarum apparet, quod Petro episcopo in Bellovacensi cathedra proxime subrogatus sit Odo Flaviacensis abbas, et huic Odo quondam abbas S. Symphoriani: hunc tamen illi præcessisse, ex eodem auctore conficiunt scriptores Galliæ Christianæ col.* 721, *ubi episcopos Bellovacenses recensent; et recte quidem, si spectes textum, quem ipsi ibidem recitant, quemque huc transfero:* Mittit igitur *(Odo Flaviacensis)* abbas virum religiosum atque prudentem, qui fuerat abbas ad S. Symphorianum, ab hujus monasterii monachis e cœtu Flaviacensi assumtus, sed E ob studium contemplationis renunciaverat honori, cum aliis senioribus ad capitulum S. Petri. Erat autem idem Odo notissimus urbi, et putabatur a civibus propter laudabilem inter eos habitam conversationem diligi plurimum, et ipsi Petro, qui tunc temporis episcopatus officium gerebat, et quem subsequutus est in eodem episcopatus officio. Odo quoque, noster eo tempore abbas, et qui post Petrum etiam tertius pontificis gradum adeptus est, multam civium gratiam et amicitiam de eorum assensu, multam quoque de eo præsumebat fiduciam. Quapropter assumtis secum civium eminentioribus Odo præfatus S. Symphoriani quondam abbas et monasterii seniores in capitulum S. Petri coram episcopo et clero advenere etc. *Recte, inquam, statuere laudati auctores juxta hunc suum textum, sed quem ipsimet mancum et intricatiorem esse monuerunt, quemque ego non possum non fœde corruptum judicare, quandoquidem nostrum apographum cum ipso codice Bellovacensi contulerit dominus d'Ormesson capituli decanus, ut conjicio ex minutis correctionibus, quas propria manu hinc inde fecit. Nostro igitur standum existimo eatenus, quatenus de vero auctoris sensu assequendo agitur; neque enim hujus loci est penitius discutere rectam Bellovacensium episcoporum successionem ac seriem. Advertat interim lector ex immenso discrimine inter binos textus, tamquam ab uno eodemque auctore profectos, quam juste sæpe incusetur a scriptoribus amanuensium oscitantia vel imperitia.*

p *Per baculum arundineum indigitat spem, quam ex hominum promissionibus conceperant Flaviacenses.*

q *Tam parum propositam brevitatem servavit auctor, totque adjunctis cumulavit historiam ut lectoris tædio consulendum duxerim, et compendium ejus dumtaxat subjiciendum. Homo iste nomine Guido, fungens in ecclesia monasterii officio, laïcis committi solito, pecuniam vel in sacrario vel loco proximo depositam furatus est, et relicta apud uxorem parte ejus, cum altera Bellovacum abiit: hinc, quod non edicit auctor, censendum, illud officium non fuisse singulis diebus annexum, alioqui furem absentia arguisset. Detectum est postridie furtum, sed latuit reus; donec observatum est, Guidonis uxorem solito lautius vivere, vestiri*

A *stiri pretiosius; inde orta suspicio deinde aucta est cum et ipse, similiter immutatus in habitu, conspectus est Bellovaci. In carcerem conjectus, et facinus verisimiliter inficiatus, sacro igne correptus est in utroque pede, ac in eum modum tortus, ut et crimen fassus sit, et residuum pecuniæ restitui curarit, at ne sic quidem desiit ignis supplicium. Festo die Pentecostes mane delatus in ecclesiam Flaviacensem coram magna populi multitudine supplex oravit abbatem et monachos, ut misero parcerent, ac veniam apud* S. Geremarum *deprecarentur. Ab illis venia donato, paulo post, cum in solemni Sacro recitaretur Evangelium, decidit pes uterque igne putrefactus, et cessavit cruciatus omnis.*

r *Louvetus pag.* 559 *Historiæ Bellovacensis, dicit, hominem istum non tantum pedibus sed et loquela destitutum fuisse, atque hanc tum ipsi redditam fuisse novo miraculo in ecclesia Bellovacensi : quod forte ex hisce episcopi verbis conjectavit; oppositum tamen mihi suadent hactenus narrata.*

s *In instrumento Petri episcopi, quod recitavi in Comment. num.* 28 *et seq., legitur* Gerlonis; *episcopus vero Suessionensis ibidem* Goistanus *dici-* B

tur, in nostro Goissanus, *et in aliis instrumentis* Jossenus *ac* Gossenus. *Porro etiam hoc S. Luciani monasterium Ordinis S. Benedicti haud longe Bellovaco distat.* D

t *Nec illud canonicorum regularium Ordinis S. Augustini cœnobium procul distat Bellovaco.*

u *De hoc sacrarum Deo virginum Ordinis S. Benedicti asceterio sub nomine* Oratorii *sermo institutus est in Comment. prævio; situm autem est similiter non longe a civitate.*

x *Relationi hic memoratæ, ut manifeste liquet ex præcedentibus, præsens adstitit auctor; nec tamen vel sic satis accuratus fuit in signanda ejus epocha : facta quippe est juxta sæpe allegatas Petri episcopi litteras anno* 1132, *non* 1133, *neque hoc posteriore Ludovicus VII, curante patre Ludovico VI, in regem unctus est per Innocentium II Pontificem, ante dictum Gregorium Paparescum, sed anno* 1131. *Verisimiliter narrationem concinnavit ætate provectus et deficiente memoria, diu post rem peractam, ut tacite insinuat supra, ubi binos Petri in episcopali sede successores recenset, Odonem Flaviacensem et Odonem antea S. Symphoriani abbatem.*

E

DE SS. CHUNIALDO ET GISILARIO

PRESBYTERIS

SALISBURGI IN GERMANIA

C. S.

SYLLOGE HISTORICA

De cultu, translationibus et gestis.

Circa med. sec. VIII. Hi Sancti ab aliquibus alio mense

Ex *discipulis seu sociis, quo S. Rupertus Boiorum apostolus pro ea gente ad Christum et orthodoxam fidem adducenda adhibuit, duo hodie sancti presbyteri* Chunialdus *et* Gisilarius *memorandi occurrunt; non quod hac die obiisse* C *credantur, sed quod tunc translati, jam antiquitus coli cœperint, quia eorumdem natales, sive emortuales dies ignorabantur. Pauci tamen martyrologi illos hodie consignant; aliis aut ambos aut eorum alterum aliis diebus annuntiantibus. Ex hisce auctor nostri Ms. Florarii Sanctorum ad diem* VIII *Februarii postremo loco sic habet* : Cunibaldi confessoris et Gislarii episcopi. *De die consentit Grevenus in Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum, ubi melius omisso* episcopi *titulo, sed etiam perperam inserto inter utrumque milite, ait* : Chunibaldi confessoris. Mengoldi militis. Gislarii presbyteri. *Unde* SS. Chunialdi *ac* Gisilarii *cultum ad hunc diem isti didicerint, ignoro; sed apud nos ibidem inter Prætermissos dictum jam est, eos ad præsentem Septembris diem pertinere.*

aliisque diebus in Martyrologiis relati

2 *David Camerarius lib.* 3 *de Scotorum pietate solum* S. Chunialdum *die* XXI *Februarii recensuit, quod, ut ait, eo die in Scotia coleretur. Verba ejus accipe* : S. Chunialdus presbyter et confessor. Fuit is socius peregrinationis et meriti magni illius Ruperti, Salisburgensis ecclesiæ antistitis, in cujus die translationis, quæ ad octavum Kal. Octob. fit, celebratur tum etiam pia Chunialdi memoria, licet in Scotia hoc coleretur die.

Vide etiam dicta in Prætermissis ad citatum diem XXI *Februarii. Henricus Fitz-Simon in Catalogo Sanctorum Hiberniæ, anno* 1619 *typis edito,* S. Gisilarium *presbyterum item solum die* X *Septembris annuntiavit, laudans* Subense Martyrologium, *ignotum mihi. Consonat Thomas Dempsterus in Menologio Scotico, in quo ipsum* Gisibarium *appellans; hæc ait* : In Baioaria Gisibarii presbyteri, qui a S. Rudberto in Brittanniam missus, cum sanctorum virorum, qui in vinea Domini laborarent, supplemento rediit. *Citat autem* Martyrologium Carthusianum aut Canisii, Adami Walasseris; *at quænam illa sint, quidve de ipso habeant, nescio: nam in gemina quidem editione Martyrologii Germanici, Canisii nomine editi, nihil de eo hic reperio. Forte Henrici Canisii Lectiones antiquas, inter quas exstat Vita S. Ruperti, voluit designare.* F

3 *Idem Dempsterus ex Martyrologio Scotico vel Aberdonensi, ut notat, eumdem velut alium, alio nomine denuo recenset die* XII *dicti mensis Septembris his verbis* : Kunialdi, Avarum apostoli Salizburgi depositio. *Tandem ad diem* XXIV *ejusdem mensis iterum ait* : In Boiis Gisibarii, Avarum apostoli S. Rudberti discipuli. *Certum tamen est, istis omnibus diebus non nisi unum eumdemque* S. Gisilarium *presbyterum, sanctique Ruperti discipulum vel socium designari; quem dum illis natione Scotum vel Hibernum faciunt, fabulosa ejusdem S. Ruperti Vita nituntur, ut infra dicemus.* *et pro Scotis vel Hibernis perperam habiti, rectius hoc die*

A *dicemus. Quam ob rem si is in Scotia Hiberniaque velut popularis Sanctus umquam cultus fuerit, id videtur ex eodem similive fonte ortum esse. Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum Dempsterum secutus, hoc item die* XXIV *ipsum sic memorat :* In Bavaria S. Gisibarii, Avarum apostoli. *Rectius Menardus et Bucelinus utrumque simul hoc etiam die Salisburgi annuntiarunt. Horum primus in Martyrologio Benedictino sic habet :* Salisburgi Translatio S. Ruperti abbatis. Eodem die solemnitas SS. Chunialdi et Gisilarii presbyterorum.

ab aliis annuntiantur,

4 *Alter vero, Bucelinus scilicet, in Menologio sui Ordinis eosdem hoc elogio ibidem celebrat :* Salisburgi SS. Chunialdi et Gisilarii confessorum. Fuerunt hi magni illius Boiorum apostoli Ruperti discipuli lectissimi, et apostolici laboris socii meritissimi, quorum Acta interciderunt; memoria autem hac die agitur. *Hæc ita re vera sese habere, docemur ex variis antiquis monumentis, in quibus gemina istorum Sanctorum translatio eo die facta, cultusque tunc ipsis decretus, et corporum veneratio asseritur. In primis in Libello de donationibus ecclesiæ Salisburgensis, ab Henrico Canisio* B *tom. 6 Antiquarum lectionum edito, pag.* 1170, *caput* 24, *sive, ut observat Marcus Hansizius tom. 2 Germaniæ sacræ, pag.* 12, *appendix ad libellum, recentius, quam libellus, scripta, ita habet :* Octovo Cal. Octob. Translatio sancti Rudberti episcopi, quæ facta est ab episcopo Virgilio, qui fuit octavus ab illo, cum quo transtulit et duos presbyteros ejus, sanctum Chunialdum et Gisilarium, quorum festivitas, quia nullo alio tempore aut die in anno habetur, eodem die nominatim ad ipsam, ad quam translati sunt, ecclesiam statutum est celebrari.

quo bis translati fuerunt

5 Quorum translatio postea eodem die renovata est. Eodem die post ruinam, et consecrata ecclesia, et mutatis altaribus, a beatissimo et sanctissimo Hartwico XXII episcopo et XII archiepiscopo iterata est ; eorumque corpora tunc posita sunt ad corpus sui quondam et compatriotæ S. Patris Rudberti. *Eadem, paucis verbis mutatis, legere est in Historia Salisburgensi, per Josephum Mezgerum, ejusque germanos fratres Franciscum et Paulum conscripta editaque, lib. 6, pag.* 1094, *ubi ea desumpta notantur ex Ms.* H. fol. 10, ad annum C 1186, *per quem forte annus, quo codex scriptus fuit, designatur ; nam utraque translatio certe multo est antiquior. Porro ex hisce liquet, geminam factam fuisse Sanctorum corporum translationem ; primam a S. Virgilio Salisburgensi episcopo, alteram a S. Hartwico, ejusdem sedis archipræsule. Priori occasionem dedit nova ecclesia cathedralis, quam cum S. Virgilius sub invocatione S. Ruperti Deo exstruxisset, ejusdem Sancti corpus, seu magnam illius partem, una cum* SS. Chunialdi *ac* Gisilarii *corporibus ad eam transtulit ex ecclesia S. Petri, in qua hæc uti et cathedra episcopalis hactenus fuerant.*

primo anno 773 a S. Virgilio,

6 *Tempus hujus translationis indicat fragmentum veteris Chronici apud Canisium tom.* 6, *pag.* 1171, *ubi legitur :* Anno Incarnationis Domini DCCLXXIII dedicata est primo ecclesia sancti Rudberti a sancto Virgilio episcopo anno vigesimo sexto regni Thassilonis ducis. Eodem anno transtulit idem episcopus sanctum Rudpertum et duos ejus cappelanos, beatum Kunialdum atque Gisilarium. *Papebrochius ad diem* XXVI *Martii in S. Ruperto* § 2 *suspicatus est, pro anno* XXVII *Thassilonis forte legendum esse* XVI, *et hunc concurrisse cum anno Christi* 780 ; *si, ut præmiserat,* recte Boiorum ducum annos subduxit Aventinus ; *secundum quem mors Othilonis, cui Thassilo II successit, in annum Christi* 765 *incidisset. Verum Hansizius tom.* 1 *Germaniæ sacræ pag.* 132 *et sequentibus ostendit, Othilonem, vel Utilonem, anno* 748 *obiisse, cui si annos* 25 *addideris, prodibit annus Christi* 773, *cujus proinde mense Septembris die* XXIV *Thassilo annum ducatus sui* XXVI *jam potuit inchoasse. Dicto autem mense ac die eam translationem contigisse, supra vidimus. Porro cum apud Canisium num.* 4 *laudatum, addatur, eodem die celebrari ejusdem ecclesiæ dedicationem, verisimile est, hunc diem ad translationem peragendam electum fuisse, ut dedicatio ecclesiæ ista etiam solemnitate celebrior redderetur.*

AUCTORE C. S.

deinde a S. Hartwico, anno 993 ; alia S. Gisilarii elevatio

7 *Hansizius tom.* 2, *pag.* 164 *instaurationem ecclesiæ, et alteram sacrorum corporum translationem, a S. Hartwico, ut diximus, institutam, anno Christi* 993 *affigit, laudans discipulum S. Gebehardi, ex quo recitat sequentia :* Transtulit etiam corpora sanctorum Chunialdi et Gisilarii, deposuitque ad corpus eorum quondam compatriotæ, sancti patris Rudberti die octavo Kalendas Octobris anno DCCCCXCIII. *Verum ubi hæc cum adjecto anno habeat scriptor ille, non indicavit Hansizius, nec ego in SS. Ruperti atque Hartwici Vitis, quarum ille auctor habetur, ita reperio.* E *Aliam denuo SS. Ruperti,* Gisilarii, *aliorumque translationem seu depositionem, intra eamdem ecclesiam anno* 1315 *a Weichardo Salisburgensi archiepiscopo factam, memorat laudatus Hansizius pag.* 445. *Verba, quæ ex Chronographis Mss. ibidem producit, subjungo.* Anno MCCCXV, Kal. Augusti Weichardus aperuit tumbam S. Rudberti, et invenit primo reliquias S. Rudberti cum capite : item B. Martini in magna quantitate : item Vincencii, Hermetis martyris, Chrysanti et Dariæ et Gislarii; quas reliquias die festo Nativitatis Mariæ ostendit populo, et in sequenti proximo festo B. Rudberti, translationis scilicet, dedicavit novum altare B. Rudberto, et prædictas reliquias ibidem reposuit et recondidit.

anno 1315 sub Weichardo, quando

8 *Eadem plane, licet aliis nonnumquam vocibus, et omisso Vincentio,* ex antiquo Ms. K. *leguntur apud Mezgeros in Historia Salisburgensi pag.* 1094. *Sed Hansizius præterea hæc scribit :* ANNO MCCCXV : VIII CALEND. OCTOB. RECONDITÆ SUNT HIC HÆ RELIQUIÆ A D. WICHARDO ARCHIEPISCOPO SALZBURG. F In plano lapidis incisa erant nomina Sanctorum, quorum reliquiæ subtus cubabant : in medio S. RUPERTUS et S. MARTINUS. In primo angulo S. VINCENTIUS; in secundo S. HERMES, in tertio S. CHRYSANTUS, in quarto S. DARIA. *Non est hujus loci examinare, quid de hisce laudatorum Sanctorum reliquiis statuendum sit ; obiter tamen observo, non fuisse ibi corpus magni illius Turonensis episcopi Martini, ut adversus reliquos probatum est in Opere nostro tom.* VI *Junii, parte* 1 *a pag.* 132, *ubi de eodem pluribus actum est occasione S. Hartwici, cujus Acta Janningus ibidem in Supplemento ejusdem mensis illustravit. Hisce itaque supersedeo, et ad Sanctos nostros regredior.*

S. Chunialdi reliquiæ non fuerunt inventæ aut agnitæ.

9 *In adducto Chronico Ms. et in apposito tumbæ saxo, nulla, ut patet, mentio fit de* S. Chunialdo, *non secus acsi hujus corpus præcitato anno* 1315 *in S. Ruperti tumba non fuisset inventum, repertis nihilominus in eadem* S. Gisilarii *reliquiis, cum tamen ex dictis num.* 7 *amborum corpora* ad corpus eorum quondam compatriotæ sancti patris Rudberti die VIII Kalendas Octobris anno DCCCCXCIII

a

AUCTORE C. S.

S. Hartwico simul fuerunt deposita. Hinc dicendum videtur, S. Chunialdi *ossa aut cum aliorum Sanctorum reliquiis, in eadem ista tumba occlusis, confusa fuisse, aut ex eadem exempta, occasione annoque nobis ignotis, sed tamen eo temporis spatio, quod inter annum* 993 *annumque* 1315 *effluxit. Liceat mihi suspicionem meam hic edicere. Si Salisburgenses aliquas S. Martini Turonensis reliquias olim obtinuerint, eæ certe multæ non fuerint. Hinc dubitari potest, an ossa illa, quæ* in magna quantitate *in prædicta tumba reperta, sanctique Martini, ut volunt, Turonensis, fuisse dicuntur, revera non fuerint* S. Chunialdi, *cujus sacras reliquias ibidem ante depositas esse, ex supra dictis constat, quasque ibidem quiescere Salisburgenses etiam postea crediderunt. Sane Joannes Stainhauserus apud Hansizium in Wolfgango Theodorico archiepiscopo num.* 27 *asserit,* S. Chunialdi *nomen scriptum fuisse in tabula, sub Gregorio, qui sub finem seculi* XIV *et initio* XV *archiepiscopatu functus est, exarata, et ad dexteram altaris S. Ruperti appensa, in qua nomina Sanctorum, quorum reliquiæ ibidem certo quiescebant, recensebantur. His tamen non obstantibus eæ in* B *ceterarum inventione, de qua mox agam, repertæ aut certe agnitæ non fuerunt. Inventum tamen fuit* S. Gisilarii *corpus, licet hujus etiam nomen non habeat lapidis inscriptio num.* 8 *relata.*

Anno 1601, destructa ecclesia, S. Gisilarii corpus

10 *Hactenus egimus de translationibus* SS. Chunialdi *et* Gisilarii *ad ecclesiam S. Ruperti, a S. Virgilio conditam, et in ea factis, in qua vel eorum alter vel ambo usque ad initium seculi* XVII *jacuerunt; quando* S. Gisilarius *inde ad aliam ecclesiam delatus fuit, ex occasione, quam nunc exponam. Anno Christi* 1598 *metropolitana S. Ruperti, ecclesia Salisburgensis fortuito igne conflagravit, cui cum novam substituere meditaretur Wolfgangus Theodoricus archiepiscopus, primo quidem eam leviter restauravit, deinde vero demolitus est. Consuli de hisce potest Hansizius in laudato archiepiscopo num.* 20 *et sequentibus, ex quo ego ea tantum huc referam, quæ ad hodiernos Sanctos spectant. Demolitioni altarium sedulus adfuit Joannes Stainhauserus, ex cujus relatione laudatus Hansizius multa hic mutuatus, num.* 26 *ad annum Christi* 1601 *diem* XXVI *Martii in rem nostram hæc scribit:* In eadem ara S. Ruperti detectum cavum peculiare constructum e saxis C quadratis, præfixo lapide, cui erat inscriptum: SEPTEM INVENIAS. Quo remoto, apparuere septem arcæ quadratæ, pedes amplæ quatuor, plumbeæ, quæ totidem Sanctorum lipsana continebant, Ruperti, Martini, Vincentii, Crisanti, Hermetis, Dariæ et Gisilarii. Rursum aliæ sex arculæ, magnitudinem thecæ atramentariæ non excedentes, quarum una habebatur aurea, duæ argenteæ, plumbeæ tres: inerant reliquiæ, sed nihil omnnio indicii quorumnam Sanctorum.

ibidem repertum est, non autem S. Chunialdi.

11 Sollicite quæsitum, *prosequitur post pauca,* de reliquis Sanctorum corporibus, quorum possessione gloriata hactenus fuerat ecclesia Salisburgensis; sed nihil repertum. Joannes Stainhauserus, qui negotiis his omnibus interfuit, multumque operæ dedit, ut abdita cryptæ sub choro funditus eruerentur, quo corpora Sanctorum ibidem humata venirent in lucem omnia, dolet, gemitque, non satis hac in re morem sibi gestum esse: nam de tot sacris corporibus, quæ Salisburgi fuerant hactenus adservata, teste tabula sub Gregorio archiepiscopo scripta, ex qua idem Stainhauserus descripserat, in hac basilicæ destructione, præter illa septem in camera D. Ruperti detecta, D quinque reliqua *(inter quæ* S. Chunialdi *fuisse dicitur)* manserunt in obscuro. *Rursus num.* 27 *Stainhauserus fatetur, templo jam dissoluto, inter alia corpus* S. Chunialdi *minime repertum fuisse,* frustra vestigatis, *ut addit,* omnibus basilicæ partibus, monumentisque; nisi quod in crypta paulo cessatum est ab ulteriori indagine, quæ forsitan si fuisset adhibita, spes erat inveniendi, qui quærebatur, thesauri.... Sed nempe sperabant omnes fore, ut reperirentur in hypogæo S. Ruperti, qua tamen spe frustrati sumus. *Hactenus Stainhauserus; unde discimus sacrum* Chunialdi *corpus latere, aut certe agnitum non fuisse.*

S. Gisilarii, non Chunialdi, corpus, ad sacellum S. Magdalenæ,

12 *De* S. Gisialarii *reliquiis, aliisque simul repertis, num.* 26 *præmiserat Hansizius:* Urnæ septem majores *(de quibus vide supra num* 10*)* apertæ et recognitæ, translatæ sunt ad elegantissimum aulæ sacellum D. Magdalenæ. *Mezgerus lib.* I, *cap.* XI *Historiæ Salisburgensis dictæ ecclesiæ destructionem ad annum* 1602 *referet, atque ita loquitur, quasi* S. Chunialdi *corpus æque ac ceterorum reliquiæ ibidem inventum fuisset,* Constat, *inquit,* eadem quoque Sanctorum, quos diximus, s. ossa cum pluribus reliquiis SS, Martini, Chrysanti, Dariæ, Vincentii et Hermetis in eadem tumba quie- E visse, usque dum archiepiscopus Wolfgangus Theodoricus initio hujus seculi, ad annum scilicet MDCII, cum ecclesia metropolitica incendio fuisset vastata, ea a s. corpore Ruperti distinctis loculis reposuit, et in sacello S. Mariæ Magdalenæ collocavit. *Hæc ipse, qui præter quam quod* S. Chunialdi *corpus inter reperta numeret, videtur etiam credidisse,* SS. Chunialdi *ac* Gisilarii, *aliaque Sanctorum, quos recensuit, corpora non modo in eadem tumba seu monumento, verum etiam in eadem theca cum S. Ruperti reliquiis in metropolitana ecclesia usque ad Theodorici tempora jacuisse; quod ultimum falsum esse liquet ex Stainhausero, cujus, utpote oculati testis, fides multo potior est.*

deinde ad oratorium aulicum apud Franciscanos translatum est.

13 *Quid deinde iisdem sacris corporibus actum fuerit, citatus Mezgerus post verba mox recitata subjecit;* Unde *(ex sacello S. Magdalenæ)* iterum in oratorium aulicum, quod ecclesiæ parochiali, nunc PP. Franciscanorum, adjacet, translata sunt, ibique hactenus sub altari ex ebeno et argento affabre efformato reconduntur. *Scripsit ista Mezgerus sub finem seculi* XVII, *neque scio, an ea deinde hinc fuerunt amota. Inter ista tamen non fuisse* F *corpus* S. Chunialdi *ex eadem Historia manifeste colligitur. Nam lib.* 6 *inter Collectanea pag.* 1093 *rursum legitur:* Asservatur hodie corpus S. Gisilarii in loculo cupreo subtus altare oratorii aulici apud PP. Franciscanos; *sed de* S. Chunialdi *reliquiis verbum nullum. Pagina quoque* 1128 *et duabus sequentibus recensentur reliquiæ insigniores, quæ in ecclesia metropolitana Salisburgensi, per laudatum Wolfgangum Theodoricum exstructa, quæque sub altari oratorii aulici apud RR. PP. Franciscanos asservantur; et in posteriorum elencho primo loco habetur:* In tumba cuprea continetur corpus S. Gisilarii levitæ, a Wolffgango Theodorico, destructa ecclesia cathedrali, anno MDCII translatum; *neque hic, neque alibi de* S. Chunialdi *corpore post supra dictæ veteris ecclesiæ metropolitanæ ruinam mentionem ullam apud Mezgeros præterea factam reperio.*

Utriusque Sancti reliquiæ in variis altaribus inclusæ;

14 *Pagina tamen* 1096 *memorat varia altaria, in quibus aliquæ utriusque Sancti reliquiæ tum ante tum post ejusdem veteris ecclesiæ demolitionem inclusæ fuerunt. Catalogum hunc visum est totidem verbis hic annectere. Sic itaque habet:* Reliquiæ

A Reliquiæ SS. Gislarii et Chunialdi fuere repositæ in sequentibus altaribus.

In summo altari S Petri anno MCXLIII. Ita. Ms. T. sub. num. II.

In altari ad S. Crucem anno MCCXXXIV. ita Ms. T. sub num. 23.

Reliquiæ S. Gislarii tantum.

In altari S. Pauli juxta abbatiam anno MCCCIV. Ms. T. n. 3.

In altari S. Trinitatis, tunc Carmelitano, anno MCCCXXVI. Ms. T. n. 5.

In altari S. Catharinæ anno MCCXXVII. Ms. T. n. 7.

In altari S. Vincentii anno MCCLXXI. Ms. T. n. 10.

In altari summo anno MDCVII Ms. T n. 27.

Reliquiæ S. Chunialdi tantum.

In altari S. Spiritus anno MCCXLIV. Ms. T. n. 8.

In altari S. Crucis in cœmeterio anno MCLXX. Ms. T. n. 20.

In altari S. Spiritus anno MDVI. Ms. T. n. 22.

In altari S. Ruperti anno MDCLXV. *Ms. M. n.* 44.

In Ecclesia veteri cathedrali.

B Anno MCCLXXIV reliquiæ utriusque repositæ sunt in altari summo. Ms. E. fol. 84.

Anno MCCCXCI in altari S Nicolai. Ms. E. fol. 144.

Anno MCCCXXXIV reliquiæ S. Gislarii reponuntur in altari omnium Sanctorum. Ms. E. fol. 110.

et in Officio Ecclesiastico memoria.

15 *Hæc de* SS. Chunialdi et Gisilarii *reliquiis Salisburgi in honore habitis; de eorumdem in ecclesiastico Officio memoria ibidem pag.* 1095 *sequentia legere est* : Ex antiquo Breviario Ms. Item ex Breviario impresso sub Leonardo archiepiscopo.

In primis Vesperis translationis S. Ruperti, commemoratio de SS. Chunialdo et Gislario.

Antiphona. Fulgebant justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, et regnabunt in æternum.

℣. Sacerdotes tui induant justiam.

℟. Et Sancti tui exultent.

ORATIO. Deus, tuorum gloria sacerdotum, præsta, quæsumus, ut, qui beatorum confessorum tuorum Chunialdi et Gislarii natalitia colimus, eorum auxi- C lium sentiamus. Per Dominum etc.

Antiphona ad Laudes. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum.

Versus et collecta, ut supra. *Subditur deinde* ex antiquo Missali, Salisburgi anno MDXV impresso. Eodem die (*id est, inquit editor,* Translationis S. Ruperti) Kunialdi et Gislarii. Collecta : Sanctorum Cofessorum tuorum etc. de pluribus confessoribus.

quæ in recentioribus non habetur. Eorumdem gesta obscura sunt.

16 *Ita ibi : at nescio, an post translatum ad PP. Franciscanos* S. Gisilarii *corpus eorumdem Sanctorum memoria in metropolitana ecclesia etiamnum celebretur. Certe in propiis Sanctorum ejusdem archidiæcesis Salisburgensis, anno* 1647 *et* 1728 *Salisburgi editis, quæ præ manibus habeo, nullam de iisdem commemorationem invenio, neque aliunde didici, an hæc fiat in laudato Patrum Franciscanorum oratorio, ubi* S. Gisilarii *corpus depositum diximus. Attamen, quæ hactenus produxi, indubitatum faciunt antiquum æque ac recentiorem eorum cultum, quem eo prolixius exponendum censui, quo ignotiora sunt eorumdem gesta, quæ, si umquam litteris tradita fuerint, suprarecte dixit Bucelinus, excidisse. Id unum de ipsis scimus, eos S. Ruperti in Boiorum convesione socios et adjutores presbyteros fuisse. Ita discimus ex vetusta ejusdem S. Ruperti Vita, tum ab aliis, tum a Papebrochio nostro ex Ms. Florentino et Canisii antiquis Lectionibus ad diem* XXVII *Martii editam. cui hac in parte consentit constans Salisburgensium traditio, scpiptoresque recentiores, qui de ipsis meminerunt.*

AUCTORE C. S.

A S. Ruperto in Bavariam adducti.

17 *Auctor ille anonymus, postquam narravit, Theodonem Boiorum ducem una cum optimatibus magnaque populi multitudine salutari baptismo a S. Ruperto expiatum, Juvavensem episcopatum ab eodem erectum, aliaque præclare gesta fuisse; post relatam ejusdem Theodonis mortem, et hujus successoris Theodeberti benevolum erga sanctum apostolum suum animum, cap* 2. *num.* 9, *ad propositum nostrum sic progreditur* : His ita gestis, videns vir Dei (*S. Rupertus*) Bavaricæ dignitatis culmen jugo Christi se subdidisse, sed gentilitatis errore plures involutos superesse, ad patriam suam repedavit, et inde cum duodecim ad prædicandum sibi sociis electis (inter quos erant eximii Kunialdus et S Gisilarius, ambo presbyteri, ambo viri sancti (et secum virginem Christi Erndrudam, ne- E ptem suam adducens, quasi cum tot luminaribus ad urbem Juvaviensem regreditur. *In Annotatis autem ibidem observat Papebrochius, pro* Kunialdus et Gisilarius *legi in Ms. Florentino* Chryso *et* Ciselarius. *Hansizius in S. Ruperto pag.* 45 *præterea addit, in Mss haberi* beatus Chumaldus et sanctus Chisilarius ; *in Longobardicis vero* Crisantus, Cisilarius. *Dubium tamen non est, quin edita lectio melior sit, quæ etiam habetur in Ms. U. in Lectionibus antiquis, quæ olim in festo S. Ruperti dicebantur, teste Mezgero lib.* 6, *pag.* 1094.

eadem in convertendis Noricis

18 *Cum his in Baioariam redux S. Rupertus, Erendrudem, cujus gesta apud nos illustrata sunt ad diem* XXX *Junii, sanctimonialibus abbatissam præfecit, ceteros vero in apostolicis suis laboribus obeundis socios adhibuit.* His itaque expletis, (*prosequitur laudatus biographus num.* 10) vir iste beatus inceptum magnæ prædicationis opus cum summi Pontificis adjutorio studens ad perfectum perducere, Norica regna, discipulorum suorum comitante caterva, circuire destinavit, et ab urbe Juvaviensi egrediens. et gentes, quibus nondum lumen fidei resplenduerat, visitans, eis triticum credulitatis, lolio pereunte, seminavit Nam a cordibus eorum F barbaricis hospitibus diabolicæ deceptionis profugatis, illuc intromisit fidem, caritatem, misericordiam, humilitatem, per quas Christus omnium bonorum largitor et origo pacifica humanæ mentis domicilium intrare solet. Cumque sic Bavarorum terminos circuiret, ac omnes ad Christi fidem convertisset, eos, ut in fide stabiles permanerent, admonuit ; et dimissis ibi presbyteris et viris Deo plenis, qui populum ad divina mysteria consuescerent, ipse ad urbem Juvaviensem statuit remeare ; quia spiritu prophetico repletus, diem vocationis suæ instare præscivit, quem discipulis suis prænuntiavit etc.

strenuam operam cum felici successu navant.

19 *Ex his colligere licet, duos hosce sanctos Presbyteros, qui inter duodecim illos S. Ruperti adjutores* eximii *fuisse dicuntur, partes suas in adducendis ad Christum Noricis strenue explevisse, dolendumque esse, eorumdem præclare gesta a nullo veterum scriptis mandata, aut, si mandata fuerint, ad nos non pervenisse. Nec plura de eis proferunt neoterici scriptores, inter quos Matthæus Raderus tom.* 5 *Bavariæ sacræ illorum apostolicos labores hisce versibus celebravit :*

AUCTORE C. S.

Qui sociastis opem, duo Numinis astra, Ruperto,
Et simul implestis Norica regna Deo;
Nam Jovis in tota ceciderunt gente colossi,
Et cecidit pariter nuncius ipse Jovis :
Alcides clavam, Gradivus perdidit hastam,
Et reliqui vobis terga dedere dei;
Tartara vicistis, superastis mœnia cœli,
Non potuit vester longius ire labor.

Cum itaque alia de Sanctis illis non habeamus, superest tantum, ut circa pauca, quæ recitavimus, aliqua observemus.

Fuerunt natione Franci vel Germani,

20 *In breviori Vita S. Ruperti, quam veluti primigeniam Hansizius commentatus est, non exprimuntur quidem sociorum nomina, sed tamen etiam dicuntur hi numero duodecim fuisse, et a S. Ruperto e patria sua adducti.* Tunc prædictus doctor Rodbertus, *(inquit istius Vitæ scriptor)* cupiens aliquot adipisci socios ad doctrinam Euangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam; iterumque cum duodecim revertens discipulis, secumque virginem Christi, nomine Erendrudam adducens *etc. Discipulus quoque S. Gebehardi, num.* 7 *relatus,* B *S. Rupertum* SS. Ghunialdi et Gisilarii compatriotam, *sive popularem appellat; ita ut omnino dicendi sint communem cum S. Ruperto patriam habuisse. Erat autem Sanctus hic, teste eadem Vita, et consentientibus duabus aliis a Papebrochio editis,* ex regali prosapia Francorum ortus; *et Wormaciæ in hodierno Palatinatu inferiori episcopatum gessit, antequam a Theodone II invitatus, in Baioariam venit. Hinc patria ipsius non alibi fuisse credenda est, quam in Germania seu Francia Orientali. Verisimillimum quoque est, sanctum episcopum prædictas apostolicorum virorum suppetias non aliunde petiisse, quam ex Wormaciensi diœcesi, in qua dum episcopatu fungeretur, novisse potuit, quos sibi deinde socios allegit.*

non Scoti vel Hiberni, ut quibusdam placuit.

21 *Rupertum tamen in Hibernia natum esse, Joannes Colganus in Actis Sanctorum Hiberniæ mense Martio, et Carolus Coïntius tom.* 2 *Annalium ad annum Christi* 582, *num.* 16, *aliique censuerunt. Consequenter ad hæc etiam.* SS. Chunialdum *ac* Gisilarium *Hibernos, et ex Hibernia in Baioariam ab eodem sancto episcopo adductos tradiderunt, et martyrologi Scoti et Hibernus, num.* 2 *et* 3 *producti, eos popularibus Sanctis suis qui-* C *que adscripsere. Matthæus Raderus tom.* I *Bavariæ sanctæ pag.* 40 *laudati sancti antistitis patriam* Galliam *dixerat; sed deinde in Animadversionibus ad tom.* I *post tom.* 3 *adjectis,* veterem... Scotiam, quæ et Ibernia insula vocatur, *monuit substituendam, Hinc eodem tomo* 3 *pag* 32. *agnoscit quidem SS.* Chunialdum *ac* Gisilarium *ex Francia Orientali a S. Ruperto ad convertendos Noricos arcessitos, sed tamen* in veteri Scotia, seu Ibernia natos ait. *Hi omnes, ut supra monui, nituntur recentiori, fabulosaque S. Ruperti vita, a Canisio tom.* 6 *Antiquarum lectionum pag.* 1107 *vulgata, in qua is non modo in Hibernia natus, verum etiam immani parachronismo a S. Patricio baptizatus dicitur. Adi Papebrochium ad diem* XXVII *Martii in Commentario prævio ad vitam ejusdem S. Ruperti* § I, *ubi Vitam illam ut fabulosam merito rejecit, sanctisque Boiorum Apostolis, de quibus agimus, Germanicam seu Francicam patriam vendicarit. Addo hic tantum, Vitam illam eo etiam fabulosiorem habendam esse, quo remotiorem a Patriciana ætate esse Rupertinam ex eruditorum sententia jam constat. Papebrochianæ censuræ consentit Hansizius, qui eamdem Vitam* fabulosam *censuit nuncupandam.*

D

Non probatur eorum monachatus Benedictinus, nec S. Chunialdi

22 *Ex supra dictis pariter constat, ambos,* Chunialdum *scilicet et* Gisilarium, *presbyteros fuisse, ac verisimiliter ex diœcesi Wormaciensi accitos. At nescio, quo argumento eosdem suo Ordini vendicare voluerint Menardus et Bucelinus, dum illos Benedictinis Martyrologiis inscripserunt. Forte quod S. Rupertum Benedictinum monachum fuisse pro certo haberent; verum hoc ipsum plane dubium est, nec, si certum esset, consequeretur, omnes, quos ille jam episcopus in apostolicis laboribus socios adscivit, etiam monachos et ejusdem Ordinis fuisse. Hansizius pag.* 45 Chunialdum *aliquando in matrimonio vixisse autumat, quia in Brevibus notitiis, sive in Libello donationum ecclesiæ Juvaviensis cap* 7, *apud ipsum in Prolegomenis pag.* 23 *editis, in lite S. Virgilii, episcopi ejusdem sedis, adversus Ursum presbyterum inter testes legitur* Isinhardus vir nobilis et filiolus beati senis Chunialdi presbyteri. *Dubitandum non est, quin per* beatum senem Chunialdum presbyterum. *Sanctus noster designetur : at non ausim hinc ejusdem matrimonium certo inferre; cum Isinhardus ipsius* filiolus *dici potuerit, quod ab eo baptizatus, vel supra sacrum fontem levatus fuisset.* E

matrimonium : advenerunt in Baioariam

23 *Sane interpretationem hanc tum vox ipsa tum instrumenti periodus facile admittit. Sic enim ibidem legitur :* Quidam vero, qui ista illi dixerunt, discipuli S. Rudberti fuerunt et juniorum ejus; quidam filioli, ex quibus erat Isinhardus vir nobilis et filiolus beati senis Chunialdi presbyteri et Maternus, Dignolus quoque discipulus S. Rudberti. *Si tamen eadem vox pro naturali procreatione accipienda sit, consequenter dicendum erit,* S. Chunialdum *e nobili familia natum esse, eumdemque plures, quam unum liberos genuisse, antequam sacris Ordinibus initiaretur, aut eumdem non solum ex S. Ruperti discipulis aliquando conjugatum fuisse. Tempus, quo hi Sancti floruerunt, liquet ex ætate S. Ruperti, cujus obitum Papebrochius noster ex communi sui temporis errore ad seculi* VII *annum* XXIII *vel* XXVIII *retulit, cum seculo* VIII *adolescenti seu adulto illigandus sit, uti ad diem* VIII *hujus mensis Septembris in S. Corbiniano* § 4 *post alios ostendimus. Porro* SS. Chunialdi, Gisilarii, *Erendrudis et sociorum in Baioariam adventum biographus S. Ruperti, num.* 17 *laudatus, post obitum Theodonis et sub hujus filio ac successore Theodeberto, diserte collocat, eique consonant Annotatio Arnonis num.* 15, *apud Hansizium pag.* 17, *et alter Libellus donationum cap.* 3, *ibidem pag.* 21, *quia monasterium, cui S. Rupertus adductam S. Erendrudem præfecit, ex Theodeberti ducis munificentia et consilio conditum esse asseverant.* F

circa annum 717 :

24 *Theodonis II mortem in citato S. Corbiniani Commentario probabilius ad annum Christi* 717 *retulimus, ante quem proinde eorumdem Sanctorum adventus statui non potest. De anno emortuali S. Ruperti Hansizius multis disserit, eumque in annum Christi* 718 *diem* XXVII *Martii, quo tunc Pascha celebrabatur, incidisse statuit; quia in primigenia Vita Sanctus obiisse dicitur* die Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, *diesque* XXVII *Martii ex traditione Salisburgensi pro ejusdem emortuali habetur. Quod si ita sit, Sancti nostri tam exiguo tempore cum sancto præsule suo Ruperto in Noricis vixere, ut vix aut ne vix quidem sufficere videatur ad ea peragenda, quæ S. Rupertus post eorumdem adventum præclare gessisse in Vitis narratur. Verum examinari hæc poterunt in Operis nostri Supplemento ad diem* XXVII *Martii, ubi quæ de ejusdem Sancti ætate ex communi ejus*

A *ejus temporis errore apud nos male asserta fuere, ad limam revocanda sunt.*

quando autem mortem obierint, nescitur.

25 *Quamdiu porro* SS. Chunialdus *et* Gisilarius *episcopo suo supervixerint, quove anno mortui sint, ne ex conjecturis quidem circiter statui potest. Nullam enim de eorumdem obitu usquam mentionem factam vidi ante tempora episcopatus S. Virgilii, cujus initium Hansizius pag.* 78 *circa annum* 745 *referendum censet, et circa quem etiam hujus litem cum Urso reponit, in qua cum supra num.* 23 filiolus beati senis Chunialdi presbyteri *inter testes compareat, verisimile est, hunc jam tum obiisse. Ceterum utriusque sacra corpora anno* 773 *ab eodem S. Virgilio translata fuisse, num.* 6 *probatum est. Hinc eorumdem tempus emortuale in margine adscripsi circa medium seculum* VIII, *quod tamen magna cum annorum latitudine acceptum volo. Plura de hisce Sanctis memoranda non habeo.* D

DE S. GERARDO EPISCOPO MART.

PROPE DANUBIUM IN HUNGARIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. S.

§ I. Acta S. Gerardi ab auctore suppare breviter conscripta : Acta alia a Wione edita, quæ multis erroribus et fabulis sunt inquinata : alii de gestis Sancti scriptores. B E

ANNO MXLVI. Vita S. Gerardi fideliter scripta, et ex Ms. edenda :

Acta antiqua S. Gerardi *episcopi et martyris, quæ mutato stylo edidit Surius ad* XXIV *Septembris, et ex eo Mabillonius Actor. Bened. sec.* 6 *part.* 1 *pag.* 628, *non displicuerunt eruditis. Bailletus in Tabula critica ad hunc diem ait, scripta videri* fide satis bona. *Mabillonius vero Acta hæc sine ulla censura aut correctione edidit, ut in omnibus probata. Non sunt scriptoris plane contemporanei; cum certe fuerint conscripta post elevationem corporis, factum sub S. Ladislao rege circa annum* 1083 : *sunt tamen, quantum videtur, auctoris ita supparis, ut forte vixerit ante mortem* S. Gerardi, *eumque juvenis videre potuerit. Nam ita loquitur de corporis translatione, ut conjicere merito possimus, Vitam non diu post fuisse conscriptam, præsertim cum etiam in gestorum relatione nullibi insinuet, longe præterita se narrare aut aliorum scriptis se uti, sed potius contrarium. Accedit ad fidem Vitæ huic conciliandam simplicitas styli et brevitas, qua auctor osten-* C *dit, externa se non quærere ornamenta, sed comperta simpliciter et breviter enarrare. Habemus hanc Vitam ex codice Ms. Canonicorum Regularium Prioratus Corsendoncani in Brabantia, ex quo etiam ad* 2 *Septembris dedi Vitam S. Stephani Hungariæ regis. Eadem fuit impressa Cracoviæ anno* 1511 *cum aliis non paucis. Hæc vero editio Cracoviensis consonat Vitæ Ms., exceptis paucis mendis, quæ utrique aspersit minor transcribentium aut corrigentium diligentia. Itaque Vitam edam ex Ms., cum illa editione collato, quo fiat accuratior editio. Surii quoque editionem, quam fere solam cognoverunt eruditi neoterici, conferam, notaboque differentias præcipuas.*

quæ forte ignota fuit scriptoribus seculi 15.

2 *Petrus de Natalibus, qui Catalogum Sanctorum Venetiis colligere cœpit, ac deinde creatus est episcopus Equilinus, lib.* 3 *cap.* 145 *compendio hanc Vitam recitavit, paucula solum immutans aut addens, ut certum videatur, non aliam ei præluxisse Vitam. Antonius Bonfinius et Joannes de Thwrocz, qui seculo* XV *de rebus Hungaricis scripserunt, hanc Vitam præ oculis habuisse non videntur, uti nec Dlugossus aut Longinus, qui eodem seculo Historiam Polonicam ita scripsit, ut non raro attingat Hungaricam. Recentiores vero historici, qui diligentiorem in scribendo crisim adhibuerunt, ex sola fere Vita antiqua enarrarunt gesta.* S. Gerardi, *nimirum Baronius in Annalibus ecclesiasticis illam allegat solam, licet in Annotatis ad Martyrologium ostendat, recentiorem sibi non fuisse ignotam; Mabillonius in Annalibus Benedictinis, Bailletus in Vita S. Gerardi, quam scripsit ad* XXIV *Septembris, ut mittam alios complures, qui brevius de eodem egerunt.*

Alia Vita a Wione edita,

3 *Alia* S. Gerardi *Vita impressa est Venetiis anno* 1597, *et hoc insignita titulo :* Sancti Gerardi Sagredo, Patricii Veneti, ex monacho et abbate S. Georgii majoris Venetiarum Ordinis S. Benedicti, episcopi Canadiensis primi, ac Hungarorum protomartyris apostoli Vita, ex antiquissimis authenticis manuscriptis, tum etiam excusis codicibus, optima fide collecta et annotationibus illustrata per D. Arnoldum Wion Flandrum, monachum S. Benedicti de Mantua *etc. Multa sane et magna promittit hic titulus, sed non minus nova. Deinde in Annotationibus pag.* 1 *laudatus Wion utcumque exponit, unde Vitam illam hauserit ediderit que, auctorem se non dicens, sed editorem et correctorem.* F In correctione, *inquit*, Vitæ præsentis quinque præcipue exemplaribus, tribus Mss. et duobus excusis, usi sumus. Manuscripta subministrarunt, unum reverendissimus dominus, D. Antonius Grimanus, ex patricio Veneto episcopus Torcellanus : duo reliqua R. P. D. Antonius Veronensis Prior, S. Georgii procurator, quo instigante ac hortante, hunc pium laborem... suscepimus. *Hisce addit geminam antiquæ Vitæ editionem, nimirum Venetam anni* 1498, *et editionem Surii. Tum dicit, usum quoque se fuisse Operibus Bonfinii, Naucleri, Petri de Natalibus, aliisque nonnullis.*

quam ex duabus, quarum altera bona altera fabulosa,

4 *Ex quinque autem exemplaribus Vitæ, quibus usum se dicit Wion, existimo quatuor fuisse exemplaria Vitæ antiquæ, quintum vero Vitam prorsus aliam, eamque recentiorem innumerisque erroribus et figmentis fœdatam, quam præcipue præ oculis habuerit, et cui lacinias complures vetustæ Vitæ innexuerit. Hoc certe insinuant ejus verba.* Et quamvis,

AUCTORE J. S.

quamvis, *inquit*, exemplaria tam Surii, quam Legendæ illius antiquæ *(item impressæ,)* nec non et duo manuscripta, longiora paululum videantur, alia tamen illa non sunt, quam quædam pars illius Vitæ, quam nunc damus, ut cuilibet diligenter inspicienti ex ipsorum exemplarium collatione facile erit perspicere. *Hoc sane luculenter perspicio, ideoque non dubito asserere, Wionem non edidisse Vitam* S. Gerardi *ex quinque exemplaribus, sed Vitas duas, alteram vetustam et bonam, alteram recentem et fabulosam, in unam miscuisse, et sic Vitam edidisse prorsus monstrosam. Mixturam illam indicant sequentia Wionis verba* : Archetypon præcipuum nonnullis in locis ex scriptoris non autem auctoris, inscitia mutilum videbatur et mancum, ac parum Latine scriptum : quod ex citatis auctoribus supplevimus, stylo ac barbaris verbis, ubi opus erat, hinc inde interdum mutatis, adeo tamen modeste, propter auctoris gravitatem, ut illustrata magis videatur, quam emendata. *Erat mutilum et mancum si credimus Wioni,* archetypon præcipuum, *ideoque non sunt nisi* quædam pars *Vitæ per Wionem datæ, ut ipse quoque asserit.* B *Hac igitur de causa ex alia mutila, alia partiali, integram dare voluit, veraque miscuit cum falsis: imo non editoris aut correctoris præstitit officium; sed novam concinnavit Vitam.*

utramque miscendo composuit: prolixior ex illis forte anno 1421 scripta,

5 *Etenim non supplevit exemplaria mutila ejusdem Vitæ ex diversis exemplaribus, sed Vitam antiquam et plenam, quam saltem in Surio habebat, in multas dissecuit partes, iisque aliam Vitam plane ridiculam et fabulosam interpolavit, ut Surii aut nostram editionem cum Vita Wionis conferenti erit manifestum. Modicum initium ex prima Vita sumpsit, ut ait in Annotationibus pag. 2, et mox plura consequenter capita ex præclaro scilicet illo archetypo. Notat vero, illud fuisse exscriptum anno* 1421 ; *at ego potius existimo, tunc primum fuisse compositum, idque a scriptore ignorante, cum ad singulos passus aut aperte labatur, aut improbabilia narret et incredibilia. Narrando pervenit usque ad annum* 1381, *ut saltem non diu ante seculum* XV *scribere potuerit, aut potius ipso seculo* XV *scripserit, cum factum illud, quod anno* 1381 *affigit, non dicat suo tempore contigisse. Dicit quidem Wion, ultimum illud capitulum ab alio verisimiliter adjectum esse; sed nul-* C *lam addit rationem. Id vero mihi non fit verisimile, cum crassi errores chronologici insinuent scriptorem rebus gestis multo posteriorem. Præterea Petrus de Natalibus, qui circa annum* 1370 *Opus suum Venetiis composuit, non potuisset ignorare illam Vitam Sancti Veneti, si jam tum fuisset scripta. At ipsi plane ignotam fuisse credimus, cum ex ea nihil adoptaverit : neque enim crisim sequebatur tam severam, ut eam prorsus improbare voluisset. Quomodo ignorare poterat Petrus de Natalibus ex familia* de Sagredo *fuisse* Gerardum, *si illud jam in Vita tam prolixa erat scriptum? Si autem non ignorabat, quomodo Venetiis familiam Venetam tam illustrem poterat silentio præterire? Hoc ego indagandum relinquam illis, qui familiam* S. Gerardi *satis certam credunt : nam de me fateor, nullum in tota Wionis Vita factum satis mihi videri certum præter ea, quæ leguntur in Vita vetusta.*

et figmentis,

6 *Ne quis autem credat, justo severiorem hanc esse crisim, necesse est nonnulla afferre, quorum certa et manifesta est falsitas. Fabulator cap. 2 apud Wionem ita orditur* : Factum est autem, ut ad imperium summi Pontificis tota Christianitas in expeditionem ad sepulchrum Domini recuperandum Hierosolymam se proficisci præpararet, pro eodem loco D sancto pugnare parata. Inter alios pater Georgii *(ita Gerardum in baptismo vocatum dixerat)* gratia Dei protectus, pro salute animæ suæ cum cæteris raptus, ad sanctum locum sine læsione pervenit. Cum autem ibi esset Christiana acies in oratione, et expectaret de cælo auxilium, offerens unusquisque Domino orationes solemnes et privatas ; populos Machometanorum de sua virtute confidens, in aciem Christianam non modica improperia emittere ausus est, habens fiduciam in fortitudine armatorum *etc. Mox in pugna victoriam Christianis attribuit, patremque* S. Gerardi, *quem* Gerardum de Sagredo *nominat, substitisse in Terra sancta, ibique mortuum fingit et sepultum, dum Sanctus erat juvenis aut puer. Quam aperte hæc omnia sint fictitia, facile perspiciet studiosus lector, modo consideraverit, primam expeditionem Christianorum in Terram sanctam fuisse susceptam sub Urbano Papa II, sive sub finem seculi* XI, *id est, annis facile centum post pueritiam* S. Gerardi, *et medio fere seculo post ejus mortem. Credidit nimirum imperitus fabulator, expeditiones crucesignatorum in Terram sanctam multo citius inchoatas fuisse, ut rursum innuit cap.* 5; *indeque fingendi impune licentiam* E *sibi oblatam existimavit.*

assertis improbabilibus

7 *Wion in Annotatis pag.* 4 *adducit Platinam in Sergio IV, ubi insinuat, quadraginta millia Normannorum* ab expeditione Hierosolymitana *rediisse, dum Normanni Apuliam invaserunt. Verum nihili faciendus est ille locus Platinæ, qui ex quadraginta Normannis, quos religionis causa eo profectos fuisse, indeque reversos alii scripserunt, formavit exercitum quadraginta armatorum millium. Quare apertissimus est anachronismus integri fere seculi. Ex hisce igitur colligat prudens lector, quanti facienda sint alia ibidem relata, silentibus omnibus antiquioribus, nimirum* S. Gerardum *fuisse* de familia Sagredo, *natum fuisse* in die beati Georgii martyris, *hujusque Sancti patrocinio, ideoque in baptismo* Georgium *nominatum: deinde vero, dum erat quinque annorum, ex febribus patrocinio S. Georgii sanatum; et tunc ea de causa* habitu regulari *indutum in monasterio S. Georgii; ac demum post mortem patris* Gerardum *vocari cœpisse, matre id petente. Nihilo certius est, quod cap.* 3 *asseritur, Priorem fuisse ab omnibus electum, dum pervenerat* ad tempus provectioris ætatis, *præsertim cum cap.* 4 *dicatur ad studium Bononiense missus, indeque* quinto *anno reversus. Benedictini ipsi considerare poterunt, an probabile videatur, prius electum fuisse Priorem, eoque munere bene gesto, ad studia juvenis* F *instar fuisse missum. Rursum improbabile est, quod asseritur cap.* 5, *abbatem fuisse electum monasterii S. Georgii, eique* nonnullos *præfuisse annos, quos* plus minus novem *facit Wion in Annotatis. Nam in vetusta Vita de præfectura ejus nihil legitur, et in documentis magis vetustis, laudandis* § 2, *vocatur* monachus. *Tempus etiam, quo volunt abbatem fuisse, nimirum ab anno* 1021 *usque ad* 1030, *dictæ opinioni repugnat, nam cum multo citius in Hungariam venisse videbimus.*

et ridiculis, multisque erroribus

8 *Plane ridiculum est, quod cap.* 5 *dicitur, proposuisse* Gerardum *etiam proficisci* ad monasterium S. Hieronymi in Bethleem, ut lectione librorum ejus frueretur : *et hujus ridiculi propositi rursum fit mentio cap.* 7. *Quæ de itinere Sancti per mare prius versus Palæstinam, deinde per terram in Hungariam narrantur cap.* 5, 6 *et* 7, *antiquis omnino sunt ignota, prout et personæ nonnullæ et loca plura ignota in iis nominantur. Inducuntur autem cap.* 7

agentes

A *agentes cum* S. Gerardo *Maurus episcopus Quinque-ecclesiensis et Anastasius abbas, ambo satis noti. At Anastasius ille abbas, videtur esse episcopus Colocensis, ut observat ipse Wion fol.* 5. *Jam vero Anastasius ille primum abbas, deinde episcopus Colocensis, diu ante Maurum ad episcopatum promotus est : nam primus fuit Colocensis, non item Maurus primus Quinque-ecclesiensis, ut de utroque ostendi ad* 2 *Septembris in S. Stephano Hungariæ rege. Ex his igitur colliget studiosus lector, præclarum illum biographum pro arbitrio personas inducere, quas audierat in conversa recenter Hungaria floruisse, iisque gesta attribuere, prout placuit. Nam cap.* 8 *per Maurum episcopum abbatemque Anastasium ad S. Stephanum regem deducit* S. Gerardum, *cui in primo statim congressu rex sanctus fingitur dare* episcopatum urbis Morissenæ. *At non ita solebat festinare S. Stephanus, nec ab urbe dictus est episcopatus* Morissenus, *sed a flumine Morisio.*

fœdata est, ac fide indigna.

9 *Pergit more suo fabulator cap.* 9, *et* S. Gerardum *creat magistrum S. Emerici, filii S. Stephani regis. Mox ex principis magistro fit eremita cum Mauro monacho. Hoc verisimiliter ex vetusta Vita* B *inseruit Wion, videturque Maurus ille, quocum* septennio *habitarit* S. Gerardus, *idem cum Mauro postea Quinque-ecclesiensi episcopo. Ne tamen Sancti vita eremetica fabulis careret, biographus cervos ad ipsum deducit et lupos, ac post alias nugas eo rem deducit, ut* pullus cervæ *et* lupus *apud ipsum simul pacifice degant. Porro cap.* 10 *ridiculas producit fabellas de principe fictitio urbis Morissenæ, quem a S. Stephano debellatum scribit, et* Achtum *vocat. Non opus est magna crisi, ut quis videat, prolixum illud caput esse fabulosum. Abstineo a reliquorum examine, licet alia quoque occurrant, quæ nequeunt pro veris admitti. Nam hactenus allegata sufficere mihi videntur, ut in referendis* S. Gerardi *gestis nullam illius Vitæ rationem habeamus. In posteriori quidem parte multo minus fabulosa videtur, quam in priore; sed hoc fieri non dubito, quia Vitam vetustam ibi fabulosæ inseruit Wion, et fortasse nonnulla quoque ex Bonfinio aliisque scriptoribus. De exemplari unico fabulosæ illius Vitæ, quod lectu difficile erat, ait Wion :* Descriptum namque sive copiatum insinuatur in fine anno MCDXXI. *Hanc ego epocham esse Vitæ conscriptæ* C *mihi prorsus persuadeo : nam si exscripta esset et initio placuisset, facile plura ejusdem exemplaria Wion invenisset.*

Vita brevior Italica ex prædicta concinnata.

10 *Ubi anno* 1597 *typis impressa erat Vita, per Wionem scripta magis quam edita, Italicam ejusdem* S. Gerardi *Vitam continue scribere cœpit Guido Casoni, eamdemque impressam vulgavit anno* 1598. *Hic scriptor Wionis Opusculum unice præ oculis habuisse videtur, etiamsi alias prolixum det elenchum scriptorum, qui de* S. Gerardo *egerunt. Cum autem ostenderim, impurum esse fontem, ex quo omnia hausit Casonus, prudens lector facile intelliget, quid de compendiosa ejus Vita censendum sit. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* XXIII *Februarii breve dedit* S. Gerardi *elogium, variis erroribus maculatum, non tamen ex Wione, si Familiam Sagredam excipiamus sed ex variis. Apud illustrissimum scriptorem Flaminium Cornelium de Ecclesiis Torcellanis part.* 2 *pag.* 73 *recitatur vetustum de* S. Gerardo *Officium cum sex Lectionibus de Sancto. Hæ autem lectiones, si paucissima in principio et fine excipiamus, plane conformes sunt Vitæ antiquæ. Qua de causa, cum hasce lectiones, tum elogium ex Petro de Natalibus, recudere placet post Vitam antiquam, ut eruditi Veneti ex documentis Venetis perspicere valeant, quid olim Venetiis de gestis* S. Gerardi *fuerit receptum.*

§ II. Chronotaxis Vitæ supplementum ex aliis scriptoribus, et asserta variorum examinata.

Sanctus patria Venetus.

Cum nesciamus, qua ætate fuerit S. Gerardus, *dum anno* 1046 *vitam felici fine coronavit, dicere non possumus, quo anno fuerit natus. Wion in Annotatis fol.* 4 *vult, natum esse* Gerardum *anno* 986, *sed sine ullo argumento. Si quid late dicendum est ex conjectura; circa annum* 970 *aut* 980 *natalem Sancti figere possumus : cum saltem viginti quinque aut triginta annorum fuisse videatur, dum venit in Hungariam; eoque venerit circa initium seculi* XI, *ut videbimus. Venetiis mundo datum esse, cum Vita antiqua omnes testantur. Non inveni ullum scriptorem ante seculum* XV, *qui de familia* S. Gerardi *aliquid affirmavit.* E *Wion quidem in Attestationibus auctorum, quas dedit post Vitam et Annotata, hæc producit Verba, tamquam Petri de Natalibus* lib. 3 cap. 146 *(lege* 145 :) Gerardus episcopus et martyr, Venetiarum civitate, ex nobilibus parentibus, videlicet de domo Sagrea patricia oriundus *etc. At hoc in vetustissimis nostris editionibus non invenio. Etenim in editione Vicentina anni* 1493 *ita legitur :* Gerardus episcopus et martyr Venetiarum civitate oriundus *etc. Consonat editio Lugdunensis, quæ est anni* 1514. *Neutra vel verbum habet de familia Sancti. Quapropter, si qua forte posterior editio habeat verba a Wione allegata, quod ignoro, dubitare nequeo, quin ea postmodum fuerint infarta. Primus igitur, qui familia Sagreda, vel* de Secretis, *oriundum fecit* S. Gerardum, *videtur fuisse auctor fabulosæ Vitæ, quam nimio honore dignatus est Wion. Legitur idem in lectionibus Officii Veneti; sed vix credimus, illud Officium vetustius esse seculo* XV; *et ignoramus, an istud postea non fuerit additum. Ex his colligere poterit studiosus lector, quam illa opinio sit incerta.*

vitam monasticam amplexus est.

12 *De instituto, quod secutus est* S. Gerardus, *antequam venit in Hungariam, varie scripserunt varii. Petrus de Natalibus canonicum prius fuisse dicit, deinde monachum.* A pueritia, *inquit,* Deo devotus ecclesiæ S. Marci canonicus fuit. *Cui consentit Ferrarius ad* XXIII *Februarii. At illud assertum omnes passim repudiant, quia in Vita apud Surium legitur :* Monasticæ religionis habitum Puer accepit. *Hinc Mabillonius in observationibus Vitæ præviis ait, opinionem illam Vitæ repugnare. Vox quidem* monasticæ *a Surio est addita, et in Ms. solum legitur,* Religionis habitum Puer accepit. *Probabilius tamen* habitus religionis *monasticum hic significat; licet aliquando pro clericali habitu etiam sumatur; præsertim cum monachus esset, dum venit in Hungariam, nec diversa dicatur secutus instituta. Mabillonius, ubi dixerat, vestem monasticam a Sancto susceptam, hæc subjungit :* Quod in percelebri S. Georgii monasterio factum fuisse sub Johanne Mauroceno, primo ejusdem loci abbate, Veneti scriptores passim referunt, et quidem non absque fundamento. Hanc enim sententiam confirmat singularis erga S. Georgium Gerardi nostri devotio, qui..... primariam

AUCTORE J. S.

mariam *(ecclesiam)* in honorem S. Georgii martyris construxit. *Hæc conjectura Mabillonii ex constructa in honorem S. Georgii ecclesia, non est inepta; sed opinionem illam nequit certam reddere. Interim observo, Mabillonium pro sua illa opinione non laudare Vitam Wionis, nec de abbatiali dignitate eidem asserta vel minimam facere mentionem. Et sane, si inter abbates S. Georgii tertius fuit Gerardus de Sagredo, hunc a* S. Gerardo *alium existimo.*

Non fuit institutor Ordinis Servitarum,

13 *Philippus Ferrarius superius laudatus de* S. Gerardo *ait:* Ut apud S. Antonium de Padua in Sermonibus legitur, primus Ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis Venetiis institutor. *Laudat pro ea opinione Maurolycum in Martyrologio. At illud in nostra Maurolyci editione non invenio. Ferrarius vero ipse in subjuncta annotatione ostendit, opinionem suam non posse consistere, cum fateatur,* S. Gerardum *multo antiquiorem Ordine Servorum B. Virginis Mariæ: defunctus enim est* Gerardus *seculo* XI, *laudatus Ordo institutus est seculo* XIII, *et fortasse post mortem S. Antonii de Padua. Nihil igitur de Ordinis illius institutione, quæ Florentiæ facta est, non Venetiis, scripsit* B *S. Antonius. Potuit forte hic* S. Gerardum *laudare, quod, eo suadente, beatissima Virgo ab Hungaris* Domina *nominari cœperit, et consequenter dicere, effectum a* S. Gerardo, *ut Hungari servos se beatissimæ Virginis profiterentur. Quidquid sit, perspiciet lector, vix errores produci historicos tam deformes, ut suos non inveniant amatores et patronos.*

nec Carmelita:

14 *Carmelitæ* S. Gerardum *Ordini suo attribuunt, eumque ut suum colunt ad* XXIV *Septembris. Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Eliani Ordinis tom.* 3 *variis locis plura disputat ad eum Ordini suo adscribendum, quam ut eum sequi lubeat. Laudatus Mabillonius eam opinionem refutat his verbis:* Ceterum ex his patet, quam futilis sit Carmelitarum, ut ipsi aiunt, traditio, qui hunc sanctum Virum Ordini suo adscribere non verentur. Etenim eum in Italia Carmelitam non fuisse, evidens est ex his, quæ a nobis jam dicta sunt *(maxime de ætate Sancti.)* Neque etiam in Hungaria: ibi enim ante episcopatum in cœnobio Beel vitam agebat monasticam, quod sub instituto Benedictino fuisse, ex Carthuitio, Bonfinio, aliisque rerum Hungaricarum scriptoribus, constat. Nec C dicant, Gerardum in Palæstina Carmeli religioni nomen dedisse. Nam licet Vitæ ejus auctor scripserit, Jerosolymitanum iter a Gerardo fuisse susceptum, ex eodem auctore discimus, eum, cum in Hungariam advenisset, a beato rege Stephano impeditum, ultra progressum non fuisse. *Joannem Trithemium, qui in chronico Hirsaugiensi ad annum* 1019 S. Gerardum *fecit monachum* cœnobii S. Gregorii in urbe Roma, *similiter corrigit Mabillonius, suspicaturque deceptum affinitate nominum* S. Georgii *et* S. Gregorii. *Hoc certum est, monachum fuisse Venetum, non Romanum.*

nec in Hungariam missus a Benedicto Papa.

15 *Porro a laudato Trithemio* S. Gerardus *dicitur* a Papa Benedicto ad prædicandum Dei verbum noviter conversis in Ungariam missus, *recteque vocatur* Vir doctus et sanctissimæ conversationis. *Missio illa improbabilis est, cum repugnet Vitæ, cujus auctoritate novimus, non venisse* S. Gerardum *ea intentione in Hungariam, ut fidem ibi prædicaret; sed ut cum aliis itineris sociis Hierosolymam peregrinaretur. At cum non alium potuerit Benedictum Papam designare Trithemius, quam hujus nominis octavum, qui sedit ab anno* 1012 *usque ad* 1024, *ex eo asserto constat, adventum* S. Gerardi *in Hungariam ab eo figi inter annos* 1012 *et* 1024. *Huic epochæ congruunt elogia, quibus* S. Gerardum *laudat Trithemius in Opere de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 3 *cap.* 239 *et lib.* 4 *cap.* 234*: nam utroque loco, agens de prædicatione ejus in Hungaria, ait, eum claruisse anno* 1020, *id est, secundum ejus loquendi modum, eo circiter tempore in Hungaria prædicasse. Non placet hæc epocha laudato Wioni in Attestationibus fol.* 4; *sed ait, in Hungariam non venisse* S. Gerardum ante annum MXXX, vel circa. *Sic in Annotationibus fol.* 4 *adventum* S. Gerardi *in Hungariam figit anno* 1030, *et initium episcopatus anno* 1037, *quo et S. Stephanum mortuum credidit. Verum ejusmodi chronotaxim videtur dedisse, ut* S. Gerardum *faceret prius S. Georgii Venetiis abbatem, et ut Vitæ fabulosæ improbabilis chronologiæ fieret conformis. Certo mihi nullum est dubium, quin longissime aberraverit in annis* S. Gerardi, *sicut uno anno prævenit, tempus verum obitus S. Stephani, anno* 1038 *defuncti.* D

Ingressus Sancti in Hungariam nequit figi circa annum 1030,

16 *Ratio præcipua, ob quam* S. Gerardum *circa initium potius seculi* XI, *quam circa annum* 1030, *in Hungariam venisse existimo, petitur ab institutione episcopatuum in Hungaria. Etenim decem episcopatuum erectio in regno Hungariæ inchoata est ab anno* 1000, *et hoc anno approbata a summo Pontifice Silvestro II, ut probavi ad* 2 *Septembris in S. Stephano rege* § 24. *Inter decem autem illos episcopatus omnium consensu est Chanadiensis, qui tempore* S. Gerardi *passim* Morisenus *dicebatur, ejusque erectio in ipsa* S. Gerardi *Vita asseritur. Quare, cum S.* Gerardus *primus fuerit episcopus Morisenus aut Chanadiensis, septemque annis ante episcopatum in Hungaria habitaverit; nequit adventus ejus in Hungariam differri usque ad annum* 1030, *nisi etiam erectio episcopatus Moriseni differatur usque ad annum* 1037. *At prorsus improbabile et incredibile est,* S. Stephanum *tam sero perfecisse, quod sibi ab anno* 1000 *proposuerat, præsertim cum nulla tantæ dilationis causa aut ratio possit assignari. Præterea Vita ipsa luculenter insinuat, multis annis ante mortem S. Stephani episcopum fuisse* Gerardum. *Nam num.* 3 *dicitur* ecclesias *ædificasse* per singulas urbes, *sui nimirum episcopatus, præter principem basilicam S. Georgii, in qua multa magnifice exstruxit. Hæc autem aliaque munia episcopalia, quæ omnia in Vita referuntur ante mortem S. Stephani, magis insinuant,* S. Gerardum *totis viginti aut etiam triginta annis S. Stephano in episcopatu convixisse, quam uno tantum alterove anno.* F *Accedit alia ratio ex Vita num.* 9 *existimandi, circa annum potius* 1010, *quam anno* 1037, *episcopum creatum* S. Gerardum. *Etenim anno* 1041 *Ovo rex aut tyrannus, pulso rege Petro, a* S. Gerardo *coronari voluit, eique assensi sunt alii episcopi, qui id non fecerunt, nisi* Gerardo *renuente. Hic honor* Gerardo *delatus videtur, quia erat senior inter episcopos Hungariæ, absente forsan archiepiscopo Strigoniensi, ut hinc quoque non maneat verisimile, ultimis S. Stephani annis factum episcopum.*

sed figendus circa initium seculi XI.

17 *Quapropter, omnibus diligenter consideratis, vix ullum mihi relinquitur dubium, quin peregrinatio* S. Gerardi *et adventus in Hungariam contigerint circa initium seculi* XI, *quo tempore crebras per Hungariam fuisse Gallorum et Italorum ad Terram Sanctam peregrinationes, testatur Glaber Rodulphus lib.* 3 *cap* 1. *Congruit hæc epocha Vitæ edendæ num.* 2, *ubi dicitur S. Stephanus profligasse* impietatem gentis, *et* barbaros ethnicorum mores *superasse*, ut robustissimus Josue, *dum in eremo*

A *eremo Beel degebat* S. Gerardus; *hunc vero episcopum fecisse, quando regnum* pacis tranquillitatem *erat adeptum. Hæc luculenter declarant, eo tempore in eremo degisse* Gerardum, *quo S. Stephanus contra duces aut principes, qui ad tuendam idololatriam arma sumpserant, bellum gessit. Duces autem illi fuerunt, primus Cupa dux Simigiensis, qui certe jam ante annum* 1000 *superatus erat et occisus, ut videri potest in S. Stephano* § 14. *Bellum eadem de causa S. Stephano intulit Giula Transilvaniæ princeps, quem similiter vicit sanctus rex, et vivum in potestatem suam redegit, subacta Transilvania. Hoc bellum figitur anno* 1002 *aut* 1003, *et saltem finitum est anno* 1004, *aut citius. De eo egi in S. Stephano* § 25. *Secutum est non diu post bellum Bulgaricum, in quo rursum victoriam habuit S. Stephanus, occiso Bulgarorum duce, ut eodem loco fuit expositum. Vel omnia hæc bella, vel duo posteriora, designavit procul dubio auctor Vitæ* S. Gerardi: *neque enim alia id genus pro fide bella videtur gessisse S. Stephanus, cum Bessorum nonnullæ incursiones non magno molimine fuerint repressæ. Jam vero, etsi memorata bella magis velimus protrahere, quam fecisse videntur* B *scriptores antiqui, necesse saltem est dicamus, omnia fuisse finita ante annum* 1008. *Hinc itaque probabili admodum conjectura figemus initium episcopatus* S. Gerardi *circa annum* 1008. *Hæc epocha non solum nullam patitur difficultatem, sed etiam prolixum* S. Gerardo *attribuit episcopatum, ut potuerit gentes convertere, ecclesias ædificare, omniaque commode præstare, quæ leguntur in Vita. Quod initium episcopatus multo serius fixerint plures neoterici, non aliunde factum est, quam quod Vitæ fabulosæ et chronotaxi arbitrariæ Wionis nimis credulos se præbuerint.*

In Beel solus habitavit cum Mauro monacho;

18 *Locus* Beel, *ubi septennio solitariam vitam duxit* S. Gerardus, *erat in silva Bocon agri Budensis; in quo loco monasterium exstruxit S. Stephanus, suadente S. Gunthero eremita, ut narravi in S. Stephano num.* 292. *At ibidem tunc dubitavi, an monasterium fuisset constructum, habitante ibi* S. Gerardo, *et consequenter an toto illo septennio solus habitasset cum Mauro monacho, et utriusque dubii examen ad hunc locum remisi. Quare modo respondeo, solum cum Mauro habitasse ibi* S. Gerardum; *monasterium vero videri conditum, postquam ille ad episcopatum fuit promotus.* C *Utrumque videtur Vita exigere: neque enim cum uno tantum habitasset monacho, si monasterium inhabitasset, nec solus habitasset, si monasterium interim fuisset constructum. Ratio vero dubitandi, quæ mihi unice oriebatur ex assignato a plerisque neotericis tempore adventus* S. Gerardi *in Hungariam, quod operosius tunc examinare nolui, nunc plane sublata est, postquam ostendi, totis fere triginta annis citius in Hungariam venisse* S. Gerardum, *quam illi voluerint. Carthuitius in Vita S. Stephani num.* 21 *de illis ita habet:* Ad nutum etiam ejusdem Servi Dei *(S. Guntheri eremitæ)* rex Deo devotus monasterium, quod Beel nuncupatur, incipiens, hominibus ditavit: ubi monachus Gerardus de Venetia veniens, vitam contemplativam agere cœpit *etc. Illud* ubi *non est referendum ad monasterium, sed ad locum Beel, ubi illud postea conditum.*

ubi postea a S. Stephano exstructum

19 *Idem est sensus verborum in diplomate S. Stephani pro illo monasterio, quod recitat Carolus Peterfy in Conciliis Hungariæ pag.* 5, *ubi hæc leguntur:* Igitur inter cætera in illo loco, qui Beel dicitur, in sylva Bocon, quia divino cultu videbatur mancipari valde idoneus, sub titulo B. Mauritii Christi martyris monasterium incepi construere, quod et per Dei adjutorium consummavi, regiis quoque munificentiis, sicut potui, ditavi. In quo *(loco nimirum, non monasterio)* Gerardus monachus, de Venetia veniens, primus cœpit conversari etc. *Vox* primus *satis insinuat, habitationem* S. Gerardi *non exponendam de monasterio, in quo multi simul habitare incipiunt, sed de loco, in quo primus habitare cœpit* Gerardus *cum socio Mauro, qui fortasse ad ipsum jam ibi habitantem accessit. Bonfinius quidem Decade* 2 *lib.* 1 *pag.* 180 *sic loquitur de constructo monasterio Beel, ac de habitatione* S. Gerardi, *ut possit intelligi de habitatione in monasterio:* Ubi, *inquit,* Gerardum monachum, virum quidem religiosissimum, contemplativam vitam egisse fama est. *Verum, si id credidit Bonfinius, deceptus fuit dubiis Carthuitii verbis; et erravit in eo non minus, quam in tempore episcopatus* S. Gerardi, *quem putavit post obitum S. Stephani episcopum factum, quod hujus Vitam præ oculis non habuisset.*

auctore J. S.

monasterium suadente S. Gunthero

20 *Joannes Thuroczius in Chronica Hungarorum cap.* 40, *relato* S. Gerardi *martyrio, ad propositum nostrum hæc subjungit:* Hic siquidem Gerardus monachus de Rosatio, natione Venecensis, qui in Pannoniam veniens, primus in Beel vitam E ducens eremiticam, tandem in Chanadiensem cathedram in episcopum est translatus. *Hæc rursum insinuant, non in monasterio, sed in Beel, loco solitario, habitasse* S. Gerardum, *ut ipsa ejus Vita clarissime habet. Demum illud monasterium in Beel constructum fuisse, postquam inde discesserat* S. Gerardus, *plane liquebit ex chronotaxi Vitæ S. Guntheri, suo loco danda. Guntheri enim consilio S. Stephanus monasterium exstruxit, quando ille ex eremo Bohemica subinde ad regem accedebat. At serius Guntherus ex Bohemia ad S. Stephanum accedere cœpit, quam ut* Gerardum *in eremo Beel invenire potuerit. Quare ille deinde persuasit regi, ut in loco, Viri tam sancti habitatione honorato, monasterium extrueret. Ceterum paucis hic observare placet.* S. Gerardum *ab omnibus scriptoribus laudatis nominari* monachum, *a nemine* abbatem, *ex verbis vero Thuroczii aliud oriri dubium. Ab eo enim vocatur* monachus de Rosatio. *Rosatium autem est oppidum Fori-Julii, Italis* Rosazzo *dictum, aliquot milliaribus Italicis a civitate Foro-Julii dissitum. Quapropter, si cui auctoritas Thuroczii ad hoc videtur sufficere, poterit dubitare, an non Rosacii potius, quam Venetiis, vitam monasticam agere cœperit Sanctus.*

F.

Consecrata per Sanctum ecclesia in agro Ravennate.

21 *Ad gesta* S. Gerardi *in episcopatu nihil fere adjungendum Vitæ invenio; quæ vero in Vita referuntur, vivente S. Stephano peracta, certis illigari nequeunt annis; sed paulatim facta fuerunt inter annos* 1008 *et* 1038. *Sic nequit certo anno figi constructio monasterii S. Petri ad Vincula in agro Ravennate, et consecratio ecclesiæ per* S. Gerardum *peracta. Fundationem illam narravi in S. Stephano regenum.* 297. *Quare pauca solum huc transfero ex litteris fundationis S. Stephani ibi recitatis. Ait rex, se illud monasterium* construi *jussisse* ad consilium Gerardi, venerabilis episcopi ecclesiæ Morisanæ, fidelis nostri, *inquit,* et per prædicti Gerardi manus proprias, ac auctoritate Romanæ ecclesiæ consecrari. *Ex his colliget lector, non exiguam fuisse* S. Gerardi *auctoritatem apud S. Stephanum, et* S. Gerardum *aliquando in Italiam fuisse profectum. De tempore nihil statuo, nisi factam non videri fundationem prioribus annis S. Stephani, cum tunc totam Hungariam ecclesiis et monasteriis conatus sit implere; sed potius posterioribus, aut certe quando pleræque fundationes piæ erant*

AUCTORE J. S.

erant in Hungaria absolutæ. Hoc tamen nequit colligi ex episcopatu S. Gerardi, *ut ibidem mihi visum est, quod necdum crederem, omnes fere recentiores a vera chronotaxi Vitæ* S. Gerardi *tam longe aberrare.*

Ovo regnum Hungariæ arripuit anno 1041;

22 *Annus mortis S. Stephani non est dubius, cum obierit* XV *Augusti anni* 1038. *At quæ mox sequuntur in Vita* S. Gerardi *num.* 8 *et* 9 *de tyrannide Ovonis, qui* Aba *ab Hungaris vocatur, a Baronio referuntur ad annum* 1042, *a Pagio vero ad annum* 1041. *Inchofer in Annalibus Hungariæ dejectionem Petri regis refert ad annum* 1041, *gesta vero inter Ovonem et* S. Gerardum *ad annum* 1042. *Hanc chronotaxim, licet primo intuitu mirabilis videri possit, veram existimo. Standum videtur auctoritate Hermanni Contracti, qui eo vivebat tempore. Hic in Chronico ad annum* 1041 *ultimo loco hæc scribit :* Ipso anno Ungarii perfidi Ovonem quemdam regem sibi constituentes, Petrum regem suum occidere moliuntur : qui vix fuga lapsus, primo ad marchionem nostrum Adelbertum, sororis suæ maritum, profugus venit, indeque ad regem Heinricum veniens, pedibusque ejus provolutus, veniam et gratiam imploravit et impetravit.

B *Hæc verisimiliter facta sunt æstivo tempore anni* 1041, *aut forte etiam sub finem anni. Thuroczius in Chronica cap.* 36 *asserit, Petrum fuisse expulsum* anno regni *sui* tertio, *qui complebatur post* XV *Augusti anni* 1041 , *docetque collectum fuisse Hungarorum exercitum ab Aba sive Ovone. Itaque anno* 1041 *Petrum comprehendere aut occidere studuit Ovo, eoque fuga elapso, coronam accipere voluit; prius tamen addictos Petro sibique contrarios de medio tollere. Certe cædes primariorum tempore Quadragesimæ dicuntur peractæ, secutaque Paschali tempore coronatio. Hæc igitur videntur spectare ad annum* 1042.

sed ejus coronatio, et prædictio S. Gerardi sunt anni 1042.

23 *Hac posita chronotaxi, recte explicatur prædictio* S. Gerardi, *qui pronuntiavit Ovoni,* tertio anno *excitandum gladium, quo regnum et vitam perderet. Quo id factum sit tempore et modo, exponit laudatus Hermannus ad annum* 1044, *ita scribens :* Ovo rex, cum jusjurandum pactumque fregisset, Heinricus rex *(Germaniæ)* cum perparvis copiis Pannonias petiit : quem Ovo, qui maximum paraverat exercitum, in tantum despexit, ut eum, quasi facile occidendum seu capiendum, provinciam ingredi sineret. Sed Heinricus parte C copiarum Rabam fluvium festine, in divino confisus auxilio, transvadavit, pugnam, cunctis militibus passim festinantibus, iniit, et in prima congressione innumerabilem Ungariorum exercitum fugavit et postravit; et paucissimis suorum amissis , ipsemet fortissime pugnans gloriosissimam victoriam adeptus est III Nonas Julii. *Mox addit fugam Ovonis, et restitutionem Petri in regnum. Et post pauca :* Nec multo post idem Ovo, a Petro rege deprehensus, scelerum suorum pœnas capite plenus persolvit. *Clarum est, hæc contigisse tertio anno a Paschate anni* 1042, *eoque figendam coronationem Ovonis et prædictionem* S. Gerardi. *Quartus vero currebat annus secundum chronotaxim Pagii, qui non debuit ad hæc oculos claudere, nec sic Baronium corrigere in ejectione Petri, ut ipse in alium errorem de coronatione Ovonis incideret.*

Martyrium Sancti non anno 1047,

24 *Restat inquirendus annus, quo* S. Gerardus *glorioso martyrio ad æternam vitam transivit. De martyrii die constat, cum festivitas ejus sub S. Ladislao rege fixa sit* XXIV *Septembris. Annum vero* 1047 *statuunt Baronius et Inchofer; Pagius annum* 1046 *Mabillonius, qui solam* S. Gerardi *Vitam considerasse videtur , elegit annum* 1048 *errore satis certo. At duæ aliæ opiniones magis* D *sunt ambiguæ. Hoc ex historicis constat,* S. Gerardum *fuisse occisum in eo Hungarorum tumultu, quo Petrum regem persecuti sunt, ceperuntque et oculis privarunt, quando Andreas ad regnum ab Hungaris promotus est; imo persecutionem illam contra ecclesiasticos fuisse cœptam, simul atque Andreas cum fratre suo ex Russia, in qua exsules degebant, in Hungariam fuit ingressus. Hoc autem quo factum sit tempore, docet laudatus Hermannus Contractus ad annum* 1046, *ubi post priora illius anni gesta, sic prosequitur :* Subsecuto autumno Ungarii, pristinæ perfidiæ suæ memores, Andream quemdam regem sibi statuunt, Petrum regem multis advenarum, qui pro eo pugnaverant, occisis, variis *(additur in editione priore,* cum conjuge sua injuriis affectum, postremo oculis privant et in quemdam locum*)* cum (eadem) conjuge sua alendum deputant *(alias* deportant;*)* multis etiam per idem tempus peregrinis inibi exspoliatis, exsulatis atque necatis. *Hæc ipsa est epocha martyrii* S. Gerardi, *qui sub initium illius seditionis fuit occisus, quod perfidi, qui Andream in Hungariam vocaverant, idololatriam reducere vellent, et episcopos aliosque ecclesiasticos, quotquot poterant, de medio tolle-* E *rent, connivente aut dissimulante Andrea, qui videbat, sibi quoque metuendum esse, si fortiter se opponeret, præsertim cum frater ejus Leventa ritibus gentilitiis esset addictus. Inter principium illius tumultus, qui ortus est circa confinia Poloniæ, ubi conspirantes Hungari Andream exceperunt, et mortem* S. Gerardi, *forte non nisi octo aut decem dies fuerunt intermedii, ut conspiratio videatur erupisse mense Septembri, et* S. Gerardus *cum pluribus occisus die* XXIV *ejusdem mensis.*

sed 1046 figendum.

25 *Baronius et Inchofer fatentur quidem, Andream anno* 1046 *ab Hungaris vocatum, hosque eodem anno studuisse fidem Catholicam abrogare in Hungaria; martyrium tamen* S. Gerardi *figunt anno sequenti, ob relatam in Vita* S. Gerardi *de martyrio suo prædictionem, quæ impleta dicitur,* uno lustro evoluto secundoque inchoante. *Verum meo quidem judicio ex hac prædictione nihil haberi potest pro tempore martyrii, cum solum referatur occasione alterius de interitu regis Ovonis, neque dicatur, eodem tempore vaticinatum fuisse Sanctum de suo martyrio et de Ovonis interitu. Credamus tamen, ut illi existimarunt, utrumque a Sancto fuisse prædictum tempore Paschali anni* 1042; *necesse non erit mortem Sancti ea de cau-* F *sa in annum* 1047 *differre, multo minus in annum* 1048 *cum Mabillonio, qui inter prædictionem et martyrium sex annos et fere tot menses gratis interponit. Etenim, etiamsi* lustrum, *æque ac* olympias, *in Lexicis passim exponatur* quinquennium, *tamen quatuor tantum annos completos plerumque significat, ita ut, quinto anno et primum lustrum compleatur, et simul inchoetur alterum. Itaque, si credamus prædictionem factam in Paschate anni* 1042, *completa est anno* 1046, *quando currebat secundum a prædictione lustrum, sive annus quintus. Si subinde lustrum pro quinque annis completis fuerit sumptum, ut contendit Pitiscus in Dictionario Antiquitatum Romanarum, hoc certe perpetuum non est; nec inveni ullum locum ab eo adductum, quem aliter explicare nequeam. Ceterum nulla ratione mortem* S. Gerardi *in annum* 1047 *differendam esse, liquet ex laudato Hermanno, qui ad annum* 1047 *docet,* crebros legatos supplices *ad Henricum imperatorem fuisse missos, qui docebant, præcipuos scelerum auctores jam tum fuisse punitos.*

26 *Priusquam locum martyrii accuratius exponamus,*

Dum Hungari in Petrum regem omnesque ecclesiasticos conspirabunt.

A ponamus, lubet audire scriptores, qui prolixius de ejus occasione egerunt, quam agatur in Vita. Thuroczius in Chronica Hungarorum cap. 39 fuse agit de conspiratione Hungarorum contra Petrum regem, et de impio magnatum quorumdam conatu ad fidem Catholicam penitus abolendam. Hoc consilium impii Andreæ tantum indicarunt, postquam in Hungariam pervenerat cum fratre Leventa, et in illorum erat potestate. Dux impiorum dicebatur Vatha, qui alios in partes suas traxerat, Andreamque, sive timore, sive regnandi desiderio fractum, dissimulare cogebat. Primus eorum impetus contra præfectos Petri et contra omnes ecclesiasticos fuit directus. Petrus, intellecta conspiratione, voluit Albam Regalem se recipere; sed præventus est a rebellibus et exclusus. S. Gerardus secundum Vitam voluit similiter Albam Regalem proficisci; sed occisus est in itinere. Thuroczius laudatus, Dec. 2 lib. pag. 196 ait, S. Gerardum cum tribus aliis episcopis Alba Regali discessisse, ut B Andreæ et Leventæ obviam proficiscerentur. Bonfinius Dec. 2 lib. 2 pag. 196 similiter tres alios episcopos S Gerardo adjungit, eosque simul novis ducibus occurrere voluisse scribit; sed non dicit, unde illi venirent. Verum, cum Thuroczius Bonfiniusque non raro in rerum adjunctis a veritate aberrent; Vitam S. Gerardi unice sequendam existimo. Quæ enim in ea narrantur, de se quoque magis sunt verisimilia.

S. Gerardus Albam Regalem proficiscens,

27 Quapropter dicendum, S. Gerardum Chanadio sive Canadio, urbe sua episcopali, discessisse Albam Regalem. Non alia autem ratio illius itineris fuisse videtur, quam quod voluerit in tutiorem locum se recipere, intellecta conjuratorum in ecclesiasticos sævitia Forte etiam intellexerat aut conjiciebat, eo se recepturum Petrum regem, qui re ipsa id facere voluit. Secundo alios episcopos fuisse in comitatu Gerardi, Vita non habet; sed magis contrarium insinuat, dum dicitur, Eodem die maxima strages Christianorum facta est: nam duo pontifices multique viri Religiosi interempti sunt. Neque enim hi simul interempti dicuntur, sed eodem die, videlicet quando primus conjuratorum furor undique in omnes sæviebat. Ipse Thuroczius cap. 40 variam quatuor episcoporum, quos conjunxit, sortem enarrando satis ostendit, non esse verisimile, illos omnes fuisse simul in itinere, uti et Bonfinius illi consentiens. Nam Buldum dicunt lapidibus obrutum, nec locum assignant. Beztritum et Benetham aiunt trajecisse fluvium, et sic Pesthum venisse: ubi Beztritus ita fuerit vulneratus, ut tertia die secundum Thuroczium, aut postero die secundum Bonfinium, moreretur; C Benetha vero impiorum manibus per Andream regem liberatus asseritur. Zonuk comes, quem iidem quatuor episcopis adjungunt, in ipso fluminis transitu gladio occisus dicitur. At nequaquam perspicio, cur omnes non fuissent a sicariis circumdati et simul occisi, si una obviam novo regi proficiscebantur. Itaque magis existimo, S. Gerardum fuisse solum cum aliquot clericis aut monachis, atque Albam Regalem proficisci voluisse, dum ab impiis occisus est in itinere prope Danubium, quem transmittere oportebat, ut Albam veniret.

in itinere prope Danubium occiditur.

28 De loco martyrii Vita solum habet, occisum esse, cum pergeret ad Danubium. Thuroczius cap. 40 ait, Gerardum cum Sociis ivisse ad portum Danubii in Pesth. Poterat sane S. Gerardus Chanadio Pesthum iter dirigere, ut ibi Danubium transiret, atque ulterius Albam Regalem proficisceretur. At scriptor ille mox adjungit: Cumque ad prædictum portum (Pesthum civitatem) venissent etc., acsi Pesthum venire potuissent ex Alba Regali sine transitu Danubii. In eo quidem ille errat, eoque errore ostendit, Chanadio potius profectum fuisse S. Gerardum, ut habet Vita. Attamen aut prope Pesthum aut in ipsa civitate Thuroczius S. Gerardum occisum credidit. Inchofer in Annalibus ad annum 1047 ejusdem videtur sententiæ, cum scribat Pesthi sepultum, et ante occisum dicat, ubi ad Danubium trajecturus pervenit. Hic autem martyrii locus ad Danubium prope Pesthum recte congruit cum Vita, cum ratio itineris secundum tabulas geographicas videatur exigere, ut infra Pesthum, aut Pesthi, Danubium transeat, si quis Chanadio Albam Regalem proficiscitur. Addit Thuroczius, de monte Kelenfeld fuisse præcipitatum. Quod etiam legitur apud Longinum in Historia Polonica ad annum 1048, sed Kierenfeludt scribitur. Inchofer ait, fortasse rectius dici Kelemfolde. At non exponit, ubi situs sit ille mons, et an illum noverit. Mihi præcipitatio illa ex monte fictitia videtur, cum Vita solum habeat, ex plaustro subverso humi projectum fuisse, ac deinde lancea percussum. Ex E dictis autem colligo, occisum esse Sanctum ad Danubium aut prope Pesthum, aut certe intra Pesthum et Colociam. Longe aberravit vir quidam eruditus, dum eum ad Albam-Regalem occisum scripsit. Ceterum Thuroczius et Bonfinius varia adjungunt ad Vitam de iis, quæ martyrium præcesserunt aut comitata sunt. Verum, cum pleraque non admodum sint probabilia, brevius ea discutiam in Annotatis ad Vitam.

AUCTORE J. S.

§ III. Posthuma Sancti gloria ex corporis translationibus, canonizatione, cultu, miraculis, etc.

Corpus Sancti sepultum, et sequenti forsan anno translatum

De Sancti sepultura nihil habet Vita, nisi postridie a Catholicis sepultum fuisse in ecclesia sanctissimæ Dei Genitricis: sed vita Wionis cap. 20 in Pesth adjungit. Inchofer ad annum 1047 de sepultura S. Gerardi ita scribit: Altero a martyrio die Pesthum delatus, in ecclesia Dei Genitricis honorifice, quantum in ea rerum perturbatione licuit, depositus est. Prima corporis translatio ad civitatem episcopalem: quæ Morisena sedes in F Vita vocatur, facta dicitur post multos dies, et consentiente Andrea rege. De ipso translationis anno ex his nihil habemus. At constat, religionem Catholicam ab Andrea rege, postquam pacificam regni possessionem et coronam adeptus erat, publico edicto et severis legibus fuisse restitutam. Leges has recitat Peterfius in Conciliis Hungariæ pag. 14; dicitque latas in comitiis circa annum MXLVIII. Forte fuerint latæ coronationis tempore, cum tres episcopi, post primum illum tumultum superstites, Andreæ coronam regiam imposuisse dicantur, idque non facturi fuisse videantur, nisi promisisset Catholicæ fidei defensionem. Coronationem anno 1047 peractam scribunt Thuroczius cap. 42 et Bonfinius pag. 197, eaque epocha ex chronotaxi nostra admodum verisimilis et quasi certa videtur. Bonfinius vero leges Andreæ pro fide Catholica mox subjungit. Quapropter eodem anno aut sequenti corpus S. Gerardi Chanadium fuisse translatum existimo; præsertim cum facta videatur translatio, antequam novus Chanadii esset episcopus. Translatio enim petita dicitur a procuratore S. Gerardi, eoque curante peracta, non ab episcopo Chanadiensi.

AUCTORE J. S. *cum lapide, qui sanguine Sancti erat tinctus,*

30 *Quæ hisce contraria habet Vita fabulosa apud Wionem cap.* 21 *et* 22, *nullam merentur attentionem, dum* septem annis *in primo sepulcro jacuisse dicitur, dum Maurus episcopus et Philippus abbas translationi assistentes indicuntur, et abbas canonicique de loco futuræ sepulturæ contendentes. Quæ adduntur miracula plurima, nihilo magis huc transferenda censeo: neque enim Vita meminit vel generatim de ullis miraculis in translatione illa factis, excepta corporis incorruptione; sed solum de gratiis deinde Chanadii obtentis. Quare nullum ex illis huc transferendum censeo. Scriptores Hungarici memorant etiam translationem lapidis, in quem sanguis* S. Gerardi *effusus est; sed non sine adjunctis fabellis, quantum videtur. Lapidem aliquem Sancti sanguine fuisse tinctum, dum ille occisus est, illumque lapidem una cum corpore fuisse in sepulcro depositum ac deinde translatum, omnino verisimile est et credibile, præsertim cum sicarii Sanctum lapidibus obruere primum tentaverint. Hoc itaque negare nolim, cum facile omitti potuerit a Biographo.*

quique idcirco simul cum corpore Chanadium translatus videtur.

31 *At lapidem illum fabellis quoque exornasse videtur popularis traditio. Nam Bonfinius pag.* 196 *de eo sic habet:* Lapis sancti Viri sanguine fœdatus nulla Danubii inundatione dilui potuit; quamvis annis circiter septem ibi permanserit, donec ejus a sacerdotibus lectæ reliquiæ, in sacellumque Chanadini sunt reconditæ, lapis in altaris superficie in rei testimonium collocatus. *Thuroczius cap.* 40 *ita scribit:* Danubius sæpe redundans super molem lapidis, in quo contritum est caput S. Gerardi, non potuit sanguinem diluere per septem annos, donec recollectus est a sacerdotibus: et lapis ille nunc est Chanadini in superficie sui altaris. *Hæc etiam leguntur apud Wionem cap.* 20, *et apud Inchoferum ad annum* 1047. *Verum, cum martyrum sanguis una cum corpore colligi studiose soleat ab iis, qui curam suscipiunt martyres sepeliendi, crediderim dictum lapidem una cum corpore in sepulcro fuisse depositum, cum eo translatum, ac tandem in corporis elevatione (mox referenda) fuisse in altari positum. Certe illum septennio mansisse in loco martyrii, nequaquam est credibile. Etenim vel cognitus erat, ut lapis* S. Gerardi *sanguine tinctus; vel non erat notus, ut talis. Si ignotus erat, quomodo postea innotuit? Si erat cognitus, qua ratione factum di-* C *cemus, ut septem annis a nemine fuerit ablatus; maxime si nec Danubii exundatione nec imbribus umquam sanguis ablui potuit? Non ausim ego tam male de Hungarorum religione suspicari, ut credam, lapidem, gloriosi Martyris sanguine venerandum, adeo fuisse neglectum.*

Canonizatione facta, corpus elevatum circa 1083;

32 *Quæ hactenus dicta sunt de* S. Gerardi *translatione, non important publicum Sancti cultum, cum ea vice non fuerit translatus ut Sanctus, sed ut episcopus et vir venerabilis ad ecclesiam propriam. Post illam translationem cœpit beneficia gratiasque suo patrocinio clientibus suis præstare ut habet Vita,* tamen non evidenter, *quia non honorabatur cultu publico, sed solum privata quorumdam pietate. Cultus Sancti publicus tempore S. Ladislai regis inchoatus est, ut testatur Vita, corpusque* S. Gerardi *eodem tempore solemniter fuit elevatum. Formalem tunc* S. Gerardi *factam fuisse canonizationem, uti et S. Stephani regis et S. Emerici ejus filii, pluribus probare conatus sum ad* 2 *Septembris in S. Stephano* § 38, *ubi etiam* § 37 *ostendi, elevationem corporum figendam esse circa annum* 1083. *Causa tamen Romæ citius inchoari potuit, ibique ad aliquot annos protrahi.*

solemnis Sancti festivitas in Hungaria die XXIV *Septembris:*

33 *Wion cap.* 22 *figit canonizationem* S. Gerardi D *anno* 1078, *aitque in Annotatis, eam in Vita fabulosa, quam præ oculis habuit, poni anno* 1068. *Verum illius Vitæ auctoritas nulla est, recteque hic rejecta a Wione ex epocha S. Ladislai, qui regnum adeptus est anno* 1077; *opinio quoque Wionis, qui secundo Ladislai anno canonizationem ponit, non satis probabilis est, cum repugnent rationes in S. Stephano a me allatæ. In synodo Szabolchensi, quæ habita est tempore S. Ladislai, apud Peterfium pag.* 34, *inter festa præcipua, quibus abstinendum erat ab operibus, recensetur* S. Gerhardi episcopi *festivitas, eaque locatur inter* S. Matthæi *et* S. Michaëlis *festa, ut dubitandum non sit, quin ponatur* XXIV *Septembris, etiamsi alias dies non exprimatur. Circa idem tempus verisimiliter exstructum est sacellum* S. Gerardi *in loco martyrii, de quo ita Thuroczius cap.* 40: Nunc in eodem loco, ubi contritum est caput ejus, in honore B. Gerardi martyris ecclesia sub monte apparet fabricata.

Ad eumdem diem memoria variis Martyrologiis,

34 *Memoria* S. Gerardi *Fastis recentioribus ad* XXIV *Septembris, quo festivitatem ejus fixam dixi, insertam reperimus. In codice Usuardino Hagenoyensi, qui conscriptus est anno* 1412, *ad hunc diem ita legitur:* In Ungaria, sancti Gerhardi E episcopi et martyris. *Hinc* S. Gerardum *suis Usuardi editionibus inseruerunt Belinus, Grevenus et Molanus iisdem fere verbis. Addit tamen Grevenus:* Qui secundum Catalogum *(Petri de Natalibus aberrantis)* passus est VII Kalend. Martii. *Auctor Ms. Florarii Sanctorum* S. Gerardum *celebrat non sine erroribus hoc modo:* In Ungaria, in urbe Bonda *(Budam vult dicere,)* S. Gerardi episcopi et martyris, qui in biga positus, et de altissimo monte præcipitatus, martyrium complevit anno salutis MXL. *Aberrat auctor utcumque in loco, in tempore, in modo martyrii; sed hæc jam ante disputata sunt. Brevius ad eumdem diem* S. Gerardum *celebrant Galesinius, Canisius et Maurolycus. De eodem* S. Gerardo *meminit Martyrologium Ms. Trevirense S. Martini, quod omnibus prædictis vetustius videtur, sed sine loco martyrii. Annuntiatio* S. Gerardi *in Martyrologio Romano subinde nonnihil mutata est, variaque legitur in variis editionibus: nam hæc verba,* familia Sagredorum, *adjuncta leguntur in aliquot editionibus seculi* XVII, *non tamen in omnibus illius seculi, et in nulla editione hujus seculi, quamquidem ego videre potui. Videntur illa verba* F *fuisse elogio addita, post Vitam a Wione compositam editamque, sed rursum deinde omissa propter incertas illius de Sancti familia opinionis rationes. Dabo itaque elogium, prout in plerisque editionibus legitur, et nominatim in postrema, quæ facta est cura sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV, quæ sic habet:* In Pannonia sancti Gerardi episcopi et martyris, Hungarorum apostoli nuncupati, patricii Veneti, qui primus patriam nobili martyrio illustravit. *In Martyrologiis monasticis, quæ laudatus Pontifex post Romanum imprimenda curavit, ejusdem quoque* Gerardi *memoria eodem die legitur, nimirum in Benedictino, in Cisterciensi et in Carmelitano. Venetiis* S. Gerardus *eodem die colitur Officio, quod anno* 1678 *a sacra Rituum Congregatione approbatum est.*

et nominatim Benedictinis inserta;

35 *Benedictini Martyrologi* S. Gerardum, *ut sui Ordinis alumnum, certatim annuntiarunt, abbatem tamen non fecerunt, ut ipsi non videantur probasse Vitam a Wione editam. Menardus sic habet:* In Pannonia, S. Gerardi episcopi Chanodiensis et martyris: qui ab infidelibus lapidibus obrutus,

A rutus, et lancea perfossus, tandem capitis contusione martyrium implevit. *Rectius lanceæ adscriberetur finis martyrii. Dorganius his utitur verbis :* S. Gerardi episcopi et martyris, et Hungarorum in Pannonia apostoli, qui multa præclara instituit in honorem beatissimæ Virginis. *Wion ipse in Ligno Vitæ, impresso duobus annis ante Vitam* S. Gerardi, *ad hunc diem tali solum elogio* S. Gerardum *annuntiat :* In Pannonia, passio sancti Gerardi episcopi Canadiensis et martyris, qui ab infidelibus lapidibus obrutus, et lancea perfossus, tandem capitis contusione martyrium complevit. *In Annotatis prolixe enumerat documenta, quibus deinde usus est ad Vitam edendam; Sanctumque quidem facit* ex clarissima familia patritia de Secretis, *uti et monachum* S. Georgii Majoris, *non tamen abbatem : sed novellam hanc opinionem refutat his verbis :* Petrus a Bugiano in Historia sua monastica... eum abbatem S. Georgii Majoris Venetiarum facit; sed hallucinatum eum fuisse existimo. De monachatu quidem in eodem monasterio constat, ut etiam auctor est Nicolaus Doglion in Historia Hungariæ, sed de abbatia Historia muta est. *Idem postea aliis verbis* B *rursum insinuat, ut vix capiam, quo postea modo improbabilem illam opinionem adoptare potuerit. Bucelinus in Menologio Benedictino* S. Gerardum *prolixo celebrat elogio, in quo nonnulla Wionis placita adoptavit.*

translatio vero ad XXIII Februarii.

36 *Ad* XXIII *Februarii in Prætermissis hæc apud nos observata sunt :* S. Gerardi episcopi Conadiensis in Hungaria, in confiniis Transsilvaniæ, corporis ad Venetos, unde erat oriundus, translatio hoc die celebratur a Maurolyco, Galesinio, Felicio, Greveno, Canisio, Ferrario, tam in Catalogo generali, quam Sanctorum Italiæ, et in Martyrologiis monasticis Wionis, Dorganii, Menardi, Bucelini. *Hæc breviter Bollandus, ut hodie magis examinarentur omnia. Ex laudatis autem martyrologis Maurolycus et Felicius natalem potius annuntiare videntur, quam translationem; Grevenus, Galesinius et Canisius dubitant, sitne passio an translatio eo die memoranda. At Ferrarius omnesque monastici clare memorant translationem, et quidem illam, qua Sancti corpus Venetias, seu potius Muranum pervenisse creditur. Wion ad memoratum diem sic habet :* Venetiis apud Muranum *(rectius diceretur* Murani apud Venetias) translatio C S. Gerardi, episcopi Canadiensis et martyris. *In Annotatis laudat* Calendaria ecclesiarum S. Donati de Murano, et S. Georgii Majoris Venetiarum. *Addit :* Translationis Historiam nondum videre licuit : audivi tamen extare apud Canonicos præfatæ ecclesiæ S. Donati. *At nec postea eam laudavit in Annotatis ad Vitam : et Janningus noster, quando anno* 1686 *in insula Murano fuit, in Diario suo fol.* 26 *annotavit, nullum exstare translationis instrumentum; sed in media fere ecclesia, ad latus dextrum ingredienti ecclesiam per portam principem, altare esse, sub quo* S. Gerardi *corpus dicitur conditum, et festum translationis ibidem celebrari* XXIII *Februarii; natalem vero* XXIV *Septembris.*

quæ forte non est Muranensis, sed antiquior.

37 *Attamen dubitari potest, an ob translationem Muranensem Sanctus colatur die* XXIII *Februarii, et non magis ob primam corporis elevationem, Chanadii factam post canonizationem. Certe festivitas illius diei vetustior mihi videtur, quam translatio corporis ad insulam Muranensem. Nam Petrus de Natalibus in fine elogii dandi ait :* Passus est autem VII Calendas Martii. *In eo quidem errat, ut alias non raro : sed non videtur in talem errorem incidere potuisse, nisi aliqua Sancti festivitas* XXIII *Februarii celebrata fuisset, dum scribebat. Præterea Muranenses ipsi videntur olim ad* XXIII *Februarii non translationem, sed natalem* S. Gerardi *celebrasse. Nam antiquum Muranensium Officium Ms., quod edidit Cornelius in Ecclesiis Torcellanis part.* 2 *pag.* 73 *hoc titulo insignitur :* Die XXIII Februarii in S. Gerardi episcopi et martyris festo. *In ipso autem Officio nulla fit mentio de translatione, sed præcipua* S. Gerardi *gesta lectionibus inserta sunt. Itaque natalem seu passionem* S. Gerardi *illa die olim celebrarunt Muranenses, forte quod Petrus de Natalibus* XXIII *Februarii defunctum scripserit. Observat etiam Peterfius in Annotatis ad concilia Hungariæ pag.* 34, *in Kalendario Breviarii antiqui bibliothecæ Budensis festum* S. Gerardi Mart. Ep. *notari* XXIV Februarii. *Forte legendum erit* XXIII Februarii, *cum* XXIV *sit festum S. Matthiæ. Ex dictis colligo, incertum esse, an sit translatio Muranensis, an alia quæpiam vetustior, quæ occasionem dedit festivitas* XXIII *Februarii celebratæ.*

AUCTORE J. S.

Etsi Murani esse credatur corpus ; ignoratur tempus translationis

38 *Porro cum nulla illius translationis reperiantur documenta, mirari non possumus, nihil certi innotuisse de tempore, quo peracta est. Mabillonius in observationibus Vitæ præviis de ea hæc scribit ex conjectura :* Corpus sacrum B. Gerardi circa annum MCCCC Venetias translatum est, ac E Murani in ecclesia beatæ Mariæ, quæ nunc S. Donati titulum præfert, depositum fuit, ubi etiam nunc asservatur. Hæc translatio facta dicitur die XXIII Februarii. *Unde hauriri potuerit Bucelinus, quæ in Menologio suo ad* XXIII *Februarii de illa translatione scribit, sane non perspicio. Ait nimirum de* S. Gerardo *nostro :* Qui aureo sarcophago in Ungaria, et magna populorum religione cultus, assiduis deinde Venetorum concivium precibus concessus, magna pompa ad suum cœnobium *(S. Georgii Venetiarum)* transferendus, in S. Donati apud Muranum interim depositus, iis, qui negotium translationis urgebant, extinctis, decretos pridem sibi et meritos honores... exspectat. *Ut hæc fidem obtinerent apud prudentes, erant longe accuratius probanda, et non leviter asserenda. Malo sane ignorare, quo modo aut tempore* S. Gerardi *reliquiæ Muranum pervenerint, quam id genus assertis fidem præbere. Si conjecturæ sit locus, non alia mihi apparet verisimilior, quam ex Chanadiensi ecclesia ablatas fuisse ob metum hostium barbarorum. Turci, qui seculo* XVI *Chanadium occuparunt, sæpe ante suis incursionibus occasionem dare potuerunt reliquias* S. Gerardi *ad tutiorem locum transferendi. Idem diu ante fieri potuit metu Tartarorum. At, cum ipsi Muranenses ignorent, quomodo aut quando corpus* S. Gerardi *acceperint, id ego rescire nequeo.* F

et an fere totum ibi servetur : reliquiæ ex eo concessæ duabus ecclesiis Venetis :

39 *Dubitari etiam potest, utrum totum aut fere totum corpus possideant Muranenses, an solum partes aliquas notabiles, quæ de more corpus fuerint vocatæ, ut magis crederem, si constaret, liberali Chanadiensium aut aliorum Hungarorum dono reliquias fuisse Muranensibus concessas. Quidquid de his sit, nonnullæ ex servatis Murani aliis quoque ecclesiis fuerunt communicatæ. Nam apud Cornelium in Ecclesiis Venetis tom.* 8 *pag.* 86, *ubi agitur de monasterio S. Georgii Majoris, in quo* S. Gerardus *Ordinem S. Benedicti professus creditur, recitantur litteræ, quæ testantur, nonnullas* S. Gerardi *reliquias ab Antonio Grimano, episcopo Torcellano, in cujus diœcesi est Muranum, donatas fuisse abbati et monachis S. Georgii Majoris. Res dicitur peracta anno* 1593 in ecclesia parochiali S. Donati, quæ in Murano prope Venetias sita

AUCTORE J. S.

sita est. *Dicitur quoque laudatus episcopus* reliquias *extraxisse* capsula plumbea inclusas; *easque abbati et monachis liberaliter dedisse. At non additur, quanta pars corporis capsa illa plumbea contineatur, qualisque aut quanta fuerit data. Laudatus Cornelius tom.* 4 *pag.* 357 *aliam reliquiarum* S. Gerardi *partem assignat in ecclesia Veneta parochiali sanctissimæ Trinitatis, ita scribens :* In ea asservatur... os coxæ S. Gerardi Sagredi Cannadiensis episcopi et martyris, qui in hac eadem parœcia (ut a nonnullis traditur) ortum habuit: quod quidem venerandum os ex ejusdem sanctissimi Martyris corpore Muriani quiescente avulsum (interveníentibus familiæ Sagredæ precibus) ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis oblatum fuit ex munere Antonii Grimani Torcellani episcopi, atque ibidem ad aram ejusdem Martyris titulo insignitam honorifice collocatum.

aliæ aliis locis assertæ.

40 *Pragenses quoque nonnullas sibi attribuunt* S. Gerardi *reliquias. Etenim Pessina in Phosphoro Pragensi pag.* 518 *ad* XXIV *Septembris ita habet :* S. Gerardi episcopi et martyris duo notabiliter magna ossa ex Hungaria allata *(anno)* MCCCIV. *Hoc donum Pragensibus anno* 1304 *collatum dubitare* B *non sinit, quin nonnulla* S. Gerardi *ossa aliis quoque ecclesiis fuerint donata, priusquam Muranum pervenerint. Masinus in Bononia perlustrata ad* XXIV *Septembris affirmat, nonnullas* S. Gerardi *reliquias haberi Bononiæ in ecclesia Franciscanorum Conventualium. Ceterum quo hoc tempore per totam Hungariam ritu colatur* S. Gerardus, *discimus ex Missali Patronorum Hungariæ, impresso Tyrnaviæ anno* 1735, *in cujus Calendario ad* XXIV *Septembris hæc leguntur :* S. Gerardi episcopi et martyris duplex. Sed ob festum B. M. V. de Mercede eadem die occurrens, in aliam diem proximam est transferendum, excepta diœcesi Chanadiensi, per quam, ut Patronus principalis, obtinet ritum duplicis primæ classis cum Octava.

VITA

Auctore anonymo suppare.

Ex Ms. Corsendoncano, collato cum C *editione Cracoviensi.*

Sanctus, patria Venetus, a pueritia fit monachus,

Gaudia quæ Christi participibus dies hodierna contulit, ex beati patris nostri Christique martyris Gerardi mœritis fluxere. Hic enim hujus lucis lumen per Venetos parentes sortitus, Dei gratia præveniente, a pueritia cœpit Domino nostro Jesu Christo devotus existere; et Evangelicis documentis per omnia parere. Nam Religionis habitum Puer *a* accepit, sinistramque primi parentis viam declinans, novi hominis secundum Deum creati callem incedens, regionis per inobedientiam derelictæ, scilicet paradisi, gaudia jam adolescens studuit amare. Igitur dum animi sinceritate sanctam vitam duceret, placuit ei Dominicum visitare sepulchrum, quatenus Christum, propter nos egenum factum, inops et pauper sequeretur.

2 Egressus itaque de terra et de cognatione sua, tendebat ad Orientem, ubi Abraham dives ac pater *b* multarum gentium factus est; quatenus et ipse cum * Abrahæ semine, in Christo datam benedictionem peregrinationis suæ labore, ut credulus Abraham, possideret. Pervenit denique ad partes Pannoniæ, quarum habenam tunc Christi amicissimus Stephanus *c* gubernabat : quem Vir Dei humilis atque supplex adiit, cusamque sui itineris aperiens, ampliore dilectione * est ab eo receptus. Quem ubi rex moribus atque disciplinarum documentis Christi bonum odorem fragare intellexit, clam dimissis suis itineris comitibus, hunc solum invitum *d* retinuit, custodiamque adhibuit. Postquam Servus Domini se solum inhærens * reperit; tumultum populi devitans, in eadem regione heremum, quæ vulgo Boel *e* vocatur, petiit : ubi per septem annos jejuniis, orationum exercitiis deditus, excepto Mauro *f* monacho, solus habitavit.

* edit. Crac. in

deinde Christi sepulcrum visere cupiens, in Hungaria detentus primum eremita,

* edit. Crac. delectatione

* forte morens

postea fit episcopus Morisenus sive Chanadiensis.

3 Interim præfatus rex Stephanus, ut robustissimus Josue, impietatem gentium *g* delevit, crudelesque paganorum mores superavit : ac plurimorum corda ad recipienda sanctæ fidei semina præparavit. Videns autem rex, regnum suum pacis tranquillitatem adeptum, Servum Domini ab heremo revocavit, pontificialique infula decoratum, populo suo prædicare destinavit. Cui superna pietas tantam gratiam contulit, ut eum omnes loci illius incolæ unice amarent, et ut patrem colerent; et jam pater multorum, tanquam patriarcha Abraham, habe- E retur. Crescente vero fidelium numero, ecclesias Deo per singulas urbes fabricavit : principalem autem ecclesiam in honorem sancti Georgii pretiosissimi Christi martyris ad littus Morisii *h* fluminis fundavit : unde et Moriscenam sedem appellavit. Quam beatus rex Stephanus dotalibus muneribus nobiliter ditavit.

Eximia Sancti pietas in beatissimam Dei Matrem :

4 In qua ecclesia ad honorem Matris Domini Salvatoris venerabilem aram erexit, ante quam thuribulum argenteum fixit : cujus ministerio duos provectæ ætatis homines adhibuit, qui jugiter ibi vigilarent, quatenus ne ad unam horam odor thymiamatis abesset. Singulis quoque sabbathis ibidem cum novem lectionibus, sicut in die Assumptionis Matris Domini, magnisque laudum præconiis devotionis suæ officium complebat. Plus etiam misericordiæ operam dabat. Cæteris autem diebus, Matutinis atque Vesperis peractis, bis cum processione ad eandem venire consueverat : quæ consuetudo adhuc perseverat. Porro laudibus sanctæ Dei Genitricis se subdere tantæ humilitatis obsequio noverat : nam qualiscumque reus, clam a familiaribus sancti Viri edoctus, indulgentiam per F nomen Christi Matris *i* deprecabatur, audito nomine Matris Mariæ *k*, Pater sanctus mox lachrymis perfundebatur : et velut ipse esset reus, a reo veniam postulabat. Filium quoque suum illum fore affirmabat, si eam recte Dei Genitricem crederet. Ipsius arbitrio ab Hungarica generatione nomen Matris Christi non auditur, tantum Dominica resonat. Si vero auditur, statim flexis genibus, et demissis in terram capitibus, se inclinant : nam et Pannonia a suo sancto Stephano rege FAMILIA SANCTÆ MARIÆ appellata est. O laudanda Virorum prudentia! qui hanc maris Stellam attendendo cursum vitæ suæ dirigebant, quatenus respectu * exempli illius possent inter hujus sæculi fluctus remigantes, tanquam scylleam voraginem, voluptatum desideria declinare, portumque æternæ salutis attingere.

* al. mendose respectum

aliæ virtutes,

5 Circa ecclesiastica vero ministeria curam nimium sollicitus agebat. Nam æstivo tempore vascula in domo Domini glacie plena ponebantur, in quibus laguncula vinum, quod poterat optimum inveniri, ad Dominici Sanguinis confectionem reservabant *. Dicebat enim : Hoc, quod per fidem intus accipitur, hoc exterius suave invenitur. Nocturno

* in edit. Crac. conservabantur

A cturno denique tempore, leprosum in proprio lecto requiescere faciens, accepta securi, ad silvam solus pergebat; fasciculis quoque lignorum propriis humeris pro castigatione sui corporis ablatis, servorum sibi servientium laboressæpe relevabat. Quando enim Homo Dei de loco ad locum proficiscebatur, non quolibet jumento, sed modico utebatur vehiculo, in quo sedens libros, quos ex Spiritus sancti gratia composuerat *l*, relegebat. Vestimentis autem cilicinis atque ex pilis * arietum pellibus sæpe induebatur.

l — * *f.* pilosis

mira lenitas et humilitas,

6 Sicut sæpe sanctis hominibus contigit, aliquando negligentia sui aurigæ seu qualibet injuria læsus, levem iram incurrebat, ac protinus hominem sibi culpabilem flagellis aggravari ac duris vinculis præcipiebat. Cujus jussioni ministri obtemperantes, sed paternitatis ejus dulcedinem non obliviscentes, secus viam, qua sanctus Pater erat transiturus, hominem reum ad stipitem alligabant: ac signa plagarum in nudo dorso ejus gallinæ, seu cujuslibet animalis cruore depingebant. At ubi perveniens * Vir Dei, immemor crudelitatis suæ, saltum ilico de plaustro dans, alligatum * properabat, modo stipitem, brachia, manus ac vincula, modo B pedes osculabatur: munera pollicebatur, si veniam et misericordiam ab homine jam assumpto consequi mereretur. Si tunc homo astaret, hunc Dei Virum pro tanta humilitate et simplicitate conversum, atque effectum illum puerum diceret, quem * Salvator ad imitandum in medio Discipulorum statuit.

* pervenit — * ad alligatum — * in Ms. quando

amor solitudinis, vitæ austeritas, benignitas.

7 Quamvis episcopalem dignitatem nimia prudentia gubernaret, tamen heremum non deseruit. Verum juxta urbes, ad quas prædicare veniebat, cullulam sibi silvarum secretiori loco construxerat: in qua ligatus pernoctasse multasque passiones, quæ soli Deo sunt cognitæ, sustinuisse memoratur. Tempore quodam, dum pro cujusdam defensione ad eundem regem properaret, in ejusdem regione laboriosa *m* parte, qua apta usui pecudum extat, Vir Dei hospitatus est: ubi circa mediam noctem ancilla quædam, dum manibus molam circumferens, triticum contereret, duritiam sui laboris cantilena demulcebat. Ad quam Pater sanctus expergefactus, accersito ministro, quid sit, inquirit. Cui famulus, ut res erat, insinuat. Confestim Pastor pius lachrymis perfunditur: Felix, inquit, homo sub alterius potestate constituta, quæ sic C dulce debitum servitium absque murmuratione impendit, cui non minimum pondus pecuniæ portare jussit.

m

Mortuo S. Stephano, cum pulso Petro rege, regnum usurparet Ovo,

8 Postquam beatus rex Stephanus totam Pannoniam ad veram Christi lucem convertit, eam sub patrocinio sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ intitulavit: ipseque in die Assumptionis Matris Domini microcosmus solvens *n*, ad æternam requiem assumptus est. Rex Petrus successit: cui cum omnes Pannoniæ principes * fidem ac dilectionem conjurassent; unus ex iis, dejecto rege regalem cathedram injuriose usurpavit *o*. Quo regnante, sicut Propheta * ait, sanguis sanguinem tetigit, peccatum peccato adauctum est. Heu sanctis Quadragesimæ diebus honestissimos sui consilii viros sudibus, ac palis, velut immunda animalia, interficere ausus est. Deinde ad Morisenam sedem, videlicet ad locum Pontificis, Paschalia Sacramenta celebraturus advenit.

n — * in Ms. princeps mendose — *o* — * Osee. 4 ŷ 2

9 Die vero Dominicæ Resurrectionis, ut Pater ejusdem loci regio capiti diadema impositurus advenit, *p*, ab episcopis et principibus per honestissimos viros invitatur *. Quo renuente, reliqui pontifices coronam imponunt: magno cleri populique comitatu rex decoratus, ecclesiam ingreditur. At vero plenus Spiritu sancto beatus Pontifex, stola candida coopertus, pulpitum ascendit: regemque his verbis per intrepretem interpidus alloquitur: Observatio sanctæ Quadragesimæ peccatoribus pro venia, justis autem pro præmio constitua est. Sed, quia tu, rex, eam in occisione tui gladii polluisti: mihique nomen patris tulisti, eo quod meis dulcissimis natis caream; nil hodie indulgentiæ mereris. Verum quia pro Christo meo hac die mori paratus sum; ventura tibi pronuntiabo. Anno tertio gladius ultionis excitabitur in te, qui tibi regnum, fraude nequam * per vim acquisitum, auferet, et vitam *q*. Cumque talia regis amici, liberalibus litteris imbuti, attoniti mirarentur; innuebant intrepeti tacere, Episcopum ab ira et indignatione regis defendentes: quibus interpres timens consensit. At verus Pastor inobedientem sibi interpretem perurgere atque compellere cœpit. dicens: Deum time, regem honora, paterna verba prode. Tandem interpres coactus Pastoris declaravit sententiam, regisque metum haud levem tulit.

p — * *edit. Crac.* immutatur *mendose*

A. ABORTINO. *coronam ei imponere renuit, et futurum interitum prædicit:*

* *in Ms.* nequando *mendose* — *q*

martyrium quoque suum diu ante prædixit Sanctus et rursum pridie.

10 Quæ omnia postquam completa sunt, cunctis Pannoniensibus experimento cognitum est, Servum Dei spiritum prophetiæ habuisse. Nam et idem genti maximam seditionem venire præcinuit *r*, in qua martyrii sui coronam minime tacuit. Novo signo Catholicæ fidei, insignite *s* humana prudentia; a me disce, utrum iste Sanctus corporalia miracula, quæ sunt communia cum reprobis, in vita sua gesserit; aut cæcis visum, seu surdis auditum præstiterit: quamvis et ex illis spiritualiter non defuisset. Nihil horum a te requiret Deus. Labora per gratiam Spiritus sancti hujus Viri humilitatem atque pietatem possidere, et habebis partem in regno Dei Patris et Christi ejus. Uno lustro evoluto secundoque inchoante, prædicta seditio exorta est *t*. In qua, dum ad Albam regiam urbem Vir Dei remearet, ad ecclesiam sanctæ Sabinianæ *u* virginis et martyris hospitatus est, ubi cœnantibus fratribus ait: Fratres et amici, eras ad cænam Agni Dei vocamur: absque excusatione properemus: pro Christo moriamur *w*.

r — *s* — *t* — *u* — *w*

Præparatio ad martyrium, cædesque Sancti: *x*

11 Altera vero illucente die Pater sanctus Missam celebravit, Mensæque Christi multitudinem sibi coadhærentem fecit participem: ac lætus ad martyrium perrexit. Qui ubi ad flumen Danubii *x* perrexit, ecce magna turba populorum circumfunditur, lapidesque in Patrem, in plaustro sedentem, projiciunt: qui eum, Deo protegente, non F tetigere. At contra Pater benedictionem ac signum sanctæ Crucis opponebat: ac demum, collis equorum retortis, plaustrum subvertunt, Patremque humi projiciunt, ac magno impetu lapidare conantur. Tunc more prothomartyris præsentibus *y* Pannoniæ Martyr, positis in terra genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum, qui nesciunt, quid faciunt. Et cum dixisset, in pectore lancea percussus, obdormivit in Domino *z*. Eodem die maxima strages Christianorum facta est: nam duo pontifices *aa* multique viri religiosi interempti sunt: quorum numerum et nomina sola Dei scientia collegit.

y — *z* — *aa*

sepulturæ translatio.

12 Corpus quidem sanctum, dum in loco martyrii sui jaceret, nulla sorde commaculatum est: quod vero sequenti die a Catholicis viris ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis reconditum est. Ea vero tempestate post multos dies fidelissimus sancti viri procurator regem Andream adiit, ut peregrini atque hospitis Patris corpus reddat, celer iter impetravit.

A. ANONYMO. impetravit. Qui ad sanctum corpus proveniens, tam nitidum lucidumque, acsi ipso die martyrium consummasset, invenerunt: quod cum hymnis et canticis ad Morisenam sedem tulerunt *bb*, magnaque reverentia sepelierunt: ubi multæ gratiæ * Catholicis viris emptæ sunt, tamen non evidenter usque ad tempora Ladislai regis, atque pontificis Laurentii, qui a beato Viro quintus accepit cathedram.

bb

* *in Ms. genere mendose*

solemnis post canonizationem elevatio.

* *Surius* injunctum

13 Præfati denique regis tempore a sanctæ Romanæ Ecclesiæ synodo inventum * est, ut corpora eorum, qui Pannoniam fidei prædicatione rigaverunt, deberent summo honore venerari, et ea dignis sedibus collocari. Veniente quoque Sedis Apostolicæ legato, factoque nobilium Pannoniæ conventu, sanctum corpus elevatum est, regis ac ducum humeris portantibus translatum, decenterque relocatum: ubi pro meritis tanti Patris superna gratia per miraculorum exhibitionem largius coruscat. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

B

a *Hic vitam monasticam, quæ in Ms. utcumque insinuatur, sed minus certo, luculentius exprimere voluit Surius, dum sic edidit*: Itaque et ipsum monasticæ religionis habitum Puer accepit *etc. Vocum mutationes, quæ sensum non mutant, non observabo in Surio, ubi fere sunt perpetuæ.*

b *In editione antiqua pro* ac pater, *mendose* accipitur.

c *Ibidem* Christianissimus rex Stephanus. *Ducatum Hungariæ adeptus est S. Stephanus anno* 997, *regiam coronam anno* 1000.

d *Ita agebat S. Stephanus, ut operarios egregios haberet ad convertendos Hungaros. Non crediderim tamen, prorsus invitum mansisse* S. Gerardum, *sed sancti regis desiderio tandem acquievisse. Hæc verisimiliter contigisse circa initium seculi* XI, *dixi in Commentario num.* 16 *et* 17.

e *Alias* Beel *scribitur, ut habet Surius. Consule Commentarium num* 18.

f *Maurus ille verisimiliter idem est, qui monachus fuit in monasterio S. Martini, et demum episcopus Quinque-ecclesiensis, de quo vide dicta ad* 2 *Septembris in S. Stephano* § 24.

C g *Bailletus in S. Stephano in margine notat* Bessos. *At hi tam periculosa bella non videntur S. Stephano intulisse, sed solum prædatores fuisse. De quibus loquatur, dixi in Commentario num.* 17.

h Morisius *flumen*, Marisus *Straboni*, Marus *Tacito, Hungaris* Maros, *et Germanis* Merisch *dictus, ex Transilvania fluit in Hungariam, ubi per comitatum Chanadiensem decurrens, Chanadiumque alluens, demum Tibisco miscetur. Ab hoc fluvio* S. Gerardi *episcopatus primum* Morisenus, *sed postea a civitate episcopali* Chanadiensis *dictus est. Est autem* Chanadium, *alias* Chonadium, *civitas etiamnum episcopalis ad Morisium flumen inter Lippam et Segedinum. De erectione episcopatus plura dixi in S. Stephano* § 27.

i *Vox* Christi *omissa erat in apographo nostro, quam supplevi ex editione Cracoviensi: eamdem etiam habet Surius.*

k *Forte legendum est,* Matris misericordiæ, *ut habet editio Cracoviensis et Surius. Librarius certe pro voce contracta* misericordiæ *potuit* Mariæ *substituere, ut ante eum fecisse clare perspexi.*

l *Ex his colligitur, nonnulla Opuscula a* S. Gerardo *fuisse composita, quæ edita non sunt. Franciscus Sansovinus in Descriptione Urbis Venetæ lib.* 13 *fol* 227 *dat breve elogium Italicum* S. Gerardi, *tanquam scriptores Veneti, Operumque ab eo compositorum titulos Latinos ita recenset:* De laudibus beatæ Virginis. *liber unus* Sermones Quadragensimales. *liber primus.* Homiliæ Solemnitatum totius anni. *liber primus. Wion in Ligno Vitæ lib.* 5 *cap.* 46 *hæc refert ex Sansovino additque:* Quæ omnia Mss. exstare dicuntur apud Nicolaum de Secretis, Bernardi filium, et patricium Venetum. *At laudatus Sansovinus solum ait, Vitam.* S. Gerardi *exstare apud Nicolaum de Secretis; non item Opuscula Mss. Itaque ignoro, an id aliunde Wion noverit.* D

m *Hic mendosum videtur Ms., et magis editio Cracoviensis, ubi pro* laboriosa *legitur* sablorosa. *Pro* regione *legendum opinor* regionis, *ut habet Surius, qui fugiens vocem ambiguam, posuit:* In ejus regionis parte quadam. *Forte scriptum fuerit,* in ejusdem regionis laboriosa paret.

n *Mortem hac phrasi designat auctor, quod homo, qui* microcosmus *sive* parvus mundus *esse dicitur, solvatur separatione animæ a corpore. Obiit autem S. Stephanus anno* 1038, *die* XV *Augusti, qua festum Virginis Assumptæ celebratur. Successorem habuit Petrum, suum ex sorore nepotem, qui patrem non habebat Hungarum. De eo egi in S. Stephano* § 36, *ubi ostendi, voluntate S. Stephani effectum, ut præ ceteris Petrus coronam adipisceretur. Videtur S. Stephanus Petrum aliis prætulisse, quod ei conservationem fidei Catholicæ magis confideret, quam Hungaris; et fortasse, quod Vazul, fratris filius, sceleribus se regno indignum reddidisset. At Petrus postea odiosum se Hungaris fecit.* E

o Ovo *dicitur a Germanis, ad Hungaris* Aba. *qui anno* 1041 *Petrum regno ejecit. At coronatus fuit in Paschate anni* 1042, *ut probavi in Commentario num.* 22 *et* 23.

p *Legendum haud dubie* adveniat *vel* adveniret, *ut habet Surius: nam sic hians dictio redditur perfecta, ei sensus omnino eam lectionem postulat. Nolui tamen discedere a Ms. et editione Cracoviensi, in quibus legitur* advenit, *sed mendose.*

q *Objurgationem Ovonis ob occisos proceres, et vaticinium* S. Gerardi *de futuro ejus interitu, breviter perstrinxit Bonfinius pag.* 191; *uti et Longinus col.* 232. F

r *Non additur, an hæc prædictio, quæ occasione alterius refertur, eodem tempore enuntiata sit a* S. Gerardo.

s *Tota hæc periodus, in qua auctor per apostrophen alloquitur Catholicum lectorem, obscura est et ambigua. Videtur ex vaticiniis inferre velle, miracula quoque, quibus beneficia corporibus præstantur, non defuisse* S. Gerardo. *Insinuat deinde, de ejusmodi* S. Gerardi *miraculis se nihil referre, quod Deus non requirat a Christianis, ut miracula faciant, sed ut Christianas virtutes exerceant. Hac de causa dicit, miracula esse* communia cum reprobis, *sed idem eodem jure de prophetia dicere potuerat, cum Matth.* 7 ℣ 22 *æque de prophetia, de ejectione dæmonum, et miraculis dicat Christus:* Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos. *Hæc vera et certa sunt; neque tamen idcirco detrahendum est gloriæ Sanctorum, qui multis claruerunt miraculis, ut facile ostendi potest.*

A *potest. Surius dictionem dedit clariorem, ita locum exprimens:* Nolim igitur, quisquis es Christiana religione initiatus, ex me humana prudentia nosse velis, num hic sanctus Vir in vita sua miracula, quæ sunt cum reprobis communia, ediderit, num cæcis visum surdis auditum reformarit *etc. Potest hæc etiam fuisse mens auctoris: sed magis credo, eum ex dono prophetiæ inferre voluisse, non dubitandum esse de dono miraculorum.*

t *De tempore hujus seditionis consule Commentarium num.* 24 *et* 25.

u S. Sabinianæ *legitur in Ms., et in editione Cracoviensi. Surius edidit* S. Sabinæ, *ut etiam habent Petrus de Natalibus, Bonfinius, Thuroczius, et passim neoterici. Nequeo ea de causa edicere, fueritne* S. Sabinianæ, *an sanctæ alicui Sabinæ ecclesia illa dicata. Inchofer ad annum* 1047 *pag.* 399 *asserit, ecclesiam fuisse S. Sabinæ matronæ Romanæ et martyris, de qua apud nos actum est ad* 29 *Augusti. Vellem, clare probasset, quæ asseruit, et edixisset, ubi sita fuerit. Bonfinius et Thuroczius ecclesiam S. Sabinæ ponunt in pago* Gyod, *sed hujus quoque situm nullus assignat.*

B w *In Ms. apographo,* moriamini. *At editio Cracoviensis et Surius,* moriamur, *quod melius cohæret cum præcedentibus. Porro in illo itinere tres episcopos et Zonuchum comitem* S. Gerardo *socios adjungunt Thuroczius et Bonfinius, et prædictionem martyrii, quam in cœna enuntiatam habet Vita, illi ponunt in ipsa S. Sabinæ ecclesia ante Missam. Audiamus Thuroczium cap.* 39 *et* 40. Quo audito *(ait de adventu novi regis Andreæ et conspirantium cum eo Hungarorum, quos Pesthum venisse dixerat)* Gerardus, Beztritus, Buldi et Benetha episcopi, et Zonuck comes de civitate Alba egressi sunt obviam Endre *(id est, Andreæ)* et Levente ducibus, ut eos honorifice susciperent. Cumque festinanter prædicti episcopi ad locum venissent, qui dicitur Gyod, ibi in ecclesia S. Sabinæ, priusquam ad dominos irent, Missam audire voluerunt. Beatus itaque Gerardus episcopus, sacerdotalibus vestibus ad celebrandam Missam indutus, exhortationis genera locutus est eis, dicens: « Fratres et coëpiscopi mei, et omnes alii fideles, qui adestis; scitote nos hodie ad Dominum nostrum Jesum Christum cum corona martyrii in æterna
C gaudia perventuros. Ego enim notum facio vobis arcanum Dei, quod mihi in hac nocte revelatum est. Vidi enim Dominum nostrum Jesum Christum in pluteo sanctissimæ Matris suæ semper Virginis Mariæ sedentem: nobisque ad se vocatis de manu sua Corporis et Sanguinis sui Eucharistiam communicantem. Beneta vero episcopus cum ad eum accessisset, retraxit ei Christus Eucharistiam: unde ipse hodie martyrii nostri consortio privabitur. » Post hæc autem beatus Gerardus admonuit eos, ut confiterentur inter se peccata sua, et audita Missa orationi incumbentes; et certa spe æternæ beatitudinis per martyrium adipiscendum lætificati, omnes communicaverunt. *Eadem brevius habet Bonfinius. At certum est, multos in hisce errores esse, multaque verisimilitudini contraria. Etenim non est verisimile, talia facta esse in via, si Alba Regali Pesthum proficiscebantur, aut jejunos itineri se omnes dedisse et postea communicasse. Vita itaque unice sequenda, secundum quam* S. Gerardus *Albam Regalem cum aliquot comitibus suis proficiscebatur, ac vesperi prædixit futurum martyrium, ad quod mane ante iter se pie cum suis disposuit.*

x *De loco martyrii consule Commentarium num.* 28.

y Præsentibus *legitur in Ms. apographo. At editio Cracoviensis et Surius habent,* primus, *acsi primus martyr Pannoniæ diceretur* S. Gerardus. *Verum illud* primus *non invenitur etiam apud Petrum de Natalibus, nec in lectionibus Officii Veneti, quibus hæc Acta præluxerunt. Quare dubium est, utrum legendum* primus Pannoniæ Martyr, *an* præsentibus... clamavit.

z *Nihil aliud in cæde Sancti patratum dicitur; nisi quod primum lapidibus obruere sedentem in plaustro voluerint, mox plaustrum everterint, Sanctum iterum lapidibus appetierint, ac tandem lancea pectus perforarint. Quæ his adduntur apud Thuroczium et Bonfinium, nihili facienda sunt. Uterque scribit, Sanctum e curru dejectum, rursum bigis in montem fuisse subvectum, indeque in saxa præcipitatum, demumque caput ejus in lapide fuisse contritum. Prior currus eversio his omnibus occasionem præbere potuit; sed improbabile est, post dejectionem alia facta, quam habet Vita.*

aa *Hi* Beztritus *et* Buldus *nominantur apud Thuroczium et Bonfinium. At illi non coluntur* E *martyres.*

bb *De hac translatione, aliaque post canonizationem sequente, egi in Commentario* § 3, *ubi omnia sequentia satis exposita sunt.*

ELOGIUM

Auctore Petro de Natalibus

Ex editione Vicentina anni 1493.

Gerardus episcopus et martyr, Venetiarum civitate oriundus, a pueritia Deo devotus, ecclesiæ sancti Marci canonicus *a* fuit. Sed ad vitam artiorem anhelans, religionis habitu suscepto; dum ad sepulchrum Dominicum pergeret visitandum, Pannoniam devenit; ubi a S. Stephano Christianissimo Ungariæ rege, qui eum servum Christi esse cognovit, retentus est: dimissisque sociis, cum quibus F pergebat, ibidem mansit: et in quodam eremo, qui Bel vocatur, per annos septem solitariam vitam duxit. Post hæc a rege, quamvis satis renitens, ad episcopatum promotus est. Qui per civitates et castella Pannoniæ circuiens, verbum Domini prædicabat. Sedem autem suam juxta flumen Morisii fluminis statuit, quam et Morisenam appellavit: ubi et ecclesiam sancti martyris Georgii construxit, in qua et altare Dei Genitricis erexit: ante quod argenteum thuribulum cum thymiate perpetuo collocavit, et ibidem semper conservari decrevit. Beatam enim Dei Genitricem devotius coluit: unde et singulis Sabbati diebus Officium ejus cum novem lectionibus ibidem constituit celebrandum: quod usque in præsens servatur. Episcopatum quoque strenue gubernabat; sæpius ad eremum aliquot diebus divertebat: deinde ad sedem suam rediens, officium sibi injunctum administrabat: et jugiter prædicationi vacabat. Defuncto ergo Stephano rege successit ei rex Petrus. Cujus regnum cum unus ex principibus invasisset, et plurimos nobiles occidisset, venit Morisenam ut ab episcopo Gerardo die Paschæ coronaretur. Cujus coronationem nedum Sanctus

A ctus facere recusavit; sed nec ipsi interesse voluit: quin potius eidem, ut regni invasori et proditori, interfectionem ipsius post triennium futuram prædixerit. Quod, ut prædixerat, evenit. Deinde post annos quinque, cum ad Albam civitatem pergeret; hospitatus apud ecclesiam S. Savinæ, martyrium suum in crastinum futurum prænunciavit: Sequenti die Missarum solenniis celebratis, cum esset juxta flumen Danubium, ab infidelibus captus, lapidari cœpit. Dumque lapides in ipsum jacti in aëra *b* penderent; lancea transverberatur, cum plurimis aliis Christianis, gladio *c* cæsis, ibidem occubuit, ubi et sepultus fuit, Sed processu temporis inclitus rex Andreas *d* corpus Martyris transtulit Morisenam; ubi et miraculis claret. Passus est VII Calen. Martii *e*.

ANNOTATA.

a *Canonicum fuisse S. Marci, quæ est primaria Venetæ urbis basilica, negat Wion in Attestationibus fol.* 2, *ubi observat ex Vita sua,* habitum monasticum S. Benedicti a pueritia, nempe quinque
B annorum *susceptum fuisse a* S. Gerardo. *Verum episcopus Equilinus antiquior est Vita illa, quam laudat Wion, et majorem in his fidem meretur, ut saltem minus sit improbabile, canonicum in pueritia vel adolescentia fuisse* S. Gerardum, *quam ab ætate quinque annorum monachum. Fateor tamen, nec mihi satis probabilem videri canonicatum Sancti, quia non habet auctorem vetustiorem; nam Petrus de Natalibus plus quam tribus seculis post mortem* S. Gerardi *scripsit. At refutari non debuit per Vitam ipso posteriorem, et figmentis plenam.*

b *Forte scriptum fuerit* in aëre. *Verum hic auctor, qui Vitam hactenus, (excepto solum canonicatu asserto) secutus erat, sui oblitus est et plane exorbitat, dum lapides ipsum non tetigisse, quamdiu sedebat in curru, quod non adeo est mirabile ob perpetuam agitationem. Dum vero dejectus erat, variis lapidum ictibus verisimiliter contusus fuit; donec lancea mors fuerit accelerata.*

c *Utrum* gladio, *an alio modo, cæsi fuerint, Vita non edicit.*

d *Non videtur Andreas ipse auctor fuisse trans-*
C *lationis; sed eam solum permisisse.*

e *Imo passus est Sanctus die* XXIV *Septembris. At ex illo errore colligitur, jam Petri tempore aliquam* S. Gerardi *festivitatem fuisse* XXIII *Februarii, nisi forte illa verba ab editoribus fuerint addita. Ceterum moneo, lectores in dato elogio omnes voces fuisse expressas sine diphtongis.*

D

LECTIONES

Officii antiqui ecclesiæ Muranæ.

Ex editione Cl. Viri Flaminii Cornelii part. 2 Eccl. Torcel.

Sancti patria: vita monastica ac deinde solitaria in Hungaria:

LECT. I. Gerardus hujus lucis limen per Venetos parentes Sagredæ *a* prosapiæ sortitus, Dei gratia præveniente, a pueritia cæpit Jesu Christi devotus existere, et Evangelicis documentis per omnia parere. Nam religionis habitum Puer accepit. Igitur dum animi sinceritate sanctam vitam duceret, placuit Dominicum visitare sepulchrum. Egressus de cognatione sua, pervenit ad partes Panoniæ *b*, quarum habenam tunc Christianissimus rex Stephanus
E gubernabat. Quem Vir Dei humilis atque supplex adiit, causamque sui itineris aperiens, ampliori dilectione est ab eo receptus. Quem ubi rex moribus atque disciplinarum documentis bonum Christi odorem emittentem intellexisset, dimissis blande itineris sui comitibus, hunc solum invitum retinuit. Postea tumultum populi devitans, eremum petiit, per annos septem jejuniis, dictaminumque exercitiis deditus, excepto Mauro monacho, solus habitavit.

episcopatus et pia in eo gesta,

2 LECT. II. Interim præfatus rex, ut robustissimus Josue, impietatem gentium delevit, crudelesque paganorum mores superavit, ac plurimorum corda ad recipienda sanctæ fidei semina præparavit: pace data regni, Servum Dei ab eremo convocat, pontificalique infula decoratum populo suo prædicare destinavit. Cui superna pietas tantam gratiam contulit, ut omnes eum amarent, et ut patrem colerent, ac jam pater multorum tanquam patriarcha Abraham haberetur. Crescente vero fidelium numero, ecclesias Dei per singulas urbes fabricavit. Principalem autem in honorem sancti martyris Georgii ad littus Morisii fluminis fundavit, unde et Morisenam sedem appellavit, quam beatus rex Stephanus dotalibus muneribus nobiliter ditavit. In qua aram ad hono- F
rem Virginis Mariæ erexit, ante quam turibulum argenteum fixit, cujus ministerio duos provectæ ætatis adhibuit viros, qui vigilarent jugiter, ne ad unam horam odor thimiamatis deesset. Singulis quoque Sabbatis officium in honorem ejusdem Virginis, ut in die Assumptionis, devotissime complebat. Cæteris autem diebus, Matutinis atque Vespertinis peractis, bis cum processione ad eamdem venire consueverat. Laudibus sanctæ Genitricis Dei se subdere tantæ humilitatis obsequio noverat, ut si quis reus a sancti Viri familiaribus edoctus, indulgentiam per nomen Matris Christi precabatur, profundebatur * lacrymis, et velut ipse esset reus, veniam postulabat, filiumque suum illum fore, qui recte Dei Genitricem crederet. Qua devotione, a sancto rege Stephano Panonia sanctæ Mariæ Familia appellata est.

* perfundebatur

privatæ Sancti virtutes:

3 LECT. III. Circa ecclesiastica ministeria curam nimium agebat, nam vinum optimum, quod poterat inveniri, ad Sacrificium reservabat, dicens, hoc, quod per fidem intus accipitur, exterius autem

A tem suave inveniatur. Nocturno tempore leprosam * [* leprosum] in proprio lectulo requiescere faciens, servorum ministerio intendebat. In itinere modico vehiculo utebatur, in quo libros, quos composuerat ex Spiritus sancti gratia, relegebat. Vestimentis autem cicilio hispidisque anctum * [* arictum] pellibus inducbatur. Quamvis episcopalem dignitatem nimia providentia gubernaret, tamen eremum nunquam deseruit, nam juxta urbes, ad quas prædicare veniebat, celulam * [* cellulam] sibi silvarum secretiori loco construxerat, in qua pernoctaret, et multas passiones, quæ soli Deo sunt cognitæ, sustinuisse memoratur.

Constantia et libertas episcopalis, vaticinium, c

4 Lect. iv. Stephano ad æternam requiem in cœlis sumpto, rex Petrus successit; quo regnante *c*, sanguis sanguinem tetigit. Nam Quatragesimæ sanctis diebus honestissimos sui concilii viros sudibus, ac pallis * [* palis] velut immunda animalia interficere ausus est. Deinde ad Morisenam videlicet sedem beati Pontificis Paschalia sacramenta celebraturus, advenit. Die vero Dominicæ Resurrectionis, ut Pater ejusdem loci capiti diadema impositurus advenit * [* adveniat], ab episcopis, et principalibus per honestissimos viros invitatur. Quo tenuere * [* renuente], reliqui pontifices coronam imponunt : magno cleri populique comitatu rex decoratur * [* decoratus], ecclesiam ingreditur. At plenus Spiritu sancto Pontifex, stola candida coopertus, pulpitum ascendit, et intrepidus alloquitur : Observatio sanctæ Quatragesimæ peccatoribus pro venia, justis pro præmio constituta est; sed quia tu, rex, eam in occasione tui gladii polluisti, mihique nomen Patris abstulisti, eo quod meis dulcissimis natis caream, nil hodie indulgentiæ mœreris. Verum quia pro Christo meo hodie mori paratus sum, ventura tibi pronuntiabo. Anno tertio gladius ultionis excitabitur in te, qui tibi regnum auferet et vitam.

martyrii prædictio, ipsumque martyrium :

5 Lect. v. Quæ omnia postquam completa sunt, cunctis Pononiensibus * [* Pannoniensibus] experimento cognitum est, Servum Dei spiritum prophetiæ habuisse, coronamque sui martyrii minime tacuisse *d*. Uno evoluto lustro, seditio exorta est, in qua dum in Alba regia urbe remaneret *e* Vir Dei ad ecclesiam sanctæ Savinæ *f* virginis, et martyris hospitatus est, ubi cenantibus fratribus ait : Fratres et amici, cras ad cœnam Agni Dei vocamur, absque excu- C satione properemus, pro Christo moriamur. Altera die sub crepusculo Pater sanctus Missam celebravit, mensæque Christi multitudinem adhærentium participem fecit, lætusque ad martyrium peragebat * [* pergebat]. Qui ubi ad flumen Danubii pervenit, ecce maligna turba populorum circumfunditur, lapidesque super Patrem in plaustro sedentem projiciunt, quæ cum * [* cum] Deo protegente non tetigere, contra quos Pater benedictionem et signum Crucis opponebat. At demum, collis equorum retortis, plaustrum subvertunt, eumque humi projiciunt, et magno impetu lapidare conantur. Tunc more prothomartyris Stephani, Panonie * [* Pannoniæ] Martyr, positis in terram genibus, clamavit voce magna, dicens : Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia D nesciunt quid faciunt : Et cum hoc dixisset, lancea in pectore percussus, obdormivit in Domino.

sepultura : aliaque nonnulla.

6 Lect. vi. Eodem die maxima strages Christianorum facta est, duo pontifices, multique religiosi interempti sunt, quorum numerus * [* numerum] et nomina sola Deo * [* Dei] scientia colligit. Corpus ejus nulla sorde commaculatum est, quod sequenti die a Catholicis ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis reconditum est. Cum quidam nefandus, in convivio sedens pilos ex marsupio traheret, illudens beato Viro, ad convivas diceret, hi sunt pili illius barbæ rasæ, qui nos evertere a paternis traditionibus existimabat, protinus a diabolo arreptus, carnem propriis dentibus mordens, vitam finivit *g*. Martyrizatus est beatus Gerardus episcopus anno Domini millesimo centesimo sexagesimo nono *h*, octavo Kalend Octobris. Post beatum Thomam martyrem Cantuariensem episcopum, qui illo tem- E pore fuit.

ANNOTATA.

a *Ex hac assertione de prosapia Sagreda, colligo, lectiones has fuisse compositas post Petrum de Natalibus, qui de ea silet.*

b Panoniæ *pro* Pannoniæ : *qualia ortographiæ menda crebra sunt in illis lectionibus. At satis erit illa ad marginem deinceps corrigere.*

c *Hic auctor, qui lectiones ex Vita contraxit, omisit usurpationem Ovonis, qui regnum Petro eripuit, eaque occasione de Petro narrat, quæ erant Ovonis crimina. Consule Vitam num.* 8.

d *Nimirum et martyrium suum altero vaticinio, quod hic auctor omisit, prænuntiavit, ut habet Vita num.* 10.

e *Lege*, ad Albam regiam urbem remearet, *ut habet Vita num.* 10.

f Savinæ *aut* Sabinæ *idem est; Vita habet* Sabinianæ. *Vide ibi annotata.*

g *Hoc factum Vitæ antiquæ addidit collector Officii, ut initio familiam Sagredam, et mox annum martyrii. Legitur idem in Vita per Wionem data cap.* 21 *cum pluribus aliis. At silentium pri-* F *mi biographi facit, ut ea pro certis habere non possimus.*

h *Hic auctor totis centum viginti et tribus annis a vera chronotaxi aberrat, diem tamen recte assignat, quod illam ex festivitate Sancti noscere posset. Adjecta mentio de S. Thoma Cantuariensi, qui martyrio coronatus dicitur anno* 1170, *(quod examinabitur suo loco) luculenter demonstrat, immanem illum anachronismum auctoris esse, non librarii. Ex eo autem colligere poterunt eruditi Veneti, gesta* S. Gerardi *non aliunde fere cognita fuisse Venetiis seculis* 14 *et* 15, *quam ex Vita antiqua; ideoque non magni nobis facienda esse omnia illa, quæ in dicta Vita non leguntur, aut saltem in monumentis antiquis.*



AUCTORE C. S.

D

DE S. YSARNO ABBATE S. VICTORIS

MASSILIÆ IN PROVINCIA GALLIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti in Martyrologiis memoria, Officium ecclesiasticum et antiquus cultus in monasterio suo Massiliensi : Vita a synchrono eleganter et fideliter scripta.

Anno MXLVIII, aut forte MXLVII. Sanctus monasterii S. Victoris abbas hoc die

Celebre S. Victoris monasterium, quod a S. Joanne Cassiano seculo v *aliquot annis inchoato prope Massiliam in Provincia Galliæ fundatum, primum sub ejusdem Sancti Regula, deinde vero sub Benedictina, multis seculis floruit tandem per Bullam Pontificiam, die* XVI *Kalendas Januarii anni* 1739 *datam, et* VIII *Octobris anni* 1743 *in ecclesia S. Victoris Massiliæ promulgatum in collegium secularium canonicorum commutatum est, teste illustrissimo Henrico Francisco Xaverio de Belsunce de Castelmoron, piissimæ memoriæ episcopo Massiliensi, in Antiquitatibus suæ ecclesiæ Massiliensis tom.* 3, *pag.* 415. *Inter ejusdem monasterii abbates seculo* XI *floruit* S. Ysarnus, *patria Tolosas, vir eximiis virtutibus et miraculis ante et post obitum clarus, cujus hoc die, qui ipsi anno* 1048 *emortualis fuit, sacra memoria celebratur, et in aliquot recentioribus Martyrologiis inscripta est. Saussayus illum in Martyrologio Gallicano pro more suo prolixo elogio hodie annuntiavit, quod quia ex Vita a nobis edenda, nec satis bene tamen, concinnaverit, hic omittere visum est.*

aliquot Martyrologiis,

2 *Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino ad eumdem diem brevius sic habet :* Massiliæ, S. Isarni abbatis, admirandæ sanctitatis et miraculorum gloria conspicui. *Deinde lib.* 2 *Observationum* C *ejusdem elogium exhibet ex eadem aut simili Vita; sed pariter non sine mendis, inter quæ istud præcipuum est, quod Sanctum anno Christi* 804 *vixisse statuat. Multis etiam ipsum celebrat Gabriel Bucelinus in Menologio item Benedictino, ubi laudans monumenta S. Victoris et Menardum pari anachronismo ejusdem obitum* post annum Christi DCCXX *collocavit, cum sine dubio is ad annum* 1048 *vel* 1047 *referendus sit. Hunc annum* 1048 *recte in margine annotarunt Castellanus in Martyrologio universali, et Parisiensis Martyrologii auctor, apud quos hoc eodem die legitur :* Massiliæ, S. Isarni abbatis S. Victoris, *De die dissentit Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ubi ad* XXIII *Septembris ait :* Apud Massyliam S. Ysarni abbatis.

inscriptus est, coliturque in suo monasterio

3 *In annotatis citat monumenta cœnobii S. Victoris ad se transmissa, additque, se scire non potuisse, cujus loci abbas Sanctus fuerit; sed S. Victoris fuisse, sibi videri. Et hoc quidem recte; diem vero credo ipsum didicisse ex quodam exemplari Officiorum propriorum ejusdem monasterii : nam et mihi unum ad manus est, cujus editionis annus ob folium primum elaceratum agnosci nequit, ubi festum ejus ad diem* XXIII *Septembris præscribebatur, sed ductu calamni numerus in* XXIIII *correctus est. An tamen correctio ista facta sit, quod in priori numero typothetarum error, an quod cultus ejus post editum istud Officium in posterum diem translatus esset certo edicere nequeo. Primum tamen mihi longe verisimillimum videtur, quia tam in hoc ipso Officio, quam in Vita* E Octavo Kalendas Octobris *obiisse dicitur; nec apparet ratio, ob quam festum pridie, quam obierat, præmittendum fuerit. In epitaphio ipsius infra recitando mortuus dicitur,* Octobris trasacto Octavo Kalendas; *ubi vox* transacto *ab imperito poëta posita est pro* currente; *sic ut non dies* XXV, *sed* XXIV *ibi quoque designetur.*

Officio cum ritu duplici secundæ classis, ex quo Oratio

4 *Porro* S. Ysarnus *in ecclesia S. Victoris dicto die colitur aut certe colebatur, antequam hæc in collegiatam conversa est, Officio proprio cum ritu duplici secundæ classis, uti ibidem calamo adscriptum legitur. Habet istud antiphonas, responsoria, et lectiones secundi Nocturni propria, ex Vita passim accepta, ideoque hic non recitanda. Pro primo Nocturno lectiones,* Justus si morte, *etc.; pro tertio Homilia in Evangelium :* Ecce nos reliquimus omnia *etc.*, *ut in Communi abbatum; cetera ex Communi confessorum non Pontificum assignantur. Oratio vero hæc propria est :* Deus, qui beatum Ysarnum, confessorem tuum, mirandis virtutibus et miraculis multipliciter decorasti, concede nobis famulis tuis, ut, quem ductorem vitæ habuimus in terris, ipsum apud te intercessorem sentiamus in cælis. Per Dominum nostrum *etc. Addo et hic hymnum, in utrisque Vesperis, Matutino et* F *Laudibus prescriptum, quem Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam etiam in codice bibliothecæ regiæ Parisiensis non multo post Sancti mortem, ut arbitratur, exarato, a se repertum ait.*

et hymnus antiquus recitatur.

5 Diem festum celebremus
In divinis laudibus,
Quo beatus est Ysarnus
Exemptus præsentibus,
Et optatis præsentatus
Domini conspectibus.
Vir fuit hic singularis,
Et gregis Dominici
Pastor vita et sermone
Clarus et miraculis;
Unicum decus in Christo
Pene sui temporis.
Quem beate nunc viventem
In cælesti gloria,
Et a Christo obtinere
Posseque vult omnia,
Crebra, quæ per eum fiunt,
Testantur magnalia.
Hujus pie complacatus,
Bone Rex, precamine,

Jesu

A Jesu Redemptor, ab omni
Culparum gravamine
Absolutos nos concede
Innocenter vivere;
Quo tui fideles servi
Fulti patrocinio,
Ac de mundi procellosi
Eruti naufragio,
Tuo mereamus semper
Frui patrocinio.
Trino Deo, simplicique
Sit æterna gloria,
Unus honor, una virtus,
Eadem potentia,
Qui vivit et regnat Deus
Per immensa sæcula. Amen.

Cultus ejus ibidem antiquissimus

6 *Laudatus Mabillonius de antiquo* S. Ysarni *apud suos Victorinos ecclesiastico cultu ex hymno illo et codice regio sic censuit :* Paullo post ipsius mortem festivitatem ejus fuisse institutam, colligi potest ex hymno, qui pro ea celebritate compositus, in codice regio, quem non multo post ejus mortem scriptum fuisse diximus, habetur. Is idem ipse est, qui etiamnum in ejus Officio canitur. *Ita ipse :* B *at mihi difficile creditu est, Mabillonium ex sola codicis scriptura, quam ibidem supra dixerat* ad B. Ysarni tempus accedere, *cognoscere potuisse, eumdem* non multo post *Sancti* mortem scriptum fuisse. *Verum quidquid sit de tempore primum institutæ ejus annuæ festivitatis, ex ejusdem biographo certum est,* Ysarnum *mox ab obitu suo, aut certe paulo post, a populo pro Sancto habitum, et votis invocatum multis miraculis claruisse. Nam, ut ait in Prologo, dum ipsemet ad S. Victoris ecclesiam religionis ergo accessit,* inter innumerabiles Sanctorum memorias.... B. Ysarni abbatis, recens defuncti, monumentum a diversis ægrotantium populis frequentabatur.

et miraculis probantur ex biographo.

7 *Eodem pariter biographo ibidem teste,* tam cita remedia pie petentibus ibi obtinentur a Domino, tamquam jam omnes alii Sancti huic omnem suam virtutem... concessissent. *In fine denique Vitæ de ejusdem sepulcro ait :* Sepultusque est in pretioso vase marmoreo in Septemtrionali parte templi, ubi assiduis miraculis glorificatur a Domino Deo nostro. *Vetus epitaphium eidem sepulcro barbaris versibus insculptum in fine hujus Commentarii recitabimus. Est autem sepulcrum illud in ecclesia* C *inferiori, in eoque sancti Viri corpus, quantum scio, hactenus quievit, præter aliquot reliquias ad publicam venerationem inde extractas. Joannes Baptista Guesnayus in S. Joanne Cassiano illustrato lib. 2, cap. 22, § 2 ait, sacellum, in quo jacet, ab ipso appellari, et satis obscure ibi scribit sequentia :* Ab illo *(sacello alio)* ad S. Cassiani, hujus monasterii fundatoris, quod nunc vulgo S. Isarni sacellum dicitur, patet aditus. Sub illius ara omnia propemodum ejusdem Cassiani ossa, præter ea, quæ suis seposita locis diximus, in sepulchro condita sunt. Aliud insuper altari impositum visitur, ubi Wifredi abbatis, et hujus monasterii restauratoris, corpus servatur una cum reliquis S. Isarni, hujus etiam monasterii abbatis, ossibus; quam plurima etiamnum, in depellendis præsertim febribus ejusdem celebrantur miracula.

Ejusdem brachium dexterum, per Urbanum V Papam

8 *Antonius de Ruffi in Historia Massiliensi, per Ludovicum Antonium ejus filium correcta auctaque, et anno* 1696 *secundis typis Massiliæ edita, tom.* 2 *pag.* 148 *scribit, aliquot ipsius reliquias per Urbanum V. Pontificem Romanum ex eo sepulcro exemptas, et eodem mandante thecæ argenteæ inclusas fuisse. Urbanus hic, ante Pontificatum* Guilielmus de Grisac *dictus, monasterio S. Victoris abbas præfuerat, illudque jam Pontifex, saltem aliquo tempore, per vicarium regere perrexit. Idem Pontifex tum alia beneficia laudato monasterio præstitit, tum illud ipsum reædificandum curavit, annoque* 1365 *aram ecclesiæ principem ipsemet consecravit, uti apud illustrissimum Henricum de Belsunce in Opere num.* 1 *laudato, tom.* 2, *et apud alios legere est. Facile itaque potuit Urbanus, qui Cathedram suam Avenione tenebat, vel forte etiam ante aditum Pontificatum, dictas sacras reliquias e sepulcro exemisse, ut publicæ venerationi in argentea theca exponerentur.*

a reliquo corpore separatum in theca argentea servatur.

9 *Quæ tamen hæ reliquiæ, seu quæ pars corporis fuerit, non edicunt laudati scriptores; sed cum iidem pag.* 120 *inter ejusdem ecclesiæ sacra cimelia* brachium dexterum S. Ysarni *recenseant, verisimile est, hoc ipsum, si non solum, unum ex ossibus esse, de quibus per Urbanum V a reliquo corpore separatis pag.* 148 *meminerunt. Id ipsum etiam docet J. Arnoux in Catalogo sacrorum corporum et reliquiarum, quæ in Provincia asservantur, quem Ludovico XIII Galliæ regi anno* 1622 *inscripsit, et in quo præter* ossa S. Ysarni *in inferiori ecclesia S. Victoris Massiliæ quiescentia, inter superioris ecclesiæ reliquias, a laudato Ponti-* E *fice Urbano argenteis thecis inclusas, etiam* brachium S. Ysarni, abbatis dicti monasterii *memorat. Hoc utroque quidem loco Arnouxii pro* Ysarno *legitur* Isac; *sed mendum esse, docet tum correctio in exemplari nostro calamo facta, tum res ipsa; cum nullus S. Isac isti monasterio abbas umquam præfuisse legatur; et aliunde etiam constet,* S. Ysarni, *illius loci abbatis, corpus in inferiori ecclesia ibidem quiescere, et ejusdem brachium a reliquo corpore separatum honorari. Denique Joannes Baptista Guesnayus supra laudatus, pag.* 479 *inter ejusdem ecclesiæ sacrarii cimelia pariter recenset* brachium dextrum S. Isarni de argento sine auro, cum reliquiis inclusis ponderis librarum sex et duarum unciarum.

Vita edenda auctorem habet anonymum

10 *Joannes Mabillonius Vitam* S. Ysarni *in Actis Sanctorum sui Ordinis Sec.* VI. *parte* 1, *a pag,* 608 *edidit ex Mss. codicibus, uno bibliothecæ regiæ Parisiensis, altero S. Victoris Massiliensis, de quibus in Observationibus præviis ita scribit :* Hanc Vitam primo habuimus, ex monasterio Massiliensi ad nos transmissam, sed postea, cum conficiendo bibliothecæ regiæ codicum Mss. catalogo operam daremus, eamdem Vitam invenimus in veteri codice cujus scri- F ptura ad B. Ysarni tempus accedit, ex quo eam cum Massiliensi apographo collatam, adjuncto etiam Prologo, qui in priori nostro exemplari desideratur, proferimus. *Habemus et nos eamdem Vitam Ms., quæ Massilia, procurante R. P. Petrasancta, accepta notatur. Consonat ea editæ a Mabillonio, sed Prologo pariter caret, ac præterea nonnumquam correctior quam ista, nonnumquam etiam corruptior est. Quia tamen Mabilloniana editio prædictum Prologum (quamquam aliquot locis mutilum) ex codice regio exhibet, hanc sic recudam, ut ejus menda ex apographo nostro, ubi hoc correctius est, monito lectore, emendaturus sim.*

synchronum, non tamen monachum Massiliensem,

11 *Auctor, quis fuerit, nusquam manifestat; ubique tamen se pium, doctum, sincerum, et Sancto olim synchronum, non tamen ejusdem discipulum, familiaremve, aut rerum ab eo gestarum oculatum testem exhibet. Laudatus Mabillonius recte ostendit,* eum monasterii S. Victoris monachum non fuisse, quandoquidem, *ut ibidem inquit,* se ad illud accessisse dicit, ut ibi famosissimæ illius religionis cælestes choros cerneret, eorumque orationibus se commendaret. *Hinc dicendus est eruditus*

AUCTORE C. S.

tus vir dictorum suorum oblitus fuisse, quando tom. 4 *Annalium Benedictinorum ad annum Christi* 1048 *num.* 32 *de* S. Ysarni *obitu agens, inquit :* Res ab eo gestas scripsit elegantur anonymus, loci monachus, ejus æqualis. *Verum, etsi biographi monachatus satis verisimilis sit, eum tamen monasterii S. Victoris Massiliæ monachum non fuisse, cum eodem Mabillonio in Actis pro certo habeo. Ut autem tam hoc, quam cetera, quæ de biographo diximus, manifesta fiant, oportet, nos hic aliqua ex ejusdem Prologo delibare.*

estque eleganter, magnaque cum fide

12 *Ita hunc exorsus est :* Cum ad venerabile monasterium Massilias ante hos non multos dies venissem, ut famosissimæ illius religionis cælestes in terris choros cernerem, et eorum me orationibus commendarem, inter innumerabiles Sanctorum memorias,... B. Ysarni abbatis, recens defuncti monumentum a diversorum ægrotantium populis frequentabatur. *Hæc sane, uti scriptorem sancto Abbati synchronum, ita eidem monasterio extraneum manifeste declarant. Non eodem tamen anno* 1048, *quo* S, Ysarnus *obiit, biographum illuc accessisse, ex illo ipso colligimus in Vita num,* 19, *ubi de S.* B *Odilone Cluniacensi abbate veluti jam mortuo loquitur. Mortuus autem hic est anno* 1049, *ac probabiliter Kalendis Januarii, uti in Opere nostro tom.* I *ejusdem mensis videre est. Deinde biographus, qua ratione ad scribendam Vitam illam impulsus fuerit, quaque fide, et quibus testibus scripserit, ita pergit exponere :* Hujus itaque tanti Viri recordatione succensus, de vita ejus et conversatione atque virtutibus... alia dicere cupio ..

et sinceritate

13 Est etiam, quod me ad scribendum de eo plurimum provocat; quia tanto certior sum, me sincerissima veritate locuturum, quanto ob recentem Viri memoriam eorum, quæ dicturus sum, tota pœne Provincia testis occurrit, et maxime multi venerabiles valde monachi, discipuli ejus, quos certe credo, tamquam mortem, vitare velle mendacium ; in quorum conversatione, ut breviter de illis omnia dixerim, ipsa perspicue Magistri vita refulget. *Huic Prologo consonant cetera; nam et sæpe Sancti discipulos, oculatos rerum, quas narrat, testes suis nominibus appellat, nec incredibilia refert, nec usquam ei vel verbulum excidit, ex quo aut ab* Ysarni *ætate remotior vixisse credatur, aut de impostura suspectus haberi merito possit. Illud tamen in eo utcumque animadverti potest, quod, etsi* C *Sancti virtutes minime præterierit, ex gestis tamen ejus particularibus ea potissimum selegerit, quæ majorem admirationem moveant, multis aliis prætermissis, ex quibus Viri sanctitas non minus ac forte etiam magis, eluxisset. Sed hoc ipsi cum multis aliis biographis commune est.*

non diu post Sancti obitum conscripta.

14 *Et multa quidem a se prætermissa esse, ipsemet fatetur, nescio quam necessitatem et temporis angustias causatus. Audi ipsum num.* 50 *Vitæ loquentem.* Quoniam, *inquit,* ad prosequenda cetera, quæ de sancto Patre multa supersunt, non sufficio; quia et gravissima quædam mihi necessitas, ut scitis, inest, et nimia quoque temporis arctor angustia, de glorioso saltem ejus fine.... scribam. *Ceterum videtur anonymus iste Vitam hanc saltem magna ex parte rudique stilo compegisse eo tempore, quo in Victorino monasterio hospes morabatur; aut certe tum temporis facta, quæ audierat, in litteras contulisse, et monachis ibidem prælegisse, ne a vero aberraret. Ita colligimus ex Vita, in qua num.* 6 *post narratam divinam in quosdam Sancto injurios vindictam sic prosecutus est:* Hoc dum Fratribus recitarem, unus ex ipsis, Petrus nomine, vir in monasterio *(S. Victoris Massiliensis)* auctoritatis magnæ per omnia, Me teste, D inquit , in Castro-Morario itidem miraculum hoc ordine contigit *etc. Item num.* 39 *narratis aliquot sancti Abbatis miraculis, præmiserat :* Me vero ista coram Fratribus memorante, Rainoardus quidam, magnæ sanctitatis æstimatione in monasterio venerabilis, ea, quæ narraturus sum, intulit, dicens *etc. Merito igitur Vitam hanc magni fecit Mabillonius, ac miror Bailletum huic in Opere suo de vitis Sanctorum locum non dedisse.*

§ II. Sancti ingressus in monasterium Victorinum Massiliense, et hujus in monachis et possessionibus sub eo abbate incrementum : quid de dedicata a Benedicto IX Papa ecclesia S. Victoris sentiendum ?

E

Juvenis monasterium ingressus, fit Prior;

Cum Vita edenda longa commentatione non egeat, ea tantum hoc et sequenti § referam, quæ a biographo prætermissa, vel levius perstricta, mihi aliunde innotuerunt, aut quæ longiorem quam Annotata patiantur, elucidationem requirunt. Adolescentem *fuisse* S. Ysarnum, *quando monasticæ professionis tyrocinium in Massiliensi S, Victoris monasterio exorsus est, tradit biographus in Vita non uno in loco, sed annum ætatis ipsius, aut Religiosi incepti non exprimit. Attamen cum instrumento electionis Guifredi seu Wifredi abbatis apud Martenium tom.* I *Collectionis amplissimæ scriptorum col,* 367 *inter ceteros ejusdem loci monachos* Isarnus *subscripsisse legatur, dicendus est Sanctus a Garnerio abbate, cui Guifredus anno* 1005 *suffectus est, inter monachos admissus est; nisi quis sine solida ratione suspicari velit,* Isarnum *illum alium fuisse a nostro. Eodem teste biographo num.* 9 *Vitæ,* Ysarnus post paucos annos *professionis monasticæ a laudato Guifredo ob insignes virtutes suas ceteris Fratribus ibidem Prior præfectus est, ac mortuo deinde Guifredo, non sine divino nutu, ut num.* 10 *et sequenti in Vita narratur, abbas electus.*

abbas anno 1020 vel 1021 factus, monasterium

16 *Annus aditi ab eo Prioratus latet; sed abbatialis ejusdem prælaturæ initium anno Christi* 1020 *vel proxime subsecuto illigandum esse , aptius ostendemus infra, ubi de anno illius emortuali, de* F *quo aliqua controversia est, agendum erit. Qualem porro Sanctus, abbas factus, mox se præstiterit, hic paulo latius explicandum est. Celeberrimum istud quondam monasterium, quod a barbaris non semel magna clade affectum fuerat, denuo circa annum* 923 *a Saracenis Hispaniæ dirutum fuisse, scribit illustrissimus Henricus de Belsunce, Massiliensis episcopus, in ecclesiæ suæ Antiquitatibus tom.* I, *lib.* 4, *num.* 35. *De ejusdem restauratione consuli etiam potest Martenius seu Durandus in Præfatione ad Collectionem amplissimam veterum scriptorum. Præcipui tamen restauratores fuere laudati Guifredus et* Ysarnus *noster. De Guifredo id constat ex vetusto Chronico ejusdem monasterii apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 339, *quod sic habet :* M. Ind. XIII. Cepit Massiliense monasterium restaurari, domno Guifredo existente ibi prius quinque annorum Priore, in quindecim annis sequentibus vivente eodem ibi abbate... Obiit in senectute bona, relinquens monasterium cum L Fratribus, quod prius accepit cum

A cum quinque, sicut nobis retulerunt Fratres, qui tempore illius in monasterio nutriti fuerant.

a Guifredo feliciter restauratum, multum promovet,

17 *Nonnullis quidem suspectum videtur, quod Guifredus monasterium istud* cum quinque *tantum fratribus seu monachis accepisse dicatur, quia instrumento electionis ejusdem supra laudato viginti tres cum abbate Garnerio, prælaturam abdicante, subscripti leguntur. Verum, nisi vitium in numeros Chronici irrepserit, conciliari isthæc possunt, si dicamus, quinque ibi tantum monachos fuisse, quando Guifredus Prior, non quando abbas creatus est. Utut sit, non magnam monachorum manum ibi fuisse, dum* S. Ysarnus *eo primum advenit, docet etiam biographus in Vita num.* 6, *ubi ait, sanctum Adolescentem ibidem varia sciscitatum esse* a paucis Fratribus, qui, restituto recens monasterio, ibi satis regulariter vivere cœperant. *At vero quantum, eodem abbate* Ysarno, *monasterium illud tam monachorum numero, quam possessionibus excreverit, modo dicendum est. Biographus in Vita num.* 21 *ad propositum hæc ait:* Factum est autem, ut virtutum ejus fragrantiam plurimi odorantes, ejus se cuperent institui disciplinis.

multis et insignibus alumnis auget,

B 18 *Inter hosce præcipue celebrat duos, quos sanctus Abbas suis monachis omnium primos adscripsit, Dodonem et Rainaldum, ambos* admiranda sanctitate *et* plurimis miraculis *claros; quorum priorem jam tum, dum ista scriberet, sancte mortuum, alterum virtutibus tum etiam inter vivos illuxisse, testatur.* Hos *(subdit biographus ibidem)* ex diversis terris subsecuta veneranda posteritas ex satis modico immensum in brevi gregem Domino confecerunt; inter quos multi quoque nobilium cælestis vitæ amore succensi, præclara sæculo suæ conversionis exempla tradidere. Tunc etiam Pontius Arelatensis archiepiscopus, nec multo post et successor ejus, totius tunc Provinciæ unicum decus, Randibaldus, sub eodem Patre Sanctæ se Regulæ submiserunt. *Visum est, totam hanc periodum hic referendam, quia aliqua elucidatione indiget. In primis vox ista* posteritas *non in communi et obvio sensu accipienda est; sed pro omnibus illis qui Dodonis ac Rainaldi exempla secuti, monasticam professionem sub* S. Ysarno *amplexi sunt. Ita liquet ex duobus illis archiepiscopis, quos* sub eodem Patre Sanctæ se Regulæ *submisisse, subjungit.*

inter quos fuere duo archiepiscopi Arelatenses

19 *De Pontio alia quæstio est. Gemelli fratres Sammarthani tom.* 1 *Galliæ Christianæ, pag.* 47 *scribunt, Pontium de Marignane ex monacho Victorino ad archiepiscopatum Arelatensem evectum esse, eoque anno* 1029 *vel sequenti deposito, ad idem monasterium, cui* S. Ysarnus *tunc præerat, rediisse. Contra Dionysius Sammarthanus in sua item Gallia Christiana tom.* 1 *col.* 552 *vero propius existimavit, laudatum Pontium non nisi post gestum archiepiscopatum in dicto monasterio sub abbate* Ysarno *monastica instituta amplexum esse. Gemellis fratribus favent dicta biographi, secundum quem* nec multo post et successor ejus *(Pontii)* Randibaldus sub eodem Patre sanctæ se Regulæ *submisit. Cum enim aliunde constet, Randibaldum seu Raiambaldum* S. Ysarni *monachum, Pontio in disciplinam* S. Ysarni *transeunti, in archiepiscopatum Arelatensem successisse, consequenter statuendum esset, aut Pontium ante acceptas insulas sub* Ysarno *abbate monachum fuisse, aut Randibaldum* non multo post, *quam eas acceperat, easdem deposuisse, et ad monasterium reversum esse.*

Pontius et Randibaldus seu Raiambaldus.

20 *Sed horum neutrum dici potest. Nam consentientibus laudatis Galliæ Christianæ scriptoribus, Pontius Arelatensi ecclesiæ jam præerat circa annum* 1000, *quo* Ysarnus *certe nondum abbas, ac forte nec monachus erat; Randibaldus vero plurimis post sancti Abbatis obitum annis prædictum archiepiscopatum tenuit; et quamquam Dionysius Sammarthanus ibidem sentiat, Randibaldum aliquo ante mortem suam tempore, abdicato archiepiscopatu, ad monasterium suum rediisse, de eo tamen secessu biographi dicta accipi nequeunt, cum secundum ista debuisset Randibaldus non multo post Pontium, cui in archiepiscopatum successerat,* Ysarno *inter monachos instituendum se dedisse. Itaque ut hæc concilientur, credo biographum sic exponendum:* Tunc etiam Pontius Arelatensis archiepiscopus, *et qui* non multo post, *quam sub* Ysarno *monachum induerat,* successor ejus *(Pontii) fuit* Randibaldus... sub eodem Patre sanctæ se Regulæ submiserunt. *Interpretationem hanc exigunt, quæ de temporibus utriusque episcopatus supra diximus collatis ad initium prælaturæ* S. Ysarni, *quod ex dicendis ad annum Christi* 1020 *vel* 1021 *certo referendum est.*

Leodegarius archiepiscopus Arelatensis donat ipsi

21 *Nec insignes tantum illustresque personæ, sed et ecclesiæ ac monasteria, etiam extra Massiliensis diœcesis limites sita,* Ysarno *abbati subjiciebantur, ac multis prælerea prædiis ejusdem monasterium augebatur. Longum esset singula,* E *quæ apud varios leguntur, enumerare. Proferam tamen aliqua hujusmodi loca, quæ sive ut ablata olim restituerentur, sive ut regularis disciplina in ea indiceretur, a viris optimatibus ipsi tradita fuere. Erat in Viennensi archidiœcesi Griniensis ecclesia S. Ferreoli, quondam quadringentorum monachorum cœnobium, sed tunc temporum iniquitate bonis omnibus alio distractis, collapsum. Hoc cum Leodegarius archiepiscopus ad pristinum splendorem revocare niteretur, in numerosa quingentorum abbatum, monachorum, aliorumque clericorum Viennensi synodo decrevit, pristinis bonis suis, quantum poterat, dotatum* Ysarno *et successoribus ejus tradere ea lege, ut ab ipsius monachis incoleretur. Charta donationis hujus exstat in laudata Collectione per Martenium et Durandum tom.* 1, *col.* 402 *et sequenti, unde sequentia huc transfero.*

ecclesiam ac monasterium S. Ferreoli,

22 Ego Leodegarius sanctæ matris ecclesiæ Viennensis archiepiscopus, omnium Dei fidelium servus, exemplo et amore prædecessorum meorum tactus, cupiens ornare ecclesiam nostram, quæ quondam gloriosissime floruit, propono et desidero desservire beatissimo ac domno Ferreolo, F martyri et civitatis nostræ tribuno. Siquidem ecclesia ipsius vel cœnobium, quod vocant Griniensium, quadringentorum simul in se habuit multitudinem monachorum; nos vero, quos ad hæc Deus infelicia perduxit tempora, si non ita, saltim quod possumus, adimplemus. Reddimus ergo sibi, videlicet S. Ferreolo ipsiusque quondam monasterio, ex hereditate ipsius quidquid in nostro dominio tenebamus, ceu etiam ubicumque fuerit inventum aliquid ex ejus hereditate, totum omnino reddimus, et eos, qui tenent, si reddere voluerint, in hac elemosyna adjungimus. Sed et fidelis noster Blandinus, quidquid de ejus hereditate in beneficio de nobis tenebat, totum reddit, insuper et de suo alode largitur.

ut in illud monachos suos inducat.

23 Hoc ergo per consilium fidelium nostrorum facimus, collaudante omni clero et populo ecclesiæ nostræ, insuper annuente Hermengarda, inclyta regina regis Radulfi *(Burgundiæ Transjuranæ, ejus nominis III)* uxore, nunc vidua. Ponimus ergo in ipso loco Dei servos ex monasterio S. Victoris gloriosissimi Massiliensis, ipsumque

AUCTORE C. S.

que locum cum omnibus, ad se pertinentibus eidem S. Victori perpetualiter damus, et viro venerabili domno Isarno abbati, per consilium et voluntatem domni abbatis Odilonis Cluniacensis, et omnium Fratrum suæ congregationis. Facta donatio hæc eleemosynaria anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi MXXXVI, Indictione IV, epacta I, anno VIII imperatoris Romanorum Conradi *etc. Conradus, cujus hic mentio fit, est cognomento* Salicus, *primum Germaniæ rex ac deinde imperator; sed in anno hic mendum est; cum nec regni, nec imperii ipsius annus* VIII *in annum Christi* 1036 *inciderit. S. Odilonem Cluniacensem abbatem* S. Ysarno *familiarem, ejusdemque virtutum admiratorem præconemque fuisse, tradit biographus noster in Vita num.* 19 *et* 20; *unde nil mirum est; ipsum in hanc donationem libenter consensisse.*

Ab eodem accipit ecclesiam S. Symphoriani, et quatuor alias

24 *Sequitur ibidem charta altera, anno Christi* 1037 *notata, sed hinc et inde nonnihil mutila, per quam laudatus archiepiscopus Leodegarius eidem S. Ferreoli monasterio, ad quod Victorinos monachos,* annuente venerabili abbate Isarno, Dei servo, *jam evocaverat, S. Symphoriani ecclesiam, quæ ad illud olim pertinuerat, cum prædiis aliisque bonis eodem spectantibus restituit. Alteram quoque donationem seu restitutionem quatuor ecclesiarum, quæ in Petra-Castellana, Senecensis diœcesis in Provincia sitæ erant, sanctus Abbas ab Amelio episcopo obtinuit. Donationis instrumentum, seu fragmentum, quod Martenius circa annum Christi* 1040 *factum putat, ibidem recitat col.* 405 *et sequenti, unde illud, quia breve est, hic refero.* Ego Amelius, gratia Dei Senecensis episcopus, nostrorum filiorum ceterorumque fidelium nostrorum voluntate vel rogatu ecclesias nostræ diœcesis quasdam, quæ olim fuerant monasterii S. Victoris Massiliensis juris, quamvis aliquanto tempore a quibusdam monachis injuste possessas, auctoritate Apostolica eodem * monasterio reddimus, sive donamus, cum omnibus, quæ ad easdem ecclesias pertinent, simul cum omni decimo rerum sibi pertinentium, nunc vel in posterum acquisitarum, quæ ecclesiæ sunt sitæ in loco vel villa, quæ vocatur Petra Castellana.

* imo eidem

in Petra Castellana ab Amelio episcopo Senecensi.

25 Et hoc tali tenore facimus, ut omni tempore servi Domini, ibidem permanentes, pro nobis et successoribus nostris ad Dominum sint intercessores. Sunt autem hæ ecclesiæ, S. Mariæ, S. Joannis, S. Petri, S. Laurentii. *Hactenus fragmentum illud, ad quod illustrissimus Belsuncius tom.* 2 *Antiq. eccles. Massil., lib.* 5, *num.* 28 *observat, Amelium verisimiliter Romani Pontificis consensum ad hanc donationem faciendam obtinuisse cum dicat, se eam facere* auctoritate Apostolica. *Porro ejusdem Amelii mentio recurret in Vita num.* 25, *ubi dicitur* Ysarnus *ipsum exorasse, ne castelli Baremmæ incolas ob illatam ipsi Sancto injuriam excommunicaret. In Petra-Castellana quoque aliquam monasterii Massiliensis possessionem memorat biographus ibidem num.* 23 *et* 25. *Erat autem Petra-Castellana oppidum Galliæ in Provincia, monti impositum, cum arce baronum, qui in eo oppido dominabantur, sed post medium seculum* XIII, *ultimo loci domino capite plexo, incolæ, relicto monte, in vallem commigrantes, ad Verdonem fluvium consederunt, ubi modo oppidum est, Gallice* Castellane *nuncupatum, duobus milliaribus a Sanitio, vulgo* Senez, *in cujus diœcesi est.*

26 *Ad hasce donationes accessit et altera cœnobii S. Michaëlis de Fallio, in comitatu Barcinonensi, sive in veteri Catalonia siti de qua exstat instrumentum apud laudatum Martenium col.* 406 *et duabus sequentibus, unde hic aliqua refero. Gombaldus de castro Bisaure, qui locum illum a Raymundo comite Barcinonensi et uxore ejus Ermensende dono acceperat, ut liquet ex charta ibidem relata col.* 353, *et ex suis etiam bonis ditaverat, de salute sua sollicitus, eumdem cum annexis possessionibus* Domino Deo, et S. Victori martyri, monasterio Massiliensi et abbati Isarno præsenti, et abbatibus, qui post ipsum futuri sunt, *donavit. Hanc tamen adjecit conditionem,* ut non liceat eis vendere, nec alienare, nec excommutare, aut transfundere, sed omni tempore ad servitium S. Victoris tenere, et sui monachi S. Victoris in ipsa spelunca et ecclesia Dei omni tempore stare *(debeant)* et pro peccatis *(ipsius)* Dominum exorare. Quod si monachi S. Victoris in ipso loco stare noluissent, S. Victor nec monachi sui omnino nihil habuissent.

Acquirit monasterium S. Michaëlis de Fallio

in comitatu Barcinonensi.

27 *Locum vero ipsum et situm ejus Gombaldus ibidem sic exponit :* Cœpi de substantia ecclesiis Dei servire et honorare, e quibus elegi unam infra terminibus * Barchionense vel Ausonense constitutam, et in servitium Dei restitutam, et non humano opere factam, sed mirabili voluntate Dei adimpletam, et in excelsa rupe positam, et ipsam vocant SPÆLEAM, et in honore Dei et S. Michaëlis archangeli consecratam, super castrum, quem vocant Mons-boium, infra terminos ipsius sitam, quem vulgus nuncupat Falium. *Ausonensis civitas, de qua hic mentio fit, olim* Ausa *et* Ausona *dicta, deinde etiam* Vicus Ausonensis, *vulgo* Vich *et* Vic de Osona; *Hispaniæ civitas in Catalonia est, septemdecim circiter milliaribus Barcinone distans in Septemtrionem, estque episcopalis sub archiepiscopo Tarraconensi. Porro laudatum instrumentum notatur* Idus Octobris, anno XII Henrici regis, *Galliæ scilicet, ideoque anno Christi* 1042. *Admissam autem fuisse a* S. Ysarno *eam donationem, liquet ex biographo, qui num.* 56 *Vitæ agens de Sancti itinere Hispanico,* Tandem, *inquit,* ad possessionem quamdam S. Victoris, Alfalium nomine, ubi in specu amœnissima perpulcrum et satis habile monasterium in honore S. Michaëlis archangeli constructum est,... perveniunt.

* terminos

Aliæ donationes in diœcesi Massiliensi et alibi

28 *Non multo post, anno scilicet* 1044 *Pontius, ejus nominis II Massiliensis episcopus, ecclesiam S. Genesii* in comitatu Massiliense juxta montem, qui dicitur Guarda, *quæ tunc destructa erat, cum consensu canonicorum ecclesiæ suæ donavit* omnipotenti Deo, ipsiusque monasterio, in honore S. Victoris apud Massiliam fundato, et abbati Isarne et Monachis præsentibus et futuris, et * eodem monasterio commanentibus, ut ædificantes prædictam ecclesiam, scilicet S. Genesii, perpetuo teneant et possideant *etc. Chartam habes tom.* 1 *Galliæ Christianæ auctæ, inter instrumenta pag.* 114 *et seq. Ibidem pag.* 64 *altera denuo donatio eodem anno facta exhibetur, in cujus instrumento Bertrannus donator sic loquitur :* Ego Bertrannus, auctore Deo, marchio sive comes Provinciæ, ecclesiam S. Promasii martyris cum burgo et terris, quæ sunt meæ possessionis, reddo ac dono omnipotenti Domino ac S. Victori martyri, ejusque monasterio. Facta hæc donatio anno Incarnationis Dominicæ MXLIV. Indictione XII. Henrico rege regnante.

* in

ipsi factæ: Græcimonachi

29 *Rursus ibidem inter addenda instrumentis pag.* 204 *recitatur charta Raiambaldi Arelatensis archiepiscopi, antea monachi Victorini, per quam hic* religiosum locum in honore S. Genesii vel

S. Honorati

AUCTORE C. S.

A Honorati *conditum* infra muros *(Arelatensis)* civitatis, *donavit* monasterio S. Victoris de Massilia, in quo constitueret Isarnus abbas ejusdem monasterii monachos in Dei servitio. *Annus donationis adscriptus non est. Apud Martenium in laudata Collectione col.* 408 *et sequenti occurrit donatio quæ sic habet* : In nomine Domini nostri Jesu Christi. Memoria et notitia vel donatio de tertia parte ecclesiæ S. Petri, quæ est constructa in territorio castelli vel villæ, quæ vocatur Auriol, in comitatu Massiliensi, ad monachos Græcos, quos in eadem ecclesia ponunt episcopus Pontius, et Isarnus abbas monasterii S. Victoris Massiliensis. Igitur ego Pontius, gratia Dei sanctæ sedis Massiliensis episcopus, una cum voluptate * et consensu clericorum ecclesiæ à Deo mihi commissæ, facio donationem de altare S. Petri ecclesiæ superius nominatæ, et de omni tertia parte omnium rerum, videlicet alodis camporum, vinearum, hortorum, pratorum, vel quarumcumque possessionum, quæ ad eamdem ecclesiam nunc pertinent... servis Dei Græcis et successoribus eorum, in eadem ecclesia Domino servientibus, sub cura et regimine abbatis. S. Victoris *etc.*

* *forte voluntate*

B 30 *Sub calcem dicitur* facta donatio hæc anno ab Incarnatione Domini MXLIIII, Indictione XIII, regnante Henrico rege. *Et infra* : Acta publice apud Massiliam in conventu clericorum 2 Nonas Julii, feria VI. *Sed vitiosæ sunt hæ notæ chronologicæ ; nam Indictio* XIII *mense Julio pertinet ad annum* 1045, *quo feria* VI *incidit in diem* III *Idus Julii, anno autem* 1044 *pridie Idus ejusdem mensis erat feria* VI. *Martenius ibidem in Præfatione pag.* XLIX *ait, eamdem donationem factam esse* II Nonas Julii, feria VI, anno MXLV, indictione III. *Nescio, utro loco Ms. suum rectius secutus sit, sed utrobique error in notis est. Idem editor ibidem censet, voluisse* Ysarnum, *ut ecclesia SS. Zachariæ, Joannis Baptistæ, et Elisabeth, prædiaque, quæ a Raiambaldo archiepiscopo Arelatensi in territorio castri Auriol, et ab aliis pro dicta ecclesia acceperat, una cum supra memorata S. Petri ecclesia in Græcorum monachorum alimoniam cederent. Harum donationum instrumenta habes tom.* I. *Galliæ Christianæ auctæ, inter instrumenta pag.* 95, *et apud laudatum Martenium col.* 400 *et seq.*

in ecclesia S. Petri in comitatu Massiliensi

31 *At vero illustrissimus Belsuncius tom.* I, *lib.* 5, *num.* 25 *scribit, canonicos ecclesiæ S. Zachariæ Benedictinam Regulam sub* S. Ysarno *amplexos, esse, atque* hæc fuisse initia monasterii virorum,
C quod olim apud S. Zachariam fuit, quodque hodiedum tantummodo prioratus est sub patronatu abbatis *S. Victoris. Utut hæc se habeant, laudatus illustrissimus ibidem num.* 31 *merito suspicatur, Græcos illos monachos a Pontio episcopo et* Ysarno *abbate in ea S. Petri ecclesia collocatos fuisse in gratiam mercatorum, qui ex Oriente Massiliam appellebant. Præterea alias multas donationes tempore sancti Abbatis nostri monasterio Victorino factas, de quibus consuli possunt laudatus Martenius, Dionysius Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ variis in locis, illustrissimus Belsuncius in laudato Opere, aliique, qui de rebus Massiliensibus scripserunt. Mihi supra dictas retulisse sufficit, ut hinc lector colligat, quanta fuerit de* S. Ysarno, *dum etiam viveret, æstimatio, quamque feliciter monasterii sui ad divinum cultum opes amplificaverit.*

sub disciplina Sancti instituti : item aliæ donationes.

32 *Scriptores Massilienses, aliique qui de ecclesiasticis rebus Provinciæ scripserunt, passim tradunt, ecclesiam S. Victoris Massiliæ, quam Guifredus abbas ædificare cœperat, a* S. Ysarno *perfectam, eodemque rogante, a Benedicto IX Romano Pontifice anno* 1040 *Idibus Octobris magna cum solemnitate consecratam fuisse. Benedicti Bullam, in qua id factum asseritur, recitat Guesnayus in Annalibus Massiliensibus ad dictum annum, et Dionysius Sammarthanus tom* I *Galliæ Christianæ auctæ inter instrumenta pag,* III *et sequenti, ubi consuli potest. Joannes Launoyus in Disquisitione Disquisitionis de Magdalena Massiliensi advena eamdem adversus Guesnayum cap.* 7 *impugnavit, et hic in Auctario historico de eadem Magdalena vendicare conatus est. Porro certum est, in Bulla ista, sive instrumento, cui ea inserta est, aliqua occurrere, quæ eamdem vehementer suspectam faciunt suppositionis, ideoque ineptam ad ejusdem Benedicti ad Massilienses accessum, quod caput rei est, et de quo nullus veterum meminit, mihi persuadendum. Quapropter uti negare nequeo dedicationem ecclesiæ istius sub* S. Ysarno *abbate factam esse, ita eam Benedicto IX Pontifici nequeo adscribere.*

Non videtur Benedictus IX Papa ecclesiam S. Victoris dedicasse.

§ III. Sancti iter Hispanicum pro redimendis captivis Lerinensibus feliciter confectum ; reditus Massiliam : beatus obitus, et hujus annus assignatus : ejusdem epitaphium. E

Superest, ut de postrema Ysarni *vitæ periodo, in qua Vir sanctus suam erga proximum charitatem, vere heroïcam, miro modo prodidit, nec minus feliciter exhibuit, pauca hic dicamus. Rem gestam satis prolixe enarrat biographus capite ultimo, ideoque hic eam tantum breviter perstringam quantum ad eamdem elucidandam necesse est. Vulgo notum est vetustum celeberrimumque* S. *Honorati monasterium conditum in Lerina, quæ parva Galliæ, in ora Provinciæ, maris insula est, duobus circiter milliaribus ab Antipoli, vulgo* Antibes, *dissita in Meridiem, et nunc a Gallis* l'Isle de saint Honoré *solet appellari. In hanc insulam piratæ ex Saracenis Hispaniæ hostiliter appulsi, direpto monasterio, monachos, quos ceperant, in Hispaniam avexerunt. Annum, quo hæc Lerini direptio facta est, more suo non exprimit biographus, ea-* F *que ipsa ab antiquis scriptoribus prætermissa est. Ejusdem tamen meminit antiquus codex monasterii Lerinensis, in quo, teste Vincentio Barrali in Chronologia Sanctorum, aliorumque illustrium virorum ejusdem monasterii parte* 2, *pag.* 152, *hæc anno* 1046 *vel certe proxime secuto illigata est.*

Direpto a Saracenis Hispaniæ monasterio Lerinensi.

34 *Verba ejus accipe* : Anno Domini millesimo quadragesimo sexto (ut legitur in quodam cathalogo codicis perantiqui monasterii Lerinensis, in quo omnes abbates recensentur ab isto anno usque ad annum millesimum quadringentesimum vigesimum) ordinatus fuit abbas Lerinensis dominus Aldebertus, primus hujus nominis, quo abbatiam ministrante, legitur ibi destructum fuisse primo anno ordinationis illius monasterium Lerinense, et non reædificatum neque erectum, ni * post annos quadraginta duos, ab illius successore Aldeberto secundo. Cui ruinæ non de facile assentimur, cum nullos exprimat invasores codex ille antiquus ; imo econtra infra id tempus multi inveniantur benefactores, et florentissimus appareat status monasterii Lerinensis *etc. Hactenus Barralis, qui si hanc* S. Ysarni *Vitam, a synchrono conscriptam legisset, invasores*

abductisque monachis, Sanctus pro iis redimendis.

* *nisi*

AUCTORE C. S.

invasores reperisset, nec de ipsa direptione prudenter potuisset dubitare. Facile tamen ipsi crediderim, monasterium Lerinense non tanto tempore in ruinis jacuisse, pro quo mox restaurando ipsum etiam S. Ysarnum *laborasse, scribit biographus in Vita num.* 57, *haud dubie plura pro eodem facturum, si per longiorem vitam licuisset. Ceterum observa, catalogum illum, a Barrali laudatum,* perantiquum *dici non posse, si usque in annum* 1420 *excurrat, nisi forte abbates suo quique tempore in eo inscripti fuerint.*

licet graviter ager, in Hispaniam proficiscitur,

35 *Porro ut ad historiam redeamus, Lerinenses monachi, qui in piratarum manus non inciderant, de captivis fratribus suis pie solliciti, collecta, quantam potuere, pecuniæ summa, eos redimere decreverunt. Verum quia ad perfidam illam gentem adire, nihil aliud videbatur, quam sine captivorum solatio semetipsos cum pecunia sua ei tradere, optimo consilio statuerunt ab* Ysarno *opem petere. Habebat scilicet hic possessiones aliquas Hispaniis proximas, et in ipso comitatu Barcinonensi monasterium S. Michaëlis de Fallio sive de Alfallio, ut supra diximus, eratque magni nominis* B *et æstimationis apud viros principes, quorum opera ad eam rem indigebant. Rogarunt ergo illum, ut e monachis suis unum sibi concederet, qui in Hispaniam profecturos comitaretur, et auctoritate illius pium opus promoveret. Jacebat tum ex diuturno morbo affixus lecto sanctus Abbas; sed audita de proximo bene merendi occasione, e lecto exsiliens, non alium, quam se iturum, pronuntiavit, et invitis suis omnibus, lectica vectus, inter summos cruciatus vitæque discrimina, ad prædictum S. Michaëlis monasterium pervenit, nec ultra progredi valens, ibidem periculose decubuit.*

et in monasterio S. Michaëlis de Fallio decumbens,

36 Tunc adventus ejus, *inquit biographus num.* 56, rumore respersi Barcinone consul Raimundus Berengarii et uxor ejus Elisabeth, et Gumbaldus vir consularis, illuc se suaque offerentes, principes scilicet maximi totius regionis, accelerant peccata propria detegere, patronumque illum sibi apud Deum fieri deprecantur. *Annuit ille postulatis,* et id eis protinus pœnitentiæ munus injunxit, ut, quibuscumque juste possent modis, tam potentiæ minis, quam ingenii viribus, et sensu et prece captivos monachos Domino Deo restituerent, ac nobile quondam Lirinense monasterium, nunc inique ab impiis C destructum gentibus, ad honorem Domini restaurarent; *ipsi vero hanc conditionem acceperunt. Raimundus Berengarii, qui a biographo* Barcinone consul *hic, ac paulo post* comes *dicitur, fuit comes Barcinonensis, ejus nominis I, cujus breve quidem, sed insigne elogium exstat in Gestis comitum Barcinonensium cap.* XI, *a Stephano Baluzio post Marcam Hispanicam editis, ubi ea consuli possunt. Ad majorem tamen fidem dictis biographi faciendam juverit hæc pauca ex citato capite recensuisse.*

per Raimundum comitem Barcinonensem, et Gumbaldum

37 Hic Raimundus Berengarii, *inquit auctor Gestorum,* nimia claruit probitate, et inter alios Hispaniæ principes super Agarenos tantum habuit principatum, ut XII reges (*Mauri*) Hispaniæ suo tempore annuatim ei tributum, tamquam domino, persolverent. *Ibidem dicitur vixisse in comitatu suo* 42 *annis, annoque Christi* 1076 *obiisse, quod cum* S. Ysarni *ætate, ac tempore, quo hanc Sancti profectionem biographus collocat, recte convenit. De Elisabetha quoque, dicti Raimundi uxore, mentio fit in donatione anno* 1045 *ab ipsa ejusque marito facta Barcinonensi pregrinorum domui, apud Stephanum Baluzium in Continuatione Marcæ Hispanicæ illustrissimi Petri de Marca lib.* 4, *col.* 442 *et alibi. Quem idem biographus per* D Gumbaldum virum consularem *designare hic voluerit, hactenus certo non reperi. Suspicor tamen, hunc eumdem esse cum* Gombaldo de Castro Bisaure, *a quo illud ipsum S. Michaëlis de Falio monasterium* S. Ysarno *ante donatum fuisse, num.* 26 *et* 27 *vidimus. At quisquis ille fuerit, oportet et hunc virum potentem ac strenuum fuisse, cujus minas Mauri formidarent. Utut est, impositum pœnitentiæ opus laudati viri principes, ut dixi, admisere. Erat autem una pars captivorum monachorum in civitate* Denia, *quæ olim etiam* Dianium *et* Artemisium *appellata, sita est in regno Valentiæ, cum portu ad mare Mediterraneum.*

captivos recipit; inde Massiliam redux moritur

38 *Tenebat eam tunc, teste biographo, rex seu regulus, Alaïus, ad quem Raimundus et Elisabetha suos legatos miserunt, qui captivos monachos ab eo repeterent et recusanti bellum denuntiarent. Altera monachorum Lerinensium pars Dertosæ detinebatur sub regulo, quem biographus Agalisum appellat. Est autem Dertosa, incolis nunc* Tortosa *dicta, Hispaniæ civitas in principatu Cataloniæ, ad Iberum fluvium, qui tribus circiter milliaribus Hispanicis infra in mare Balearicum* E *se exonerat. Huc quoque legatos suos laudatus Gumbaldus destinavit, eadem, quæ Raimundus mandaverat, exigens. Utrique legationi additus monachus est, qui Lerinenses recognosceret. Quid multa? Ambo reguli captivos reddidere, quos post divinitus illusam nautarum perfidiam, iteratamque ab iisdem Christianis principibus legationem,* S. Ysarnus *tandem liberos summa cum lætitia recepit; uti capite ultimo Vitæ ipsius pluribus legere est, quibus hic propterea supersedeo. Re tam feliciter gesta, et ægritudine corporis ac meritis auctus, in lectica sua Massiliam revectus est, ubi in suo Victorino monasterio* octavo Kalendas Octobris, *teste biographo,* ipsa eadem post annum die, qua ad Hispanias se pro fratribus daturus exierat, ad desideratum diu vitæ æternæ Fontem, solutus carne lætus (*animam*) emisit. *Quo autem anno id contigerit, modo inquirendum est.*

anno Christi 1048 secundum biographum aliosque.

39 *Biographus in Vita num.* 65 *post verba mox data eum sic exprimit :* Erat autem annus tunc ab Incarnatione Domini millesimus quadragesimus octavus. *Consonat ejusdem Sancti epitaphium, marmori incisum, quod infra dabimus, et in quo* F *ita legitur :* Obiit anno MXLVIII indict. I. Epacta III. *Porro hæc indictio, currens cum die* XXIV *Septembris, pro Pontificia accipienda est; nam si cæsarea esset, ad annum* 1047 *pertineret. De Epacta altera est difficultas: nam secundum tabellam Clavianam ante correctionem Kalendarii Romani Epacta* III *spectat ad annum* 1047, *quo numerus aureus erat* III; *anno autem* 1048 *numerus aureus* IV, *et Epacta* XIV. *Verum hanc difficultatem tollunt eruditi Benedictini, qui in Glossario Cangii auctius edito ad vocem* Annus *observant, Clavianam tabulam uno semper anno præcedere veterum computandi modum, ideoque in tabula, quam laudati Benedictini pro examinandis veterum instrumentorum chronologicis notis ibidem exhibent, numerus aureus* IV *cum Epacta* III *concurrit. De anno consentit pariter vetus Chronicon S. Victoris Massiliensis, quod apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 339 *sic habet :* MXLVIII. Ind. I. Obiit domnus abba Isaurus. *Antiquum autem hoc Chronicon esse, et ab alio continuatum, ex eo liquet, quod in eodem litteris miniis proxime post dicta verba legatur :* MLV. Ind. VIII. Eodem anno factus est liber iste. *Concordant similiter, quæ de obitu Wifredi seu Guifredi, cui* S. Ysarnus *in abbatiam*

A *batiam successit, in eodem Chronico, quæque in supra laudato epitaphio de ejusdem Sancti regiminis annis traduntur.*

Sed Martenius a se demonstratum putat,

40 *Chronicon enim de Guifredo sic habet:* MXXI. Ind. IV Obiit domnus abba Wifredus. *Tempus vero regiminis* Ysarni *epitaphium, de die emortuali cum biographo etiam conveniens, versibus satis barbaris ita signat:*

Rexit bis denis septemque fideliter annis,
Commissumque sibi dulce gregem Domini
Respuit Octobris trasacto Octavo Calendas,
Et cepit rutili regna subire poli.

Adde hos annos 27 *prælaturæ* Ysarni *anno* 1021 *Guifredo emortuali, et ad annum* 1048, *quo Sanctus obiisse dicitur, pervenies. Hinc factum est, ut scriptores pene omnes,* S. Ysarni *obitum anno Christi* 1048 *illigaverint. Verumtamen non desunt rationes, quæ hanc sententiam utcumque dubiam reddunt et pro Sancti morte ad annum* 1047 *retrahenda faciunt. Edmundus Martenius, vel Ursinus Durandus, in Præfatione ad tom.* I *Collectionis amplissimæ veterum scriptorum pag.* L *de hoc argumento ita disserit:* Vitam post hæc non

B produxit diu S. Isarnus, cujus mortem anno MXLVIII, VIII Cal. Octobris consignat antiquus Vitæ ipsius scriptor, cui suffragatur relatum ab ipso epitaphium, adstipulanturque recentiores *(quos viderat)* ad unum omnes. Verum et Vitæ scriptorem, et epitaphii conditorem memoria lapsos esse, multa persuadent, quæ Isarni obitum anno uno antevertendum clare demonstrant. Nam constat primo ex laudato epitaphio, annis omnino viginti et septem administratum ab Isarno fuisse monasterium Victorinum, cujus regimen anno MXX creditum ipsi fuerat, quo anno decessor ipsius Wifredus, ut habent vetera Massiliensium monumenta, fato functus est,

ipsum uno anno citius obiisse

41 Porro si Isarnus, anno MXX creatus abbas, annis XXVII Victorinis præfuit monachis, consequens est, eum ut anno MXLVII ad cælos evolasse dicamus. Secundo laudatum in nova Gallia Christiana electionis decretum Petri, ipsius successoris, annum refert MXLVII. Tertio donationem ecclesiæ B. M. de Grauleriis, anno MXLVII S. Victori factam Indictione XV, excepit, non Isarnus, sed Petrus, qui proinde jam sedebat. Quarto Girundensis S. Pauli ecclesia Petro abbati data est

C anno MXLVIII, mense Februario: ergo e vivis jam excesserat Isarnus, nempe VIII Calendas Octobris præcedentis anni. Postremo Lambertus et ipsius uxor Austrudis vineam in Cathedra vendunt, « mortuo ipso domno Isarno abbate, immo de mortali hac vita, ut credimus, ad æterna sublato, et in ejus vicem in præfato monasterio domno Petro jam pastore ordinato », anno MXLVIII, Indictione I; ac proinde Isarnus, qui VIII Calendas Octobris diem clausit extremum, non potuit isto anno obiisse, quo secunda Indictio incipit VIII Calendas Octobris. Hæc plus quam satis demonstrant, S. Isarni obitum esse consignandum, non anno MXLVIII, sed præcedenti. *Hactenus ipse, qui in eodem tomo col.* 413 *et sequentibus laudata donationum instrumenta a Furnerio ex archivis monasterii S. Victoris Massiliensis eruta, recenset. Videamus itaque, an hæc ejusmodi sint, ut rem tam certo conficiant, quam visum est Martenio.*

Instrumenta, ex quibus Martenius

42 *Quænam sint ista vetera Massiliensium monumenta, in quibus Wifredi obitum anno* 1020 *signari ait, compertum non habeo; esse tamen aliqua, aliunde etiam didici Nam et Guesnaysus in S. Joanne Cassiano illustrato lib.* 2, *pag.* 569 *et* 713 *Wifredi mortem signat* anno MXX pridie Idus Septembris, *et illustrissimus de Belsunce tom.* I *Antiq. eccles. Massiliens., lib.* 5 *num.* XXV S. Ysarnum *Wifredo eodem anno successisse scribit. Difficulter tamen antiquius aliquod proferent, quam Chronicon S. Victoris supra laudatum, quod, etsi Wifredi mortem verbis, num.* 39 *relatis, anno Christi* 1021 *illiget, ante tamen eamdem ad annum* 1020 *retulerat hoc modo:* M. Ind. XIII. Cepit Massiliense monasterium restaurari, domno Guifredo existente ibi prius quinque annorum Priore, in quindecim annis sequentibus vivente eodem ibi abbate, qui sic XX anno Incarnationis Christi post millesimum obiit in senectute bona. *Ita hic; sed deinde ejusdem obitum suo loco signans, ait:* MXXI. Ind. IV. Obiit domnus abba Wifredus. *Certum itaque est, aut alterutrum locum mendosum esse, aut chronistam priori loco tantum ex viginti annis regiminis Wifredi rotunde acceptis annum ejusdem emortualem elicere voluisse, nulla habita ratione, qua anni ætate Prior ac deinde abbas factus fuisset, et an et quot mensibus quinque annos prioratus et quindecim abbatialis regiminis excessisset.*

auctore C. S.

E

id evinci arbitratus est,

43 *In posteriori loco, ubi Wifredi mortem anno* 1021 *signat, errorem non esse; suadet addita Indictio* IV, *quæ ad annum præcedentem pertinere hic non potest, cum chronologus ille soleat ad singulos annos notare Indictiones, quæ horum initio currebant, vel inchoabantur. Porro non aliunde forsitan quam ex priori istius Chronici loco emortualis Wifredi annus cum anno Christi* 1020 *compositus est in aliis monumentis Massiliensibus, quæ generatim laudavit Martenius. Progredior ad alia. De decreto electionis Petri, in quo hic anno* 1047 S. Ysarno *suffectus abbas dicitur, Dionysius Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 583 *ita statuit:* Instrumento electionis vitiose data est Indictio III; unde parum certæ nobis videntur ejus notæ chronologicæ: quapropter parum curamus, quod factum legatur anno MXLVII, meliusque convenire putamus annum MXLVIII. *An instrumentum hoc alias præterea chronologicas notas habeat, non edicit Sammarthanus; at certe Indictio* III *nec ad annum* 1047 *pertinet, quo currebat Indictio* XV, *nec ad* 1048, *quo consequenter currebat prima. Non satis igitur aptum illud instrumentum est, ut certioribus, in quibus* S. Ysarni *obitus anno* 1048 *diserte reponitur, possit opponi.*

F

expenduntur.

44 *Donatio ecclesiæ de Grauleriis* Domino Deo et S. Victori monasterii Massiliensis.. in præsentia domni Petri abbatis *facta, exstat apud laudatum Martenium col.* 413 *et sequenti, ubi sic notatur:* Hæc donatio facta est anno ab Incarnatione Domini MXLVII. Indictione XV. epacta III. luna vero XXII. *Indictio hæc recte quidem convenit cum anno* 1047, *si Pontificia sit, a Kalendis Januarii ejusdem anni inchoata; secus vero, si fuerit Cæsarea: hæc enim terminatur cum die* XXIII *Septembris, quo adhuc vivebat* Ysarnus, *consentiente Martenio. Verum cum hic supra num.* 41 *Indictiones ad normam Cæsaream examinet, debuisset et hanc vitiosam hic agnovisse. Epacta* III *ad annum* 1047 *pertinet secundum tabulam Clavianam; sed ad annum* 1048 *secundum alteram, de qua consule supra num.* 39. *Denique mensis in eodem instrumento prætermissus est. Sequitur ibidem donatio S. Pauli Gerundensis, facta ab Ermensinde comitissa Barcinonensi, et a laudato Petro jam tum abbate subscripta, quæ hasce notas chronologicas habet:* Facta hæc scriptura donationis VIII Idus Februarii, anno XVII regni Henrici regis.

gis. *Per Henricum hunc Martenius Henricum I Galliæ regem intelligit, atque ita notas hasce cum anno Christi* 1048 *recte componit, sumpto Henrici regni exordio ab anno Christi* 1031, *cujus mense Julio ejusdem pater Robertus, a quo in societatem regni jam ante adscitus fuerat, vita functus est, et Henricus solus regnare cœpit, cujus propterea annus* XVII *etiam currebat* VIII *Idus Februarii, quo donatio facta notatur.*

et ex certioribus monumentis

45 *Ultimum denique instrumentum, quod* Venditio vineæ in Cathedra, facta abbati Petro Massiliensi, *ibidem inscribitur, et in quo verbis, a Martenio num.* 41 *relatis,* Ysarnus *jam tum obiisse dicitur, signatum est* anno ab Incarnatione Domini MXLVIII, Indictione I. *Sed ut hinc aliquid certi concludi posset, probandum prius foret, Indictionem hanc Cæsaream, non Pontificiam esse : si enim Pontificia sit, currebat ea usque ad anni finem, atque adeo ex illa erui non potest, utrum hæc donatio ante, an post diem* XXIV *Septembris anni* 1048 *facta fuerit, et sic omnem vim amittit Martenii argumentum, quod semel, iterumque ab Indictione repetiit. Pari modo in ipsius Sancti epitaphio non* B *alia quam Pontificia Indictio apposita his verbis est :* Obiit anno MXLVIII. Indict. I. Epact. III. *Omnes autem hæ notæ eo pacto recte se habent, cum ad eumdem annum etiam* Epacta III *pertineat, ut videri potest supra num.* 39.

pro anno 1048 pronuntiatur.

46 *Itaque, licet allegata a Martenio instrumenta simul juncta dubium aliquod movere possint pro beato Sancti obitu uno anno citius consignando, malo tamen communiori sententiæ adhærere, quia multo minus verisimile mihi apparet, auctorem epitaphii, biographum et chronistam S. Victoris ea in re memoria lapsos esse, quam memorata Martenii instrumenta vitio carere. Sane iste memoriæ lapsus in epitaphii auctore eo mirabilior esset, quo proprius post Sancti mortem illud compositum fuit. Etenim cum ex dictis constet,* Ysarni *tumulum non diu post mortem ejus a fidelibus religionis ergo frequentatum, ac miraculis illustratum fuisse, et tamen in ipsius epitaphii calce fidelium suffragia pro ejusdem anima petantur hoc versiculo,*

Sicque gemens corde, dic, dic Deus, huic miserere. Amen,

dubitari nequit, quin illud statim post Sancti obitum factum fuerit. Adde, quod etiam biographus C *et chronista, ambo Sancto synchroni aut suppares, quique propterea de lapsu illo facile moneri potuissent, eumdem prorsus annum obitus statuant.*

Refelluntur aliæ de ejusdem anno emortuali

47 *Illustrissimus de Belsunce tom.* I *Antiq. eccles. Massiliens., lib.* 5, *num.* 35 *quamdam chartam donationis factæ a Fulcone vicecomite Massiliensi laudat, notatam* anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi mill. XLIIII. Indictione XII. Epacta VIII. *In hac, inquit, Fulco sic loquitur :* Disposuimus ædificare supradictam ecclesiam consilio atque jussu domni abbatis Isarni felicis memoriæ, atque omnium Fratrum in supradicto cœnobio manentium voluntate. D *Hinc censet illustrissimus,* S. Ysarnum *jam tum mortuum fuisse; neque enim solere vivos* felicis memoriæ *appellari. Fateor, eam phrasim de mortuis dumtaxat fere adhiberi ; sed hactenus dicta evincunt, aut* Ysarnum *tum etiam in vivis fuisse, aut annum donationis istius in Fulconis charta perperam annotatum. Sunt et duæ aliæ opiniones, quarum una Sancti obitum nimium differt: altera eumdem immani temporis spatio præmaturat. Utramque retulisse, refutasse fuerit.*

opiniones, quarum una ad seculum nonum

48 *Guesnayus in S Joanne Cassiano illustrato libro* 2, *pag.* 569 *et sequenti, postquam* S. Ysarni *obitum anno* 1048 *ex libro chartarum S. Victoris fol.* 26 *affixit, ita prosecutus est :* Quod tamen scribi mendose annotat in margine glossator quidam anonymus his verbis : « S. Isarnus adhuc » anno MLI regebat abbatiam; nam inveni alibi, » scilicet in archivo regio Aquensi, quod S. Isarnus » adhuc anno MLI regebat abbatiam præsentem, in » confirmatione, quam fecit dominus Ildefonsus E » marchio Provinciæ de prioratu de Trigantia Foro- » Juliensis diœcesis. » *Glossæ falsitas patet ex dictis. Alter error, multo crassior,* S. Ysarnum *anno Christi* 804 *florentem facit. Nescio, an hunc primus inceperit, an aliunde adoptaverit Hugo Menardus, qui lib.* 2 *Observationum ad Martyrologium Benedictinum die* XXIV *Septembris ejus elogium sic clausit :* Hic sanctus Vir claruit anno octingentesimo quarto, cum eodem anno vixerit Stephanus Agathensis pontifex, a quo vestem monasticam accepit, ut liquet ex catalogo pontificum ejusdem civitatis.

ipsum refellit.

49 *Menardum secutus Gabriel Bucelinus, in Menologio Benedictino ad eumdem diem ait :* Mortuus est felicissime post annum DCCCXX. *Erroris occasio manifesta est. Biographus in Vita num.* 5 *tradit,* S. Ysarnum *juvenem, ne a parentibus suis ad seculum retraheretur, a Stephano Agathensi episcopo monastica veste indutum fuisse. Erat autem is episcopus Stephanus, hujus nominis II, qui tom.* 6 *Galliæ Christianæ auctæ col.* 672 *dicitur jam sedisse anno* 990, *annoque* 1035 *synodo, in Coxanensi monasterio celebratæ, subscripsisse. At vero Menardus, vel si quis alius ipsi præiverit, credidit, Stephanum, in* Ysarni *Actis memoratum,* F *ejus nominis primum fuisse, quem laudatæ Galliæ Christianæ scriptores col.* 671 *non ante seculum* X *adultum, Sammarthani autem fratres, jam anno* 903 *Agathensi ecclesiæ præfuisse affirmant; atque ita Menardus et in Stephano et Stephani episcopatus annis falsus est, et* S. Ysarni *tempora male ordinavit.*

Sancti epitaphium ex editione Ruffii

50 *Nunc Sancti epitaphium subjungo.*

CERNE MORS QUE LEX HOMINI NOXA PROTOPLASTI IN ME
SACRA VIRI CLARA SUNT HIC SITA PATRIS ISARNI
MEMBRA, SUIS STUDIIS GLORIFICATA PIIS
QUA FELIX VEGETANS ANIMA PROUT EXIT
AD ALTA, MORIBUS EGREGIIS PACIFICISQUE ANIMIS
NAM REDIMITUS ERAT HIC VIRTUTIS SPECIEBUS
VIR DOMINUS CUNCTIS PRO QUIBUS EST HILARIS
QUÆ FECIT DOCUIT ABBAS PIUS ATQUE BEATUS
DISCIPULOSQUE SUOS COMPULIT ESSE PIOS
SIC VIVENS TENUIT REGIMEN SED CLAUDERE LIMEN
COMPULSUS VITÆ EST AGRITER MISERE
REXIT BIS DENIS SEPTEMQUE FIDELITER ANNIS
COMMISSUMQUE SIBI DULCE GREGEM DOMINI RESPUIT
OCTOBRIS TRASACTO OCTAVO CALENDAS
ET CEPIT RUTILI REGNA SUBIRE POLLI
SICQUE GEMENS CORDE DIC DIC DEUS HUIC MISERERE AMEN.

OBIIT ANNO 1048 INDICT. I. EPACT. III.

DEPUNCTO LECTOR INEST MISERO.

A 51 *Ita epitaphium illud rudibus versibus compositum ejusdemque tumulo marmoreo incisum exhibet Ludovicus Antonius de Ruffi in Historia Massiliensi secundæ editionis parte 2, pag.* 129; *et paulo aliter Mabillonius post Vitam, Ruffius, qui illud præsens inspexit, profitetur, sese inscriptiones illas sepulcrales, quas ibi plures exhibet, cum mendis, cum quibus in ecclesia Massiliensi S. Victoris exstant, typis exprimi curasse. Accipe nunc variantes lectiones in editione Mabillonii, sive hic ipse eas ita correxit, sive in suo exemplari legerit. Primo annus Sancti emortualis cyfris Romanis apud ipsum expressus est. Secundo tertium hexametrum rectius sic exhibet :*

cum lectionibus apud Mabillonium variantibus.

Qua felix vegetans anima provexit ad alta.

Tertio sextum pentametrum ita melius recenset :

Compulsus vitæ est acriter et misere.

Sequentia denique sic recitat :

Rexit bis denis septemque fideliter annis,
Commissumque sibi dulce gregem Domini
Respuit, Octobris transacto octavo Kalendas,
Et cœpit rutili regna subire poli.

Cetera cum editione Ruffii conveniunt.

B

VITA

Auctore anonymo suppari.

Ex editione Mabillonii, collata cum Ms. Massiliensi.

PROLOGUS.

Auctor occasionem scribendi, a b c d e f g

Cum ad venerabile monasterium, Massilias *a* ante hos non multos dies *b* venissem, ut famosissimæ illius religionis cælestis in terris choros cernerem, et eorum me orationibus commendarem, inter innumerabiles Sanctorum memorias, quorum ibi numerosus requiescit exercitus, B. Ysarni abbatis, recens defuncti, monumentum a diversorum ægrotantium populis frequentabatur *c* . . . Tam cita remedia pie petentibus ibi obtinentur a Domino, tamquam jam omnes alii Sancti huic omnem suam virtutem . . . dans *d* concessissent. Hujus igitur C tanti Viri recordatione succensus, de vita ejus, conversatione atque virtutum ipsius meritis fidens prout Dominus dederit, aliqua dicere cupio, non ut rei satisfa. . . . *e* quippe quæ humani eloquii. . . . sed ne omnino tanta gloria Dei.... *f* silentio ; ei ut sancta Ecclesia filiorum virtutibus... *g* saluberrima Viri sanctissimi notitia non fraudetur.

et quibus testibus usus sit, exponit.

2 Est etiam, quod me ad scribendum de eo plurimum provocat, quia tanto certior sum, me sincerissima veritate locuturum, quanto ob recentem Viri memoriam eorum, quæ dicturus sum, tota pœne Provincia testis occurrit : et maxime multi venerabiles valde monachi, discipuli ejus, quos certe credo tamquam mortem vitare velle mendacium ; in quorum conversatione, ut breviter de illis omnia dixerim, ipsa perspicue Magistri vita refulget. Quod Opus eo gratius debet ab omnibus suspici, quod ejus, de quo scribimus, virtus nostra proprie tempora decoravit ; fietque ut recens sanctitas et moderna miracula duritiam nostram facilius fortasse compungant, dum jam non recusat infirmitas hominum velut impossibile, quod sui temporis Hominem noverit implevisse ; dumque unius moderna victoria æmulos concitat, excussa quisque segnitia spirituales nequitias oppugnare et evincere studiosius elaborat. Quapropter incipiamus jam in nomine Domini Jesu, quod facere instituimus, ne se prærogativa sanctititas et nobilitate virtutum præter nos insigniri antiquitas glorietur

A. AUCTORE ANONYMO.

ANNOTATA.

a *Adi Commentarium prævium num.* 1.

b *De ætate biographi consule eumdem Commentarium num.* XI *et sequentibus.*

c *Prologum hunc, qui in apographo nostro Massiliensi Victorino desideratur, Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis Sec.* VI, *parte* I *cum iisdem lacunis edidit. Vide Commentarium nostrum num.* 10.

d *Ita apud Mabillonium. Nisi forte lacuna major hic occurrat, vox* exercendam, *vel huic similis quæpiam inserenda est.*

e *Ut sensum ex conjectura impleas, substitue :* Satisfaciam amplitudini ; *ac mox post vocem* eloquii *adde* excedit vim, *vel simile quid.*

f *Adde et hic :* prematur.

g *Deest hic quoque vox* illustrata, *vel alia hujusmodi.* E

CAPUT I.

Sancti patria, pueritia et adolescentia : pia fuga a parentibus : monachatus susceptus Massiliæ : ejusdem loci prioratus et prælatura invito imposita.

Apud Tolosanos natus et educatus Fredelii. a b c d

Beatus Ysarnus honesto genere, longe *a* futurus virtute honestior, ex Tolosana patria *b* natus apud Fredelesium *c*, qui est ejusdem patriæ vicus, in canonicatu nobili a religiosis viris educatus atque edoctus est *d*. Ubi quantum in eo loco tunc poterat fieri, Grammaticam et ecclesiasticos cantus tanta vivacitate Puerulus didicit, ut nequaquam fortuito, sed veluti prophetico quodam spiritu nomen hoc ei fuisse inditum non injuria F videatur. Ys enim Hebraice, VIR apud nos dicitur ; ARNUS autem lingua patria ACUTUM sonat Ysarnus igitur virum designat acutum. Sed peritiam cantuum tunc et in omni vita ejus tanta vocis elegantia decorabat, ut in quantolibet concinentium cœtu perexquisitorum * omnium voces facile superans, cujusdam etiam modulationis angelicæ suavitate condiret.

* *Mabill.* exquisitus

adolescentiam virtutibus maturam ducens, cum Gauselino abbate

4 Cum vero jam adolescentiæ limina contigisset, quæ plerosque mortalium rapit in voraginem mortis, et commune omnium discrimen, communisque tentatio Adolescentulum perurgeret ; qualem se præbuerit, qualiter pro anima carni et incentori ejus, hosti antiquo, restiterit ; qualiter eo tempore, quo alii corruunt, iste cœlibatus angelici palmam rapuerit, non est nostræ facultatis edicere. Ferunt enim, eum usque ad terminum vitæ integram illibatamque virginitatem servasse. Nihil vero, ut in ea ætate solet, in verbis ejus tumidum, nihil durum resonare ; nihil in actibus ejus superbum aut incompositum apparere ; nihil in gestu totius corporis protervum, nihil fluxum aut lubricum ;

A. ANONYMO.

bricum; nihil postremo in omni ejus habitu indecorum videbatur; sed in omni verbo et in omni actu atque omnium membrorum officio mira gratia sancti se Spiritus vasculum declarabat. Tunc vero omne consilium suum in Domino statuens, eum vitæ modum studiosissime perquirebat, quo apud Deum se gratius commendaret.

clam abiens, ab episcopo Agathensi monastico habitu induitur.

5 Per id siquidem temporis, præstante, ut credimus, Divinitate salutis occasionem Adolescenti, quemdam Gauscelinum *e* abbatem, dum vicum illum forte pertransiret, de verbo Dei tractantem audivit; a quo paterne suasus, et velociter persuasus, furto pietatis patrio mox solo sublatus est. Eo itinere contigit, ut abbas idem, disponente eo, qui vas Spiritus sancti Ysarnum domui suæ Massiliensi judicaverat præponendum, propinquos suos quosdam nobiles visitaturus, ad urbem Massiliam properaret; sed cum in Agathensi *f* opido diebus aliquot demoraretur, famulus Dei Ysarnus metuens, ne quod ex dilatione proposito suo impedimentum, amicis forte prosequentibus, obveniret, ab Stephano venerabili viro, ipsius civitatis episcopo *g*, sanctæ religionis habitum suscepit. Hoc quoque satis B congrue divina Sapientia dispensabat, ne in monasterio Massiliensi postmodum militantem abbas jam dictus velut suum monachum acrius importuniusque repeteret, si ei per seipsum religionis habitum imposuisset.

Dum in Massiliensi S. Victoris cœnobio Sanctorum cryptas lustrat.

6 Post paucos denique dies Massiliam veniunt; at Gauscelino amicorum confabulationibus occupato, devotus Deo Adolescens sepulturas interim martyrum *h* sollicitus circuit, cognoscendi omnia desiderio rapitur, atque a paucis Fratribus, qui, restituto recens monasterio, ibi satis regulariter vivere cœperant, singula percunctatur. Nam illud famosissimum toto orbe cœnobium, quod beatissimus olim construxerat Cassianus *i*, destructum a Vandalis, usque ad eorum tempora ruinas tantum antiqui operis prætendebat. Hi religiosum Adolescentis mira caritate studium prosequentes, desideriis ejus satisfaciunt, per omnia sanctuaria Hominem ducunt. Hunc, aiunt, locum venerandus martyrum, cui numquam frustra supplicatur, tenet exercitus, quos per hos totos late patentes campos sanctorum confessorum, hujus loci quondam monachorum, circumcirca innumerabilis populus ambit. Ibi autem seorsum sacrarum virginum turba C quiescit.

ibidem monachus fit, frustra obnitente Gauscelino.

7 At in illo interiori sacrario, quod in ipso naturali saxo excisum vides, primitivorum Christi testium, sanctorum Innocentium scilicet, quos huc secum beatissimus Cassianus, Bethleemiticus primum cœnobita, devexit, multæ ac metuendæ reliquiæ continentur. Quibus ille auditis, amore Sanctorum vehementer accensus, altiusque ab imo pectore suspirans; Deus bone, inquit, quam terribilis est locus iste, et ego nesciebam! Vere non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cæli. Quid plura? a Fratribus illi cohabitatio suadetur. Ille vero, se nullo pacto a loco recessurum, dicit. Communi voto statim, ne a Gauscelino abbate reposceretur, occulitur. Gauscelinus per amicos suos, potentes civitatis, acrius monachum repetit; at illi a Fratribus clanculo persuasi, verbis multa agentes, ut inter hujusmodi trajectores *k* assolet fieri, tandem precario rem componunt. Ita ille, qui pio furto sancti Adolescentis parentes paullo ante deceperat, digna vicissitudine a suis propinquis et ipse deceptus est.

Dum hic omnibus in admiratione

8 Mox Ysarnus, tamquam descriptum illud Sapientis in pectore gerens; « Quodcumque potest » manus tua facere, instanter operare; quia ne» scis, quid futura pariat dies; » tanto fervore regularem viam currere cœpit, ut in cunctis *l* in brevi, etiam perfectioribus admirabilis videretur. Et primum quidem illud Samuëlis præ oculis habens; « Quia melior est obedientia, quam victima; et » peccatum ariolandi est repugnare, et scelus ido» lolatriæ nolle acquiescere *m*; » tanta humilitate, tantaque caritate et patientia non solum patri monasterii, sed cunctis etiam Fratribus obediebat, ut, qui cum forte non cognosceret, non tamquam unum ex aliis, sed tamquam extremum quemlibet omnium clientulum reputaret. Non ejus obedientiam ulla contradictio, non ulla summurmuratio, non rugatio narium, nulla denique vultus asperitas, nulla prorsus indignationis vel impatientiæ quantulacumque significatio defuscare; sed cum ad omnia vel extrema ac vilissima quæque officia se præberet, tam gratiosa hilaritate omnia condire, ut magis cunctis sola ejus hilaritas, quam aliorum cujuslibet grandis operatio complaceret.

et amoribus est,

eidem monasterio Prior invitus præficitur,

9 In divinis sane rebus ita habebatur assiduus, ut divinas ori ejus laudes, nisi legeret, sola reficiendi vel dormiendi ratio paullisper subripere E videretur. Quin et ipsa lectio erat oratio; non enim magis in ea, quid intellectum instrueret, quam quid compungeret, quæritabat. Didicerat quippe a Magistro bono, semper esse orandum. Nullus igitur detractioni, otiosisve sermonibus dabatur introitus; cum omnia pœne tempora jugis oratio detineret. O beata Adolescentis initia, quibus ipsorum senum difficile consummatio comparatur! O felicia tirocinia, quibus aliorum jam virtus emerita cedit! Eo tempore vir Deo amabilis Guifredus *n* abbatis officium in eodem cænobio strenue gerebat. Is animos Juvenis semper ad perfectiora succrescere cernens, post paucos annos renitentem satis atque coactum, divino certe instinctu, Priorem Fratribus ordinavit.

et post Guifredi abbatis obitum

10 Ille autem, velut inscriptum menti præceptum illud habens; « Quanto magnus es, humilia te in » omnibus; » ex collato prioratu tanta se apud se humilitate depressit, acsi honor ille nihil, quam onus, illaque exaltatio nihil aliud esse ei, quam dejectio, videretur; talemque se ex injuncta sibi cura cunctis exhibuit, ut sanctitatis et diligentiæ suæ vel temperantiæ merito bonis omnibus ex carissimo copiosus se redderet cariorem; et quidem satis apte. Nam et ipsa ejus austeritas ita colum- F binum aliquid sapiebat, ut ab illo quis reprehensus, nihil felleum, nihil amaritudinis reportaret; id semper apud se reputans, ut prælatus quis prodesse omnibus studeat, non præesse. Hic vero jam peculiares orationes, hic anticipatæ et protelatæ vigiliæ, hic amiranda jejunia successerunt. Sed cum benignissimus Dominus et bene meritum servum, venerabilem Guifredum abbatem remunerare, et hunc, utpote quem in modico fidelem prabaverat, et quem juxta verbum suum purgaverat, ut fructum afferre plurimum esset idoneus, altiori provehere dignitate disponeret, vitam ille dignissimam beato fine conclusit *o*.

ex pueri suffragio, consentientibus omnibus, abbas consecratur.

11 Tunc Fratres cum vicinis abbatibus pro successore eligendo solliciti, piis Omnipotentem precibus pulsant. Toto ergo conventu aggregato, aliis sic, aliis vero sic sentientibus, nonnullis etiam pro seipsis satagentibus, Archinricus, abbas quondam Majoris-montis *p*, vir altioris ingenii, accersito minimo puerorum *q*; Heu tu, inquit, filiole, in nomine Jesu Christi Domini nostri, quis tibi dignus ad abbatis officium videatur, edicito. Nec mora, ille a sancto Spiritu edoctus: Ysarnus, inquit. Hoc igitur veluti divinum rapientes oraculum, cuncto uno

A no consensu, paribusque votis in electionem ejus acclamantes, illico subscripserunt. At ille amarissime contristatus, quid diceret, vel de seipso quid faceret, nesciebat; cum tamen se, quibuscumque poterat modis, excusare moliretur, violenter ab omnibus rapitur; et ne forte dilatio aliquid afferret contrarii, consecratur.

ANNOTATA.

a *In apographo nostro Victorino Massiliensi hic lacuna est, omissis vocibus* : futurus virtute.

b *Vulgo nota est Galliæ Narbonensis, in hodierna Occitania Superiori, cujus caput est, Tolosa urbs episcopalis ad Garumnam fluvium sita, Gallis* Tolose *et* Tolouse *dicta, ejusque ager, ab ea* Tolosanus, *indigenis* le Tolosain *appellatus.*

c *Massiliense apographum habet* : Fredentium. *Erat autem* Fredelium *seu* Fredelas *monasterium S. Antonini in comitatu Fuxiensi, quod deinde, addito castro, in civitatem* Pamiensem, *seu* Apamiensem, *vulgo* Pamiers *excrevit; qua de re consule, si lubet, eruditos Benedictinos in Historia generali Occitaniæ inter Notas pag.* 622. *Porro Apamiensis civitas nunc episcopalis est sub archiepi-*
B *scopo Tolosano, sitaque ad Alburacim fluvium in Occitania. Baudrandus in Lexico, laudans illustrissimum a Marca, ait eam habere castrum* Fredelet *dictum, a quo alias* Fredelacum *appellata fuerit.*

d *Laudati Occitaniæ scriptores ibidem observant, monasterium illud, ut multa alia, seculo* XI *pro monachis canonicos habuisse, quod hisce recte concordat. Sed biographus non satis explicat, utrum* S. Ysarnus *Fredelesii natus et educatus, an vero Tolosæ natus et Fredelesii tantum educatus fuerit. In Ms. Massiliensi sic legitur* : Ex Tholosana patria natus apud Fredentium, quemdam ejusdem patriæ vicum, in canonicatu nobili a religiosis viris educatus atque edoctus est

e *Cujus loci hic abbas fuerit, nescimus.*

f Agatha, *incolis* Agde, *Galliæ civitas est in Occitania in ora maris Mediterranei paulo supra ostia fluvii Arauraris, septem milliaribus a Narbone in Ortum distans, estque episcopalis sub metropoli Narbonensi.*

g *Fuit hic* Stephanus *ejus nominis II inter episcopos Agathenses, pro quo nonnulli Stephanum I perperam assumentes,* S. Ysarnum *ad seculum*
C IX *ex alio denuo errore retulerunt. Consule Commentarium prævium num.* 46 *et seq.*

h *Nempe in ecclesia S. Victoris Massiliensis, cujus thesaurum reliquiarum exhibet Guesnayus in S. Joanne Cassiano illustrato lib.* 2 *cap.* 22.

i *Sancti Joannis Cassiani gesta in Opere nostro illustrata habes tom.* V *Julii, die* 23, *ubi* § 9 *de eodem monasterio paucis actum est. Qui de illo plura volet, adeat laudatum Guesnayum. Vide etiam dicta in Commentario nostro prævio num.* 16.

k Trajectores, *id est*, transactores.

l *In Massiliensi apographo legitur* : ut cunctis, *omissa præpositione* in.

m *In Vulgata lib.* I *Regum, cap,* 15 *legitur* : Quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

n *Alias* Wifredus, *quod idem nomen est, appellatur: Fuit hic vir insignis, qui monasterii istius restaurationem strenue promovit, uti supra dictum est in Commentario prævio num.* 16 *et sequenti. Menardus in Martyrologio Benedictino ipsum* Sifredum *appellat, et cum* Sancti *titulo annuntiat die* 12 *Septembris; sed vide catalogum Prætermissorum in Opere nostro ad eumdem diem.*

o *Anno Christi* 1020 *vel* 1021. *Adi Commentarium prævium num.* 39, 42 *et* 43.

p *Mons-major, vulgo* Mont-majour, *monasterium est Ordinis S. Benedicti, sesqui-milliari ab Arelate dissitum, teste Dionysio Sammarthano tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 603. *De Archinrico ibi agit col.* 604 *et sequenti, ubi ait, ipsum Riculfo, anno* 999 *vita functo, in abbatia suffectum esse, postea vero, dimisso regimine, in monasterium Carilocense, Monti-majori subjectum, secessisse. Secessionis annum non exprimit ; sed ejusdem successorem Rambertum anno* 1016 *jam abbatem fuisse docet ex codice Ms. Hinc discimus, cur Archinricus a biographo nostro* abbas quondam Majoris-montis *appelletur; nempe quia anno* 1020 *vel* 1021, *quando* S. Ysarnus *Guifredo suffectus est abbas, ipse, jam abdicato Montis-majoris regimine, in Carilocensi monasterio degebat.*

q *Uno nempe ex iis, qui veterum more in eodem monasterio educabantur.*

CAPUT II.

Sancti Abbatis eximiæ virtutes : diaboli adversus eum irriti conatus : insignes viri a Sancto in disciplinam admissi.

E Exinde ergo, quasi tunc primum novus athleta, magis ac magis corrigendis moribus et coartandæ vitæ operam dabat; et sicut nonnulli ex honoris fastigio in libertatem propriam, ex libertate vero propria in negligentiam sui, elationemque; ex neglectu porro sui et elatione in cetera multa mala relaxari consueverunt; ita et contrario hic Domini timore constrictus, ad omnia sollicitum se habebat *, secundum quod scriptum est : « Qui timet Deum, nihil negligit. » Et ut contra omnia vitia fieret circumspectior, sanctæ per omnia Regulæ ex prælatione satagebat esse subjectior; illam semper in mente revolvens, seque non tam magistrum, quam servum omnium, recognoscens. Non enim ejus mente excesserat Scriptura, dicens : « Principem te constituerunt, noli extolli, « sed esto in eis, sicut unus ex ipsis. » Hoc igitur F faciens, plus amari semper studebat in Domino, quam timeri. Unde non solum Fratribus, sed etiam omnibus hominibus, ultra quam dici potest, amabilis erat. Tunc pauperum cura tunc eleëmosynarum mira profusio; tunc languentium atque omnium qualicumque miseria afflictorum consolatio festina subsequitur.

Abbas factus insigni humilitate

* in Ms. egebat

13 Sæpe ipse pro pauperibus apud œconomos mendicare suas vestes, nec non et aliorum Fratrum, ubi, opportunum illi erat, furari *a*, et algentibus clanculo dare ; deinde, hujus rei ne auctorem proderent, minitari. Cumque de furtis in capitulo quæstio ageretur, ipse furem cum aliis perscrutans, meliora restitui mox jubebat. His vero tandem compertis ; nam die quadam, dum coopertorium *b* optimum, circumspectis diligenter omnibus, subriperet, a quodam Stephano, qui mihi hujus rei et relator et notarius fuit, interceptus est. Cum jam Fratres eum asservarent, et maxime, quod ea, quæ sibi ob paternam reverentiam carius coëmebantur, distribueret, causarentur; ille post longa silentia alludens; Bona, inquiebat, largitio * receptionem optimam parat.

et mira erga afflictos pauperesque misericordia a

b

* in Ms. largitus

A. ANONYMO. parat. Sed cum jam per seipsum, verba Fratrum metuens (erat enim omnium hominum fere mitissimus) non auderet, per quemdam fidissimum comitem, Pontium nomine, imperato silentio, itidem factitabat.

et largitate fulget: in semetipsum severus

14 O beata furta! o furta pietatis! o furta caritatis! Utinam vobis similia omnia furta essent! Utinam omnes fures, proximorum parcentes rebus, ad talia perpetranda de propriis elaborarent! Non de talibus Paulus diceret: « Neque fures regnum Dei possidebunt: » imo talibus cœli claviger Petrus libenter occurreret, libenter talibus aperiret. Sed Vir iste, cum omnibus largissimus fieret, sibi parcissimus exsistere, ad omnes benignissimus, in se austerissimus esse; et cum omnium miserias levigaret, se semper incredibilis abstinentiæ maceratione damnare. Edebat quidem ille cum Fratribus, et occultare se per omnia cupiens, cibis omnibus uti communiter simulabat: verumtamen panem appositum per frusta diminuens, in rodendis crustulis, quasi diu comederet, totum pœne spatium refectionis occupabat; cumque appositis piscibus, suaderetur, vel potius amica violentia cogeretur ad esum, utpote qui pretiosi sa-
B poris et conditi studiosissime viderentur, faceta excusatione utebatur, dicens, non omnia bene condita transire decere per abbatum ora. Denique cum paullatim per minutias discerpsisset, capitibus et aristis *c* superjectis, quasi qui omnia consumpsisset, tentatione tantum superata refocillatus pauperibus emittebat.

c

et parcus. Orationi deditus noctes excubat in ecclesia.

15 Quid de illo, quo utebatur, permodico vino? Illud tanta infusione aquæ corrumpebat, ut nullis usibus commodum esset. Tali igitur, ut ita dixerim, hypocrisi Sanctus hypocrisim fugiens, assidue laborabat. Tempore autem Quadragesimæ secunda, quarta et sexta feria nihil gustabat. Talibus ergo operibus Vir Deo amabilis orationes suas levabat in cælum, illud Jeremiæ fideliter complens: « Levemus corda nostra cum manibus ad « Dominum *. » Sed cum ad Orandum nocturno maxime silentio divinis se conspectibus obtulisset, quis illa lacrymarum flumina, quæ tunc fundebantur; quis illos gemitus, illos planctus, illos singultus, qui tunc parturiebantur, edicat? Vestitus semper, ne indulgentius sopiretur, et ut expeditius surgeret, dormiebat: eratque ei consuetudo, gustato in principio noctis permodico somno, fur-
C tim lento pede, ut vix umquam adverteretur, de dormitorio egredi, martyrum cryptas petere, ibique longissimo noctis spatio usque ad Fratrum vigilias excubare.

** Mabill. Deum*

quam clausam sæpe ingressus, sæpe in ea frigore obriguisse deprehensus est.

16 Et sæpe quidem precabatur custodes, ut ecclesiæ valvas sibi reserarent; sæpe vero munitis diligenter omnibus januis, qualiter eum Deus introduxerit, nescientes, more solito in cryptis martyrum eum inveniebant. Ibi ferunt, eum hibernis noctibus, dum supernis intenderet, ita sui oblitum, frigore sæpius obriguisse, ut, nisi aliorum manibus asportaretur, egredi minime valuisset. Frequenter vero ab his, qui eum curiose tunc observabant, post longa suspiria inter languidos singultus, tamquam ipsum Jesum præsentem alloquens, in has voces erumpere audiebatur: « O Custos hominum, « quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum « mihimet ipsi gravis? Cur non tollis peccatum « meum, et quare non aufers iniquitatem meam? » Unde satis ostenditur, hujus mundi exsilium quam graviter sustinebat; ad eum, cui loquebatur, quanto affectu suspirabat.

17 Hæc antiquus hostis aspiciens, invidiæ facibus nimium torquebatur; licet orationis virtute repulsus, ad eum proximare non valeret, D quibuscumque tamen præstigiis poterat, aufugare, vel si id non posset, Hominem terrere saltem nitebatur. Quadam igitur nocte vir venerandæ memoriæ Guillelmus, tunc ecclesiæ custos, dum ante communes vigilias maturius surrexisset, in circo illo, qui super martyrum cryptas imminet (sic enim locum illum vocant) orationi, ut ipse, insistebat. Tunc repente in gradibus, quibus ad cryptas descenditur, tantum sonitum, acsi omnes cryptæ funditus eruerentur, audivit. Et ecce draco permaximus, immensa sinuamina explicans, longoque per totos gradus porrectus tractu, hiantibus faucibus terribiles flammas evomens, totum a superiori cardine usque deorsum majoris cryptæ introïtum vastissimo ore, quasi sanctum Virum, cum egrederetur, excepturus opplevit.

Dæmonem in draconis specie apparentem

18 Tunc Vir sanctus ante altare sanctissimæ Virginis Mariæ ac beatorum martyrum oratione ex more completa, in partem alteram ad altare S. Johannis Baptistæ, ante illud monstrum horribilé transiturus, concessit *. At vero Guillelmus illum ilico absorptum iri a diabolo metuens, omnia ossa concuti, toto corpore tremere, immensis sudoribus suffundi, intercluso anhelitu, pœne exanimari. Vir autem sanctus fiduciam sumens E in Domino, crebro genua flectendo, frontemque ac pectus signo Crucis muniendo, tamdiu in oratione infatigabilis perstitit, donec illud enorme phantasma, in testimonium suæ confusionis terribiles sibilos et horrificum fragorem reddens, prorsus evanuit. Mane ergo facto, primo diluculo prædictum Guillelmum a lectulo Sanctus excivit; si quid insolitum in ecclesia illa nocte audierit, percunctatur; dissimulantem omnia referre compellit. Tum vero per debitam obedientiam tota auctoritate imperat, ne, se vivente, hoc miraculum cuiquam mortalium revelaret.

oratione fugat; quod consocium celare jubet.

** in Ms. secessit*

19 Quod si istud, in quo erat alter conscius, tanta sollicitudine vanam gloriam fugiens, satagebat abscondere, quando, putamus, ea diceret, quæ, nemine conscio, perpetrasset? Felix conscientia, cui mundus ita viluerat, ut tot plena bonis sic laudari refugeret; cum nos miseri in his etiam, quæ perperam gerimus, quotidie in laudes hominum suspiremus! Sed neque hoc forte valde mirandum est. Virtutes enim naturali fœdere virtutibus amicantur, et vitia vitiis placent. Unde non miror, si refertus virtutibus hac etiam non carebat; aut si hi, qui sunt vitiorum sentinæ, F etiam humanæ laudis contagio non metuunt sordidari. Sed dum beati Viri merita talium inexpertus prædico, vereor, ne omnibus potius injuriam faciam, quam vel unum, sicut decuerat, explicare queam. Quid tamen de illo quidam virtutum familiarissimus (sanctissimum Odilonem Cluniacensem abbatem *d* dico) breviter dixerit, ponam: erant enim ista duo tunc orbis terræ lumina, tamquam cor unum et anima una. *d*

vanæ gloriæ mire fugitans. S. Odilonis Cluniacensis

20 Dum ergo ille hujus virtutes numeraret, Octo, inquiebat, in domno Ysarno cum ceteris bonis suis, vix in aliquo alio simul invenienda, reperiuntur. Horum unumquodque singulatim quilibet alius si haberet, tantumque in eo profecisset, culmen non immerito sanctitatis apprehendisse videretur. In hoc autem octo istæ beatitudines, id est castitas, humilitas, misericordia, patientia, jejunia, vigiliæ, orationes, vanæ gloriæ contemptus, tam perfectæ cumulantur, ut, cum singulatim unumquodque perpenderis, videatur in singulis singularis. Cilicio asperrimo ad carnem semper induebatur, usum femoralium omnino non

de ejusdem virtutibus sensus et dictum.

A non habebat; nisi cum apud Cluniacum semel eum femoralibus et staminio *e* S. Odilo violenta caritate vestivit, quæ Massiliam rediens, illico deposuit. Solebat autem eum B. Odilo, dum simul recumberent, amica quadam contentione vocare Hypocritam, eo quod speciem humanæ communisque conversationis prætenderet, et se ultra omnes fere homines fame et ærumnis variis cruciaret.

Insignes viros in disciplinam suam admittit.

21 Factum est autem, ut virtutum ejus fragrantiam plurimi odorantes, ejus se cuperent instituti disciplinis. Primi ergo sub eo conversi Dodo et Rainaldus *f*, et ab eo ceu par turturum aut duo pulli columbarum, Domino oblati, tantam gratiæ illius exuberantis ac primitivæ benedictionis ejus traxere pinguedinem, ut eorum admirandam sanctitatem, antiquis per omnia patribus comparandam, plurimis certum sit miraculis claruisse. Et Dodo quidem jam Magistrum ad beatam vitam glorioso fine secutus est. Venerabilis autem Rainaldus nihil sic quotidie, ut dissolvi et esse cum Christo desiderans, hactenus nobis virtutum Magistri fidelissimus testis servatus est. Hos ex diversis terris subsecuta veneranda posteritas *g*, ex B satis modico immensum in brevi gregem Domino confecerunt; inter quos multi quoque nobilium, cælestis vitæ amore succensi, præclara sæculo suæ conversionis exempla tradidere. Tunc etiam Pontius Arelatensis archiepiscopus, nec multo post et successor ejus, totius tunc Provinciæ unicum decus Randibaldus, sub eodem Patre sanctæ se Regulæ submiserunt *h*.

inter quos potens prædo, qui ob illata monasterio damna

22 Sed et illum, qui, veluti Saulus, multa patientia primo supportatus, flagellatus est, ut corrigeretur; dejectus, ut levaretur; qui coactus ad conversionem, non parum postea fructificavit, silere non debeo. Adalardus quidam erat sæcularis pompæ, ferus homo nimis et pessimus. Is cujusdam prædii, quod juris monasterii erat, Laguinas *i* nomine, rusticos iniquis exactionibus frequentius affligebat; porcos videlicet, arietes ceteraque id genus suis usibus commoda ab eis corrogans; si vero non darentur, violenter abripiens. Qui cum a Viro Dei blande commoneretur, ut se ab injuriis monasterii temperaret, pro nihilo reputans, multo efferatius in prædictos rusticos se agebat. Aliquando igitur sancto Viro in eodem prædio posito, C adsunt nuntii cum gravi querimonia referentes, quod prædo ille sacrilegus præfatam villam pridie deprædatus, nunc etiam reliquias, quæ supererant, in sua convivia consumpturus adesset.

a Sancto blande reprehensus,

23 Tunc vero tota familia, quæ cum Viro Dei erat, fremere, inclamare, lanceas vel sudes corripere, hostem protinus cum auxiliis circum manentium petitura, ferocius discursare. At ille frémebundum, expansis manibus, in exitu seipsum opposuit, vehementer omnibus minitans et contestans ad id facinus egressuris, nisi se prius interfecto, exitum *k* non patere. Cumque furentium animos confregisset, atque illi de ejus nimia simplicitate causarentur, fertur dixisse: Quomodo quidem nec tantæ festivitatis gloriam (dies enim Dominica erat) nec nostram præsentiam reveritus, tam superbe insanire præsumpsit, ultionem Dominicam non evadet. Tunc ad ipsum prædonem, qui eum ad suum colloquium deducerent, pacificos nuntios misit. Qui dum adesset, eum mox ad epulandum secum invitat, suum proprium apparatum illi apponit; plene refectum injuriarum blande commonet, ut se de cetero corrigat, adhortatur. His ita gestis, ad aliam mansionem, quæ Petra-Castellana *l* dicitur, quo intenderat, ire progreditur.

A. ANONYMO.

et divinitus castigatus fuerat.

24 Post discessum autem hominis Dei mox Adalardus, ibidem adhuc manens, in utero ad instar parturientis vexari cœpit; accitoque celerrime Nortaldo quodam monacho, cum se, invalescente nimium cruciatu, crederet ilico moriturum, sanctæ religionis habitum petit, asserens, sacratos manu Sancti cibos cum exsecrabilibus, quos de præda præsumpserat, cibis confligere; eoque conflictu se ad exitum sua vesania dignissimum miserabiliter coarctari. Mira res! habitu sumpto, statim eadem hora intolerabilis dolor ille recessit. Verumtamen toto pœne anno, donec plane domesticus esset, elanguit. Ex quo notum satis factum est, pro salute animæ persecutoris sui Sanctum orasse, hancque ei vindictam paullo ante minatum fuisse.

ANNOTATA.

a *Vocem hanc mitius interpretare; neque enim ad eleëmosynam faciendam licitum furtum est, nec furtiva erant, quæ ipse abbas e bonis monasterii sui pauperibus largiebatur. Nihil itaque* E *aliud vult biographus, quam quod* S. Ysarnus *multa pauperibus donaret clanculum, ne ab œconomis suis impediretur. Ceterum pro sic ablatis* meliora restitui mox jubebat, *ut sequitur.*

b Stragulum *seu* lodicem *hic designari autumo.*

c *Id est,* spinis piscium.

d *Sanctus hic colitur die* I *Januarii, ubi Acta ejus illustrata habes. Obiit autem non multo post* S. Ysarnum, *anno nempe Christi* 1049. *Ceterum* Cluniacum, *vulgo* Clugny, *Galliæ pagus est et celebre monasterium, Cluniacensis ordinis caput, in ducatu Burgundiæ, quatuor circiter milliaribus Matiscone in Occasum distans.*

e *Id est:* interula lanea. *Sic in Vita laudati S. Odilonis tom.* I *Januarii pag.* 68, *num.* 25 *de eodem Sancto legitur:* Lanea veste, vulgo staminiam vocant, a dorso *(suo)* abstracta illorum *(puerorum, quos in via mortuos repererat)* nudidatem propriis manibus cooperuit.

f *Qui fuerint hi duo viri, aliunde non didici.*

g *Adi Commentarium prævium num.* 18.

h *Vide dicta in Commentario num.* 19 *et* 20. F

i *Mabillonius in Annotatis hic omnino verisimiliter censet, locum hunc esse, qui in Bulla Paschalis II Papæ ad Ottonem, monasterii S. Victoris Massiliensis abbatem anno* 1111 *data,* Lauguias *dicitur. Exstat ea bulla apud Dionysium Sammarthanum tom.* I *Galliæ Christianæ, inter instrumenta pag.* 116, *ubi laudatus Pontifex possessiones ejusdem monasterii confirmans, inter alias sane multas* in episcopatu Regiensi cellam S. Juliani de Lauguias *recenset. Jacet autem diœcesis Regiensis, vulgo* de Riez, *in Provincia Galliæ inter diœcesim Aquensem, quæ ejusdem metropolis est, diœceses Sistaricensem, et Foro-Juliensem, Diniensem et Senecensem, quæ duæ posteriores ad metropolim Ebredunensem pertinent.*

k *Ita restitui ex apographo nostro Massiliensi, nam in editione Mabillonii minus recte legitur:* exituris.

l *Consule Commentarium prævium num.* 24 *et* 25, *ubi de hoc oppido Galliæ in Provincia, et donatione ab Amelio Senecensi episcopo sancto abbati* Ysarno *ibidem facta egi. Ad confirmanda, quæ de* Lagninos *seu* Lauguias *supra litt.* i *dixi, hic tantum*

A. ANONYMO. *tum observo, Petram-Castellanam sitam fuisse in diœcesi Senecensi, locum vero* Languias *in Regensi, quæ Senecensi adjacet; atque ita facile intelligitur, sanctum abbatem ex* Lagninas *seu* Languias *ad* Petram-Castellanam, *in quo utroque loco possessiones aliquas habebat, transivisse.*

CAPUT III.

Injuriæ Sancto illatæ, divinitus castigatæ: miracula aliquot in ipsius gratiam facta.

Castellorum incolæ, qui Sancto hospitium negaverant,

Alio tempore ad eamdem Petram-Castellanam, cujus nunc memini, pergebat; cumque adhuc longior restaret via, et clauso jam die, per loca aspera et ignota, nimbis quoque iter arcentibus, ulterius tendere consilii non esset, in castello Baremma *a*, quod juxta erat, quæri hospitium jussit. B Sed barbaris hominibus cunctis hospitium negantibus, in quoddam vastum horreum, quod in fine villæ erat, prout res tunc dictabat, se habiturus concessit. Itaque neque precibus, neque pretio ullam humanitatem in eodem castello expertus est, præter in una paupercula vidua, quæ de ovis suis, an etiam de pane, nescio, secundum quod potuit, attulit ei benedictionem. In Crastino autem cum ob tantam inhumanitatem vir reverendus Amelius Senecensis episcopus *b* castellum illud (nam ad ejus diocesim pertinebat) excommunicare vellet; multum in excusationem illorum hominum laborans sanctus Vir, ne id fieret, intercessit; sed non multo post ultio divina sequuta est.

domorum incendio divinitus puniti,

26 Ita namque Castellum illud paullo post igne vastante consumptum est, ut neque unde unus homo cibari posset, superesse incendio videretur. Quod ut se ob vindictam Servi sui Dominus fecisse monstraret, domum tantum viduæ, quæ eum visitaverat, et horreum, in quo manserat, penitus illæsa servavit. Hoc dum Fratribus recitarem, unus ex ipsis, Petrus nomine, vir in monasterio auctoritatis magnæ per omnia; Me teste, inquit, in Castro-Morario *c* itidem miraculum hoc ordine contigit. Arelate *d* veniebamus, jamque incipientibus nocturnis C tenebris, memoratis castri dominum, qui Carbonellus, si bene memini, dicebatur, adivimus, domum tantum hospitii domno Abbati, et his, qui secum erant, flagitantes; nam cetera omnia necessaria nobis affluenter diximus abundare. Is, exquisitis pro tempore utens ambagibus, in nullo se nobis valiturum respondit; et hunc ceteri oppidani indifferenter imitati sunt.

qui damno duorum, qui ei benefecerant.

27 Repudiatos tandem ab aliis homuncio quidam pauper in perangustissimo tugurio nos excepit. Quid amplius demorer? Illac denuo paullo post transiens, omnes ejusdem oppidi domos, excepto hospitiolo nostro, admiratus non parum, ipse in favillas redactas vidi. Cumque nullæ prorsus eorum, quæ hominibus erant utilia, præter nudam terram ex aliorum domibus reliquiæ superessent, hospes noster ex omnibus reculis suis nullam omnino in illo incendio deperisse gaudebat. In hac igitur re et Domini nostri Jesu Christi similitudinem in Ysarno, et magni illius Petri in sua Petrus iste admiratione recensuit: ita namque iste miratus est oppidum, in quo fructum caritatis Magister suus frustra quæsierat, conflagrasse; sicut magnus ille Petrus miratus est ficum, in qua Dominus Jesus, pridie fructum quæritans, non invenerat, aruisse *e*. D

Alii Sancto, ejusque monasterio injurii

28 Tunc idem Petrus monachus addidit nobis etiam hæc. Mulier quædam, vidua bene religiosa, domina Trancensis castri, ex consuetudine caritatis, unde sancto Viro propriæ vestes fierent, telam quotannis ad monasterium deferebat. Quodam igitur tempore ad monasterium de more properans, sub castello Bocco *f*, ut via publica fert, transibat. Rainoardus porro, ipsius castri dominus, pro eo, quod pater suus, monachus apud nos factus, quasdam proprii juris terras monasterio dederat, impius in patrem bestiali rabie sæpius in nostras injurias raptabatur. Hic ergo cum satellitibus suis descendens obviam feminæ, cum nomen illa S. Ysarni, dicens se ad illum ire, telam, quam in præsentiarum gereret, illi oblaturam, prætenderet, ex hoc vehementius instigatus, equos et omnia, quæ ferebat, violenter abripuit. Illa vero pedes nihilominus ad monasterium sancti Viri benedictionem petitura festinavit. E

a malignis spiritibus occupati, alius

29 Sed mira dispensatione omnipôtentis Dei, prius quam a monasterio illa recederet, raptores eosdem a malignis spiritibus crudelissime vexatos, ita ut seipsos misere laniarent; et quod dictu quoque horrendum est, propriis, ut ajunt, egestionibus fœdarentur, vinctos ad pedes B. Ysarni cum illa rapina pertrahi videt. Tunc omnibus querelis, quibus adversus monasterium tyrannus infremuerat, prorsus abolitis, orante Viro Dei, perfectæ sanitati celerrime restituti sunt. Tretis *g* villa est, in qua vicarius *h* quidam, Redemptus nomine, protervi admodum spiritus domino suo vicecomiti Massiliæ convivium paraturus, dextera lævaque, quaque * poterat, hac occasione impias manus ferens, de jure monasterii rustici unius vaccam rapuit. Qui rusticus, ad monasterium currens, beati Patris aures miserandis ejulatibus satiavit *i*. Die vero altera et ipse Redemptus vicarius monasterium, ad sanctissimos martyres oraturus intravit.

* Mabill. quæque

diro pedis malo afflictus.

30 Cui facta, sed non perfecto oratione, templum egredienti coram S. Ysarno, qui pro rustico intercessurus exierat, miser rusticus ad pedes prostratus est. Ille vero infelix, diabolico ut erat spiritu actus in furiam, nullaque Sancti reverentia flexus, pede rusticum sub mento feriens, supinavit: sanctus autem Vir, nihil omnino locutus, totum caput obvolutus cucullo, ecclesiam protinus ingressus est. At infelix Redemptus, ascenso velociter equo, priusquam cœmeterium posset egredi, divina animadversione terribiliter in sacrilego pede percussus est. Cumque multa medicaminum genera dolori adhibita nullo modo succurrerent, intolerabiles cruciatus ultra ferre non sustinens, die tandem tertio, nullum alium, qui sibi facere id vellet, inveniens, propriis manibus arrepto dolabro *k* pedem impiissimum detruncavit. Qua ex re omnipotens et benignissimus Dominus manifestissime verum esse declaravit, quod servis suis promiserat, dicens: « Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei; » dum pedem pessimum, qui pulsando rusticum, sanctum Virum in corde tetigerat, tanta districtione percussit. Sed hæc jam terribilia relinquamus, et jocundemur in prosperis. F

Sanctus piscibus, in diem Nativitatis Domini destinatis,

31 Natalis Domini solemnitas imminebat, et mare nimis agitatum procellis nullam omnino piscaturæ copiam relaxabat. At in ipsa Vigilia vir quidam ob patris anniversarium, ipso die a Fratribus

A tribus celebratum, magnorum piscium, quos usquequaque collegerat, copiosam multitudinem, contra quam in ea temporum facie sperari poterat, advehens, œconomorum animos non mediocriter sustulit. Deliberatum continuo atque sancitum est, ut, tamquam vere a Domino missa benedictio, ob honorem summæ festivitatis in diem crastinum servaretur. Tum Martinus quidam ex obedientia *l*, quam regebat, gratia festivitatis adveniens, casu videns pisces, auditoque decreto, urbane quidem, sed tamen plusculo, quam nominis hujus virum decuerat (nam longe ab illo summo Martino hæc, ut arbitror, Martini hujus distabat oratio) causam ventris agendam suscepit. Heu, inquit, tantus hodie advenientium conventus Fratrum, itineris labore simul et hiemis insolentia fessus, apposita insuper tot tantorumque piscium tentatione, contra morem hujus domus caritativa refectione fraudabitur! Quæ ratio, festivitatis gratia servari pisces, cum labor viæ et inedia gratiam festivitatis excludant?

pridie appositis, jubet monachum in procelloso mari piscari

32 Hæc Vir sanctus audiens, et clementi affectu compassionis votum perorantis exaudiens, accitis œconomis, omnes pisces protinus coqui jubet: illis contra nitentibus, non debere asserit nimis sollicitos esse de crastino; præsertim in Nativitate illius, qui docuerit de crastino non cogitandum. Expensis igitur piscibus ob amorem istius pusillanimis Martini, magnanimi illius Martini Vir sanctus exempla prosequitur. Unum e Fratribus piscandi gnarum, hujus cognominem, multis precibus obsecratum, ad mare mittit, ut quaquaversum littora inspiciat; sicubi forte quocumque modo vel ad modicum intrare possit, exploret; non defuturum clementissimum Jesum; omniaque de largitate ejus sperare docet. Tunc Frater Martinus, benedictione Patris armatus, vespertinas laudes celebrantibus aliis, ipse, quantum ad se pro obedientia ilico moriturus, ac pro Fratribus animam positurus, ascenso carabo *m*, furibundum mare, vix duobus sociis comitatus, invadit.

qui magnum delphinum

33 Finita vero synaxi *n* pater Ysarnus more suo secretum petit pro salute filii periculo expositi, et pro aliorum refectione totis præcordiis cum multa effusione lacrymarum benignitatem Salvatoris implorat. Mox igitur Fratri Martino in ipso introitu a summa Trinitate missi permaximi tres C delphini occurrunt. Ille, tamquam unum Deum in Trinitate colens, unum tridenti ferro mira fiducia percutit, unoque ictu fauces ei penitus resecat, miroque modo, qui multas naves retibus validissimis involutus et ad mortem percussus facile dissipat *o*, eum Martinus piscem sine retibus captum parvo injectum carabo, sui pæne oblitus ad terram portat. Quo in facto beatum patrem Ysarnum magno Martino valde similem dixerim; nisi quia delphinus istius Martini Esochem *p* non solum corpulentia, sed etiam significantia valde utili superavit.

mox capit.

34 Martini enim piscis ad solius Martini usum in aquis dulcibus simpliciter, aut non tanta significans, retibus captus est. At vero delphinus noster ex tribus communiter occurrentibus ferro tridenti, mari * commoto, a tribus viris in vespera Nativitatem Dominicam præcurrente, ob refectionem Fratrum communem, sine retibus unus percussus et captus, illum satis apte significat, qui, tota quidem cooperante Trinitate, ipse tamen solus in mundi vespera, tamquam a tribus viris, a tota videlicet Trinitate, tridenti quoque ferro, tamquam una triplicis peccati nostri sententia, nullis peccatorum funiculis irretitus, sæculo sævien-te percussus, ut nos in illo renasceremur, et illius corpore omnes, quotquot sumus in una ecclesia fratres, reficeremur, occubuit *q*. Ita beati Viri miranda piscatio et præsentis fuit ærumnæ blanda consolatio, et ad æternas delicias solida et mera et visibilis quodammodo prædicatio, et illos tunc præsentes semel refecit edulio corporis, et quoties recitabitur, recreabit posteros alimonia mentis.

* Mabillon. mare

Sanctitas ipsius per candelam

35 Quædam monasterii possessio Marignana *r* dicitur, in qua Vir Dei receptus hospitio, ad introitum ecclesiæ in contiguo diversorio dormiebat. Erat autem nox in diem Dominicam terminanda *, ob cujus noctis reverentiam simul et beati martyris Victoris, in cujus honore eadem ecclesia sacrata erat, multa tunc ex more circum manentium manus cum suis luminaribus excubabat. Clericus ergo, ad cujus eadem ecclesia curam pertinebat, sumptam unius feminæ, tunc forte absentis, candelam ad caput Viri Dei tota nocte cremandam fixit *s*. Quod cum mulier deforis reversa a convigilantibus didicisset, animositate feminea exardescens; Sancto, ait, Victori, non abbati cuilibet, candelam paravi; citatoque gradu diversorium, in quo Vir Dei quiescebat, absque ulla reverentia ingressa, candelam rapuit: eoque impulsu exstinctam, frustra per omnia ecclesiæ luminaria cursitans, illuminare nequivit. E

* Ms. terminata

mirabiliter manifestatur.

36 Tunc omnes, qui aderant, magna admiratione permoti, miseram mulierculam grandi fremitu et multimodis increpationibus terrent, eam non posse vivere divinitus asserentes, quæ * Sanctum Dei tam stulte, tam impudenter injuriare præsumpserit. At illa infelix, accepto tandem ab eisdem consilio, ad ipsum locum, unde stulte asportaverat candelam, solo satis punita metu, tremula reportavit. Quo facto, nutu divino ita eadem candela, videntibus cunctis, ardere mox cœpit, acsi minime exstincta fuisset. In quo duplici miraculo admirandum circa hunc Virum Dei omnipotentis favorem merito prædicarim, qui glorioso martyri suo devotum lumen huic tam evidenter maluit deservire.

* Ms. quod

Aqua ab eo benedicta arcentur fulgura: aqua, t

37 Castellum, quod de Mandolis *t* dicitur, divina animadversio multis annis continuis crebro fulgure miserabiliter punierat. Unde factum est, ut ejus habitatores nimium territi, cælesti plaga sæviente, divinum Medicum implorare cogerentur. F Ysnardus ergo, castelli dominus, multis supplicationibus sanctum Virum adorsus est, ut vel aquæ, quam ipse sacrasset, uti remedio mereretur. Quod dum ille, multas excusationes suo more prætendens, omnimodis recusaret, vix tandem Fratrum, qui secum erant, inevitabili importunitate violenter quodammodo ab eo extortum est, respersumque ex eadem aqua oppidum usque hodie ab omni fulgurum percussione, Domino miserante, salvatum est. Apud Massiliam femina quædam, ab annis septem cæca, frequenter sanctos martyres, ut sui misererentur, orabat; sed sancti martyres familiari suo Ysarno miraculi gloriam concedere maluerunt.

qua ipse se laverat, excitas et laterum dolor pelluntur.

38 Audivit enim in somnis mulier vocem sibi dicentem, ut ad monasterium tenderet, aqua, unde pater Ysarnus manus suas lavisset, oculos superfunderet, lumen continuo receptura. Tunc illa lætabunda ad monasterium properans, quibus potuit loqui, Fratribus visionem refert; qui feminæ compassi, studiose observant Patrem, ut aliquod manuum ejus lavacrum furarentur. At ille rem jam per spiritum forsitan edoctus, moxut lavisset, aquam, qua erat lotus, fundebat in terram.

A. ANONYMO. Verumtamen tandem diligentissimi observatores pio furto potiti, mulieri desideratam aquam tribuunt: illa exinde oculos superfundens, visum se illico plene recepisse gavisa est. In monte, quem Cursonem vocant, Pater sanctus aliquando morabatur. Vir autem nobilis quidam ibi juxta nimiis laterum cruciatibus acerbissime sæpius torquebatur. Is simili furto aqua, unde manus Sancti lotæ fuerant, percepta latera tinxit, atque ab omni dolore deinceps perfecte liberatus est.

Sanctus modicum vini

39 Me vero ista coram Fratribus memorante, Rainoardus * quidam, magnæ sanctitatis æstimatione in monasterio venerabilis, ea, quæ narraturus sum, intulit, dicens: Ego apud ecclesiam S. Mauricii juxta Marestam *u* oppidum cum domino Isnardo monacho tunc adolescentulus manebam; cumque de B. Ysarno, quomodo in terras illas ferebatur advenisse, colloqueremur, ecce nobis ipse pro foribus adest. Nos vero nullum apparatum receptui ejus congruum habentes, perturbari vehementer cœpimus atque anxiari. Mensa tamen apposita ad prandium, blande nos consolatus, assedit. Erat nobis tantillum * vini, quod vix a tribus ad unam refectionem parcissime communicari posset; sed neque inveniendi plus in tota vicinia nostra ulla spes habebatur. Quid plura? de benedictione Patris confidentes, illud tantillum obtulimus.

* Ms. Reinardus

* Mabillon. tantulum

B

multiplicat: aqua loturæ manuum ipsius febricitans sanatur.

40 Ipse ego propinavi, et triginta ferme hominibus, nimium stupens, largissime abundare vidi. Sed quid stupendum, si ille, qui Christum imitabatur vivendo, eum etiam in miraculis poterat imitari; ut, sicut Christi potentia panes, dum comedebantur, multiplicavit *x*, ita benedictio istius, cooperante Christo, vinum, dum biberetur, augeret; cum dixerit ipse Dominus: " Qui credit in " me, opera, quæ ipse facio, et ipse faciet, et ma- " jora horum faciet. " Tunc et illud quoque idem Rainoardus subjecit: Habebamus vero puerum, qui per totum fere annum gravissimis febribus afflictus acerbissime torquebatur: hunc aqua, unde sanctus Pater manus laverat, potavimus et ipsa hora, nobis non parum mirantibus, plene sanatus est.

ANNOTATA.

a Baremma *seu* Barremma, *Gallice* Barreme, *vicus Galliæ est in Provincia, ad fluvium* Assam, C *Gallice* d'Asse *dictum, inter Diniam, vulgo* Digne, *et Sanitium vulgo* Senez *situs, qui nomen suum adjacenti valli dedit.*

b Sanitium, *in media ætate etiam* Senecium, *Gallice vero* Senez *dictum, exigua civitas Galliæ (quam* vicum potius, quam urbem ob exiguitatem loci, populique infrequentiam dixeris, *inquit Dionysius Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ, col.* 1250) *in Provincia sita, episcopalis est sub metropoli Ebredunensi, a qua urbe* 14 *milliaribus Gallicis in Meridiem distat. Michaël Baudrandus in Lexico editionis anni* 1681 *scribit, episcopatum Seneciensem a paucis tum annis ad oppidum Castellanam translatum fuisse. Verum laudatus Dionysius Sammarthanus in editione anni* 1725 *testatur, de translatione ista facienda, tum anno* 1485, *tum* 1652, *agitatum fuisse, sed negotio moram injectam esse. Ceterum Amelius, de quo hic, is ipse est, quem* S. Ysarno, *seu ipsius monasterio, quatuor ecclesias in Petra-Castellana sitas donasse vel restituisse diximus in Commentario num.* 24 *et sequenti.*

c *Eodem modo scribitur castrum hoc in apographo nostro Massiliensi; sed ejus nomen in Mappis et Lexicis non reperi.* D

d *Notior est hæc urbs Galliæ Narbonensis, et Arelatensis quondam regni caput, quam ut illustratione egeat. Hinc tamen collige, Castrum-Morarium, de quo biographus meminit, verisimiliter non unius diei itinere ab hac urbe dissitum fuisse.*

e *Vide S. Marci caput* XI.

f *In Massiliensi apographo est:* Castello Boceo; *sed utriusque nominis locus ignotus mihi est, æque ac supra dictum* castrum Trancense,

g *Paschalis II Papa in Bulla anni* 1114, *in qua omnes possessiones monasterii Victorini confirmavit, ecclesiam* S. Petri et S. Victoris in castro Tretis *recensuit in episcopatu Aquensi. In tabula quoque geographica provinciæ ecclesiasticæ Aquensis tom.* I *Galliæ Christianæ Dionysii Sammarthani,* castrum de Trictis *in eadem archidiœcesi, pari fere distantia ab hac metropoli et Massilia exhibetur. Consentit tabula ante tom.* I *Chorographiæ Provinciæ per Honoratum Boucheum præfixa, ubi* Tretz *scribitur, nomine scilicet vernaculo, uti habet ibidem lib.* 4, *cap.* 2 *pag.* 211, *ubi illud* valde magnum vicum *esse scribit.* E

h *Id est, qui pro domino suo vicecomite Massiliæ, ut sequitur, ibi præerat.*

i *Notat hic Mabillonius in margine: Al.* sauciavit. *In nostro Ms. etiam legitur:* satiavit.

k *Mabillonius habet;* Accepto dolabro. *Porro* dolabrum *sive* dolabra *hic sumitur pro* securi.

l Obedientiæ *sunt cellæ, prioratus, monasteriola, aliæve possessiones, ad monasterium aliquod spectantia, a cujus abbatis nutu monachi cum superiore suo in iis habitantes pendebant. Consule, si lubet Mabillonium in Præfatione ad Sæculum* V *Benedictinum num.* 53.

m Carabus *Plinio genus cancri est. Hic usurpatur pro cymba vel scapha, ex vimine et corio, aut etiam ex ligno compacta. Vide Cangium in Glossario. Mabillonius in margine notat, alibi* cacabo *legi; sed* carabo *legendum esse, manifestum est, atque ita etiam habet apographum nostrum Victorinum.*

n *Id est,* divino Officio.

o *Hæc inter fabulas, quæ de delphinis narrantur, reputanda sunt.*

p *Vide, si lubet, S. Gregorium Turonensem in lib. de Gloria confessorum cap.* 5. F

q *Satis mirabilis ac nimis longe petita est ista comparatio.*

r Marignane *pagus seu vicus est in Provincia, marchionatu illustratus. In tabulis geographicis ponitur ad lacum Maritimum vulgo* Mer de Martigues *dictum, tribus vel quatuor circiter milliaribus Gallicis a Massilia. Mabillonius in Annotatis observat ex Antonii de Ruffi Historia comitum Provinciæ pag.* 59, *Bertrannum Provinciæ comitem anno* 1031 *monasterio S. Victoris* duos mansos *dedisse* ob malum, quod fecerat in obedientia S. Victoris, quæ est juxta villam Marignanæ.

s *Forte ut Sanctus, quocumque tempore evigilaturus esset, lumen haberet.*

t *In Ms. nostro est:* Demandolus; *sed neutro modo locum hunc reperi, neque operæ pretium judicavi in illum pluribus inquirere.*

u *Paschalis II Papa in Bulla sæpe laudata inter monasterii S. Victoris possessiones etiam nominat* cellam... S. Mauricii de Merresta, *quam in episcopatu Regensi recenset. In apographo nostro Vitæ* Meirrestia *scribitur.*

x *Vide*

A x *Vide Evangelium S. Matthæi cap.* 14, *et alibi.*

CAPUT IV.

Sancti suffragium a defunctis imploratum: spiritus ejus prophetiæ: mira equi in eumdem observantia.

Pro refrigerio duorum juvenum, injuste necatorum, a

Sed ad illa nunc memoranda transibo; quæ, supra nominato venerabili viro Rainaldo *a* narrante, cognovi. Multa, inquiebat, de sancto patre Ysarno miranda referri possunt, sed ego sola illa narrabo, quibus ipse interfui. Pandulfus, ait, dicebatur quidam, tam potentia, quam omni fere malignitatis genere suos vicinos facile superans. Is in domo sua in castello, cui nunc ob ipsius piaculi eventum Tortorio B agnomen est (nam prius Sancti Domnini castrum vocabatur *b*) duorum clarissimorum juvenum, solidos ab ipso sperantium *c*, injuste fraudulento clandestinoque suspendio gulas fregit, eorumque cadavera in vastissimam quamdam specum projecta operuit. Sed non multo post, cum jam impiissimum facinus detectum fuisset, a monachis, qui apud Crosam villam *d* morabantur, ad monasterium ipsum humanitatis respectu delata atque humata sunt. Post aliquot igitur dies matronæ cuidam, non valde longe ab eodem monasterio manenti, in somnis apparentes, Nosti, aiunt, Ysarnum abbatem? Quem cum illa, sicut et ipsos quoque, se numquam vidisse responderet; Nos, inquiunt, sumus juvenes illi, quos Pandulfus nuper impie suffocavit.

Missam, ut ipsi rogaverunt, celebrat.

42 Sed obsecramus te, ut apud Ysarnum abbatem, tertia die hac transiturum, pro nobis intervenias, ut, qui in monasterio ejus caritatis interventu sepulturam meruimus, unam ex ejus ore Missam eadem caritate mereamur. Hæc enim super nos divini judicii lata sententia est, ut, cum C ob injustam necem nostram supernæ pietatis viscera moveantur, peccatis tamen nostris impedientibus, ab ingressu regni, donec ipse pro nobis Missam celebret, excludamur. Quod cum matrona die tertia, sicut ei revelatum fuerat, transeunti Viro Dei pro defunctis supplicans enarrasset; ille, non se esse dignum, qui defunctos solvere possit, respondit. Mox tamen ad villam Crosam veniens, eadem femina prosequente, et nobis exorantibus, pro absolutione juvenum Missam celebravit. Hinc ergo datur intelligi, quantam nunc apud Deum Vir iste possit, in cujus adhuc viventis manu judicium suum esse de mortuis, ipsius sententia judicis declaravit.

Prædicit, equum per prædones ereptum,

43 Sed ad ornamentum ceterarum virtutum mirabiliter hujus Sancti mentem prophetiæ quoque spiritus illustravit; quod evidenter ostendimus, si unam rem gestam, quam nobis adhuc idem venerabilis Rainaldus retulit, proferamus. Ego, inquit, obedientiam, cui Lagninas *e* nomen est, procurabam. Per id tempus quemdam nostrum hominem, de castello-Duplo *f* redeuntem, undique insurgentes latrunculi supra dicti Pandulfi equo protinus dejecerunt. Iisdem diebus domnus Abbas apud villam Crosam morabatur, ad quem homo ille propere veniens, equi ablati damnum et susceptas injurias cum ingenti gemitu exponit. Quapropter continuo me domnus Abbas ad Pandulfum, qui longiuscule * aberat, cum verbis supplicibus mittens; ipsemet uxoris ejus, quæ apud Tortorium tunc manebat, pro equo rogaturus, frustra colloquium petit. Nam illa Viro Dei virulentis, quibus erat assuefacta, sermonibus, ut talem satis decebat feminam, respondens, omnem ei funditus, quantum in se erat, spem recuperationis abscidit. Pandulfus autem, re cognita, me, ut æstimo, præsentiens adventurum, per multa diverticula, ne a me inveniretur, aufugit.

A. [illegible]

* Mabill. longiusculo

restituendum, et eorumdem insidias in porcos:

44 Tandem ergo, magis quia nihil profeceram quam labore itineris fatigatus, complutus (nam tota die me copiosus imber attriverat) ad domnum Abbatem reversus sum. Ille vero plena me alacritate reficiens, ad aurem mihi postmodum, quasi familiare quid locuturus, accedit. Confortare, inquit, quia quocumque deductus sit equus noster, huc nobis hodie reducetur. Verumtamen ad domum tuam festinantius * redi; ne majora tibi adveniant, prævideto, et maxime porcos tuos tota die diligenti cura servari præcipio. Certus igitur jam de recuperando equo, sed nec minus certus, quia non abs re porcos asservari præceperit, læ- E tus et sollicitus confestim redii, opportunas custodias universæ substantiæ nostræ, et porcis maxime delegavi. Sed quæ contra diabolicos homines, sive humanos, ut ita dixerim, diabolos custodela prævaleat? Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Tota siquidem die in propinqua silva supra dicti latrunculi delituere; inclinata vero jam vespera, nobis pœne securis, nihilque minus, quam tale aliquid putantibus, exeuntes de silva, porcos cum suffragio imminentis noctis raptu subitaneo subrepturi occurrunt.

* Mabill. festinatius

prædones isti subito excæcati, restitutis rebus, a Sancta veniam obtinent,

45 At ubi humana custodia subvenire non poterat, divina non defuit: nam continuo in loco quisque, quem ceperat, quasi statua fixus obstupuit. Cumque a se mutuo cum admiratione, cur morarentur, inquirerent, atque ad rapiendum porcos alius alium hortaretur, repentina se cæcitate perculsos omnes confessi sunt, ac beati patris Ysarni justa maledictione obstrictos, in exemplum sese omnium pessimorum submurmurant illico perituros. Tunc dictantibus cogentibusque angustiis, salubre consilium nacti, confessi errorem, solo sese, divinam F oraturi clementiam, sternunt; equum ipsa die reddituros devovent, et correctiores de reliquo jam futuros, si sancti Viri meritis cælitus sibi oculorum lumina redderentur. Quid plura? Oratione completa, mox receptis ad plenum luminibus, certatim domum properant, impium latrocinium pietatis furto commutant. Equum enim, quem in manus scelestissimæ dominæ jam tradiderant, pio furto subripiunt, et cum omnibus, quæ præfato homini nostro cum illo abstulerant, ad beatum Virum eadem hora sese proripiunt; de porcis et cæcitate repente incussa et excussa seriatim omnia replicant, seque cum suis omnibus ejus dantes arbitrio, satisfactione humili veniam rogant.

addito vaticinio, quod eventus probavit:

46 Quos Vir sanctus, indulta venia, de correctione vitæ attentius commonet; si se corrigerent, prospere victuros, si vero negligerent, ante ipsius anni terminum infami nota denuntiat puniendos. Utramque conditionem evidens rerum probavit eventus: nam duo correcti, vitam suam prospere transegere; tres autem reversi ad vomitum (quinque enim omnes fuerant) ante completum annum calamitatis suæ fœdum spectaculum cunctis dederunt. Nam uni effossi oculi; pedes alii truncati

A. ANONYMO. lii truncati sunt; tertius vero, conjuncto in se utroque supplicio, duplicata infelicitate multatus est. Quod igitur equum ipsa die reddendum prædixit; quod eadem die porcos diligentius custodiri præcepit; quod eisdem latrunculis, vel correctis prosperum, vel incorrectis ejusdem anni tristem exitum denunciavit, propheticæ gratiæ mira celsitudo cognoscitur.

Auctoris super hisce annotatio.

47 In eo vero, quod latrunculi rapturi quidem porcos cæcati, humiliati vero illuminati sunt, haud immerito Elisæi factum recolimus, qui latrunculos Syriæ, se rapere venientes, orando divinitus excæcavit, et intra Samariam captis atque humiliatis integre postmodum lumina reformavit *g*; nisi quod hoc majoris in hac parte fortasse miraculi videatur, quia quod Elisæus ob tutelam sui ipsius obtinuit, hoc Ysarnus pro defensandis monachi sui porculis impetravit; et quod ille comminus præsens in articulo summæ necessitatis expetiit in divinæ opis refugium, hoc iste longius absens, in re non valde necessaria a Deo promeruit in admirandæ sanctitatis indicium. Nec valde mirandum, si prophetarum gloriam in exhibendis miraculis tam sublimiter habuit, qui prophetarum B sanctissimam conversationem tam excellenter assequi laboravit. Sed hæc omnia illi sunt penitus reputanda, illi tota rationis intuitu adscribenda, qui in omnibus Sanctis suis operatur, et sine acceptione judicat personarum; qui bona sua dispensare novit temporibus suis, et in fine sæculi, tamquam longissimæ cujusdam noctis, licet rariores easdemque hebetiores stellas proferat, cum tamen opportunum arbitratur, magna etiam nunc plerumque sidera, maximos quoque interdum promere luciferos novit.

Sanctus occulta noscit; ejus equus miro ipsum obsequio

48 Sed ad ea, quæ de sancto Viro adhuc narranda cognovimus, veniamus. Frater quidam juxta sæculum nobilis, de civibus Massiliæ, nomine Georgius, Regularem sub eo vitam fuerat professus. Huic vir Domini, cum claustrum forte pertransiens, eum sicut et ceteros fuisset intuitus, per quemdam sibi familiariter adhærentem mandavit, ut, quas versabat, inutiles cogitationes corrigeret; mortiferum enim esse, quod cogitaret. At ille cum gaudio et verecundia nimium admiratus, de cetero melius saluti suæ consuluit, attestatus, quod ea hora, qua Vir Dei ante Fratres transiit, rediturum se ad sæculum pertractaret. De equo, cui insidere C idem Vir Domini consueverat, tota fere Provincia conclamante, didicimus id, quod ponemus. Dederat misericors Dominus nimiæ fragilitati ejus equum, fortissimum quidem viribus et magna vectandi suavitate præcipuum. Ad hunc si quis alius ascensurus accederet, intolerabili pœne se ferocitate, totius corporis jactatione hinniens, fremensque distendebat: quoties vero sanctum patrem Ysarnum appropiare conspiceret, tanta se mansuetudine componebat, ut quasi sponte sessuro terga offerre videretur. Si quis autem ei forte insideret alius, veluti indignabundus totus in rabiem vertebatur; cum autem illum subveheret, ceu asellum mitissimum se præbebat.

et cautela vehere solitus.

49 Cumque Vir sanctus, utpote qui totam prope noctem orando vigilaverat, crebrius dormitaret, ac veluti casurus, ut fit, in partem alteram pendulus vacillaret, equus lapsurum illum esse metuens, prout poterat, in latus sese oppositum * deflectebat, eoque modo, quamdiu Sanctum quidem dormitare sentiret *h*: quo expergefacto, mox erecto corpore, ita ut nullus decentius, incedebat. Quod si sub arbore transeundum erat, cujus forte ramusculi præsidentis oculis nocituri putarentur, D aut circumire arborem, aut si id pro densitate plerumque silvæ non proficeret, ibidem immobiliter, donec subsequentium obsequio juvaretur, immorari, eodemque modo in omni ambiguo transitu factitare. Tanta vero interdum cautela per angustissimos asperrimarum rupium anfractus aut palustris viæ passus incognitos contra spem omnium pertransibat, ut angelico eum ministerio crederes eductari. Sicut enim male gradientis et terrena cupientis Balaam oppositus angelus et contra voluntatem ejus impediebat, at contra insipientiam ejus edocebat asellam *i*; ita juste incedentis, et angelorum contubernia desiderantis Ysarni non absurde credi potest equum ab angelo, ubi viæ flagitabat necessitas, fuisse directam; ubi innocua Justi exposcebat requies, quomodo se ageret, fuisse instructum.

** Ms. oppositurum*

Auctor ad Sancti vitæ finem festinat.

50 Sed quoniam ad prosequenda cetera, quæ de sancto Patre multa supersunt, non sufficio; quia et gravissima quædam mihi necessitas, ut scitis, inest, et nimia quoque temporis arctor angustia, de glorioso saltem ejus fine ad ædificationem eorum, qui hæc lecturi vel audituri sunt, scribam, et ad con- E summationem omnium virtutum suarum, quomodo exemplo boni Magistri fratres suos, qui erant in mundo, in finem dilexit, et quomodo pro eis animam posuit, divina ope confisus enarrabo. Cum enim per longum militiæ suæ cursum incredibili austeritate vitæ et immensis jejuniorum vigiliarumque cruciatibus continue se martyrem declarasset, hoc etiam a Deo promeruit, quo duplicis martyrii gloria triumpharet, ut in ipso mortis articulo, sicut Abraham patriarcha filium vocatus obtulit, nec occidit; ita iste seipsum ad martyrium vocatus offerret, et cum parata esset voluntas, deficiente tamen totius facti ratio clarescat, primum, quæ factum causa præcessit, aperiam.

ANNOTATA.

a *Hic supra* Rainoardus *appellatus est.*

b *In Bulla sæpe dicta Paschalis II Papæ ecclesia* S. Domini *(lege* S. Domnini*)* de Tortorio *recensetur in episcopatu Foro-Juliensi. Hodiedum locus is* Tourtour *nuncupatur. Honoratus Bouche* F *tom.* I *Geographiæ et Historiæ Provinciæ, pag.* 255 *laudans Vitam* S. Ysarni, *scribit, nomen hoc dicto loco inditum esse a tormentis, quibus aliqui cujusdam magni criminis rei ibidem affecti fuerint. Opinionem hanc corrige ex iis, quæ mox subdit biographus.*

c *Verbum* Sperare *a scriptoribus medii ævi aliquando usurpatur pro* petere. *Hinc videtur biographus ista phrasi indicare voluisse, juvenes istos debita sibi a Pandulfo exegisse.*

d *In sæpe dicta Bulla Paschalis II* monasterium S. Mariæ de Villacrosa *numeratur inter monasterii Massiliensis possessiones in episcopatu Foro-Juliensi. Monasterium illud non amplius exstat: sed locus ipse* Villecrose *in tabula geographica apud Boucheum notatus est non procul a* Tourtour. *Observat etiam idem scriptor pag.* 256, *prope Villamcrosam specus aliquot esse; quæ omnia sane cum dictis biographi apprime conveniunt.*

e *Vide Annotata ad cap.* 2, *lit.* i.

f *Nunc vulgo* Chateau-Double *appellatur, et in tabula geographica apud Boucheum paulo plus quam duobus milliaribus Provinciæ a* Tourtour, *et paulo minus a* Villecrose *ponitur.*

g *Lege*

A g *Lege ib.* 4 *Regum, cap.* 6.
h *Adde* se gerebat.
i *Lege librum Numerorum cap.* 22.

CAPUT V.

Sancti iter in Hispaniam pro redimendis captivis monachis, felici successu secuto : reditus Massiliam, supremus morbus et obitus.

Direpto a paganis monasterio Lirinensi, a b

Pagani Lirinense monasterium *a* pervadentes, dispersis aliis, multos ex Fratribus captivos ad Hispanias traduxere *b*. Tunc reliqui Fratres, congesta, prout facultates tulere, pecunia, pro redimendis captivis ad Hispanias aliquos ex se mittere statuerunt. Sed homines, quibus omnia illic ignota erant, qui facerent? Sese cum pecuniis post alios B tradere possent : nam de reversione nulla spei ratio se præbebat; sed et Fratribus captivis non subvenire, à servorum Dei moribus extraneum videbatur; insaniæ vero habebatur simillimum, ubi nec consulendi aliis, nec evadendi sibi consilium suppeteret, ex superfluo se injectare periculo. Sed post multos animorum fluctus vicit tandem ratio pietatis, et deputatis Deo omnibus curis, facta est pars caritatis superior,. Visum, igitur eis est, quoniam * S, Victoris possessiones Hispaniis conjunctæ sunt *c*, uti patris Ysarni consilium petant, quatenus aliquem de suis in illis partibus notum secum mitteret, per quem sibi et in re familiari, si necessitas ingrueret, consuleretur, [et *d*] collimitaneos principes accedendi, ut negotio videlicet succurrerent, facultas aliqua præstaretur.

* *Mabill.* quomodo *c*

d

Sanctus decumbens æger, pro redimendis captivis,

52 Tum sanctus Vir, languore gravi et continuo, eodemque extremo, adactus ex multo jam anni spatio lecto sese concesserat. At illa mens ejus sanctissima, penes quam periclitari non noverat negotium caritatis, in qua valida, ut mors, ardebat dilectio, cui soli, jam emortuo corpore, vivebat, pro tanti destructione monasterii et captivitate Fratrum amarrissime gemens, seipsum iturum, seipsum diligentius procuraturum, ac pro C Fratribus omnia subiturum spopondit. Mox igitur lecto exsurgens, huc illucque deambulabat, ac se optime convaluisse simulabat. Sed ut de sententia hac in monasterio leni quodam susurro * præsentiri aliquid cœpit, quantus illico dolor omnium, qui compererant, corda pestrinxerit, quanta querimoniarum agmina, quanta fletuum objecerint flumina, nemo facile explicare potest. Bona siquidem voluntas ejus abrogari jure non poterat; verum ad expletionem operis corpusculum ejus non posse sufficere referebant : denique sapientem nihil ultra vires præsumere, sed vires suas ad id, quod aggreditur, oportere metiri; omnia vero cum consilio facienda.

* *Mabill.* susurrio

frustra obnitentibus monachis suis,

53 Id autem nullius esse consilii, ut sibi commissas oves desereret, alienas, non inventurus, quæreret; ipse quoque exsul in medio itineris absque solatio Fratrum, tamquam unus quilibet de populo, moreretur : et in re quidem castigabili levius ferendum errorem; hoc vero factum, postquam ipse moreretur, nulla esset pœnitentia, nulla correctio secutura : sed et captivos absque morte ejus multis aliis modis redimi posse; innumerabiles enim eatenus fuisse liberatos, quorum nullus ejus labore, nedum morte, liberatus sit. Quare cum et ipse certe non sufficeret, et ex hoc majora propemodum pericula timerentur, et de redimendis captivis multæ viderentnr aliæ suppetere rationes, illum debere melioribus consiliis cedere, ac de ferenda captivis ope modis aliis cogitare. Tunc ille a Spiritu sancto verba mutuatus; Apostolico, inquit, vobis exemplo respondeo. Quid facitis affligentes spiritum meum ? " Non facio animam meam " pretiosiorem, quam me. " Magis enim Salvatorem, quam vos, audire decet, cujus exemplo et præcepto instructus, non solum ad Hispanias ire pro fratribus, sed et servituti meipsum subjicere, insuper et animam dare paratus sum.

A. Anonymo.

Deo fretus in Hispanias

54 Me autem et domum istam, et quæcumque me acturum dispono, non meæ prudentiæ, sed omnipotenti Deo custodienda et providenda committo. Ipse quippe non dormit, neque dormitat, qui custodit Israël; qui nisi nos custodierit, in vanum vigilant oculi nostri. Sic denique nos et nostra melius custodimus, si Dominica præcepta servemus; cui servire non solum custodiri, sed etiam regnare est. Quod si mori contigerit, o me felicem, si tali morte beari meruero ! Potens est quidem Dominus sine me suos liberare captivos; sed si per me E nunc sibi complacuit, tanto magis nunc concurrere debeo, quanto me hactenus nihil simile fecisse cognovi. Quapropter omnia projicientes in Dominum, quo nos ille vocat, alacriter properemus. Vos autem, viscera mea, carissimi filii mei, confortamini in Domino, et pro nobis orate. Talia fatus. omnes obsistentium querelas grandi auctoritate interim compescuit, simul et morbi magnitudinem, immo ipsam pæne jam præsentem mortem, pretiosæ mortis amore superavit.

magnis cum cruciatibus proficiscitur.

55 Tunc priusquam ex rumore patria turbaretur, aut acrius in eum iterum Fratrum tumultus assurgeret, silenter jubet subito jumenta parari, ac se Domino et orationibus Fratrum commendans, illis communi prece prosequentibus, iter arripuit. Cumque velut invitatus ad regnum, maturius incedere festinaret, consuetis nimium vexatus angustiis, tam miserabiles subito clamores efferebat, acsi spiritum foret illico redditurus. Tunc vero socii, eo in terram deposito, immensis lacrymis lugere, pectora infeliciter tundere, seque qui de morte sua illi parerent, homicidas crudelissimos inclamare. Ita ille dupliciter, et suis videlicet calamitatibus, et suorum assidue torque- F batur querelis : qui refocillato paullisper spiritu, ut sociorum mœrores abstergeret, universos dolores suos, quomodocumque poterat, intra semetipsum tacite degluticns, ipsorum animos lepidis sermonibus serenabat; sed mox dolorum violentia superatus, identidem sæpius repetere cogebatur. Ex quibus patenter ostenditur, quanto caritatis incendio flagrans peregrinationem illam invaserit, tenuerit, consummarit; cum tot usquequaque adversantes offremerent, et ipse nihilo certius infatigabilis perduraret.

In Alfaliensi monasterio decumbens, a principibus viris invisitur, *e*

56 Transmisso autem Rhodano *e*, continuo fama de adventu ejus per omnes circumcirca patrias prævolans, in cunctis urbibus, castellis, vicis et villis obviam illi populos aggregabat. Omnes quippe tam sancti Hominis visu et benedictione se sanctificari credebant : ille vero se felicissimum reputabat, qui eum hospitio suscipere, vel quocumque modo de suis ministrare facultatibus mereretur. Tandem ad possessionem quamdam S. Victoris, Alfalium *f* nomine, ubi in specu amœnissima perpulcrum et satis habile monasterium in honore sancti Michaëlis archangeli constructum

f

A. ANONYMO.

constructum est, summa difficultate perveniunt. Ibi jam ægritudine nimia confectus Pater sanctus ex toto decubuit. Tunc adventus ejus rumore respersi Barcinonæ consul Raimundus Berengarii et uxor ejus Elisabeth, et Gumbaldus *g* vir consularis, illuc se suaque offerentes, principes scilicet maximi totius regionis, accelerant, peccata propria detegunt, patronumque illum sibi apud Deum fieri deprecantur.

quorum opera et auctoritate captivos monachos Lirinenses

57 Quos ille multum sermonibus divinis ædificans, id eis protinus pœnitentiæ munus injunxit, ut, quibuscumque juste possent modis, tam potentiæ minis, quam ingenii viribus et sensu et prece captivos monachos Domino Deo restituerent, ac nobile quondam Lirinense monasterium, nunc inique ab impiis destructum gentibus, ad honorem Domini restaurarent. Quod si facerent, remissionem illis peccatorum, si se corrigerent, a Domino facile pollicetur, seque pro eis totis visceribus precaturum. Tunc aspirante illo, qui rinocerotis * hujusmodi cornu potentiæ ad edomandos barbarorum animos armat, et per tales vectes amarissimo turbulentissimoque gentium mari terminos ponit, ad omne votum ejus sese promptissimos offerunt. Nec mora, statim Raimundus comes et uxor ejus ad urbem Deniam *h* Alaïo regi legatos suos una cum monacho, qui captivos recognosceret, dirigunt, ut omni instantia monachos repetant. Quod si reddere rex paganus contemneret, omnia prorsus fœdera pacis ruptum iri, atque irreconciliabile terra marique bellum agitandum esset denuntient.

* rhinocerotis

B

a paganis regulis reddi curat; quos a nautis vendendos

58 Eadem æque regi Dertosæ *i* Agalifo per suos nuntios una cum monacho Gumbaldus mandat : nam is ad Gumbaldi potentiam magis respondere videbatur. In his vero duabus civitatibus omnes captivi monachi tenebantur. Cum igitur non impune sibi cessurum, majoraque multos laturos sese dispendia, si secus ac petebatur, res fieret, certius edocti utrique reges viderent; consilio tandem saniori cedentes, prædam innocuam revomunt, captivosque non absque dolore grandi restituunt; nec minori pæne miraculo, quam si ex internis luporum forte visceribus, postquam jam introrsus absorptæ penitus mansæque fuissent, illesæ raperentur oves. Tunc navi onerariæ cum diversis mercimoniis, Barcinonam *k* tendenti, legati receptos imponunt; ipsi terrestri via revertuntur. Cumque de recuperatis Fratribus sancto Patri gaudium nuntiassent, et vestigio alii subsequuntur, qui repetitos in mari paganorum fraude Fratres assererent, ac in Siciliam *l* transportati *, et ibi sine ulla retractione venditum iri.

C

* Mabill. transportaturi

asportari audiens, facta oratione, receptum iri nuntiat;

59 Tunc sanctus Pater, tamquam vulnere letali viscera transforatus *m* ad animum, doluit; jamque omni humana spe destitutus, ecclesiam lacrymosus ingreditur, atque ad illum, de quo non frustra speraret didicerat, omne id, quod magnitudo sibi doloris parturiebat, effudit. Cum igitur a mane usque ad horam circiter nonam flens coram Domino perorasset, hilarissimo vultu ad consolandos Fratres egrediens, " Exsultate, inquit, " in Domino, cantate et psallite ei : narrate omnia " mirabilia ejus " Victa sunt enim humana præsidia, dissipata sunt consilia principum; hostilis ad tempus calliditas superavit, ut Dei magnalia copiosius celebrarentur, nec totum sibi humana prudentia reputaret. Voluit enim mirificare misericordias suas Dominus, et salvos fecit sperantes in se. Laborent hostes, insaniant, quantum licet, nullus enim de captivis nostris detrahetur, omnes nobis in proximo Dominus reddet. Assumpta igitur spe ad Dominum, cuncti corda suspendunt, aure semper sollicita, quando eis, et ex qua parte promissa prospera nuntientur.

D

eosdemque adverso vento in Hispaniam repulsos,

60 Interea pagani dromoni *n* captivis impositis, secundis flatibus ad Siciliam tendunt; sed cum jam longius asportati essent, aura contraria violentis eos flatibus ad Hispanias subito reportavit. Cumque per novem continuos dies nimio labore confectos post initia prospera similis eos adversitas ad littora, quæ reliquerant, revolvisset, fertur, ipsos dixisse paganos, aut in eadem navi summi Dei oratores esse, aut alibi pro illis, qui in navi ferebantur, orari, seque haud dubie orationibus impediri. Interim legati præfatorum principum ad reges supra dictos remissi, dominos suos turpissima fraude irrisos, graviter conqueruntur; et nisi captivi, quocumque trajecti, ubicumque venumdati aut reconditi, sani continuo reducantur, nullius pecuniæ, nullius hominis, nullius tergiversationis interventu sequutura mala posse redimi, contestantur. Tunc illi gravissimo constricti articulo, ad navem protinus mittunt, captivos omnes, si adhuc forte non transierint, balneis et dapibus recreatos, novis mutatoriis decoratos, absque ullo dolo reddi jubent.

E

redditosque lætus amplectitur.

61 Dominicæ Resurrectionis dies illuxerat, cum desperata captivis nuntiata et facta libertas est : digno sane judicio, ut, qui in die Passionis Dominicæ cum Domino fuerant passi, Resurrectionis etiam tempore congauderent; et sicut ipsa olim die Christus Dominus, pro humano genere oblatus, suos captivos ab inferis, superata morte, reduxerat, ita etiam nunc Pater Ysarnus, qui amore et exemplo Domini Jesu se pro fratribus obtulerat, eadem ipsa die per virtutem ejusdem Domini nostri captivos fratres a dominio ministrorum inferni, victa eorum feritate, liberaret. Receptis igitur fratribus, ex totis præcordiis, ex totis animæ viribus erumpens in gaudia simul et lacrymas, nec se ab eorum amplexibus et osculis satiare valens, pro ereptione fratrum et restauratione dissipati monasterii, et quia ipsum Dominus harum rerum ministrum idoneum deputasset, inexplicabiles omnipotenti Deo Vir sanctus gratias retulit.

Massiliam in lectica æger reversus,

62 Tunc supra dictis pricipibus cum multa gratiarum actione valefaciens, cum divinis eos valde instruxisset eloquiis, cum summo favore omnium et digna prosecutione, tam ægritudine quam meritis auctus, jam equitare non valens, vix in lecto vectus, Massiliam repedavit; ubi devotione ineffabili tam a Fratribus, quam à multis occurrentium undique populorum turbis exceptus, ita universæ Provinciæ gaudium fecit, tamquam si Dominus post longissimas tenebras ablatum solem terris flentibus reddidisset. Tunc ergo et labore viæ valetudinis molestia fractus, completa victoria, cujus desiderio in hoc sæculo tenebatur, jam ex toto affectu dissolvi cupiens et esse cum Christo, morbo ad extrema cogente, cœpit in dies acrius exerceri.

F

gravissimis doloribus cruciatur, seque ad æternitatem

63 Ut vero etiam superabundantis patientiæ merito non careret, tantis tunc ferme quatuor mensibus dolorum stimulis agitatus est, ut vix numquam * se in latus alterum, nisi aliorum manibus, reclinaret, benignissime divino agente judicio, ut cum filiis, quos pro caritatis officio * desolatos reliquerat, Pater optimus redderetur, martyrii tamen gloria, quæ promptissimæ voluntati ejus non evitato, sed victo persecutoris incendio (cum mortem ipse ultro peteret, sed pæne morientem mors fugeret) paullo minus aderat, per acerbissimæ et longissimæ

* l. umquam
* in Ms. auxilio

A mæ ægritudinis patientiam suppleretur. Quo temporis spatio toto spiritu in orationem, in lacrymas, in desiderium futurorum assidue currens, quis cogitare, nedum edicere valeat quantum profecerit, quantum creverit, quam perfectum virtutum omnium ædificium cumularit; cum ipsam momentis omnibus non jam a longe minantem, sed præsentem mortem, certissime sentiret; sentiendo tamquam homo, aliquatenus timeret; timendo, cunctas animæ infirmitates clarius cerneret; in multitudine autem infirmitatum ad omnipotentis Medici gratiam omnibus viribus, omnibus intentionibus, totis desideriis orando medullitus fugeret; in oratione autem ipsum clementissimi Jesu vultum et omnia salutis humanæ mysteria contemplatus, confortaretur, reficeretur, epularetur, acsi * de gaudio Domini sui jam jocundaret, speque certissima solidaretur.

* Mabillon. se

sanctissime comparans,

64 Si facinorosus, si flagitiosus, si criminosus quilibet tanto se spatio pœnitens ita flevisset, sanctus crederetur; sed et latro sub ipso exitu in momento uno gloriam meruit. Quantas igitur putamus glorias, quot coronas tam immunis a crimine, tot B refertus virtutibus, tot et tantis adustus angustus, tanta et tam diuturna patientia, in fine maxime probatus Sanctus iste promeruerit, cum jam cælestem ejus mentem, utpote in extremo agone, nulla terrenæ cupiditatis ambitio, nulla, aut perrarissima immunditiæ macula, nulla hypocriseos admixtura fœdaret; sed jam totum se in cælum sustolleret, jam choros cælestium miraretur, jam in vitam pæne saliret? Et jam diu prævisa et desiderata dies advenerat, qua virtutum suarum per omnia præmia recepturus ad supernæ retributionis bravium vocabatur.

moritur et honorifice sepelitur

65 Tunc collectis undique sanctorum filiorum turmis, cum ad mundi contemptum, et ad amorem cælestium sacris eos monitis et illis sermonibus igneis animasset, fidelissimo pastori Domino Jesu creditas oves commendans, sumpto divino Viatico, tota propemodum carne consumpta, sanctissimam illam et Deo dilectam animam, psallentibus et plorantibus discipulis, gaudentibus et tripudiantibus angelis, octavo Kalendas Octobris, ipsa eadem post annum die, qua ad Hispanias se pro fratribus daturus exierat, ad desideratum diu vitæ æternæ fontem, solutus carne, lætus emisit. Erat autem annus C tunc ab Incarnatione Domini millesimus, quadragesimus octavus *o*; sepultusque est in pretioso vase marmoreo *p*, in Septemtrionali parte templi, ubi assiduis miraculis glorificatur a Domino nostro, cui est gloria, laus et imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De celebri hoc monasterio aliqua diximus in Commentario prævio, num.* 33, *quem consule.*

b *Nempe Saraceni Hispaniæ, ut ex sequentibus liquet. In Commentario prævio num.* 33 *et* 34 *diximus, direptionem hanc anno* 1046 *vel sequenti contigisse sub abbate Aldeberto I.*

c *Nempe præter alias monasterii Victorini possessiones erat in comitatu Barcinonensi, sive in Catalonia veteri monasterium S. Michaëlis de Fallio, vel Alfallio, ut mox videbimus, quod ipsi* S. Ysarno *donatum fuisse, ostendimus in Commentario prævio num.* 26 *et* 27.

d *Hanc voculam uncis inclusam ad perficiendum sensum addidi.*

e *Rhodanus celeberrimus Galliæ fluvius, vulgo* le Rhosne *nunc dictus, Provinciam ab Occitania dividens, infra Arelate in mare Mediterraneum se exonerat, ideoque sancto* Ysarno *terrestri itinere in Hispania proficiscenti transeundus erat.*

f *De loco hoc, quem in Barcinonensi comitatu situm sanctoque* Ysarno *a Gombaldo comite de Castro Bisaure donatum fuisse diximus, consule Commentarium prævium num.* 26 *et seq.* E

g *De Raimundo comite Barcinonensi, Elisabetha uxore ejus et Gombaldo egimus in eodem Commentario num.* 36 *et* 37.

h Denia, *olim etiam* Dianium et Arthemisium *appellata, oppidum est regni Valentiæ in ora maris Mediterranei.*

i Dertosa, *incolis* Tortosa *dicta, Hispaniæ Tarraconensis episcopalis civitas est sub metropoli Tarraconensi, sita ad Iberum fluvium, qui tribus circiter milliaribus Hispanicis inde in mare Balearicum ingreditur.*

k Barcino, *incolis* Barcelona *comitatus Barcinonensis, sive principatus Cataloniæ caput, Hispaniæ civitas est et emporium celebre cum portu capaci et arce ad mare Mediterraneum, estque episcopalis sub archiepiscopatu Tarraconensi.*

l Siciliam *celeberrimam maris Mediterranei insulam, deinde etiam regni titulo illustratam, ac vulgo notam, Saraceni tunc etiam occupabant, ex qua versus ejusdem seculi* XI *finem a Rogerio Calabriæ comite tandem penitus expulsi fuere.*

m *Id est :* transfixus.

n Dromo *velocis navigii genus est.* F

o *Vide disputata in Commentario prævio num.* 39 *et sequentibus.*

p *Epitaphium ipsius marmori incisum dedimus in fine ejusdem Commentarii.*



DE

AUCTORE J. P.

D

DE B. DALMATIO MONERIO CONF.

EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM

GERUNDÆ IN CATALONIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

§ I. Acta a quibus conscripta, et quo modo hic exhibenda.

ANNO MCCCXLI *Vita a coætaneo conscripta*

Beati hujus, quem merito inter viros sanctitate illustriores præclarissi Ordinis Prædicatorum computandum asserit laudandus sæpe infra Joannes Lopezius, vitam concinnavit P. Nicolaus Eymericus, vir ex eodem Ordine percelebris, qui teste Francisco Diago, pluribus similiter per decursum memorando, in eodem Gerundensi cœnobio, in quo vixit B. Dalmatius, *habitum Ordinis induit anno* 1334, *septimo circiter ante illius obitum, et ipsum Beatum in tyrocinio magistrum nactus est. Jacobus Echardus tom.* 1 *Bibliothecæ Prædicatorum pag.* 709 *inter multa ejusdem Eymerici Opera prædictæ Vitæ meminit verbis istis :* Vita beatæ memoriæ F. Dalmatii Moner, conventus Gerundensis alumni, sanctitate vitæ spectabilis, sui olim in tyrocinio Religionis magistri, anno MCCCXLI Septemb. XXIIII defuncti. Hanc ex veteri cod. Ms. Eymerici exhibet Diagus Hist. prov. Arag. fol. 259 etc. *Sic est; exhibet ipsam loco cit. Diagus, sed Hispanice; cum tamen, nisi multum fallar, Latine primum ab Eymerico fuerit conscripta. Sane id suadet tum Echardus ipse, titulos Operum eodem, quo exarata sunt, idiomate, exprimere passim solitus, et hic Latine ipsum exprimens, tum fragmentum ex eadem Vita Latine alibi a me inventum, et suo loco recitandum.*

B

deficiente nobis;

2 *Hæc causa fuit, cur abhinc aliquot jam mensibus colligere aggressus, quidquid ad Beati gesta elucidanda utile esse poterat, et Vitam istam in Museo nostro desiderari conspicatus, laborem tantisper interruperim, donec Gerundam, ubi autographum servari intelligebam, scriberetur, indeque et ejus et aliorum, si quæ ibidem lateant ad Beati gloriam illustrandam conducentia, copiam obtinerem. Istic autem servari in monasterio patrum Dominicanorum affirmant passim cum Diago allegandi aliquoties auctores, confirmatque sanctissimus dominus noster Benedictus XIV Pontifex maximus lib.* 2 *de Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione cap.* 25 *num.* 154, *ubi post enumeratos præcipuos de gestis Beati nostri scriptores subdit :* Illustrius tamen monumentum ad rem præsentem desumendum est ex libro manuscripto, qui asservatur in bibliotheca patrum Prædicatorum Gerundæ, quique compulsatus fuit in citatum processum, *instructum, ut præmiserat, auctoritate, ordinaria Gerundæ anno* 1714 *super cultu immemorabili, de quo sub finem Commentarii paulo latius disseremus.*

C

gesta dabimus

3 *Scriptum est igitur Gerundam, episcopalem in Catalonia Hispaniæ provincia civitatem ; at seu litteræ nostræ eo non pervenerint, quod minus verisimile est, seu responsoriæ cum documentis aberraverint, seu denique aliud quid causæ obstiterit, nihil rescripti huc perlatum est. Hinc post diuturnam exspectationem eo nos redegerunt temporis angustiæ, ut vel Beatus inter Prætermissos, alio die dandos, collocandus esset, vel absque subsidio prædictæ Vitæ Ms. gesta ejus ex editis libris colligenda. Posteriorem partem amplectimur, primo, quia diem alterum, in quem differri apte possit, non videmus ; secundo, quia incerti sumus, an etiam exspectantibus nobis diutius ac denuo urgentibus concedenda sit; tertio, quia, siquando post impressum hunc Commentarium ea impetretur, seponi poterit cum aliis multis documentis, totius Operis supplemento destinatis. Consulamus ergo auctores nostros et quo tempore lucubrationes suas in lucem prodiderint, quibusque adjumentis ad eas concinnandas instructi fuerint, dispiciamus, ut qua auctoritate nitantur ea, quæ ex ipsis a nobis proferenda sunt, lector ipse perspiciat.*

E

ex recentioribus, quorum

4 *Franciscus Diagus Historiam provinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum, cujus alumnus fuit, Hispanice edidit Barcinone anno* 1599 *in binos libros divisam. Lib.* 1 *fol.* 52, *enarratis gestis Nicolai Eymerici, ait, se vidisse et sedulo perlustrasse illius Opera, in Gerundensi Ordinis sui conventu exsistentia, indeque, quæ tunc usui erant, desumpsisse. Lib.* 2 *fol.* 265 *verso post prolixam narrationem de* B. Dalmatii *Actis et miraculis ante et post obitum, affirmat, omnia, exceptis duobus miraculis ibidem assignatis et a me postmodum designandis, contineri in Historia conscripta a F. Nicolao Eymerico, Beati olim in Religione discipulo insertaque codici pergameno conventus Gerundensis valde antiquo. Bina autem miracula ista accepisse se significat ex Tractatu de Viris illustribus ejusdem provinciæ Aragoniæ, qui auctorem habuit Balthazarem Sorium, etiam Dominicanum Aragonium, anno* 1555 *vita functum, sed qui non videtur prelum subiisse.*

F

notitia

5 *Antonius Vincentius Domenec ejusdem instituti et provinciæ Religiosus, in ipso Gerundensi conventu defunctus anno* 1606, *typis vulgavit anno* 1602 *Historiam Sanctorum et illustrium virorum Cataloniæ, in ejusque parte* 2 *pag.* 39 *Vitam* B. Dalmatii, *desumptam, ut notat, ex Eymerici Ms. codice Gerundensi et ex Sorio ac Diago. At, si sub initium excipias lineolas novem vel decem, de verbo ad verbum, uti dicimus, descripsit Diagum tam in iis, quæ hic tradit ex Eymerico, quam quæ attribuit Sorio. Accedit Joannes Lopezius, ex Dominicana familia item Hispanus, parte* 3 *Historiæ generalis Ordinis, impressa Vallisoleti anno* 1613, *ubi pag.* 43 *dat* B. Dalmatii *Acta, citatque in margine eosdem Diagum ac Sorium ; sub finem vero pag.* 56 *appellat quoque ad auctoritatem Eymerico*

A *merici in codice Gerundensi. Verum is, quamquam Hispanice similiter scripserit, stylo differt a Diago ac Domenecco, subinde aliquid prætermittit, et non raro immixtis Sanctorum exemplis, Patrum documentis, propriisque observationibus, relationem interrumpit.*

ac scribendi methodus

6 *Italice Beati gesta pertractarunt auctores, quos novi, duo, ex eodem Ordine Religiosi, Joannes Michaël Pio et Dominicus Maria Marchesi; primus lib. 2 de Viris illustribus, edito Bononiæ anno* 1620, *qui tamen nulli vel certe exiguo nobis erit usui, cum compendium tantum perhibeat, solosque citet Diagum et Domeneccum : alter in Diarii Dominicani tomo 5 ad diem* XXIV *Septembris; is autem primo loco citat processum Gerundæ confectum, tum Eymericum, Diagum, Pium et alios, quos non nominat. At nullum factum peculiare, seu spectans ad Vitam seu ad miracula et cultum usque ad annum* 1603, *producit Marchesius, quin idem, etsi subinde in adjunctis vel potius narrandi ordine ac modo diversum, reperiatur apud auctores Hispanos; contra quædam ab his relata premit silentio, alia, ab iisdem speciatim exposita, generatim dumtaxat attingit. Nihil quoque refert* B *peractum in Beati causa ab anno* 1603, *quo allegatus processus confici cœpit, usque ad* 1613, *quin idipsum plenius ac distinctius legatur apud tum temporis viventem Joannem Lopezium part. 4 Historiæ Ordinis edita anno* 1615, *qui et eumdem processum citat et multa de cultu immemorabili ex eodem confirmat, ut post videbimus. Unum habet, quod Lopezii editione posterius est, quodque proin ex processu tum dudum instructo didicisse non potuit.*

hic præmittitur,

7 *Gallice prolixam quoque de Beati gestis Historiam contexuit Jacobus Lafonus in anno Dominicano ad diem* XXIV *Septembris, non aliis tamen instructus videtur fuisse adjumentis, quam editis libris, quos signat in margine, Diario scilicet Marchesii, Historiis Diagi et Lopezii, ac Martyrologio Hispanico, de quo mox; et Marchesio quidem præ cæteris usus est, ut adverto ex rerum narratarum serie, ex omissionibus et contractionibus. Nec Latini scriptores Beatum prætericrunt : de ipso agit Abraham Bzovius in Annalibus ecclesiasticis ad annum* 1341 *num.* 18, *solum allegans Diagum, quem adeo contraxit, ut in unicam fere paginæ columnam redegerit, quæ apud Dia*- C *gum folia, minoris tamen formæ, sex et medium seu paginas occupant tredecim omnino integras. Denique Tamayus in Martyrologio Hispaniæ sic Beatum annuntiat hoc die :* Gerundæ in Cathalonia Hispaniæ depositio B. Dalmacii ex Prædicatorum Ordine alumni : qui mira abstinentia præditus, admirabili humilitate conspicuus, et pœnitentiæ actibus inimitabilis, virginitatis adusque ultimum vitæ spiritum candore munitus, apud Gerundenses cultum miraculorum frequentia promeruit. *Deinde in Notis assignat Diagum aliosque memoratos a me Hispanos scriptores, ex quibus subdit Actorum Synopsim. Hæc, idem esto de Bzoviana, cum brevior sit, quam ut per eam Beati res gestæ sufficienter cognoscantur, nec alia auctoritate prædita sit, quam auctorum, unde accepta est ad propositum nostrum inutilis est. Restat igitur, ut ex aliis eligamus, quos ad idem propositum aptiores arbitramur.*

et, qui quibus præferendi sint, exponitur;

8 *Ceteris præferendos esse Diagum et Domeneccum, utpote antiquiores et ipsi fonti, Vitæ, inquam, ab Eymerico relictæ, proximiores, nemo facile inficiabitur, dummodo consideret ea, quæ observavi ad Marchesium. Illos itaque duces hic sequar, et ubi apud Marchesium vel alios occurrerit aliquid, quod notatu dignum videbitur, monebo lectorem : non dabo tamen ipsa eorum verba, sed facta dumtaxat præcipua, recisis subinde aliis, ac sæpius rerum adjunctis, quæ minus necessaria judicavero. A stricta interpretatione abstinui, non quia suspecta mihi erat Diagi vel Domenecci fidelitas; sed primo quia noveram, existere Acta primigenia, eaque, ni multum fallar, Latine exarata; neque enim tali casu solemus stricte interpretari aliorum interpretationes; vix umquam adeo rigidas ac strictas : secundo, quia dato etiam, quod me falleret mea opinio, et Acta primigenia scripta fuissent Hispanice, ne tum quidem constaret, an nude ac simpliciter ea descripserit Diagus, an vero, quod frequentius est, gesta inde desumpta suo stylo ac ordine disposuerit; cum tantum dicat, a se narrata contineri in Historia Eymerici, non autem ipsammet esse hujus Historiam.*

AUCTORE J. V.

additur ratio, cur nullius Opus

9 *Imo non esse ipsammet Eymerici Historiam, conjectura omnino verisimili eruimus ex supra laudato Benedicto XIV Pontifice, qui, postquam pro notitia virtutum, miraculorum et cultus lectorem remisit ad Diagum aliosque, subjicit :* Illustrius tamen monumentum ad rem præsentem desumendum est ex libro manuscripto, qui asservatur in bibliotheca patrum Prædicatorum Gerundæ *etc. Hu*- E *juscemodi enim assertum respicit quidem primario Operis antiquitatem et auctoritatem, sed, quantum equidem existimo, innuit simul discrimen aliquod ab editis Operibus, sin minus in rebus narratis, saltem in idiomate, vel in rerum narratarum dispositione, seu scribendi ordine ac modo. Præterea idem sanctissimus Dominus ibidem lib. 2 cap. 24 num. 154 ait :* Ipse autem Nicolaus *(Eymericus)* ut cetera prætereantur, in modo dicta Vita *(quæ, sicut ante dixerat Pontifex, compulsata fuit in processum, confectum anno 1714)* memorans sepulturam, datam corpori beati Dalmatii, sic loquitur : « Prædicavit autem in ejusdem » Viri Dei sepultura frater Bernardus Cescala paulo post provincialis provinciæ supradictæ, vir litteratus, fidelis et verax; et recitatis de præscriptis » miraculis quamplurimis, finaliter tale perhibuit » testimonium veritati : Ego admonitus per confessorem istius sancti Viri, qui nunc in morte, et in » vita alias ejus frequenter confessionem audierat » generalem, vice ejus tale isti perhibeo veritatis » testimonium Viro Dei, quod ipse nec mentis nec » carnis sensit aliquatenus corruptelam, nec cujuscumque mortalis unquam criminis habuit con- F » sensum, nec animam maculatam. »

stricte interpretemur.

10 *Inde certo concluderem, usum fuisse Eymericum idiomate Latino, nisi scirem contingere aliquando, ut processus extero idiomate confecti Romam mittantur, eorumque dein facienda sit interpretatio; quo casu verba ista desumere potuisset Pontifex ex Vitæ in processum compulsatæ interpretatione. Attamen seu Latino usus sit idiomate Eymericus seu Hispanico, clarius inde colligo, Diagum vel Vitam Latinam non esse stricte interpretatum, vel Hispanicam non descripsisse nude ac simpliciter. Hoc mecum ut colligat lector, juvat exhibere textum Diagi ex Hispanico stricta versione Latine redditum :* Prædicavit F. Bernardus Sescala et sermonem, recitatis jam multis miraculis, quæ Deus operatus fuerat per Servum suum, conclusit, dicens : Ego admonitus per confessarium istius sancti Viri, qui nunc in morte ejus confessionem audivit generalem, eamque alias frequenter audierat: vice ejus ad comprobationem sanctitatis beati Religiosi istud perhibeo veritatis testimonium. *Cetera congruunt. Confer modo utrumque*

AUCTORE J. P.

que textum, videbis narrari quidem utrobique rem eamdem; sed modo satis diverso, ut, licet hic studiose adhibuerim easdem voces Latinas, dici nequeat stricta interpretatio vel nuda descriptio. Porro hac occasione juvat adjicere etiam Marchesii textum, ut pateat minus adhuc rigide inhæsisse ipsum interpretationis limitibus, atque ex isto quoque capite postponendum esse Diago ac Domenecco. Ita sonat: Prædicavit laudes ejus pater magister frater Bernardus Ceseala, qui paulo post provincialis provinciæ istius electus est, et inter alia, quæ dixit, unum fuit, quod sciret ex testimonio confessarii, qui audierat confessionem generalem totius vitæ ipsius, beatum Dalmatium non tantum fuisse virginem mente et corpore, verum etiam commisisse numquam culpam mortalem.

§ II. Beati natales; studia; ingressus in Religionem; vitæ asperitas; virtutes.

B

Beati patria, parentes, annus natalis

Natus est B. Dalmatius *in Catalonia, loco a Gerundensi civitate duobus milliaribus dissito,* et S. Columba de Farnes *appellato, unde et ipsi Beato juxta Lafonum agnomen* a S. Columba *inditum est, quod tamen confirmatum non reperi apud alios, simpliciter eum nuncupantes* Dalmatium Monerium, *seu* Moner, *quod procul dubio familiæ nomen est: sed neque huic elucidandæ quidquam subministrant, cum ne nomina quidem parentum assignent. Diagus* patrem *ei fuisse, ait* valde divitem, matrem ex genere militari: *Lopezius,* parentes locupletes; *Marchesius,* progenitores nobiles, *Domeneccus* patrem agricolam et valde divitem, quales sunt etiam nunc ejusdem familiæ heredes, matremque e genere militari. *Agricolam vocitavit verisimiliter ex eo, quod agris, quibus abundabat, per famulos excolendis intentus, rure degeret. Denique in lectionibus Officii propriis generalim dumtaxat dicuntur parentes* honesti et pii. *Annum nativitatis, quem statuit Lafonus* 1289, *non exprimunt alii, at si recte signant ætatem ejus et annum obitus, figendus ille* 1291, *cum dicant obiisse* XXIV *Septembris anno* 1341, *ætatis suæ* 50.

C

studia vitæ monasticæ

12 *Ætatem studiis idoneam consecutus, Gerundam missus est iis operam daturus, verum haud ita dudum illic moratus, et advertens, multa esse in patrio solo contraria suo profectui, Montem-Pessulanum* (Montpellier) *civitatem Galliæ tunc studiis florentem petiit. Hic litteris et pietatis exercitiis gnaviter incubuit, donec perfectioris vitæ amplectendæ tactus desiderio, Ordini Prædicatorum sese mancipare decrevit, annum ætatis numerans secundum supra vigesimum completum, ut habent Diagus, Lopezius, ac Domeneccus. Itaque in patriam regressus habitum suscepit in Gerundensi conventu ætatis anno 23 juxta eosdem, a quibus utcumque dissentit Marchesius in hunc modum scribens:* ætatis anno vigesimo quinto factus Religiosus, novam vitam agressus est. *Verum hoc inadvertenti calamo excidisse suadet ipse sub finem, dum ait, Beatum obiisse ætatis anno quinquagesimo, post assumptum habitum S. Dominici vigesimo septimo.*

primordia, fuga inanis gloriæ

13 *Expleto tyrocinio ac emissa professione, philosophiæ placita eo conatu, noctes plures exsomnis transigens, eoque fructu excepit, ut deinde aliis logicam prælegere jussus sit; sed post biennium illi muneri impensum, docendi finem fecit, utque pestilenti superbiæ vento securius resisteret, nec cathedram deinceps nec prælaturam admisit, ut tradunt mox laudati auctores, excepto rursus Marchesio, paulo amplius, rem declarante:* Quantumvis, *inquit,* præstantissimos in philosophicis ac theologicis studiis progressus fecisset in Gerundensi ac Parisiensi universitatibus, neutiquam adduci potuit, ut honoris titulos et dignatatem, nedum prælaturam admitteret, contentus in simplicitate sua uti facultatibus, per studiorum labores acquisitis, ad Dei gloriam et proximi subsidium. *Ita ille; at unde Beati in universitate Parisiensi studia didicerit, incompertum mihi est; fortasse ex Gerundensi, quem sibi præluxisse indicat, processu; certe nihil hujuscemodi habent alii, cum quibus Beati virtutes pergo enarrare.*

D

et inutilium colloquiorum,

14 *Fugitans itaque omnis inanis gloriæ, si quando contingeret, ut Religiosorum aliquis in familiari colloquio quidquam in ipsius laudem proferret in medium, mox silens inde semet surripiebat. Eadem de causa simulque ex gustu, quem hauriebat in contemplatione rerum cælestium, vocatus nonnumquam a viris etiam præstantibus, invisere ipsum aut negotia sua ipsi communicare cupientibus, vel non adibat vel tam frigide excipiebat, ut secundo non recurrerent. Id contigisse aiunt Petro, Jacobi secundi regis Aragoniæ filio, tunc Ampuriarum comiti, Bernardo de Cabrera vicecomiti, Petro Gerundensium episcopo, pluribusque primariæ aut inferioris sortis hominibus. A mulierum vero qualiscumque status et ætatis colloquio præ ceteris abhorrebat, numquam ad ipsas accedens, nisi obedientia aliave urgente causa pressus; tum vero, fixis in terram oculis, verbum nullum ultra quam exigeret necessitas, proloqui eas permittens, extemplo abrumpebat sermonem ac dimittebat.*

E

maxime cum mulieribus;

15 *Hinc ne proprias quidem sorores exceptas voluit; fertur quippe correptus morbo, quocum diu conflictatus est, instantissime rogasse Priorem suum, ut ne ulli mulieri etiamsi propriæ sorori invisendi se daretur facultas. Prior vero, ne ægre ipsi faceret, binis beati Viri sororibus, ad ostium monasterii plorantibus ac ejulantibus constanter ingressum negavit; quamquam ejus concedendi adesset ratio; quandoquidem id temporis, ut addit Lopezius, tanta non esset claustri observantia, quanta postmodum fuit. Simili cautela prospiciebat Dei Famulus puritati animæ et corporis integritati, quam talem ac tantam, quantam in nativitate acceperat, servasse creditus est usque ad felicem ad cælos abitum. Eo autem ut planiorem sibi viam sterneres, non cessabat abstinentia, vigiliis, verberationibus, aliisque id genus cruciatibus macerare corpus.*

F

asperitas in victu

16 *Carne vescebatur numquam, nisi in urgenti infirmitate: alimento erant legumina, elixa quidem sed refrigerata, radices seu caules brassicæ, obiter prunis impositæ, panis hordeaceus, aut triticeus, sed is siccitate induratus ac improbe coctus; pulmentum similiter nec recens admittebat, nec bene conditum. Ubi vero delicatioris aliquid edulii proponebatur sibi, id saporis adimendi ergo vel frigida diluebat, vel aspergebat pulvere. Vino abstinebat passim, coactus tamen aliquando eo uti ob stomachi debilitatem, admixta aquæ copia vim ejus ita frangebat, ut vix saporem retineret; quod autem mireris amplius, summa æstate ad plures, imo ad viginti nonnumquam dies, ut tradunt auctores nostri, omnem sibi potum interdixit, omnemque fructum remve aliam siti leniendæ idoneam, quamquam fervida corporis constitutio hiemali etiam tempore sæpius eum cogeret aspersa aqua aut*

applicato

A *to lapide pectoris æstum temperare. Ex hujuscemodi rigore et continuis pene jejuniis, quæ præter indicta in Ecclesia ac pie servata in Ordine suo sponte assumebat, haud difficulter intelligimus, quod iidem asserunt, eo debilitatis frequenter redactum fuisse, ut vix pedibus consistere valeret, Superiorumque mandato ad sumenda alimenta fuerit impulsus.*

divinitus comprobata;

17 *Et vero ne insolita ista in se sæviendi acerbitas merito judicaretur excedere discretionis limites, Deus ipse impedire visus est, dum siti confecto prodigiose allatum est levamen. Narrant, id contigisse cum Barcinone Tarraconem (civitates sunt Cataloniæ,* 15 *circiter milliaribus Hispanicis invicem dissitæ) media æstate iter facturus, oblata per piam matronam ex melle et rosis condimenta, calori ac sui temperandis accomodata, repulisset, dicens non licere paupertatem professis id genus delicias circumferre, et, si quid opus foret, subministratum iri a divina Providentia. Tum quippe aliquod viæ spatium emenso et vehementer fatigato sitique pene consumpto apparuisse aiunt puellam, quæ vasculum perrigens dixerit; Frater* Dalmati, *hoc tibi a Domina mea dono mittitur. Ac-*
B *ceptum vasculum comperit plenum esse ejusdem generis condimentis, sed odore jucundissimis gustuque suavissimis. Puella vero mox ita evanuit, ut neque ipse neque socius itineris, quamquam in montis cacumine positi, usquam ejus vestigium deprehendere valuerint; indeque intellexit Beatus, missam sibi fuisse a sanctissima Deipara Virgine, cui tenerrime afficiebatur, ut addit Marchesius, qui et reliqua latius declarat, et, silentibus aliis, socium Beati vocat* Bernardum Scoli.

amor paupertatis; assidua oratio;

18 *Amorem paupertatis evangelicæ, prodebat tum in aliis omnibus, vilissima quæque semper sibi eligens, tum præsertim in vestimentis, quæ munda quidem gestabat, sed e rudiore panno confecta, usu detrita et assutis panniculis resarta; ita quidem ut P. Berengarius de Saltellis totius provinciæ præses, adjecto præcepto obedientiæ, aliquando eum coëgerit lacerum habitum deponere, ut novum indueret. Cella ipsi erat exigua, qualem incolere solent juniores, cubile angustum, pro culcita sarmentorum agger; noctes tamen frequenter transigebat in superiore templi contignatione, loco valde angusto, orans atque contemplans, donec somno obrutum corpus in terram projice-*
C *ret, inclinato supra lignum aut lapidem capite. Eam vivendi normam non intermisit etiam, quando ex uno in alium locum proficiscenti, vel, ut subdit Marchesius, ad habendas conciones excurrenti, pernoctandum fuit extra conventum. Tum quippe si socium haberet piorum exercitiorum inscium, cubitum ibat, donec ille indormisceret, et tacite surgens, precibusque vacans usque ad primum diluculum, repetebat lectum.*

vigiliæ; corporis

19 *At quod ipse occultabat diligenter. Deus aliquando palam fieri permisit. Tria exempla suggerunt auctores nostri: primum dum jam dicta arte cubitu surgens, in scuti ferrei, in cubiculi angulo penduli, medium acumen caput impegit, et grave vulnus accepit; quamvis enim mox præcibus se committens, a Domino sanationem impetrasset, prodidit tamen ipsum tam sanguinis, qui abundanter effluxerat, cicatrix, quam socius, qui et ipse vigil tunc erat, sed, quia Beatus post læsionem verbum nullum proferens, orationi se dedit, subticuerat. Alterum ex ejus similiter socio, F. Bernardo Durando, acceptum est. Is noctu ex quadam necessitate lecto exsiliens, Beati orantis atque humi jacentis collo pedem imposuit; at, cum ille, licet secundo protrusus, immotus persisteret, rem aliam esse ratus, abscessit. In reditu expiriri tertio ac propius voluit, et nihil quidquam offendens, (interim Beatus surrexerat) quid rei fuisset, comprehendit. Tertium detexit puer, quem* B. Dalmatius *in Castellar, loco milliare unum Gerunda dissito, ductorem sibi assumpserat ad fontem proximum. Huc perveniens puer, et ab illo domum redire jussus, abscondit se in densa arbore, prospecturus, quid ipse ageret. Nec diu cunctandum fuit; vidit Beatum vestibus exutum, et ex atrocibus flagellorum ictibus, quos sibi infligebat, perfusum sanguine, eoque deinde aquis abluto, resumptisque vestibus, abeuntem.*

AUCTORE J. P.

afflictationes; regularis observantia;

20 *Ceterum etiamsi ex jam relatis facile colligi queat, quam similibus pœnitentiæ operibus esset assiduus, leviora isthæc reputabat; rogavit obtinuitque a superioribus licentiam abeundi in Provinciam ad Balmensem S. Mariæ Magdalenæ speluncam, ubi ad exemplum beatæ hujus mulieris, plenius sese cruciandi desiderio indulgeret: profectus illuc est et aliquanto tempore moratus; at, quod optabat, vitæ cursum ibidem finire non licuit; revocatus est ad suos; verum ne prorsus voto suo frustraretur, permissum ipsi est a generali Ordi-* E
nis magistro inhabitare specum, intra monasterii septa in viva montis rupe effossam, frigidam, humentem, solis radiis imperviam, et ut aiunt scriptores, serpentium receptricem. Hic inter lacrymas, gemitus ac suspiria et admirandas potius juxta eosdem quam imitandas corporis afflictationes, totum quadriennium, quo post reditum e Provincia in vivis superstes fuit, insumpsit, sejunctus a Fratrum consortio, nec caram solitudinem deserens, nisi cum Officium divinum vocaret ad ecclesiam vel alio regularis observantia. Quanta autem de ejus regulari observantia esset apud Superiores æstimatio, inde probatum est, quod, dum ad recens fundatos conventus mittebantur viri sanctitate magis conspicui et observantia regulari præstantiores, qui in iis vitæ religiosæ ponerent primordia, passim in illum finem eligeretur B. Dalmatius.

animi demissio; apud omnes existimatio.

21 *Non minus laudant profundam ipsius humilitatem, culpam etiam falso sibi impactam ne verbo quidem excusantis: ad hoc propositum referunt, eum in capitulo coram generali magistro temere, sed forte ex zelo non malo accusatum, quod Religioso ad aras facturo evagationis animi ansam præbuisset, absque ulla perturbatione rogasse, ut* F
is sibi indicaretur, et mox ad ejus pedes provolutum, facti, veniam flagitasse, mirante Viri sanctitatem cum ceteris magistro. Aliud demissionis ac sui contemptus specimen dedisse tradunt, dum oleum mendicans, cernensqne, abesse famulum, qui gestaret utrem, hunc e socii manibus arreptum humeris imposuit, ac per civitatem, spectante omni populo, detulit. Ob has aliasque virtutes apud omnes Sanctus habebatur, nec deerant, qui, misso proprio ejus nomine, vocarent Fratrem angelo familiarem, *seu, qui cum angelo loquebatur. Verum non explicant auctores, unde originem duxerit postrema hæc nuncupatio: solum addunt Diagus et Domeneccus, quod Beatus, adstante Nicolao Eymerico, primo biographo, roganti fratri Joanni Cardona, cur apud populum isto nomine veniret, responderit, verum dici a populo, quandoquidem quotidie in in Officio divino angelos alloqueretur, dicens:* Benedicite angeli Domini Domino. *Sic prudenter quidem declinavit responsum, at non potuit evitare, quominus apud viros, quibus nota erat, ipsius humilitas, augeretur suspicio, famam illam haud absque fundamento fuisse sparsam in vulgus.*

AUCTORE J. P.

vulgus. Quidquid sit, tantum invaluit ista opinio, ut etiam transsierit in lectiones Officii proprias his verbis : Propter familiarem cum angelo consuetudinem Frater cum angelo loquens dicebatur. Sed ad alios ipsi divinitus concessos favores progrediamur.

§ III. Favores Beato divinitus concessi; miracula ante obitum.

Rapitur in ecstasim ;

Asperitatem vitæ aliaque pietatis exercitia superius relata comitabatur assidua eaque ferventissima oratio, et hanc favores e cælo frequentissimi. Non pervenere omnes ad hominum notitiam, siquidem solemne ipsi erat, ut ex ante dictis intelligere est, sedulo evitare testes aliorum oculos et aures in rebus ad sui commendationem conducentibus : at, permittente divina providentia, nec latuere omnino omnes. Orans in loco a frequentia remoto visus et famulo domestico, extensis in crucis formam brachiis ac pedibus a terra B *elevatis, raptus in ecstasim. Alias a fratre Bernardo del Puerto, Priore quondam monasterii, inventus est in cella sua orans et a solo pariter sublimis. Idem expertus est frater Bernardus de Aquanoctibus, Beatum comitatus extra civitatem Gerundensem ad vallem solitariam et orationi aptissimam : cum enim advenisset domum redeundi tempus, nec* Dalmatium *deprehenderet, cœpit circumcursare loca omnia, speluncas præsertim, quibus delectari eum noverat, introspicere, elata voce inclamare, ac tandem oculos attollens ad arborem vallis altissimo loco positam, vidit eum avis instar insensibili quodam volatu ad pedes suos descendere etiam tum orationi intentum. Addit Marchesius, Beatum sensibus redditum flagitasse a socio, ut rem silentio premeret et hunc ei morem gessisse ; puta usque ad ejus obitum.*

arcana et futura

23 *Spiritu quoque prophetico donatum fuisse, atque ope luminis cælestis penetrasse arcana cordium pluribus exemplis constitit. Raymundus Capater novitius dolore oppressus, quod Ordini tam pauperi nomen dedisset, in cella sua hærebat dubius, utrum esset perseveraturus, an vero rediturus ad seculum. Accessit Beatus nec tantum* C *revelavit, quidquid ille animo volutaverat, sed et jusso ad orationem confugere, Deoque corde puro ac pio deservire, prædixit fore, ut Deus ipsi in necessitatibus subveniret. Monitis paruit novitius, nec deinde umquam tali cogitatione pulsatus fuit. Pia matrona, nomine Frexaneta, luctu similiter obruta ob diuturnum et nullis remediis sanabilem filii in uno oculo dolorem, tribus continenter noctibus vocem e cælo habuit monentem, ut, posita tristitia, adiret* B. Dalmatium *ejusque preces exposceret. Obtemperavit illa singulis vicibus, at prima et secunda repulsam passa est, quoniam Beatus more suo mulieris alloquium detrectabat. Rediit tertia vice, affirmans, inde non recessuram se, priusquam ille accessisset. Accessit tandem, et re intellecta, ipsamque consolatus, redire jussit in diem proximum, postquam sacrosanctum Missæ sacrificium celebrasset, in quo rem Domino erat commendaturus. Accedentem signato tempore excepit his verbis :* Gaude, domina, gaude et immensas Deo age gratias. *Dein causam declarans, dixit, certo eventurum fuisse, ut filius ea patrasset, ex quibus in parentes grande dedecus redundasset, et ipsiusmet consecuta fuisset condemnatio : sed in gratiam pii Deoque acceptissimi operis ab ipsis præstiti ipso anno, quo filii oculum dolor invaserat, grave illud malum immutatum fuisse in levius ac tolerabilius. Porro filium oculo isto privatum iri, at cessaturum extemplo dolorem omnem. Prædictionis veritatem eventus comprobavit. Ita, sed aliquanto fusius, rem exponit Diagus cum Domenecco et Lopezio. Juxta Marchesium, postquam Beatus matri significarat, filium dolore oculi, divinitus immisso, impeditum fuisse, quominus facinus patraret, propter quod manu carnificis morte ignominiosa fuerat plectendus, non tantum prædixit oculi amissionem et cessationem doloris, verum etiam plures molestias et infirmitates parentibus in majus ipsorum bonum obventuras, quas illi postmodum patienter tulerint* D

24 *His adjungunt Diagus, Domeneccus ac Lopezius fuse etiam narratas, et hic in compendium contractas prædictiones sequentes ; cum moribundam Pontii Malars conjugem rogatus Deo in precibus commendasset, asseruit non morituram ex isto morbo : et vere post dies aliquot integræ sanitati restituta est. Fusis item precibus pro altera muliere, parturiente ac morti proxima, maritum lacrymis perfusum remisit ad puerperæ cubiculum dicens, periculo defunctam esse ac peperisse filium. Petrus de Sierra jurisperitus Gerundensis, cujus uxor tum tertio die cum partus doloribus luctabatur, sub noctem missis litteris postulavit Beati apud Deum preces, et is obsecutus paulo post rescripsit, pariturum illam proximo mane primogenitum filium. Alteruter ex jam nominatis, quem hic* supradictum dominum de Campayas *noncupant, alias quoque Beati, quamquam reluctantis et se peccatorem vocitantis, in precibus potentiam ac spiritum propheticum expertus est : ac primo quidem dum uxor ejus denuo ex partus doloribus de vita periclitabatur ; tunc enim Beatus eum Sacro suo interesse jussit, eoque necdum ad finem perducto, post sumptionem tamen pretiosissimi Corporis ac Sanguinis Domini, submissa voce monuit, ut ocius domum abiret, quoniam salva uxor filium enixa erat. Secundo dum eadem ipsius uxor ex ardentissima febri animam agebat : recurrenti enim ad se Beatus post brevem orationem indicavit, bene esse mulieri : ille domum reversus, sanam comperit conjugem. Porro sicut hic, sic ad singula jam memorata addunt auctores nostri, vere contigisse, quidquid Beatus prædixerat, et hinc transeunt ad alia miracula, quæ pro majori saltem parte ex ipsis in compendium similiter redacta Latine exhibeo.* F

variis revelat ; ægris sanitatem E

impetrat ; absentibus succurrit ;

25 *Honorabilis matrona, in consortio comitissæ de Urgel iter faciens, ob vehementem febrem Gerundæ subsistere coacta fuerat. Interim certior facta de fama sanctitatis* B. Dalmatii, *tantum effecit, ut cum illo Prior conventus eam inviseret. Confitentem audiit Beatus, et mox pro ipsa Dominum deprecatus, febre destitutam ac sanam reliquit. Ibant Bernardus Seyol et Joannes de Cardona, ejusdem Ordinis Religiosi, Valentia Dertosam, et ab hac Cataloniæ civitate aberant secundo dumtaxat milliari ; quando tum vehemens pluvia, tum noctis ingruentis tenebræ ipsis recti tramitis notitiam præcluserunt. Aberrantes itaque et, quid tandem agerent, ignari,* Dalmatium *invocarunt, atque adstantem sibi conspexerunt juvenem (aspectu, ut addit Marchesius pulcherrimum et facem manu gestantem,) qui eos per semitam inusitatam ac brevem ad civitatem deduxit : invitarunt ipsum ad cœnam, at nullo se cibo indigere respondens, evanuit. Rem postea ambo cum gratiarum actione clam narraverunt* B. Dalmatio ; *ipse vero eos corripuit, monuitque, ne deinceps similia ad se deferrent. Beato*

AUCTORE J. P.

A *to similiter absenti adscripsit F. Franciscus Losa suam ac socii liberationem a piratarum captivitate. Ex Majorica insula mari Mediterraneo se commiserat in lembo; at cum decimo etiamnum milliario abessent ab Yvica seu Ebuso, altero ejusdem maris insula, versus quam navigabant, celerrime insequentem conspexerunt navim: mox invocatum est* B. Dalmatii *auxilium; ventus vero tam prosper lembum impulit, ut attingere eum non valuerint piratæ, antequam Religiosi in terram exiliissent et evasissent discrimen.*

Bruta ipsi obediunt, et sol obsecundat;

26 *Bruta etiam animalia persensisse dicuntur* B. Dalmatii *virtutem; canes præsertim duo, quorum unus furibundus, irruens in socium Beati, ad leve hujus signum abscesserit, alter mirabili modo impeditus sit; quominus eum ad aras facientem ulterius perturbaret, ac taurus, cui emorienti post brevem orationem ita idem Beatus vires restituerit, ut statim surgeret, comederet ac solitis laboribus aptus esset. Ad hæc sol ipse visus est ejus votis inservire. Contigit, ut Beato custodem sacrarii agente et juxta munus suum confecturo cereas* B *candelas, cælum densa nube obtegeretur. Ceram nihilominus in claustri meditullio exposuit, ibidemque præstolatus est, donec ipsi emolliendæ sol radios subministraret. Elapso temporis aliquanto spatio, Religiosi aliquot, nullum splendoris indicium detegentes, ridere Viri patientiam cœperant, dum subito spissam nubem perrupit radius ingens et ardens valdeque lucidus ac splendens et in solas* Dalmatii *orantis manus se emisit atque ita persistens, donec ipse opus compleverat, in nube se denuo abscondit.*

peccatorum dæmonis mancipatui eripuisse fertur

27 *Miraculis huc usque breviter Latine expositis, et per Diagum aliosque latius Hispanice narratis ex codice verisimiliter etiam Latino Nicolai Eymerici, auctoris coævi, duo subnectit idem Diagus ex Ms. Tractatu de Viris illustribus Ordinis S. Dominici in provincia Aragoniæ, auctore Baltazare Sorio, quem seculis* 15 *et* 16 *floruisse legimus. Utrumque paucis accipe. Dicente ad concionem* B. Dalmatio, *homo, qui se animamque dæmoni mancipaverat, corde compunctus est et post absolutum sermonem supplex se Beato stitit, peccata confessurus. Hoc adeo ægre habuit dæmonem, ut ad genua ejus provolutum pedibus arripuerit et licet renitente Beato, qui brachiis eum toto conatu retrahebat, ac stupente populo, protraxerit usque ad ecclesiæ valvas: ubi tandem prævaluit Beatus, et ad confessionis tribunal reversus,* C *opus pie inceptum prosecutus est. Rediit interim inimicus et eodem modo hominem trahens, perduxit ad medium usque templum : hic autem retrahenti, ut ante,* Dalmatio *cedere compulsus fuit. Rediit tertio, at felicem pœnitentem loco movere non valuit, furibundusque discedens plura in Confessarium evomuit maledicta, quæ populo audita sunt, quamvis ipse non visus.*

modo plane mirabili; prodigium aliud.

28 *Grande sane prodigium, quod utinam antiquioris scriptoris testimonio confirmare possemus, quam Baltazaris Sorii! Hic quidem centenario major attamen obiisse dicitur anno* 1557, *id est, ducentesimo decimo sexto post Beati obitum. Certe, spectatis adjunctis, per universam civitatem Gerundensem, ubi teste Marchesio, contigit, non potuit non esse notissimum, nec proinde latere potuit Nicolaum Eymericum, qui ibidem natus est, in eodem conventu habitum induit, cum Beato habitavit, ac diu superstes vixit. At, his stantibus, quid causæ esse dicam, cur is, res multo leviores, quas ex ipso tradunt Diagus aliique, et ego hinc inde prætermisi, annotare solitus, tam insigne prodigium silentio presserit? Pressisse autem silentio vel saltem alio modo ac verisimillime minus miraculoso retulisse, credere jubent mox laudati auctores, dum, eo relicto, recurrunt ad relationem et auctoritatem Sorii, quæ hic cum auctoritate Eymerici nequaquam comparari potest. His observatis pergo ad aliud, quod solius quoque Sorii auctoritate nixum invenio : sic habet quoad substantiam. Æstivo tempore longum iter pedes ingressus* B. Dalmatius *advertit, siti consumi socium; hinc commiseratione tactus, precibus se dedit, et confestim adstitit juvenis formosissimus, qui cum sitienti aquam ex vasculo hauriendam porrexisset, abscessit seu evanuit, ut habent Lopezius et Marchesius.*

§ IV. Beati obitus et hunc secuta miracula; cultus primordia.

Beati supremus morbus et de salute sua securitas;

V*itam tam sancte transactam excepit mors non uno etiam prodigio memorabilis. Eam maturavit alvi profluvium, quod per sesquimensem perseverans corpori, ex jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus multum extenuato, surripuit, quod reliquum erat virium. Ea autem debilitas, ut tra-* E *dunt auctores nostri, non impedivit, quominus et oculos constanter in Christi crucifixi imaginem fixos haberet et manus elevatas in cælum. Iidem ut rem prodigiosam referunt, quod sequitur : Accesserat ad ita decumbentis speluncam, neque enim hanc ad obitum usque deseruit, parochus loci, uno milliari Gerunda distantis, dictus domnus Jacobus, ipsi familiarissimus : is autem valde remotus ab ejus lecto colloquens cum fratre Petro de Undare voce adeo submissa, ut vix invicem intelligerent, rogavit, an Beatus pœnitentiæ Sacramento animam expiasset. At mox* Dalmatius *vocem attollens, tertio repetivit, plenam sibi concessam esse noxarum absolutionem. Simile responsum dedit eidem parocho, alia die ipsum exhortanti, ut diligenter animam scrutaretur ac Deo commendaret. Sed tertio redeuntem sic affatus est* : Ut post excessum meum, numquam de me solicitus sis, scito, scito, domine Jacobe, certum me esse, quod delicta mea mihi omnia misericorditer demissa sint.

pius obitus, quem absenti amico apparens

30 *Haud ita dudum post juxta auctores nostros, imo illo ipso die, si recte intelligo relationem apparitionis eidem parocho factæ, quo tempore ad cælum migravit, Beatus piissime munitus postremis morientium Sacramentis, in corona præstan-* F *tissimorum provinciæ patrum, qui Gerundam ad comitia tunc convenerant, in specu sua feliciter animam Creatori reddidit sub noctem diei* XXIV *Septembris anno* 1341, *ætatis suæ* 50, *Religionis* 27, *ut ex ante dictis eruitur. Addunt, tunc piæ mulieri, nomine Blancæ, habitanti in vicinia et in oratione constitutæ, supra speluncam visum fuisse grande lumen, e cælo descendens, abscedensque, simulac ipse spiritum exhalasset. Sed et in transitu valedixit statim memorato amico parocho, quæque ante obitum asseruerat, confirmavit. Rem hoc ordine exponunt. Cum prædictus parochus tribus vel quatuor horis domum rediisset, procul dubio e monasterio, ubi Beatum postremo inviserat, jamque se lecto commisisset, vigilans tamen etiam tunc,* Dalmatium, *splendore perfusum, sibi ex improviso adstantem habuit, clarasque ac distincta voce dicentem :* Vale, vale, domine Jacobe, in cælum proficiscor. *Dein per aëra sursum ascendentem conspiciens, tantum clamorem edidit, ut accurrerent domestici, quibus, quid rei esset, sciscitantibus visionem declaravit.*

nuntiat; mira corporis pulchritudo;

31 *Die sequenti primo mane Gerundam properavit*

AUCTORE J. P.

peravit ad monasterium, cujus ecclesiam cum primum ingrederetur, sacrum amici sui corpus in medio choro expositum offendit: quæsivit, qua hora obiisset, et ex responso didicit, eadem ipsa a se visum fuisse in cubiculo suo. Ceterum nec ipsum corpus prodigio caruit: illud quippe, si recte describunt auctores, ubi austeram ejus vivendi normam pertractant, a natura sua minime venustum, accedentibus jejuniis, vigiliis, ciliciis, flagellationibus et asperitatibus reliquis, adeo strigosum, atrum ac deforme evaserat, ut intuentibus terrorem incuteret; post obitum vero aliam prorsus speciem induit, vultum adeo jucundum, clarum et candidum, ut similitudinem aliquam præferret futuræ post resurrectionem gloriæ. Dubium sane esse nequit, quin et gratissimum istud spectaculum et fama sanctitatis ac miraculorum, qua vivens erat apud Gerundenses, exciverit pellexeritque ad ecclesiam omnis ordinis ac ætatis hominum ingentem multitudinem. Inter eos, qui exsequiis, ex omni parte honorificentissimis, ut testantur scriptores, interfuerunt, recensentur Arnaldus de Monte-jucundo, episcopus Gerun- B densis, capitulum, clerus, plures Religiosi ex Ordine S. Francisci, ei præcipui patres Ordinis S. Dominici, qui eo, ut supra dictum est, ex tota provincia convenerant ad comitia. De defuncti laudibus dixit ad congregatam multitudinem P. Bernardus Sescala et ex testimonio ejus, qui tum in supremo morbo Beatum totius ante actæ vitæ noxas, tum sæpe alias confitentem audierat, asseruit, Dalmatium *tota vita immunem fuisse ab omni animæ corporisve corruptela, nec umquam ulli consensisse gravi delicto: verba ipsa Eymerici data sunt num.* 9.

variis

32 *Felicem obitum subsecuta sunt plura ad ejus invocationem beneficia et miracula, quæ, ut præcedentia, juxta fidem eorumdem auctorum paucis declaro. Primo loco narrant concessam subito sanitatem mulieri primariæ, quam Diagus et Domeneccus marchionissam* de sancta Pau *Hispanice appellant, et alii* de sancta Pace *interpretantur. Laboraverat illa alvi profluvio ac febri per dies quindecim, quando ex PP. Gaspare Seyol et Guillielmo del Conde, Ordinis S. Dominici Religiosis, intellexit* B. Dalmatii *obitum et post eum patrata miracula. His animata afferri sibi jussit* C *coronam Marianam, vulgo Rosarium, quod ad Beatum olim pertinuerat, illudque cum aliis adstantibus mulieribus pie recitans ac sæpe deosculans, votum emisit fore, ut, si gravi isthac infirmitate liberaretur, suis sumptibus confici curaret honorificum sepulcrum, in quod sacrum Beati corpus transferretur. Voto successit beneficium; illico persanatam se comperit, et, quod promiserat, munifice persolvit, ut infra videbimus.*

mox ab obitu

33 *Fama jam narrati beneficii delata ad Raymundum de Agario, qui ex eodem morbo tam debilis decumbebat, ut movere se non valeret, occasio fuit, ut et ipse Beati opem experiretur. Vovit itaque tum ceream candelam, corporis sui pondus exæquantem, tum quidquid requiritur ad tradendum aliquem sepulturæ, et extemplo sanus, fortis et alacer e lecto surrexit. Beneficum quoque sibi habuit Beatum nostrum monialis ex Ordine S. Francisci, quæ, ut ejus obitum intellexit, se ipsi devotissime commendavit, nec deinceps ullum febris quartanæ, qua multis mensibus vexata fuerat, accessum passa est. Eo ipso morbo vir religiosus, quem Bonanatum Serrado nuncupat Diagus, se liberum sensit, simulac* B. Dalmatio *voverat cereum bilibrem.*

claret miraculis

34 *Anno* 1348 *uxorem Michaëlis Martin, Gerundensis mercatoris, eo deduxerat pestilentia, quæ tum per civitatem late grassabatur, ut parata* D *jam tum essent omnia ad eam sepeliendam necessaria. Dolebat præ ceteris maritus, quod nec per testamentum rebus temporalibus prospexisset, nec per susceptionem Sacramentorum consuluisset animæ saluti. Eapropter accessit ad moribundam et loquela quidem, non tamen omni sensu destitutam, monuit, ut semel commendaret* B. Dalmatio, *quo dudum usus fuerat familiariter. Morem gessit illa, ipse vero votum adjecit offerendi ad Beati sepulcrum quidquid uxori sepeliendæ fuerat præparatum. Mox loquelam recuperavit, sacra confessione noxas expiavit, testamentum confecit, et omni prorsus febri libera, gratias egit innumeras Beato, quod et mortem et animæ periculum evasisset. Miraculum istud narrat quoque Gallice Lafonus, cum eo tamen discrimine, ut, quæ ab Hispanis nostris traduntur de uxore, ipse marito adscribat et contra. Petrus de Undare religiosus, idem haud dubie, quem memoravimus initio hujus §, tam male affectos habebat oculos, ut vereretur, ne visum prorsus amitteret: orantem ad Beati tumulum ac voto aliquo se obstringentem omne malum deseruit. Uxor Bernardi Corder, Gerun-* E *densis incolæ, professa est, se post obitum* B. Dalmatii, *quocum parentes sui amicitia conjuncti fuerant, nihil umquam ab eo petivisse, quin voti compos facta sit. Quatuor speciatim memorant ipsi post nuncupatum Beato votum concessa in parvulo filio beneficia; primum dum is, omnium opinione mortuus, subito revocatus est ad vitam: secundum ac tertium dum ex febri, et alias ex angina, morti proximus, illico plenam sanitatem recepit; quartum denique dum e loco sublimi in subjectam petram a colludentibus pueris protrusus, pedem unum tam male affectum habuit, ut crederent omnes, fore deinceps mutilum: at, ipsa invocante, ut solebat,* B. Dalmatium, *statim puer omni periculo immunis fuit, et, quod expresse additur, sicut ante cursitare cœpit.*

35 *Visus est autem ab initio peculiariter auxilium suum exhibere* B. Dalmatius *afflictis dolore dentium. Ea de causa dens ejus unus, argenteæ thecæ inclusus servatusque est in sacristia monasterii, ad cujus contactum illi recurrerent. Quatuor recensent auctores nostri, qui miserandum in modum vexati ad dictum contactum mox omni* F *prorsus dolore vacui exstiterint; civem Gerundensem, nomine Simonem; mulierem Bannoliensem; aliam piam matronam, et alteram, nomine Catharinam, uxorem Ferrerii de Lagosteria, ad quam posteriorem F. Guillelmus Arnaldo et F. Bernardus de Aquanoctibus rogati dentem* B. Dalmatii *detulerant. Hinc, teste cum aliis Diago, orta est, usque ad hæc tempora perdurans, consuetudo, ut matres parvulos suos pro facili dentitione ducant ad monasterium, et Beati dentem gencivis ac toti ori applicari curent. Hic finis imponitur enumerationi beneficiorum ac miraculorum, quibus paulo post obitum inclaruit* B. Dalmatius. *Paulo, inquam, post obitum, id enim abunde liquet non tantum ex testimonio Diagi, indicantis contineri omnia in Ms. codice Nicolai Eymerici, auctoris coævi, verum etiam ex ipsis rerum gestarum adjunctis: pars quippe facta dicitur, ut primum mors inaudita est, pars iis facta vel saltem coram iis, qui viventem noverant: Michaël Martin Beato familiariter usus fuerat; parentes uxoris Bernardi Corder cum eodem amicitia juncti fuerant; Petrus de Undare ipsi in supremo morbo adfuit; Guillelmus Arnaldo ejus adhuc viventis in eodem monasterio Prior fuit; Bernardus de Aquanoctibus socius ac testis adstitit, dum*

peculiariter succurrit dentium dolore afflictis.

A *dum extra Gerundensem civitatem in aëra elevatus est.*

Cultus et prima corporis translatio.

36 *A relatione miraculorum procedit Diagus ad primam corporis translationem, et initium cultus publici. Horum quidem determinatam epocham non assignat, sed nec multo posteriora esse Beati obitu, tum ipse suadet, dum ea non discernit ab iis, quæ contineri ait in codice Eymerici, tum confirmat allatis testimoniis Lopezius paulo post citandus. Rem ita concipio ex Diagi narratione: Cum adeo evidentia essent indicia sanctitatis* B. Dalmatii, *corpus ejus translatum est ex loco primæ sepulturæ ad ingressum chori inferioris, ibidemque ad partem dexteram repositum in tumulo marmoreo: supra tumulum erectum est altare, illudque ornatum picturis, Beati gesta et miracula repræsentantibus; harum præcipua, in medio nempe altari posita, exhibet Beatum ore fuscum et difformem, aliæ candidum ac formosum, et inde auctor concludit, in illa una depictum esse ad vivum; nec male, ut facile assequimur ex iis, quæ superius retulimus de forma ejus, dum viveret, et de mutata eadem in defuncti corpore.*

B *epitaphium;*

37 *In fronte tumuli versiculos sequentes expressos fuisse asserit:*

Exemplar humilitatis, et a labe nitidus
Normam dedit sanctitatis prædicator solidus,
Monerii nominatus, frater hic Dalmatius,
Nunc cum Deo exaltatus nobis fit propitius.
Miraculis decoratus, charitate fervidus,
Abstinentiis laudatus, ac puritate lucidus,
Chalendis Octobris natus in cælis, hic tumulatus.
Annis trecentis et mille quadraginta uno ille
Obiit tunc præteritis, nunc præmiatus meritis.

Obiisse B. Dalmatium *die* XXIV *Septembris seu octavo Kalendas Octobris, una omnium sententia est: hinc verisimillima fit observatio Diagi et aliorum, dicentium, in epitaphio jam recitato, juxta quod alioqui obitus ille incidisset in ipsas Kalendas, id est, primam diem mensis Octobris, omissam fuisse vocem* octavo, *idque propter versum, seu potius ad servandos qualescumque versiculorum modos.*

antiphona et oratio antiquæ.

38 *Epitaphio subditur apud Diagum et Domeneccum Antiphona cum Oratione, antiquitus ad invocandam apud Deum Beati intercessionem recitari solita, ut sequitur.*

Ant. Hujus Patris suffragium imploremus suppliciter,
C
Ut apud Dei Filium pro nobis oret jugiter,
Quod post hanc vitam gaudium acquiramus feliciter.
Vers. Ora pro nobis beate Dalmaci:
Resp. Ut digni etc.

Oratio. Deus, qui humilem famulum tuum Dalmacium multis signis et virtutibus decorasti, et mirabiliter in tuo amore, spretis temporalibus, inflammasti, tribue nobis, quæsumus, sic nos ejus meritis et precibus adjuvari, quatenus mereamur semper ab omnibus adversitatibus liberari. Per Christum etc.

Hic sistunt proxime laudati auctores duo, non observantes, utrum Beatus sua ætate ecclesiastico Officio coleretur, necne; quod tamen facillime poterant novisse, cum ambo ejusdem provinciæ Religiosi fuerint et Domeneccus in ipso quidem Gerundensi monasterio defunctus sit. Lopezius, qui eadem cum ipsis ætate floruit, id, nisi male mentem ejus assequar, affirmat pro dicto Gerundensi monasterio, ut sequenti § videbimus.

§ V. Cultus immemorabilis Romæ approbatus; designatum Officium cum lectionibus et oratione propriis; concessæ indulgentiæ.

Cultus continuatio probata

N*ihil peculiare ad* B. Dalmatii *cultum pertinens litteris proditum reperio ante annum* 1603, *quo a Gerundensibus laborari cœptum est ad promovendam ejus auctoritate Apostolica beatificationem, prout docet part.* 4 *cap.* 54 *Historiæ generalis Ordinis S. Dominici Joannes Lopezius, qui id temporis florebat. Primum dicit, perseverasse ad sua usque tempora opinionem sanctitatis ac miraculorum* B. Dalmatii, *deindeque prosequitur his verbis ex Hispanico Latine redditis:* Quamvis autem pro certo habeatur, quod cum facultate Sedis Apostolicæ in dicto conventu *(Gerundensi)* de beato Patre legeretur; cum tamen de eo E non exstet testimonium, quod fidem faciat, desideravit tum civitas tum conventus, ut Sanctitas sua Bullas concederet, quarum virtute de eo legi posset in Gerundensi episcopatu. *Hunc in finem, ut pergit narrare idem auctor, die tertia Martii anno* 1603 *instituta est informatio de vita, morte ac miraculis, per quam comprobata sunt ea, quæ de cultus primordiis nobis suppeditavit Diagus § præcedente, et quæ hic generatim de ejusdem sanctitatis opinione continuata ad suam usque ætatem asseruit Lopezius.*

ex processu anni 1603;

40 *Nam, eodem teste Lopezio, ex dicta informatione seu processu constitit primo,* Dalmatium *ab ipso obitu usque ad hæc tempora habitum fuisse Sanctum, eoque nomine venisse apud omnes: constitit secundo jam tum ab annis plusquam ducentis et quinquaginta ipsum habuisse altare et in hujus medio depictam effigiem, aureis radiis coronatam, lilium candidum, virginitatis symbolum, manu gestantem cum adstante colloquentis instar angelo et orantis in formam ad pedes genuflexo Religioso; præter hanc vero alias circum pendentes picturas, in quibus eodem modo, quo exprimi solent Sanctorum ac Beatorum gesta et miracula, ejus quoque expressa conspiciantur: tertio constitit, corpus ejus ex loco primæ sepul- F turæ translatum fuisse in pretiosum ex marmore tumulum, cui insculpti erant versiculi de Vita ipsius, morte ac miraculis, quemque confici curaverat Marchionissa de Sancta Pace (vide supra num. 32) atque in eodem remansisse et ardente lampade honoratum fuisse usque ad postremam translationem: constitit denique quarto ex depositione testium, ab immemorabili tempore per pios monachos ipsi, sicut aliis Sanctis, fuisse laudes decantatas cum Oratione peculiari.*

indulgentiæ concessæ a Paulo V PP.:

41 *Processus, hæc et alia continens, una cum litteris Francisci, Arevalo de Zuaço episcopi Gerundensis, nec non ejusdem civitatis moderatorum quibus instantissime flagitabant beatificationem, missus est ad Paulum V Pontificem Romanum anno millesimo sexcentesimo decimo, ut signat Lopezius sed dubito, an recte; ratio prima est, quia toto isto capite, præterquam hoc uno loco, ordinatam annorum seriem servat, secunda eaque præcipua, quia mox subdit gratiam visitantibus sacellum Beati concessam ab eodem Pontifice* die trigesima prima Augusti anno millesimo sexcentesimo septimo, *tertia*

AUCTORE J. P.

tertio scilicet, antequam missus fuisset processus, quod minus verisimile mihi fit; putem itaque, primo loco seu calami seu typi vitio vocem Hispanicam diez *irrepsisse pro* seys, *missumque fuisse processum anno millesimo sexcentesimo* sexto *non* decimo. *Porro gratiam mox memoratam vocat Lopezius* jubileum *pro omnibus, qui rite confessi et sanctissima Eucharistia refecti visitarent sacellum* B. Dalmatii *die* XXIV *Septembris, festivitati ejus consecrata. Ejusdem gratiæ meminerunt Marchesius et Lafonus; at ipsi* indulgentias plenarias *appellant, lucrandas a primis Vesperis dictæ diei usque ad occasum solis.*

reliquiæ et cultus

42 *Anno proxime sequenti publica ac solemni veneratione affici cœpit apud populares suos, S. Columbæ incolas, qui partem reliquiarum ejus tum consecuti sunt, prout ex prolixiore Lopezii narratione breviter expono. Die* XXIV *Septembris anni* 1608 *clerus universus et populus dicti loci, viri, mulieres, pueri ac senes composito supplicantium ritu agmine, pedites processerunt ad Gerundensem civitatem, ibidemque ad valvas ecclesiæ Ordinis S. Dominici ab episcopo excepti et introducti sunt. Aperto* B. Dalmatii *tumulo, Prior cum assistentibus suis os brachii inde desumpsit* B *et episcopi manibus commisit, qui illud cum ceteris pie veneratus, litteris suis communivit, ac dicti loci S. Columbæ parochis et magistratui contradidit, addita facultate ædificandi Beato sacellum cum altari, instituendi in hujus honorem sodalitium, et celebrandi quotannis diem* XXIV *Septembris instar festorum aliorum de præcepto. Addit autem idem auctor, quod, dum sacræ reliquiæ e tumulo extractæ sunt, perceptus sit odor suavissimus, quem circumstantes cælestem esse judicarunt.*

in Beati patria:

43 *Istud quoque prodigium immiscet idem relationi suæ: cum supplex Sancolumbensium agmen, ut memoravimus, tenderet ad ecclesiam Ordinis S. Dominici, assistebat Religiosus ex Ordine S. Francisci mulieri morienti et a medicis desperatæ: qui, occasione pertranseuntis piæ multitudinis monuit moribundam, ut sese interiore saltem sensu commendaret* B. Dalmatio; *morem gessit, et illico quamquam debilem adhuc, sanam tamen se comperit, et sine mora cibum petens, asseruit, se sanatam esse* a B. Dalmatio; *Religiosus vero et medicus mulieris ordinarius, sanationem fuisse miraculosam testimonio suo declararunt. Porro læti thesauro suo Sancolumbenses, eoque, quo venerant,* C *ordine ac modo domum remigrantes, sacellum cum altari Beato erexerunt, sacrum os brachio argenteo, magni pretii lapillis decorato, imposuerunt et secundum facultatem sibi factam ab episcopo annuam ejus festivitatem coluerunt. Accessit ad pietatis incrementum favor ejusdem Pauli V summi Pontificis, qui etiam ipsis anno* 1609 *die* XXIX *Junii transmisit indulgentias plenarias, lucrandas ab omnibus, qui rite confessi et sacro Epulo refecti dictum sacellum visitarent, verisimiliter, quod non addit auctor, sæpe dicta die* XXIV *mensis Septembris.*

altera corporis translatio anno 1615

44 *Illustre denuo suæ erga Beatum venerationis specimen dederunt Gerundenses anno* 1613, *quando et novum altare ipsi exstructum est et magnificum corporis transferendo confectum e marmore sepulcrum. Altare ipsius honori consecravit die* V *Septembris Onuphrius Reart, tunc Gerundensium antistes et diem* XXII *ejusdem mensis præsignavit reliquiarum translationi. Hanc die præcedenti sub vesperam annuntiaverunt festivæ illuminationes aliaque per civitatem universam communis lætitiæ signa. Ipso die ad ecclesiam convenerunt præter ingentem populi multitudinem episcopus cum canonicorum collegio, magistratus ac primariæ conditionis personæ. Missa pontificali ritu celebrata,* D *est inter plurium instrumentorum ac vocum musicos concentus: Vesperæ item post meridiem solemniter decantatæ. His finitis, episcopus, pontificio ornatu indutus, cum canonicis ac Religiosis ordine processit ad Beati tumulum, indeque deprompta sacra ossa demisse veneratus est ipse et aliis veneranda exhibuit; tum decentiori capsæ imposuit, solemni pompa per civitatem circumferenda.*

facta solemniter a Gerundensibus,

45 *Ad festivitatem advenerant omnia civitatis pia sodalitia, eaque longo agmine ac multo lumine instructa comitabantur tum aliorum Sanctorum sacra feretra, tum* B. Dalmatii *lipsanothecam, quam, præeunte acolyto cum thuribulo, humeris gestabant Religiosi, et sacra umbella tegebant prætor ac moderatores civitatis; agmen claudebat episcopus cum suis. Sic, decantante varios hymnos musicorum choro, per præcipuas plateas delatæ sunt sacræ reliquiæ, tandemque ad novum sacellum reductæ, post dictam Orationem de Beato propriam, ab episcopo reconditæ sunt tumulo marmoreo, etiam recenter, ut supra vidimus, et magnifice confecto. Solemni translationi, cujus ordinem ac modum a notario episcopi litteris consignatam fuisse, indicat Lopezius, post diem unum inter-* E *medium successit Beati festivitas, quæ magna cum populi affluentia eo anno celebrata est, atque ita celebrari pergit die* XXIV *Septembris,* acsi foret de præcepto. *Hæc laudatus auctor, qui biennio post, anno scilicet* 1615, *partem illam Historiæ, unde ea desumpsimus typis edidit Vallisoleti, ubi, post abdicatum in regno Neapolitano episcopatum Monopolitanum anno* 1608, *reliquum vitæ apud suos Dominicanos transegit.*

et horum in celebrando ejus festo pietas;

46 *Eadem, quæ hic Lopezius, narrant quoque Marchesius et Lafonus; sed multo contractius, et Lafonus quidem uno loco non videtur mentem ejus recte assecutus, ubi scribens, Gerundæ haberi plenarias indulgentias festo die* B. Dalmatii, *hæc adjicit Gallice* : Qui valde solemnis est, ac de præcepto. *Id enim nec dicit Lopezius, nec alius, quem vidi; sed tantum, festum illum diem celebrari,* acsi foret de præcepto, *id est, ea ipsa a populo ex pietate observari isto die, quæ ex præcepto Ecclesiæ observanda sunt aliis quibusdam per annum festivitatibus. Isto sensu accipienda esse verba Lopezii dubitare nos non sinit hodiernus Pontifex Romanus Benedictus XIV in præclaro Opere de Servorum Dei beatificatione et* F *Beatorum canonizatione lib.* 2 *cap.* 13 *num.* 3 *in hunc modum scribens* : In causa B. Dalmatii Monerii, quando de ejus cultu immemorabili disputabatur, tamquam publicus cultus habitus est senatus Gerundensis actus mox enuntiandus. Cum in memoriam liberationis civitatis ab obsidione Gallorum idem senatus vovere annuam celebrationem festi B. Dalmatii decrevisset, et ob id episcopi auctoritatem implorasset (sine enim ecclesiastica auctoritate ex alibi dicendis festum de præcepto nequit institui) episcopus autem assentiri renuisset, ne nimia festorum multiplicatio populo esset onerosa; edictum ille promulgavit, quo cives exoravit, ut diem anniversariam Beati instar festorum de præcepto celebrarent.

indulgentiæ renovatæ ab Urbano VIII PP.

47 *Hæc haud obscure innuunt, Gerundenses suam a memorata obsidione liberationem adscripsisse meritis* B. Dalmatii, *sed quo tempore aut modo ea contigerit, deprehendere non valui, uti nec qua occasione indulgentias plenarias, a Paulo V. Pontifice ante concessas pro ecclesia patrum Prædicatorum Gerundensium, renovaverit Urbanus VIII prout discimus ex Marchesio, qui ex Urbani litteris voces aliquot Latine describit, ut ostendat in iis*

Sancti

A Sancti *titulum tribui* Dalmatio. *Sunt autem hæc* : Die festo ejusdem S. Dalmatii a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis etc. *Ea porro est nobis penuria documentorum, ea in libris editis scriptorum etiam recentiorum parcitas, ut non tantum jam allegata de festi diei observatione et concessis indulgentiis, quarum in Bullario etiam patrum Dominicanorum nulla occurrit mentio, ulterius declarare licitum non sit, sed nec aliquid in medium proferre usque ad initium currentis seculi* 18, *quo tandem Gerundæ resumpta Beati causa, et Romæ ad æquipollentem beatificationem est perducta.*

Resumpta ejus causa ad Beatificationem anno 1714;

48 *Auctor hic nobis est idem beatissimus dominus noster Benedictus XIV, qui id temporis fungebatur munere Promotoris fidei. Lib.* 2 *laudati Operis cap.* 24 *num.* 153 *tradit sequentia* : Decessit hic Beatus *(Dalmatius)* anno MCCCXLI Constructo deinde auctoritate ordinaria processu circiter annum MDCCXIV super ejus cultu immemorabili, sententia lata est a judicibus, ab episcopo Gerundensi delegatis, quæ tandem approbata fuit annuente san. B mem. Innocentio XIII, a sacrorum rituum Congregatione. *Non fuisse hic habitam rationem alterius processus, ineunte seculo præcedente ordinaria quoque actoritate confecti Gerundæ, et juxta Lopezium directi ad Paulum V Pontificem, colligo ex eodem Benedicto Pontifice cap.* 37 *num* 2 *libri præcitati in hunc modum scribente* : Dum munere fungebar fidei Promotoris, petentibus postulatoribus causæ Gerunden. B. Dalmatii Monerii Ordinis Prædicatorum dispensationem a decennio, quod adhuc elapsum non erat a die exhibitionis processus ordinarii, sacra Congregatio, me monente, quod prædicta causa procedebat per viam casus excepti, respondit die XV Februarii, NON INDIGERE. *At dubium non est, quin prior ille processus, siquidem ejus autographum aut exemplar tunc servabatur, multum facilitatis alteri conficiendo, imo et auctoritatis attulerit.*

approbatus Romæ cultus immemorabilis 1721;

49 *Sententiam autem una cum approbatione Innocentii XIII primo loco memoratam præmittit cap.* 24 *num.* 152 *hisce verbis conceptam* : Admissa a sacrorum rituum Congregatione, habita die XV mensis Julii MDCCXIX, annuente etiam san. mem. Clemente Papa XI, ac successive per eumdem Sanctissimum signata commissione introductionis causæ C beatificationis et canonizationis Dalmatii Monerii prædicti, Beati nuncupati, et modo juxta tenorem præfatæ commissionis ad instantiam patris magistri Thomæ Ripoll, sacerdotis professi Ordinis S. Dominici, provincialis Terræ sanctæ, hujuscemodique causæ postulatoris ab eminentiss. et reverendiss. domino Cardinali Scotto Ponente in sacra rituum Congregatione proposito ac discusso infrascripto dubio : An sententia lata per judices delegatos a reverendiss. episcopo Gerunden. super cultu immemorabili et casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII sit confirmanda in casu etc. sacra eadem rituum Congregatio, R. P. D. Prospero de Lambertinis fidei Promotore tam in scriptis quam in voce prius audito, rescribendum censuit, affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die IX Augusti MDCCXXI.

Factaque deinde per me secretarium de prædictis sanctissimo domino nostro Innocentio Papæ XIII relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XIII ejusdem mensis et anni MDCCXXI.

concessum Officium 1726

50 *Sententiam istam, quæ sic approbata æquipollentem beatificationem continet, subsecuta est anno* 1726 *concessio Officii et Missæ sub ritu duplici de communi confessorum non pontificum locis ac personis designatis in decreto, quod juxta autographum et exemplaria typis reverendæ cameræ Apostolicæ Romæ impressa insertum est tom* 6 *Bullarii Ordinis Prædicatorum pag.* 597, *quodque inde huc tranfero* : Cum sub die IX Augusti MDCCXI, annuente postmodum die XIII ejusdem mensis et anni sanctæ memoriæ Innocentio PP. XIII, sac. rituum Congregatio sententiam, per judices ab episcopo Gerunden. delegatos latam super cultu immemorabili, B. Dalmatio Monerio exhibito, confirmandam esse censuerit : cumque modo ex parte reverendissimi P. Thomæ Ripoll, Ordinis Prædicatorum magistri generalis, pro concessione illius Officii et Missæ sub ritu duplici de Communi confessorum non pont., sac. rituum Congregationi enixe supplicatum fuerit, sac. eadem Congregatio, accedentibus etiam humillimis instantiis, ab episcopo Gerunden. sanctissimo domino nostro Benedicto PP XIII directis, et a Sanctitate sua ad eandem remissis, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis Scotti, reverendissimo Prospero de Lambertinis, archiepiscopo Theodosiæ, fidei Promotore, in scriptis et in voce prius audito, petitum Officium B. Dalmatii Monerii sub ritu duplici tam in universo Prædicatorum Ordine utriusque sexus, quam etiam E ab omnibus ecclesiasticis secularibus ac regularibus utriusque sexus præfatæ civitatis, ac totius respective diœcesis, ubi idem Beatus ortum habuit, ejusque corpus in ecclesia dictorum PP. summa populi devotione veneratur, die XXIV Septembris, anniversaria ejus obdormitionis in Domino, in posterum recitandum, et Missam celebrandam concedi posse censuit, si sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die XXV. Maii MDCCXXVI. Factaque deinde per me secretarium de prædictis sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die XIX Junii ejusdem anni MDCCXXVI.

C. Cardinalis de Marinis præfectus.

Loco † sigilli

N. M. Tedeschi Archiep. Apamenus sac. rit. congreg. secr.

cum oratione et lectionibus

51 *Eodem ipso anno designatæ sunt pro Officio Beati Oratio partim consona, partim diversa ab ea, quam antiquitus recitari solitam dedi supra num.* 38, *et lectiones secundi Nocturni propriæ, præcipua ejusdem gesta complexa, quas una cum subnexo summi Pontificis decreto huc transfero* F *ex laudati Bullarii tom.* 6 *pag.* 599.

Oratio. Deus, qui humilem famulum tuum Dalmatium, multis signis atque virtutibus decorasti, ac mirabiliter in tuo amore, spretis temporalibus, inflammasti ; tribue nobis, quæsumus, ut ejus intercessione a terrenis affectibus expediti, et a cunctis adversitatibus liberati, sola cælestia appetamus. Per Dominum etc.

Lectio IV. Dalmatius Monerius, natione Hispanus, in Cataloniæ principatu, villa S. Columbæ de Farnesiis, diœcesis Gerundensis, honestis piisque parentibus ortus, ab ineunte ætate morum candore ac innocentia futuræ sanctitatis indicia præbuit. Adolescens liberalibus disciplinis Gerundæ instructus ad altiorem doctrinæ ac virtutis palmam aspirans, Montem Pesulanum adiit : ubi mentem literis bonisque moribus excolens, et cuncta malorum incitamenta sedulo devitans, illibatum a quolibet inquinamento corpus et animum studiose custodivit. Cumque in scientiis et virtutibus plurimum profecisset, in patriam reversus est. Hinc a Deo vocatus, mundo, cui corde nunquam adhæserat, nuncium remittens, Gerundæ habitum

auctore J. P.

AUCTORE J. P.

habitum Ordinis Prædicatorum suscepit. In ipso Religionis exordio mores suos ad legum præscripta exactissime composuit, eamdemque vivendi rationem, quam sibi primo constituit, perseveranter usque in finem servavit.

propriis,

52 Lectio v. Terrena cuncta despiciens, ac sola cælestia concupiscens, ut liberius Deo posset inservire, docendi officio, quod per plures annos summa cum laude peregerat, humiliter se abdicavit. Durissimæ austeritatis ac mirabilis abstinentiæ fuit. Leguminibus herbarumque radicibus vix igni expositis, ut plurimum vescebatur; carnes vero non, nisi cogente infirmitate, sumebat: vino vel nunquam, vel rarissime utebatur, sæpius etiam per viginti dies vel æstivo tempore ab omni potu penitus abstinebat. In oratione et meditatione diu noctuque assiduus, vigiliis ac jejuniis fatigatus, super nudam humum paululum quiescebat. Virgineam quoque carnem aspero cilicio et crebris flagellis ad sanguinis usque effusionem affligebat. Spiritu prophetico multa futura prædixit, secreta cordium pluries penetravit, ac inter orandum sæpius in sublime tolli visus est. Propter familiarem cum angelo consuetudinem Frater cum angelo loquens dicebatur, et qui aliqua adversitate premebantur, quandoque cælitus moniti, B ad ipsum, velut ad omnium Consolatorem, confluebant.

quæ hic recitantur,

53 Lectio vi. Temporalis vitæ subsidia secum, dum iter ageret, nulla deferebat, immo et ab aliis oblata modeste recusabat, omnem spem suam in solo Domino reponens, a quo pluries juxta indigentiam sibi per angelos missa sunt. Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quam peculiariter venerabatur, pœnitentiam quadantenus imitaturus, secretum sibi atque horridum habitaculum intra septa monasterii vivo saxo incidit; ubi per annos quatuor usque ad mortem latitavit. Hoc in ergastulo rigidioris pœnitentiæ operibus corpus in servitutem redigens, talem ac tantam integritatem retinuit, ut nec carnis nec mentis unquam senserit corruptelam. Tandem virtutibus et meritis plenus, die vegesima quarta Septembris anno salutis millesimo trecentesimo quadragesimo primo, ætatis vero sua quinquagesimo Gerundæ obdormivit in Domino, quem viventem et vita functum pluribus ferunt miraculis coruscasse. Ejus porro cultum Innocentius Papa decimus tertius approbavit: ut autem festum cum Officio et Missa tam in universo Prædicatorum C Ordine, quam in civitate Gerundensi, quæ singulari ejus protectione lætatur atque innumeris a Deo beneficiis ejus patrocinio in dies augetur, ac tota respective diœcesi ab omni ejus clero celebraretur, Benedictus decimus tertius benigne concessit.

Decretum lectionibus subnexum ita sonat: Sanctissimus D. N. Benedictus PP. XIII ad humillimas preces reverendissimi P. fratris Thomæ Ripoll, Ordinis Prædicatorum magistri generalis, benigne indulsit atque concessit, ut suprascriptæ lectiones ii Nocturni cum Oratione propria in Officio B. Dalmatii Monerii die xxiv Septembris ab omnibus utriusque sexus totius Ordinis Prædicatorum, nec non ecclesiasticis omnibus tam secularibus, quam regularibus civitatis et diœcesis Gerunden., qui ad horas canonicas tenentur, in posterum recitari possint et debeant. Die iv Augusti mdccxxvi. D

C. Cardinalis de Marinis præf.

Loco † sigilli

N. M. Tedeschi archiepiscopus
Apamenus sac. rit. congr. secr.

et indulgentiis lucrandis eodem anno die 24 Septembris.

54 *Idem beatissimus Pontifex, quo magis excitaret fidelium animos ad festivitatem illam pie celebrandam, concessit pro dicti anno* 1726 *plenarias indulgentias in omnibus ecclesiis Ordinis Prædicatorum lucrandas, prout exponitur in Decreto, quod hic similiter describo:* Benedictus PP. XIII. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia caritate intenti; omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Prædicatorum, ubique existent., E die vigesima quarta proxime venturi mensis Septembris a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro una vice valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentes nullæ sint, quodque præsentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xvii Augusti mdccxxvi; Pontificatus nostri anno tertio. F. Card. Oliverius. *Bullarii editor ad hoc decretum, sicut ad præcedentia ex ipso recitata, monet, excusum esse juxta Romanum exemplar, notatque* B. Dal- F matii festum hoc anno mdccxxvi primum celebratum *fuisse, puta in universo Ordine Prædicatorum, seu potius in iis ejusdem per orbem dispersi ecclesiis, ad quas decretorum notitia eo anno devenire potuit; nam ante celebratum fuisse Gerundæ, abunde vidimus.*



CHOROGRAPHIA REGIONIS NEAPOLITANAE, PUTEOLANAE, Misenatis, Cumanae etc.

1 Ecclesia S. Januarii extra moenia.
2. Sebetus fluvius
3. Portus novus.
4. Megaris sive arx ovi.
5. Collis Antinianus
6 Mergellina
7. Pausilypus
8. Pausilypi Prom.^s
9. Villa Vedii Pollionis.
10 Euboea Scopulus.
11. Crypta Sejani
12. Crypta Puteolana
13. Sepulcrum Virgilii
14 Lacus Agnanus
15 Thermae S. Germani.
16. Sulphuraria, sive Forum Vulcani.
17 Via Puteolana, sive Neapolitana vetus.
18 Via Puteolana hodierna.
19 Regio Balneolana, ubique Lucii Luculli Villa. * Mons Spina
20. Leucogaei Fontes.
21. Astruni.
22. Colles Leucogaei.
23. Marcianum.
24. Eccles. S. Januarii coenob. Capucin.^m
25. Pilae sive moles.
26 Mons novus.
27. Lucrinus Lacus.
28. Via Domitiana.
29. Mons Gaurus.
30. Amphitheatrum Puteolanum hodie S. Januarii Carceres.
31 Lacus Avernus.
32. Palus Acherusia, hodie Fusarius Lacus.
33 Arcus Felix.
34 Fossa Neronis, hodie Lacus Licolae.
35. Piscina mirabilis.
36 Crypta vulgo Sibyllae Cumanae
37. Via Campana.
38. Mare mortuum
39. Crypta Traconaria
40. Via Vicana
41. Via Cumana.
42. Laboriae sive Phlegraeus ager.
43 Villa P. Servilii Vacciae.

Milliaria Italica
¼ ½ ¾ 1 2 3



A

AUCTORE J. S.

AD DIEM DECIMAM NONAM SEPTEMBRIS.

DE SS. JANUARIO EPISC.,

SOSIO, FESTO ET PROCULO DIACONIS, DESIDERIO LECTORE,

EUTYCHE VEL EUTYCHETE ET ACUTIO MARTYRIBUS

PUTEOLIS IN CAMPANIA FELICE

PRÆFATIO

De documentis Neapoli collectis.

B E

Collectio documentorum de S. Januario.

Quando sub initium anni 1753 *Neapolim lustravi cum collega, investigare voluimus, an iis, quæ habebamus aut impressa aut Mss. de* S. Januario *et Sociis documenta, adjungi alia possent nonnulla, sive ad res gestas celeberrimi Martyris, sive ad gloriam ejus posthumam illustrandam. Lustratis autem bibliothecis aliquot, et colloquio cum pluribus eruditis hunc in finem habito credimus, nihil præterea, quod operæ pretium facere, ulteriori inquisitione inventuros pro Actis aut translationibus* S. Januarii *ac Sociorum elucidandis. Contrarium judicavimus de iis, quæ spectant ad prodigiosum* S. Januarii *sanguinem : neque enim dubitavimus, quin de perpetuis illius sanguinis miraculis non pauca subministrare possent Neapolitani, quæ necdum ad scrinia nostra pervenerant. Verum cum omnium illorum inquisitio ob rationes varias non posset brevi tempore perfici; neque nobis expedire videretur, ut illius causa multis mensibus Neapoli subsisteremus; curam ulterioris indagationis* C *humaniter in se suscepit R.P. Paschalis de Matthæis S. J., tunc tirocinii Neapolitani, nunc maximi collegii ibidem rector. Diligentia hujus viri, cui primum coram, deinde per litteras exposuimus mentem nostram, accedente etiam cura R.P. Præpositi Provincialis, longe plura pro nobis collecta sunt publicis sumptibus excellentissimæ civitatis Neapolitanæ, accedente etiam benigno consensu et approbatione serenissimi regis, quam umquam nos ipsi potuissemus colligere, aut flagitare voluissemus.*

sumptibus civitatis Neapolitanæ per eruditos facta,

Quo autem modo facta sit collectio, breviter exponitur his præcipui adjutoris nostri verbis : Addictissima S. Januario, præcipuo patrono, Neapolitana civitas, ut Bollandianis gratificetur, mandavit, ut suis impensis hæc Acta colligerentur. Ita primum statuit excellentissima Deputatio civitatis, deinde excellentissima Deputatio S. Januarii. Equestres viri negotium hoc dedere tribus sane litteratissimis, inter quos Cl. Alexius Symmachus Mazochius, cujus est recensio Actorum. *Præstiterunt sane eruditissimi hi viri diligentissime, quidquid desiderari a nobis posset, et brevem etiam Commentarium toti collectioni præmiserunt. In eo autem agitur de patria* S. Januarii, *de Actis ejusdem variis, de cultu et festis diebus apud Neapolitanos, de translationibus et aliquot ecclesiis, ac tandem de liquescentis* S. Januarii *cruoris epocha. Hoc ultimum necdum examinaveram, quando ingens illa Collectio, diuturnas in itinere moras passa, hoc anno* 1756 *ad nos perlata est; sed ejus causa distuleram omnia ad sanguinem* S. Januarii *pertinentia. De reliquis vero omnibus diu disputaveram ex iisdem documentis, quæ in Commentario Neapolitano allegantur, et ex aliis pluribus; imo et Acta omnia ad prelum paraveram ante acceptam Collectionem; quod nulla nobis de hisce deessent documenta, et tempus me urgeret.*

seroque huc perlata, cui usui sit futura.

Suspicati sunt ipsi eruditi Collectores, multa minus necessaria fuisse collecta; Sed, *inquiunt circa finem Commentarii*, omnino parendum fuit excellentissimæ civitati Neapolitanæ, quæ, ne quid ad cultum B. Januarii amplificandum deesset, præterea ut animi magnitudinis, liberalitatis et munificentiæ incredibilis exspectationem, quam sui apud homines concitavit, præclare sustineret ac tueretur F id dedit operam, ut omnes præcipui Patroni sui res gestæ colligerentur et ea in re si quid peccandum esset, non nisi exquisita et prolixa sedulitate peccaretur. *Laudo sane pium et munificum consilium : et ne quid mihi diligentiæ videatur defuisse; Acta recenter accepta cum nostris omnia conferam, et variantes ex iis lectiones notabo. Similiter Commentarium cum meo conferam, ut videam, siquid alicubi reperiam addendum aut mutandum. Figuras, munificentia civitatis Neapolitanæ scalpro expressas, suis locis inseram, atque ex iis* Chorographiam regionis Neapolitanæ, Puteolanæ, Misenatis, Cumanæ, *etc. huc transfero quia locorum, in iis assignatorum, in Commentario et in Actis frequenter fiet mentio, licet nolim Chorographiam illam pro omnibus locis defendere, sed in aliquibus a Mazochio, cujus illa est, dissentire cogar. Hisce breviter observatis de Collectione illa, de qua dicentur plura in disserendis de capite et sanguine* S. Januarii, *ubi magno nobis usui erit, Commentarium jam ante concinnatum subjungo.*

COMMENTARIUS

AUCTORE C. S.

D

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Celebre nomen S. Januarii et Sociorum in Fastis aliisque monumentis antiquis : annuntiantur diebus pluribus, et subinde aliqui seorsum.

Circa CCCV. S. Januarius sine Sociis hoc die annuntiatus in Fastis Hieronymianis :

Quamvis celebre fuerit a multis seculis S. Januarii *nomen ejusque sociorum Martyrum; non tamen sine aliqua confusione memoratur in Fastis Hieronymianis. Nam ad hunc diem textus Florentinii sic habet :* In Neapoli natalis sanctorum Januarii et Ancii. *In codice Corbeiensi pro* Ancii *est* Aniceti, *in Epternacensi vero* Augi. *In codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi* Januarius *item annuntiatur* Neapoli, *eique socius adjungi* B *videtur* Saturninus. *Verum existimo, nec* Saturninum, *qui in codicibus Florentinii ad aliam classem spectat, nec ullum alium fuisse cum* S. Januario *annuntiatum a primo auctore Martyrologii, cum* Neapoli *memoretur, non quia ibi passus erat, sed quia eo translatum erat corpus, ibique colebatur : nam solius* Januarii *corpus Neapolim eo tempore erat translatum, ut verisimile sit, eodem tempore solum ibidem fuisse cultum. Hac etiam de causa* Januarius *hodie videtur memorari ob primam corporis translationem ex loco Marciano, ubi fuerat sepultus, ad urbem Neapolitanam, ut hic dies videatur potius primæ translationis, quam martyrii. Si enim causa martyrii hoc die fuisset memoratus, et Puteolis memorari debuisset, non Neapoli; et cum Sociis, non solus. In codicibus Augustano, Labbeano et Gellonensi* Januarius *etiam hodie occurrit, nec ullum sibi adjunctum habet nominibus supra memoratis.*

solus item in aliquot aliis, in aliis cum Sociis generatim :

3 *Sic in antiquissimo Kalendario ecclesiæ Carthaginensis apud Mabillonium tom. 3 Analectorum pag.* 400 *solus memoratur* S. Januarius *ad hunc verisimiliter diem hoc modo :....* Kal Oct. sancti Januarii martyris. *Numerus quidem deletus est,* C *sed verisimiliter scriptum fuerat* XIII Kal. *Quo autem minus dubitemus, quin sit* S. Januarius *hodiernus, facit* S. Sosius, *qui mox ibi alio die sequitur, ut dicemus. In vetusto Kalendario marmoreo, quod anno* 1742 *Neapoli inventum est, ad* XIX *Septembris, Natalis* S. Januarii *similiter legitur. Solus item hoc die* S. Januarius *annuntiatur apud Martenium tom.* 6 *Collectionis amplissimæ col.* 616 *in Martyrologio Trevirensi, quod editor seculo* X *exaratum credidit : et col* 675 *in Calendario Stabulensi solus laudatur his verbis :* In Campania passio S. Januarii. *At ibidem col.* 682 *Socii generatim adduntur hoc modo :* Sancti Januarii martyris Sociorumque ejus. *Generatim item et mendose, Socii adjuncti leguntur im Martyrologio Autissiodorensi ibidem col.* 721 *:* In Neapoli Campaniæ natale sanctorum martyrum Januarii Beneventanæ episcopi cum aliis VIII; *imo cum sex aliis passus est, sed non Neapoli.*

cultus ipsius Neapoli vetustissimus.

4 *Verum posteriora hæc Martyrologia, utpote minus vetusta, non tam clare ostendunt vetustissimum* S. Januarii *cultum apud Neapolitanos, quam illum manifestum facit Epistola Uranii presbyteri de obitu S. Paulini Nolani, data apud nos tom.* IV *Junii pag.* 198, *in qua leguntur sequentia de S. Paulino decumbente, et sacrosancto Christi Corpore ad luctam munito :* Et cum hæc omnia sanctus episcopus *(Paulinus)* læto atque perfecto ordine celebrasset; subito clara voce interrogare cœpit, ubi essent fratres sui. Tunc unus ex circumstantibus, qui putavit, quod fratres suos, id est, episcopos, qui tunc aderant, quæreret, ait illi : Ecce hic sunt fratres tui. At ille : Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modo mecum locuti sunt, et continuo ad me venturos se esse dixerunt. E quibus Januarius episcopus simul et martyr, Neapolitanæ urbis illustrat ecclesiam; Martinus autem vir per omnia apostolicus, cujus Vita ab omnibus legitur, Galliarum episcopus fuit. *Hactenus Urianus, qui S. Paulino morienti adfuit anno* 431. *Itaque jam tum celeberrimus erat* S. Januarii *cultus apud Neapolitanos, qui corpus ipsius possidebant, et ecclesiam eidem exstruxerant, ut suo loco dicetur. Vetustatem illam cultus* S. Januarii, *in ecclesia Neapolitana, jam observavit vir eruditus, Alexius Symmachus Mazochius, canonicus Neapolitanus, et regius sacræ Sripturæ interpres, in Commentario, quem diligenter conscripsit in Vetus marmoreum ecclesiæ Neapolitanæ Kalendarium tom.* 1 *pag.* 265. *Laudatus Mazochius aliud eodem loco affert vetusti cultus indicium, ex quo infertur,* S. Januarium *seculo* VI *urbis Neapolitanæ fuisse patronum cum Petrus notarius* per confessionem meritaque B. Januarii martyris *obtestetur clerum Neapolitanum, nec ullum allium nominet Sanctum. At redeamus ad Martyrologia.* E

In Fastis medii ævi omnes simul memorantur non sine mendis.

5 *Primus ex martyrologis, qui ad hunc diem* S. Januarium *omnesque Socios nominatim expressos commemorat, est auctor Martyrologii per Rosweydum editi, in quo hæc leguntur :* Neapoli, Januarii, Sosii, Festi, Desiderii, Proculi, Eutychetis, Acuti. *Beda, aut fortasse Florus, eodem die prolixum hoc dat elogium :* F In Neapoli Campaniæ natale sanctorum Januarii, Beneventanæ civitatis episcopi, cum Sosio diacono Mesenatæ civitatis, et diacono suo Festo, et lectore suo Desiderio : qui post vincula et carceres capite sunt cæsi in civitate Puteolana, sub Diocletiano principe, judice Dracontio. Qui cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum, Puteolanæ civitatis diaconum, et duos laicos Eutychen et Acutium : et interrogaverunt, quare justi juberentur occidi. Quos judex ut vidit Christianos, jussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati. Et tulerunt noctu corpora Christiani : et Neapolitani Januarium posuerunt juxta civitatem in basilica, Mesenates Sosium æque in basilica, Puteolani Proculum et Euticetum et Acutium in basilica S. Stephani, Festum et Desiderium Beneventani collegerunt. *Omnia hæc adoptavit, et Martyrologio suo inseruit Ado, iisdem usus verbis. Rabanus eadem quoque exhibet, sed textus ipsius mendose impressus est. Consentit similiter Notkerus, omittens tamen posteriora, quæ de Sanctorum Martyrum sepultura*

A *pultura non satis recte hic leguntur: nam prima est potius translatio, quam sepultura, quæ refertur. Usuardus præter sepulturam, similiter prætermissam, omittit etiam* Sosium *diaconum, haud dubie, ne illum bis memorare cogeretur: nam* Sosium *iteratum annuntiatum videbimus ad* XXIII *Septembris.*

quæ correcta sunt in Martyrologio Romano.

6 *Præterea Usuardus elogium suum ita temperavit, ut videatur adoptare noluisse judicem a Beda assertum, et ab aliis adoptatum. Nam sic habet:* In Neapoli Campaniæ, natalis sanctorum Januarii Beneventanæ civitatis episcopi, Festi et Proculi diaconorum, Desiderii, Eutici et Acuti, qui post vincula et carceres capite cæsi sunt in civitate Puteolana, sub Diocletiano principe. *Omittitur hic Dracontius judex, quem revera minus probabiliter positum ab aliis videbimus. Accuratum foret elogium, si* Puteolis *potius quam Neapoli, Martyres annuntiasset, et* Sosium *quantumvis repetendum, addidisset; quemadmodum fecit Baronius in Martyrologio Romano, ubi tale contexuit elogium:* Puteolis in Campania sanctorum martyB rum Januarii Beneventanæ civitatis episcopi, Festi ejus diaconi, et Desiderii lectoris, Sosii diaconi ecclesiæ Misenatis, Proculi diaconi Puteolani, Eutychis, et Acutii: qui post vincula et carceres capite cæsi sunt sub Diocletiano principe. Corpus sancti Januarii Neapolim fuit delatum, atque honorifice in ecclesia tumulatum: ubi etiam beatissimi Martyris sanguis in ampulla vitrea adhuc servatur, qui in conspectu capitis illius positus, velut recens liquescere et ebullire conspicitur. *Mitto martyrologos recentiores, qui de* S. Januario *et Sociis hodie passim meminerunt: nam illorum auctoritas nihil prodesse poterit ad Acta confirmanda aut infirmanda.*

Septem hi Martyres numero fuere, non octo.

7 *Verumtamen paucula dicenda sunt de Martyrologiis, quæ post Adonem edidit Dominicus Georgius, cum hic in Annotatis ad hunc diem ex illis inferre voluerit,* septem *fuisse* S. Januarii *Socios, non sex*, ut in Romano parvo. *Martyrologium Fuldense habet:* In Neapoli Campaniæ, natalis sancti Januarii Beneventanæ civitatis episcopi cum aliis VII, qui cum eo decollati sunt. *Octo revera nomina exibet Martyrologium Ottobonianum, cujus verba cum omnibus mendis de more subjungo:* In Neapoli Campaniæ, nat. sanctorum JaC nuarii Beneventani episcopi cum Sossio diacono Messenate civitatis, et diacono suo Festo, et lectore suo Desiderio, Proculum diaconum, et Euticen, et Acutium, et Desiderium. *Si credidit laudatus Georgius, hæc duo Martyrologia sufficere, ut dicamus octo fuisse Martyres Puteolis passos, sive septem fuisse* S. Januarii *Socios, nimiam Martyrologiis a se editis auctoritatem attribuit, nec satis consideravit, quot menda transcribentium negligentia, aut exigua collectorum crisi in documenta illa medii ævi irrepserint. Sane numerus Martyrum nostrorum tot testibus confirmatus est, consentientibus hac ex parte Actis omnibus, quantumvis alias diversis, cum melioribus martyrologis supra laudatis, ut non duo solum talia Martyrologia, qualia attulit Georgius, sed et decem et viginti, si idem haberent, tamquam mendosa aut errori obnoxia, omnino rejicienda forent. Hac de causa ulterius non refellam Marium de Vipera, qui in Chronologia episcoporum Beneventanorum pag.* 12 *Stephanum aliquem aliis adjicere voluit.*

S. Januarius in aliquot Fastis ad 20 Septembris:

8 *Non multo plus attentionis fortasse merentur alia quædam Martyrologia, quæ* S. Januarium *exhibent ad sequentem diem,* XX *Septembris, nisi conjicere velimus, festivitatem* S. Januarii *in aliquot ecclesiis ea die celebratam fuisse, quod dies* XIX *alio festo esset impedita. Dubito sane, an hæc conjectura sufficiens habeat fundamentum. At certum est, memoriam* S. Januarii *in Fastis aliquot vetustis reperiri ad* XX *Septembris. Talis fit* S. Januarii *mentio post vigiliam S. Matthæi in Calendario vetusto, quo edidit Florentinius post Martyrologium Hieronymianum. In Martyrologiis aliquot, quæ edidit Martenius tom.* 3 *Anecdotorum, et* antiquissima *vocavit, mentio fit* S. Januarii *eodem die. In primo col.* 1560: Romæ Januarii. *Eadem verba leguntur in Morbacensi col.* 1569. *Ex his tamen nolim certo inferre, festum fuisse die* XX *Septembris; minus etiam, alium quempiam* Januarium *eo die fuisse cultum Romæ: nam cum in allegatis Fastis* Januarius *ad* XIX *non compareat, eumdem plane puto, qui ad* XX *ponitur. Utrum vero id factum sit, quia revera hoc die* XX *in aliqua ecclesia Romæ colebatur; an quia a die et loco suo per errorem avulsus erat, non definio.*

S. Sosius ad 23 Septembris primum solus, deinde cum aliis.

9 *Quemadmodum ad* XIX *Septembris primum solus* Januarius *annuntiatus fuit, quod eo die Neapoli coleretur ob primam, ut jam monui, corporis translationem; ita* Sosius *primum solus* Miseni *memoratur, deinde cum pluribus, præeunte Martyrologio Hieronymiano. Certe apud Florentinium* E *in Annotatis ad* XXIII *Septembris hæc leguntur ex vetustissimo codice Epternacensi:* In Miserio Sossi. *Scriptum fuerit,* In Miseno Sosii *aut* Sossii. *In aliis quidem Florentinii codicibus* S. Sosius *sine loco memoratur ad* XXIX *Septembris his verbis,* Et alibi Sosi, *in Corbeiensi,* Et alibi Januarii, Sosii, *uti etiam in Augustano, Labbeano et Gellonensi. Verum vel ipsa loci omissio ostendit, Sanctum* Sosium *minus exacte ad illum referri, et martyrologi deinde secuti evincunt, diem* XXIII *Septembris cum codice Epternacensi præferendum. Nam in omnibus passim Martyrologiis classicis memoria* S. Sosii *ad* XXIII *Septembris annuntiatur, ob translatum corpus, opinor, ad civitatem Misenatem, postea eversam. Romanum Parvum sic habet:* Mesenathæ *(id est, Miseni)* Sosii diaconi, annorum XXX martyris. *Beda, aut, qui Bedam auxit, Florus:* Natale S. Sosii diaconi Mesenatæ civitatis in Campania: qui, cum esset annorum triginta, martyrium cum B. Januario Bevenenti episcopo capitis decollatione suscepit tempore Diocletiani imperatoris. Is F cum tempore quodam Evangelium legeret in ecclesia Mesenatæ civitatis, præsente episcopo Januario (frequenter enim cum pro sanctitate et prudentia ejus visitare consueverat) vidit subito idem Episcopus de capite ejus flammam exurgere, quam nemo alius vidit: et prænuntiavit eum martyrem futurum. Et post non multos dies idem Diaconus tentus, et in carcerem missus est. Ad quem visitandum cum venisset Episcopus cum diacono suo Festo et lectore suo Desiderio, et ipse cum eo simul tentus, ac pariter omnes cum aliis tribus occisi sunt. *Totum hoc elogium rursum Ado repetiit, uti et Rabanus. Notkerus vero* S. Sosium *brevissime indicat, additque:* De quo XIII Kalend. Octobris invenies.

et iterum solus, in plerisque Fastis memoratus.

10 *Usuardus elogium ex præcedentibus ita concinnavit:* in Campania, natalis beati Sosii diaconi Messenatæ civitatis. Hic cum tempore quodam Evangelium legeret in ecclesia præfatæ civitatis, præsente episcopo Januario, vidit subito idem Episcopus de capite ejus flammam exurgere, et pronuntiavit eum martyrem futurum. Et post non multos dies, cum esset annorum triginta, martyrium cum eodem Episcopo capitis obtruncatione suscepit. *Wandelbertus, apud quem non invenio*

S. Januarium

AUCTORE J. S.

S. Januarium *alio die;* Sosium *tamen ita ad* XXIII *Septembris commemorat:* Levita et Sosius merito splendescit honore. *Addit* Januarium *soluta oratione, et* Sosium *repetit hoc modo:* Januarii episcopi, et Sosii diaconi. *Mitto Martyrologium Autissiodorense, in quo fere repetitur elogium Bedæ, minus tamen accurate. Calendarium vetustum Lyrensis monasterii ad* XXIII *solum annuntiat* Sosium *his verbis:* Sancti Sossii diaconi. *Baronius cum plerisque recentioribus* S. Sosium *eodem die repetit iisdem fere verbis, quibus usus est Usuardus. Jam vero ex hac* S. Sosii *commemoratione ad* XXIII *Septembris,* Januarii *vero ad* XIX, *evidenter colligitur, illos dictis diebus non coli ob martyrium tunc consummatum, quia eodem die ambo coronati sunt; nec ulla est ratio, cur unum magis quam alterum ipso martyrii die coli dicamus.*

ad 7 Septembris Januarius cum aliquot Sociis Beneventi annuntiatus:

11 *Si conjecturam capere licet ex Fastis Hieronymianis, aliqui ex Martyribus nostris, aut fortasse omnes, prioribus post martyrium temporibus culti fuerunt Beneventi ad* VII *Septembris. Certe codices Florentinii aliquos eo die annuntiant Beneventi, Codex Epternacensis, ceteris ibi correctior, ita habet:* In Benevento Januarii, Festi, Acuti, Desiderii. *Iidem quatuor leguntur etiam in codice Corbeiensi, et in codicibus ipsius Florentinii, sed cum aliqua confusione, quod Sinotus martyr et episcopus Capuanus, de quo ad eumdem diem egimus, aliis legatur sic præpositus, acsi ad Beneventanos spectaret. In codicibus Rhinoviensi et Richenoviensi de his solum legitur:* Et in Benevento Januarii, Festi, *qui habentur etiam in Corbeiensi breviore. At apud martyrologos posteriores de his illo die nihil reperio. Vel sic tamen dubitare vix possumus, quin Beneventani* Januarium *episcopum suum, cum* Festo *diacono et* Desiderio *lectore ejusdem ecclesiæ, singulari cultu honoraverint; cumque illis* Acutium *in Fastis additum videamus, licet hic alias minus ad Beneventanos spectare videatur, suspicamur* S. Januarium *cum omnibus martyrii Sociis Beneventi fuisse cultum die* VII *Septembris. Utrum vero is fuerit dies martyrii, an dies, quo* SS. Festi *et* Desiderii *corpora Beneventum sunt translata, necdum satis perspicio. Posterius tamen magis est verisimile.*

ad 18 Octobris et diebus sequentibus aliqui ex his Puteolis.

12 *Mense Octobri quatuor diebus consequentibus aliquid de sanctis Martyribus nostris legitur in Hieronymianis apud Florentinium, et in aliis etiam Fastis. Ad* XVIII *textus Florentinii habet:* In Campania, civitate Pitioli *(in Epternacensi et Corbeiensi recte* Puteolis*)* Januarii et Eutecis. *In Epternacensi* Januarii et Eutycii *Sed in Corbeiensi,* Januarii et Felicis, *meddose pro* Eutychis *vel* Eutychetis. *Richenoviense habet:* In Campania civitate Puteoli, Januarii et Euticetis. *Plures e Martyribus nostris recensentur ad* XIX, *sed similiter magna cum confusione apud Florentinium, qui in textu habet:* Neapoli, Sussi. Januarii. Festi. Desiderii. In cœmeterio Poteolis Proculi *etc. Videntur hic quinque enumerari, nimirum* Sosius, Januarius, Festus, Desiderius *et* Proculus, *sed huic Puteolis deinde alii adjunguntur Socii, ut etiam fit in Corbeiensi codice, qui eosdem quinque recenset. In codice Epternacensi non minor est confusio: plures tamen ibi recensentur Neapoli et Puteolis; sed ipse* Januarius *omittitur. Demum in codice Richenoviensi ad eumdem diem omnes septem recte enumerantur hoc modo:* In Neapoli, Januarii, Sosii, Proculi, Eutycetis, Acutii, Festi et Desiderii. *Ad sequentes dies* XX *et* XXI *rursum aliqui ex his Martyribus in Hieronymianis comparere videntur, sed minus clare, ut merito existimare possimus, illos solum ob aliquam festivitatem Fastis Hieronymianis fuisse insertos ad* XVIII *et* XIX *Octobris, aliis vero diebus vicinis quorumdam nomina reperiri ex solo errore illorum, qui antiquissima illa Martyrologia transcripserunt, auxerunt, multisque modis ex ignorantia luxarunt. Apud Grevenum similiter ad* XIX *Octobris est* commemoratio sanctorum Januarii et sociorium ejus Martyrum. *In codice Usuardino Rosweydi annuntiatur hoc modo:* Beneventi, Januarii episcopi et Sociorum ejus martyrum. *Mitto plures recentiores ad eumdem et præcedentem diem, quia illi ex Hieronymianis sua hauserunt.*

Apud Græcos Sancti annuntiantur ad 19 Septembris et ad 21 Aprilis,

13 *Apud Græcos celebris est* S. Januarii *et Sociorum martyrum memoria duobus diebus diversis. Ad hunc diem* XIX *Septembris celebratur elogio in Menologio Græcorum, quod jussu Basilii imperatoris Porphyrogeniti seculo* X *concinnatum, et nuper Urbini editum est cura eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani. Eodem die legitur in Menologio, quod Sirletus Latinum fecit; sed in hoc similiter celebratur ad* XXI *Aprilis, ut a Majoribus nostris observatum est in Prætermissis ad istum diem. Menæa impressa ad eumdem diem* XXI *Aprilis Officium de* S. Januario *et Sociis exhibent, idque etiamnum peragunt, ut liquet ex novissima editione Anthologii Græcorum, in quo idem præscribitur Officium cum commemoratione de S. Theodoro martyre. Nomina quorumdam ex Sociis* Januarii *nonnihil luxata sunt, quamvis alias numerus et officia singulorum exacte referantur. Annuntiationem ex Græca Latinam secundum litteras facio, et subjungo.* Eodem mense *(Aprili)* die XXI, sancti hieromartyris Januarii episcopi, Probuli, Sossi, et Fausti diaconorum, Desiderii lectoris, Eutychii et Acutionis. *Nomina etiamnum eodem modo efferuntur in novissima Anthologii memorati editione. Mutatio vero, ut quilibet facile advertere poterit, in hisce consistit, quod, qui* Proculus *apud Latinos, ibi sit* Probulus, *qui* Sosius *aut* Sossius, *ibi* Sossus, *qui* Festus, *ibi* Faustus, *qui* Eutyches, *ibi* Eutychius, *ac demum qui Latinis* Acutius, *ibidem sit* Acutio. *In aliis quoque Græcorum Fastis nomina aliquid luxationis passa sunt, sic tamen ut facile cognosci possint.*

ut hoc die passi, uti et apud Moscos.

14 *Græci porro die* XXI *Aprilis* S. Januarium *et Socios colunt, tamquam illo ipso die martyrio coronatos, quemadmodum clare indicant versiculi in Menæis adjuncti. Hanc vero ipsorum opinionem de die martyrii non videri improbabilem, nec Actis vetustioribus contrariam, suo loco ostendam, ubi de tempore martyrii agetur. In Ms. Synaxario Græco, quod servatur Parisiis in bibliotheca collegii Societatis Jesu, ad* XX *Aprilis iidem referuntur; sed id solum videtur factum transcribentium errore, qui verba unius diei ad aliam proxime præcedentem transtulerint. Nam et Typicum Sabæ conspirat in* XXI, *et plures Fasti Mss. Græci, quorum ante me catalogos, aut ipsa etiam verba habeo, et Mosci demum, Græcorum festa celebrare soliti,* S. Januarium *ad* XXI *Aprilis primo loco annuntiant, tam in Ephemeridibus suis, quam in Menologio Slavo-Russico. Quod spectat ad elogia, quibus Græci* S. Jannuarium *et Socios celebrarunt, ea brevitatis gratia prætermitto. Observo tamen generatim, omnia, cum impressa tum manuscripta, ex aliis videri Actis composita, quam quibus usus est Beda aut Florus ad concinnandum elogium num. 5 datum, cui et sequentia Latinorum consonant. Nam Latini judicem, sub quo passi sunt Sancti, vocant* Draconium, *Græci omnes* Timotheum. *Latini silent de suppliciis* S. Januario

A rio *illatis ante abscissionem capitis, Græci ea referunt, quamvis minus prolixe, quam in Actis, nec cum iisdem plane adjunctis. Verum de his plura in Actorum examine. Ferrarius in Catalogo generali ad* I *Maii et rursum ad* 2 *commemorat translationem* S. Januarii. *De ultima ejusdem translatione Neapolim apud nos mentio est in Prætermissis ad* XIII *et ad* XIV *Januarii. Verum et translationes quatuor illius Sancti, et varias ipsius festivitates suis locis uberius explicabo.*

§ II. Acta varia : primorum collatio et examen.

Acta variorum ex his Martyribus nomine vario scripta :

Acta S. Januarii *et Sociorum varia edita sunt, alia nomine ipsius* Januarii *insignita, alia* Sosii *diaconi Misenatis, inter* S. Januarii *Socios celeberrimi. Qui Acta* S. Januarii *scribenda sibi proposuerat, non poterat* S. Sosium *aliosque Martyres omnino prætermittere, et eorum saltem nomina et mortem commemorare debebat, nisi ea ipsa omittere voluisset, quæ utcumque faciebant ad gloriam Herois, quem celebrandum susceperat. Tam* B *pauca tamen de* S. Sosio *et aliis Martyribus dixit collector Actorum* S. Januarii, *ut Misenates, ad quos* S. Januarius *minus attinebat, suum quoque seorsum celebrare voluerint martyrem* Sosium, *Actaque conscribere, in quibus* S. Sosii *gesta præcipue narrarentur. Idem Puteolanis fuit propositum, quorum diaconus* Proculus, *civesque* Eutyches *et* Acutius, *cum* Januario *et* Sosio *ad palmam pervenerant : nam et Acta quædam habeo* S. Proculi, *in quibus hic præcipue commendatur, licet et* Januarius *et* Sosius *in illis locum habeant. Verum de singulis paulo plura dicenda sunt, ut ex dictis facilius colligi possit, quæ quibus sint vetustiora, eaque de causa aliis præferenda. Exordior ab illis, quæ reliquis omnibus antiquiora existimo.*

Acta primo loco a Falconio edita, apud nos manuscripta sine additionibus :

16 *Vetustissima* S. Januarii *Acta Neapoli nobis transmissa sunt ex Ms. Collectione Chioccarelli, qui plures habuit codices, ex quibus credidit* supra mille annos *ætatis suo tempore habuisse ea Acta. At eruditi Neapolitani, qui ea nobis exscribenda curarunt, minus vetusta esse existimant. Eadem Acta edidit anno* 1713 *Nicolaus Carminius Falconius, tunc presbyter Neapolitanus, de cujus Opere inferius agam. Non sic tamen Acta illa edi-* C *dit, ut ex sola ipsius editione ostendi possit, illa ceteris esse vetustiora, cum una dederit non pauca, Actis postmodum adjecta, ex quibus videri possent multo minus antiqua, quam revera sint. Hinc Falconius post Acta primo loco data lib.* 2 *pag.* 133 *observat, nonnulla de corporum traslationibus serius fuisse Actis adjecta. Dicit quidem hoc ille, sed non probat. Attamen vera esse ea, quæ de Actis postea in fine auctis asserit Falconius, omnino mihi persuadeo ex manuscriptis nostris, in quibus auctaria illa non reperiuntur. Etenim eadem Acta habemus in codice nostro, notato* P. Ms. 20, *in quo nihil reperitur de corporum translationibus. Codex hic admodum vetustus est, et consentientem habet codicem Rubeæ Vallis, in quo eadem Acta ante corporum translationes finiuntur. Itaque ex duobus hisce codicibus colligitur, Acta primum fuisse conscripta sine ullis translationibus, et verisimiliter ante primam corporum translationem, non tamen ipso martyrii tempore, ut inferius ostendam. Initium horum Actorum in codice nostro est :* Temporibus Diocletiani imperatoris, consulatu Constantini cæsaris quinquies, et Maximiani cæsaris sexies *(in aliis codicibus* septies) erat persecutio *etc. Habuit etiam hæc Acta Baronius, ut insinuat in Annotatis ad Martyrologium Romanum.*

Acta S. *secunda Falconii interpolata, aliaque ex primis facta.*

17 *Ex his Actis composita sunt ea, quæ Falconius dedit secundo loco pag.* 134, *quæque cum prioribus ex Collectione Ms. Chioccarelli ad nos missa sunt hoc initio :* Ad gloriam laudemque *etc. Nam secunda fere non differunt a primis, nisi sola prolixitate, videnturque pro concione dicta, cum ubique iis inserta sit doctrina moralis. Orator aliquis seculo* VII, VIII *aut sub initium noni, certe ante translationem* S. Januarii *Beneventum, in laudem* S. Januarii *ad concionem dicere voluit, Actaque priora Orationi suæ inseruit, si recte conjiciam. Certe nihil exhibet secundæ istius lucubrationis auctor præter Acta priora, discursibus moralibus aucta, et conjecturis aliquot auctoris interpolata aut potius variis ipsius erroribus deturpata. Hæc igitur a Falconio omitti sine magna jactura poterant, et a nobis prorsus omittentur. Nequeo tamen dubitare, quin composita sint ante corporis translationem Beneventanam. Hoc enim clare edicit auctor apud Falconium pag.* 143, *loquens de prima translatione his verbis :* Atque in basilica *(prope Neapolim)* ubi nunc requiescit, aro- E matibus condientes, locaverunt. *Hæc tam clare indicant, corpus non fuisse Beneventi, dum illa Oratio dicta est, ut mirer, eruditos collectores contrarium credere potuisse, quia auctor asserit, ad primam translationem convenisse* pontifices singularum urbium Parthenopensis regionis. *Nimirum credunt, ista verba idem significare, ac illa,* Episcopi Neapolitanæ provinciæ. *Et mox addunt :* Atqui Neapolis exeunte seculo X metropolis facta. *Sunt ea cogitata eruditi Mazochii. At mihi non videtur, assertum clarum ob voces ambiguas esse negandum ; sed voces dubias ex clarioribus explicandas. Consideret igitur clarissimus Mazochius an pontifices* singularum urbium Parthenopensis regionis, *non sint episcopi degentes in ditione urbis Neapolitanæ, neque enim ignorat, civitates aliquot episcopales fuisse seculo* VIII *in ditione Neapolis : sicut non paucæ erant sub principe Beneventano. Nullum igitur est dubium, quin illa Oratio sit scripta ante translationem Beneventanam : nec opus est investigare, quo tempore Neapolis facta sit metropolis ecclesiastica, cum diu ante esset metropolis civilis. Acta tertia, apud Falconium pag.* 145 *ex Officio Neapolitano Ms.* F *edita, nobisque Neapoli missa, quorum initium est,* In Campania ; *similiter profluxerunt ex primis, quorum satis fidele continent compendium. Hisce in fine plura adjuncta sunt miracula, quæ suo ordine edentur. Quarta apud Falconium Acta cum initio,* Temporibus Diocletiani, *quæ dedit pag.* 150 *ex Officio Beneventano, nobis similiter Neapoli missa, cum primis omnino consonant præter lectiones variantes, et adjuncta in fine de translationibus corporum. Deinde laudatus Falconius breviora ex aliis Breviariis dat elogia ex primis Actis similiter composita, quæ et (Neapoli Mss. accepimus) aliaque ex Martyrologiis Latinorum et Græcorum, de quibus satis dixi. Eorumdem etiam Actorum compendium habet Vincentius Bellovacensis lib.* 12 *cap.* 53 ; *idque plane recusum est apud Mombritium tom.* 2 *fol.* 47. *Alia, ab eodem edita, Acta enumerabo, ubi egero de Actis* S. Sosii, *quæ Falconio incognita fuerunt, quæque cum primis* S. Januarii *Actis, ad quæ reducuntur hactenus dicta, necessario veniunt comparanda.*

18 *Clarissimus Mazochius in Commentario laudato,*

AUCTORE J. S.

Acta alia per Mazochium edita,

* *i. e. abbate*

dato, quo vetus exponit Kalendarium marmoreum tom. 1 *pag.* 269 *Acta quædam diu incognita, tamquam* sincera S. Januarii Acta, *edidit pag.* 269, *præfixo hoc titulo :* Vita sancti Januarii, quæ reperitur scripta in codice, confecto ab abate * Landulpho de anno millesimo, biscentesimo, octuagesimo in venerabili monasterio sancti Stephani de Bononia. *Observabat Mazochius, alias lectum fuisse,* abbatiante Landulpho *pro* ab abbate Landulpho. *Addit Sabbatinus ad* XIX *Septembris pag.* 81 *pro* biscentesimo *in codice legi* centesimo. *At parvi ista sunt momenti. Porro initium horum Actorum plane idem est cum initio primorum Actorum in codice nostro, excepta solum voce* sexies, *quæ apud Mazochium* septies, *uti etiam Acta prima habent in variis cocidibus.*

quæ multa habent cum primis communia.

19 *Observat autem recte Mazochius in Annotatis pag.* 265, *non initium dumtaxat idem esse in Actis suis et in primis* S. Januarii, (Baroniana *vocat, quod ea habuerit Baronius ;) sed multa etiam facta dictaque in utrisque referri iisdem plane verbis. Ex eo autem inferre nititur, multa ex suis* B *illis Actis in Baroniana aut nostra ab horum auctore fuisse transfusa. Verum ex illa similitudine Actorum, eadem frequenter continentium, tantum inferri legitime potest, alterutrum ex altero hausisse. Quare magis videtur examinandum, utra sint vetustiora, indeque statuendum, uter alterius verba adoptaverit. Nam Mazochius adeo sibi persuasit, Acta sua reliquis omnibus vetustiora esse, ut ne locum quidem invenire valeam, ubi majorem illam monumenti sui vetustatem probare conatus fuerit. Hac de causa sedulo ipse colligam argumenta omnia, quæ protulit ad Acta sua commendanda, et sine ullo præjudicio diligenter examinabo vetustatem illorum, cum nostrorum antiquitate collatam.*

Acta illa extabant ante Joannem diaconum.

20 *Primo certum mihi (ut et ibidem Mazochio visum) apparet et indubitatum, utraque Acta fuisse conscripta ante tempora Joannis diaconi, qui seculo* X *concinnavit Acta* S. Sosii, *apud Mombritium et Surium edita, et latius infra examinanda et recudenda. Etenim clarum est, Joannem diaconum ex utrisque Actis multa hausisse, ut ostendam in Annotatis ad Acta diaconi. Secundo Mazochio plane assentior, existimanti sua illa* C *Acta a Stephano Neapolitano episcopo suggesta fuisse Joanni diacono, ut iis uteretur ad Acta* S. Sosii *conscribenda. Nam Stephanus Joannem, recusantem Acta* S.Sosii *scribere, ne falsa scripsisse diceretur, ita alloquitur apud Surium in Prologo :* Est enim exinde *(id est, de* S. Sosii *gestis)* quædam scriptura, lepida, ut reor, digestione contexta, quam me olim vidisse recordor, et quidem, quoniam longi temporis memoria relabitur, idcirco cunctando assero, utrum necne sancti Januarii Gestis, cum quo fortissimus Christi Athleta immortalem percurrit agonem, aliqua ex parte sit diversa. Tamen hæc qualicumque stylo prolata constet sumenda est a te, et, sicut certum est tuos fecisse majores, quæque fiunt superflua, reseca, necessaria subroga, inepta abjice ; et una cum his, quæ de inventione corporis ejus sunt, fide tua, qui interfuisti, in civilem redige compositionem *etc.*

qui iis usus est, sic tamen, ut ubique Acta prima prætulerit.

21 *Ex his certo colligitur, præter Acta* S. Januarii, *quæ tunc vulgaria erant, exstitisse aliquod scriptum, in quo plura referebantur de* S. Sosio, *quam in Actis* S. Januarii ; *illudque a Stephano episcopo visum et suggestum Joanni diacono, de* S. Sosii *gestis scripturo. Tertio dubitabat Stephanus, an illud scriptum in omnibus consonaret Actis* S. Januarii, *quæ optime noverat, et pro veris procul dubio habebat. Hoc dicit his verbis :* Cunctando assero, utrum necne S. Januarii Gestis.... aliqua ex parte sit diversa, *scriptura nempe illa de* Sosio. *Quarto voluit Stephanus, ut, qualiscumque foret scriptura, cum saltem plura de* S. Sosio *contineret, illam in manus sumeret Joannes, resecandoque, addendo et corrigendo, ex illa formaret* S. Sosii *Acta. Quinto dubitandum non est, quin etiam desideraverit Stephanus, ut Diaconus Acta* S. Sosii *sic concinnaret, ut Actis* S. Januarii *plane essent consona. Certe Joannes diaconus hoc fecit, et, ubicumque dissonant Acta vetusta* S. Januarii *ab illa scriptura de* S. Sosio, *quam nuper luci dedit Mazochius,* S. Januarii *Actus secutus est Joannes, omissa illa scriptura. Nam secundum hanc scripturam sub Dracontio judice coronati sunt Sancti. At secundum Acta* S Januarii, *cui assentitur Joannes diaconus, Sancti omnes sub Timotheo præside ad coronam pervenerunt ; licet* S. Sosius *cum tribus Puteolanis jam in carcerem esset conjectus a Dracontio, priusquam Timotheus administrationem Campaniæ obtineret. Rursum Joannes diaconus potius secutus est Acta* S.Januarii, *quam* Sosii, *in referenda occasione et loco, quo captus est* S.Januarius, *quoque deinde comprehensi sunt* Festus et Desiderius, *ac etiam in tempore, quo* Proculus, Eutiches *et* Acutius *in manus persecutorum pervenerunt. Demum in expositione Sanctorum ad bestias et in omnibus aliis factis, in quibus Acta* S. Januarii *ab Actis* S. Sosii *differunt, priora secutus est Diaconus, relictis posterioribus.* E

videntur illa jam exstitisse seculo VII aut VIII.

22 *Non diffitebitur, opinor, ipse Mazochius, Joannem diaconum ubique inhæsisse Actis* S. Januarii, *quando hæc cum suis* S. Sosii *Actis conciliari nequeunt. Idem observari potest de Raynerio infra memorando, qui scripsit translationem* SS. Eutychetis *et* Acutii. *Hisce adjunge collectorem Actorum* S. Proculi, *quæ habeo scripta, et in omnibus conformia prioribus* S. Januarii *Actis. Quid igitur, inquiet aliquis, ex Actis Mazochianis Joannes diaconus, aliique medio ævo adoptarunt? Respondeo, me apud alios mox laudatos parum aut fere nihil reperire, quod ex illis Actis profluxerit. At Joannes diaconus ex illis accepisse videtur omnia illa, quæ de* S. Sosio *narrat ante comprehensionem, et de mutua inter ipsum et* S. Januarium *amicitia. Ex iisdem verisimiliter Actis didicit nomen Dracontii judicis, cujus jussu captus est* S. Sosius, *uti et alia nonnulla in Annotatis assignanda. Hæc autem sufficiunt, ut credamus, Acta illa Joanni diacono præluxisse, præsertim cum antiquiores ipso martyrologi Latini elogia sua, data num.* 5, *de* SS. Januario *et Sociis, uti et seorsum de* S. Sosio, *ex iisdem Actis composuerint, ut minime dubitandum sit, quin illa Acta seculo* VII *aut* VIII *exstiterint. Verum modo propius investigandum est, an illa videantur prima* S. Januarii *Acta, nostraque ex iis composita, quemadmodum credidit Mazochius : nam mihi contrarium potius verum videtur et certum. Accipe igitur, lector studiose, Actorum comparationem, et argumenta illa, quæ mihi persuadent, Acta* S. Januarii, *qualia habentur in codice nostro, antiquiora esse Actis a Mazochio editis.* F

In Actis Mazochii, quæ incertis argumentis Græce scripta censet,

23 *In Actis nostris nulla legitur corporum translatio : sed ultima Actorum verba in codice nostro hæc sunt :* Ubi postea dignam beati Januarii martyris basilicam condiderunt. *Eodem modo finiuntur in codice Rubeæ Vallis, ut omnino verisimile sit, Acta fuisse conscripta senescente seculo* IV *aut ineunte* V, *ante translationem corporis* S. Januarii. *At in Actis Mazochii, in quibus eadem verba de condita*

A *condita* S. Januarii *basilica pag.* 278 *leguntur, mox adduntur plura, nimirum translatio* S. Januarii *Neapolim, et dies, quo festivitas ipsius celebratur; ex quibus videtur inferendum, Acta illa fuisse conscripta post translationem. Quod vero suspicatur Mazochius, posteriora illa de corporis translatione Actis antea Græce conscriptis addita esse, quando reddita sunt Latina, admodum incertum est duplici ex parte. Quippe, licet Mazochius multum contendat, Acta illa primum Græce conscripta esse, et ex Græcis facta Latina; multaque alleget ad id probandum, vehementer tamen dubito, an opinionem suam peritis linguæ Græcæ sit ita persuasurus, ut nullum remaneat dubium, imo etiam, ut eam pro vera aut magis probabili sint habituri. Ego certe stylum Græcorum in Actis Mazochii reperire nequeo. Observationes vero ipsius tales esse credo, ut magis ostendant, linguam Græcam Mazochio esse cognitam, quam Acta ad Latinum sermonem ex Græco fuisse translata: omnia enim illa, in quibus hellenismos deprehendere se credit, auctoris aut exscribentium menda facile esse possunt.*

refertur prima corporis translatio, non item in nostris:

24 *Verum nolim prolixam hic texere disputationem ad examinandum, Actane illa fuerint primum Græce an Latine scripta, cum id nihil prodesse possit ad illorum fidem augendam aut minuendam; nihil conducere valeat ad majorem illorum aut minorem vetustatem deprehendendam. Sive enim Latine sive Græce scripserit auctor Actorum; fateor, addi potuisse ea, quæ in illis de translatione* S. Januarii *leguntur; nec minus fateri debet Mazochius, incertum esse, an illa fuerint addita etiamsi Acta Græca fuisse credamus. Omissa igitur disputatione de origine Græca aut Latina Actorum, quæ prolixa magis fierit, quam utilis; solum observo, nullum proferri codicem, in quo Acta sine translatione leguntur, et aliunde etiam probandum, non tam vetusta esse Acta Mazochiana, ut translatio* S. Januarii *nequeat esse primi auctoris.*

aliis rationibus ostenditur, nostra esse vetustiora:

25 *Aliud argumentum, quo evincam, Acta Mazochiana nostris posteriora esse, ex collatione utrorumque desumo. Referunt Acta Mazochiana pag.* 272, *flammam ex capite* S. Sosii *emicantem a* S. Januario *esse visam, indeque* S. Januarium *prædixisse*, S. Sosium *martyrio coronandum. Factum hoc ejusmodi est, ut non minorem* S. Ja-
C nuario *laudem conciliet, quam* S. Sosio, *cum* S. Januarius *non modo solus dicatur flammam illam vidisse; sed etiam voce prophetica martyrium* S. Sosii *prædixisse. Hoc igitur factum non debebat omitti in Actis* S. Januarii, *si notum fuisset auctori. Ignotum vero esse non poterat, si ille ex Actis Mazochianis sua de* S. Januario *composuit. Itaque necessario dicendum, Acta Mazochiana non fuisse visa a collectore Actorum* S. Januarii; *cum hic nec posset nec deberet vaticinium istud* S. Januarii *omittere, si illud legisset in Actis, quæ ante se habebat, et magna ex parte exscribebat. Omittere similiter non debuisset, quæ de amicitia inter* Januarium *et* Sosium *in Actis Mazochianis referuntur. Nihilo magis inducere debebat Timotheum præsidem, si omnia coram Dracontio præside fuissent peracta, ut habent Acta Mazochiana. Itaque, cum alter alterum exscripserit, ut ex collatione fit manifestum, necesse est, ut dicamus, Acta Mazochiana ex Actis* S. Januarii *fuisse composita, et aliunde partim aucta, partim corrupta a scriptore ignorante, aut certe minus perito.*

26 *Existimabit fortasse Mazochius, telum hoc non minori efficacia repercutiendum in Acta nostra, cum auctor Mazochianus plura etiam prætermiserit ex illis, quæ relata sunt in nostris. Prætermisit ille omnia, quæ* S. Januario *Nolæ accidisse leguntur. Omisit cæcitatem et mortem Timothei judicis, multaque* S. Januarii *et aliorum dicta amputavit. Scio hæc objici posse, nec dubito, quin eruditus Mazochius harum omissionum causa in eam perductus sit opinionem, ut Acta sua sincera crederet, et aliis præferenda. Verum infra ostendam, plura in Actis Mazochianis esse improbabilia, quam in nostris, si excipiamus dicta, in quibus Acta nostra magis peccant. Nunc vero rationes assignabo, ob quas auctor Mazochianus omnia illa omittere posset, etiamsi Acta nostra haberet præ oculis.*

auctoris J. S. nec potest Mazochianus eadem ratione

recte contra nostra allegare.

27 *Scribebat ille maxime de* S. Sosio, *ut ex initio colligitur, et confirmatur ex præfatione Joannis diaconi, cui Acta illa ad concinnandam* S. Sosii *Historiam tradita sunt. Consentientem hic habeo Mazochium in Additamentis pag.* 964, *ubi de Actis suis ait :* Nam si huic Passione verissimus titulus præmittendus fuisset; non is erat, qui nunc post tot sæcula præscribitur, sed ferme hujusmodi : « Passio SS. Sosii, Januarii, et Sociorum martyrum. » *Fuerit igitur auctor ex clero vel populo ecclesiæ Misenensis. Quare mirari non possu-* E *mus, ipsum omisisse ea* S. Januarii *gesta, quibus* Sosius *non adfuerat, cum propter* Sosium *de* S. Januario *solum scriberet. Ita in Actis* S. Proculi, *de quibus agam num.* 35, *multa prætermissa sunt brevitatis gratia, quæ magis ad Socios martyres, quam ad* S. Proculum *attinebant. Hæc sola observatio sufficit ad intelligendum, quare omissa sint omnia gesta Nolana, nimirum quia* Sosius *ibi non fuit, nec ad ipsum ea spectabant. Eadem de causa potuit omittere cæcitatem, sanationem, ac demum mortem Timothei tyranni, multaque* S. Januarii *et aliorum dicta, quia nihil horum pertinebat ad* Sosium. *Fortasse etiam posteriora laudatus scriptor prætermisit, quod vera non crederet, aut saltem non satis certa. Nihil igitur prætermisit Mazochianus auctor, quod non posset jure optimo prætermittere, etsi Acta nostra haberet cognita, præsertim cum videatur breviter scribere voluisse. At vaticinium* S. Januarii *non poterat ob ullam ex allatis rationibus omittere auctor Actorum nostrorum, si præ oculis habebat Acta Mazochiana.*

In illis Actis quædam diverso modo relata; singulaque suos habent sectatores:

28 *Jam vero multa quoque facta diverso modo in Actis illis referuntur, et non minus certum est, secundum auctorem a primi vestigiis non raro decessisse, quam sit manifestum ex similitudine multorum verborum unum ab altero fuisse visum. Ambo quoque suos habuere sectatores. Acta Mazochiana secutus est Beda aut Florus cum reliquis martyrologis Latinis, quorum elogia manifeste ex illis Actis profluxerunt, cum* S. Januarium *Sociosque omnes, judice Dracontio, ad palmam pervenisse scribant. Actis Baronianis aut nostris inhæserunt omnes martyrologi Græci, et cum iis Joannes diaconus, qui utraque Acta seculo* X *præ manibus habuit; sed nostra Mazochianis constanter prætulit, quemadmodum et Raynerius in Translatione* SS. Eutychetis *et* Acutii. *Possum addere et alios, qui Acta* S. Januarii *nonnihil auxerunt, aut pro Breviariis legendas ex illis concinnarunt; sed illorum auctoritatem non magni esse ponderis lubens agnosco. Ex dictis facile videbit lector eruditus, et partium studio vacuus, non tanto esse majorem pro alterutra Passione auctoritatem, ut ea multum valere possit ad unam alteri præferendam. Nam, quamvis Joannis diaconi judicium ceteris omnibus præponderare videatur, quandoquidem ipse utraque vidit Acta et invicem contulit,* quod

AUCTORE J. S.

quod verisimiliter nullus fecit ex iis, qui Acta Mazochiana secuti sunt, nequit tamen solum ipsius judicium mihi sufficere ad Acta nostra aliis præponenda, cum inficiari non debeam, ea minime videri in omnibus probanda, nec vitiis carere.

nonnulla in Actis nostris suspectæ fidei:

29 *Etenim in Actis nostris displicent primo discursus aliqui inter judicem et* S. Januarium, *quos auctoris potius esse, quam illorum, omnino mihi persuadeo, prout in Annotatis observabo. Displicet non minus* S. Januarii *oratio contra tyrannum, qui ea oratione dicitur in cæcitatem incidisse. Displicet, aut suspecta saltem est ea ipsa judicis cæcitas, secutaque per preces* S. Januarii *sanatio. Suspecta demum est mors tyranni. Hæc omnia parum fidei mereri, ultro agnosco et profiteor; præsertim cum auctor non sit contemporaneus; sed medio saltem seculo, et forsan toto posterior. Etenim narrat, constructam fuisse* S. Januario *ecclesiam in loco sepulturæ, nec illius ecclesiæ constructionem refert ut novam, ut omnino verisimile sit, Acta fuisse conscripta non diu ante corporis translationem, sive vergente ad fi-* B *nem seculo* IV, *aut inchoato* V. *Hæc igitur, quæ jam recensui, fidem, saltem indubitatam, non merentur in Actis auctoris tanto tempore posterioris: neque illa leguntur in Actis Mazochianis. Quare hæc omnino præferenda essent, nisi in aliis peccarent, et ex variis indiciis viderentur serius scripta. Si autem constiterit, serius esse scripta; constat similiter, multa ex aliis desumpta, et iis meliora non esse.*

in Actis vero Mazochianis aliqua

30 *Accipe itaque, lector, non pauca, quæ in Actis Mazochianis videntur improbabilia. Primo* S. Sosius *dicitur captus, carcerique inclusus : deinde vero condemnatus ad mortem, et revera capite cæsus. Attamen nulla uspiam fit mentio de ipsius interrogatione, acsi plane inauditus ad mortem fuisset condemnatus et occisus. Hoc vero est contra omnem consuetudinem judicum Romanorum, qui Martyres ad mortem damnare non solebant, nisi interrogatos et auditos, præterquam in casibus extraordinariis. Quare incredibile est,* Sosium *sine ullo examine fuisse occisum. Quid ergo causæ esse dicemus, quod nihil scriptor ille habeat de interrogatione* Sosii, *de quo præcipue scribebat? Nullam aliam reperio causam, quam quod diu post scripserit, nihilque singulare de* Sosii *interrogatione invenerit in Actis prioribus : nam illorum auctor solum generatim de* Sosio, *et tribus* C *Martyribus Puteolanis dixit,* diversis suppliciis maceratos, *fuisse detrusos in carcerem. Secundo quando narratur comprehensio* S. Sosii, *non additur, qua in civitate fuerit captus, et utrum Miseni, an Puteolis fuerit carceri mancipatus : quod rursus non erat silendum ab auctore fere contemporaneo, qualem suum credidit Mazochius.*

non minus sunt improbabilia;

31 *Tertio improbabile est,* S. Januarium *cum* SS. Festo *et* Desiderio *venisse in carcerem, ibique publice fuisse conquestos de* Sosii *captivitate, cum in fervore persecutionis ultro se tyrannis tradere ministri ecclesiæ non deberent. Quarto magis etiam improbabile et plane ridiculum est, quod ibi in Actis sequitur. Nam secundum Acta milites habebant mandatum de capiendo* Januario *et Sociis, cognoscebant ipsos, nec tamen comprehendebant, sed iis dimissis, judicem monebant. Quinto improbabile est, quod dicitur de arena parata, ut Sancti feris objicerentur, et de re tota omissa, quod judex nonnihil tardasset. Cum enim ad publica illa spectacula maximus esset hominum concursus, non facile omissum fuisset spectaculum. Et vero non defuisse tempus, abunde docerent sequentia, quæ tamquam eodem die facta narrantur. Sexto parum* D *verisimile est, quod dicitur de* Proculo, Eutychete *et* Acutio *captis, dum alii ad supplicium ducebantur, et jussu præsidis una occisis cum ipsis sine ullo examine : si qui enim sic occisi aliquando fuerint, id saltem rarissimum est, nec credendum auctori tali, cum in aliis Actis diu ante capti referantur.*

aliaque invicem repugnantia,

32 *Ex disputatis colliget eruditus lector, longissime abesse me ab opinione Mazochii, qui Acta sua commendavit* ut pulcherrima, ut antiquitate, brevi-loquentia, simplicitate nec non gravitate se mirifice commendantia, *ac demum ut* sincera. *At, me judice, ea Acta non sunt* antiquitate *commendanda nec* pulchritudine : *sed hominis sunt longe posterioris, qui* S. Sosium *exornare voluit, ideoque initio de ipso narravit omnia, quæ dicebantur Miseni; cumque* S. Sosii *martyrium referre non posset, nisi etiam de* S. Januario *et aliis mentionem faceret, ex Actis illius selegit, quæ voluit; alia vero aut omisit aut mutavit pro arbitrio. Hinc nec* brevilo-quentia *laudandus est, sed silentio suo de* S. Sosii E *interrogationibus, et cruciatibus martyrio præviis, tam hujus quam aliorum, aperte prodit, nihil sibi compertum fuisse de gestis in martyrio præterea, quæ legebat in Actis* S. Januarii. *Si usus esset simplicitate ac gravitate debita, si inventa in Actis* S. Januarii *numquam mutare voluisset; non toties in brevi lucubratione assereret opposita et contraria. Apud Mazochium num.* I *asserit,* Sanctos propter metum paganorum non facile in publicis locis *comparuisse, idque omnino probabiliter. At num,* 3 S. Januarium *cum* Festo *et* Desiderio *perducit ad carcerem, eoque modo loquentes inducit, ut non possent non innotescere, Sic num.* 5 Proculum *diaconum cum* Eutychete *et* Acutio *publice de condemnatione Sanctorum facit conquerentes. Componat illa cum prioribus, et cum prudentiæ legibus, qui potest.*

ut postponenda hæc sint prioribus, ubi dissentiunt.

33 *Certe sex illorum Martyrum comprehensio satis verisimilis est, prout refertur in Actis* S. Januarii : *at non facile credenda, prout narratur apud Mazochium, et prioribus illius scriptoris dictis contraria. Secum pugnantia esse militum verba num.* 3 *apud Mazochium, jam observavi. Nam dicunt, venisse* Januarium *et Socios ad carcerem, et sibi mandatam fuisse eorum comprehensionem : nec tamen ceperant. Rursum num.* 4 *pugnantia loquitur auctor, dum ait, nimis sero fuisse ad Sanctos bestiis exponendos; mox tamen refert reductos ex amphitheatro Sanctos, sententiam dictatam, Sanctos extra civitatem ductos ad locum supplicii, denuntiatos judici tres Christianos, hosque ejus jussu captos, et cum reliquis occisos At hæc omnia plus temporis exigebant, quam necessarium erat ad Sanctos ferarum morsibus objiciendos, ad quod omnia jam antea erant parata. Mitto alia in Annotatis assignanda, et ex omnibus concludo standum non videri Actis Mazochii, sed Actis* S. Januarii, *ubi dissentiunt.* F

Acta priora in quibusdam codicibus nonnihil mutata:

34 *Porro laudata* S. Januarii *Acta etiam reperiuntur in bibliothecis quibusdam Germaniæ cum nonnullo augmento et mutatione in principio, et cum translationibus corporum et miraculis in fine. Initium Actorum in illis codicibus tale est :* Tempore, quo Carus cæsar monarchiam regni Romani tenuit *etc. Mox vero pergitur ad Diocletianum et persecutionem ab eo excitatam, et de præside, sub quo* S. Januarius *aliique passi sunt, paulo post dicitur, missum a Diocletiano fuisse* Timotheum judicem, *qui* alio nomine Dracontius dicebatur. *Cetera omnia consonant Actis* S. Januarii *primo loco*

A *co edendis. Horum Actorum exemplar accepimus ex codice abbatiæ Richenoviensis in Suevia, missum anno* 1748 *a P. Mauritio Chardon S. J., de Opere nostre optime merito, et anno* 1753 *ad meliorem, ut speramus, vitam translato. Aliud exemplar isti consonum dudum habuimus ex codice S. Maximini Trevirensis. Nolim tamen ex dictis Mss. inferre, judicem, sub quo passi sunt Sancti, alio nomine* Timotheum, *alio* Dracontium *fuisse appellatum. Fuit ista conjectura illius, qui medio ævo antiquis Actis novum assuere initium voluit, quod judicem in Actis* Timotheum, *alibi vero, in Martyrologiis, opinor,* Dracontium *invenerit nominatum; sed multo rectius Joannes Diaconus* Dracontium *facit Timothei decessorem. Nam Dracontius quatuor ex Martyribus nostris comprehendit, et carceri mancipatos reliquit. Tres vero alios comprehendi jussit successor ipsius Timotheus, cujus mandato omnes demum occisi sunt.*

alia S. Proculi nomine insignata.

35 *Neque solum duo illi judices comparent in Actis Joannis Diaconi, de quibus mox agam; sed etiam Acta Mss,* S. Procuni *nomine insignita, Dracontium nominant, et deinde Timotheum, omniaque referant eo ordine, sed brevius, quo relata sunt a Joanne Diacono. Acta illa* S. Proculi *ex* B *Mss. ecclesiæ Puteolanæ anno* 1639 *ad Majores nostros misit Antonius Beatillus, scriptis non paucis notus, et in Opere nostro frequenter laudatus. Edam brevia hæc Acta loco tertio, licet parum aut fere nihil addant ad Acta* S. Januarii. *Ex illis perspicet lector diligens, Puteolanos non inhæsisse Actis Mazochii, sed primis* S. Januarii *Actis. Observare nihilo minus poterit, multa in Actis Puteolanis brevitatis gratia omitti, sicut non pauca omissa fuerunt in Actis Mazochii, quæ videntur fuisse ecclesiæ Misenensis: indeque ulterius concludet, non statim pro fictitiis habenda esse, quæ prætermissa fuerunt in Actis particularibus.*

§. III. Acta a Joanne Diacono ex antiquioribus composita, una cum Translatione S. Sosii: plura translationum Acta, et quo ordine omnia edenda: Acta Græca fabulosa, Vitæ recentiores.

C

Joannes diaconus Neapolitanus, non circa 920, alia S. Proculi nomine insignita,

Ordo rerum nos perduxit ad Joannem Diaconum, qui Acta Martyrum nostrorum scripsit sub initium seculi x, *quando corpus* S. Sosii *ex Misenate castello Neapolim fuerat translatum. Scriptores Neapolitani translationem istam passim figunt anno* 920, *indeque sequeretur, Acta a Joanne Diacono fuisse conscripta eodem anno* 920, *aut non diu post: nam satis ipse insinuat, non longo post prædictam translationem tempore Acta hæc fuisse composita. Verum, ut observat Muratorius tom.* I *Scriptorum Italiæ part.* 2 *pag.* 287 *in Præfatione ad Chronicon Joannis Diaconi, assignatus ille translationis annus nequit certo probari argumento. Imo credidit Muratorius, multo citius factam translationem, ita scribens:* Fallitur Ughellus in assignando translationis memoratæ anno, nihil enim in ea narratione occurrit, quod tempus indicet illius sacri operis, idque longe antea factum opinari possumus. *Hæc quidem celeberrimus Muratorius, cui assentior, annum* 920 *non esse designandum. Nam ex collatis invicem duobus Opusculis Joannis Diaconi satis erui potest, non longe anno* 910 *posteriorem esse translationem.*

AUCTORE J. S.

sed non diu post annum 910 Vitam et Translationem S. Sosii scripsit,

37 *Etenim laudatus Joannes in Chronico pag.* 317 *hæc scribit in gestis S. Athanasii episcopi Neapolitani:* Eodem quoque tempore Misenatis ecclesia, peccatis exigentibus, a paganis devastata est. *De vastatione illius civitatis in translatione sic loquitur:* Nam sexaginta evolutos jam pene per annos ab Hismaëlitis *(Id est, Saracenis)* erat demolitum oppidum illud, et ad solum usque prostratum. *Itaque ruina Miseni contigit in episcopatu S. Athanasii, et sexaginta fere annis ante translationem. Episcopatum adeptus est S. Athanasius ultimis fere diebus anni* 849. *Nam, teste Diacono, obiit anno* 872, *die* xv *Julii,* sedit *vero* annos xxii, menses sex, dies xxiv, *ut idem habet pag.* 316. *Itaque creatus est episcopus circa festa Natalis Domini anno* 849; *seditque sub tribus ducibus Neapolitanis, videlicet sub Sergio I patre suo, sub Gregorio fratre, et sub Sergio II fratris filio, quemadmodum narrat Joannes Diaconus, ex quo Vita S. Athanasii apud nos data ad* xv *Julii. Destructum est Misenum Sergio I ducatum tenente: nam Sergius I bona ecclesiæ Misenatis destructæ, rogante S. Athanasio, dedit Neapolitanæ. Attamen illa vastatio non videtur contigisse primo anno episcopatus* E *S. Athanasii, cum ante illam alia quædam Athanasii gesta narrentur. Quare Miseni destructio videtur figenda uno alterove anno post annum* 850, *et consequenter translatio* S. Sosii, *annis fere sexaginta posterior, non diu post* 910. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 845 *refert, Misenum a Saracenis fuisse captum, ut etiam habet Joannes Diaconus in S. Joanne episcopo, decessore S. Athanasii. Itaque Saraceni eam civitatem aliquot annis possederunt, et demum destruxerunt.*

post plura alia opuscula, et Chronicon diu ante scriptum:

38 *Porro laudatus Joannes plura scripsit Opuscula, ut ipse etiam innuit primis prologi sui verbis:* Post nonnulla tyrocinii mei Opuscula *etc. Ex his apud nos tom.* I *Januarii in Appendice pag.* 1098 *edita est Translatio S. Severini, conscripta ad preces Joannis abbatis, quo similiter rogante et Stephano episcopo impellente, Acta et Translationem* S. Sosii *conscripsit. Verum illa S. Severini Translatio non fuit ex tyrocinii Opusculis, sed verisimiliter scripta est anno* 909 *aut* 910, *quando contigit, aut non diu post, certe ante hanc Translationem, in qua de illa auctor meminit, tamquam de re non diu admodum præterita. At inter priora Joannis Diaconi Opuscula certo est Chronicon episcoporum* F *Neapolitanorum, ex quo jam variæ apud nos datæ sunt Sanctorum Vitæ, et quod totum edidit Muratorius loco jam assignato. Perduxit autem Chronicon istud usque ad S. Athanasii mortem, sive usque ad annum* 872, *et subinde insinuat, se juvenem fuisse, dum illud scribebat. Alia illius Opuscula enumerantur in Præfatione ad Chronicon.*

nec geminus is Joannes sed idem:

39 *Hic tamen cum aliis observandum, non duos fuisse Joannes ecclesiæ Neapolitanæ diaconos illorum Opusculorum auctores, ut nonnulli crediderunt. Fundamentum illius opinionis exponit Sabbatinus, modo episcopus Aquilanus, in Vetusto Calendario Neapolitano, mense Septembri pag,* 82, *in hunc modum. Erat jam in vivis Joannes Diaconus, quando episcopus erat S. Joannes IV, anno* 849 *defunctus. Quomodo ergo, inquiunt, anno* 920 *adfuit translationi* S. Sosii? *Respondet Sabbatinus, non esse necesse, ut anno* 920 *multum superaverit annos octoginta. Hæc quidem ætas non est incredibilis, at mihi non videtur necessaria. Etenim nec anno* 920 *facta est translatio, ut jam vidimus: nec invenio, an melius probatum sit, Joannem Diaconum S. Joanni*

AUCTORE J. S.

anni episcopo convixisse. Si tamen posterioribus illius annis fuerit natus, tantum erat ætatis mediæ inter annos sexaginta et septuaginta, dum facta est translatio, non diu post annum 910 figenda. Et sane quæ ipse de se narrat in illo Opusculo, minime insinuant virum decrepitum. Quare ab ætate nullum plane est argumentum pro gemino Joanne; nec ullum est aliunde. Nam, ut observat Muratorius, Utrobique conveniunt nomen, munus, patria, et diaconia, quandoquidem utriusque Operis scriptor appellatur « Joannes diaconus sancti Januarii. » Hæc sufficiunt ad minime dubitandum, quin idem Joannes, qui juvenis Chronicon scripsit, deinde etiam Acta S. Sosii et reliquorum Martyrum nostrorum, una cum Sosii translatione, in qua magnam habuerat partem, exaraverit. Quod autem uno alterove loco majores nostri collocaverint illum sub finem seculi v, ut studiose observat Sabbatinus pag. 83, id factum ex lapsu memoriæ, cum sæpissime ætatem ipsius recte assignaverint.

scripsit in Acta fideliter ut apud antiquiores invenerat, et Translationem visum.

40 Quod modo spectat ad fidem et crisim, quibus in scribendo usus est Joannes; profitetur ille in Præfatione, nihil irritum, nihil ambiguum se scribere voluisse, ideoque nihil dixisse de parentibus S. Sosii, quia nihil de illis apud antiquos scriptum reperiebat. Nihil itaque scripsisse Joannem præter ea, quæ et apud vetustiores invenerat, et vera credebat, omnino mihi persuadeo, quia revera nihil apud ipsum invenio, quod antiquiores non habent. Usus etiam est aliqua saltem crisi in scribendo, ut sibi mandatum fuisse a Stephano episcopo Neapolitano testatur. Nam Stephanus detrectanti scribere, ne falsa narraret, non modo Scripturam aliquam de S. Sosio, cum Actis vetustis S. Januarii conferendam, suggesserat, sed etiam dixerat : Superflua reseca, necessaria subroga, inerta abjice. Hoc mandatum spectat non solum ad Acta Sosii, per Mazochium edita, sed etiam ad alia omnia, quæ Joanni præluxerunt : ex omnibus enim nonnulla resecta video. Retinuit igitur ea dumtaxat Joannes, quæ ceteris meliora et probabiliora credidit : resecuitque nonnulla in variis etiam lucubrationibus inventa, ut ostendam in Annotatis. Hisce de causis non est contemnendum hujus scriptoris judicium, cum quia pro avo suo doctus fuit, tum quia in scribendo Chronico monumenta omnia ecclesiæ Neapolitanæ perlustrare debuit. Vel sic tamen inficiari nolim, in hac etiam Joannis Lucubratione reperiri facta nonnulla, quæ pro certis haberi nequeunt, tum quia carent C auctoritate scriptoris alicujus contemporanei, tum quia talia sunt, ut difficulter fidem inveniant, nisi certo fulciantur testimonio. Hæc de Actis martyrii : Inventio vero et translatio corporis sancti Sosii, cujus testis oculatus est Joannes, fidem meretur indubitatam. Dabimus laudata Acta ex Mss., altero Neapolitano, per Beatillum anno 1638 huc misso, altero Romano, quod in tabulario Vaticano exscribendum curavimus, et cum codice ipsi contulimus; editionem vero Surii cum Mss. conferemus.

Translatio Eutychetis et Acutii a Raynerio scripta :

41 Præter Acta hactenus memorata, Falconius varia etiam edidit Acta translationum, quæ recensebo eodem ordine, quo dantur ab ipso. Prima ex his pag. 181 edidit Martyrium et translationem SS. Eutichetis et Acutii, quorum corpora seculo VIII dicuntur Puteolis Neapolim translata. Auctor se vocat Raynerium exiguum, quem aliunde ignotum esse fatetur Falconius. Attamen hic ipsum dicit contemporaneum; sed hoc ego invenire nequeo. Certe multis seculis abfuit a martyrio Sanctorum, et de iis revera tam pauca refert, ut præter verba, et crassos aliquot errores, vix aliquid addat ad ea, quæ de Eutychete et Acutio in primis Actis referuntur. Illam itaque partem omittam, licet totam D Raynerii lucubrationem etiam habeam ex Ms. Neapolitano collectionis Antonii Caraccioli. Solam Translationem cum miraculo postea secuto edidit laudatus Caracciolus in Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ, et deinde Ughellus. Hanc similiter ex omnibus inter se collatis dabo. Non ausim tamen asserere cum Falconio, Raynerium fuisse contemporaneum, aut non longe ab eo tempore vixisse, ut credidit Caracciolus. Nam magis jejune translationem narrat, quam faceret scriptor contemporaneus. Præterea Actis inserit duodecim versus Leoninos, qui non congruunt octavo aut nono seculo, sed magis duodecimo. Et sane occasio scribendi orta est ex senatione nobilis mulieris, ad cujus preces scripsit de Sanctis illis Raynerius, aliquot forte seculis post translationem peractam.

alia Januarii; alia Festi et Desiderii, aliaque non edenda.

42 Sequitur apud Falconium pag. 489 Translatio S. Januarii Beneventum. Hæc translatio seculo IX facta, et a scriptore anonymo, sed synchrono, qui rebus gestis adfuerat, enarrata est. Miracula etiam aliqua post facta referuntur. Hanc Lucubrationem jam ante edidit Caracciolus. Ego illam etiam habeo ex Ms. Vaticano, nimirum ex codice 6074, quocum exemplar exscriptum nos ipsi anno E 1754 contulimus. Hoc itaque exemplar edere volui, Annotatisque jam illustraveram, quando Neapoli huc allata est collectio Ms. Chioccarelli, cum aliis etiam Neapolitanis collatum, utcumque correctius esse, hoc tam pro translatione Beneventana, quam pro Homilia de Miraculis memoranda, præferendum censui, Annotataque omnia eatenus mutanda. Dabo igitur Translationem ex Ms. Chioccarelli, cum aliis Mss. et editionibus collato. Alia rursum pag. 196 apud laudatum Falconium Translatio legitur; nempe SS. Festi et Desiderii Beneventum, conscripta ab auctore non solum anonymo, sed longe etiam posteriore, qui multum fidei non meretur. Demum post Translationem Sosii jam memoratam, Falconius pag. 215 edidit Carmen Italicum Bernardini Siculi, Ordinis Minorum, quod composuit de ultimis S. Januarii translationibus, nimirum Benevento ad Montem-Virginis et e Monte-Virginis Neapolim. Hic poëta, qui posteriori translationi adfuerat, solum usui esse poterit in Commentario, in quo asserta ipsius tam de translationibus, quam de factis aliis examinabuntur. F

Homilia de miraculis S. Januarii.

43 Præter hactenus enumeratas translationes, Falconius pag. 153 edidit Miracula, ab Anonymo scripta, ante jam edita a Caracciolo cap. 20 § 25, sive Homiliam de miraculis sancti Januarii, in ipsius festivitate dictam, de qua etiam meminit Baronius in Annotatis ad Martyrologium. Non eamdem anno 1753 exscribendam curavimus ex codice Vaticano 6074, et apographum cum codice contulimus. Eamdem rursum Neapoli accepimus ex Collectione Ms Chioccarelli, in qua correctior est, quam in codice Vaticano sæpe mendoso. Conscripta fuit hæc Lucubratio, quando corpus S. Januarii adhuc erat Neapoli, sive ante translationem Beneventanam post annum 817 factam. At propius tempus ex nullo indicio investigare possumus. Dabo et hanc Relationem ex Ms. Chioccarelli, collatam cum altero Ms. et editione gemina. Ceterum non recenseo Officia et alia quædam minoris momenti documenta, et auctaria Actorum, sive edita apud Falconium, sive transmissa nobis manuscripta : si quid tamen in illis per decursum occurrerit, quod possit conducere ad gesta S. Januarii aut Sociorum illustrandum; docebo, unde singula, quæ afferentur, ad

A *ad nos pervenerint. Nunc vero ordinem omnium edendorum breviter subjungo.*

Ordo omnium de his Martyribus edendorum.

44 *Primo edam Acta* S. Januarii *et Sociorum, quæ reliquis omnibus vetustiora credo, et composita sub finem seculi quarti aut initium quinti. Hæc autem sic dabo ex Mss. nostris duobus, ut vitia nonnulla grammaticalia correcturus sim ex aliis Mss. et editis, quantum expedire videtur. Dabo et Appendicem horum Actorum. Secundo recudam Acta Mazochii, tamquam Acta* S. Sosii, *cujus gratia videntur composita ab aliquo Misenate, ac verisimiliter pro Officio* S. Socii, *adulto forsan seculo* v *aut etiam serius. Objectiones Sabbatini, qui contendit seculo* xii *aut* xiii *concinnata esse, quia tunc conscriptus est codex, in quo reperta sunt, non moror: neque enim Acta dicuntur composita, quando in codicem aliquem illata sunt. Tertio edam ex Ms. Acta particularia* S. Proculi, *quæ primis plane conformia, et incerto tempore verisimiliter pro Officio concinnata. Quarto loco ponam Acta per Joannem Diaconum ex illis omnibus collecta, et recentiora quidem aliis, pleniora tamen, una cum Translatione* S. Sosii. *Post Acta sequentur Translationes reliquæ et Miracula suo* B *ordine. At, cum translatio* SS. Festi *et* Desiderii *ex loco sepulturæ Beneventum, satis legatur in Appendice ad Acta prima, non dabitur altera paulo prolixior relatio, quia fabulosa videtur. Verum post Vitas statim edetur Homilia de Miraculis* S. Januarii, *factis Neapoli. Deinde translatio* SS. Eutychetis *et* Acutii *Neapolim, auctore Raynerio. Tertio Translatio* S. Januarii *Beneventum cum miraculis subsecutis. Translationes vero illas, quæ non reperiuntur Latino sermone conscriptæ, in Commentario elucidabimus.*

scripturam Græcam, quam sæpe allegavit Falconius

45 *Restant aliqua dicenda de Ms. Græco, quo multum usus est Falconius in concinnanda Historia de gestis* S Januarii. *Non edidit quidem laudatus scriptor Vitam illam Græcam, quam potius fabulam vocabimus, Vitam tamen* S. Januarii, *totam fere ex illa composuit, et verba illius Græci Ms. perpetuo in Annotatis recitavit ad confirmandam Historiam suam, imo et promisit, postea se Vitam illam editurum in Opusculo aliquo separato. Verum propositum illud mutavit, opinor, quia statim intellexit, Vitam illam Græcam, quam nimis facile pro legitima adoptaverat, eruditis multum suspectam esse. Certe, ubi Falconius anno* 1713 *Opus suum ediderat, statim sequenti* C *anno* 1714 *prodiit Opusculum Italicum scriptoris anonymi, in quo Vita illa Græca exploditur ut fabulosa, ei pro fœtu recentioris cujusdam impostoris non immerito rejicitur. Nec dubitat anonymus ille asserere pag.* 3, *doluisse totam urbem Neapolitanam de tot fabulis Vitæ* S. Januarii *ex Græco illo scripto infartis. Imo Falconium ipsum pœnituit, usum fuisse se Græca illa Lucubratione, et agnovit, nimiam se illi fidem in scriptis suis dedisse. Nam anno* 1714 *exemplar dictæ Lucubrationis Græcæ ad Majores nostros misit ope illustrissimi domini Dominici de Georgio, et prolixam adjunxit epistolam, in qua mentem suam de Græco illo scripto apertissime declarat, et nonnulla allegat argumenta ad ostendendum, non pauca in eo haberi fabulosa. Quin et nos rogat, ut sententiam suam de fabulis in scripto illo contentis in Opere nostro vulgemus, et rationes, quas habuit, ad non exponendas dubitationes suas de variis factis in illo contentis.*

quamque ipse postea fabulis fœdatam agnovit,

46 *Verum parum intererit lectoris cognoscere, suone judicio an alieno fabulosa pro veris habuerit Falconius. Suffecerit indicasse, ipsum postea melius fuisse edoctum, multaque ex iis, quæ tamquam vera adoptaverat, pro falsis et fictitiis habuisse. Vel sic tamen nostrum de illo scripto judicium non omnino consentit cum posteriore Falconii. Credidit ille in Præfatione Operis sui, Legendæ illius auctorem esse Emmanuelem quemdam monachum Basilianum, eumque scripsisse circa annum Christi* 500, *jubente Stephano I episcopo Neapolitano, prout revera ex fine utcumque colligeretur, si nulla fraudis esset suspicio. Ante Vitam leguntur hæc:* Exscripsit Gregorius monachus patris nostri Basilii ex pervetusto codice primigenio ancillarum Dei asceterii beati Marcellini Neapoleos, Callisti Papæ III anno i. *Creatus est Papa Callistus III anno* 1455, *eoque anno Legendam a Gregorio ex authentico Emmanuelis exscriptam credidit Falconius. At in Epistola existimavit, Lucubrationem Emmanuelis fuisse a Gregorio interpolatam, factisque fabulosis auctam. Ego magis credo, nec Emmanuelem esse auctorem, nec exscriptorem aut interpolatorem fuisse Gregorium; sed partum esse plane supposititium. Hoc mihi persuadent varia.*

totam credimus suppositiliam.

47 *Primo stylus non est hominis Græci, sed Latini, qui Græcum sermonem utcumque didicerat, quique sic noverat præcepta linguæ Græcæ, ut Græcis verbis dictionem Latinam exprimeret. Nam nec Græcorum antiquorum est stylus, nec recentiorum; sed potius adolescentis Græca discentis, qui ne præcepta quidem exacte novit.* E *Qua de causa nec Gregorium manachum, qui Vitam exscripsisse dicitur, Vitæ auctorem facile crediderim, nec alium istius temporis Græcum. Secundo non est verisimile, Legendam istam fuisse conscriptam ante Joannem Diaconum, cum hic eam prorsus ignoraverit, nec facile ignorare potuerit, si exstiterit Neapoli. Eamdem ignorarunt omnes scriptores Neapolitani posteriorum seculorum, quod satis mirabile est, si exscripta est anno* 1455 *a Gregorio monacho, præsertim cum illud ipsum scriptum Gregorii non fuerit productum, sed aliud recentius, ut nobis in litteris testatur ipse Falconius. Tertio omnes Ecclesiæ consuetudines, de quibus in illa Legenda fit mentio, insinuant scriptorem posteriorum seculorum, non seculi* v, *ut late probavit auctor anonymus Apologiæ ante laudatæ. Quarto tam multa minutatim de* S. Januario *asseruntur in illo scripto, ut auctor contemporaneus vix posset omnia alicujus gesta tam enucleate referre. Emmanuel tamen dicitur scripsisse circa annum* 500, *id est, ducentis fere annis post mortem Sancti; nec ullus ante vel post similia de* S. Januario *scripsit. Quapropter pro fabulosa habenda esset Vita, etiamsi constaret, scriptam fuisse circa annum* 500 *ab Emmanuele, quam personam fictitiam esse omnino existimamus.* F

et omnino abjiciendam.

48 *Ex dictis concludo, Actorum illorum Græcorum nullam prorsus habendam esse rationem, gaudeoque vehementer, ipsos eruditos Neapolitanos continuo se fabulis istis opposuisse, scriptoresque Falconio posteriores, quos mihi videre licuit, uno animo ab Actis illis fabulosis et supposititiis abstinuisse. Nam eo consilio evidenter demonstrarunt, se ita studiosos esse honoris et gloriæ* S. Januarii, *ut nolint tamen ineptis eam figmentis promovere, ne dicam obscurare. Qui vero ineptias illius scripti pluribus refutatas videre desiderat, adire poterit jam laudatam Apologiam pro miraculis* S. Januarii, *anno* 1714 *Neapoli Italice impressam, cujus pars prima unice conducit ad omnem isti scripto fidem detrahendam. Possent tamen eidem scripto fabuloso longe etiam plura opponi; sed consensus illud reprobantium facit, ut id necesse non sit. Hæc sufficient de Actis quibuscumque* S. Januarii *et Sociorum. Restat, ut pauca dicamus de scriptoribus aliquot neotericis, qui aut*

Vitas

AUCTORE J. S.

Vitas conscripserunt, aut gesta S. Januarii *et Sociorum reliquis prolixius elucidarunt.*

Scriptores, de S. Januario recentiores, inter quos Camillus Tutini.

49 *Vitam* S. Januarii *ediderunt recentiores plures vario idiomate. David Romæus Opusculum composuit Latinum, anno* 1571 *Neapoli impressum, de Septem sanctis patronis urbis Neapolitanæ, in eoque dat primo loco Vitam* S. Januarii *et sex Sociorum. Ejusdem* Januarii *et Sociorum Vitam Italice edidit Paulus Regius, episcopus Vici Equensis in Opusculo Italico de Septem patronis, et rursus in Opere de Sanctis regni Neapolitani part.* I *pag.* 507. *Hi ambo usi sunt stylo liberiore, et frequenter essent corrigendi, nisi nimiæ prolixitatis videretur singulos singulorum lapsus ubique assignare. Vitam deinde Sanctorum nostrorum Italicam anno* 1632 *typis dedit Julius Gazella, primum canonicus Neapolitanus, et demum ecclesiæ parœcialis rector, qui etiam Vitæ subjunxit carmina quædam, hymnos, aliaque in laudem* S. Januarii *composita. Anno sequenti* 1633 *Opusculum Italicum de* S. Januario *impressit Camillus Tutini Neapolitanus, illudque inscripsit* Monumenta de vita, miraculis et cultu S. Januarii. *Majori in scribendo cura et diligentia usus et Tutinus, quam* B *præcedentes, eaque de causa majorem quoque nobis afferet utilitatem.*

et Antonius Carracciolus magis usui nobis erunt.

50 *Contra minus usui nobis esse poterit Oratio panegyrica, quam anno* 1637 *in festo* S. Januarii *Italice dixit et imprimendam dedit Carolus Pecorari, canonicus Regularis Lateranensis: in ea enim facta Sancti breviter magis perstringuntur, quam exacte enarrantur. Ut Chiocarellum, multosque historiographos, suis locis nominandos, ubi fuerit operæ pretium, brevitatis causa omittam; multa de* S. Januario *Latine scripsit ac disseruit Antonius Caracciolus, clericus Regularis, in Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ: quod Opus posthumum Franciscus Bolvitus, ejusdem Ordinis, correxit, auxit, typisque Neapolitanis anno* 1645 *in lucem edidit. Laudatus Caracciolus jam anno* 1634 *Opusculum Latinum, anno* 1637 *aliud Opusculum Italicum edidit, in quibus de patria* S. Januarii *contra Beneventanos disputat. Beneventani quoque suos habuerunt defensores, postmodum recensendos.*

Vita Italica Hieronymi M. a S. Anna: Nicolaus Carminius Falcone.

51 *Omissis, ut jam dixi, aliis Historiis Neapolitanis, quas tamen subinde consulam, et suis locis laudabo, transeo ad novissimos Vitæ* S. Januarii *scriptores, qui nostro seculo floruerunt. Inter hos primo loco memorandus venit Hieronymus Maria* C *a S. Anna, Carmelita Excalceatus, qui anno* 1707 *Italicam edidit* S. Januarii *Vitam, eamque diligenter compositam: nam in ea non modo de patria, gestis et martyrio Sancti disseritur; sed etiam de translationibus, miraculis, cultu ac patrocinio ejusdem, et de omnibus demum ad gloriam posthumam* S. Januarii *spectantibus. Recusa fuit hæc Vita cum nonnullis augmentis partim ejusdem auctoris, partim alterius, anno* 1733. *Utramque editionem ante me habeo, uti et Vitas omnes ante recensitas. Secutus est post reliquos biographos Nicolaus Carminius Falconius tunc presbyter Neapolitanus, postea Marturanensis episcopus, nunc archiepiscopus S. Severinæ, jam frequenter laudatus, qui de* S. Januario *volumen justæ molis in folio anno* 1713 *edidit, et sic Italice scripsit, ut Latina multa et Græca non pauca Operi suo inseruerit. Adjutorem habuit Hilarionem a S. Petro, Ordinis Excalceatorum B. M. V. Redemptionis captivorum. Titulus Operis Italicus est, qualem Latine reddo*: Integra historia de stirpe, vita, miraculis, translationibus et cultu gloriosi martyris S. Januarii, episcopi Beneventani, civis et primarii protectoris Neapolis. D

magnum de S. Januario volumen edidit,

52 *Proposuit sibi Falconius, ut ait pag.* 127, *ita omnia de* S. Januario *congerere et elucidare, ut nihil nos inveniremus addendum, sed ut solum transcribenda nobis essent, quæ lib.* 2 *edidit. Gratum revera et jucundum mihi esset, si edita a Falconio talia essent Acta, si Actorum singulorum auctoritatem sic expendisset, si iis annotatis obscura elucidasset, ut nihil addendum aut resecandum, nihil de valore Actorum ulterius inquirendum, nihil demum magis elucidandum invenissem. Verum quanto magis eruditi alias viri Opus pervolvo, tanto magis perspicio, pauca in eo esse, quæ adoptare possumus; plurima, quæ necessario sunt resecanda.*

in quo plura sunt inutilia

53 *Totum Opus in quinque divisum est libros. Primus liber prolixe agit de familia Januaria, eamque ad Janum deducit, ut ostendatur nobilitas* S. Januarii, *a Jano originem trahentis. At non minus inutilis fuit labor ille, quam inutiliter laborarent operarii, si lapides e balista in montem jaculando pulchrum et firmum tentarent construere ædificium. Quare totus ille liber mihi prorsus est inutilis. Secundus liber exhibet varia Acta* S. Januarii *et Sociorum: quæ fere omnia ex Collectione Ms. Chioccarelli nuper Neapoli fuerunt* E *missa. Præterea plane omnia, quæ edenda censeo, aliunde etiam habemus, et aliæ quædam Falconio incognita, ut suo loco est expositum. Itaque ex eo libro illud habemus subsidium, ut Acta edenda cum iis conferre possimus, et ex aliis nonnulla excerpere, ubi videbitur operæ pretium. Liber tertius continet Vitam* S. Januarii *usque ad episcopatum; quartus reliqua Sancti gesta una cum martyrio ipsius et Sociorum; quintus denique sepulturam, miracula, translationes, aliaque ad gloriam posthumam pertinentia. Tres hosce libros idiomate Italico concinnavit Falconius, multisque annotatis auxit. At dolendum vehementer, tantos illustrissimi Viri labores plane inutiles esse redditos, quia pro fundamento habent fabulosum illud scriptum Græcum, quod sine ullo damno poterant blattæ penitus corrodere, aut ignis consumere.*

Novissimi duo scriptores, qui variis locis de S. Januario agunt.

54 *Multa quoque de* S. Januario *et Sociis disseruerunt duo scriptores nostri temporis, qui ambo illustrarunt vetustum ecclesiæ Neapolitanæ Calendarium, alter sermone Latino, alter Italico. De Alexio Symmacho Mazochio canonico Neapolitano, variis Opusculis erudite scriptis illustri, abunde jam egi, quando examinari Acta ab ipso* F *primum edita. Alter est Ludovicus Sabbatini, presbyter primum Congregationis Piorum operariorum, et nunc episcopus Aquilanus. Hic variis quoque locis de* S. Januario *aut Sociis agit, et maxime tom.* 9 *ad* XIX *Septembris, ubi a pag.* 64 *prolixe admodum disputat contra Mazochium, contenditque, Acta ab ipso edita omnium esse deterrima. Ego, licet totam Dissertationem studiose pervolverim, et aliam Ms. nuper acceperim, rectius compositam contra Acta Mazochiana; nolui antea disputatis aliquid addere. Neque enim Actis illis possum esse adeo infestus: neque existimo, composita esse seculo* XII *aut* XIII, *quamvis reperta fuerint in codice illius seculi. Etenim ætas Actorum non est eadem, quæ codicis, cum scriptores codicum Vitas aut alia Opuscula ex antiquioribus exscriberent. Prætermitto alios de* S. Januario *et Sociis scriptores plurimos, eosque præsertim, qui solum vel de patria Sancti, aut solum de prodigioso ipsius sanguine disseruerunt. Hos tamen partim suis locis enumerabo.*

§ IV.

A

§ IV. Acris de S. Januarii patria est controversia inter Beneventanos et Neapolitanos : priorum argumenta expenduntur.

Lis de patria S. Januarii anno 1632 orta : primi

De *patria* S. Januarii *acris controversia inter Neapolitanos et Beneventanos præterito seculo exorta est, quæ multorum fatigavit calamos. Occasionem cœptæ contentionis exponit Joannes de Nicastro in Gladio Salomonis pag.* 6, *ubi testatur, Religiosum quemdam in Oratione panegyrica, anno* 1632 *Neapoli habita, dixisse* coram conferta auditorum multitudine, Januarii patriam Beneventum fuisse. *Hoc oratoris assertum, teste Antonio Caracciolo in Monumentis sacris ecclesiæ Neapolitanæ cap.* 20 *Sect.* 2, *ingentem auditorum excitavit strepitum, et eruditos Neapolitanos commovit ad* S. Januarium *urbi suæ vindicandum. Certe*
B *anno* 1633 *Vitam* S. Januarii *edidit Tutinus cum dissertatione cap.* 17 *ad natales Sancti vindicandos Neapoli. Eodem anno laudatus Caracciolus libellum edidit, hoc titulo insignitum* : Historica demonstratio, quod S. Januarii patria Neapolis fuit. *Uter illorum suam Lucubrationem primus in lucem emiserit, multis hic inquirere non lubet.*

Neapolitanorum et Beneventanorum patroni,

56 *At Caracciolus testatur,* Anonymi *quoddam* auctoris scriptum in Beneventanorum favorem *per manus fuisse circumlatum, antequam suum ipse absolverat. Anonymum vero illum fuisse Marium de Vipera, archidiaconum Beneventanum, ait declaratum fuisse ab Octavio Bilocta. Hic autem Bilocta, Italis Bilotta, anno* 1636 *edidit sermone Italico Discursum historicum, quo contra Neapolitanos, et maxime contra Caracciolum, Beneventanorum sententiam defendere nititur. In eo Discursu nullibi declarat, Anonymum opinionis Beneventanæ vindicem fuisse Marium de Vipera: sed potuit idem alio modo, verbis nimirum aut litteris, insinuare. Caracciolus, qui Latine prius scripserat, mox anno* 1637 *Discursum Italicum Biloctæ Dissertatione Italica refutavit, et huic Opusculo titulum dedit :* L'epitafio Beneventano
C delli santi Gianuario, Festo e Desiderio.., considerato e riprovato. Epithaphium Beneventanum SS. Januarii, Festi et Desiderii... consideratum et improbatum. *Attamen non solum Epitaphium, quod pro sua opinione allegant Beneventani, sed alia quoque eorumdem argumenta ibidem refellit.*

prosecutio controversiæ et posteriores de ea scriptores.

57 *Plura de his meditabatur Caracciolus in lucem dare in Opere majore, cui anno* 1642 *immortuus est, quodque Franciscus Bolvitus perfecit, et anno* 1645 *edidit, ut jam dixi num.* 50. *Ex parte Beneventanorum nihil deinde prodiit usque ad annum* 1698, *quo Carolus Crisconius Orationem habuit Beneventi, quam typis vulgavit sub titulo :* La lite composita fra le due auguste metropoli Napoli e Benevento *etc.* Lis composita inter duas augustas metropoles, Neapolim et Beneventum. *Hic autem Orator litem ita componere studuit, ut Sanctum origine dixerit Beneventanum, aggregatione Neapolitanum. At ejusmodi compositio non placuit Neapolitanis, pro quorum opinione anno* 1707 *rursum scripserunt Hilarion a S. Petro, Ordinis excalceatorum B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum ; et Hieronymus a S. Anna, Carmelita excalceatus, in Vita Italica, eodem anno* 1707 *impressa. Contra hos aliosque Neapolitanos pro Beneventanis in arenam descendit Joannes de Nicastro, patricius, legum doctor, et tunc archidiaconus Beneventanus, postea vero Claudiopolitanus episcopus, cui de hac controversia omnium prolixissime scripsit sermone Italico, et præcedentium argumenta collegit in Opere Beneventi excuso anno* 1710, *cui titulus :* La Spada di Salomone *etc.*, Gladius Salomonis *etc. Profitetur ille in Introductione pag.* XI, *velle se modestam pro Beneventanis Apologiam concinnare contra Tutinum, Caracciolum, Hilarionem a S. Petro, Hieronymum a S. Anna, aliosque omnes, qui* S. Januarii *natales fixerunt Neapoli : idque revera fecit prolixe magis quam acute. Tandem anno* 1713 *prodiit Opus Falconii, jam sæpe laudati, qui in eo pag.* 221 *et sequentibus fuse disserit pro vindicandis Neapoli natalibus* S. Januarii. *Eumdem quoque in finem nonnulla disseruit Sabbatinus, jam sæpius laudatus. Novissime demum adtuendam Beneventanorum causam accessit vir clarissimus Joannes de Vita, Beneventanæ ecclesiæ canonicus, qui anno* 1754 *typis Romanis edidit Thesaurum antiquitatum Beneventanarum, illudque Opus confestim liberali dono ad nos misit, anno sequenti huc perlatum, quando Commentarium* E
hunc fere absolveram. Eruditus auctor causam Beneventanorum longe melius prudentiusque defendit brevi discursu, quam fecerunt integris libris præcedentes, videoque illa ipsa ab eo electa esse argumenta, quæ sola pro causa Beneventanorum valere judicaveram, Opere necdum viso ; prætermissa vero alia, quæ mihi quoque nihil valere sunt visa.

Argumenta utriusque partis breviter expendenda.

58 *Jam vero ex enumeratis scriptoribus, quorum rationes expendi, abunde perspiciet prudens lector, non deesse mihi documenta ad argumenta utriusque partis intelligenda et expendenda. Itaque ad illa breviter examinanda sine ullo præjudicio accedam, eaque sine amore et odio proponam. Ignoscent mihi, spero, tam Neapolitani quam Beneventani, si nonnulla ipsorum argumenta non tanti fecero, quanti forsan ipsi ea facienda credunt : nam unice verum investigo, falsum unice fugio. Nec ab hoc proposito recedere umquam debeo, ut omnes facile admittent, imo ejusmodi consilium omnes etiam laudabunt, dum agitur de rebus ad se minime spectantibus. Si qui vero conquesti fuerint, non satis a me suis opinionibus delatum, consolabitur me saltem mea conscientia.* F
Exordiar autem argumentis Beneventanorum, quorum episcopus fuit Januarius; *ut deinde transeam ad rationes Neapolitanorum, qui corpus Sancti diutius possederunt, et etiamnum possident.*

Beneventani allegant traditionem, quæ nullum habet pondus :

59 *Joannes de Nicastro lib.* 2 *cap.* 1 *argumentum primum pro Beneventanis petit ex traditione, idque dicit esse præcipuum et firmissimum. Nam (si lubet credere asserenti) traditio est constans* quindecim seculorum, *eaque numquam mutata,* S. Januarium *Beneventi natum esse. Hoc argumentum prolixe exponit, sed plane inutiliter. Etenim ut credere possemus, eam traditionem fuisse cœptam a morte* S. Januarii, *et usque ad ætatem scriptoris, non per* quindecim, *ut male computavit, sed per* quatuordecim *secula continuatam ; adducendi essent testes satis antiqui, quorum auctoritate constaret, talem seculo quarto, quinto, et sequentibus apud Beneventanos traditionem viguisse. At nullus profertur scriptor, qui ante Bernardinum Siculum asseruit,* S. Januarium *Beneventi natum esse. Cum autem Siculus ille scripserit sub finem seculi* XV; *quis prudenter testimonio scriptoris tam recentis, et quorumdam deinde secutorum,*

AUCTORE J. S.

seculorum, admittat, traditionem, viguisse a seculo IV *de nato Beneventi* S. Januario? *Imo quis artis criticæ utcumque peritus non potius existimet, silentium antiquorum et medii ævi scriptorum de Benevento* S. Januarii *loco natali, non aliunde ortum esse, quam quod nulla apud Beneventanos vigeret traditio de Sancto ibidem nato? Quare argumentum ex traditione petitum nequit prodesse Beneventanis, et tuto ab ipsis omitti potest sine illa causæ suæ jactura. Nam quod scripserat Bernardinus Siculus, libenter procul dubio crediderunt Beneventani; et sic duorum saltem seculorum erat traditio, quando scribebat Nicastrius. Verum illa traditio non habet plus auctoritatis, quam scriptor ipse Siculus. Vetustiorem vero fuisse traditionem, nec ab ullo probatum vidi, nec ipse probare possum.*

domum ostendunt, in qua Sanctus creditur natus: at nec hæc traditio

60 *Secundum Nicastrii argumentum petitur a domo, quæ apud Beneventanos ostenditur, et habetur pro domo, id qua natus est* S. Januarius. *Vellem sane, ut simul auctor docuisset, quam antiqua sit traditio de domo Beneventana* S. Januarii : *sed id ipse verisimiliter plane ignoravit. At nos interim non ignoramus, quam levi aut nulla ratione* B *nascantur aliquando opiniones populares, quæ paulatim fiunt traditiones, præsertim quando natæ sunt honorem gloriamque populo alicui aut civitati conciliare. Ejusmodi traditionibus popularibus abundant omnes regiones, ita ut parum aut nihil potius ex illis inferre possimus, nisi prius probetur, tam esse vetustas, ut idoneæ sint ad fidem sibi conciliandam. Omnes, (aiunt Beneventani) credunt in illa domo natum fuisse* S. Januarium. *Liceat mihi hic quærere, utrum constet, vel unum in ea fuisse opinione ante annos ducentos? Nam silentium antiquorum omnium de illa domo mihi magis persuadet, opinionem aut traditionem illam non fuisse exortam, nisi post alteram, qua Beneventani credunt, Sanctum in civitate sua mundo datum esse. Caracciolus cap.* 20 *sect.* 2 § 6 *argumentum istud late refutat; sed brevior ego esse cogor. Quare pauca tantum ex ipso seligo.* Extat, *inquit,* Beneventi domus quædam quam dictitant illam esse, in qua mater S. Januarii... beatum spiritum exhalavit. Neque hic sistunt Beneventani. Sed, ut refert Anonymus , id insuper ex traditione se habere affirmant, videlicet in ea domo B. Januarium fuisse natum. Nullum tamen scriptorem C proferunt, qui hoc asserat. *Tum observat, non tam vetustam videri domum illam, quam ipse cum aliis consideravit cominus, ut credibile fiat, illam ipsam stetisse tempore* S. Januarii. *Non inficiatur Nicastrius pag.* 68, *difficulter credi posse domum illam sine immutatione aut restauratione stetisse a tempore* S. Januarii; *sed contendit, illam eodem loco stetisse, quo steterat domus natalitia* S. Januarii. *Verum non possum non observare, traditionem totam carere solido fundamento, cum antiqui omnes æque siluerint de domo illa natalitia Sancti, ac de natalibus ipsis Beneventanis.*

idoneum habet fundamentum aut testimonium vetustum.

61 *Præterea etiamsi scriptoris a pluribus seculis, imo a mille annis, asseruissent, domum aliquam ostendi a Beneventanis, in qua natum crederent* S. Januarium; *vel sic ex traditione illa, tunc vetusta certo futura, solidum non haberetur argumentum ad natales Sancti figendos Beneventi. Cum enim traditiones populares vera falsis miscere soleant, et non minus, quam fama, labente tempore vires sumant et crescant; timendum esset, ne domus, in qua Sanctus tempore episcopatus habitasset, paulatim haberi cœpta esset pro domo natali. Dubitandum etiam esset, an domus ista non fuisset potius* Januarii II, *qui episcopus Beneventanus fuit circa medium seculi* IV, *quam* Januarii *episcopi et martyris, de quo agimus.* D *Verum, omissis istis, aliisque observationibus, quas circa domum illam formarunt Neapolitani, vel sola obscuritas traditionis facit, ut ex ea nihil concludere, nihil inferre sustineam. Quippe si vetusta foret illa traditio, non siluissent de ea omnes medii ævi scriptores. Si fidem invenisset apud principes et episcopos Beneventanos; qua in* S. Januarium *ferebantur reverentia, non videntur relicturi fuisse domum ipsius natalitiam sine honore et gloria, sed vel sacram basilicam ex ea struxissent, aut certe sacellum aliquod in domo erexissent, ad memoriam natalium Patroni sui continuandam et honorandam. Poterunt id negare Beneventani, sed numquam poterunt prudentibus criticis persuadere, domum illam quatuordecim seculis pro domo natalitia* S. Januarii *habitam et cognitam fuisse, nec tamen ullum tot seculis fuisse episcopum aut principem, qui eam sacris usibus aptandam crederet. Quare ab illis argumentis merito abstinuit laudatus De Vita.*

Melius haberet argumentum ex gente Januaria et Januario II.

62 *Pro tertio argumento Nicastrius affert inscriptiones antiquas, quibus evincere nititur, gentem Januariam floruisse Beneventi. Idem argumentum pro sua urbe afferunt Neapolitani. Tale illud est, ut aliquid verisimilitudinis producat, certitudinis nihil. Verisimile admodum est,* Januarii *nomen esse nomen gentis Januariæ, aliudque Sancto fuisse prænomen, et fortasse aliud agnomen: quæ excidere potuerunt, ut contigit de aliis non paucis. Verum cum Januariæ gentis inscriptiones reperiantur plures Romæ, Neapoli, et in aliis Italiæ locis, imo etiam in variis provinciis extra Italiam, ex nomine illo solo pro figendo loco natalitio nihil certi potest erui. Verum argumento aliunde pondus addidit eruditissimus Vita, nimirum ex ipso episcopatu Beneventano. Cum enim constet de gente Januaria, quæ Beneventi sedes habuit prioribus æræ Christianæ seculis, verisimilius fit, ex ea fuisse* Januarium *episcopum Beneventanum, quam ex gente Januaria, quæ habitabat Neapoli.* His addam quoque, *inquit,* quod rem omnino conficere videtur, insigne alterum, ac omnium præclarissimum monumentum, ex ecclesiæ Beneventanæ fastis optima fide depromptum, in quibus ante medium seculum quartum, cujus plane seculi initio S. Januarius episcopus et martyr exstitit, adhuc S. Januarius alter episcopus et confessor floruit, de quo in Dissert. IV F plura a me dicta invenies. An vero ex gente Januaria Neapolitana, suis omnino neglectis civibus, posteriorem hunc Januarium adhuc sibi episcopum accersere Beneventani voluerint? Non id certe Neapolitani sibi tribuunt, qui, dummodo priorem sibi vindicent, posteriorem Januarium Beneventanis libenter concedunt. At cum liberales in altero videri volunt, alterum vel nolentes coguntur amittere. Ex hoc enim Januario altero, quem Beneventanum civem Neapolitani omnino admittunt, quique a priore vix quadraginta annorum spatio remotus fuit, jam tuto affirmari potest, non solum Januariam gentem satis illustrem Beneventi extitisse; verum etiam posteriorem hunc Januarium, tum prioris gentilis sui meritis, tum suis virtutibus satis probatum, ad episcopale patriæ munus a suis civibus electum fuisse. *Hactenus laudatus canonicus, cujus ratio, petita a Januario II, multum verisimilitudinis habet et probabilitatis. Subscripsit Januarius II anno* 347 *concilio Sardicensi. An gaudeat cultu legitimo, hactenus me latet, etsi* Sanctum *vocari a nonnullis videam.*

63 *Quartum*

alterumque ex commoratione matris S. Januarii,

A 63 *Quartum argumentum sumit Nicastrius ex habitatione matris* S. Januarii *: nam Acta num.* 9 *habent, illam fuisset Beneventi commoratam, ibique defunctam, quando captus erat Sanctus. Respondent Neapolitani, matrem cum filio Beneventum se recepisse, ne ipsius societate careret. Potest esse vera hæc commorationis Beneventanæ ratio; at nec certa est, nec omnem tollit suspicionem Beneventanis favorabilem. Certe gravissima vigebat contra Christianos persecutio, eaque præ ceteris in discrimen adducebantur episcopi. Itaque non videbatur expedire, ut eo tempore mater cohabitaret* S. Januario, *cui necesse erat latebras quærere. Quare non videtur futura fuisse Beneventi, sed Neapoli, ubi persecutio minus viguit, si Neapolitana fuisset, et non Beneventana. Quidquid dixerint Neapolitani, non omnem amolientur suspicionem opinioni suæ contrariam. Imo Nicastrius contendit, matrem* S. Januarii *cum eo in eadem domo non habitasse, quia sic Sancti comprehensionem, quam ei aliquo tempore ignotam fuisse Acta innuunt, statim cognovisset. Respon-*
B *deo, observationem illam revera accuratam fore, si constaret, Beneventi captum esse Sanctum; sed in Annotatis observabo,* Januarium *probabilius Nolæ fuisse, cum caperetur. Laudatus Vita eodem rursum argumento utitur, ex eoque colligit* universam S. Januarii familiam Beneventi consedisse. *Observat autem, commorationem illam matris* S. Januarii *in civitate Beneventana etiam asseri in Actis Mazochianis, quæ reliquis omnibus præfert cum Mazochio. At in hac crisi me non habebit consentientem : cum existimem, illa Acta ex prolixioribus esse composita de* S. Sosio *in ecclesia Misenate; et minorem, ubi dissentiunt, fidem mereri, quam prolixiora.*

quæ Beneventi fuisse dicitur, dum ille captus est :

64 *Si quis igitur meam de illo argumento sententiam audire voluerit, dico illud favere Beneventanis, sed factum ipsum, ex quo sumitur, non esse certum, ideoque ex eo nihil certi posse concludi; nec certam fore conclusionem, etiamsi factum esse certissimum, quia mater Filium sequi potuit ob rationes nobis ignotas. Caracciolus in Tractatu* 2 *contra Biloctam pag.* 19 *ex ipsis verbis loci objecti ostendere nititur, matrem* S. Januarii *non habitasse Beneventi, sed ibi solum ad tempus fuisse commoratam. Verba Actorum hæc sunt :* Mater quoque S. Januarii, in civitate Beneventana
C posita, ante triduum, quam Filius ejus pateretur, tale somnium vidit *etc. Caracciolus autem contendit, verbo* posita *significari, non habitationem fixam, sed commorationem temporaneam. At ea observatio mihi magis videtur subtilis, quam solida : neque enim scriptor Actorum tam scrupulose ad verba sua attendit, ut credibile sit, eum aliud insinuare voluisse, quam matrem* S. Januarii *tunc fuisse Beneventi, quando Filius Nolæ erat captivus. Quare, etsi vox* posita *habitationem non significet, sed intelligi revera possit de commoratione brevis temporis; multo verisimilius in rerum adjunctis de habitatione, quam de brevi commoratione intelligetur. Nam si habitasset Neapoli, ratio nulla erat invisendi Filium, sæviente gravissima persecutione. Nihilo magis videtur Filius ad alias civitates profecturus fuisse, ut ab eo ante comprehensionem factum Acta innuunt, si mater Beneventum venisset, ut modico tempore cum Filio commoraretur. Acta igitur potius exponenda videntur de habitatione; quamvis lubens fatear, neque certam esse hanc expositionem, neque omnino certa videri, quæ de matre in Actis narrantur; neque ex habitatione illius temporis tuto inferri posse, matrem* S. Januarii *semper Beneventi habitasse, ibique Filium peperisse. Itaque habent Beneventani ex illo argumento aliquid verisimilitudinis pro sua opinione, at nihil certi.*

item episcopatus Beneventanis verisimili ratione favet.

65 *Tale etiam est quintum argumentum Beneventanorum apud Nicastrium, ut natales Sancti Beneventanos faciat verisimiles, quamdiu graviora in contrarium non opponuntur, sed minime certos. Fuit Episcopus Beneventanus. Verisimile igitur est, Beneventi natum esse, quandoquidem clerus et populus, quorum electione tunc episcopi creabantur, magis solerent propendere ad civem et clericum ecclesiæ suæ eligendum, quam alienum. Potest argumentum sic etiam formari. Electus est* S. Januarius *episcopus Beneventanus : verisimiliter ergo ibi erat clericus. Si autem clericus fuit Beneventanus; verisimile rursum est, civitatis ejusdem fuisse incolam; non vero Neapolitanæ. Cur enim Neapolitanus aggregari maluisset clero Beneventano, quam Neapolitano? Sic, inquam, discurrere possunt Beneventani ratione admodum verisimili : et ad confirmationem adjungere, plerosque illorum temporum episcopos haberi pro Beneventanis. Quæ ulterius adjungit ad hoc argumentum Nicastrius, omitto brevitatis causa, utpote nihil profutura : neque enim eo argumento* E
patriam S. Januarii *certam facere possunt, sed solum verisimiliter sibi adscribere, nisi verisimilis hæc ratio graviori elidatur. Respondent quidem Neapolitani, non raro contigisse, ut episcopi eligerentur exteri aut peregrini, et nonnulla adducunt exempla. Verum hæc responsio non tollit verisimilitudinem Beneventanis faventem, quæ oritur ex plerumque contingentibus. Vita hoc etiam argumento recte utitur tamquam præcipuo. Fortius urgeret, si probari posset, alios ante* S. Januarium *fuisse Beneventi episcopos cum clero, bene instituto. Sic enim minus fieret verisimile, Beneventanis ex alia civitate datum esse episcopum.*

Nihil habent Beneventani pro se ex Actis aut Breviariis vetustis :

66 *Nicastrius cap.* 6 *pro sexto argumento laudat Acta* S. Januarii, *et Breviaria nonnulla. Verum, quod spectat ad Acta, magis se defendere cogitur, quam oppugnare Neapolitanos valeat, cum ex Actis pro sua opinione nihil habeat, imo nihil etiam ex vetustis Breviariis Beneventanis. Ex hodierno Breviario Romano subtili disputatione aliquid pro sua opinione exsculpere conatur; sed Breviarium Romanum revera neutri parti favet, cum in eo de patria* S. Januarii *nihil dicatur. Demum ex Antiphonario Ms. Beneventano producit hanc Antipho-* F
nam ad Magnificat : Salve defensor patriæ, Januari sanctissime, *etc., velletque, ut ex ea concluderemus, patriam* S. Januarii *Beneventum dici. Verum respondeo primo, non indicari ætatem illius antiphonæ, quæ certo satis vetusta non est ad causam Beneventanorum multum promovendam. Secundo sensus antiphonæ est ambiguus ; nam æque aut magis defensor Neapolis, quam Beneventi, est* S. Januarius. *Dicit Nicastrius, antiphonam illam fuisse recitatam in festo translationis, qua corpus Neapoli delatum est Beneventum. At Acta illius translationis infra edemus. In his Beneventani nulla voce insinuant, patriam Sancti fuisse Beneventum. Itaque, nisi antiphona circa finem seculi* XV *aut seculo* XVI *sit composita, non facile crediderim, voces illas,* defensor patriæ, *exponendas esse* defensor Beneventi; *sed vel,* defensor Neapolis, *si ex Officio Neapolitano verba sint accepta; vel* defensor totius regionis, *monti Vesuvio vicinæ. Quidquid sit, nihil Beneventanorum causam juvare possunt allegata verba ; nec ipsis prodesse potest novum Officium, vigente controversia compositum, in quo primum initio hujus seculi* S. Januarius *aperte dicitur*

AUCTORE J. S. Inscriptio, quam Beneventani allegant pro se,

civis Beneventanus

67 *Ultimum Beneventanorum argumentum petitur ab inscriptione, quæ anno* 1624 *sub imis terræ dicitur reperta, testibus Caracciolo* § 7, *et aliis. Illam primus edidit Marius de Vipera, archidiaconus Beneventanus, et impressit hoc modo :*

D. M.

IANVARIO, et FESTO:::: IDERIO BEN.
VT QVOS IVNXIT VNA
AMOR, PATRIA, ET MORS
SERVARET MONVM.
::::CYPH. S. EXORATA PLE

M. P.

De hac inscriptione, ubi prodiit, acris orta est disceptatio. Beneventani illam ut vetustissimam, et a Cyphio senatore positam seculo IV, *fidenter propugnarunt. Neapolitani eamdem ut supposititiam ac fictitiam acriter impetierunt. Caracciolus, cum in Opere Italico, tum in Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ, multa congessit, ut supposititiam ostenderet. In hoc Opere cap.* 20 *Sect.* 2 § 7 *ita orditur :* A quonam et quando fictitium hoc epitaphium compositum sit, ac in marmore sculptum,
B et parieti ecclesiæ S. Luciæ affixum, prorsus ignoro. Suspecta tamen res est, si observemus, Viperam in sua censura contra Neapolitanos nullam prorsus hujus epitaphii mentionem fecisse; cum illam ediderit anno MDCXXXIII, et epitaphium dicatur inventum die XV Julii anni MDCXXIV in publicis tabulis notarii, cujus hæc sunt verba : Repertum, ut dicunt, sub terræ imis. *Ex illo silentio Viperæ et aliorum primum contra inscriptionem sumit argumentum, quod ut minus validum prætermitto.*

a Neapolitanis acriter impugnatur,

68 *In expositione illius inscriptionis variarunt Beneventani. Litteras* D. M., *quæ apud gentiles significabant,* diis manibus, *primo explicuerunt,* Divis martyribus, *deinde,* Deo Maximo *Sequentia vero verba, impleto hiatu, exponuntur hoc modo :* Januario et Festo et Desiderio Beneventanis, ut quos junxit una amor, patria et mors, servaret monumentum, Cyphius senator *(alias* sacerdos*)* exorata plebe. *Tum in litteris* M. P. *mire rursum variatur. Apud Nicastrium enim, pag.* 198 *asseruntur quatuor hæ expositiones :* Merentibus posuit, Monumentum posuit, Memoriam posuit, Mensam posuit. *Tanta expositionum varietas*
C *ostendit, nullam esse satis probabilem, prout revera in adjunctis rerum nulla mihi probabilis apparet. Verumtamen nolim longa oratione singula inscriptionis illius vitia investigare. Solum breviter insinuabo, quænam exagitaverit Caracciolus, cui parum aut nihil alii addiderunt. Improbat primo Caracciolus litteras illas* D. M.; *quæ in omnibus passim gentilium epitaphiis leguntur superius positæ eo modo, quo in hac inscriptione, et explicantur* diis manibus. *Beneventani quidem responderunt, litteras hic esse exponendas* divis Martyribus *aut* Deo Magno *vel* Maximo. *At, (ut alia brevitatis causa mittam) non fit mihi verisimile, ab homine Christiano usitatas fuisse litteras illas gentilium, ut iis aliam significationem attribueret, quam communem eo tempore. Qui enim seculo* IV *legissent illas litteras, communem interpretationem facile fuissent secuti : Quod studiose cavendum erat Christianis, ne mores gentilium sequi viderentur, præsertim cum in tota inscriptione nihil habeatur, quo Christiana potius, quam gentilis, videri possit.*

69 *Secundo expositionem* divis martyribus *reprobat, quia vox* divus *gentilium erat, nec erat* D *usitata antiquis Christianis pro voce* Sanctus *Tertio observat, redundare particulam ante nomen* Festi : *nam ea inscriptionem facit minus elegantem. Quarto inusitatum esse illud* Ben. *pro* Beneventanis. *Quinto advertit, virgulas vocibus interjectas non esse usitatas in vetustis, inscriptionibus. Sexto dicit, frigidam esse ac pendere locutionem istam :* Ut quos junxit amor, patria et mors, servaret monumentum, *cum dicendum fuisset,* idem monumentum. *Septimo observat, Cyphii, qui monumentum posuisse dicitur, nomen decurtatum esse; vultque nomen positoris non solere decurtari, maxime quando ille magis obscurus est, quam notus. Addit, illud* S. *pro designando senatore vix etiam inveniri. Octavo Caracciolus multum exagit at illud,* exorata plebe : *existimatque, plebis consensum minime fuisse necessarium ad illud, quod agere volebat Cyphius. Nono reprehendit, quod nulla in inscriptione fiat mentio* sanctitatis, aut dignitatis. aut martyrii. *Hoc sane mirum apparet. Demum addit aliud argumentum, quo ostendit, inscriptionem a vero aberrare, quodque mox latius deducam. Nicastrius cap.* 8 *argumenta Ca-* E *raccioli et aliorum conatus est enervare, subditque pag.* 181 *Examen Bartholomæi Riceputi, qui similiter ad argumenta Caraccioli respondet. Verum nolim ego tam prolixus esse, quam esse revera deberem, si singula responsa novo examini subjicerem. Solum observo, ad singula argumenta aliquid responderi, et ita responderi, ut singula nequeant evincere, inscriptionem esse fictitiam. Vel sic tamen non poterimus non mirari, tam multas difficultates et ineptias in una, eaque brevi inscriptione, accumulatas esse; et semper suspicabimur. non aliunde id factum esse, quam quod sit novellum inventum hominis non satis docti ad imitandum vetusta monumenta, præsertim cum illa inscriptio alio argumento, quod modo elucidabo, satis evertatur.*

ut supposititia; eam tamen defenderunt Beneventani;

70 *Inscriptio, si vera est, dicit,* monumentum, *quo simul servarentur, a Cyphio senatore erectum esse* SS. Januario, Festo et Desiderio. *Monumentum illud potest esse sepulcrum magnificum, sive mausolæum. Si voluerint Beneventani, ut revera contendit Nicastrius pag.* 162, *ecclesiam intelligi, illud ultro concedam. Si maluerint cum Riceputo ibidem pag.* 194, *altare fuisse erectum a Cyphio, et ultimas litteras* M. P. *explicuerint* Mensam *(id est,* altare*)* posuit, *ne hanc quidem expositionem admittere detrectabo. At sive tumba aut mausolæ-* F *um, sive ecclesia, sive altare intelligatur; illud certissimum esse debet, monumentum illud factum dici, ut servaret* Januarium, Festum et Desiderium, *sive trium horum Martyrum corpora. Cum autem inscriptio non ponatur, nisi post erectum monumentum; monumentum vero istud erectum non fuerit, nisi post accepta a Cyphio corpora; voces,* ut servaret monumentum, *eamdem vim habent, acsi tres laudati Martyres illo monumento dicantur fuisse servati. Sit modo ecclesia, sit altare, sit sepulcrum, semper falsum erit,* S. Januarium *eo monumento fuisse servatum, cum corpus* S. Januarii *numquam Beneventi fuerit ante seculum* IX, *quo translatum est a Sicone principe. Quare non possumum illam inscriptionem Cyphio attribuere, nisi ipsum velimus mendacem facere. Nicastrius p.* 178 *vidit difficultatem, licet brevius propositam, et respondit aliqua, ne videretur siluisse. Primo dicit, forsan insignes reliquias* S. Januarii *fuisse a Cyphio obtentas. At hoc nec verisimile est, nec ab ullo antiquo dictum, nec tolleret difficultatem. Nam integra* Festi et Desiderii *corpora habebat Cyphius. Non debebat igitur de illis et de* S. Januario *eadem*

at ostenditur, mendacem esse inscriptionem, si posita sit seculo IV;

A *dem asserere. Altera ipsius responsio æque inepta est. Nam observat voce* monumentum *varia significari : quod prodesse nequit. Non enim tantum dicitur erectum fuisse monumentum, sed monumentum, quod servaret illos, quos amor junxerat, id est, corpora ipsorum. Itaque semper erit mendax inscriptio et rectius numquam fuisset produta, prout nullam de ea mentionem facit clarissimus Vita.*

nam attribuit Cyphio senatori, quod seculo IX fecit Sico princeps :

71 *Translatio corporis* S. Jauuarii *Beneventum, quæ auctorem habet Beneventanum et contemporaneum, satis ostendit, ignotam tunc Beneventanis fuisse inscriptionem illam, imo etiam, Beneventanos tunc minime cogitasse de natatibus* S. Januarii *civitati suæ attribuendis. Etenim num.* 7 *de translato in urbem* S. Januario *dicitur :* Quem in basilica sui beatissimi diaconi Festi posuerunt, donec illi summo cum honore locus in sua sede pararetur. *Nulla igitur tunc* S. Januarii *ecclesia erat Beneventi. Illam tamen* S. Festi *ecclesiam* SS. Januario, Festo et Desiderio *dicatam fuisse, ibique inscriptionem a Cyphio positam, contendit Nicastrius pag.* 163, *sed prorsus improbabiliter. In Appendice ad Acta prima narratur translatio* SS. Festi *et* Desiderii *Beneventum sine mentione ulla de* S. Januario, *et paulo post de Cyphio subjungitur :* B Et memoratis Sanctis basilicam fecit, *nimirum* Festo *et* Desiderio, *sed illa erat extra urbem. Quod autem mendax inscriptio male attribuit Cyphio, factum est seculo* IX, *curante Sicone principe Beneventano, et deponente corpora* SS. Januarii, Festi et Desiderii *in ecclesia antiqua, Siconis jussu instaurata, Gucto episcopo, ut legitur in laudatis illius translationis Actis num.* 8, *ubi etiam leguntur sequentia :* Itaque venerabilis Gucti præsul cum omni multitudine populi ad locum, in quo senator Cyphius beatissimum Festum et Desiderium locaverat, pergens, eosdem in urbem ad suum Pontificem transvexit, ut eorum corpora uno sub tegmine locarentur, quorum spiritus una Domini gratia univit. *Itaque conjuncta sunt corpora* SS. Januarii, Festi et Desiderii *in eadem ecclesia, non seculo* IV *per Cyphium, sed seculo* IX *per Siconem.*

eo autem tempore Beneventani non videntur Januarium pro cive suo habuisse ;

72 *Conjuncta autem sunt eorumdem corpora, non quia eamdem habebant patriam, sed quia una Domini gratia eorum spiritus fuerant uniti. Mirum sane esset, Beneventanos seculo* IX *prorsus ignorasse inscriptionem illam Cyphii, si antea fuisset posita. Non minus mirandum, patriam Sancti in dictis Actis nullo verbo fuisse memoratam, si illa fuisset dudum ex illa inscriptione, aut ex natalitia Sancti domo Beneventanis cognita. Auctor translationis circa initium statim ait, se narraturum quomodo* S. Januarii *corpus* ad suam sedem *fuerit reductum, nullibi* ad suam patriam. *Similiter in iisdem Actis* S. Januarii *bis vocatur* pater *Beneventanorum, numquam* civis; *dicitur* pontifex *sanctorum* Festi *et* Desiderii, *at minime* concivis. *Idem est silentium de nato Beneventi* S. Januario *in lectionibus vetustis ecclesiæ Beneventanæ, quas edidit Falconius pag.* 156; *imo in lectionibus illis sub finem ea leguntur de* S. Januario, *ut ipsi Beneventani tunc videantur agnovisse, patria fuisse Neapolitanum, sicut latius loco suo ostendam.*

quod nullus asseruisse scitur ante Bernardinum Siculum.

73 *Ceterum Nicastrius cap.* 7 *inter argumenta Beneventanorum etiam computat auctoritatem scriptorum, qui asseruerunt,* S. Januarium *Beneventi natum esse. Poterat sane paucioribus verbis totum istud caput absolvere, cum nihil haberet, quod magnopere ad propositum nostrum conduceret. Etenim primus auctor, quem allegat, est Bernardinus Siculus quem dicit floruisse anno* 1496. *Scripsit revera Bernardinus circa illud tempus, uno tamen alterove anno serius, ultimam translationem* S. Januarii *carmine Italico, dicitque Sanctum Beneventum natum esse. Non inquiro, unde scriptor ille Siculus in eam opinionem deductus sit. At solum observo, totis duodecim seculis posteriorem esse natalibus* S. Januarii, *ideoque auctoritatem ipsius in hisce nullam prorsus esse. Idem plane dicendum de Davide Romæo, PauloRegio, aliisque posterioribus. Nam nullus eorum probavit, quod de patria* S. Januarii *dixit : nullus tanta ab accurata crisi historica habet merita, ut defectum ætatis suæ utcumque suppleverit. Quapropter numerum illi tantum facere possunt, non auctoritatem ullius momenti. Ad hoc igitur solum valere videndur scriptores illi, nimirum ad excusandos Beneventanos, quod opinionem aliquam antiquis Beneventanis, quantum apparet, prorsus incognitam, posterioribus seculis suscitare et defendere cœperint. Etenim non miramur, quod opinionem patriæ suæ honorificam, ab externis scriptoribus primo assertam, et ob episcopatum* S. Januarii *primo intuitu admodum verisimilem, studiose susceperint, defendendam. Si tamen monumenta Neapolitanorum longe præponderaverint, quod modo examinare aggredior, recte omnino facient, si maluerint rationibus acquiescere, quam perpetuam facere controversiam.* E

§ V. Argumenta Neapolitanorum, diuturna traditione natales S. Januarii urbi suæ vindicantium : horum sententia videtur sequenda.

Primum argumentum pro Neapolitanis

Neapolitanorum argumenta fuse proponit Caracciolus § 9. *brevius Tutinus cap.* 17, *Hieronymus a S. Anna cap* 1 : *varia etiam affert Falconius lib.* 2 *cap* 12 *et aliis locis, Sabbatinus ad* XIX *Septembris Dissert.* 1, *aliique plures quibus nihil novi addiderunt Neapolitani in Commentario ad nos misso. Ego ex omnibus ea seligam, quæ mihi solidiora videbuntur, eaque proponam meis plerumque verbis, ne dissertationem prolixiorem faciam, quam sit necesse, si aliorum verbis uti voluero. Primum argumentum sumitur ex Actis primis circa finem, ubi hæc leguntur :* Christiani F autem diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum *(post eorum martyrium,)* ut ea noctu raptim tollerent, et in civitatibus suis portarent. *Ita Acta, prout initio scripta videntur, et in codice nostro leguntur. Deinde innuitur, sublata esse noctu corpora ab incolis diversarum civitatum. Non tamen additur in primis Actis, quarum fuerint civitatum incolæ, qui singulorum corpora rapuerant. Verum id adjungitur in Appendice Actorum postmodum addita. Ex allegato autem loco argumentum deduci potest hoc modo. Qui corpora septem illorum Martyrum sustulerunt, fuerunt Neapolitani, Beneventani, Puteolani et Misenates. Atqui reliqui omnes non alios sustulerunt, quam cives suos, Beneventani videlicet* Festum *et* Desiderium, *Puteolani* Proculum, Eutichetem *et* Acutium, *ac Misenates* Sosium. *Cur igitur dicamus, alium a Neapolitanis fuisse raptum quam civem Neapolitanum, quando illi* S. Januarium *sepulturæ tradiderunt?*

petitur ex sepultura corporis per ipsos curata,

75 *Certe non novimus, ullo alio titulo Sanctum ad Neapolitanos spectasse, quam natalium. Cur Neapolitanos dicemus venisse Puteolos, et ad vicinum*

AUCTORE J. S.

num martyrii locum, ut corpus S. Januarii *tollerent, si hic peregrinus erat, et ad Beneventanos non minus natalium quam episcopatus titulo pertinebat? Caritatis quidem et pietatis opus erat sepelire Martyres; sed opus item erat in sævis illis persecutionibus periculo plenum, quod raro legimus ab exteris peractum, ubi aderant noti, qui idem præstare poterant, uti hic aderant Beneventani. Itaque omnia insinuant, non minus Neapolitanum fuisse* Januarium, *quam illarum civitatum, a quarum incolis sublati sunt, reliqui erant Martyres. Respondent quidem Beneventani, Neapolitanos tulisse corpus* S. Januarii, *quia divina revelatione erant moniti. At eo responso vis argumenti non infringitur. Nam, si velimus eam revelationem, prout in Actis legitur, omnino ut certam admittere, facilis erit responsio. Certe* S. Januarius *non dicitur eos monuisse, ut venirent ad tollendum corpus suum; sed, postquam hunc in finem venerant, uni eorum apparuisse, eumque monuisse, ut digitum suum abscissum una quærerent. Itaque apparitio illa Neapolitanorum adventu posterior est, et unice spectat ad abscissum digitum. Manet igitur vis tota argumenti. Facile* B *etiam responderi potest ad aliam objectionem, a laudato ante Vita reliquis additam ex eo, quod* S. Januarius *a Neapolitanis primum in agro Marciano, deinde extra Neapolis mœnia fuerit sepultus. Etenim secuti sunt usum eo tempore communem et legibus firmatum, quo non licebat mortuorum corpora intra urbem sepelire. Alius usus invaluerat seculo* IX, *quo Beneventani corpus* S. Januarii *Beneventum tulerunt.*

et ex eo, quod omnes reliqui a suis concivibus legantur ablati.

76 *In Appendice Actorum apud nos num.* 1, *ubi enarratur, ad quas, civitates singulorum Martyrum corpora fuerint deportata, hæc leguntur de sublato* S. Januarii *corpore :* Noctu vero, cum unaquæque plebs sollicite suos sibi Patronos rapere festinarent; Neapolitani beatum Januarium sibi patronum tollentes a Domino meruerunt. *Non dicitur hic clare,* S. Januarium *fuisse Neapolitanum. Cum tamen aliæ civitates non alios sibi patronos abstulerint, quam cives suos; cumque Beneventani non legantur conquesti de ablato sibi corpore* S. Januarii, *cum ut episcopum et civem suum auferre potuissent, si fuisset Beneventanus, videntur Neapolitani eodem jure* S. Januarium *accepisse, quo reliquæ civitates Patronos suos, nimirum* C *jure natalium. Itaque unaquæque plebs illos tollere studuit, quos ad se pertinere, et aliquo titulo patronos suos esse credebant. Hæc expositio admodum fit verisimilis ex eo, quod nec Nolani, apud quos pati cœperant aliqui ex Martyribus, nec aliæ vicinæ civitates ullum ex dictis Martyribus sibi sustulerint. Neque enim facile credemus, solos fecisse Neapolitanos, quod nulla alia e vicinis Campaniæ civitatibus fecit; rapuisse videlicet corpus Martyris nullo titulo ad se pertinentis; nec obstitisse Beneventanos. Hinc in Actis dicuntur* Christiani diversarum urbium *invigilasse, ut corpora raptim tollerent*, et in civitatibus suis portarent. *Hæc autem non aliter exponenda sunt, quam de civitatibus Martyrum, ut eventus docuit. Nam, ut omnes consentiunt, sex Martyres ad suas civitates delati sunt, et de solo* Januario *utcumque dubitatur. At, si Christiani sine discrimine suis civitatibus aliquod corpus tollere studuissent, plures pervenissent ad civitates alienas. Dicendum igitur est, aut convenisse inter Christianos, ut corpora Martyrum traderent iis civitatibus, in quibus hi erant nati; aut certe Christianos non fuisse intentos ad corpora aliorum, quam civium suorum, tollenda.*

77 *Aliud argumentum, idque minime contemnendum, quod præcedentibus etiam robur addit,* D *suggeri prima* S. Januarii *translatio, qua corpus e loco Marciano, ubi sepultum erat, Neapolim translatum est, In Appendice Actorum de ea translatione hæc leguntur :* Postea vero, quieto jam tempore, venerabiles episcopi una cum omnibus ex genere beatissimi martyris Januarii, cum plebe Dei sancta, cum hymnis et laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim transtulerunt *etc. Idem narratur in fine quoque aliorum Actorum apud Falconium, et in Officio ecclesiæ Beneventanæ apud eumdem pag.* 162. *Verba hujus Officii ad propositum nostrum huc transfero :* Postea vero, quieto jam tempore, venerabilis episcopus una cum omnibus ex genere beatissimi martyris Januarii, et cum plebe Dei sancta, cum hymnis et laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in basilica, ubi per longa annorum curricula requievit. *Hæc ipsi in Officio suo Beneventani, qui minime cogitabant de attribuendis sibi Sancti natalibus. Jam vero, cum translatio sit Neapolitana, in qua episcopus Neapolitanus primas gessit partes, ubi dicemus habitasse consanguineos* S. Januarii *qui omnes translationi adfuerunt? Omnes certe, qui partium studio sunt vacui, existimabunt, illos habitasse Neapoli, aut in ejus vi-* E *cinia; et consequenter ex hoc etiam loco verisimillimum fieri,* S. Januarium *fuisse Neapolitanum, ubi ipsius degebant consanguinei. Si quis vitilitigator dixerit, ipsos eum in finem Benevento Neapolim venire potuisse; respondebo, id etiam addi potuisse in Actis, si factum esset, nec tamen adjunctum legi. Contra, cum omnes dicantur adfuisse, non est verisimile, eos habitasse in civitate alia, quam in Neapolitana. Quare credendum est, consanguineos* S. Januarii *habitasse Neapoli, ut locus allegatus omnino insinuat. Nam si habitassent Beneventi, institissent procul dubio, ut corpus Beneventum transferretur.*

Altera ex ejus translatione Neapolim.

78 *Mitto argumenta varia Caraccioli, quod ea mihi minoris momenti videantur. At nolim prætermittere, quod pag.* 214 *et* 215 *late deduxit ex Oratione tunc Ms., nunc edita apud Falconium lib.* 2 *cap.* 2, *et cap.* 8 *a pag.* 196, *ubi finis illius Orationis, primum prætermissus, etiam est impressus. Habita fuit Oratio Neapoli incerto quidem tempore, sed certe ante translationem corporis Beneventum, factam seculo* IX. *Orator autem apud Falconium pag.* 197 *de corporibus* S. Januarii *et sex Sociorum sic loquitur :* Septem namque fortissimi Athletæ Dei pariter suscepere martyrium: quorum singuli suorum civium restituti urbibus, perceptum a Domino patronatum genere non desistunt. *Hæc verba* S. Januarium *clarissime faciunt Neapolitanum, cum corpus ejus, eodem teste pag.* 143, *Neapolim esset delatum, et in basilica eadem, ubi fuerat depositum, quiesceret. Auctor quidem ille non posset esse magni ponderis, cum aliquot seculis post* S. Januarium *scripserit; sed alia adjuncta faciunt, ut auctoritatem in hisce mereatur. Nam clarius exposuit, quod paulo obscurius dicitur in Appendice primorum Actorum apud nos num.* 4 *his verbis :* Qui Sancti donante Divinitate, unusquisque eorum civitatis suæ perceptum a Domino patronarum gerentes *etc. Præterea Beneventani ignorare non potuerunt,* S. Januarium *a Neapolitanis asseri civem Neapolitanum. Attamen non videntur se umquam medio ævo isti sententiæ opposuisse, aut* Januarium *fecisse Beneventanum. Certe in Translatione corporis, seculo* IX *scripta ab auctore Beneventano, nullum ocurrit verbum, quo Beneventani videntur civitati suæ attribuere natales* S. Januarii, *nullum*

Patria Sancti Neapolis in vetusto scripto clare asserta.

F

AUCTORE J. S.

A *nullum item in antiquissimis Beneventanorum Officiis, quæ Neapolitanis potius favent, ut jam vidimus. Beneventani igitur silentio suo Neapolitanorum sententiæ subscripsisse videntur.*

Neapolitanorum opinio, ut satis probata, et a plurimis

79 *Cum allata argumenta non modo multum præponderent argumentis Beneventorum, sed etiam sufficere videantur ad habendam Neapolitanorum sententiam pro satis probata non lubet examinare reliqua argumenta Caraccioli : nam illud examen magis valeret ad hanc disputationem producendam, quam ad firmius stabiliendam sententiam satis probatam. Quapropter breviter tantum insinuo, ipsum etiam alia allegare documenta, cum Neapolitanorum tum Beneventanorum, ex quibus pro sua opinione probabilia deducit argumenta, nec omitti ab eo scriptores posteriorum seculorum, qui asseruerunt,* S. Januarium *fuisse Neapolitanum, antequam ullus scripsisse scitur, Beneventanum fuisse. Inter monumenta Mss., quæ allegat, est Chronicon* S. Mariæ de Principio *dictum, in quo aperte dicitur,* S. Januarius martyr, civis Neapolitanus. *Allegat Bartholomæum Caracciolum, dictum* Carafam, *in cujus Chronico* S. Januarius *clarissime Neapolitanus asseritur, et quidem* ex platea Furcillæ. *Allegat Alexandrum Carafam, archiepiscopum Neapolitanum, qui anno* 1497 *libellum excudendum curavit, Missas, orationes, rhythmos Sanctorum aliquot Neapolitanorum continentem, in quo rursum patria* S. Januarii *insinuatur Neapolis, quemadmodum et in Officio* S. Januarii, *quod usitatum fuit ante reformationem Breviarii,* Parthenopæus municeps, *id est, civis Neapolitanus vocatur. Demum allegat Joannem Villanium, non Florentinum illum vulgo notum, sed Neapolitanum eidem fere contemporaneum; Cæsarem Carpanium, canonicum et poëtam Neapolitanum, Matthæum de Afflicto in Officio, quod de* S. Januario *composuit; Antonium Alexium, poëtam Neapolitanum.*

B

etiam historicis, et vetustis documentis asserta,

80 *Tum demum, omissis recentissimis, qui plurimi sunt, merito dicta sua* § 10 *colligit hoc modo :* Habemus igitur nubem testium, ab ipsa B. Januarii pretiosa nece *(dixerim potius,* a quinto forsan seculo) ad hæc fere tempora, serie propemodum continuata productam... qui luce clarius asserunt id, quod verum certumque est; nimirum B. Januarium fuisse Neapolitanum civem. Hoc tot sæcula nobis vendicant : hoc vetusti et cariosi MMss. codices, hoc typis excusi libri cum fide adservant : hoc omne genus auctores, sacri, profani, historici, poëtæ tradunt, qui eum " Neapolitanum, patriam gubernan- " tem, patriæ defensorem, nobilem Neapolitanum " de platea Furcillæ, in cives pium, intendentem " cunctos suos cives, defendentem eos ab omni peri- " culo, municipem Parthenopæum, curantem pa- " triæ patrocinium, in cives commodum, tuentem " suos cives " indigetant. Hoc ipsa Beneventana ecclesia olim publico cantu *(saltem obscurius)* personabat. Optimo itaque jure id nostra Neapolis tuetur et fovet. *Hactenus Caracciolus, cujus sententiæ non possum non subscribere. Etenim, licet cum dubitatione ad examinandam hanc quæstionem accesserim, et sine ullo pro alterutra parte præjudicio utrimque disputata perlegerim, et eo animo, ut neutri parti faverem, nisi veritas videretur se manifestare; dubitationem illam coactus sum paulatim deponere, itaque depono, ut non dubitem asserere, Neapolitanorum sententiam omnino amplectendam videri. Ad hanc autem sententiam pro vera habendam minus me impulerunt Dissertationes pro Neapolitanis editæ, quam illæ ipsæ, quas pro se ediderunt Beneventani, aut potius quam examen documentorum omnium, quæ de* S. Januario *edita habemus et manuscripta*

C

omnino sequenda videtur.

81 *Nam ex Dissertationibus Beneventanis, collatis cum diligenti perscrutatione monumentorum omnium, in eam omnino perductus sum sententiam, ut existimem, non cogitasse umquam Beneventanos de attribuendis urbi suæ natalibus* S. Januarii *ante Bernardinum Siculum, sub finem seculi* XV *scribentem, aut certe non diu ante. Siculus ille poëta omnium scriptorum, quos afferunt, antiquissimus est : et quanto majoribus ejus auctoritatem studiis attollere student, tanto inopiam suam magis produnt. Credebam sane, in prolixa Nicastrii Dissertatione alia me reperturum argumenta; sed pro argumentis reperio laudes, quibus Bernardinum Siculum, aliosque neotericos, ipsum leviter secutos, exornare studuit. Verum neque horum laudes causam Beneventanorum juvare possunt : neque textus juris, quos frequenter allegat, efficere queunt, ut omnia antiqua documenta non faveant Neapolitanis, et horum sententiam satis probent. Rectius quidem nuper disseruit Clarissimus Canonicus de Vita, et præcipua Beneventanorum argumenta selegit. Attamen perpetua traditio, vetustis documentis probata, omnino videtur stare pro Neapolitanis. Nam pro Beneventanis nihil reperio præter verisimilitudinem aliquam, cum episcopatu Beneventano pro patria ipsius resultantem, tum ex asserta in Actis matris ipsius commoratione in ea urbe, tum ex Januario II. At ea qualiscumque verisimilitudo nequit in comparationem venire cum argumentis Neapolitanorum, et sic prorsus evanescit. Fatetur Nicastrius pag.* 18, *nullum scriptorem Beneventanum ante annum* 1633 *in scriptis asseruisse,* S. Januarium *fuisse Beneventanum; aitque, scriptum non fuisse, quia omnibus erat notum. Verum longe rectius dicam, scriptum non fuisse, quia ignotum erat.* E

§ VI. Nobilitas S. Januarii : initium episcopatus incertum : de locis, tempore, aliisque adjunctis martyrii ipsius et Sociorum disseritur.

F

Nobilitas Sancti ex solo nomine fit verisimilis, non certa,

Nobili et illustri genere ortum fuisse S. Januarium, *passim omnes asserunt, qui posterioribus seculis de ipso scripserunt. Ad probandam illam nobilitatem, allegant inscriptiones plures, quibus ostendunt, ex gente Januaria et consules fuisse et Urbis præfectos. Dubito tamen, an illa probatio rem faciat omnino certam, aut potius mihi satis certum videtur, nobilitatem* S. Januarii *eo argumento non fieri indubitatam. Ut enim res fieret certa, constare deberet, nomen* S. Januarii *familiæ esse, non proprium. Hoc autem certum non est, licet probabile admodum videatur. Nam unicum Sancti nomen innotuit. Quis modo satis certo edicat, utrum id fuerit nomen familiæ, an proprium nomen, an cognomen. Præterea probandum esset, nec nomen nec cognomen* S. Januarii *aliis fuisse, quam illustri Januariorum familiæ. Certe liberti gerebant nomen patronorum suorum, ut probatur apud Pitiscum in Lexico antiquitatum Romanarum ad vocem* liberti. *Apud Falconium pag.* 99 *adducitur inscriptio sepulcralis his verbis concepta :* C. Poppæo Januario Poppæa Januaria

AUCTORE J. S.

nuaria patrono benemerenti fecit. *Ex verbis liquet, libertam fuisse Poppæam Januariam; qua igitur ratione solum* Januarii *nomen sufficeret ad certo ostendendam Sancti nostri nobilitatem?*

sed aliis rationibus abunde probatur.

83 *Alio itaque argumento opus est, ut nobilitas* S. Januarii *pro certa aut saltem verisimillima haberi possit. Appendix ad Acta prima apud nos num.* I *sic habet :* Postea vero, quieto jam tempore, venerabiles episcopi una cum omnibus ex genere beatissimi martyris Januarii, cum plebe Dei sancta, cum hymnis et laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim transtulerunt *etc. Hæc verba insinuant familiam* S. Januarii *præclaram fuisse et nobilem : neque enim auctor tam singularem, quantum conjicere possumus, mentionem fecisset de consanguineorum Sancti præsentia, si ignobiles fuissent et plebeii. Idem refertur in aliis Actis apud Falconium, et ibidem pag.* 146 *in antiquissimo Officio Neapolitano nobilitas clarius asseritur his verbis:* Nec non præclaris nobilibus consanguineis Martyris *etc. Præterea in ipsis Actis num.* 2 *verba tyranni ad* Januarium *hujus nobilitatem insinuant, cum ita alloquatur Sanctum :* Januari, audiens opinionem generis tui, hortor te etc. *Innuunt allata* B *verba, in magna existimatione fuisse genus* S. Januarii. *Fateor quidem, nolle me contendere, sermocinationes Actis insertas iisdem verbis prolatas esse. At auctor saltem nosse poterat familiam Sancti, nec tyrannum induxisset loquentem ad Sanctum, tamquam nobili familia ortum, si novisset ipsum ex ignobili genus duxisse. His igitur argumentis abunde liquet,* S. Januarium *nobili genere natum, indeque ulterius verisimile est, ex nobili gente Januaria ipsum fuisse ortum, nomenque familiæ esse, quo* Januarius *nominatur. Alia Sancti nomina exciderunt : nam quæ Falconius de nominibus* S. Januarii, *et de parentibus ipsius ex fictitia Vita Græca disseruit, magis merentur æternæ oblivioni tradi, quam refutari. Sufficiat hic semel monuisse, nolle me tempus otiose terere refutandis fabulis ex supposititio illo monumento desumptis, sed statuisse ab eo constanter abstinere, acsi numquam fuisset productum.*

Ætas S. Januarii et Sociorum, ac pleraque gesta ignota:

84 *De anno nati* S. Januarii *nihil innotuit. Solum conjicere possumus, natum esse circa aut post medium seculi* III. *Nam obiit anno* 305, *nec fuit senex, quantum apparet, cum mater tantum triduo ante martyrium Filii dicatur obiisse in Actis num.* 9, *ubi ne de hujus quidem senectute fit mentio. Quapropter incertum est, an triginta, quadraginta aut quinquaginta annis propinquus esset Sanctus, quando martyrio vitam finivit : neque enim attentionem meretur, si quis posteriorem seculorum scriptor juvenem esse dixerit, cum ea de re nihil apud antiquos legatur. Æque incertum est, utrum longo an brevi tempore episcopatum gesserit; quamvis recentiores aliqui de tempore obtenti episcopatus fuerint locuti : neque enim ullum ex vetustis monumentis producunt testimonium, et decessores* S. Januarii *sunt plane ignoti. Porro de gestis* S. Januarii *in episcopatu ante comprehensionem, quemadmodum et de aliorum sex Martyrum, solum innotuerunt pauca illa, quæ de amicitia inter* Januarium *et* Sosium, *de conatu utriusque ad fidem propagandam, et de factis, quando* Januarius Sosium *invisebat, in Actis secundis et apud Joannem Diaconum leguntur. De his igitur plura non dico : nam quæ de gestis Sanctorum nostrorum a nonnullis colliguntur ex dictis tempore martyrii, firma esse nequeunt, cum ipsa dicta non videantur satis certa.*

85 *Hac de causa transeo ad martyrii adjuncta expendenda. In judice primum Acta dissonant.* D *Nam secunda, quæ primum edidit Mazochius, non alium nominant præsidem aut proconsulem, quam Dracontium, uti etiam fit apud Bedam, et alios ipsum secutos martyrologos. At Acta prima præcipuas partes attribuunt Timotheo, qui recenter Campaniæ præfectus erat. Docent tamen* Sosium, Proculum, Eutychetem *et* Acutium, *jam ante præfecturam Timothei fuisse carceri mancipatos, et diversis suppliciis maceratos a decessore ipsius, quem non nominant. Verum Joannes Diaconus in Actis tertiis* Dracontium *cum Actis secundis vocat, et cum Actis primis docet, quatuor Martyres a Dracontio in carcerem conjectos Puteolis, reliquos vero tres ab ejus successore Timotheo Nolæ custodiæ mancipatos, ibidemque interrogatos et cruciatos : deinde vero omnes sub eodem Timotheo coronatos martyrio. Hæc sententia omnino sequenda videtur, non solum quia Acta prima majorem auctoritatem habent, quam secunda, aut quia in omnibus fere Actorum exemplaribus asserta est; sed etiam, quia successio illa duorum præfectorum provinciæ non est ejusmodi factum, ut facile suspicari possimus, ab aliquo gratis confictum esse. Hac quoque de causa non apparet probabile, quod asseritur in Actis ex Augiensis abbatiæ codice nobis transmissis, nimirum præsidem* Timotheum *alio nomine* Dracontium *fuisse dictum. Existimavit hoc collector Actorum illorum medio ævo, quod in Actis antiquis* Timotheum *reperiret dictum, et apud martyrologos quosdam* Dracontium, *nec cogitavit diversos fuisse.* E

Sancti partim sub Dracontio capti, partim sub Timotheo, sub quo coronati.

Comprehensio Martyrum ex Actis primis sumenda :

86 *Occasio, qua* S. Januarius, *uti et* Festus *et* Desiderius, *capti sunt, longe aliter exponitur in Actis secundis, quam in reliquis omnibus. Volunt Acta illa,* S. Januarium *et duos Socios Benevento venisse Puteolos, ut* Sosium *carceri inclusum viserent, ibique coram militibus fuisse locutos contra* Sosii *captivitatem. At res illa tota parum est verisimilis, et omnino fit improbabilis, cum Acta prima, et reliquia omnia dissentiant. Idem dicendum de modo, quo in Actis secundis* Proculus *et alii duo martyres Puteolani leguntur comprehensi, et statim cum reliquis occisi. Nam occisos fuisse sine ullo examine aut quæstione, ut ibi asseritur, verisimile non est. Si id aliquando factum legitur, saltem raro contigit, nec credendum est, nisi tradatur in monumentis melioris notæ. Itaque adhærendum est iis, quæ de comprehensione Martyrum nostrorum leguntur in Actis primis.* F

S. Januarius probabilius non Beneventi, sed Nolæ captus,

87 *Verum dubitari potest, utrum* S. Januarius *Beneventi comprehensus sit, an Nolæ ubi erat Timotheus. Neque enim civitas, in qua captus est, clare in Actis exprimitur. Caracciolus sect.* 5 *sententiam suam exprimit his verbis :* His accedit, B. Januarium, non Beneventi, quod in Samnio est, sed in Campania fuisse a lictoribus comprehensum. Nam cum Acta... dicant, Timotheum sibi eum exhiberi jussisse; inde aperte colligitur, in ea provincia, in qua Timotheus præses jurisdictionem exercebat, non autem in alia, hoc est, in Samnii provincia, illum tunc fuisse, cum captus fuit. *Verum ea ratio, cur captus non esset Beneventi, non videtur admittenda. Nam Camillus Peregrinus Dissert.* 2 *de Beneventani ducatus institutione, nonnulla affert argumenta, quibus evinci videtur, Beneventum iis temporibus Campaniæ fuisse annumeratum. Assentitur Martinierius in Dictionario Geographico ad vocem* Beneventum, *additque plures etiam rationes. At, missa illa controversia, ex solis Actis magis verisimile fit, Nolæ captum esse* S. Januarium, *quam Beneventi*

A *venti. Nam iis verbis Timotheus* Januarium *capi jubet, ut videatur fuisse in loco vicino : captusque et adductus ad præsidem dicitur sine ulla mentione itineris, quod certo instituendum fuisset, si Sanctus eo tempore Beneventi fuisset commoratus. Præterea, si presse Actis inhærere velimus, dicendum erit,* Festum *et* Desiderium *non statim cognovisse captivitatem* S. Januarii, *sed solum post unum alterumve diem. Mater vero Sancti solum triduo ante mortem Filii captivitatem intellexit. Itaque, cum illi omnes Beneventi essent, non videtur ibi captus* S. Januarius, *sed Nolæ.*

Passos XXI Aprilis Sanctos, existimat Mazochius;

88 *De die, quo* S. Januarius *cum sex Sociis martyrii coronam adeptus est, prolixius disputari potest. Neapolitani quidem passim crediderunt, hoc die* XIX *Septembris, quo cultus fuit* S. Januarius *a seculo saltem quinto, eumdem cum Sociis ad meliorem vitam fuisse translatum. At Mazochius in Annotatis ad Acta, quæ edidit, contendit, martyrium* S. Januarii *et Sociorum probabilius figendum* XXI *Aprilis, quo memorantur in Fastis Græcorum; rationesque adducit non prorsus contemnendas. Contra Sabbatinus in Annotatis ad* B *Calendarium Neapolitanum ad* XIX *Septembris prolixam contra Mazochium contexit dissertationem, qua ostendere nititur,* XIX *Septembris omnino passos esse Sanctos; et ad omnia argumenta Mazochii varias responsiones adducit. Ego controversiam breviter expedire conabor, utarque Mazochii verbis, sed subinde mutilatis.* Si horum martyrium, *inquit,* in mensem Septembrem anni CCCV incidisset, primo falso hæc Acta.... hoc uterentur exordio : TEMPORIBUS DIOCLETIANI IMP., quia Kalendis Maii ejusdem anni Diocletianus jam abdicaverat. Secundo falso sic pergerent *:* CONSULATU CONSTANTII CÆSARIS QUINQUIES : nam post Kalendas Maias Constantius æque ac Galerius Maximianus Augusti, non Cæsares, inscribebantur. Tertio postremo falso mox eadem Acta hunc in modum conquererentur, ERAT PERSECUTIO CHRISTIANORUM, quia post easdem Kalendas Maias anni CCCV persecutio in Italia desiit. *Eusebius enim dicit, eam in Italia* vix duobus primis annis integris *durasse. Hæc argumenta satis clare proposita sunt, et nonnullam sententiæ Mazochianæ tribuunt verisimilitudinem, præsertim cum non afferantur argumenta ullius momenti pro die* XIX *Septembris.*

cujus argumenta id certo non evincunt,

C 89 *Illustrissimus Sabbatinus argumenta Mazochii vocat* frivola. *At miror, ipsum tam longam texuisse dissertationem, ut frivolis argumentis responderet, et vel sic non potuisse aptum excogitare responsum, nisi anno martyrii, in Actis clare asserto, alterum substitueret prorsus fundamento carentem. Fateor quidem, non talia esse argumenta Mazochii, quæ nullo possint modo dissolvi, præsertim cum Acta non sint auctoris contemporanei, ideoque minus mirari possimus, si forsan non sit accuratus in loquendo. Dici enim ad argumenta proposita potest, epocham initio Actorum positam referri ad persecutionem, et ad missionem Timothei præsidis in Campaniam, ut verba ipsa innuunt. Tunc Constantius et Galerius revera erant cæsares. Præterea hi non dicuntur fuisse cæsares, quando passi sunt Sancti; sed solum Sancti dicuntur passi eo anno, quo ille cæsares consulatum inierant. Duo igitur priora certo non sunt falsa.*

ut ostenditur.

90 *Quod vero spectat ad assertionem Eusebii, dicentis persecutionem in Italia et reliquo imperio Occidentali vix duobus annis integris durasse ; nihil cogit, hæc verba Eusebii tam stricte interpretari, ut credere debeamus, nullos in Italia anno* 305 *post finitum persecutionis biennium, aut post abdicationem Diocletiani, amplius fuisse martyres. Tanta sane in hisce non est auctoritas Eusebii, cujus verba si tam stricte exponenda essent, ipse sibi contradixisset. Nam lib.* 8 *cap.* 14 *de Maxentio, qui anno* 306 *imperium arripuit in Italia, hæc scribit :* Maxentius, qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei nostræ professionem simulavit.... Itaque subditis suis præcepit, ut a persecutione Christianorum desisterent *etc. Si Maxentius anno* 306 *persecutionem in Italia cessare jussit, quomodo jam cessaverat anno* 305*? Quare non probatur argumentis Mazochii, anno* 305 *ante* XIX *Septembris passos esse* SS. Januarium *et Socios. Sabbatinus vero, qui ex illo ipso Eusebii biennio martyrium Sanctorum nostrorum anno* 304 *figere voluit, ipsis Actis clarissime repugnat, nec ulteriori eget responso.*

Attamen dies XIX Septembris non videtur martyrii.

91 *Dixi, argumentis Mazochii jam refutatis nonnullam verisimilitudinem afferri ipsius sententiæ, quia saltem verisimile est, epocham initio Actorum positam referri ad omnia, quæ in Actis narrantur. Hoc autem si fiat, jam* temporibus Diocletiani imperatoris, *et quando cæsares erant Constantius et Galerius, sive anno* CCCV *ante Kalendas Maias, dicuntur passi. Fervebat tunc æstus persecutionis, quæ post abdicationem Diocletiani* E *et Maximiani Herculii saltem minor fuit. Crescit verisimilitudo, ex prædictis argumentis hausta, si consideremus, pro die* XIX *Septembris nullum militare argumentum, præter antiquum cultum eo die fixum. Nam tam Acta, quam antiquiora Martyrologia, utcumque insinuant, Sanctos non fuisse martyrio coronatos eo die, quo colebantur. In Actis omnibus de martyrii die altum est silentium. De die cultus* S. Januarii *in Appendice ad Acta prima sic habetur :* Cujus dies natalis celebratur tertiodecimo Kal. Octobris. *Ibidem Translatio* S. Sosii *Misenum dicitur facta* die IX Kal. Octobris, *quo ipsius festivitas celebrabatur. Eadem leguntur in Actis magis interpolatis, quæ secundo loco dedit Falconius, pag.* 143. *Et rursum in vetusto Officio Neapolitano apud eumdem pag.* 146 *de* S. Januarii *festivitate* : Dies festivus ejus celebratur tertio decimo Calendas Octobris. *Notandum porro, ubique diem festivitatis referri post relatam prius translationem corporis Neapolim, ita ut verisimillimum fiat, translationis gratia festivitatem* S. Januarii *eo die fuisse fixam, sicut ubique de* Sosio F *clare asseritur, translatum esse Misenum die* XXIII *Septembris, quo colitur. Et sane vix alia reperietur ratio idonea, cur Sancti, eodem die passi, diversis diebus culti ab initio fuerint, quam quod translatio diversis diebus fuerit facta, singulisque assignatus fuerit dies translationis. Antiquiora Martyrologia, quæ recensui* § I, *similiter insinuant ad* XIX *Septembris, hunc non esse martyrii diem, sed festivitatis Neapolitanæ. Nam Sanctum annuntiant* Neapoli, *ubi non est passus, sed solemni festivitate cultus; sicque tacite innuunt, festivitatis diem memorari, non martyrii. Vide plura de his dicenda* § 15.

et Græci martyrium figunt XXI Aprilis.

92 *Græci, ut observat Mazochius, in suis Fastis clare edicunt,* S. Januarium *passum esse die* XXI *Aprilis. Allegat hunc in finem Mazochius Fastos metricos, qui editi sunt apud nos ante tomum* I *Maii, in quibus ad* XXI *Aprilis legitur hic versiculus,*

Τὴν Ἰαννουαρίοιο κάρην τάμεν εἰκάδι πρώτῃ.

Januarii caput resecuit vigesima prima.

Legitur idem versiculus in Anthologio Græcorum et in Menæis impressis, ubi pro τάμεν resecuit, *legitur* τάμον resecuerunt, *et omittitur initio articulus* τὴν. *Mazochius versiculum ita corrigendum*

AUCTORE J. S.

rigendum dicit. At ego non video, pro hexametro perfecto substituendum esse imperfectum, qualem ipse dat, omisso τὴν: nam sic hexametro deest una syllaba. Nec mihi persuadebit Mazochius, ita versiculum fuisse compositum: sed non dubito, quin pro correctione obtrudatur corruptio, quales innumeræ sunt in libris ritualibus Græcorum. Rectius observat Mazochius sequentia: Ibidem *(in Anthologio, uti et in Menæis laudatis)* ad eumdem diem alii quidam senarioli præfiguntur, quibus Januarius cum Sociis non alio, quam die XXI Aprilis, capitis abscissione martyrium complevisse significatur. *Certissima hæc sunt, nec ullum est dubium, quin Græci in ea fuerint sententia, ut crediderint,* S. Januarium *cum Sociis passum die* XXI *Aprilis. Hanc igitur opinionem saltem probabiliorem credo, quia loquuntur indubitanter Græci, tacent vero Neapolitani, aliique Latini antiqui. Attamen tanta mihi non est Græcorum medii ævi auctoritas, ut ipsorum opinionem prorsus certam dicere præsumam.*

§ VII. Sepultura S, Januarii et aliorum : translatio prima S. Januarii, et omnium Sociorum.

B

Sancti non statim post martyrium ad civitates suas avecti,

Sepultura S. Januarii *et Sociorum in Actis non exponitur distincte et clare, sed tanta cum obscuritate, ut de omnibus fere adjunctis variæ oriri possint dubitationes. Dubitari potest primo, an aliqui e Martyribus fuerint statim versus patriam suam avecti, ibidemque sepulti. Nam Acta num.* XI *habent, incolas diversarum civitatum corpora custodivisse,* ut ea noctu raptim tollerent, et in civitatibus suis portarent; *et quidem* sepelienda, *ut addunt aliqui codices. Hæc sane verba insinuare videntur, talem fuisse Christianorum intentionem. Attamen avecta statim ad civitates suas aliquorum corpora non crediderim: nam Appendix Actorum contrarium longe clarius docet. Itaque sive Christiani non fuerint ausi primum propositum suum exsecutioni mandare, sive ab initio tantum proposuerint corpora Martyrum tuto aliquo loco abscondere, et sepelire, ut opportuno tempore ad civitates suas deportarentur, omnino dicendum videtur, omnium corpora primum* C *sepulta fuisse loco aliquo non nimis remoto a loco martyrii, qui erat in territorio Puteolano, et uno fere milliario Italico Puteolis distabat. Nam de* S. Januario *clare dicitur, absconditum sive sepultum fuisse in loco Marciano, ex quo diu post Neapolim est translatus.*

sed prius in loco abscondito sepulti fuerunt,

94 *De reliquis sex idem colligitur ex verbis, quibus prima translatio asseritur. Tempore enim hujus translationis* S. Sosius *dicitur positus* in basilica *ubi postmodum diu requievit. At basilicam, sive amplam ecclesiam Christianorum, exstitisse Miseni, imperante Diocletiano, verisimile non est, nedum in ea tunc sepultus fuerit* S. Sosius. *Hunc igitur similiter Misenates loco aliquo abscondito primum sepelierunt.* Festum *quoque et* Desiderium *non fuisse Beneventum translatos ipso martyrii tempore, clare rursum insinuat fama de ipsis audita a Cyphio senatore gentili, qui ea in spem ductus est Martyrum patrocinio liberos impetrandi, eumque in finem corpora transferenda Beneventum curavit. Ne Puteolanos quidem Martyres,* Proculum, Eutychetem *et* Acutium, *statim a martyrio in civitate sua fuisse sepultos, abunde insinuat locus in-* *fra memorandus, in quo depositi sunt tempore* D *primæ translationis. Demum Acta ipsa insinuant omnes septem Martyres primum fuisse sepultos circa locum martyrii, qui Latinis dicebatur* Forum Vulcani, *in Actis vero varie scriptus reperitur, nimirum* Sulphotarea, Sulphoratorea, Sulphurotaria. *Nunc Latine* Sulphuraria, *Italice* Solphataia, *dici solet a sulphure, quod locus ille producit.* Igniferum campum appellare quis posset, *inquit Caracciolus sect.* 9. *Certe ampla est convallis, quæ nec arbores nec ullas herbas, sed solum sulphur producit, fumumque et flammas variis locis eructat, ut ipse vidi.*

et quidem non longe a loco martyrii, certe S. Januarius.

95 *Verba autem Actorum, quæ insinuant, circa illum martyrii locum corpora Martyrum nostrorum fuisse sepulta, hæc sunt:* Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad Sulphurotariam, ubi postea dignam beati martyris Januarii basilicam condiderunt. *Ultima hæc sunt in Mss. nostris Actorum verba, subduntur que post perstrictam breviter sepulturam. Hac de causa existimo, verbum* jacuerunt *idem significare, ac* jacuerunt sepulta. *Si quis tamen crediderit, voce* jacuerunt *solum significari, ubi corpora jacuerint ante sepulturam, quia in Actis, prout edita sunt apud Falconium, sepultura et prima corporum translatio mox iterum refertur;* E *consideret ille, sequentia non esse primi scriptoris, sed illius, qui Acta postmodum auxit. Voluit ille latius exponere, a quibus, et quo in loco sepultus fuisset* S. Januarius; *et quibus obtigissent aliorum Martyrum corpora: nam illa primus auctor brevissime et generatim tantum dixerat. Itaque hæc nequeunt obstare, quo minus per vocem* jacuerunt *intelligamus locum sepulturæ, ut vox ipsa significat, et adjuncta vocem explicare cogunt. Nam occisi sunt in sulphuraria, ibique ante sepulturam corpora jacuerunt, donec raperentur a Christianis. At sepulta jacuerunt* ad, *sive, ut habet unum Ms.,* prope Sulphurariam, *ubi postea condita est* S. Januarii *ecclesia. Hæc certo condita non fuit in ipsa sulphuraria, sive in ipso martyrii loco, sed in colle aliquo vicino ubi* S. Januarius *fuit sepultus.*

in loco Marciano, de quo non eadem omnium est opinio : * al. Marciano

96 *Locus ille in Appendice Actorum* Marcianus *aut* Marcianum *vocatur.* Neapolitani beatum Januarium sibi patronum tollentes, a Domino meruerunt. Quem primo quidem in loco, qui appellatur Marcianum *, absconderunt *etc. Verum altera hinc oritur dubitatio, eaque non levis. Nam scriptores Neapolitani situm Marciani investigarunt; nec in eamdem convenerunt sententiam. Tutinus in Vita cap.* 7 *dicit,* S. Januarium *fuisse sepultum in Marciano* inter Sulphurariam et montem Spinæ dictum. *Mons autem Spinæ non longe distat a Sulphuraria versus Neapolim, ut videri potest in tabula Commentario præfixa.* F *Caracciolus in Historica demonstratione de patria* S. Januarii *pag.* 60 *vult, locum fuisse ditionis Neapolitanæ* Sciantque omnes lectores, *inquit*, etiam agrum Marcianum, quo sacrum corpus B. Januarii defossum fuit, ad Neapolim pertinere. Docet enim Plinius lib. 18 cap. XI, et lib. 35 cap. 15, colles Leucogæos in Neapolitano agro fuisse: et Puteolani ipsi nuperi, quorum de hac re Epistolas habeo, asserunt Marcianum campum esse ex adverso lacui Aniano. Sed de his alibi latius. *At nihil de his invenio in majori ipsius Opere; sive quod sententiam mutaverit, sive quod editor Operis, qui et ultimam manum apposuit, eam opinionem non probaverit. Placuit tamen ea sententia Falconio pag.* 443, *ubi ait, colles Leucogæos alios esse a collibus sulphurariæ, et nonnihil versus Neapolim sitos, eosdemque esse cum montibus* Spinæ *modo dictis.*

A *dictis. Hieronymus a S. Anna similiter Caraccioli opinionem laudavit cap.* 10. *Vide locum expressum in prævia tabula chorographica. Mihi tamen minus versimilis est ea opinio, non quia locus ille ultra milliare Italicum a sulphuraria distat, sed quia non invenio, ullam ibi umquam fuisse* S. Januarii *ecclesiam.*

Sabbatini sententia improbabilis

97 *Sabbatinus in Annotatis die* XIII *Aprilis ad Calendarium investigat locum Marcianum, refutatisque aliorum opinionibus jam dictis, locum assignat seculo* VI Marcianum *dictum, ecclesiaque et monasterio ornatum. At multo magis locus ille distat a loco martyrii, quam vellem. Assignat nempe locum in diœcesi Nucerina. Est autem Nuceria, cognomento* Paganorum *dicta, civitas episcopalis inter Neapolim et Salernum, sed multo propinquior Salerno, quam Neapoli. Fuisse ibi monasterium seculo* VI, *quod tempore S. Gregorii Magni desertum erat, illudque situm fuisse* in fundo Marciano provinciæ Campaniæ, *recte ostendit Sabbatinus ex Epistola S. Gregorii ad Agapitum abbatem lib.* XI *Epist.* 72. *Notat tamen editor postremus Operum S. Gregorii, in alio codice Ms. pro* Marciano *legi* Martiniano. *Verum omissa* B *illa lectionum diversitate, loci distantia facit, ut opinio illa mihi appareat improbabilis, præsertim cum aliunde non habeat solidum fundamentum. Habent Acta, jacuisse corpora prope Sulphurariam sepulta, ut certe mihi explicanda videntur.*

apparet, et idoneo destituta fundamento.

98 *Quomodo igitur credam,* S. Januarii *corpus fuisse positum multo longius ultra Neapolim, quam ipsa sulphuraria ab urbe illa sit dissita? Appendix Actorum, ubi* Marcianum *memoratur, nihilo magis, quam ipsa Acta, insinuat, corpus avectum fuisse ad locum sepulturæ procul dissitum; sed verbo* absconderunt, *potius innuit, in loco vicino occulte fuisse sepultum. Præterea, si Neapolitani sacrum corpus navi imposuissent, ut conjicit Sabbatinus, potuissent illud facilius ponere in loco aliquo magis vicino territorii Neapolitani, quam tam longe portare ad diœcesim Nucerinam. Quapropter nova illa conjectura non est verisimilis, præsertim cum et idoneo careat fundamento. Totum enim fundamentum petitur ex nomine et ex monasterio, quod ibi erat desertum tempore S. Gregorii Magni. At non dicicitur ecclesia ibi dicata fuisse* S. Januario; *nec ostenditur, Sanctum ibi umquam fuisse cultum, aut ul-* C *lam ibidem de eo fuisse memoriam. Itaque fundus Marcianus, in quo erat illud monasterium, mihi nequaquam sufficit, ut credam* S. Januarium *ibi fuisse sepultum; nec dubito, quin plures ejusdem nominis fundi aut villæ fuerint in Italia.*

Locus, ubi modo est monasterium Capucinorum,

99 *Locum requiro, in quo condita non solum fuerit ecclesia, sed etiam* S. Januario *sacra; quique non nimis sit dissitus a sulphuraria, sive a loco martyrii. Hunc facile inveniri posse, et cultu* S. Januarii *etiamnum celebrem esse credo. Ne lectorem multis detineam, omnino mihi persuadeo,* S. Januarium *esse sepultum in colle vicino Sulphurariæ, et quidem in illo loco, ubi modo est monasterium Capucinorum. Omnia enim pro illo loco concurrunt. Nam propinquus est Sulphurariæ, ut ipsi vidimus, quando ex sulphuraria ad monasterium Capucinorum anno* 1753 *ascendimus, non est tamen in sulphuraria, ut etiam videri potest in tabula huic Commentario præfixa. Condita ibi fuit ecclesia dicataque* S. Januario, *ut docet ipse Sabbatinus laudatus pag.* 44, *quamvis* sacellum *vocet. Et sane haud difficulter credam, ædem ibi* S. Januario *exstructam seculo* IV, *non fuisse majoris amplitudinis, quam modo sint, quæ sacella vocamus. Etsi enim* basilicam *Acta, vocent, si tamen consideremus, seculo* IV *fuisse conditam, non diu post persecutiones gentilium, sitamque fuisse in loco pene deserto, facile cogitabimus, non tantæ fuisse molis ædem illam, ut modo sacelli nomen repudiaret*

in quo Sanctus creditur decollatus, potius sepulturæ

100 *Præter ædem sacram* S. Januario, *laudatus Sabbatinus, qui existimat* S. Januarium *in illo loco occisum, affert hanc inscriptionem,* locus decollationis sancti Januarii et Sociorum ejus. *Antiquissimam hanc sibi visam, et* quarti seculi, *affirmat Sabbatinus. Vidi cum collega eamdem inscriptionem, et utcumque vetustam credidimus; at seculo* IV *longe posteriorem. Juxta altare, in quo est dicta inscriptio, positus est lapis parieti affixus, nonnullis etiamnum sanguinis guttis conspersus, in quo* S. Januarium *occisum dicebant. Verum de his et de statua Sancti ibi servata postmodum. Nunc vero observo, locum illum non videri martyrio, sed sepultura* S. Januarii *nobilitatum. Traditio popularis, opinor, ex loco sepulturæ paulatim fecit locum martyrii; eaque opinione semel recepta, fuerunt inscriptiones traditioni conformes. At Acta ipsa, omniaque adjuncta repugnant, ut paucis ostendam. Acta docent, Sanctos fuisse occisos in sulphuraria. Atqui ecclesia Capucinorum est extra sulphurariam in colle posita. Sancti igitur cæsi non* E *sunt, ubi modo est monasterium Capucinorum, Acta docent, basilicam* S. Januario *fuisse erectam in loco sepulturæ, non in loco martyrii. At ecclesia Sancto erecta est, ubi modo est ecclesia Capucinorum. Ergo ibidem sepultus fuit* S. Januarius, *non occisus.*

locus censendus est, ut ostenditur.

101 *Frequens erat consuetudo antiquorum Christianorum, ut supra martyrum sepulchra ecclesias erigerent, non vero in locis, ubi erant occisi. Huic consuetudini concordant Acta* S. Januarii, *sepulturæ locum ecclesia honoratum docentia, non locum occisionis. Nolim tamen contendere, numquam ecclesias fuisse constructas in locis, ubi martyres aliqui fuerant occisi; sed non dubito asserere, in nullis* S. Januarii *aut Sociorum Actis me vel minimum verbum reperisse, quo innuitur, in loco cædis ipsorum ecclesiam fuisse structam. Omnia igitur concurrunt, quæ homini critico, et nullis occupato præjudiciis, persuadere debent, illum fuisse locum sepulturæ* S. Januarii, *ubi corpus ejus multis annis permansit. Ne* Marcianum *quidem nomen desideratur. Nam Mazochius in Additamentis mensis Aprilis pag.* 972 *ad propositum nostrum observat sequentia:* In Marciano olim Januarium fuisse conditum, testatur Joannes Dia- F conus in S. Joanne I. Et quidem Marciani nomen adhuc fundo cuidam prope Capucinos hæret: quem memoratum reperio in quodam instrumento Puteolano, quod mihi nuper ostensum fuit. *Si fundus Marcianus modo est prope Capucinos, quis non facile perspiciat, illum latius olim extensum fuisse, ut locum totum, quem modo Capucini habent, aut saltem locum ecclesiæ ipsorum, vetustissimo Sancti sacello insignem, comprehenderet. Itaque necesse non est, ut* Marcianum *alibi quæratur, cum* Marcianum *habeamus illo ipso loco, quem omnia indicant locum sepulturæ fuisse.*

Incertum, an omnes primum sepulti eodem loco.

102 *Tertia dubitatio est, an omnes aut aliqui Socii eodem loco cum* S. Januario *fuerint sepulti. Res hæc magis videtur ambigua: neque enim pro alterutra parte rationes invenio satis efficaces ad tollendam prorsus dubitationem. Acta, prout primo scripta sunt, in editis apud Falconium innuere videntur, omnes eodem loco sepultos, cum ita habeant:* Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad sulphotaream, ubi postea dignam beati martyris Januarii basilicam condiderunt. *At in Ms.*

AUCTORE J. S.

nostro legitur: Corpus autem sanctum jacuerunt *etc. In Ms. Rubeæ vallis*: Corpus autem sanctum jacuit. *Hæc lectionum diversitas facit, ut minus certi simus de re ipsa. Si enim legendum esset,* corpus sanctum jacuit, *de solo* S. Januarii *corpore ageretur. At, cum in omnibus editis, imo etiam in Actis secundis per Mazochium vulgatis, legatur,* Corpora autem Sanctorum jacuerunt *etc; sic omnino legendum existimo, ut etiam innuit verbum* jacuerunt *in codice nostro, in quo imperitus transcriptor pro vocibus* corpora Sanctorum *posuisse videtur*, corpus sanctum. *At Actorum Appendix aliam rursum innuit suspicionem, quando refert, corpus* S. Januarii *absconditum fuisse in Marciano, sine ulla mentione de aliis eodem loco conditis. Hac enim de causa cogito, potuisse quidem omnium corpora sepeliri non longe a Sulphuraria, locis tamen diversis. Verumtamen, cum scriptor Appendicis sit minoris auctoritatis. utpote qui certe non ante adultum seculum* VI, *et forte septimo aut octavo illa scripsit, ipsius silentium non tollit suspicionem de omnium aut aliquorum saltem corporibus primum eodem loco sepultis, ut Acta magis innuunt, Hæc de sepultura Sanctorum mihi sufficient.* B

Recentiorum opiniones de prima S. Januarii translatione,

103 *De tempore primæ translationis* S. Januarii, *quando sacrum ipsius corpus e fundo Marciano, sive ex ecclesia supra sepulcrum ejus condita, Neapolim translatum est, positumque in suburbana ecclesia, ut in Appendice ad Acta prima refertur, scriptores Neapolitani sententias conceperunt multum diversas. Tutinus cap.* XI *translationem figit circa annum* 381, *creditque tunc episcopum fuisse Joannem I, in quo errat. Caracciolus sect.* 12 *de tempore translationis mentem suam his verbis explicat*: Contigit hæc translatio circa undecimum annum a pace per Constantinum Ecclesiæ reddita, hoc est, anno Christi CCCXXV, non autem CCCLXXXI, ut putavit Tutinus. *Vellem pro dictis argumenta dedisset. Neque enim dicenti credam, sed potius existimabo, ipsum multo longius a vero abesse, quam Tutinum. Colligitur id satis ex iis, quæ subdit, dum ita pergit*: Joannes diaconus tradit, Joannem episcopum, hujus nominis primum, interfuisse huic translationi, et suis ipsum manibus eum tumulasse. Auctor vero Vitæ S. Severi, Severo id tribuit. Conciliari autem possunt, si dixerimus, ab utroque id factum; a Joanne videlicet C et Severo, tunc presbyteris vel diaconibus, postea episcopis *Verum anno* 325 *forte puer erat Severus, Joannes verisimiliter necdum natus, ut patebit ex dicendis de tempore episcopatus utriusque. Interim moneo, in secunda editione Ughelli tom.* 6 *col* 30 *catalogo episcoporum Neapolitanorum perperam circa annum* 325 *insertum esse Joannem aliquem, acsi eo tempore adfuisset translationi* S. Januarii. *Nam prius probandum erat, translationem eo tempore factam, quam ex ea fictitius procuderetur episcopus. Notus est Joannes, qui dicitur translationi adfuisse, et ab ipso Ughello memoratus est sequenti seculo.*

quæ S. Severo attribuitur in hujus Vita,

104 *Ne plurium scriptorum opinonibus recensendis fiam prolixior, quam sit necesse, observo, duos tantum esse episcopos Neapolitanos, quibus translatio probabiliter attribui possit, et qui revera ambo simul solemnitati adesse potuerunt, alter ut episcopus, alter ut presbyter vel diaconus. Primus est S. Severus, de quo actum in Opere nostro tom.* III *Aprilis a pag,* 767. *In hujus Vita num,* 6 *hæc leguntur*: Nam et corpus B. Januarii, sacerdotis et martyris, ipse condidit manibus suis in ecclesia foris portam hujus civitatis milliario uno, in qua nunc requiescit usque in præsentem D diem; et ipsarum basilicarum, unde superius mentionem fecimus, unam foris urbem juxta S. Fortunatum nomini suo *(videlicet* Januarii) consecravit. *Scriptor ille, dum ait, corpus* S. Januarii *suo tempore fuisse in ecclesia suburbana prope Neapolim, ostendit, se scripsisse ante translationem Beneventanam, et sic antiquior est Joanne Diacono mox allegando pro altera sententia, imo forte aliquot seculis hic biographus ante Joannem Diaconum vixit: neque enim ullum verbum in illa Vita occurrit, ob quod credere cogimur, octavo potius seculo scriptam fuisse, quam sexto aut septimo. At Joannes Diaconus Chronicon suum exaravit, vergente ad finem seculo* IX, *et produxit usque ad annum* 872. *Porro laudatus Joannes Diaconus in Chronico tom.* I *Scriptorum Italiæ part.* 2 *pag.* 293 *consentit de constructa per S. Severum* S. Januarii *ecclesia suburbana, at de translato per eumdem corpore tacet. De constructis a S. Severo quatuor ecclesiis plane assentitur ejus biographo, et de illa, in qua depositus est* S. Januarius, *sic loquitur*: Unam *(fecit)* foris urbem juxta sanctum Fortunatum. *Quæ sunt ipsa verba superius data, sed contracta. Non dicit tamen, illam ecclesiam* E *fuisse* S. Januario *dicatam, aut corpus* S. Januarii *per Severum illi illatum.*

at Joanni I a Joanne Diacono, timide tamen:

105 *Contra pag.* 295 *in Joanne I magis in aliam propendet opinionem, et Joanni translationem dubitanter attribuit his verbis*: In eo oratorio, ubi manu sua dicitur condidisse beatissimum martyrem Januarium, a Marciano sublatum, et ipse *(Joannes episcopus)* parte dextera humatus quievit. *Mazochius in Annotatis ad Acta a se edita pag.* 278 *mavult Joanni Diacono assentiri, quam biographo S. Severi, et pro ratione dicit,* quod Joannes Diaconus, multo ea Vita *(S. Severi)* antiquior, *translationem* diserte *attribuat Joanni. At non videtur vir eruditus utriusque ætatem considerasse, et attente contulisse. Nam certissimo argumento evincitur, Diaconum, qui medio saltem seculo post translationem Beneventanam scripsit, juniorem esse biographo S. Severi, qui saltem ante translationem illam Opus suum edidit. Forte contrarium credidit Mazochius, quia Vitam consideravit apud Ughellum, ubi Miracula, aliquot seculis post scripta, una cum Vita eo modo sunt edita, acsi ejusdem essent auctoris. Verum apud nos utrumque Opus distinctum est; nec merito* F *potest dubitari, quin biographus S. Severi sit altero vetustior.*

videtur probabilius figenda sub Severo.

106 *Quapropter hujus sententia mihi probabilior apparet, præsertim quia conciliari utcumque potest cum verbis Joannis Diaconi, et quia hic dubitanter loquitur per verbum* dicitur condidisse. *Inter S. Severum, cujus mors apud Ughellum figitur circa annum* 412, *et Joannes I medius quatuor tantum annis fuit Ursus. Quare, si translatio contigit sub episcopatu S. Severi, circa finem seculi* IV *aut sub initium* V, *ut mihi verisimillimum apparet; potuit Joannes, ut presbyter aut diaconus, translationi adesse, et una cum episcopo Sancti corpus in ecclesia suburbana recondere. Sic ambo verum dixerint. Hæc itaque sententia mihi magis placet, non quidem ut plane certa, sed ut magis probabilis, nam et ecclesia* S. Januarii *per Severum structa, ut ambo consentiunt, favet translationi sub Severo figendæ. De anno nihil certi habemus, sed conjicere possumus, ecclesiam prius fuisse constructam, deinde corpus eidem solemniter fuisse illatum.*

107 *De prima translatione Sociorum* S. Januarii

Incertum magis est tempus, quo Sosius Misenum, tres alii Puteolos,

A rii *nihil invenio præter ea, quæ leguntur in Appendice primorum Actorum. Hac de causa dubitari potest, utrum illi ante, an post* S. Januarium *fuerint translati. De* S. Sosio *solum dicitur a civibus Misenatibus Misenum fuisse translatum, et in basilica positum, idque factum* nono Kalendas Octobris, *sive die* XXIII *Septembris. Erat Misenum civitas episcopalis ad mare Tyrrhenum, portu et promontorio suo memorabilis, paucis tantum milliaribus Puteolis dissita, ut videri potest in tabula chorographica; sed postea excisa est, corpusque rursum translatum, ut suo loco dicemus. Inter Neapolim et Misenum ad mare media erat civitas Puteolana, Latine* Puteoli *dicta, Italice* Pozzuolo, *quæ etiamnum episcopalis est, etiamsi excisa etiam a barbaris fuerit, et modo fere nihil pristini splendoris habeat. Ad hanc civitatem translati sunt* Proculus, Eutyches *et* Acutius, *qui ibidem nati creduntur, et in hujus civitatis vicinia cum reliquis erant passi et sepulti. De tempore translationis nihil additur. Nonnulla tamen mihi suspicio oritur, translationem peractam fuisse die* XVIII *Octobris, qua cultos Puteolis fuisse Martyres illos, et* S. Proculum *etiamnum coli, ex Officiis intelligo.* B

et Festus ac Desiderius Beneventum translati fuerunt.

108 *De* SS. Festo *et* Desiderio *Beneventum translatis paulo longior texitur historia, nescio an satis sincera. Primo tamen breviter per cives suos, id est, per Beneventanos, dicuntur Beneventum translati. Deinde vero consilium sacra illorum corpora transferendi attribuitur cuidam senatori gentili, qui* Cyphius *dicitur. Dabitur Appendix, in qua res narratur. Hæc solum observo, credibile esse Cyphii sumptibus ecclesiam Sanctis fuisse constructam; sed translationem peractam esse Christianorum et maxime ecclesiasticorum consilio magis credidero. De tempore translationis nihil additur: nec possum probare opinionem Marii de Vipera in Chronologia episcoporum ecclesiæ Beneventanæ, ubi pag. 12 corpora ipsorum statim post mortem translata narrat. Certe Christiani, qui corpora illa abstulerant, eadem non commisissent servo hominis ethnici. Laudatus Vipera ibi etiam* Stephanum *quemdem Martyribus nostris octavum adjungit; sed prorsus improbabiliter, cum de eo in nullis Actis fiat mentio.*

§ VIII. S. Januarius multis miraculis Neapoli clarus, transfertur Beneventum, et cum Festo et Desiderio, ad urbem translatis, deponitur.

C

S. Januarium, dum corpus erat Neapoli, multis claruit miraculis :

De *beneficiis patrocinio* S. Januarii *impetratis, quando corpus ipsius servabatur in suburbana prope Neapolim ecclesia, Appendix primorum Actorum testimonium præbet, ea* innumerabilia *vocans. Similia habet antiquissimum Officium Neapolitanum apud Falconium pag. 146, ubi leguntur sequentia :* Transtulere *(Neapolitani)* corpus sanctissimum in ecclesiam *(juxta Neapolim, ut jam dictum)* ubi requiescit ad præsens, et beneficia innumerabilia præstare non desinit orantibus et petentibus eum. *Subduntur ibidem beneficia aliquot; sed ea etiam habentur in monumento antiquo de Miraculis, cujus initium est :* Operante divina misericordia. *Hoc autem edetur primo loco post Vitas, ibique in Annotatis dabo, quidquid ad elucidationem aut confirmationem in dicto Officio reperitur idoneum. Caracciolus sect.* 18 *agens de Miraculis, dolet multa de iis* temporum injuria *periisse, fateturque non alia de illis exstare antiqua monumenta, quam duo, quæ edam, nimirum primum jam memoratum, et Acta translationis Beneventanæ. Interim allegat etiam Menæa Græca, quæ revera aliquibus locis breviter et generatim insinuant,* S. Januarium *non solum tempore martyrii, sed et post mortem variis miraculis claruisse. Nam in ode 4 alloquentes Sanctum, dicunt, ipsum Christi Servum luculenter apparuisse ubi ad cælum transiit,* βρύων *inquiunt,* τοῖς τιμῶσί σε ἰαμάτων πελάγη emanans honorantibus te sanationum maria. *Rursum in Ode 5 sanguis ipsius dicitur factus* ἰαμάτων ποταμός, sanationum fluvius. *Et rursum inferius dicitur* μετὰ θεῖον τέλος ἐργαζόμενος πλῆθος θαυμάτων post divinum finem, *seu mortem,* operans multitudinem miraculorum. *Mitto alia generalia.*

puer mortuus ad vitam revocatus,

110 *Unum particulare ibidem refertur in elogio* S. Januarii, *quod etiam legitur in Miraculis edendis, quodque ex Græco textu Latine redditum subjicio.* Mulier quædam, nomine Maximina, vidua erat et unicum habebat filium. Hoc morte erepto, cum orbitatem suam indesinenter lugeret, E utcumque ad se reversa, vidit supra portam templi pannum dependentem, qui Sancti *(Januarii scilicet)* gerebat effigiem. Cogitans autem, quid olim fecisset Elisæus propheta, quando Sunamitidis filium a morte excitavit; divinitus excitata, et ipsa fecit similia. Filium enim suum apte componens, illi comformavit imaginem S. Januarii, et pueri oculis oculos imaginis conjunxit, auresque et os parili modo, quemadmodum et reliqua membra applicuit, cum singultibus et lacrymis dicens : Serve Dei, miserere mei, et resuscita filium meum, quia unigenitus mihi est. Sanctus vero precibus flexus, mulieri filium vivum invisibilis ipse reddidit. Conspecto hoc prodigio, omnes, qui ad funus puéri convenerant, exterriti sunt, laudantes et benedicentes Deum. *Hactenus Menæa brevius quam idem miraculum Latine refertur in Actis edendis. Acta tamen non habent, ad ecclesiam portatum fuisse, et probabilius exponunt, quomodo velum a matre sit acceptum.*

Vesuvii montis conflagratio extincta.

111 *In iisdem Actis primo loco, tamquam beneficium maximum, refertur repressio et extinctio flammarum montis Vesuvii, qui Neapolitanæ urbi vicinus est, ut passim notum est geographiæ peritis. Idem beneficium in vetusto Officio Neapolitano apud Falconium pag.* 147 *paulo brevius refertur hoc modo :* Mons Vesuvius prope Neapolim ad ultionem scelerum impiorum, vasto tremore concussus, globos igneos ultra solitum eructavit, urbesque vicinas vastavit. Neapolitani timentes, effusis lacrymis, beati Januarii ecclesiam intraverunt, non videntes cælum propter calidos cineres qui sic terram operuerant, ut humus fere arderet. Omni solatio destituti, nocte dieque requies non dabatur : replebatur raucis vocibus masculorum et fæminarum ululatibus magnis ecclesia. Alii in pulverem terræ se jactabant, gementes peccata sua : alii genas suas unguibus lacerabant : alii manibus pèr plateas erectis, Dei suffragia in sancto Martyre precabantur. Sicque sancti Martyris precibus Vesuvii montis ignita eruptio est extincta. *Caracciolus sect.* 20 *ex Officii hymnis et odis varia affert loca, quæ de eodem beneficio meminerunt. Mitto ea brevitatis causa, quia res satis firmata est ex ipsis Actis edendis, in quibus tamen tempus rei peractæ non exprimitur.* F

112 *At varii scriptores voluerunt, designari horrendum*

AUCTORE J. S.

quod alii anno 472, alii 685 contigisse, volunt,

horrendum illud Vesuvii incendium, de quo Marcellinus comes in Chronico ad annum 472 ita loquitur : Vesuvius mons Campaniæ torridus, intestinis ignibus æstuans, exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexuit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Byzantii annue celebrant VIII Idus Novemb. *Verum Tutinus in Vita cap.* 10 *illam opinionem rejicit, et magis credit, beneficio* S. Januarii *extinctum fuisse Vesuvii incendium, quod anno* 685 *una cum terræ motibus vicinas civitates horrendum in modum exterruit et afflixit. Ego pro neutra opinione satis solidum invenio fundamentum, ideoque malim cum Caracciolo de tempore nihil certi statuere, quam pro incerta opinione pugnaciter decertare. Nescio etiam, an Tutinus habuerit documenta suis certa, ex quibus didicerit, prolatum fuisse* S. Januarii *caput, positumque in loco, ex quo Vesuvius mons videri potest, sicque confestim extinctum fuisse incendium. Tacet de illa capitis prolatione Caracciolus, qui plura reliquis documenta antiqua ad manum habuisse videtur ; tacent alii complures ; tacent monumenta omnia antiqua, quæ mihi innotuerunt.*

ope S. Januarii : nummus hac forte de causa cusus.

B 113 *Itaque mihi magis placet relatio Bernardini Siculi, sicut eam ex Italicis versibus Latinam fecit Caracciolus, qui mentem auctoris expressit his verbis :* Cum nube cinerea cælum esset tenebricosum et horridum, tota vero terræ superficies, et ipsa Neapolis repleta et operta esset cineribus et ignitis carbonibus, æstuante ob id vehementius aëre, et miseram mortalibus necem inferente, ordo populusque Neapolitanus, una cum clero religiosisque viris innumeris, adeunt S Januarii basilicam ibique cum maximo fletu omnium et fæmineo ululatu fundunt assiduas preces, et sanctum Patronum, ut pro clientibus apud Deum in tanta omnium clade interveniat, cum fide sollicitant. Quid plura ? Statim exauditi sunt. Nam e basilica revertentes, cælum serenum, aërem tranquillum, eruptionem cinerum jam repressam, læti aspiciunt, et divinæ potentiæ admirandam atque laudandam benignitatem deprædicant. *Laudatus Tutinus pag.* 45 *profert nummum in honorem* S. Januarii *cusum cum inscriptione Græca, et Sancti effigie. Hic repræsentat Sanctum cum hac inscriptione* ἅγιος ὁ Ἰαννάριος, Sanctus Januarius. *Et in parte obversa :* λυτρωτὴς τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρός Redemptor urbis ab
C igne. *Nummum illum refert ad incendium modo relatum ; sed ille non videtur tam antiquus, ut dicam* § 16. *Præterea dubitandum non est, quin Sanctus frequentius urbem suam protexerit contra terribilem adeo vicinum. qualis est Vesuvius; cum inde maxime orta videatur summa Neapolitanorum de* S. Januario *fiducia. Verum exempla recentiora perpetuæ illius protectionis commemorabo post corporis translationes, quibus sunt posteriora.*

Apparitiones aliquot

114 *At inter beneficia Sancti, primæ et secundæ translationi intermedia, numerandum est illud quod in Vita S. Severi episcopi Neapolitani cui primam corporis translationem probabilius attribuimus refertur tom* III *Aprilis pag.* 769. *Sumpserat S. Severus triduo ante mortem sacra Mysteria, aliaque peregerat, ad mortem more Christiano pie obeundam. Deinde vero, ut narrat biographus* subito clara voce interrogare cœpit, ubi essent fratres sui. *Et mox explicans, quos vocaret fratres,* Ego nunc, *inquit,* fratres meos Januarium atque Agrippinum dico, qui mecum sunt modo locuti, et continuo ad me venturos se esse dixerunt. *Fateor tamen, hanc relationem suspectam videri quod tota sit desumpta ex Epistola Uranii presbyteri de obitu S. Paulini Nolani, ne verbis quidem* D
mutatis, nisi perpaucis ad personas mutandas. Potest quidem aliqua S. Januarii *visio etiam S. Severo oblata esse, quam biographus iisdem adjunctis ornaverit, quæ repriebat in visione S. Paulini; sed ille eo scribendi modo fidem suam saltem suspectam reddidit. Audiamus igitur Uranium, certiora narrantem de S. Paulino, cujus morti ipse adfuit. Uranius autem tom.* IV *Junii pag.* 198 *hæc scribit :* Et cum hæc omnia sanctus episcopus *(Paulinus)* læto atque perfecto ordine celebrasset, subito clara voce interrogare cœpit, ubi essent fratres sui. Tunc unus ex circumstantibus, qui putavit, quod fratres suos, id est, episcopos, qui aderant, quæreret; ait illi : Ecce hic sunt fratres tui. At ille : Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modo mecum locuti sunt, et continuo ad me venturos se esse dixerunt. E quibus Januarius, episcopus simul et martyr, Neapolitanæ urbis illustrat ecclesiam, Martinus autem vir per omnia apostolicus, cujus Vita ab omnibus legitur, Galliarum episcopus fuit.

S. Januarii :

115 *Alia* S. Januarii *apparitio legitur in lectionibus Officii S. Agrippini, cum aliis impressi anno* 1525. *Rem breviter expono, quia magis spectat ad* E
S. Agrippinum. Quidam, Maurus nomine, paralyticus erat, et S. Januarium *invocabat pro obtinenda corporis sanitate. Dum autem ante tumulum prostratus erat, in somnum incidit, viditque* S. Januarium, *qui paralyticum jussit ad S. Agrippini tumulum ire, sanandum ibi prædicens, prout factum asseritur. Res tota magis examinari poterit in S. Agrippino, qui colitur die* IX *Novembris. Nam certo in illius visionis prolixa relatione reperientur nonnulla corrigenda. Alia rursum* S. Januarii *apparitio refertur in Vita S. Gaudiosi, edita apud Ughellum tom.* 7 *Italiæ sacræ recusæ col.* 357, *sicut plenius dici poterit in S. Gaudioso ad* XXVI *Octobris.*

qui Neapolim contra hostes defendit.

116 *Caracciolus sect.* 21 *celebrat* S. Januarium, *ut defensorem urbis Neapolitanæ contra hostes ; sed fere generatim tantum loquitur, aut facta recitat posteriora corporis translatione Beneventana ideoque post memoranda. Verum in jam laudato Officio S. Agrippini particulare factum refertur lect.* 3 *et* 4. *Verba huc transfero :* Albinus quidam in eadem civitate Neapolitana commanens, diabolico incitatus spiritu, dum pro traditione prædictæ civitatis ad nephandissimam Longobardorum gen- F
tem pergeret, ut eisdem tempus memorati sceleris constitueret; in itinere positus vidit beatissimum martyrem Januarium, terribiliter comminantem sibi, atque dicentem, ut ab incepto opere revocare mentem gressumque debuisset. Qui statim amens effectus, perdensque virtutem, nec ultra progrediens, tentus a militibus et Neapolim perductus, hæc ipsa, quæ retuli, ore proprio cunctis audientibus enarravit, sicut et publica monumenta testantur. *Hieronymus a S. Anna idem refert lib* 2 *cap.* 1, *dicitque contigisse circa annum* 650. *At nullam illius epochæ rationem allegat. Malim igitur tempus relinquere incertum. Nunc ad translationem Sancti, de quo loquimur, pergo, licet ordine temporis præcesserit* SS. Eutychetis et Acuti *translatio.*

Arichis princeps Beneventanus S. Januario devotus :

117 *Secundam* S. Januarii *translationem, qua corpus ipsius ex ecclesia suburbana, in qua quatuor seculis et aliquot annis quievit, Beneventum fuit translatum, narrat Caracciolus sect.* 13. *Præmittit autem, Arichem secundum hujus nominis Beneventanorum ducem, qui multa Sanctorum corpora ad metropolim suam transtulit, idem verisimiliter conatum esse de corpore* S. Januarii *facere,* a Neapolitanis tamen, Civi suo addictissimis, nulla prece

id

AUCTORE J. S.

A id obtinere potuisse. Quare, *inquit*, munere saltem aliquo, se ditissimo principe digno, suam erga beatum Antistitem propensam devotamque voluntatem testatam facere cum vellet, donavit ecclesiæ beati Martyris, juxta Neapolis mœnia erectæ, ubi ejus ossa requiescebant, amplum prædium, quod Planura etiam nunc vulgo dicitur : insuperque pretiosum pallium ejusdem altari operiendo atque exornando. *Tradit hæc Joannes Diaconus in Chronico episcoporum Neapolitanorum in Stephano II. Quod autem Arichis II senescente seculo* VIII *libenter fecisset cum bona Neapolitanorum gratia; id Sico, Beneventanus item princeps, invitis Neapolitanis, perfecit seculo* IX *adolescente.*

Sico princeps, obsessa Neapoli, corpus Sancti transfert

118 *De hac translatione Anonymus Salernitanus tom.* 2 *Scriptorum Italiæ pag.* 290, *relata prius obsidione Neapolis, ita habet :* Et ipse princeps Sico Januarii sancti martyris corpus de Basilica, ubi per longa temporum spatia requievit, elevans, cum magno tripudio Beneventum regreditur. *Epitome Chronicorum Casinensium, nomine Anastasii Bibliothecarii edita, sed potius auctoris incerti, ut Muratorius observat in præfatione, ibidem pag.* 368 *de eadem re affert sequentia :* Præfatus princeps B Sico, cum diu Neapolim obsedisset et afflixisset, tandem sancti martyris Januarii (cujus festum est hodie, cum hæc præsentia scribuntur) corpus auferens, Beneventum detulit, et cum suis quondam sociis Festo et Desiderio sanctis in episcopio honorifice recondidit. *Eadem fere verba habet Leo Ostiensis in Chronico Casinensi lib.* I *cap.* 20, *addens :* Sicut in Historia Erchemperti refertur.

Beneventum, eique jungit SS. Festi et Desiderii corpora :

119 *Erchempertus autem, alias Herempertus, monachus Casinensis, tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag.* 18 *et* 32 *refert, Neapolim a Sicone diuturna obsidione pressam et ad incitas redactam fuisse; pacem vero tandem fuisse compositam sub conditione tributi, quotannis per Neapolitanos solvendi. De translatione hæc solum adjungit :* Et ipse princeps Sico Januarii sancti martyris corpus de basilica, ubi per longa temporum spatia requieverat, elevavit, et cum magno tripudio Beneventum regreditur. *Translatio fusius refertur ab Anonymo, cujus lucubrationem edam inferius post Vitas. Ex ea intelligimus, eodem fere tempore corpora* SS. Festi *et* Desiderii, *quæ servabantur in ecclesia suburbana prope Beneventum, in ipsam civitatem delata fuisse, et deposita in eadem ecclesia cum corpore* S Ja- C nuarii.

translatio contigit anno incerto, saltem post 817.

120 *Annus hujusce translationis nequit certo assignari. Tutinus cap.* 12 *figit annum* 817. *Caracciolus assignat annum* 817 *aut* 818, *quem et Falconius secutus est lib.* 2 *cap.* 8. *At lib.* 5 *pag.* 490 *maluit annum* 824 *translationi affigere. Marius de Vipera in Chronologia episcoporum Beneventanorum pag.* 50 *rem dicit peractam circa annum* 825. *Hæ posteriores opiniones possunt esse veræ; priores vero mihi placere nequeunt. Etenim Sico ducatum Beneventanum certo adeptus non est ante annum* 817. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 817 *revera initium ducatus ipsius figit. At Pagius in Critica ad annum* 818 *num.* 7 *ostendit ex Eginhardo, circa initium hiemis anno* 818 *venisse legatos Siconis ad Ludovicum Pium imperatorem; indeque colligit, Siconem eo anno factum ducem. Hoc mihi admodum verisimile apparet, quia legati veniebant, ut excusarent Siconem* de nece Grimoaldi ducis, antecessoris sui. *Jam vero si consideremus, principatum Siconis ad quindecim annos protrahi, nec exprimi a scriptoribus, utrum initio principatus, an post plures annos bellum Neapolitanis moverit, facile videbimus, translationem multo serius contingere potuisse, quam habeant epochæ assignatæ, præsertim cum nesciamus, quot annis bellum inter Siconem et Neapolitanos fuerit gestum, antequam translatio corporis sit facta. Annum igitur determinare nequeo : sed de die inter Beneventanos et Neapolitanos convenit, translationem esse factam* XXIII *Octobris, quo eam Beneventi celebrari testatur laudatus Vipera.*

§ IX. Reliquiæ aliquæ Januarii, Proculi, Eutychetis et Acutii seculo IX, ut fertur, delatæ ad Augiam divitem : SS. Eutychetis et Acutii translatio Neapolim, uti etiam S. Sosii.

Cum Ludovicus II imperator bellum gerebat contra Saracenos,

Celebris est abbatia Benedictina in Germania, prope Constantiam Alemannicam in Rheni insula, et vulgo Richenau, *Latine* Augia dives *nominata. Hæc existimat, nonnullas* S. Januarii *et quorumdam Sociorum reliquias accepisse se eodem seculo, quo* S. Januarii *corpus Beneventum fuit* E *translatum. Relationem accepti illius thesauri, qualis post Acta Sanctorum nostrorum legitur in codice Augiensi Ms,, anno* 1748 *huc misit Mauritius Chardon, tunc rector Societatis Jesu Constantiensis, et usque ad mortem suam de Opere nostro optime meritus. Eadem relatio communicata fuerat Majoribus nostris præterito seculo. Utrumque exemplar invicem contuli, et consonum inveni. Quare narrationem illam, Actis modice interpolatis subjectam in codicibus, totam huc transfero.* Qualiter autem corpora Sanctorum ad nos, id est, Augiam insulam, delata sint, paucis monstrabimus. Lotharius rex *(sive imperator)* duos filios regni, quod in partem suam contra fratres suos susceperat, moriens reliquit heredes, Hludovicum scilicet et Lotharium. Hludovicum præposuit Italiæ, et ei cohærentibus provinciis : Lotharium autem parti, quam in Francia tenuit. Irruentibus autem in Campaniam Saracenis, et non per paucos annos ibidem cuncta vastantibus, prædictus rex ad ereptionem jam dictæ provinciæ obviam Saracenis perrexit, exercitu undique contracto. Contigit autem, ut cum domino suo F quidam vassallus, ex Alemannia nobiliter natus, eidem exercitui interesset, qui litteris non mediocriter doctus, ingenio etiam subtilis, et ad omne bonum vivaciter strenuus.

quædam reliquiæ anno 871 *translatæ sunt in Augiam divitem :*

122 Hic quemdam presbyterum inibi habuit hospitem, quem de diversis rebus prædictus juvenis sciscitatus est, maxime de reliquiis Sanctorum, si alicubi inveniri possent, quas suo juri adsciscere valeret. Annuit senior, et voluntati juvenis paratissimus indicavit, ubi corpora de numero prædictorum Martyrum, Januarii videlicet, Proculi, Euticetis et Acutii, essent in quadam ecclesia, jam propter timorem hostium ab accolis deserta, recondita. Sequitur ergo juvenis cum sociis præeuntem usque ad locum sepulchri : quod, præmissa oratione, aperientes, invenerunt pulcherrimo marmore subtus et supra dextra lævaque tumbam compositam. Tollentes ergo ipsa corpora cum timore et reverentia, condiderunt in scriniis, et abierunt ad diversorium. Quæ post, statim ut spatium habuit, prædictus juvenis ad nos detulit, anno ab Incernatione Domini DCCCLXXI, Indictione IV XXXII Hludovici regis, regnantis in Orientali Francia. *Notata Indictio cum anno* 871 *recte consonat. Ludovicus*

AUCTORE J. S.

dovicus vero, cujus anno 32 reliquiæ translatæ dicuntur, non est Ludovicus imperator Lotharii filius, qui supra memoratur; sed Ludovicus Germaniæ rex, et Ludovici Pii filius. Nam in Ludovici Germaniæ regis ditione erat Augia, et illius annus trigesimus secundus a morte patris Ludovici Pii,anno 840 *defuncti,currere cœpit anno* 871. *Omnia igitur illa recte consonant.*

at inter illas non videntur fuisse S. Januarii reliquiæ.

123 *At longe major erit difficultas, si ex illa relatione inferre velimus, corpus aut nonnullas* S. Januarii *reliquias Augiam fuisse delatas. Etenim,licet pro certo admitteremus,omnia fuisse peracta, prout narrantur; nec deceptum fuisse juvenem in Sanctorum nominibus,quorum corpora aut reliquias Augiam transtulit; vel sic legitime concludere non possum, inter reliquias illas fuisse ossa sacra* S. Januarii, *cum hæc adfuisse, relatio ipsa non insinuet; adjuncta vero locorum et temporum prorsus evincere videantur,* S. Januarii *reliquias non fuisse eo loco, ubi suas accepit juvenis ille anonymus. Nam presbyter dicitur juveni indicasse locum,* ubi corpora de numero prædictorum martyrum, Januarii videlicet, Proculi, Euticetis et Acutii essent *etc, Nequit autem locus intelligi eo sensu, ut ex septem Martyribus simul* B *passis corpora quatuor illorum, qui nominantur, in eodem sepulcro jacerent conjuncta: constat enim, tres alios numquam fuisse conjunctos cum* S. Januario *post primam corporum translationem. Suspicor igitur,* Januarium *fuisse nominatum, ut intelligeretur, ex qua Martyrum classe fuerint illi, quorum reliquias juvenis accepit. Secundo anno* 871, *aut paulo ante, quando inventio fuit facta, corpus* S. Januarii *non erat* in ecclesia jam propter timorem hostium ab accolis deserta,*ut fuisse dicuntur inventa corpora; sed in civitate Beneventana, quam Saraceni non obtinebant, et in qua dux Beneventanus habitabat.*

sed potius SS. Proculi, Eutychetis et Acutii,

124 *Itaque, si vera est relatio, ut veram credere licet, ecclesia illa fuisse videtur in suburbio aut in civitate Puteolana, quæ excisa a Saracenis, et deserta jacebat. Ad ecclesiam Puteolanam translati fuerunt* Proculus, Eutyches *et* Acutius. *Tam certa autem documenta de horum ad alium locum integra translatione non invenio,ut cogar credere, corpora trium laudatorum Martyrum non permansisse Puteolis usque ad istud tempus. Imo de corpore* S. Proculi *inde translato nullum reperitur aliud monumento,ut ossa* S. Proculi *in Germaniam* C *transferri potuerint cum partibus* SS. Eutychetis *et* Acutii,*usque ad illud tempus relictis in sepulcro Puteolano. Quare probabile admodum apparet,* SS. Proculi, Eutychetis *et* Acutii *ossa eo, quo refertur,modo fuisse inventa,et Augiam translata. Hoc autem de ossibus* S. Proculi *aut omnibus aut plerisque vix dubitandum videtur,cum ex litteris Neapolitanis intellexerim,ipsos Puteolanos ignorare, ubi modo servetur corpus* S. Proculi, *patroni licet sui. Neapolitani quidem seculo* VIII ossa SS. Eutychetis *et* Acutii *transtulisse dicuntur Neapolim, eaque vocarunt* corpora. *At hoc quoque assertum non obstat, quo minus pars magna illorum tunc Puteolis relinqui potuerit cum* S. Proculo,*et seculo* IX *in Germaniam transferri: neque enim Augienses contendunt, tota se habere corpora, aut omnia unius corporis ossa; sed ipsi observant in Annotatis huc missis, de notabili corporum parte exponendam esse relationem, in qua* corpora *vocantur more multis olim usitato.*

cum videantur acceptæ Puteolis,

125 *Jam vero has reliquias Puteolis acceptas esse, non modo colligitur ex eo, quod non potuerint eo modo auferri Benevento, ubi tunc erat corpus* S. Januarii *cum corporibus* SS. Festi *et* Desiderii; *nec Miseno, ubi diu post inventum est corpus* S. Sosii; *nec Neapoli, quo translata erant aliqua ossa* SS. Eutychetis *et* Acutii; *sed etiam ex die* D *festivitatis, quem Germani instituerunt post dictorum ossium translationem. Etenim* S. Proculus *cum Sociis a Puteolanis colebatur die* XVIII *Octobris, quo die nec a Neapolitanis nec a Beneventanis umquam cultus fuit* S. Januarius. *Sequentem diem* XIX *Octobris elegerunt Germani, verisimiliter, quod* XVIII *esset impedita solemni festo S. Lucæ. Augienses certe cum tota diœcesi Constantiensi olim festivitatem* S. Januarii *celebrarunt die* XIX *Octobris,et hunc diem etiamnum servarunt Rhinovienses in Helvetia, qui earumdem reliquiarum partem acceperunt. Itaque diem celebritatis Puteolanæ didicerant, idque manifestum est indicium, in quadam ecclesia Puteolana, aut prope Puteolos sita,inventas esse dictas reliquias. Præterea in ipsa Augiensium relatione trium illorum nomina exprimuntur, qui Puteolis aut prope Puteolos quiescebant. Additur quidem nomen* S. Januarii; *sed hoc unice factum videtur ob societatem martyrii, ut jam dixi. Erat* S. Januarius *inter septem martyrii Socios solus Episcopus, et* E *omnium præcipuus, Quare in sepulcro* SS. Proculi, Eutychetis, *et* Acutii *scriptum fortasse fuerit, illos fuisse Socios* S. Januarii.

ubi illi quiescebant: idemque aliis rationibus evincatur,

126 *Hæc autem conjectura vires acquirit ex litteris Caroli IV imperatoris,qui partem illarum reliquiarum anno* 1353 *ab Augiensibus accepit, et Pragam transtulit, ut dicam num.* 193. *Caroli enim litteræ, ibi memorandæ, habent, ipsum accepisse* medietatem corporis B Januarii martyris, Beneventani episcopi, et duorum Sociorum ipsius. *Acceperit nimirum mediam partem sacrorum ossium, quæ seculo* IX *acceperant Augienses, et* corpora *vocabant, etsi omnia trium corporum ossa verisimiliter non haberent. De his autem unice spectat ad propositum nostrum, quod in litteris Caroli IV trium tantum, non quatuor, corporum fiat mentio. Si autem tria tantum corpora translata sunt ad abbatiam Augiensem, aut ossa plura trium Martyrum, numerus ipse, maxime attentis adjunctis loci et temporis, aliisque rationibus jam prolatis, abunde rursum insinuat, ossa illa fuisse* SS. Proculi, Eutychetis *et* Acutii,*præsertim cum horum nomina in ipsis translationis Actis fuerint expressa: nam corpora trium illorum simul deposita fuerant in prætorio Falcidii,* F *ut habet Appendix primorum Actorum cum multis Breviariis, et Oratio apud Falconium pag.*143. *Ceterum unde Augienses eam conceperint opinionem,ut existimarent,*S. Januarii *corpus se habere, certo edicere nequeo: ipsa enim illorum Acta admodum sunt ambigua,et illi opinioni contraria. Nam in iis quoque refertur omnium Sociorum prima translatio. Ex ea autem translatione liquet,* S. Januarium *non quievisse in eadem ecclesia cum* SS. Proculo, Eutychete *et* Acutio. *Quomodo igitur cum hisce in eadem ecclesia inveniri potuit? Corpus* S. Januarii *erat anno* 871, *quo facta est translatio, una cum corporibus* SS. Festi *et* Desiderii *in civitate Beneventana. At non erant hæc in ecclesia deserta, cum Beneventum eo tempore floreret sub principe suo:* Festus *quoque et* Desiderius *non nominantur in Actis translationis; sed* Proculus, Eutyches *et* Acutius, *qui Puteolis erant in ecclesia deserta.*

127 *Si conjecturam dare licet utcumque verisimilem, suspicari quis poterit,* S. Januarium *initio coli cœpisse cum Sociis, indeque paulatim invaluisse*

Augienses a seculo x crediderunt, se S. Januarii habere reliquias

A *valuisse opinionem de sacris ipsius ossibus una cum aliis acceptis, nisi deinde nonnullas* S. Januarii *reliquias Benevento acceperint Augienses, et cum aliis conjunxerint. Hoc sane admodum credibile esset, si in vetusto aliquo documento assereretur. Quidquid sit,* S. Januarii *reliquias a seculo saltem* x *habere se crediderunt Augienses. Nam Witegovo, abbas Augiensis,* anno primo regiminis sui, Christi CMLXXXV, sacellum construxit, et in eo tria altaria: primarium dicavit S. Januario, alterum S. Stephano, tertium S. Laurentio, *inquiunt Augienses in notitiis ad nos transmissis. De sacello illo ita canit ipsorum illius temporis monachus et poëta Burchardus, celebrans Witegovonem :*

Fundans eximium devota mente sacellum,
Quod Januarii voluit sub honore dicari.

Et post memoratas aras SS. Stephani et Laurentii, ita pergit:

In medio quorum Witegowo, norma bonorum,
Erexit celsam studiis ferventibus aram,
Hanc ornans tabula, gemmis auroque parata,
Qua Januarii concluserat ossa beati.

decenti theca reclusas, et Sanctum colunt.

128 *His addunt Augienses sequentia :* Loco hujus sacelli, jam penitus destructi. S. Januarius habet aram propriam in ecclesia nostra monasteriali. Cujus compatroni sunt præfati SS. Stephanus et B Laurentius. Reliquiæ vero SS.J anuarii et Sociorum martyrum, apud nos publicæ exponi solitæ venerationi, asservantur in arca propria, ab ipso S. Januario nomen participante, cujus hæc facies et hoc contentum est. Arca S. Januarii episcopi Beneventani ex cupro, partim deaurato, partim deargentato, conflata, ulnam et amplius longa, dimidiam lata, alta vero non omnimode tres ulnæ partes. Quatuor angulos extremos fulciunt leunculi deaurati : latera ornant auro obductæ imagines Crucifixi, B. V. Mariæ, et S. Joannis, S. Januarii et aliorum undecim Sanctorum. Sacrorum vero ossium eidem inclusorum numerus est sequens :

1. Duo majora ossa, seu spinæ, de S. Januario, rubro serico involuta.
2. Viginti quatuor ossa valde magna.
3. Tria femora una cum aliis duodecim valde magnis ossibus incognitorum Sanctorum.
4. Duo femora cum aliis SS. ossibus, uno miræ magnitudinis, ignotorum quoque Sanctorum. Probabiliter hæc ossa sunt sanctorum Sociorum S. Januarii episcopi et martyris.

Rhinoviensis in Helvetia abbatia similiter S. Januarium colit,

C 129 *Post datam enumerationem, scriptor Augiensis ita pergit :* Credibile admodum est, plures olim reliquias de his Sanctis in Augia asservatas, ex hac ad alia loca et monasteria, vel per modum donationis, vel aliter devenisse. Certe monasterium Rhinoviense Ordinis nostri magna earum gaudet parte, et ob id festivitatem S. Januarii celebrat sub ritu duplicis primæ classis cum Octava, designata festivitati die XIX Octobris,... qua in choro id ipsum decantant Officium, quod ex vetustissimo codice Ms. nostro excerptum mox subjiciemus. Ab Augiensibus autem horum Sanctorum Martyrum festivitas cum universali Ecclesia, et eidem consueto Officio, XIX Septembris celebratur (licet olim etiam XIX Octobris fuerit celebrata) etiam cum ritu duplicis primæ classis cum Octava. Habetur concio, et in foro sunt feriæ. *Hactenus scriptor Augiensis, mox subjiciens antiquum de* S. Januario *et Sociis Officium, quod totum est proprium et diligenter ex Actis compositum. Hoc similiter nobis cum aliis transmiserunt Rhinovienses, qui eo etiam tum utebantur. At cum omnia ex Actis deprompta sint, ab eo recitando brevitatis causa abstineo.*

AUCTORE J. S.

ejusque se reliquias possidere existimat.

130 *Rhinovienses in Helvetia Benedictini in notitiis, anno* 1745 *per laudatum supra Chardonum ad nos missis, plane consentiunt de cultu* S. Januarii *in abbatia sua cum jam dictis. De reliquiis vero apud se servatis hæc observant :* Ossa tria grandia adsunt de S. Januario, et publicæ venerationi, argento sericoque ornata, exponuntur. Adsunt item alia duo ossa aliquanto minora, quæ omnia ab immemorabili longissimo tempore hic culta fuere, sive ex Augia divite ad nos, sive huc simul et in Augiam illam translata fuerint. Porro de uno solum ex tribus grandibus ossibus, quod serius ad nos devenit, hæ extant testimoniales : Istæ reliquiæ de S. Januario a comite Alwico de Sulzt, et Ruttmanno barone de Hausen, tamquam fundatoribus monasterio Alberspacensi Ordinis S. Benedicti anno MXCVI donatæ, et postmodum anno MDXLVI generoso domino Wilhelmo Wernero comiti et domino in Zimeren, prout ipsemet hæc omnia suis manu et sigillo testatur, per Wolmarum de Brandegg ex eodem monasterio donatæ et transmissæ fuere, ne ab acatholicis Wirttenbergensibus comburerentur. *Subscriptio erat :* Conradus Unverdorpen, presbyter Hechinganus Anno MDCII, die XVI Augusti. *Hactenus notitiæ Rhinoviensis abbatiæ. Memoratas* E *autem hujus monasterii reliquias una cum Augiensibus in Germaniam delatas, admodum verisimile est. Fortasse et aliæ quædam ex iisdem ad alia Germaniæ loca statim pervenerint. Magnam vero Augiensium partem deinde Pragam venisse videbimus* § 14. *Verum modo in Italiam redeamus.*

Reliquiæ SS. Eutychetis et Acutii Neapolim delatæ

131 *Neapolitani, qui corpus* S. Januarii *seculo* IX *perdiderunt, excepto tamen capite, ut postea dicetur, primum acceperunt corpora aut certe aliqua ossa* SS. Eutychetis *et* Acutii, *deinde et* S. Sosii. *Devastatio civitatis Puteolanæ occasionem præbuit translationis primorum,* Eutychetis *nimirum et* Acutii, *si credimus Raynerio eorum translationem enarranti. Verum Puteoli multis vicibus, et variis seculis vastati fuerunt, ut narrat Scipio Mazzella in Situ et antiquitatibus Puteolorum cap.* I. *Hac de causa ex illo indicio tempus translationis nequit satis innotescere. Raynerius, auctor translationis a nobis recudendæ, assignat tempora Constantini Copronymi, Desiderii Longobardorum regis, Caroli Magni, Stephani junioris Papæ; et Stephani episcopi Neapolitani, cui translationem attribuit. Easdem plane personas* F *nominavit Joannes Diaconus in Chronico in Stephano II, ex quo sua hausit Raynerius. Floruerunt illi omnes simul circa annum* 770, *eaque, opinor, de causa scriptores Neapolitani epocham translationis fixerunt circa tempus memoratum. Caracciolus cap.* 33, *ubi hanc translationem narrat et acta recitat, dicit, translationem contigisse* circiter annum Domini DCCLXXIII. *Consentit Hieronymus a S. Anna cap.* 12.

dicuntur circa 770.

132 *At Falconius iv Annotatis ad Acta pag.* 186 *et seqq. contendit, ipso anno* 770 *figendam esse translationem, quia illo anno Stephanus Papa III* scripsit ad Carolum Magnum, ad quem se contulisse in Actis dicitur, et quia laudatus Pontifex ante annum* 773 *fuit defunctus. Certum est, annum* 770 *potius figendum esse, quam* 773, *si quis certo assignari potest. Verum nec auctor translationis nec Joannes Diaconus certo edicit, illo ipso anno, quo Stephanus Papa per litteras Carolum Magnum adiit, translationem esse factam. Quin potius Joannes Diaconus, relata instauratione ecclesiæ cathedralis, quæ combusta fuerat, statim*

* alias IV

AUCTORE J. S.

tim addit, ibi per Stephanum deposita esse corpora SS. Euticetis et Acutii martyrum, *antequam de dictis principibus meminit. Raynerii vero tanta non est accuratio, ut illa annum translationis omnino certum facere valeat. Quippe ætas Raynerii, qui Caracciolo et aliis videtur aut translationi interfuisse, aut non diu post vixisse, mihi apparet plane incerta, imo et longe posterior, ut probatum est suo loco. Quantam porro reliquiarum* SS. Eutychetis *et* Acutii *partem acceperint Neapolitani, scire nequeo. At omnia illorum ossa tunc fuisse translata minime credo. Nec refert, quod causa vastationis translatio dicatur facta, cum hæc ratio sit incerta, tacente de ea Joanne Diacono; cumque* S. Proculi *corpus non fuerit simul translatum, quocum mansit verisimiliter Puteolis magna pars* SS. Eutychetis *et* Acutii.

S. Proculus patronus Puteolis, ubi corpus non videtur esse.

133 *Mansisse Puteolis corpus* S. Proculi, *quando translata Neapolim sunt corpora* SS. Eutychetis *et* Acutii, *consentiunt Neapolitani scriptores. Laudatus supra Scipio Mazzella cap.* I *docet,* sumptuosissimæ fabricæ templum, ex lapidibus quadratis marmoreis ingentibus constructum, ejusdemque frontispicium intus et extra pariter totum ex marB more, ornatum magnis altisque columnis operis Corinthii, quod cæca gentilitas Octaviano Augusto erexerat et dedicarat, postea in usus Christianos versum, et consecratum in honorem S. Proculi martyris. *In hac cathedrali ecclesia Sancti corpus servari asserit, et hanc rationem subjungit*: Protector enim urbis habetur. *Verum protector urbis esse potest, etiamsi corpus alio fuerit translatum. Quapropter suspicor, ex mera conjectura asseri, corpus in ecclesia cathedrali esse, quod ipsi ignorent Puteolani, ubi illud modo servetur. Cum enim clanculum fuerit ablatum, portatumque in Germaniam cum ossibus* SS. Eutychetis *et* Acutii, *id facile scire non potuerunt. Ughellus tom.* 6 *Italiæ sacræ in Episcopis Puteolanis ostendit, ecclesiam illam cathedralem* S. Proculi *sæpius instauratam et reparatam fuisse. At nullibi invenio, quo tempore* S. Proculi *corpus ex prætorio, Falcidii, ubi cum* SS. Eutychete *et* Acutio *fuerat depositum, ad cathedralem ecclesiam sit translatum, ut verisimile fiat, ibi numquam fuisse depositum; aut, si forte ad cathedralem fuerit eo translatum, tempore, quo pars* SS. Eutychetis *et* Acutii *Neapolim delata; fuerit ex ipsa cathedrali a Germanis ablatum cum reliquis Sociorum ossibus.*

et miraculis olim clarus.

C 134 *De miraculis quibusdam, patrocinio* S, Proculi *patratis, mentio fit in antiquo Officio, quod ex codice Puteolano accepimus anno* 1716 *per Dominum Dominicum de Georgio, nobilem Neapolitanum, multis officiis de Opere notro bene meritum. Antiphona tertia ad primas Vesperas talis est*: Claudis ut gressum, cæcisque videre dedisti: da pius, ut nobis assistat gratia Christi. *Antiphona ad Benedictus:* Orante S. Proculo, sanus effectus est Romanus de manu, quam solam truncus habebat. Quemdam languentem, gradiendi jure carentem, fecit ipse mire reparatis gressibus ire. *Plura non invenio de miraculis. Officium fit die* XVIII *Octobris ritu duplicis primæ classis cum Octava. Codex, ex quo omnia exscripta sunt, exaratus dicitur anno* 1377, *tempore Gregorii Papæ XI. Ceterum, utrum Puteolani ossa aliqua* S. Proculi *etiamnum habeant, compertum non habeo.*

S. Sosii, cujus nomen seculo V celebre erat in Campania,

135 *Ut ad translationem* S. Sosii *perveniamus, juvabit nonnulla præmittere. Clarum fuisse in Campania* S. Sosii *nomen circa medium seculi* V, *sive pontificatum gerente S. Leone I, colligitur ex scriptore illius temporis, cujus Opus* de Promissionibus et prædictionibus Dei *a multis attributum fuit S. Prospero Aquitano, sed modo rejectum est in Appendicem Operum S. Prosperi. Quisquis* D *fuerit auctor, in tractatu,* Dimidium temporis *dicto, cap* 6 *ita habet*: In Italia quoque, nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis et Apostolico honore nominandus Papa Leo Manichæos subverteret et contereret Pelagianos, et maxime Julianum, ambiens tum quidam, Florus nomine, spiritu seductionis arreptus, virtutem et meritum sibi S. Sosii martyris assignans, cum haud procul a Neapolitana civitate in subversionem animarum quædam promitteret, faceretque illicita, a germano venerabilis Nostriani episcopi et Herio presbytero simul cum clericis prædictæ ecclesiæ detentus et coërcitus, sic a præfatæ provinciæ limitibus pulsus est. *Nisi magnum et celebre fuisset* S. Sosii *nomen, non illius potius, quam alterius Sancti, virtutem et meritum sibi attribuisset impostor ille. At excisio civitatis Miseni, quæ corporis translationi causam præbuit, forte etiam effecit, ut plura de ipso documenta perierint.*

corpus circa annum 836 se invenisse,

136 *Ex Actis translationis* S. Sosii *num.* 3 *liquet, circa annum* 836 *famam fuisse de corpore* S. Sosii *Beneventum translato, sed falsam deinde repertam. Nam Stephanus III episcopus Neapolitanus ad Joannem abbatem S. Severini, cui facultatem quærendi corporis* S. Sosii *concedit, ubi* E *dixerat corpus istud a multis frustra quæsitum fuisse, ita loquitur*: Nam Sicardus princeps Longobardorum, post innumera mala, quibus urbes nostratium afflixit, etiam ad hoc prorupit, ut sepulcra suffoderet, et Sanctorum ex eis corpora sublevaret. Sed Martyrem hunc, licet alium pro alio reperisset, et nominis ejus ecclesiam consecrasset, nequaquam invenire potuit. *Vita S. Athanasii episcopi Neapolitani, data tom.* IV *Julii, pag.* 78 *bellum illud Longobardorum, quibus præerat, Sicardus, videtur figere anno* 835, *et paulo post de Neapoli habet:* Quo videlicet tempore ingentem sustinebat dicta urbs a Longobardorum agminibus persecutionem. *Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 836 *de illo bello loqui incipit, et obsidionem urbis Neapolitanæ figit anno* 836, *mense Maio. At verisimile est, Sicardum initio belli intercepisse aliquot civitates ditionis Neapolitanæ, aut fœderatas cum Neapolitanis.*

capto Miseno, credidit Sicardus princeps, sed falso.

137 *Certe Misenum a Sicardo occupatum fuisse, etiamsi de eo tacuerit Muratorius, clare insinuant verba data: neque enim poterat Miseni corpus* S. Sosii *quærere, et aliud pro eo invenire,* *nisi civitatem intercepisset. Præterea Vita S. An-* F *tonini abbatis Surrentini, data tom.* 2 *Februarii, abunde docet pag.* 789, *varias civitates a Sicardo fuisse occupatas, antequam Surrentum obsideret. Sic enim habet num.* 12: Post decessum B. Antonini non multo tempore evoluto, princeps Beneventanus Sicardus, ceteris finibus ditioni suæ subjugatis, terram etiam Surrentinorum eadem intentione invasit. *Deinde narratur, quo modo favor S. Antonini, apparentis et minitantis Sicardo, nisi obsidionem urbis abrumperet, Surrentum servaverit. At hæc ad propositum nostrum non spectant; sed unice allata sunt præmissa verba, ut ostenderem, varias civitates in illo bello a Sicardo fuisse occupatas, iisque secundum ante dicta annumerandum Misenum, ex quo corpus alicujus Sancti Sicardus abstulit, Fuisse illud corpus* S. Sosii *initio crediderunt Beneventani, in quorum vetusto Breviario apud Falconium pag,* 161 *hæc leguntur*: Cujus *(Sosii)* postea corpus Sicardus Longobardorum princeps Beneventum perduxit, atque in ecclesia prædictæ Dei Genitricis locavit die Kalendis Octobris. *At posteriores Beneventani silentio suo videntur agnovisse, falsam fuisse opinionem illam.*

138

AUCTORE J. S.

A 138 *Certe omnes crediderunt, illud fuisse* S. Sosii *corpus,quod postea invenerunt Neapolitani. Translationem illam a Joanne Diacono,qui omnibus adfuit, diligenter enarratam recudemus. De tempore translationis nonnulla jam dixi* § 3, *ubi clare probavi, non esse figendum anno* 920,*ut eam fixerunt pro arbitrio varii scriptores. Falconius, qui illos fuerat secutus pag.* 202, *postea mutavit sententiam, et aut veram elegit, aut veræ proximam, dum pag.* 487 *dixit, translationem contigisse anno* 911, *uno anno post translationemS.Severini. Translatio hæc S. Severini, quæ ab eodem Joanne Diacono scripta, et apud nos edita est tom.* I *Januarii pag.* 1098, *contigit* anno vigesimo quarto Leonis et Alexandri imperatorum. *Annus autem vigesimus quartus Leonis Sapientis, a morte patris ipsius Basilii Macedonis, concurrit cum anno* 909, *ut jam notarunt Majores nostri et consentit Pagius.Itaque translatio S.Severini figenda videtur anno* 909. *Non diu post contigisse translationem* S. Sosii, *scriptor ipse satis insinuat circa initium. Attamen nullibi indicat, uno tantum anno posteriorem esse : nam eadem scribere potuit etiamsi constaret biennio aut triennio serius trans-* B *latum esse* S. Sosii *corpus, quam S. Severini. Itaque nec anno* 910, *nec* 911 *nec* 912 *translationem certo figendam existimo; sed circa annum* 910 : *neque enim debemus certam figere chronotaxim, nisi argumenta habeamus æque certa.*

Neapolitani vero illud acceperunt circa annum 910,

139 *Muratorius in præfatione ad Chronicon Joannis Diaconi ulteriorem movet dubitationem, an translatio non contigerit multo citius.Fatetur annum* 24 *Leonis Sapientis et Alexandri fratris ipsius concurrere cum anno* 909; *sed adjungit :* Quum Leo et Alexander anno DCCCLXX imperatores a patre fuerint renuntiati : quis certos nos facit, non ab eo potius anno deductam fuisse Johanni Diacono epocham cæsarum illorum, ac propterea citius consignandam prælaudatam translationem, atque anticipandum etiam initium sedis Stephani, sub quo episcopo eadem peracta fuit? *Hæc sane objectio dubitationem ingereret, nisi ipse Joannes Diaconus nos redderet certos, epocham Leonis et Alexandri a se non deduci ab anno* 870, *quo nomen imperatorum impetrarunt; sed a morte patris ipsorum, sive ab anno* 886.*Etenim docet,* sexaginta evolutos pene per annos *eversum jacuisse Misenum ante translationem* S. Sosii. *Docet idem in* C *Chronico,Misenum tempore S.Anathasii eversum esse. Itaque cum S. Athanasius factus fuerit episcopus circa finem anni* 849 : *Misenum certe vastatum non est a Saracenis ante annum* 850, *et sic sexaginta fere anni ducunt ad annum* 910, *et multo longius, quam ad annum* 693, *quo currebat annus vigesimus quartus Leonis et Alexandri secundum alteram epocham. Quare epocha a nobis statuta pro certa haberi potest,licet annum ipsum, utpote non æque certum, pro* Sosii *translatione non assignemus.*

et non multo citius, ut ostenditur.

§ X. S. Januarii favor in Neapolitanos : corpora ipsius, Festi ac Desiderii transferuntur Beneventi ad novam ecclesiam, deinde ad Montis Virginis monasterium.

Quamquam *corpus* S. Januarii *Beneventum seculo* IX *erat translatum,* capite *tamen* remanente Neapoli, *ut additur in Officio Puteolano* S. Proculi, *non desinebant Neapolitani* S. Januarium *habere patronum, et conservationem urbis suæ multis periculis expositæ, et frequenter per principes Beneventanos et per Saracenos oppugnatæ, ipsius protectioni attribuere. Liquet hoc ex Vita S. Athanasii superius memorata, cujus auctor seculo* IX *exeunte, aut sub initium* X *seculi, SS. Agrippinum et* Januarium *Neapolitanorum patronos agnoscit, et de* S. Januario *quidem ibi scribit tom* IV *Julii pag.* 78 : Beatissimum quoque Januarium, Christi martyrem, postea Neapolites meruerunt habere tutorem. Quibus annitentibus faventibusque, præfata urbs, Deo favente, tuta remansit, manebitque in ævum ; quoniam quasi duas firmissimas bases,duoque candelabra splendentia gloriatur se habere supradictos patres eadem civitas, duabus fulta alis, id est, duorum Sanctorum fisa precibus.... E

Neapolis patrocinio SS. Agrippini et Januarii

141 Idcirco a multis crebro expugnata * gentibus, et prius a Wandalis, postremo a Longobardis indesinenter oppressa per annos ferme ducentos, inviolata perstitit et invicta ab omnium hostium concussione, quoniam civitas hæc, civitas misericordiæ et pietatis est, inde vallata omni bonitate, quæ quidem meruit tot talesque patronos habere apud Deum in exorando *etc. Hæc utcumque excusare possunt Falconium, qui, quotiescumque invenit Neapolim hostibus suis feliciter restitisse, aut in eruptionibus ignitis montis Vesuvii perstitisse illæsam, toties id novo* S. Januarii *beneficio attribuit. Attamen ipsius exemplum non imitabor; sed ea solum de his tradam quæ apud antiquos invenero.ApudChioccarellum in Ms. Collectione fol.* CIX *legitur, Saracenos obsedisse Neapolim circa annum* 961. *Laudat pro his Acta Ms. S. Apprippini, in quibus Neapolitani sic invicem allocuti dicuntur :* Quare fatigamur, quare in vanum laboramus, ad antiquos fugiamus patronos, ad amicos scilicet Domini nostri Jesu Christi Januarium et Agrippinum, et illorum quæramus auxilium *etc. Hoc iidem fecisse asseruntur,* sicque Saracenorum manibus, et imminenti periculo miraculose fuerunt liberati. *Consentit Falconius pag.* 487, *laudatque Acta S. Agrippini, in tabulario SS. Apostolorum conservata. Res accuratius examinari poterit in S. Agrippino.* F

ab hostibus illæsa :
* *i. e.* oppugnata

142 *Petrus Diaconus in Chronico Casinensi lib.* 3 *cap.* 45 *refert factum mirabile* S. Januarii *Neapolim protegentis. Richardus Capuæ princeps Neapolim obsidebat.* Neapolitani autem,*inquit Petrus*, principis terrore perculsi, omnipotentem Deum rogabant attentius, quatinus de supradicti principis potestate, miseratione sua clementissima, eos eripere, dignaretur. Cumque eadem civitas acerrime expugnaretur, sanctus Christi martyr Januarius cum aliis dealbatis sæpius videbantur a principe et ejus exercitu per castra armati discurre-

eam defendit Januarius contra Richardum principem Capuanum.

AUCTORE J. S.

re. Qui æstimans eum esse archiepiscopum, mandat cur contra ordinem suum cum lancea scutatus ad pugnam procederet. Cui respondens archiepiscopus : Ego, ut tu vir illustrissime perspicis, a multis diebus ægrotus in lectulo jaceo. Ille armatus quis sit, ipse videat : nam pro certo scias, quia sanctus Januarius protegit ac defendit hanc civitatem. Princeps vero, ejus dictis derogans fidem, civitatem oppugnare non desinebat. In qua obsessione, ab excommunicatione solutus, defunctus est. *etc. Deinde vero soluta est obsidio a Jordano principe Richardi filio et successore. Erat ille Richardus Normannus, et frater famosi Roberti Guiscardi, Apuliæ et Calabriæ ducis : excommunicatus vero fuerat a Gregorio Papa VII ob invasam Campaniam, sed absolutus ob mortem instantem.*

SS. Januarius, Festus et Desiderius ad novam ecclesiam translati;

143 *Cum locus, in quo corpora* SS. Januarii, Festi *et* Desiderii *seculo* IX *Beneventi fuerant deposita, post quatuor secula minus decens factus esset, anno* 1129 *intra eamdem urbem prædicta corpora ad locum decentiorem et novam ecclesiam translata sunt, ut narrat Falco Beneventanus in Chronico ad annum prædictum his verbis* : Et hoc B anno corpora sanctorum Januarii, Festi et Desiderii Roffridus tunc archipræsul foras produxit de altari, in quo antiquo tempore jacuerant : et revera non honeste, sicut decebat, loco illo manebant. Unde in basilicam, quam Gualterius Tarentinus archiepiscopus pro Sanctorum illorum dilectione construi fecerat, magno cum honore et lætitia prædictorum Sanctorum ossa collocata sunt, nobis videntibus, et de illorum ossibus osculantibus. *Fuerat Gualterius, archiepiscopus Tarentinus, anno* 1127 *a summo Pontifice præfectus urbi Beneventanæ, ut ibidem habet Falco; indeque occasionem accepit construendi novam illam ecclesiam. Erat eo seculo adhuc aliquid reliquiarum* S. Januarii *in civitate Neapolitana : nam anno* 1187 *Sergius III archiepiscopus Neapolitanus consecravit* basilicam S. Georgii de Regionario Neapoli positam, *inquit Chioccarellus in Archiepiscopis Neapolitanis pag.* 135, *et in ejusdem altari majore cum aliis Sanctorum reliquiis recondidit reliquias* S. Sosii, *et* de nervis S. Januarii, *ut habet diploma, quod ibi recitat.*

deinde ad monasterium Montis Virginis :

144 *De tertia aut quarta* S. Januarii *translatione, qua cum* Festo *et* Desiderio *ex civitate Beneventana ad monasterium Montis Virginis transportatus est, scriptores omnes consentiunt,* C *quia constat, in celebri illo monasterio dictorum Sanctorum corpora notabili tempore fuisse conservata. At de tempore translationis, aliisque adjunctis, nihil certi innotuit, vel quod clandestina fuerit translatio, vel alia de causa. De loco pauca solum huc traduco ex Caracciolo sect.* 14. Circa fines, *inquit,* hujus regionis nostræ, quæ Felix Campania ob sui ubertatem dicta est, mons eminet, Virgilianus aliquando dictus; .... ubi anno Christi MCXXVI, Maio mense, a S. Guilielmo veræ Dei Matri templum erectum fuit in edito illo ac deserto montis jugo, unde sylva cædua dilatatur, constructo celebri monasterio Ordinis sui .... In hunc ergo sacrum Montem divi Januarii ossa translata fuisse, certum est, incertum, quo tempore, qua occasione. *Qui prolixam Montis Virginis descriptionem desiderat, adire poterit Vitam S. Guilielmi fundatoris, datam tom.* V *Junii pag.* 134 *et seqq., ubi etiam pag.* 120 *inveniet, non omnes cum Caracciolo consentire de anno conditæ ibidem ecclesiæ; sed illum accuratius investigare non est hujus loci.*

145 *Audiamus modo varias ex Caracciolo sententias de tempore translatorum ad Montem Virginis corporum.* Sunt, *inquit,* qui asserunt, id eo tempore contigisse, quo Beneventanam civitatem sibi adversam, et Emanuëli Constantinopolis imperatori faventem, Guilielmus cognomento Malus, Rogerii regis filius, ac regnorum hæres, expugnavit cepitque; quasi, ut se atrocius ulcisceretur, voluerit et hanc etiam cladem Beneventanis inferre Sanctorum scilicet lipsanis eos privando. Miror tamen, antiquos Guilielmi gestorum ac Beneventanarum rerum scriptores id nullatenus meminisse. *Hoc sane silentium tanto magis mirandum esset, quanto notior fuisset translatio, si facta esset jussu regis ad vindictam de Beneventanis sumendam. Præterea Guilielmus eo tempore, quod assignant, videlicet anno* 1156, *nec Beneventum obsedit, nec cepit; sed pacem cum Adriano IV ibidem inivit, quemadmodum narrat anonymus Casinensis in Chronico ad dictum annum his verbis* : Wilelmus rex Siciliæ venit Brundusium, et cepit illud mense Maii, die vigesimo octavo, et destruxit Barum. Deinde venit Beneventum ad Papam Adrianum, cum quo paciscens *etc. Itaque illa sententia videtur omnino improbabilis; nec auctorem habet* E *utcumque antiquum. Æque improbabilis est secunda sententia, quæ eidem regi Guilielmo translationem adscribit in gratiam S. Amati episcopi Nuscani, de quo apud nos actum est ad* XXXI *Augusti. Cum enim Guilielmus Beneventum numquam possederit, non potuit corpora ibidem deposita in gratiam alicujus transferre, nisi ea accepisset ab Adriano Papa, quod nullus affirmat, nec verisimile est.*

De tempore et occasione translationis duæ priores sententiæ improbabiles, D

tertia æque improbatur :

146 *Tertiam sententiam, omni æque destitutam auctoritate, refert Caracciolus his verbis* : Neapolitanorum fuisse hoc insigne facinus *(translatorum ad Montem Virginis corporum)* opinati sunt alii; tunc temporis, cum Carolus I *(Andegavensis)* a Clemente VI *(lege IV)* in regnum Neapolitanum fuit accitus, ut Manfredum injusta ejus possessione spoliaret. In eo enim prælio Manfredus occidit : ac Beneventum militum direptioni datum fuit. Ea itaque occasione pios aliquos Neapolitanos milites de uno Januario concive suo fuisse sollicitos : cujus ossa venerati, ea in tutissimum Montis Virginis templum lætabundi occultarunt, ut inde postea facilius Neapolim possent transferri. *Si vera esset hæc opinio, translatio contigisset anno* 1266, *quo Carolus Andegavensis, frater S. Ludovici Galliarum regis, Manfredum vicit, et regnum Neapolitanum occupavit. At illa opinio æque omni similitudine veri carere mihi videtur, quam auctoritate.* F *Etenim victi, qui cum Manfredo fuerant, certe non poterant corpora illa transferre : victores vero Galli magis cogitarunt de regno occupando, quam de transferendis corporibus sacris. Si qui vero Neapolitani fuissent in exercitu Caroli et ea de re cogitassent, cur sacra corpora non potius Neapolim, quam ad Montem Virginis tulissent? Cur ea ibidem reliquissent etiam postea plusquam duobus seculis?*

quarta minus quidem improbabilis videtur,

147 *Quarta sententia, quam laudatus Caracciolus, aliique plures ipsum secuti, ceteris præferunt et amplectuntur, est Bernardini Siculi, qui scripsit post ultimam translationem circa finem seculi* XV, *id est, seculis duobus et medio circiter post epocham, quam translationi attribuit, si mens ipsius a scriptoribus recentioribus recte fuerit explicata. Attribuit ille translationem temporibus Frederici imperatoris, quem* Barbarossam *cognominatum dicit, sive* Ænobarbum. *At Caracciolus aliique ipsum secuti Fredericum II intelligunt, creduntque errasse Bernardinum in cognomine Frederici. Ut*

A *Ut mentem Bernardini rectius intelligamus, verba ejus Italica Latino sermone huc transfero*: Tempore Frederici imperatoris, quem omnes Ænobarbum nominant, erat bellum terrificum. *Et mox de translatione*: Beneventanus episcopus prudens, et S. Januario multum devotus, sacrum illud corpus caute misit, portantibus illud viris piis ipsi fidelibus ad excellens præclarumque monasterium Montis Virginis. Illi pio corde sacrum istud magni pretii corpus acceperunt. Episcopus prædictus et abbas istius monasterii erant fratres germani. Hac de causa hujus potestati sacrum hoc corpus ille commisit. Monachi uno animo consenserunt ad sacrum corpus celandum, locumque S. Januario dignum in sua possessione ædificarunt, conclave videlicet subterraneum metu terribilis belli in medio templi S. Mariæ, illudque lapide marmoreo sancta illa sodalitas conclusit. Addidit inscriptionem in lamina plumbea ibi relictam. Tandem supra sacrum istud corpus pie altare majus exstruxerunt. *Hæc solum ex versibus Bernardini edita sunt.*

incerta tamen est, cum æque translatio fieri potuerit

148 *At non video, ex iis certo concludi, errasse Bernardinum in cognomine Ænobarbi, et Fredericum II certo intelligendum. Si constaret, Ugolinum episcopum Beneventanum, et Marinum* B *abbatem Montis Virginis, qui ambo floruerunt sub Frederico II, fuisse fratres germanos, ut asserit Falconius pag.* 215, *verisimillimam haberemus conjecturam ad translationem Ugolino et temporibus Frederici II attribuendam. Verum aliunde non habemus, istos fuisse fratres: quod solum asseruit Falconius, quia Ugolinum credidit translationis auctorem. Unica igitur ratio credendi, Fredericum II potius, quam Fredericum I, designari, est belli crudelitas, cujus metu reliquiæ fuerunt occultatæ. Certum enim est, Benevento gravius timendum fuisse a Frederico II, qui illam civitatem anno* 1241, *ut scribit Richardus de S. Germano in Chronico ad eumdem annum, diu obsessam cepit. Verba laudati Richardi hæc sunt:* Mense Aprili civitas Beneventana, quæ Romanæ Ecclesiæ suberat, arctata et necessitate compulsa, imperatori se reddidit. Cujus mœnia imperatoris jussu funditus evertuntur, et turres civitatis ejusdem *etc.*

sub Frederico I, quam sub Frederico II.

149 *Hæc quidem favent opinioni eorum, qui temporibus Frederici II translationem figendam credunt. Cum tamen etiam temporibus Frederici I, cognomento Ænobarbi, Beneventanis non defuerit* C *ratio timendi, maxime quando ille, cæso Romanorum exercitu, Romam anno* 1167 *obsedit et fere totam occupavit, fugiente Beneventum Alexandro Papa III, ut pluribus narrat Muratorius in Annalibus Italiæ ad annum* 1167; *memoratum bellum Frederici II non evincit ejus tempore translationem figendam. Itaque cum utcumque dubium videatur, utrum de Frederico I, cujus cognomen exprimit; an vero de Frederico II loquatur Bernardinus; cumque ipsius Bernardini auctoritas non sit tanta, ut possit certos nos reddere de tempore translationis; id unum dicendum videtur, corpora* SS. Januarii, Festi *et* Desiderii *seculo* XII *aut* XIII *clanculum ad monasterium Montis Virginis fuisse translata, ibique diu occultata. Translatio enim certa est ob inventionem postea secutam, et admissam a Beneventanis. At de occasione et tempore illius translationis conjecturas solum habemus incertas.*

—

§ XI. Corpus S. Januarii in monasterio Montis Virginis inventum, et deinde Neapolim translatum: recentiora Sancti beneficia.

Ultima S. Januarii translatio a variis scripta.

Caracciolus sect. 15 *translationem ultimam* S. Januarii *relaturus, de scriptoribus, qui illam conscripserunt, præmittit sequentia*: Acta translationis hujus temporum injuria, sive hominum negligentia perierunt. Interfuit ipsi Antonius Mercantius, eamque in suo Diario scripsit, quod Ms. extare dicebatur apud Matthæum de Capua, Conchensem principem, regnique Neapolitani magnum admiratum. Ex alio Diario Ms. Juliani Passeri mutuati sunt aliqua Regius in Vita, et Engenius in Ecclesia S. Januarii. Sed Bernardinus ille Siculus fideliori calamo cuncta narravit, qui et ipse illi interfuit, rudique illo Carmine descripsit, quod Ms. olim a me servatum, nunc apud Tutinum typis expressum exstat. Ego quoque inde multa ex his, quæ sum E dicturus, deprompsi. *Quæ laudat Mercantii et Passeri Diaria, mihi quoque ad manum non sunt, et ex iis nihil dare possum præter fragmenta nonnulla ab aliis data. Sequendus igitur erit Bernardinus Siculus, cujus relationem, partim ex Caracciolo, partim compendio dabo, aliunde etiam adjuncturus, quæ ad propositum nostrum conducere credam.*

Corpus destructione altaris inventum,

151 *Bernardino conformia sunt verba Caraccioli, inventionem corporis ita exponentis*: Guilelmitæ monachi *(Montis Virginis)* sacrum Januarii corpus in medio templo sanctæ Mariæ Virginis, inque satis profunda fovea tumularunt. Utque tutius illud ab hostium incursionibus servarent, supra illud primarium dicti templi altare exstruxerunt. Eo postea bellorum turbine transacto, sæculisque aliquot excursis, omnis pene memoria apud ipsos etiam monachos exciderat, quonam signate loco beati Martyris corpus requiesceret. Interea anno Domini MCDLXXX commendatum fuit monasterium Joanni Cardinali ab Aragonia, Ferdinandi regis primi filio. Qui exornando templo incumbens, cum jussisset, ut id primarium altare, de medio templi dimotum, ad absidis parietem transferretur, sub F altari marmorea lamina inventa est, quæ percussa bombum emisit indicem, vacuum sub ea esse locum. Ea sublata, inventus est loculus, cum hac epigraphe: „ Corpus santi Januarii episcopi Beneventani. „ et martyris. „ *Eadem refert Tutinus cap.* 14. *At verba inscriptionis non exprimit Bernardinus, ut dubitare possimus, an illa aliunde acceperit Tutinus. Nam Bernardinus solum dicit, corpus* S. Januarii *fuisse inventum* cum epitaphio.

Ferdinandus rex Neapolim transferri cupit cum Pontificis consensu.

152 Defuncto deinde Joanne Cardinali, *(inquit Carracciolus ex Bernardino)* sacrum illud Montis Virginis monasterium Oliverio, postea Cardinali Carafæ, commendatum fuit. Quid ad generis nobilitatem decora zeli erga ecclesiasticum cultum addiderat. Cogitanti ipsi de sacris reliquiis inde Neapolim evehendis litteræ Ferdinandi regis accesserunt, quæ extant in regiis archivis. *Eas Italice dedit Tutinus, easdem Latine redditas Caracciolus recitat hoc modo*: Cardinali Neapolitano. Reverendissime in Christo pater et domine, amice noster charissime. Ut vestræ notum est dominationi, gloriosi martyris Januarii caput et sanguis in hac asservantur

AUCTORE J. S.

asservantur civitate. Scis etiam, quam sit ab omni populo ejus nomen veneratum, quantaque erga eum omnes devotione teneantur. Quæ ut augeatur, omni nos ope percupimus. Cum itaque ejus corpus in Monte Virginis fuerit repertum, cogitavimus ac deliberavimus, cum consensu ac licentia Sanctitatis Domini nostri huc illud asportandum, ejusque capiti uniendum, certi, id et vestræ reverendissimæ dominationi placiturum, eam obnixe rogamus, ut nostro et suo nomine apud Sanctitatem prædictam intercedat pro facultate dicti corporis in hanc civitatem evehendi, et singulari gratiæ id acceptum feremus. Datum in Castro Novo Neapolis XXVI Januarii. Rex Ferdinandus. Jo. Pontanus. *Tum subjungit laudatus Carracciolus:* Post multa vero temporis intervalla, et bellorum tumultus, quibus diu regnum vexatum fuerat, Alexander VI, Pontifex Maximus, diplomate suo bullato facultatem fecit Alexandro Carafæ archiepiscopo Neapolitano, Oliverii fratri, corpus illud Neapolim asportandi.

archiepiscopus Montem Virginis adit,

153 Itaque is cum honorifico clericorum, Hectoris fratris, et Jacobi Arduini episcopi Liparensis, Neapolitanæ ecclesiæ vicarii, aliorumque comitatu adiit Montem Virginis. Quod ubi monachi B persensissent, templi ac monasterii januas clauserunt: armisque se munientes, omnem archiepiscopo aditum præcluserunt. At præterea monacho cuidam jussum fuit, ut sacra illa pignora clam e templo in abditissimum quemdam sylvæ locum abderet: quo omnis archiepiscopo illa inveniendi spes adimeretur. Archiepiscopus, ut monachorum audaciam frangeret, quingentos milites e vicinis Hirpinorum oppidis accersendos curat: a quibus monasterii septa circumquaque circumvallata fuere. Hæc ubi innotuerunt Priori monasterii, qui fuerat absens (frater Bernardinus Neapolitanus *vocatur apud Chioccarellum in Ms.)* summopere displicuerunt. Quocirca illico reportanda in suum locum sacra pignora, et nuntios ad Alexandrum mitti curavit, qui et ipsius absentiam contestarentur, exciti rumoris causam, et benigne ad ipsa recipienda eum invitarent.

summaque cum cautione, ne deciperetur,

154 Eo nuncio Alexander admodum lætus, e Mercuriano, quo repulsus secesserat, ad templum Virginis ascendit. A monachis honorifice exceptus, peracto a sacerdote quodam Sacrificio, omnes una C monachos adjurandum supra sacrosanctum Christi Corpus, an verum esset sancti Januarii corpus, quod tunc sibi tradebatur, compulit. Juraverunt autem illico omnes, ac sancte testificati sunt, illud ipsum B. Januarii corpus, quod Benevento olim advectum, ac tamdiu in eo templo clam sepultum habuerant, se illi tunc tradere bona fide et absque fallaciis. Post hæc archiepiscopus singula beati Martyris sibi data ossa ad invicem commensurari signate fecit. *Hactenus Caracciolus ex Bernardino.*

corpus in urna acceptum

155 *Tum vero aliunde hæc addit:* Interfuit huic celeberrimæ translationi, uti diximus, Antonius Mercantius, qui in suo illo Diario Ms. tradidit, in ea fictili urna laminam quoque plumbeam inventam fuisse, in qua insculptum ipse vidit Helenæ Magni Constantini matris nomen. Fortasse ea ipsa urna erat, in qua primum in agro Marciano beata ejus ossa condita fuerant, si ejus tempore, ut fama est, translatio illa facta fuit, pace nimirum Ecclesiæ reddita. *Verum fama de translato corpore S, Helenæ tempore nullam meretur fidem, cum translatio e Marciano Neapolim diu post tempora S. Helenæ contigerit. Falconius quoque pag.* 221 *existimat, urnam fictilem non esse dignam munificentia S. Helenæ: nec ergo credidero, illam ejus fuisse* D *donum. Quidquid vero sit de illa lamina plumbea, satis est adfuisse corpori incriptionem, qua Neapolitani didicerunt, corpus esse* S. Januarii.

transfert Neapolim, ubi sæviens lues mox cessat.

156 *Redeo ad Caracciolum, Bernardini carmina exponentem:* Itaque repertam in dicto Virgineo templo jam dictam urnam, sacris B. Januarii ossibus plenam, archiepiscopus arculæ inclusit, serico villoso purpureo coopertæ, eamque fasciis funiculisque ad collum appensis ad pectus suum super equum, quo vehebatur, ab ea æde, quæ in arduo montis sita est, Neapolim pie religioseque portavit. Quo cum appropinquasset, ex equo descendens, ac forte nudipes, ut pie credi potest, thesaurum illum brachiis complexatus tulit, atque in archiepiscopali ecclesia collocavit, privatim tamen, ac fere nullo obvio civium, ob pestiferi morbi sævitiem, eo tempore late grassantem. Postera autem die, vulgata jam de advecto S. Januarii corpore per urbem fama, ingens omnium ordinum, ac utriusque sexus multitudo ad visitanda tanti Martyris ac patroni pignora episcopion adeunt, et (quod cum admiratione observatum est) ab eo die desæviit pestis, cœpitque civitas frequentari, redeuntibus undique civibus, ob pestilentiam olim huc illuc abactis. Ea res Romam perlata, magis magisque E Oliverium permovit ad honorificum illud hypogæum sancto Martyri exstruendum, de quo infra. *Hactenus Caracciolus ex Bernardino, cui addidit conjecturas suas de modo, quo archiepiscopus sacras reliquias portavit, non item de peste, quam ante sæviisse, et a die adventus reliquiarum cessasse, Bernardinus clare testatur. Chioccarellus in Ms. totam quoque relationem Bernardini Siculi Latinam fecit stylo simplici. Omissis tamen prioribus, utpote satis expositis, ultimam partem ex ejus Ms. huc transfero:* Cumque Neapoli, *inquit,* tunc mortalitas et pestis grassaretur, homines præ pestis timore obviam minime prodierunt ad id sanctum corpus venerandum. Attamen Neapolim cum præfatum corpus pervenisset de sero XIII Januarii MCDXCVII, quod archiepiscopus is eques detulit, ac introduxit super ephippium * ex anteriore parte intus parvum scrinium, eodem sero evulgata fama per civitatem de adventu ejus sacri corporis, civitas eadem maximo affecta est gaudio: et sequenti die villæ omnes, ac proximæ urbes et oppida ad Neapolitanam ecclesiam progressæ sunt ad se dicto Sancto humiliandum, et Deo gratias de tam insigni dono referendum. Et pestis ulterius minime progressa est, et cessavit ab eo die, quo sacrum illud corpus in eam civitatem ingressum est: atque ii omnes, qui ob pestis timorem Neapolim egressi fuerant, in eam civitatem reversi sunt. Oliverius autem Cardinalis Carrafa, qui Romæ tunc morabatur, summo gaudio affectus est ex dicti sacri corporis adventu, maximas gratias Deo reddens.

* Ms. mendose epiphium

Translatio contigit anno 1497,

157 *De die et anno hujus trnnslationis nonnihil dissentiunt scriptores Neapolitani. Tutinus asserit, archiepiscopum cum iis Neapolim venisse die* XIII *Januarii anni* 1497. *At Caracciolus ita habet:* Incidit hæc translatio in diem decimam septimam Januarii anni MCDXCIV, uti Afflictus testatur in Constitut. Regni *etc...*, ubi et de Officio ejus in ejus honorem composito meminit. Ad quem diem figebatur olim etiam in tabulis Neapolitanæ ecclesiæ. *Matthæi de Afflictis jurisconsulti contemporanei auctoritas difficultatem pareret, si de ejus asserto satis constaret. At Falconius pag.* 219 *laudat eumdem scriptorem pro anno* 1496, *et die* XVI *Januarii. Ita omnino habet locus Afflicti in Collectione*

A ctione Ms. Chioccarelli, ex qua totum huc transfero : Corpora Sanctorum non possunt transferri de loco ad locum sine licentia summi Pontificis secundum Hostiensem in summa de Reliquiis et veneratione Sanctorum in principio. Et sic de licentia Papæ die XVI Januarii MCDXCVI, ordinatione Papæ Alexandri VI, ad supplicationem reverendissimi domini Oliverii Caraphæ Cardinalis Neapolitani, fuit translatum corpus gloriosi martyris et pontificis S. Januarii a cœnobio Montis-Virginis in majori ecclesia Neapolitana : cui novum Officium dedicavi, approbatum in curia Romana, ut testantur litteræ præfati domini Cardinalis. *Hæc Matthæus Afflictus, si verba ejus recte fuerint exscripta. Quare mendum typographicum irrepserit in datum locum Caraccioli : nam hic ipse sect.* 2 § 3 *ait, translationem contigisse* anno MCDXCVII. *Hunc autem annum* 1397 *designaverit Afflictus, licet vocaverit* annum MCDXCVI, *cum anni initium tum multis locis sumeretur vel a* XXV *Martii, vel a Paschate; annumque* 1496 *protraxerit usque ad* XXV *Martii vel usque ad Pascha anni* 1497. *Laudatus Falconius testatur, in eumdem annum consentire Diarium Ms. Juliani Passeri. Ut vero ostendat, eo anno transla-* B *tionem omnino contigisse, laudat anonymum continuatorem Chronici Lupi Protospatæ de Gestis in regno Neapolitano. Laudatus Anonymus ad annum* 1496 *figit mortem Ferdinandi regis die* VII Octobris, *subditque* : Eo anno et die equitavit rex Fredericus in civitate Capuæ, quia Neapoli erat pestis. *Cessavit autem prædicta pestis, quando mense Januario illatæ in urbem sunt* S. Januarii *reliquiæ. Hæ igitur intrarunt mense Januario anni* 1497.

die XIII *Januarii.*

158 *De die vero necdum sublata dubitatio ob locum Afflicti mox datum. Attamen in diem* XIII *Januarii scriptores fere omnes conspirant. Et hoc die translationem omnino esse figendam, satis certis argumentis evincit laudatus Falconius. Nam primum producit instrumentum voti*, S. Januario *facti, scriptum a notario Vincentio de Bossis, cujus hæc est epocha* : Anno Domini MDXXVII, die XIII mensis Januarii, X Indict., in festo translationis gloriosissimi Januarii pontificis et martyris *etc. Totum hoc instrumentum Ms. habeo ex Collectione Chioccarelli. Quapropter jam anno* 1527 *festivitas illius translationis celebrabatur die* XIII *Januarii. At verisimile non est, alia die fixam festivitatem, quam qua* C *translatio contigerat, præsertim cum dies* XIII *Januarii sit intra Octavam Epiphaniæ, imo ipsa dies octava. Deinde laudat Chronicum Ms. Juliani Passeri, cujus verba Italica Latine hic exprimo* : Die XIII Januarii intravit Neapolim et ædes archiepiscopales sacratissimum corpus S. Januarii, qui unus est ex patronis Neapolis. Illud portavit reverendissimus dominus archiepiscopus Neapolitanus, dictus Alexander Carrafa, tulitque ex monasterio sanctæ Mariæ Montis Virginis, ubi longo tempore fuerat depositum, facultatem præbente Alexandro Papa VI, ex domo Borgia. Fuerunt eo die indulgentiæ plenariæ, concessæ a prædicto Papa. *Hisce accedit Chioccarellus, num.* 156 *laudatus, ut non videatur ulterius de translationis die dubitandum. Forte locus Afflicti male fuerit exscriptus. Diem et annum translationis recte expressit Bollandus in Prætermissis ad* XIII *Januarii. De sacello, in quo corpus depositum, agam num.* 174.

Beneficia S. Januarii in Neapolitanos multa sunt :

159 *Quod spectat ad beneficia Neapolitanis collata post corporis translationem modo memoratam, multa accumulavit Hieronymus a S. Anna, plura etiam Falconius, qui omnia fere, quæ Neapolitanis feliciter evenerunt, patrocinio* S. Januarii *solet adscribere, sive liberati fuerint ignitis Vesuvii eruptionibus, sive terræ concussionibus, sive nimia siccitate, sive pluviæ abundantia, sive bellorum, pestis aut hæresis periculis. At ego ex omnibus ea solum seligo, quæ per indicia manifesta* S. Januarii *beneficio obtenta creduntur, quæque narrantur ab auctoribus, de quorum fide et prudentia certus esse valeo. Nolim tamen inficiari, pie patrocinio* S. Januarii *attribui immunitatem a variis periculis, quæ urbi Neapolitanæ imminere videbantur, et præ ceteris memorabile videri beneficium, quod civitas illa, monti Vesuvio tam vicina, a terribilibus illius eruptionibus damna graviora numquam fuerit passa. Verum sufficiat in istis generatim perennem* S. Januarii *tutelam agnoscere. Unum ex his singulare admodum apparet, quod narrant Tutinus cap.* 10, *et Caracciolus cap.* 20 *sect.* 20, *ambo testes contemporanei et oculati. Res contigit anno* 1631, *die* XVI *et* XVII *Decembris, ut habet Tutinus, cujus relationem Italicam compendio huc transferam.*

anno 1631 cum terribilibus terræ motibus flammas eructante Vesuvio,

160 *Die Martis*, XVI *Decembris, circa duodecimam horam Italicam, præcedentibus multis terræ motibus, densissima nubes ex monte Vesuvio in altum se elevavit ad quindecim facile milliaria supra montem, ut ille scribit. Fumus deinde tanta velocitate circumquaque se dilatavit, ut hora de-* E *cima sexta Neapolis tota contectam nube se videret, fugientibus vicinorum oppidorum et vicorum incolis. Ab hora fere vigesima secunda usque ad primam noctis, id est, tribus horis, accessit continua terræ concussio. Populus timore perculsus ad pœnitentiæ remedia recurrebat, et immensa erat multitudo confitentium peccata sua, et absolutionem sacerdotalem postulantium. Franciscus Boncompagnus, Cardinalis archiepiscopus, jussit in omnibus ecclesiis exponi venerabile Sacramentum decrevitque eodem die post prandium generalem instituere cum capite et sanguine* S. Januarii *processionem, prout factum est. Interum tantus erat Vesuvii strepitus, ut Neapolitani timerent, ne urbs tota momento temporis absorberetur. Cessarunt noctu continui motus terræ, crebri tamen erant per intervalla, et facile quinquaginta ea nocte numerati sunt. Postridie mane circa horam decimam septimam duæ concussiones fuerunt horrendæ, et simul mons evomuit ingentem copiam materiæ bituminosæ, qui terris vicinis multum combustionis et damni intulit.*

creditur S. Januarius cladem a Neapoli avertisse.

161 *Indicia vero protectionis* S. Januarii *in hisce sequentia recenset laudatus Tutinus. Primo, inquit, ventus, qui a Vesuvio Neapolim versus spirabat, subito mutatus est. Hinc cineres et saxa, quæ Neapolim obruere potuissent, delata sunt* F *versus alias regni partes, et* usque Ragusium, *inquit, quæ civitas est in Dalmatia. Cineris quidem aliquid etiam Neapoli cecidisse agnoscit; sed modicum illud fuisse ait, et sine detrimento propter pluviam adjunctam. Secundo beneficium agnoscit in dilatatione foraminis, quo Vesuvius tantam ignitæ materiæ copiam emittere posset, ne alium quærendo exitum Neapolim absorberet. Tertio testatur, crebris illis horrendisque terræ motibus nullam Neapoli collapsam fuisse domum, nullum hominem aëris intemperie in morbum incidisse. Quarto affirmat, die Mercurii* XVII *Decembris, cum iterum homines longo ordine procederent cum capite et sanguine* S. Januarii, *cœlumque esset caligine tectum, copiosa decidente pluvia, simul atque in porta ecclesiæ metropolitanæ comparerent laudatæ reliquiæ, radium solis apparuisse tantæ claritatis et luminis, ut omnem illam caliginem pelleret, et congregatus populus inciperet exclamare,* Miraculum

AUCTORE J. S.

Miraculum, Misericordia. Præterea, *inquit*, fama cucurrit, eodem temporis momento ad sinistram dictæ ecclesiæ majoris S. Januarium in habitu pontificali a multis fide dignis fuisse visum, populo benedicentem. *Hinc, ubi agmen procedentium extra portam Capuanam venisset in conspectum montis ardentis, eminentissimus archiepiscopus sumpsit sacri sanguinis ampullas, et cum iis signum crucis formavit versus montem. Deinde vero nubes illas accensas fuisse alio versas, et paulatim evanuisse testatur. Ricciolius inChronico magno ad annum* 1631 *de his agens, docet cinerum eructationem ad mensem fere durasse,sed* calamitatem *a* Neapoli *patrocinio* S. Januarii *fuisse aversam. Addit Tutinus, in gratiarum actionem de obtento beneficio non solum institutam fuisse solemnem processionem die* XX *Maii anni sequentis; sed novam etiam confraternitatem titulo* S.Januarii *fuisse erectam,aliaque in Sancti honorem ad sacrum sanguinem honorificentius conservandum composita, de quibus suo loco Joannes Baptista Caccabus, Neapolitanus juris utriusque doctor, eodem anno* 1631 *poëma satis prolixum composuit de illo Vesuvii montis incendio, et clade ab urbe Neapolitana patrocinio* S. Januarii *aversa, quod* B *habeo ex Ms.Collectione Chioccarelli. In monito autem,quod soluta oratione præmisit,consentit relatis a Tutino, enumeratque pagos monti vicinos, quos* cineribus saxisque *obrutos jacuisse asserit;ut* eorum locorum quinque fere incolarum millia extremam inde senserint ruinam.*De patrocinio* S. Januarii *flagitato et obtento a Neapolitanis hæc scribit :* Quapropter ad divi martyris Januarii, urbis nostræ tutelaris, præsidium de more populus confugiens, illius sanguinem, quem ebullientem jam in tanti portenti signum invenerunt, in conflagrationis imminentis remedium adhibuere : illumque ad montis æstuantis aspectum, sacris omnibus civitatis cohortibus instructis, una cum cælestis Præsulis sacro capite objicere non sunt veriti. Mirum quidem dictu ! primo enim tanti Numinis intuitu agitatus ille facibus Vesevus ignes cinerumque concretos globos compressit, quos alio divi Martyris jussu tendere,et ab urbis mœnibus procul fugere, eamque innocuam ab imminenti ruina relinquere observamus. Quod satis superque probatum elucescit. Etenim eo tempore, quo in sacra primaria urbis æde ab eminentissimo Cardinali antistite Francisco Boncompagno magna cum animi pietate adversus eos ignes herebique C furias sacræ instruebantur copiæ, cæleste lumen, atque in eo tutelare numen gloriosissimi Januarii effulsisse, ac desuper templi janua custodientis in modum, ac montis infernique rabiem cohibentem se exhibuisse, quamplurimi, fide atque operibus digni, probatique adnotarunt. *Hæc ille.*

qui et urbi benedicere dicitur visus.

162 *Lubet etiam de illo beneficio audire Caracciolum, licet rem oratorie magis quam historice narret, quia multis comperta et visa referebat.* Quis autem, *inquit*, tam obdurato erit corde, tamque cæcutienti oculo, qui neget in nupero.isto, quo cuncti cohorruimus, incendio propitium nobis redditum Numen iratum, post Deiparæ patrocinium, potenti Januarii nostri intercessione ? Certe cum vivificus ejus sanguis, minitabundus Vesuvio extra civitatis portam objiceretur, ignea nubes in urbis excidium imminens, deflexa ad mare via, maturavit fugam. Intercessione tantum? Imo et visibili aspectu. Conferta enim hominum multitudo testimonium præbet, parata sub sacramenti etiam adjuratione id fateri ; quod scilicet, cum e principe templo solemni pompa progrederetur vivificus ille Januarii sanguis, oblata tunc fuit Præsulis imago, Januarium repræsentans infulatum, protensaque manu populo benedicentem e templi vitrea fenestra, sole, qui nubilus D fuerat, eo tempore inclarescente. *Ita Caracciolus. Nolanos quoque agnovisse beneficium urbi suæ a* S. Januario *præstitum, liquet ex inscriptione danda num.* 190. *Hieronymus a S. Anna in Vita lib.* 2 *cap.* 4, *post relatum hoc* S. Januarii *beneficium,subjungit posteriora quædam Vesuvii incendia, in quibus Neapolitani opem* S. Januarii *implorarunt, quam et consecuti videntur. Primum est incendium anni* 1660, *cujus tempore expositæ fuerunt Sancti reliquiæ supra altare majus sacelli Thesauri,in quo sanguis cum capite conservatur. Post plures alias Vesuvii eructationes breviter perstrictas, in quibus non meminit de* S. Januario, *nisi generatim dicendo, Neapolim in iis fuisse illæsam* S. Januarii *patrocinio,accedit ad montis incendia, quæ anno* 1698 *diu fuerunt continuata, et quorum recens erat memoria, quando Vitam* S. Januarii *componebat.De his igitur pauca dabo.*

Rursum anno 1698 et anno 1707 Sanctus a Neapolitanis invocatus,

163 *Scribit laudatus auctor, consentiente Falconio pag.* 517, *die* XVII *Maii anni* 1698 *Vesuvium tantos edere cœpisse strepitus, ut in locis etiam longe dissitis audirentur. Eodem tempore torrentes igneos ejiciebat, multum vicinis,ac Neapolitanis etiam, terroris injicientes. Cum autem* E *flammæ continuarentur ac crescerent cum pluvia cinerum usque ad* V *Junii, rogarunt Neapolitani eminentissimum Jacobum Cantelmum, Cardinalem archiepiscopum, ut processionem cum reliquiis* S Januarii *ordinaret. Annuit archiepiscopus, et sequenti die* VI *Junii longum processit supplicantium agmen cum capite* S. Januarii *per aliquot urbis plateas ad ecclesiam S. Catharinæ de Formello,in cujus vicinia,unde mons videtur, altare hac de causa erat erectum, cui sacrum caput fuit impositum. Post preces fusas, Eminentissimus archiepiscopus monti benedixit :* subitoque hic mitigari cœpit, *inquit auctor*, cessantibus solitis rumoribus, nec apparentibus amplius flammis aut cineribus. *Falconius dicit, sequentis diei tempore matutino visum esse incendium exstinctum, fumum abactum, cineres ablatos, cælum clarum et serenum. Eodem fere modo finitum fuit incendium anni* 1707, *quod præcedente etiam horribilius fuisse laudati scriptores asserunt. Cœperat sub finem Julii, et die* I *Augusti vehementissimum erat malum. Die* 2 *Augusti, incipiente processione, tanta erat cinerum pluvia, ut tenebras spissas induceret. At, mandante Eminentissimo Francisco Pignatello archiepiscopo,agmen supplicantium etiam per tenebras* F *cum capite* S. Januarii *processit ad altare, quod circa portam Capuanam erat exstructum, ibique deposuit Sancti caput ad preces Deo fundendas.*

eadem pericula avertisse asseritur.

165 *Qui Vitam* S. Januarii,*scriptam ab Hieronymo a S. Anna, nonnihil auxit, quique, ut in margine notatur, omnibus illis etiam adfuit, ait, tantum fuisse populi Neapolitani timorem, ut verbis nequeat explicari, omnesque de peccatis confiteri voluisse,et in omnibus fere platearum angulis fuisse sacerdotes, qui confitentes audirent. Testatur, ante venerabilem patrem Franciscum de Hieronymo Societatis Jesu,virum miraculis clarum in vita et post mortem,jacuisse plura hominum millia, genibus flexis et capitibus ad terram inclinatis, singultibus et vocibus interruptis misericordiam implorantium.His congrua sunt verba laudati ante Ricciolii, ad annum* 1631 *dicentis :* Plures peccatores ignea Vesuvii lingua convertit ad pœnitentiam, quam integro forte seculo concionatores fuissent conversuri. *At redeamus ad Cardinalem archiepiscopum cum clero et populo orantem. Ille,peracta*

A *acta oratione, versus furentem Vesuvium se vertit et signum crucis pie contra ardentem montem formavit.* Confestim, *inquit scriptor Italus,* cum mirabili omnium stupore cessare cœpit densa cinerum pluvia. *Nocte vero sequente, discussis tetris nubibus fumi et cineris elevati, cœlum fuisse serenum, stellasque in eo lucidas apparuisse, idem æque ac Falconius confirmat. Dies vero sequentes erant sereni, cessabatque Vesuvii incendium. In gratiarum actionem variæ a Neapolitanis positæ fuerunt inscriptiones, quibus et alia Sancti beneficia memorabantur. Unam duntaxat ex aucto Hieronymi a S. Anna Opere huc transcribo.* Divo Januario, urbis Neapolitanæ indigetum principi, quod montis Vesuvi anno MDCCVII, cum, maxima ignis eruptione facta, dies quamplures magis magisque ferociret, jam ut certissimum urbi totique Campaniæ incendium minaretur, sacri ostentu capitis in ara huic exstructa excidiosos impetus oppresserit, et omnia serenaverit, Neapolitani, ejus divini beneficii, uti et innumerum * aliorum, quibus a bello, fame, pestilentia, terræ motu, urbem civitatemque liberavit, memores PP. *Hactenus inscriptio. Et*

* *forte innumerorum*

B *sane non negaverim, Neapolitanos pie et merito credere, se patrocinio* S. Januarii *non semel bello, fame et pestilentia liberatos, multaque de illis relata video apud auctores, quos præ manibus habeo. Attamen, cum in illis protectio Sancti tam manifestis indiciis non ostendatur, ab illis brevitatis gratia abstineo. De nonnullis tamen fiet mentio occasione eorum, quæ Neapolitani fecerunt, ut suo se Patrono gratos exhiberent.*

§ XII. De ecclesiis, sacellis, altaribus, et reliquiis S. Januarii, quæ variis locis servantur.

Prima S. Januarii ecclesia prope sulphurarium :

Quandoquidem omnes S. Januarii *et Sociorum translationes modo enarravi, aut saltem breviter illustravi, latius in antiquis monumentis infra legendas; restare video, ut, quantum fieri potest, assignem loca sacra, in quibus ipsorum reliquiæ nunc conservantur, aut quæ aliquam certe particulam earum sibi adscribunt. Hoc autem ut fiat facilius, ordine temporis recensebo ædes sa-*

C *cras* S. Januario *erectas examinaboque, quid singulæ de Sancti reliquiis habere credantur, eodem deinde ordine ad Socios progressurus. Caracciolus de ecclesiis acturus sect. 22 ita orditur :* Ex sacris præcipue ædibus, Deo sub Sanctorum invocatione erectis, religiosior ipsorum cultus deprehenditur. Quid hujusmodi pro Januario nostro factum sit, nunc erit narrandum. Ac primum in sulphuraria Puteolana, ubi sanguinem ille suum fudit, sacram ædiculam fuisse erectam, cunctis est perspicuum. Hæc postea patribus Cappucinis tradita fuit, atque in ampliorem formam laxata pietate Neapolitanæ civitatis anno MDLXXXIII, ne (sic legimus in superposita ecclesiæ inscriptione) quod sacri corporis sanguine maduerat solum, sine honore diutius remaneret. *Hactenus Caracciolus, in cujus dictis nonnulla videntur corrigenda. Nam primo sacra illa ædes, ut jam observavi* § 7, *non fuit erecta in ipsa sulphuraria, sed in colle prope sulphurariam; nec in loco martyrii, sed in loco sepulturæ. Locus videri postest in tabula chorographica huic Commentario præfixa. Secutus est laudatus scriptor communem opinionem Neapolitanorum, qui existimant, ædiculam illam sacram, cui major ecclesia cum monasterio deinde fuit substituta, constructam fuisse in ipso martyrii loco, ideoque sulphurariam, in qua passus est* Januarius, *latius sumpsit, ea voce simul comprendens montes, sive colles vicinos, quibus sulphuraria cingitur. At vetusti scriptores sulphurariam, quam* Vulcani forum *nominarunt, a montibus illis distinguunt, uti et recentiores.*

AUCTORE J. S.

non vero in sulphuraria fuit constructa.

166 *Lubet pauca hunc in finem, ne fiam prolixior, solum allegare. Apud Julium Cæsarem Capacium in Antiquitatibus Campaniæ cap.* 20, *in quo agitur de Puteolis, de sulphuraria allegantur hæc Strabonis verba;* Recta super hanc urbem situm est Forum Vulcani, campus circumquaque inclusus superciliis ignitis, quæ passim tamquam e caminis incendium magno cum fremitu exspirant. Campus autem sulphure tractili est plenus. *Petronius Arbiter ibidem loci descriptionem sic orditur:*

Est locus exciso penitus demersus hiatu.

Et Capacius ipse mox locum describere incipit hoc modo : Planus quidem locus est, ovali forma, theatrum ostentans; MCCXLVI pedum longitudo, M et eo amplius latitudo metitur. Alti candentesque cum colles ambiunt *etc. Apud Scipionem Mazzella in Situ et Antiquitatibus Puteolorum cap.* 7, *qui sub-* E *inde confundit Leucogæos montes cum* Solfatara, *ut voce Italica vocat, sed alias etiam distinguit, varia etiam ad propositum nostrum leguntur. De sulphuraria ibidem Sanfelix ita loquitur :* Neapolim hinc proficiscentibus subeundus est clivus, cujus ad lævam situs est campus undique montibus, sulphureum exhalantibus vaporem, circumdatus, angustis adeundus faucibus... Vulcanium forum id fuit antiquis, ubi sulphurea conflantur potiora vascula, quorum usus lienosis prodesse compertum est. *Subjungit ipse Mazzella :* Locus vero memoratus planus est, forma ovata, *etc. Et post multa, descripto rursum loco ex Alcadino, de ecclesia addit :* Procul loco nominato haud ultra passus viginti situm est templum, una cum cœnobio laudatissimo Capucinorum. *Ita ille viginti solum passibus a sulphuraria Capucinorum monasterium collocat. Ego, quantum recordor loci, anno* 1753 *visi, longius distare puto : quamvis vicinus satis sit. Verum hoc modo non agitur: nam ad propositum nostrum sufficit, ecclesiam fuisse ædificatam extra sulphurariam, ideoque non in ipso martyrii loco, cum Sancti in ipsa sulphuraria sint occisi, non in colle vicino. Itaque pro sepulturæ loco habendus est ille collis, in quo constructa est ecclesia, ut ostendi* § 7. F

In ea servatur lapis, qui sanguine Sancti creditur aspersus :

167 *In illa porro Capucinorum ecclesia nobis varia sunt ostensa, de quibus miror nihil apud Caracciolum legi, nihil apud Tutinum, nihil in collectione Chioccarelli, nihil fere apud alios quoque* S. Januarii *Vitæ scriptores. In adjunctis apud Hieronymum a S. Anna lib.* 2 *cap.* 21 *breviter dicitur, haberi ibidem vestustam* S. Januarii *statuam marmoream dimidiati corporis, credique hac exhiberi veram Sancti effigiem; et præterea saxum sancti Martyris sanguine conspersum. Sabbatinus in Annotatis ad* XIII *Aprilis refert, sibi a variis dictum fuisse, guttas sanguinis, quæ adhærent saxo jam memorato, magis rubescere in festo* S. Januarii. *Idem nobis dixit R. P. Guardianus Capucinorum; imo addidit, id indicium esse liquefactionis sanguinis, quæ observatur Neapoli, et de quo postea agam. Petiimus documenta authentica de illa liquatione, sed præter verba id fortiter affirmantis nihil accepimus, ut illam opinionem confirmare nequeam. Laudatus Sabbatinus ait præterea, existimari, caput Sancti in illo lapide fuisse positum. Nobis dicebatur,* S. Januarium *in eo fuisse decollatum ; idque habet inscriptio*

AUCTORE J. S.

scriptio ibi posita, quam etiam recitat Hieronymus a S. Anna; sed est solum anni 1697. *Non negaverim pie credi, lapidem illum sanguine* S. Januarii *conspersum esse, sive in eo fuerit decollatus, sive caput sanguinolentum aut corpus in eo fuerit positum. Aliunde satis verisimile est, aliquid reliquiarum* S. Januarii *in prima ipsius ecclesia relictum esse, quando corpus inde fuit translatum. An vero guttæ sanguinis saxo adhærentes, una cum sanguine Neapoli in ampullis servato, quasi liquescant, aut certe magis rubescant, eruditis Neapolitanis, qui propinquiores sunt, examinandum relinquo.*

Antiqua statua dimidiata S. Januarii, de qua multa narrantur;

168 *Venerandæ statuæ, quam ibidem haberi jam dixi, effigiem scalpro Neapolitano expressam exhibeo. Eruditi collectores, qui eam submiserunt, existimant, antiquiorem esse gemina alia Sancti effigie, inferius similiter exhibenda. Observant autem, hanc* Puteolis summa religione *coli* in cœnobio PP.Capucinorum. *Tum addunt*: Effigies ipsissima ad fidem marmoris expressa est in tabula ænea. Ea omnium antiquissima nobis videtur cum ex pontificalibus indumentis, et brevissima mitra, quæ teniam unam e parte postica dimittit, tum ex B juvenili prorsus facie sancti Martyris, ut in nummis sæculi IX et X scalpi mos erat. Quamobrem, quo conjectura nostra plus in suadendo habeat auctoritatis, anticam et posticam orthographiam curavimus describendam. *Eruditi hi viri, licet hanc omnium vetustissimam* S. Januarii *imaginem credant, eamdem tamen non referunt ad seculum* IV, *ut nonnulli fecerunt sine fundamento; nec ad seculum* VII, *ut Falconius pag.* 482 *sine ulla probatione; sed malunt ignorare, quo tempore fuerit sculpta, quam temere id definire. Injuriam aliquando passa est veneranda illa statua, ut apparet ex mitra superius confracta, et ex naso, qui sic vultui adhæret, acsi fuisset abcissus, et postea glutine aliquo aut alio artificio, restitutus. Modica quoque in vultu est macula, de cujus origine disputatur. Mira sunt, quæ de naso PP.Capucini nobis narrarunt, prout ea ab aliquot scriptoribus recentioribus conscripta sunt, sed nihil de his invenio apud antiquiores, nec apud præcipuos scriptores præteriti seculi. Horum sane silentium imitari mallem, si id bona omnium pace liceret, quam de popularibus ejusmodi traditionibus plura dicere. Ne quis tamen conqueratur, de mirabilibus istis, quæ in Apologia quadam anni* 1714 *operose defenduntur, nolle me curiosos lectores instruere,* C *ex Vita Hieronymi a S. Anna lib.* 3 *cap.* 4 *transcribo verba tabellæ, quæ olim ibidem fuit appensa.* De qua scilicet statua illud admirandum antiquissima patrum traditione accepimus, quod reciso olim atque in mare projecto naso, alterum subinde substituentibus piis ac devotis viris, nulla potuit umquam mixtura adhærescere, donec interjecto tempore intus piscatorum retia semel et iterum reperto naso, nec agnito, tertio demum pueri voce (an vaticinio) observatus, ubi primum capiti est applicitus, sine temperatura, sine ligamine, sine ferro, aut alio quopiam artis instrumento, ita commissus est, ut non attractum * vi, non ætate longa fatiscat. *Et mox ex eadem tabella:* Nec minus in eadem imagine suspiciendum, quod pro temporis forte, seu felici seu tristi, non unam aspectus faciem sub unis lineamentis ostendit. *Maculam quoque illam, quæ in vultu statuæ apparet, prodigiose anno* 1656 *enatam dicunt; sed nihil de illa addit laudatus Hieronymus. Laudatus apologista, ut ea omnia defendat contra Falconium, qui pag.* 490 *dicit, nonnisi verba esse populi nimis creduli, pro naso restituto per miraculum allegat traditionem, et experimentum anno* 1714 *sumptum, quo* D *evincere se existimat, eum nullo glutino fuisse restitutum, cum liquoribus acribus non fuerit avulsus. Verum nec traditio, quæ antiquis destituitur testimoniis, nos potest de mirabilibus ante dictis certos reddere; nec experimenta anni* 1714, *quæ cum adjunctis ratiociniis videri possunt apud Apologistam pag.* 87 *et seqq., evincunt, nasum miraculo statuæ fuisse restitutum.*

* forte attractuum


ex quibus aliqua variorum testimoniis asseruntur.

169 *Quod spectat ad maculam, in vultu statuæ conspicuam, quam anno* 1753 *ipse vidi, etsi in figura hic juncta non satis percipiatur, meliora producuntur testimonia. Attamen vellem RR.PP. Capucini ejus ortum prodigiosum citius probandum curassent. Digna certe res erat, quæ statim authenticis testimoniis confirmaretur, prout facile confirmari poterat, utpote in conspectu plurimorum facta si vera sunt testimonia anno demum* 1714 *producta. Hæc enim testimonia minorem apud prudentes fidem invenient, quam fecissent ipso anno* 1656. *Primum est Adm. Rev. domini Prosperi de Constantio, canonici cathedralis ecclesiæ Puteolanæ, qui testatur* etiam cum juramento, *se anno* 1656 *fuisse in ecclesia cathedrali,* E *ibique percepisse tumultum populi dicentis, tumorem pestilentem in statua* S. Januarii *ortum esse; seque tunc quatuordecim circiter annos natum, cum omni clero et populo observasse* tumorem nigrum in vultu dictæ statuæ; *seque diversis vicibus illum fuisse intuitum* cum omni populo, qui dicebat, ulcus esse pestilens *, sive pestem in dicta statua ortam. *Addit post aliquod tempus tumorem illum pestis indicem non amplius fuisse conspectum; sed* cicatricem comparuisse, qualis hodie cernitur, *sive qualis est macula hodierna. Alterum est testimonium domini Antonii Damiani, patritii Puteolani, qui testatur idem pestis indicium se vidisse, ac audivisse a populo, et paulo post cicatricem remansisse. Fuisse se tunc viginti quinque circiter annorum asserit, ac testimonium dedit a notario et sacerdote scriptum die* XXVII *Januarii anni* 1714, *biduo post testimonium præcedentis canonici, ab eodem notario Francisco de Leone exaratum. Si cui autem hæc testimonia non videantur facere fidem indubitatam, quod post annos quinquaginta et octo data sint a senibus de re, quam in juventute vidisse se credebant, fateri cogor, me alia non posse, nec velle pro certitudine illius facti pugnaciter decertare. Demum vultus mutationem in dicta statua frequenter observari, ab anno* 1632 *asseruerunt Patres Capucini, at etiamnum asserunt. In Apologia pag.* 136 *recitatur* F *testimonium Bernardi Atranensis, sacerdotis Capucini, etiam subscriptum a Barnaba Neapolitano, item sacerdote ejusdem Ordinis, datum* XXX *Januarii anni* 1714. *Testatur autem P. Bernardus, se anno* 1701, *die* XVIII *Maji, dum erat vicarius in conventu Puteolano, interpellatum fuisse a Barnaba prædicto, tunc clerico et æditio, qui viderat* vultum *dictæ* statuæ turbatum, et horribilem cum lacrymis, decidentibus ex oculis. *Ait, lacrymas ab eodem abstersas sudario, aliasque deinde effluxisse. Hoc nuntio accepto, se ad statuam accessisse testatur, lacrymasque similiter vidisse et abstersisse, ac mox alias comparuisse, ut ea de causa januam ecclesiæ clauderet ac neminem ingredi permitteret. Idem testatur, anno* 1688, *mense Aprili, vultum statuæ* per dies octo tam pallidum apparuisse, ut horrorem incuteret, *ipseque ea de causa quotidie ad vesperam secreto preces aliquas coram statua recitaret cum P. Guardiano et P. Ambrosio Neapolitano. Hisce addit Apologiæ auctor, communem*

* bobone

Marmorea vetustissima S. Januarii M. Protome quæ Puteolis in Ecclesia Capucinorum asservatur.





Pars postica.

Pariis V. Palmé

Effigies S. Januarii.



Ex Musivo Capellæ S. Mariæ de Principio in Basilica S. Restitutæ



Ex vetustissima pictura Ecclesiæ S. Marciani prope Cathedralem Neap.

Foschini del.

Paris V Palmé

Gaultier sculp.

A *communem esse opinionem Capucinorum, qui habitarunt aliquo tempore in conventu Puteolano, vultum venerandæ illius statuæ mutari pro varietate temporum. His conformia sunt documenta Ms. ex dicto conventu nobis missa, in quibus testatur R. P. Emmanuel Neapolitanus, ejusmodi mutationem vultus in dicta statua vidisse se anno* 1734. *Plura de hisce non addo, et judicium de omnibus prudenti lectori permitto, quod eruditi collectores Neapolitani, qui de vetustate figuraque illius statuæ ratiocinantur, de illis prodigiis ne verbo quidem meminerint.*

Aliæ S. Januarii imagines miraculis insignes.

170 *Hæc vero occasione pauca subjungo de aliis duabus* S. Januarii *imaginibus, de quibus similiter agit laudatus Hieronymus. Prima servatur Neapoli in ecclesia collegii puellarum SS. Philippi et Jacobi multa cum veneratione, quia anno* 1635 *in igne illæsa mansisse dicitur, incendiumque ejusdem collegii, postquam illa imago in flammas cum viva fide fuerat injecta, exstinctum aut certe cohibitum fuisse asseritur. Refert idem factum Falconius pag.* 513, *et uterque affirmat, inquisitionem de illo prodigio factum ab aula ar-* B *chiepiscopali Neapolitana, prout etiam scribit Carolus de Lellis in Neapoli sacra part.* 2 *fol.* 170, *testatus, incendium contigisse die* XI *Decembris anno* 1635, *et subito fuisse exstinctum post imaginem flammis injectam. Habet igitur hoc prodigium testem contemporaneum, satisque ea auctoritate videtur confirmatum. Addo tamen inscriptionem sub altari, quod* S. Januario *dicatum est, ea de causa positam.* O rem miram! Imago hæc S. Januarii episcopi et martyris in ardentem caminum hujus sacri puellarum cœtus injecta die XI Decembr. MDCXXXV, flammam cohibuit et illæsa permansit. Magnum quidem, quod ignis in Vesuvio *(anno* 1631*)* extimuit verum, majus hic, quod pictum. *Altera imago servatur in ecclesia Matris Dei Carmelitarum Excalceatorum Neapoli, ubi degebat ipse auctor, qui de illa scribit. At factum refert ex Chronico Italiæ Ordinis sui, impresso anno* 1671. *Ea donata fuit dictæ ecclesiæ a* D. Julia Gomez. *Ratio donandi fuisse dicitur, quod eam vidisset sudantem, et duobus Patribus Excalceatis sudantem ostendisset. Quin et vicarius generalis archiepiscopi Neapolitani, ea de re monitus accessit, et* portentum non sine stupore vidit ac reveritus est*:* C paucisque post diebus quamplurimi huic palatio circumvicini accolæ fato functi sunt, et e Vesuvio exitialis ignis juxta lugubre procul dubio præsagium, violenter erupit. Quo factum est, ut devota matrona portentosam imaginem Deo in ecclesia nostra ad perpetuam rei memoriam consecraret. *Adjungam hoc loco duas alias* S. Januarii *imagines ex vetustioribus, prout scalpro expressæ sunt Neapoli, mihique de illis non cogitanti transmissæ. Ex illis discet prudens lector, ex vetustis imaginibus nihil certi posse erui aut de forma aut ætate* S. Januarii. *Observationes, quas addiderunt eruditi collectores, huc etiam transfero* : Præter effigiem S. Januarii, in capella S. Mariæ de Principio musivo opere fabrefactam, quam ad fidem exemplaris expressam damus, est altera antiquior, eadem tabula ænea exhibita, quæ visitur in capella S. Marciani episcopi Neapolitani, ædi cathedrali attigua. Hujus de antiquitate hoc tantum tuto præstare possumus, vetustiorem esse hodierna cathedrali Neapolitana, anno MCCCXIII dedicata*:* imo eadem non paullo antiquiorem ex vetustissimarum, quæ ibi cernuntur, imaginum, et brevissimæ mitræ certissimo indicio docemur. Illud autem sedulo est animadvertendum, in utraque imagine, tum ex musivo S. Mariæ de Principio, tum ex oratorio S. Marciani, quod Januarius ita pingitur, ut qui, adolescentia jam exacta, in virorum censum ex virili habitudine adjudicari possit. Barba vero, quantum ex fugientibus vetustate lineamentis exsculpi potest, vel penitus corrasa est, vel tum primum imis genis deserpit. *Hæc illi, ut inferant, vetustiorem esse statuam Puteolanam, in qua juvenili magis facie exhibetur Sanctus, prout in nummis seculi* IX *et* X.

AUCTORE J. S.

Altera ecclesia in suburbio Neapolitano, ubi digitus Sancti.

171 *Secunda* S. Januarii *ecclesia extra urbem Neapolitanam constructa fuit a S. Severo dictæ civitatis episcopo, ut jam dictum* § 7 *num.* 104 *ex S. Severi Vita. Constructio autem illius ecclesiæ figenda est sub finem seculi* IV *aut initium* V *seculi, paulo ante translationem corporis ex agro Marciano, sive ex mox memorata prima* S. Januarii *prope Puteolos ecclesia, ut nos existimamus. Hieronymus a S. Anna lib.* 2 *cap.* 9 *propositum nostrum ex officio S. Severi hæc affert verba* : Multas Neapoli construxit ecclesias, illamque præcipue extra mœnia divo Januario sacram, in qua corpus ipsius beatissimi Præsulis et martyris, ex Marciano translatum, propriis condidit manibus. *De illa ecclesia laudatus Caracciolus observat se-* E *quentia :* Diversa fuit hæc basilica ab illa, quam nunc cernimus. Erat enim in crypta, seu cœmiterio, illi adjuncta, ubi ad hunc usque diem altare visitur, et episcopalis Severi episcopi sedes. *Hanc S. Athanasius seculo* IX *instauravit, teste Joanne Diacono, qui in S. Athanasio hæc scribit* : Ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo *(id est, crypta sepulcrali)* positam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum altare cum regiolis argenteis, supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Januarii ejusque Sociorum acu pictili opere digessit. *Addit deinde Caracciolus :* Augustior postea ecclesia in honorem S. Januarii erecta fuit, et monachis S. Benedicti tradita, ac postmodum hospitali etiam domo aucta, ut prolixe Capacius in Historia Neapolitana, Engenius in Neapoli sacra, ac Tutinus in Vita S. Januarii narrant. Fuisse hanc basilicam dictam S. Januarii ad Corpus, docent iidem. *Ecclesiam porro illam Benedictinis traditam esse seculo* IX *a S. Athanasio episcopo Neapolitano, docet Joannes Diaconus in Chronico in S. Athanasio his verbis* : In ecclesia denique S. Januarii foris sita monachorum F collegium sub abbatis regimine ordinavit, offerens eis unum hortum in campo Neapolitano positum. *Mabillonius hanc monachorum fundationem narrat ad annum* 866. *Corpus* S. Januarii *eodem seculo ex illa ecclesia translatum fuerat Beneventum. Verumtamen Hieronymus a S. Anna in Vita lib.* 3. *cap.* 4 *testatur, in illa ecclesia servari* digitum S. Januarii; *aitque illum credi digitum, quem simul carnifex resecuisse dicitur, quando caput Sancto amputabat. De illa ecclesia, quæ initio simul S. Agrippino sacra fuisse videtur, et cujus monasterium demum mutatum est in hospitale, plura dabunt auctores laudati. Mihi non licet hæc tam prolixe tractare.*

Tertia ejusdem ecclesia in diaconia:

172 *Tertia* S. Januarii *ecclesia apud Tutinum, Caracciolum et Hieronymum a S. Anna, recensetur illa, quæ vocatur* S. Januarii in Diaconia, *aut* ad Diaconiam, *et nunc passim* S. Januarii ad Ulmum, *sitaque est in ipsa urbe Neapolitana. Vulgus olim et nonnulli scriptores crediderunt, opus illud fuisse Constantini Magni; sed laudati auctores improbabilem illam opinionem merito rejiciunt. Neque enim S. Severus corpus Sancti tulisset ad ecclesiam suburbanam, si vetustior* S. Januarii *ecclesia exstitisset*

AUCTORE J. S.

tisset in ipsa urbe. Joannes Diaconus conditorem illius ecclesiæ in Chronico rectius assignat, in Agnello ita scribens: Hic fecit basilicam intus civitatem Neapolim ad nomen S. Januarii martyris, in cujus honorem nominis Diaconiam instituit, et fratrum Christi cellulas collocavit, delegans ab episcopio alimonia ducentorum decem tritici modiorum, cum ducentas vini hornas *(urnas designat, opinor)* perennis temporibus per uniuscujusque successionem annualiter largiri. Sed et pro labandis curis *(pro lavanda suppellectile, quantum apparet)* bis in anno Nativitatis et Resurrectionis Domini anni circulum exequendum saponem dari sancivit. Sic itaque usque hodie, Domino annuente, perficitur *etc. Hactenus Joannes, illius ipsius ecclesiæ postea diaconus, qui addit,* mille siliquas *(saponis videlicet) in Nativitate Domini, et totidem in Resurrectione datas fuisse.* Siliqua *certo hic sumitur pro aliqua ponderis specie. Hieronymus a S. Anna lib.* 2 *cap.* 12 *ex Engenio recitat instrumentum anni* 1305, *ex quo liquet, sacerdotes in illa ecclesia servivisse Græcos et Latinos. Caracciolus conjicit, prope illam ecclesiam fuisse domum* S.
B Januarii, *sed fatetur, se conjecturas dare non omnino solidas. Agnellus illius ecclesiæ fundator apud Ughellum inter episcopos Neapolitanos ponitur ab anno* 672 *usque ad* 693 *aut* 694. *Fundatio igitur figenda est seculo* VII *ad finem vergente. Plura dabit Hieronymus a S. Anna, apud quem tamen non invenio, ullas* S. Januarii *in illa ecclesia haberi reliquias.*

quarta item vetusta, nunc S. Mariæ Angelorum dicta.

173 *Vetusta etiam fuit* S. Januarii *ecclesia, de qua Chioccarellus in Collectione Ms. ita habet:* Est quoque in civitate Neapolis, in vico, qui dicitur Judæorum, vetus capella, sive parva ecclesia, quæ S. Januarii spolians mortuos appellatur. Quare autem sic nuncupetur, nobis incognitum est. *De eadem Caracciolus hæc scribit:* Erat olim hic Neapoli secus portam, hujus Divi nomine honestatam, ædicula sacra, quæ divi Januarii spolia mortis nuncupabatur; forte quod spolia mortuorum, qui illac ad cœmiterium deferebantur, in vicino aliquo loco venalia exponerentur. Nunc divæ Virgini Angelorum dicata est, et Confraternitati laïcorum tradita. *Pro his laudat Engenium in Neapoli sacra. Consonat etiam Tutinus pag.* 116. *Hieronymus a S. Anna de ea prolixius dispu-*
C *tat lib.* 2 *cap.* 13, *affertque instrumentum, ex quo colligitur, eam ecclesiam jam exstitisse tempore Basilii imperatoris, et abbatem SS. Severini et* Sosii *illius tunc fuisse patronum. Nequit alius intelligi Basilius imperator, quam qui seculo* X *et* XI *cum Constantino fratre diu imperavit, ut colligitur ex abbate SS. Severini et* Sosii, *cum hujus tituli abbas nullus fuerit ante translatum circa annum* 910 S. Sosii *corpus. Exstabat igitur certo illa* S. Januarii *ecclesia ante mortem Basilii imperatoris Græci, anno* 1025 *defuncti, et forte diu ante. Falconius pag.* 486 *conditam scribit anno* 880 *per Sergium quemdam, nobilem Neapolitanum. In Annotatis vero ad id probandum affert instrumentum mihi suspectum, quod tamen ipsis Neapolitanis discutiendum reliquo. Laudatus Hieronymus ait, non constare de tempore, quo fuit condita. Erat seculo* XVI *una ex parœciis Neapolitanis; sed anno* 1581, *ut habet laudatus scriptor, tradita fuit Confraternitati, et nomen* S. Januarii *commutavit, dicique cœpit* S. Mariæ Angelorum. *De antiqua cathedrali Neapolitana, quæ* S. Januarii *nomen diu gessit, pluribus agendum est postea.*

174 *Metropolitana hodierna non* S. Januario, *sed sanctissimæ Virgini Mariæ dicata est. Habet tamen in ea* S. Januarius *geminum sacellum,* D
de quo præcipue agendum ob reliquias Sancti ibidem conservatas. Alterum horum, *inquit Caracciolus,* Oliverianum dici potest. Ab Oliverio namque Carafa, S. R. E. Cardinali, Neapolitano *etiam olim* archiepiscopo *(sed hanc dignitatem ante abdicaverat)* atque Pauli Papæ IV avunculo, erectum fuit. Cœptum ædificium die I Octobris, anno MCDXCVII, completum fuit anno MDVIII, uti Julianus Passerus, rerum suo tempore gestarum diligentissimus scriptor, tradit in suis Annalibus. Undecimus enim annus numeratus est in perfecta ejus extructione, profusa quindecim millium aureorum pecunia ex proprio ære Cardinalis Omnia ibi e Pario marmore, gradus, descensus, solum, parietes, cælum. Ejus longitudo palmorum est quadraginta; altitudo quindecim; latitudo triginta sex. Altaria minora decem. Columnæ cælum sustinentes decem. Statuæ Sanctorum ex eodem Pario marmore permultæ: in primis Deiparæ, puerulum Jesum ulnis complectentis; tum S. Petri, S. Pauli, quatuor Evangelistarum, quatuor Ecclesiæ Doctorum, septem urbis Tutelarium, David Goliæ E
caput desectum gestantis, et Judith Holoferni truncato capite triumphantis. Inque ipso duplici descensu per binas æneas portas, super quas doctissima Petri Gravinæ canonici Neapolitani carmina leguntur, quatuor triumphales currus, solis nempe, lunæ, Mercurii et Jovis. Forte ut fabulosi isti currus inferiores habeantur vero illo triumphali Januarii, quando catenatus ipse ante Timothei præsidis rhedam Nola Puteolos pertractus fuit; sculptore omnium Thoma de Malvito Comensi, præcellenti ea tempestate artifice. Subtus aram maximam in marmorea urna condita sunt sancti Martyris ossa et cineres: e cujus postica parte Oliverii ipsius effigies habitu supplici ad vivum et affabre exsculpta visitur. *Addit auctor, desiderasse Oliverium Cardinalem multorum ibi Sanctorum reliquias collocare; sed mortem obstitisse, quo minus multa ibi corpora deponere potuerit; deposuisse tamem sub ara maxima corpus* S. Januarii.

Sacellum sive confessio magnifica in ecclesia metropolitana,

175 *Tutinus de eodem sacello fuse agit, et pag,* 110 *ait, constructionem fuisse absolutam anno* 1506, *ut etiam habet inscriptio ibidem posita, et relata apud Hieronymum a S. Anna lib.* 2 *cap.* 12. *Adjungit laudatus Tutinus, corpus* S. Januarii *ibidem magna cum solemnitate fuisse depositum anno* 1506, F
Dominica prima post Epiphaniam, quæ eo anno incidebat in diem XI *Januarii. De expensis in illud opus factis Tutinus etiam aliter loquitur, quam Caracciolus. Verum quidquid sit de summa expensa, certum est, opus esse sumptuosum, ut etiam Paulus Papa III testatur in Bulla, apud laudatum Hieronymum edita, qua omnia prædicta confirmantur, uti et corporis translatio ex Monte Virginis. Sacellum autem istud, quod voce ecclesiastica* confessio *dici posset, a Neapolitanis passim* subcorpus, *vulgo* succorpo *nominatur. Hujus vero nominis rationem allegat Caracciolus his verbis:* Quod Subcorpus dicta est hæc Oliveriana cappella, in causa fuit ipsa populi erga Januarium devotio, quasi quod corporis nomine non aliud, quam pretiosum Januarii corpus, fuerit intelligendum. *Delineationem aræ majoris, sub qua* S. Januarii *corpus quiescit, nobis a Neapolitanis submissam, lectorum oculis hic subjicio.*

in qua depositum S. Januarii corpus.

176 *De altero sacello* S. Januarii, *quod* Thesaurus *vocatur, quia in eo caput et sanguis* S. Januarii *cum multis aliis Sanctorum reliquiis conservantur, accuratius agam postea, ubi de spectantibus ad*

Sacellum thesauri, ex voto structum,



Scala palmorum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Neapolit.*

Mich. Foschini del. *Gaultier sculp.*

Delineatio Aræ majoris Hypogæi S. Januarii sub qua ejusdem M. corpus requiescit.

Parisiis, V. Palmé

A *ad caput et sanguinem Sancti disserere decrevi. Hic brevitur observo, hodiernum constructum esse ex voto, quod nuncuparunt Neapolitani, quando pestis, anno* 1526 *cœpta, sævire pergebat usque in annum* 1527. *Hoc igitur anno, die* XIII Januarii, *solemnem instituerunt supplicationem cum capite et sanguine* S. Januarii, *eique voverunt sacellum exstruere. De eventu Tutinus, cujus verba ex Italicis Latina facio, ita loquitur :* Cessavit pestis anno MDXXIX, et Sanctus gratiæ a Deo obtentæ indicium dedit, quia illo anno sanguis cum omnium lætitia liquefactus, quod factum non erat anno præcedente. *Sacellum tamen non fuit inchoatum ante annum* 1608, *ut accuratius exponam, ubi agetur de capite et sanguine Sancti.*

uti et antiquum thesauri sacellum. 177 *Interim anno* 1557 *antiquum Thesauri sacellum, in quo caput et sanguis* S. Januarii *cum aliis Sanctorum reliquiis servabatur, exornavit Maria, uxor Ferdinandi ducis Albani, qui regnum Neapolitanum pro rege Hispaniarum administrabat. Voverat hoc ipsa pro salute ducis conjugis, qui cum exercitu limites regni Neapolitani defendebat contra hostes, votumque explevit, ut habet inscriptio, quam sub tabula picta positam* B *ait Tutinus, et recitat pag.* 113 *hoc modo.*

D. O. M.

Dum Ferdinandus Toletus Alvæ dux Italiæ pro rege præsidet, Truentoque invicta virtute hostes regni Neapolitani finibus arcet; Maria Toleta ejus uxor divo Januario ædiculam hanc ex suo dicat, et voti compos ornat anno Salutis MDLVII. *De hoc sacello Caracciolus solum dicit;* Visitur hoc tempore ad lævam metropolitanæ ecclesiæ turrim Thesauri cappella, a Ferdinando duce Albano, prorege Neapolitano (*imo potius ab ejus conjuge, ut dictum est)* postea ornata in Sancti obsequium ob sibi collata beneficia. Qui et in patriam deinde rediens, ibi quoque ecclesiam huic sancto Præsuli dicavit. *Hactenus de ecclesiis et sacellis Neapolitanis. Nunc et viciniores breviter investigabimus, deinde et remotiores.*

§ XIII. Prosecutio ejusdem materiæ de ecclesiis et reliquiis S. Januarii et Sociorum martyrum.

C

Sacellum Sancti in colle Antiniano, *Caracciolus inter Neapolim et Puteolos ecclesiam parvam memorat his verbis :* In vicinia Antiniani collis ædiculam est videre, ipsi sancto Martyri dicatam, incertum, an quod ibi primum sanguinis e regione capitis appositi liquefactio sit observata, pia illa fæmina ejus collectrice eo loci ampullas adducente, advenientique episcopo caput Martyris gestandi occurrente. An vero quod Nola Puteolos delatus Januarius, ibi aliquantisper quieverit. *Geminam ædificati illius sacelli causam dubie auctor recenset. Prima sumitur ex traditione aliqua populari, quæ parum habet probabilitatis. Traditur tamen a Tutino cap.* 15 *pag.* 78, *aitque, ea de causa ibidem esse marmoreum* S. Januarii *caput. Verum nescio, quomodo ex marmoreo capite inferri possit, sanguinem ad capitis præsentiam ibi fuisse liquefactum. Et sane illud liquefactionis miraculum non videtur tam antiquum, ut credi possit, jam factum fuisse in prima corporis translatione. Qua de causa, etiamsi illud sacellum anno* 1707 *instauratum sit et magis exornatum, prolixaque tunc ibidem posita sit inscriptio, qua prima sanguinis ad oppositionem capitis liquefactio ibidem facta asseritur ; tamen Hieronymus a S. Anna lib.* 2 *cap.* 14 *isti traditioni parum fidei tribuere videtur, et minus etiam Sabbatinus ad* XIII *Aprilis, ubi eamdem recitat inscriptionem. Certe, qui translationem corporis descripsit, non videtur omissurus fuisse factum tam notabile, quale est miraculum liquescentis sanguinis, si tempore illius translationis contigisset. Altera ratio condendi sacelli allegata a Caracciolo æque est improbabilis, cum Christiani verisimiliter ne sciverint quidem, in quo loco* S. Januarius *quieverit quando Nola Puteolos trahebatur.*

179 *Si constaret, episcopum Neapolitanum cum clero suo in illo loco excepisse sacrum* S. Januarii *corpus ab iis, qui illud e Marciano eo usque deportarunt, ut asserit Tutinus, et ibidem usque ad adventum episcopi deposuerant, vel sola hac de causa sacellum exstructum crederem. Ea certe est opinio Chioccarelli, qui in Ms. Collectione de illa ædicula sic ratiocinatur :* In villa sive suburbio, quæ secundo ab urbe Neapolis lapide distat, est parva vetus ecclesia S. Januario dicata, in qua traditur miraculum sanguinis S. Januarii primitus gestum esse, cum e Puteolis Neapolim deferretur, E et e Neapoli ipsius caput in ejus occursum gestaretur. Nos vero credimus, inibi corpus S. Januarii, cum e Puteolis Neapolim transferretur, aliquantulum quievisse, ac fuisse depositum. *At, cum nesciam, quo fundamento nitatur illa assertio, malim causam conditi illius sacelli ignorare, quam hanc sine idoneo fundamento asserere. Sacellum illud vulgo vocatur* S. Gennarello al Vomero. *Apud Hieronymum a S. Anna lib.* 2 *cap.* 14 *recitatur inscriptio antiquior, non tamen satis vetusta, quæ insinuat aliam traditionem, nimirum conservari in dicto sacello lapidem, in quo caput* S. Januarii *fuit positum, quando Puteolis transferebatur Neapolim. Lapis ibidem in loculo parietis pie conservatur. Inscriptio vero sic habet :* D. O. M. Lapidem hunc vetustate collapsum, oblivione sepultum, inclyto Januarii sanctissimi cruento capiti, Puteolis Neapolim pie traducto, hic substentaculum tanti Patroni, de urbe Parthenope bene merentis, ne nimia suæ gloriæ tessera, debita veneratione fraudetur, ipsa gratitudinis haud immemor, ad ævum collabentis occurrit, in hac forma venerando reposuit anno a Salute MDXIII. *Inscriptio insinuat, uti et caput marmoreum ibidem positum, aliquando solum* S. Januarii *caput, sive ante sive post cor-* F *poris translationem, fuisse Puteolis Neapolim translatum, et in loco illius sacelli aliquantisper depositum. Hæc autem traditio nullum patitur incommodum, præsertim cum plane ignoremus, qua occasione caput a reliquo corpore fuerit separatum. Si enim consideremus, primam sepulturam* S. Januarii *fuisse in territorio Puteolano ; inter Puteolos autem et Neapolim non fuisse eo tempore tantam differentiam, quanta hodie cernitur ; facile suspicabimur, noluisse Puteolanos in corporis translationem consentire, nisi retinerent caput ; aut contra in capitis translationem prius consensisse, deinde vero et reliquum corpus Neapolitanis permisisse. Verum has solum esse conjecturas incertas, nec alias me dare posse defectu documentorum vetustorum, lubens agnosco.*

ubi servatur lapis, in quo caput positum fuisse creditur.

180 *Aliud* S. Januarii *sacellum laudati scriptores memorant extra portam Capuanam in via, quæ ducit Aversam. Illud apud Hieronymum a S. Anna cap.* 14 *exstructum dicitur* anno 1550. *Tutinus pag.* III *maluit dicere* circa 1550. *Caracciolus de eodem hæc scribit :* Altera nunc visitur capella

Aliud ejusdem Sancti sacellum.

AUCTORE J. S.

pella sub S. Januarii nomine, eodem teste *(Engenio)* in via, quæ ad Caput Clivi ducit, ab Alphonso Januario patritio Neapolitano ipsi dicata anno MDL. *Falconius pag.* 105 *fundationem ipsius sacelli refert ad annum* 1530, *sed sine ulla probatione, sicut nec priores scriptores suas probant epochas. Itaque annus hactenus manet incertus. Sacellum vulgo vocatur* S. Gennarello *diminutive.*

ecclesia Carmelitarum Excalceatorum reliquiis ejusdem ditata.

181 *De ecclesia* S. Januarii, *quæ anno* 1632 *ædificata fuit sumptibus Neapolitanorum, ita breviter habet Caracciolus*: Post vero ultimam Vesuvii eruptionem anni MDCXXXI liberatori Januario templum ædificatum est a Neapolitana civitate ad Vesuvii radices, sub cultu fratrum Carmelitarum Discalceatorum *Hieronymus a S. Anna de hac fundatione plura habet lib.* 2 *cap.* 21, *ubi etiam recitat verba primo lapidi insculpta. Ex hac autem inscriptione liquet, jactum fuisse primum lapidem anno* 1632 *per episcopum Puteolanum, Martinum de Leon et Cardenas, Ordinis Eremitarum S. Augustini. Subjungit auctor, multam a civitate Neapolitana subministratam fuisse pecuniam pro* B *constructione ecclesiæ et conventus*, qui, *inquit*, est unus e melioribus, quos habemus, *celebrique gaudet bibliotheca; et sacrario pretioso. Hoc, eodem teste lib.* 3 *cap.* 4, *etiam ditant* S. Januarii *reliquiæ tabernaculo argenteo reclusæ. Addit priori loco, Neapolitanos singulis annis ad illam venire ecclesiam ad gratias* S. Januario *agendas, offerendumque illi calicem argenteum. Situm illud monasterium circa pagos, qui* Massa *et* Pollena *ab Italis dicuntur, Tutinus dixerat; sed Hieronymus a S. Anna, qui haud dubie locum sæpe vidit, illud corrigit, docetque monasterium esse conditum in territorio Turris Græcæ, quod oppidum est inter Vesuvium et mare.*

Plura alia loca sacra.

182 *Verum, ne hæc ecclesiarum enumeratio nimium fiat prolixa, lubet reliquas brevissime tantum assignare ex Hieronymo a S. Anna, qui plures diligenter collegit, quamvis nonnullæ etiam postea Operi ejus adjunctæ sint. Apud laudatum auctorem lib.* 2 *cap.* 14 *assignatur sacellum* S. Januarii, *anno* 1716 *erectum, supra villam, quæ vulgo dicitur* Capo di Monte. *Altera ibidem intra Neapolim* in platea Montis Oliveti *constructa dicitur ecclesia,* C S. Januario *dicata, quæ primum fuit Congregationis* S. Januarii; *deinde vero data est* Conservatorio, *ut vocant*, puellarum S. Januarii, *ut prolixius explicat laudatus auctor. Aliud puellarum pauperum conservatorium, anno* 1710 *erectum prope portam Capuanam, similiter habet ecclesiam* S. Januario *sacram. Aliud rursum* S. Januarii *sacellum cap.* 21 *assignatur in agro prope vicum* Secondogliano, *illudque dicitur memoratum in Actis visitationis archiepiscopi Neapolitani anni* 1142. *Postea vero totum fere erat collapsum; sed restitutum dicitur sub initium seculi* XVII *cura nobilis Neapolitani. Deinde laudatus auctor pergit Aversam, quæ civitas est media fere via inter Neapolim et Capuam, docetque ibi anno* 1670 *fundatum esse insigne collegium monialium, quæ puellas educandas suscipiunt, earumque ecclesiam* S. Januario *fuisse dedicatam. Idem lib.* 3 *cap.* 4 *docet, in laudato collegio servari particulam ossis* S. Januarii, *pulchræ statuæ inclusam.*

in quorum nonnullis reliquiæ,

183 *Pluscula dicenda sunt de tribus ecclesiis, quas auctor subjungit in variis locis diœcesis Nolanæ, inter montem Vesuvium et Nolam sitis. Prima inchoata est anno* 1708, *perfectaque et consecrata anno* 1716, *in pago* Ottajano, *ubi illam* Ferdinandus Sanfelicius, patritius Neapolianus, *ut habet inscriptio, exstruendam in avito prædio curavit. Altera inscriptio docet omnia ad propositum* D *nostrum necessaria. Quare totam huc traduco*: D. O. M. Ferdinandus Sanfelicius patritius Neapolitanus a properato opere, ne ruris accolæ per festos dies sacris celebrandis destituerentur, ædem hanc beato Januario ad evertendas Vesuvianas conflagrationes dicatam, in avito prædio ab se delineatam exstruxit, ac picturis manu sua elaboratis ornavit. Agatha Ravascheria ex comitibus Lavaniæ, ejus conjux, viri sui virtutem æmulata, Sacro festis diebus faciendo perpetuam dotem addixit. Antonius Sanfelicius, episcopus Neritonensis, ut fraternæ pietati obsecundaret, primum ædificii lapidem jecit, et IV Kalendas Decembris MDCCXVI solemni ritu benedixit. *Nihil addendum est, nisi in dicta ecclesia haberi* S. Januarii *reliquias, quas laudatus episcopus Neritensis accepit a Benedicto XIII Papa, quando hic ante pontificatum erat archiepiscopus Beneventanus.*

in honorem S. Januarii constructa,

184 *In ejusdem pagi territorio altera eodem anno* 1716 *exstructa et* S. Januario *dicata est ecclesia, quam auctor multum laudat, ut pulchram et* E *eleganti supellectile ditatam. Inscriptio ibi posita hæc est*: Ædem hanc divo Januario sacram D. Franciscus Montella, protonotarius Apostolicus, et ecclesiæ cathedralis Neapolitanæ sacrista major, ut colonorum pietati consuleret, a fundamentis erexit, et perpetuo censu Sacris faciundis addicto ditavit anno Domini MDCCXVI. *Videtur auctor dicere, in illa quoque ecclesia esse reliquias* S. Januarii, *licet loquatur eo modo, ut æque intelligi possit de reliquiis S. Francisci Paulani. In eadem diœcesi Nolana est Palma, pagus titulo ducatus insignitus, in cujus territorio vetustior est* S. Januarii *ecclesia cum monasterio Franciscanorum Observantium, apud Tutinum pag.* 113. *Fuit ibi antea exiguum Sancti sacellum cum habitatione unius eremitæ. Verum anno* 1614, *inquit auctor, ædificari cœpit ecclesia cum monasterio ad usum Franciscanorum, quibus eam ecclesiam cum monasterio donavit Scipio Pigniatellus Lauri marchio. Hisce mox adjungit auctor aliam ædiculam sacram, in diœcesi Campaniensi non diu ante constructam in honorem* S. Januarii; *sed annum fundationis non exprimit. Tum fuse auctor ex duobus historiographis Ordinis Montis Virginis assignat* F *monasterium ejusdem Ordinis*, S. Januario *dicatum, quod jam a seculo* XIV *in territorio Montis Virginis exstitisse dicitur, eoque translatum fuisse ex alio loco non longe a Benevento, ubi a seculo* XII *donatum fuerat S. Guilielmo Ordinis fundatori. Addit, aliam* S. Januarii *ecclesiam eidem Ordini anno* 1209 *donatam fuisse* in tenimentis Senerchiæ, *qui pagus est principatus Citerioris ut affirmat auctor.*

præsertim Benevenli,

185 *Multa quoque loca* S. Januario *sacra habuit Beneventum, ad quæ modo pergit dictus auctor. Ego vero sequar brevi compendio ob rationes jam dictas. De basilica, quam Gualterius Tarentinus archiepiscopus Beneventi* SS. Januario, Festo et Desiderio *fundavit, jam memini num.* 143. *At illa bellis et terræ motibus ita est destructa, ut vix supersint vestigia, fatente Vipera in Sanctis Beneventanis pag.* 70. *De alia* S. Januarii *ecclesia Beneventi ita scribit Vipera*: Habet S. Januarius Beneventi templum ei erectum, olim parochiale, sed temporum injuria quasi collapsum. *Addit de tertia*: Habet et aliud templum extra civitatem, ex quo tota illa regio denominatur. *His relatis, ostendit Hieronymus a S. Anna, fuisse seculo* XII *Beneventi ecclesiam aliquam* S. Januarii, *cognomine* de Græcis *dictam, quam suspicatur omnium vetustissimam, quia Beneventum a seculo* VI *fuit sub*

AUCTORE J. S.

A sub Longobardis. Verum ex diplomatis Pontificum, quæ allegat, recte quidem colligitur, seculo XII illam ecclesiam ibi fuisse. Ex iis tamen probari nequit, eamdem non esse, quam fere collapsam vidimus, aut sub Græcorum dominio fuisse extructam : potest enim sub Longobardorum principatu, aut etiam sub Pontificis summi dominio, talis ecclesia Græcis incolis concessa fuisse. Pergit laudatus Hieronymus ad aliam, ut putat, ecclesiam Beneventi parœcialem, cujus cognomen erat de Neophytis, quemadmodum vocatur in instrumento anni 1501 ; sed quomodo ostendemus, parœciam S. Januarii de Neophytis non fuisse eamdem cum illa, quam Vipera fere collapsam asserebat? Deinde Hieronymus enumerat quatuor aut quinque sacella, in variis Beneventi ecclesiis S. Januario aut simul SS. Januario, Festo et Desiderio dicata, de quibus plura apud ipsum videri possunt

ubi et nonnullæ Sancti reliquiæ in cathedrali

185 Unum ex illis erat in ecclesia metropolitana, quod anno 1688 terræ motu collapsum, sed postea, instauratum, dicatumque fuit sanctissimæ Virgini Matri dolorosæ, S. Januario, aliisque B Beneventi patronis. Porro, sicut mirari non possumus, multas ædes Beneventi sacras fuisse S. Januario, utpote episcopo Beneventano et patrono, ita mirum videri non debet, si multas sacrorum ossium ejus particulas inveniamus in ea urbe, in qua corpus ipsius aliquot seculis requievit. Marius de Vipera in Chronologia episcoporum pag. 14 de reliquiis S. Januarii generatim hæc scribit : Reliquiarum Episcopi, civis, et martyris nostri gloriosi hodie pars aliqua Beneventi in principe templo servatur, sicuti corpus Neapoli una cum capite et sanguine conditur. Rursum in Sanctis Beneventanis pag. 70 ita loquitur : Hodie ipsorum Sanctorum (Januarii, Festi et Desiderii) corpora divisa servantur, scilicet aliquæ reliquiæ corporis S. Januarii sub altare majori, quod ibi in marmore inscriptio ditat, sicut major pars Neapoli cum capite et sanguine. Laudatus frequenter Caracciolus cap. 20 sect. 16 utcumque se hisce opponit, ita scribens : Beneventani quoque gloriantur, multa se habere S. Januarii patroni lipsana in archiepiscopali templo. Sed forte falluntur, eaque non sunt Januarii nostri, sed unius ex Adrumetinis fratribus, quorum C corpora Arechis dux e Lucania Beneventum transferenda curavit. Fuit revera aliquis Januarius inter Martyres illos duodecim, de quibus egimus ad 1 Septembris, ubi ipsorum translatio Beneventum relata est et elucidata. Malim tamen cum Hieronymo a S. Anna lib. 3 cap. 4 credere, reliquias illas, de quibus Vipera loquitur, revera esse S. Januarii hodierni, quam alterius, quia verisimile non est, corpus ipsius tribus aut quatuor seculis Beneventi fuisse servatum, et anno 1129 ad novam ecclesiam translatum, nec tamen ullas reliquias metropolitanæ ecclesiæ fuisse communicatas. At merito dubitari potest, an illæ omnes, quæ tempore Viperæ erant sub altari majori, etiamnum eodem loco servantur, et an illæ, quas aliis locis assignat laudatus Hieronymus, non sint partes earum, quas Vipera suo tempore sub altari servatas asserit.

et in aliis ecclesiis servantur.

186 Enumerationem Hieronymi, qui eam accepit a Joanne Nicastrio, tunc archidiacono Beneventano, et postea episcopo Claudiopolitano, breviter huc transferam. Quos anno 1608 sancti Januarii episcopi Beneventani martyris cum multis aliis reliquias Pompeius Cardinalis Aragonius archiepiscopus Beneventanus, ex variis ecclesiæ locis sub ara maxima collectas deposuerat, instaurata et ornata pretioso marmore ara, rursum ibidem deposuit anno 1687 Cardinalis Ursinus, tunc archiepiscopus Beneventanus et postea summus Pontifex Benedictus XIII, ut habet inscriptio ab auctore recitata. Ex illis non sunt desumptæ duæ particulæ, quas habet eadem ecclesia. Prima, quæ magnitudinis unius digiti circiter dicitur, anno 1688 per laudatum Cardinalem Ursinum statuæ argenteæ fuit imposita. Hanc acceperat in monasterio Montis Virginis, dum illud ut legatus Apostolicus visitabat. Ex quo colligimus, aliquas S. Januarii reliquias in Monte Virginis relictas fuisse, dum corpus Neapolim fuit translatum. Alia eidem statuæ per Cardinalem inclusa est ossis S. Januarii particula, quæ cum aliis reliquiis fuerat inventa sub altari ecclesiæ parochialis S. Petri de Trasseris ejusdem civitatis. Tertia particula assignatur in eadem ecclesia, inclusa brachio argenteo, quo cum aliis ornatur altare majus in festis præcipuis. Ejusdem Sancti Reliquiæ Beneventi habentur in ecclesia parochiali S. Andreæ, et in ecclesia Societatis Jesu. In ecclesia vero monasterii S. Sophiæ Canonicorum Regularium S. Salvatoris asservantur S. Januarii reliquiæ cum reliquiis SS. Festi et Desiderii mixtæ, ut habet auctor, cujus asserta fideli compendio E dare volui.

Aliæ Sancti ecclesiæ in diœcesi Beneventana,

187 Ubi laudatus Hieronymus lib. 2 cap. 21 enumeravit ædes sacras civitatis Beneventanæ, transit ad alias, quæ in ejusdem diœcesi conspiciuntur. Sequar diligentem auctorem, sed breviter. In amplo pago aut oppido Cervinara habetur ecclesia S. Januarii, quam aliqui ex traditione, non magni facienda, conditam volunt non diu post martyrium S. Januarii : quod difficulter crediderim. Hoc certum est, egregie instauratam fuisse, et anno 1687 a laudato Cardinali Ursino S. Januario rursum consecratam. Alia S. Januarii ecclesia seculo XII erat in Murcone, diœcesis Beneventanæ pago, ut liquet ex diplomate anni 1112, quo data fuit monasterio Montis Casini. Alia rursum diœcesis Beneventanæ ecclesia post eruptiones Vesuvii anni 1631 ædificata fuerat in pago, qui vulgo vocatur Pietra di Fusi : sed terræ motu deinde eversa est. Rursum tamen hoc seculo fuit instaurata, et anno 1706 consecrata a Cardinali Ursino in honorem Sanctissimæ Virginis Mariæ, S. Januarii, et aliorum quorumdam Sanctorum.

et in variis provinciis

188 Hinc auctor progreditur ad alias Italiæ partes, ad quas et ego sequor. Ostendit autem, seculo XI fuisse aliquam ecclesiam S. Januarii in Aprutio juxta Piscariam, quæ spectabat ad monasterium Benedictinum S. Joannis in Venere. Alteram ecclesiam S. Januarii possidebat eadem abbatia seculo XII in Apulia. Mox alia memoratur ecclesia, quæ olim fuit in Aprutio, et alia anno 1698 exstructa in eodem regno Neapolitano, sed nulla exprimitur provincia, pagus tamen, in quo est exprimitur vulgari nomine S. Angelo a Fasanella. Hæc multum laudatur, quia accolæ pulverem a parietibus abradere solent, illumque cum aqua bibere, et sic malis febribus liberari dicuntur. Tum subjungitur sacellum sive altare S. Januario dicatum in nova ecclesia civitatis Neritensis, consecrata anno 1710 ab Antonio Sanfelicio, Neritensi episcopo ante laudato, qui et reliquias S. Januarii eo transtulit, sicut eas procuravit alteri ecclesiæ, de qua num. 183. Aliud sacellum S. Januarii assignatur in ecclesia metropolitica Salernitana; aliud rursum in oppido, quod Turris Græca dicitur inter Neapolim et Salernum in ecclesia parochiali, ubi et reliquias haberi testatur lib. 2 cap. 4: aliud

AUCTORE J. S.

aliud demum in ecclesia Carthusianorum S. Laurentii cum reliquiis S. Januarii, statuæ dimidiatæ ex argento inclusis, quas dedit Cardinalis Ursinus, ut adjungit lib. 3 cap. 4, ubi etiam affirmat, periculosum cessasse morbum, dum hæ reliquiæ a supplicantibus erant circumlatæ.

Italiæ et Germaniæ:

189 Laudatus Hieronymus cap. 22 conatur assignare nonnullas S. Januarii ecclesias extra regnum Neapolitanum, orditurque ab ea, quæ Romæ erat in suburbio juxta portam S. Laurentii, ut habet S. Gregorius lib. 4 Dialogorum cap. 74. Eamdem fuisse S. Januarii ecclesiam, cujus tectum Adrianus Papa I refecit, recte observat. Verum ignorare non debebat, Caracciolum sect. 22 varia afferre argumenta, quibus ostendere nititur, illam ecclesiam videri potius dicatam alicui Januario Romano martyri, quam Patrono Neapolitanorum, Certe plures sunt Romæ, et in ejus vicinia, Januarii martyres, nec ullam habemus indicium, quo hodierni potius videatur fuisse illa ecclesia, quam alterius Januarii, ut res saltem sit dubia. Deinde auctor memorat pagum in territorio Lucensi, S. Januarii dictum, cum ecclesia eidem Sancto dicata, eaque admodum vetusta. At rursum dubitari hic potest, an non sit alius Januarius, a quo pagus ille olim nomen accepit, et cui ecclesia illius primum fuit dedicata. Hisce addit auctor a Ferdinando duce Albano ecclesiam S. Januario constructam fuisse, ut habet Caracciolus, cujus verba dedi num. 177; sed neuter explicat, qua in urbe fuerit edificata illa ecclesia: et demum sacellum sive altare S. Januarii assignat Romæ in ecclesia sancti Spiritus nationis Neapolitanæ, in qua et reliquias S. Januarii fidelium venerationi solitas exponi testatur lib. 3 cap. 4, ubi ait, illi ecclesiæ datas esse a Cardinali Cantelmo, qui Neapolitanæ præfuit ecclesiæ ab anno 1691 usque ad 1702. Hactenus auctor de locis extra regnum Neapolitanum Sancto sacris, quibus addi possunt sacellum olim in Augia divite, abbatia Sueviæ S. Januario extructum, pro quo destructo eidem ara in monastica ecclesia fuit sacrata; quodque S. Januario numeretur inter patronos, quibus dicata est celeberrima abbatia Rhinoviensis in Helvetia. De his, ac de reliquiis in utraque abbatia servatis, consuli possunt dicta § 9.

Sacella in locis supplicii Nolæ et Puteolis

190 In secunda editione Operis Hieronymi a S. Anna, cui non pauca sunt adjuncta, partim ab ipso auctore, partim ab alio, qui Opus recudendum curavit, lib. 2 cap. 23 recensentur alia quædam sacella sive altaria, quæ in variis ecclesiis Neapolitano S. Januario fuerunt dicata. Verum cum illorum numerus quotannis crescere possit, et haud dubie crescat, iis minutim recensendis non immorabor. Nonnulla tamen breviter dicenda sunt de locis, quæ S. Januarius pœnis suis sanctificasse creditur. Andreas Ferrarius in Cœmeterio Nolano Italice scripto pag. 102 docet, locum carceris et fornacis, cui Nolæ injectus fuisse creditur S. Januarius, et in quo olim sacellum dicitur fuisse constructum, teste Hieronymo a S. Anna lib. 1 cap. 5, fuisse instauratum, posita hac inscriptione: Ædiculam videns hanc, viator, venerare. Hic est ille carcer, quem B. Januarius decoravit. Hæc est illa fornax, quæ eumdem citra noxam accepit, vegetioremque emisit. Utrumque locum orbi universo celebrem inter præcipuas urbis Nolæ reliquias, temporis injuria deformatum, ob repressum iterum hoc anno MDCXXXI Vesuvii sævientis furorem, Joanne Baptista Lancelotto pontifice, capitulum Nolanum restituit. De incendio illo Vesuvii actum est num 160. Tandem etiam anno 1669 sacello honoratus est carcer Puteolanus, quo sancti Martyres fuerunt detenti; similiterque decoratum amphitheatrum, in quo fuerunt feris expositi. Inscriptionem prolixam magis, quam claram, quæ tunc posita est, recitat laudatus Hieronymus. Ex ea partem huc transfero: Fr. Dominicus Maria Marchesius, Ordinis prædicatorum Puteolanus antistes, carcerem pervetustum beatorum martyrum Januarii, Proculi et Sociorum, antiquitate clausum devotioni aperuit etc.

Reliquiæ S. Januarii variis locis Neapoli, et in aliis

191 Restat modo, ut recenseamus reliquias S. Januarii, variis locis servatas, et necdum a nobis memoratas. Quæ præter jam dictas Neapoli servantur, apud Hieronymum lib. 3 cap 4 enumerantur hoc ordine. Collegio Neapolitano Societatis Jesu attribuit dentem molarem; domui professæ ejusdem Societatis alias nonnullas S. Januarii reliquias; alias ecclesiæ SS. Apostolorum Ordinis Clericorum Regularium; alias ecclesiæ Nativitatis Sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ est Congregationis Oratorii. In ecclesia vero monialium Benedictinarum S. Mariæ de Alvino dicit haberi modicum sanguinis S. Januarii. In monasterio majori Annuntiationis beatissimæ Virginis testatur conservari duas ossis particulas magnitudinis ovi columbini, quas se vidisse dicit, quia statua dimidiata, cui includuntur, erat renovanda. Affert deinde argumentum, quo probat, Sancti reliquias verisimiliter olim etiam fuisse in aliqua ecclesia castri Neapolitani, quod ab ovo nomen habet. Tum adjicit aliqua de nervis S. Januarii, sepulcro Cavensis aræ olim inclusis. Cum autem plures non assignat Neapoli, ad alias transibimus regni partes. In monte Virginis particula cranii servatur argenteo capiti imposita. Brundusii item S. Januarii reliquiæ habentur in æde metropolitana. Rursum in Turre Græca oppido jam memorato, dicit particulam S. Januarii esse in ecclesia Capucinorum. In oppido principatus Citerioris mari adjacente, quod Caracciolus Castrum maris ad Stabias vocat, vulgo Castello a Mare, dicitur conservari pars costæ in monasterio monialium Ordinis S. Francisci. De his reliquiis etiam Caracciolus hæc scribit: In monasterio monialium sancti Bartholomæi in civitate Castri maris ad Stabias os e costa hujus Martyris summa veneratione asservatur, et devote in publicis necessitatibus per urbem circumfertur. Plures in regno Neapolitano memoratas non invenio.

quoque civitatibus et provinciis.

192 Præter particulam Romæ jam memoratam alteram ecclesiæ S. Silvestri attribuit Hieronymus, consentiente Piazza in Hemerologio sacro ad XIX Septembris. Dubitat quidem Caracciolus, an illa sint S. Januarii hodierni; sed cum Piazza asserat, festum celebrari XIX Septembris in S. Silvestri ecclesia in Campo Martio, quæ alias cognomen habet de Capite, satis ostendit, illas haberi a Romanis pro reliquiis S. Januarii episcopi Beneventani et martyris. In altari Sanctæ Crucis abbatiæ Windergensis Ordinis Præmonstratensis, et diœcesis Ratisbonensis in Bavaria, cum multæ aliorum Sanctorum, tum S. Januarii episcopi et martyris, reliquiæ positæ leguntur apud Canisium tom. 6 Antiquarum lectionum, ut observant laudati Caracciolus et Hieronymus qui verisimili ratione credunt, esse Januarii hodierni, sed nomen abbatiæ misere luxarunt. Narrat denique Hieronymus a S. Anna quo modo reliquiæ S. Januarii Pragam pervenerint. Comes Martinitz anno 1707 pro Carolo rege, post imperatore VI, regnum Neapolitanum administrare cœpit; sed post administrationem non diuturnam reversus est in Germaniam, concepta tamen magna de S. Januario fiducia. Declaravit igitur duci Gravinæ,

AUCTORE J. S.

A *vinæ, multum se desiderare* S. Januarii *reliquias, quas dux ille, acceptas a Cardinali Ursino, Pragam ad comitem transmisit, ut liquet ex gemina laudati comitis epistola, qua duci Gravinæ de iis acceptis gratias agit, declaratque, eas, probante archiepiscopo Pragensi publicæ venerationi fuisse expositas in ecclesia metropolitana. Hactenus Neapolitani scriptores, apud quos plura de servatis alibi reliquiis* S. Januarii *non invenio. Addam modo ea, quæ ex variis scriptoribus dicenda occurrent.*

§ XIV. Prosecutio de S. Januarii et Sociorum reliquiis, ecclesiis etc.

Pragenses reliquias ab Augiensibus acceptas credunt S. Januarii:

Pragenses longe ante acceptas S. Januarii *reliquias, modo relatas, crediderunt, non modicam* S. Januarii *et Sociorum reliquiarum partem apud se conservari. Etenim Thomas Joannes Pessina in Phosphoro ecclesiæ Pragensis, cujus fuit decanus, pag.* 518 *recensens reliquias Pragenses*
B XIX *Septembris ita habet :* S. Januarii martyris, episcopi Beneventani, et duorum Sociorum martyrum medietas corporum, obtenta a Carolo in monasterio Augiæ Majoris Ordinis S. Benedicti MCCCLIII. *Laudatus scriptor pag.* 433 *recitat litteras Caroli IV, regis Romanorum et Bohemiæ, postea imperatoris coronati, quibus ipse enumerat reliquias, quas in variis Sueviæ et Helvetiæ locis anno* 1353 *acceperat. Inter illas vero, quas in abbatia Augiensi obtinuerat, has numerat :* Item medietatem corporis B. Januarii martyris, Beneventani episcopi et duorum Sociorum ipsius. *Data est illa Caroli regis Epistola* Moguntiæ, anno MCCCLIV, Indictione septima, IV Nonas Januarii : *et inferius ita subscripta :* Hæc ad majus testimonium ego Carolus quartus Romanorum augustus rex, et Boëmorum rex, manu mea subscripsi ad perpetuam memoriam. *Hæc nullum relinquunt dubium, quin Carolus IV acceperit partem bene magnam illarum reliquiarum, de quibus seculo* IX *ad abbatiam Augiæ divitis delatis disserui* § 9. *Verum ut ibidem observavi, corpus* S. Januarii *tunc erat Beneventi cum corporibus* SS. Festi et Desiderii ; *totaque Augiensium relatio insinuat, non Beneventi, sed* in
C ecclesia *aliqua* ab accolis deserta, *reliquias illas fuisse inventas. Difficulter igitur credi potest, ipsius* S. Januarii *esse reliquias, præsertim cum constet, corpora* SS. Januarii, Festi et Desiderii *usque ad annum saltem* 1129 *mansisse Beneventi, et ad novam ecclesiam tunc fuisse translata, ut dictum est num.* 143.

sed illæ magis videntur esse Proculi, Eutychetis et Acutii.

194 *Quorum ergo Sanctorum reliquias illas fuisse dicemus? Jam dixi* § 9 *de Augiensibus, et iterum dicam candide, quod mihi verisimillimum apparet. In Epistola Caroli trium solum Martyrum reliquiæ commemorantur. Tres autem ex Sociis* S. Januarii, *nimirum* Proculus, Eutyches *et* Acutius, *simul quieverunt Puteolis. Duorum tamen posteriorum,* Eutychetis *nimirum et* Acutii, *corpora circa annum* 770 *Neapolim dicuntur translata, ut exposui num* 131. *Verum, ut jam monui, non videntur omnia illorum ossa Neapolim delata, cum deinde eorumdem corpora a Germanis fuerint inventa cum corpore* S. Proculi. *Etsi enim Joannes Diaconus, qui primus meminit de reliquiis* SS. Eutychetis *et* Acutii *servatis Neapoli, corpora vocet; ex illo loquendi modo inferre non possumus, vel mediam partem illorum corporum Neapolim pervenisse. Itaque verisimillimum fit, magnam* Eutychetis *et* Acutii *partem cum* S. Proculi *corpore in Germaniam clanculum fuisse translatum ; non item corpus* S. Januarii *quod tunc Beneventi erat cum corporibus* SS. Festi et Desiderii. *Verum necesse non est iterum probare, quæ videri possunt* § 9 *abunde probata. Sufficiat itaque dixisse, reliquias illas primum delatas ad abbatiam Augiensem in Suevia, ibique partem illarum acceptam a Carolo IV, missamque Pragam*

Aliæ nonnullæ S. Januarii reliquiæ.

195 *De* S. Januarii *reliquiis non nisi pauca occurrunt addenda, nempe eas attribui ecclesiæ S. Stephani Bononiæ, apud Masinum in Bononia perlustrata pag.*458, *ad* XIX *Septembris. Papebrochius noster in Itinere Romano Ms. pag.* 108 *ait, se Monachii in sacrario Societatis Jesu vidisse* S. Januarii reliquias in artificiosissima veteris operis capsa. *Non addit tamen, utrum hodierni sint, an alterius. Sic in Vita S. Guilielmi abbatis Divionensis, ad primum Januarii diem data, num.*7 *mentio fit de reliquiis in Luciacensi cœnobio servatis, dum dicitur :* In quo etiam veneranda habentur ossa beati martyris Januarii. *At rursum non adjungitur, sintne reliquiæ* S. Januarii *episcopi Beneventani, an martyris cujusdam cognominis. Non dubito, quin et aliæ plures ecclesiæ, imo et personæ privatæ, credant se nonnihil de reliquiis* E
S. Januarii *possidere ; sed omnes particulas assignare non est diligentiæ humanæ.*

Corpus S. Sosii Neapoli in ecclesia Ordinis Benedictini :

196 *Transeamus ad* S. Sosium, *cujus corpus circa annum* 910 *Miseno Neapolim fuit translatum, ut dictum est num* 138. *Ex Historia translationis edenda liquet, augustum ei templum fuisse Miseni, quod una cum ipsa civitate eversum est circa medium seculi* IX, *stante tamen parte aliqua in qua circa annum* 910 *corpus Sancti inventum est. Condita fuerat illa ecclesia eodem verisimiliter tempore, quo ecclesia* S. Januarii extra mœnia, *sive ante primam corporum translationem. Circa medium seculi* VII *sedebat Calvus episcopus Neapolitanus, de quo Joannes diaconus in Chronico hæc scribit :* Hic inter cetera bonitatis studia S. Sosii non longe ab urbe *(Neapolitana)* oratorium instituit, sic in sublime erectum, ut universa quæ in circuitu posita sunt, conspicere possit. *Plura de illo oratorio non invenio. Corpus Sancti quando Neapolim translatum est, ibidem fuit depositum* in altario ecclesiæ, sancti prius Severini vocabulo dedicatæ, *quæ erat, et etiamnum est, monachorum Ordinis S. Benedicti. At ecclesia illa cum adjuncto* F
oratorio deinde dicta fuit, SS. Severini *et* Sosii. *Epitaphium utrique positum dat Ughellus tom.* 6 *Italiæ sacræ in Archiepiscopis Neapolitanis, qui tunc erat Stephanus III, sed mendose ibi est editum. Datum est a Majoribus nostris in S. Severino tom.* 1 *Januarii pag.* 498 *hoc modo :*

Hic duo sancta simul divinaque corpora patres
Sosius unanimes et Severinus habent.

Altera inscriptio de servatis sub altari majori istis corporibus ibidem videri potest. Chioccarellus in Catalogo antistitum Neapolitanorum pag. 106 *affirmat,* S. Sosii *corpus in eadem ecclesia usque ad sua tempora servatum fuisse. Hieronymus a S. Anna lib.*1 *cap.*12 *idem testatur, usque ad tempora nostra, additque ecclesiam illam esse unam ex præcipuis Neapolitanis ibique a Benedictinis Casinensibus festivitatem* S. Sosii *magna cum solemnitate et splendore celebrari die* XXIII *mensis Septembris.*

videtur etiam Capuæ cultus fuisse et Romæ.

197 *Memoria* S. Sosii *videtur etiam pretiosa fuisse in ecclesia Capuana, ut jam observavit laudatus Caracciolus sect.* 6 *ita scribens :* In vetusto camerato abside ecclesiæ S. Prisci via Aquaria, Capuanæ diœcesis, visitur ex musivo opere imago mul-

torum

AUCTORE J. S.

torum Sanctorum, in queis est S. Sosius. *Michaël Monachus, qui in Sanctuario Capuano musivum illud exhibet, pag.* 133 *observat,* S. Sosium *ut juvenem ibi repræsentari, meritoque existimat, non alium esse* Sosium, *quam diaconum nostrum Misenatem. Et* Sosius *quidem, ut alii plures, bis ibi exhibetur, semel solus ex septem hodiernis Martyribus, iterum in inferiori circulo cum tribus aliis ex nostris hoc modo* : S. Festus. S. Desiderius. S. Eutices. S. Sosius. *Ex hisce autem verisimile est, Sanctum prioribus post martyrium seculis in ecclesia Capuana fuisse cultum. Romæ quoque cultum fuisse* S. Sosium, *colligitur ex Anastasio Bibliothecario, qui inter opera S. Symmachi Papæ numerat* oratorium S. Sosii ex argento in confessione. *De hoc oratorio Onuphrius Panvinius in Opusculo de Septem Urbis ecclesiis meminit pag.* 47, *ubi describit basilicam Vaticanam, dicens* : A sinistro vero latere *(basilicæ Vaticanæ)* delubra fuere S. Sosii, S. Apollinaris, et sanctæ Crucis a Symmacho Papa, S. Luciæ a S. Gregorio condita. *Piazza in Hemerologio ad* XXIII *Septembris ex oratorio illo* S. Sosii *suspicatur, ejusdem sancti reliquias olim Romæ fuisse. De* S. Sosio, *inquit Caracciolus,* extabat olim peculiaris Missa, Oliverii
B Cardinalis Carafæ, archiepiscopi Neapolitani, jussu edita.

Loca SS. Festo et Desiderio

198 *Ecclesias sibi dicatas habuerunt etiam Sancti duo martyres,* Festus *diaconus, et* Desiderius *lector, patria Beneventani, quos conjungam, quia multa habent communia. Primum exigua ipsis exstructa est ædicula inter Puteolos et Beneventum in loco, ubi ipsorum corpora quieverunt. In Appendice ad Acta prima dicitur de illo loco;* Ubi modo cubiculum velut oratorium est, in via, quæ *(a loco martyrii)* ducit Beneventum in quo loco usque in hodiernum diem dicitur, quia Sanctorum corpora ibi repausaverunt. *Ex iis verbis aperte intelligimus, oratorium aut sacellum aliquod fuisse exstructum in loco, ubi vel ad breve vel ad longius tempus* SS. Festi *et* Desiderii *corpora fuerant deposita. Si autem auctori illius Appendicis, qui diu post scripsit, fidem habeamus; brevissimo solum tempore ibi fuerunt abscondita At ea relatio mihi fabulæ similior videtur, quam veræ historiæ. Quapropter magis credo, primam* SS. Festi *et* Desiderii *sepulturam fuisse in loco, ubi illud oratorium exstitit. Post hanc ædiculam, translatis corporibus ecclesia* SS. Festo et Desiderio *per Cyphium senatorem exstructa est prope Beneventum, in eaque sacra ipsorum corpora manserunt deposita, donec*
C *apud* S. Januarii *corpus, quando hoc a Sicone Beneventum fuit delatum, intra civitatem fuerint collocata. De quo fidem facit Historia translationis inferius edenda, Marius de Vipera in Chronologia pag.* 13 *de ecclesia illa suburbana* SS. Festi et Desiderii *hæc scribit* : Et fuit primum templum in Sanctorum honorem Beneventi erectum. Locus, ubi fuit ædificatum, pro certo non habetur : sed ex majorum traditione prope ripam fluminis, qui Serretella vocatur, fuisse fertur. *Ex illa loci ignorantia abunde liquet, illam ecclesiam dudum fuisse destructam.*

olim dicata :

199 *Ecclesia vero illa, in quam Siconis tempore illata sunt* SS. Januarii, Festi *et* Desiderii *corpora, licet ipsis ab initio exstructa non fuerit, verisimiliter tamen ipsorum nomen diu gessit, et ecclesia, ad quam anno* 1129 *translati fuerunt, eisdem ab initio exstructa fuit et dedicata, ut jam dictum est. Joannes Diaconus in Chronico Neapolitano in Stephano II refert, Stephanum exstruxisse monasterium monialium in honorem* S. Festi. *De hoc monasterio Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag.* 72, *agens de Stephano II, sic habet* Is intra D
Neapolitanæ urbis mœnia tria construxit monasteria, in quibus regulares virgines sub abbatissæ disciplina collocavit, prædiis amplisque redditibus, ex quibus alerentur, donatis. Sunt autem hæc, sancti Festi martyris cœnobium, quod patrum nostrorum diebus dirutum scimus, et sancti Marcellini monialium monasterio unitum *etc. Ughellus tom.* 6 *Italiæ sacræ episcopatum Stephani II extendit ab anno* 764 *usque ad annum* 797, *dictamque fundationem etiam memorat. Hæc itaque facta est vergente ad finem seculo* VII, *dum corpus* S. Januarii *erat in ecclesia suburbana prope Neapolim.*

corum reliquiæ. Beneventi coluntur ut patroni.

200 *De reliquiis* SS. Festi *et* Desiderii *in Sanctis Beneventanis ad* XXIII *Octobris vipera brevissime loquitur hoc modo* : Corpora SS. Festi et Desiderii partim et Beneventi, partim in monasterio sanctæ Mariæ Montis Virgiliaci. *At Verisimile est, longe majorem partem in Monte Virginis, qui olim* Mons Virgilii *dictus fuit, conservari, quam Beneventi, quia corpora eo fuerunt translata. Coluntur tamen Beneventi una cum* S. Januario *ad* XIX *Septembris ut patroni. Ad hunc diem enim laudatus scriptor hæc de cultu memorat :* Beneventani sanctos Januarium, Festum et Desiderium in patro- E
nos sibi delegunt, summaque celebritate colunt, in eorum festivitate a servili opere cessantes, uti urbis suæ patronorum. Extat Officium in ipsorum Sanctorum festivitatibus, quo ecclesia Beneventana ante Breviarii correctionem utebatur, ubi eorum Acta fuse habentur. *Ex illo solum recito unicam Antiphonam, quæ talis est :* O quam innumeris Beneventum fulget miraculis de Januario, Festo et Desiderio, suæ sedis ornatæ * martyribus, ut pios semper colat Patronos, quos habuit pastores. *Falconius pag.* 495 *affirmat, Neapoli in ecclesia S. Mariæ de Sapientia, et S. Pauli Majoris haberi aliquid reliquiarum* S. Festi; *brachiumque et maxillam* S. Desiderii *translata fuisse Neapolim in ecclesiam Guilielmitarum Montis Virginis.*

* forte ornatum

Proculus Puteolis patronus, ubi cathedralis ipsi dicata.

201 *Restant aliqua dicenda de ecclesiis et reliquiis trium Sanctorum Puteolanorum,* Proculi, Eutychetis *et* Acutii, *qui tempore primæ translationis depositi fuerunt in prætorio Falcidii. Dubitare vix possumus, quin ipsis ibi exstructa fuerit ecclesia additumque monasterium. Certe S. Gregorius Magnus lib.* 10 *Epist.* 61 *novissimæ editionis (olim* 39*) memorat* monasterium Puteolis constitutum, quod Falcidis dicitur; *quodque ipsius tempore erat fere derelictum. Nam ea de causa illud in perpetuum subjicit Adeodato abbati Neapolitano. Itaque* F
verisimillimum est, hoc monasterium tempore illo dicatum fuisse SS. Proculo, Eutycheti et Acutio, *sicut omnes ipsorum Socii aliquam sibi sacram habebant ecclesiam. Fortasse et in illo monasterio inventa fuere ossa, quæ in Germaniam translata diximus* § 9, *et iterum num.* 193. *Attamen non omnia horum Martyrum ossa in Germaniam avecta sunt : nisi fortasse nihil de* S. Proculo *retinuerint Puteolani. Aliqui scriptores dicunt, ossa* S. Proculi *esse Puteolis in ecclesia cathedrali, quæ eidem ut patrono dicata est, ut dictum est num.* 133 : *sed vaga assertione fidem non faciunt. Observo etiam de ecclesia cathedrali Puteolana, eam anno* 1634 *fuisse instauratam ab episcopo Puteolano, Martino de Leon et Cardenas; majusque altare tunc consecratum fuisse* in honorem sanctorum martyrum Proculi diaconi *et* Januarii episcopi tutelarium, et reliquias sanctorum martyrum Januarii, Festi, Sosii, Desiderii, sociorum ejus *etc. dicto altari fuisse inclusas, ut habet prolixa inscriptio apud Ughellum editionis Venetæ tom.* 6 *col.* 269. *Hæc autem inscriptio nihil habet*

A *habet de inclusis eidem altari* S. Proculi *reliquiis. Falconius pag.* 512 *asserit, aliquid de reliquiis* S. Proculi *esse Neapoli in ecclesia S. Mariæ de Sapientia.*

Eutychetis et Acutii reliquiæ Neapoli;

202 *De sacris ossibus* SS. Eutychetis *et* Acutii, *quiescentibus sub ara maxima basilicæ metropolitanæ Neapoli, consentiunt laudatus Falconius et Caracciolus cap.* 33, *ubi dat eorum translationem aliique scriptores Neapolitani. Addit Falconius, ecclesiæ domus professæ Societatis Jesu datum esse* S. Acutii *caput ; alias ejusdem Martyris reliquias reperiri in ecclesia S. Marci. Erunt verisimiliter et aliæ nonnullæ ecclesiæ, quæ alicujus horum Sociorum reliquias habere se credant ; sed longe majoris esset laboris, quam pretii, omnes particulas scrupulose investigare. Hieronymus a S. Anna lib.* I *cap.* 12 *testatur, particularem Missam de* SS. Eutychete *et* Acutio *fuisse editam cura Cardinalis Oliverii Carafæ. Paulo post adjungit, ipsorum festivitatem Neapoli in ecclesia metropolitana celebrari die* XXII *Septembris.*

æger sanatus, apparente S. Acutio.

203 *In Officio S. Agrippini, quod anno* 1525 *impressum habemus, lect.* 9 *narratur miraculum, magis ad* S. Acutium *spectans, quam ad S. Agrippinum. Qua de causa id huic loco innecto :* B Quidam nomine Paulus, habitator civitatis Neapolitanæ, dum fecisset muri circuitum, per gradus, ut ad propria remearet, descendens, labente pede ejus in torturam in nervis cum magno tumore recessit, et in ejus coxam defluxerat. Et dum semimortuus in suo hospitio tolleretur : ibi etenim per multa spatia temporis lectulo miser torquebatur doloribus; et pene jam suam paupertatem spe subventionis medicis prærogaverat : et quantum fuerat pauper effectus, tantum ejus infirmitatis flammarum nutrimenta, dolorum stridores grassabantur. Et dum nulla fuisset concurrendi fiducia : spes unica tandem, ad venerabile corpus B. Agrippini confessoris Domini nostri Jesu Christi a suis parentibus est perductus : ibique in lacrymis et jejuniis per multum tempus oravit. Affuit solita Dei concursio nocte intempesta quadam, dum ipse Paulus jam palpitantia *(habens)* membra (spiritus enim parvus in ipso remanserat) vocis sonum audit. Illico perspiciens, vidit quemdam Juvenem stola candida præfulgentem, in ipso introitu regiæ dicentem B. Agrippino : Ecce venit Frater tuus : venit Frater tuus. Et post pusillum C facto silentio, denuo vox ejus emissa est : Ecce venit frater tuus. Acutius, cui B. Agrippinus venire professus est : Ecce venio. Hoc peracto, Sanctos Dei invicem sibi occurrere conspexit honorantes se. Mox enim clamans Paulus cum lacrymis extendit manus suas, et dixit : Sancte Dei martyr Acuti, salvum me fac. Cui sanctus Martyr non dedignatus est jam cenosa membra manu sancta palpare : statimque morbus, qui in ipso irruerat, in coxa disruptus est, et pristinæ salutis formam recepit ; collaudans enim et glorificans incessabiliter Deum, qui admirabilis est in Sanctis suis. *Hactenus Officii auctor, Latini sermonis non satis peritus ; sed lector intelliget, quid voluerit significatum.*

AUCTORE J. S.

§ XV. Variæ S. Januarii festivitates Neapoli, aliaque ad cultum ipsius etiam per totam Ecclesiam spectantia : patronus totius regni Neapolitani habetur.

Festivitas S. Januarii, die XIX Septembris Neapoli solita celebrari,

Vix finem invenirem, si omnia minutim explicanda susciperem, quæ utcumque conducunt ad ostendendam Neapolitanorum in S. Januarium *pietatem et amorem. Verum, cum gesta Sanctorum magis illustremus, quam populorum, qui eorem patrocinio dignos reddere se conantur, recensere solum hic aggredior varias* S. Januarii *festivitates, de aliis generatim aliqua breviter perstricturus. Prima et præcipua* S. Januarii *festivitas celebratur Neapoli, et in universali Ecclesia ad* XIX *Septembris. Vetustissimam hanc esse apud Neapolitanos festivitatem, satis liquet ex Martyrologiis aliisque documentis, laudatis in hoc Commentario* § 1. *Multis seculis continuata fuit Neapoli festivitas eo die celebrari solita. Attamen Clemens IV nonnihil mutationis induxit per litteras Pontificias,* anno tertio *pontificatus sui, (inquit Caracciolus sect.* 23,*) id est, anno* 1268, *non* 1267, Viterbii Nonis Januarii *datas.* E

ad 2 Maii translata olim fuit, sed brevi tempore.

205 *Partem harum litterarum, quas Hieronymus Maria a S. Anna totas recitat lib.* 3 *cap.* I *et Chioccarellus in Collectione Ms., huc transfero :* Volentes igitur, *ait Pontifex,* ut B. Januarius apud ecclesiam Neapolis, quæ in ipsius honore dicitur dedicata, in ejus maxime festivitate fidelium laudibus solemniter extollatur, attendentesque, quod XIII Kal. Octob., quo solet hujus festi solemnitas celebrari, singuli vindemiarum occupati laboribus, ab ecclesiarum visitationibus necessario retrahuntur, festivitatem eamdem, ut omnes liberius in ejusdem Sancti gloria jubilo devotæ jucunditatis exultent, VIII Id. Maii statuimus de Apostolicæ plenitudine potestatis in ecclesia prædicta deinceps annis singulis celebrandam. *Hactenus Clemens IV. Subjungit deinde Hieronymus Maria a S. Anna, multum se quæsivisse, ut inveniret, quamdiu Pontificium hoc mandatum fuerit observatum. At desideratam hac de re notitiam invenire se non potuisse. Falconius pag.* 497 *asserit, non placuisse Neapolitanis eam festi translationem, ideoque* F *Aiglerium, Neapolitanum tunc temporis archiepiscopum, a Clemente IV petiisse et obtinuisse, ut Sancti festivitas utroque die celebraretur. At nescimus, unde illam notitiam hauserit Falconius, meritoque dubitamus, an præter conjecturas, quibus non raro nimium indulget, ullum hac de re habuerit fundamentum. Vehementer tamen et ipse suspicor, festivitatem diei* XIX *Septembris aut omnino omissam non fuisse, aut non nisi ad breve tempus.*

in ecclesia universali Januarii et Sociorum festum die XIX Septembris.

206 *Quo autem tempore primum in Ecclesia Romana Officium aut commemoratio de* S. Januario *fieri cœperit, nullibi expositum invenio. Verum apud Hieronymum Mariam a S. Anna lib.* 3 *cap.* 3 *fuse refertur, quibus gradibus, omissa in* Breviarii et Missalis reformationibus *festivitas* S. Januarii, *restituta sit et excreverit. Sixtus Papa V in bulla, data anno* 1586, *Kalendis Februarii, festum simplex* S. Januarii episcopi et Sociorum ejus, *quod olim usitatum fuisse testatur, restituit, rationesque allegat, quas partim huc transfero, latius*

AUCTORE J. S.

ibi videndas. Cujus quidem, *inquit*, beati Januarii sanctitatem Deus omnipotens multis iisque clarissimis editis miraculis ad nostram usque ætatem in Neapolitana potissimum civitate, in qua ejus corpus sepultum religiose asservatur, celeberrime apud omnes gentes testatam esse voluit, adeo ut non immerito, tum in divinis Officiis, tum in ipso Sacrificio, ab universo fidelium cœtu eorum commemoratio fieri debeat, prout ante reformationem Romani Missalis et Breviarii fieri consueverat. *Gregorius XIV anno* 1591 *Officium* S. Januarii *et Sociorum evexit ad ritum semiduplicem, voluitque, ut in regno Neapolitano festum esse de præcepto. Bulla ejus, data* XX Maii, MDXCI *videri potest apud laudatum scriptorem. Hic autem subjungit, ex laudata bulla Neapolitanis ortam esse dubitationem, an ipsi similiter, ut fit in tota Ecclesia, de* S. Januario *simul et Sociis celebrare deberent; sed prævaluisse sententiam illorum, qui crediderunt, Neapolitanis eo die de solo* S. Januario *Officium peragendum, uti semper fecerant. Tandem anno* 1676, *die* VII *Decembris, decretum edidit Innocentius XI, quo præcepit, ut Officium* S. Januarii *et Sociorum ejus per universalem Ecclesiam recitetur* sub ritu duplici, *ut videri potest apud Hierony-* B *mum Mariam lib.* 3 *cap.* 3; *atque eo ritu festum* S. Januarii *et Sociorum etiamnum in Ecclesia peragitur.*

quem martyrii diem plerique credunt. Rationes

207 *Neapolitani porro diem* XIX *Septembris, quo præcipua* S. Januarii *et Sociorum ejus festivitas in Ecclesia celebratur, habent ut diem natalitium eorumdem, creduntque ipsos eodem die martyrii coronam consecutos. Nuperrime tamen laudatus ante Mazochius ab illa opinione dissentire cœpit, magisque credidit, alia de causa illum præcipuæ solemnitatis diem fuisse electum. Hujus opinionem magis mihi videri probabilem, jam insinuavi* § 1, *et iterum* § 6, *et utroque loco nonnullas addidi rationes. Lubet eas hic breviter colligere et explicare, ne sine causa videar a communi fere Neapolitanorum sententia dissentire. Primo, ut vidimus num.* 1 *et* 2, *solus sine Sociis* S. Januarius *in vetustissimis Fastis ad* XIX *Septembris annuntiatur, et quidem Neapoli, quo translatus est, non Puteolis, ubi coronatus. Atqui, si diem martyrii exprimere voluissent martyrologi, videntur et locum et Socios martyrii æque memorare debuisse. Quis igitur non perspiciat, solum eo die annuntiatum Neapoli fuisse* Januarium, *quod Neapoli illo ipso die coleretur? Secundo,* C *quemadmodum* S. Januarius *ad* XIX *Neapoli, ita* Sosius *ad* XXIII *Septembris primum solus Miseni fuit annuntiatus, non quia is est dies martyrii, sed quia prima translatio eo die est facta, ut fatentur Neapolitani. Ergo verisimillimum est, eadem de causa* S. Januarium *cultum Neapoli et annuntiatum fuisse.*

tamen variæ magis insinuant,

208 *Tertio, Fasti Hieronymiani, ut dictum num.* XI, Januarium *et Socios Beneventanos cum* Acutio *ad* VII *Septembris annuntiant Beneventi, non alia rursum de causa, quantum conjicere debemus, quam quia eo die ibidem fuerunt culti ob translationem* Festi *et* Desiderii; *hanc enim eodem die factam verisimili admodum conjectura existimare possumus, quia* Beneventi *memorantur, ubi passi non fuerunt. Rursum ad* XVIII *Octobris, quo* Proculum *cum Sociis Puteolanis cultum fuisse Puteolis, quoque etiamnum ibidem* Proculum *coli novimus, annuntiantur aliqui ex Martyribus nostris in civitate Puteolana, quia eo die, ut conjicio, Puteolos translata sunt corpora* Proculi, Eutychetis *et* Acutii. *Additur quidem in Actis, quæ nobis missa sunt ex codice Richenoviensi, post relatam translationem Puteolos:* Eorumque festum diem solemnem XIV Kal. Novemb., ipsa eamdemque, qua passi sunt, die omni cum devotione celebrandam statuerunt; *sed ideo non credent eruditi Neapolitani, revera passos esse Martyres nostros die* XIX *Octobris: nam illorum Actorum interpolator non satis antiquus est ad fidem nobis hac de re faciendam. Scripsit nimirum ille, quæ reliquiarum translator Puteolis audiverat, et solum docere nos potest, qualis esset seculo* IX *apud Puteolanos opinio de die martyrii.* D

non martyrii, sed translationis

209 *Quarto tamen ex dictis observo, Puteolanos non minore jure, si vellent, contendere posse pro* XVIII *aut* XIX *Octobris, quam Neapolitanos pro* XIX *Septembris, imo et superiores hac ex parte videri, quia Sancti Puteolis passi sunt, ideoque ipso die martyrii, si hic martyrologis innotuerit, Puteolis annuntiari debuerunt, non Neapoli, non Beneventi. Verum meo quidem judicio frustra de martyrii die contendent tam Puteolani, quam Neapolitani, quia dies ille videtur fuisse ignotus, quando Sanctorum nostrorum corpora primum sunt translata. Certe in Actis altum de martyrii die est silentium, nec modo in Actis primis, sed etiam in secundis, reliquisque posterioribus, et in Breviariis Neapolitano et Beneventano. Quinto, omnes civitates, quæ unum aut plura ex corporibus horum Sanctorum acceperunt, diversum statuerunt festivitatis diem, cum tamen omnes simul sint passi, nimirum Neapolitani* XIX *Septembris, Beneventani* VII, *Misenates* XXIII *ejusdem mensis, et Puteolani* XVIII *Octobris. Ex quatuor igitur civitatibus tres certo non coluerunt Sanctos suos ipso martyrii die, sed verisimiliter die translationis: cur itaque idem non credamus de omnibus quatuor, præsertim cum diem martyrii videantur ignorasse, ut jam observavi?* E

illum esse diem.

210 *Sexto demum observo, non alio die prioribus post martyrium seculis Neapoli cultum fuisse* S. Januarium, *quantum novimus, quam die* XIX *Septembris, qui in Appendice ad Acta prima, et in reliquis Actis et antiquis Breviariis solus cultui ipsius assignatur. Ergo aut dies martyrii, aut translationis dies Neapoli sine festo relictus est. Hoc autem credibile non est de die translationis, cum hic ignorari non posset. Itaque verisimile rursum fit, diem martyrii, quia ignotus erat, sine cultu relinqui debuisse. In Calendario Neapolitano nuper invento ad* XIII *Aprilis legitur:* Translatio beati Januarii. *Sabbatinus locum intelligit de* S. Januario *hodierno, creditque, annuntiari translationem primam e Marciano Neapolim. Idem suspicatur Mazochius in Annotatis ad Acta a se edita pag.* 280. *Ego vero existimo, non agi de* S. Januario *nostro, sed de alio quopiam. Cum enim Calendarium illud Sanctos ex toto orbe Christiano contineat, multique inter illos sint Januarii; cur credamus, illum esse* Januarium *Neapolitanorum patronum, cum nulla uspiam fiat mentio de aliqua ejus festivitate die* XIII *Aprilis celebrata? Plura Martyrologia Hieronymiana ad* XIII *Aprilis Januarium aliquem sine loco memorant. Rhinoviense vero et Richenoviense illum diserte* Romæ *attribuunt. Rabanus tandem de eo sic habet:* Romæ in cœmiterio translatio Januarii martyris. *Hæc sufficiunt, ut credamus, in laudato Calendario non agi de* S. Januario *nostro; licet hic locus non exigat, ut alterum illum curiosius investigemus. Quare dictum Calendarium obesse nequit, quo minus existimemus,* S. Januarium *coli apud Neapolitanos cœpisse die* XIX *Septembris ob translationem corporis ad ecclesiam Neapolitanam* extra mœnia *dictam. De die martyrii abunde disserui* § 6, *quæ a studioso lectore consuli poterunt. De Octava et de aliis ad summam* F

hanc

A *hanc solemnitatem spectantibus plura venient dicenda, dum agetur de capite et sanguine* S. Januarii.

Altera festivitas Dominica prima Maii,

211 *Altera* S. Januarii *festivitas, multo serius inchoata, Neapoli modo celebratur mobili die, nempe prima Dominica mensis Maii. De hac Caracciolus sect.* 23 *ita scribit :* Fiebat hæc solemnitas ipso Maio mense. Suspicor autem olim celebratam fuisse ipsis Kalendis Maii, quibus prima vice translatum fuit corpus a beato Severo, ad cujus instar festivitatis decens erat et istam celebrari. Postea vero, ut celebrior esset solemnitas, translatam fuisse a Kalendis statis ad mobilem diem primæ Dominicæ. *De ritu festivitatis et causa auctor hæc præmiserat :* Festivitatem occursus capitis cum pretioso Martyris sanguine archiepiscopus olim pro suo libito, in qua volebat ecclesia, instituebat..... Ad quam celebritatem non clerici solum, sed et abbates et episcopi suffraganei conveniebant. Clerici, inquam, caput redimiti roseis corollis, vel ex aliis floribus intertextis, sicuti olim factum fuerat in prima translatione ex Marciano campo Neapolim. *Addit auctor, abrogatam esse consuetudinem coronandi floribus caput.*

B *qua corpus translatum nonnulli dicunt :*

212 *Ex verbis vero allegatis abunde liquet, istam festivitatem ab ipso haberi pro festo primæ translationis, cujus tempore sanguis* S. Januarii *ad occursum capitis prima vice fuit liquefactus, si credimus traditioni populari, quam hodie eruditi non admittunt. Asserit quidem translationem istam Kalendis Maii fuisse peractam : sed non explicat, quam vetustum sit istud festum. Post Tutinum cap.* 15 *Hieronymus Maria a S. Anna lib.* 3 *cap.* 2 *affirmat, non modo festum translationis e Marciano Neapolim Dominica prima Maii hoc tempore celebrari, sed clare etiam edicit, illa ipsa Dominica translationem factam, et miraculum liquefacti ad capitis occursum sanguinis tunc contigisse. Mitto alios scriptores, idem fere asserentes, quia scriptores oppugnare non lubet, sed verum investigare.*

verum hæc translationis festivitas orta est,

213 *Quod spectat ad causam festivitatis illius, libenter assentior, Dominica prima Maii translationem corporis e Marciano Neapolim celebrari; at falli Caracciolum, Tutinum, aliosque, qui crediderunt mense Maio translationem peractam, mihi sic persuadeo, ut ne probabilem quidem eam opinionem existimem. Ratio petitur partim ex ante dictis, partim ex silentio omnium antiquorum* C *de solemnitate illa mensis Maii. Vidimus num.* 205 *festivitatem* S. Januarii *anno* 1268 *per Clementem IV, Pontificem Maximum, a die* XIX *Septembris translatam fuisse ad* VIII Idus Maii. *Itaque ante annum* 1268 *non celebrabatur Dominica prima Maii dicta festivitas : neque enim credibile est, Pontificem fixurum fuisse alteram, ejusdem Sancti festivitatem sic prope alteram, ut aliquando duobus diebus consequentibus fuissent celebrandæ. Hoc, inquam, incredibile est, ideoque prorsus improbabile, ullam tunc fuisse festivitatem* S. Januarii *Dominica prima Maii, præsertim cum de hac nullus scriptor antiquus umquam meminerit.*

quia primarium festum ad 8 Maii erat translatum.

214 *Itaque ex hac festi translatione ortum est illud translationis festum, quod Neapolitani noluerint diem* XIX *Septembris sine solemnitate relinquere. Asserit Falconius pag.* 496, *eodem etiam anno celebratam festivitatem diei* XIX *Septembris, consentiente Pontifice. Verum cum probationem non alleget, dubium id relinquere malo. At res ipsa docet, ex una geminam ortam esse festivitatem, alteram, qua celebratur Sancti martyrium, alteram translati Neapolim corporis. Pro hac solum dies* VIII *Maii mutata est in Dominicam primam ejusdem mensis. Verum nulla ratione hinc inferri potest, translationem contigisse die* VIII *aut Dominica prima Maii. Quin potius perspicimus, quam parum tribuere possimus opinioni Neapolitanorum de die martyrii, cum illa similiter ex sola festi celebratione videatur exorta. Ceterum illa quoque translationis festivitas celebratur per octo dies ab anno* 1692, *concedente Octavam Innocentio XII per decretum anni* 1691 : *de ea redibit sermo, ubi agetur de sanguine.*

Tertia festivitas die XVI Decembris : festum menstruum :

215 *Tertium* S. Januarii *festum celebratur die* XVI *Decembris, sed in sola ecclesia metropolitana, et sine Octava. Vocatur id* Patrocinium, *sive* festum Patrocinii S. Januarii, *institutumque fuit ob exstinctum anno* 1631 *Vesuvii incendium, de quo egi num.* 160. *De hac festivitatis institutione ob prædictum beneficium testem se præbet Tutinus, cujus Opusculum anno* 1633 *est impressum, cap.* 10 *pag.* 50, *eique assentiuntur alii posteriores, ut mirer, de illius festi institutione nihil legi apud Caracciolum* § 23, *ubi annuas festivitates exponendas susceperat. Laudatus tamen Caracciolus ibidem de menstrua* S. Januarii *festivitate sic loquitur (post Tutinum pag.* 50 *eadem referentem :)* E In Constitutionibus synodalibus, a Gaspare de Diano archiepiscopo Neapolitano editis, statutum fuit, ut singulis mensibus semel Officium de S. Januario ritu duplici celebraretur; nempe XXVI Januarii, IV Februarii, II Martii, XXVII Aprilis, prima Dominica mensis Maii de Translatione, prima Junii, XIV Julii, XXIII Augusti, XIX Septembris de martyrio cum Octava, VI Octobris, VII Novembris, et XVI Decembris, in qua funesta die deploranda illa conflagratio anni MDCXXXI contigit. *Tutinus constitutionem illam refert ad annum* 1440, *quo revera data est die* XVIII *Novembris. At impressam anno* 1442, *ut ait Hieronymus Maria a S. Anna lib.* 3 *cap.* 3, *ubi totam recitat, non facile credam, cum ars imprimendi necdum esset in usum inducta. Quidquid vero sit de tempore impressionis, observo in ipsis litteris, prout in utraque editione impressas ante me habeo, omitti menses Martium et Aprilem, pro* VII Novembris, *legi* XVII Novembris. *At omissio* Martii *et* Aprilis *errore typographico facta fuerit : nam in illo Opere non pauca invenio menda typographica. In Ms. Collectione Chioccarelli, ex qua easdem litteras habemus, etiam legitur* XVII Novembris *pro* VII, *sed menses omnes enumerantur, ut habet Caracciolus. Litteræ autem non sunt datæ ab ipso archiepiscopo Gaspare de Diano, sed ad ejus vicario generali Antonio Angeli, canonico ecclesiæ Neapolitanæ et Decretorum doctore.* F

collecta quotidiana : aliud Officium menstruum.

216 *Ordinavit præterea in dictis litteris laudatus vicarius archiepiscopi, ut fieret quotidie* collecta *de* S. Januario *in Officio, exceptis tamen diebus, quibus collectæ non fiunt. Rationem augendi cultum* S. Januarii *his verbis allegat :* Cum autem inter martyrum turmas gloriosissimum antistitem Januarium, eximiis miraculis extrenue * decoratum, nostrum sentiamus esse primum patronum, hujusque almæ civitatis atque ejus civium favorabilem defensorem, qui velut stella matutina inter angelorum agmina irradiat, et pro clero suoque populo affluenter deprecari ac effundere preces non desinit; (hæsitari enim a nemine debet, hanc Neapolitanam civitatem ejus clypeo sedulo protegique, muniri *) ideo ejus altissimum festum etc. *Plura ibidem videri possunt de ritibus in menstruo illo Officio observandis. At nec apud allegatum auctorem, nec apud alios inveni, quanto tempore menstrua illa festivitas fuerit continuata. Certo fuit deinde abrogata.* *Rursum*

* forte extreme

* protegi munirique

AUCTORE J. S.

Rursum tamen anno 1691 *Innocentius XII concessit clero ecclesiæ metropolitanæ, ut liceat semel singulis mensibus* die non impedita Officio novem lectionum, et exceptis diebus Adventus et Quadragesimæ, *recitare Officium de* S. Januario sub ritu semiduplici, *sicut legitur in ipso decreto apud biographum laudatum.*

alia translationis festivitas olim celebrata XIV Januarii.

217 *Alia* S. Januarii *festivitas olim celebrata est mense Januario, quia corpus Sancti anno* 1497, *die* XIII *Januarii, e Monte Virginis Neapolim translatum est. Festivitas tamen non* XIII, *sed* XIV *Januarii celebrabatur, ut asserit Tutinus pag.* 125, *ubi ex catalogo Sanctorum, quorum festa per totam diœcesim Neapolitanam erant celebranda, composito per Decium Cardinalem Carafam, archiepiscopum Neapolitanum, in concilio anni* 1619, *affert hæc verba :* XIV Januarii. Secunda translatio sacri corporis S. Januarii e monasterio Montis Virginis Neapolim. Duplex. Fit idem prorsus Officium, atque in prima Translatione Dominica prima Maii. *Consentit hisce laudatus Hieronymus Maria a S. Anna, aitque, invenire se non potuisse, quo tempore fuerit abrogatum. Vocatur autem* secunda Translatio, *quia ea corpus secunda vice Neapolim* B *delatum est, licet alias fuerit quarta aut quinta. De Officiis propriis, quæ approbavit sacra Rituum congregatio anno* 1624, *et Clemens Papa XII anno* 1731, *ne sim prolixior, consuli ulterius potest Hieronymus Maria cap.* 3.

Variæ S. Januarii festivitates Beneventi.

218 *Addo solum, Beneventanos similiter celebrare varias* S. Januarii *festivitates, nimirum primarium festum ut Patroni magna cum solemnitate die* XIX *Septembris. Tum festum translationis, qua ipsorum majores olim* S. Januarii *corpus acceperant, Officio ritus duplicis die* XXIII *Octobris : ipsisque etiam anno* 1710 *a summo Pontifice concessum esse festum menstruum de* S. Januario *patrono suo. Demum, ut alia mittam ante dicta, festum* S. Januarii *die* XIX *Octobris peragitur in abbatia Rhinoviensi in Helvetia, ut dictum est num.* 129.

S. Januarius multis seculis Neapoli patronus primarius,

219 *Pauca modo breviter dicenda sunt de patrocinio* S. Januarii *apud Neapolitanos. Nullum est dubium, quin* S. Januarius *inter patronos urbis Neapolitanæ fuerit ab eo saltem tempore, quo sacrum ipsius corpus e Marciano Neapolim delatum est, id testante Appendice ad Acta prima. Caracciolus sect.* 21 *observat, prioribus seculis præcipuos Neapolitanorum patronos fuisse S. Agrippinum episcopum Neapolitanum, qui multo antiquior est, et* S. Januarium; *sed hisce posterioribus* C *seculis plures alios accessisse. Verum, licet patronorum numerus non mediocriter fuerit auctus, ex multis tamen liquet, jam a pluribus seculis primarium patronum esse* S. Januarium. *Verumtamen honor ille* S. Januario *tantum non fuit ereptus, aut potius, si Falconio credimus, anno* 1640 *ad tempus ablatus est, datusque S. Dominico institutori Ordinis Prædicatorum. Verum in Bulla Urbani VIII, quam datam anno* 1640, *die* XXIII *Augusti, exhibet Bullarium Prædicatorum tom.* 6 *pag.* 109, *S. Dominicus tantum constituitur patronus civitatis et regni Neapolitani, et necdum protector primarius. In Bulla vero Innocentii X data anno* 1654, *die* XVIII *Decembris, ibidem pag.* 173 *edita, statuitur, ut festum S. Dominici in regno Neapolitano sit ab opere feriatum; sed nec ibi fit mentio de constituto ipso primario patrono. At ibi subditur decretum Sacrorum Rituum congregationis, datum anno* 1651, *die* XXIX *Aprilis, ubi non solum declaratur* ejus festum ex præcepto, *sed etiam celebrandum* cum omnibus prærogativis principaliori patrono debitis. D

ubi electus erat S. Dominicus, excitata controversia,

220 *Eo fere tempore, opinor, inchoata est controversia inter Neapolitanos et Prædicatores, uter esset patronus primarius civitatis et regni Neapolitani,* Januariusne *an Dominicus; quam litem ab anno* 1640 *perperam orditur Falconius pag.* 513. *Etenim Neapolitani ipsi S. Dominicum elegerunt patronum, nec verisimile est, ipsos ægre tulisse quemcumque honorem novo patrono collatum, quamdiu* S. Januarius *non dejiciebatur de antiqua possessione. Verum exaltatio S. Dominici paulatim incipiebat* S. Januarium *deprimere, ut liquet ex Declaratione S. R. Congregationis, data anno* 1658 *ad interrogata archiepiscopi Tarentini in laudato Bullario pag.* 188. *Petebat archiepiscopus,* an, *instituto festo S. Dominici in toto regno Neapolitano,* sit una simul in eodem regno continuandum præceptum in festo S. Januarii, de quo tanquam de protectore regni hactenus festum celebrari consueverat... Et sacra Congregatio respondit, S. Januarium esse protectorem civitatis Neapolitanæ tantum, et non totius regni : idcirco de eo, tamquam de patrono regni non licuisse, nec licitum, alicubi festum celebrare. *Hæc declaratio, opinor, secutaque verisimiliter festi in variis regni locis* E *omissio excitavit Neapolitanos, licet alias S. Dominico etiam addictissimos, ut ereptum* S. Januario *honorem curarent restituendum.*

confirmatur primarius patronus totius regni,

221 *Hoc demum perfecerunt anno* 1663, *Pontificatum adhuc gerente Alexandro VII. Nam eo anno a sacra Rituum congregatione obtinuerunt decretum, quod Hieronymus Maria a S. Anna lib.* 3 *cap.* 3 *recitat hoc modo* : Propositis de ordine Sanctissimi in sacrorum Rituum congregatione controversiis inter deputatos Thesauri S. Januarii et Fratres S. Dominici, cuinam ipsorum debeatur patronatus principalis regni Neapolis, sanctone Januario vel potius sancto Dominico; eminentissimi Patres bene ac mature perpensis hinc inde inductis, censuerunt deberi D. Januario, ac proinde festum de præcepto, tamquam de principaliori Patrono regni Neapolitani, fieri debere per totum regnum de dicto S. Januario episcopo et martyre, non obstantibus litteris Apostolicis, datis die XXIII Augusti MDCXL, cæterisque decretis ejusdem Congregationis, si ita Sanctissimo visum fuerit. Hac die IV Augusti MDCLXIII. Et facta de prædictis relatione per me secretarium Sanctitas sua annuit, approbavit, et servari mandavit : hac die VIII Augusti MDCLXIII. *Subscriptum erat :* M. Cardinalis Ginittus. *Et inferius :* Bernardinus Casalis S. R. Congreg. Secr. F

probante Alexandro VII.

222 *Neapolitani necdum hoc decreto causam* S. Januarii *satis in tuto positam crediderunt, ideoque rogarunt Alexandrum VII, ut decretum S. R. Congregationis litteris Apostolicis confirmaret; uti revera ad preces ipsorum fecit Pontifex per Litteras Apostolicas, datas* Romæ die XX Martii MDCLXV, *quæ ibidem videri possunt. Alias jam anno* 1664, *die* XXVIII *Junii, litteras Apostolicas dederat Alexander VII, editas in laudato Prædicatorum Bullario pag.* 209, *quibus utrique parti omnino satisfecit, quantum existimo. Pauca ex iis transcribo* : Cum itaque ea semper fuerit erga S. Januarium dilectorum filiorum populi Neapolitani religio, ut quamvis idem populus S. Dominicum confessorem in totius regni patronum duxerit assumendum, eum tamen S. Januario digniori patrono, utpote martyri pontifici, præferendum numquam assenserit, proindeque Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, iterum atque iterum

A rum supplicaverit, ut debitas S. Januario martyri et pontifici patronatus regni præeminentias decerneret; et eadem Congregatio supplicationibus hisce die IV Augusti MDCLXIII benigne subscripserit *etc. Deinde Pontifex concedit desiderantibus Neapolitanis, ut eo modo, quo cœperant, festum S. Dominici celebrare pergant.*

§ XVI. De numismatis aliquot in honorem S. Januarii cusis.

Numismata varia in honorem S. Januarii cusa.

Numismata in honorem S. Januarii *cusa varii exhibuerunt impressa. Ego ea recudere non statueram, sed solum apud alios assignare, quia nullibi invenio ea sine ullis mendis edita. Cum tamen ex collectione Chioccarelli pleraque mihi transmissa sint, eruditique Neapolitani desiderare videantur, ut omnia a nobis recudantur, sententiam mutavi, ærique incidenda curavi, atque hoc loco recudenda. Sex ex iis primus repræsentavit Tutinus, nimirum quinque cap.* 9 *et sextum* B *cap.* 10. *Quinque priora habeo etiam ex collectione Ms. Chioccarelli, ubi plane conformia sunt impressis a Tutino. Omnia rursum recusa sunt anno* 1733 *in Vita* S. Januarii *aucta lib.* 3 *cap.* 6, *sed magis mendose; additumque ibi septimum, quod anno* 1707 *cusum. Muratorius tom.* 2 *Antiquitatum Italicarum medii ævi col.* 621 *et* 622, *omisso recentiore, illo, sex alia expressit cum duobus a se superadditis. Ibidem autem ita præfatur :* Inclyta quoque civitas Neapolis, ab antiquitate, amplitudine, ac venustate summe commendanda, et nunc nobilissimi regni caput, quam sibi subjicere *(ad longum videlicet tempus, ne sui immemor videatur auctor)* nulli umquam licuit Langobardorum regum et principum Beneventanorum, jus monetæ ab antiquis seculis servat, eoque usi sunt duces, sive magistri militum, ibi dominantes, de quibus actum est in Dissertatione V de Ducibus. Nummos nonnullos ab iis percussos congessit, et mihi suppeditavit N. V. Ignatius Maria Como, patricius Neapolitanus, humaniorum litterarum cultor egregius, et singularis amicus meus.

Primum,

224 *Allegata verba insinuant, numismata non* C *expressa a Muratorio ex impressis exemplaribus, sed ex ipsis prototypis. Hac de causa chalcographum nostrum scalpere jussi exemplaria, prout data sunt a Muratorio. Singulis autem ejus observationes præmittam; meas vero aut annotationes aut correctiones subjungam. Itaque de primo nummo ille sic orditur :* Primus aureus, incertum est, quo tempore fuerit cusus. Ibi effigies visitur S. Januarii martyris, ac celeberrimi Neapolitanorum patroni, cum litteris SCS IAN. In postica crux cum litteris S T, id est, SALUTIS TROPHÆUM. Mentionem hujus nummi fecerunt scriptores Neapolitani, Hieronymus de sancta Anna Carmelita excalceatus in Vita sancti Januarii, Tutinus, Caracciolus, et alii.





Nummus hic eodem modo expressus est apud Tutinum, Chioccarellum in Ms., et in aucta Vita Hieronymi de S. Anna, excepta tamen modica vultus S. Januarii *et vestis differentia. Tutinus et Chioccarellus crediderunt litteris* S. T., *ab utraque crucis parte positis, significari* Sanctam Trinitatem. *At eam explicationem rejecit Caracciolus cap.* 20 *sect.* 24 *ut minus probabilem, et substituit hanc :* Salutis trophæum. *Hanc expositionem, utpote Cruci congruam, merito secuti sunt Hieronymus de S. Anna lib.* 3 *cap.* 4, *et laudatus Muratorius. Hunc nummum anno* 660 *cusum fuisse, scripsit Tutinus, allegans Historiam Neapolitanam Capacii.* Sed Capacius id numquam asseruit, de illo videlicet nummo, *ait Caracciolus. Itaque fatendum est, illum esse incerti temporis; et procul dubio longe minus vetustum.*

Secundum,

225 *Ad secundum ita procedit Muratorius :* Secundus aureus quoque, quo anno percussus fuerit, ignotum prorsus est. Ibi ejusdem sancti Martyris effigies conspicitur cum litteris SC. IA. In postica crux cum litteris Græcis ΝΕΑΠΟΛΙC, id est, NEAPOLIS.






E

Dictus nummus eodem rursum modo apud alios expressus est, excepta modica vultus et vestium diversitate.

Tertium male expositum a Muratorio,

226 *De tertio ita disserit Muratorius :* Tertius pariter æreus effigiem perhibet ejusdem Sancti, cujus e collo pendet stola cum litteris in pectore SIS, quas, donec alii propiora vero me doceant, interpretari liceat SANCTUS JANUARIUS. In limbo legitur Αποστο. Ιανουαριος, litteris, ut nunc dicimus, cursivis, id est, ut conjicio, APOSTOLUS JANUARIUS. Sed cur sanctum illud Martyrem titulo Apostoli donare voluerint Neapolitæ, divinare nondum potui. In postica epigraphe visitur, rudibus Græcis litteris efformata, hoc est, λυροτὴς τῆς πόλειος ἀπὸ τοῦ πυρός. Communis Neapolitanorum sententia est, designari his verbis liberationem urbis ab immani incendio montis Vesevi. Vide tamen, quam bene scripta fuerint, Λυροτὴς et Πόλειος. Quod certum mihi videtur, accentus ac spiritus appositi, ipsique errores et forma characterum, non multam nummi antiquitatem produnt. F





Verum ejusmodi ratiocinia non indicant magnam linguæ Græcæ peritiam, cum ejus defectu plures hic accumulati videantur errores. Certe ego dubitare nequeo, quin in limbo nummi male legat Muratorius, Αποστο Ιανουαριος. *Nam Græcum* π *ibi non habetur, sed* γ *est et* ι, *ex quibus conjunctis fere exsurgit Latinum p, ut exprimitur apud Muratorium, non Græcum* π. *Ultima vero littera* ο, *quam primæ voci addidit, est articulus Græcus, ut clare legendum sit* αγιος ο Ιανουαριος Sanctus Januarius. *Quod legitur in postica, nihilo rectius exposuit Muratorius, dum voces dedit nihil significantes pro veris, quas ibi invenisset,*

AUCTORE J. S.

set, si linguæ Græcæ satis fuisset peritus. Etenim sic legenda est pars illa λυτρωτὴς τῆς πόλεως ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *ad litteram,* Redemptor urbis ab igne.

ex Tutino exhibetur:

227 *Voces datæ paulo clarius exprimuntur in eodem numismate, prout datum est a Tutino, quod hac de causa hic recudo.*



Qui novit linguam Græcam, voces jam datas haud difficulter hic inveniet. Dubitare quoque non possum, quin litteræ melius hic sint expressæ, quam apud Muratorium. Nam apud ipsum quædam litteræ, quas etiam recte legit, corruptæ sunt, et ad formam Latinam traductæ in antica, ut verisimillimum sit, in postica similiter corruptas esse aliquot litteras Græcas. Vel sic tamen omnes litteræ in figura ab ipso data etiam cognosci possunt, B *excepta forsan littera* τ *in voce* λυτρωτὴς. *Nam pro hac littera aliquid expressit, quod non agnoscerem, nisi ex figura per Tutinum data* τ *clare innotesceret. In Opere Hieronymi de S. Anna aucto eadem vox alio prorsus modo vitiose expressa est; sed plura alia ibidem sunt corrupta.*

hoc cusum videtur ob patrocinium Sancti contra eruptiones Vesuvii:

228 *Ex dictis porro liquet, optime fundatam esse sententiam Neapolitanorum, nummum fuisse cusum in memoriam repressarum patrocinio* S. Januarii *eruptionem montis Vesuvii, præsertim cum constet, ejusmodi beneficium* S. Januarii *patrocinio sæpius impetratum fuisse. Quod spectat ad rationes Muratorii, antiquitatem non multam nummo attribuentis;* accentus et spiritus appositi *non evincunt, seculo* VIII *posteriorem esse, cum illorum usus jam cœperit seculo* VII, *ut variis locis asserit Montfauconus in Palæographia Græca. Quod vero de erroribus dicitur, potius ex errore profectum videtur, quam vere objectum. Forma tamen litterarum mihi etiam magis accedere videtur ad hodiernum scribendi usum, quam ut existimare valeam, nummum illum fuisse cusum ante translationem corporis* S. Januarii *Beneventum, ideoque ausus non fui illum referre cum Tutino ad incendium Vesuvii num.* III *relatum.* C *Præterea, teste Glyca lib.* 4, *Joannes Zimisches, imperator Græcus, primus jussit Jesu Christi effigiem in nummis exprimi, idque factum circa annum* 975, *ut verisimile non fiat, Sanctos ante id tempus in nummis fuisse expressos. Quare nummus ille cusus non videtur ante seculum* XI *aut* XII, *aut certe ante seculum* X *fere finitum : et forte etiam recentior est. Vel sic tamen cudi potuit ob exstincta Vesuvii incendia, ut habet inscriptio. Ceterum, quid significent litteræ* SIS, *in pectore* S. Januarii *expressæ, fateor me ignorare. At iis certo non significatur* Sanctus Januarius, *ut suspicatur Muratorius, cum eædem in septimo nummo similiter compareant in pectore S. Athanasii.*

quartum numisma:

229 *Ad quartum nummum Muratorius hæc observat :* Quartus aureus eumdem sanctum Januarium exhibet stolatum, cum litteris SIS in pectore, et in limbo SANCTUS JANUARIUS. Postica crucem habet cum epigraphe Græca NEOΠΟΛΙΤΑΝ, ubi Λ pro Ω fuit impressum : hoc est NEAPOLITANORUM.

D





Numisma illud eodem modo apud omnes expressum est. Correctio Muratorii necessaria non est, si in ipso nummo legatur NEOΠΟΛΙΤΑΝ *: nam illud dialecto Dorica idem significat, quod* Νεοπολιτῶν. *Si quis consulere voluerit numismata vetusta Siciliæ et Magnæ Græciæ apud Goltzium, eamdem dialectum inveniet in variis nummis antiquis, et leget ibi* Ταυρομενιτᾶν, Πανορμιτᾶν, *etc.* Tauromenitanorum, Panormitanorum *etc.*

230 *De quinto hæc scribit Muratorius :* Quintus æreus effigiem parum a præcendenti absimilem præfert cum litteris SCS. IANU. In aversa facie visitur imago Sergii ducis Neapolitani, globum terraqueum, cruce superposita ornatum, sinistra gestantis. Additur et asteriscus. Ad latera dispositæ sunt litteræ SERGIU DUX. Uti me monuit prælaudatus Como vir doctissimus, multa est inter scriptores Neapolitanos concertatio, cui tribuendus sit hic nummus. Quinque enim ejusdem nominis Sergii duces Neapoli imperarunt. Franciscus de Petris in Historia Neapolitana, et nuper memoratus P. Hieronymus de sancta Anna censent, Sergium eximium principem, S. Athanasii Neapolitani antistitis patrem, heic designari, qui anno DCCCXL floruit. Verum Cl. V. Nicolaus Carminius Falco, nunc episcopus Marturanensis, in Vita S. Januarii Italice scripta, veri putat similius, referendum esse nummum hunc ad Sergium III Neapolis ducem, qui Protosebasti titulum a Græcis Augustis sibi comparavit.

quintum de cujus tempore dubitatur,

E





F

Numisma hoc sine notabili differentia impressum est apud alios. De tempore cusi numismatis mihi præplacet opinio laudati Falconii, olim Marturanensis episcopi, nunc archiepiscopi S. Severinæ, qui pag. 501 *maluit nummum referre ad Sergium III, quam ad primum vel secundum.*

231 *Duo autem priores Sergii imperarunt Neapoli seculo* IX; *tertius seculo* XI, *atque hic interceptam a Pandulpho principe Capuano Neapolim recuperavit. Occupationem Neapolis Muratorius in Annalibus refert ad annum* 1027. *Receptam vero a Sergio dicit sub finem anni* 1029, *aut sub initium* 1030. *Hæc insinuant, quo tempore Sergius III, quem aliquando IV lapsu memoriæ vocat Muratorius, ducatum Neapolitanorum tenuerit. Quartus imperavit post medium seculi* XI, *ac quintus demum seculo* XII *ducatum amisit. Laudatus Falconius ex globo, quem manu gestat Sergius, nititur referre nummum esse referendum ad aliquem Sergium, qui fuerit protosebastus. At non video*

forte cusum est seculo XI *a Sergio III.*

A *video ex dignitate illa protosebasti, si illa omnino ornatus fuisset Sergius, jus oriri potuisse picturam suam exprimendi cum globo imperiali. Præterea dignitas* protosebasti, *ut Cangius in Glossario Græco-barbaro, aliique observant, primum excogitata est ab Alexio Comneno, quo imperante, Sergius III diu erat defunctus. Globum illum in manu Sergii ducis miratur Caracciolus, qui consuli potest. Ego non inquiram, quo illum jure teneat: neque enim aut globum aut protosebasti titulum conducere posse existimo ad inveniendum Sergium nummi auctorem. At ratio ante data de effigie Sanctorum nummis verisimiliter non impressa ante annum* 975 *excludit Sergium primum et secundum. Pro Sergio III aliquid verisimilitudinis affert recepta Neapolis, in cujus memoriam nummus cudi potuit, quod illam beneficio* S. Januarii *receptam existimaret. Nihil tamen occurrit quo minus etiam Sergius IV aut V nummi auctor esse potuerit.*

Numisma sextum, 232 *Ad sextum numisma, quod primus exhibuit, ita procedit Muratorius*: Sextus nummus æreus, a perquam rudi artifice cusus, sed perrarus a B mei amantissimo abbate D. Alexandro Chiappinio Placentino ad me missus fuit. Perquam similis præcedenti est, nisi quod heic Sergius dextera crucem tenet. Eadem utrobique inscriptio, ita ut veri simile videatur, ad unum eumdemque Sergium pertinere et istum nummum.



Vultus S. Januarii *in hoc nummo expressus est modo multum diverso, et in hoc apparet ætate provectiore, quam in reliquis. At inutile esset ex nummis, qui septem seculis, ut minimum, Sancto sunt posteriores, veram discere velle effigiem.*

septimum, 233 *De septimo nummo Muratorius ita disserit:* Septimus æreus effigiem S. Januarii præcedentibus similem nobis ostendit cum litteris SCS IAN. In postica sculpta habetur imago episcopi cum litteris C ad latera positis ATHA EPS, id est, ATHANASIUS EPISCOPUS. Is est Athanasius junior, Neapolitanorum antistes simul et dux, qui anno Christi DCCCLXXX propter fraudes et vitia non pauca famosus evasit.



Eumdem nummum sine notabili differentia exhibent alii et illum similiter attribuunt Athanasio II cum Caracciolo et Falconio. Verum cum ille Athanasius episcopatum et ducatum tenuerit vergente ad finem seculo IX, *nummi istius auctorem esse sine solidis argumentis, quæ non asserunt, non facile credam. At de his plura post sequentem.*

234 Octavus, *inquit Muratorius*, Neapoli a P. Dominico Putignano Societatis Jesu, antiquitatum studiosissimo, adservatur. Cum fere in omnibus præcedenti sit similis, nova explicatione non indiget.

auctore J. S. octavum: in duobus posterioribus videtur repræsentari S. Athanasius.



Hæc tamen, eaque satis notabilis nummi est differentia, quod Athanasii episcopi caput in hac radiis sit illustratum, ut solet fieri de Sanctis, non item in præcedenti. Ex hoc autem radiorum circulo colligitur, Athanasium episcopum, cujus effigies in postica exhibetur, non esse nummi auctorem; neque enim voluisset viventem se radiato capite exprimere. Ex radiis capitis ulterius innotescit, S. Athanasii effigiem esse, quæ in postica posterioris nummi exhibetur; indeque ulterius verisimillimum sit, eumdem esse S. Athanasium, qui in priore repræsentatur. De S. Athanasio ad XV *Julii egit Cuperus noster. At cum non nisi priorem vidisset nummum, qui nulla in effigie Athanasii habet Sanctitatis indicia, non censuit S. Athanasium in eo repræsentari; sed cum Neapolitanis maluit credere, nummum esse Athanasii II, quod ille dux simul esset et episcopus, solisque ducibus videatur fuisse potestas cudendi nummos. Hæc nimirum præcipua, aut potius unica est ratio scriptorum Neapolitanorum. At hæc ipsa fallit in nummo, qui Athanasium exhibet sanctitatis gloria illustratum. Quare existimare malim, utrumque nummum fuisse cusum a duce quodam posteriore, qui* S. Januarium *ab una parte, et S. Athanasium, sanguine sibi junctum, et stirpis suæ præcipuum ornamentum, ab altera exhibere voluerit. Quod autem* Sancti *titulus Athanasio non sit attributus in istis nummis, non obstat conjecturæ nostræ: nam sanctitas Athanasii agnita quidem cito fuit, et privato cultu honorata; sed fortasse publicus et solemnis cultus necdum vigebat, quando nummi illi fuerunt cusi: quod fieri potuit exeunte seculo* X *aut seculo* XI. *Hactenus de nummis antiquioribus a Muratorio impressis.* E

235 *Hisce unum addo recentiorem ex aucto Opere Hieronymi Mariæ de S. Anna, ubi lib.* 3 *cap.* 6 *sic exhibetur;* *Nonum in memoriam repressi Vesuvii hoc seculo cusum,* F



Nummus hic procusus fuit nomine civitatis Neapolitanæ, ut gratam se præberet Sancto, cujus patrocinio acceptum ferebat, quod horrendum montis Vesuvii incendium subito fuerit exstinctum, ut relatum est num. 164. *Repræsentatur autem* S. Januarius *in habitu pontificali hodierno cum hac inscriptione:* D. Janu., liberatori urbis, fundatori quietis. *In postica superius conspiciuntur duæ ampullæ, quales sanguinem* S. Januarii *continent, ac deinde hæc inscriptio*: Postquam collapsi cineres et flamma quievit, cives Neapolitani incolumes A. D. MDCCVII. *Hæc sufficiant de prædictis nummis.*

§ XVII.

AUCTORE J. S.

§ XVII. Utrum ecclesia Neapolitana aliquando habuerit episcopum Græcum Latino subditum, qui Græcorum haberet curam.

Sententia Neapolitanorum de episcopo Græco præter Latinum Neapoli.

Occasione nummorum, quos partim Græcos videmus, partim Latinos, lubet breviter examinare opinionem Clarissimi Mazochii de ecclesia Neapolitana sic semper unica, ut non admittat episcopum Græcum ullo umquam tempore Neapoli fuisse, qui Græcorum habuerit curam, et episcopo vel archiepiscopo Latino fuerit subjectus. Contrarium credidit Bartholomæus Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag. 95, *ubi fuse conatur probare, duos seculo* IX *sedisse Neapoli episcopos, alterum, Latinum, Græcum alterum, eumque Latino subditum. Ejusdem fere sententiæ est Antonius Caracciolus in Sacris ecclesiæ Neapolitanæ Monumentis cap.* 35 *sect.* 2. B *Mitto recensere alios Neapolitanos, cum hi nullam videantur auctoritatem habere apud Mazochium. Nam in Dissertatione de Ecclesia Neapolitana semper unica part.*2 *cap.*2 *sect.*2 *quæstionem illam tractaturus, orditur hoc modo :* Fuisse inter nostrates scriptores nonnullos qui duplicem episcopalem cathedram Neapoli agnoverint, parum equidem miror. Utinam scriptores nostri (quid enim dissimulandum est?) ea tantum hallucinatione peccassent*:* quorum si secus dicta recensere velim, non modo data ad dicendum clepsydra, sed et dies me deficiat.

adoptata a Papebrochio, nuper oppugnata a Mazochio.

237 Id potius miror, Danielem Papebrochium, virum, quod satis constat, egregie eruditum, tum alibi, tum ad XV Junii in S. Fortunato episcopo Neapolitano in hunc ipsum errorem incidisse. *Rursum* § 2 *de Papebrochio ita loquitur :* Dan. Papebrochium V. Cl. memini alicubi id data opera laborasse, ut binas Neapoli episcoporum sedes fuisse statueret, Græcorum unam, Latinorum alteram. Sed piget nunc in eo Jesuitæ conquirendo loco tempus terere. *Tum affert summatim argumenta Papebrochii ad* XV *Junii in S. Fortunato data, ibique subjungit :* Etsi postea num. II idem Papebrochius C satis aperte declarat, Græcum hunc Neapolitanorum episcopum fuisse Latino subjectum. *Fuit hæc sane sententia Chioccarelli et Caraccioli, quam Papebrochius in S. Fortunato num.* 9 conjecturam plus quam verosimilem *censet, et utcumque confirmat. Si credebat Mazochius. Papebrochium alibi* data opera *eam controversiam tractasse, quærendus erat locus viri egregie eruditi, ut ipse loquitur, antequam ad opinionem ejus refellendam leviter prosiliret. Attamen facile condonabimus erudito viro, quod non invenerit alibi disputata hac de re a Papebrochio, cum ipse ea non inveniam, et numquam disputata credam. Hoc solum vellem, ne opinionem illam in titulo capitis* commentum *vocasset; nec in fine disputationis suæ dixisset :* Facessat igitur ista duplicis episcopalis sedis Neapolitanæ chimera. *Etenim nimium cogitata sua amat Mazochius, si credat, argumenta sua respondere tantæ loquendi fiduciæ. Imo fortasse non deerunt, qui existiment, argumentorum inopiam verborum fiducia fuisse supplendam. Quidquid sit, vim ego in argumentis desidero, in verbis modestiam. At, his missis, argumenta Neapolitanorum et Papebrochii proponere incipiam, responsaque Mazochii examinare ad singula.* D

probatur ex Vita S. Athanasii, quæ auctoris est contemporanei;

238 *Primum ac præcipuum argumentum petitur ex Vita S. Athanasii episcopi Neapolitani, data tom.* IV *Julii ad diem* XV *loco secundo. Hanc autem Vitam scripsit auctor anonymus, sed contemporaneus, primis quinque annis post obitum S. Athanasii, anno* 872 *defuncti, id est, inter annum* 872 *et* 877, *quo Sancti corpus Casino, ubi fuerat sepultum, Neapolim translatum est. Epocha hæc scriptæ Vitæ certa videtur, et post scriptores Neapolitanos clare probata a Cupero nostro in Commentario prævio* § 2. *Pauca ex iis huc traduco. Vita num.* 6 *habet :* Quandoquidem nostris nuper temporibus sanctissimus Athanasius... ita carus extitit Deo *etc. Hic locus manifeste probat, auctorem esse coævum, quod ipsa scribendi methodus ubique insinuat. Num.* 27 *auctor enarrat sepulturam in monte Casino* in ecclesia beati principis Apostolorum, *et adjungit:* Ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Jesu Christi usque in præsentem diem. *Itaque necdum erat Sancti corpus inde translatum, dum Vita est scripta, non solum, quia de translatione tacetur, sed quia etiam insinuatur, corpus fuisse in primo sepulturæ loco, dum Vita est scripta. Præterea idem auctor scripsit Sancti translationem, in qua non solum modo loquendi insinuat, omnia, quæ narrat, nuperrime fuisse peracta; sed novam rursum habet præfationem, in qua luculenter indicat, diversis temporibus scriptas a se fuisse Vitam et Translationem.* De cujus Vita, *inquit,* aliquid adhuc fari cupiverat animus. Sed in libello præcedenti de ejus vita et moribus, quantum iners stylus valuit rimari, secutum est. *Hæc primo evincunt, eumdem esse Vitæ et Translationis auctorem, ut ipse utriusque stylus confirmat, et agnoscit Mazochius.* E

ut ostenditur:

239 *Evincunt præterea, Vitam prius esse scriptam, et post aliquod tempus Translationem. Si enim consequenter utrumque libellum scripsisset; non poterat redire cupido rursum aliquid* de vita et moribus *memorandi in secundo libello, cum id totum fieri deberet in primo. At post aliquot menses, et forte post annum unum alterumve, quando peracta erat translatio, et enarranda veniebat, poterat viro S. Athanasii amanti, cupido nova incessere vitam et mores laudandi, idque revera contigit. At eam repressit vir prudens, quod omnia abunde enarrasset; subjunxitque :* Nunc vero de ipsius miraculis, et reversione ipsius Sancti corporis sermo texendus est. *Non attendam ad vocem* reversione, *aut ad plura similia, quibus insinuatur nuperrime facta translatio; sed solum investigabo, cur tunc auctori de reversione sermo texendus esset. Causam ipse edicit, ubi conquestus erat de iis, qui etiam defuncto S. Athanasio detrahebant, hisce verbis :* Sed.... pius Redemptor de suis fidelibus disponit famulis, prout ejus potestatis immobilis est voluntas, qui nobis B. Athanasii reliquias reddere dignatus est, in propriam illum sedem reducens, ut de tanto patre gratificemur, et Domino proinde laudes sedulas referamus. *Hæc tam clare significant, tempore auctoris factam esse translationem, ut difficulter dicendo obscurari valeant, et hujus saltem Vitæ epocham inter errores scriptorum Neapolitanorum numerare non debeat Mazochius.* F

quod ineptis ratiociniis frustra negat Mazochius:

240 *Hic tamen, cum laudatam Vitam ubique inveniat suis assertis oppositam, in dicto Opusculo pag.* 36 *et* 37 *de ejus epocha vitilitigare voluit, spemque*

A *spemque verbis simulans, ita loquitur :* His igitur de causis, et quod stylus multo cultior quam pro IX aut X seculi captu videtur; numquam adducar, ut credam, hunc scriptorem sive æqualem sive supparem S. Athanasio fuisse. *Verum objectiones examinemus. Una jam data habet, stylum esse cultiorem, quam pro captu* IX *seculi, quo ad finem vergente Vitam nos credimus scriptam. Falsa est hæc assertio : neque enim deerant scriptores* IX *seculo, qui stylo tali utebantur, neque melior seculo* IX *aut* XII *erat stylus scriptorum, quam* IX. *Altera, aut potius prima, Mazochii ratio est, quod biographus ille de Ludovico Pio num.* 7 *dicat,* cognomento Almum *dictum. Hoc cognomen, si Mazochio credimus, de Ludovico Pio non reperitur usitatum ante seculum* XI, *affertque Chronica Casinense et Vulturnense, in quibus idem reperitur. Habent illa Chronica Ludovicum fuisse* Almum *cognominatum. Qua autem veritate id asserere poterant laudati Chronographi, si ante ipsos nullus eo cognomine erat usus ? Erat igitur ante illos usitatum. Qua modo verisimilitudine inferet Mazochius, usum illius cognominis potius inchoatum seculo* XI, *quam* IX ? *Contra verisimilius est, aut vivente aut non diu defuncto Ludovico, cognomen* Almi *a paucis usurpari cœptum, quam duobus seculis post mortem ejus, et auctoritas biographi, quo de agitur, sufficit, ut ea de re minime dubitemus. Frivola igitur est illa Mazochii objectio, et nihilo melior est alia, quam ut responso indignam omitto. Fallitur sane Mazochius, si id genu ineptiis argumenta certissima, quibus auctor probatur coævus, infringi existimat : neque enim sexcentis ejusmodi ratiociniis vel minimum evincet apud prudentes. Ab hac velitatione, quæ ad controversiam de gemino episcopo non erat omnino necessaria, ad rem ipsam accedamus.*

B

Sententia Baronii et Papebrochii asserta in dicta Vita.

241 *Laudatus auctor Vitæ S. Athanasii cap.* I *multas accumulat laudes urbis Neapolitanæ, atque inter alia ejus decora hoc recenset :* Nam et introrsus binas præsulum gestat sedes ad instar duorum Testamentorum, quamquam una sit, quæ eam gubernat et regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi. *Locus cum nonnulla diversitate producitur ab aliis; sed ea lectionum varietas nihil ad rem facit ; omnesque ex loco diversimodo lecto æque validum sumunt argumentum, quo ostendunt, alteram fuisse cathedralem episcopi Latini,* C *alteram Græci Latino subjecti. Hinc Mazochius part.* 2 *cap.* 2 *sect* 3 *ait :* Ac satis scio, hunc locum terriculamento apud eos fuisse, qui tamen satis suopte ingenio ab ea sedium duplicate abhorrerent: itaque multos ad hunc locum tamquam ad Maleæ promontorium expavisse ; nec tantum Chioccarellum pag. 96, Caracciolum et alios plures, sed et ipsum Baronium hac auctoritate fractum, fateri coactum, fuisse interdum (nam, uti dixi, vir magnus in recitatis Vitæ verbis pro INTRORSUS legere INTERDUM maluit) tempus, quo bini episcopi, sed unus alteri subjectus, Neapoli consederint. *Eadem Baronii est sententia et Papebrochii in S. Fortunato, ubi num.* XI *observavit,* paucos forte sis Græcos sedisse. *Ut autem studiosus lector advertat, qua de causa id factum fuerit, observandæ sunt vicissitudines sermonis olim Neapoli prævalentis. Fatetur Mazochius, ante natum Christum et seculo* I *æræ Christianæ civitatem fuisse Græcam, sed eam paulatim ex consuetudine cum Romanis Latinam factam. Fortasse paulo citius, quam probari valeat, totam deinde quasi Latinam facit ; at hisce non lubet insistere.*

242 *Fatetur saltem, Græcum sermonem seculo* VI *vires resumpsisse Neapoli, quando Gothis erepta a Belisario, cœpit subesse imperatoribus Constantinopolitanis. Erant itaque plures Neapoli Græcorum ecclesiæ, quæ deinde paulatim diminutæ sunt. Verumtamen, fatente Mazochio,* sex Græcorum ecclesiæ adhuc XIII perdurabant, hujusmodi distinctæ nominibus, « Ecclesia S. Georgii ad Forum, S. Januarii ad Diaconiam, Sanctorum Joannis et Pauli, S. Andreæ ad Nidum, S. Mariæ Rotundæ, S. Mariæ ad Cosmodin. » *Si autem sex erant, postquam seculo toto sub Latinis principibus fuerat civitas, verisimile est, plures fuisse seculo* IX, *quando tribus seculis obnoxia Græcis imperatoribus fuerat Neapolis. Certe biographus S. Athanasii nullibi insinuat, plures suo tempore Neapoli fuisse Latinos, quam Græcos. De Neapoli num.* 5 *dicit :* In qua laici simul cum clericis assidue Græce Latineque communi prece psallunt Deo. *Rursum num.* 20 *:* Inter hæc Græca Latinaque pars sacerdotalis *etc. Et in Translatione num.* 7. Confluebant autem uterque sexus, et ætas diversa ; et qualiter poterant, psalmodiæ cantus utriusque linguarum Græce et Latine suavi modulatione resonabant. *Ex hisce abunde constat, Neapolim seculo* IX *partim Latini sermonis fuisse, partim Græci. Græcos* E *quoque usos fuisse ritu Græcorum in sacris ministeriis, et in administratione Sacramentorum, nullus negare poterit. Itaque mitto alia, quæ ad illlud probandum afferri possunt.*

Auctore J. S. eaque de se verisimilis ob diversas Neapoli linguas :

243 *Ex dictis autem intelligimus, ministerium episcopi Græci utile fuisse Neapoli, et utcumque necessarium ad Græcis administranda ea Sacramenta, quorum administratio solis reservatur episcopis. Examinemus modo, an allegatus locus pro gemino episcopo non sit tam clarus, ut nequeat aliam recipere expositionem, maxime consideratis antecedentibus et consequentibus.* Nam et introrsus binas præsulum gestat sedes ad instar duorum Testamentorum, quamquam una sit, quæ eam gubernat, et regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi. *Frustra laborat Mazochius, ut voces,* binas, præsulum *et* sedes *in alienum detorqueat sensum. Nam vocem* binas *hic significare* duas *liquet ex comparatione cum* duobus *Testamentis, et ulterius ex subsequentibus verbis,* quamquam una sit, quæ eam gubernat, et regit reliquam : *nimirum una regit alteram adjutricem et subjectam. Quod vero vox* præsules *designet episcopos, et vox* sedes *ecclesias cathedrales, liquet primo ex verbis* F gubernat *et* regit, *atque ex additis,* ut capite reguntur artus diversi. *Una enim ex binis illis dicitur ut caput regere alteram cathedralem, simulque omnes alias civitatis ecclesias. At regere ecclesias omnes alicujus civitatis episcopi est, non alterius. Secundo de* frequentissimis ecclesiis, *et de* monasteriis *paulo ante generatim meminit auctor. Tum vero* binas præsulum sedes, *ut singulare urbis decus, speciatim commemorat, ut nequeant aliæ intelligi, quam præcipuæ sive cathedrales, quemadmodum voce* præsulum *indicatur. Tertio voce* præsul *sæpius idem auctor utitur, eaque voce ubique designat episcopum. Ita num.* 6 *S. Athanasius* ejusdem urbis præsul *dicitur. Sic num.* 8 *meminit* Athanasii Alexandriæ præsulis. *Num.* 9 *S. Joannes IV primum Neapolis* præsul *et mox* pontifex *vocatur, ac iterum num.* 10 præsul. *Rursum num.* XI *S. Athanasius dicitur* præsul *sicut et ejus successor Athanasius in Translatione num.* 3, 4, *et bis* 6, *ac eodem iterum titulo insignitur defunctus S. Athanasius num.* 7, 11, 17 *et* 21. *Itaque cum idem auctor decem et tribus locis voce* præsul *episcopum designet, nec ea ullibi in alia significatione*

nequit illa Vita alio sensu exponi, ut ex adjunctis probatur.

AUCTORE J. S.

significatione utatur, vel sola hæc ratio evincit, per præsules in loco controverso episcopos designari, sicut ipsa adjuncta luculenter insinuant.

Inepte Mazochius per præsules parochos vult intelligere,

244 Quapropter inani labore non minus se ipse torsit Mazochius, quam allegatas voces, dum iis alienas, quas renuunt, significationes attribuere voluit. Miseret sane me viri eruditi, qui conatur probare, quod nulla subtilitate probari potest. Enumerat varias significationes vocis præsul, eamque usurpatam vult pro quibusvis præpositis sive profanis sive sacris. Tum ait, complures fuisse Neapoli ecclesias, cum Latinas, tum Græcas, quibus præpositi erant presbyteri. Hos autem presbyteros vult præsules vocatos, atque eorum ecclesias præsulum sedes. At loci adjuncta omnia talem expositionem, aut potius vocis depravationem, aperte renuunt. Nam multo plures erant ecclesiæ, quibus præerant presbyteri; at duæ memorantur præsulum sedes. Præterea una ex his regit, quod certe non congruit ecclesiæ, cui solum præerat presbyter. Demum presbyterum sive parœciæ præfectum umquam præsulem fuisse vocatum, non ostendit Mazochius, quamquam lubens fateor, abbates subinde etiam præsules vocari. Verum frustra quærentur diversæ significationes B illius vocis, cum scriptor ipse, de cujus loco disseritur, ea voce toties in eadem episcopi significatione utatur, ut ibi aliam illi significationem affingere non potuerit, nisi data opera nos decipere ineptissima locutione voluisset. Verba Innocentii Papæ III, quæ objecit Mazochius, examinabo inferius, ostendamque ibi per præsulem significari episcopum.

nec minus inepte vocem binas explicare nititur.

245 Vocem binas, qua ibi non vult duas significari, mire torquet laudatus Mazochius. Quod binas, inquit, eas sedes dixit, non sic accipe, quasi si duas dixisset, sed quasi duplices, hoc est, DUORUM GENERUM, aut vero, si mavis, quasi si dixisset BILINGUES. Nam utrumque horum potest per illud binas designari. At falsum est, voce binas exponi posse duorum generum aut bilingues. Probatio Mazochii non minus inepta est, quam dicta vocis bini expositio commentitia. Allegat Cyrilli Glossas Græco-Latinas, aitque, voci Græcæ δισσὰ (duplicia) repondere bina, et vocem δισσὸς exponi bilinguis. Ex his nova prorsus dialectica infert, Cyril- C lo BINUS et BILINGUIS fuisse propemodum synonyma; quia utrumque nomen e regione τοῦ δισσὸς (hoc est, duplex posuit. Riderent sane, si viverent, Chioccarellus et Caracciolus, suos scilicet errores ejusmodi ratiociniis corrigi. Vox Græca λόγος æque exponitur ratio et sermo. Ideone ratio et sermo propemodum synonyma sunt? λόγοι rursum significat ineptias aut figmenta. Quis modo prudens ducat, prope synonyma esse rationes, sermones, ineptias, figmenta? Verum mittamus logos, logica destitutos; et candide edicamus, nec Glossarium Cyrilli, nec ullum aliud profuturum Mazochio, ad probandum, vocem binus, quæ reddi aliquando duplex potest, similiter exponi posse duorum generum, aut bilingues. Quanto diutius id tentabit, tanto plures dabit ineptias. Nam per binas præsulum sedes intelligi duas ipsæ voces indicant, et confirmat adjuncta comparatio cum duobus Testamentis.

Anno 347 videntur Calepodius simul et Fortunatus

246 Papebrochius noster credidit, se revera duos simul episcopos Neapoli invenisse, quia eodem anno 347, quo sedebat S. Fortunatus, reperitur aliquis Calepodius, qui similiter videtur episcopus fuisse Neapoli. Certe apud Labbeum tom. 2 Conciliorum col. 658 Concilio Sardicensi legitur subscripsisse Calepodius Neapolitanus, qui in Fragmentis S. Hilario perperam attributis col. 1293 dicitur Calepodius a Campania, ut dubitandum D non videatur, quin fuerit episcopus Neapoli in Campania. Interim eodem anno episcopi S. Athanasio inimici, qui se subduxerunt e concilio Sardicensi, et Philippopoli conciliabulum habuerunt, ibidem col. 699 scribunt Fortunato Neapolis Campaniæ episcopo. Videntur igitur simul episcopi fuisse Calepodius et Fortunatus; cumque Fortunatum inter episcopos Neapolitanos recenseat Joannes Diaconus, non item Calepodium; existimavit Papebrochius, S. Fortunatum Latinum fuisse ac præcipuum, Calepodium vero Græcum ejus adjutorem. Respondet ad hæc Mazochius, circa medium seculi IV Neapoli necessarium non fuisse episcopum Græcis, ut qui tunc nulli in hac urbe erant. At nec verisimile id est, nec probatum a Mazochio, imo numquam probandum. Ad alia igitur ejus responsa progredior.

Neapoli sedisse episcopi.

247 Respondet primo, Calepodium post subscriptum concilium Sardicense mori potuisse eique succedere Fortunatum, ad quem Philippopolitanum conciliabulum transmiserit decretum suum. Nec probabilis nec verisimilis est hæc responsio: E nam eo tempore habebatur concilium Sardicense et conciliabulum Philippopolitanum. Ordinatio autem Fortunati non poterat Neapoli, nisi cognita morte Calepodii, qui concilio, utique finito, subscripsit. Itaque, etsi fingamus mortuum, antequam redierat Neapolim, saltem notabili tempore ordinatio Fortunati posterior esse debebat concilio Sardicensi ob ingentem distantiam, quæ est inter Sardicam, Mœsiæ circa Thraciæ confinia urbem, et Neapolim. Philippopolenses vero ad S. Fortunatum scribere non poterant, nisi audita ejus ordinatione, quam illi in Thracia ante finitum conciliabulum verisimiliter non intellexerint: neque enim credibile est, S. Fortunatum ad episcopos tam longe dissitos, et ab ecclesia Catholica dissentientes, de sua ordinatione nuntium misisse. Gratis igitur, et contra omnem verisimilitudinem fingitur, epistolam conciliabuli Philippopolitani missam ad Fortunatum Calepodii successorem. Ut hoc fieri potuisset, necesse erat, et conciliabulum dictum aliquot mensibus fuisset continuatum post concilium Sardicense, quod factum non videtur. Vidit ipse Mazochius, responsum illud parum esse probabile; alterumque addidit nihilo probabilius, nimirum Calepodii et Fortu- F nati nomina ejusdem esse episcopi Neapolitani. Scripsissent igitur Philippopolitani ad episcopum concilii Sardicensis, quocum convenire noluerant, et a quo erant condemnati. Utraque responsio est volentis aliquid dicere, et nihil probabile invenientis.

Objectus canon Nicænus prohibet, ne duo sint ejusdem civitatis episcopi æquales.

248 Audiamus tamen argumenta, quibus Mazochius evincere nititur, numquam duos Neapoli fuisse episcopos, non dico æquales, quos nemo umquam admisit, sed ea etiam ratione, ut unus alterius pro Græca parte esset vicarius, eique subjectus. Clamat laudatus scriptor, contra canones contraque receptos mores esse, si duplex eidem civitati detur episcopus, objicitque canonem Nicænum VIII, ex quo profert hæc verba: Ne in una civitate duo sint episcopi. Verum si totus canon consideretur, satis patebit, solum agi de duobus episcopis potestate æqualibus, quorum unus alteri non sit subjectus. Apud Labbeum tom. 2 Conciliorum col. 47 Canon ille agit de Novatianis, qui voluissent ad Ecclesiam Catholicam redire; eisque conceditur, ut redeuntes maneant in suo ordine. Tum cavetur, ne Catholici episcopi, presbyteri et diaconi locum suum amittant, accedentibus ad Ecclesiam Novatianis. Verba subjungo: Si vero, episcopus

A episcopus vel presbyter Ecclesiæ Catholicæ fuerit, ad quem aliquid ex his *(Novatianis)* accedunt, certum est, quod episcopus quidem Catholicus suam habeat dignitatem, similiter autem presbyteri et diaconi habeant. Hi vero, qui ab istis *(Novitianis)* veniunt, si forte episcopus fuerit, habeat sacerdotii dignitatem : nisi forte placeat Catholico episcopo concedere ei etiam episcopalis nominis honorem. Si vero non placuerit, inveniat ei locum, ut * sit in parochia chorepiscopus, aut in clero presbyter ; ut in civitate una non videantur duo episcopi esse, et ille omnimodis in clero permanere videatur.

* *al.* ubi

non item ne civitati, episcopus habeat episcopum adjutorem aut vicarium.

249 *Poterat episcopus Catholicus concedere accedenti et converso Novatiano* episcopalis nominis honorem. *Poterat itaque permittere, ut alius in sua civitate degeret et vocaretur episcopus : poterat eidem parochiam assignare, in qua chorepiscopus esset, et munia episcopalia obiret chorepiscopis licita. Canon itaque permittit, ut aliquo sensu duo in una civitate sint et nominentur episcopi ; non item ut duo eamdem civitatem jure episcopali æqualiter regant, aut ut duo ejusdem civitatis sint capita. Quapropter dictus canon adeo* B *non favet Mazochio, ut eidem potius sit contrarius. Nam sicut civitatis episcopus alteri concedere poterat, ut honore et nomine episcopali in sua civitate gauderet ; ita procul dubio ejus opera uti poterat in concionibus, in administratione Sacramentorum, in aliis officiis episcopalibus ; quemadmodum plures fecerunt, iique sanctissimi ac doctissimi episcopi. Quis necsit, S. Gregorium Nazianzenum, hortante S. Basilio, pro patre episcopo Nazianzeno episcopatum administrasse ? Peccavitne igitur in canonem Nicænum uterque S. Gregorius Nazianzenus, quia filius patrem in administratione episcopatus juvit ? Peccavitne in eumdem canonem Chrysostomus, quando administrationem ecclesiæ suæ Constantinopolitanæ commisit Severiano Gabalorum episcopo ? Non dicet hoc Mazochius, opinor. Attamen non video, canone Nicæno magis prohiberi episcopo Neapolitano episcopum Græcum habere adjutorem pro ecclesiis Græcis, quam Nazianzeno episcopo filium habere vicarium aut administratorem, aliisque alios episcopos adjutores; modo absolutum jus* C *administrationis apud unum remaneat.*

Verba concilii Lateranensis directe Mazochio sunt contraria;

250 *Objicit secundo Mazochius capitulum* IX *concilii Lateranensis* IV, *cui præfuit anno* 1215 *Innocentius III. Capitulum apud Labbeum tom.* XI *col.* 161 *sic habet :* Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores ; districte præcipimus, ut pontifices hujusmodi civitatum sive diœcesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina officia illis celebrent, et ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas, sive diœcesis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed, si propter prædictas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci Catholicum præsulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi obediens et subjectus. *Non poterat afferri canon ad propositum nostrum accomodatior. Dicta autem decreta fuerunt facta pro ecclesiis Cypri insulæ, ubi Latini tunc cum Græcis erant mixti. Profecto aut ego multum fallor, aut allegatis verbis decernitur, ut id ipsum fiat, quod olim Neapoli factum credimus. Primo jubet concilium, ut in civitatibus diversarum linguarum et rituum, quales Neapoli erant ritus Latinus et Græcus, episcopus idoneos pro singulis ritibus provideat ministros. Secundo prohibet, ne in una civitate duo sint episcopi æquales, sive* diversa capita *ejusdem corporis. Tertio si propter diversitatem rituum* urgens necessitas postulaverit, *jubetur episcopus civitatis episcopum alium pro iis, qui diversi ritus sunt, vicarium constituere sibi subjectum. Cum enim episcopo ritus Latini non liceat uti ritu Græco, quomodo presbyteros aliosque clericos ordinabit Græcos, sive pro ritu Græco ? Thomassinus in Opere de veteri et nova ecclesiæ Disciplina part.* I *lib.* I *cap.* 29 *eumdem concilii Laterensis locum recitat, eodemque modo explicat, ac pluribus exemplis confirmat.*

quin ea in falsum sensum frustra trahit :

251 *Mazochius, qui* Catholicum præsulem *intelligere vult sine Ordinatione episcopali, nimium confidit de benevolentia eruditorum si commentitias id genus ac violentas verborum expositiones, quibus totum illud Opusculum abundat, iis placituras existimaverit, præsertim quando adjuncta omnia, ut hic fit, repugnant. Si clarissimus Ma-* E *zochius inspicere solum cogitasset Constitutionem Cypriam Alexandri IV, non dubitasset de episcopis Græcis intra diœceses Latinorum episcoporum statutis in Cypro, et quidem electis a clero Græco, sed confirmatis ab episcopo Latino, cui obedientiam promittebant. Legitur ea Constitutio apud Labbeum tom.* XI *col* 2253. *Ex illa solum huc transfero modum, quo Græci episcopi erant promovendi :* Quoties quamlibet prædictarum sedium Græcorum præsule vacare contigerit : alter a clericis sedis ejusdem, invocata Spiritus sancti gratia, in episcopum eligatur. Cujus electionem Latinus pontifex, in cujus diœcesi fuerit sedes illa, si eam invenerit de persona idonea celebratam canonice, auctoritate ordinaria rite ac sine difficultate confirmet, ac sibi faciat per episcopos Græcos vicinarum diœcesum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, munus consecrationis impendi ; episcopalem solicitudinem atque curam monasteriorum, ecclesiarum, cleri et populi Græcorum, in sua civitate atque diœcesi consistentium, auctoritate propria commissurus eidem, et recepturus ab eo F juratoriam professionem obedientiæ. *Hæc, opinor, sufficiunt, ut quilibet perspiciat, non minus falsam, quam inepte excogitatam, esse expositionem vocis* præsul *in verbis Innocentii III, qui de Cypro insula agit, de qua etiam loquitur Alexander IV. Necessitas Græcos Catholicos juvandi effecit, ut iis Græci darentur episcopi, sed Latinis subjecti. Non erant sic duo capita ejusdem corporis ; omnibus tamen erat prospectum.*

episcopus Græcus Romæ ad Græcos ordinandos statutus.

252 *Ob similem necessitatem Clemens Papa VIII in Constitutione* Sanctissimus, *quæ in Bullario est* 34, *hæc statuit :* Insuper idem Sanctissimus D. N. constituit, Romæ habendum esse episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos episcopis Latinis Italiæ et insularum adjacentium subjectos, ab episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet. *Non audebit asserere Mazochius, hæc esse* contra canones contraque receptos mores *Idem tamen est, quod Neapoli factum credimus : nam qui Græcus ibi aliquando fuit episcopus, non solum Græcis illius civitatis ecclesiis ministros ordinare poterat, sed etiam aliis vicinis ditionis Neapolitanæ, ubi erant necessarii. Quod objicit Mazochius de diversitate linguarum in variis regionibus, in quibus*

AUCTORE J. S.

quibus tamen unicus est episcopus, ad rem non facit. Nam diversitas linguarum non inducit necessitatem plurium episcoporum, nisi diverso etiam ritu sacra peragantur. Quod additur de diversitate ritus in Apulia, Lucania, Brutiis, *ubi* hodieque, *ut testatur*, pars Latino ritu, pars Græco sacra faciunt, *etiamsi Latinum dumtaxat habeant episcopum, etiam non urget. Nam ut illis ecclesiis Græcis ministri ritu Græco ordinari possint, Ecclesia Romana habet episcopum Græcum, ut ex verbis Clementis VIII perspeximus. Demum silentium Joannis Diaconi de episcopis illis Græcis nihilo plus evincit: nam ille solum recensuit episcopos Neapolitanos, qui diœcesim jure episcopali regebant, omissis eorum adjutoribus. Hæc mihi sufficere videntur ad asserendum ecclesiæ Neapolitanæ episcopum olim Græcum, Latino subditum. De ecclesia, in qua ille sacra peregit, non disputabo, ne longuis recedam a* S. Januario. *Illud solum Neapolitanos amice moneo, ne operosis magis quam solidis Mazochii ratiociniis, quibus persuadere nititur, ecclesiam S. Restitutæ esse antiquam Stephaniam, nimium fidant.*

B

§ XVIII. Inquiritur, quo loco caput et sanguis S. Januarii fuerint conservata: oratorium apud ecclesiam cathedralem seculo IX a S. Athanasio constructum, eique illatas dictas reliquias, non probatur.

Caput S. Januarii haud dubie una cum corpore

Quamquam multa hactenus disserui de translationibus corporis S. Januarii, *omniaque assignavi loca, in quibus illud variis temporibus fuit conservatum, de capitis tamen et sanguinis translatione studiose silui, ut ab hac inquisitione ad perpetuum sanguinis liquescentis miraculum continuo procedere possem. Inquirendum igitur venit hoc loco, ubi caput et sanguis, de quibus apud antiquiores altum est silentium, olim conservata fuisse videantur. Varias hac de re invenio opinio-* C *nes, ut contingere solet in rebus obscuris. Dubitari non potest, quin pretiosæ illæ capitis et sanguinis reliquiæ Puteolis Neapolim fuerint translatæ; sed ambiguum videtur, utrum una cum corpore, an citius aut serius eo fuerint delatæ, cum in Actis translati corporis nulla de capite aut sanguine fiat mentio. Verum cum nulla similiter notitia reperiatur, saltem vetusta, de translato seorsum capite aut sanguine, probabilius certe ac verisimilius est, caput et sanguinem fuisse una cum corpore in eodem loculo, quando corpus ex primo sepulturæ loco ad ecclesiam suburbii Neapolitani translatum est. Neque enim est, cur dubitemus, quin corpus et caput simul fuerint sepulcro tradita, ut passim factum est in sepulturis martyrum. De sanguine collecto nullum quoque potest esse dubium, cum ferventissimo studio martyrum sanguinem colligere solerent Christiani, ut variis locis probat Aringus in Roma subterranea.*

sepulcro illatum fuit, et verisimiliter etiam sanguis.

254 *Non æque certum est, sanguinem intra sepulcrum ab initio fuisse depositum; nam aliquando Christiani sanguinem, sive in linteis sive in vasculo collectum, intra sepulcrum deposuerunt; et non raro etiam vascula vitrea aut testacea, sanguinem continentia, ita inseruerunt parieti lateri-*

tio, quo clauduntur sepulcra, ut foris cernantur, D *quemadmodum in cæmeteriis Romanis ipse plura id genus vascula, integra ac sanguine tincta, cæmento sepulcrorum affixa vidi. Quin et tria ex iis sepulcris, quibus vascula erant præfixa in muro, nobis tunc primum aperta fuere; sed in illis nihil vidimus præter ossa corporum. Videntur et nonnulli fuisse, qui sanguinem martyrum, linteis aut vestibus aspersum, religiose apud se servarent. Ex hisce igitur certum non est, sanguinem* S. Januarii *intra sepulcrum fuisse depositum cum corpore et capite. Attamen, si attendamus ad sepulturæ adjuncta, et consideremus ampullas, quibus sanguis ille pretiosus etiamnum conservatur, verisimillimum fiet, sanguinis ampullas cum corpore et capite fuisse sepulcro illatas. Nam Neapolitani dicuntur rapuisse Sancti corpus et sepeliisse, ut verisimile non fiat, uni alicui ampullas, in quibus collectus erat sanguis, fuisse relictas. Neque enim permisissent alii, quantum videtur, ut unus aliquis thesaurum ipsum sibi solus vindicaret. Credunt Neapolitani, a pia femina collectum fuisse* S. Januarii *sanguinem, ut* E *insinuat Caracciolus in Historia* S. Januarii *cap.* 20 *sect.* 16 *his verbis*: A fœmina quoque S. Januarii sanguinem fuisse collectum, indicat egregia ejus imago, in valvis organi archiepiscopalis ecclesiæ ab insigni pictore Georgio Vasario depicta tempore Pauli Papæ III: et alia in porticu ecclesiæ sancto Martyri dicata extra mœnia civitatis. *Conjecturam illam dat Carracciolus tamquam verisimilem, quia feminæ piæ ejusmodi officia obiisse subinde leguntur.*

255 *At neque ipse, neque alii Neapolitani, reliquis eruditione præstantiores, cogitationem illam aliquot pictorum pro traditione bene fundata allegant. Chioccarellus dissertationem suam de sanguine* S. Januarii *in Collectione Ms. ita orditur*: Primo esset indagandum, quis sanguinem illum divi Januarii ejus decollationis tempore collegerit, quod haud habetur exploratum. Attamen in antiquis quibusdam picturis ac iconibus, in aliquot templis existentibus, inspeximus a muliere quadam fuisse collectum: quod credibile ac verisimile videtur, mulierem id egisse, cum devotus fæmineus sexus id agere consueverit: sed sanguis ille tamdiu celatus ac ignotus extitit, ut per tot sæcula nulla de eo notitia fuerit habita. *Tum allegat Acta, Miracula, aliaque documenta antiqua, in quibus de sanguine* F *nulla fit mentio. Ex eo autem silentio colligit, certo resciri non posse, quis* S. Januarii *sanguinem collegerit. Ex eodem silentio laudatus Chioccarellus acriter refutat opinionem popularem, quam dolet a nonnullis obtrusam fuisse pro traditione ecclesiæ Neapolitanæ, nimirum sanguinem Sancti a muliere, quæ illum collegerat, fuisse servatum, donec* S. Januarii *corpus Neapolim esset translatum; ac tum demum eam* Neapolitanis civibus significasse, se servare ejus Sancti sanguinem,... ac velle eum illis tradere, ut una cum capite ac corpore servarent. *Quam improbabile sit illud figmentum, quod summa cum indignatione refutat Chioccarellus, vel ex solo translationis tempore colliget studiosus lector. Nam, ut probatum est* § 7, *translatio prima toto fere seculo posterior est martyrio* S. Januarii, *ut minime sit verisimile, personam, illam quæ* S. Januarii *sanguinem collegit, usque ad illam translationem superfuisse.*

Certe credibile non est, a persona, quæ eum collegerat, diu servatum,

256 *Adjuncta traditionis improbabilis ita exponit Chioccarellus*: Neapolitani vero eo nuncio exhilarati sunt, ac valde illum *(sanguinem)* exoptare dixerunt. Ac dicta die, qua mulier se venturam dixerat,.... venit per viam Appiam, qua

et post corporis translationem a muliere prolatum,

e

A e Puteolis Neapolim gradiebatur. Neapolitani vero ea die cum episcopo et clero, ac maxima fidelium turma, et universo populo caput D. Januarii deferentes, et clerici processionem tunc gestantes, atque obviam euntes, præ nimio calore in mense Maio coronas e rosis aliisque floribus eorum capitibus imponentes, processerunt : atque mulieri obviam facti sunt in villa quadam prope Neapolim, quæ Antinianum vocatur, et secundo *(lapide, opinor,)* distat ab urbe Neapoli, ubi postea in ejus facti memoriam ædicula, seu sacellum D. Januario erectum est. Mulier vero illico sanguinis phialam protulit; qui durus et concretus erat, et in conspectu capitis posita (*scilicet phiala,*) liquescere ac ebullire sanguis visus est. Et exinde observatum atque perspectum fuit, ut, cum sanguis capiti appropinquaret, liquefieret, cum autem elongaretur, duresceret : et ab eo sumpsit initium, et cœptum est liquefactionis ejus sanguinis miraculum singulis annis eo mense renovari, quod huc usque servatur, vocaturque festum delli preti inghirlandati.

quod primus scripsisse dicitur Paulus Regius,

257 *Hactenus Chioccarellus, exponens aliorum asserta, quæ mox refutat his verbis* :Hujus autem traditionis scriptor omnium primus fuit et antesignanus Paulus Regius, canonicus prius Nea- B politanus, deinde Vici Æquensis episcopus, in Actis S. Januarii, quæ scripsit : et quis revelaverit, aut quo auctore didicerit, ac unde depromserit tam recens scriptor, qui post annos MCCC (*imo* MCC *fere a prima translatione)* floruit, aut quis assertam traditionem ejus auribus intonuerit, ignoramus. At dolemus, ut tam recens scriptor, quod veteres nescierunt, vel posteris non tradiderunt, is suo marte effingere, ac uti vera, et pro antiqua traditione tradere, ac scribere non sit veritus, quod falsum deprehenditur. Scimus enim, Paulum tot tantosque libros de Sanctis hujus civitatis ac regni scripsisse, sed parum diligenter et infauste, et infelicissime, adeo ut Antonius Caracciolus in libello de Patria D. Januarii eum Paulum appellet minorum gentium scriptorem, et solo cognomine Regio, cæterum autem plebeio ingenio et stylo. *Hæc miro candore Chioccarellus, addens Pauli Regii asserta ab aliis pluribus, quos* more pecudum *secutos dicit, adoptata fuisse.*

et nonnulli deinde adoptarunt,

258 *Prudentem Chioccarelli crisim non adoptarunt omnes Neapolitani scriptores, sive quod illa ejus scripta numquam fuerint vulgata, sive quod* C *plures Regium jam ante essent secuti, horumque asserta avide fuerint excepta. Certe novellam illam traditionem etiam exponit Tutinus cap.* 15 *cum aliqua tamen mutatione, cum velit, corpus, caput et sanguinem* S. Januarii *simul Neapolim fuisse translata; liquefactionem vero sanguinis contigisse in colle Antiniano, postquam episcopus Neapolitanus omnes prædictas reliquias ibidem exceperat, et sanguinem capiti opposuerat. Addit præterea, corpus tunc fuisse translatum ac ecclesiam extra muros civitatis conditam, quod certum est, caput vero et sanguinem ad ecclesiam cathedralem, de quo necdum constat. Tutinum aliosque, quos laudat, novissime secutus est Hieronymus Maria a S. Anna in Vita lib.* 2 *cap.*5, *vocatque* opinionem communem *historicorum Neapolitanorum.*

non tamen omnes ; ut probatur,

259 *At certe inter historicos Neapolitanos eruditiores est Caracciolus mox laudatus, qui sect.* 16 *non obscure Tutini opinionem refellit.* Nam primo existimat, ampullas istas *(sanguinis)* cum ejus (S. Januarii) corpore fuisse tumulatas; *non vero conservatas a muliere usque ad corporis translationem. Mox conjicit, ampullas fuisse* in Stephaniam *translatas, sive in ædem cathedralem, quando corpus a Sicone Beneventum fuit translatum, id est, seculo* IX; *caput vero jam antea in cathedrali fuisse. Deinde relata opinione Tutini, hæc adversus eam subjungit* : De qua tamen re; nec Acta Translationis, nec scriptores Vitæ S. Severi, et Joannis, qui tunc erat Neapolitanus episcopus, meminerunt. *Tum alia laudat documenta medii ævi, in quibus de liquefactione sanguinis* S. Januarii *nulla fit mentio, subditque* : Itaque incertum apud me est, quo primum tempore ea liquescentia vel contigerit, vel fuerit observata. Omnino autem, si non statim ab ejus cæde contigit, sed multis post seculis, id in occultam Numinis providentiam rejiciendum est. *Illustrissimus Sabbatinus in Annotatis ad vetustum Calendarium Neapolitanum tom.* 9 *Diss.* 7 *pag.* 121 *agnoscit, certo dici non posse, quo tempore sanguis* S. Januarii *primum Neapolitanis innotuerit, et pag.* 122 *insinuat, non placere sibi opinionem ante relatam, quæ glorioso traditionis nomine insignita fuit a pluribus, indignante Chioccarello, ejusque refutationem his verbis ordiente* : Unde autem aliqui scriptores, ne dicam nebulones, didicerint, deprompserint, sive confinxerint, ab antiquis fuisse traditum, et esse traditionem ecclesiæ Neapolitanæ *etc.*

et merito :

260 *Similiter clarissimus Mazochius dictam opinionem de sanguine primum liquescente, aut* E *prima corporis translatione, aut paulo post adeo contempsit, ut in Dissertatione historica de Ecclesia Neapolitana semper unica, ubi pag.* 50 *in epocham liquescentis primum* S. Januarii *sanguinis inquirit, ne referendam quidem aut refutandam duxerit; candideque edicat,* frustra se fatigare scriptores *aliquod Neapolitanos* in figenda sanguinis liquefacti epocha. Nam, *inquit,* si quid tale umquam sæculis illis remotioribus ac martyrio proximioribus acciderit, id plane ignoramus. *Recte hæc Mazochius. Si enim merito contemnitur, quidquid recentior scriptor de rebus adeo vetustis asserit sine antiquorum testimonio, quam fidem habere possumus Paulo Regio, post duodecim fere secula asserenti, sanguinem* S. Januarii *a muliere conservatum usque ad primam corporis translationem, tum demum præsuli Neapolitano traditum, eodemque tempore liquefactum? Quis, inquam, prudens ejusmodi novelli scriptoris, qui floruit seculo* XVI *ad finem vergente, assertum non contemnat, cum nullum alleget scriptoris vetusti testimonium, et in scribendo parum fuerit accuratus?* F

cum non videatur vetusta traditio

261 *Non inquiram scrupulose, an ante Paulum Regium nullus illam opinionem asseruerit, quemadmodum affirmat Chioccarellus : nam video eamdem opinionem asseri etiam in Ode, edita apud Caracciolum pag.* 285, *quam nonnemo in Dissertatione aliqua Ms., de hisce ad nos missa, reducit ad seculum* XV. *Verum pag.* 220 *ait Caracciolus ipse* : De horum carminum antiquitate sum quidem dubius. *Carmina vero ipsa maxime videntur congruere seculo* XVI, *et fortasse ipso seculo* XVII, *quo edita sunt, aut exeunte* XVI, *dum florebat Paulus Regius, fuere composita. Si antiqua fuissent, id ex scriptura ipsa vidisset Caracciolus, qui verisimiliter autographa vidit. Chioccarellus, qui hymnos complures et carmina suæ collectioni Ms. inseruit, ea carmina non habet. Quare nihil intererit, illine poëtæ, an Paulo Regio, tribuamus primam illius opinionis inventionem. At certe perperam ab aliquibus vocatur* antiqua *aut* antiquissima *traditio, nisi forsan opinio, quæ ducentos necdum annos attingere videtur, antiqua traditio vocari possit.*

AUCTORE J. S.

possit. Ita quidem conjecturas, quæ statim aliquibus placuerant, et sic utcumque invaluerant, post annos quinquaginta aut sexaginta pro traditionibus vetustis ab aliquibus venditari, alia occasione animadverti.

sed opinio popularis,

262 *Verum in similibus magis versati sumus, quam ut ejusmodi nominum larvis terreamur aut deludamur. Opiniones illas, quas conjecturandi aut fingendi audacia posterioribus seculis peperit, et credulitas populi nutrivit, pro vetustis traditionibus admittendas non credimus; sed vetustas existimamus traditiones, easque pro rerum adjunctis magis aut minus certas, quando earum vetustas antiquis documentis probari potest. Beneventani aiunt, in domo, quam in civitate sua ostendunt,* S. Januarium *fuisse natum, et antiquam vocant traditionem, cujus tamen antiquitatem vetustis documentis probare nequeunt. Non admittent Neapolitani, vetustam revera esse illam traditionem. Neque nos admittere possumus, opinionem ante relatam de liquefactione prima sanguinis* S. Januarii *ex vetusta traditione ortam. Cum enim omnia vetusta documenta, quæ edituri sumus, de illa liquefactione sileant; ac de ea, si facta fuisset, certe mentio fieri debuisset in Actis translationis, et* B *magis etiam in Homilia de miraculis; nihil restat, nisi ut dicamus, minime probabilem esse opinionem illam, omnique solido fundamento destitutam.*

Caput et sanguis verisimiliter translata sunt cum corpore,

263 *Jam vero Mazochius in laudato Opere de Ecclesia Neapolitana unica cap. 5 sect. 2 existimat, caput et sanguinem* S. Januarii *una cum corpore translata fuisse ad ecclesiam* S. Januarii, *in suburbio Neapolitano sitam; ibique semper mansisse usque ad translationem corporis, quod Sico princeps seculo* IX *Beneventum detulit. Primum mihi admodum apparet verisimile, cum nihil innotuerit de capite aut sanguine jam tum seorsum posito. Nulla tamen habentur documenta, quibus ea conjunctio omnino fiat certa. At longe magis incertum est, an caput et sanguis in eadem ecclesia manserint usque ad translationem corporis per Siconem. Nihil hac de re ab antiquis traditur. Ratio vero, quæ allegatur a Mazochio, nequaquam urget. Laudatus scriptor ita loquitur:* Nunc si possumus, inquiramus, quid acciderit, postquam Sico princeps Beneventanus anno DCCCXVII (*imo post illum annum, ut probatum est num.* 120) C ex illa extramurana basilica Januarii corpus Beneventum abstulit. Tunc quidem solum sancti Martyris truncum fuisse asportatum, sacrum vero caput et cruoris ampullas Neapoli remansisse, certissimum est. Ubinam ea pignora remanserint, rogas? Facile viris doctis assentior, ea tunc in eadem extramurana S. Januarii æde remansisse. Nam sive forsan seorsum ibi asservabantur a corpore, sive alia de causa, facile fuit ea duo pignora, sive Siconis piæ aviditati præripere, sive eodem Sicone assentiente retinere. Atqui non diu ibi tantum thesaurum substitisse, sed mox in cathedralem fuisse translatum, minime dubito; etsi quandonam id acciderit, nemo antiquorum scriptum reliquit.

ut non est verisimile, illa mansisse cum corpore usque ad alteram hujus translationem,

264 *Vellem, minus asseveranter conjecturas suas proposuissset clarissimus Mazochius. Non enim capio, qua ratione* minime *dubitet, qui* non diu *post ablatum corpus secuta sit translatio capitis et sanguinis ad cathedralem. Fatetur, nullibi scriptum, quandonam ea translatio fuerit peracta. Non video igitur, cur non æque præcedere potuerit Beneventanam corporis translationem, quam sequi. Neutrum legitur scriptum. Cur ergo postremum eligit Mazochius? Creditne, sacra ea pignora cum* D *corpore fuisse tempore translationis, quia cum corpore ablata non sunt? At id non esset hominis rationem ducem sequentis. Certe contrarium ex ea ratione fit verisimillimum. Neque enim Sico, qui Neapolim non intravit, auferre poterat caput et sanguinem, si ea jam ante in urbem ipsam exant delata, et in cathedrali servabantur. Hoc itaque si factum est, facile capimus, cur ablata non sint. At non ita verisimiles fiunt conjecturæ Mazochii de relicto illo thesauro. Etenim ex Historia translationis constat, Siconem hostili fuisse animo in Neapolitanos, ut verisimile non sit, aliquid reliquiarum* S. Januarii, *ipso consentiente, id ecclesia suburbana relictum. Minus quidem incredibile est, seorsum fuisse servata caput ac sanguinem, eaque de causa non inventa a Sicone. At rursus eam ipsam conjecturam infirmat ipse Mazochius pag. 46 his verbis:* Non solebant martyrum reliquiæ apud antiquos alibi, quam sub altari reponi. *Nam si corpus similiterque caput et sanguis in eadem ecclesia erat sub altari, quomodo non omnia simul invenit ac transtulit Sico, præsertim cum usus fuerit opera alicujus, qui optime noverat, ubi corpus esset repositum? Qui enim corpus assignare poterat, verisimillime novisset etiam, ubi caput* E *esset et sanguis, si in eadem fuissent ecclesia.*

Quæ ad istud probandum allegat Mazochius,

265 *Quare nimis asseveranter de re incerta iterum loquitur Mazochius, ita pergens:* At equidem eam capitis et cruoris translationem medio IX seculo ab S. Joanne Scriba, ejus nominis quarto, quem hujusmodi plurimis translationibus ditasse Stephaniam (*ita vocabatur ecclesia cathedralis*) ex chronographo Joanne constat, factam, ac mox ab ejus successore S. Athanasio nobilem S. Januarii memoriam Stephaniæ adjacentem fuisse adornatam et in ejus altari caput et sanguinem Martyris fuisse recondita, persuasissimum habeo. *Sane rursum non capio, qua ratione id* persuasissimum *habeat Mazochius. Nam eas conjecturas magis destruunt, quam probant, omnia illa, quæ ab eo allegantur ad probandum.* Ac primum omnium, *inquit,* ex quodam Joannis Diaconi loco, nondum cuiquam intellecto, constat, fuisse ante S. Athanasium quamdam S. Januarii ecclesiam, sive potius ecclesiæ rudimentum, quam ipse Athanasius exornaverit, in eaque altare construxerit ejus formæ, quæ ad reliquias (ipsius utique Martyris) recondendas com- F parata videretur. *Audiamus mirabilem Joannis Diaconi locum, quem nemini intellectum credit Mazochius.*

etiamsi vera essent, nihil evincerent.

266 *Laudatus Joannes tom.* I *Scriptorum Italiæ part. 2 pag.* 316 *in S. Athanasio sic habet:* Præterea ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo positam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibi marmoreum altare cum regiolis *(ut habet editio Muratorii, sed alii legerunt* cum regilis, aut cum regulis, *sed* cum regiolis, *id est, cum ostiolis verisimiliter scriptum fuerit)* argenteis. Supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium S. Januarii ejusque Sociorum acupictili opere digessit. *Hic ille locus nondum cuiquam intellectus, quem allegat Mazochius. At numquam probabit, agi ibidem de ecclesia intra aut juxta cathedralem posita. Hoc autem si omnino probari, posset, translatio capitis et sanguinis per S. Joannem S. Athanasii decessorem nihilo magis probaretur. Longe facilius intelligam locum nemini intellectum, quam ullam inveniam connexionem, qua alterutrum ex allegato loco deducat Mazochius. Longum nimis esset omnia Mazochii verba huc transferre, et magis etiam tædiosum. At, si*

A *si dialecticam ego intelligam, tota ejus disputatio nihilo magis prodest ad alterutrum probandum, quam ægri somnia valeant ad veritatem rei somno repræsentatæ ostendendam. Missa igitur tædiosa planeque in rem præsentem inutili dissertatione, inquiram, quænam sit illa ecclesia, quam renovavavit S. Athanasius, quia diversæ de ea sunt scriptorum sententiæ.*

At Joannes Diaconus per ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo positam,

267 *Unica ex omnibus loci expositio mihi naturalis videtur et vera. Est ea Sabbatini in Annotatis ad Kalendarium tom.* 9 *pag.* 116, *ubi ecclesiam* in ipso cubiculo positam *exponit ecclesiam in ipso loco sepulturæ* S. Januario *dicatam. Hanc sententiam jam indicavi num.* 171 *sine ullo dubio, quando necdum perspexeram, locum tam varie exponi. Verum prolixam deinde accepi ab amico Neapolitano Dissertationem Ms. in qua de expositione dicti loci multis disputatur, Sabbatinique sententia oppugnatur, ut alia stabiliatur, quæ est Falconii. Liberum sane mihi erat mutare sententiam, verbulo solum indicatam, ac necdum vulgatam. At argumenta, quæ opponuntur non cogunt, genuinam loci expositionem deserere; sed solum* B *hanc prolixius asserere, et ad argumenta, quæ opponuntur, respondere. Varia significatio vocis* cubiculum *varietati sententiarum occasionem præbuit. Nota satis est Latina vocis significatio, qua indicatur locus, in quo cubile aut lectus habetur, ut nonnulli vocem in allegato loco exponunt.* Cubiculum *medio ævo etiam significabat locum sepulcri; ac tertio designabat sacellum aut oratorium. Duæ hæ notiones satis probantur apud Cangium in Glossario Latino-barbaro; neque eas negabunt adversarii. Reliquas vocis* cubiculum *expositiones non adduco, cum ad propositum nostrum non conducant.*

designat oratorium, in quo fuerat Sancti corpus extra urbem.

268 *Jam vero* cubiculum *a Joanne Diacono ibidem accipi pro loco sepulcri, omnia adjuncta, cum aliis documentis collata, prorsus insinuant. De cubiculo* S. Januarii *crebra fit mentio in Homilia de Miraculis, ubi num.* 2 *hæc leguntur :* Cum rerum natura periret, ad solitum beati martyris Januarii concurrunt cubiculum. *Rursum num.* 6 *de Gregorio tribuno dicitur :* Cubiculum ingressus B. Januarii martyris *etc. Tum num.* 10 *ad* B. Januarii martyris currunt cubiculum, *nimirum Crescens et Innocentius, ex quibus posterior dicitur attulisse,* sanctum pulverem, quem desuper Martyris sepulcrum sumpserat; *ut nullum possit esse dubium,* C *quin per* cubiculum *intelligatur locus, sive oratorium illud, in quo erat Sancti sepulcrum. Hinc aliquando opem flagitantes* ad sepulcrum *Sancti accurrisse dicuntur, uti Florentius num.* 8 : Vix tandem ad sepulcrum pergens beati martyris Januarii *etc. Sic num.* 13 : Et dum cernant quotidie numerosas orationum catervas beatissimi Januarii martyris tumulum, tamquam radiantes gemmas, stipare *etc. Ex allegatis colligitur, notissimum fuisse* cubiculi *nomine oratorium subterraneum, in quo erat corpus* S. Januarii, *et quidem tempore Joannis Diaconi : nam auctor illius Homiliæ ante dictum Diaconum scripsit; nec dubitari potest, quin scripta ejus Neapoli essent notissima, utpote Miracula Patroni Neapolitanorum enarrantia. Si modo attendamus ad modum loquendi Joannis Diaconi, merito non dubitabimus, quin de illo ipso loquatur oratorio renovato. Dicit enim :* Ecclesiam Januarii in ipso cubiculo positam renovavit. *Nam dum ait* in ipso cubiculo, *clare insinuat, unicum fuisse locum, qui* cubiculum S. Januarii *Neapoli vocabatur : neque enim recte dixisset,* in ipso cubiculo, *si plura fuissent* S. Januarii *cubicula, aut plura loca sic dicta.*

AUCTORE J. S.

Primum argumentum, contra illam expositionem objectum, solvitur :

269 *Attamen in Dissertatione Ms. aliquæ contra sententiam illam formantur objectiones, quas necesse est examinare. Prima est, quod Joannes Diaconus ecclesiam* S. Januarii *extra muros positam videatur distinguere ab ecclesia posita in cubiculo. Nam postea de eodem S. Athanasio dicit :* In ecclesia denique S. Januarii, foris sita, monachorum collegium sub abbatis regimine ordinavit, offerens eis unum hortum in campo Neapolitano positum. *Ex Falconio pag.* 489 *sumpta est objectio. At respondeo, nullam in ea objectione esse difficultatem. Nam si Joannes Diaconus de eadem ecclesia bis fuisset locutus, ac eidem etiam diversa attribuisset nomina; nihil insolens aut sibi inusitatum fecisset. Sic in eodem Athanasio bis loquitur de ecclesia cathedrali sub diversis nominibus, sed quæ eamdem prorsus designant. Primo dicit :* In ecclesia Stephania tredecim pannos fecit *etc. Deinde vero post alia interposita :* Ordinavit etiam, ut in ecclesia Salvatoris omni die Missa publica cum dipicis *(diptychis)* celebretur *etc. Atqui tamen nullus dubitat, quin* Stephania *et* ecclesia Salvatoris *una sit eademque cathedralis, cum id Joannes ipse pag.* 311 *luculenter declaret his verbis :* Ecclesia Salvatoris, quæ de nomine sui auctoris Stephania vocitatur. *etc.* E *Quapropter mirandum non esset, si bis etiam de eadem* S. Januarii *ecclesia scripsisset Diaconus. Hoc tamen non ita fecit. Nam ecclesia in ipso cubiculo posita erat solum pars totius ecclesiæ suburbanæ* S. Januarii. *Hanc autem partem, quam ecclesiam non incongrue vocat, renovatam primo narrat, fortasse quia ordine temporis singula exposuit. Deinde vero docet, ecclesiæ toti monasterium fuisse additum, et sic suis nominibus recte singula designavit.*

uti et secundum, quod potius datæ expositioni favet.

270 *Altera objectio petitur ex Homilia de Miraculis supra laudata, in qua num.* 9 *dicitur Florentius, post obtentam patrocinio* S. Januarii *præfecturam,* altare ejus pretiosis *exornasse* marmoribus, ... quodque altare vallavit cancellis cum ostiis fabrefactis argenteis. *Nam ex eo infertur, verum non videri, quod Joannes Diaconus in ecclesia* S. Januarii in cubiculo, *si hæc suburbana creditur, ab Athanasio factum scribit his verbis :* Ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo positam renovavit,... faciens ibi marmoreum altare cum regiolis *(id est, ostiolis)* argenteis. *Si credimus auctori Dissertationis, quæ Athanasius fecisse dicitur jam antea erant in suburbana* S. Januarii F *ecclesia, et consequenter in alia quapiam ecclesia eadem fecit S. Athanasius. Verum hæc objectio sententiam nostram confirmare magis, quam infirmare videtur. Cum enim S. Athanasius non dicatur ecclesiam exstruxisse, nec tantum exornasse supellectile, sed renovasse; necesse est, dicamus, talia fere ibi fuisse antea, qualia ipse fecit. Si igitur ante ibi erat altare* marmoribus *exornatum, quod vetustate fatiscebat, aliud exstruendo marmoreum altare renovabat ecclesiam. Si antea ibi erant cancelli cum ostiolis argenteis, sed quæ aut injuria solius temporis multum detrimenti erant passa, aut avaris forte prædonum manibus confracta, partimque aut tota ablata; poterat rursum ecclesiam renovare Athanasius curando, ut nova fabricarentur ostiola, sive ex argento vetustorum, si illud supererat, sive ex alio sua liberalitate comparato. Vim haberet objectio, si Florentius altare, quod exornavit marmoribus, totum ex marmore struxisset, idque ac ostiola argentea fabricasset æternum duratura sine ulla immutatione. At cum Florentius duobus forte aut tribus seculis S. Athanasium præcesserit; altare ab ipso marmore ornatum, ostiolaque exstructa, facile poterant*

AUCTORE J. S.

Duæ aliæ expositiones refelluntur :

terant instauratione egere, aut non satis ornata videri S. Athanasio, qui omnia curavit instauranda.

271 *Nihil igitur obstat datæ expositioni verborum Joannis Diaconi, eaque sola genuina et vera, cum nulla alia Neapoli esset ecclesia, quæ* in ipso cubiculo S. Januarii *posita recte dici posset. Cuperus noster ad* XV *Julii in S. Athanasio, cum præ manibus non habuisset Homiliam de Miraculis* S. Januarii, *ex qua maxime innotescit, quid per* cubiculum S. Januarii *intelligatur, in Annotatis locum exposuit de oratorio in cubiculo domus episcopalis posito; sed sententiam haud dubie mutaret, si viveret. Lectio quoque ibidem data, jam superius correcta est. Falconius in Annotatis pag.* 489 *contendit, ecclesiam* S. Januarii *ad diaconiam fuisse renovatam a* S. Januario, *ibique vult fuisse ipsam* S. Januarii *domum. Nimirum ejusmodi somnia hausit Falconius ex fictitia Vita Græca. Verum cum de domo* S. Januarii *nullus antiquorum meminerit, dictæque Vitæ Græcæ non attribuamus majorem fidem, quam fabulis Æsopi; necesse non est somnia illa Falconii prolixius refutare. Nam ex his verbis,* Ecclesiam S. Januarii in ipso
B cubiculo positam renovavit *velle hanc deducere consecutionem;* Ergo renovavit ecclesiam ad Diaconiam; *nec est hominis logicam intelligentis, nec sobrie ratiocinantis. Non igitur ex Joanne Diacono suam opinionem hausit Falconius, sed ex figmento Vitæ Græcæ, cui Joannem suffragantem exhibere conatus est, licet, remoto illo figmento, Joannes nihil dicat, quod ad ejus propositum faciat.*

refutatur item expositio Mazochii omni fundamento destituta.

272 *Mazochius pro sua opinione non habet melius fundamentum, quam Falconius. Quæsivit nimirum in imaginatione sua aliquod* S. Januarii *oratorium, cathedrali ecclesiæ sive Stephaniæ adhærens. Tum vero, acsi imaginando efficere potuisset, ut tale oratorium aliquando steterit, multa prolixe ratiocinatur de cubiculis, de oratoriis, de regiolis et de aliis, quæ nihil conducunt ad probandum tale oratorium* S. Januarii *seculo* IX *Stephaniæ adhæsisse, et vel sic videtur existimare, se probasse idem oratorium a S. Athanasio instauratum, cum nihil rationis attulerit, qua credere possumus, umquam exstitisse. In ipso disputationis istius ingressu pag.* 41 *Mazochius ita loquitur :* Ullum S. Januarii oratorium in Stephania aut in proximo Stephaniæ ab antiquo fuisse, nusquam litteris proditum reperitur. Neque id immerito;
C quia ubi corpus requiescebat, ibi et ejus basilicam fuisse necesse est. *Hæc vere et recte Mazochius. Jam vero pauca mihi ad allegata verba ratiocinari liceat. Si nusquam litteris proditum est,* in Stephania aut in proximo Stephaniæ *fuisse antiquitus oratorium* S Januarii; *unde suum illud, nisi ex sola imaginatione, accepit Mazochius, quidve construxit, nisi oratorium plane imaginarium? Nam ex verbis Joannis Diaconi;* Præterea ecclesiam S. Januarii in ipso cubiculo positam *(S. Athanasius)* renovavit ; *ratiocinando deducere hanc consecutionem,* Ergo renovavit oratorium S. Januarii, quod erat in Stephania aut prope Stephaniam *: hanc, inquam, deducere consecutionem, est imperitis illudere, peritis risum movere. Fatetur, nihil de cubiculo aut oratorio* S. Januarii *in Stephania legi apud antiquos. Nihil similiter legitur de translatis per S. Athanasium aut ipsius decessorem Joannem capite et sanguine* S. Januarii. *Cur igitur oratorium in Stephania gratis exstruit, eoque tunc translatas* S. Januarii *dictas reliquias comminiscitur, præsertim cum notissimum esset* S. Januarii *cubiculum in suburbio , multisque miraculis clarum?*

273 *Non solus locus sepulturæ* S. Januarii *voca-* D
batur cubiculum; *sed idem quoque nomen datum est loco, ubi sepultus est S. Athanasius, cui Diaconus convixit. Sepultus fuit S. Athanasius, postquam corpus anno* 877 *ad suburbanam* S. Januarii *ecclesiam erat translatum, in oratorio* S. Laurentii, *quod in porticu dictæ ecclesiæ locat Chioccarellus. Hæc videri possunt in S. Athanasio ad* XV *Julii, ubi post Acta etiam data est Translatio cum miraculis, ab auctore coævo scripta. Laudatus scriptor num.* 15 *de muliere, cujus puer ad extrema redactus erat, ita loquitur :* Quæ misera et periculosa mater,... intra templum beatissimi Januarii anxie huc illucque discurrens, ingressa est cubiculum, ubi sanctissimum corpus ejus *(S. Athanasii)* quiescit *etc. Rursum num.* 21 *de infirma sanctimoniali :* Quæ ad beati Athanasii concurrit cubiculum *etc. Ex his lector colliget, etiam tempore Joannis Diaconi, cui Translationis auctor contemporaneus fuit, vocem* cubiculum *pro loco sepulturæ alicujus Sancti usitatam fuisse. Quare non aliud quærendam est* S. Januarii *cubiculum, in quo ecclesiam renovavit S. Athanasius, quam locus sepulturæ* S. Januarii, *Neapolitanis seculo* IX *notissimus. Hac etiam significatione verba Joannis Diaconi optimum formant sensum. Nam,* E
cum locus sepulturæ possit esse sine ecclesia vel oratorio, recte dicitur : Ecclesiam S. Januarii in ipso sepulturæ loco positam renovavit. *At si oratorium aliquod Stephaniæ per* cubiculum *veniret intelligendum, ut imaginatus est Mazochius, non recte locutus fuisset Joannes. Nam ecclesia illa, ut ipse exponit Mazochius, erat oratorium; et consequenter, si* cubiculum *sit idem apud Joannem ac* oratorium, *dixisset ille :* Ecclesiam S. Januarii in ipsa ecclesia positam renovavit, *qui sane ridiculus est loquendi modus.*

Confirmatur magis sententia nostra

magisque refutatur Mazochiana.

274 *Hinc multum laborat clarissimus auctor, ut verba chronographi imaginario suo cubiculo vel oratorio adoptet, nec laborando proficit. Ostendit pag.* 43 oratoria *etiam* cubicula *vocari. Tum vero,* Ego illud, *inquit,* de quo Joannes Diaconus memorat, recte antea CUBICULUM S. JANUARII dicebatur : at postquam altare ibi constructum, in eo reliquiæ conditæ fuerunt, ab eo tempore ECCLESIA S. JANUARII vocari cœpit, et quidem in ipso cubiculo, hoc est, ejusdem nominis cubiculo posita. *Frustra sic ex labyrintho evadere conatur. Neque enim ratiocinando efficiet, ut in illo loco antea non fuerit ecclesia, cum Athanasius* ecclesiam *renovaverit, renovari autem nequeat, quod antea non fuit. Erat* F
igitur antea in cubiculo illo ecclesia, erat et altare, sed forte minus elegans aut vetustate fatiscens; eaque de causa fecit marmoreum. *Nihil rursum proficit Mazochius, cum dicit, ecclesiam illam ante S. Athanasium dumtaxat* rudem et imperfectam *fuisse. Nam vel ecclesia erat, vel erat solum ecclesia inchoata. Si solum erat inchoata, non diceretur eam* renovasse *S. Athanasius, sed* perfecisse. *Si vero erat* ecclesia, *frustra tot verbis utitur Mazochius, ut persuadeat, antea ecclesiam non fuisse. Frustra rursum laborat, dum voces* in ipso cubiculo *explicare nititur, in* ejusdem nominis cubiculo, *aut* in cognomine cubiculo. *Neque enim hæc est genuina loci expositio; sed violenta corruptio. Liceat igitur ex dictis concludere, locum Joannis Diaconi non recte intellectum a Mazochio , totumque illud oratorium, quod in Stephania construere tentavit, pro omni fundamento habere meras imaginationes, non recte cohærentes.*

§ XIX.

AUCTORE J. S.

A

§ XIX. Inquiritur, utrum ecclesia cathedralis aliquando S. Januario, cujus nomen seculo XII et XIII gessit, fuerit dicata : caput et sanguis Sancti ibidem servata, incertum a quo tempore.

Cathedralis Neapolitana seculis 12 et 13 S. Januarii dicta fuit.

Tutinus *in* S. Januario *pag.* 122 *existimat, ecclesiam cathedralem Neapolitanam aliquando dedicatam fuisse* S. Januario, *et eidem saltem sacram fuisse seculo* XIII. *Falconius pag.* 493 *et* 501 *refert, instauratam fuisse cathedralem seculo* XI *per Sergium III ducem Neapolitanum, et eo tempore* S. Januario *dicatam.Mazochius vero pag.* 47 *illos arguit erroris, contenditque, non quidem* S. Januario *fuisse dicatam, nominatam tamen* S. Januarii *ecclesiam. Attamen priori sententiæ etiam adhæsit Sabbatinus tom.* 9 *pag.* 120. *Contra*
B *Mazochii sententiam antea tradiderunt Caracciolus cap.* 15 *in S. Restituta virgine et martyre sect.* 4, *et Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 3 *cap.* I, *ubi Caraccioli verba allegat, et sequitur.* Ea item *(cathedralis, seu Sthephania)* a capite et cruore, ut puto, et sacello S. Januarii, BASILICA S. JANUARII dicta est Petro subdiacono, scriptori Translationis sanctorum Julianæ et Maximi martyrum, *inquit Caracciolus. Eamdem opinionem insinuat Caracciolus cap.* 20 *in* S. Januario *sect.* 22, *ibique ostendit, eodem fere se modo locum Joannis Diaconi intellexisse, quo eum exponere studet Mazochius. Nam ita habet :* Olim præterea in ipso episcopio, sive Stephania, cappellam adfuisse S. Januarii, asserit Joannes Diaconus in Athanasio episcopo. Acta insuper Translationis SS. Julianæ et Maximi martyrum clare dicunt, translatum esse corpus S. Maximi ad ædem S. Januarii, quæ certe alia non erat, nisi episcopium, illo quidem tempore vetustum templum et angustum, postea vero novum et augustum. *Rursum contrariam opinionem insinuat Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag.* 94, *eoque sensu exponit laudatum mox auctorem Translationis SS. Julianæ*
C *et Maximi. Ex his lector studiosus intelligit,scriptores Neapolitanos consentire de nomine* S. Januarii, *quod cathedralis Neapolitana maxime habuit a seculo* XII *usque ad* XIV *inchoatum,quo nova cathedralis condita est,ac beatissimæ Virgini Mariæ dicata; at dissentire de causa nominis, cum alii velint* S. Januario *revera dicatam fuisse, alii id inficientur,aliamque nominis rationem ex conjecturis quærant.*

ut colligitur ex monumentis illorum temporum;

276 *Locus, qui ab omnibus allegatur aut assignatur, apud nos tom.* 2 *Februarii pag.* 883 *in Translatione SS. Julianæ et Maximi, peracta anno* 1207, *scriptaque ab auctore contemporaneo, num.* 8 *ita habet :* Deinde alias sanctas reliquias martyris et levitæ Maximi, et ipsius Christi martyris discipuli, quæ cum eo repositæ fuerant, cum honore ac lætitia maxima ad majorem ecclesiam veniens, satis devote et honorifice collocasti. *Ita auctor, alloquens archiepiscopum, qui translationem fecerat. At observo in hoc instrumento nomen* S. Januarii, *quod alii ex eo produxerunt, apud nos non inveniri. Hunc tamen scrupulum eximunt antiquæ lectiones Officii, ibidem pag.* 884 *datæ, ubi num.* 6 *ultima verba ita leguntur :* Ad majorem ecclesiam B. Januarii martyris satis honorifice collocasti. *Quapropter recte infertur, cathedralem seculo* XIII *nomen habuisse* S. Januarii. *An vero eidem etiam fuerit dicata, ex illo loco nequit certo colligi. Ex nomine tamen verisimilis fit dedicatio. Idem nomen seculo* XII *cathedrali Neapolitanæ fuisse, certum redditur ex litteris Henrici VI imperatoris, datis anno* 1195, *quas recitat Mazochius in Anteloquio Dissertationis de Cathedrali unica pag.* XXX. *Confirmat iis Henricus* quadam præcepta prædecessorum *suorum,* quibus divi martyris Januarii basilicæ,quæ ipsius Neapolitani archipræsulis caput est, donaria multipliciaque beneficia, ab ipsis ibidem collata, corroboraverant. *Locus hic fortius urget, quam præcedens.Si enim eo tempore cathedralis unice dicata fuisset Sanctissimo Salvatori, ut vult Mazochius; non videtur imperator et rex Neapolitanus illud nomen omissurus fuisse,ut solo* S. Januarii *nomine uteretur,præsertim cum ipsum alloquatur archiepiscopum.*

eidemque dedicata fuisse dicitur :

277 *De eadem ecclesia cathedrali exponit Mazochius pag.* 46 *litteras Clementis Papæ IV, quas edidit Tutinus pag.* 123, *quasque similiter recitat Chioccarellus in Collectione Ms. Verba ad propo-* E *situm nostrum spectantia, in iis hæc leguntur :* Volentes igitur, ut B. Januarius apud ecclesiam Neapolis, quæ in ipsius honore dicitur dedicata, in ejus maxime festivitate fidelium laudibus solemniter extollatur *etc. Possent quidem hæc verba utcumque intelligi de ecclesia* S. Januarii *extra muros sita; genuina tamen magis erit loci expositio, si credamus cathedralem iis verbis designari,cum quod vocetur* ecclesia Neapolis, *quod nomen soli ecclesiæ principi sive cathedrali congruit, nulli vero ecclesiæ inferioris ordinis; tum quod ex verbis allegatis Henrici imperatoris omnino constet, ecclesiæ cathedrali annis septuaginta ante Clementem IV nomen* S. Januarii *fuisse. Lubens itaque assentior Mazochio, Clementem loqui de ecclesia cathedrali.At eidem nullo modo assentiri possum, dum summi Pontificis verba ad sacellum suum imaginarium violenter trahit.* Quod ecclesia Neapolitana in ipsius B. Januarii honore dedicata memoratur, id non de primaria basilica, quæ quidem Salvatori dicata fuerat, sed de ejus parte illa, quæ ecclesiam sive oratorium S. Januarii constituebat,esse capiendum, infra ostendetur. *Tum pag.* 47 *ait, cathedralem Salvatori dicatam fuisse, et infert :* F Quare Clementis verba non nisi de ecclesia S. Januarii, quæ cathedrali adhærebat, sunt capienda : quæ conditis a S. Athanasio sub altari capitis et cruoris reliquiis recte in S. Januarii honorem dedicata dicitur. *Verum ineptissima est hæc verborum Clementis expositio,aut potius aperta corruptio. Ait pag.* 45, *confirmari nomen* S. Januarii *ecclesiæ cathedrali* Clementis IV diplomate, *tamquam* longe locupletiore teste. *De nomine tamen non loquitur Clemens, sed vocat* ecclesiam Neapolis, *eamque* S. Januario *dedicatam dici, adjungit. Quomodo appellatio cathedralis ex verbis Clementis probabitur, si de cathedrali non loquitur? Si enim ea, quam vocat* ecclesiam Neapolis, quæ in ipsius (*nimirum* Januarii) honore dicitur dedicata, *non est ecclesia cathedralis, de cathedrali prorsus Clemens non loquitur. Qua igitur ratione ejus verba laudantur ad probandum cathedralis nomen? Dicam candide, benigne lector, quod sentio. Vidit Mazochius, cathedralem dici dedicatam* S. Januario : *ex dedicatione autem nomen* S. Januarii *recte deduci. Verum, ut frequenter verba auctorum*

AUCTORE J. S.

clorum solum admittit, in quantum suis opinionibus invenit conformia, quod ex dedicatione sequitur, voluit admittere, non item dedicationem ipsam. At verba sunt clarissima de dedicatione cathedralis, cum non alia dicatur S. Januario *dedicata, quam quæ vocatur* ecclesia Neapolis.

illam ut limina S. Januarii quotannis visitabant clerici diœcesis.

278 *Accedit formula juramenti, quod olim præstare solebant archiepiscopo Neapolitano clerici, qui beneficia obtinebant in diœcesi Neapolitana. Totam formulam, quæ usitata fuit tempore Humberti archiepiscopi, id est, inchoato seculo* XIV, *cum anno* 1308 *cathedram adeptus dicatur, recitat Chioccarellus in Collectione Ms. apud nos fol.* 118. *Ex ea solum recito verba huc spectantia, quæ sunt ista :* Limina B. Januarii singulis annis personaliter visitabo, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione *Formula tota etiam videri potest apud Tutinum pag.*100. *Mazochius allegata verba etiam intelligit de cathedrali. At ego difficulter credam, ecclesiam cathedralem* limina S. Januarii *vocandam fuisse in formula juramenti, per archiepiscopum præscripta, nisi fuisset eidem* Januario *dicata, prout* S. Januario *dicatam credidit Clemens IV. Quippe non fiebant* limina S. Januarii *per depositas ibi reliquias, nec per adjunctum oratorium, si id omnino adjunctum eo tempore cathedrali fuisset, quod negamus. Nonnulli per* limina S. Januarii *intelligunt suburbanam* S. Januarii *ecclesiam; sed plane improbabiliter, cum ea tunc esset sub abbate et monachis, ut verisimile non fiat, illius visitationem præscriptam fuisse ab archiepiscopis. Objici tamen potest, cœptam fuisse ante annum* 1308 *novæ cathedralis ædificationem. Hoc verum quidem existimo. At dedicatio illius novæ cathedralis necdum erat peracta, ideoque mutanda non erat antiqua formula.*

Non evincit Mazochius, solo nomine S. Januarii gavisam esse,

279 *Majoris momenti est objectio Mazochii contendentis, cathedralem Neapolitanam fuisse divino Salvatori dedicatam. Certum hoc est, si ad priora respiciamus sæcula, quibus primum condita, ac deinde a Stephano II fuit instaurata. Chioccarellus in Archiepiscopis Neapolitanis pag.* 132 *hæc scribit :* Iis ferme temporibus annum circiter MCL Neapolitana cathedralis ecclesia summis atque incredibilibus sumptibus, illustriumque architectorum atque artificum manibus erecta fuit, et sculptis marmoreis statuis et iconibus affabre factis exornata, ut testatur Georgius Vasarus in Vita pictorum ac sculptorum, prima parte in Vita Arnolfi de Lapo Florentini architecti. At dolemus ex iis ædificiis et rebus nihil nunc in ea majori ecclesia nec vestigium quidem superesse. *Hoc si verum esset, potuisset eo tempore dedicari* S. Januario. *At Falconius pag.* 501 *observat, ea non esse scripta laudato Vasaro, cujus opus mihi ad manum non est, sed Vasarum loqui de constructione cathedralis, quæ exeunte seculo* XIII *inchoata ac sequenti seculo perfecta est, quando beatissimæ Virgini Assumptæ fuit dedicata. Quare Falconius ibidem conjicit, reædificatam fuisse circa annum* 1033, *ac tunc dedicatam* S. Januario. *Mera tamen hæc est conjectura, nulla vetusti scriptoris testimonio nixa. Ut autem conjecturam faciat verisimilem, ædificationem, omnesque instaurationes sic enumerat. Ædificata est, inquit, a Stephano I circa annum* 510, *reædificata a Stephano II circa* 770. *Tum iterum reædificatam credit a Sergio III duce circa annum* 1033. *Deinde tertio reædificatum dicit circa* 1298 *a Carolo II rege; quarto anno* 1456, *ac quinto demum circa annum* 1676. *Hæc quidem enumeratio nequit probare, circa annum* 1033 *reædificatam fuisse cathedralem; at verisimillimum facit, inter illam instaurationem, quæ circa* 770 *contigit, aliamque Caroli II circa* 1298 *aut paulo serius, intercessisse mediam quampiam seculo* X, XI *aut* XII, *ac tunc* S. Januarii *titulo dedicatam. Ipsa nominis mutatio, quæ seculo* XI *aut* XII *facta videtur, persuadet, alio titulo dedicatam fuisse, sicut rursum alio titulo dedicatam constat post instaurationem Caroli II.*

et eidem non fuisse dedicatam.

280 *Si antiquum* S. Salvatoris *nomen eidem datum reperitur post seculum* XII, *quod curiose non inquisivi, ex eo non labefactabitur conjectura nostra. Nam potuit antiquo* S. Salvatoris *titulo dedicari, adjecto novo* S. Januarii, *ut alias non raro Christo Domino, beatæ Virgini, et particulari alicui Sancto ædes sacræ dedicantur. Itaque argumentum, quo unico Mazochius pag.* 47 *contendit,* S. Januario *dedicatam non fuisse, non solum eget probatione, sed nihil etiam evinceret, etsi ipsum recte foret probatum.* Nam Neapolitana vetus cathedralis, *inquit,* usque ad hodiernæ structuram semper Salvatori divino sacra fuit : quod ex innumeris horum ipsorum temporum monumentis et passim docuimus, et cap. seq. confirmabimus. *Nescio, qua fiducia Mazochius innumera jactet monumenta, cum ego nullum apud ipsum invenire potuerim, ex quo colligi valeat, cathedralem Neapolitanam seculo* XII *aut* XIII *sacram fuisse divino Salvatori, aut illud nomen gessisse. Quare pro innumeris vel unum quæro monumentum in locis assignatis, ac nullum reperio. In parte tamen secunda invenio congregationem aliquam* Salvatoris *dictam, aut etiam* Salvatoris veteris. *Ac ex illa congregatione nec argumentum desumit Mazochius, nec desumere potest : nam, ut observat ipse Mazochius pag.* 132, *affixa est ea Congregatio sacello, in nova cathedrali erecto, quod* Salvatoris veteris *dicitur. Picturam altaris sacelli, prout inscio mihi transmissa est Neapoli ob depictum ibi* S. Januarium *una cum S. Athanasio, cujus nomen* Actenasius *scribitur huic loco insero. Potuit, simile sacellum esse in cathedrali, quando* S. Januario *erat sacra, prout magnificum ibi est modo* S. Januarii *sacellum, semperque fuit, postquam ecclesia ipsa Virgini Assumptæ fuit dedicata.*

Translatio S. Athanasii, quam de cathedrali exponit Mazochius,

281 *Restat examinandus geminus locus, ex Translatione S. Athanasii a Mazochio adductus. Nam si illum auctorem recte intellexit laudatus scriptor, cathedralis Neapolitana a seculo* IX *nomen* S. Januarii *habuit. Credit pag.* 45 *Mazochius, aliquid se invenisse aliis incompertum. At nova inventa Mazochii, quæ cogunt me prolixius agere, ne iis historia Neapolitana pervertatur, nolim sine examine admitti a Neapolitanis.* At interim, *inquit,* nostrorum hominum solertiam longe antiquius monumentum fugit, quod inferne ex Translatione S. Athanasii proferimus, ac simul nondum viris doctis intellectum exponimus. *Ego vehementer timeo, ne nova illa expositio rursum sit loci corruptio. Primum observo, auctorem Vitæ et Translationis S. Athanasii fuisse contemporaneum Sancto, ut contra Mazochium probavi num.* 238 *et seqq. Scripsit itaque vergente ad finem seculo* IX. *Locus, quem de basilica cathedrali exponere meditatur Mazochius, hic est ad* XV *Julii pag.* 86 *num.* 9 *:* Itaque, ut dicere cœperamus, omnis illa multitudo psallentium cum sanctis exsequiis ad templum properans S. Januarii, ascendentes ingressi sunt basilicam, et deposito locello, juxta altare posuerunt : ibique summus pontifex, cuncto astante populo, laudis sacrificavit hostiam, et sumpto munere sacro, finita prece complevit. Mox







Pictura vetustissima Altaris S. Salvatoris veteris in Cathedrali Neap.

A Mox levantes corporis sanctum pignus; et diaconus imposita antiphona: « Aperite mihi portas » justitiæ » *etc*;... tunc universus populus in ingenti fletu conversus, educentes eum extra fores in oratorium sancti et confessoris Christi Laurentii, ejusdem sedis antistitis, juxta sanctissimi Johannis antecessoris et nutritoris ejus ornatum diligentissime et digne sepulturæ tradiderunt cum ipso locello, cum quo adductus est. *Hunc locum, quem omnes de suburbanæ* S. Januarii *ecclesia recte intellexerant, violenter ad cathedralem trahere nititur Mazochius.*

agit de suburbana S. Januarii ecclesia,

282 *Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag.* 66 *de oratorio S. Laurentii episcopi, cui illatum est corpus S. Athanasii, ita loquitur*: Celebre priscis temporibus fuit sancti hujus Laurentii oratorium in D. Januarii sacra æde, extra mœnia Neapolitana posita, pro sepulcris virorum insignium, qui in eo reconditi memorantur. Etenim inibi præter eumdem Laurentium sancti quoque Joannes et Athanasius, ejus successores, sepulti recensentur. *Hæc falsa essent, si S. Laurentii episcopi oratorium fuisset in cathedrali. Carracciolus cap.* 31, *ubi agit de S. Laurentio episcopo, meminit quoque de oratorio S. Laurentii episcopi in ecclesia* S. Januarii B *foris; sita, refutat vero Engenium, qui* ædem S. Laurentii, *olim in metropolitana positam, dixerat esse S. Laurentii episcopi, cum fuerit S. Laurentii levitæ et martyris, ut pluribus ibi ostendit. Quare allegatus locus non prodest Mazochio, sed magis est contrarius. Ille tamen ex alio Translationis loco opinionem suam probare nititur, sed frustra. Mulieri cuidam de infirmitate filii sui anxiæ num.* 22 veneranda cujusdam effigies *dicitur in somnis apparuisse, eamque monuisse, ut opem peteret S. Athanasii. Deinde vero mulieri, dicenti*: Ubi eum, domine, quæsitura pergam? Ille respondit: In Ecclesia Salvatoris, vel ad venerabile ejus sepulcrum; quia ibi petentibus beneficia præstaturus crebro consistit. *Hic locus, opinor decepit Mazochium, qui ait,* vel *hic idem esse ac* et. *Hac de causa ait, sepulcrum fuisse in cathedrali. At inane est commentum: conjunctio* vel *significationem habet maxime obviam, qua mulieri optio datur, ut vel cathedralem adeat oratura, vel sepulcrum S. Athanasii in ecclesia* S. Januarii, *aut certe in contiguo sacello positum.*

C *ut variis argumentis ostenditur.*

283 *Etenim certis argumentis, ex ipsa Translatione petitis, ostendam, non aliam posse intelligi ecclesiam, quam suburbanam* S. Januarii. *Miracula S. Athanasii cap.* 2 *ita auctor narrare incipit*: Quæ vero beneficia tunc ad ejus pretiosum sepulcrum concurrentibus Dominus præstiterit, veracissima locutione perstringam. In eodem namque monasterio sanctissimi Januarii erat quidam monachus, Anastasius nomine, *etc. Mox illius monachi sanatio narratur. Jam vero, quo referemus illa verba,* in eodem monasterio, *nisi ad monasterium ecclesiæ, in qua mox relata erat sepultura S. Athanasii? Quare clarum est, S. Athanasium fuisse sepultum in ea S.* Januarii *ecclesia cui monasterium ipse adjunxerat, et in qua monachos collocaverat. Neque enim cathedralis ecclesia erat monachorum, ut locus nullo modo de ea intelligi queat. Accedit alia ratio, quæ vel sola potest sufficere. Nam auctor Vitæ et Translationis, quando loquitur de ecclesiis, illas accurate designat, ut nequeat una sumi pro altera. In Vita num.* 14. *ubi primum de cathedrali loquitur, utrumque nomen sic exprimit*: In ecclesia Domini Salvatoris, quæ Stephania vocatur. *Paulo post insulam Salvatoris ita designat.* In insula, Salvatoris vocabulo cognominata, quæ a Neapoli vix duodecim distat stadiis. *Rursum num.* 15, *loquens vice prima de ecclesia* S. Januarii, *eam accurate his verbis assignat*: In ecclesia namque sanctissimi ac beatissimi martyris Januarii, quæ juxta memoratæ urbis mœnia condita est *etc. Quis igitur prudens credat, scriptorem, tam accurate ecclesias distinguentem, in Translatione tam fuisse negligentem, ut cathedralem num.* 8, 9, *et* 15 *vocaret* templum S. Januarii; *eamdemque demum num.* 22 *sine ulla explicatione diceret* ecclesiam Salvatoris. *Hoc scilicet credere potero, ubi ostenderit Mazochius, monasterium* S. Januarii, *in quo monachi degebant, ut habet auctor num.* 10, *fuisse ipsam cathedralem, monachisque postea successisse canonicos: aut, ut verius loquar, sicut numquam ostendere poterit, monachos pro canonicis fuisse in cathedrali, ita nullus sana crisi existimabit, ecclesiam* Domini Salvatoris, quæ Stephania *vocabatur, toties ibi dictam esse* templum S. Januarii. AUCTORE J. S.

Ex dictis colligitur, incertum esse, utrum in cathedrali,

284 *Ex dictis constat, in Translatione S. Athanasii non agi de cathedrali, sed de ecclesia* S. Januarii *suburbana. Itaque non constat, an cathedralis nomen* S. Januarii *habuerit ante seculum* XII. *Illud autem nomen ecclesiæ fuisse, quia dedicata erat* S. Januario, *certe probabilius est, cum* E *ex ipso nomine, quod solet ecclesiis imponi ob dedicationem, tum ob auctoritatem Clementis IV. Sive autem cathedralis* S. Januario *tunc sacra esset, sive solo* S. Januarii *nomine appellaretur; dubitari vix potest, quin eo tempore reconditas haberet sacras capitis et sanguinis reliquias. At rursus obscurissimum et incertum est, a quo tempore eas acceperit. Nam conjecturæ Mazochii, qui caput et sanguinem* IX *seculo ad oratorium ibi constructum delata voluit, aut a S. Joanne IV aut a S. Athanasio, omni carent antiquitatis testimonio, ac nullo nituntur fundamento. Potuerunt illæ reliquiæ conservari seorsum in cathedrali, antequam* IX *seculo corpus auferretur per Siconem. Potuerunt illa pignora etiam esse in ecclesia Diaconiæ* S. Januarii, *quæ seculo* VII *constructa est. Verum nihil certi potest dici, cum nulla exstent documenta de loco, ubi fuerunt conservata, aut de tempore, quo ad cathedralem pervenerunt.*

an in aliis ecclesiis Neapolitanis olim conservata sint caput et sanguis,

285 *Imo dubitari potest, an caput et sanguis olim in eadem fuerint ecclesia. Certe præter Diaconiam erat olim et alia* S. Januarii *ecclesia,* Spolia mortis *dicta. Hæ autem duæ* S. Januarii *ecclesiæ, de quibus egi num.* 172 *et* 173, *non dicuntur ullas* S. Januarii *habuisse reliquias. Hinc forte conjicere quis posset, in altera fuisse caput, in altera sanguinem. Neque enim necesse erat, ut hæ partes, quæ in ipso martyrio a corpore fuerunt separatæ, deinde semper eodem loco cum corpore servarentur, etsi verisimiliter diu eodem cum corpore fuerint sepulcro. Hæc igitur conjectura incidere posset, maxime cum ecclesiæ olim non solerent Sanctorum titulo dedicari sine eorum reliquiis. Verum ex his omnibus non oritur, nisi verisimilitudo aliqua, eaque solido fundamento destituta. Quare malim ignorare, ubi usque ad seculum fere duodecimum conservata fuerint pretiosa illa* S. Januarii *pignora, quam cum Mazochio affirmare, quod nescio. Hoc certum est, non defuisse Neapoli ecclesias, in quibus decenter ac honorifice conservari possent, et in una aut in pluribus revera conservata fuisse.*

—

§ XX.

AUCTORE J. S.

§ XX. Caput S. Januarii pretiosa theca reclusum, uti et altera ampullæ sanguinis : constructum ferculum, quo sanguinis ampullæ circumferuntur, et antiquum Thesauri sacellum.

Cum caput esset seculo 13 in cathedrali, nescimus a quo tempore,

J*am dixi, dubitandum non videri, quin caput et sanguis* S. Januarii *fuerint in basilica cathedrali ab eo saltem tempore, quo illa* S Januario *aut dedicata fuit, aut saltem ejus titulum assumpsit : ignorari vero, ex qua ecclesia, et quo tempore, ad cathedralem fuerint delata. Mazochius, qui in cathedrali aut prope cathedralem seculo* IX *oratorium* S. Januario *exstruxit, caputque et sanguinem sub altari illius oratorii collocavit, pag.* 49 *conjecturis illis, omni fundamento carentibus, novas adjungit, vultque oratorium illud diruendum fuisse exeunte seculo* XIII *aut ineunte* XIV, ut novæ cathedralis, *quæ tunc exstructa est* amplissima navis cum suis alis explicari posset. *At nec de exstructo ibi oratorio, nec de reliquiis eo umquam delatis, nec de oratorio destructo, nec de inventis ea occasione reliquiis, ullum præter imaginationes suas profert testimonium. Tam fortiter tamen de omnibus loquitur, acsi certa essent; nec minus intrepide reliquias tunc inventas docet his verbis* : Eo igitur prorsus temporis articulo (plane quartodecimo, ut dicetur, ineunte seculo) venerandum Januarii caput et cruoris ampullas in conspectum venisse, non dubito : nam ante id tempus nulla prorsus earum reliquiarum mentio invenitur. *At ex silentio antiquorum de illis reliquiis non recte infertur, tum primum fuisse inventas. Etenim de hac ipsa inventione silent scriptores. Debebat igitur assignari ratio, ob quam de inventione illius temporis silere potuerint scriptores, et cur de translatione aliqua anteriore tacere non potuerint. Silentium omnium scriptorum non impedivit Mazochium, quo minus in sua imaginatione sacellum* S. Januarii *seculo* IX *construxerit, idemque destruxerit ineunte* XIV ; *quo minus reliquias* S. Januarii *seculo* IX *ibi collocaret ; easdemque inventas dicere ineunte* XIV. *Qua igitur ratione idem Mazochius contendit ex solo scriptorum silentio, illas non venisse* in conspectum, *nisi demolitione altaris, sub quo erant reconditæ? Certe, ut nequit ob scriptorum silentium probari, eas antea supra terram in theca honesta conservatas fuisse, ita minus etiam evinci potest, easdem fuisse sub altari aliquo, et præsertim sub illo, quod exstitisse nescimus.*

B

C

Carolus II rex pretiosam thecam conflari jussit,

287 *Quocumque autem modo caput et sanguis* S. Januarii *fuerint antea servata, Carolus II Andegavensis, rex Neapolitanus, magnificam jussit conflari thecam, sive statuam dimidiatam, in qua deinceps sacrum caput custodiretur. Notitia hujusce liberalitatis Caroli regis habetur ex regesto regio, ex quo de iis aliqua dedit Tutinus pag.* 127, *et paulo plura dat Chioccarellus in Collectione Ms. fol.* 115. *Ait hic auctor, regestum esse signatum* MCCCVI (*anno, opinor,*) in quo thesaurarii generales regni hujus (*Neapolitani*) in computis eorum administrationis, quos regi ipsi, sive ejus curiæ et magno camerario tradunt, id solvisse et expendisse ponunt : de quibus rex ipse eos quietat et absolvit. *Ex dicto autem regesto de theca sic loquitur Chioccarellus :* Pius ac Religiosus rex Carolus secundus in anno MCCCVI caput gloriosi hujus Martyris recludi fecit in argentea atque aurea theca :... quam quidem thecam rex dono dedit ecclesiæ Neapolitanæ. Sic enim dicitur, *nimirum in regesto :* Magistro Stephano Gottifredo, Guillelmo de Verdelaga, et Milectæ de Ansuris aurifabris nostris progagiis eorum mensium Novembris et Decembris prædictæ tertiæ Indictionis, ad certas rationes in quaterno ipso distinctas, in Carolenis argenti uncias novem, et eisdem aurifabris convertendas per eas * in expensis faciendis pro opere capitis B. Januarii, quod per eos deargentari mandavimus, in Carolenis argenti uncias novem. *Hæc in Regesto fol.* 115. *Deinde fol.* 118 : Gottifredo aurifabro et familiari nostro pro deaurando opere argenteo, quod ad includendem caput S. Januarii fieri mandavimus, de auro fino florenorum in pondere libram unam. *Hæc omnino evincunt, Caroli II munificentia pretiosam illam thecam fuisse compositam.*

D

* Tutin. eas

eaque Sancti caput recludi.

288 *De tempore Chioccarellus utcumque dissentit ab aliis. Nam existimat thecam esse conflatam anno* 1306, *cum Tutinus et Mazochius assignent annum* 1305. *Opus compositum notatur Novembri et Decembri* tertiæ Indictionis. *Hæc autem currebat anno* 1305 *usque ad Septembrem, aut usque ad sequentem Januarium, prout hic sumpta fuerit, sit opus compositum est anno* 1305. *Certe non currebat Indictio tertia anno* 1306, *sed verisimiliter hoc anno pretium pro opere, quod circa finem anni* 1305 *perfectum erat, fuerit persolutum. Observat porro Chioccarellus,* opus esse tanto rege dignum, in quo, *inquit,* arma et insignia dicti regis per pluviale ac sacerdotalem vestem, quam in humeris gestat, dispersa conspiciuntur, ut vocant, smaltata, *id est, encausto distincta. Addit Chioccarellus* : Fertur fuisse compertum ex aurifabrorum relatione, qui id experti sunt, tabernaculum illud, in quo caput B. Januarii reclusum est, non integrum ex argento esse confectum et deauratum ; sed faciem S. Januarii esse ex solido auro, eoque purissimo, reliquum vero ex argento, et deauratum. Fertur quoque, eam esse effigiem ad vivum S. Januarii, ac desumptam ex ipsius sancti martyris statua marmorea, quæ tunc temporis in ecclesia, seu ædicula S. Januarii, Puteolis ad sulphurariam erat, *et quæ etiamnum ibidem conspicitur. At non recte similitudinem vultus videtur expressisse aurifaber, si Puteolanam statuam imitari voluit : nec etiam novimus, an illa veram* S. Januarii *effigiem exhibeat. Videri illa potest pag.* 798. *Thecam vero capitis ex scalpro Neapolitano hic repræsento. Hanc Tutinus pag.* 95 *existimat factam secundum Musivum sacelli S. Mariæ de Principio, cujus figuram dedi pag.* 799 : *Poterunt ipsi Neapolitani hac de re judicare.*

E

F

Ejusdem aut filii ejus Roberti cura videtur etiam conflata theca, qua continentur ampullæ.

289. *An eodem fere tempore etiam constructa fuerit pretiosa theca, qua duæ sacri sanguinis ampullæ continentur, certo non constat. Chioccarellus fol.* 116 *observat,* nullam mentionem haberi sanguinis S. Januarii; *indeque suspicatur, necdum innotuisse sanguinis ampullas, dum caput pretiosa illa theca reclusum fuit. Mazochius, ubi pag.* 50 *thecam capitis per Carolum II compositam dixerat, subjungit :* Cumque ampullarum cruoris theca ejusdem plane videatur operis atque ingenii, et coronam superne impositam habeat ; dubitari nequit, quin ea quoque sive eodem circiter tempore ab rege pientissimo constructa fuerit, sive non multo post ab alio principum Andegavensium. *Conje-*



Mich. Foschini del.

Parisiis V. Palmé

S. Januarii Protome



Theca hæc cum inclusis Sacris Ampullis naturali magnitudine expressa fuit.

A. *Quoddam maltæ genus exhibet, quo Ampullæ ab initio glutinatæ fuerunt, ne loco moverentur.*

B. B. *Maculas sanguineas minoris Ampullæ notat*

Mich. Foschini delin.

Paris V. Palme

Pet. Gaultier Sculp.

Ampullæ Cruoris Beatiss. Januarii Mart

A *jectura hæc ex operit similitudine sit verisimillima. Testatur enim cum Chioccarello ipse Mazochius, insignia regis Caroli in theca capitis relucere cum nomine, ut dubium non sit, quin eadem quoque insignia habeantur in theca sanguinis, cui pro nomine addita est* corona. *Hæc autem corona insinuat, regis esse opus; insignia vero, regis esse ex familia Andegavensi; similitudo demum suadet, ejusdem esse Caroli II, aut certe ejusdem artificis, qui idem componere potuisset sub Roberto rege, qui patri Carolo in regno Neapolitano successit anno* 1309. *Sub Carolo et Roberto ædificata est basilica cathedralis, ac beatissimæ Virgini assumptæ sub Roberto dedicata. Hujus structura dum perficiebatur, in quam reges Carolus et Robertus multa expenderunt, composita certo est theca pretiosa, qua caput* S. Januarii *recluditur, ut jam dictum; verisimillime etiam theca altera, qua sacri sanguinis ampullæ continentur. Figuram, ut scalpro Neapolitano expressa est, hic exhibeo.*

neque contrarium probant conjecturæ Mazochii.

290 *Mazochius tamen a conjectura verisimillima, quam dedi, statim resiluit, ubi inquirere cœpit in tempus, quo sanguis* S. Januarii *primum liquefactus est. Nam pag.* 52, *cum existimaret, sacri cruoris liquefactionem non esse cœptam, nisi* B *medio fere seculo* XIV, *similiter pretiosæ thecæ constructionem differendam credidit, ita scribens:* Nihil ergo probabilius afferre posse mihi videor, quam Carolum quidem II nihil præter sacri capitis simulacrum conflavisse. Sanguinis enim ampullæ tunc temporis aut adhuc ignotæ delituisse videntur, aut certe aliquamdiu sine theca, qua nunc includuntur, in armario repositæ jacuisse. Necdum enim e regione capitis positæ, nullas adhuc fluoris et concretionis vices ostenderant. *Ita quidem ratiocinatur Mazochius. At nec solide probat, sanguinem numquam fuisse liquefactum ante medium fere seculum* XIV; *nec recte deducuntur alia, etiamsi tantisper fingere velimus, id verum esse. Etenim, etsi non constet, an caput* S. Januarii *nominatim prodigiis inclaruerit ante annum* 1305, *dignum tamen erat, quod pretiosa theca honoraretur, quia sancti Martyris erat caput. Idem sane est de Sancti sanguine, qui honorifica theca ornari poterat, antequam liquefieret. Erat certe* S. Januarius *Neapolitanorum a multis seculis patronus; ideoque æquissimum erat, ut quæcumque ejus reliquiæ in magno honore essent apud Neapolitanos. Quapropter non crediderim, ampullas sanguinis tempore Caroli II delituisse, aut sine theca jacuisse in armario. Sane si casu aliquo circa medium seculi* XIV *inventæ essent ampullæ, ac paulo post prodigiis clarescere cœpissent, ut vult Mazochius, inventio tanti thesauri non fuisset silentio pressa, sed satis innotuisset per scripta Neapolitanorum aut aliorum, qui post medium seculi* XIV *floruerunt. Nec tamen eadem est ratio de prima sanguinis ebullitione, ut inferius ostendam.*

C

Immerito ille suspicatur, reliquias illas ante Carolum II sub terra jacuisse,

291 *Quapropter necesse non est dicere, sanguinem aut sub terra delituisse, aut honorifice servatum non fuisse, antequam liquefieret. Quod caput* S. Januarii *aliquando a supplicantibus per urbem circumlatum fuerit sine sanguine, nequaquam evincit, sanguinem eo tempore ignotum latuisse, aut jacuisse neglectum. Nihilo magis pretiosissima theca, qua Carolus II Sancti caput honoravit, evincere potest, illud antea sub altari jacuisse, aut honorifica theca caruisse; idemque rursum de sanguine dicendum. Nihil enim frequentius occurrit de reliquiis Sanctorum, quam quod thecis aut arcis minus pretiosis, quibus antea erant reconditæ, substituantur magis pretiosæ, splendidiusque ornatæ. Ita Carolus pro antiquiore capitis theca potuit auream partim partimque argenteam substituere, ipseque aut alius pro sacro cruore idem facere: neque enim vel minima voce indicatur, primas illas fuisse illarum reliquiarum post elevationem thecas, aut eo tempore primum elevatas. Imaginatio est ista Mazochii omni destituta fundamento, cum nullo nitatur testimonio, nulla ratione idonea; sitque aperte contra usum illorum temporum, quo reliquiæ Sanctorum in pretiosis thecis supra terram solebant servari. Non loquor de integris corporibus, quæ etiam hoc tempore aliquot locis sub altaribus jacent deposita; sed de reliquiis a reliquo corpore separatis, quales sunt caput et sanguis. Ejusmodi partes, ubi semel a corpore erant separatæ, rursum sub terra reconditas fuisse, non facile ostendet Mazochius; aut si forte unum alterumve invenerit exemplum (quod tam curiose non inquisivi) saltem immerito negaverit, ejusmodi corporum sacrorum partes jam ante seculum* IX, *et magis sequentibus seculis, non sub terra, sed in sacrariis, thecisque honorificis servari solitas. Innumera istius consuetudinis in Opere nostro inveniet exempla, si quis glorias Sanctorum posthumas diligenter pervolvere voluerit.*

cum id illius temporis consuetudini variisque scriptoribus sit contrarium,

292 *Quapropter dicta Mazochii conjectura de reconditis a S. Athanasio sub altari reliquiis* S. Januarii, *capite et sanguine, eisdemque dejectione altaris ibidem inventis ineunte seculo* XIV, *uti caret omni testimonio, ita et omni verisimilitudine. Eadem conjectura testimoniis scriptorum contraria est. Repugnat Fabio Jordano, laudato apud* E *Caracciolum pag.* 256, *qui existimavit, caput et sanguinem* S. Januarii *jam a seculo* VII *ita servatum fuisse, ut in supplicantium processionibus proferrentur, cum incendium Vesuvii, quod anno* 685 *figit Caracciolus, exstinctum dicat,* solemni pompa sacerdotum B. Januarii caput et durum sanguinem proferentium. *Repugnat Vitæ S. Peregrini, quam seculo* XV *fere medio scriptam agnoscit Mazochius. Nam si illi auctori, de quo plura dicam* § 21, *credendum est, caput et sanguis* S. Januarii *jam seculo* XII *miraculis clarescebant. Tutinus pag.* 86 *adducit verba anonymi, qui Chronicam Ms. Fr. Maraldi Cartusiani continuavit. Hic*, nisi fallor, *inquit Mazochius*, sæculo XV vixit aut perdiu certe post Caroli II tempora. *Audiamus tamen, quid afferat:* Hoc anno MCXL. Rogerius post coronationem suam Neapolim se contulit, et cives obviam illi occurrerunt contra portam Capuanam, et archiepiscopus urbis Neapolitanæ processionaliter eum recepit una cum Sanctorum reliquiis, capite et F sanguine S. Januarii, quas reverenter adoravit; quæ postmodum ad ecclesiam rediere.

neque illi scriptores hac in re prorsus sunt contemnendi:

293 *Ad hos scriptores respondet Mazochius, eos fuisse locutos pro more sui temporis:* Nam, *inquit*, usque ad Caroli II tempus cæ reliquiæ, sub altari positæ, non ostendebantur. *At saltem ita loqui non poterant, si credidissent, reliquias illas usque ad seculum* XIV *sub altari jacuisse reconditas. Si modo quæramus, unde Mazochius didicerit, altare* S. Januarii *sub Carolo II destructum, reliquias prædictas sub eo umquam fuisse positas, aut eo tempore inventas; nullum poterit assignare testimonium, auctorem nullum præter propriam imaginationem, in qua hæc omnia nata sunt. At saltem pluris facio anonymum Cartusianum seculi* XV, *quam cogitationem leviter conceptam, præsertim cum relatio Cartusiani optime congruat cum Falcone Beneventano, qui tunc vivebat, et ingressum Rogerii narrat tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag.* 131. *Solum non dicit Falco, reliquias fuisse portatas a clero. At Cartusianus, qui Chronicam continuabat, illud ex documentis Neapolitanis discere potuit.*

Idem

AUCTORE J. S.

Idem ex ejusmodi documentis, quæ præ oculis habenda erant Chronicæ scriptori, nosse potuisset inventionem sacri capitis et sanguinis, si ea tempore Caroli II sub altari essent reperta, et sic non scripsisset, archiepiscopum cum iis occurrisse Rogerio regi Neapolim intranti. Verum quoque non est, quod ait Mazochius, Cartusianum ex more sui sæculi *scripsisse, si scripsit seculo* XV. *Neque enim loquitur de liquefacto ad capitis præsentiam sanguine, prout liquefieri solebat seculo* XV. *Quare non ostenditur, Cartusianum ex mera conjectura dixisse, cum capite et sanguine* S. Januarii *archiepiscopum venisse obviam Rogerio: at clarum est, ejusmodi conjecturam prudenter fieri non potuisse pro anno* 1140, *si caput secundo post seculo solum e terra esset erutum, et sanguis etiam serius.*

Ferculum ampullarum, quod serius videtur compositum:

294 *Tota Mazochii ratio, qua sibi persuasit, thecam sanguinis* S. Januarii *fuisse compositam circa medium seculi* XIV, *sanguinemque non prius innotuisse, petitur ex epocha sanguinis primum liquefacti, quod miraculum circa idem tempus contigisse credit. Hoc postea examinabo. At interim satis ostendi, unum ab altero non dependere, sacrumque Patroni sanguinem in honore haberi* B *debuisse, etsi aut non liquefieret, aut id non observaretur. Existimat præterea Mazochius pag.* 52, *eodem tempore cum theca sanguinis* etiam nobile ac magnificum ferculum, cui theca ampullarum immittitur, fuisse *conflatum. Hoc non fuisse compositum, nisi postquam consilium inierunt Neapolitani sanguinem* S. Januarii *una cum capite circumferendi supplicantium ritu, facile assentiar. Ferculum illud ex argento inaurato conflatum esse, disco ex testimonio nobilium virorum inferius dando. Figuram scalpro Neapolitano æri incisam hic exhibeo. Hisce dictis de gemina theca et magnifico ferculo, quod serius structum videtur, quia sanguis non solebat in processionibus circumferri sub initium seculi* XIV, *ut intra videbimus, redeo ad tempora Caroli II et Roberti regum, sub quibus hodierna cathedralis fuit ædificata.*

antiquus Thesaurus, in quo olim caput et sanguis servata,

295 *Dubitandum non videtur, quin sacellum illud, quod* antiquus Thesaurus, *nominatur, et etiamnum ecclesiæ cathedrali adhæret, ædificatum fuerit una cum ecclesia cathedrali. Mazochius id ipsum existimat pag.* 49, *creditque substitutum fuisse antiquiori oratorio* S. Januarii. *At antiquius illud* S. Januarii *oratorium exstitisse numquam* C *probavit; vetus vero Thesaurus etiamnum cernitur. De eo ornato per Mariam Toletam, Albani ducis conjugem, jam dixi num* 177. *De exstructione ita loquitur laudatus Mazochius:* Sed tamen ejus loco *(non quidem loco oratorii* S. Januarii, *ut ille vult, sed potius loco Thesauri, qui fuerat in antiqua cathedrali, aut certe ad custodiendas reliquias)* turris in angulo novæ cathedralis prope portam erecta fuit, in qua tamquam in munimento tuto beati Martyris reliquiæ una cum ceteris sacris patronorum pignoribus recondi visum fuit. *De eo sic loquitur pag.* 47: Exstat hodieque is vetus, uti dixi, Thesaurus prope sinistram novæ cathedralis portam, quæ alæ sanctissimi Sacramenti recta regione objicitur. Ad veterem hunc Thesaurum, turri cuiquam impositum, olim cochlearibus ascendebatur scalis, nunc directis satisque venustis. Idem porro Thesaurus Mariæ Toletæ munificentia anno MDVII ornatus fuit; sed diu antea, imo ante hominum memoriam, ibi sanctissimi Patroni reliquiæ asservabantur. *Hæc recte.*

296 *Recte etiam addit sequentia:* Cur scalæ, cochleatim antea dispositæ, postea sub archiepiscopo Alfonso Carafa a Maria Toleta, proregis piissima conjuge, in directum reficerentur, hanc Tutinus D pag. III ex Actis curiæ archiepiscopalis affert causam, nempe custodis ætate Grandævi, dum cruoris ampullas allaturus descenderet, inopinatam ruinam. Nam ubi ille primo in gradu, fallente vestigio, concidit, excussæ ex pectore sacerdotis ampullæ totam gradatim cochleam ad imum usque pavimentum circumactæ decurrerunt. Illico omnes vitra confracta, cruoremque effusum deplorabant. Quæ ubi integra compererunt; id miraculo adscriptum, feminam lectissimam ac pientissimam impulit, ut et scalas rectas atque magnificas conderet, et ipsum Thesaurum reficeret atque exornaret. *Ita omnino habet laudatus Tutinus Italice; aitque Mariam Toletam quæ pro incolumitate proregis conjugis dictum sacellum exornare voverat, audito lapsu ampullarum earumque integritate, magis excitatam fuisse, ut votum suum exsolveret. In prædicto autem sacello caput et sanguis* S. Januarii *manserunt usque ad annum* 1647. *Quid interim acciderit, examinabimus.*

qua occasione olim fuerit instauratus et ornatus.

§ XXI. Caput S. Januarii in pervigilio translationis ad aliam ecclesiam ferri solitum et referri ad cathedralem sine sanguine: an epocha sanguinis primum liquefacti ex eo aliisque utcumque colligi possit? E

In pervigilio translationis seculo 14 caput S. Januarii

E*x Consuetudinibus seu Ritibus ecclesiæ Neapolitanæ, quos in scripta anno* 1337 *redegit Joannes Ursinus archiepiscopus Neapolitanus, inferre nituntur Chioccarellus et Mazochius, necdum eo tempore notum fuisse miraculum sanguinis* S. Januarii, *imo et sanguinem ipsum etiam tum delituisse. Hoc postremum saltem non recte consequi, jam satis probavi. Quæ ad propositum nostrum allata sunt a Chioccarello pro festo Translationis* S. Januarii, *quod celebrabatur mense Maio, huc ex Ms. Collectione traduco, ubi fol.* 85 *leguntur, quæ Mazochius etiam dedit pag.* 53, *rescissis superfluis:* Item in festo S. Januarii de mense Maii talis ordo servetur... Die Sabbati in F vigilia ejusdem festi de mane in aurora caput beatissimi Januarii coopertum pannis cum duobus clericis, portantibus duas torcias, reverenter portari debet per clericos, quibus... archiepiscopus commiserit, ad unam infrascriptarum ecclesiarum secundum dispositionem... archiepiscopi, videlicet sancti Apostoli, S. Pauli Majoris, S. Mariæ Majoris, S. Mariæ Rotundæ, S. Andreæ ad Nidum, S. Georgii Majoris, S. Mariæ ad Plazzam, vel ad aliam ecclesiam, si... archiepiscopo videbitur.... *Deinde præscribitur, quid archiepiscopus facere debeat, et quo modo, ac cum quibus ad cathedralem ecclesiam accedere.*

ad aliam ecclesiam ferebatur, non item sanguis:

298 *Et mox subditur:* Cum autem supradictus dominus archiepiscopus fuerit in sede sua, quæ est in pede chori, cum sibi videbitur, processionaliter cum capitulo suo toto, episcopis, abbatibus, clero universo, cunctis de populo ibidem congregatis, vadit ad ecclesiam, in qua caput beatissimi Januarii reconditum fuerat die Sabbati proxime præcedenti de mane, ut superius exprimitur, et cum ibi fuerit universitas civitatis Neapolis, quæ caput beatissimi Januarii associare tenetur, dum portatur,



Foschini del. — Gautier sculp.

Sacri Cruoris S. Januarii M. ferculum circumferri et exponi statis temporibus solitum.

A tatur, et duo de prædicta universitate de platea Capuana et Nidi, et inde duo de aliis plateis, et duo de populo portare tenentur supra caput beatissimi Januarii pallium cum hastis more solito. Quod caput in die prædicta deferre tenentur prælati usque ad tertium spatium viæ secundum beneplacitum domini archiepiscopi, et postea, ubi fatigati essent capitulum ecclesiæ Neapolitanæ deferre tenetur. Quod cum delatum fuerit ad dictam ecclesiam, et in altari reverenter repositum, dominus archiepiscopus vadit ad sedem suam *etc. Multa quidem subjiciuntur apud Chioccarellum de Vesperis solemniter peragendis, de tribus Matutinis in festo decantandis, nimirum primo per capitulum, secundo per Congregationem Sancti Apostoli, ac tertio per Congregationem S. Joannis Majoris, ac de Missa solemniter per archiepiscopum celebranda, sed hæc omnia, utpote ad propositum nostrum minus necessaria, brevitatis gratia prætermitto. Ceterum lectorem velim monitum, subinde me aliquid invenisse diversitatis in Ms. Chioccarelli et in editione Mazochii, sed hanc correctiorem credidi, ideoque passim secutus sum.*

ex eo tamen non recte infert Mazochius,

299 *Jam vero Chioccarellus, eumque secutus Mazochius existimant, abunde ex illis Ritibus probari, miraculum liquescentis* S. Januarii *sanguinis necdum patratum fuisse, dum hæc anno* 1337 B *scriberentur.* Cur enim, *ait Mazochius pag.* 52, non modo in Translationis festo ullum * de sanguine Januarii verbum injicitur, sed nullo prorsus per anni circulum tempore de eo venerationi fidelium proponendo fit mentio? Potuitne res tanta præteriri silentio? *Rursum pag.* 53 *sic instat :* Ex his vero satis, arbitror, animadvertitur, usque ad annum MCCCXXXVII non modo ignotum fuisse sanguinis liquescentis prodigium, sed ne efferri quidem in ea processione sacrum cruorem, aut proponi ad venerationem consuevisse. Aut si vero id tunc factum fuisse pertenderis; sane dicemus, rei tantæ silentium, (ibi præsertim, ubi id silere minime licuisset) fore ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius; nec ab ullo sanæ mentis prorsus admitti posse. *Fortiter pro more suo loquitur Mazochius; sed fortasse non cogitavit, multa primo intuitu mira videri, quæ, ubi maturo ac sedato judicio expenduntur, minus mirabilia apparent et satis credibilia. Quapropter singula expendamus.*

* *lege* nullum

sanguinem Sancti eo tempore non soluisse liquefieri :

300 *Ex allegatis Ritibus meo quidem judicio recte probatur, sacrum cruorem eo tempore non fuisse portatum ad ecclesiam, ad quam Sancti caput transferebatur : nam de eo portando æque Ritus fuissent præscripti, quam de portando capite. Verum reliqua omnia, si recte essent deducta, non minus obstarent epochæ, quam initio liquescentis sanguinis attribuere studet Mazochius, quam probarent, sanguinem ante annum* 1337 *numquam fuisse liquefactum. Idem enim silentium de liquescente sanguine reperitur in monumentis Neapolitanis istius temporis, quo ille sanguinem diu liquefieri consuevisse existimat; imo eo ipso etiam tempore, quo scriptores aliqui particulares de sanguine liquefieri solito luculenta proferunt testimonia. Pauca velim consideret lector studiosus, ut intelligat, quam inepta sint Mazochii ratiocinia. Statuit ille initium liquefactionis circa medium seculi* XIV. *Interim non invenio ullum ecclesiæ Neapolitanæ decretum seculo* XIV *aut* XV, *quo aliquid ordinatum est de transferendo aut fidelium venerationi exponendo* S. Januarii *sanguine, nullum quoque decretum, in quo fit mentio liquefactionis. Si tale* silentium ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius *videatur Mazochio, multa sane reperiet prodigia. Si* nec ab ullo sanæ mentis *admitti posse credat tale silentium; nescio, qua ratione sanam sibi mentem vendicare valeat.*

AUCTORE J. S.

num ostenditur, in aliis similibus documentis de sanguine

301 *Mitto alia omnia decreta. Unum profero Gasparis de Diano, sive ejus vicarii, quod multi scriptores dederunt, et ex quo multa dedi num.* 215 *et* 216. *In illa bulla decernuntur duodecim per annum* S. Januarii *festivitates, et Collecta sive commemoratio quotidiana. Explicatur insuper, quo ritu singulæ festivitates celebrandæ, Missaque et Officium ecclesiasticum sint peragenda, ut hac ex parte æque locus esset loquenti de exponendo fidelium venerationi sanguine* S. Januarii *aut capite, quam locus erat in Ritibus, quos produxit Mazochius. In tota tamen bulla nec de capite nec de sanguine* S. Januarii *fit mentio. Præterea in laudata bulla redditur ratio, cur tot Sancti festivitates per annum præscribantur, ac nonnullæ tam solemnes, eaque occasione multo prolixior de* S. Januario *fit sermo, quam in Ritibus a Mazochio objectis, in quibus solum edicitur, quid singulis sit faciendum. Verba ipsa huc transfero :* Cum autem inter martyrum turmas gloriosissimum antistitem Januarium, eximiis miraculis extrenue decoratum, nostrum sentiamus esse primum patronum, hujusque almæ civitatis atque ejus civium favorabilem defensorem, qui velut stella matutina inter angelorum agmina irradiat, et pro clero suoque E populo affluenter deprecari ac effundere preces non desinit *etc. Addit et alia de Sancti patrocinio jam data, sed, nihil de sanguine liquefieri solito. Hæc tamen scripta sunt integro fere seculo post initium liquefacti sanguinis a Mazochio statutum.*

aut ejus liquefactionem sileri,

302 *Ut magis miretur Mazochius, magisque perspiciat, non omnia omni loco dicenda esse, afferam magis recentia testimonia, in quibus de capite et sanguine fit mentio, nec tamen miraculum sanguinis commemoratur. In litteris Ferdinandi regis ad Cardinalem Neapolitanum Oliverium Carafam, quibus rex petit, ut corpus ex Monte Virginis Neapolim transferendum curet, pro ratione hæc allegantur Italice, quæ fideliter Latine reddo :* Ut novit reverendissima dominatio vestra, caput et de sanguine gloriosi sancti Januarii est in hac civitate : et novi insuper, quanta nomen illius sit in veneratione apud hunc populum, et quanta in ipsum feratur devotione, quam nos omni opera nostra augere desideramus. *Tota Epistola Italice est in Collectione Ms. Chioccarelli, et Latinam dedi ex Caracciolo num.* 152. *Advertat modo lector, in Epistola Ferdinandi regis memorari sanguinem* S. Januarii, *diu liquefieri solitum, ut certissimis* F *constat testimoniis, nec tamen de liquefactione fieri mentionem. In laudata Collectione Ms. fol.* 78 *et seqq. exstat Bulla Pauli Papæ III, data anno* 1534, *qua heredibus Oliverii Cardinalis Carafæ conceditur jus patronatus in sacellum* S. Januarii, *quod* Subcorpus *vocatur. In hac autem Bulla frequens fit mentio de* S. Januario, *asseriturque corporis ejus translatio ex monasterio Montis Virginis ad ecclesiam Neapolitanam, ratio vero translationis hæc datur :* Quod retroactis temporibus, cum post martyrium et decollationem S. Januarii episcopi et martyris illius gloriosum caput cum sanguine, in ejus decollatione collecto, in ecclesia Neapolitana, ad quam rite translatum fuerat, summa cum veneratione conservaretur; et propter crebra miracula, quæ inibi Altissimus ipsius S. Januarii, ut pie credebatur, meritis et intercessionibus operabatur, maxima Christi fidelium ad dictum S. Januarium devotio, et populi concursus habebatur *etc.*

quando sanguis certo solebat liquefieri,

303 *Possum addere Bullas Sixti V. et Gregorii XIV : sed, his missis, observo, votum, quod anno* 1527

AUCTORE J. S.

1527 *nobiles Neapolitani fecerunt de construendo novo* S. Januarii *sacello, nuncupatum fuisse* ante conspectum reliquiæ ejusdem gloriosissimi Pontificis et martyris, videlicet capitis et sanguinis ipsius, *iteratamque in voti formula deinde mentionem fieri* ejusdem beati Januarii pontificis et martyris, patroni, protectoris et defensoris hujus civitatis; *nec tamen in ea dici, sacrum* S. Januarii *cruorem prodigiose liquefieri solitum. Jam vero edicere dignetur Mazochius, an silentium illorum omnium de sanguine loquentium, non item de liquefactione,* ipso liquefacti cruoris prodigio prodigiosius *videatur; an sanam mentem nolit agnoscere in iis, qui credent, sanguinem liquefieri solitum iis temporibus, quibus illi sanguinem Neapoli conservatum asserunt, prodigiosam tamen ejus liquefactionem tacent. Certe de liquefactione temporibus Ferdinandi regis, Pauli III Pontificis, et voti a Neapolitanis nuncupati constat: ex dictis item certum est illorum de illo prodigio silentium. Neque tamen ullum in dicto silentio agnoscimus prodigium, quia non omnia ubique dicenda sunt, et quæ vulgo nota sunt, facile prætermittuntur. Nihilo magis ullum agnoscimus prodigium in silentio, quod allegat* B *Mazochius. Unum, ut jam dixi, ex illo recte probatur, caput sine sanguine ad aliam ecclesiam circa annum* 1337 *transferri consuevisse in festo Translationis, ac referri ad cathedralem. Ad ritus illius translationis ordinandos nequaquam opus erat ullam sanguinis aut ejus liquefactionis facere mentionem. Nam, si sanguis eo tempore solebat liquefieri, id procul dubio notum erat omnibus, qui adesse debebant capitis translationi.*

caputque etiam alias sine sanguine circumlatum esse:

304 *Neque ex translatione solius capitis sine sanguine inferri recte poterit, sanguinem eo tempore aut ignotum fuisse, aut saltem nondum liquefieri cœpisse. Nam variæ rationes movere poterant Neapolitanos, quo minus vellent, sanguinem ad aliam ecclesiam deferri, ibique pernoctare, ac postridie referri. Poterant timere, ne in tot translationibus infortunio aliquo ampullæ frangerentur, aut dolo alicujus cum aliis similibus permutarentur. Quæcumque fuerit causa non transferendi ampullas cum capite, idem postea in aliis occasionibus subinde factum est. Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 4 *pag.* 131 *refert montis Vesuvii terribile incendium, quod contigit* C *anno* 1698, *relatum similiter a Falconio pag.* 517. *Archiepiscopus, rogantibus Neapolitanis, ea de causa piam supplicantium processionem ordinavit, in qua portatum fuit* S. Januarii *caput, non item sanguis. Rursum anno* 1707, *mandante archiepiscopo, pium supplicantium agmen cum capite* S. Januarii *in conspectum Vesuvii montis, flammas eructantis, processit, ut subjungit Hieronymus Maria pag.* 132, *Falconius pag.* 119, *uterque non modo tunc florens, sed uterque etiam verisimiliter testis oculatus. Quærat modo Mazochius rationes, ob quas caput sine sanguine tulerint supplicantes Neapolitani, et cur de sanguine non loquantur scriptores laudati, dum ea narrarunt; eademque opera facile inveniet, non defuisse rationes, cur circa annum* 1337 *solum caput portaretur.*

silentiumque, ex quo argumentum sumit, deinde etiam in Ritibus inveneri:

305 *Nullam quoque vim habet, quod ait,* in tota illa Rituum *(Ursinianorum)* collectione *nullum reperiri vestigium liquefacti sanguinis. Nam primo totam Rituum Ursinianorum collectionem numquam vidit Mazochius, opinor, aut etiam Chioccarellus. Quæ hic de illis dedit, non multa sunt, eaque, ut mihi asseruit amicus Neapolitanus accepta ex schedis quibusdam scripturæ non admodum antiquæ, quas habuit ex bibliotheca Brancaciana. At fingamus tantisper, totam Rituum collectionem ab iis fuisse visam et examinatam; vel* D *sic nihil inferre poterit Mazochius pro stabilienda epocha sanguinis liquefacti. Etenim in omnibus ritibus toto seculo posterioribus nihil similiter inveniet de sanguine liquefacto, imo nihil etiam, ut conjicio, totis duobus seculis post Ritus Ursinianos. Fingamus præterea, nihil in Ritibus Ursinianis decretum fuisse de sanguine* S. Januarii *statis temporibus fidelium venerationi exponendo; vel sic nihil rursum concludere poterit contra liquefactionem. Poterat enim sacer ille sanguis in pretio haberi et liquescere, etsi statutis diebus non fuisset expositus. Poterat etiam venerationi fidelium exponi, et quidem e regione capitis, quoties visum esset illis, quorum curæ erat commissus. Certum est, consuetudines exponendi, monstrandi, aut transferendi sacrum* S. Januarii *sanguinem, frequenter esse mutatas, aliasque fuisse seculo* XVI, *alias* XVII, *et alias demum esse hoc seculo. Quare argumentum Mazochii, quod ex Ritibus Ursinianis desumit, prodesse nequit ad certam liquescentis primum sanguinis epocham stabiliendam. Multo enim plus probaret, quam voluit ipse Mazochius, si rite probaret, liquefactionem non contigisse ante annum* 1337. E

ut epocha ab eo fixa plane fiat inserta.

306 *Audiamus tamen etiam, quo ratiocinio evincere nitatur, principium liquefacti sanguinis* S. Januarii *non esse figendum post medium seculi* XIV, *sive annum circiter* 1350. *Observat cum aliis primam illius miraculi mentionem fieri in Vita S. Peregrini, quam scriptam probat a Lupo de Spechiis circa medium seculi* XV. *Laudatus autem Lupus, cujus verba dabo* § 22, *scripsit, miraculum liquescentis sanguinis jam contingere solitum, dum S. Peregrinus venit Neapolim, quod ille* vergente seculo XI *evenisse existimat; figendum tamen esset seculo* XII, *si constaret de parentibus S. Peregrini in Vita assertis. Hisce positis, Mazochius pag.* 53 *sic ratiocinatur:* Lupus in Peregrini Vita tam antiquum id miraculum credidit, ut id potuerit ad quadringentos *(dicamus potius ultra trecentos)* retro annos retrahere. Quod si illud multo recentius anno circiter MCCCL fuisset; certe senes recentius initii meminissent, ac Lupum opportune dedocuissent. Non potuit igitur multo serius medio XIV seculo exordium prodigii contingere. *Hoc certum est, non potuisse Lupum facile existimare, tempore S. Peregrini usitatum fuisse prodigium* F *liquescentis* S. Januarii *cruoris, nisi longo tempore fuisset continuatum. An autem centum circiter anni requirerentur et sufficerent, ut ille in ejusmodi errorem incideret, si tamen in eo erravit, aliorum esto judicium. Ego interim congeram antiquiora, quæ proferuntur, de sanguine liquefacto testimonia.*

§ XXII. Mirabilis S. Januarii Sanguinis liquefactio et ebullitio, cujus initium nequit certo assignari.

De initio liquescentis S. Januarii sanguinis non constat:

Inter *miracula* S. Januarii *celeberrimum sane est illud, quod nostris quoque temporibus ad annos singulos variis vicibus repeti solet, pluresque habet testes, quam populosissima Neapolis incolas. Loquor de notissimo illo prodigio, quo sanguis* S. Januarii, *duabus ampullis conclusus, prout videri potest in figura pag.* 827 *data, liquescere solet, effervescere et ebullire. Attamen difficulter inveniri poterit, a quo fere tempore prodigium illud*

AUCTORE J. S.

A *illud primum cœperit observari, cum nullus innotuerit scriptor, qui istius miraculi exordium posteritati commendavit. Vulgarem illam opinionem, seu traditionem popularem, qua dicitur miraculum illud contigisse tempore primæ translationis* S. Januarii, *factæ exeunte seculo* IV *aut ineunte* V, *jam doctiores Neapolitani, Chioccarellus, Caracciolus aliique plures repudiarunt, eaque satis refutata est* § 18. *Epocham Mazochii similiter non probari, licet minus a vero distare videatur, mox ostendi* § 21. *Jam vero probare aggredior, miraculum illud certo multis seculis contigisse, et verisimiliter multo vetustius esse, quam voluit Mazochius; atque hunc in finem antiquiora colligam testimonia.*

memoratur illud in Vita S. Peregrini, ut jam fieri solitum seculo 12:

308 *Primum testimonium profertur ex Vita S. Peregrini, cujus apographum, ex Ms. Neapolitano huc missum a Beatillo, ante me habeo. In illa Vita S. Peregrinus dicitur fuisse filius Malcolmi Scotiæ regis et S. Margaritæ reginæ, cujus Vita data ad* X *Junii, ibique eorum matrimonium fixum anno* 1070. *Itaque cum S. Peregrinus, post plurimas peregrinationes, dicatur Neapolim venisse, ibique non juvenis, sed vir obiisse; adventus ejus*
B *morsque figenda essent seculo* XII, *saltem inchoato, si vita satis fideliter esset conscripta. Auctor vero Vitæ creditur scripsisse circa medium seculi* XV, *vocaturque nomine diversimode scripto* Lupus de Spechiis, *aut* de Speis, *alias etiam* de Spechio *aut* Specchio, *et* de Speio, *prout Itali nomen Hispanicum diversis modis expresserunt: nam idem videtur, qui apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca scriptorum Hispaniæ tom.* 2 *pag.* 59 *nominatur* Lupus de Espeio, *ubi dicitur patria* Oriolanus in regno Valentiæ, doctorque Valentinæ scholæ, *sed inde in Italiam delatus. Mazochius pag.* 51 *ex aliis docet,* consilarium *fuisse* et regiæ cameræ summariæ præsidentem sub Alfonso I. *Sabbatinus tamen tom.* 9 *pag.* 123 *asserit, Lupum floruisse sub Carolo III, id est, vergente ad finem seculo* XIV. *Hæc curiosius hic non examino, cum Vita S. Peregrini a Majoribus nostris remissa sit ad* XVI *Novembris, ubi accuratius inquirendum est in auctorem. Interim ex dicta Vita afferuntur sequentia, quæ et leguntur in apographo nostro:* Venit *(S. Peregrinus)* Neapolim, quam veteres Parthenopem appellarunt, ad S. Januarii martyris quotidianum et insigne miraculum; ubi geminæ
C phialæ vitreæ parvulæ habent intra se ipsius Martyris durum sanguinem sicut saxum: quæ cum ad caput ejusdem Martyris appropinquantur, subito liquescit sanguis in illis cum aliqua spumanti bullitione. Qui Martyr a mille annis citra jam migravit ad Dominum, et phialæ illæ intactæ persistunt.

cumque nullus memoret initium, forte cœptum fuerit

309 *Chioccarellus, Caracciolus et Mazochius agnoscunt, Vitam illam non tam accurate scriptam esse, ut nos de assertis illis possit certos facere. Dubium mihi quoque nullum est, quin dicta Vita multis fabulis aut erroribus sit fœdata. Hinc non ausim ex illa certo concludere, tam usitatum fuisse seculo* XII *ante medium, ut alias ex illa sequeretur, miraculum liquescentis sanguinis, quam in illa Vita insinuatur. Aliunde tamen nihil quoque invenio, quo scriptorem illum erroris aut fictionis convincere valeam. Etiamsi gratis quis suspicari voluerit, Lupum in vetustioribus de S. Peregrino documentis nihil invenisse de illo miraculo, saltem crediderit, id tempore Peregrini patratum fuisse, et nihil invenit de recentiore initio, quod satis mirabile videri potest, si tantum fieri cœptum sit seculo* XIII *aut* XIV. *Etenim silentio omnium scriptorum de initio dicti miraculi verisimile fit, illud fieri cœpisse seculo aliquo obscuro, quo nulli apud Neapolitanos floruerunt historiographi, aut certe paucissimi, quorum scripta deinde fuerunt conservata. Dignum sane erat prodigium, cujus principium historiographi posterorum memoriæ commendarent.*

seculo X, XI, *aut* XII, *quibus nulli fere historici Neapoli fuerunt,*

310 *Si quis modo consulere voluerit indicem chronologicum, quem Mazochius Operi frequenter memorato præfixit, inveniet aliquot historiographos Neapolitanos seculo* XIII *et* XIV, *nullos seculo* XI *et* XII: *nam Vita S. Athanasii, quam alterutro seculo perperam figit, jam seculo* IX *fuit conscripta, ut probavi num.* 238 *et seq. Nullus quoque historiographus Neapolitanus mihi innotuit seculo* X *post medium, sive post Joannem diaconum, qui* IX *et* X *seculo varia conscripsit. Fateor tamen, me studiose non indagasse, an nulli prorsus trium illorum seculorum supersint historici Neapolitani, sed eam curam aliis libenter relinquere. Jam vero ex data observatione non quidem firma persuasio, nonnulla tamen mihi oritur suspicio, uno ex obscuris illis seculis miraculum liquescentis* S. Januarii *sanguinis fieri cœpisse, defectuque historicorum Neapolitanorum, quorum scripta* E
fuerint conservata, principium fuisse silentio involutum, pluresque deinde historicos, cum principium ignorarent, non curasse loqui de re Neapolitanis omnibus satis nota. Augetur utcumque ista suspicio, quia cultus S. Januarii *multum apud Neapolitanos auctus videtur seculo* XI *aut* XII. *Certe ecclesia metropolitica, in qua ne sacellum quidem* S. Januarii *seculo* IX *aut* X *assignari potest, nomen* S. Januarii *gerebat seculo* XII, *ut vidimus, ac deinde* limina S. Januarii *visitaturos se quotannis promittebant clerici, qui gaudebant beneficio ecclesiæ Neapolitanæ. Necdum primarius urbis patronus fuisse videtur.* S. Januarius *vergente ad finem seculo* IX, *sed etiam tum primas obtinuisse videtur S. Agrippinus, quantum colligi potest ex sæpe laudata Vita S. Athanasii, tunc scripta, num.* 5. *In beneficio seculi* X, *quo Neapolitani Saracenorum obsidione circa annum* 961 *liberati dicuntur, ut relatum est num.* 141, *rursum conjunguntur patroni* Januarius *et* Agrippinus, *sed* Januarius *jam præponitur.*

et quibus cultus Sancti sic excrevit, ut factus sit

311 *Idem observo anno* 1183; *in diplomate Sergii III archiepiscopi, cujus clausulam recitat Chioccarellus in Collectione Ms. fol.* CXI *hoc modo:* Auctoritate Dei omnipotentis, et beatæ Mariæ semper Virginis, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Januarii et Agrippini, quorum patrocinio communimur, et aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ in prædicta nostra ecclesia continentur *etc. At in diplomate alio ejusdem Sergii, dato anno* 1187, *quo indulgentias largitur in consecratione ecclesiæ S. Gregorii, solius* Januarii, *ut patroni, fit mentio. Clausulam ex Chioccarelli Collectione subjicio:* Auctoritate Dei omnipotentis, et beatæ Mariæ semper Virginis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et beati Januarii patroni nostri, et beati Gregorii *(cujus nempe ecclesia erat)* et Sanctorum omnium, quorum ibi reliquiæ reconditæ perhibentur, sibi misericorditer noverint relaxata. *Similiter in diplomate quod anno* 1238 *dedit Petrus archiepiscopus,* beati Januarii pontificis et martyris patroni nostri *fit mentio, nec alius memoratur patronus. Pro sequentibus seculis nullum est dubium, quin* S. Januarius *primarius fuerit Neapolitanorum patronus.*

patronus primarius, etsi corpus tunc non esset Neapoli,

312 *Si modo causam investigare velimus, ob quam* S. Januarius *obscurioribus illis seculis, nimirum*

AUCTORE J. S.

mirum x, xi *aut* xii, *factus sit primarius Neapolitanorum patronus, nullam inveniemus magis verisimilem, quam quod illis temporibus manifesta magis quam ante, patrocinii sui cœperit dare indicia. Etenim corpus eo tempore erat Beneventi, cum multa aliorum Sanctorum corpora essent Neapoli, ut hac ex parte alii non pauci viderentur superiores. Inter hos etiam complures erant, qui ecclesiam Neapolitanam episcopi administraverant, ut hac quoque de causa viderentur præponendi. Itaque non facile aliam inveniemus rationem, qua* S. Januarium *ceteris prætulerint Neapolitani, quam quod crederent se habere præcipua protectionis ipsius indicia. Interim aut nulla aut paucissima sanationum beneficia, aliaque id genus miseris præstita illis seculis innotuerunt, ut vel paucissima contigerint, vel ad posterorum memoriam non pervenerint. Hæc igitur omnia vehementem mihi ingerunt suspicionem, sanguinem* S. Januarii *mirabili sua immutatione et ebullitione illis temporibus loqui cœpisse, illoque prodigio tantam in animis Neapolitanorum natam esse de Sancto fiduciam, quantam deinde semper habuerunt, quamque hactenus auxisse magis videntur, quam* B *minuisse. Habet studiosus lector sive suspicionem sive conjecturam meam de initio celeberrimi, multisque jam seculis continuati, prodigii in sanguine* S. Januarii, *quam lubens prudentum omnium judicio examinandam subjicio. Interim credere nequeo, ejusmodi sanguinis* S. Januarii *prodigium contigisse ante seculum* x, *quo Acta* S. Januarii *scripsit Joannes Diaconus. Nam Anonymus auctor qui Homiliam de Miraculis* S. Januarii *seculo* viii *aut ineunte* ix *composuit, plane defuisset officio suo, si cum aliis miraculis continuum illud de sanguine ebulliente non scripsisset. Si vero postea esset factum, minime de eo silere debuisset Joannes Diaconus, sive in Chronico, sive in Actis* S. Januarii *aut* Sosii.

De sanguine liquescente testimonium Æneæ Silvii.

313 *Quidquid porro sit de conjectura illa, ac de epocha illa tam late sumpta, ut a seculo* x *usque ad* xiii *extendi fere possit, certum est, seculo* xv, *quo scripta creditur Vita S. Peregrini, notissimum fuisse miraculum liquescentis sanguinis.* S. Januarii, *illudque eo seculo commemorari, non ut nuper inchoatum, sed ut vetustum et notum. Apud Chioccarellum in Collectione Ms. recitantur verba Æneæ Silvii, qui anno* 1458 *summum adeptus est Pontificatum, dictusque* Pius II, *ex Commentariis* C *ad Antonii Panhormitæ librum de Dictis et factis regis Alphonsi cap.* 42, *quos anno* 1456, x *Kalendas Maii, Neapoli absolutos ait Chioccarellus. Ea huc transfero :* Vellem audisse, quidnam dixerit Andreas, ubi Panormum rediit, viso rege. Ego cum hinc abiero, si quis me roget, quæ apud Neapolim, scilicet digna memoratu, viderim; quatuor in primis respondebo, Neapolim scilicet splendidam urbem, salubritate aëris, portu, templis, ædibus, agris, equis, armisque, apud Italiam nulli secundam : arcem regiam, quam novam vocant, amplitudine formaque cunctas superantem, multasque raræ magnitudinis naves; quæque maria sulcasse aliquando memorentur; et cui talia quadrent, Alphonsum regem adjiciam. Et quinto loco, si quis audire petierit, sacrum illum D. Januarii cruorem, quem modo concretum, modo liquatum, ostendunt, quamvis ante annos mille ducentos pro Christi nomine sit effusus. *Istud Æneæ Silvii testimonium adducunt etiam Tutinus pag.* 87, *Caracciolus pag.* 257, *Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 6; *sed breviter tantum. Mazochius pag.* 51 *posteriora etiam verba recitat, observatque, inter mortem* S. Januarii, *et tempus, quo illa scripsit Æneas, vix intercurrisse centum et quinquaginta annos supra mille, licet ille mille et ducentos ponat. Vera est observatio. At non studuit Æneas accurate inquirere, quo anno* S. Januarius *martyrio coronatus sit; ideoque facile eidem condonandum, si rotundo usus numero ad quinquagenta fere annos aberraverit. Necdum primorum seculorum gesta ad exactam chronotaxim erant reducta. Hinc longius etiam aberrat Appendix primorum Actorum num.* 4, *ubi Sanctus dicitur passus* circa annum Domini ducentesimum vigesimum, *uti etiam legitur in antiquo Officio Neapolitano apud Falconium pag.* 148. *Non infirmatur igitur prolatum testimonium ex qualicumque illo errore chronologico.* D

Angeli Catonis, Joannis Bapt. Fregosi,

314 *Ejusdem seculi est Angelus Cato, philosophus et medicus patria Supinas, quod oppidum est prope Beneventum. Edidit ille anno* 1474 *librum Pandectarum medicinæ Matthæi Silvatici Salernitani, dedicavitque Ferdinando Aragonio regi. In Epistola autem præliminari agens de rebus insignibus Neapolitanis, ac de sanguine* S. Januarii, *teste Chioccarello fol.* 91, *ita loquitur:* Quid dixero de D. Januarii martyris sanguine, qui Neapoli summa cum religione servatur? Quæ miracula E nostro tempore Christi cultoribus ostenduntur, quæ sint hoc vel magis speciosa, vel magis evidentia? Durescit absente capite, quod et idem servatur in æde metropolitana Neapolis. Quoties tamen capiti ostenditur, liquescit, proinde atque eo die fuerit corpore effusus. *Eodem seculo* xv *ad finem decurrente floruit Joannes Baptista Fregosus, ante dux Genuensis, deinde e patria sua pulsus, et aliquot librorum scriptor. Ex hujus Opere de Dictis et factis memorabilibus lib.* i *cap.* 6 *hæc affert Gazella pag.* 84, *Sabbatinus tom.* 9 *pag.* 125, *et plures alii:* Mirandi sanguinis mentio, quæ superius est facta, impellit, ne sanguinem prætereamus Januarii martyris, qui Beneventanus episcopus fuit, Neapoli *(imo Puteolis)* pro Christi fide capite mulctatus. Diversis igitur templis conditum caput, sanguisque ejus ampulla conclusus, quo die per urbem solemniter feruntur, sanguis, qui in pilam indurit, cum in caput incidit (mirum dictu, sed tamen verum) liquescit totus in ampulla, non aliter quam tunc, cum primum, cæso capite, ex Martyris corpore defluxit. Cum autem a capite disjungitur, in sphæricam formam ut antea erat, durescit. Id etsi satis patet, nos tamen, ut certius rem intelligeremus, eorum, qui in F re præsentes fuerunt, intentisque oculis diligentes se spectatores præbuerunt, testimonium habere voluimus. *Ita ille de miraculo diligenter inquisito; sed verisimiliter errat, dum dicit,* diversis templis *caput et sanguinem fuisse conditum, quod apud neminem inveni; et saltem sequenti seculo factum non est.*

Anonymi Galli,

315 *Laudati scriptores aliique omnes biographi etiam referunt, sanguinem* S. Januarii *liquidum fuisse factum anno* 1495 *coram Carolo VIII Francorum rege, qui tunc Neapoli degebat. Factum refertur ab auctore Gallo, qui verisimiliter præsens fuerat, et certe stylo suo Gallico satis insinuat, iis temporibus se scripsisse. Gazella Robertum Gaguinum nominat, de quo dubitat Caracciolus pag.* 257. *Verum Gaguinus Latine scripsit, non Gallice. Chioccarellus tam in Ms. Collectione, ubi affert textum Gallicum exeunti seculo* xv *conformem, quam in Archiepiscopis Neapolitanis pag.* 310, *insinuat scriptorem esse anonymum, cujus librum his verbis assignat:* Hoc factum affirmat liber quidam de rebus Gallorum, Gallico idiomate editus, ab Anonymo collectus ex variis auctoribus, qui de rebus Gallorum

A Gallorum scripserunt, cui titulus est : Le Mirouer * historial de France, qui Parisiis excusus est anno MDXVI in folio. Liber autem is penes nos est. *Refert porro ille scriptor, Carolum VIII anno* 1495, *die Dominico, tertio Maii, quo celebrabatur festum translationis* S. Januarii, *interfuisse sacrosancto Missæ Sacrificio in ecclesia cathedrali. Tum addit Gallice, quæ reddo Latine* : In hac ecclesia ostensum fuit regi caput et sanguis prædicti S. Januarii, quæ dignæ admodum sunt reliquiæ, magnique faciendæ. Nam simul atque rex erat ante princeps altare illius ecclesiæ, tradita ei fuit virgula argentea, ut memoratum tangeret sanguinem, qui lapidis instar erat durus. Verum, postquam tantisper supra altare erat positus, continuo cœpit incalescere ac mollescere, acsi fuisset sanguis recenter e corpore viventis hominis emissus. Hinc multi proceres Galli aliique de populo vehementer obstupuerunt, quod tam nobile viderent miraculum.

* miroir

Juliani passeri.

316 *Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap,* 6, *relato hoc facto, ex virgula argentea, qua rex sanguinem tetigisse dicitur, inferre nititur, ampullam eo tempore non sic obseratam fuisse, ut aperiri non posset,* B *crededitque, virgulam a rege insertam fuisse ampullæ, ut ita duritiem sanguinis exploraret. Verum non necessario sic explicanda sunt verba scriptoris Galli. Forte solum voluit, virgulam regi traditam fuisse, ut illa ampullam clausam posset attingere, ac vertere in varias partes, quo ampullæ motu, si sanguis maneret immobilis, duritiam haberet perspectam. Laudatus Hieronymus pag.* 151 *ex Juliani Passeri Diario Ms. adjungit, sanguinem* S. Januarii *anno* MCDXCVI liquidum instar aquæ *fuisse visum, dum circumferebatur cum capite a supplicantibus tempore infirmitatis Ferdinandi II regis Neapolitani.*

Joannis Franc. Pici Mirandulani.

317 *Joannes Franciscus Picus, Mirandulæ dominus, neposque celeberrimi Joannis Pici Mirandulani, varia scripsit circa annum* 1500. *Ex ejus libro de Fide et ordine credendi hæc producit Chioccarellus in Collectione Ms. pag.* 93 : Adservantur Neapoli in Campania Januarii martyris reliquiæ : adservatur et in vase sanguis, post ejus trucidationem pie collectus, qui e regione membrorum positus, ebullire quodammodo incipit, et liquefieri, atque ad pristinam veri sanguinis speciem redire : semotus autem et alio collocatus, in C densum cruorem coit coagulaturque, tamen retinens formam, quæ cruori multis seculis effuso conveniat; donec iterum reliquiis ipsis, argentea theca reconditis, ex adverso reponatur. Nec id quoque semper evenit : nam dum regionibus illis aliquod imminet malum, vel turbatio impendet, minime liquefit, sua illa quiete vexationem portendens. Ita incolæ longa experientia didicere. Ego meis oculis cruorem illum, qui concretus et teter sua natura manet, objectu capitis rubescere, liquere, et ceu ebullire vidi, perinde acsi venis tum fuisset emissus. Vidi, inquam, meis oculis, et ratione comprehendi, opera naturæ fieri id minime posse : testatissimum enim apud philosophos, a formæ privatione, quod aiunt, ad habitum ejusdem reditum non dari. Et qui non credunt, experiri possunt, si cruorem, ubi coïerit, et post menses aliquos, ne annos dicam, in terram pulveream-que massam redactus fuerit, ad sanguinis formam; et, ne de verbis calumniam faciant, si non ad formam, ad sola tamen accidentia formam sequentia, ruborem scilicet, fluxum, et reliqua reducere possint.

318 *Scriptorem etiam Germanum adducit Sabbatinus, nimirum Henricum Kormannum in libro de Miraculis mortuorum pag.* 4 *cap.* 24, *unde recitat sequentia* : De S. Januario Beneventano episcopo, Diocletiano et Maximiano in Christianos sævientibus, Puteolis gladio percusso legitur, quod ejus sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, cum in conspectu capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri et ebullire perinde, ac recens effusus, ad hæc usque tempora cernitur. Id etsi patet, nos tamen, ut certius rem intelligeremus, eorum, qui in re præsentes fuerunt, intentisque oculis diligentes se spectatores præbuerunt, testimonium habere voluimus.

AUCTORE J. S. Henrici Kormanni,

Cardinalis Baronii,

319 *Cardinalis Baronius in Annotatis ad Martyrologium* XIX *Septembris de eodem miraculo sic loquitur* : Porro insigne ac perenne miraculum sanguinis ejusdem S. Januarii, qui, cum ampulla vitrea concretus contineatur, liquescere tamen et fluere perinde, acsi recens esset effusus, sæpe conspicitur, non ejusmodi est, ut unius vel alterius hominis testimonio comprobetur, sed ita manifestum, ut ipse Martyris sanguis assidua miraculorum operatione, vocibus quibusdam, velut Abel sanguis clamans, per universum orbem Christianum intonet. E *Idem id Annalibus ad annum* 305 *num.* 6 *ita scribit* : Verum S. Januarii corpus, longum post ambitum, translatum demum Neapolim, ob ingentem atque frequentem miraculorum operationem mira illic celebritate colitur, cum ab omnibus, tum præsertim a civibus tanti Patroni gloria exultantibus, ejusque beneficiis jugiter perfruentibus. Viget ibi insigne illud et perenne miraculum sanguinis ejusdem Martyris, qui in vitrea ampulla asservatur. Nam cum alias idem sanguis concretus atque durus semper maneat ; tamen cum primum ad caput Martyris admovetur, quasi vicino illius, corona martyrii decori, lætetur aspectu, et fontem, unde manavit, intelligens, eo recurrere, unde fluxit, exoptet, illudque iterum animare festinet, veluti moræ resurrectionis impatiens; protinus liquefieri, mox fluere et ebullire, maxima omnium admiratione conspicitur. Cujus tantæ rei non unum aut alterum testem producam, cum tota Italia, et totus, ut ita dicam, Christianus orbis testis sit locupletissimus, cum hæc in regia et amplissima assidue fiant civitate, ad quam ex totius orbis partibus confluere hominum multitudo soleat. F *Hactenus Eminentissimus Annalium scriptor, cujus certe testimonium multis æquivalet.*

Joannis Rho,

320 *Sabbatinus pag.* 127 *producit locum bene prolixum ex Epistola P. Joannis Rho Societatis Jesu, habitis concionibus, scriptis libris, gestisque officiis celeberrimi, ad P. Silvestrum Petra-Sancta, suis quoque Operibus notissimum. Observavit ille anno* 1628 *solitum miraculum, cum Neapoli conciones habuisset per Quadragesimam. Aderat tum ingens multitudo principum ac nobilium virorum. Cum vero iterum anno* 1643 *Neapoli prædicaret, obtinuit, ut extra tempus, quo omnibus ostenditur, sacrum cruorem cum aliquibus intueri liceret. Quid autem in privata illa contemplatione acciderit, sic exponit* : Itaque, aperto ostiolo, per scalas evasimus, factoque uno alteroque Sacro, dum socii, qui plurimi adesse cupiebant, omnes conveniunt, sacrum Martyris caput, veteri argento illius os referente inclusum, e loculamento, quod pone aram est, a linteatis ministris, accensis honoris ergo funalibus, depromitur, atque in cornu altaris dextro collocatur. Mox eadem religione venerabilis ampulla, quæ argenteo ac faberrime

AUCTORE J. S.

berrime facto in ferculo suspenditur, ex iisdem eximitur, superque sinistrum cornu ex adverso capitis deponitur. Adoratis sacris pignoribus, Deoque demisse invocato, qui mirabilis est in Sanctis suis, propitius ut adesse vellet, assurgens ego, ampullam ex ferculo eximo (nam id etiam fas esse Cardinalis voluerat) et plurimis, qui ex clero populoque aderant, Sociisque præsertim diligenter ostendo.

qui in expositione extraordinaria

321 Sanguis erat non aridus quidem, sed concretus, qualis, cum secta emittitur vena, post horas aliquas adesse consuevit, non ita vitro adhærens, ut, inclinata in hanc illamve partem ampulla non difflueret, nec vitrum obvelaret, sed totus sibique constans moveretur. Reposita ampulla, procidimus omnes in genu, tacitisque votis pro suo quisque sensu Deum precati sumus. Paulo post ego ampullam iterum in manum sumens, sanguinem jam quadamtenus fluentem omnibus ostendi: nam inclinata in quamlibet partem latera omnia sanguineo obducta velo videbantur. Id ubi omnes contemplati sumus, iterum argenteo suo in ferculo ampulla suspensa, ad sacra patronorum Neapolis pignora, quæ dispositis circumquaque loculamentis in eo sacello magnifice asservantur, ingredimur....

B

sanguinem vidit liquescentem,

322 Lustratis sacris pignoribus, Deoque magnifice collaudato, cujus amici vere nimis honorati sunt, ad aram revertimus, an sanguis Januarii jam flueret ac ebulliret, contemplaturi. Nec spe falsi sumus. Colliquefactus jam erat, uno alterove grumo nondum omnino diluto, qui tamen spectantibus omnibus colliquabatur, circum emicantibus bullis, paleaque, de qua prædixi, satis conspicua. Igitur in genua iterum provolvimur omnes, Martyrisque auxilium apud Deum poscimus. Tum ad oscula surgimus et precatorios globulos certatim de more admovemus; donec, cum pietati omnium abunde factum esset satis; nec mihi quidquam amplius explorandum esset, relatis sua in armaria sacris pignoribus, discessimus. Hæc, ut simplici narratione complexus sum, ita plane accidisse, nec me scientem fallere, sancte juratus affirmo. Viderint pervicaces hæreseos magistri, contra quos robustissimam miraculorum phalangem instituis, quanam fronte contra hæc stare, aut illorum impetum impressionemque se refutare posse confidant. Si nos visores, et quidem diligentissimos, aut cœcutire arbitrantur, aut mendaces; veniant ipsi et videant: nam qui, ut veteris Romanæ magnitudinis rudera in Urbe, et naturæ miracula Puteolis aut in viciuis Baiis contemplentur, quotidie agminatim peregrinari non dubitant, cur hæc Dei admiranda exploraturi non veniant? An ex illorum genere sunt, quibus olim indignabatur Sionius vates, qui nolunt intelligere, ut bene agant? Cur amicorum Dei reliquias, quas Deus admirabili arcanaque sua potentia honorabiles facit, ipse odio plusquam Vatiniano persequuntur?

C

tr um aliorum,

323 *Multa aliorum testimonia congessit Chioccarellus in Collectione Ms., quæ necesse non est omnia huc transferre. Pauca tamen ex nonnullis breviter excerpo. Zenobius Acciaiolus Ordinis Prædicatorum in Oratione, quam in laudem urbis Neapolitanæ habuit anno* 1515, *ita loquitur*: Quod enim præsentius, aut quod manifestius miraculum esse potest, quam quod is cruor, quem duratum prius in ceræ modum coactumque videmus, simul atque ad capitis sui conspectum perductus est, liquitur, exilit, emicat, æstuat, effervescit *etc. Janus Anysius Neapolitanus in Carmine ad* S. Januarium *ita lectorem alloquitur*:

Nostra qui spectas tacitus stupesque,
Obviam factum ut caput est recisum
Longa per secla egelido cruori,
Fervere pinguem
Sanguinem, ut fervent latices aheno
Igne subjecto *etc.*

D

Thomas Bozius Eugubinus de Signis Ecclesiæ lib. 9 *cap.* 8: Nemo non scit Neapoli adservari ampullam sanguinis S. Januarii. Illa quotannis publica supplicatione nobilissimæ civitatis defertur ad locum, in quo est caput Sancti. Ubi ad illud appropinquarit, sanguis concretus incipit effervescere, et cunctis videntibus ac stupentibus ebullit *etc. Nequeo omittere locum, quamvis prolixum, ex Ludovico Granatensi, piissimo scriptore Ordinis Prædicatorum, nimirum ex Catechismo ipsius in Symbolum fidei, prout ille Latine redditus est a Francisco Mauroceno Brixiensi episcopo, lib.* 2 *fol.* 221.

Ludovici Granatensis,

324 *Chioccarellus locum ita recitat*: In eadem Italia satis notum est miraculum sanguinis S. Januarii. Loco enim a Neapoli distanti sex millia passuum hic gloriosus Martyr jugulatus fuit, ubi quædam mulier, pietate adducta, humi sanguinis aliquantulum illius Sancti collegit, et in ampulla conservavit, in qua et nunc conservatur, et ita durus, ut si lapis esset. Et quotannis primo Sabbato Maii hujus Sancti caput quodam loco civitatis Neapolis collocatur, et in solemni processione per totam civitatem defertur hæc ampulla, in qua ille sanguis durus existit: qui ubi ad locum advenit, ubi Sancti caput est, coram omnibus liquefit, ita ut, quod ita durum erat, liquidum fieri et moveri in ampulla, et spumam emittere cernatur, non aliter acsi tunc de Sancti capite exhauriretur. Et ita omnes congregati et sociati idem caput et sanguinem liquefactum in processione deferunt, et in suo solito loco reponunt; quæ est major ecclesia Neapolis, in quadam parte, ubi multa Sanctorum corpora sunt. Et sanguis in suo loco positus, a suo capite sejunctus, iterum durescit. Et non solum hoc die ad id statuto; sed quotiescumque apud suum caput ponitur, iterum funditur ita, ut dictum est, scilicet moveri conspicitur, et in sanguine nonnullæ paleæ, quæ cum sanguine ab illa pia femina collectæ fuerunt. Neque consentaneum est, ut hinc discebat Christianus, et divinæ providentiæ amorem et benignitatem non agnoscat, tum ut suos Sanctos honoret (cum tam multis annis post, ex quo sanctus Martyr eum sua passione honoravit, hoc miraculo illum Sanctum honorat toties repetito, ut ita ille Sanctus magis honoretur) tum ut incredulos miraculorum illuminet et vincat, cum hoc tam notum et manifestum sit. *Ita ratiocinatur doctrina pietateque celeberrimus Granatensis.*

E

F

Francisci de Petris, Julii Cæsaris Capacii.

325 *Mitto Albertum Pighium, variaque poëmata a Chioccarello collecta. Unum tamen ex hisce exhibeo, quod est Francisci de Petris, Neapolitani legum doctoris, qui sermonem dirigit ad infideles, eosque alloquitur*:

Nondum credis Arabs, Scyticis quin barbarus oris
Confugis ad veræ relligionis iter?
Aspice, palpa hæc, stat longum post Martyris ævum
Incorruptus adest et sine tabe cruor.
Imo hilaris gliscit, consurgit, dissilit, ardet
Ocyor; extremæ est impatiensque tubæ.
Perfidus an cernis, capiti ut cruor obvius, ante
Frigidus et durus, ferveat et liqueat?
Caute vel asperior, vel sis adamantinus Afer,
Sanguine quin duro sponte liquente liques?

Eadem

A *Eadem est mens Julii Cæsaris Capacii ex cujus Historia Puteolana cap.* 12 *hæc verba recitat Hieronymus Maria de S. Anna pag.* 157 : O præclarum sanctarum reliquiarum miraculum! Accedant hæretici, explorent, observent, stupeant, et fidem Catholicam miseri amplectantur. Januarius ad probandam fidem unus satis esset. In ejus sanguine omnium sanctorum Martyrum sanguis videtur esse concretus. Liquatur sanguis, corda liquentur necesse est. Motus in sanguine divinitus excitatur, quid tandem infidelium corda ad Romanæ Ecclesiæ veritatem et pietatem non excitantur? *Ita quidem illi recte et pie. Nec dubium est, quin infideles quicumque, sive ethnici sint sive hæretici, ex tam manifesto totiesque repetito miraculo occasionem habere valeant veram fidem amplectendi, redeundique ad Ecclesiam Catholicam, in qua ejusmodi miracula aliaque plura etiam nostris temporibus patrantur, modo audirent Apostolum Rom.* 12, *vellentque* non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.

Mabillonii, rem tamen male exponentis,

326 *Mabillonius in Museo Italico tom.* 1 *pag.* 105 *et* 106 *narrat,se anno* 1685 *invisisse ecclesiam cathedralem Neapoli, et de sacello Thesauri ita loquitur* : E regione exstat magnifica S. Januarii B capella, Thesauri appellata, eximiis ex ære statuis quatuordecim, aliisque multis donariis magnificis exornata : ubi caput S. Januarii cum duabus ampullis, in quibus aliqua sacri ejus sanguinis concreti portio asservatur. Hic sanguis ad præsentiam capitis colliquefieri videtur, ampulla ea parte, qua sanguis naturaliter in subjectam ampullæ partem cadere debet, suspensa. Missa interim una duæve, dum sanguis decidat, celebrantur : si non liquescat, prodigii infausti loco habetur. *Displicuit Neapolitanis, teste Hieronymo Maria pag.* 163, *modus, quo explicat Mabillonius liquefactionem sanguinis : illum tamen utcumque excusat, quod videatur confudisse modum, quo sanguis S. Joannis Baptistæ exponi solet et colliquefieri. Hoc certum est, aperte errasse Mabillonium, suoque errore effecisse, ut evidentia miraculi obscuretur illis, qui ejus relationem legunt. Neque enim ita umquam exponuntur ampullæ sanguinis* S. Januarii, *ut pars vacua sit inferior, aut sanguis decidere possit in partem vacuam. Non oportebat virum eruditum de re tam gravi ita leviter affirmare, quæ non noverat, aut comperta habebat. Neque enim ampullas sanguinis umquam vidit Mabillo-* C *nius, nec satis inquisivit, quo exponantur modo. Verum non unicus ille est error in iis, quæ scribit de ecclesia cathedrali Neapolitana : sed et alios festinantis calami lapsus in paucis illis invenient Neapolitani.*

Henschenii et Papebrochii.

327 *Majores nostri, Henschenius et Papebrochius, anno* 1661, *die* x *Martii, sanguinem* S. Januarii *e regione capitis expositum viderunt, ac diligenter observarunt, cum expositio in gratiam ipsorum fieret extra tempus consuetum, pluribus tamen præsentibus. Res tota ab Henschenio ad Bollandum in litteris, biduo post datis, perscripta est, scriptaque similiter a Papebrochio in Diario itineris Ms., ac demum annotata in Diario Neapolitano Ms., in quo omnes sanguinis* S. Januarii *expositiones conscribuntur. Tribus illis locis dicuntur adfuisse multi nobiles, multique e Societate, sed solus* P. Godefridus Belga, *Henschenius nimirum, nominatur in Diario Neapolitano. Henschenius vero et Papebrochius præter Jesuitas nominant etiam P. Philomarinum, fratrem archiepiscopi Neapolitani, provincialem Capucinorum cum pluribus ejusdem Ordinis, quibus et seculares aliquot dominos Belgas addit Henschenius. Hic deinde ita pergit* : Cereis in altaribus accensis et quatuor facibus a nobilibus prælatis, januæ a thesaurario urbis et a canonico apertæ sunt, et jussus sum cum P. Daniele *(Papebrochio)* accedere, ut sanguinem concretum videremus. Delatus deinde ad altare ad latus Epistolæ, et caput ad latus Evangelii, et jussi nos sumus in superiori gradu flectere. Vidimus mox sanguinem moveri, liquefieri et accrescere. *Subdit, sanguinem sibi socioque osculandum exhibitum, ac omnibus aliis. Quod Papebrochius exactius, uti et alia nonnulla annotavit, ita scribens :* Reseratum est, *inquit*, sacrarium, in quo, solo asserculo mediante, caput et sanguis asservantur. Hinc promptus primum sanguis, qui non fuit omnino durus inventus, ut passim assolet; sed instar arenæ cedebat, cum phiala moveretur. Tum inclusum argenteo hermæ caput fuit in cornu Evangelii collocatum, mitraque et ornatu pretioso torquibusque indutum. Deinde ad cornu epistolæ in duabus phialis magnis super argenteam magnæ molis remonstrantiam (sanguis,) qui orantibus paulatim factus est fluidus : itaque nobis ostensus primum, dein ceteris, qui aderant, omnibus, ac rursum nobis, quando etiam ebullire visus est. Postea repositus in sacrarium, denuo induruit, sed ad spectandum denuo E induratum vocati non fuimus. *Cum hac relatione optime congruit Diarium Neapolitanum, ubi de successu hæc breviter Italice leguntur, quæ ad verbum Latina facio* : Factum est miraculum : verumtamen inventus est dictus gloriosus sanguis aliquantulum liquefactus ; *hoc est, non omnino durus ut dixit Papebrochius. Nam, ut in dicto Diario annotatum invenio, aliquando durus, alias durissimus, aliquando ex parte liquefactus, alias totus liquidus fuit inventus, nimirum ab anno* 1659, *quo Diarium illud fuit inchoatum, et nobis magna ex parte exscriptum.*

§ XXIII. Novum Thesauri sacellum ex voto constructum.

Peste grassante anno 1527,

Hactenus accumulavi testimonia, ex quibus liquet, sanguinem S. Januarii *prodigiis claruisse ab aliquot saltem seculis, etiamsi nequeat dici, quo primum tempore initium habuerint illa prodigia. Auctores autem adducti, exceptis posterioribus, scripserunt, dum pretiosus ille sanguis servabatur in antiquo Thesauro, de cujus situ et* F *innovatione sive decoratione egi* § 20. *Nunc vero priusquam ad recentiora accedam, agendum censui de amplo pretiosoque sacello, quod* novum Thesaurum *vocant. Pestis Neapoli sævire cœpit anno* 1526, *ut jam dixi num.* 176, *eaque sævire perrexit usque ad annum* 1529. *Quare anno* 1527, *die* XIII *Januarii, ut civitas patrocinio* S. Januarii *malo illo liberaretur, votum nuncupatum est nomine civitatis Neapolitanæ, quæ novum vovebat* S. Januario *construere sacellum. Totum studiosus lector intelliget ex Actis Vincentii de Bossis notarii, quæ habentur in Collectione Ms. Chioccarelli fol.* 119, *et apud Hieronymum de S. Anna lib.* 2 *cap.* 15, *unde Acta illa huc transfero.*

nobiles Neapolitani, præmissis piis exercitiis,

329 Anno Domini MDXXVII, die XIII mensis Januarii, decimæ *(imo* 15*)* Indictionis, in festo translationis gloriosissimi Januarii, pontificis et martyris, intus majorem ecclesiam Neapolitanam, in mei notarii publici et testium infrascriptorum præsentia constitutis magnificis et nobilibus viris, domino Marino Tomacello, nobili sedilis Capuanæ,

AUCTORE J. S.

næ, domino Francisco de Alaneo, nobili sedilis Nidi, domino Galeazio Cicinello pro se, et domino Antonio de Sanctofelice absente, nobilibus sedilis Montaneæ, domino Alberico de Ligorio, nobili sedilis Portæ novæ, domino Antonio de Alexandro, nobili sedilis Portus, electis nobilium civitatis Neapolis, nec non domino Paulo Calamazza, electo populi ejusdem civitatis, una cum consultoribus ejusdem populi, congregatis ante januam turris Thesauri ejusdem majoris ecclesiæ, et ibidem cum magna multitudine nobilium et popularium personarum, ante conspectum reliquiæ ejusdem gloriosissimi Pontificis et Martyris, videlicet capitis et sanguinis ipsius, pro faciendo processionem circumcirca ipsam ecclesiam; qui magnifici domini electi una cum aliquibus canonicis cum pluvialibus, et hebdomadariis cum coctis, et facibus accensis, fecerunt dictam processionem circumcirca ipsam ecclesiam devote et ceremonialiter cum dicta multitudine nobilium et popularium.

vovent deponere pecuniam pro construendo sacello,

* al. reposita

330 Et deinde ascendentes ad altare majus, ibidemque deposita * dicta reliquia, dum celebraretur Missa devote ejusdem sancti Pontificis et Martyris, prædicti magnifici domini electi, genibus flexis, moti fervore devotionis et religionis, ad honorem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, sponte venerunt, et obtulerunt eidem metropolitanæ ecclesiæ, præsente ibidem reverendo domino Donato, episcopo Isclano, vicario reverendissimi domini archiepiscopi Neapolitani, induto pontificalibus vestibus et ornamentis, donare de pecuniis publicis hujus civitatis Neapolis ducatos undecim mille, videlicet ducatos mille auri in auro * hinc ad annum unum, a præsenti die in antea numerandum * pro tabernaculo faciendo venerabilis Eucharistiæ et Sacramenti; et alios ducatos decem mille de carolenis, ad rationem carolenorum decem pro quolibet ducato, finito dicto primo anno, ex tunc et infra * annos decem, videlicet anno quolibet in fine anni ducatos mille de præfatis carolenis, pro sacello sub invocatione ejusdem beati Januarii pontificis et martyris, patroni, protectoris, et defensoris hujus civitatis, ædificando et construendo, seu construi faciendo, et dotando de ipsius pecuniis per ipsos dominos electos, et alios, qui pro tempore fuerint in hac civitate, exorando * divinam clementiam, ut intercessionibus et meritis ipsius beati Januarii dignetur ipsa divina clementia pro sua pietate et misericordia liberare eandem civitatem, et in ea habitantes protegere et defensare *, et a peccatis, et morbo epidemiæ, seu peste; et ipsam civitatem restituere in pristinam sanitatem tam animæ, quam corporis.

* al. mendose anno

* al. numerandos

* al. tunc infra

* al. ad exorandam

* al. defendere

cujus administratio penes ipsos sit futura.

* al. asservatione

* contigerit

* al. mendose et


331 Quos ducatos undecim mille, ut supra promissos, promiserunt solvere in pace, tali quidem declaratione et reservatione *, quod in perpetuum dominium, administratio, gubernatio, et totum regimen, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ipsius sacelli, seu capellæ, ut supra, ædificandæ et dotandæ, et tam in construendo, et expendendo pecunias; nec non præsentatio et confirmatio capellanorum, et amotio ipsorum, si contingerit *, sit in perpetuum in manibus et posse ipsorum dominorum electorum, tam nobilium quam populi hujus civitatis, qui pro tempore fuerint; et sit exempta et libera ab omni superiore, et qualibet jurisdictione etiam ordinaria; et nullus habeat, se * de ipsa, tam de fructibus ac dote, et bonis ipsius impedire, nisi dumtaxat prædicti magnifici domini electi tam nobilium quam populi hujus civitatis, ut supra; et similiter de dicto tabernaculo, quod tabernaculum prædictum, ut supra fiendum, sit in posse dictorum dominorum electorum, et quod reverendissimus dominus archiepiscopus, et successores, qui pro tempore fuerint, in perpetuum non possint de dicto tabernaculo aliquo modo disponere nec de loco ad locum asportare, sed semper in perpetuum stet ad opus, et honorem Dei, et dictorum dominorum electorum nobilium, et populi hujus civitatis Neapolis ut supra *etc.*

Observationes nonnullæ:

332 *Jam vero pauca observanda. Primo votum dedi ex Ms. Chioccarelli, quia nonnulla vitiose impressa videntur apud Hieronymum Mariam, ex quo lectiones variantes ad marginem annotavi. Secundo observo, votum esse duplex, extendique ad annos undecim; primo autem voto promitti ad faciendum tabernaculum mille ducatos aureos (quales hodie apud Italos* Zecchini *vocantur aut* Ungari, *si fuerint extra Italiam cusi) post annum solvendos; secundo voto promitti sequentibus decem annis mille ducatos, in fine singulorum annorum solvendos; non aureos illos, sed* de Carolenis, *sive æquivalentes decem Carolenis. Norunt Neapolitani Carolenorum, qui etiamnum usitatus apud ipsos est argenteus nummus, valorem, et sic facile intelligent, quanta fuerit summa voto illo promissa. Tertio observo, promissionem non fuisse factam cum illa conditione, ut solum fuerit exsecutioni danda, si pestis cessaret; sed absolute, ut ea liberalite pestis cessatio obtineretur. Verumtamen illo anno* 1527 *et sequenti etiam toto continuata est lues, imo et bellum grave accessit a Gallis, qui anno* 1528 *magnam partem regni Neapolitani occuparunt, ipsamque Neapolim diu obsederunt, ut apud historicos passim narratur. Verum preces votaque non semper statim exaudiunt Sancti, justoque Dei judicio flagella subinde continuantur, non obstantibus votis. Hoc etiam observatione dignum videtur, toto anno* 1527 *et* 1528 *sanguinem* S. Januarii *stetisse durum et immotum, prout testantur Caracciolus pag.* 257, *et Joannes Dominicus Putignanus in Opere de redivivo* S. Januarii *sanguine part.* 2 *cap.* XI, *ubi ait :* Constat profecto, per duos integros annos continenter immotum perseverasse, dimota etiam, quæ frequentior esse solet, quadam eliquationis inchoatione. *Contra in prima expositione anni* 1529, *nimirum mense Maio, sanguis cum omnium lætitia liquefactus est, pestisque eo anno cessavit, uti et bellum in regno Neapolitano, pace inter summum Pontificem et Carolum V imperatorem composita.*

causa verisimilis dilatæ diu constructionis sacelli,

333 *Quid causa fuerit, ob quam sacelli constructio tamdiu fuerit dilata, ut solum inchoata sit anno* 1608, *nullibi accurate expositum reperio. Dicunt quidem varii scriptores, continuos bellorum motus, quibus afflictum fuit regnum Neapolitanum, obstitisse, quo minus constructio sacelli potuerit inchoari ante annum* 1608. *At hæc ratio non videtur mihi sufficere : neque enim continuis bellorum motibus agitatum fuit regnum Neapolitanum ab anno* 1527 *usque ad* 1608; *sed pace satis longa gavisum est sub regibus Hispaniæ. Quapropter dilationis causa mihi videtur petenda ex ipsa voti qualitate. Etenim non voverunt certo aliquo tempore sacelli constructionem inchoare; sed per annos decem singulis annis deponere* ducatos mille *ad construendum aliquando dictum sacellum. Hoc fideliter factum crediderim. Verum, cum post decennium pecunia collecta, sive decem ducatorum millia, non viderentur sufficere pro amplitudine et magnificentia sacelli, quod meditabantur exstruere; dilata fuerit extructio ut summa accresceret, sive quod pergerent singulis annis mille ducatos aut*



Conspectus Apsidis thesauri S. Januarii M.

A. Armarium Sac. Capitis S. Januarii B. Armarium Sac. Cruoris S. Januarii. In quibus 1. et 2 sunt loca clavium Emi. Archiep. 3. et 4. loca clavium Excell.ma Deputationis Sac. Thesauri

C.C.C.C. Locus Arcæ majoris Sac. Thesauri.

Mich. Foschini del. P. Gaultier Neap. Sculp.

Parisiis, V. Palmé

lith. du Sénat, Barousse, Paris

A *aut majorem etiam summam eum in finem deponere, sive quod exspectarent tempus opportunum, quo ingentem pecuniæ vim simul expendere valerent. Certe non existimaverim, voto suo defuisse Neapolitanos, sed unice distulisse constructionem, ut sacellum magnificentius exsurgeret. Itaque non distulerunt votum; sed voluerunt, ut accresceret pecunia ex voto deposita, ut ea ingenti incremento aucta utilius expenderetur, ut ipse rei eventus abunde docet.*

Primus lapis sacelli positus anno 1608, illudque magnis

334 *Primus magnifici illius sacelli lapis anno* 1608, *die* VII *Julii, positus est per Fabium Marantа, episcopum Calvensem, qui Octavio Aquaviva, archiepiscopo Neapolitano et S. R. E. Cardinali vicariam navabat operam, cum hac inscriptione in uno lapidis latere.* Divo Januario, D. Aspremo *, D. Agnello, D. Thomæ, cæterisque tutelaribus, Neapolitana civitas, sæviente vi pestis, anno MDXXVII sacellum vovit, MDCVIII fecit. *In altero latere :* Divo Athanasio, D. Severo, D. Euphebio, D. Agrippino : Paulo V Pontif. Max., Philippo III rege, Octavio Aquaviva S. R. E. Cardinale archiepiscopo, Jo. Alphonso Pimentello Beneventanorum comite prorege. *Tutinus, cujus Opus impressum est anno*
B 1633, *recitat datas inscriptiones, subditque ædificatum esse sacellum in formam crucis, longum palmas* 148, *largum* 94 *palmas; suoque tempore expensa fuisse ducatorum millia centum et quadraginta pro decem millibus, quæ ex voto fuerant debita. Multum excreverat summa expensa, quando anno* 1645 *impressum est Opus sæpe laudatum Antonii Caraccioli, in quo pag.* 271 *hæc leguntur, ab editore Bolvito verisimiliter addita :* Sed omnem prorsus excedit magnificentiam, extollitque ad summum Neapolitanorum in beatum Patronum pietatem augustum illud, non appellabo sacellum, sed templum, nunc ipsi ære publico erectum, quod Thesaurus dicitur, et jure, cum futurus sit conditorium pretiosarum civitatis tutelarium, atque adeo ipsius Protopatroni reliquiarum....

* *forte Aspreno*

sumptibus extructum,

335 Occasio ejus ædificandi pestis fuit, quæ anno MDXXVII civitatem omnem populabatur. Ejus sævitiam non nisi Januarii potentia mitem reddendam arbitrati Neapolitani, voto concepto, in ejus honorem sacellum se extructuros promiserunt : impensamque statuerunt decem millium tantum aureorum. Vertente postea anno octavo hujus seculi, prima ejus ædificii fundamenta ritu sacro
C jacta fuerunt. Fuitque tantæ molis architectus Franciscus Grimaldus *(in eodem Opere pag.* 17 Franciscus Niger *vocatur)* nostri Ordinis *(nimirum Clericorum regularium Teatinorum)* sacerdos, ob plura Romæ, Neapoli, et alibi a se constructa ædificia celeberrimus. Molis hujus ichnographiam, duplicem tholum, columnas, statuas, tum ex ære, tum ex marmore, sculpturas, picturarum varietatem et elegantiam, libenter his chartis insererem, si opus ipsum ex toto perfectum fuisset. Spero, quod mihi negatur, ab alio perficiendum, qui singillatim cuncta describat. Id nunc tantum, et cum præfectorum testimonio asserere possum, hactenus, quando scilicet ad ejus ornatum incumbitur, et varii adhuc artifices in eo sudant; supra bis centum quadraginta aureorum millia in eo impensa esse. Quod Neapolitanorum magnificentiæ, pioque in sanctum Civem et patronum obsequio tribuendum est. *Chioccarellus in Collectione Ms. fol.* 121 *ait :* Neapolitani cives, voti illius non obliti, sed ejus memores, diebus nostris anno MDCVIII sacellum illud erigere cœperunt, et continenti serie prosequentes, in eo adhuc expenderunt aureos circiter centum quinquaginta millia, etsi huc usque non sit penitus absolutum, et extrema manus imposita.

auctore J. S. et absolutum anno 1647.

336 *Ex dictis abunde liquet, ingentem pecuniæ summam dicto sacello, quod anno demum* 1647 *perfectum est, impensam esse munificentia civitatis Neapolitanæ. In Pactis conventis* § 24 *recitandis, dicitur civitas expendisse ducatorum trecenta millia, aureorum opinor, quos Zecchinos vocant. Non omnino hisce consentiunt scriptores novissimi, qui seculo nostro floruerunt. Nam Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 2 *cap.* 15 *asserit, expensa fuisse ultra quingenta ducatorum millia, eique consentit Falconius pag.* 512, *dicens expensa fuisse ultra quingenta millia scutorum vel scutatorum, ut vocant. Neque enim Hieronymus videtur intelligere ducatos aureos, qui Italis* Ungari *aut* Zeccini *vocantur, sed decem Carolinorum, quales fuerant promissi in voto, et sic idem aut fere idem uterque dicit. Addit uterque, necdum plane perfectum fuisse suo tempore, quia, inquit Falconius,* altare princeps nec constructum est, prout fuerat designatum. *Conspectum apsidis magnifici hujus sacelli, scalpro Neapolitano expressum, oculis lectorum hic objicio. Prolixior ejusdem descriptio videri potest apud Hieronymum de S. Anna lib.* 2 *cap.* 15, *qui ibidem etiam observat, in dicto* E
sacello præter ædituum sacerdotem, duodecim servire capellanos, ex quibus unus est thesaurarius. Eodem teste, patronatus sacelli est penes civitatem, a qua eliguntur duodecim deputati viri primarii, qui ejus administrationi præsunt per biennium; habentque administros sibi substitutos.

§ XXIV. Pacta conventa inter archiepiscopum et civitatem de reliquiarum expositione : eorumdem translatio in novum Thesauri sacellum, diligens conservatio, annuæ in processione translationes.

Pacta inter archiepiscopum et civitatem

Quando constructum erat nobile S. Januarii *sacellum, ac* S. Januarii *aliorumque Sanctorum reliquiæ in illud erant transferendæ; cum in illo sacello omnem auctoritatem per deputatos suos* F
possideret civitas Neapolitana, nonnullæ sunt ortæ difficultates inter civitatem et archiepiscopum, qui tunc erat Eminentissimus Ascanius Filomarinus, S. R. E. Cardinalis, de futuris reliquiarum expositionibus, aliisque ad sacellum et reliquias spectantibus. Ad amovendas hasce contentiones interposuit se sua auctoritate Innocentius Papa X per nuntium suum Æmilium de Alteriis, tunc Camerinum episcopum, qui postea ad summum Pontificatum fuit evectus, dictusque Clemens X. Itaque, antequam fieret reliquiarum in novum sacellum translatio, formula pacti composita est distincta sexdecim articulis, in quos utraque pars consentit. Tota formula edita est apud Hieronymum Mariam lib. 2 *cap.* 16, *mihique etiam transmissa Ms. Neapoli. Cum autem pacta illa conventa conducant ad accuratam notitiam habendam de expositione reliquiarum* S. Januarii, *capita eo maxime conducentia huc transferam ex Italico Latine reddita; alia vero brevi solum compendio insinuabo. Primus articulus solum continet divisionem supellectilis argenteæ.*

338 *Secundus articulus ordinat expositionem reliquiarum*

AUCTORE J. S.

de exponendis reliquiis in Octava Translationis S. Januarii,

reliquiarum S. Januarii *per totam Octavam festi translationis, quod celebratur Dominica prima Maii, itaque de hac habet pro dicta Octava :* Fiat expositio sanctissimarum reliquiarum S. Januarii, omniumque aliarum, in sacello novi Thesauri excepta tamen prima die, qua præstatur obedientia, dicta PASTOR BONUS, Eminentissimo domino, futurisque pro tempore fidelissimæ hujus civitatis archiepiscopis : illaque die, quæ prima est Octavæ, debebunt stare expositæ in principe ara ecclesiæ cathedralis : et tradi debebunt tam sanctissimæ reliquiæ capitis et sanguinis S. Januarii, quam omnes aliæ, mane Dominica prima Maii circa horam decimam aut undecimam *(nimirum more Italico, id est, paulo post quintam aut sextam matutinam, ut loquimur in aliis regionibus, et in nonnullis etiam Italiæ provinciis.)* Traditio hæc fieri debebit capitulo, et reliquiæ referentur ad Thesaurum hora vigesima quarta, *id est, media fere hora post occasum solis, sive post septimam vespertinam. Manent igitur expositæ ad horas facile duodecim.*

in Octava festivitatis mensis Septembris,

339 *Tertius articulus agit de festivitate* XIX *Septembris, ejusque Octava, ut sequitur :* In festivitate S. Januarii mense Septembri reliquiæ capitis B et sanguinis Sancti, uti et aliæ omnes, debebunt stare expositæ in principe altari ecclesiæ, tam die festivitatis quam omnibus aliis dictæ Octavæ, debebuntque tradi capitulo, ut supra, hora duodecima Italica *(id est, post sextam matutinam tempore æquinoctii)* post cantatam Missam solemnem civitatis in supradicto sacello novi Thesauri; debentque postea ad vesperam, saltem circa horam vigesimam quartam referri ad Thesaurum

in festo Decembris : item de aliis

340 *Quartus articulus docet, quid agendum sit in die Commemorationis exstincti anno* 1631 *incendii montis Vesuvii, sive* XVI *Decembris, quo illa festivitas celebratur, atque ita habet :* Die Commemorationis Vesuvii tempore matutino et bene mane debebunt tradi capitulo, ut supra, cum sanguis et caput Sancti, tum omnes aliæ reliquiæ, ut in majore altari ecclesiæ exponantur, ubi manebunt expositæ, donec dominus Cardinalis archiepiscopus celebraverit Missam : et fiet processio, dabiturque ab Eminentissimo solita benedictio in altari majore quemadmodum illam dabit in reditu processionis Sabbato, quod præcedit primam Dominicam Maii : et post prædicta referendæ erunt reliquiæ in C sacellum Thesauri, ibique stabunt expositæ per reliquum dictæ diei. *Quintus articulus habet, tradendas esse capitulo omnes reliquias, excepto tamen sanguine* S. Januarii; *quoties archiepiscopus ritu pontificali celebrat in ecclesia. Sextus habet, caput et sanguinem* S. Januarii, *quoties circumfertur in agmine supplicantium, gestanda esse a canonicis, uti eo usque fuerat observatum. Septimus docet, quotiescumque capitulo caput et sanguis* S. Januarii *aliæque reliquiæ sunt tradendæ, id faciendum esse a Thesaurario vel capellanis Thesauri prope ejusdem Thesauri portam.*

ad reliquias S. Januarii earumque expositiones

341 *Octavus articulus ordinat, ut quotiescumque reliquiæ referuntur ad Thesaurum, suis singulæ locis reddantur, locaque illa* claudantur clavibus, quas habet Eminentissimus Cardinalis archiepiscopus et fidelissima civitas. *Nonus docet, permissurum archiepiscopum,* ut sanguis possit exponi in sacello Thesauri, quotis erit necessarium; per formam quadraginta horarum : *id est, aliquot diebus consequentibus, donec quadraginta horis fuerit expositus, ut eo tempore preces fundantur a fidelibus. Decimus et undecimus nihil habent de reliquiis. At duodecimus docet, a quo sanguis* S. Januarii *populo debeat ostendi, dum in altari* D *aut in supplicationibus est expositus; nimirum, dum in summo altari expositus est, ostenditur per canonicum ab archiepiscopo deputatum;* in sedilibus *(nobilium curias intellige, ad quas portatur in agmine supplicantium)* ubi semper solebat ostendi a domino Cardinali, et ab archiepiscopis decessoribus, eo absente, ostendet primicerius capituli, eoque etiam deficiente, unus ex canonicis in dignitate constitutis.

ac translationes spectantibus.

342 *Decimus tertius articulus committit capellanis Thesauri portandam umbellam, dum sanguis* S. Januarii *in processionibus effertur. Decimus quartus promittit, civitatem continuaturam subsidia pia, in Octava* S. Januarii *mense Septembri dari solita. Decimus quintus thesaurario, aut cappellano Thesauri, pro tempore per civitatem deputato, committit, ut ostendat reliquias in Thesauro, quando id fieri ibidem debet. Demum articulo* XVI *civitas protestatur, se non alia ratione in pacta illa conventa consentire, quam ut non impediatur cultus* S. Januario *debitus, solitaque fiat processio civitatis per vices ad curias nobilium. Declarat præterea, nolle se ullum inferre præjudicium rationibus, quæ innuunt, utramque sancti* Januarii *Octavam in ipso Thesauri sacello celebrandam esse, prout factum est in antiquo Thesauri sacello, sed eas, ubi visum fuerit, exponere* E *se posse coram summo Pontifice. Subscripserunt :* A. Cardinalis Filomarinus archiepiscopus Neapolitanus. Æ. de Alteriis episcopus Camerinus, nuntius Apostolicus. Deputati sacelli et thesauri gloriosi S. Januarii aliorumque sanctorum protectorum fidelissimæ civitatis Neapolis : Annibal Capuanus pro Porta nova, D. Antonius Gattola pro Porta nova, Fabricius Capicius Bozzutius pro Capuano, Thomas Caracciolus pro Capuano. D. Fabricius Macedonius pro Porto, Joannes Franciscus de Alexandro pro Porto. Joannes Baptista Spinellus princeps S. Georgii, pro Nido. Carolus Roccus, princeps Terræ Padulæ pro Montanea, D. Camillus Sanfelicius pro Montanea. Andreas Nauclerius pro fidelissimo populo. *Facta hæc notantur* die 2 Maii MDCXLVII Neapoli.

Caput et sanguis Sancti in novum Thesaurum translata anno 1647 :

343 *An eadem die etiam facta sit translatio reliquiarum ex antiquo in novum Thesauri sacellum, certe edicere nequeo. Falconius pag.* 514 *translationem dicit peractam die* XIII *Aprilis ejusdem anni, sed sine ulla probatione. Hieronymus Maria lib.* 2 *cap.* 16 *refert translationem ad annum* 1647, *et ante pacta conventa, sed nullum designat diem. Eruditi Neapolitani, qui ipsa pacta conventa cum aliis documentis huc transmiserunt, fol.* 154 *ita scribunt :* Itaque anno MDCXLVII postridie Kalendas Maii solemni pompa reliquiæ sacri capitis et cruoris ex Thesauro veteri in novum translatæ sunt, et in postico aræ principis in duobus seorsum armariis reconditæ. Porro utrumque armarium occlusum est duabus regiolis sive ostiolis, quæ ex argento Carolus II Austriacus, Hispaniarum et Neapolis rex, anno MDCLXVII conflanda curavit. *Titulus pactorum utcumque insinuat, præcessisse translationem, sive eodem die, quo pacta fuerunt confirmata, sive diutius. Sic enim habet ex Italico Latinus :* Compositio controversiarum de processione et reliquiis, quæ conservantur in sacello novi Thesauri intra ecclesiam metropolitanam *etc. Voces,* quæ conservantur, *ostendunt, peractam fuisse translationem, dum formula illa utrimque subscripta est. Potuit tamen antea componi, ac ipso translationis die confirmari.*

344 *Si credimus Hieronymo Mariæ de S. Anna*

annoque 1648 in extraordinaria processione circumlata.

A *na cap.* 16 *pag.* 219, *prima per civitatem processio cum capite et sanguine* S. Januarii, *post translationem in novum Thesaurum, facta est anno* 1648, *die* XXVII *Septembris, eoque tempore domini deputati diligenter adverterunt, an omnia observarentur secundum pacta, jusseruntque in Acta referri per notarium. Hoc autem si verum est, omissa fuerit processio ordinaria per urbem mense Maio tam anno* 1647, *quo procedere debebat die* IV *Maii, quam anno* 1648. *At malim existimare, errasse laudatum scriptorem, cum verisimile non sit, omissam fuisse processionem biduo post pacta confirmata, in quæ deputati pro civitate consenserant, ne processio per civitatem impediretur. Fuerit illa, opinor, prima processio extra ordinarium tempus facta, quam Falconius pag.* 514 *institutam dicit in gratiarum actionem de sedatis in urbe tumultibus popularibus; non vero prima ordinaria a tempore translatarum in novum Thesaurum reliquiarum. Ceterum si quis nosse cupit, quorum præterea Sanctorum reliquiæ in eodem Thesauro conserventur, consulere poterit Opus laudati Hieronymi, qui illas lib.* 2 *cap.* 17 *enumerat, uti et plurimas indulgentias in illo sacello fidelibus concessas cap.* 18, *monilia cunctamque pre-* B *tiosam ejusdem supellectilem cap.* 19, *ac demum census annuos expensasque cap.* 20: *neque enim fas est, hisce me inhærere.*

Testimonium de viris excellentissimis,

345 *Propius ad nos spectat cura diligentissima, qua caput et sanguis* S. Januarii *conservantur, ne qua fraus possit obrepere. Hunc in finem conducet cognoscere personas, quibus, ea cura est concredita. Itaque huc transferam authenticum testimonium domini Hiacynthi Frate, qui a secretis est excellentissimis dominis ad gubernationem Thesauri deputatis, eaque de causa optime novit, quæ testatur. Testimonium illud ex Italico fideliter Latinum exhibeo:* Testor ego hic infrascriptus excellentissimæ Deputationis Thesauri gloriosi S. Januarii secretarius, excellentissimos dominos deputatos ad gubernationem dicti Thesauri numero esse duodecim. Hi eliguntur ab excellentissimis nobilium sedilibus, duo pro singulis. Illorum gubernatio durat duos annos, et quotannis ab unoquoque sedili statutis temporibus creatur deputatus novus, manente semper altero, qui anno præcedente fuerat electus. Eliguntur autem mensibus Februario, Aprili, Octobri et Decembri uniuscusque anni, exceptis tamen illis, qui sunt C ex platea fidelissimi populi, qui manent, prout disposuerit Electus populi.

qui per vices conservant unam e clavibus; quibus reclusæ sunt Sancti reliquiæ.

346 Claves armariorum, in quibus conservantur tum sacrum caput gloriosi protectoris nostri S. Januarii, tum gloriosus sanguis memorati Sancti, tenentur, id est, singulæ pro quolibet armario ab eminentissimo domino Cardinale archiepiscopo, et aliæ pro quolibet armario ab excellentissimo domino Deputato Thesauri. Cura conservandi claves habetur per vices: nam claves sumuntur a domino Deputato seniore illius sedilis, ad quod transfertur caput Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, easque accipit; dum eo die sub vesperam aperitur armarium, sanguisque gloriosus memorati sancti Patroni extrahitur, tradente eas domino Deputato, qui prædictam finit curam. Ille deinde vesperi claudit armarium eodem die, servatque dictas claves usque ad Sabbatum ante primam Maii dominicam anni sequentis. Si autem finire debeat administrationem suam, claves tradere debet collegæ Deputato ejusdem sedilis, qui, facta novi electione, senior est in administratione. Hic autem dictas claves tenere debet, donec completus sit annus, usque ad vesperam Sabbati supradicti: qua die eas tradere debet Deputato seniori sedilis subsequentis. Hoc modo transeunt claves a Deputato ad Deputatum, et a sedili ad sedile: semperque et inviolate hæc methodus observatur. Neapoli XII Junii 1754. *Subscriptum erat:* Hyacinthus Frate Secretarius. *Tum additur testimonium Liborii Capone, notarii Neapolitani, qui declarat, D. Hyacinthum* Frate fuisse et esse secretarium præsentem excellentissimæ Deputationis Thesauri, et demum esse talem, qualem se asseruit.

Quid sint sedilia, ad quæ caput et sanguis S. Januarii

347 *Jam vero, ut intelligant exteri, qui politicam administrationem urbis Neapolitanæ ignorant, quid sint illa sedilia, ad quæ per vices sanguis* S. Januarii *quotannis defertur, pauca veniunt observanda. Nobiles Neapolitani, qui partem habent in administratione urbis politica, divisi sunt in quinque sedilia, incolis seggi dicta, quæ etiam* curiæ *aut tribunalia nominari possunt, sed malui antiquo nomine* sedilia *vocare. Singula autem sedilia amplam habent aulam, in qua illorum sedilium nobiles congregantur ad agendum de rebus ad se spectantibus; singulaque nomen habent a loco vicino, dicunturque sedes* Capuanæ, Montaneæ, Nidi, Portus *(aut, ut aliqui loquuntur* Porti) et Portæ novæ: *Italice* di Capuana, di Montagna, di Nido, E di Porto, di Porta-nova. *Suum quoque sedile habet populus, quemadmodum et duos ex illo Deputatos pro administratione Thesauri* S. Januarii. *Plura de his videri possunt apud Pompejum Sarnelli in opere Italico de Neapoli, cui titulus est:* Il guida de Forastieri, *cap.* 9, *vel apud alios scriptores Neapolitanos. Mihi satis est paucis indicasse, qualia sint sedilia, ad quæ caput et sanguis* S. Januarii *quotannis Sabbato ante Dominicam primam Maii deferuntur; et ex quibus duodecim Deputati Thesauri eliguntur.*

quotannis per vices portantur.

348 *At consuetudo portandi caput et sanguinem* S. Januarii *ad sedilia non fuit perpetua. Nam olim archiepiscopus eligebat ecclesiam, in qua festum translationis* S. Januarii *celebraret, pro suo arbitrio, ut constat ex dictis num.* 297. *Hieronymus Maria de S. Anna lib.* 3 *cap.* 2, *et Falconius pag.* 507 *dicunt, antiquam consuetudinem durasse usque ad annum* 1525, *et hoc anno mutatam. Eruditi Neapolitani in Collectione Ms. nobis transmissa, in præfatione fol,* 13 *assignant annum* 1527: *nisi forte calami sit lapsus aut memoriæ: nam de primo mutationis auctore omnes consen-* F *tiunt. Verba ex Ms. huc transfero:* Et diem quidem translationis olim archiepiscopus, in qua volebat ecclesia, agitabat. At anno MDXXVII *(alii* 1525) Hieronymus Peregrinus, tribunus *(populi vulgo* Electus *dictus)* ab antistite impetravit, ut occursus capitis cum cruore in platea populi fieret: quod postea excellentissimi nobiles in sua quique curia sunt imitati. *Addit Falconius, ingentem erectam fuisse machinam, sub qua res peracta est; annoque* 1526 *sequenti eamdem gratiam ab archiepiscopo factam sedili Capuanæ, non tamen intra sedile, sed in ecclesia Sanctissimæ Annuntiatæ caput et sanguinem* S, Januarii *fuisse conjuncta: inde anno* 1527 *in sedili Montaneæ, anno* 1528 *in Nidi, anno* 1529 *in Portus, ac demum* 1530 *in Portæ-novæ sedilibus cæremonias fuisse peractas. Anno* 1531, *inquit, rursum festivitas celebrata est a sedili populi, indeque inchoatus est ordinarius circuitus.*

quoque id fiat solemnitate:

349 *Eruditi collectores, mox laudati, solemnitatem sic exponunt:* Ergo recurrente Sabbato, quod Dominicam primam Maii præcedit, mane caput, in aurea statua inclusum, effertur ad curiam regio plane apparatu instructam: porro vespere sanguis

AUCTORE J. S.

indictiva omnium ordinum pompa cum archiepiscopo et frequenti patriciorum comitatu eodem procedit, et e regione capitis tamdiu sistitur, donec, Deo miserante, et pia vota fidelium, veniam et pacem exposcentium exaudiente, ille concretus et lapidosus sanguis in morem salientis laticis cunctis aspectantibus effervescit. Mox immortali Deo consolationis auctori actis gratiis, eadem pompa simul utraque pignora capitis et sanguinis triumphi ritu in Thesaurum reducuntur, et in suis capsulis seorsum reconduntur.

aliæ per annum sanguinis cum capite expositiones: extraordinariæ

350 *Laudati collectores hæc etiam observant :* Ter singulis annis prodigiosus sanguis capiti opponitur, in die Translationis, Dominica prima mensis Maii, *(sed tunc novem diebus consequentibus, in perviligilio nempe, et per totam Octavam)* Natalis XIX Septembris *(per totam Octavam)*, et Patrocinii XVI Decembris *(una solum die)*,.. Ter, inquam, statis anni temporibus prodigiosus cruor capiti opponitur. At olim sæpius id factitabatur : siquidem adventante Neapolim aliquo viro principe, vel aliis ex causis conspicuo, ad ejus preces sanguinis liquescentis copia fiebat. Et nos, nisi vehementer fallimur, illum Belgam Godefridum B Societatis Jesu, cui anno MDCLXI, die X Martii, id prodigii annuente Eminentissimo archiepiscopo et excellentissima civitate, oblatum est, suspicamur esse Henschenium, qui inter Bollandistas non mediocrem diligentiæ laudem consecutus est. *Recte suspicantur de Henschenio, cui adfuit socius Papebrochius cum pluribus e Societate et ex Ordine Capucinorum Patribus, ac dominis etiam secularibus, ut dictum est num. 327 : sed solem Henschenii prænomen in Diario expressum, additumque generatim adfuisse multos nobiles et Religiosos Societatis Jesu.*

deinde abrogatæ.

351 *Continuatus est ille mos aperiendi aliquando armaria, et capiti sanguinem opponendi in gratiam principum virorum usque ad annum* 1702, *quo anno id factum est die* XVIII *Aprilis pro Philippo V rege Hispaniæ, eodemque rursum anno, die* VII *Junii, pro Cardinali Barberino, Clementis Papæ XI legato a latere apud regem. Postea id factum in gratiam alicujus advenientis non reperio in iis, quæ ex Diario nobis communicata sunt. Antea quoque raro factum reperio ab anno* 1659, *ubi inchoatur, Diarium, usque ad annum jam dictum* 1702. *Eductus tamen fuit variis vicibus sanguis ob minas montis Vesuvii, et quando* C *ostiola armariorum fuerunt argenteis laminis, interioraque pretiosis aulæis exornata. Variis etiam in festivitatibus, quibus caput* S. Januarii *cum reliquiis aliorum Sanctorum exponitur, ea occasione observatum fuit, durusne esset, an liquefactus, præsertim in festo immaculatæ Conceptionis beatissimæ Virginis.*

§ XXV. Testimonium authenticum de conservatione capitis ac sanguinis S. Januarii aliisque ad illa spectantibus.

Testimonium de spectantibus ad sanguinem S. Januarii

Quanto studio, quantaque benignitate ac benevolentia metropolis Neapolitana nobis subministraverit omnia, quæ desideravimus ad illustranda S. Januarii *gesta et miracula, colligere poterit prudens lector ex relatione authentica, quam mox dabo. Cum enim R. P. Ludovicus de Marco, Præpositus provincialis per provinciam Neapolitanam, inter alia, quæ diligentissime collecta sunt, nomine nostro etiam petiisset authenticum testimonium de modo, quo conservatur et exponitur pretiosus* S. Januarii *sanguis, non solum ejusmodi testimonium, quale recitavi num.* 345, *dedit dominus Hyacinthus Frate, excellentissimæ Deputationis, ut vocant,* S. Januarii *secretarius ; sed ipsi quoque excellentissimi viri cum Eminentissimo domino Cardinali archiepiscopo, multisque ecclesiasticis et honoratis viris, ad sacellum Thesauri convenire dignati sunt, armariumque, in quo sacer sanguis conservatur, studiose aperire, atque omnia diligenter inspicere, ac tum demum solemnem testificationem de omnibus dare.* D

per accuratam inspectionem nobis missum.

353 *De hoc testimonio ita ad me scribit R. P. Paschalis de Matthæis, rector collegii nostri Neapolitani, cui cura commissa fuit omnia ad nos transmittendi :* Denique adnectitur extra ordinem publica ac solemnis testificatio de ratione servandi, educendi, ac deferendi sacri cruoris. Quæ testificatio maximæ auctoritatis esse debet, sive viri spectentur, qui publicum testimonium dicunt, sive solemnem ordinem modumque, quo id testimonium publice dixere. *Ita de illo testimonio sentient omnes, quibus sanum est judicium, eaque de causa totum ex Italico sermone, quo conscriptum est per Liborium Capone, notarium publicum, Latinum fideliter faciam, relictis tamen nominibus propriis in terminatione Italica, ut facilius ab omnibus intelligantur.* E

Excellentissimi domini Deputati Thesauri S. Januarii,

354 Die vigesimo primo mensis Augusti millesimo septincentesimo quinquagesimo quarto, et proprie in infrascripta venerabili cappella Thesauri. *Hactenus notarius Latine, tum Italice, ut sequitur.* Constituti coram nobis excellentissimi domini Deputati venerabilis sacelli Thesauri sanctorum patronorum et protectorum hujus fidelissimæ metropolis Neapolis, (quod *(sacellum)* constitutum est in venerabili ecclesia cathedrali) nimirum, pro excellentissimo sedili Capuanæ excellentissimus dominus D. Franciscus Caracciolo de S. Vito. Pro excellentissimo sedili Montaneæ, excellentissimi domini D. Andreas Coppola, dux de Canzano, et D. Josephus de Maio. Pro excellentissimo sedili Nidi, excellentissimi domini D. Philippus Carafa, comes de Cerreto, et D. Rudolphus Aquaviva, dux d'Atri. Pro excellentissimo sedili Portus, excellentissimo domini D. Marcus Antonius Colonna, princeps d'Aliano, et D. Paulus Ruffo, princeps F de Castelcicala. Et pro illo, quod est fidelissimi populi, domini D. Petrus Lignola, et D. Jacobus Bielli.

rogati testimonium de conservatione sanguinis.

355 Hi excellentissimi domini Deputati sponte asserunt coram nobis, se rogatos a RR. PP. Bollandistis Belgis per admodum R. P. Ludovicum de Marco, provincialem Societatis Jesu, ut sibi publico authenticoque testimonio manifestarent clarumque redderent modum, quo, ad vitandam omnem fraudem, in memorato sacello, nominato Thesauri, conservantur exponunturque sacræ reliquiæ capitis et sanguinis martyris nostri et præcipui protectoris S. Januarii ; quandoquidem illi RR. Patres in prosequendo adeo utili laudabilique incepto illustrandi Acta omnium Sanctorum orbis Catholici debeant modo tractare de illis, qui comprehenduntur mense Septembri, cujus die decima nona veniunt commemoranda Acta gloriosi Protectoris nostri, ideoque verba facienda sunt de portentoso miraculo sacri sanguinis, qui semel effusus pro Jesu Christo nunc bullit et solvitur, dum positus est in conspectu venerandi sui capitis, et sic

A sic reviviscens authenticum illud sigillum divinæ omnipotentiæ, præbet novum argumentum veritatis fidei nostræ Catholicæ.

exponunt, quo modo in singulis armariis caput et sanguis sint reclusa,

356 Annuentes excellentissimi isti domini Deputati piæ ejusmodi petitioni, quæ belle redundat ad majorem Sancti gloriam, modoque tam decoro spectat ad sanctam ecclesiam Neapolitanam, omni titulo obstrictos se credunt ad testandum, quemadmodum testantur forma validissima et amplissima, in memorato sacello, in quo conservantur reliquiæ omnium nostrorum sanctorum patronorum, adamussim post ejus altare majus, in muro absidis, in duobus contiguis armariis teneri reclusas, et summa cautela custoditas, supradictas venerabiles reliquias ipsius capitis et sanguinis, nempe in sito ad dexteram primum, *(nimirum caput)* in constituto ad sinistram secundum, *(nempe sanguinem.)* Quæ armaria intra murum sunt constructa, et ambo ex solido marmore candido, interius vestita panno aureo, singulaque clausa ostiis, quibus intus forisque laminæ argenteæ sunt objectæ. Singula ostia duas habent seras, singulaque duas differentes claves, ut quatuor omnino sint claves, quarum duas conservat Eminentissimus archiepiscopus, duasque similiter unus ex dominis equitibus memoratæ excellentissimæ Deputationis, secundum vices, pro ejusmodi cura inter ipsos excellentissimos dominos Deputatos stabilitas, ut clare expressum est in testimonio seorsum dato, aliisque documentis adjuncto : *nimirum in testimonio Secretarii, dato num.* 345.

B

quales sint sanguinis ampullæ,

357 Reclusus est sacer sanguis duabus ampullis vitreis, altera grandi, minore altera. In prima notabilis est quantitas; in secunda tinctura aliqua, quæ ad latera vitri adhærere cernitur. Hæ ampullæ, ut valeant immunes esse ab omni periculo, non minus in attrectatione, quæ fit, dum fidelibus osculandæ præbentur, quam in transportatione in publicis processionibus, pro cautissima conservatione optime sunt obturatæ in suis orificiis, ut nec minima aëris atomus in illas umquam penetrare possit, nec sanguis, quantumcumque liquefactus, effluere forasque effundi. Quin potius, ut luculentissimum est unicuique, post quamcumque exactissimam accuratissimamque observationem, conspiciuntur et sunt supradictæ ampullæ ex omni parte simplices et levigatæ : sunt insuper superius inferiusque cohibitæ solido circulo argenteo, constructo in modum globi, cui ad latera adhærent duo tersa crystalla mixturæ admodum duræ firmæque : quibus rectæ tenentur, quibusque omnis impeditur vacillatio. Aliunde hic circulus eas claudit, excluditque omnem aditum et penetrationem cujuscumque etiam subtilissimi corporis tam ad superiorem quam ad inferiorem partem earumdem ampullarum. Consistit hic circulus supra modicam pyramidem argenteam in proprio suo armario. Hæc sunt, quæ spectant ad conversationem sacrarum reliquiarum. *Ut omnia rectius intelligat, et utcumque oculis, cernat, studiosus lector consulere poterit figuram, ampullas repræsentantem pag.* 827.

C

quoties sanguis et caput ex armariis educantur,

358 Quod modo pertinet ad earumdem expositionem, sciendum est, numquam ex uno aut altero armariorum, in quibus conservantur sacrum caput et ampullæ, extrahi tam pretiosas reliquias, nisi causa festorum, id est, Translationis in quolibet Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, et in illius Octava; in festo gloriosi ipsius martyrii die XIX Septembris, quod sua etiam comitatur Octava, et die XVI Decembris, quo celebratur Sancti Patrocinium : quamvis aliis diebus solemnibus per annum laudabiliter soleat extrahi solum caput, exponique fidelium venerationi supra altare, una cum reliquiis aliorum sanctorum patronorum, quemadmodum fit die primo anni, in festo Epiphaniæ, in Dominica Passionis, in Pascha ejusque festis, in Pentecoste ejusdemque festis, in festo Virginis Assumptæ, in festo Omnium Sanctorum, in festo Natalis Domini festisque subsequentibus; et aliis aliquot vicibus per annum, forte ad implorandum per Sancti patrocinium divinum favorem in quadam necessitate publica, indictis trium aut novem dierum precibus pro arbitrio.

quo ritu id fiat, et quo modo ponantur super altare.

359 Talis tamen extractio semper fit ab aliquo per eminentissimum dominum Cardinalem archiepiscopum delegato, qui utitur duabus particularibus clavibus ad aperienda armaria, et ab aliquo domino equite supradictæ excellentissimæ Deputationis Thesauri, qui eodem tempore, utens aliis duabus clavibus, aperit, præsentibus multis personis ecclesiasticis et laïcis, sed honestis honoratisque, quas locus capere potest, quæque venire solent ad reliquias venerandum et comitandum; præsentibus etiam non raro multis peregrinis; etiamsi accurrant pia curiositate ad observandum prodigiosum miraculum liquescentis sanguinis, quod Dominus Deus operatur, quando positæ sunt illæ reliquiæ e regione venerandi sui capitis. Itaque, si supra scripti domini Deputati non convenirent eadem hora et die ad aperiendum, non possent pretiosæ istæ reliquiæ ex suis singulæ armariis extrahi. In aperiendo autem sequens ordo solet observari. Primum extrahitur statua argentea inaurata, sive statua dimidiata, qua reclusum est caput Sancti. Hæc, comitante ad venerationem copioso lumine, collocatur supra majus altare ad cornu Evangelii. Deinde extrahuntur ampullæ sacri sanguinis, quæ pari comitatu honoratæ, reponuntur in summitate parvæ machinæ argenteæ, quæ expositas sustinet : et hæc etiam ponitur supra altare dictum ad cornu Epistolæ e regione effigiei, sive dimidiatæ Sancti statuæ, ut a tali collatione desideratum miraculum prodigiosæ liquefactionis sanguinis exspectetur.

E

Diversitates liquescentis aut non liquescentis sanguinis.

360 Hæc aliquando accidit eodem temporis momento, alias tardat, subinde non evenit, et quandoque sacer sanguis educitur liquefactus ab armario : non raro sic implet ampullam, ut non sinat oculis cerni ullum fluxionis motum; idque aliquando accidit per diem, qua stat expositus, aliquando ita ex armario educitur, et vel in eo statu permanet tota die, vel descendit : aliquando omnis sanguis fit fluidus, sed aliquando in medio manet globus, qui densus reliquo jam fluido et liquefacto innatare cernitur : liquefactio aliquando, sed raro, evenit, dum fidelibus osculandus porrigitur; frequenter vero, dum stat expositus in altari, ubi non solet ab aliquo attingi; at solum accensi cerei adhibito lumine de tempore ad tempus exploratur, an contigerit desiderata liquefactio; aut, si sanguis sit liquefactus, ampullæ manibus tolluntur ad fideles earumdem osculo consolandos; aut, si ampulla omnino impletur, similiter capitur, ad discernendum, si fieri potest, aliquam undulationem vel motum sacri liquoris. Eveniunt omnes assignatæ vicissitudines vel promptæ liquefactionis prodigiosæ, vel moræ ejusdem, vel etiam omnimodi ejus defectus in omni tempore, et in quibuslibet tempestatum vicissitudinibus, sine ullo ordine, et sine ulla methodo, quæ ad tempus aut anni tempestatem referri possit : nam non solum non accidit uno tempore, unaque anni parte istud, quod contingit in alia simili : sed potius aut omnes aut aliquæ

F

AUCTORE J. S.

quæ ex dictis mutationibus aliquando eveniunt diversis diebus ejusdem Octavæ, imo etiam eodem die.

cæremoniæ Sabbati ante Dominicam I Maii,

361 Quod porro spectat ad tempus, quo exponuntur laudatæ sacræ reliquiæ, matutinum id est, exponunturque multo mane, et vesperi paulo post signum ad Ave Maria ære datum recluduntur suis singulæ armariis a supradictis duobus dominis Deputatis, suisque distinctis clavibus : et quotidie mane denuo extrahuntur ordine paulo ante descripto. Verumtamen primo Sabbato Maii res peragitur modo sequenti. In dicto Sabbato mane ex sua educitur ædicula venerandum sancti Martyris caput, reclusum statua argentea inaurata, decoroque comitatu honoratum sub divite umbella portatur ad unum e sedilibus, cujus per gyrum sunt vices, collocaturque ad cornu Evangelii supra altare, quod ibidem cum apparatu extraordinario erigitur. Deinde eodem die Sabbati, cantatis Vesperis de translatione a dominis canonicis in ecclesia cathedrali, foras e sua ædicula extrahuntur sacræ ampullæ sanguinis, præcedenteque numerosissimo comitatu omnis Cleri sæcularis et regularis, omniumque reliquiarum sanctorum patronorum, quæ conservantur in laudato Thesauro, B etiam sub pretiosa umbella theca argentea inaurata, istas ampullas continens, a duobus dominis canonicis, cappa ornatis, portatur suppositis humeris ad memoratum sedile; poniturque dictum sacrum pignus supra altare ad cornu Epistolæ, ut ex concursu venerandi capitis patretur desideratum miraculum liquescentis sanguinis, quod sive sequatur, ut sæpissime solet contingere, sive non sequatur, quod raro solet evenire; ambæ reliquiæ sub umbella, eodem solemni comitatu honoratæ, referuntur ad cathedralem, ubi postquam sacro sanguine data fuit benedictio populo, reliquiæ a canonicis more solito in gradu portæ Thesauri restituuntur dominis ejusdem Thesauri sacellanis, recluduntur que in suis ædiculis a duobus dominis Deputatis.

sequentis Octavæ et aliarum festivitatum expositiones.

362 Totis octo diebus festivitatis Maii, secundum tenorem pactorum stabilitorum, sacræ reliquiæ exponuntur in sacello Thesauri : die tamen Dominica, prima Octavæ, qua celebratur festum Translationis, et in Missa præstatur obedientia, pastor bonus dicta, eminentissimo domino Cardinali archiepiscopo, traduntur eædem dominis canonicis in gradu portæ Thesauri a dominis ejusdem Thesauri C sacellanis, ab illisque exponuntur supra altare majus cathedralis : deinde sub crepusculum vespertinum diei reportantur ad eumdem designatum locum, et redduntur dominis sacellanis. Hic ordo servatur semper methodo uniformi omnibus octo diebus festivitatis Septembris : nam tranduntur illustrissimo capitulo sacræ reliquiæ omnibus diebus mane, post decantatam in Thesauro Missam, reportanturque deinde vesperi ingruentibus tenebris eodem ritu, ante enuntiato. In die porro Patrocinii, cujus festum agitur xvi Decembris, ubi eductæ sunt modo illo memorato pretiosæ reliquiæ tam capitis quam sanguinis sancti Martyris, exponuntur in majori ara Thesauri de more, celebraturque solemne Sacrificium Missæ, quo tempore ex reliquiarum collatione exspectatur miraculum sanguinis liquescentis : quod sive evenerit, sive non; ambæ solemni processione sub umbella portantur per circuitum quarumdam platearum determinatarum, quæ cingunt ambitum ecclesiæ cathedralis, indeque ponuntur supra ejusdem ecclesiæ majus altare, ut detur locus fidelibus eas venerandi, osculandique sacrum sanguinem. Postea a dominis canonicis eodem modo forma superius expressa traduntur dominis sacellanis Thesauri, qui eas ponendo supra D majus altare ejusdem sacelli, relinquunt expositas venerationi fidelium per reliquum istius diei, ut deinde propriis reddantur armariis, ibidemque vesperi recludantur duabus seris a duobus dominis Deputatis secundum consuetudinem. Quando ergo sanctæ istæ reliquiæ stant expositæ in sacello Thesauri, sacer sanguis osculo fidelium porrigitur ab ejusdem dominis sacellanis; quemadmodum contra, quandocumque expositæ sunt super altare majus cathedralis, osculandæ præbentur sacri sanguinis ampullæ ab illis dominis canonicis, qui specialiter deputati sunt ab eminentissimo domino Cardinali archiepiscopo.

Visitatio ampullarum huic declarationi præmissa,

363 Cum autem voluerint excellentissimi domini Deputati omnia, quæ in hac declaratione expressa sunt ab ipsis, et præsertim quæ spectant ad conservationem et statum, in quo sunt ampullæ sacri sanguinis sancti nostri Protectoris, modo maxime authentico confirmare, convenerunt supradicto die xxi currentis mensis Augusti ad horam vigesimam secundam *(id est, nostro loquendi modo, post quintam vespertinam)* in sacello dicto Thesauri, simul cum eminentissimo domino Cardinali archiepiscopo Sersale. Hic, postquam ipse E sua clavi aperuerat armarium eodem tempore, quo idem armarium aperuit dominus eques Deputatus altera clavi, propriis manibus Eminentissimus dominus extraxit sacrum sanguinem, tenensque eumdem aliquo temporis intervallo, ubi observaverat, observarique minute curaverat, omnia adjuncta superius explicata de modo et forma, qua conservatur supradictus sanguis gloriosus, et ampullas, quæ illum continent, in circuitu, sive circulum argenteum; ampullas insuper osculandas præbuit omnibus adstantibus, quibus etiam eodem sacro sanguine benedixit, illumque deinde reposuit in armarium; conclusum demum coram eo a singulis dominis Deputatis.

et personæ, quæ præsentes fuerunt,

364 Inter adstantes, qui tam piæ observationi factæ intervenerunt, ibidem fuerunt domini canonici ecclesiæ cathedralis, D'Andrea, Sparano, Campoli, D'Alteriis, Mazzocchi, Borgia et Fontana; abbas generalis canonicorum Lateranensium Latilla, et P. de Marco provincialis Societatis Jesu : ac domini sacellani venerabilis sacelli Thesauri, D. Hector Capece Galeota thesaurarius, D. Reynaldus Miroballo, D. Michaël de Gennaro, et D. Antonius Rispoli, multæque aliæ spectabiles personæ, cum ecclesiasticæ tum seculares, qui præsentes fuerunt F et distincte observarunt, quæcumque superius sunt dicta. Et rogarunt, nos prædicti excellentissimi domini deputati, ut supradicta in Acta referrem, sive de iis publicum formarem instrumentum. Nos autem etc. Unde etc. *Hujus instrumenti exemplar authenticum ad nos missum, illudque scriptum in novem chartæ foliis, quibus singulis ad marginem nomen suum adscripsit Liborius Capone notarius, qui Acta ipsa conscripsit, ac inferius in subscriptione testatur,* facta collatione, *dictum exemplar concordare cum Actis.*

§ XXVI.

A

§ XXVI. Exponuntur vicissitudines aliquot liquescentis S. Januarii sanguinis, mutationesque subitæ.

Sanguis S. Januarii etiam liquefactus coram aliis ejus reliquiis,

Quamquam prodigium liquescentis S. Januarii *sanguinis maxime evenire solet, quando sacro capiti opponitur; neque usus habet, ut aliæ ejusdem Sancti reliquiæ e regione sanguinis ponantur observatum tamen fuit a multis, ad præsentiam quoque aliarum Sancti reliquiarum memoratum in laudato sanguine prodigium evenisse. Ad hoc propositum eruditi Neapolitani, qui amplam documentorum collectionem pro nobis curarunt exscribendam, in monitis præviis fol.* 13, *hæc scribunt* : Sanguis autem ex defecto beati Martyris capite deciduus, et in ampulla vitrea obsignata asservatus, ubi in conspectum capitis, in aurata

B

statua inclusi, datur, primum colliquefieri, mox spumis supernatantibus effervescere conspicitur, usque adeo ut sanguis e Thesauro concretus eductus, cum obiter ante aream basilicæ S. Joannis Majoris, ubi particula ex ossibus B. Januarii publicæ fidelium venerationi proposita erat, cum hac, inquam, solemni pompa efferretur ad sedile, omnium admiratione liquatus cerneretur. Hanc narrationem a majoribus nostris accepimus, et nos manu publici tabellionis signatam damus. *Testimonium, de quo loquuntur, datum est anno* 1754, *die* VII *Martii, ac jurejurando firmatum, a R. D. Josepho Maria Pace, ecclesiæ S. Joannis Majoris canonico curato, confirmatumque a Philippo de Errico, utriusque juris doctore et notario Neapolitano. Illud ex sermone Italico fideliter in Latinum transfero.*

ut authentico testimonio declaratur

366 Plenam facio indubitatamque fidem ego infra scriptus canonicus curatus insignis collegiatæ et particularis ecclesiæ S. Joannis Majoris hujus civitatis Neapolis, inter alias pretiosas reliquias, quibus locupletata est dicta nostra antiquissima ecclesia, haberi partem ossis gloriosi episcopi et martyris S. Januarii, præcipui protectoris nostri. Hæc reclusa est theca reliquiarum ex argento, exponi-

C

turque publicæ venerationi in pectore cujusdam statuæ dicti gloriosi Sancti : quæ statua similis est illi, quæ conservatur in venerabili sacello Thesauri intra cathedralem. Publica autem est fama constansque traditio, multis abhinc annis consuetudinem fuisse exstruendi altare ante majorem portam dictæ ecclesiæ nostræ, exponendique ibidem prædictam statuam et reliquias in die processionis solemnis, quæ fit Sabbato præcedente Dominicam primam Maii, qua celebratur Translatio corporis memorati Patroni nostri gloriosissimi, quando mane portatur sacratissimum illius caput ad unum e nobilibus sedilibus hujus civitatis, ad illud nempe, cujus est illo anno festum istud magnifica pompa solemniter celebrare, quando item deinde eodem die cum aliis statuis sanctorum nostrorum protectorum portatur in processione sacratissimus ejusdem sanguis

sæpius factum ante ecclesiam S. Joannis Majoris,

367 Fuit ea occasione cum admiratione omnium pluribus vicibus observatum, dictum sanguinem liquescere in transitu processionis ante prædictam ecclesiam nostram et altare supra descriptum, itaque liquefactum conspici per aliquod temporis intervallum in decursu processionis. Quapropter, facta maturiore ac diligentiore observatione, clare cognitum fuit, miraculum dissolutionis memorati sanguinis advenisse, quando erat e regione dictarum reliquiarum, in memorato altari expositarum. Quam ob causam, cum anticipationem talis miraculi unusquisque improbaret, desideraretque, ut fieret, sicut congruebat, in sumptuoso altari sedilis vetuit dominus Cardinalis archiepiscopus, ne ejusmodi altare deinceps exstrueretur, adjuncto mandato, ut numquam in dicto processionis die publice supra altare intra ecclesiam nostram exponerentur eæ reliquiæ, quemadmodum hodieque observatur. Hoc modo deinceps cessavit liquefactio sanguinis in transitu ante ecclesiam nostram. Hunc autem prodigiosum eventum testantur non solum seniores canonici capituli nostri, presbyterique et clerici nostræ Collegiatæ; sed plurimæ aliæ personæ insignes, omnique fide dignæ, tam hujus meæ parœciæ, quam aliorum hujus civitatis locorum. Præterea id ego referentes audivi alios canonicos seniores ætatisque provectissimæ, qui ad meliorem transierunt vitam.

AUCTORE J. S.

juramentoque firmatur.

368 Et cum jujerando assero confirmoque omnia hic fideliter a me relata, ad majorem gloriam Domini Dei, gloriosissimique protectoris nostri S.

E

Januarii, qui se semper magis admirabilem reddit variis continuisque miraculis prodigiosissimi sanguinis sui. Et in fidem etc. Neapoli in nostra collegiata hac die VII Martii MDCCLIV. *Erat subscriptum:* Josephus Maria Pace canonicus curatus. *Mox etiam sequitur subscriptio Philippi Errico, testantis R. D. Josephum Mariam Pace dato instrumento* propria manu *subscripsisse, ac demum in exemplari nobis misso duo notarii, Dominicus Guilielmus Silano et Cajetanus Pivolo confirmant fidem authenticam Philippi d'Errico notarii et U. J. doctoris. Itaque testimonium hoc undique subscriptionibus munitum est, et juramento etiam firmatum. Ad illud autem remittunt Viri litteratissimi mox laudati, qui idem similiter asserunt, quique de nimia credulitate mihi nequaquam suspecti esse possunt, cum severam ubique adhibeant crisim. Non est quidem testimonium oculati testis, cum nemo videatur superesse, qui memoratam sanguinis resolutionem ante ecclesiam S. Joannis Majoris aliquando vidit, sicut ordinariam in conspectu capitis ebullitionem passim omnes Neapolitani frequentissime conspexerunt; asseritur tamen constans traditio de re non tam diu præterita, ut*

F

justa possit esse suspicio, ex inani rumore traditionem aut opinionem illam fuisse exortam, quemadmodum oriri solent traditiones populares de rebus antiquissimis. Non video igitur, quare non debeamus memoratam traditionem de liquefactione sanguinis ad præsentiam reliquiarum ecclesiæ S. Joannis Majoris pro vera habere; licet non æque certa indubitataque sit, quam ordinarium liquescentis sanguinis miraculum.

Mirandæ sanguinis vicissitudines, subinde

369 *De miris prodigiosi sanguinis vicissitudinibus, de quibus in testimonio superius dato num.* 360 *plura sunt dicta, eruditi collectores etiam sic loquuntur :* Porro de variis ebullientis sanguinis vicibus sigillatim hic non vacat disserere. Id enim prodigium non uno semper modo procedit. Sanguis autem eductus e capsula concretus, ubi capiti opponitur, statim, ut plurimum, effervescit; interdum serius : at aliquando jam liquefactus concrescit, interdum non omnino liquitur, ita ut circumrotantis manum non facile sequatur : alias totus assurgit, et ampullam vitream prorsus implet. At hujus cruorsis prodigiosas vices quoniam longum esset percensere, producimus Diarium, quod in sacrario nobilissimi Thesauri B. Januarii asservatur :

AUCTORE J. S.

vatur: in quo volupe erit intelligere, quid singulis diebus ab anno MDCLIX (inde incipit Diarium) ad hæc usque nostra tempora portentoso sanguini acciderit. *De hisce vicissitudinibus amicus Neapolitanus in Dissertatione Ms. de Sanguine* S. Januarii, *eodem cum reliquis tempore ad nos missa, fusius ita scribit:* Neque omittendæ sunt miræ illæ sacri cruoris late tumescentis vices, quas ætas nostra frequenter vidit: num enim a majoribus nostris visæ sint, ignoramus. Cœpere, ut novimus, ab anno MDCCX intra octiduum Translationis mense Maio. Quinta enim feria sub meridiem sanguis, qui ad eum diem celerrima ebullitione solutus fuerat, repente intumescere visus est, ac rarescere adeo, ut ampullam omnino oppleverit, nullo interim relicto fluoris signo.

miro modo intumescentis,

370 Accedebat subcinerius color, ac sane teter, qui terrorem videntibus incuteret. Hæc facies consecutis etiam diebus perstitit. Qui vero fuerint concursus, quæ trepidatio, quæ publicæ pœnitentiæ signa, meminere adhuc plurimi. Septembri deinceps mense sanguis in armario ita tumens inventus est, uti Maio mense fuerat repositus: eductusque inde, et in altari objectus capiti de more, tres B ipsas horas immutatus perstitit, donec paulatim subsidens intra quantitatis pristinæ fines fluere, coloremque purpureum resumere visus est. *Idem plane scribit Putignanus lib.* 2 *cap.* 15 *num.* 2 *et* 3, *ubi adjungit, regni Neapolitani gubernatorem, qui erat eminentissimus Cardinalis Grimanus, intra octavam* S. Januarii, *mense Septembri, obiisse, multosque credidisse ipsius mortem eo ostento fuisse præsignatam.* Adnotatum namque eadem hora fuerat, qua sanguis cœperat tumorem inire, unaque decolorari, contigisse, ubi primum idem administrator exceperat, intra sanctissimum Tutelaris sacellum, sanguinem ad osculum delatum venerationis gratia, in momenta singula magis magisque se efferentem ponentemque jucundum colorem. *Redeo ad Dissertationem Ms., in qua eruditus amicus sic pergit.* Ab eo tempore exempla ejusmodi non pauca vidimus, nisi quod aliquando ante octidui finem parumper subsidit ita cruor, ut saltem refluere videretur. Atque ita prorsus tumidum sacrum hunc cruorem, plene admodum phiala, et colore subnigro, ac cinereo veluti pulvere intersperso, egomet vidi, inspexique attentius ante paucos annos, ac plane exhorrui, quasi cælestes minas persentiscerem: quod C et qui mecum comes aderat, de se testatus est, et alii plurimi confirmarunt.

ab oculatis testibus expositæ.

371 Denique, ne singula diutius persequar, huc revoco dissimiles illas liquescenti vices, quibus nec definita sunt intervalla temporis ad liquescendum, cum modo protinus ebulliat, modo post horas aliquot molliatur, modo dies integros adstrictus densatusque hæreat, aliquando etiam per duos annos, veluti annis MDXXVII et MDXXVIII, teste Caracciolo, durus omnino constiteret. Nec certus est liquationis modus: cum vel ebullitio sit vel solutio nunc pertenuis, nunc plenior, nunc integra. Nec circumstantiæ ullæ loci, temporis, aëris, caloris, aliæve liquationem hanc aut promovent, aut præpediunt, ut heterodoxi quidam delirant. Percurrenti enim Ephemerides, ac longe etiam magis has eliquationes contemplanti plane constat, sæpe sacrum cruorem in aperto solutum esse, cum in templi adytis sæpe concretus diu manserit: alias Maio mense serius, Decembri citius liquere consuevisse: alias quoque, referto cultoribus templo, numquam solvi visum esse, cum frequenter non magno adstante populi numero, protinus ebullierit: modo in altari, modo inter supplicum oscula (licet id rarum sit) modo neutrobique eliquatio consecuta sit. D Nihil denique confingi idoneum ad liquationem potest, quo suppetente liquatio certa sit: nihil aptum ad concretionem, quo admoto concretio omnino consequatur. *Omnibus istis omnino assentitur Putignanus noster variis locis in Opere de Redivivo sanguine* S. Januarii, *in cujus præfatione ait, se* quadraginta circiter annos *prodigium illud sacri sanguinis, quoties licuit, coram esse veneratum.*

Sanguis aliquando subito indurescit,

372 *Laudatus Dissertationis Ms. auctor, qui etiam frequenter sanguinis miraculum intuitus est, hæc prælerea observat:* Addere hic tamen libet duo, quæ vim divinam apertissime demonstrant in hac liquatione et concretione, de qua loquimur. Alterum est, quod sanguinis e regione etiam capitis in altari locatus, si quando obveletur, durescit, tum reducto iterum velo, solvitur. Id quotannis usuvenit, Maio præsertim mense, cum summo mane expositus de more per octiduum, meridianis deinde horis, quo tempore vacuum fere cultoribus est sacellum, in observantiæ argumentum obtento velo tegi solet: ac, mirum dictu! liquidus antea cruor continuo riget atque obduratur: nec prius refluit, quam velum amotum sit. Quæ subita commutatio E quotidiano experimento admirationem fere nullam parit: quamquam divinæ virtutis testimonium est maxime conspicuum atque indubium. Alterum est, quod plus semel contigisse novimus, ut, dum sacræ ampullæ stillantis jam fluentisque sanguinis deosculandæ offeruntur, uti assolet, repente inter alicujus manus et oscula sanguis concreverit: qui sedi suæ mox restitutus, iterum eliquatus sit, ominosa certe præsensione (quamquam de subitis hisce mutationibus ego quidem ago, de præsagiis, quorum multa aperta quoque sunt, nihil in præsens laboro) Et concrevisse eo pacto sacrum cruorem ante decem hos annos, dum eum pie deoscularetur vir princeps, quem nominare nihil attinet, scimus omnes, ac videre multi, qui id jurati affirmare possunt. *Factum hoc mihi quoque jam antea innotuerat, sed nomen principis, cui id contigit, ego similiter supprimendum censeo.*

ut exemplis aliquot probatur:

373 *Addit jam relatum de Eminentissimo Grimano exemplum, et mox progreditur ad aliud diutius præteritum, quod refert Carolus Celanus in Notitia Neapolitanæ urbis italice conscripta illudque similiter ex Celano refertur apud Putignanum parte* 2 *cap.* 14, *unde translationem Latinam hic recito.* F Non raro effectum, ut sacer cruor e liquido in durum redierit, adstante inter orthodoxos sectario; quod sane ostentum annis præteritis contigit, dum ego muneri meo operam ibidem commodarem. Lypsanis in ara deforis locatis, advenere plures transalpini nobiles, miraculum solutionis veneraturi. Sanguis libere fluens accedentium osculis exhibebatur, cum in canonici manibus dictum factum obduruit. Adstantes novo prodigio stupentes hærebant: verum canonicus minister, intimo zelo commotus, alte sic intonuit: « Domini mei, si hic adstat heterodoxus aliquis, » abscedat »: Statimque unus e multitudine furtim se subduxit: quo vix retracto, sanguis ebullitionem instauravit. Hoc idem per vices alias alio tempore accidisse constat. *Hæc Celanus, de quo ipse Putignanus mox subjungit:* Hactenus auctor, annis, cum hæc scriberet, satis maturus, probusque inspector. *Ante vero ait de eodem,* docti et eruditi viri, *sua* ætate e vivis sublati, *se allaturum* auctoritatem.

aliud exemplum

374 *Laudatus Putignanus part.* 1 *cap.* 12 *num.* 10 *aliud refert subitæ mutationis exemplum, quod recentissimum*

A *recentissimum erat, dum scribebat, et de quo sic præfatur :* Quod subdo, pene incredibile videretur, nisi me vel exigua amplificandæ rei simulatione vindicarent plurimi, et innumerabilis propemodum civium tum exterorum multitudo, quæ anno MDCCXIX miraculo ejusque circumstantiis interfuerunt. *Tum factum ita refert :* Dies sextus Maias *(lege Maii)* advenerat, quo recurrebat per urbem supplicatio pro celebritate Translationis ossium D. Januarii : et ex instituto majorum solemni pompa deferendus sanguis erat ad nobilium sedile, quod Capuanum vocant. Eo jam matura hora accesserat supremus tunc regni administrator comes Uldricus Daun, proceribus stipatus compluribusque militiæ tribunis et ducibus, quorum recens ex Alemannia Neapolim adventus pro expeditione Sicula ad rei etiam novitatem pellexerat. In iis Catholici multi, multi adhuc Lutheranæ sectæ asseclæ ; et pro nobilitate simul ac munerum dignitate admissi omnes intra sedilis septa, ut propius spectarent. Ut primum ad altare delatus sanguis coram capite, fusæ de more flexis genibus preces, et protactæ longius, quam suetum erat superioribus annis ; quia sanguis nullum efferve-
B scendi signum dederat, acsi congressum nesciret. Interea complures flere, et votis ardentioribus sanctissimum Patronum precari, ut triste omen arceret. At primores e sacerdotibus, et e nobilibus ad has celebritates eo anno delectis, ostentum expendentes, verentesque, ne præpediretur ebullitio hæreticorum præsentia, nimiaque visendi tantum libertate, proregem exoratum accedunt, ut pro sua authoritate eos omnes submoveret ; experimentis alias comprobatum, nolle Januarium miraculi testes Catholicæ religionis hostes.

mirabile. 375 Annuit confestim comes, et qua voce, qua nutibus, qua per ministros suos significatione, mandat, ut recedant. Hi dicto audientes, propere et perturbatim pedes referunt. Omnes terga verterant : necdum omnes extra sedilis cancellos digressi fuerant, cum ebullitio momento temporis, et numeris omnibus absoluta eluxit. Quo adstantium sensu ! quibus acclamationibus ! quibus lacrymarum rivulis ! ex eo adhuc patuit, quod plures ex ipsis Lutheranis ducibus, ad festivas voces regressi, admissi adhuc ad ebullitionem conspiciendam, ubertim pro prodigii eventu et pro veneratione fleverint. Post dies aliquot increbuit
C fama, plures insuper ad Catholicam fidem eo miraculo conversos, sed ego affirmare non ausim ; cum non eadem mihi evidentia, qua ebullitionem laudatasque circumstantias inspexi, conversio quoque innotuerit. *Hæc testis oculatus, cujus Opusculum anno* 1723 *impressum est, ut forte eodem anno, quo factum contigit coram innumera hominum multitudine, etiam litteris ab auctore fuerit commendatum. Certe tam recens erat tamque omnibus notum prodigium, ut nihil hic fingere potuerit, nihil exaggerare sine manifesta famæ suæ jactura. Attamen non contendit Putignanus, numquam coram hæreticis liquefieri sacrum* S. Januarii *sanguinem; sed contrarium potius fatetur num.* 9, *et num.* XI *ipsos hortatur, ut accedant, modo non veniant eo animo. quo Pharisæi* signum *petebant a Christo Domino, quando audierunt Matth.* 12 ỷ 39 *:* Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.

376 *Cum supra ex testimonio dominorum Deputatorum, et variis locis jam dictum sit, duas esse sanguinis* S. Januarii *ampullas, majorem alteram, in qua* notabilis est quantitas, *alteram minorem, in qua solum* tinctura aliqua, quæ ad latera vitri adhærere cernitur, *quæret curiosus lector, an mirabilis ebullitionis effectus in minore quoque deprehendatur ampulla. Hanc inquisitionem omnes fere, qui de sanguine* S. Januarii *breviter agunt, omnino prætermiserunt, omnesque passim de una solum loquuntur ampulla. At Putignanus part.* I *cap.* 19 *effectus modicissimi sanguinis, qui est in minore ampulla, studiose exponit. Fatetur primo auctor, multos in ea esse opinione, ut existiment, pluscululum in ea ampulla esse sanguinis, quam revera sit, seque olim in eodem fuisse errore, quia, ut in Annotatis ait,* non nisi proxime et perquam accurate intuentes in parvam phialam deprehendere valent, paucissimas esse sanguinis guttas, quæ affinem alterius colorem atque perspicuitatem reddunt. *Attamen paucissimas esse guttas lateribus phialæ agglutinatas norunt omnes, qui ad sacras ampullas proxime accedere solent aut eas tractare, idque cum ex canonico didicisset Putignanus, eodem agente, cum proxime accessisset, suis etiam oculis deprehendit. Hæc paucitas sanguinis in minore ampulla occasionem præbuisse videtur, ut multi, quando de ebullitione loquuntur, unam solum ampullam nominent.* AUCTORE J. S. *Paucæ sanguinis guttæ, quæ sunt in minore ampulla,*

377 Phænomena vero utrique communia, *inquit Putignanus,* tum in concretione, tum in solutione, ceterisque aliis mutationibus liquido deteguntur. In concretione quidem ambæ phialæ corpus opacum, obscurum, pauloque densius vitro offundere videntur, et reipsa offundunt, non secus quam si nativa duritie sanguis quicumque alius, priscis seculis ibidem clausus, spem omnem eliquationis abjiceret, iners omnino ac impotens : e converso autem, cum cæleste ebullitionis beneficium proxime instat, ambæ, posita paulatim concretione, seipsas iisdem momentis excitant, et icto veluti fœdere se vicissim devinciunt, ut eumdem colorem referant, aut perspicuum et paulo dilutiorem, aut intense flammeum; aut turbidum et nescio quid triste minitantem. Temporis mensuram quin etiam gradusque alios mutationum æquant. Nam si major ampulla præ spirituum concitatione ad fastigium oppletur ; minor quoque eo usque se effert protenditque, ut nihil fere addi possit, si quidquam aliud addi velles ; tam large, tam integre, tam hilariter sui speciem intuentibus exhibet. At si altera aliquanto lentius, quamdam tamen dimidiatam solutionem præstat : nihilo vehementior altera, gradatim lentoque gressu ad sociandum alterius studium progreditur. Quid plura ? Eadem demum durities, cum benificium ad tempus subtrahitur, vel per horarum intervalla differtur. Altera alteram nec prævenit, nec umquam fallit. *Hæc Putignanus, qui multa mox disserit, ut ostendat, non carere novo miraculo admirabiles illos ebullitionis in minore ampulla effectus,* *sanguinem majoris ampullæ plane imitantur.* E F

§ XXVII.

AUCTORE J. S.

§ XXVII. Ex Diario Neapolitano referuntur expositiones extraordinariæ, partim factæ in gratiam illustrium personarum, partim ob necessitates publicas.

Recensentur breviter ex Diario Ms. inspectiones

Quamdoquidem pia civitatis Neapolitanæ munificentia ad usum nostrum exscripta fuit magna pars Diarii Neapolitani, in quo ab anno 1659 *per thesaurarium et unum e sacellanis fideliter annotati sunt successus expositionum sanguinis* S. Januarii *cum capite, cum ordinariarum in festivitatibus et Octavis, tum extraordinariarum in gratiam illustrium personarum; juvabit multa ex iis lectori communicare, ut hoc etiam monumento confirmentur plurima, quæ de prodigioso sanguine jam narrata fuerunt. Ordiar autem ab expositionibus extraordinariis, ut* B *deinde etiam recenseam ea, quæ in ipsis festivitatibus rarius contigerunt. Prima expositio extraordinaria memoratur facta occasione processionis institutæ de Immaculata Conceptione B. M. Virginis, tum enim sanguis dicitur visus,* et inventus durus, ac in collatione cum capite subito liquefactus est, præsentibus multis equitibus nobilibus. *Ponitur hoc inter reliqua anni* 1659, *scriptum tamen est in apographo* 1669, *verisimiliter errore exscribentis. Subscripserunt* D. Laurentius de Alexandro thesaurarius, D. Januarius Lantero' æditµuus, *qui prioribus annis semper leguntur subscripti, donec aliter monebo. Rursum die* VIII *Decembris anni* 1559 *sanguis dicitur visus occasione festivitatis Immaculatæ Conceptionis in sacello Thesauri celebratæ.* Inventus *autem* est mollis, *id est, non omnino durus,* ac deinde subito liquefactus est. *Non additur, an fuerit, cum capite collatus. Rursum anno* 1660 *et* 1661, *cum in eadem festivitate solum exponendum esset caput, dicitur ea occasione visus sanguis, et utroque anno inventus* durus, *eademque occasione anno* 1662 *inventus* durissimus, *quemadmodum et anno* 1663, 1664 *et* 1665. *Anno* 1666 *eadem rursum festivitate sanguis repertus est* C durus; *sed anno* 1667 *in eodem festo inventus est* liquefactus. *Demum anno* 1668 *dicitur sanguis Sancti in illa festivitate visus, inventusque* congelatus quasi durus. *Plura de visitatione in illa festivitate in extracto nostro non leguntur.*

et expositiones extra tempora

379 *Anno* 1559, *die* XIV *Novembris, cum sanguis exponeretur in gratiam nobilis equitis Angli, qui non nominatur,* inventus est durus, collatusque cum capite, subito liquefactus est. *Anno* 1660, *die* XIII *Septembris, cum fibula argentea in theca, qua sacrum caput continetur, confracta esset diuturno usu, apertum ea de causa armarium, quo caput recluditur, præsentibus Cardinali archiepiscopo Philomarino, illustrissimisque dominis Deputatis ac aliis pluribus. Ea igitur occasione præsentium oculis patuit armarium,* ex quo, *inquiunt auctores,* cum admiratione omnium egrediebatur suavissima fragrantia cælestis odoris numquam percepta. *Refectis cito omnibus, clausum fuit armarium, nec sanguis tunc visus. Anno* 1661, *die prima Februarii, in gratiam equitis Melitensis, qui Religionis suæ legatus erat apud summum Pontificem, præsentibus cum eo multis nobilibus Gallis,* expositum est de more caput cum sanguine, D qui, cum durus esset inventus, post medium horæ quadrantem liquefactus est cum omnium consolatione. *Die* X *Martii ejusdem anni expositio sanguinis rursum facta est in gratiam* Godefredi Societatis Jesu Belgæ, *Henschenii nimirum, cui aderat Papebrochius cum aliis pluribus, ut jam dictum est num.* 327. Factum est miraculum, quamvis inventus sit dictus gloriosus sanguis aliquantum liquefactus. *Eodem rursum anno, die* XV *Junii, expositus est sanguis in gratiam* reverendi patris Generalis Patrum Capucinorum, natione Mediolanensis, *sanguisque inventus* liquefactus.

380 *Anno* 1662, *die* I *Januarii, quæ erat Dominica, cum festivitatis gratia exponendum esset Sancti caput:* eaque occasione præsens esset gubernator civitatis Beneventanæ, cui ostensus est gloriosus sanguis; inventus est durissimus, ac deinde subito liquefactus est in conspectu sanctissimi capitis, præsentibus multis nobilibus et populo et cum summa devotione omnium videntium. *Eodem anno, die* VIII *Martii, expositus est sanguis in gratiam nobilis Angli,* inventusque est durus sanguis gloriosi sancti Januarii, et simul atque erat cum capite, liquefactus est subito, præsentibus omnibus. *Rursum die* XX *Martii, cum Neapoli degerent* multi domini nobiles Angli, Galli et Veneti, *in horum gratiam concessa est expositio sanguinis* S. Januarii, inventusque est congelatus, et in conspectu capitis subito liquefactus est coram multis dominis et populo. *Anno* 1663, *cum in festo Natalis Domini exponendum esset sacrum caput, visus etiam est sanguis, inventusque est* durus, *sed non collatus cum capite.* E

ordinaria factæ

381 *Anno* 1664, *die* XXIX *Januarii, in gratiam nobilium aliquot Mediolanensium facta est sanguinis coram capite expositio. Repertus autem est* durissimus, *præsentibus etiam multis nobilibus Neapolitanis, multoque populo,* positusque supra altare majus Thesauri cum capite juxta solitum. Et dictus sanguis non liquefiebat subito, sed stetit, antequam liquefieret, ultra spatium unius Missæ lectæ, quæ celebrabatur in dicto altari, et postea liquefactus est cum maxima lætitia et devotione omnium, qui relatum miraculum viderunt. *Eodem anno, die* V *Septembris, cum comes de Pignoranda discessurus esset Neapoli, desideravit miraculum sanguinis videre: sed,* aperto armario, inventus est liquefactus in conspectu multorum. *Eodem anno, die* XXVII *Novembris, concessa fuit collatio sanguinis cum capite nobili viro peregrino, sanguisque* inventus durus, et ad conspectum capitis liquefactus est. F

coram capite,

382 *Anno* 1666, *die* XXIV *Januarii, cum Neapoli esset serenissimus princeps Maximilianus Philippus, frater Electoris Bavariæ, facta est collatio sanguinis cum capite, Inventus autem est* durus, *et sic omnibus ostensus. Deinde in altari e regione capitis positus,* mansit etiam durus memoratus sanguis usque ad Evangelium Missæ, quam ibi celebravit aliquis pater Jesuita, confessarius dicti domini: observatusque eo tempore a thesaurario dictus sanguis, liquefactus est subito in manibus ejus cum summa consolatione omnium circumstantium. *Eodem anno, die* XXV *Martii, sanguis productus est in gratiam illustrissimi domini Salviati, qui clericus erat cameræ Apostolicæ, inventusque* durus, *in conspectu capitis positus est, ibique* liquefactus, *non additur, utrum statim, an post aliquod intervallum. Eodem anno, die* XVII *Decembris, desideravit sacrum sanguinem videre domina conjux excellentissimi domini proregis Petri*

cum variis eventibus.

AUCTORE J. S.

A *tri de Aragonia, apertoque armario* inventus est liquefactus,*cum tamen pridie in festo Patrocinii* durus *fuisset inventus.*

cum sanguis alias durus,

383 *Anno* 1667, *die* v *Aprilis, in gratiam vice-reginæ ducissæ de Feria eductus fuit sanguis,* durusque inventus, ad conspectum capitis liquefactus est, *præsentibus multis. Eodem mense, die* xvi, *cum discessurus esset Neapoli dux Medinæ Sidoniæ, visitavit sanguinem,* qui repertus est congelatus; *sed non dicitur e regione capitis positus. Eodem anno, die* xxviii *Maii, rursum ad videndum* S. Januarii *sanguinem venit mox memorata vice-regina, conjux proregis Petri de Aragonia, apertoque armario sanguis* repertus est congelatus, multisque videntibus liquefactus est. *Tacetur hic de capite, forte oblivione exscribentis.Die* viii *Junii ejusdem anni aperienda fuerunt capitis et sanguinis armaria, quod laudatus prorex pretiosis aulæis eadem ornare vellet interius et exterius, eaque de causa caput et sanguis, qui* inventus *est* durissimus, *supra altare fuerunt posita, ubi sanguis* ad conspectum capitis liquefactus est, præsentibus multis. *Rursum eamdem ob causam aperta fuerunt armaria die* 1 *Septembris, ac die*
B xviii *ejusdem mensis, quando splendidus ille ornatus erat compositus, ipsisque armariis fuit additus, depositis tam diu capite et sanguine in aliis armariis. Sanguis autem utraque hac vice inventus est* liquefactus.

alias mollis,

384 *Anno* 1668, *die* v *Aprilis, in gratiam* aliquot patrum Jesuitarum Hispanorum et aliarum nationum *facta est collatio sanguinis cum capite,* sanguisque inventus durus, ad conspectum capitis liquefactus est, præsentibus multis. *Eodem anno, die* xxv *Maii, una cum prorege ad videndum* S. Januarii *sanguinem venit excellentissimus dominus Vincentius Rospigliosus,nepos ClementisPapæIX, et præfectus triremium Pontificiarum.* Inventus *autem* est sanguis mollis, et in conspectu capitis liquefactus est. *Eodem anno, die* xvi *Novembris, tertio venit jam bis laudata vice-regina ad intuendum* S. Januarii *sanguinem. Sanguis* inventus est durus et ad conspectum capitis liquefactus est. *Hactenus datis expositionibus subscripserunt ante laudati* D. Laurentius de Alexandro *et* D. Januarius Lantero. *Deinde usque ad annum* 1687 *solus legitur subscriptus* D. Januarius Lantero æditus. *Observare præterea poterit lector, sanguinem sæpe*
C *dici liquefactum* ad conspectum capitis, *non addito ullo temporis intervallo. Suspicor, eo loquendi modo subitam intelligi resolutionem : quod tamen certo affirmare non ausim.*

alias liquefactus
** Januarii, opinor*

385 *Anno* 1669 *die* viii *Junii *, prorex cum conjuge multisque peregrinis venit ad sacellum Thesauri, ut Missæ Sacrificio adesset, sacrumque* S. Januarii *sanguinem cerneret.* Dictus sanguis inventus est congelatus, et ad conspectum capitis liquefactus, videntibus omnibus,qui aderant.*Puto hic apographo* Junium *pro* Januario *scriptum ex inadvertentia transcribentis, quia mox sequitur factum Februarii. Præterea res dicitur contigisse* die Martis *: erat autem octava* Januarii *anno* 1669 *dies Martis, ut liquet ex littera Dominicali F., non item dies octava Junii.Eodem anno, die* xviii *Februarii, sanguis prolatus est in gratiam principis Poloni, qui in apographo scribitur* princeps d'Ostrioih, *et cui aderant multi nobiles peregrini.* Inventus est gloriosus sanguis congelatus, et ad conspectum capitis liquefactus est.*Eodem anno,die* xiii *Martii, in gratiam principis cujusdam Bohemiæ,qui non nominatur, oppositus est capiti suo sacer sanguis.* Inventus est dictus sanguis durus, expositusque supra altare cum suo sacrato capite, subito liquefactus est in præsentia omnium circumstantium. *Die* xv *ejusdem mensis accesserunt ad idem prodigium videndum domina Mazzarini, uxor connestabilis Columna, ejusque frater Aversæ dux, et abbas Columna cognatus. Sanguis autem* repertus est congelatus, expositusque super altare cum capite gloriosi Sancti, liquefactus est totus, ad consolationem prædictorum dominorum, aliorumque peregrinorum, qui præsentes fuerunt. *Hactenus ex Diario huc usque integre transcripto et ad nos misso.*

386 *Deinde vero solum exscripta fuerunt facta magis particularia, ex quibus similiter extraordinarias in gratiam personarum expositiones huc transferam fideli compendio. Itaque anno* 1678, *die* xxii *Martii, cum Neapolim venisset Carninalis Protocarrero, sanguis ejus gratia cum capite de more collatus est,* repertusque durus *cum capite positus est super altare, in quo statim Missa fuit inchoata.* Finita Missa, exemptus est sansanguis e tabernaculo, in quo stabat e regione capitis, liquefactusque est, vidente domino Cardinali, *aliisque multis. Anno* 1686, *die* xxii *Maii, cum Neapoli esset serenissimus Mantuæ dux, cuperetque videre sanguinem* S. Januarii *in conspectu* E
capitis positum, ornatis magnifice sacelli altaribus, apertum fuit armarium,sanguisque inventus est durus, positusque dictus gloriosus sanguis supra altare majus Thesauri e regione capitis, ubi celebrata est Missa singularis. Deinde sumptus est dictus gloriosus sanguis, liquefactusque est, atque a memorato domino duce visus est, osculatusque maxima cum voluptate et consolatione.

sit inventus;

387 *Anno* 1687 *die* xxvi *Januarii, similiter ornatum fuit Thesauri sacellum ob præsentiam serenissimi ducis Mutinensis, qui Sancti sanguinem videre desiderabat.* Aperta fuit gloriosi sanguinis ædicula, repertusque est liquefactus. Ubi positus fuit supra altare majus Thesauri, dictus dominus dux Missam audire voluit. Post finitam Missam dominus thesaurarius sumpsit gloriosum sanguinem, repertusque tunc est induratus. Tunc dominus thesaurarius vicinum fecit vultui capitis S. Januarii, et liquefactus est. Hæc facta sunt in conspectu omnium circumstantium, qui aderant ad videndum dictum miraculum. *Die* xxxi *ejusdem mensis et anni eminentissimus Cardinalis Ursinus, (qui postea fuit Benedictus Papa XIII) desi-* F
deravit videre prodigiosum S.Januarii *sanguinem, idque obtinuit.* Apertum fuit armarium gloriosi sanguinis, et inventus est ultra medium liquefactus; tamen erat globus durus. Positus fuit super altare majus dicti Thesauri, et dominus Cardinalis Ursinus celebravit Missam. Deinde rursum consideratus est gloriosus sanguis, visusque est dictus globus magis liquefactus quam erat antea : interque osculandum, vertendumque ac invertendum liquefactus est quasi totus. Huic miraculo interfuit frater domini ducis Mutinensis. *Minus clare apparet miraculum in hoc facto, quam in aliis passim omnibus. At dominus æditus, qui hoc ultimum exposuit, atque hic definit in apographo nostro, omnia candide edixit; neque ego quidquam omittendum censeo præter ordinaria.*

alias ex liquido durus, alias cito ex duro liquidus

388 *Sequentibus ad annos plures subscripserunt* D. Franciscus Andreas Rispolo thesaurarius, et D. Franciscus Antonius Valensano æditus. *Ex horum relatione sunt reliqua extraordinaria.Anno* 1695, *die* 2 *Januarii, cum Neapoli esset eminentissimus Cardinalis Ottobonus, quinque simul Cardinales venerunt ad honorandum sacrum*S.Januarii

sit effectus, alias post plures horas

AUCTORE J. S.

nuarii *sanguinem, nimirum præter Ottobonum Eminentissimi Del Judice, Carafa Aversæ episcopus, Cantelmus archiepiscopus Neapolitanus, et Ursinus mox memoratus, Beneventanus archiepiscopus. Sanguis* inventus est durus, positusque supra altare Thesauri e regione gloriosi capitis Sancti. Celebravit primam Missam dominus Cardinalis Ursinus, et ad secundam Missam lectam liquefactus est memoratus gloriosus sanguis cum jubilo omnium. *Anno* 1696, *die* XXI *Januarii, cum Neapolim venisset illustrissimus dominus Jacobus Drumont, comes de Perth in Scotia, qui multa passus erat pro fide Catholica, desideravit videre sanguinem* S. Januarii, *idque obtinuit.* Positus fuit gloriosus sanguis durus supra altare majus Thesauri : et in conspectu capitis, ubi duabus horis expositus fuerat, liquefactus est, celebratis interea temporis quinque Missæ sacrificiis coram reliquiis expositis : fuitque dictus dominus maxima affectus voluptate, lacrymans præ teneritudine.

solum sit liquefactus.

389 *Anno* 1702, *dies* XVIII *Aprilis,* cum Neapolim venisset Philippus V Hispaniæ rex, accessit ad Thesaurum S. Januarii ad venerandum dictum B sanguinem, currente die tertia festivitatis Paschalis : communique consensu archiepiscopi Cardinalis Cantelmi et illustrissimæ Deputationis, rogante dicto rege, expositus est sanguis cum capite S. Januarii, et cum aliis sanctorum patronorum reliquiis, Dictus sanguis inventus est durus a domino archiepiscopo Neapolitano, fuitque sic durus portatus super altare Thesauri ad conspectum capitis Sancti, ac dominus rex, accepto funali in manu, dictum sanguinem comitatus est. Dictæ sunt quatuor Missæ, præsente rege memorato, nec liquefactus est sanguis, qua de causa abiit. Ad sextam vero Missam factum est sanguinis liquescentis miraculum. Postridie a prandio rediit memoratus dominus ad gratias Sancto agendas de miraculo post discessum suum secuto *Die* VII *Junii ejusdem anni sanguis demum extra consueta tempora productus est in gratiam eminentissimi Cardinalis Barberini, qui erat legatus a latere Clementis Papæ XI apud regem. Sanguis* repertus est durus et ad finem secundæ Missæ liquefactus est cum summa lætitia dicti domini Cardinalis a latere, aliorumque dominorum, qui eo accurrerant. *Hactenus de expositionibus extraordinariis in gratiam personarum* C *illustrium quæ deinde omnino fuerunt abrogatæ.*

Sancti sanguis anno 1660 expositus ob ignitas Vesuvii eructationes

390 *Reperiuntur et aliæ sanguinis expositiones, ob necessitates publicas factæ extra tempus ordinarium, similiter in Diario annotatæ. Mitto antiquiores, ex quibus celeberrima est supplicatio anni* 1631, *de cujus successu actum est num.* 160 *et seqq. Scriptas in Diario breviter huc transfero. Prima est anni* 1660, *quando* die Sabbati, 3 Julii, ad horam fere secundam Italicam, *sive vesperi duabus horis post occasum solis, mons Vesuvius cœperat saxa ignita cineremque eructare adeo, ut Cardinalis archiepiscopus cum dominis Deputatis Thesauri agere cœperit de exponendis capite et sanguine* S. Januarii, *ad publicas preces fundendas. Expositio revera facta est sequenti Dominica die* IV *Julii, sanguisque* repertus liquefactus, *non eo tantum die, sed etiam duobus sequentibus. Nam expositio, cœpta die* IV *Julii* post prandium, *continuata est* per totam diem sextam ejusdem mensis, *concurritque Cardinalis archiepiscopus, prorex, multusque populus ad orandum, sacrasque reliquias venerandas. Felix fuit successus, etiamsi de eo nihil annotatum sit in Diario; nam Falconius p.*514 *testatur, sola reliquiarum Sancti expositione* D *in Thesauro* prompte exauditas fuisse civium preces, eosque imminenti periculo liberatos. *Errat tamen in die, dicens inchoatam eructationem* die Veneris IV Julii : *nam quarta Julii erat Dominica, et Diarium docet,* die III Julii, Sabbatoque *cœptam eructationem.*

et anno 1667 ob continuas pluvias cum æque felici successu.

391 *Altera similis expositio per triduum facta legitur in Diario anno* 1667, *mense Januario, ob continuas fere* quatuor aut quinque mensium *pluvias, ex quibus multa terris ac hominibus oriebantur mala. Hac de causa decretum fuit communi consilio proregis, nuntii Apostoloci, qui archiepiscopi defuncti obibat vices, ac Deputatorum Thesauri, ut exponerentur in Thesauro caput et sanguis* S. Januarii *cum aliis sanctorum patronorum reliquiis.* Et ecce, *inquiunt expositores subscripti,* dum die XXX dicti mensis Januarii in memorata urbe eventuum relatorum confusio omnium animos occupabat, simulac solum super altare comparebat sacrum depositum dicti gloriosi Sancti (cujus pretiosus sanguis, cum durus esset repertus, deinde ad conspectum capitis sui præsentibus multis, cum felici indicio prognostico liquefactus est) cœperunt subito aufugere nubes, pluviæ cessare, serenari aër, solque resplendens et clarus apparere, qui suis radiis, tamquam vicinæ gratiæ pignoribus, insitam humanis frontibus tristitiam in summam cœpit convertere lætitiam. E Steterunt more solito dictæ sacræ reliquiæ in memorato Thesauri sacello per trium dierum spatium cum veneratione multa. *Expositis deinde piis exercitiis et precibus triduo illo in sacello fusis, ita concludunt :* Et jam tertio die visum est tempus omnino ad tranquillitatem reductum : quo divina bonitas nobis ostendit, quantas debeamus grates memorato Sancto glorioso, insigni benefactori nostro, quia omnes gratiæ ejus intercessione semper fuerunt concessæ. *Vel solus stylus quo alias utuntur simplicissimo, insinuat, auctores in admirationem raptos fuissè ob mutationem subitam, et sensa sua candide exprimere.*

Caput aliquot vicibus sine sanguine in conspectum Vesuvii.

392 *Annotata quoque est in Diario pia supplicantium processio ad conspectum montis Vesuvii mirabiliter furentis, in qua anno* 1698 *die* VI *Junii portatum est* S. Januarii *caput sine sanguine. Verum beneficium. ea processione obtentum, jam ex scriptoribus contemporaneis relatum est num.* 163 *antequam Diarium mihi ad manum erat. Hoc tamen addi potest ad ibidem dicta, teste Diario :* F Et conspectum est prodigiose, quantum procedebat agmen supplicantium, tantum recessisse densas cinerum nubes a summitate montis Vesuvii. *Observo etiam, in Diario legi, archiepiscopum monti benedixisse sumpta ex altari effigie Crucifixi Domini, non capite* S. Januarii, *ut voluit Hieronymus de S. Anna, nisi forte primum Crucifixo, deinde Sancti capite signum Crucis efformaverit, Mansit deinde sacrum caput triduo expositum in Thesauro cum aliis reliquiis. Rursum anno* 1701, *cum Vesuvius sub finem Junii* flammas fumumque cum bitumine liquido et ignito *evomere cœpisset, multisque diebus pergeret vicinis locis ingentes inferre, calamitates, similis rursum ordinata fuit supplicantium processio per Eminentissimum Cardinalem Cantelmum archiepiscopum, consentientibus dominis Deputatis Thesauri, ad ecclesiam S. Catharinæ de Formello, circa quam foris in conspectu montis altare erat erectum, Eo igitur rursum portatum fuit* S. Januarii *caput : dataque monti benedictione, ut supra,* cessavit ille eructare bitumen illud liquidum et ignitum cum omnium consolatione, *inquiunt auctores subscripti, qui etiam observant,*

A *servant, adfuisse in erecto altari reliquias B. Jacobi de Marchia. Adjungunt deinde, etiam* XXVI *Julii expositum fuisse* S. Januarii *caput in sacello Thesauri ob indulgentias a Clemente Papa XI concessas visitantibus cathedralemNeapolitanam.*

gravissime minitantis, feliciter delatum.

393 *Rursum in Diario relata est supplicantium processio, quando anno 1707 vehementius etiam, quam præcedentibus annis, minabatur Vesuvius. Res tota jam relata est num.* 163 *et* 164 *ex scriptoribus, qui omnia videre potuerant, iisque Diarium plane consentit, confirmans densissimas ex cinere tenebras, per quas agmen supplicantium cum capite* S. Januarii, *accenso lumine, procedere cœpit versus portam Capuanam, sive ecclesiam S. Catharinæ de Formello : (nam loca sunt ea vicina) subitamque aëris mutationem. Exiit agmen supplicantium die* 2 *Augusti circa horam vigesimam primam Italicam, id est, non totis tribus horis ante solis occasum, et jam vesperi stellæ cernebantur in cœlo : dies vero sequens erat serenus, cessabatque Vesuvii incendium. De nullis aliis reliquiis in ea supplicatione portatis fit mentio, præterquam de capite* S. Januarii. *Hactenus breviter narravi extraordinarias pretiosarum* S. Januarii *reliquiarum expositiones. Nunc breviori* B *etiam compendio ordinarias ab anno* 1659 *usque ad nostra tempora ex laudato Diario perstringam, ut studiosus lector quaslibet prodigiosi sanguinis vicissitudines melius habet perspectas.*

§ XXVIII. Eventus varii in expositionibus sanguinis S. Januarii per dies statutos ab anno 1659.

Ab anno 1659 referuntur

Primum octiduum in Diario annotatum, inchoatum est die XIX *Septembris, quo celebratur Sancti martyrium, anni* 1659, *et eodem fere tenore processit. In ista festivitate sanguis* inventus est liquefactus, collatusque cum capite suo cœpit ebullire. *Sic* liquefactus *fuit repertus quinque sequentibus diebus*, expositusque cum capite ebulliit subito. *Septimo die dicitur* inventus mollis, *id est, nec liquefactus, nec omnino durus,* expositusque cum capite subito liquefactus. *At rursum ultimo die, sive* XXVI *Septembris inventus est* liquidus, *ac deinde e regione capitis* subito bulliit. *In festo Patrocinii die* XVI *Decembris* inventus est dictus sanguis durus C conjunctusque cum capite liquefactus est. *Anno* 1660, *die* 1 *Maii, in Sabbato, quo sanguis in processione portandus erat ad sedile Montaneæ, inventus est* quasi durus, *et ad conspectum capitis in dicto sedili* liquefactus est. *Sequenti die rursum* quasi durus *fuit inventus, et in conspectu capitis* subito liquefactus. *Tertio die Maii dicitur inventus* tam durus, ut, fracta etiam ampulla, mansisset instar ferri, et ad conspectum capitis supra altare liquefactus est. *Diebus quarto et quinto Maii eadem contigisse memorantur, ut die tertio. Die* VI *Maii rursum* durus *inventus,* post Missam liquefactus est et bulliit, *præsente capite; quemadmodum etiam die sequente. Die* VIII *Maii* durissimus *inventus est, positusque cum capite* post Missam liquefactus est et bulliit. *Adfuerunt quotidie viri primarii, sæculares et ecclesiastici. Quemadmodum hic novem diebus consequentibus sanguis inventus est durus, ac deinde liquefactus; sic mense Septembri ejusdem anni per totum octiduum semper inventus est* liquefactus. *Contra die* XVI *Decembris* repertus est durus imo durissimus, *ac deinde* subito liquefactus.

AUCTOR J. S. diversitates in ordinariis expositionibus

395 *Anno* 1661, *die* XXX *Aprilis, quo annua erat processio ad sedile, sanguis* S. Januarii *inventus est* media parte liquefactus, *postridie sive* 1 *Maii* omnino liquefactus, *die* 2 *Maii* inventus est durissimus, *stetitque una cum capite in altari* durus ultra quadrantem horæ, deinde liquefactus est. *Die* III *Maii* inventus est congelatus, *nec plus additur. Die* IV *Maii repertus est* durissimus, et ad conspectum capitis liquefactus est subito, præsentibus multis nobilibus et Religiosis. *Die* V *Maii sanguis inventus est* partim durus, partim liquefactus; *tribus vero diebus sequentibus* inventus est liquefactus. *Sic* liquefactus *inventus est per totum octiduum festivitatis mense Septembri. Die* XVI *Decembris sanguis repertus est* congelatus, et ad conspectum Sancti *(nimirum capitis)* liquefactus est media parte, et alia pars media permansit dura. *Deinde portatus est* ad altare majus extra ecclesiam sub Missæ Sacrificio liquefacta est altera pars media, quæ erat dura.

observatæ

396 *Anno* 1662, *die* VI *Maii, de more sanguis portatus est ad sedile nobilium. Inventus autem est* durus, *et in sedili* liquefactus *est. Sequenti die* VII *Maii*, *partim liquefactus*, partim durus *repertus est, die* VIII durus, *uti et* IX; *sed* X *die* E *Maii* partim liquefactus, *uti etiam quatuor diebus sequentibus : omnibus vero diebus coram capite liquefactus dicitur. Mense Septembri in festivitate die* XIX *inventus est sanguis* majori parte congelatus, et pars modica liquefacta; *ad conspectum vero capitis* liquefactus est. *Septem sequentibus diebus semper inventus est* liquidus. *Demum in festo Patrocinii die* XVI *Decembris, sanguis repertus est* durissimus, *sed* postea liquefactus est. *Anno* 1663, *per novem dies mensis Maii aliis diebus sanguis inventus est* durus *aut* durissimus, *aliis* liquefactis, *aliis* partim durus, partim liquefactus : *per totam vero Octavam Septembris inventus est* liquefactus. *De festo Patrocinii in apographo nostro nihil annotatum. Eadem fere varietas sanguinis reperitur in dictis Maii diebus anno* 1664. *In Octava Septembris quinque prioribus diebus rursum inventus* liquefactus. *At die* XXIV *Septembris* parumper congelatus, *die* XXV durus, *et die* XXVI congelatus *dicitur inventus, sed postmodum* liquefactus. *Similiter* durus *inventus est die* XVI *Decembris, ac deinde* liquefactus.

usque ad annum 1669.

397 *Anno* 1665 *per omnes novem festivitatis Maii dies* durus *aut* congelatus *inventus est, et in omnibus diebus deinde ad conspectum capitis liquefactus, et quidem plerisque* subito. *At eo anno* F *per Octavam Septembris quotidie inventus est* liquidus. *Contra die* XVI *Decembris inventus est* durissimus, *ac deinde* subito liquefactus est. *Anno* 1666, *mense Maio per novem illos dies sex prioribus inventus est aut* durus, *aut* durissimus, *aut* congelatus, *septimo et nono* mollis, *octavo* quasi liquefactus. *Liquefactio omnibus diebus secuta dicitur excepto primo, ubi illud omissum est, forte inadvertenter. Per Octavam Septembris inventus est quotidie* liquefactus, *excepto die* XXI *Septembris, quo inventus ex parte tantum liquidus, ad conspectum capitis ulterius liquefactus est. Die* XVI *Decembris sanguis* durus *inventus est et* ad conspectum capitis subito factus est liquidus. *Anno* 1667, *mense Maio, quotidie inventus* durus, *excepto die primo Maii, quo repertus est* liquefactus. *Contra per Octavam Septembris semper inventus est* liquefactus. *Die* XVI *Decembris* durus *repertus,* ad conspectum (*capitis nimirum)* factus est liquidus. *Anno* 1668, *omnibus novem diebus mense Maio sanguis* congelatus, durus, *aut* durissimus *dicitur repertus,*

AUCTORE J. S.

repertus et quotidie ad præsentiam capitis liquefactus. *Sic* congelatus *inventus est* XIX *Septembris et* XXIII durus, *atque utroque die ad præsentiam capitis liquefactus; reliquis vero illius Octavæ diebus inventus est liquidus. Die* XVI *Decembris sanguis* inventus est congelatus, ut plus haberet duri quam liquidi, et ad conspectum capitis liquefactus est. *Anno* 1669 *per omnes novem dies expositionis mensis Maii sanguis repertus est* congelatus *aut* durus, *et quotidie præsente capite, liquefactus.*

Anno 1678 sanguis duobus diebus non liquefactus;

398 *Hactenus fidele compendium dedi Diarii, prout nobis exscriptum est. Nunc vero, ne perpetuæ repetitiones lectori tædium pariant, ex iis, quæ ulterius habemus exscripta, solum pauca eaque rariora seligam. Huc usque non inveni annotatum in Diario, sanguinem per horas integras coram capite stetisse durum et immotum, licet id factum noverimus seculo* XVI *per biennium. At in expositionibus mensis Maii anni* 1678 *legitur, sacrum* S. Januarii *sanguinem die* 2 *Maii non modo durum inventum, sed expositum cum capite* circa horam undecimam Italicam *durum permansisse usque* ad horam Italicam vigesimam primam et mediam, *et tunc demum liquefactum. Stetit igitur* B *durus ultra decem horas. Attamen die* 1 *Maii et rursum tertia ex duro liquidus cito fuit factus. Ad* IV *Maii hæc leguntur :* Apertum est armarium gloriosi sanguinis S. Januarii, repertusque est durus, expositusque est supra altare, et in conspectu capitis hora duodecima Italica, *id est, circa medium sextæ matutinæ*, et non est liquefactus, ac permansit durus tota die, repositusque est in armarium non liquefactus cum summa tristitia et dolore omnium fidelium, quæ erat multitudo magna dominorum nobilium et populi. *Rursum die* V *Maii* durus *inventus sacer sanguis, de more expositus fuit cum capite supra altare, sed* non liquefactus. *Hac de causa stipe magna in pauperes eroganda, multis Missæ sacrificiis, aliisque exercitiis Deum placare studuerunt Neapolitani. Attamen, ubi steterat in altari usque in seram vesperam,* durus *in armarium repositus est,* illudque clausum maximo cum dolore civitatis.

aliis vero diebus solito tardius solutus est :

399 *Sequenti die* VI *Maii eadem hora expositus fuit sanguis* durus, et non est liquefactus, *nimirum ordinaria velocitate,* ut in dolore esset tota civitas. Omnes Religiosi se conferebant ad dictum Thesaurum, Missæque celebrabantur ac preces C fundebantur : et omnes novitii communicarunt. Et dum osculandus exhibebatur ingenti personarum multudini gloriosus sanguis, in manu domini thesaurarii liquefactus est ad horam decimam tertiam et mediam *(id est, hora et media post expositionem)* ut omnis civitas exsultaret. Venit eo die dominus prorex ad venerandum Sanctum. Deinde eodem die ad horam decimam nonam et mediam inventus est durus, mansitque durus media circiter hora, et postea liquefactus est. *Induruerit verisimiliter hora meridiana, quando velum erat oppositum, ut fieri solere in Octava mensis Maii, dictum est num.* 372. *Certe decima nona et media Italica fere concurrit die* VI *Maii cum prima pomeridiana. Die* VII *Maii sanguis* durus *inventus, ubi expositus fuerat cum capite, post horam et horæ circiter quadrantem* liquefactus *est, sive quadrante post horam decimam tertiam Italicam. Additur :* Deinde per diem liquefactus est spatio unius Miserere ; *verisimiliter postquam iterum induruerat in meridie, quamvis hoc non exponatur. Die* VIII *Maii expositus est sanguis* durus *ad duodecimam et mediam* D *Italicam, et post horam* liquefactus *dicitur. Per diem (verisimiliter in meridie)* induruit, *et* circiter horæ quadrante *sic mansit*, ac deinde liquefactus est. *Erat ille dies Dominicus et ultimus festivitatis.*

anno 1682 serius et non perfecte liquefactus est :

400 *Anno* 1682, *die* XVI *Decembris , Sancti sanguis diu etiam perstitit* durus *sicut mane fuerat inventus : nam tantum* cœpit liquescere circa quadrantem post vigesimam secundam Italicam, *et non fuit integre liquefactus :* sed in dicto sanguine erant aliquot partes sanguinis duri, et sic repositus est in armarium.

anno 1683 uno die non est liquefactus. Aliæ mutationes,

401 *Aliud accidit anno* 1683, *quod admirationem peperit. Nam ad diem* III *Maii observatur, sanguinem fuisse durum inventum a thesaurario post prandium, ampullamque majorem, quæ paulo ultra medium impleta solet esse, dum sanguis est durus, plenior vero, dum est liquefactus,* ita tunc plenam fuisse inventam. acsi fuisset liquefactus, et tamen durus fuit perceptus. *Die* IX *Maii sacer sanguis ex duro liquidus fuit factus* post lectas duas Missas. *Anno* 1684, *die* XVI *Decembris sanguis tota die* durus *permansit*, guttaque aliqua sanguinis movebatur supra durum sanguinem. *Anno* 1694, *die Sabbati* XXV *Septembris, sanguis* S. Ja- E nuarii *inventus fuit* durus, *et sic ostensus aliquot nobilibus et piis personis,* et quia diebus præcedentibus illius Octavæ liquefactus fuerat, priusquam collocaretur in suo tabernaculo, et quia inter reponendum percipiebat *(thesaurarius,)* jam cœpisse liquefieri, ubi deinde ceperat caput, illudque deposuerat ad cornu Evangelii e regione sanguinis, venit visurus, an peractum esset miraculum, sanguinemque invenit perfecte induratum, ut multum obstupesceret. Deinde paulo post liquefactus est cum consolatione circumstantium.

exque admodum mirabiles.

402 *Anno* 1701, *die* XX *Septembris, observatur, sanguinem fuisse liquefactum in manibus thesaurarii, antequam capiti opponeretur :* at deinde ad horam decimam octavam Italicam *(id est media fere hora ante meridiem) rursum* fuisse induratum, et *iterum* post mediam horam liquefactum. *Additur :* Nocte sequente orta est seditio civitatis. *Rursum die* XXIV *Septembris, sanguis inventus est* durus, *oppositusque capiti* subito est liquefactus. Per diem induruit, cumque venisset archiepiscopus ad preces coram Sancto fundendas post mediam orationis horam sumpsit manibus suis sanguinem et liquefactus est. Erat eo tempore con- F flictus in civitate, et vesperi quadrante ante horam vigesimam tertiam sedatus est tumultus per miraculum Sancti, qui illum sedavit. *Falconius pag.* 518 *consentit de sedato velociter bello illo intestino, quod* XXII *inchoatum et* XXIV *sublatum dicit, illud similiter attribuens patrocinio* S. Januarii, *ut liqueat ex consensu duorum eo tempore viventium et scribentium fuisse illam Neapolitanorum piam opinionem, eamque ex perpetuo Sancti patrocinio conceptam non sine fundamento. Errat tamen Falconius in diebus hebdomadæ : nam dies* XXIV *Septembris anno* 1701 *non erat Dominica ut ille scribit, sed Sabbatum, ut recte notatur in Diario. Anno* 1702, *die* XVI *Decembris, non est liquefactus toto die* S. Januarii *sanguis, sed observata est gutta supra durum sanguinem currens, ut factum est, eodem die anni* 1684.

Novæ sanguinis mutationes anno 1709,

403 *Anno* 1709, *mense Maio iterum novi aliquid observatum fuit in sanguine* S. Januarii, *qui ex duro liquidus subito factus est coram capite* XII *Maii. At hoc novum non erat, sed quod ibidem sequitur, his verbis relatum :* Verum in tota

A ta hac Octava *(cujus erat ultima dies)* novitas aliqua fuit, id est, incrementum aliquod sanguinis, ut tota ampulla dicto sanguine videretur plena cum quadam turbatione, ob quam exspectatur exitus rei, quæ fuerit significata. *Iidem postea addiderunt*: Observatur, deinde fuisse aliqua præludia tumultuum popularium propter nova aliqua tributa, quæ administri regii voluerunt imponere, uti etiam ob turbas aliquas causa sancti Officii.

pluresque anno 1710 : 404 *Anno* 1710, *mense Maio, nova rursum acciderunt. Nam die* VIII *Maii, ubi sanguis, qui* durus *reperiebatur*, post unam Missam *fuerat* liquefactus, per diem deinde annexuit se ampullæ usque ad summum, et sic vesperi fuit repositus in armarium suum cum timore omnium. *Postridie* IX *Maii* sanguis fuit inventus, sicut erat repositus, nimirum ut attingeret summitatem ampullæ durus. Post quinque horas observatum est, in medio liquidum esse, etiamsi reliquum sanguinis annexum esset ampullæ. Post aliquod tempus rursum induruit, et sic repositus est in armarium. *Die* X *Maii sanguis* repertus est durus, et post duas horas liquefactus est. Post spatium trium rursum indurescere cœpit, B stans durus, ut die præcedente, usque ad verticem dictæ ampullæ. Post aliquot tempus indicium dabat, acsi foret liquefaciendus, nec tamen liquefactus est, tota ampulla manente plena. Ad Thesaurum venit illustrissimus dominus Cardinalis Pignatellus mane et vesperi, ut sermonem haberet ad populum, et initium dedit missioni. *Demum die* XI *Maii, qua claudebatur festivitas, sanguis rursum inventus est durus, durusque vesperi repositus*, cum ingenti terrore ac pavore civitatis, eoque idcirco majore, quod color sanguinis niger esset et cinereus. Unde populus, civitas ac regnum insignia pœnitentiæ dedit indicia. *De hisce multo plura Falconius pag.* 120, *aliique jam adducti num.* 369 *et* 370; *ubi etiam observatum est, sanguinem sic rursum inventum die* XIX *Septembris, ac deinde ad pristinum statum rediisse.*

aliæ anno 1717, *aliæque* 405 *Anno* 1717, *die* XVI *Decembris, sanguis ex duro factus est liquidus ad secundam Missam. Sed aliquid novi ante liquefactionem observatum est, nimirum* quod oriretur exhalatio instar nubeculæ usque ad verticem ampullæ. *Anno* 1725, *die* XXIV *Septembris, sanguis inventus durus*, ad præ- C sentiam capitis subito liquefactus est, *cum hac tamen novitate*, quod tribus aut quatuor vicibus dictus sanguis liquidus circumiret, ampulla stante inmota. *Anno* 1748, *mense Maio, plures fuerunt sanguinis varietates. Die* 2 *Maii, ex duro factus erat liquidus* post quinque horæ minuta; *vesperi tamen repositus est* cum duro sanguinis globo. *Die* III *Maii liquefactus est, antequam opponeretur capiti. Die* VI *Maii* cœpit excrescere nonnihil. *Die* VII *Maii ex duro* post sexdecim minuta *factus est liquidus*. Per diem ita excrevit, ut nullum superesset *in ampulla* vacuum, *et sic plena ampulla fuit reposita. Die* VIII *Maii sanguis inventus durus, et ampulla plena, plenaque fuit vesperi reposita. Die* IX *rursum plena inventa est ampulla, et vesperi reposita æque plena. Idem contigit duobus diebus sequentibus, ut terror occupasset animos Neapolitanorum.*

terrorem incutientes anno 1748 : 406 *Ultimo festivitatis die* XII *Maii rursum inventa est ampulla plena*, erant in sanguine duo colores, nimirum pars erat coloris cinerei, pars nigri, *idemque conspectum etiam fuerat diebus quatuor præcedentibus*, dictisque diebus non est mane cantatum, TE DEUM LAUDAMUS. *Venerunt rex et archiepiscopus Cardinalis ad venerandum sacrum sanguinem et preces fundendas, sed sanguis mansit in eodem statu usque ad vesperam. Tandem ad horam vigesimam tertiam et mediam, id est, circa occasum solis, venit P. Gregorius Neapolitanus, Ordinis Capucinorum, qui obtenta licentia concionandi in sacello Thesauri, fervida oratione omnium animos ad pœnitentiam excitavit, multasque audientium oculis excussit lacrymas.* Deinde cœpit recitare Litanias sanctissimæ Virginis, rogavitque initio, ut sanguis observaretur, qui descenderat. *Itaque unus ex dominis Thesauri sacellanis, facta observatione*, invenit, *sanguinem descendisse* spatio modici digiti, atque undique moveri in gyrum, non relicto etiam colore illo cinereo, sed resumpto colore proprio. Deinde egressus est illustrissimus dominus thesaurarius, et inchoavit hymnum, TE DEUM LAUDAMUS, *etc.* Vesperi repositus est *(sanguis)* in suum armarium, relicto *(in ampulla)* spatio vacuo unius digiti, quod parum aberat ab ordinario.

407 *Sequenti anno* 1749, *mense Maio, rursum* S. Januarii *sanguis non fuit ita solutus integre, ut votis Neapolitanorum prorsus satisfecerit. In Sabbato, quo fuit ordinaria cum sanguine processio ad sedile, die* III *Maii, ex duro* post quinque minuta *factus est liquidus, sed* relicta portione dura, *quacum vesperi repositus est. Die* IV *Maii inventus est, prout pridie fuerat repositus; vesperi vero reclusus est* cum modicissima portione dura, et modice ascenderat. *Die* V *Maii* durus *inventus est. et coram capite* post decem minuta liquefactus, *sed vesperi eo usque ascenderat*, ut spatium vacuum superesset modici digiti. *Die* VI *rursum ex duro factus est liquidus, sed per diem sic ascendit, ut* vesperi ampulla esset omnino plena. *Sic plena inventa est quinque diebus sequentibus, et semper vesperi reposita sine ullo motu*, cum summa afflictione omnium, *ut ultimo die legitur. Omissus etiam ea de causa fuit omnibus istis diebus hymnus*, Te Deum laudamus. *auctore J. S. aliæ varietates anni* 1749,

408 *Anno* 1750 *sacer* S. Januarii *sanguis nihilo magis implevit vota Neapolitanorum. Nam in Sabbato ante primam Maii Dominicam, sanguis inventus est solutus* cum portione dura, *et sic vesperi repositus. Postridie* III *Maii cum eodem globo duro inventus est; sed* vesperi repositus pulcherrimus, *ut videatur fuisse totus liquefactus, etsi hoc non dicatur in Diario. Die* IV *ex duro invento* post horæ quadrantem liquefactus est, *sed vesperi nonnihil ascendere cœperat. Die* V *Maii rursum liquefactus* post novem minuta, *sed magis ascendit, ut vesperi* modicissimum *superesset spatii* vacui *in ampulla. Die* VI *Maii ex duro similiter factus est liquidus, sed ampulla fuit tota plena, mansitque plena sine ullo motu non eo solum die, sed omnibus etiam quatuor sequentibus, quibus omissum est* Te Deum *etc.*; quod *videri non potuisset* liquefactio gloriosi sanguinis S. Januarii, *ut legitur ad postremum festivitatis diem.* *et anni* 1750 : E F

409 *Mitto varietates anni* 1751, *cum fere eædem sint cum jam relatis. An similia iterum contigerint annis* 1752 *et* 1753, *edicere nequeo, cum de illis annis nihil mihi fuerit communicatum ex Diario. Verum anno* 1754 *iterum similis fere fuit eventus, ut habeo ex litteris R. P. Paschalis de Matthæis S. J., rectoris collegii Neapolitani, qui posteriorum expositionum eventus ex Diario mihi perscripsit. In litteris autem datis* XX *Octobris anni* 1754, *in quibus percurrit Octavam mensis Septembris, de Octava Maii hæc monet*: Præmonendum est tamen, sacrum cruorem in octiduo Translationis mense Maio excrescere cœpisse die tertia; *observata anno* 1754, *mense Maio.*

AUCTORE J. S.

tertia; tum quarta opplevisse omnino ampullam, ita ut fluor nullus discerni posset; eoque modo ultima die octidui repositum esse in armario. *Tum ad octiduum Septembris pergit, ita scribens Latine.*

et Septembri:

410 Itaque mense proximo Septembris, die B. Januarii sacra (XIX *Septembris)* eductus est ex armario cruor ita prorsus, uti mense Maio ibi repositus fuerat, plena undique ampulla adeo, ut, durusne an liquidus esset, omnino ignoraretur. Sic perstitit pluribus horis, dum plures Missæ celebratæ sunt, populique affluentis osculis cruor exhibitus est. In solemni Missa Eminentissimi archiepiscopi, dum hymnus GLORIA caneretur, cœpit desidere tantisper, ita ut, mota ampulla, fluere circum cruor videretur. Sub horam XXI *(Italicam, id est, post tertiam pomeridianam)* residit paulo magis : ac sub vesperam spatio unius digiti vacua visebatur ampulla, sanguine penitus liquido. Sequentibus diebus durus eductus est ex armario sanguis, ac paulo post in altari liquatus est; nempe die 2 intervallo minutorum quinquaginta, die III minutorum septemdecim, die IV minutorum septemdecim, die V minutorum triginta duorum, die VI minutorum triginta duorum, B die VII minutorum viginti novem, die VIII minutorum novemdecim. Hæc ex Ephimeride sacelli sacri Thesauri.

item anno 1755,

411 *In litteris ad me datis die* XVII *Maii anni* 1755 *de iis, quæ in festivitate Translationis eodem mense contigerant, ex Diario ipsa verba Italica exscripsit laudatus Pater. Hæc autem Latine huc transfero :* In Sabbato, III Maii, pervigilio Translationis, apertum est armarium gloriosi sanguinis. Fuit repertus durus cum solito spatio vacuo, portatusque ad sedile, e regione capitis post septem minuta liquefactus est, manente globulo duro in medio, et sic vesperi repositus est. Dominica die IV Maii, inventus est durus, et ante collationem cum capite post altare liquefactus est. Vesperi repositus est paulo altior. Die Lunæ V Maii, inventus est durus, et post unum et quadraginta minuta liquefactus est : vesperi repositus est pulcherrimus. Die Martis, VI Maii, repertus est durus, et post quinque minuta liquefactus est : per diem modice ascendit; et vesperi repositus est cum spatio vacuo modici digiti. Die Mercurii, VII Maii, repertus est durus, et post quatuordecim minuta liquefactus est : vesperi reposi- C tus cum modico spatio vacuo. Die Jovis, VIII Maii, inventus est durus, et post tria minuta liquefactus est : vesperi repositus est cum modico spatio vacuo. Die Veneris, IX Maii, inventus est durus, et post triginta quatuor minuta liquefactus est : vesperi repositus est cum modico spatio vacuo. Sabbato, X Maii, fuit inventus durus : post triginta minuta liquefactus est, manente exiguo spatio vacuo. Per diem cœpit aliquantulum descendere : vesperi repositus est cum spatio vacuo unius digiti. Dominica, XI Maii, inventus fuit durus : post quinque minuta liquefactus est, descendens iterum aliquantulum : vesperi repositus est cum spatio vacuo quasi ordinario unius digiti et medii. *Hactenus Diarium, quod ad verbum volui Latinum facere, ne vitatis quidem earumdem vocum repetitionibus.*

atque anno 1756, mense Majo :

412 *Addo demum eventus octidui Translationis hujus anni* 1756, *quo hæc scribo, prout laudatus Pater de Matthæis illos mihi ex Diario verbis Latinis perscripsit in litteris* XVII *Maii ad me Neapoli datis.* Die prima Maii a meridie ex armario sanguis prodiit semisolutus, globo sanguineo durescente in liquoris medio. Vacua erat ampulla digito et semis. Delatus ad sedile, globus ex parte, non omnino solutus est. Ita in armarium D vesperi est repositus. Die 2 Maii Dominica, eductus ex armario ita, uti repositus erat, et expositus venerationi : post elapsam horam liquatus est omnino : et ita repositus. Die III Maii, durus prodiit : solutus est post minuta triginta septem. Die IV Maii, prodiit item durus : solutus est post minuta octodecim. Die V Maii, durus eductus, post minuta viginti liquatus, sub vesperum cœpit excrescere Die VI Maii, durus prodiit : liquatus post minuta quinque; sub vesperum ita excrevit, ut minimum esset vacui. Die VII Maii, durus educitur, post minuta quadraginta solvitur, vesperi ita exponitur, ut vacui superesset nihil. Die VIII Maii, plena prodiit ampulla, eaque permansit die toto. Die IX Maii, ampulla educitur plena : ita perstat usque ad horam Italam vigesimam tertiam cum dimidia *(id est, fere usque ad occasum solis)* ac deinde decrevit sanguis digitum unum ; ac sensim, donec repositus est in armarium, spatio horæ alterius decrevit ad sesquidigitum, eo prorsus pacto, quo prima die eductus ex armario fuerat.

§ XXIX. Ostenditur luculentissimis testimoniis gratiam miraculorum perseverasse in Ecclesia : inauditæ calumniæ Joannis Clerici id impudenter negantis. E

Miracula sanguinis S. Januarii nonnulli negant :

Quæ hactenus relata sunt de liquescente aut ebulliente S. Januarii *sanguine, non relinquunt locum prudenter dubitandi, quin ordinem naturæ superent mirabilia illa, quæ pluribus seculis in sanguine illo contigerunt, eaque ratione divinæ potentiæ sint attribuenda, ac pro veris miraculis habenda. Existimo, hanc esse sententiam omnium Catholicorum, qui spectantia ad* S. Januarii *sanguinem bene habuerunt perspecta, omnibusque rite examinatis, maturum tulerunt judicium. Attamen non defuerunt complures heterodoxi, qui negare voluerunt, in liquescente* S. Januarii *sanguine aliquid reperiri, quod vim naturæ superet.* F *Inter ipsos quoque Catholicos non deerunt, opinor, qui de miraculo saltem dubitant, quod omnia ad sacrum sanguinem pertinentia non satis habeant perspecta; nec umquam examinaverint, quanta sit cautela in conservando sacro sanguine, quanta diligentia in omnibus ejus mutationibus observandis, quanta in omnibus ejus effectibus annotandis religio. Multo tamen plures erunt inter illos, qui nomine quidem gaudent Catholicorum, sed arrogantia plusquam philosophica de omnibus Scepticorum more dubitare solent, seque eo ipso sapientiores videri credunt, quod omnia ordinem naturæ superantia ad causas naturales referant, quod miracula fere omnia pro figmentis irrideant, quod stolida audacia de rebus plane sibi incompertis disserere audeant, et saltem generalia aliqua dicta, quantumvis ad rem propositam vix pertinentia, proferre noverint.*

hoc mirari non debemus, cum Christi etiam miracula

414 *Jam vero si leviter solum attendamus ad miracula clarissima Christi Domini, consideremusque, quam diversa de iis fuerint Judæorum judicia, nequaquam mirabimur, prodigia* S. Januarii *suis quoque hostibus et censoribus non carere.* Oblatus est ei *(Domino)* dæmonium habens cæcus

A cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret. *Quid ad hoc factum, quod negare non poterant, Pharisæi?* Hic non ejicit dæmones, *inquiunt,* nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. *Si manifestissimum Christi miraculum tam enormi calumnia impetere ausi sunt Pharisæi, quomodo mirabimur, prodigia sanguinis* S. Januarii, *quantumvis clara ac manifesta, minus tamen certa miraculis Christi, calumniis patere heterodoxorum, cum hi videant ejusmodi miracula fieri in Ecclesia Catholica, non item apud Lutheri aut Calvini sectarores? Erubescebant ob miracula Christi, cui petulanter se opponebant, Pharisæi, aliique Judæi increduli. Erubescunt similiter heterodoxi, cum audiunt miracula patrari apud Catholicos. Hac de causa utrique sectatoribus suis persuadere conati sunt, non esse credibilia aut vera illa miracula.*

mira impudentia negare aut obscurare

415 *Quantum non laborarunt perversi homines Joan.* 9, *quando Christus aperuerat oculos cæci nati, ut miraculum obscurarent. Primo* ℣ 16 dicebant... ex Pharisæis quidam : Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. *Mox, retusa hac blasphemia,* ℣ 18 : Non crediderunt ergo Judæi de B illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus. *Ubi vero pristina ejus cæcitas a parentibus erat confirmata, iterum convertuntur ad illuminatum, eumque* ℣ 24 *sic alloquuntur :* Da gloriam Deo : nos scimus, quia hic homo *(Christus)* peccator est. *Rejecta ac refutata calumnia per cæcum illuminatum. in hunc tandem invehuntur* ℣ 34 *his verbis :* In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras, *nimirum extra synagogam. Perversissimi homines, ne agnoscant miraculum, non dubitant Jesum traducere ut Sabbati violatorem et peccatorem, hominemque innocentem, quia vera constanter fatebatur, synagoga ejiciunt. Attamen non est verisimile, Pharisæos ignorasse, multa alia miracula a Jesu fuisse patrata, antequam cæcum illum visu donaret. Nam Joannis* XI ℣ 47 collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic Homo multa signa facit? *Eaque de causa ad mortem ei machinandam conjurarunt. Noverant igitur Jesu miracula, dum erant in synagoga malignantium, ut eum perderent : eadem vero ignorare se simulabant coram populo, ne numerus discipulorum Jesu augeretur.*

conati sint increduli Judæi.

C 416 *Nec modo, quamdiu vixit Jesus, miracula ejus voluerunt obscurare ; sed idem erat eorum consilium post mortem Domini. Cum enim* claudus ex utero matris suæ *Act.* 3 *sanatus esset a S. Petro* in nomine Jesu Christi Nazareni ; *principes Judæorum Act.* 4 *manus injecerunt in SS. Petrum et Joannem ; cumque hi libere profiterentur,* in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni *claudum fuisse erectum ; miraculum, quod publice Hierosolymæ factum erat, negare quidem non potuerunt ; miraculi tamen notitiam populo subtrahere voluerunt, et* ℣ 16 *inter se ita loquuntur :* Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Jerusalem : manifestum est, et non possumus negare. Sed ne amplius divulgetur in populum comminemur eis neultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. *Hoc modo veritatem omnibus cognitam suffocare conati sunt Judæorum principes et sacerdotes.*

Miracula in Ecclesia fieri soluta Chrysostomus,

417 *Ex dictis colliget studiosus lector, quos duces habeant heterodoxi posteriorum seculorum, qui contra apertissimas Christi promissiones, contra manifesta sanctorum Patrum testimonia, contra experientiam omnium seculorum, sustinere impudenter præsumunt, gratiam miraculorum desiisse post Apostolorum tempora. Henricum Savilium, qui ex Chrysostomo, nullis tamen allatis Chrysostomi verbis, asserebat* sanationum χάρισμα *Chrysostomi* ætate, et aliquot ante seculis desiisse, *ipsis Chrysostomi verbis refutavi tom.* IV *Septembris pag.* 669. *Ait de miraculis laudatus pater :* Quæ in diem usque hodiernum fiunt. *Ait :* Multa autem videri possunt et privatim, et in domo, et in civitatibus facta miracula. *Ait de Deo :* Non destitit per omnem generationem facere miracula, et per res admirabiles excitare crassiores. *Hæc pluraque alia ad hoc propositum Chrysostomus tom.* 5 *Operum editionis postremæ pag.* 271, *ut nullum possit esse dubium, quin crediderit, miracula fuisse semper continuata in Ecclesia, nec alia solum, sed etiam sanationes infirmorum divinitus impetratas, ut verbis ipsius ostendi.*

AUCTORE J. S.

Athanasius, Nazianzenus, Basilius testantur.

418 *De continuatione miraculorum in Ecclesia non alia est mens S. Athanasii, ut liquet ex Vita S. Antonii, per ipsum conscripta, in qua refert non pauca, dicti Sancti patrocinio patrata. S. Gregorius Nazianzenus varia variis locis narrat miracula et Orat.* 3 *pag.* 76 *de martyribus ita loquitur :* A quibus dæmones propelluntur, et morbi curantur : quorum apparitiones et prædictiones : quorum vel sola corpora idem possunt, quod E animæ sanctæ, sive tangantur, sive honorentur : quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora. *Amicus Nazianzeni Basilius Magnus de miraculis item multis locis testimonia subministrat varia. Mitto alia, atque unum affero locum de S. Gregorio Thaumaturgo, quem pluribus laudat lib. de Spiritu sancto cap.* 29, *ubi de eo hæc habet :* Ille et fluminum aquas in diversum vertit, præcipiens illis in magno nomine Christi, et paludem exsiccavit, belli causam præbentem fratribus avaris... Sed omnino perlongum fuerit viri percensere miracula, qui propter donorum excellentiam, quæ in ipso operabatur Spiritus in omni virtute et signis ac prodigiis, ab ipsis veritatis hostibus alter Moyses appellabatur.

S. Ambrosius narrat miraculacoram populo patrata.

419 *Non adducam brevitatis gratia alios Patres Græcos, contentus testimonium dedisse quatuor illorum, qui doctrina et auctoritate sunt præcipui. Lubet similiter ex Latinis quatuor dumtaxat principes doctores allegare S. Ambrosius in Epistola ad sororem, quæ* 22 *est editionis postremæ, refert inventionem corporum SS. Gervasii et Protasii martyrum, duosque sermones ea occasione ad populum habitos, atque ita de inventione loquitur :* F Inveni signa convenientia... Sic sancti martyres eminere cœperunt, ut adhuc nobis silentibus arriperetur urna, et sterneretur prona ad locum sancti sepulchri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos ut prisca ætas ferebat : ossa omnia integra, sanguinis plurimum *(verisimiliter in ampullis :)* Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ad ordinem : transtulimus vespere jam incumbente ad basilicam Faustæ : ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cæcus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit Sermo. *Hæc brevissime Ambrosius ad sororem, quæ plura legere poterat in adjuncto Sermone. In hoc autem post alia populum sic alloquitur Ambrosius de miraculis ea occasione patratis :* Cognovistis, immo vidistis ipsi multos a dæmoniis purgatos : plurimos etiam, ubi vestem Sanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus absolutos

AUCTORE J. S.

absolutos: reparata vetusti temporis miracula, quo se per adventum Domini Jesu gratia terris major infuderat, umbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur? quanta indumenta super reliquias sacratissimas, et tactu ipso medicabilia reposcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, et qui contigerit, salvus erit *etc.*

ipsumque cæcum sanatum appellat testem,

420 *Lubet etiam proferre aliqua ex Sermone postridie habito, ex quo liquet, Arianos, qui numerosi erant Mediolani, negare ausos miracula coram populi multitudine patrata. Sic enim habet:* In tantum amentiæ prodeunt *(Ariani,)* ut negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum: siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli plerumque confessio. Dicebat enim diabolus: « Jesu Fili Dei vivi, quid venisti ante tempus « torquere nos? » Et cum hæc audierint Judæi, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones, et confitentes martyribus, quod pœnas ferre non possint, et dicentes: « Quid « venistis, ut nos tam graviter torqueatis? » Et Arriani dicunt: « Non sunt isti martyres, nec tor-
B « quere diabolum possunt, nec aliquem liberare: » cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, et beneficia martyrum remediis sanatorum et absolutorum indiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum; sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Cæcus esse desivi; et probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis, cum valeret, mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium, postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis; eos indices suæ visitationis arcessit, quos habebat testes et arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit. *Mox pergit ostendere, Arianos, qui negabant cæcum illuminatum, magis fuisse incredulos, quam fuerunt Judæi, quando cæcus natus a Christo fuit illuminatus.*

cui et S. Augustinus accedit de eodem miraculo testis, et Paulinus

421 *S. Augustinus, qui juvenis Mediolani degebat, quando illa sunt gesta, lib.* 9 *Confessionum cap.* 7 *dicta S. Ambrosii testimonio suo confirmat, pulsosque dæmones et cæcum, ubi* sudario *tetigerat* feretrum, *illudque* admovit oculis, *visu* confestim *donatum refert. Idem lib.* 22 *de Civitate*
C *Dei cap.* 8 *ait:* Miraculum, quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia et grandis est civitas, et ibi erat tunc imperator, et immenso populo teste, res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii et Gervasii *etc. Inventio illorum martyrum non solum festo annuo celebrata est Mediolani; sed etiam Hippone-Regio in Africa, ubi episcopus erat S. Augustinus, qui in eadem festivitate Sermonem habuit ad populum, in novissima editione* 286, *in quo rursum hæc dixit:* Celebramus ergo hodierno die, fratres, memoriam in hoc loco positam sanctorum Protasii et Gervasii, Mediolanensium martyrum. Non eum diem, quo hic posita est, sed eum diem hodie celebramus, quando inventa est pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus per Ambrosium episcopum, hominem Dei: cujus tunc tantæ gloriæ martyrum etiam ego testis fui. Ibi eram, Mediolani eram, facta miracula novi, adtestante Deo pretiosis mortibus Sanctorum suorum; ut per illa miracula jam non solum in conspectu Domini, sed etiam in conspectu hominum

esset mors illa pretiosa. Cæcus notissimus universæ D
civitati illuminatus est: cucurrit, adduci se fecit, sine duce reversus est. Nondum audivimus, quod obierit: forte adhuc vivit. In ipsa eorum basilica, ubi sunt eorum corpora, totam vitam suam serviturum se esse devovit. Nos illum gavisi sumus videntem, reliquimus servientem. *Accedit demum testimonium Paulini in Vita S. Ambrosii de Severo illuminato, qui etiam tum serviebat in ecclesia Ambrosiana, quando scribebat Paulinus. Quapropter nulla res humanis testimoniis certior magisque indubitata videtur reddi posse, quam sit miraculum illud cæci illuminati, coram immensa multitudine patratum, a tribus gravissimis viris assertum, clarisque rationibus contra Arianorum calumnias ab Ambrosio confirmatum.*

Multa etiam alia narrat S. Augustinus.

422 *Laudatus Augustinus lib.* 22 *de Civitate cap.* 8 *collegit alia complura miracula, quorum fidelem se testem præbet, adjunctis passim personis et locis, quibus contigerunt. Ultimum ex illis, idque geminum, factumque diversis diebus in fratre et sorore, publice patratum est in ecclesia Hipponensi coram ingenti multitudine populi, et præsente Augustino, qui de duplici illo miraculo etiam agit in Sermonibus* 320, 321, 322 *et* 323. E
Malum quo diu laboraverant frater et soror, ibidem sanati, ortum erat ex imprecatione matris, puniente Deo. Ex decem germanis, eodem malo correptis, sextus et septima, visione moniti, Hipponem venerunt ad S. Augustinum, ubi frater sanatus est die Dominica Paschæ, *ut latius exponitur in libello, qui insertus est Sermoni* 322. *Soror vero sanata est, dum S. Augustinus dicebat Sermonem* 323, *qui ea sanatione fuit interruptus. Rursum Serm.* 324 *aliud narrat miraculum, videlicet puerum mortuum S. Stephani patrocinio vitæ restitutum. Verum mitto alia miracula, quæ diversis locis ab Augustino narrantur, cum nemo negare possit, plurima ea esse.*

Ambrosio tamen impudentissime se opponit Joannes Clericus,

423 *At videamus, quibus rationibus Ambrosio et Augustino se opponere sustinuerit nuperus heterodoxus, aut potius qua impudentia tantorum virorum testimonia contempserit, ipsosque insana prorsus calumniandi libidine ut comœdos traduxerit. Joannes Clericus, qui nomine* Joannis Phereponi *virulentas Animadversiones scripsit in omnia Opera S. Augustini, non dubitat miracula, quæ facta sunt in inventione corporum SS. Protasii et Gervasii, ipsamque inventionem suspicionibus adspergere, suisque lectoribus persuadere nititur,* stratagema hoc Ambrosianum F
fuisse,... quo plebem sibi devinciret, Justinamque et Arianos perterrefaceret, excogitatum. *Sic ille in Appendice Augustiniana pag.* 475, *ubi hasce præmiserat iniquissimas suspiciones:* Si hæc aliæque ejusmodi inventiones sanctorum cadaverum non fuissent conjunctæ cum ingenti lucro ac emolumento eorum, qui ea effoderunt; multi, qui callidorum hominum figmenta hæc credunt ad plebeculam in officio continendam, fidem eis non facile detraherent. Hæc inventio, exempli causa, non parum auxit existimationem auctoritatemque Ambrosii; quandoquidem ea Justinæ principis Arianæ animus (ut habet noster *Augustinus Conf. lib.* 9 *cap* 7) etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, a persequendi tamen furore compressus est. *De eadem historia rursum meminit pag.* 550, *ibique eam designat nomine* Ambrosianæ scenæ. *Itaque si credendum est homini furiozo, inventio corporum SS. Protasii et Gervasii conficta est a S. Ambrosio ad lucrum ex ea captandum; dæmonumque ejectio ludus fuit scenicus. Quid igitur de cæco illuminato?*

A *to? De eo silet furibundus Clericus, silentioque suo ostendit, necdum se prorsus amentem fuisse, dum tanto furore in Augustinum et Ambrosium est debachatus.*

ad cujus calumnias respondetur.

424 *Hæsit nimirum in medio columniandi cursu attonitus, defensioneque S. Ambrosii repercussus. De cæco sanato coram populi multitudine ita loquitur Ambrosius :* Ille dicit : Video, qui non videbam. Ille dicit : Cæcus esse desivi ; et probat facto... Notus homo est, publicis, cum valeret, mancipatus obsequiis, Severus nomine, lanius ministerio *etc. Loquebatur hæc Ambrosius coram amicis et inimicis. Utrique de veritate investigare poterant. Augustino etiam teste,* cæcus notissimus *erat* universæ civitati; *eodemque testante,* immenso populo teste, res gesta est. *Exhorruit ad hæc omnia, quantumvis alias impudentissimus, calumniator Clericus, maluitque illuminationem cæci silere, quam contra solem loqui. Nam si vel minima fuisset fraudis suspicio, Justina imperatrix Ambrosii inimica, quæ Mediolani erat, per Arianos in fraudem inquisivisset, detectamque sevère vindicasset. At idem hic contigit Justinæ, quod* B *Judæorum principibus, quando claudus a S. Petro sanatus erat Act. 3. Non poterant factum negare Judæi, nec poterat Justina, saltem post inquisitionem : nam, teste Augustino lib. 9 Conf. cap. 7 :* Inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non ampliatus, a persequendi tamen furore compressus est. *Stupidus profecto et insanus fuit Clericus, si credere potuit, se persuasurum viris sensatis, S. Ambrosium, quem omnis ætas pro viro sanctissimo habuit et coluit, tam impium fuisse ac sacrilegum, ut falsas reliquias pro veris supponeret, ut exsecrando mendacio miracula confingeret; aut etiam tam imprudentem fuisse, ut speraret sacrilego mendacio se toti civitati impositurum. Pudet heterodoxos modestiores, opinor, tantæ Clerici impudentiæ. At ille dura necessitate eo, quo alias noluisset, prolapsus est : neque enim invenit, quo modo testimonia sanctorum Patrum de cultu Sanctorum et reliquiarum veneratione, miraculisque Sanctorum patrocinio factis enervaret, nisi bonam illorum fidem calumniando niteretur evertere.*

Insanæ ejusdem Clerici de S. Augustino

425 *Hac igitur de causa nihilo mitius tractat S. Augustinum pag.* 550. *Ignoscat prudens lector, si verba flammis digna, ut jam cœpi, recitavero. Loquitur Clericus de miraculis ante perstrictis,* C *de quibus S. Augustinus agit in Sermone* 320 *et sequentibus. Sic autem loquitur scriptor arrogantissimus :* Sermone CCCXXII legi potest et sane debet fabula, ex qua de tota illius ævi histrionia certum judicium ferri queat. Primo die Paschæ producitur Paulus, nescio quis, e Cappadocia, hominum nequam feracissima, si veteri famæ et Isidoro Pelusiotæ credimus, curatus a S. Stephano; sed libellus ejus, hoc est, historia morbi et curationis, differtur, ut magis plebs cognoscendi cupidine inflammetur. Is est primus actus, qui est Sermone CCCXX... Actus secundus habetur Sermone CCCXXI, ubi promittitur plebi libellus ille mirificus Pauli, quia nonnulla Augustino indicarat, quæ nosse debebat plebs ad majorem admirationem et Domini nostri gloriam, *(ut loquitur Augustinus.)* Tertius est Sermone CCCXXII, in quo Augustinus præfatur, deinde historiam Pauli, die Paschæ curati, jubet recitari. Quartus actus continetur Sermone CCCXXIII, ubi Augustino ad populum dicente, subito curatur Pauli soror, sequiturque adclamatio plebis. Quintum denique actum complectitur Sermo CCCXXIV, ubi pius antistes sapienter omnia in rem suam convertit, populumque prudenter monet, cum Deus alibi potuisset hæc miracula tam insignia facere, ubi etiam erant reliquiæ S. Stephani, tamen Paulum et sororem ad se fuisse directos; quo ni fallor, spectabat tota fabula. *Mox ait, voluisse se totam* comœdiam *recitare, quia aliqui illa non erant lecturi in ipsis S. Augustini Sermonibus, subditque :* Sed non possum dolorem dissimulare, qui animum meum subit, cum reputo, dum imprudentes homines majorem auctoritatem conciliare conantur religioni Christianæ ejusmodi dolis, eos quidem lucrum fecisse sibi fortasse non spernendum; sed valde nocuisse religioni apud homines suspicaces et iniquos *etc. Hasce Clerici contra SS. Ambrosium et Augustinum calumnias refutavit Muratorius sub ficto nomine Lamindi Pritanii in Opusculo de Ingeniorum moderatione lib.* 3 *cap.* XI, *ut vidi solum, quando hæc scripseram. Hoc monendnm censeo, et ad rem regredior.*

AUCTORE J. S.

omnibusque Patribus calumniæ.

426 *Vides, opinor, prudens lector, a Clerico S. Augustinum hic traduci, ut histrionem, ut comœdum, ut dolis impiis usum ad lucra sibi comparanda, ut auctorem sacrilegæ fabulæ,* ex qua E de tota illius ævi histrionia certum judicium ferri queat. *Itaque rectores ecclesiarum seculi* IV, *nimirum Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Basilius, Naziazenus, Chrysostomus, quos omnis ætas ut præcipua Ecclesiæ lumina suspexit, reliquique ejusdem ævi antistites, ac cum iis doctissimus presbyter Hieronymus, si quis fidem habeat Clerico, histriones solum erant, populumque credulum confictis fabellis seducebant. Apertius id ille paulo ante dicit his verbis :* Plerisque ecclesiarum rectoribus, ut ex rebus ipsis liquet, tum persuasum fuit, quæcumque per se mala non erant, poterantque aut ethnicos ad fidem Christianam adducere, aut hæreticos sanare, aut certe plebem Catholicam in fide confirmare, ea omnia esse licita; neque nimis rigide inquirendum, verane essent, necne. Adde, quod quicumque poterant semel vulgo persuadere, miracula frequentiora apud se per reliquias Sanctorum fieri, ii ingentem plebis multitudinem ad ecclesiam suam alliciebant, ejusque donis ditabantur *etc. Hæc ille aliaque plura id genus ausus est evomere in omnem venerandam antiquitatem. In tantam videlicet rabiem contra omnes Patres actus est, quod perspiceret, omnes cultus Sanctorum et reliquiarum patronos esse. Hinc iterum Augustinum ut comœdum exhibet pag.* F 552, *quia narravit, puerum reliquiis S. Stephani ad vitam revocatum.*

Inepti Clerici contra Ambrosium

427 *Si modo quæramus rationes, quibus Clericus usus est ad impugnanda miracula, ab Ambrosio, Augustino aliisque relata, nullas inveniemus homine dialectico aut critico dignas. Jactat in sua præfatione,* diligenter *se coluisse* dialecticam, ac criticam. *Tam misera tamen sunt argumenta, quibus prædicta oppugnat miracula, ut quilibet homo rusticus et agrestis talia proferre possit, modo non careat maligna calumniandi audacia, et inaudita Clerici impudentia. Contra inventionem SS. Protasii et Gervasii duo objicit, primum quod Augustinus dicat,* per visum *revelata esse ea corpora S. Ambrosio; Ambrosius vero de revelatione sibi facta taceat. Verum qua dialectica ex ea in narrando diversitate concludet quispiam Clerico prudentior, aut corpora non fuisse inventa, aut miracula non fuisse patrata? Potuit Ambrosius modeste de sua revelatione tacere, eamdemque laudabiliter referre Augustinus. At necesse non erat,* Clericum

AUCTORE J. S.

Clericum diligenter dialecticam criticamque colere, ut objiceret argumentum homine dialectico criticoque prorsus indignum.

ratiocinia exploduntur:

428 *Alterum nihilo melius est. Ambrosius sorori suæ scribit :* Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. *Ridet homo acutus illa verba,* ut prisca ætas ferebat; *innuitque, homines tribus prioribus æræ Christianæ seculis non fuisse grandioris staturæ, quam seculo* IV *aut* V. *Non disputabo cum Clerico de temporibus, quibus statura hominum decrevit, cum id ad rem non pertineat. Nam hoc unum asserit Ambrosius,* miræ magnitudinis viros *fuisse inventos. Cum autem cuilibet persuasum sit, corpora hominum priscis seculis grandiora fuisse, ad exprimendam magis inventorum magnitudinem; adjunxit,* ut prisca ætas ferebat. *Hisce vero verbis,* narrationem suspectam *reddi, ut Clericus asserit, nullus umquam probabit, neque sana usus est dialectica aut critica, quando ea protulit; cum major aut minor corporum magnitudo nihil prosit ad fidem de inventis corporibus augendam vel minuendam.*

ejusdem contra S. Augustinum ineptiæ

429 *S. Augustinum propriis armis aggredi voluit Clericus pag.* 192, *ita scribens :* Augustinus ipse libro de vera Religione § 47 rariora sua ætate miracula fuisse non diffitetur. Scio hoc ab illo retra- B ctatum, sed miror, qui potuerit antea in re notissima falli : non miror ad convincendos ethnicos, Donatistas et alios hæreticos miracula jactata, quæ multo plura fuerunt et insigniora, si vere contigissent, quam miracula Christi et Apostolorum, adeo ut nulla ratione dici potuissent rarius fieri, quam antea. *Quis ferat hominem tanta arrogantia turgidum, ut omnes sanctos Patres præ se contemnat, adeo ineptientem, acsi prima dialecticæ principia numquam audivisset, sacramque Scripturam vidisset numquam? Audiamus S. Augustinum lib.* I *Retractationum cap.* 13, *ubi locum objectum exponit, ne perperam a quoquam intelligatur :* Item quod dixi, *inquit,* « Nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit; » verum est quidem : non enim nunc usque, cum manus imponitur baptizatis *(per sacramentum Confirmationis)* sic accipiunt Spiritum sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium : aut nunc usque ad umbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi *(ut fiebat umbra S. Petri)* et si C qua talia tunc facta sunt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora martyrum in eadem civitate cæcum illuminatum fuisse jam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quæ cognoscimus, enumerare possimus. *Observa modo lector Clerici ineptias. Miratur, quomodo Augustinus* antea in re notissima falli *potuerit. At Augustinus ipse dicit et probat,* verum *esse, quod ante dixit de nonnullis miraculis non de omnibus.*

refelluntur.

430 *Quod vero ait Clericus* multo plura *fuisse et* insigniora *miracula, quæ temporibus Augustini leguntur patrata, non* jactata, *ut ille calumniatur,* quam miracula Christi et Apostolorum; *falsum erit, si voluerit eodem temporis intervallo et ab eodem personarum numero patrata esse* multo plura. *Si voluerit vero, plura fuisse patrata in toto terrarum orbe duobus aut tribus seculis, quam fuerint a Christo et Apostolis facta, minus incredibile fiet assertum. Quidquid porro voluerit Clericus, dum* D *tot tantaque miracula conscripta agnoscit, nihil illud obesse poterit nostræ sententiæ, qui omnibus et singulis seculis non pauca miracula patrata agnoscimus, eaque etiam vera credimus, quando referuntur a probis auctoribus, quales sunt sancti Patres, multique alii scriptores ecclesiastici. At illa ipsa miraculorum multitudo condemnat pertinacem Clerici ejusque gregalium heterodoxorum contentionem, qua negant, miracula fuisse patrata post tempora Apostolorum, aut nostris temporibus patrari.*

Miracula narrantur a tot tantisque viris, eaque tam claris

431 *Dicerent merito, nos insanire, si inficiaremur, Carthaginem umquam exstitisse, Romam umquam a Gothis aut Wandalis fuisse captam, Constantinum Magnum umquam vixisse, aliaque id genus notissima; quia de omnibus istis constat testimoniis plurium et proborum scriptorum. Atqui scriptores probitate et doctrina præstantissimi, et multitudine quasi innumeri, miracula narrant sibi certo comperta, multique ex illis oculos suos et aures allegant frequenter testes; aliquando etiam integræ alicujus urbis testimonia proferunt; ut non sit hominum prudentium iis omnibus fidem abrogare. Liceat ejusmodi homines cum S. Ambrosio alloqui :* Sed quæro, *inquit,* quid non credant, utrum a martyribus possint aliqui visitari? Hoc est Christo non credere : ipse enim, dixit : Et majora his facietis. *Attingit S. Ambrosius verba* E *Christi Joan.* 14 ỳ 12, *ubi dixit :* Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet et majora horum faciet. *Loquitur autem Christus de operibus naturam superantibus sive miraculis, de quibus præmiserat :* Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. *Ad locum allegatum observat Augustinus in Joannem Tract.* 71 *et* 72, *non solis Apostolis dictum esse,* Majora horum faciet; *sed etiam aliis, qui erant credituri. Itaque dubium esse nequit, quin Christus ibidem credentibus promittat gratiam miracula patrandi, nec solum Apostolis, sed etiam posteris. Locus tamen difficultatem patitur, quia dicitur* majora horum, *aut* majora his, *ut sonant verba Græca,* faciet. *Hanc difficultatem non attingo, contentus observasse, non solum Apostolis, sed etiam reliquis credentibus, quibus nimirum fidem miraculorum donaverit Dominus, promitti miraculorum operationem.*

Christi verbis promissa sunt credentibus,

432 *Multis aliis locis Christus donum miraculorum non solum Apostolis, sed etiam aliis credentibus promisit. Marc.* XI ỳ 22, *ubi aruerat ficus, cui Christus maledixerat, ea occasione ait Apostolis :* Habete fidem Dei : amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. *Rursum miracula credentibus promisit Christus, antequam in cælum ascendit, dum misit Apostolos suos ad prædicandum Marc.* 16 ỳ 15 *:* Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur *:* in nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis : serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. *Hic rursum* signa *promittuntur non solis Apostolis : sed eis,* qui crediderint. *Nec dubitandum videtur, quin illa promissio se extendat usque ad finem mundi, secundum ultima Christi apud Matthæum verba :* Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

433 *Non*

A *ut prudentis viri non sit omnia negare: quamvis non omnes ea patrent.*

433 *Non tamen omnibus credentibus promittitur gratia miraculorum, ut clare patet ex Apostolo* 1 *Cor.* 12, *ubi fidelium varias gratias gratis datas enumerat. Inter has* ℣ 9 *sunt* gratia sanitatum *et* operatio virtutum. *At has omnium non esse fidelium, in ipsa divisione indicat, et rursum* ℣ 29 *his verbis:* Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? *Requiri autem ad operanda prodigia fidem quamdam prorsus excellentem, insinuat deinde Apostolus cap* 13 ℣ 2 *hoc modo:* Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam *etc. Hæc observanda censui, ne quis ex eo, quod plerique credentes miracula non faciant, inferre voluerit, promissionem Christi ad nostra tempora non spectare. Neque enim ipsis quoque Apostolorum temporibus omnes credentes patrabant miracula: neque ullis post Christum seculis omnes ea gratia fuerunt destituti.*

Testimonium S. Hieronymi, Vigilantium refutantis:

434 *Vigilantium, cujus hæreses renovarunt hæterodoxi, contra quos agimus, non quidem aperte negantem miracula, in basilicis martyrum fieri solita, sed ea incredulis solum prodesse jactantem, acrius refutat S. Hieronymus lib. contra Vigilantium ita scribens:* Argumentatur contra signa at-
B que virtutes, quæ in basilicis martyrum fiunt, et dicit eas incredulis prodesse, non credentibus: quasi nunc hoc quæratur, quibus fiant; et non, qua virtute fiant. Esto signa sint infidelium, qui quoniam sermoni et doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem: et Dominus incredulis signa faciebat, et tamen non idcirco Domini sugillanda sunt signa, quia illi infideles erant; sed majori admirationi erant, quia tantæ fuere potentiæ, ut etiam mentes durissimas edomarent, et ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed responde quomodo in vilissimo pulvere, et favilla nescio qua *(de martyrum reliquiis ita contemptim locutus erat Vigilantius cujus verba imitatur)* tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus ille immundus, qui hæc te cogit scribere sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, imo hodieque torquetur, et qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur. *Hæc sufficiant ex Hieronymo, a quo male exceptos Vigilantium et Jovinianum ait Clericus pag.* 550, *quod miracula negarent. Nimirum duos saltem voluit nominare hereticos, omnium seculorum testimonio homines*
C *turpissimos, qui seculo* IV *miracula, ad sepulcra martyrum fieri solita, negarint, si dicenti credimus. At id ipsum sine probatione asseruit, nec probari poterit, opinor.*

S. Gregorii Magni: quibus possunt addi

435 *Ex S. Gregorio magno, qui plurima narravit miracula, solum pauca desumo. Lib.* 4 *Dialogorum cap.* 6 *ita habet:* Ad extincta namque eorum *(Sanctorum)* corpora viventes ægri veniunt, et sanantur; perjuri veniunt, et dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, et liberantur; leprosi veniunt et mundantur; deferuntur mortui, et suscitantur. *His octo præcipuis doctoribus, quos adduxi pro continuatione miraculorum in Ecclesia post tempora Apostolorum, possem addere longe plures Patres, cum illis vetustiores, tum contemporaneos aut recentiores. Si vero recurrere vellem ad scriptores fide dignos, qui veraci stylo Vitas Sanctorum composuerunt, aut alia quapiam occasione miracula bene comperta enarrarunt, innumera fere accumulanda essent omnium ætatum testimonia prætermissis etiam omnibus illis prodigiis, quæ aut fictitia videndur, aut saltem incerta et suspecta.*

436 *Verum mihi propositum non est plenam de miraculis dissertationem scribere; sed solum ostendere volui, eorum in ecclesia continuationem non posse negari a viro prudente, qui attenderit ad Christi promissiones sanctorum patrum testimonia, ad perpetuam experientiam omnium seculorum. Hæc experientia repetitur in Opere nostro, si quis modo consulere voluerit Vitas ab auctoribus coævis recte scriptas, in quibus sufficientia inveniet. Etenim viri prudentis non est nec moderati tot proborum virorum testimoniis fidem abrogare, et quidem sine ulla ratione idonea. Ulterius ostendere volui, quanta sit heterodoxorum impudentia in negandis iis etiam miraculis, quæ certissimis Ambrosii Augustinique testimoniis asserta sunt, et coram multitudine populi patrata: imo sanctissimos doctores inaudita calumniandi licentia ut impostores sacrilegos traduci in iis occasionibus, in quibus nulla arte populo imponere potuissent, si tam fuissent scelesti, ut populum impio dolo voluissent decipere. Horum impudentiæ juvabit meminisse, quando dabuntur objectiones contra miracula* S. Januarii, *ne quis credat, calumnias iis immixtas aliquo niti fundamento.*

AUCTORE J. S.

alii innumeri.

§ XXX. Resolutio et ebullitio sanguinis S. Januarii miraculum est, quod naturæ vires excedit.

E

Mirandum non est, multa contra miraculum sanguinis esse prolata.

Quandoquidem Judæi increduli contra Christi Domini opera signaque, naturæ vires excedentia, calumnias varias impudenter excogitarunt, ac nonnulli hæterici miracula certissima non minore impudentia calumniati sunt, ut jam vidimus, mirari non debemus, clarissima prodigia, quæ in sanguine S. Januarii *tribus certe seculis, ac verisimiliter multo diutius, contigerunt; posteriorum seculorum hæreticis multam censurandi calumniandique subministrasse materiam. Qui enim nulla volunt admittere miracula, neque hoc admittent. Qui non verentur sanctos Patres facere mendaces, hic nihilo mitiores erunt. Fateor mihi ad manum non esse omnes libellos, in quibus aliquid contra miraculum sanguinis* S. Januarii *prolatum fuit, neque censui necessarium, tot futilia Opuscula magno labore hanc in finem quærere, cum ex nonnullis abunde perspexerim, non institui seriam disputationem, sed leviter solum aliquid jactari, quo imperitis, aut res Neapolitanas minus perspectas habentibus, imponi valeat.* F

Scriptores aliqui illud defenderunt: ex iis colligendæ objectiones.

438 *Miracula sanguinis* S. Januarii *integro justæ molis Opere defendenda suscepit Joannes Dominicus Putignanus, jam variis vicibus laudatus, Opusque inscripsit* de Redivivo sanguine D. Januarii, *atque in tres partes divisit. Pars prima, impressa anno* 1723, *agit de* sanguine ebulliente, *eaque potissimum ad propositum nostrum spectat, cum in ea refutentur argumenta dicam, an dicteria, contra prodigiosam sanguinis ebullitionem prolata. Benedictus Papa XIV, qui hodie feliciter Ecclesiam regit, in præclaro Opere, quod Cardinalis de servorum Dei beatificatione et canonizatione conscripsit, lib.* 4 *part.* 1 *cap.* 31 *etiam varias hæreticorum objectiones refellit. Ad manum quoque est Dialogus Italice scriptus, Senisque anno* 1749 *recusus, in quo de miraculo sanguinis disseritur coram Guilielmo principe Saxone Gothano: et Dissertatio Ms., ab amico Neapolitano composita in qua variæ objectiones assignantur. Ex hisce*

AUCTORE J. S.

igitur omnia, quæ objecta inveniam, recensebo, meisque solum verbis, ne disputatio fiat nimis prolixa, aliorum talem rationibus adjutus, vanitatem objectionum conabor ostendere.

Omnes eruditi a trecentis annis sanguinem S. Januarii pro miraculo habuere,

439 *Non disseram de variis miraculi acceptionibus ac divisionibus, de quibus consuli potest Benedictus XIV in jam laudato Opere de Servorum Dei Canonizatione lib.* 4 *part.* 1 *cap.* 1 *et sequentibus. Nihilo magis multa congeram, ut probem, sanguinis* S. Januarii *resolutiones mutationesque varias non posse naturali modo fieri, sed vera esse miracula divinæ potestati unice abscribenda. Ea fuit sententia Catholicorum magnorumque virorum ab annis jam fere trecentis : neque inveni hactenus scriptorem Catholicum, qui opinioni tam antiquæ communique inter Catholicos scriptis suis se opposuerit. Si qui tamen Catholici etiam dubitationes suas scriptis insinuarunt, sive quod rem totam non satis habuerint perspectam, sive quod cupiant supra vulgus sapere, quales multi reperiuntur nostris temporibus, interque illos non pauci solida doctrina destituti, sive quod ambiant nescio quam gloriolam, si Academicorum more de omnibus fere dubitent, et vel maxime de miraculis, horum ego causa ad nova argumenta non* B *recurram.*

idque abunde probat data rei totius expositio.

440 *Etenim expositio ipsa, superius data, monumentisque aliquot aut testimoniis authenticis roborata, abunde persuadere debet cuilibet viro prudenti, prout passim omnibus doctrina et eruditione præstantibus viris in regno Neapolitano ac in tota Italia a trecentis annis persuasit, non esse operationes naturales illius sanguinis, sed opera dexteræ Dei mire in illo elucere. Hinc Benedictus XIV disputationem suam ita orditur :* Ingens et verum miraculum est illud, quod non unum aut alterum testem habet, sed totam Italiam, et (ut ita dicamus) totum Christianum orbem sanguinis S. Januarii martyris. *Audiamus igitur, quid heterodoxi, qui miracula omnia cupiunt expuncta, contra perpetuum hoc prodigium nominatim excogitarint.*

Objectio Molinæi, innumeros homines temere calumniantis,

441 *Prima objectio est Petri Molinæi in Vate Calviniano lib.* 5 *cap.* 14, *ut citatur apud Benedictum XIV, ubi hæc ejus recitantur verba :* Quid facilius, quam injicere calcem in lagenam, quæ sic excitet bullas, ut liquor fervere videatur? *Si hæc somniando in cerebro versasset Molinæus, et mox* C *a somno sine ulla consideratione scripsisset ; imprudenter quidem et stulte fecisset ; at multo etiam deterius fecit, si verba sua consideraverit. Hinc Lutheranus, qui in laudato Dialogo contra miraculum sanguinis disserit, pag.* 24 *candide edicit objectionem illam esse* dignam Calvinista, qualis ipse erat, insignis stultitiæ, temeritatis ac insolentiæ in loquendo. *Tum observat, nullam ullius experientiæ speciem posse adduci, qua dictum illud fulciatur, quemadmodum latius probat Benedictus XIV ex Fortunio Liceto, philosopho Bononiensi, qui varias produxit experientias contrarias. At prolixius disputator Lutheranus expendit objectionis temeritatem,* sine ullis testimoniis, indiciis, probationibus, *sacrilegam plurimorum fraudem affirmantis. Quippe nec pauci sunt, qui accusantur, nec homines sordidi aut infimæ conditionis ; sed Cardinales, archiepiscopi, ecclesiastici nobiles, viri sæculares primarii, qui trecentis fere annis ampullam sive lagenam illam ex suo armario produxerunt. Hosce omnes horrendæ sacrilegæque fraudis reos agere, quantæ sit temeritatis, unusquisque facile perspiciet.*

442 *Si tamen, ut pergit disputatur, tantum posset fingi in viris honestissimis crimen, ut execrando sacrilegio urbi orbique imponere vellent ; illud* D *minime sufficeret, nisi fingeretur aliud æque incredibile, nimirum* per tanti temporis decursum fraudem numquam fuisse detectam in civitate, quæ barbarorum non est et stolidorum, sed abunde instructa hominibus doctis, sagacibus et expertis, ubi insuper plurimi semper sunt peregrini, omni infantiæ præjudicio liberi, carentesque studio rerum patriæ honorificarum. *Hæc ille contra objectionem, viro honesto et sobrio prorsus indignam. Imo deterior etiam est objectio Molinæi, prout exponitur a Putignano cap.* 9 *num.* 10. Firmat tandem, *inquit,* per adsimile experimentum calcis in aqua fieri, ut ope dæmonis ebullitio patretur admixta clanculum substantia aliqua, quæ vim excitandæ in sanguine ebullitionis obtineat; subditque rationem, cur aliquando sanguis ebullitionem simul supprimat; quia dæmon abstinere soleat præstigiis piorum hominum interventu, quos ipse censet suæ sectæ alumnos. *Hæc Putignanus : nam liber impius mihi ad manum non est. Adeat studiosus lector* § 25, *ubi inveniet, quales quantique sint viri, quorum custodiæ sanguis committitur, et a quibus educitur e suo armario. Jam enim ad absurdam objectionem insulsi hominis satis respondi, nisi quis velit adjuncta verba Hieronymi contra Vigilantium :* Tales habet *(nimirum calumniatores impudentissimos)* adversarios Ecclesia. Hi duces contra martyrum sanguinem militant; hujuscemodi oratores contra Apostolos pertonant, imo tam rabidi canes contra Christi latrant discipulos; *contraque sanctos Patres, miracula ad martyrum reliquias facta enarrantes.* E

nihil habet verisimilitudinis,

Nihilo melior objectio ex sympathia aut antipathia

443 *Secunda objectio apud Benedictum XIV et in Dialogo petitur ab antipathia et sympathia. Laudatus Benedictus Papa eam sic explicat :* Item ut nebulas adversus hoc præclarissimum miraculum offundant, nonnulli confugiunt ad antipathiam et sympathiam, qua sanguinem occisi ebullire coram occisore, a nonnullis asseritur; qua magnes sponte sua converti dicitur ad polum; qua lapis adamas ab hircino sanguine fertur disrumpi; qui ferrum a magnete trahitur et palea similiter a succino. *Hæc objectio minus absurda est præcedente, quia non calumniatur viros probos ac honoratos; ejusdem tamen est levitatis. Etenim temerarium est adstruere aut sympathiam aut antipathiam, quæ omni caret experimento, quemadmodum hæc sine ulla experientia fuit asserta. Quis enim umquam expertus* F *est, sanguinem hominis occisi, ubi post aliquot menses aut annos concretus est et exsiccatus, rursum fieri liquidum, si ejusdem hominis capiti opponatur ?*

fuit petita cum omni careat experimento;

444 *Experimentum illud facile capi potest, dum quis ob flagitium capite minuitur, et fortasse jam frequenter captum est, ut colligitur ex assertis Fortunii Liceti apud Benedictum XIV, qui hæc scribit :* Observat Licetus loco citato, omnem magnetem, in quocumque terræ loco nascatur, semper ad polum converti, semper trahere ad se ferrum, nisi nimia vetustate vires jam habeat effœtas; quemcumque adamantem, ubicumque fuerit ortus, ab hirci cujuscumque sanguine calente effringi; a quocumque succino quamvis paleam attrahi : cumque in solo sanguine S. Januarii, posito coram ipsius capite, contingat liquefactio et ebullitio, neque id fiat, si aliorum hominum sanguis concretus coram ipsorum capitibus constituatur, concludit, liquefactionem et ebullitionem sanguinis S. Januarii frustra ad antipathiam et sympathiam, aut ad aliam quamcumque causam naturalem referri. *Hæc abunde destruunt totam objectionem sine ullo fundamento prolatam : non si ex sympathia*

A *sympathia et antipathia cum capite sanguis liquesceret, id eveniret etiam in aliorum sanguinis conjunctione cum capite.*

cumque miraculum aliquando fiat sine capite,

445 *Attamen eadem objectio aliis quoque rationibus prorsus evertitur. Nam sanguis aliquando etiam liquescit, non præsente capite, ut liquet ex ante relatis. Etenim, ut dictum est num.* 365, *liquescebat sanguis, quando circumferebatur ante aream ecclesiæ S.Joannis Majoris, ubi solum particula ex ossibus* S. Januarii *erat exposita. Rursum liquefactus est sanguis, absente capite, in manibus ducis Nivernensis, ut refert Hieronymus Maria de S.Anna lib.* 2 *cap.* 5, *asserens hæc verba P.Joannis Rho Societatis Jesu ex Epistola ejus apud Petram-Sanctam impressa :* Carolus etiam dux Nivernensis, dein Mantuanus, cum veniam archiepiscopus non fecisset, ut caput simul exponeretur, bis inter manus cruoris phialam habuit, atque expertus est nihilominus colliquefieri, non absque incredibili animi sui admiratione simul et voluptate, quemadmodum narravit Laureti P. Hieronymo Floravantio, rectori collegii nostræ Societatis. *Tertio constat ex Diario Ms.Neapolitano, aliquando sanguinem liquescere, antequam opponitur capiti.*
B *Itaque factum est anno* 1755, *die* IV *Maii, ut dictum est num.* 410. *Quarto non raro sanguis in ipso armario reperitur liquefactus. Quinto oppositus capiti, aliquando liquefit intra pauca minuta; aliquando post aliquot horas, aliquando usque ad vesperam durus permanet.*

modisque diversissimis coram capite :

446 *Sexto aliquando sic in ampulla excrescit, ut repleta nimis ampulla, distingui nequeat, liquidusne sit an durus. Alias in ipsa capitis oppositione sanguis rursum descendit, ut ampulla non sit ultra solitum repleta : alias ampulla in armario manet plena, plenaque postridie educitur, imo etiam post menses aliquot. At si ex sympathia aut antipathia sanguis liquesceret et ebulliret; neque hæc fierent sine capite, neque modis tam diversis coram capite. Quapropter futile est et inane, quod de antipathia aut sympathia confictum est, ut necesse sit dicere, varietates ac mutationes sanguinis non fuisse perspectas iis, qui ejusmodi liquefactionis ac ebullitionis causam excogitarunt; aut id genus homines fuisse, ut maluerint temere aliquid affirmare, quam miracula admittere. Nam qui supra vulgus sapere volunt, eoque vel maxime sapientes se existimant, si nulla admittant miracula, solent proferre longe minus credibilia, quam sint*
C *ipsa miracula, quibus ejusmodi ineptiis fidem detrahere moliuntur.*

fabula de cadaveribus sanguinem emittentibus coram homicidis :

447 *Quod autem additum fuit objectioni de cadaveribus sanguinem emittentibus coram reis homicidii; plerique physici fabulosum existimant, magisque id fieri naturaliter coram homicidis magis, quam coram aliis. Paulus Zachias, medicus peritissimus, apud Putignanum cap.* 7 *num.* 10 *de ea opinione sic loquitur :* Sed unde emergere hoc commentum de cruentatione cadaverum occisorum coram homicidis potuit? Novum profecto non est, cadaveribus quibuscumque post horas nonnullas ab interitu, quin etiam postridie, ac die tertia a morte, sanguinem emanare...At quod coram propinquis *(aut homicidis)* id fiat, per accidens est. *Alii, apud Benedictum XIV cap. ult. laudati, similiter agnoscunt, sanguinem non emitti naturaliter coram homicidis potius, quam coram aliis; ideoque, si fiat, divinæ providentiæ attribuendum. Præterea certe numquam observatum fuit, cadaver occisi coram homicida sanguinem emisisse diu post mortem. Itaque, si omnino ex antipathia aliqua (quod asserere ridiculum esset) sanguinem cadaver emitteret primis cædem diebus coram homicida; stolidæ temeritatis esset inde inferre, sympathiam quamdam naturalem inter caput et sanguinem* S. Januarii *perseverare etiam post quatuordecim secula, ex illa sympathia reviviscere siccum sanguinem, liquescereque ac ebullire. Verum id etiam subinde evenire sanguini, absente capite, ideoque sympathiæ attribui non posse, jam supra ostendi.*

AUCTORE J. S.

Objectio alia, ex calore sanguinem fieri liquidum,

448 *Tertia objectio in Dialogo recensita, Jacobi Picenini Calvinistæ aliorumque dicitur. Hæc liquefactionis causam calori attribuit, nimirum quod multi iique prægrandes in ecclesia aut in sacello et altari prope sanguinem accensi sint cerei, quodque magna ibidem sit hominum multitudo. Æque inepta est illa objectio, quam precedentes. Respondetur autem in Dialogo, falsum esse, ampullam fieri calidam, testimonioque osculantium affirmatur, vix tepidam esse. Respondetur secundo, quod, si ex calore sanguis liquesceret, citius liquescere deberet æstivo tempore, quam hiberno; neque tamen ita fieri. Exempla certe plurima sunt contraria in Diario. Nam anno* 1661, *die* I *Februarii, durus sanguis* post medium horæ *quadrantem fuit liquefactus, eodemque anno, die* X *Martii, citissime liquefactus est coram Majoribus nostris Henschenio et Papebrochio. Rursum anno* 1662, E
die I *Januarii, ex durissimo* subito *liquidus evasit coram capite, iterumque duobus diversis diebus mensis Martii, ut mittam alia.*

ipsa refellitur experientia;

449 *Contra, dum anno* 1702 *expositus fuit die* XVIII *Aprilis coram Philippo V rege, tantum liquefactus est sanguis ad sextam Missam, id est, post tres fere horas; et die* VII *Junii ejusdem anni ad finem secundæ Missæ, id est, post horam circiter. Attamen vix ullum apparet dubium, quin fuerit major calor post medium Aprilis, quam mense Januario, et major æstus mense Junio, quam Februario aut Martio. At, si liquefactio oriretur ex calore, tanto citius liquefieret sanguis, quanto major esset calor. Experientia igitur ipsa docet, calorem non esse causam liquefactionis aut ebullitionis. Præterea nullo experimento potest ostendi, sanguinem exsiccatum, aut materiam aliam sanguini exsiccato similem, calore externo fluidum reddi posse, iterumque reverti ad duritiem, ac sæpius sic per annum liquescere posse ac indurari, imo per annos trecentos.*

nec melior est alia, ab aëris influxu petita.

450 *Quarta objectio petitur ab influxu aëris, materiam ampullæ, ut volunt, rarefacientis, uti magis aut minus rarefacit liquores in tubis vitreis. Verum facile capimus et experientia novi-* F
mus, liquores nonnullos tubis vitreis inclusos diversis aëris affectionibus rarefieri et condensari, ideoque in tubis suis ascendere ac descendere : at nondum novimus, materias siccas solo aëris influxu fieri liquidas, rursumque ex liquidis siccas, eo certe modo, quo id fit in sanguine S. Januarii, *idque perpetua vicissitudine ad longissimum temporis spatium. Multa quidem inventa fatemur arte chymica, eaque prorsus mirabilia.* Verum, *ut recte asserit Putignanus cap.* 3 *num.* 3. nemo adhuc, nemo profecto, exhibere aliquid potuit, quod sanguinem Januarii in cliquandi modum referret, industria, ingenio, omnique ope in hanc rem desudante, et advocata simul naturæ in sua rerum omnium œconomia integra facultate. *Poterit quis facile materiam aliquam siccam præparare, quæ vi caloris aut aëris liquescat, rubescat, bulliat, sanguinemque* S. Januarii *semel utcumque imitetur; sed nullus efficiet, ut id fiat perpetuo : nullus præparabit materiam, quæ tantas varietates exhibeat, quæ alias subito, alias post horam unam alteramve, alias post integrum fere diem, liquescat et bulliat, idque sine ulla*

AUCTORE J. S.

ulla ratione nobis cognita. Nullus exhibebit mixtionem talem, ut aliquando in armario clausa reperiatur liquida, aliquando dura siccaque, aliquando aëri exposita primum liquescat, deinde iterum concrescat subito; omniaque hæc fiant sine ulla ratione majoris aut minoris caloris, ac sine ullo ordine tempestatis.

Experientia per Gasparem Neumannum capta.

451 *Tentavit aliquid invenire Gaspar Neumannus, medicus et chymicus Berolinensis, ut refertur apud Benedictum XIV, ubi datur ex* Diario, quod Bibliotheca Germanica inscribitur, tom. XXIX anni MDCCXXXIV inter res novas litterarias, edita... Anonymi epistola Berolino data. *Epistola vero sic recitatur :* Multi ex regia societate Berolinensi comessatum iverant ad Gasparem Neumannum, aulicum consiliarium, medecinæ doctorem, chymiæque professorem, die XXVI elapsi Januarii. Post prandium tres præsto fuerunt phialæ crystallinæ, in quarum qualibet materies quædam recondebatur, parvo volumine, sicca, nigra, et adeo dura, ut illisa in phialæ parietes sonitum ederet. Quatuordecim saltem testes adfuisse dicuntur rem sedulo explorantes. Neumannus interea mortui caput jussit afferri, quod certe non erat S. Januarii. Cumque primam phialam capiti B admovisset, materies rubicunda evadebat, liquescebat, ebulliebat, volumine excrescebat, opplebatque phialam. Secunda vero phiala, capiti proprius admota, parumpter ebulliebat. In tertia vero ne hilum quidem liquabatur materies; sed dura, nigra, et sicca restitabat. Quæ in primo casu contigere, Sancti favorem ostendisse dicendum est; in altero vero vix aut ne vix quidem propitium eum adesse; in tertio vero contra heterodoxos Sanctum esse indignatum. *Hactenus Epistola, ad quam pauca observabo.*

qua modo circulatoribus digno

452 *Neumannus phialas suas potius dedisset circulatori circumforaneo, et non modo* quatuordecim *habuisset artis suæ testes, sed integras civitates; si tamen ea erat vis materiæ phialis inclusæ, ut ad pristinum possent redire statum, eosdemque effectus frequenter iterare. Verum noverat, opinor, materiam semel liquefactam in prima phiala, non redituram ad pristinam siccitatem, colorem, duritiem; eaque de causa exiguum fore lucrum, quod ex ea arte circumforaneus pharmacopola captaret. Maluit igitur ipse coram paucis plausum captare, et circulatorem per se agere, maxime cum optime nosset, quanto tempore opus foret, ut dictæ mutationes in prima et secunda ampulla se-* C *querentur. Dubito tamen, an Neumannus coram viris prudentibus tantum habuerit plausum, quantum blaterando consequitur ineptus quilibet circulator, dum rusticæ multitudini imponit. Si enim convivæ fuerunt viri prudentes, ut fas est existimare, facile advertere potuerunt, Neumannum officio circulatoris functum esse, non honesti prudentisque viri. Fingunt enim circulatores, multa se efficere posse, quæ revera nequeunt. Faciunt aliqua utcumque similia, quibus simplicem popellum decipiunt. Talis revera est ineptus ille Neumanni ludus, ideoque merito dubito, an prudentibus placuerit, aut etiam placere potuerit.*

sanguinem S. Januarii repræsentare voluit,

453 *Certe ineptissime excogitata est ludicra illa scena. Etenim non quæritur, an quis arte chymica materiam aliquam ita componere possit, ut aliquo tempore primum sit sicca, nigra duraque, ac deinde exposita aëri, aut prope aliud corpus posita, incipiat rubescere, liquescere et ebullire. Noverit hoc facere Neumannus, sintque alii nonnulli chymici, qui similia efficere possint; nihil sane hoc oberit miraculis, quæ divina providentia in sanguine* S. Januarii *patrare consuevit. Etenim ut quis aliquo modo mutationes sanguinis* S. Ja- D nuarii *imitaretur, deberet ampullam præparatam cum capite recludendam dare, ut numquam produci posset, nisi coram pluribus testibus. Si ita reclusa, et frequenter per annos multos producta, vicissitudines liquescendi indurescendique, reliquasque mutationes sanguinis* S. Januarii *repræsentaret, jam aliquid saltem humana arte esset inventum, quod cum prædicto miraculo aliquam haberet similitudinem. At efficere, ut materia diu præparata semel ex sicca et nigra evadat liquida rubraque, non est imitari miracula sanguinis* S. Januarii, *sed imponere spectatoribus facto aliquo admodum dissimili. An forte credidit Neumannus, an credent alii, per annos trecentos semper aliquem fuisse Neapoli, qui talem noverat artem, qui eamdem frequenter singulis annis exercebat, ut populo universo Neapolitano, aut viris aliquot peregrinis eo accurrentibus fraudulenter imponeret? An existimare Neumannus potuit, an existimare poterunt alii, fraudem tantam Chymicorum Neapolitanorum, qui ad annos trecentos invicem successerunt, semper ignotam fuisse populo Neapolitano, aut ignotam esse potuisse? Profecto si quis ea credere poterit, quæ longe magis incredibilia sunt, quam omnia adeo exosa heterodoxis miracula, jam* E *non solum ob nimiam credulitatem simplex apparebit, sed dignus erit, qui cum stultis recludatur, ac vinciatur cum phreneticis.*

nihil facit contra miraculum ejusdem sanguinis,

454 *Quippe constat, ampullam sanguinis* S. Januarii *tam studiose conservari, ut ei nullo modo alia possit substitui, ut fraudi locus esse nequeat, cum numquam ex armario suo educatur, nisi coram pluribus, iisque præclarissimis viris. Educitur autem quotannis saltem decies et octies, atque olim educta fuit frequentius, quando in gratiam illustrium personarum aliquando capiti opponebatur extra stata tempora. Nihil igitur fecit Neumannus, quo infirmari valeant miracula sanguinis* S. Januarii, *quando effecit, ut materia aliqua dura nigraque, quam diu in potestate habuerat, coram humano capite, cui item addere potuerat, quod cupiebat, semel rubesceret liquesceretque. Neque enim ullus ampullam Neapolitanam in potestate sua habet, aut caput* S. Januarii, *ut arte aliqua in iis præparare valeat materiam, qua Neapolitanis omnibusque Catholicis sacrilege illudat.*

cum ille materiam studiose præparaverit,

455 *Quapropter experientia illa physica Neumanni ad propositum nostrum vix pertinet. Adhibuit phialam et mortui caput. Non inquiram, utrum caput fuerit in scenam productum, tam-* F *quam necessarium ad mutationem materiæ phiala conclusæ, an solum ad illudendum Neopolitanis. Si necessarium erat caput, fuerit ejusmodi materia instructum, ut illa præsens juvaret ad effectus in phiala productos. Si caput non erat necessarium fuerit productum eo tempore, quo eædem in phiala fuissent mutationes sine illius capitis præsentia. Ita circulatores, ut homines rusticos facilius decipiant, nonnulla solent adhibere ad rem, quam moliuntur, inutilia, ut illorum, quæ repræsentant, vera causa magis occultetur.*

quod nequit fieri Neapoli,

456 *Sive autem caput concurrerit ad effectus in phiala producendos, sive non concurrerit; hoc certissimum est, phialam materiamque ea conclusam a Neumanno studiose fuisse præparatam, idemque de capite dicendum, si ejus præsentia erat necessaria. Certissimum similiter est, phialam Neapolitanam, qua reclusus est* S. Januarii *sanguis, caputque ejusdem Sancti, quod phialæ opponitur. non fuisse a centum et pluribus annis in potestate ullius hominis solius, nec umquam a tanto tempore*

A *pore eductam ex armario, duabus seris diversis occluso, nisi coram pluribus iisque honestissimis viris, ut nullus in illa ampulla chimicus artem suam aut in capite exercere potuerit, et verisimillime numquam aut phiala aut caput* S. Januarii *in manu fuerit alicujus, qui artem chymicam probe noverat. Quis modo, nisi amens sit, ex effectibus naturaliter productis in phiala diu præparata inferre volet, similes effectus produci naturaliter in phiala semper arctissime conclusa, quam nullus ad tales mutationes naturales præparare, aut in potestate habere potest?*

cumque mutationes, sine lege oriri solitas,

457 *Jam vero si quis contendere voluerit, ampullam Neapolitanam ab annis trecentis aut quadringentis præparatam fuisse ad effectus, quos hoc usque perseverare videmus; jam nullum habebit adjumentum ex Neumanni artificio, nec verisimilia confinget. Quippe non ostendit Neumannus, postridie materiam, quæ liquefacta erat in prima phiala, ad priorem siccitatem, duritiam, nigroremque rediisse; neque eamdem iterum siccam, nigram, duramque rursum admovit capiti, ut denuo rubesceret, liquesceret, ebulliret. Attamen, ut similitudo utcumque perfecta esset, id fieri* B *deberet, non uno solum alterove die, sed seculis integris. Ut autem perfecta omnino esset similitudo, deberet materia Neumanniana aliquando citius, aliquando serius liquescere ac rubescere, aliquando integris diebus dura persistere, aliquando etiam liquida fieri, præsente necdum capite, et, ut verbo absolvam, omnes alias varietates sanguinis* S. Januarii *exhibere.*

nullus imitari valeat.

458 *Verum non eo usque pertinget aut Neumanni aut cujuscumque chymici peritia; cum quilibet effectus naturales certo quodam ordine et statis temporibus oriantur, nisi aliunde prohibeantur; in effectibus vero sanguinis* S. Januarii *tot sint varietates, ut nullum servent ordinem, nullam temporum rationem habeant. Voluerunt et magi Ægyptii Moysen, divina virtute prodigia operantem imitari, ac revera imitati utcumque sunt priora tria; sed mox ad quartum, quod frustra efficere tentabant, coacti sunt dicere Exod.* 8 ỳ 19: Digitus Dei est hic. *Si non eodem candore fateri voluerint heterodoxi, divina virtute sanguinem* S. Januarii *tot seculis jam liquescere, aliisque mutationibus affici; saltem frustra artificio humano conabuntur illum sanguinem exprimere,* C *quemadmodum frustra Moysen imitari voluerunt magi.*

Objectio alia, quæ incidere posset

459 *Nihil quoque verisimilitudinis habere poterit objectio, si quis, relicta Neumanni compositione, fingere voluerit, a pluribus seculis pro sanguine* S. Januarii *obtrusam Neapolitanis fuisse materiam aliquam artificiose compositam, quæ in armario passim sicca maneret ac dura, in ecclesia vero, dum capiti opponeretur, liquesceret, rubesceretque et ebulliret: materiam vero illam semper pro sanguine* S. Januarii *habitam, effectusque ejus naturales pro miraculis. Hæc objectio mitior est reliquis omnibus, quia unus tantum fuisset impostor sacrilegus; reliqui vero omnes fuissent decepti. Non inveni hanc ab alio sic efformatam, sed ipse objectionem formavi veritatis illustrandæ gratia. Verum hæc cogitatio, etsi minus calumnietur, quam reliquæ omnes, quæ fraudem aliquam in sanguine* S. Januarii *latere contendunt, æque est improbabilis ac minime verisimilis.*

rationibus moralibus

460 *Nam primo verisimile non est, ecclesiam cathedralem Neapolitanam, in qua sacer ille sanguis multis jam seculis conservatus fuit, materiam aliam pro sancti Protectoris sui sanguine accepisse, aut in re tam gravi fuisse deceptam. Secundo minus quoque verisimile fit, fraude circumventam fuisse Neapolitanam ecclesiam, quandoquidem sanguis ille quatuor, ut minimum, seculis fuerit cultus habitusque pro sanguine* S. Januarii. *Tertio beneficia varia, quæ venerando sanguine* S. Januarii *obtinuerunt Neapolitani, maxime contra ignitas eruptiones montis Vesuvii, luculenter confirmant, non honorari materiam aliquam fraudulenter compositam pro sanguine* S. Januarii; *sed ipsum Sancti sanguinem. At novi, has rationes plus ponderis habituras apud Catholicos, quam apud heterodoxos, qui omnia post Apostolorum seculum patrata miracula præfracte volunt negare: ideoque ad alias progredior.*

et physicis

461 *Quarto, nullus concipiet, quo modo materia aliqua, a quatuor aut pluribus seculis artificiose composita, si tot mutationibus naturalibus sit obnoxia, ut alias sit plane dura, alias sanguinis instar recentis liquida, alias partim dura partim liquida, ut alias minoris sit molis, alias longe majoris; quo modo, inquam, talis materia easdem semper vires naturales conservare possit, eosdemdemque per quatuor aut plura secula effectus producere. Certe nullus umquam repertus est physicus, qui tam mirabilem mixturam componere noverat. Hac de causa longe incredibilius est, ejus-* E *modi materiam compositam esse in ampulla Neapolitana, quam in ea esse sanguinem* S. Januarii *divina virtute conservatum miraculisque nobilitatum. Nam novimus Deum patrare posse miracula ac frequenter facere. At nec novimus nec credimus, humano ingenio fieri posse materiam tot mutationibus motibusque subjectam, et tamen post quatuor secula iisdem viribus præditam.*

refellitur.

462 *Quinto si quis posset ejusmodi materiam ad quatuor etiam secula et diutius duraturam componere; necdum posset illi materiæ varietates in operando adjungere, quales in sanguine* S. Januarii *experimur. Aut enim sic esset composita materia, ut non liquesceret ebulliretque, uti præsente capite; aut eosdem effectus produceret, capite non præsente. Si primum, numquam liquesceret materia, nisi objecta capiti, cum tamen subinde contrarium accidat. Si secundum, constanter etiam sine capite liquefieret, cum hoc tamen plerumque non fiat. Itaque ars nulla efficere potuit materiam, effectus suos sine ulla certa lege producentem: natura enim constanter operatur.*

ut prorsus improbabilis

463 *Sexto si modo naturali liquefieret materia illa, quia cum in finem esset composita, id fieret ex influxu aëris, caloris, aut alterius rei naturalis, ideoque fieri deberet eadem velocitate, quotiescumque est idem influxus. At nequit excogitari ulla res naturalis, quæ diversitate sui influxus tantas posset in effectibus materiæ alicujus diversitates creare, quantas Neapolitani experiuntur in sanguine* S. Januarii *Necesse non est differentias omnes in liquescendo iterum repetere. Si influxus aëris aut caloris ad materiam dissolvendam ac movendam concurreret, posset quidem efficere, ut sanguis paulo citius aut serius liquesceret. At non capimus, quomodo tanta ex illo influxu oriri possit differentia, ut alias momento temporis dissolvatur materiæ durities, alias multis horis maneat dura et immota eadem materia. Minus etiam intelligimus, quo fieri posset influxu, ut materia jam liquida momento temporis rursum concrescat, et ad duritiem redeat; deindeque iterum dissolvatur.*

et minime verisimilis

464 *Ejusmodi mutationes subitas non esse difficiles omnipotenti Deo, indubitanter novimus ex sacris Litteris, fideque certissima credimus. Si vero ad causas naturales recurrere velimus, non minus fere delira proferemus, quam protulerunt gentiles philosophi, quando causas rerum naturales*

AUCTORE J. S.

rales investigarunt, omissa Dei potentia, mundique ortum fortuito atomorum concursui attribuerunt, aliaque multa non minus absurda de rebus physicis confinxerunt. Certe frustra sudabunt, quicumque exponere voluerint, ex quibus causis naturalibus ortum habere possint omnes differentiæ sanguinis S. Januarii. *Itaque si qui heteredoxi minime litigiosi sint, tantumque saltem candoris habeant, quantum habuerunt magi Ægyptii; non dubitabunt de sanguine* S. Januarii *dicere :* Digitus Dei est hic. *Sic apud Hieronymum de S. Anna lib. 2 cap. 5 Muleassen, Tuneti rex, quando Neapoli anno* 1543 *videbat liquescentem* S. Januarii *sanguinem, alta voce exclamasse dicitur,* Magnum miraculum *se videre, et postea Hispanice dixisse :* Deus potest majus eo facere. *Non fuit tamen ille conversus ad fidem Catholicam, sed aliorum duorum Mahometanorum, qui idem miraculum viderant, conversio ibidem relata videri potest.*

aliæ quædam

465 *Ex modo dictis facile refelluntur aliæ quædam heteredoxorum criminationes aut cavillationes. Sic nostro seculo heteredoxus quidam dixit,* Liquorem hunc aliquem esse congelatum, qui deinde paulatim liquefiat. *Sæpius certe scriptor ille glaciem vidit; sed numquam vidit glaciem momento* B *temporis dissolvi sine ulla causa nota, ac rursum eodem die subito concrescere ac indurari. Numquam vidit materiam congelatam, quæ media hieme subinde invenitur liquida, mediaque æstate inter calores Neapolitanos possit persistere dura. Vel sic tamen instar Apollinis Delphici oraculum ex tripode fundere voluit de re sibi verisimiliter ignota.*

heterodoxorum

466 *Alter in impressa paucis abhinc annis Epistola credidit,* liquationem hanc contingere, quod sacerdotes ampullam studiose manibus contrectent. *Verum neque ipse satis noverat, qua de re ita loqueretur. Nam non raro sanguis in ipso armario invenitur liquidus, alias frequentius stans in altari liquescit. Neque calor causa est liquefactionis, ut jam observatum est, ut illa manuum contrectatio nihil possit efficere.*

cavillationes

467 *Garmannus lib. 2 de Miraculis mortuorum tit. 5 § 8 aliam liquescentis* S. Januarii *sanguinis attulit rationem, quam an ipse intellexerit, plane ignoro :* Fuere, *inquit,* e curiosioribus Neapolitanis, qui alia loca Neapoli sanguinem sudantia nostro seculo, attestantibus id Novellis Lipsiensibus non profuso Januarii sanguini, sed montis C Vesuvii exhalationibus subterraneis abscriberent. *Verba ipsa adscripsi, ut curiosus lector videat, an argumentum ex iis possit extundere contra liquescentem divinitus sanguinem. Tria hæc ultima argumenta mihi suggessit amicus auctor Dissertationis Ms., qui merito observat, locutos fuisse stolide de re, quam ignorabant. Certe mons Vesuvius tam vicinus non est Neapoli, nec ejus exhalationes semper tam vehementes sunt, ut vel minimam vim exercere possint in sanguinem* S. Januarii, *qui media in urbe atque intra ecclesiam conservatur. Quomodo igitur sanguis durus iis posset liquescere? Si tamen hoc voluit medicus ille, qui longe plura congessit, quam intellexit.*

breviter

468 *Benedictus XIV duo alia recenset ac refutat hæreticorum dicta his verbis :* Jacobus Serces in suo tractatu de Miraculis loquitur de sanguine S. Januarii et ejus ebullitione; utque eam excludat a ratione miraculi, rem totam refert ad astutiam sacerdotum, qui ampullarum sacri cruoris et capitis sunt custodes. At quis umquam id sibi suadere poterit, astutiam videlicet potuisse latere spatio tot seculorum, et adhuc sub eodem silentio esse involutam? *Ut calumniam illam hominis heterodoxi clare factis ipsis refutatam videat studiosus lector, adeat* § 25. D

refutantur; ostenditurque

469 Joannes Conradus Danhawerus factum a ratione miraculi excludit ob inutilitatem. « Quæ » enim, *inquit,* utilitas, si sanguis Januarii effluat » ad suimet cranii præsentiam ? » At Melchior Corneus, Societatis Jesu Theologus, in sua Defensione miraculorum Ecclesiæ Catholicæ, typis Moguntinis impressa anno MDCLII pag. XXXVII bene respondet, miraculum prædictum Ecclesiæ nostræ fidem conciliare, et fidei evidentiam, concludens adversus Danhawerum his verbis : « O si tu sectæ » tuæ firmandæ par haberes argumentum, ut ampullareris ! » *Si modo sensate ratiocinari voluerint heterodoxi nostrorum temporum, satis animadvertere poterunt, perpetuis illis* S. Januarii *miraculis se ad fidem Catholicam, sive ad viam salutis suæ invitari. Tales enim habent doctores, qui sanationes ægrotorum etiam subitas, aliaque clarissima miracula, quæ per varias mundi partes in Ecclesia Catholica omni ævo patrata fuerunt, pertinaciter negare contendunt; tantaque id faciunt impudentia, ut etiam clarissimos Patres et Doctores Ecclesiæ, tamquam impostores, ac sacrilegorum figmentorum reos, traducere nonnulli eorum præsumant, quando illi narrant miracula, eaque se etiam vidisse affirmant.* E

miracula S. Januarii utilia esse,

470 *Jam vero si Lutheri Calvinique sectatores auctoritatem Augustini, Ambrosii, aliorumque Patrum, quos omnis ætas in veneratione habuit, tam procaci petulantia abjicere non verentur, facile quilibet perspiciet, neganda ac revera negari ab iis quælibet miracula posterioribus seculis patrata, etiamsi illa narrentur a viris probis, sinceris, sanctis, qui apud homines cordatos certam fidem merentur, etiamsi facta sint coram testibus omni exceptione majoribus, etiamsi proborum virorum juramentis firmata sint, et in omni tribunali ab æquis judicibus ut vera essent admittenda. Si enim nec Augustinum nec Ambrosium nec alios Patres, oculos auresque pro testibus allegantes, ut veraces admittere voluerint, sperare non possumus, ullos alios ab iis admittendos. Et re ipsa multi scriptores heterodoxi omnia etiam recentiora miracula, ut figmenta, explodunt; suisque persuadere conantur, prorsus esse commentitia. Hoc autem facilius multis persuadent quod sanationes ægrorum, mortuorum suscitationes, aliaque miracula passim fiant coram paucis, alias quidem coram multis, sed in regionibus dissitis a terris heterodoxorum. Si modo divina providentia ad retundendam tantam hæreticorum maledicentiam scaturire voluit fontem publicum perpetuumque miraculorum ex sanguine* S. Januarii, *quis prudens dixerit, miracula illa esse inutilia, ideoque miracula non esse ?* F

iisque heterodoxos ad fidem veram invitari.

471 *Quippe Christum fecisse miracula, non solum ut miseris benefaceret, sed etiam ut incredulos ad fidem pertraheret, multis locis insinuat ipse in Evangelio. Sic alloquitur Judeos Joan.* 10. ỷ 38 : Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio : etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est; et ego in Patre. *Hunc in finem, quando Matth.* 10 *Apostolos ad prædicandum mittebat,* dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. *Sic Marc.* 16 ỷ 20 *Apostoli post mortem Christi* prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Jam vero constat, prodigio sanguinis* S. Januarii *subinde usum*

A *sum esse Deum ad conversionem infidelium ac hæreticorum. Certe illustris est conversio Guilielmi principis Saxonis-Gothani, de qua jam memini, et cujus occasione Dialogus fuit compositus ac Senis impressus a P. Fabio Placidi Societatis Jesu. Possem adjungere alium virum nobilem, in ditionibus Batavicis ad fidem Catholicam conversum, qui viso miraculo sanguinis* S. Januarii *primam conversionis suæ causam attribuebat. Verum ab eo nominando abstineo, quod in ipsa civitate Neapoli religionem Catholicam non sit amplexus; et procul dubio multo plures ex eo miraculo viso ad investigandam et amplectendam veritatem animum adjecerint. Mitto alias utilitates ex perpetuo illo miraculo resultantes in ipsos Neapolitanos, et ad gloriam* S. Januarii, *ut transeam ad postremam objectionem.*

§ XXXI. Refellitur ultima objectio, contra miracula S. Januarii reliquaque omnia acriter intorta.

B

Vetus heterodoxorum objectio, miracula dæmoni attribuentium.

Quando laudatus princeps Saxo-Gothanus Neapoli vidit liquescentem S. Januarii *sanguinem, cum eo erat D. Gothardus Fauner, principis domui præfectus, acerque Lutheri sectator. Hic, ut habet Dialogus pag.* xi, *ubi principem eo spectaculo commotum advertit, miraculum conatus est ridere, et ad simplicitatem Catholicorum referre. Intellexit hoc, qui pro suo officio prope adstabat, eruditus canonicus Neapolitanus, D. Hector Papirius, rogavitque Faunerum, ut interim in ecclesia de simplicitate Catholicorum taceret, paratumque se obtulit ad rationem de omnibus reddendam. Itaque post modicam sermocinationem placuit principi, ut postridie convenirent in bibliotheca canonici Papirii. Convenerunt revera, cœptaque est disputatio inter Gothardum Faunerum Lutheranum et Hectorem Papirium, aliis subinde leviter interloquentibus. Faunerus, qui miraculum oppugnavit, unum dumtaxat ursit argumentum, illudque ante ab aliis heterodoxis confictum, quo prodigium liquescentis sanguinis non Deo, sed diabolo auctori attribuere contendebat,* C *neque illud solum, sed etiam reliqua miracula apud Catholicos patrari solita. Respondit ita Papirius, ut conversio principis, qui aderat, post paucas hebdomadas fuerit secuta, testante Dialogo pag.* xi. *Attamen non dabo omnia utrimque dicta; sed Lutherani rationes fideliter recensebo, et ad singulas breviter respondebo, partim meis rationibus, partim recensendo dicta Papirii.*

Argumentum Lutherani contra omnia

473 *Primo objecit Faunerus, totum illud, quod fit in sanguine* S. Januarii, *non esse tam arduum, ut nequeat fieri a dæmone. Noluit quidem Papirius id certo concedere: cum tamen difficulter statui possit, quo usque dæmonis potestas in similibus se extendat, quando non impeditur a Deo, maluit indecisum relinquere, permittereque, ut eo tamquam vero uteretur, quam negare. At recte negavit, dæmonem in iis adjunctis, in quibus* S. Januarii *sanguis liquescit, illud prodigium patrare posse; aut certe illud a viro prudente dæmoni posse attribui. Talia sane sunt multa miracula, eaque certissima, et in sacris Scripturis relata, quæ absolutam quidem dæmonis potestatem non superant, nequeunt tamen dæmoni ulla ratione tribui, quia aut ea facere noluisset dæmon, aut etiam non potuisset, prohibente Deo. Sic Christus Dominus, quando Pharisæi calumniatores dicebant Matth.* 12, Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum; *non probat, tali potentia carere dæmonem adversus alterum; sed variis rationibus ostendit, incredibilem esse illorum calumniam. Similiter facile ostenditur, prorsus incredibilem fore calumniam, si quis præfracte vellet contendere, prodigiosas mutationes sanguinis* S. Januarii *dæmonis opera fieri. Verum audiamus prius argumenta disputatoris Lutherani.*

Auctore J. S.

miracula exponitur:

474 *Ut ille ostendat, non esse improbabilem suspicionem de dæmone, sic Italice ratiocinatur pag.* 36, *prout reddo Latine:* Effectus ille, sive, ut sic loquamur, miraculum heri a nobis visum *(in liquefacta* S. Januarii *sanguine)* ejusdem est conditionis cum aliis miraculis, de quibus vos Catholici tantopere gloriamini. At vestra miracula universim, licet sint, ut vos ea vocatis, sigilla authentica religioni vestræ impressa, non sunt a manu Dei, sed dæmonis. *Hoc commentum alio æque inani mox probare nititur. Etenim dicit, interesse diaboli illa facere,* ad promovendum cultum imaginum et reliquiarum, id est, *(si credimus Lutheri discipulo,)* E idololatriam. *Sic multos ait populos seduci in Indiis Orientalibus et quasi in omnibus mundi partibus* solis miraculis cujusdam Francisci Xaverii, Jesuitæ Hispani. *Optime Faunerus imitatur Pharisæos. Hi enim ut Christi miracula negarent, dicebant:* Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. *Et rursum* ℣ 24: Nos scimus quia hic homo peccator est: *ut negarent, cæcum a Christo illuminatum. Æque gratis Lutheranus fingit, cultum imaginum reliquiarumque esse idololatriam, ut inferat miracula omnia, quibus cultus ille promovetur, non Dei potentia, sed opera diaboli fuisse patrata.*

tum illius argumenti vitia assignantur.

475 *Quare ad propositum ratiocinium observo primo, totum fundamentum Lutherani disputatoris falsum esse, et sine ulla probatione assertum. Etenim nihil attulit, ut probaret, cultum reliquiarum et imaginum esse idololatriam, quo tamen fundamento hæretico nititur allatum argumentum. Secundo, si hæretica illa doctrina, quæ falsissima est, ut videri potest apud Catholicos scriptores, qui controversiam illam tractarunt, omnino vera esset, ne vel sic quidem valeret ratiocinium ad omnia miracula dæmoni attribuendum. Neque enim omnia fiunt, adhibitis reliquiis* F *aut imaginibus; sed multa etiam ad preces Sanctorum viventium, aut manuum impositione super ægros, aut modis similibus patrata sunt, quæ nulla ratione referri possunt ad cultum reliquiarum vel imaginum. Multa etiam omni potestate dæmonis superiora sunt. Itaque fundamentum Fauneri non modo falsæ est doctrinæ, sed etiam, licet illa esset vera, non posset inferri, quod ille contendit. Relicta jam falsa Lutheranorum et Calvinianorum opinione de cultu reliquiarum, quæ ab aliis satis refutata est, videamus, quam aliunde improbabile sit et absurdum Fauneri de dæmone miraculorum auctore assertum.*

totumque rationibus

476 *In sacra Scriptura* 4 *Reg.* 13 ℣ 21 *hæc leguntur:* Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, et stetit super pedes suos. *Hoc factum designavit Ecclesiasticus cap.* 48 ℣ 14, *ubi de Eliseo dicit:* Et mortuum prophetavit corpus ejus; *id est, virtutem propheticam, resuscitante Deo mortuum ad tactum ejus, ostendit. Lubet nunc inter-*

rogare

AUCTORE J. S.

rogare ejusdem cum Faunero mentis heterodoxos, an defunctus ille, ubi tetigerat ossa Elisei, *etiam per dæmonem fuerit resuscitatus. Non audebunt hoc dicere, opinor: cum quia Scriptura contrarium significat; tum quia non est in potestate dæmonis mortuos ad vitam revocare. Jam vero ulterius interrogo, cur mortuus resuscitari potuerit in veteri Lege ad tactum corporis Elisei, et in nova Lege, cui majorem Deus concessit gratiam, ad reliquias Sanctorum miracula fieri non potuerint? Certe contrarium credidit S. Gregorius laudatus num.* 435 *ubi ait:* Ad exstincta namque eorum *(Sanctorum)* corpora viventes ægri veniunt et sanantur,... deferuntur mortui, et suscitantur. *Gregorio consentiunt alii Patres, ex quibus nonnullos dedi* § 29. *Certe dæmones nequeunt mortuos suscitare, nequeunt facere alia plurima miracula, quæ sancti Patres ad sepulcra aut reliquias Sanctorum facta testantur. Quapropter tertio observo, Faunerum non recte dixisse, miraculum sanguinis* S. Januarii *esse* ejusdem conditionis *cum reliquis omnibus miraculis, in Ecclesia Catholica factis. Nam inter hæc multa sunt, quæ nulla dæmonis potestate fieri possunt ullo loco aut tempore. Hinc* B *alii heterodoxi, hac in parte multo impudentiores Faunero, maluerunt sanctos Patres mendacii arguere et imposturæ; sed illos jam refutavi* § 29.

ex sacra Scriptura

477 *Noluit impudentem calumniam adoptare Lutheranus disputator: sed crisi plane mirabili opera prodigiosa, qualia in veteri Lege per prophetas, qualia deinde per Christum et Apostolos facta novimus, qualia per credentes facienda in nova Lege Christus promisit, operanti dæmoni attribuenda contendit. Quapropter consideremus, quam absurda, viroque Christiano indigna, ac prorsus improbabilis sit doctrina illa de dæmonibus omnium miraculorum, quæ in Ecclesia fiunt, auctoribus. Christus in cælum ascensurus Matth.* 28 ℣ 26 *dixit discipulis suis*: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. *Quomodo Christus cum Christianis est, si eos decipi permisit prodigiosis dæmonis operibus per omnia secula? Quotquot Christiani pietate ac religione præ reliquis floruerunt a temporibus Apostolorum ad nostra usque tempora, quotquot sancti Patres doctrina eminuerunt, unanimi consensu indubitanter crediderunt, divina virtute fieri,* C *ut subinde ad preces piorum viventium, aut ad invocationem Sanctorum in cælo regnantium, aut ad contactum eorumdem reliquiarum, aliquando mortui fuerint suscitati, ægri etiam immedicabiles subito sanati, dæmones expulsi, aliaque patrata miracula; qualia a Christo et ab Apostolis fuerunt facta. Si in re tanti momenti per septemdecim secula omnes pii fuerint decepti, quomodo Christus semper est cum suis? Quapropter absurdissima est, viroque prudente indigna cogitatio illa, quam sola desperatio heterodoxis quibusdam ingessit, quod nullam invenirent rationem, qua negare possent miracula in Ecclesia Catholica patrari solita, ac veritatem fidei Catholicæ luculenter manifestantia.*

petitis refutatur,

478 *Quando Matth.* XI *Joannes Baptista discipulos suos misit ad Christum petiitque*: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? *Christus pro responso allegavit miracula, ut sequitur:* Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis, et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. *Similia miracula omnibus seculis facta sunt in Ecclesia Catholica, ut prudens lector in Opere nostro inveniet, modo pro iis consulat documenta meliora,* D *dubiaque et improbabilia prætermittat. Jam vero si Christus, qui æterna est Sapientia, censuerit, miracula sua sufficere, ut Joannes ipsum agnoscere posset Messiam; quis non videat, quanta impietate, imo et stultitia, id genus miracula, dum fiunt per Christianos piis operibus eminentes, aut invocato Sanctorum patrocinio, dæmoni attribuantur? Etenim, si verisimile esset aut probabile, ejusmodi miracula per dæmones fieri, non satis probasset Christus Joanni sua illa miracula allegando Messiam se esse; præsertim cum sciret non defore Pharisæos impios, qui illa uterentur calumnia, blasphemantesque dicerent, ejici ab ipso dæmones* in Beelzebub principe dæmoniorum. *Attamen variis locis eodem usus est argumento. Joan.* 14 ℣ 12 *dicit Apostolis:* Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite. *Rursum Joan.* 10 ℣ 37, *ad probandum Divinitatem suam Judæis allegat miracula sua his verbis:* Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. *Si ita ratiocinatur Sapientia divina, non obstantibus* E *Pharisæorum calumniis, omnino necesse est dicere, miracula ipsius suffecisse, ad fidem certam doctrinæ ejus conciliandum, eosque graviter peccasse, qui doctrinæ ejus miraculis probatæ fidem habere noluerunt.*

479 *Hoc ipsum Christus variis locis manifestum facit. Nam Joan.* 10 ℣ 25 *dicit Dominus:* Opera,, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. *Joan.* 5 ℣ 33 *ait Dominus ad Judæos:* Vos misistis ad Joannem: et testimonium perhibuit veritati.... Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. *Nullum igitur est dubium, quin miracula sufficienter Christi doctrinam probaverint. Hinc graviter peccaverunt, qui doctrinam tot miraculis confirmatam noluerunt admittere, ut ipse Dominus rursum testatur Joan.* 15 ℣ 24 *his verbis:* Si opera non fecissem in eis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent. *Matth.* XI ℣ 21 *gravissimam comminatur pœnam illis civitatibus, in quibus plura facta erant miracula, nec tamen erant conversæ.* Væ tibi Corozain, *inquit,* væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum, numquid usque in cælum exaltaberis? Usque in infernum descendes: quio, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. *Ex hisce abunde liquet, graviter peccasse eos, qui miraculis Christi noluerunt converti, ejusque doctrinam admittere, quantumvis scribæ et pharisæi, qui alias Judæorum doctores erant, ea omnibus modis conarentur obscurare, atque etiam auctori diabolo attribuere. Si autem graviter peccaverint, qui miracula Christi contempserunt, ut indubitatum est, quis prudenter credere poterit, Deum deinde permisisse, ut eadem passim operaretur dæmon; iisdemque signis, quibus Christus et Apostoli mundum convertere studuerant, dæmon uteretur ad mundum decipiendum ac pervertendum?*

ut prorsus improbabile.

480 *Verum, objicit disputator heterodoxus pag.* 37, *permisit Deus inter gentiles, ut dæmon oracula ederet,*

Respondetur ad alias

A *ederet, cur igitur non permittat, ut apud Catholicos miracula patret ad eos decipiendos? Respondeo, inutile prorsus esse illud ratiocinium. Etenim mirari non possumus, gentiles dæmonum oraculis fuisse ludificatos, idque Deum permisisse; cum illi dæmones impie colerent. Ob hanc enim impietatem permisit Deus, ut in turpissima inciderent peccata, uti fuse prosequitur Apostolus ad Romanos scribens cap.* I*:* Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt *etc. Verumtamen oraculis gentilium nihil fuit inanius. Non noverat dæmon futura prædicere, eaque de causa dabat responsa ambigua, quibus illudebat gentilibus, aut aliquid ex conjectura de rebus futuris dictitabat, ut varii auctores probaverunt, et videri potest apud Benedictum XIV in Opere jam sæpe laudato lib.* 3 *cap.* 46. *Quapropter oracula dæmonum nihil faciunt ad propositum: neque enim Christiani colunt aut consulunt dæmonem, ut ea impietate mereantur ab ipso ludificari: sed Deum orant, ne dæmonis fraude decipiantur, aut ad peccatum pertrahantur. Joannes apostolus Epist.* I *cap.* 3 ℣ 8 *ait:* In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. *Quomodo hoc esset verum, si tantam per*

B *septemdecim secula potestatem exercuisset dæmon ut miracula Christi et Apostolorum esset imitatus, iisque omnes pios multosque ex iis doctissimos constanter decepisset? Insani cerebri est similia asserere, cum numquam dæmon ejusmodi potestatem in veteri Lege habuerit, numquam habiturus sit in Lege nova. Quod* satanas transfigurat se in angelum lucis, *ut habet Apostolus* 2 *Cor.* XI ℣ 14, *et etiam objicitur, verissimum quidem est, sed ad propositum non facit; cum ita id facere nequeat, ut vera patret miracula.*

hererodoxi cavillationes,

481 *Quod Matth.* 24 ℣ 24 *de Antichristi temporibus dicitur, nihilo magis obest veritati miraculorum Ecclesiæ Catholicæ. Dicit quidem eo loco Dominus:* Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, (si fieri protest) etiam electi. *At illa dæmonis potestas non diu durabit. Nam* ℣ 22 *dicitur:* Et nisi breviati suissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi. *Hæc ipsa sane destruunt objectionem heterodoxi: nam breve erit tempus, quo Deus permittet, ut* signa magna et prodigia *fiant opera dæmonis. At miracula Catholicæ Ecclesiæ*

C *jam septemdecim seculis continuata sunt. Quare Christus prædicendo ad breve tempus permittenda* signa magna et prodigia *dæmonis; simul insinuavit, ægrorum sanationes, dæmonum expulsiones, aliaque Ecclesiæ miracula, quæ multis seculis continuata sunt, non dæmonis, sed sua protestate patrata esse, præsertim cum prædixerit ejusmodi gratiam credentibus impertiendam.*

et dicta firmantur.

482 *Imo non solum promisit Christus gratiam miraculorum credentibus; sed iis etiam veram doctrinam confirmat, teste Marco cap.* 16 ℣ 20*:* Illi autem protecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Apostolus quoque in Epistola ad Hebræos cap.* 2 ℣ 4 *observat, doctrinam Christi confirmatam esse*, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus. *Quare, cum et miracula fecerit Christus ad convertendos Judæos, eamdemque miracula patrandi gratiam et Apostolis dederit, et credentibus promiserit, iisdemque doctrinam Christianam confirmaverit, non videtur sanæ mentis esse eorumdem auctorem facere velle dæmonem. Numquam permittet Dominus, ut in testimonium falsæ religionis vera miracula faciat dæmon, quemadmodum satis liquet ex sacerdotibus Baal* 3 *Regum* 18, *qui provocati ab Elia, ut ignem divinitus impetrarent ad incendendum sacrificium, nihil efficere potuerunt; cum tamen Elias suis precibus ignem mox impetraverit.*

AUCTORE J. S.

Cur heterodoxi miracula

483 *Forsan mirabitur lector, in eximinanda ultima hac objectione fere tantum esse disputatum de miraculis generatim, non vero specialiter de miraculo liquescentis.* S. Januarii *sanguinis. At noverit, me fideliter attulisse rationes ab heterodoxo disputatore propositas; neque eum speciali aliquo argumento oppugnasse prodigium illud continuum Januariani sanguinis, de quo agimus. Et sane, quantum conjicio, non inficiarentur heterodoxi, divinitus liquescere et ebullire.* S. Januarii *sanguinem, nisi omnia Ecclesiæ Catholicæ miracula negare vellent, quod tamen tentant diversis modis: nam alii omnibus scriptoribus, ipsis etiam sanctis Patribus, ut vidimus, fidem impudenter abrogant; alii non minus impie omnia dæmonibus attribuunt. Hisce pro instituto nostro satis me respondisse confido: nam videri possunt scriptores, qui de miraculis tractant, si quis copiosius totam illam controversiam disputatam videre desiderat.*

negare videantur.

484 *Miraculis* S. Januarii, *ut jam dixi, verisimiliter se non opponerent heterodoxi, nisi omnia*

E *prorsus Catholicorum miracula vellent negare: hæc vero non negarent omnia, nisi cogerentur fateri, per novos suos apostolos, Lutherum et Calvinum, nulla umquam patrari potuisse. Si talia Lutherus in Germania, Calvinus in Gallia, patrare potuissent, qualia eodem seculo S. Franciscus Xaverius patravit in variis Indiarum provinciis, quando ibidem fidem prædicavit, innumerosque homines ab idololatria abstraxit,* Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; *nullus heterodoxorum, ut certo mihi persuadeo, dæmonem faceret miraculorum auctorem, nullus fidem probis scriptoribus omnibusque Patribus abrogaret, nullus dubitaret, quin promissio Christi de miraculis credentium ad nostra usque tempora perseveraret, effectumque suum haberet. Verum, etsi nolint illa fateri heterodoxi, quod videant miraculis confirmari veritatem fidei Catholicæ, et novas suas opiniones consequenter damnari; verissima tamen sunt ac prorsus indubitata.*

Catholici nonnulli de miraculo dubitarunt,

485 *Ceterum cum Catholicis, qui gratiam miraculorum sublatam ab Ecclesia non existimant; sed non satis habent perspecta, quæ fiunt in sanguine* S. Januarii, *pauca etiam brevissime disputare lubet. Nulla est ratio dubitandi, quin sit caput et*

F *sanguis* S. Januarii, *quæ pro talibus Neapoli a multis jam seculis servantur, et fidelium venerationi exponuntur, quandoquidem nullus umquam illas reliquias aliis locis adscripserit; earumque maxime causa factum videatur, ut cultus* S. Januarii *maxime Neapoli sit auctus, iis etiam seculis, quibus Sancti corpus Neapoli non servabatur. Nulla similiter dubitandi est ratio, quin divina virtute fiat, ut sanguis* S. Januarii *coram ejusdem capite passim liquescat et bulliat, cum id fieri divinitus crediderint omnes viri doctrina et sanctitate illustres, qui a tribus saltem seculis miraculum istud oculis suis lustrare potuerunt.*

quod omnia non haberent perspecta.

486 *Si qui vero de eo dubitarunt Catholici longe dissiti, id unice factum existimo, quod nollent certum ferre judicium de re, quam numquam viderant, aut quam numquam intellexerant ex iis, qui viderant, aut etiam quod omnia ad miraculum istud spectantia non satis essent edocti. Sabbatinus ad* XIX *Septembris pag.* 136 *dissertationem suam de sanguine* S. Januarii *concludit verbis, quæ Latina*

AUCTORE J. S.

tina facio: Novi, multos extraneos, etiam Catholicos, aut dubitasse de miraculo, aut illud non credidisse, priusquam id ipsi viderant. Verum cum frequenter cum iis fuerim in magno Thesauri sacello, eosque ad ipsum attente considerandum induxerim, cognoverunt, de Sancti miraculo dubitari non posse, nec id esse, quod ullo modo causæ naturali possit attribui. Et sic, re visa, mecum locuti sunt, resolutionem sanguinis saltem dicendam esse prodigiosam; neque ullum reperiendum, qui, observato facto, valeret invenire rationes, quibus in dubium revocaretur. *Ita ille cum aliis pluribus, quos ipse Neapoli loquentes audivi, et rectissime meo quidem judicio. Etsi enim quaslibet objectiones diligenter quæsiverim, et nullam ex inventis, quæ vel speciem aliquam haberet, prætermiserim, nullam tamen inveni verisimilem aut probabilem.*

Sanguis S. Januarii præsagiens.

487 *Ceterum Putignanus non solum agit de liquescente* S. Januarii *sanguine, sed eumdem quoque sanguinem præsagientem exhibet lib.* 2. *Hoc certum est, Neapolitanos in ea esse opinione, et jure quidem merito, ut favorem* S. Januarii *sibi promittant, ac protectionem ejus sibi non defuturam sperent, quando sanguis* S. Januarii, *coram capite positus, cito dissolvitur jucundoque cum colore fit fluidus: eosdem vero vehementer timere, dum durus immotusque perseverat. Verum, cum et aliæ plurimæ accidant sanguinis mutationes, ex quibus vel in spem eriguntur, vel metu concutiuntur, mihi de omnibus istis disserere non lubet. Videri itaque poterit Putignanus, si quis plura de iis legere desideret. Nam vereor, ne multi existiment, me in hisce jam justo fuisse prolixiorem.* B

ACTA

Auctore anonymo

Ex codice nostro Ms., et altero Rubeæ vallis, collatis cum aliis Mss. et editis.

Captis ante et carceri Puteolano traditis Sosio et tribus aliis,

Temporibus Diocletiani *a* imperatoris, consulatu Constantini *b* cæsaris quinquies, et Maximiani cæsaris sexies *c*, erat persecutio *d* Christianorum. Eo tempore convocans Diocletianus imperator Timotheum quendam paganum *e*, Campaniæ præsidatum agere, et secundum decreta ipsius impiissimi Diocletiani sacrificia idolis immolare, et omnes, qui in Christum crederent, ad sacrificia simulacrorum convertere. Factum est autem, dum ex more inviseret civitates, venit in civitatem Nolam *f*. Tunc jubet tyrannus Timotheus officium præsentari sibi. Quibus præsentibus, inquirere cœpit ab eis judicia diversorum antecessorum suorum. Cui omnium officium obtulit gesta præsidum. Inter quæ * cum ventum esset ad gesta beatissimorum martyrum Sossii *g* Misenatis ecclesiæ diaconi, et Proculi Puteolanæ civitatis diaconi, et Euticetis et Acutii, eo quod in * nomine Christi diversis suppliciis maceratos, judex *h* jussisset retrudi * in carcerem, requisivit officium, quid de eis fuisset factum. Responderunt dicentes, multum esse temporis, quod * in civitate Puteolana detinerentur in vinculis: et adjecerunt, diffamantes opinionem beatissimi Januarii Beneventanæ civitatis episcopi. Ipse autem iniquissimus Timotheus, audiens opinionem sancti martyris Januarii, cum sibi exhiberi *i* jussit. D

* *al.* quos
* *al.* pro
* *al.* recludi in carcere
* *al.* quo

Januarius Nolæ interrogatus, et carceri inclusus,

2 Cumque fuisset præsentatus Nolæ ante tribunal præsidis, Timotheus præses dicit ei: Januari, audiens, (inquit) opinionem generis tui, hortor te, ut secundum decreta invictissimorum principum accedens, sacrifices * diis. Si autem nolueris, adhibeam * tibi tormenta horrifica, quæ te fortiter laniabunt. Quæ tormenta dum Deus tuus, quem colis, viderit, pertimescet *k*. Sanctus autem Januarius respondit: Obmutesce, infelix, et noli in auribus meis Creatori tantam injuriam facere *, qui condidit cœlum et terram; ne audiat Dominus Deus hanc tantam blasphemiam, quæ per os tuum procedit, et interficiat te: et eris mutus et surdus, non audiens, et sicut cæcus non videns. Hæc audiens tyrannus Timotheus, sancto Januario dicit: Numquid potestati *, tuæ est, ut, quibus volueris maleficiis, prævaleas mihi tu, aut Deus tuus? S. Januarius respondit: Potestas mea nihil est: sed est Deus in cælo, qui potest tibi resistere, et omnibus, qui obaudiunt et consentiunt tibi. Et hæc cum dixisset, jussit eum tyrannus Timotheus in carcerem recipi

* *in Ms.* sacrifica
* *al.* adhibebo
* *al.* tam inepta proferre
* *al.* potestatis

in camino ardenti manet illæsus.

3 Et iratus vehementer, jussit per triduum caminum suscendi, et illic B. Januarium projici præcepit. Sanctus ac beatissimus Januarius crucem Domini in fronte fixit, et ingemiscens in cælum sursum suspexit, et expandens manus, ingressus in caminum ignis ardentis, Dominum Salvatorem omnium Creatorem conlaudabat, dicens: Domine Jesu Christe, propter nomen tuum sanctum hanc passionem libenter amplector, et omnem promissionem; quam diligentibus te promisisti, exspecto. Exaudi me orantem ad te, et eripe me de hac flamma, qui adfuisti tribus pueris in camino ignis ardentis, Ananiæ, Azariæ, et Misaheli, adesto nunc mihi in confessione ista, ut eripias me de manu inimici hujus. Et hæc dicens, cœpit B. Januarius in medio fornacis ignis cum sanctis angelis deambulare, benedicens Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Cum audissent milites, qui circa fornacem fuerunt *, S. Januarium de camino Dominum conlaudare, timuerunt timore magno, et cursum * rapidissimum arripientes, nunciaverunt præsidi, dicentes: Rogamus te, domine præses, ne indigneris nobis: audivimus enim vocem Januarii de camino, invocantem * Dominum suum, et magnopere perterriti in fugam conversi sumus. Timotheus vero præses audiens, jussit caminum ignis operire *. Et cum apertum * fuisset, eructavit flamma ignis, et devoravit incredulam gentem paganorum, qui circa fornacem fuerunt. Sanctus autem Januarius apparuit in medio flammæ ignis *l*, glorificans Dominum Jesum Christum, ita ut neque vestimentis ejus, neque capillis ejus ignis potuerit dominari. F

* *Chior.* erant
* *in Ms. nostro* cursu *mendose*
* *al.* invocantis
* *al.* aperiri
* *al. melius* apertus

Alio rursum modo Sancti constantia probata,

4 Timotheus vero, cum hæc audisset, jussit eum suis aspectibus præsentari, cui et dixit: Quid est hoc, Januari, quod prævalescunt * magiæ tuæ, quas facis? Variis tormentis te faciam interire. Beatissimus Januarius respondit: Numquam bene tibi sit, o incredule * tyranne, ut a veritate Christi alienetur Servus ejus, aut pertimescens faciam, quod dicis. Ego autem in domino sperabo: non timebo, quid faciat mihi homo. Et hæc dicens, jussit eum præses in custodiam reduci. Alia vero die mane facto, jussit Timotheus præses in foro ejusdem civitatis tribunal sibi parari, et sedens pro tribunali, B. Januarium ante suum conspectum adduci præcepit. Cumque præsentatus fuisset, Timotheus judex dixit ad eum: Quo usque, infelix, non consentis

* *al.* prævaluerunt
* *al.* crudelis

A consentis sacrificare invictissimis et immortalibus diis? Accede jam, et thura offer. Si autem nolueris, gladio te jubeam * interfici: et, si potest, Deus tuus liberet te de manibus meis. Sanctus autem Januarius dicit ei: Tu nescis, quia potentia Dei magna est. Utinam temet ipsum ad pœnitentiam perduceret, ut vel sic indulgeret tibi Deus meus, de quo dicis, impotentem esse liberare me de manibus tuis. Sed, cum hæc dicis, thesaurizas tibi iram in die iræ. Præses audiens, et non tolerans hunc sermonem, jussit, ut nervi ejus a corpore excluderentur *m*. Beatissimus autem Januarius orabat, ab Dominum dicens: Domine Jesu Christe, qui ab utero matris meæ non me dereliquisti usque in finem, ita et nunc exaudi Servum tuum ad te clamantem, et jube me istud sæculum derelinquere, et ad tuam misericordiam pervenire. Hæc cum orasset B. Januarius, jussit eum præses in carcerem recipi, cogitans, quemadmodum perderet eum.

* al. jubeo

m

captisque Festo et Desiderio,

5 Recluso itaque beatissimo Januario martyre in ardua * custodia carceris, a militibus custodiebatur. Quod dum duo ex clero ejus, id est, Festus diaconus et Desiderius lector, cognovissent *, quia beatus Januarius episcopus carceri fuisset mancipatus, inflammati a Spiritu sancto, statim exeuntes de civitate Beneventana, venerunt in civitatem Nolanam, ubi S. Januarius episcopus ab impiissimo Timotheo in vinculis tenebatur, aiebant * flentes et dicentes: Quare tantus ac talis Vir tenetur in vinculis? Quid enim criminis admisit? Ubi non subvenit periclitantibus? Quis enim ab eo æger visitatus, non statim salvatus est? Quis ad eum tristis advenit, et non gaudens discessit? Mox eorum verba ad judicem perlata sunt *. Quod dum Timotheus judex audisset: summa festinatione jussit eos teneri, et cum B. Januario martyre sibi præsentari. Quibus præsentatis *, Timotheus judex dixit B. Januario: Qui duo * sunt isti? S. Januarius respondit: Unus diaconus meus est, et alter lector. Judex dixit: Et ipsi Christiani * se esse manifestant? S. Januarius respondit: Etiam. Nam, si eos interroges, spero in Domino meo Jesu Christo, quia nec ipsi se esse Christianos negabunt. Qui interrogati a judice, dixerunt: Christiani sumus, et parati sumus mori propter Dei amorem.

* al. arcta

* al. audissent

* al. agebant

* al. pervenerunt

* al. præsentibus

* al. tui

* al. Christianos

C

hi tres ducuntur Puteolos: tum cum aliis quatuor feris exponuntur.

6 Tunc Timotheus præses ira repletus. S. Januarium episcopum una cum Festo diacono et Desiderio lectore, ferro vinctos jussit ante currum suum protrahi in civitatem Puteolanam, constituens [ut] una cum sanctis Martyribus, quos [illic] in vinculis cognoverat detineri, id est, Sossium * Misenatis ecclesiæ diaconum, et Proculum Puteolanæ ecclesiæ diaconum, et duobus * laïcis Eutice et Acutio, ad ursos traderentur. Et cum in civitatem Puteolanam perducti fuissent, jussit eos Timotheus in custodia recipi, et alia die arenam * parari, ut una cum sanctis Martyribus ad ursos traherentur. Qui dum reclusi fuissent, osculabantur capita omnium Sanctorum. Beatissimus martyr Januarius exhortabatur eos, dicens: Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna solus: qui me huc direxit, ut nec Pastor sine grege, nec grex sine Pastore *n* divelli videatur. Alia vero die secundum jussum judicis paratur arena in civitate Puteolana. Adducuntur Sancti ad amphitheatrum *o*. Veniens autem impiissimus Timotheus præses, sedens in spectaculo, jussit feras laxari. Cumque fuissent dimissæ; S. Jnuarius, sicut bonus pastor, in medio eorum positus, ait: O fratres, arripite scutum fidei, et exclamemus ad Dominum adjutorem nostrum, in nomine Domini, qui fecit cælum et terram. Ita vero adfuit misericordia Domini, ut ante pedes B. Januarii martyris, acsi oves, capite dimisso ipsæ feræ adcurrerent. At judex insanus, non credens, amotis feris, jussit Sanctos Dei de amphitheatro tolli, et in foro adduci.

* al. Sosio etc.

* al. duos consequenter

* in Ms. nostro arena mendose

n

o

A. ANONYMO.

Sancti a feris illæsi, capite damnantur: judex fit cæcus,

7 Qui sedens pro tribunali, dictabat sententiam, dicens: Januarium episcopum, Sossium, Proculum et Festum diaconum *, et Desiderium lectorem et Euticetem et Acutium cives Puteolanæ civitatis, qui se Christianos esse professi sunt, et deorum libamina vel imperatoris * præcepta contempserunt, capite cædi jubemus. Beatissimus autem Januarius, aspiciens in cælum, dixit: Domine Jesu Christe, qui descendisti de altissimis pro redemptione humani generis, erue me, et libera me de manu inimici hujus: et deprecor te, Deus meus, ut ulciscaris in tyrannum Timotheum, quæ gessit in me servum tuum, ut eruas, et evellas, et obcæces oculos ejus, ut non videat lumen cæli. Et cum complevisset orationem S. Januarius, ceciderunt nebulæ in oculos ejus, et subito factus est cæcus. Tunc oravit S. Januarius ad Dominum, et dixit: Gratias ago tibi, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui exaudisti Servum tuum et disperdidisti oculos Timothei impii, quia multæ animæ propter ipsum ad perditionem dæmonum conversæ * sunt. Tunc Timotheus tyrannus invalidis oculis cruciabatur, et dolor magnus in eo adcrescebat. Conversus clamare cœpit et dicere officio: Citius euntes Januarium ad me revocate. Euntes vero ministri, invenerunt illos a carnificibus per clivum, qui ducit ad sulphurotaria *p*, trahere *. Vocantes vero Januarium, statuerunt eum ante præsidem: totus quippe ad spectaculum populus utriusque sexus confluebat.

* al. diacones aut diaconos

* al. imperatorum

E

* in Ms. nostro conversi

p

* al. trahi

et sanatur: multi convertuntur:

8 Timotheus vero cum ingenti rugitu cœpit clamare et dicere B. Januario: Januari serve Dei excelsi, ora Dominum Deum tuum pro me cæco, ut possim recipere lumen, quod amisi. Tunc S. Januarius, erigens oculos in cælum, dixit: Deus* Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, exaudi orationem meam, et jube Timotheo indigno oculos restituere *, ut sciat omnis populus, qui adsistit, quia tu es Deus, et non est alius præter te: nos enim malum pro malo non reddimus. Et cum complesset orationem S. Januarius, aperti sunt oculi ejus *q*. Videns autem turba mirabilia, quæ per B. Januarium martyrem Dominus operatus est, multi ex circumstantibus crediderunt in Dominum Jesum Christum, animæ fere quinque milia, clamantes, atque hujusmodi dantes voces ad cælum: Non timeatur * Deus, ne * tanti ac talis Viri vindicet mortem, et omnes nos pariter pereamus? Erat autem ipse beatissimus Januarius et corpore et mente pulcherrimus. Tunc impiissimus Timotheus præses, videns tantam turbam conversam ad Dominum, turbatus est, et ne famulus Domini Januarius corona fraudaretur, timens jussa principum, jussit præses militibus suis, ut cum celeriter traherent, et sanctum Martyrem * decollarent.

* al. Domine Deus

* al. restitui

F

q

* in Ms. nostro timetur

* ibid. nec

* al. cum SS. Martyribus

visio et mors matris S. Januarii:

9 Qui cum omnes ad martyrium ducerentur, quidam senex pauperrimus, sperans beneficia S. Januarii *, opposuit se B. Januario, pervolutus pedibus ejus, rogans eum, ut aliquid de vestimentis ejus mereretur accipere. Beatus vero Januarius dixit seni illi: Post, deposito meo corpore *, orarium meum, de quo mihi oculos ligavero, scias ipsum me tibi esse daturum. Mater quoque S. Januarii, in civitate Beneventana posita, ante

* al. se aliquid beneficii recepturum

* al. post decollationem

A. ANONYMO. ante triduum, quam Filius ejus pateretur, tale somnium vidit, quod Januarius episcopus in aëre ad cælum volabat, et cum de somno * hæsitaret et interrogaret, subito nuntiatum est, quid vellet esse *r*, et a quodam, quod filius ejus Januarius propter Dei amorem in vinculis teneretur. At illa perterrita, prosternens se Domino, in oratione, sanctum reddidit spiritum.

al. somnia

r

Sanctorum martyrum :

10 Interea Sancti dum pervenissent ad locum, ubi decollandi erant, id est, ad Sulfurotaria, S. Januarius flectens genua sua ad orationem, dicebat : Domine Deus omnipotens, in manus tuas commendo spiritum meum : et erigens se, accepto orario suo, oculos suos ligavit : et flectens genua sua, manum cervici opposuit, et spiculatorem, ut feriret, rogavit. Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manus sancti martyris Januarii simul cum capite abscidit. Similiter et omnes sancti Martyres susceperunt coronam sempiternam. Sanctus autem Januarius post decollationem suam apparuit seni illi evidenter, orarium, unde sibi oculos ligaverat, sicut promiserat deprecanti, afferens : cuique dixit : Ecce quod tibi reddi debebam * tolle, sicut promisi tibi. Ille, accepto orario, cum summo honore abscondit in sinum suum. Spiculatores autem et alii duo de officio, videntes senem, irridebant, dicentes ei : Accepisti, quod tibi promiserat ille, qui decollatus est? At ille dixit : Etiam. Et ostenso eis orario, recognoverunt eum *, et admirati sunt. Eodem vero die, quo B. Januarius cum sanctis Martyribus decollatus est, Timotheus crudelissimus torqueri crudeliter cœpit, et voce magna clamat *, dicens : Crucior ego miser propter servum Dei Januarium. Væ, inquit, mihi, quod multam impietatem * in Dei servum Januarium ingessi * : has pœnas recipio : angeli autem Dei cruciant me. Et cum diu torqueretur, emisit spiritum.

* *al.* promittebam *sine* reddi *quod redundat*

* *al.* illud *rectius*

* *al.* clamabat

* *al.* exercui

* *al.* multa impietate

corpora a Christianis rapta et sepulta.

11 Christiani autem diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum, ut ea *s* noctu raptim tollerent, et in civitatibus suis *t* portarent. Et cœperunt occulte solliciti observare : et facta nocte, universis dormientibus silentio * noctis hora, apparuit S. Januarius uni eorum, qui parati erant corpus ejus tollere, et dicit ei : Frater, cum corpus meum tuleritis, et digitum manus meæ illo loco exilisse cognoscite. Requirite eum, et pariter cum corpore meo ponite. Et ita factum est, ut C Sanctus ipse ammonuit. Corpora autem Sanctorum jacuerunt *u* ad Sulfurotaria *x*, ubi postea dignam beati Januarii martyris basilicam condiderunt *y*.

s

t

* *al.* silentii

u x

y

ANNOTATA.

a *In Ms. Rubeæ Vallis,* Diocletiani et Maximiani impp.

b Constantini *ubique legitur in Mss et editis, etiam apud Mazochium : legendum tamen* Constantii.

c *In plerisque Mss.* septies, *etiam apud Mazochium : sed legendum* quinquies. *Nam quintum consulatum Constantius et Galerius Maximianus simul gesserunt anno* 305, *quo passim figitur Sanctorum nostrorum martyrium.*

d *In aliis,* persecutio ingens, *in aliis* maxima.

e *Alias additur,* crudelissimum, *et mox* jussit. *Sequuntur et aliæ subinde leviusculæ differentiæ; sed eas, ubi sensum non mutant, inobservatas deinde relinquam, et codicem nostrum sequar, nisi mendosus videatur codex, qui alias optimæ notæ videtur et seculo* 9 *scriptus.*

f *Nota est , et episcopalis civitas Campaniæ, olim ampla, nunc minor, sitaque fere inter Neapolim et Beneventum.* D

g *In aliis quibusdam* Sosii. *Miseni civitatis dirutæ situm vide in tabula prævia, uti et civitatis Puteolanæ mox sequentis.*

h *Dracontius nimirum, Timothei decessor, ut habet Joannes Diaconus.*

i *Hæc ita narrantur, acsi Nolæ fuisset Sanctus: nec tanta inter Nolam et Beneventum est distantia, ut id est incredibile.*

k *Tam hæc allocutio præsidis, quam sequens responsio* Januarii, *potius sunt scriptoris, quam illorum. Quales sunt et plures, imo fortasse omnes his Actis insertæ. At ex libertate scriptoris sermocinationes comminiscendi, quæ plerisque scriptoribus profanis et multis etiam biographis, aliisque scriptoribus Christianis, fere communis est, nemo recte inferet, facta similiter ab ipsis conficta.*

l *Cum constet, S. Joannem Apostolum vasi injectum olei ferventis, S. Laurentium in craticula assatum, aliosque martyres aliis affectos tormentis crudelissimis; non debet incredibile videri* S. Januarium *injectum fuisse in caminum, quem Nolani apud se etiamnum extare credunt, ut dictum in Commentario num.* 190. *Potest tamen dubitari, an non aliqua adjuncta nimium exornaverit auctor.* E

m Excluderentur *legitur in Ms. nostro, in Mss. Aureæ Vallis et Augiæ divitis, uti et apud Falconium et Chioccarellum. In Neapolitano apographo, per Beatillum huc olim misso,* separarentur. *Ms. Trevirense S. Maximini habet*: *Jussit*, ut nervi ejus ab invicem dissolverentur. *Plerique scriptores Neapolitani satis probabiliter intelligunt vehementem in equuleo extensionem, qua* nervorum campago artuumque *solveretur, ut loquitur Breviarium Romanum. Forte tantum vincula solvi jusserit præses, acsi statim fuisset occidendus : nam* nervi *etiam vincula significant. Certe Acta* S. Proculi, *infra danda, num.* 4 *locum ita exponere videntur.*

n *Hæc ita nequeunt intelligi, ut* S. Januarius *censeatur omnium illorum Martyrum fuisse episcopus. Nam, etsi quis vellet existimare, nec Miseno nec Puteolis proprium eo tempore fuisse episcopum, quod non admittent pro sua civitate Puteolani; certe illis civitatibus propinquiores erant Neapolis et Capua, quæ suos habebant episcopos, nec Misenates et Puteolani fuissent sub episcopo Beneventano. Verum, ut jam monui, dicta Actis inserta non sunt tam accurata, ut ad ea multum attendere oporteat.* F

o *De amphitheatro Puteolano, quod antiquis temporibus famosum fuit, sed posterioribus seculis ruinam passum est, ita ut fere totum terræ motibus fuerit obrutum, consuli potest Scipio Mazella in Antiquitatibus Puteolorum cap.* 6. *Attamen postea una cum carcere decoratum est, ut dixi in Commentario num.* 190. *Situm ejus extra civitatem vide in tabula nostra prævia.*

p Sulphurariam *dicit. Consule de loco dicta in Commentario* § 7 *et* § 12, *et tabulam Commentario præpositam. Apud Chioccarellum legitur* Sulphotaream.

q *Non debeo dissimulare, in tota illa relatione excæcati et iterum illuminati Timothei multa apparere improbabilia; licet Joannes Diaconus eamdem adoptaverit, et Actis quoque suis inseruerit, brevius tamen. Certe utraque oratio* S. Januario *attributa, non nisi pro fictitia haberi prudenter potest, cum Sanctus non oraverit alta voce, ideoque auctor nesciverit verba ab ipso prolata. Non æque tamen improbabile est, Timotheum cæcitate primum,*

A *mum, deinde et morte punitum fuisse a Deo; idque innotuisse auctori, qui reliqua adjuncta conjecturando adjecerit. In Ms. Chioccarelli pro* ejus, *legitur* Timothei. *In eodem paulo post alia est mutatio aut correctio, qua dictio fit clara.*

r *Hic forte verba transposita sunt. Nam in Collectione Ms. Chioccarelli ita legitur :* Cum de somnio suo hæsitaret, et interrogaret, quid velit esse, subito, nuntiaverunt ei, quod filius *etc.*

s *Codex noster, consentiente Ms. Rubeæ Vallis, hic habet ;* corpus sanctum, ut ea nocte *etc. At tria alia apographa, duo nimirum Germanica et unum Neapolitanum, magis consonant editioni Falconii, quæ sic habet :* Christiani... custodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent *etc. Hæc magis congruunt sequentibus et adjunctis omnibus, ideoque præferenda censui, etiamsi vetustiores verisimiliter sint codices qui habent contrarium. Verum in hos etiam menda nonnulla irrepsisse, clarum est : ideoque existimo,* corpus sanctum, *pro* corpora Sanctorum *mendose scriptum fuisse.*

Ita rursum Mss. Belgica. In aliis additur, sepelienda. B *Attamen nec ad civitates tam cito portata sunt corpora, nec in iis sepulta. Itaque non satis capio, quid scriptor indicare voluerit; nisi crediderit, ausos non fuisse statim corpora Sanctorum ad civitates portare, ut antea proposuerant.*

u *In Ms. nostro,* Corpus autem sanctum jacuerunt *etc. Ex verbo* jacuerunt *colligitur; scriptum fuisse* corpora, *ut habetur in reliquis codicibus, præterquam in Rubeæ-Vallis apographo.*

x *Verba illa,* jacuerunt ad sulfurotaria, *nata sunt ingerere dubitationem notabilem, videlicet, utrum intelligenda sint de loco, in quo cadavera occisorum jacuerunt, antequam tollebantur a Christianis; an vero de loco sepulturæ. Posterius credimus, et abunde, opinor, probavimus in Commentario, quem consule* § 7.

y *Hoc loco finis est Actorum in codice nostro, ubi sequitur :* Explicit Passio Januarii mart. *Consentit codex Rubeæ Vallis, ubi post edita verba talis est clausula.* Præstante Domino nostro. *In aliis omnibus apographis, et in editione Falconii, multa adduntur, nimirum Appendix mox danda. At nequeo dubitare, quin primus scriptor finem Actis imposuerit ubi revera finis est in codicibus nostris : etiamsi Chioccarellus in Ms. sua colle-* C *ctione etiam habeat omnia illa, quæ postmodum adjuncta jam monui.*

APPENDIX

Ex editione Falconii, cum tribus Mss. collata.

Prima omnium translatio, maxime tamen Festi et Desiderii.

Sepultura et prima translatio omnium Martyrum : a b

Noctu *a* vero, cum unaquæque plebs sollicite suos sibi patronos rapere festinarent; Neapolitani beatum Januarium sibi patronum tollentes, a Domino meruerunt. Quem primo quidem in loco, qui appellatur Marcianus *b*, absconderunt. Postea vero quieto jam tempore venerabiles episcopi, una cum omnibus ex genere beatissimi martyris Januarii, cum plebe Dei Sancta, cum hymnis et laudibus corpus ejus tollentes, juxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in basilica, ubi nunc requiescit. Qui præstante Domino Jesu Christo, meritorum suorum beneficia innumerabilia præstare non desinit usque in hodiernum diem : cujus dies natalis celebratur terriodecimo Kal. Octobris. Sanctum vero Sosium *c* diaconum cives ejus Misenates tullerunt, et posuerunt in basilica, ubi nunc requiescit, die nono Kal. Octobris. Puteolani quoque sanctum Proculum diaconum, et sanctum Euticetem, et sanctum Acutium cives sui tulerunt; et posuerunt in prætorio Falcidi, quod conjungitur basilicæ sancti Stephani, in contrivio *d* ipso. Sanctum autem Festum, et sanctum Desiderium idem * cives sui Beneventum tulerunt.

Ex edit. Falconii

d

* *al.* iidem

2 Ut autem miracula Dei, quæ Dominus fecit per Sanctos suos *, [audiamus,] per ordinem enarrabo. Quidam paganus nobillissimus ac dives, civitatis Beneventanæ senator, nomine Cyphius *e*, matronam habens, filios habere non poterat : [qui] audita fama *f*, quæ de Sanctorum corporibus gesta fuissent; occulte misit hominem suum utilissimum, cum vehicularibus, et linteaminibus necessariis, et plaustro; multaque eis bona promittens, et faciens votum, si Sanctorum corpora commode ad eum perduceret, eorumque intercessionibus * a Domino filios mereretur habere, cum suis omnibus baptismum consequeretur.

Cyphius senator corpora SS. Festi et Desiderii

* *al.* in Sanctis suis

e

f

* *Falc.* intercessoribus

3 Mox affuit fidei ipsius divinitas sancta *g* : dum ergo sanctorum Festi, et Desiderii corpora Beneventum ducerentur; ipsi Sancti monuerunt hominem illum, qui præerat vehiculis ipsis, ut eos absconderet *h*, dicens ei : Ecce subsequitur quidam veredarius, qui quærat corpora nostra modo tollere tibi. Ille vero, ut admonitus est Sanctorum vocibus; invento arenario, tulit corpora Sanctorum, et abscondit : ubi modo cubiculum, velut * oratorium est, in via, quæ ducit Beneventum : in quo loco, usque hodiernum diem dicitur, quia Sanctorum corpora ibidem repausaverunt *i*. Ergo homo ille, absconsis eorum corporibus, boves pascere cepit. Subsequitur interea (ut Sancti prædixerant) veredarius qui interrogat hominem, dicens : Vidistine huc illorum occisorum *k* corpora ab aliquibus duci? Respondit homo ille : Boves meos ut vides, domine, pasco, nec ullum * transeuntem vidi. Responso accepto, veredarius mox reversus est, unde venerat. At vehiculi rector plaustro imposuit Sanctorum corpora; et cepto itinere, Beneventum perrexit *.

ab aliquo clam sublata, et mirabiliter, ut fertur,

g

h

* *al. in Ms.* vel

i

k

F

* *in Ms.* nam nullum

* *Falc.* mendose pertinxit

4 Cumque Beneventum perlata fuissent : prædictus senator, suscepta corpora Sanctorum occulte optimo in loco reposuit. Postea vero cum omnibus suis baptizatus est; et memoratis Sanctis basilicam fecit : quorum meritis meruit a Domino habere filios. Qui sancti *l*, donante Divinitate, unusquisque eorum civitatis suæ * perceptum a Domino patronatum gerentes, omnibus petentibus beneficia præstare non cessant. Septem namque pariter beatissimi Sancti martyrizati fuerunt : quorum una exstitit septenarii forma, ideoque ab omnipotente Deo et Domino nostro Jesu Christo gloriosi martyrii percepta corona feliciter vivunt *m* in secula seculorum. Passus *n* est B. Januarius cum præfatis Sociis suis circa annum Domini ducentesimum vigesimum, infinitis miraculis claruit, multos suo suffragio a morborum contagio liberavit. In virtute Filii Dei benedicti Domini

Beneventum ullata sepelit, eisque ecclesiam exstruit.

l

* *al.* civitatibus suis

m n

A mini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat, etc.

ANNOTATA.

a *Appendix hæc etiam legitur in Ms. Neapolitano per Beatillum misso, sicut etiam in Trevirensi et in Richenoviensi, exceptis tamen paucissimis in fine, quæ deinde assignabo, et cum nonnullis interpolationibus. Eadem rursum est in Collectione Ms. Chioccarelli, atque hic etiam verbis subinde dissentit ab editis Falconii. Dabo præcipuas variantes, non quaslibet tamen vocum minutias, cum tanti hæc Appendix non sit facienda. Porro illam esse postea additam non modo ex codicibus duobus nostris, in quibus non legitur, sed etiam ex initio colligitur, cum ibi repetatur prolixius, quod ante brevius fuerat dictum.*

b Marcianus *legitur in Mss. Neapolitano et Trevirensi, in Richenoviensi Marcialis mendose, apud Falconium* Marciano *Italice. De loco consule dicta in Commentario § 7, ubi et de translatione Neapolim. In duobus Mss. hic breviter etiam inseritur translatio corporis Beneventum.*

B c *De sepultura et prima translatione* S. Sosii *reliquarumque Martyrum, quæ hic satis confuse, tamquam eodem tempore factæ, asseruntur, consule disputata in Commentario § 7. In Ms. Richenoviensi hic aliqua inseruntur de* S. Sosio, *quæ leguntur in Actis secundis et tertiis.*

d Trivium *vocatur locus, in quem tres viæ conveniunt. Idem, opinor, voluit auctor significare voce* contrivium. *Erat igitur prætorium Fulcidii in trivio, verisimiliter extra civitatem Puteolanam. Postea ubi fuisse monasterium, dictum est in Commentario num.* 201.

e *Hæc translationis* SS. Festi *et* Desiderii *relatio paulo prolixius extenditur, et morali doctrina interpellatur apud Falconium pag.* 196. *Pauca igitur ex ampliore illa relatione annotabo, ubi expedire videbitur : sed fateor, totam historiam non videri fabulæ absimilem.*

f *Apud Falconium pag.* 196 *clarius sic :* Hic audita fama sanctorum Martyrum, quod penes Deum, qui verbo cuncta creavit, plurimum possent, ipsiusque cooperante nutu nimium stupenda veneranda operarentur *etc. Itaque fama miraculorum* SS. Festi *et* Desiderii *excitatus fuit Cyphius ad curan-*C *dam translationem. At non intelligo, quo modo fama illa pervenerit ad hominem gentilem, nisi jam tum cum Christianis egerit de conversione sua.*

g *Hic ex ampliore relatione inferenda sunt sequentia :* Etenim quem clam direxerat, obedientia non segnis,... celerrime abiit, SS. Festi et Desiderii sacra corpora secretim sustulit, et vehiculo superposita Beneventum ducere quantocius cœpit.

h *In ampliore scripto locus, ubi id contigisse dicitur, additur his verbis :* At ubi Caudinos intra sinus, in eum scilicet locum, qui tunc Harenarium vocabatur, ventum (ubi etiam postea ob memoriam Sanctorum beati Festi ecclesia est constructa, juxta viam, qua rectius Beneventum itur) is, qui vehiculo præerat, Sanctorum est voce præmonitus *etc.*

i *Alter ait* : In quo loco nunc usque dicitur : Sanctorum repausatio. *Nequeo dissimulare, vehementer me suspicari, illum fuisse locum primæ* SS. Festi *et* Desiderii *sepulturæ. Certe magis fabulosa videntur omnia translationis adjuncta, quam ut credere valeam translationem peractam modo hic relato.*

k *Hæc ita dicuntur, acsi Martyres recenter fuissent passi. Verum id improbabile est ex ipsis* D *etiam monumenti hujus verbis. Quomodo enim paganus Cyphius ipsorum miracula Beneventi audierat, si non fuerant ante translationem sepulti?*

l *Hic rursum agitur de omnibus septem Martyribus.*

m *Ultimam periodum, quæ apud Falconium mire corrupta est, restitui ex Ms. Neapolitano. In Ms. Collectione Chioccarelli locus ita exprimitur :* Septem namque pariter beatissimi Sancti martyrizati sunt, quorum una in Christo fides, una septenarii martyrii exæquat forma, ideoque *etc.*

n *Hæc ultima non sunt in ullo Ms. nostro : neque in Collectione Ms. Chioccarelli, prout ea nobis Neapoli missa est. Et sane annus martyrii, qui mox assignatur, longissime a vero aberrat.*

ACTA MENDOSA

Ex editione Mazochii.

E

Temporibus *a* Diocletiani imperatoris, consulatu Constantini cæsaris quinquies, et Maximiani septies *b*, erat persecutio Christianorum In ecclesia vero Mesinatæ *c* civitatis, erat diaconus nomine Sossius, vir prudentiæ, sanctitate firmissimus, annorum circiter triginta; sicut ipse cuidam episcopo asserente, quod venerabilis Sossius, propter metum paganorum non facile in pubblicis locis hic notitiam habuit beatissimorum officio veniebant in ecclesia civitatis episcopus diversis civibus se occulte invicem visitabant. Sermo videlicet, collectio Divinæ legis erat in edificatione hominis, quos episcopo credere videbant; et quia in ipsis locis, id est cum ipsis frequens erat paganorum, nobilium virorum magnam vatem, et tustamulus usque in hodiernum diem illam ecclesiæ manifestatur. Idcirco Sancti, ut diximus, difficile in pubblico videbantur.

Sosius annis circiter triginta natus, *a* *b* *c*

2 Beato itaque Januario in Messinatæ civitate posito, factum est, ut beatus Sossius diaconus in ecclesia sua sancta Dei Evangelica legeret, et subito de capite ejus flama exurexit, quam nemo alius vidit, nisi beatus Januarius episcopus; qui ita eum martyrem futurum ex hoc signum quod viderat prenuntiavit; et congaudens, osculatus caput ejus, et gratias agens Domino, caput, quod pro Domino Jesu Christo passurum est. Post non multos dies factum est, ut ad Dracontium judicem Campaniæ eorum fama nunciaretur. Hoc audito Dracontius judex jussit, eos, secundum imperiali præcepto, inquiri, et ad se adduci. Inquirentes vero invenerunt ad judicem. Dracontius enim judex jussit eum ergastulo mancipari, quoadusque fieret ejus interrogatio *d*; retruso itaque beato Sossio in ardua custodia carceris, a militibus custodiebatur.

(e cujus capite flammam emicantem videt Januarius) capitur : F *d*

3 Quod dum beatus Januarius repperisset, quia beatus Sossius diaconus carceri fuerat mancipatus, statim ad carcerem cum diacono suo Festo, et lectore suo Desiderio, ut eum consolaretur perexit. Et ingressus ubi tenebatur in vinculis dicebat. Quare sine causa *e* tenetur Homo Dei in carcere? Statim milites, qui custodibantur carcerem, nunciaverunt judici dicentes. Ecce homines illi, de quibus magnitudo vestra jusserat, ut inquirentes, teneremus *f* eos; ad carcerem venientes dicunt. Quare sine causa tenetur homo Dei in carcere?

Januarius cum duobus Sociis comprehenditur. *e* *f*

A cere? Mox ut hoc audivit judex, jussit eos teneri, et ad se adduci. Qui dum inventi fuissent, ad judicem venire non dubitaverunt.

Interrogatur cum iisdem: omnes constanter respondent: 4 Et dum presentati fuissent judici, Dracontius judex sedens pro tribunali, his verbis interrogavit beatum Januarium episcopum, dicens ei. Cujus religionis homo es? Sanctus Januarius respondit; Christianus sum, et episcopus. Judex dixit ei. Cujus civitatis? Sanctus Januarius ℟. Beneventanæ ecclesiæ. Judex dixit. Et hi quid tui sunt? Sanctus Januarius ℟. Unus diaconus meus, et alter lector. Judex dixit. Et ipsi se Christiani manifestant? Sanctus Januarius respondit. Etiam: nam, si eos interroges, spero in Domino meo Jesu Christo, quod nec ipsi se Christianos esse negant. Qui interrogati a judice dixerunt, Christiani sumus, et parati sumus mori propter Dei amorem. Tunc judex ira repletus, beato, Januario episcopo dixit. Accedite, et offerte diis libamina, secundum decretum imperatoris, et absedite inlesi. Sanctus Januarius Res. Nos cotidie omnipotenti Domino nostro Jesu Christo sacrificium laudis offerimus, non diis vestris vanis.

Januarius cum tribus Sociis primum ad bestias, deinde capite damnatur: 5 Hoc audito judex, jussit eos in carcerem recipi, et alia die arena parari, et una cum sancto Sossio ad ursos tradantur. Alia vero die, secundum jussum judicis paratur arena in civitate Putteolana *g*, adducuntur Sancti ad amphiteatrum. Spectatur judex ad exspectaculum. Sed ut judex moras inecteret, causa pubblica faciente, et ad amphiteatrum tardius properare, veniens arenarius dixit judici. Jam tardius est domine, audire *h* eos, modo non potes. Tunc Dracontius judex jussit Sanctos de amphiteatrum *i* tolli, et ad se adduci. Quibus sedens pro tribunali dictavit sententiam, dicens, Januarium episcopum, et Sossium, et Festum diaconis, et Desiderium lectorem, qui se Christiani professi sunt, et decreta nostra comtempserunt, capite cædi jubemus.

capiuntur et damnantur tres Martyres Puteolani 6 Qui dum ducerentur ad decollandum, quidam de plebe circumadstantibus, adest Proconsulus * Putteolanæ civitatis ecclesiæ diaconus, et duo laici, Eutichis, et Acutius, Ili tres dixerunt. Quid enim mali homines isti fecerunt, ut eos judex juberet *k* occidi? Statim eorum verba ad judicem perlata sunt. Quod cum judex audisset, statim cum summa festinatione jussit eos teneri, et cum sanctis Martyribus decollari *l*. Qui cum omnes pariter ad martyrium ducerentur, quidam senis *m* pauperrimus, sperans, se beneficia Sanctorum juvari; opposuit se beato Januario pervolutus pedibus ejus, rogans eum, ut aliquid de vestimentis ejus mereretur accipere. Beatus vero Januarius dixit seni illi, post deposito meo corpore, orarium meum de quo mihi oculos ligavero, scias te me ipsum daturum esse.

* Proculus

Visio et mors matris S. Januarii: Sanctorum decollatio. 7 Mater quoque sancti Januari in civitate Beneventana posita vidit in somnis ante triduo quod Januarius episcopus in aëra ad cælum volabat; Et cum de somno suo excitaretur, et interrogaret quid vellet esse, subito nuntiatum est ei a quodam, quid filius Januarius episcopus pro Dei amore in vinculis teneretur; At illa perterrita, prosternens se in oratione reddidit spiritum. Interea Sancti dum pervenissent ad locum ubi decollandi erant, id est a sulphurataria, sanctus Januarius flectens genua ad orationem suam dicebat, Domine Deus omnipotens in manus tuas commendo spiritum meum. Et erigens se, accepto orario suo, oculos sibi ligavit, flectens genua manu sua cervici opposuit, et spiculatorem ut feriret rogavit; Spiculator autem cum magna virtute percutiens, digitum manus sancti martyris Januarii simul cum caput abscidit; similiter et omnes Sancti decollati sunt martyrium exceperunt sempiternum.

Apparitio S. Januarii: corpora a Christianis ablata et sepulta: 8 Sanctus autem Januarius post decollationem suam apparuit seni illi evidenter, et dedit illi orarium unde sibi oculos ligaverat, sicut promiserat deprecanti; Cuique dixit. Ecce quod tibi reddi debeam, tolle sicut promisi tibi. Ille accepto orario, cum summo honore abscondit in sinum suum. Spiculator autem, et alii de officio videntes senem irridebant ei dicentes, Accepisti quod tibi promiserat ille qui decollatus est? At ille dixit eis. Etiam, et ostendit eis orarium. Recognoverum eum, admirati sunt. Christiani autem diversarum urbium custodiebant corpora Sanctorum, ut ea noctu raptim tollerent, et in civitatibus suis sepelienda portarent; Et ceperunt occulte solliciti observare; Et facta nocte universis dormientibus, silentiora noctis, apparuit sanctus Januarius uni ex illis qui parati erant corpus ejus tollere, et dicit ei. Frater, cum corpus meum tolleris, et digito manus meæ in illo loco exilisse cognosce, requirite eum, et pariter cum corpus meum ponite. Et ita E factum est, ut Sanctus ipse admonuit. Corpora autem Sanctorum jacuerunt ad sulphuratoria ubi postea dignam beati martyris Januarii basilicam condiderunt.

translatio S. Januarii Neapolim. 9 Noctu vero cum unaqueque plebe sollicite suos sibi patronos rapere festinarent. Neapolitani beatum Januarium sibi patronum tollentes a Domino menuerunt *n*. Postea vero quieto jam tempore venerabilis episcopus, una cum plebe Dei sancta cum hymnis, et laudibus tollentes juxta Neapolim transtulerunt, et posuerunt in basilica, ubi nunc requiescit. Qui præstante Domino nostro Jesu Christo meritorum suorum beneficia innumerabiles prestare non desinet usque in hodiernum diem. Cujus dies natalis celebratur tertio decimo Kal. Octobris.

ANNOTATA.

a *Unde hæc Acta acceperit Mazochius, exponitur in Commentario num.* 18, *ibique datur titulus in codice Bononiensi præfixus. Vocatur ibi* Vita S. Januarii; *cum Acta tamen maxime concinnata videantur pro* S. Sosio, *a quo sumunt exordium. Ejusdem opinionis fuit ipse Mazochius. Ex* F *hac autem opinione collig̃o primo, non esse mirandum, si in his Actis multa omittantur de* S. Januario; *sicut de eodem multa sunt prætermissa in Actis S. Proculi, et in aliis SS.* Eutichetis *et* Acutii, *licet, hæc alias Actis primis consentiant, et ex eis sint collecta. Secundo, cum collector codicis Bononiensis titulum* S. Januarii *his Actis præfixerit, non est incredibile, nonnulla ab ipso rescissa esse, quæ fortasse de* S. Sosio *in fine legebantur.*

b *Legendum* quinquies, *et ante* Constantii, *ut jam annotavi ad Acta prima lit. c. Cum autem multa ex Actis primis ad hæc fuerint translata; annotationes ibi datas lector poterit consulere, ubi hic non dantur.*

c *Id est,* Misenatis. *Mendum illud* Mesinatæ, *aliaque similia, Mazochius putat oriri ex eo, quod Acta prius fuerint Græce scripta. At frequentiora videntur menda, quam ut ea origini Græcæ imputare possimus omnia. Ego illa non semper observabo aut corrigam, cum hæc Acta unice edam, ut perspiciat lector, unde Joannes diaconus partem eorem, quæ de* SS. Januario *et* Sosio *dedit, acceperit.*

A. ANONYMO. *perit. Poterit igitur Joannes Diaconus consuli, ad cujus lucubrationem ostendam, quid ex hac sit desumptum, et plura dabo annotata.*

d *Nulla* Sosii *interrogatio in Actis legitur. Verisimile tamen non est, inauditum fuisse damnatum. Suspicor, omissam in his Actis fuisse, quod collector Actorum eam in primis Actis non inveniret.*

e *Improbabile videtur*, S. Januarium *venisse Benevento ad carcerem Puteolanum, longeque improbabilius, in carcere ipso sic fuisse locutum. Nam id erat ultro se persecutoribus tradere, et quidem sine justa causa. Quis hoc credat de Episcopo? Legit, opinor, Actorum consarcinator, quæ in Actis primis num.* 5 *leguntur de* Festo *et* Desiderio, *de captivitate* S. Januarii *in civitate Nolana conquerentibus, quod non est improbabile, cum hi credere possent, se nec cum persecutoribus nec cum delatoribus loqui. At ineptus compilator* S. Januarium *in ipso carcere sic loquentem inducit.*

f *Quid hic dictis ineptius fingi potest? Dicunt judici, sibi mandatum fuisse, ut* Januarium *et Socios, quos nuntiant in carcere fuisse, comprehenderent, nec tamen ceperant. Aut satellites illos credidit stipites fuisse, aut ipse stipes fuit auctor.*

B g *Nullibi dixit auctor, in qua civitate captus esset primum* Sosius, *deinde alii. At ante semper locutus est de Miseno, ut credere deberemus, omnes fuisse carcere mancipatos Miseni. Nunc vero arena paratur Puteolis, ut revera factum est, et* Sosius, *de cujus interrogatione nihil dixit, cum ceteris ad bestias damnatur. Sunt hæc nimirum volentis scribere et nescientis aliquid recte exponere.*

h *Non erant amplius audiendi, sed jam ad bestias erant damnati. Ex mox revera non amplius auditi dicuntur, sed capite damnati. Novæ igitur hæ sunt auctoris ineptiæ,*

i *Non est probabile, intermissum fuisse spectaculum, cum judex alium ibi substituere posset, si ipse fuisset impeditus. Præterea quæ mox facta dicuntur, videlicet reductio Sanctorum ab amphitheatro ad judicem, perductio ad locum supplicii, nimirum ad sulphurariam, aliaque mox referenda, plus temporis exigebant, quam erat necessarium ad feras contra Sanctos in amphitheatro laxandum, reliquaque ibi peragenda, ubi omnia erant parata. Videbit hoc oculis ipsis curiosus lector, modo in tabula Commentario nostro præfixa consideraverit distantiam amphitheatri*
C *et sulphurariæ a civitate Puteolana. Si quis igitur ab accumulatis ineptiis recte ineptus dicitur; non possumus non ineptissimum vocare auctorem illorum Actorum.*

k *Figmentum rursus improbabile, et primis Actis contrarium.*

l *Magis etiam improbabile est, inauditos et sine ulla interrogatione fuisse damnatos.*

m *Quod hic de sene, et mox de matre* S. Januarii *refertur, ex primis Actis sumptum est, quemadmodum et reliqua, quæ sequuntur.*

n *Hæc etiam desumpta sunt ex iis, quæ variis temporibus fuerunt Actis adjecta, et modo sunt in Appendice. Habes, lector studiose, Acta mendosissima, et non paucis erroribus deturpata. Non possum satis mirari,* pulcherrima *visa esse Mazochio, et* sincera. *Neque enim deprehendere valeo, ubi lateat abscondita illa pulchritudo, quæ major mihi in his Actis non apparet, quam esset hominis naso et auribus mutilati, multis vulneribus et ulceribus pleni, sanieque demum et cruore manantis. Sinceritatem et fidem in Actis illis vix majorem invenio, quam pulchritudinem. Quæ ex Actis primis auctor suis inseruit, ut verbis sunt passim correctiora, aut minus saltem mendosa ceteris,* D *ita ceteris sunt meliora, et partim probabilia. Quæ initio habet de amicitia et gestis inter* Januarium *et* Sosium, *ex documentis aut traditione Misenatum accipere potuit, et sic probabilia haberi possunt. Quæ vero exposuit alio modo, quam exponuntur in Actis primis, tam inepte et improbabiliter relata sunt, ut de falsitate illorum prudenter dubitare nequeamus. Itaque, quemadmodum non inficior, prima Acta suis laborare defectibus, ita cogor dicere, hæc multo deteriora esse.*

ACTA S. PROCULI ETC.

Ex duobus Mss. Puteolanis.

Sævitia persecutionis Diocletiani, a

Angelo Smirnæ ecclesiæ, Polycarpo *a* martyri sociisque futuris martyribus in Apocalypsi Joannes denuntiat futuras Ecclesiæ persecutiones fideliumque jacturas. Ecce, inquit, missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, et habebitis tribulationem magnam diebus decem. Isti decem E dies decem fuerunt primitivæ Ecclesiæ persecutiones, quarum primam exercuit Nero propter victoriam apostolorum Petri et Pauli de Simone mago. Decimam (aliis prætermissis) exercuit Diocletianus. In quibus decem diebus pagani principes, ignorantes Dei justitiam et fidem Christi, ad extirpandos fideles, in primitiva Ecclesia pullulantes, tam varia excogitaverunt tormentorum genera, ut ea numerare aut exprimere vix ulla sufficiat aut dictatis scriptura aut narratis facundia. Tandem ultimam persecutionem gentilium præsagiens inimicus humani generis, æmulusque nostræ salutis, virus suæ nequitiæ per Diocletianum augustum ex integro vomere visus, hominem quanto obscuriore loco natum, tanto austerius præsidentem, et aptum ad perturbandum tam divina officia quam humana, animum ejus in tantam impietatem induxit, ut imperiali edicto mandaret, omnes ecclesias Christianorum toto orbe posterni, scripturasque divinas comburi, et ecclesiis præsidentes ubique carceribus mancipari. De reliquis autem Christianis præcepit, ut qui mandatis suis acquiescerent, procul a gladiis fierent; sed qui profiterentur se non immo- F laturos idolis, gladiis interirent *b*. Tunc inventus b est populus Christianus inter paganos, quasi Job in terra Hus, et quasi Loth in Sodomis et quasi lilium inter spinas.

in qua capitur S. Sosius: cujus causa judicem adeunt

2 Orta igitur Ecclesiæ persecutionis tam sæva procella, Dracontius quidam præses Campaniæ, volens Diocletiano placere, quasi virulentus draco, in Christi fideles venena iniquitatis effudit, nulli parcens ordini, sexui vel ætati. Et inter alios venerabilem virum Sossium, Misenatis ecclesiæ diaconum, obscuro carceri mancipavit. Erat autem huic Sossio familiari dilectione conjunctus, æqualis sanctitatis et ordinis, egregius vir Proculus, ecclesiæ Puteolanæ diaconus, qui, transactis aliquot diebus, memor injuriæ Viri Sancti et conculcationis fidei Christianæ, illa charitate accensus, quæ foras mittit timorem, sociatis sibi fidelibus viris Euticete et Acutio, Dracontium adiit *c*, c et forti animo in hæc increpationis verba prorupit; Quæ te, o inique judex, feritas inducit, ut sis veritatis hostis et innocentiæ persecutor, dum Christi servos persequeris, et Christi fidem subvertere frustra conaris? Injuste præses, cur in tribunali sedens agis, non quæ justitiæ, sed quæ crudelis.

A delis bestiæ sunt? Draconti, merito sic vocaris, dum Christi servum Sossium, Deo acceptum et hominibus gratum, cum latronibus ligas, cum iniquis carceras, et cum impiis crucias. Desiste, miser: desiste a persecutione servorum Dei, ne quando irascatur Dominus, et pereas in æternum: illius offensam pertimesce, qui potest corpus et animam in gehennam perdere. His Dracontius auditis, ira exarsit, et fellea venena iniquitatis more draconis ad linguam evocans, ad S. Proculum ait: Usque quo superstitiosa verba hæc loqueris? Si te vesania in contumaciam elevat, si pœnarum te fatuus provocat appetitus, hodie facio, ne impune tua loquacitas reprehenderit, quem oportuit revereri, teque illi in pœnis socio, pro quo advocati officium assumpsisti.

Proculus, Eutyches et Acutius, et cum illo mancipantur carceri.

3 Et continuo jussit sanctum virum Sossium suis tribunalibus sisti, longo carceris squalore inediaque afflictum, et ait: En, Procule, habes, cum quo de secta tua vana confabules: en, coram te est, cui similis efficiaris in ornatu vestium deliciisque ciborum. Ad hæc S. Proculus, sancti Viri pœnis non perterritus, sed fortius animatus * respondit: Placet, ut Viri ejusdem religionis et ordinis eodem percurrant stadio ad bravium supernæ vocationis. Immo, inquit tyrannus, æqua-B lis tenebit pœna, quos error idem commaculat. Humanitatis tamen memor, vos moneo, ut, dum tempus habetis, vestrum corrigatis errorem, ne vos tormenta excrucient, et immatura morte amittatis dulcedinem juvenilis ætatis Quænam vestra dementia imperialia jussa contemnere, et pro nova secta antiquis seculis deorum observatas cæremonias reprehendere vel damnare? Ad hæc S. Proculus ait: Jussa principum, quæ legi Dei contraria non sunt, libenter suscipimus, nec eis injuriam irrogamus, si Regem et Dominum universæ creaturæ illis præponimus. Cærimonias autem damnamus idolorum et dæmonum: et pro vera fide Dei, et Domini nostri Jesu Christi parati sumus universa portare tormenta: non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quam Christus revelabit in nobis, reddens pro parvis magna, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna; immo donabit, quæ nec oculis vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: hæc enim præparavit Deus diligentibus se. Quibus auditis, omnes immanissimus Dracontius in eumdem carcerem includi jussit.

* al. armatus

S. Januarii certamina Nolæ,

C 4 Cumque interea ipse Diocletianus Timotheum quemdam substituisset, et in Nolana hic civitate Januarium Beneventanum episcopum ob eamdem Christianæ fidei confessionem in ardentem fornacem conjici præcepisset, sanctus Episcopus signo crucis se muniens oravit, ut instar trium puerorum in medio ignis pro hac fidei confessione servaretur incolumis. Iniquitatis autem ministri illæsum cernentes in conflagranti igne Deum laudare ac benedicere, stupore perterriti, hoc nuntiant Timotheo. Ille vero jussit aperiri caminum, et statim flamma erumpens plures exstinxit adstantium paganorum: in vestimentis autem aut capillis sancti antistitis Januarii nullum apparuit læsionis vestigium. Tunc adstanti Viro Dei ait tyrannus incredulus: Quibus, Januari, maleficiis talia operaris? Sed variis te faciam interire tormentis. Sanctus autem Januarius respondit: Ego semper in Domino sperabo, nec timebo, quid faciat mihi homo. Tunc iratus tyrannus jussit eum in carcerem recipi. Mane autem facto, in foro civitatis sedens pro tribunali, præsentato sibi S. Januario, ait: Quid immoraris? Sacrifica diis, ne diro gladio moriaris, nec te liberare poterit Deus tuus de manibus meis. Sanctus vero Januarius respondit: Ignoras Dei potentiam, miser, cui nemo restitit et pacem habuit: omnia enim, quæcumque voluit, fecit in cælo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis. Pensa, quanta sit in eum blasphemia, qui tantam habet patientiam, ut ad misericordiam te adducat. Tunc iratus præses, jussit compedes absolvi *d*, ut mortis timorem immittat. Sanctus vero Januarius oravit, suum agonem Domino commendans. Præses vero iterum jussit eum in carcere recipi.

Ex Ms.

d

deinde cum Festo et Desiderio ibi captis, et cum reliquis Puteolis:

5 Hoc audientes duo ex clericis B. Januarii, Festus diaconus et Desiderius lector, in fervore spiritus locum adeunt, et flentes quærunt, cur tantus ac talis Antistes teneatur in vinculis: quid Vir sanctus commisit unquam criminis? Quis ad eum tristis accessit, et non rediit consolatus? Quis æger ab eo visitatus, et sanitatis remedia non suscepit? His Timotheo relatis, furibunde præcepit cum B. Januario eos in carcere claudi, et cum fortes atque constantes in Christi fide reperisset, jussit sanctos Christi confessores, Januarium, Festum et Desiderium, ferro vinctos ante currum in civitatem Puteolanam trahi, et cum sanctis confessoribus, Sossio, Proculo, Euticete et Acutio in memorato susceptos carcere diligentius E custodiri. Sequenti die cuncti ursis traditi sunt: sed feræ *e* sanctos Martyres osculis demulcebant. Sanctus vero præsul Januarius hoc attendens, gratias Deo exolvit pro individua societate Pastoris et gregis. Alia die crudelis præses ad spectaculum veniens, jussit in Sanctos feras dimitti. Sed, confortante Præsule Socios, ne de potentia Dei diffiderent, qui fecit cælum et terram, bestiæ humiliter ad pedes Sanctorum se prostraverunt. Quod cernens tyrannus, Christi Confessores ante se jussit adduci.

e

omnes capite damnantur, judice excæcato et precibus S. Januarii sanato:

6 Et cum præsentati fuissent coram eo, protulit sententiam, dicens: Januarium episcopum, Proculum, Sossium et Festum diaconos, et Desiderium lectorem, Euticetem et Acutium cives Puteolanæ civitatis, qui se Christianos esse professi sunt, et deorum libamina et imperatorum præcepta contempserunt, capite cædi jubemus. Quia vero pravorum * nonnulli retrahuntur a malis formidine pœnæ, et ut Christi virtus et fidei unitas adstanti populo innotesceret, oravit S. Januarius, ut crudelis tyrannus oculorum aspectu et luminis corporalis dulcedine privaretur, sicut erat mentis infidelitate cæcatus: et continuo cæcus fa- F ctus est. Præcipiens autem tyrannus S. Januarium coram se velociter adduci *, dixit ei: Januari, serve Dei excelsi, ora Dominum tuum pro me, ut lumen recipiam, quod amisi. Cui Vir humilis acquiescens, oravit, dicens: Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, ut cognoscat universus populus, quia tu es Deus solus et verus, aperi oculos Timothei, et illumina mentes, quas ille studuit obcæcare. Facta oratione, Timotheo lumen oculorum continuo restitutum est. Quod cernens populus, universus in stupore conversus est, usque ad quinque millia virorum et mulierum, et factus est clamor laudantium et benedicentium Deum.

* al. paganorum

* al. revocari

Sanctorum martyrium: corporum translatio

7 Timotheus vero a pœna liber, sed iniquitatis servus, cernens populum converti ad Christum, jussit militibus latam sententiam in Christi Confessores velocius executioni mandari. Ducti igitur ad locum, qui Sulphuraria dicitur, capitis obtruncatione compleverunt martyrium. Ipso autem die martyrii eorum Timotheus doloribus vexatus clamabat: Væ mihi misero, væ mihi misero, quia propter crudelitatem, quam exercui in

Ex Mss. in Dei Servos, ab angelis intolerabiliter crucior. In cruciatibus autem illis spurcissimum et oneratum peccatis spiritum exhalavit. Fideles vero concives Martyrum occulte corpora rapuerunt, et ad civitates propinquas cum multa reverentia detulerunt. Proculum Puteolani venerantur : Neapolitani vero tunc B. Januarium habere meruerunt. Sed Longobardorum tempore, capite remanente Neapoli, corpus ejus Beneventum cum magna gloria translatum est.

ANNOTATA.

a *Angelum sive episcopum Smyrnensis ecclesiæ, ad quem S. Joannes scripsit Apocal. 2, fuisse S. Polycarpum, communis fere est interpretum sententia, quam tamen hic non examino. Acta S. Polycarpi data sunt ad 26 Januarii.*

b *Hic in altero Ms. paucula sunt adjecta. Sic aliis locis nonnulla in verbis est differentia. At ex alterutro sumam, quod correctius videtur : nam Acta hæc tanti meriti non sunt, ut necesse sit annotata accumulare.*

B c *Horum Actorum collector primis Actis passim inhæret. At prima Acta tacent de occasione, qua tres Puteolani Martyres capti sunt. Itaque dubitandum videtur, an ultro Dracontium adiverint, et objurgarint, præsertim cum Joannes Diaconus num.* 13 *captivitatem eorum referat modo nonnihil diverso. Nequeo etiam auctoritatem attribuere sermocinationibus et discursibus, quos horum Actorum scriptor verisimiliter meditatus est.*

d *Sic auctor intellexit, quod num.* 4 *in Actis primis dicitur,* Jussit, ut nervi a corpore ejus excluderentur, *per* nervos *intelligens compedes, et fortasse satis recte.*

e *Hæc in utroque Ms. mendosa esse opinor, legendumque* carceri traditi sunt, ubi invicem oculis demulcebant. *Certe semel tantum bestiis objecti sunt.*

ACTA

Auctore Joanne diacono ecclesiæ S. Januarii.

C

Ex Ms. Neapolitano et Romano tabularii Vaticani, collatis cum editionibus Surii et Falconii.

PROLOGUS

Auctor sæpe rogatus de S. Sosio scribere, a

Post nonnulla tyrocinii mei Opuscula *a*, quibus aliquantisper juvenilem animum caritatis exercuisse videbar imperio *, nullius fore disponebam intentionis, nisi ut magis hebetaret desidia, quam fomenta lividæ stomachationis alicui pro talibus subministrarem *b* experimentis. Didiceram quippe, et satis didiceram, qualiter bilis ignita linguæ faculam torrens continuos ureret dentes. Huic ergo decreto cum inclinatus animo adhæsissem, inter plurimorum sodalium cœpi etiam et domni Johannis *c* venerabilis sancti Severini abbatis, quem umquam refellere nefas existimaveram, detrectare implorationes, adeo scilicet, ut ad id, quod de sancto Sossio fieri postulabat, multifaria evadens obliquitate diversus, modulum excusationis nullatenus inhiberem. Quod ubi vir strenuissimus animadvertit, non est passus ultra dissimulationis funiculum prolongari, sed per idoneos proventores * domno Stephano *d* suggessit episcopo, quatinus ejus amplitudinis interventu obtineret, quod adipisci sua impetratione nequibat.

* al. imperium; b; c

D

* al. perventores; d

2 Extemplo me pontificalis accersitum sublimitas taliter increpando accepit : Exciditne tibi, diacone, qualis obedientiæ sit fructus? Exciditne Samuēlis justa indignatio, dicentis ; Melius est obedire, quam sacrificare. Cur ergo surda præteris aure, quod a Johanne abbate toties posceris? An ignoras, quantas utilitates talium narrationum scripta convectent? Si enim in eis totius Christianitatis emolumenta percipiuntur, quare tu tua quærens, ostendis te colaphis non esse disciplinatum apostolicis? Sic præsul. Et præsuli sic summissa voce respondi : Si vestræ prius discretionis lance pensatur, quo potissime nostra vergat accusatio, justissime castigamur : sin alias, quare tantis frangimur increpationibus *? Habet, inquam, habet affatim vestri compertum acumen ingenii, quomodo plurimæ martyrum passiones ex historiis et annalibus sunt decerptæ, in quibus commendabatur seriatim, quicquid gentilis illa * perpetrabat examinatio. At nos, quibus nulla talium facultas suppeditat, quo exequi pacto cogimur, unde rectissime favorabili denotemur mendacio, et inevitabili pseudoepigraphi discrimen incurramus. Hanc præsul ille * apologiam tali protinus auctoritate conclusit : Procul hinc, procul, si placet, totius objectionis ambago recedat. Est enim exinde quædam scriptura, *e* lepida, ut reor, digestione contexta, quam me olim vidisse recordor. Et quidem quoniam longi temporis meta relabitur, idcirco cunctando assero, utrum necne sancti Januarii gestis, cum quo fortissimus Christi Athleta immortalem percurrit agonem, aliqua sit ex parte diversa. Tamen hæc qualicumque stilo prolata constet, sumenda est a te, et sicuti certum est tuos fecisse majores, quæque sunt superflua, reseca, necessaria subroga, inepta abjice. Et una cum his, quæ de inventione corporis ejus sunt, fide tua, qui interfuisti, in civilem redige compositionem, quatinus pro tanti laboris compensatione municipatu tandem martyriali, Christo largiente, perfrui merearis.

tandem jussus a Stephano episcopo, scripturam de eo suggerente,

E

* al. fatigamur redargutionibus

* al. ipse

* al. ipsa

e

F

3 Ad hæc ergo nihil ultra respondere præsumens, coactus inchoavi, quod spontaneus recusabam. Sed quia in memoratis scriptis, infatuato *f* quamvis sale pertinctis, nulla parentum ipsius, nec pontificis saltem, qui eum redimitione levitali dicaverat, mentio inerat, et conquerentes ex hoc viros etiam non spernendæ gravitatis perspeximus, ideo summatim commemorare libuit, ut nec ego sim in antea obnoxius, nec illius temporis pertinaciter incusentur scriptores. Quoniam multis accidere * potuit eventus, aut latibuli scilicet aut mortis, necnon et ignorantiæ, vel aliud quid verisimile; unde justa possit oriri excusatio, quod silenter prætermissi fuerunt *. Tamen quomodocumque acciderit, quia nulla valet modo conjectura censeri, constat me credulitate media nihil irritum, nihil ambiguum in istis posuisse narrationibus. De cætero nunc agendum est, venerabilis abba, ut nuper promissis orationibus sic sic meam juves inertiam, quatinus sit Deo acceptum, et hominibus gratum hujus nostri laboris conamen.

scribere proponit vera et comperta. f

* al. accedere

* al. prætermiserunt

A

ANNOTATA.

a *Varia Opuscula a Joanne Diacono composita fuisse in juventute, dixi in Commentario* § 3. *Hoc senex præcipue scripsit de* S. Sosio, *uti apud Surium tamquam Acta* S. Sosii *est editum. Attamen non minus scripsit de* S. Januario *et Sociis. Quare non male in codice tabularii Vaticani, qui signatus est* A. 4, *præfigitur hic titulus :* Passio sancti Januarii, Sossi, Festi, Desiderii, Euticii, Acutii, mense Septemb. die XXIII. *Solus* Proculus *omissus est, verisimiliter exscribentis incuria. Dies titulo additus etiam in Ms. Neapolitano,* Sosium, *qui* XXIII *Septembris colebatur, præcipue insinuat. Lectorem porro monitum velim, me omnia daturum ex alterutro codice. Ubi diversæ sunt lectiones, nec clare apparet, alterutrum esse mendosam, diversitatem annotabo.*

b Subministrares, *et mox* didiceras, *habet Surius, sed perperam, quia auctor insinuat, se prioribus Opusculis nonnullos offendisse, et ideo statuisse nihil præterea scribere.*

c *Joannes ille abbas acceperat prius corpus S. Severini, deinde et* S. Sosii. *De utroque scripsit hic auctor, ut dictum in Commentario num.* 38.

B

d *Stephanus is erat episcopus Neapolitanus, hujus nominis tertius, quem ab anno* 895 *episcopum fuisse credit Ughellus ; sed necesse non est, ut credamus, ipsum superfuisse usque ad annum* 920.

e *Scripturam hanc non aliam fuisse, quam Acta primum a Mazochio, et nunc a nobis secundo loco edita, cum laudato Mazochio existimo, ut videri potest in Commentario num.* 20. *Erant tamen multo verisimiliter correctiora, quam nunc prodierunt ex codice Bononiensi, ubi non modo mendis deturpata, sed etiam fortasse mutilata fuerunt. Præterea nec Stephanus illi scripturæ multum laudis attribuit, et Joannes Diaconus eam primis* S. Januarii *Actis constanter postposuit.*

f *Hac voce Joannes ipse insinuat, iis Actis nonnullos errores insertos.*

CAPUT I.

Gesta S. Sosii et amiticia cum S. Januario : captus Sosius fortiter se gerit, uti et Proculus, Eutyches et Acutius, coram Dracontio judice.

C

Diocletianus et Maximianus, adepto imperio,

Numerianus igitur augustus, cum ex Parthicæ regionis demolitione * reverteretur, et propter oculorum, quam incurrerat ægritudinem, lectica in itinere veheretur *, ita est ab Apro *a* socero suo clandestinis peremptus insidiis, ut vix fœtore cadaveris necem ejus post aliquot dies milites comperissent. Qui statim Aprum interficientes, Diocletianum, cujusdam ex Dalmatia scribæ *b* filium, tumultuosa vociferatione cæsarem acclamaverunt. Hic autem versipellis ut erat, Maximianum continuo *c* Herculeum, moribus et feritate haud sibi dissimilem, consortem sibi asciscens iniquo prælatu reipublicæ summam invaserunt. Sed quia Carinum, prælati Numeriani germanum, qui superstes adhuc cum magno * exercitu Galliarum commanebat in partibus, metuendum ducebant idcirco in suis primordiis lentam commmoverunt persecutionem in Christianos, scientes procul dubio plurimos illi hærere amicos, quos hujus tituli sacratissima decorabat professio.

* *i. e.* ex bello Persico
* *al.* uteretur
a *b* *c*
* *al.* omni

A. Joanne Diac.

persecutionem sævissimam in Christianos movent.

5 Ubi autem cæsar iste penes Margum *d* prælio devictus occubuit; confestim illi tempus nanciscentes, quo tyrannidem suam sævire permitterent, pro dolor! per universum orbem *e* complices suos direxerunt, quatinus quicquid Christianitatis culturæ reperissent *, aut suis, si possent, obscenis manciparent cæremoniis, aut exquisitissimis addicerent pænis. Succurre, Domine Jesu, succurre agonizanti Ecclesiæ tuæ, ut perspicuus fidei candor, quo magis densitate caliginosæ gentilitatis obrui satagitur, eo amplius, te illustrante, martyrialibus * renitescat lucernis. Cruentissimis itaque satellitibus omni sollicitudine suorum jussa dominorum adimplere studentibus, licet omnis Campania, imo totus afflictaretur mundus, tamen in oppido Misenatium potissima incubuerat persecutio, quia illic celebris paganorum frequentabatur occursus, propter Sibillæ *f* vatis sepulcrum, haud inde longe discretum.

d
* *al.* reperirent
* unum *Ms.* immaterialibus
f

Sosius amicitia cum S. Januario conjunctus fuit :

6 Hac ergo tempestate beatissimus Sossius, ejusdem ecclesiæ diaconus, vir, in quo cælitus omnium charismatum dona confluxerant, secundum congruam nominis sui vocationem, (quia Sossius, si a σώζων Græco sermone derivatur, Latine Salutarius exprimitur) nocte dieque, quamvis palam ob insidias persecutorum non auderet conservari *g*, tamen ad nil aliud erat intentus, nisi ut incredulos invitaret ad fidem, et fideles ad imminentes corroboraret agones. Cujus industria cum longe lateque flagraret, et opinio bonitatis in dies accresceret, in tanta cœpit ab omnibus haberi dilectione, ut Januarius Beneventanæ sedis egregius antistes, licet majoris esset dignitatis, magni tamen Dei, usque ad mortem se humiliantis, initiator effectus, sedulus ad illum visitandi gratia properaret : et doctrinæ pabulum mutua sibi sumministrantes affluentia, non solum animos suos ad cælestia sublevarent, sed et Dominicum gregem per sacra colloquia informarent.

g

hic flammam e vertice ipsius emicantem cernens, martyrem futurum prædicit.

7 Mira Sanctorum dilectio, mira et stupenda constantia : nam cum nulla fatigatione itineris, nulla terroris intentione retraherentur, quin vicariam sibi non exhiberent affectionem ; accidit haud sine divino nutu, ut idem domnus * Antistes ex more veniens, reperiret illum forte in cœtu fidelium sacrosancta Evangelia sonoro jubilo personantem. Mox pater optimus, pietatis amore contractus, substitit, et fervorem tantæ alacritatis diu multumque ammirans, subito clericalem * verticem ejus vidit perspicuam fundere flammam. Cujus oblectatione perculsus, intellexit protinus documento Scripturæ imbutus, qui coruscatione radiaret in illa, quidve portenderet inflammatio ipsa. Et lætus ad * cælum cum gaudio palmas sustollens, ineffabilem Christi gratiam seriamque dispensationem ex intimis cordis organis collaudavit. Dehinc perpendens id nulli præsentium, nisi sibi soli, apparuisse, properanter accepit, et constricto super eum incumbens amplexu, flammigerum illud caput spiritalibus detinebat osculis, et coram adstantibus martyrii tandem diademate coronandum, iterum iterumque profitebatur. O religio sanctitatis! O devotio caritatis! O vaticinatio veritatis! Dum enim talia tantaque Præsulis pariter et Levitæ dona consideramus, omnis penitus admiratio nobis adimitur sensus hebescit, lingua torpescit.

* *al.* dominus
F
* *al.* clericatum
* *al.* in

de quo auctor disserit.

8 Quis umquam tam eloquens, tamque facundus digne potest exprimere, qualiter isti de religione ad sanctitatem, de devotione ad caritatem, de vaticinatione consequenter ad veritatem pertingere meruerunt?

A. JOANNE DIAC. meruerunt? Illam, inquam, Veritatem, quæ multo ante dicere * dignata est: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat? Si enim per ignem caritas, qui Deus est, et per terram corda humana intelliguntur; recte ignis iste utrorumque ardebat *h*, ut uni, qui secundum Apostolum Christum habebat, caput in vertice redundaret; alteri quoque, qui secundum Evangelium beatos habebat oculos, resplendesceret in obtutu; ambo ergo beati, ambo felices, quia ambo nimirum illis sunt donati muneribus, quæ olim filios nascentis Ecclesiæ loqui et prophetare unanimiter instigabant. Quid enim? Numquid iste non fuit ille ignis, qui repente super Apostolos intonans ora illorum per varias discrevit loquelas? Numquid non hujus illapsu Petro loquenti * fides, et eleemosynæ Cornelii centurionis sunt approbatæ? Numquid ad impositionem Pauli manus super viros decem istius non est illustratus adventus? et quid per singula ducor? Ipse *i* procul dubio illos, ipse clarificavit et istos.

* al. spondere
* al. loquendi

Captus S. Sosius, et interrogatus fidem

9 Videamus, qua conventione ad martyrii gloriam sacratissimus pertigerit * Diaconus, de quo veracissimus prophetavit Antistes. Cum igitur Sossius levita benignissimus, sicut perlatum est, famosis polleret moribus, et vitæ virtutisque proposito insistens, bonus odor aliis ad vitam, aliis secundum Apostolicam institutionem esset ad mortem, factum est, ut ab his, qui bono perierunt odore, sæpissime ad Dracontium, tunc Campaniæ judicem accusaretur. Quorum frequenti suggestione, utpote paganitatis minister, in furias actus, lictoribus suis transmissis, artari eum, et ad se usque perferri præcepit. Mox autem, quia lux in tenebris latere non poterat, neque civitas abscondi supra montem posita, ubi conventus est a militibus sortis Athleta Christi *, et coram solio judicii præsentatus, stetit imperterritus *. At sceleratus arbiter diu multumque ammirans elegantem ejus speciositatem, Apte, inquit ad illum, forma corporis cum fama nominis tui congruit *k*: sed quia quadam superstitione pollutus asseveraris, necesse est, ut accedens libamen offeras, et frustreris accusationem, quæ toties de te nostras perculit aures. Ad hæc Sanctus ita responsum reddit paucis: Absit hoc, judex, absit, a me, ut debeam aliquo modo illam commaculare religionem, cui ab ipsis, ut ita dicam, oblatus cunabulis, toto corde totaque intentione servivi. C

* in Ms. pertinxerit
* al. Dei
* al. interritus

constanter et libere profitetur:

10 Tunc censor intumuit, et felleam vultu prætendens amaritudinem, Ne confidas, inquit, in hoc vernanti corpore juventutis. Quia, si scitis imperialibus et meo protinus consulto non parueris, illo te, prius vehementer affectum tormentis, jubeo mancipari ergastulo, unde saltem nec ipse te Deus tuus possit eripere, sed squalore intolerabili, et famelica sic adigaris penuria, ut sponte perficias, quod modo parvipendendo recusas. Mox Propugnator veritatis, omni refertus constantia, ait: Non tibi umquam bene *l* sit, arbiter iniquitatis, ut quibusque aliquando pænis devincar, et detestabile tuæ perversitatis adimpleam votum. Ego autem firmiter in Deo meo sperans, cum ejus Apostolo semper decanto: Nullus me separabit a caritate Christi *, non tribulatio, non persecutio, non gladius, non carcer, non fames, non nuditas: quoniam propter eum tota die mortificor, ut tandem cum illo conjungar. Sed tibi, o miserrime, tibi, o scelestissime, potius est ingemiscendum et dolendum, qui juste quodam præsagio Dracontius est appellatus. Revera enim nunc ille temerarius draco per oris tui organum loquens, invalidam Dei mei præsumit asserere potestatem, qui olim protoplastis, ob appetitæ Deitatis rapinam, mortem infligens, contra conditoris indictum vesci eis de ligno vetito persuasit. Tamen licet illis hominibus occulto Dei judicio prævaluisse lætatus sit, mihi vero, cui jam per lignum * Crucis vita est restituta, numquam per te Dracontium, qui ad instar ejus nomen * et venenatam possides linguam, Deo suffragante, poterit prævalere. D

* al. Dei
* al. de ligno
* al. nominis

flagris cæsus, dum annorum fere erat triginta,

11 His judex auditis, sævum * infremit, et furibundus ad lictores, Nunc ait, nunc vestras expromite vires, et loquacitatem hujus Audacissimi * validis comprimite flagris, quatinus resipiscens animadvertat, ante cujus sublimitatis tribunal adsistat. Dixit: et dictum ministri cominus exequentes, totum Sancti corpus fædissime laniabant *m*. Cernens itaque dæmonum arbiter robustissimum Christi palæstram *n* illa patienter flagella tollerasse stomachando intulit: Hic, quia se vultum longanimitatis induisse simulat, claustris est teterrimis deputandus, ut ibi frigore fameque deficiens, florida ipsius, qua gloriatur, juventa tabescat. Erat namque * tunc beatissimus Sossius annorum circiter triginta, sicut ipse cuidam benigno revelaverat episcopo, nomine Theodosio *o*, quem propter vitæ meritum valde dilexerat. Advenerat autem iste de Græcia, et propter religionem multa cum eo soliditate * fuerat combinatus. Quique etiam et de eodem fatebatur diacono, quod vere Domini nostri Jesu Christi discipulus, et imitator esse studebat. Nam et oportune importuneque prædicationi instabat, et ob indicantium sagacitatem vulgares plerumque declinabat aspectus. E

* al. secum
* al. Audacis
* al. nempe
* al. sodalitate

carceri includitur. Martyres Puteolani ipsum invisentes,

12 Recluso itaque fortissimo martyre Sossio secundum decreta judicis in ardua atraque * custodia, Proculus diaconus, et Eutices atque Acutius, illustrissimi cives Puteolanæ urbis, fervore devotionis accensi, ethnicos clamosis * objurgationibus increpabant, dicentes: Miseri, dementes, insani, quare benignum et innocentem Hominem verberibus afflixistis, in tenebras adduxistis? Numquid, quia vestrarum principis tenebrarum noluit esse famulus, ideo lucernam ardentem, quæ sub modio non potest contegi, carceris obscuritate voluistis extinguere *? Heu detestabile judicium! Heu execrabile factum! quod omnis lex abrogat omniaque jura condempnant. Quis umquam legislator vel juris peritus indixit, ut justus condempnaretur, aut innoxius puniretur? Hæc et his similia vociferantes, ad ergastula properarunt: et sanctum Levitam omni solamine omnique allevabant affatu. Dic rogo, dic, insanissime censor, numquid et isti alienationem mentis patiuntur, qui et innocenti Viro ex intimo compatiuntur affectu, et penitus improbant tuæ iniquitatis examen? Cæce, si sensus tuus non esset perversus, videres utique, quia isti sunt, de quibus prophetica clamat ammiratio: Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? Vere ut nubes, et ut columbæ volabant, qui nullis implicati contagiis, tam perspicuo tamque claro obtutu ea, quæ sunt æquitatis, intuebantur, et veraciter profitebantur. F

* al. arctaque
* al. clamorosis
* al. extingui

capiuntur, interrogantur, constantesque,

13 Sed quia nullius utilitatis respectum tua capit obstinatio; ideo præceps velut in reorum duceris accusationes. Lictores enim, verbis illorum auditis, statim ad iniquum judicem properantes, Domine, inquiunt, ecce homines Christianæ sectæ quos ubique perscrutari sponte vestra dignatio jussit, venientes ad carcerem, cum Sossio dampnaticio in confabulatione junguntur. Dracontius ilico citatis eos ad se vocans officiis, præcepit,

A pit, ut cum sancto Sossio sibi præsentarentur *p*. Qui dum læto coram eo vultu apparent, talem judex prorupit in vocem : Quæ * vos fatalis coëgit impulsio, ut huic insano faventes Homini, nostra nostrorumque principum decreta parvipendatis? An nescitis, quanta super hujus Sossii complices imperatorum deferveat indignatio? Relinquite ergo has vanas, quas somniatis, spes, ne vos appetisse pœniteat istius sodalitatem vecordis. Ad hanc Sancti tale constanter ediderunt responsum : O utinam, judex, cælitus insaniam stolidi hujus fuissemus incurrere digni, qui vos vetrosque tyrannos fide contempnit, humilitate despicit, patientia vincit, viceramus, inquiunt, et nos iram indignationis non vestræ, sed Dei, qui venturus est ponere orbem terræ desertum, cujus illecebras tanta vos aviditate sectamini, ut merito filii ejus astruamini. Filii ergo mundi procul dubio quia cum mundo perituri sunt, ideo eligendum est nobis, ut temporalem augustorum et vestram pro nihilo ducamus sævitiam, ut desideremus in hujus collegio inveniri, quem vos insanisse putatis, quatinus cum eo vitam adipisci mereamur æternam.

p — * al. Misericors quæ

14 Talibus extemplo dictis censor exarsit in iras, et sine mora furens vapulare Sanctos pene usque ad internecionem præcepit, ipso etiam desuper intonante : Hæc est suavitas collegii, hæc est jocunditas contubernii, hæc, inquam, sunt oblectamenta Sossii, in quibus vos toto epulari optastis affectu. In his porro delectabiliter convenit epulari *, donec consultius excogitemus, quid aliud nostræ humanitatis vobis dignanter impertiri possimus. Crudelissime arbitrum, quare in Famulos Dei furia tanta baccharis? Quare ultra modum sævire disponis? Necesse est enim, ut aula fidei eorum procacioribus impetatur turbinibus : sed quia tu ex parte jam compertum habes, quo fundamento locata consistat, subrogandus est tibi alter sævissimus, qui cognoscat ex toto, qualiter illam architectus Christus supra petram suam inconcusse fundavit.

graviter cæsi in carcerem conjiciuntur.

* al. gratulari

ANNOTATA.

a *Cædes occulta Numeriani imperatoris per Aprum socerum suum et præfectum prætorio, satis bene hic relata, contigit anno* 284, *uti et electio Diocletiani, qui acclamatus imperator, Aprum* C *manu propria occidit. Non itaque statim post compertam Numeriani mortem, sed post acclamationem Diocletiani occisus est Aper.*

b *Communior hæc est opinio* de *genere Diocletiani.*

c *Imo potius secundo imperii sui anno, sive anno* 286.

d Apud Murgum *habet Surius; sed recte in utroque Ms.* apud Margum, *quod oppidum erat Mœsiæ Superioris. At non videtur prælio victus occubuisse Carinus, sed victor occisus dicitur a suis. Res contigit anno* 285.

e *Non tam cito generalis fuit persecutio sub Diocletiano; sed illa anno* 303 *cœpta.*

f *Cumana Sibilla celebris est. Misenum autem erat prope Cumas : utrumque oppidum excisum est : at situs videri potest in tabula Commentario præfixa. Verisimiliter auctor id habet ex Actis secundis, ubi mendose aliqua leguntur similia :* Et quia in ipis *(ipsis)* locis.... frequens erat paganorum nobilium virorum (*adde* consursus ad) magnam vatem est tustamulus (*forte* cujus tumulus) usque in hodiernum diem *etc.*

g *Hæc etiam ex laudatis Actis num.* 1 *desumpta videntur, uti et sequentia de flamma a vertice* Sosii *emicare visa, et martyrio ipsius prædicto a* Januario.

A. Joanne diac.

h *Surius cum Ms. Neapolitano :* Recte ignis iste in utrorumque ardebat præcordiis *etc.*

i *Idem hic cum dicto Ms.:* Si ipse illos, procul dubio clarificavit et istos.

k *Sermonicinationes Dracontii et* Sosii *neque in Actis primis neque in secundis leguntur, ut verisimile sit, eas ab hoc auctore compositas ea libertate, quam, æque ac profani scriptores, multi biographi licitam sibi existimarunt.*

l *Hac phrasi solum vult auctor* : *Non contingat tibi ex voto, ut me vincas.*

m Laniarunt *habet Surius cum Ms. Neapolitano. Porro Acta prima solum habent num.* 1, Sosium *et tres Martyres Puteolanos* diversis suppliciis maceratos *fuisse. Dubitari itaque potest, an Joannes Diaconus de illorum suppliciis plura noverit.*

n *Voce inusitata* Palestra *pro athleta vel luctatore etiam inferius hujus est auctor, si recte habeat Ms. Romanum. Surius* Militem *substituit : Militis æque ac Palæstræ mentio est in Ms. Neapolitano; sed ibi dictio est corrupta.* E

o *Hæc de illo episcopo et ætate* Sosii *similiter leguntur in Actis secundis num.* 1, *tacetur tamen nomen episcopi, prout illa sunt edita.*

p *De occasione, qua* Proculus *et duo Socii fuerunt capti, nihil habent Acta prima; secunda vero rem alio modo exponunt, nec minus improbabiliter, quam hic Joannes : in Actis* S. Proculi *alio rursum modo ipsorum comprehensio narratur.*

CAPUT II.

Januarii, Festi et Desiderii certamina Nolæ coram novo præside Timotheo : Tres illi Puteolos ducti, ubi omnes, frustra bestiis objecti, capite cæduntur.

Cæsis ergo Martyribus, et cum sancto Sossio in uno conclavi reclusis, Diocletianus execrabilis imperator Timotheum *a* quemdam paganissimum Campaniæ præsidem substituit, ita dumtaxat, ut insatiabili feritate Christianos * persequeretur. Qui adveniens, dum ex more urbes accepti præsidiatus inviseret, Nolam adiit, ibique diebus aliquot remoratus, officium de gestis et judiciis præcedentium subtiliter inquirere cœpit. Mox autem, ubi repperit, quod Sossius Dei confessor et martyr cum Proculo diacono, Euticete simul et Acutio laicis, apud Puteolanam urbem ergastulis macerati pro Christi nomine tenerentur, statim et beati Januarii mentio facta est, eo quod Sossium pro quodam inflammationis præstigio *b* officiosissime visitare, et propensius omnes ad passionis tolerantiam comportaret *. Hæc protinus suggestione consul inflammatus, Eia, inquit apparitoribus, perniciter iste accersatur, qui tantæ præsumit auctoritatis esse, ut ipse prius * perpendat, cujus sit vigoris altitudo nostra, et ita, si est illi commodius, cæteris consulere discat.

Timotheus Campaniæ proconsul factus, Januarium capi jubet : a — * al. fidele — b — * al. confortaret — * al. potius et ocyus,

16 Cito ergo pulcerrimus Præsul ante faciem tyranni * allatus, multis responsionibus adornatus

* al. ante tyranum

A. JOANNE DIAC.

hic fornaci ardenti injectus, manet illæsus,

tus * est, ut sacrificia libaturus accederet. Sed cum nullis potuisset blanditiis ad orthodoxæ intentionis culmine *c* dejici, projectus est in fornacem, quam per triduum dux ipse nimis succendi * præceperat. De qua ita, Deo custode, incolumis est egressus, ut nec crinibus esset, nec vestimentis saltem adustus. Ecce, Timothee, antiquum illud trium puerorum miraculum noviter Dominus per Martyrem nostrum * operari dignatus est. Sed quia tu, perversissime, dæmonum id magis ludificationibus, quam divinæ ascripsisti potentiæ, cui debito jure omnis creatura famulatur, recto de te dici potest examine : Rex Babyloniæ surget in judicio cum Timotheo isto, et amplius condempnabit eum, qui ille, viso tanto miraculo, statim Chaldææ dignitatis fastus deposuit, et ad prædicandam Dei virtutem voce, litteris, hortamentisque omnibus est accinctus : et, ut ne quid minus exhiberet, famulos ejus tanta sublimavit honorificentia, ut in omni regno suo primates eos fore decerneret. Tu autem e contrario phantasma putans tantum miraculum, nec Christo magnitudinem, nec Martyri ejus aliquam exhibuisti reverentiam : et ideo nunc te tuumque complicem Dracontium una manet remuneratio, quia una fuit et mentis obstinatio *. Ille namque Sossium diaconem tenebris occulit *, tu Januarium præsulem in ignem projicis, ut una vobiscum perpetuo combureretur incendio.

* al. hortatus
c
* al. accendi
* al. suum
* al. execratio
* al. obtulit

de quo ratiocinatur auctor.

17 Sed quia perspicua Sanctorum devotio et ignem sprevit et tenebras, superest, ut atrocius supplicium Januario inferas, quatinus tandem cum Sossio copulatus, pariter ad desiderii sui pertingat effectum. Nequissimus itaque consul denuo sanctum Januarium suis præsentari fecit aspectibus. Quem cum robustiorem in fidei repperisset arce consistere, jussit, ut nervi a corpore ejus abstraherentur *d*; et ita decretis ad custodiendum militibus traderetur. Heu ducem cruentum! Heu crudelem tyrannum, cujus atrocitas etiam elementa transcendit! Ignis quidem potuit suæ voracissimæ repugnare naturæ, et Martyrem incolumem custodire. Iste vero communis naturæ oblitus, unde compungi ad veniam debuit, inde carnificis feritatem exsuperavit. Miser ille aut non fuit humano figmento compactus, aut crudelitas ejus sævior fuit sævissimis cunctis.

d

Festus et Desiderius capti et interrogati,

18 Audientes interea duo ex agmine clericorum ejus, Festus scilicet diaconus et Desiderius lector, quod eorum Pastor pro Christi nomine in vinculis teneretur. continuo inflammati a Spiritu sancto,
C Nolam properarunt, et ejulantes clamabant : Quare talis Pontifex coartatur? Quare tantus Pater affligitur? Qui ut omnes lucrifaceret, omnium compati necessitatibus procuravit. Mox eos impiissimus dux sibi cum suo præsentari jubens Antistite, sciscitatus est beatum Januarium, si suæ ditionis essent. Cumque ille respondisset, quod unus diaconus ejus esset, et alter lector; præses intulit : Tene, inquam, et isti sequentes, Christianos se autumant esse? Erectis ilico * piissimus Pastor in cælum oculis, Spero, inquit, in Deo meo, quod non solum verbo, sed et opere veracissimi sunt Christiani.

* al. itaque

cum Januario Puteolos ducuntur,

19 Tum consul, ubi ab eis, de hujuscemodi religione interrogatis, audivit, quod ovanter pro tali ac tanto nomine mori essent parati, nimio succensus furore præcepit illos ante currum suum catenis innexos usque Puteolanam protrahi urbem, ut una cum Sossio et Proculo diaconibus, necnon Euticete et Acutio laicis, ad discerpendum bestiis traderentur, quatinus sanctorum Martyrum membris * horribiliter laniatis, ille videndo suam rabiem satiaret. Dic, rogo, insanissime consul; dic, irarum minister, quo te tuus furor impellit? Hactenus D
Januarius solus, fide, non ferro, munitus facilimam de tua vecordia insultationem fumebat; et nunc cum Sossio ceterisque conjunctus, minoris virtutis efficitur an potioris? Si enim præcipiti furiarum voragine tua non fuissent absorpta præcordia, nequaquam Sanctos Dei, ubi * erant mente ita corpore sociares. Ergo quia nunc tu de te ipso facis ludibrium *, videbis, qua facilitate Martyres nostri de te bestiisque tuis triumphent.

* al. artubus
* al. sicut
* al. ludibria

et reliquis Martyribus junguntur.

20 Cum autem beatus Januarius carcerem esset ingressus, quo fortis levita Sossius tenebatur, cœpit omnium deosculari capita, maxime sancti Sossii caput amplexans, aiebat : Ecce sanctum et venerabile caput, quod olim Spiritus sanctus martyrizandum portendit. Ecce caput, quod olim spiritalis * flamma *e* depascens, et roseo paradisi serto *f* coronandum præfiguravit. Eia nunc, fratres, viriliter contra antiquum hostem, et ejus famulum Timotheum pugnemus, viriliter dimicemus, quia idcirco me huc Dominus direxit, ut nec Pastor a grege nec grex a Pastore videatur divelli. Nullis, inquam, blandimentis, nullis comminationibus a Christi societate sequestremur; quia fortissimus Jesus cœlitus prosternet acies *g* omnium E
adversantium nobis.

* al. cælestis
e
f
g

Sancti omnes feris objecti, et ab illis illæsi,

21 His ita peractis, altera die precepto tyranni in eadem civitate arena parata est, et consul ad amphitheatrum cum innumerabili multitudine promiscui sexus et ætatis perveniens, palestras * Christi pariter ad bestias exponendos fecit adduci. Tunc Martyres crucis se munientes præsidio, velut ferrei montes stabant immobiles, et oculos palmasque levantes ad sidera, infimis ex organis propulsabant Tonantem *h*. Mox mirum in modum, ubi bestiæ catenis solutæ, et in Sanctos furibundo impetu ire coactæ sunt, sic affuit misericordia Dei *, ut velociter omnem feritatem in mansuetudinem convertentes, velut mitissimæ ad pedes Sanctorum procumberent. Cerne, socordissime consul, cerne tropæa Martyrum, quos facilius sub uno collegio, quam singulari congressione, vincendos existimasti. Torquere nunc magis magisque livore sævissimo, et lymphatica intrinsecus rotare vertigine, qui illo sunt omnes in bestiali submissione circumvallati tutamine, quo Januarius in voracissimis flammis, et Sossius in carceralibus tenebris. Hisce ergo, miser, disce dona hæc fuisse cælestia, et non magicæ artis phantasmata. Quoniam nihil umquam potest ab immundo mundari, et a mendace nihil verum aliquando dici. F

* athletas
h
* al. Domini

capite damnantur. Judex cæcus factus et sanatus,

22 Populus autem, qui ad tale spectaculum confluxerat, in stuporem et murmurationem conversus, tantum pavorem stultissimo præsidi incusserunt *, ut Sanctos continuo ex amphitheatri scamate ad forum duci præciperet, et funeream * dictaret sententiam dicens : Januarium episcopum, Sossium, Proculum et Festum diacones, una cum Desiderio lectore, Euticete atque Acutio laicis, quos a Christi cultura nullis potuimus revocare tormentis, vel * imperialibus subjicere cærimoniis, capite plecti jubemus. Beatus vero Januarius, fide promptissimus, pietate providus, extemplo Dominum deprecatus est, ut oculos iniquissimi Præsidis, qui multos a lucis tramite pro defensione dæmonum deviarat, tenebris prosterneret, quatinus hoc alii videntes, ad lucis fidem et salutis respicerent pœnitentiam. Mirabilis Deus in Sanctis suis! Necdum Martyr verba finierat, et nimius horror ducis oculos obtexit ita, ut præ dolore ingenti festinaret *i* officium ad Martyrem reducendum.

* al. incussit
* al. furentem
* al. etc.

A reducendum. Ducebatur autem jam a carnificibus cum aliis ad sulphoratoriam *, ut ibidem decollaretur. Ecce nunc, Timothee, si juste pro tuis dimicasti diis, eruant te de hac intolerabili cæcitate, quam incurristi. Si autem nequeunt tibi restituere sanitatem, implora Martyris suffragia, ut luminis tui ministerio restituto, cognoscat gentilitas omnis, quod plus martyres nostri possunt, quam dii vestri. Cum autem velociter sanctum Martyrem * reduxisset, consul cœpit clamare et dicere : Januari, serve Dei excelsi, deprecare Dominum * tuum pro me, ut lumen valeam recipere, quod amisi. Mox sanctus Januarius pro circumstantibus populorum catervis vociferanti duci compatiens, celerem illi sospitatem a Domino impetravit.

* al. Sulphuratorium
* al. Januarium
* al. Deum

Sanctos decollari jubet, quod exsecutioni mandatur.

23 Sed quia reprobi semper de beneficio pejores fiunt ; consul, utpote derelictus a Deo, cernens tantam multitudinem hominum fere quinque milia * conversam ad Dominum, valde turbatus est, et ne decreta principum præteriret, jussit propere Sanctum protrahi, et cum ceteris Martyribus decollari. Sancti vero, dum psallendo ad locum destinatum pervenissent, flexis in oratione poplitibus, Deo se commendarunt. Et spiculatorem, ut feriret, hortantes, bravium sunt perpetuæ felicitatis adepti. B Christiani autem diversarum urbium, cum sollicite lucubrarent, ut Patronos sibi raperent *, Neapolitani beatum Januarium revelatione commoniti *k* sustulerunt. Puteolani quoque sanctum Proculum et sanctos Euticetem et Acutium. Sancti vero Festus et Desiderius, promerente Ciphii cujusdam devotione, Beneventum perlati sunt. Sanctissimum * denique Sossium levitam cives sui Misenates tollentes, in mirifica collocarunt *l* ecclesia, nono Kalendarum Octobrium, de quo, Deo providente, post multorum annorum curricula qualiter Neapolim translatus sit, sub testimonio fidei veraci et simplici stilo prosequemur.

* al. millium
* al. rapere divina collatione valerent *k*
* al. Beatissimum *l*

ANNOTATA.

a *Modo Acta prima auctor sequi incipit, neglectis fere secundis, quæ solum pro gestis* Sosii *præ oculis habuit. Omittit tamen aliqua de* S. Januario, *quia de* Sosio *scribebat.*

b *Hic, cum rursum memoret* Sosium, *rursum ad Acta secunda respicit ; sed satis improbabiliter, cum gentiles verisimiliter nihil novissent de flamma quæ ex capite* Sosii *emicuerat.*

C c *Ita Ms. Neapolitanum et Surius. Ms. Romanum habet :* ab orthodoxi intentione culminis.

d *Vide de hoc Annotata ad Acta prima lit.* d.

e Sosio *ubique intentus auctor, rursum hic aliquid ex Actis secundis mutuatur, licet deosculatio capitum ex primis sit sumpta.*

f Rosea paradisi serta *legitur in Ms. Romano.*

g *Surius cum Ms. Neapolitano :* omnes adversariorum nostrorum acies.

h *Id est, orabant Deum.*

i *Forte* festinare juberet, *aut* mittere festinaret.

k *Surius pro* commoniti *mendose habet* commodi. *At* commoniti *est in utroque Ms. Revelatio de sustollendo una abscisso digito legitur in Actis primis num.* XI, *in secundis num.* 8.

l *Varia prætermisit auctor de* S. Januario, *quia* Sosium *habebat præ oculis. At hunc statim translatum esse Misenum, et in basilica collocatum non credimus. Videri possunt , quæ de prima omnium translatione disserui in Commentario* § 7.

A. Joanne diac.

CAPUT III.

Inventio corporis S. Sosii et translatio Neapolim : miraracula secuta.

Post *a* eversionem igitur Luculani *b* oppidi, sicut in alio constat libello expressum, cum memoratus abbas corpus sancti Severini meruisset adipisci, cœpit sese omnibus præparare impensis, ut ad honorem ejus opitulante Deo basilicam camerato posset ædificare labore : ac per * hoc dum ubique solicitus investigaret, ut tanto operi competentem valeret invenire materiem, ad Misenate direxit castellum : nam sexaginta evolutos jam pene per annos ab Hismahelitis *c* erat demolitum oppidum illud, et ad solum usque prostratum. Monachi vero, qui ad hoc transmissi fuerant, dum humana curiositate, quæ more solito stimulat semper ignota scrutari, diversa per loca subissent, ad contemplandam ipsius episcopii fabricam proces- E serunt. Inde, cum ecclesiam sancti Sossii fuissent ingressi, et sub illo ingenti lustrassent singula templo, tres litteras prope obliteratas ex ejusdem Sancti vocabulo conspexerunt. Quarum schemate protinus exhilarati, Eamus, inquiunt, eamus, et domino abbati talia nunciare non remoremur. Qui evestigio regredientes, et cuncta, quæ fecerant, secundum regularem institutionem recensentes, adjecerunt : Si tua, pater honorande, voluntas est, possumus sanctum reperire Sossium ; vidimus enim in ipso pariete, cui altare subjacet ipsum, tres apices quasi latitantes qui nostris pro certo mentibus indiderunt, quod, si quilibet lector idoneus affuisset, incunctanter ad rei veritatem pertigissemus *. Horum itaque assertiones tacito abbas ipse corde revolvens, compescere prius eos honesta studuit gravitate. Dein, quia illi quodam instinctu magis ac magis talia repetebant, insuper et promptis affirmabant attestationibus, consentit tandem. Sed quia non fore canonicum æstimavit, absque pontificali licentia, cujus et juris erat, illuc transmittere, per auxilium Domini sacerdotem meæ indolis præceptorem, supplicando direxit domino Stephano episcopo, quatinus, si divina lar- F gitate donatus munere tanto tamque præclaro fuisset, permissu ejus in suo monasterio collocaretur.

Joannes abbas concepta spe inveniendi corpus Sosii,
a
b
* al. pro
c
* Falc. pertingeremus

obtentaque Stephani episcopi licentia, mittit

25 Tunc præsul pio suspirans affectu, Annuat, inquit, Dominus precibus servorum suorum, et aperiat illis thesaurum misericordiæ suæ ; quia multi fuerunt, prorsus multi, qui se ad illum inveniendum omni studio accinxerunt ; sed occulto Dei judicio nunquam exinde ad effectum pertingere potuerunt. Nam Sicardus princeps Longobardorum, post innumera mala, quibus urbes nostratium afflixit, etiam ad hoc prorupit, ut sepulcra suffoderet, et Sanctorum ex eis corpora sublevaret ; sed Martyrem hunc, licet alium pro alio reperisset, et nomini ejus ecclesiam consecrasset *d*, nequaquam invenire potuit. Postmodum quoque dominus Athanasius *e* episcopus, sanctæ memoriæ germanus meus, summa probitate hujus margaritæ investigator extitit, sed nec ipsi collatum fuit. Nunc autem, si divinæ voluntatis est, ut illis pandatur, quis est tam demens, qui contrariæ supernæ dispensationi nitatur ? Talibus confestim eulogiis animatus

d
e

A. JOANNE DIAC.

animatus abbas ipse, accersivit me Johannem sancti Januarii, diaconum et Aligernum primicerium, et Petrum subdiaconum: et facta nobis præceptione, injunxit, ut cum Johanne, cognomento Majorino, præposito suo, et Athanasio illustri monacho, Misenum proficiscentes, nostro discerneretur arbitrio, si quid acceptabile tanta monachorum insinuasset assertio.

viros egregios ad quærendum. Hi diligentur f

26 Nos quidem tanto viro haud segniter obsecundantes, altera die jam inclinata ad vesperum naviculam *f* ascendimus et Puteolos adnavimus, ibique parva quiete corpora procurantes, simili nos somnio de inventione Martyris lætificaverunt Athanasius monachus et Petrus subdiaconus. Sed quia multos errare somnia fecerunt, idcirco nec penitus detraximus, nec accomodavimus fidem. Tamen evestigio surreximus, et ante lucem ad illud sancti Sossii properavimus templum: ubi dum ex more matutinales decantassemus hymnos, et velut homines diu ad tantarum enormitatem camerarum obstupesceremus, inventores litterarum tandem vocavimus, et nobis apices ipsos monstrari præcipimus. Quibus examussim perpensis, et fratrum simplicitate considerata, non subsannando, sed compatiendo, diximus: Hæc inquam, fratres tria grammata vestram potius declarant intelligentiam, quam aliquid emolumenti conferant. Si enim evidenter cognoscere vultis, quid hæc innuisset exaratio, versus fuit olim hujus abolitæ imaginis desuper stantis. Mox omnium diriguit animus, et quanta prius lætitia gestierat, tanta subito mœstitia retrahebatur: ita duntaxat ut memoratus præpositus, commotus adversus ipsos monachos, diceret: O utinam nunquam vestra loquacitas audita fuisset, ecce homines isti tantam fatigationem pro charitate fraternitatis arripientes, vacuos sese hinc discedere timent. Nam cœperant fodere circum altare, quod illis ostenderam, sed nihil inveniebant nisi sepulturas inanes *.

B

* *al.* vacuas *ecclesiam destructam lustrantes.*

27 At ego interim unam contemplabar fenestram, et tacitus admirabar non solum situm ejus, qui in tanta mole tam tenuis videbatur expressus, sed antiquorum maxime industriam, quæ in condendis corporibus, immo in omni artificio tanta calluit astutia, ut difficilius posterorum animadversio pateret. Dum hæc autem mecum ipse revolverem, subito quadam inspiratione perculsus, Aligerno primicerio et Athanasio monacho, qui mihi dextorsum assistebant, dixi: Si quid veri mens mea conjicere potest, plus hæc fenestra deceptionis, quam lucis habere videtur. Et illi, Quo, inquiunt, modo? Quibus ego: Si ad integrum lustrare quivissem, qualiter locata consistat, statim propalatum fuerat, quomodo cunctos quæsitores Martyris hujus valde fefellit. Sic fatus una cum ipsis extemplo foras egredientes, certatim per dumos et vepres aditum tentabamus: succreverat enim illic horribilis saltus, quem densi complerant undique sentes. Horum ergo lacerationis cum fœdissime vulnerati debilitaremur, Athanasius, plenæ devotionis monachus, quamvis laniatus, tandem prorupit, et me præ gaudio terque quaterque nominatim exclamans, se cominus applicuisse vociferavit. Tunc nos alacriter in eandem regredientes ecclesiam, innixumque illum super eandem fenestram conspicientes, sciscitati sumus, quo curtis vergeret illa, quali thémate piscina surgeret ipsa? Cumque ille consultius ad singula respondisset, latomis confestim accitis: Eia agite, inquam, præcipitate moras, et altare hoc ad demoliendum, totis insurgite viribus. Nulla cunctemini reverentia; quoniam melius est, ut nostris honorifice nunc evellatur ma-

C

nibus, quam postea Saracenorum vel sacrilegorum perfidia contemptiliter diripiatur, si fuerit integrum in tot ruinis relictum. Et spero equidem in Deo meo, quod hodie totius fatigationis et lassitudinis immemores pariter de bonis Domini gestiamus. D

28 Mox illi, velut si cælesti oraculo exhortati fuissent, propere corripiunt trullas, et ovanter nostra jussa facessunt. Cito ergo citius altari destructo, apparuit musiva, quæ sub eo latebat, et effigies sancti Sossii titulata litterulis, et angelicis coronata manibus, cujus habilis nitor ita omnes illiciebat, ut Joannes præpositus illam ex ipso pariete, non nisi immutilatam evellere, et secum exinde integram perferre desideraret. Sed quia omnis ista intentio sub uno cæmentarii est ictu frustrata, conversus ad transfodiendum ipsum parietem una nobiscum fremere cœpit aviditate tota. Nam visa illa prærogativa inventionis effigie, sic sic omnium incaluerat animus, ut esset videre, quasi alter alterum niteretur excludere, dum unusquisque singulariter suum ostentare fervoris studebat affectum. Sub hac nempe laudabili altercatione largius exciso pariete, reperimus inextricabilem ad instar specuum machinam, quæ cunctum nobis auferebat prospectum. Erant namque quatuor sepulcra inania, super invicem posita, et duo hinc inde subjecta, sed sibimet uno mechanicæ artis glutino copulata, ad quorum mirabilem concatenationem exprimendam facundissimus, ut reor, etiam torpuerat, si ab inferis emersisset, Homerus. Sed quid potest contra benignam Dei largitatem humana valere sagacitas? cum Scriptura proclamet: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Celeriter ergo contritis et istis, tantæ jocunditatis odor, acsi cupressi videlicet efflaverit ab intimis, ut non solum ipsa die nos inexplebiliter, sed etiam pene ad medium mensem satiaret omnes illuc accedentes: et mirum in modum, quanto plus naribus odor ille ambrosius attrahebatur, tanto delectabilius hauriebatur. Hujus itaque suavitatis manente fragrantia, quid nisi, quod supra in Domino confisus spoponderam, protinus abolita est omnis gravitudo laboris, fugit omne fastidium ambiguitatis, et succedente lætitia curiosissimis oculis latebrarum penetralia considerabamus.

imaginem S. Sosii detegunt, odorem percipiunt suavissimum,

E

29 Sed quia sub illis cavernis varie retundebantur acies intuentium; allatum est lumen: et evidenter introspicientes, cum vidissemus arcuatam tumbam ad instar basilicæ brevioris expressam; perculsus sum illico relatione clientum * domini Athanasii majoris episcopi, qui quendam presbyterum *g* ætate provectum, et Misenatis excidii superstitem, eidem præsuli suggerentem audierunt, quod sanctus Sossius, sicut prædecessorum suorum continuata traditione didicerat, in ecclesiola super se reconditus esset. Ad hanc ergo cominus accedentes, corpusque sanctissimum intuentes, non mihi si linguæ centum fuissent, oraque centum, et ferrea vox, exprimere potuissem, quanto gaudio gestissemus. Revera enim pro ingenti lætitia ubertim etiam lachrymas fudimus et debitas omnipotenti Deo gratias consona voce persolventes, misimus ex consulto circumquaque: ut omnes occurrerent, et essent non solum ineffabilis nostræ epulationis participes, verum etiam et tantorum Christi magnalium testes. Interea nos coram ipso mausolæo, divisis chorulis, hymnos Davidicos concinentes, mirabamur tam celerem tamque frequentem populi concursum. Affluebant enim plurimi, non tantum ex adjacentibus castellis,

et tandem in tumba sacrum corpus reperiunt.

* *al.* mendose eventus

g

A stellis, sed etiam ex illis, qui pro fovendis corporibus ad ipsas venerant thermas: quoniam fama *h*, mirabile dictu, prævenerat jam nuncios nostros et omnium penetrarat ad aures.

Corpus lustratum, et pro S. Sosii corpore agnitum,

30 Horum siquidem cum tota die sustinuissemus adventum, et eadem nocte illic excubassemus, delectabile somnium, imo, sicut post docuit exitus, veritatis indicium vidi. Nam cum vigiliis curisque confectus, eminus procubuissem, et, ut matutinalibus horis assolet plerunque fieri, ancipiti fuissem sopore correptus: duos ex ejusdem tumuli adytis conspexi prodire juvenculos, crine nigerrimos, oculis sidereos, vultu prospicuos, habitu niveos, et, ut breviter dicam, tota jocunditate angelicos, quorum pulchritudo sic me attonitum reddidit, ut nequirem interrogare, qui essent. Tamen cum ipsi ad me studerent quasi pedetentim accedere, ne videlicet gressus alliderent in lapidibus ibidem congestis; et ego quodam præstolarer affectu cum eis impertiri sermonem, Joannes præpositus insolenter exclamans, me e gravissimo somno excussit. Contra quem graviter commotus, dixi: Non tibi unquam, fervide frater, relinquatur inultum, qui tua me improbitate tanto bono repente privasti. Et exposita illis visione, mihi pertæsum et cæteris, ipsi quoque præposito miseranda confusio ingeminabatur, adeo quippe, ut ora vicissim replicantes, vario conjicere studeremus assensu, quid tanta visio innuisset. Æstimantibus autem aliis sic, et aliis aliter, ecce Joannes Cumanus *i* episcopus cum omnibus suis, et ipse accitus affuit: qui diligenter martyrialia membra perlustrans, et ea omnia adhuc compage solida obstupescens: Vere, ait, olim David Sanctorum incorruptionem attendens cecinit: Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex eis non conteretur. Et conversus ad populum exclamavit: Nulla, fratres, intersit dubitatio, nulla cunctationis vestigia cujuslibet in corde remaneant, quia hic est profecto Socius levita et martyr, cujus caput, quondam pro Christo abscissum, cervice tenus illi modo locatum et dextrum paulisper ad humerum inclinatum, luce clarius contemplamur. Dixit, et Missarum solenniis ibidem celebratis, una nobiscum, alternatim coram locello psallentibus, usque ad mare descendit.

transfertur in navi, (orta et subito cessante procella)

31 Revertente autem eo et universo populo, nos ratem ascendimus, et cum ingenti tripudio cœpimus tranquillissimum remigare per æquor; ubi nobis accidit haud silendum miraculum. Nam cum littus Averni tuto cursu præterissemus, et oris jam Puteolanis successissemus: subito nimbosus turbo assurgens, toto in nos stridore, totaque intentione fremere videbatur. Mox conturbatis monachis et valde fluctuantibus animo, Nolite, fratres, aiebam, nolite frustra metuere: si enim iste Sanctus ad ea vult loca subire gloriosus, ex quibus aliquando fortis propugnator evasit, non fortuito, sed quodam superno nutu, credamus hanc nobis ingruisse procellam, et ideo nec obniti contra, nec tendere fas est: sin alias, et magis ac magis crebrescit, nihil est aliud, nisi sedet huic *, ut post sexcentos et quindecim annos *k*, ex quo ad superos migrasse creditur, marinis abluatur lymphis. Quod si prævidero ego, ante omnes, cui cominus assidet, tam diu caput locelli hujus istis imprimo undis, quousque aut bene lotus ex eis emergat, aut istos tumentes, velit nolit, præstet componere fluctus. Mirandis plus miranda succedunt: vix hæc edideram, et tanta est consequuta tranquillitas, ut jam pacatum per fretum littori scapham appulissemus, obstupescentes nimirum virtutem Martyris, etiam in verborum facetiis efficacem.

* al. nisi se det huic

A. Joanne duc. usque ad castrum Lucullanum inde solemniter Neapolim.

32 Refectis itaque celeriter in ipsa puppi, quæ necessaria erant, ire perreximus. Sed quia propter innumerabilem diversæ conditionis et ætatis occursum eodem die Neapolim attingere nequivimus, Lucullanum *l* sumus ingressi castellum, quanquam eversum: et posito locello in ecclesia, ubi prius sanctus requieverat Severinus, copiosas asciariarum *m* et insignium fœminarum catervas obviam habuimus. Tunc nihilominus et Joannes abbas, nuntio nostro excitus, cum omnibus monachis, quos invitaverat, advenit, et gratiarum actione in Deum celebrata, per totam noctem unanimes Græcam Latinamque psalmodiam sonoris vocibus concreparunt. Mane igitur facto, Stephanus episcopus et Gregorius consul cum omni populo sanctis occurrerunt exequiis, et pro inexplebili gaudio, præceperunt nobis cuncta sibi suggerere, quæ de inventione ipsius fuerunt. Quibus cum omnia seriatim, sicut præscripta sunt, insinuassemus, quin etiam et congrue subjunxissemus, qualiter amplitudo corporis ejus secundum staturam æquiorem, ad quam metiri et comparari potuit venia digna *n*, quinque pedum et sex digitorum prolixa fuisset; protinus idem antistes miro succensus amore, E inquit: Felix ille, quem et in hoc seculo ad expugnandam ethnicorum perfidiam robustissimum Christus formavit, et nunc in illo triumphantium grege inter primos primum coronat Athletam. Hæc et his similia cum longi sermonis affatu protraxissemus, et insatiabilis audientium devotio, eadem iterum iterumque repeti concupisceret: deductum est sanctissimum corpus cum omni gloria in monasterium diffamati abbatis, et nec multo post per manus prælibati antistitis reconditum est in altario ecclesiæ, sancti prius Severini vocabulo dedicatæ, ubi omnibus se petentibus innumera præstare beneficia non desinit, ex quibus tria tantummodo istis commendamus litterulis, cætera, quia multa sunt et incomprehensibilia, fervore potius celebrentur.

Arthritis sublata.

33 Quædam denique puella nobilium famula, miserabilibus articulorum coarctata doloribus, cum ad hujus Sancti ecclesiam perlata fuisset, et lita membratim ex oleo lucernæ, coram ipso altari indeficienter ardentis: revecta est domum, ibique post aliquantulos dies tantam est consecuta sanitatem, ut illam Martyris interventu fuisse salvatam, nemo fidelium ambigat.

puer moribundus sanatus,

34 Filius denique puer, cum propter horribilem capitis dolorem sæpius crassam vomeret ore cruorem, et nullam medicinali artificio posset adipisci medelam; ductus est jam seminecis a parentibus, et coram ipso altari projectus. Quorum fidem et ejulatum custos ecclesiæ, vir celerrimæ * compassionis, ut vidit, confestim puerili frontem et tempora ex memoratæ lampadis oleo perunxit, atque ita, ut allatus fuerat, moribundum jacere permisit. Mox mirum in modum cœperant ex auribus ejus vermiculi prodire quam plurimi, et velut si quodam stimulo agerentur, præcipites in terram defluere: quibus ad unum explosis, laudabile dictu, redintegratus est sensim puer vigori pristino, et quem genitores ante paululum moriturum lugebant, repente gaudebant incolumem, magnificantes Deum, qui per Martyrem suum tanta beneficia præstat indignis.

* al. celeberrimæ

uti et desperatus æger, visione præviа.

35 Quidam præterea nomine Stephanus, quotidiano languore correptus, ad hoc ipsa diuturnitate pervenerat, ut jam desperari ab omnibus cœpisset. Hic ergo cum quadam nocte humanæ legis angore contritus, simul et invaletudine gravatus, nimium tristis recumberet; vidit quasi per somnium

A. Joanne diac.

somnium quendam juvenem omni decore nitentem, seque placidissime sciscitantem qualiter, esset. Cui cum ille, mortis terrore perculsus, respondisset : Male prorsus et in tantum male, ut ex hac infirmitate nullo modo credam evadere ; protinus audivit : Constans esto, et veni ad me. Tunc ille solicitus inquisivit, dicens : Tu quis es, domine, qui jubes me venire ad te? Cumque ex ore leniter respondentis Sosium intellexisset, expergefactus, diu multum de visione hæsitavit : tandem advocatæ uxori suæ cum omnia recensuisset, cœpit illa viriliter eum exhortari : Proficiscere, quia ipse est proculdubio sanctus Sosius, quem pro salute omnium in hac terra cœlestis Dominus condonavit. His monitis animatus homo venit, et spe credulus tamdiu perseveravit, quousque sanitatem reciperet secundum veridicam, quam in somno sponsionem acceperat. Cujus beneficii memor, voti compos, semper occurrit, et in virtute martyris Christum collaudat totius salutis authorem.

ANNOTATA.

a *Hanc Actorum partem solum manuscriptam* B *habemus in apographo Neapolitano.*

b Lucullanum *oppidum, quod prope Neapolim situm erat, ut colligitur ex dicendis num.* 32, *destruxerunt ipsi Neapolitani anno* 909, *ne incideret in manus Saracenorum, ut videri potest in Opusculo ejusdem auctoris, hic assignato, de translatione S. Severini abbatis, apud nos edito tom.* I *Januarii pag.* 1098, *quod consule.*

c *Id est, a Saracenis. De tempore destructi Miseni, et hujus translationis, disserui in Commentario* § 3 *et rursum* § 9 *num.* 138 *et* 139.

d *De sublato per Sicardum alio corpore circa annum* 836 *consule Commentarium num.* 136.

e *Cum duo fuerint ante Stephanum III Athanasii episcopi Neapolitani, nimirum S. Athanasius, qui juvenis episcopatum obtinuit exeunte anno* 849, *et defunctus est anno* 872, *et successor ipsius Athanasius II, non æque sanctis moribus ornatus, dubitant scriptores, utrum e duobus fratrem suum nominet Stephanus III. Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag.* 107 *fatetur, non constare, utrum Stephanus fuerit frater S. Athanasii, an Athanasii II. Agnoscit, laudes Atha-* C *nasio hic datas, multo magis congruere Athanasio primo et sancto, quam Athanasio secundo, qui nequaquam a morum probitate laudatur. At credit, Stephanum III longius distare a S. Athanasio, quam ut frater ipsius esse potuerit. Consentit Ughellus tom.* 6 *in Stephano III ob eamdem temporis, quam sibi crearunt, difficultatem. At mihi contraria opinio apparet vera, nec magna in tempore est difficultas, quam ipsi auxerunt, dum translationem, circa annum* 910 *peractam, fixerunt anno* 920. *Rationes accipe, lector studiose. Misenum fuit destructum prioribus annis episcopatus S. Athanasii :* omnes pene immobiles res *destructæ illius ecclesiæ accepit Neapolitana ecclesia, agente S. Athanasio, ut scribit Joannes Diaconus. Quis igitur credat, sanctum episcopum numquam fuisse sollicitum de quærendo* S. Sosii *corpore? Imo vero fuisse sollicitum de eo quærendo S. Athanasium, hic ipse auctor num.*29 *insinuat. Præterea constat, fatentibus Chioccarello et Ughello, S. Athanasio fuisse fratrem Stephanum : huncque fuisse episcopum Surrentinum, liquet ex Vita S. Athanasii apud nos tom.* 4 *Julii pag.* 83 *num.* 25. *Itaque vix dubitare possum, quin ille sit ipse Stephanus, quem Ughellus ab anno* 895 *episcopis Neapolitanis accenset. Ille certe anno* 910 *debebat esse octogenario multo mi-* D *nor, si quinque tantum aut sex annis fuerit natu minor S. Athanasio : nam hic natus est anno* 832 *ut videri potest in Commentario ejus Actis prævio num.* 9. *Nulla igitur est difficultas ab ætate Stephani, qui forte non excesserat annos septuaginta.*

f Sagenam *habent aliæ editiones ; sed eadem est significatio.*

g *In Ms.* episcopum presbyterum, *forsan mendose.*

h *Verisimiliter aliquis nuntiaverat, inventam imaginem, et ex ea corpus cito reperiendum sperabant.*

i *Hic Joannes catalogo episcoporum Cumanorum ex hoc tantum loco inseritur apud Ughellum tom.*6 .

k *Ex hoc loco, opinor, scriptores fixerunt translationem anno* 920, *cum Sancti credantur passi anno* 305. *At Joannes nullibi indicavit tempus martyrii, et forte etiam ignoravit, cum quo Christi anno concurreret quintus Constantii et Galerii consulatus, quo passi creduntur.*

l *Plerique scriptores existimant,* Lucullanum castellum, *aut* oppidum, *ut ante vocatur, ea fuisse in insula, quæ antiquis* Megaris *et* Megalia, *nunc* E Castrum Ovi, *vulgo* Castello dell' ovo, *dicitur. Eam opinionem et nos secuti sumus in S. Athanasio Neapolitano tom.* 4 *Julii pag.* 77, *in S. Patritia tom.* 5 *Augusti pag.* 203, *aliisque locis. Mazochius in Annotatis ad Calendarium ad* 29 *Martii pag.* 124 *in eadem insula et Lucullanum, castrum, et monasterium* S. Salvatoris *locanda credidit. Sita autem est ea insula non longe ab urbe Neapolitana versus Puteolos, tamque vicina est continenti, ut ponte cum littore jam antiquis temporibus fuerit conjuncta. Porro Mazochius in Appendice ad Dissertationem de Cathedra Neapolitana priorem mutavit sententiam, conatusque est probare, insulam S. Salvatoris esse Nesidem, magis versus Puteolos sitam ; et castrum Lucullanum in continenti situm fuisse circa lacum* Agnanum *dictum, non longe a Puteolis. Videri possunt loca singula in tabula prævia. Verum eam opinionem mihi minime probavit Mazochius; etiamsi prolixe disputet, et conjecturas conjecturis abjiciat. Nam quanto studiosius ipsius Dissertationem perlegi, tanto magis deprehendisse me credo, in ea nihil pro opinione illa nova afferri præter conjecturas et ratiocinia. Omnia enim monumenta* F *sacra, quæ affert, contraria magis ipsi sunt, quam faventia. Repugnant Vita S. Silvestri in libro Pontificali, Vita S. Athanasii, Vita S. Patriciæ, Translatio S. Severini, Translatio hæc* S. Sosii, *reliquaque omnia documenta sacra, quæ adduxit. Lubet paucis hoc ostendere. Primo donatio Constantini facta ecclesiæ Neapolitanæ in Vita S. Silvestri, quam allegat, exprimitur his verbis :* Possessionem Insulam cum castro, præstantem solidos 80. *Conjicit Mazochius, intelligi insulam Nesidem cum Castro Lucullano, quod vult in continenti situm fuisse e regione Nesidis. Ego vero repono, verba allegata magis innuere, castrum fuisse in ipsa insula, ut fatetur ipse Mazochius cap.* I. *Itaque, non inquirens in certitudinem donationis aut explicationis Mazochianæ de castro Lucullano, solum observo, verba illa ipsi esse contraria magis, quam faventia, ipso etiam fatente. Secundo, quæ in Vita S. Athanasii memoratur,* Insula Salvatoris, *non est Nesis, ut vult cap.* 2 *Mazochius, sed insula illa, in qua hodie est* Castrum Ovi. *Consulamus utrumque S. Athanasii Vitam, apud nos ad* XV *Julii datam. Joannes Diaconus in prima num.* 7, *ubi narraverat, S. Athanasium in carcerem*

A. JOANNE DIAC.

carcerem fuisse conjectum a Sergio duce, indeque precibus clericorum eductum ; addit, tali *fuisse* sacramento constrictum, ut nusquam sine consensu ejus abiret, nisi tantum ad ecclesiasticam expleudam consuetudinem. *Tum ita pergit* : Diebus igitur decem expletis, commeatum petivit, quasi convivium monachis insulæ Salvatoris exhibiturus. Quo accepto nihil moratus, cum omnibus clericis in eamdem ascendit insulam. *Omnia hæc insinuant, insulam Neapoli vicinam et suburbanam, quale est Castrum Ovi; et nequaquam tam longe distantem, quam distat Nesis, Puteolis propinqua magis, quam Neapoli. Etenim non dicitur* navigasse *ad insulam, nec profectus ad insulam ; sed solum* cum omnibus clericis ad eamdem *(per pontem nimirum)* ascendit insulam. *Præterea convivium, quod monachis volebat exhibere, et comitatus omnium clericorum, locum insinuant suburbanum et propinquum, non Nesidem insulam satis longe distantem. In Vita secunda num.* 7 *de distantia insulæ ab urbe hæc leguntur* : In insula, Salvatoris vocabulo cognominata, quæ a Neapoli vix duodecim distat stadiis *etc. Duodecim stadia ordinaria faciunt passus mille quingentos. Tanto intervallo ab urbe abesse poterat seculo* IX *Castrum Ovi, cum Neapolis postea multum excreverit. At numquam Nesis insula magis fuit vicina, quam hodie : constatque, eam facile triplo magis Neapoli distare. Itaque hic locus rursum Mazochio contrarius plane est. Æque eidem contraria sunt ejusdem Vitæ verba, quibus num.* 23 *refertur abductio S. Athanasii ex Insula Salvatoris per Marinum præfectum Amalfitanum, qui ipsum navi impositum Surrentum perduxit. Nam subditur* : Hoc videntes Neapolites exierunt super eos navaliter,... persecutique sunt eum procul ab urbe. *Itaque res gerebatur in conspectu urbis Neapolitanæ, non in Neside insula. Vita utraque S. Patriciæ, data tom.* 5 *Augusti, sive ad diem* XXV, *tam clare Mazochio adversatur, ut mirer, virum eruditum id non vidisse. Prior num.* 7 *habet, Sanctam ante mortem* Neapolim per mare iterum *venisse, indeque* in parvam quamdam insulam *(quæ* Salvator nomine proprio appellatur,) *portatam, ibique obiisse. Altera num.* 7 *asserit, ipsam in via ægrotare cœpisse, ductamque navi ad insulam S. Salvatoris, ibidem obiisse. Atqui traditio Neapolitanorum habet, S. Patriciam obiisse in Castro Ovi. Quare S. Salvatoris insula secundum traditionem Neapolitanorum est Castrum Ovi. Præterea utraque Vita affirmat, corpus defunctæ Patriciæ fuisse carrucæ impositum in insula Salvatoris, et sic a duobus tauris vectum ad ecclesiam Neapolitanam SS. Nicandri et Marciani. Non disputo hic de facti veritate. Solum inquiro, utrum scriptores illi per insulam Salvatoris intellexerint Megarin, sive hodiernum Castrum Ovi, proximum Neapoli, et ponte junctum cum continente ; an vero Nesidem, longe Neapoli dissitam, et propinquiorem Puteolis. Dignetur itaque audire Mazochius utrumque biographum. Primus num.* 17 *ait* : Ipse vero princeps et episcopus cum toto clero, et populus totius civitatis,... ad illum locum postea venientes, et corpus illud sanctum imponentes supra carrucam, psalmis et laudibus boves illos indomitos sequebantur ferentes carrucam. O quam mirabilis est Deus in Sanctis suis ! Tauri nequaquam ducti ab aliquo, recto tramite et vigoroso pede in ecclesiam SS. martyrum Nicandri et Marciani applicuerunt. *Alter num.* 9 *de itinere taurorum sic loquitur* : Tunc tauri illi abierunt per mediam civitatem, et pervenerunt in monasterium SS. Nicandri et Marciani *etc. Quis non videat, agi de translatione ex loco suburbano ? Etenim neuter loquitur de itinere recta ab urbem instituto, quod prætermittendum non fuisset, si ex loco tam dissito, quam sit Nesis insula, facta esset translatio. Pergo ad Translationem S. Severini, similiter Mazochio adversantem. In illa apud nos tom.* I *Januarii pag.* 1101 *num.* 13 *hæc leguntur* : Postero autem die pontifex et clerus, dux et optimates, passimque populus universæ conditionis et ætatis, matutino tempore properantes, se in occursum cum Dominicæ crucis vexillis odoriferisque incensis, in præmissi oppidi *(Lucullani)* campo sanctis exequiis obviarunt, et certatim supplices exhibentes venerationem, alternantibus choris Latinis et Græcis, ad monasterium sæpe fati abbatis debito obsequio concinnatisque luminaribus, cineres sanctos deducunt. *Omnia hæc insinuant, oppidum Lucullanum, ad cujus campum usque sacro corpori obviam processit tota fere urbis Neapolitana, fuisse proximum Neapoli, et minime prope Puteolos situm. Utenim omittam, quod interum observari potest, corpus non dici Neapolim deductum, sed solum* ad monasterium, *inde* S. Severini *dictum ; quis credat, clerum cum episcopo, optimates cum duce, populumque omnis ætatis, pedestri facto agmine, quale describitur, usque ad lacum Agnanum prope Puteolos, ubi oppidum Lucullanum condere studet Mazochius, sacris reliquiis obviam processisse, indeque Neapolim rediisse tempore matutino ? Profecto multi crederent agi de vita sua, si mense Septembri, qua facta est translatio, tantum iter medio die pedibus conficere cogerentur. Itaque nequaquam verisimile est, oppidum Lucullanum tam longe fuisse Neapoli dissitum ; ut facile vidisset Mazochius, nisi in aperto illo campo, qui verisimiliter erat ante pontem Lucullani, labyrintheas quæsivisset ambages. Vita S. Severini pag* 497 *num.* 57 *docet, corpus S. Severini collocatum esse,* Neapolitano populo exequiis reverendis occurrente, in castello Lucullano per manus S. Victoris episcopi, *nimirum Neapolitani. Populus assistens translationi, et episcopus eamdem peragens, æque sunt Neapolitani. Videat igitur Mazochius, an loca circa lacum Agnanum non sint sub episcopo Puteolano, et an civitas Puteolana jam seculo* V, *quo illa sunt facta, adeo fuerit deserta, ut episcopus Neapolitanus omnia peregisset in aliena diœcesi, et solus populus Neapolitanus adstitisset, si prope Puteolos fuisset castrum Lucullanum. Venio tandem ad locum, quem tractamus, non minus Mazochio contrarium quam reliqua omnia. Nam primo Joannes abbas cum omnibus monachis venit ad Lucullanum castellum eodem die, quo illuc cum sacro corpore advenerat Joannes Diaconus cum sociis. Postridie mane similiter venerunt* Stephanus episcopus et Gregorius consul cum omni populo, *tractaque ibi mora non exigua*, deductum est sanctissimum corpus cum omni gloria ad monasterium diffamati abbatis. *Omnia hæc innuunt, oppidum Lucullanum Neapoli fuisse vicinum. Si enim longe abfuisset, aut fuisset ad lacum Agnanum, non venisset eo vesperi abbas cum monachis, nec episcopus et consul cum omni populo accurrissent mane, ut inde* cum omni gloria *corpus ad urbem perducerent : neque enim ad id suffecisset tempus matutinum, præsertim si consideretur mora longa, quæ ipsorum adventui et processioni ad urbem in oppido Lucullano intercessit. Brevis ergo erat via ex Lucullano ad monasterium S. Severini, adeoque vicinum erat Lucullanum Neapoli, ut auctor non dicat,* ad urbem *corpus fuisse delatum. sed* ad monasterium. *Itaque quod supra dicit auctor,* quia propter innumerabilem

A. JOANNE DIAC.

innumerabilem diversæ conditionis et ætatis occursum eodem die Neapolim attingere nequivimus *etc.; intellige hoc sensu;* quia nimis sero erat ad ordinandam innumerabilis populi solemnem processionem, quæ delationem corporis in urbem sua præsentia honorare cupiebat. *Aut fortasse,* Quia consultum non erat corpus per confertam multitudinem ad urbem deferre sine cautela postridie adhibenda. *Certe insinuat auctor, non fuisse nimis sero ad urbem ingrediendum; sed ad corpus eo deferendum debita reverentia et solemnitate. Quo autem urbi erant propinquiores cum corpore, eo facilius postridie magna cum solemnitate ad urbem deferri poterat. Præterea ad oppidum Lucullanum navi pervenerunt, non terrestri itinere, ut perperam voluit Mazochius. Verba satis clara sunt* : Refectis itaque celeriter in ipsa puppi, quæ necessaria erant, ire perreximus, *nimirum navigio per mare, sicut cœperant. Cur enim necessaria in navi refecissent si navi amplius uti noluissent? Itaque nullum est dubium, quin navi redierint usque ad oppidum Lucullanum, sicut navi discesserant Neapoli, cum nulla terrestris itineris fiat mentio, et solum ad littus venisse videantur ad resarcienda nonnulla*
B *quæ per subitam procellam in navi erant luxata. Hactenus ostendi, repugnare Mazochio quatuor aut quinque monumenta, quibus pro nova sua opinione maxime uti voluit. Existimo etiam hæc sufficere eidem posse, ut sententiam mutet, præsertim cum part.*3 *cap.*1 *Appendicis suæ agnoscat et probet, Castrum Ovi jam a seculo* XII *dictum fuisse* Castellum Salvatoris. *Allegat hunc in finem verba Falconis Beneventani, de Rogerio rege ad annum* 1140 *ita scribentis* : Inde navigio parato Castellum S. Salvatoris civitati proximum ascendit *etc. Addit alios scriptores seculi* XII *et* XIII,*qui hodiernum Castrum Ovi eodem* S. Salvatoris *nomine designant; fateturque, idcirco parum abfuisse, quin sententiam mutaret. Quin et cap.*3 *similiter agnoscit, antiquæ Megaridi sive hodierno Castro Ovi seculo* XII *nomen fuisse* Castri Lucullani, *datque verba ex Capacio, quibus memoratur abbas* Sancti Salvatoris in Castro Lucullano. *Ex eodem Capacio memoratur anno* 1202 *abbas* monasterii S. Salvatoris insulæ majoris de Neapoli *etc. Verum hæc verba Mazochius iterum explicat de Neside, quia vocatur* insula major; *Nesis autem hodie major est, quam castrum Ovi. Respondeo, ineptam esse collectionem : cum enim Castrum Ovi olim* Mega-
C ris *et* Megalia *fuerit dicta; fuerit et* Major *ab aliquo vocata, corrupto nonnihil antiquo nomine, et sine ulla comparatione ad alteram. Forte et olim longe major fuit, ut verisimile esse multis locis ipse agnoscit Mazochius. Cum tamen nolit fateri,* castrum Lucullanum *ex vetustis monumentis prope civitatem fuisse, audiat Translationem SS. Julianæ et Maximi, quam fatetur scriptam anno* 1207, *datam apud nos tom.* 2 *Februarii pag.* 88,*in qua num.* 8 *hæc leguntur :* Et sic canendo pervenerunt ad ecclesiam B. Nicolai Christi confessoris de Castro Lucullano, sitam prope mœnia civitatis. *Si ecclesia castri Lucullani erat prope mœnia civitatis initio seculi* XIII, *ut hic dicitur; non erat certo in Neside : sed castrum Lucullanum erat prope Neapolim, et quidem propinquius, quam fuerat seculo* IX, *verisimiliter quia Neapolis interim accreverat. Ceterum, quia jam prolixior in his fui, quam congruit huic loco, breviter mentem meam de tota illa Mazochii Diatriba in gratiam scriptorum Neapolitanorum, quos* omnes pleno in lumine *cæcutiisse*, ducesque cæcorum *factos asserit part.* 1 *cap.* 3, *lubet declarare. Legi totam non animo refutandi, sed assignandi eam lectoribus, si oppidum Lucullanum* D *in ea recte assignatum reperirem. Cum vero non nisi tenebras legendo haurirem, conjecturasque ex conjecturis nova sæpe dialectica deductas, cœpi et loca ex Vitis Sanctorum allegata consulere, censuique totam Diatribam breviter refutandam. Etenim adeo omnia a Mazochio allegata veterem sententiam Neapolitanorum confirmant; ut eam mihi minus confirmasset Mazochius, si defendendam suscepisset, quam confirmavit oppugnando. Nunc enim certus sum, nihil ab eo prætermissum, quod pro contraria opinione afferre poterat : de quo non æque certus essem, si communem sententiam elucidasset. Candide autem et sincere protestor, me nihil invenisse in tota Diatriba, quod vel levem dubitationem de communi sententia ingerat, vel difficultatem patiatur. Tertia pars Diatribæ, ubi ostendit, seculo* XII *et* XIII *nomen* S. Salvatoris, *imo et* Castri Lucullani *fuisse Castro Ovi, abunde convincere debet quemlibet lectorem eruditum, etiam præcedentibus seculis* Castrum Lucullanum E
et insulam S. Salvatoris *non alio fuisse loco, præsertim cum omnia loca insinuent, fuisse prope Neapolim, nec ullus omnino locus innuat, monasterium S. Salvatoris fuisse in Neside, aut castrum Lucullanum prope lacum Agnanum. Illud unum, mihi videtur dubium, an oppidum Lucullanum non fuerit partim in continente : ubi enim nullus in insula supererat locus, oppidum in continente ante pontem augeri potuit : quod an revera factum fuerit, non inquiro.*

m Ascetriarum *scriptum fuerit, opinor. Sunt autem* Ascetriæ *mulieres piæ et continentes, diversæ a monialibus reclusis, ut probatur apud Cangium in Glossario. Monachæ tamen aliquando etiam apud Græcos* ascetriæ *vocantur; sed hæc vox latius patet, et quamlibet piam mulierem significat.*

n Venia digna, *nisi corruptæ sint voces, idem hic est, opinor, ac* digna cum reverentia

HOMILIA

DE MIRACULIS S. JANUARII

Ex Ms. Collectione Chioccarelli, collata cum codice Vaticano et editionibus Caraccioli et Falconii. F

Operante Divina misericordia, *a* rediit communibus votis optata sollemnitas, et dies annuæ festivitatis effulsit, natalem nobis beatissimi Januarii martyris referens, quem et vestræ frequentiæ venerabilis cœtus accumulat, et sanctorum ministrorum, atque antistitum Dei conventus exornat. Gaudere enim oportet, et exultare in Domino, et psallere Domino nostro, qui facit in bonis desiderium nostrum, et favore Divino pia vota confirmat. Dum de virtutibus beati martyris Januarii pauca de pluribus quæ Dominus Deus per eum fecerit, pia devotione referamus.

Exordium auctoris. a

2 Temporibus enim*, quibus omnipotens Deus mortalium est iratus sceleribus, et ad crudelitatis ultionem mons Vesuvius vasto tremore concussus,

Ardente Vesuvio, Neapolitani opem S. Januarii

A concussus, igneis exundaret globis, et circumquaque fluentibus urbes calidis cineribus prævastasset, ita ut pergravatæ corruerent *b*, vix tandem Neapolis, in ejusdem montis conflagrantis sita radicibus *c*, precibus effusis populi cum lachrimis vitæ opem meruit, tendens ad cœlum cum voce manus, sed super his etiam nec cælum videbatur: procumbebantque in humum ardentem. Extremo solatio *d*, cum rerum natura periret, ad solitum beati Januarii martyris concurrunt cubiculum.

implorant et impetrant.

3 Igitur cum lachrimæ juges et gemitus perpetuus ad Deum preces essent *e*, nullaque absque formidine hora, nullus ad requiem somnus daretur, quod dies cladem demonstrabat, nox vero metum jugiter augebat, lamentationes quippe omnia tecta, antraque beati martyris Januarii *f* tam virorum raucis vocibus, quam fæminarum claris ululatibus personabant. Alii vero immundo pulvere deturpati iniquam vitæ sortem querulis clamoribus increpabant: alii autem genas suas unguibus lacerantes, proprios nesciebant dolores, dum alienas lugerent urbes: plerique cunctis erectis manibus per plateas repetitis orabant B vocibus, deprecantes dare veniam peccatis, ut possint merito Dei laudare virtutum, et sicut scriptum est: Clamaverunt ad Dominum, dum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. Ita beato Januario martyre intercedente, Vesuvii montis ignita interruptio *g* extincta est. Cujus facti miraculi omnium Creatori gratiarum actiones retulerunt.

Æger ad Sancti sepulcrum sanatus.

4 Et cum hæc divinæ virtutis insignia honestis rumoribus crebrescerent, ac tantæ Dei potestatis gloriosissima fama per animos urbium longinquarum *h* pervaderet, et ad basilicam, in qua nunc *i* venerabile corpus beatissimi Januarii martyris requiescit, ægrotantium seu deprecantium pro diversis languoribus cupide cum fide confluerent, contingit *, ut inter eos quidam vir, Savinus * nomine, Neapolitanæ urbis primarius, genere, et probitate conspicuus, desperatus a medicis, a pueris invectus, dejacta cervice preces fundebat cum lachrimis, se ab inferni portis revocari. Et illico, pietatis nutu stupentibus cunctis, miseratione sancti Januarii martyris sublevatus, medelam, quam flagitabat, emeruit.

* in Ms. Vaticano contigit rectius
* al. Sabinus

alter, dum eo portabatur:

C 5 Nec non et Marcus *k* quidam nomine, in eadem urbe degens, Syrus genere, ævo jam gravis, sic debilis corpore, et ita pigra membrorum fragilitate torpebat, ut ambulandi ei copia denegata, quasi vivum funus præter spiritum pene totus exanimis esset. Hujus quidem propinqui non tam ad sanandum, quam ad sepeliendum in ecclesia * beati martyris Januarii inferre nitebantur, quem circumstantium populositas, cum a suis vectaretur, ingredi non permitteret: nam et infra parietes *l*, et ante fores cupide multitudo certantibus studiis pullulabat, et dum vellet alter alterius sanitatem videre, sanandis vetabatur introitus. Unde non prius introivit, quam medelam recepit, fides enim ipsius, intercedente beato Januario martyre, decussit omnem ejus protinus imbecillitatem, et a molestiarum suarum ponderibus sublevatus *m*, ad pristinæ sanitatis pervenit officia, Regis æterni magnalia tam suis, quam plurimorum vocibus, longe lateque denuncians.

* al. ecclesiam

tertius ad sepulcrum.

6 Nam et Gregorius tribunus quidam militum, qui Capuanæ * urbi præerat, vir insignis, sed ita letiferis confectus languoribus, ut nulla ei evadendi speraretur facultas, sed divinis invitatus * virtutibus, cubiculum ingressus beati Januarii martyris, protinus perfecta sanitatis incolumitate vegetatus, alacer ad prædictam, unde venerat, remeavit urbem.

* in Ms. Vat. Capuæ
* ib. incitatus

Ex Ms.

Orientalibus multa beneficia præstita.

7 Alio rursus tempore, cum Orientales multarum urbium populi cernerent *n*, Omnipotentis Domini virtutem mirificis virtutibus per merita beatissimi Januarii martyris triumphare, omni contempto negotio, submissis capitibus, resonantibus hymnis, rogabant medelam sibi ejus oratione præstari. Quin etiam ægrotantium tabida corpora, vegetati fide, ejusdem Martyris oleo perungentes, statim misericordiæ ejus fructu potiebantur. Modo cæcis lumen, modo debilitatis gressu * cursum donabat; nunc spiritus fugabat immundos, nunc letales plagas, nunc acerbitates morborum ejus * meritis ab humanis corporibus propulsabat.

* al. gressus
* Fulc. suis

Præfectura patrocinio S. Januarii,

8 Nam et in eadem urbe Neapolitana quidam Florentius, vir nobilissimus, primi generis exortus, juxta animi *o* virtutem de cælestibus trahebat; de terrenis vero, quantum ad sæculum pertinet, primis in Romana republica fuerat honoribus suffultus; eruditione quoque liberalium litterarum, et omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent, exercitiis apprime eruditus. Novissime vero hanc, quæ prior *p* omnium secundum Deum, ita sanctam religionem suscepit, ut limina cunctorum * sanctorum martyrum Christi precibus E exoraret, sicut et ante facere consueverat. Cum ergo urbanam sibi peteret administrationem, et non posset eam dignationem per auri pretium attingere, vix tandem ad sepulcrum pergens beati martyris Januarii, fideliter preces effudit, dicens: Deus omnipotens, beati martyris tui Januarii mecum fusa prece *q*, meritorum ejus vestigiis me admitti facias. Te quoque, beatissime Januari martyr, suppliciter exoro, ut vicariam promotionem, quam auro non quivi attingere, merear te interprecante velocius obtinere.

* al. cuncta

ut creditur, obtenta.

9 His autem atque hujuscemodi verbis tribus volutis * Sabbatis oranti, medio noctis tempore apparuit ei quidam, effigiem sancti præ se ferens Januarii, luce micans nova super solis splendorem *, et angelico fulgens habitu, gemmisque radiante *, et protenta ejus manu sese apprehendere, et in rhedam quandam auro gemmisque distinctam eum superponere *r*. Et cum de somno suo hæsitaret, et interrogaret, quid velit esse; expleta oratione solita, juxta consuetudinem ad vicinum F fundum, cui Patinnis *s* nomen est, divertit; moxque duo cancellarii patriciorum, Ecius videlicet et Sigisvulgus *t*, spumantibus equis superveniunt, moxque complexi sunt eum, et osculati. Cumque uno atque altero horæ spatio, quasi obstupefacti, invicem se honorificantes, deambularent, proferunt ei sacros apices. Ecce, inquiunt, quod tibi minime flagitanti domini nostri tibi gratuito destinaverunt. Qui cum magno suscipiens gaudio, beati martyris Januarii oracula recognovit, memorque illius beneficii, altare ejus pretiosis exornavit marmoribus, quibus et vultum ipsius exprimens scripsit LIBERATORI *u*, scilicet eo quod ejus crebrius opitulator fuerit, quodque altare vallavit cancellis cum ostiis fabrefactis argenteis, Deo et beato Januario gratias referens.

* al. volventibus
* in Ms. uno splendore
* al. radians

Puer ad vitam revocatus.

10 Puerulus quidam clericus, Clemens nomine, nimis languore correptus, vi febrium laborabat. Septem admodum transactis diebus totidemque noctibus absque cibo et potu, clausis luminibus, medicis desperantibus, mutus atque immobilis mansit. Cumque super eum jam mortuum a clericis et vicinis nocte Psalmi dicerentur, ut reddito terris die sepeliretur; Crescens tum quidam et

Ex Ms. et Innocentius, viri religiosi, ut plerumque solet accidere, ex mœstitia inter psallentes sopore oppressi sunt. Vident tum ambo beatissimum martyrem Januarium stola prætextum nivea, angelo similem, corpus visitantem. Quem æstimantes medicum, quasi ternos ei aureos offerunt. Quibus ille: Ego sum Januarius, qui meum pro Christo fudi sanguinem. Numquid non poteram mundi possidere divitias, vel naturam lapidum in materiam fulgentis auri convertere? Sed omisso terræ ornatu, virtute malui potius quam auro fulgere. Moxque recedentibus tenebris, et clarescente diluculo, cum de loco, in quo quieverant, surrexissent, ad B. Januarii martyris currunt cubiculum. Necdum quippe Crescens medium iter expleverat *, cum jam Innocentius sanctum pulverem, [ferens w] quem desuper Martyris sepulchrum sumpserat, veniebat x. Quo, ut dixi, pulvere, sacrosancto chrismate consperso, cum defunctus liniretur, paulatim membris omnibus moveri cœpit, et laxatis in usu * cernendi cœpit palpitare luminibus. Novum miraculum, ingens potestas! Oculos, quos clauserant tenebræ obitus, precibus beati martyris Januarii Dominus reseravit ad lucem, legem naturæ rescidit, vires mortis perfregit, animamque sedibus tenebrarum mancipatam, quasi ruptis terrarum y compagibus, ad supernam vitam corporis revocavit. Mirabilis ergo Deus in Sanctis suis: quotidie enim operatur salutem in medio terræ. Et, ut Isaias ait, Et in insulis a longe z. Unde et ipse Salvator dicit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Et rursum: Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet. Qui ergo credunt Deo, credant, martyres ita vixisse aa, ut magnum non sit ista fecisse.

* al. confecerat

w

x

* al. usum

B

y

z

aa

11 In Ænaria bb insula erat quædam sanctissima vidua, nomine Maxima, cujus filius prævalescente morbo extinctus est. Quem religiosa mater, pietatis dolore concussa, solutis sparsisque per humeros crinibus, extinctum naturæ votum, perditumque senectutis solatium, ululatu fæmineo ad invidiam mortis immaturæ plangebat. Nec non et ubera, quibus frustra periturum aluerat, ante conspectum proferebat virorum, memor doloris, pudoris oblita, et vestibus dolore conscissis, ipsumque, quo conceperat, uterum palmis lacerantibus elidebat. Cumque corpus jaceret exanime, atque a clericis exequiæ pararentur, linteamina, quia Galliarum gens cuncta depopulaverat, nequaquam alicubi reperiebantur cc, ita ut etiam de ecclesia velum acciperent, quo corpus ipsum tegi potuisset. In quo cernens mulier beatissimi Januarii effigiem, arreptum constringens manibus, osculo picturam libabat, petens, clamans, et dicens: Per Regem Sanctorum te obtestor, beatissime martyr Januari, ut meis angustiis solatiare digneris, atque te impetrante recipere possim filium meum, quia pro quo passus es, potest tibi in præsenti concedere, quicquid ab eo postulaveris, qui quondam flexus miseratione, unicum viduæ suscitavit filium. Et hæc dicens, velo, quod allatum fuerat, in quo erat effigies beatissimi Januarii martyris, velocius texit filium, connectens picturæ faciem ad ejus faciem, lumina luminibus ponens, atque ori ora componens, palmis palmas, pedibusque ejus pedes superposuit. Audierat quoque in Scripturis sanctis, quemadmodum beatus Heliseus unicum mulieris Sunamitis * suscitaverat filium, et iterum, qui quem tangebat umbra dd Sanctorum, vivificabatur. Quæ enim aures tam duræ, quæ de silice scissa præcordia possunt hæc sine lacrimis audire? Sed hanc audivit misericors Provisor cunctorum talia clamitantem, et assiduis fletibus lamentantem, atque ut genitricis luctum auferret, beato Januario supplicante vitam filio reparavit, et de sub effigie ee Martyris apertis oculis sanus surrexit.

alius modo mirabili, bb

C

cc

* Carac. Sunamitidis

dd

ee

12 Magna ff est ergo martyrum gloria, ingens et illustris corona. Mirantur illos angeli, mirantur illos omnes supernæ potestates, diligit illos Christus, honorificat Deus Pater, illustrat Spiritus sanctus. His omnis thesaurus divinæ Majestatis aperitur: his nihil honoris dignitatisque subducitur: hi sunt Christi conformes; hi sunt participes et coheredes Christi, hos habet in omnibus comites, hos in omni claritate consortes. Horum laudes atque virtutes semper recolere, semper nostro debemus ore proferre. Merito Spiritus sanctus dicit: « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et « iterum: Dominus custodit omnia ossa eorum, « unum ex eis non conteretur. » Identidem: « Sancti, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes « voluntates suas in eis. » Voluntates quippe eorum, qui in memoriis Sanctorum Deum deprecantur, per manum angeli ad altare, quod est in cœlo, ante thronum Omnipotentis proferuntur. Verum ne hæc nostro astructa videantur ingenio, lege id ipsum exemplar. Confirmat, quod dicimus, beatus Joannes Apostolus: « Vidi, ait, septem an« gelos stantes in conspectu Domini, et datæ « sunt illis septem tubæ, et alius angelus venit, « et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, « et data sunt ei incensa multa, ut daret de oratio« nibus Sanctorum omnium super altare aureum, « quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus « incensorum de orationibus Sanctorum de manu « angeli coram Deo. » Nimis cæci sunt et insipientes, qui hæc tam clara, et tam manifesta nec vident nec intelligunt, sed in sua tantum lingua confidunt.

Conclusio auctoris de gloria

ff

E

13 Et cum Deus de cœlo clamet: « Beati « mortui, qui in Domino moriuntur »; et Propheta Domino dicat: « Vivent mortui tui: » quomodo ergo se dicunt esse fideles, qui martyrum negant virtutes? Et dum cernant * quotidie numerosas orationum catervas beatissimi Januarii martyris tumulum, tanquam radiantes gemmas, stipare, et multos gesta scribentes gg, dona pro beneficiis acceptis solvere, nituntur quibusdam præstigiis clarum oculorum lumen auferre. Superest, ut ad sanctum Scripturarum librum revertamur. Qui ait: « Vidi turbam magnam, quam dinumerare ne« mo poterat, ex omnibus gentibus, et populis, et « linguis, stantes ante thronum, et in conspectu « Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus « eorum; et clamabant voce magna dicentes: Sa« lus Deo nostro, qui sedet super thronum, et « Agno. Et omnes angeli stabant in circuitu thro« ni, et seniorum, et quatuor animalium, et ce« ciderunt in conspectu throni in facies suas, et « adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedi« ctio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, « et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in « sæcula. Et respondit unus de senioribus, dicens « mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, « et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu « scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de « tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et « dealbaverunt eas in sanguine Agni: ideo sunt an« te thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in « templo ejus. »

et potestate Sanctorum.

* al. cernunt

gg

F

A 14 O beata et gloriosa beatissimi Januarii martyris fides, omnium litteris monumentisque celebranda, et carminum laudibus etiam posteris proferenda! Vere resurrecturum se cum gloria esse credidit, nihil in Evangelii promissione dubitans, vere dignus digne coronatus, quem in cœlo gaudens Christus excepit, cui amictus candidas et gloriosas palmas offeret *. Vere enim quod magni laboris, magnæque molis est, hoc beatissimo Januario martyri stolam istam, quam tribuit spiritualis largio, contulit *hh*. Per eam et, qui non nominabatur, oratur; et, qui nesciebatur ,celebratur; et, qui non videbatur, apparet: digne scilicet ejus corpus *ii* pro meritis atque beneficiis honorificatur. Claruit et * his validissimis testimoniis, quæ sanctus Januarius patrocinia a Deo collata nobis famulis suis præstiterit, cujus precibus mereamur a nostris cunctis expiari peccatis, et delictorum nodis exui; mereamur congruo * medicinæ suffragio a morborum contagio liberari, ut percursis * optatæ incolumitatis gaudiis gloriemur in Domino Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculorum Amen.

et nominatim S. Januarii. — * al. lætus offerret — *hh* — *ii* — * al. ex — * al. congrue — * al. perceptis

B

ANNOTATA.

a *Initium hujus Homiliæ in codice Vaticano est tale,* Divina annuente, *omissa voce* misericordia. *Ejusmodi plura, et alia clarius etiam mendosa, aut leviuscule mutata, leguntur in illo codice. Passim tamen eadem plane facta in utroque codice referuntur. Ubi mutatio utcumque notabilis videbitur, lectorem monebo, omissis minutissimis, aut claris mendis, ne annotata nimis excrescant.*

b *Ms. Vaticanum ita habet*: Et circumquaque fluentibus urbes calidis perustæ cineribes et prægravatæ corruerent.

c *Apud Falconium,* juxta ejusdem montis conflagrantis sita radices. *Apud Caracciolum,* in.... radicibus *legitur, dictio tamen ibi est mendosa in aliis, et magis etiam in codice Vaticano, cujus scriba nescivit, opinor, quid voces significarent, aut certe dictionem dedit nihil signicantem.*

d *Solus Falconius*: Omni destituti solatio. *In reliquis, legitur,* extremo solatio. *At interpunctio ubi facienda sit, dubitari potest. Suspicor ita legendum*: Procumbebant in humum ardentem. *(vitiose* in unum ardentem *apud Caracciolum et*
C *in Ms. Vaticano)* Extremo solatio, cum rerum natura periret, ad solitum B. Januarii martyris concurrunt cubiculum. *Per* cubiculum *autem hic designatur oratorium subterraneum, in quo Sancti corpus servabatur: corpusque eo tempore erat in ecclesia suburbana prope Neapolim. Voces vero,* extremo solatio, *idem significant, ac,* Pro extremo solatio.

e *Hoc loco iterum dissonant codices omnes Mss. et editi, sed idem ubique dicitur. At in reliquis, omnibus hæret dictio imperfecta, in solo Ms. Chioccarelli dictio perfecta est, et vera lectio, ut opinor. Proxime accedit Ms. Vaticanum, in quo sic habetur*: Igitur cum lacrymæ juges et gemitibus perpetesque ad Deum preces essent *etc. Sensus cohærebit, si legatur* et gemitus, *vel* cum gemitibus. *Mitto editiones magis vitiosas.*

f *Falconius in ceteris consonans, addit vocem,* replentes *hoc modo*: Antraque Beati martyris Januarii replentes. *At vox illa non est in Mss. Porro auctor voce* tecta *domos significat, nisi* tecta *antraque opponens, indicare voluerit, ædes* B. Januario *sacras superius inferiusque lamentationibus precantium fuisse plenas.*

g *Vox* interruptio *in utroque habetur Ms; sed procul dubio mendose. Scriptum fuerit* irruptio, *ut solus habet Caracciolus; aut potius* eruptio, *ut observavit Falconius. De beneficio illo* S. Januarii *actum est in Commentario num.* 111 *et seqq.*

h *Solus Falconius habet*: Per urbium vicinarum loca longinquarumque *etc.*

i *Ex hoc loco colligitur, Homiliam hanc fuisse habitam ante translationem, qua sacrum* S. Januarii *corpus delatum est Beneventum.*

k Malchus *vocatur in solo Ms. Vaticano; in aliis omnibus* Marcus. *Hæc sanatio etiam breviter narratur in Officio Neapolitano apud Falconium pag.* 147.

l *Falconius,* intra parietes.

m *Falconius sensum aliis verbis ita expressit*: Decussis omnium ejus protinus imbecillitatum et molestiarum ponderibus, sospitatem meruit. *Quæ dedi, sunt in utroque Ms.*

n *Hoc loco Ms. Vaticanum lectionem exhibet multum diversam, ita habens*: Cum alio rursus tempore Orientales populi multarum classem navium cernerent, Majestatisque virtutem mirificis E virtutibus per merita beatissimi Januarii martyris triumphare *etc. In editionibus Falconii et Caraccioli, quæ fere consonant Neapolitano nostro Ms., de classe non fit mentio. Suspicor tamen ob Ms. Vaticanum, etsi certo mendosum sit, aliquid de navium classe ab auctore memoratum fuisse, forte quod Orientales classe Neapolim fuissent advecti, ibique miracula* S. Januarii *intellexissent, ac tunc supplices ad ejus patrocinium recurrissent. Sequentia favent huic conjecturæ.*

o *Rectius in Ms. Vaticano*: Juxta animum virtutem de cælestibus trahebat. *In utraque editione*: Juxta animum laudabilis omnibus.

p *In Ms. Neapolitano mendose ligitur,* priorem, *quod ex aliis correxi.*

q *Hæc oratio in nonnullis vocibus discrepat in editionibus, et Ms. Vaticano. At idem fere ubique sensus. Forte verba meditatus est scriptor ipse.*

r *Posteriora, quæ hic mendosa sunt, sic leguntur in Ms. Vaticano*: Qui videbatur protempta manu apprehendere prædictum virum, et in rhedam quamdam auro gemmisque distinctam superponere; *ut fere habent aliæ editiones.*

s *In Vaticano,* Paterzitus; *Caracciolus.* Parzimis; *Falconius* Pattimius. F

t *Sic cum Ms. Neapolitano habet Falconius. Apud Caracciolum,* Evi videlicet et Sigisvuldi. *In Ms. Vaticano*: Et his videlicet et Sigisvuldi.

u *Apud Caracciolum,* Liberatori sancto. *In Ms. Vaticano,* Liberatori. *Falconius habet*: Liberator sancte. *In lectionibus apud Falconium pag.* 147 *totum hoc factum brevius et melius sic narratur*: Florentius, nobilissimus civis Neapoli, petens administrationem urbanam, prece vel pretio non poterat obtinere. Convertit se proinde ad Deum et S. Januarium præsulem. Sibique oranti noctu apparuit in somnis quidam in effigie dicti Sancti, luce micans supra solis splendorem, et angelico fulgens habitu, apprehensaque manu Florentii, in currum auro gemmisque distinctum superposuit ipsum. Expergefacto a somno cancellarii patriciorum attulerunt sacros apices de administratione cupita. Gratias inde egit Deo et sancto Martyri: altare ejus pretiosis exornavit marmoribus, vallavitque cancellis cum ostiis argenteis fabrefactis.

Ex M.

Ex Ms. w *Vox* ferens *desideratur in Ms., sed addita est ex utraque editione. In Ms. Vaticano totum illud factum de puero resuscitato omissum est.*

x *Post verbum* veniebat, *dissonat utraque editio a Ms. Falconius hæc solum dat:* Quem, ut dixi, pulverem sacrosanctum ipsius defuncti intulit corpori. *Caracciolus:* Quem, ut dixi, pulverem, sacrosancto chrismate conspersum, ipsius intulit corpori.

y *Caracciolus,* tenebrarum *recte, opinor. Falconius* arteriarum.

z *Caracciolus,* in insulis longe.

aa *In utraque editione solum:* ita vixisse, et ita fecisse. *In lectionibus apud Falconium pag.* 147 *idem miraculum brevius sic narratur:* Puerulus clericus, Clemens nomine, nimio febrium languore correptus, per septem dies totidemque noctes absque cibo et potu clausis permansit oculis: a medicis desperatus, mutus et immobilis prope interitum erat. Duo religiosi viderunt Januarium martyrem (quem pro ægroto oraverant) in stola nivea angelo similem: putantesque eum medicum pro cura infirmi, ei pecuniamque * offerebant. Quibus respondit: Ego sum Januarius, qui pro Christo sanguinem meum fudi, sprevi mundi divitias, potens naturam lapidum in aurum convertere, virtute malui, quam auro fulgere. Expergefacti ecclesiam Martyris adeunt, et pulverem chrismate sancto conspersum, intulerunt corpori jam defuncto, et ad vitam reductus est. *Ceterum ex eo miraculo clare colligitur,* cubiculum S. Januarii, *de quo hic auctor sæpius meminit, locum esse sepulcri in ecclesia extra urbem, cum pulvis fuerit sumptus* desuper Martyris sepulcrum.

* redundat que

B

bb *In codice Vaticano mendose* Enarnia *legitur, apud Caracciolum* Inarime, *quo nomine etiam designata fuit ab antiquis, sed nunc* Ischia *passim dicitur. Nota est insula, episcopatu etiam gaudens, et duobus aut tribus milliaribus distans a promontorio Miseno.*

cc *Magna rursum hic in editis et Mss. verborum dissensio. In eo tamen concordant omnes codices, quod mulier velum ab ecclesia acceperit ad involvendum defunctum filium. In Ms. Neapolitano etiam duo menda habentur, forte exscribentis negligentia in apographum inducta, ut hæc solum corrigenda ex aliis omnibus censuerim,*

C

relictis reliquis, prout ibi leguntur, Falconius habet: Cumque corpus jaceret exanime, atque a clericis exequiæ pararentur; facta est linteaminum ad involvendum corpus magna inopia (Galliarum quippe gens cuncta vastaverat) ut de ecclesia velum acciperent. *Sic etiam habet Caracciolus. Quod autem in omnibus documentis Neapolitanis dicitur, inopiam illam linteaminum ortam esse, quia Galliarum gens cuncta vastaverat, non habetur in codice Vaticano: in quo et alia omissa jam dixi. In lectionibus Officii Neapolitani apud Falconium pag.* 148 *miraculum istud hoc modo refertur:* Vidua sanctissima, nomine Maxima, cujus filius mortuus est, plangens, pectusque percutiens, solutis et sparsis per humeros crinibus, extinctum filium suæ senectutis solatium, ululatus maximos emittebat: et non inveniens ad involvendum corpus aliquod linteamen, (quia Galliarum gens cuncta vastaverat) de ecclesia velum accepit, quo corpus defuncti protegeret. Cernensque in eo mulier Januarii sancti figuram, constringens manibus, osculo * libabat eamdem, petens et clamans, ut misereretur viduæ, et filium suum unicum suscitaret. Audivit eam misericors Deus, et B. Januario supplicante, vitam suo filio reparavit. D

* Falc. oscula

dd *De suscitato per Eliseum filio Sunamitidis videri potest* 4 *Regum* 4. *Quod vero dicitur de* umbra Sanctorum, *pertinet ad S. Petrum, de quo legitur. Act.* 4 ✠ 15, Ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. *At illud de umbra Sanctorum, et alia nonnulla rursum prætermissa sunt in codice Vaticano.*

ee *Idem miraculum, modo nonnihil diverso relatum a Græcis, dedi in Commentario num.* 110. *Si verum est, quod dicitur de vastatione Gallorum, contigerit verisimiliter miraculum illud non diu post medium seculi* 6, *quando Franci non modo Campaniam misere vastarunt, sed omnes provincias hodierni regni Neapolitani, aliasque Italiæ illis vicinas, ut historici passim referunt. De populatione illa et subsecuta eorum clade internecina per Narzetem Justiniani imperatoris ducem scribit Agathias lib.* 2.

ff *Conclusio tota in codice Vaticano et apud Falconium omissa est, verisimiliter quia minus spectat ad* S. Januarium. *Habetur tamen apud Caracciolum, et in Ms. Chioccarelli, ex quo dabitur. Ex ratiociniis auctoris pro gloria et cultu Sanctorum verisimillimum fit, cum scripsisse seculo* 8 *post ortam hæresim Iconoclastarum, qui invocationem Sanctorum impugnabant.* E

gg *Quamquam editio Caraccioli cum Ms. in his plerumque consentiat, subinde tamen in ea aliquid reperitur mendosum. In apographo nostro hic legitur* et gestas scribentes. *Quod correxi ex Caracciolo: apud quem mox legitur,* vota, *ubi hic* dona.

hh *Editio Caraccioli:* Hoc beatissimo Januario martyri stolam istam contribuit, et spiritualis largitio contulit.

ii *Ibidem:* Digneque sanctum ejus corpus *etc.*

TRANSLATIO

SS. JANUARII, FESTI ET DESIDERII

F

Auctore anonymo Beneventano,

Ex Ms. Chioccarelli, collato cum aliis Neapolitanis, cum codice Vaticano, et cum editionibus Caraccioli et Falconii.

Propitiante Domino, qualiter beatissimi Januarii sanctissimum *a* corpus ad suam sedem reductum sit, ad memoriam revocemus. Igitur tempore, quo Beneventanorum, ac Samnitum * magnus princeps Sico *b* Neapolim obsidebat, noctu cuidam fæminæ beatus Januarius martyr apparuit, dicens: En migro de loco isto. Quem cum fæmina percontaretur, quo ire vellet; illi respondit: Beneventum, plebs enim mea est. Hactenus pro urbe hac deprecatus sum, sed ferre illorum mala jam non valeo, maxime cum super tumulum

Cum Sico Neapolim obsidebat, prædicente S. Januario suum discessum,

a

* al. Samnitium

b

A lum meum tot perjuria perpetrent. Hisce dictis a mulieris oculis elapsus est. Mulier vero, quæ viderat, concivibus suis cuncta narravit. Illi vero, ut facinus sæpius operari solet, cuncta mulieris parvipenderunt relata.

quæri jubet Sancti corpus, quod suavi cum odore reperitur;

2 Ipso in tempore, Christo cogente, repente in mente * principis, immissum est, qualiter corpus martyris Beneventum reduci possit *, cepit namque * quosdam perquirere, quo in loco ejusdem ossa sacra tumulata tenerentur. Illico quidam professus est se optime noscere *. Mox itaque sacrum ad locum fideles mittuntur, qui propere, quod princeps summus illi sciscitatus est invenere. Nam aperto tumulo mirabilem ac cælestem *c* thesaurum repererunt. Istinc frequens *d* tantus odor fragravit ac terror ut corda fortium *, qui aderant, odore ac pavore simul concuterentur. Videbant siquidem cælestem rem latitasse in fovea; nemo quippe aderat, qui non in stupore mentis corrueret; pariter enim illos pavor, ac stupor habebant. Igitur trementes gaudentesque sacra ossa tulerunt. Nec diu in castris latere poterat: mox omnes concurrerunt armis fidei, amoreque muniti: a tanta multitudine quasi funditus terra quassabatur.

* al. mentem
* Ms. Vat. posset
* al. itaque
* al. nosse
c d
* al. eorum

B 3 Urbs simul clamoribus, atque clangore tubarum movebatur. Ex improviso urbis multitudo *e* castrorum concursum nesciens, tantummodo alter ad alterum dicebat *. Tandem a quodam diligentius perquisita res, inventa est. Is ad urbem cucurrit, et nunciavit, dicens: Præsidium urbis * nunc ablatum est: nam patronus * noster Januarius, qui tot * tempora nos protexit, peccatis nostris merentibus, a nobis nunc aufertur. Omnes quoque Samnitum ordinati stabant, submittentes capita sua, ac dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Acclamationem * illorum, ac lachrymas, seu clamorem, sed et signorum virtutes, nullorum calamus potest significare: atque utinam pater Augustinus esset, qui hæc nobis cuncta describeret! Ego vero quasi pauperculus litterarum, ceu formicator *f* pondus tantorum erigere.

ac magno cum civitatis luctu tollitur,
e
* al. clamabat. Tamen
* al. nobis
* al. pater
* al. per tot
* al. exultationem

4 Interea pontifex, et omnes cleri cum reverendissimo Gucti *g* præsule inter densissima agmina cum hymnis et lampadibus sanctissima ossa ferebant, sed clericorum voces discerni non poterant propter agminum clangorem; suum namque Patrem se recepisse gaudebant. Nec prætereundum, quod C omnes odor ita perfuderat, acsi aromatum infinita suis manibus ferrent. Princeps vero eximius tantæ lætitiæ copulatus est *h*, quam si urbem illam suæ subdiderit * ditioni, lætaturque, quod Patrem sibi suisque reduceret, quem nullus potuit præcedentium principum revocare. Idcirco * immensas retulit grates, quod suo in tempore illi Christus miranda concessisset.

magnoque gaudio Beneventanorum.
g
h
* al. subderet
* al. additur Deo

5 Nec prætereundum arbitror, quod ipso die, quo sublevatus * est, Dominus per illum est operatus. Nam cum quidam equum perderet, nec alterum haberet, ad beatissimum Martyris corpus cum lachrymis cucurrit, dicens: Sancte Januari, unum equum, quem habui, nunc furtim nescio quis abstulit, puto quod valeas palam illum reducere. Credens * per beneficium Martyris se adjuvari, ad locum, in quo manebat, se recessit *. Sed mox ut reversus est, vox illi de intimis castrorum, quasi infantis facta est: Illum ad locum propera, et equum tuum invenies ibi. Illo in momento, quo vox sonuerat, ad locum cucurrit, equum vinculis retentum invenit: reversus est gaudens, profitetur omnibus, quod tam citius a beato Martyre potuit exaudiri. Res omnibus nota est, cunctorum ora laudem Martyris promulgabant. Vox illa cujus in ore sonuerit, nunquam invenietur *, quam divinitus emissam fatemur.

Equus amissus, Sancto invocato, reperitur:
* al. sublatus
* Ms. Vat. credensque
* ib. recepit

A. ANONYMO.
* al. inveniri potuit

6 Et illud dicendum, quod nullo in tempore fragrantiæ odor recessit, ita ut ab itinere per quod ducebatur corpus, duarum *i* vel trium horarum spatium non evanesceret. Quo tempore simul cum præsule ejusdem Martyris itineris comes fui. Hoc in eodem itinere, quod fateor, erga fluvium, qui Vifercula *k* dicitur, gestum est. Nos itaque cum Martyris vestigia portitorum *l* sequeremur, repente a nobis expulsum est, ut vix ab aliquo quiverit videri. Illico Præsul venerabilis in stupore mentis raptus, ait, Ubi, inquit, est, quod sequebamur? Omnes vehementer stupidi grates referre Domino nitebamur, qui per Martyrem suum dignatus est servorum corda suorum novis miraculis refovere *m*. Mox illud iter capere velocius cogebamur, quoniam pene jam sanctissimum corpus Martyris octonis stadiis *n* a nobis disiungebatur. Ejusdem vehiculo ut annexi sumus, cujus * portitores præsul percontatus est, dicens: Cur ita a nobis tam longius recessistis? At illi præsuli dicunt: Quod interrogas, nullus nostrum novit, putabamus etenim nos sine pondere, quasi nihil portantes, nobiscum carpere iter. E Obliti quidem fuerant, quod portabant. Tota quidem nox *o* ab illa rusticorum multitudine mirum in modum in Domini laudem versa est; exultans suum carpebat iter.

fragantia aliaque mirabilia in via:
i
k
l
m
n
* hujus
o

7 Fama vero jam Martyris Beneventanam urbem invaserat. Unde omnis urbs cum lampadibus et hymnis obvia illi facta est, laudantes Dominum, ac dicentes: Benedictus, qui venit in nomine Domini, quia post tot tempora Patrem suum recipere meruerit *. Igitur urbem beatificantes * cum Martyre suo ingressi sunt, quem in basilica sui beatissimi diaconi Festi posuerunt, donec illi summo cum honore locus in sua sede paretur. Nam juxta basilicam Dei Genitricis Mariæ semperque Virginis basilica, quæ Hierusalem *p* cognominabatur, fuit, in qua etiam sedes antiquorum episcoporum, et illius fuit. Hanc ecclesiam martyri Januario miro opere renovaverunt, in qua etiam cameram marmoream elegantius *q* constructam eximius princeps fieri mandavit, in qua corpora sanctorum martyrum locarentur, Januarii videlicet, Festi et Desiderii.

corpus lxtanter Beneventi exceptum,
* al. meruerunt aut meruit
* al. lætantes
p
q

8 Nam venerabilis Gucti *r* præsul cum omni plebe, ac multitudine populi ad locum, in quo senator Cyphius beatissimum Festum et Desiderium locaverat, pergens, eosdem in urbem ad suum Pontificem transvexit, ut eorum corpora uno sub tegmine locarentur, quorum spiritus una Dominus *f* gratia univit. Quoru m tumulus cum a præfato præsule aperiretur, quasi cæleste manna illic repertum est: namnivis in modum * beati martyris Festi corpus totum tumulum occupaverat; odor, quasi tot floribus *, nares omnium perlustrabat: denique particulam quidam * sanctissimi corporis naribus meis apposuit, dicens: Vide, cujus odoris est hoc? Ad quem ego: Nemo mortalium referre potest, nam mihi videtur balsamum cum floribus omnibus permixtum fragrare. At ille inquit: Beatissimi martyris Festi pars corporis est, simulque promisit *t* omnia, quæ viderat. Eadem, imo evidentius potius, a venerabile præsule mihi perlata sunt, qui etiam beatum Desiderium, quasi eodem tempore trucidatum, cum sanguine se invenisse fatebatur.

et cum translatis SS. Festi et Desiderii corporibus
r
s
* Ms. Vat. mirum in modum
* ib. florum
* al. quamdam
t

9 Sacra vero corpora in prædicto loco locata

A. ANONYMO. *honorifice depositum.* u * Ms. Vat. ex auro * ib. altare

ta sunt. Omnis civitas ad illam ædificationem *u* confluxit, etiam excellentissimus princeps Sico, qui coronam auro * optimo, excellentemque gemmis pretiosissimis de capite suis manibus deposuit, et super altarium * beati Januarii martyris locavit, quod ipse simul cum præsule auro optimo, gemmis pulcherrimis, figuris variis undique per totum fieri madavit.

Puella subito sanata, apparente Sancto: * al. nunc * al. quæcumque w

10 Mirabilia igitur, quæ per suum Martyrem, postquam reductus est, Dominus fecit, sequenti die, quoniam huc usque * fessi sumus, propitiante Domino Jesu, annuenteque Martyre ejus, quæque * a Religioso ipsius ecclesiæ *w* audivi, referamus. Denique eodem tempore quædam nobilis puella, quæ adhuc superest, fuit. Hæc paralysin in dextero latere graviter patiebatur, nullo modo brachia * ad os ducere valebat. Consilio vero parentum ad sacrum beatissimi Januarii corpus ducta est, ut illi solita pietate sanitatem largiretur, quod * illico est consecuta. Nam cum omnes nos post orationem sopori dedissemus, ipsa quidem non longe ab altario, prout poterat, psallebat. Repente quidam Sacerdos illa cum fæmina sacro velamine visus *x* est. Hæc pavore nimium concussa corruit *, faciem obnixe tegere quærebat; sed continuo, qui apparuerat, brachium ad illam tenens accessit *y*. Illa autem, quoniam Martyris visionem *z* ferre non potuit, protinus in clamorem erupit, ad cujus vocem experrecti * cucurrimus, eamque invenimus sanam.

* Ms. Vat. brachium * Ms. Vat. quam etiam x * ib. corruens y z * in edit. expergefacti

lampas mirabiliter abundat oleo, aa bb

11 Sed et illud silentio dari non arbitror, quod idem referebat, dicens, quod ab ejusdem *aa* viro, quæ sanitati restituta est, decretum est, ut suo oleo ante beatissimi Januarii corpus jugiter candela *bb* foveretur. Quod cum negligentius ab illo, cui commissum erat, ageretur; cœpit candela sine admissione * redundare tunc olei. Nam custos illi tantum ex more * ignem apponebat, non enim opus erat eidem oleum inferre, quoniam sine * administratione candela undique etiam in pavimentum fluebat: de cujus liquore innumerabiles * redditi sunt sanitati.

* Ms. Vat. administratione: Edit. admixtione * edit. externe * al. additur olei * al. mirabiliter multi

12 De quibus unus * ad memoriam recurrit. Nam sole quadam die in occasum vergente, quædam mulier cum parva filia venit. Summopere poposcit, dicens: Peto, domine, ut hanc filiam meam beatissimi Januarii sacro oleo perfundas, quia obriguit, nec flecti potest. Mox, ut poposcerat, accepit; nam ut oleo sacro peruncta est, sine mora reddita est sanitati, alacrisque cum filia incolumi recessit.

quo uncta puella sanatur, * al. unum C

et mulier visum recipit. cc * Edit. Cumque * al. celeriter

13 Eodem quoque tempore mulier *cc*, amisso lumine, et sacro ejusdem Martyris oleo oculos sibi linire poposcit, quod petenti negatum non est. Nam ut * illius oculis oleum infusum esset, ita celerius * restituta est sanitati, acsi pro oleo illi lumen injectum fuisset. Hæc a præfato custode relata sunt. Quod sequitur a religioso quodam diacono audivi, qui ejusdem Martyris eodem tempore extiterat custos.

Lumen et odor mirabilis: æger sanatus. dd * Ms. Vat. cucurrit ee

14 Quædam mulier cum filio in eadem ecclesia hospitium habebat. Quæ intempestæ noctis hora *dd* ejusdem ecclesiæ ædes quasi corruere sensit. Quæ filium inclamans, ait: Surge; nam domus funditus evertitur. Cui ille, Cernis, inquit, splendorem tanti luminis? At illa, Intueor. Quibus vociferantibus, omnes, qui aderant, et ipse diaconus cucurrerunt *, dicentes; quoniam omnis ecclesia igne crematur. Ad quorum voces etiam affines *ee* cucurrerunt. Nam, exuberante lumine, maxima ex parte urbs ardere videbatur: omnes quippe altius perturbabantur. Sed evidentius res intuita *, quod erat, diu non latuit. Paulatim etenim lux infra ecclesiam * tantummodo coarctabatur. Fere post duarum horarum spatium diaconus in ecclesiam pavens ingreditur: sed lumen jam tantum cingebat altare, quod paulatim, illo adstante, subtractum est. Sed tantus deinde odor inenarrabilis remansit, ut non tantum ecclesiam, in qua Martyris ossa inerant, sed etiam vicinas ædes perfunderet: qui odor usque ad trium diei horarum *ff* spatium perductus est, donec accessit æger quidam *gg*, qui sine omni tarditate incolumis recessit.

D * id est perspecta * Ms. Vat. in ecclesia Ed. intra ecclesiam ff gg

15 Nam, ut * superius dictum est, qui comprehendere, vel æstimare *hh*, aut scribere potest, quanta per eum Dominus operatus est? Ad quem beatissimum Martyrem nullus infirmorum, si pura fide accesserit, immunis recedere *ii* valebit. Non enim * miremur, post mortem talia posse, qui in vita talia gessit. Hic enim pro suo Domino, ac ejusdem mandatis, et plebe sibi commissa sanguinem fudit: unde et meruit post mortem melius posse, quia non sibi, sed illi vixit, cujus amore vitam corporis finivit, ut vitam adipisci posset *kk* meliorem. Quod fallaces divitias sequenti evenire non potuerit *, quia dum sua sequitur, id est, voluntatem *ll*, quod melius est, amittit, id est, vitam post mortem, ut scriptum est: Charitas non quærit, quæ sua sunt. Ita sancti Martyres fecerunt, ut possiderent meliora, id est, incorrupta, quæ non sunt carnis, sed spiritus. Nos vero, cum nostra sequimur, id est, carnis *mm*, spiritualia habere non meremur: quoniam quæcumque seminaverit homo, hæc et metet, nam qui in carne seminaverit, de carne corruptionem et metet, et qui in spiritu, de spiritu vitam æternam *nn*. Beatissimus igitur iste sanctus Januarius, cujus solemnia * celebramus, non voluntatem secutus est carnis, sed magis quæ Domini * erant, quæ brevius dici possunt dilectio * Dei et proximi, de quibus messuit vitam æternam; quod * et nos possumus, si hunc imitemur, adipisci, propitiante * Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in secula seculorum. Amen.

Conclusio moralis in laudem S. Januarii. * Edit. ut vero hh ii * Vat. autem kk * al. poterit ll mm nn * in Vat. dedicationem * ib. Dei * ib. dilectionem * al. quam * al. præstante

ANNOTATA.

a *In Ms. Vaticano* sacratissimum, *quæ earumdem vocum differentia deinde sæpius recurrit. At leviusculas vocum differentias, quando sensum non mutant, aut breviter in margine assignabo, aut omnino præteribo, ubi nimium excrescerent istæ minutiæ.* F

b *De Sicone principe Beneventano, et de tempore translationis egi in Commentario num.* 113 *et seqq.*

c *In Ms. Chioccarelli,* mirabile ac cæleste. *Quod mendum ex Vaticano et gemina editione correxi.*

d *Id Ms. Vaticano:* Illic denique. *Utraque editio* Hunc.

e *In alio Ms. Neapolitano:* Ex improviso turbæ tumultum et castrorum *etc.*

f *In codice Vaticano* ceu formica nititur pondus tantum erigere. *Duæ voces videntur vitiose in unam* formicator *contractæ. In utraque editione omissa sunt illa,* ego vero *usque ad* interea.

g Gutti *vocatur in solo Ms. Vaticano, ubi sic habetur:* Interea pontifices et omnis clerus cum reverentissimo Gutti præsule *etc. In omnibus Mss. Neapolitanis videtur legi* pontifex. *Sic certe habet utraque editio, nec in illis variantibus Neapolitanis*

A *politanis notatur, legi* pontifices, *ut alia lectio videatur præferenda. Falconius tamen annotat, alias legi, princeps, qua voce insinuaretur ipse Sico princeps Beneventanus. At voce* pontifex *rectius intelligeretur capellanus principis : nam voce* pontifex *medio ævo aliquando designatur capellanus palatinus, ut habet Cangius in Glossario. Certe non designatur archiepiscopus Beneventanus, qui erat* Gucti *vel* Gutti. *Si forte* pontifices *fuerit scriptum, plures erant in castris episcopi principatus Beneventani, qui designantur.*

h *In alio Ms. Neapolitano,* non minori lætitia cumulatus est, quam *etc.*

i *In Ms. Vaticano* : post duorum vel trium horarum spatium non evanesceret. *In utraque editione*: ante duarum vel trium horarum *etc. Sensus est, fragrantiam duabus aut tribus horis mansisse in locis, per quæ corpus erat delatum.*

k Vifercula *etiam legitur in utraque editione; in Ms. Vaticano* Infercula, *in alio Neapolitano,* Fercula. *Quis sit fluvius, nullibi explicant biographi Neapolitani. Transeundi erant, opinor, Clanius, Isclerus, et prope Beneventum Sabatus. At non ausim divinare, quis ex illis nomine nunc in-*
B *usitato, quod forte seculo* IX *erat vulgare, fuerit indicatus, cum nomen ipsum forte sit corruptum, aut rivus aliquis ignobilior indicari potuerit.*

l *In Ms. Vaticano additur* corpus, *eoque refertur, quod sequitur,* a nobis expulsum est.

m *Tota illa periodus,* Omnes vehementer stupidi *etc., non est in Ms. Vaticano. Et sane non videtur suo loco posita, rectiusque illa intelligerentur, si dicta essent post episcopi et aliorum reditum ad corpus.*

n *Octo stadia faciunt mille passus.*

o *Tota periodus hæc aliter legitur in codice Vaticano, et rectius, opinor, hoc modo exprimitur :* Tota quidem mox illa populorum turba mirum in modum in Dei laudibus versa est, et exultans suum carpebat iter.

p *Hanc ecclesiam etiamnum parochialem esse nomine S. Luciæ, asserit Marius de Vipera in Episcopis Beneventanis pag.* 14. Quæ cathedralis, *inquit,* ecclesia hodie non exstat nisi capella in parochialem conversa sub S. Luciæ et per prius S. Festi nomine. *At his verbis duæ ecclesiæ videntur confundi, nempe ecclesia* S. Festi, *in qua tantisper depositum fuit* S. Januarii *corpus, et ecclesia* Hie-
C rusalem *cognominata, in quam deinde cum corporibus* SS. Festi *et* Desiderii *fuit illatum. Itaque eruditis Beneventanis examinandum relinquo, utra sit hodierna S. Luciæ ecclesia.*

q *In Ms. Vaticano,* cameram marmoribus elegantibus constructam. *Est autem* camera *hoc loco crypta subterranea, sive oratorium subterraneum quod alias voce ecclesiastica* confessio *vocatur idemque in Homilia de Miraculis* cubiculum *dicitur.*

r *Ex hoc loco clarum est,* Guctum *vel* Guttum *recte episcopis Beneventanis annumerari a Vipera et Sarnellio, et perperam omissum fuisse ab Ughello. In secunda tamen Operis Ughellani editione defectus ille fuit suppletus.*

s *In Ms. Chioccarelli mendose legitur,* una domus grata univit, *quod mendum ex aliorum consensu correxi. In alio Ms. Neapolitano est,* una martyri gloria.

t *Hunc locum corruptum observant Caracciolus et Falconius. Suspicor* prompsit *fuisse scriptum, etiamsi in omnibus legatur* promisit. *Sic unius litteræ mutatione correctio facta erit.*

u *Utraque editio,* locationem *Ms. Vat.*: dedicationem. A

w *In Ms. Vaticano* : a religioso ipsius ecclesiæ presbytero desideranter audivi, referam.

x *In Ms. Vaticano visio sic exprimitur* : Repente autem quidam Sacerdos illi cum femina sacro induta velamine visus est.

y *Ms. Vaticanum* brachium illius tenens, abscessit. *Forte rectius,* abscessit *quam* accessit. *Utraque editio habet* : brachium ad illam tendens, accessit.

z *In Ms. Chioccarelli mendose,* jussionem; *quod ex omnibus aliis correxi.*

aa *Factum hoc videtur loco non suo positum, fuitque referendum post sanationem mulieris cujuspiam maritatæ, nisi puella, cujus sanatio mox relata est, postea nupserit. In Ms. Vaticano et alio Neapolitano mendose legitur,* ab eodem viro, a quo sanitati restituta est.

bb Candela *clare hic lampadem significat, ut sæpius alibi medio ævo.*

cc *In Ms Vaticano;* alia quædam mulier *etc., ubi mox omittitur* et, *quod hic redundat.*

dd *Ita legitur in Ms. Vaticano, et in alio, quod servatur in tabulario canonicorum Neapolitanæ* E
ecclesiæ, ex quibus dictionem corruptam restitui. In Ms. Chioccarelli omittitur quæ *et* hora, *ut nullus sit sensus : in utraque editione,* in tempestate noctis *etc. Qua videtur correctio minus probabilis.*

ee *In Ms. Vaticano,* adfines. *Hac voce hic indicantur vicini, proximi, qui prope aderant.*

ff *Vox* diei *non habetur in editis; sed legitur etiam in Ms. Vaticano, et in aliis Neapolitanis, opinor; cum ex his nullam varietatem annotarint eruditi Neapolitani. Secundam hanc lectionem, quæ vera videtur, odor continuatus est usque ad horam tertiam diei, sive ab ortu solis. Nescimus igitur, quamdiu mirabilis ille odor manserit, cum non dicatur, utrum ante an post solis ortum fuerit inchoatus. Secundum edita mansisset trium horarum spatio; quod verum esse potest, sed incertum est.*

gg *Hæc sanatio refertur in Ms. Vaticano, ut alio tempore facta, et pro ægro substituitur dæmoniacus ut forte ibi duo beneficia in unum fuerint confusa. Verba hæc sunt :* Ad cujus sacratissimum corpus nuper vexatus quidam a dæmonio perductus est. Qui cum perlatus a suis esset, sine omni F
tarditate effectus incolumis recessit. *Potest tamen idem esse beneficium, si morbus ægri attributus est dæmonis vexationi. At vox* donec *in Mss. et editis Neapolitanis indicat tempus mirifici illius odoris, nisi scriptum fuerit* demum *aut* denique; *vox vero* nuper *in Vaticano Ms. aliud tempus insinuat.*

hh *Verbum* æstimare *sumpsi ex Ms. Vaticano, pro quo in Ms. Chioccarelli vitiose* exstimare, *in editis* exponere.

ii *Ms. Vaticanum,* inremediatus abscedere valebit. *In editis,* immunis recedet.

kk *Hic* in *redundabat in Ms. Chioccarelli, quod delevi secundum Vaticanum. Aliqua hic in editis sunt omissa.*

ll *In editis,* dum suam sequitur veluntatem.

mm *In Ms. Vaticano :* Nos vero, quos cura sequitur carnis, *etc. Plura rursum omissa apud Falconium.*

nn *Verba Apostoli Gal.* 6 *dictioni suæ adaptavit auctor. Modica admodum est variatio in Ms. Vaticano.*

TRANSLATI

A

TRANSLATIO

SS. EUTYCHETIS ET ACUTII

Auctore Raynerio

Ex duobus Mss., collatis cum editis Caraccioli et Falconii.

Agente Stephano Neapolitano antistite, a b Haud paucissimis a dilatis post mortem martyrum Eutychetis et Acutii annis Constantinus Caballinus b suam cupiens exercere tyrannidem, Romanæ urbis indigenis crudeliter imperaturus advenit. Cujus rei gratia vitæ pariter et regno renuntians, se viventem tartareas pœnas pati ejulando clamavit. Eodemque tempore domnus Stephanus junior Romanæ Cathedræ residens, offensam Desi- B derii Longobardorum regis veritus, Carolum piissimum imperatorem adiit. Stephanus vero Neapolitanæ sedis antistes c, inter cætera ecclesiæ suæ collata ornamenta, non parvo labore studuit præfatorum sanctorum martyrum Eutychetis et Acutii transferre venerabilia corpora.

SS. Eutychetis et Acutii corpora Neapolim translata, d 2 Et ut urbs, quæ pro innumeris annorum curriculis mentionem temporalis amiserat suæ novitatis d, nitens mœnibus ædificiorum, ac sanctorum corporum reliquiis insignis, horum etiam lætaretur adjuvari præsidiis, hæc quoque sanctorum corpuscula favorabili admodum laude prosequentium civium, ac mirifica pompa jubilantium clericorum, alterius e ablato vertice, in Stephaniæ f delata gratanter asylum, integri marmoris bifidum intromittuntur sarcophagum, quod penitus imæ telluris solo defosso subterranea domus, dolatis artificum manu lapidibus, levi pro merito recepit vestigio.

in basilica Salvatoris, quæ instaurata et Stephania dicta, deponuntur: 3 Cujus claustri prominens pulchritudine decenti fastigium, columnis ambitum purpureis, sculptarum vario schemate figurarum insignitum, argenteum bajulat, quod vulgo ciborium dicitur, nitens pyraterium g. Sub cujus umbraculo altare h similiter statuitur, argenteis undique redimitum tabulis; quod mundi Salvatoris i gratia et vocabulo simul dedicatum, multorum corporali solamine Sanctorum se gaudet esse refertum. Penes autem psallentium Deo agminum sedem, quibusdam lapideis cochleis lector scandens, argenteo per gyrum antistitis studio ambiri se cernit analogio k. Et ut Sanctorum corpusculis satis deferret, ædes eadem, ignea flamma combusta l, præfati præsulis est reparata industria.

magna Sanctorum gloria: 4 Sed hæc supremæ magnificentiæ munera, quæ perennis dignitatis excepta reverentia, sic sanctorum Militum labores ac dona præsentialibus fascibus repensant, quæ dignis laudibus lingua prædicet? Merito enim pro humanis obsequiis spiritibus angelicis eos, si fas est, dixerim præcellentiores, quibus subtilitate vigentis naturæ procul dubio sunt inferiores. Denique dum fere ubique terrarum stupendis extolluntur laudis præconiis, dum alte jugibus potiuntur gaudiis, angelorum autem dulcis solemnitas solummodo viget in cœlis, sanctorum hominum profecto minores m sunt meritis.

Pro studiis quorum munuscula dantur honorum,
Moribus n ardenti, fideique colore calenti, D
Supplicibus donis his jungi posce patronis;
Terrea qui spernis, et cælica pectore cernis,
Dic istis Sanctis, dic, flagita voce precantis o,
Promeritis dignis ignoscite, quæso, malignis,
Et veniam detis mihi, quem peccare videtis,
Ut merear sisti vobiscum vernula Christi
Perfruar ut cæli modulamine mente fideli,
In terra natus, sed ad æthera flamine latus,
Laudis habebo sonum, vitale recepero donum,
Nullus ubi fletus, sed lætus ad omnia cœtus.

5 Nec reor immerito tantum thesaurum Puteolanos accolas perdidisse, et nobilium ædium structuris labefactis, urbem pene vacuam profugis colonis permansisse; ablatumque ab ea Famulorum Dei eximium corporaliter patrocinium præfatam Neapolim sibi vindicasse: quoniam quidem, quos perversæ non pœnitet actionis, ultio quandoque afficit temporalis p, et digne pœnitentibus aderit etiam præmium mundanæ felicitatis. Quod promerentibus Sanctorum loculis Neapolites adeptus est civis, quorum pretiosissimus inibi tegitur cinis. *reliquiæ Puteolis ablatæ.*

6 Hoc quædam eximiæ nobilitatis experta est mulier, Eruscun q nomine, cum nimia capitis et stomachi laboraret ægritudine: quæ non frustra, velut multi abstruunt, Erusum est nuncupata parentibus; crisis * si quidem Dorica locutione aurum r dicitur: et, quoniam contemplationi supernæ claritatis fervore inhiabat piæ devotionis, aurea meruit * nuncupari ex ipsius officio actionis. Quam cum intolerabilis capitis dolor, fumo undique crebri latera ambiente, incessanter afficiendo requiescere nec ad modicum sineret, igneo tandem calore dissolutus humor, vomitus execrabiles et pene letiferos generavit. Taliter itaque viribus fere omnibus destituta nec non semiviva, nihil amplius, quam de morte, (tristibus medicis) cogitans, patrem spiritualem ad se adcersiri deprecans, ei, qualis et quantus esset languor seriatim indicat. Qui solito more salubria administrans cœlestium pigmentorum medicamina, Eia, inquit, de sanctorum martyrum Eutychetis et Acutii corporibus a me tibi exhibitis suscipe devote particulas, quas reverenter recondе: nec non et orationibus et vigiliis insistas, Missarumque peractis solemniis, capiti imponas: et ab eis tui languoris procul dubio desideratam nimis accipies medelam. Cujus exhortationibus credula mulier, adimplere, quæ jusserat, nihil distulit: ac per hoc extemplo, quanta foret sanctorum virtus, recepta sanitate, F didicit. Unde nos supplices hujusmodi petamus pura mentis intentione Patronos, ut nos liberent ab omni hostili incursione, quorum meritis prædicta mulier salva facta est a propria ægritudine, opitulante Jesu Christo nostro Salvatore, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. *Sanata Sanctorum patrocinio mulier nobilis.* q ** al. crisis et crusis* r ** Falc. meruisti*

ANNOTATA.

a *In Ms.* paucissimis, *apud Falconium,* haud paucissimis, *quod procul dubio melius congruit historiæ, et menti auctoris, qui paulo ante in Actis dicit, hos Martyres* multo tempore *fuisse* patronos Puteolanæ urbis, *et quidem* corporali præsentia. *Hac de causa vocem* haud, *licet nec in Mss. nostris sit, nec apud Caracciolum, ex Falconio addendam censui. Ceterum Acta præmisit auctor cum prologo; sed ea censui omittenda quod auctor nihil addat Actis jam datis præter errores aliquot. Translationem itaque solam recudo, quamvis ne hæc quidem multum auctoritatis habere possit,*

A *sit, cum auctor sit aliquot seculis posterior, ut probavi in Commentario num.* 41.

b *Constantinus imperator, cognomento* Copronymus *et* Caballinus, *defunctus est anno* 775 *in expeditione contra Bulgaros, teste Theophane ad eumdem annum, ubi addit :* Mortem obiit vociferans, ac dicens : Etiam vivus igni nusquam extinguendo addictus sum *etc. Si pro* Romanæ urbis indigenis, *auctor dixisset,* Bulgaris crudeliter imperaturus advenit *etc., intelligerem, quid vellet dicere : nunc plane non capio, quid velit. Video tamen eodem fere modo loqui Joannem Diaconum in Chronico in Stephano II, indeque omnia fere accepta.*

c *Stephanum III Papam, Desiderium Longobardorum regem; Carolum Magnum tunc regem, et postea imperatorem, et Stephanum II archiepiscopum Neapolitanum simul floruisse anno* 770, *dixi in Commentario num.* 131.

d *Alludit ad nomen Græcum* Neapolis, *Latine* nova urbs.

e Alterius, *urbis nimirum Puteolanæ,* ablato vertice, *id est. libertate et potestate, opinor.*

f Stephania, *de qua variis locis fuerunt plura dicenda, erat eo tempore ecclesia cathedra-* B *lis.*

g Pyraterium *legitur in Ms. et apud Caracciolum, apud Ughellum mendo typothetæ* pyrasterium. *Falconius edidit,* porphyratorium, *credens designari tabernaculum argenteum porphyretico distinctum. At suspicor, vocem* porphyratorium *in nullo repertam fuisse Ms. Cangius in Glossario Latino-barbaro ad vocem* peristerium *locum allegat tamquam corrigendum, et legendum* peristerium *existimat. Cangio consentit Mazochius in Dissertatione de Cathedrali ecclesia Neapolitana semper unica pag.* 15, *totum hunc locum in Annotatis elucidare studens. Verum ipsius expositio mihi certa non est. Hoc vero certum, illa voce, sive legatur* peristerium *sive* pyraterium, *sive alio quocumque modo vox fuerit scripta, idem significari, quod voce* ciborium. *Hic autem utraque vox significat umbraculum altaris columnis sustentatum et elevatum, quod in fastigiatam formam educebatur et totum altare contegebat, ut Cangius exponit vocem* ciborium.

h *Hic nonnulla oriri potest dubitatio, utrum hoc altare in ipsa esset domo subterranea, ubi deposita fuerunt.* SS. Eutychetis et Acutii *corpora; an ve-* C *ro supra illam cryptam in ipsa ecclesia. Laudatus mox Mazochius locum sic explicat, ut non modo hoc S. Salvatoris altare includat cryptæ, sed geminum etiam ciborium intra eamdem cryptam altari superimponat ; meo quidem judicio improbabiliter. Exstructa fuit crypta* dolatis artificum manu lapidibus, *inquit auctor, ibique recondita Sanctorum corpora. Cryptæ supra terram impositum fuit fastigium excelsum,* columnis ambitum, *id est, circumdatum,* purpureis; *intra illud fastigium erat et ciborium argenteum, et sub ciborio illo altare S. Salvatoris : nec video necessitatem statuendi geminum ciborium, aut omnia illa cryptæ includendi. Certe Joannes Diaconus in Stephano II unum memorat ab eo constructum* cyburium ex argento ; *nec video dubitandum, quin ciborium istud argenteum principi altari esset superimpositum.*

i *Tota ecclesia, etsi* Stephaniæ *nomen habuerit, sanctissimo Salvatori dicata fuit. Nam laudatus Joannes de ejus combustione ita loquitur :* His peractis *a Stephano II,* ecclesia Salvatoris, quæ de nomine sui auctoris Stephania vocitatur, divino judicio igne cremata est. *Erat igitur ecclesia sanctissimo Salvatori sacra, cui et hoc altare dicatum dicitur.* Stephania *vero vocabatur a nomine* A. Raynerio. *Stephani episcopi. Verum dubitari potest, utrum nomen traxerit a Stephano I, an a secundo, aut etiam ab utroque. Laudatus enim Diaconus in Stephano I hæc scribit :* Hic inter alia bonitatis studia fecit basilicam ad nomen Salvatoris, copulatum cum episcopio, quæ usitato nomine Stephania vocatur. *Itaque, si chronographo huic credimus, Stephanus I condidit ecclesiam, et combustam instauravit Stephanus II : a quo igitur* Stephaniæ *nomen fluxit? Mazochius in Annotatis ad Calendarium marmoreum die* XI *Aprilis magis existimat, a Stephano II nomen* Stephaniæ *exortum, quam a Stephano I. Præcipua ejus ratio est, quod nullum vidit* monumentum Stephano II, hoc est octavo seculo, in quo Stephaniæ nomen usurpatum repererim, *inquit.* At post Stephani hujus tempora nihil est eo nomine usitatius. *Hæc sane ratio admodum probabilem et verisimilem facit opinionem de Stephano II. Fatetur tamen, Joannem Diaconum subinde uti nomine* Stephaniæ, *quando loquitur de illa basilica in episcopis Stephano II antiquioribus : sed apte respondet, ipsum* per anticipationem *nomine uti suis temporibus usitato. Hoc* E *tanto magis facere poterat Joannes, quanto minus noverat, ab utro Stephano nomen fluxisset : nam id se ignorasse, ambiguo loquendi modo insinuat, dicens in præsenti tempore,* Stephania vocitatur, et usitato nomine Stephania vocatur, *non* vocata fuit. *Ad hæc Mazochii argumenta, ad opinionem illam confirmandam, aliud adjungo. Volunt plerique scriptores Neapolitani, et Mazochius in laudata Dissertatione cap.* 2 *sect.* I *evincere conatur, basilicam Salvatoris fuisse constructam a Constantino Magno. Hoc autem si verum est, non fuit auctor illius basilicæ Stephanus I, sed solum instaurator, ut Ughellus, Chioccarellus, aliique locum Joannis Diaconi explicant. Imo suspicari possumus, errore solum Joannis Stephanum I illius ecclesiæ conditorem statui. Nihil fere scribit de Stephano I, cujus gesta ignoravit; et fortasse solo nomine inductus fuerit, ut crederet, basilicam S. Salvatoris ab ipso conditam.*

k Analogium *vox Græca est, et pulpitum ad legendum significat. An id argenteum fecerit Stephanus II, ut asserit Raynerius, aliquot seculis posterior, certo edicere non ausim, tacente Joanne Diacono, præsertim cum ingentes necessarii fuerint sumptus ad instaurandum ecclesiam combustam.*

l *Combustio ecclesiæ præcessit juxta ordinem,* F *quem in narrando servat Joannes Diaconus.*

m *Inepta hæc sunt : neque enim servitia nostra tantum præstare possunt Sanctis, ut angelis fiant majores. Alio longe modo loquitur S. Bernardus Serm.* 5 *in festo Omnium Sanctorum num.* 5, *ubi advertit, nostris elogiis, laudibus, festivitatibus parum conferri Sanctis,* quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cælestis. *Additque:* Quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum.

n *Hæc carmina eo ordine leguntur in utroque Ms. nostro, et apud Caracciolum. Apud Falconium omnia etiam habentur, sed ordine inverso.*

o *Hic videtur locandus versus secundus.*

p *Poterat auctor totam illam annotationem omittere : nulla enim revelatione cognoverat, cur Deus reliquias Puteolis Neapolim transferri siverit.*

q *Hoc multis modis corruptum in Mss. est nomen. In uno* Eruscun, *in altero* Erusum, *apud Caracciolum* Eruscuna, *apud Falconium* Crussura, Cruscuna, *et in Annotatis*, Eruscana, Cruscura.

A scura, Crusu; *in Prologo* Grusu. *Videtur illa, cujus precibus Raynerius Acta horum Sanctorum cum translatione scripsit, verisimiliter ob sanationem hic relatam.*

1 χρυσὸς *Latinis litteris* Chrysos, *dicitur* aurum. D *Ex hoc autem loco, maxime cum infra dicatur,* Aurea meruit nuncupari, *colligitur, nomen ipsius fuisse* Chryse, *aut simile.*

ADDENDA

J. C. AD DIEM XXI SEPTEMBRIS

In Commentario historico de S. Jona propheta num. 10 pag. 187 subjunge.

Huc spectant, quæ hodie in Menæis ita leguntur, post fabellam ingentem de Jona *ut filio viduæ Sareptanæ a mortuis resuscitato*: Καὶ ἀποθανοῦσαν τὴν μητέρα αὐτοῦ ἔθαψεν αὐτὴν ἐχόμενα τῆς Βαλάνου δὲ βόῤῥας, καὶ κατῴκησεν ἐν γῇ Σεν-
B ναὰρ καὶ ἀπέθανεν ἐκεῖ καὶ ἐτάφη ἐν σπηλαίῳ τοῦ Κεναιζαίου κριτοῦ γενομένου μίας φυλῆς ἐν ἡμέραις τῆς ἀναρχίας *Hic imprimis mendum est apertissimum in vocibus* Βαλάνου δὲ δόῤῥας *quæ alicubi versa vidi,* juxta Libanum Septemtrionem versus : *sed neque hoc, neque aliud quidpiam significant, nisi corrigantur. Emendationem subministravit mihi P. Gabriel Brotier bibliothecæ collegii Parisini nostri præfectus, qui perutilem nobis sæpius operam præstat. Is docuit me, servari in bibliotheca sua codicem Ms. insignem de Prophetis, cui alicubi insertus est Dorothei liber de Patriarchis, unde elogia in Chronicon Paschale et synaxaria, suspicatur fluxisse. Magisne ille genuinus Dorothei fœtus antiquiorque sit, quam quæ ejus nomine hactenus vulgata sunt, non est hujus loci studiosius disceptare : illud certum est, minus mendosum esse, ut jam experiemur. Monet itaque laudatus P. Brotier, in suo codice legi* τῆς βαλάνου Δεββώρας *quæ si pro corruptis paulo ante assignatis substituas, sic erunt vertenda ex Menæis desumpta verba.* Et matrem mortuam sepelivit juxta glandem, *seu potius* quercum Debboræ *(fuit hæc nutrix Rebeccæ, secuta Jacob in Chanaan, quæ ibidem obiit,* Et sepulta est ad radices Bethel subter quercum, vocatumque est nomen loci illius Quercus fletus *Genes.* 35 ℣ 8, *de eaque procul dubio hic sermo est)* et habitavit in terra Sennaar, et mortuus est ibi sepultusque in spelunca Cenezæi, qui fuit judex unius tribus, quo tempore non erat, qui regeret Israël. *Per Cenezæum verisimiliter designatur hic Caleb, qui Cenezæus non semel in* E
sacris Litteris appellatur et probabilius Josue supervixit. Acceperat is in partitione terræ Sanctæ Cariatharbe seu Hebronem et Cariath-sepher vicinamque regionem sibi a Deo ob constantiam fidemque in ingressu Chanaan ostensam. Fuit ea regio posteris ejus hereditaria, et ab ipso nominata Terra Caleb *ad Occidentem tribus Juda in conterminis tribuum Dan et Simeon valdeque vicina Geth, quæ est* in finibus Eleutheropoleos, *ut scripsit Hieronymus. Sennaar ibi quidem nullum compareat, at monuit me idem P. Brotier, et illud mendum esse tum in Menæis, tum in Chronico Paschali, ubi pro* Sennaar *legitur* Saar, *ut jam monui, substituendumque ex Ms. suo* Σαραάρ, *quæ est* Saraa, *patria Sampsonis in limitibus tribus Dan, ubi Judam attingit. Et hæc quidem recte omnia, cum* Saraa *ab Eleutheropoli non longe abfuerit, combinantur; at S. Hieronymo contraria sunt, qui, ut ex allegatis ejus verbis liquet, docet* Geth-Opher *juxta Diocæsaream sitam esse in tribu Zabulon, a qua loca illa omnia quatuor mediis tribubus remota sunt.*

C

F



ADDENDA

MICTORE J. C.

ADDENDA

AD DIEM XXII SEPTEMBRIS

APPENDIX

Ad Gloriam posthumam S. Mauritii et Sociorum Thebæorum Martyrum.

§ I. Walafridi Strabonis et Marbodi Rhedonensis episcopi carmina de Sanctis Thebæis Martyribus.

Ætas Walafridi.

Daturus, ut ad calcem Gloriæ posthumæ S. Mauritii *et Sociorum adpromisi, quæ de singulis sanctis Martyribus Thebæis eorum cultu et reliquiis inveni, præmittere hic lubet,* B *quæ a Walafrido Strabone et Marbodo Rhedonensi episcopo in Sanctorum nostrorum honorem scripta sunt, quæque confido lectori non ingrata fore, cum celebrem Martyrum Thebæorum illis seculis memoriam et cultum probent. Vivere cœpit Walafridus anno* 806, *obiitque abbatiæ Augiæ divitis præfectus anno* 848 *vel sequenti. Scripsit sua carmina junior et certe pleraque diu antequam abbas creatus sit; quod, computante Basnagio, contigit anno* 842, *adeoque verisimiliter hæc elucubravit antequam Ado, Rabanus ceterique illos secuti martyrologi suos Fastos sacros composuerint. Habuit Walafridus præ oculis Passionem aliquam, eamque, ni fallor, interpolatam, cum occasionem martyrii eam allegare videatur, quod idolis sacrificare Sancti renuerent. Idem suadere videtur numerus Martyrum* 6666, *qui passim in Actis interpolatis occurrit, et ex aliis in Germania coronatis auctus apparet. Porro carmen illud hunc præfert titulum :* Hymnus de Sanctis Agaunensibus *eumque ex Canisii editione hic recudo, mutatis tamen aliquibus mendis, quæ in margine indicabo.*

C

Gratulatur Galliæ palæstræ Martyrum

2 Felix Gallia fortibus trophæis
Ubertate soli, virum nitore,
Regni nomine purpurata magno,
Romanæ soror urbis atque consors :
Hæc, inquam, melius dicata Christi
Signis, illita Martyrum cruore
Excellentius has togas frequentat,
Quas non impius inquietat hostis.
Thesauros Rhodani quidem fluento
Vallatos colit Alpibus sub ipsis,
Sed non sola tenet decus sacratum,
Quod toto liquet eminere mundo.
Magni Mauritium loquor vigoris *
Cum quo Candidus Exsuperiusque,
Armorum comites, fidem secuti,
Juverunt Ducis optimi calorem.
Thebææ Legio beata gentis
His concredita lege militari
Veri militiam secuta Regis
Vexillo Crucis impedivit hostem.
Nullas sontibus intulere cædes;
Quin ipsi gladiis Deo immolati,
Quam terris Orientis imbiberunt,
Castris Occiduis fidem recludunt.
Auget crimina sævus imperator,
Quem nec carmine nominare dignum,
Dum Sanctos jubet idolis litare,
Nolentesque necem subire mandat.

**Edita rigoris*

E

qui sacrilegis mandatis Maximiani

3 Dux primus Socios simul coactos
Hortatur, stabilem tenere mentem,
Nullus deficiat timore : nemo
Perturbetur, ait, Deum * sequamur.
Armis jam satis hactenus caducis
Hostes stravimus æmulante dextra,
Nunc virtute animi domandus hostis
Major, major enim corona restat.
Nec dilata diu fatigat ergo
Merces stemmatis; ecce laurearum
Pugnantes hodie trophæa vosmet,
Si vincatis, apud Deum * manebunt.
Perstant intrepidi, loquuntur ore
Uno, præcipe cæsar, expeditos
Pro tutamine publicisque rebus
Depugnare viros, obediemus :
At si forte Deo cupis relicto
Nos servire tuis, profane, divis,
Te contemnimus et severitatis
Tentamenta tuæ, minasque viles.
Jam nunc rumpe moras, abi satelles,
Hæc conamina nuntia tyranno,
Exurat, perimat licet, necetque
Limpha fluminis, aut secet lapillis.
Stant inflexibiles, manentque fixi,
Non dant liba diis, genuve ponunt,
Rex et conditor et quibus per ævum
Christus vivere commorique lucrum.

** Edita habent demum*

** In editis demum*

F

nolentes obedire

4 Hæc postquam ferus impiusque lictor
Crudeli domino relata perfert,
Commotum scelus ardet in cruentis
Statim pectoribus, magisque totum.
Hanc, inquit, gravibus notam querelis
Mecum vix tulerim, quod ordo nostri
Tales officii remandat ausus,
Exemplum dabo jam per hos futuris.
Miles perge, neca Viros protervos,
Et primo decimum recide quemque,
Sic saltim mea jussa pertimescent.
His actis calor invenitur idem.
Instaurat reus integratque cædem
In totumque movet gregem machæram,
Certat se pia prævenire turba,
Serum quisque sibi putat, quod instat.
Cæduntur gladiis, replentur ipsæ
Valles corporibus, fluuntque rivi

AUCTORE J. C

Sacri sanguinis, ipse per cruorem
Sanctorum Rhodanus sacratus exit.
Hinc jam nobilior, suoque major
Excursu, mare cum decore magnum
Majori petit, omne Galliarum
Regnum de nece Martyrum coronans.

martyrio coronantur.

5 O quam nobilis unda, quæ beatas
Solvens exequias, lavare plagas
Et secum meruit sacrata ferre
Et se corpora possidere circa.
Quæ pridem leve nomen indicabant
Felicis loca jam placent Agauni,
Angustos aditus refulget inter
Quod miratur amans quadratus orbis.
Postquam carnifices scelus peractum
Clauserunt, epulis dedere sese,
Inter funera pro dolore luctus
Ausi lætitiam sequi jocosam.
Ad convivia mente saniori
Pervenit stupidis senex medullis
Victor, Cur geris, inquiens, maligna
Miles gaudia, stragis in cruore?
Jussit providus Imperator, aiunt,
Omnem militiam deos colendo
B Complacare sibi, quod hæc rebellis
Nolens Turba luit furore pœnas.
Suspirans Senior; Quid, inquit, istam
Ætatis seriem miser peregi?
Quam vellem, optio si daretur, inter
Hos finire pios gravem senectam!
Dicentem rapiunt. Senem trucidant;
Fit Martyr sociusque candidati
Cœtus, et quibus ante concupivit
Jungi, protinus additur maniplis.

Epilogus

6 O summis pia laudibus colenda
Sanctorum legio, cruore lota
Quam perfectior omnibus figuris,
Hoc senarius ordinat decore.
Nam sex millia sexiesque centum,
Seni tum decies semelque seni
Dicuntur, numero fuisse pleno.
Nil Sanctos melius potest decere.
Tanto munere gaudeamus omnes,
Qui cœli super astra nos Patronos
Tot confidimus inclytos habere,
Quorum oratio, quod petit, meretur.
His si servitium fidele cures,
O Chonrade pater mihi colende,
C Totis viribus exhibere, jugis
Te per grandia facta pax sequetur.
Nam quamvis miser atque criminosus
Sim, credo tamen hoc labore parvo
Sanctorum meritis diu petitam
Strabonem veniam a Deo mereri.
Sanctæ gloria magna Trinitati
Sit per sæcula cuncta, laus, potestas,
Virtus una, salus perennis ipsa,
Semper nos prece Martyrum coronet.
Amen.

Carmen Marbodi de sanctis Agaunensibus.

7 *Circa hæc pauca admodum observanda sunt. Numerum senarium appellat ceteris perfectiorem, quia dividentibus numeris* 1, 2, 3 *æquivalet, quo nomine etiam venit apud auctores numerus* 28 *propter eamdem rationem. Chonradus, ad quem in epilogo sermonem dirigit, comes est, ad quem etiam alias versum scripsit, quemque videtur Mecænatem habuisse. Succedat Marbodi lucubratio carmine Leonino seculorum illorum deliciis exarata. Vivere cœpit Marbodus sub medium seculum* XI, *ad cathedram ecclesiæ Rhedonensis evectus anno* 1096, *inde ad Superos transivit anno* 1123. *Carmen hoc suum composuit, ut et pleraque alia ejusmodi Opuscula vel ante, vel cum* D *Andegavi scholasticum ageret; quod munus gessit ab anno* 1067 *usque ad* 1081, *ut ex veteri Chartulario ecclesiæ Andegavensis* S. Mauritii *deduxit Antonius Beaugendre, ex cujus editione subjungo Passionem, quam a Marbodo compositam fuisse Sigebertus in Viris illustribus agnoscit. Habemus et nos in Museo nostro codicem membranaceum non recentem, ubi inter varia Marbodi Opuscula etiam legitur carmen de Sanctis Agaunensibus, idem quidem, quod hic edam, sed multo contractius et hinc inde periodis non absolutis, ita ut mutilatum suspicer; quare variationes notare non lubuit. Omitto etiam differentes, quæ apud Beaugendre observatæ sunt aliquorum codicum lectiones, easque seligo, quæ et carmini et sensui magis aptæ videntur: utraque sane ex sonori carminis quærendi pruritu satis luxata sunt, ita ut jactata tantum Marbodi eloquentia Latinique sermonis peritia non uno loco desideretur.*

Maximianus audiens, Thebæos idolis sacrificare nolle,

8 Dum cohibere parat Gallos, quos cum * glomerarat,
Ne variæ gentes varias habeant quoque mentes,
Mutua jurando sibi fœdera disque litando
Consociare manus jubet agmina Maximianus.
Cætera turba litat, nec fœdera, nec sacra vitat: E
Hoc Thebæa putat Legio scelus, ergo refutat.
Centum ter geminis vicibus, duo millia trinis,
Nec non ter denis quadrupliciterque novenis
Christi sacra colunt; quare sacra dis dare nolunt:
Sed simul Octodorum fugiunt, ubi sacra deorum
Turba nocens adolet jurans, quod cedere nollet.
Mox specie gratum, quod circumeunt juga, pratum
Quos fuga lassavit scelerum profugos recreavit.
Contiguus Rhodano locus est, cui nomen Agauno,
Qui requiem lassis tribuit monumentaque passis.
Audit ut insolitum Legionem ducere ritum,
Fœderis edictum sperni, castrumque relictum,
Idola ne colerent, aliosque litare viderent,
Contemptum legis plangit vesania regis,
Adque suum Quare molitur eos revocare,
Ore monens blando, sed et asper acerba minando:
Quod mea decernit sententia, gens mea spernit,
Atque deos viles, meus audet dicere Miles?

* *alibi* Conglomerarat

decimum quemque eorum trucidari jubet.

F
9 Et dis et domino reus est sub crimine bino.
Ultio compescat, ne prævaricatio crescat.
Posse meum discant, vel jussa sequi resipiscant.
Ad sacra cogantur; vel si renuant, feriantur:
Huc reditum flectant, ne culpam vulnere plectant.
Præstat ad Octodorum regredi moresque piorum
Non aspernari, quam nescio quid venerari,
Pristina sectari, quam pro novitate necari.
Nuntius hæc recitat, sed Grex pius impia vitat
Quod rex hortatur contemnens quodque minatur,
Statque fide fortis vacuus formidine mortis,
Cælica terrenis præponens gaudia pœnis.
Regnet ut afflictus, declinat vivere victus.
Præmia morte brevi meriturus perpetis ævi.
Quantus, ut ille status ruat, efficiet cruciatus?
Spes ubi sit talis, quid agat furor imperialis?
Hic fidei murus non est aliqua ruiturus.
Respondent igitur: Liquido nobis aperitur
Error dæmonicus, quod Christo non sit amicus:
Quem quia diligimus, quod spernit amare nequimus.
Unde nefas remur, si templa deum veneremur,
Per saliare sacrum fidei violare lavacrum.
Tem-

A Templa quidem fugimus, tamen ad tua castra venimus,
Digna Deo dantes, nec, rex, tibi danda negantes.
Nec gradum flecti scelus est, sed corpore plecti,
Et levius nobis opus est, quam passio nobis.
S. Mauritii ad Socios adhortatio
10 Missus ut ista refert, rex iram talibus effert.
Ergone mandatum legale sinam violatum,
Et sine vindicta transire meos mea dicta?
Non impune ferent, ausis qui talibus hærent;
Assero, jussa dari, sacra non debere negari.
Quod nequit hortatis, compescat eos cruciatus.
Nec tamen est totum punire gregem mihi votum.
Quis velit hos temere pariterque viros abolere?
Sorte placet numeri vel perdere, vel misereri.
Ite, reservatis aliis, decimos perimatis,
Ut nece paucorum, ruat improbitas aliorum.
Ast ubi mandatum Sanctis regale legatum,
Sanctus Mauritius, qui ductor, erat gregis hujus,
Roborat ad mortem tali sermone Cohortem:
Quod Christum colimus, nec jussa nefanda subimus,
B Rex stimulis iræ jubet agmina nostra perire.
Ponite, quæso, metum, læti decernite lethum;
Nil quia terrenum necis esse potest alienum,
Quod vel morbus edit, vel quoquo fine recedit.
Quem sequimur cultum, si cæsar passus inultum
Vivere nos sineret, mors stare diu prohiberet.
Quodque parum durat, quis non bene perdere curat?
Nam bene mactatur, qui cœlica regna lucratur.
et ardor martyrii
11 Huic honor est partus, qui Christo devovet artus.
Si caro vilescit, flatus super astra nitescit.
Nescit enim funus, sed habet sine limite munus,
Quod nequit os fari, lux cernere, mens meditari.
Ergo piæ Turbæ spes syderea sit in urbe,
Victorique Deum scitote parare trophæum.
Jam timor abscedat, ne gloria tanta recedat.
Jam lictor veniat, jamjam decimatio fiat.
Tela licet gerimus, rogo, ne referire velimus.
Sit manus imbellis, sit vox animusque rebellis.
Corpora subsistant gladiis, non arma resistant.
Sanguine, non telis, debet superare fidelis.
Vincitur invictus, qui stat patiente ad ictus.
C Constituere pati, sermonibus his animati.
Nec mora; mucronem stringit furor in Legionem.
Dant decimos pœnæ, parti parcendo novenæ.
O quam crudelis pietas! O rixa fidelis!
Miles ut occidat parcit, miserando trucidat:
Et pius ut vivat, se vitæ munere privat.
Hic studet ad flatum transferre luti cruciatum;
Iste labore luti, flatus servire saluti.
Ille necem differt, hic se mucronibus infert.
Prævenit hic comitem, generat necis optio litem,
Et dolet exortem quisquis non sumere mortem.
Qui stat post nonum, putat ingens sumere donum.
constantiaque S. Exuperii oratio ad Commilitones reliquos,
12 Ter tribus expositis, non est dilatio mortis.
Ille sed extulat, quem mox decimatio mulctat.
Si liceat fieri, decimus cupit omnis haberi.
Qui pereunt decimi, veniunt ad præmia primi.
Cum sex centenis geminisque novem duodenis
Quatuor occisis, stat pars non territa visis,
Quam veluti fractam, mortisque metu labefactam,
Velle reservari, plusquam Socios imitari,
Cæsar opinatur. Jubet ut sua jussa sequatur, *AUCTORE J. C.*
Sive reluctantur, rursus decimi perimantur.
Tunc Exsuperius Legionis signifer hujus,
Regia signa gerens, sed non ea præmia quærens,
Parti, quæ restat, vires ad vulnera præstat,
Dum sic hortatur: Ne supplicium timeatur,
Quod non tormentis cedat constantia mentis:
Hactenus audistis, nunc cernere promeruistis,
Et comites vestri fieri meruere magistri.
A quorum meritis ne degenerare velitis;
Sed retinete fidem, contingat ut exitus idem.
Neve resistatis moneo, licet arma feratis.
Quis velit ulcisci potius quam regna pacisci,
Quæ sua sunt hominis fœlicia, nescia finis?
Quo decoret taceo Deus agmina nostra trophæo;
Quod pretium detur, quis honor, quæ palma paretur;
Quæ cruor iste parit, cum spiritus æthera scandit.
Hæc magis utendo discuntur, quam referendo.
13 Talibus utuntur, qui pro Domino moriuntur: *qui rursus decimantur*
Unde capessendum reor illud, non fugiendum,
Quod requiem donat morientibus, hosque coronat. E
Aspera bella pati, dubia sub sorte parati
Regi paremus, plagasque necemque timemus?
Nec tibi spondetur, quod perpes gloria detur,
Se miser excusat, miser hæc tormenta recusat,
Cum pro se stratos, Deus asserat esse beatos:
Nam se custodit, qui se pro te, Deus, odit,
Atque metit lætus, quæ spargit semina fletus.
Fulta piis verbis non paret Turba superbis,
Nec sacra dignatur; quapropter item decimatur.
Hanc vim tormenti duo sustinere trecenti.
Sorte bis exacta, reliqua nec parte subacta,
Cujus propositum manet exemplo stabilitum,
Invitat princeps reliquos ad sacra deinceps.
Si contemnatur sua jussio, dura minatur.
Sed fidei Pugiles, reputando præmia viles
Cæsareasque minas, et qualescumque ruinas.
Corporis esse putant, quia pœnis gaudia mutant.
Optant ergo sequi Socios, et muneris æqui
Participes fieri cupiunt moriendo mereri;
Neve diu tardent, sine sorte mori simul ardent,
Martyrii primos decus ut contingat et imos.
14 Cæsar ut ad lethum vidit omnem tendere Cœtum, *residuique omnes*
F Et solito cultu, nullo titubare tumultu,
Plusque per arma mori, quam cedere velle pavori,
Non numerare parat, quos frustra bis numerarat;
Sed paritas fidei toti quod inest Aciei,
Vindicat in tota, numeri quam sorte remota,
Conditione pari decernit mortificari;
Frænaque dans iræ, velut ad pugnam jubet ire
Ad Comitum mortes fidas sibi, disque cohortes.
Neu facinus dubitent, nec civica prælia vitent,
Præmia cædenti spolium jubet esse perempti.
Ad Comitum pœnas socius grex laxat habenas,
Pro spe mercedis contemnens crimina cædis.
Qui licet arma ferant, cum non evadere quærant,
Nec tegitur parma quisquam, nec dirigit arma;
Sed similis pecori patientia muta furori
Subjacet abjectis clipeis, jugulisque rejectis.
Nec gladiis debent modo vulnera, quæ sibi præbent.
Ictibus aptando jugulum, gladiumque prebendo.
Prompta manus sceleri, nullique volens misereri,
Nec

AUCTORE J. C.

Nec juvenum florem, senii nec transit honorem.
Ista libens tolerat, qui cœlica præmia sperat,
Insistensque lucro, scit nulli parcere mucro.
15 Sic pia turba cadit; sed ovans ad sydera vadit.

martyrio coronantur. Superveniens Victor

Gaudeat hæc sedes tam sacras cernere cædes:
Gaudeat obductus tam sacro flumine fluctus.
Cæsaris impietas nescit sibi ponere metas.
Corpora cæsorum spectat, fluviosque cruorum.
Utque frequenter idem videat, remoratur ibidem.
Hac specie gaudens, et in his epularier audens.
Sic epulis eadem mixtam stupet area cladem.
Pars etenim, vivit, pars altera vivere scivit.
Hanc gladius stravit, cibus hanc opulens satiavit.
Vitigenum rorem bibit hæc, vomit illa cruorem.
Nomine Victorem via detulit huc seniorem,
Ultraque miranti comedentibus approprianti,
Justo non vescas exercitus obtulit escas
Victori, canos ejus veneratus et annos.
Quærens cur comedit, nec ab hoc horrore recedit,
Cur etiam plaudit, cujusdam vocibus audit:
B Nostraque spernentem, nec regia jussa sequentem,
Ecce vides stratam, nostris gladiis laceratam.
Victor ad hæc plangit, vehemensque Senem dolor angit,
Et detestatur convivia, sicque præfatur:

jungitur.

16 Heu! cur tardavi? cur non iter acceleravi?
Ut pariter metas meruisset debilis ætas.
Nam licet exclusus senio sit militis usus,
Corpus et effœtum sit viribus, atque victum,
Quod me tantorum comitem vetat inde virorum,
Vel fuga sacrorum, contemptus dæmoniorum,
Servitium Christi Turbæ me jungeret isti,
Ut similis pœnæ fierem comes atque coronæ.
Opto quidem pænam, requiem meriturus amœnam;
Cum modo flens plaudet, cum flebit, qui modo gaudet.
Impie, qui clangis super hujus cæde Phalangis:
Hi bene prostrati jam sunt super astra locati.
His Deus arridet, diademate quisque renidet.
Vos male gaudetis, qui tandem suscipietis
Nequitiæ fructum, tenebras, incendia, luctum.
C Nam pius indultor, justusque tamen Deus ultor,
Quæ sua sunt munit, quæ sunt hostilia punit.
Cujus amor faciat, nostro quoque munere fiat,
Ne mora longa bonis me destituat Legionis.
Pone sequi detur mihi, cum simul ire negetur,
Atque fidem similem faciat par pœna sodalem.
Talia dum fatur, dum plura loqui meditatur,
Truncat eum lictor. Sic scandit sydera Victor,
Atque Gregem reperit, cujus collegia quærit.
Munere lethali, cui nil valet æquiparari,
Et quod idem fassus fuit, æquo vulnere passus,
Præmia fert eadem, palma decoratus eadem.



D

§ II. Vetustus S. Exuperii cultus in abbatia Gemblacensi ejusque ibidem et in locis aliis reliquiæ.

S. Exuperio campidoctori in Legione Thebæa

Inter S. Mauritii *martyris et famosissimæ sanctæ Legionis Thebææ tribuni Socios ab Eucherio nominatos, quorum cultum huc speciatim illustrandum rejeci, primus venit* S. Exuperius, *qui in primaria Passione* Campidoctor, *vel, ut in aliis exemplaribus legitur*, Campiductor *appellatur.* Campidoctorum *munus apud Romanos erat, militem in arte bellica instruere et in armis exercere.* Campiductores *a* Ducendo *appellatos, sic ut hodiernorum ducum seu capitaneorum, ut vulgo vocant, officio fungerentur, quidam apud Cangium et Pitiscum in Glossariis contendunt.* Campidoctoris *appellationem plerique tamen præferunt, videturque* S. Exuperio *melius convenire; quippe, qui non in cohorte aliqua, sed in integra Legione singularem quamdam militarem dignitatem gessisse asseritur. In Actis interpolatis omnibus, quæ vidi, idem sanctus Martyr* Vexillifer *vel* Signifer *vocatur* E *quod ab anonymo interpolatore, ut alia non pauca adjectum est, vel substitutum pro* Campidoctore, *quod militare munus forte cognovit, utpote suo tempore vel extinctum, vel alio nomine adumbratum. Hinc fluxisse videtur opinio, quæ inter eos, qui nimia multitudine armorum,* S. Mauritii *nomine insignitorum, terrebantur, præsidium invenit, quod scilicet vexillum, sancti tribuni titulo celebre, non ejus, sed* S. Exuperii *esset,*

ab initio consecrata fuit ecclesia abbatiæ Gemblacensis,

18 *Quidquid sit, celeberrimus est a multis seculis in quibusdam locis cultus hujus sancti Martyris, et potissimum Gemblaci. Est Gemblacus oppidum in extremis hodiernæ Brabantiæ, quibus comitatum Namurcensem attingit, finibus. Olim* Gemmelaus, *hocce tempore indignis* Gemblours *dicitur, distatque Namurco quarto milliari nostrate. Ibi celebris abbatia a S. Guiberto sub medium seculum* x *fundata est, a cujus incunabulis insigne etiam fuit* S. Exuperii *ibidem nomen; quippe cui, ut secundo patrono, cœnobium fuit sacratum. Testatur id Ottonis Magna diploma in Spicilegio Acheriano recuso tom.* 2 *col.* 761, *quod datum est anno* 948, *Indictione* 12, *anno imperii ejus* 13, *mense Junio, in Martyrio SS. Petri et* F *Pauli, ibique sub initium legitur :* Quidam vir nobilis, Wibertus nomine, his temporibus construxit monasterium in honore SS. Petri apostoli et Exuperii martyris in pago Darnuësi. *Consonat Sigebertus in Vita S. Guiberti cap.* 4 *ita scribens.* De proprietate siquidem hæreditatis suæ fundum, Gemmelaus dictum, delegit *(Guibertus)* et Deo et Apostolorum principi Petro sanctoque Exuperio martyri glorioso, ad construendum in eorum honorem monasterium devotissime delegavit. *In Relatione elevationis corporis S. Guiberti, quæ exstat in Commentariis Lambecii de Bibliotheca cæsarea lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 899 *ejusdem cultus etiam mentio fit his verbis :* Sane quoniam ad tanta novæ salutis gaudia non facile posset evocari semota fidelium populorum frequentia, placuit, ut nono Kalendarum Octobrium die elevatio sancti corporis *(S. Guiberti)* fieret, eo quod pridie in martyrio sanctorum Thebæorum, specialiter nobis solenni, satis ingens populus, et indicti commercii et votivæ orationis causa, in hunc locum conveniret.

19 *Ex*

cujus corpus eo translatum creditur a S. Guiberto,

19 *Ex his liquet, seculo* XII *Sanctorum Thebæorum festum cum maxima solemnitate, et verisimilius nundinis celebratum fuisse, procul dubio propter* S. Exuperium, *cui monasterium dedicatum fuerat. Aliam insuper rationem allegant martyrologi duo, quare tam celebre* S. Exuperii *nomen Gemblaci esset. Molanus ad diem* VIII *Julii sic nunciat* : In Gemblaco adventus corporis S. Exuperii, signiferi Thebææ Legionis et martyris gloriosi. *Inter Prætermissos ad præfatum diem observatum est, Saussayum in Martyrologio Gallicano meminisse susceptionis corporis* S. Exuperii vexilliferi Thebææ Legionis. *Addit is, illam factam esse* , procurante sancto patre Guiberto, fundatore ejusdem cænobii, in ecclesia ejusdem loci, quam in honorem S. Petri apostoli et ipsius beati martyris Exuperii construxit tempore Ottonis imperatoris; *quæ hausit ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgii die* XXII *Septembris ita prolixius nuntiante.* In Galliis, civitate Seduno, loco Agauno, natalis sanctorum martyrum Thebæorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris et Sociorum. Ex his Exuperius vexillifer fuit Legionis Thebæorum, cujus corpus B tempore Ottonis primi translatum est Gemblacum, procurante id S. Guiberto, fundatore Gemblacensis cœnobii, quod construxit in honorem S. Petri apostoli et beati Exuperii martyris. Unde inter Martyrum memorias annue legunt octavo Idus Julii: In Gemblaco adventus corporis S. Exuperii signiferi Thebææ Legionis et martyris gloriosi.

de qua translatione non meminerunt scriptores suppares,

20 *Ottonis Magni tempore potissimum celebrabantur Sanctorum Thebæorum reliquiæ, ut patet ex Gloriæ posthumæ* § 18 *et* 19. *Inde valde verisimile fit, S. Guibertum fama excitum, construendæ novæ basilicæ sanctas aliquas eorum reliquias requisivisse, et obtinuisse ossa* S. Exuperii, *cui ea propter templum voluit dedicari. Mirari tamen utcumque licet, apud antiquiores scriptores, maximeque Sigebertum in S. Guiberti Vita vel in Chronico , ubi similium rerum frequentissime meminit, translationis hujus nullam fieri mentionem. Hanc cum alicubi reperire satagerem, incidi in Molanum, asserentem in Annotationibus sui Martyrologii Usuardini ad hunc diem* XXII *Septembris, exstare Gemblaci libros tres Sigeberti, quorum initium esset:* Martyribus roseas Thebæis ferre coronas. *Hinc non dubitavi, quin idem illud* C *opusculum esset, quod Sigebertus ipse in enumeratione suorum Operum scripsisse se, ita asserit*: Regressus ad monasterium Gemblacense scripsi Passionem Thebæorum, patronorum, heroico carmine. *Verenti, ne incendium, quo in cineres fere redacta est anno* 1678 *celeberrima Gemblacensis abbatia, hoc etiam antiquum monumentum, ubi de corporis* S. Exuperii *translatione acturus videbatur auctor, absumpsisset, spes affulsit ex Bibliotheca Belgica, quam anno* 1729 *in lucem edidit Joannes Franciscus Foppens canonicus metropolitanæ ecclesiæ Mechliniensis. Is enim inter Opera Sigeberti , quæ supersunt, hoc ita assignat:* Passio Thebæorum libris III carmine. Ms. Gemblaci.

in Operibus, quæ supersunt. Monumenta inde ad nos submissa,

21 *Itaque scriptum est ad abbatiam Gemblacensem, unde litteras ad me dedit amicissimas R. D. Guibertus Le Clef sacræ theologiæ ibidem lector, quibus significat, iteratis cura et labore excussisse se bibliothecam, volumina omnia sollicite pervolvisse, omnes scrutatum esse angulos, nec usquam desideratum Opusculum reperisse. Addit, consuluisse se Ms. catalogum bibliothecæ Gemblacensis ultra* 40 *abbinc annis exaratum, sed nec ibi esse Passionis illius vestigium; suspicari se, lucubrationem illam, ut aliis pluribus contigit, dolendo incendio periisse. Dolui itaque, Foppenium sine examine antiquiorum bibliothecariorum asserta transcripsisse, atque spe inani me lactasse. Hanc utcumque compensat laudati eruditissimi viri Guiberti Le Clef benevolentia, dum in præfatis litteris varia me docet, quæ huc pertinent. Ac primo quidem asserit, in Ms. abbatiæ suæ, cui titulus,* Sanctorum, quorum corpora in Brabantia requiescunt, aut in ea claruerunt, breve Chronicon, *legi* : In Gemblaco quiescit B. Exuperius martyr, vexilifer Legionis Tebeorum martyrum, qui passi snnt in Gallia, in loco, qui dicitur Agaunum. Hujus corpus tempore Ottonis I translatum est in Gemblaco. *Ms. hoc, quod Gemblacum Brabantiæ includit, forte non est valde antiquum; at verisimiliter Molano vetustius, ante quem, aliunde non habebam asserentem translationem corporis* S. Exuperii. *Producit ibidem etiam notitiam Vitæ S. Guiberti ab Arnoldo Rayssio Latine scriptæ, versæque deinde Gallice a quodam ejusdem abbatiæ religioso, ubi legitur S. Guibertus desiderans sacro aliquo corpore cœnobium suum Gemblacense ditare, Agaunum profectus esse, tantumque precibus et interventu aulicorum imperatoris effecisse, ut obtinuerit corpus* S. Exuperii, *socii* S. Mauritii; *relatum Gemblacum inclusisse thecæ argenteæ, ut hodieque spectatur, atque festum peculiare annuum ipsi institutum fuisse eo die, quo sacrum corpus super aram principem positum fuit, quique est* VIII *Julii.* E

docent portionem non exiguam sacri corporis

22 *Unde hæc hauserit cum tot adjunctis Rayssius, nescio; interim illi adstipulatur hodierna etiam Gemblacensium traditio. Certius est, quod subjungit idem R. D. Le Clef: celebrari nimirum usque hodie festum* S. Exuperii VIII *Julii sub ritu* 2 *classis, Officio de Communi cum expositione sacrarum reliquiarum, quæ etiam solemniter circumferuntur. In diœcesi Namurcensi addendum est* XXII *Septembris nomen* S. Exuperii *in Oratione, quæ est de* SS. Mauritio *et Sociis, ut monet Proprium, quod verisimiliter a celebribus Gemblacensibus ejusdem Sancti reliquiis originem et causam habet. Ad illas quæ spectant, ut tandem Henschenii promissis in Annotatis ad Vitam S. Guiberti satisfaciam, aliqua Rayssius tradit, aliqua ex laudatis jam sæpe litteris illustrantur. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 223 *producens Visitationem reliquiarum Gemblacensium, quæ facta est anno* 1628, *ait* : Inter reliquias S. Exuperii, martyris eximii, Legionis Thebæorum F collegæ et signiferi, inventa fuit mandibula inferior integra, item ossa brachiorum, tibiarum et coxendicis et frustula aliarum partium. *Litteris R. D. Le Clef ad me datis additum est ejusdem Recognitionis inventarium ex originali instrumento descriptum, et vix a Rayssiano diversum, nisi quod inter exuvias* S. Exuperii *numerentur insuper* ex mesenterio et intestinis frustula. *Ceterum, cum distinctius nosse vellem, quænam hactenus sancti corporis partes Gemblaci serventur, lubuit consulere sæpe laudatum Lectorem Gemblacensem, qui petioni meæ benevolentissime assentiens, rescribit in hæc verba.* Facultate mihi facta a reverendissimo abbate, jussi lipsanothecam aperiri, ostenditque mihi sacrista sacculum holosericum Damasceni operis et longitudinis sesqui pedis, quem aperui; sed inveni sacra ossa inserta et arctissime insuta panno holoserico, quem dissolvere non sum ausus, ita ut nuda ossa spectare non potuerim; nec ullum inveni testimonium de S. Exuperii reliquiis.

ibi hodieque servari.

23 *Ex hisce suspicari licet, magna quidem ossa sacra aliqua crurum , tibiarum , brachiorumve* *ibidem*

AUCTORE J. C.

AUCTORE J. C.

ibidem forte congesta esse; minime vero, sanctum corpus integrum servari. Notat tamen sæpe cum grata memoria laudatus Le Clef, brachium S. Exuperii *servari in lipsanotheca diversa ab ea, qua reliquæ sacræ exuviæ continentur, quamque a S. Guiberto olim confectam, anno* 1628 *per D. Carolum d'Ursel restauratam, et usque hodie servatam, sic fere describit. Longa est tribus pedibus et dimidio, uno minus alta, lata vero sedecim unciis. Operculum est in modum tecti utrimque declivis. Illam undique cingunt columellæ quadratæ et rotundæ ex ære deaurato, inter quas disposita sunt octo numismata argentea quadrata magnitudinis* 8 *unciarum, quæ opere anaglyphico solido artificiosissime repræsentant sanctorum Martyrum Thebæorum certamen. Sex alia eodem opere tegmen ornant exhibentque vel miracula, vel historiam quamdam aliam. Atque hæc sunt, quæ de cultu* S. Exuperii *ejusque reliquiis apud Gemblacenses nancisci potui. Illis certe paucissimæ ecclesiæ aliquas sancti illius Martyris exuvias ablata contendunt; quippe præter illas, quas Gloriæ posthumæ num.* 201 *observavi olim in Picardiam translatas fuisse, non invenio usquam,* B *ne in Agaunensis quidem abbatiæ sacro thesauro, quaspiam custodiri. Habent quidem suum* Exuperium *Papienses in ducatu Mediolanensi, quem et Thebæum Martyrem et Legionis sanctæ vexilliferum fuisse asserunt; at vel hujus nostri aliqua dumtaxat possident sacra cimelia, vel anonymus alius, forte ex Thebæa Legione Miles, in id nomen migravit. Consule, si plura desideras, dicta Gloriæ posthumæ* § 12 *num.* 144 *et seqq. Quod si vero Papienses ex eo, quod Gemblacenses candide fateantur, suis* S. Exuperii *reliquiis testimonia authentica deesse, potiorem causam suam esse contendant, meminerint pariter, antiquiores majorisque auctoritatis testes proferre, ut non recenti Gemblacensium traditioni opponant.*

§ III. S. Candidi reliquiæ. Examinatur, an S. Candidi, senatoris militum in Legione Thebæa, corpus possideant Hispani in monasterio S. Cucufatis.

C

S. Candidi lipsana Agauni; synonymorum Sanctorum

Tertius inter Thebæos Martyres a S. Eucherio nominatur Candidus senator Militum. *Observavi in Annotatis ad Passionem primariam littera* r, *munus Senatoris inter militares dignitates recenseri, non esse tamen illam appellationem multum alibi obviam. Verosimile est, ea judicis quoddam munus significari. In thesauro sacro abbatiæ Agaunensis, quem Gloriæ posthumæ* § 3 *recensuimus, quinto loco computatur* Caput S. Candidi inclusum argentea usque ad umbilicum statua variis gemmis ornata. *Huc pertinent, quæ scribit reverendissimus abbas S. Leopoldi Nanceiensis Historiæ Legionis Thebææ cap.* 9 *pag.* 260, *quæque Latine reddo.* Vidi, *inquit,* hermam argenteum, quo caput S. Candidi servari asseritur estque meo judicio antiquissimum monumentum ejusdem cœnobii. Figuræ, quæ hermam exornant, esse possent seculi IX, uti et characteres, quibus subjuncti versus expressi sunt:

CANDIDUS EXERTO DUM SIC MUCRONE LITATUR.
SPIRITUS ASTRA PETIT, PRO NECE VITA DATUR.

Varia alibi S. Candidi *sacra cimelia assignantur. Inter reliquias Centulenses computantur in Opere nostro tom.* I *Januarii pag.* 189. *Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 542 *scribit, corpora* SS. Candidi *et* Victoris *martyrum Thebæorum translata fuisse ad Walciodorense cœnobium, quod infra examinabimus in* § *de* S. Victore, *qui proxime sequitur. Gelenius in thesauro sacro basilicæ Cunibertinæ Coloniensis recenset partem* De S. Candido martyre e Societate Thebæorum. D

in Italia et Hispania. Relatio inventionis corporis, quod S. Candidi esse,

25 *Ughellus Italiæ sacræ novissimæ editionis tom.* 4 *col.* 382 *in Oberto episcopo Astensi scribit, concessam fuisse sub annum* 1283 *monachis Astensibus Humilitatis ecclesiam* S. Quilici, qui cum S. Candida octavo ab eo die, quo in Agaunis Thebæa Legio, cujus iste prætor militaris, ille erat nomenclator, pro Christo apud Muroseangum cæsus fuerit. *Est Muroseangum castrum haud procul Casalio dissitum, ut asserit Baldesanus, qui Historiæ sæpe laudatæ lib.* 2 *pag.* 268 *addit, corpus* S. Candidi *etiamnum illic servari, et recte observat, sanctum hunc Martyrem, de quo incerta sunt, quæ asseruntur alia, diversum esse a* S. Candido *nostro. Quod ex* S. Mauritii *Sociis sit, nihil probat præter traditionem et aliqua, vel illa nixa, vel* E *certe non antiquiora monumenta, circa quæ vide Appendicis hujus* § 14 *num.* 113 *Tamayus rursus Legionis sanctæ Senatorem* Candidum *Hispanis asserere nititur in suo Martyrologio, ubi post ea, quæ de* S. Mauritii *corpore ex illo retulimus et refutavimus Gloriæ posthumæ* § 14, *ita scribit.* SS. Candidus et Concordius martyres Thebæi. Corpora horum sanctorum martyrum Thebæorum adservari in regali cœnobio S. Cucuphatis Del Valles in tractu Bracinonensi, repetunt Antoninus Vincentius Domenec Hist. Sanctorum Cathaloniæ lib. I fol. 91 col. 3, et Lectiones vetustissimi Breviarii Ms. ipsius cœnobii, ubi Acta agonis et translationis, et sequentes hymni. *Hos nil juvat recudere, quia præter nomina, de* S. Candido *nihil speciale continent. Historiam translationis ejusdem etiam non reperio; at relationem inventionis* S. Candidi *habeo in collectione Ms., quæ in bibliotheca Musei nostri notata est* † *Ms.* 161, *missaque fuit anno* 1627 *ad Rosweydum a R. D. F. Joanne Baptista de Castelarnau, monacho cænobii S. Cucufatis. De eodem plurima mentio fit in Opere nostro tom,* VI *Julii pag.* 149, *ubi Acta S. Cucufatis, a quo monasterium, quod alias Octavianum vocatur, nomen habet, illustrata sunt.* F

scriptores Hispani asserunt.

26 *Domeneccus eamdem relationem habet Hispanice, et prout etiam in Ms. nostro, præfixam Vitam. Porro Passio, quam illis lubuit Vitam appellare, nihil peculiare habet ab ea, quam dedit Surius, nisi quod perperam dicantur sancti Thebæi Martyres lauream adepti* Autissiodori. *Relationem inventionis sanctarum reliquiarum, quam ex antiquo Lectionario sui monasterii exscripsisse se, testatur Castelarnavius, hic repræsento.* Quia opera Domini revelare et confiteri bonum atque honorificum est, idcirco ad laudem et gloriam Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui unus est verus et sempiternus Deus, gloriosus in Sanctis, mirabilis in majestate, faciens signa et prodigia in seculum seculi, cupimus ad utilitatem Fidelium declarare, quæ per famulum suum beatissimum Candidum dignatus est demonstrare. Igitur nostris temporibus, in quos fines seculorum devenerunt, quædam domina vidua de diosesi Gerundensi, satis bonæ vitæ et famæ, divina permissione a pluribus spiritibus immundis gravissime vexabatur: quæ accedens ad ecclesiam, cum clericus ei legeret, quidam homo calvus et magnæ staturæ superveniens clericum

A clericum reprehendit, dicens, quæ legebat minime convenire: et mulieri dixit, ut ad monasterium S. Cucuphatis accederet, et ibi salutem consequeretur. Quæ veniens, et moram per duos menses et amplius ibidem faciens, multa mirabilia voluit Dominus revelare. Inter quæ dæmon per Dei virtutem diutius adjuratus et interrogatus, confessus, fuit, quod qui clericum de lectura reprehenderat, mulieri, quæ præmissa sunt, dixerat, erat veraciter apostolus Christi Paulus.

A dæmonibus in energumenis revelatur

27 Item, cum quadam die ante altare beatæ Mariæ Virginis quidam monachus eidem mulieri legisset plurimum, et dæmones per virtutem Dei omnipotentis et Virginis gloriosæ, et per meritum et martyrium beati Cucuphatis, et S. Severi, et sanctorum apostolorum Simonis et Judæ, et S. Julianæ et Simprunianæ adjurasset, dæmon quasi ira motus, dixit: Dic, dic, quia nimis plures Sanctos habes. Et monachus: Adjuro te per Deum omnipotentem, ut dicas mihi, si alii Sancti in hac ecclesia jacent. Et dæmon respondit: Sic. Et monachus: Adjuro te per Deum vivum et verum, quod dicas, in quo loco. Et dæmon dixit: Michaël. Dicis, dixit monachus, quod in altari S. Michaëlis jacet? B Respondit dæmon: Sic. Et monachus: Adjuro te per Deum, quod dicas mihi nomen ejus. Respondit dæmon: Non faciam, alius veniet, qui tibi nomen ejus dicet, me enim multum pœnitet, talia tibi dixisse. Sed cum monachus adhuc cum orationibus et adjurationibus instaret, ut ipse diceret, dæmon dixit: Dimitte, nulla enim ratione dicam. Honora ipsum, sciens, quia magni meriti est. Processu vero temporis, cum quædam puella Barchinonensis a spiritibus immundis gravissime vexaretur, pro salute obtinenda ad monasterium S. Cucuphatis accessit, quæ cum quadam die gravissime vexaretur, monachi cum sanctis reliquiis et sancta Cruce Domini cum psalmis et orationibus et conjurationibus dæmonium, ut recederet, adjurantes, et ipsum interrogantes de nomine Sancti, qui in altari S. Michaëlis jacebat, dæmon confessus fuit, quod Candidus vocabatur.

Sancti nomen,

28 Simili modo quædam alia puella de parochia S. Petri Octaviani (*in qua conditum est sæpe memoratum S. Cucufatis asceterium*) a spiritibus immundis vexata fuit, quæ, cum in ecclesia S. Cucuphatis pro sua salute fuisset adducta, et per C virtutem Dei a monachis spiritus immundi fuissent adjurati, et de nomine illius Sancti, qui in altari S. Michaëlis jacebat, interrogati, dixerunt; quod Candidus vocabatur. Transactis autem quinque annis, venit ad monasterium S. Cucuphatis quædam alia puella de parochia Barberani (*vicus est, qui sesqui milliari a monasterio versus Septemtrionem distat*) quæ a dæmone vexabatur, et Fratres pro ipsa Dominum exorantes, et per Dei virtutem dæmonium adjurantes et de nomine Sancti, qui in altari S. Michaëlis jacebat, interrogantes, dæmon respondit et dixit; quod Candidus absque dubio vocabatur. His omnibus sic peractis, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo, die nona Maji in monasterio et ecclesia S. Cucuphatis ante altare S. Michaëlis inventa fuerunt sacra ossa et glorioso modo fragrantia totius corporis S. Candidi militis et martyris Christi, quem Dominus ad laudem et gloriam sui nominis et honorem Sancti, nec non ad utilitatem Fidelium omnium sic voluit revelare. Contigit, quod per quinque dies antea quædam puella, quæ a spiritibus immundis graviter vexabatur, adducta quasi mortua, per homines de Barbarano fuit adducta ad monasterium S. Cucuphatis, quæ amiserat penitus sensuum et omnes corporis sui vires.

AUCTORE J. C.

et corpus, quod mandante rege,

29 Fratres autem, ut moris est monasterii, pro prædicta puella Dominum exoraverunt. Eodem tempore dominus illustrissimus rex Jacobus causa spatiandi, sicut Domino placuit, ad monasterium supradictum declinavit. Et intrans ecclesiam, cum orasset, vidit ante altare S. Michaëlis supradictam puellam ab inimico humani generis vexari gravissime. Et multum compatiens, stetit ibi. Monachi autem Evangelia et Orationes legere inceperunt, inter quas quidam monachus, dæmonium, ut recederet, per meritum beati Candidi præcipere non cessabat, Dæmon audiens nostri S. Candidi *(nomen)* voces emicabat, et audire vix sustinebat, et ex altera parte in quibusdam S. Candido obedire se demonstrabat. Rex hæc et plura alia, quæ omisimus, cernens, misericordia erga puellam motus et manum porrigens adjutricem, eleemosynam ei dedit. Et recedens a monasterio, cum instantia magna per venerabiles nuntios suos petiit, quod abbas et conventus darent ei de reliquiis prædicti Sancti. Abbas vero et Fratres dixerunt, quod certitudinem non habebant de loco, ubi dictus Sanctus jacebat, E et sic voluntatem regis in hoc non poterant adimplere. Hæc audiens dominus rex, divina voluntate et permissione magis ac magis fuit inflammatus et mittens litteras et nuntios, præcipiendo rogavit abbatem et Fratres, ut facerent in ecclesia tamdiu fodi, quousque corpus S. Candidi reperirent. Igitur die nona Maji, oratione facta, juxta regis præceptum jussit abbas magistris et operariis suis, ut evellerent lapides de ecclesiæ pavimento, et terram foderent profundius, donec reperirent sepulchrum dicti Sancti.

e terra elevatur.

30 Et fodientes ad pedem altaris S. Michaëlis, dum quidam ex magistris fodiendo superiorem sepulchri lapidem tetigisset, in continenti gloriosus odor fragravit, qui sua suavitate omnes, qui præsentes erant, in admirationem conversos *, dicentes, tam suavem et cælestem odorem se numquam sensisse. Qui odor non solum ossibus aut pulveri sacri corporis inerat, verum etiam terræ cuicumque congestæ. Puella vero, quæ habebat dæmonium, ad tumbam accessit, et orantibus et legentibus Fratribus, dæmon graviter ipsam vexavit. Et adjurantibus ipsum per Dei virtutem multa confessus fuit. Interrogatus de proprio nominis sui, dixit, quod Pilot vocabatur. Et quærentibus de tempore S. Candidi, ex quo erat in gloria Domini, respondit, quod mille anni et amplius effluxerant. Dixit etiam adjuratus, quod beatus Candidus fuit in gloria Dei, prius quam beatus Cucuphas per duos annos; et exclamans et multum discerpens dicebat, se videre prædictos Sanctos, qui ipsum exire compellebant. Nuntius autem dicti domini regis, qui præsens erat, cum gaudio dicto domino regi hæc dicere festinavit. F

* *lege convertit*

Multi ibi a spiritibus immundis liberantur.

31 Dominus autem rex, his auditis, ad prædictum monasterium cum comitatu accessit, abbas vero et Fratres ossa gloriosa et divinitus miro modo fragrantia de loco subterraneo in regis præsentia honorabiliter extraxerunt et digne ac venerabiliter reconderunt. Multi vero ad tumbam, ubi dictus Sanctus jacuerat, accesserunt, et mirantes odorem terræ, de ipsa acceperunt, et tam ipsis, quam pluribus aliis (ut patebit inferius) profuit ad salutem. Recedente autem rege a monasterio, Fratres, qui dudum adjuraverant dæmonem, qui supradictam puellam graviter vexabat, clamabat ac fortiter

AUCTORE J. C.

ter ululabat, se videre S. Candidum et cum eo S. Michaëlem et S. Cucuphatem, qui eum exire compellebant; prædicti vero Fratres ligaverunt in collo dictæ puellæ aliquantulum de reliquiis S. Candidi, et in continenti fuit penitus liberata. Tali modo et ordine corpus beatissimi martyris Candidi repertum fuit. In festo autem S. Cucuphatis sequenti et in ecclesia ipsius quædam puella, quæ graviter a spiritu immundo vexabatur, in præsentia plurium tam monachorum, quam laïcorum spiritus per monachos in nomine Domini adjuratus, pluries confessus fuit, quod iste beatus Candidus fuit vere socius S. Mauritii, et clamans ac ululans multumque puellam decerpens, per virtutem Dei et B. Candidi ab ea recessit, fuitque omnino liberata. Ad cujus confirmationem multa miracula per ipsius S. Candidi martyris Christi intercessionem tunc operatus est Deus, nec adhuc invocantibus et visitantibus eum desinit præstare auxilium.

Verum narratio illa videtur

32 *Atque hæc ibi, quæ, quo anno et a quo auctore scripta sint, nullibi innuitur; videtur tamen ex postremis verbis deduci posse, anonymum nonnullis annis inventione, quam narrat, posteriorem esse. Jacobus, de quo num.* 29 *mentio fit,* B *est secundus illius nominis Aragoniæ rex, qui sceptrum tenuit ab anno* 1291 *usque ad* 1327, *quo illi successit Alphonsus IV. Nunc quod ad rem ipsam spectat, non est quidem primum exemplum nominis alicujus Sancti per dæmones revelati, quod nobis occurrit. Novimus accidere posse, ut Deus ad Sancti alicujus augendam in terris gloriam cultumque promovendum et succurrendum mortalium miseriis, per ipsum Sanctorum hominumque hostem, facta ejus et nomen propalari velit: neque negamus, id revera contigisse; at nisi asserentis similia non sit suspecta fides et auctoritas, non potest res insolens adeo, maxime dum aliunde repugnant aliqua, prudentibus non esse suspecta: facilis enim sic via fabulatoribus aperiretur, quælibet pro libitu fingendi et confirmandi testimonio patris mendacii. Anonymo huic nostro incognito firmam sine scrupulo fidem habere non ausim, neque habebit, opinor, quisquam, cui Hispanorum aliquot scriptorum in hoc genere credulitas alicunde perspecta sit.*

fabulosa esse S. Candidi exuviæ Mediolani.

33 *Est aliquid, quo insuper niti suspicio possit. Tamayus, qui nescio quem* S. Concordium *martyrum Thebæum* Candido *suo jungit, de illo speciatim nihil profert, sed asserit, in monasterii S. Cufatis laudato Breviario, quod multum ab antiqui*C*tate commendat, eadem de* S. Concordio *legi: quæ profecto concordia, relationem illam commendare non potest. Quidquid sit, certum videtur, Hispanos non habere omnes* S. Candidi *senatoris militum reliquias, eæque, quas habent, valde apud me dubiæ manebunt, donec quis me docuerit, unde et quando eo translatæ fuerint, vel protulerit magis certa prodigiosæ revelationis testimonia. In Martyrologio Mediolanensi ad hunc diem ita nuntiatur:* Mediolani... Candidi militis ex eadem Legione, cujus corpus in ecclesia S. Francisci Fideles colunt. *In Notis testes allegantur Morigius in Sanctuario, et Villa de Septem ecclesiis, qui corpus* S. Candidi *ibidem sepultum fuisse, affirment. Morigius id ait quidem pag.* 107, *sed non explicat, cujus* S. Candidi *sint sacra cimelia.* Illius caput, *inquit Bosca in laudatis mox Notis,* hodie in ara majori exhibetur cultui Fidelium, inclusum in theca argentea, quæ caput humanum refert, *quod confirmat Morigius pag. seq. Sed vel non nisi pars capitis* S. Candidi *senatoris militum lipsanotheca illa servatur, vel alterius* S. Candidi *caput est; pro quibus videri possunt, quæ infra § 14 num.* 113 *et seqq. dicemus.*

D

§ IV. Sancti Victores in aliquibus Martyrologiis hodie geminati, plures synonymi : hinc incerta fere, quæ pro S. Victoris reliquiarum possessione Senonenses, Belgæ, et Hispani proferunt.

Verisimiliter perperam in aliquibus Martyrologiis duo hodie

In *Eucheriana Passione habemus veteranum militem* S. Victorem, *qui, cum carnifices ob relata de Martyribus Thebæis spolia exsultantes increparet, trucidatus est a furibundis militibus, atque ita Legioni Felici accessit. Victorem alium cum S. Urso in iisdem Actis legimus passum Solodori, atque pro Thebæo et* S. Mauritii *socio habitum fuisse. Is specialem in Martyrologio Romano annuntiationem habet die* XXX *Septembris, quo etiam speciatim de illo cum commilitone Urso pro more nostro agetur. Alter etiam Victor mar*E*tyr in territorio Coloniensi in Martyrologio Baronii memoratur* X *Octobris cum Sociis : ex synonymis autem Sanctis nata est, ut solet, confusio reliquiarum; præterquam, quod et anonymi alii ex eadem Societate Martyres postea* Victoris *nomen consecuti sint, quod discernendis sacris cujusque exuviis tenebras novas offudit. Galesinius ad hunc diem* XXII *Septembris ita annuntiationem orditur :* Seduni in Gallia beatissimorum martyrum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris et Sociorum sex millium sexcentorum sexaginta sex. *Interjecta deinde contracta narratione martyrii, resumit :* Eodem die S. Victoris martyris. Hic nec Legionis ejusdem fuit neque miles, sed emeritæ jam militiæ veteranus. *Ne autem suspiceris, primo loco de S. Victore Solodorensi agi, ejus socius S. Ursus prætermissus est, et ambo conjunctim nuntiantur die* XXX *Septembris. Apographa nonnulla Usuardina Galesinio prælucere potuerunt, quæ bis* S. Victoris *Agaunensis martyris mentionem faciunt. Editio Lubeco-Coloniensis in Sollerii Auctariis, sanctorum Martyrum mox pure ex Usuardo meminit, posteaque subnectit :* Item ibidem loco Agauno beati Victoris veterani, qui post stragem beatorum Thebæorum ibidem a persecutoribus interemptus est et sanctis Martyribus sociatus. *Similia fere* F *habet Grevenus.*

SS. Victores nuntiantur. Senonensibus asseritur ab aliquibus

25 *Existimo autem, eumdem* S. Victorem *ubique geminari, sic, ut ex Usuardi puri enuntiatione primo relatus, deinde secundo recurrat ex ampliori ejusdem martyrii narratione, apud Adonem vel alibi reperta. Certe non nisi unicum* Victorem *veteranum Agauni passum habet S. Eucherius, ejusque etiam memoria apud Usuardum et Adonem* SS. Innocentii *et* Vitalis *nomina, legitimo ordine, præcedit, quia specialem ejus mentionem facit primaria Passio, in qua de* SS. Innocentio *et* Vitale *verbum nullum occurrit, cum eo tempore necdum revelata essent eorum corpora, neque nomina innotuissent. An vero de hujus* S. Victoris *reliquiis aliquid certo asseri possit, videamus. Hugo Mathoud in Catalogo archiepiscoporum Senonensium in Wilicario, qui anno Christi* 769 *concilio Romano sub Stephano III interfuit, scribit :* In veteri Chronico Viviano scribitur, quod Roma rediens Senonas, obtinuit ab abbate S. Mauritii Agaunensi corpus S. Victoris martyris, quod post

A post varias sedes Sevinus tandem restituit majori basilicæ Senonensi. *Sevinus, qui, variante nomine,* Seguinus *passim, et nonnumquam* Sebuinus *appellatur, infulas Senonenses adeptus est anno* 978. *Chronicon S. Petri Vivi editum est in Spicilegio Acheriano recuso tom. 2 pag. 463 et sequentibus. Pagina 471 ita legitur:* Ædificavit autem ecclesiam donnus Anastasius in honore S. Mariæ in sua hereditate, in villa, quæ vocatur Aguriacus... Asportavit vero corpus B. Victoris de propria villa S. Stephani, quæ vocatur Bruotea, condens illud in ipsa ecclesia, quam ædificaverat, honore maximo. Istum etenim S. Victorem, socium B. Mauritii, detulit antiquo tempore donnus Willarius archiepiscopus hujus sedis de Agaunensi cœnobio, volente abbate ejusdem loci et fratribus; quem collocavit in ecclesia S. Stephani, lætante populo.

hujus sancti corpus, sed certe non habent.

36 Subsequenti autem tempore delatus est a canonicis ejusdem loci in pago Wastinensi in Bruotea villa, eo quod homines ipsius pagi terram ipsorum devastarent et in proprios usus detinerent. Tumulatusque ibi requievit multis annis usque ad donni Anastasii tempus, qui transtulit eum, sicut jam B dictum est, in ecclesiam suam apud Aguriacum. Requievit autem ibi usque ad donni Seuvini sui successoris tempus, qui asportavit eum cum magno honore in ecclesia S. Stephani, ubi nunc Dei gratia requiescit. *Hæc scriptor Chronici, quod usque ad annum* 1184 *productum est, cui id certe negari non potest, quod seculo* XII *Senonibus creditum fuerit, requiescere in basilica S. Stephani corpus* S. Victoris. *Ejus autem assertis hoc unice opponi videtur posse, quod si revera ejus* S. Victoris *sacra ossa Senonenses obtinuerint, non videantur accepisse saltem omnia, sed quas habebant partes communissimo errore* Corpus *vocatas fuisse. Certe, ut mittam ceteras ecclesias, quæ ejusdem Sancti reliquias sibi vendicant, Agaunenses in inventario thesauri sui sacri usque hodie hujus Sancti capite gloriantur, ut testatur eruditissimus abbas S. Leopoldi Nanceiensis in Historia Ms. sæpe laudata, ubi etiam asserit, Wilicarium, non corpus, sed* Reliquias S. Victoris *ab Agaunensibus accepisse. An porro Senonenses usque hodie easdem possideant, dubito, quia peculiarem ejus cultum in Fastis illius ecclesiæ non reperio.*

illud integrum. Incertum est, cujus S. Victoris corpus

37 *In Breviario Senonensi, quod anno* 1625 *Parisiis excusum est, ad præsentem diem* XXII *Septembris verbum nullum speciatim fit de* S. Victore. *In ejusdem Breviarii Calendario die* XX *Julii fit memoria* S. Victoris martyris in Thebaïda; *ad sequentem vero præscribitur facienda* C *Commemoratio* Victoris martyris in Marcilia. *De primo fit Officium semiduplex ex communi unius Martyris. Hunc quare Senonenses speciali cultu venerentur, compertum non habeo: sed nonne forte ibi, qui Thebæis Martyribus morte conjunctus fuit* miles veteranus Victor, *Thebæus et ipse creditus est, ac deinde Thebæ creditæ ejus patria, pro palæstra assumptæ sunt? Ita suspicabor potius, si tam pretiosas* S. Victoris *reliquias usque ad hoc tempus possident Senonenses, quam credam, tam celebrem Martyrem in loco, ubi tam notabiles ejus exuviæ, ut corpus integrum creditæ fuerint, quiescunt, particularem cultum non obtinuisse. Belgio nostro partem reliquiarum* S. Victoris *non exiguam vendicare scriptores nonnulli videntur; verum, quæ proferunt testimonia vacillant. Notavit Bollandus tom.* I *Januarii pag.* 1110 *inter Addenda ad diem* XIII, *coli tum Walciodori ad Mosam* S. Victorem et S. Candidum martyres e Legione Thebæa, *quod illo die eorum reliquiæ eo delatæ essent. Rayssius tamen in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii* XIV *Januarii translationem refert, cujus narrationem ex pervetusto, ut ipse quidem ait, Ms. codice cœnobii Walciodorensis ita tradit pag.* 5. *AUCTORE J. C.*

38 Walciodori ad Mosam adventus sacrorum corporum Candidi et Victoris ex Legione Thebæorum. Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo tertio sub Theodorico abbate Walciodorensi, anno ipsius regiminis decimo quarto, sacra pignora horum beatorum Martyrum translata sunt; siquidem, cum abbas prædictus, virtute et genere nobilis, a multis nobilibus consanguineis suis inviseretur ab iisdem Thebæorum Martyrum notitiam primum accepit, e quorum narrationibus certior redditus, quod sacra illorum corpora in quadam ecclesia deserta vici cujusdam, qui Hama nuncupabatur, absque veneratione jacerent, spe erectus ac pietate incensus cœpit, de transferendis ad suam ecclesiam sacris illis corporibus cogitare. Verum cum res ei difficilis videretur, nec satis intelligeret, qua sagacitate et industria sacris reliquiis potiri posset, mentem suam Widrico, nobili viro, apperuit. Is vero, utpote vir prudens, optimum suggessit consilium. Totum videlicet negotium opera et auxilio Rodulphi, nepotis sui, facile peragi posse, quod Rodulphus ille terræ istius, in qua Martyres quiescebant, temporalis esset dominus. Theodoricus, approbato consilio, una cum Widrico nonnullisque religiosis itineri se dedit, terramque illam ingressus, mox intentionem Rodulpho, territorii domino, per Widricum patefecit, et illius statim sibi favorem et benevolentiam conciliavit. Rodulphus itaque ecclesiam prædictam ingressus præcepit custodibus, ne abbatem, pietatis gratia locum visitantem, ingressu arcerent. Et sic abbas, ejus auctoritate fultus, templum libere cum suis penetravit ac sara pignora clam deponi curavit. *in Belgium* E

39 In qua depositione feretrique apertione hæc duo mira contigerunt. Quod abbati primum templum ingresso et in exstasim rapto lumen ingens per unius horæ spatium apparuerit, feretroque deinde illius jussu aperto, magna suavissimi odoris fragrantia longe lateque diffusa fuerit. Sic itaque Theodoricus cum suis clam sacris Candidi et Victoris potitus corporibus, nemine prohibente, eadem in suam ecclesiam feliciter transportavit. *Est Walciodorum, indigenis* Wassor, *medium fere Dionantum inter et Givetum, quod Caroli-Monti adjacet, ad Occidentalem Mosæ ripam. De Walciodorensi abbatia plura dicta sunt ad diem* VI *Martii, ubi S. Cadroës gesta illustrantur, ac rursus die* XXX *Aprilis, urbi discutiuntur Acta S. Forannani. De eadem agitur tom. 3 Galliæ Christianæ auctæ inter abbatias diœcesis Namurcensis, et in Catalogo abbatum occurrit Theodoricus II, cujus anni regiminis assignatæ hic epochæ non repugnant. Rayssius, qui vicum, ubi repertæ fuerunt reliquiæ, in Auctario* Hamam *vocat, eumdem in Hierogazophylacio Belgico pag.* 542 Haviam *appellat. Plurium pagorum et oppidulorum nomina in Belgio nostro ejusque vicinia ad alterutrum accedunt, inter quæ divinare non lubet. Ex allata relatione aliud non videtur de eo conjectari posse, quam quod non fuerit locus ille longe Walciodoro dissitus. Certe cum ex nominatis Widrico et Rodulpho æque incognitis confici nihil possit, inutiles erunt conjecturæ de propinquis hisce pagorum nominibus. Nec magis alicunde liquet, qua occasione sacra illa Thebæorum* *ad cœnobium Walciodorense.* F

AUCTORE J. C.

bæorum Martyrum corpora eo pervenerint; unde ad minimum dubium manet, an præfatæ reliquiæ de S. Victore *nostro sint, et non temere suspicabitur quispiam, aliorum Martyrum exuvias esse, quibus vel Theodoricus ipse nomina indiderit, si absque testimoniis ab eo repertæ sint, vel forte jam ante data fuerant, quæque deinde perseverarunt. Quidquid sit, notat laudatus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico, duorum horum Sanctorum ossa ab incauto monacho, sacrum thesaurum hæreticorum furori ereptum cupiente, mixta et confusa fuisse cum sacris exuviis SS. Eloquii, Nuncii, et trium Virginum ex societate S. Ursulæ, ita ut nullo pacto deinceps discerni potuerint.*

cujus Valencenas ad ecclesiam PP. Franciscanorum

40 *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1233 *num.* 42 *ita scribit:* Anno hoc, Dominica post festum Inventionis S. Crucis consecrari et dedicari fecit supradicta comitissa Joanna Constantinopolitana templum monasterii Valencenensis sub titulis Trinitatis, S. Crucis et B. Francisci per R. episcopum Cameracensem. Ipsa autem consecrationis die illustrissima herois cum celebritate et solemnitate maxima, et frequentissimo
B populi concursu deferri fecit ad templum noviter consecratum corpus sancti martyris Victoris, pretiosissimo et ditissimo loculo inclusum. Fuit hic Christi martyr socius B. Mauritii ex Legione Thebæorum, qui pro Christiana fide sub Maximiano imperatore in agro Sedunensi Galliæ occubuerunt. *Quod Joanna Constantinopolitana, Balduini Augusti Flandriæ comitis et imperatoris Byzantini filia, corpus* S. Victoris *cujusdam vel ejus partem conventui Franciscanorum Valencenensium, in quos fuit munificentissima, dono dederit, etiam alibi reperio; at merito dubito, an præfatæ reliquiæ fuerint de* S. Victore *nostro. Nusquam hactenus inveni*, S. Victorem *aliquem inter Thebæos apud Agaunum martyrio coronatum fuisse, præter illum emeritæ militiæ Veteranum, qui, ipso S. Eucherio teste, ex Legione Thebæorum nec fuit, nec in militia* S. Mauritii *socius; sed sanctis nostris Heroibus solo martyrio sociatus accessit. Suspicarer, reliquias anonymi ex Agaunensibus Athletis postea id nomen consecutas, vel forte eo insignitas repertas fuisse, nisi alibi invenirem, easdem pro sacris exuviis S. Victoris, celeberrimi martyris Massiliensis, habitas fuisse.*

C

translatum fuerit,

41 *Habeo ante oculos libellum Gallicum Valencenis anno* 1614 *editum typis Joannis Vervliet, cui titulus est:* Pia solemnisque Supplicatio, quæ fit Valencenis VIII Septembris, *ubique eorum Sanctorum, quorum circumferuntur lipsana, datur elogium ex Actis contractum. Pagina* 83 *in thesauro sacro ecclesiæ S. Francisci numeratur* Corpus S. Victoris martyris, *ac deinde pag.* 85 *subnectitur contracta narratio ex Actis S. Victoris Massiliensis, assignaturque Usuardus ad diem* XXI *Julii, quo is Victor colitur, ut in Opere nostro probatum est. Sequitur in eodem libello relatio translationis, in qua consonant omnia cum mox recitatis ex Waddingo, nisi quod hic asseratur ecclesia dedicata fuisse SS. Petro et Paulo, quæ alios apud Waddingum tutelares habet, et inter illos S. Franciscum septem annis ante defunctum. Porro cum ad calcem indicatur ejus sancti Victoris, cujus reliquiis gloriantur Valencenates, festum* XXI *Julii, hæc, ut dixi, rem valde dubiam faciunt. Waddingus laudatus subjungit, sacra omnia cimelia ornamentaque conventus Valencenensis Calvinistarum rabie sub annum* 1566 *spoliata et exusta fuisse: quæ non conveniunt cum iis, quibus ita clauditur narratio in præcitato libello:* Loculus pretiosus, in quo ossa S. Victoris D
servantur, deinde in altari S. Joannis depositus fuit. Hodie exponitur in sacello Cordulæ. *Igitur loculus a Joanna Constantinopolitana oblatus cum reliquiis S. Victoris hæreticorum furorem evasit, vel erravit auctor, qui Valencenis initio præteriti seculi hæc scripsit.*

cujus reliquiæ per Belgium sparsæ, cujus in Hispaniam

42 *Ceterum* S. Victoris *reliquiæ insuper plurimæ per Belgium nostrum sparsæ ab eodem Rayssio enumerantur; at præter celebres synonymos Martyres Massiliensem et Mediolanensem, singulis fere diebus in Fastis sacris* Victores *inveniuntur; hinc valde incertæ esse debent hoc nomine insignitæ sacræ exuviæ, in quantum hujus, aut illius determinati esse asseruntur. Andelaci prope Bruxellas os* S. Victoris *pag.* 356 *recensetur inter sacra cimelia patrum Minimorum; pag.* 41 *in thesauro ecclesiæ Duacensis S. Amati, præter dentem* S. Mauritii *ejusdemque alias reliquias, de quibus in Gloria posthuma* § 17, *numerantur bina ossa* S. Victoris; *pag.* 452 *inter sacra pignora Rutensis ad Mosellam Cartusiæ computantur duo capita et ossa maxima Martyrum Thebæorum et reliquiæ* S. Victoris *et Sociorum ejus, nec non bipennis, qua percussi martyrium consummasse feruntur; pag.* 405 *S. Petri ecclesia Aeriæ glo-* E
riatur brachio S. Victoris *martyris, quod Joannes alias Jacquetus, Clementiæ præpositus primus huic ecclesiæ comparavit. De quibus, cum testimonia desint, affirmari non potest, cujus sint* S. Victoris, *licet passim Thebæi Martyris esse credantur. Inter Agaunenses Heroes celebris est sanctus* Victor, *fuerunt ergo pro more ejus sacra cimelia in Hispaniam a Tamayo pertrahenda, maxime cum invenisset, synonymi Sancti corpus translatum fuisse Madritum ad regale cœnobium sanctimonialium Excalceatarum S. Francisci. De hac re scribit Hieronymus Quintano ab ipso laudatus lib.* 3 *Historiæ Madritensis cap.* 113, *et Joannes Carillo in Relatione historica fundationis ejusdem parthenonis cap.* 18 *pag.* 50. *cujus verba Hispanica Latine reddo.* Anno MDLXVI regina nostra Anna, filia Maximiliani imperatoris et prædictæ Mariæ imperatricis, veniens ex Germania connubio jungenda Philippo II Hispaniarum regi, attulit serenissimæ principi materteræ suæ *(Erat hæc Joanna, Caroli V et Isabellæ filia, soror Mariæ Maximiliani conjugis, quæ post obitum mariti, Joannis II Portugalliæ regis, administrans Caroli nomine Castiliæ regnum, monasterium* F
illud Madritense fundavit,) pro suo monasterio corpus gloriosi martyris S. Victoris, vexilliferi sacræ Legionis Thebææ.

delatæ sint.

43 *Pluribus deinde describit Carillo pompam, cum qua sacri cineres recepti et ad regale monasterium translati fuerunt, uti et capsæ splendidissimum ornatum; silet tamen, unde* S. Victoris *corpus primo acceptum fuerit. Quis sit* S. Victor *Legionis Thebææ signifer, etiam incompertum habeo. S. Victorem, socium S. Ursi, non vidi hactenus vexilliferi dignitatem inter Thebæos gessisse, quod multo minus adstrui potest de* Victore *veterano milite, quem expressis verbis asserit Eucherius, Actorum primigeniorum auctor, inter Thebæos non militasse, sed tantum illis morte conjunctum fuisse.* Victor *alter, ut socius S. Gereonis, seu Malosi, Thebæis accensetur in Fastis quibusdam sacris ad diem* X *Octobris, ubi confusa ejus in Martyrologiis memoria difficultatem Sollerio Usuardum purganti creavit, quam promisit in Opere nostro ad præfatum diem discutiendam. Interim vereor, ut Colonienses hujus S. Victoris sacra pignora Hispanis taciti dimittant, cum Martyris in sua vicinia, in Xanten oppido*

Auctore J. C.

A *pido ducatus Cliviæ coronati, plurimas sacras exuvias in divite suo thesauro numerent. Habemus librum Ms. abunde prolixum de hoc S. Victore: quæ ibi liberaliter asseruntur plurima, examinari poterunt ad præfatum diem* x *Octobris, quo spectant. Duo* SS. Victores *insuper inter Thebæos numerantur a Baldesano; alter socius* S. Constantii *in abbatia, seu potius parœcia ejus nomine sacra, de qua postea; alter coli asseritur in Rivalta, pago, ni fallar, in Pedemontio. Atque horum sola fere nomina cognita sunt.* S. Victor *in Actis S. Verenæ quæ* I *Septembris discussa sunt, num.* 5 *dicitur hujus Sanctæ dux seu socius itineris ex Ægypto in Italiam fuisse, et cum Thebæa Legione martyrio coronatus: quæ ad S. Victorem Solodori cum S. Urso passum verisimilius spectare, ibidem num.* 15 *probatum est.*

B

§ V. S. Innocentii sacræ exuviæ ab Ottone Magno Magdeburgum delatæ. Partes sancti ejus corporis variæ in variis ecclesiis et ejusdem sancti Martyris ibidem cultus.

Portio magna corporis S. Innocentii

Nescio, an præter S. Mauritium *Thebææ Legionis præfectum alius ex sanctis ejus sociis Martyribus ullus sit celebrior* S. Innocentio, *cultumque nactus magis per orbem diffusum. Optimæ notæ instrumenta sunt, quæ asserunt, Ottonem Magnum imperatorem, sanctorum nostrorum Martyrum cultorem religiosissimum corpus* S. Innocentii *obtinuisse, et in erectam a se Magdeburgensem basilicam intulisse. Testatur id Otto ipse in diplomate, quod datum est mense Septembri,* 2 *anno regni sui, Christi* 937. *exstatque apud Meibomium tom.* I *Rerum Germ. pag.* 720, *et correctius editum est a Sagittario in Antiquitatibus archiepiscopatus Magdeburgensis pag.* 18. *ubi imperator multa donat illi ecclesiæ pro remedio animæ suæ, conjugis, filii,* nec non et Rudolfi regis, qui sanctum tradiderit Innocentium. *In congestis aliis pluribus ibidem diplomatis* S. Innocentii *speciatim semper et honorifice meminit,*
C *nunc tamquam secundarii Magdeburgensis ecclesiæ patroni, nunc tamquam tertii, ubi scilicet* S. Mauritii *mentionem facit. Ditmarus lib.* 2 *initio scribit:* Cujus *(uxoris Ædithæ)* instinctu Magdeburgensem ædificare cœpit civitatem *(Otto),* ad quam reliquias Christi martyris Innocentii cum magno adduxit honore. *Gloriæ posthumæ* § 18 *num.* 212 *habes, quæ Browerus allegat ex Chronico Saxonico. Ibi etiam asseritur, corpus* S. Innocentii *a Rudolpho Burgundionum rege transmissum ad imperatorem atque ab hoc Magdeburgum delatum fuisse, ut mox videbimus.*

ab Ottone Magno ecclesiæ Magdeburgensi fuit data.

45 *Apud Sagittarium citatum pag.* 78 *Joannes XIII in Bulla, qua pallii usum Adelberto Magdeburgensi episcopo concedit, sic loquitur:* Unde quia ob hoc agendum ad Apostolicam sedem ipse venisti, pro amore beatorum Mauritii et Innocentii: martyrum et aliorum Sanctorum, qui Magdeburgi requiescunt.... ipsi pallium tibi ad Missarum solemnia celebranda damus. *Bulla signata est anno* 4 *Joannis, Ottonis imperatoris* 7, *Dominicæ Incarnationis* 968, *Indictione* 12, *mense Octobri; ita ut nullum dubium supersit, quin* S. Innocentii *corpus, seu potius portionem ejus magnam, obtinuerit Otto. In Chronico Saxonico paulo ante laudato legitur:* Fundavit ergo *(Otto)* inibi regalem, ut diximus, abbatiam in honore B. Petri Apostolorum principis ac Mauritii egregii Thebæorum ducis, dignique contubernalis illius Innocentii militis, cujus corpus Rudolphus rex Burgundionum ei ac reginæ transmissum, regium, imo divinum munus donavit. *Rudolphus hic est secundus nominis Burgundiæ Transjuranæ rex, qui patri cognomini successit anno* 912, *obiitque anno* 937 *et* Agauni apud S. Mauricium sepultus est, *ut ibi tradit Hermanni Contracti Chronicon. Hinc facile intelligitur quomodo is* S. Innocentii *exuvias ab Agaunensibus accipere et Ottoni dono mittere potuerit. Ceterum credo, Ditmarum loqui exactius ceteris omnibus, qui* Reliquias S. Innocentii, *non corpus. Magdeburgum scribit translatum fuisse; neque enim verisimile est, reliquas omnes sacras exuvias, quæ in diversis ecclesiis servantur, ejus nomine perperam insignitas esse.*

Ejusdem partes sibi Agaunenses, Andegavenses, Viennenses in Austria adserunt.

46 *Certe in thesauro sacro abbatiæ Agaunensis servantur usque hodie aliquæ: testatur enim eruditissimus abbas Nanceiensis in Historia Ms. sæpissime laudata in herma argenteo, unde extracta fuerunt* S. Mauritii *sacra cimelia, fuisse recondita* SS. Innocentii *et* Vitalis *ossa veneranda. Consule, si lubet, Gloriæ posthumæ* § 16 *num.* 192. *Andegavenses jam olim crediderunt, ecclesiam suam Sancti capite ditatam fuisse. Etenim in Breviario illius ecclesiæ, quod anno* 1624 *Parisinis typis excusum est, die* 2 *Decembris, festo* Receptionis brachii S. Mauritii *ad calcem* 1 *Lectionis* 2 *Nocturni legitur:* Habet etiam *(Andegavensis ecclesia)* caput S. Innocentii Agauno allatum ab Eusebio episcopo. *In Catalogo præsulum Andegavensium apud Sammarthanos non invenio hujus nominis episcopum alium ab eo, qui anno* 1047 *dicitur cathedram ascendisse, eamdemque occupasse usque ad* 1088, *quo tempore in miserrimo statu erat abbatia Agaunensis, tum ab extorsionibus incursionibusque externorum, tum a domesticorum dissidiis et contentionibus. Inter has turbas caput* S. Innocentii, *si ibi adhuc superfuit, accipere Eusebius facilius forte potuit a canonicis; an autem obtinuerit debito testimonio munitum et a fida manu, aliunde compertum non habeo, et infra exemplum subministrabitur, ex quo liqueat, quam facile reliquia alterius Sancti nomen induant. In elencho sacrarum exuviarum, quas possidet Viennense in Austria Carmelitana-* F *rum virginum cœnobium, tertio loco recensetur* S. Innocentii martyris Thebæi *cruris os integrum, fitque de eo ob istam rationem Officium semiduplex hoc die* XXII *Septembris, ut in Opere nostro notatum est tom.* V *Maji pag.* 8, *non autem* XXI *Maji, ut male inde refert Bailletus. Reliquias, quarum catalogus ibi excusus est, approbavit Philippus Fredericus archiepiscopus Viennensis* V *Kalendas Januarii anno* 1657, *liquetque ex instrumento, os illud* S. Innocentii *datum fuisse monasterio ab augustissima imperatrice Eleonora.*

S. Anno partem tantum corporis S. Innocentii

47 *Thesauro sacro Agrippinensi corpus* S. Innocentii *abscribit Gelenius in Colonia supplice, Auctarii num.* 4 *pag.* 164, *ubi ita scribit:* In S. Ægidii sacello abbas et religiosus Sigebergensis e gloriosa D. Benedicti familia cœtus quinque insignes hierothecas servabant, in quibus sacra Benigni, Innocentii Thebæi, Victoris, Demetrii corpora et caput S. Vitalis.... continebantur. *Est hoc corpus* S. Innocentii, *quod a S. Annone archiepiscopo Coloniensi eo allatum traditur. Lubet narrationem ex Vita hujus sancti præsulis, qui Sigebergense cœnobium sub patrocinio* S. Mauritii *dedicavit,*

AUCTORE J. C.

cavit, huc transferre. Vitam dedit Surius IV *Decembris, ubi ita legitur.* Cujus rei (*reliquiarum obtinendarum*) desiderio tempore quodam Romam ingressus est Romanorum archicancellarius (*S. Anno*) suæ devotioni pariter et ecclesiæ consulturus utilitatibus. In quo negotio non parvo illic tempore insumpto, Apostolicæ benedictionis impetrato commeatu, se cum suis ad regrediendum ocyus absolvit. In eo autem positus itinere precibus contendit ab Adeheida, tunc Alpium Cotiarum marchionissa, ut Thebææ Legionis reliquias ejus authoritatis jussu mereretur ab Agaunensibus: ejus quippe ditionis erat ille locus. Quo perveniens, licet splendide ac populariter, ut non solum archiepiscopum Coloniensium, sed et archicancellarium totius Italiæ decebat, exciperetur, consilio tamen et prudentia magis, quam potestate sibi censuit illic agendum. Proinde donis et promissionibus ad voluntatem suam flexum habens sacrarum ædium custodem, remotis aliarum personarum impedimentis, in secreto noctis, paucis suorum admissis, ecclesiam ingressus est: ubi sacratissimum beati martyris Innocentii corpus una cum capite S. Vitalis B reverenter extulit, et tam sui voti prosperitate, quam etiam suspicione alicujus in populo perturbationis actus, profectionem maturius imperavit.

ad abbatiam Sigebergensem translatit, vel alterius reliquias.

48 Christo ergo viæ præduce, post emensum peregrinationis pelagus mœnia Segebergensis cœnobii contingens, sanctarum reliquiarum thesaurum auro pretiosiorem cum magno populorum tripudio, qui eo die confluxerant, illud intulit III Idus Maji, qui Dominicæ Ascensionis tunc gaudiis illustrabatur, ab incarnatione Domini MLXX. *Hæc ubi: ex quibus suspicor, inscriptionem aliquam in ecclesia Agaunensi fuisse, ex qua liqueret, corpus* S. Innocentii *ibidem servari; id enim nisi credatur, solumque id asseruerit custos ecclesiæ, res tota mihi valde suspecta est; neque enim fidem habendam censeo verbis hominis, cujus aliunde perfidia ipso facto ostenditur, potuitque facile alterius anonymi Martyris sacras exuvias pro corpore* S. Innocentii *archiepiscopo venditare. Quidquid sit, certe portio ejus non exigua jam olim Ottoni data fuerat a Rudolpho rege, abbatiæ Agaunensis protectore et munifico benefactore; non igitur corpus abstulit S. Anno, sed tantum ad summum* C *partem aliquam, quæ ibi adhuc supererat. Ceterum reliquias per Annonem allatas, nescio, an non geminet Bailletus* § 3 *de cultu Sociorum* S. Mauritii *num.* 7. *Postquam dixit, corpus* S. Innocentii *aut aliud sub ejus nomine, in diœcesim Coloniensem translatum fuisse anno* 1070, *paulo infra reflectit, Siburgi, Gallice* Sibourg, *in abbatia Ordinis S. Benedicti quarto milliari Colonia distante, reliquias* S. Innocentii *honorari; allegatque Prætermissos in Opere nostro ad diem* III *Maji, ubi hæc habentur;* SS. Innocentii et Vitalis, martyrum ex Legione Thebæorum translatio Siburgi indicatur in Auctario Greveni et a Canisio.

Bailleti circa illas error

49 *Uterque hic martyrologus agit de translatione per S. Annonem facta, quæque non videtur esse alia ab ea, quæ anno* 1070 *contigit. Certe aliunde non constat, diversam esse, neque credo, reliquias* S. Innocentii, *quas Gelenius in Colonia supplice sacello Coloniensi S. Ægidii adscribit, ibi servari. Suspicor potius, auctorem illum ad majorem sacri thesauri Agrippinensis ostentationem, sacra pignora abbatiæ Sigebergensis sacello ipsi subjecto, quod est Coloniæ, annumerasse. Suspicioni ipsi ansam præbuit, dum de Coloniæ Agrippinensis magnitudine scribens, omnium aliarum basilicarum sacra cimelia passim recensuit, et tamen syntagmate* 106 *de sacello* D *S. Ægidii speciatim agens, de* SS. Innocentii et Vitalis *sacris exuviis altum siluit. Aliam insuper translationem loco citato confundit Bailletus, dum ait, factam a Domitiano, Grato et Protasio memorari in Martyrologio Gallicano die* XVII *Junii. Ibi sic scribit Saussayus in Supplemento:* Ipso die translatio S. Innocentii martyris ex Thebæa Legione, quæ apud Agaunum ad Rhodanum jussu Maximiani pro Christi fide ad internecionem usque cæsa est. Porro hujus ex tam nobili Sodalitio Athletæ corpus ad montem Silnigensem delatum est, ibique congrua reverentia collocatum. *Silnigensem montem ego nullum novi, nec dubito, quin Saussayus Sigebergensem designare voluerit. Sane Theodorus Rhay in Animabus illustribus Cliviæ etc. ad eumdem diem* XVII *Junii sic habet:* Sigenbergæ solennis lux S. Innocentii ex Thebæorum Sodalitate, cujus corpus a S. Annone archipræsule Coloniensi urbi illatum pompa omnium Ordinum raro ibi spectata: *additque id constare,* ex sacrario ejusdem ecclesiæ. *Hæc observarunt Majores mei inter Prætermissos ad præfatum diem, ubi nuntiatur* Sigenæ, *mendo, ni fallor, typographico pro* Sigenbergæ. E

non unus. Ejusdem exuviæ

50 *Porro clarum videtur, de iisdem sacris exuviis ad Sigebergense cœnobium per eumdem translatis agi, licet dubitari posset, an de eadem translatione; propter relatam ad diversos dies illius memoriam. Utut est, certe de primaria translatione non agit martyrologus Gallus, ut asserit Bailletus. Gloriæ posthumæ* § 16 *num.* 197 *dedi ex Miraculis S. Germani episcopi Autissiodorensis relationem translationis reliquiarum* S. Mauritii *Agauno Autissiodorum. Ibi legitur, caput* S. Innocentii *sacris aliis exuviis additum fuisse. In Vita S. Pusinnæ in Opere nostro illustrata ad diem* XXIII *Aprilis fertur Hilduinus, abbas S. Dionysii Parisiensis, corpus* S. Innocentii *obtinuisse pro suo monasterio: at phrasis satis ambiguum reddit, an non asseratur ex Hispania cum reliquiis S. Cucufatis obtentum, de quo paulo infra. Quod si ex Burgundia illuc translatum asseritur, non multum fidei meretur testimonium, cum tota illa historia translationis S. Pusinnæ valde suspecta sit, ut ibidem observavit Papebrochius, et asserta sint melioribus monumentis sancti Martyris nostri cimelia ecclesiis aliis, atque, ut jam sæpe monui, tot Martyrum coacervata Agauni sacra ossa ansam præbere debuerint* F *multiplicandis, quæ maxime desiderabantur, nominatorum dignitateque in sancta Legione præminentium Athletarum reliquiis. In Prætermissis ad diem* XV *Septembris observatum est, nuntiari eo die* S. Innocentium *martyrem in Martyrologio Mediolanensi, et huc rejectum de illo examen. En verba Martyrologii:* Canturii S. Innocentii martyris ex gloriosa Legione beatorum Militum Thebæorum, cujus corpus ibidem digno honore servatur. *Est Canturium, indigenis* Cantu, *pagus in septemtrionali ducatus Mediolanensis limite, quo Comense territorium attingit.*

in locis aliis

51 *Morigius in Sanctuario pag.* 227 *ejusdem* S. Innocentii *etiam meminit inter sacras exuvias Canturienses, scribens Italice:* In ecclesia S. Jacobi præfati pagi honoratur corpus S. Innocentii martyris, unius ex primariis Ducibus Legionis S. Mauritii. *Baldesanus in laudata sæpe Historia Thebæa pluribus de illo agit lib.* 2 *pag.* 252 *et seq. Juverit ejus verba Latine reddidisse.* Inter illos (*Martyres Thebæos, quorum specialem notitiam in prima editione se non dedisse, præmiserat*) primus est Innocentius Thebæus, qui anno millesimo quingentesimo

AUCTORE J. C.

A tesimo octogesimo quarto, in ecclesia S. Jacobi in Cantu, burgo districtus Mediolanensis, inventus fuit a domino Moneta et reverendo patre Paralasca vicario rurali parœciæ Galiano, a Cardinale Borromeo beatæ memoriæ constitutis visitatoribus. Quare jubentes in visitatione aperiri sepulcrum, quod erat pone altare princeps ejusdem ecclesiæ, in eo repererunt caput et magnam partem ossium istius Sancti in involucro panni linei, et in sepulcri parte anteriori versus altare princeps spectabatur effigies Sancti depicta, cum litteris antiquis in corona exprimentibus nomen martyris Innocentii, et asserentibus, quod esset ex sancta Thebæorum Legione. Confirmantur hæc ex antiquo Martyrologio conventus S. Francisci Mediolanensis sequentibus verbis : IN PAGO MEDIOLANENSI, IN BURGO CANTURII, CELEBRATIO S. INNOCENTII MARTYRIS DE SOCIETATE THEBÆORUM. HIC JACET IN ECCLESIA S. JACOBI. HIC DE THEBÆORUM COLLEGIO EXTITIT TRIUMPHATOR MAGNIFICUS, MERITO MAGNIFICIS LAUDIBUS CELEBRANDUS, quæ verba ostendunt, illustre fuisse ejus martyrium.

satis dubiæ

52 Hoc igitur, velut magno thesauro invento, incolæ Canturienses festum diem fecerunt, et cum B debita reverentia rursus clausum est sepulcrum, et deinceps multum a populo frequentatum. Celebratur festum ejusdem sancti Martyris XV Septembris, ut legitur in præfato Martyrologio. *Idne inventione antiquius sit, et quanto tempore, non edicit Baldesanus, satis passim liberalis in antiquitate suorum monumentorum exaggeranda, nec magis parcus in partibus reliquiarum totius nomine appellandis, ut in Gloria posthuma non semel monui. Qui hic asserit,* caput *et* bonam partem *ossium sacrorum in sepulcro reperta fuisse, ægre ferre non poterit, si capitis partem, ossium portionem non magnam, credamus inventa fuisse* : *maxime, cum ita magis verisimile fiat, particulas illas esse de celebri inter Thebæos Martyres* Innocentio; *ubi contra, si caput integrum et corporis magnam portionem Canturiensibus vendicare voluerit, cogetur fateri, alterius Martyris ea ossa esse, et ex scriptura, forte rursus non valde antiqua, difficilius evincere poterit, eumdem ex* S. Mauritii *Sodalitio fuisse. Diem autem* XV *Septembris, quare specialiter sancto Martyri festum habeant Canturienses, non est tutum divinare : at si illo die inventæ fuerunt a visitatoribus sacræ exuviæ, ve*C*rendum est, ut Martyrologium PP. Franciscanorum Mediolanensium, sit valde antiquum. Citatur in Notis ad Martyrologium Mediolanense Petri Bosca Carolus a Basilica Petri, apud quem nihil de hac re inveni, et Index reliquiarum Ms. Galuanei Flammæ servatus in bibliotheca Ambrosiana, qui antiquior est, et seculi* 14 *vel præcedentis, sed quem consulere non licuit. Inter reliquias, quæ Faventiam anno* 1641 *translatæ fuerunt, etiam numerantur partes de* SS. Innocentio *et* Vitale, *ut inter Prætermissos ad diem* VIII *Septembris in Opere nostro notatum est.*

§ VI. S. Vitalis, qui in Fastis antiquis passim nominari solet post S. Innocentium, cultus et reliquiæ.

Sancti apud martyrologos memoria,

Inter auctaria Hieronymiana non pauca sunt, quæ S. Vitalis *nomen celebratissimorum Legionis Thebææ antesignanorum nominibus subjectum habent, passimque cum* S. Innocentii *speciali mentione conjunctum. Florentinii exempla primaria ita nuntiant* : In Gallia civitate Seduni natalis SS. Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocenti, Vitalis cum Sociis suis V millium DLXXXV Martyres. *Conveniunt apographa fere reliqua, nisi quod in numero dissonent, ut jam observavi Commentarii prævii* § 2 *num.* 32 *et seq. Credibile est Socios, qui SS. Urso et Victori, martyribus Thebæis Solodori passis, adjuncti fuisse feruntur, numero rotundo Legionis, quem S. Eucherius assignavit, ac deinde alios pro regione, ubi in usu fuerunt ea Martyrologia et Thebæi aliqui Martyres vel cæsi vel quiescere dicebantur, annumeratos fuisse. Observavi etiam, nulla ex Hieronymianis hic pura esse posse, cum* SS. Innocentius *et* Vitalis *Eucherio incogniti, pariter ipsum latere debuerint.* S. Vitalem *etiam nuntiarunt Ado et Usuardus, ignorasse videntur Beda, Rabanus et Notkerus. Ejus meminit codex Ratoldi apud Menardum ad Sacramentarium Gregorii pag.* 180. *Quandonam sacræ ejus exuviæ repertæ fuerint, non est minus difficile dicere, quam certum tempus assignare primæ translationi* S. Innocentii. *Cum hujus sacris exuviis translatum credi a S. Annone caput* S. Vitalis, E *superiori* § *monuimus; aliæ alibi sparsæ creduntur ejus reliquiæ, sed quæ iterum ob multos synonymos Martyres satis incertæ sunt.*

sacra cimelia.

54 *S. Laurentii celeberrimum apud Leodium Ordinis S. Benedicti cœnobium in thesauro suo sacro numerat corpus integrum* S. Vitalis *martyris Thebæi : at is fuit S. Gereonis socius, ut docet Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 273. *Sacellum castri Insulensis partem capitis* S. Vitalis, *cui sacrum est, servat, ut idem asserit pag.* 539. *Gelenius libro de Magnitudine Coloniæ Agripinensis præter corpus S. Vitalis, patris SS. Gervasii et Protasii, de quo ad diem* XXVIII *Aprilis, sancti alicujus Vitalis reliquias recenset inter Colonienses : nimirum pag.* 264 *in thesauro ad S. Gereonem;* 402 *in ecclesia S. Albani;* 456 *in Cartusia;* 579 *in ecclesia S. Bonifacii;* 584 *in monasterio S. Vincentii; quæ omnes, an de Sancto nostro sint, valde dubium est. Nec alibi reperio certius aliquid de ejus corpore vel speciali cultu. Odericus Vitalis Benedictinus Uticensis, seu S. Ebrulphi in Normannia monachus, auctorque celebris seculi* XII, *lib.* 13 *Historiæ ecclesiasticæ sub finem, postquam dixerat, quomodo in Gallias ex Anglia venisset, scribit :* Nomenque Vitalis, pro Anglico nomine, quod Nortmannis absonum censeF batur, mihi impositum est, quod ab uno Sodalium S. Mauritii martyris, cujus tunc martyrium celebrabatur, mutuatum est. *Unde colligas, celebre tum temporis fuisse hujus Sancti nomen, de quo, quod ulterius observem, nihil habeo.*



§ VII.

AUCTORE J. C.

§ VII. Plerique Sancti sequentes non indubie pro Thebæis videntur haberi posse. SS. Abundius, Longinus, Asterius, Cæsarius, Maurus, Demetrius in cœnobio de Caramania; Albanus, Jorius et Gilius in Pedemontio; Alexander et Tiburtius Besutii culti. Edita a R. D. Gratiolio lucubratio, qua impugnamur.

Satis dubium est, an plerique, qui posterius

In hac de Thebæis Martyribus materia duo sunt incerta et peculiariter advertenda. Alterum est, quod Thebæis annumerentur, alterum quod speciali nomine colantur. Ad ultimum hoc pertinet, B *quod jam non semel superius innui, nimirum valde verisimile esse, quod plerisque, si non omnibus, sacris eorum exuviis arbitrarie nomina imposita fuisse videantur. Vetustissima traditio antiquis monumentis fulta asserit, sanctorum Martyrum, in Passione ab Eucherio nominatorum, corpora S. Theodoro episcopo revelata et in basilicam translata fuisse, quæ revelatio (nisi forte testimonia in tumulis adjecta inventa fuerint) debuit inde profecta fuisse, de cujus fide dubitari non possit, ut certum habeatur, eorum distincte fuisse reperta corpora, et non aliorum consepultorum Sociorum. Oportet simile quid in inventione* SS. Innocentii *et* Vitalis *acciderit, ne baptizatos, ut aiunt, fuisse suspicemur. Atque tanta cautela si in his locum habere possit, multo sane magis illam exigunt, sequentium Sanctorum historiæ, quæ fere omnes recentiores multo sunt, nec suffragantia, præter traditiones populares recentes, habent antiqua testimonia, ex quibus natæ censeri possint.*

pro S. Mauritii sociis haberi cœperunt, Thebæi Martyres sint.

56 *Accedit hisce difficultas altera, quare Thebæi Milites, imo inter illos dignitate militari præstantes passim asserantur, quæ, ut forte nulla pro prima parte in iis, quorum sacra corpora Agauni, in cujus vicinia cæsa est sancta Legio, ubique Martyres consepulti fuerunt, accepta sunt, ita est non levis circa Martyres, qui a reliqua Legione separati in diversis regionibus passi feruntur, idque a scriptoribus tantum, qui fere mille annos, et aliqui ultra, post eorum cædem vixerunt. Circa hoc, candide fateor, suspicari me, plurimos, qui hodie pro Thebæis habentur, numquam ex* S. Mauritii *Societate fuisse. Argumentum, quo suspicio nititur, negativum est, quam proinde extendo ad omnes illos, de quibus silet antiquitas, quique a paucis tantum seculis noti esse atque recentibus Actis celebrari cœperunt. Credo, inquam, repertis cum aliquo martyrii indicio sacris exuviis et nomina et Thebæorum plerisque appellationem accessisse. Sane in Gloria Posthuma vidimus, sacra aliqua corpora ex Romanis cœmeteriis eruta pro reliquiis Thebæorum Martyrum haberi : et multo magis pronum fuit, simile quid contingere sacris ossibus anonymorum Martyrum, quæ eo tempore, quo maxime celebrabantur Thebæi, detecta sunt, iis forte locis, quibus jam olim ob alias rationes inchoatus fuerat Agaunensium Heroum cultus, vel quibus* D *vicinia hujus palæstræ aliqualem verisimilitudinem ansamque conjectandi subministrabat. Luculentum sane exemplum habemus in sacris pignoribus Schozii in Helvetia repertis, de quibus plura diximus gloriæ posthumæ* § 5.

SS. Abundius cum Sociis in abbatia de Caramania,

57 *Igitur, ut ne de singulis, qui jam se offerent, id indagare eademque centies repetere cogar, in limine hic profiteor, dubitare me de nomine, et passim etiam de loco, quem illis recentiores aliqui inter Thebæos nostros concedunt. Nunc de singulis, quos obvios habuero, et de quibus speciatim aliquid dici potest, ordine alphabetico nominum eorum, qui inter Socios, ut primi celebrantur, agam, alios, quorum cultus alibi in Opere nostro illustratus vel illustrandus fuerit, propter specialem ad diem alium in sacris Fastis mentionem, solum assignabo. Primus apud Baldesanum sæpe memoratum occurrit* Abundius, *cujus meminit pag.* 374 *cum sociis* Longino, Asterio, Cæsario, Mauro *et* Demetrio. *Horum sacra lipsana ait, concessa fuisse monasterio de Caramania, sito in diœcesi Taurinensi in conterminis Asterii comitatus et Pedemontii, a fundatoribus Manfredo Segusii marchione et Bertha ejus uxore, haberique pro Thebæis Martyribus, cum* SS. Constantio, E Valeriano *aliisque, in Cottiis Maritimisque Alpibus laurea coronatis. Quid de illis censere debeant prudentes, ex ipsis Baldesani verbis perspicuum fiet. Ait autem :* Quamvis in Fundationis instrumento expresse non dicantur fuisse Thebæi, tamen hodiedum pro talibus habentur.

Albanus, Jorius et Gilius in Pedemontio, Alexander Bergomi,

58 *Prætereo S. Adventorem, specialiter Taurini cultum cum sociis Solutore et Octavio, quorum est mentio in Romano Martyrologio die* XX *Novembris : succedat ex eodem Baldesano* Albanus *cum commilitonibus* Jorio *et* Gilio, Egidio, *vel, ut volunt alii,* Lilio, *quos pag.* 372 *ait, nomina dedisse tribus pagis seu castris in Pedemontio, quorum duo sint in valle Segusina prope speluncam, ubi passus est* S. Valerianus, *tertium, a* S. Albano *nominatum, ad radicem Alpium Maritimarum, haud procul ab urbe Fossanensi. De* S. Valeriano *agemus infra; sufficiat hic advertisse, Baldesanum crude asserere, pro ejus Sociis haberi posteriores duos, nam* S. Albanum *commilitonem tribuit* SS. Constantio, Alverio, Sebastiano *et* Magno. *in Alpibus Cottiis coronatis, de quibus etiam postea recurret sermo.* SS. Alexandri, *ut ex Thebæa Legione martyres,* F *plures coluntur. Celebris est et antiquus cultus* S. Alexandri *Bergomensis, cujus Acta die* XXVI *Augusti illustrata sunt, et de quo mox plura. In ejusdem Passione secundo loco edita num.* 4 *Socii occurrunt quatuor, nimirum* Cassius, Severus *seu* Severinus, Secundus *et* Licinius, *de quibus apud nos cum Martyrologio Romano, ubi Novocomi passi nuntiantur, actum est* VII *Augusti.*

ejus Socii Novocomi, Alexander alius cum Tiburtio

59 *Ex citata qualicumque Passione non tam liquet, illos* S. Mauritii *Commilitones, quam eodem cum* S. Alexandro *carcere Mediolani conclusos fuisse : Comenses tamen scriptores aliqui et cum illis nonnulli alii, id passim affirmant, quorum opinionem avide arripuit Baldesanus, nunc vicissim inter primos pro illa opinione auctores allegatus ab Aloysio de Tattis in Martyrologio Comensi, ubi is rotunde asserit, non probat, ex Thebæa Legione Martyres fuisse. De illis multa scribit Baldesanus lib.* I *pag.* 131 *et seqq., at fere ex secundis illis Actis, quæ vereor ut antiqua sint, desumpta. Pagina* 138 *illorum martyrium superaddit, quod nescio unde hauserit. Ait autem, a Maximiani lictoribus comprehensos fuisse in Sylvula prope Novocomum,*

quo

A *quo Mediolanensi carcere elapsi properabant, fustibus verberatos, ungulis ferreis toto corpore laceratos, ac demum capite truncatos fuisse; quæ omnia, ut abunde ad diem* VII *Augusti, quo Comi coluntur, edixit Sollerius noster, nova sunt, vel saltem valde incerta. Alius est* S. Alexander, *quem cum* Tiburtio *socio idem Baldesanus tradit passum esse in diœcesi Mediolanensi; nimirum Besutii, ubi eornm corpora reperta sunt. De his ita Martyrologium Mediolanense* : Besutii SS. Alexandri et Tiburtii, martyrum itidem Thebæorum. *Petrus Paulus Bosca pro hisce solum Baldesanum allegat. Hunc igitur rursus audiamus pag.* 254 *de inventione eorum scribentem; quæ enim alibi sparsa habet, hac fere nituntur.*

Besutii in diœcesi Mediolanensi pro Thebæis Martyribus habiti. Gratiolii lucubratio

60 *Sic loquitur* : Duo alii Thebæi inventi sunt in eadem diœcesi Mediolanensi in territorio Besutiensi et in altari principe ecclesiæ parochialis; nimirum alius Alexander cum socio Tiburtio. Ut autem Taurinenses ex tribus ibi coronatis martyrio præcipue nominant Solutorem, ita Besutienses speciatim nominant suum Alexandrum, diversum proinde a Bergomensi, B ut colligitur ex inventione reliquiarum duorum Martyrum prædictorum Besutii, quæ pariter contigit sub B. Carolo Borromeo, et is declaravit, quod non esset Alexander Bergomensis. *Idemne prudentissimus sanctus præsul declaraverit, Thebæorum Martyrum repertas exuvias esse, incompertum habeo : ut contrarium suspicer, facit hujus auctoris silentium, soliti nihil omittere, quod Historiæ suæ utile reperit. Perduxeram fere ad finem, quæ de Sanctorum Thebæorum Martyrum historia cultuque illustranda suscepi, cum casu in manus meas incidit libellus Bononiæ editus anno* 1746, *auctore D. Petro Gratiolio Bononiensi Congregationis S. Pauli, vulgo Barnabitarum, Cler. Reg. Libello titulus est :* S. Alexander e Thebeana Legione martyr, Bergomensium tutor, secundis curis illustratus. *Ejus edendi occasionem finemque exponit eruditissimus auctor in Prologo ad reverendissimum abbatem Joannem Chrysostomum Trombellium, cui suum Commentarium dedicat. Habe illa lector paucis.*

de Actis S. Alexandri, quaoccasione

61 *In lucem emiserat vir eruditus undecim ante annis* S. Alexandri *Acta, Notisque illustraverat, spe fretus, ut humanissime significat, fore ut nostrum de illis judicium ad diem* XXVI *Augusti di-* C *ceremus. Verum secus accidit; præfata enim lucubratio, ad manus nostras non pervenerat, imo nobis non innotuerat anno* 1740, *quo in Opere nostro* S. Alexandri *Acta, quæ nacti fueramus, a Stiltingo discussa sunt. Queri hoc videtur vir humanissimus; et vero pariter dolemus, frequentius contingere, maxime si levioris molis Opuscula sunt et recentia, ut ad nos ne eorum quidem nomina pertingant. At quicumque Operis nostri institutum penitius inspexerit, fatebitur facile, quantacumque etiam adhibita diligentia, præcaveri non posse querelas similes; cum impossibile videatur, ita ubique invigilare, tot Argos habere per totam Europam, imo orbem fere universum dispersos, ut mox, quæ eduntur ad privatas ecclesias earumque patronos particulares spectantia monumenta adhuc a prelo sudantia ad nos transmittantur. Sæpius protestati sumus, et, oblata occasione, protestamur indies, gratum nobis accidere, quando vel auctorum ipsorum vel aliorum litteris monemur, ut saltem in lucubrationes illas inquirere possimus.*

adversus nos edita.

62 *Centies etiam gratam in Opere nostro memoriam rependimus munificentiæ eorum, qui fœtus suos nobis submiserunt, conquesti tamen interdum etiam de incauta aliorum benevolentia, qui missis per cursores regios Opusculis non levibus, enormi nos gravant portoriorum onere, dum, si de proposito moniti fuissemus, data opportunitate levioribus impensis ad nos perferri potuissent. Atque hac oblata occasione dicta sunto, ne quis nos in eo genere vel tantillum incurios, queratur : ad Gratiolium revertamur, cujus si sunt querelæ, sunt sane amicissimæ, prout et cetera, quæ de nobis scribit, humanissima. Subjungit, silentium nostrum sibi aliunde non ingratum accidisse* : Nam, *inquit,* cum Bollandianas in S. Alexandrum lucubrationes curiosius exquisivissem attenteque perlegissem, nihil vero de meis dictum offendissem, easdem ipse meas opiniones paullo diligentius considerandas et ad severiorem normam, ex iis etiam, quæ in eorum Commentariis perlegeram, exigendas suscepi. *Propugnat deinde quibus potest argumentis Actorum Bergomensium auctoritatem, contenditque, perperam illa Mombritianis postposita et ut interpolata neglecta a nobis fuisse. Ne debita nostra omnia posteris, qui Operis supplemento allaboraturi sunt, relinquamus, juverit hic data opportunitate, laudatæ lucubrationis ulteriorem rationem reddere, et Stiltingi sententiam ulterius confirmare, quod* 2 *sequentibus* §§ *præsto.* E

§ VIII. Examinatur Gratiolii critica circa Passionem Bergomensem S. Alexandri, quæ in Opere nostro, ut interpolata, neglecta fuit.

Exponitur nostra de Actis illis censura

L*ætus perlegi Commentarii Gratiolani caput* I, *cum vidi virum eruditissimum eam opinionem propugnantem de tempore martyrii Thebæorum, quam ego Commentarii prævii* § 12 *fassus sum, esse mihi longe probabilissimam; Martyres scilicet illos coronatos esse inter annum* 303 *et* 305, *quo tempore grassata est atrocissima et universalis in Christianos sub Diocletiano et Maximiano persecutio. Gratiolus alia nonnihil via ad illam stabiliendam procedit, suntque apud ipsum aliqua, quæ si tum vidissem, usui fuissent; at illa hic extra ordinem producere, nihil attinet, et aliunde rationes quas allegavi, pergunt mihi satis firmæ* F *videri, ut ne extemporaneo subsidio egeant. Igitur ad* S. Alexandrum *progrediamur. Paucis verbis referamus Stiltingi de Actis, quæ acceperat, judicium ex Commentario prævio* § I *num.* 2 *et* 3. *Passionem quæ a Mombritio edita est tom.* I *pag.* 24, *agnoscit ut omnium simplicissimam et verisimiliter primariam : secundo loco ipsi sunt Acta, quorum* 3 *habemus apographa, et inter hæc Barberinianum, cum quo convenit Bergomense ex S. Gratæ codice Ms. a Guerrino submissum. Hæc coaluisse ex Mombritianis suspicatur Stiltingus, quia adjecta leguntur adjuncta aliqua locorum, quibus res gestæ sunt et similia, quæ apud Mombritium non sunt expressa. Passionem tamen hanc præ Mombritiana edere voluit, quia plenior visa est et nondum tunc edita fuerat. Tertia Acta (de quibus scilicet hic lis est) desumpta sunt ex Lectionario antiquo ecclesiæ cathedralis Bergomensis, præcedentibus adhuc non parum auctiora; sub initium maxime et finem, ubi judicat Stiltingus, aliqua narrari modo parum verisimili et ex fama forte populari profecta. Censuræ hujus specimen dedit, dum Passionis hujus partes aliquas secundo loco excudit, quas adjectas postea fuisse censebat,*

AUCTORE J. C.

censebat, ut loco citato, tomo nimirum v *Augusti pag.* 798 *et seqq. videre licet.*

et diversum de illis Gratiolii judicium.

64 *De postremis hisce Actis Bergomensibus versatur quæstio; hæc enim defendenda suscipit cap.* 2 *laudatus Gratiolius contendens, ex ipsis nostris verbis sequi, quod hæc Bergomensia alteris primo loco ex Ms. Cardinalis Barberini editis ceterisque apographis, cum quibus collata fuere, præferenda sint. Imo longius progressus suadere nititur, eadem esse digniora et antiquiora Mombritianis; hunc enim ait ab Actis primigeniis, suis nimirum Bergomensibus, præcidisse, quæ contra nos posterius adjecta fuisse conjectaveramus. Audiamus, quomodo id præstet vir humanissimus. In corpore laudati Capitis duo mox statuit.* 1, *cum in omnibus exemplaribus res eædem, verbis licet diversis, tradantur, videri ex uno eodemque exemplari desumpta primitus omnia, sic, ut diversi ingenii scriptores diversimode eadem, pressius alii, alii latius exposuerint.* 2. *Asserit, Passionem, descriptam ex Legendario ecclesiæ cathedralis Bergomensis, demptis paucissimis, et verbo et sensu cum Mombritianis convenire, ubi contra ab his fere integra verbis dissonant cetera, quæ nos primo loco dedimus.* B *Atque inde numero 3 deducere videtur, sua nobis pretiosiora esse debuisse, cum magis sint conformia Mombritianis, pro quibus, ut sincerioribus et magis puris, calculum Stiltingus dederat. De primo asserto non disceptabimus, si tantum velit Gratiolius, ad eamdem originem reduci Acta omnia debere; id enim loco citato satis clare edixit Stiltingus. Quod si ulterius, ut facere videtur, contendat, non ex alteris altera, sed ex primariis singula immediate processisse, id sane controverti posset, et infra liquebit, a nobis primo loco edita Barberiniana, non ex Bergomensibus, quæ utique in ejus sententia sunt primigenia, sed ex Mombritianis desumpta et aucta esse.*

Acta Bergomensia locis aliquibus

65 *Assertum secundum examinemus. Passio ex Ms. Cardinalis Barberini excusa magis verbis differt ab editis per Mombritium Actis, quam* S. Alexandri *Martyrium, quod reperitur in codice ecclesiæ Bergomensis? Diffiteri non possum. Barberiniana (sic distinctionis et brevitatis ergo appellare pergam Acta, quæ apud nos primo loco edita sunt) ubi cum Mombritianis fluere incipiunt, non nihil verbis ornatiora sunt, quam sint iisdem* C *locis Bergomensia. Certe legentibus in oculos incurrit, illorum scriptorem periodos aliquas reformasse, combinasse sensus, phrasim limasse, ubi Bergomensium auctor eadem fere omnia etiam verba habet, quæ apud Mombritium leguntur. Demus lectori specimen, sine delectu ab ipso mox initio desumptum. Sic edidit Mombritius.* Facto Alexandro Christiano sub Maximiano cæsare : audiens hoc Maximianus post dies quindecim accersivit eum, dixitque ei : Ob nullam aliam causam vocavi te, nisi ut sacrifices. Comperimus te derelinquentem deos nostros; Christianum te esse effectum. Et hæc dicens petiit sibi mensam. Quaque apposita linteaminibus cohoperta, ait ad Alexandrum : Accede nunc, et sacrifica. S. Alexander confirmatus in gratia Dei respondit ad eum : Quare hæc facis, cæsar Maximiane? Magnam tirannidem exerces : et quidem ego vereri te possum ut regem, verumtamen ut Deum amare non possum. Et Cæsar ad eum dixit : Jubeo te mori, nisi sacrificaveris. S. Alexander respondit : Si mors mihi fuerit a te illata, vita est apud Deum, nam ab hoc sæculo recedendum est : major vita est, ad quam accedam, et regem sæculorum justissimum creatorem nostrum atque nostrum Deum possideam. In cujus responsione admiratus cæsar jussit eum sisti, et suasoriis D quidem verbis persuadebat ei, dicens : Etsi excusas sacrificare Alexander, vel sacrificantibus consenti et eisdem copulare.

cum Passione Mombritii magis quidem verbis consonant

66 *Barberini codex cum reliquis, quos contulimus, post prologum et aliqua de edicto contra Christianos præmisso, ita habet.* Factum est autem in illis diebus, quibus hæc crudelis est promulgata sententia, ut B. Alexander Christi præventus gratia constanter fidem Domini cum sacræ regenerationis unda susciperet. Quod Maximianus audiens post dies ferme quindecim, missis apparitoribus suis, eum aspectibus præcipitanter jussit assisti : quem ita crudeli vesania affatus est, dicens : Pro nulla alia re te accersiri præcepi, nisi ut, quos reliqueras, diis sacrificium ponas. Comperi enim te dereliquisse deos Christianumque esse effectum. Et hæc dicens petit sibi mensam apponi linteaminibus coopertam. Et ait ad B. Alexandrum : Accede nunc et sacrifica, si de contemptu deorum vis lucrari pœnas. Sanctus vero Alexander divino firmatus spiritu ait : Quare hoc nefandum proponis, Maximiane, præceptum? Magnam siquidem vis exercere tirannidem : et quidem vereri te possum utpote regem, verumtamen ut Deum amare nequeo. At cæsar dixit ad eum : Jubeo te mori, E nisi sacrificaveris diis. Sanctus vero Alexander respondit : Mors mihi a te illata, vita est apud Deum : nam ab hoc sæculo recedens veram inter angelos vitam percipiam et regem justissimum creatorem nostrum ac vestrum possidebo. In cujus responsione admiratus cæsar, jussit eum sisti, et suasoriis quidem verbis suadebat ei, dicens : Etsi excusas sacrificare, Alexander, vel sacrificantibus consenti eisdemque copulare. *Hæc sufficiant, ut, quod superius dixi, luculentum fiat. Conferantur nunc eadem ex codice Bergomensi, eritque non minus lectori perspicua pars altera asserti. Sic habet.* Tunc ipso temporis articulo Maximianus mentis vesania captus suos commilitones diversis mittens in partibus, jussit, ut si Christi futuros martyres invenire possent, ad eum celerius perducerent.

quam Barberiniana : sed perperam hinc deducitur

67 Ipsi vero proficiscentes, invento Alexandro, ad Mediolanensis urbis mœnia eum reduxerunt atque nequissimo Maximiano repræsentaverunt. Tunc Maximianus *(hic omissa est vox; forte* Jussit, *ut habemus in alio apographo ex altero codice monasterii S. Gratæ)* dicens : Sacrifica diis F immortalibus, si vis noster esse amicus : ob nullam quoque aliam causam vocavi te, nisi ut sacrifices. Comperi enim te derelinquentem deos nostros Christianumque esse effectum. Et hæc dicens, jussit sibi apponi mensam sacrificii. Cumque apposita fuisset linteaminibus cooperta, ait ad B. Alexandrum : Accede nunc et sacrifica. S. Alexander confirmatus in gratia Dei respondens dixit ad eum. Cur * hoc facis cæsar Maximiane? Magnam tirannidem exercere cupis. Et quidem ego vereri te possum ut regem terrenum, verumtamen ut Deum amare non possum. Cæsar ad eum : Jubeo te mori, nisi sacrificaveris. Sanctus vero Alexander divino flamine plenus constanter inquit ad eum : Mors mihi a te illata, vita est apud Deum. Nam ab hoc sæculo recedendo major vita est, ad quam accedam et in qua Regem sæculorum justissimum creatorem nostrum atque vestrum possideam. Inaudita * responsione admiratus cæsar, jussit eum sisti, et suasoriis quidem verbis persuadebat ei, dicens : Etsi excusas, inquit, sacrificare Alexander, vel sacrificantibus consentias * et eisdem copulare. *Gratiolus pro* Quare, *edidit* Cur; *pro* In cujus inaudita;

* *apog. nostrum* Quare

* *nostrum* in cujus

* *nostrum* consenti

AUCTORE J. C.

A dita, *pro* Consenti, consentias, *secus ac habet apographum nostrum ex eodem Lectionario exscriptum et testimoniis authenticis munitum; quod nolo, ut ejus meamque et omnium, qui contulerint, opinionem confirmem; variantia enim hæc, cum apographo nostro habet Mombritius, sicque eo loco Bergomensia Acta minus etiam verbis ab hisce dissonant.*

esse hisce præferenda.

68 *Maneat igitur assertum hoc sensu fixum, de quo utrimque convenimus. Dico* hoc sensu, *nam nescio, an de Bergomensibus ita sine limitatione dici possit,* Alterum notatu dignum accedit; Nulla cum Mombritii Actis tam cohærere, quam hæc *(Bergomensia),* de quorum integra fide Bollandiani suspicantur, *quæ sunt Gratiolii verba; unde aliquis facile conjectaret, et non invito quidem, quantum videtur, Gratiolio, tota quanta sunt ita cum Mombritianis consonare, quod, cum Bergomensis Passio sit facile duplo auctior, factaque ibi narrentur, quorum nullum est in Mombritiana Passione vestigium, asseri neutiquam potest. Nihilo magis suaderi potest, hoc titulo, quod in Actis Bergomensibus pars aliqua sit magis consonans cum Mombritianis, hæc nobis pretiosiora esse* B *debuisse, quam Barberiniana, quæ magis verbis dissonant. Certe si criticis hæc proponatur quæstio; Utra majori in pretio habenda sint Acta, an quæ solis verbis differunt ab iis, quæ primaria putantur; an quæ pro aliquia parte verbis, cum eisdem conveniunt quidem, sed adjuncta inspersaque facta habent, quæ ab aliis absunt? non dubito, quin critici sensati sententiæ Stiltingi sine hæsitatione subscripturi sint, eaque ceteris prælaturi, quæ verbis, non factis differunt. Neque in eo, opinor, dissentiret Gratiolius, nisi arbitraretur, quæ in Passione sua adjuncta habentur, primigenia esse, de qua ejus opinione, Stiltingi assertis contraria, nunc agendum.*

§ IX. Ostenditur, neutiquam esse verisimile, quod Mombritius Passionem S. Alexandri excerpserit ex Actis auctioribus Bergomensibus, indeque præciderit, quæ nos merito diximus postea superaddita fuisse, in iisque C aliqua modo parum verisimili narrari.

Acta breviora, nisi aliunde de contrario constet, passim a criticis habentur antiquiora

Est communis pene inter criticos Regula, Acta breviora, nisi aliunde constet, a quopiam contracta fuisse, vel nimis aperte fabulas prodant, auctoribus antiquitate auctoritateque præstare. Regulæ fundamentum est, eruditorum experientia. Passiones, quæ certas epochas et indubitatas antiquitatis notas habent, fere omnes nudas et perbreves reperiunt, ubi contra illas, quæ aliquorum scriptorum posteriorum manus subierunt, auctas inveniunt et ornatas. Rara sunt particularium ecclesiarum monumenta de Sanctis patronis suis, quæ eorum Actis non aliquid ad splendorem inspersa habeant. Id nos experimur indies, et millies monere cogimur, tantum valere apud plerosque amorem commendandæ patriæ. Novimus etiam, et vel ex hujus Appendicis loco non uno luculentum fit, quam facile traditiunculæ nascantur, quam cito senescant, quamque avide a scriptoribus adoptentur; unde mox suspecta criticis prudentibus esse solent, quæ hujusmodi adferuntur in defensionem similium monumentorum. Ab omnibus his Passionem Bergomensem tueri deberet Gratiolius, antequam contra mitem Stiltingi de ea censuram aliquid evinceret. Cumque id minime præstet, videri posset nihil fecisse, possemusque tuto ad ejus vindicias silere. Cum tamen tam amice humaniterque scriptæ sint, lubuit eas singulatim excutere nostramque latius crisim confirmare.

Credibile non est, Adonem ex Actis Bergomensibus

70 *Imprimis certum videtur, Adonem in texendo* S. Alexandri *ad diem* XXVI *Augusti elogio, non Bergomensia Acta, aut illis similia, sed qualia a Mombritio deinde edita sunt, præ oculis habuisse. Hinc statim certi reddimur, Acta prout edidit Mombritius, diu ante ejus ætatem exstitisse, et simul nascitur conjectura probabilissima, Gratiolii assertis e diametro opposita. Audiamus Adonem. Sic elogium suum orditur:* Apud urbem Italiæ, quæ Bergamis dicitur, natalis S. Alexandri martyris, sub Maximiano cæsare, qui cum esset miles unus ex Legione Thebæorum, Christianus factus est. Audiens hoc Maximianus post dies quindecim mittens accersivit eum, dicens ei: Pro nulla E re alia evocavi te, nisi ut sacrifices. *Fluunt deinde reliqua fere ut apud Mombritium, præcisis tamen colloquiis aliquod et longa* Alexandri *adspiratione ad Deum, omniaque narrantur pariter ut eodem loco peracta, et nulla est usquam mentio Sociorum ejus, fugæ et itineris, quorum vicissim non meminit Mombritius, quorumque tamen uterque meminisse debuisset, si Acta illa Bergomensia vidisset. Et vero, credemusne Adonem, si, quæ in Passione Bergomensi præcedunt longo halitu, de* S. Alexandri *ærumnis in carcere toleratis, de mortuo ad vitam per illum revocato, vidisset, nullo verbo mentionem eorum facturum fuisse, sed, hisce et aliis prætermissis, confusionem in suum elogium inducturum fuisse? Nemo, qui Adonem novit; facile id suspicabitur. Deinde, unde hausisset Ado, nisi ex Passione simili Mombritianæ,* S. Alexandrum *in Italia primum fidem amplexum esse, et quindecim diebus post ad tyrannum fuisse pertractum. Non id in Passione Bergomensi, neque alibi, opinor, legerat; assertumne hoc peculiare Adonis inventioni adscribemus, cum non minima etiam ignominia tanti scriptoris, quem erroris arguere debebimus, cum ex aliis ejus Thebæorum Martyrum elogiis, convincatur novisse, Mauritianam Legionem, antequam in Italiam advenisset, sancta* F *fide imbutam fuisse. Tutius, ni fallor, erit, asserere, peculiare id factum de* S. Alexandro *a sancto antistite in ejusdem Passione inventum fuisse, quam affirmare, id ab eo sine ulla ratione fuisse excogitatum.*

S. Alexandri elogium, Mombritium ex utrisque

71 *Accedat aliud insuper, unde liqueat, incognitas Adoni fuisse Bergomensium Actorum additiones. In illis occurrunt martyres Cassius, Severus seu Severinus, Secundus, Licinius, Carpoforus, Exantus et Fidelis. Tantum autem abest, ut quæ de illis hic legisse debuisset, in suum Martyrologium transtulerit Ado; ut ne nuda quidem ipsorum nomina ibi usquam compareant. Credant igitur, qui voluerint, Passionem Bergomensem ab Adone visam et contractam fuisse: ad Mombritium transeamus. Nihilo magis verisimile est, et hunc Acta Bergomensia breviasse. Et primo quidem, qui Mombritio examinando assuetus est, novitque, alibi eum similia non facere, probare deberet, quod illud hic specialim præstiterit, nec sufficiet ostendisse, cum aliqua verisimilitudine*

AUCTORE J. C.

militudine id ab eo fieri potuisse, ut factum fuisse persuadeatur. Esto, ut conjectat Gratiolius, ea præcidere potuerit Mombritius, quæ ad alios martyres pariter spectabant; non sic evincitur, omisisse eum contra morem suum, quæ S. Alexandrum *commendare poterant; qualia sunt ærumnæ in carcere fortiter toleratæ, revocatus ad vitam gentilis, ut baptismi compos fieret, fluvius sicco pede transitus, quæ quidem ultima ad solum* S. Alexandrum *pertinent, et Actis Bergomensibus paucis lineis inserta, quibusque præcisis, non minus, quam Adonem fecisse, admittere debet Gratiolius, confusionem in Acta induxisse Mombritius debuit. Gratiolius quidem contendit, quod Mombritius Adonis elogium præ oculis habuerit, illudque in aliquibus secutus sit; quare enim, si brevitati studebat, non præcidisset pariter Adonis exemplo prolixam orationem* Benedictus etc, *quæ profecto magis ceteris inutilis censeri poterat.*

Passionem suam contraxisse, sed potius suadetur, Acta quæ ipsi habuerunt,

72 *Denique etsi sciam, Mombritium minime criticum fuisse impressisseque sine diligenti examine quæcumque Acta invenit, nolim tamen tam mihi idiotam et sermonis Latini ignorantem depingi, quam illum hic nobis exhibeat Gratiolius. Suspicatur is* § 3 *num.* 4 *et seq., illum caput historiæ ab Adone mutuatum esse, ut nimirum, præcisis antecedentibus, narrandi initium faceret. Exordium Adoniani elogii superius dedi num.* 70. *Mombritius ita orditur;* Facto Alexandro Christiano sub Maximiano. Audiens hoc Maximianus post dies quindecim accersivit eum etc. *Duo hæc conferantur, moxque apparebit in verbis phrasique diversitas: rem autem utriusque eamdem esse, sed suam cuilibet propriam phrasim, si dixeris, prima Latinæ linguæ principia ignorantem Mombritium, tamque inconcinnum exordium ex Adonis periodo, quam commode integram describere poterat, substituentem facis. Satius, opinor, erit suspicari, utrumque ita in exemplari invenisse, correxisse solœcismum Adonem, Mombritium, prout invenerat, edidisse. Porro quamvis hactenus disputata abunde sufficere possint ad defensionem nostram; superaddamus tamen aliud argumentum, quod ipse Gratiolius contra nos arguendo, subministrat. Ait, tantam esse in Actis Bergomensibus stili æqualitatem, ut eumdem ubique primarium scriptorem deprehendas.*

aucta et interpolata fuisse a scriptore Bergomensi,

73 *Litigia de stilo decidere lector debet. Contrarium ego assero, tantaque mihi apparet in additamentis et Passione, ubi cum Mombritianis Actis concurrere incipit, phrasis et stili varietas, ut vel inde satis colligere liceat, alium antecedentium, alium sequentium scriptorem esse. Litem hanc, ut jam dixi, æquo eruditoque lectori, qui solus dirimere potest, permitto. De causa minime diffido, tantumque requiro, ut partium studiis vacuus lector, quæ superius numero* 67 *ex Passione Bergomensi protuli, annectat illis, quæ tomo* v *Augusti pag.* 807 *ex eadem a Stiltingo excusa sunt, et tam certo mihi persuadeo, ex solarum illarum laciniarum combinatione, de stili varietate consensurum mihi, ut reliqua edere supervacaneum ducam. Hactenus itaque sicut omnia Gratiolio contraria sunt, ita conspirant ad censuram nostram stabiliendam. Videamus porro, an aliunde subsidii quidpiam sperare possit. Quo anno Lectionarium Bergomense sæpe memoratum scriptum sit, indicat, quod in fine tomi* 2 *ita subscriptum legitur:* Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, mense Octobris hunc librum fecit fieri Petrus presbyter et præpositus ecclesiæ beati Alexandri, ad honorem Dei et ejusdem ecclesiæ, ut a Domino retributionem accipiat, et tam presentium, quam futurorum fratrum orationum et eleemosynarum perpetuo particeps existat. *Homilias in festis Sanctorum collectas continet. Similem lucubrationem esse sæpe memoratam Passionem, abunde innuit ejus tale initium:* Supplicationibus Catholicæ fidei devotione sobrie ac disciplinaliter oblatis, loquens, carissimi fratres, astantibus vobis, precor, ut communi solatio vester concursus sincerus appareat sacræ lectionis jubilo. Sanctorum quoque martyrum miracula, quæ per eos omnipotens Deus mundo volens ostendit præcipua, feriatis mundo negotiis curisque supervacuæ cogitationis ablatis, mente pura ejusque tota intentione conjuncta, patulisque auribus conticentes, audite, atque intenti ora tenete. D

quem vixisse ante seculum XII, *quo Lectionarium scriptum est,*

74 *Si ex stili barbarie mox vetustas inferretur, crederem, Homiliam illam aliquod seculis antiquiorem; at valde verisimile est, illam seculo* XII *ab eodem Petro, vel ab alio ejus jussu ad usum ecclesiæ compilatam esse. Ibi quidem ita loquitur auctor:* Scribimus quidem ea, quæ sancti Martyres egerunt, ut in eorem Gestis invenimus, et ea, quæ pro nomine Dei summi passi sunt, vobis fideliter innotescimus. *Hinc non nego, additiones aliunde forte desumptas fuisse, sed etiam non concedo, instrumenta seu Acta illa, unde prodierunt, fuisse ultra decennium antiqua, cum nihil hactenus prolatum sit, neque proferri videatur posse, unde id suadeatur, quod forte cum ex traditiunculis vixdum natis adoptatum et Passione assutum fuit, ut est satis familiare auctoribus ex Martyrum Actis homilias in Patronorum suorum honorem componentibus. Et sane, si Lectionarium illud integrum scrutari liceret, non dubito, quin inter homilias inventuri essemus aliqua, quæ non solum propter insolentiam et fabulas explodi, sed etiam ob novitatem despici mererentur. Unum pro antiquitate additamentorum Passionis suæ adversus nos Gratiolius profert argumentum, quod ejus verbis huc transfero. Sic scribit paulo post initium* § 1 *capitis* 2. Notanda enim mihi se præbent hæc verba (*ex Actis Bergomensibus desumpta*) « Hæc igitur celebrantes natalitia nullo « erroris incursu hæreticorum vos fallant dogmata, « qui negligenter intuentes fidei rudimenta, in« sanæ mentis oraculo censenda errore stridebant « apographo » Item inferius. Cessent ergo eorum « æmulorum verbosantium præstigia; parati enim « sumus pro veritate certantes temporalia sustinere « supplicia etc. » Profecto hæc (*Gratiolio*) hæresim quamdam respicere videntur, ut vel tum vigentem, vel paullo ante compressam, qua Sanctorum vel Martyrum gesta eorumque celebritates oppugnarentur. E F

neutiquam probavit

75 Quorsum enim errorum comminisci vel æmulorum Martyres calumniantium, nisi illud res ferret ac temporum opportunitas postularet? Opinari aliquis poterit, scriptorem nostrum æqualem aut supparem extitisse Claudii Taurinensis episcopi, quem tu Joannes Chrystostome Trombelli in perpolito eruditoque tuo de cultu et invocatione Sanctorum Opere, Beatorum honori acriter adversatum, disertissime monuisti. Is vero ante annum Christi DCCC eam sedem conscendisse fertur. Præcipue cum aliam nesciamus hæresim Sanctorum cultui adversantem in Italia viguisse, præter illam Catharorum, quæ multo post per Insubriam est pervagata; tempore scilicet Galdini Mediolanensis ecclesiæ pastoris sanctissimi, qui eam acerrime est insectatus, anno videlicet MCLXXVI, quo is fertur in ipsa erroris illius vehementissima objurgatione

A objurgatione, cum e suggestu diceret, ibidem occubuisse. Atque hujus quidem vestigia ad annum usque MCCXXX et MCCXXXIII mansisse, monumenta quædam certissima manifestant. *Hæc laudatus Gratiolius : unde profecto non video, quomodo emergat quædam antiquitas major*, quam ejus censores *(nos)* argumententur. *Nusquam negavit Stiltingus, aut negare potuit, additiones illas seculo saltem* XII *adjectas fuisse; noverat enim, tum codici Bergomensi fuisse inscriptas; antiquiores autem esse, hoc suo ratiocinio non evicit Gratiolius, sed potius ostendit, seculo duodecimo, quo scriptus est codex, additiones primum nasci potuisse, quando hæc ad rem et pro temporis opportunitate scribere compilator homiliæ potuit; serpente nimirum per Insubriam Catharorum hæresi.*

Gratiolius. Ostenditur in additamentis illis narrari

76 *Pluribus hæc exagitare supersedeo; certe vel ex eo vacillat argumentum, quod parum similibus instrumentis legendis censeri debeat assuetus, qui in homiliis Sanctorumque Vitis medio ævo cusis, requirit omnia proposito temporisque adjunctis accommodata. Fallar, nisi simili methodo ostendam, mille posteriorum temporum lucubrationes quarto seculo, quo maxime grassata est Ariano-* B *rum hæresis, compositas fuisse, quia in illis occurrunt contra errores eorum aliqua. Maneat igitur hactenus inconcussa Stiltingi censura. Secunda ejus pars, quod nimirum in interpolationibus posterius adjectis aliqua narrentur* modo parum verisimili, *non minus Gratiolio displicuit, eamque longo §, productis sectisque additionibus, sola fere interrogatione,* Quid hic veri dissimile apparet? *impugnat. Cavillari in verbis non lubet.* Veri dissimile *cum* parum verisimili *confundamus. Stiltingus merito censuit, operæ pretium non esse, singulatim edicere, quæ sibi viderentur modo parum verisimili narrari in additionibus, quas aliunde parvi faciebat; rursusque ejus hic exemplum sequerer, nisi interroganti Gratiolio eadem humanitate respondere vellem. Itaque displicent mihi et modo parum verisimili narrata videntur sequentia. Carpophorus et Exantus, nobiles palatii, ex Sillano audientes, stupenda in carcere patrari, accurrunt.* Cum ergo pervenissent ad Sanctos *(Alexandrum et Socios)* in carcerem, salutaverunt eos secundum divinum ac probum morem; Pax vobis fratres, dicentes. At illi una voce responderunt; C Pax angelorum vobis numquam deficiat jam Christi electi milites. *Salutatio Christianorum in ore hominum adhuc gentilium, insolitaque a Christianis reddita, et una quidem voce, non conciliat narrationi verisimilitudinem.*

aliqua

77 *Gratiolius quidem rependit :* Qui hæc sentiat, fas est certissime divinetur, *sed ipse ibidem divinat, et non satis quidem feliciter. Ex tota narrationis serie satis liquet, Carpophorum et Exantum eo ex curiositate accurrisse, neque priusquam hæc dixerint, stupenda aliqua in martyribus vidisse; conjectat tamen Gratiolius, vel jam tum a Spiritu sancto illustratos fuisse et salutis arripiendæ studio eo advenisse, vel hac salutandi norma voluisse se apud martyres Christianos fingere: sanctos autem eos adhuc gentiles, Christi milites jam electos appellasse, quod facile conjectarent, illos baptismum jam percupere, interiusque illustratos esse. Unde autem id Sancti facile conjectarint, (neque enim vult divinare, fuisse id ipsis divinitus revelatum) docet Gratiolius :* Et sane, *inquit,* oculi sæpe, manus, incessus, os, habitus, indicia sunt animi, potissimum motu aliquo percussi excitatique. *At non credo, hæc narratorum verisimilitudinem vel divinando sic vendicare, ut responsione egeant. Secundo; non est mihi multum verisimilis narratio de fuga Sanctorum et mortui gentilis resuscitatione. Martyribus reductis, ad carcerem post primam interrogationem adsunt mox Carpophorus et Exantus, communique consilio statuunt Comum fugere; nocte Mediolano egrediuntur, latentque in vicino pago, donec lucescat. Quomodo autem carcere, quomodo urbe elabi potuerint, non explicatur. Vix illuxerat, iter arripiunt, statimque obvium habent cadaver mortui gentilis; latendi studium dimittunt : jubet* S. Alexander *deponi in terram feretrum, invitat ad orandum Socios, resuscitatur mortuus, fideique lumine illustratus mittitur ad S. Maternum baptizandus. Atque hæc homines carcere elapsi, et latibula quærentes, coram turba, quæ procul dubio funeri aderat. Mitto facta ipsa tam insolentia, quale hoc est, mox parum verisimilia esse criticis, nisi ab auctoribus probatæ auctoritatis adstruantur. De S. Fidele etiam nihil adfero. Quæ de illo in Passione dicuntur, non parum diversa sunt ab Actis ejus propriis exstantibus apud Mombritium. Similia habemus Mss., quæ examinabuntur ad diem* XXVIII *Octobris. Interim demus ea, quæ sub finem Actis Mombritianis inserta reperiuntur in codice Bergomensi.*

AUCTORE J. C.

modo parum verisimili

78 *Post hæc verba* : Cognoscens autem causam Maximianus tradidit aliis ministris, ut eum interficerent, *ita sequitur.* Dein non multo post B. Alexander nutu ac voluntate Dei fugam arripiens, recto tramite, siccisque pedibus transmeato flumine Adduæ, pervenit ad locum non longe a Pergamea civitate, qui locus olim ab incolis Plotacium vocabatur, ubi eum Dominus sic voluit martyrio coronatum, ad suum perduxit itaque regnum. Tunc Vir beatus ibi inter densa veprium secedens orabat ad Dominum, ut suæ passionis dirigeret cursum. Mox autem adfuerunt ministri, quibus traditus fuerat ad decollandum. Quibus visis, B. Alexander gaudio repletus est magno, quia postulationem suam exauditam sperabat a Christo. Ministri autem insistebant ei, dicentes : Ad hoc pro te missi sumus jussu imperatoris, ut sententiam subeas decollationis. *Deinde ex Mombritianis resumitur narratio. In hisce autem modo parum verisimili videtur narrari transitus fluminis prodigiosus; fluvios enim sicco pede transmeare , maxime quando nulla necessitas talia prodigia exigit, Actis fabulosis perquam commune est, rarum in sinceris. Deinde, quid sibi rursus vult illa Alexandri fuga?* F *Debuisset sane valde negligenter custodiri, qui secundo elapsus sit. Et vero non multum ardenter martyrium desiderare debuisset, qui sic iteratis vicibus tormenta et laureolæ occasionem ad nullum alium, quem sciamus finem declinasset. Divinus quidem instinctus timiditatis notam elueret; sed hujus ego rursus finem nullum video, et, ut candide, quod sentio, edicam, suspicor, hunc ab interpolatore ideo accersitum fuisse, inventamque ab eodem fugam hanc, ut* Alexandrum *prope Bergomum martyrio coronatum exhiberet. Sane ex Mombritii Actis et Adonis elogio dubium non relinquitur, quin Mediolani passus sit Sanctus, unde profecto nihil vetat corpus ad Villam Gratæ prope muros Bergomensis civitatis latum fuisse. Atque hæc pro nata hic occasione dicta, confido, sufficient, ut crisim nostram ab Gratiolii animadversionibus vindicemus. Tamdiu autem de interpolatione Actorum Bergomensium non dubitabo, quamdiu nullus mihi rationabilem aliquam rationem dederit, quare Ado, Mombritius, vel quisquis et ante illum alius, ea inde præciderit, quibus sublatis. non mediocris inducitur non contemnendarum rerum confusio.*

§ XI.

AUCTORE J. C.

§ X. SS. Alverius et Sebastianus culti Fossani et Thebæis annumerati. Discutiuntur, quæ de SS. Amore et Viatore referuntur,

De SS. Alverio et Sebastiano actum 2 Januarii. Instrumenta

Inter celebriores Martyres, qui Thebæi creduntur asseruntur que a communi carnificina sejuncti, et alibi martyrio coronati, veniunt SS. Alverius *et* Sebastianus, *quorum celebris cultus est Fossani in Pedemontio. Philippus Ferrarius et ex illo Bollandus ad diem 2 Januarii, quo feruntur eorum inventa corpora, de iisdem meminerunt. Ferrarius ex Baldesani Historia pag.* 268 *suum elogium contexuit, quod loco mox citato a Bollando relatum in Opere nostro videre licet. Traduntur autem sacræ* SS. Alverii *et* Sebastiani *exuviæ in ecclesia campestri repertæ fuisse in tumulis lapideis, cum adjuncta inscriptione testan-* B *te, illos ex Legione Thebæa Milites et sub Maximiano imperatore martyrio coronatos fuisse. Si antiquum fuit hoc monumentum, de quo dubito propter Baldesani credulitatem, quem adhuc sæpe videbimus nimis liberaliter similia laudantem, habent sancti Martyres illi certitudinis notam paucis aliis communem. Non tam credibilia sunt, quæ de* SS. Amore *et* Viatore *circumferuntur. Eorum examen huc rejecit Sollerius in Prætermissis ad diem* IX *Augusti, monito lectore, prædictorum Martyrum memoriam eo die occurrere in Martyrologio Parisiensi, et Castellanum in Additionibus illos nuntiare in Burgundia, additque, quæ ad illos spectant, esse multis difficultatibus intricata. Sancti a Gallis vocantur* Amour *et* Viatour, *sive ut habet Castellanus* Viàtre. *In Septemtrionali limite Burgundiæ (indigenis* la Franche Comté*) septimo milliari Gallico Matiscone, totidemque fere Trenorchio versus Orientem distans pagus est, (alii oppidum appellant) qui a* S. Amore *nomen Gallicum sortitus est* S. Amour, *atque eo spectat Castellani annuntiatio. Silentium in Fastis sacris de Sanctis illis et instrumentorum aliorum penuria fecit, ut rem in ipso loco examinandam censuerit Sollerius, sicut innuunt relationes postea* C *ad nos submissæ cura R. D. Le Bœuf, canonici Autissiodorensis, ex quibus hic aliqua excerpo.*

ad nos submissa de spectantibus ad SS. Amorem et Viatorem,

80 *Prima est epistola Gallica Trenorchii* XV *Februarii anni* 1734 *a R. D. Guenin, canonico Trenorchiensi scripta ad R. D. Le Boeuf. Hac ille nuntiat, R. D. Pagot, ejusdem ecclesiæ canonicum, accepisse litteras ex pago* S. Amoris *a D. Berthet, doctore medico Trenorchiensi, datas* IX *ejusdem, earumque se extractum mittere. Hoc nihil continet præter versam ex Italico historiam Sanctorum illorum, quæ est apud Baldesanum, de qua infra, et alia extranea quæpiam de Guilielmo doctore Parisiensi, qui a patria sua Guilielmus a* S. Amore *vocatus fuit, ibique sepultus est anno* 1272. *Secunda epistola missa ad eumdem a D. Guenin* I *Aprilis ejusdem anni paulo plura docet, quæ his nobis usui esse possint. Illa nuntiat, accepisse se ex eodem pago litteras a medico supranominato indeque refert, quæ Latina facio.* Bellum et pestilentia coëgerunt Majores nostros in tumulo recondere reliquias SS. Amoris et Viatoris, miscereque illorum ossa cum aliis ex antiquis cœmeteriis erutis. Interim indubia traditione tenemus, quod prædictorum Sanctorum reliquiæ serventur in templo nostro, licet ignoretur, quo determinate loco. D Originalia, quæ tibi exhibui, non agunt nisi de binis translationibus, quarum altera Agauno olim, nunc S. Mauritii, Matisconem, et secunda inde huc pervenerint. Nulla invenitur mentio elevationis, detractionis, incapsationis reliquiarum. Communior opinio, ut dixi, fert, quod hic sint.

non magis probant,

81 Non habemus nisi unam capsam ex ligno argentato, seu potius lypsanothecam in formam capsæ, in qua servantur plurimæ reliquiæ, et inter alias mandibula inferior cum omnibus dentibus S. Viatoris; sine testimonio tamen. Ignoramus, a quo tempore ibi sit recondita et cujus auctoritate publicæ venerationi exponatur. Non habemus patronos alios, nec alterius cujuspiam ante Sanctos illos fit mentio. Magnus festo Patroni die est populi concursus, nullum tamen sacellum est, ubi dicatur Missa eo die, præterquam ad altare princeps. Eorum tumulus non illustratur miraculis, neque exsistit fons prodigiosus. Nulla est certitudo de Vincelle la Jolie *(id nomen pago fuisse, antequam* SS. Amoris *et* Viatoris *reliquiæ eo delatæ essent, contendunt aliqui.)* nesciturque, quomodo Latine appellata fuerit. Inveni inter chartas nostras antiquum codicem plenum fundis, qui dependebant a sodalitio SS. Amoris et Viatoris. Confraternitas illa non amplius subsistit, et ab ea residuum non habemus, E nisi Missam majorem, quam dicimus singulis diebus Veneris. Missa est Intret de Communi plurimorum Martyrum. Servamus etiamnum paramenta rubra, a præfata nobis confraternitate relicta : sunt ex panno crasso operis Damasceni rubro, et facile ad CC annos antiquitate pertingunt.

Thebæos Martyres fuisse, quam quæ commemorat Baldesanus

82 *Hæc auctor epistolæ, subjungens, de Sanctis eorumque cultu præterea nihil reperire se potuisse. Contrahamus nunc Baldesani de* SS. Amore *et* Viatore *narrationem, ut eorum habeat lector notitiam, quam ex eo tantum haurire et submittere se potuisse asserit epistolarum auctor primarius. Illorum martyrium ita fere describit Historiæ Thebææ lib.* I *pag.* 72 *et seqq. Quo tempore apud Agaunum cæsa est Thebæa Legio, aberant ab ea Milites nonnulli, qui vel imminente clade aufugerant, vel jam pridem alibi stationem habebant, in quos post carnificinam Agaunensem sæviit Maximianus, edicto, ut omnes diis sacrificare cogerentur, vel tormentis necarentur. Hos inter fuerunt duo duces,* Amor *et* Viator, *qui paulo post edictum ab imperatore editum inventi, capti, et Maximiano oblati sunt. Huic cum bene elaborata* F *oratione respondissent, jubenter mox coram trucidari; at ictum illaturus carnifex subito tremore percellitur et Christum pariter confitetur. Igitur cum duobus Sanctis capite plecti jubetur. Gaudens, quod ex parte satisfacere posset sua morte pro damnis Christianis illatis, aquam postulat, lavat manus in testimonium, immunem esse se a sanguine, quem paulo ante fundere tentaverat; procumbit in genua, collum carnifici præbet et capite mulctatur coram* SS. Amatore *et* Viatore, *qui summo repleti gaudio de conversione lictoris, etiam gladio feriuntur.*

fabellis implicita

83 *Hæc ibi Baldesanus, quæ cujus generis sint, non est necesse multis dicere. Unde omnia hauserit mox videbimus, interim clarum est, quæ hic adjuncta lictoris martyrio accedentis habentur, profecta esse ex* S. Alexandri *Passione, ubi similia narrantur. Neque saniora sunt spectantia ad Sanctorum illorum cultum, quæ lib.* 2 *pag.* 188 *comminiscitur. Narrat, S. Guntramnum regem, non contentum reliquias aliquot Agauno recepisse, ad Sanctorum Thebæorum tumulos venerationis ergo profectum fuisse : cumque substitisset in campo, ubi sanctam*

A *ctam Legionem necatam conjectabat, Deum, pietatem ejus venerationemque erga Martyres remunerare volentem, duorum corpora, sanctorum scilicet* Amoris *et* Viatoris *revelasse; hæc Guntramnum pretiosissimis capsis inclusa retulisse in Burgundiam, Sanctisque ibi ingentem ecclesiam ædificasse. Addit, omnia hæc approbata fuisse in duabus synodis Matisconensibus, et subdit:* Atque hæc potissimum hausi ex historia istorum Sanctorum ad me missa favore singulari domini de S. Amore, territorii nobilis in Burgundia, quod a Sancto nomen accepit, occasione ecclesiæ ipsi ibidem a Guntramno erectæ. *Et sic incolæ* S. Amoris *ad Historiam Baldesani nos remittunt, Baldesanus ad instrumenta inde accepta, quorum nulla amplius ibi superest memoria. Quamquam facile, ni fallor, ferenda jactura est: quæcumque enim commemorat Baldesanus, tota fabulosa videntur, et nisi essent a recentiori aliquo conficta, eorum certe alicubi mentio inveniretur, quam tamen nusquam reperio.*

et nullis testimoniis antiquis nixa; ita ut

84 *Eruditissimus abbas S. Leopoldi Nanceiensis Historiæ Ms. sæpe memoratæ cap.* 16 *scribit; quod legatur in Historia domestica Ms. monasterii* B *Agaunensis, Guntramnum eo venisse atque peccatorum veniam obtinuisse precibus Jucundini abbatis, eodem et Heliodoro episcopo Sedunensi comitantibus, visitasse tumulum Thebæorum Martyrum, spectasseque duas accensas tædas, et, hisce lucentibus, invenisse corpora* SS. Amoris *et* Viatoris, *quæ deinde secum in Burgundiam retulerit. Sed hæc non sunt magis credibilia, et Historia illa hic anachronismi arguitur in Jucundino, qui tum abbas Agaunensis non fuit, et eadem Historia alibi passim levem admodum auctoritatem habet apud eruditissimum abbatem. Guntramni erga Sanctos Thebæos veneratio aliunde satis probata est ex testimonio S. Gregorii Turonensis: in conditum a se monasterium S. Marcelli in suburbio Cabillonensi et in abbatiam S. Benigni Divionensis psalmodiam perpetuam et Regulas monasterii Agaunensis invexit, statutaque ejus et donationes in concilio Matisconensi confirmata fuerunt; sed nulla est ibi mentio de revelatis prodigio* SS. Amoris *et* Viatoris *corporibus, quod tamen asserit Baldesanus. D. Berthet supra num.* 80 *asserit, exhibuisse se R. D. Guenin, canonico Trenorchiensi Originalia, in quibus duæ translationes sanctorum pignorum descriptæ essent.*

præter cultum eorum in Burgundia tuto nihil videatur asseri posse

85 *Miror Originalium illorum aliam notitiam non suppeditari, suspicorque, vel nullius vel certe exiguæ admodum auctoritatis esse, quia interrogatus de sanctis Martyribus eorumque cultu medicus tam perfunctorie de præfatis instrumentis agit. Sane, si quid ex ejus parte desiderari forte potuisset, vix dubito, quin R. D. Guenin, qui Originalia ista viderat, damnum reparasset, mentemque suam aperuisset R. D. Le Bœuf, qui, ut cetera, et hæc nobis, si quid valerent, præcipua submisisset. Ceterum, quæ de quiescentibus ibi sanctorum Martyrum reliquiis asseruntur, satis etiam, ut liquet, incerta sunt, cum sola traditione nitantur, et verisimilius testimonia nulla supersint anteriora tempore, quo absconditæ et cum aliorum Sanctorum sacris exuviis permixtæ fuisse traduntur. Circa difficultatem a Sollerio nostro propositam, nihil ultra suppetit, quo elevetur. Notat R. D. Guenin in litteris primo loco laudatis, in antiqui cujusdam Breviarii Calendario notari:* SS. Amatoris et Viatoris m̄; *quæ uti et antiquum Sodalitium sub eorum nomine institutum, Missa* Intret, *quæ singulis adhuc hebdomadis legitur, satis evincere videntur, Sanctos ut Martyres ibidem cultos fuisse; quod unicum fere in tota hac re videtur tuto asseri posse: reliqua enim ad illos spectantia per quam dubia sunt, atque illud vel maxime, an Thebæi Milites fuerint, ut abunde ex hactenus dictis liquet.*

Secundus S. Amor, frustra a Baldesano assertus.

86 *Baldesanus citatus pag.* 187 *et seq. asserit, legi in historia* S. Amoris, *quod monachi, a Carolo Franciæ rege ad Urbanum Pontificem pro obtinendis reliquiis missi, corpus* S. Amoris *Agauni obtinuerint, et Autissiodori cum aliis sanctis pignoribus deposuerint. Dicit quidem, alium hunc ex Militibus Thebæis* S. Amorem *esse, ab illo, qui in Burgundia colitur, diversum: verum in miraculis S. Germani, quæ in Opere nostro ad diem* XXXI *Julii excusa sunt, ubique narratur memorata sacrorum pignorum translatio, nulla tamen fit hujus rei mentio. S. Amatoris nomen sæpius ibi occurrit, at is episcopus est Autissiodorensis, cujus Acta apud nos illustrata habes die* I *Maji; quique non fuit Martyr; multo minus ex Thebæorum Sodalitio Miles. S. Amori abbati Amorbacensi pariter locum dedimus die* XVII *Augusti, et alterius Belisiensis confessoris, qui in Belgio colitur* VIII *Octobris, gesta et cultum ibi examinabimus. Præterea Amatores martyres tres hactenus nobis occurrerunt nimirum* XXI *Februarii,* XXI *Martii et* XXX *Aprilis: Amatoris confes-* E *sores plures.* Amatoris *et* Amoris *nomen tam vicinum est, ut passim confundatur, sicut ad singulos fere observatum est. Dubito, an non consultius esset incolis pagi* S. Amoris *credere, unus ex illis cum ossibus* S. Viatoris *alicujus, sacras exuvias obtinuisse se, quibus adjuncta reliqua accesserint, quam traditiunculas tueri velle. Certe quidquid egerint, cum fateantur, habere se ex cœmeteriis eruta sancta cimelia anonyma, quibus reliquiæ prædictorum Sanctorum permixtæ sint, non facile evellent suspicionem, ne inde pariter venerint baptizata, ut aiunt,* SS. Amoris *et* Viatoris *corpora, nisi testimonia ostenderint antiquiora tempore, quo anonymas illas reliquias acceperunt.*

§ XI. De SS. Antonino, qui Placentiæ, Benigno, qui Taurini, et Besso, qui Eporediæ, ut Thebæi Martyres coluntur. Prodigia aliaque fabulæ suspecta, quæ de hoc narrantur a Baldesano. F

De S. Antonino agendum 30 hujus. S Benignus Taurini inventus. Historia martyrii

D*ie* XXX *Septembris nuntiat Martyrologium Romanum:* Placentiæ S. Antonini martyris ex eadem Legione, *Thebæa scilicet, cujus fuerunt SS. Ursus et Victor, ibidem in præcedenti annuntiatione memorati. Ad illum diem illustrari ejus cultus et Acta poterunt, si ad nos pervenerint meliora, quam quæ Sollerius tom.* 2 *Julii a pag.* 7 *Commentario Prodomo ad dies* II, III *et* XXX *Septembris* § 2 *explosit.* In abbatia S. Solutoris Taurinensis *(inquit Baldesanus pag.* 27) inventæ sunt reliquiæ aliquæ cujusdam S. Benigni Thebæi, de quo præter titulum lipsanorum, notitiam aliam obtinere non potui. *Varios dein enumerat synonymos Martyres, a quibus hunc diversum esse asserit; et ab aliquibus quidem, quia non sunt Thebæi. Inscriptio reliquiarum verisimiliter non multum antiqua, vereor, ut hanc rationem multum consolidet. Succedat litterarum ordine* S. Bessus, *qui non*

AUCTORE J. C.

non obscurum inter Thebæos nomen habet, historiamque inter primas fabulosam. Habe illam, lector, ex Baldesano lib. I *pag.* 129 *contractam. Pastores quidam furto alteri sublatam pecudem igne torruerant. Aderat* Bessus, *quem, ne furtum proderet, invitarunt, ut ex ea partem acciperet. At Sanctus zelo justitiæ animatus pastores furti arguit et increpuit : hi ira incensi verentesque, ne factum erumperet,* Bessum *ex alto præcipitem dedere in vallem Suanam. At Deus illustriori Sanctum martyrio reservans a morte præservavit : aderant autem missi a Maximiano lictores, Thebæos quærentes, qui hunc ex lapsu totum sanguine fluentem mox agnovere, cernentesque constantem in veræ fidei professione crudeliter trucidarunt.*

et translationis S. Bessi

88 *Nonne hæc belle excogitata sunt? Sed nondum fabulandi finis. Qui tam ingeniose ad martyrium deducitur, non minus lepide ad aras colendus extollitur pag.* 270 *et seqq. Reddo rursus compendium. Incolæ quidam Montis-Ferrati corpus* S. Bessi *invenientes, volentesque eo nativum solum ditare, sacco imposuere, quem deinde, (forte ne detegeretur tantus thesaurus,) cum Ozegnam* B *(pagus est octavo milliari Eporedia versus Meridiem distans) pervenissent, tamquam res viles continentem, in quopiam hospitii loco deposuere. Tantam erga sacras reliquias irreverentiam non tulit Deus, sed in pœnam iisdem illos privavit. Etenim hospitii hero detexit sacrum corpus sequenti miraculo. Arrige aures, lector, ut belle homines illi delusi fuerint. Tempore noctis in parte hospitii circum saccum lucere fecit diversa luminaria, quæ miratus hospes, nec aliud ibi quidquam cernens præter vilem saccum incolarum Montis-Ferrati, illum aperuit, visurus, quid prodigio portenderetur, reperitque sacras reliquias et didicit pium furtum diœcesi Eporediensi factum; cumque illi altum stertèrent, abstulit absconditque sacrum corpus, ejusque loco reposuit in saccum vulgare aliquod cadaver.* Id merebatur *(inquit Baldesanus)* irreverentia negligentiaque istorum hominum.

insolentibus fabulis

89 *Laus Deo, quod non ita sæpe punit similes hominum negligentias, maxime si bona intentione fiant; quot enim jam non furum forte et latronum cadavera haberemus pro sacris exuviis in aris exposita. Non docet quidem Baldesanus, quid supposito corpore factum sit, at natum erat fieri, ut Montem-Ferratum transferretur, ibique, qui* C *attulerant, etiam jurejurando, si exigeretur, affirmarent, se* S. Bessi *corpus ex detecto ejus sepulcro attulisse. Consecutiones alias non parum odiosas ex tam insolenti commento deduci posse, nemo non videt : pergamus. Quid sancto corpore hospes fecerit, itidem non edicit auctor, neque quo tempore hæc acciderint; solum docet, Ozegnæ servatas fuisse reliquias usque ad tempora Ardoïni marchionis Eporediensis et regis Italiæ. Ardoïnus, qui a Ditmaro* Hardwigus, *seu* Hardwicus *appellatur, coronatus fuit* XV *Februarii anni* 1002, *obiitque undecim annis post. Igitur intra illud spatium accidere debuit, quod ex Baldesano narrare pergo. Motus Ardoïnus fama miraculorum, quæ ad* S. Bessi *lipsana Deus operabatur, jussit illa transferri Eporediam, quo jam delatum erat corpus* S. Tegoli, *ejusdem socii, de quo infra suo ordine. Facta est cum solemni pompa translatio; cumque ad pontem, quo junctus est Duria, ventum esset, hæserunt immobilia sacra lipsana, donec cives votum fecissent, fore ut illa collocarent in loco, supra quem Missa celebraretur; moxque prodigiosa gravitas cessavit, ad cathedralem ecclesiam sacrum corpus perlatum fuit, atque in crypta subterranea sub ara principe ex voto conditum, ubi populorum concursu et miraculis celebratur.* D

contextu. Miracula apud eumdem relata,

90 *Sunt hæc rursus Baldesani, opinor, omnia, populares traditiunculas corradentis. Audiamus breviter miracula, quæ recenset, nescio, an ex meliori hausta fonte et magis credibilia; testimonia enim nulla de more allegat. Puer quidam Bugellensis, parentum unigenitus, tanta subito infirmitate captus fuerat, ut per duos dies cibum nullum potumve introsumere posset : pater de moribundo filio maxime mœstus in somnum inciderat : dormienti apparuit* S. Bessus, *revelatoque nomine suo, hortatus est, ut suum patrocinium imploraret. Fecit : mox filius cibos poposcit. Mulier ex pago Magnano, sic medio corpore arida, ut miserationem cernentibus moveret, cum desideratam sanitatem obtinuisset, duxit ad tumulum* S. Bessi *sociam suam usque ad umbilicum omnis sensus expertem, quæ etiam optatam gratiam consecuta est. Everardus a Ligurno, archidiaconus Eporediensis, ex libertinorum aliquorum Vercellis sermonibus passus fuerat sibi persuaderi, non mereri* S. Bessum *ut Martyrem coli. Apparuit illi Sanctus, eumque ita de nomine suo et martyrio certum reddidit, ut deinceps illi* E *fuerit devotissimus. Gumbertus, archipresbyter ejusdem cathedralis ecclesiæ, gravissime decumbens, jussit se ad* S. Bessi *tumulum deferri, ibique dormienti visus est sanctus Martyr in figura medici, remedia quædam porrigentis cum tanto juvamine, ut dilapsa visione, omnino sanum se expertus sit.*

sed debitis testimoniis

91 *Sacerdos quidam ex Strambino incidens in consortium, ubi de* S. Besso *sermo serebatur, irreverenti joco* Bassum *pro* Besso *nominavit, moxque tam debile factum est brachium sinistrum, ut illud usque ad os attollere non posset. Monitus ab iis, qui aderant, infirmitatem ipsi inflictam esse propter irreverentiam erga* S. Bessum, *ad sancti Martyris tumulum confugit, delicti veniam rogaturus, quam, uti et pristinam sanitatem obtinuit. Mulier Eporediensis ex Sancti sacello glomum fili, ex devotione ibi appensum, furto abstulerat, moxque infirmari cœpit. Cum malo mederi non possent medici, monita divinam forte punitionem esse, recordata furti, glomum restituit, culpam confessa est, et statim convaluit. Quod sequitur, ita narrat Baldesanus :* Cives duo Eporedienses capti ab hostibus, retrusique in turrim munitissimi castri, quod Ugucione appellatur, sine spe humani auxilii, implorarunt illud S. Bessi, et prodigiose impletum fuit eorum desiderium. Quippe impedire exitum non valentibus porta clausa, altis muris, circumstantibusque custodiis, liberi discesserunt, euntesque visitatum S. Bessi liberatoris cum gratiarum actione tumulum, propalarunt prodigiosum beneficium. *Multæ viæ sunt, quibus custodum vigilantia astu eludi potest; si quid igitur hic prodigii intervenit, narrari sane merebatur, ne humanis consiliis rem gestam nihilque, nisi in verbis, prodigii esse, suspicaremur. Quamquam facile advertet lector, similia hic alia occurrere, quæque miraculi nihil habere potuerunt : prosequamur.* F

destituta. Colitur Sanctus 1 *Decembris. Ferrarii de illo asserta.*

92 *Eodem fere tempore puer Canapiciensis gravi morbo ad extrema perductus decumbebat Vercellis. Pater ex audito filio morbo afflictus, et spe erectus ex beneficio recens duobus illis captivis collato, vovit* S. Besso, *fore ut tantum frumenti offerret, quantum infirmus ponderaret : et statim convalescere cœpit puer, ac deinde cum patre ad sancti Martyris profectus tumulum votum solvit. Donascæ* (Donam *pagum invenio quarto milliari supra*

A *supra Eporediam, qui, nescio, an idem sit) Giraldus mercator Bungundio in rixa tam graviter in capite ictus fuerat, ut pro mortuo haberetur; verum cum tanta fiducia ad* S. Bessi *patrocinium confugit, ut subito ita sanatus fuerit, acsi vulneratus non fuisset; et visitans Liberatoris sui sepulcrum in gratam memoriam velum obtulit. Atque hæc laudatus auctor, testimonium nullum allegans, unde hauserit, quæ narrat, ut jam superius monui; quo silentio etiam iis, quæ inter prodigia videntur locum obtinere posse, auctoritatem non magnam relinquit.* S. Bessus *Eporediæ colitur die* 1 *Decembris, ad quem a Ferrario in utroque Catalogo memoratur. In peculiari Sanctorum Italiæ prolixum habet elogium, contractum* ex antiquis Lectionibus, quæ in ecclesia Eporediensi recitari consueverant. Quæ, *inquit,* nonnulla expurgatione egent, cum aliqua etiam falsa contineant, veluti illud de Arduino Itatiæ rege. *Quare id præ ceteris inter falsa computet Ferrarius, ignoro. Sane cum eadem fere narrentur, quæ ex Baldesano retulimus, prudentes critici quæcumque adjuncta martyrii censebunt non esse minus reprehensibilia.*

et nostra suspicio.

93 *Habet id speciale Ferrarius, quod asserat, Sanctum non a Maximiniani lictoribus occisum,* B *sed multis vulneribus a latronibus, quod ex furto comedere nollet, confossum et de rupe præcipitatum ex illis mortuum esse; quæ causa martyrii forte Baldesano, vel alteri, quem sequitur, non est visa satis illustris, quare carnifices Maximiani opportune eo accersivit. Addit Ferrarius* S. Bessum *in confinio Vercellarum et Eporediæ eremiticam aliquandiu, abjectis armis, vitam duxisse, quod est ejusdem furfuris, cujus sunt fere omnia reliqua. Leander Albertus in Descriptione Italiæ,* § Salassi *apud me pag.* 705 *ita scribit:* Situ est edito *(Eporedia)* duos inter altos colles, qui vallis Augustæ Prætoriæ fauces efficiunt, arce ab læva munitissima imminente, ubi templum summum pervetus, Virgini Matri sacrum, in quo D. Bessi, quondam urbis antistitis, ossa conservantur. *Ughellus ait, illum in Supplemento Chronici Jacobi Philippi memorari ad annum* 770 *et Sanctum appellari. Eodem tempore illum figit Augustinus ab Ecclesia et pariter Sanctum vocat. Nihil lubet hic audentius pronuntiare; sed, si non erravit Leander, et, ut verisimile est, multum antiquæ non fuerunt Le-* C *ctiones a Ferrario laudatæ, nec corpus Bessi episcopi in eadem ecclesia habeant Eporedienses alio loco conditum, diffiteri non possum, suspicionem aliqualem mihi inhærere, ne illius ecclesiæ præsul* Bessus *in Thebæum Martyrem migrarit; quæcumque enim de hoc ad priora Leandro tempora, quibus celebris ibi erat Bessus episcopus, referuntur, sunt mihi valde suspecta. Suspicionem meam si eximere Eporedienses voluerint, gratissimum erit testimoniis antiquioribus et argumentis cedere.*



AUCTORE J. C.

§ XII. S. Constantii et Sociorum cultus Dronerii apud Salutias. Fabulosa sunt verisimiliter, quæ de eorum martyrio proferuntur, uti et alia non pauca ad inventionem sacrarum reliquiarum pertinentia. Socii assignantur ipsi Victor, Theodorus, Magnus, Pontius, Desiderius, Dalmatius et Constantinus. De S. Constantio, qui Coloniæ colitur.

Remissa huc examinanda pertinentia ad S. Constantium,

Besutius, *quem inter Thebæos Martyres locant Taurinenses, cujusque memoria* VIII *Decembris occurens in sequentem propter intemeratæ Matris Dei conceptionem, transfertur, cum* Martiniano, *cujus est socius, recurret.* S. Candidum, *qui* E *in Astensi diœcesi colitur. propter eamdem rationem ad* S. Quilicum *remitto. Quæ de* S. Cassio *et Commilitonibus asseruntur, habes breviter superius in* S. Alexandro *expensa, uti et ea, quæ ad* S. Cæsarium *pertinent.* S. Constantii *et Sociorum gesta huc in Prætermissis ad diem* XVIII *Septembris rejecta sunt examinanda. Quæcumque Ferrarius in utroque Catalogo ad præfatum diem commemorat, hausta sunt ex Tabulis ecclesiæ Salutiensis, et pro maxima parte ex Baldesani Historia, quam etsi parce verbis laudat, passim tamen contrahit in elogiis Sanctorum, qui Thebæi nominantur. Colitur* S. Constantius *in valle Macræ fluminis prope Dronerium et Villarium castra, apud quæ in colle ecclesia eminet, quæ die* XVIII *Septembris magno accolarum concursu et religione frequentatur. Queritur Baldesanus pag.* 261, *monumenta omnia sanctorum per marchionatum Salutiensem tempore incursionum turbarumque, ab iconomachis Calvinistis excitatarum, deperdita fuisse, addit tamen, se ex Societatis nostræ viris, ditionem illam ad exercenda ex more et instituto apostolica munia percurrentibus, talia accepisse, quæ stringo.* F

non videntur multum verisimilia

95 *Anno* 1580 *magus, rotus in sepulcro Martyris, quod ex non vulgari lapide sectum erat, thesaurum latere, cœpit illud rumpere; at tantus terror in illum ingruit, ut aufugerit. Atque ea occasione inventum fuit sancti Martyris corpus, sine capite (quod Mediolani servari dicitur,) cum multis aliorum Sanctorum reliquiis, quas sacerdos, qui legerat historiam martyrii* S. Constantii, *antequam intercepta fuisset, quando mareschallus de Bellegarde anno* 1579 *Salutiis potitus fuerat, asseruit, esse ex Commilitonibus* S. Constantii, *ante ipsum coronatis, ejusque jussu ibidem conditis. Addit Baldesanus, corpus* S. Constantii *ad locum securum ante translatum tunc præfatis patribus exhibitum fuisse. Lapideo autem tumulo litteris majusculis hanc inscriptionem insculptam, quam Italice exprimit, ita exhibet Ferrarius :* HIC JACET MARTYR DOMINI CONSTANTIUS ET THEBÆORUM LEGIONE, QUI AD DIEM XVIII SEPTEMBRIS MARTYRIUM SUB DIOCLET. EX MAXIMIANO IMPERATORIBUS PASSUS EST. *Inventa est in eodem loculo pars vexilli holoserici rubri et candidi, quod, inquit Baldesanus,*

AUCTORE J. C.

Baldesanus, insigne est militaris dignitatis sancti Martyris. Inscriptio mox relata invenitur, etiam apud Augustinum ab Ecclesia cap. 30 Historiæ chronologicæ, ubi de abbatia Villarii SS. Constantii et Victoris agit : at in verbis diversa est a Ferrariana; est igitur alterutra non authentica, imo forte neutra, nec enim solet Baldesanus similia instrumenta non dare Latine, si Latina sint.

nec antiqua

96 Quidquid tamen fuerit, non docemur, cujus ætatis sint characteres, et tota inscriptio aliunde non sapit multam antiquitatem. Scribit Augustinus ab Ecclesia, abbatiam SS. Constantio et Victori, Legionis Thebææ militibus in oppido Villario passis, dedicatam ab Ariperto Longobardorum rege sub annum 713 fundatam. a Saracenis dirutam, denique ab Adalasia Secusiæ marchionissa reparatam fuisse. Tradit idem, suo tempore ecclesiam illam administratam fuisse monachorum loco ab unico sacerdote, cumque etiam asserat, reliquias S. Constantii titularis et unius ex marchionatus Salutiensis Protectoribus ibi servari, vix dubito, quin eadem illa sit, de qua Baldesanus et Ferrarius loquuntur. Vellem autem monumenta seculis aliquot antiquiora proferri, in B quibus asseratur non solum SS. Constantii et Victoris martyrium, sed etiam militia inter Thebæos Athletas, hæc ut tutius adstrueretur; liquet enim, inventionem sanctarum reliquiarum recentem esse, et ab inducti magi narratiuncula non nihil fabulæ suspectam, ut ex sequentibus magis adhuc luculentum fiet. Nescio, an eadem illa ex tabulis ecclesiæ Salutiensis, quas laudat, excerpserit Ferrarius; quod si ita est, nec hæ multam auctoritatem habere poterunt. De S. Victore S. Constantii socio nihil præter nudum fere nomen invenio, sed de S. Constantio hæc insuper narrantur. Erat inter primarios Legionis Thebææ duces forteque cohortis præfectus. Id colligitur ex fragmento vexilli in tumulo ejus reperto et historia S. Amoris, si Baldesano credimus.

et a Commentis immunia.

97 Cum pluribus Sociis tempore carnificinæ Agaunensis in Pedemontium secesserat, Sociosque aliquos martyrio coronatos sepelierat, cum et ipse comprehensus lauream consecutus est. Rursus hæc, ut liquet, vaga sunt et valde incerta. Ridiculum est, quod de gladio, quem ex S. Constantii tumulo abstulerat ad evolvendam fabulam inductus supra magus, tradunt. Pingitur magus imbellis plane, qui tamen invasus a viginti prædonibus sacro mucrone sex illorum trucidarit, reliquosque C in fugam conjecerit. Additur, puerum Catholicum mago servientem retulisse patri suo, pretiosum gladium apud herum suum esse; patrem illum clam abstulisse capsæque inclusisse; monitos ab ancilla ejus hæretica Calvinianos gladium vicissim furari voluisse : at, cum arripere vellent, manus læsisse et digitos pene amputatos sensisse, licet conditus esset vagina gladius, ita ut a territis hoc prodigio relictus fuerit, qui tamen brevi post disparuit, magi, ut creditur, malis artibus. Atque hæc profecto omnia, quantum fabulas aniles sapiant, nemo non videbit, cui traditiunculæ populares sanum cerebrum reliquerint. Nescio, an magis frugi sint miracula, quæ Baldesanus subnectit, nec certe sunt minus mirabilia et insolentia, quæ tamen, quia tempori, quo scripsit, valde vicina sunt, contracta exhibeo, atque ejus fidei relinquo.

Nec miracula, quæ narrantur, magis sunt

98 Dronerii mulier gravida sternebat pannos aliquos in parte superiori domus, cumque illam fefellisset vestigium, et ex alto rueret, S. Contantii auxilium imploravit : et ecce, ignara quomodo, repositam sensit se in locum, unde deciderat. Magis, inquit, Baldesanus, stupendum est et minus profecto verisimile, quod sequitur. Hæretici Villarienses mortuum quempiam suum, qui foris habitaverat, sepeliendum ad ecclesiam S. Constantii curru vehebant. Quando autem venerunt in conspectum basilicæ sancti Martyris, subito audiri cœpit murmur in aëre, quasi tonitrui, quod eo magis crescebat, quo propius cadaver ad ecclesiam accedebat; ita ut boves territi jam ultra procedere nollent. Aderat nobilis juvenis Flaminius Vacca Salutiensis probe Catholicus, qui monuit hæreticos, ut reflecterent ad id, quod meditabantur. At eorum unus indignans cultello latera pungens boves impulit. Vix tres passus processerant, cum super curru apparuit quadratæ figuræ nigra nubes cum tonitru strepituque horribili, et omnes coram viderunt, attolli in aëra cadaver hæretici cum strepitu velut excitato ab aliquibus, qui atrociter illum percutiebant, unde, ruptis frænis, boves per præcipitia aufugerunt. Infelix cadaver amplius non comparuit, ad inferos, ut creditur, a diabolis ablatum; circumstantes vero hæretici ita plagis perculsi fuerunt, ut quidam ex iis mortui sint : solus adolescens Catholicus sine damno fuit, gratia sanctæ fidei, quam profitebatur, et signo Crucis, quo se munivit, apparente prodigiosa nube. Hæc acciderunt sub annum Salutis 1593.

credibilia.

Aliqui pro ejus Sociis habiti. S. Constantius vel Constantinus

99 Ita fere laudatus auctor, qui scripsit intra sequens decennium, quique adeo hæc potuit intellexisse ex præfato adolescente Salutiensi Flaminio Vacca, quem tradit, quando hæc facta sunt, Taurini Grammaticæ studuisse. Is numerare poterat annos circa 12 cum vidit, quæ ut tuto crederem, mallem a viro prudente coram aspecta et narrata accepisse. Ceterum S. Constantio Socios assignat Baldesanus SS. Victorem, Theodorum, Magnum, Pontium, Desiderium, Dalmatium, et Constantinum, de quorum Actis et martyrio ne traditiunculas quidem invenit, nisi quod eorum sacræ exuviæ ex sacerdotis unius testimonio cum S. Constantii reliquis contumulatæ fuerint. Atque hæc sunt, quæ invenire potui, pauca admodum, si commenta præcidantur. Colunt autem Sanctum Salutienses XVIII Septembris, procul dubio propter assertum illo die ejus martyrium in inscriptione, qua nescio, an quidpiam antiquius habeant. Coli apud Augustinianos Agrippinenses S. Constantium, quem etiam martyrem ex Mauritiana Legione fuisse autumant, in Opere nostro inter Prætermissos ad XXII Martii ex Gelenii Fastis Agrippinensibus, et rursus ad diem XXVI ejusdem mensis, ex Martyrologio Coloniensi, Greveno et aliis observatum est. Nescio tamen, an idem sit memoratus a Greveno, qui sic nuntiat : Apud Coloniam Agrippinam in ecclesia Heremitarum S. Augustini Commemoratio S. Constantini martyris de Societate sanctorum Maurorum; ubi licet cultus eodem loco assignetur, diversum nomen est et Sancti et ipsius Societatis.

Coloniæ cultus.

100 De sanctis Mauris die XV Octobris agendum, præmonuit Bollandus. Ad hos potius Constantinus pertinere videbitur, nisi a S. Mauritio Martyres Commilitones per errorem Mauros vocitatos et ita eorum nomen luxatum fuisse, dixeris. Certe in editione Lubeco-Coloniensi inter Auctaria Usuardi Solleriani Maurorum unus fuisse dicitur, sed appellatur Constantius; at contra Constantinus a Ferrario in Catalogo Generali, ubi ad præcitatum diem XXVI Martii ita notat : Is unus ex Sociis fuisse traditur S. Ursulæ, assignatque Cratepolium, qui revera in Sanctis Germaniæ ita scribit : S. Constantius martyr ex sodalitio undecim millium Virginum Coloniæ apud Augustinianos Fratres locum habet, ibique ejus festivitas celebratur.

A bratur. *Quæ omnia satis luculenter probare videntur, nesciri, quis, aut unde sit sanctus ille Martyr, sed pro martyrologorum nuda opinione his vel illis Socium tribui. Sane Gelenius, qui solus, ni fallor, memoriam illius ad* XXII *retulit, etiam vacillat in narrando. Ecce ejus verba ex libro de Coloniæ Agrippinensis magnitudine Syntagmate* 44 § 3, *qui est de Thesauro sacro ecclesiæ patrum Augustinianorum.* Theca spectatur, cui plures reliquiæ, præsertim S. Constantii, ex Thebæa Legione martyris, cujus meminerunt Canisius in Martyrologio et Philippus Ferrarius aliique ad diem XXII Martii. *At neuter illius hoc die, sed* XXVI *meminit, et Canisius ibi* Constantinum ex Maurorum Sodalitio *nominat, et nullum usquam est vestigium, unde liqueat, illum Thebæum Martyrem fuisse. Doceant itaque nos, qui opinionem illam tueri voluerint, quibus testimoniis nitantur.*

§ XIII. Præter cultum per Occidentalem Italiam celebrem, incerta sunt et fere minus verisimilia, quæ de S. Defendente inter Thebæos Martyres ab aliquibus numerato, referuntur. Ejus Socius creditur fuisse S. Etolus.

B

S. Defendentis in Fastis sacris memoria.

De S. Defendente *ad diem 2 Januarii parcissime egit Bollandus, sola referens verba martyrologorum, apud quos Sancti memoriam invenit. Juverit itaque, quæ ad illum pertinent, hic paulo latius excutere, ejusque cultum pro hodierno nostro more illustrare. Agunt de* S. Defendente *ad præcitatum diem Galesinius et Ferrarius, quorum verba Bollandus dedit; apud eosdem* XIV *Septembris occurrit Inventio corporis sancti Martyris, ut ibidem in Opere nostro observatum est. Galesinius, quem solum ducem habet, ut fatetur, Ferrarius illum cum multis Sociis nunciat.* In Gallia ad Rhodanum fluvium... ad cujus fluminis ripam *(inquit)* a S. Theodoro Massiliæ episcopo Defendentis martyris corpus sepultum est, ejusque nominis ecclesia dedicata. *In Notationibus ait:* Ejus suscepta pro Christo certamina testata reliquit Theodorus Massiliæ episcopus, cujus eo de genere liber extat in vetustis monimentis ecclesiæ Bergomensis. C *Ad diem* XIV *Septembris non explicat, quandonam vel ubi inventio illa facta sit, solaque rursus allegat monumenta Bergomensia. Ferrarius in Notis ad 2 Januarii addit ad faciendam fidem, Tabulas ecclesiæ Massiliensis: et apud Massiliam sancti Martyris corpus inventum esse, tradit* XIV *Septembris. Baldesanus, qui duos Milites Thebæos* Defendentes *distinguendos contendit, de hoc agens pag.* 375 *præter Galesinium, non invenit, quem sequeretur; ita ut omnia nitantur citatis ab hoc instrumentis Bergomensibus, quæ miror a Baldesano, tam solerter corradenti, quidquid ad Sanctorum Thebæorum gloriam facit, impetrata non fuisse.*

Quæ de illo referuntur, valde incerta

102 *Librum Theodori a Galesinio laudatum, imo ejus vel Martyris mentionem inter plura ad ecclesiam Bergomensem spectantia, quæ servamus in Museo nostro, non invenio. Lucem circa hæc, quæ jam nunc observare lector potuit, difficultatibus magnis subjecta sunt, adferre posset forte Vita* S. Defendentis *anno* 1666 *Genuæ Italice edita a Francisco Borzono, ut tradit Augustinus Oldoinus noster in Athenæo Ligustico; at hæc hactenus ad manus nostras non pervenit. Quamquam vereor, ut de Libro illo dici multum boni potuerit, mox enim patebit, esse erroris suspecta, quæ inde extracta feruntur. Episcopum Theodorum in Massiliensi sede non invenio ante medium seculum sextum, post quod ibi infulas gessit Theodorus, a Gregorio Turonensi laudatus celebrisque rebus tempore Guntramni gestis. Verum hic* S. Defendentis, *qui sub initium seculi* IV *passus dicitur, corpus procul dubio non sepelivit. De prima sepultura loquor; neque enim de translatione quapiam hic sermo est, quamvis rursus quod additur de ecclesia ejus nomini ab eodem episcopo consecrata, tale quid forte innueret, neque enim verisimile videtur id mox post martyrium Sancti contigisse. Fateor, vacui fere sunt Massiliensis sedis catalogi a Lazaro, quem volunt primum ejus episcopum fuisse circa annum Christi* 60, *usque ad Orezium, qui concilio Arelatensi anno* 314 *subscripsit, ita ut ex hac parte difficultas nulla sit, et Theodorus facile possit in illis obtinere locum, sed oporteret monumenta Bergomensia non vulgaris auctoritatis essent, ut hunc illi tuto concederemus, quod præter jam observata dissuadent insuper alia.* E

AUCTORE J. C.

et forte non sine errore aliunde traducta

103 *Et quid, quæso, Massiliensi episcopo cum Rhodano fluvio, a quo terrestri itinere* 20 *facile milliaribus Gallicis abest Massilia, cujus diœcesis ab ea parte vix duobus milliaribus protenditur et Arelatensi terminatur? Casu a Theodoro illac itinerante sepeliri potuisse repertum sancti Martyris cadaver, non est qui neget; at ab eodem in aliena diœcesi erectam illi esse basilicam, non facile credidero, nisi talia adjuncta ab idoneis testibus referantur, quæ rem verisimilem reddant. Saussayus solitus sine crisi adstruere, quidquid apud eos, qui de Sanctis ante illum scripserunt, reperit, in duobus hic cautior fuisse videtur: etenim in Martyrologio Gallicano* S. Defendentem 2 *Januarii, ut in Addendis pag.* 1085 *monuit Bollandus, nuntiat,* in territorio Viennensi ad Rhodanum fluvium, *deindeque de Theodoro Massiliensi episcopo, qui Guntramni tempore celebris fuit, ibidem agens scribit:* Item Massiliæ S. Theodori episcopi et confessoris, qui prædictorum Martyrum (SS. Defendentis *et Sociorum)* res gestas conscripsit, et ecclesiam in eorumdem honorem excitavit. *De Theodoro inquisivit Bollandus, ad quem, ut testatur in Addendis pag.* 1084, *Massilia rescriptum est, nulla venerationis ejus ibi exstare indicia; sive tamen is Sanctus sit, necne, parum ad rem præsentem facit: id certum est, omisisse hic Saussayum, quæ de sepulto* S. Defendente *apud Galesinium forte legerat, itaque verba sua digessisse, ut assignatas difficultates effugiat. At vellem correctionem illam non ipsi, sed antiquioribus monumentis debere, et erectæ in Massiliensi territorio ecclesiæ, martyrii in Viennensi obiti certiora testimonia videre, uti et reliqua omnia meliora, quæ ad Sanctum pertinent.* F

et confusa sunt. Cultus Sancti in Italia.

104 *Castellanus* S. Defendentem *eodem die etiam nuntiat,* in Provincia; *sed nec is hujusmodi aliquid producit. Ut candide, quod de his omnibus censeo, edicam; non nego,* S. Defendentem *aliquem in Provincia vel ejus vicinia forte passum esse, sed vehementer suspicor, S. Theodorum Octodurensem episcopum ex Passione sanctorum Martyrum nostrorum Massiliam hic transferri, et alia non pauca inde profecta esse, quæ* S. Defendentis *reliquiis adaptantur. Certe in Tabulis ecclesiæ Massiliensis aliisque instrumentis, quæ vidi, nullum est* S. Defendentis *sepulti cultique a Theodoro memoria;*

AUCTORE J. C.

memoria; credo itaque, Ferrarium, vel quisquis sit alius, non multo antiquior, adstruxisse id liberaliter. Scribit idem in Catalogo Sanctorum Italiæ, quæ ad sancti Martyris cultum spectant, sequentia. S. Defendentis martyris memoria in multis Italiæ locis celebris est, præcipue Clavasii, oppido haud obscuro Taurinensis diœcesis apud Morgum fluvium in Padum non longe influentem; Casali, Montisferrati urbe primaria, et Novariæ. Quibus in locis et alibi ecclesiæ aræque illi dedicatæ sunt; cujus reliquiæ Casali in ecclesia Eremitarum asservari feruntur. *Hæc verisimiliter accepit Ferrarius ex pag.* 376 *Historiæ Baldesani, cum quo hic controversiam movet, geminandine sint* SS. Defendentes, *ut is asserit, an potius non nisi unicus adstruendus, quæ opinio ipsi præplacet,* cum nullum, *inquit,* quod sit diversus, argumentum habeamus.

qui frustra geminatur a Baldesano.

105 *Et sane sunt Baldesani argumenta non minus levia, quam incerta sint omnia, quibus nituntur, quæque paucis prosequamur. De* S. Defendente *agens pag.* 519 *ait, ex Orlando Fresia nobili Odolengensi et medico serenissimi Sabaudiæ ducis, pieque erga* S. Defendentem *affecto audivisse, quæ* B *narrat: nimirum, patrem Hilarium de Ceva a præfato medico inductum, ut conquireret, quæ* S. Defendentis *gesta cultumque illustrare possent, huic retulisse;* quod paulo ante inventa esset in flumine sex fere milliaribus a Taurino arca, seu tumulus lapideus cum corpore sancto, quod credebatur S. Defendentis esse: *quod ulterius nihil de illo innotuisset, nolentibus hactenus, quorum intererat, rem publicam fieri. Spoponderat laudatus pater perquisitionem ulteriorem, at promissa præcidit pestis, quæ virum zelosum sustulit, neque aliunde quidquam de hisce inauditum est. Ait deinde, ex narratis deduci posse, hunc esse* S. Defendentem, *jam olim cultum in Occidentali Italia, non tamquam extraneum in Gallia passum, sed tamquam protectorem, qui doctrina et sanguine illam ipsam provinciam adsperserit, ut antiqua traditio perhibet. Hæc fere Baldesanus, quæ coram criticis exagitare non est opus, cum nimia credulitas, unde profecta sunt, se mox oculis et menti ingerat. Profecto non video, quare, etiamsi in tumulo revera repertæ essent* S. Defendentis *reliquiæ, quod ex tam vacillanti testimonio non facile persuaderi sibi prudentes sinent, non eo ex Gallia pridem transferri, et Sanctus vel ea, vel obtento-* C *rum beneficiorum aliquorum occasione in protectorem assumi potuerit? Certe traditiunculæ populares apud me contrarium non evincent.*

Ejusdem cultus, insolensque circa illum proditum

106 *Verum de Sancti cultu supperaddamus adhuc aliqua. Carolus Novariensis episcopus lib.* I *Historiæ ecclesiæ suæ testatur, in Subalpinis illis regionibus frequentissimam esse et celeberrimam* S. Defendentis *martyris venerationem, et plurimis in locis ex voto publico diem* 2 *Januarii ejus nomini sacrum festum esse, potissimumque illum contra luporum rabiem atque incendiorum pericula invocari. Tradit Baldesanus se multa, quæ de Sancto prodigia referuntur, brevitatis ergo prætermittere, unum describit, quod ait, a laudato superius doctore medico litteris consignatum confirmatumque alterius cujusquam testimonio, cui et factum etiam perspectum erat et persona, cui contigerat, se accepisse. Ferrarius idem contraxit in Sancti elogio; at varia inde præcidit, quæ, quia a testibus contemporaneis non contemnendæ auctoritatis asserta sunt, Baldesano hic restituenda duxi, licet ceteram narrationem ejus stringam, ne nimium lectori tædium creem. Itaque sic narrat. Erat in pago Odolengo* (Odolevio Latine scribit Ferrarius, *cumque dicit esse in* D *diœcesi Casalensi) venator Dominicus Bove, qui Dei et Sanctorum minu reverens, festos dies venationi impendebat. Die Natalis Domini perdices duas aucupatus domum retulerat. Festo die* S. Defendentis *protectoris ejusdem territorii, neglectis divinis Officiis venationi rursus accingebat se, verum permotus rationibus uxoris, ut ab aucupando abstineret, parari mox perdices jussit, causantique uxori, quod nollet, ut ejus gulæ satisfaceret,* S. Defendentem *offendere, Missamque festo ejus negligere, reposuit: Sat tibi pro istis tuis nugis temporis est: perdices tu si parare nolueris, parabo ego, et experiemur, an* S. Defendens *illas defensurus sit. Et mox arcam aperuit. Ecce autem perdices jam quarto ante die mortuæ subito eruperunt, volantesque per domum quacumque parte muros attigerunt, impressas alarum suarum naturali colore effigies reliquerunt, et insuper in oculos venatoris involantes hominem excæcarunt; quo facto, elapsæ sunt domo.*

107 *Pœna tam prodigiose inflicta Dominico fuit utilissima, etenim præteritorum peccatorum pœnitens ad* S. Defendentem *confugit, præsentemque Sancti opem sensit: cum enim perseverasset in oratione, ante octavam diem visum recuperavit, tamque illi devotus deinceps fuit, ut pridie jejunarit in pane et aqua, festumque observarit religiosissime usque ad annum* 1602, *quo obiit. Hæc ibi, quæ, qui votet, mitigata legat apud Ferrarium; sufficiat hic mihi repetiisse, res tam mirabiles et insolentes non solere facile credi, nisi adstruantur a testibus probatæ fidei, quam hic allegatis negare non ausim. Cum tamen non omnino mihi constet, an non ex aliorum, forte magis credulorum, ore sua acceperint præfati viri, prodigii insolentia aliqualem usque mihi scrupulum relinquit.* S. Defendenti *socium annumerant aliqui, teste Baldesano,* S. Etolum, *qui in Montisferrati territorio in ecclesia S. Michaëlis prope Tridinum sepultus, multis, miraculis claruisse traditur. Joannes Andreas Iricus in Historia Tridinensi recens edita, ex lapidis testimonio* Atilum *appellandum censet. Pagina* XI *nonnulla scribit de Sancti statua et patriis traditionibus, ex quibus satis incerta manent, quæ de sancto Martyre ab Algisio et Baldesano referuntur, atque illud imprimis, an Thebæis annumerandus sit. Testatur idem historiographus, ejus sepulchrum et reliquias usque hodie ignorari: abditas autem vel* F *deperditas fuisse suspicatur seculo* V *turbarum Gothicarum tempore, quæ rursus omnia tenebris involuta sunt.*

miraculum. S. Etolus illi socius accensus. E

§ XIV. SS. Eventius, Constantii duo, Gingulphus, Juvenalis, Lucianus, Stephanus, Macarius, Marchio, Martinianus, Julianus, Besutius, Menas, Mombus seu Mombotus diversis locis culti et plerique satis levi ratione Legioni Thebææ ab auctoribus adscripti.

Varii sancti Martyres

S*anctum* Eventium *Thebæis Martyribus* S. Mauritii *Sociis accenset Baldesanus pag.* 27, *asseritque corpus ejus Nanceiæ in Lotharingia quiescere; cujus aliunde nullam notitiam accepi; sed Eventii alii*

A *alii sunt, et ex his jam aliqui enumerati in Opere nostro, quorum reliquiæ esse possunt.* SS. Felicem *et* Regulam, *de quibus pluribus actum est in Opere nostro die* XI *Septembris, uti et* SS. Florentium *et* Cassium *prætereo, quod ad* X *Octobris nomina illorum in Romano Martyrologio expressa sint. Scribit Baldesanus pag.* 373, *in diœcesi Montis Regalis et pago, quem* Bastia *appellant, ecclesiam esse* S. Florentio *Thebæo sacram, ubi varia pictura repræsentat historiam Mauritianæ Legionis, magnumque populi concursum efficacemque Sancti præstitam miseris hominibus opem, testari appensa anathemata. Hunc* S. Florentium *ait a prudentibus haberi pro socio* SS. Constantii, Alverii *et* Sebastiani, *sed notitias reliquiarum ejus, rursus dolet, hæreticorum furore ablatas fuisse; quod ipsum facit, ne ulterius hic quidpiam dicere possimus. De* S. Gingulpho, *quem tradit ut Thebæum coli in pago Gingo, Genevam inter et Agaunum, sufficiet etiam dixisse, ob leves admodum rationes hunc a S. Gangulpho seu Gengulpho, viro nobili Burgundione, iniquis uxoris suæ machinationibus ab adultero crudeliter trucidato, distingui. De Sancto illo martyre, qui Varennis in Burgundia* B *quiescit, egit Henschenius* XI *Maii, quo nomen ejus variis Fastis sacris inscriptum est. Latissime diffusus ejusdem cultus num. 3 et 4 illustratur, ubi innumeris fere ecclesiis, nomini ejus per Galliam, Germaniam, Helvetiamque sacris, etiam hæc accenseri posset.*

Thebæis annumerati S. Marchio quandonam

109 *De* S. Gislemerio, *Burgi in Italia post S. Domninum patrono creditoque Thebæo martyre ibidem passo, actum est apud nos* XVI *Septembris quo a Ferrario nuntiatur.* S. Jaffredus *seu* Theofredus *pro* S. Mauritii *Commilitone colitur in diœcesi Salutiensi ubi variis locis sacræ ejus exuviæ honorantur. Celebris ejusdem cultus est, ut diximus ad diem* VII *Septembris ubi quæ de illo innotuerunt, prolata sunt. Pancirolus in Notitiam imp. Orientis Commentarii cap.* 48 *hæc habet:* Ego in villa Chrysolæ Sallutiorum D. Gottifredi hujus Legionis *(Thebææ)* ordinarii corpus ejusque purpureum baltheum auro intextum vidi, *quæ de* S. Jaffredo *intelligenda sunt, cum eodem loco, qui ab aliis* Critzolium castellum, *Italis* Grisola *ad Vesulum montem potissimum cultus fuerit.* S. Isidorum *pag.* 29 *et* S. Juvenalem *aliquem honoratum in ecclesia campestri prope pagum* Andrate *in diœcesi* C *Eporediensi, Legioni Thebææ accenset Baldesanus pag.* 524; *sed ex rationibus tam levibus, ut eas proferre non vacet. De duobus Martyribus Thebæis quorum alter* Lucianus, *alter* Stephanus *appellatus est, quorumque sacræ reliquiæ Roma in Siciliam ad collegium Societatis nostræ Marsalense anno* 1596 *translatæ et cum pompa exceptæ sunt, agit Baldesanus pag.* 358, *et hic tandem semel clare liquet, sacras exuvias postea arbitrarium nomen accepisse. Etenim postquam narravit, quomodo Roma testimoniis, quod essent Sanctorum Thebæorum ossa, munitæ Marsalam pervenissent, addit, secundo solemnitatis publicæ die loci episcopum sancto martyri, cujus caput acceperant,* Luciani, *alteri vero, cujus obtinuerant brachium,* Stephani *nomen indidisse. Quod sane, modo, ut asserit, aliunde satis certo constiterit, esse anonymorum Thebæorum Martyrum reliquias, tantum non derogat dignitati et merito, ut sine hæsitatione reliquias illas prælaturus sim aliis, quibus ex jactatis inscriptionibus traditionibusque et speciosis martyrii Actis nomen antiquum et pristinum emendicatur. An simile quid contigerit* S. Macario *cujus corpus Grandimonte quiescit, nescio. Bernardus Guido apud Labbe Bibliothecæ Mss. tom.* 1 *pag.* 635 *ita scribit:* S. Macarius martyr ex Legione Thebæa habetur in Grandimonte et veneratur in capsa, *de quo nihil aliunde compertum habeo. Clarius liquet ita nomen suum accepisse* S. Marchionem, *quem Baldesanus Italice* Marchese *appellat. Ait autem illum apud Altesanum in confinio Taurini passum. Unde autem id ipsi constitit? Habe rursus lector, contractam ex ejus Historia pag.* 273 *et seqq. narratiunculam. Corpus* S. Marchionis *incognitum delituerat usque ad medium seculum decimum sextum, quo tandem hoc modo fuit revelatum.*

coli cœptus et unde

110 *Fodientes quidam in prædio Francisci Guerillo, in senatu regio Taurinensi consiliarii, haud procul a castro Altesano invenerunt tumulum, in eoque cadaver humanum, calicem, librum, qui Vitam Sancti continebat fidemque faciebat, has esse ejusdem reliquias. Rustici, ablatis libro et calice, relictis vero ossibus, aufugerunt. Haud procul inde fons limpidissimus scaturiebat, ad quem pauper quidam globulos precatorios volvere solebat. Huic apparuit mulier stupendæ pulchritudinis et majestatis, quæ credita est fuisse Virgo Dei Mater, jussitque hominem accedere loci dominum reddereque certiorem de iis, quæ circa præfatas reliquias contigerant. Fecit pauper, quod acceperat in mandatis; at hujusmodi conditionis hominibus non solet fides haberi: igitur nihil effectum est. Appa-* E *ruit pauperi iterum matrona, mandavitque, non solum domino narraret omnia, sed etiam suo nomine illi injungeret, ut sacellum erigi eo loco, ubi jacebant sacra cimelia, eaque curaret aræ imponi cum libro et calice, qui jam erant restituti. Utque pondus asserentis verbis adderet, manum pauperis prehendit illique impressam reliquit effigiem manus candidissimæ, quam multi cum stupore viderunt, prodigioque motus dominus oratorium exstruxit, Sancti reliquias cum calice et libro in altari deposuit, pictaque fuit ex narratione libri effigies* S. Marchionis *similis iconibus Thebæorum protectorum urbis Taurinensis.*

creditus Thebæus Martyr. Alii sanctæ Legioni

111 *Exspectas nunc, ni fallor, lector, quid ulterius nos liber ille de* S. Marchione *doceat. Accipe brevibus: nihil. Bellorum motibus, quorum tempore sæpe aliis dominis regio paruit, perditus est Taurinensibus et ablatus in Galliam. Ne importune Galli, Calvinistæ iconomachi, fures, magi toties advenerunt, quoties fere res pretiosæ spem nobis addiscendi facti cujusdam singularis exspectationemque ingesserant! Quamquam mitigemus hic sensum nostrum: ait Baldesanus,* S. Marchionem *a plerisque pro Thebæo haberi qui-* F *dem, at conjectare se ex nomine, quod nec Thebæum est, nec Ægyptium, sed potius Germanicum tantum fuisse illum Thebæis aggregatum. Forte Thebæi in Germania tirones scripserint? Succedunt in ordine nostro et etiam apud Baldesanum* SS. Martinianus, Julianus *et* Besutius *sive* Bisutius. *Illos Ferrarius in Indice,* VIII, *in Catalogo vero ipso* IX *Decembris nuntiat. Geminavit procul dubio diem ex eo, quod Baldesanus asserit; eorum festum scilicet occurrere quidem octava, sed propter solemnitatem Conceptionis immaculatæ Matris Dei, in sequentem Taurini transferri. Addit, Taurini etiamnum exstare antiquam ecclesiam parochialem a* S. Martiniano *nominatam, quam etiam ab aliquibus fatetur appellari SS. Processi et Martiniani, qui Romani martyres 2 Julii Martyrologio Romano inscripti sunt. Ut autem evincat, non ab his, sed a* Martiniano *Thebæo martyre titulum accepisse basilicam, advertit, hunc diverso ab aliis die coli; quod ratiocinium nescio quomodo subsistat. Ceterum de Sanctis hisce suis ait nihil innotuisse præterquam, quod in Pedemontium venerint, sæviente in reliquam Legionem*

AUCTORE J. C.

nem Maximiano, fuga elapsi, ibique postea comprehensi apud Taurinum martyrio coronati sint: quæ notitia rursus sola traditione nititur.

adscripti. 112 *De* S. Maximo, *cujus est Mediolani cultus celeberrimus, actum est ab Henschenio die* XIV *Aprilis, qui translationis, non vero passionis dies creditur.* Mauritios *hic non recensui, quia de illis jam egi Gloriæ postumæ* § 12. *Qui Pignarolii colitur socios habere dicitur* SS. Georgium *et* Tiberium, *qui* XXIV *Aprilis a Ferrario nuntiantur, ubi etiam apud nos dati sunt. Succedit* S. Menas *ex Baldesano pag.* 526 *scribente, hujus prodigiosas reliquias servari in parochia Gingo, de qua paulo ante, ubi de S. Gengulpho; eo leprosos ex omni parte concurrere, Novenam, ut aiunt, instituere, aspersosque aqua, cui reliquiæ immersæ fuerunt mundatos abire. Conficit autem, hunc ex Thebæis* S. Mauritii *Sociis esse, quia nomen ejus* Menas *Ægyptiacum est, ut patet ex S. Mena martyre in Ægypto. Hæc conjectura, si legitima est, quot non habebimus brevi Martyres Thebæos, cum tot sint, in Hieronymianis maxime Fastis, nomina, quæ Orientem sapiunt, dum Sancti ipsi eorumque Acta* B *aliunde sunt incognita. Claudat hunc* § S. Mombus *seu* Mombatus *a Baldesano inter Thebæos nostros Martyres relatus, qui colitur Majolæ in valle Sturensi in habitu equestri habensque pro insigni taurum, quod hieroglyphicum est Jovis Ægyptii seu Osiridis. Sola picta ejus effigies superest, eodem teste, latent cetera omnia: habemus igitur conjecturæ fundamentum, cui, qui volet, adhæreat. Fiant ibi etiam varia beneficia rusticis, qui cum morbidis jumentis eo accurrunt, id apud me non evincet*, S. Mombum *Martyrem Thebæum esse.*

§ XIV. SS. Quilici, seu Quirici et Candidi cultus aliaque ad illos pertinentia. Nixa pleraque relationibus traditionibusque non antiquis.

Instrumenta ad nos de Sanctis illis missa nec ipsa antiqua sunt,

D*ixi Appendicis hujus* § 3 S. Candidum *hunc diversum esse ab illo, qui a S. Eucherio in primaria Passione traditur fuisse in Thebæa Legione Senator militum, seu auditor causarum militarium, ut id passim recentiores exponunt; tota enim alia sunt, quæ de hoc narrantur, uti mox videbimus. Miror,* SS. Quiricum *et* Candidum *apud Ferrarium in utroque Catalogo omissos esse. Præter ea, quæ habet Baldesanus de Sanctis hisce, quæque ex illo delibabimus, habemus historiam Mss. olim submissam ad Majores meos a R. P. D. Philippo Malabayle visitatore generali congregationis S. Bernardi Ordinis Cisterciensis, in qua collecta sunt quæcumque ad Sanctos illos spectant et alibi sparsa leguntur. Ita in prologo loquitur compilator.* Quomodo etiam plures ejusdem Legionis Milites diversis in locis gloriosissimam mortem mortali vitæ præferentes, invictæ constantiæ exemplum ediderint, non defuit, qui et sollicite perquisierit, et reperta proprio libro posterorum memoriæ mandaverit. Verum, quod de universis agenti plerumque accidere solet, non ita integre, quin aliqua de iisdem Martyribus denuo afferri possint. Retulit quidem is author, Guilielmus scilicet Baldassanus, in sua de Martyribus Thebæis Historia ea, quæ de S. Quilico ex Astensium monumentis acceperat, sed quæ de illo præterea monumenta ecclesiarum Murosengi et Odolenghi ferunt, non D est prosecutus, et de S. Candido illius socio vix mentionem fecit. Idcirco nos, quæ accepimus ex omnium harum ecclesiarum monumentis, et ex libello conscripto, cum S. Quilici corpus fuit Astam delatum, reddentes, qua ratione ambo hi Martyres Astensem agrum suo sanguine sacrarint, et S. Quilicus ipsam urbem suis reliquiis ditarit, breviter exequemur.

114 *Ex his habemus scriptoris ætatem: cum enim laudet Baldesani Historiam, certe non scripsit nisi post initium seculi* XVII. *Qualis ætatis sint instrumenta ecclesiarum, ex quibus narrationem suam contexuit, non est tam certum: at facile ex sequentibus liquebit, nullum esse antiquius libello, quem dicit scriptum fuisse eodem tempore, quo contigit translatio corporis* S. Quirici *in urbem Astensem, quique proinde esset seculi* XIII, *ut mox videbimus. Ughellus in Catalogo episcoporum Astensium in Oberto seu Uberto II contraxit aliqua ex iis, quæ compilatoris anonymi verbis integra subjicio.* Erat S. Candidus Thebææ Legionis quæstor militaris, S. Quilicus nomenclator, seu tabellarius, ipsaque Legione ultra Alpes profecta, incertum qua de causa in Subalpinis restiterant E (substiterant, *opinor*) Ibi, cum ad eos fama detulisset, Maximiani Herculii crudeli mandato non modo ipsam integram Legionem ad internecionem cæsam, sed etiam ad mortem sollicite perquiri, qui ex eadem supererant, nisi, detestata Christiana religione, Romanorum deos se culturos profiterentur, non potuerunt non commoveri eorum fortia pectora, tam ob Sociorum interitum, quam ob imminens sibi periculum. Id ut devitarent ex Subalpinis in Astensem ditionem, in qua maxime coaluisse Christi fidem acceperant, sese recipiunt, et Murosengum sexto ab Astensi urbe milliario dissitum perveniunt, humanissimeque ab hujus castri incolis excipiuntur.

nec ex multum antiquis hausta.

115 Non diu tamen, qui eamdem illis coronam martyrii destinarat, hos ibidem delitescere permisit: octavo namque die ab eo, quo ipsorum Socii illam fuerant consecuti, imperatoris satellites, quo loco Padum trajectari petiissent, et a portitore, in quam partem iter deflexissent, edocti, Murosengum contendunt. Hos Christi Fideles de Sanctorum hospitum salute solliciti eminus conspicati ipsos monent, ut fuga sibi consulant: sed dum ambo in imam descendunt vallem, inter verneta, quæ F subjectum lacum, e quo fluviolus, Sturia dictus, ortum habet, circumstabant, latitaturi, satellites, qui ad castrum ascendebant, eos conspiciunt; et, intermissa via, recta versus eos concitant equos. Et Candidum quidem, quod ætate gravis et obeso esset corpore, facile consequuntur, et vanos deos detestantem, Christumque Dominum inclamantem eo ipso loco trucidant: tum Quilicum persequi pergunt; qui, utpote junior et vegetior, Odolengo Majori, mille circiter passus inde distanti, jam propior factus fuerat. Hunc igitur circumstantes, cum nec precibus nec intentatis hastis illum a Christi fide deducere possent, pariter confodiunt. *Interrumpamus tantisper narrationem, ubi finis est illorum martyrii, ut paucis aliqua observemus. Quæcumque hic non solum de sanctorum Martyrum nominibus, verum etiam de ætate, munere militari, fuga, martyrio ejusque adjunctis referuntur, merito censeri possent esse non antiqua.*

Relatio martyrii eorum recens

116 *Præter nomina adventumque in Astense territorium vix quidpiam reperio apud Baldesanum, credibile igitur est proficisci ex monumentis illis, quæ queritur compilator ipsi defuisse, quæque hactenus*

et exiguæ auctoritatis uti et alia quædam

AUCTORE J. C.

A *hactenus sine magno, opinor, Historiæ damno potuit ignorasse. Demus enim, omnia desumpta esse ex libello seculo decimo tertio conscripto, non sane is auctoritatem addet relationi eorum, quæ mille ante annis contigerunt. Quamquam forte non pauca non tam remoto a nobis quatuor seculorum intervallo nata sunt; vereor enim, ne traditiunculas inter monumenta computarit, compilator, easque ipse combinarit et nonnihil connectendo exornarit. Pergamus illum audire ita narrantem, acsi omnia coram spectasset.* Hæc cum vidissent Murosengi et Odolenghi incolæ, post deploratam sanctorum Martyrum necem ipsomet loco, quo uterque occubuerat, eorum corpora sepulturæ tradunt, statimque ac certatim ibidem singulas excitant ecclesias, superque singulorum corpora altare erigunt. Subindeque in omnem circumpositam regionem emanante fama, Sancti ipsi in præcipua devotione sunt habiti, eorumque ecclesiæ frequentatæ. *Nihil scilicet prohibente Maximiano, a quo submissos lictores effugere sancti Martyres non potuerunt. In cryptis locisque abditis similia contigisse alibi legi, sed publice Martyribus et propalam erectas basilicas fuisse persecutionum*
B *tempore, et perdurasse per plura secula, hactenus non inveni. Audiamus, quid ulterius de hisce nos doceat compilator : sic prosequitur.*

de pristino cultu.

117 De ecclesia S. Candidi præterea constans ipsorum locorum fert traditio, quod, cum ob vetustatem ruinam minaretur, initum consilium fuit, de nova eaque ampliori forma ædificanda : et quod prior illa ob lacus vicinitatem situ illuviei esset obnoxia, eminentiori etiam loco. Jam vero à fundamentis exstabant novi muri, cum intempesta nocte simul cum fundamentis ipsis ab angelis circum veterem illam ecclesiam transportati ac locati fuerunt. Qua ex re, qui fabricæ præerant, intellexere, longe gratiorem sanctis Martyribus ac ipsi Deo esse cultum, qui in illorum venerationem exhibetur, et efficaciores preces, quæ funduntur, ubi ipsi sanguinem et extremum spiritum effuderunt. Ad devitanda tamen incommoda, quæ redundans gurgitibus lacus, cælo præsertim pluvio, asserebat, a demissiore parte vallis ad ipsum locum fossam perducunt ea altitudine, quæ aquam fontis, recto cursu in eam defluentem, commodo exciperet emergeretque hinc inde terra a lacu occupata.
C *Sint hæ traditiunculæ populares a scriptore nostro combinatæ; at alia auctoritate eaque non parum graviore opus est, ut translationem murorum ab angelis factam et his similia fiant apud me utcumque credibilia. Quæ de* S. Candidi *ecclesia et cultu sequuntur, temporibus nostris viciniora sunt, nec tam mirabilia.* Ministros præterea *(inquit compilator)* ejusdem ecclesiæ servitio deputant. In iis aliquo tempore fuerunt Eremitani S. Augustini, qui cum ob clades et calamitates, quas diutinum bellum inter Carolum V et Gallos his regionibus importabat, sustentari in ea nequibant, loco cesserunt.

Saniora sunt narrata de translatione S. Candidi

118 Vincentius denique Gonzaga Mantuæ ac Montisferrati dux, cum ipsam ecclesiam visitasset, S. Candidi corpus secum Mantuam detulit, relicto tamen ibi ipsius capite, quod theca argentea inclusam asservatur. *Vincentius Gonzaga, de quo hic sermo est, ducatum Mantuæ et Montisferrati obtinuit ab anno* 1587, *atque is ipse est, qui edictum edidit anno* 1602 *de celebrando in suis ditionibus festo* S. Mauritii *et Sociorum, uti observatum est Gloriæ posthumæ* § 10 *num.* 121 *et seqq., ubi etiam attulimus occasionem cultus Sanctorum Thebæorum tam solemniter aucti per eumdem serenissimum ducem. Tanta ejus erga sanctos Martyres veneratio, mox satis hæc probabilia exhibent : quæ tamen tradita non repperi a Baldesano, neque ab Hyppolito Dunesmundo, qui Historiam ecclesiasticam Mantuanum, ubi Vincentii munificentiam erga res sacras, atque ea ipsa, quæ ex Baldesano loco citato hausimus, refert, usque ad annum* 1615, *tertium post ducis mortem, perduxit. Ast forte sacras reliquias ad privatam devotionem in domestico sacello servavit serenissimus dux, quod utrumque scriptorum facile potuit latere, et ipsa translatio fieri, edita jam Historia Thebæa, quæ anno* 1604 *lucem vidit.*

Quæ de S. Quilici reliquiis traduntur

119 *Hujus auctor solum notat pag.* 378, S. Candidum *in Montisferratensi marchionatu potissimum coli, nihil ibi agens de* S. Quilico, *ad quem spectant reliqua, quæ nunc ex Ms. laudato profero. Sic habet :* Quoad vero S. Quilici reliquias : in eadem ecclesia Odolenghi, uti diximus, ædificata pari cultu et frequentia usque ad duodecimum a Christi ortu sæculum custodita fuit. Exortis siquidem sub finem ejus sæculi inter marchionem Montisferrati et Astenses dissidiis, et ex dissidiis identidem bellis, Odolenghenses ecclesiam hujus Sancti E
loco campestri sitam, direptioni militum expositam, suumque locum ab eorum incursionibus non ita tutum cernentes, S. Quilici corpus secreto Murosengum longe magis munitum deferunt. Erat tunc quidem Murosengum Astensi ecclesiæ, veluti etiam maxima pars circumstantium castrorum seu plebium, non tantum in spirituali, sed etiam in temporali subjectum. Unde cum Ferratensis illud occupasset, episcopus suorum civium opem ad illud recuperandum exposcit. Hi vero, ex suis et episcopi hominibus comparato exercitu, Murosengum arcta obsidione premunt : incolæ autem non tam de expugnatione, quam de direptione loco imminenti solliciti, Astensium duci significant, se ostensuros, ubinam conditum esse corpus S. Quilici, si milites suos contumeliis omnique detrimento prohiberet. Libentissime annuit ductor. Itaque Murosengenses, Ferratensi præsidio abire jusso, læti Astenses excipiunt, et ubi delitesceret optatus thesaurus, indicant. Et Astenses, ne si eum locum rursus ab hoste occupari contingeret, illius jacturam paterentur, ejus in civitatem importandi consilium ineunt.

cum aliorum scriptorum assertis

120 Quod ut majori cum Sancti veneratione et civium merito fieret, a fundamentis satis amplæ et nobilis structuræ ecclesiam in suburbio S. Pauli ædificant, portamque, more in excipiendis imperatoribus usitato, in urbis mœniis aperiunt, per quam sacrum martyris Quilici corpus in illam importaretur; et ab ipso Sancto S. Quilici portam denominant : illoque, qua fieri potuit solemniori processione et celebritate illato, nova ratione illius cultui prospiciunt. Nam apud ipsam ecclesiam ab una parte monachis Humilitatis, quorum observantia ac nomen tum maxime vigebat ab alia pro sanctimonialibus ejusdem instituti cœnobium construunt singulisque cœnobiis congruos assignant redditus. Nimirum ut in eadem ecclesia ab utrisque, in diversis tamen odeis alternisque horis, divinarum laudum pensum diu noctuque persolveretur. *Hoc verisimiliter institutum vetus Agaunense pro norma habuit, ubi primitus perpetuam psalmodiam a S. Sigismundo rege inductam fuisse, Acta interpolata et alia instrumenta testantur. Ceterum ex hisce, cum relatis ab Ughello laudato comparatis, compilatoris nostri methodus facta combinandi exornandique satis luculenter ostenditur. Demus specimen : Ughellus ita scribit :* Ejus vero ecclesiæ

AUCTORE J. C.

clesiæ (S. Quilici) hæc fuit occasio. Exorto inter Astenses et Montisferrati marchionem diutino bello, hic Muroscangum, quod feudum erat Astensis ecclesiæ, occupaverat. Id illi indigne ferentes locum recuperant; et intelligentes, S. Quilici corpus ex ecclesia, sub Odolengo olim illi dicata, Muroscangum fuisse custodiæ causa delatum, illius in civitatem reportandi consilium ineunt.

non conveniunt, et anachronismus

121 *Sequitur deinde,* Quod audientes, *cum reliquis omnibus usque ad finem totidem fere verbis, quot superius relata sunt. Conferantur autem quæ mox Ughelli verba recitavi, cum dictis compilatoris, inveniemus aliqua non satis quidem prudenter superaddita. Quare enim Murosengenses a popularibus suis, a quibus vi avulsi erant, tantum sibi a direptione timuissent? Quare tanti faciebant* S. Quilici *reliquias ductor militesque Astenses, ut, iis promissis, mox acquieverint. Enimvero si castrum jam vi expugnare poterant spoliisque inhiabant, vix illos effugere vel sic poterant desideratæ sacræ exuviæ, satisque liquet, hæc ut majorem splendorem addant, adjecta esse. Quæ de apertis mœnibus allatisque per ruinam* S. Quilici *reliquiis asseruntur, non sunt Baldesani* B *dictis conformia, forteque rursus in eumdem finem excogitata. Ait ille, quem compilator fatetur Astensis ecclesiæ monumenta præ oculis habuisse, pag.* 268, *antiquam civitatis ejusdem portam occasione translationis sacrorum ossium nomen* S. Quilici *induisse, additque, bellis et peste desolata Asta, ejusdem Sancti corpus tumulumque mansisse incognita : quod ultimum, si verum est, suspicionem non benignam de antecedenter relatis parere posset. Ceterum juverit observasse, dissidia Astenses inter et Marchionem Montisferrati anno* 1191 *exorta, quindecim annis durasse, ut scribit Ogerius Alferius in Chronico edito a Muratorio tom.* 9 *Italicarum rerum col.* 191. *De his autem bellis loqui debet compilator, dum finem seculi* XII *designat.*

involuta sunt. Coluntur Sancti die 30 Septembris

122 *Verum hæc pugnant cum epochis Ughelli, quæ toto fere seculo posteriores sunt. Etenim Obertus, cujus tempore translationem contigisse asserit, sedit Astæ ab anno* 1284 *usque ad* 1292 *vel sequentem. Eodem Alferio teste, anno Domini* 1289 *rursus bellum exarsit inter Guilielmum marchionem Montisferratensem et Astenses, quod triennio post, mortuo in carceribus Alexandriæ, ubi captus detinebatur, Guilielmo, et sancita cum filio ejus Joanne pace, terminatum est. Ad hæc* C *tempora si referatur prædicta translatio, non laborabit narratio a chronologia, cui minus assueti facile errant in simili seculorum computu, non attendentes, initiales cifras seculo uno numerando anticipari. Porro Alferius, qui laudatum chronicon patriæ suæ anno* 1294 *conclusit, col.* 150 *scribit :* Item ornata est *(civitas Astensis)* Religionibus novis per circuitum : id est Fratribus Prædicatoribus,.... Fratribus et Sororibus ecclesiæ S. Quilici *etc. Unde constet, institutum illud haud ita pridem eo inductum fuisse. Ceterum ex eo, quod superius dicuntur* SS. Quilicus *et* Candidus *coronati octavo die post carnificinam Agaunensem, ubi in universam pene Legionem sævitum fuerat, liquet, quare die* XXX *Septembris speciatim colantur.*



D

§ XV. Sancti Thebæi aliis diebus in Martyrologio Romano nuntiati. S. Tegulus Eporediæ cultus. SS. Valeriani duo, Cirus, Joannes, Cucuphas, Chrysogonus, Ciriacus, Felix, Fortunatus, Achilles, Valerius a Baldesano Thebæis annumerati.

Aliqui Thebæi crediti, de quibus hic non agitur.

Sancti Secundi, *non ignobilis inter Thebæos Commilitones martyris, Gesta in Opere nostro excussa sunt die* XXVI *Augusti, ubi in Martyrologio Romano et aliis Fastis sacris nuntiatur apud Albintimelium, quod hodiedum* Vintimiliam *nominant, in Liguria coronatus.* Secundus *alius cum* Licinio *jam superius venit. Tertius synonymus inter socios* S. Thyrsi *accensetur* SS. Solutoris, Adventoris *et* Octavii, *Tutelarium Taurinensium Acta, ut jam non semel monui, illustrabimus die* XX *Novembris, quo occurrent in Martyrologio Baronii;* Thyrsus *quidem cum* Bonifacio *et sociis apud Trevirim passus, ibi locum non invenit, sed in pluribus Actariis Usuardinis nuntiatur* IV *Octobris. De hisce non lubet agere, quia quoad epocham martyrii aliaque nonnulla eorum Acta connexionem habent cum Actis* SS Gereonis *et Sociorum, quæ ampliori discutione egent et hanc Appendicem nimium protenderent. Propter similem rationem nihil hic pariter movebo de* E *annuntiatis in Usuardo ad diem* XV *Octobris sequentibus verbis :* Apud Coloniam Agrippinam natalis sanctorum quinquaginta Martyrum, qui cum essent ex Legione sacra Thebæorum, apud eamdem urbem cursum sui agonis compleverunt. *Similia fere habent Ado et Notkerus, de quibus interim videri potest Sollerii nostri Observatio ad præfatum diem, ubi asserit, quæ hic disputari possent, alterius (et longioris sane) indaginis esse.*

S. Teguli Eporediæ in Salassis cultus, præter quem de illo

124 *Celebris est Eporediæ* S. Tegoli *seu* Teguli *cultus propter sacras ejusdem exuvias in cathedrali ecclesia reconditas. De illo agit Ferrarius ad diem* XXV *Octobris, quo pariter a Saussayo Martyrologii Gallicani Supplemento his verbis inscriptus est :* Eporediæ in Salassis festivitas S. Tegoli martyris ex numero Militum Thebæorum. *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ita prudenter Sancti elogium texit ex instrumentis, ex archivio ecclesiæ Eporediensis, ut testatur, sibi submissis.* Tegulus Thebææ Legionis, cum una cum aliis apud Agaunum in finibus Sedunorum, Mauritio duce hortatore, Maximiani imperatoris jussu, quod diis sacra facere, cum essent Christiani, constanter recusassent, martyrio affectus esset, illius corpus in Eporediensis urbis finibus diu ignotum fuit; quoad Varimundus episcopus ejusdem civitatis, patria Ticinensis, virtute et religione clarus divina revelatione ad locum, in quo sacrum Martyris corpus jacebat, una cum clero et aliis pergens, terra effossa illud, mira odoris fragantia inde exhalante, reperit, et in urbem ingenti totius populi lætitia celebrique pompa transtulit, ac in æde cathedrali in sacello S, Jacobi apostoli decenter collocavit. *Hæc multis verborum ambagibus Ferrarius de* S. Tegulo *pauca et caute, quæ*

enim

A *enim apud Baldesanum ulterius legerat, facile conjecture potuit esse et valde recentia et incerta, ut mox videbimus. Notat Ferrarius, diem* XXV *Octobris translationis esse sive inventionis, non vero martyrii; cum aliis quippe apud Agaunum Sociis coronatum hodie asserit, de quo ambigue loquens Saussayus videtur dubitasse.*

nihil satis certo innotuit. Bini Valeriani aliique

125 *Baldesanus solitus, si quos invenit Martyres pro Thebæis habitos et aliis diebus in Italia cultos, inter eos recensere, qui tempore cædis universæ apud Agaunum Legionis in Pedemontium fugerant, idem hic rursus tradit de* S. Tegulo, *quem* S. Bessi *passim socium nominat : at sine teste antiquo de more, hinc asserta more, solito dubia. Varemundum insuper, ad cujus usque tempora ignotum fuisse* S. Tegulum *fateri cogitur, duobus seculis antiquiorem facit, cum inventionem sacrarum reliquiarum ejus tempore et anno Christi* 800 *figit. Varemundus, quem alii etiam* Verimundum et Veramundum *appellant, initio seculi* XI *sedem Eporediensem occupavit, ut liquet ex instrumentis apud Augustinum ab Ecclesia, qui illam Beati titulo honorat, et Ughellum in Catalogo. Ab utroque refertur facta ab ipso* S. Teguli *transla-* B *tio, ex iisdem opinor testimoniis, quæ nescio quam antiqua sint. Addit Baldesanus, sanctas ejusdem reliquias, in cathedralem ecclesiam illatas in sacello S. Jacobi, inter hujus et S. Bartholomæi altaria depositas fuisse. Duos* SS. Valerianos *inter Mauritianos Martyres habet Baldesanus; utrumque Ferrarius omisit. Ille inter corrigenda monet pag.* 29 *lin.* 2 *addenda esse :* Et alius insuper S. Valerianus occisus in valle Segusina, *de quo nihil alibi reperio. De altero scribit pag.* 268, *questusque, bella inter marchionem Montis-ferratensem et Astenses monumenta omnia notitiasque martyrii et tumuli perdidisse: addit, a Pedemontanis tamen adhuc religiose Sanctum, ut Thebæum coli, variaque beneficia ejus implorato auxilio impetrari, hodieque in colle inter pagos* Cumiana *et* Fruzasco *prodigiose durissimo saxo impressa spectari signa genuum et unius tibiæ, mediocris staturæ hominis, quæ a Pedemontanis religiose frequentantur, et habentur pro vestigiis a sancto Martyre, ibidem orante, antequam in speluncam vallis Segusinæ, ubi coronatus traditur, a lictoribus raperetur, impressis. Duo illa loca, Baldesano teste, maxima frequentia visitantur feria* 2 *Paschatis.*

pro S. Mauritii Sociis culti. Perperam Dubordæus

126 *Spelunca vulgo vocatur* Bauma, *ubi et conditæ fuisse videntur sacra ejus exuviæ. Circa hæc omnia supervacaneum esset aliquid addere; applicari profecto huc possunt dicta Appendicis hujus* § 7 *num.* 55. *Subnectamus nunc ad calcem paucos residuos, quos solo nomine cognitos et inter Thebæos numeratos comperi. In sæpissime memorata Baldesani Historia pag.* 27 *enumerantur octo; nimirum :* Cirus, Joannes, Cucufas, Chysogonus, Ciriacus, Felix, Fortunatus *et* Achilles, *quos ait recenseri in Historia P. Fulvii Cardoli de SS. Abundio et Abundantio. Sanctus etiam* Valerius *aliquis in marchionatu Montisferratensi, ut martyr Thebæus colitur, teste eodem pagina sequenti. Atque hi sunt, quos ut Thebæos Martyres cultos inveni. Non dubito interim, quin me fugerint nonnulli in locis particularibus sub Thebæorum nomine honorati : verum aliter in tam vasta materia fieri vix potuit. Claudamus Appendicem brevi in Dubordæum aniamdversione. Is suo more in Ecclesiam Romanam et monachos debacchatus, Dissertationis suæ capite ultimo invehitur in detecta posterioribus seculis Sanctorum corpora nominaque, quæ primariæ Passionis auctor non recensuit. Adonem aggreditur, qui SS. Malosum Victorem,* Innocentium, Vitalem, *Gereonem, Alexandrum, Secundum et Antonium; Usuardum vero, qui SS. Cassium et Florentium detexerint suisque Martyrologiis, ut ex Legione Thebæa Martyres, inseruerint, atque adeo sciverint, quæ primus Actorum scriptor ignoravit.*

AUCTORE J. C.

Sanctorum cultum impugnat ex eo, quod anonymis

127 *Miserrima enimvero critica! Quasi vero S. Eucherius ignorare non potuerit, quando in Legionem Thebæam sæviit Agauni Maximianus, Milites ex ea, imo cohortes alibi in statione fuisse, in quos deinde tyranni furor pariter grassatus sit. Sane Legionem integram in agro Octodurensi cæsam fuisse, non asserit sanctus scriptor, sic ut ab ea nulli abfuisse potuerint, quin ab illo dissentiatur, asseraturque aliquid ejus verbis contrarium. Eorum vero tantum agonem litteris consignandum suscepit, qui tum ibi martyrio coronati fuerant. De SS. Urso et Victore ex incidenti agit, quod ceteris adessent, cum minæ a Maximiano et mortis sententia allata sunt, unde inter Agaunenses computari merito poterant. At si pridem ab Agaunensibus sejuncti fuerant, qui apud Treviros et Coloniam Agrippinensem passi sunt, mortemque aliquo tempore ante vel post alios pro Christo oppetierunt, facile id potuit nescivisse, uti et Sanctorum nomina, quorum palæstra non parvo terra-* E *rum spatio Agauno disjuncta erat, et in quos neque propositum lucubrationis suæ, neque aliud quidpiam urgebat eum, ut scrupulosius inquireret.*

Sanctorum reliquiis

128 *Quidquid tamen sit, et Ado et Usuardus habuere præ oculis Acta, unde Sanctorum suorum elogia excerpserunt, vel monumenta alia, quæ secuti sunt, nescitque sane Dubordæus, an non fuerint ipso Eucherio antiquiora. Testimonia cum adscriptis nominibus apud sacra aliquorum ossa forte inventa sunt, quæ profecto serius detecta martyrologis illis prælucere potuerunt, non item Eucherio, quatuor prius seculis scribenti. Quamquam de Sanctis illis nihil hic discutere vel asserere lubet; quæ ad illos spectant sequentibus mensibus examinabimus. Interim, licet sacra ossa nec essent Thebæorum Martyrum, nec eorum singulatim, quorum nomina induerunt, quid inde, quæso, contra Sanctorum cultum Ecclesiamve eum vel approbantem, vel saltem tolerantem? Admittet procul dubio Dubordæus fluens ex suis ineptiis hoc ratiocinium : Ossa, quæ Jacobi V. G. vocantur; non sunt Jacobi; ergo non sunt Sancti alicujus exuviæ; ergo non sunt ullo honore digna. Admittet, inquam, at, cum similia latius explodere non vacet, remittemus hominem ad ea, quæ* F *eruditissime de similibus scripsit Prosper de Lambertinis ecclesiam hodie feliciter gubernans, in eruditissimo Opere de Servorum Dei Beatificatione lib.* 4 *part.* 2 *cap.* 24 *seqq. et sæpe alibi, paucisque reponemus; nomen sacris cimeliis virtutem nullam addere vel demere : in nomine spem nullam figere Catholicos, sed in meritis et patrocinio Sanctorum, quorum sacra lipsana venerantur: innumeris miraculis Deum testatum esse pretiosas sibi Sanctorum etiam anonymorum exuvias gratamque hominum erga illas venerationem : invigilare sedulo Ecclesiæ pastores, ut ne indiscretus aliquorum zelus incertas reliquias obtrudat.*

postea nomen inditum sit

129 *Quod si id aliquando contingit, Deum ad quem, dum Sanctorum patrocinium invocamus, vota nostra et spem, ut ad primarium et solum bonorum omnium fontem et largitorem, dirigimus, vel sic simplicium precibus non raro aurem benignam præbuisse, rogataque beneficia indulsisse. Denique dicemus de citatis ex Adone et Usuardo Sanctis dubium non relinqui iis, quibus vesana hæresis judicium non abstulit, cum antiquus sit eorum cultus*

AUCTORE J. C.

cultus prodigiis etiam illustratus, quæ Catholicorum erga illos venerationem prudentem et religiosam faciant. Ad ea, quæ de pluribus per Italiam superioribus seculis detectis corporibus, quibus et nomen et Thebæi Martyris titulus, forte etiam non satis prudenter, indita fuerunt, non sine bile deblaterat Dubordæus, ex jam mox dictus pariter fluet responsio. Demus enim utraque recentia et falsa esse, non per hoc sacris ossibus sanctitas aut Sanctis merita apud Deum ablata sunt. Eorum ex meritis et sempiterna cum Deo amicitia potens apud ipsum patrocinium exposcimus, et quamdiu hæc stabunt, frendentibus frustra hæreticis, exposcere non desinemus. Ceterum, cum hæc jam sub prelo essent, perlatus est ad nos Prodromus Historiæ Trevirensis dono missus ab illustrissimo auctore Joanne ab Hontheim episcopo Myriophitano suffraganeo Trevirensi, qui Parte 1 *pag.* 87 *pluribus erudite disputat de Martyribus Trevirensibus, creditis* S. Mauritii *Sociis, quæ alibi nobis usui maximo futura sunt. Nota* d *ad caput* 1 *Historiæ martyrii illorum Dubordæo accenset vir eruditissimus Jacobum Hottingerum, Loysium Bochet, et scriptorem novissimum Laurentium Mosheim in Commentariis de reb. Christ, ante Constantinum M. pag.* 564. *quorum objectionibus confidit a nobis satisfactum iri. Lucubrationes illas hactenus non vidi; at si quid Dubordæanis cavillis adjecerint novi, idque mihi ad manus pervenerit, spero futurum ut data ad* XXX *hujus in S. Urso, opportunitate, nihil in eo a nobis desideret illustrissimus auctor.*

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM VI SEPTEMBRIS

A

Arsenius

B

Cantelmus

† Cleophas

D

E

F

G

Guilielmus

I

† Julianæ,

M

† Marculphus

O

P Pace

P

Q

V

INDEX

TOPOGRAPHICUS

Alnatum

B

Benthenabrum,

C

Cæsarea,

H

I

K

L

M

Pergamea

Q

† Quintin

Trajectum

V

Vesulus

W

INDEX

ONOMASTICUS

Martyrizatus,

INDEX MORALIS

A

B

C

D

E

F

H

I

L

Perjuria

FINIS

